
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
45 1
16

L/
VI
4

Digitized by Google

Digitized by Google

8.45.I.16



DE EXTERMINATIONE MALI, ET PROMOTIONE boni, Libri quinque.

Auctore

IACOBO ALVAREZ DE PAZ, TOLETANO, E Societate IESV, Sacræ Theol. ac literarum diuinarum in Peruano regno Profeſſore.

OPERVM TOMVS II.

EDITIO PRIMA:

Accurata: unà cum Indicibus neceſſariis.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

LVGDVNI

APVD HORATIVM CARDON

16 C 11

Bibliothecæ Domus Romanæ Pauperum
Matris Dei Scholarum Piarum:

8.45.[illegible].I.16

SANCTISSIMO
AC BEATISSIMO
PATRI, ET DOMINO,
N. PAVLO V. SVMMO
CATHOLICÆ ECCLESIÆ
PONTIFICI,

IACOBVS ALVAREZ DE PAZ,
PRESBYTER E SOCIETATE IESV,
Sempiternam Fœlicitatem.

SVPERIORIBVS annis, PATER BEATISSIME, primum de Vita ſpirituali, & eius perſectione, tomum, in quinque libros diſtributum, tuæ iſti, quâ proximè ad Deum accedis, Maieſtati conſecraui: Tu illum eâ beneuolentiâ, ac pietate, quâ eidem, cuius locum in terris obtines, es ſi-

millimus, ſuſcepiſti. Ecce nunc ex eodem Antarctico Hemiſphærio tot terrarum ſpatiis, ac marium vaſtitate ab ipsâ Romanâ ſede, ex quâ toti orbi præſides, diſiuncto, tuis ſacratiſsimis pedibus, quibus ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulas, offero ſecundum. Summa mihi ſpes eſt ex benigniſſimâ tuâ pietate concepta, alterum hunc ingenioli mei fœtum, quem ante multos annos conceptum, hoſce quatuor, ac ſæpe inter longiſsimæ ac difficillimæ viæ diſcrimina & difficultates, parturiui, hoc demum anno exeunte, inter varias occupationes peperi, te eâdem beneuolentiâ ſuſcepturum, cùm & hic eâdem ſubmiſsione, quâ primus, eodémque animo tibi, qui ſemper es idem, offeratur. Duo ſunt non aurea munera, ſed æra minuta, quæ miſi, ſi non eâ religione, quâ vidua ſua, quâ tamen potui, in gazophylacium Eccleſiæ, cuius tibi traditæ

ſunt

ſunt claues: ſed quæ ſuâ æſtimatione non multum habent laudis, ſi voluntas inſpiciatur offerentis, non erunt, cùm hilarem datorem Deus diligat, contemnenda. Primum qui ſuſcepiſti, non potes non ſuſcipere ſecundum: immo tibi tuo iure debitum poſſes vel non oblatum ab inuito repetere. Sed vt ſecundus hic liber nuper in communem lucem datus, liber ſit ab oblatrantium linguis, liber à mordentium dentibus, germani ſui Patronum, ſub cuius vmbrâ tutum vbique fuiſſe, cuius luce, in Italiâ, Galliâ, Hiſpaniâ, & Orientis ſolis Indiis, ac Occidentis regionibus colluxiſſe conſpicit, quærit, poſtulat, expoſcit. In primo, vbi de doctrinâ perfectionis, ac naturâ ſanctitatis agitur, luxuriat aliquantulum oratio: in hoc, vbi de extirpandis vitiis animi, ac ſedandis eius motibus, necnon de inſerendis virtutibus, & earum

exercitationibus promouendis diſputatur, preſſior aliquantulum, & conciſior eſt ſtylus. Meum fuit, vires, corporis quidem, variis ægritudinum moleſtiis debilitatas, animi, varias ob cauſas debiliores, quoad potui, intendere, & propoſitum mihi ſcopum, ſi non aſſequi, ſaltem inſequi, quantum poſſem. Tuum erit, BEATISSIME PATER, pro ingenitâ tibi à naturâ, vt omnes prædicant, & additâ cum ſupremo Pontificatus munere clementiâ, filioli tibi multis nominibus deditiſſimi voluntatem inſpicere, ac tui patrocinii & fauoris auram nunc ad extirpanda vitia, & inſerendas Virtutes inſpirare. Non minus hoc negotium, quàm illud, quod in primo tomo confecimus: nec magis in cognoſcendo, & amando perfectionis fructu, quàm in eradicandis noxiis & infructuoſis vitiorum arbu-

ſtis,

ſtis, & in plantandis ſpecioſis fructiferíſque Virtutum arboribus boni & diligentis agricolæ deſudat induſtria: Vtrumque ad te munus ſpectat, qui conſtitutus es caput Eccleſiæ vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſsipes, & ædifices, & plantes. Nec minor tibi poteſtas data eſt, cui dedit Dominus prope ſibi parem in terris Eccleſiæ maximam, ac ſupremam, ad Virtutum inſitionem, quàm ad extirpationem vitiorum: ad ædificationem bonorum, quàm ad deſtructionem malorum: Quique (vt Sancti Bernardi verbis vtar) primatu es Abel: gubernatione, Noe, Patriarchatu, Abraham: ordine, Melchiſedec: Pontificatu & vnctione, Aaron: auctoritate, Moſes: iudicio., Samuel: poteſtate, Petrus: ego addam, vt nomine, ſic & zelo & charitate, Paulus. Viue igitur diu ac fœliciſsimè, in hac ſupremâ Maieſtate,

& Petri nauem tibi commiſſam, tutam & incolumem tuere, donec ad Petri prope annos perueniens, ex ipsâ primâ terrarum Sede tuis dignâ virtutibus ad altiſſimam cælorum tuis debitam meritis traducare.

VALE.

Digitized by Google

PRÆFATIO
Ad Lectorem.

INſcriptio huius operis, Optime lector, non eſt noua, aut à me ipſo primùm inuenta, ſed à Richardo Victorino, doctore grauiſſimo, mutuata; qui primam tractationem ſuorum operum, *De Exterminatione mali, & Promotione boni*, voluit inſcribi. Ambóque ex Sancto Dauide eandem accepimus, de itineribus beatæ vitæ dicente, [Diuerte à malo, & fac bonũ:] quas eſſe Iuſtitiæ, ſeu Virtutis partes Auguſtinus edocuit. *Pſal. 33.* Congruit inſcriptio ſiue titulus argumento: quoniam cùm vitam ſpiritualem in actricem & contemplatricem, & ex vtrâque compoſitam, ſciamus eſſe diſtinctam; his quinque libris de vitâ actrice tractamus, cuius eſt peccata fugere, vitia exterminare, ſenſus comprimere, affectus cohibere, ac tentationes vincere, quæ ad mali vitationẽ pertinent: & Virtutes, animæ ornamenta conquirere, ſanctóſque ac bonos mores excolere; quibus vniuerſa boni effectio completur. *Aug. lib. de Corr. & gratia c. 1. to. 7.* Hos autem Liæ, ſcilicet vitæ actiuæ, conatus ſollicitos non ſine labore ſuſceptos, Rachelis, id eſt, vitæ contemplatiuæ, dulciſſimi ſequuntur amplexus, quos (ſi Deus votis noſtris annuerit) & fructus eorum ad vitam mixtam ſpectantes, quinque aliis libris exponemus. At in hoc opere à craſſioribus inchoandum eſt; quia diſciplina ſpiritus, perinde ac externæ diſciplinæ, quædam principia notiora habet, & omnibus peruia, quæ nobis totam hanc ſcientiam ex profeſſo ſcribentibus non fuerunt prætermittenda. Nonnulla, quæ ſatis nota videntur, Patrum auctoritate firmamus; quia, quod vni certum eſt, alteri aut eſt prorſus ignotum, aut certè contemptui habitum; quia illud putat ab hominibus ſimplicibus dictum, non à ſanctiſſimis & ſapientiſſimis viris aſſertum. Metaphoris, Allegoriis, ſimilitudinibus, & rationum copiâ delectamur; ſic enim huius doctrinæ præceptores antiqui eam expoſuerunt, vt ſapientibus & inſipientibus ſe cum Paulo debitores profiterentur, & variis ingeniis multa & varia proponerent, quorum hæc iſtos, alia verò illos ad ſtudia Virtutum incitarent. Stylum non nimis preſſum admiſimus, ex eo quòd non tantùm docere, ſed perſuadere etiam, & ad virtutem mouere contendimus. Exquiſita autem breuitas ſi aliquantulùm eruditos docet; at ineruditos non docet, & ſere neminem mouet. Verúmque eſt illud cuiuſdam: [Dum breuis eſſe laboro, obſcurus fio.] Ne verò in re iam ſeriâ, ac animabus neceſſariâ obſcuri, & affectuum ſteriles ſimus, ferat, obſecro, eruditus quiſque, vt ſtylum, preſſiorem ſanè quàm in primo Tomo, nonnihil tamen pro minùs ſapientibus effundamus. Ac tandem (ô lector) ſi quid inueneris in hoc opere, quod te doceat, quod ad Virtutem alliciat, ad perfectionem impellat, ad ſtudiúmque orationis & contemplationis præparet, Deo, qui omnium bonorum dator eſt, acceptum feras: ſi quid verò à nobis prodeſſe cupientibus erratum fuerit, ignoſce. Vale.

Approbatio Theologorum.

IVssv admodum Reuerendi Patris, Ioannis Sebaſtiani, Præpoſiti Prouincialis Prouinciæ Perüanæ, Societatis Iesv, ego Andreas Hernandez, eiuſdem Societatis, Profeſſor Theologiæ in hoc noſtro Collegio Limenſi, vidi, & accuratè perlegi hos quinque libros, *De Exterminatione mali, & Promotione boni*, compoſitos per Reuerendum admodum Patrem Iacobum Aluarez de Paz, Theologum dictæ Societatis, ac dicti Collegij Rectorem: In quibus nihil reperi fidei vel bonis moribus aduerſum. Immò omnia tantâ eruditione ac pietate plena, vt quæ de Vitâ ſpirituali, eiúſque perfectione tot Patres aliis & aliis locis tradiderunt, cuncta in eis mirâ conuenientiâ & facilitate iungantur. Quare cenſeo ad magnam Dei gloriam & Chriſtianæ reipublicæ emolumentum fore, maximè autem ad perfectionis ſtudioſos (quos præcipuè hoc opus inſtituit) conducere vt imprimantur. Limæ, in Collegio D. Martini, duodecimo Kalendas Decembris, anni milleſimi ſexcenteſimi decimi.

ANDREAS HERNANDEZ
Profeſſor Theologiæ.

EX præſcripto Reuerendi admodum Patris, Ioannis Sebaſtiani, Prouincialis huius Perüanæ Prouinciæ, vidi hos quinque libros, *De Exterminatione mali, & promotione boni*, Auctore P. Iacobo Aluarez de Paz, Societatis noſtræ viro: miratúſque ſum fœlix hominis in aſceticis ingenium, animi pietatem, ſummámque in omnibus tanto Patre dignam ſapientiam: Nihil eſt, quod aut ad compeſcendos prauos animi motus ſtrenuè non tractet; vel ad Virtutem afferendam incredibili ſtudio non euoluat, comparandus cum eis omnibus, qui his de rebus appoſitè differentes virtutis imperium & propugnarunt, & prouexerunt. Quare tantum opus id eſſe cenſeo, quod publicâ luce dignum profectò ſit. Limæ, decimo tertio Kalendas Decembris, anno 1610.

IOANNES PERLINVS
Theologiæ Profeſſor.

EX præſcripto Reuerendi admodum P. Ioannis Sebaſtiani, Præpoſiti Prouincialis Societatis Ieſu in hac Prouinciâ Perüanâ, vidi, ac perlegi hunc ſecundum Tomum, *De Exterminatione mali, & promotione boni*, alteros quinque libros complectenrem, Auctore Reuerendo P. Iacobo Aluarez de Paz, eiuſdem Societatis, quondam ſacræ Theologiæ, diuinarúmque litterarum publico Profeſſore: In quo non ſolùm omnia reperi fidei Catholicæ, ſacræ paginæ, doctrinæ Sanctorum Patrum, perfectioni Religioſæ, & bonis moribus conformia; verùm & vtiliſſima, & viris Religioſis ad propriam perfectionem conſectandam, & diuini verbi concionaroribus ad proximorum ſalutem iuuandam. Quare digniſſimum cenſeo, vt in lucem prodeat hic nouus Auctoris labor, ex quo, vt priorem magnitudine, & rerum varietate, excedente, vberior fructus ad Dei obſequium ſperari poteſt. Limæ, pridie Idus Septembris, anni milleſimi ſexcenteſimi decimi.

FRANCISCVS DACA
Theologiæ Profeſſor.

CVM

CVM ſummâ ſint in laude ponendi, qui ſcribendis ſpiritualibus libris operam ſedulò magno cum emolumento nauarunt; meritiſſimò quidem eâ erit laude mactandus Reuerendus Pater Iacobus Aluarez de Paz, cuius libros *De Exterminatione mali, & Promotione boni,* per otium contemplatus, expectationem de tanto viro iam conceptam olim illis explendam cumulatiſſimè arbitror. Sunt enim, & ſi nullus dixerim, iis, qui ad ſpirituales haſce res animum appulerunt, nimiopere neceſſarij. Hîc de re aſceticâ Sanctorum ſenſa penitiſſima: hîc in cupiditates imperium, & Perfectionis apex religioſæ, pietate ſummâ, iuxtâque tanto auctori perſpicuitate innatâ, illa enucleantur acutè, iſta docentur elucidiùs. Quamobrem prælo mandandos in commune Chriſtianorum mentium emolumentum iudicaui. Limæ 11. Februarij, anni 1611.

FRANCISCVS DE CONTRERAS
Philoſophiæ publicus profeſſor.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunenſi.

LVDOVICVS MICHAELIS, Prouincialis Collegiorum Societatis IESV, in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis, Henrico III. 10. Maij, 1583. & Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Febr. 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque ſuperiorum permiſſione imprimant: permittit Horatio Cardon Lugdunenſi Bibliopolæ, vt Opus quod inſcribitur, *De Exterminatione mali, & Promotione boni,* auctore R. P. Iacobo Aluarez de Pâz, è Societate Ieſu, Theologo, ad ſex proximos annos imprimere, ac libere diuendere poſſit. Datum Lugduni, 5. Octobris. 1611.

MICHAELIS.

R. D. D. THOMÆ DE MESCHATIN-LA FAYE, huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN-LA FAYE, Comes, Canonicus & Cantor Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Opus quod inſcribitur, *De Exterminatione mali, & Promotione boni*, auctore R. P. Iacobo Aluarez de Paz, è Societate Ieſu, Theologo, à Theologis recognitum, vt in lucem edatur, facultatem concedimus. Lugduni vltima die Octobris, 1612.

MESCHATIN-LA FAYE.

Summa Priuilegii à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege obtenti.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate cautum eſt, ne quis in ſuo regno, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis prima inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo ac ratione conetur librum, qui inſcribitur, *De Exterminatione mali, & Promotione boni*, auctore R. P. Iacobo Aluarez de Paz, è Societate Ieſu, Theologo, præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſe conceſſerit: ſub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis decimo octauo die menſis Februarij. M. DCXI.

De mandato Regis,

Signatum

PERREAV.

INDEX

INDEX
LIBRORVM, PARTIVM ET CAPITVM.

PARTES & Capita Libri primi: in quo agitur de fuga peccatorum, extinctione vitiorum, & victoria tentationum.

Proœmium.

Pars I. huius libri de Abiectione peccatorum, tum mortalium tum venialium.

Quid peccatum ſit, & de duplici peccato mortali, & veniali. Cap. 1. fol. 9.
Peccatum mortale fugiendum eſſe ob ſuam malitiam. Cap. 2. 14
Peccatum mortale fugiendum eſſe ob ſuam fœditatem. Cap. 3. 20
Peccatum mortale fugiendum eſſe ob pœnam quam promeretur. Cap. 4. 25
In deteſtatione peccati mortalis incipiendum eſt à cognitione propriæ imbecillitatis, itemque à timore & ſpe. Cap. 5. 32
Peccatum mortale contritione delendum eſſe, & de propoſito emendationis. Cap. 6. 38
Peccatum mortale in confeſſione aperiendum eſſe, ac de impoſita ſatisfactione adimplenda. Cap. 7. 44
De fugiendis occaſionibus peccatorum, & de faciendis dignis fructibus pœnitentiæ. Cap. 8. 50
Neminem poſſe in hac vita ſine ſpeciali priuilegio omni leui peccato carere, quemque tamen cum Dei gratia peccata leuia in dies magis ac magis poſſe minuere. Cap. 9. 57
Peccata venialia fugienda eſſe propter mala, ad quæ diſponunt Cap. 10. 63
Peccata venialia fugienda eſſe propter damna quæ inuehunt. Cap. 11. 68
Peccata venialia fugienda eſſe propter bona quæ impediunt Cap. 12. 72
Eadem eſſe remedia ad purganda peccata venialia, quæ ad diluenda criminalia. Cap. 13. 77
Alia eſſe remedia ad diluenda peccata venialia. Cap. 14. 83
De triplici genere peccatorum venialium ſignato per lignum, fœnum, & ſtipulam 1. Corinthiorum 3. capite. Cap. 15. 86
Quod remedium adhibendum eſt ad vitanda peccata leuia ſignificata per lignum. Cap. 16. 91
De remedijs ad vitanda leuia peccata ſignificata per fœnum. Cap. 17. 97
De remedijs ad vitanda peccata venialia quæ ſignificantur in ſtipula. Cap. 18. 101

Pars II. de extinctione vitiorum.

Quid vitium ſit & quòd omnia vitia ſunt extinguenda. Cap. 1. 107
Quæ ſint remedia generalia ad vitia ſuperanda. Cap. 2. 113
De vitio Gulæ atque eius gradibus. Cap. 3. 120
De remedijs quibus vitium Gulæ vincatur. Cap 4. 128
De vitio luxuriæ ac de manentibus eius reliquijs. Cap. 5. 134
De remedijs quibus luxuriæ vitiũ cohibetur. Cap. 6. 139
De vitio Auaritiæ & eius actibus. Cap. 7. 143
De remedijs contra Auaritiam. Cap. 8. 149
De vitio Iræ & varijs eius gradibus. Cap. 9. 154
De remedijs ad vincendum Iram. Cap. 10. 159
De vitio Inuidiæ & eius actibus. Cap. 11. 165
De remedijs ad exterminandam Inuidiam. Cap. 12. 168
De vitio Acediæ ac de multiplicibus eius malis. Cap. 13. 172
De remediis ad extirpandam Acediam. Cap. 14. 181
De vitio inanis gloriæ ac de ipſius gradibus. Cap. 15. 186
De remediis aduerſus inanẽ gloriam. Cap. 16. 191
De vitio Superbiæ ac de gradibus ipſius. Cap. 17. 195
De remediis ad pellendam Superbiam. Cap. 18. 200
De fine belli aduerſus vitia, ac de victoriæ ſignis. Cap. 19. 204

Pars III. de Victoria tentationum.

Quid tentatio ſit, & an tentari ſit malũ. Cap. 1. 209
Tentationes appeti poſſe, & qua ratione ex illis fructum decerpimus. Cap. 2. 216
Tentationes ſuperandas eſſe, quoniã à Domino tentatione probamur. Cap. 3. 221
Tentationibus reſiſtendum, quia hoſtes noſtros reſiſtentia proſternimus. Cap. 4. 226
Tentationum victoria Deum in nobis magnificari. Cap. 5. 232
Tentationum victoria nos ſanctorum coronam obtinere. Cap. 6. 236

Hominem ad tentationum victoriam à Deo, Angelis, & ſanctis iuuari. Cap.7. 240
Tentationibus reſiſtendum eſſe ob magnas vtilitates, quas anima ex victoria decerpit. Cap.8. 246
De multiplici via qua aduerſarij nos tentant. Cap.9. 255
De generalibus remediis tentationum. Cap.10. 262
De his quæ victoriam tentationum impediunt. Cap.11. 269
De tentationibus in ſpeciali: ac primò incipientium, Cap.12. 274
De tentationibus proficientium. Cap. 13. 289
De tentationibus perfectorum. Cap. 14. 298
Concluſio huius libri. Cap.15. 303

PARTES ET CAPITA LIbri ſecundi, in quo agitur de mortificatione virium animæ & abnegatione veteris hominis.

Proœmium.

Pars I. huius libri de natura, neceſſitate, ac præſtantia mortificationis.

De miſero ſtatu hominis in peccatū lapſi. Cap.1. 315
Hæc omnia mala hominis lapſi à Domino magna ex parte mortificatione ſanari. Cap.2. 320
Quid ſit mortificatio & quotuplex, ac de eius nominibus. Cap.3. 326
Mortificationem eſſe homini iuſto apprimè neceſſariam. Cap.4. 332
Mortificationem viri iuſti eſſe Deo gratiſſimam. Cap.5. 337
Iuſtum ad dona cæleſtia mortificatione parari. Cap.6. 342
Mortificatione peccata minui, & pœnas præteritorum delictorum exolui. Cap.7. 348
Mortificatione vitia extingui. Cap. 8. 352
Mortificatione tentationes vinci. Cap.9. 357
Mortificatione virtutes acquiri. Cap. 10. 362
Mortificatione donum orationis impetrari. Cap. 11. 367
Mortificatione omnem perfectionem obtineri. Cap.12. 374
Mortificationem eſſe imitationem Chriſti veriſſimam. Cap. 13. 377
De excellentia mortificationis. Cap. 14. 382
Mortificationem nunquam eſſe omittendam. Cap.15. 386
Mortificationem eſſe magni momenti etiam in minimis. Cap. 16. 391
Quò poſſit hominis mortificatio peruenire. Cap. 17. 396
Ad mortificationem adhortatio. Cap.18. 400

Pars II. de mortificatione exterioris hominis.

Mortificationem non coniunctim, ſed quaſi per partes eſſe accipiendam. Cap. 1. 405
De mortificatione oculorum. Cap. 2. 410
De mortificatione aurium. Cap. 3. 418
De mortificatione odoratus. Cap.4. 427
De mortificatione guſtus. Cap.5. 433
De mortificatione tactus. Cap.6. 440
De mortificatione corporis quoad motus eius. Cap. 7. 445
De mortificatione corporis quoad cultum eius. Cap. 8. 450
De mortificatione corporis quoad aſperitatem. Cap. 9. 457
De mortificatione linguæ, & primo de malis eius. Cap. 10. 464
De peccatis linguæ in ſpeciali quæ ſunt abneganda. Cap. 11. 471
Adhuc de aliis linguæ defectibus cohibendis. Cap. 12. 480
De documentis ad mortificandam linguam. Cap. 13. 491

Pars III. de mortificatione hominis interioris.

Mortificationem interiorem præcipuam eſſe, ac finem exterioris. Cap. 1. 495
De mortificatione proprij amoris. Cap. 2. 499
De mortificatione actuum, & exceſſuum proprij amoris. Cap. 3. 506
Adhuc de actibus amoris proprij. Cap.4. 511
De mediis generalibus ad mortificandum proprium amorem. Cap. 5. 517
De ſpecialibus mediis pro mortificatione proprij amoris. Cap. 6. 521
De mortificatione propriæ voluntatis. Cap. 7. 529
In quibus propria voluntas eſt mortificanda. Cap.8. 534
De mortificatione intellectus in inquiſitione veritatis. Cap.9. 539
De mortificatione intellectus, ſiue iudicij proprij in rebus agendis. Cap. 10. 547
De mortificatione appetitus concupiſcentis & iraſcentis. Cap. 11. 553
Quibus mediis paſſiones appetitus concupiſcentis ſint cohibendæ. Cap. 12. 558
Quibus mediis paſſiones appetitus iraſcentis ſint frænandæ. Cap.13. 562
De mortificatione cogitationum. Cap. 14. 565
Quæ cogitationes & quibus mediis erunt mortificandæ. Cap.15. 570
De ſuſtinendis mortificationibus illatis à Deo. Cap.16. 575
De documentis generalibus ad mortificationem. Cap.17. 581
De diſcretione in mortificatione ſeruanda. Cap.18. 584

PARTES ET CAPITA libri tertij, in quo agitur De adeptione Virtutum.

Proœmium.

Pars I. de ſubſtantia & excellentia.

De Virtute in generali quid ſit. Cap.1. 597
Quanta ſit virtutis honeſtas. Cap.2. 602
Quanta ſit virtutis vtilitas. Cap.3. 608

Quanta ſint virtutis deliciæ. Cap.4. 614
Quanta ſit virtutis pulchritudo. Cap.5. 620
Virtutes omnes eſſe neceſſarias. Cap.6. 624
Nullam virtutem eſſe prætermittendam. Cap. 7. 629
Concluſio dictorum & de inſtrumentis aſſequendæ virtutis eſſe tractandum. Cap.8. 637

Pars II. de inſtrumentis aſſequendæ Virtutis, pertinentibus ad intellectum.

De primo inſtrumento, nempe de cognitione virtutis, eámque eſſe cognitu difficilem. Cap.1. 643
De multiplici virtute Theologica & Morali, infuſa & acquiſita, ac de variis ipſarum gradibus. Cap.2. 648
De Virtute Fidei. Cap.3. 655
De virtute Spei. Cap.4. 661
De virtute Charitatis. Cap.5. 665
De virtute Prudentiæ. Cap.6. 676
De virtute Iuſtitiæ Cap.7. 685
De virtute fortitudinis. Cap.8 703
De virtute temperantiæ. Cap.9. 714
De indiciis adeptæ virtutis. Cap. 10. 732
De ſecundo inſtrumento ad aſſequendam virtutem, nempe de appreciatione eius. Cap.11. 736
De tertio inſtrumento nempe de poſtulatione virtutis. Cap.12. 743

Pars III. de Inſtrumentis aſſequendæ Virtutis, pertinentibus ad voluntatem.

Quartum inſtrumentum ad aſſequendam Virtutem diffidentia ſui. Cap.1. ibid.
Quintum inſtrumentum, ingens deſiderium Virtutis. Cap.2. 756
Sextum inſtrumentum intentio actualis operandi ex fine virtutis. Cap.3. 762
Septimum inſtrumentum Robur mentis ad perſiſtendum in quærenda virtute. Cap.4. 770
Octauum inſtrumentum, cura particularis in vitio cuique virtuti contrario eliminando Cap. 5. 776
De particularis curæ ſiue examinis auctoritate. Cap 6. 780
De particularis curæ ſiue examinis neceſſitate. Cap.7. 786
De particularis curæ ſiue examinis multiplici vtilitate. Cap.8. 791
De initio particularis examinis, nempe de propoſito emendationis. Cap.9. 797
De progreſſu particularis examinis, nempe de cura interdiu habenda. Cap 10. 804
De diſcuſſione conſcientiæ bis quotidie facienda. Cap.11. 810
De poſtrema parte particularis examinis, nimirum de collatione. Cap.12. 817
De quibus fieri debeat particulare examen. Cap.13. 820

Pars IV. de inſtrumentis aſſequendæ Virtutis in actione poſitis.

Nonum inſtrumentum ad Virtutem, aſſidua operum cuiuſque virtutis exercitatio. Cap. 1. 825
Virtutem interiùs & exteriùs exercendam eſſe. Cap.2. 831
Eas virtutes à quolibet iuſto exercẽdas eſſe ad quas vocatur, ac de feruore in exercitatione ſeruando. Cap.3. 840
Decimum inſtrumentum nulla occaſionis exercitandæ virtutis omiſſio. Cap.4. 848
Vndecimum inſtrumentum vitæ regularis ſequela. Cap.5. 854
Duodecimum inſtrumentum cuſtodia regulæ, & primo quanti momenti ſit ad virtutes habendas. Cap.6. 861
Cuſtodiæ regulæ pacem eſſe promiſſam. Cap. 7. 868
Cuſtodiæ regulæ miſericordiam eſſe prærogatam. Cap.8. 874
Non tantùm magna, ſed & minima quæque ex regula eſſe ſeruanda. Cap.9. 883
Quis modus in regulæ obſeruatione tenendus. Cap. 10. 889
Quæ iuuent adſeruandæ regulæ. Cap.. 11. 898
Summa inſtrumentorum aſſequendæ virtutis. Cap.12. 903

Pars V. de quotidiana exercitatione virtutis.

Sectio I. huius partis, de his quæ manè fiunt.

De ſurgendo à ſomno. Cap.1. 905
De præparatione ad orationem. Cap.2. 908
De oratione. Cap.3. 909
De diſcuſſione orationis. Cap.4. 912
De officio diuino. Cap. 5. 913
De præparatione ad miſſam. Cap.6. 917
De celebratione miſſæ. Cap.7. 929
De gratiis agendis poſt miſſam. Cap.8. 933
De auditione miſſæ. Cap.9. 940
De cuſtodia cellæ. Cap. 10. 942
De ſtudio litterarum. Cap.11. 945
De cura miniſteriorum. Cap.12. 950
De diligentia in obſequiis aliorum fratrum. Cap.13. 955
De conſcientiæ examine ante prandium. Cap.14. 956
De comeſtione ſiue prandio. Cap.15. 958
De admittenda aliqua remiſſione poſt prandium. Cap.16. 960

Sectio II. De his quæ veſperi fiunt.

De rebus poſt meridiem agendis. Cap. 1. 963
De lectione ſpirituali. Cap. 2. 964
De Pſalterio B. Virginis. Cap. 3. 966
De corona B. Virginis. Cap.4. 973
De ſpeciali inuocatione B. Virginis. Cap.5. 976
De inuocatione Angeli cuſtodis Sanctorum. Cap.6. 978
De ſalutando frequenter Domino in ſacramento Euchariſtiæ latente. Cap.7. 980
De conſcientiæ examine ante cubitum, & primò de eius neceſſitate. Cap.8. 981

De examinis multiplici vtilitate. Cap. 9. 987
Quæ ſunt adducenda ad examen. Cap. 10. 990
Quanam ratione fieri debeat examen. Cap. 11. 994
Summa doctrinæ examinis. Cap. 12. 1000
De dormitione ac nocturna quiete. Cap. 13. 1001

Sectio III. De his quæ ſingulis hebdomadis fiunt.

De confeſſione in hebdomada facienda. Cap. 1. 1002
De communione ſiue ſumptione Euchariſtiæ. Cap. 2. 1004
De auditione verbi Dei. Cap. 3. 1009
De collatione ſpirituali. Cap. 4. 1011
De retinendis propriæ deſpicientiæ ſignis. Cap. 5. 1013

Sectio IV. De his quæ ſingulis menſibus fiunt.

De eligendo adiutore per ſingulos menſes ad profectum virtutum. Cap. 1. 1015
De emendandis per ſingulos menſes conuerſationis noſtræ defectibus. Cap. 2. 1020

Sectio V. De his quæ ſingulis annis fiunt.

De die vocationis noſtræ ſingulis annis celebrando. Cap. 1. 1021
De propria conſcientia prælato manifeſtanda. Cap. 2. 1024
De vitæ ſpiritualis actibus innouandis. Cap. 3. 1028
De ſeceſſione ab occupationibus ſingulis annis facienda. Cap. 4. 1032

Sectio VI. De his quæ ſemper fieri debent.

De præſentia Dei. Cap. 1. 1035
De charitate erga Deum. Cap. 2. ibid.
De timore Dei. Cap. 3. 1036
De zelo honoris Dei. Cap. 4. ibid.
De laude Dei. Cap. 5. 1037
De gratitudine erga Deum. Cap. 6. ibid.
De reſignatione in voluntate Dei. Cap. 7. ibid.
De amore Prælatorum. Cap. 8. 1038
De reuerentia erga Prælatos. Cap. 9. ibid.
De obedientia ad Prælatos Cap. 10. 1039
De oratione pro Prælatis. Cap. 11. ibid.
De ſuſtinentia Prælatorum. Cap. 12. ibid.
De diſſimulandis defectibus Prælatorum. Cap. 13. 1040
De non iudicandis Prælatis. Cap. 14. ibid.
De affectu Filij erga Religionem. Cap. 15. 1041
De cuſtodia regulæ. Cap. 16. ibid.
De bono nomine Religionis quærendo. Cap. 17. 1042
De onere religioſæ diſciplinæ ferendo. Cap. 18. ibid.
De religioſis functionibus ritè præſtandis. Cap. 19. ibid.
De bono exemplo fratribus dando. Cap. 20. 1043
De rebus temporalibus curandis. Cap. 21. ibid.
De cogitando Deo in fratribus. Cap. 22. 1044
De dilectione fratrum. Cap. 23. ibid.
De affabilitate erga fratres. Cap. 24. ibid.
De honore fratrum. Cap 25. 1045
De defectibus fratrum ferendis. Cap. 26. ibid.
De ope fratribus exhibenda. Cap. 27. ibid.
De circunſpectione in conuictu fratrum. Cap. 28. 1046
De amore ſecreti & commoratione in cella. Cap. 29. ibid.
De cura modeſtiæ. Cap. 30. 1047
De contemptu ſui. Cap. 31. ibid.
De generali ſui abnegatione. Cap. 32. 1048
De caſtigatione corporis. Cap. 33. ibid.
De tranquillitate cordis. Cap. 34. ibid.
De diſcretione. Cap. 35. 1049

PARTES ET CAPITA libri quarti: in quo agitur de Fundamento virtutum ſiue de humilitate.

Proœmium.

Pars I. huius libri de præconio humilitatis.

Duplicem eſſe humilitatem, cognitionis & affectionis, ac de vtraque tractandum. Cap. 1. 1059
Humilitatem eſſe fundamentum omnium virtutum. Cap. 2. 1064
Chriſtum ſeruatorem noſtrum eſſe humilitatis magiſtrum. Cap. 3 1069
Humilitatem eſſe ſummam totius diſciplinæ Chriſtianæ. Cap. 4. 1077
Homines fieri humilitate Deo gratiſſimos Angeliſque ſimillimos. Cap. 5. 1083
Deum in iuſtis ſuis Humilitatem maximè curare. Cap. 6. 1088
Quòd humilitas eſt magna ſapientia. Cap. 7. 1098
Humilitatem eſſe receptaculum omnium bonorum. Cap. 8. 1105
Humilitatem eſſe fontem exaltationis. Cap. 9. 1113
Quòd Humilitas eſt virtus magnorum. Cap. 10. 1121
Quòd Humilitas non deijcit animum ſed mirificè roborat ad aggredienda difficilia. Cap. 11. 1126
Omnibus ad Perfectionem anhelantibus Humilitatem eſſe ſectandam. Cap. 12. 1132

Pars II. de Humilitate cognitionis ſiue de cognitione ſui.

Cognitionem ſui ipſius eſſe difficilem, & quid ipſa ſit. Cap. 1. 1137

Quæ bona ex ſui cognitione exoriantur. Cap. 2. 1143
Quæ mala ex propria cognitionis defectu proveniant. Cap. 3. 1149
Quanam ratione homo ſeipſum cognoſcet. Cap. 4. 1153
Quid fuit Homo. Cap. 5. 1161
Quid eſt Homo Cap. 6. 1167
Quid erit Homo. Cap. 7. 1177
Quid potuit Homo. Cap. 8. 1185
Quid poteſt Homo. Cap. 9. 1193
Quid poterit Homo. Cap. 10. 1200
Quid fecit Homo. Cap. 11. 1206
Quid facit Homo. Cap. 12. 1212
Quid faciet Homo. Cap. 13. 1217
Quo pacto Homo ſeipſum aſpiciet, & quis fructus cognitionis ſui. Cap. 14. 1222

Pars III. de Humilitate affectionis ſiue de gradibus Humilitatis.

Humilitatis gradus multis modis à Patribus aſſignari, & qua ratione à nobis tractandi. Cap. 1. 1227
De primo gradu Humilitatis, qui eſt ſeipſum diſplicere. Cap. 2. 1231
De ſecundo gradu Humilitatis, qui eſt ſibi ipſi diffidere. Cap. 3. 1236
De tertio gradu Humilitatis, qui eſt, reputare ſe diuinis donis indignum. Cap. 4. 1242
De quarto gradu Humilitatis, qui eſt, ſe omnium minimum æſtimare. Cap. 5. 1247
De quinto gradu humilitatis, qui eſt, nolle ab hominibus honorari, &c. Cap. 6. 1253
De ſexto gradu humilitatis, qui eſt, deſiderare ab aliis contemni, & vilis haberi. Cap. 7. 1260
De ſeptimo gradu Humilitatis, qui eſt, ex accepto honore, aut laude, dolore affici. Cap. 8. 1265
De octauo gradu humilitatis, qui eſt, propriam vtilitatem & defectus libenter detegere. Cap. 9 1271
De nono gradu humilitatis, qui eſt, ſe Deo omnino ſubycere. Cap. 10. 1276
De decimo gradu Humilitatis, qui eſt, ſubycere ſe omnibus propter Deum. Cap. 11. 1281
De vndecimo gradu Humilitatis, qui eſt, ex functionibus externis abiectiora complecti. Cap. 12. 1285
De duodecimo gradu Humilitatis, qui eſt, ſe omnino inutilem reputare. Cap. 13. 1290

Pars IV. de effectibus & indiciis Humilitatis.

De caſto Humilium timore. Cap. 1. 1295
De ſollicita Humilium ſui abnegatione. Cap. 2. 1302
De promptiſſima Humilium ad alios abiectione. Cap. 3. 1306
De forti humilium ſuſtinentia. Cap. 4. 1311
De aperta humilium ſuæ conſcientiæ manifeſtatione. Cap. 5. 1316
De veriſſima humilium propriæ vilitatis electione Cap. 6. 1322
De generali humilium in conſpectu aliorum, ſui ipſorum deiectione. Cap. 7. 1326
de Humiliũ omnis ſingularitatis fuga. Cap. 8. 1330
De diſtrictiſſimo humilium ſilentio. Cap. 9. 1336
De moderatiſſimo humilium ritu. Cap. 10. 1340
De circumſpecta humilium loquela. Cap. 11. 1345
De modeſtiſſimo humilium inceſſu. Cap. 12. 1348
De mediis aſſequendæ humilitatis. Cap. 13. 1353
De humilitatis indiciis. Cap. 14. 1353

PARTES ET CAPITA libri quinti, in quo agitur de triplici ſeminario virtutum, ſiue de tribus virtutibus Religioſis: Paupertate, Caſtitate & Obedientia.

Prooemium.

Pars I. de Paupertate.

Quid ſit religioſa Paupertas. Cap. 1. 1367
Quàm ſit Paupertas viro Religioſo neceſſaria. Cap. 2. 1374
Quantis Paupertas prærogatiuis emineat. Cap. 3. 1389
Primus gradus Paupertatis omnia propter Chriſtum voto emiſſo relinquere. Cap. 4. 1391
Secundus gradus Paupertatis, votum de rerum abrenunciatione emiſſum implere. Cap. 5. 1397
Tertius gradus Paupertatis ſuperflua reſecare. Cap. 6. 1404
Quartus gradus Paupertatis neceſſariis immoderatè non inhærere. Cap. 7. 1408
Quintus gradus Paupertatis rerum neceſſariarum penuriam pati. Cap. 8. 1413
Sextus gradus Paupertatis in ægritudinibus paucis contentum eſſe. Cap. 9. 1418
Septimus gradus Paupertatis affectu & effectu omnem nuditatem & incommoditatem exquirere. Cap. 10. 1425
De Præmio Paupertatis, ac primo de Theſauro obtinendo à pauperibus in cœlo. Cap. 11. 1430
De iudiciaria poteſtate Pauperibus deleganda Cap. 12. 1434
De Centuplo in hac vita & in futura Pauperibus tribuendo. Cap. 13. 1441
De mediis ad aſſequendam Paupertatem. Cap. 14. 1449
De Paupertate ſectanda. Cap. 15. 1457

Pars II. de Caſtitate.

De natura religioſæ Caſtitatis. Cap. 1. 1463
Quàm neceſſaria ſit viro Religioſo Caſtitas. Cap. 2. 1469
De multiplici excellentia Caſtitatis. Cap. 3. 1475

Adhuc de excellentia Caſtitatis. Cap. 4. 1481

Primus gradus Caſtitatis voto omnes carnis voluptates abycere. Cap. 5. 1487

Secundus gradus Caſtitatis votum abiiciendæ Carnalis voluptatis implere. Cap. 6. 1494

Tertius gradus Caſtitatis acribus carnis tentationibus non pulſari. Cap. 7. 1500

Quartus gradus Caſtitatis in vigilia tentationibus impudicitiæ carere. Cap. 8. 1503

Quintus gradus Caſtitatis: in ſomno impuris illuſionibus non fœdari. Cap. 9. 1509

Sextus gradus Caſtitatis: in carne quaſi ſine carne viuere. Cap. 10. 1514

De præmio Caſtitatis quod habet in cœlo. Cap. 11. 1521

De præmio Caſtitatis quod habet in terra. Cap. 12. 1527

De præmio quod ratione Caſtitatis habet Catholica Eccleſia. Cap. 13. 1532

De mediis ad Caſtitatem corpori applicandis. Cap. 14. 1540

De mediis ad Caſtitatem mente interiùs exercendis. Cap. 15. 1547

De amore Caſtitatis. Cap. 16. 1555

Pars III. de Obedientia.

In quo poſita ſit obedientiæ ſubſtantia. Cap. 1. 1561

Quæ ſit radix Obedientiæ. Cap. 2. 1567

Quanta ſit religioſo obedientiæ neceſſitas. Cap. 3. 1573

Quàm multiplex ſit excellentia Obedientiæ. Cap. 4. 1578

Primus gradus Obedientiæ, voto ſe Prælato ſubycere. Cap. 5. 1583

Secundus gradus obedientiæ, votum ſubiectionis nuncupatum implere. Cap. 6. 1588

Tertius gradus Obedientiæ, quæque iniuncta etiam abſque præcepto exequi. Cap. 7. 1592

Quartus gradus obedientiæ, quolibet modo nobis iniuncta ritè perficere. Cap. 8. 1596

Quintus gradus obedientiæ, voluntatem ſimul cum opere maiori ſubdere. Cap. 9. 1604

Sextus gradus Obedientiæ, intellectum ſiue iudicium prælati ſenſibus conformare. Cap. 10. 1609

Septimus gradus Obedientiæ, cæca quadam ſubiectione imperata facere. Cap. 11. 1616

Septimus gradus Obedientiæ cæcæ exemplis illuſtratur. Cap. 12. 1625

De lenitate Obedientiæ. Cap. 13. 1632

De præmio Obedientiæ & primo de multiplici eius victoria. Cap. 14. 1637

De mirabili tranquillitate Obedientium. Cap. 15. 1643

De magna gloria parata Obedientibus. Cap. 16. 1647

Qua via & ratione diſcemus Obedientiam. Cap. 17. 1652

Concluſio huius tractationis, ac de amore obedientiæ. Cap. 18. 1657

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI HOC TOMO CITANTVR, ET EXPLICANTVR.

Numerus, Columna, Litera, locum in textu indicat.

EX GENESI.

Cap. 1. IN principio creauit Deus cœlum & terram. fol. 1165.c
Terra erat inanis, & vacua. 1442.c
Factúmque eſt veſpere & mane dies vnus. 240.a
Congregationes aquarum appellauit maria. 320.b
Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. 1189.a
Replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris, &c. 316.d
2. Et requieuit die ſeptimo ab omni opere, quod patrarat. 1034.d
Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ. 1163.c
Creuit puer Iſaac, & ablactatus eſt. 339.c
De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die,&c. 19.a
Adduxit ea Dominus ad Adam, vt videret quid vocaret ea. 316.c
Immiſit Dominus ſoporem in Adam. 874.c
3. Sed & ſerpens, &c. qui dixit ad mulierem: cur præcepit vobis Deus,&c. 245 d
Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno paradiſi. 218.b,& 1611.d
Eritis ſicut dij ſcientes,&c. 1121.c
Dedítque viro ſuo, qui comedit. 124.b
Et aperti ſunt oculi amborum. 1561.c
Abſcondit ſe Adã & vxor eius à facie Dñi Dei. 24.c
Cúmque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, &c. 451.e
Mulier quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. 1319.e
Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. 121.b
Inimicitias ponam inter te,& mulierem. 227.a
Ipſa conteret caput tuum. 116.d, 140.d, 245.b
In dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris. 775.b, 1170.a
Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno,&c. 411.d
Spinas & tribulos germinabit tibi. 27.c
Puluis es, & in puluerem reuerteris. 33.d,& 1139.e
In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. 1180.a
Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt ſciens bonum, & malum. 317.d
Miſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, 1030.c
Collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim,& flammeum gladium, &c. 89.e, 90.a, & b
4. Fuit Abel paſtor ouiũ, & Cain agricola. 1212.c
Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus,&c. 1370.b
Iratus eſt Cain vehementer,&c. 166.a
Sub te erit appetit⁹ eius,& tu dominaberis illi⁹. 16.c
Nonne ſi bene egeris recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus,&c. 26.e
Num cuſtos fiartis mei ſum ego? 1150.a
Ecce eiicis me hodie à facie terræ,&c. 1151.d
Poſuit Dominus in Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum. 155.b
6. Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. 1474.d
Arcam bitumine linies intrinſecus & extrinſecus. 629.b
8. Quia ſenſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt. 1212.d
Cunctis diebus terræ, ſementis,& meſſis, frigus, & æſtus, æſtas,& hiems,&c. 312.d
9. Bibens vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo. 1429.
13. Nec poterat eos capere terra vt habitarent ſimul, &c. 1392.b
Ne quæſo ſit iurgium inter te & me. 477.a
Omnem terram quam conſpicis tibi dabo,& ſemini tuo vſque in ſempiternum.
15. Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. 242.c
Sume mihi vaccam triennem, &c. 1598.c
16. Ecce ancilla in manu tua eſt, vtere ea, vt libet, 231. a
Reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius. ibid.& 1094.b
Hic erit ferus homo. 111.a
17. Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, &c. 329.d,& 333.b
Cecidit Abraham in faciẽ ſuam & riſit, &c. 1341.d
Circumciſus eſt Abrahã, & Iſmael filius eius. 795.a
18. Afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros,&c. 1288.e
Tulit quoque butyrum,& lac,& vitulum, quem coxerat,&c. 1289.a
Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo. 134: c
Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt,&c. 26.a
Loquar ad Dominũ cùm ſim puluis, & cinis. 909.a

19. Reſpiciénſque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis. 401.c
21. Riſum fecit mihi Dominus; quicunque audierit, corridebit mihi. 448.e
Fecítque Abraham grande conuiuium in die Ablactionis eius. 1022.b
Cúmque vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ, ludentem cum Iſaac filio ſuo. 231.b
22. Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, &c. 1308.c
Extendítque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum. 1370.b
Nunc cognoui quòd times Dominum, &c. 223.c
Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio vnigenito, &c. 433.c, & 1618.c
23. Aduena ſum, & peregrinus apud vos. 1410.a
24. Soror noſtra es, creſcas in mille millia, &c. 168.d
25. Et deficiens mortuus eſt in ſenectute bona prouectáque ætatis, &c. 769.b
Vendidit primogenita. 128.a
26. Quieſce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea. 1410.a
27. Pergens ad gregem; affer mihi duos hædos optimos, &c. 846.c
Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ. 341.a, & 1351.d
Num vnam benedictionem tantùm habes pater, &c. 1282.c
28. Cúmque veniſſet, & vellet in eo requieſcere poſt ſolis occubitum, &c. 1415.c
Vidítque in ſomnis ſcalam ſtantẽ ſuper terrã. 594.c
30. Da mihi liberos, alioquin moriar. 759.c
31. Rachel furata eſt idola patris ſui. 296.b
Die noctúque æſtu vrgebar, & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis. 847.d
Per viginti annos ſeruiui tibi, & immutaſti mercedem meam decem vicibus. 511.c
Afflictionem meam, & laborem manuum mearum reſpexit Deus. 134.e
32. Domine minor ſum cunctis miſerationibus tuis. 1093.d
Et ecce vir luctabatur cum eo vſque manè. 305.c
Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. 388.c
Ortúſque eſt ei ſtatim ſol, poſtquam tranſgreſſus eſt Phanuel, &c. 1428.c
34. Primúſque Iudas cum fratribus ingreſſus eſt ad Ioſeph. 1320.b
35. Abiicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini. 504.a
Non vocaberis vltra Iacob, ſed Iſraël erit nomen tuum. 388.b
37. Sciſſis veſtibus, indutus eſt cilicio lugens filium ſuum multo tempore. 1351.d
40. Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat, &c. 1021.c
41. Protinus ad regis imperium eductum de carcere Ioſeph, &c. 910.b
Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum, &c. 1178.a
45. Deſcende ad me ne moreris, & habitabis in terra Geſſen. 817.a
Cúmque amplexatus recidiſſet in collum Beniamin fratris ſui fleuit. 443.a
48. Faciat tibi Deus ſicut Ephraim, & ſicut Manaſſe, &c: 1078.b
49. Non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, &c. 570.d
In conſilium eorum non veniat anima mea. 1217.a
Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu. 1366.b

EX EXODO.

Cap. 1. Quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & creſcebant. 252.a
3. Ne appropries huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis. 96.b
Quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem, &c. 1243.a
4. Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri & nudius tertius. ibid.
Obſecro Domine mitte, quem miſſurus es. ibid.
5. Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſraël. 1099.d
7. Induratũ eſt cor Pharaonis, & nõ audiuit eos. 30.a
Vbicumque habitabant filij Iſraël, lux erat 827.b
12. Et comedetis feſtinanter. 931.c
13. Cúmque introduxerit te Dominus in terram Chananæi, &c. 771.c
14. Indurauítque Dominus cor Pharaonis, &c. 210 & 238.a
15. Cantemus Domino: glorioſè enim, &c. 237.d
19. Omnis qui tetigerit montem, morte morietur. 347.b
20. Honora patrẽ tuũ, & matrem tuam, &c. 692.d
Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, viſitans iniquitatem, &c. 1252.a
Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. 391.a
Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, &c. 368.c
21. Quòd ſi dixerit ſeruus, diligo Dominum meum, &c. 1586.c
22. Si pignus à proximo tuo acceperis, veſtimentum ante ſolis occaſum reddes ei. 163.a
Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. 473.c, & 1572.c
23. Nec accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, &c. 138.c
Ecce ego mittã Angelũ meũ, qui præcedat te. 1069.e
Terrorem meum mittam in præcurſum tuum & occidam, &c. 781.e
Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorũ. 204.b
Facies, & ſaga cilicina vndecim ad operiendum tectum, &c. 1262.c
Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum. ibid.
Facies & velũ de hyacintho, & purpura, &c. 237.b
30. Sume tibi aromata, ſtacten, & onycha, galbanum, &c. 635.b
Cúmque in tenuiſſimum puluerem vniuerſa contuderis, &c. 152.b
31. Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, &c. 376.c
32. Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. 961.a
Si quis eſt Domini, iungatur mihi. 737.b
33. Si inueni gratiam in conſpectu tuo, &c. 346.a, & 1131.b
34. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum. 204.c, & 902.c
38. Hæc ſunt inſtrumenta tabernaculi teſtimonii. 641.b

EX LEVITICO.

Cap. 2. Anima cùm obtulerit oblationem ſacrificij Domino, &c. 194.d
Nec quicquam fermenti, ac mellis. 589.d
Quidquid obtuleris ſacrificij ſale condies. 103.b, 276.c, 584.e
4. Pellẽ verò, & omnes carnes cum capite, &c. 51.b
9. Lotis aqua priùs inteſtinis, & pedibus. 116.a

13. Habe

13. Habebit veſtimenta diffuſa, caput nudum, &c. 64.a
34. Lapides eius ac ligna proiicientur extra oppidum. 91.d
15. Vir qui patitur fluxum ſeminis, immundus erit. 479.e
Et tunc iudicabitur huic vitio ſubiacere. 9c.a
19. Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus, &c. 51.a, & 504.e
21. Virginem ducet vxorem, &c. 1526.a
Homo qui habuerit maculam, &c. 523.e
22. Omnis homo, qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea, quæ conſeciata ſunt, &c. 917.d
26. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, &c. 875.e

EX NVMERIS.

Cap. 6. Vir ſiue mulier cùm fecerit votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, à vino, & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt. 438.e
Sic benedicetis filiis Iſraël, &c. 85.d
Inuocabunt nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis. ibid.
10. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles. 4.a
11. Vulgus quippe promiſcuum, quod aſcenderat cum eis, flagrauit deſiderio carnium. 124.a
Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis, &c. 860.d
12. Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, &c. 737.b
13. Vidimus viros de genere giganteo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur, &c. 1091 e
15. Faciant ſibi fimbrias per angulos palliorũ. 137.d
19. Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, immundum erit. 484.b
20. Quia non credidiſtis mihi, &c. 70.d
21. Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſos aſpexerit eum, viuet. 1371.e
22. Aperuit Dominus os aſinæ, & locuta eſt. 219.d
23. Non eſt idolum in Iacob. 357.a
33. Profectique de Mara venerunt in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & palmæ ſeptuaginta. 404 b

EX DEVTERONOMIO.

Cap. 1. Quò aſcendimus, nuntij terruerunt cor noſtrum, dicentes, &c. 1624 e
Non videbit quiſpiam de hominibus generationis huius peſſimæ terram bonam, quam ſub iuramento, &c. ibid.
4. Cùm quæſieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum. 761.e
5. Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter maieſtatem ſuam, &c. 951.d
Cuſtodite igitur, & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis, non declinabitis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.
6. Erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis. 889 d
7. Cùm introduxerit te Deus, &c. 106.b
Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis eorum. neque ſociabis cum eis coniugia. 107.d
Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus tam in hominibus, quàm in gregibus tuis. 1521.d
Non timebis eos. &c. 118.c
Ipſe Dominus conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim. 782.a
8. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum, &c. 252.b
Cùm comederis, & ſatiatus fueris, &c. 104.e
9. Nec dicas in corde tuo, &c. 119.e
11. Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit. 504.d
12. Diſſipate aras eorum, &c. 108.c
13. Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat vtrùm diligatis eum, an non. 253.a
15. Electi principes eius ſubmerſi ſunt, &c. 56.d
Honora patrem tuum, & matrem tuam, ſicut præcepit tibi Dominus, &c. 692.d
Cantemus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem eius deiecit in mare. 56.d
17. Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tẽpore miniſtrat Domino, &c. 1304.e
Non poteris alterius gentis hominem regem facere. 859.b
21. Quæ radet cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem, in qua capta eſt, ſedénſque in domo tua, &c. 1406.d
22. Non vtetur vir veſte fœminea. 453.e
Cùm ædificaueris domum nouam, facies, &c. 1128.a
Non ſeres vineam tuam altero ſemine. 739.b
Non indueris veſtimento, quod ex lana linóque contextum eſt. ibid.
23. Non abominaberis Ægyptium, quia fuiſti incola in terra eius. 440.b
Fratri tuo abſque vſura id, quo indiget, commodabis. 891.d
28. Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt cuſtodias, & facias omnia mandata eius, &c. 1304.c
30. Circumcidet Dominus cor tuum, & cor ſeminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum. 383.c
Mandatum, quod ego præcipio tibi, non ſupra te eſt, &c. 668.c
32. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, &c. 1026.d
Verè enim Dominus ſolus dux populi ſui eſt. 1070.b
Vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo. 251.e
Dereliquit Deum factorem ſuum, &c. 1211.d
Immolauerunt dæmoniis, & non Deo: diis, quos ignorabant. 158.c, 319.d
Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. 15.e
33. Nepthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: mare & meridiem poſſidebit. 1384.e

EX IOSVE.

Cap. 1. Omnem locum, quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam. 305.d
Ingreſſis namque ſacerdotibus Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis &c. 988 e
5. Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſraël, 329.c
Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis. 337.e
7. Vidi enim inter ſpolia pallium coccineum, & ducentos ſiclos argenti, &c. 1401.e
Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac. 871.c
8. Cùmque receſſiſſent à ciuitate, &c. 4.c
16. Habitauit Chananæus in medio Ephraim vſque in diem hanc tributarius. 398.e
18. Vſquequo marcetis ignauia, & non intratis ad poſſidendam terram, &c. 111.e
22. Feciſtis omnia, quæ præcepit vobis Moyſes famulus Domini, &c.

EX LIBRO IVDICVM.

Cap. 1. Iudas aſcendet, ecce tradidi terram in manu eius. 1310.b
2. Dimiſit Dominus omnes nationes has, & citò ſubuertere noluit. 60 e

3. Dimiſitque eos, vt in ipſis experiretur Iſraëlem &c. 248.d
5. Noua bella elegit Dominus. 210.a
Vbi colliſi ſunt currus, &c. 255.b
Ibi narrentur iuſtitiæ Domini, & clementia in fortes Iſraël. ibid.e
De cœlo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt. 244.d
Aquam petenti lac dedit. 266.b
6. Coxit ille hœdum, & de farinæ modio azymos panes. 1289.c
7. Qui formidoloſus, & timidus eſt, reuertatur. 514.c
Qui lingua lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, &c. 512.a
8. Quid enim tale facere potui, &c. 162.c
Dixit Iether primogenito ſuo, ſurge, & interfice eos. 225.d
9. Ierunt ligna vt vngerent ſuper ſe regem, dixerúntque oliuæ. 1266.e, & ſeq.
Quis eſt Abimelech, & quæ eſt Sichem, vt ſeruiamus ei. 384.b
13. Sterilis es, & abſque liberis, ſed concipies, & paries filium. 342.e, & ſeq.
Caue ne bibas vinum, & ſiceram. 343.a
14. Deſcendit ergo Samſon in Thamnatha, &c. 141.d
Blandire viro tuo, & ſuade ei, vt indicet tibi quid ſignificet problema. 359.b
16. Quomodo dicis quòd amas me, cùm animus tuus non ſit mecum. ibid.d
Statim eruerunt oculos eius. 260.c
18. Euntes igitur quinque viri venerunt Lais. 103.d

EX RVTH.

Cap. 2. Audi filia ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco. 934.a
3. Expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es. 78.c
Dormiat ad pedes huius propinqui ſui, vſque ad noctis abſceſſum. ibid.

EX PRIMO REGVM.

Cap. 1. Non vadam donec ablactetur infans, & ducam eum vt appareat ante conſpectum Domini, & maneat ibi iugiter. 385.e
2. Deus ſcientiarum Dominus. 949.a
Nolite multiplicare loqui ſublimia gloriantes, recedant vetera de ore veſtro. 1345.e
Qui ſuſcitat de puluere egenum, vt ſedeat cum principibus. 321.a
Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum. 510.e, & 688.d
Da mihi carnem vt coquam ſacerdoti. 527.a
3. Loquere Domine quia audit ſeruus tuus. 536.d, & 1618.d
In die illa ſuſcitabo aduerſum Heli omnia quæ locutus ſum ſuper domum eius. 330.b
Nouerat indignè agere filios ſuos, & non corripuerat eos.
4. Confortamini, & eſtote viri. 204.e
Venit Deus in caſtra, & pugnat pro illis. 809.a
5. Tulerúntque Philiſtijm arcam Dei. 50.e
6. Et mures aureos ſecundùm numerũ vrbiũ. 73.d
7. Et ſuper capita columnarum opus in modum lilij poſuit. 1555.e
Labium luteris quaſi labium calicis, & folium repandi lilij. ibid.
Candelabra aurea quinque ad dexteram, & quinque ad ſiniſtram. ibid.
8. Hoc erit ius regis, qui imperaturus eſt vobis. 384.c
10. Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam, &c. 1265.e
11. Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum. 1030.c
12. Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius. 1362.a
13. Neceſſitate compulſus obtuli holocauſtũ. 1702.f
Cauerant enim Philiſtiim, ne forte facerent Hebræi gladium, ac lanceam. 335.d
14. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur, &c. 1180.a
Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha. 122.b
15. Porta quæſo peccatum meum. 901.b
Nunc ergo vade, & percute Amalec. 111. d & 394.b
Non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid. 1490.a
Pepercit Saul & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum. 531.d
Pœnitet me quòd conſtituerim Saul regem. ibid.e
Et quæ eſt hæc vox gregum, quæ ſonat in auribus meis. 552.c
Cùm eſſes paruulus in oculis tuis. & 1118.c, 1122.e, & 1148.c
Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare. & quaſi ſcelus idololatriæ. 552.d, & 1572.c
Pro eo quod abiecisti.
Sed nũc honora me coram ſenioribus populi. 901.b
Siccine ſeparat amara mors? 1181.d
16. Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor. 462.d
Num coram Domino eſt Chriſtus eius. 1268.b
Non elegit Dominus ex iſtis. 1078.b
17. Procedebat Philiſthæus, mane, & veſpere, & ſtabat quadraginta diebus. 227.c
Virum ergo, qui percuſſerit eum ditabit Rex. 255.a
Quod cùm audiſſet Eliab frater eius maior loquente eo cum aliis iratus eſt contra Dauid. 1507.c
Elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides. 202.b
Videntes autem Philiſtiim, quòd mortuus eſſet fortiſſimus eorum, fugerunt. 274.a, & 794.e
18. Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid. 251.d
Nam expoliauit ſe Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid. 1187.e
22. Denique conuenérunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti. 314.b
24. Quem perſequeris Rex Iſraël? Quem perſequeris? canem mortuum perſequeris. 1251.c
Iuſtior tu es, Domine, quàm ego. 1217.b
25. Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum Domini mei. 1289.c

EX SECVNDO REGVM.

Cap. 1. Conſidera Iſraël pro his, qui mortui ſunt, ſuper excelſa tua vulnerati. 8.a
Incliti Iſraël ſuper montes tuos interfecti ſunt. ibid.
2. Percuſſit ergo eum Abner auerſa haſta in inguine. 162.d
5. Cùm audieris ſonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium. 397.e
6. Iratúſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum, &c. 931.e
Quàm glorioſus fuit hodie rex Iſraël diſcooperiens ſe ante ancillas. 1118.a
7. Quare non ædificaſtis mihi domum cedrinam? 630.c
Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, prædicitque tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus. 1433.c

8. Er tulit Dauid arma aurea, quæ habebant ſerui Adarezer, & detulit ea in Hieruſalem. 1500.a
Poſuit in Idumæa cuſtodes: ſtatuítque præſidium, & facta eſt vniuerſa Idumæa ſeruiens Dauid. 1503.b
7. Et tu comedes panem in menſa mea ſemper. 934.d
11. Vidit mulierem ſe lauantem 411.d
Arca Dei, & Iſraël, & Iuda babitabant in papilionibus. 141.c
12. Tu feciſti abſconditè. 509.d
Peccaui Domino. 1110.d
Dominus quoqne tranſtulit peccatum tuum, non morieris. 47.d & 48.c
Non acquieuit Rex populo. 29.c
Accidit autem die ſeptima, vt moreretur infans 43.b
13. Factum eſt poſt hoc, vt Abſalon ſororem ſpecioſiſſimam vocabulo Thamar adamaret. 1473.c
14. Quare veni de Geſſur? Melius mihi erat, ibi eſſe. 100.a
Reuerſus eſt itaqne Abſalon in domum ſuam, & faciem regis non vidit. 43.c
15. Si inuenero gratiam in oculis Domini. 296.d
16. Dimittite eum, vt maledicat. 161.a
18. Siue fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit. 540.c
Adhæſit caput eius quercui. 263.a
Porro Abſalon erexerat ſibi titulum. 187.d
20. Qui interrogant, interrogent in Abela. 1013.a
22. Dominus petra mea, & robur meum. 1102.c
Docens manus meas ad prælium. 242.c
23. Deſiderauit ergo Dauid aquàm de lacu, & ait: O ſi quis daret mibi potum aquæ. 325.c
Propitius ſit mihi Deus, ne faciam hoc. 437.c
Quia deſcendit ad Ægyptium in virga. 342.d
24. Melius eſt vt incidam in manus Domini. 806.c
Ego ſum qui peccaui, ego iniquè egi, iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt? 793.a
Emit Dauid aream, & boues argenti ſiclis quinquaginta. 2.a

EX III. REGVM.

Cap. 3. Ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, ſed & quæ non poſtulaſti dedi tibi. 345.c
4. Et diſputauit ſuper lignis à cedro. 53.c
8. Ergóne putandum eſt, quòd verè Deus babitet ſuper terram. 932.a
Non eſt homo, qui non peccet. 58.b
9. Exaudiui orationem tuam. 85.c
Sanctificaui domum hanc, quam ædificaſti, vt poneren nomen meum ibi. 640.b
11. Cúmque iam eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur Deos alienos. 411.d
12. Hæc dicit Dominus, non aſcendetis, neque bellabitis contra fratres veſtros filios Iſraël. 358.c
13. Cúmque ſederent ad menſam &c. 70.d
Inuenit eum leo in via. 122.b
17. Ægrotauit filius mulieris matris familias. 338.a
18. Vſquequo claudicatis in duas partes. 257.c
19. Surge, & comede, grandis enim tibi reſtat via. 819.c, & 829.a
Et poſt ignem ſibilus auræ tenuis. 372.c
Et erit quicunqne fugerit gladium Hazaël. 348.c
20. Ecce ego tradam eam in manu tua hodie vt ſcias, quia ego ſum Dominus. 242.d
Vade, & confortare, & ſcito, & vide quid facias: ſequenti enim anno rex Syriæ aſcendet contra te. 387.c
Amoue reges ſingulos ab exercitu tuo. 951.de
22. Non pugnabitis contra maiorem & minorem quempiam. 811.d

EX IIII. REGVM.

Cap. 2. Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te. 344.c
Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei. 345.c
Hoc ſolum eſt de quo deprecetis Dominum pro ſeruo tuo. 400 d
Ecce habitatio ciuitatis huins optima eſt, ſicut tu ipſe Domine perſpicis, ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis. 94.b
Egreſſus ad fontem aquarum, &c. ibid. c
4. Faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & menſam, & ſellam, & candelabrum. 131.d
Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum 858.a
5. Nunc igitur accepiſti argentum. 148.c, & 150.c
6. Miſit ergo illuc equos, & curtus. 115 a
Claudite oſtium, & non ſinatis eum introire. 271.b
9. Quid tibi, & paci? tranſi, & ſequere me. 400.b
13. Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſummationem. 397.c, & 803.a, & 1504.a
19. Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum Filij Iſraël. 669.d
20. Ecce ſanaui te, die tertio aſcendes templum Domini. 5.b
Quam cùm attuliſſent (ideſt maſſam ficorum) & poſuiſſent ſuper hulcus eius, curatus eſt. 1422.d
Bonus ſermo Domini, quem locutus eſt, ſit pax, & veritas in diebus meis. 901.a
22. Magna ira Domini ſuccenſa eſt; contra nos. 899.b
23. Contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos, repleuítque loca eorum oſſibus mortuorum. 108.d
25. Filios autem Sedechiæ occidit coram eo, & oculos eius effodit. 21.d
Sublenauit Euilmerodach rex Babylonis, anno, quo regnare cœperat, caput Ioachim regis Iuda, de carcere. 1186.b

EX I. PARALIPOMENON.

Cap. 11. Adiuuerunt eum, vt Rex fieret. 1186.b
21. Ecce ego in paupertate mea præparaui impenſas domus Domini, auri talenta centum milia. 639.b
22. Filius qui naſcetur tibi erit vir quietiſſimus. 336.b

EX II. PARALIPOMENON.

Cap. 3. Cœpit Salomon ædificare domum Domini, in Ieruſalem, in monte Motia, &c. 1.a, & reliq.
Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, & byſſo. 1351.a
18. Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. 475.a
20. Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem, non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei. 599.d
25. Si putas in robore exercitus bella conſiſtere. 241.d
33. Qui poſtquam coanguſtatus eſt. 40.b

EX PRIMO ESDRÆ.

Cap. 3. Collocauerunt autem altare Dei. 227.c
4. Ciuitas illa à diebus antiquis aduerſum reges rebellat. 204.d, & 1219.a

10. Si eſt pœnitentia in Iſraël, ſuper hoc, percutiamus fœdus cum Domino. 532.c

EX II. ESDRÆ.

Cap. 5. Et nunc ſicut carnes fratrum noſtrorum, ſic carnes noſtræ ſunt. 334.d

EX IV. ESDRÆ.

Cap. 1. Nonne ego vos rogaui, vt pater filios. 1106.d
3. Et dediſti Adam corpus mortuum, ſed, & ipſum figmentum manuum tuarum erat. 1164.a
8. Mortificabis eum, vt tuam creaturam, & viuificabis eum, vt opus tuum. 378.c
13. Et veni in Hieruſalem, & intellexi malum, quod fecit Eliaſib Tobiæ. 515.a
Vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas. 954.a

EX LIBRO TOBIÆ.

Cap. 1. Cúmque eſſet iunior omnibus in tribu Nephthalim, nihil tamen puerile geſſit. 1080.b
2. Vbi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas, & ſepulturas faciebas? 1419.a
4. Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. 1056.d
Superbiam in tuo ſermone numquam dominari permittas. 478.b
Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. 1044 d
Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus. 2.c
5. Perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum. 1015.c
Inuenit iuuenem ſplendidum ſtantem præcinctum. 296.c
8. Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud. 245.c
12. Etenim Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt. 1337.c
Ego ſum Raphael Angelus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum. 1278.c

EX LIBRO IVDITH.

Cap. 2. Noluiſtis audire vocem meam. 335.a
4. Memores eſtote Moyſi ſerui Domini. 115.a
6. Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael. 1131.c
8. Humiliemus illi animas noſtras. 460.e, & 1094.a
9. Da mihi in animo conſtantiam, vt contemnam illum. 770.d
10. Videns eam Holofernes, captus eſt in oculis ſuis. 558.b
13. Confirma me Domine Deus Iſraël. 518.c
14. Et erit, cùm exierit ſol, &c. 267.d
16. Dominus conterens bella, Dominus nomen eſt illi. 1504.c
Horruerunt Perſæ conſtantiam eius, & Medi audaciam eius. 771.a
Iudith vniuerſa vaſa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, &c. obtulit in anathema obliuionis. 1478.
Iudith magna facta eſt in Bethulia, & præclarior erat vniuerſæ terræ Iſrael, erat etiam virtuti Caſtitatis adiuncta. ibid.

EX LIBRO ESTHER.

Cap. 1. Fecit grande conuiuium cunctis principibus, & pueris ſuis. 1323.c
2. Poſuit diadema regni in capite eius. 975.a
3. Rex Aſſuerus exaltauit Aman. 1089.e, & 1186.c
5. Qui conuocatis amicis ſuis, & Zare vxore ſua, expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum. 1193.d
7. Quæ eſt petitio tua, Eſther, vt detur tibi? & quid vis fieri. 934.c
14. Domine mi, qui Rex noſter es ſolus, adiuua me ſolitarium. 831.a
15. Regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput. 930.c

EX LIBRO IOB.

Cap. 1. Erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. 79.d
Ecce vniuerſa, quæ habet, in manu tua ſunt. 225.c
Filiis tuis, & filiabus veſcentibus. &c. 219.a
Túnc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua & tonſo capite, corruens in terram adorauit. 46.c
Dominus dedit, Dominus abſtulit. 301.c
Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ. 1171.b
2. Ecce in manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerua. 225.c
Iob percuſſus vlcere peſſimo à planta pedis, vſque ad verticem eius. 1146.c
Igitur audientes tres amici Iob. 113.b
In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis. 226.a
3. Maledixit diei ſuo. 156.c
Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat. 273.a
Sit nox illa ſolitaria, nec laude digna. 1271.c
Obtenebrentur ſtellæ caligine eius. 397.c
Non audierunt vocem exactoris. 237.d
Quia timor, quem timebam, euenit mihi, & quod verebar, accidit. 507.d
4. Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis. 1118.d
5. Voca ſi eſt, qui tibi reſpondeat. 1016.b
Virum ſtultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia. 155.a, & 171.c
Cuius meſſem famelicus comedit. 182.d & reliq.
Homo naſcitur ad laborem. 184.c, & 710.a
Qui ponit humiles in ſublime 1083.b
In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum. 256.c
Beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi. 212.d, & 251.d, & 356.a
6. Et qui cæpit, ipſe me conterat, ſoluat manum ſuam, & ſuccidat me. 1112.b
Et hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore non parcat, 577.d
Qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix. 402.c
Inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum. 114.c
Conſiderate ſemitas Thema, itinera Saba. 276.a
Cap. 7. Militia eſt vita hominis ſuper terram. 210
Et ſicut dies mercenarij, dies eius. 386.b
Ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas. 770.a
Si dormiero, dicam quando conſurgam. 182.a
Confabulabor cum amaritudine animæ meæ. 814.a
Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione ſpiritus mei. 5.a
Deſperaui, nequaquam vltra iam viuam. 331.a
Quid eſt homo, quia magnificas eum. 981.c
Et factus ſum mihimet ipſi grauis. 533.c
Nunc in puluere dormiam. 133.d, & 1182.c
8 In tantum, vt ſi priora tua fuerint parua. 886.d
Humectus videtur, antequam veniat ſol: & in ortu ſuo germen eius egredietur. 764.c, & 1258.d
Super aceruum petrarum radices eius denſabuntur. 568.a
Donec impleatur riſu os tuum, & labia tua iubilo. 448.a
9 Quis reſtitit ei, & pacem habuit. 870.c

Si vene

Si venerit ad me, non videbo eum, ſi abierit, non intelligam
Sub quo curuantur, qui portant orbem 932.e, & 1269.a
Verebar omnia opera mea 993.a
10. Manus tuæ Domine fecerunt me 1195.a
Memento quæſo quòd ſicut lutum feceris me 1147.e, & 1164.a
Nonne ſicut lac mulſiſti me? 1168.d
Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi 1091.a
Ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine 30.c
11. Nunquid qui multa loquitur, non audiet, aut vir verboſus iuſtificabitur? 466.c
Ipſe nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne conſiderat? 64.e
Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris à te 566.c
Et quaſi meridianus fulgor conſurget 234.b
Spes impiorum abominatio animæ 562.c
12. Interroga iumenta, & docebunt te 851.b
Immutat cor principum populi terræ, & decipit eos 1270.a
Miſeriæ quoque obliuiſceris 404.e
13. Secundùm ſcientiam veſtram, & ego noui, nec inferior veſtri ſum 511.e
Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt 318.b
Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo 712.a
Vias meas in conſpectu eius arguam 352.b
Quaſi putredo conſumendus ſum 1182.c
Quantas habeo iniquitates, & peccata? 1155.e
Contra folium, quod vento rapitur 233.d
Poſuiſti in neruo pedem meum 39.b & 865.b
14. Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miſeriis 1174.d
Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt 398.a
Lignum habet ſpem, ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit 1183.e
Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea 400.a
Vocabis me, & ego reſpondebo tibi 1162.a
Lapides excauant aquæ 256.e
15. Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit 1080.d, & 1302.d
Et pingui ceruice armatus eſt. 1391.a
16. Ecce in cœlo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis 425.e
17. Et tenebit iuſtus viam ſuam, & mundis manibus addet fortitudinem. 363.e
Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum 318.b
Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt 1182.d
18. Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam 227.d
19. Seruum meum vocaui, & non reſpondit, ore proprio deprecabar illum 843.e
Quis mihi tribuat vt ſcribantur ſermones mei? 897.e
20. Cogitationes meæ variæ ſuccedunt ſibi, & mens in diuerſa rapitur 257.d
Hoc ſcio à principio ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quòd laus impiorum breuis ſit 1173.e
Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus 946.c
Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus 1387.d
Cùm ſatiatus fuerit, arctabitur, æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum 153.b
Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum 402.c
22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria 1115.e
Saluabitur innocens, ſaluabitur autem in munditia manuum ſuarum 609.a
23. Et in ſinu meo abſcondi verba oris eius
Deus molliuit cor meum, & omnipotens conturbauit me 1313.d
24. Anima vulneratorum clamauit, & Deus inultum abire non patitur 555.a
Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium 585.a
Oculi autem eius ſunt in viis illius 764
Spectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant 783.a
25. Homo enim putredo, & filius hominis vermis 1183.b
26. Et columnæ cœli contremiſcunt 1291.d
27. Abſit à me, vt vos iuſtos eſſe iudicem 523.a
Iuſtificationem meam quam cœpi tenere, non deſinam 773.c, & 989.d
Et diues cùm dormierit, nihil ſecum auferet 881.e
28. Omne pretioſum vidit oculus eius 1148.b
Neſcit homo pretium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium 363.c
Ipſe enim fines mundi intuetur, & omnia quæ ſub cœlo ſunt, reſpicit 790.a
Aquas appendit in menſura 251.a
29. Veſtiui me ſicut veſtimento, & diademate, iudicio meo 999.d
In nidulo meo moriar 943.d
Gloria mea ſemper innouabitur 1030.b
Qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum 488.e
30. Quaſi rupto muro, & aperta ianua irruerunt ſuper me 259.d
Comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum fauillæ, & cineri 1167.
Scio quia morti trades me, vbi conſtituta eſt domus omni viuenti 1180.a
31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine 412.c, & 571.b
Appendat me in ſtatera iuſta 523.a
Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina 317.c
Quia ab infantia mea creuit mecum miſeratio 674.c
Sēper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum 35.a
Beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Dei 664.e
Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea 1240.b
Si lætatus ſum ſuper multis diuitiis meis 1246.a
Si aduerſum me terra mea clamat, & ſulci eius deflent 410.c
33. Maior eſt Deus homine 1234.c
Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, inſtruit diſciplina 1091.b
Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus veteri mei. 1336.d
Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia oſſa eius marceſcere facit 239.b & 247.e
Tabeſcet caro eius, & oſſa quæ tecta fuerant nudabuntur 1311.d
Conſumpta eſt caro eius à ſuppliciis 1094.a
Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi. 1233.a
Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per ſingulos. 259.a
34 Deficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem reuertetur. 442.a
Conteret multos & innumerabiles Dominus, & ſtare faciet alios pro eis. 545.e

5. Qui dedit carmina in nocte. 308.a
36. Deus potentes non abiicit, cùm & ipſe ſit potens 1223.d
37. Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos ? 771.b
Subitò aër cogetur in nubes, & ventus tranſiens fugabit eas ibid.c
38. Quis eſt iſte inuoluens ſententias 1244.a
Accinge ſicut vir lumbos tuos, interrogabo te & reſponde mihi 76.a
Vbi eras quando ponebã fundamenta terræ? 1223.e
Quis poſuit menſuram eius ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? 1143.c
Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt. 768.d
Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia 468.e
Numquid conſideraſti latitudinem terræ? 619.a
Numquid ingreſſus es theſauros niuis? 563.b, 1493.c
39. Clamorem exactoris non audit 206.b
Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodii & accipitris 877.e
Terram vngula fodit 220.b
Procul odoratur bellum 106.a
Numquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter. 365.d
Vbi fuerit cadauer, ſtatim adeſt 1285.e
Manum meam ponam ſuper os meum 494.b
Vnum locutus ſum, quod vtinam nõ dixiſſem ibid.c
40. Ecce Behemoth, quem feci tecum 94.a
Huic montes herbas ferunt, omnes beſtiæ agri ludent ibi ibid.
Habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius. 214.e, 238.c, ibid.a
41. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. 420.c, & 571.d
Cùm ſublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur 365.c
Ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ 1120.a
42. Nam inſipienter locutus ſum 1244.b
Auditu auris audiui te 984.e
Et dederunt ei vnuſquiſque ouem vnam, & inaurem auream vnam 1587.a
Dominus benedixit nouiſſimis Iob magis quàm principio eius. 1433.b
Mortuus eſt ſenex, & plenus dierum 769.b

EX LIBRO PSALMORVM

Pſal. 2. Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum 1215.c
Dirumpamus vincula eorum; & proiiciamus à nobis iugum ipſorum 205.b
Reges eos in virga ferrea 222.d
Et nunc reges intelligite : erudimini qui iudicatis terram 100.a, & 643.b
Apprehendite diſciplinam 243.d. 720.b
3. Iraſcimini & nolite peccare 154.d
Ego dormiui, & ſoporatus ſum, & exſurrexi 1511.a
Domini eſt Salus 320.d
4. Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini 118.a, 986.a, & 1110.d
Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ 350.a
In pace in id ipſum dormiam 870.e, & 1001.b
5. Manè aſtabo tibi, & videbo; quoniam non Deus volens iniquitatem tu es 910.a
6. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum 18.d
Conuertere Domine, &c. 983.b
Non eſt in morte, qui memor ſit tui 19.b, & 22.c
Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo 46.b, & 443.b, & 983.a
Turbatus eſt à furore oculus meus : inueteraui inter omnes inimicos meos 157.a, & 318.b
Verumtamen vani filij hominum 525.a
7. Si reddidi retribuentibus mihi mala 161.b
Conuertetur dolor eius in caput eius 210.d
8. Quid eſt homo quòd memor es eius? 1167.d
Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, &c. 1081.d, & 1107.d
9. Sediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam 992.c
Factus eſt Dominus refugium pauperi 744.a, & 1055.a
Sciant gentes quoniam homines ſunt 1140.a
10. Parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde 258.b
Oculi eius in pauperem reſpiciunt 1459.e
Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus 757.e
Iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit 686.e
Vides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras 184.c
Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adiutor 1459.e
11. Eloquia Domini eloquia caſta 992.d
12. Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte 1142.e
13. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus: corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis 3.c
Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. 304.a
Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor 564.c
14. Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram 764.e
15. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum : poſtea accelerauerunt. 18.d
Dominus pars hæreditatis meæ 1443.c
Funes ceciderunt mihi in præclaris. etenim hæreditas mea præclara eſt mihi ibid.
Delectationes in dextera tua vſque in finem 618.b
16. Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte 1312.d
Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras 560.a, & 1365.a
Cuſtodi me vt pupillam oculi: ſub vmbra alarum tuarum protege me 1513.c
Eripe animam meam ab impio 301.e
17. Circumdederunt me dolores mortis 21.e
Et intonuit de cœlo Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam 1195.a
Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerſus eris 902.a
Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, ibid. & 259.b
Quoniam populum humilem ſaluum facies 1116.d
Diſciplina tua correxit me 988.a
Perſequar inimicos meos 252.a
Præcinxiſti me virtute ad bellum 361.b
18. In ſole poſuit tabernaculum ſuum 1133.a
Teſtimonium Domini fidele 1098.c
Præceptum Domini lucidum illuminans oculos ibid.
Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi 37.b
Et dulciora ſuper mel, & fauum 336.d
Ab occultis meis munda me 259.a
Domine adiutor meus, & redemptor meus 54.b
19. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini 1131.d
20. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei 762.c
Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus 955.b
21. In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos. 661.d

Ego autem ſum vermis,& non homo. 1327.c
Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens.49.b
Quoniam non ſpreuit, neque deſpexit orationem pauperum. 1460.a
Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium. 321.a
In conſpectu eius cadent omnes, qui deſcendunt in terram. 343.b
Manducauerunt,& adorauerunt omnes pingues terræ. 935.e
22. Dominus regit me,& nihil mihi deerit. 85.e
Calix meus inebrians quàm præclarus eſt. 338.d
23.Domini eſt terra,& plenitudo eius. 88.c
Hic accipiet benedictionem à Domino. 376.d
Hæc eſt generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob. 343.c
24. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas 31.b,643.c,1088.d,& 1216.d
Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt. 755.d
Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. 561.c,& 1111.b
Dulcis,& rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.
25. Et in Domino ſpetans non infirmabor. 1240.a
Proba me Domine,& tenta me 117.c,217.a,& ibid.d
Non ſedi cum conſilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. 1333.c
26.Dominus illuminatio mea,& ſalus mea. 241.d
Expecta Dominum,& viriliter age. 711.a
Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. 262.c
Vnam petij à Domino,hanc requiram. 347.a
Adiutor meus eſto: ne derelinquas me, neque deſpicias me. 34.b
Credo videre bona Domini in terra viuentium. 417.e
27.Qui loquūtur pacem cum proximo ſuo,mala autem in cordibus eorum. 389.d
28.Afferte Domino gloriam,& honorem. 1283.d
Deus maieſtatis intonuit:vox Domini confringentis cedros. 1195.a
Vox Domini intercidentis flammam ignis. 1501.a
Dominus virtutem populo ſuo dabit. 361.c
Dominus diluuium inhabitate facit. 381.a
29. Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. 405.a
Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem. 749.a
30.In te Domine ſperaui, &c. 34.d,& 55.d
Eſto mihi in Deum protectorem. 1102.c
Quoniam reſpexiſti humilitatem meam. 755.d, & 1109.c
Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium, vicinis meis valde: & timor notis meis 1327.d
Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ 618.c
31.Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea. 26.b
Conuerſus ſum in ærumna mea, dum cōfigitur ſpina 27.c
Pro hac orabit ad te omnis ſanctus. 61.b
Tu es refugium meum à tribulatione. 308.b
Sperantes autem in domino,miſericordia circundabit. 1240.b
32. Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. 129.e
33. In Domino laudabitur anima mea:audiant manſueti,& lætentur. 160.c
Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum. 1460.a
Timete Dominum omnes ſancti eius. 37.c.238.e,& 665.a
Diuitiis eguerunt,& eſurierunt.
Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos. 664.b
Prope eſt Dominus iis qui tribulato ſunt corde. 797.c
Multæ tribulationes iuſtorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus. 63.b
34.Salus tua ego ſum. 19.c
Effunde frameam,& conclude aduerſus eos. 262.a
Quaſi lugens,& contriſtatus,ſic humiliabar. 1344.b
Lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam. 893.d
35. Noluit intelligere,vt benè ageret. 947.d
Delictum meum cognitum tibi feci: & iniuſtitiam meam non abſcondi. 80.a
Dixi, confitebor aduersùm me iniuſtitiam meam:& tu remiſiſti impietatem peccati mei. 47.c
36. Noli æmulari in malignantibus 165.c
Delectare in Domino:& dabit tibi petitiones cordis tui. 560.c.
Reuela Domino viam tuam,& ipſe faciet. 764.a,& 1025.a
Subditus eſto Domino,& ora eum. 1278.b
Mutuabitur peccator,& non ſoluet. 1246.d
Tota die miſeretur, & commodat, & ſemen illius in benedictione erit. 1413.a
Os iuſti meditabitur ſapientiam. 1098.c
Cuſtodi innocentiam,& vide æquitatem. 869.c
31.Putruerunt,& corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ. 18.d
Miſer factus ſum, & turbatus ſum vſque in finem. 1500.e
Quoniam ego in flagella paratus ſum. 54.c,& 184.d
38. Cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. 1340.b
Obmutui,& humiliatus ſum,& ſilui à bonis. 488.c, & 229.d
Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardeſcet ignis 53.e
Vniuerſa vanitas omnis homo viuens. 353.d,& 1173.d
A fortitudine manus tuæ defeci. 1093.b
39.Et exaudiuit preces meas 181.d
Sacrificium,& oblationem noluiſti:aures autem perfeciſti mihi. 1587.c
In capite libri ſcriptum eſt de me vt facerem voluntatem tuam 1608.a
Non abſcondi miſericordiam tuam 1058.b
Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei 566.b
Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus. 51.c
Ego autem mendicus ſum, & pauper,Dominus ſolicitus eſt mei. 1378.b
40. Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. 239.b
Etenim homo pacis meæ,in quo ſperaui, qui edebat panes meos. 1220.a
41.Abyſſus abyſſum inuocat in voce cataractarum tuarum. 1291.d
42.Spera in Deo,quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei,& Deus meus. 246.c
43.Et confuſio faciei meæ cooperuit me. 55.d
Propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. 328.c,& 346.b
Humiliata eſt in puluere anima noſtra. 1215.b
Exurge Domine,adiuua nos:& redime nos propter nomen tuum. 34.b,& 381.a
44.Specioſus forma præ filiis hominum. 20.d
Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. 837.b
Pro partibus tuis nati ſunt tibi filij:cōſtitues eos principes

cipes ſuper omnem terram. 296.a
45. Venite,& videte opera Domini,quæ poſuit prodigia ſuper terram 1500.c
47. In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis. 272.e
Sicut audiuimus ſic vidimus,in ciuitate Domini virtutum: in ciuitate Dei noſtri. 417.c
48.Homo cùm in honore eſſet,non intellexit.737.e, & 1189.c
Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis 25.e,& 539.e
Homo enim cùm interierit, non ſumet omnia. 1181.d
49. Meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius 1135.a
Numquid manducabo carnes taurorum,aut ſanguinem hircorum potabo? 276.e
Immola Deo ſacrificium laudis. 48.b
Inuoca me in die tribulationis,eruam te, & honorificabis me. 234.a
Quare tu enarras iuſtitias meas:& aſſumis teſtamentum meum per os tuum? 52.e
Exiſtimaſti inique,quòd ero tui ſimilis. 983.e
Arguam te,& ſtatuam contra faciem tuam. 849.e
50. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper. 54.c,& 1233.a
Ecce in iniquitatibus conceptus ſum.
Cor mundum crea in me Deus.
Et ſpiritu principali confirma me. 1524.a
Domine labia mea aperies. 968.a
Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. 48.b, & 53.e
Cor contritum,& humiliatum Deus non deſpicies. 57.d,80.d,& 82.d
52. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt 612.e
53. Voluntariè ſacrificabo tibi 331.c
54. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ 828.a
Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum,& ipſi ſunt iacula. 425.d
Viri ſanguinum,& doloſi non dimidiabunt dies ſuos 28.c
55.In me ſunt Deus vota tua,quæ reddam,laudationes tibi 935.c
56 Lingua eorum gladius acutus. 467.c
Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. 184.c
57. Alienati ſunt peccatores à vulua: errauerunt ab vtero. 1173.b
Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam. 31.d
58. Deus meus, miſericordia eius præueniet me. 33.e
59. Oſtendiſti populo tuo dura. 985.c,& 339.b
Commouiſti terram,& conturbaſti eam. 985.b
Oſtendiſti populo tuo dura: potaſti nos vino compunctionis. ibid.c
Quis deducet me in ciuitatem munitam?. 596.d
61. Nonne ſubiecta erit Deo anima mea? 1277.e
Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. 145.d,& 1408.e
63. Exacuerunt vt gladium linguas ſuas. 156.b
Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. 1212.a,& 1291.e
64. Sanctum eſt templum tuum; mirabile in æquitate 604.b,& 671.e
Qui conturbas profundum maris. 222.d
Turbabuntur gentes,& timebunt, qui habitant terminos, à ſignis tuis. 406.a
Diſſipati ſunt,nec compuncti. 854.c
65. Vt cognoſcamus in terra viam tuam. 1070.a
Quoniam probaſti nos Deus: igne nos examinaſti 90.a,d
Induxiſti nos in laqueum: poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro 1310.a
Tranſiuimus per ignem,& aquam: & adduxiſti nos in refrigerium 90.a,& 255.d
Introibo in domum tuam in holocauſtis: reddam tibi vota mea. 1310.b
Benedictus Deus,qui non amouit orationem meam; & miſericordiam ſuam à me 910.d
67. Iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei. 686.e
Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. 618.e
Si dormiatis inter medios cleros 38.c
Pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. 1607.e
Dixit Dominus: Ex Baſan conuertam: conuertam in profundum maris. 1146.a
Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. 1503.a.
Deus Iſrael ipſe dabit virtutem, & fortitudinē plebi ſuæ: benedictus Deus. 133.b
68. Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia 181.c
Extraneus factus ſum fratribus meis 805.d
Opprobria exprobrantium tibi,ceciderunt ſuper me 379.e
Eripe me de luto vt non infigar. 261.c
Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum: & non intrent in iuſtitiam tuam. 28.e
Quærite Deum,& viuet anima veſtra. 343.e
Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt,& ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. 1418.e
69. Deus in adiutorium meum intende. 968.b
Auertantur retrorſum, & erubeſcant; qui volunt mihi mala 809.a
70. Os meum annunciabit iuſtitiam tuam. 1129.c
Deus docuiſti me à iuuentute mea. ibid.b
Et vſque in ſenectam,& ſenium ne derelinquas me. ibid.c
Quoniam non cognoui literaturam: introibo in potentias Domini. 1130.e
71. Suſcipiant montes pacem populo 192.e
Iudicabit pauperes pópuli, & ſaluos faciet filios pauperum,& humiliabit calumniatorem. 1385.c
72. In labore hominum non ſunt. 184.d
Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum. 19.e
Cogitauerunt,& locuti ſunt 178.d
Poſuerunt in cœlum os ſuum. ibid.& 473.e
Ideo conuertetur populus meus hic, & dies pleni inuenientur in eis. 769.a
Quia inflammatum eſt cor meum,& renes mei commutati ſunt 531.a
Ego ad nihilum redactus ſum,& neſciui 1326.e
Vt iumentum factus ſum apud te; & ego ſemper tecum. ibid.
Quid mihi eſt in cœlo & à te quid volui ſuper terram? 1427.e
Perdidiſti omnes,qui fornicantur abs te. 542.b
Veruntamen propter dolos poſuiſti eis, 1129.a
73. Qui operatus eſt ſalutem in medio terræ 320.d
Deieciſti eos dum alleuarentur 1125.b
Velut ſomnium ſurgentium, Domine, in ciuitate tua. 1224.a
Pauper, & inops laudabunt nomen tuum. 1460.a
74. Cùm accepero tempus,ego iuſtitias iudicabo. 89.c

Liquefacta eſt terra, & omnes, qui habitant in ea 1313.d
75. Notus in Iudæa Deus: & in Iſrael magnum nomen eius. 1505.c
In pace factus eſt locus eius 372.c
Ibi confregit potentias arcuum; ſcutum, gladium, & bellum 1505.e
Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati ſunt omnes inſipientes corde 1334.d
Terra tremuit, & quieuit 1108.e
76. Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum 373.e
Turbatus ſum, & non ſum locutus. 161.d
Et dixi, nunc cœpi 186.b
In mari vita tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis. 201.c
77. Filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum: conuerſi ſunt in die belli 800.d
Immiſſiones per Angelos malos viam fecit ſemitæ iræ ſuæ 28.e
Elegit Dauid ſeruum ſuum: & ſuſtulit eum de gregibus. 1118.c
78. Ne fortè dicant in gentibus, vbi eſt Deus eorum. 1127.b
79. Domine Deus virtutum conuerte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. 32.c
80. Exaudiui te in abſcondito tempeſtatis: probaui te apud aquam contradictionis. 248.e
Dilata os tuum, & implebo illud 757.a
Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus ſuis 1584.d
81. Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. 596.b
82. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum 1095.c, & 1096.c
83. Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini 331.a
Beatus vir cuius eſt auxilium abs te 595.b
Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit 62.c
Etenim benedictionem dabit legiſlator: ibunt de virtute in virtutem 595.d
84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam. 53.a & 1110.b
Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt. 349.c
86. Fundamenta eius in montibus ſanctis. 1058.
87. Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris. 555.a
Traditus ſum, & non egrediebar, oculi mei languerunt 540.a
88. Beatus populus, qui ſcit iubilationem, 346.c
Poſui adiutorium in potente: & exaltaui electum de plebe mea 753.d
Deſtruxiſti eum ab emundatione. 1003.b
Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem? 1180.a, & 1497.d
89. Dexteram tuam ſic notam fac. 303.a
Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti 249.d
90. Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. 1392.c
A ſagitta volante in die. 193.b, & 258.c & 259.c
A negotio perambulante in tenebris. 259.c
Ab incurſu ibid.c
& dæmonio meridiano. 261.b
Cadent à latere tuo mille; & decem millia à dextris tuis. 238.b, & 261.d. & 353.a
Oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis 417.d
Quoniam tu es, Domine, ſpes mea 1241.b
Longitudine dierum replebo eum. 769.d
91. Cum exorti fuerint peccatores ſicut fœnũ. 234.c
93. Niſi quia Dominus adiuuit me, paulo minùs habitaſſet in inferno anima mea 744.a, & 793.c
Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo: conſolationes tuæ lętificauerunt animam meam 461.d
94. Quoniã Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnes Deos. 1120.b
Et iſti non cognouerunt vias meas, & iuraui in ira mea 495.c
99. Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos. 1161.e
100. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ 140.c, & 777.c
101. Percuſſus ſum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum 741.a
Opera manuum tuarum ſunt cœli. 1028.d
Filij ſeruorum tuorum habitabunt. 1029.a
102. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. 55.d, & 748.e
Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes languores tuos. Qui replet bonis deſiderium tuum 1029.d
Notas fecit vias ſuas Moyſi 1089.b
Homo ſicut fœnum dies eius. 1176.a
103. Qui facis Angelos tuos ſpiritus: & miniſtros tuos ignem vrentem. 695.d, & 844.e
Qui emittis fontes in conuallibus. 1110.c
Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. 275.a
Auertente te faciem turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient 1182.c
Qui reſpicit terram, & facit eam tremere 1109.a
104. Et pertranſierunt de gente in gentem. 349.d
105. Quis loquetur potentias Domini. 1168.c
Beati, qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam 994.e
Et immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis 1211.c
106. Clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eripuit eos. 638.d
Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius. 1504.d
Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim. 1209.e
Effuſa eſt contemptio ſuper principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via 257.d, & 585.b
Et adiuuit pauperem de inopia ibid. & 1003.c
108. Quia aſtitit à dextris pauperis, vt ſaluam faceret à perſequentibus animam meam 1459.e
Sicut vmbra ablatus ſum: & excuſſus ſum ſicut locuſtæ 1103.c
110. Initium ſapientiæ timor Domini. 36.e, 664.d, & 1074.b
Intellectus bonus omnibus facientibus eum 882.a
111. Beatus vir, qui timet Dominum; in mandatis eius volet nimis 894.d
Gloria, & diuitiæ in domo eius: & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. 1434.a
Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat, diſponit ſermones ſuos in iudicio, quia in ęternum non commouebitur. 1412.d
Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet. 849.e
112. Et humilia reſpicit in cœlo, & in terra 1084.b
114. Cuſtodiens paruulos Dominus: humiliatus ſum, & liberauit me 291.a, & 1127.d
115. Calicem Salutaris accipiam. 338.d
117. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. 144.b

Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine 751.b
Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea 391.a
Conſtituite diem ſolemnem in condenſis vſque ad cornu altaris. 390.a
118. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis 57.c
Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas 58.a
Ne me derelinquas vſque quaque 213.a
Et in iuſtificationibus tuis meditabor, non obliuiſcar ſermones tuos. 876.c
Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua 658.a
Increpaſti ſuperbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis. 1263.e
Aufer à me opprobrium, & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſiui 1264 c.
Dormitabit anima mea præ tædio. 174.a
Viam veritatis elegi, iudicia tua non ſum oblitus. 876.e
Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum 1647.b
Da mihi intellectum, & ſcrutabor legẽ tuam. 1197.c
Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. 1111.a
Auerte oculos meos ne videant vanitatem. 415.e
Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. 893.b
Paratus ſum, & non ſum turbatus, 117. c, 184. c, & 1280.d
Funes peccatorum circumplexi ſunt me; & legem tuam non ſum oblitus. 755.e
Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doceme, quia mandatis tuis credidi. 744.e
Cognoui, Domine, quia æquitas iudicia tua 1147.e
Veniant mihi miſerationes tuæ, & viuam. 892.d
Ordinatione tua perſeuerat dies. 407.d
Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua 617.b
Humiliatus ſum vſquequaque Domine: Viuifica me ſecundùm verbum tuum 1349.a
Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ. 399.d
Tempus faciendi, Domine, diſſipauerunt legẽ tuam, 851.d
Ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui. 809.e
Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum 259.b, & 1280.b
Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodierunt legem tuam. 1335.d
Adoleſcentulus ſum ego, & contemptus. 1135.d
Præueni in maturitate, & clamaui. 906.a
Vide humilitatem meam, & eripe me. 1082.e
Septies in die laudem dixi tibi; propter iudicia iuſtitiæ tuæ 256.c
Pronunciabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas. 485.b
119. Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa 260.b
120. Leuaui oculos meos in montes. 1016.e
121. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. 97.a, & 361.b
123. Niſi quia Deus erat in nobis, dicat nunc Iſrael 802 a
124. Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion. 564.d
Montes in circuitu eius. 241.e
Declinantes autem in obligationibus adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. 640.e
125. Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. 386 a
126. Niſi Dominus ædificauerit domum: in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. 33.d
127. Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. 110.b
128. Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur, exaruit 92.a
130. Domine, non eſt exaltatum cor meum. 1060.d, & 1147.a
131. Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius ſaturabo panibus. 628.a
132. Quàm bonum, & quàm iucundum 603.b
Sicut vnguentum in capite. 336.c
135. Qui firmauit terram ſuper aquas. 88.c
136. In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra 1245.c
Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea.
Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram 73.a, & 572.d
137. Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ, quia audierunt omnia verba oris tui. 1083.e
138. Et nox illuminatio mea in deliciis meis 1513.e
Et in libro tuo omnes ſcribentur. 833 b
Proba me Deus, & ſcito cor meum. 117.e
139. Acuerunt linguam ſuam ſicut ſerpentes. 467.c
Domine, Domine, virtus ſalutis meæ: Obumbraſti ſuper caput meum in die belli 1509b
Vir linguoſus non dirigetur in terra 481. b, & 1338.a
140. Pone Domine cuſtodiam ori meo: & oſtium circunſtantiæ labiis meis. 469.b
Non declines cor meum in verba malitiæ: ad excuſandas excuſationes in peccatis. 1275.e
Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me. 816.b, & 948.e
Oleum peccatoris non impinguet caput meum. 425.c.
141. In via hac, qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi 107.e
Educ de cuſtodia animam meam. 1203.a
142. In me turbatum eſt cor meum. 207.a
Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. 174.b
Notam fac mihi viam, in qua ambulem. 1365.a
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam 1442.
143. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium 680.b
Protector meus, & in ipſo ſperaui; qui ſubdit populum meum ſub me 572.c.
Homo vanitati ſimilis factus eſt 318.c
Beatus populus cuius Dominus Deus eius. 236.d.
145. Nolite confidere in principibus. 751.a
Exibit ſpiritus eius & reuertetur in terram ſuam 1182.c
Dominus ſoluit compeditos: Dominus illuminat cæcos: Dominus erigit eliſos: Dominus diligit iuſtos. 33.b
Non in fortitudine equi voluntatem habebit. 1138.b
146. Qui operit cœlum nubibus: & parat terræ pluuiam 252.e
Qui dat iumentis eſcam ipſorum: & pullis coruorum inuocantibus eum 548 b
Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum. 1130.d, & 1297.a
148. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius 1074.a
Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi 695.c.

EX LIBRO PROVERBIORVM

Cap. 1. Audiens ſapiens, ſapientior erit. 964.d.

Timor Domini principium eſt ſapientiæ. 1300.c
Audi fili mi diſciplinam patris tui,& ne dimittas legem matris tuæ 878.e
Cùm te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis 425.c
Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum 828.b
2. Qui lætantur cùm malè fecerint 1155.a
3. Habe fiduciam in Domino,ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ 547.e
Ne ſis ſapiens apud temetipſum 681.a
Time Deum, & recede à malo, ſanitas quippe erit vmbilico tuo. 1298.b
Cuſtodi legem,atque conſilium, & erit vita animæ tuæ. 874.e
Ne paueas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum 507.e,& 880.e
Dominus erit in latere tuo,& cuſtodiet pedem tuum 881.e
Ne æmuleris hominem iniuſtum, nec imiteris vias eius 1101.b
Abominatio Domini omnis illuſor,& cum ſimplicibus ſermocinatio eius. 699.b
Ipſe deludet illuſores 1128.d
4. Omni cuſtodia ſerua cor tuum 1157.a
Dirige ſemitas pedibus tuis. 544.a
Ne declines ad dexteram,neque ad ſiniſtram 188.a
5. Nitidius oleo guttur eius 137.e
Nouiſſima illius amara, quaſi abſinthium, & acuta quaſi gladius biceps 139.e
6. Fili mi ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam 805.e
Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis. 172.e
Vade ad formicam,ô piger 185.b,& 1161.a
Sex ſunt,quæ odit Dominus 196.a
Conſerua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ,liga eam in corde tuo iugiter,& circumda gutturi tuo.
7. Dic ſapientiæ,ſoror mea es: & prudentiam voca amicam tuam 1549.e
Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio,præparata ad capiendas animas 142.d
Aſperſi cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo 427.e
Meretrix multos vulneratos deiecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea 555.b
8. Iuſti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis prauum quid 1545.d
Ego ſapientia babito in conſilio,& eruditis interſum cogitationibus. 638.c
Quando circumdabat mari terminum ſuum 244.a
Cum eo eram cuncta componens ibid.
Legem ponebat aquis. 1028.a
Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum 368.b
9. Sapientia ædificauit ſibi domum 1006.b
Noli arguere deriſorem,ne oderit te 486.b
Da ſapienti occaſionē,& addetur ei ſapientia 849.a
10 Benedictio Domini ſuper caput iuſti 376.d
Sapiens corde præcepta ſuſcipit, ſtultus cæditur labiis 1318.c
Vena vitæ os iuſti 1339.d
Os ſtulti confuſioni proximum eſt 482.b
In multiloquio non deerit peccatum 471.c
11. Vbi eſt humilitas,ibi eſt ſapientia 1060.e
Vbi fuerit ſuperbia,ibi erit & contumelia 1087.e, & 1100.d
Supplantatio peruerſorum vaſtabit illos 21.b
Vbi non eſt gubernator,populus corruet 597.b
Salus vbi multa conſilia 1012.d
Qui crudelis eſt,etiam propinquos abiicit 301.a
Impius facit opus inſtabile 772.a
Manus in manu non erit innocens malus. 568.d
12. Cogitationes iuſtorum iudicia 999.e
Verba impiorum inſidiantur ſanguini 486.b
De fructu oris ſui, vnuſquiſque replebitur bonis 1339.d
Via ſtulti recta in oculis eius 895.d,& 990.b
Vult,& non vult piger 800.a
13. Eſt quaſi diues cùm nihil habeat,& eſt quaſi pauper cùm in multis diuitiis ſit 1383.d
Subſtantia feſtinata minuetur 150.b, 407.a, & 1332.e
14. Ambulans recto itinere,& timens Deum,deſpicitur ab eo,qui infami graditur via 548.a
In ore ſtulti virga ſuperbiæ,quia ſermone ſuo dignus efficitur 1099.c
Eſt via,quæ videtur homini iuſta, nouiſſima autem eius deducunt ad mortem 260.b
Extrema gaudii luctus occupat 513.a
In omni opere erit abundantia, vbi autem verba ſunt plurima,ibi frequenter egeſtas 471.d
15. Reſponſio mollis frangit iram 162.b,& 565.c
Cor gaudens exhilarat faciem 448.b
Os iuſti meditabitur obedientiam 893.d
16. Hominis eſt animam præparare,& Domini gubernare linguam 466.c
Reuela Domino opera tua,vt dirigantur cogitationes tuæ 1319.e
Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem 244.b
Diuinatio in labiis regis, in iudicio non errabit os eius 1614.b
Indignatio regis nuncii mortis 1193.e
Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus 71.e,201.a,& 1068.e
Qui dulcis eſt eloquio,maiora percipiet. 1345.c
Fons vitæ eruditio poſſidentis 486.d
Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium 311.e,& 386.d
17. Malus obedit linguæ iniquæ,& fallax obtemperat labiis mendacibus 420.e
Qui ruina lætatur alterius,non erit impunitus 165.c, & 166.e
Non decent ſtultum verba compoſita 485.d
Qui dimittit aquas ſuas,caput eſt iurgiorum 513.a, & 1338.b
Qui altam facit domum,ſuam quærit ruinam 820.c
Stultus plaudit manibus cùm ſpoponderit 1265.b
Stultus quoque, ſi tacuerit, ſapiens reputabitur 488.c
18. Occaſiones quærit, qui vult recedere ab amico 155.d
Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in corde eius 1476.d
Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit 1226.a
Labia ſtulti miſcent ſe rixis,& os eius iurgia prouocat 487.b
Antequam conteratur,exaltatur cor hominis 1068.c,& 1094.b
Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuam 771.a
Iuſtus prior eſt accuſator ſui 79.c
Mors & vita in manibus linguæ 470.a
Cum obſecrationibus loquitur pauper, & diues effabitur rigidè 487.a
19. Qui enim mendacia loquitur, non effugiet 487.b
Qui tantùm verba ſectatur,nihil habebit ibid.
Non decent ſanè ſtultum deliciæ,nec ſeruum dominari principibus. 382.e

Pigredo immittit ſoporem,& anima diſſoluta eſuriet 174.a
Os impiorum deuorat iniquitatem 849.d
20. Sicut rugitus leonis,ita & terror Regis 1193.e
Honor eſt homini, qui ſepatat ſe à contentionibus. 478.a
Noli diligere ſomnum, ne te egeſtas opprimat. 1143.a
A Domino diriguntur greſſus viri 33.d
Liuor vulneris abſterget mala,& plagæ in ſecretioribus ventris 43.a
21. Quando ſederis vt comedas cum principe,diligenter attende,quæ appoſita ſunt 741.b
Propter peccatum labiorum ruina proximat malo 492.b
Vir obediens loquetur victorias 1055.b,& 1637.e
Teſtis mendax peribit ibid.
Vir impius obfirmat vultum ſuum 899.d
22. Adoleſcens iuxta viam ſuam,etiam cùm ſenuerit,non recedet ab ea 601.a,& 1217.d
In lapide luteo lapidatus eſt piger 871,d
Qui diligit cordis mundiciam propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum regem 609.b
Inclina aurem tuam,& audi verba ſapientium 543.a
23. In auribus inſipientium ne loquaris, quia deſpicient 486.b,& 1346.b
Noli eſſe in conuiuiis potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt 424 b
Præbe fili cor tuum mihi 912.c
Cui væ?cuius patri væ 18.d
Ne intuearis vinum, quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius 15.d
Verberauerunt me,ſed non dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi 1488.d
24. Cum diſpoſitione initur bellum & erit ſalus, vbi multa conſilia ſunt 269.d,& 796.a
Excelſa ſtulto ſapientia in porta non aperiet os ſuum 486.e
Cogitatio ſtulti peccatum eſt 558.c
Igitur comede,fili mi,mel,quia bonum eſt 617.c
Septies in die cadit iuſtus 58.b
Cùm ceciderit inimicus tuus 120.a
Diligenter exerce agrum tuum, vt poſtea ædifices domum tuam 113.a,& 566.c
Cum ſapientia ædificatur domus, & cum intellectu iterum erigitur 679.e
25. Aufer rubiginem de argento 25 b
Ne glorioſus appareas coram rege 1258.b
Sicut auis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir qui derelinquit locum ſuum 280.c
Cauſam tuam tracta cum amico tuo,& ſecretum extraneo ne reueles 480.b
Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo 488 b
Si eſurierit inimicus tuus,ciba illum 163.e
Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria 725.a
Sicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu: ita vir,qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum 483.d,492.a,730.a,& 1337.c
26. Quomodo pulchritas fruſtra habet claudus tibias, ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola 485.d
Labiis ſuis intelligitur inimicus 1121.b
Quando ſubmiſerit vocem ſuam 132.a
27. Laudet te alienus,& non os tuum 478.e
Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis 6.c,& 425.d
Stude ſapientiæ,fili mi,& lætifica cor meum 728.e, & 1039.d
28. Iuſtus quaſi leo confidens, abſque terrore erit 103.d
Qui abſcondit ſcelera ſua,non dirigetur 79.d
Qui feſtinat ditari,non erit innocens 150.a, & 165.d
Qui confidit in corde ſuo ſtultus eſt 1239.b
Qui dat pauperi,non indigebit 674.b
29. Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus, ſapiens differt,& reſeruat in poſterum. 685.a
Virga,atque correptio tribuit ſapientiam 1313.c
Qui delicatè à pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem 359.a,& 556.b
Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria 1115.d
30. Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi:tribue tantùm victui meo neceſſaria 153.a,& 1367.a
Vanitatem, & verba mendacia longè fac à me 475.e
Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ,dicentes,affer,affer 151.e, & 328 e
Ignis verò numquam dicit,Sufficit 1385.b
Oculum,qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ,effodiant eum,&c. 1588.c
Per tria mouetur terra,& quartum non poteſt ſuſtinere 383.a,& 1613.e
Quatuor ſunt minima terræ,& ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus, formicæ, populus infirmus, &c. 1101.e
Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis 183.a,& reliq.
31. Verba Lamuelis Regis, viſio, qua erudiuit eum mater ſua 878.e
Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo 373.d
Aperi os tuum, & decerne quod iuſtum eſt 806.a
Manum ſuam aperuit inopi 152.a
Fortitudo,& decor indumentum eius, & videbit in die nouiſſimo 388.e
Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas
Date ei de fructu manuum ſuarum,& laudent eam in portis opera eius 686.b

EX ECCLESIASTE.

Cap. 1. Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo,quo laborat ſub ſole? 131.a
Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur 1020.c
Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur 1034.a
Quid eſt quod fuit?Ipſum quod futurum eſt 1217.e
Nihil ſub ſole nouum 786.c
Stultorum infinitus eſt numerus 1215.e
2. Riſum reputaui errorem 448.b
Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam 438.e,& 779.a
3. Tempus plantandi,& tempus euellendi 821.a
Tempus flendi,& tempus ridendi 1341.c
Tempus tacendi,& tempus loquendi 1340.a
Vnus eſt hominis interitus,& iumentorum,& æqua vtriuſque conditio 1163.d
4. Melior eſt pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi 1383.c
Væ Soli 270.b
Funiculus triplex difficilè rumpitur ibid.
5. Ne temerè quid loquaris 909.d
Neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo 1345.d

Si quid

Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis,& ſtulta promiſſio 1397.b
Excelſo excelſior eſt alius 534.d
Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias fructum non capiet ex eis 1785.b
Dulcis eſt ſomnus operanti, ſiue parum, ſiue multum comedat 436.e
Saturitas diuitis non ſinit eum dormire 1392.b
Eſt & alia infirmitas peſſima, quam vidi ſub ſole, diuitiæ conſeruatæ in malum domini ſui 1391.d
6. Fili, à iuuentute tua excipe doctrinam, & vſque ad canos inuenies ſapientiam 408.d
7. Melior eſt dies mortis, die natiuitatis 1022.a
Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij 1343.c
Melior eſt ira riſu 1544.a
Cor ſapientium, vbi triſtitia eſt, & cor ſtultorum vbi lætitia ibid.c
Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi 816.c
Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla: ſic riſus ſtulti 448.b
Qui timet Deum, nihil negligit 67.e
Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet 58.b
Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus 315.c, & 1211.a
8. Vidi impios ſepultos, qui etiam cùm adhuc viuerent, in loco ſancto erant 1100.b
9. Melior eſt canis viuus leone mortuo 1292.b
Omni tempore ſint veſtimenta tua candida 455.e
10. Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti.
Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris 1110.d
Labor ſtultorum affliget eos 754.d
In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus 174.c
Pecuniæ obediunt omnia 1380.c
In cogitatione tua regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui, ne maledixeris diuiti 473.a
11. Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua 391.a
12. Reuertatur puluis in terram ſuam 133.d
Memento creatoris tui in die iuuentutis tuæ; (& fere cæt. omnia huius capitis) 1179.b, & ſeq.
Finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo
Cuncta, quæ fiunt, adducet Dominus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum illud ſit 25.c

EX CANTICIS.

Cap. 1. In odorem vnguentorum tuorum curremus 433.a
Recti diligunt te 160.c, 624.b
Trahe me poſt te 181.c
Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis 450.b
Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui 537.e
Indica mihi, quem diligit anima mea 939.b
Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres egredere 1150.b
Collum tuum ſicut monilia 1586.b
Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis 1085.d
Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi 890.b
Ecce tu pulchra es amica mea; ecce tu pulchra es 1086.c
2. Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem 294.a
Ecce iſte venit ſaliens in montibus 1081.e
En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos 75.c, & reliq.
Surge, propera amica mea 347.c, 807.d, 845.d
Flores apparuerunt in terra noſtra 1175.d
Columba mea in foraminibus petræ 979.b
Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora 368.c
Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit 76.d
Qui paſcitur inter lilia 719.a
Reuertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnulóq; ſeruorum ſuper montes Bether 302.c
3. In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea 847.b
Surgam, & circuibo ciuitatem ibid.c
Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ 369.a, 742.c, & 481.c
En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël 1483.d
4. Oculi tui columbarum 1410.d
Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis 1586.d, 360.b, & 867.b
Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris 369.b
Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa 1145.d
Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris 431.c, 431.c, & 1351.d
Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum 580.c
5. Filij matris meæ pugnauerunt contra me 338.e
Veni in hortum meum, ô ſoror mea ſponſa 340.c, & 1006.a
Bibite amici, & inebriamini chariſſimi 717.c
Ego dormio, & cor meum vigilat 1511.c
Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? 1605.d
Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo, &c. At ille declinauerat, atque tranſierat 848.d, & 907.c
Caput eius aurum optimum 1125.e
6. Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora ſicut Hieruſalem 622.b
Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt 1144.c
Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus, vna columba mea 1526.a
Deſcendi in hortum nucum, vt viderem poma 989.c
7. Quàm pulchri ſunt greſſus tui
Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon
Collum tuum ſicut turris eburnea 1586.d
Caput tuum vt Carmelus, & comæ capitis tui 1126.a
Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in deliciis 623.e, & 409.c
Tibi dabo vbera mea 890.e
Omnia poma noua, & vetera dilecte mi ſeruaui tibi 594.c
8. Dabo tibi poculum ex vino condito 339.a, & 992.d
Fortis eſt vt mors dilectio 266.a
Quæ habitas in hortis, amici auſcultant 624.b

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap. 1. In maleuolam animam non introibit ſapientia 1474.d
Ipſe creauit vt eſſent omnia 775.e
Impij manibus,& verbis accerſierunt illam, & æſtimantes illam amicam defluxerunt 12.d
2. Venite, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter 9.b
Morte turpiſſima condemnemus eum 1114.c
Creauit Deus hominem inexterminabilem 1193.b
Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum 165.d
3. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem 872.c
Sapientiam & diſciplinam qui abiicit, infœlix eſt 612.d
Fœlix eſt ſterilis,& incoinquinata, quæ neſciuit thorum in delicto 1479.c
Fœlix ſpado qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem 1521.b
Bonorum laborum glorioſus eſt fructus 856.b
4. O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate: immortalis eſt enim memoria illius 1479.e
Cani ſunt ſenſus hominis,& ætas ſenectutis vita im-
Fa maculata 485.d
ſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona 787.c
5. Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij 382.d
Spes impij tamquam lanugo eſt 562.b
Omnia tranſierunt tamquam vmbra, & tamquam nuntius percurrens. 1174.c
6. Melior eſt ſapientia, quàm vires, & vir prudens, quàm fortis 269.d
Duriſſimum iudicium his, qui præſunt, fiet 293.d
Cura ergo diſciplinæ, dilectio eſt 779.c
7. Sum quidem ego mortalis homo, ſimilis omnibus 1164.c
Decem menſium tempore coagulatus in ſanguine 1162.c
Et ego natus accepi communem aërem,& in ſimiliter factam decidi terram 1170.c
Fulgebunt iuſti,& tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent 1435.a
Quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua 827.e
Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam 799.d
Et cùm ſit vna, omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innouat 355.e
8. Attingit à fine vſque ad finem fortiter 790.a
Sobrietatem,& prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem 648.e
Propoſui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum 760.c
Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam, & gaudium 368.d,& 601.a
Et vt ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens 719.d,& 1198.a
9. Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam 1197.c
Incertæ prouidentiæ noſtræ 59.c
Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam 69. c, & 1201.a
10. Iuſtum enim deduxit Dominus per vias rectas 364.a
Cuſtodiuit illum ab inimicis,& à ſeductoribus tutauit eum 782.c
Deſcenditque cum illo in foueam 1550.c
Quoniam ſapientia aperuit os mutorum 1013.b
Reddidit iuſtis mercedem laborum ſuorum & deduxit illos in via mirabili 1444.c
11. Quoniam tanquam momentum ſtateræ ſic eſt ante te orbis terrarum 725 c,& 1157.d
Parcis autem omnibus, quia tua ſunt 724.c
13. A magnitudine ſpeciei,& creaturæ, poterat creator horum videri 315.c
16. Pro quibus Angelorum eſca nutriſti populum tuum,& paratum panem de cœlo præſtitiſti illis 373.d
Creatura tibi factori deſeruiens exardeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos 1240.d
19. Tamquam equi depauerunt eſcam,& tamquam agni exultauerunt 306.a

EX ECCLESIASTICO.

Cap. 1. Initium ſapientiæ timor Domini 1074.b
Timor Domini expellit peccatum 664.d
2. Ne feſtines in tempore obductionis 263.e
Suſtine ſuſtentationes Dei, coniungere Deo,& ſuſtine 577.d
In igne probatur aurum, homines verò receptibiles in camino humiliationis 248.c
Qui timetis Dominum, ſperate in illum, & in oblectationem veniet vobis miſericordia 38.b
Reſpicite filij nationes hominum 661.d
Væ peccatori terram ingredienti duabus viis 739.a, & 800.b
Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas 389.e
Qui timent Dominum præparabunt corda ſua & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas 62. d,& 757.c
Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini 459.d,& 1298.c
3. In omni opere, & ſermone, & patientia honora patrem tuum 1040.c
Ne glorieris in contumelia patris tui ibid.d
Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius 693.d
Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris 102.b
Altiora te ne quæſieris 728.c
Cor durum habebit malè in nouiſſimo 29.d
Qui amat periculum, in illo peribit 50.d,64.d, & 885.a
Cor ingrediens duas vias non habebit ſucceſſus, & prauus corde in illis ſcandalizabitur 50.e
Synagogæ ſuperborum non erit ſanitas: frutex enim peccati radicabitur in illis 547.c
Ignem ardentem extinguit aqua,& eleemoſyna reſiſtit peccatis 85.c
Filij ſapientiæ Eccleſia iuſtorum, & natio eorum obedientia,& dilectio 1654.c
4. Congregationi pauperum affabilem te facito 1044.e
Eſto pupillis miſericors vt pater,& pro viro matri illorum 1420.b
Timorem,& metum,& perturbationem inducet ſuper illum 224.c
Noli citatus eſſe in lingua tua 446.e
5. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu 51.c
Omnis peccator probatur in duplici lingua 475.e
Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in in omnem viam 898.a
Eſto firmus in via Domini ibid.
6. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos 487.c,& 1045.a

Si poſſides

Si poſſides amicum in tentatione poſſide eum 249.a
Amicus fidelis, protectio fortis. 700.c,& 923.a
Amicus fidelis medicamentum vitæ 1025.d
Qui timet Dominum æquè habebit amicitiam bonam 902.b,& 1046.e
Quaſi lapidis virtus probatio erit in illis 774.c
Iniice pedem tuum in compedes illius,& in torques illius collum tuum ibid.d
In omni animo tuo accede ad illam 773.d
Inueſtiga illam,& manifeſtabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam 1645.c
Decor enim vitæ eſt in illa,& vincula illius alligatura ſalutis 1650.e
Si dilexeris audire,ſapiens eris 681.b
7. Noli quærere à domino ducatum, neque à rege cathedram honoris 514.a
Et mandauit illis vnicuique de proximo ſuo 669.e
Bonum eſt te ſuſtentare iuſtum 853.a
In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis 141.b
8. Non ſpondeas ſuper virtutem tuam 637.d
9. Ne reſpicias mulierem multiuolam, ne fortè incidas in laqueos illius 413.e
Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam 415.e
Virginem ne conſpicias,ne fortè ſcandalizeris in decore illius 413.c
Auerte faciem tuam à muliere compta,& ne circunſpicias ſpeciem alienam ibid.
Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis ardeſcit 1476.c
10. Pretioſior eſt ſapientia,& gloria & parua,ad tempus ſtultitia 381.b
Principatus ſenſati ſtabilis erit 772.a
Qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber 385.c
Auaro nihil eſt ſceleſtius 27.e, & 150.a
Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam 150.a
Initium omnis peccati eſt ſuperbia 196.b,1071.c, & 1074.b
Radices gentium ſuperbarum areſecit Deus 93.e
Vir inſcius non honorabitur 526.c
11. In veſtitu ne glorieris vmquam, nec in die honoris tui extollaris 456.d
Priuſquam audias ne reſpondeas verbum 488.e, & 1346.c
In medio ſeniorum ne adiicias loqui ibid.b
De ea re, quæ te non moleſtat, ne certeris 476.e
Homo marcidus egens recuperatione 27.e
Benedictio quidem Domini in mercedem iuſti feſtinat 820.a
In die bonorum, ne immemor ſis malorum 271 a
A ſcintilla vna augetur ignis 887.b
Attende tibi à peſtifero ibid.
Admitte ad te alienigenam,& ſubuertet te ibid.c
12. Ille impiis, & peccatoribus reddet vindictam 1194.a
Non credas inimico tuo in æternum 1512.e
13. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea 1046.c
Humiliare Deo & expecta manus eius 1054.c
14. Beatus homo, qui non eſt lapſus in verbo 730.a
Da,& accipe,& iuſtifica animam tuam 1029.b
Ante obitum tuum operare iuſtitiam 741.b
Omne opus corruptibile in fine deficiet 1206.e
Beatus vir, qui in ſapientia morabitur 683.d, & 894.a
Beatus vir, qui requieſcit iuxta domum illius ibid. b
15. Qui timet Deum, faciet bona 1301.c
16. Melior eſt vnus timens Deum,quàm mille filij impij 621.b
17. Poſuit oculum ſuum Deus, ſuper corda illorum 1212.d
A mortuo,quaſi nihil perit confeſſio 22.c
Confiteberis viuens, viuus & ſanus confiteberis 1274.d
18. Non eſt minuere,neque adiicere,neque eſt inuenire magnalia Dei 575.b
Ante orationem præpara animam tuam 908.e
Miſeretur Dominus excipientis doctrinam miſerationis 807.d
Nónne ardorem refrigerabit ros? ſic & verbum melius quàm datum 143.b,& 1346.c
Ante languorem adhibe medicinam 106.a
Ante iudicium interroga temetipſum 1003.d
Poſt concupiſcentias tuas non eas,& à voluntate tua auertere 532.b
19. Qui ſpernit modica, paulatim decidet 64.d, & 886.e
Operarius ebrioſus non locupletabitur 64.d
Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam 492.b
A facie verbi parturit fatuus; tamquam gemitus, partus infantis 479.d
Quis eſt qui non deliquerit in lingua ſua? 465.b
Eſt qui ſe nimiùm ſubmittit, à multa humilitate, 1060.d
Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus 731.b
Amictus corporis,& riſus dentium & ingreſſus hominis annunciant de illo 754.d
20. Concupiſcentia ſpadonis deuirginabit iuuenculam 953.c
Eſt odibilis,qui procax eſt ad loquendum 482.c
Qui multis vtitur verbis,lædit animam ſuam ibid.
Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus 488.b,& 1346.c
Sapiens in verbis ſe ipſum amabilem facit 482.b
Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo 1232.a
Ex ore fatui reprobabitur parabola 488.b
Opprobrium nequam in homine, mendacium 474.e
21. Fili peccaſti? non adiicias iterum, ſed & de priſtinis deprecare, vt tibi dimittantur 50.d, & 1273.a
Qui timet Deum, conuertetur ad cor ſuum 1301.a
Cor fatui,quaſi vas confractum 1242.c
Os prudentis quæritur in Eccleſia 1009.e
Tamquam domus exterminata ſic fatuo ſapientia 849.b
Verba prudentium ſtatera ponderabuntur 493.d,& 1345.d
Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam, vir autem ſapiens vix tacitè ridebit 448.b,& 1345.c
22. Cum ſtulto ne multùm loquaris 486.a
Quis dabit ori meo cuſtodiam,& ſuper labia mea ſignaculum? 469.b
24. Qui edit me,adhuc eſuriet, & qui me bibit,adhuc ſitiet 788.d
Penetrabo omnes inferiores partes terræ 1287.c
25. Quàm magnus, qui inuenit ſapientiam & ſcientiam 664.e,& 1300.b
Timor Domini initium dilectionis 1277.a
Commorari Draconi,& leoni, placebit, quàm habitare cùm muliere nequam 533.a
A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur 318.a, & 1180.b

Digitized by Google

26. Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ 383.b,& 1479.b
Sicut iugum boum, quod mouetur, ita & mulier nequam 533.a
27. Nihil melius eſt quàm timor Dei,& nihil dulcius,quàm reſpicere in mandatis Domini
Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua 1301.b
Vaſa figuli probat fornax,& homines iuſtos tentatio tribulationis 216.e
Homo ſanctus in ſapientia manet,ſicut ſol 771.d
Quòd ſi denudaueris abſconſa illius, non perſequêris poſt eum 1639.c
Annuens oculo fabricat iniqua 221.c
28. Tabitudo & mors imminent in mandatis eius 173.e
Abſtine te à lite,& minues peccata 477.d
Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet oſſa 472.d
Multi ceciderunt in ore gladij,ſed non ſic quaſi qui interierunt per linguam ſuam 466.b
Ori tuo facito oſtia,& ſeras, & verbis tuis facito ſtateram 469.c
Sepi aures tuas ſpinis 137.e,420.b,& 483.e
Beatus qui tectus eſt à lingua nequam 473.b
29. Lingua tertia multos commouit, & diſpertit illos 467.d
Attende tibi ne incidas 104.c
Initium vitæ hominis aqua & panis 1323.b
30. Melius eſt corpus validum,quàm ſenſus immenſus 1485.e
Dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam breuem 1417.c
Triſtitiam longè expelle à te, multos enim occidit triſtitia 560.e
Splendidum enim cor bonum in epulis eſt 895.a
31. Beatus diues,qui inuentus eſt ſine macula 72.d
Super menſam magnam ſediſti? non aperias ſuper illam faucem tuam prior 128.b
Laudabo nomen tuum aſſiduè 1023.a
32. Non impedias muſicam 421.b
Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem 1346.c
Si tu interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum 1013.a
Hora ſurgendi non te trices,præcurre autem prior in domum tuam 907.a
34. Quaſi qui apprehendit vmbram 191.c
Qui non eſt tentatus quid ſcit? vir in multis expertus cogitabit multa 248.a
Oculi Domini ſuper timentes eum 882.c
Dominus ſolus ſuſtinentibus ſe in via veritatis, & iuſtitiæ 771.b
Qui baptizatur à mortuo,& iterùm tangit eum 96.b
35. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas 1598.d
Non accipiet Dominus perſonam in pauperem,& deprecationem læſi exaudiet 100.e
36. Alleua manum tuam ſuper gentes alienas 234.e
Qui poſſidet mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem 385.d
Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio ibid.
37. Noli conſiliari cum eo, qui tibi inſidiatur, & à zelantibus te abſconde conſilium 95.a
Omnis conſiliarius prodit conſilium ibid.
Verbum nequam immutabit cor 486.b, & 690.c
Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt 475.e
Noli auidus eſſe in omni epulatione 28.a
38. Altiſſimus creauit de terra medicamenta,& vir prudens non abhorrebit illa 5.c
Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum 1179.b
39. Aperiet os ſuum in oratione & pro delictis ſuis deprecabitur 900.d
Benedictio illius quaſi fluuius inundauit 376.e
Initium vitæ hominum aqua,ignis,& ferrum,ſal,lac, & panis 366.c
40. Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus,& iugum graue ſuper filios Adam 1201.d
41. Erubeſce à patre, & à matre de fornicatione 508.b
43. Tripliciter ſol exurens montes, radios igneos exſufflans 1097.c
Medicina omnium in feſtinatione nebulæ 314.c
45. Similem illum fecit in gloria ſanctorum 73.c
47. Et quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid à filiis Iſraël 1581.d
48. Ecce excoxi te,ſed non quaſi argentum,elegi te in camino paupertatis 1416.a
50. Et circa illum corona fratrum quaſi plantatio cedri in monte libani 816.d
51. Et in conſpectu aſtantium factus eſt mihi adiutor ibid.
Liberaſti me à lingua coinquinata,& à verbo mendacij 472.d

EX ISAIA.

Cap. 1. Audite cœli, & auribus percipe terra 426.d
Et derelinquetur filia Sion,vt vmbraculum in vinea 109.e
Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis:quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere 2.c,& 568.d
Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam 992.d
2. Præparatus mons domus Domini in vertice montium,& eleuabitur ſuper colles 1.c
Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces 372.c
Quieſcite ab homine cuius ſpiritus in naribus eius eſt 1122.d
3. Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt 25.a
Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt,& viam greſſuum tuorum diſſipant 425.b
Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant 1349.e
In illa die auferet Dominus ornamentum 600.b
4. Super omnem gloriam protectio 870.c
5. Non putabitur,& non fodietur, & aſcendent vepres,& ſpinæ 365.b
Expectaui,vt faceret iudicium,& ecce iniquitas: & iuſtitiam,& ecce clamor 26.a
Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum 543.d
Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris 1148.c
Et coram vobiſmet ipſis prudentes 382.d
Væ,qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem 33.e
Sicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit 467.c
Ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata eſt in caligine eius 317.d
6. Et ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum 1188.d
Sanctus,ſanctus,ſanctus 487.e
Væ mihi quia tacui 11.d,471.c,& 490.b
Volauit ad me vnus de Seraphin, & in manu eius calculus 918.a

Butyrum,& mel comedet. 1134.c
8. Dominum exercituum,ipſum ſanctificate. 1300.d
9. Sceptrum exactoris eius ſuperaſti,ſicut in die Madian. 34.d
Omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum miſtum ſanguine erit in combuſtionem. 367.c
10. Inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum. 1099.c
11. Et ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. 1524.a
Quia repleta eſt terra ſcientia Domini. 815.b
12. Confitebor tibi Domine,quoniam iratus es mihi,conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me. 249.c
14. Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer. 176.c
In cælum,conſcendam:ſedebo in monte teſtamenti. 1085.b,& 1099.c
Aſcendam in cælum ſimilis ero altiſſimo. 1117.b
Omnes reges gentium vniuerſi dormierũt in gloria, vir in domo ſua. 294.d
Tu autem proiectus es de ſepulchro tuo quaſi ſtirps inutilis,pollutus. 23.c,& 1193.c
Quia Dominus fundauit Sion, & in ipſo ſperabunt pauperes populi eius. 1387.d
17. Onus Damaſci. 69.c
18. Et relinquentur ſimul auibus montium, & beſtiis terræ. 16.d
20. Vade, & ſolue ſaccum de lumbis tuis,& calceamenta tolle de pedibus tuis. 457.c
21. Si quæritis quærite. 761.d
Qui habitatis terram Auſtri cum panibus occurrite. 628.a
Et erit quaſi pater habitantibus Ieruſalem & domui Iuda. 923.b
23. Et erit opus iuſtitiæ pax. 372.b
24. Leuabunt vocem ſuam,atque laudabunt, cùm glorificatus fuerit Dominus. 881.d
Qui fugerit à facie formidinis, cadet in foueam. 402.c
25. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ defæcatæ. 1523.e
26. Vrbs fortitudinis noſtræ Sion ſaluator ponetur in ea. 866.a
Et ſicut ſomniat eſuriens, & comedit: cùm autem fuerit expergefactus,vacua eſt anima eius. 1509.d
Omnia opera noſtra operatus es nobis. 1191.b
Domine, in anguſtia requiſierunt te: in tribulatione murmuris doctrina tua eis. 247.d
27. Et iſte omnis fructus, vt auferatur peccatum eius. 15.a
Non eſt populus ſapiens, propterea non miſerebitur eius, qui fecit eum. 544.c
28. Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus. 370.e
Coanguſtatum eſt ſtratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non poteſt. 504.c
29. Væ qui profundi eſtis corde vt à Domino abſcondatis conſilium. 573.c
30. Si reuertamini, & quieſcatis,ſalui eritis in ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra. 1240.b
31. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. 676.c
Quia inebriauit animam laſſam,& omnem animam eſurientem ſatiauit. 377.b
33. Qui claudit oculos ſuos ne videat malum,iſte in excelſis habitabit. 414.e
34. De cadaueribus eorum aſcendet fœtor,tabeſcent montes à ſanguine eorum. 18.a
35. Dicite puſillanimis, confortamini. 291.a
Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. 1144.e
In cubilibus, in quibus dracones priùs habitabant, orietur viror calami, & iunci. 1480.e
37. Ponam circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis. 1195.b
38. Et hoc quod ſaluatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum eſt,mittet radices. 568.b
Præciſſa eſt velut à texente vita mea. 1204.b
Dum adhuc ordirer, ſuccidit me. 368.c,& 1091.a
De mane vſque ad veſperam finies me. 581.b
Domine vim patior,reſponde pro me. 249. d,& 1101.c
Recogitabo tibi omnes annos meos. 994. b
Proiecisti poſt tergum tuum omnia peccata mea. 55.c
40. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur. 1097.a
Et erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. 364.a
Omnis caro fœnum. 88,d,& 1176.a
Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit. 1192.a
Quis enim adiuuit ſpiritum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit.
Forte lignum,& imputribile elegit. 91.d
Qui confidunt in Domino,mutabunt fortitudinem. 663.b
41. Ne timeas: quia ego tecum ſum ne declines. 714.a
42. Ecce ſeruus meus,ſuſcipiam eum. 1279.c
Non clamabit, nec accipiet perſonam, nec audietur vox eius foris. 1345.c
Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum. Quis cæcus niſi ſeruus meus. 22.a
43. Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. 1505.e
Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoſcetis ea. 236.e
Narra ſi quid habes,vt iuſtificeris. 82.d
44. Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam. 758.d,& 1537.a
Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua:reuertere ad me quoniam redemi te. 100.c
45. Væ,qui contradicit fictori ſuo,teſtæ de ſamiis terræ. 1093.d & 1140.a
Numquid dicit lutum figulo ſuo quid facis? 1164.c
46. Nam cùm feceris mirabilia, Domine,nõ ſuſtinebimus. 1097.b
Conſilium meum ſtabit,& omnis voluntas mea fiet 531.c
Audite me duro corde, qui longè eſtis à iuſtitia. 321. b
48 Dedi te in fœdus populi, vt ſuſcitares terram. 619.c
Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum. 248.c
49. Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum 876.c
In manibus meis deſcripſi te. 833.b,& 876.b
50. Corpus meum dedi percutiẽtibus,& genas meas vellentibus. 1260.c
Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem ſerui ſui. 1619.d
51. Nolite timere opprobrium hominum,& blaſphemias eorum ne metuatis. 507.c

Ego ſum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare. 212.d
52. Recedite, recedite, exite inde: pollutum nolite tangere. 441.e
Mundamini, qui fertis vaſa Domini. 1007.d
53. Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus.
Deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum. 1311.b
54. Ad punctum in modico dereliqui te. 246.a
55. Omnes ſitientes venite ad aquas. 845.e
Ecce teſtem populis dedi eum ducem ac præceptorem. 1069.d
Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas. 2.c, 40.a
Sicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ. 1211.e
56. Non dicat eunuchus; ecce ego lignum aridum. 1120.d, & 1521.e
Speculatores eius cæci omnes. 1263.a
57. Quia hæc dicit excelſus, & ſublimis, habitans æternitatem. 1086.e
Impij, quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum. 21.c
58. Quia in diebus ieiuniorum veſtrorum, voluntates veſtræ inueniuntur. 350.b
Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra. 1304.c
Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? 331.a
Si auerteris à ſabbatho pedem tuum. 578.c.
Ne faciamus voluntates noſtras in die ſancto Domini. 532.e
59. Non eſt abbreuiata manus Domini. 61.c
Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum. 75.d
60. Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos. 1289.d
Ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuus iuſtitiam. 871.a
Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam. 395.e
61. Vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem. 70.b
Miſit me, vt darem ei coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris. 1354.e
Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſto. 531.d & 1613.e
Exultauit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis. 600.c
63. Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. 517.c
Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis: induraſti cor noſtrum ne timeremus te. 29.b.
64. Ecce tu iratus es, & peccauimus, & facti ſumus vt immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ. 29.b, 41 a, 74.e, & 962.e
Et nunc Domine pater noſter es tu, nos verò lutum. 1664.c
65. Vocaui, & non reſpondiſtis; locutus ſum, & non audiſtis. 1110.a
66. Cœlum ſedes mea; terra autem ſcabellum pedum meorum. 1109.a
Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu. 1108.e, & 1351.a

EX IEREMIA.

Cap. 1. A, a, a, Domine Deus, ecce neſcio loqui. 1243.b
Noli dicere puer ſum, quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis. 1010.b
Ecce conſtitui te hodie ſuper reges, & ſuper regna, vt euellas. 820.e
2. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam. 860.b
Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. 26.d
Scito, & vide quia malum eſt, & amarum reliquiſſe te Dominum Deum tuum. 12. c, 19.d, 849.e, & 1152.c
In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix. 913.d
Nam & ab iſta egredieris, & manus tuæ erunt ſuper caput tuum. 1239.b
3. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. 913.e
Dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina. 827.c
4. Si reuerteris Iſrael, ait Dominus, ad me conuertere. 10
Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas. 682.c
Circumcidimini Domino, & auferte præputia. 333.c
Laua à malitia cor tuum Ieruſalem. 135.c
Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, ſenſus cordis mei turbati ſunt. 568.e
Sapientes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt. 10.
Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihili; & cœlos, & non erat lux in eis. 1442.d
5. Percuſſiſti eos, & non doluerunt. 1246.e
Saturaui eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. 434.a
Et comedet ſegetes tuas, & panem tuum; deuorabit filios tuos. 628 b
6. Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam, ſic anima frigidam fecit malitiam. 563.b
Erudire Ieruſalem, ne fortè recedat anima mea à te. 247.e
Ecce circumciſæ aures eorum, & audire non poſſunt. 419.c
Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere; luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum. 41.d, & 38.c
7. Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem ſuam. 1110.a
8. Miluus in cælo cognouit tempus ſuum. 183.e, & 1161
Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos. 169.a
9. Docuerunt linguas ſuas loqui mendacium.
Aſcendit mors per feneſtras noſtras. 141.d & 411.b
Et cadet morticinum hominis, quaſi ſtercus ſuper faciem regionis. & quaſi fœnũ poſt tergum metentis. 1176.a
10. Væ mihi ſuper contritione mea, peſſima plaga mea. 18.d
11. Extenderunt linguam ſuam, quaſi arcum mendacij. 467.a
12. Nũquid auis diſcolor hæreditas mea mihi. 621.e
15. Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis renuit curari. 886.b
Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris 647.d
16. Mittam eis multos venatores. 104.d
17. Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo. 897.d
Maledictus homo, qui confidit in homine. 522. a, & 751. a

Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile. 991.a, & 997.e
18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo quod locutus ſum aduerſus eam,agam & ego. 459.c
Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea. 1140,a,& 1164.c
20. Maledicta dies,in qua natus ſum. 156.d
23. Numquid non cælum, & terram ego impleo? 1035.c
24. Erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum 761.d
30. Te autem non faciam in cōſummationem.249.c
31. Conuerte me, & conuertar, quia tu dominus Deus meus. 32.b
Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam. 984.c
Denique confuſus ſum, & erubui,quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ. ibid.d
Benedicat tibi Dominus pulchritudo iuſtitiæ, mons ſanctus. 377.a
Et non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum. 826.a
32. Timorem meum dabo in corde eorum, vt non recedant à me. 32.e
35. Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos,& filij veſtri. 879.c
Præualuerunt ſermones Ionadab,filij Rechab, quos præcepit filiis ſuis,vt non biberent vinum.1663.b
39. Et occidit Rex Babylonis filios Sedeciæ. 260.c
48. Maledictus,qui facit opus Domini fraudulenter, & maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine. 295.a, & 331.a
Fertilis eſt Moab ab adoleſcentia ſua, & requieuit in fæcibus ſuis. 817.d
Ego ſcio iactantiam eius, & quòd non ſit iuxta eam virtus eius. 1099.a
Plus fecit, quàm potuit,idcirco periemnt. 293.b
51 Deuoratum eſt robur eorum,facti ſunt quaſi mulieres. 1174.e
52. Venit Nabuzardan princeps militiæ 131.c
Funiculus duodecim cubitorum circuibat eam, 1475.d

EX THRENIS.

Cap.1. Quomodo ſedit ſola ciuitas. 110.a
Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius. 110.a
2. Luxitque antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt. 866.d
Cui comparabo te, vel cui aſſimilabo te filia Hieruſalem. 319.d
Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectū Domini. 47.c
3. Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. 231.b
Memoria memor ero. 1093.c
Pars mea Dominus, propterea expectabo eum. 560.e
Bonū eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.492.b, & 1008. b
Ponet in puluere os ſuum. 1260.b
Scrutemur vias noſtras. 983.a
Oculus meus deprædatus eſt animam meam. 411.c
4. Qui nutriebantur in croceis,amplexati ſunt ſtercora. 278.c
Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſaphiro pulchriores. 20.c
Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum. ibid.
Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cœli. 258.b

EX ORATIONE.

Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: innoua dies noſtros ſicut à principio. 32.d

EX BARVCH.

Cap.3. Audi Iſraël mandata vitæ, auribus percipe vt ſcias prudentiam. 1098.b
Inueteraſti in terra aliena,coinquinatus es, cū mortuis. 400.c
O Iſrael quàm magna eſt domus Dei. 1006.b
Dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt, & dixerunt,adſumus. 1278.d
4. Nocentes peribunt, qui te vexauerunt. 167.a

EX EZECHIELE.

Cap.1. Vnumquodque eorum coram facie ſua ambulabat. 1154.d
3. Domus autem Iſrael nolunt audire te, quia nolunt audire me. 1568.c
Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum. 1129.e
Spiritus leuauit me, & aſſumpſit me, & abij amarus. 985.c
5. Immittam in vos famem. 28.c
8. Et ecce omnis ſimilitudo reptilium,& animalium abominatio. 1223.c
10. Ipſum eſt animal, quod videram iuxta fluuium Chobar. 1154.a
13. Væ qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus. 954.c
16. Abominabilem feciſti decorem tuum. 23.b
Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia,ſaturitas panis,& abundantia. 127.d
17. Et ſcient omnia ligna regionis,quia ego Dominus humiliaui lignum ſublime. 1120.c
18. Patres comederunt vuam acerbam,& dentes filiorum obſtupeſcunt. 21.e
Anima,quæ peccauerit, ipſa morietur. 19.b
Si iuſtus auerterit ſe à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem. 1194.a
Cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua,quam operatus eſt. 459.c
Conuertimini, & agite pœnitētiam ab omnibus iniquitatibus veſtris. 34.a
Nolo mortē peccatoris,ſed vt conuertatur,& viuat. 670.a
20. Vnuſquiſque offenſiones ſuorum oculorum abiiciat. 414.c
27. Diuitiæ tuæ,& theſauri tui, & multiplex inſtrumentum tuum &c. cadent in corde maris. 642.a
28. In delitiis paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis precioſus operimentum tuum. 621.a
29. Meus eſt fluuius, & ego feci memet ipſum 1099 b
Fili hominis Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum. 1196.d
33. Nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat. 38.b
Cùm receſſerit impius ab impietate ſua, feceritque iudicium,& iuſtitiam, viuet in eis. 44.a
34. Quod infirmum fuit,non conſolidaſtis. 49.a
Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorē vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid. 1279.c
36. Et effundam ſuper vos aquam mundam. 321.d
Auferam cor lapideum de carne veſtra. 29.c

Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum. 321.d
Spiritum meum ponam in medio veſtri. 1197.d
37. Et dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes. 865.d
44. Porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non tranſibit per eam. 418.e
Omnis alienigena incircumciſus corde & incircumciſus carne non ingredietur ſanctuarium meum. 333.c
Non erit eis hæreditas, ego hæreditas eorum, & poſſeſſionem non dabitis eis in Iſraël, ego enim poſſeſſio eorum. 1443.c

EX DANIELE.

Cap. 1. Et conſtituit eis Rex annonam per ſingulos dies de cibis ſuis. 910.b
Propoſuit Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis. 799.d
2. Huius ſtatuæ caput ex auro puriſſimo erat, pectus autem & brachia de argento. 389.a
Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. 109.c
Abſciſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam. 40.d
Lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus. 1111.e
3. Fecitque ſtatuam magnam. 1302.
Statimque vocauit ariolos, atque maleficos. ibid.
Quis eſt Deus, qui eripiat vos de manu mea. 1099.d
Et ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum, & benedicentes Domino. 1314.b
Tradidiſti nos in manibus inimicorũ noſtrorum iniquorum. 17.d
Benedicite ſancti, & humiles corde Domino. 1287.a
4. Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. 1374.c
Eiicient te ab hominibus. 1212.b.c
Quod autem præcepit vt relinqueretur germen radicum eius, id eſt arboris, regnum tuum tibi manebit. 1374.c
Peccata tua eleemoſynis redime. 83.c, & 85.c
Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui. 1099.b
6. Igitur Daniel ſuperabat omnes principes, & ſatrapas. 1186.d
7. Surge, comede carnes plurimas. 27.e
Veſtimentum eius candidum ſicut nix. 740.a
Millia millium miniſtrabant ei. 980.d
10. Lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi. 459.e
Audiui vocem verborum eius, & audiens iacebam. 821.e
Nemo, inquit, eſt adiutor meus. 1117.c
13. Euerterunt ſenſum ſuum. 175.c
Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras. 806.c

EX OSEA.

Cap. 1. Dicitur eis filij Dei viuentis. 339.b
Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram. 1380.e
2. Et canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ. 846.e, & 891.b
Arcum & gladium, & bellum conteram de terra. 1516.b
Sponſabo te mihi in ſempiternum. 923.c
3. Quia dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine principe, & ſine ſacrificio. 1215.d
4. Non eſt veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. 1442.d
Populus non intelligens vapulabit. 540.d
Sicut vacca laſciuiens declinauit, & quaſi auis auolauit. 1209.c
6. In tribulatione ſua mane conſurgent ad me, venite, & reuertamur ad Dominum. 250.c
Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius. 498.c
Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? 496.b
7. Reuerſi ſunt vt eſſent abſque iugo, facti ſunt quaſi arcus doloſus. 800.e
8. Quia ventum ſeminabunt, & turbinem metent. 189.b
Culmus ſtans, non eſt in eo germen. 1108.b
9. Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt. 25.a
Radix eorum exſiccata eſt. 190.d
10. Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt. 514.d
Confundetur Iſraël in voluntate ſua. 1304.d
Ephraim vitula docta diligere trituram. 1208.e
11. Poſt Dominum ambulabunt. 33.d
13. Ego cognoui te in deſerto, in terra ſolitudinis. 243.a
Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum eius. 1317.d
De manu mortis liberabo eos. 1287.c

EX IOELE.

Cap. 1 Expergiſcimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine. 130.d
Ad te Domine clamabo, quia ignis comedit ſpecioſa deſerti. 317.d
2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro. 333.c
Quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ. 1078.c
3. Aurum meum, & argentum meum. 954.a

EX AMOS.

Cap. 2. Ego autem exterminaui Amorrhæum. 244.b
Et peribit fuga à veloce. 1211.a
4. Et ſacrificate de fermento laudem. 189.b
Miſi in vos mortem in via Ægypti. 859.a
Faciens matutinam nebulam. 275.b
5. Aufer tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam. 421.c
6. Sicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici. 125.d
Deteſtor ego ſuperbiam Iacob, & domos eius odi. 1088.b
7. Non ſum propheta, & non ſum filius prophetæ. 1118.c
Nam & tulit me Dominus cùm ſequerer gregem. ibid.
9. Stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. 236.a

EX ABDIA.

Si fures introiſſent ad te. 15.b

EX IONA.

Cap. 1. Quid hoc feciſti? Cognouerunt enim viri quòd à facie Domini fugeret. 1272.b
Quæſumus Domine ne pereamus in anima viri iſtius. ibid.d
2. Et dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam. 401.b, & 1272.d
3. Veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem. 268.c
4. Et præparauit Dominus Deus hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ, vt eſſet vmbra ſuper caput eius. 1391.b

Et ... auit Deus vermem. 192.b

EX MICHEA.

Cap. 4. Et ſedebit vir ſubtus vitem ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & non erit, qui deterreat. 386.e
5. Et erit iſte pax: Aſſyrius cùm venerit in terram noſtram. 244.e
Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum. 787.d
6. Popule meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi. 995.e
Humiliatio tua in medio tui. 1093.a
7. Nolite credere amico, & nolite confidere in duce. 359.e
Ego autem ad Dominum aſpiciam, expectabo Deum Saluatorem meum. 1067.c
Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium meum. 51.d

EX NAHVM.

Cap. 1. Increpans mare, & exſiccans illud. 1093.b
Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & ſciens ſperantes in ſe. 245.a, & 265.e
Non conſurget duplex tribulatio. 351.e
3. Intra in lutum, & calca, ſubigens tene laterem. 1060.c

EX HABACVC.

Cap. 1. Totum in hamo ſubleuauit, & traxit illud in ſagena ſua. 641.c
Cibus eius electus. 301.d
3. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud. 851.d, & 1126.e
Deus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharam; operuit cælos gloria eius. 1535.c

EX SOPHONIA.

Cap. 1. Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina. 453.e
Scrutabor Ieruſalem in lucernis. 39.b, 269.c, & 810.e
Dies Domini magnus. 89.e
2. Hæc eſt ciuitas glorioſa, habitans in confidentia. 1259.d

EX AGGÆO.

Cap. 1. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum. 190.d, & 918.e
Quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinaſtis vnuſquiſque in domum ſuam. ibid.
2. Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur. 74.b
Sic populus iſte. ibid.c

EX ZACHARIA.

Cap. 2. Abſque muro habitabitur Ieruſalem. 406.b
4. Quis deſpexit dies paruos? 241.b
5. Hæc eſt impietas. 1174.e
9. Ecce rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator. 922.b, & 1382.c
Loquetur pacem gentibus. 870.e
Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos. 1287.e
13. Phramea ſuſcitare ſuper paſtorem meum. 224.e

EX MALACHIA.

Cap. 1. Dilexi Iacob, Eſau autem odio habui. 1078.b, & 1119.e
Destructi ſumus, ſed reuertentes ædificabimus, quæ deſtructa ſunt. 1128.c
3. Ecce ego mitto Angelum meum. 715.c
Et erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia. 349.e

EX I. MACHABÆORVM.

Cap. 1. Conſtituit prælia multa. 218.b
2. Et intulerunt bellum illis ſabbatis. 515.d
Omnis homo, quicumque venerit. ibid.e
Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute ſua ſit vobis princeps militiæ. 1320.e
3. Ipſe quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. 1313.a
Sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui. ibid.
4. Et nunc clamemus in cœlum, & miſerebitur noſtri Dominus, & memor erit teſtamenti patrum noſtrorum. 34.e
Et facta eſt lætitia in populo magna valde, & auerſum eſt opprobrium gentium. 306.d
6. Et iuit ſub pedes elephantis, & ſuppoſuit ſe ei, & occidit eum. 198.c
12. Exiit ab Ieruſalem, & occurrit eis in Amathite regione. 267.b
Et nunc remitte eos in domos ſuas. 66.e

EX II. MACHABÆORVM.

Cap. 1. Non inuenerunt ignem, ſed aquam craſſam. 100.d
3. Apparuit enim illis quidem equus terribilem habens ſeſſorem. 935.a
Nam ipſe qui habet in cœlis habitationem, viſitator, & adiutor eſt loci illius. 1016.c
6. Ducebantur Iudæi cum amara neceſſitate in die natalis regis ad ſacrificia. 1021.c
7. Fili miſerere mei, quæ te nouem menſibus in vtero portaui. 903.a
Peto nate, vt aſpicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt, & intelligas, &c. 1165.d

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ
E NOVO TESTAMENTO
PETITORVM.

EX MATTHÆO.

Cap.2. SVRGE, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum. 1309.b
3. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. 34.b
Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? 931.a
Sine modò: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. 1069.c, 1080.a, & 1111.d
4. Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo. 213.d
Et accedens tentator, 221.b
Dic vt lapides iſti panes fiant. 127.d, & 834.b
Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. 1427.d
Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. 692.a
Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. 307.a
5. Beati pauperes ſpiritu, quia ipſorum eſt regnum cœlorum. 351.b, 1384.b, 1074.a, & 1369.a
Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. 448.d
Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. 671.c
Neque accendunt lucernam. 189.a
Si offers munus tuum ad altare. 163.b
Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. 183.b, & 135.a
Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te, &c. 311.d
Ego dico vobis non iurare omnino. 13.c
Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. 158.b, & 1151.b
Qui tecum vult contendere in iudicio, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. 477.c
Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. 521.b
Diligite inimicos veſtros, & benefacite. 559.a
Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. 723.b
6. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. 510.b
Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. 193.c
Fiat voluntas tua. 510.a
Dimitte nobis debita noſtra. 58.c, & 84.e, & 159.a
Et ne nos inducas in tentationem. 212.d, & 1075.e
Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter. 723.c, & 160.e
Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. 678.e
Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. 412.b, & 763.a
Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. 50.e, & 109.b
Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. 1427.b
Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt. 1386.b
Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent. 1532.e
Fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur. 92.a
Quærite ergo primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. 1373.d
Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum. 144.b, & 805.a
7. Nolite iudicare, & non iudicabimini. 544.e
Nolite dare ſanctum canibus. 486.b
Omnia ergo, quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite. 100.a
Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam. 432.e
Intrate per anguſtam portam. 614.d
Omnis arbor bona bonos fructus facit. 606.c
8. Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum. 1235.b
Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus. 572.a
Dico autem vobis quia multi ab oriente & occidente venient. 1432.d
Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. 30.e
Magiſter, ſequar te quocumque ieris. 1078.d
Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos. 728.b
Si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum. 225.b, & 243.d
9. Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. 1410.a
Et cùm veniſſet Ieſus in domum principis. 24.a
Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris. 1459.a
10. Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. 684.c
Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. 1297.e
Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum. 377.d
Nihil eſt opertum, quod non reuelabitur, & occultum, quod non ſcietur. 89.a
Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum. 688.d
Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum. 1263.e
Non veni pacem mittere, ſed gladium. 400.c
Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. 331.c
11. Tu es, qui venturus es. 853.c
Cæci vident, claudi ambulant. 320.e
Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. 453.e
Quoniam regnum cœlorum vim patitur. 331.b
Venit Ioannes neque manducans, neque bibens. 167.b
Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro,

&

& Sidone. 1248.e
Reuelaſti ea paruulis. 32.c.1100.e
Neque patrem quis nouit niſi filius,& cui voluerit filius reuelare. 32.c
Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, 52.c,& 334.c
Diſcite à me quia mitis ſum,& humilis corde. 724.a. 1061.c, & 1070.c
Iugum meum ſuaue eſt,& onus meum leue. 47.d
12. Abiit Ieſus per ſata Sabbato, diſcipuli autem eſurientes. 1414.a
Non legiſtis quid fecerit Dauid quando eſuriit.ibid.
Omne verbum otioſum,quod locuti fuerint homines,reddent rationem de eo in die iudicij. 13.c, 98.b,483.b.& 884.e
Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. 1444.a
Quoniam ex verbis tuis iuſtificaberis. 356.e,& 884.e
13. Superſeminauit zizania in medio tritici, & abiit. 10
14. Ambulabat ſuper aquam. 90
15. Populus hic labiis me honorat,cor autem eorum longè eſt à me.
Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. 468.a
Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. 925.c
Etiam Domine:nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. 392.b, & 1116.c
16. Cauete à fermento Phariſæorum & Saducæorum. 1325.b
Caro, & ſanguis non reuelauit tibi,ſed pater meus, qui in cœlis eſt. 32.e
Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram. 1433.d
Tibi dabo claues regni cœlorum. 90.a
Si quis vult poſt me venire, abneget ſemet ipſum. 322.e, & 331.e
17. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. 110.b
Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis. 663.c
18. Amen dico vobis niſi conuerſi fueritis,& efficiamini ſicut paruuli. 855.c, & 1071.d
Væ homini illi per quem ſcandalum venit. 125.c
Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te. 412.b,613.a,& 1451.b
Oblatus eſt ei vnus, qui debebat decem millia talenta. 35.c
Patientiam habe in me,& omnia reddam tibi. 259.a
19. Non facies furtum. 13.b
Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes. 1370.d,1371.e.1431.d,1374.d
Cùm audiſſet autem verbum adoleſcens abiit triſtis,erat enim multas poſſeſſiones habens. 1376.d
Amen dico vobis quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum. 867.a
Apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt. 60.c
Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. 1392.d,& 1430.d
Amen dico vobis quòd vos, qui ſecuti eſtis me in regeneratione cùm ſederit filius hominis. 1435.b, & 1437.c
Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. 150.d
20. Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. 1648.b
Cùm veniſſent, qui circa vndecimam horam venerant. 402.b
Dic vt ſedeant hi duo filij mei,vnus ad dexteram, & vnus ad ſiniſtram. 1331.a
Quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter. 1283.a
Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. 956.a. & 1286.b
22. Vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. 42.d
In reſurrectione enim neque nubent,neque nubentur.
23. Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi. 1569.a
Omnia ergo quæcumque dixerint vobis,ſeruate, & facite. 951.a
Vos autem nolite vocari Rabbi. 922.d
Qui ſe humiliat,exaltabitur. 1073.c
Serpentes genimina viperarum quomodo fugietis à iudicio gehennæ. 1212.b
24. Non deſcendat tollere aliquid de domo ſua. 149. b
Qui in agro eſt, non reuertatur tollere tunicam ſuam. ibid.
Facilius eſt camelum per foramen acus introire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. 1376.e
Illud autem ſcitote quoniam ſi ſciret paterfamilias. 1181.a
Veniet dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora, qua ignorat. 89.c
Diuidet eum,partémque eius ponet cum hypocritis. 182.c
25. Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus. 677.e
Vigilate itaque quia neſcitis diem, neque horam. 89.d
Euge ſerue bone,& fidelis. 888.c
Venite benedicti patris mei. 602.b,674.e,& 1012
Quandiu feciſtis vni ex iis fratribus meis. 955.e,& 1014.e
Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. 30.d, 830.e,& 1150.b
26. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. 309.c
An putas quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum? 60.c
Verumtamen dico vobis amodo videbitis filium hominis. 810.e
27. Et proiectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. 1392.d
Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? 302.d
28. Qui abierunt in Galilæam in montem vbi conſtituerat illis Ieſus. 912.a
Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. 672.a

EX MARCO.

Cap.4.Et erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens. 222.e
Et ſurgens comminatus eſt vento, & dixit mari,tace, obmuteſce, & ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna. 1644.d
5. Filia mea in extremis eſt. 24.a
6. Et non poterat ibi virtutem vllam facere.1107.b
Cùm dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit. 1021.c
Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. 1032.c
9. Credo Domine adiuua incredulitatem meam. 746.b

Et cùm videret Ieſus concurrentem turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo. 329.a
Hoc genus in nullo poteſt exire niſi in oratione, & ieiunio. 119.d
Quid in via tractabatis? 1257.d
Si quis vult primus eſſe, erit omnium nouiſſimus. 1119.c
Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 30.d
10. Nemo bonus niſi vnus Deus. 19.d
Nemo eſt qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores. 1443.e
Et præcedebat illos Ieſus, & ſtupebant. 527.d
12. Omnes ex eo, quod abundabat illis, miſerunt. 1379.b
14. Vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt. 1396
Cœpit pauere, & tædere. 309.c
15. Chriſtus Rex Iſraël deſcendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus, 390.c
16. Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti. 596.e
Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. 1417.e

EX LVCA.

Cap. 1. Vt conuerteret corda patrum in filios. 1098.d
Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco. 720.c
Ecce ancilla domini. 1303.b
Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. 1107.e
Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. 1115.b
Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. 1459.d.
2. Et pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio 1133.b.
Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. 1071.d, & 1133.c.
Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus. 192.c.
Venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam. 847.b.
Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis. 1281.c.
3. Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere. 1212.b
Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. 692.a
Ne cœperitis dicere: patrem habemus Abraham 1116.c
4. Diabolus receſſit ab eo vſque ad tempus 254.a
5. Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. 1078.d
Exi à me quia homo peccator ſum Domine. 932,d
Remittuntur tibi peccata tua 808 b
6. Cùm cognouiſſet quia venturi eſſent, vt raperent eum. 1254.b
Elegit duodecim ex ipſis quos & Apoſtolos nominauit. 1324.e
Væ vobis, qui habetis conſolationem veſtram. 334.c
Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis. 448.c & 1343.b
Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter. 1044.d
Nolite iudicare, & non iudicabimini. 1076.a
Dimittite, & dimittemini. 160.d, & 1076.a
Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam. 1441.d
Malus homo de malo theſauro cordis ſui profert malum. 472.c, & 763.a
7. Domine noli vexari: non enim ſum dignus. 932.c
Ecce defunctus afferebatur filius vnicus matris ſuæ. 24.b
Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. 48.c
Remittuntur tibi peccata. 42.e
9. Qui me erubuerit, & meos ſermones. 510.e, & 896.a
Nemo mittens manum ſuam ad aratrum. 148.e
10. Nolite tranſire de domo in domum. 280.c
Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit. 1568.a
Videbam Satanam tamquam fulgur de cælo cadentem. 1076.b
Gaudete autem quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in libro vitæ. 671.c
Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Hiericho. 36.b, & 232.c
Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima. 699.b
11. Domine doce nos orare, ſicut docuit Ioannes diſcipulos ſuos. 745.c
Si perſeuerauerit pulſans dico vobis, etſi non dabit illi ſurgens. 712.d
Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur. 109.d
Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine. 108.a
Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. 103.b
12. Videte, & cauete ab omni auaritia. 144.b
Conſiderate coruos, quia non ſeminant, neque metunt. 1161.a
Conſiderate lilia, quomodo creſcunt. ibid.
Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. 1394.a
Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. 270.d
Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum. 912.a
Beati ſerui illi, quos cùm venerit dominus. 307.b, & 640.
Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo. 1245.e
Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor. 670.e, & 1260.d
Hypocritæ faciem cæli & terræ noſtis probare. 184.b
13. Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis. 690.d
Ecce mulier quæ habebat ſpiritum infirmitatis, annis decem & octo. 501.c
Ecce eiicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras. 789.a
14. Cùm inuitatus fueris ad nuptias, ne diſcumbas in primo loco. 1325.c
Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem. 693.e
Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius. 1377.d
Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. 175.b, & 331.e
15. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. 339.d
Homo quidam habuit duos filios. 226.b
Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus. 36.d
Miſericordia motus accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. 443.a
16. Hic diffamatus eſt apud illum. 18.b
Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. 351.e, & 638.d
Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt. 395.c

Qui

Qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus eſt. 71.c
Induebatur purpura,& byſſo. 136.b
Cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis. 392.c
Recepiſti bona in vita tua. 192.a & 1258.c
17.Tranſi,recumbe. 90.c
Ieſu præceptor miſerere noſtri. 1078.d
Ite,oſtendite vos ſacerdotibus. 44.d,& 551.c
Nonne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt. 954.c
18.Veruntamen filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra? 1219.a
Deus propitius eſto mihi peccatori. 42.b
Nolebat nec oculos ad cœlum leuare.ibid.& 1349.a
Percutiebat pectus ſuum,dicens,Deus propitius eſto mihi peccatori. 85.b
Omnis,qui ſe exaltat, humiliabitur. 1115.a
Magiſter bone quid faciens,vitam æternam poſſidebo. 1254.e
Quæ impoſſibilia ſunt apud homines,poſſibilia ſunt apud Deum. 320.c
19.Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum. 1380.a
Euge bone ſerue,quia in modico fuiſti fidelis. 705.b
Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam. 891.d
Omni enim habenti dabitur,& abundabit. 750.a
Si cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. 89.b,& 349.c
20. Reddite quæ ſunt Cæſaris,Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. 327.d
21.Vidit autem & quandam pauperculam mittentem æra minuta. 1379.a
Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna. 25.a
His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra. 881.c
Attendite autem vobis ne fortè grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ. 121.a
22.Qui maior eſt in vobis,fiat ſicut minor. 1014.d
Ego in medio veſtrûm ſum ſicut qui miniſtrat.956.a 1014.d,& 1281.c
Vos eſtis qui permanſiſtis mecum. 772.b
Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum. 1435.a
Veruntamen non mea voluntas,ſed tua fiat. 534.a
Hæc eſt hora veſtra,& poteſtas tenebrarum. 89.b
Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum. 48.c
23. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet. 35.d
Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt. 910.e
Amen dico tibi,hodie mecum eris in paradiſo. ibid. 48.c
Percutientes pectora ſua reuertebantur. 85.b
24.Nonne hæc oportuit pati Chriſtum,& ſic intrare in gloriam ſuam? 237.a
Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via. 1347.d

EX IOANNE.

Ecce lux vera, quæ illuminat omnem hominem. 827.a
In propria venit,& ſui eum non receperunt. 517.c
Quotquot autem receperunt eum.
Vidimus gloriam eius,gloriam quaſi vnigeniti à Patre. 697.d
Ipſe eſt,qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt. 1243.c
Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. 1071.b
2.Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea. 852.c
3.In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. 1113.a
Si terrena dixi vobis,& non creditis,quomodo ſi dixero vobis cæleſtia,credetis? 883.d
Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo. 1114.c
Omnis, qui malè agit,odit lucem, & non venit ad lucem,vt non arguantur opera eius. 24.d
4.Spiritus eſt Deus,& eos,qui adorant eum, in ſpiritu,& veritate oportet adorare. 1419.b
Meus cibus eſt vt faciam voluntatem patris mei. 741.c
5.Ecce ſanus factus es,iam noli peccare. 50.b,& 324.b
Omne iudicium dedit filio. 293.d
Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius,qui miſit me. 1303.a
Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud patrem,eſt qui accuſat vos Moyſes. 1436.b
6.Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta ne pereant. 392.a
Quæritis me non quia vidiſtis ſigna. 552.d
Quia deſcendi de cælo non vt faciam voluntatem meam,ſed eius qui miſit me. 535.b,& 1303.b
Nemo poteſt venire ad me niſi pater, qui miſit me, traxerit eum. 32.d
Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. 1151.c
7.Si quis ſitit,veniat ad me,& bibat. 758.e
8.Qui ſine peccato eſt veſtrûm,primus in illam lapidem mittat. 545.c
Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati. 16.e
Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. 17.a
Quis ex vobis arguet me de peccato. 1361.d
Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. 426.d
9.Fecit lutum ex ſputo,& liniuit lutum ſuper oculos eius. 1153.c
Vt qui non vident,videant,& qui vident,cæci fiant. 1091.e
11.Lazarus amicus noſter dormit,ſed vado,vt à ſomno excitem eum. 173.e
Et gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi. 309.c
Domine iam fætet,quatriduanus eſt enim.
Ait Ieſus, tollite lapidem. 41.c
12.Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. 338.a
Benedictus qui venit in nomine Domini. 922.b
Niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit,ipſum ſolum manet. 375.c
Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. 150.d,332.b,& 505.c
Qui mihi miniſtrat,me ſequatur. 461.c
Et ego ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum. 527.b
13.Surgit à cæna,& ponit veſtimenta ſua. 1286.c
Si non lauero te,non habebis partem mecum. 532.c
Qui lotus eſt,non indiget niſi vt pedes lauet,ſed eſt mundus totus. 68.d
Et vos mundi eſtis. 917.d
Vos vocatis me Magiſter,& Domine,& bene dicitis, ſum etenim. 922.c
Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci,

ita & vos faciatis. 1070.c
14. Ego ſum via, veritas, & vita. 1021.e
Qui videt me, videt & patrem. 368.b
Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. 1648.c
Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. 638.c
Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. 384.c
Vt cognoſcat mundus, quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio. 1648.d
15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit eum. 16.d, & 364.e
Vos autem dixi amicos, quia quæcunque audiui. 700.a
Spiritus veritatis, qui à patre procedit. 697.d
16. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam. 515.b
Triſtitia veſtra vertetur in gaudium. 254.b
Mulier cùm parit, triſtitiam habet. 237.c
Confidite, ego vici mundum. 661.e
17. Hæc eſt autem vita æterna. 264.b
Manifeſtaui nomen tuum hominibus. 870.c
Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, illic ſint mecum. 920.b
18. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. 1098.d
19. Mulier ecce filius tuus. 693.a, & 921.a
20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. 44.d, & 78.d
21. Viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem. 1287.e
Cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas. 575.e
Et cùm hoc dixiſſet, dicit ſequere me: conuerſus autem Petrus vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus. 1594.b
Si ſic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere. 89.e

EX ACTIS.

Cap. 2. Hi ebrij non ſunt, cùm ſit hora diei tertia. 122.e
3. Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc do tibi. 1381.d
Vos autem ſanctum & iuſtum negaſtis, & petiſtis verum homicidam donari vobis. 320.d
4. Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat. 1367.a
Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum. ibid. & 1382.d
5. Anania cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto? 1398.c
Non es mentitus hominibus, ſed Deo. ibid.
Audiens Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. 150.e, & 1392.d
Confeſtim cecidit ante pedes eius, & expirauit. 150.e
Ibant gaudentes à conſpectu concilij. 1261.c
7. Ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi. 1026.b
Moyſi noluerunt obedire patres noſtri. 861.a
Incircumciſis cordibus, & auribus vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis. 419.c
Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei. 245.b
8. Obtulit eis pecuniam. 149.a
9. Domine quid me vis facere.
Surrexit autem Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat. 1619.b
10. Qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo. 320.d
Quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorum. 810.d
11. Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. 33.a
Barnabas cùm peruenisſet, & vidiſſet gratiam Dei, gauiſus eſt. 799.c
13. Ieiunantes, & orantes, imponentéſque eis manus, dimiſerunt illos. 463.a
Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundùm cor meum.
14. Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. 237.a
17. Athenienſes autem omnes, & aduenæ hoſpites ad nihil aliud vacabant. 422.d
In ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus. 1.c, & 1192.b
19. Multi ex his, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus. 416.a
28. Vtique homicida eſt homo hic, qui cùm euaſerit de mari, vltio non ſinit eum viuere. 384.e
Impinguatum eſt cor populi huius. 333.d

EX EPISTOLA PAVLI ad Romanos.

Cap. 1. Cui ſeruio in ſpiritu meo. 1369.a
Sæpe propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc. 744.c
Non erubeſco Euangelium, virtus enim Dei, eſt in ſalutem omni credenti. 510.d
Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt. 751.e
Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum. 1096.c
Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione. 1215.a
2. Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. 33.a
Gratia, & honor, & pax omni operanti bonũ. 1206.c
Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ ſunt legis, faciunt. 686.d
4. Non infirmatus eſt fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum. 1309.a
5. Iuſtificati per fidem pacem habeamus ad Deum. 672.d, & 868.e
Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus. 1314.a
Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. 33.a
Christus, cùm adhuc infirmi eſſemus, ſecundùm tempus pro impiis mortuus eſt. 18.e
Commendat charitatem ſuam Deus in nobis. ibid.
Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. 23.e, 318.a, 1071.c, & 1212.e
6. Hoc ſcientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt. 323.a
Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum. 16.e
Stipendia peccati mors. 12.d
7. Scio enim, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum. Nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio. 9.a, & 218.c
Non quod volo, bonum hoc facio. 215.a
Condelector legi Dei, ſecundùm interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis. 310.a, 327.a, 58.b. & 212.a
Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? 59.c, & 9.b
Ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. 59.b
Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. 62.c

Google

8. Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu. 215.b
Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem. 1197.d
Prudentia carnis mors eſt. 125.b
Sapientia carnis inimica eſt Deo. ibid.
Ergo fratres debitores ſumus non carni. 323.b
Si autem filij, & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. 875.a,& 379.b
Exiſtimo enim quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. 1443.c,& 888.c
Vanitati creatura ſubiecta eſt non volens. 229.c 1213.b,& 1209.c
Quid oremus ſicut oportet neſcimus. 59.c
Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 216.a, 1444.a
Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. 225.c
9. Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. 519.b
Numquid dicit figmentum, ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic. 1164.c
Iſraël verò ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. 752.a
10. Quomodo credent ei, quem non audierunt? 1145.b
O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. 1384.c
11. Tu fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. 1117.a
Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. 1192.b
12. Rationabile obſequium veſtrum. 271.c
Honore inuicem præuenientes. 1250.a
Solicitudine non pigri, Spiritu feruentes, Domino ſeruientes. 805.b
Id ipſum ſentientes. 1250. b
Prouidentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. 462.d
Non voſmet-ipſos defendentes, chariſſimi, ſed date locum iræ. 155.c
Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum. 163.c
13. Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. 12.c
Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. 871.a
Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum. 327.c
Plenitudo ergo legis eſt dilectio. 1074.c
Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. 174.a
Sicut in die honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus, & ebrietatibus. 121.a,& 380.c
Induimini Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. 919 a
Et carnis curam ne feceritis in deſideriis. 121.a
14. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? 293.d
Qui fratrem ſcandalizat, atque contriſtat non ſecundùm charitatem ambulat. 885.a
15. Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio. 32.c
16. Salutate inuicem in oſculo ſancto. 443.b

EX EPISTOLA AD CORINTHIOS Prima.

Cap. 1. Deus autem pater noſter eſt. 338.a
Quia diuites facti eſtis in omni verbo, & in omni ſcientia. 1009.c
Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia, &c. 1312.c
Perdam ſapientiam ſapientum. 897.a
Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. 382.c
Videte enim vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem. 1462.a
Nam quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus. 1127.a
Iudicium ſibi manducat. 897.a
2. Omnia arbitratus ſum vt ſtercora vt Chriſtum lucrifacerem. 379.c
Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. 407.b
Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus. 1247.c
Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. 371.a, 504.d, 511.a,& 172.d
Spiritualis iudicat omnia. 172.d
Quis cognouit ſenſum Domini, qui inſtruat eum. 1248 a
3. Lac vobis potum dedi non eſcam. 339.c,& 407.b
Cùm enim ſit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis? 172.d,& 476.d
Vnuſquiſque autem videat quomodo ſuper ædificet. 87.a
Vt ſapiens architectus fundamentum poſui. 407.b
Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. 87.b, & 1067.b
Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc. 86.a,& reliq.
Sic tamen quaſi per ignem. 99.c
Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? 2.a,& 561.b
Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe, ſtultus fiat. 382.b
Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum. 1231.b
4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti. 845.b
Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer. 1255.c
Nolite ante tempus iudicare. 983.d
Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. 304.c
Inſtabiles ſumus. 296.d
5. Neſcitis quia modicum fermentum, totam maſſam corrumpit. 886.c
Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio. 376.c
Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet. 1206.c
6. An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt. 1435.a
Iam omnino delictum eſt in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. 477.b
An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? 12.d
Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti. 1489.b
Fugite fornicationem; omne peccatum quodcumque fecerit homo. 1488.c
Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti. 139.c
7. Nolite fraudare inuicem niſi fortè ex conſenſu, ad tempus. 1471.b
Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem. ibid.
Hoc itaque dico fratres, tempus breue eſt. 525. d,& 1450.b
Præterit enim figura huius mundi. 559.c
Volo vos ſine ſolicitudine eſſe. 1363.c
Qui cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. 1471.b
Virgo cogitat, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu. 1369.b

Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius vixit. 1468.c
8. Scientia inflat, charitas verò ædificat. 1074.a
9. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. 1378.c, 1499.b
Caſtigo corpus meum. 53.a, & 460.d
10. Petra autem erat Chriſtus. 73.a
Ne ſimus concupiſcentes malorum. 535.e
Fidelis Deus eſt, qui non patietur. 213.a
Tentatio vos non apprehendat niſi humana. 219.d
Faciet etiam cum tentatione prouentum. 252.d
Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis. 958.d
11. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.
Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem. 1118.d
Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. 1354.d
Quòd ſi noſmet ipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. 39.b, 351.d
Dum iudicamur à Domino corripimur. 581.c
12. Nolite confirmari huic ſæculo, ſed renouamini in nouitate. 621.e
Si totum corpus oculus, vbi auditus? 841.b
Æmulamini chariſmata meliora. 165.b
13. Si linguis hominum loquar, & Angelorũ. 1084.b
Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas. 1054.c
14. Si quis autem ignorat, ignorabitur. 540.e
15. Ego autem ſum minimus Apoſtolorum. 1248.e
Abundantiùs omnibus laboraui. ibid.
Non ego ſed gratia Dei mecum. 1191.d
Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificantur. 1211.c
Cùm autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe. 498.c, & 1179.a
Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum. 1432.a
Primus homo de terra terrenus. 1164.d
Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis. 354.c, & 378.e
Caro & ſanguis regnũ poſſidere non poſſunt. 344.b
Qui dedit vobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. 114.e
Itaque fratres mei dilecti ſtabiles eſtote, & immobiles. 898.b, 273.b, & 703.d

EX II. AD CORINTHIOS.

Cap. 1. Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. 461.d
Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis. 1312.d
Gloria noſtra hæc eſt. 610.e
2. Si qua igitur in Chriſto noua creatura. 323.a
Chriſti bonus odor ſumus. 429.a
3. Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 32.d, 1191.d, & 1198.e
4. Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes. 331.d
Sed licèt is, qui foris eſt, noſter homo corrumpitur, tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem. 326.e, 495.a, & 1188.b
Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ. 247.a, & 617.a
Non contemplantibus nobis, quæ videntur: quæ enim videntur temporalia ſunt. 658.b
5. Nam qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati. 586.b
Dũ ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. 75.d
6. Ecce nunc tempus acceptabile. 833.c
Per gloriam, & ignobilitatem. 298.a
Sicut egentes, multos autem locupletantes, tãquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. 1382.a, & 144.d
Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthij. 845.c
Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? 110.e, & 354.e
Vos enim eſtis templum Dei viui. 835.d, & 1472.b
7. Has ergo habentes promiſſiones (chariſſimi) mundemus nos ab omni inquinamento carnis. 1471.b
Nullam requiem habuit caro noſtra. 576.d
Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. 6.a
Sæculi autem triſtitia mortem operatur. 560.e
8. Qui cùm eſſet diues, propter vos egenus factus eſt. 717.d, & 1382.e
9. Qui parcè ſeminat, parcè, & metet. 1206.c
10. In carne enim ambulantes, non ſecundùm carnem militamus. 1477.e
Non enim audemus inſerere, aut comparare nos quibuſdam. 478.c
Nos autem in immenſum gloriabimur. 2056.d
Qui gloriatur, in Domino glorietur. 186.d
11. Æmulor enim vos Dei æmulatione, Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. 1362.b
Ipſe Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. 106.a, & 330.a.
Miniſtri Chriſti ſunt, (vt minùs ſapiens dico) plus ego. 1248.c
In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & ſiti. 1414.d
12. Nam etſi voluero gloriari, non ero inſipiens, veritatem enim dicam. 1319.d
Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ. 224.b, & 251.a
Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. 1312.a, & 240.c
In infirmitatibus meis gloriabor. 1083.a, & 1244.c
Complaceo mihi in infirmitatibus meis. 1261.e
Factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis. 522.c
Nihil minus feci ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli. 1248.e
Ego à vobis debui commendari. 1329.b
Non quæro veſtra, ſed vos. 952.b
Ego autem libentiſſimè impendar, & ſuperimpendar pro animabus veſtris. 670.b
Ego vos non grauaui, ſed cùm eſſem aſtutus dolo vos cepi. 952.b
13. Idem ſapite. 164.c

EX EPISTOLA AD Galatas.

Cap. 1. Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum. 1329.b
Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. 187.d
Notum enim vobis facio Euangelium. 1011.b
2. Aſcendi autem ſecundùm reuelationem, & contuli cum illis. ibid.a
Qui videbantur columnæ eſſe. 253.b
Chriſto crucifixus ſum cruci. 332.c
Viuo ego, iam nõ ego, ſed viuit in me Chriſtus. 381.e
4. Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum. 851.d
Quoniam Abraham duos filios habuit. 1477.e
Sed quomodo tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum, ita & nunc. 231.b

5. Per

5. Per charitatem ſpiritus ſeruite inuicem.
Vos enim in libertatem vocati eſtis fratres, tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis. 1653.a
Quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos. 861.d
Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; ſpiritus autem aduerſus carnem. 231.e
Manifeſta ſunt opera carnis. 12.d
Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. ibid.& 552.b
Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt. 354.c
6. Fratres etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto. 45.b
Alter alterius onera portate. 305.c
Qui ſe putat aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. 1216.b
Nolite errare, Deus non irridetur, quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. 330.e
Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem. 459.a,& 1206.d
Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. 379.c,709.d,1008,a,& 1229.a
Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. 298.b, & 403.a
Ego ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore meo porto. 461.b

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

Cap. 1. Per quem dat nobis pater ſpiritum ſapientiæ,& reuelationis. 320 e
Nam & pater ipſum dedit caput ſuper omnes Eccleſias. 582.d
2. Gratia eſtis ſaluati per fidem. 321.d
Et veniens euangelizauit pacem vobis. 609.c
Sed eſtis ciues ſanctorum,& domeſtici Dei. 1058.c
Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum. 690 c
3. Flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. 745.d
4. Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino. 280.d,& 873.c
Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. 841.a
Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit. 1328.a
Qui deſcendit ipſe eſt, qui aſcendit. 1111.c
Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos. 840.e
Renouamini autem in ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt. 365.e,625.d,118.a,& 832.c
Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra. 1345.e
Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. 158.c
5. Fornicatio autem,& omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis. 1496.b
Aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet. 422.b
Hoc enim ſcitote intelligentes quòd omnis fornicator, aut immundus. 1496.b
Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. 99.b,& 1224.c
Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum. 324.d
Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. 173.d
Videte itaque fratres quomodo cautè ambuletis. 683.d
6. Obedite non ad oculum ſeruientes. 1125.c
Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, 361.a
State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate. 405.d, & 609.e

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Cap. 1. Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. 89.c,& 1199.a
Eo quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis. 890.b
Quidam quidem, & propter inuidiam. 168.b
2. Implete gaudium meum, vt idem ſapiatis. 1249.c
Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt. 1066.e
Semet ipſum exinaniuit. 1061.c, & 1279.c
Humiliauit ſemet ipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. 1307.a,1314.a,& 1362.c
Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini. 826.& 1301.c
Deus eſt qui operatur in vobis, & velle, & perficere. 32.d,1191.d,& 1198.e
Vt ſitis ſine querela. 58.a
Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. 950.c
Reformabit corpus humilitatis noſtræ. 1111.d
Confido autem in Domino quoniam & ipſe veniam ad vos citò. 1240.c
3. Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti, &c. 379.c
Omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora. 1369.b
Quorũ Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. 121.b
Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corppri claritatis ſuæ. 1431.c
4. Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. 1369.a
Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. 671.a
Itaque fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi. 700.b
Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. 731.a, & 1350.a
Scio & abundare,& ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati. 146.b
Omnia poſſum in eo, qui me confortat. 1064.c

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

Cap. 1. Non ceſſamus orare pro vobis, vt ambuletis dignè. 650.c
Exhibere vos ſanctos, & immaculatos. 58.a
Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis. 339.b
2. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. 14.e, & 1231.b
In quo & circumciſi eſtis, circumciſione non manufacta. 322.b,& 332.a
Delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti. 1362.c
3. Mortui enim eſtis, ſed vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. 594.a
Ipſe Chriſtus eſt vita noſtra. 1098.c
Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. 327.d,& 1495.c,
Auaritia eſt ſimulachrorum ſeruitus.
Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem. 98.b,& 150 a,365.e,1188.a
Induite vos ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ. 625.e
4. Sermo veſter ſẽper in gratia ſale ſit cõditus. 1346.b

EX EPISTOLA AD THESSALONICENSES I.

Cap. 2. Vt impleant peccata ſua ſemper. 28.c
3. Miſi ad cognoſcendum fidem veſtram. 221.b
4. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. 718.b, 1466.b, & 1089.a.b
5. Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet. 89.c
Siue vigilemus, ſiue dormiamus, ſimul cum illo viuamus. 1002.b
Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. 112.b
Salutate fratres omnes in oſculo ſancto. 443.c

EX I. AD TIMOTHEVM.

Cap. 1. Gratias ago ei, qui me confortauit. 54.d
Qui priùs blaſphemus fui. 98.c, 1090.a, & 1233.a
2. Pro omnibus hominibus, pro regibus, & qui in ſublimitate ſunt, exorare. 914.a, & 1039.d
Omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 38.b
In quo poſitus ſum prædicator, & Apoſtolus (veritatem dico non mentior) doctor gentium in fide, & veritate. 1329.b
Volo viros orare in omni loco. 372.a, & 915.b
Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe. 452.c
Si ſuſtinebimus, & conregnabimus. 305.a
Adam non eſt ſeductus. 1210.d
3. Non multo vino deditos. 142.b
Dignus eſt operarius mercede ſua. 444.c
4. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur 436.a
Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt. 330.a
Pietas autem ad omnia vtilis eſt. 1056.d
5. Si hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lauit. 1287.a
Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere. 142.b
6. Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia. 152.c
Nihil intulimus in hunc mundum. 1171.b
Victum, & veſtitum habentes, his contenti ſimus. 333.c
Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem. 150.a, & 612.d
Radix omnium malorum eſt cupiditas. 159.a, & 1375.a
Quem ſuis temporibus oſtendet beatus. 1192.d

EX II. AD TIMOTHEVM.

Cap. 2. Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. 254.c
In quo laboro vſque ad vincula, quaſi malè ſperans. 853.b
Si commortui ſumus, & conuiuemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus. 379.b
Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile eſt. 476.d
Multum proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit. 474.a
Siquis enim emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum. 1007.d
Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones deuita. 949.a
3. Erunt homines ſe ipſos amantes. 499.c

EX EPISTOLA AD TITVM.

Cap. 1. In ſpem vitæ æternæ quam promiſit qui non mentitur Deus. 661.c
Siquis ſine crimine eſt. 700.a
Omnia munda mundis. 134.c
Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. 1215.d
2. In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum. 1530.b
Apparuit gratia eius, vt abnegantes impietatem. 1113.b
3. Quia ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis. 311.d
Contentiones & pugnas verborum deuita. 477.c

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. 1. Portans omnia verbo virtutis ſuæ. 1.c
2. Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus eſt. 1107.c
Debuit per omnia fratribus aſſimilari. 1170.c
4. Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem. 846.a
Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius. 1025.c
Tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. 253.d
5. Chriſtus non ſemetipſum clarificauit. 298.c
Et quidem cùm eſſet filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam. 695.d, & 1585.d
Cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus. 100.b
Omnis enim, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ. 407.b
6. Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, &c. proferens autem ſpinas ac tribulos reproba eſt. 5.c, & 1161.a
7. Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens. 136.c
10. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. 459.d, 806.c, & 1298.c
Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati eſtis. 561.c
11. Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum. 1065.b, & 656.a
Fide intelligimus aptata ſæcula verbo Dei. 657.b
Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. 1065.d, & 656.c
Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus. 1409.c
Sancti per fidem deuicerunt regna. 659.c
12. Ideóque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium. 1379.b
Suſtinuit crucem, confuſione contempta. 523.b
Aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum. 321.a
Quis filius, quem non corripit pater. 6.c
Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite. 498.a
Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum. ibid. & 1466.b
Quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt. 850.b
13. Sint mores ſine auaritia, contenti præſentibus. 144.b
Mementote præpoſitorum veſtrorum. 857.d
Quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem. 638.c
Beneficentiæ, & communionis nolite obliuiſci. 676.a
Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.

EX EPISTOLA IACOBI.

Cap. 1. Omne gaudiū exiſtimate fratres mei. 217.b
Qui dat omnibus affluenter. 1105.c
Quoniam diues ſicut flos fœni tranſibit. 1175.c

Nemo,

Nemo, cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. 222.b
Sit autem homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. 493.b
In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum. 723.d
Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm. 804.a
Siquis putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam. 492.e
2. Si autem frater, & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano. 675.e
Et ego oſtendam tibi ex operibus fidem meã. 1364.e
3. Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei, ſcientes, quoniam maius iudicium ſumitis. 514.a
In multis offendimus omnes. 58.c
Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. 465.a, 730.a, & 1348.d
Ex ipſo ore procedit benedictio, & maledictio. 1336.d
4. Vnde bella, & lites in vobis? 353.e
Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur. 659.e
Deus ſuperbis reſiſtit. 1128.d
Reſiſtite autem diabolo, & fugiet à vobis. 116.d, & 186.a
Riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. 1343.b
Tu quis es, qui iudicas proximum? 293.d
5. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ. 583.d
Exemplum accipite fratres exitus mei. 254.d
Ante omnia fratres nolite iurare. 788.b

EX EPISTOLA PETRI I.

Cap. 1. Qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem viuam. 338.a
Scientes quòd non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione. 708.a
2. Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum. 1030.e
Nos vocauit in admirabile lumen ſuum. 1022.c
Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam. 836.e
Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ. 1089.b
Serui ſubditi eſtote in omni timore Dominis. 696.a
Qui peccatum non fecit. 662.d, & 213.d
Vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus. 328.a, 593.c, & 461.b
3. Quarum non ſit extrinſecus capillatura aut circumdatio auri. 452.d, & 1385.a
4. Chriſto igitur paſſo, & vos eadem cogitatione armamini. 593.e
Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus. 682.a
Nolite igitur detrahere ad alterutrum fratres mei. 473.d

EX EPISTOLA PETRI II.

Cap. 1. Vos autem curam omnem ſubinferentes miniſtrate in fide veſtra virtutem. 840.a
2. Miniſtrate in ſcientia abſtinentiam. 716.e
A quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt. 17.a, 29.b, & 108.b
Melius erat illis non cognouiſſe viam iuſtitiæ. 627.d
3. Adueniet dies Domini. 89.c
Terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera exurentur. 18 b
Quales oportet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus. 8?7.e

EX EPISTOLA IOANNIS. I.

Cap. 1. Deus lux eſt. 242.c
Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. 14.c 58.c, & 1079.e
2. Nolite diligere mundum. 229.a, & 514.b
Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum. 1364.b, & 1213.c
3. Chariſſimi nunc filij Dei ſumus. 738.a
Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas. 11.e
Qui facit peccatum, ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat. 17.a
Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit. 14.e
Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. 177.a
Nolite mirari, fratres, ſi odit vos mundus. 1638.d
4. Charitas ex Deo eſt. 33.a
Qui non diligit fratrem ſuum, quem vidit, Deum, quẽ non videt, quomodo poteſt diligere? 115a.b
Si diligamus inuicem, Charitas Dei in nobis perfecta eſt. 668.a
Siquis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. ibid.
5. Quoniam omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum, & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. 1640.d
Spiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas. 698 c, & 1119.d

EX EPISTOLA IVDÆ.

Hi autem quæcumque quidem ignorant, blaſphemant. 61.e
Hi ſunt, qui ſegregant ſemet ipſos, animales ſpiritum non habentes. 1659.b

EX APOCALYPSI.

Cap. 1. Præcinctus ad mamillas zona aurea. 570.b
Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat. ibid.
Et cùm vidiſſem eum, cecidi. 347.e
2. Age pœnitentiam, & prima opera fac. 43.e
Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei. 1642.d
Vincenti dabo calculũ candidum, & in calculo nomen. 1248.a, & 1642.d
Et reges eas in virga ferrea. ibid.e
3. Nomen habes quòd viuas, & mortuus es. 877.b
Qui vicerit ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ. 1641.e
Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo. 253.b, & 1642.e
Scio opera tua quia neque frigidus es, neque calidus. 20.e, & reliq.
Diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo. 817 e
Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo. 1642.e
4. Procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno. 1292.a
Et dicebant dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam. 1293.b
5. Librum ſcriptum intus, & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. 833.b
Vidi enim agnum ſtantem tamquam occiſum. 933.b
7. Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna. 237.b
10. Et poſuit pedem ſuum dexterum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram. 1610.b
Quia tempus non erit amplius. 853.d

Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum: & erat in ore meo tamquam mel dulce, & cùm deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus. 16.a
12. Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole. 973.e
Et ecce draco magnus, rufus, habens capita ſeptem. 974.d
Et mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo. 517.b
Et factum eſt prælium magnum in cœlo, Michaël, & Angeli eius. ibid. & 1085.a
Qui ſeducit vniuerſum orbem. 231.d
Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri. 246.e
14. Et ecce agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia. 719.c, & 1523.d
Et audiui vocem de cœlo, tamqoam vocem aquarum multarum. 1528.a
Hi ſunt qui cum mulieribus coinquinati non ſunt. 719.c, & 1523.d
Nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt beſtiam. 555.c
Opera enim illorum ſequuntur illos. 742.a
15. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum. 694.a
16. Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius. 25.b
18. Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. 49.d
19. Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt, quia vera, & iuſta iudicia ſunt eius. 1436.b
Cum iuſtitia iudicat, & pugnat. 776.c
Et in capite eius diademata multa. 974.d
Fundamenta muri eius omni lapide pretioſo ornata. 1058.c
20. Vidi Angelum deſcendentem de cœlo. 243.e
Et apprehendit draconem ſerpentem antiquum, & ligauit eum per annos mille. ibid.
Cruciabuntur die ac nocte, in ſæcula ſæculorum. 30.d
21. Timidis, & incredulis, &c. pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. 12.d, & 30.d
22. Et poſtquam audiſſem, & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli. 1158.b
Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. 28.e, & 818.b

Google

DE FVGA PECCATORVM, EXTINCTIONE VITIORVM, ET VICTORIA TENTATIONVM,

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.

REx ille potens, atque pacificus, qui figuram prætulit Saluatoris, & pacem mundo allatã eius aduentu, demonſtrauit, templum illud magnificũ ædificaturus in monte Moria, *2. Par. 3. n. 1.* qui demonſtratus fuerat Dauid patri eius, in loco, quem parauerat Dauid in area Ornan Iebuſæi, vt præſentibus eſſet magnificentiæ miraculum, & poſteris pietatis exemplum; aream primùm ruderibus expurgauit; & mobilem ac inſtabilem terram effodit, vt in ſolidam ac viuam (vt aiunt) petram fundamina tantæ molitionis iniiceret: Illud ſapienter expendens, immenſum ædificationis pondus, aut ſuper arenam erigi, aut ſuper ſtercora, & rudera, & terram mobilem ſtare non poſſe. Huius Regis prudentiam imitari decreuimus, vt poſt oblatum in ſuperiori volumine, religioſorum oculis, templi Domini, id eſt, ſanctitatis & perfectionis, exemplar, ad ipſum opus ac ædificationem nos parare cupientes, priùs locum ædificationi aptum expurgemus, vt ſine ruinæ periculo domum pulcherrimam, ac verè regiam & cæleſtem, extruamus. Locus iſte, in quo templum ſanctitatis extruimus, anima noſtra eſt, quam area Areunæ Iebuſæi manifeſtè præſignauit; in monte Moria, id eſt, in altitudinis ſublimitate conſiſtens. Mons enim Moria Chriſtum Saluatorem ſignificat, qui, vt inquit venerabilis presbyter Beda, *Beda lib. de Templo. cap. 1. Tom. 8.* de terra quidem per originem aſſumptæ carnis ortus eſt, ſed omnium terrigenarum potentiam, ac ſanctitatem, ſingularis culmine dignitatis tranſcendit. Qui optimè mons Moria, id eſt, viſionis, eſt appellatus, quoniam non ſolùm electos ſuos ad æternæ claritatis viſionem admittit, verùm & ipſe propoſitus eſt à Patre, vt omnes nationes & gentes eum videãt, & in ſanctiſſima eius vita, quid ſit ſequendum, & imitandum, aſpiciant. In hoc monte ſublimi atque præcelſo anima rationalis conſiſtit, à quo naturam & gratiam, & vniuerſa quæ ad naturam & gratiam pertinent, ſe habere cognoſcit. Quare ſcriptum eſt: *Hebr. 1. 3.* Quia portat omnia verbo virtutis ſuæ:] Et quia in ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus:] *Actor. 17. n. 28.* Et quia præparatus eſt mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles.] *Iſaia. 2. n. 2.* Nec inſulsè areæ comparatur anima; nam ſi area eſt locus ædificio vacuus, quem ſolis ardor exagitat, & omni fructu ſterilem facit; talis profectò eſt anima poſt Adæ peccatum, quam legis præuaricatio templo Dei, ſcilicet

A gratia & ſanctitate, priuauit, & ad ſpinas & tribulos ferendos adegit. Hanc ſpiritalem aream Areuna Iebuſæus, *3. Reg. 24. n. 24.* id eſt, homo flagitiis conculcatus, & in ſua calamitate exultans, antè poſſederat; ſed verus Dauid Chriſtus, vt in ea Patri ſuo templum extrueret, quinquaginta ſiclis, nempe ſui ſanguinis pretio, quod noſtræ remiſſionis cauſa eſt, in acerbiſſima paſſione coëmit. In iſta area Dei beneficio templum perfectionis & ſanctitatis aſſurgit, de quo inquit Paulus: Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis.] *1. Cor. 3. n. 16.* Ac ſi diceret, Non dubium eſt, quin anima, virtutum ac ſanctorum operum donis, velut lapidibus politis & pretioſis, extructa, ex area in magnificum templum diuinitatis vertatur; in quo ille Dominus, qui ſpiritus eſt, & ſpiritualem domum ad B ſui cultum & venerationem præcipuè requirit, non ſine exultatione ſui cordis inhabitet. Templum autem hoc ſanctum dicitur, non tantùm quia Deum ſanctũ, & omnis puritatis auctorẽ, habitatorẽ habet, verumetiam quia non ex aliis quàm ex ſanctis operibus, & ex ſolidis ac perfectis virtutibus coagmentatur, vt ipſa ædificatio ad finẽ vſque producta, ſanctitatem ipſam, & mentis noſtræ puritatem conſtituat.

Si verò anima, Dei & ſanctitatis capax locus eſt, & area in qua domus hæc regia, & templum iſtud magnificum ædificandum eſt; eam primùm omnium abiectione peccatorum, & omnium vitiorum extinctione, tentationum victoria, atque paſſionum mortificatione mundemus, ne ſuper arenã, aut rudera tantam molitionem ſi erigamus, C tribulationum ventis agitata, aut affectionum turbinibus impulſa procũbat. Iſtum namque ordinem eſſe ſpiritualis vitæ, atque omnis noſtri laboris, quo Deo in humano corde domum requietionis paramus, ſacræ paginæ manifeſtè pronũtiant. Hoc enim eſt quod Tobias dixit filio ſuo: Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene.] *Tobiæ. 4. n. 23.* Et Iſaias ait: Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius.] *Iſaiæ. 55. n. 7.* Atque alio loco inquit: Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruersè, diſcite benè facere.] *Iſaiæ. 1. n. 16.* Gregorius quoque ait: Prima virtus eſt, ne perpetrari debeant D ſed vitari peccata: ſecunda autem, ſaltem perpetrata corrigere.] *Greg. 6. mor. c. 13.* Et vberiùs ſanctus Baſilius: Quemadmodum, inquit, in gradu ſcalari prima eſt aſcenſio, ab humo receſſus; ſic in exercitatione diuinæ con- *Baſil. in Pſal. 1.*

Idem. Pſal. 33. uerſationis, principiũ profectus, eſt diſceſſus à malo.] A Et rurſus alio loco: Ei, qui primis eruditur ad virtutem rudimentis, conuenit vt ſubducat ſe à mali occaſione, vtque ab improba vitæ conſuetudine quaſi à via mala exemptus, ita demum aggredi poſſit bonorum operum actionem. Impoſſibile namque eſt, eum aſſequi & attingere quod bonum eſt, qui non priùs prorſus declinauerit à malo. Sicut nec cuiquam poſſibile ſit ſanitatem vt recuperet, niſi priùs à ſe diſpulerit morbum: vel vt quis recaleſcat, niſi prorſus excuſſerit perfrigerationem. Atque adeo quiſquis cupit vitæ probitatem complecti, ei conuenit vt ſe liberet ab omni communione malorum. Non ſolùm verò Scriptura diuina, quæ per ſe ſatis ſufficit, & Patres eius luce perdocti, ſed & ipſa natura, & ars, hunc eundem ordinem prædicat. B Prius enim eſt, carduos & ſentes euellere; poſtea iactis ſeminibus ſuauiſſimos fructus colligere: prius eſt, ex auri & argenti fodinis terræ glebas egerere; poſterius, aurum aut argentum extrahere: prius eſt, noxios corporis humores educere, deinde optatam ſalutem afferre: & tandem prius eſt, hoſtes ex vrbe repellere, atque illis repulſis, victis atque proſtratis, ciues pacificè gubernare. Ita omnino primo loco ſpinæ & tribuli peccatorum euellendi ſunt, affectus moderandi, vitia extinguenda, & dæmonis inſultus longiùs à nobis ſubmouendi; quàm virtutes comparemus, & ad pacem & mentis tranquillitatem ve-*Lact. li. 6. diui. inſt. cap. vlt.* niamus. Primus ſapiẽtiæ gradus eſt, inquit Lactantius, falſa intelligere: Secũdus, vera cognoſcere: ergo C primus gradus iuſtitiæ eſt malum cauere; & ſecundus, veris bonis inquirendis inſiſtere. Idem quippe eſt ordo ſapientiæ, atque iuſtitiæ; quæ cùm vera ſapientia ſit, non poteſt alia ratione quàm ſapientia conquiri. Et, ſi omne peccatum, & omne vitium in radice ſua ignorantia eſt, & omnis virtus veri cognitio, quoniam priùs intellectus aut decipitur, aut inſtruitur, quàm voluntas illum ſequens, malo cedat, aut bonum admittat, certè eundem ordinem tenet intellectus eruditio, & per acquiſitionem virtutum voluntatis exornatio. *Pſal. 13. n. 1.* Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus, inquit ſanctus Dauid; corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.] Attende, quomodo cæcitas mentis ad affectum ſe diffundat, & vniuerſa hominis membra contaminet, qui ex eo quòd in notione ſui Creatoris errauit, D abominationem amplexus eſt, & Dei imaginem flagitiorum admiſſione corrupit. Vna itaque & eadem eſt proceſſio virtutis & ſapientiæ; vt quemadmodum iſta principio falſitatem impugnat, ac deinde Veritatem patefacit; ita illa priùs mala diſſipet, vt bona laborando perficiat. Nec ſolùm quæ diximus, hunc eſſe vitæ ſpiritualis ordinem, verùm ipſa *Bern. ſer. 39. in Cant.* quoque Dei beneficia deſignant, de quibus hæc ſcribit Bernardus: Cui non admodum placeat ordo ipſe donationum? Primùm anima miſericorditer liberatur; ſecundò, dignanter adamatur; tertiò, benignè abluitur, & purgatur; poſtremò, optimi ornamenti accipit promiſſionem. Sic ille.] A quonam in primu iuſtificationis gradu liberatur anima? E Equidem puto quia à iugo peccati, à ſeruitute diaboli, & à faucibus inferni mortiferi, quem mancipiis dæmonis, peccati nexibus illigatis, non minùs ſeuera Domini, quàm iuſta vlno, præparauit, vt tranſgreſſionis pœnas æternas ſuſtineant. Peccatorum verò inquinamentis ablutis, & per gratiæ donum diſſipatis, iam Dominus benignè diligit animam, quam ſuo ſanguine rubricatam, & faucibus mortis ereptam in ſuæ familiaritatis conſortium aſciuit. Deinde, quam amat, à leuioribus defectibus

A purgat, & pro huius mortalitatis inopia, cura terrenorum abluit, vt ablutæ atque mundatæ virtutum ornamentum apponat. Denique indumento charitatis, & virtutum, ac donorum ornamentis exornat, quam priùs antea purgauerat, & à vinculis peccatorum, ac mundi ſolicitudinibus eripuerat. Initium igitur totius boni, fuga eſt & deteſtatio mali, quod cùm à nobis abiicimus, iam mirum in modũ ad bonum ſuſcipiendum præparamur. Et quemadmodũ duæ *Num. 10. n. 2.* illæ tubæ argenteæ ductiles, quas Moſes Domini mandato confecerat, ad caſtra mouenda vocabant, & ad prælium incitabant, & in vnum homines ad dies feſtus celebrandus cogebant: ita Dominus tubis inſpirationum ſuarum animam in terram illam viuentium proficiſcentem mouet, vt bellum primo ad-B uerſus peccata, & vitia, & immoderatas affectiones inſtituat, & poſtea virtutum acquiſitione feſtos dies illi ſolenniter peragat.

Hinc iam elucet quanta ſit voluminis huius vtilitas, quod ſecũdo loco (fauentibus ſuperis) ſcribendum ſuſcipimus: in quo tractandũ eſt nobis quanam ratione fugienda ſint vera mala, quæ tum ſalutem animæ, tum perfectionem impediunt. His enim (præcipuè maioribus) non dilutis, & in mari rubro, id eſt in ſanguine Chriſti, ſubmerſis, impoſſibile erit, concupitum animæ decorem acquirere, & vitæ ſpiritualis perfectionem comparare. Quam nũc igni ſplendenti & ardenti ſimilem cogitamus, qui niſi priùs obſcuritatem & frigus appoſitæ materiæ pellat, nunquã eam in ſe conuertet. Sic omnino perfectio ignis C eſt, & quidem maximus, non corpori ſed animæ admotus, ſapientiæ luce illam illuſtrans, & charitatis ardore transformans, quam niſi priùs obſcuritatẽ peccati ſubuertat, & frigora vitiorum deſtruat, nũquam ſuæ ditioni ſubiiciet. Euenitque homini perfectionem quæritanti, ſi priùs peccata & vitia non relinquat, quod habitatoribus Hai in libro Ioſue eueniſ-*Ioſua. 8. n. 16.* ſe comperimus, qui cùm deſerta vrbe in partem exercitus Iſraelis ſe coram oſtentantem, & fugam ſimulantem irruerent, altera pars ex inſidiis ac latebris emergentes vrbem occuparunt, & igni voraci conſumendam tradiderunt. Eodem modo, dum homo peccata & vitia ac affectus inordinatos in receſſibus animæ latentes non timens, quaſi extra ſe ad oppugnandam & expugnandam virtutum aciem egredi-D tur, illa ipſa vitia, & illimet ipſi effrænati affectus, qui latent, animã diſſipant, & vniuerſos conatus in quærenda virtute poſitos irritos atque inanes oſtendunt.

Quamobrem poſt cognitionem perfectionis, quam ſuperiori volumine oculis legentium ingeſſimus, eam impensè cupientibus hic ſecundus tomus in ſexto & ſeptimo libro attentè legendus eſt, & non ſolùm legendus, ſed & operi committendus, vt ſe à malo purgantes idoneos ad excipienda vera bona faciant, & puritatem mentis quam concupiſcunt, & quærunt, aſſequi valeant. In eo diſcent grauia peccata fugere, & tantum malum, quod verè mors eſt animæ, ſupra omnia pœnæ mala timere. In eo ſcient peccata leuia pro ſua poſſibilitate declinare, & ſi nõ omnino vitare, at quotidie compunctione lugere, & E ſolerti feruore minuere. In eo cognoſcent vitia ſubuertere, & his importunis ac pertinacibus animæ hoſtibus bellũ indicere. In eo percipient ſenſus atque affectus cohibere, tentationes vincere, & tineã negligentiæ, & virus oſtentationis abiicere, atque omnia virtuti contraria propulſare. His tandem ad doctrinam virtutum tribus aliis libris comprehenſam mirificè ſe diſponent. Tractatio iſta nobis ſcribentibus eſt dulcis, & (vt opinor) erit legentibus perſuauis. Nobis quidem dulcis eſt, quoniam cui ægro-

to mot

to morbos & dolores ſuos narrare non libeat, & calamitates deplorare? Certè Sanctus Iob hanc narrationem in ſuorum malorum leuamen aſſumpſit, quare quodam loco ait: *Iob. 7. n. 11.* Quapropter & ego non parcam ori meo; loquar in tribulatione ſpiritus mei: confabulabor cũ amaritudine animæ meæ.] Et ego ægrotus ſum, qui in xenodochio ſanctæ religionis multis ab hinc annis peccatorum & vitiorum meorum vulneribus plenus iaceo, & in ſterquilinio tepiditatis & negligẽtiæ conſedeo. Soluam igitur linguam meam, & ſicut in priori huius operis parte, ſalutem, quam non habeo & admodum exopto, depinxi; ita in hac prima iſtius Voluminis tractatione, infirmitates, quibus miſere ſubiectus ſum, deflebo, ſi fortè hæc mala explicando, & ad ea ſubmouenda medicamentum apponendo, meipſum ad illud accipiendum, & plagis meis admouendum, impellam. Dulcis etiam & ſuauis erit iſta tractatio legentibus, quoniam aut peccatorum ac vitiorum peſte vexantur, aut tam magna miſeria & calamitate ſoluuntur. Si liberi ſunt (ea libertate quam ſtatus mortalitatis admittit) libenter in memoriam elapſa mala & pericula reuocabunt, & videbunt ſcripta opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Aſcendẽt quoque, *4. Reg. 20. n. 5.* poſtquam ſe liberos & ſanatos aſpiciẽt, imitantes Ezechiam, in templum miſericordiarum Domini, vt ei in gratiarum actionem reſtitutæ ſanitatis hymnum laudationis decãtent. Si verò adhuc peccatorum & vitiorum, nec non & immoderatorum affectuum moleſtiis illigãtur, libenter ægrotum ſuarum miſeriarum experientia doctum exaudient, & remedia à ſanctis patribus, & peritiſſimis animarum medicis, ſcripta percipient. Iucunda quippe eſt infirmis medicina, quæ dolores lenit, & ea quæ torquent, & affligunt, abſorbet. Et ſcriptum eſt: Quia *Eccl. 38. n. 4.* altiſſimus creauit medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.]

Res verò tanta hac oratione pro tenuitate noſtra diligenter expoſita, & his ſcriptis declarata, nõ oſcitanter, non perfunctoriè legenda eſt, ſed attenta lectione, & ſolicita conſideratione meditanda, tanquam ea, ex qua non incolumitas corporis, ſed planè animæ ſalus tota dependet. Nam ſi ægroti medicum intentiſſimè audiunt, morbi remedia decernentem, & abiecta tũc omni alia cura, oculos in eius os ac faciem intendunt, ne ipſius dicta minùs bene percipiant, & potionis aut aliorum medicaminum menſuram vel minuant vel excedant: quid faciat morbidus, non corpore ſed animo, & peccatorum vulneribus laceratus, niſi attentè ac ſolicitè ſanctos Patres audire, quorum doctrina noſtris his ſcriptis inſerta, & ex illis mutuata eſt animæ medicatio, atque vulnerum & plagarum animæ curandarum inſtructio? Ita quæ dicemus accipiat, ſicut terra granum tritici recipit, & receptum immutat, & multiplicatum agricolæ reddit: Sic & huius operis lector, quæ medicamenta peccatorum & vitiorum & affectionum noſtrarum proponemus, vt lectiſſima grana recipiat, quæ debet in corde bono recondere, & labore meditationis immutare, & diligentia operis, Domino, qui per indignum ſeruum hæc ſeminat, multiplicata referre. Ne ſi ad ſolam curioſitatem iſta legat documenta ſalutis, illa Pauli maledictione *Hebr. 6. n. 7. & 8.* plectatur, qua dicit: Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cuius cõſummatio in combuſtionem.] His autem legendis inſiſtenti imber de cælo non deficit, quia dum ſemina ſalutis Dominus lectoribus per viſibilem librũ ſpargit, gratiam ad intelligendum, & ad deſiderandum,

A & opere explendum quod legitur, inuiſibiliter immittit. Quid verò ſperare poterit, qui bono ſemine & ſalutari imbre ſuſcepto non fructificat, niſi vt terra ſterilis & infœcunda à Domino reputetur, & tanquam inutilis contemnatur?

Sed non eſt mihi curæ, ſi quæ in hac iſtius operis parte dicemus, difficiliora & amariora lectoribus videantur: ſcio enim, primo aſpectu, quæ ad peccati deletionem, & vitiorum expulſionem, attinent, triſtiorem vultũ præferre; probata verò & in vſum aſſumpta non minimam lætitiã generare. Nam quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, ideo gaudium & exultationẽ parit, quia (teſte Paulo) pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur; *2. Cor. 7. n. 10.* ſicut è contrario lætitia ſæculi triſtitiam veram efficit, quæ mortẽ operatur. At medicamina B peccatorum, & vitiorum amputatio ac paſſionum repreſſio, in ſuæ exercitationis exordio nonnullã inſuauitatem habent? Demus hoc puſillis & imbecillibus; ſed cuius momenti eſt habenda parua amaritudo, ſi eum profectus dulcedine cõferatur, quam in animam pœnitentem, & ſe cohibentem, inducit? Certum eſt autem, hæc acerbiora remedia ægrotationibus noſtris adhibita ſalutem animæ reportare. *Amb. ſer. 84. To.* Nam, vt inquit Ambroſius, tunc auditor proficit, quando auſteriora annuntiat prædicator: ei ſalus gignitur, quando triſtitia emendationis ingeritur. Dicit enim Beatus Apoſtolus: Nam quæ ſecundùm Deum eſt triſtitia, ſalutem ſtabilem operatur.] *2. Cor. 7. n. 10.* Rectè ergo lætor, quia ſalutem operor, cùm obiurgo: mœreat licèt filius mei aſperitate ſermonis, me tamẽ delectat, qui proficere illum intelligo per C mœrorem. Ait Sanctus Apoſtolus: Quis eſt enim filius, *Hebr. 12. n. 7.* quem nõ verberat pater?] Non enim oſculatur ſemper pater filium, ſed & aliquando caſtigat. Ergo quando caſtigatur, qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim & amor plagas ſuas, quæ dulciores ſunt, cùm amariùs inferuntur. Vnde ait propheta: Dulciora ſunt vulnera amici, quàm *Prou. 27. n. 6.* voluntaria oſcula inimici.] Iſti itaque duo priores libri huius voluminis non niſi bellum ſonant, non niſi abiectionem rerum dilectarum continent, nonniſi vulnera nobiſmetipſis ſine vllo timore inferenda prætendunt: at non erubeſco hæc ſcribere, docere, & prædicare, quæ pace mundi dulciora ſunt, & omni poſſeſſione auri & argenti pretioſiora, & ideo vulne-D rant ad modicum tẽpus, vt in perpetuũ ſanent. Vulnera ſunt diligẽtis, à Domino piiſſimo patre mẽtibus ſuorum illata, vt eos peccati vulneribus, & inferni morte præripiat. Vulnera ſunt, ſed medici vlcus aperientis, vt fœtidiſſimum pus iniquitatis extrahat, & iocundiſſimam ſalutem gratiç, & ſuaueolentem ſtatum puritatis iniiciat. Non ergo vulnera timeamus, nec mortificationis remedia detrectemus, quæ mortem quidem videntur minitare, ſed hanc, ad efficiendam ſpiritalem ac ſuauiſſimam vitam, intentant.

Sed cùm omnia quæ his voluminibus continentur, religioſis præcipuè, id eſt, mundo mortuis, & Deo viuentibus, offerantur, cuperemus ſanè peccatorum lethalium nullam memoriam facere, neque ea coram ſtatum Viuentium habentibus nominare. Si E enim miſerum ſæculum incolentes, & ſtatum aliquem ſæcularem periculorũ plenum habentes, poſſunt & ſolent grauia peccata vitare; quid ſentiendum eſt de omnibus religioſis pericula ſæculi deſerentibus, & vitam pacatam, & occaſionibus delinquendi grauiter ſolutam habentibus, niſi quòd à criminibus & peccatis lethalibus quã longiſſimè abe-*D. Tho. 1. 2. q. 109. art. 8.* runt, & ea conſtanter euitabunt? Quemlibet autem hominem poſſe cum gratia Dei, omnia lethalia

peccata vitare, conſtans eſt omnium Patrum Theologorúmque ſententia, quos breuitatis gratia prætereo; vnum tantùm Auguſtinum non omittam, *Aug. lib. de perf. iuſt. cõtra Celeſt. c. 17.* qui ſic ait: Si immaculati ſunt, qui ſunt ſine crimine; etiam in hac vita fuiſſe atque eſſe negare non poſſumus; quia non ideo ſine vllo peccato eſt aliquis (ſubintellige leui aut veniali) quoniã non habet maculam criminis. Vnde & Apoſtolus cùm miniſtros eligeret ordinandos, non ait, Siquis ſine peccato, *Tit. 1. n. 6.* quod inuenire non poſſet; ſed ait; Siquis ſine crimine, quod vtique poſſet.] Nec ſolùm eſt poſſibile omni graui peccato ſemper carere, ſecundùm eam potentiam, quæ nunquam actione perficitur, ſicut dicimus poſſe eſſe ſapientem, qui in ſyluis inter feras educatus ſemper erit ignarus, ſed etiam ſecundùm eam potentiam, quæ ſæpiſſime actione compleatur. Quare vt nunc puriſſimas virgines ſilentio tegam, multi fuerunt ſancti viri, vt Ieremias, Ioannes Baptiſta, Nicolaus Miræ epiſcopus, Bernardus Clareualenſis Abbas, Dominicus ordinis prædicatorum fundator, Ludouicus Gallorum rex, & alii quàm plurimi, qui (vt ex hiſtoriis conſtat) nunquam in tota ſua vita lethaliter deliquerunt: innumerabiles verò fuerunt, & nunc ſunt in Eccleſia Dei, qui poſt conuerſionem ſuam, & arreptum ſpiritalis vitæ propoſitum, nunquam ſe graui peccato fœdarunt. Si ergo omnes ſtatus, & omnes occupationes ſæculi, quæ non ſunt manifeſtè malæ, nec mali ſpeciem & formam habentes, aliquibus hominibus fulgent, qui nunquam ſemetipſos grauibus peccatis contaminant, quid præſumendum eſt de omnibus religioſis ſtatum cæleſtem habentibus, & vitam ab omni ſæculari periculo alienam ſectantibus, niſi quòd poſt ſuſceptum religionis habitum perpetuò ſe illibatos

A ab omni graui peccato cuſtodiunt? Certè ſi quos aliquando religioſos videremus, lethalibus peccatis ſordentes, non poſſemus non grauiter ingemiſcere, & ſtatũ noſtrum planctu Dauidis deplorare. Conſidera Iſrael, ait, pro his, qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati. *2. Reg. 1. n. 18. & 19.* Inclyti Iſrael ſuper montes tuos interfecti ſunt.] Nam poſt munus Epiſcopale, Eccleſiæ celſitudo atque ſublimitas ſtatus eſt religioſus ſæcularium vitam perfectione virtutum & ſtudio contemplationis excedens, & regulis ac ſanctiſſimis inſtitutis, nec non & exemplis fratrum & cura prælatorum, & diuinæ gratiæ affluentia ſatis tutus atque ſecurus. In hoc autem monte præcelſo, & tot munitionibus cincto, miſerum eſt inclytos Domini cadere, & locum in animabus ſuis grauis peccati vulneri dare. B At licèt hoc ita eſſe deberet, aliqui fortè cadimus, & in portu ſubmergimur, & in ſtatu pacis ab hoſte mortali ictu vulneramur, atque adeo neceſſitas noſtra poſtulat, vt de ratione non ſolùm vitandi venialis peccati, ſed etiam de modo criminis ſeu peccati mortalis fugiendi tractemus. Poſtulat & id doctrinæ ſpiritualis, quam elaboramus, integritas, quæ, cùm doceat mala fugere, non eſſet accuratè conſcripta, ſi rationem ac viam fugiendi maximum malum præteriret.

Duo igitur prima pars huius ſexti libri explicabit; alterum eſt, quomodo crimen ſeu graue peccatum omnino fugiemus; alterum verò, quibuſnã inſtrumẽtis peccata venialia pro noſtræ fragilitatis modulo vtcunq; C vitabimus. Illud breuiùs, quoniã viros ſpirituales, & perfectionis ſitibundos, alloquimur: iſtud latiùs & copioſiùs exponendum eſt, vt doctrina hæc ſit animabus illis accommoda, ad quas inſtruendas tota dirigitur.

PARS PRIMA

Huius libri de Abiectione peccatorum, tum mortalium tum venialium.

PRIMA *igitur cura eorum qui vitam ſpiritualem aggrediuntur, debet
eſſe, peccata vincere, ſecundùm illud Ieremiæ: Si reuerteris Iſrael, ait* *Ier.4.n.1.*
*Dominus, ad me conuertere.] Id eſt, ſi ab ſtatu inimicitiæ, ô anima, ad ſta-
tum amicitiæ & gratiæ es reuerſura, à conuerſione incipe, & à peccato-
rum abiectione ſume tuæ reuerſionis exordium. Nemo autem perfectè de-
licta vitabit, niſi eorum cauſas ac radices euulſerit, quibus adhuc manen-
tibus, licèt ramos peccatorum abſciderit, alij paulo pòſt pullulabunt, qui illum pœnæ damnatio-
nis inuoluant. Radices autem peccatorum (vt nunc affectus noſtros inordinatos omitta-
mus) duæ præcipuè ſunt; alteræ, nobis inſitæ, & longa malè agendi conſuetudine propagatæ,
cuiuſmodi ſunt vitia: alteræ, Dæmonis aſtu, vi alicuius ſuaſionis & prauæ ſuggeſtionis inſer-
tæ: nam de illo dictum eſt, quòd Superſeminauit zizania in medio tritici, & abiit,] cuiuſmodi* *Matt.13. n.25.*
*ſunt tentationes, quibus animam pulſat, & ad bonum omittendum, aut malum patrandum
inuitat. De his igitur ſuo ordine in tribus huius libri partibus agendum eſt, vt fugere pecca-
ta ſciamus.*

Quid peccatum ſit: & de duplici peccato mortali & veniali.

CAPVT PRIMVM.

EX primo illo Adæ peccato, quod
miſera propagatione contraximus,
facilitas in nobis peccandi proceſ-
ſit, & ad malum procliuitas perma-
nauit. Licèt enim illa prima culpa
per baptiſmum & aquam regenera-
tionis verè in homine deleta ſit, tamen ob defectum
originalis iuſtitiæ, inobedientia concupiſcentiæ &
ſenſuum rebellio permanſit, quæ mentem ad ma-
lum trahere nititur, etiam nolentem, & peruerſi-
tati repugnantem. Quam rebellionem deflet Pau-
Rom. 7. n.18. lus, dum ait: Scio quia non habitat in me, hoc eſt in
carne mea, bonum. Nam velle adiacet mihi, perfi-
cere autem non inuenio.] Et poſt multa alia, quæ
n. 24. ſequuntur, perficit ſuam querimoniam, dicens: In-
fœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mor-
tis huius?] Corpus itaque mortis, aut corruptio, &
ad malum procliuitas, ex illo primo genitoris noſtri
peccato dimanans, nos ſingulis momentis ineſcat,
& illis verbis, quæ in libro Sapientiæ continentur:
Sapien.2. n.6. Venite, & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur crea-
tura tanquam in iuuentute celeriter,] ad legis di-
uinæ præuaricationem conſtanter inuitat. Huius
hoſtis iniquis ſuaſionibus vt reſiſtamus, & omnem
iniquitatem, ad quam nos impellit, fugiamus, primò
quid ſit peccatum, quod ab homine patratur, (nam
de culpa originali nunc nihil dicimus) explicandum
eſt; ex cuius cognitione facile erit cauſas ac rationes
illud fugiendi deducere. Interrogamus ergo nunc

A quid peccatum ſit, quam habeat naturam atque ſub-
ſtantiam, cùm tamen ſi illud exquiſitiùs diſcutiamus,
& ſecundùm quòd aliquid operibus noſtris ſuper-
addit, accipiamus, non ſubſtantiam eſſe, aut natu-
ram aliquam, ſed priuationem boni, reperiemus.
Quapropter Eccleſiæ Doctores peccatum defectum
vocant, & quaſi nihil eſſe decernunt. Vnde Diony-
ſius Areopagita inquit: Peccatum eſt malum, pri- *Dion. de diuin. nomin. c. 4. part. 4.*
uatio, & defectio, infirmitas, inconuenientia, atque
fruſtratio: & deſtinatione, pulchritudine, vita, ſenſu,
ratione, perfectione, ac ſede, & cauſa priuatum, inde-
finitum, infœcundum, otioſum, imbecillum, inor-
dinatum, diſſimile, infinitum, tenebroſum, caréntſ-
que ſubſtantia, & ipſum nullo modo, nuſquam, &
nihil exiſtens.] Et Auguſtinus: Malam arborem *Aug. l. de gra. Chr. cōtr. Pel. & Caleſt. c. 19.*
B homo facit, quando ſeipſum malum facit, quando à
bono incōmutabili deficit: ab hoc quippe bono de-
fectus, eſt origo voluntatis malæ, qui defectus non
aliā naturam malā initiat; ſed eam quæ bona eſt con-
dita, vitiat; ſanato autem vitio nullum malum rema-
net, quia vitium naturæ quidem inerat, ſed vitium
natura non erat.] Et Anſelmus ait: Sicut abſen- *Anſel. li. de caſu diaboli. c. 15.*
tia iuſtitiæ, & non habere iuſtitiam, nullam eſſen-
tiam habent; ita iniuſtitia & eſſe iniuſtum, nul-
lum habent eſſe, & idcirco non ſunt aliquid, ſed
nihil.] Ac tandem Proſper Aquitanicus (vt qua-
tuor tantùm ex innumeris patribus id aſſerentibus
afferamus) his elegantiſſimis carminibus idem con-
firmat:

Proſper lib. Epig. 94.

Per verbum omnipotens Deus omnia condidit vnus,
A quo natura eſt nulla creata mali.
Et quod non fecit diues ſapientia verbi,
Non habet in rerum conditione locum.
Nulla igitur vitijs ſubſtantia, nullaque vita eſt,
Qua vegetet corpus, materiamq; ſuam.
Sed cùm libertas diſcedit ab ordine recto,
Nec ſeruant proprium quæ bona ſunt, modulum,
In culpa & vitio eſt vagus in contraria motus,
Fitque malum veram deſeruiſſe viam.

Licèt autem nequitia per ſe ac ſeorſum conſiderata nihil aliud ſit quàm priuatio æquitatis atque iuſtitiæ; at nunc nos (qui non Theologicas ſubtilitates ſpeculari, ſed animas Deo conſecratas erudire decreuimus) nequitiam non per ſe ſumptam ſed actibus noſtris affixam meditemur, qui malitia affecti peccata vocantur, & ſic eius naturam aperiamus.

Eſt igitur peccatum actio libera, debita rectitudine carens, qua quis legem ſe obligantem ac conſtringentem tranſgreditur. Quæ verba, ſi attentè inſpiciantur, licèt breuiſſima ſint, omnia illa continent, quibus Ambroſius & Auguſtinus peccati naturam explicarunt. Ambroſius enim dixit: Quid aliud eſt peccatum, niſi diuinæ legis tranſgreſſio, ac cœleſtium inobedientia mandatorum?] Auguſtinus verò multis hoc idem expoſuit. Nam quodam loco ait: Peccare nihil aliud eſt quàm neglectis æternis temporalia ſectari.] Et alio loco: Peccatum eſt legis tranſgreſſio.] Et rurſus alio: Peccatum eſt hominis inordinatio, atque peruerſitas.] Atque iterum: Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi id quod iuſtitia vetat, & vnde liberum ſit abſtinere. Ac tandem, peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.] Vniuerſa hæc Ioannes Apoſtolus vno verbo comprehendit, dicens: Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas.] Iniquitas enim nihil aliud eſt quàm tranſgreſſio æqui, aut exorbitatio ab eo quod iuſtũ & æquum eſt. Nos verò illa breui deſcriptione peccati concludimus, quę rigidiùs aut mitiùs intellecta, in omne tam graue quàm leue peccatum quadrat. Eſt namque peccatum omne, actio aliqua ſiue interior, vt cogitatio atque cõſenſus; ſiue exterior, vt verborum prolatio, aut opus aliquod, quod externis ſenſibus percipiatur. Quia verò (vt Thomas verè ac ſubtiliter annotauit) affirmatio & negatio ad idem pertinent, nomine actionis, eius defectus intelligendus eſt, quo natura peccati omiſſionis cõtinetur. Neque enim ſolùm peccamus, cùm aliquid adverſus legem agimus, ſed etiam cùm lege præcepta ſeu iuſſa negligenter omittimus. Vnde Iſaias ait: Væ mihi, quia tacui.] Et Heli à Domino increpitus eſt, non quòd occiderit, aut furatus ſit, ſed quòd nouerat indignè agere filios ſuos, & non corripuit eos. Eſt ergo peccatum actio, vt concupiſcentia, aut ſermo, aut opus aliquod externum quod aduerſetur legi; vel defectus atque omiſſio alicuius interioris aut exterioris actionis à lege præceptæ atque ſtatutæ. Deinde peccatum eſt actio libera, id eſt, in noſtra poteſtate conſtituta, quam poſſimus vel facere vel omittere: vt omnis homo ſciat, quia nunquam ad peccatum cogitur, ſed ſemper quòd delinquit, propria voluntate fœdatur. Quare Auguſtinus ait: Vſque adeo peccatum voluntarium malum eſt, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.] Beata quoque Lucia Paſchaſij præfecti ignorantiam irridens, dixit: Si inuitam iuſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.] Qua mirabili ac non muliebri ſed virili ſententia, id ab Spiritu ſancto docta, euidenter

Ambr. l. de para. c. 8. Aug. li. 1. de li. arb. c. vlt. l. 1. de cõſ. Euãg. c. 4. li. de varijs q. ad Simp. q. 2. l. de duab. animab. c. 11. li. 2. cõtr. Fauſt. c. 27. 1. Ioan. 3. n. 4. D. Thom. 1. 2. q. 71. a. 6. ad. 1. Iſa. 6. n. 5. 1. Reg. 3. n. 13. Augu. 1. retract. c. 13.

A expreſſit, violentam ſigilli virginalis corruptionem, nec peccatum eſſe, neque etiamſi clauſtra pudoris frangat, decori virginitatis officere. Meritò profectò illa ita ſentit, & idem nos Catholica fide docti ſentimus, quoniam nullus inobediens eſt Deo, qui non ſua ſponte aliquid adverſus eius voluntatem operetur, nec velut res inanimis ad quid operandum cogitur, atque compellitur. Præterea peccatũ eſt actio libera, rectitudine carens, quæ ineſſe deberet; in hoc verò cõſiſtit, quòd actio illa rectæ rationi repugnat, neque in id tendit, aut illis adiacentibus decoratur, quæ recta ratio, & legis à Deo aut hominibus latæ obſeruatio præſcribit. Quemadmodum enim effigies peccatum artis eſt, ſi minimè regulis artis atque exemplari conſentiat; ita & humana actio peccatum B moris eſt, ſi à dictamine rectæ rationis, quam Deus mentibus noſtris impreſſit, & à regula bene ac ſanctè viuendi deſciſcat. Ac tandem ex hac carentia rectitudinis prouenit vt peccatum ſit legi & iuſſioni contrarium. Nam lex præcipit, exempli gratia, ne quis aliena ſurripiat, quod rationi conſonum eſt. Ex hoc verò quòd aliena rapit quis, & hanc præſcriptam rectitudinem deſerit, certè prouenit vt legem frangat, & ei contrarius aut inimicus exiſtat. At multa peccata legibus humanis aduerſantur; quare ergo dixit Auguſtinus peccatum eſſe contra legem Dei? Ideo profectò, quia diuina lex præcipit, vt naturali & humanæ legi pareamus. vnde non poteſt aliquis ſine trãſgreſſione diuinæ legis humanam aliquam legem effringere. Quod & Paulus apertè fatetur, dicens: C Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.] Roma. 13. n. 2.

Atque hæc deſcriptio propoſita in vniuerſum (vt diximus) omni peccato conuenit: quod (vt ad noſtrum propoſitum ſpectat) duplex eſt: alterum, mortale; alterum, veniale. Mortale peccatum eſt actio libera, eò vſque rectæ rationi ac diuinæ legi contraria, vt vitam ſpiritualem eripiat, & mortem afferat animæ peccanti, cuius mortis vi homo à Deo ac Dei regno ſeparatur, & ſupplicio æterno dignus efficitur. Vitam quidem animæ tollit, quæ vita Deus eſt, animam per gratiam inhabitans: homo autem graue aut mortale peccatum admittens, Deum vitam ſuam deſerit, ab eoque recedit, ſicut ſcriptum eſt: Scito & vide, quàm malum & amarum eſt reliquiſſe te Do- D minum Deum tuum, & non eſſe timorem eius apud te.] Mortem autem adfert: Nam, Stipendia peccati, mors.] Et alio loco: Impij manibus & verbis accerſierunt illam, & æſtimantes illam amicam, defluxerunt, & ſponſiones poſuerunt ad illam.] A regno etiam Dei ſeparat. Vnde Paulus ait: An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare; neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorũ concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.] Et iterum: Manifeſta ſunt opera carnis; quoniam qui talia agunt, regnũ Dei non conſequentur.] Denique æternæ morti animam peccantem addicit, ſicut teſtatur Ioannes in ſua Apocalypſi: Timidis, ait, E & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.] Hæc omnia Laurentius Iuſtinianus peccati lethalis mala in hunc modum enumerat: Beatum dixerim, cui datum eſt noſſe quid ſit peccatum, quid operetur in homine, & ad quem, in eo perſeuerantẽ, deducat finem. Peccatum quidem nulla eſt ſubſtantia, vt res aliqua, ſed eſt voluntas retinendi & ſequendi quod iuſtitia vetat.

Ierem. 2. n. 19. Roma. 6. n. 23. Sap. 1. n. 16. 1. Cor. 6. n. 9. & 10. Gal. 5. n. 19. & 21. Apoc. 21. n. 8. Iuſt. li. de perf. gradib. c. 1.

A Per peccatum homo fit alienus à Deo, interemptor ſui, gehennæ filius, cōfuſionis domus, diaboli ſeruus, diſſipator naturæ, gratiæ illuſor, gloriæque contemptor.] Ideo autem peccatum hoc animam interimit, & à Deo ſeparat, quoniā (ipſa natura dictante) quædam ſunt aut amicorum, aut dominorum iniuriæ ita graues, vt amicitiam diſſoluant, & amorem extinguant; ita amicis aut regibus ac principibus diſplicentes, vt amicum ab amico diſſocient, & ſubditum domo regis pellant, & ab eius omnino ſubiectione reiiciant. Tanta verò eſt hominis miſeria atque calamitas, vt iniurias huius generis poſſit aduerſus Deum ſuum creatorē admittere, quas meritò peccata mortalia, id eſt, mortē animæ afferentia, vocamus, atque eam à Deo ſeparare, & in ſummum ac extremum malum detrudere, confitemur.

B Veniale peccatum eſt actio libera, dictamini quidē rationis & iuſſioni legis aduerſa, ac ob id Deo to- uiſa, ſed quæ ob ſui paruitatē, nec vitam ſpiritualem animæ auferat, neq; hominem à regno cæleſti excludat, nec æternis cruciatibus deſtinet, licèt iuxta ſuæ malitiæ quantitatem tēporalem pœnam ſubeat. Eſt quidem veniale peccatū dictamini rationis contrarium, quæ præſcribit ne graue malū faciamus, & ne leue malum admittamus. Nam ſicut leui ægritudine corporis incolumitas leuiter læditur, ita leui peccato aliquantulum rationis fulgor inficitur. Atque etiam eſt iuſſioni legis aduerſum. Dominus enim qui præcepit, non furtum facies, non ſolum magnū furtum vetuit, ſed leue quoque furtum prohibuit. Et qui iuſſit non iurare omnino, vniuerſa iuramenta etiam

Matt. 19. n. 18.

Matt. 5. n. 34.

Matt. 12. n. 36.

C leuia, & ſine debita cauſa prolata, eſſe contra ſuam voluntatem & legē, expoſuit. Et qui de verbo otioſo rationē eſt accepturus, & illud aliqua caſtigatione puniturus, vtique adverſum legi ſuæ tale verbum declarauit. Sed quemadmodū in humana republica ſunt aliquæ leges ſine quarū obſeruatione omnino ſtare non poteſt, quas præterire grauiſſimum eſſe cognoſcitur; aliæ verò optimæ gubernationi conducibiles, quas tranſgredi, leue & non magni momenti iudicatur; ita in regno Dei, quædam ſunt leges, ex quarum cuſtodia charitas & animæ vita dependet; aliæ verò ſine quarum obſeruatione charitas & ſpiritalis vita adhuc ſtare poteſt: & illarum tranſgreſſio, peccata mortalia; iſtarum verò, peccata leuia & venialia conſtituit. Et ſicut inter homines licèt quælibet

D offenſa amicitiam aliquo modo lædat, non tamen offenſa leuis amicitiam diſſoluit, nec amicum à participatione bonorum amici omnino reiicit, ſed aliqua leui ſatisfactione remittitur; eodem prorſus modo leues offenſæ aduerſus Deum, quas homines ex humana fragilitate committunt, erga Deum contractam per gratiam & charitatē amicitiam non auferunt, atque adeo nec animam interficiunt, nec regnum illi cæleſte claudunt, nec æternis pœnis addicunt. Patens eſt ergo ac manifeſta peccati mortalis & venialis differentia: quòd illud legi neceſſariæ ad retinendam vitam ſpiritualem animæ; iſtud verò, ſi ex genere ac natura ſua veniale ſit, vt verbū otioſum, legi ſolùm conducibili opponitur. Quòd ſi tantùm

E ex paruitate materiæ, vt modicum furtum, aut ex defectu plenæ deliberationis, vt minùs honeſta cogitatio legibus ad charitatem neceſſariis opponatur, non eas vſque ad Dei contemptum ac magnam offenſionem tranſgreditur. Peccatum mortale charitatem & gratiam tollit; & veniale, ſeruata charitate eius feruorem extinguit. Illud præfert creaturam Deo, quia ob amorem creaturæ Deum deſerit; iſtud non præfert, quia licèt ſe ad creaturam inclinet, non tamen Deum propter illam derelinquit. Illud conſti-

A tuit vltimum finem in creatura, quia ab vltimo, propter quem creati ſumus, fine diſcedit. Iſtud non ponit finem in creatura, quia gratiæ decorem & charitatis pulchritudinem, qua homo tanquam in finem tendit in Deum, non amittit. Illud animam interficit, iſtud fœdat. Quare Gregorius dixit: In peccatorum & criminum diſtinctione penſandū eſt, quia nonnulla peccata animam polluunt, quam crimina extinguunt.] Illud denique nunquam æternæ pœnæ ſatis puniunt, iſtud pœnæ temporales diluunt: quoniam graue peccatum hominem Dei inimicum facit, quem nunquam cæleſte regnum, ſolos amicos recipiens, admittet: at leue peccatum Dei filiationem non tollit, & ideo hominem qui illud patrauit, iam purgatum, & debita caſtigatione punitum, cæleſtis patria vt Dei filium, recipiet. Ex hoc autem

Greg. 21. mor. 9.

B diſcrimine Ricardus Victorinus omnem naturam peccati mortalis & venialis aſſumpſit. Videtur mihi, inquit, veniale peccatum, quod in Chriſto renatis per ſe ſolum numquam inducit æternū ſupplicium, etiamſi defuerit pœnitentiæ remedium. Mortale verò peccatum, etiamſi fuerit ſolum, ſi pœnitentiæ remedium defuerit, æternam mortē inducit.] Hinc etiam patet quare peccatum lethale hominem diaboli filium & membrum faciat; veniale verò, filium Dei & membrum Chriſti, hominē relinquat. Quia videlicet, vt Auguſtinus ait: Quamuis diabolus ſit author & princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli facit quodcunque peccatum. Peccant enim & filij Dei: Quoniā ſi dixerint ſe non habere

Ricard. tract. de differētia mortalis & venialis.

Aug. li. 3. cōt. duas Epiſt. Pelag. c. 3.

C peccatum, ſe ipſos ſeducunt, & veritas in eis non eſt. Sed ea conditione peccant, qua ſunt filij adhuc huius ſæculi. Qua verò gratia ſunt filij Dei, non vtique peccant: Quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat.] Hæc ad cognitionem naturæ peccati, & diſtinctionem peccati, grauis & leuis, pro fundamento dicendorum ſufficiant.

1. Ioan. 1. n. 8.

1. Ioan. 3. n. 9.

Peccatum mortale fugiendum eſſe ob ſuam malitiam.

CAPVT II.

D ECce duos hoſtes animæ, ac vitæ ſpiritualis infeſtiſſimos inimicos, quibus perfectionem ac ſanctitatem ſitiens debet in primo vitæ ſpiritualis gradu acerrimum bellum indicere. Fruſtra enim conabitur, qui peccata non abijcit, perfectam virtutem in domum ſuæ mentis inducere, & qui hoſtes Domini tuetur & fouet, eius gratiam & dona comparare. Ac primò mortale peccatum funditus deſtruendū eſt, & inter innumera, quę nos ad eius fugam ac victoriā mouere poſſunt (nam idem eſt peccatum fugere & vincere, atque deſtruere) tria tantùm, ſcilicet peccati mortalis nequitiam, fœditatem, pœnamque tractabimus. Eius malitia tāta eſt, vt quodlibet crimen aut lethale peccatum omnia mala, & vera mala, & in ſupremo gradu conſtituta contineat. Ego enim contemplor,

E quòd ſicut Deus vnum bonum fecit, quod omne bonum continet, nempe hominem Deum, & Dei ac hominum mediatorē Chriſtum Ieſum, In quo ſunt abſconditi omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei;] ita humana nequitia atque miſeria vnum malum facit, ſcilicet mortale peccatum, quod omne malum comprehendit. Nec mirum id, quoniam ſicut illud opus eſt ſummæ miſericordiæ atque potentiæ; ſic iſtud eſt ſummæ imbecillitatis atque miſeriæ; quam omnis boni priuatio non poteſt niſi ab immenſa

Coloſſ. 2. n. 3.

quadam infirmitate & calamitate prodire. Et licèt delictum noſtrum non ſuperet, nec æquet illud donum Dei, quod potẽs eſt omnia peccata & omnem iniquitatem ſopire; tamen ſuo modo eſt omnis mali & miſeriæ aceruus & cauſa, vt ſic ſumma bonitas ad delendam ſummam nequitiam & miſeriam aduenire, cuius bonitatis fructus eſt, ſecundùm Iſaiam, vt deſtrueretur, ac deleretur peccatum. Conſidera igitur mihi vniuerſa mala, & ea omnia in vno mortali peccato agglomerata reperies.

Iſai. 27. n. 9.

Malum eſt paupertas? Sed peccatum lethale miſeram animam, ſi fidem & ſpem excipias, omnibus ſupernaturalibus bonis ſpoliat, & illas duas virtutes, quas non tollit, at mortuas, & charitatis vita vacuas relinquit. Quare animæ peccatrici Abdiæ ſermones inſultant: Si fures, inquit, introiſſent ad te, ſi latrones per noctẽ, quomodo cõticuiſſes? Nonne furati eſſent ſufficientia ſibi? Si vindemiatores introiſſent ad te, nunquid ſaltem racemum reliquiſſent tibi? Quomodo ſcrutati ſunt Eſau, inveſtigauerunt abſcondita eius?] Prædones, ait, quod ſibi ſufficiat, diripiunt, reliqua verò poſſeſſoris rerum vſui concedunt: & vindemiatores peracta vindemia aliquos ſaltem racemos vitibus foliiſque celatos derelinquũt: At hoſtes animæ, ſcilicet peccata, diligentiores & crudeliores in rapiendo, vniuerſa ſuffurantur, & omnimodam bonorum ſupernaturalium egeſtatem inducunt. Quòd ſi ſola gratia, vt Thomas ait, omne bonum naturæ ſuperat, quam egeſtatem patietur infœlix peccator, qui gratiam, & virtutes, & ſpiritus ſancti dona vel vno tantùm perpetrato crimine amiſerit? Certè omnium maximam; adeo vt veriſſimè Chryſoſtomus dixerit: Nihil eſt peccante pauperius.] Alij enim pauperes opibus diuitum ſuſtentantur, vel ſaltem communibus ſubſidijs naturæ fouentur; quos vel feræ, vel piſces, vel poma ſilueſtria omnibus conceſſa reficiunt, & aquæ fluminum & fontium refrigerant, & ipſe calor Solis, ſi veſtimenta non ſuppetant, ad tempus ſaltem corpus operiet. At animæ peccatricis mendicitati quænam ex rebus creatis ſubueniet, cuius famẽ & ſitim ſolus Creator extinguit, cuius nuditatem ſola Chriſti imitatio cooperit, cuius neceſſitatibus depellendis ſola bona ſupernaturalia, quæ ablegauit peccatum, vtcunque ſufficiunt? Homo ergo cui Deus omne bonum, & ſupernaturalia bona deſunt, in extremam paupertatem peccando decidit, & omniũ bonorum quæ illi ad ſalutem proficiebant, penuriam incurrit.

Abdias. n. 5. & 6.

D. Thom. 1. 2. q. 113. ar. 9. ad 2.

Chryſoſt. hom. 5. de prouid. Tom. 5.

Malum eſt dolor? At quis dolor ſuper dolorem lethalis peccati, quod nexum Dei animæque diſſoluit, & conſcientiæ mordentis ſtimulis hominis interiora diſcruciat? In primo quidẽ congreſſu aliquam dulcedinem promittit, ſed vulnus ac lacerationem animæ incredibili dolore cõſummat. Ac proinde de illo intelligi poteſt illud Salomonis: Ne intuearis vinum, quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.] Peccatum enim vinum eſt, non illud, quod bonæ vites germinant, ſed quod peſtilens aduerſarius noſter propinat: Nam fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.] Huius primus aſpectus inſipientibus pulcher & delectabilis videri ſolet, qui vindictæ appetitu, ſuperbiæ dominatu, & voluptatis guſtu lætantur, ſed faucibus mentis traiectum, ac in ſtomachum ſpiritualem tranſlatum, ò quales torſiones excitat, & quantis inquietudinibus animam grauat! Nec mirum quòd peccatum guſtum carnis falſa dulcedine mulceat, & ventrem animæ amariſſimo dolore conficiat, quoniam liber ille, quẽ Ioãnes Angelo miniſtrãte comedit, hos duos licèt contrarios effectus inſtillauit: Et accepi, inquit, librum, de manu Angeli, & deuoraui illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce; & cùm deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.] Si libet iſte, qui tribulationes Eccleſiæ præſignabat, ori dulcedinem attulit, quoniam dulce eſt futura prænoſcere, & ventri Apoſtoli amaritudinem, quoniam amarum eſt, eorum, quos diligimus, preſſuras audire: quantum dolorem ac triſtitiam peccatum afferet ei, qui non tribulationes alienas audit, non pœnas proprias, quę Deo placitæ eſſe ſolent, ſuſtinet, ſed culpas proprias Deo infeſtiſſimas, & ſibi ipſi ſummum dedecus afferentes experitur? Profectò non eſt dolor ſuper peccati dolorem, qui ſicut magnitudine & cruciatu omnibus doloribus maior eſt, ita etiã diuturnitate reliquos dolores vincit. Id namque contemplor ego in illis verbis Ieremiæ: Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis, renuit curari? Facta eſt mihi quaſi mendaciũ aquarũ infidelium.] Dolor peccati perpetuus eſt, qui durãte in receſſibus cordis delicto, ſemper manet, & ſolo cõtritionis dolore, & delicti abiectione minuitur. Plaga eſt deſperabilis (& in deſperatione ſanitatis adipiſcendæ maximus dolor eſt) quã nullæ vires creatæ ſanant, ſed ſola potens Dei gratia propulſat. Hanc plagã ſanctus propheta dolo aquarum infidelium ſimilẽ dicit, quæ nec talos operire videtur, ſed inſperata profunditate hominem mergunt: Ita graue peccatum videtur animæ ſtultæ & inſipienti parum nocere, ſed ita nocet, vt omnia interiora bona perſuodet.

Prou. 23. n. 31. & 32.

Deuter. 32. n. 33.

Apoc. 10. n. 9. 10.

Ierem. 15. n. 18.

Malum eſt ſeruitus? Sed peccatum eſt ſeruitus omnium ſeruitutum miſerrima, atque immaniſſima, qua infœlix homo ſuo appetitui ſeruit, ſuis paret affectibus, & Dæmoni viliſſimo hero ac nefandiſſimo obſecũdat. Nihil vilius quàm appetitui ſeruire, quem Deus, non hominis dominum ſed mancipium conſtituit. Sub te, inquit, erit appetitus eius,] id eſt peccati, quo ſcilicet ad peccatũ impelleris, & tu dominaberis illius.] Si autem viliſſimũ eſt, nobiliſſimam ac pulcherrimam virginem, ſe abiectiſſimæ ancillæ ſeruam vltro facere, quanta vilitas erit, animam rationis participem, Deique capacem, ſe in ancillam malitiæ committere? Nihil etiam miſerius quàm parere immoderatis affectibus, ſeu motibus carnis beſtialibus, & illis rationẽ ſubijcere: quod ſanè malum peccati malitiam in ſinum recondẽs admittit. Hanc verò miſeriam eſſe maximam Iſaias ſub inuolucro Ægyptiorum, in quibus intelligimus peccatores, vaticinatus eſt. Et relinquentur, ait, ſimul auibus montium, & beſtijs terræ: & æſtate perpetua erunt ſuper eum volucres, & omnes beſtiæ terræ ſuper illum hiemabunt.] Certè Hieronymus hoc loco nomine eorum qui relinquuntur, palmites à vite præciſos, id eſt, peccatores, intelligit: Dominus enim, ait, Omnẽ palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.] Hi autem quibus volucribus æſtate, & quibus beſtijs hieme traduntur, niſi ſuperbiæ & puſillanimitatis affectibus, quorum illi in proſperitate, & iſti in aduerſitate ſuper animam peccatoris regnant, & eã ad multiplicia peccata ex his radicibus pullulantia continenter inuitant? Ac miſerrimum & infœliciſſimum eſt, peccato ipſi, & diabolo hominis aduerſario, ſeruire. Sed peccatorem ſeruum eſſe peccati ipſa ſumma veritas teſtata eſt, dicens: Amen, Amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.] Cuius rationem aſſignat Paulus in hunc modum: Neſcitis, quoniã cui exhibetis vos ſeruos ad obediendũ, ſerui eſtis eius cui obeditis, ſiue peccati ad mortẽ, ſiue obeditionis ad iuſtitiã?

Geneſ. 4. n. 7.

Iſai. 18. n. 6.

Hiero. 7. in Iſai ad idem c.

Ioan. 15. n. 2.

Ioan. 8. n. 34.

Roma. 6. n. 16.

Et aliam

1. Petr. 2. n. 19. A Et aliam etiam ſubinfert Petrus, dum ait: A quo quis ſuperatus eſt, huius eſt ſeruus.] Si ergo peccator ab iniquitate ſuperatur, & in bello tentationis vincitur: Si victus iniquitati in cunctis obſequitur, & ſe & ſua omnia in eius obſequium impendit, & nihil aliud cogitat, niſi quomodo iniquitatem colet, & in dies magis ac magis augebit, quis ambigat eum eſſe iniquitatis trophæum, ac ſeruum peccati? Ex hoc verò conſequens eſt, vt peccator ſit ſeruus diaboli. Nam per peccatũ, diaboli filius imitatione, & obedientia ſeruus, efficitur. Vnde Iudæi audiunt: *Ioan. 8. n. 44.* Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.] Et Ioannes Apoſtolus ait: *1 Ioan. 3. n. 8.* Qui facit peccatum, ex diabolo eſt; quoniam ab initio diabolus peccat.] Quid eſt, peccator ex diabolo eſt, niſi B quia peccator ex diabolo, quaſi ex patre procedit, ab eo ad alios decipiendos mittitur, & qui ſecundùm naturam à Deo creatus eſt, ſecundùm iniquitatem à Diabolo regitur ac gubernatur? Quàm durã autem dominationem ac diram tyrannidem in peccatorem exerceat peccatum, ac per eum Diabolus, *Aug. 8. conf. c. 5.* Auguſtinus, ante conuerſionem expertus, his verbis aperit: Suſpirabam ego ligatus, non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenã fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido; dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdã ſibimet innexis, vnde catenam appellaui, tenebat me obſtrictum dura ſeruitus, &c.] C *Chryſ. hom. 9. in 1. ad Cor. &c.* Chryſoſtomus verò non in ſeipſo, qui ſemper innocenter vixit, ſed in aliis expertus, non minùs euidenter exponit. Barbarum namq; peccatum eſt, inquit, quod cum animam ſemel captam, ita vt contrà perſuaderi neſciat, in ſuis ſordibus demerſerit, ſub tyrãnidem redigit. Nihil enim iam præter rationem eſt, quàm peccatum. Nihil tam ſtultũ, nihil tam fatuum, nihil tam vehemẽs; omnia euertit, confundit, perdit. Quocunque inciderit, viſu iniocundum eſt, graue, onerosum. Quod ſi quis pictor effingeret, non ſanè mihi errare videretur, ſi in hunc modum id pingeret, Fœminã quandam in feræ ſimilitudinem, barbaram, ignem efflantem, horrẽdam, nigram, quales externi poëtæ Scyllas effingunt. Innumeris enim manibus, noſtris inſidiatur cogitationibus, & inopinantes aggreditur, omnia dilacerat more canum clanculum mordẽnum.] D *Dan. 3. n. 32.* Quòd ſi Daniel tam luctuosè conqueritur, quòd electus populus traditus eſt in captiuitatem inimicorum crudelium: Tradidiſti nos in manibus inimicorum noſtrorum iniquorum, & peſſimorum, præuaricatorúmque, & regi iniuſto & peſſimo vltra omnem terram:] quanto dolore torquendus eſſet peccator, qui ſpontaneè ſeipſum in captiuitatem diaboli tradidit, & ſeruum ſe peccati ac mancipium effecit?

Malum eſt infamia? Sed peccatum eſt infamia hominis peccatoris, & ignominia grauiſſima. Quos enim de ſeipſo peccator rumores ſpargit, niſi quòd à Deo ſuo creatore defecit, quòd aduerſus legitimum omnium regum principem rebellauit, quòd Deo creaturam præpoſuit, E & ſummum bonum contempſit, & Spiritum ſanctum contriſtauit, & Chriſtum non iam triginta argenteis, ſicut Iudas, ſed minori ſæpe pretio vendidit, & pro Barabba, aut pro diabolo commutauit, & authorem vitæ (quod ad ſe pertinuit) alapis afflixit, ſputis fœdauit, pedibus conculcauit, & acerbiſſimo genere mortis affecit? Iſta omnia de peccatore dicuntur: & non per amplificationem quandã, ſed verè dicũtur: eius ergo memoria in maledictione eſt, eius nomen infame eſt, cuius ignomi-

A nia omnium perduellionum ignominiam exuperat. De cadaueribus eorum aſcendet fœtor, inquit Iſaias, *Iſai. 34. n. 3.* tabeſcent montes à ſanguine eorum.] Non putes, quia ſolum corpus orbatũ anima cadauer eſt, amen dico tibi, quia & anima ipſa Deo per graue peccatum carens, cadauer eſt putidiſſimum, cuius infamiæ fœtor in ipſos cœlos aſcendit, & ſpirituum cœleſtium olfactum terret & intolerabili odore perfundit. Qui eo magis hanc peccatorum ignominiam ſpiritualiter ſentiunt, quo meliùs ſummi Dei, quem offendit peccatum, dignitatem & maieſtatem percipiunt. Quid mirum ſi Angeli iniquorum infamia pulſentur, quam creaturæ etiam ſenſu & ratione carentes agnoſcunt? Tabeſcent, inquit, mõtes à ſanguine eorum.] Montes quidem purior terræ pars, B & aëris ſubtilitate ſalubrior, ex odore peccatorum inficitur; quanto magis ipſa terra malorum pedibus trita, in qua ſua flagitia perpetrant, criminum putore fœdabitur, quæ propterea in nouiſſimis diebus, vt ait Petrus, *2. Pet. 3. n. 10.* exurenda ſit, vt ignis ille terribilis non tam ſcoriam naturalem, quàm ſordes ex hominum peccatis relictas abſumat? Quid plura? hæc infamia peccatoris non ſolas creaturas peruadit, & inter conſeruos ſpargitur, ſed ad aures quoque patrisfamilias accedit, in cuius figuram Villicus ille iniquitatis *Luca. 16. n. 1.* diffamatus eſt apud Dominum ſuum. Pete à Bernardo, *Ber. ser. de villico.* quiſnam hunc Villicum diffamauerit, & dicet tibi, quia petulantia ipſa eſt, quæ diſſeminauit infamiam. Illa etſi in actum non prodeat, & in ſolo corde, aut cogitatione compleatur, habet vo- C cem ſuam apud Dominum, accuſantem illum, eiúſque famam & nomen denigrantem. Magna igitur eſt peccatoris infamia, quæ per omnium ora volitat, omnium aures percutit, & tandem in nouiſſimo die, in illo orbis theatro, vbi vniuerſũ genus humanum, ad audiendam ſententiam damnationis aut ſolutionis, conueniet, miſerrimum peccatorem riſui & ludibrio vniuerſorum exponet.

Malum eſt morbus? Sed peccatum eſt ægritudo maxima, quam nulla vis naturæ ſanat, ſed ſola Dei virtus ac miſeratio conſolidat. Peccatum enim affectuum pacem tollit, & appetitus ac rationis ſocietatem diſſoluit; ſenſus ſpirituales impedit, manus & pedes ligat, vires debilitat, cibum & potum auerſatur, & hominem in lecto ſuæ miſeriæ iacere com- D pellit. An non ægritudo illa, de qua Sanctus Dauid: *Pſ. 6 n. 3.* Miſerere mei Domine, quoniã infirmus ſum: Sana me Domine, quoniã conturbata ſunt oſſa mea.] An non vulnus illud, de quo Salomõ: *Prou. 23. n. 29.* Cui væ, cuius patri væ, cui rixæ, cui foueæ, cui ſine cauſa vulnera, cui ſuffuſio oculorũ? Nonne his, qui cõmorantur in vino,] id eſt, in doloſa atq; impuriſſima voluptate? An non plaga illa, quam vel ipſe peccator diſſimulare non poteſt, ſed ait: *Ier. 10. n. 19.* Væ mihi ſuper cõtritione mea, peſſima plaga mea?] An non cicatrix illa, de qua iterum *Pſal. 37. 9. 6.* Dauid: Putruerũt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.] Nemo eſt qui ignoret, peccata animæ ægritudines eſſe, de quibus alio *Pſal. 15. n. 4.* pſalmo dicitur: Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.] Infirmitates poſuit E pro peccatis, inquit Auguſtinus, *Aug. ep. 59. ad Paul. q. 2.* ſicut ad Romanos Apoſtolus dicit: *Rom. 5. n. 6.* Si enim Chriſtus, cùm infirmi eſſemus, adhuc iuxta tempus pro impiis mortuus eſt.] Hos dixit infirmos, quos impios. Deinde paulo *n. 9.* pòſt eandem ſententiam repetens: Commendat, inquit, ſuam charitatẽ Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.] Quos infirmos ſuprà, eos hîc peccatores appellauit. Cùm ergo peccatũ infirmitas ſit, quantis putas infirmitatibus ſubeſt, qui non vnum tan-

A cùm peccatum, ſed multa peccata patrauit, qui non in vno peccatorum genere, ſed in omnibus, aut in multis deliquit? Monſtruoſum erit talem animam aſpicere, quæ contrariis morbis imperitur; & ſicut mare quod vi contrariorum ventorum ad oppoſitas partes mouetur, ita ad omnino oppoſita deſideria raptatur, nec poteſt quieſcere, aut aliquod ſolatium habere, quæ in quocunque quod immoderatè vult, ſibimetipſi contradicit.

Malum tandem eſt mors. Sed peccatum eſt mors, quæ animam occidit, à Deo, vita eius, ſeparans, & à gratia diuellens, & in ipſum corpus, quod ante peccatum, Dei beneficio immortale eſſet, vt Thomas ait, mortalem aliam, ſcilicet corporalem, intrudens. Quare dictum eſt Adæ: De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.] Ac ſi diceretur illi, Tam peſtilens erit mors peccati, qua anima tua à ſua vita, nempe à gratia, ſeparabitur, vt etiam in corpus ſe deriuet, & illud ab immortalitate ad mortalitatem transferat, & poſt multos angores & preſſuras, in mortem inducat. Peccatum itaque mors animæ eſt: & ſtat immobilis ſententia conditoris: Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.] Vnde Gregorius ait: Quid eſt peccatum niſi mors? Hinc etenim ſcriptũ eſt: Non eſt in morte qui memor ſit tui.] & iterum: Intrauit mors per feneſtras noſtras.] Mors namque eſt, quæ animam à Deo ſeparat, ſenſuum internorum intercludit officia, diuinam deturpat imaginem, lucis adimit claritatem. Denique qui Chriſto moritur, in ſepulchro conſcientiæ tumulatur, ligatur concupiſcentiarum inſtitis, à conſpectu Dei proiicitur, duritie operitur, lapide iniquitatis intus clauditur. De talibus ſcriptum eſt: Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.] Et Bernardus id etiam ex mortis corporalis analogia probans, inquit: An aliud mors corporis eſt, niſi cùm ſenſu priuatur, & vita? Peccatum quod mors animæ eſt, nec compunctionis mihi ſenſum, nec confeſſionis reliquerat vocem, & eram mortuus: Venit is qui peccata dimittit, & vtrumque reſtituit, & dicit animæ meæ; Salus tua ego ſum.] Ecce mortẽ, quam metuas; ecce amiſſionem vitæ, quam timeas; nam mors corporis viro iuſto timenda non eſt. quæ finis eſt miſeriæ, ſolutio mortalitatis, ianua vitæ: hæc verò mors animæ formidanda, quæ cumulus eſt miſeriarum, aceruus malorum, & æternæ ac infernalis mortis nota certiſſima.

1. p. q. 97. art. 1. — Gen. 2. n. 17. — Ezec. 18 n. 20. — Greg. in Pſ. 7. ex pœnitent. — Pſ. 6. n. 6. — Ierem. 9. n. 21. — Pſal. 72. n. 7. — Ber. ſer. 15. in Cant. — Pſal. 34. n. 3.

Si ergo lethale peccatum hæc omnia mala continet, ipſum eſt omne malum: vt ſicut de Deo dicit æterna Veritas: Nemo bonus, niſi vnus Deus;] quoniam ipſe infinitum eſt bonum, à quo omnia bona procedunt; ita dicamus & nos: Nemo malus, niſi ſolum peccatum, quoniam ſuo modo immenſum malum eſt, quod homines facit malos, & ab eo omnia pœnæ mala dimanãt. Ideo ſacræ literæ peccatum abſolutè malum vocant. Scito, & vide, inquit Ieremias, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominũ Deum tuum.] Malum & amarum. Aliqua enim mala videntur mala dulcia, quæ aut alios, quos odio habemus, inquietant, aut prauum appetitũ noſtrum demulcent; at peccatũ malum eſt amarũ, quaſi abſinthium, quod vel guſtatum affert mortem, conſcientiam pungit, & in amaritudinem lacrymarum & dolorum immittit. Millies quoque de peſſimis quibuſdam regibus Iuda & Iſrael dictum eſt, quòd fecerunt malum coram Domino. Malum nempe peccati, quod apud Dominum, qui vniuerſa iuſtiſſima trutina æquitatis expendit, ſolum verum malum, & infœliciſſima miſeria reputatur. Fecerunt illi malum, quod includit omnia prædicta mala, & ſicut eſt omnium malorum ſeminarium, ita omnia mentis bona dilapidat. Vnico enim peccati conſenſu, ait Laurentius Iuſtinianus, immenſas animæ ac corporis homo ſpirituales amiſit diuitias, ſibique cum dolore vendicat, quod gratis & ſine labore perceperat. Innocentiæ quippe candorem, immortalitatis ſtolam, carnis incorruptibilitatẽ, animæ puritatem, contemplationis dulcedinem, ſpiritus libertatem, regnum cœlorum, angelorum contubernium, amicitiam Dei perdidit, ad quæ maxima cum fatigatione aſſurgit.] Ex his aliqua ex parte malitia peccati cognoſcitur, & eius infœlicitas propalatur, quare ſi ipſa natura ducti, omne, malum & detrimentum afferens, fugimus; æquum eſt, vt ipſam malitiam, B & omnium malorum & infœlicitatum ſtatum, qualis eſt ſtatus peccatoris, ſummis conatibus fugiamus.

Marci. 10. n. 18. — Ierem. 2. n. 19. — Iuſt. ſer. de S. Ioa. Euang.

Peccatum mortale fugiendum eſſe ob ſuam fœditatem.

CAPVT III.

SICVT nihil eſt peius lethali peccato, ita nihil eſt fœdius atque deformius; quod ita animam turpat, atque commaculat, vt ex pulcherrima, ſupra omnia, quæ ab homine cogitari poſſunt, C turpem, tetram, ac deformem efficiat. Huius ergo deformitas ex animæ pulchritudine, cui opponitur, venanda eſt: quæ in omnium virtutum cumulo, in earundem proportione, ac in motum debita diſpoſitione conſiſtit. Iſtam omnino peccatum euertit, quod & virtutes euentilat, atque dilacerat, animæ vires eneruat, & bonos mores malorum inductione corrumpit. Vnde Ieremias, vt hanc peccati deformitatem exprimeret, priùs ſanctitatis decorem depinxit, vt ex huius pulchritudine illius turpitudinem aduertamus: Candidiores Nazaræi eius niue (quibus ſancti figurati ſunt) nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.] Si verò à virtute ad peccata deflectant, Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in D plateis: adhæſit cutis eorum oſſibus: aruit, & facta eſt quaſi lignum.] Quid candidius niue? Sed quid nigrius ac tetrius carbone? Quid nitidius lacte? Sed quid obſcurius eo, qui nec à conciuibus poteſt agnoſci? Quid ſplẽdidius ebore antiquo, quod temporis antiquitate rubeſcit? Sed quid ſqualidius arida cute quæ non viuam carnem tegit, ſed oſſa mortua & putreſcẽtia cooperit? Quid pulchrius ſapphiro? Sed quid fœdius ligno quod ignis odor tetigit, & adurens flamma conſumpſit? Tales peccatum, homines pulchros, reddit, & qui tantã ſtragem in pulchritudine facit, non poteſt ab ingenti fœditate liberari. Hanc profectò, ſiquid aliud, Chriſti Saluatoris mors, paſſióq; detexit. Ille namque Specioſus forma præ filiis hominũ,] quia hominum impiorum E fideiuſſor factus eſt, adeo ſuam pulchritudinẽ exoluens pœnas peccatorũ turpauit, vt dicat Iſaias, eum in paſſione contemplans: Non eſt ſpecies ei neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus.] Si peccati pœna ita corpus Saluatoris commaculat, & omnẽ eius decorem exhaurit, culpa ipſa quid faciet? quomodo peccatoris mentẽ inficiet? quanta deformitate ſordebit? Id certè nec ſermo explicare, nec lingua loqui, nec mens poteſt ſufficienter meditari.

Thren. 4. n. 7. — n. 8. — Pſal. 44. n. 3. — Iſai. 53. n. 2.

Cogitemus tamen fictionem hominis, qui caput

deorſum

Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

deorſum habeat, & pedes in loco capitis ſurſum, qui omnibus membris conſtet miſerabili peruerſitate diſiunctis; & non in propriis locis, ſed in ſedibus aliorum adinuicem collocatis; qui cæcus ſit, & ſurdus, & mutus, qui paralyſi diſſolutus, & omni pedum ac manuum officio priuatus, non progrediendo more hominum, ſed velut coluber aut ſerpens reptando moueatur. Quid iſto fingi poteſt turpius ac fœdius? Sed talis ſine vlla dubitatione eſt anima, quæ peccatum admiſit, & per lethale crimen ſe à Deo vita ſua, & à gratiæ pulchritudine ſeparauit. Caput enim habet in pedibus, dum mentem ad terrena & illicita deprimit; & pedes in capite, dum affectus carnis immoderatos, rationi, & legi diuinæ dominari permittit. Ideo Salomon iniquos peruerſos vocat: *(Prou. 11. n. 3.)* B Supplantatio peruerſorum vaſtabit illos,] quoniam ſemetipſos peruertunt atque confundunt, & quod maius & ſuperius eſſe deberet, infimum & ſeruum faciunt; infimum verò ac ſeruum appetitum, liberi arbitrij dominum ac ducem conſtituunt. Membra etiam habet hæc anima ad ſe inuicem diſſociata, quæ non vnum quid, ſcilicet finem ſuum, ſed multa & ſæpe contraria procurant. Inde inteſtina bella peccatoris, & internæ lites, quibus ſecum ipſe pugnat, & iam ad bonam opinionem tuendam: iam ad voluptatem captandam, etiam cum honoris iactura: iam ad vltionem de inimico ſumendam, etſi immineat vitæ diſcrimen; iam ad vitam ſeruandam, etiam cum magno dedecore ſe ſentit vrgeri. Denique, *(Iſai. 57. n. 20.)* C Impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationē & lutum.] Quòd autem hæc membra ſuum locum non teneant, ſed in ſedibus non ſibi debitis nec congruis collocentur, quis dubitet, ſi miſerum peccatorem aſpiciat, quæ diligenda eſſent, odientem; quæ odio eſſent habenda, imprudenter amantem: qui timet quod timendum non eſt; mundo ſcilicet atque ſtultis hominibus diſplicere: & vbi timendum eſt, nimirum in peccati vulnere, in Dei indignatione promerenda, perſtat hilaris, tutus, atque ſecurus? Nullam eius potentiam, nullū ſenſum aſpicies, quod non ſit velut os è naturali loco dimotum, & non gemitum ac dolorem exſuſcitet. Adeo vt gemens dicat: *(Pſal. 17. n. 5.)* D Circundederūt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Dolores inferni circundederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.] Verè enim doloribus multiplicibus & immenſis circundatur, qui omnibus ſpiritualibus membris confractus, nullam quietem habet, & ſolam mortem æternam, non finem dolorum præſentium ſed initium futurorum, celeri greſſu aduentantem expectat.

Eſt præterea iniquus per peccatum cæcus, quoniam iniquitatis caligine offuſus ſola tranſitoria & terrena videt; æterna verò & cæleſtia nō percipit. Quare ſicut *(4. Reg. 25. n. 7.)* Nabuchodonoſor, occiſis filiis Sedechiæ, oculos eius effodit: vt poſt viſam tantā filiorū calamitatem, nihil lætum aut pacatum videret; ita peccatū, viſo ab iniquis voluptatis gladio, qui filios eorum, id eſt omnia merita præterita interimat, oculos ipſorum cæcitate claudit, ne carcerē in quo captiui tenentur, E & vincula cupiditatis aufugiant. Gregorius ſanè, vuæ acerbæ nomine, cuius meminit Ezechiel, *(Ezec. 18. n. 2. Greg. 11. mor. c. 15.)* peccatum intelligit, quod dentes, id eſt, internam intelligentiam, impediat. Quid namque vua acerba, inquit, niſi peccatum eſt? Vua quippe acerba eſt fructus ante tēpus. Quiſquis enim præſentis vitæ delectationibus ſatiari deſiderat, quaſi fructus ante tempus comedere feſtinat. Qui igitur vuam acerbam comedit, A dentes eius obſtupeſcunt, quia qui præſentis mundi delectatione paſcitur, interni eius ſenſus ligantur, vt iam ſpiritualia mandere, id eſt, intelligere, nequeant: quia vnde in exterioribus delectati ſunt, inde in intimis obſtupeſcunt.] Eſt etiam peccator ſurdus, quia voces creaturarum ipſarum, quibuſcum peccat, non audit, quæ eum à crimine retrahunt, & ſe propter Deum, non ſupra Deum, nec aduerſus Deum amandas, eodem obſequio, quod peccatori impendunt, ingenuè fatentur. Quam ſurditatem ſimul cum cæcitate peccatoribus vniuerſis obtingere Dominus aſtruit, per os Iſaiæ, dicens: Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum. Quis cæcus, niſi ſeruus meus? Et ſurdus, niſi ad quem nuncios meos miſi? Quis cæcus, niſi qui venundatus eſt? *(Iſai. 42. n. 18. & 19.)* Qui ſcilicet, ſe ipſum vendit diabolo, vt faciat malum; & quis cæcus, niſi ſeruus Domini?] Vt verò aliquo modo huius cæcitatis & ſurditatis peruerſitatē exaggeret, ſubiicit: Qui vides multa, nonne cuſtodies? qui apertas habes aures, nonne audies?] *(Iſai. 42. n. 20.)* Quibus verbis inſinuat, iniquiſſimum eſſe eum, qui cùm ſibi externis Sanctorum exemplis, & internis inſpirationibus pulchritudo virtutis proponatur; ne videat, oculos claudit, & cùm cœleſtis doctrina, eáque perpetua, & mille modis adminiſtrata ingeratur, ne audiat, aures animæ duritie ſui cordis occludit. Eſt deinde peccator mutus, cui verba confeſſionis & laudis diuinæ non ſuppetunt, & cùm verba mortis ad excuſandas excuſationes in peccatis proferre ſciat, verbum aliquod vitæ proferre non valet. A mortuo, id eſt, à peccatore, quaſi nihil, periit confeſſio.] *(Eccl. 17. n. 26.)* Ipſe quidem quaſi nihil eſt, quoniam quà peccator & iniquus, nullius eſt emolumenti; & ab illo periit confeſſio; quia mutus eſt, vt peccata ſua confiteri valeat. Quòd ſi incipiat os ad confeſſionem aperire, iam Deo donante aliquod initium vitæ participat. In quem ſenſum Auguſtinus ait: *(Aug. ſer. 8. de verbis Domini. To. 10.)* In accuſatione tui ipſius quare confiteris, niſi quia ex mortuo viuus factus es? Nā ſi perit à mortuo confeſſio, qui confitetur, viuit; & ſi peccatum confitetur, vtique à morte reuixit.] Periit etiam à mortuo diuina laudatio. nam, vt inquit ſanctus Dauid ad Dominum loquens: *(Pſal. 6. n. 6.)* Non eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autem quis cōfitebitur tibi?] Si enim mors, vt ſuprà diximus, peccatum deſignat: & infernus, vt Gregorius ait, *(Greg. 10. mor. c. 10.)* hominē tentationibus & caſibus perturbatum ſignificat, quid eſt, in morte & in inferno non eſſe Dei memoriā nec laudem, niſi peccatorem emotæ mentis eſſe, qui Dei memoriam non poſſit retinere, & mutum eſſe, qui non valeat ſuum conditorem laudare? Tandem omnis peccator per peccatum paralyticus redditur: qui licèt aliquando concipiat deſiderium ſalutis, at torporis ignauia ligatus, & omnibus viribus animæ tanquam ſpiritualibus membris eneruatus, earum officia exercere non poteſt. Qui etiam non vt homo progreditur, ſed inſtar colubri repit, quoniam ſenſus & affectus in voluptatibus impuriſſimis, & in rebus labentibus ac terrenis ſemper conſtituit. O magnam fœditatem! O lugendam peccatoris deformitatem, quam non aliud niſi ipſum peccatum infert. Eſt igitur peccatum fœdiſſimum, quod tam miſerabili clade, omnē animæ decorem abſumpſit.

Nulla eſt ergo deformitas, quæ poſſit cum peccati deformitate conferri, ſicut nulla eſt pulchritudo, quæ poſſit virtutis pulchritudini comparari. Nam ſi res à corpore ſeiunctæ nobiliores ſunt, par eſt, vt ſplendore & pulchritudine corporibus præſtent, & cùm ab ea deſciſcunt, abominabiliori deformitate fœdentur. Vnde Bernardus ſapienter virtutis pul- *(Bernard. ſerm. 26. ad ſororē.)*

chritu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

chritudinem omni creatæ pulchritudini, & peccati A
fœditatem omni fœditati excogitabili præfert. Tria ſunt, inquit, in hoc mundo nigriora & deteriora omni malo, videlicet anima peccatoris perſeuerans in peccato, quæ eſt plus nigra quàm coruus: & mali angeli, qui eam rapiunt in die mortis eius: & infernus, in quo iactatur: non ſunt peiora, nec nigriora his tribus in hoc mundo. Iterum tria ſunt; quibus non ſunt meliora, anima videlicet iuſti hominis perſeuerãs in bonis operibus, quæ eſt pulchra ſicut Sol; & ſancti angeli qui eam ſuſcipiunt in die mortis ſuæ; & paradiſus, in quo collocatur: his tribus non ſunt meliora in creaturis.] Hæc ita dicta ſunt, vt ex pulchritudine bonitatis atque virtutis, fœditatem malitiæ colligamus, quæ ſicut ab anima Deũ reiicit, & illius gratiam & virtutes diſſipat, ita incompara- B
bilem fœditatem importat. Quod illa verba Domini in Ezechiele ſcripta ſignificant: Abominabilem
Ezech. 16.n.25. fecisti decorem tuum.] Verè enim per peccatum abominabilis fit omnis decor animæ, quia totus in deformitatem vertitur, quæ malitiæ & atroris gradu pulchritudinem priorem exæquet. Cùm autem iſta peccati deformitas non corporalis ſit, neque in aliquo defectu corporis, ſed in voluntatis peruerſitate, & in auerſione à Deo, & ad creaturam conuerſione, conſiſtat; non putandum eſt, peccatis tantùm ineſſe carnalibus, quæ corpus etiam per quandam redundantiam inficiunt atque deformant: ſed potiùs in peccatis ſpiritualibus maior eſt, vt iſta ſicut iniquitate carnalia, ita etiam gradu fœditatis eminc ant. Quare de illo Dæmonum capite, qui non carne de- C
Iſai.14. n.19. liquit, ſed crimine ſpirituali peccauit, dictum eſt: Tu proiectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis pollutus, & obuolutus cum his, qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamenta laci, quaſi cadauer putridum.] Ex quo licet colligere, ſpiritualia peccata omnium eſſe fœdiſſima, quæ pulcherrimum angelum ad tantam miſeriam deiecerunt, vt quaſi cadauer putridum, quo nihil fœdius, in ſtagnum ignis ſulphuriſque deſcenderit, & ibi, vt omniũ iniquorũ caput, ſuæ ſuperbiæ pœnas dederit. Et quidem illud fœdius eſt, quod magis ſe à pulchritudine elongat, & magis eſt Deo amatori decoris inuiſum; certum eſt autem maiora peccata longiùs à virtute diſcedere, & vehementiùs iram Domini prouocare, vnde & maiori fœditate ac deformitate D
ſordeſcunt. Eſt namque deformitas quædam, quam interni mẽtis oculi vidẽt, &, niſi ſtupidi ſint, eius horribili fœditate turbãtur, & quaſi terribili ictu perculſi, ab ea aſpectum auertunt, licèt corporei oculi quaſi ad ſpiritualia videnda non apti eandem nullo modo percipiant.

At licèt corporis oculi peccati deformitatem non videant, quia tamen homo ad cognitionem mentis ſenſibus vtitur, noluit Dominus, aliqua ſenſibilia, ex quibus criminis fœditatẽ perciperet, denegare. Hanc enim omnes corporis morbi, omnes plagæ, omnes carnis deformitates oſtendũt, quæ fructus ſunt & flagella peccati, vt ſi in his eſt ſanies, eſt putor, atque deformitas, intelligamus, peccatũ, ex quo dimanãt, ſine vlla comparatione magis eſſe deforme. Omnium E
verò malorum corporalium quæ à peccato proceſſerunt, maximum eſt ac terribiliſſimum mors: de quo
Roma. 5. n.12. Paulus: Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.] Ideo Saluator noſter mortuorum cadaueribus peccati fœditatem ſignauit, vt ſicut nihil eſt cadauere fœdius, ita cognoſcamus nihil eſſe peccato deformius. Tres profectò ſunt ſtatus

A peccati aut partes malitiæ eius; quibus quaſi gradibus ad ſummum iniquitatis aſcenditur: alter, qui interiori tantùm conſenſu perficitur; alter, qui exteriori opere conſũmatur; tertius, qui inueterata conſuetudine & cordis duritie completur. Tres autem iſtos peccati ſtatus Dominus tribus mortuis deſignauit: Illius primi figurá prætulit filia archiſynagogi, quæ in abdito domus moritur, & ab authore vitæ domum *Matt. 9. n.23.*
ipſam intrante, & tibicines ac turbam tumultuantẽ eiiciente foras, erigitur. Nec immeritò hæc puella apud Matthæum defuncta vocatur, & apud Mar- *Mar. 5. n.23.*
cum in extremis eſſe perhibetur: iſtud, inquam, ſalua hiſtoriæ veritate, myſterio non caret: nam in hoc peccatum interius eſt admodum miſerabile, quòd non ſemper facilè agnoſcitur, an omnino animam
B peremerit, an tantùm ad portas mortis, cùm videlicet plenus conſenſus eſt denegatus, eduxerit. Secundi ſtatus imago eſt ille adoleſcens, qui extra ciuitatem efferebatur, filius vnicus matris ſuæ. Iure *Luc. 7. 12*
optimo adoleſcens, qui licèt vires habeat, nondum tamen ad ſenum duritiem, & robur conſuetudinis prauæ, peruenerat. Et filius vnicus matris, quia necdum hominis imbecillitas, poſt primum peccatum, ſimile aliud conceperat, aut poſt aliquot patrata peccata, nondum prauæ conſuetudinis affectum genuerat. At adoleſcens eſt planè mortuus, & in feretro propriæ voluntatis collocatus, qui non abdito domus includitur, ſed extra ciuitatem per apertum opus effertur. Poſtremi ſtatus figura eſt Lazarus *Ioan. 11. n.39.*
quatridianus mortuus, qui iacet in ſepulchro & fœ-
C tet, & prauæ conſuetudinis lapide premitur, & non iam ſubmiſſa voce, ſicut puella, nec tactu feretri, vt adoleſcens, ſed lacrymis & fremitu Chriſti, & ad vitam magna voce reuocatur. De his tribus peccati ſtatibus, ita loquitur Auguſtinus: Ipſius peccati tres *Aug. l.1. de ſerm. Domini in monte. c.12. t.4.*
ſunt differentiæ, in corde, in facto, in conſuetudine, tanquam tres mortes. Vna, quaſi in domo, id eſt, cùm in corde cõſentitur libidini: altera, iam prolata, quaſi extra portam, cùm in factum procedit aſſenſio: tertia, cùm vi conſuetudinis malæ tanquam mole terrena premitur animus, quaſi in ſepulchro iam putens. Quæ tria genera mortuorum, dominum reſuſcitaſſe, quiſquis Euangelium legit, agnoſcit. Et fortaſſe conſiderat quas differentias habeat etiam ipſa vox reſuſcitantis, cùm alibi dicit: Puella ſurge:]
D & alibi: Iuuenis, tibi dico, ſurge:] Alibi, infremuit in ſpiritu, & fleuit, & ruſſus fremuit, & pòſt deinde voce magna exclamauit: Lazare veni foras.] Omnia itaque peccata ſiue iniqua conſuetudine obduruerint, ſiue ad opus externum proceſſerint, ſiue in ſolo interiori conſenſu ſe continuerint, cadaueribus notantur defunctorum, vt ſciamus ſummam eſſe cuiuſque peccati turpitudinem, ac deformitatem, quæ re apud nos fœdiſſima & horribiliſſima debuit præſignari.

Nec ſoli fructus & figuræ peccati, ſed etiam ipſius peccatoris affectus ipſum fœdiſſimũ eſſe declarãt. Nã peccator vt deformis & fœdus, ſe quantũ poteſt ab oculis humanis & diuinis abſcondit. Hinc illud: Omnis qui malè agit, odit lucẽ, & non venit ad lucem, *Ioan. 3. n.20.*
E vt non arguantur opera eius.] Quare iniquus auerſatur lucem? quare videri vel ab amiciſſimis erubeſcit, niſi quia ſe peccato turpem videt, & ſuam fœditatem ab aliis timet agnoſci? Hinc Adam à facie *Gen. 3. n.8.*
Domini venientis abſconditur, ne, qui pulcher conditus eſt, ab eo, qui ipſum creauit, non iam gratia formoſus, ſed inobedientiæ delicto turpis & deformis videatur. Hinc Dauid tot ambagibus adulte- *2. Reg. 12. n.12.*
rium ſuum celare contendit, quia ſemet ipſum regem amabilem, ac venerandum, propter peccatum,

turpem & abominabilem iudicauit. Hinc peccatoribus maximo probro datur, quòd peccatum ſuum, *Iſai. 3. n. 9.* quaſi Sodoma, prædicauerunt, nec abſconderunt: quaſi nunquam viſa, nec audita ſtultitia ſit de tam inſigni deformitate gloriari. Eſt igitur peccatum criminale fœdiſſimum, quod omnem aliam fœditatem & turpitudinem ſuperat. Eſt litura, quæ imaginem Dei naturæ hominis impreſſam inficit, & in gratia ac virtutibus poſitam ſimilitudinem delet. *Oſe. 9. n. 10.* Cuius cauſa de peccatoribus ſcriptum eſt: Quia abominabiles facti ſunt, ſicut ea quæ dilexerunt.] Eſt nubes atra, & obſcura, quæ fidei lucem obnubilat, & *Luc. 21. n.27.* eius decorem & gloriam abſcondit. Nam & filius hominis veniet in nubibus cœli cum poteſtate magna, vt ſe omnia peccata calcaſſe, & (quod ad ſe pertinuit) deſtruxiſſe declaret. Eſt rubigo, quæ animæ pulchritudinem tollit, ne in Dei habitationem aſſurgat. *Prou. 25. n.4.& 5.* De qua dictum eſt à Salomone: Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum. Aufer impietatem de vultu regis, & firmabitur iuſtitia thronus eius.] Quaſi impietas rubigo ſit, aut iuxta Hebraicam lectionem ſcoria, quæ à vultu Domini, ſiue à facie eius irata, abſcondi non poteſt, quam ſi non tollamus, regnum eius in nobis, aut domum regi ſummo congruam non extruemus. Denique peccatum non iam deforme eſt, ſed ipſamet deformitas, atque turpitudo. Vnde Saluator apud Ioannem ait; *Apoc. 16. num. 15.* Beatus, qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.] Nudus *Ambro. ibid.* eſt, inquit Ambroſius, qui à bonis operibus alienus exiſtit. Nudi impij ambulant, cùm ad diem iudicij à bonis operibus vacui deducentur. Et ideo turpitudo illorum videbitur, quia & Angelis & hominibus eorum ſcelera manifeſtabuntur.] Mirum eſt ſanè quòd homo tantam fœditatem non horreat, & illa circundatus, & obuolutus, comedat, bibat, dormiat, ambulet, & inter homines conuerſetur, & in illos, qui eum à peccatis abducunt, quaſi in direptores ſuorum bonorum inſurgat. Cuinam rei tam lugenda hominis ſtultitia deputanda eſt, niſi inſipientiæ, & cæcitati, quam ex ipſo peccato contraxit, qua com- *Pſal. 48. nu.13.& 21.* paratus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis?

Peccatum mortale fugiendum eſſe ob pœnam, quam promeretur.

CAP. IV.

MALVM culpæ (ipſa etiam natura dictante, cui omnes nationes gentéſque conſentiunt) pœna dignum eſt. Æquiſſimum eſt enim vt Deus vltimus finis hominis, & omnium actionum eius, actum non relatum ad ſemet ipſum, & auferentem honorem ſuum, debita punitione caſtiget. Iuſtiſſimum eſt etiam, vt ille, qui gubernator eſt vniuerſi, ac præcipuè creaturarum rationalium rector, eorum bona geſta præmio; & impia facinora, pœna & flagellis afficiat, vt ſuæ prouidentiæ ſatisfaciat, & ſe habere rerum humanarum curam oſtendat. Atque vt *Eccl. 12. num. 14.* Salomon ait: Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum illud ſit.] Vniuerſa, inquam, ſiue bona, ſiue mala, ſiue omiſſiones bonorum, adducet Deus in examen æquitatis ſuæ, vt cuiuſque actionis, etiam bonæ, ſi quod habeat erratum ſaltem præpoſteræ intentionis, expendat, & pro eo conuenientem pœnam infligat. Sicut enim bona opera, exigente prouidentia Dei, ſine mercede non manent; ita & actiones malæ

A cuiuſcunque ſint, ſiue regis, ſiue ſerui, ſiue magni, ſiue puſilli, pœna & dolore carere non poſſunt. Quamobrem omne peccatum optimè in Scripturis ſanctis clamor vocatus eſt, quòd diuinam iram prouocet, & ſua malitia, quaſi vocibus atque clamoribus, vindictam & vltionem expoſcat. Clamor Sodomorum, *Geneſ 18. num. 20.* ait Dominus, & Gomorrhę, multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.] Quare clamor multiplicatur, niſi quia peccatum aggrauatur? Quaſi idem ſit peccatum augere, & vocem vindictam depoſcentem extollere. De vinea quoque Domini Sabaoth dictum eſt: Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniqui- *Iſai. 5. n. 7.* tas: & iuſtitiam, & ecce clamor.] Si enim iuſtitiæ B iniuſtitia & peccatum opponitur, quam ob cauſam eius contrarium clamor eſſe dicitur, niſi quia omne delictum clamoris nomine intelligendum eſt, quod non vtcumque, ſed importunè vociferetur, & quaſi per vim, ab eo, cuius proprium eſt miſereri, pœnam & vltionem extorqueat? At tandem ſanctus Dauid hunc loquendi modum non refugit, dicens: Quo- *Pſal. 31. n.3.* niam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die.] Nam ſi quis dubitat quonam pacto Dauid potuerit ſimul tacere, & clamare; audiat Grego- *Grego. in Pſal. 2. ex Pœnitentia.* rium ſcribentem: Ille tacet nimirum, & clamat, qui peccata quidem ſua ſilentio contegit, merita verò per vocem magnificationis extollit. Aut certè ille tacet, & clamat, qui peccata quidem præterita per confeſſionem non annunciat, & per cor impœnitens C alia committere accepta peccandi libertate non ceſſat.] Clamat itaque peccatum, clamat iniquitas, quandiu per pœnitentiam non deletur, & clamat non miſericordiam petens, ſed iram, ſed vltionem, ſed pœnam expoſcens.

Pœnas autem terribiles peccato deſtinatas ad duo genera reuocare poſſumus: nam quædam pœnæ in hac vita, quædam in futura peccatoribus decernuntur. In hac vita peccator primo conſcientiæ ſtimulis cruciatur, & nimiis timoribus ac triſtitiis vrgetur. Non ceſſat illa quotidie, immo ſingulis momentis miſerum peccatorem reprehendere, & ad emendationem excitare. Cur, inquit ipſa, (vt nunc verba *Ephram ſerm. de perturbationibus animi.* Ephræm interſeram) te ſobrium ac vigilantem non præbes miſer? An ignoras aduenisse & appropin- D quaſſe diem horribilis iudicij, quo cuncta declarantur? Reſurge tanquam potens, dirumpe vincula tua, in te ſolutionis atque ligaminis eſt poteſtas.] Hæc, & alia ſimilia peccator ſæpe audiens, nec monitis parens, mirum eſt quantis triſtitiis & doloribus crucietur. Glutit ille quidem buccellam impuriſſimæ voluptatis, ſed tot preſſuris & amaritudinibus inuolutam, vt præ inquietudine & timore fere voluptatem non ſentiat. Sicut enim qui cogeretur guttulam mellis in magnum vas fellis & abſinthij iniectam potare, non dulcedinem ſed amarorem ſentiret: ita qui modicam & vmbratilem peccati dulcedinem tot angoribus, & conſcientiæ accuſationibus circundatam bibit, concupitam ſuauitatem experiri non valet. Arguet te malitia tua, inquit Ieremias, & auer- *Ierem. 2. num. 19.* E ſio tua increpabit te:] quia videlicet conſcientia iniquitate fœdata ſtatim ſe conſpurcantem arguit, & in ſuum pupillum tantum ſcelus admittentem increpationum flagellis inſurgit. Quod & Dominus Cain *Gene. 4. num.7.* monens, ita futurum eſſe promiſit: Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit?] Quid eſt, peccatum, id eſt punitio peccati, ſtatim aderit, niſi quòd, vt immanis leo pro foribus tuis, ô peccator, accubabit, vt te ipſum exterreat, & conſcientiæ vocibus de æterna pœna parata

moneat,& ob Deum offenſum,implacabiliter reprehendat? Iſta autem prima peccati pœna non multùm diùque differtur,ſed ab ipſa admiſſione peccati mentem diſcerpit. Sicut enim vipera dilacerato materno vtero naſcitur; ita peccatum animam ipſam perdens atque diſcindens egreditur. Quanta autem ſit iſta afflictio, Auguſtinus ex parte patefecit,ita ſcribens: Peccatoribus non eſt locus in his, quæ foris ſunt, quia ibi patiuntur tribulationes, vbi conſcientia illos non conſolatur. Non eſt bene illis ſecum, quia bene eſſe cum malo non poteſt. Quiſquis autem malus eſt,malè ſecum eſt. Torqueatur neceſſe eſt ſibi, ſe ipſo tormento. Ipſe eſt enim pœna ſua, quem torquet conſcientia ſua. Fugit ab inimico, quò potuerit,à ſe quò fugiet?] Et quidem hoc tormentum interius, quod peccatores patiuntur,in cauſa eſt,vt extra ſe ad res creatas exeant, & per varia ſolatia exteriora interioris moleſtiæ leuamen inquirant. Vt enim quidam dixit, Tria ſunt, quæ hominem eiiciunt è domo ſua, fumus, ſtillicidium,& mala vxor. Fumant verò peccata,vt Bernardus ait,nullo miſericordiæ ſtudio, nullis lacrymarum vndis extincta, & fumus ille teterrimus,& intolerabilis. Malignatur voluntas ipſo neglectu quotidie deterius ſemet ipſa. Stillat superni iudicis indignatio ex defectu vtique charitatis, quæ ſola operit multitudinem peccatorum. Egrediatur vtique foras neceſſe eſt, & curioſiùs exteriora conſideret, qui ſic interna deſpicit, præterita non reſpicit, præſentia non inſpicit, futura non proſpicit.] At in exteriora cogitationibus & deſideriis effuſi, putas quia pacem & conſolationem inueniunt? Nullo modo: Nam creaturæ Deo fideles animam,ipſas ceu idola venerantem, & cum ipſis adulterantem,à ſemet ipſis non ſine indignatione repellunt. Nec ſuſtinent hoſtibus vniuerſalis Domini,ſcilicet peccatoribus,ſolatium aut quietem tribuere,vt ad ſuum redeant creatorem. Peccator igitur in conſcientia ſpinas inuenit, quia peccatum ſpina eſt,vt ait Gregorius, quæ dum trahit ad delectationem,quaſi pungendo lacerat mentem.] De qua ſpina etiam dictum eſt: Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.] In rebus quoque exterioribus tribulos reperit,nam maledictio Domini eſt peccatorem mulctans: Terra ſpinas, & tribulos germinabit tibi.] Nullam ergo requiem habet,ſed pœnam conſcientiæ pungentis, & rerum ipſum ſua inanitate deludentium continuò ſentit.

Aug. ad Pſal. 36. in illud, Quoniam peccatores.

Bern. ſer. de ſeptem donis.

Gregor. 2. Mor. c. 9.

Pſal. 31. n. 4.

Geneſ. 3. num. 18.

Ex anima verò peccatoris ad eius corpus altera pœna in hac vita dimanat; nec enim vllum eſt peccatum,quod corpus non lædat, & aliquo modo à recto ſtatu dimoueat. Peccatum ſuperbiæ, corpus inflat,vocem & inceſſum immutat, & partim ridicula, partim lugenda in operibus arrogantis oſtendit. Superbis enim, vt inquit Gregorius, ineſt clamor in locutione,amaritudo in ſilentio, diſſolutio in hilaritate,furor in triſtitia,inhoneſtas in actione,honeſtas in imagine, erectio in inceſſu, rancor in reſponſione. Peccatum auaritiæ corpus extenuat,quod ne marſupium euacuet, neceſſariis alimentis & indumentis priuat. Quare auarus in Eccleſiaſtico dicitur: Homo marcidus,egens recuperatione.]Et rurſus: Auaro nihil eſt ſceleſtius,] quia non ſolùm alios, ſed ſe ipſum quoque bonorum participatione facit extortem. Peccatum luxuriæ corpus exedit,atque conſumit, vt fœtidam ac miſerabilem ſenectutem affert. Eſt namque luxuria beſtia illa viſa à Daniele in ſimilitudinem vrſi tribus ordinibus dentium inſtructa, cui dictum eſt: Surge, comede carnes plurimas.] Quoniam corpora plurimorum nobilium & ignobilium,virorum & fœminarum, deuorat, & putredine

Greg. 34. Mor. c. 20.

Eccle. 11. n. 12.

Eccle. 10. n. 9.

Dani. 7. num. 5.

A ac ſanie corrumpit. Peccatum inuidiæ,corpus tabefacit,& quemadmodum Baſilius ait; inſtar veneni ſe poſſidentes deuaſtat. Aſpectus inuidis, ait idem ſanctus Pater, eſt aridus, & obſcurus,gena ſubtriſtis, ſupercilium demiſſum, anima ipſo morbo ſuffuſa, prudentiam in dignoſcenda veritate minimè habens. Peccatum gulæ corpus grauat, morbos generat,vitam abbreuiat.] Vnde Eccleſiaſticus ſalubriter monet: Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam: in multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vſque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adiiciet vitam.] Peccatum iræ,corpus accendit, & quaſi furiis exagitat, & ad ſimilitudinem amentium effrænatè mouet.
B De quo inquit Chryſoſtomus: Quis tortor ita laniare latera poterat? Quæ ignita tela corpus ita perforarent? Quis furor ex naturalibus ita ſenſibus excedere facit,ſicut furor, & iræ conſternatio? Noui multos ex ira morbos incurriſſe, & febrium difficillimæ præſertim hæ ſunt.] Meritò profectò antiqui Philoſophi ſola ratione ducti iratis hoc remedium adhibuerunt,vt ſe furore percitos in ſpeculo aſpicerent,quo inſanas faciei ſuæ motiones videntes,vel ſic erubeſcerent, & ab iracundia temperarent. Peccatum accediæ oſſa ipſa conſumit: Nam [ſpiritus triſtis exiccat oſſa,]& vitam ſtudiis rerum ſpiritualium iocundam in angorem vertit, otioſitate putrefacit,& ſi aliquis à ſomno otioſitatis excutiat, rabie & indignatione dilaniat. Omnia hæc peccata iuſtitia Dei,
C peſte, fame, & bello, in regnis, & nationibus ſe illis ſubdentibus, punit. Eius namque verba ſunt illa apud Ezechielem: Immittam in vos famem, & beſtias peſſimas vſque ad internecionem: & peſtilentia & ſanguis tranſibit per te, & gladium inducam ſuper te.] In particularibus autem hominibus bonorum temporalium amiſſione, famæ denigratione, morbis, doloribus, vulneribúſque caſtigat. Sæpe etiam miſeros peccatores ſubita ac intempeſtiua morte præripit, vt indigni vita non viuant, & morte digniſſimi cum temporali morte æternam quoque perſentiant. Viri etenim ſanguinum, & doloſi,non dimidiabunt dies ſuos:] quibus, tu iuſte iudex ſubitam mortem infers, vt inquit Baſilius, non permittens vt ſperatum tempus viuendo aſſequantur.

Baſil. ſer. de Inuidia.

Eccl. 37. num. 32. 33. 34.

Chryſoſt. hom. 29. ad pop.

Senec. 2. de ira. c. 36. & Plutar. lib. de iracun. cohibenda.

Prou. 17. n. 22.

Ezech. 5. n. 17.

Pſal. 54. num. 24.

Baſil. ibid.

D At ante peccatorum mortem alia pœna, & quidem omnibus ſuprà dictis grauiori, in eos, ſi non reſipiſcant, ſeueriſſimè animaduertit. Illos enim ex vno peccato in aliud, & ex vno flagitio in aliud peſtilentius præcipitari ſinit, vt ſemper de malo in peius cadant, & debita debitis accumulantes incredibiles pœnas ſuſtineant. De hac re Gregorium copioſè loquentem audiamus. Prioris,ait,peccati merito,peccatorum ſubſequentium fouea regitur,vt qui malum ſciens perpetrat, deinceps iuſtè in aliis neſciens cadat. Hoc quippe agitur, vt culpæ culpis feriantur, quatenus ſupplicia fiant peccantium ipſa incrementa vitiorum. Nam,quia omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus indulget: quod tamen humana malitia ad vſum ſuæ iniquitatis intorquet, nimirum iuſto
E Dei iudicio,augeri culpa permittitur,vt ad feriendum altiùs quandoque cumuletur. Hinc enim rurſum de quibuſdam Apoſtolus dicit: Vt impleant peccata ſua ſemper.] Hinc voce Euangelica Ioanni dicitur: Qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.] Hinc Dauid ait: Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in iuſtitiam tuam.] Hinc rurſum de Domino ab eodem Pſalmiſta dicitur: Immiſſiones per Angelos malos,viam fecit ſemitæ iræ ſuæ.] Cor quippe

Greg. 25. Mor. c. 9.

1. Theſ. 2. n. 16.

Apoc. 22. n. 11.

Pſal. 68. n. 28.

Pſal. 77. n. 49. & 50.

Dominus

Dominus prioribus meritis aggrauatum iuſtè permittit etiam ſubſequentibus malignorum ſpirituum perſuaſionibus falli, quod cùm dignè in culpa trahitur, reatus eius in pœna cumulatur. Vnde & iræ ſuæ Dominus viam de ſemita feciſſe perhibetur. Latior enim eſt via quàm ſemita. Ex ſemita verò iræ ſuæ viam facere, eſt iræ cauſas diſtrictè iudicando dilatare; Vt, qui illuminati agere rectè noluerunt, iuſtè cæcati adhuc faciant vnde ampliùs puniri mereantur. Hæc, & alia multa in hanc ſententiam Gregorius; in quam etiam conſpirat Chryſoſtomus, in hunc

Chryſoſt. hom. de Adã, & Heua. eſt poſt Gen. 30.1.

modum ſcribens: Cùm dicitur homo tradi deſideriis ſuis, ex ipſa propagine fit reus: quia deſertus à Deo cedit cupiditatibus, atque conſentit, vincitur, capitur, trahitur, poſſidetur. A quo enim quis deuictus

B

2. Petr. 2. n. 19. Rom. 2.

eſt, huic & ſeruus addictus eſt,] & fit ei peccatum conſequens præcedentis pœna peccati. An non eſt peccatum, & pœna peccati, vbi legitur: Dominus enim immiſit eis ſpiritum erroris, vt faciant quæ non conueniunt, ſicut ſeducitur ebrius? An non eſt peccatum, & pœna peccati, vbi Deo dicit Propheta:

Iſai. 63. n. 17.

Quid errare feciſti nos de via tua, obduraſti corda noſtra, vt non timeremus te?] An non eſt peccatum, & pœna peccati, vbi dicitur Deo:

Iſai. 64. n. 5. & 6.

Ecce tu iratus es, & peccauimus, propterea errauimus, & facti ſumus ſicut immundi omnes?] An non eſt peccatum, & pœna peccati, vbi legitur de gentibus, quas debellauit Ieſus Naue:

Ioſue. 20.

Quia per Dominum factum eſt confirmari cor eorum, vt obuiam irent ad bellum Iſrael vt exterminarentur? An non eſt peccatum, &

C

3. Reg. 12. n. 15.

pœna peccati quòd non audiuit Roboam rex plebem bene monentem? Quia ſicut ſcriptura loquitur, erat conuerſio à Domino, vt ſtatueret verbum ſuum, quod ei loquutus eſt in manu Prophetæ. Et multa alia commemorare poſſumus, in quibus liquidò apparet, occulto Dei iudicio fieri, peruerſitate cordis, vt non audiant, quod verum dicitur, & inde peccetur, & ſit ipſum peccatum præcedentis etiam pœna peccati. Hæc Chryſoſtomus.] Sicut ergo ſolet pater familias furem iam ſua diligentia non potentem fugere, nec domo exire, pro libito, ſinere, vt plura furetur, & in ſinu ac in ſacco recondat, quò comprehenſum ſeueriùs puniat, & euidentiùs de furto conuincat: ita Dominus ſinit peccatorem, qui haud dubiè ſuam iuſtitiam non fugiet, vt magis ac

D

magis peccet, & flagitia flagitiis accumulet, quo tandem malis bene oneratum, immenſis ſupplicis bene oneret, & pro iniquitatis menſura, cruciatus & pœnas inſtigat.

Hanc peccandi conſuetudinem, quæ pœna eſt acerbiſſima, qua infœlix peccator propter priora delicta (Deo ita permittente) in alia peccata raptatur, mox alia pœna ſubſequitur, nempe cordis durities, & inſenſibilitas, nec iſta mala ſentiens, nec æterna, quæ impios non reſipiſcentes manent, pertimeſcens. Cadunt igitur ex iteratione peccati in cor durum, de

Eccleſ. 3. n. 27.

quo ſcriptum eſt: Cor durum malè habebit in nouiſſimo.] Cadunt in cor lapideum, quod Dominus ablaturus eſt, & cor carneum daturus, vt peccator poſſit ab æterna damnatione liberari. Nam auferam

Ezechiel. 36. n. 26.

E

cor lapideum de carne veſtra, ait, & dabo vobis cor carneum.] Cadunt in cor ſaxeum, quod non recipit ſemen verbi Dei, ſed natum aruit, quia durum cor non habebat humorem. Qui autem vult intelligere quod ſit cor durum, audiat Bernardum ita ſcribentem:

Bern. 1. de conſiderat.

Ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia eſt, ad conſilia infidum, ad iudicia ſæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina: præteritorum obliuiſcens, præſentium negligens, futura non prouidens. Ipſum eſt, cui præteritorum præter ſolas iniurias nihil omnino non præterit, præſentium nihil non perit, futurorum nulla, niſi forte ad vlciſcendum, proſpectio ſeu præparatio eſt. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipſum eſt, quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.] Duri cordis typus fuit Pharao, de quo legimus: Induratum eſt cor Pharaonis, & non audiuit eos, ſcilicet Moyſem, & Aaron, ſicut præceperat Dominus.]

Exodi. 7. num. 13.

O quantos nunc habet mundus Pharaones, id eſt, peccatores obduratos, qui nec vocibus prædicatorum obtemperant, nec exemplis iuſtorum acquieſcunt, nec decem Ægypti plagis percuſſi molliuntur.

B

Ad emendationem illorum Dominus aquam fluminis vertit in ſanguinem, cùm tranſitoria, in quibus delectabantur, tædium illis generant, & concupitam voluptatem negant. Ranas mittit, cùm aduerſus eos, obtrectatores, & peccata ipſorum propalantes exſuſcitat: Ciniphes producit, cùm malæ conſcientiæ morſibus impetit: Muſcis inquietat, cùm immoderatis deſideriis tradit: Pecora occidit, cùm bona temporalia tollit. Inſuper vlceribus & veſicis replet, cùm ægritudinibus grauat: Fulguribus, tonitruis, & grandine terret, cùm immodicis timoribus cædit: Locuſtis perſequitur, cùm inſtabiles in nulla re conſiſtere ſinit: Tenebris obuoluit, cùm inſipientia & ſtultitia permittendo circundat: Et tandem primogenita interficit, cùm amicos, & filios, &

C

pignus chariſſimæ vxoris occidit. Et tamen illi obdurati, & ſaxis inſenſibiliores effecti, nec emendantur, nec corriguntur, nec cauſam tantorum malorum, ſcilicet peccata, dimittunt.

Poſt has pœnas, quæ ad iſtam vitam pertinent, peccatores, niſi reſipiſcant, æternis pœnis puniuntur, quarum acerbitatem & æternitatem, quia nos elingues ſumus, ipſi Angeli Apoſtatæ, & animæ reproborum edicant. Aut ſi ipſi nolunt ſuas pœnas aperire, nec ſua mala nunciare, vt nos vel malis, quæ impiis parata ſunt, erudiamur, ſaltem ea ſacra Scriptura proclamet. Ibi eſt terra tenebroſa, & operta mortis caligine. Ibi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.] Ibi fletus, & ſtridor dentium.] Ibi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.] Ibi pars illorum in ſtagno ardenti igni, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.] Ibi mittentur in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.] Ibi cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.]

Iob. 10. n. 21. 22.

Matth. 8. n. 12.

D

Marc. 9. n. 43.

Apoc. 21. n 8.

Matt. 25. n. 41.

Apoc. 20. n. 10.

Pœnæ illæ non ſolùm intolerabiles, ſed & homini in hac vita incomprehenſibiles ſunt. Illarum vna dicitur pœna ſenſus, qua miſeri damnati, omniũ ſenſuum & virium ſuarum cruciatum perſentient. Viſus, facies horribiles, corpora deformia, fumum, & ignem, & nebulam aſpiciet. Auditus, clamores, gemitus, ſuſpiria, & blaſphemias in Deum, ac contumelias in ipſum audientem illatas, audiet. Olfactus, fœtorem ſulphuris & omnium rerum teterrimarum hauriet. Guſtus, fel, & abſinthium, & omnia amara guſtabit. Tactus, ictibus, vulneribus, pla-

E

gis, dilacerationibus, fracturis oſſium, præcipitationibus punietur, & flammis inextinguibilis ignis ardebit. Senſus interni, phantaſmatibus horribilibus deludentur. Appetitus, rabie & abſentia omnium deſiderabilium cruciabuntur. Memoriam, importuna bonorum amiſſorum, & malorum præſentium recordatio, vinctam tenebit. Intellectum, cæcitas, & obſcuritas imago mortis, operiet. Voluntatem, obſtinatio, dolor, ac odium illigabit. Membra à cupitis motibus impedientur, & in æterno carcere, in ob-

ſcuris ergaſtulis,& in lectulis ferreis & igneis cruciabuntur. Altera dicitur pœna damni acerbior & terribilior, qua impij omni bono carebunt: nam ſeparatos & auulſos ſe videbunt à Deo, qui omne bonum eſt. Non habebunt vitam, ſed miſere viuendo morientur, quia Deus, quem non habent, vita eſt: nec ſalutem, quia Deus, quem non poſſident, ſalus eſt: nec honorem, quia Deus à quo elongantur, honor eſt: nec diuitias, quia Deus, quo carent, theſaurus eſt: nec voluptatem, quia Deus, cui nuncium remiſerunt, puriſſima delectatio eſt. Procul à beata paradiſi patria exulati, vt ait Bernardus, cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem viſuri, nunquam refrigerium adepturi, ſed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec inde vnquam liberandi. Vbi nec qui torquet aliquando fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur. Sic enim ignis ibi conſumit, vt ſemper reſeruet: ſic tormenta aguntur, vt ſemper renouentur.] Iſtæ pœnæ miſeros peccatores poſt hanc vitam expectant, vt ſicut iuſti in hac vita luce bonæ conſcientiæ, & ſpe futurorum bonorum, & in futura inamiſſibili eorum poſſeſſione conſolantur; ita impij in hac vita triſti inquietudine, & in futura æterna pœnarũ multitudine crucientur.

Bern.

Sed cur Deus, qui miſericors eſt, in miſeros peccatores tot pœnas & tormenta congeſſit? Certè quia iuſtus eſt, nec iuſtitia eius miſericordiam tollit, nec miſericordia eius iuſtitiam, & debitam vltionem ab impijs auertit. In qua tamen vltione miſericordia non deficit. Si enim vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas, hęc via, ſiue hoc opus Domini, quo impios punit, & damnatos caſtigat; ita eſt opus iuſtitiæ, vt in eo miſericordia non deficiat. Puniuntur namque peccatores citra condignũ, vt Thomas ait, quia tanta eſt maieſtas, & dignitas Omnipotentis Dei, vt iniuriæ in eum admiſſæ, nec tam atrocibus pœnis, & in æternum durantibus, ſufficienter puniantur. Non poteſt imbecillitas humanæ intelligentiæ malitiam peccati comprehendere: quam ſi comprehendiſſet, pœnas multo maiores peccatoribus deſtinatas, comparatione delictorum leuiſſimas ac minimas iudicaſſet. Cùm diuinam pulchritudinem facie ad faciem viderit, tunc Dei miſericordiam, & bonitatem in remittendis ex parte, ac relaxandis damnatorum pœnis, agnoſcet. Tunc lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictam,] & vltionem eſſe minorem peccato cognoſcens, & omnem opinionem nimiæ ſeueritatis perfectè deponens, [manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.] Interim tamen dum ab hac regione obſcuritatis, atque mendacij, ad terram claritatis & veritatis venimus, quàm digni ſint peccatores æternis & intolerabilibus pœnis, poſſumus ex ratione Lactantij colligere: Is ſic habet: Si ſeruorum nequiſſimus habetur, qui dominum ſuum fuga deſerit; iſque verberibus, & vinculis, & ergaſtulo, & cruce, & omni malo digniſſimus iudicatur; &, ſi filius eodem modo perditus atque impius exiſtimatur, qui patrem ſuum derelinquit, ne illi obſequatur, ob eámque cauſam dignus putatur, qui ſit exhæres, & cuius nomen in perpetuum de familia deleatur: quanto magis qui Deum deſerit, in quem duo vocabula domini & patris æquè veneranda conueniunt? Nam ille qui ſeruum pretio comparat, quid in eum beneficij confert, præterquam alimenta, quæ illi vtilitatis ſuæ gratia ſubminiſtrat? Et qui filium generat, non habet poteſtatem, vt concipiatur, vt naſcatur vt viuat. Vnde apparet non eſſe illum patrem, ſed tantummodo generandi miniſtrum. Quibus ergo ſupplicijs dignus eſt deſertor eius, qui & dominus verus, & pater eſt, niſi quæ Deus ipſe conſtituit? Qui ſpiritibus in-

Pſal. 24. nu. 10.

D.Tho. 1. p. q. 21. art. 4.

Pſal. 57. n. 11.

Lactan. 5. de diuin. iuſtitia. c. 19.

A iuſtis æternum parauit ignem, quod ipſe per vates ſuos impijs ac rebellibus comminatur.] His tu conſiderationi adiice, Deus quis, quantúſque ſit dominus, & homo quàm vilis ſeruus; ille quàm benignus pater, hic verò quàm ingratus & prodigus filius, qui non ſemel ſed millies eius bona dilapidat: expende quoque qualis ſit offenſa in Dei maieſtatem illata, ob quam cauſam, & quàm ſine fuco, ac ſine excuſationis colore patrata, & videbis luce clariùs in immenſum omnem punitionem ſibi irrogatã ſuperare.

In deteſtatione peccati mortalis incipiendum eſſe à cognitione propriæ imbecillitatis, itémque à timore, & ſpe.

B

CAP. V.

HIs, & alijs ſimilibus (nam plurima alia adduci poſſent) inueſtiganda eſt nequitia lethalis peccati, & inſpiciendum quàm obſcura & tetra ſit eius facies, quàm interiora eius ſunt plena dolo, quales fructus procreet, & quantas ſtrages calamitateſque progignat, & ex iſta inquiſitione ſanè perutili, via ad eius deteſtationem odiúmque paratur. Nam voluntas humana, quæ in bonum naturaliter tendit, ſicut auris in ſonum, & oculus in colorem; ſicut ea diligit, quæ ſibi offeruntur pulchritudine, honeſtate, & C vtilitate veſtita; ita ea odio habet, quæ ſibi fœditate, turpitudine, & doloribus circundata demonſtrantur. Peccati autem deteſtatio in homine à cognitione propriæ imbecillitatis incipiat neceſſe eſt, qua ſcilicet mens in recta & certa fide fundata, cognoſcat peccati deletionem, & impij iuſtificationem, opus Dei eſſe, hominis conatum non excludentis, immo depoſcentis omnino, & ab illo atque eius gratia initia totius huius operis dimanare. Iuſtificationem enim opus Dei eſſe vtriuſque teſtamenti paginæ apertè proclamant. Dauid enim ait: Deus virtutum conuerte nos,] quia nos animas noſtras conuertere non valemus: [oſtende faciem tuam,] ac benignitatem tuam in noſtram exiguitatem exerce, [& ſalui erimus.] Et Ieremias: Conuerte me Domine, D & conuertar,] & à te hoc opus meæ liberationis incipiat, [quia tu es Dominus Deus meus.] Et rurſus: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur; innoua dies noſtros ſicut à principio,] vt ſcilicet ad gratiam perditam redeamus. Dominus ipſe quoque per Ioannem ait: Nemo poteſt venire ad me,] greſſibus nimirum animæ, ac mentis affectibus, [niſi pater, qui miſit me, ſua gratia traxerit eum.] Paulus verò: Ipſe eſt qui operatur in nobis & velle, & perficere;] immo & cogitare: neque enim ex nobis poſſumus prima iuſtitiæ ſemina, id eſt, bonam, de reditu ad domum paternam, cogitationem habere: quia non ſumus [ſufficientes cogitare aliquid à nobis,] quaſi ex pharetra noſtra illius bonæ cogitationis ſagitta naſcatur, [ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.] Et quidem non ſo- E lùm ita generaliter, ſed etiam ſpeciatim ſacræ litteræ Deo vniuerſa opera iuſtificationis attribuunt: Vt homo à peccato reſurgat, neceſſaria eſt fides? Sed [Patrem nemo nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare;] & diuina myſteria Pater reuelat paruulis; & Petro Chriſti diuinitatem [non reuelauit caro, & ſanguis, ſed Pater, qui in cœlis eſt.] Eſt neceſſarius timor? Sed timorem meum, inquit, dabo in corde eorum, vt non recedant à me.] Eſt neceſſaria ſpes? Sed Deus vocatur à Paulo Deus ſpei, qui replet nos

Pſal. 79. 20.

Ierem. 31. 18.

Oratio Ierem. n. 21.

Ioan. 6. 44.

Philip. 2. 13.

2. Corin. 3. n. 5.

Matt. 11. 27. ibi. n. 25.

Matt. 16. nu. 17.

Iere. 32. 40.

Rom. 15. 13.

omni

A

omni gaudio, vt ſciamos quoniam ipſe eſt, qui hominum corda in ſpem erigit, & fiduciam veniæ impetrandæ promittit. Eſt neceſſarius dolor de peccato? Sed gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam.] Et [benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.] Eſt neceſſaria charitas? Sed [dilectio ex Deo eſt.] Et [diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.] Non ergo humana fragilitas rebellet aduerſus potentiam, & miſericordiam Dei, ſed ab eo accipiat ſuæ conuerſionis initium, vt omnis boni, ac præſertim tanti boni, Deum authorem eſſe cognoſcat.

Act. 11. n. 18. Rom. 2. n. 4. 1. Ioan. 4. n. 7. Rom. 5. n. 5.

Sed quanam ratione poterit homo ſibi ſuam conuerſionem arrogare? Quis potens eſt inſolubilibus vinculis peccatorum constrictum diſſoluere, niſi ille qui ſoluit compeditos? Quis ab oculis animæ caliginem iniquitatis auertere, niſi ille qui illuminat cæcos? Quis membra confracta, & vires dilaceratas integras reddere, niſi ille, qui erigit eliſos? Quis peccatores aquis impietatis immerſos educere, vt diligat eos, niſi ille qui diligit iuſtos? An poteſt ægrotus, & omni medicamento carens, ſe ipſum ſanare? Dæmonis catenis implicitum ſe ipſum expedire, cùm impotens ſit? Et mortuus, ac in ſepulcro iacens, ſe ipſum ſuſcitare? Profectò non tantùm vitæ ſanctitas, & gloriæ merces donum Dei eſt, ſed etiam prima conuerſio tanquam donum magnum, & initium aliorum anima ab eius liberalitate & miſericordia recipit. Nã triplex, vt Bernardus ait, nobis neceſſaria eſt benedictio; præueniens, adiuuans, & conſummans. Prima, miſericordiæ; ſecunda, gratiæ; tertia, gloriæ: præuenit miſericordia conuerſionẽ; adiuuat gratia conuerſationem; perficit gloria conſummationem. Verùm in his tribus non immeritò dulciùs ſapit ea quæ non modò immeritos, ſed & malè meritos præuenit, vt dũ adhuc ſumus filij iræ, & operamur opera mortis, ipſe cogitet ſuper nos cogitationes pacis, & ne petentibus quidem, immo & impetentibus, non inuocantibus, ſed prouocantibus, non interpellantibus ſed repellentibus, ſpiritum bonum, ſpiritum vitæ, adoptionis ſpiritum largiatur. Quid illi animæ dulcius, cui miſericordia tanta non ſapit?] Hæc quidem miſeratio Dei eſt, & miſeratio dulcis, quæ peccatorem à felle amaritudinis & iniquitatis abductum, in gratiæ ſuauitatem admittit. Ipſe iuſtitiæ ciuitatem ædificat, ipſe extructam ſua protectione cuſtodit, ipſe viam ad quærendam iſtam ciuitatem, & ad optandam eius extructionem, oſtendit. Sapienter namque Ambroſius ait: illum Pſalmi verſum: Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam,] ad hominis iuſtificationem applicans: Audeo etiam ego dicere, quòd homo viam non poſſit adoriri, niſi Dominum habeat præuiãtem. Vnde ſcriptum eſt: Poſt Dominum tuum ambulabis:] Et, A Domino diriguntur viæ viri.] Denique ille perfectior, qui intelligeret ſe ſine Deo ambulare non poſſe.] Id omnino intelligat homo, & ſe potentem ad peccatum, impotentem verò ſine Deo authore iuſtitiæ ad iuſtitiam agnoſcat. Homines enim poſt lapſum Adæ, infirma ac imbecilla potentia potentes ſunt vt delinquant, vt cadant, vt ſe in barathrum inferni præcipitent: de quibus dicit Iſaias: Væ, qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem:] at infirmi omnino ſunt ſine Deo, vt à fouea impietatis reſurgant. Quod & ſanctus Dauid confitetur, dicens: Deus meus, miſericordia eius præueniet me.] Et Auguſtinus: Hæc eſt humanæ voluntatis natura, vt ad malum quidem eius prior ſit, ad bonum verò eius prior ſit voluntas Creatoris eius, ſiue vt eam faceret, quæ nulla erat, ſiue vt reficeret, quæ lapſa perierat.

Pſal. 145. 8. Bern. ſer. 19. Pſal. 126. n. 1. Ambr. li. in Lucã. Oſe. 11. n. 10. Prou. 20. n. 24. Iſa. 5. 22. Pſal. 58. 11. Aug. lib. 2. contra duas ep. Pelag. c. 9.

B C D E

Non tamen iuſtificatio hominis ita eſt opus Dei, vt noſtrum laborem, & cooperationem excludat, immo illam omnino gratiam ſequentem, & ei cooperantem efflagitat. Vt enim Hieronymus ait: Vult Deus ſaluari omnes, & in agnitionem veritatis venire. Sed quia nullus abſque propria volũtate ſaluatur (liberi enim arbitrij ſumus) vult nos bonum velle, vt cùm voluerimus, velit in nobis & ipſe ſuum complere deſiderium.] Id quidem ſonant ſacrarum litterarum verba, quæ à nobis conuerſionem, & reditum ad Dominum exigunt. Qualia ſunt illa Ezechielis: Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris.] Et illa Iſaiæ: Conuertimini, ſicut in profundum receſſeratis.] Atque illa Domini Saluatoris: Pœnitẽtiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum.] Id etiam indicat nomen inditum Domino, quo eum adiutorem noſtrum vocamus, & in adiutorium noſtrum interpellamus. Domine, inquit Dauid, adiutor meus, & redemptor meus.] Et, Adiutor meus, ne derelinquas me, neque deſpicias me.] Et iterum: Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum.] Iſtud, inquam, adiutoris nomen ſatis noſtram cooperationem inſinuat. Quoniam, vt Auguſtinus ait: Neque adiuuari poteſt, niſi qui aliquid ſponte conatur: quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis, in quorum natura voluntatem, rationémque non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis.] Ac tandem ſi nos non cooperaremur actioni miſerentis Dei, nequaquam digni laude ac remuneratione cenſeremur, quia nemo, niſi de eo, quod ipſe ſponte agit, & bene agit, iure laudatur.

Hieron. in ep. ſo. lam ad Tim. c. 2. Ezech. 18. n. 30. Iſa. 31. n. 6. Matth. 3. n. 2. Pſal. 18. 15. Pſal. 26. n. 9. Pſal. 43. n. 26. Auguſt. 2. de pecc. meritis, & remiſſ. c. 5.

Ex hac autem Catholica veritate duo ſcitu valde neceſſaria nobis colligenda ſunt. Alterum eſt, peccatorem debere magno feruore ad Deum recurrere, eúmque precibus & gemitibus exorare, vt ipſum iacentem in cœno peccati erigat, ad ſe trahat, actibus ſupernaturalibus moueat, & à vinculis iniquitatis per gratiam gratum facientem expediat. Ab eo enim donum petendum eſt, in cuius poteſtate poſitum eſt illud donare; iuſtificationis autem beneficium Deo miſericorditer donante, conceditur, vnde æquum eſt vt ab ipſo poſtuletur. Dicat ergo peccator ad Dominum, quanto potuerit cordis affectu, illa verba Dauidis: In te Domine ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me. Inclina ad me aurem tuam, accelera, vt eruas me. Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt ſaluum me facias.] Aut alia ſimilia verba, non tam ore, quàm corde & affectu, pronuntiet, quibus petat à peccato liberari: certò ſciens, quia Dominus eſt, [qui tollit peccata mundi.] Ipſe eſt, qui tollit catenas peccatorum, vtique à manu, ab oculo, à collo, vt inquit Bernardus, demum etiam à carne ipſa, cui peccatum altiùs infixum eſt. Tollit peccatum è manibus, commiſſa peccata delens: tollit ab oculo, purgans cordis intentionem: tollit à collo, violentam remouens dominationem; ſicut ſcriptum eſt: Sceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian.] Tollit denique à carne, quia ipſe facit, vt non regnet peccatum in noſtro mortali corpore.] Si ipſe tollit peccata, & ſua potentia iniquitates diſſipat, orandus certè eſt, vt quod in aliis peccatoribus fecit, in nobis quóque perficiat. Alterum eſt, vt peccator hanc orationem fundens, diuinam gratiam nulli deficientem ſequatur, eique ſe diligentem comitem præbeat, & actibus ad conuerſionem ſuam neceſſariis ſedulò præſtandis inſiſtat. Et ſicut Iudas Machabæus primò cum ſuis clamauit in cœlum, vt Dominus eorum miſereretur,

Pſal. 30. n. 1. 2. 3. Ioan. 1. n. 29. Bern. ſer. 6 de Aduentu. Iſa. 9. n. 4. 1. Machab. 4. n. 10.

A & ſtatim cum hoſtibus Iſraelis animoſè pugnauit, & fauente Deo illos eiicit: ita homo priùs clamet ad Dominum, aduerſus peccata, eius gratiam & auxilium expoſcens, & ſtatim timore & ſpe, deteſtatione & amore, confeſſione & ſatisfactione debita, fuga occaſionum, & dignis actibus pœnitentiæ aduerſus peccata pugnet, & ſine dubio victor exiſtet.

De Timore. §. 1.

QVI ergo ſaluari vult, & à peccato liberari, à caſto timore Domini bellum iſtud incipiat. Nam timor efficaciſſimè facit peccata deſerere, & ea, quæ delectabant, abiicere. *Iob.31.n.23.* Quod ſanctus Iob apertè fatetur, dicens: Semper quaſi tumentes fluctus ſuper me timui Dominum, & pódus eius ferre nõ potui.] B Ac ſi diceret, hic timor, & pauor Dei fecit me ab amore illicito fugere, & ab iniuria puſillorum temperare. *Greg.21. Mor.c.17.* Fluctus enim cùm tumentes deſuper imminent, inquit Gregorius, cúmque eam, quam deferſit, mortem minantur, nulla tunc nauigantibus cura temporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur, ea ipſa quoque ex naui proiiciunt, pro quibus longa nauigia ſumpſerunt, cunctæ res in deſpectum mentis veniunt, amore viuendi. Quaſi ergo tumentes ſuper ſe fluctus Deum metuit, qui dum veram vitam deſiderat, omnia deſpicit, quæ hîc poſſidens portat.] Cùm autem timor Dei duplex à patribus diſtinguatur, alter ſeruilis, alter filialis, & quilibet eorum in duos alios diuidatur: nam eſt ſeruilis timor, qui timet propter pœnam incurſam; & ſeruilis timor, qui timet propter gloriam amiſſam: C & eſt filialis timor, qui metuit propter culpam patratam, non ſine reſpectu ad pœnam, qui dicitur initialis; & alius, qui tantùm metuit propter offenſam, & culpam in Deum ſummum bonum admiſſam: peccator in his timoribus ordinatè ſe exerceat, & ex primo per media ad poſtremum ac perfectum perueniat. Timeat itaque Deum principio propter incomparabilem pœnam, qua peccando ſe dignum, & debitorem fecit. *Matt.18.n.24.* Hæc enim pœna ſignata eſt à Domino per debitum decem millium talentorum, quam niſi ipſe dominus benignè condonet, ſeruus pauper & humilis non poteſt exoluere. Hunc autem timorem iſta breuiter ſuſcitabant: Primò conſideret homo fœditatem peccati, & eius malitiam, quam ſuprà deſcripſimus. D Secundò, pœnas maximas in ſacris Scripturis contentas, quibus Dominus in peccatores, vt in Angelos apoſtatas, & in primos parentes, & in plurimos alios animaduertit. Tertiò, calamitates, quas in regna, & in ciuitates, vt in illas Sodomorum, cauſa peccatorum immiſit. Quartò, mortis certitudinem, & acerbitatẽ. Quintò, diuini iudicij rigorem, & rectitudinem. Sextò, inferni, & pœnarum eius æternitatem. Septimò, Chriſti patientis & morientis angores. *Luc.23.n.31.* Nam ſi in viridi ligno talia facta ſunt, in arido quid fiet?] Octauò, infinitatem diuinæ iuſtitiæ, cui abſonum eſſet, tantæ maieſtatis offenſam, & tantam offenſam inultam & impunitam relinquere. De iſto primo timore hæc verba notanda ſunt apud Baſilium: *Baſil. in reg. Crebro.ad interrog. 209.* Si quando te ſenſeris ad aliquod cieri ac proſilire peccatum, mihi ad mentem reuoca formidabi- E le illud, nec vlli mortalium tolerabile Chriſti iudicium, in quo quidem præſidet iudex in alto & ſublimi throno: aſtabit porro creatura omnis prætrepida, & contremiſcens, ad illius glorioſum & illuſtrem aduentum, & ſinguli quique ſiſtentur, de his examinandi, quæ quiſque geſſit in viuis. Deinde, eos qui multa perperam in vita admiſerunt, horrendi quidem ac triſtes circumſtabunt angeli, ignem paratum contuentes, ignem expirantes, propter propoſiti A amarulentiam, vultum præferentes morti ſimilem, pro mœrore atque hominum odio. Subinde conſpiciunt barathrum in imum patens, tenebras impermeabiles quidem illas, ignem obſcurum, cauſticas vires habentem, luce deſtitutum. Inde vermium innumerabilium genus venenoſum, ac carniuorum, eſitans ſemper, nec tamen ſe exſatians, intolerabiles dolores morſibus infligens. Poſtremò omnium duriſſimam pœnam, probrum illud, & verecundiam ſempiternam.] His omnibus excitatur timor ſeruilis, quorum conſideratione curet homo affectum mouere, & voluntatem ſuam clauis metus, & horroris tantorum malorum, affigere.

Deinde timeat peccator propter inæſtimabilia dona gratiæ, & gloriæ, quæ Deum offendens abiecit. B Sicut enim ille homo, qui deſcendebat ab Hieruſalem in Hiericho, non tantùm vulneratus eſt à latronibus, & plagis repletus, ſed etiam ſpoliatus bonis ſuis; ita peccatum miſerum peccatorem non ſolùm vulnerauit, verùm & ab eo quoque omnia bona, excepta fide & ſpe, ſupernaturalia diripuit. *Luc.10.n.30.* Excitet itaque ſe ipſum peccator ad concipiendum timorem, conſiderans ſuis iniquitatibus quàm pretioſum gratiæ donum, quantas virtutes, quantos labores, & merita perdidit, & quomodo Dei viſionem ac æternam fruitionem, animæ & corporis gloriam, cœleſtem habitationem, & ſanctorum, ac Angelorum dulciſſimum conſortium amiſit. Timeátque eum, qui, niſi reſipiſcat, & à peccato diſcedat, poteſt in perpetuum, ſeruum ſibi rebellem omnibus his bonis priuare, & C pauperem ac miſerum derelinquere. Iſtum timorem ſecundum ex prædicta cauſa conceptum breuiter expoſuit Bernardus, dicens: Primus timor eſt, ne cruciemur in gehenna. Secundus, ne excluſi à viſione Dei priuemur tam inæſtimabili gloria.] *Bern. ſer. 2. Dominica 1. poſt Octauam Epiphaniæ.* Et Caſſianus de ſublimiori timore loquens, eius etiam mentionem fecit, dicens: Quiſquis in huius fuerit charitatis perfectione fundatus, neceſſe eſt vt ad illum ſublimiorem timorem gradu excellentiore conſcendat, quem non pœnarum terror, non cupido præmiorum, ſed amoris generat magnitudo.] *Caſſ. coll. 11.c.13.* Hic timor licèt ſeruilis ſit, & à primo nullo modo natura diſtinctus, tamen aliquo gradu eſt illo priori ſuperior, quia iam non vt mancipium videtur flagella ſpectare, ſed vt mercenarius nouit mercedis & præmij amiſſionem ti- D mere.

Timeat poſtea peccator altiori modo timore initiali, non tantùm propter pœnam incurſam, & gloriam amiſſam, ſed etiam propter offenſam, & culpam, quam in Deum ſuum conditorem admiſit. Ad hunc verò timorem non ſolùm prædictis excitatoriis, ſed iis quoque, quæ ſtatim ſubiiciemus, ſe ipſum excitet. Hoc enim habet hic initialis timor, vt Thomas ait, *22.q.19.art.2.* quòd ſimul pœnam, & culpam metuit, & propter vtrunque à peccato recedit. Quo timore pulſatus videtur ille prodigus filius cùm in domum patris redire decreuit. *Luc.15.17.18.19.* Quanti, inquit, mercenarij in domo patris mei abundant panibus:] ecce bona, quæ amiſit; [ego autem hîc fame pereo?] ecce mala, quæ incurrit: [ſurgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: E Pater peccaui in cœlum, & corã te:] ecce reſpectam culpam, qua diſcedendo à domo paterna ſuum genitorem offendit. De illóque videtur loquutus Bernardus, dum ita ait: *Ber. ſer. 4. ad ſororẽ.* Huic ſeruili timori ſuccedit tertius timor, videlicet initialis, quando homo incipit facere bonum propter dilectionem Dei, quod antea faciebat propter timorem inferni. De hoc initiali timore ait Dauid Propheta in Pſalmo: *Pſal.110.n.10.* Initium ſapientiæ timor Domini.] Initialis timor eſt, quando homo incipit amare Deum, quem antè timebat.] Iſtum

etiam

etiam timorem breuiſſimè & apertiſſimè deſcripſit Laurentius Iuſtinianus, dicens: Timor initialis eſt, quo timet quis Dei offenſam, & pœnam. Vnde quaſi habet duos oculos, vnum ad pœnam, & alterum ad Dei offenſam: & hic eſt prædictis principalior.] Hic timor non quidem ſeruorum, nec mercenariorum ſed filiorum eſt, vt Thomas ait, ſed filiorum incipientium eſt, & imperfectorum, quos paternus amor à culpa non auocat, niſi timor aliquis intercedat.

Iuſti. in ligno vitæ Trac. de Timore. c.5. *Thom. 1. ar. 8.*

Denique enitatur peccator timere Deum timore perfectiſſimo, ſcilicet timore filiali, quem tamen non niſi poſt adeptam charitatem conſequetur. Sed hoc loco eius mentionem facimus, ne iterum ad timoris ſpecies redeamus. Eſt autem timor filialis, quo quis à peccato diſcedit, non propter pœnam ſimul & culpam, quam, vt peſſimam, apprehendit, ſed propter Dei reuerentiam, & bonitatem, cui vult per omnia placere, & ne deſciſcat à poſſeſſione veri boni, & decore virtutis. Hunc excitabit homo, ſi conſideret malitiam peccati per ſe ipſam odibilem, & deteſtabilem, pulchritudinem virtutis per ſe ipſam amabilem, bonitatem Dei, ac eius infinitas perfectiones, propter quas eſt omni obedientia & obſequio digniſſimus, & immenſa beneficia in hominem collata, & innumera dona, quibus quotidie præuenit nos. Hic eſt Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi,] quem perfecta charitas foras non eiicit; ſed vt inſeparabilem effectum, ac chariſſimum filium, promouet, nutrit, atque conſummat. Ad eum incitantur ſancti etiam, atque perfecti; nam, Timete Dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum.] Et quidem Beatus Dorotheus propoſito timore ſeruili, quem ipſe iſagogicum, ſiue introductorium vocat, iſtum filialem timorem hac oratione deſcribit: Alter Deo in cunctis paret ex amore & beneuolentia in Deum, & in ipſum bonum atque virtutem, vt ſcilicet hoc medio Deo placeat, & gratus ſit. Nouit hic profectò quid bonum, quid virtus ſit. Nouit quid ſit cum Deo eſſe. Hic perfectam & veram, de qua loquitur Apoſtolus, habet charitatem, & ipſa charitas eum in perfectum timorem adducit. Timet enim hic diuinam voluntatem, & obſeruat, non metu plagarum, non verberum, ſed deguſtans iam quàm dulce ſit cum Deo eſſe, timétque ne ea priuetur dulcedine, néve excidat.] Enitendum eſt igitur, quaſi per gradus ad hunc ſanctum & caſtum timorem aſcendere, ita ſcilicet, vt iam peccata non metu pœnæ, non vitæ æternæ deſiderio, ſed virtutis concupiſcentia, & Dei amore timeamus, non quia pœna timenda non ſit, & gloria deſideranda, ſed quia eſto quòd hæc non eſſent (quod tamen eſt impoſſibile) adhuc peccatum fugeremus, vt Domino, quem patrem agnoſcimus, placeamus. Hic inquam timor quærendus eſt, quoniam non tantùm conſenſum in malum tollet, ſed & ſenſim atq; paulatim ſenſum ipſum mali diminuet, & nos in maxima tranquillitate conſtituet.

Pſal. 18. n.10. *Pſal. 33. n.10.* *Doroth. doct. 4.*

De ſpe. §. 2.

TImor iſte poſtremus ſanctus & caſtus ſecum affert alacrem & ſalubrem ſpem. Quid enim non ſperet à patre filius? Quid non confidat in illo, erga quem homo affectum amoris induit, & cuius vel minimam diſplicentiam exhorret? At dum aliquis ſeruili timore pulſatur, debet ſe ad ſpem veniæ conſequendæ diligenter excitare, ne malis ſuis abſorptus & preſſus, vitio deſperationis obruatur. Cogitet igitur magna eſſe ſua peccata, ſed Dei miſericordiam eſſe maiorem, & ita maiorem, vt vniuerſa peccata hominum diuinæ miſericordiæ cōparata, inſtar puncti, aut momenti ſtateræ videantur. Cogitet, Deum magnis peccatoribus peperciſſe, nulliq; quantumuis abominabili veniam petenti indulgentiam & miſericordiam denegaſſe. Cogitet maximè ad Dei gloriam pertinere, quam ipſe (vt decet) in omnibus ſuis operibus promouere curat, ſi peccatoribus parcat, ſi miſerorum miſereatur, ſi confitentibus delicta ſua, ea benignè remittat. Cogitet, miſericordiam eſſe opus proprium Dei, quam effundit ſuper omnia opera ſua, ipſumq; ſemper occaſiones miſerendi captare, & iram ac indignationem quaſi inuitum, & iuſtitiæ neceſſitate compulſum, in impœnitentes exercere. Cogitet peccatorum remiſſionem fructum eſſe Paſſionis Chriſti, quam Pater æternus non eſſe fructu vacuam, ſed omnibus ſe diſponentibus, & gratiæ cooperantibus proficuam, valde cupit. Cogitet, Dominum nolle mortem peccatoris, Sed vt conuertatur, & viuat;] Velle autem vt omnes ſalui fiant, & ad veritatis cognitionem adueniant.] Cogitet tandem præceptum Eccleſiaſtici eſſe, vt timori ſpem in diuinam miſerationem adiūgat. Qui timetis Dominum, ait, ſperate in illum, & in oblectationem veniet vobis miſericordia,] ad deſiderium ſcilicet veſtrum, & ad menſuram poſtulationis veſtræ miſericordiā conſequemini, ſi cum vero timore Domini, firmam in illum ſpem, ac inuiolabilem habeatis. His cogitationibus roboratus peccator ſpem aſſequendæ indulgentiæ concipiat. Dicátque ſibimet ipſi, vt ampliùs ſaluberrimum iſtum affectum accendat, verba illa planè aurea Hugonis Victorini: Vbi portio mea regnat, regnare me credo: vbi ſanguis meus dominatur, dominari me confido: vbi caro mea glorificatur, glorioſum me eſſe cognoſco. Quamuis peccator ſim, de hac tamen communione gratiæ non diffido: & ſi peccata me prohibent, ſubſtantia me requirit: & ſi delicta propria me excludunt, naturæ communio non repellit. Non enim tam immitis eſt Dominus, vt non diligat carnem ſuam, membra ſua, & viſcera ſua.] Vtinam dormire ſciat inter medios cleros, & inter ſortes timoris caſti, & ſpei firmæ requieſcere, vt ex his tanquam ex munitiſſimis arcibus, ad quas aſſiduè recurrat, ad quærenda efficacia remedia (quæ nunc ſubiiciemus) ſuorum peccatorum procedat. Niger enim & fœdus coruus in candidam ac pulchram columbam conuertetur, cuius pennæ, id eſt, affectus, argento puritatis candeant, & extrema, id eſt, opera charitatis, auro reſplendeſcant.

Ezech. 33. nu. 11. *1. Timoth. 2. n. 4.* *Eccleſ. 2. 9.* *Hugo. lib. 3. de Anima. c. 7.* *Pſal. 67. n. 14.* *Pſal. 67. n. 14.*

Peccatum mortale contritione delendum eſſe, & de propoſito emendationis.

CAPVT VI.

QVI grauiſſimo morbo laborare ſe ſentit, & iam mortem imminentem, & celeri curſu aduentantem formidat, & ex alia parte, nec de ratione euadendi, nec de ſalute deſperat, non ſine magna ſolicitudine omnem mouet lapidem, omniáque ſibi poſſibilia media adhibet, vt ſe à morte proripiat, & ad incolumitatem perditam redeat. Idem omnino faciat peccator, qui & grauitatem peccatorum ſuorum, & mortem, ac pœnas æternas velociter ad ipſum obruendum currentes aduertit, & per ſpem fide illuminatam ad animæ ſanitatem, & ad diuinam gratiam ſe poſſe redire cognouit. A conſcientiæ igitur examinatione hoc ſuæ ſalutis opus ordiatur, vt ſuper interfectos ſuos, aut ſuper ſe ipſum interfectum, & ſpiritaliter peccatis occiſum, luctum vnigeniti, & planctum amarum

Iere. 6. n. 26.

exſuſciter. Timore itaque cordis tactus intrinſecus ſuam conſcientiam examinet, ſpecies ſuorum peccatorum, & circumſtantias notabiliter aggrauantes diſcutiat, numerum etiam eorum notet, ſcandalum quoque proximorum aduertat, & ſi, quæ ſibi præcepta erant, omiſit, inueſtigare non omittat. Non putamus eſſe noſtri inſtituti longiorem rationem huius examinis faciendi præſcribere, in quo multi diligenter & vtiliter laborarunt. Solùm dicimus ex præceptis Decalogi, ex mandatis Eccleſiæ, & ex ſtatutis ſtatus, aut muneris eius, qui ſe ipſum diſcutit cum mediocri diligentia, poſſe omnia neceſſaria ſubnotari. In vno quoque verò examinationis articulo amator propriæ ſaluris aduertat, vt non tantùm opus externum, ſed & deſiderium, & cogitationem ad conſenſum vſque protractam, & intentionem, quæ ſpeciem peccati ſępe mutare, aut aggrauare ſolet, non negligenter diſcutiat. Horum enim omnium Dominus eſt rationem petiturus, vt ait Iob: Poſuiſti in neruos pedes meos, & obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti:] cuius iudicium præuenimus, ſi nos priùs iudicemus. Quod & Paulus teſtatus eſt, dicens; Quòd ſi noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur.] Vniuerſa autem hæc ad iudicium Domini nemo eſt qui ignoret ſpectare, præſertim cùm audiat ſpiritum dicentem per Sophoniã: Scrutabor Ieruſalem in lucernis; & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis, qui dicunt in cordibus ſuis: Non faciet bene Dominus, & non faciet malè.] Ac Gregorius illam ſancti Iob ſententiam interpretans, in hunc modum exponit: In neruo Deus pedem hominis poſuit, quia prauitatem illius forti diſtrictionis ſuæ ſententia ligauit. Cuius omnes ſemitas obſeruat, quia ſubtiliter ſingula eius quæque diiudicat. Semita enim anguſtior ſolet eſſe, quàm via. Quia autem vias, actiones; non immeritò ſemitas ipſas, actionum cogitationes accipimus. Deus itaque omnes ſemitas obſeruat, quia in ſingulis quibuſque noſtris actionibus etiam cogitationes penſat. Et veſtigia pedum conſiderat, quia intentiones noſtrorum operum quàm rectè ponantur, examinat.] Tandem in hoc peccatorum examine obligatio reſtituendi aut pecuniam, aut famam, aut aliquid aliud, quæ ex peccatis ſuboriri ſolet, prætermittenda non eſt, vt quiſque qualitatem ſuorum delictorum diligenter expendens, impenſiùs odio habeat, & ſuo tempore ſpirituali medico clariùs & abundantiùs aperiat.

Iob.13.27. — *1. Corin. 11. n. 31.* — *Sopho.1.12.* — *Greg.11. Mor. c. 25.*

De Contritione. §. 1.

PEccatis ita diſcuſſis, & ad memoriã reuocatis, peccator attentè ſe ipſum aſpiciat, & in quantam peccando calamitatem inciderit, diligenter agnoſcat, & ad eam ſuorum delictorum deteſtationem, quæ contritio ſit, Deo ipſum præueniente, & iuuante, perueniat. Eſt namque duplex deteſtatio peccatorum, quarum altera, Attritio; altera, Contritio nóminatur. Attritio, eſt odium vel deteſtatio peccati, aut ob fœditatem, & malitiam ipſius, aut ob metum gehennæ. Quæ licèt bona ſit, & laudabilis, & ex diuina gratia ſuſcepta, & ſimul cum pœnitentiæ ſacramento ad iuſtificationem ſufficiens, vt Tridentina ſynodus ſatis inſinuat, tamen ſola ad recuperandam iuſtitiam non ſufficit. Contritio verò eſt deteſtatio peccati, vt eſt offenſa Dei, & contra eius bonitatem, & vt ipſius amicitiam diſſoluit. Quæ cùm à Dei amore ac charitate procedat, aut ſaltem virtute charitatem includat, & actus ſit perfectè peccato contrarius, quem gratia Dei voluntatem iuuante elicimus, ſola ſine ſacramento pœnitentiæ, licèt non ſine ordine ad illud ſuo tempore ſuſcipiendum, peccatum delet, ac remittit. Quod Dominus promiſit per Iſaiam, dicens: Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius; & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.] Ad hanc ergo peccati deteſtationem perfectiſſimam enitatur homo peruenire, quæ animam Deo perfectè ſubmittit, dolore & pudore replet, & peccatorum ſordes ac maculas diluit. Quod in Dauide, & in aliis pœnitentibus poſſumus facili negotio perſpicere, ſed præcipuè in impiiſſimo Manaſſe, qui ſicut iniquitate pene omnes excelluit, ita in verbis ex corde prolatis affectum compunctionis deſignantibus, & hos effectus contritionis præferentibus vniuerſos ſuperauit. Poſuiſti Domine, inquit, pœnitentiam propter me peccatorem: quoniam peccaui ſuper numerum arenæ maris.] Vide inſignem, ſed in veritate fundatam humilitatem. [Multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, Domine, multiplicatæ ſunt iniquitates meæ:] Attende dolorem. [Et non ſum dignus intueri, & aſpicere altitudinem cœli præ multitudine iniquitarũ meatum.] Reſpice pudorem. [Qui poſtquam coanguſtatus eſt, ait Scriptura diuina, orauit Dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum ſuorum. Deprecatúſque eſt eum, & obſecrauit intentè: & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Ieruſalem in regnum ſuum.] Ecce veniam, ac peccati remiſſionem, quam contritio habita à peſſimo rege ex Dei gratia promeruit.

Concil. Triden. ſeſſ.15.c. — *Iſa.55.7.* — *Oratio Man.* — *2. Paralip. 33. 12.13.*

Contritio itaque animam Deo ſubiicit, vt, quæ peccãdo ſe in ſuperbiam erexerat, & aduerſus Deum rebellauerat, pœnitendo ad priſtinam ſubiectionem redeat, & iniquam pacem cum diabolo compoſitam ſcindat. Peccatum quidem gratiam deſtruxerat, virtutes diſſipauerat, animam interfecerat: contritio verò peccatum deſtruit, veterem hominem diſſipat, & propriam voluntatem, vt in nobis viuat, & regnet Dei voluntas, occidit. Iam homo ſe ipſum reſpicit, omnium infimum profitetur, & digniſſimum eſſe æterna morte cognoſcit. Iam non tantùm præterita mala auerſatur, & luget, ſed & de præſentibus bonis tanquam de imperfectiſſimis obſequiis erubeſcit, & ea illi Domino, quem grauiter offenderat, delibare timet. Hunc eſſe veræ contritionis effectum Ricardus Victorinus docet, dum eam lapidi abſciſſo ſine manibus, & monſtruoſam ſtatuam conterenti, ſimilem dicit. Quid, ait, eſt huiuſmodi lapidis percuſſio, niſi interna compũctio? Quid autem eſt percuſſæ ſtatuæ comminutio, niſi compuncti cordis contritio, & humiliatio? Sed ſcimus quia [cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet.] Melius itaque ſanè conteri in hoc lapide, quàm erectum ſtare, & ſuperbum ſapere. Percuſſit, inquit, ſtatuam in pedibus eius ferreis, & in fictilibus, & comminuit eos.] In inferioribus, & deterioribus ſuis vtique ſtatua concutitur, quando mens elata, atq; peruerſa, per ſpiritum timoris Domini, ad iniquitatis & infirmitatis ſuæ conſiderationem reuerberatur. Sed poſtquam ferrum, & teſta concutitur, etiam cætera conteruntur. Nam tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, & æs, argentum & aurum. Vide quomodo gradatim proficiat totius bonitatis fundamentùm humilitas: priùs erubeſcimus vera mala, poſtea ficta bona. Nouiſſimè etiam vera bona, cùm ſint imperfecta, & inconſummata.] O quantum contritio animam deiicit, quantum humilitas, quæ iam & in malis, & in bonis ſe indignam venia, & dignam pœna reputat; in malis, quoniam diuinæ maieſtati diſplicuerunt, & in bonis, quoniam non pura, non perfe-

Dan. 2. n. 34. — *Ricar. li. de erudit. interioris hõ. c.27* — *Pſal. 50. n. 19.* — *Dan. 2. n. 34.*

cta,

ća, vt hominem tantis flagitiis liberatum decebat, ſed impura, & imperfecta ad Domini cōſpectum intrarunt. Dicitque illud Iſaiæ: Et facti ſumus vt immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatę vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ.] Homo ſic contritus, & peccatorum ſuorum fœtore & grauitate conterritus, quidquid ſibi aduerſum accidit, patienter ſuſtinet, quia pœnis æternis, quas commeritus erat in infinitum, minùs ac minùs aduertit. Se ab hominibus deſpici, à minoribus rideri, ab æqualibus impeti, à prælatis duriter tractari, gratum habet, quoniam hęc omnia riſui dæmonum, & contemptui damnatorum, & verberibus ac pœnis inferni comparata, quaſi nullius pœnæ, aut afflictionis, agnoſcit. Ecce quomodo contritio animam in ſuo loco; id eſt, infra omnes creaturas, collocat, & peccatorum fœditate liberatam pulcherrima humilitate circundat.

Iſaia.64. 6.

De dolore peccatorum. §. 2.

QVantum verò contritio dolorem excitet, quis explicare ſufficiet, quæ ob ſingultus, ob gemitus, ob dolorem ſibi cognatum dolor ſolet appellari, cùm tamen contritio ſecundùm eſſentiam ſuam non ſit dolor, ſed odium peccati, ex quo magnus dolor, ac triſtitia, ſicut effectus ex cauſa procedit? Quemadmodum enim, qui hoſtem habet infeſtiſſimum, quem ingenti odio proſequitur, miſerabiliter dolet, & inconſolabiliter deflet ſi ſe videat ab illo victum, ipſique ſubiectum; ita anima odio habens peccatum, ex odio erga illud dolet, quia ſe peccato ſubiecit, & iniquitatis nexibus implicauit. Quàm magnus autem eſſe ſoleat, & debeat iſte dolor, ex contritione progrediens, Ioannes Climacus non obſcurè ſignificat, dum illum dolori eorum, qui lugent defunctos, aſſimilat. Imitetur is, inquit, qui peccatorum ſuorum onus deponere feſtinat, eos, qui extra ciuitatem ante ſepulchra ſedent, nec deſiſtat effundere feruidas & igneas lacrymarum guttas, cordiſque tacitos mugitus, quòd ipſe quoque venientem videat Ieſum, lapidémque noſtræ cæcitatis à corde remouentem, & Lazarum, animum ſcilicet, peccatorum vinculis liberantem, miniſtriſque Angelis iubentem.] Ad eandem etiam doloris qualitatem Cæſarius Arelatenſis hortatur, dicens: Ad extremum non eſt impoſſibile, aut graue quod ſuggero, vel ſic lugeamus extinctam animam noſtram, quomodo alienam carnem mortuam plangimus. Si aut vxor, aut filius, aut maritus mortui fuerint, in terra ſe collidunt homines, capillos trahendo, & tundendo pectora in luctu, in abſtinentia, in lacrymis, non paruo tempore perſeuerant. Rogo vos, fratres, exhibeamus animæ, quod illi exhibent alienæ carni.] Non exaggerant rem iſtam hi ſancti patres; nam Ieremias maiorem adhuc dolorem pro peccato, quàm pro quibuſcunque defunctis, maiorem fletum expoſtulat. Filia populi mei, ait, accingere cilicio, & conſpergere cinere; luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum.] Licèt enim ad deflendos omnes vita functos naturalis amor inſtimulet, ampliùs tamen, & miſerabiliùs lugemus vnicum filium, in cuius locum nullus alius filius ſuccedit, cuius perſonam nemo ſubſtituit. Sic prorſus dolor, & luctus peccati cauſa ſuſceptus eſſe debet, ſiquidem animam interfecit nobis vnicam, cuius amiſſionem nequit alia ſupplere, de cuius morte non poteſt alia nos anima conſolari. Nec dolorem iſtum, ſicut dolorem de morte alicuius, ſpes lenit reſurgendi, imo illum quaſi gradibus infinitis adauget, quoniam illum peccando læſimus, illum dominum bonum, & miſericordem offendimus, qui

Climac. in ſcala grad.1.

Ioan. 11. 39.

Cæſarius homil.

Ierem. 6. n.26.

A hanc ſpem nobis dedit, qui contritionem, & reliqua ad hanc reſurrectionem animæ neceſſariam ſuo ſanguine comparauit. Quis, quæſo, iſta animo expendens, non dolorem ſuper dolorem, & fletum ſuper fletum agglomeret, videns ſe, & propriam animam, & vnicam interemiſſe, & Chriſtum occidiſſe, (quem non tam Iudæi, quàm hominum peccata interemerunt) & ob eius bonitatem, quam læſit, tanta ſanguinis profuſione manifeſtatam in ſpem iterum viuendi reſpiraſſe? Talis itaque ſit dolor animæ peccatricis, dolor magnus, dolor eximius, dolor, qui ſpiritualia viſcera rumpat, & omnes vires eius occupet, atque poſſideat, ſed dolor non deſperatione proſtratus, imo ſpe firmiſſima gratiæ, & reſurrectionis erectus. Hoc enim ex conuerſione Pauli, & aliorum B peccatorum, quos Scriptura commemorat, debemus addiſcere, vt bene notauit Bernardus, quòd ita peccatum deteſtemur, ita illud gemitibus lacrymiſque rigemus, vt tamen nullo modo fiduciam indulgentiæ deponamus.

Bern ſer. 3. de Petro, & Paulo.

De pudore ex peccatis concepto. §. 3.

EX iſto dolore caſtus emanat pudor, quo anima ſuorum peccatorum fœditatem aduertens, non audet oculos ad cœlum leuare, ſed in infimo loco iacens, & ſub pedibus omnium ſe conſtituens, cum illo humili publicano pectus ſuum percutit, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.] Et ſicut alicuius viri nobilis vxor, apud quam ipſe maritus aut litteras riualis repetit, aut poſtea maiora indicia fractæ fidelitatis inuenit, C magno timore concutitur, & rubore perfunditur, adeò, vt non audeat oculos ad virum attollere, nec apud illum commorari: ita anima ſigna adhuc adulterij ſpiritualis præferens, vix audet coram Domino ſtare, & præ timore, reuerentia, ac pudore, vel aliquid minimum poſtulare. Quo affectu Petrus fortaſſis tangebatur, cùm Chriſti maieſtatem & potentiam ſentiens, cuius præſentia ſe cognoſcebat indignum, ita clamabat: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine.] Erubeſcebat namque ab illo videri, cuius oculos puriſſimos interiora hominis cernere reputabat. Huiuſmodi animam nec dum à peccatorum fæce inundatam Bernardus ad hunc caſtum pudorem in hunc modum inuitat. Non temere aſſurgat ad os ſereniſſimi ſponſi, ſed ad pedes ſeueriſſimi Domini mecum pauida iaceat, & D cum publicano, terram tremens, non cœlum, aſpiciat: ne confuſa in luminaribus cœli, facies aſſueta tenebris, opprimatur à gloria, atq; inſolitis reuerberata ſplendoribus maieſtatis, denſioris rurſum cæcitatis caligine obuoluatur.] Nec ſolùm coram Domino, ſed & coram angelis, & ſanctis peccatrix anima pudore & rubore ſuffunditur. Nam & ille, qui in ciuitate ſua magna ignominia eſt affectus, & veſtibus deſignantibus infamiam, indutus, ſolet vultus conciuium declinare, & coram illis erubeſcere; quid faciet anima, quæ peccati ſaccum ſordidum induit, & pretioſiſſimam gratiæ veſtem amiſit? Quid faciet ad nuptias inuitata, nuptiali veſte carens, & ſe luctuoſis veſtibus amictam aſpiciens?

Luc. 18. nu.13.

Luca. 5. 8.

Bern.ſer. 3.in Cāt. Luc. 18. nu.13.

Matt.22. nu.11.

E Anima igitur ſic affecta peccatorum ſordibus, aqua veræ contritionis abluitur. Compunctio enim ex amore concepta, lima eſt, quæ rubiginem iniquitatis abradit; gladiolus, qui lituram impietatis expungit; lixiuium, quod ſordes delictorum abſtergit. Compunctio emundauit Mariam, quę pedes Domini lacrymis rigans, & contritionis affectu complectens, peccata depoſuit, induit ſanctitatem. Denique audit: Remittuntur tibi peccata tua.] Ibi Æthiopiſſa mundauit pellem ſuam, & pardalis varietates

Luc. 7.n. 43.

ſuas,

ſuas,& candorem gratiæ,ac ſponſæ ſplendorem,quæſiuit. Ibi alij ſancti, qui ante aduentum ſanctitatis peccatores fuerunt, flendo & deteſtando peccata, ſuas animas emundarunt. Compunctio eſt plaga intimo mentis inflicta, quæ illam, ô res admirabilis! percutiendo ſanat, & occidendo viuificat. De qua inquit Salomon: Liuor vulneris abſterget mala, & plagæ in ſecretioribus ventris.] Percutit ſanè, quia delicta commiſſa punit, & dolore atque pudore caſtigat,ſed percutiendo ſanat, quoniam peccatorum morbos eliminat. Corrumpit illa peccatum, & vt vlcera non appareat, omnino conſumit, ſed animæ à morte peccati liberatæ,vitam gratiæ, & diuinæ amicitiæ reſtituit. Per liuorem vulneris, inquit Gregorius, diſciplinam inſinuat corporeæ percuſſionis. Plagæ verò in ſecretioribus ventris, ſunt interna mentis vulnera, quæ per compunctionem fiunt. Sicut enim venter cibis repletus extenditur, ita mens prauis cogitationibus dilatata ſubleuatur. Abſtergunt igitur mala, & liuor vulneris, & plagæ in ſecretioribus ventris, quia & diſciplina exterior culpas diluit, & extenſam mentem compunctio pœnitentiæ vltione transfigit.] Aufert quidem contritio peccatum, & omnia etiam, quæ ſequuntur peccatum,vel tollit omnino, vel pro menſura ſuæ perfectionis extenuat. Peccatum enim, remiſſa culpa, relinquit non exigua pœnarum debita, quæ homo, aut in hac vita, aut in futura eſt exoluturus. Vnde Dauid in gratiam admiſſus, filij ex adulterio nati immatura morte punitur, & ab hoc debito, lacrymarum aſſiduitate mundatur. Relinquit etiam propenſionem ad malum,difficultatem ad bonum, ex præterita vita triſtitiam,ex apprehenſione offenſæ in Deum admiſſæ timorem, & denique erubeſcētiam quandam, qua homo necdum audet fiducialiter ad Deum omnis boni authorem appropinquare. In cuius figuram Abſalon ab exilio reuocatus,& ad gratiam patris reſtitutus, nec ad palatium regis,neque ad eius præſentiam admittitur. Vniuerſa hæc,peccatorum contritione tolluntur,quæ iuxta feruorem ſuum,aut durationem pro pœna ſatisfacit, propenſionem ad malum minuit,boni difficultatem tollit, & ipſo dolore, ac lacrymis mentem exhilarat, & tandem fontem miſericordiæ aperit, ex qua homo ſpem indulgentiæ bibens,concipit auſum accedendi, & dona ac beneficia poſtulandi.

Prou. 20. nu. 30. — *Greg. 23. Moral. c. 13.* — *2. Reg. 12. n. 18.* — *2. Reg. 14. n. 24.*

De propoſito emendationis. §. 4.

Veræ contritionis, firmum propoſitum nunquam grauiter delinquendi, & vitam in poſterum emendandi, eſt inſeparabilis comes; nam, vt Bernardus ait, Si dixerit mihi Ieſus, dimittuntur tibi peccata tua,niſi ego peccare deſiero, quid proderit: & ſi pedes, quos laueram,inquinauero, quid lauare proficiet?] Sanè, qui propoſitum emendationis non conceperit, ſe ipſum minimè contritione lauabit; quia non poteſt odio habere peccatum, & de eo pœnitere, qui necdum propoſito & voluntate ab illo ſe ipſum auertit. Et contritio conuerſio eſt,qua peccator in domum eius,quem offenderat,patris reuertitur,conuerſio verò non ſolùm petit malum deteſtari, ſed etiam bonum ac virtutem amplecti. Sicut autem contritio peccatum deteſtatur, ita propoſitum emendationis bonitatem amplectitur, vnde ex his duobus perfecta conuerſio & conſummata conſurgit. Ac ideo Dominus ab his, quos in ſuam amicitiam eſt admiſſurus, non ſolum priorum delictorum deteſtationem, ſed etiam ſequentis vitæ rectitudinem ac puritatem expoſcit. Angelo enim Epheſiorum Eccleſiæ ſcribens, ait: Age pœniten-

Bernard. — *Apoc. 2. nu. 5.*

A tiam, & prima opera fac.] Pœnitentiam ad priſtina peccata delenda, & prima opera ad vitam nouam inſtituendam, referenda ſunt. Et apud Ezechielem: Cùm receſſerit impius ab impietate ſua, feceritque iudicium,& iuſtitiam, viuet in eis.] Ambroſius ſanè ait: Qui agit pœnitentiam, non ſolùm diluere lacrymis debet peccatum ſuum, ſed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta ſuperiora, vt non ei imputetur peccatum. Ergo tegamus lapſus noſtros poſterioribus factis, mundemus fletibus, vt audiat nos Dominus Deus noſter ingemiſcentes, & cæt. Et quia nos non tantùm neceſſaria proponimus, ſed meliora & perfectiora à perfectionem ſitientibus poſtulamus, ipſi tale propoſitum non peccandi concipiant, vt priùs fortunas, honorem, ſalu-
B tem, vitam, imo & ipſam æternam gloriam (ſi eſſet poſſibile) amittere, quàm peccare decernant. Hoc enim propoſitum tam verum,tam firmum,proprium amicorum eſt, qui non proprij commodi amiſſionem, ſed Dei ac Domini offenſam metuunt. Cui Dominus benignè reſpondet,& ipſum acceptum habens, abundantiſſimam ad vitanda grauia peccata gratiam impertit. Huius autem contritionis,quam deſcripſimus, & huius propoſiti excitatoria eadem erunt, quæ ſuprà pro timore filiali excitando protulimus. Nam mens conſiderans immenſam bonitatem Dei, omni amore & obſequio digniſſimam, & ingentia ac innumerabilia beneficia,quæ recepit,ſua peccata aduerſus tantam bonitatem admiſſa, & illo-
C rum fontem, ſcilicet ingratitudinem, deteſtatur, & deſiderio nouæ vitæ, ac propoſito emendandi,& reparandi quod perdidit, dono Dei iuuantis, & ad bonum incitantis,imbuitur.

Ezech. 33. n. 19. — *Ambr. li. 2. de pœnit. c. 5.*

Peccatum mortale in confeſſione aperiendum eſſe: ac de impoſita ſatisfactione adimplenda.

CAPVT VII.

Licet. contritio vera,quam præloquuti ſumus, peccatum lethale deleat, id autem ſine ordine ad ſacramentalem
D confeſſionem, vt Concilium Tridentinum decreuit expreſsè,non diluit. Quare eſto quòd quis hanc perfectiſſimam contritionem habeat (quæ tamen illi certò & infallibiliter conſtare non poteſt) adſtrictus eſt ex præcepto Dei, quod illis verbis apud Ioannem Apoſtolum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis;] continetur, omnia, & ſingula grauia peccata ſua legitimo ſacerdoti propalare. Facta ergo examinatione debita peccatorum,& contritione veriſſima,ac dolore acerbiſſimo, non ſine firmo propoſito emendationis concepto, debet peccator coram ſacerdote apparere,& ceu leproſus quidam ad eum miſſus,ore Chriſti, qui dicit: Ite, oſtendite vos ſacerdotibus;] ipſi omnia grauia peccata ſua, ac ſuam lepram aperire. De
E qualitate verò ſacerdotis, quem debet eligere, ſi ad id optionem habeat, nihil dicimus, niſi quòd ſe ipſum,corporis medicum inquirentem,imitetur. Si enim cùm morbo graui laborat, medicum peritiſſimum,ac expertiſſimum,ſi poteſt, accerſit, cuius ope ſalutem amiſſam recuperet; ita grauiſſimo vulnere peccati ſaucius, doctum & expertum, & ſanctum confeſſarium adeat, zelum Dei, & ſalutis animarum habentem,cuius poteſtate & conſilio animæ vulneribus medeatur. Circunſpice diligentiùs, inquit

Triden. ſeſſ. 14 cap. 4. — *Ioan. 20 nu. 23.* — *Luc. 17. nu. 14.*

Orige. homi. 2. in Pſal. 37.

Origenes, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere: qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit diſciplinam: vt ita demum, ſi quid ille dixerit, qui ſe priùs, & eruditum medicum oſtenderit, & miſericordem, ſi quid conſilij dederit, facias, & ſequaris.] Ex qua doctrina illorum religioſorum ſtultitia deprehenditur, qui cùm poſt tepidam conuerſationem, vitam in melius mutare conſtituunt, ſuos prælatos, & confeſſarios conuentui aſſignatos, qui docti eſſe ſolent, & ſufficientes, & alios graues, & ſpirituales patres fugiunt, & neſcio cui, aut idiotæ, aut minùs bonæ conſcientiæ ſacerdoti, aut ſpiritum libertatis habenti, extorta à prælato licentia, ſe ipſos aperiunt. Profectò iſti miſeri ſunt, & ſtulti; Miſeri, qui ita ſpiritu erubeſcentiæ obruuntur, vt amico infideli, & ipſos palpanti, & fortaſſis ſimili vitio ſordenti, ſe credant, & ſe à medico ſciente, & potente curare eorum ægrotationes, auertant: Stulti verò, quoniam ſæpe illi ſe aperiunt, qui cùm ſpiritualis non ſit, nec ſtudio humilitatis ſuam imbecillitatem callens, ipſos interiùs ridet, ac deteſtatur: & ab illo ſe ſubtrahunt, qui ſpiritu compaſſionis & charitatis edoctus nouit in propenſionibus ſuis ad malum, licèt nunquam ceciderit, quomodo debeat lapſos ſine vllo contemptu eorum erigere, & more benigni patris filios ad ſalutem currentes adiuuare. Conſiderat iſte memorabilem illam Pauli ſententiam, Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite, in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris:] qua ſententia perculſus, non iudicat fratrem lapſum, non damnat, non deſpicit, ſed ne & ipſe (Deo permittente) tentetur, & in enormius forſan peccatum labatur, cum magna miſericordia & pietate recipit, quem pro remedio animæ ſuæ ad pedes ſuos procumbentem aduertit. Stultum eſt ergo in re tanti momenti adiutorem humanam ſapientem, & in rebus ſpiritualibus minimè verſatum quærere, & à viro docto & ſancto ob timorem vanum declinare. Qui quo ſanctior & purior eſt, eo minùs peccatores horret, minùs caſus & miſerias proximorum admiratur, quia ſuam imbecillitatem perſpectam habet, qua, ſi à Deo relinqueretur, in grauiora ipſe peccata decideret. Crede mihi, lector, & expertus loquor, & poſt viginti annos, quibus animas virorum ſpiritualium inſtitui, nullum vidi bene conuerſum, & à grauibus peccatis ruborem ingerentibus auocatum, qui aut prælatos, aut viros doctos & ſpirituales fugiat, & idiotis, & ſe zelo religionis carentibus, & amatoribus libertatis, aperiat. Eum itaque confeſſarium elige, ſi vis ad Dominum in veritate conuerti, qui te non palpet, ſed curet; non decipiat, ſed doceat; non in occaſione manenti pacem ex ore Domini adhuc irati & indignabundi promittat. Huic te audacter oſtende, vt Gregorij Niſſeni verba te doceant, & quæ ſunt recondita animi arcana, tanquam occulta vulnera medico retege: ipſe, & honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit. Nam filiorum dedecore magis mouentur parentes, quàm filij.]

Galat. 6. 1.

Niſſe oratione ad eos qui alios iudicant.

De Confeßione generali. §. I.

SEd prætermittimus iſta: illud autem non relinquamus, confeſſionem initio conuerſionis paratam generalem omnium vitæ peccatorum eſſe ſolere. Nam & id Bonauentura ſeculum deſerentibus, & nouam in religione vitam inchoantibus, ſic faciendum eſſe præſcribit: Poſt religionis ingreſſum, ait, continuè debent confeſſioni faciendæ vacare, & de omnibus, quæ in ſæculo à pueritia commiſerunt, ad memoriam quantum poterunt ſtudioſa ſolicitudine reuocatis, generaliter confiteri.] Iſta generalis confeſſio aliquando neceſſaria eſt, & tunc nullo modo prætermittenda; aliquando vtilis tantùm, & tunc poteſt prætermitti. Neceſſaria quidem eſt in omnibus illis euentibus, in quibus conſtat præteritas vitæ confeſſiones inualidas fuiſſe: non quia Saluator noſter præceptum aliquod de facienda confeſſione generali poſt factas ſtatis temporibus particulares tradidit, ſed quia cùm iſtæ nullius valoris fuerint, inſtat præceptum confitendi omnia peccata vitæ: aut illius temporis, quo confeſſionis ſacramentum fictè ſuſceptum eſt, quia nunquam fuerunt rite confeſſa. Quare, qui per totam vitam, aut per aliquam eius partem confeſſus eſt ſacerdoti non habenti abſoluendi poteſtatem; aut ſine vllo prorſus dolore, aut ſine vllo præuio examine, aut ſine emendationis propoſito, aut ſine debita integritate, vt cùm quis præ verecundia, vel præ inſigni oſcitantia, grauia peccata ſiluit, adſtrictus præcepto eſt confeſſionis generalis faciendæ, aut totius vitæ, aut illius temporis, quo ſimiles in confeſſione defectus admiſit. At extra hos euentus non eſt vnquam neceſſarium generaliter confiteri, eſt tamen admodum vtile in conuerſionis initio, etiam ſi per totam vitam rite pœnitentiæ ſacramentum obierit. Primo quidem, vt peccator, quaſi ſubductis rationibus, chirographum debitorum reſcindat. Dauid enim ait: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.] Quod autem ille ſingulis noctibus peragebat, homo ad minus ſemel in vita faciat, & vno generali balneo omnes ſuas maculas diluat. Deinde, vt omnibus vitæ peccatis, ſimul & quaſi vno intuitu conſpectis, maiorem ex eis dolorem efficaciúſque odium concipiat. Nam & Iob audiens ſingulos ſeruos, qui ſingulas aduerſitates annuntiabant, diſſimulauit quidem, & ſiluit, ac veniente vltimo famulo, qui filiorum mortem patefecit; Tunc, viſis tantis calamitatibus, dolore concuſſus, Surrexit, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruit in terram, & adorauit.] Ita homo, qui in ſingulis peccatorum confeſſionibus, quaſi æneus apparebat, nec timorem aut dolorem ſentiebat, tot ſimul flagitiis, tot fœditatibus, tot iniquitatibus conſideratis, ſolet magno timore concuti, ingenti dolore percelli, & ad veriſſimam contritionem excitari. Præterea vt homo iſta generali confeſſione omnes defectus aliarum confeſſionum particularium ſuppleat, & maiori luce, pudore, ac dolore, & diligentiori diſcuſſione, vna hæc, ſi potuerit, meritum omnium aliarum excellat. Eccleſia namque vnam ſolennitatem omnium Sanctorum inſtituit, in qua cunctarum ſolennitatum totius anni defectus ſuppleremus: & filius Eccleſiæ piam matrem imitatur, dum vno inſigni actu defectus aliorum diluere, & merita perdita reſtaurare conatur. Ad hæc, vt peccator perfectiſſimo quodam humilitatis actu, vitam nouam incipiat, & ſecundùm altitudinem puritatis, quam molitur, fundamina humilitatis ſternat. Et quemadmodum Dominus à baptiſmate Ioannis, & ab ſtupendo humilitatis actu perfectionis prædicationem incepit; ſic homo ab inſigni quadam deiectione ſui, vitam ſanctam ac perfectam ordiatur. Tandem: vt hæc confeſſio calcar ſit, atque ſtimulus, quo homo ſe vrgeat, & ad nouam vitam arripiendam exſuſcitet. Qui enim ſimul tot mala in Deum commiſſa conſiderat, ſolet maiori conatu rationem ſatisfaciendi quæritare, & in deſiderio vitæ perfectioris accendi.

Bonau. in ſpeculo. part. 1. cap. 2.

Vide Nauar. de pœnit. diſt. 5. c. fratr. à nu. 31.

Pſal. 6. nu. 7.

Iob. 1. 20.

De Con

De Confeſſione ſpeciali, & qualitatibus bonæ confeſſionis. §. *II.*

OB has ergo cauſas confeſſionem omnium pec-
catorum generalem in initio conuerſionis, at-
que in eodem religionis ingreſſu, multæ ex familiis
religioſis complexæ ſunt. Noſtra verò Societas non
ſine magna moderatione ſuſcepit, vt ſcilicet, qui in
ſeculo ſemel generaliter confeſſus fuerit, ad genera-
lem confeſſionem initio faciendam non teneatur.
Sed ſiue iſta confeſſio præſtita in ipſo conuerſionis
exordio, generalis fuerit totius vitæ, aut partis eius;
ſiue particularis, eorum peccatorum, quæ ab vltima
confeſſione conſcientiam peccatoris onerauerint, his
circunſtantiis ornetur neceſſe eſt, vt inueniatur fru-
ctuoſa & ſalutaris, quas Bernardus, Laurentius Iuſti-
nianus, Albertus, & omnes in vniuerſum Theologi,
magna conſenſione depoſcunt. Confeſſio namque
debet eſſe intentione pura, vt propter Dei amorem,
& peccati deteſtationem fiat: humilitate ſubmiſſa,
qua homo ſe magnum & ingratum peccatorem
agnoſcat: pudore ſuffuſa, vt cum horrore turpitudi-
nis peccati eius ſpeciem & circunſtantias exponat:
compunctione decora, quæ à peccatorum odio ac
dolore procedat. Sit vera, quæ nec exaggerando,
nec minuendo peccatum, vllam falſitatem conti-
neat. ſit nuda, quæ omiſſa aut commiſſa, nullis am-
bagibus celet: ſit integra, quæ nullum peccatum abſ-
condat: ſit diſcreta, quæ non tantùm externa pec-
cata, ſed etiam immunda deſideria & impuras cogi-
tationes effundat. Tandem ſit fortis, quæ à dicenda
veritate nulla inepta verecundia ſuperetur: & fide-
lis, quæ, quantum homini poſſibile fuerit, iuxta id
quòd Deus de peccatis cognoſcit, ipſa ſua confitea-
tur. Talem confeſſionem à peccatore exigit Domi-
Thren.2. nus in illis verbis Ieremiæ: Effunde ſicut aquam
19. cor tuum ante conſpectum Domini.] Nam ille apud
Dominum ſicut aquam peccata ſui cordis effundit,
qui coram ſacerdote, locum Dei gerente, ea integrè,
purè, & nudè, ac ſimpliciter manifeſtat. Cui confeſ-
ſioni remiſſio peccatorum promiſſa eſt, ſecundùm
Pſal. 31. illud Dauidis: Dixi, confitebor iniuſtitiam meam
nu. 5. Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.]
Quod in perſona hominis peccatoris dictum ipſe
2. Reg. Dauid in peccatum lapſus expertus eſt. Nam ſimul
12.13. atque peccatum ſuum coram Natham propheta ve-
raciter eſt confeſſus, in quo figuram egit confitentis
apud ſacerdotem peccatoris, ſententiam ſuæ abſolu-
tionis audiuit, illis verbis: Dominus quoque tranſ-
tulit peccatum tuum, non morieris.]

Multa autem ſunt, quæ hanc peccatorum confeſ-
ſionem facilem ac ſuauem reddunt. Primò quidem,
quòd Dominus ipſe illam in noua lege, in lege ſcili-
cet gratiæ & miſerationis præcepit, cuius iugum ſua-
Matt.11. ue eſt, & onus leue; cuius præcepta grauia non ſunt.
nu. 30. Secundò, quòd non Angelo, ſed homini fit, & qui
dicit hominem, abyſſum dicit infirmitatis, qui aut in
ſimilia, vel peiora peccata cecidit, aut Deo tantillum
ſe abſentante, potuit cecidiſſe, & maioribus miſeriis
ſe ipſum fœdaſſe. Tertiò, quòd iſte homo cui pecca-
ta pandimus, locum Dei tenet, eius poteſtatem agit,
& perſonam refert, atque adeo diuinitus viſcera be-
nignitatis induit, & ſine vllo contemptu, imò cum
magna miſeratione caſus peccatoris confitentis exci-
pit. Deinde, quòd ſub tam inuiolabili ſecreti ſigillo
peccata conſcientiam exonerantis auſcultat, vt de-
beat omnes mundi cruciatus pati, & ipſam mortem
oppetere, quàm vel minimum peccatum confeſſio-
ne exceptum aperire. Item: Quòd Domino ita fa-
ciente, (& id non ſemel in nobis animaduertimus)
A ipſe ſacerdos breui tempore peccatorum auditorum
obliuiſcitur, aut ſaltem eorum, ratione quadam no-
bis inexplicabili, recordatur, quæ non ea, vt ignomi-
nioſa ipſi peccatori, conſiderat. Rurſus: quòd nullo
modo poteſt, ſi forte voluiſti prælato confiteri, noti-
tia per confeſſionem habita ad externam guberna-
tionem vti, aut te à loco vel munere dimouere, ſed
ac ſi nihil omnino audiuiſſet, debet in omnibus, ſicut
antea, procedere. Ac tandem confeſſionem facilem
efficiunt vtilitates maximæ, ex illa depromptæ: nam
ipſa culpas lauat, pœnas extenuat, gratiam ad cauen-
da in poſterum peccata ſubminiſtrat. Sed ex his vti-
litatibus vnum aut alterum ex patribus audiamus.
Ricardus Victorinus ait: Omnia in confeſſione la- *Ricar.*
uantur, conſcientia mundatur, amaritudo tollitur, *tract. de*
B mare fugatur, tranquillitas redit, ſpes reuiuiſcit, ani- *extermi-*
mus hilareſcit. Siquidem beati, qui lugent, quoniam *natione*
ipſi conſolabuntur.] Et Laurentius Iuſtinianus vbe- *mali. cap.*
riùs: Confeſſio veniam impetrat, gratiam promere- *3.*
tur, humilitatem nutrit, cœlum aperit, iram Dei coër- *Matth. 5.*
cet, pacem reddit, & offenſam maieſtatem citò pro- *nu. 5.*
pitiat, dummodo debito modo fiat.] Ac Bernardus *Iuſtin. de*
ſuauiùs: Bonum animæ ornamentum confeſſio, *diſcipli-*
quæ & peccatorem purgat, & iuſtum reddit purga- *na. mo-*
tiorem. Si peccata ſunt, in confeſſione lauantur: *naſt.*
Si bona opera, confeſſione commendantur. Cùm *Bern. ſer.*
mala tua confiteris, ſacrificium Deo ſpiritus contri- *de gradi-*
bulatus: cùm beneficia, immolas Deo ſacrificium *bus con-*
laudis. Abſque confeſſione iuſtus iudicatur ingra- *feſſionis.*
tus, & peccator mortuus reputatur. Confeſſio igi- *Pſal. 50.*
C tur eſt peccatoris vita, iuſti gloria. Video Dauid di- *nu. 19.*
centem: Peccaui;] & audientem: [Tranſtulit Do- *Pſal. 49.*
minus peccatũ tuum.] Conſidero Mariam, ſi non *nu. 14.*
verbis, tamen operibus, publicè ſua crimina cõfiten- *2. Reg.*
tem, & Dominũ pro ea reſpondentẽ: Dimiſſa ſunt *12. n. 13.*
ei peccata multa, quoniam dilexit multum.] Reſpi- *Luca. 7.*
cio principem Apoſtolorum negantem timidè, ama- *nu. 47.*
riſſimè flentem, Chriſtũ illum reſpicientẽ. Fœlicem *Luca. 22.*
latronem intueor ſe accuſantem, Chriſtũ excuſantẽ, *nu. 61.*
& Dominum promittentem: Hodie mecum eris in *Luca 23.*
paradiſo.] O quàm ſublimis iſta confeſſio, per quam *nu. 43.*
de patibulo ad regnum, de terra ad cœlum, de cru-
ce latro damnatus ac crucifixus ad paradiſum aſcen-
dit.] Quis tantis vtilitatibus non ſe ipſum vincat, &
non animosè ad ſe accuſandum apud ſacerdotem,
accedat? Quis hac occultiſſima reuelatione pecca-
D ti, qua vni tantùm ſacerdoti dicitur, ſua flagitia ab
oculis vniuerſi non operiat? Nam in extremo iudicio
peccata hîc ab oculis ſacerdotis abſcondita, cum
ignominia oculis omnium Angelorum, & hominum
aperientur, & quia nunquam fuerunt pœnitentia
purgata, in æternum punientur.

De ſatisfactione. §. *III.*

COnfeſſionem altera pars ſacramenti pœniten-
tiæ, nimirum ſatisfactio impoſita à ſacerdote
pro peccatis perpetratis, ſubſequitur. Quam pecca-
tor verè conuerſus libenter acceptet, & ſe animo-
ſum ad eam opere complendam oſtendat. Sic enim
E ſacerdos, qui confeſſionem excepit, iuxta magnitu-
dinem & numerum peccatorum, & iuxta neceſſita-
tem pœnitentis, condignam ſatisfactionem imponet.
Talem itaque ſatisfactionem iſte imponat, & ille
grato & forti animo ſubeat, qualem peccatorũ qua-
litas, & neceſſitas pœnitentis requirit. Nam pro mul-
tis ac grauiſſimis peccatis leuem ſatisfactionem indi-
cere ridiculum eſt: & homini efficacibus remediis
ad ſe in iuſtitia conſeruandum indigenti, ea non ſe-
riò præſcribere, ſtultum eſt. Meritóque Dominus
ſacerdotes apud Ezechielem huius ſtultitiæ & negli-

gentiæ

Ezech. 34.4. gentiæ reprehendit, dicens: Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis.] Sit itaque ſatisfactio peccatis, quæ quis confeſſus eſt, apta; vt quemadmodum medici non quæcunque medicamenta indifferenter cuique morbo adhibent, ſed qualitati morbi proportionata; ita ſacerdos, qui medicus eſt animarum, diuerſis peccatis diuerſa etiam remedia ſpiritualia præſcribat. Ita ſcilicet, vt quemadmodum dicit Albertus, ſcientia *Albertus in lib. de virtut. c. 41.* & vita magnus, ad ſatisfaciendum pro ſuperbia, opera humilitatis; pro auaritia, eleemoſynarum largitionem; pro impudicitia, carnis caſtigationem, per cilicia & flagella; pro gula, ieiunium; pro loquacitate, ſilentium, & orationem; pro inuidia, charitatis opera, & iniuriæ remiſſionem; pro rapina, opera liberalitatis indicat. Audi Ambroſium ad quod ſatisfactionis genus virginem lapſam adhortetur: Lugubris, *Ambr. li. ad virginem lapſam. c. 8.* inquit, tibi accipienda eſt veſtis, & mens, ac membra ſingula digna caſtigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt. Defluant oculi lacrymas, qui maſculum ſimpliciter non aſpexerunt. Palleſcat facies, quæ quondam viruit impudicè. Denique totum corpus incuria maceretur, cinere aſperſum, & opertum cilicio perhorreſcat, quia malè ſibi de pulchritudine placuit. Cor verò ſit liqueſcens ſicut cera, ieiu- *Pſal. 21. n. 15.* niis inquietans ſe ipſum, & cogitationibus ventilans, quare ſit ab inimico ſubuerſum. Senſus etiam cruci- cietur, quia in membra corporis cùm haberet dominationem, malo ceſſit imperio.] Hæc Ambroſius, quæ peccato carnis diluendo ſatis congrua videntur, & ſic remedia inueſtiganda ſunt cuique delicto conformia, quæ pro illo aptam caſtigationem infligant.

Sit etiam ſatisfactio grauitati delictorum ad prudentis arbitrium commenſurata, quæ ſcilicet peccati iam remiſſi pœnæ temporali, (nam æterna pœna per contritionem, ac ſacramentum pœnitentiæ, in temporalem commutata eſt, niſi doloris magnitudo penitus illam euacuet) aliquo modo acerbitatem exæquet. Licèt enim, ſi res æqua lance libremus, vnum ignis purgatorij diem plurimi fortè dies acerbæ pœnitentiæ hìc factæ non ſuppleant, tamen, quia nos pœnas pro peccatis ſponte ſubimus, & charitatis feruore impellente præſtamus, quod per ſe minus doloris & laboris habet, ratione charitatis, & ſpontaneæ oblationis, multo magis, quàm ipſum eſt, pœnarum in alia vita debitarum extenuat. Impleat ergo quiſque ex præſcripto à ſacerdote ad caſtigationem carnis ſuæ, quod legimus in Apocalypſi conſcri- *Apocal. 18.7.* ptum: Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.] Signum quippe eſt mentis tepidæ, & parum peccata deteſtantis, ſi velit, paruula ac facili ſatisfactione grauia peccata punire, & ſtatim ac ſi nihil mali feciſſet, impudicum corpus molli indulgentia tractare. Magnum eſt, ait Baſilius, & graue peccatum? multa *Baſil. hõ 3. in illud: Attēde tibi.* opus habes confeſſione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indiuulſo ac continenti ieiunio. Leuis eſt, nec intoleranda offenſio? Huic quoque exæquetur pœnitentia.] Eſt ac ſi diceret: Tu debiti magnitudinem attentè conſidera, & iuxta illam quod debes, afflictionibus & pœnis exolue. Nam ſi in temporalibus reipublicæ commutationibus æqualitas dati & accepti neceſſaria eſt; multo magis in delictorum punitione aliqua pœnæ & culpæ commenſuratio requiritur, tum vt diuinæ iuſtitiæ ſatisfaciat, tum vt condignus pœnæ dolor peccandi

A deſiderium tollat, & timor vltionis delinquendi voluntatem excludat.

Atque hæc eſt poſtrema ſatisfactionis qualitas, vt nimirum & præterita peccata ſeruata nonnulla proportione puniat, ſi pœnitens ad eam ſubeundam vires habuerit, & à futuris peccatis, ſicut medicamentum ſalubre præſeruet. Sacerdos enim, qui & medicus, & iudex eſt, quà iudex, errata pœnitentis debita caſtigatione mulctet, quantum benigna prudentia dictauerit: quà medicus verò, cõntritione, & confeſſionis ſacramento curatum ſatisfactione à peccato retrahat, & quantum potuerit, iterum labi non ſinat. Dicatque illi non ſolùm ore, ſed multo magis remediorum adhibitione, quod Dominus cuidam ægroto iam ipſius benignitate curato dixit: Ecce

B ſanus factus es, iam noli peccare.] Iſta autem de ſa- *Ioan. 5. n. 14.* tisfactionis qualitate dicta ſunt, non vt animarum miniſtros moneamus, quos alio loco opportuniùs inſtruemus, ſed vt pœnitentem perfectionis cupidum excitemus ad congruam ſatisfactionem acceptandam, vel ſi opus fuerit vltro ab ſpirituali patre poſcendam. Eam namque poſtulare indicium eſt cognitionis peccati, humilitatis, & magni doloris, qui non tantùm pœnæ à ſacerdote irrogatæ ſe ſubiicit, ſed dum eam poſtulat, etiam propriis manibus malitiam percutit, & peccatum auertit. Libentiùs etiam & feruentiùs quiſque exequitur, quod priùs quàm ſibi imponeretur, voluntate & deſideriis amplectebatur.

C

De fugiendis occaſionibus peccatorum, & de faciendis dignis fructibus pœnitentiæ.

CAPVT VIII.

Q VI ea ratione, quam expoſuimus, peccata ſua fuerit deteſtatus, & coram ſacerdote ad id poteſtatem habente confeſſus, oneríque ſatisfaciendi animo libenti ſubiectus, piè ſibimetipſi perſuadere poterit, ſe iterum cum Domino amicitiam iniiſſe, & eius gratiam comparaſſe. Hoc enim vnum ſignum eſt ex duodecim, quæ ſuprà retulimus, vitæ ſpiritualis, & diuinæ gra- *Tom. 1. li. 2. cap. 3. & 4.*

D tiæ ſuſceptæ. Iſti autem ita conuerſo dicit Eccleſiaſticus: Fili peccaſti? non adiicias iterum: ſed & de *Eccle. 21. 1.* priſtinis deprecare, vt tibi dimittantur.] Quod, vt quis iuuante Domino aſſequatur, nonnulla diligenter cuſtodiat, quæ in hoc capite breuiter proponemus, quia ad alia, viris ſpiritualibus, à nexibus mundi liberatis, magis propria feſtinamus.

Primò ergo, qui ſe vult à præteritis peccatis illibatum cuſtodire, occaſiones peccatorum fugiat, & amicitias ac familiaritates eorum qui ipſum ad peccata impulerunt, animo conſtanti reſcindat. Qui enim amat periculum, in illo peribit.] Quis autem non vi- *Eccleſ. 3. 17.* deat, occaſionem peccati, cadendi eſſe periculum, in quod certè homo temere ſe coniiciens, quam tanto labore quæſierat, vitam ſpiritualem amittet. Cui

E optimè congruit, quod ſequitur: Cor ingrediens duas vias, non habebit ſucceſſus, & prauus corde in *Eccleſ. 3. 28.* illis ſcandalizabitur.] Nam re vera duas ingreditur vias, iuſtitiæ, & peccati; cœli, & gehennæ, qui nunc confeſſionem peccatorum ſectatur; quæ via iuſtitiæ eſt; nunc verò ad occaſionem, quæ via eſt peccati, reuertitur. Huiuſmodi non habebit felicem euentum, quia nemo poteſt duobus dominis ſeruire, nec *Matth. 6. num. 24.* Dagon, & arcam Dei, id eſt, peccandi, & bene viuendi ſeminaria in eodem altari mentis collocare. Pro- *1. reg. 5. n. 2.*

Leuit. 19. n. 19.

hibitum eſt terram duplici ſemine ſeminare, veſtem lana linóque contexere, & boue ſimul & aſino terram aratro proſcindere, vt intelligas, hominem illum abominabilem eſſe Domino, qui vult virtutem & vitium miſcere, & nunc mediis virtutis inſiſtere, nunc verò ad occaſiones peccandi repedare. Verumenim, inquit Baſilius, non in eo tantùm elaborandum nobis eſt, vt motus animi in cogitando moderemur, ſed quoad fieri poſſit, ab earum etiam rerum congreſſu longiſſimè fugiendū eſt cum primis, quæcunque in conſpectum nobis adductæ, refricata libidinum memoria, conſilium rationiſque vim nobis perturbant atque confundunt, bellàque & ſolicitos in animo angores cient. Etenim bellum, quod præter voluntatem noſtram incidat, nobis excipere fortaſſe neceſſarium ſit; ipſum verò aliquem ſibi voluntarium creare, id verò ſummę ſtultitiæ eſt.] De eo, quod ex ſacrificio ad expiationem peccati facto ſupererat, id in Leuitico præceptum eſt: Pellem, & omnes carnes cum capite, & pedibus, & inteſtinis, & fimo, & reliquo corpore efferet extra caſtra in locum mundum.] In quo per myſterium datur intelligi, vt peccator, qui ſuam Domino mentem immolauit, omnia ſua ex caſtris, vbi fuit occaſio peccandi, ſtatim efferat, vt oblatum ſacrificium non diſpliceat. Occaſionem itaque peccati deſerat adeptæ ſanctitatis amator, amicum infidelem, conuerſationem ſuſpectam, ludum, ingreſſum, aut egreſſum derelinquat: nam qui prope foueam currit, atque diſcurrit, & ad eam ſe imprudenter inclinat, non mirum ſi ſe tutum ac ſecurum cogitans, miſerabiliter cadat.

Baſil. cóſt. monaſt. c. 4. — *Leuit. 4. 11.*

De dignis pœnitentiæ fructibus. §. II.

SEcundò. Peccator poſt ſatisfactionem à ſacerdote impoſitam, fideliter diligentérque completam, enitatur toto vitæ tempore ita ſe gerere, vt dignos fructus pœnitentiæ faciat, & pro ratione ſtatus ſpiritualis in quo ſe inuenerit, & virium quas habuerit, nunquam opera ſatisfactionis omittat. Scriptum eſt enim: De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.] Si verò timor ſemper conſeruandus eſt, non eſt pœnitentia deſerenda, quæ nos debito peccati iam dimiſſi magis ac magis liberet. Circumdederunt me mala, inquit ſanctus Dauid, quorum non eſt numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ. Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei.] Idem autem quiſque peccator debet de ſe ipſo ac de ſuis peccatis pronunciare, quia aut numero aut iniquitate numerum etiam magnum excedunt. Si autem peccata ſunt ſine numero; quare ſatisfactio pro illis breui numero dierum finietur, & non tota vita protelabitur? Si Apoſtolus, inquit Auguſtinus, etiam peccata per baptiſmum dimiſſa continuè plorat, nobis etiam ſuper fundamentum Apoſtolorum poſitis quid pręter plorare reſtat? Quid niſi ſemper dolere in vita? Vbi enim dolor finitur, quid relinquitur de venia?] Meminerit itaque peccator illius quod Micheas ait: Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium meum:] & donec in hora mortis ad iudicium veniat, & ſententiam miſerationis excipiat, iram Domini è memoria non deleat, & pœnitentiæ lamentum non deponat. Erit verò pœnitentia toto vitæ tempore tenenda condigna, ſi maioribus peccatis maior quoque corporis afflictio reſpondeat. Sic namque intellexit Gregorius illud Ioannis Baptiſtæ: Facite fructus dignos pœnitentiæ.] Quiſquis illicita nulla commiſit, inquit, huic iure conceditur vt licitis vtatur: ſicque pietatis opera faciat, vt tamen, ſi voluerit, ea quæ mundi ſunt, non relinquat. At ſi quis in fornicationis cul-

Eccleſ. 5. 5. — *Pſal. 39. 13.* — *Auguſt. li. de vera & falſa pœnit. c. 13.* — *Michea. 7. 9.* — *Luce. 3. n. 8. Gregor. hom. 10. in euang.*

A pam, vel fortaſſe, quod eſt grauius, in adulterium lapſus eſt, tanto à ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe.] Meritò quidem à maiori peccatore maior pœnitentiæ fructus exigitur: quoniam ſi terreni reges, eos qui in ſe grauiùs deliquerunt, iam reconciliatos ſolent ad maiores labores adigere, ne culpæ grauitas à pœna in immenſum exorbitet; quare & rex cœleſtis, cuius eſt rectitudo maior, non velit, eos qui grauiùs peccauerunt, grauioribus laboribus onerari? In hac verò afflictione continua, quam iuſtus ſponte ſubit, perſonæ qualitas, & ſtatus ſpiritualis profectus, conſideranda ſunt. Quidam enim iuſtorum, qui vitæ ſpiritualis initium diligentiſſimè peregerunt, ſolent poſt aliquot annos corpus ſatis imbecillum ſupportare, & B aſſiduas ægritudines ſuſtinere, quas aut minùs diſcreta ſeueritas peperit, aut benigna Domini prouidentia eos efficaciùs emundare volens, immittit. Alij verò ad gratiam contemplationis ſubuehuntur, & dapibus cœli refecti ſuauiſſimè ab omnium conditore tractantur. Et tam illos quàm iſtos vult ſæpe Dominus à multis afflictionibus corporis auocare. Illos quidem auocat, quoniam alio afflictionis genere, ſine vlla comparatione duriore, purgantur, dum non iam propria manu, ſed aliena, & eius, qui ſcit optimè flagellare, ferè ſemper affliguntur: iſtos verò, quoniam aſſidua contemplatio, & diuinorum inſpectio, corpus ipſum ſatis extenuat, & eius vires abſumit. His ergo maior moderatio in afflictione corporis conueniens eſt: de quo alio loco, & quidem commo- C diori, clariùs & vberiùs diſputabimus.

De bonis operibus incipientium. §. III.

TErtiò. Non tantùm pœnitentiæ opera, ab eo qui ad Dominum conuertitur, exercenda ſunt, ſed etiam alia opera bona pro ratione ſtatus omnimodis ſuſcipienda, quæ tempus bene occupent, præterita demerita præſentibus meritis euacuent, & loco vitæ carnalis abiectæ, vitam ſpiritualem ac puram inſtituant. Hoc enim putat Ambroſius illa Exodi lege fuiſſe ſignatum, qua dictum eſt: Primogenitum aſini redimes oue:] Tractans quippe illa verba Saluatoris: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis,] hæc ait: Qua vocatione pleniùs mihi videor verba legis & myſteria recognoſcere, quia aſi- D nam, aut commutandam oue docuit, aut redimendam pecunia, vt non ſolùm aſinæ partum oue, hoc eſt, mundis immunda mutemus, ſed etiam redimamus. Quod videtur exprimi ſi priùs ſacrificio purificationis, & myſterio baptiſmatis, delictorum noſtrorum inquinamenta lauemus, crimina quoque noſtra bonis operibus, fideíque pretio, & miſeratione redimamus.] Vnicuique ergo id curæ ſit, ſuum ſtatum conſiderare, vires expendere, vocationem agnoſcere, & iuxta illam vitæ occupationes admittere. Ita videlicet, vt vel miſericordiæ operibus vacet, vel deuotæ Pſalmodiæ, & abſconſioni in propria cella, & fugæ ab hominum conſortiis, inhæreat, vel aliis docendis, & ad vitam Chriſtiano dignam adducendis, inſiſtat. Quamuis in hoc ordo non ſit relin- E quendus: priùs namque humilitatis operibus vacandum eſt, quæ ſuperbiam comprimant, & elationem abiiciant; deinde pietatis corporalis operibus, vt ſubuentioni pauperum, ac viſitationi, & obſequiis infirmorum, poſtremò verò doctrinæ adminiſtrandæ intendēdum. Ne peccatori dicatur, fœtidum adhuc odorem delictorum in ore præferenti: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamētum meum per os tuum?] ne & magiſterium, & onus docendi ſubeat, priuſquā quæ docturus ſit, & aliis traditurus,

Ambr. li. 1. de Cain cap. 3. — *Exod. 34. 20.* — *Matt. 11. n. 28.* — *Pſal. 49. 16.*

addi

Aug. ibid.

addiſcat. Vnde Auguſtinus eundem locum interpretans, pulchre ait: Quæcunque dicis,& qui vis te audiri, prior te andi, & dic, quod dicit in alio Pſalmo quidam: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.] Qualis ergo ego, qui non audio, quod in me loquitur, & volo vt alij audiant, quod per me loquitur? Audiam prior, audiam maximè? Quæ audiam? Quod loquitur in me Dominus Deus, [Quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.] Audiam,& caſtigem corpus meum, & ſeruituti ſubiiciam, ne fortè aliis prædicans, ipſe reprobus inueniar.] Quanto autem tempore quis litteratus de nouo à peccato conuerſus debeat ab officio prædicationis vacare, & aliis operibus humilitatis diſtineri, conſilio patris ſpiritualis relinquitur, qui, conſiderato pœnitentis feruore, & aliis circunſtantiis, poterit hoc tempus ſilentij, & ſapientis humilitatis metiri.

Pſal. 84. n. 9.

1. Corin. 9. n. 27.

De oratione incipientium. §. IV.

QVartò. Pœnitens denuo conuerſus ad Dominum illum modum orationis teneat, qui ſtatui pœnitentiæ, & viæ (in qua ambulat) purgatiuæ conueniat. Ac proinde in ſua meditatione conſideret peccati malitiam, & fœditatem, pœnas terribiles, ad ipſum puniendum paratas, mortis acerbitatem, diuini iudicij rectitudinem, gehennæ cruciatum, & æternitatem. Cogitet miſerias ſæculi, breuitatem rerum viſibilium, mundanorum ac prophanorum hominum vanitatem. His, & aliis ſimilibus, quæ in tractatione de oratione (Deo donante) latè perſequemur, poterit ſuas meditationes formare, & in ſe ipſo affectus deteſtationis peccati, doloris, pudoris, contemptus ſæculi, & ſui ipſius, gratitudinis & amoris erga Dominum tantorum erratorum condonatorem, accendere. Nam & de Salomone, qui in ſacris Scripturis ſapientiſſimus nominatur, ſcriptum eſt: Quoniam diſputauit ſuper lignis à cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete: & diſſeruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus.] Vniuerſa quippe ſapiens, non ſine aliquo ordine, id eſt, iuſtus, conſiderat. Primò quidem hyſſopum, quæ egreditur de pariete, id eſt, proprium delictum, quod à terra maledicta noſtri cordis procedit, & conſideratum ad humilitatem inclinat: poſtea verò cedrum Libani, id eſt, Chriſtum Saluatorem, cuius meditatio ad altitudinis amorem, ac deſiderium perfectionis inflammat. Primò iumenta, & reptilia cogitat, ſcilicet beſtiales motus ſuos humi repentes, vt illos comprimat, poſtea volucres, & piſces, id eſt, res ſublimes, & à terra diſtantes, vt cor ſublime, & ab amore viſibilium auulſum, accipiat. Huius autem ſententiæ fuiſſe Bernardum (vt nunc alios patres omittam) nemo eſt, qui illum legens de vnguentis animæ diſputantem, apertè non videat. Poſitis enim tribus vnguentis, contritionis, deuotionis, & pietatis, ſic ait: Eſt vnguentum, quod ſibi conficit anima multis irretita criminibus, ſi cùm incipit cogitare vias ſuas, colligat, congerat, conteràtque in mortariolo conſcientiæ multas ac varias ſpecies peccatorum ſuorum, & intra æſtuantis pectoris ollam ſimul omnia coquat igne quodam pœnitentiæ, & doloris, vt poſſit dicere cum Propheta: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.] Ecce hoc eſt vnum vnguentum, quo anima peccatrix ſuæ conuerſionis primordia condire debet, plagiſque ſuis recentibus adhibere. Primum namque ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus.] Multa alia hic beatus pater poſtea ad idem propoſitū affert, quæ nos conſultò prætermus. Satis ſit pœnitenti cognoſcere hoc eſſe primum alimentum ſtatui puerorum, aut incipientium conueniens, quod in exordio conuerſionis poſitus debet non parcè, nec minutatim deglutire, ſed abundanter, & ad multos dies in cordis amaritudine manducare. Sedeat primùm cum Maria ad pedes Domini, & lacrymis riget, antequam oſculi memoriam faciat, & de manu Domini ampliora beneficia petat. Se ipſum ad modum illius pœnitentis publicani in infimo loco templi conſtituat, & præ pudore oculos ad cœlum leuare non audeat, vt aliquando tandem non præſumptuosè, ſed obedienter, quia ſcilicet à Domino ad alia exercitia vocatur, ad honorabiliorem locum aſcendat. Eſt enim Dominus humilitatis amator, qui humilem, & trementem, & ad conſpectum maieſtatis trepidantem, ſuo tempore exaltabit, ſuperbum autem ſuæ fœditatis oblitum ad altiora ante tempus aſpirantem cum indignatione repellet.

3. Reg. 4. n. 33.

Bern. ser. 10. in Cant.

Pſal. 38. n. 4.

Pſal. 50. n. 19.

De memoria peccatorum moderanda. §. V.

QVintò. Hic orationis, & internæ exercitationis modus, non ſemper durare debet, ſed pro alio ſublimiori ac ſuauiori commutari. Licèt enim peccatoribus denuo conuerſis, imò & imperfectis, qui nunquam ex toto ſe Domino tradunt, ſatis conueniens ſit; qui timore ad nouam vitam vrgendi ſunt, & debitorum contractorum memoria ad feruorem excitandi, tamen proficientibus & perfectis poſſet hæc exercitatio plus nimio protelata, aut detrimentum afferre, aut perfectionis augmentum impedire. Vt autem hanc rem, quæ aliquantulum inuoluta eſt, clariùs explicemus; illud primùm dicimus, doctum Domini eſſe ſequendum, & in ſtatu etiam ſublimiſſimæ perfectionis inſtinctus, ac inſpirationes eius amplexandæ. Quoſdam enim continenti peccatorum præteritorum memoria percellit, qua non eos ad deſperationem, nec puſillanimitatem adigit, ſed ad amoris feruorem, & ad magnam perfectionem euehit. alios verò ab iſta recordatione auocat, & memoriam beneficiorum illis, ac rerum cœleſtium illuſtrationes frequenter immittit. Inter illos primos numeramus Dauidem aſſerentem: Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.] Et rurſus: Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco; & peccatum meum contra me eſt ſemper.] Numeramus & Petrum, qui, authore Clemente, ſingulis noctibus, aliis dormientibus, quaſi furtiuè ſurgebat, & peccatum ſuum, quo Dominum negauit, amariſſimo fletu rigabat. Numeramus & Paulum ita ad Timotheum ſcribentem: Gratias ago ei, qui me confortauit Chriſto Ieſu Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimauit, ponens in miniſterio: Qui priùs blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus.] Et vt aliquid ex noſtris temporibus afferamus, hunc ſpiritum perpetuæ compunctionis habuit Beatus pater noſter Franciſcus Borgia, qui, vt ex ſuis exercitationibus ſpiritualibus cōſtat, continuò ex memoria vitæ præteritæ ſeipſum ad incredibilem quandam humilitatem, & infra omnes res creatas deiectionem mirabiliter excitabat. Inter alios verò ſuauiori ſpiritu ductos, numeramus Magdalenam, quod ad corpus attinet, aſperrimam quidem vitam agentem, ſed Angelorum colloquiis ſemper intentam, & ardore diuini amoris æſtuantem. Numeramus & Auguſtinum, qui, licèt in confeſſionibus & meditationibus ſuis non ſemel memoriam ſuorum peccatorum faciat, tamen magis ſpiritu amoris & dulcedinis abundabat. Numeramus & Beatum Patrem noſtrum Ignatium, poſt victos ſcrupulos, non iam in cœno antiquatum vani-

Pſal. 37. 18. 19.

Pſal. 50. 5.

Clemens.

1. Time. 1. 12.

tatum lugendarum hærentem, ſed ad cœleſtia meditanda, & ad myſterium Trinitatis contemplandum, anhelantem. Hæ itaque duæ viæ in hoc conueniunt, quòd nunquam omnino memoriam peccatorum præteritorum deponunt, quæ mirificè in omni ſtatu ad cuſtodiam perfectionis, ſcilicet, ad humilitatem, proficit, & præcipuè in fine vitæ, (quod Auguſtinus ſubnotauit) ad bonam ac ſecuram mortem ſubſeruit. At in hoc etiam ſecernuntur, quòd illi primi fere ſemper ſpiritu compunctionis tanguntur, & pane lacrymarum ſaginantur; hi verò memoria peccatorum fere in totum abſorpta, delicatioribus cibis, beneficiorum diuinorum, & cœleſtium meditationum eſculentis implentur. Ac proinde quiſque, non ſine conſilio ſpiritualis patris attentè conſideret ad quem modum orandi & meditandi vocetur, & illum, ac ductum ſpiritus ſancti, ſine vlla cunctatione ſequatur.

Sed quid illi faciendum eſt, qui vocationem Domini manifeſtè non ſentit? an memoriam peccatorum omnino deponet, aut toto vitæ tempore illam ſine intermiſſione ſeruabit? Certè memoria peccatorum fere ſemper à viro perfecto, aut iam mediocriter ad perfectionem tendente, omnino abiicienda eſt, vt tanquam ſeruus fidelis, ſine vlla puſillanimitate, ſine vllo immoderato timore poſſit in oratione magna petere, magna deſiderare, & more filij dilectiſſimi, ac ſponſæ chariſſimæ, affectibus amoris vacare. Petitionem namque magnarum virtutum, & donorum pro ſe, & pro aliis, à memoria peccatorum impediri certum eſt: quæ affectus maximæ erubeſcentiæ & timoris generat, & cor eius, qui deliquit, ad poſtulandum anguſtat. Quod confirmat dictum Eccleſiæ docentis Hermam ſub ſpecie anus, vt habetur in libro paſtoris: Dixit enim illi, peccata ſua Domino confitenti: Deſine iam pro peccatis tuis tantum orare, ora & pro iuſtitia, vt accipias partem ex ea in domo tua.] Et verè Spiritus ipſe ſanctus omnem lacrymam ab oculis iuſtorum abſtergens, & eorum corda fiduciæ dono fortificans, illos mouet, quos antea ad memoriam aſſiduam peccatorum, & ad non interruptam compunctionem excitauerat, poſt dies luctui deſtinatos, quos ipſe ſua prouidentia iuxta criminum qualitatem, & compunctionis feruorem decreuerat, ad obliuionem illorum, & beneficiorum commemorationem, & deſideria amoris inſtigat. Denique iam non dicit à delicto purgatus: Et confuſio faciei meæ cooperuit me:] nec illud: In te Domine ſperaui, non confundar in æternum.] Sed potiùs ſe exauditum eſſe coniectans, pro gratiarum actione decantat: Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.] Audi Ricardum Victorinum, quomodo ſpiritui ſancto hanc peccatorum obliuionem adſcribat: Dolor pœnitentiæ, ait, eſt ignis ille, quo ſolent ſpirituales viri vanitatum ariſtas comburere, & in abominationum fauillas vertere. Has vtique fauillas in conſcientiæ noſtræ adhuc area toleramus, quando de præteritis culpis confuſi vel ſuſpecti ſumus. Sed flante vento fauillæ tolluntur, cùm ad Spiritus ſancti inſpirationem reatus noſtri formido omnis atque ſuſpicio abſorbetur, & per ſpem veniæ ab omnis confuſionis nigredine conſcientię noſtræ area mũdatur, ita vt veraciter Domino pſallere poſſimus: Proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.] Impedit ergo præteritorum recordatio peccatorum, mentis tranquillitatem, tollit internã ſuauitatem, atque dulcedinem, minuit ſpem, aut in quendam teporem conuertit, vt non audeat homo ad magna aſpirare, & ab eo, in quem grauiter offendiſſe ſe meminit, dona perfectis promiſſa depoſcere. Quòd autem affectui, & quieti contemplationis obſtet, probat latiſſimè Caſſianus, cuius vnam tantùm ſententiam, qua apertè ſuum ſenſum exponit, in fine ſubſcribam. Cæterùm quod paulo antè dixiſti, inquit Pinuphius Abbas, Germano reſpondens, te etiam de induſtria præteritorum peccatorum memoriam retractare, hoc fieri penitus non oportet, quinimmò etiam ſi violenter irrepſerit, protinus extrudatur. Multum namque retrahit mentem à contemplatione puritatis, eius præcipuè, qui in ſolitudine commoratur, implicans eam ſordibus mundi huius, & præfocans fœtore vitiorum. Dum enim recolis ea, quæ ſecundùm principem huius ſeculi per ignorantiam, ſiue laſciuiam commiſiſti, vt concedam tibi, quòd in hac cogitatione poſito oblectatio nulla ſubrepat, certè antiquæ putredinis vel ſola contagio, neceſſe eſt vt tetro mentem fœtore corrumpat, & ſpiritualem virtutum fragrantiam, id eſt, ſuauitatem boni odoris, excludat. Cùm ergo præteritorum memoria vitiorum pulſauerit ſenſum, ita ab ea reſiliendum eſt, ſicut refugit vir honeſtus & grauis, ſi impudicæ ac procacis fœminæ in publico, aut colloquiis aut amplexibus appetatur.] Memoria itaque peccatorum aſſidua, ex grauiſſimorum patrum ſententia, cui experimentum quotidianum fauet, pœnitentem mundat, perfectum fuſcat: illum ad proficiendum, iſtum ad nimium, & ſuo ſtatui non conuenientem timorem inuitat; quare incipiens illam vt pretioſam gemmam cuſtodiat, at proficiens, atque perfectus, pro ſolidioribus & ſuanioribus imitationis, gratitudinis, & amoris cibis abiiciat.

Lib. 1. paſto. viſione 3.

Pſal. 43. num. 16

Pſal. 30. n. 1.

Pſal. 102. 2.

Ricar. lib. 1. de erudit. inter. hom. c. 29.

Iſa. 38. n. 17.

Caſſia. coll. 20. c. 9.

Hæc autem communiter, & vt in plurimum ſeruanda ſunt, tamen aliquando vtile eſt, etiam perfectis, quaſi ad initia conuerſionis redire, & præteritorum memoriam peccatorum refricare. Tunc ſcilicet, cùm aliquam ſuperbiæ & ambitionis tentationem perſentiunt: cùm aliquo tepore & negligentia pulſantur, cùm aliquem defectum ſolito grauiorem admiſerunt, cùm inter alios à Domino communi calamitate caſtigantur, & tandem, cùm ſpeciali impulſu ſe vident ad peccata commemoranda vocari. Solet enim Dominus mirabili quadam ac ineffabili ratione perfectis mentibus memoriam ſuauiſſimam antiquorum peccatorum, ac priſtinæ paupertatis ingerere, vt ſe ipſos eius beneficio tantis malis liberatos aſpiciant, & lætiſſimas laudationes, ac amoris plenas gratiarum actiones referant. Canúntque Domino, in ſuorum peccatorum interitu, canticum Mariæ ſororis Moſi. Cantemus Domino: Glorioſè enim magnificatus eſt: equum, & aſcenſorem proiecit in mare:] Electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro. Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis.] Quæ memoria hac ſecuritate concepta non anguſtat animum, ſed dilatat; non terret, ſed mulcet: non ad inquietum timorem, ſed ad ardentiſſimum amorem patris talia & tanta remittentis, & talia & tanta donantis, accendit. Huius verò generis, vt credo, erat memoria peccatorum Dauidis, Petri, & Pauli, & aliorum, quos ſuprà retulimus, qui ad ſublimitatem puritatis ſubuecti, non in peccatis priſtinis tanquam in cœno eos retardante iacebant, ſed tanquam in commemoratione beneficiorum Domini reſpirabant. Quod & Chryſoſtomus, agens de memoria Pauli, qua ſua peccata coram ſe ipſo ſtatuebat, ait, in hunc modum ſcribens: Oportet nos recordari priora delicta, etiam ea pro quibus veniam conſecuti ſumus, vt in-

Exod. 15. n. 21. n. 4. & 5.

Chryſoſt. a. de cõpunctione cordis ad finem.

tuentes quòd ingentem modum debiti nobis remiſit Deus,& ampliùs eum diligere poſſimus, & verecundiam pudorémque concipere.] Omnia ergo conſonant, & vnus atque idem eſt ſpiritus Dei ſanctos ſuos regens,qui eius ductum ſequentes,debent communiter,& vt in plurimum memoriam anteactæ vitæ deponere,& beneficia diuina,ac perfectiones ſui Creatoris meditari,& amore ac deſiderio patriæ cœleſtis ſuccendi, interdum verò ex cauſis prædictis,vel cùm Dominus ad id interiùs vocauerit,antiquorum peccatorum recordari,& ſe indigniſſimos reputare,ac tali memoria compungi. Solet enim ille,qui ſuos amore matris amat, eos propter antiqua peccata triſtes, & memoria priſtinæ infidelitatis turbatos, vt eos recreet, mirabili conſolatione leniie,& vt fiducialirer ad eum accedant,dulciſſimis dilectionis ſignis amplexari. Nos autem,qui hanc peccatorum grauium materiam quaſi triſtes cœpimus, læti perficimus, quia minùs cogitantes,diuinorum beneficiorum memoria, & internæ ſuauitatis recordatione,vltimam ei manum imponimus.

Neminem poſſe in hac vita ſine ſpeciali priuilegio omni leui peccato carere; quemque tamen poſſe cum Dei gratia peccata leuia in dies magis ac magis minuere.

CAPVT IX.

QVÆ de fuga lethalium peccatorum dicta ſunt, ad primum gradum ſpiritualis vitæ pertinet, quem poſtquam tenuerit virtutis & perfectionis amator, & anteriotis vitæ peccata grauia per veram contritionem ſpiritus, & oris confeſſionem, abluerit,ac pro ipſis ſatisfecerit, & iam diuina gratia adiutus quaſi ex conſuetudine vitauerit,nec ſe ipſum tam dira & acerba morte confecerit,opus eſt vt vltrà progrediatur, & ad ſecundum gradum virtutis, nempe, ad fugam leuium & venialium peccatorum, aſcendat. Vt autem ad quid eum exhortemur,intelligat, quid vniuerſa Theologia de huiuſmodi peccatorum fuga ſentiat,exponemus,ne aut vltra humanæ naturæ poſſibilitatem præſumat, aut imbecillitatem prætendens,in totum id quod viri ſpirituales conſequi ſolent, non tendat. Certum ergo eſt, & conſtans apud omnes Theologos, poſſe hominem etiam poſt Adæ peccatum,cum gratia Dei, omnia & ſingula vitare peccata venialia, quo tempore ipſa diuiſim occurrunt, cùm Deus non minùs rectus quàm benignus hæc peccata vetans,creaturam ſuam ad aliquid impoſſibile non obligauerit, neque ei quod præſtari non poſſit,vnquam præceperit. Cuius ſententiæ aſſertor manifeſtiſſimè eſt Auguſtinus ita ſcribens: Nam qui dicunt eſſe poſſe in hac vita hominem ſine peccato, non eſt eis continuò incauta temeritate obſiſtendum. Si enim eſſe poſſe negauerimus, & hominis libero arbitrio,qui hoc volendo appetit,& Dei virtuti, vel miſericordiæ, qui hoc adiuuando efficit, derogabimus.] Et paucis interiectis: Si à me quæratur,inquit, vtrùm homo ſine peccato poſſit eſſe in hac vita, confitebor poſſe per Dei gratiam, & liberum eius arbitrium.] Id etiam regius vates ſatis oſtendit, qui, cùm dixiſſet: Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis,] id eſt,perfectè,ita,vt nec in magnis, neque in minimis ea tranſgrediamur, non deſpondet animum,nec impoſſibilitatem cauſatur, ſed

Aug. li. 2. de p. m. c. 6.

Pſal. 118. n. 4.

A optans proſequitur: Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.] Quis autem optaret quod nec per proprias vires, nec per Dei gratiam efficere poſſet? Et ſæpius idem ſcriptura proclamat, iubens vt ſimus ſine querela; & perfecti in Chriſto, & ſancti, ac immaculati in conſpectu Dei, quæ profectò non præciperet, ſi nobis etiam omnium leuium peccatorum abiectionem impoſſibilem indicaret. Hæc namque peccata maculæ ſunt, & defectus, quæ virtutem fuſcant, & mentem noſtram vtcunque commaculant.

n. 5.
Philipp. 2. nu. 15.
Coloſſ. 1. n. 22.

Certum eſt etiam,immo & priori dicto certius ac firmius, quòd licèt homines cum gratia Dei poſſint ſingula leuia peccata vitare, nullus tamen purus homo (vna Beata virgine excepta) omnia huiuſmodi
B peccata vitauit,ac ſe immunem ab omni macula cuſtodiuit. Illa quidem,quæ ſingulari priuilegio omnipotentis,nec in ipſo momento conceptionis ſorduit, nunquam ſe vel minimo contagio alicuius defectus infecit: reliqui verò quantumuis ſancti, quantumuis perfecti, vltra originale peccatum aliquas ſaltem leues maculas proprijs actibus contraxerunt, áliquo ſe, vel paruo peccato fœdarunt. Sacræ quidem litteræ vt hominem in ſui cognitione ſtabiliant, nullum ſui generis peccato eximunt, ſed omnes maculis & delictis inuoluunt. Non eſt, dicunt, homo qui non peccet:] Et, Septies in die cadit iuſtus:] id eſt, multoties: Et, Non eſt homo iuſtus, qui faciat bonum, & non peccet.] Et, Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum
C me ducentem in legem peccati.] Et, In multis offendimus omnes.] Et, Si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.] Quæ omnia cùm de vniuerſis hominibus, ſine exceptione alicuius; aut etiam expreſsè de iuſtis loquantur, manifeſtè indicant, etiam iuſtos ac perfectos viros peccatis ſaltem leuibus non carere, quos Dominus orare docens, inter alia docuit poſtulare: Dimitte nobis debita noſtra:] quaſi omnes habeant, quod Dominus ſibi dimittat. Longum eſſet, & extra propoſitum noſtrum, ſanctos patres ſuam imbecillitatem confitentes citare; ſunt enim omnes, qui diuinis ſcripturis edocti, & proprio ac alieno experimento eruditi, id ingenuè fateantur. Id ait Irenæus,
D Cyprianus, Chryſoſtomus, Nazianzenus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, Bernardus, Ricardus Victorinus, Thomas, & alij, quotieſcunque hanc materiam tractare contigerit. Nos his omnibus prætermiſſis, duos tantùm in medium afferamus. Alter ſit Leo Papa, qui aſſiduas huius vitæ tentationes exaggerans, hæc ait: Nec facilè prouenit cuiquam tam incruenta victoria, vt inter multos hoſtes, frequentéſque conflictus, etiam ſi ſit liber à morte, ſit quoque immunis à vulnere.] Alter ſit Ioannes Caſſianus in hunc modum ſcribens: Impoſſibile namque eſt quemlibet ſanctorum non iſtis minimis, quæ per ſermonem, per cogitationem, per ignorantiam, per obliuionem, per neceſſitatem per voluntatem, per obreptionem, per ſomnium admittuntur, incurrere.] Quare meritò Mileuitanum Concilium anathemate percutit eos, qui verba Ioannis
E Apoſtoli; Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus,] propter humilitatem dicenda eſſe autumant, non quia omnes aliqua macula ſordeamus. Poterat enim dicere Apoſtolus: Si dixerimus quia non habemus peccatum, nos ipſos extollimus, & humilitas in nobis non eſt. Sed cùm ait: Nos ipſos ſeducimus: ſatis oſtendit, eum, qui ſe dixerit non habere peccatum, non verum loqui, ſed falſum.] Meritò etiam Irenæus ait, homi-

3. reg. 8. 46.
Prouer. 24. 16.
Eccleſ. 7. 21.
Roman. 7. 23.
Iacob. 3. 2.
1. Ioan. 1. 8.
Matth. 6. 12.
Irene. li. 3. c. 37.
Cypri. ſer. de opere & eleemo.
Chryſ. hom. 20.
Nazian. orat. de plaga grãdinis.
Ambr. in Iſaia citat Auguſt. lib. de gratia Chriſti c. 49.
Hiero. 2. c. Pelag.
Aug. epiſtola 29. ad Hiero.
Grego. li. 5. in 1. reg. a c. 14.
Bern. ſer. 16. 73 in Cant.
Ricar. de ſtatu interioris hominis. c. 21.
Thomas 4 q. 109. artic. 8.
Leo ſerm. 4 de ieiunio decimi menſ.
Caſſia. coll. 11. c. 10. vlt. orã coll. 20 c. vlt. & coll. 22. c. 13.
Concil. Mileuit. can.
1. Ioan. 1. n. 8.

Irena. 5. nem poſt peccatum à Domino morte fuiſſe mulctatum, non tantùm ad vindictam peccati, ſed etiam ad miſericordiam peccatoris, vt non ſemper tranſgreſſor & peccator exiſteret, ſed ad alium ſtatum immortalitatis tranſiret, in quo ſine peccato viuens, maculas pro perfecta puritate commutaret, & vitam aliam cœleſtem ſine vlla peccati contagione obtineret. Et verè Domine ita eſt. Miſeratio tua eſt quòd viuamus, vt lacrymis & gemitibus noſtras maculas deteſtemur, & tibi in aliquo ſeruiamus; & miſeratio tua eſt, quòd moriamur, vt ſordes tandem omnium peccatorum exuamus, & ad patriam ab exilio tranſlati aliquando peccare ceſſemus.

Nec ſola ſanctarum ſcripturarum, & ſapientiſſimorum patrum authoritas ad hoc ſentiendum & B confitendum nos adigit; ſed etiam manifeſta ratio & experientia compellit. Gratia enim Dei poſt Adæ
Roma. 7. nu. 25. peccatum, licèt in hac vita ſanet mentem, nunquam tamen omnino reparat carnem, dicente Paulo: Ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati.] Caro verò nondum reparata, nec ad plenum ſanata, motus ſuos habet, ſiue iræ ſiue concupiſcentiæ, præceptis Dei contradicentes, & aduerſus rationem rebellantes. At iſtos motus ratio etiam vigilantiſſima per totam vitam non reprimit; ſunt enim innumerabiles, nec illis in omni occaſione reſiſtit: dum namque huic ex profeſſo renititur, alius ex improuiſo, & fortè contrarius, inſurgit, cui (vt oportuerat) citò non obſiſtit. Ergo nolens, C id eſt, non plenè volens, aliquod vulnus ſentit, aliquod peccatum admittit, quod in iſto carnis ſiue ſenſualitatis motu, non ad plenum repreſſo, conſiſtit. Et quidem humana ratio, per peccatum, adhuc
Sapien. 9. nu. 14. poſt gratiam acceptam, obſcura permanſit, adeo, vt ſecundùm dictum Sapientiæ, Incertæ ſint proui-
Rom. 8. nu. 26. dentiæ noſtræ;] & iuxta Paulum, Quid oremus, ſicut oportet, neſciamus.] Manſit etiam non omnino fortis, & robuſta, vt nouerit ſingulis momentis importunitati carnis reluctari, & etiam in minimis
Rom. 7. n. 24. eius procacitatem compeſcere. Quam imbecillitatem Paulus aduertens, exclamat: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?] Hæc autem obſcuritas in cauſa eſt, vt ſæpe in rebus aut deficiat, aut excedat: & hæc infirmitas vi appetitus impulſa vt in multis offendat, & tædio tantorũ D impedimentorum, quæ ipſi rectè progredi volenti, obſiſtunt, nunc hic nunc illic victa ſuccũbat. Sed bone Deus, quis hoc in ſe ipſo quantumuis ſanctus non experitur? Quis gloriari poteſt caſtum ſe habere cor, id eſt, omni peccati fæce purgatum? Quis aliquando non eſt in oratione diſtractus? Quis in Pſalmodia non eſt minori reuerentia, quàm par erat, affectus? Quis interdum in Miſſæ ſacrificio non tepuit? Quis non fuit cogitationum inanium vanitate deluſus, aut deſideriorum terreſtrium vilitate pulſatus, aut affectus inordinati inſurrectione commotus? Quis aliquando cùm loqui debuiſſet, non ſiluit, aut tempore ſilentij verbum non protulit, & in otioſo ſermone non exceſſit? Quis cibi, potus, & ſomni menſuram ita diſtrictè ſeruauit, vt nun- E quam plus neceſſario, aut minùs acceperit? Aduer-
Caſſia. collat. te quæ Caſſianus inter leuia peccata recenſeat. Aliud, inquit, eſt admittere peccatum mortale, & aliud eſt, cogitatione, quæ peccato non careat, præueniri, vel ignorantiæ, aut obliuionis errore, aut facilitate otioſi ſermonis offendere, aut ad punctum in fidei theoria aliquid hæſitare, aut ſubtili quadam cenodoxiæ titillatione pulſari, aut neceſſitate naturæ aliquantiſper à ſumma perfectione recedere. Hæc

A enim ſunt ſeptem lapſuum genera, in quibus vir ſanctus, licèt nonnunquam cadat, tamen iuſtus eſſe non deſinit.] In his & aliis ſimilibus, quæ vix poſſunt numero comprehendi, tot ſunt occaſiones leuiter delinquendi, vt planè inſanus ſit, qui putet ſe ſolertiſſima etiam diligentia omne veniale peccatum vitaſſe, & nullum defectum, nec interiùs in corde, nec exteriùs in humanis actionibus incurriſſe. Fortè quis in aliquo genere nunquam per totam vitam, nec venialiter deliquit, vt ſi diues timoratus nunquam furtum nec leue fecerit, aut princeps ſuo regno contentus, nunquam alienum, nec leuiter concupiuerit. Et de Ioanne Baptiſta, & de Ioſepho ſponſo Virginis æquum eſt exiſtimare, nunquam nec leuiter aduerſus caſtitatem peccaſſe: &
B de Thoma Aquinate memoriæ proditum eſt, nunquam ſuam puram animam inanis gloriæ leui peccato infeciſſe. At omnia prorſus venialia vitaſſe, ad Angelos pertinet, qui nulli originali peccato ſubiecti, nec carne mortali circundati, potuerunt diuina gratia adiuti, ſine vllo delicto, & cum magno merito, ad felicitatis poſſeſſionem euolare.

Statuamus ergo hominem diuiſim (vt aiunt) & oblata occaſione, poſſe omnia venialia peccata vitare, nam ſi non poſſet, non peccaret, cùm peccatum non niſi à libera voluntate procedat, & tamen nunquam vitare, nec id quod in ſua eſt poteſtate, vnquam aut feciſſe, aut facere, aut eſſe facturum. Multa enim ſunt, quæ poſſumus facere, &
C nunquam facimus. Nam & ego potui Romam iuiſſe, & nunquam iui: & potui pedes hanc latiſſimam prouinciam peragraſſe, & nunquam peragraui: ſimiliter potui quodcunque peccatum leue, dum occurrit, vitaſſe, & non vitaui: & quia non vitaui, potens vitare, ideo deliqui; nec deliquiſſem, ſi vitare non potuiſſem. Auguſtinus profectò ad hanc eandem diſſoluendam quæſtionem, multis *Aug. lib. de ſpiritu & lit. c. 2.*
aſtruit plurima fieri poſſe, quæ nunquam fiunt, nec fient. Abſurdum tibi videtur dici, ait ad Marcellinum, aliquid fieri poſſe, cuius deſit exemplum, cùm ſicut credo non dubites, nunquam eſſe factum, *Matt. 19. nu. 26.*
vt per foramen acus camelus tranſiret, & tamen *Matt. 26. nu. 53.*
ille, ſcilicet Chriſtus, hoc quoque dixit Deo eſſe *Iudic. 2. nu. 23.*
poſſibile. Legas etiam duodecim millia legionum
D angelorum, pro Chriſto, ne pateretur, pugnare potuiſſe, nec tamen factum. Legas fieri potuiſſe, vt ſemel gentes exterminarentur à terra, quæ dabatur filiis Iſrael, Deum tamen id paulatim fieri voluiſſe: & alia ſexcenta poſſunt occurrere, quæ fieri vel potuiſſe, vel poſſe fateamur, & eorum tamen exempla, quòd facta ſint, proferre nequeamus. Vnde non ideo negare debemus fieri poſſe, vt homo ſine peccato ſit, quia nullus eſt homo, in quo id perfectum eſſe, demonſtrare poſſimus.

Duobus autem his poſitis, quòd poſſumus vitare omnia peccata leuia paulatim occurrentia, & non vitamus, & ideo peccamus; videndum eſt nunc quid viri perfecti circa hæc peccata faciant, & quo-
E vſque in eorum deuitatione procedant, vt pro poſſe illos imitemur. Multi ergo ex perfectis hominibus in carne viuentibus, hoc conſequuntur, vt poſt conuerſionem ſuam, ac guſtatam ſpiritus ſancti dulcedinem, nunquam aut rariſſimè peccata venialia ſcienter & ex induſtria, & cum plena deliberatione, committant. Ita ſcilicet vt aduertentes ipſi hoc verbum, Eſt peccatum veniale, ob reuerentiam diuinæ maieſtatis, quam vnicè venerantur, & diligunt, illud verbum nec pro ſalute totius

D.Thom 12.q.109 art.8. & 9.

mundi proferre conſtituant. Quod ita eſſe Thomas Aquinas, ſi profundè intelligatur, non obſcurè fatetur. Omnem enim impoſſibilitatem moralem (quam vocat) carendi veniali peccato, ad duo reuocaſſe videtur; ſcilicet ad infirmitatem carnis, & ad obſcuritatem mentis, ſæpe quid expediat, neſcientis: viri autem perfecti, aut feruidè proficientes, ſcientia illuminati, qua aliquid peccatum leue eſſe cognoſcunt, & gratia ampliori roborati, & dulcedine diuini amoris illecti, non eſt cur non facilè carnis infirmitatem ſuperent, & motus eius ad illicita tendentes cohibeant. Quod autem in vno leui peccato faciunt, in omnibus quæ aduertunt, faciant, & primum motum inſurgentem vt à leui peccato liberentur, priuſquam vltrà progrediatur, impediunt. Hos Bernardus, & meritò, beatos ac fœlices appellat.

Bern. ſer. de Tripl. cohærentia vinculorum.

Beatus huiuſmodi homo, inquit, & abundanti ſpiritus influens maieſtate, qui ſuauis & vnctus portat omnes, & neminem onerat ipſe: qui terribilius & horribilius ipſa gehenna iudicat, in re leuiſſima vultum omnipotentis ſcienter offendere.] Planè beati ſunt, qui licèt ex infirmitate peccent (quemadmodum enim, ait Iob, Nemo mundus à ſorde) tamen nunquam ſcienter, & ex malitia, delinquunt.

Iob.14.

Nam ex infirmitate peccare, infirmæ carnis opus eſt; nunquam tamen ex deliberata voluntate delinquere, nec leuiſſimè, opus eſt abundantis charitatis, quæ non tantùm Creatorem ſuum omnibus prætulit, ſed nec minimam eius offenſam ſciens & volens admittit. Conijce oculos, quæſo, in Franciſcum, in Dominicum, in Bernardum, in Ignatium noſtrum, & in alios ſimiles ſanctos, & videbis te manifeſtam iniuriam illis facere, ſi de ipſis, quòd ſcienter, & de induſtria peccata venialia fecerint, cogitares. Quod autem illi habuerunt, multi viri ſpirituales ad perfectionem currentes, ſine dubio habent, qui licèt ſæpius ex infirmitate in leuibus cadant, nunquam tamen multis annis in huiuſmodi ſcienter & ex induſtria deficiunt.

Iſa.59.1.

Non enim nunc abbreuiata eſt manus Domini, vt iuſtos ſuos ab iſta infidelitate ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris eius, vt dilectiſſimorum preces non exaudiat, quibus quotidie poſtulant, ſi non ab omni peccato, (quod mortalitas iſta non patitur) ſaltem à procacitate, & fronte meretricis liberari. Frontem verò meretricis habet, qui poſt diuinam maieſtatem intimè cognitam, poſt ampliſſima eius dona ſuſcepta, poſt guſtatam cœleſtium contemplationum ſuauitatem, audet, ſciens & aduertens aliquid Domino diſplicere, illud, licèt leuiſſimum, coram oculis ſui Domini & Creatoris patrare. Interrogemus itaque viros ſanctos, & obteſtemur illos per nomen Domini, cui ſe totos commiſerunt, vt dicant nobis ſine vllo lædendæ humilitatis timore, an aliquod peccatum veniale, non ex infirmitate, ſed ex induſtria, & ex malitia per aliquot annos commiſerint; & ſi dixerint, quia longo tempore, aut nunquam, aut vix ex malitia peccarunt, credamus eis, ſunt enim teſtes omni exceptione maiores, & eos in hoc ſequi & imitari conemur. Quod profectò ſine vllo timore & dicendum & ſcribendum eſſet, niſi tanta eſſet horum temporum malitia, tanta imperfectorum audacia, vt quod ipſi in ſe non vident, ſtatim impoſſibile credant. In quos optimè quadrat illud Iudæ Apoſtoli: Quæcunque ignorant, blaſphemant:] quia ſuam exiguitatem & tepiditatem menſuram perfectorum faciunt, immo & diuinam gratiam ſanctos mirificè iuuantem eleuare præſumunt.

Iuda. in Canon. n.10.

Aliud etiam perfecti & proficientes circa peccata leuia faciunt, ſcilicet ea quæ per ignorantiam aut imbecillitatem contrahunt, in dies poſtulatione amplioris gratiæ, & diligentiſſima vigilantia, magis ac magis minuere. Curántque vt vt hæc minuta peccata, quæ omnino vitare non poſſunt, ſint ſaltem pauciora numero, & malitia tenuiora, vt ſic quotidie magis grati ſint apud Dominum, & maiorem mentis ſuæ puritatem obtineant. Hæc ita eſſe Gregorius manifeſtò docet his verbis:

Greg. 11. moral. c. 15.

Conſiderare magnopere quid agere iuſti ſoleant, debemus. Qui plerunque ſi qua in ſe quamlibet leuiter carnalia eſſe deprehendunt, hæc in internis ſenſibus retractantes, vehementer in ſemetipſis inſequuntur: afflictione ſe conterunt, magniſque cruciatibus vel minima in ſe praua diiudicant, atque hæc per pœnitentiam damnant. Quod idcirco agunt, vt in conſpectu æterni iudicis & ipſi inueniri, in quantum eſt poſſibile, irreprehenſibiles debeant: & hi qui eos ſic ſe iudicare conſpiciunt, emendare ſemetipſos à culpis grauioribus inardeſcant.] Et rurſus alio loco, explicans illa verba Dauidis: Pro hac orabit à te omnis ſanctus in tempore opportuno,] ait:

Pſal.31. n.6. Gregor.in Pſal.

Quanto electus quiſque maiori ſanctitate præeminet, tanto magis de his, ſine quibus hæc vita non ducitur, venialibus peccatis dolet. Quis ſanctior Paulo, qui de ſe diffidens, de corpore mortis per Dei gratiam liberari exſpectat?

Rom.7.n.15.

Sancti enim viri licèt magnis iam virtutibus polleant, habent tamen adhuc de culpæ obſcuritate quod ferant. Et licèt iam magna vitæ claritate luceant, aliquas tamen peccati nebulas, veluti quaſdam noctis reliquias, nolentes trahunt. Quod diuinæ profectò pietatis diſpenſatione agitur, vt qui aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, ad humilitatis celſitudinem ſua meliùs infirmitate ſubleuetur:

Pſal.83. n.6.

quatenus vnde parua reprehenſibilia humiliter patitur, inde meliùs in iuſtitiæ virtute roboretur: & eo ſe in virtutis culmine erectum minimè ſentiat, quo ſuis viribus, etiam parua, quæ eum impediunt, non expugnat. Hactenus ille.] Et Iſidorus breuiùs:

Iſido.2. ſent. cap. 18.

Sunt peccata leuia, quæ ab incipientibus quotidiana ſatisfactione purgantur: quæ tamen à perfectis viris velut magna crimina euitantur.] De his in Eccleſiaſtico dictum eſt:

Eccleſ. 2.20.

Qui timent Dominum, præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas.] Præparant quippe corda ſua in aduentum Domini, cùm ea magna ſolicitudine etiam à leuioribus purgant: & ſanctificant in conſpectu eius animas ſuas, dum eas diebus ſingulis ab his aſſiduis imperfectionibus, quæ omnino vitari non poſſunt, magis ac magis emundant. Cuſtodiunt hi, quantum poſſunt, mandata Domini; quòd ſi omnino ſuo deſiderio non ſatisfaciunt, nec concupitæ puritati, (ſicut re vera non ſatisfaciunt) patientiam habent vſque ad inſpectionem illius, id eſt, vſque ad diem examinis, in quo perfectè purgabuntur, vt perfectè mundati, in cœleſtes manſiones introeant. Cùm ergo iſta duo perfecti circa leuiora peccata præſtare ſoleant, nos qui tendentes ad perfectionem inſtruimus, ad eadem illos hortari volumus. Nec dicimus illis vt nunquam peccent vel leuiter, quod ſatis nouimus à nullo puro homine, præterquam à Beata virgine, fuiſſe præſtitum: ſed quòd aſpirent ad hoc, vt nunquam ex induſtria, & cum plena deliberatione, leuia peccata faciāt, & vt cætera ab ipſa naturæ noſtræ mi-

ſeria, & imbecillitate manantia, quotidie magis ac magis adhibita diligentia diminuant.

Peccata venialia fugienda eſſe propter mala, ad quæ diſponunt.

CAPVT X.

MVLTA ſunt, quæ virorum ſpiritualium mentes ad magnum timorem iſtorum peccatorum leuium, & ad eorum fugam ac deteſtationem impellunt, quæ omnia breuitatis & lucis gratia, ad tria ſolùm capita referemus. Illud autem primum ſit, quantis malis iſta peccata leuia ianuam aperiant. Quod ſanè natura ipſa peccati venialis perſpecta, & conſiderata, ſatis euidenter oſtendet. Eſt enim peccatum veniale, ſi attentè ipſum inſpiciamus, non quidem mors animæ, quod tantùm crimini ſeu peccato lethali competit, ſed eſt aduerſa valetudo, & infirmitas animæ, quæ & ipſam animam fœdat, atque deformat, & à debita diſpoſitione benè & feruidè operādi disiungit. Quod & Bernardus manifeſtè docet, dum illud ſancti Dauidis exponens: Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus;] & animæ cogitationem cuti, affectionem carni, & intentionem oſſibus comparans, leuiora peccata tribulationes putat eſſe iuſtorum, & plagis ac vulneribus deſignat. Quæ ſunt, inquit, tribulationes iuſtorum, niſi quòd interdum decoloratur cutis, cùm videlicet inutilis cogitatio in corde verſatur? Nonnunquam verò etiam caro vulneratur, quando ſcilicet ad hoc vſque cogitatio perniciosa procedit, vt delectatione corrumpatur affectio. Nam oſſa quidem iuſtorum omnino integra, atque illæſa cuſtodiuntur à Domino, vt nunquam frangatur propoſitum cordis eorum, nunquam ſalubris intentio conteratur: vt videlicet concupiſcentiæ titillāti etiam detur aſſenſus.] Optimè quidem leue peccatum animæ vulnus, atque ægritudo appellatum eſt: nam ſi ægritudo corporis, naturam corporis turbat, & ab optimo ſtatu dimouet; eodem modo veniale peccatum naturam noſtræ mentis miſcet, & ab ea, qua Deus contemplandus eſt, tranquillitate diuellit. Vnde idem Bernardus ait: Sicut corporis natura eſt ſanitas, ita cordis natura eſt puritas: quia turbato oculo, non videbitur Deus: & cor humanum ad hoc factum eſt, vt ſuum videat Creatorem. Si verò ſanitati corporis ſollicita eſt prouidenda cuſtodia; puritati cordis tanto ſolicitior eſt impendenda, quanto pars iſta dignior illa eſſe conuincitur.] Quid eſt, corporis natura eſt ſanitas, & cordis natura eſt puritas? Niſi quòd hæc ſecundùm naturam ſunt, infirmitas verò & impuritas aduerſa naturæ, quorum illa corpus, iſta verò cor ipſum inquietat, vt probè ſuas actiones præſtare non poſſint? De huiuſmodi impuritatibus, aut peccatis minutulis, in Salomone ſcriptum eſt: Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti.] O quàm aptè peccata leuia muſcis comparantur, quæ omnia fœdant, omnibus actionibus inſident, & ea quoque, quæ in menſa regis apponenda ſunt, id eſt, ad cultum Domini offerenda, miſerabili audacia commaculant. Muſcæ ſunt morituræ, quas nempe exterminare debemus, ne ipſæ & internam auferant ſuauitatem, & nos paulatim à ſapientia ad ſtultitiam trāſferant. quam iſtæ paruæ ſtultitiæ, ſi non quo ad ſubſtantiam, at quoad feruorem, extenuant. Ægritudines ſunt, ac malеtudines animæ, quæ inſtar lepræ

Bern. ſer. de cute carn. & oſſibus animæ. Pſal. 33. n. 20.

Bern. ſer. de triplici genere bonorum.

Eccleſ. 10. n. 1.

A | inſigni deformitate omnes eius vires ac ſenſus inficiunt. Nam & Auguſtinus ait: Quibus peccatis licèt occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibuſdam puſtulis, & quaſi horrenda ſcabie replentia deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius ſponſi cœleſtis, aut vix, aut cum grandi confuſione venire permittant.] De leproſo hæc in Leuitico ſcripta ſunt: Habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum, contaminatum, ac ſordidum ſe clamabit.] Hæc omnia ſigna ſunt luctus, atq; triſtitiæ; & ſanè nos, qui ſingulis diebus lepram iſtam de nouo contrahimus, & non niſi paruo tempore illa caremus, vtique deberemus, ſi non veſtimenta exteriora, at corda noſtra in cotidiana examinatione vi doloris abrumpere, caput in ſignum

B pœnitudinis conſperſum humilitatis cinere, omni lætitiæ corona nudare, os præ rubore & verecundia ad omnem excuſationem noſtram opprimere, & nos ipſos planè immundiſſimos ac fœdiſſimos confiteri. Contemnamus nos, qui his fere ſemper ægritudinibus laboramus, quæ oculos mentis obnubilant, aures ad diuinos inſtinctus audiendos obturant, manus grauant, pedes retardant, & omnem interiorem hominem ad perfectionis opera pigrum reddunt.

Sed ſi venialia peccata animæ ægritudines ſunt, iam elucet, quoniam ad mortem, id eſt, ad peccata grauia & lethalia diſponunt. Sicut enim corporalis infirmitas mortem corporis vocat, & ſi non obſtemus illi, tandem aduehit; ita ſpiritualis animæ infirmitas, animæ mortem compellat. Ingentem flam-

C mam, inquit Gregorius Nazianzenus, perexigua quoque ſcintilla excitat. & viperæ ſemen homini ſæpe exitium inuexit. Proinde cura vt leuiſſimam quoque noxam effugias. Tametſi enim ea primo exigua, & minuta ſit; poſtea tamen in ingentem magnitudinem excreſcit.] Quod vt luce clariùs videamus, ſciēdum eſt, peccatorum venialium quædam eſſe grauia ex genere ſuo, quæ aut materiæ puſillitas, aut defectus plenæ deliberationis in peccata leuia conuertit, vt ſi quis furtum vnius oboli faciat; ſi in re leui, & non multi momenti, de fratre detrahat; ſi turpem cogitationem poſt aliquam negligentiam, & ante deliberatum conſenſum abiiciat: alia verò leuia eſſe etiam ex proprio genere, quæ etiam magna; & plena deliberatio, qua fiunt, ſemper leuia ea reliquit, & nunquam

D in grauia peccata commutauit: vt ſi quis verba otioſa proferat, aut tempus inutiliter terat, aut mendacium officioſum in medium producat. Illa priora ad grauia peccata non multùm à longè diſponere nemo non videt. De quibus præcipuè dictum eſt: Qui ſpernit modica, paulatim decidet.] Et: Qui amat periculum, in illo peribit.] Quemadmodum enim, vt ſimili eiuſdem Eccleſiaſtici vtamur, Operarius ebrioſus non locupletabitur,] ſed dum hodie bibit, & cras bibit, & ſequenti die aliud parum in potum immoderatum inſumit, tandem in extremam paupertatem venit: ita qui hodie negligens eſt in impudica cogitatione reiicienda, cras negligentior erit, & iterum negligentiſſimus factus, ad conſenſum, id eſt, ad perditionem vſque gratiæ, procedet. Quare

E & ſanctus Iob vt hanc rem aſtruat, Dominum in nobis poſt vanitatem videre iniquitatem affirmat. Ipſe, ait, nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne conſiderat?] Vanitas leuia peccata deſignat, quæ licèt malitiam peccati criminalis non habeant; tamen inutilia prorſus & debito fine carentia periſtunt. Ex his faciliimum eſt ad iniquitatem progredi, & poſt vanitatem, inuerecundiam & procacitatem admittere. Quod docet Gregorius, eundem locum his verbis exponens: Aptè poſt vanitatem

Aug. ſer. 41. de ſanctis.

Leuit. 13. 45.

Nazian. in ſententiis. 13.

Eccleſ. 19. n. 1.

Eccleſ. 3. 27.

Eccleſ. 19. 1.

Iob. 11. 11.

Greg. 10. mor. c. 9.

protinus

A protinus iniquitas ſubinſertur, quia dum per quædam tranſitoria ducimur, in quibuſdam noxiè ligamur: cùmque mens incommutabilitatis ſtatum non tenet, à ſemet ipſa defluens, ad vitia prorumpit.] Et poſt pauca: Ex vanitate ad iniquitatem ducimur, cùm priùs per leuia delicta deflectimus, vt vſu cuncta læuigante, nequaquam pòſt committere etiam grauiora timeamus. Nam dum moderari lingua ocioſa verba negligit, more inolitæ remiſſionis capta; audax ad noxia prorumpit: dum gulæ incumbitur, ad leuitatis protinus inſaniam proditur: cùmque mens ſubigere delectationem carnis renuit, plerumque & ad perfidiæ voraginem ruit.] Quis iam non videat iſtorum pericula delictorum, quæ ſi paulatim procedant, non iam animam cruentant, ſed planè grauia facta à poſſeſſione vitæ ſpiritualis alienant? B

Sunt ergo peccata iſta leuia ſicut peſtilentes morbi, quos ſi diligentiſſima medicina non comprimat, certiſſimam & citiſſimam mortem inferant. Sunt velut cuneus, qui principio modicam rimulam in ligno facit, ſed eam faber lignarius ictus multiplicando vſque ad ſciſſionem ligni producit. Sunt ſicut mucro validè carnem tangens, & pellem abrumpens, quæ ſtatim carnem peruadet, & corpus omnino perfodiet. Sunt vt ignis ſtipulæ admotus, qui nunc tantiſper immutat, & è veſtigio eam voracitate ſuæ virtutis inflammat. Sunt tandem velut erga præcipitium caſus, quem continuò ob loci periculum miſerabilis præcipitatio ſubſequitur. Ita omnino peccata hæc niſi ea mens ſtatim excutiat, ita C eam paſſionis vinculis illigabunt, & facibus concupiſcentiæ ſuccendent, vt breui tempore peccati lethalis flamma conſumat. Ex volucrum aucupio diſce (ait ſanctus Ephræm) quæ parua videntur, non ideo contemnenda. Contingit enim vt auis in laqueum incidens, minima capiatur vngula: & alarum vires franguntur, ac debilitantur ob vnguem vilem, & cùm totum ſit corpus extra laqueum, totum tamen retinetur.] Similitudo hæc generi huic peccatorum venialium optimè congruit, quæ primùm vngulam, id eſt, cogitationem, illaqueant, ſed niſi quàm citiſſimè homo ſuam vngulam liberet, & pedes, & manus, & corpus, & mentem peccati laqueis illigabit, & totum hominem in diaboli ſerui- D tutem rediget, & manifeſti criminis gladio conficiet. Dauid minùs cautè alienam vxorem aſpexit, & nulla interiecta mora concupiſcentiæ manus dedit, & ſequenti nocte adulterium perpetrauit: & qui in ſolarium domus ſuæ perfectus intrauit, ob incautum aſpectum ſceleratus peccator exiuit. Quis non timeat hoc leuium peccatorum genus? Quis non vel minimam vindictæ aut impudicitiæ cogitationem ſtatim cum magna violentia repellat, quæ mortem animæ machinatur, & omnia bona gratiæ dilapidare molitur? Caſſianus profectò horum peccatorum pericula (illud Prouerbiorum ſecundùm tranſlationem ſeptuaginta virorum exponens: Stillicidia eiiciunt hominem in die hyemali de domo ſua) luculentiſſima, quam priori volumine retulimus, oratione declarat, & magnos aliquorum caſus E mentis teporem ſubſequi, & in defectibus vitandis incuriam, manifeſtè decernit. Lapſus quiſpiam, inquit, nequaquam ſubitanea ruina corruiſſe credendus eſt, ſed aut prauæ inſtitutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, & per hoc ſenſim, vitiis increſcentibus, caſu miſerabili concidiſſe. Ante contritionem enim præcedit iniuria, & ante ruinam mala cogitatio. Quemadmodum domus nunquam ſubi-

Ephr. de morbo linguæ.

2. Reg. 11. 2.

Prouerb. 27.

Caſſia. colla. 6 ca. vlt.

A taneo ad ruinam procumbit impulſu, niſi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantium deſidia ſtillicidiis primùm paruiſſimis penetrantibus corrupta ſenſim fuerint munimenta tectorum, quibus per vetuſtam negligentiam in maiorem modum patefactis, atque collapſis, riuatim poſt hæc influit pluuiarum imbriùmque tempeſtas.] Non eſt ergo dubium, hoc genus venialis peccati ad magna mala diſponere, &, niſi reſiſtatur eis, poſt paululum grauiſſimum malum peccati lethalis ſecum afferre.

At alia peccata, quæ ex genere ſuo leuia ſunt, licèt non tam præſentaneè, ſed etiam vt viles & infidi internuntij, graui peccato ianuam domus mentis aperiunt. Obnubilant enim animam, ne peccati grauis enormitatem aduertat; eneruant eam ne graui B & ſubitæ tentationi reſiſtat: deiiciunt illam in modica, vt data occaſione ipſa ſemet ipſam in graue criminis caſibus aſſueta deiiciat. Qui aſſuetus eſt è loco infimo cadere, facilè cadet, & neſciet ſubſiſtere poſitus in loco ſublimi: ita qui modicis peccatorum leuium tentationibus vincitur, graui tentatione pulſatus, difficulter à gratia in mentis ſtabilitate retinetur. Ex his minimis, & verè vilibus, inquit ſanctus Dorotheus, ad magna contemnenda delabimur. Cùm enim cœperit quis dicere: Quid eſt, ſi verbulum hoc vnicum locutus fuero? Quid eſt, ſi modicum hoc comedero? Quid ſi in rem hanc intendero? Ex hoc, quid id, quid illud, admittitur mala & amara eſca, & ſenſim incipit quis, ac pedetentim in maiora ac grauiora prolabi, & ſic deinceps per parC tes proruens periclitatur, atque in perfectam inſenſibilitatem decidit.] Hæc eſt iſtius Patris ſanè tremenda ſententia, quam vtinam non multi euentus comprobaſſent. Scimus enim aliquos ex verbis otioſis iam quaſi ex conſuetudine prolatis, & ſine vlla verecundia ſuſceptis, in verba laſciua corruiſſe, & ex his in cogitationes impuras deueniſſe (nam quis timeat ea cogitare, quæ non veretur ore proferre?) ex impuris autem cogitationibus facile eſt ad impurum tranſire conſenſum, & ex conſenſu ad nefarium opus properare. Fitque homo, cùm ſordes iſtæ, & infirmitates iſtæ ſibi vileſcunt, ſenſim ad maiores maculas timendas tardior, & ad reſiſtendum morti criminis imbecillior. Quare non immeritò dixit D Chryſoſtomus: Mirabile quidem, & inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam videri non tanto ſtudio magna peccata eſſe vitanda, quanto parua, & vilia. Illa enim, vt auerſemur, ipſa peccati natura efficit: hæc autem, hac ipſa re quia parua ſunt, deſides reddunt: & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generoſè inſurgere. Vnde citò ex paruis maxima fiunt negligentia noſtra.] Sapienter dicta ſunt hæc, nam ipſa mentis infirmitas, tot minutulis peccatis ſubiecta, difficulter magna occaſione pulſata reſiſtet. Si enim corpus noxiis humoribus oppletum, & aſſiduis febriculis affectum, & ſqualore ac inedia imbecillum factum, adueniente aliqua graui ægritudine facilè morti cedit; eodem modo anima inuerecundè hæc leuia peccata committens, & illis interius robur extenuans, facilè data occaſione criminis morE ti ſuccumbit. Nonne impius Tryphon Ionathæ perſuaſit vt exercitum copioſum à ſe dimitteret, quo ducem ſolum, & ſine exercitu inuentum occideret, & regionem Iſraëliticam occuparet? Idem prorſus facit diabolus, vt viros iuſtos ſibi ſubiiciat. Suadet illis, vt opera bona, & ſtudia ſancta eos protegentia, deponant, vt ocioſitati, & tepori ſe tradant, vt carni ſuæ in non neceſſariis indulgeant, vt paruos defectus à virtute & ſpirituali robure auocantes non me-

Dorotheus doctrin. 3.

Chryſoſt. hom. 83. in Matt.

1. Mach. 12. n. 45.

tuant. Inde autem pronum eſt illi magna vi tentationis impulſos, inermes euincere, & imparatos ac ſuæ ſalutis oblitos ſubiugare.

Hinc ortum habuit dictum illud apud Patres commune, Multa leuia peccata vnum grande facere. quod ſi circumſpectè intelligatur, magnam habet veritatem. Sed priuſquam eius ſenſum explicemus, vnum aut alterum ex Patribus id dicentibus audiamus. Auguſtinus ait: Noli illa contemnere, id eſt, leuia peccata, quia minora ſunt, ſed time quia plura ſunt. Attendite, fratres mei, minuta ſunt, non ſunt magna. Non eſt beſtia quaſi leo, vt vno morſu guttur frangat; ſed beſtiæ plerunque minutæ multæ necant. Si proiiciatur quiſquã in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi? Non ſunt quidem maiores, ſed infirma eſt natura humana, quæ etiam minutiſſimis beſtiis interimi poteſt. Sic & modica peccata attendite, quia modica ſunt, & cauete quia plura ſunt. Quàm minutiſſima ſunt grana arenæ! Si arenæ amplius in nauim mittatur, mergit illam vt pereat. Quàm minutæ ſunt guttæ pluuiæ! Nonne flumina implent, & domos deiiciunt? Ergo iſta nolite contemnere.] Bernardus autem ſic inquit: Non ſolùm grauia, ſed & leuia cauenda ſunt peccata. Multa enim leuia vnum grande efficiunt; ſicut ſolent de paruis & minimis guttis immenſa flumina creſcere.] Idem & eiſdem verbis aſſerit Hugo Victorinus, & Beatus Iſidorus, ex quo duo priores deſumpſerunt. Quorum Patrum non credimus fuiſſe ſententiam, quòd plura leuia peccata in vnum lethale aliquando coaleſcant. Certum eſt enim quòd illa, quorum malitia non continuatur, nec vna quaſi ex pluribus collecta conſtituitur, nunquam aut præcepta Dei grauiter frangunt, aut gratiam & charitatem diſperdunt, aut in Dei inimicitiam incurrunt. Sed ſenſus eorum & veriſſimus eſt, quòd multa leuia peccata ſine vllo præſertim timore commiſſa, grauant imperfectam & miſeram animam, & in ea fortitudinis murum aperiunt, vt irruente per grauem tentationem hoſte eam expugnatam ad ſe pelliciat, & in graue aliquod peccatum diſturbet. Sunt enim iſta peccata quaſi puluis in oculos iniectus, qui eos principio obnubilat, & deinde penitus cæcat. Sunt ſicut ſeminatores diſcordiæ, qui affectuum rempublicam turbant, & animam totam inquietant. Sunt imbres, qui non quidem charitatem extinguunt, at robur eius, & feruorem conſopiunt. Sunt ægritudines, quæ mentem debilitant. Sunt fœtores, qui ſpiritum Dei contriſtant, & à bono nos eius familiaritatis auertunt. Quis autem non videat, animam cæcam, ac perturbatam, infirmam, & gelidam, & ab amplexibus ſui creatoris auulſam, periculo cadendi in aliquid grauius, eſſe vehementer expoſitam? Radix quidem ſpinæ, ſeu rhamni, tenera, & blanda eſt, at ſpina ex illa progrediens, ſatis aſpera, atque cruenta: ſic peccata leuia per ſe ipſa non multùm vulnerant, quia charitatem non deſtruunt, ſed ſunt veluti radices ſpinæ, id eſt, grauioris peccati, quod potens eſt corda transfigere, & à vita gratiæ ſeparare. Qui ergo timet Deum, vt ait Salomon, nihil negligit,] ſed maiora peccata vt maiora fugiet, & minora, vt ſemina maiorum vitabit. Temerarium enim eſt, vnum pedem hoſtis intra domum admittere, qui poſt vnum, alterum ponet, & miſerum habitatorem ex ea cum iniuria repellet. Ita diabolus ſolet à paruis incipere, & ad maiora procedere, & poſtquam ab anima timorem leuiorum peccatorum depulit, metum etiam grauiorum ablegare.

August. lib. de decem chordis, c. 11.
Bern. lib. meditatio. c. 45.
Hugo. 3. de anima c. 17.
Iſidor. ut 2. ſent. c. 18.
Eccleſ. 7. 19.

Peccata venialia fugienda eſſe propter damna, quæ inuehunt.

CAP. II.

LEVIA iſta peccata, quibuſcum ſicut calamo pugnamus, vtinam vitæ perfectione pugnaremus, non tantùm hoc malum, quod iam expreſſimus, ſatis per ſe magnum, & tremendum inferunt, ſed alia etiam mala, & animæ damna non contemnenda ſecum inuoluunt. Quorum odium æquum eſt profectò vt nos ab illis retrahat, & curam vitæ emendatioris, & perfectioris, vel nobis quoque oſcitantibus & incurioſis intrudat. Si enim non ſolam mortem corporis, & ea, quæ mortem important, ſed quæcunque etiam aduerſa corpori fugimus; cur ſolam mortem animæ, & quæ ad illam diſponunt, & non quoque alia quæcunque mala fugiamus? Maximè quòd iſta mala, ſeu damna leuiorum peccatorum, non leuia ſunt, ſed magni momenti, vt ex ipſiſmet declaratis manifeſtum fiet. Ea verò Laurentius Iuſtinianus hac oratione recenſet. Porro licèt veniale delictum ſe perpetrantem æternæ mortis nequaquam faciat reum, maculat nihilominus animam, feruorem charitatis minuit, potentiam animæ in bonis operibus debilitat, retardat à gloria, & ſæpè fit peccati mortalis occaſio.] Iſta quinque mala peccatorum leuium conſideremus, & ea deinceps diligentiùs vitabimus, & multò magis quàm huc vſque timebimus.

Peccatum igitur veniale maculat animam, quod etiam ſanctus Gregorius confeſſus eſt. Vitam animæ, inquit, quælibet culpa polluit; ſeruatus verò contra proximum dolor occidit. Sed quantum polluat quis explicare ſufficiet? Nam ſi, vt dixit Nazianzenus, ſplendidæ veſtis luculentiores ſunt ſordes, animæ ſecundùm ſuam naturam puriſſimæ, & ſecundùm ſubſtantiam incorporeæ, fœdæ erunt ſordes, quæ illam conſpurcant, & gratiæ nitorem inficiunt. Tales quidem ſunt quas Dominus ipſe propriis voluit in nobis ſuis lauare manibus, & linteo ſuæ puriſſimæ humanitatis abſtergere. Hoc enim ſignificauit cùm lotis diſcipulorum pedibus aſſeruit: Qui lotus eſt non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.] Erant quippe illi mundi, quod ad grauia peccata attinet, vt interpretati ſunt Auguſtinus & Beda, ſed in pedibus habebant ſordes, quas oportebat Saluatoris ablutione mundari. Non ſunt autem parui pendendæ ſordes, quas Chriſtus per ſe ipſum lauat, & diſcipulis ſuis ineſſe non patitur. Sed ſordes iſtas, ac maculas iſtas, magnas eſſe ex vilitate rerum, ex quarum contactu contrahuntur, intellige. Nam quo res vilior eſt, & impurior, eo ampliùs manum eam tangentis polluit, & fœdiorem obſcuritatem inducit: at res temporales infra nos poſitæ viles admodum ſunt, quæ animam Dei cauſa creatam inficere habent, ſi eas voluerit affectuum & deſideriorum inordinatione contingere. Denique Auguſtinus venialiter peccantes non tam puluere aſpergi, quàm immundiſſimo luto oblinirí autumat: & poſtea cum ſcabie eadem peccata conferre non timet. Quæ quamuis ſingula, inquit, non lethali vulnere feriant, ſicut homicidium, & cætera huiuſmodi, tamen omnia ſimul congregata, velut ſcabies, quo plura ſunt, necant, & noſtrum decus ita exterminant, vt ab illius ſponſi ſpecioſi forma præ filiis hominum, caſtiſſimis amplexibus ſeparent, niſi medi-

Iuſtin. de gradibus perfec. c. 1.
Greg. 10. Moral. c. 11.
Nazian. in illud Matt. 19. Cum cõſummaſſet Ieſus, homil. 9.
Ioann. 13. 10.
Auguſt. tract. in Ioan. Beda ibid.
Auguſt. lib. 50. hom. 50. c. 3.

camento quotidianæ pœnitentiæ deſecentur.] Hæc ergo leuia peccata non quidem charitatem, ſed decorem eius, id eſt, feruorem, vt ſtatim dicemus, necant; quæ ſi ſunt animæ, quod ſcabies & lutum corpori, non leuem profectò ei fœditatem inurunt.

Aliud damnum leuium peccatorum eſt, quòd feruorem charitatis minuunt. Sicut enim ignis aqua conſperſus mortificatur, & intepeſcit, ac quadamtenus vim vrendi & conſumendi remittit; ita flamma charitatis imbre horum peccatorũ attacta vim conſumendi veterem hominem, & deſideria noſtra ad res cœleſtes erigendi, deponit. Nam & cinis carbonibus ſuperinie ctus ipſorum tum ſplendorem fuſcat, tum ardorem impedit, adeo vt iuxta eos poſiti nullum ſentiamus calorem: & peccata hæc puluis & cinis ſunt; puluis, quia ſplendorem charitatis obnubilant; & cinis, quia debilitant conceptum ex puritate feruorem. Videbis aliquos iuſtos in meditatione frigidos, in oratione ſegnes, in diuinis laudibus tepidos, qui nunquam lacrymis irrigantur, nunquam interna ſuauitate irrorantur, vix compunctionis ſenſu tanguntur, &, ſi cauſam huius inſenſibilitatis ſcruteris, non aliam quàm defectuum multitudinem, & in vitandis modicis peccatis inſignem oſcitantiam inuenies. Sicut enim paruis, ſed multis vulneribus ſauciatus, eſt ad ſalutis actiones imbecillus, neque poteſt vt ſanus progredi, aut velociter currere, vel magnum pondus ſupportare: ità anima tot plagis licèt paruis affecta, neque opera perfectionis hilariter perficit, neque fortiter inſultibus aduerſarij reſiſtit. Calor quidem corpora leuia, frigus verò grauia & ponderoſa reddit: quare hic tepor, (vel, vt veriùs loquar, iſtud frigus) à peccatorum leuium copia profectus, infœlicem animam grauat, & ad bona opera aſſurgere & properare non ſinit. Quod in illis verbis expreſſum intelligo: Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.] In illis namque non tantùm naturam corporis corruptibilem, ſed concupiſcentiam non edomitam, & rerum viſibilium curis menti repugnantem aſpicio, quæ ſuis aſſiduis defectibus, veluti compedes, & vincula animæ iniicit, vt ad deſideria cœleſtia volare non poſſit. Hos defectus Bernardus in illo Damaſci onere à Propheta deſcripto voluit per tropologiam aduertere. Cùm enim Damaſcum interpretatus eſſet hominem fundentem ſanguinem, hæc ſubiicit: Quidam ſentiunt, ſed non conſentiunt: impugnantur, ſed non expugnantur: onerantur, ſed non proſternuntur. Hi onus quidem ſuſtinent à Damaſco, ſed Damaſcus non ſunt.] Si autem onus illud graue eſt, & importabile, manifeſtum eſt, quia peccata iſta dum amoris feruorem tepefaciunt, animam magna ſegnitie & tepiditate onerant, vt cum ingenti difficultate ad perfectionis actiones aſſurgat.

Sapien. 9 15.

Iſa. 17. 1.

Bern. de 11. oneribus ſer. 4.

Deinde peccata leuia in bonis operibus vires animæ noſtræ debilitant, quæ imperfectis & malis operibus aſſuetæ bona opera ſtrenuè exercere non valent. Cùm enim habitus animæ ex actibus generentur, fit vt peccata leuia multiplicata, & conſuetudo remiſsè viuendi habitus inferant ſibi ſimiles, & ſanctitati, ac ſtudio proficiendi difformes. Hi autem ſicut aduerſos virtutis habitus aut pellunt, aut minuunt, ita vires animæ antea per iſtos expeditas ligãt, & retardant, vt in via perfectionis ſegniter admodum progrediantur. Vnde Bernardus huius difficultatis cauſas inquirens, & duas inueniens, alteram earum tepiditatem, quam ego quotidianorum defectuum multitudinem appellarem, non dubitauit aſſignare. Duabus de cauſis videtur mihi, ait, huiuſcemodi animi ægritudo & difficultas ſolere contingere, aut de nouitate videlicet conuerſionis, aut certè de conuerſationis tepore, etiamſi in conuerſione longum tempus habuerit. Vtrunque profectò humiliat, & deiicit conſcientiam, & inquietam facit, dum ſiue pro tempore, ſiue pro tepore antiquas animi paſſiones nec dum in ſe emortuas ſentit, & neceſſe proinde habens reſecandis intendere, de cordis hortulo ſpinis iniquitatum, & vrticis cupiditatum, longiùs à ſemetipſa euagari non ſinitur.] Hæc igitur peccata ſunt nebulæ, quæ vires noſtras ad cognitionem datas obſcurant. Sunt compedes, qui affectus tenent infimis rebus obſtrictos, ne ad cœleſtia & ſuperiora ferantur. Sunt catenæ, quæ manus animæ ligant, ne noſtram perfectionem operentur. Quare rogandus eſt ille, qui venit prædicare captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, vt catenas iſtas effringat, & nos ſolicitudine eas abiiciendi, & quotidie, irremiſſa cura deponendi diſſoluat.

Bern. ſer. 10. in Cant.

Iſa. 61. n. 1.

Retardant etiam hæc leuia peccata hinc emigrantes, à gloria, quoniam illa glorioſa ciuitas, quæ Dei, victores coronantis, eſt ſedes, nullum adhuc vinculis compeditum, nec ſordibus inquinatum admittit. Omnes maculæ ſiue magnæ, ſiue paruæ, priùs eluendæ ſunt, aut potiùs igne acerbiſſimo conſumendæ, quàm ciuitatem illam ſanctam & immaculatam quis ingrediatur. Quantum autem damnum ſit hoc, norunt illi, qui ſciunt quàm intolerabile malum eſt animæ hinc diſcedenti, vel ad momentum Dei conſpectu ac fruitione priuari. Certæ animæ iuſtæ ſolutæ corpore, non minùs ſentiunt à Dei amplexibus retardari, quàm ſentit manus à ſuo corpore abſcindi, aut dolet pars vehementer agglutinata à ſuo toto diuelli. Sed conſiderandum eſt quanto tempore animæ leuibus peccatis ſordidæ igne purgante teneantur, & quàm diris pœnis ac tormentis crucientur. Res enim hæc non eſt tam leuis ac facilis, quàm aliqui imperfecti ſibimet blãdientes exiſtimant. Nam quod ad tempus attinet, certum eſt, animas aut grauium peccatorum pœnis debitis, aut leuibus peccatis implicitas, præſertim ſi multa ſint, non breui tempore ſed multis diebus, & menſibus, & annis pœna acerbiſſima caſtigari. Et vt nunc multas de hac re factas reuelationes taceamus, quas quiſque facilè ex Eccleſiaſticis hiſtoriis cognoſcet, certè Eccleſia ipſa Spiritu ſancto docta ſatis id opere docet, quæ ſuffragia pro defunctis in purgatorio detentis, non eo die tantùm quo obierunt, ſed poſt menſes & annos facere conſueuit. Ipſa etiam ratio ſuadet. Nam Dominus aliquos iuſtos, & amicos ſuos in hac vita pro leuibus peccatis non leuiter, ſed ſatis acerbè caſtigauit. Moſes enim ad aquas contradictionis aliquantulum de futuro miraculo hæſitans, vt fert multorum doctorum opinio, ſolùm venialiter peccauit: & Propheta miſſus ad Ierobóam, comedens in via, ab alio deceptus, ſimiliter ex ſententia doctorum leuiter tantùm deliquit; quorum ille, morte ante ingreſſum in terram promiſſam: iſte verò, morte ſtatim poſt prandium adueniente, mulctati ſunt. Caſſianus quoque ad hoc propoſitum duo exempla memorabilia commemorat; alterum, Abbatis Pauli ob indiſcretum zelum paralyſi percuſſi; alterum, cuiuſdam alterius, ob duram reſponſionem, qua Machatium contriſtauit, diriſſimo dæmoni traditi. Quod (vt mihi quidem videtur) Dominus aliquando facit, tum, vt quanto zelo cuſtodiat animarum ſanctarũ puritatem, oſtendat, tum, vt his acerbiſſimis punitionibus ad vltionem leuium peccatorum inflictis, non tam citam quàm aliqui putant, purgatorij pœnam eſſe declaret.

Numer. 20. 12. Vide A bulenſ. ibi. q. 5. & 3 Reg. 13. q. 31. 3. Reg. 13. 20.

Caſſia. coll 7. ca 26. & 27.

Et

Bern. in morte Hũberti. Et ſanè Bernardus ait, in purgabilibus locis centu- A
plicitet quæ fuerint hîc neglecta, redduntur vſque ad nouiſſimum quadrantem. Et Auguſtinus: Quanta (Aug. lib. 50. hom. 16.) fuerit peccati materia, tanta & pertranſeundi mora. Quantum exegerit culpa, tantum ſibi ex homine vendicabit quædam flammæ rationabilis diſciplina. Hæc etiam pœnam iſtam non celerem habere durationem aperiunt. Quod verò ad pœnæ acerbitatem ſpectat, certum eſt, animas in purgatorio ditiſſimis pœnis cruciari. Quippe quæ pœna damni, ſcilicet diuinæ viſionis carentia mulctantur; eximia triſtitia ob ſuum exilium à patria, caſtigantur, acerbiſſimo igne torquentur, qui, vt inſtrumentum Dei ad ſpiritus ſuam operationem extendit. Denique tam dura eſt hæc pœna, & tam acerba, vt in immenſum omnes huius vitæ pœnas, & triſtitias excedat. Ad B
Cæſar.hõ. 8. quod confirmandum ait Cæſarius Arelatenſis: Ille ipſe purgatorius ignis durior erit, quàm quod poſſit pœnarum in hoc ſæculo aut accidere, aut ſentiri, aut
Anſel. 1. Cor. 3. cogitari. Et Anſelmus: Sciendum eſt, quòd grauior eſt ille ignis, quàm quicquid homo pati poteſt
Aug. de cura pro mortuis c.8. in hac vita. Et Auguſtinus: Et ſi æternus non ſit, ſcilicet ille ignis, miro tamen modo grauis eſt, exceditque omnes pœnas, quas aliquis in hac vita paſſus eſt. Iſta, & multa alia (quæ ſciens prætereo) Patres de acerbitate pœnarum purgatorij proferunt; & quidem eò adducta ſunt, vt pateat quantum ſit damnum ob leuia peccata ab ingreſſu in patriam impediri, & tam horribili loco, ac tam ſeuera & diuturna pœna caſtigari.

Poſtremum damnum à Laurentio Iuſtiniano re- C
cenſitum, eſt, quòd peccatum leue, ſæpe eſt peccati grauis occaſio. Non ſolùm propter conſcientiam erroneam, vt ipſe ait, qua quis putat ſe grauiter in Deum peccare (iſte enim iam non leuiter deliquit, ſed grauiter) nec ſolùm quia leuia peccata (vt iam diximus) ad grauia diſponunt, verumetiam quoniam qui inuerecundus eſt in huiuſmodi peccatis admittendis, meretur à Deo derelinqui, & in maio-
Luca 16. 10. ra prolabi: in quo ſenſu nos illud accipimus: Qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus eſt.] Sicut enim minores aulicorum incuriæ (ſi ex paruo amore, & irreuerentia procedant) ſolent ita regis animum prouocare, vt à negligentibus ſigna beneuolentiæ auferat, & perſeuerantes à ſuo obſequio repellat: ita hæc leuiora peccata, cùm non ab infir- D
mitate, ſed à procacitate, aut ab inſigni oſcitantia procedunt, ſolent Domini indignationem excitare, vt tepidos, & ſuæ perfectionis incurioſos, & ſola grauia peccata timentes, in ea, quæ timent, iuſto ſuo iudicio ruere, & illis fœdari permittat. Timeamus ergo hos modicos ſumptus, quibus paulatim ſubſtantiam noſtram, id eſt, feruorem charitatis minuimus, nam licet modici ſunt, poſſunt ſenſim ita feruorem minuere, vt charitas fere omnino tepefacta, data occaſione, deficiat, non habens vires ob culpam noſtram, quibus valeat tentationi repugnare. Parua ſcintilla magnum nonnunquam ignem accendit, quia cadens in materiam diſpoſitam, principium eſt vehementioris flammæ: & modica etiam negligentia ad maiorem aditum parat, dum in corde E
tepido, & imperfecto ſedem figit, & in conſuetudinem venit. Gutta ſæpe cadens excauat lapidem, & ſi id oculis vides quomodo fiat, nequaquam inquiras; & conſuetudo leuiter delinquendi, ſine vllo timore in hoſpitium cordis admiſſa, murum prouidæ circumſpectionis ſuffodit, & foramen hoſti ingredi volenti recludit. Ac demum, vt aliquando verſionem ſeptuaginta virorum ſanè venerandam addu-
Prouer. 16.18. camus: Ante contritionem præcedit ruina, & ante ruinam mala cogitatio.] Hæc namque inſipientium oculis parua, non paruam ruinam & caſum ſolet inducere. Vel ſi mauis: Contritionem præcedit ſuperbia: & ante ruinam exaltatur ſpiritus.] Genus enim quoddam ſuperbiæ & elationis eſt, non timere minora, quaſi parum referat, Domino in minoribus diſplicere: quam elationem aliquando magna deiectio mentis eſt ſubſecuta, ita vt neceſſe ſit ad eam inſtaurandam non modicè flere, nec modicis laboribus inſudare.

Peccata venialia fugienda eſſe propter bona, quæ impediunt.

CAPVT XII.

QVINQVE damna, quæ aduehunt peccata venialia, in medium protulimus, nunc quinque bona quæ impediunt, breuiter proferamus. Ea autem ſunt, quòd tollunt animæ quietem, minuunt verum honorem, inficiunt opera, impediunt dona, & ab itinere perfectionis auocant. Qui internam tranquillitatem, & apud Deum honorem amat; qui ſuorum operum pulchritudinem, & cœleſtium donorum poſſeſſionem diligit, qui ad obtinendam perfectionem anhelat, iſta peccata pro ſua poſſibilitate fugiat, ita ſaltem, vt nunquam ſciens, ac volens, & ex mera oſcitantia ſimiles defectus ac lapſus admittat.

Impediunt quidem peccata leuia quietem animæ, ac mentis tranquillitatem, quæ in mundicia ac puritate conſiſtit. Nam ſi beatitudo noſtra in hac vita, & in futura tranquillitas noſtra eſt, quoniam in hac vita, vtcunque, & pro vt fieri poteſt, & in alia perfectè nos ſatiat, quis non ex ſacris Scripturis intelligat, hanc duplicem beatitudinem viæ ac patriæ à mentis puritate minimè ſeparari? Quare ſi hæc puritas ſequitur, aut comitatur beatitudinem, etiam ſequitur tranquillitatem, atque adeo peccata leuia beatitudini aduerſa, etiam quietem mentis impedient, & eam velut ſpinæ pungentes tranquillam eſſe non ſinent. At beatitudinem huius vitæ (de hac enim nunc loqui volumus, non de perfecta patriæ, quæ nec minimum næuum admittit) leuibus peccatis aliquo modo impediri, ex dictis in ſuperiori volumine ſatis notum eſt. Diximus enim, beatitudinem huius vitæ perfectionem ac ſanctitatem eſſe, hanc autem grauia peccata deſtruunt, ſed leuia fuſcant, & à ſua pulchritudine detrahunt. Si ergo hæc peccata perfectionem inficiunt, etiam tranquillitatem turbent neceſſe eſt, quæ conſcientiæ leuia hæc reprehendentis increpatione confunditur. Attende quem Eccleſiaſticus beatum ac fœlicem proteſtetur: Beatus di- Eccl. 31. 8.
ues, ait, qui inuentus eſt ſine macula.] Quiſnam eſt iſte diues? An qui aurum & argentum poſſidet, & qui recondit numiſmatum plena marſupia? Hunc mundus diuitem vocet, ſed tu, ô iuſte vir, qui terrena deſpicis, huiuſmodi hominem terrena poſſidentem nequaquam diuitem reputabis. Quis igitur erit iſte diues? Ille ſanè, qui, vt Ambroſius ait, diues eſt Deo, qui virtutem & ſanctitatem colit, qui virtutes comparat, opes quidem nunquam perituras. Hic diues tunc beatus eſt, cùm ſine macula eſt, cùm ſcilicet leues etiam maculas diluit, & quantum poteſt, declinat. Sed idem eſt vir beatus atque tranquillus; ergo maculæ beatitudinem commouentes etiam tranquillitatem turbabunt. Et quem etiam ſanctus Dauid beatum, & conſequenter tranquillum appellat? Nonne qui tempe-

A ſtituè paruulos Babyloniæ filios, id eſt, motus noſtræ ſenſualitatis inſurgentes, illidit? Beatus, ait, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.] (Pſal. 136. 9.) Qui ſunt, inquit Auguſtinus, (Aug. ib.) paruuli Babyloniæ? Naſcentes malæ cupiditates. Sunt enim, qui cum veteri cupiditate rixantur. Quando naſcitur cupiditas, antequam robur faciat aduerſùm te mala conſuetudo, cùm paruula eſt cupiditas, nequaquam prauæ conſuetudinis robur accipiat: cùm paruula eſt, elide illam. Sed times ne eliſa non moriatur; ad petram elide. Petra autem erat Chriſtus.] (1. Corin. 10. n. 4.) Quid eſt imperfectiones paruulas ad petram elidere? Certè non aliud quàm Chriſti imitatione, & auxilio ab eo nobis dato, necare. Si itaque leuia iſta peccata noſtram quietem turbant, profectò diuinam etiam contemplationem impediunt, quia Deus oculis non B turbidis, ſed purgatis & perſpicacibus videri poteſt. Pugnemus igitur aduerſus ea, & ſi non in totum exterminare, at quantum humana induſtria auxilio diuinæ gratiæ fulcita potuerit, ea extenuare enitemur. Et ſicut, qui vas aureum aut argenteum priùs aqua lauit, & linteo deterſit, ſolet ſingulatim vel minutiſſimas atomos ex ipſo linteo relictas ſummis digitis eleuare: ita nos, qui animas noſtras aqua compunctionis lauimus, & ſanctis operibus velut linteis abſterſimus, leues maculas, vt teporem, irreuerentiam, triſtitiam, vanitatem, & reliquas huiuſmodi ex ipſiſmet bonis operibus relictas aſſidua cura & circunſpectione diſſipemus. Ita fiet vt ſi non omnino puri ac incoinquinati perſtiterimus, ſaltem minor & leuior in dies ſit noſtra fœditas, quæ minùs & leuiùs C oculis diuinæ maieſtatis diſpliceat.

Minuunt deinde peccata leuia verum noſtrum honorem, quem non in alio quàm in eo, quòd ſimus Deo fideles, poſitum iudicamus. Hæc eſt enim gloria noſtra, inquit Paulus, teſtimonium conſcientiæ (2. Corin. 1. 12.) noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis, & ſynceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mundo.] Et de Moſe ſcriptum eſt: Similem illum fecit Deus in gloria ſanctorum.] (Eccl. 45. 2.) Quam gloriam eſſe conſcientiæ puritatem, ex Paulo didicimus, eámque Moſes eſt aſſequutus, quoniam ſanctorum conuerſationem & puritatem eſt imitatus. Hanc gloriam, & hunc honorem veriſſimum, D leuia peccata non tollunt, quia mentis integritatem omnino non deſtruunt, at aliquo modo diminuunt, quoniam nonnihil ſaltem à debita fidelitate deficiunt. Ideóque ſancti in hac vita, vt non vſque ad ſatietatem fideles & puri, ſe peccatores & debitores quotidie confitentur, & debitum alicuius pœnæ perſoluunt. Quod ſignificatum eſſe in illa redditione tributi pro peccato, quam fecerunt Philiſtæi, Gregorius exiſtimat. Neque enim contenti pro qualibet vrbe murata, & pro qualibet villa abſque muro in deletionem peccati ſui, quod aduerſus Domini arcam admiſerant, murem aureum offerre, etiam pro Abele magno, ſuper quem poſuerunt arcam Domini, (1. Reg. 6. 18.) voluerunt tributum exſoluere. Ille namque lapis, ait ſanctus hic Pater, iuſtos & ſanctos ſignificat, (Greg. lib. 3. in 1. Reg. ad c. 6.) qui etiam pro culpis (intellige quotidianis, & leui- E bus) Deo ſatisfaciunt, licèt non ſolùm à peccatis magnis per Dei gratiam ſint erepti, ſed & per magna ſanctarum virtutum culmina in eius tabernaculum ſunt aſſumpti. Abel magnum ſe tranſgreſſorem agnoſcit, quia per nequitiam Philiſtinorum arcam tetigit; & quiſque iuſtus ſe peccatorem fatetur, quia, aut vi aduerſariorum impulſus, aut propria imbecillitate prouocatus, ſaltem leuiter à diuina lege, ac impoſitis ſibi præceptis, diſceſſit. Profectò magna gloria eſt ſponſæ ſi de minimo ſit næuo tollendo ſo-

A licita, non vt aliis hominibus pulchra appareat, ſed vt viro ſuo, quem vnicè diligit, in magnis & in minimis placeat. Magna etiam gloria eſt ſerui, ſi minimos defectus in obſequio heri commiſſos timeat, non ob timorem pœnæ alicuius, aut ob mercedis obtentum, ſed ob amorem, & fidelitatem erga illum, cuius obſequiis ſe totum addixit. Ita prorſus veriſſima gloria, & magnus honor iuſtorum eſt, cùm minimas quaſque maculas vitant, cùm minima quæque peccata declinant, non quidem ne puniantur; non, ne præmio gloriæ ſpolientur, ſed ne Domino ſuo, ac dulciſſimo Patri diſpliceant. Si autem id honor ſanctorum eſt, certè illorum erit nonnullum dedecus, cùm iſtos leues defectus non metuunt, & multo maius ſi illos ſine timore, & quaſi ex induſtria com- B mittunt. Signúmque eſt amoris ſatis tepidi velle amatum in ſolis rebus grauibus, & magni momenti non offendere, & in aliis, quæ non tanta ſeueritate præcepit, eius placitum ac voluntatem procaciter violare.

Nec dubium eſt peccata leuia ſtudioſas actiones inficere, vel quia ipſum hominem ea elicientem fœdant, vel quia eadem opera afficiunt, & debito ſplendore ac perfectione priuant. Cùm enim operibus bonis non inſident, ſed aliunde hominem inquinant, quia ipſe, exempli gratia, ineptam cogitationem admiſit, aut verbis otioſis habenas laxauit, ex Aggæo non obſcurè colligitur, ea peccata etiam opera virtutis fœdare. Interrogat enim iuſſu Domini ſacerdotes: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, (Aggæi. 2. n. 14) C nunquid (quod tetigerit) contaminabitur?] Illiſque reſpondentibus; quia [contaminabitur:] infert Pro- (Aggæi. 2. 15.) pheta: Sic populus iſte, & ſic gens iſta ante faciem meam, dicit Dominus, & ſic omne opus manuum eorum, & omnia, quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt.] Quid hæc ſignificant, niſi quòd pollutus & contaminatus peccatis, in ſuo gradu bona opera polluit, & licèt leuiter delinquat, tamen eius opera tanquam ab eo qui immundus eſt, egreſſa, minùs grata reputabuntur? Quamuis enim, vt Hieronymus ait, (Hier. ib.) ſancta videantur ſpecie ſui, quæ offeruntur à talibus, id eſt, ab imperfectis, & immundis, tamen, quia tacta ſunt ab eo, qui pollutus in anima eſt, omnia polluentur.] Cibus quidem quamuis de ſe ſalubris, ac ſua- D uis, duabus de cauſis minùs gratus inuenitur: aut quia ipſe inſulſus eſt, & malè præparatus, aut quia in vaſe immundo nobis offertur. Quare igitur non erunt minùs gratæ Domino, quas offerimus, virtutis actiones, ſi cor noſtrum, in quo, velut in catino, offeruntur, peccatis immundum inuenitur? Vbi organum vitioſum eſt, inquit Ambroſius, quomodo po- (Ambr. in Pſal. 35. princip.) teſt cantus non eſſe vitioſus? De generis materiæ decolor partus eſt.] Homo autem, peccatis licèt minoribus, immundus, organum vitioſum eſt, cùm diuinas laudes decantat, & velut mater ignobilis cùm partus aliorum operum edit, atque adeo illa à tali organo ac tali principio prodeuntia minùs grata eſſe Deo neceſſe eſt. At ſi peccata leuia ipſis actionibus bonis inſideant, vt puta, quia tepidè oras, diſtractè pſallis, ſine debita deuotione celebras, non ſine E triſtitia laboras, nec ſine repugnantia, & ſtridore murmurationis obtemperas; quis non agnoſcat huiuſmodi opera ſimilibus defectibus vndiquaque fuſcari? O quàm verè poſſumus inclamare frequenter illud Iſaiæ: Et facti ſumus vt immundus omnes nos, (Iſaiæ 64. 6.) & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ;] neque enim nos tantùm peccatorum admiſſione fœdamus, verùm & bona opera innumerabilibus negligentiis inficimus; adeo, vt non ſemel dixerim Domino, meas quotidianas miſerias & culpas lugens,

quia ſatis mihi eſſet, ſi quotidiana obſequia pro illis ſatisfacerent, & aſſiduus religioſæ diſciplinæ labor ſe aſſiduis negligentiis æquaret. Nam ſi verum eſt *Greg. 21. Mor. c. 4.* quod dixit Gregorius: Incrementum meritorum quod bonæ vitæ ſtudiis augetur, plerumque mali admixtione retrahitur, & bonum, quod animus operando conſtituit, hoc alia perpetrando peruertit.] Quomodo tanta, ac penè infinita negligentiarum multitudo, quam radius diuinæ lucis interdum oſtendit, tepidiſſimas virtutis actiones non ſuperet, & in dies ſummam debitorum accumulet?

Et cui alij bono iſtæ leues maculæ obſtant? Certè diuinis donis, quorum acceptionem, ac ſponſi deſiderati amplexum, impediunt. Dum enim ob quotidianas culpas plectimur, vt ad eas lacrymis, & gemitibus diluendas hortemur, cœleſtium conſolationum priuatione caſtigamur. Quæ culpæ, cùm nimis creſcunt, & ſine timore fiunt, ac ſine compunctione, & pœna relinquuntur, mirum eſt quantum erga nos diuinæ largitatis fontem obturent. Videbis aliquem ſemper in oratione aridum, in diuinis laudibus deſolatum, in Euchariſtiæ ſuſceptione durum, & in omni tempore nullo fere guſtu cæleſtis conſolationis affectum, nulla rerum diuinarum cognitione compunctum, & tantæ paupertatis nullam aliam cauſam niſi viuendi negligentiam, & incuriam quotidianorum defectuum vitandorum, *Vide Pierium lib 13. de mure.* inuenies. De mure quidem Armenico mundiſſimo animalculo apud aliquos legitur, quòd ſi oſtium caui eius luto illinitur, ita, vt non poſſit ſine ſui contaminatione venatores effugere; ſinit ſe potiùs à venatoribus capi, quàm ſuam munditiem luti impuritate fœdare. Quod de egreſſu iſtius animalis è ſua fouea dicitur, de Saluatoris noſtri ingreſſu in animam enunciare poſſemus. Quòd ſcilicet videns animam peccatis & negligentiis cinctam, & omnes ſenſus, ac vires defectibus ac ſordibus clauſas, horret in eam ingredi, & inter tantas fœditates commorari. *Cant. 2. 9.* Idque indicaſſe videtur ſponſa, cùm ait: En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.]. Reſpicit ille per cancellos, dum intrandi, & nos ditandi occaſiones inquirit, at pariete culparum impeditur, vt ſua iuſtitia ita exigente, per nouam gratiam & noua dona intrare non *Bern. ſer. 56. in Canti.* poſſit. Sed & vnicuique noſtrum, inquit Bernardus, qui deſideramus aduentum ipſius, puto illum nihilominus poſt parietem ſtare, dum corpus hoc noſtrum, quod certè peccati eſt, abſcondat interim nobis faciem eius, & præſentiam intercludat. Denique quan- *2. Corin. 5 nu. 6.* diu [ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino,] non quia in corpore, ſed quia in corpore hoc, quod vtique de peccato eſt, & ſine peccato non eſt. Et vt ſcias quoniam obſtant non corpora, ſed pecca- *Iſai. 59. n. 2.* ta, audi Scripturam: Peccata noſtra ſeparant inter nos, & Deum.] Et vtinam vnus mihi tantùm obſtet paries corporis, ſolúmque obicem patiar, id quod eſt in carne peccatum, & non multæ interſint maceriæ vitiorum. Vereor enim ne etiam præter illud, quod in natura eſt, quàm plurima de propria iniquitate adiecerim, quorum à me interiectu nimiùm elongauerim ſponſum, ita vt ſi verum dicere velim, poſt parietes magis mihi illum ſtare fatear, non poſt parietem.] Peccata itaque iſta ſponſi Chriſti ingreſſum impediunt, quo cum dona cœleſtia nobis veniunt; vnde ipſo foras manente, neque per nouam in nos gratiam intrante, neceſſe eſt animam multis diuinis donis carere, & multis illuſtrationibus, ac conſolationibus ſpoliari.

Poſtremum bonum, cui peccata leuia obſunt, eſt, quòd perfectionis iter ipſa retardant. Nec poteſt celeriter ad arcem ſanctitatis aſcendere huiuſmodi nexibus compeditus, & his debitorum ponderibus oneratus. Immo nunquam erit perfectus, qui modica etiam peccata numero minuere, & malitia extenuare non curat; quoniam eo ipſo quòd imperfectiones creſcunt, perfectio decreſcit, in omnium virtutum exercitatione ſita, & charitatis ardor intepeſcit. Quam obrem Dominus ad Iob Patriarcham locuturus, ait illi: Accinge ſicut vir lumbos tuos:]interrogabo te, reſponde mihi.] *Iob. 38. 3.* Iubet illi non iam lumbos carnis, id eſt, peccata grauia, à quibus ipſe iam ſe immunem oſtenderat, ſed lumbos quoque mentis, præcingere, id eſt, à modicis defectibus temperare; quia iſti defectus inſtar nebulæ inter mentem noſtram, & lucem diuinam interiacent, & quaſi importuni clamores vocis diuinæ, quæ eſt inſtar ſibili auræ tenuis, auditionem impediunt. Cor namque ad ima depreſſum nequit in altum oculos mentis attollere, & imperfectiones amans, nequit puritatem perfectè diligere, & manus habens terrenis opibus occupatas, non valet ad cœleſtes theſauros diripiendos erecte. Ad quam rem aſſerendam optimè Ricardus Victorinus ait: *Ricar. in Cāt. c. 9.* Anima, quæ ad ſublimiorem gradum vult conſcendere, etiam multitudinem venialium, & minores concupiſcentias debet cauere, vt proficere, & ampliorem gratiam mereatur accipere. Debet enim vitare cogitationes carnales, & vanas, & item cogitationes ſuſpicionis, iræ, & amaritudinis, & huiuſmodi. Conſolationes etiam terrenas, in cibo videlicet, & potu, in colloquio, in videndo, in audiendo, in curioſitate, in veſtibus, in ſomno, in qualibet libertate; quia quantum delectationes iſtas mortificat, & reſpuit, & carnaliter conſolari renuit, tantum ſpiritualiter merebitur conſolari, & in gratia viuificari. Quantum ab iſtis vacuum cor reperit gratia, tantum replebit. Quantum caduca iſta aliquis contemnit, & ſupergreditur, tantum aſcendit. Quia tantùm de infimis ad ſuperna pergit. Poſt mortificationem itaque maiorum peccatorum, etiam minora mortificare, & calcare oportet, proficientem animam, & ad ſpiritualem vitam conſcendere volentem.] Iſta venerabilis Ricardi ſententia compertum efficitur, operæ pretium eſſe ei, qui vult ad perfectionem aſcendere, non tantùm grauia peccata fugere, ſed leuia quoque declinare. Quare à Domino obnixè petendum eſt, vt has etiam vulpeculas à vinea noſtræ animæ ableget, & robur ad eas abigendas, & quotidie exterminandas, ipſe concedat. Sancti quoque Patroni noſtri interpellandi ſunt, vt nos in iſto ſancto labore adiuuent. Dicendúmque illis non ſine contritione cordis illud Canticorum: Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit.] *Cant. 2. nu. 15.* Vinea inquam noſtra, id eſt anima noſtra, ô cœlites, iam ſemen diuinæ inſpirationis excepit, iam ſanctis deſideriis floret, iam fructus nonnulli pullulant, & ſpem vindemiæ abundantis oſtendunt; iuuare nos, vt vulpeculas iſtas exterminemus, quæ manifeſtè vites virtutum corrodunt, & fructus, quos ſperamus, impediunt. Horum autem adiutorio fulciti, & exemplis animati, has minutias inſequamur, vt ex primo vitæ ſpiritualis gradu, quo maiora peccata vicimus, hæc minora ſuperantes, ad ſecundum veniamus, vt ex illo fœlici curſu ad reliquos euolemus.

Eadem eſſe remedia ad purganda peccata venialia, quæ ad diluenda criminalia.

CAPVT XIII.

EXPOSITA iam leuium peccatorum, tum qualitate, tum malitia, nunc remedia quærenda ſunt, quorum præſidio diuinæ gratiæ cooperemur, & has animæ noſtræ maculas fugiamus. Duo autem ſunt iſtorum medicamentorum genera, quibus magnæ imbecillitati noſtræ, & quotidianis peccatis moderemur: alterum, eorum quæ contracta iam peccata diluunt: Alterum, eorum quæ in futurum præſeruant, & maculas, quas contrahere poſſemus, auertunt. Nunc de illis, & poſtea de iſtis, ſuppoſita quadam leuiorum peccatorum diſtinctione, agendum eſt. Peccata igitur leuia iam commiſſa, eiſdem remedijs peccatorum lethalium, contritione nimirum, confeſſione, emendationis propoſito, & ſatisfactione lauanda ſunt: ſi tamen hæc pro leuium peccatorum qualitate paulo minùs ac ſuauiùs applicentur.

Nam quod ad dolorem attinet, hæc peccata optimè contritione tolluntur: quæ cùm ſufficiat ad extirpanda criminalia peccata, multo magis ad deſtruenda leuia ſufficiet. Et quidem ſpirituales viri, qui ſuarum animarum puritatem zelo Dei zelant, ad hanc leuium peccatorum deteſtationem deberent C ſe auxilio diuinæ gratiæ mouere, vt tanquam filij Dei dilectiſſimi, minimam patris diſplicentiam meliùs quàm ſerui mali & pigri magnam deteſtari ſolent, effugerent. Nec deeſt illis cauſa ſatis efficax, vt hoc deteſtationis genus de leuibus peccatis concipiant, ſi conſiderent, ſe his culpis illum patrem benignum offendere, à quo ſunt ad vitam ſpiritualem & angelicam euocati, & ſupra alios homines, qui mundanis inhærent, tenerrimo amore dilecti. Tantum dominum ac talem patrem offendere etiam leuiter, malum eſt in iuſtorum oculis, quod debet non tepido tantùm, & ex imperfectiori cauſa concepto dolore, ſed inſigni deteſtatione mulctari. Non tamen eſt neceſſaria contritio, vt mens noſtra ab his leuibus D peccatis ſoluatur. Nam etiam hæc peccata remittuntur per actũ charitatis, quo quis ita fertur in Deum, vt leuia peccata tunc occurrentia proteretet, & ob Dei amorem nequaquam admitteret. Vnde ſi motus charitatis talis eſt, vt vni tantùm leui peccato, vel aliquibus opponatur, puta grauioribus, quæ tunc diligenti diſplicerent, illa tantùm diluit; ſi verò ſit talis, vt omnibus peccatis leuibus aduerſetur; quia homo illo motu affectus, pro tunc nullum admitteret, & quodcunque etiam leuiſſimum caueret, vniuerſa remittit. Quod ita eſſe, Thomæ Aquinatis, quem ſchola Theologica habet magiſtrum, confir-
Thom. 3. p. q. 87. art. 1. met authoritas. Vnde ſequitur, (ait, de venialium remiſſione loquens,) quòd requiratur quædam virtualis diſplicentia, puta cùm aliquis hoc modo fer- E tur ſecundùm affectum in Deum, & res diuinas, vt quicquid ſibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe commiſiſſe, etiamſi actu de illo non cogitaret. Ecce alium actum, & quidem ſuauiorem, quo poteris à maculis quotidianis mundari, cui repetendo & frequentando deberes aſſueſcere, vt ſi ſæpius in die teipſum inficis, ſæpius etiam charitatis balneo mundareris. Anne tamen ſcire an alijs bonis actibus leuia peccata deleantur? Sanè ſi Theologos conſulas, non improbabili-

A ter alios actus ſtudioſos ad remittenda hæc peccata tibi concedent. Huiuſmodi ſunt attritio, qua leue peccatum propter leuem malitiam, aut propter pœnam tibi debitam deteſtaris: oratio, qua de illis à Domino veniam poſcis; propoſitum non iterandi tale peccatum; actus virtutis contrarius, qui culpæ commiſſæ complacentiam excludat: ac tandem quodlibet ſtudioſum opus, quod vir iuſtus pro obtinenda remiſſione peccati venialis efficiat. Hæc ita à quibuſdam Theologis dicuntur, & ego nolo cum illis contendere. Scio autem (quod & ipſi fatentur) hæc dubia eſſe, & incerta, quæ nulla ſacrarum litterarum authoritate firmantur, nulla ſanctorum antiquorum ſententia roborantur, nullis, quæ animo ſatisfaciant, rationibus nituntur. Scio etiam puras mentes, poſt
B aliquot aut aliqua leuia peccata commiſſa, his bonis actibus non quieſcere, ſed ſemper ſtimulo conſcientiæ pulſari, donec ſpinam, aut contritione euellant, aut igne charitatis adurant. Scio tandem nihil eſſe charitate dulcius; nihil amore facilius; quare tu dum ſacramento confeſſionis non vteris (de quo ſtatim) amore, vel contritione hæc leuia peccata abſtergere & eliminare curato. Nec putes, quia tot remedia ad eorum ablutionem à Theologis aſſignantur, illa eſſe contemnenda, & ſine vllo metu patranda, tum quia hæc remedia præter contritionẽ, & charitatis actum, incerta ſunt (vt diximus) tum etiam quia multitudo medicamentorum, peritiam ac benignitatem medici prædicat, fœditatem verò & vilitatem morbi non alleuiat. Procide ergo ô anima frequenter ad genua
C Ieſu, & amore ſuccenſa, ac dolore compuncta, dic illi verba Ruth: Expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es.] Quandoquidem, Ruth 3. n. 9
Domine, me indigniſſimam in filiam admiſiſti, vt de tua benignitate confido, & gratiæ propinquitate ditaſti, expande ſuper me pallium miſerationis tuæ, & quæ ſæpe humana imbecillitas peccat, tua pietas deleat, & ardor tuæ charitatis adurat.

Quod ad confeſſionem ſacramentalem ſpectat, certum eſt, leuia peccata non eſſe neceſſariam confeſſionis materiam, quaſi ea ex diuino præcepto confiteri, & ſacerdoti aperire teneamur. Chriſtus enim, vt ex Eccleſiæ traditione conſtat, principaliter pro lethalibus peccatis pœnitentiæ ſacramentum inſtituit, quod à patribus ſecunda tabula poſt naufragium ap-
D pellatur, quia eius obligatio ſupponit, animam naufragium ſpirituale fuiſſe perpeſſam, & gratiæ ac charitatis diuitias diſſipaſſe. At licèt non ſint neceſſariò in confeſſione pandenda; poteſt tamen quiſque, & non ſine laude, ac merito, ea clauium Eccleſiæ iuriſdictioni ſubijcere. Dominus enim, qui dixit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus: Quorum remiſeritis Ioan. 20. n. 23.
peccata, remittuntur eis,] ab eorum poteſtate nullum peccatum, nec magnum, nec paruum exemit; quare non ſolùm maxima, ſed & minima poſſunt ipſi remittere. Quòd ſi illi poſſunt, nos quoque poſſumus, ſi volumus, ab eis horum minorum peccatorum abſolutionem exquirere. Vnde ab initio Eccleſiæ naſcentis, vt ex antiquiſſima traditione conſtat, omnes pij ac iuſti viri hanc conſuetudinem
E confitendi venialia peccata complexi ſunt, propter magnas animæ vtilitates, quas ex illa decerpunt. Nam & hæc confeſſio leuia peccata ſacerdoti manifeſtata remittit, pro debito illorum ſatisfacit; malitiam illorum pandit; dolorem excitat; confuſionem ingerit; gratiam emendationis affert, & ingentem pacem internam, ac lætitiam ſpiritualem ſubminiſtrat. Iſtam itaque confeſſionem peccatorum venialium omnes religioſæ familiæ magno feruore ſuſceperunt: quæ cùm ſuos alumnos ad frequentem confeſſio-

nem obligent, non eſt credendum, prudentes ac pias matres, de optimis filiis,& à principio ſpiritualiter educatis, quorum multi ſanctiſſimè viuunt, lapſus graues tam frequentes exiſtimare. Præſertim cùm inter illos inueniantur non pauci,qui quantum humana ratio poteſt agnoſcere, à primo die conuerſionis ſuæ, per diuinam gratiam, nunquam ampliùs ſe graui peccato fœdarunt. Apud nos autem magna eſt huius ſanctæ confeſſionis frequentia: nam fratres octauo quoque die ex præſcripto confitentur; ſacerdotes verò ex conſuetudine, aut quotidie, aut ſaltem alternis diebus hoc ſacramentum ſuſcipiunt, vt puriùs viuant, & ſanctiùs, ac feruentiùs ad ſacram Miſſæ celebrationem accedant. Confeſſionem ſingulis hebdomadis faciendam dicit Bernardus, cuius hæc ſunt verba:Semel ad minus in hebdomada confiteatur, vt veniam mereatur de perpetratis, & maior ei detur gratia de vitandis malis. Confeſſionem verò quotidianam monet Bonauentura,dicens: Et ſi potes confiteri quotidie, bene quidem:ſin autem, de tertio in tertium diem ſaltem ſtudeas confiteri. Sunt tamen aliqua in hac confeſſione venialium obſeruanda,vt vtilis animabus exiſtat,& fructum emendationis,& puritatis in nobis habeat,& non in frigidam quandam conſuetudinem, & in cæremoniam ſine ſpiritu factam incidat.

Bern. in ſpeculo Monachor.

Bonauen. in reg. nouitio c. 3.

Ac primò licèt nemo poſſit omnia peccata leuia ad confeſſionem afferre, delicta enim præſertim hæc quis intelligit? Quis omnia cognoſcat? Quis numeret? Tamen examinatio conſcientiæ præcedat neceſſe eſt., qua quis notabiliora recolligat, & quomodo exponenda ſint, animaduertat. Conſultò autem diximus notabiliora colligenda eſſe,quoniam hæc ſunt præcipuè in confeſſione lauanda. Ridiculum enim eſſet minimas atomos patri ſpirituali dicere, quas Bernardus,aut Franciſcus poſſet confiteri, & res notabiles, quæ poſſent humiliare, & ruborem iniicere, ſcienter ſupprimere. Id profectò ad quandam hypocryſim pertineret, qua quis ex præſtantiſſimo humilitatis actu vellet non ſui deiectionem,ſed bonam opinionem, quam non meretur, accipere,& confeſſarium dolis ſuis & falſitatibus irridere. Scientes igitur, quia Iuſtus, vt ait Salomon, prior eſt accuſator ſui.]& rurſus: Quòd qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur;]ea quæ conſcientiam noſtram inquietant, & ruboris velamine ſe volunt obtegere, vt ſtatuto tempore ſpirituali medico apetiantur, colligere, & parare debemus. Eſt enim hæc illuſtriſſima viri iuſti laus,non abſcondere miſerias ſuas,nec(vt nunquam bene curetur) ab oculis ſpiritualis patris reſilire. Quam ſanctus Iob à Domino, propter noſtram ædificationem,motus ſibi aſſumpſit,cùm dixit: Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celaui in ſinu meo iniquitatem meam] hæc & hæc mihi aduerſa proueniant. Quænam peccata [ille vir ſimplex,& rectus, ac timens Deum, & recedens à malo] non abſcondit, & quamnam iniquitatem non celauit? Certè de leuiſſimis mentis motibus, ac minutiſſimis defectibus, loquitur, vt putat Olympiodorus, & Chryſoſtomus, quos præ humilitate voluit hominibus eſſe conſpicuos. Non abſcondit ille vt homo,id eſt, vt primus homo,peccatum ſuum,qui voluit oculos cuncta cernentis effugere, nec quæſiuit latibula excuſationum, vt obtegeret maculas ſuas. In quo ſecundùm Gregorium non minùs quàm in inſignibus virtutum geſtis ſuam ſanctitatem declarauit. Videatur, inquit, vir iſte cuilibet magnus in virtutibus ſuis, mihi certè ſublimis apparet, etiam in peccatis ſuis. Mirentur in eo qui volunt caſtitatis continentiam, mirentur integritatem iuſtitiæ, mirentur viſcera pietatis: ego in eo non minùs admiror confeſſionem humillimam peccatorum, quàm tot ſublimia geſta virtutum. Scio enim quòd per infirmitatis verecundiam plerumque grauioris eſt certaminis commiſſa peccata prodere, quàm non admiſſa vitare: & vnumquodque malum quamuis robuſtiùs vitetur, tamen humiliùs proditur.] Hanc laudem ſanctiſſimi patriarchæ Gregorius ex facta ab illo confeſſione peccatorum elicuit; nos autem tanti viri imitationem eliciamus, vt ea peccata, quæ confeſſionem ingerunt, non celemus. Memores ergo illius Dauidici carminis: Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi:] delicta noſtra Domino,in eo,qui locum eius tenet, ſcilicet in patre ſpirituali, pandamus. Et vnuſquiſque diligenter examinet, an minùs pudicam cogitationem habuerit, quam non celeriter expulit:an inane deſiderium humanæ laudis, aut temporalis dignitatis exceperit: an mendacium officiorum protulerit: an ſcurrilitati vacauerit: an iram aduerſus fratrem, & indignationem admiſerit: an leue conuitium ore protulerit: an ſine debita abſtinentiæ menſura cibum, & potum acceperit: an ob vanam gloriam aliquod bonum operatus fuerit: an ſæculari colloquio, aut prophano negotio ſe occupauerit: & denique an aliquid notabile, quod conſcientiam pungat, commiſerit. Hæc, & alia ſimilia, quibus vir iuſtus ſolet rubore ſuffundi, vel ſi quæ fuerint viliora, debet primo loco ad balneum confeſſionis adducere, alia verò minutiora poterit ſub quibuſdam generalitatibus confiteri, vt ex omnibus, quæ eo tempore fecerit, remiſſionem accipiat. Exempli gratia: Si de tepiditate in oratione, de diſtractione in pſalmodia, vel in horis canonicis, de irreuerentia in Miſſæ celebratione; de negligentia in examinatione conſcientiæ; & de aliis ſimilibus,ſe ipſum accuſet.

Prou. 18. 17.

Prou. 28. 13.

Iob. 31. 33.

Iob. 1. n. 1.

Olymp. ibid. Chryſoſt. hom.

Gregor. 22. mor. c. 10.

Pſal. 31. 5.

Facta examinatione conſcientiæ, dolor de huiuſmodi peccatis eſt excitandus, talis certè, qui aut contritio, aut attritio ſit, vt peccata confeſſioni ſubiecta, aut propter Dei amorem, aut propter ipſorum malitiam, & pœnæ debitum quis odio habeat. Eſt enim deteſtatio peccati etiamſi tantùm leuia confiteamur, ſacramenti confeſſionis eſſentialis pars, ſine qua ſtare non poteſt, ſicut neque homo ſine anima, aut compoſitum ſine altera parte ex qua componitur. Quod adeo verum eſt, vt Theologi, confiteri venialia ſine vllo prorſus dolore, aut propoſito emendationis, mortale peccatum exiſtiment. Ac proinde magna cura ſit amatori virtutis, vt antequam ad confeſſionem accedat, magnum quantum potuerit dolorem de huiuſmodi peccatorum admiſſione concipiat. Meminerit, hoc eſſe hominis Dominíque diſcrimen, quòd ille vas confractum deſpicit, & reiicit, & pro nihilo habet; Dominus autem vas cordis dolore confractum amat, amplectitur, & dono remiſſionis replet: Nam cor, inquit, contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.] Vnde ſi remiſſionem optat, & addere peccata peccatis metuit, more veri pœnitentis, dolorem & pœnitudinem leuium etiam defectuum non omittat. Hanc verò multa ſunt quæ excitare ſolent. Nam & diuinorum beneficiorum commemoratio, & iſtorum peccatorum tam aſſidua iteratio, & Domini offenſio, & odium, quo iſta etiam delicta proſequitur, & ingratitudo noſtra, quæ quotidianis donis, & illis maximis, quotidiana delictorum offenſione, reſpondet, & animæ noſtræ decor ablatus, & contracta deformitas, & alia, quæ ex ſuperioribus

Pſal. 50. 19.

facilè

facilè colliguntur, amplam materiam huius doloris, & ſanctæ deteſtationis excitandæ, miniſtrant.

Poſt conceptum huiuſmodi dolorem, emendationis propoſitum omittendum non eſt; ſine quo, aut in ipſo efficaci dolore contento, aut expreſsè habito, peccata hæc non diluentur. At explicemus quale hoc propoſitum eſſe debeat, quia propoſitum vitandi omnia venialia, nec habere tenemur, nec poſſumus, cùm omnia ſimul, quæ in vita occurrent, moraliter non poſſimus vitare. Et quidem hanc rem ego ita intelligo, & interrogantibus conſcientiis timoratis, explicare ſoleo. Duobus modis poteſt quis venialia peccata confiteri; aut in ſpeciali, cùm dicit ſe in re leui de fratre detraxiſſe, aut officioſum mendacium dixiſſe; aut in generali, vt cùm B irreuerentias, aut diſtractiones in oratione habitas aperit, & poteſtati confeſſarij ſubmittit. In quibus magnum eſt, & ſatis apertum diſcrimen: quia aliud eſt, hoc in ſpeciali feciſſe, quod mens euitabile eſſe videt: aliud verò, in numeros defectus commiſiſſe, in quos ſæpe cecidit, & in futurum cadet mortalis infirmitas, quæ eſſe omnino ineuitabilia cognoſcit. In confeſſione igitur ſpecialis peccati venialis, debet homo habere abſolutum propoſitum atque efficax illud vitandi, alioqui eius pœnitentia erit ficta, & ad obtinendam remiſſionem minùs ſufficiens. Quomodo enim poteſt quis veniam & condonationem accipere illius offenſæ à qua non putat abſtinere? At in confeſſione communi multorum peccatorum, quæ C ex infirmitate contrahit, & non poteſt ſe ab omnibus extricare, ſufficit propoſitum ſe emendandi, & faciendi quod vtcumque potuerit, vt hæc leuia peccata minuat, & ſe minùs quàm antea maculis eorum inficiat. Et hæc videtur eſſe mens Thomæ Aquinatis, dum ait: Ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur, quòd homo proponat abſtinere à ſingulis, non tamen ab omnibus; quia hoc infirmitas huius vitæ non patitur. Debet tamen habere propoſitum ſe præparandi ad peccata venialia minuenda, alioquin eſſet ei periculum deficiendi, cùm deſereret appetitum proficiendi, ſeu tollendi impedimenta ſpiritualis profectus, quæ ſunt peccata venialia.] Applica iſtas duas huius ſancti Doctoris aſſertiones ad hos duos modos confitendi peccata leuia, & videbis, eum, quod nos diximus, docuiſſe. Qui licèt eo loco D tantùm loquatur de propoſito, quod requiritur, vt contritio ſine confeſſionis ſacramento leuia peccata deleat, tamen idem prorſus in confeſſione eſt neceſſarium, cuius pars, motus doloris aut contritionis exiſtit. Licèt enim, vt aliquod peccatum per confeſſionis ſacramentum deleatur, minor deteſtatio ſufficiat, puta attritio, quàm ſi per ſolam deteſtationem deleretur, tamen quod attinet ad propoſitum in ſacramento, & extra idem omnino requiritur.

D. Thom. 3. p. q. 83. art. 1. ad. 2.

His tribus, ſcilicet diſcuſſione conſcientiæ, dolore, & propoſito emendationis, religioſus, aut quilibet alius vir pius, præparatus ad confeſſarium pro obtinendo beneficio abſolutionis accedat. Qui vnus ſemper, & idem eſſe debet, nec ſine vrgenti neceſſitate, ac de prælati aſſenſu, mutari. Id quidem in ſa- E milijs religioſis ſolenne eſt, & Bonauentura his verbis oſtendit: Debent ſuperiori, vel, ſi ipſe ordinauerit, inſtructori ſuo, & non alij, niſi, in eius abſentia, ei tantùm quem ſuperior, vel inſtructor, de ſuperioris aſſenſu eis duxit aſſignandum, tribus vicibus in qualibet hebdomada, vel pluries, ſecundùm quod neceſſe habuerint, in dicto ſibi tempore, & loco, pro ſacramenti reuerentia, cum diligentia confiteri. Nunquam eis placeat vicaria in confeſſione confeſſoris mutatio, vt nunc vni confiteantur, nunc alteri; quin A potiùs, ſi quando ad id cogat neceſſitas, notabilia deinde ad principalem referat confeſſorem.] Quod ergo ſanctus hic doctor de tyronibus dicit, & omnes familiæ religioſæ (vt credo) tyronibus præcipiunt, reliqui deberent, vbi talis conſuetudo non viget, ſaltem ex conſilio ſuſcipere. In vniuerſis enim piis animabus eadem omnino ratio viget, vt ſcilicet medicum ſpiritualem habeant, cui omnia ad eas pertinentia perſpecta ſint, & à quo poſſint breuiùs & efficaciùs curari. Sicut enim in morbis corporalibus ſalubre eſt, vnum bonum & peritum medicum eligere, eúmque ſemper accerſere, qui corporis complexionem, viréſque cognoſcens, meliùs nouit illi medicamenta præſcribere; ita ſaluberrimum eſt vni firmo ſacerdoti ſuas quemque maculas aperire, qui pro ex- B perientia, quam habet de iſta mente, quam tractat, accommodatiùs ſciet remedium in omnibus adhibere. Omnis inſtabilitas periculoſa eſt, in hac autem re multo periculoſior, quia dum ad eum, qui nos ignorat, pro remedio ſalutis interioris accedimus, ſæpe ea facienda præſcribit, ex quibus non emolumentum, ſed damnum reportamus. Nec quiſquam in ſua peritia, aut experientia confidat; nam in rebus propriis nemo æquus iudex inuentus eſt: & medicus ægrotus alium, cui obediat, aduocat, & vir ſpiritualis, ſi prudens, & humilis ſit, alios quidem ex charitate iuuat, ac ſe ipſum non ſine alterius directione gubernat.

Bonau. in ſpeculo par. 2. c. 3.

Huic ergo confeſſario omnes receſſus animæ no- C ſtræ cum magna veritate & ſynceritate pandamus, nihil ſit etiam minimum, quod nos in conſcientia noſtra non lateat, quod eius notionem prætereat. Sic enim flectimus ad miſerationem iudicem noſtrum, qui à nobis manifeſtata delet, & errata humiliter per confeſſionem aperta condonat. Non parcamus ori noſtro vt iudex æquiſſimus animæ noſtræ parcat, & quæ deliquimus, miſeranter ignoſcat. Ori ſuo non parcit, inquit Gregorius, qui confiteri malum quod fecit, non erubeſcit. In laborem quippe os mittere, eſt ad hoc confeſſionem perpetratæ iniquitatis occupare. Sed iuſtus ori ſuo non parcit, quia iram iudicis diſtricti præueniens, verbis contra ſe propriæ confeſſionis ſæuit.] Sic etiam veluti feneſtram aperimus, per quam ille animarum benignus pater, & dulcis ſponſus, ad eas viſitandas & conſolandas introeat. D Vnde Bernardus ait: Sed & hoc tibi tota vigilantia prouidendum, vt apertas ſemper inueniat feneſtras, & cancellos quoſdam confeſſionum tuarum, per quos re intus benignè reſpiciat, quoniam reſpectus eius profectus tuus. Et quibuſdam interpoſitis: Cùm ſint duo genera compunctionis, vnum in mœrore pro noſtris exceſſibus; alterum in exultatione pro diuinis muneribus, quoties ſanè eam, quæ ſine anguſtia cordis minimè fit, peccatorum ſcilicet meorum facio confeſſionem, videor mihi cancellum, id eſt, anguſtiorem aperire feneſtram. Nec dubium quin libenter per iſtam reſpiciat is, qui ſtat poſt parietem pius explorator. Quia cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet.] Denique & hortatur ad hoc ipſum: Dic tu, inquiens, iniquitates tuas, vt iuſtifi- E ceris.] Sicut ergo ſol omnia detegit, & minimas etiam atomos oculis carnalibus obiicit; ita gratia diuina nos poſſidens, & nobis minutiſſimas quoque maculas manifeſtans, etiam ſpirituali patri, qui locum Dei tenet, aperit. Hoc enim maximè ad humilitatem proficit, & celeriori curationi ſubſeruit. Dicantur hæc clarè, breuiter, & ſine vllo excuſationis prætextu, etiam ſi nonnullum pudorem ingerant. Melius enim eſt in ſecretiſſimo confeſſionis tribunali aliquantulum erubeſcere, quàm coram iudice nec

Greg. 8. Mor. c. 10.

Bern. ſer. 56. in Cant.

Pſal. 50. nu. 19.

Iſaia 43. nu. 26.

leuia diſſimulante, rubore ſuffundi. Dicamur tandem in ſpeciali; vt quid enim particulare quod hodie geſſimus generalibus verbis obuoluimus, vt ſpiritualem patrem, illa verba humilitatis eſſe, & cordis priſtina errata commemorantis, exiſtimantem quadam duplicitate decipiamus? Illum quidem, ô religioſe, decipere poteris, ſed Deum vtique non decipies, qui tuam hanc immortificationem intimulat, & ob illam fortaſſis efficaciſſima auxilia, quæ daret, ad tui emendationem negat.

Abſolutione ſuſcepta, non tantùm ſatisfactio à ſacerdote impoſita, quæ leuis eſſe ſolet, implenda eſt, ſed alia etiam pro quotidianis peccatis ſponte & magno feruore præſtanda. Hæc autem tribus præcipuè fit. Primo quidem quotidiana oratione, qua aſſiduos defectus nobis remitti poſtulamus. Vnde Hugo ait: De quotidianis, leuibus, breuibúſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfaciet. Eorum enim eſt dicere: Pater noſter, qui es in cœlis,] qui iam tali patri regenerati ſunt ex aqua & Spiritu ſancto. Delet omnino hæc oratio minima quotidianáque peccata.] Huiuſmodi verò oratio ad duplex tempus præcipuè quotidianæ examinationis pertinet, vt qui bis in die conſcientiam diſcutimus, bis etiam pro his, quæ præpoſtere geſta iudicamus, indulgentiam poſtulemus. Secundo fit ſatisfactionis operibus, quæ corpori aliquam moleſtiam infligant. Ad quod referendum eſt illud Leonis Papæ: Curandis læſionibus, in quas ſæpe incidunt, qui cum inuiſibili hoſte confligunt, trium maximè remediorum eſt adhibenda medicina: in orationis inſtantia, in caſtigatione ieiunij, in eleemoſynæ largitate.] Tandem fit operibus pietatis, quæ dum proximi indigentiæ non tantùm corporali, ſed multo magis ſpirituali ſubueniunt, diuinam miſericordiam ad parcendum inclinant. Quod enim impio regi dictum eſt: Peccata tua eleemoſynis redime,] etiam in leuibus peccatis habet locũ, quæ ſicvt faciliora ſunt, ita etiam faciliùs ob pietatis opera condonantur. Atque id inſinuat Auguſtinus, dicens, ſine macula eſſe non ſolum perfectum, ſed & illum, qui caret criminibus damnabilibus, & venialia peccata non negligit eleemoſynarum largitione mundare. Iſta omnia in vnum colligit Cæſarius, dicens: Ideo peccata hæc continuis orationibus, & frequentibus ieiuniis, & largioribus eleemoſynis, & per indulgentiam eorum, qui in nobis peccant, aſſiduè redimentur.] Qui non tepidè, & quaſi ex conſuetudine, ſed feruenter, & eo modo, quem expoſuimus, confeſſione quotidianorum peccatorum vſus fuerit, non tantùm præterita diluet, ſed fortitudinem in ſe, & auxilium diuinum ad futura minuenda, & vitanda cognoſcet.

Hugo in regula. c. 10.

Leo. ſer. 4 de ieiunio 10. menſis.

Daniel. 4. nu. 24.

Aug. lib. de perfect. iuſt. c. 9. 2 3. 7.

Cæſarius homil. 8.

Alia etiam eſſe remedia ad eluenda peccata venialia.

CAP. XIV.

DVm medicamina huc vſque pro peccatis leuibus aſſignata, communia ſunt illis, & peccatis lethalibus, immo primò, & principaliter pro his data atque inſtituta. Sunt verò alia ſpecialia, quæ ad peccata leuia plurimùm valent, quæ nunc breuiter attingenda ſunt, & quomodo hunc effectum habeant, explicandum. Et (vt nunc fere omnia ſacramenta prætereamus, quæ ad propoſitum noſtrum non faciunt, & de pœnitentiæ ſacramento iam tra-

A ctatum eſt) certè ſacroſancta Euchariſtia vim habet hæc leuia peccata remittendi, adeo vt qui eam dignè ſuſceperit, & affectum peccati venialis abſtulerit, eius indulgentiam obtineat. Vnde Tridentina Synodus ait: Euchariſtiam antidotum eſſe, quo liberemur à culpis quotidianis, & peccatis mortalibus præſeruemur. Et Ambroſius inquit: Si quotieſcunque effunditur ſanguis, in remiſſionem peccatorum funditur, debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.] Meritò autem piiſſimo patre in filij domum intrante minora delicta obliuioni traduntur, vt ſic poſſit confidentiùs ad pedes genitoris procumbere, & dona cœleſtia à ſanctitatis authore putus factus impetrare.

Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 2.

Ambr. 4. de ſacr. c. 6.

B Sed omiſſo nunc hoc præſtantiſſimo medicamine, quod ob ſui maieſtatem non paſſim, nec ſine magna reuerentia & præparatione ſuſcipitur, nonnulla alia remedia pro venialibus ex perpetua Eccleſiæ traditione noſcuntur, quæ nos his maculis pollutos emundant. Quæ ob id ſacramentalia vocantur, quòd ſigna ſint ſenſibilia ad latentem aliquem & ſpiritualem effectum inſtituta. Huiuſmodi autem ſunt: Oratio Dominica; aqua luſtralis, ſeu benedicta; confeſſio generalis; tunſio pectoris, eleemoſyna; Epiſcopi, aut Abbatis conſecrati benedictio; & oratio facta in Eccleſia conſecrata, & ſi quæ ſunt alia, quæ hoc ſacramentalium nomine cenſeantur, de quibus inter Theologos non conuenit, nec noſtrum eſt ad omnia ſigillatim deſcendere. Oratio quidem
C Dominica, ex ea parte qua dicit: [Et dimitte nobis debita noſtra,] ſi non ore tantùm, ſed corde potiùs, & cum debita cõpunctione, & cum venialium diſplicentia dicatur, ea quoad culpam, & quoad pœnam, aut totalem, aut partem eius pro compunctionis qualitate, remittit. Quare Auguſtinus ait: Eſt etiam pœnitentia, bonorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.] Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimiſſa non dubitamus in baptiſmo, ſed illa vtique, quæ humanæ fragilitati, quamuis parua, tamen crebra ſubrepunt.]

Matt. 6. nu. 12.

Auguſt. epiſt. 108. ad Seleucianam.

Aqua benedicta ad hoc inter alia inſtituta eſt, vt nos à maculis paruis emundet. De qua Alexander Papa primus ait: Aquam ſale conſperſam in populis
D benedicimus, vt ea cuncti aſperſi ſanctificẽtur, & purificentur: quod omnibus ſacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Nam ſi cinis vitulæ aſperſus populum ſanctificabat, atque mundabat; multo magis aqua ſale aſperſa, diuiniſque precibus ſacrata, populum ſanctificat, atque mundat.] Non tamen ita aqua luſtralis mundat quaſi ſola eius aſperſio, aut tinctio valeat peccata leuia remittere, ſed quatenus eam accipimus vt motum internum pœnitentiæ, ac diſplicentiæ circa iſta peccata, ſuſcitemus. Quod Thomas Aquinas expreſsè docet, dum in hunc modum ſcribit: Omnia iſta (& loquitur de ſacramentalibus) cauſant remiſſionẽ peccatorum venialium, in quantum inclinant animum ad motum pœniten-
E tiæ, qui eſt deteſtatio peccatorum.] Quamobrem, qui volumus frequenti vſu benedictæ aquæ, à maculis, quæ ſingulis momentis irrepunt, emundari, oportet vt piè & reuerenter eam accipiamus, & diſplicentiæ ac compunctionis actũ erga huiuſmodi defectus excitemus, alioquin ad hunc effectum nihil proficiet. Quod & cõmunis fideliũ vſus approbat, qui cùm Eccleſiã ingrediũtur, & aqua benedicta ſe ipſos aſpergũt, ſolent aliquam preculam recitare, quæ delictorum deteſtationem, & veniæ poſtulationem deſignet.

D. Thom. 3. p. q. 87. art. 3. ad 1.

Generalem

Generalem confeſſionem hanc etiam virtutem habere diluendi peccata leuia certum eſt, ex ea parte qua peccata confitetur, & diſplicentiam eorum præfert, & pro erratis per intercesſionem ſanctorum veniam expoſcit. Vnde in principio Miſſæ, ac in ſolemni adminiſtratione Euchariſtiæ dicitur, vt tum miniſter tum ſuſceptor maiori cum animæ puritate ad ſanctam illam actionem accedant. Sed tunc leuia peccata diluet, cùm id quod os dicit, cor tenet: cùm ſcilicet ſicut exteriùs ſignum compunctionis & humiliationis præferimus, ita interiùs peccata noſtra deteſtamur. Sola enim horum verborum pronunciatio, ſine interiori mentis motu, quo in noſtra peccata inſurgamus, non ſufficiet nos emundare.

Tunſio pectoris ad eandem emundationem plurimum valet. Idcóque Auguſtinus ait: Peccata leuia nos ab ſponſi amplexibus ſeparare, niſi quotidiana pœnitentia diſcecentur. Quorum delendorum cauſa quotidie tundimus pectora, & nos peccatores confitemur. De qua tunſione pectoris idem quod de aliis dicendum eſt, ea ratione ad hæc peccata remittenda valere, qua motum interiorem deteſtationis exſuſcitat. Quare in ſcripturis ſanctis vt ſignum huius deteſtationis edicitur. Et de publicano illo ſcriptum eſt: Quia [percutiebat pectus ſuum, dicens: Propitius eſto mihi peccatori:] & de his, qui aſtiterunt neci Domini: quòd [percutientes pectora ſua reuertebantur.] Atque ſancti patris Hieronymi narrat hiſtoria, quòd ſæpe hac pia vtebatur cæremonia, & non pugno, ſed lapide, pectus ſuum fontem malarum cogitationum, caſtigabat.

Aug. lib. 50 homil. 50. c. 8.

Luca 18. 13.

Luca 23. 48.

Eleemoſyna, non ſolùm corporalis, verùm & ſpiritualis, horum etiam eſt peccatorum medicamen. Nam regi Nabuchodonoſori dictum eſt: Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.] Et Eccleſiaſticus: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis.] Nec non & Ambroſius: Medicina miſericordiæ tollit peccata magna. Habemus plura ſubſidia, quibus peccata noſtra redimimus. Pecuniam habes? Redime peccatum tuum. Non venalis eſt Dominus, ſed tu ipſe venalis es, redime te operibus tuis; redime te pecunia tua; vilis eſt pecunia, ſed pretioſa eſt miſericordia.] Hæc & ſimilia paſſim de eleemoſyna ſcripta ſunt, non quia immediatè delicta tollat, ſed quia cor ad motum deteſtationis habendum emollit, & parua noſtra miſericordia magnam Domini miſericordiam ad dandum nobis dolorem peccatorum inflectit.

Dan. 4. 24.

Eccleſ. 3. 33.

Ambr. li. de Helia c. 20.

Epiſcopalis benedictionis virtus ad diluenda minora peccata, ex Numerorum libro colligitur, vbi legalibus ſacerdotibus dictum eſt: Sic benedicetis filiis Iſrael. Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te; & ego benedicam eis.] Si enim illi benedicebant, & Domini benedictionem impetrabant, multo meliùs eam impetrabunt ſacerdotes noſtri pro his qui peccata ſua deteſtantur, cùm ſe ad benedictionem recipiendam ſubmittunt. Auguſtinus quoque ait: Dictum eſt à Domino ad Aaron: Vos ponite nomen meum ſuper filios Iſrael, ego Dominus benedicam eis,] vt gratiam traditam per miniſterium ordinati transfundat hominibus: nec voluntas ſacerdotis obeſſe, aut prodeſſe poſſit, ſed meritum benedictionem poſcentis.

Numer. 6. 23.

Aug. q. 21. in v. teſtamen. Nume. 6. n. 27.

Tandem valet ad horum peccatorum remiſſionem oratio pro ipſis peccatis fuſa in Eccleſia Deo dicata. Nam locus ille ad hoc aut conſecratus eſt, aut dicatus in honorem Domini, vt in eo ipſum Dominum adoremus, & beneficiorum dona, ac veniam peccatorum conſequamur. Et Dominus promiſit

3. reg. 9 n. 3.

A Salomoni ſe exauditurum orationes hominum in templo ſancto ſuo, quibus peccatorum veniam poſtularent. Licèt autem pro bonitate ſua orationes humilium in quocunque loco fuſas exaudiat, tamen in loco ad orationem dicato cæteris paribus eum largiorem in dando, & in condonando benigniorem inuenimus.

Hæc igitur omnia eatenus vim habent remittendi peccata leuia, quatenus habent aliquam efficaciam ad excitandum nos ad motum pœnitentiæ, cuius virtute peccata ſoluuntur. Cùm enim ſacramentalia iſta, & ſi qua ſunt alia, ab Eccleſia ſint inſtituta, quæ habet quidem poteſtatem remittendi peccata, non tamen inſtituendi ſigna ſenſibilia, quæ ipſo opere operato (vt aiunt) remittant peccata, fit vt ipſa de

B ſe non habeant maiorem vim ad peccata delenda, quàm eam, quæ ex motu pœnitentiæ ipſis accreſcit. Ex eo autem ſacramentalia habent vim excitandi motum pœnitentiæ, quia (vt ex ipſiſmet conſtat) ſigna ſunt externa deteſtationis internæ, quam, cùm nos accuſamus, aut pectus tundimus, aut veniam poſtulamus, aut facimus aliquid aliorum, concipimus. Et etiam quia Dominus ob orationes Eccleſiæ ſponſæ ſuæ vtentibus his ceremoniis deuotè auxilium gratiæ ad peccatorum dolorem ac deteſtationem ſolet impertiri. Quæ ideo dicta ſunt, vt in quotidiano vſu aliquorum ſacramentalium, nempe orationis Dominicæ, aquæ luſtralis, tunſionis pectoris, & confeſſionis generalis, debitum ſpiritum, quo ſint aſſumenda, quæramus. Ita ſcilicet vt cùm aqua luſ-

C trali nos ſignamus, aſſiduos defectus ſimul interiùs lugeamus: cùm confeſſionem facimus, mente, & compunctione cordis nos peccatores, & indulgentiæ ſitibundos fateamur: cùm pectora tundimus, multo efficaciùs animam noſtram dolore feriamus, & cùm in oratione dicimus: [Dimitte nobis debita noſtra,] ea quorum veniam petimus, veriſſimo odio deteſtemur. Ita qui ſingulis pene momentis peccamus, ſingulis etiam momentis remedia delendi peccata ad manum habebimus, & qui procliues ad delinquendum ſumus, quotidiano immo & aſſiduo vſu horum remediorum à peccatis retrahemur.

De triplici genere peccatorum venialium ſignato per lignum, fœnum & ſtipulam. 1. Corinthiorum. 3. cap.

CAPVT XV.

NON tantùm neceſſarium eſt, in hoc leuium peccatorum malo, peccata iam perpetrata pœnitentia diluere, ſed etiam, quæ in futurum committi poſſunt, diligenter euitare. Ad quod, vt medicamenta vtilia aſſignemus, priùs triplex horum peccatorum genus, quod ex Paulo colligitur, diſtinguamus. Is namque ad Corinthios ſcribens, ſic ait: Si quis autem ſuperædificat ſupra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe tamen ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.] Euangelij ad miniſtros inſtituit eo capite; & cùm ſeipſum non ex ſuperbia, ſed ex veritate, & pro gloria Dei, quam ſe,

1. Cor. 3. 12. 13. 14. 15.

E

A hoc loco, commendans magnificabat, ſapienti architecto comparaſſet; qui in fidelium cordibus fidei fundamentum iecit, vt alij minores miniſtri, & minimè ad dignitatem Apoſtolatus euecti, ſuper hoc fundamentum per doctrinam ſuam virtutes velut parietes erigerent, adiungit: Vnuſquiſque (iſtorum ſcilicet) videat quomodo ſuperædificet.] Nos autem (quia noſtro propoſito magis congruit, & quia quod de prædicatoribus dicitur quoad doctrinam, de omnibus quoad vitam dici poteſt) hunc locum cum Chryſoſtomo, Theopylacto, Theodoreto, Auguſtino, & aliis de omnibus fidelibus intelligamus. Vnuſquiſque itaque fidelium videat quomodo, aut quid ſupra fundamentum, id eſt, ſuper Chriſtum, (quem fundamentum Eccleſiæ appellat) ſuperædificet. Nam B ſuper tale fundamentum, tam forte, tam pretioſum, tam profundum, parietes, qui illi congruant, & quoquomodo conueniant, ædificandi ſunt. Si enim ridiculus fuiſſet Salomon, & pœna digniſſimus, ſi ſupra firmiſſima illius ſancti templi fundamenta, contra præceptum Dei, ex infirmis arundinibus parietes cœno litas extrueret; quanta increpatione dignus erit homo fidelis, qui ſupra Chriſtum, id eſt, ſupra eius fidem, & gratiam, ratione cuius in cordibus credentium inhabitat, vilem aliquam materiam, & igne conſumendam extruxerit? Curãdum quidem nobis non eſt noſtræ interioris ædificationis fundamentum iacere. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.] Eius namque fides ab Eccleſia prædicata, eius C doctrina ab Apoſtolis tradita, & eius gratia per aquã regenerationis primò, & deinde per ſacramentum pœnitentiæ ſiue iteratæ iuſtificationis data, fundamentum eſt ſatis firmum humanæ ſalutis, cui omnes ſubnitimur. Qui autem hoc fundamentum euerterit è corde ſuo, gratiam, & Chriſti doctrinam, ſi non quoad notitiam, ſaltem quoad vitæ operationes expellens, ad gehennam laborat, non ædificat ad ſalutem. Videndum igitur eſt quid ſupra fundamentum illud ædificemus, neque enim omnes nouerunt quid ſuper illud debeant ædificare.

1. Cor. 3. n. 10.

1. Cor. 3. n. 11.

Si quis autem ſuperædificat ſupra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit.] Iam hîc duos ordines ſuper Chriſtum ædificantium D aduertimus, quorum alij pretioſam materiam, & ædificationi aptam adiiciunt; alij verò materiam vilem, & minùs idoneam ad templum Dei conſtruendum imponunt. Illi aurum, argentum, & lapides pretioſos afferunt: iſti lignum, fœnum, & ſtipulam congerunt. Per aurum, argentum, & pretioſos lapides, bona opera intelliguntur, quæ meritò ſupra fundamentum, id eſt, Chriſtum, dicuntur ædificari, quoniam eius virtute fiunt, eius meritis roborantur, eius paſſione & morte nituntur. Bona opera ſunt aurum, quia fulgent, quia ea habentes ditant, & quia in pretium vitæ æternæ ſoluuntur. Sunt argentum, quia nitent, quia per bonum exemplum ſonant, quia poſt aurum gloriæ puriſſimum omnium rerum valorem excedunt. Sunt lapides pretioſi, quia ſplendent, quia E animas noſtras exornant, & quia vt marmora, & alabaſtrites, & alij ſimiles lapides, quos non ſemel Scriptura pretioſos appellat, templi ſpiritualis ædificationi deſeruiunt. Vnde Anſelmus ait: Quiſquis bene viuit, ac Deum honorat, & laudat, non inhærens ex dilectione terrenis rebus, ſed deſiderans æternam patriam, & aut vendens omnia ſua, diſtribuénſque pauperibus, aut poſſidens tanquam non poſſideat, & vtens hoc mundo tanquam non vtatur, iſte ſuperædificat aurum, argentum, lapides pretioſos. In auro

3. reg. 7. Iſa. 28.

A ſenſus occultus deſignatur, in argento ſermo docens, in lapidibus pretioſis opera Deo placentia. Aurum ſapientiæ, quod in occulto ſenſu eius, eſt in cordis arcano, ſplendet vero lumine Dei, ſuperædificat iſte: & argentum, id eſt, nitorem ſanctæ eloquentiæ, qua docet alios & lapides pretioſos, id eſt, exempla virtutum, & bonorum operum, quibus adornat ea, quæ loquitur, ſiue cogitat. Hæc ille.] Et Auguſtinus ait: Quòd qui ſeruat mandata, & eorum cuſtodiæ addit perfectionis opera, ædificat ſupra fundamentum aurum, argentum, lapides pretioſos. Non enim cogitaret, inquit, niſi quæ Dei ſunt, quomodo placeret Deo; & hæ cogitationes ſunt, quantum exiſtimo, aurum, argentum, & lapides pretioſi.] Iam igitur cognoſcimus, qui nam ſint materiam pretioſam ædificantes, B & ædificationi aptam, nimirum, qui bona opera exercent, & omnem iuſtitiam ac virtutem colunt.

Aug. lib. de fide, & oper. c. 16. to. 4.

Alij verò ſunt, qui ſupra fundamentum non quidem ferrum, plumbum, & æs, ſed lignum, fœnum, & ſtipulam ſuperædificant. Et hi ſunt, qui lethalibus peccatis abſtinent, quæ gratiam & charitatem euertunt, & Chriſtum è cordis ſolo euellunt, peccata autem leuia & venialia committunt. Hæc ſanè dicuntur ſupra Chriſtum ædificari, non quia eius gratiæ innitantur, cùm ſint opera corruptæ naturæ, non gratiæ; ſed quia cùm gratiam facientem nos Deo gratos, non corrumpant, nec Chriſtum ex cordibus admittentium expellunt, & ideo ſupra Chriſtum ædificare dicuntur. Vel illa præpoſitio, (ſuper,) pro (iuxta,) C more ſcripturarum accipitur. Vt cùm Dauid ait: Domini eſt terra, & plenitudo eius; orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo.] Quia ipſe ſuper mare fundauit eum,] id eſt, iuxta mare, [& ſuper flumina præparauit eum.] Et rurſus: Qui firmauit terram ſuper aquas,] id eſt, iuxta aquas, [quoniam in æternum miſericordia eius.] Quare cùm leuia peccata in corde iuſti peccantis habitent, in quo etiam Chriſtus per gratiam commoratur, ideo ſupra Chriſtum, hoc eſt, iuxta Chriſtum ædificari perhibentur. At leuia peccata ligna ſunt, quoniam ceu ligna ex terra cordis humani germinant, & appetitu ac concupiſcentia quaſi noxio humore rigata creſcunt, & tandem igne, aut debitæ ſatisfactionis in hac vita, aut igne temporali in vita futura conſumentur. Fœnum ſunt, quo- D niam iumentorum, id eſt, inſipientium & imperfectorum ſunt pabula, & per ardorem charitatis facilè arent, & quia ſi fœnum carnem ſignificat, iuxta illud: Omnis caro fœnum,] ad opera carnis ſpectant. Stipula ſunt, quoniam leuia, quoniam vilia, quoniam nullius vtilitatis eſſe videntur. Quòd autem per vilem materiam hæc peccata intelligantur, docet Gregorius, cuius hæc ſunt verba: Penſandum ſolicitè eſt, quia illum per ignem dixit poſſe ſaluari, non qui ſuper hoc fundamentum, ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id eſt, peccata maiora, & ideirco duriora, atque tunc iam inſolubilia; ſed lignum, fœnum, & ſtipulam, id eſt, peccata minuta, atque leuiſſima, quæ ignis facilè conſumat.] Eiuſdem ſententiæ ſunt Auguſtinus, Origenes, & alij, à qua non diſcedit Bernar- E dus, dum per hæc tria religioſos tepidè viuentes, non tamen à via religionis diſcedentes, intelligit. Lignum ſunt, inquit, qui fortiter inceperunt, ſed fracti non renodantur. Fœnum ſunt, qui fugienda mollicie tepefacti, nec ſummitate digiti (vt dicitur) labores arduos attingere volunt. Stipula ſunt, qui leuitatis motibus exſufflati nunquam in eodem ſtatu permanent. Et timendum quidem eſt de iſtis, ſed non deſperandum: quia ſi in fundamento Chriſtum habuerint, hoc eſt, in hac via vitam finierint, ſalui erunt, ſic tamen

Pſal. 23. n. 2.

Pſal. 135. 6.

Iſa. 40. n. 6.

Greg. 2. dial. c. 39.

Bern. ſer. de ligno, fœno, & ſtipula.

quaſi per ignem. Habemus igitur quid deſignent lignum, fœnum, & ſtipula, nam & leuia peccata deſignant, quæ iuxta Chriſtum, id eſt, non expulſo de corde Chriſto, fiunt: nunc ad locum Pauli redeamus.

Si quis ergo ſupra fundamentum ab Apoſtolis iactum materiam pretioſam, aut abiectam & vilem ædificauerit, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Nemo ſe ipſum ſeducat, aut putet ſuum opus poſſe celari, [quoniam nihil occultum quod non reueletur, neque abſconditum quod non ſciatur.] Quòd ſi artifices accuratiùs illa perficiunt, quæ hominibus ſunt manifeſtanda, & omnium oculis ſubiicienda, vnuſquiſque quo pacto viuat, & quanā ratione operetur, diligenter expendat, quoniam quodcunque fecerit ſiue bonum, ſiue malum, etiamſi in occulto, & in angulis exequatur, aliquando compertum & manifeſtum erit. Et quiſnam occulta noſtra manifeſta faciet, & aliis videnda proponet? Certè dies Domini declarabit. Nam vita hominis ita ordinata eſt, vt in diem hominis, & diem Domini diuidatur. Dies hominis omnem vitam hominis comprehendit, in qua homo facit, quod libet, & tempore vtitur in bonum, vel in malum, pro ſuo arbitrio & voluntate. De qua die dixit Dominus ad Ieruſalem, & non ſine fletu, & lacrymis: Si cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.] Quam diem ob ſui breuitatem voce breuitatis expreſſit, cùm ita ad Phariſæos eſt locutus: Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.] Quoniam ſæpe in die noſtro tenebræ nos comprehendunt, & aduerſæ poteſtates ſubiiciunt. At dies Domini eſt momentum mortis hominis, in quo Dominus accipiet tempus, & iuſtitias iudicabit. Quod licèt momentum ſit, nomine tamen augetur, & dies, immò & dies magnus, ac [dies Domini] appellatur. Quoniam vniuerſa quæ homo fecit in diebus ſuis, aut probat, aut damnat, quod bonum eſt perficit, & quod malum exterminat. Hic eſt dies Domini, de quo dicit Paulus: Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu,] id eſt, in diem mortis, in qua Chriſtus omnia hominis bona, & mala iudicat. Et rurſus: Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet:] nam ſicut ad omnes veniet in die generalis examinis; ita veniet vnumquemque iudicaturus in die particularis iudicij. Et Saluator noſter apud Matthæum ait: Veniet Dominus ſerui illius, die qua non ſperat, & hora, qua ignorat.] Et: Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam;] ſcilicet non veſtram, ſed Domini. Dies iſte Domini rigido quodam examine declarabit quid vnuſquiſque ſupra fundamentum extruxerit. Idque in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. In quo igne? Profectò in igne purgatorio: nam incommodum eſt in pauciſſimis Apoſtoli verbis ignem nunc propriè nunc metaphoricè accipere. Conſtans eſt autem multorum Patrum ſententia, purgatorium ignem ſignificari illis verbis: Ipſe ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.] Ergo de eodem loquitur, cùm ait: Quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit.] Quod manifeſtè confirmat Ambroſius, dicens: Omnes oportet per ignem probari, quicunque ad paradiſum redire deſiderant. Non enim otioſè ſcriptum eſt quòd eiectis Adam & Eua de paradiſi ſede, poſuit Deus in exitu paradiſi gladium igneum verſatilem. Omnes oportet tranſire per flammas, ſiue ille Ioannes Euangeliſta ſit, quem ita dilexit Dominus, vt de eo diceret ad Petrum: Sic eum volo manere; Quid ad te? tu me ſequere.] De morte eius aliqui dubitauerunt, de tranſitu per ignem, dubitare non poſſumus, quia in paradiſo eſt, nec ſeparatur à Chriſto. Siue ille ſit Petrus, qui claues accepit regni cœlorum, qui ſupra mare ambulauit, oportet dicat: Tranſiuimus per ignem, & aquam, & induxiſti nos in refrigerium.] Et Rupertus cùm citaſſet hunc eundem locum Pauli, quem exponimus, ait: Quid ex huiuſmodi dictis colligimus, niſi ad hoc flammeum gladium atque verſatilem ante paradiſum eſſe collocatum, vt quicunque deinceps admittendi ſunt, illuc tranſeant per examinatorium ignem? Tanquam diceret: Quia multiplicandi erant conceptus Euæ, & futura erat confuſa vel permixta multitudo bonorum & malorum, nullos autem Dominus Deus admittere volebat, niſi quos ipſe noſſet ex nomine, & ſic diſcuſſos, vt dicere poſſent: Quoniam probaſti nos Deus, igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum:] idcirco collocauit ante paradiſum Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem.] Atque hæc ſententia ex ipſa antiquitate vires aſſumpſit: Nam & Lactantius putat vniuerſos homines igne probandos, quorum perfectè iuſtos edax flamma nec tantillum aduret, quoniam habent, inquit, aliquid in ſe, quod vim flammæ repellat, ac reſpuat.

Sed quonam modo, non tantùm leuia peccata, ſed etiam bona & perfecta opera, ſunt purgante igne probanda? Quomodo Apoſtoli, & reliqui ſancti ob ſancta opera igne ſunt examinandi? Ita certè, vt ipſum non aduri virum perfectum, ob ea quæ rectè ac perfectè geſſit, ſit ipſo igne probari, & à flamma teſtimonium probitatis accipere. Sicut enim tributum quod penditur regi, nobiles & ignobiles probat, ac viros illuſtres plebeióſque diſcernit, quatenus iſti tributum pendunt, illi verò à tali exolutione liberantur. Et ſicut gladius perduellibus præparatus non tantùm nocentes, verùm & innocentes oſtendit: illos, quia capite minuit; iſtos, non quia feriat, ſed quia illæſos illibatóſque relinquit: ita ignis purgans in fine vitæ, aurum, & argentum, & lapides pretioſos, & lignum, fœnum & ſtipulam reuelabit, quarenus iſta in eorum ædificatore puniet, & illa nec leui odore continget. Quem ſenſum (vt videtur) huius loci germanum iudicauit Ambroſius, dum verbis ſuprà adductis addit: Sed Ioanni citò verſabitur igneus gladius, quia non inuenitur in eo iniquitas, quem dilexit æquitas. Si quid in eo vitij humani fuit, charitas diuina decoxit. Alæ enim eius, ſicut alæ ignis. Qui habuerit hîc charitatis ignem, illic ignem gladij timere non poterit. Ipſi Petro, qui tones mortem ſuam pro Chriſto obtulit, dicet: Tranſi, recumbe.] Sed ille dicet: Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.] Etenim in quo aqua multa excludere non potuit charitatem, quomodo eam ignis excludet? Sed ille examinabitur, vt argentum, ego examinabor vt plumbum; donec plumbum tabeſcat, ardebo.] Sed eundem ſenſum Paulus ſequentibus verbis ſatis indicat, dum ait: Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet.] Id eſt, ſi opus, quod quiſque extruxit, dignum pœna ac caſtigatione non fuerit, ex igne ob illud homo non pœnam, ſed præmium & retributionem, eſt accepturus. Si verò cuius opus arſerit, id eſt, dignum caſtigatione fuerit, detrimentum doloris & pœnæ patietur, qui huiuſmodi opus fuerit operatus. Non tamen pœnam æternam, quia ipſe tandem conſumptis delictorum maculis ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem, ac ſi diceret, non ſine pœna purgantis ignis. Saluus quidem erit, inquit Anſelmus, ſed tamen pœnam ignis patietur, vt per ignem purgatus, ſit ſaluus, & non ſicut perditi æterno igne in perpetuum torqueatur, vt ex parte proſit illi in

perpetuum

Marginal notes: *Matt. 10. nu. 26.* — *Luc. 19. nu. 42.* — *Luca 22. n. 53.* — *Pſal. 74. nu 3. Sophon. 1. nu. 14. 2. Petr. 3. nu. 10.* — *Phil. 1. nu 6.* — *1. Theſſ. 5. nu. 2.* — *Matth. 24. n. 50. Matth. 25. n. 13.* — *Ambr. in Pſal. 118. ſerm. 20. Gen. 3. n. 24.* — *Ioan. 21. nu 22.* — *Matth. 16. n. 19. Matth. 14. n. 29. Pſal. 65 nu 12. Ruper. li. 1. in Gene. c. 32 Gen. 3. n. 24.* — *Pſal. 65. n 10.* — *Lactantius, lib. 7. c. 21.* — *Ambr. 5.* — *Luc. 17. nu 7. Pſal. 65. nu 10.*

perpetuum credidiſſe.]

Hæc ad nonnullam expoſitionem loci Pauli, quem totum citauimus, dicta ſunt, nunc ad noſtrum propoſitum, quid duo illa ternaria auri, argenti, lapidum pretioſorum; & ligni, fœni, & ſtipulæ ſignificent, videamus. Et quidem primus ternarius deſignat triplicem fructum terræ bonæ, vt ait Origenes, trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimum. Vel, vt idem autumat, ſignificat triplicem gradum ſtudioſarum actionum, quarum quælibet incipit in bona cogitatione, procedit in diſcreto ac prudenti verbo, ac tandem conſummatur in opere. Aut tandem indicat, vt nos opinamur, aurum, charitatis opera, quæ auro comparantur; argentum, miſericordiæ ſubſidia, quæ opum diſtributione complentur; lapides pretioſi, omnia alia virtutum ſtudia, quæ nos in oculis Dei & Angelorum exornant. At ſecundus ternarius ſignificat tria genera peccatorum leuium, quæ intra ſuum gradum maiora, media, & leuiſſima vocari poſſunt. Quod docet Cyrillus ſic ſcribens: In quo manifeſtè oſtenditur eſſe quædam peccata ita leuia, vt ſtipulæ comparentur: cui vtique ignis illatus diu non poteſt immorari. Alia verò fœno eſſe ſimilia, quæ & ipſa non difficulter ignis abſumat, verùm aliquanto tardiùs quàm ſtipulis immoretur. Alia verò eſſe, quæ lignis conferuntur, in quibus pro qualitate criminum diuturnum & grande pabulum ignis inueniat. Ita ergo vnumquodque peccatum pro qualitate, vel quantitate ſui, pœnarum iuſta perſoluit.] Nunc nos quæ ſint maiora, quæ media, & quæ minima, videamus.

[*Origen. hom. 6. in Exodum.*]

[*Cyrill. li. 14. in Leuiticum poſt medium.*]

Maiora peccata ſunt intra latitudinem venialium, quæ ex genere quidem ſuo mortalia ſunt, ſed ob carentiam pleni & deliberati conſenſus, aut ob materiæ exiguitatem, venialia redduntur. Huiuſmodi ſunt, cogitatio impudica, & appetitus vindictæ, cui negligenter obſtitimus, non tamen in eum plenè conſenſimus: detractio proximi de re non multi momenti: irriſio illius, qui ob imperitiam in aliquo defecit; ablatio alicuius rei modici valoris ad cœnobium pertinentis, ſine obtenta prælati facultate; & alia ſimilia. Hæc autem meritò lignis comparantur, quia craſſiora ſunt, & aliquando à lethali peccato non admodum diſſita, quæ diutino tempore, & acerbiſſima vltione, ſi in hac vita non conuenienti dolore, & ſatisfactione purgentur, ignis ille purgatorij conſumet. Ecce ligna domus leproſæ, id eſt, animæ priſtinis vitiis affectæ, quę ligna mittenda ſunt extra ciuitatem, ne paulatim omnia contaminent. Ecce ligna non integra, ſed à locuſta corroſa, hoc eſt, dæmonum morſibus fœdata, quæ non fructibus ferendis, ſed igni ſuccendendo deſeruiunt. Ecce ligna imputribilia, quæ faber ad conficiendum idolum elegit, corroſa quidem quantum ad ferendum fructum, quia merito carent, ſed imputribilia quantum ad pœnam, quia multo tempore in igne durabunt, ex quibus faber, ſi citò non reſiliamus, idôlum iniquitatis, & criminis lethalis, efficiet. Qui admittunt iſta peccata, ſuper ædificant ligna, quorum cauſa magnum detrimentum patientur, & ſatis longam pœnam ſuſtinebunt.

[*Leuit. 14. 45.*]
[*Exodi. 10. 5.*]
[*Iſai. 40. 20.*]

Media peccata ſunt, quæ ex genere quidem venialia cenſentur, ſed ſcienter, & ex induſtria, & quaſi ex malitia, committuntur. Ad quod genus pertinent officioſa mendacia, otioſi ſermones, ſcurrilitates, cachinnationes, curioſitates audiendi aut legendi vana, adulationes prælatorum, aut maiorum, ambitiones, & alia innumerabilia. in quæ heu ſatis frequenter nos ipſos conijcimus. Et hæc dicuntur fœno ſimilia, quoniam ſicut fœnum, non quantum ligna, in A igne durabunt, ſed longo etiam tempore in pœna manebunt. Fœnum, iumentorum eſt pabulum, & hæc peccata ſunt alimenta imperfectorum, & hominum inſipientium, qui aurum, & argentum, & pretioſos lapides meritorum proterunt, & huiuſmodi vilitatibus animam paſcere non erubeſcunt. Ecce [fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur, exaruit:] nam licèt ad momentū nos aliqua imagine voluptatis oblectet, tamen ſtatim euaneſcit, & animam inquietam, aridam, & triſtem derelinquit. Verè fœnum, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, quia poſt modicum tempus, igne purgante, niſi hic pœniteamus, conſumetur. Nam qui patrant iſta peccata, ſuperædificant fœnum, cui ignis applicitus non leuem flammam ſuſcitabit.

[*Pſal. 128. nu. 6.*]

[*Matt. 6. 30.*]

B Leuiſſima peccata ſunt, quæ non inuerecundia, aut procacitas parit, ſicut proximè dicta, ſed infirmitas humana, bonam voluntatem habens perfectè viuendi, ſæpe non potens ſe omnino continere, committit. Huius autem generis peccatorum ſunt, modica in oratione, in pſalmodia, aut in Miſſæ celebratione diſtractio, quam inquietudo naturalis humanæ mentis inuexit; motus alicuius vanitatis, qui ex operibus bonis, aut ex laudibus ob recta geſta delans, irrepſit; affectus nonnullius vanę complacentiæ, quem ex feruore, & diuinis donis proprius amor nobis non cogitantibus ſuſcitauit: aliquis immoderatus rigor ex bono zelo procedens, aut nimia manſuetudo in reprehendendo ex naturæ ſuauitate dimanans, qua prælatus vitia ſubditorum correxit, nonnulla triſti- C tia, & anxietas, cui ſubditus in rebus ſibi ab obedientia demandatis ſuccubuit; modicus exceſſus, aut defectus neceſſarij alimenti, quem aut mollis remiſſio animi intulit, aut indiſcretus feruor decurtauit: & alia innumerabilia, quæ noſtram ignorantiam in rebus ſpiritualibus omnino prætereunt. Iſta ſtipulæ aſſimilantur, quoniam faciliimè purgabuntur. Et ſicut palea citiſſimè à vento rapitur, & leui flatu in varia diſpergitur, & tenui flamma conſumitur: ita peccata hæc, quæ multum habent infirmitatis, parum autem voluntatis, ſi hinc non purgati diſcedimus, citò in purgatorio punientur. Et ob id, qui in illa cadunt, dicuntur ſuperædificare ſtipulam, & ſalui erunt, non tamen ſine vlla læſione, quia ſalutem accipient quaſi per ignem. Diximus quid ſignificent D lignum, fœnum, & ſtipula, & ad quæ leuia peccata, ſine præiudicio commodiùs ſenticentium applicari poſſunt; nunc remedia ad hæc peccata vitanda quæramus.

Quod remedium adhibendum eſt ad vitanda peccata leuia ſignificata per lignum.

CAP. XVI.

PRIORA igitur peccata, quæ cum ligno contulimus, in ſuo genere leuio- E rum, grauiora ſunt, & periculoſiora: quare maiori cura & diligentia curanda, ne aliquando ita creſcant, vt ad deliberatum conſenſum deuoluta, aut ad notabilem materiam erumpentia, lethalia facta, non iam ſolum grauent, ſed demergant. Quibus vt medicamentum conueniens aſſignemus, aliquem hoc genere peccatorum ægrotum audiamus. Dicit enim aliquis, qui attentè ſuperiora legit, & qualitatem ſuæ mentis aduertit: Fateor, pater, me huiuſmodi pec-

catis

catis ſæpe ſordere, & non leuiter dæmonis impulſibus impugnari. Iam enim omnis impudicitiæ cogitationibus pulſor, iam iræ & vindictæ deſideriis impetor, iam appetitu plura poſſidendi diſcrucior, iam ambitione, & concupiſcentia dominandi dilaceror:& quamuis penitus non expugnor,at non perfectè reſiſto,ſed non contemnendis vulneribus quotidie percuti ac vulnerari me ſentio: quanam ratione deinceps me defendam, ac in huiuſmodi occaſionibus victor exiſtam? Harum ægrotationum medicina non facilis, nec breuis eſt; ſed difficilis, & prolixa ſatis, at omnino neceſſaria, ſine qua, audeo dicere, nulla mens eas perfectè depellet. Ea autem eſt,vitia radicitus extirpare, & quod in nobis eorum ſuperſuit, diligenter euellere. Nam ex priſtina ſæculi conuerſatione remanſerunt in nobis vitia ſæcularia luxuriæ, indignationis,ambitionis, auaritiæ, & reliqua ſimilia,quæ licèt fuerint adhuc vitæ ſpiritualis ſtudio compreſſa, & quoad ramos eorum, id eſt, quoad peſſimos & lethales actus,euulſa, non tamen radicitus extirpata; quare radix in præcordiis latens, vel (vt clariùs loquamur) vitia ipſa mentibus inſidentia, quacunque oblata occaſione ſuppullulant. Aduerſus vitia igitur acriter pugnandum eſt, vt victa atque proſtrata nos non inquietent, nec leuem victoriam de mente reportent. Genus enim quoddam victoriæ eſt in his rebus non diligenter agere, & licèt non occidamur, ſaltem leui peccato vulnerari.

Conſideremus itaque peccata iſta ſpinas eſſe ac tribulos, quæ maledicta cordis noſtri terra progerminat: & ſicut ad tollendas ſpinas, ita vt ampliùs non germinent, non ſatis eſt eas præcidere, ſed omnino neceſſarium radices euellere; ita ad ſuperandos iſtos luxuriæ, & prauæ cupiditatis motus, non ſufficit inſurgentibus bellis obſiſtere, ſed cauſam ac radicem belli, id eſt, vitium, extirpare. Quo euulſo id profectò conſequemur non vt nunquam tentemur, ſed vt rariùs & mitiùs tentemur; id etiam, vt licèt prauus motus inſurgat, nos tamen non trahat, non liget, non capiat, & nec leui vulnere feriat. Quanti verò momenti ſit vitia omnino conuellere, & vſque ad fundamentum exinanire, exponit optimè Dorotheus, cuius hæc ſunt verba: Oportet agricolam, qui villam ſuam optimè purgare voluerit, primùm quidem radicitus herbas euellere. Niſi enim ita fecerit, & ſummitatem tantùm abraſerit, denuo pullulabunt. Idipſum in anima eſt. Opus nobis eſt, affectionem omnem priſtini hominis, ac malos ſæculi mores à nobis amputare. Quas ſanè radices niſi quiſque extirpauerit, neceſſe erit iterum ſpinas erumpere, & excreſcere. Hæc ille multis omiſſis, quæ ſatis indicant hanc eſſe peccatorum iſtorum efficaciſſimam medicinam. Dum enim hoſtes intra mœnia ſunt, non ſolùm non poteſt eſſe pax, verùm nec vera ſecuritas, qui ſi non ciuitatem ceperint,nec rationem illigauerint,at abſque vulnere manere non ſinent. Quare Dominus dum vult animam ad perfectam virtutem extollere, monſtra in ea vitiorum excindit, & beſtias ipſas immanes interficit,quorum puſilli etiam partus animæ puritatem commaculant. Facitque illud Eccleſiaſtici: Radices gentium ſuperbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipſis gentibus. Terras gentium euertit Dominus,&, perdidit eas vſque ad fundamẽtum, arefecit ex ipſis & diſperdidit eos, & ceſſare fecit memoriam eorum à terra.] Si enim hæc ex littera ad ſpiritum efferamus, apertè videbimus, in illis,quos Dominus tenerè amat, ſuperbos,id eſt, vitioſos mores, vſque ad radicem eſſe conſumptos, & pro illis virtutes perfectas

Doroth. doctr.12.

Eccl. 10. 18. 19. 20.

A eſſe genitas: & terras,quæ ſpinas germinabant,id eſt, prauas conſuetudines, vſque ad fundamentum eſſe diſſipatas,& virtutum victoria penitus eſſe deletas. Id autem fit, vt anima Deo dilecta in hæc peccata non cadat, nec ſuam pulchritudinem leui macula priſtinæ conuerſationis inficiat. Dæmoni quidem, quem Dominus in Iob nomine Behemoth ſignificauit; omnes mortales aliquod tributum exſoluunt. [Huic enim montes, herbas ferunt, & omnes beſtiæ agri ludent ibi.] Nam ſi montium nomine, vt ſæpe in Scriptura contingit, iuſti, & beſtiarum appellatione iniqui & peccatores ſignificentur, quis non videat, beſtias dæmoni ludere,dum illum ſuis flagitiis oblectant, & iuſtos, proh dolor, herbas offerre, dum his ſaltem peccatis leuibus,quæ manant ex impugnatione vitiorum, ipſum vtcunque ſuſtentant? B Mons ergo, id eſt, iuſtus, qui cupit non offerre diabolo huiuſmodi pabula, radices herbarum, id eſt, vitia, ex quibus caſus iſti manant, excindat. Nam his omnino deſtructis non erit difficile herbarum pabulum auferre,id eſt,notabiliora iſta & craſſiora peccata deuitare.

Iob.40. n.10. Iob. 40. n.15.

Sunt etiam peccata hæc velut riuuli amariſſimi ex impuro fonte manantes, quos ſola obturatio, & omnimoda deletio fontis impediet. Dicamus enim de anima iuſta,quæ necdum in ſe vitia,& ſæculares mores extinxit, quod dictum eſt Eliſeo à viris Ierico: Ecce habitatio ciuitatis huius optima eſt,ſicut tu ipſe Domine perſpicis, ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis.] C Ita prorſus talis anima viri iuſti,habitatio eſt ſummi Dei, nam illam per gratiam inhabitat:at aquæ peſſimæ ſunt, id eſt, quarundam actionum riuuli, quæ ex vitiorum antiquorum fonte promanant. Terra etiam ſterilis eſt, quia cor his aquis amariſſimis irrigatum, virtutum fructus plurimos atque perfectos ferre non poteſt. Cor namque adhuc nonnulla ambitione diſtentum, & impudicis cogitationibus inquinatum, & ſimilibus miſeriis affectum,quibus ſi non omnino, at ſe aliquantulum ſubiicit,quomodo poterit ſuauiſſimos, ac omnino perfectos fructus virtutis afferre? Sanentur ergo aquæ, & remedium ſalubritatis non alibi quàm in fonte ponatur. Denique [egreſſus Eliſeus ad fontem aquarum, miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque D ſterilitas.] Mittamus & nos in fontem horum peccatorum, id eſt, in vitia,ex quibus pullulant,mortificationis ſal,quod ipſa penitus exſiccet,atque conſumat, vt pro amaris aquis, fluenta dulciſſima,nempe virtutum actus erumpant. Sapienter quidem Caſſianus, de ſatisfactionis indicio loquens, quo poſſimus vtcumque cognoſcere nos pro præteritis peccatis ſatisfeciſſe, illud eſſe putat, ſi affectus & motus mortificentur, qui nos in ſæculari, aut tepida vita ad peccata traxerunt. Quod, ait, nullus obtinere poſſe ſe credat, qui non priùs ipſas cauſas, atque materias, pro quibus in illa prolapſus eſt crimina, omni ſpiritus feruore ſucciderit; vt, verbi gratia: ſi in fornicationem, vel adulterium pernicioſa fœminarum familiaritate collapſus eſt, E ſumma feſtinatione, etiam ipſum earum deuitet aſpectum: Et quibuſdam aliis exemplis interpoſitis, hæc ſubiicit. Et ita vt vnumquodque peccatum poſſit extingui, cauſa, atque occaſio per quam,vel ob quam eſt admiſſum,debet primitus amputari.] Aduerſus ergo vitia validè pugnandum eſt, & conſiliarij iſti iniquitatis à noſtro latere dimouendi, aut potiùs à noſtro corde ſeparandi, ne iniquis ſuaſionibus ad antiqua peccata nos incitare moliantur. Quandiu enim apud nos ſunt, ad magna flagitia incitare non ceſſant, quorum importu-

4. reg.2. 19.

n.21.

Caſſia. coll. 20. c.10.

nitas

[A] nitas in mente imbecilla ſaltem illicitos motus, & nonnullos paruulos caſus elicit, ſi iam non plenum ac deliberatum conſenſum extorquet. [*Eccl. 37. 7.*] Noli conſiliari, inquit Eccleſiaſticus, cum eo qui tibi inſidiatur, & à zelantibus te, abſconde conſilium.] Et quinam magis nobis inſidiantur quàm vitia, quorum hoc vnum officium eſt ad peccata pertrahere, quæ nobis gehennæ ac damnationis ianuas aperiant? Et quinam vehementiùs nos odio proſequuntur, quàm mali mores, quos in prophana conuerſatione nobis amicos aſciuimos, & ipſi inimico animo in noſtram perniciem excidiúmque conſpirant? Non igitur audiendi ſunt, nec eorum conſilium admittendum; quod ſolùm noſtrum malum ac calamitatem intendit. At quis poterit praua vitiorum conſilia de- [*Eccl. 37. 8.*] [B] clinare, præſertim cùm ſtatim ſequatur: Omnis conſiliarius prodit] id eſt, exaltat, & laudat [conſilium] ſuum, & facile eſt malis laudatis aſſentiri, in quæ natura ipſa corrupta propendet? Certè ab his conſiliis declinabit, qui vitia loquentia, & malum laudantia diligenter caueant. Sed dum ipſa in corde manent, & dulci ſyrenarum cantu ad malum alliciunt, nullo negotio decipiemur, & ſi non ad mortem, ſaltem ad infirmitatem, & ad deformitatem fœdabimur.

Peccata denique leuia huius generis ſunt velut inualetudines corporis ex noxij humoris abundantia procedentes, quas peritus medicus non iudicat ſe poſſe alia ratione quàm peſſimi humoris expulſione curare. Et anima ſuas inualetudines habet, quæ non [C] aliæ ſunt quàm iſta peccata ad genus ſuperbiæ, inuidentiæ, luxuriæ, & iniuſtitiæ pertinentia, quibus ſi non moritur, quia nondum ad deliberatum conſenſum pertrahitur, at ſatis miſeranter ægrotat. Quarum ſanitatem ſanctus Dauid forſitan poſtulabat, cum [*Pſal. 6. 3. 4.*] dicebat ad Dominum: Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſque quò?] Iam non mortis euaſionem depoſcit, quam vera conuerſione, & adulterij deteſtatione, depulerat, ſed infirmitatis curationem efflagitat, quæ ceu reliquiæ prioris & maioris mali in corde permanſerat. Miſericordiam cupit, quia in magna miſeria eſt, nempe in infirmitate animæ, qua poſt mortem animæ nulla maior aut dete- [D] ſtabilior inuenitur. Sanitatem petit, ab his nempe ægritudinibus, quoniam virtutes iam adeptas, & ſimul cum gratiæ viribus infuſas, videt his morbis à ſua tranquillitate deiici, & aſſiduo bello atque impugnatione turbari. Inquietudinem etiam animæ confitetur, quia iſti dolores, & iſti motus impuri eam vndique verſant, & quietem ac ſerenitatem habere [*Aug. ibi.*] non ſinunt. Tandem illis verbis: Sed tu Domine vſque quò? amanter de curationis dilatione conqueritur. Nam quis non intelligat, vt Auguſtinus ait, ſignificari animam luctantem cum morbis ſuis; diu autem dilatam à medico, vt ei perſuaderetur in quæ mala ſe peccando præcipitauerit?] Harum igitur inualetudinum ſpiritualiũ cauſæ, noxij humores ſunt, quos anima, non iam in corpore ſed in ſemetipſa [E] longa peccandi conſuetudine congregauit. Quid enim prohibet noxiis humoribus vitia intelligere, quæ animam grauant, quæ à debita temperie deiiciunt, quæ infirmitates procreant, ſcilicet caſus iſtos vſque ad Dei contemptum non procedentes, quæ mortem miſeræ animæ machinantur? Profectò parum inter noxios humores, & noxios mores hominum coagmentatione diſtat, vt videamus, non inſulsè malis humoribus mores prauos, aut vitia de- [*Leuit. 15. 3.*] ſignari. Et forſitan ob id fœdus humor in Leuitico

[A] carni adhærens, immundi hominis cenſetur indicium, vt nos intelligamus, fœdos iſtos humores, id eſt, malos mores animæ adhærentes, ac vires eius occupantes, eam immundam facere, atque à virtutis pulchritudine dimouere. Iam ſi volumus ex infirmitatibus conualeſcere, neceſſe eſt, malos animæ humores, id eſt, vitia, & mores diſtortos, euacuare. Sicut enim ridiculus eſſet medicus, qui volens brachium paralyſi diſſolutum curare, illi tantùm medicamentum apponeret, & eam cerebri partem ex qua nerui originem ducunt, incuratam relinqueret: nam, & hæc priùs & diligentiùs curanda eſt, ex qua illa praua brachij affectio procedit: neruis autem bene diſpoſitis facilè pars affecta ad priorem ſenſum ac motum redibit: Ita prorſus imperitia eſt ſpiritualis [B] viri, ſi ſolùm curet à præſenti caſu ſe erigere, & negligat cauſam morborum, nempe vitium, reſecare. Fateor ego libenter, quòd ſi vnum aut plura peccata huius generis admiſiſti, ea congrua deteſtatione lauas, & confeſſionis ſacramento ritè ſuſcepto detergis. At ſi vitium intus in corde latens non extirpes, ſtatim in eadem peccata, aut peiora prolaberis, & nunquam deſideratam puritatem obtinebis. Eáque Eccleſiaſtici ſententia notaberis: Qui baptizatur à [*Eccl. 34. 30. 31.*] mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? ſic homo, qui ieiunat in peccatis ſuis: & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? Orationem illius quis exaudiet?] Mortuum enim tangere nunc ſit, vitium, quod nos ad mortem trahere nititur, non per deliberatum conſenſum am- [C] plecti, ſed aliquo leui peccato contingere. Sed quid proficiet ab hoc te contactu lauari, ſi iterum ſtatim tangis, & eadem negligentia, qua antea, eadem peccata ſine vlla emendatione committis? Certè parum proficies. Licèt enim præſentia peccata debita deteſtatione diluas, nũquam tamen te in futurum emendans, & per multos annos eadem repetens, atque committens, nihil omnino in ea, quam cupis, mentis puritate proficies.

Sed quomodo vitia vincenda ſint, & de terra cordis noſtri radicitus euellenda? Huic quæſtioni ſequẽs huius libri tractatio de vitiorum extinctione ſatisfaciet. Interim tamen dicamus, vitia aſſiduis & feruidis orationibus, occaſionum fuga, ſpe in Domino collocata, ac diffidentia ſui ipſius, & contrariis vir- [D] tutum actionibus profligari. De quo poſtremo inſtrumento hæc dicit Baſilius, inſtruens ſpiritualem magiſtrum, quanam ratione debeat vitia ſubditorum curare. [*Baſil. reg. fuſi. diſpu. interr. 55.*] Veluti, inquit, iracundia aliquis elatus eſt aduerſus æquæuum fratrem: Hunc ille pro magnitudine delicti, ſibi conciliare cogitor, ac miniſtrare. Siquidem hæc huiuſcemodi ad humilitatem exercitatio iracundiæ veluti neruos elidit, quando animi elatio illa eſt, quæ iracundiam plerumque in nobis ingenerat. Alieno tempore cibum aſſumpſit? Ad multam diem ieiunus permaneto. Inter veſcendum ſe immodeſtè geſſiſſe animaduerſus eſt, & indecorè? Ieiunus ipſe accumbentes, ac cibum cum decoro capientes cæteros ſpectare cogitor. Hoc enim modo, & abſtinentia ille caſtigabitur, & quod in hu- [E] iuſmodi rebus par eſt, decorum diſcet retinere. Verbum emiſit otioſum? Contumeliam in proximum? Mendacium, aut aliud quippiam de iis quæ minùs licent? Inedia ventris, ac ſilentio plectitor.] Quæ ſanctus hic pater, ac egregius religioſorum doctor, circa minora vitia faciendum præcepit, in maioribus omnino ſeruandum eſt; quorum quia victoria eſt difficilior, ideo pugna aduerſus ea oporteret vt ſit diligentior, quæ multiplicatione, ac feruore ſtudioſorum actuum virium extenuet, ac tandem omnino

proſter

proſternat. Quo proſtrato mirum erit & inexpertis incredibile, quàm liberum iuſtus vir ſemetipſum ab his caſibus & notabilibus peccatis ſentiet. At credibile ſatis erit illis, qui abundantiſſima Dei gratia ſuffulti acriter aduerſùs vitia ſæcularis vitæ bella geſſerunt. Nam illis è corde depulſis, & ab antiqua ſede deturbatis, nequaquã prauos motus cient, nec bella mouebunt, nec vires animæ ad defectionem ſuſcitabunt. Et fiet pax (ô anima,) in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.] Quia propter virtutem ac fortitudinem, qua aduerſùs vitia pugnaſti, magnam pacem ab inordinatis motibus conſequeris, & in turribus tuis, hoc eſt, in intellectu, & affectu, abundantia lucis & conſolationis cumulaberis. *Pſal. 121. 7.*

De remediis ad vitanda leuia peccata ſignificata per fœnum.

CAPVT XVII.

PECCATA illa leuia, quæ, quoniam leuia, ſcienter & quaſi ex induſtria committuntur, diximus, fœno, Pauli authoritate ſignari: quæ licèt non ardebunt vt ligna, tamen non facilè igne purgante conſumentur, ſi hinc condigna ſatisfactione non purgata decedant. Sunt enim aliqui Domini beneficio, & quidem maximo, impugnatione præteritorum peccatorum exempti, qui iam magna vitia proſtrauerunt, & rariſſimè, ac non vehemẽter carnis ſtimulis, & ambitionis facibus impugnantur; qui tamen huic tanto beneficio ſui creatoris ingrati, ſcienter & data opera leuia peccata committere, vt exempli gratia, mendacium officioſum, aut verbum otioſum proferre, non timent. Cuius mali radicem ego ſanè puto rationalem eſſe animæ partem ignorantia ac cæcitate vitiatam, neſcientémque, ſcienter & ex induſtria peccantis inuerecundiam ponderare. Quare ad hanc radicem medicamentum applicandum eſt, vt iſti ægritudini medeamur. Docendáque humana ratio quid debeat de huiuſcemodi peccatis ſentire, ne ea tam ſine ſenſu timoris admittat.

Hæc ſanè peccata à Deo interdicta ſunt, eiúſque ſanctiſſima lege prohibita, quia non ſolùm magna mala fieri vetuit, ſed minima quoque peccata vitari præcepit. Expendamus ſeriò quis præcipit, quis leuibus etiam peccatis offenditur, & niſi fortè ſtulti ſumus, nimis ea patrare timebimus. Præcipit is, qui Deus eſt, qui ſummè ſapiens, bonus, & potens, qui omnium ſuorum attributorum infinitate perfectus. Præcipit is, qui fons eſt omnium bonorum, & ſingulis momentis beneficia ſua in nobis immenſa quadam liberalitate multiplicat. Præcipit is, cui Angeli ſeruiunt, cui omnes creaturæ rationis expertes ad nutũ famulantur, & priùs eſſe deſinent quàm in minimo ab eius voluntate deſciſcant. Sed omittamus iſta. præcipit is, qui Dominus, & herus noſter eſt, cuius imperio nos in baptiſmo mancipauimus, cuius iuſſis nos per vitæ ſpiritualis profeſſionem addiximus. Ponderemus hoc ſolum, & tantam in quouis leui peccatu fœditatem reperiemus, vt ipſum conſultò & ex induſtria perpetraſſe quaſi in immenſum nos pudeat. Demus nunc regem potentiſſimum cuidam aulico præcepiſſe, ne vllo modo gemmam in quodam repoſitorio regis cuſtoditam attingeret: duobus modis potuit iſte principis mandatum præterire. Primò quidem, quia impoſitæ ſibi iuſſionis oblitus, & appetitu curioſitatis incitatus, & victus, gemmam illam aſpexit, & manibus contrectauit. In hoc non magnum peccatum eſt: aulicus ille apud regem nonnullam excuſationem habet, quòd eius præceptum memoria excidit, & gemmæ pulchritudo eum prohibitionis oblitum ad contrectandum allexit. Secundò verò, poteſt ita gemmam attingere, vt in eodem momento, quo ſibi à rege præceptum imponitur, reſpondeat: Obedire nolo: & manum extendens ipſo rege teſte & pœnam intentante, gemmam illam contingat. In iſto facto tanta eſt illius famuli inuerecunda procacitas, tam inaudita atque inſignis audacia, vt nullum inter aulicos terreni regis inuenias, qui magno etiam ſibi præmio propoſito tale audeat attentare. Et tu audebis, ô religioſe, ô vir Deo conſecrate, hac ratione Dei & Domini dominorum mandatum effringere? Ipſe enim dicit: Ne verbum otioſum proferas; & comminationem adiicit: Quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.] Ipſe dicit: Nolite mentiri inuicem.] Ipſe non tantùm dixit, ſed & nunc in hoc momento tibi dicit, ſiquidem antiquum præceptum in memoriam reuocat, & ne mentiaris, aut ne verbum otioſum dicas, ſpeciali inſtinctu animum pulſat: & tu, eo nunc prohibente, & in conſpectu eius aut mentiri, aut otiari audes, &, ſi non verbo, at facto ipſo, quod deteſtabilius eſt, te nolle obedire profiteris, quomodo tam inſignem inuerecundiam & oſcitantiam non times? At reſpondes: leue admodum eſt quod facio, parum, & quaſi nullius momenti, quod aduerſùs legem admitto. Fateor libenter; ſed eo ipſo, tu quodammodo es peior & damnabilior, qui in re tam facili, à qua poſſes nulla difficultate abſtinere, Domino nunc præcipienti non obedias, & data opera eius iuſſui ac voluntati reſiſtas. Parum eſt, & nullius fere momenti quod facis, ſed Deus non eſt paruus, immo infinitè magnus, qui vetat, & non debuiſſes magno Deo, prçſertim ob res minimas, te ipſum opponere, & eius voluntati reluctari. *Matt. 12. 36.* *Coloſſ. 3. 9.*

Conſideratio hæc tanti momenti Bernardo viſa eſt, vt propter illam iſtorum peccatorum malitiam exaggeret, eámque impœnitentiam, & peccatum in Spiritum ſanctum eſſe proclamet. Diſcite, inquit, ex hoc fratres, iuſtũ iudicem Deum, non modò quid fiat, ſed & quo animo fiat, cõſiderate: & cauete deinceps ne quis parua reputet, quamlibet parua ſcienter delinquere cõuincatur. Nemo dicat in corde ſuo: Leuia ſunt iſta, non curo corrigere, nõ eſt magnum ſi in his maneã venialibus minimiſq; peccatis. Hæc eſt enim, dilectiſſimi, impœnitentia. hæc blaſphemia in Spiritũ ſanctũ, blaſphemia irremiſſibilis.] Vocãtur hæc peccata à patre ſanctiſſimo blaſphemia irremiſſibilis, non quia Deus omnino miſericors, illa ſcienter facta, non Chriſti ſanguine deleat, non quia propoſitum illud manendi in his minoribus peccatis, ſi homo ab illo diſcedat, non dimittat: ſed quoniam huiuſmodi homines inuerecundi, qui ſcienter peccant & ex induſtria delinquunt, ſæpe à voluntate iterandi eadem peccata non diſcedunt, & neque illa verè deteſtantur; neque propoſitum ſe emendandi concipiunt. Sine his autem certum eſt eos iſtorum peccatorum indulgentiam non conſequi, nec quantumuis ea confiteantur, ſe ab huiuſmodi ſordibus emendari. Paulus quidem, qui blaſphemus fuit, & perſecutor, & contumelioſus, miſericordiam conſecutus eſt, quia ignorans fecit, in incredulitate: quia peccata odio habuit, quia voluntatem peccandi deſeruit. Si autem ſcienter peccaſſet, non tam facilè miſericordiam obtinuiſſet: & ſi poſt peccatum ſcienter factum, nunquam ab eo diſceſſiſſet, nunquam etiam indulgentiam promeruiſſet. Qui ergo & ſcien- *Bern. ſer. 1. Petri, & Pauli.* *1. Tim. 1. 13.*

ter, & quaſi ex malitia peccant, & nunquam voluntatem abiiciendi peccatum habent, haud quaquam eius veniam conſequentur. Quo autem pacto ſibi perſuadeat quis voluntatem emendationis habere, ſi ſcienter & data opera peccat, & poſt multos annos, quibus ſæpe hæc peccata confitetur, eadem facilitate & inuerecundia delinquit? Fateor quidem libenter talem hominem horum peccatorum pluſquam millies, immo & infinities, ſi ita fieri poſſet, veniam conſequi, ſi de illis, vt par eſt, doleat, ſi voluntatem iterandi relinquat. At timeo ne dolor ſit fictus & propoſitum emendationis nullum, quod ſtatim ſcienter, inuerecundè, & tanta facilitate reſcinditur. Timeo etiam ne iſta peccata indignationem Dei prouocent, & ſuarum miſerationum fontem obturent. Nam redeamus nunc ad illum aulicum, (B) qui in conſpectu regis præceptum ſibi impoſitum fregit, & gemmam illam contrectauit. Demus eum fuiſſe aliquando perduellem, qui à rege defeciſſet, & poſtea regis benignitate non ſolùm ſubditi gratiam, ſed & domeſtici familiaritatem comparaſſet. Profectò iſtius culpa, licèt leuis, quam in tangenda gemma commiſerat, poſt tot graues culpas, ſcienter & ex induſtria patrata, adeo poſſet regis iracundiam accendere, vt propter illam ingratum, & priſtinæ benignitatis oblitum è ſuo palatio, & familiaritate repelleret. Et tu frater forſitan ex illis fuiſti, quibus dixit Paulus: Eratis aliquando tenebræ, (*Epheſ. 5. 8.*) nunc autem lux in Domino,] qui per lethale peccatum à rege regum defeciſti, & aduerſùs diuinam maieſtatem rebellaſti. Et audes ſcienter & conſultò (C) eius iuſſiones præterire, & in rebus licèt leuibus, quaſi ex malitia, tantam miſericordiam obliuiſci, tantam magnitudinem prouocare? Vide ne hic Dominus, qui peccatores ex imbecillitate peccantes, & ad ſanam mentem redeuntes recipit, te ex malitia delinquentem, & nunquam verè à peccatis deſiſtentem abiiciat, & à ſua gratia per aliquod graue peccatum auelli permittat.

Sed licèt hoc nunquam futurum ſit, quia Dominus pro ſua benignitate hanc fortè ſtultitiam hominis diſſimulabit, & eum ex malitia peccantem ſuſtinebit: At certum eſt, quòd delicta iſta, ſi in hac vita non emendentur, & debitè puniantur, in futuro ſæculo acerbiſſima tormenta manent, quibus ingrati & tepidi caſtigentur. Nam ſi cū fœno collata ſunt, eo quòd ex proprio genere à numero grauiorum pecca- (D) torum ſe ſeparent; tamen ob ingratitudinem & procacitatem hominis ſcienter peccantis, ligna ſunt viridia atque procera, quæ multo tempore in ignibus purgatorijs ardebunt. Vnde Cæſarius ait: Illi, qui (*Cæſarius homil. 7.*) quamuis capitalia crimina non admittant, ad perpetranda minuta peccata ſunt faciles, ad vitam æternam, pro eo quòd in Chriſtum crediderunt, & capitalia crimina non admiſerunt, venturi ſunt; ſed priùs aut in hoc ſæculo per Dei iuſtitiam vel miſericordiam amariſſimis tribulationibus excoquendi; aut illi ipſi per multas eleemoſynas, & dum inimicis clementer indulgent, per Dei miſericordiam liberandi; aut certè illo igne, de quo dixit Apoſtolus, longo (*1. Cor. 3. nu. 15.*) (E) tempore cruciandi ſunt, vt ad vitam æternam ſine macula & ruga perueniant.] Et quidem nos ab horum peccatorum admiſſione longus & acerbus cruciatus illis paratus non retrahit, ſed indignatio Domini in magnitudine pœnæ declarata vehementer eterreat. Quis enim non timeat Dominum iuſtos ſuos ob hæc leuia peccata moleſtiis corporis percutientem, & deſolationibus animæ caſtigantem, & poſt hanc vitam longo tempore à ſuo conſpectu repellentem? Nam & filius ille peſſimus atque rebel-

(A) lis, qui ſororem corruperat, fratrem occiderat, & patrem ad magnam triſtitiam adegerat, adeo ægrè ferebat genitoris ſui conſpectu priuari, vt vix ſe poſſet continere. Denique vocato Ioab, dixit ad eum: Quare veni de Geſſur? Meliùs mihi erat ibi eſſe: (*2. Reg. 14. 32.*) obſecro ergo vt videam faciem regis: quòd ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me.] Quidni ſentiant boni filij, iſtorum peccatorum cauſa à palatio Domini, ſcilicet à loco orationis, eiici, in qua priùs diuinis conſolationibus fruebantur, & poſt hanc vitam ad multos menſes, immo & forſitan ad multos annos à dulciſſimi patris viſione repelli? Et nunc (*Pſalm. 2. nu. 10.*) igitur, reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram:] Vos, ô iuſti, qui in corde veſtro regnatis, & terrenæ mortalitatis affectus continetis, intelligite (B) hæc tam ingentia detrimenta, quibus audacia delinquendi vel leuiter, & inuerecundia peccandi, vos afficit: & diſcite timorem Domini, qui initium eſt vitæ ſpiritualis, quam profitemini. Intelligite, inquam, hæc tam manifeſta virtutis initia, quorum leuiter ex induſtria peccantes obliuiſcimini, ne exprobret vobis Paulus: Quia cùm deberetis magiſtri eſſe pro- (*Hebr. 5. 12.*) pter tempus, ruſum indigetis, vt vos doceamini, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei.

Hi ſanè, qui ſcienter & data opera peccatis leuibus non abſtinent, & eo, quòd criminalia delicta non ſunt, ſe ipſos conſolantur, indigent more puerorum edoceri, & rerum tranſeuntium ſimilitudinibus erudiri. Dicant itaque nobis, an auderent mendacium officioſum proferre, ſi ſcirent ſtatim oculos (C) ſuos cæcitate plectendos, & aſpectu amabilis lucis huius orbandos? Et quomodo audent ipſum effutire, quod oculos mentis obnubilat, & cœleſtis claritatis viſionem abſcondit? Eſtne oculus mentis, corporis luminibus contemptibilior, vt propter iſta mendacio fuerit abſtinendum, & non propter illum, ſed nihil de eius amiſſione curandum? Deleui, ait (*Iſai. 44. 22.*) Dominus, vt nubem, iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua, reuertere ad me, quoniam redemi te:] & poſtquam reuerſi ſunt ad Dominum, & eius ſanguine liberati, dignum ducent alias nubes & nebulas, licèt leuiores, quæ ipſos obſcurent & contriſtent, ex induſtria ſuſcitare? Quis non videat hanc ignorantiam eſſe ſtultiſſimam? Dicant etiam an in verba otioſa diffluerent, ſi compertum haberent, quòd è veſtigio extingueretur ignis, quo tempore (D) hyemis ſuas manus calefaciant? Quo pacto igitur in verba otioſa ſcienter diffluunt, cùm certò etiam ſciant quia diuinus ille charitatis ignis, qui animam fouet atque calefacit, his otioſis ſermonibus detrimentum patitur, & ſuo feruore priuatur? Nam ſi non conuertitur in aquam craſſam, vt ille ignis abſconditus à Ieremia; qui terra obrutus vim vrendi & (*2. Mach. 1. 20.*) ſplendendi perdiderat: at ſic huiuſmodi peccatis intepeſcit, vt animam quaſi frigidam, & ad perfectionis opera quaſi tepidam, derelinquat. An litigator in re minima iudicis ſui filium offenderet, ſi noſſet ob illam leuem offenſam expeditioni cauſæ ſuæ ſe aliquam afferre iacturam? Quare igitur iſti fratres ſuos, (E) filios ſcilicet Dei, obmurmurationibus lacerant & detractionibus in triſtitiam ac puſillanimitatem deiiciunt, cùm ſciant Dominum ad horum peccatorum punitionem, eorum petitiones non eſſe exauditurum, & ipſorum cauſas non ita facilè & liberaliter eſſe expediturum? Immo: Non accipiet Domi- (*Eccl. 35. 16.*) nus perſonam in pauperem,] vt eſt in Eccleſiaſtico, [& deprecationem læſi exaudiet.] Nō, inquam, obliuiſcetur iudex noſtri fratris offenſi, nec ad eius gemitus obſurdeſcet, ſed detractorem, & murmuratorem, indemnem ſe putantem, quoniam de rebus leui-

bus detrahit, condigna pœna multabit. Hæc mala, & reliqua omnia, quæ ſuprà diximus, ex his præcipuè delictis oriuntur, quæ liberè & ſcienter committimus. Iſta animam noſtram admodum fœdant, & diabolum in noſtro caſu & deiectione lætificant, ab ſtudio bonorum operum retrahunt, & ſenſim paulatímque ad ſæculi amorem trahunt, & affectus vi ſanctæ mortificationis conſopitos accendunt. Quis non timeat in hæc omnia mala impingere, & dum ſcienter in leues defectus cadit, inter homines ſtultos, qui hæc tam comperta ignorant, computari? Sanet ergo rationalem animæ partem, qui ſe videt minùs cautum in his peccatis vitandis, & his aut ſimilibus meditationibus intelligat quàm turpe eſt viro iuſto peccatis leuibus, ſed ſciēter commiſſis aſſueſcere. Concipiat hæc prima principia ſpiritualis doctrinæ, & oculos mentis ad videndam ſuam inuerecundiam aperiat. Qua, radio diuinæ lucis, cognita, anteactam vitam ſegniciei & væcordiæ deditam, deteſtabitur, & deinceps ſcienter delinquere, etiam in rebus leuiſſimis, magnum ſcelus reputabit.

De remedijs ad vitanda peccata venialia, quæ ſignificantur in ſtipula.

CAPVT XVIII.

PEccata illa, quæ ſtipulis deſignantur, & non ex vitiis noſtræ menti inſidentibus, neque ex malitia & inuerecundia ſcienter peccantis, ſed ex infirmitate carnis, & ex humanæ naturæ imbecillitate procedunt, difficillimè cauentur, adeo vt nullus ſanctorum præter Chriſtum Saluatorem, qui Deus eſt, & peccare non potuit; & præter Beatam Virginem, quæ mater Dei eſt, & ſingulari priuilegio omni caruit peccati næuo; ab illis inueniatur immunis. Nam illa delicta, quæ ex ſuo genere criminalia ſunt, & ex materiæ paruitate, aut ex omnimodæ deliberationis defectu leuia reputantur, multos ſanctorum credimus, quatenus ex inſitis vitiis naſcuntur, poſt perfectam conuerſionem ad Dominum, omnino vitaſſe, & vitiis ex corde eliminatis, ac compoſitis per mortificationem affectibus, his caſibus abſtinuiſſe. Licèt & hi tentationibus ab externo principio prouenientibus non careant, ad huiuſmodi grauia peccata prouocantibus (vt cùm diabolus eos de ambitione, aut de luxuria tentat) quibus vſque ad peccatum leue incurrendum aliquando ſuccumbent. Alia verò peccata, quæ licèt ex ſuo genere leuia, ex malitia & data opera committuntur, quàm longiſſimè abſunt à cordibus perfectorum, quorum conſtans voluntas eſt priùs mortem oppetere, quàm diuinæ voluntati, vel in minimis repugnare. At iſtorum delictorum, quibus nunc mederi intendimus, longè alia ratio eſt; quæ cùm ab ipſa natura noſtra adhuc originalis peccati reliquiis affecta exoriantur, nullus poteſt ea omnino quantumuis ſanctus effugere, eo ipſo quòd humanam naturam geſtat, & radicem eorum, carnis imbecillitatem, ablegare non poteſt. Hîc ergo non eſt quærendum remedium, quod iſta peccata minuta funditus deſtruat, & ab illis omnino nos liberet, (nam id in hac vita mortali nunquam conſequemur) ſed quod ea in dies numero minuat, & gradu grauitatis extenuet, & nos faciat ad ea vitanda cautiores.

A Illud autē (quod in viris perfectionis cupidis longo tempore animaduertimus, & ſæpe admirati ſumus) non eſt aliud quàm ſuauis quædam attentio, & ſolers ac prouida circunſpectio, qua omnia tum magna tum parua; tum exteriora tum interiora; tum diuina tum humana, ſiue nobiſmetipſis, ſiue aliis ſint neceſſaria, tractemus. Id quidem nos rudes, & ſpiritualium rerum imperiti, quibuſdam ſimilitudinibus intelligimus. Sicut enim legatus ab vno rege ad alium miſſus, cùm apud iſtum legatione fungitur, in omnibus prudenter ſe gerit, & cum magna attentione ſui Domini voluntatem declarat, ne in aliquo excedat, aut rem alicuius momenti dicendam prætermittat: voces etiam, & geſtus, & motus, & minima quæque conſiderat, vt B in omnibus, vt ſuam dignitatem decet, ſe gerat: ita vir iuſtus, qui vniuerſa, quæ agit, & cogitat, Deo inſpectore, perficit, ſic in magnis minimiſque ſe habeat, vt nec oculos magni regis offendat, nec à iuſti & ſerui Dei dignitate diſcedat. Et quemadmodum pictor dum alicuius effigiem delineat, non oculis tantùm, ſed circino & exacta menſura partium quantitatem aduertit, vt figuram prototypo ſimilem omnino deſcribat: ita qui vult in omnibus ſuis operibus imaginem virtutis exprimere, debet quaſi regula & circino, tum opera ipſa, tum omnia quæ inſunt, & ea circunſtant, elaborare. Ad quam attentionem nos hortatur Eccleſiaſticus, dicēs: Fili, in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris.] *Eccl. 3. 19.* Id quippe eſt C omnia manſuetè perficere, in omnibus moderatè nos gerere, & incuriam, accelerationem, & reliqua, quæ ſolent pulchritudini actionum bonarum inſidiari, manu diſcretionis abigere. Quod non tantùm gloriam apud homines parit, ſed amorem quoque beneuolentiámque conciliat. Eſt enim apud alios non minùs amabilis, quàm admirabilis, qui in magnis ac in paruis, quæ agit, hanc pulchritudinem modeſtæ grauitatis, & circunſpectæ moderationis apponit. Cuiuſetiam meminit Ricardus Victorinus; *Ricar. lib. 1. de erudit. interior. hominis. c. 43.* Nam debemus, inquit, non ſolùm in ſtudiis, & exercitiis ſpiritualibus, verùm etiam in negotiis ſæcularibus, & neceſſitatis vſibus nihil incircunſpectè, nihil indiſcretè, nihil improuidè facere.] Et poſt pauca: Ita- D que in his etiam, in quibus humanæ neceſſitati conſulimus, vel communi infirmitati deſeruimus, nihil ſine modeſtia, nihil ſine menſura, nihil ſine intentione bona, nihil præter ordinem, nihil præter rationem agamus.] Meritò autem hæc attentio iſtorum leuium peccatorum vitandorum, aut minuendorum remedium dicitur, quoniam ex diametro (vt aiunt) eorum cauſam ac radicem oppugnat. Cauſa enim illorum eſt infirmitas carnis, & imbecillitas mentis, attentio verò & circunſpectio iſta carnem robotat, & mentem exſuſcitat, vt homo importunas muſcas imperfectionum abigat, & à bonorum operum ſacrificio repellat. Et ſicut dæmon magna attentione conatur bona hominis opera imperfectionibus opplere; ita homo maiori at- E tentione nitatur ſe ab huiuſmodi imperfectionibus liberare. Audi Auguſtinum huius impuri aduerſarij dolos ac inſidias reuelantem: *Aug. ſer. 4. de tempore.* Quid prauius, inquit, quid malignius, quid noſtro aduerſario nequius? Qui poſuit in cœlo bellum, in paradiſo fraudem, odium inter primos fratres, & in omni noſtro opere zizaniam ſeminauit? Nam in comeſtione poſuit gulam; in generatione, luxuriam; in exercitatione, ignauiam; in conuerſatione, inuidiam; in gubernatione, aua-

titiam; in correctione, iram; in præſulatu, ſeu dominatione, ſuperbiam. In corde ponit cogitationes malas; in ore, loquutiones falſas; in membris, operationes iniquas. In vigilando mouet ad praua opera, in dormiendo, ad ſomnia turpia. Lætos, mouet ad diſſolutionem: triſtes autem, ad deſperationem, &, vt breuiter loquar, omnia mala mundi ſua ſunt prauitate commiſſa.] Tam importuno igitur bello ſolertiſſima diligentia reſiſtendum eſt, & cum tam infatigabili hoſte peruigili cura in omnibus decertandum, ſi volumus præſertim non tantùm non vinci, ſed etiam nec vulneribus paruis feriri.

Quanti verò momenti ſit iſta circunſpecta attentio, & attenta in omnibus circunſpectio ad leuia peccata cauenda, intelliget apertè quiſquis eius munus agnouerit. Eſt enim velut oculi in corpore, qui omnia membra in ſuis functionibus dirigunt: de qua non incongruè illud intelligi poteſt: Quia ſi oculus noſter ſimplex fuerit, totum etiam vitæ corpus lucidum erit.] Eſt quaſi rex in regno, qui vires omnes tanquam ſibi ſubditas regit, & actionem cuique propriam, modúmque agendi præſcribit. Eſt vt nauta in naui, qui peritia ac ſolertia ſua inter fluctus, ſyrtes, & ſcopulos nauim ſpiritualis conuerſationis ad optatum portum perfectionis ducit. Eſt auriga, & viæ ductrix, & ſingulorum præceptrix, quæ currum animæ dirigit, viam inoffenſam monſtrat, & minima quæque diſtinguit. Eſt denique illud ſal, de quo in Leuitico dictum eſt: Quicquid obtuleris ſacrificij, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo.] In omni oblatione tua offeres ſal. Nam ſacrificium operis, quod non fuerit huius prudentis attentionis ſale conditum, & fuerit oſcitanter oblatum, haud quaquam carebit maculis exceſſuum, aut defectuum, quæ ipſum aut minùs gratum, aut omnino ingratum efficiant. Sine hac attentione prouida virtutes ipſæ in auxilium ac tutamen nobis datæ, periculoſæ ſunt, quæ, quo maiores ſunt, quo difficiliora audent, quo ſublimiora aggrediuntur, eo ſine fræno attentionis & circunſpectionis operantes in ſcopulos offenſionis periculoſiùs impingent. Equus enim velociùs currens ſine fræno ori diligenter iniecto, faciliùs præcipitabitur; & magna nauis maioribus ventis impulſa meliùs ſine gubernaculo naufragium patietur; & excelſa virtus ſine attentione procedens, dum minùs putat, alicuius vitij contrarij irruptione vincetur. O quàm aptè ſignata ſunt iſta in vaſtatione Lais! Venientes enim ad eam exploratores Dan, viderunt populum habitantem in ea, abſque vllo timore, iuxta conſuetudinem Sidoniorum, ſecurum, & quietum, nullo ei penitus reſiſtente; magnarúmque opum, & procul à Sidone, atque à cunctis hominibus ſeparatum; & eos à quibus miſſi erant, euocantes, percuſſerunt populum in ore gladij. Lais interpretatur leo, & nunc virum iuſtum ſignificat, de quo ſcriptum eſt: Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit.] Is ſi iuxta conſuetudinem Sidoniorum viuat, qui ſecuri habitabant, in ſuæ vrbis fortitudine ac munitione confiſi, & cùm longè ſit à Sidone, id eſt, à vera pace ac ſecuritate, in omnibus incautè procedat, & ſe tutum ac tranquillum exiſtimet, non dubium quin ab hoſtibus infeſtabitur & vulnerabitur, & fortè in mancipium capietur. Ac proinde in magnis & in minimis attentè viuamus, & vniuerſa, quæ ad nos pertinent, ſiue ſpiritualia, ſiue temporalia, prudenter agamus, & cogitationem, loquelam, & cætera huiuſmodi non leuis momenti cogitemus. Neque enim leue eſt, quòd benefactum Deo noſtro placet, & augmentum æterni præmij promeretur, & malè ac ſegniter effectum, pœnæ detrimentum patietur.

Luc. 11. n. 34. — *Leuit. 2. 13.* — *Iudic. 18. 7.* — *Prou. 28. 1.*

Nec putandum eſt, hanc in omnibus attentionem, non quidem anxiam & perturbatam, ſed ſuauem & quietam, eſſe moleſtam, quam res humanæ ſine vllo dubio inferiores omnino requirunt. Litterarum acquiſitio, bone Deus, quantam attentionem expoſcit, quàm attentè mens rationem alicuius rei, quam intelligere appetit, cauſámque conſiderat, & vnum ex alio deducens ac principia inter ſe conferens, & vim perſuaſionum ponderans, tandem veritatem agnoſcit! Et tamen ſcientiarum profeſſio ex tam attenta conſideratione dependens, non iniocunda, non moleſta, ſed dulcis & ſuauis inuenitur. Similiter pictor, quanta attentione exemplar inſpicit, lineas ducit, & partium tum magnitudinem tum proportionem aduertit, vt imaginem prototypo ſimilem, & pulchram delineet? Piſcator quoque ſtans ad ripam fluminis, arundinem manu tenens, quàm attentè abſorptum fruſtillum ſuberis inſpicit, vt illius motu piſcem hamo captum agnoſcat. Quin & luſores, qui non alea ſed induſtriæ ludo tenentur, quàm diligenter attendunt, ne in ficto illo ſcacchiorum bello à colluſore ſuperentur. Hi omnes iucundè ad ſua opificia attendunt, immo attentè ludunt, & ipſa attentione delectantur, & ſe ab importunitate grauiorum negotiorum exonerant: quare nos multo minori attentione (quæ certè ſufficiet) in bene viuendo triſtamur, & eam in bonis operibus minùs gratam, aut iocundam eſſe conquerimur? Sanctè quidem, & ſpiritualiter viuere, non eſt humanas diſciplinas addiſcere, non artem pictoris, aut piſcatoris profiteri, non per ludum ſcacchiorum ab alio nummos ſurripere, ſed eſt regi regum famulari, & ſanctitatem acquirere, & regnum cœlorum deprædari, quæ ſi maiora ſunt, tu ipſe lector examina, & ſi maiora inueneris, & vtiliora cognoueris, minimè cum debita attentione & diligentia præſtare graueris. Attende tibi ne incidas; quia facillimum eſt non attendenti, & curanti ſe ipſum, in magna peccata cadere, ſed multo facilius in leuia prolabi. Quæ ſi vitare vis, attentionem ad te ipſum, & ad omnia, quæ cogitas, quæ deſideras, & quæ agis, non deſeras. Et vt Baſilium & Ambroſium mea admonitione nunc imiter; attende tibi ne incurioſus tuo muneri & tuo ſtatui ac profeſſioni deficias. Venator es, ex illis, de quibus dixit Dominus apud Ieremiam: Ecce ego mitto venatores multos,] attende ne ob tuam oſcitantiam venator ſis noui delicti, non deſideratæ abſolutionis. Piſcator es, non reti piſces maris, ſed verbo & doctrina homines capiens, ſic mitte oculos, ſic ſermones tuos, ſic cogitationibus & deſideriis occupare, vt in omnibus lucrum facias, & ex piſcatu non pauperior redeas. Miles es? Hoſtem diligenter explora, ne gladio tuo, & ipſo, quo eum percutere debes, te bono opere feriat. Athleta es? ſic pugna, vt tecum decertantem induſtria vincas, & cura eius tendiculas euadendi, deiicias. Curſor es? Attende tibi ne dum curris, id eſt, dum bene operaris, aut gradum ſiſtas, aut te ipſum poſt longum annorum curſum magis à brauio elongatum inuenias. Diues es virtutibus, diues & meritis? Attende tibi ne fiat verbum abſconditum in corde tuo iniquum, & per elationem exalteris. Vide [vt cùm comederis, & ſatiatus fueris] cœleſti aliqua illuſtratione [benedicas Domino pro terra optima, quā dedit tibi. Et obſerua, & caue ne quando obliuiſcaris Domini Dei tui.] Denique vulneratus es in his aliquo nouo defectu, quod ſæpe accidet. Attende igitur tibi, ne medicinam

Eccl. 29. 27. — *Baſil. hō. exam. Ambr. li. 6. exaemer c. 8.* — *Ierem. 16. n. 16.* — *Deuter. 8. 10. 11.*

adhibere differas, ſed curre ad medicum, vel quære remedium pœnitentiæ, vt minima plaga non creſcat, nec paruum malum temporis diuturnitate vires aſſumat. Attende inquam tibi in magnis, atque in minimis: in magnis, vt ea omnino fugias, & in minimis delictis vt ſæpe fugias, aut ſaltem minùs telo aduerſarij tactus, & vulneratus reſilias. Qui enim ſine hac quieta ac moderata attentione opera ſua perficit, in multis tum cogitatione, tum deſiderio, tum opere, tum modo operandi, & ſe gerendi delinquit.

At in quibus hæc attentio prouida eſt collocanda, vt hæc minima peccata vtcunque vitemus? In multis quidem, quæ vnuſquiſque ſpiritualis vir, ipſo vſu, & exercitatione facillimè, inſtante aliquo opere, aduertet. Attendat igitur an id quod agit bonum ſit, nam ſi malum, ſine vlla mora ſtatim omittēdum. Attendat an in bonum aliquem finem tendat, ſin minùs per intentionem rectam mox in bonum finem dirigat. Attendat, an debito loco, & tempore, & cum aliis circunſtantiis fiat; ſin autem, in ſuum tempus, & locum reiiciat, aut in eo quod operi deficit, emendet. Attendat, an occupatio illa ſuo ſtatui, & profeſſioni conueniat, quam ſi ſtatus auerſatur, etiam voluntas, & labor operantis relinquat. Attendat an deſiderium perficiendi quod agit, in diſtractionem, in anxietatem, vel in alium affectum immoderatum præcipitet, tunc verò deſiderium illud deponat, & ſe ipſum ſancta quadam libertate tranquillet. Attendat, an in aliquod extremum vergat, & ad mediocritatem, in qua virtus ſita eſt, rediens à vitioſo extremo diſcedat. Attendat, an res, quam gerendam ſuſcipit, aut ſupra vi-

A res, aut periculoſa ſit, & damnum aliquod allatura; & vt equus ille à Iobo deſcriptus procul odoretur bellum, & ante morbum paret medicinam, & occaſiones cadendi præueniat. Attendat, an omni ſpiritui credat, non aduertens, quia ſæpe angelus Satanæ transfigurat ſe in angelum lucis, & ſub auro lutum, ſub melle fel, & ſub roſis & floribus ſpinas pungentes abſcondit: & non ſit facilis in credendo, nec ſine maturo iudicio aliquid aut damnet, aut probet. Demum attendat, an res, quam aggreditur, dubia ſit, & tunc alios conſulat, & nullo modo in ſuo iudicio ac ſententia confidat. His igitur attendat, & ſciat Deum tantùm ab illo petere, quod homo quilibet vult à ſuo famulu ſibi præſtari. Sicut enim homo vult vt famulus illi ex profeſſo ſeruiat, & quæcunque præcipit, non oſcitanter faciat; ita Dominus

Iob. 39. n. 25.
Eccl. 18. n. 20.
2. Corin. 11. n. 14.

B vult, vt vir iuſtus, omnia quæcunque agit, non ſine quadam moderata conſideratione perficiat. Qui in omnibus ita ſe geſſerit, multa citra dubium leuia peccata vitabit, & quotidie perfectior & ſanctior fiet, & minùs aut in hac vita, igne amaræ pœnitentiæ; aut in alia, acerbitate purgatorij ignis, ſtipulas conſumentis, ardebit. Fierique poterit, quòd tam purus ac perfectus viuat, vt in fine vitæ moleſtia alicuius corporeæ infirmitatis excoctus, & charitatis ardore purgatus, ex lecto ad cœlum aſcendat, & ſine vlla mora coronam immortalitatis accipiat. Id multi ſanctorum ſunt aſſequuti, & nos aſſequi poſſemus, ſi ad inſtar illorum perfectè viueremus, per merita Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, cui laus,
honor, & imperium in ſæcu-
la ſæculorum,
Amen.

PARS SECVNDA

De extinctione vitiorum.

VITIA ſunt radices peccatorum, præſertim grauiorum, in quibus extirpandis poſt pœnitentiam vitæ ſæcularis elaborandum eſt, ne pullulet improba atque iniqua progenies. Si enim ſolos ramuſculos arboris mortis præcidamus, radicem verò in corde ſeruemus, nunquam optata nobis puritas mentis eueniet. Quia ſemper radix illa iniquitatis terræ noſtri cordis affixa, filios generabit, qui defectionem à Deo cogitent, pacem turbent, & aduerſus deſideria ſpiritualis vitæ concepta, noua in dies bella commoueant. Vitia autem plurima ſunt, & licèt non robore, at numero aciem virtutum excedunt, cùm vni virtuti duo ſaltem, alterum per exceſſum, alterum per defectum, vitia repugnent. Nec neceſſarium reor omnium naturas & qualitates exponere, (quod immenſi laboris eſſet) cùm omnia illa ad vitia capitalia reuocentur: quibus cognitis, & gratia Dei victis, facile erit reliquam eorum multitudinem tanquam turbam militum ignauorum inermiúmque proſternere. Vitia verò capitalia à quibuſdam, ſeptem, ab aliis, octo numerantur, & nunc nos maiorem numerum, Serapionem ſequuti apud Caſſianum, eligimus, quò clariùs atque diſtinctiùs ſpiritualium virorum defectus deſtruendos aperiamus. Hæc verò ſunt: Gula, Luxuria, Auaritia, Ira, Inuidia, Accedia, inanis Gloria, atque Superbia. Nec immeritò hunc numerum octo vitiorum ſeptenario præponimus, quem in octo illis gentibus, quas Dominus ad liberationem ſuorum Iſraelitarum deiecit, ſignatum putamus. In Deuteronomio namque ſic legimus: Cum introduxerit te Dominus Deus

Caſſian. coll. 5. ca. 2.
Deut. 7. 5.

tuus in terram,quam poſſeſſurus ingrederis,& deleuerit gentes multas coram te,Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum,& Heuæum, & Iebuſæum, ſeptem gentes multo maioris numeri,quàm tu es,& robuſtiores te:tradideritque eas Dominus Deus tibi,percuties eas vſque ad internecionem.] Quibus ſi adiiciamus Ægyptorum gentem in initio huius liberationis partim relictam,partim extinctam,octo nationes inueniemus. Iſtæ igitur octo gentes octo prædicta vitia ſignificant,vt latè proſequitur Caſſianus, **Caſſian. 5.c.18.** *quæ cùm animæ noſtræ ſint ægritudines,duo ad cuiuſque eorum curationem afferemus. Primò,quæ ſit vitij natura,& qui gradus. Secundò,quibus conſiderationibus mens noſtra ad eius odium incitabitur, & quibus remedijs practicis euincetur. Et hæc quidem vitia proſternent, ſi gratia conditoris adfuerit, quæ noſtram negligentiam præueniens, imbecillitatem adiuuans, & inconſtantiam ſubſequens,& ſtabiliens,hoc magnum opus noſtræ liberationis efficiat.*

Quid vitium ſit, & quòd omnia vitia ſunt extinguenda.

CAP. I.

SPECIALEM vitiorum diſputationem generalis quædam,& breuis vitiorum tractatio præcedat, quæ tum vitij naturam aperiat, tum remedia generalia ad ipſum vincendum & extinguendum exponat. Vitium eſt ægritudo animæ virtutis ſanitatem eliminans. Vel eſt deformitas animæ,eius à virtute prouenientem pulchritudinem turpans. Vel eſt curuitas animæ virtutis rectitudinem tollens. Vel tandem eſt praua affectio manens in anima ad aliquod iniquum opus inclinans. Dicitur autem ægritudo,& deformitas,& curuitas,& affectio animæ, quia eam ad malum excitat, licèt non ipſam proximè, ac immediatè, ſed intellectum, aut voluntatem,aut appetitum,aut ſenſum afficiat. His enim viribus operatur anima, ac proinde ſedes ſunt vitiorum, atque virtutum, quæ pro ratione affectionum, quas habent,aut bonarum,aut malarum, vel ad bonum opus ſunt pronæ, aut ad malum diſtortúmque procliues. Vitium eſt, vt ait Bernardus, priuatio virtutis,cuius vaſtitas, & enormitas tanta eſt, vt obruat & opprimat: fœditas tanta, vt inquinet & inficiat, adhæſio tam pertinax conſuetudinis, vt vix à ſe eam natura excutiat. *Bern.ſer. ad Fratres de monte Dei.* Vitium eſt quaſi corruptus humor, qui non in corpore, ſed in anima morbos peccatorum procreat,plagas,& fœda vulnera generat,& ſpiritualem ſalutem dominari non ſinit. Vitium eſt radix mortis, & omnium malorum origo, quia eſt origo peccati, in quo, vt ſuprà monſtrauimus, omnium malorum cumulus inuenitur. Vitium eſt indicium infamiæ, & ſignum ignominiæ, quod illo affectos,à nobilium,id eſt,ſtudioſorum ac perfectorum hominum conſortio repellit. Vitium eſt ſordidum indumentum, quod nos ad nuptias agni vocatos, illius conuiuio & menſa reddit indignos. Vitium eſt catena, & vinculum animam in carcere rerum terrenarum detinens. Vitium eſt laqueus, de quo dictum eſt: In via hac qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi,] *Pſal.141. num.4.* quod nos ſeruos aduerſarij humani generis, ac mancipia conſtituit. Vitium eſt dirus tyrannus, vt ait Chryſoſtomus, qui noſtram libertatem eripit, & operibus luti & lateris ſatis laborioſis addicit. *Chryſ. in cap.6. ad Epheſios. hom.18.* Vitia hoſtes noſtri ſunt, & gentes nobis infeſtæ, atque inimicæ, de quibus in Deuteronomio dictum eſt: Non inibis cum eis fœdus,nec miſereberis earum, neque ſociabis cum eis coniugia.] *Deut. 7. 2.* Denique vitia adeo ſunt nobis inimica,

A vt peiores ipſis dæmonibus iudicentur,& maiora mala quàm iſti in energumenorum corporibus, illa in mentibus vitioſorum efficiant. Vnde Beatus Cæſarius ait: *Cæſarius hom.16.* Multi dæmonem in corpore alieno formidant,in ſuo corde diſſimulant. Omnis enim, qui ſuperbiam diligit,diabolo plenus eſt. Et ſi cum ſuperbia etiam inuidiam habere voluerit, duobus dæmonibus ſubditus erit. Et ſi cum inuidia etiam adulterium fecerit, à tribus dæmonibus poſſidetur. Et ſi cum his malis mendacium amare voluerit, ab integra quadriga dæmonum ſubiugatur, & premitur. Nam quot vitia habuerit homo, tot habet dæmones. Denique & in Euangelio ille à quo immundus ſpiritus exierat,cùm per gratiam Dei ab vno idololatriæ dæmone meruit liberari,pro eo quòd in loco vitiorum virtutes noluit intromittere,reuerſus ille immundus ſpiritus adduxit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe:& impletum eſt in eo illud, quod ſcriptum eſt: *Luca. 11. nu.24.* B A quo quis ſuperatur, huius & ſeruus eſt.] *1.Petr.2. nu.19.* Et in eadem ſententia Caſſianus ait:Multo grauiùs vehementiúſque vexari, qui cùm corporaliter à dæmonibus ſuppleri minimè videantur, animo tamen pernicioſius poſſidentur,eorum ſcilicet vitiis ac voluptatibus inuoluti. *Caſſian. colla. 7. cap.25.* Niſi quòd iſti in hoc deſperatiùs ægrotant,quòd cùm ſint eorum mancipia, nec impugnari ſe ab illis, nec dominatum eorum fere cognoſcunt.] Ex his omnibus habemus, vitium eſſe affectionem animæ, non tantùm virtuti, ſed & naturæ noſtræ contrariam, quæ cùm rationalis ſit, debet ratione, & lege diuina regi; vitium autem facit eam more pecorum, ſenſu & immoderato appetitu C gubernari.

Ex hac vitiorum natura perſpicuè colligitur, ea omnino eſſe delenda, ac radicitus extirpanda, ſi volumus virtutes inſerere, & mentis noſtræ naturam, prout fert hæc vita mortalis,in perditam dignitatem, ac libertatem reuocare. Quod enim inimicum eſt virtuti deſtruendum eſt, vt virtus perfectè regnet in nobis: & quod eſt naturæ contrarium, euellendum eſt,vt ipſa natura capax Dei caput attollat, & vinculis diſſoluta,in ſuum finem velociter currat. Id enim præcipit Dominus in Deuteronomio,cùm ait: Diſſipate aras eorum (ſcilicet idolorum, quæ vitia deſignant)& confringite ſtatuas, lucos igne comburite, diſperdite nomina illorũ de locis illis. *Deut.12. 3.* Hæc omnia, diſſipate, & confringite,comburite, diſperdite, indicant euidenter vitia eſſe funditus extinguenda,ita vt D (ſi fieri poſſit)ſanctus feruor ex diuina gratia conceptus nec vllam eorum imaginem, aut memoriam relinquat. Ecce opus iuſti Ioſiæ, qui contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos,repleuítque loca eorum,oſſibus mortuorum. *4.Reg. 23.14.* Lucos namque ſuccidiſſe, qui

nullius vtilitatis, & obſcuri ſunt, nihil aliud eſt, vt putat Philo Iudæorum diſertiſſimus, quàm vitia animæ noxia,& obſcuros ac tetros mores profligaſſe. Quid autem erit,lucorum ſedes mortuorum oſſibus repleuiſſe, niſi pugna aduerſus partes, actúſque vitiorum, ea, vt nunquam reſurgant, interitu perpetuo damnaſſe. Et quidem quandiu vitia in corde permanſerint,illud pacatum eſſe non poterit, quod contraria (vt ita dicam) aduerſariorum inter ſe vitiorum voluntate confunditur. Vitia enim ſibi mutuò inimica, contraria petant neceſſe eſt, quibus infœlix animus, qui ſimul contraria præſtare non valet, nullo modo ſatisfaciet. Et volens, exempli gratia,iræ obedire,hypocriſim lædit,qua vult manſuetus & immemor iniuriarum haberi; volens verò ab hypocriſi,& ficta ſanctitatis imagine non diſcedere, iræ atque indignationi ſuæ non minimam iniuriam inferet. Si inuidia commotus de fratris bono triſtetur, & bonam eius opinionem detractionibus eleuare conetur, gloriam inanem, ac vanum omnibus placendi deſiderium offendet,ſi huius cauſa ſileat;in ſuæ inuidentiæ indignationem incurret. Nam quemadmodum ſeruus duorum & contrariorum dominorum,dum vni placet, alteri diſplicet,& ob vnum atque idem obſequium, ab altero præmium,ab altero verò pœnam ſperat; quare dictum eſt: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire;] ita vitiis addictus, quæ ſibi inuicem aduerſantur, dum vnum pacat, aduerſum ſe alterum commouet; & quidquid faciat, ſemper in anxietate & perturbatione remanet. Egregiè profectò dixit Dorotheus: Vt corpus melancholicum & diſtemperatum continuè ab ipſa melancholia & diſtemperantia vritur, & affligitur; ſic anima vitiis ſubiecta, ſemper à malitia & iniquitate ſua torquetur, atque in perpetua memoria, dolore, & amaritudine eſt paſſionum, quæ ipſam adurunt, & incendunt.] Pedes ſtatuæ illius à Daniele deſcriptæ ex parte erant ferrei, & ex parte fictiles, quare nunquam ſtabiles extiterunt,neque bene cohærere potuerunt, quoniam ferrum & teſta non poſſunt, natura ipſa repugnante, miſceri. Sic affectus hominum vitiis infecti, quorum alia ſunt ferrea, & alia fictilia; illa vt ſuperbia, ira, & auaritia, ex nimia improbitate durantur;iſta, vt gula, luxuria,& accidia,ex immoderata facilitate molleſcunt, ſemper bellis & inquietudinibus agitantur, & nequeunt vera pace & ſtabilitate firmari.

Philo lib. 1. legis allegoriarum. *Matth.6. n.24.* *Dorothe. doctr.12.* *Daniel.2. 33.*

Bellum autem,& illud perpetuum,quid ſequitur, niſi miſera deſolatio? nam, Omne regnũ in ſe ipſum diuiſum, deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.] Mens igitur in qua vitia regnant, & prælia,turbantia pacem virtutis, exercent, quotidie deſolatur, atque conſumitur. Et ſicut hoſtilis exercitus inimicum ſibi regnum inuadens arbores excindit, ſegetes vaſtat, & iumenta per campos diſcurrentia ad ſuum transfert dominatum, poſtea vrbes, & oppida obſidens infeſtat, anguſtat, capit, diruit,incendit,& ſolo æquat, ac tandem viros bellatores interficit, & promiſcuam, atque infirmam turbam audaci manu capriuat: ita vitiorum agmen in animam irruens prudentes cogitationes ablegat, ſancta deſideria deſtruit, opera ſtudioſa diſſipat, ſenſus occupat, vires eneruat, virtutes irruptioni obſiſtentes interimit, & vniuerſa ad vitam ſpiritualem pertinentia conſumit. Et derelinquetur, ait, filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ vaſtatur.] Quid magis ſolitarium quàm vmbraculum vineæ peracta vindemia? Quid magis ope deſtitutum quàm tuguriolum ab olitore deſertum? Quid magis miſerum quàm diues & copioſa ci-

Luca. 11. 17. *Iſa.1.8.*

A uitas direptioni & crudelitati inimicorum expoſita? Sed talis eſt anima, quam Deus deſerit, quam virtus contempta contemnit,quam vitiorum acies libenter admiſſa,vt ſtultam & ignauam irridet. Quæ per poſſeſſionem virtutum nobilis eſt, & illuſtris, & planè tanquam Dei amatrix, & ſponſa, vniuerſarum creaturarum domina,vitiorum tyrannidi ſubiecta, ignobilis, & vilis, & ancilla miſera dæmonum, ſuorum hoſtium,efficitur.Et illa priùs frequentiſſima ciuitas, & plena populo, ſedet deſolata,& ſola,& quondam domina gentium,in captiuitatem redacta eſt,& facta ſub tributo. Quare id? niſi quia [manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius,] & quicquid pulchrum, quicquid pretioſum erat,diripuit? Auſculta,ô lector,Dionyſium Richelium,& dicet tibi quàm nobilis ſit anima virtutum ditata monilibus. B O deſiderabilis, inquit, emundatæ mentis nobilitas! En enim ô anima per paſſionum victoriam, per immunditiæ odium, per virtutum ſplendorem, Chriſti efficeris amica, & ſponſa: Creatoris tui hæres, & filia, inſuper per hæc dæmonibus iubes, ac præuales. Lex tibi ordóque naturæ ſubiicitur, & quicquid diuinitus petis, mox deſuper obtines. In carne angelica viuis, & vſque in conſortium diuinitatis migras, neque à Creatoris tui dignitate ignobiliter miſerabiliterque degeneras. Venerãtur te Angeli,Deus diligit, dæmon formidat, caro mundúſq; ſub te ſunt. Denique hinc abeunti cæli parent, ſydereæ manſiones præbentur,& beatorum præſtantur contubernia. Venientem Trinitas ſancta amplectitur, & æterna C fœlicitas remunerat.]Hæc de anima plena diuitiis,& ornata virtutibus, dicta ſunt;ſed audi modò quid de anima ſubiecta vitiis adiiciat, & deſolationem aduerte, vt videas quàm miſerabile ſit vitiis ac prauis motibus ſubiacere. Porro vilis, atque infœlix, ait, contemptibilis, ac lugenda nimis anima, quæ carni miniſtras, quæ beatitudinis tuæ æmulis ſeruis, quæ peccato, itémque concupiſcentiis famularis. Quam Deus odit, angeli ſpernunt, dæmon inhabitat; quæ Creatorem non curas, immò offendis, atque contemnis: quæ Saluatori ingrata es, & in criminibus fœtes, paſſionibus langues, ac ſenſualitati ſubiiceris. In qua præterea tyrannica poteſtate malitia regnat, ira ſuperequitat: quæ demum humanam ampliùs quàm diuinam præſentiam veneraris, ac metuis.] D Hæc omnia Dionyſius: quæ manifeſtè oſtendunt, quanta ſint vitiorum incommoda, & quanto debeant pauore timeri, quanta diligentia vitari.

Threno.1. 1.& 10. *Dionyſ. lib. 1. de vita, & fine ſolit. ar.16.*

His homo ſibimetipſi inuenitur infeſtus. Nam ſi detractor ſit, os ſuum, ac linguam commaculat; ſi impudicus, corpus fœdat:ſi inuidus, intima præcordiorum exulcerat: ſi iracundus, propriam mentem obnubilat: ſi guloſus, corpus & animam grauat; ſi accidioſus, ſe lapidibus, & ſtatuis inanimis ſimilem facit. Denique: Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.] Nam dum vitiis ſe ſubiicit,ſemetipſum interimit, in ſuum cor tela retorquet, & ſibi ipſi præcipuum ac maius malum infligit. His etiam homo Deo redditur inuiſus, quia cùm ſit perennis fons bonitatis, E mentem omnium malorum fontes,ac radices habentem,odio proſequitur,& auerſatur. Et quemadmodum calor frigora pellit, & ſalus morbis obſiſtit, & lux tenebras obſcuritatémque perſequitur; ita diuina bonitas malitiæ vitiorum opponitur. Quam ſi homo peruerſa voluntate ductus in corde ſuo tenere voluerit, Deo pulſanti, & intrare volenti ianuam ſpiritualis habitationis occludit. Si enim, vt dixit Paulus: Quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial?] quonammodo

Pſal.7. 17. *2. Corin. 6.24.*

poterunt fons bonitatis, & radix malitiæ, in vnum conuenire,& Chriſtus,ac inordinatus animus ſociari? Vitiis tandem homo proximis inuenitur ingratus, quem & boni fugiunt, ne ſuorum morum peruerſitate ipſos inquietet: & mali repellunt, ne falſa bona ab illis concupita diripiat. Boni vitioſum fugiunt, quia boni:& mali etiam vitioſum fugiunt, quia mali. Bonitas namque malum timet, ne ſuam puritatem contaminet;& malitia malum timet, ne in bonis perituris, & vix vni ſufficientibus, velit habere conſortium. Quare malus à nullo diligitur, ab omnibus autem deſpicitur, atque contemnitur. Cuius figuram geſſit Iſmael, de quo ſcriptum eſt: Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes,& manus omnium contra eum: & è regione vniuerſorum fratrum ſuorum figet tabernacula.] A fero homine, ruſtico,& incompoſito, omnes ſe ſubtrahunt, qui eo ipſo ab omnibus impugnatur, quòd cum nullo veram ac ſtabilem pacem habet, ſed cunctos oppugnat. Ipſe ſolitarius habitat, quia ſuperbia turgidus,& rerum terrenarum cupiditate ſolicitus, nulli ſe fidit, omnes ſuſpectos habet,& in medio bonorum, aut in ſocietate malorum habitans ſolus eſt, & vniuerſis oppoſitus, quia cum nemine doloſa conſilia communicat. O miſerum hominis ſtatum, quem ſuus conditor reiicit, quem ſocij repellunt, qui eo quòd vitiis & effrænatis moribus ſubeſt, ſemetipſum ſuſtinere, & patienter ferre non poteſt!

Geneſ.16. 12.

Pacem itaque inquirentes,& interioris reipublicæ ſtabilitatem amantes, & omnibus grati eſſe cupientes, vitia funditus deſtruamus. Nec ſimus vnius aut alterius victoria, & deletione contenti, ſed ad mentis tranquillitatem,& puritatem obtinendam, omnia vincere & extirpare conemur. Sicut enim populus Dei electus nunquam pacificè terram promiſſam obtinuit, quouſque ſeptem gentes eam incolentes excidit, aut ſubiugauit: ita mens nunquam, niſi omnibus vitiis extinctis, ad pacem optatam perueniet. Multæ ſpinæ, vel multi tribuli carni adhærentes nos vehementer infeſtant; & licèt omnes reiiciamus, ſi vnum tantùm reſeruemus, ille nos conſtāter inquietat: ita omnibus vitiis exciſis, atque deletis, ſi vnum tantùm ſuperſit, illud nos turbabit, & ab optata tranquillitate diuellet. Audiamus ducem noſtrum, ac Saluatorem dicentem: Vſque quò marcetis ignauia, & non intratis ad poſſidendam terram, quam Dominus Deus patrum veſtrorum dedit vobis?]Eam autem, ſcilicet terram cordis noſtri, nulla ratione poſſidebimus, niſi illo præcepto cuſtodito, quod Dominus Sauli miſſo ad Amalec deſtruendum impoſuit: Nunc ergo, ait, per os Samuelis, vade,& percute Amalec, & demolire vniuerſa eius: non parcas ei,& non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid: ſed interfice à viro vſque ad mulierem,& paruulum, atque lactentem, bouem, & ouem, camelum, & aſinum.] Nec tantillum ex priſtina conuerſatione ex profeſſo reſeruandum eſt, nec in minimis vitium diligendum, nec minimus eius actus diſſimulandus; hic enim hoſtis eſt animæ, qui aliis intrare cupientibus, aditum oſtendet, & ianuam aperiet. Immo & ipſe porticus eſt vitiis patens, & apertus, qui negligenter omiſſus, licèt reliqua omnia munita ſint, ad vrbis excidium euerſionémque ſufficiet. Egregiè enim dixit Caſſianus: Quantalibet vrbs ſublimitate murorum, & clauſarum portarum firmitate muniatur, poſterulæ vnius quāuis paruiſſimæ proditione vaſtabitur. Quid enim differt, vtrùm per excelſa mœnia, & ampla portarum ſpatia, an per cuniculi anguſti latibula pernicioſus hoſtis penetralibus ciuitatis irrepat?] Idémque confirmat Gregorius, parabolam Phariſæi,& publicani tractans, quorum illum, vnum vitium elationis in corde relictum cunctis bonorum operum meritis ſpoliauit. Ecce, inquit, ciuitatem cordis ſui inſidiantibus hoſtibus per elationem aperuit, quam fruſtra per ieiunium, & eleemoſynas clauſit. In caſſum munita ſunt cætera, cùm locus vnus, de quo hoſti paret aditus, munitus non eſt. Gratias rectè agit, ſed peruersè ſe ſuper publicanum extulit. Ciuitatem cordis ſui extollendo prodidit, quam abſtinendo & largiendo ſeruauit. Victa eſt per abſtinentiam gula, deſtructa ventris ingluuies, ſuperata eſt largitate tenacia, auaritia repreſſa: quibus hoc laboribus actum credimus? Sed ô quot labores vno vitio percuſſi ceciderunt, quanta bona vnius culpæ gladio ſunt perempta?] Si enim vnum vitium, quod arcem mentis noſtræ poſſideat, potens eſt virtutes ſubuertere, & reliqua vitia ſecum admittere; nec vnum relinquendum eſt, quod non labor noſter diuina gratia fultus extinguat. Meritò etiam Paulus dixit, ad Theſſalonicenſes ſcribēs: Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.] Quia non tantum magna mala fugienda ſunt, non tantùm leuia mala vitanda, verùm & ſi quid eſt, quod ſpeciem mali habeat, & imaginem alicuius vitij præferat, illud etiam reiiciendum eſt, ne aut vitam noſtram maculemus, aut infirmis malum exemplum præbeamus.

Ioſue.18. 3.

1.Reg.15. 3.

Caſſia li. 5. de gaſtrimar. c.11.

Greg. 19. mor.c.13.

1.Theſ. ſal. 5.22.

Iſta igitur ſit ſpiritualis viri cura, poſt grauia peccata deſtructa, aduerſus omnia vitia bellum indicere,& vniuerſa exterminare. Nam ſi volumus omnes virtutes acquirere, nullum vitium eſt in cordis receſſibus retinendum, quod virtutis ſibi oppoſitæ atque inimicæ ingreſſum impediat. Quodlibet vitium aſtutum eſt, atque proteruum, quod, ne ſe periculo extinctionis videat expoſitū, mille modis virtutis contrariæ ſtudium ac induſtriam eludet. Qua vel reiecta, vel in mente non admiſſa, difficile erit alias excipere, quæ ſicut ſorores chariſſimæ ſolent eſſe ſemper connexæ. Et ſaltem illud certum eſt, virtutem animæ non eſſe perfectam, nec vndique ſplendidam, quam peſtilens alicuius vitij venenum infecerit. Immo & principium acquirendæ cuiuſque virtutis, ab odio & expugnatione vitij oppoſiti ſumendum eſt. Vnde Abbas Ioannes Cyzicus vir ſanctiſſimus, interrogatus quonam pacto virtutes acquirantur, hac ſententia memorabili, quam Ioannes Euiratus retulit, ad quæſtionis propoſitæ abſolutionem reſpondit: Qui virtutem poſſidere voluerit, niſi priùs oderit virtuti ex diametro contrariam malitiam, eam acquirere ac poſſidere non poteſt. Si igitur habere vis luctum, ſemper odio habeas riſum. Si humilitatem habere deſideras, ſuperbiam ſemper execrare. Si continens eſſe cupis, gaſtrimargiam odi. Si pudicus, deteſtare luxuriam. Si nudus, materiam fuge. Qui vult eſſe miſericors, auaritiam caueat. Qui eremum habitare deſiderat, ciuitatis frequentiam odio habeat. Qui cupit inuenire quietem, fiduciam oderit. Qui peregrinus eſſe vult, appetentiam odio habeat. Qui iracundiam continere deſiderat, multorum conſortia fugiat. Qui iniurias obliuiſci vult, maledicta deteſtetur. Qui ſine detractione eſſe appetit, ſolitarius maneat. Qui continere vult linguam, obſtruat aures, ne multa audiat. Qui Dei timorem habere ſemper cupit, corporalem oderit requiem, diligátque afflictionem & anguſtiam.] Hac præclara ſententia beatus ſenex rationem acquirendarum virtutum expoſuit,& nullam aliam eſſe cēſuit, niſi vt vitia omnia, & ſingula, ac vitiorum materiam declinemus. Arena enim inſtabilis ſeparanda eſt, vt ſupra petram ædificationis fundamenta iaciamus:& priuſquam bonum ſemen terræ committamus, ipſa eſt à tribulis & ſpinis

Pratum ſpiritu. c. 187.

purgan

purganda,& nunquam veritatis notionem acquiremus,niſi priùs omnis error ac cæcitas fuerit ſublata. Ita prorſus ſentes vitiorum euellendæ ſunt, vt pulcherrimus flos virtutis aſſurgat. Diligenter igitur, *Prou. 24. n. 27.* ait Salomon,exerce agrum tuum, vt poſtea ædifices domum tuam.] Nam niſi rudera vitiorum abſtuleris, firmam virtutis domum ædificare non poteris. Ab hac vitiorum exterminatione,in qua labor & dolor eſt, totus profectus ſpiritualis vitæ dependet. Et facillimum erit, aſpirante gratia Dei, vitiis exterminatis ac deletis, virtutes inſerere, ſpiritualem habere dulcedinem, & perfectionem comparare.

Quæ ſint remedia generalia ad vitia ſuperanda.

CAPVT II.

NVNC generalia quædam documenta, ac efficacia remedia ad omnia vitia proterenda,pandamus,quæ ſtrenuè ſuſcepta, & gnauiter executioni mandata,nos,fauente diuina gratia, quæ initium eſt noſtræ ſalutis, ab eorum moleſtia liberabunt.

I. Qui ergo cupis aduerſum vitia bellum mouere, eáque è domo cordis tui eiicere, primò ſatage eorum naturas agnoſcere, & gradus atque actus inueſtigare. Quomodo enim vinces,quem non agnoſcis; C quem, cùm te feriat, & vulneret, quàm longiſſimè abeſſe præſumis; quem, cùm hoſtis ſit, amicitiæ indumento contectum,vt amicum & familiarem hoſpitari non metuis? Talia autem ſunt vitia, quæ ſæpe vt incautos decipiant,ſe virtutes eſſe mentiuntur. Quare ſignata ſunt, ſecundùm Gregorium, in illis *Iob. 2. 11 Greg. l. 3. Mor. cap. 19.* amicis Iob, qui venientes,vt eum in afflictione poſitum conſolarentur,non conſolati ſunt, ſed appoſuerunt dolores doloribus,& corporeas eius afflictiones,& quidem eximias, triſtitiis menti ipſius iniectis ſuperarunt. Sic vitia aſtutiſſima, amicorum, id eſt, virtutum,ſe veſtimentis abſcondunt,& quaſi ad nos roborandos accedunt, cùm tamen ad deprædandum, & animum feriendum, adueniant. Egregiè ſanè dixit Baſilius: *Baſil. lib. de vera virginit.* Proxima, & veluti contiguis ianuis gentiles quoque aiunt vitia eſſe virtutibus. D Quælibet denique virtutis ianua ſimillimam in vitia ferentem vtrinque ſpeciem aperit,vt qui ad virtutem ingredi nititur, eius primùm ianuæ adſiſtens, dum hac ſe pulſare arbitratur,aperta ſibi hinc aut inde altera ex vitiorum ianuis, deceptus maxima ſimilitudine, ingrediatur veluti virtutis domum: deinde cunctis eius errorem irridentibus, ipſe quoque, & tempore, & experimento commonitus, diſcat non ſolùm ab ea ſe virtute, cuius aliquando ianuam pulſare videbatur, eſſe remotiſſimum, verùm ne limina quidem eius attigiſſe,neque ipſi ianuæ,vt priùs videbatur, adſtitiſſe ſaltem, aut pulſaſſe.] Ianua igitur virtutis,& ianua ſimiliter vitij cognoſcenda eſt:principium illius,ac iſtius non ignorandum, ne vnum pro E altero recipientes decipiamur. Quemadmodum enim qui neſcit quonam detineatur languore,aptum remedium non quærit; ita qui ignorat quonam vitio victus & oppreſſus ſit, curari non valet. Quo pacto elationem excindes,ſi neſcis te eſſe ſuperbum? Quomodo auaritiam, & immoderatam cupiditatem reſecabis,qui te ignoras auarum? Qua nam ratione gulam proſternes, ſi tuam mentem prætereat te eſſe guloſum? Et quando carnis incentiua domabis,& diſſimulatæ libidini frænum iniicies, ſi pu-

A tas iam carnem emortuam, cùm viua ſit, & ad malum procliuis,& abſconditis quibuſdam eiuſdem inſidiis(de quibus poſtea dicemus) impellaris? Quæſo te hanc vtiliſſimam ſcientiam addiſce. Et ſicut dialectici partem Topicam ſuæ artis addiſcunt, vt eam exerceant,Sophiſticam verò,& deceptoriam vt caueant: ita & tu labora virtutum ac vitiorum naturas cognoſcere,illas vt habeas, iſta verò non vt habeas, ſed vt ſolerti cura diffugias.

Magnum odium, ac implacabilem indignationem aduerſus vitia concipe,quod non erit difficile ſi eorum deteſtandam malitiam conſideres. Nam vitia ſunt origines peccatorum,fontes inquietudinum, fomenta affectuum inordinatorum. Sunt milites dæmonum, & acies ab aduerſariis immiſſæ, vt parta B bona diripiant,& nos cæleſtibus donis ſpolient. Hi milites,quos dæmones in cordibus hominum ſui loco ſubſtituunt, ipſis dæmonibus (ſi Caſſiano credimus, & non eſt cur tanto viro fidem non adhibeamus)infeſtiores ſunt,quia illi nequiſſimi ſpiritus corpora energumenorum vexant, & in animas eorum poteſtatem non habent; vitia verò non corpora ſolùm, ſed animas quoque ſubiiciunt. Quas dum in ſuum transferunt dominatum, & ipſis dæmonibus ſubdunt, & ad omne genus flagitiorum inducunt. Ex iſto vitiorum odio ingens deſiderium vincendi eliciendum eſt. Quis enim vincere ſuos hoſtes non optet? Quis miſerrimam ſeruitutem excutere, & ſuæ ſalutis infeſtiſſimos aduerſarios profligare non cupiat? Deſiderium autem iſtud ſubſiſtentiam ad ſuperandas difficultates, & animum ad patiendum, & moleſtias ferendas adiiciat. Nemo quipppe acerrimum hoſtem dormiendo vicit, nemo inimicum, fortiter reſiſtentem, ſine difficultate proſtrauit. Ac proinde nullus poterit vitiorum ſuorum duriſſimam dominationem,ſemetipſum palpando,& ſuis imperfectionibus annuendo,proterere. Quapropter Gedeon ad manus cum Madianitis conſerendas procedens,ſegnes, & puſillanimes bello prohibuit: ac iubente Domino proclamauit: Qui formidoloſus, & timidus eſt, reuertatur.] Quia videlicet iſtud ſpirituale bellum in illo Gedeonis deſignatum,non tepida deſideria imperfectorum,ſed deſiderium vehemens,quod ad opus progrediatur, omnino requirit. De iniquis enim dictum eſt in Iob: Quia inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum,] quoniam (vt inquit Gregorius) recta quidem deliberando appetunt, ſed ad conſueta ſemper mala replicantur, & quaſi extra ſe tenſi ad ſemetipſos per circuitum redeunt,qui bona quidem cupiunt,ſed à malis nequaquam recedunt.] Eſſe quippe humiles, ſed tamen ſine deſpectu: eſſe contenti propriis, ſed ſine neceſſitate: eſſe caſti,ſed ſine maceratione corporis: eſſe patientes,ſed ſine contumeliis,volunt: cùmque adipiſci virtutes quærunt, ſed labores virtutum fugiunt, quid aliud quàm exhibere belli certamina in campo neſciunt, & triumphare in vrbibus de bello concupiſcunt?] Hæc infirma deſideria à Gregorio deſcripta parum proderunt ad extirpanda vitia: quare ex magno vitiorum odio magnum etiam deſiderium excutiendum eſt,quod nos faciat pro victoria fortiter decertare,& labores aliquos pro virtutum acquiſitione ſuſtinere.

Ardentibus his deſideriis aſſiduam orationem adiunge, qua inſtanter à Domino petas, vt tibi aduerſus omnia vitia, & præſertim aduerſus illud, cum quo ſpecialiter pugnas, victoriam concedat. Nam ipſe eſt, qui ſicut immittit deſiderium pugnandi, & vincendi voluntatem; ita etiam dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Margin notes (right column): II. (beside "Magnum odium"); *Caſſian. coll. 7. c. 25.*; *Iudic. 7. 3.*; *Iob. 6. 18.*; *Greg. lib. 7. Mor. cap. 12.*; III. (beside "Ardentibus"); *1. Cor. 15. 57.*

Beata quoque Virgo Maria, & omnes ſancti interpellandi ſunt, qui & orationes noſtras exaudiunt, & potentes ſunt apud Dominum, vt vires gratiæ ad hoc bellum fœliciter peragendum nobis impetrent. Moſes hoſtes Domini oratione vicit; vnde ſcriptum eſt *Iudith. 4. 13.* in libro Iudith: Memores eſtote Moyſi ſerui Domini, qui Amalec confidentem in virtute ſua, & in potentia ſua, & in exercitu ſuo, & in clypeis ſuis, & in curribus ſuis, & in equitibus ſuis, non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiecit.] Imago eſt viri iuſti, perfectionémque ſitientis, qui non tam bonorum actuum exercitatione (licèt hæc nullo modo omittenda ſit) quàm ardente & aſſidua oratione de hoſtibus victoriam obtinet, & vitia inueterata proſternit. *4. Reg. 6. 14.* Eliſæus quoque in Dothan à Syris circumdatus, eum volentibus comprehendere, validiſſima militum cæleſtium acie protegitur. Quia angeli & ſancti de hominum ſalute ſoliciti, eos protectione ſua ab inuiſibilibus aduerſariis & à vitiis defendunt. Nunquam ergo eſt ab oratione ceſſandum, qua & Domini miſericordiam flectamus, & ſanctos ac dilectos eius importunis precibus exoremus. Humana imbecillitas ex vna parte, & ex altera propria vincendi neceſſitas compellat, oratione, id eſt, quodam armorum genere efficaciſſimo, vitia inſequi, quæ ſicut tenebræ ad lucis aduentum diſparent, ita ad orationis efficaciam euaneſcunt.

IV. Studioſam occupationem rerum vtilium inprimis dilige, ex honeſtiſſimo fine placendi Domino, & in actiones ſpirituales incumbendi, ſuſceptam, quæ dum ſtudia virtutum infert, malis aut inutilibus actibus vitia generantibus, ſine vlla moleſtia reſiſtit. Ora ſemper, aut lege, aut ſcribe, aut quæ ſcribenda ſunt, aut aliis, aut tibi profutura, meditare: vtilitati proximorum inſerui, eorum confeſſiones excipe; triſtitias diſcretis conſiliis expelle, dubietates exolue: diuino cultui quietè & reuerenter inſiſte, & aut incruentum ſacrificiū celebres, aut in choro, aut priuatim pſallas, mens tua ab omni ſegnitie & otioſitate diſcedat. Si his potioribus rebus præſtandis non ſis idoneus, labores corporales ſuſcipito, quos ſtatus admittat, quos mentis tranquillitas ſufferat, quos obedientia præſcribat. Et hoc vnum tibi ſit cordi, nunquam otiari, nunquam rebus inutilibus occupari, ſed ſanctis aut neceſſariis laboribus detineri. Otium noxias cogitationes excitat, mala deſideria gignit, & ad peruerſa opera carnem impinguat, atque adeo ſimilia cogitationibus & operibus, ad quæ inclinat, vitia producit. Inutilis autem occupatio non eſt vitium extinguere, ſed nutrire; quod non ſolùm malis actibus gignitur, ſed inutilibus roboratur. Quare ab vtroque, ſcilicet à pernicioſo otio, & ab inutili negotio, *1. Mach. 2. 38.* vitiorum impugnator abſtineat. Nam & milites regis Antiochi [intulerunt filiis Iſrael bellum Sabbatis;] & quia Sabbatizare voluerunt, [mortui ſunt ipſi, & vxores eorum, & filij eorum, & pecora eorum.] Tempore ergo belli, nullo modo nos otioſitati tradamus, neque ſabbata celebremus, ſed irruentibus vitiis reſiſtendum eſt, ne occupatione varios, & ſomno, aut rebus inutilibus occupatos interimant. Et incidat nobis conſilium bonum, quo *1 Mach. 2. 41.* alij alieno diſcrimine eruditi dixerunt: Omnis homo, quicunque venerit ad nos in bello die ſabbatorum, pugnemus aduersùs eum; & non moriemur omnes, ſicut mortui ſunt fratres noſtri in occultis.] Nam verè otioſus & iners vitiorum gladio tranſuerberatus, in occultis cadit, quem, licèt nihil mali foris agat, abditus in peccatum conſenſus occidit. Quòd autem non ſufficiat otioſitatem fugere, ſed etiam neceſſe ſit ab inutilibus operibus temperare,

A docet Gregorius ſic ſcribens: Sed ſciendum eſt, *Greg. l. 9. Mor. c. 31.* quòd idcirco nonnunquam impulſo illicitæ cogitationis affligimur, quia in quibuſdam terrenæ cogitationis actibus (quamuis licitis) libenter occupamur. Cúmque vel in minimis terrena actio per deſiderium tangitur, creſcente contra nos antiqui hoſtis fortitudine, mens noſtra non minima importunitate tentationis inquinatur.] Quare idem ſanctus doctor putat in Leuitico præceptum eſſe, vt pedes, & *Leuit. 9. nu. 14.* inteſtina hoſtiæ aqua lauentur, quia nimirum inepta cogitata ex terrenis occupationibus naſcentia, eluenda ſunt, vt oblatum ſacrificium cordis noſtri diuinus amor accendat.

V. Vitij occaſionem, quod impugnare vis, animosè fuge; vt ſi gula ſauciaris, conuiuia, & ciborum lautitiam, B & conſortia ventri ſeruientium euita; ſi auaritia deprimeris, pretioſam ſupellectilem, & vel vnius oboli poſſeſſionem declina: ſi ſuperbia turges, hominum plauſus, & laudationes, necnon & omnia, quæ apud mortales ſplendent, dignitatis munera, ſi potueris, caue. Occaſio fortes ſuperat, quanto magis infirmos deiiciet? Alienos à vitiis telo vitiorum vulnerat; quanto fortiùs vitiis implicatos interimet? Sani & vegeti in occaſione, tanquam in loco inſalubri politi, vitij ægritudinem contrahunt, quanto faciliùs iam morbo infecti, peſtilenti ægritudine ſubruentur? Cupiens à morbo corporis liberari, priùs noxium humorem ſiſtis, & illum purgatione euacuas, quia aliter medicamenta vim ſanandi non habent: idem tibi ad curationem animæ ſecundùm Chryſoſtomum, fa- *Chryſ. li. 1. de compunctione cordis.* C ciendum eſt: ſemper enim vitioſus humor ſtillabit, niſi fontem, id eſt, occaſionem obſtruxeris. Cor hominis, præcipuè vitiis affectum, eſt veluti materies ad ignem ſuſcipiendum parata: ſi tu illi per occaſionem ignem apponis, quid mirum ſi te ignis flamma comburat?

VI. Si te ſentias ab aliquo vitio impugnari, ſtatim in principio impugnationis reſiſte; facilius eſt enim infirmum hoſtem vincere, quàm de robuſto & valido victoriam reportare. Modicum ſemen, id eſt, primam vitij cogitationem, euelle, ne altas radices in corde figens in arborem proceram excreſcat. Primæ ſerpentis ſuggeſtioni aurem obtura, ne verba eius voluptatis melle circumlita mulierem, nempe ſenſualitatem decipiant; D & per mulierem, virum, id eſt, rationem, ad conſenſum inflectant. Dictum eſt à Domi- *Geneſ. 3. n. 15.* no iniquo ſerpenti: Ipſa, (id eſt, mulier) conteret caput tuum,] id eſt, ſuggeſtionis initium, vt illud, *Aug. lib. 2. de generat. Manich. cap. 18. Tom. 1.* quemadmodum ait Auguſtinus, in initio malæ ſuaſionis excludat. Si autem ſenſualitas carne ſignata, ratione annuente, caput prauæ ſuggeſtionis non frangat, qua ad opera vitiorum incitamur, quomodo vitio domum cordis ingreſſo, & corde, robore eius occupato, iam capti, & victi reſiſtemus? Reſiſtite *Iac. 4. 7.* diabolo,] inquit Iacobus Apoſtolus, [& fugiet à vobis;] quando autem reſiſtendum eſt ei, niſi cùm incipit in regnum noſtrum irrumpere? Nam ſi nobis ſocordiæ deditis terram noſtram ingrediatur, & arces animæ, id eſt, vires, poſſideat, quis poterit vitiorum nexibus colla non ſubdere? Quis miſeram ſeruitutem, & lugendum caſum declinare?

VII. E Vitia contrariis virtutum actibus tum internis, tum externis expugna, & leues etiam vitiorum defectus ſeueriſſima cenſura caſtiga; ſic quaſi vno eodémque labore, & vitiom profligabis, & oppoſitam virtutem obtinebis. Quia autem hoc eſt præcipuum vitiorum extinguendorum remedium, paulo latiùs eſt explicandum. Primò ergo aduerſus monſtra vitiorum actibus virtutum internis decerta, & propoſita tibi ante oculos mentis occaſione vindictæ, aut

ambitionis,

ambitionis, manſuetudinem, & humilitatem amplectere, & te aut iniuriam patienter laturum, aut honorem humiliter contempturum, ob amorem & imitationem Chriſti, conſtanter ſtatue, & in pace poſitus, ac ſi actu impugnareris, bellum euince. Quomodo verò id præſtandum ſit, Ioannes Caſſianus eleganter expoſuit. Cùm ſe igitur, inquit, impatientiæ, ſiue iræ perturbationibus incuſari vnuſquiſque deprehenderit, contrariis ſemetipſum obiectionibus ſemper exerceat, & propoſitis ſibi multimodis iniuriarum diſpendiorúmque generibus, velut ab alio ſibimet irrogatis, aſſuefaciat mentem ſuam omnibus, quæ inferre improbitas poteſt, perfecta humilitate ſuccumbere, atque aſpera ſibi quæque, & intolerabilia frequenter opponens, quãta eis occorrere debeat benignitate, omni iugiter cordis contritione meditetur. Et ita reſpiciens ad illas ſanctorum omnium, ſiue ipſius Domini paſſiones, vniuerſa non ſolùm conuiciorum, ſed etiam pœnarum genera inferiora meritis ſuis eſſe pronuncians, ad omnem ſe dolorum tolerantiam præparabit. Hanc docet iſte magnus pater rationem pugnandi cum vitiis: ſi autem quis ceciderit, & in iræ ſcopulum, quem impugnabat, impegerit, dicat ipſe quid ſit accepto vulnere facturus. Sic, ait, ſeipſum obiurgans & increpans alloquatur: Tu ne ille es bone vir, qui te dum in illa ſolicitudinis tuæ exerceres palæſtra, omnia ſuperaturum mala conſtantiſſimè præſumebas, qui dum tibi non ſolùm ſummas conuiciorum acerbitates, verumetiam intoleranda ſupplicia ipſe proponeres, ſatis validum atque ad omnes procellas immobilem te credebas? Quomodo inuicta illa patientia tua leuiſſimi verbi prolnſione confoſſa eſt? Quomodo domum tuam ſuper illam ſolidiſſimam petram tanta, vt tibi videbatur, mole constructam, leuis aura commouit? Vbi eſt illud, quod inani fiducia bellum in pace deſiderans proclamabas: Paratus ſum, & non ſum turbatus?] Et cum Propheta ſæpe dixiſti: Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.] Et, Proba me Domine, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas: & vide ſi via iniquitatis in me eſt?] Quo modo ingentem certaminis apparatum exigua hoſtis vmbra conterruit?] Ecce interiorem actuum exercitationem aduerſùs vitia ex virtutum actibus, atque ex tui ipſius, ſi cecideris, reprehenſione compactam, quæ non ſemel, & perfunctoriè facta, ſed ſæpe, & inſtanter iterata vitia extenuat, & tandem ex habitatione cordis excludit. At non ſolis internis actibus debes eſſe contentus, ſed curabis externas virtutis actiones vitio contrarias, quod impugnas, interiori conflictui menos adiicere. Ita ſcilicet, vt contra libidinem, exempli gratia, corporis maceratione; contra ſuperbiam, vilium obſequiorum exhibitione; contra gulam, inedia & abſtinentia pugnes. Internis enim operibus externa hæc atteſtantur, quæ ſi, oblata opportunitate, deſint, fictos fuiſſe aut inefficaces cordis affectus euidenter oſtendunt. Aduerſùs impetus vitiorum, inquit Bernardus, contrariis virtutibus eſt pugnandum. Contra luxuriam adhibeatur cordis mundicia: contra odium, dilectio: contra iracundiam, patientia: contra timorem, fiduciæ virtus: contra torporem, feruor boni ſtudij: opponatur triſtitiæ gaudium, accediæ fortitudo; auaritiæ largitas; ſuperbiæ humilitas. Et Laurentius Iuſtinianus, propoſitis ſimilibus aliis exemplis, concludit: Vitiis virtutum oppoſitione reſiſtendum eſt. Nunquam vt ad actum, nunquam vt pertrahant ad conſenſum, permittenda ſunt. Sicut intus fremunt, vt proſiliant ad opus: ita quoque intus mucrone reſiſtentiæ iugulentur; iuxta prophetæ admonitionem dicentis: Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.] Si quando verò tramitem virtutis excellens, & vitio impugnatus in aliquod leue peccatum incideris, teipſum ob illius defectum, vltra reprehenſionem iam dictam, qua temetipſum increpas, aliqua exteriori pœna caſtiga. Leuiſſimam impudentiæ cogitationem; dura carnis flagellatio; motum non ſimilis indignationis aduerſùs fratrem, humillima veniæ poſtulatio; aſſumptorum ciborum exceſſum, longum ieiunium puniat; vt mens in quadruplum caſtigata, leues etiam caſus reformidet. Caſſianus quidem hanc partem iſtius documenti docere non prætermiſit, qui illum aduerſùs iram pugnantem erudiens, poſt ea, quæ ſuprà retulimus, hæc ſubdit: Talis ſemetipſum compunctionis animaduerſione condemnans, multam animi ſui commotiunculam eſſe non ſinat, ſed arctiore carnem ſuam ieiunij ac vigiliarum correptione caſtigans, ac iugibus continentiæ pœnis culpam ſuæ mobilitatis excrucians, id quod ad plenum excoquere in cœnobij conuerſatione debuerat, in ſua cella conſtitutus, hoc exercitationis igne conſumat.] Ecce optimam rationem, ac modum aduerſùs vitia pugnandi, quem ſi perſeueranter tenueris, & Dei gratiæ fidens tractaueris, vitia comprimes, virtutes inſeres, & incredibilem pacem aſſequeris.

Caſſian. coll. 19. c. 14.

Pſal. 4. n. 5.

Caſſian. coll. 19. c. 14.

Pſal. 118. n. 60.

Pſal. 25. n. 2.

Pſal. 138. n. 23. & 24.

Bern. de ordine vitæ & ſ. modum.

Iuſt. lib. de caſto connubio. c. 7.

VIII. Ne ſimul, & vno tempore omnibus vitiis ex profeſſo bellum indicas, ſed aduerſùs vnum quodpiam, quod velut radix eſt aliorum, & tuam mentem magis infeſtat, acriter pugna; quo victo aliud huic proximum, quod non minimam infert moleſtiam, inſequitor, & hoc exciſo alia deinceps vnum poſt aliud facili negotio ſubuertes. Hunc eſſe ordinem aduerſùs vitia præliandi Moſes docuit, ſic loquens ad populum Iſrael: Non timebis eos, (id eſt, hoſtes tuos,) quia Dominus Deus tuus in medio tui eſt, Deus magnus, & terribilis: ipſe conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter, ne fortè multiplicentur contra te beſtiæ terræ.] Paulatim itaque, & per partes vitia expugnanda ſunt, tum ne vltra vires nobis datas, opus inſcipiamus, tum ne ſi quaſi vno impetu omnia vinceremus, beſtiæ terræ, id eſt, ſuperbæ cogitationes nobis de parta victoria blandientes, victoriæ fructum per elationem noſtram in mortis occaſionem conuertant. A moleſtioris ergo vitij impugnatione incipiendum eſt, quo tanquam duce proſtrato, minùs erit difficile milites imbecilliores fugare. Id autem in hunc modum docet Caſſianus: Ita nobis aduerſùs hæc arripienda ſunt prælia, vt vnuſquiſque vitium, quo maximè infeſtatur, explorans, aduerſùs illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis, ac ſolicitudinem erga illius impugnationem obſeruationémque defigens: aduerſùs illud quotidiana ieiuniorum dirigens ſpicula, contra illud cunctis momentis cordis ſuſpiria, crebráque gemituum tela contorquens, aduerſùs illud vigiliarum labores, ac meditationis ſui cordis impendens, indeſinentes quoque orationum fletus ad Dominum fundens, & impugnationis ſuæ extinctione ab illo ſpecialiter ac iugiter poſcans.] Et paulo pòſt: Cúmque ſe ab ea, ſcilicet paſſione, ſenſerit abſolutum, rurſum latebras ſui cordis ſimili intentione perluſtret, & excipiat ſibi, quam inter reliquas perſpexerit diriorem, atque aduerſùs eam ſpecialiùs omnia ſpiritus arma commoueat: & ita ſemper validioribus ſuperatis celerem de reſiduis habebit, faciliémque victoriam.] Aduerſùs ergo præcipuum vitium tota mentis intentione pugnandum eſt, quod particularis conſcientiæ examinatio præſtabit, de quo infrà ſumus dicturi.

Deuter. 7. 21. 22.

Caſſian. coll. 5. c. 14.

Nec

A

Caſſian. ibid.

Nec putandum hac vnius vitij delendi cura,nos erga aliorum ictus & tela incautos inueniri: quia, vt idem ſanctus pater ait, & ipſo experimento didicimus,impoſſibile eſt quenquam diligenter vni vitio reſiſtere, quin etiam generali quodam horrore, & mentis ſuæ cuſtodia, aliorum etiam inſultus non fugiat,aliorum tela non timeat. In cuiuſlibet autem vitij impugnatione à facilioribus incipe,& ad maiora & difficiliora procede. Ad quod non modicum valet ſimile Anſelmi, vt ſicut arborem proceram ſuccidens,priùs in circuitu arbuſta curat excindere,ne ſibi arborem ſuccidenti poſſint obeſſe:ita priùs faciliora vitij ſunt extirpanda, vt ad difficiliora & robuſtiora progrediamur.

Anſel. li. de ſimilit.c.145.

IX. In omnibus, quæ cogitaueris, quæ ore protuleris, & quæ opere ipſo præſtiteris, eam moderatam, & (B) prudentem attentionem cuſtodi, quam ſuprà ad leuiorum peccatorum fugam neceſſariam eſſe protulimus. Cùm enim tantum ſit boni malique diſcrimen, & Dominus nobis lucem ad boni & mali notionem impreſſerit, non poterit homo ex deſiderio placendi Deo, in omnibus circunſpectè & attentè procedere, quin videat in multis quid vitioſum ſit, & à ratione deuiet; quid etiam ſtudioſum, & ab omni vitio ac labe declinet. Hæc autem aduertens aſſueſcet, ſtudioſè & circunſpectè ſe gerere, & ipſo ſtudio bene operandi virtutes promouebit, & vitia magis ac magis extenuabit, quo vſque ea omnino ſubuertat, & paſſiones animæ vitiis liberas,& virtutibus decoratas,non multùm ex fomite aduersùs Dei legem inſurgentes relinquat. (C)

Hoc eodē lib.1. par. c.18.

X. Non tantùm oratione, deſideriis, fuga occaſionum,vtili occupatione, & circunſpecta attentione, contrariis actibus, & celeri reſiſtentia aduersùs vitia te protege, ſed ea aliis etiam quibuſcunque bonis operibus ſemper expugna. Quæ oblata Domino,vt nos à vitiorum ſeruitute liberet, victoriam vitiorum, ac virtutum acquiſitionem, impetrant. Aduersùs ſuperbiam (vt exemplo aliquo vtamur)bellum geris? Orationes ergo tuas,quotidianam pſalmodiam,miſſæ ſacrificium, ieiunia,vigilias,cilicia, flagella, miniſterij occupationem, corporales labores,& quicquid aliud bonum inciderit, Deo humiliter offeras, & ea, expreſſa intentione facito, vt in te Dominus ſuperbiam comprimat, & virtutem humilitatis infundat. Iſta namque opera ex hac intentione Domino maie- (D) ſtatis oblata, diuinam eius miſericordiam inflectunt, vt clamantem audiat, & tot modis pro ſuperbiæ extinctione laborantem aſpiciat, & ſui cordis illi deſideria concedat. Hoc genus dæmoniorum, (dixit æterna veritas,) non eiicitur niſi in oratione,& ieiunio,] quo vitia ſignata ſunt, quæ debent aſſiduis orationibus pelli,& bonis operibus ad ea delenda ſuſceptis extirpari.

Marc.9. 28.

XI. Si aliquando à te vitia proſtrata atque expugnata conſpexeris, Domini beneficium agnoſce; pro eo immenſas gratias age; neque Dei in te vincentis victoriam ſuperbè tibi attribuas, neque de extinctione inimicorum tuorum ac de aſſequutione virtutum præſumptuosè glorieris. Ne dicas in corde tuo (vt nunc Spiritus ipſe ſanctus in Deuteronomio (E) te doceat) cùm deleuerit eos Dominus (eos ſcilicet vitiorum cuneos)in conſpectu tuo:Propter iuſtitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc poſſiderem, cùm propter impietatem ſuam iſtæ deletæ ſint nationes.] Opus ergo Dei,quod ipſe in conſpectu tuo fecit, & te eius abundantiſſimæ gratiæ tantillum cooperante patrauit, nullo modo tibi arroges, ſed magis illi, cuius eſt opus,non ſine grati animi ſignificatione concede. Nec putes te vitiorum deletionem ex iuſtitia meruiſſe, quoniam ipſorum extinctio miſericordia Dei fuit,te liberantis,& in terræ cordis tui poſſeſſionem inducentis; iuſtitia autem comparatione vitiorum, quæ miſeram gentem templum Domini, id eſt,cor tuum, occupantem extinxit.Si hanc tibi victoriam adſcripſeris, & Dominum eius autorem ignoraueris, iterum victi hoſtes,eo permittente conſurgent. Cùm ceciderit inimicus tuus, ait Salomon, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum: ne fortè videat Dominus,& diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam.] Ne ſcilicet ſuperbè gaudeas in caſu vitiorum, & in parta de illis victoria ne imprudenter exultes: diſplicebit enim Domino præſumptuoſa exultatio, & quaſi vitio placabitur, dum illud pullulare, & vires aggregare permiſerit. Ne itaque ob victoriam & pacem in ſuperbiam efferaris, ſed modeſtior effectus, Dominum tui amatorem & vitiorum deſtructorem agnoſce.

Deut.9. 4.

Prou.24. 17.

Denique ſi vitium aliquod perfectè non viceris,illúdque te deiiciens & ſæpe feriens animaduerteris, ne deſpondeas animum, nec ab eius impugnatione ceſſes; quia ſi humiliter ac conſtanter perſeueraueris, tandem victoriam aſſequeris. Aut ſaltem ſi Dominus leues in te caſus adhuc permiſerit, id ad tuam humilitatem & patientiam faciet, & vt perfectiùs non in tua iuſtitia, ſed in ſua miſericordia confidas. Scit enim ipſe, qui ſummè bonus eſt, ex noſtris caſibus profectus etiam noſtros facere, & ex malis bona maioris alicuius virtutis elicere. Ac proinde caſus & defectus tuos in abyſſum eius miſericordiæ proiice, & te miſerum eſſe, vt ille magis miſericors appareat,æquanimiter ſuſtine. XII.

Hæc ſunt remedia generalia vitiorum, nunc ad magis ſpecialia tranſeamus. In hac autem tractatione non tam nos, vitiorum vituperatores, quàm naturæ eorum exploratores exhibebimus. Qui, vt ſuprà diximus,& cuiuſque vitij ex octo prædictis primò naturam & actus aperiemus; deinde verò more medicorum congrua & apta remedia breuiter aſſignabimus: quæ, gratia Dei faciente, & humanis conatibus fauente, mentiſque torporem excitante,eam ſanent, vitia deleant,& nos paratos ad virtutes ſuſcipiendas efficiant. Ordinem autem Caſſiani ſeruare intendimus, vt ſcilicet à craſſioribus vitiis, & quæ primò à viro ſpirituali proterenda ſunt, inchoemus, & ex illis ad ſubtiliora & difficiliora tractanda procedamus.

De vitio Gulæ, atque eius gradibus.

CAPVT III.

GVLA, vt diuus Thomas Aquinas ait, eſt appetitus inordinatus cibi & potus. Non quidem ille appetitus naturalis ad vires pertinens animæ vegetabilis, quo naturaliter eſurimus & ſitimus,cùm ob conſumptionem prioris alimenti, nouo cibo & potu indigemus. Hic enim naturalis cùm ſit, & aculeo neceſſitatis excitatus, & minimè rationi ſubiectus, non poteſt ad vitium nec virtutem pertinere. Sed appetitus ſenſitiuus ad vim concupiſcibilem ſpectans, quo etiam cibum,& potum appetimus, ſi à menſura rationis deuiet, vitio ac immoderationi ſubiicitur. Hic itaque cùm inordinatè cibum & potum appetit ſecundùm aliquem modum eorum, quos ſtatim dicemus,vitioſus eſt:& habitus ille,quo ad inordinatam cibi potúſque ſumptionem inclinatur, vitium gulæ ad intemperantiam pertinens dicitur. Quod

D.Thom. 22.q.148. art.1.

cibum

cibum,& potum corporis neceſſitatem excedentem, apperit,non quia homo talem cibi, aut potus quantitatem, aut qualitatem neceſſariam exiſtimat: hoc enim,non tam gulæ, quàm imperitiæ & ignorantiæ vitium erit,quod inutile eſt:neceſſarium putantis,ſed quia ea præter ordinem ſumpta,ſuum guſtum palatúmque delectat. Et ideo ſententia eſt Nili Abbatis: Quòd gula voluptatem pro fine propoſitam habet.] Quod vitium prohibuit Dominus, dicens: Attendite vobis, ne fortè grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate,& curis huius vitæ.] Eiúſque meminit Paulus: Sicut in die,inquit,honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus & ebrietatibus.] Ac poſtea: Et carnis curam ne feceritis in deſideriis.] Et meritò quidem gula prohibita eſt,quæ & corpori, & animæ nocet,& tempus orationi, lectioni, & ſanctis laboribus debitum, ciborum digeſtioni, & vini concoctioni ſurripit. Quotidiano enim experimento probatur, inquit Leo Papa, potus ſatietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari, ita vt delectatio edendi, etiam corporum contraria ſit ſaluti,niſi ratio temperantiæ obſiſtat illecebræ, & quod futurum eſt oneri, ſubtrahat voluptati.] Guloſi illa Domini maledictione feriuntur, qua ſerpenti dictum eſt: Super pectus tuum gradiêris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.] Qui enim ſunt,ait Ambroſius,qui in vtero ſuo ambulant, niſi qui ventri & gulæ viuunt? quorum Deus venter eſt, & gloria in pudendis eorum, qui terrena ſapiunt, & cibo onerati ad terrena curuantur?] Qui non beſtiæ ſed homines conditi ſumus, ſtatura recti, & luminibus in cælum elati, nequaquam tam vilibus curis ciborum & ventris onerati, generis noſtri nobilitatem inquinemus.

Luca.21. 34. *Rom.13. 13.* *Leo. ſer. 8. de ieiunio decimi mẽs.* *Geneſ. 3. 14.* *Amb.lib de paradiſo.c.vltimo.* *Philipp. 3.19.*

Gulæ ſpecies variæ à patribus aſſignantur. Dorotheus enim duarum tantùm fecit mentionem, quarum altera homo ad dulcia, & guſtui ſuauia trahitur: altera, vſque ad ſatietatem ciborum quotumcunque nimietate diſtenditur. Ioannes Caſſianus, & Hugo Victorinus, tres ſpecies aſſignant, ex ciborum quantitate,qualitate, & refectionis tempore reſultantes. Ille ſic ait: Gaſtrimargiæ genera ſunt tria. Primum,quod ad refectionem perurget monachum ante horam ſtatutam ac legitimam,feſtinare. Secundum,quod expletione ventris, & quarumlibet eſcarum voracitate lætatur. Tertium,quod accuratiores & delicatiſſimos deſiderat cibos. Hic verò ſic: Tria ſunt in cibo conſideranda,id eſt,quid, & quando, & quantum comedamus: ſcilicet cibi ſpecies, hora, & menſura;ne illicitum, aut extra horã, aut vltra menſuram aliquid ſumamus. Iſidorus ſpecies gulæ quatuor exiſtimat. Nam quatuor ſunt, inquit, genera diſtinctionum in gulæ appetitu:id eſt,quid, quando, quantum, & quomodo appetatur. Quid, ad rem ipſam pertinet, quæ appetitur. Quando, ſi ante legitimum tempus quid appetatur. Quantum verò, ad immoderationem refertur. Quomodo,ad impatientiam feſtinationis adſcribitur.] At Gregorius iſta genera vſque ad numerum quinarium extendit, cuius hæc ſunt verba: Sciendum eſt quia quinque modis gulæ vitium tentat: Aliquando namque indigentiæ tempora præuenit: aliquando verò tempus non præuenit,ſed cibos lautiores quærit: aliquando, quælibet ſumenda ſint, præparari accuratiùs expetit: aliquando autem & qualitati ciborum, & tempori congruit,ſed in ipſa quantitate ſumendi menſuram moderatæ refectionis excedit. Nonnunquam verò & abiectius eſt quod deſiderat, & tamen ipſo æſtu immenſi deſiderij deteriùs peccat.] Iure profectò hanc partium gulæ diſtinctionem ſequimur,quam &

Dorot. doctrina. 15. *Caſſian. lib. 5.* *Hugo li. 1.de clauſtro animæ.c.6.* *Iſid. li.2. ſent.c.42* *Greg. 30. Mor.cap. 27.*

A

Thomas probauit, & ratio ab eo adducta ſatis apertè confirmat. Omnis enim inordinatio gulæ,ex duobus, ſcilicet ex ipſo cibo aſſumpto, & ex eius acceptione,conſideranda eſt. In cibo tria ſunt, quæ poſſunt rationis metas præterire. Vnum eſt ſubſtantia cibi,ſi lautior & pretioſior cibus quæratur,quàm ſtatus noſter aut neceſſitas fert. Alterum, qualitas cibi,ſi exquiratur præparationis exceſſus. Tertium, quantitas,ſi vltra menſuram ingeratur. In acceptione verò cibi duo ſunt, quæ rationi diſſonãt,aut tempus,aut modus ſumendi,quæ omnia,quinque genera voracitatis ac ebrietatis efficiunt.Sed nos in ſingulis iſtis generibus habemus aliquid, quod dicamus.

D. Tho. 22.q.148 art.4.

B

Peccant quidem illi,& in via ſpiritus valdè craſſè & imperfectè ſe gerunt, qui horam conſuetam comedendi præueniunt. Quo peccato notatus eſt Ionathas, cùm inſequens Philiſtæos, auſus eſt ex mellis fauo comedere. Hic enim eo quòd tempore laborandi & præliandi guſtauit, eam duriſſimam patris ſententiam audiuit: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.] Eodem vulneratus eſt Propheta ille, qui aduersùs præceptum Domini,antequam exiret ex loco, ipſo Domino inuiſo,cibum accepit,[quem inuenit leo in via, & occidit]eum:& ſine dubio leo illum non occidiſſet, niſi priùs gula immanior beſtia vulneraſſet. Et eodem ſanè vitio non pauci ſpirituales viri ſordere noſcuntur.

1. Reg. 14.44. *3. Reg. 13.24.*

C

Primò illi, qui aut ſenium,aut imbecillitatem prætendentes, ante conſuetam congregationis horam, volunt ſibi prandium ſine neceſſitate miniſtrari, quo & Prælatos, & miniſtros onerant, & fructu laboris vnius horæ,aut dimidiæ, qua ſicut alij laborare poſſent,ſemet ipſos euacuant. Sed quæ, rogo, religio, inquit Bonauentura, quæ paupertas,ſi mox vt eſuris, mox vt ſitis, volita pares, facies appetitum, nec eum vſque ad ſtatutam horam ſcias compeſcere?] Hi ſi ſe pauperes ſcirent, quibus victus ex miſericordia datur, non ex iuſtitia debetur, ſcirent etiam non præuertere ordinem diſciplinæ,& pauliſper communem horam expectare. Si vim aliquam ſibimetipſis facerent,& ſuas vires experirentur,quas citra dubium ad prandium tantiſper differendum habent, non tam facilè ſe merito communis obedientiæ, & ſanctæ lectionis,quæ in menſa conuentuali perſonat, vtilitate priuarent.

Bonau.in ſpeculo.2. p.princip.c.2.

D

Deinde illi imperfectè ſe gerunt, qui manè comedunt, imò & nonnunquam ſacrum præueniunt, quod niſi ieiuni celebrare non poſſent, vt ientaculum tempeſtiuè accipiant, nec iſta indulgentia contenti, etiam merendam poſt prandium, & ante cœnam parant, vt non iam bis in die, ſicut conſuetudo fert,ſed quater ventrem impleant,& altiores mentis functiones impediant. Non aduertunt, quòd, ſicut idem Sanctus doctor ait,vltra duas vices in die,puerorum,ſeu pecudum more comedere, potum extraordinariè frequentare, religionis temperantiam, & decorem euidenter offendit.]

Bonau. ibid.

E

Sed quid dicam de illis, qui pro diebus ſolennioribus opipara ientacula ſibi,aut in cœnobio,aut in domo alicuius ſæcularis,(quòd peius eſt)parari faciunt, vt ante ſolennia officia, & ſacram concionem cum amicis comeſſentur? Hæccine eſt puritas ad feſti celebrationem apta? Hæc ſpiritualis præparatio ad noua Dei beneficia promerenda? Hæc ſingularis cura vacandi diuinis,vt nouus feruor adſit, & noua ac inſolita lux illis affulgeat? Certè omnis natio Iudæorum,vt Ioſephus indicat,quo tempore Domino ſeruiebat,diebus ſolennibus vſque ad horam ſextam, id eſt,mediam diem,nihil omnino guſtabat. Et Petrus Apoſtolos Spiritu ſancto plenos, ex eo probat

Ioſeph.in vita ſua. *Actor. 2. nu.15.*

ebrios non eſſe, quòd tunc eſſet hora diei tertia. At homines Deo conſecrati nunc nec horam ſextam, imò nec tertiam ad comedendum expectant, ſed ſatis mane, & in diebus ſolennibus comedunt, vt ſe oſtendant nec hominibus antiquæ legis æquales, nec Apoſtolorum ſectatores. Iſta omnia vita ſpiritualis horret, & cultores ſuos in his diebus ſacratioribus diuino cultui ieiunos, & meditabundos, & puros aſſiſtere iubet. Quin & ipſos communiter vſque ad communem refectionis horam cibis abſtinere facit, & frugali prandio, ac moderatiſſima cœna eorum neceſſitati ſatisfacit. Scit enim, in his, qui corpore non laborant, ſed aut ſtudiis litterarum, aut miniſteriis Eccleſiaſticis diſtinentur, ientacula non ex neceſſitate, ſed ex gula, & animi tepiditate prodire.

Iam videas alios, qui non tantùm quater, ſed ſæpius, ſi occaſio ſeſe offerat, aliquid edunt, & in horto poma, cùm illum adeunt animi laxandi gratia, ſine vllo rubore oii admouent, & in cella dum otiantur, quæ ſimilia habent cuſtodita præſumunt. At certum eſt iſtos non ſe monachis antiquis æquare, quos ſi non aſſequi, ſaltem imitari deberent. De illis quippe Caſſianus hæc ait: Antequam, vel poſtquam legitimam communẽm q; refectionem percipiat, ſumma cautione ſeruatur, ne extra menſam quicquam cibi penitus ori ſuo quiſquam indulgere præſumat: vt incedentibus per hortos, & pomaria, cùm paſſim blandéque per arbores poma pendentia, non ſolùm obiiciant ſe pectoribus tranſeuntium, verùm etiam ſtrata per terram conculcanda pedibus offerant, atque ad colligendum parata, facilè ad conſenſum concupiſcentiæ illicere valeant intuentes, & opportunitate, vel copia, quamuis diſtrictos, atque abſtinentiſſimos, ad ſui deſiderium prouocare, ſacrilegum ducatur non modò quicquam ex his deguſtare, verùm etiam manu contingere.]

Caſſian. lib. 4. de inſtitut. c.18.

Qui autem in hoc gradu fœdiùs peccant, illi ſunt, qui furtiuè in cella cibos & vina, quæ deuorent, abſcondita habent, & inſcio aut reluctante Prælato, ſæpius ſe ingurgitare non timent. In quorum ingluuiem acerrimè Baſilius inuehitur, cuius verba non grauabor exſcribere. Sic ait: Etenim multos ego animaduerti ſæpe, qui cùm alterius cuiuſuis generis vitiis laborarent, ad ſanitatem tamen redierint poſtea: qui autem hoc morbo tenerentur; vt aut in occulto eſitare eos delectaret, aut ventris ingluuie duci ſe ſinerent, neminem ex omnibus vidi vnquam, qui conualuerit. Nam aut à continentiæ cultorum vitæ ſe ſocietate penitus abruperunt, ſe ſeque capitalibus vitæ huius illecebris dediderunt: aut dum inter eos occultare ſe ſtuduerunt, voluptatibus addicti, duce diabolo ſtipendia meruêre. Nam qui iſtiuſmodi ſunt, ij mendaces ſunt, ad iuſiurandum parati, periurioſi, litigioſi, pertinaces, clamoſi, & qui ſaturi ediſſe ſe pertinaciſſimè pernegent: illiberales, qui victu delicato apprimè gaudeant, queruli, aliorum curioſi exploratores, tenebriones, totius honeſtæ vitæ de induſtria inimici, qui vt gulæ libidinem obtegant, innumerabilibus ſe aliis vitiis inuoluunt, qui cùm, habitu quidem inter ſaluos eſſe videatur, rebus ipſis inter perditos numerãdi ſunt.] Hæc omnia Baſilius, quæ ſatis profectò validè horũ imperfectionem obiurgant. Quæ ergo in hoc primo gulæ gradu notauimus, à viris ſpiritualibus omnino reiicienda ſunt, & extra communes refectiones nullo modo comedendum. Eodem namq; ſtudio iſtæ ſunt mẽtis amputandæ laſciuiæ, vt Caſſianus ait, quo meretricationis vitium deſecandum: quia hæc maiora voluptatis vitia vocant, & appetitum rerum peiorum accendunt.

Baſil. ſer. de abdic. rerũ poſt med.

Caſſian. lib. 5. de Gaſtrimar. cap. 10.

In ſecundo gradu huius vitij, qui ſcilicet hora

A conſueta cibos communes faſtidit, & lautiores quærit, non pauci delinquunt, populum Iſraeliticum imitantes, qui ſpreto manna omnibus in communi propoſito, carnes, ſuo videri, lautiores concupiuit. Vulgus promiſcuum, ait, quod aſcenderat cum eis, flagrauit deſiderio ſedens & flens, iunctis ſibi pariter filiis Iſrael, & ait: Quis dabit nobis ad veſcendum carnes?] O mirabilem ſacratum litterarum profunditatem! Vulgus, nempe ſeruorum Ægyptiorum, qui cum Iſraelitis exierant, primò clamat, & flet, & carnes poſcit, & deinde ſibi veros Iſraelitas in eodem deſiderio coniungit! Ita prorſus in cœtibus religioſis imperfecti, qui ſolo corpore ſæculum deſeruerunt, cibos delicatiores incipiunt petere, & prauo cupiditatis exemplo alios diſtrictiùs & religioſiùs viuentes, eadem eſculenta docent quæritare, vt qui primi parentis errorem ſequuntur, inobedientiæ quoque pœna multentur. Ille namque cibis à Domino ſibi conceſſis in vniuerſum reiectis, pomum, quod ſuauius & delicatius eſſet, ex ore mulieris accepit, concupiuit, & dans concupiſcentiæ manus, comedit, & propter vnam buccellam, innocentiam & regnum amiſit. Similes illi ſunt, qui in paradiſo, id eſt, in religioſo ſtatu, congrua alimenta, & pauperibus apta contemnunt, ſuauiora autem & pretioſiora concupiſcunt.

Numer. 11.4.

B (margin letter beside "uentes, eadem eſculenta")

Gen. 3. 6.

Hi verò qui ſunt? Illi quidem, qui in communi religioſorum triclinio, veteris abſtinentiæ vſu conſecrato lautiores cibos menſis nobilium, & delicatiſſimorum ſæcularium inferri ſolitos, ſibi miniſtrari C præcipiunt. At opus eſt nobis huiuſmodi alimentorum genus, inquiunt, vel quia nobiles ſumus, & ſimilibus cibis educati, vel quia infirmi & debiles, & imbecillitas noſtra craſſiora alimenta non ſuſtinet: vel quia alios cum ſpiritualibus & perfectis viris computatos ſimilia comediſſe legimus: vel denique, quia in his menſuram abſtinentiæ non excedentes, noſmetipſos cohibemus. Ecce lepidas excuſationes, quibus gula ſe contegit, & laxitas in viuendo defendit. Nobilis es? Fateor, ſed familiam nobilem, & diuitias ſæculi contempſiſti, non, vt more nobilium, ſed more religioſorum, viueres, & non pœnas peccatorum, ſed præmia ſanctorum comparares. Quare obliuiſceris profeſſionis tuæ, & in domum D pœnitentiæ delicias inuehis, & quæ propter Deum deſeruiſti, reſumis? Eadem profectò ratione, quòd nobilis es, poſſes ex ſerico habitũ religioſum geſtare, & te, vt antea, auro & gemmis ornare, purpura & byſſo operire. Quòd ſi hæc à ſtatu religioſo diſcrepant, quare illi cibi delicati conueniant?

Infirmus es? Sed in communi loco ægrotorum mane, & in lecto decumbe, & perinde atque vnus ex aliis, moderatam & tuo ſtatui congruentem indulgentiam aſſume. At non eſt, inquis, tam grauis infirmitas, quæ me vegetorum laboribus eximat, & ab aliorum conuictu repellat. Quare igitur tuas imaginationes non reiicis? Aut ſi imaginationes non ſunt, quare modicam inualetudinem non diſſimulas? Quare religioſam obſeruantiam tuæ commoditati non præfers? Sed imbecillitas creſcet, & ex parua E magna fiet, ſi non ei ciborum lautitia mederêris? Falſum eſt hoc, & vanum ipſa experientia comprobatur: nam nec communes cibi per ſe inſalubres ſunt, & tantillum caſei, aut alterius cuiuſuis cibi, comeſtum omnino nihil officiet. Vidimus etiam aliquos, his deliciis ac luxibus repudiatis, cõmuni aliorum cibo, aut ſalutem comparaſſe, aut ſaltem meliùs habuiſſe. Aut demus te nonnihil detrimenti carni tuæ per communes cibos afferre; an neſcis, quia huic modico detrimento præponenda eſt animæ ſalus,

profectus ſpiritus, obſeruantia regularis? Audi quid Bernardus dicat ad quoſdam hac perſuaſione deceptos: Quid hìc vos dicitis, obſeruatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates, & ſequaces eius docent animas ſaluas facere in hoc mundo; Chriſtus, & eius diſcipuli, perdere. Quemnam vos è duobus ſequi magiſtrum eligitis? At manifeſtum ſe facit, qui ſic diſputat: Hoc oculis, hoc capiti; & illud pectori, vel ſtomacho nocet. Profectò vnuſquiſque quod à ſuo magiſtro didicit, hoc in medium profert. Num in Euangelio legiſti has differentias, aut in Prophetis, aut in litteris Apoſtolorum? Caro & ſanguis pro certo reuelauit tibi hanc ſapientiam, non Spiritus Patris. Eſt enim carnis hæc ſapientia, ſed audi quid de ipſa noſtri medici ſentiant. Sapientia, inquiunt, carnis mors eſt.] Item: Sapientia carnis inimica eſt Deo.] Num Hippocratis, aut Galeni ſententiam, aut certè de ſchola Epicuri, debui proponere vobis? Chriſti ſum diſcipulus, Chriſti diſcipulis loquor. Ego ſi peregrinum dogma induxero, ipſe peccaui. Epicurus, atque Hippocrates, corporis alter voluptatem, alter bonam habitudinem præfert; meus magiſter vtriuſque rei contemptum prædicat. Animæ in corpore vitam, quam ſummo ſtudio iſte vnde ſuſtentet, ille vnde & delectet, inquirit, atque inquirere docet, Saluator monet & perdere.] Sed his Bernardi monitis non acquieſcis, quia oportet ſalutem proximorum inquirere, quam, ſi te non palpes, tuis concionibus, aut ſimilibus miniſteriis non promouebis. Crede mihi, frater, quia Eccleſia Dei tua non eget induſtria: tu autem indiges, fratres non ſcandalizare; quin, (væ per quem ſcandalum venit:) tu indiges, religioſum ſtatum malis exemplis non perdere: tu indiges, iſtam gulam, ac molliciem cohibere.

Bern. ſer. 30. in Cant.

Rom. 8. n. 6. & 7.

Matt. 18. 7.

Adhuc pergis te ipſum excuſare, & aliquos viros perfectos, & vitam religioſam profitentes, talia & poſtulaſſe, & comediſſe profiteris? Ad hæc quid breuiùs dicam, niſi te eſſe vnum ex illis, de quibus dicit Propheta: Sicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici?] Nam & ego vaſa cantici puto corporis morbos atque moleſtias, quibus Dominus aliquorum perfectorum hominum corpora ferit, & ex affectu patientiæ ac reſignationis, in ſuas laudes eorum voces extollit. Hi ita percuſſi, & vera imbecillitate fatigati, bene poſſunt rebus etiam delicatis, quas Deus in vſum hominum creauit, moderatè vti, quas medicina præſcribit, obedientia ingerit, & conſenſum ad eas admittendas timoratæ conſcientiæ dictamen extorquet. Sed ſi tu ſimilia vaſa habes, & ſimilem neceſſitatem pateris, medici approbent, prælati annuant, & ipſa tua conſcientia non reluctetur. Si verò conſcientia ſcrupulis te angit, medici adeſſe neceſſitatem negant, & prælati proclamant, te ſub imaginaria infirmitate religioſam diſciplinam abiicere, & carnis curam contra præceptum Pauli facere in deſideriis; quid exemplo ſanctorum hominum, quos Deus non tantùm viii ſed mille crucibus affigit, tuam gulam & immortificationem obtendis?

Amos. 6. 5.

Poſtremum verò quod dicis, te in his rebus delicatis menſuram non excedere, ridiculum eſt. Nec enim ſola ciborum quantitate, ſed multo magis qualitate peccatur: & ipſe cibus pretioſus ac perſuauis, ſtatui pœnitentiæ & humilitatis non aptus, gulam fouet etiam moderatè ſumptus, & ſacram abſtinentiam offendit. Nec facile eſt in his guſtum allicientibus debitam tenere menſuram. Nam & Hieronymus ait: Licèt quidam putent maioris eſſe virtutis

Hieron. epiſt. 7. ad Laet. c. 4.

A præſentem contemnere voluptatem, tamen ego arbitror ſecurioris continentiæ eſſe, neſcire quod quæras.] Quamobrem iſta lautiora, quæ facilè appetitum immoderatum excitant, & alios offendunt, & mentis firmitatem eneruant, penitus eſſent relinquenda.

Alij autem ſunt in hoc eodem voracitatis gradu, deteſtabiliores prædictis, qui vt exemplo congregationis conſulant, non iam in communi triclinio, ſed in propriis cellis iſtis lautioribus cibis veſcuntur. Ibi, in cella ſcilicet, in loco quieti, orationi, & lectioni, & ſuſpiriis deſtinata, curioſas menſas ſternunt, cibos lautiſſimos parant, vina odorifera & pretioſa ponunt, & aut ſæcularibus, qui ob id vitam religioſam irrident, aut aliis ſibi ſi-

B milibus, ſcilicet viris imperfectis; & inimicis diſciplinæ, conuiuia ſumptuoſa inſtruunt. Videbis religioſam domum factam diuerſorium viatorum, in qua non iam vna pro omnibus menſa frugalis, & pauper apponitur, minuſcorum mundi index, ſed multiplex menſa opipara & delicata conſtruitur. Et voluntate, ac præcepto illorum conſtruitur, qui maiores ſunt, quibus maior cura diſciplinæ congruit, qui ſeniores ſunt, & ſolicitior diligentia dandæ ædificationis incumbit, qui morti, & diei rationis reddendæ, ſunt propinquiores, nec timent innumeris imperfectionibus ſuis has laxitates aggregare, quæ ſibi maiorem iudicis indignationem importent. Obſecro eos per miſericordiam Dei, quos, iuxta conſilium Pauli, quia ſunt

C ſeniores, non increpo, ſed corrigo vt patres, ne ſe ipſos, & familiam religioſam, & adoleſcentium animas deſpiciant. Vno enim iſtorum conuiuio ſe ipſos vitio gulæ ſubdunt, diſciplinam religioſam frangunt, & adoleſcentulos perniciem religionis docent, qui ad aliquem gradum authoritatis euecti, quæ in ſenioribus viderunt, imitari geſtient. Sint igitur, ob amorem Dei, communi menſa, & vt pauperes, & ſeruos Dei decet, vilioribus cibis contenti.

Alios tandem in eodem gradu omnium peſſimos iudico, eos ſcilicet, qui non iam in religioſo triclinio, aut in propria cella opiparos cibos comedunt, ſed conuiuia ſæcularium quærunt, & in menſis profanorum, etiam inter fœminas ſedent,

D & ibi ac ſi eſſent ex medio populi, edunt & bibunt. Quos nec licentia à prælatis obtenta excuſat, vt docet Anſelmus, quam inuiti concedunt, & vt maiora incommoda fugiant. Nec neceſſitas protegit; quæ enim neceſſitas eſt inter ſæculares prandere, niſi appetitui inordinato ſatisfacere, & ventrem optimè paratis cibis implere? Vita autem religioſa vehementer accuſat, quæ ob viliſſimam eſcam ita apud ſæculares infamari non debuit.

Anſel. li. de ſimilit. c. 89.

Non ſunt diſſimiles iſtis, qui nullibi conſiſtere poſſunt, ſed mutationes de loco in locum, & noua itinera ſine vlla neceſſitate procurant, vt apud ſæculares diuertant, & in eorum domibus fabulis vacent, & contra monaſticum ordinem ſe lautè

E & delicatè reficiant. Nec etiam illi, qui appetunt commorari in villis cœnobij, vt ſine religioſa obſeruantia & diſciplina degant. De quibus ait Hugo: Locus aliquando placet, aliquando diſplicet. Placet quibuſdam, non quia abundat fratribus, ſed piſcibus. Placet, quia famulis abundat, & fabulis: Placet, quia ſolus cuncta poſſidet, & ſic fit, vt vocetur obedientia, cùm non ſit. Hanc obedientiam multi deſiderant, vt extra obedientiam eſſe queant.] Iſti omnes hoc ſecundo gulæ gradu vincti tenentur, quos vnus immoderatus appetitus lautè

Hugo. 2. de clauſtro animæ. c. 13.

manducandi, per omnia iſta virtutis incommoda tranſire compellit. Nec credendum eſt aliis maioribus vitiis eſſe ſolutos, quos vilis eſcarum appetitus proterit, quos cibus ſuauis ad ſæculi amorem, & ſæcularium voluptatum deſiderium conuertit.

1. reg. 2. 15. *Greg. 30. mor. c. 27.* In tertium gradum gulæ, qui cibos accuratiùs præparatos affectat, filij Heli inſipienter impegerunt, qui, vt regum narrat hiſtoria, & Gregorius annotauit; noluerunt antiquo more coctas de ſacrificio carnes accipere, vt eas ſuauiùs & accuratiùs præparatent. Quare puer ſacerdotis veniens, dicebat: Da mihi carnes, vt coquam ſacerdoti, non enim accipiam à te carnem coctam, ſed crudam.] Hos verò imitantur, qui cibos quidem communes aliorum accipiunt, ſed ſine vrgenti neceſſitate aliter ſibi præparari concupiſcunt. Si alij comedant fruſtulum carnis aſſum, ipſi petunt elixum, & quod reliqui elixum comedunt, ipſi aut aſſum, aut frixum, ſibi dari depoſcunt. Quin & aquam & vinum, ne vnquam ſæculi obliuiſcantur, æſtiuo tempore appoſitis niuibus, & gelu refrigerant, vt ſe ſpiritu frigidos, & diuino calore vacuos oſtendant. In hoc etiam non eſt minimus gulæ defectus. *Caſſia. li. 5. de Gaſtrimar. c. 23.* Nam, vt Caſſianus ait: Non ſolùm eligendus eſt cibus, qui concupiſcentiæ flagrantis æſtus temperet, minúſque ſuccendat, verumetiam, qui ad parandum ſit facilis, & quem ad comedendum opportuniorem vilioris pretij compendium præſtet, quíque ſit conuerſationi fratrum vſúique communis.] Non eſt tamen facilis, nec communis, qui in ſubſtantia cibo congregationis congruit, accuratiore tamen præparatione diſſentit. Et oportet vt amor religioſæ diſciplinæ, niſi euidens neceſſitas aliud poſtulauerit, hanc etiam à moderato appetitu relaxationem ſuccidat.

Quartus gradus huius vitij eſt, cùm in quantitate ciborum exceditur, & communes eſcæ vltra menſuram accipiuntur. Eſt autem menſura ſeu abſtinentiæ regula, ipſa naturæ neceſſitas, quæ nobis ad conſeruandam vitam, & ad vitæ munera obeunda alimenti ingeſtione ſuccurrit. Ad gulam igitur pertinet quicquid extra iſtam neceſſitatem accipitur. Ob quod peccatum Sodomitica terra *Ezechi. 16. num. 49.* damnatur. De qua dicitur in Ezechiele: Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia. Et diabolus Domi- *Matt. 4. n. 3.* num in deſerto, non de dapibus delicatis, ſed de pane tentauit, vt ſciamus etiam in viliſſimis eſculentis gulam reperiri, & cibo communi & inſuaui, non communem, ſed immoderatum appetitum commiſceri. Eóque illi ſe miſerantèr inuoluunt, qui vel ordinariis cibis vltra neceſſitatem ſe onerant, & eorum quæ apponuntur, ingluuie diſtendunt. Non conſiderantes, quòd non ſola crapu- *Caſſian.* la vini, vt Caſſianus ait, inebriare conſueuit, ſed cúnctarum eſcarum nimietas vacillantem eam ac nutabundam reddit, omníque integritatis ac puritatis contemplatione deſpoliat.] Iſta autem ſatietas diebus ſolennioribus magis timenda eſt, in quibus nonnihil extra ordinarium appoſitum, & communi refectioni adiectum, inſidiatur nobis, vt meritum abſtinentiæ ſurripiat. Sic igitur maior eſculentorum numerus temperetur, vt circunſpectus animus, & amator puritatis, non maiorem ex pluribus quàm ex paucioribus, cibi quantitatem aſſumat. In iſto gradu ſunt illi, qui ſolent longa ieiunia protrahere, & poſt illa ſe intemperan- *Hieron. ſuprà.* ter ingurgitant. Cùm tamen, vt Hieronymus, & alij patres communiter aiunt, vera abſtinentia ſit,

A ſemper vno tenore comedere, & nunquam aut ciborum nimietate prægrauari, aut penuria deficere. Ne ſis vt ſæcularis homo, qui in Quadrageſima ventris ingluuiem decoquit, & in cochlearum morem ſucco victitans ſuo, futuris dapibus, ac ſaginæ aqualiculum parat.] Ita cibus minuendus eſt, ne oneret, & vitæ ſpiritualis functiones impediat; ita frugaliter aſſumendus, vt corpus roboret, & in neceſſario ac debito labore ſuſtentet.

Poſtremus gradus ad modum edendi refertur. Cùm ſcilicet, quæ nobis miniſtrantur, præcipitanter & magno æſtu voramus, ac modeſtam libertatem prætetimus. Cuius peccati reus fuit Eſau, *Gen. 25. n. 33.* dum auiditate viliſſimæ lenticulæ primogenita ven-
B didit, & magnam hæreditatem perdidit, ne ſe tantiſper contineret. Illúdque vetat Eccleſiaſticus di- *Eccl. 31. 12.* cens: Supra menſam magnam (id eſt opiparam & ſplendidam) ſediſti? Non aperias ſuper illam faucem tuam prior.] Si enim non ſis maior, & aliis prælatus, expectare oportet, donec alij incipiant, & tu alios iam comedentes ſequaris, & in hoc, te non gulæ mancipium, ſed appetitus tui dominum eſſe demonſtres. Ita comedas, vt tamen auiditatem comprimas, ſerenitatem non perdas, famem cohibeas. Ita comedas, vt ipſa celeritate & præcipitatione veſcendi animus non diſtrahatur, nec ſacra lectione, aut alicuius piæ conſiderationis emolumento fruſtretur. Ita comedas, vt aſtantes nihil in te immoderatum notent, nihil abiectum
C videant, nihil ſordidum animaduertant. Ita comedas, vt pædagogum tuum, ſcilicet cuſtodem Angelum aſſiſtentem, & Deum præſentem aduertas. Ita denique comedas, vt omnibus his defectibus effugatis, nec moderationem ableges, nec nimietatem cibi, aut voluptatem ſectetis, nec delicias quæras, nec horam communis refectionis præuenias. Viro enim ſpirituali vitium gulæ tanquam craſſius & abiectius primo loco vincendum eſt, vt hoc proſtrato victoriam de aliis obtineat. Nam conſtans fuit, quam refert Caſſianus, antiquorum pa- *Caſſia. li. 5. c. 11.* trum, firmáque ſententia, neminem poſſe robuſtioribus æmulis colluctari, qui infirmioribus paruíſque illidatur; nec luxuriam, aut auaritiam, aut quodque aliorum vitiorum proſternere, qui im-
D moderato edendi appetitu ſuperetur. Ab hoc igitur primo hoſte bellum incipiendum eſt, vt mens minoribus victoriis animata, ad maiora difficiliotáque conſurgat.

De Remediis, quibus vitium Gulæ vincatur.

CAPVT IV.

IAM huius morbi remedia quæramus, quæ tam in eo quàm in ſimilibus animi morbis ad duo capita (vt ſuprà in-
E ſinuauimus) reuocanda ſunt. Vnum eorum ea media continet, quæ intellectum erudiunt, vitij fœditatem aperiunt, & ratione illuſtrata voluntatem ad vitij contemptum & odium alliciunt. Alterum verò ea media complectitur, quæ opus dirigunt, & modum ſtudioſè & ſecundùm virtutem agendi præſcribunt. Primò ergo illa, & deinde iſta ſub eiuſdem capitis titulo ſubiiciemus, vt ſimul ordini & breuitati conſulamus.

Conſideta

I. *Chryſoſt. hom. 44. in Ioan. Greg. 30. Mor. cap. 27. Hier. l. c. Iouinia.*

Conſidera igitur, tu qui cupis vitium gulæ deiicere, quanta mala generet, & quomodo vno immoderato comedendi & bibendi actu animæ ſimul & corpori noceat. In anima enim, vt Chryſoſtomus ait, fons eſt & origo omnium vitiorum: illorum ſeptem præcipuè, quæ Gregorius enumerat, & gulæ filias appellat. Huiuſmodi autem ſunt, inepta lætitia, multiloquium, ſcurrilitas, ſpurcitia, ſenſus, & intellectus hebetudo. Specialiter, vt Hieronymus notat, eſt mater libidinis, quia corpus, quod gula immoderatis cibis replet, turpitudo nititur laſciuis effuſionibus vacare. Gula intellectum hebetat, vt nihil cæleſte cogitet, voluntatem ad vilia & abiecta concupiſcenda deprimit, & omnes mentis vires eneruat, noxio ciborum onere prægrauatas. Corpus etiam mille morbis & doloribus angit, qui ex intemperantia naſcuntur, vitam abbreuiat, & ſæpe intempeſta & ſubita morte præoccupat. Nam ſicut nauis oneraria, quæ ſupra ſuam magnitudinem vehenda capit, onere grauata ſubmergitur: ita corpus vltra vires naturalis caloris cibis ac vino obrutum, huc atque illuc agitatum, quaſi ſæua tempeſtate necatur. Tandem ipſum tempus pretioſiſſimum eripit, quod in comedendo, & poſt inordinatam comeſtionem in loquendo, & deambulando, & dormiendo, & digerendo conſumitur. Et induit homo rationalis brutorum ac beſtiarum vitam, quæ ſolùm in hoc viuunt, vt corpori ventrique deſeruiant. Sic gulæ deditus, relictis rebus cæleſtibus, & potiori ſui parte deſpecta, infimam ſcilicet carnem impinguat, & dominam nempe rationem corpori, vili mancipio, ſeruire compellit.

II. *Baſil. hom. in ebrietatē. Ambr. li. de Helia. à c. 12. vſque ad 18. Hier. 2. c. Iouinianum. Aug. ſer. 231. & 232. de temp. Cyprian. ſer. de ieiunio, & tētat. Chriſti.*

Conſidera deinde quanta bona vitium gulæ diſſipat, omnia ſcilicet illa, quæ virtus abſtinentiæ progignit. In his bonis enarrandis multi ſunt patres, & infinitum eſſet vniuerſa eorum dicta referre. Tu lege inter alios Baſilium, Ambroſium, Hieronymum, & Auguſtinum, & ego hoc loco vnius tantùm diui Cypriani verba deſcribam, qui ſub nomine ieiunij de abſtinentia loquens, ſic ait: Ieiuniis vitiorum ſentina ſiccatur, petulantia marcet, concupiſcentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates. Extinguitur ardentis Ætnæ incendium, & flammiuomi fornax Vulcani extincta intrinſecus, montes conterminos non adurit. Ieiunium ſi diſcretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ ſpoliat & exarmat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit, & arctat, & appetitus vagos diſtringit, & ligat. Ieiunium ſi humilitate ornetur, ſeruos Dei mundi efficit contemptores. Ieiunium carnes azymas mundat, & ſolidat: & putredines, quæ ex adipe prodeunt, conſumit, & ſiccat. Ieiunium ſcripturarum deliciis paſcitur, contemplatione reficitur, gratia ſtabilitur, cæleſti pane nutritur. Danieli interpretatio ſermonum reuelatur ieiunio, & tres pueri de Babylonio illæſi egrediuntur incendio. Moyſes in monte quadraginta diebus cum Domino perſeuerans, & Dei familiare colloquium, & legis miniſterium ieiunio promeretur. Helias quoque eodem dierum numero abſtinens in eremo conuerſatur. Vtilitas ieiuniorum temporibus Chriſtianis clariùs patuit, & à multis frequentata in plurimos ſe effudit.] Præclara ſunt hæc, quæ de abſtinentia dicuntur, omnia tamen ea gula perdit, vniuerſa immoderatus cibi appetitus amittit. Abſtinentia eſt, quæ mentem reficit, & impinguat, nam ſcriptum eſt: Iuſtos à Domino aſpici, [vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.] Fame alit, ô res admirabilis, quia abſtinentia reficit. Fame alit, quia ieiunio corroborat. Fame alit, quoniam moderato ciborum defectu, carnis motibus effugatis, mentem in decore ac firmitate ſuſtentat. Abſtinentia caput hominis vngit, & faciem lauat, quia corpus ab omni æſtu concupiſcentiæ mundat, & mentem guſtu cæleſtis conſolationis inebriat. Abſtinentia denique oleum eſt, quod non ſolùm caput vngit, ſed & vulnera illinit, quo plagæ tumentes ſanantur, & omnis ſenſus doloris abſcedit. Iſta conſideratione incitatus abſtinentiam dilige, gulam deteſtare, & laſciuias ciborum exhorre. Quòd ſi inueterata conſuetudo te impulerit, conſtanter eam virtutis amore repelle. Neque enim magnum eſt, ſi Bernardo credimus, vt ieiunet cum Chriſto, qui ſeſſurus eſt ad menſam Patris cum ipſo.

Dan. 2. nu. 19. Dan. 3. nu. 93. Exodi. 24. n. 18. 3. Reg. 19. nu. 8. Pſal. 32. 19. Bernard.

III. *Matt. 4. nu. 2. Ioan. 4. 7. Marc. 11. 12. Matt. 27. 34. Marc. 15. 36. Cypr. ſuprà.*

Conſidera Chriſti ſanctiſſimam vitam, & illuſtriſſima ſanctorum exempla, quæ te ſatis ad odium gulæ, & amorem abſtinentiæ & ſobrietatis accendent. Ille quidem non ſolùm ieiunauit ſemel quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ſed per totam vitam famem & ſitim paſſus, vniuerſis deliciis abſtinuit. Iam fatigatus ex itinere à Samaritana fœmina hauſtum aquæ poſtulat, quem tamen dulcedine eius conuerſionis illectus, poſtea non ſumit. Iam exiens à Bethania, eſuriit: iam reuertens in ciuitatem, famem ſuſtinet: iam in Caluariæ loco tormentis adduſtus, vino myrrhino & felle potatur: iam in cruce pendentis, & ſuam ſitim pandentis, ſpongia aceto plena ori eius offertur. Caput tuum, & princeps vniuerſi hæc amat, hæc eligit, hæc deliciis anteponit: & tu delicias amabis, crapula grauaberis, & propter eius amorem, modicum quid indigentiæ pati timebis? Hi verò, ſcilicet ſancti, abſtinentia ſe domarunt, omnes ſenſuum voluptates repudiarunt, & armati vacuitate ciborum, ad virtutis arcem peruenerunt. Quotquot enim viros virtutum vidimus, inquit Cyprianus, ſine ieiunio non legimus aſcendiſſe; nec aliquid magnum moliti ſunt, niſi prius abſtinentia præceſſiſſet.] Si vis poſt illos currere, & in requiem illorum ingredi, onera gulæ depone, quæ corpus & mentem grauans, ad perfectionis altitudinem venire non poteſt.

IV. *Ioel. 1. 5. Chryſoſt. ſer. cõtra luxũ & crapula.*

Conſidera etiam quàm breuis ſit gulæ delectatio, & quàm poſt ſe fœda imò & longa veſtigia derelinquat. Breuis eſt, quam modicum palatum ſentit, & dum cibus ab ore pertranſit, omnino guſtus euaneſcit. Quod fortè ſignauit Ioel, dicens: Expergiſcimini ebrij, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore veſtro.] Quare non dixit, perit, ſed periit, niſi quia tam momentanea eſt gulæ delectatio, vt potiùs ſit dicenda præterita, quàm præſens? Elapſo enim breuiſſimo iudicio palati, non ſuauiùs aut meliùs ſapit pretioſum, quàm vile. At quàm deteſtanda ſint voracitatis veſtigia, Chryſoſtomus explicat. Sanè, inquit, talium non ſolùm corpora ſic affecta, & iniucundis, & ſuperfluis, & fœtidis vndique plena ſunt, ita vt tolerari nequeant: ſed & anima corpore multo iniucundior, multo maiores quàm illud morbos in ſe arripit ex deliciis. Nam, ſicut corpus, non ſolùm ſuperfluitates emittit naturales, ſed multo plures, & vndique. Nam & oculi, & aures, & os grauedine, muco, & corruptione, & his, quæ intus generantur lutulentis, & impuris affectibus ſunt plena: & ipſa natura carnis laxior fit, quàm naturalis proportio: fœtidaque, & inutilis, & ad omne bonum opus inepta.] Voluptas quidem gulæ celerrimè tranſit, ſed hæc veſtigia à Chryſoſtomo dicta non citò prætereunt. Solent namque ad ſenectam vſque durare, & ætatem illam venerabilem moleſtiſſimis doloribus & ægritudinibus agitare, & omni reuerentia dignam canitiem vi-

Cicero de ſenectute. lem apud alios ac deſpicabilem efficere. Quam, vt A
eloquenter diſputat Cato apud Tullium, non anno-
rum multitudo, non corporis imbecillitas, ſed mo-
roſitas atque intemperantia deiecit. Stultum eſt
autem ob euanidam voluptatem tam impuris fluen-
tis ſubijci, tam diris ac perpetuis, quæ vſque ad extre-
mum diem non ceſſant, moleſtiis affligi.

V. Conſidera tandem cùm immoderata cibi pretioſi
concupiſcentia pulſaris, te iam illud comediſſe.
Bonauen. in ſtimulo. Quod & ſanctus Bonauentura monet, & ſi attentiùs
inſpiciatur, ſapientiſſimum remedium eſt, non ine-
pta aut ridenda ſimplicitas. Similem enim ad rerum
deſpicientiam conſequendam Salomon adhibet me-
Eccl. 1. 3. dicinam, cùm ait: Quid habet amplius homo de
vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole?] Ac ſi
diceret: Si elapſa rerum terrenarum poſſeſſione ni- B
hil earum ſupereſt, quod noſtræ menti ſatisfaciat,
quidni eas omnes deſpiciamus, & meram inanitatem
appellemus? Sed hæc ratio in noſtro propoſito effi-
cacior eſt, quia deliciæ ciborum & potuum ſunt mul-
to breuiores, & quia non iam nos vacuos (quod to-
lerabile eſſet) ſed animo anxios, corpore grauatus,
malis humoribus repletos, & mille morbis ſubiectos
relinquunt. Cogita ergo ſi iam cibum concupi-
tum comediſſes, aut in lauto conuiuio recubuiſſes,
quid ex eo ſuperfuiſſet, & ſi nihil boni, & multum
mali & detrimenti remanſurum agnoſcis, malorum
cauſam, ſcilicet intemperantiam, conſtanter ſperne.
Ex immoderato namque vêtris obſequio quid aliud
niſi & malum côrporis & diſſipatio virtutis elicitur?
Ierem. 52. 12. Vnde Gregorius explicans locum Ieremiæ, quo dici- C
tur, Nabuzardam, vel, principem cocorum, vt habent
ſeptuaginta, incendiſſe muros Ieruſalem, hæc ait:
Greg. 3. p. paſtor. ad mo. 20. Cocorum princeps muros Ieruſalem deijcit, quia
dum venter ingluuie extenditur, virtutes animæ per
luxuriam deſtruuntur. Ne in domum tuam ho-
ſtem tam pernicioſum excipias, qui te miſeriis im-
pleat, virtutis opes diripiat, & luxuriæ ac prauæ cupi-
ditatis ignibus mentem Deo côſecratam inflammet.

VI. His conſiderationibus animatus ad opus te ac-
cinge, & bella ſe aduersùs gulam incipito. Ac apud
te metipſum firmiter ſtatue, te nunquam extra con-
ſuetam horam comeſturum, nec exquiſitos aut deli-
catos cibos, ſed tantùm communes & viles, admiſſu-
rum. Quod vt diuina gratia perficias, nihil come-
ſtibile in cella habeas, nihil ad potum pertinens, nec D
panem, nec pomum, nec vinum, & multo minùs alia
pretioſiora, quæ tuum propoſitum labefactent, &
abſtinendi deſiderium infringant. In cella ſit lectus
non delicatus, in quo quieſcas; ſella in qua ſedeas;
menſa in qua ſcribas; libri quos legas; imago crucifi-
xi apud quam ores, & lugeas; cibos autem œcono-
mus habeat, & penarium commune cœnobij recon-
4 Reg. 4. 10. dat. Mulier enim illa magna, quæ voluit Eliſeum
apud ſe detinere, fecit ei cœnaculum paruulum, &
poſuit in eo lectulum, & menſam, & ſellam, & can-
delabrum, cibos autem, & eſculenta non recondidit,
ſed ſuis temporibus illi in conuenienti loco miniſtra-
uit. Ita ſancta religio, ſponſa Chriſti, mulier ſapien-
tia & vitæ puritate magna, eadem ſuis hoſpitibus pa-
rat, ſcilicet viris religioſis, qui ſe Domino conſecrant. E
Ædificat illis cœnaculum paruum, id eſt, cellam, non
quæ videatur baſilica, aut domus regiæ conclauis, ſed
quæ ſtatui paupertatis ſufficiat. Eam verò inſtruit
menſa & lecto; ſella & candelabro; at pomis & ci-
bis dulcibus, & ad guſtandum ſuauibus, & vinis, ac
delicijs, non implet. Pro certo habe frater, quia hæc
in cellis religioſorum profeſſio religioſa non intulit,
ſed tepor, & gula, & odium paupertatis inuexit. Si
his hoſtis tuus voluerit te decipere, & ſub prætextu

A neceſſitatis propoſitum à te conceptum euertere:
[ſi ſubmiſerit vocẽ ſuam, ne credideris ei, quoniam *Prou. 26. 25.*
ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius.] Vt peſtilens
vipera multa vitia parturiet, & ex hoc amore mini-
ma poſſidendi ad alia magis noxia peruenit.

Ex cibis naturæ neceſſariis maximè in tuę conuer- VII.
ſionis initio aliquid ſubtrahe, ita, vt nec ſubtractio
naturam corrumpat, nec notabiliter ſaluti corporis
obſit. Hæc namque victus neceſſarij ſubtractio, quæ
corpus domat, & aliquantulum carnem debilitat, fa-
ciliorem reddit moderationem in cibo & potu, toto
tempore vitæ ſeruandam. Et ſicut ille, qui aſſuetus
eſt, herbas & legumina manducare, panem cibarium
putat delicias: ita, qui neceſſaria ad tempus demit,
cùm ea ſibi concedit, indulgentiam exiſtimat. Id au-
B tem faciliùs fiet, ſi in præſenti occaſione te abneges,
& rebus deſideratis ſpolies, atque in futurum maio-
rem commoditatem ubi promittas. Hoc namque
perfectorum ac imperfectorum eſſe diſcrimen Gre-
gorius manifeſtè ait: Nam iſti ſæpe ieiunare diſpo- *Greg. lib. 5. in 1. reg. ad c. 11. poſt principium.*
nunt, ſed cùm conſueta gula vincuntur, eo die man-
ducandum iudicant, in futuro ieiunandum. Cúm-
que gulæ feritas ſemper eis præſens ſit, præſens & de-
ſiderium futuræ bonitatis, hoc ſerpentis fraude agi-
tur, vt bonum quod proponitur, non inueniatur.
Cras enim quod ſemper promittitur, nunquam in-
uenitur.] Et poſt pauca: Sed ſancti viri, vt hoſti
illudant, rigorem conuerſationis in præſenti virtute
habent: pro illuſione infirmitatis, cam commodum
in futuro promittunt.] Ecce ſapientiam cæleſtem
C animali ſapientiæ contrariam; cùm enim cras in ho-
die conuertatur, & præſens fiat, nunquam ſerui Dei
inueniunt cras, in quo ſibi condeſcendant, & con-
ſuetum rigorem viuendi remittant; & finem tempo-
ris, nempe æternitatem, ad ociandum & ſibi indul-
gendum, expectant.

Si aſſuetus ſis vltra menſuram & neceſſitatem VIII.
manducare, aut bibere, non ſimul omnia ſuperflua
demas, ſed paulatim, & per partes auferto, quia na-
tura in rebus magnis ſubitas mutationes non ſuſti-
net. Si multi cibi tibi miniſtrantur, per vnam he-
bdomadam, aut per quindecim dies vnum tantùm
eſculentum omitte, & poſtea per alios quindecim
dies aliud, & ſic deinceps, donec paucos cibos aſſu-
mas. Si non tam in ciborum multitudine, ac va-
D rietate, quàm in quantitate excedis, tolle nunc quan-
dam modicam partem, & poſt paucos dies aliam, do-
nec ad menſuram tuæ naturæ neceſſariam perue-
nias. Remedium hoc eſt Auguſtini peritiſſimi ani-
marum medici, qui ebrioſum monens, ſic inquit:
Sed qui ſe de hoc malo deſiderat liberare, quo mo- *Aug. ſer. de tempore.*
do ſibi interuallo dierũ potum addẽdo ad ebrietatis
tenebras peruenit, ita paulatim ſubtrahendo, ad ſo-
brietatis lucem redeat. Qui ſi ſemel totum, quod
amplius accipiebat, ſubtraxerit, vbi nimia ſiti cœperit
exardeſcere, cum grandi amaritudine clamat, & di-
cit: Malle ſe mori, quàm ſibi bibendi vel inebriandi
conſuetudinem tollere: nec attendit, quòd tolerabi-
lius erat in carne mori, quàm in anima per ebrieta-
tem interfici. Et ideo, vt nec ardorem nimium pa-
E tiatur, & de tam graui malo, quod patitur, libere-
tur, per interualla dierum ſibi aliquid de nimietate
potus ſubtrahat, quouſque ad rationabilem bibendi
conſuetudinem redeat.] Optimum profectò medi-
camen, quo & Beatus Dorotheus Doſithei pueruli
voracitatem curauit, dum per modicas partes cibum
illi adimens, ad magnam abſtinentiam & ſimul ad
eximiam vitæ puritatem adduxit. Eodem poteris
& tibi ipſi mederi, ac ſancto quodam dolo immo-
deratam appetentiam circumuenire.

Eas

IX. *B. Igna. lib. exercitio. hebdom. 2. ſine.*

A Eas abſtinentiæ regulas, quas Beatus pater noſter Ignatius in libello aureo exercitiorum docuit, diligenter obſerua, quæ breuiter expoſitæ hæ ſunt. 1. A pane minùs abſtinere poteris, quàm à reliquis cibis, eo quòd nec appetitum adeo irritat, nec tentationi tum gulæ, tum impuræ voluptatis adeo obnoxios nos reddit. 2. In potu diſtrictior abſtinentia, quàm in pane ſeruanda eſt, quia delectatio potus eſt potior, & carnis puritati nocentior. Quare ſi potes, vino abſtineas; ſi non vales, memor Paulini conſilij, moderatè bibas. Vina pretioſa non quæras. Nec in potu aquæ, nec vini, aut numero, aut quantitate excedas: nec potum nimis frigidum, aut alia ratione exquiſitum inquiras. 3. In aliis eduliis diligentiorem abſtinentiam tene, ita vt nec extra horam B conſuetam guſtes (vt diximus) nec in communi refectione delicatiores cibos admittas, nec in groſſioribus menſuram neceſſitatis excedas. 4. Quanto plus de conuenienti cibo tibi ademeris (vitato graui periculo valetudinis) aptior eris, vt Deus tuam mentem illuſtret, vt ſcias quantitatem tibi neceſſariam à ſuperflua diſcernere. 5. Inter prandendum Chriſtum Saluatorem cum ſuis diſcipulis manducantem meditare, & te ei in ratione accipiendi cibi & potus ſimilem exhibere ſtude. Alias etiam pias meditationes adhibe, quæ mentem reficiant, & te à nimio ſenſu voluptatis abducant. His autem enitaris omnem feſtinationem ac nimiam auiditatem vitare, & teipſum in hac occaſione poſſidere. 6. Poſt prandium, vel cœnam, vel alio commodiori tempore, C in quo non eſurias, ſtatue apud temetipſum quam cibi potúſque menſuram ſequenti die ſis accepturus: eámque nulla ratione prætereas; ſed potiùs ſi te inimicus importunè tentauerit, ex eo quod ſtatuiſti, nonnihil tibi ſubducas. His regulis docuit Beatus Pater noſter gulam comprimere, & virtutem abſtinentiæ comparare.

X. Hæc omnia faciliora fient, ſi Chriſti Saluatoris noſtri vitam conſideres ab omni voluptate elongatam, omníque labore ac rerum neceſſariarum penuria refertam. Ecquis huic principi per vitæ conuerſationem adhærens, non erubeſcat cibi, & potus, veſtis, & ſomni, & cæterorum delicias admittere? Si etiam mortalem hominis naturam mediteris morti addictam, ac in puluerem conuertendam, cui vanum D eſt delicias parare, & non magis ſola neceſſaria, quibus virtuti ſeruiat, & ad immortalitatem efferatur, tribuere: Audis, [quia puluis es, & in puluerem reuerteris:] audis, quia nunc, id eſt, poſt paululum [in puluere dormies:] audis, quia [reuertetur puluis in terram ſuam,] vt quid ergo voluptatem pulueri paras, & cum ſpiritus æterni detrimento, qui ad ſuum eſt reuerſurus creatorem, periture carni inſipienter indulges? Si miſera caro te ad delicias vocet, ad quærendas in cibo & potu laxitates tuo ſtatui minimè congruas inuitet, & prætextu neceſſitatis mollia & delicata accipienda ſuadeat, prædictis armis ex conſilio Petri Damiani Oſtienſis Epiſcopi, teipſum ſatis securè communies: His, inquit, malè blandientibus E ſuadelis, immò litis melle ſagittis, ex diabolica pharetra manifeſtè vibratis, tu diſcipulus Chriſti crucifixi prudenter occurre, eáſque à te conditionis tuæ ſedula conſideratione repelle. Perpende quia caro, quæ nunc accuratis dapibus enutritur, paulò poſt, vermibus ſcaturire compellitur; ipſáque tunc fit eſca rodentium, quæ nunc delectabiliter ſaginatur iucunditate ciborum: ac tanto grauiorem exhalat putrefacta fœtorem, quantò ſuauiorem ſibi procurauit educata mollitie.] Verè hæc ita ſunt. Quamobrem ſi carnem tuam cibis delicatis, & in nimia quantitate acceptis aſſeruas, potiùs vilitate ciborum & paucitate conſerua. Abſtinentia enim eſt, quæ carnem ipſam hîc vegetat, & facit ad labores duriorem: & quæ poſt mortem minùs corruptioni reddit obnoxiam. Adeo vt Dominus aliquorum ſanctorum corpora in partem præmij ſeruatæ abſtinentiæ & caſtitatis, ad multos annos, & odore ſuaui perfundat, & ab omni corruptionis labe præſeruet. Optimè quidem, vt caro ieiuniis & rebus aſperis afflicta, oculis omnium teſtis exponatur magnæ mercedis, quam Deus iuſtus retributor abſtinentiæ & caſtitati præparauit.

Gen. 3. 19. Iob. 7. 21. Eccl. 12. 7.

Petrus Dam. epiſt. ad Blacam. c. 10.

De vitio luxuriæ, ac de manentibus eius reliquiis.

CAPVT V.

LVXVRIA eſt appetitus inordinatus impuræ ac libidinoſæ voluptatis. Appetitus enim libidinis licitus eſt in coniugatis, cùm rationis frænum nō ſoluit, & ad finem generationis ordinatur, pertinétque ad infimum gradum caſtitatis: at extra coniugatorum ſtatum inordinatus eſt, impuram voluptátem captans, aut generationis finem debita ratione, & à compari ſibi à Domino conceſſo, non quærens, & ideo luxuriæ ſpiritum oppoſitum caſtitati conſtituit. Hic immundus ſpiritus ex Paulo, templum Dei violat: ex Bernardo, paternam benedictionem, ac ſubſtantiam perdit: ex Hieronymo, de homine rationali pecudem facit: ex Ambroſio, miſerrimæ ſeruituti ſubijcit. Hic ſpiritus, vt ipſe alio loco ait: Nocte feruet, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert conſilium, amentes inquietat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, potiendo inflammat, vsúque ſuccendit. Luxuriam prohibuit Dominus in Exodo, dicens: Non mœchaberis.] Et ore Pauli: Fugite fornicationem. Omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.] Ac rurſus: Fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis.] Et tandem: Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.]

1. Cor. 6. Bern. ſer. 23. ad ſororem. Hiero. ad c. 4. Oſee. Ambr. li. 6. de noe. 9.

Exod. 20. 14. 1. Cor. 6. num. 18. Epheſ. 5. num. 3. Hebr. 13. 4.

Species impuræ libidinis non eſt noſtrum nominare. Vt quid enim nos fornicationes, adulteria, inceſtus, ſtupra, raptus, & vitia contra naturam commemoremus? Vt quid impudicos tactus, & oſcula, & alia ſimilia delibemus, qui ad animas Deo per caſtitatis votum conſecratas ſcribimus, & hæc non vt vitentur maiora, quæ iam omnino deleta ſunt, ſed vt minima quæque caueantur, tractamus. Et hæc quidem libens prætermiſiſſem, niſi neceſſitas enunciandi pericula animarum id omnino depoſceret. Malo enim, vt Hieronymus ad Furiam ait, verecundia parumper quàm cauſa periclitari. Et ſicut medici vt vlcera curent, & plagis corporis medeantur, non curant ſi eorum manus, aut veſtes ægroti putore fœdentur: ita non curo ſi ad particularia deſcendens, & aduerſarij tendiculas aperiens, quibus in hoc vitio viros ſpirituales infeſtat, aliquid putidum ſtylo tangam, cuius quidem vellem nec meminiſſe. Omnia igitur munda mundis; & ſicut coinquinatis & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum, & mens, & conſcientia:] ita iuſtis, & puritatis amatoribus, quæ dicemus, omnia ſint munda, nec legere vereantur, quæ cautè ſcripta ſunt, & pro eorum cautela dicuntur. Nam in his, qui iam ſæcu-

Hiero. epiſt. 10. c. 3.

Tit. 1. 15.

A

lo nuntium remiſerunt, & vitam ſpiritualem aggreſſi ſunt, aliqua notauimus, quæ ſunt huius vitij adhuc animo inſidentis reliquiæ, & conſummationis malorum eius initia, quæ ſi non ſtrenuè declinentur, manifeſtum facient caſtitatis excidium, & fœdiſſimæ luxuriæ aditum præparabunt.

Sunt quidem nonnulli & fortaſſis non pauci, qui in hoc vitio libidinis, cogitatione delinquunt: Non quia in impura cogitatione conſentiant, hoc enim criminale peccatum eſt, dicente Domino: Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo;] ſed quia eam negligenter eliminant. Non eam ſerpere & dominari ſinunt, nec (vt verbis ſcholæ loquamur) omnino negatiuè ſe habent, eam non curantes expellere, quod etiam ad graue peccatum pertineret, ſed valde remiſsè & oſcitanter abiiciunt.

Matth. 5. 28.

B

Sibilum ſerpentis quaſi furtiuè & latenter auſcultant, at licet non libenter, reiiciunt tamen, ne ſe crimine lethali contaminent. Ignem excipiunt in ſinu, quouſque tantillum carnalis odoris & impuræ voluptatis eliciat; non tamen ita, vt manifeſta flamma conſenſus erumpat. Vinum aſpidum odore percipiunt, & eius fallaci ſuauitate extremam linguam intingunt, non tamen, timore Domini cogente, calicem à dæmone oblatum ebibunt. Hi ſanè libidinis vitio poſſidentur, (licèt non ad mortem) & funibus adhuc luxuriæ ligantur. Quos ſi non conentur abrumpere, & ab impudicis cogitationibus (has quippe funes luxuriæ vocamus) quàm celeriter expedire, paulatim in conſenſum trahent, & ad nefarium opus admittendum impellent.

C

Nam impura cogitatio velut tinea eſt, de qua Iob: Quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum quod comeditur à tinea.] Hæc ex ipſo corde noſtro, quaſi ex veſte procedit, & ſi non citò excutiatur, morſu conſenſus praui conſumit. Tinea ſine ſonitu perforat veſtimentum, vt ait Gregorius, & ſic cogitatio praua, ſine eo quod mens ſentiat, eam aculeo admiſſi delicti transfigit. Audiat ergo, qui hunc luxuriæ gradum non effugit, dicentem Ieremiam: Laua à malitia cor tuum Ieruſalem, vt ſalua fias: vſque quò morabuntur in te cogitationes noxiæ?] & in primo impulſu cogitationis, ſi ſaluari vult, ianuam ei cordis occludat. Ea enim ſemel ingreſſa, mentem debilitat, & ſeipſam ita roborat, vt difficillimum ſit iniquum hoſpitem & nos planè deprædantem eiicere.

Iob. 13. n. 28.

Greg. 11. mor. c. 25.

Ierem. 4. 14.

D

In ſecundo gradu non iam apertæ ſed latentis luxuriæ ſunt illi, qui non timent proprium corpus, aut aliquam eius partem nudam videre, & ſe ipſos, aut nulla, aut ficta quadam neceſſitate contrectare. Nec pudet illos duos libidinis gladios, viſum & tactum, in ſuo corpore tanquam in cote exacuere, qui prauam cupiditatem exſuſcitent, & eiſdem gladiis improuidam mentem confodiant. Quid miſer puluerem curioſè inſpicis? Quid ſtercus tangis? Corpus enim tuum, & puluis, & ſtercus eſt, quod deberes patienter, & non ſine rubore geſtare, non tamen vt rem pulchram, ac mundam, aut oculis videre, aut manu contingere. Omnis impudicitia ſicut inimica eſt caſtitatis, ita ianua eſt apertæ luxuriæ.

E

Hæc autem nudi corporis inſpectio, & carnis licèt propriæ contrectatio, manifeſta eſt impudicitia, vt Thomas Aquinas ait, atque adeo comes eſt nondum victæ luxuriæ. Ideo viri ſancti ſuæ puritatis percupidi maximè à conſpectu etiam ſui ipſorum abhorruerunt. Sicut de admirabili Abbate Ammone narrat Athanaſius, quem, cùm ſe nudare, ac nudum videre erubuiſſet, vt Lycum fluuium tranſuadaret, in alteram ripam virtus diuina tranſpoſuit. Hoc miraculo Deus teſtatus

D Thom. 22 q. 51. art. 4.

Athanaſ. in vita Antony.

eſt quàm tibi ſit cordi pudicitia, quantùm etiam iſti aſpectus incauti diſpliceant. Maximè etiam viri ſancti laſciuos tactus vitarunt: laſciui enim ſunt, quos neceſſitas præciſa non exigit. Ex quibus profectò non modica caſtitatis iactura poteſt suboriri. Quare Ioannis Climaci ſententia eſt: Fit nonnunquam vt ex ſolo tactu corpus inquinetur. Nihil quippe ſenſu iſto grauius, nihil periculoſius. Admoneat te is, qui matris manui pallium circumdedit, atque ab iis, quæ vel naturalia, vel præternaturalia ſunt, à proprio, atque alieno corpore comprime manum.] Satis ergo ſe luxuriæ reliquiis inquinatos oſtendunt, qui circunſpectionis obliti, ſeipſos aſpicere aut tangere non verentur.

Climaci gradu. 15.

Sed ad alios tranſeamus, qui ſua corpora molliter tractant, & cibis delicatis ſuſtentant, & communem aliorum veſtem auerſantes ex lino ſubtiliſſimo, immò & nonnunquam ex byſſo interulas ad carnem geſtant. Quin & caligas & tibialia ex eodem lino, aut byſſo confici iubent, ne fortè communis pannus illos dilaceret, atque cruentet. Quanto iſti odio proſequentur cilicium, cuſtodem caſtitatis, quàm longè erunt à ſummeipſorum flagellatione, & aliis aſperitatibus, quorum præſidio viri ſpirituales corporis, & animæ puritatem tuentur, quos byſſus amicit, atque circundat, ne eorum tibias, aut femora communis pannus affligat? Et diues epulo ſtatum ſæcularem habens reprehenditur, quòd induebatur purpura & byſſo; & hi in ſtatu regulari, ſtatu vtique pœnitentiæ, & humilitatis ex eo quòd induantur byſſo & ſimilibus veſtimentis, ab omni reprehenſione inuenientur immunes? Non puto. Immò Saluator noſter eos ſuæ aſpentatis oſtentione reprehendet, & amictu aulicorum circundatos mundi aſſeclas non perfectionis amatores agnoſcet. Nec exiſtimo eos luxuriam viciſſe, aut laſciuiam reteciſſe, qui neſciunt minores voluptates reſpuere, & ſibi tales mollicies denegare. Verum eſt enim quod Bonauentura ex alio refert: Quia molles mollia quærunt: vnde hi mollia quærentes non poſſunt ab ea, quæ mater eſſe ſolet luxuriæ, mollitie defendi. At dicunt in his mollibus veſtimentis ſe non laſciuiam ſed corporis mundiciam quærere, quia animæ puræ omnis mundiciæ ſunt amatrices, nec poſſunt immunditias corporis ſuſtinere. Sed illis Hilarion apud Hieronymum reſpondet, quia ſuperuacaneum eſt, in cilicio, id eſt, in habitu pœnitentiæ, quem ipſi induunt, immoderatas munditias quæritare. Reſpondet etiam opus ipſum, quoniam ſæpe vidimus hos ſuorum corporum palpatores, honeſtatis neglectores eſſe, & qui aduersùs regulam & ſtatutum, corporalem mundiciam amãt, mentis puritatem habuiſſe contemptui. Mollities itaque veſtium, pars eſt luxuriæ, aut proximè aut remotè laſciuos motus incitans, impuras cogitationes nutriens, & mentem ad tuendam caſtitatem eneruans. Quam mollitiem ſi ſuaues pigmentorum odores comitentur, (id enim aliquando non ſine dolore videmus.) & vir religioſus velut alter Adonis moſchum, & alia ſimilia redoleat, neſcio quam cordis neceſſitatem prætexens, & odoriferis aquis aſperſus laſciuiæ indicia profundat, quibus vel fœminæ honeſtæ abſtinent, & mulierculæ impudicæ ſe produnt, quis putet eum, luxuriam viciſſe, & carnis ſpurcitias ablegaſſe? Ad iſta omnia tactui mollia, guſtui dulcia, & odoratui ſuauia, libidinis inſitus amor inducit, quæ penitus cauendà ſunt, ne rabies iſta propriis actibus creſcat, & ad nequiora & fœdiora pelliciat.

Luca. 16. num. 19.

Bonauen. in ſpecu. part. 3. c. 8.

Hiero. in vita Hilarionis.

Alios etiam inuenias, qui libenter libellos minùs pudicos legunt, & epigrammata, ac carmina laſciuos

amores

amores ſonantia reuoluunt, & id litteris ſcriptum, & eleganter elaboratum conſiderant, quod nondum ex ſuo corde præciderunt. At ipſi ſuam conſcientiam in teſtem vocent, quæ teſtetur an illud vitium auerſentur, cuius imagine delectantur. Nam & ſcriptio laſciua, imago laſciuiæ & impudicitiæ eſt, quam ſolus ille libenter legit, & oculis tum exterioribus tum interioribus inſpicit, qui laſciuiam & luxuriam in corde fouet. Certè apud antiquos Hebræorum cautum erat, vt refert Hieronymus, ne quis adoleſcens librum Geneſeos & Canticum canticorum legeret, quibus ſub nomine mulierum, & generationis humanæ, virtutum actus, ac multa ſunt myſteria ſignata. Id autem vetitum eſt, ne fortè hæc ſpiritualia, vt inquit Proſper, ſecundùm carnem adhuc carnales acciperent, nec virtutes cogitarent, quas mulieres illæ ſignificant, ſed ipſas cogitando carnaliter deperirent.] Quòd ſi ſancta ſanctè & circunſpectè legenda ſunt, ne nos ob ingenitam imbecillitatem aliqua voluptatis memoria commaculet, quanta cura eſſent profana & impura vitanda, quorum diabolus per ſuos adminiſtros eſt author, vt virus luxuriæ interiùs latens ſi non apertis flagitiis augeat, at rei alicuius laſciuæ lectione promoueat? Non dubites, ô lector, quiſquis es, te ad rerum turpium lectionem vitio luxuriæ nondum edomito, & intus latente, incitari, cui ſi vel in minimo conſentis, nunquam plenè deuinces. Illud eſt quod te ad hæc legenda diſſimulanter inſtimulat, vt impuras cogitationes moueat, impudicos motus in carne ſuſcitet, deſideria carnis immittat, & ſi valuerit, intellectum voluntatémque peruertat.

Hier. lib. 1. in Ezech. — *Proſper. 3. de vita contemp. c. 6.*

Sed aliud eſt multo periculoſius, quo vitium iſtud nondum expulſum incautos infeſtat. Intimas familiaritates cum fœminis, initio quidem, bono prætextu, aut certè non apertè malo, ſuadet, vt à caſtitatis concepto amore deturbet. Familiaritates iſtæ aliquando ob bonum finem incipiunt, vt ſcilicet quis fœminam à profana vita abducat, vt vitam ſpiritualem, & itinera orationis edoceat, vt eius confeſſiones excipiat. Interdum verò in hominibus imperfectis non tam honeſto fine ſe contegit, ſed certè non malo, ne ſcilicet quis agreſtis, & nimis ſcrupuloſus iudicetur, ne ſemper ſolitarius exiſtens, triſtis ac melancholicus fiat, ne honeſta quadam intermiſſione careat, & ne priuetur omnino virorum ac mulierum (vtrumque enim ſexum fecit Deus) vtili ac iucundo conſortio. His igitur ex cauſis amicitia incipit, ſed audi in quæ mala deiiciat. Nam primò prolixæ confabulationes admittuntur, in quibus imprudens homo præſenti fœminæ pulchritudine oculos paſcit, & molliſſima eius voce aures oblectat, & iam quaſi oculis & auribus fornicatur. Quòd enim ſit aliqua oculorum deteſtanda fornicatio, indicat Dominus præcipiens filiis Iſrael vt ponerent [vittas hyacinthinas per angulos palliorum, vt recordarentur mandatorum Dei, & non ſequerentur oculos per res varias fornicantes.] Et Gregorius Nazianzenus ait: Ea oculi impudici, & auidi attingunt, quæ nefas eſt attingere. Quòd etiam aures ſuo modo fornicentur, inſinuat Eccleſiaſticus, dicens: Sepi aures tuas ſpinis;]ne ſcilicet audiant vocem mulieris incantantis ſapientes, cuius [nitidius oleo guttur eius.] Hæc vox audita impurè delectat, & nihil minùs honeſtum dicens, ad turpem voluptatem inuitat. Quare iſti infœlices, qui prædictis fabulationibus cum fœminis habenas laxant, ſunt quidem, ſi non corpore, at oculis turpes, & auribus inhoneſti, quos dæmon irridet, & deſideriorum impudicitia captiuat.

Num. 15. 39. — *Nazianz. orat. 8.* — *Eccl. 28. 28.* — *Prou. 5. 3.*

Sed confabulationes, neque aſſiduæ, neque ita protractæ eſſe poſſunt, ac animus impudicus optabat, quas verecundia prohibet, ſcandalum aliorum auertit, & ſeuera diſciplina caſtigat. Nihil refert, nam manent cogitationes, & fœminæ cui cor agglutinatum eſt, memoriæ perpetuæ, quæ mentem, & corpus igne prauæ concupiſcentiæ ſuccendunt. Ex oculorum aſpectu cœpit impura cogitatio, & ex cogitatione naſcitur praua cupiditas, à qua primùm vulnetaris, tandem occideris. Optimè namque Clemens Alexandrinus ait: Dum laſciuiunt oculi, caleſcunt appetitiones, & oculi proximos imprudentiùs reſpicere aſſue facti, quod conceſſum otium habeant, intendunt cupiditates.] Iam amator quondam caſtitatis, non negabis te nunc eſſe fornicarium, cùm licèt corpore abſtineas, animo ludas, & mente turpia voluas, atque reuoluas. Nam & ſcriptum eſt: Amen dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.] Ergo adulter es, & impudicus, qui talia cogitas, & confabulationes, & aſpectus mulierum iteras, quæ impudicitiam ad finem vſque perducant. Vt enim ait ſanctus Nilus Abbas: Lucernæ flammam oleum nutrit, & libidinis ardorem accendit conſuetudo fœminarum] Ac rurſus: Florent olera prope aquam ſata, & libidinis ſemina familiaritate mulierum excitantur.

Clemens 1. pædagog. c. 11. — *Matth. 5. 28.* — *Nilus orat. 1. de luxu.*

Hæc omnia interiora ſunt? Non ergo tu veram virtutem, ſed imaginem externam virtutis quæris, qui non times interiùs impudicus eſſe, & turpis, ac laſciuus à Deo & Angelis reputari? Sed tace. Citò peſtis ſe prodet, & nequaquam in mente ſe continebit. Nam poſt mutuas confabulationes intrabunt blanda colloquia, & malæ dulces querelæ, quæ longam aliquam abſentiam doleant. Sequentur munuſcula vltro citroque data; & illa tibi munda linteola, tu illi precatorios globulos, vel imagunculam affabrefactam donabis, & mutuo pignore accepto maiorem ambo aperiendi deſiderij confidentiam obtinebitis. Ne accipias munera, ait Dominus, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum.] Quòd ſi excæcant corda prudentium, quanto faciliùs excæcabunt imprudentes, & cæcum ac cæcam illigabunt? His nexibus luxuria in præcordiis abſcondita, & nondum victa, tepidos & inſipientes euertit, & ex his modicis (& certè modica non ſunt, quæ ad maiora diſponunt) grauiſſimis peccatis, & pernicioſiſſimis ſcandalis ianuam recludit. Et primùm oculus fornicatur, & poſtea impudens os ad laſciuum colloquium aperitur, & interuenientibus munuſculis hoſtis latens ex inſidiis egreditur, & omnia deuaſtat, & hominem à ſæculo auulſum ad ſæcularia immo ad carnalia & turpia deturbat.

Exod. 23. 8.

His addenda ſunt quæ ſuprà de nimiis familiaritatibus diximus, cum quibuſcunque perſonis, initis, nam & hæ reliquiæ ſunt occultæ turpitudinis, quæ non meliores ſed formoſiores diligit, & adoleſcentulos, atque imberbes ad frequens colloquium admittit. Omnia quæ diximus, non ſine pudore his noſtris ſcriptis inſeruimus. Sed charitas & deſiderium manifeſtandi aſtum diaboli multis viris caſtis illudentis, noſtrum pudorem cohibuit, & ad ſcribendum impulit. Planè ſentimus, & certiſſimè cognoſcimus, hæc omnia actus eſſe luxuriæ, in eo quod poteſt ſe ipſam oblectantis. Sicut enim fur multa quidem & pretioſa furari cupit, ſed ſi non adſit facultas pretioſa tollendi, minora & viliora tollit, & vectes ac ſeras effringens, aditum ad pretioſa accipienda recludit: ita carnis concupiſcentia timore Domini impedita hæc minora non deſpicit, ſi fortè ex illis im-

moderatus

cupare non curat: & mentem ſancta cogitatione ſuſpenſam laſciua cogitatio non infeſtat. Si autem à pia vtilique conſideratione dilapſus, impuram cogitationem fores cordis pulſare perſenſeris, ei ſancta conſideratione metum incutiente reſponde. Si iam timorem Domini concepiſti, memorare, illam laſciuam cogitationem Dei offenſam, ac eius legis tranſgreſſionem afferre: mortem iam pro foribus aſtare, te a ſæculo auocantem, & in meliorem vitam Angelis cognatam, ducentem: diem reddendæ rationis eſſe decretam, in qua ſi illam cogitationẽ repuleris, præmium, & laudem; ſi tantillum admiſeris, pœnam & vituperationem recipies: concupiſcentiæ ignem, etſi plenum conſenſum non extorqueat, acerbiſſimo igne purgari; ſi verò ad conſenſum impellat, ignibus æternis puniri. Quam conſiderationem optimum eſſe luxuriæ medicamen Iſidorus aſſeruit. Quando impulſu dæmonum, inquit, mens ad delectationem fornicationis impellitur; diuini iudicij metus, & æterni tormenta incendij ante oculos proponantur; quia nimirū omnis pœna grauioris ſupplicij formidine ſuperatur. Sicut enim clauus clauū expellit, ita ſæpe recordatio ardoris gehennæ, ardorem excludit luxuriæ.] Habemus verò maius aliud, & efficacius huius remedij teſtimonium, cùm Eccleſiaſticus dicat: In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.] Vtilis ſanè, ac omnino acceptanda memoria. Si enim à patratione delicti, cohibet deſiderium boni, & timor mali; quid efficaciùs à conſenſu prauæ voluptatis abducet, quàm ſummum bonum æternæ gloriæ, quod caſtos manet; & ſummum malum æternæ pœnæ quod laſciuos & impudicos expectat? Hi fortiſſimi milites exeant obuiam ab arce cordis tui, vt impuras cogitationes arceant, & primum etiam ingreſſum impediant. Conferet etiam maximè, quod Bonauentura notauit, vt ad primum impudicæ ſuggeſtionis impulſum, verba Vriæ Hethæi tibi vſurpes, & huic occaſioni ea non imprudenter accommodans, tibi dicas: Dominus meus Ieſus, qui vera arca teſtamenti eſt, pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? Talique paſſionis Domini recordatione perculſus, voluptates cogitare erubeſces, & cùm Dominus ſibi crucem elegerit, non acquieſces tibi impuras mollities præparare.

Iſido. li. 2. ſent. c. 19. — *Eccl. 7. 40.* — *Bonauentu. in ſpecul. 2. p. pritcap. cap. 2. 2. reg. 11. 11.*

V. Non ſolæ cogitationes cohibendæ ſunt, ſed & ſenſus omnes refrænandi, qui, vt internuntij turpitudinis, miſeram animam in ſuæ dominæ amorem inclinant. Samſon deſcendens in terram Philiſtinorum, vidit ibi mulierem, & adamauit eam, & vnius aſpectus crines capitis raſit, & omnem fortitudinem eius diripuit. O quàm multos auditus decepit, & vox mulieris catenis affectus effrænati deuinxit! O quantos ſuauis odor veſtimentorum allexit, copia ciborum irretiuit, & tactus minùs cautus in foueam luxuriæ deiecit! Verè [aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras, diſperdere paruulos deforis, iuuenes de plateis.] Paruuli, ſunt affectus noſtri, qui more paruulorum ſunt ferula cohibendi: iuuenes, ſunt voluntates noſtræ, quas nec dum cani prudentiæ & diſcretionis exornant: mors verò, praui conſenſus primùm appetitus libere vagantes, & deinde voluntates per plateas rerum ſenſibilium diſcurrentes, occidit, quam mortem apertæ feneſtræ, id eſt, ſenſus, in domum cordis admiſerunt. Nunc Hugonem Victorinum his aſtipulantem auſculta. Mors animæ, ait, eſt concupiſcentia: domus interior, mens noſtra eſt: feneſtra huius domus, ſunt quinque corporis ſenſus. Mors ergo per feneſtram aſcendit, atque domos ingreditur, quando concupiſcentiæ vitium per ſenſus prorumpit ad intenota mẽtis. Quapropter ne vitalis ſenſus per exteriorem appetitum intus intereat, opus eſt vt feneſtras domus noſtræ tanta diligentia cuſtodiamus, vt ipſum appetitum tanto faciliùs poſſimus compeſcere, quanto nullum vitiis permittimus ingreſſum patere.] Feneſtræ igitur iſtæ claudendæ ſunt, & internuntij ab ingreſſu cohibendi, ne miſeram & infirmam animam à propoſito caſtitatis amoueant.

Iudic. 14. 1. — *Ierem. 9. 21.* — *Hugo. in reg. c. 6.*

VI. Corporis afflictionem, & caſtigationem diligito, quam in abſtinentia, in ſobrietate, in veſtium aſperitate, ac vilitate, & in ſuſtinendo aliquo dolore omnes patres collocarunt. Abſtinentia eſt, vt cibum ad neceſſitatem, non ad voluptatem neque ad crapulam accipias. Nimius enim cibus corpus non tam ad opera vitæ roborat, quàm ad impudicitiam impinguat, vt aduersùs ſpiritum recalcitret, & frænum honeſtatis amittat. Vnde Gregorius: Abſtinentia ciborum contra hoc vitium fortiſſima eſt: ſi enim ignis libido eſt, ſubtrahis igni materiam, cùm cibos ſubtrahis.] Sobrietas eſt, vt à potu, præſertim vini, temperes, & illud ſi bibendum ſit ob carnis imbecillitatem, & modicum, & ſatis aqua dilutum ſumas. Paulus enim diſcipulo Timotheo iam Epiſcopo, & curis, ac laboribus prægrauato, & ægritudinibus affecto, non niſi parum vini concedit. Noli, inquit, adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates.] Et diaconos, ac adminiſtros altaris vult non multo vino deditos, ſed qui ſciant ſobrietatem ſeruare. Vinum autem in adoleſcentia præſertim fugiendum eſt, ne caro per ſe robuſta, vini adiectione ad luxuriam incaleſcat. Quare Hieronymus ad Euſtochium ait: Hoc obteſtor, ſponſa Chriſti vinum fugias pro veneno. Hæc aduersùs adoleſcentiam prima arma ſunt dæmonum. Vinum, & adoleſcentia, duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adiicimus? Quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus?] Veſtium aſperitas eſt, ſi non ad luxum, non ad faſtum, ſed ad operienda & protegenda corpora noſtra, veſtem exquiras. Immoderatum quippe cultum indumẽtorum dæmon inuenit, vt carnem laſciuam ipſum geſtantis ad impuras voluptates inuitaret, & corpus aſpicientis ad turpitudinem alliceret. Tu ergò contrariam teneas viam, & indumentum vile ac commune diligas, quod nec te ad deſideria laſciuiæ excitet, nec in aſpicientibus memoriam alicuius turpitudinis ingerat. Nam & primum, quod Spiritus ſanctus in muliere impudica taxat, eſt nimius & exquiſitus ornatus, quo pertrahit ad impuras voluptates. Ecce, inquit, occurrit illi, (id eſt, adoleſcenti,) mulier, ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas.] Vt videlicet cognoſcamus ſuperfluum ornatum eſſe inſtar retis, quod ſtultos ad luxuriam capiat. Si autem rete viſum (id eſt plus nimio culta veſtis) ad laſciuiam mouet, quanto magis non iam viſum ſed corpori admotum animam incautam innectet? Suſtentatio doloris eſt, ſi corpus ciliciis affligas, flagellis domes, humi cubationibus, vigiliis, & aliis ſimilibus exerceas, quo non iam voluptatem ſed quietem aliquam concupiſcat. Nam certè corpus blandè tractatum, non aliud quàm ſui delicias, & animæ excidiū meditabitur. Apoſtolus, inquit Hieronymus, macerat corpus ſuum, & animæ ſubiicit imperio, ne quod aliis præcipit, ipſe non ſeruet: & adoleſcentula feruente cibis corpore, de caſtitate ſecura eſt?] Quis tam efficaci ratione non conuincatur, quis non ſibi ipſi perſuadeat omnem indulgentiam ſuo corpori denegare? Paulus enim nec adoleſcens iam erat, nec virócioſus erat, nec rore ſanctæ

Greg. li. 5. in 1. reg. ad c. 14. — *1. Timot. 5. 23.* — *1. Timot. 3. 8.* — *Hieron. epiſt. ad Euſto.* — *Prouer. 7. 10.* — *Hieron. epiſt. 10. ad Furid. c. 3. to. 3.*

contempla

contemplationis,(de qua nunc dicemus,) vacuus e-
rat,& tamen corpus afflictione conterit, ne aduerſùs
ſpiritum concupiſcat: quanto magis his præſidiis ad-
uerſùs carnem deſtituti,deberent eam ſaltem neceſ-
ſaria aſperitate domare?

VII. In ſtudium orationis aſſiduæ diligenter incumbe,
non tantùm illius, qua auxilium poſtules à Domino
ad hunc gigantem ſuperandum, de ea enim iam ſu-
prà diximus,ſed illius præcipuè,quæ cœleſtium rerum
conſideratione,& affectibus amoris diuini,ac ſanctis
deſideriis perficitur. Nihil eſt quod cum hoc reme-
dio conferri poſſit, nec quod potentiùs carnis ardo-
rem, ac luxuriæ flammam extinguat. Illæ enim al-
tiſſimæ cogitationes, viliſſima phantaſmata rerum
carnalium expellunt; illa puriſſima deſideria,fœdiſ-
ſimas corporis concupiſcentias excludunt,& ſanctiſ-
ſimus ille complexus, quo anima ſuum creatorem
aſtringit,ab omni complexu carnis abhorret. Eſt hoc
orationis genus, velut cœleſtis quidam ros immiſſus
à Domino,vt animam riget, & ex ea in carnem de-
ſcendat, & ignem illum ſulphureum carnis exclu-
Eccl.18. 16. dat. Eccleſiaſticus quidem ait: Nonne ardorem re-
frigerabit ros, ſic & verbum meliùs quàm datum.]
Datum, hoc loco aliquod donum cœleſte ſignificet,
aut aliquem actum virtutis,vt puta, abſtinentiæ, aut
humilitatis, quo Dominus animam iuſti multiplicat;
& verbum,internum ſermonem deſignet, quo ani-
ma ſuas infirmitates in oratione pandit, aut certè
quem ipſa in receſſibus cordis,è cœlo demiſſum au-
dit. Hoc verbum rori comparatur,quia ſicut ros æ-
ſtiuum calorem temperat, & corpora calore fatigata
recreat; ita oratio,& mutua cum Domino colloqu-
tio, omnem æſtum carnis refrigerat. Incumbamus
Cypr. lib. 1. epiſt. 1. gemitibus aſſiduis, inquit Martyr Cyprianus, & de-
precationibus crebris. Hæc ſunt enim nobis arma
cœleſtia, quæ ſtare & perſeuerare fortiter faciunt.
Hæc ſunt munimenta ſpiritualia,& tela diuina, quæ
protegunt.] Et ita ſanè viuendum eſt, vt mens no-
ſtra,aſſidua meditatione rerum diuinarum abſorpta,
ipſam carnis curam neceſſariam erubeſcat,vt,narran-
te Athanaſio, erubeſcebat magnus Antonius, & ſu-
perfluam,tanquam rem viliſſimam,omnino derelin-
quat.Ita fiet,vt paulatim ætatis ſpiritualis perfectione
veniente muliebria nos deſerant, & impuræ concu-
piſcentiæ diſcedant. Atque animus caſtus & deliciis
ſpiritualibus affectus, non ſolùm luxuriam vincat,
ſed omnem memoriam impuritatis reiiciat. Ad
quantam verò mundiciam animæ & corporis viri
perfecti, orationis & mortificationis ſtudio perue-
niant, infrà dicemus, cùm de caſtitate tractabimus.
Nunc verò pro pugna cum teterrimo vitio,hæc dicta
ſufficiant.

De vitio Auaritiæ & eius actibus.

CAPVT VII.

AVARITIA eſt immoderatus appeti-
tus acquirendi, vel retinendi bona tem-
poralia. Nam bonorum temporalium
appetitus duplex eſſe poteſt. Alter, quo
quis, quantum, & quando, & quomo-
do oportet, vult aliquid temporale, iuxta neceſſita-
tem naturæ, vel ſtatus ſui; & in hoc nulla reperitur
iniquitas. Alter, quo quis diſſentiens rectæ rationi,
res temporales concupiſcit, qui adhuc in duos appe-
titus ſiue temporalium rerum concupiſcentias, eſt
D.Tho. 22.q.118. art.3. diſtinguendus. Vna eſt,qua aliquis indebitè,& cum
iniuria proximi vult aliquid acquirere, aut retinere,

A & hæc iniuſtitia eſt:altera verò, qua ſine alicuius in-
iuria; nimis & inordinatè rebus temporalibus,aut ac-
quirendis aut retinendis inhæret; & hæc auaritia eſt.
Hæc diuina ac cœleſtia negligit, vt terrena & abiecta
poſſideat; & prætextu libertatis habendæ animam
auaram grauiſſima ſeruitute deſideriorum tempora-
lium infeſtat. De qua pulchre ait Proſper Regienſis *Proſp.lib. 2.de vita contēpla. c.15.*
Epiſcopus:Iubet imperioſa cupiditas,vt diuina parui-
pendentes,poſſeſſionum terreſtrium damnoſa com-
pendia cogitemus: vt in eis totam ſolicitudinem cu-
rámque ponamus, vt inde nos morbida vanitate ia-
ctemus, vt amplitudine patrimonij diffuſioris elati,
fieri pauperes ſpiritu negligamus. O facinus inau-
ditum: ſuaui Chriſti iugo contempto, ferreum cupi-
ditatis imperium voluntaria mentium inclinatione
B ſuſcipimus,& Domini noſtri leui onere,quod ſubie-
ctos nō onerat,ſed ſubleuat,poſt habito, plumbeum
pondus noſtris ceruicibus aggeramus.] Auaritiam
prohibuit Dominus, dicens: Nolite ſoliciti eſſe in
craſtinum. Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi, *Matth.6. 34.*
ſufficit diei malitia ſua.] Et iterum: Videte, & ca- *Luc.12. 15.*
uete ab omni auaritia: quia non in abundantia cu-
iuſquam, vita eius eſt ex his quæ poſſidet.] Ac ſi di-
ceret:Si poſſeſſionibus nequaquam vita protrahitur,
nec diuitiarum poſſeſſione fit longior, non eſt cur il-
las,aut vltra menſuram aggregare,aut retinere cure-
tis. Paulus quoque ait: Sint mores ſine auaritia: *Hebr. 13. 5.*
contenti præſentibus: ipſe enim dixit: Non te de-
ſeram, neque derelinquam,]ita vt confidenter dica-
mus: Dominus mihi adiutor, non timebo quid fa- *Pſal.117. 6.*
C ciat mihi homo.] Verè qui auaritiam, & nimiam
ſolicitudinem rerum huius mundi deponit, Deum
prouiſorem & adiutorem habet: auarus verò di-
gnus eſt ſpeciali ac benigna Domini prouiſione pri-
uari, eo quòd immoderatè viſibilia quærens, non
tam in Domino quàm in ſemetipſo confidit.

Vitium hoc non leuiter, nec quaſi in tranſitu
ſtatum religioſorum infecit, ſed ſatis grauiter atque
pertinaciter ſordidauit, cuius gradus, incipiendo à
minoribus, breuiter explicabimus. Primus eſt il-
lorum religioſorum, qui ea conditione videntur
Euangelicam paupertatem vouiſſe, modò nihil o-
mnino eis neque in cibo, neque in veſte, neque in
habitatione deficiat. Volunt eſſe profeſſione pau-
peres, ſed actione diuites, qui nullam incommodi-
D tatem, nullam neceſſitatem ſuſtineant. In hoc pau-
pertatem amant, vt eam habitu præferant, non ta-
men in hoc, vt effectum aliquem paupertatis ſen-
tiant. Ac ideo ſi aliquid deſit, ſi cibus minùs be-
ne apparatus miniſtretur, ſi veſtis detrita aliquantu-
lum offeratur; ſi cella minùs commoda, vel ſupel-
lectili vacua deſignetur, ſtatim triſtantur,& conque-
runtur, immò & non ſine ſcandalo puſillorum ob-
murmurant.Fortè non intellexerunt vim illius Pau-
linæ ſententiæ: Tanquam nihil habentes,& omnia *2. Cor.6 10.*
poſſidentes:] qua ſignificatur pauperibus Euangeli-
cis omnia ſponte ac libenter miniſtrati, non tamen
ipſos omnia poſſidere. Hos ſugillat Bernardus di-
cens: Hi ſunt qui pauperes eſſe volunt, eo tamen *Bern. ſer. 4.de Aduent.*
pacto, vt nihil eis deſit; & ſic diligunt paupertatem,
E vt nullam inopiam patiantur.] Et eos quidem ego
ſimiles dicerem quibuſdam hominibus animi puſil-
li, qui Indorum opibus inuitati, ex Europa in no-
ſtram Americam nauigare conſtituunt: nauem au-
tem ingreſſos, & nonnihil moleſtiæ, & famis, ac ſi-
tis expertos, eos cœptæ nauigationis pœnitet, & ſi
caſu aliquo, aut obſiſtente vento(quod non ſemel
accidit) nauis in Hiſpaniam redeat, profectionem
ipſam, & opes, quas apud nos lucrarentur, derelin-
quunt. Ita hi ſtatu pauperes, ſed diuites deſiderio,

diuitiis

diuitiis patriæ cœleſtis illecti, illuc per extremam etiam paupertatem,ac rerum omnium contemptionem properare decreuerunt, ſed ſi aliquid deſit commodorum,quæ in ſæculo habuerunt,pœnitentia ducti,ad illud,ſi non habitus dimiſſione,at ſanctæ paupertatis odio, & concupiſcentia diuitiarum, curant remeare. Conſiderent ergo ſe pauperes eſſe,& adeò eſſe annexum pauperi, penuriam pati, vt nulla eſſe poſſit pauperis ac penuriæ disiunctio. His illos libet adiungere, qui non tam ſibi quàm cœnobio, & toti congregationi neceſſaria ſine vlla menſura procurant, & cum ſcandalo ſæcularium, Monaſterij prouentus augmentant. Quos auariſſimos eſſe, & rerum temporalium cupidiſſimos, notiſſimum eſt, & eo noxiùs deceptos, quo ſub honeſtiori prætextu ſuam auaritiam palliare noſcuntur. Sciant non ſolùm ſe paupertatem vouiſſe, ſed etiam conuentum, quia pauperum, pauperem eſſe debere; qui non diuitias congreget, nec agrum agro copulet vſque ad terminum loci, ſed neceſſaria cum ædificatione quærat,& ſi ea non inuenerit, de diuina liberalitate ac prouidentia confidat.

Ex hoc primo auaritiæ & puſillanimitatis gradu, (nam omnem cupidum animo puſillum eſſe putamus,)alter ſequitur perniciosior,quo neceſſaria cum immoderato affectu, & nimia adhæſione poſſidentur. Eóque gradu rerum vſus in inquietudinem tranſit,ita vt videantur non tam ad vſum & neceſſitatem quæſitæ, quàm ad anxietatem & amaritudinem vſurpatæ. Videas aliquos religioſorum tam pertinaci tenacitate librum, aut veſtem, aut cellam, aut ſimilem aliam vilitatem tenere, ac ſi ex ea, non dico iam corporis ſalus, ſed animæ puritas ac perfectio penderet, & ac ſi talis rei, aut amiſſio, aut pro alia commutatio, totum vitæ ſuæ ſtatum labefactaret. Hos Bernardus non minùs quàm ſæculares, ampliſſimarum diuitiarum auaritia detentos peccare aſſerit. Quid refert, inquit, ſi fortè (quod abſit) non quidem diuitias, ſed ea ipſa, quæ paupertatis ſunt,toto affectu deſideres,aut etiam ardentiùs quàm diuitias cupiant homines ſæculares? Quid diſtat, quæcunque ſubſtantia deſideretur, dum æqualiter ſit corruptus affectus, niſi quòd tolerabilius illud videri poſſit,quæ pluris eſſe videntur, plurimum deſiderare?] Non recordantur iſti illius Dauidici carminis: Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.] Si enim diuitiis affluentibus, & ſe ingerentibus, & quaſi ex nimio erga nos amore domum noſtram quæritantibus,cor apponendum non eſt,quanto minùs in minimis rebus ad vſum nobis conceſſis collocandum? Quæ ſanè ob ſui paruitatem, nec affectu noſtro ſunt dignæ,eúmque vel ob ſui exilitatem ſatiare non poſſunt. Et, ſi diuites ſequens verſus: Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt,& tibi Domine miſericordia,]ab amore nimio diuitiarum auocat,quod denotatur (vt inquit Baſilius) Deum ſemel,id eſt, firmiter ſtatuiſſe, futurum eſſe iudicium,quod immoderatos erga res creatas amores puniat; quanto magis & Euangelicos pauperes ab amore rerum viliſſimarum abducet, ne illarum cauſa à Deo, cui ſe conſecrarunt, voluntatem auellant? Sed hunc rerum minimarum amorem mentis quietem tollere,ac proinde eam à dulci erga Deum affectu ſeparare, Caſſianus manifeſtè proclamat, cuius ſunt verba, quæ ſubiungam: Hinc eſt,quòd nonnullos, mundi huius maximas facultates,& non ſolùm multa auri atque argenti talenta, verumetiam prædiorum magnificentiam contemnêtes,poſt hęc videmus,pro ſcalpello,pro graphio, pro acu,pro calamo commoueri. Qui ſi contemplationem mundi cordi fixam tenerent, nunquam vtique pro paruis rebus admitterent, quod ne pro magnis ac pretioſis incurrerent opibus, eaſdem penitus abiicere maluerunt.] Et quidem hæc ratio Caſſiani poſſet immoderatum affectum iſtorum ſufficienter curare. Si enim magna reliquerunt, ne ſe creaturarum amore fœdarent,& ne Dei contemplationem & amorem in ſolo animo pacato, & mundo reſidentem impedirent, cur paruiſſima affectu non deſerunt, quæ quò abiectiora ſunt, eò turpius inficiunt,& damnabiliùs mentis tranquillitatem,& Dei communicationem impediunt? Neceſſaria ergo ita accipienda ſunt, vt nec affectui adhæreſcant, nec mentem noſtram polluant, nec ſi auferantur, aut non miniſtrentur, à corde religioſi viri tranquillitatem euellant. Id enim eſt ſcire cum Paulo, [ſatiari, & eſurire,abundare,& penuriam pati.]Quia nec ſcit abundare, qui in neceſſitate immoderatè triſtatus eſt; nam (vt videtur) abundauit ad luxum: nec ſcit eſurire,qui per impatientiam ſibi ipſi damnum intulit,dum non eſuriit ad meritum.

Hic immoderatus affectus, qui proprius eſt cupidorum,in tertium gradum auaritiæ præcipitat. Nec immeritò eum præcipitari dicimus, qui licèt in auaritiæ vitio contingat nouus aſcenſus, tamen maior etiam accedit,& contemptibilior à virtute receſſus. Ex immoderato ergo circa neceſſaria cupiditatis affectu naſcitur ſæpe rerum minimè neceſſariarum amor,ac quarundam curioſitatum deſiderium in veſtibus,in libris,& in reliquo apparatu cellarum,quod iam apertè,& ſine fuco animum diſtrahit,& ineptiſſimarum curarum immiſſione diſcruciat. Iam non tantùm duplicata,ſed quadruplicata,immò,& octuplicata veſtis appetitur; iam bibliotheca, quæ voluminum multitudine,& curioſitate Vaticanam exæquet,inſtruitur; iam icones, & imagines pretioſiſſimæ pauperis cellam exornaturæ quæruntur; iam pro penario repoſitoria præparantur,quæ delicata,& ſuauia ad cibum & potum pertinentia, & vaſa vitrea pulcherrima, & fictilia ex Synarum regno aduecta, recondant. Videbis non cellam religioſi, ſed conclaue hominis ſæcularis, cuius profeſſio eſt diuitias ac delicias ſemper augere. Non eſt hoc recens virorum Deo conſecratorum malum,quod Ioannes Caſſianus ante mille annos in illius ætatis religioſis deplorat. Ad hæc,inquit,nos miſerabiles, quid dicemus, qui in cœnobiis commorantes, ac ſub Abbatis cura & ſolicitudine conſtituti,peculiares circumferimus claues, omníque profeſſionis noſtræ verecundia & confuſione calcata, etiam anulos quibus recondita præſignemus, in digitis palam geſtare præſumimus? Quibus non ſolùm ciſtellæ vel ſportæ, ſed ne arcæ quidem, vel armaria,ad ea, quæ congerimus, vel quæ egreſſi de ſæculo reſeruauimus, condenda ſufficiunt? Quique ita nonnunquam pro viliſſimis,nulliſque rebus accendimur, eas nobis velut proprias vindicantes, vt ſi quis vel digito quicquam ex his contrectare præſumpſerit, tanta contra eum iracundia ſuppleamur,vt commotionem cordis noſtri nec labiis quidem,ac tota corporis indignatione reuocare poſſimus.] Neque iſta ſuperflua valemus obtegere neceſſitatis obtentu, quæ non neceſſitati, ſed vanitati & cupiditati noſtræ ſeruire noſcuntur. Quis enim credat tot ſellas in cella religioſi eſſe neceſſarias,ac ſi ibi more regis eſſet comitia coacturus? Ad quid tot menſæ, ac ſi vniuerſum populum, ſicut Aſſuerus, eſſet ad conuiuium vocaturus? Ad quid tot ac tam pulchræ imagines, & ſplendidus apparatus,ac ſi in cella ſua, & non in Eccleſia eſſet feſta natalis Domini, & alia ſimilia celebraturus? Ad quid

Bern. ſer. de tribus ordinibus Eccleſiæ ad Patres in Capit.

Pſal. 61. nu.11.

Pſal. 61. n.12.13.

Baſil. ib.

Caſſian. col.1.ca. 6.

Philipp. 4.12.

Caſſian. 4. de inſtitut.ca. 15.

denique tot thecæ, tot arculæ, tot repoſitoria pigmentorum, ac ſi eſſet ad modum mercatoris in rebus vendendis & pecuniis congerendis, vitam & tempus occupaturus? Contemptori diuitiarum ſufficit moderata veſtis, quã geſtat, & œconomus Monaſterij alias pro tempore opportuno cuſtodiat: ſufficit parua menſa, non multi libri, imago affectum compunctionis mouens, & ſi quid aliud neceſſitas huius vitæ dictauerit, reliqua non ſunt niſi fomenta cupiditatis, & fructus auaritiæ nondum extinctæ, quæ ex minoribus ad maiora procedit.

Vis videre quo pacto hæc peſtis auaritiæ à minoribus ad maiora procedat? Audi igitur: nam ex hoc tertio gradu ad quartum progreditur, & religioſo non tantùm curioſa, ſuperflua, & vana, ſed & peculium pro illis emendis & reficiendis habere ſuadet: vtinam tantùm ſuaderet, nam & perſuadet, & ad habendum peculium inducit. Eſt autem peculium, aut ſummæ pecuniæ, aut alterius rei determinatæ poſſeſſio, quam religioſus, non ſine Prælati licentia, vſibus ſuis neceſſitatibúſque reſeruat. Quod ſtante adhuc decreto Tridentinæ ſynodi, in aliquibus religionibus licitum eſſe non dubito, nec id ad me in hac materia ſpiritus explicare attinet. Sed aliud eſt quod lex Eccleſiaſtica, & ſanctarum religionum benignitas, ad vitanda maiora mala, & ad oſtendendam piam erga ſuos filios compaſſionem, permittit: aliud verò, quod immoderatus imperfectorum affectus ſibi concedi ad ſuperfluitatem requirit. Hunc nos affectum nunc carpimus, illud verò Theologis ſcholaſticis diſcutiendum relinquimus. Meritò autem hunc poſſidendi affectum inter auaritiæ gradus computamus, & ſatis perniciosum dicimus: quandoquidem iuxta ſententiam B. Fulgentij, quem is affectus ſibi ſubiecerit, religioſi nomine facit indignum. Dicebat enim hic ſanctiſſimus Epiſcopus, & Eccleſiæ Africanæ columna firmiſſima, nec debere, nec poſſe monachum iudicari, cui voluntas habere priuatum peculium perſuaſerit. Vt enim monachus lautioribus forſitan cibis vtatur, interdum cogit infirmitas corporis. vt autem cupiat in quamlibet exiguis rebus iuris proprij dominium vendicare, ſuperbæ voluntatis & auaræ cupiditatis euidens eſt teſtimonium. Scio autem quibus rationibus imperfecti hoc auaritiæ genus à Fulgentio ſigillatum defendant: quas pulchre deſcribit Caſſianus, & religioſorum noſtri temporis querimonias exponit. Hæc, inquit, id eſt auaritia, cùm remiſſam tepidámque monachi poſſederit animam, primitus eum in exigua ſumma ſolicitans, iuſtos quoſdam, & velut rationabiles ei colores, ob quos reſeruare ſibi aliquid pecuniæ debeat, vel parare, deſcribit. Nam & ea, quæ præbentur in Monaſterio, queritur non eſſe ſufficientia, & ſano robuſtóque corpore vix poſſe tolerari, quid faciendum, ſi valetudo mala carnis emerſerit, & reconditum non fuerit aliquid peculiare, quo ſuſtentetur infirmitas? Monaſterij præſtationem eſſe pertenuem, & negligentiam erga ægrotantes maximam. Si proprium aliquid non fuerit, quo cura corpori valeat adhiberi, miſerè eſſe moriendum. Ipſum etiam veſtimentum non ſufficere quod præbetur, niſi procurauerit vnde ſibi aliud valeat exhiberi. Poſtremò nec diu poſſe in eodem loco, vel Monaſterio commorari: & niſi parauerit ſibi viatici ſumptus, euectioníſque tranſmarinæ mercedem, non poſſe, cùm voluerit, tranſmigrare, & neceſſitate inopiæ coarctatum, laborioſam ac miſerabilem abſque vllo profectu vitam iugiter toleraturum: inopem quoque ſe ſemper, ac nudum non ſine improperio aliena ſubſtantia ſuſtentandum.] His dæmonis

Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 2. de regul.

In vita vita Sur. to. 1. in Ianuar.

Caſſian. lib. 7. c. 7.

A illuſionibus non tam verba quàm opera contraria reſpondeant: quia innumerabiles omnium ordinum religioſi, ſine vllo peculio viuimus, & tamen nec fame perimus, nec penuria veſtimenti rigeſcimus, nec ægritudine pulſati morimur, nec ſemper, ſi oporteat emigrare, in eodem loco conſiſtimus. Quare ergo tu, qui hæc legis, quod nos poſſumus, ipſe non poteris? An gratia Dei te ſolum deſeret? An diuina liberalitas, quæ auiculas & filios coruorum reficit, te ſolum non ſuſtentabit? An verò tu præ omnibus delicatior & blandior neceſſitati ſuccumbes, niſi te pecuniis communieris? Depone frater hanc diffidentiam tuam, & quæ tibi imprudens præparaſti, cautior factus, vſibus cœnobij concede, vt Dominus te iam non auaritiam & laxitatem fouentem, ſed
B Euangelicam paupertatem, quam profeſſus es, aſſeruantem, tenerrimè diligat, & ſpeciali prouidentia ſua tuis neceſſitatibus religionis beneficio ſuccurrat. Ipſe qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum,] te dilectiſſimum filium, omnia propter ipſum deſerentem, non deſeret, & omnem cupiditatem & puſillanimitatem abiicientem, è gremio ſuæ dulciſſimæ prouidentiæ non abiiciet.

Quartus hic auaritiæ gradus quinti ianua eſt, atque poſtremi, quo infœlix religioſus omnem timorem verecundiámque deponens, pecuniam congregare, & argentum & aurum coaceruare non dubitat. Pecunias quoque iam congregatas negotiatio-
C ni per manus alicuius ſæcularis, & mercimoniis expoſitas, & conſeruare & augere non metuit. Id autem quo fine? Vt ſcilicet abundantiùs ſuis neceſſitatibus vſibúſque prouideat: vt prælationes & dignitates intra & extra religionem coemat: vt conſanguineos ditet, fratres ſuſtentet, ſorores collocet, & demum, vt retento habitu, ad ſæculum conuerſatione reuertatur, & ſe faciat vita, non iam perfectorum tantùm, ſed & bonorum religioſorum extorrem. Pro comperto habeo, cùm religioſus in tam apertam temeritatem contra ſuam regulam atque ſtatum prorumpit, multis mortalibus peccatis ſordere, & dum minus putat, ſe ob perituras diuitias à vero theſauro, ſcilicet à Dei gratia, ſeparare. Nam ſi hæc inſcio & reluctante Prælato faciat, quis dubitet eum peccare mortaliter, proprietarium eſſe, & in ſtatu damnatio-
D nis exiſtere? Et tamen frequenter celebrat, vt ſit velut alter Iudas, & in eum poſt ſanctam buccellam Satanas introeat, & ſine vllo compunctionis ſenſu ſacramenta miniſtrat, vt peccata peccatis accumulet. Si autem annuente immediato Prælato pecuniis congerendis inſiſtat, quis ei ſecuritatem conſcientiæ promittat, cùm Prælatus, cui poteſtas data eſt in ædificationem religionis, non in deſtructionem, hanc facultatem manifeſtè diſciplinam religioſam euertentem dare non poſſit? At Prælatus, & præſertim qui toti prouinciæ præeſt, vel etiam ſupremus, qui totam religionem gubernat, ad quærendas & habendas pecunias pro occurrente neceſſitate leuienda facultatem conceſſit? Eſto, ita ſit; an ille vt tu
E mercator ſis, & ſæculariter viuas, & cum ſcandalo ſæcularium conuerſeris, & ſine vllo numero neque menſurâ pecunias agglomeres, licentiam impertit? Non credo: ſed quamuis ita eſſet, quid refert, ô infœlix, & caligine auaritiæ cæce, ſi ſummus omnium Prælatus, ſcilicet Deus, cuius religionem relaxas, cuius ſeruos ſcandalizas, talem facultatem neget, & tibi, vt proprietario, & votum paupertatis frangenti, æternam damnationem intentet? Iam enim poſt poſitam manum ad aratrum reſpicis retro, & non es aptus regno Dei. Iam vt alter Giezi accipis

Pſal. 146. 9.

Luca 9. nu. 62. 4. Reg. 5. n. 26.

auri &

auri & argenti talenta, vt ſororibus tuis emas ſeruos, & ancillas, & veſtes, ac cultum pretioſum, & tibi lepra Naaman, id eſt, pœna diaboli in Deum rebellantis adhæreat. *Act. 8. n. 18.* Iam vt alter Simon pretium miniſtris regum, & gubernatorum familiaribus offers, vt gratiam Spiritus ſancti, id eſt, Epiſcopalem dignitatem tibi compares, & Simoniacorum pœna in hac vita, & in futura maledictione mulcteris. Facultatem quærendi modicam pecuniæ ſummam à docto & circunſpecto Prælato conceſſam, velut pellem ad res non conceſſas extendis, & licentia illa tuas negotiationes contegis, tua poſſidendi deſideria defendis, ſcandala ſæcularibus data inſipienter excuſas, & putas te ſecura conſcientia procedere, & nihil dignum æterna morte in ſanctum religionis ſtatum admittere: quis tuam ſtultitiam, & miſerabilem caſum non videat?

Fuge igitur primam auaritiæ notam, & minimum etiam habendi deſiderium comprime; ne paulatim auctum te in hæc vincula cupiditatum, & in hæc fratrum ſcandala, atque in hos ſcopulos ſolicitudineſq; deiiciat. Si tectum Euangelici ſtatus aſcendiſti, quid deſcendis [tollere aliquid de domo tua,] *Matt. 24. 17.* id eſt, de terrena ſubſtantia, quam ſpreuiſti, vt oneratus temporalibus bonis, hoſtes animæ declinare non poſſis? *Matt. 24. 18.* Si in agrum, nimirum in exercitationem virtutum, egreſſus es; quid reuerteris accipere tunicam tuam, id eſt, priſtinas cupiditates, quarum occaſione te iterum diabolus ſibi deuinciat? Si in ſæculo aliquid poſſediſti, vide quantam iniuriam ſtatui religioſo inferas, quem omnibus perfectè viuentibus ſufficientem, ipſo facto tuo tibi durum & intolerabilem eſſe pronuncias. Si verò nihil quod dimitteres habuiſti, quàm ſis tibi ipſi noxius aduerte: qui ex fuga ſæculi, qua alij ſalutem animæ comparant, tu ea, quam auaritiæ labe conſpergis, perperam aſſeruata, non ſalutem ſed damnationem aſſequeris. Nulla ergo ratione in animum inducamus, nos qui mundum deſpeximus, pecunias quærere, & contra votum, & profeſſionem noſtram aliquid per proprietatem retentare. Id enim & ſtatum religionis infamat, & fratres regulariter viuentes contriſtat, & ſæculares ſcandalizat, & nos ipſos manifeſto periculo damnationis exponit. Nam reus eſt fracti voti paupertatis, qui aliquid notabile, nec à regula permiſſum, nec à ſuperiore ad id poteſtatem habente conceſſum, auſus fuerit poſſidere. Iam remedia huius peſtis eliminandæ inueſtigemus.

De remedijs contra Auaritiam.

CAPVT VIII.

EX his gradibus auaritiæ notatis aliquis colliget, per ſolam diuitiarum, quas in ſæculo habuimus, derelictionem, hoc vitium non eſſe deletum; ſed poſſe adhuc in religioſis & ſæculo mortuis extare. Et profectò tanto periculoſiùs, quanto ſanctiorem ſtatum inuadit, ac ſub honeſtiori prætextu ſe contegit. Sicut enim ægrotus, cui conualeſcenti infirmitas iterum aggrauatur, moleſtiùs periculoſiuſq; laborat; ita ille, qui iam morbum auaritiæ omnium rerum dimiſſione depoſuit, iterum peſtilentiſſima affectione pulſatus grauiùs ægrotabit, & difficiliùs conualeſcet. Quæramus ergo remedia, quæ morbum iſtum grauem quidem & permoleſtum, ſed nondum deſperatum, à cordibus religioſorum exterminent.

I. Conſidera inprimis, ô religioſe, quantum malum ſit auaritia, quàm etiam immanibus pœnis à Domino caſtigetur. Auaritia enim malum eſt: nam, [qui feſtinat ditari, non erit innocens.] *Prou. 28. 20.* Et magnum malum: [auaro enim nihil eſt ſceleſtius:] & nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam.] *Eccl. 10. n. 9. 10.* Et quodammodo maximo malo æquale; nam [auaritia eſt ſimulachrorum ſeruitus;] *Coloſſ. 3. 5.* & initium omnium malorum; quia [radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.] *1. Timo. 6. 10.* Et tandem deteſtanda peruerſitas excludens à regno cœlorum. [Qui enim volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.] *1. Tim. 6. 9.* Quæ omnia non tantùm in eos quadrant, qui in ſæculo contra ius & fas diuitias aggerant, verùm & in eos, qui in religioſa vita contra profeſſionem ſuam, & non ſine aliorum ſcandalo, res curioſas & ſuperfluas agglomerant. Quos non ſemel vidimus tot curis implicitos, tot deſideriis diſtractos, tot negotiationibus addictos, vt vix aliud ex religioſa vita quàm habitum geſtarent, & ex impura conuerſatione non niſi in infernum abirent. Hi ſanè feſtinant ditari, quoniam ante æternam retributionem, in qua præmium dimiſſionis omnium acciperent, volunt terrena iam dimiſſa poſſidere. Quo & innocentiam perdunt, &, quia [ſubſtantia feſtinata minuetur,] *Prou. 13. 11.* veras diuitias, id eſt, æternam vitam, amittunt. Pœnam quoque grauiſſimam ob auaritiam Dominus irrogat, vt vtriuſq; teſtamenti paginæ non obſcurè teſtantur. Nam & Giezi ſeruo Eliſæi adhæſit propter vitium auaritiæ lepra Naaman, & ſemini eius vſque in ſempiternum. *4 Reg. 5. 27.* Et Iudas propterea quòd fur erat, & loculos habens, gratiam Apoſtolatus perdidit, & ſempiternam pœnam ac infamiam acquiſiuit. *Matt. 27.* Et Ananiam & Sapphiram Apoſtolorum coryphæus non ex crudelitate, ſed ex iuſſione Domini, ſubitanea morte percuſſit. *Actor. 5. nu. 5. & 10.* Qui licèt fortaſſis ſola morte temporali, & non æterna multati ſunt, vt Origenes, Auguſtinus, & Caſſianus exiſtimant, *Origen. tract. 8. in Matth. Aug. li. 3. cōtra Parmenian. cap. 1. Caſſian. col. 6. c. 11.* (dante illis Domino in extremo vitæ diſcrimine motum pœnitentiæ, quo ſuam deteſtarentur nequitiam) tamen ipſa repentè illata mors ſatis indicat flagitioſiſſimum eſſe, ad ea quę ſemel propter Deum deſeruimus, redire, & in ſtatu paupertatis luxum & abundantiam conſectari.

II. Conſidera rerum viſibilium breuitatem, quæ ſi quotidiano vſu non inſumantur, aut per vim, vel fraudem, vel importunitatem aliorum à te non ſurripiantur, ipſa ſua corruptibilitate putreſcent. Si verò illæ non ſe ſubtraherent, tu ipſe vitam deſerens, volens nolénſve relinqueres. Habes tamen expeditiſſimam viam, qua te ipſum illáſque cuſtodias, ſi nimirum propter amorem Dei, res perituras relinquas. Quod enim dixit Dominus: Qui odit animam ſuam, in vitam æternam cuſtodit eam,] *Ioan. 12. 25.* ad res omnes viſibiles veriſſimè poteſt extendi, quia ſi eas propter aſſequendam perfectionem odio habemus, atque relinquimus, non ad breues dies ſed in æternum cuſtodimus. Et quidem centuplum illud omnia relinquentibus promiſſum, *Matt. 19. 29.* id ipſum manifeſtè declarat: nam ideo in æterna vita centuplum accipimus, quia vniuerſa caduca, quæ contemnimus, hinc emigrantes, non ſolùm multiplicata, ſed & æterna facta recipimus. O ergo cupide, qui veſtium immoderato cultu, qui librorum, & ſedilium, & cæterorum multitudine delectatis, qui curioſitatum, immo & pecuniarum amore teneris, concedo tibi vt cupiditati habenas relaxes, & hæc tibi tam dilecta ad modicum perdas, vt in æternum centuplicata coëmas. An bibliothecam, quam ad ornatum, & oſtentatio-

nem, non ad neceſſitatem habes, libenter diſtraheres, vt aliam copioſiorem & elegantiorem coëmeres? Ita ſanè, dicis in corde tuo. Sed idem tibi ſuadeo, vt nimirum ad modicum tempus hanc vanam oſtentationem rideas, & ſi nec magiſter, nec inſigniter litteratus es, librorum ſis paucitate contentus, vt ad cœnobium cœleſte tranſlatus, bibliothecam copioſiſſimam, immò innumerabilem non ex membranis compoſitam, ſed ex ipſis ſanctis doctoribus Eccleſiæ conſtructam, poſſideas. Bona omnia viſibilia fugacia ſunt, & ideo pulchrè de illis dixit Auguſtinus, quòd ſunt, & non ſunt, non enim ſtant, ſed labuntur & fluunt. Vis igitur ea ſtabilia facere, & in perpetuum poſſidere? Relinque. Nam ipſa dimiſſione, qua propter Euangelium relinquuntur, æterna fiunt, & nobis in cœleſti patria ad ſempiternam durationem reſeruantur. Si vis eorum breuitati conſulere, & rationem, qua non fugiant, inuenire, tu ipſe propter Deum paucis ac neceſſariis contentus, ſuperflua ſponte relinque.

Aug. ad Pſal. 17. in il lud & videas, quæ bona ſunt Hieruſalem.

III. Conſidera, quia bona temporalia nec capacitatem mentis replent, nec auiditatem exſatiant, licèt ſint copioſiſſima. Si autem magna bona non ſatiant, quanto minùs ſatiabit vilis & curta ſupellex, quam tu in ſtatu religioſo conquires? Nunquam ſatiari nouit cupiditas, ait Iſidorus, ſemper enim auarus eget, quantóque magis acquirit, tanto plus quærit: nec ſolùm deſiderio augendi excruciatur, ſed etiam amittendi metu afficitur.] Et putas tu, quia curioſo cellæ ornatu ſatiaberis, & paucis pecuniis, quas cum iniuria tuæ profeſſionis poſſides, vſque ad mentis tranquillitatem explebetis? Erras omnino, ſicut deliraret ille, qui vellet capacitatem immenſi maris guttula roris explere. Impium Achab opes regales non ſatiant, & ac ſi eſſet mendicus, hominis pauperis vineam cupit, & quia ſibi negata eſt, doloribus angitur, & vt poſſideat, neci innocentis aſſentit, & ſinus tuæ cupiditatis theca calamaria affabre facta ſatiabit, aut alia ſimilis vilitas omnino ridenda replebit? Immò ſcito; Quoniam [ſanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes, Affer, Affer.] Sanguiſuga, authore Beda, diabolum ſignificat, qui ſiti peccandi, ac peccata ſuadendi, inceſſanter accenditur. Eius autem filiæ ſunt luxuria & auaritia, quæ peruerſi patris imitantur ardorem. Hę ſemper dicunt: Affer, Affer, vel: Da, Da, vt originalia habent Hebræa, quia illa nunquam impuris voluptatibus, hæc verò nunquam auro, & argẽto, & gemmis, & mundi poſſeſſionibus ſatiatur. Si ergo ſatietatem quæris, & harum rerum poſſeſſione, quas tuus ſtatus fert, ſatietatem non poteris inuenire, melius & ſapientius eſt, vt omnia contemnas, & ſola neceſſaria ſine adhæſione mentis admittas, & cor tuum amore terrenorum euacues, vt poſſis Deo creaturam ſatiante & tranquillante repleri.

Iſido.

3.Reg.21.

Prou.30. 15. Beda ibi.

IV. Conſidera Chriſti & Sanctorum exempla, quæ te ad omnium rerum cõtemptionem accendant. Chriſtus enim Saluator noſter pauperes parentes elegit, in vili tuguriolo natus eſt, quod non diuitiæ mundi ſed ſola ſancta cohoneſtauit paupertas. Pauper vixit alienis ſubſidiis ſemper ad victum vtens, & pauper ac nudus vitam in cruce deſeruit. Cuius vox fuit: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.] Sancti verò ſuum ducem ſequentes, commoditatum temporalium contemptores fuerunt, illi præſertim qui ſæculo valedicentes, religioſam vitam ſectati ſunt. Hi ſemper vilem cibum, abiectum veſtimentum, anguſtam ſupellectilem, pauperrimam cellam habuerunt, & veram paupertatem pro diuitiis adamarunt. Nec putemus nos rebus viſibilibus onera-

Luc.9.58.

A tos, & commoditatum ſolicitudine & amore diſtentos, poſſe ad illorum profectum ac ſanctitatem euolare. Hæc intellectum conuincunt, & voluntatem ad omnis auaritiæ odium exſuſcitant; nunc media magis practica, & in actione poſita conquiramus.

Ac primum quidem auaritiæ pellendæ remedium ipſa familia religioſa diligenter exerceat, dum filiis ſuis neceſſaria ad victum & veſtitum, & ad alia occurrentia miniſtrat. Si enim illa in prouidendis neceſſariis ſit negligens, magnum oſtium aperit, vt religioſi à ſæcularibus conſanguineis, vel amicis ea petant, & ſub prætextu neceſſitatis, etiam vana & ſuperflua requirant. Audiat Religio Salomonem, qui eam ſub mulieris fortis figura depinxit: Manum, inquit, ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad B pauperem. Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis: omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.] Audiat inquam hæc, & manus ſuas Chriſti pauperibus filiis ſuis, qui propter Chriſtum ſe pauperes fecerunt, aperiat, & eis neceſſaria cum magna charitatis ſignificatione prouideat. Hugo Victorinus religionem prædicat pauperi abundantem, quia plura quàm ſæculum, ipſi ad ſe venienti tribuit: mediocri ſufficientem, quia nihil illi deeſſe ſuſtinet; diuiti tolerabilem, quia ab illo ſola ſuperflua aufert: infirmo largam, quia ei abundanter ſuccurrit. Si autem neceſſaria neget, potiùs erit immiſericors pauperi, quem non ſuſtentat, inſufficiẽs mediocri, quem non refouet; intolerabilis diuiti, à quo etiam neceſſaria au-C fert: & crudelis infirmo, quem grauiter indigentem ſine ſubſidio relinquit. Scio autem quia religio non peccat; ſed in hoc Prælati, qui ſubiectos de neceſſariis non prouident, manifeſtè delinquunt. Quidam, quia volunt clauſtra & ædificia ſupra conuentus facultatem augere, licèt ſubditi frigore algeant, & fame pereant. Alij, quia nolunt tantillum in temporalibus laborare, & induſtrios miniſtros præficere, licèt illi commendati, præ mendicitate ac penuria deſperent. Alij, quia putant ſe paupertatis Euangelicæ partes agere, ſi nec neceſſaria ſubminiſtrent. Quos ego libenter voco religioſæ vitæ inimicos, & ſanctæ paupertatis hoſtes, qui dum neceſſaria negant, aut tardè aut repugnanter ſuppeditant, occaſionem, & non modicam religioſis quærendi à ſæcularibus non D ſolùm neceſſaria, ſed & ſuperflua miniſtrant. Meritò ſanè Concilium Tridentinum decreuit ne in monaſteriis plures religioſi reciperentur, quàm quos redditus proprij cœnobiorum, vel eleemoſynæ conſuetæ ſuſtentent. Quia videlicet vbi neceſſaria non dantur, ſancta paupertas ac religioſa diſciplina non viget. Offerat ergo religio filiis ſuis omnia neceſſaria, & facultatem petendi aliquid à ſæcularibus penitus interdicat, & ſic religioſis ianuam auaritiæ & cupiditatis occludet. Quandiu enim illis datum eſt neceſſaria quærere, impoſſibile eſt ipſos curis rerum temporalium non diſtineri, (quod non parum vitæ religioſæ aduerſatur) & ſub prætextu rerum neceſſariarum, non etiam ſuperflua poſtulare.

V.

Prou. 31. n.20.

Hugo lib. 1. de clau ſtro animæ.c.9.

Cõc.Trid. ſeſſ.14.c. 3. regula.

VI. Non ſufficit autem hæc prouida religionis ſolicitudo, qua vnicuique neceſſaria ſuppeditat ad auaritiam E depellendam, niſi quiſque ſuæ cupiditati aptum remedium adhibeat. Illud autem, & quidem efficaciſſimum eſt, ſola neceſſaria ad vſum admittere, & nihil omnino vt proprium, poſſidere. Hanc neceſſariorum tantùm admiſſionem commendat Paulus dicens: Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia,] id eſt, pietas cui parua ſufficiunt, vt exponit Anſelmus, nec deſiderat plus habere quàm neceſſe eſt. Quàm verò ſapiẽs ſit, qui paucis eſt contentus,

1.Timot. 6.6.

declarat

A declarat ſtatim ſubdens: Nihil enim intulimus *num. 7.*
in hunc mundum; haud dubium quod nec auferre
quid poſſumus.] Quid enim ſapientius quàm ea,
quæ ſunt à nobis relinquenda, contemnere, & eorum
contemptu meliora, ſemper manſura, & planè æterna
comparare? Hoc ſapientiæ documento vrgebatur
Prou. 30. 8. ſapiens, cùm ita ad Dominum precabatur: Mendi-
citatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm vi-
ctui meo neceſſaria.] Mendicitatem horret, ne in
aliquod delictum præcipitet, & rerum temporalium
cura ſolicitans, mentem à tranquillitate dimoueat.
Et diuitias etiam odio habet, ne ad ſuperbiam & ela-
tionem impellant. Poſtulat verò neceſſaria, quæ &
corporis neceſſitati ſufficiunt, & profectui mentis in-
ſeruiunt. Non ergo ampliùs quàm victum ad cor-
B pus ſuſtentandum ſufficientem, & veſtem tuæ pro-
feſſioni congruam, & ſi quæ ſunt alia ad vitam ſpiri-
tualem tranſigendam neceſſaria, requiras: nam qui
rebus ſuperfluis ſatiari contendit, non in cordis quie-
tem, ſed in dolorem ſe ipſum, & inquietudinem con-
Iob 20. 22. iicit. Vnde ſanctus Iob ait: Cùm ſatiatus fuerit, ar-
ctabitur, æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum.]
Quia videlicet, vt optimè meditatur Gregorius: priùs
Greg. 15. Mor. cap. 13. illum pœna concupiſcentiæ concremat, deinde cura
cuſtodiæ eorum quæ parauit, exagitat, & tandem vl-
tio diuina ob malè poſſeſſa conſumit. Non ſufficit
autem ſola neceſſaria quærere, niſi etiam enitaris ni-
hil eorum, vt proprium poſſidere. Ea, quæ tibi mi-
niſtrantur aliena, conſidera, vnde cum gratiarum
actione recipe, & ſi auferantur patienter ſuſtine. Et
C generaliter ita rebus vtaris, vt tamen cor tuum ſui
Caſſian. lib. 7. ca. 22. amore ac deſiderio non illigent. Non enim tam
affectus philargyriæ vitandus eſt, inquit Caſſianus,
quàm affectus ipſius radicitus amputandus. Nihil
enim proderit pecunias non habere, (& idem eſt de
qualibet alia re) ſi voluntas in nobis fuerit poſſiden-
di.] Hæc ille.

VII. Erit autem hæc nuditas non multùm difficilis, ſi
diſcas ſpem tuam in Domino collocare, ac de eius
ſuauiſſima prouidentia confidere. Ille namque, qui
Hebr. 13. 5. ait: Non te deſeram, neque derelinquam:] ille qui
dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum in-
Pſal. 146. 9. nocantibus eum:] nullo modo dilectis filiis ſuis vni-
uerſa propter illum deſerentibus, neceſſaria negabit,
nec eos præ fame ac nuditate periclitari ſuſtinebit.
Luce 12. 24. Verbum eius eſt: Conſiderate coruos, quia non ſe-
D minant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, ne-
que borreum, & Deus paſcit illos. Quanto magis
n. 27. 28. vos pluris eſtis illis?] Conſiderate lilia quomodo
creſcunt, non laborant, neque nent. Si autem fœ-
num Deus ſic veſtit, quanto magis vos puſillę fidei?]
Si verò tam benignum ac fidelem habes prouiſo-
rem, quare non iactas omnes curas in eum? quare,
quòd nihil tibi ex neceſſariis deerit, de tanto amore
ac miſericordia confidis? Vana autem, curioſa, &
ſuperflua non quæras, quia ille pro vanis contem-
ptis, vera; pro curioſis ſpretis, mirabilia; pro ſuper-
fluis abiectis, gloriam æternam donabit, & bona,
quæ te in perpetuũ expleant, abundanter impertiet.

VIII. Recede à conſortio cupidorum, eorum videlicet,
E qui ſolo corpore, non mente, temporalia neglexe-
runt, qui in ſtatu paupertatis abundantiam, & ſplen-
dorem diuitum amant, & nihil quod ad corporalem
commoditatem attinet, in cibo, in potu, in indumen-
to atque in apparatu refugiunt: & ſola illa huius vitæ
commoda auerſantur, ob quorum admiſſionem ri-
derentur. E contra verò libenter cum illis habita &
conuerſare, quos non ſola profeſſione ſed etiam ſpi-
ritu, pauperes eſſe perſenſeris; quos communis cibus
reficit, lacera veſtis operit, & quibus modica cellæ

A ſupellex ſufficit. Peſſima eſt, & moleſta illorum ſo-
cietas, & præcipuè arcta familiaritas. Peſſima qui-
dem, quoniam te ad ſimilia deſideria poſſidendi, &
ex illa ad peccata, quæ ex immoderata cupiditate ſe-
quuntur, permouebit: ex qua, vt Auguſtinus ait, *Aug. lib. 3. de lib. arb.*
omnium peccatorum ſpinæ producuntur. Moleſta
verò, quia curas & ſolicitudines acquirendi, & quæſi-
ta conſeruandi ſuſcitat. Iſtorum autem conuerſatio
optima eſt, & iucunda, quæ deſpectum terrenorum
docens, amorem cæleſtium ingerit, & materiam tur-
bationum ſuccidens, mentem in magna tranquilli-
tate conſtituit.

Tandem, ô religioſe, te mundo mortuum IX.
exiſtima, ſicut verè es, & velut mortuus, nec
ſæculi deſideriis polluaris, nec curis cognato-
B rum ſoliciteris. Prodigium enim eſt, mortuum
ad vitam redire, res mundi quærere, ac velle bo-
nis viſibilibus abundare. Sic valde abſurdum eſt,
te in ſepulchrum, id eſt, in cellam, in qua propter
Dei amorem te ipſum ſepeliſti, delicias ſæcularium,
& commoda eorum, qui ſæculo viuunt, id eſt, mun-
danorum, inuehere. Monſtroſum quoque eſt, mor-
tuum curam viuorum gerere, & eorum ſtatum velle
dirigere. Ita profectò præter naturam eſt, ſi tu velis
ſorores, & fratres, & conſanguineos ditare, ipſorum
connubia tractare, & huius mundi dignitatibus ad-
augere. Relinque illos affectu, quos ſtatu & obli-
gatione, propter Deum deſeruiſti, nec niſi in extre-
ma, aut graui neceſſitate, ac de conſilio prælati, illo-
rum curis implicetis. Hac ratione deſiderium ha-
C bendi eorum cauſa à tuo corde reuelles; & ſi nec tibi,
nec aliis quicquam immoderatè concupiſcas, ab hu-
ius vitij tyrannide per Dei gratiam liberaberis.

De vitio iræ, & variis eius gradibus.

CAPVT IX.

IRA eſt immoderatus appetitus vindi-
ctæ. Nec enim omnis iracundia vitium
eſt, ſed illa dumtaxat, quæ quantum ad
ſubſtantiam, vel quantum ad modum,
ordinem rationis excedit. Iraſci enim malis & pecca-
toribus ex iudicio rationis, & cum debita modera-
tione, non eſt malum, quod indicat ſanctus Dauid,
D dicens: Iraſcimini, & nolite peccare.] Immo non *Pſal. 3. n. 5.*
iraſci peccatis, nec illa prohibere, neque, ſi poſſis &
debeas condignam peccatoribus pœnam infligere,
crimen eſſe poteſt. Quare Chryſoſtomus ait: Qui *Chryſoſt. hom. 11. in Matt. in imperfect.*
cum cauſa iraſcitur, non erit reus. Nam ſi ira non
fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia ſtant, nec
crimina compeſcuntur. Iuſta ergo ira mater eſt di-
ſciplinæ. Itaque non ſolùm non peccant qui cum
cauſa iraſcuntur, ſed è contra niſi irati fuerint, pec-
cant: quia patientia irrationabilis vitia ſeminat, ne-
gligentiam nutrit, & non ſolùm malos ſed etiam bo-
nos inuitat ad malum.] Ira verò tunc bona eſt,
quando rationem non præuenit, neque obnubilat,
E quando appetit vt puniatur, qui puniri meruit ſe-
cundùm menſuram delicti, ab eo, qui facultatem ha-
bet puniendi, & propter debitum iuſtitiæ finem. At
ſi quis appetat punitionem alterius ex ſolo deſiderio
vindictæ, aut vltra delicti menſuram, aut velit per ſe
ipſum, aut per alium non habentem ad id facul-
tatem, punire, aut omiſſo ordine debito punitionis, vel
denique ſi motus iræ interiùs aut exteriùs ſine fræno
rationis efferueſcat, tunc motus iſte pertinet ad vi-
tium iræ, & pro qualitate peruerſitatis maiorem
aut minorem habet malitiam. Quem motum pro-

Matth. 5. nu. 22. habuit Dominus illis verbis: Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui autẽ dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.] *Epheſ. 4. 31.* Et Paulus ait: Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor tollatur à vobis.] *Eccleſ. 7. nu. 10.* Salomon quoque: Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit.] Iræ, ac indignationis mala refert latè Gregorius, exponens illud Iob: *Iob 5 nu. 2.* Virum ſtultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.] *Grego. 5. Mor. cap. 31.* Ait enim, iracundia ſapientiam perdi; vitam amitti; iuſtitiam relinqui; vitæ ſocietatem deſeri; concordiam rumpi; lucem veritatis obſcurari; ſancti ſpiritus ſplendorem excludi: quæ omnia ſanctiſſimus doctor latè proſequitur. Ab hac autem truci ac crudeli bellua Domini nos imitatio compeſcit, *Geneſ. 4. nu. 15.* qui ponens ſignum in Cain ne quis eum auderet occidere, reflectere voluit errantem, vt inquit Ambroſius, *Ambr. li. 2. de Cain ca. vlt.* & beneficio ſuo inuitare ad correctionem.] Sic & nos iniurias ab inimicis illatas benignè remittamus, & eos non indignatione & vindicta duriores faciamus, ſed manſuetudine & iniuriæ condonatione ad correctionem & amorem inuitemus.

Tranſeamus nunc ad gradus iracundiæ, qui nos infeſtare & ferire ſolent. Et primò ſciendum eſt, ex triplici cauſa ſolere iracundiam excitari, aut ſcilicet ex vera iniuria, vel contumelia alicui illata, aut ex iniuria præſumpta, quam ſibi vel alijs, amicitia aut ſanguine iunctis, factam exiſtimat, aut ex iniuria ab eo, qui excandeſcit, vt iraſcendi anſam accipiat, ſine vlla ratione conficta. Quidam enim ex aliqua vera iniuria, qua læſi ſunt, quia nimirum verbum contumeliæ ſibi dictũ eſt, aut fama, vel honor ablatus, ad iracundiam permouentur, nec ſciunt talem iniuriam æquo animo ſuſtinere, illud mandatum refutantes: *Rom. 12. 19.* Non vos defendentes, (id eſt, non vindicantes,) chariſſimi, ſed date locum iræ,] hoc eſt, vt interpretatur *Anſel. ib.* Anſelmus, ſinite iram & iniuriam à perſecutore illatam in vobis expleri. Alij ex iniuria exiſtimata ad indignationem excitantur, qui cùm nihil mali in ipſos admiſſum ſit, ſe aut verbo, aut opere læſos eſſe fatentur. Quos in hunc modum deſcribit Gregorius: *Grego. 31. Mor. cap. 17.* Ira deuictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cùm dicit: Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non poſſunt: immo hoc patienter tolerare peccatum eſt, quia ſi non eis cum magna exaſperatione reſiſtitur, contra te deinceps ſine menſura cumulatur.] Alij tandem (quod certè eſt mirabile) occaſiones iræ & rixarum quærunt, & vt cum alijs rixentur, & proximos ſuos contumeliæ verbis afficiant, ſe priùs aliqua iniuria affectos, vel ſermone, vel opere, vel ſigno fuiſſe confingunt. De hoc, & de ſimilibus dicit Salomon: *Prou. 18. 1.* Occaſiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis.] Meritò quidem apud omnes probroſus habetur, qui cùm nec læſus debuiſſet ab amicitia recedere, cauſas tamen ſine vlla occaſione iraſcendi; & amicum deſerendi, prætexit.

Nunc primus gradus iræ, & maximus ſit, quo quis aut vera, aut exiſtimata, aut ficta iniuria tactus, ira excandeſcit, & rabie indignationis accenditur, vt fratrem percutere aut vulnerare non metuat. Quòd ſi à cæde, vel vulnere, vel percuſſione prohibeatur, ſemetipſum præ furore cædit, mordet, & colaphis ac pugnis diſcerpit. Dignus quidem non ſolùm pugnis ſuis, ſed etiam acerbiore dolore, vt qui iram ratione non cohibet, inops rationis factus damnum ſepoſitæ rationis perſentiat. Huius abſentia ſaltem quoad vſum locum intus tribuit furori, qui tunc appetitum ſine vllo moderamine moderatur, & manus ac totum corpus gubernat. Appetitus autem furore percitus, & corpus eodem furore ad opus incitatum, manus & pedes exerit, & calcibus more beſtiarum ac pugnis iniuria afficientem elidit. Cum iracundo ergo non facias rixam, *Eccleſ. 8. 19.* & cum audace non exeas in deſertum; quoniam quaſi nihil eſt ante illum ſanguis, & vbi non eſt adiutorium, elidet te.] Et ſpiritum ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere? *Prou. 18. 14.* Certè qui ira commotus vſque ad opus iniurioſum procedit, non minùs quàm leo, aut vrſus ab omnibus vitandus eſt, & eius conuerſatio omnino fugienda, quoniam quæ crudelitatis opera in beſtiis naturalis feritas peragit, in iſto effrænata iracundia committit. Non putamus in cœtibus religioſis eò vſque iracundiam dominari, vt vulnera & cædes infligat. Rariſſimè enim tantum poterit ira in aliena domo, ſcilicet in domo pacis, atque concordiæ, vt vſque ad ſummum protracta cum grauiſſimo etiam aliorum ſcandalo penitus è propria ſede pacem eiiciat.

Alter gradus eſt, cùm quis à fratre læſus, in verba contumeliæ prorumpit, & lædentem, aut ignorantem, aut fatuum, aut ſtultum vocat, & ſi non manum ad vulnus mouet, at linguam ad conuitia diſſoluit. Quæ nonnunquam ita motu iræ eam vrgentis excedit, vt maledictionem in fratrem iactet, & hoc à Deo precetur fieri, quod ipſemet patrare erubeſceret. De ſimilibus dictum eſt: *Pſal. 63. 4.* Exacuerunt vt gladium linguas ſuas: intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum.] Et meritò lingua maledictum inferens, gladio & ſagittæ comparatur, qua fit, vt voto & voce homicidium peragat, quemadmodum Gregorius ait, *Grego. 5. Mor. cap. 31.* etiam cùm à læſione proximi, manibus ceſſat. Et quemadmodum qui corde fœminam concupiſcit, mœchatus eſt eam in corde ſuo: ita, qui ex corde malum imprecatur, quod ad crimen attinet, ipſum quoque malum infligit. Alij verò irati non fratri iræ occaſionem præbent, ſed ſibimetipſis maledicunt, & ſe iumenta, aut ſtultos vocant, aut mortem imprecantur, quòd talem iniuriam ſuſtineant, & ſe iniuriantes non feriant, aut occidant. Iure optimo ſaepè ſe ſtultos appellant, qui opus magnæ ſapientiæ, ſcilicet iniurias diſſimulare, & patienter ferre, ſtultitiam exiſtimant. Nec ſe Iob & Ieremiæ exemplo defendant, *Iob. 3. 8.* quorum ille maledixit diei ſuo, id eſt, diei in quo natus eſt: hic verò illum imitatus, dixit: *Hier. 20. 14.* Maledicta dies, in qua natus ſum; dies in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta: maledictus vir, qui annunciauit patri meo dicens: Natus eſt tibi puer maſculus, & quaſi gaudio lætificauit eum.] Sanctorum enim verba ex Dei amore, & zelo diuini honoris profecta, quibus huius vitæ miſerias auerſati ſunt, non ſunt in alium ſenſum detorquenda, nec ad iræ noſtræ excuſationem vſurpanda. Talia verò ſunt verba duorum prædictorum, quorum ille ex Dei amore, diei ſuo, id eſt, illi quo peccato cœpit viuere, ex quo prodierunt tantæ miſeriæ, malum imprecatur, optans, vt inquit Ambroſius, *Amb. lib. de bono mortis c. 2. & in Lucam c. 4.* perire diem ſæculi huius, quo ſublato, dies æternitatis adueniat. Hic verò zelo diuini honoris, & animarum incitatus, diei ſuo maledicit, hanc vitam cum futura mutare deſiderans, ne videret calamitatem eorum, quos Dominus inter omnes nationes in populum ſibi peculiarem elegerat, & in ſuam familiaritatem aſciuerat. Qui & nuncium natiuitatis ſuæ execratus eſt, non quaſi vir ſanctiſſimus illi contigiſſe malum appeteret, ſed vt vim ſui zeli ac doloris exprimeret. Ita doleo, inquit, populi à deo electi calamitatem, vt ſecundùm hominem loquens, vellem potiùs omnia ad meum eſſe pertinentia non fuiſſe, quàm tantam peruicacium hominum incredulita-

tem videre, tantámque eorum calamitatem, quæ mibi interiùs inſpiratur, audire.

Tertius iræ gradus non contumelias parit, ſed amaras querimonias, & temerarias detractiones eorum qui nos iniuria affecerunt, emitut. Nam duritiem, & ingratitudinem ipſorum prædicamus, & eos immiſericordes, perſonarum acceptores, homines inexpertos, ſuperbos, ambitioſos, & nihil aliud niſi ſuam & ſuorum amicorum commoditatem quærentes, dicimus. Et quia indignatio linguam aduerſus fratrem, & interdum aduerſus prælatum exacuit, nihil in eo quaſi gladius biceps, non laceratum, & conſciſſum relinquit. Turbatus eſt à furore oculus meus, (ait ſanctus Dauid, perſonam infirmorum ſuſcipiés) *Pſal. 6. 8.* inueteraui inter omnes inimicos meos.] Oculus enim carnis turbatus res ſibi obiectás aliter quàm B ſint, præ turbatione perſpicit, & oculus mentis indignatione commotus opera fratrum & prælatorum quaſi inuerſa & diſſipata conſiderat: Hinc quod rectum eſt, prauum cogitat, quod bona intentione factum, nocendi deſiderio geſtum diiudicat. Quod autem interius ſentit, ore promit, & nihil aliud lingua viperea, niſi mendaces detractiones reſonat, & inde ad priorem vetuſtatem, id eſt, ad vitam profanam & ſæcularem remeat. Sicut enim ſæculares homines proprio amore occæcati, quicquid ſibi aduerſum eſt damnant; ita religioſi eodem amore vincti, & ira ac furore poſſeſſi, quę ſuæ voluntati, & ſuo honori non congruunt, acri querimonia, & aliorum detractione condemnant.

C In quarto iræ gradu ſunt illi, qui nullam quidem contumeliam iactant, nullam querelam, aut detractionem proferunt, at triſtitia, & inſuauitate vultus, ac tetrico quodam & profundo ſilentio conceptam intus indignationem oſtendunt. Huius gradus meminit Gregorius dicens: Aliquando ira perturbato *Gregor. 5. mor. c. 31.* animo quaſi ex iudicio ſilentium indicit, & quo ſe foras per linguam non exprimit, intus interiùs igneſcit, vt iratus quiſque collocutionem ſuam proximo ſubtrahat, & nihil dicendo, quàm ſit auerſus dicat. Eundem egregiè deſcribit Caſſianus in hunc modum: Illud verò quale eſt, quòd interdum patientes *Caſſian. coll. 16. c. 18.* eſſe nos credimus, quia reſpondere contemnimus laceſſiti, ſed ita commotos fratres amara taciturnitate, D vel motu geſtúque irriſorio ſubſannamus, vt eos magis ad iracundiam vultu tacito prouocemus, quàm tumida potuiſſent incitare conuitia: in eo nos æſtimantes minimè apud Deum reos, quia nihil ore protulimus, quod nos notare hominum iudicio, aut condemnare potuiſſet? Quaſi verò apud Deum verba tantummodo, & non præcipuè voluntas vocetur in culpam, & opus ſolum peccati, non etiam votum ac propoſitum habeatur in crimine? aut hoc tantùm quod vnuſquiſque fecerit per loquelam, & non quod etiam per taciturnitatem facere ſtuduerit, in iudicio ſit quærendum:] & cætera. Hi autem, qui exteriùs tacent, quanta interiùs loquantur, quanta in inimicos ſuos contumeliæ verba pronuncient, quantis irriſionibus, detractionibus, & ſubſannationibus eos impetant, mirabile eſt. Sub illo externo oris ſilentio E quàm fortes clamores intonant, quàm ſine vllo ordine, aut menſura querimoniæ vociferantur, quæ fratrem ſæpe innocentem, & nullius culpæ ſibi conſcium feriunt, increpant, atque condemnant? Quantæ illius reſpõſiones cogitatione finguntur, & quantæ aduerſus illas, & quàm inuerecundæ replicationes cogitantur, vt ſub illa exteriori pace immane ſe bellum abſcondat, & importuna contentio deliteſcat? Has omnes cogitationes concepta indignatio fouet, & eiſdem promouetur, & creſcit, niſi homo ſuam in-

A ſaniam erubeſcens (nam & ira authore Baſilio inſania quædam eſt) animi lenitate interiùs taceat, & omnia hæc vincula triſtitiæ præſcindat. *Baſil. ora. de ira.*

Quintum iræ gradum, & ſatis ridiculum, illi occupant, qui ſub externis ſignis lenitatis magis ac magis tum fratris tum ſui ipſorum iram accendunt. Videbis quoſdam iniuria laceſſitos, qui riſu, aut potiùs fratris irriſione pacatos ac animo tranquillos ſe ſimulant, cùm tamen furore indignationis exæſtuent. Et cùm poſſent leni & modeſta reſponſione ſcintillam contentionis extinguere, riſu & cachinnis magnum iracundiæ ignem accendunt. Alij verſus alicuius pſalmi decantant, & neſcio quid ex diuinis Scripturis ab alio ſecedentes muſſitant, quo illius iracundiam augent, & ſe fratris contemptores, & ſuperbiſſima indi-B gnatione victos aperiunt. Alij leui ſermone fratris attacti, faciem illi offerunt verberandam, quaſi illud dictum Saluatoris: Si quis te percuſſerit in dexteram *Matth. 5. 39.* maxillam tuam, præbe illi & alteram,] præ deſiderio perfectionis, adimpleant. Neſcientes, Dominum, *Caſſian. coll. 16. c. 22.* vt Caſſianus pulchre ait, non alteram maxillam, id eſt, ſiniſtram, offerendam percutienti mandaſſe, ſed alteram dexteram, id eſt, interioris hominis faciem ictui exponendam præcepiſſe. Quod tunc fit, quando quis manſuetudinis ac humilitatis affectu voluntatem ferienti ſe ſubiicit, & ne iracundia ampliùs inardeſcat, iniuriam patienter diſſimulat, & propriam reprehenſionem ac confuſionem admittit.

Hunc quem diximus iræ gradum ſequitur ſextus, in quem labuntur illi, qui præ indignatione à fratri-C bus ſe ſequeſtrant, & ſolitarij in cella, quo tempore egrediendum eſſet ad opus commune, vel abſconditi in angulo domus, non ſine aliorum ſcandalo perſeuerant. Cum aliis ad communem refectionem non accedunt, &, ſi ad menſam recumbant, cibo abſtinent, & ira ſatiati, quod attinet ad cibum corporalem, ieiunant. Quorum abſtinentia cùm non diuino numini, ſed iracundiæ conſecretur, quodammodo poſſunt ipſi illa Deuteronomij increpatione percelli: Immolauerunt dæmoniis, & non Deo, diis, quos ignorabant.] Ieiunant enim, & cibum potúmque *Deut. 32. 17.* reſpuunt, quo indigent, non vt Deo placeant, ſed vt iram cordis & triſtitiam oſtendant. Nec in tali inſania iracundiæ ſtultitia ſiſtit, verumetiam ad alia per-D nicioſiora ſe extendit, dum quis orationem, pſalmodiam, & Dei cultum ira oppreſſus prætermittit. Vnde & ipſe Deus licèt immeritò, inquit Thomas Aquinas, ſi fortè eius eſt ille tractatulus de diuinis moribus, de turbatione iracundi, recipit quodammodo *D. Thom. opuſculo. 66. in inſtitia.* detrimentum, ex eo quòd tunc non vult is, qui iratus eſt, cantare, vel ſtudere, vel legere, vel orare. Optimam fortaſſis occupationem putat, iraſci, quæ digna ſit, vt propter eam & congregationis opera, & conſuetus cibus, & ea, quæ diuini ſunt cultus, deſerantur, & totum cor ſolummodo felle amaritudinis ſaginetur.

Septimum iræ gradum numeramus iniquitate priorem, quo aliqui ſemel irati per multos dies, menſes, & annos iram indignationémque conſeruant, & vel leuiter offenſi nulla ſuſtinent ratione placari. E Audiunt Paulum dicentem: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram:] & quaſi hoc aliis, non ſibi di- *Ephеſ. 4. 26.* ceretur, non ſolem tantùm, ſed omné ætatem volunt atque decernunt ſuper iram occidere. Quos Gregorius lignis durioribus & grauioribus cõparat, quia ſi forte tardiùs ignem iræ ſuſcipiunt, at conceptum furorem vix poſt multum tempus amittunt. Proprium malum intra præcordia nutriunt, quod profectò ſtatim atque exortum eſt, extinguere, & necare debuerant. Quam, ô frater, inquit Chryſo-

Chryſoſt. hom. 30. ad populum Antioch. to. 5. ſtomus, tuis viſceribus feram includis? Satius eſt anguem, vel viperam in corde tuo latere, quàm iram & rancorem. Illa namque nos repente relinquunt, hæc autem ſemper remanet, dentes infigens, infundens venenum, graues infundens cogitationes.] Quàm verò longè abſint hi à vero profectu, ex eo perſpici poteſt, quòd cùm quotidie ſæpius dicant: *Matth. 6. 12.* Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris;] nolunt tamen iniuriam acceptam ſuo fratri dimittere. Debent illi decem millia talenta: & quotidie dicunt, & fortè cum lacrymis: *Matt. 18. 26.* Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.] Sed ita inſipientes ſunt, vt nolint paruam offenſam obliuiſci, nec ſuſtineant centum denariorum remiſſione decem millium talentorum debitum repenſare. Hos ego non ſpirituales viros, ſed fictos Chriſtianos libentiùs vocarem, qui cùm exteriùs veſtem, & geſtum, & ſigna vitæ religioſæ præferant, intus corda paganorum, nullam erga alios miſericordiam admittentium, geſtant.

Poſtremum iræ gradum prælatis reliquimus, qui in correctione ſubditorũ, aut verbis, aut factis menſuram lenitatis excedunt. Qui cauſam quidem puniendi habent, & facultatem ſeipſos, & totam domum turbandi, & in punitione excedendi non habent. Eos ergo, quomodo ſubditos punire debeant, & quomodo immoderatè iraſci non debeant, docet bene Baſilius, cuius ſententia relata, nos prælatorum doctrinam in proprium locum reiiciemus. Sic ſanctus doctor ait: *Baſil. cõſt. monaſ. c. 14.* Cæterùm ſi vſus inciderit, vt ſuſcipienda aliquando à nobis aduersùs alicuius negligentiam indignatio ſit, qui videlicet ſit in noſtra ditione, adhibenda in eo cura eſt, vt indignatio ratione ſit temperata. Siquidem gladiis medici vtuntur, vtuntur & homicidæ. Verùm hi, quòd ad eos tractandos ira atque immanitate impulſi accedunt, ſceleſtiſſimą per eos deſignant facinora: nempe qui eos, quibuſcum generis ſunt communione coniuncti, vita ſpolient. Illa contrà quòd ex ratione ipſis vtuntur, magnas ex iis afferunt vtilitates. Siquidem eorum opera vſi, conſtitutos in periculis homines liberant. Eodem modo etiam, quicunque adhibita in conſilium ratione ſibi indignandum cenſuerit, magnopere illi vtilis fuerit, aduersùs quem animo incitatus ſit: nempe qui eius vel negligentiam corrigat, vel improbitatem: contrà autem, qui ab ira vinci ſe ſinit, ab eo verò rectum proficiſci nihil poteſt.] Prælatorum ira eo leuior & tolerabilior eſt, quòd ex bono zelo procedat, & ſanctum timorem, ac defectuum metum incutiat. At ipſi non minùs quàm alij immoderationem, & nimietatem vitent, quæ non tantum eorum profectui officit, verùm & amorem ſubditorum erga eos, clauem ſcilicet gubernationis, minuere poteſt. Sed nos præcipuè, qui ſubditi ſumus aduersùs peſtilens vitium mentis tranquillitatem turbans, & omnem profectum impediens, gnauiter inſurgamus.

De remedijs ad vincendam iram.

CAPVT X.

NON eſt facilis perfecta iracundiæ victoria, quam paſſio iræ ſemper apud nos duratura ſuſtentat: & cùm aliquando ſine vitio iraſcẽdum ſit, non eſt pronum menſuram rationis tenere, & vltra menſuram non iraſci. Hi etiam, quibuſcum in mundo viuimus, quorum aliqui mali, aliqui licèt boni, imperfecti tamen, ali- A qui & ſi perfecti, ſed nullo modo noſtro ingenio conſoni, nos ſæpiſſimè ad iracundiam prouocant; & ea quæ concupiſcimus, & negantur; quæ loquimur, & refutantur; quæ agimus, aut facere aggredimur, & ab aliis impediuntur, millies quotidie indignationem exſuſcitant. Quid dicam, ipſa natura aduersùs nos pugnat, & nunc è cœlo, nunc è terra, nũc ex proximis, nunc ex nobis metipſis multa, quæ iram accendant, inſurgunt. Sed licèt hoc vitium ſit nobis victu difficile, non eſt tamen difficile gratiæ Dei ipſum, affectu iræ moderato retento, penitus in nobis extinguere, ac profligare. quod ſubiectis remediis ſolet efficere.

I. *Baſil. orat. de ira.* Conſidera mala iracundiæ elegantiſſimè recenſita à Baſilio, qui ſic ſcripſit: Itaque fratres amantiſſimi, B ne obſecro tantum nobis malum inducamus, animæ morbum; rationis tenebras; à Deo alienationem; obliuionem familiaritatis; principium bellorum; plenitudinem calamitatum; dæmonem peſſimum noſtris animis innatum, incolam quendam impudentem noſtra interiora poſſidentem; denique ſancti Spiritus iter ad nos impedientem. Vbi inimicitiæ ſunt, contentiones, indignationes, ſectæ, noſtris animabus perpetuos generantes tumultus; ibi ſpiritus manſuetudinis haud requieſcit. Et paulo ſuperiùs eiuſdem effectus ita enumerat: Effrænes linguæ, ora incuſtodita, incontinentes manus, contumeliæ, probra, accuſationes, verbera, & alia eiuſmodi quæcunque quis enumerare poterit, iræ ſunt ac furoris fructus.]

C II. Conſidera malos imperfectos, & procaces tibi obloqui, te perſequi, & iniuria afficere, tuámque virtutem à bonis laudari, ac honorari, & mala ab illis illata æquanimiter ſuſtine horum approbatione contentus. Vnde Bernardus illa Canticorum verba: *Cant. 1. 3. Bern. ſer. 24. in Cant.* Recti diligunt te,] tanquam ſponſę dicta concipiens, hæc ait: Bona profectò conſolatio cùm blaſphemamur ab aliis benefacientes, ſi recti diligunt nos. Omnino ſufficit aduersùs os loquentium iniqua opinio bonorum cum teſtimonio conſciẽtiæ. *Pſal. 33. n. 3.* In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti, & lætentur.] Manſueti, inquit, lætentur, manſuetus placeam, & æquanimiter audio quicquid in me iactare voluerit liuor perditorum.] Si autem boni occaſio- D nem tibi iracundiæ præbent, pro certo habe, aut te occaſionem iniuriæ dediſſe, aut eos zelo & intentione bona, in te aliquid quod doleat, aut opere aut verbo iactare. Quòd ſi tu culpam admiſiſti, manſuetè pœnam ſuſtine; obduratorum enim eſt, velle ſine correctione delinquere. Si verò gratis te impugnant, & ſine culpa perſequuntur; in hoc lætare, quòd factus ſimilis Chriſto capiti tuo ſine cauſa pateris, & pro bono zelo, quo te corrigere intendunt, gratias age.

III. *Luca 6. 37.* Conſidera dictum eſſe à Domino: Dimittite, & dimittemini;] & quòd magna peccata tua non dimittentur tibi, niſi tu parua in te à fratre commiſſa illi manſuetudinis deſiderio condones. Optima negotiatio eſt, exiguo pretio rem admodum pretioſam coëmere: appetenda induſtria eſt, paruo labore magnam dignitatem comparare; ſed multo melius at- E que pretioſius iracundiæ cohibitione, & modicæ iniuriæ condonatione, multorum peccatorum indulgentiam obtinere. Vox Domini eſt: *Matt. 6. 14.* Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra.] Proinde, dilectiſſimi, inquit Leo Papa, *Leo ſer. 1. Quadrag.* memores infirmitatis noſtræ, quia facilè in quælibet delicta prolabimur, hoc potentiſſimum remedium, & iſtam efficaciſſimam vulnerum noſtrorum curationem nullatenus negligamus. Re-

A mittamus, vt remittatur nobis, demus veniam, quam rogamus, & non ſtudeamus vindicari, qui nobis precamur ignoſci.] Certè à vindicta non abſtinet, qui interiùs aduersùs fratrem iram concipit; nam pars vindictæ eſt, animo in illum inſurgere, vultu triſti aut indignabundo reſpicere, & motum aliquem, aut verbum in ipſum contumeliæ proferre.

IV. Conſidera, damnum tibi factum, à Domino fuiſſe ob bonum tuum aut ordinatum, aut permiſſum: & ne tam infans ſis, vt medicinam à ſapientiſſimo medico, ac benigniſſimo patre præſcriptam, cum indignatione reſpuas, cum iniuria ac clamore reiicias. Sic profectò Dauid, iniuriam, medicinam cogitabat, qui à Semei maledictis proſciſſus, dixit filiis Saruiæ: *2. Reg. 16. 10.* Dimittite vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid; & quis eſt qui audeat dicere quare ſic fecerit?] O verè hominem ſecundùm cor Dei, ait Bernardus, *Bern. ſer. 34. in Cant.* qui ſe vlciſcenti potiùs quàm exprobranti ſuccenſendum putauit! Vnde & ſecura conſcientia loquebatur: *Pſal. 7. nu. 5.* Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.] Vetuit ergo prohiberi maledicum conuitiantem, quæſtum æſtimans maledicta. Et addit: Dominus miſit illum ad maledicendum Dauid.] Prorſus ſecundùm cor Dei, qui de corde Dei ferebat ſententiam. Sæuiebat lingua maledica, & ille intendebat, quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, & animus inclinabat ſe ad benedictionem. Numquid in ore blaſphemi Deus? Abſit. Sed eo vſus eſt ad humiliandum Dauid.] Si Deus fratre, aut Prælato, aut quouis alio vtitur ad humiliandum te, ad ſanandum te, ad perficiendum te, ad fabricandam coronam tuam, quare recalcitras? Quare iraſceris, & in Dei inſtrumentum minas intentas? Equi & iumenta ſe curantes, morſibus & calcibus impetunt, homines verò cum gratiarum actione ſuſcipiunt. Satis ergo tu, qui in curantem, & coronam texentem iraſceris, tuam ſtultitiam & cæcitatem oſtendis.

V. Occaſione iracundiæ tibi data (vt iam ad remedia practica veniamus) animi commotionem intus comprime, & eam nec verbo, nec gemitu, nec ſigno exire permittas. Sicut enim flamma candelæ emunctorio compreſſa ſtatim extinguitur; ita interior iræ commotio ſilentio & diſſimulatione cohibita, ſenſim paulatimque commoritur. Quod & Dauid cuſtodiebat dicens: *Pſal. 76. 5.* Turbatus ſum, & non ſum loquutus:] & linguam cohibens turbationem etiam compreſſam ſentiebat, & tempeſtatem cohibitam experiebatur. Ad hoc hortatur ſapienter Bernardus, *Bern. ſer. 29. in Cant.* dum ait: Tu ergo accepta fortè iniuria (quod quidem interdum non accidere in his conuentibus difficile eſt) non continuò, more ſæcularis, obliquè referire fratrem reſponſione feſtines; ſed neque ſub ſpecie quaſi corripiendi verbo acuto & vrenti transfigere audeas vllatenus animam, pro qua Chriſtus affigi cruci dignatus eſt; non grunnire, quaſi increpando; non labiis muſſitare, quaſi murmurando; non narem contrahere aut cachinnare, quaſi ſubſannando, non frontem rugare, quaſi inuehendo, aut comminando. Sanè commotio tua ibi moriatur, vbi oritur, ne permittatur exire, quę mortem portat, ne perimat, vt dicere poſſis & tu cum Propheta; Turbatus ſum, & non ſum loquutus.] His Bernardi verbis animaduertere poſſumus, ad victoriam iræ non tantùm ore eſſe tacendum, ſed etiam ab omnibus indignationis indiciis temperandum. Et quamuis interiùs præ miſeria noſtra mare intumeſcat, exteriùs tamen, vt tempeſtatem frænemus, tranquillitas & pax in vultu reſplendeat. *Ephr. ſer. de fide.* Ephræm quidem appoſitiſſimo ſimili hanc tranquillitatem in aduerſis ſeruandam exponit. Quemadmodum, ait, incus aliqua, licèt quidem ſemper verberetur, non tamen dat tergum, neque concauitatis formam in ſe recipit, ſed eadem ſemper manet ſibique ſimilis: ſic, & qui verum ſe vult gerere Chriſtianum, inter diuerſas tribulationes atque tentationes, ſiue extrinſecus ab hominibus illatas contumelias, perſecutiones, damna, aut aliqua huiuſmodi; ſiue intrinſecus à ſpiritibus malignis inductas anguſtias diuerſiſſimas, vnus & idem maneat oportet, fortiter quæcunque obuenientia perferens.] Hæc ergo externa diſſimulatio animo ſedandi iracundiam ſuſcepta, nullo modo ad hypocriſim pertinet, ſed ad manſuetudinem eſt referenda. Ad hoc enim ſuſcipitur, non vt nos alios eſſe B fingamus, quàm ſumus, ſed ne fratrem verbo aut ſigno lædamus, & vt materia ab igne ſublata ipſe ignis minuatur & pereat.

VI. Si aliquando contumeliæ in te iactatæ, aut iniuriæ tibi illatæ, omnimodis iudicas reſpondendum, ne frater tuo ſilentio maiori indignatione ferueſcat, reſponſio tua blanda ſit ac mitis, quæ & te ipſum ad compaſſionem delinquentis & amorem moueat, atque illum ad tranquillitatem inflectat. Reſponſio mollis, (inquit Salomon) frangit iram:] *Prou. 15. 1.* quod in reſponſione Gedeonis manifeſtiſſimè videmus impletum. Victis enim Madianitis inſurrexerunt aduersùs eum viri Ephraim irati valde, quòd non fuerint ad prælium euocati; quibus fortiſſimus Gedeon, poſt victos Madianitas ſeipſum etiam vincens, ita C reſpondit: Quid enim tale facere potui, quale vos feciſtis? *Iudic. 8. 2. 3.* Nonne melior eſt racemus, (id eſt, pauci ex Ephraim) vindemiis (id eſt, copioſis exercitibus mei progenitoris) Abiezer? In manus veſtras Dominus tradidit principes Madian, Horeb, & Zeb: quid tale facere potui, (qui vilem ſolùm multitudinem occidi,) quale vos feciſtis?] Reſponſio mollis & prudens illorum furorem confregit, quare ſubdit Scriptura: Quod cùm loquutus eſſet, requieuit ſpiritus eorum, quo tumebant contra eum.] Ita ſæpe vidimus miti reſponſo & iram fratris fuiſſe ſedatam, & noſtram etiam mirificè fuiſſe compreſſam. At non ſatis eſt blandè reſpódere, ſed neceſſarium quoque eſt nos verbis defendere, & obiectis ſatisfacere. Sed ita ſatisfaciamus, vt veritatem aperientes, pacem D in nobiſmetipſis & in fratre irato generemus. Quod Gregorius figuratum autumat in facto ducis Abner, *2. Reg. 2. nu. 23.* qui [auerſa haſta percuſſit in inguine] ſe inſequentem Aſael; atque illum interfecit. Sed cùm iracundi, inquit, nulla conſideratione ſe mitigant, & quaſi Aſael *Greg. 3. p. paſt. admonit. 17.* perſequi & inſanire non ceſſant, neceſſe eſt, vt hi qui furentes conantur reprimere, nequaquam in furore ſe erigant, ſed quicquid eſt tranquillitatis, oſtendant: quædam verò ſubtiliter proferant, in quibus ex obliquo furentis animum pungant, vnde & Abner cùm contra perſequentem ſubſtitit, non eum recta ſed auerſa haſta transforauit. Ex mucrone quippe percutere, eſt impetu apertæ increpationis obuiare. Auerſa verò haſta perſequentem ferire, eſt furentem tranquillè ex quibuſdam tangere, & quaſi parcendo E ſuperare.] Nec mirum quòd auerſa haſta Aſael occiſus fuerit, quia mollis iſta reſponſio, & humilis ſatisfactio, ſolet & nos ab inſequutione indignationis eripere, & ſi non fratrem, at iram fratris furorémque perimere.

VII. Si aduersùs aliquem iratus fueris, eodem die ante prandium, aut ante ſolis occaſum, te eidem reconcilia; hæc enim celeris iracundiæ repulſio, oborta ſimili aut maiori occaſione, iram efficaciſſimè ſedeat, & animum aſſuetum furori tranquillat. Adhibuit

hanc

Bonau. in speculo. 1. part. c. 4. hanc medicinam Bonauentura dicens: Ante omnia ſi perceperint ſe facto, vel verbo aliquem vel leuiter offendiſſe, ante comeſtionem vel ſomnum eum humili ſtudeant ſatisfactione placare, & in petitione veniæ præuenire, ne alius præueniens de manibus eorum humilitatis mercedem ſurripiat. Eius etiam *Aug. in reg. c. 10.* meminit Auguſtinus in regula: Quicunque conuitio, inquit, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læſerit, meminerit ſatisfactione quamprimum curare quod fecit.] Qui autem veniam petit, ſeipſum placans, læſum ſimiliter fratrem placat, & ab eo indulgentiam impetrat. Quod Gregorius illa *Exodi 22. 26. Greg. 16. mor. c. 2.* Exodi lege contineri exiſtimat, qua præceptum eſt, vt [ante ſolis occaſum] pauperi ſuum pignus reddatur. Cùm enim peccati confeſſionem audiuimus, iam pignus eius, qui in nos deliquit, tenemus, cui ante ſolis occaſum pignus reddendum eſt, quia debemus fratri confeſſionem veniæ reddere, à quo confeſſionem accipimus culpæ: vt qui ſe deliquiſſe in nos meminit, à nobis mox relaxatum ſentiat quod deliquit. Nec *Caſſi. lib. 7. ca. 13* ſolùm id faciendum eſt ex ſententia Caſſiani, quando nos fratrem verbo aut opere contriſtauimus, ſed etiam quando ipſe ſine legitima cauſa nos affecit iniuria. Quod vult colligere ex præcepto Saluatoris: *Matt. 5. 23. 24.* Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo.] Dicens enim Dominus nos fratris gratiam quæſituros, ſi aliquid aduerſùs nos habeat, nec inter eius iram iuſtè iniuſtéve conceptam diſcrimen conſtituens, ſatis indicat nos hoc remedio vti debere, quamuis ſine cauſa iratus fuerit, & nos maledicto percuſſerit. Quod certè qui fecerit, breui tempore cum Dei gratia iracundiam vincet, & ad magnam lenitatem perueniet.

VIII. Contumelias & iniurias beneficiis, ac charitatis operibus vincere curato, quibus & ipſum, & tibi auerſum emollies, & amoris glutino animos diuiſos *Rom. 12. 20. Prou. 25. 21.* coniunges. Si eſurierit inimicus tuus, (ait Salomon, ex quo Apoſtolus Paulus accepit,) ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis ſuper caput eius,] id eſt, flammam in eo, vt inter- *Anſel. in epiſt. ad Rom. ca 12.* pretatur Anſelmus, charitatis accendes: [& Dominus reddet tibi,] non tantùm dum in alia vita præmia decernit, ſed in hac quoque, dum mentem, beneficiis reſpondentis ad lenitatem & placiditatem inclinat. Certè Bernardus hoc medicamine putat tum detractores tum adulatores eſſe curandos. *Bern. ſer. 13. in Cant.* Peſſima vulpes, inquit, occultus detractor, ſed non minùs nequam adulator blandus: Cauebit ſapiens ab his; dabit operam ſanè quod in ipſo eſt, capere illos, qui talia agunt, ſed capere beneficiis, atque obſequiis, monitiſque ſalutaribus, & orationibus pro his ad Deum. Non ceſſabit iſtiuſmodi carbones ignis congerere ſuper caput maledici, & item ſuper adulatoris, quouſque (ſi fieri poteſt) & illi inuidiam, & iſti ſimulationem de corde tollat.] Quòd ſi ab aliorum cordibus cauſas nobis iraſcendi datas beneficia tollunt, à cordibus etiam noſtris motus indignationis reuellent: cùm ſublata cauſa ſoleat etiam eius effectus auferri.

IX. Cùm aliquod opus aliquódve negotium aggrederis, priùs cogita quæcumque aduerſa poſſunt accidere, & ea apud temetipſum æquanimiter paſſurum te eſſe conſtitue, vt hoc propoſitum aduerſùs iram te armet, & cauſa indignationis oborta in pace ac lenitate conſeruet. Audi remedium iſtud Gregorij ſer- *Greg. 5. mor. c. 31.* monibus explicatum. Mens ſolicita, inquit, antequam agere quod libet incipiat, omnes ſibi, quas pati poteſt, contumelias proponat; quatenus redemptoris ſui probra cogitans, ad aduerſa ſe præparet. Quæ nimirum venientia tantò fortiùs excipit, quantò ſe cautiùs ex præſcientia armauit. Qui enim improuidus ab aduerſitate deprehenditur, quaſi ab hoſte dormiens inuenitur, eúmque citiùs inimicus necat, quia non repugnantem perforat. Nam qui mala imminentia per ſolicitudinem prænotat, hoſtiles incurſus quaſi in inſidiis vigilans expectat: & inde ad victoriam valenter accingitur, vnde neſciens deprehendi putabatur. Solerter ergo animus ante actionis ſuæ primordia, cuncta debet aduerſa meditari, vt ſemper hæc cogitans, ſemper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quicquid acciderit, prouidus ſuperet, & quicquid non acceſſerit, lucrum putet.] His te diſcretis cogitationibus ad pugnam præpara, quæ, ſi occaſiones iracundiæ inſurgant, illam ſedabunt, ſin minùs, & habitum manſuetudinis augent, & magno merito non carebunt.

Non obliuiſcaris, ſi multa toleras, non pauca habere, quæ alij in tua conuerſatione ſuſtineant. Vnde æquum eſt te moleſtias aliorum patienter tolerare, ſi fratres tui debent moleſtias à te datas ſuſtinere. X.
Ad quod reſpexit Paulus; cùm ſcripſit: Alter alterius onera portate.] Iram fratris tunc portabis, ait *Galat. 6. 2. Anſel. ib.* Anſelmus, cùm aduerſùs eum iratum non iraſceris, vt rurſum eo tempore, quo te ira præoccupauerit, ille te lenitate & tranquillitate ſupportet.] Item (quod & ipſe notauit) ſi loquacitatem viceris, pertinaciam non viceris, alter verò adhuc loquax, ſed iam pertinax non ſit, debes vt iſte tuam pertinaciam ſufferat, eius loquacitatem æquanimiter ferre, vt ſic legem Chriſti, id eſt, legem charitatis, adimpleas.

Cauſas iræ & indignationis amputato. Quæ duæ communiter eſſe ſolent: altera eſt concupiſcentia rerum terrenarum, altera opinionum ſenſuúmque diuerſitas. Illa inter carnales homines, hæc inter viros ſpirituales ſolet ſuſcitare iracundiam. Quare non ſufficit omnia contempſiſſe, niſi etiam proprios ſen- XI.
ſus reſecemus, & iuxta conſiliũ Pauli, idem (quoad *1. Cor. 13. 11.* fieri poſſit) vniuerſi ſapiamus. Nihil enim prodeſt primam cauſam amputaſſe diſſidij, inquit Caſſianus, *Caſſian. col. 16. c. 9.* quæ ſolet naſci de rebus caducis atque terrenis, & vniuerſa deſpexiſſe carnalia, atque omnium, quibus noſter vſus indiget, rerum indiſcretam communionem fratribus permiſiſſe, niſi etiam ſecundam, quæ ſub ſpecie ſpiritualium ſenſuum naſci ſolet, ſimiliter abſcindentes, acquiſierimus in omnibus humilem ſenſum & conſonam voluntatem.] Aduerte ergo, ô frater, & conſideremus omnes, quia diabolus opinionum & ſententiarum diuerſitate hoc quærit, non quidem tantùm intellectus opinionum varietate diſiungere, quæ in multis rebus parui momenti eſt, & modicum refert. ſic, aut aliter ſentire, ſed voluntates affectibus ſeparare. Quod vtinam non iam factum magna ex parte videremus. At recenti morbo cita medicina ſuccurrat, ne diuturnitate vires aſſumens, pacem turbet, diſcordias magnas ſuſcitet, & charitatem exterminet.

Perſuade tandem tibi, nec iuſtis nec iniuſtis ex cauſis eſſe aduerſùs fratres iraſcendum: quoniam XII.
ira immoderata ex quacunque cauſa concepta intellectum obſcurat, conſilium obnubilat, honeſtatem turpat, & mentis puritatem contaminat. Hæc ſpiritum Dei, qui eſt ſpiritus pacis, in nobis contriſtat, fiduciam ad orandum adimit, & ad mortem nos præparari non ſinit. Exemplo ergo Saluatoris animati, non tantùm ex cauſa, ſed etiam gratis & ſine occaſione à nobis data, patienter iniurias & contumelias ſufferamus.

De vitio Inuidiæ, ac eius actibus.

CAPVT XI.

Damaſc. 1. fidei. c. Baſil. oratio de inuidia. Aug. 55. de Geneſ. ad liter. c. 14. D.Thom. 2.2.q. 36. art. 2.

INVIDIA, ait Damaſcenus, eſt triſtitia de alienis bonis.] & Baſilius: Eſt dolor de proximi proſperitate, & rerum ſucceſſu conceptus.] & Auguſtinus: Eſt odiũ fœlicitatis alienæ:] nam amãdo quiſque excellẽtiam ſuam, vel paribus inuidet, quòd ei coæquantur; vel inferioribus, ne ſibi coæquẽtur; vel ſuperioribus, quòd eis nõ coæquetur. Quod plenè intelliges, ſi ex Thoma Aquinate notaueris, triſtitiam, vel dolorem, vel odiũ bonorũ alterius, poſſe ex quatuor cauſis exoriri. **B** Primò quidẽ ex timore damni noſtri, vel aliorũ, dum formidamus inimicũ aliquibus bonis cumularũ, aut nobis aut toti communitati detrimẽtum allaturum. Et triſtitia ex hac cauſa ſuborta nec inuidia eſt, & ſine vllo peccato eſſe optimè poteſt, cùm non tam ex bonis proximi, quàm ex malis noſtris ab illo inferendis videatur eſſe concepta. Secundò, ex defectu noſtro, quia ſcilicet proximum, abundantem; nos, pauperes eſſe conſpicimus. Quam triſtitiam de ſpiritualibus bonis, quæ nondum accepimus, putamus eſſe laudabilem, & à Paulo conceſſam illis verbis: Æmulamini chariſmata meliora.] Tertiò, ex apprehenſione, quòd aliqua bona prouenerunt indignis. Quæ triſtitia, licèt inuidia non ſit, tamen de nullo bono iuſtè concipitur. Non de bono ſpirituali gratiæ & virtutum, quia hoc facit hominem iuſtum & dignum. **C** Nec de bono temporali, quòd ex diſpoſitione diuina, malis ad eorum correctionem aut damnationem tributum nullius momenti eſt, ſi cum bonis æternis conferatur, quare non debet quis ex eo quod ab alio poſſideatur, triſtari. Quod apertè iubet Dauid dicens: Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.] Quartò demum oritur triſtitia de bonis alterius, ex eo quòd nos in bonis excedit, & à nemine cupimus in bonis ſuperari. Hæc autem triſtitia eſt propriè peſſimum inuidiæ vitium, cui aliena bona diſplicent, cùm potiùs quiſque deberet de illis impensè lætari. Inuidiámque prohibuit Paulus, cùm ſcripſit: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.] Et Salomon: Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.] Et rurſus: Vir, qui feſtinat ditari, & **D** aliis inuidet, ignorat, quòd egeſtas ſuperueniet ei.] De qua Cyprianus exponens illud Sapientiæ: Inuidia diaboli, mors introiuit in orbem terrarum,] hæc ait: Latè patet zeli multiplex & fœcunda pernicies. Radix eſt malorum omnium, fons cladium, ſeminarium delictorũ, materia culparum: inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit. Auaritiam zelus inflammat, dum quis ſuo non poteſt eſſe contentus, videns alterutrum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem, zelo excæcante ſenſus noſtros, atque in ditionem ſuam mentis arcana redigente; Dei timor ſpernitur, magiſterium Chriſti negligitur, Iudicij dies non prouidetur.] Hæc & multa alia Cyprianus.

1. Cor. 12. n. 31.

Pſal. 36. 1.

Galat. 5. n. 26.

Prou. 17. n. 5.

Prou. 28. n. 22.

Sapien. 2. 24.

Cyprian. ſerm. de zelo, & liuore.

E Miſerabilis eſt inuidiæ proceſſus, & ex vno gradu in alios paulatim aſcendens, in ſummam tandem iniquitatem prorumpit. Altas quidem illa in corde radices ſuperbiæ figit, qua inuidus atque ſuperbus neminem vellet aliquo bono potiri, nullum vellet eminere. Indignè fert quòd Deus, non eius ſolius ſed etiam aliorum ſit Deus, quòd alios virtute ac doctrina imbuat, quòd alios apud mortales exaltet, & memoriam eorum honorifica opinione concelebret.

A Et ſicut ſi quis ſtultus velit ſibi ſoli ſolem exoriri, & vniuerſos homines in perpetua caligine & obſcuritate verſari: ita inuidus ſtultiſſimis inſipientior, quodammodo cupit, Deum, ipſum tantùm donis afficere, & apud alios clarum ac ſublimem facere, reliquos verò omnino pauperes inglorióſque relinquere. Ex hac ergo ingenti ſuperbia primus gradus inuidiæ progreditur, quo inuidus de alienis bonis interiùs triſtatur, & quia illis data ſint, vehemẽter iraſcitur. Quem gradum in Caïn primo hominum reproborum euidenter aduertimus. Is enim, quia ſuo ſacrificio Abelis fratris oblationem prælatam aſpexit, indignatus & triſtatus eſt valde. Iratuſque eſt Cain vehementer, ait Scriptura, & concidit vultus eius. Dixítque Dominus ad eum: Quare iratus es? Et cur concidit **B** facies tua?] Vellet iſte bonus vir ſuum tantùm ſacrificium acceptum eſſe Domino, reliquas oblationes reiici atque contemni, & triſtatus eſt, quia alias non ſolùm acceptari, ſed & ſuis præferri cognouit. Sic prorſus inuidi cupiunt pro ingenti ſuperbia ſua ſoli aliquid eſſe, ſoli donis diuinis affici, ſoli ab hominibus æſtimari. Si autem alios videant de puluere ſuſcitatos, donis virtutis & doctrinæ cumulatos, ab hominibus magni habitos, putant ſibi bonum illud & honorem eſſe præreptum, & propterea de illorum bonis dolorem ac triſtitiam admittunt. Hæc verò triſtitia quàm ſæuas tempeſtates, & amaras cogitationes in cordibus inuidorum exſuſcitat! Iam intra ſemetipſos dona cœleſtia aliorum extenuant: iam viam ac rationem quærunt, qua ſe illis anteponant: **C** iam illa non vera & ſolida eſſe, ſed ex hominum fauore pendere decernunt. Seipſos, quia ſine cauſa contemnuntur, infœlices appellant: & ſi ad res magnas & arduas vocarentur, non minorem, quàm alij authoritatem habituros, nec minori ſatisfactione munera honoris obituros eſſe pronunciant. Sed ſi maior aliqua lux illis affulgeat, & aliorum manifeſtam virtutis magnitudinem, cui ipſorum inuidorum virtus comparari non poſſit, aperiat, quaſi in furorem verſi, & in tabiem acti, nihil non iniquum moliuntur, vt fratres ſuos ex illa proſperitate deiiciant.

Geneſ. 4. 5. 6.

Secundus inuidiæ gradus eſt, quo inuidi veneno liuoris infecti, de malis eorum lætantur, quorum odio atque inuidia tanguntur. Et ſicut diabolus exultauit in pœnis & miſeriis Iob, quas Domino **D** permittente in illud armarium patientiæ collegerat: ita inuidi de caſibus bonorum exultant, manibuſque plaudunt, ſi illis aduerſi ſucceſſus obuenerint. Vnde Proſper ait: Inuidi omne malum, quod de aliis mendax fama iactauerit, ſtatim, tanquam ſi ipſi viderint, credunt. Feraliter eis, qui illud verum non eſſe probare voluerint, contradicunt. Omnia ſuis æmulis fingunt, eorum profectu deficiunt, odia intra ſe abſcondunt, & in ſuos cruciatus enutriunt, proficientibus inuident, peccantibus fauent. De bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, & inimicitiis gratuitis ardent, deprehendi pectoris ſui malitiam timent, ſemper amari, nunquam certi. Amici **E** diaboli, inimici etiam ſui, omnibus odioſi. Ad gaudenda anxij, ad plangenda læti, vtrobique diſperſi.] His euenit quod dicit Salomon: Qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus:] quoniam qui malis lætantur alienis, ruinam ſentient, & fratribus ſuis ab afflictione liberatis, ipſi præ inuidia tabeſcent. Nec ſolùm inuidia eos cruciat, in quo, vt Hieronymus ex quodam citat,

Proſper 3. de vita contẽpla-tiua. c. 9.

Prou. 17. 5.

Hieron. in epiſtolam ad Gala. ad cap. 5.

Iuſtius inuidia nihil eſt: quæ protinus ipſum
Authorem rodit, excruciatq́; animum.

Verùm & in ſimilia mala, propter quæ lætati ſunt, eos

calamita

A calamitatem minimè expectantes præcipitat. Implerúrque adhuc illud Baruch: *Baruc. 4. 31. 32. 33.* Nocentes peribunt, qui te vexauerunt, & qui gratulati ſunt, in tua ruina punientur: ciuitates quibus ſeruierunt filij tui, punientur, & quæ accepit filios tuos. Sicut enim gauiſa eſt in tua ruina, & lætata eſt in caſu tuo, ſic contriſtabitur in ſua deſolatione.] Iuſta inuidorum retributio, vt qui lætantur in aliorum malis, alij de eorum etiam malis exultent.

Ex his duobus inuidiæ gradibus, ad tertium illis peiorem mens inuida & ſtulta progreditur. Nam bona illorum, quibus inuidet, prærerit, & ſilentio contegit: ſi quid verò imperfectum habeant, quod ſæpe accidet, aut ſpeciem mali præferat, aut in malum interpretari queat, id, vt bonam opinionem iuſtorum eleuet, non ſine exaggeratione patefacit. B Quem gradum notauit Dominus in Scribis & Phariſæis: *Matt. 11. 18. 19.* Venit Ioannes, inquit, neque manducans, neque bibens, & dicunt, dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.] Ioannis auſteritatem, & Domini lenitatem in malum trahunt, quia viſum eſt illis, licèt immeritò, poſſe in malum interpretari, & reliqua præcurſoris & Saluatoris admiranda geſta, quia tam manifeſtæ luci tenebras imputare non poterant, ſilentio ac obliuione prætereunt. Ita inuidi apertè bona ſuorum fratrum ſilent; ſi quid verò minùs bonum habeant, id ſatis auctum, & mendaciis multiplicatum prædicant, quos Baſilius egregiè depingit. C *Baſil. oratio. de inuidia.* Sicut vultures, inquit, per multa quidem prata, multa etiã amœna & odorata loca circumuolantes, ad tabida & fœculenta loca feruntur: muſcæ quoque ſalubre, ſi quod offendunt, prætereunt, ad vlcera verò properant: ſic hi vitæ ſplendorem, ac rerum bene geſtarum magnitudinem non reſpiciũt, inania verò & fragilia, & ſi quid erratum, vt quandoque in rebus accidit humanis, tantùm obſeruant, hæc huiuſmodi diuulgant, & per hæc tantùm homines cognoſci volunt.] Ita ſanè illi faciunt. Sed iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis,] *Matt. 11. 19.* & virtus vera ab his qui ab inuidia ſunt liberi, apprimè laudata, qui oculis liuore vacuis, ſi quid imperfectum ſit, benignè condonant, omnia bene interpretantur, & manifeſta bona non ſine exultatione & admiratione reſpiciunt. D

Ad quartum nunc gradum veniamus, quo inuidi non tantùm minùs perfecta taxant, ſed manifeſtam virtutem ſuorum fratrum calumniantur, & eam pro vitio haberi volunt. Et ſicut Iudæi omnia Saluatoris geſta taxabant, & ad malum dictis ac obmurmurationibus trahebant: ita inuidi, membrorum Chriſti, id eſt, iuſtorum, opera bona condemnant. Illi curato cæco dicebant: *Ioan. 9. 16.* Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit.] Conuerſo peccatore clamabant: *Matth. 9. 11.* Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magiſter veſter?] Sanato dæmoniaco muſſitabant: *Luc. 11. 15.* In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.] Ecce ingenium inuidorum, omnia bona in ſiniſtram partem detorquẽt, & aut opus ipſum, aut modum, aut, ſi aliquid non E poſſunt, ſoli Deo notam intentionem condemnant. Fortitudinem, inquit Baſilius, *Baſil. orat. de inuidia.* audaciam potiùs appellant: modeſtum, ſine ſenſu hominem: iuſtum, immitem & nimiùm ſeuerum: prudentem, aſtutum: magnificum, vaſtum: liberalem, vt prodigum taxant: domeſticè frugalem, auarum dicunt. Denique omnis virtutis ſpecies in vicina vitiorum nomina conuertunt.] Non paucos ex his vidimus, qui omnia fratrum ſuorum bona corrodunt, qui vitas ſimpliciter

A viuentium dilacerant; qui, ſi aliter non poſſint, ſaltem contumeliis & verborum ictibus, quæ nec homines de media plebe decerent, quos ſibi vita & donis cœleſtibus eminere cognoſcunt, turpiter feriunt, & inuerecundè proſcindunt.

Poſtremus gradus huius peſtis eſt, cùm inuidi in hoc vehementer incumbunt, vt bona opera, quibus flagellantur ipſi, & ſanctos labores iuſtorum impediant. Et quæ ipſi inuidi aut nolunt, aut non poſſunt in vtilitatem Eccleſiæ facere, nituntur ne, & illi, quibus inuident, faciant. Sed quo pacto bona impediunt? Certè impediunt detractionibus. Ad hoc enim de aliis detrahunt, vt eorum bonam exiſtimationem denigrent, & homines ſalutis ſpiritualis gratia ad medicos animarum confluentes, à communiB catione ipſorum auertant. Certè impediunt falſis teſtimoniis; vt qui boni ſunt, ab hominibus mali & impuri exiſtimati, ex ſanctis laboribus ſuis fructus animarum in horrea Domini congregare non poſſint. Certè impediunt inuidi aliorum bona opera propriis laboribus, quos nullo modo ſuſciperent, niſi vt ſtrenuè laborantes impedirent. Antiquum ſatis malum, quod ipſe Paulus expertus eſt: Quidam, inquit, *Philipp. 1. 15.* propter inuidiam & contentionem: quidam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant.] Et rurſus: *n. 17.* Quidam ex contentione Chriſtum annuntiant, non ſincerè: exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.] Hæc quidem inuidi, ſed hi, quibus illi inuident, quid facient? Profectò quod ſubiungit Apoſtolus: *Ibid. 18.* Dum omnimodo C ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuntietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.] Audi quales commemorat Apoſtolus falſos fratres, inquit Auguſtinus, *Aug. in Ioã. tract. 5.* inuidia prædicãtes verbum Dei. Et quid de illis dicit? Et in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.] Chriſtum enim annuntiabant. Per inuidiam quidem, ſed tamen Chriſtum. Non per quid, ſed quem vide. Per inuidiam prædicatur tibi Chriſtus. Vide Chriſtum, vita inuidiam. Noli imitari malum prædicatorem, ſed imitari bonũ, qui tibi prædicat Chriſtum.] Vtinam Domine auferantur ex Eccleſia tua tanta ſcandala ex inuidia profecta. Vtinam omnes inuicem ad bonum animatum nos iuuemus, & non ex inuidia, ſed ex charitate te Saluatorem noſtrum D prædicemus. Vtinam nos (ſicut re vera ſumus) fratres agnoſcamus, & dicat maior minori, quod dixerunt quidam fratres ſorori ſuæ: *Gen. 24. 60.* Soror noſtra es, creſcas in mille millia, & poſſideat ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.] Creſcat cuiuſque perfectio, & in dies magis augeatur, non vt homo vanè reſplendeat, ſed vt Chriſtus annuntietur: non vt homo propriam gloriam quærat, ſed vt laudem & gloriam Saluatoris exquirat: non vt alios deiiciat (optandum eſt enim vt omnes ſint magni) ſed vt dæmones proſternat, & ſimul cum aliis omnibus Chriſti miniſtris, eorum vires & conatus effringat.

De remedijs ad exterminandam inuidiam.

CAPVT XII.

E INVIDIÆ morbus difficillimæ curationis eſt, adeò, vt aliqui ex partibus dicant, illum minimè poſſe ſanari. Cyprianus ait: *Cyprian. ſer. de zelo, & liuore. Baſil. orat. 11 de inuidia.* Calamitas ſine remedio eſt odiſſe fœlicem. Et Baſilius: Malum hoc eſt, quod ſatis exprimi nequit, quod medicinam ſpernit. Qui caput aut membrum aliquod dolent, medico morbum aperiunt: at qui ægrotat

inuidia, quid dicet? Angunt me proximi bona? Veritas hæc eſt: Attamen hæcquiſque verba fateri erubeſcit. Et Caſſianus: Eum, quem inuidia ſemel veneni ſui peſte corruperit, pene dixerim carere remedio. Ipſa namque eſt lues, de qua figuraliter dicitur per Prophetam: Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos.] Et infrà: Hi, qui iiſdem ſe percutiendos morſibus tradiderunt, omnem opem ſanctæ incantationis excludunt, quia cùm vtique non culpa eorum, quibus liuent, ſed proſperitate crucientur, erubeſcentes ipſam prodere veritatem, extrinſecus ſibi quaſdam ſuperfluas & ineptas cauſas offenſionis inquirunt. Quarum, quia omnimodis falſæ ſunt, vana curatio eſt, cùm illud mortiferum virus, quod nolunt prodere, lateat in medullis.] Hi patres non inficiantur, morbum inuidiæ eſſe medicabilem, ſed difficilem eſſe eius medicinam, eo quòd eius cauſa intus in præcordiis inuidi lateat, nec exteriùs ad remedium poſtulandum prodatur, quin potiùs inanibus quibuſdam prætextibus obueletur. At medicina eſt in Galaad, qua inuidus poſſit ſibi ipſi mederi, licèt nolit fœculentam plagam ſpirituali medico pandere (quod melius eſſet, ſed ſi ad peccatum graue non acceſſit, haud omnino neceſſarium) & coram alio de viliſſimo ſpiritu inuidentiæ erubeſcere. Conſultò autem dixi, ſi ad graue peccatum non acceſſit, quoniam ſæpe inuidi lethaliter peccant, dum de aliorum bonis deliberatè triſtantur, & eos illis bonis, aut ſermone detractorio, aut opere ſpoliare contendunt. Tunc, vt ſe ipſos in confeſſione aperiant neceſſe eſt, & graue peccatum ſacerdoti poteſtatem habenti manifeſtent. Cùm verò lues non eſt vſque ad mortem progreſſa, ſi adeò imperfecti ſunt, vt nolint ſe alij ſcientia vitiorum curandorum pollenti manifeſtare, ſequentibus ſaltem remediis, ſe ipſos curare tentabunt.

Caſſian. coll. 18. c. vlt. — *Ierem. 8. n. 17.*

I. Conſidera ergo, ô inuide, quanta & quàm maxima incommoda inuidentia tibi afferat, cùm tamen nec minimum ei, cui inuides, aut rebus inuidioſis malum adducat. Hæc inuidiæ mala vnum Baſilij verbum, innumeris ſanctorum patrum ſententiis prætermiſſis, oſtendat. Nihil mortalium animis, inquit, inuidiæ perturbatione pernicioſius contingit, quæ ante omnia ipſi nocet authori, aliis verò quàm minimum. Quemadmodum enim venenum, ferrum; ſic inuidia, hos qui eam poſſident, conſumit atque vaſtat. Magis autem, ſicut viperas dicunt abrupto matris ventre naſci, ſic & inuidia concipientem ſe animam corrodere ſimul ac tabefacere ſolet. Quid hoc morbo pernicioſius? Interitus vitæ, peſtis naturæ, aduerſa omnibus bonis ex Deo venientibus, demum ipſi Deo contraria. Fugiamus, fratres, intolerabile malum. Serpentis id eſt præceptum, diaboli inuentum, inimici ſatio, punitionis arrhabo, pietatis impedimẽtum, via ad gehennam, regni cœlorum priuatio. Hæc multis interpoſitis, & omiſſis, Baſilius, & alia plurima poſtea ſcribit, quibus nunquam ſatis infeſtiſſimi ſpiritus inuidiæ iniquitatem declarat. Alia enim vitia aliquam ſaltem fictam voluptatem ſecum afferunt, qua tecta & obuelata quodammodo appetibilia videntur; at inuidiam quis appetat, quæ ipſiſſima triſtitia & afflictio eſt, quæ nihil niſi mœrorem & rabiem affert, cuius tabes atque miſeria bonorum auctione ſuccreſcit.

Baſil. orat. 11. de inuidia.

II. Conſidera etiam, quòd licèt frater tuus amittat bona, quorum poſſeſſio illum nobilitat, te autem inuidiæ mœrore contriſtet, non ob id in tui poſſeſſionem tranſient, neque ab illo defluentia in te deſcendent. Stultiſſimum verò eſt ob hunc triſtem affectum alienis bonis, quæ ex charitate tua fierent, ex inuidia priuari. Eſau præ inuidia ad perſecutionem fratris exarſit, & nunquam illius ampla, quibus inuidebat, bona poſſedit. Fratres Ioſeph eodem miſero affectu ſubiecti illum Iſmaelitis vendiderunt, ne ſibi ſuperiorem ipſum aſpicerent, & putantes fratrem deiicere, ad magnum principatum exaltarunt. Saul gloriæ Dauidis inuidit, qua ſibi in rebus bellicis præclarè geſtis prælatus eſt, inuidia autem regnum perdidit, & æmulum ſuum in regnum euexit. His nihil prorſus profuit inuidia, vt bona aliorum ſibi quærerent, quæ procul dubio, etiam ſi poſſidentes perderent, ipſi inuidi nunquam acciperent. Et idem omnino euenit vniuerſis liuore deuictis, quòd licèt fratres ſuos, gloria, ac dignitate, aut virtute nudarent, nunquam tamen eadem, ex eo quòd inuident, obtinerent. Econtrà verò ſi inuidi non inuiderent fratribus ſuis, ſed fratres ex vera charitate diligerẽt, eorũ bonis participes fierent, & aliena bona velut propria in ſuũ dominium vendicarent. Nam hoc eſt opus charitatis (quod optimè notauit Gregorius) vt ſicut me vnum cum aliis fratribus facit; ita etiam bonorũ, quibus illi diuites ſunt, dominum ac poſſeſſorẽ efficiat. Inuidia verò inuidum ab aliis ſeparans, pauperrimum reddit, quia à participatione alienorum bonorum excludit.

Gen. 27. n. 41. — *Gen. 37. n. 28.* — *1. Reg. 18. nu. 8.* — *Greg. 3 p. paſt. admo. 11.*

III. Licèt apud alios te inuidum non fatearis, quia ignominioſum eſt valde, tam infami vitio quempiam eſſe ſubiectum, idque in conſpectu aliorum, ore teſtari, at apud temetipſum inuidum ac puſillanimem eſſe cognoſce. Ne te ipſum fallas; ne te fratres tuos vituperantem, & eorum virtutes extenuantem, aut omnino damnantem, circumuenias; ne tibi perſuadeas id te bono zelo facere, & ex iuſtitiæ, aut alterius boni deſiderio de aliis detrahere, ſed magis apud temetipſum cor tuum inuidum, ac liuore tabidum confitere. Si enim te decipias, & inuidum eſſe non ſentias, ſemper inuidiam zeli, aut alterius boni prætextus velamine rectum defendes & augebis, & vſque ad manifeſtum odium protrahes, & nunquam ei remedium ac curationem adhibebis. At ſi ingrediaris cor tuum, & receſſus eius perluſtraueris, & latebras tuæ mentis excuſſeris; manifeſtè videbis te amore propriæ excellentiæ proſtratum, aliorum bonis inuidere, quæ tu ſolus cuperes poſſidere, & de aliena proſperitate triſtari. Tunc ægritudine cognita atque perſpecta, dictis conſiderationibus & ſubiectis remediis, ad cordis tranquillitatem, & ad ſanitatem quærendam te ipſum inclina, quam, Deo tuis deſideriis annuente, conſequeris.

IV. Cogita igitur nihil magnum eſſe, nihil excellens, eorum quæ mundus admiratur, ſolámque virtutem magnam exiſtere atque pretioſam, quam nemo à te poterit, niſi te ipſo volente, ſurripere. Hanc autem ſæpe viſibilibus donis orbatus, & ſcientia aut plauſu hominum vacuus, meliùs quæres ac conſeruabis. Nam noſtra natura per peccatum corrupta, adeò miſera eſt, vt in huiuſcemodi hominum laudationibus veluti in viſco inhæreſcat, & nullo modo ad veram virtutem capeſſendam procedat. Melius ergo tibi erit, non iam mundi bona ſed perfectionem quærenti, hæc, quæ te illigãt, atque compediunt, ſpernere, vt expeditiùs valeas ad maiora bona, quæ cupis, aſpirare. Audi quibus verbis Baſilius hoc medicamentum præſcribat: Primum quidem inuidiæ remedium ſit, inquit, ſi nihil rerum humanarum magnum, aut ſupra naturam exiſtimemus: non enim in rebus fluxis bonum conſtituimus, ſed ad ſempiternorum & verorum bonorum participationem vocati ſumus. Itaque nec diues æmulandus eſt propter diuitias, nec potens ob dignitatis ac magiſtratus culmen, nec for-

Baſil. ſuprà.

ſis ob corporis robur, nec eloquens ob dicendi facultatem; inſtrumenta ſunt hæc virtutis rectè viuentibus, nihil per ſe veræ fœlicitatis habentia. Miſer eſt, qui his abutitur, non aliter, quàm qui in pugna contra inimicos enſem corripiens, in ſe ac interitum ſuum conuertit.] Cùm hæc ita ſint, ſtultum eſt, ob res paruas ab alio poſſeſſas, quibus & ſe ipſum perdere valet, & tu forſitan illas habens te ipſum perderes, cor tuum mœrore conſumere, inuidia tabeſcere, & amoris gemma ſpoliare.

V. Excita in te deſideria perfectionis, & amorem æternæ patriæ pene emortuum exſuſcita, qui amorem rerum viſibilium, & cum eo inuidiam ac liuorem expellet. Qui liuoris peſte plenè carere deſiderat, ait Gregorius, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non anguſtat, quæ & omnibus vna eſt & ſingulis tota: quæ tanto largior eſſe oſtenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur.] Nunquam tu illi inuidiſti, qui calceos bene conſuit, qui pulmentum bene coquit, aut aliud vile ſeruitium exercet, quoniam animus amori præſtantiorum rerum intentus hæc vilia amare aut deſiderare contemnit. Eodem modo ſi æterna concupiſceres, ſi feruenti deſiderio perfectionis arderes, nunquam inuidia eorum, qui magis litterati ſunt, aut eloquentiùs concionantur, aut magis ab hominibus honorantur, te vinceret; nunquam diabolus tam vilis eſcæ conuiuio proſterneret. Hæc enim veris virtutibus comparata, minora ſunt, quàm ſi cum regia dignitate compares mancipiorum abiecta ſeruitia. Quia verò magna & vera bona non diligis, ideo te parua bona admirantur, ideo in aliis conſpecta te contriſtant, & ad ſui amorem accendunt. Paruulum quidem, (vt ait Iob,) occidit inuidia.] Si tu deſideriis ſaltem magnus eſſes, nunquam te inuidia perimeret, nec triſti veneno, & nullo lætitiæ aut voluptatis melle circumlito, dementaret.

Greg. 5. mor. cap. 34.

Iob 5. nu. 2.

VI. Illud tandem maximè ad hoc peſſimum vitium exterminandum confert, ſi ei tum interiùs tum exteriùs reſiſtere ac reluctari coneris. Interiùs reſiſtis, ſi motum inuidiæ comprimas, ſi ad gaudium de bonis fratris conſiderationibus aptis te adigas: ſi pro illo intentiſſimam orationem fundas, vt Dominus pro gloria ſua vniuerſa eius bona promoueat. Ad hoc pertinet quòd Bernardus cuidam interroganti, Quomodo poſſet inuidiam à ſe relegare, reſpondit: Si doles, quòd inuides, inquit, ſentis, ſed non conſentis. Paſſio eſt quandoque ſananda, non actio condemnanda. Tantùm non illic reſideas, iniquitatem meditans in cubili tuo, qualiter videlicet foueas morbum, ſatisfacias peſti, perſequaris inſontem, bene ab illo geſta calumniando, deprimendo, peruertendo, atque impediendo gerenda. Alioqui non nocet ambulanti, & extendenti ſe ad meliora, quòd iam non ipſe operatur, ſed quòd habitat in eo peccatum. Non ergo damnatio illi, qui non dat membra ſua, arma iniquitati: non linguam ad detrahendum, non quicquam reliqui corporis ad lædendum nocendumve aliquo modo, magis autem confunditur, ſic ſe eſſe malè affectum & inolitum, ex longo vitium confitendo, flendo, orãdo conatur expellere.] Exteriùs verò reſiſtis, vt iam ex hac Bernardi ſentẽtia colligitur, ſi verbo de tuo fratre non detrahas, ſi manifeſtè bona laudes, ſi mala taceas, ſi dubia in bonam partem interpreteris. Si opere etiam pios conatus fratris adiuues, ſi ab aliis, qui poſſunt, iuuari facias, ſi tua authoritate prouehas, ſi de bonis ſucceſſibus illi gratuleris. Hæc profectò cor inuidia rigidum leniunt, triſtitia conſumptum exhilarant, dolore tactum ad gaudium pacémque

Bern. ſer. 49. in Cant.

A conuertunt. Dominúſque miſertus laboris noſtri, quo ſuæ gratiæ cooperamur, & morbo peſtilenti reſiſtimus, faciet vt charitatis ſerenitati turbo inuidiæ cedat, & nos à ſe liberos ſolutóſque relinquat.

De vitio Acediæ, ac de multiplicibus eius malis.

CAPVT XIII.

ACEDIA vox Græca eſt, triſtitiam ſignificans, eam quidem, quæ torporem, & incuriam mentis afferat, & quaſi languorem quendam ad aliquid agendum inducat. Huius hanc accipe deſcri- B ptionem ex Damaſceno, Caſſiano, & Thoma Aquinate collectam. Acedia eſt triſtitia de bonis diuinis ac ſpiritualibus, quæ propter adiunctam difficultatem mala noſtra cenſemus, & præ incuria ac negligentia ex ipſa triſtitia naſcente negligimus. Quam optimè depingit Auguſtinus, hominis conuerſi ad Deum tentationes enumerans, & poſt immoderatum affectum cognoſcendæ veritatis, ac poſt experimentum eius, quam in virtute experitur magnæ difficultatis tertio loco recenſens. Excipitur is, inquit, tertia tentatione tædij cuiuſdam in mora huius vitæ, ita vt aliquando eum nec legere nec orare delectet. Tertia tentatio priori contraria: priùs enim periclitabatur fame, poſtea faſtidio, vnde & hoc, niſi de quodam languore animæ? Iam non te illicit C adulterium, nec tamen delectat Dei verbum. Iam poſt periculum imperitiæ & concupiſcentiæ, de quibus duobus te euaſiſſe lætaris, vide ne tædium faſtidiúmque te necet.] Acediam prohibuit Dominus dicens: Videte, vigilate, & orate; neſcitis enim quando tempus ſit.] Ac iterum: Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.] Et Salomon: Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.] Atque alio loco: Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.]

Damaſ. 2. fidei. c. 14. Caſſi. lib. 6. 10. c. 1. D. Tho. 22. q. 35. art. 1.

Aug. ad Pſal. 106.

Mar. 13. 33. Lucæ 13. n. 24. Eccleſ. 9. 10.

Prou. 6. nu. 3.

Hæc, authore Caſſiano, ſtatum hominis animalem conſtituit. D Cùm enim Paulus tres animarum ſtatus deſignet, primum, carnalem, de quo ait: Cùm enim ſit inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?] Secundùm animalem, de quo inquit: Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei:] tertium ſpiritualem, cuius illud eſt elogium: Spiritualis omnia iudicat, & ipſe à nemine iudicatur.] Carnalem ſtatum peccata mortalia manifeſta; animalem tepiditas ſiue acedia innumeris peccatis obnoxia; ſpiritualem vera ac diligens virtus ſtabiliunt. Licèt autem ſtatus animalis medius ſit inter carnalem & ſpiritualem; eſt tamen quodammodo carnali deterior, quia difficiliorem curationem admittit. Quod indicauit Dominus, in hunc modum Epiſcopo Laodicenſium ſcribens: Scio opera tua, quia neque frigidus E es, neque calidus: vtinam frigidus eſſes, aut calidus, ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.] Quo loco, per frigidum, authore Gregorio, & Caſſiano, manifeſtus peccator intelligendus eſt lethalibus peccatis ſauciatus: per calidũ, iuſtus ſpiritu feruens, & calore charitatis oppletus: per tepidum, ille, qui à charitatis feruore ad peccatum regrediens, omnino à charitate vel ab eius feruore diſceſſit, nondum tamen omnibus patentia

Caſſ. coll. 4. 19.

1. Corin. 3. 3.

1. Corin. 12 n. 14. 1. Corin. 2. v. 15.

Apoc. 3. 15. 16.

Greg. 3. p. paſtor. ad moni. 35. Caſſi. coll. 4. c. 19.

A delicta & crimina manifeſta commiſit. Is manifeſto peccatore quodammodo peior eſt, quonam difficiliùs ad feruorem redit, & ſpiritualem vitam iterum, quàm ſemel eſt auerſatus, aſſumit. Quare de acidioſis & tepidis, ſic ait Caſſianus: *Caſſian. ſuprà.* Nec immeritò eos Dominus, quos iam in viſceribus receperat charitatis, noxiè tepefactos cum quadam conuulſione pectoris ſui euomendos eſſe pronunciat: qui cùm ſalutarem quodammodo ei potuiſſent præbere ſubſtantiam, auelli ab eius viſceribus maluerunt, tanto deteriores effecti illis, qui nunquam ori dominico illati ſunt, cibis, quanto id quod nauſea compellẽte proiicimus, odibiliùs deteſtamur. Quicquid enim frigidum eſt, etiam ore noſtro ſuſceptum, vertitur in calorem, & ſalutifera ſuauitate percipitur; quod autem B ſemel vitio pernicioſi teporis abiectum eſt, non dicam labiis admouere, ſed etiam eminus intueri ſine ingenti horrore non poſſumus.] At alio modo poteſt hic locus intelligi, qui apertiùs tepidorum periculum malitiámque deſignet. Hunc autem modum ſubiuncta verba Ioachimi Abbatis explanant: *Ioachim. Apoc. 3. p. 1. tex. 21.* Calidus, inquit, eſt, qui gaudet in Domino per miſericordiam eius: frigidus, qui triſtatur in ſe pro peccatis ſuis. Tepidus autem, qui nec triſtis per pœnitentiam, nec lætus eſt ad obſequium Dei: quare tanquam is, qui non eſt aptus ſaluti, tollitur de memoria Domini, quod eſt deleri de libro vitæ, & ſi aliquando intus fuit per vocationem gratiæ, foras tamen eiicitur propter inertiam vitæ.] Quomodocunque ergo accipias frigidum, tepidus & acidioſus eo peior eſt, vilior, atque miſerior, quia ſi frigidus triſtis ob C peccata ſit, iam per triſtitiam, peccatorum miſeriam fugit; tepidus verò, qui ſalutari hac triſtitia non tangitur, in dies nouis peccatorum nexibus illigatur. Si autem frigidus ſit manifeſtus peccator, difficiliori morbo laborat tepidus, quia laborioſius eſt morbum ſuperbi latentem aduertere, & medicamento repellere, quàm manifeſtam ægritudinem ſe humiliantis & cognoſcentis curare.

Vt verò acediæ gradus ad ordinem redigamus, noſſe oportet, acediam eſſe duplicem: alteram quidem peccato mortali coniunctam; alteram verò à graui peccato ſecretam, ſed grauiter delinquendi occaſionibus ac periculis oneratam. Illa eſt affectio animæ ex graui peccato procedens, qua quis ea, quæ ſunt ſpiritualis profectus, abominatur, & ardenter D quæcunque animæ noxia complectitur. Hæc verò eſt onus quoddam animæ, aut multitudine peccatorum leuium, aut immoderantia paſſionum & vitiorum, aut diſtractionum & curarum nimietate languentis, quo vniuerſa ſpiritualia exercitia triſtia, & moleſta, atque fugienda diiudicat, & cum faſtidio & nauſea cordis admittit. Duas iſtas acedias in aliquo differre, & in aliquo conuenire cognoſcimus. Differunt quidem: nam illa prima manifeſtè mors eſt animæ, aut quædam putredo ex morte procedens, qua miſer homo, velut lignum putrefactum, ad omne opus bonum inutilis atque infructuoſus efficitur. De qua intelligendum eſt illud Pauli: *Epheſ. 5. 14.* Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chri- E ſtus.] Qui enim inter mortuos, id eſt, inter peccatores, aut inter peccata, dormit, ſatis oſtendit ſe non quocunque ſomno, ſed ſomno mortis occupari, illius ſimili, quem Dominus voluit à Lazaro quatriduano depellere, cùm dixit: *Ioan. 11. 11.* Lazarus amicus noſter dormit. Sed vado vt à ſomno excitem eum.] Illud etiam Eccleſiaſtici: *Eccl. 28. 7.* Tabitudo, & mors imminent in mandatis eius.] Quoniam mandata neglecta hanc acediæ mortem, & tabem afferunt, vt homo ad vniuerſa bona ſe non ſolùm tardum, ſed quaſi impotentem inueniat. Hæc verò ſecunda eſt velut ſomnus, non iam ſenſus corporis, ſed animæ vires illigans, ne valeant actiones virtutum præſtare. Vnde Paulus ait: *Roma. 13. n. 11.* Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere,] id eſt, vt interpretatur Gregorius, *Gregor. 5. mor. c. 22.* de ſtatu teporis. Et Salomon: *Prou. 19. 15.* Pigredo immittit ſoporem, & anima diſſoluta eſuriet.] Ac ſanctus Dauid: *Pſal. 118. 28.* Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.] Propriè ſatis, ait Caſſianus, *Caſſia. li. 10. c. 4.* non corpus dixit ſed animam dormitaſſe. Verè enim ab omni contemplatione virtutum, & intuitu ſpiritualium ſenſuum dormitat anima, quæ perturbationis huius telo fuerit ſauciata.

Sed quæ in his ſecernuntur, in multis tamen aliis conueniunt. Vtraque enim acedia eſt penuria, ac mendicitas quædam ſpiritus, abundantiam chariſmatum cœleſtium deuaſtans, atque conſumens. Quod B ſignificant illæ Salomonis ſententiæ: *Prou. 11. 16.* Robuſti habebunt diuitias.] *Prou. 12. 11.* Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus; qui autem ſectatur ocium, ſtultiſſimus eſt.] *Prou. 13. 4.* Vult, & non vult piger; anima autem operantium impinguabitur.] *Prou. 18. 8.* Pigrum deiicit timor; animæ autem effœminatorum eſurient.] *Prou. 21. 5.* Cogitationes robuſti ſemper in abundantia: omnis autem piger ſemper in egeſtate eſt.] His, & aliis multis feruido diuitias, & tepido mendicitatem aſcribit. Vtraque etiam eſt ſterilitas animæ. Nam & Dauid ait: *Pſal. 142. n. 6.* Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.] Sicut enim terra ſine aqua ſterilis redditur, nec alimenta mortalibus neceſſaria fructificat; ita anima, ſpirituali feruore velut rore pluuiáque priuata ferè nullum fructum virtutis emittit. C Vtraque etiam eſt manifeſtum periculum in maiora peccata labendi. Quare Salomon ait: *Eccl. 10. 18.* In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manus, perſtillabit domus.] Nam domus noſtra, inquit Hieronymus, *Hieron. ibid.* quæ cum ſtatu hominis erecta eſt, & habitatio, quam habemus in cœlis, ſi pigri ſimus, & ad bona opera tardiores, humiliabitur. Et omnis contignatio, quæ debet culmen portare in ſublime ad terram corruens, habitatorem ſuum opprimit. Cúmque auxilium manuum virtutúmque torpuerit, omnes deſuper tempeſtates, & nimborum ad nos turbo prorumpit.] Ac denique vtraque iſta acedia atque tepiditas moleſtiſſima eſt, adeò vt eius inquietudo, afflictio, atque tormentum, non poſſit alij quàm gehennæ comparari. Quod ex verbis Bernardi manifeſtum fiet; quibus pulchrè feruidum torpentémque deſcri- D bit. *Bern. ſer. 6. de aſcenſ.* Nimirum, inquit, aduertere potes, in omnibus ferè religioſis congregationibus viros repletos conſolatione, ſuperabundantes gaudio; iucundos ſemper, & hilares, feruentes ſpiritu, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebrò ſuſpicientes in cœlum, & puras manus in oratione leuantes, ſolicitos obſeruatores conſcientiæ, & deuotos ſectatores bonorũ operum, quibus amabilis diſciplina, dulce ieiunium, vigiliæ breues, labor manuum delectabilis, & vniuerſa denique conuerſationis huius auſteritas refrigerium videatur. Contrà ſanè inuenire eſt homines puſillanimes & remiſſos, deficientes ſub onere, virga, & calcaribus indigentes, quorum remiſſa lætitia, puſillanimis triſtitia eſt; quorum breuis & rara compunctio, E animalis cogitatio, tepida conuerſatio; quorum obedientia ſine deuotione, ſermo ſine circunſpectione, oratio ſine cordis intentione, lectio ſine ædificatione, quos denique (vt videmus) vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix diſciplina coercet. Non tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, neceſſe habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minimè ſuſtentantur, ſocij planè tribula-

tionis, ſed non conſolationis.] Hactenus ille. Quæ ſicut indicant vitam feruidorum eſſe opere & delectatione cœleſtem, ita oſtendunt vitā tepidorum eſſe actione ac triſtitia inferno ſimillimam, quam labores onerant, & nulla requies, nulla conſolatio lætificat.

Iam gradus illius prioris acediæ & nequioris, numeremus. Quorum primus eſt illorum qui ſæculo malè renunciant, vt ſcilicet paupertatem fugiant, vt aliquam à ſe infamiam auertant; vel certè, vt inter eos, quibus maximus honor propter ipſorum integritatem à mundo defertur, non leue virtutis onus, ſed mundanum honorem conſequantur. Hi molliter induti ſpiritualis vitæ curſum incipiunt, & quæ in ſæculo poſſederant, in vſus ſuæ vanitatis cuſtodiunt, & nunquam ea ex toto relinquunt. Sunt ex illis, qui nolunt ſpoliari, ſed ſuperueſtiri: qui nimirum non cogitant hominem veterem deponere, & ſuperfluitates ac negotia ſæculi declinare, ſed illis retentis ſpiritualis vitæ donis operiri. Quia verò id fieri non poteſt, dicente Domino: *Luc. 14. 33.* Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus;] nec valent non renuntiantes dona diſcipulorum accipere, ideo ſemper manent inquieti, ſemper triſtes inueniūtur, & prioribus peccatis compediti, quibus nunquam ex toto nuntium remiſerunt, ad vitæ religioſæ altitudinem volare non poſſunt. Quam ſtatu quidem habent, ſed conuerſatione non habent; quia mores ſæculi nunquam deſerunt; & odia quibus antea ſordebant, & ambitiones, & lutulentas carnis voluptates non deponunt.

Alter eſt illorum, qui bene quidem renuntiarunt, & ex altiſſimo fine aſſequendæ perfectionis ſæculum reliquerunt, tamen poſt tyrocinij feruorem noxiè tepefacti ad priſtinas curas ſæculi, & priora peccata redeunt. Iſtorum vita eſt, pecunias contra mandata Prælatorum quærere, quibus fictis à ſe neceſſitatibus, & nunquam euenturis conſulant, aut fratrum, & ſororum, & cognatorū ordinariæ paupertati ſubueniant. Quin & curias principum adeunt, & nullum lapidem non mouent, vt prælationes & mitras adipiſcantur, ne religioſi pauperes in cœlum euolent, ſed Epiſcopi diuites ad inferna deſcendant. In iſtis præter habitum nullam humilitatem, nullum paupertatis amorem, nullum compunctionis ſenſum, nullum fructum ſanctæ religionis inuenies. Immò, ſicut illi *Dan. 13. 9.* ſenes Babylonis, euerterunt ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos ſuos, vt non viderent cœlum, nec recordarentur iudiciorum iuſtorum.] Nam ſuperba & terrena ſectantes in hoc tantùm vitam religioſam amant, vt apud magnos huius ſæculi doctorum & concionatorum inſignium illis opinionem conferat, & ſuæ ambitioni deſeruiat. Quam libenter deſeruiſſent, ſi abſque ignominia & pœna poſſent, & eam impeditricem ſuorum deſideriorum iudicaſſent.

Tertius gradus illorum eſt, qui intra ſepta cœnobij nunquam diſciplinam admittunt, nunquam ordinem tenent, nunquam ſtatutis & regulis ſe ſubiiciunt, ſed magis otioſi, & ſegnes in grauia ſæpe delicta labuntur. Iam ſpiritu diſcordiæ turgent, iam vitio detractionis rebus grauibus illiduntur, iam impuris luxuriæ cogitationibus ſordidantur. Quos non timor, non amor Dei, ſed ſola impoſſibilitas detinet, ne manifeſto ſcelere, quod in opus prodeat, inhient in vxorem proximi ſui. Quin & aliquando ementitis clauibus ad explendam libidinem Monaſterij clauſtra aperire pertentant. Vtinam hi pauci ſint, & ſanè (vt credo) erunt in ſtatu vitæ religioſæ pauciſſimi, ſed tamen nonnunquam aliquem talem eſſe comperimus, qui omnium mortalium debet cogitari infœliciſſimus: nam ex moleſtiſſimo huius vitæ carcere, (illi enim conuerſatio religioſa carcer eſt,) in æternum inferni carcerem currit; & ex ingenti mentis inquietudine, quam ſanctitas ſtatus religioſi malè viuenti affert, in vermem ſine vlla intermiſſione rodentem procedit.

Ex ſingulis tribus gradibus, quos hucuſque retulimus, ad quartum nequiorem ſolet tepidus properare, cùm iam apoſtaſiam ab ſtatu religioſo cogitat; & à vita religioſa per abiectionem habitus manifeſtè diſcedit. Id autem duobus modis fieri ſolet: aut palam, & ſine vllo fuco pro veſte, & animo ſæculari religioſum habitum commutando, aut quibuſdam prætextibus nullitatis profeſſionis eundem habitum deſerendo. In hoc dolus eſt, quaſi Deus decipi poſſit; in illo manifeſtus periculoſúſque contemptus. Hominis ita tepentis, & tam deſperato morbo laborantis miſeriam Bernardus exponat. *Bern. ſer. 63. in Cant.* Hoc frigus ſi ſemel animam, animæ quidem (vt aſſolet) incuria, ſpiritu dormitante peruaſerit, ac nemine deinde (quod abſit) inhibente, ad interiora eius peruenerit, deſcenderit in viſcera cordis & ſinum mentis, concuſſerit affectiones, occupauerit conſilij ſemitas, perturbauerit iudicij lumen, libertatem addixerit ſpiritus, mox (vt in corpore ſolet euenire febricitantibus) ſubit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, languor fingitur virium, horror auſteritatis intenditur, timor ſolicitat paupertatis, contrahitur animus, ſubtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, ſopitur ratio, ſpiritus extinguitur, deferueſcit nouitius feruor, ingraueſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, reuocat conſuetudo. Quid plura? Diſſimulatur lex, abdicatur ius, fas proſcribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur poſtremò impudētiæ manus, præſumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiſſimus, plenus ille ignominia & confuſione ſaltus de excelſo in abyſſum; de pauimento, in ſterquilinium, de ſolio, in cloacam; de cœlo, in cœnum; de clauſtro, in ſæculum; de Paradiſo in infernum.] Ecce infauſtiſſimum ſaltum tepentis animæ, cui applicare poſſumus illud Iſaiæ: *Iſa. 14. 12.* Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes.] Lucifer ob ſuperbiam de cœlo cecidit, aut potiùs ab eo, qui ſuperbis reſiſtit, deiectus eſt: anima verò tepens & frigens, ſemetipſam tepore & puſillanimitate deiecit. Ille vulnerabat gentes, id eſt, apoſtatas Angelos ad defectionem excitabat: hæc verò caſu ſuo imperfectos, & malè radicatos, in ſancta vocatione ſubuertit, vt ſimiles caſus, licèt ex diſſimili cauſa manantes, eaſdem pœnas, nempe in æternum duraturas, in futura vita ſuſtineant.

In hoc quarto gradu conſtituti ad quintum ſolent aſcendere, vt dum vident ſe multiplicibus peccatis onuſtos, & ab ſtatu religioſo in ſæcularem lapſos, quaſi de diuina miſericordia deſperent. Quæ licèt nullum quantumuis peſſimum, dum eſt in hac vita, reiiciat, tamen ipſe peccator à diuina miſericordia ſe ſubtrahit, qui fiduciam deſerit, & remedia eius aſſequendæ contemnit. Sic Cain poſt fratricidium pœnitere noluit: *Gen. 4. 13. Matt. 27. 5.* ſic Iudas poſt traditionem Domini, abiit, & [laqueo ſe ſuſpendit:] ſic iſti poſt deſertam Chriſti militiam, pœnitentiæ remedia ſubire detrectant, & ſæculi nexibus ſemetipſos ſuffocant, & ipſa cordis duritie à Chriſto ſe extorres eſſe declarant. De quibus pulchrè dixit Ambroſius: *Amb. in Pſal. 36.* Conſidera aliquem per aliquot annos habuiſſe ſtudium probitatis, caſtitatis cuſtodiam, vitæ attentioris affectum, piæ propoſitum ſeruitutis, ſedulæ obſeruationis of-

ficium:

ficium: ſubitóque eum eſſe mutatum, diſceſſiſſe de Monaſterio, vale dixiſſe ieiuniis, continentiæ renunciaſſe, indulgere deliciis, ſtudere luxuriæ. Dudum de Monaſteriis exierunt, & nunc luxuriæ ſunt magiſtri, diſſeminatores incontinentiæ, incentores petulātiæ, obtrectatores pudoris. Nonne de his pulchrè dixeris: [Effuſi ſunt greſſus] eorū, quos bene vixiſſe pœnituit. Egerunt itaque noui generis pœnitentiam pro virtutibus, & non agunt pro delictis. Sed hi ex nobis exierunt, dicit Ioannes, ſed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuiſſent, nobiſcum perſeueraſſent.] Hi ergo viam ſuam condemnauerūt, quibus conuenit dici: O qui dereliquiſtis ſemitas rectas, abeundo in vias tenebrarum, & qui lætamini in malis, & gaudetis in euerſione mala, quorum ſemitæ prauæ, & fluxuoſi curſus eorum, ſicut lubricus & flexuoſus author ipſorum: cur odiſſe cœpiſtis viam rectam, & iuſtum conſilium deſeruiſtis?] Huc vſque Ambroſius. In hunc miſerum ſtatum finalis impœnitentiæ ſolet tepiditas huius generis miſerum religioſum pertrahere, niſi fictam conuerſionem in veram commutet, niſi in vera perſeueret, & ſub habitu religioſo feruorem etiam religioſum, & vitam indumento congruam, conuenientémque retineat.

Pſal. 72. 2.

1. Ioan. 2. v. 19.

Secundæ acediæ aut tepiditatis gradus, licèt æquè mali non ſint, quoniam ſæpe non à graui peccato profluunt, & ſine illo reperiuntur: non tamen ſunt parum periculoſi: quos idem receſſus à vita religioſa, & eadem deſperatio, aut ſaltem vita omnino inutilis ſolet excipere. Primus eſt (vt à radice aliorum incipiamus) cùm quis in omnibus ſpiritualibus exercitiis ſegniter atque remiſſè ſe gerit. Meditatur res diuinas ſine attentione, orat ſine deuotione, pſallit in choro, aut recitat priuatim horas canonicas ſine vlla reuerentia atque circunſpectione. Nunquam, aut curſim, ſuam conſcientiam examinat: legit quæ delectent, non quæ moueant atque compungant. In confeſſione ſacramentali eſt durus, in ſacræ communionis perceptione, lapideus, in exhortatione aut collatione ſpirituali diſtractus. His animæ ſpiritualibus alimentis, quibus alij creſcunt, ipſe non creſcit: quibus alij molliuntur, nullum ipſe ſenſum compunctionis admittit: inter tot carbones friget, inter veſtes ſpiritum fouentes alget, & inter delicatiſſimas eſcas, ipſe fameſcit. Anima mea, (inquit,) nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo,] & cibos carni & ſenſibus dulciores auidè concupiſcit.

Num. 21. 5.

Secundus eſt, cùm tepidus feruidos auerſatur, viros ſpirituales ſpernit, & eorum pia ſtudia damnat, & ægrè laudari, & ab aliis imitari ſuſtinet. Hunc gradum ſub nomine peſſimæ tentationis Laurentius Iuſtinianus optimè deregit in hunc modum: Eſt & alia tentatio cæteris periculoſior, quam in cordibus ſeruorum Chriſti, in congregatione viuentium, & minùs cautè conuerſantium humani generis aduerſarius, ad exterminandam charitatem, concordiam, & mentis tranquillitatem diſſeminare non deſinit. Frequenter namque face æmulationis & inuidiæ liuore, quorundam accendit animos contra aliquos collegij, ſimpliciter, humiliter, & ſolicitè conuerſantes. Agitque ſuis perſuaſionibus, vt negligentibus intolerabilis ſit vita bonorum. Nam repleti huiuſmodi diabolica malignitate, & inuidiæ ſagitta transfixi, profectum fratrum ſuorum, proprium iudicant detrimentum. Propterea inſtigante liuore detractionibus linguæ habenas laxant, & vitam proximorum murmurationibus dilaniare non ceſſant, obſeruant greſſus, verba diſcutiunt, & mores illorum, quibus inuident, ſemper diiudicant. Eorum derogant deuotionibus, eorum virtutibus laceſſuntur, eorumque bonis operibus affliguntur. Facilè, & pro minimo aduerſùs eos, quos æmulantur, turbantur, nec ſpiritu linotis agitati ſuum valent cohibere vel diſſimulare furorem. Non poſſunt pacificè loqui, ſed mox, vt verba protulerint, feruere intrinſecus inchoant, foríſque contumelioſa verba iaculantur. Bonum illorum malum dicunt, ſed vel vtinam malum bonum. Inſanabilis prorſus eſt iſtorum languor; non enim placantur blanditiis, non mulcentur obſequiis, non rationibus acquieſcunt. Quin potiùs, quemadmodum lignum accenditur additione lignorum, ita & horum paſſio augetur multiplicatione virtutum.] Optimè quidem pigrorum hominum inualetudo explicata eſt, qui & bona ſpiritualia veluti inſuauia reſpuunt, & eiſdem bonis inſiſtentes, iudicant, horrent, atque contemnunt.

Iuſti. de diſcipli-na, & perfect. monaſt. conuer. c. 13.

Tertius gradus hos duos manifeſtè ſubſequitur: cui enim omnia ſpiritualia deſipiunt, conſequens vt carnalia ſapiant, & viſibilia delectent. Homo ergo inanibus cogitationibus paſcitur, & his mente voluendis, quæ veteri homini placent, libenter occupatur. In rebus creatis ſolatia quærit, & mens interna conſolatione deſtituta abſque vllo timore ſe in exteriora diffundit. In cibo, in potu, in ſomno, in veſte, in cella, in ſupellectili ſuperfluitatem amat, & non quæ neceſſitati, ſed quæ voluptati ſeruiant, inquirit. Ad vitam ocioſam aſpirat, & omnem religioſum laborem intolerabilem ducit, ſuæque ætati, aut ſuis laboribus debita eſſe ſeniorum priuilegia, & omnem vacationem exiſtimat. Quòd ſi Prælatus aliquid faciendum iniungat, conqueritur: infirmitates & corporis imbecillitatē imaginatur, quæ ipſum communibus laboribus eximant, & illum omni religioſo miniſterio & omni cura, ſi illa honorem, & ſplendorem non habeat adiunctum, vacuum & liberum derelinquat. Diſciplinam tandem religioſam intolerabilem, Prælatum imprudentem, & fratres ſibi vita diſſimiles, ſtultos & hypocritas iudicat.

In quarto gradu huius acediæ, tepidus, quia ſibi probro datur, quòd ocioſus maneat, exteriores occupationes aucupat, & illas ſæculares & inutiles, quæ orationem impediant, lectioni obſtent, & è cella ſine cauſa honeſta exire compellant, non quæ ſaluti animarum aut ædificationi proficiant. Ab his negotiis ac occupationibus ſæcularibus moleſtè, & cum difficultate ſe expedit, ne vanus vana deſerat, & opportunitatem ad res vtiles & ſpirituales inueniat. Si autem conſcientia iſta reprehendat, ſtatim eius dictamen proterit, eam ſcrupuloſam, & ſine cauſa timentem proteſtatur, nec illi ab eo, qui tyrocinium vitæ ſpiritualis exceſſit, eſſe obediendum affirmat. Liberè minores arguit, æquales obiurgat, de maioribus detrahit, & ipſos Prēlatos, ſaltem verbis honorare non curat. Id profectò, vt ſit ex illis, de quibus ſanctus Dauid ait: Cogitauerunt & locuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra.] An hic non ponit in cælum os ſuum, qui Prēlatis, vicem Dei gerentibus, obloquitur, qui alios tum maiores tum minores irridet? Et quidem. Nam de omnibus perſonis, & de quibuſcunque negotiis liberè verba facit, & vniuerſa, quomodo ſint diſponenda, decernit, & aliter facta damnat & taxat, eo ſolo nomine, quòd non ſuo iudicio & voluntati conueniant. Ac proinde meritò Bernardus eum tepidum eſſe pronuntiat. Oportet te, frater, inquit, ad quem de fabricanda, ſeu regenda inter vndas diluuij arca nihil ſpectat, aut virum eſſe deſideriorum, vt Daniel erat: aut cum Beato Iob, virum dolorum & ſcientem infirmitatem. Alioquin vereor ne tepi-

Pſal. 72. 8.

Bern. ſer. 3. de Aſſumpt.

dum te, & nauſeam prouocantem, euomat ex ore ſuo, qui te inuenire cupit, aut ſui conſideratione calidum, charitatis igne flagrantem, aut tua ipſius cognitione frigidum, & aqua compunctionis ignita diaboli iacula reſtringentem.] Effectus itaque tepotis eſt,& in hac noſtræ tractationis ſerie quartum locum obtinens, ſi quis velit de omnibus liberè loqui, & ad ſe nulla ratione pertinentia diſponere.

In quinto gradu. Perſuadet ſibi tepidus, ſe non ad parua & ordinaria miniſteria, ſed ad magna & ſplendida fuiſſe vocatum. Honorem ambit; laudes & adulationes libens audit; dignitates & Prælationes concupiſcit. In dignitate aliqua poſitus, aut ſine illa adhuc manens, pauperes fugit, communes homines auerſatur,& principum ac magnatorum familiaritatem exquirit. Horum viſitationibus delectatur,conſalutationibus præ ſuperbia diſtenditur: & ſi alter plus illo à magnatibus diligatur aut honoretur,vehementer affligitur. De rebus ipſorum gratanter verba facit atque frequenter; eorum negotia diligentiſſimè tractat, licèt ſæcularia ſint penitus, & à menſura ſuæ profeſſionis aliena: & qui eſt ad pium alicuius puſilli negotium inualidus,vel ad facile miniſterium religionis impotens, ad quæque principum negotia etiam difficilia, etiam ſuum ſtatum infamantia, fortis eſt & expeditus. Alios fratres iſta damnantes ipſe condemnat, & puſillanimes, viles, & ad abiecta ſeruitia natos vocat: Prælatum verò, illum corrigentem,& ab hac pernicioſa occupatione abducentem,non patrem, ſed crudelem, imprudentem,immò & inuidum,ac ſuæ fœlicitatis hoſtem appellat. Non grauabor verba Hugonis adducere, quibus religioſum aulicũ, & negotiis ſæcularibus vacantem deſcribit. Cùm dicitur,inquit, curialis monachus,ex adiuncto deſignatur aliquid leuitatis.Qui enim ſæcularium hominum conſortia diligunt, qui ſe conſiliis principum libenter ingerunt, qui ſecretorum conſcij ſunt & internuntij, curiales poſſunt appellari. Conſilia principum peruerſa, ſi ea ſcias, & internuntius fias, timeo ne conſentias. Ordo clauſtri,& ordo curiæ diuerſus eſt valde. Ibi [ſedes in inſidiis cum diuitibus in occultis, vt interficias innocentem.] Hìc audis: Non ſedi cum conſilio vanitatis,] & cum impiis non ſedebo. Ibi[dextera tua repleta eſt muneribus.] Hìc [lauas inter innocentes manus tuas.] Ibi pauperum res violenter auferuntur: Hìc à pauperibus ſponte offeruntur. Ibi [laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.] Hìc autẽ benedicitur iuſtus. Si vis igitur eſſe monachus curialis, laudas quod nõ debes, defendis quod non expedit,operaris quod non licet, loqueris quod non decet. Et alio loco ait: Monachi, qui curias frequentant,nõ tantùm ſuas,ſed etiã alienas defendunt cauſas. Amant decreta conſiliorum, non ſecreta myſteriorum. Decreta,non pſalmos ruminant: fiunt oratores in cauſis: rhetoricis vtuntur coloribus. Laudari appetunt, quia pro multis loquuntur. Sed monachus multum loquens, multis diſplicet. Coniugia copulant illicita, licita quoque diſſoluunt: quorum non nouerunt patres, atauos nominant, conſanguinitatis ordinem narrant, hunc ex illo deſcendiſſe confirmant, de incertis iudicant, teſtantur ſæpiſſimè quod ignorant. Si verò aliquoties illicita connubia coniungunt, communem vtilitatem prætendunt, Eccleſiarum quietẽ promittunt, pacem populi, patriæ ſalutem. Si verò res ſic ad effectum peruenire non valeat, monachus tunc parat, vt quod alibi fieri non potuit, Romæ fiat. Pro principe igitur ſæculari Alpium frigus, Italiæ calorem libenter patitur, qui pro magiſtro ſpirituali multo le-

Hug. li. 2. de clauſtro animæ. c. 16.
Pſal. 10. n. 8.
Pſal. 25. n. 4.
Pſal. 25. num. 10.
ibid. 6.
Pſal. 10. nu. 3.
cap. 17.

A uiora forſitan inuitus pateretur.] Hæc & multa alia Hugo; quæ conſultò adducta ſunt, vt huius grauiſſimi patris ſermonibus occupationes religioſorum tepidorum ſuggillemus, quos certè non ſolùm ob ingens periculum animæ, cui ſe exponunt, ſed etiam ob inquietiſſimam & abiectiſſimam vitam, quam agunt, infœliciſſimos iudicamus.Quid enim inquietius,quàm piſcis extra mare, columba inter vultures, & agnus inter lupos? Sed quid infœlicius quàm pro terrenis actionibus cœleſtes relinquere, & cœno curarum ſæcularium ereptum, maioribus & periculoſioribus curis ſponte ſubmergi?

In ſexto demum gradu,tepidus gratanter & frequenter reuoluit animo ſæcularia; dignitates, delicias & ſplendorem ſæculi, vt magnam fœlicitatem,
B apprehendit. Fitque ex illis, de quibus ſcriptum eſt: Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt.] Et quia mundana illi placent,quæ ſunt periculis peccatorum plena, huiuſmodi pericula nequaquam timet, immò ſpiritu ſuperbiæ deceptus, in mediis ambitionis & concupiſcentiæ flammis,ac de homine impeccabili, ſic de ſemetipſo confidit. Corrigitur à Prælatis,non audit:hortantur illum ſeniores,non auſcultat: amici ſapientes viciniora ſaluti illum monent,& apud illos, quibus modeſtiùs reſpondere ſolet, mille ſe rationibus excuſat.Poſt multos igitur ſpiritualis vitæ annos, non in aliquo, ſpiritu promotus, ſed in eadem inhærens ſalebra,ſemper inuenitur miſera tepiditate poſſeſſus. Cui per omnia conuenit illud Baſilij,quod de tepidis,& inconſtãtibus ſcribit: Hi multũ ſerpunt, & nihil promouent. Siquidem iumentis iis aſſimiles
C ſunt, quæ ad molas deligata, cùm ingredi continenter non ceſſent, eodem tamen vſque in ſpacio ſemper reperiuntur: & fracto laboribus corpore,ipſa tamen vltra exigui loci fines progreſſa non ſunt: ſic iſti quoque cùm aſſiduè in corporis libidinibus intricentur, in hiſque depreſſi inhæreſcant, ad ſpiritus faſtigium nunquam euadunt, ſed in exhauſto curſu in orbem perpetuò incitati feruntur: nempe qui vnà cum corporis concupiſcentiis voluptatibuſque aſſiduè agitati rotatíque,eodem vnde mouerant, denuo referantur, & propter voluntatis prauitatem ab iniqua, in qua ſunt, ſeruitute nunquam liberentur.] Ad hos ſex gradus (vt nobis quidem videtur) præcipua
D huius generis acediæ mala retulimus.

In hoc miſero ſtatu (quod certè non ſine magno timore eſſet cogitandum) ſunt non pauci religioſi ſacrarum litterarum ſtudiis occupati, animarum miniſteriis ligati,& Prælationibus ac gubernationis cura detenti: qui cùm ex impuriſſima intentione litteris,& concionibus, & curæ aliorum vacent,& in his ſplendidis Eccleſiæ functionibus non diuinam gloriam, ſed ſemetipſos quærant, & ſupra vires ſe onerent,& imprudenter effundant, fit vt in via ſpiritus quotidie magis magiſque tepeſcant. In hos per omnia quadrat illud Iob: Calcatis torcularibus ſitiunt] quia ſanctis Eccleſiæ miniſteriis, quibus ſpirituales viri profecerunt,& in dies incrementa virtutum augere non deſinunt,ipſi peiores & imperfe-
E ctiores fiunt. Statum ſuum ſtatum ariditatis vocant, non tepiditatis: in quo à Domino deſolationibus probantur, & conſolationibus priuantur, vt toti (quemadmodum ipſi dicunt) lucrandis animabus intendant. Nec aduertunt miſeri, ſe non ariditate probati, ſed tepore à Domino ſeueriſſimè permiſſo caſtigari, & in ſtatu obſcuritatis ac caliginis derelinqui. Nec enim feruor ſpiritus, & diligens virtutis ſtudium, & cœlitus demiſſa conſolatio, miniſteria animarum impedit, ſed mirum in modum promouet, & eis efficaciam attribuit. Nam & Apoſtolis

Pſal. 143 n. 15.
Baſil. conſt. monaſt. c. 9.
Iob 24. n. 11.

& Apoſto-

& Apoſtolicis viris non fuit neceſſaria tepiditas, vt lucrandis animabus,& inſtruendis ignaris, & gubernandis ſibi ſubiectis, inſiſterent, ſed potiùs feruor illis opus fuit,& magnus feruor, vt ſine ſuo periculo gubernationis,& doctrinæ munus ſuſtinerent. Abeant ergo iſti, qui ſapientes ſunt in oculis ſuis, & in oculis ſapientium ſtulti, & diſcant non blaſphemare,& potentiæ Domini derogare, quaſi ipſe illorum miſeria & diſtractione, ad ſalutem animarum efficiendam
Sap.8.n.1. indigeat. Immò ſciant, Dominum, [qui ſuauiter omnia diſponit,] non gelu, ſed igne calefacere, non tenebra, ſed ſole illuminare,& non tepidis & diſtractis hominibus,ſed feruidis, & animo religioſis,velle animas ad feruorem & opera religionis conuertere. Ne colores ſuæ tepiditatis inquirant, ne legitimas cauſas acediæ & pigritiæ prætexant, quas nunquam inuenient, ſed vitium hoc peſtilentiſſimum ſubiectis remediis abiicere curent.

De remedijs ad extirpandam acediam.

CAPVT XIV.

GRAVIS & difficilis morbus multis, & non facilibus medicaminibus indiget, vt in languida & ad mortem tendente anima noſtra curetur: quare nemini moleſtum videatur, ſi ad deſtruendam acediam, grauem ac periculoſam ægritudinem multa remedia aſſignamus: quæ tamen quàm breuiſſimè referemus.

I. Tu ergo, ô tepide, ô ſerue male, & piger, qui talentum diuinæ vocationis, quo poſſes ſanctitatem lucrari,in ſudario væcordiæ repoſitum habes, aduersùs hunc languorem remedio aſſiduæ atque intentæ orationis vtere, quo petas à gelu educi, & à tenebris ac obſcuritate liberari. Agnoſce te in cœno teporis
Pſal. 68. num 3. inhærere,& dic: Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia:] & exclama ad Dominum, ait
Aug. in Pſal.106. Auguſtinus, vt de neceſſitatibus tuis etiam hîc liberet te. Agnoſce te in via ſpiritus conſediſſe,& dic ad
Cant.1.3. Dominum: Trahe me poſt te.] Propterea opus ha-
Bern.ſer. 21. in Cant. beo trahi, inquit Bernardus, quia refriguit pauliſper in me ignis amoris tui,nec valeo à facie frigoris huius currere modò,ſicut heri & nudiuſtertius.] Hanc humilem orationem exaudiet Dominus:& educet te de
Pſal. 39. 3. lacu miſeriæ & de luto fæcis, & ſtatuet ſupra petram pedes tuos, & diriget greſſus tuos. Et immittet in os tuum canticum nouum,carmen Deo noſtro.

II. Meditare ſeriò & attentè nouiſſima tua, acerbam pœnam ſegnibus præparatam,ſeuerum iudicium negligentibus deſtinatum, & ineuitabilem mortem, qua glorioſa munera ceſſabunt, & applauſus hominum euaneſcent. Vide an bonum ſit,propter hæc caduca & abiecta in hora mortis ſcrupulis agitari, & animam periculo damnationis exponi. Nam & gehenna etiam concionatores, & confeſſarios principum, & Prælatos capit,ſi hæc miniſteria ambitioſè & ſuperbè faciant, & in illis nequiter,& aduersùs Domini mandata procedant. Præcipuè autem magna præmia iuſtis diligenter viuentibus præparata conſidera. Hæc enim quia verè magna,& glorioſa ſunt, facient te fictam mundi gloriam contemnere,& quia meritum omnis laboris excedunt, facient pro illis non oſcitanter,ſed feruidè laborare. Atque de huius
Bern.ſer. 21. in Cantic. conſiderationis fructu hæc ſcribit Bernardus: Sunt qui in ſtudiis ſpiritualibus fatigati, & verſi in teporem,atque in defectu quodam ſpiritus poſiti, ambulant triſtes vias Domini,corde arente & tædente accedunt ad quæque iniuncta,frequenter murmurant,

A longos dies,longas conqueruntur & noctes,loquentes cum ſancto Iob: Si dormiero, dicam quando *Iob.7.n.4.*
conſurgam, & rurſum expectabo veſperam.] Ergo vbi contingit tale aliquid pati, ſi miſeratus Dominus appropiet nobis in via, qua ambulamus, & incipiat loqui de cœlo, qui de cœlo eſt, necnon & fauorabile quippiam cantare nobis de canticis Sion, narrare etiam de ciuitate Dei, de pace ciuitatis, de æternitate pacis, de ſtatu æternitatis,dico vobis erit pro vehiculo animæ dormitanti & pigritanti læta narratio,ita vt pellat omne faſtidium ab animo audientis, & à corpore fatigationem.] Sic ille. His itaque meditationibus te ipſum erudi, ad cor tuum clama, mentem tuam, non tam torpentem quàm dormientem excita, vt ſcias æternorum deſiderio terrena aſpernari, &
B pro fuga magnorum malorum, & ingentium bonorum adeptione omnem ignauiam & torporem depellere.

Conſidera etiam maximè inuiſam eſſe Domino III.
hypocriſim, quam non ſemel, ſed ſæpiſſimè tam ſeuera increpatione damnauit. Attendite, inquit,à fer- *Luc.12.1.*
mento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.] Et, Cùm *Matth.6. 5.*
oratis non eritis ſicut hypocritæ. Et, Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.] Et rurſus:
Væ peccatori terram ingredienti duabus viis.] Tu au- *Ibid. nu. 16.*
tem hypocrita es,in quolibet teporis gradu conſiſtas. Si enim fictè procedis, & cor habens lupi rapacis, te ouem eſſe mentiris, id eſt, ſi ſub habitu & in ſchola virtutis,lethali peccato ſordeſcis, quis dubitet te hypocritam eſſe, qui bonus,& caſtus, & circunſpectus
C appares, iniquus autem, ac turpis, necnon & contaminatus exiſtis. Si verò necdum ad tantum malum perueniſti, ſed ſecundo gradu acediæ ligaris, nullo modo te poſſumus ab ſtatu hypocritæ eximere,cùm alius ſis,& alius appareas,& habitu,ac profeſſione te ſæculi contemptorem aſſeras, vitæ autem actione
mundanis & ambitioſis annumeres. Quòd ſi Domi- *Matt.24. 51.*
nus ſeruum iniquum & negligentem[diuidet,]id eſt, ſeparabit à conſortio famulorum ſuorum, [partémque eius ponet cum hypocritis,] attende tepide qualis erit pars tua,& miſera conditio tua,cuius memoria terret Dominus ſeruos comeſſatores,& ebrioſos,& ab iniuria conſeruorum abducit.

Conſidera, quia nouitij, & idiotæ,& annis atque IV.
ætate minores cœlum rapiunt,virtutem obtinent,ad
D perfectionem aſcendunt,& tu ſenex,& litteratus, & concionator, & aliorum magiſter, magis in dies per ſocordiam & ignauiam tuam ab omni virtute, ac puritate diſcedis: & curis implicitus ac negotiis vaniſſimis dementatus, negotium ſalutis tuæ velut nullius
momenti poſtponis. An non tu es ille ſtultus, de *Iob. 5 5.*
quo inter alia hæc dicit ſanctus Iob: Cuius meſſem famelicus comedet, & ipſum rapiet armatus, & bibent ſitientes diuitias eius?] Et quidem. Habes enim firmam radicem, quoniam votis religioſis in terra bona ſtatus perfectionis plantatus es, & dignus es ab aſpicientibus maledici, quia nec altis radicibus,quibus ſuſtineris, nec in qua ſatus es, optimæ terræ, & bene cultæ, atque rigatæ reſpondes. Quin potiùs filij tui, hoc eſt, opera tua, longè ſunt à ſalute, quæ aut propria ipſorum malitia conterit,aut ſi bona ſint,
E præpoſtera intentio in porta,nimirum in initio actionis interficit. Meſſem ergo tuam,id ſcilicet ſpiritualis emolumenti, quod colligere deberes, famelicus, hoc eſt,feruidus comedit,& te præ fame pereunte,ille in menſa orationis apud Dominum epulatur. Vitam tuam rapit fortis armatus,quo diabolus ſignatus eſt,cuius monitis & iuſſis obtemperas. Diuitias quoque tuas, quas ſcilicet lucrari debueras, ſitientes, id eſt, cupientes perfectionem, ebibunt,& dum aridus

A & triſtis manes, illi cœleſti conſolatione potantur, & gaudus ſpiritus perfruuntur. Si autem cauſam fœlicitatis illorum, & tuæ infœlicitatis aduertas, nullam aliam (præter diuinam gratiam omnibus aſſidentem,) niſi ipſorum in laborando diligentiam, & tuam negligentiam inuenies. Quod Salomon celebri prouerbio patefecit, dicens: Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.] O quanta, & quàm pulchra ac magna animalia terræ cauernas inhabitant, & in antris horridis deliteſcunt, & domos regias adire non curant, at ſtellio animalculum vile, quia manibus nititur, quia nimirum curat in alta quæque conſcendere, in domo regia locum requietionis accepit. Ita multi viri graues, ob inſignem doctrinam, & eloquentiam, ac gubernationis peritiam nominati, in imo iacent, & ob ſuam oſcitantiam in quadam

Prou. 30. 28.

B vitæ obſcuritate, & in abyſſo quodam imperfectionum commorantur, cùm tamen ſtellio, id eſt, vir ignarus & contemptibilis, quia mundum deſpicit, & diligenter in omnem virtutem incumbit, arcem Domini, id eſt, perfectionem, obtineat. Hic intellectus eſt Beati Gregorij, qui prædictum Salomonis locum his verbis exponit. Plerunque aues, quas ad volatum penna ſubleuat, in vepribus reſident; & ſtellio, qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus, regis ædificium tenet: Quia nimirum ſæpe ingenioſi quique dum negligentia torpent, in prauis actionibus remanent; & ſimplices, quos ingenij penna non adiuuat, ad obtinenda æterni regni præmia virtus operationis leuat.] Qui dexteritatem habet ad ſæculi negotia tractanda, cur hoc negotium ſuæ ſalutis omit-

Greg. 6. mor. c. 5.

C tit, ex quo pendet, vt domus regis, id eſt, patriæ cœleſtis & puritatis vitæ ſit habitator.

V. Conſidera pericula tepidorum, qui ſæpe aut in priſtina peccata cadunt, aut in maiora dilabuntur; nunquam ſpiritu creſcunt, & eo ipſo decreſcunt; eos quotidie ſegnities magis abſorbet, ſcrupulis angit, & inquietudine nimium affligit. Hos quidem non ſemel priſtinæ iniquitates excipiunt, nam praui habitus pullulantes, in antiquos mores & aſſuetas actiones inducunt. Hos maiora peccata proculcant, quoniam mens non paucis annis mortificatione cohibita, ſi vincula rumpat, & aquæ appetituum obicem ſe opponentem diſiciat, impetuoſiùs in immania flagitia decurrit. Hos miſerabilis paupertas in eodem ſta-

D tu imperfectionum tenet, & iuxta ſanctorum regulam, quòd qui non proficit, deficit; de qua multa ſuperiùs diximus, in deteriorem ſemper ſtatum impellit. Nec enim virtus in tepidis creſcit, quorum vita continens quædam imperfectio eſt, quæ non cœtus virtutum ſed vitiorum adauget. Hos acedia ſingulis momentis magis ac magis obruit, quia nouis malis, quæ difficiliorem faciunt exitum, & nouis miſeriis immergit. Hos ſcrupuli continuò diſcruciant, quia ſomno teporis occupati, nunquam plenè ſuorum peccatorum grauitatem aduertunt. Hos tandem inquietudo dilacerat; quam enim tranquillitatem habebunt, qui nulli creditori ſatisfaciunt, & nec Deo, nec Prælatis, nec fratribus, nec ſibi ipſis, ex

Lib. 5. p. v. c.

E multis, quæ debent, vel vnum exſoluunt? Nunquam hæc pericula fugies, niſi vincula tepore abrumpas.

VI. Conſidera vitæ tempus eſſe perbreue, quod tibi ad proficiendum conceſſum eſt, & occaſionem ſe nunc ingerentem, magnam gloriam lucrandi non amittas. Nam & Dominus illos reprehendit, qui tempus ſibi ad operandam ſalutem attributum ignorant. Miluus in cœlo, inquit, cognouit tempus ſuum, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iu-

Ierem. 8. 7.

A dicium Domini.] Quodnam eſt Domini iudicium, niſi lex nobis propoſita, & tempus ad quærendam perfectionem datum, quod nos miluis, ac hirundinibus, & ciconiis ſtolidiores effecti noſſe nolumus, & cùm illud inſtar puncti breuiſſimum ſit, longum & prolixum eſſe conuicimus? Vereor, ait Bernardus, ne vobis quoque, ſed aliter vita ipſa ſimulatione longitudinis illudere velit, non conſolationem hinc afferens, ſed magis inferens deſolationem. Vereor, inquam, ne longiorem ſibi vitam ſupereſſe quis reputans, & grandem ſibi reſtare autumans viam, obrutus à puſillanimitate ſpiritus, & labores tantos, & tam diuturnos ſuſtinere poſſe deſperet: quaſi verò non ſecundùm multitudinem dolorum ſuorum in corde ſuo, conſolationes diuinæ lætificent animas

Bern. ſer. de nimia quadam fallacia præſentis vitæ.

B electorum.] Tẽpus ergo breue eſt, & diuina gratia, ac cœleſtis cõſolatio ad labores perferendos nullo modo laboribus ipſis inferior, ne impoſſibilitatem prætendas, aut nimiam difficultatem eſſe cauſeris. Agnoſce tempus tuum, ne illis ſis annumerandus, quibus dictum eſt: Hypocritæ faciem cœli noſtis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis?] Expende temporis breuitatem, quia fortè integer annus, aut integer menſis tibi vitæ non ſupereſt, & tam breui tempore tam longam ſocordiam redime; quod facies, ſi diligenter & feruidè in curationem affectionum tuarum, & in virtutum adoptionem incumbas.

Luc. 12. n. 56.

VII. Conſidera te acedia & tepiditate vinci, quia laborem & afflictionem virtutis metuis, quam tamen

C torpendo non excutis, ſed pro leuiori fugienda, multo maiorem & moleſtiorem incurris. Homo natus eſt ad laborem, inquit ſanctus Iob, quin ad dolorem etiam hominem eſſe natum poſſet edicere. Omnes enim laboramus, omnes dolemus, nec eſt à ſupremo rege vſque ad mancipium abiectiſſimum, qui valeat ſe ab hoc duplici onere laboris & doloris eximere. Vides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras, ait Dauid, quoniam Dominus in actionibus noſtris laborem, & in paſſionibus dolorem agnoſcit. Vnde & ipſe propheta ſe bis paratum exhibet, dum canit: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Paratus quidem erat ad laborandum, atque adeò dicebat: Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua. Paratus etiam ad dolorem ferendum.

Iob. 5. 7.

Pſal. 10. 14.

Pſal. 56. 8.

Pſal. 118 60.

D Nam & ego, inquit, in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.] Nemo igitur eſt, qui ſine labore ac ſine dolore viuat; ſed ſi leuiſſimum virtutis laborem, & ſuauiſſimum dolorem ſubire detrectes, in alium moleſtiſſimum ac amariſſimum vitiorum incides. De impiis namque dictum eſt: In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.] Sed num ideo ſine labore, & ſine dolore viuunt? Nequaquam. Imò quia in labore hominum non ſunt, in labore dæmonum detinentur. Vide enim quod ſequitur: Ideo tenuit eos ſuperbia; operti ſunt iniquitate & impietate ſua. Tu itaque leuiſſimum hominum laborem fugis, qui eſt labor virtutis. Quid enim tibi le-

Pſal. 37. n. 18.

Pſal. 72. 5.

E uius eo, quod non ſolus ſuſtines, ſed tecum Dominus ipſe omnipotens portat? Tu etiam ſuauiſſimum dolorem reiicis. Quid enim ſuauius eo, cuius extrema æternæ ſuauitatis ſunt plena? Sed hunc laborem, & hunc dolorem fugiens, ſuperbiæ & iniquitatis labori & dolori ceruicem ſubmittis, qui & cum talento plumbi, & cum gemitibus mortis coniicitur. Satius eſt ergo in feruore ſpiritus vtiliter laborare, quàm in tepiditate mentis maiore, ac prorſus inutili, immò & noxio labore torqueri.

VIII. Conſidera quanta beneficia receperis, quantis

debitis

debitis aſtringaris, pro quorum minimo nunquam poteris reſpondere. Omnia enim in te collata beneficia, debita tua ſunt, quibus Dominus ſibi te fecit debitorem. Omnia etiam beneficia aliena, debita tua ſunt, quia ita aliis dantur, vt ex illis non modicum emolumentum accipias. Denique quicquid eſt in cælo, quicquid eſt in terrâ, quicquid eſt ſubtus terram, id totum debitum tuum eſt, quia nihil cogitare poteris, quod non te erudiat, aut moneat, quod non te, vel ad fugam mali, vel ad boni proſecutionem inſtiget. Si tot tantáque debemus, & nihil perſoluimus, quis, vt verbis Bernardi vtar, ampliùs grunniet, dicens: Nimiùm laboramus, nimiùm ieiunamus, nimiùm vigilamus, cùm nec milleſimæ, immò nec minimæ parti debitorum ſuorum valeat reſpondere?] Quis non acediam & torporem excutiat, vt ſi non ad æqualitatem (id enim fieri non poteſt) ſaltem ad humanam poſſibilitatem, vel minimo debito ſatisfaciat, & tantis beneficiis gratus exiſtat?

Bern. ſer. de quadrup. debito.

IX. Virorum ſpiritualium vitam, moréſque conſidera, eorum feruorem in rebus diuini cultus, & diligentiam in virtutibus exercendis expende, quæ tibi ſegniter viuenti non modicum ruborem iniicient. Ad id hortatur te Salomon dicens: Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat.] Formica hominem prouidum, & in negotiis gerendis ſtrenuum Ægyptiis ſignificabat: & apud Hieronymum, aut Bedam, diligentem operarium ſignificat, qui in præſenti vita, velut in æſtate fructus iuſtitiæ, quos in æternum recipiat, ſibi recondit. Iuxta quam interpretationem formica, duce, præceptore, ac principe carens, virum mihi ſæcularem indicat, (& ego aliquos tales vidi) qui ſine directione ſpiritualis magiſtri, & ſine magnis adiumentis, quibus nos in vita religioſa perfruimur, viam ſpiritualis conuerſationis arripuit. Hic quia ſolerter vitiis extirpandis, & virtutibus inſerendis intendit, citò proficit, & non ſemel viros religioſos excedit. Si huiuſmodi hominem apud te habes: & fortè habes, & ei tanquam magiſter rationem procedendi præſcribis, illius vitam attentè conſidera, & videbis quàm acriter tuam ſegnitiem reprehendat. Ipſe quidem in corde ſuo omnium ſe minimum reputat, ore tibi omnia ſua interiora pandit, & te velut præceptorem interrogat: ſignis ex corde profectis tibi vitam religioſam profitenti ſe ſubmittit. At vita eius clamat, & te acriter increpat, & dicit: Vſquequò piger dormies? Quando conſurges de ſomno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus, vt dormias, & veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus.

Prou. 6. 6.7.8. *Beda ad c.6. Prou.* *Prou. 6. 9.10.11.*

X. Quære adiutorium aliorum, qui te à ſomno acediæ ſuſcitent, torporem tuum Prælato detege, qui te monitionibus vrgeat: patri ſpirituali manifeſta, qui te viam feruoris doceat: fratri, qui ob ſuam prudentiam & probatam virtutem dignus ſit, vulnus teporis aperi, qui ſpirituali colloquio, tanquam ſalubri medicamento, aliquod leuamen afferat. Super omnia verò Domini adiumentum expoſce. Effunde apud illum cor tuum, & miſerias tuas non ſine profuſione lacrymarum edicito, & ſuſcitari te ab illo, qui ſuſcitat mortuos, & trahi fortiter poſtulato: Cùm te torpore, acedia, vel tædio affici ſentis, inquit Bernardus, noli propterea diffidere, aut deſiſtere ab ſtudio ſpirituali, ſed iuuantis require manum, trahi te obſecrans ſponſæ exemplo, donec denuo ſuſcitante gratia factus promptior alacriórque curras, & dicas:

Bern. ſer. 21. in Cant.

A Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.]

Pſal. 118. 32.

XI. Ne fugias; ne à cœpto deſiſtas, neve ſtudia ſpiritualia intermittas, ſed potiùs etiam ſine alacritate; immò & cum triſtitia in eorum continuatione progreditor, & aliquid noui ad te magis vincendum adiicito. Ad vincendam namque luxuriam celeris fuga neceſſaria eſt, & ad proterendam acediam, nihil valet turpis fuga, ſed animoſa hoſtis aggreſſio. Experimento probatum eſt, inquit Abbas Moyſes apud Caſſianum, acediæ impugnationem non declinando fugiendam, ſed reſiſtendo ſuperandam.] Et in hoc vitium, ſi in aliquo, ſummè neceſſaria eſt illius præcepti ſancti Iacobi cuſtodia: Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.] Qui enim triſtitiæ & torpori reſiſtit, & B ſe ipſum vrget, & iam ſanctis meditationibus, iam Prælati monitionibus, iam vim ſibi inferendo, ſe ad laborem adigit, poſt modicum ſpacium acediam fugiſſe, & priſtinum feruorem, ac mentis alacritatem veniſſe animaduertit.

Caſſian. lib. 10. c. 25. *Iacobi 4. 7.*

XII. Præſentiſſimum tandem acediæ remedium, ſi iam callum obduxerit, eſt illud Dauidis: [Ego dixi, nunc cœpi,] & vitam nouam, & ab omni tepore alienam incipere. Perſuade ergo tibi, non minùs difficile eſſe ab inueterato tepore ad feruorem redire, quàm à peccato ad gratiam reſurgere: & quia illud opus Dei eſt, ſicut eſt iſtud, enitere à Domino eiſdem omnino mediis, ac primam conuerſionem, impetrare. A negotiis & occupationibus, etiam vtilibus per aliquod tempus te abſtrahe, conſidera vias tuas in C amaritudine animæ tuæ; cauſas ac initia præſentis paupertatis aduerte: faſciculum tuorum peccatorum collige, illum per ſinceriſſimam confeſſionem in ſanguine Chriſti ſubmerge: Deinde quaſi denuo lotus, ad occaſiones te polluendi & maculandi ne redeas, ſed ſtudiis ſpiritualibus ſine vlla intermiſſione diligenter inſiſtas. Hæc namque ſunt, quæ diſperſiones noſtras colligunt, pigritiam fugant, & ignem priſtini ardoris accendunt.

Pſal. 76. 11.

De vitio inanis gloriæ, ac de ipſius gradibus.

CAPVT XV.

D INANIS gloria eſt immoderatus appetitus laudis humanæ. Nam ab appetitu laudis moderato, & rectæ rationi conſono, omne vitium vanitatis excluditur. Eſt autem appetitus laudis moderatus, cùm quis ex bonis operibus laudem, & approbationem à Deo quærit, cui ſoli placere ſtudet. Hoc namque laudis deſiderium tanquam nullo modo virtuti contrarium, concedit Paulus, cùm ait: Qui gloriatur, in Domino glorietur: (id eſt, non à ſe,) neque ab hominibus, ſed à Deo bonorum operum approbationem exquirat.] Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.] Nec etiam laudis appetitus metas rationis excedit, ſi ab E hominibus ob finem bonum laus quæratur, vt ſcilicet ipſi laudatores in virtute proficiant, puſillus animetur, & Deus in ſuorum ſeruorum virtute laudetur. Nam & id ipſe Dominus approbat dicens: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.] Tunc ergo laudis appetitus vitioſus eſt, & inanis gloria vocatur, cùm non vera laus, nec vera gloria, ac manifeſtatio coram proximis, ſed vana quæritur. Quam reprehendit ſanctus Dauid illo verſu: Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis

2. Corin. 10. n. 17. *num. 18.* *Matth. 5. n. 16.* *Pſal. 4. nu. 3.*

mendacium?

A mendacium?] Eſt autem laus inanis & gloria vana, quam de re, quæ non eſt, vt de virtute, quam non habes, aut de rebus vanis nec laude dignis, aut à ſolis hominibus, provt fallibiles ſunt, aut propter ſe ipſam, & non propter Dei gloriam, aut proximorum ſalutem captare contendis. Atque hoc vitium prohibet Dominus ore Pauli, cùm inquit: Nolite fieri inanis gloriæ cupidi.] Et in Phariſæis vehementer reprehendit: Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?] Et Pſalmographus eius impietatem expreſſit illis verbis: Quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos.] Inanis gloria facit, vt immoderatè hominibus placere cupiamus; vt toti
B ab eorum ore ac ſententia pendamus: vt nominari & laudari appetamus: vt vltra vires & talentum nobis datum nos extendamus, & ſic in mille inquietudines, & inconuenientia præcipitemur. Hæc bonam opinionem vltra meritum amat, virtutem necdum adeptam oſtendit; zelum honoris diuini, & ſanctam ad reprehendendum libertatem fingit: de nobilitate ſe iactat; humilia miniſteria licèt neceſſaria reſpuit, honorabilia munera, & familiaritatem nobilium concupiſcit. Hæc hominem vanum impellit, vt curet ſubtilis lector, feruidus concionator, ſolicitus prælatus, & orationi, ac rebus ſpiritualibus addictus apparere, & vt non in veritate ac rerum ſubſtantia, ſed in vmbra, & ſimulatione ſuam fœlicitatem conſti-
C tuat. Hæc denique laudem, quam appetit, etiam cum ſpiritualis vitæ detrimento, cum religionis damno, cum fratrum ſcandalo, & cum animæ periculo manifeſtò conquirit. Quare Baſilius rem fœdiſſimam pulchris & accommodatis epithetis voluit depingere. Fugiamus, inquit, inanem gloriam, dulcem ſpiritualium opum ſpoliatricem, iucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum, blandiſſimam bonorum noſtrorum deprædatricem, eandémque mellis illitu, fraudis ſuæ veneni coloratricem, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectricem: quod opinor ea de cauſa facit, vt vitio ſe illi auidiùs ingurgitent, nec vlla illius expleantur ſatietate.] Si hac peſte te ſinas illudi, pro certo ſcias te mundanum eſſe, & ſæculi amatorem exiſtere. Quicunque autem voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei con-
D ſtituitur.] Paulatim iſte ſe à Domini obſequio ſubducit, dicente Paulo: Si adhuc hominibus placerem (id eſt, placere ſtuderem,) Chriſti ſeruus non eſſem. Qui verò Chriſto ſeruire renuit, conſequens eſt vt mundo ſeruiat, & præmium mundi, nempe confuſionem, accipiat.

Galat. 5. num. 26.
Ioan. 5. n. 44.
Pſal. 52. 6.
Baſil. conſt. monaſ. c. 11.
Iacob. 4. 4.
Galat. 1. 10.

Inanis gloria non vnam tantùm cauſam nanciſcitur, ſed ex multis, atque interdum contrariis (quod mirum eſt) naſcitur. Aliquando enim ex prauis operibus, aut ex vanis actionibus, quod proprium iniquorum eſt: aliquando verò ex bonis virtutum ſtudiis, quod eſt proprium bonorum, vanam laudem & gloriam quærimus. Illorum imaginem geſſit Abſalon, de quo hæc legimus: Porro Abſalon erexerat
E ſibi, cùm adhuc viueret, titulum, qui eſt in valle regis; dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimenrum nominis mei. Vocauítque titulum nomine ſuo, & appellatur Manus Abſalom vſque ad hanc diem.] Snperbus adoleſcens, titulum, id eſt, ſtatuam marmoream, erexit, quæ ipſum illuſtrem faceret, & memoriam ſuam apud homines cuſtodiret. Sic multi in operibus mortuis, inutilibúſque laborant, primogenita ex bonis per furtum ablatis inſtituunt, & amplas domos ædificant, vt ſe apud homines celebres reddant. Iſtorum verò mores induunt

2. Reg. 18. 18.

A ieiunantes, orantes, eleemoſynas facientes, & prædicantes propter hominum laudes, de quibus dictum eſt: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.] Vtroſque autē monet Caſſianus, ſic ſcribens: Ideóque per ſapientiſſimum Salomonem monemur: [ne diuertatis ad dexteram, neque ad ſiniſtram,] id eſt, ne tibi de virtutibus blandiaris, & dextris ſucceſſibus ac ſpiritualibus extollaris, neo deflectens ad ſiniſtrum tramitem vitiorum, ſecundùm Apoſtolum gloriam tibi ex eis in tua confuſione conquiras. Nam cui ſub ſpecie ſuccinctæ veſtis, & nitidæ cenodoxiam, id eſt, inanem gloriam, non potuit diabolus generare, pro ſqualida, & inculta, ac viliore, conatur inſerere.] Sed ex quibus bonis operibus ſolet inanis gloriæ peſtis emergere? Profectò ex omnibus, quæ ali-
B quam ſpeciem virtutis habent, ſolet ob noſtram cæcitatem generari. Et ſicut omnia virtutis opera, licèt valde inter ſe diuerſa, in boni ratione conueniunt, ita vniuerſa huic vermiculo, qui edaciùs bonitatem corrodit, expoſita eſſe noſcuntur. Naſcitur inanis gloria ex ipſa victoria atque extinctione vitiorum. Nam à ſex prioribus vitiis cenodoxia, & ſuperbia penitus diſſident, ait Caſſianus, nec ſimili cum eis ſocietate fœderantur. Siquidem non ſolùm nullam ex illis occaſionem ſuæ generationis accipiunt, ſed etiam contrario modo atque ordine ſuſcitantur. Nam illis euulſis hæc vehementiùs fructificant, & illorum morte viuaciùs pullulant, atque ſuccreſcunt. Vnde etiam diuerſo modo ab his duobus vitiis impugna-
C mur. In vnumquodque enim illorum ſex vitiorum tunc incidimus, cùm à præcedentibus eorum fuerimus eliſi: in hæc verò duo victores, & vel maximè poſt triumphos periclitamur incurrere.] Naſcitur inanis gloria ex omni exercitatione virtutum. Vnde pulchrè Climacus ait: Vidi plurima, variáque virtutum germina ab aliquibus plantari, & ex inani gloria, tanquam ex cloaca & cœno irrigari, & ex oſtentatione circumfodi, atque ex laudibus humanis ſtercorari, quæ tamen tranſlata poſtmodum in deſertum ſolum, id eſt, in locum laudationibus vacuum, confeſtim exciccata ſunt.] Naſcitur tandem inanis gloria, & quidem præcipua ex his operibus, quæ apud homines ſplendorem habent, & vtilia ac fructuoſa iudicantur, vt ex miniſterio prædicationis, ex munere prælationis, atque ex functione proponendæ do-
D ctrinæ. Sicut enim arbor (vt ſimili Gregorij vtar) quò altiùs ad ſuperiora ſurrexerit, eò ventorum vim vehementiùs ſentit; ſic quò plus quis maioribus operibus attollitur, eò ampliori ab ore laudantium flatu fatigatur. Et Cyprianus ait: Si opera virtutum foras exierint, rarus eſt qui hominum iudicia conſpuat, & laudes humanas contemnat.] Vide igitur magnum malum, ac ſummopere cauendum, quod bonis operibus roboratur, & niſi circumſpecti ſimus, ipſa perfectionis acquiſitione ſuccreſcit.

Matt. 6. 16.
Caſſian. li. 11. c. 4.
Prou. 4. nu. 17.
Philipp. 3 7.
Caſſian. coll. 5. ca. 10.
Climac. 9 grad. 2.
Greg. 11. mor. c. 5.

At veſtigemus quem inanis gloria aſſenſionis ordinem teneat. Mentem principio ſub velamine alicuius boni prætextus aggreditur: quia nimirum oportet placere hominibus, vt eos Domino lucre-
E mur: neque enim ſi nos contempſerint, quam illis proponimus, doctrinam ſuſcipient. Itémque gloriam Domini non parum ex noſtra pendere, quem bonæ vitæ oſtenſione laudamus, & alios, qui nos vident, aut audiunt, ad eius laudationem accendimus. Hoc colore mentem ingreſſa, perſonam deponit, & palam falſam dulcedinem obiicit, ac pulchrum eſſe, & homine dignum apud alios nomen, & authoritatem habere, ſuadet. Nam honos, inquit, & laus virtutem ſequitur. Æquum eſt ergo, vt tu, qui virtute, & litteris polles, honoribus & laudibus cumuleris.

Nemo

Matth. 5. 15. Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.] Et Dominus te lucernam ſuam igne zeli animarum inflammauit, talentis naturalibus illuſtrauit, & aptum ad proficiendum aliis effecit. Quis credat id factum eſſe vt in obſcuro lateas, & non magis vt apud alios nominis celebritate clareſcas? His & ſimilibus dictis gloria vana animam ad ſui amorem allicit, quam animaduertens ſibi deuinctam, hoc ordine, & ſubiunctis gradibus ab omni decore virtutis euertit.

Primò, opera bona, & ſtudia ſpiritualia ad captandam hominum laudationem inflectit. Et ex oratione, ex ſilentio, ex amore cellæ, ex ieiunio, ex inculta veſte, & ex aliis huiuſmodi miſer homo authoritatem apud homines, & viri ſpiritualis exiſtimationem venerari curat. Scit enim in hac communitate, cuius inſtitutum profeſſus eſt, ſolos ſpirituales viros diligi & honorari, alios verò haberi contemptui. Honor ergo mihi apud iſtos virtute comparandus eſt; quam ſi priùs non conſequar, aut ſaltem externa actione non præferam, honorem concupitum habere non potero. Eſt hic vnus ex illis, de quibus inquit Oſeas: *Oſe. 8. n. 7.* Quia ventum ſeminabunt, & turbinem metent.] Quid enim niſi ventum ſeminant, qui in bonis operibus, ob ventum, id eſt, ob inanem honorem, factis, elaborant? Et quid niſi turbinem metent, qui non aliquid ſolidum, ſed humanas laudes, id eſt, occaſionem ſuperbiendi, recondent? Irridet eos Dominus per Amos, dicens: *Amos 4. n. 5.* Et ſacrificate de fermento laudem, & vocate voluntarias oblationes, & annuntiate, ſic enim voluiſtis filij Iſrael.] Nam, vt Gregorius meditatur, *Greg. hō. 22. in euang.* panem fermentarum aduersùs legem offert, qui virtutis opus ob laudem humanam exercet. Putat ſe oblationem pacificam, ac Deo placentem obtuliſſe, & de eo ſuperbè ſe iactat, cùm tamen huiuſmodi oblatio inani gloria corrupta, Domino, cui offertur, inueniatur inuiſa.

Secundò, iſti inani gloria poſſeſſi, ad aliquem gradum honoris euecti, mirum eſt quantum in eo ſibi complaceant, & quanta inepta & præter ordinem faciant, vt nominati ſint apud alios, & famam ac gloriam acquirant. Si doctores, & litterarum profeſſores ſunt, nouas opiniones excogitant, & peregrinas doctrinas inueniunt, quas ſuos auditores doceant, & à via ſentiendi trita & probata ab antiquis auertant. Si concionatores res curioſas auribus mundanorum placentes, non corda compungentes, loquuntur, pro diuinis Scripturis fabulas poetarum, pro dictis ſanctorũ, neſcio quas ſententiolas philoſophorũ, pro rationibus, quæ vitia deſtruant, curioſitates, quæ vitiis conniueant, exponunt. Si Prælati, propria domus deſerunt, vt aliena curent, omnibus negotiis ciuitatis ſe ingerunt, magnates inuiſere, & ab eis viſitari appetunt, ampla & paupertatem oppugnantia ædificia aggrediuntur: videntúrque illos imitari, qui dicebant: *Gen. 11. 4.* Venite, & faciamus ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum antequam diuidamur in vniuerſas terras.] His, & aliis huiuſmodi, quæ ſplendorem apud homines habent, laudem & famam ſibi aggregare nituntur; quòd ſi virtus ſordeat, ſi profectus damnum ſentiat, ſi tepor irrumpat, ſi diuina communicatio ſe ſubtrahat, dummodo non deſit illis aura popularis, nihili curant.

Tertiò, hi ſæpe inuiti perſonam authoritatis deponunt, aut ſucceſſore ad munus prælationis inſtante, aut ætate, aut aduentu doctioris, aut eloquentioris, cui cedendum eſt, omnino poſcente. Tunc quis explicet, quanta triſtitia abſorbeantur, quanto dolo- A re obruantur, quàm implacabilibus indignationis ſtimulis crucientur? Putant, alium, qui in munere illis ſucceſſit, ſibi gloriam præripuiſſe: illum ergo animo auerſantur, illum temerariè iudicant, illum toruis oculis intuentur. Eius facta verbis dilacerant, bona in malam partem interpretantur; mala, ſi quæ ſint, exaggerant, & dum aliud non conceditur, ex fratris dedecore ſibimetipſis honorem aliquem & gloriam decerpunt. Quid ſi ad ordinem redactis obedientia ordinarias illis aliorum ſubditorum occupationes indicat? Quid ſi ad humiles, aut nõ nimis honoratas functiones applicet? Tunc cũ indignatione illas omnino reſpuunt, de prælatis talia præcipientibus conqueruntur, ea ſibi ob inuidiam, aut odium, vel ad contemptum demandata vociferantur. Eli- B gunt omnino potiùs otioſi & deſides manere, quàm rebus humilibus, ſed vtilibus, & ſibi quàm maximè ad vincendam ſuperbiam neceſſariis occupari.

Quartò demum, Qui iam in hypocriſim, iactantiam, & nouitatum præſumptionem antea corruerunt, ab honorifico munere, aut dignitate deiecti, labuntur in alias deteriores inanis gloriæ progenies, quas ſimul cum prædictis Gregorius enumerat. *Greg. 9. mor. c. 13.* Fiunt enim inobedientes, qui ſuorum prælatorum iuſſa contemnant, contentioſi, qui verbis ſe excuſent, & ea ineptè ſibi mandari defendant: pertinaces, qui nullo modo amicis bona ſuadentibus credant: diſcordes, qui ab aliorum ſenſu & voluntate ſe ſeparent, & in domo charitatis rixas & inimicitias ſeminare non metuant. Ex his omnibus apparet, inanem gloriam C Proſper Aquitanicus quàm pulchrè deſcripſerit. *Proſper 3. de vita contem. c. 10.* Eſt, inquit, vanitas, inflata quædam circa delectationes varias animi languentis affectio, potiendi honoris auida, ſimul & neſcia: morbo excellentiæ inanis afflata, caua, morbida, turbulenta, animorum leuium domina, malè fundatis omnibus blanda, repugnantibus fumea, capiendis ſeductoria, captis inuicta, ſimulatio quædam virtutum, anima vitiorum, fomes carnalium delectationum, labes morum, appetitio dignitatum, dulcis miſeris, amara perfectis, periculoſa dubiis, imperioſa ſubiectis, infirma fundatis; facilè captiuat incautos, captiuatos oblectat, ambitioſos vexat, anguſtos inflat, inflatos humiliat: cui ſeruiunt tumidi, ſub qua iacent elati, quam inueniunt perditi, ad quam currunt lapſuri, in qua ſibi videntur ſtare iam lapſi.] Ecce vanitatis elogia à Proſpero copioſè D deſcripta, quæ nulli alij vſui vtilis inuenitur, niſi vt quæſita perdat, & hominem ſterilem & infrugiferum reddat. Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras,] *Aggæi 1. 5. 6.* dicit Dominus per Aggæum prophetam. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſatiati: bibiſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti; & qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.] Ecce quomodo inanis gloria quæſita perdat: ſacculum enim pertuſum eſt cor intentionis prauitate diruptum, quod ex labore ſuſcipit, ſed ex vanitate meritum quod ſuſceperat, ſtatim amittit. Et Oſeas ait: *Oſea 9. 16.* Radix eorum exſiccata eſt; fructum nequaquam facient.] Vide E etiam quomodo eadem peſtis vanitatis cor infrugiferum reddat. Nam quia radix bonæ intentionis areſcit, conſequens eſt, vt vtilitas ex labore bene viuendi, fructúſque deficiat. Hoc ergo vitium, quod nos bonis ſpoliat, omnino fugiamus, & rationem pugnandi aduersùs ipſum nunc legentibus demonſtremus.

De

De remedijs aduerſùs inanem gloriam.

CAPVT XVI.

ADVERSVS inanem gloriam, attentam meditationem, qua intellectus cœleſti lumine illuſtratus, eius vilitatem conſiderat, multum putamus habere roboris atque virtutis. Sicut enim qui in introitu portæ ſubitò leonem in ſe irruentem aſpiceret, primò quidem aſpectu paueret, & timore proſterneretur, at ſtatim facili negotio contemneret, quem videret non eſſe viuum, ſed peritiſſimi ſtatuarij arte confictum: ita qui laudem humanam ſtatura B magnam, atque mirabilem conſpicit, eam primo intuitu, amore & pretio dignam cenſet, ſed ſi introrſus inſpiciat, eam vt verè fictam, & ſola figura laudis conſtantem ſpernit. Quid ergo inanis gloria ſit, & quæ mala pariat, penitiùs meditemur, & facile erit cum diuina gratia eius oſtentationem irridere, & falſum ſplendorem aſpernari.

I. Conſidera igitur, qui huius vitij impugnatione torqueris, quid ſit inanis gloria, quoniam non vera ſed vana & picta gloria eſt. Si autem aurum pictum, aut ſceptrum regis delineatum, aut diadema imperatoris, arte pictoris effictum nullius pretij eſſe cogitas; quare gloriam pictam, & vmbratilem, & omni ſubſtantia vacuam tuo amore ac tuis laboribus dignam C exiſtimas? Quòd autem iſta gloria ſit vana, ipſum eius nomen ſignificat. Neque enim abſolutè gloria vocatur, neque vera, ſed inanis & vana gloria dicitur: At ſi ipſa vana eſt, & ſeipſam inanem & fictam prædicat, vide tu, ſi ſapiens eris, dum vanitatem non ſe occultantem ſub tegmine veritatis, ſed palàm ſe oſtentantem, inſequeris? Quaſi qui apprehendit vm- Eccl. 34. 2. bram, & perſequitur ventum, (inquit Eccleſiaſticus) ſic & qui attendit ad viſa mendacia.] Si ergo ſtultus eſt, qui nititur vmbram & ventum comprehendere, ut ſapiens eris, qui meritis tuis gloriam mendacem niteris comparare? Hanc inanis gloriæ vanitatem Chryſoſt. hom. 43. ad popu. Antioche. to. 5. Chryſoſtomus duobus ſimilibus pulchrè depinxit. Nihil, ait, hominum gloria vilius. Dic enim mihi, ſi paruorū videas puerorum multitudinem, lactentium D dico, numquid ab eis gloriam concupiſces? Sic erga cunctos homines diſponaris propter gloriam. Idcirco cenodoxia dicitur. Nonne vides perſonas, quas in ſcena verſantes induunt, quàm ſint pulchræ quidem, quàm verò ſplendidæ, quàm ad extremam pulchritudinis perfectionem efficitæ? Potes mihi talem aſpectum in veritate monſtrare? Nequaquam. Numquid vnquam eorum amore captus es? Non. Quare? Quia vacuæ ſunt, & imitantur pulchritudinem, pulchritudo tamen non ſunt. Similiter & gloria inanis eſt, & gloriam quidem imitatur, non eſt tamen gloria. Illa ſola manet, quæ naturalis eſt, quæ intrinſecus. Hæc autem quæ exteriùs ſuperinducitur, occultat quidem ſæpe deformitatem, occultat autem E apud homines, & vſque ad veſperam, dimiſſo autem theatro, ſublatiſque perſonis, vnuſquiſque quod eſt, hoc apparet. Itaque ne tanquam in ſcena, & ſimulatione veritatem rideamus.] Hæc ille. Inanis ergo eſt, qui inanitatem ſequitur, & qui pro vanitate veritatem derelinquit.

II. Conſidera vanam gloriam vanam eſſe, ſed non vana, immò vera, & maxima mala in eam diligentem inducere. Ipſa namque fur eſt, qui hominem omnibus diuitiis, id eſt, meritis, ſpoliat. O quanti hinc emigrant, putantes merita ſecum multa porta- A re, qui eo quòd in ſuis ieiuniis, & concionibus, & aliis laboribus hominum laudem quæſierunt, ſe apud Dominum mendicos & vacuos inuenient. Quibus dicetur: Filij recepiſtis bona in vita veſtra,] quia Luc. 16. 25. humanas laudes aſſecuti eſtis, quas tanta auiditate quærebatis. Hæ veſtra præmia rapuerunt, & inſtar latronum opibus vniuerſis ſpoliarunt. Quaſi latrunculus quippe eſt, ait Gregorius, appetitus laudis Greg. 9. mor. c. 13. humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere iungitur, vt ex occultis, educto gladio, gradientium vita trucidetur. Cùmque propoſitæ vtilitatis intentio ad ſtudia priuata deducitur, horrendo modo vnum idémque opus culpa peragit, quod virtus inchoauit.] Dicit autem idem opus à virtute vitióque prodire, quoniam eadem materialis actio ſecundùm B vnam partem malitia inficitur, & ſecundùm aliam virtute decoratur. Quæ licèt ſecundùm eſſe naturæ vna ſit, at ad mores noſtros relata duplex actio eſt, quarum vna à veritate bonitatem, altera verò à vanitate malitiam participat. Ipſa etiam inanis gloria vermis eſt, qui radici arboris, id eſt, intentioni noſtræ actionis applicitus, eam deſtruit atque corrodit. Et Ionæ 4. 7 quemadmodum vermiculus ille paratus à Domino [aſcenſu diluculi percuſſit hederam] Ionæ, quæ humanam fœlicitatem ſignificat, & ſtatim exaruit: ita vermiculus iſte gloriæ vanæ, non à Domino, ſed ab hoſte humani generis aduectus percutit ſtudia hominum, vt, quod ad meritum attinet, ſtatim areſcát, & pereant. Ipſa denique eſt velut enorme adulte- C rium, quo audax homo non iam ſponſam alterius hominis, ſed Dei ſponſam conſtuprare contendit. Gloria enim quaſi ſponſa Dei eſt, quam ipſe ſibi reſeruat, cùm tamen omnia alia nobis miſericorditer ac largè concedat. Gloriam meam, inquit, alteri non Iſa. 42. 8. non dabo, & laudem meam ſculptilibus.] Sed quid dicit homo ſceleſtus & omnium procaciſſimus? Et ego eam mihi contra Domini voluntatem vſurpabo? Non ita ſit, nemo tam immane ſcelus aggrediatur; quoniam Dominus zelauit gloriam ſuam, & eam à manu ſuperborum eripiet, eos verò in ſempiternam ignominiam deiiciet. Pacem ipſe nobis concedit, Luc. 2. 14. nam & Angeli cecinerunt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.] Pax itaque ſufficiat nobis, quæ ipſe eſt. Nam & ipſe eſt pax Epheſ. 2. 14. noſtra, qui fecit vtraque vnum:] ipſi autem, qui ſolus D dignus eſt gloria, omnis laus, omnis gratiarum actio, & vniuerſa gloria relinquatur. Golia proſtrato, in- Bern. ſer. 13. in Cant. quit Bernardus, lætatus eſt populus, pace recepta: ſed Dauid ſingulariter extitit glorioſus. Ioſue, Iephthe, Gedeon, Samſon, Iudith quoque quanquam fœmina, glorioſè in diebus ſuis triumpharunt de hoſtibus: ſed pace cum gaudio fruentibus cæteris, nemo eis communicauit in gloria. Iudas Machabæus multis & ipſe inclytus victoriis, cùm frequenter exultanti populo pacem fortiter pugnando tribuiſſet, nunquid gloriam quandoque eſt partitus alicui? Denique & 1. Macha. 4. n. 58. facta eſt, inquit, non gloria, ſed lætitia magna in populo.] Quid minus ab his omnibus cōditor omnium fecit, quominus & ipſe debeat gloriari ſingulariter: E Solus cuncta creauit, ſolus de hoſte triumphauit: ſolus captiuos liberauit; & ſocium habebit in gloria? Et brachium, inquit, meum auxiliatum eſt mihi.] Iſa. 63. 5. Item: Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non Ibid. n. 3. eſt vir mecum.] Quid ergo mihi cum victoria, ſi nec in prælio fui? Impudentiſſimè mihi arrogo vel gloriam abſque victoria, vel victoriam ſine pugna. Sed [ſuſcipite montes pacem populo,] pacem ſuſcipire Pſal. 71. n. 3. nobis, non gloriam, ipſi ſibi eam ſeruantes, qui ſolus & pugnauit, & vicit.] Hæc & multa alia pulchrè Bernardus, ex quibus perſpicuè elucet intolerandum

malum

A malum eſſe non nobis debitam gloriã appetere: quæ homini data omnino vana eſt, Deo autẽ applicata, qui eſt author omnis boni, & vera inuenitur & debita.

III. Conſidera tuam miſeriam, ac vilitatem, & quòd nihil ex te boni habeas, ſed ſi aliquid bonitatis, aut virtutis in te eſt, id omne ex Deo quaſi mutuatum poſſideas. Sicut autem ridiculum eſſet, ſi homo pauper de veſte ſibi ad horam mutuata gloriaretur: ita omnino vanum & ſtultum eſt, ſi de bonis tibi mutuò & quaſi precariò conceſſis, gloriam & laudem datori debitam conaris acquirere. Quod ad te pertinet, frater, vas vacuum es, aut vas contumeliæ, quod tot ac tanta impleuere peccata; ſi verò Deus euacuatis delictis te ſuis donis repleuit, & vas in honorem effecit, quid de alieno bono te iactas, & non benefactori tuo omnem gloriam ac laudem attribis? B Inanis gloria eſt illa ſagitta, cuius meminit Dauid, [volans in die] cui, authore Bernardo, conſideratione noſtræ vilitatis, ac oppoſito ſcuto veritatis, reſiſtimus. Difficile prorſus, ait, homo verbis laudantium abduci poterit, alium ſapere, ſi ſe intus ad lucem veritatis ſolicita conſideratione diſcutiat. Nonne ſi propriam cogitat conditionem, dicturus eſt ſibi: Quid ſuperbis terra, & cinis? Nonne ſi propriam conſideret corruptionem, fateatur neceſſe eſt, quoniam non in eo bonum? Sed & ſi fortè aliquid habere videtur, non inueniet puto quod reſpondeat Apoſtolo dicenti: Quid habes, quod non accepiſti?] Et alibi: Qui ſtat, videat ne cadat.] Poſtremò ſi fideliter computet, facile illi erit aduertere, C quòd nec cum decem millibus poſſit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe,] & omnes iuſtitias ſuas tanquam pannum menſtruatæ reputari.] Veritate itaque vanitas deſtruatur, qua homo conuictus illi ſoli gloriam velit, cui dictum eſt: Tua eſt Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria: & tibi laus: cuncta enim, quæ in cœlo ſunt, & in terra tua ſunt: tuum Domine regnum, & tu es ſuper omnes principes.]

Pſal. 90. n.6. — *Bern. ſer. 6. in Pſal. qui habitat.* — *1.Cor. 4. 7.* — *1.Cor. 10. 12.* — *Luc. 14. n. 31.* — *Iſai. 64. n.6.* — *1. Paral. 29.11.*

IV. Communia ſolùm oculis aliorum oſtende, ſpecialia verò dona, aut exercitia libenter abſconde: his enim præcipuè vermis inanis gloriæ paſcitur, his ſelectioribus cibis, niſi occultentur, ſæpe reficitur. Neſciat, inquit Dominus, ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.] Non de corpore loquitur, inquit Ambroſius, ſed etiam vnanimus tuus frater tuus, quod facis, D neſciat, ne dum hîc mercedem quæris iactantiæ, illic remunerationis fructum amittas.] Et Chryſoſtomus: Si poſſibile eſt te, ipſum quoque ignorare quod facis: ſit tibi hoc prorſus in ſtudio: non, vt opinantur quidam ab iniuſtis tantùm hominibus miſericordiæ opus voluit abſcondi; cunctos enim voluit omnino celari.] Quod autem Dominus ore docuit, etiam actione compleuit. Curato namque lepꝛoſo, dixit ei: Vide nemini dixeris, ſed vade, oſtende te ſacerdoti.] Et myſterium transfigurationis celari præcepit, Nemini, inquit, dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat.] Et non ſemel alias ſe ipſum abſcondit, non quòd in ſe ipſo, ſed quòd in E nobis membris ſuis, inanem gloriam timeret. Timeamus & nos, quod ipſe ad noſtram eruditionem vitauit, & prout fieri poterit, enitamur abſcondi. Dum enim diligenter curamus neſciri ab hominibus, paulatim concupiſcentia laudis euaneſcit, & animus conſcientiæ teſtimonio gaudens, à ſolo Deo ſuorum operum approbationem requirit.

Matth. 6.3. — *Ambr. 1. offic. c. 30.* — *Chryſoſt. hom. 19. in Matt.* — *Matth. 8.4.* — *Matth. 17.n.9.*

V. Occaſiones inanis gloriæ ac laudum humanarum declina, & quicquid apud homines ſpecioſum eſt, ſi potueris, fuge, vt vilioribus miniſteriis intendas. Multum multis etiam ſpiritualibus ibi dicturus ſum, A ſed tamen verum, eiúſque, conſcientias ipſorum, qui adiurauimus, teſtes adduco. Fuge Prælationis munera; ſi verò abſque nota inobedientiæ aut pertinaciæ non potueris, cæteris paribus Prælationem minoris honoris, minoris cœnobij, pauciorum ſubditorum tibi elige, in qua minus ſit quod plauſus hominum & vana gloria ſurripiat. Saluator noſter cum gloria ac triumpho Ieroſolymam ingreſſurus, vt ſe victorem mortis & peccati, ac ſpontaneum paſſionis ſuſceptorem oſtenderet, vide quem triumphum, quam gloriam elegerit. Non currum ſuperbè paratum, non equum pulchrè phaleratum, ſed vile iumentum Apoſtolorum veſtibus coopertum aſcendit: non reges aut principes ſæculi, ſed pauperes piſcatores ſibi comites ſociauit: non Scribarum, & Phariſæorum, ac B nobilium copiam, ſed puerorum, & vilium hominum turbam ſibi obuiam venire præcepit: non aulæa ex auro, ac tapetia ex ſerico, quibus parietes, & pauimenta obtenderentur, ſed ramos palmarum & oliuarum, qui omnibus ad manum erant, requiſiuit. Denique talis ingreditur, vt vaticinatus fuerat Propheta: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubiugalis.] Triumphus quidem illi neceſſarius erat, vt amorem eius, quo voluntariè ibat ad mortem, & fructum ſuæ paſſionis diſceremus. At attende quàm modeſtum triumphum, quàm humilem gloriam aſſumpſit. Ita & tu, ſi omnino aliis imperaturus es, obedientia ac maiorum iuſſione poſcente, quod in te fuerit, humiliorem prælationem, & quam alij luterani, & graC ues viri forſitan erubeſcerent, libentiùs admitte. Idem de aliis huiuſmodi ſit iudicium. Concionaturus es? ea loca, & conciones acceptiùs ſuſcipe, quæ non maiorem honorem & laudem nobilium, ſed maiorem animarum vtilitatem promittant. Docturus es? Eam cathedram tibi accommodatiorem habe, quam non tam illuſtriſſimæ academiæ ſplendor, & Scholaſticorum frequentia, quàm humilitas, & modeſtia nobilitet. Sic gloriam in gloria fugiens, & ex occaſionibus vanitatis humilitatem, & ſui deſpectum aucupans, te ad deſpiciendam laudem humanam, & diuinam ſolum voluntatem explendã aptabis. Quæres in ſublimi poſitus locũ infimum, & inter laudes humanas, ſolam diuinam laudem cõcupiſces. D Dicéſque fiducialiter ad Dominum illud Eſther: Tu ſcis Domine neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ.] Si hæc potueris in veritate dicere, magnã victoriã ex inani gloria reportaſti.

Matth. 21. 7. — *Iſaie 62. 11.* — *Zach. 9. 9.* — *Eſther 14.16*

VI. Omnia quæcunque feceris, ſiue magna, ſiue parua, actuali intentione propter diuinam gloriam & laudem exequere, & non tuum nomen celebrari, ſed diuinum laudari ac glorificari conſtitue. Nam hæc rectiſſimorum deſideriorum iteratio, & intentionis rectificatio plurimum valet ad inanem gloriam in occaſionibus irridendam. In Leuitico Dominus quinque ſibi præcepit offerri, panem, & vinum, quibus veſcimur, & potamus: ſal & oleum, qui- E bus alimenta condimus: thus, quo non ſemel ad medicinam vtimur. Quod præceptum magnam habet animæ noſtræ eruditionem, vt ſcilicet omnia in honorem Domini offerenda eſſe deſignet. Medicina mortificationis, ſalſamentum remiſſionis, cibus ſanctæ ac ſtudioſæ actionis ſoli omnium creatori conſecretur, & non ob laudem noſtram, ſed ob eius laudem exerceatur. Non ſufficit autem iſta intellectu apprehendere; niſi etiam voluntas amplectatur, & omnem à ſe humanam laudationem excutiat. Nam Nabuchodonoſor ore dixit Danieli: Verè Deus ve-

Leuit. 2. à n.1. — *Daniel. 2.47.*

ſter Deus Deorum eſt, & Dominus regum, & reuelans myſteria.] Opere autem Danielem ipſum, non Dominum adorauit. Tunc, inquit, rex Nabuchodonoſor cecidit in faciẽ ſuam, & Danielẽ adorauit, & hoſtias, & incenſum pręcepit vt ſacrificarent ei.] Moſes quoque in monte ad diuina cõtemplanda ſublimatur; plebs verò ſibi commiſſa in valle ad ſcelus idololatriæ deiicitur. Sic multi probè cognoſcunt vniuerſa propter Dei gloriam eſſe facienda, quia tamen opus cognitioni non congruit, vitio ſe vanitatis inficiunt. Quibus non ineptè conuenit illud Dauidis: Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos.] Voluntas ergo tua ductum intelligentię ſequatur, & ſicut omnia propter Deum facienda eſſe cognoſcis; ita eadem propter eius gloriam exequere. Diſcéque auram popularem contemnere, & ventum ac inanitatem aſpernari, quam ſi adhuc ex tuis operibus decerpere cupis, ſatis es puſillus ſpiritu, & necdum ad verum profectum acceſſiſti.

Ibid. 46.
Exod. 24. 13.
Exod. 32. 1.
Pſal. 105. 20. 21.

De vitio Superbiæ ac de gradibus ipſius.

CAPVT XVII.

SVPERBIA eſt immoderatus appetitus excellentiæ, ſeu altioris gradus quàm perſonæ congruat, ſi cum diuinæ prouidentiæ lege, aut cum ipſius perſonæ meritis conferatur. Homo quidem abſque humilitatis detrimento, & abſque ſuperbiæ vulnere accepto, bene poteſt cognoſcere dona ſibi ab omnium authore donata: ea debito in gradu magni pendere, & noua bona propter finem debitum concupiſcere, & excellentiam, aut dignitatem ſibi oblatam minimè reſpuere. Poteſt inquam hæc abſque vllo peccato ſuperbiæ, ſi tamen bona, quæ habet, à Deo gratis donata ſciat, ſi non maiora putet eſſe quàm ſunt, ſi non ſupra eorum dignitatem ea æſtimet, ſi non ſe ipſorum poſſeſſione inflet, ſi bonum excellentiæ, quod cupit, ob Dei gloriam, aut alium bonum finem, & non excedens talentum ſibi datum cupiat; ſi diuinũ auxilium ad illud obeundum omnino neceſſarium agnoſcat, ſi denique nec ſe maioribus æquet, nec æqualibus præferat, nec indebitè minoribus anteponat. At ſi quis bona, quæ habet, tanquam propria, nec à Domino data, in eorum vſu, reſpiciat, ſi maiora putet, ſi ſupra meritum magnipendat, ſi ex illis ſe inflet & iactet, ſi dignitatem, & excellentiam ſua dona ſuperantem affectet, aut à lege diuinæ prouidentiæ negatam deſideret, ſi propriæ induſtriæ & viribus fidat, ſi maioribus quaſi ex latere adhæreat, ſi æquales proterat, ſi minores ſpernat; nouerit ſe vitio ſuperbiæ ſuffocari. Cuius indicia non obſcura ſcripſit Proſper in hunc modum: Inde eſt, quòd hi, quos ſuperbiæ mentis nubes purulenta corrupetit, ſeniorum ſuorum non obſeruant imperata, ſed iudicant, de ſuis negligentiis obiurgati, aut rebellant inſolenter, aut murmurant: de loco ſuperiori diſceptant, præferri ſe etiam melioribus impudenter affectant, ſimplicitatem ſpiritualium fratrum irridenter exagitant, ſuas ſententias procaciter iactant, obſequia delata faſtidiunt, negata pertinaciter quærunt: natales moribus anteponunt, iuniores ſuos elati deſpiciunt, conferri ſibi aliquos poſſe non credunt: æquari ſenioribus dedignantur, ſuper eos ſe ſolo animi tumore conſtituunt. Non ſeruant in obſequio reuerentiam, in ſermone modeſtiã, in moribus diſciplinam. Habent in intentione pertinaciã, in corde duritiam, in ſermocinatione iactantiã: in humilitate fallaces, in locutione mordaces, in odio pertinaces, ſubiectionis impatientes, potentiæ ſectatores, omnibus bonis odibiles: ad opus bonum pigri, ad commonitionem feri, ad obſequium duri, ad loquendũ quod neſciunt prompti, ad ſupplantãdum parati, ad omnia quibus ſubſiſtit fraterna ſocietas inhumani. Temerarij in audiendo, clamoſi in loquendo, faſtidioſi in videndo, præſumptuoſi in docendo, efferati deformiter in cachinno, oneroſi amicis, infeſti quietis, ingrati beneficiis, inflati obſequiis, & imperioſi ſubiectis. Hæc ſunt ſuperbię graſſantis indicia, quibus Deus offenditur & recedit, ac ſuperba corda deſtituit.] Peſtilentiſſimum ſuperbiæ vitium prohibitũ eſt à Domino, non ſolùm verbis ſed etiam operibus. Verbis quidem, quoniã per Tobiam ait: Superbiã nunquã in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas.] Et per Salomonẽ: Sex ſunt, quæ odit Dominus: & primo loco ponit oculos ſublimes,] id eſt, per ſuperbiam erectos. Et per Eccleſiaſticũ: Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus; ne forte elidatur virtus tua per ſtultitiã.] Opere verò; Quoniam Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.]

Proſper 3. de vita contemp. c. 8.
Tobiæ 4. n. 14.
Prou. 6. nu. 16.
Eccli. 6. 2.
Iacob 4. nu. 6.

Superbia autẽ magnis conatibus fugienda eſt, cùm non tantũ per ſe ipſam immane peccatum ſit, verùm etiam ſit omniũ peccatorum origo. Quoniam initium, inquit, Eccleſiaſticus, omnis peccati eſt ſuperbia: qui tenuerit illã, adimplebitur maledictis, & ſubuertet eum in finẽ.] Ideo autem fons omniũ peccatorum conſtituitur, quia, vt inquit Thomas Aquinas, immoderatus amor propriæ excellentiæ, finis eſt, quẽ bonorum viſibilium adeptione conquirimus, in qua omnis turba peccatorũ includitur. Finis autẽ humanarum actionũ, principium etiã eſt ad illas inclinans; quare immoderata excellẽtia, quæ vt finis appetitur, delictorum omniũ reputatur exordium. Ideóq; Gregorius ait: Ipſa vitiorũ regina ſuperbia, cùm deuictũ plenè cor ceperit, mox illud ſeptem principalibus vitiis, quaſi quibuſdã ſuis ducibus deuaſtandum tradit. Quos videlicet duces exercitus ſequitur, quia ex eis proculdubio importunæ vitiorũ multitudines oriuntur. Et Fulgentius: Superbia ideo initiũ omnis peccati dicitur, vt omne peccatum de ipſa, tanquã de radice pullulare monſtretur, quæ multiplici modo miſeris inferẽs mortẽ, publico certamine carnales deiicit; ſpirituales verò ſi quos incautos inuenerit, occultiore conflictu proſternit. Et Proſper: Initium non alicuius, ſed omnis peccati ſuperbia. Vt euidenter oſtẽderet, quòd ipſa ſit peccatorũ omniũ cauſa: quoniam non ſolùm peccatũ eſt ipſa, ſed etiã nullũ peccatum fieri potuit, poteſt, aut poterit ſine ipſa. Siquidem nihil aliud omne peccatũ, niſi Dei contemptus eſt, quo eius præcepta calcantur. Quem contemptum Dei nulla res alia perſuadet hominibus, niſi ſuperbia.] Vitium igitur hoc, quò occultius eſt, eò grauius & nocentius inuenitur, quod Gregorius vocat euidentiſſimum reproborum ſignum; quamobrem gradus ac partes eius attentiùs & diligentiùs audiamus.

Eccli. 10. 15.
D. Tho. 1. 2. q. 84. art. 2.
Greg. 31. mor. c. 31. poſt med.
Fulg. epiſt. 3. ad Probam.
Proſp. 1. de vita contem. c. 2.
Greg. 34. mor. c. 25.

Superbiæ gradus diuerſimodè à patribus numerantur. Nam Gregorius quatuor tantùm refert; Bernardus verò vſque ad duodecim protrahit: nos verò ſuperbiã nec tam anguſto, nec tam lato numero metientes, nouẽ ei gradus aſſignauimus. Primus gradus eſt, quo quis bonũ quod habet, à ſemetipſo ſe habere præſumit. Non quidem quia intellectu ſentiat ſe eſſe propriorum bonorũ authorem: hoc enim ad infidelitatem pertineret, non ad ſuperbiam; quę non intellectum afficit, ſed appetitũ inuertit: ſed quia homo ita ſe gerit, ac ſi bona quæ habet, ſua eſſent, & non à Deo, ſed à ſemetipſo prodirẽt. Talis fuiſſe videtur ſuperbia Nabuchodonoſor, cùm ita cogitabat, & externo ſermone dicebat. Nonne hæc eſt Babylõ magna, quam ego ædificaui in domũ regni, in robore fortitu-

Daniel. 4. 27.

dinis

A dinis meæ,& in gloria decoris mei?]Et eadem quoq;
delinquunt,qui dona ſibi data nolunt ad Domini ac
prælatorum voluntatẽ occupare, ſed ea tanquã pro-
pria & à ſe profecta, in minıſteriis ſibi placitis exer-
cere. Hi Domino ſubiici, & prælatis obedire detre-
ctant,& talento docendi,prædicandi,aut gubernãdi,
non in loco ſibi deſignato,nec ordine ſibi præſcripto
miniſtrare ſuſtinent,ſed alio loco,in quo magis ſplen-
deant,maiorémq; plauſum habeant, & alia ratione,
quæ ſibi magis placeat,illud tractare & occupare cõ-
tendunt. Quare hoc? niſi quia donum illud vt pro-
prium,& à nullo datũ vſurpanr?Si enim alienum eſſe
animaduerterent, ſine vlla difficultate in loco ſibi à
Domino per prœlatos ſignificato collocarent,& men-
ſuram operandi ſibi præſcriptã non excederent.Nam
B ſi tu calamum alterius apud te habeas,iuxta volunta-
tem eius,aut intactum retines,aut ad ſcribendum pa-
ras,aut minutatim diſcindis,& in ſterquilinium con-
iicis, quia alienus eſt, & eius bonus ſtatus, aut malus
nihil ad te pertinet.Si ergo ſcientiam,qua polles, aut
prudentiam,aut rerum gerendarum peritiam,nõ ſte-
rili tantùm cognitione,ſed ſapida ſcientia,Domini eſ-
ſe cognoſceres,nec triſtareris,nec repugnares, ſi eam
ipſe vt rem ſuam vellet deſpicere,aut in modio humi-
litatis abſcondere.At è contrario facis:nam ſi in loco
humili relinquaris, cõquereris;ſi deſpiciaris, obmur-
muras;& prælatis reluctantibus vis oſtentare teipſum
loco & tempore, quo non conuenit, & tuam ſcien-
tiam, aut prudentiam,vel ſimile aliud donum,quaſi
venale exponere.Donum igitur illud ipſo opere non
C alienum ſed proprium reputas,vt hoc grauiſſimo ſu-
perbiæ gradu aduersùs omnium creatorem te erigas.

Alter ſuperbiæ gradus eſt, quo aliquis bona ſua à
Deo quidẽ profecta cognoſcit, non tamẽ gratis data,
ſed propriis meritis empta & acquiſita ſentit,quia li-
cèt intellectus ſpeculatione nõ erret (qui error etiam
infidelitas eſſet)at affectus ita ſe habere,ac ſi vniuerſa
bona ex meritis habuiſſet,minimè pertimeſcit.Huius
Ambr. li. de Cain 7. gradus meminit Ambroſius,dicens: Tertium genus
eſt peccati quidem minoris (duo enim antea ingrato-
rum peccata retulerat)ſed ſupparis arrogãtiæ,eorum
ſcilicet,qui datorem bonorum Deum non negãt,ſed
quæ acciderint,ea ſibi propter prudentiã ſuam,cæte-
rarúmq; merita virtutũ,iure delata arbitrantur. Pro-
pterea etiã diuina dignos habitos gratia,quòd nequa-
D quam viderentur indigni quibus talia diuinis benefi-
ciis prouenirent.]Hi autem qui ſunt?Illi ſanè qui di-
uinis beneficiis inueniuntur ingrati.Nemo enim gra-
tias agit ob illud,quod propriis laboribus meruit, ac
dato pretio cõparauit. Dum ergo ingrati ſunt,& nec
Deum ob bona ſibi data collaudãt,nec illi gratiarum
actionibus, nec bonorum operum fructu reſpondẽt,
opere clamant, ſe bona accepta, ex propriis meritis
accepiſſe,& quaſi dato pretio fuiſſe mercatos.De his
Luc.17. 17. ingratis hominibus conqueritur Dominus: Nonne,
inquit,decem mundati ſunt,& nouem vbi ſunt? Non
èſt inuentus qui rediret, & daret gloriã Deo,niſi hic
alienigena.]Omnes quippe ille mundat,omnes illu-
minat, omnes inflammat, omnes donis & beneficiis
multiplicat.Non tamen omnes dicũt: Quoniam ad-
Pſal. 38. n.13. E uena ego ſum apud te,& peregrinus ſicut omnes pa-
tres mei.]Immò potiùs ſe ciues,& filios putant,qui-
bus omnia bona,quæ habent, quaſi ex iuſtitia & iure
hęreditario debeãtur.Meritò quidẽ Dominus eos ſępe
bonis iã conceſſis ſpoliat,& noua dona ab ipſis poſtu-
lata denegat,vt in paupertate diſcãt diuinã miſericor-
diã agnoſcere,& ſeipſos omni dono indignos cõfiteri.

Sequitur tertius gradus,in quo homo bona habita a
Deo quidẽ proceſſiſſe fatetur, & ſine meritis data li-
benter intelligit, at maiora eſſe quàm ſint, & multo

A potiora diiudicat:& ſe ſolum,aut ſuam familiã diui-
tem putãs,alios homines,aut alias Eccleſiæ cõgrega-
tiones pauperes cẽſet,& vt nullis à Deo bonis cumu-
latas ſpernit.Audi quàm pulchrè Gregorius ſimilium
hominũ mores exponat: Sunt,inquit, nonnulli,qui Gregor. 3 mor.c.18.
cùm parua agunt, de ſemetipſis magna ſentiũt:in al-
tum mentem ſublenãt,& præire ſe cæteros virtutum
meritis putant.Hi nimirũ apud ſe introrſus humilita-
tis ſterquilinium deſerunt,& elationis faſtigia aſcen-
dunt:illũ videlicet imitãtes,qui ſe primus apud ſe ex-
tulit,ſed eleuando proſtrauit:illũ imitantes,qui acce-
pta cognitionis dignitate,contentus non fuit,dicẽs:
In cœlũ conſcẽdam,ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium
meum.]Vnde & ei malè coniuncta Babylonia,id eſt, Iſa.14.n. 13.
confuſa multitudo peccãtium,dicit: Sedeo regina,& Iſa.47.
B vidua nõ ſum.]O quantos nunc iſto ſupetbiæ laqueo
illigatos inuenias, qui ſe tantùm ſpirituales viros,ſe
tantùm ſapientes ac litteratos,ſe omnium magiſtros
putant,& alios omnes ſpiritu rudes,& ſapiẽtia,ac lit-
teris vacuos exiſtimant! In quos optimè quadrat illa
irriſio patientiſſimi patriarchæ: Ergo vos ſoli eſtis ho- Iob 12.2.
mines,& vobiſcũ morietur ſapientia?]An non ſtultiſ-
ſimus eſſet, qui putaret ſibi tantùm ſolem exoriri, &
ſuam tantùm domũ illuminare? Sed non minùs ſtulti
ſunt iſti,qui putant,Deum omniũ prouiſorem ſibi ſo-
lis, & ſuæ familiæ dona ſcientiæ ac ſpiritus impertiri.
Dicũt hi inflati illa verba Phariſæi: [Nõ ſumus ſicut Luc.18 n. 11.
cęteri homines:]cùm tamen nihil habeãt ſpeciale præ
cæteris:& quiſq; poſſit illis dicere: Secundùm ſcien- Iob 13.2.
tiam veſtram & ego noui,nec inferior veſtri ſum.]

C Quartum ſuperbiæ gradum illi occupant, qui licèt
ſua bona maiora non æſtiment,tamen ob ea quę agũt,
aut quæ habent,ſe inaniter efferũt. Qui propriè elati
dici poſſunt,quoniam bona ſua conſiderantes, intra
præcordia ſemetipſos eleuant,& aliis præſidiis ſe non
indigere coniectãt.Cognoſces eos,quia audacter lo-
quuntur,põpaticè incedunt,habitu & geſtu ſe hono-
re dignos prædicãt,ſe aliis maiores putant,quibus cæ-
teri meritò ſe ſubiiciãt.Sed quia ſcriptum eſt: Qui ſe Luc.14. n.11.
exaltat,humiliabitur,]ſæpe ob ſuam elationẽ ab aliis
conculcãtur,& ſuis bonis quaſi inęquali onere depri-
muntur.Quod Gregorius figuratum putat in Eleaza- Greg.19. mor.c.13.
ro,qui elephantem feriens, ſub ipſo quem [occidit,] 1. Machab.6.n. 46.
occubuit.Quos,inquit,iſte ſignificat,quẽ ſua victoria
oppreſſit,niſi eos,qui vitia ſuperant,ſed ſub ipſa quæ
D ſubiiciũt, ſuperbiendo ſuccumbunt? Quaſi enim ſub
hoſte,quem proſternit,moritur, qui de culpa, quam
ſuperat,eleuatur.]Satis anguſti cordis eſt,qui bona ſi-
bi data continere non valens,ea per externa elationis
ſigna quaſi per rimas effundit;& tanta arrogantia lo-
qui, tanto faſtu ambulare, & tanta procacitatę ſe &
ſua laudare non erubeſcit.

At quintum ſuperbiæ gradũ qui obtinẽt?Illi certè,
qui nihil magnũ, nihil dignum laude moliuntur,ſed
tamen eo ipſo quòd non peccant, inflantur, & quia
magnos peccatores,vmbra quadã virtutis excedant.
Quorum nõ eſt oblitus Gregorius,dũ ait: Sunt non- Gregor.3. mor.c.18.
nulli,qui nihil quidẽ virtutis ſtudẽt agere,ſed tamen
cùm alios peccare conſpiciũt, iuſtos ſe in eorũ cõpa-
ratione ſuſpicantur. Neq; enim corda omnium, vna
E vel ſimilis culpa transfigit. Hunc namque ſuper-
bia illaqueat, illum forſitan ira ſupplantat; hunc
autem auaritia cruciat,illum verò luxuria inflammat.
Et plerumque contingit, vt is quem ſuperbia depri-
mit,alium reſpiciat,qualiter ira ſuccendat, & quia ſe
non citiùs ira inſtigat, meliorem ſe iracundo iam re-
putat:atque apud ſemetipſum quaſi de iuſtitia extol-
litur,quia penſare vitium negligit,quo grauiùs tene-
tur.] Hi ſi ſcirent oportere bona agere,& non tãtùm
mala cauere, nequaquam de aliorum malitia ſuper-

birent, ſed de ſua ſe paupertate deiicerent. Nec putarent magnum eſſe quòd malum non faciunt, ſed miſerum valde eſſe, quòd ſublimi ſtatui, in quo ſunt, minimè ſatisfaciūt. Potiùs timerēt, quàm ſuperbirent, dum aliena mala conſiderant, quoniā qui bonum debitum nō agit, proximus eſt malum indebitū operari.

A

Ad ſextum ſuperbiæ gradum pertinent, qui peccata ſua defendunt, & correctionem ſubire detrectant, & quaſi impeccabiles haberi volunt. Nam quoddam genus impeccabilitatis affectant, qui minimos quoque defectus à ſe patratos negant, & in omnibus ſe iuſtitiæ regulam ſeruaſſe præſumunt. Si aliquis iſtorum de malo quod fecit, corrigatur, perfricta fronte dicit: Non feci. Aut (quod peius eſt) ait: Bene feci. Vel ſi de malo conuincatur, reſpondet: Bona intentione feci. Quid ſi nec intentionem excuſare poſſit? Tunc

B

ait exemplo aliorum, qui aliquid eſſe videntur, aut conſilio prudentium motus feci. Sic non inuenies rationem, qua ei aliquod peccatum imputes, quod ipſe nō à ſe procaci excuſatione reiiciat. *Pſal. 140. 4.* Vnde declinat in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis.] Aliqua verò peccata ita manifeſta ſunt, vt nulla poſſit excuſatione aut tergiuerſatione celare. Tunc quid facit ſuperbus? *Bern. de gradibus humilit. grad. 9.* Profectò, vt Bernardus ſapienter aduertit, ſuam culpam exaggerat, & ei aliquid addit incredibile, vt dum tantum facinus audis, quod verè geſtum eſt, diſcredere poſſis. Interdum ſalubrius iudicat honori ſuo, peccatū ſimpliciter & humiliter confiteri; ſed ſimplicitas hæc deceptoria eſt, & humilitas ficta, vt ſe emendatum fateatur, & pœnam ſibi irrogandam effugiat. Nec difficile eſt dolum palliatum

C

agnoſcere, dum iſte miſer oblata occaſione iterum inuerecundiùs peccat, aut ſi aliqua pœna multetur, ei collum ſubiicere omnino detrectat.

Septimus gradus eſt præſumptio, quo ſuperbus, qui ſe cæteris meliorem, doctiorem, & digniorem putat, maiora, & ſuas vires ſuperantia præſumit. Cuius ingenium graphicè deſcribit Bernardus, dicens: *Ber. ſuprà grad. 7.* Primus in cōuentibus reſidet, in conſiliis primus reſpondet, non vocatus accedit, non miſſus ſe intromittit, reordinat ordinata, reficit facta. Quicquid ipſe non fecerit aut ordinauerit, nec rectè factum, nec pulchrè exiſtimat ordinatum.] Sed ille, qui præſumentes de ſe, & de ſua virtute gloriantes humiliat, huius conatus impedit, ſtructuram deiicit, effectus illidit, vt nihil peragat, nihil ad vmbilicum vſque perducat. Hinc

D

videmus nonnunquam, quia parturiunt montes, & naſcitur ridiculus mus, quoniam videlicet ſuperbus dum magna ſupra vires ſibi datas aggreditur, & in eis ſummis laboribus occupatur, ſine fructu ſe cruciat; nam quod perficit, tā vile eſt, vt illud, vel modeſtus irrideat. Ad hoc etiam genus præſumptionis pertinet, ſi quis ſuum talētum moderatum, aut modicū eſſe cognoſcens, illud abſcondat, & eo ipſo, quòd non ſummum eſt, cū eo negotiari & aliquid lucrari erubeſcat. Non concionatur, verbi gratia, quia aliis eloquentioribus ſe in munere concionandi æquare non poteſt, nec ſimilē cum illis populi plauſum adipiſci. Non docet, quia prima cathedra, & ſupremus locus inter magiſtros non ſibi cōceditur. Non vult gubernare, quia

E

ſuprema præfectura ſibi negatur, nec cura potioris cœnobij, aut collegij ſibi committitur. O ſuperbia mater omnium malorū, in his quantam ocioſitatem infers, quantā triſtitiam exaggeras, quantam inuidiā, quàm amarum ſpiritū detractionis, & quàm terribiles dolores cordis infundis! I ſuperbe, ne comedas, quia regia fercula manducare nō vales; ne veſtē accipias, ſed nudus incedito, quia te ſerico, auro, & gemmis operire non potes. Quòd ſi hoc conſilium ſtultum exiſtimas (ſicut re vera eſt) cur te ſapientem prædicas, qui eadem opere præſtas? nam mediocria merita, & moderatos virtutis labores refugis, quia ad ſupremos (Domino ita diſponente) aditus tibi interclusus eſt.

A

In octauo gradu ſuperbiæ homo de rectè factis ſe iactat, & dum ſibi deeſſe iuſtos laudatores exiſtimat, perſonā aſſentatoris aſſumens, ſeipſum immoderatè collaudat. Scientiā acquiſitam ſine vlla cauſa vtilitatis oſtentat; virtutem, quam non habet, aut verbis, aut ſignis prædicat; de rebus ſpiritualibus, ac de intimis cōtemplationis arcanis quaſi expertus diſputat; & breuiter in omnibus vult exaltari, & magnus atq; excellens apparere. Aliquos certè noui hoc ſuperbiæ telo vulneratos, qui magna ſui opinione, quam apud alios ſeminarunt, ſe paſcunt, & ea quaſi baculo, & ſuſtētaculo ſe ad labores perferendos, & ad quietē in con-

B

gregatione viuendū fulciunt. Quæ ſi aliquid caſu deficiat, (& ſæpe deficit, quia fictio, & hypocriſis difficulter perpetua eſſe poteſt) mirum quàm inquieti, quàm deſidioſi reddantur, quàm pertinaciter loci, aut ſtatus mutationem affectent, & quantam iram ac triſtitiam concipiant.

Nonus denique ſuperbiæ gradus ambitio eſt, quam Bernardus diaboli adorationē appellat. Videſne, inquit, quòd ambitionis via adoratio diaboli eſt, qua videlicet ad honores, & gloriā mundi perueniendum ſuis ille adoratoribus pollicetur?] *Bern. ſer. 6. in Pſal. Qui habitat.* Eſt autem ambitio immoderatus honoris appetitus, quo quis vel honorē ſuæ excellentiæ non debitū, vel non propter Deum, vel ardentiùs quàm debet, vel ſine ſubiectione ad diuinam prouidentiā concupiſcit. Ille appetit honorem

C

ſibi non debitum, qui cū modicus ſit, aut ſcientia, aut gubernandi peritia, aut ſanctitate honorem ſapientiſſimorum, & locū magnorum, ac opinionem, & reuerentiam perfectorum appetit. Ille non vult honorem propter Deum, qui illum ob ſuam vanitatem quærit, & nō ob veram vtilitatem propriam, aut aliorum (eſt autem vera vtilitas, quæ ad virtutis augmētum refertur) aut ille quoq; qui cum diuinorum præceptorum iactura honorem inquirit. Ille immoderatè honorem ambit, qui honorum aut dignitatum cogitatione irretitur, deſiderio diſtrahitur, abſentia triſtatur, & præſentia atque aduētu præter ordinem gaudet. Ille ſine ſubiectione ad diuinam prouidētiam honorē cupit, qui nō vocatus ad honores, ſe ingerit, repulſus irrumpit, & precibus, adulationibus, donis, negotiationi-

D

bus, & fauoribus ad apicem alicuius honoris venire contendit. Nam ſi Paulus dixit: *Heb. 5. 4.* Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquā Aaron:] id tranſgredi nihili reputat, dummodo ſe aut iure, aut iniuria ſupra verticem aliorū conſtituat. Non quieſcit in his malis peſſima ſuperbia, ſed, vt Bernardus ait, *Bern. de grad. hū. gra. 10.* incipit in contēptu fratrū, procedit ad contēptum prælatorum, & deſinit in contemptu Dei. Nec poteſt humana malitia vltrà progredi, niſi vt ſupra omne creatū ſe efferat, & Deum ſuperbiendo contemnat.

De remedijs ad pellendam ſuperbiam.

CAPVT XVIII.

E

OMNES quidē homines debent magnis conatibus ſuperbiam vitare, ſi nolunt in barathrum vniuerſorum malorum decidere. Hæc enim immanis beſtia corda ſtultorū exaltat, vt miſerabiliori ruina deiiciat. At nos, qui religioſam vitam, & humilitatis ſtatū profeſſi ſumus, multo maiori cura nitamur à peſtilentiſſimi vitij nos nexibus expedire; quod ſi noſtri dominetur, ſtatum ipſum ſanctiſſimum, quem tenemus, & cum eo arrham à Domino datam ſalutis eripiet. Non veniat mihi pes ſuperbiæ, *Pſal. 35. 12. 13.* inquit ſanctus Dauid, & manus peccatoris non

moneat

moueat me. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare. Idem & nos poſtulemus. Non dominetur nobis, ô pater benigniſſime, affectus ſuperbiæ, & nequaquam nos diaboli poteſtas à loco, ac domicilio ſanctæ humilitatis abducat. In ſuperbia namque, aut per ſuperbiam omnes iniqui ceciderunt, & à ſede iuſtitiæ, in qua ſuperbiæ adhærentes ſtare non potuerunt, in peſſima flagitia declinarunt. Ad id autem, quod hac oratione poſtulamus, id eſt, ad victoriam ſuperbiæ, hæc, quæ ſubiungimus documenta iuuabunt.

I. Conſidera mala à ſuperbia procreata, quæ vnico verbo referenda ſunt, quoniam non hæc, aut illa, ſed in vniuerſum omnia ſunt. Contritionem, inquit Salomon, præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus.] *Prou. 16. 18.* Quamnam contritionem, & quam ruinam ſuperbia præcedit? Certè omnem ruinam. Nunquam enim in peccatum cadimus, niſi aduersùs Deum per ſuperbiam erigamur. Superbia Deo ipſi aduerſatur, proximis intolerabilis, & ipſi ſuperbo ſupra modum nocua reperitur. Aduerſatur certè Domino, cui ſuperbus gratias agere renuit, tanquam ſuorum bonorum authori. Vnde de quodam rege ſcriptum eſt: Non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia eleuatum eſt cor eius: & facta eſt contra eum ira, & contra Iudam & Ieruſalem.] *2. Paral. 32. 25.* Et quia Dominus aduerſantibus ſibi aduerſatur, ideo aduerſatur ſuperbis: Nam Deus ſuperbis reſiſtit.] *Iacob. 4. 6.* Abominatur eos: Quia abominatio Domini eſt omnis arrogans.] *Prou. 16. 5.* Immò & ſuperbos proterit, atque conculcat; quare canit Dauid: [In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis.] *Pſal. 76. n. 20.* Quod ita interpretatur Bernardus: *Bern. ſer. 6. in Cant.* Conculcas corda tumentia ſuperborum, & fluxa deſideria carnalium comprimis, iuſtificans impios, & ſuperbos humilians.] Quàm verò proximis ſit intoleranda ſuperbia inde perſpicitur, quòd homines eos deſpiciunt, & abominantur, quos vident ſuã excellentiã præripere, & ſua bona peſſundare, & aſpernari. Tales autẽ ſunt omnes ſuperbi, quos Lucas quadam circuitione id denotare deſcribit: *Luca 18. nu. 9.* Dixit inquit, ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabantur cæteros, parabolã & cętera. Non mirũ ergo ſi ſuperbi à proximis non tolerentur. Profectò ſanctus Dauid homo ſatis mitis, & ſecũdùm cor Dei, eos ſuſtinere non potuit: *Pſal. 100. 7.* Non habitabit, inquit, in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorũ meorum.] Si verò mites, & humiles qui deſpici cupiunt, ſuperbos non ſuſtinent, alij ſuperbi nullatenus tolerabunt, qui in animum nequaquã inducunt excellentiæ habere conſortẽ. At ipſi ſuperbo nimis eſt noxia ſuperbia, quæ illum donis diuinis euacuat. Eleemoſynam enim non diuitibus, ſed pauperibus erogamus; at ſuperbi ſe diuites putant, ſe omnibus abundantiores profitentur; meritò ergo ſtipe magni patrisfamiliâs, id eſt bonis cœleſtibus, vacuantur. Quis ſuperbiam non fugiat, quàm peſſimum malum, & planè diabolicum videt (nam ſuperbia fuit peccatum Luciferi) quod omnium malorum originem eſſe non dubitet?

II. Noſce te ipſum, & omnium rerum, quibus affluis vilitatem, & ſic elationem & ſuperbiam comprimes. Huic conſiderationi ſalubertimæ ianuã aperit Chryſoſtomus in hunc modum: *Chryſoſt. hom. 43. ad popu. tomi.* Cogita gehennam: cogita multo meliores te: cogita quòd Deo pœnas debeas. Sed non potes iſta facere, es imbecillior: cogita pręſentia, ipſam humanã naturam, quàm nihil ſit homo. Cùm videris in foro mortuum efferri, orphanos ſequentes filios, vxorẽ viduam plangentem, præſentiũ rerum vilitatẽ cogita, & quòd ab vmbra ſomniiſque nihil differũt. Sed non vis hoc: at cogita prædiuites in bellis temerè pereuntes: magnatum, & illuſtrium domos conſidera nunc ſolo proſtratas. Conſidera quantum potuerit, & nunc nec eorũ quidem memoria remanet. Per ſingulos enim dies, ſi velis, horũ exempla reperies, magiſtratuũ ſucceſſiones, præſcriptiones diuitũ. Cogita cùm dormis, quo ſis dignus: nonne vel minima beſtia te poteſt interimere? Multis enim à tecto frequẽter illata breuis beſtiola vel oculũ eruit, vel alicuius alterius periculi cauſam attulit.] Hactenus Chryſoſtomus. Hæc igitur vtilis humanę vilitatis meditatio ſæpiſſimè repetẽda eſt, vt ſuperbię turrim deiiciamus. Cogita enim quid fueris, quia nihil fuiſti, quia ex fœtida materia coagulatus, & dic putredini: Pater meus es; mater mea, & ſoror mea, vermibus.] *Iob 17. 14.* Cogita quid ſis, [quia puluis es.] Cogita quid futurus ſis, quia [in puluerem reuerteris.] *Gen. 3. 19.* Cogita corporis imbecillitatem, carnis putorem, vitæ breuitatem, animæ ignorantiam, cordis ad malum pronitatem, & obſtupeſces quòd vilitas tãta ſuperbiat, excellentiam quærat, & non ſe infra omnium pedes conſtituat.

III. Luciferi, & ſuperbientium Angelorum ruinam pertimeſce, quos vniuerſi ſuperbi certiſſimè in deiectione ſequẽtur: & Chriſti, Dei, & hominis, regis & pontificis tui humilitatem meditare, quæ te ad ſui exemplum, & ad omnem modeſtiã, ac humilitatẽ inuitent. Huius capitis noſtri humilitatẽ eximiã, Luciferi Apoſtatæ ſuperbiæ oppoſitã, Ioannes Caſſianus ſolertiſſimè ex diuinis Scripturis elicuit, cuius ſentẽtiam licèt longiorẽ exſcribimus, vt eam attentè meditantes ad ſuperbiæ odiũ moueamur. *Caſſi. lib. 12. c. 8.* Ideo, inquit, vniuerſitatis creator, & medicus Deus, cauſam principiũmq; morborũ ſuperbiã eſſe cognoſcens, contrariis ſanare contraria procurauit, vt ea ſcilicet, quæ per ſuperbiã corruerãt, per humilitatem reſurgerent. Ille namq; dicit; In cœlum conſcendam.] *Iſaia 14. 13.* Hic dicit: Humiliata eſt in terra anima mea.] *Pſal. 43. 25.* Ille dicit: Et ero ſimilis Altiſſimo.] *Iſaia 14. 14.* Hic cùm eſſet in forma Dei, exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, humiliauitq; ſe factus obediens vſq; ad mortẽ.] *Phil. 2. 7.* Ille dicit: Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum.] *Iſaia 14. 13.* Iſte dicit: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.] *Matth. 11. 29.* Ille dicit: Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.] *Exodi 5. 2.* Iſte dicit: Si dixero quia non noui eum, ero ſimilis vobis mendax, ſed noui eum, & mandata eius ſeruo. *Ioan. 8. 55.* Ille dicit: Mea ſunt flumina, & ego feci ea.] *Ezechi. 29. 3.* Iſte dicit: Non poſſum ego à me ipſo facere quicquam, ſed Pater meus in me manens ipſe facit opera.] *Ioan. 5. n. 30.* Ille dicit. Mea ſunt omnia regna mundi, & gloria eorũ, & cui voluero do ea.] *Luc. 4. n. 6.* Iſte, Cùm diues eſſet pauper effectus eſt, vt eius inopia nos diuites redderemur.] *2. Cor. 8. n. 9.* Ille dicit: Sicut colligũtur oua, quę derelicta ſunt, ſic vniuerſam terrã congregaui ego, & non fuit, qui moueret pennã, & aperiret os, & gannitet.] *Iſai. 10. n. 14.* Iſte dicit: Similis factus ſum Pelicano ſolitario, vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.] *Pſal. 101. 7.* Ille dicit: Exſiccaui veſtigio pedũ meorum omnes riuos aggerũ.] *Iſaia 37. 25.* Hic dicit: Nunquid non poſſum rogare Patrẽ meũ, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorũ?] *Matth. 26. 53.* Si principalis ruinæ cauſam, & ſalutis noſtræ fundamenta perſpeximus, à quo, & qualiter, vel iſta iacta ſint, vel illa emerſerint, quemadmodũ deuitare tam atrocẽ mortẽ ſuperbiæ debeamus, vel illius ruina, vel huius doceamur exẽplo.] Hæc omnia Caſſianus. Vide itaq; quanta ſit illius principis ſuperbiæ ſuperbia, & huius Regis humilitatis humilitas, quanta illius pœna, & huius præmiũ, quod corpori ſuo nobiſq; promeruit; quanta illius ignominia, & huius gloria, & non dubito quin velis potiùs cum hoc Domino, & Principe tuo ad dignitatem humiliari, quàm cum illo hoſte teterrimo ad æternum ſupplicium per elationem efferti.

IV. Si vis ſuperbiam vincere, occaſiones omnes ſuperbiæ deuita. Amorem dignitatum depone, deſiderium laudationum deſere, obliuioni te trade, & nec cognoſci præſertim à magnatibus, nec nominari concupiſce. Libenter admitte humiles ſocios, humilia miniſteria, pauperem cibum, detritam veſtem, incommodam habitationem, & quicquid tuo deſpectui proficit, tuæ humiliationi, ac vili penſioni ſubſeruit. Fruſtra inter pulchras fœminas caſtitas quæritur, & inter occaſiones ſuperbiæ, eius victoria, & humilitatis aſſecutio conquiritur.

V. Poſtremò decem illa remedia aduersùs ſpiritum ſuperbiæ ad manum habenda ſunt, duobus locis à Bernardo ſapienter expoſita: quorum quinque homo gratia Dei fultus velut quinque lapidibus], quibus Dauid contra Goliad vſus eſt contra ſuperbiam pugnat: quinque verò Dominus, ſuperbiæ ſpiritum in nobis expugnat. De illis doctor beatiſſimus hæc ait: Arbitror non incõgruè quinque lapidibus iſtis quinquepertitum verbum intelligi comminationis, promiſſionis, dilectionis, imitationis, & orationis. Iam verò collectos iſtos lapides contra ſuperbiæ ſpiritum dimicaturus Dauid in vaſe memoriæ ſuæ reponat, conſiderans quanta nobis comminetur Deus, quanta promittat, quantam nobis exhibeat charitatem, & quàm multa nobis ſanctitatis exempla proponat: quemadmodum denique orationum nobis vbique commendet inſtantiam. Quoties ergo vanitatis cogitatio mentem pulſat, ſi intimo cordis affectu diuinas expaueſcere cœperis comminationes, ſeu promiſſiones eius deſiderare, non ſuſtinet Golias vtriuslibet lapidis iactum, ſed reprimitur illico tumor omnis. Quòd ſi venerit in mentẽ dilectio illa tam ineffabilis, quam tibi Deus maieſtatis exhibuit, an non illico inardeſcens ad charitatem, prorſus abominari incipis, & abiicere vanitatem? Sic & exempla Sanctorum ſi diligenti tibi conſideratione proponas, erit ſine dubio ad reprimendam elationem cogitatio iſta perutilis. Iam verò ſi inſurgente ſubitò elatione, nihil ex his, quæ diximus, apprehendere quiuerit manus tua, toto feruore ad eam conuertere, quæ ſola reſtat, orationem, & continuò, quem eleuatum videras, & exaltatum ſicut cedros Libani, ſubuerſus impius iam non erit. Hæc quodam loco multis omiſſis. Alio verò loco de quinque aliis remediis, quæ Dominus ad cor noſtrum applicat, ſic ait: Sunt autem quinque, quæ ad remedium tam mortiferæ peſtis, à Domino rationali animæ ſunt poſita: locus, corpus, tentatio diaboli, prædicatio Chriſti, & eius conuerſatio. Locus, quia exilium: corpus, quia oneroſum: tentatio, quia inquietat: Chriſti prædicatio, quia ædificat: & eius conuerſatio, quia informat. His quaſi quinque ſenſibus Deus humilitatem operatur in anima.] His igitur tanquam ſenſibus vtamur, & ſuperbiam deiiciemus. Meditemur, inquam, & ſentiamus, quoniam exules ſumus, & à conſortio ciuium cœleſtium alieni: quoniam velut mancipia viliſſima onus putridæ carnis circumferimus: quoniam captiuorum more exactorem ſemper inſtantem, & à nobis illicita poſtulantem ſentimus. Conſideremus etiam Saluatoris noſtri prædicationem, omnem ſuperbiam, factum, & arrogantiam damnantem, eiúſque conuerſationem, illuſtriſſimis & creberrimis humilitatis exemplis tumoris odium depoſcentem, & ita ambitio cadet, præſumptio corruet, & immoderatus excellentiæ appetitus abſcedet.

1. Reg. 17. 40.

Bern ſer. de Dauid, & Golia.

Ser. 3. ex paruis.

De fine belli aduersùs vitia, ac de victoriæ ſignis.

CAPVT XIX.

FINIS cuiuſque belli pax eſt, nec quiſquam bellum vt bellum, id eſt vt bonum, aggreditur, niſi vt tandem poſt belli diſcrimina amabili pace potiatur. Pacis intentione, inquit Auguſtinus, geruntur & bella, ac his etiam qui virtutem bellicam ſtudent exercere imperando atque pugnando. Vnde pacem conſtat belli eſſe optabilem finem. Omnis enim homo etiam belligerando pacem requirit, nemo autem bellum pacificando.] Si autem pugna aduersùs vitia bellum eſt; conſtat illam obtentu pacis eſſe quærendam; neque ideo pugnamus cum vitiis, vt pugnemus, ſed vt pugna atque diſcordia aliquando pacem habeamus. Tribus autem modis ſolet lux pacis poſt belli tenebras exoriri. Primò quidem, quia hoſtes mutata voluntate inimicitias ſimultatéſque deponunt, & in mutua pace conſentiunt: Secundo, quia altera belligerantium pars ſubiicitur imperio victorum, & ab armis & contentione ceſſare compellitur: Tertio, quia victoribus in nullo parcentibus populus victus, non ſine magna oſtentione ſeueritatis extinguitur. Amicitiam cum vitiis inire non licet; nam de gentibus, quibus illa ſignificata eſſe didicimus dictum eſt à Domino: Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum. Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me.] Et rurſus: Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum; ne cùm fornicati fuerint cum diis ſuis, & adorauerint ſimulachra eorum, vocet te quiſpiam vt comedas de immolatis.] Omnes affectus vitioſi, hoſtes ſunt Dei; quomodo ſummi regis ſerui ac milites, eos in amicitiam vocabimus, & repulſis à Deo, amore iungemur? Nunquam non illi malum noſtrum tractant, & in excidium necemque conſpirant, quomodo illos pacatos habebimus? Nunquam illi nobiſcum in bona voluntate conſentient; ergo ſi cum eis amicitiam inimus, reſtat vt in ipſorum voluntate peſſima conſentiamus. Quare amicitia hæc & falſa, atque noxia amicitia erit, & minimè pacem optatam efficiet; neceſſe eſt enim vitiis implicitum, à Deo, ab Angelis, à iuſtis hominibus diſſidere, immò ſecum ipſo diſcordare. At vitia in noſtram ditionem ſubiiciemus? Id quidem cum paſſionibus, & affectibus noſtris à natura datis optimè fieri poteſt, vt poſtea dicemus, quos nitemur mortificatione componere, at cum vitiis & prauis habitibus fieri omnino non poteſt. Duri namque, & ferrei ſunt valde, & nullo pacto patiuntur ſubiici, ſed omnibus modis volunt dominari. Quibus veriſſimè conuenit quod præter ius de Iſraëlitis dictum eſt: Gens illa à diebus antiquis aduersùm reges rebellat, & ſeditiones & prælia concitantur in ea.] An tu regulum in ſinu reconditum ſubiicies, ne te mordeat? An immanem leonem tecum in tuo lectulo poſitum placabis, ne te morſibus & vngulis feriat? An morbum te conficientem, ſine eius curatione ita vincies, vt non pulchritudinis florem depaſcat, & carnes exedat? Sed multo difficilius eſt & impoſſibilius, vitioſum affectum ſubiicere, & integrum vt ſeruiat, cuſtodire. Philiſthæi quidem ab Iſraëlitis bello petiti, his verbis ſe ad prælium roborabant: Confortamini, & eſtote viri, Philiſthijm, ne ſeruiatis Hebræis, ſicut & illi ſeruierunt vobis: confortamini, & bellate.] Hoc decretum etiam vitiorum eſt, quod apud illos non licet immutari. Nun-

Aug. lib. 19. de ciuit. c. 12. tom. 5.

Exod. 23. 32. 33.

Exod. 34. 15.

Infrà lib. 7.

1. Eſdræ 4. 19.

1. Reg. 4. 9.

quam

A quam enim in animum inducent ſeruire nobis, qui illis in vita carnali ſeruiuimus, ſed ſi apud nos manent, dominorum more volunt nos ad ſua obſequia pertrahere.

Vna ergo ſupereſt via aſſequendæ pacis, ſi hoſtes iſtos infeſtiſſimos penitus extinguamus. In hoc itaque omnis pugna, & omne bellum aduersùs vitia dirigendum eſt, vt omne vitium deſtruatur, & vt omnis gula, omnis luxuria, omnis auaritia, omnis ira, omnis inuidia, omnis acedia, omnis inanis gloria, & omnis ſuperbia funditus pereat. Nec ſolùm hæc, ſed reliqua minora vitia, quæ ex his, tanquam ex fonte procedunt, euulſa, exciſſa, & diſſipata nos deſerant. Hanc vniuerſorum extinctionem vitiorum oratio poſtulet; hanc inuocatio Sanctorum efflagitet; hanc omne opus, & omnis noſtra exercitatio quærat, hanc

B omnes gemitus & deſideria ſuſpirent. Dirumpamus vincula eorum, (quæ ſunt delicta à vitiis progenita) & proiiciamus à nobis iugum ipſorum,] quod eſt pœnæ reatus à delictis ac peccatis eorum. Nec ſolùm id, ſed & ipſamet vitia perſequamur, vſque ad internecionem, ita vt iam nos non inquietent, neque in priſtinas miſerias inducant. Quod in Numeris à Domino inuenimus fuiſſe præceptũ, dum ait: Quando tranſieritis Iordanem intrantes terram Chanaam, diſperdite omnes habitatores terræ illius: confringite titulos, & ſtatuas comminuite, atque omnia excelſa vaſtate.] Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ, qui remanſerunt, erunt vobis quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & aduerſabuntur

Pſal. 2.3.

Num. 33. 51. 52.

C vobis in terra habitationis veſtræ. Optimè ſanè Laurentius Iuſtinianus hanc eſſe viam obtinendæ pacis, hac, quam ſubiungam, oratione docet: Terreni reges & gentium principes, dum vrbium ſuarum poſſeſſores pacifici fieri appetunt, hac prudentia, & huiuſmodi ingenij calliditate vtuntur, vt videlicet de ciuitatibus amoueant, & condemnent quotquot ſui principatus ſuſpectos habent, ac ſuę dominationi aduerſarios effici poſſe formidant; quatenus ablatis ſeditionis fautoribus tutè, & abſque metu valeant dominari. Conſueuit quoque doctus agricola vomere radicitus ſentes ex agro diuellere, ne fortè ſi reuiuiſcerent, & denuo germinarent, ſeminatæ ſegetis immaturum præfocarent fructum. Sic quilibet Chriſti ſeruus, ſic quiſquis animi ſui inor-

Laur. Iuſt. de diſciplina, & perfect. monaſt. conuer. c. 13.

D dinatis motibus pacificè principari deſiderat, & ſpiritualem fructum Deo amabilem ex agro exterioris interioriſque hominis proferre cupit, agere non deſiſtat. Studeat namq; ſolerter abdicare à ſe omnem cordis ſui fictam & inordinatam intentionem & affectionem, atque ſupprimere perniciòſum & inordinatum vſum membrorum corporalium, vt ſegregata & ſopita per virtutis habitum, & continentiæ magiſterium, vtriuſque hominis carnali & vitioſa conſuetudine, Deo pacificè, & ſuauiter vacare queat dominatrix anima, atque per laudabilia ſpiritualis exercitationis opera fructum ex ſe valeat vberem producere iuſtitiæ.] Extinctis ergo vitiis ſtatim vera pax (qualem hæc miſera vita ſecum admittit) vt pugnæ finis optatus nobis adueniet, adeò vt poſſimus ſecundùm

E conſuetudinem eorum, qui pace fruuntur, de promouendis bonis cogitare, quæ virtutes ſunt, & curam noſtram non iam in euellendis ſentibus vitiorum, ſed in virtutibus plantandis, & promouendis, & perficiendis, imponere. Huiuſmodi autem pacem victoria de vniuerſis vitiis reportata præcedit. Victoria enim, qua vitia pugnando ſuperamus, illa ipſa non ſolùm vincit atque proſternit, ſed etiam in cordibus noſtris, vbi morabantur, extinguit. Quia verò hæc victoria inuiſibilis eſt quam non de carne & ſangui-

A ne, ſed de inuiſibilibus hoſtibus ferimus, non eſt facile illam aduertere, & nos victores pronuntiare. Quare nonnulla indicia deſignanda ſunt partæ victoriæ, & aliquorum vitiorum proſtrati, quæ nos in Domino confidentes conſolentur, & ad agendas immenſas Domino gratias, pro data nobis victoria, permoueant. Et iſta quidem breuiſſimè præhibabimus; & ordine vitiorum ſeruato, quem huc vſque ſecuti ſumus, in hoc poſtremo iſtius tractationis capitulo referemus.

Indicia victæ gulæ ſunt. 1. Si vinci à gula, vel extra meras neceſſitatis rapi metuas: vt Auguſtinus timebat, cuius ſententia eſt: Non ego immunditiam obſonij timeo, ſed immunditiam cupiditatis.] Cibus enim bonus eſt, ſed à voluptate ſuperari malum eſt.

Aug. 10 conf. c. 31.

B 2. Si pugnare aduersùs gulæ vitium ſtatuas, & quemadmodum medicamenta, vt idem Auguſtinus ait, ſic alimenta ſumpturus accedas. 3. Si voluptatem inter edendum inſurgentem aduertas, & orans Dominum illis verbis Eccleſiaſtici: Aufer à me ventris concupiſcentias,] illi, quatenus non neceſſaria petit, contradicas. 4. Si clamorem exactoris, id eſt, ventris, vt Gregorius interpretatur, ſuperflua poſtulantis, non audias, & eius voces ac querimonias, petita negando cohibeas. 5. Si iuxta Caſſiani doctrinam, non ſine gemitu atque moleſtia præter conſuetam diſtinctionem aliquid lautius aut ſuauius pro lenienda corporis neceſſitate percipias. 6. Si reſentias dono caſtitatis affectum, & carnis æſtibus liberum. Probatio enim veræ abſtinentiæ, teſte Gre-

Ibid.

Eccl. 23. 6.

Iob. 39. n. 10.

Greg. lib. 30. mor. c. 13.

Caſſia. li. 5. c. 14.

C gorio, non eſt in attenuatione corporis, ſed in perfectione caſtitatis: nam bene ſerpens atteritur, ſi ſic gula reſtringitur, vt libidinoſi motus corporis omnis violentia minuatur. 7. Si in lautioribus conuiuiis, & cum magnatibus ad menſam recumbens, ſcias appoſitas tibi delicias contemnere, & abſconditè, ac prudenter omnem exceſſum in quantitate cibi & potus, & omnem nimiam voluptatem reſpuere. Quod diſces ex Daniele & eius ſocijs, qui noluerunt cibis regis pollui, & ſimplicia legumina, ac potum aquæ frigidæ præ regis alimentis, ac vinis pretioſis adamarunt.

Greg. li. 1. in 1. reg. ad c. 11.

Dan. 1. n. 8.

Indicia victæ luxuriæ ſunt. 1. Si ſtimulos carnis ſine culpa patiaris, & de ipſorum importunitate doleas: dicens: Infœlix ego homo, quis me liberabit de

D corpore mortis huius?] 2. Si huiuſmodi ſtimulos, ac motus quotidie magis remiſſos ac debilitatos experiaris, ita vt caro admodum infirmi canis oblatret aliquando, non tamen accedat, & mordeat. 3. Si impuras cogitationes facilè vincas, & reſpuas, aut etiam, neſcio qua ratione præcognitas, ante earum acceſſum ipſas præuenias, atque reiicias. 4. Si caſtitatem vt ſponſam dilectiſſimam ames, & zeles, & nec in minimo lædi permittas. 5. Si portas ſenſuum, præſertim tactus & viſus cuſtodias, & omnem aut impurum, aut minùs neceſſarium contactum, aut alienæ vel propriæ pulchritudinis aſpectum auertas. 6. Si non tantùm aliorum corpora, ſed & temetipſum erubeſcas. 7. Si circunſpectus ſis, & in hac parte te infimum & imbecillum agnoſcens, quam-

Rom. 7. n. 24.

E libet etiam minimam turpitudinis occaſionem vel à longè ſe oſtentantem diligenter aufugias.

Indicia extinctæ auaritiæ ſunt. 1. Si diuitias in ſæculo habitas, libenter in pauperes diſtribuas: adeò vt poſſis dicere alacriter cum Apoſtolis: Ecce reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te Domine.] 2. Si nec obolum ad proprias neceſſitates ſubleuandas cuſtodias, ſed in benigna prælatorum cura, ac in Domini prouidentia confidas. 3. Si ſuperflua omnino reſpuas, & neceſſaria ſine anxietate concupiſcas. 4. S-

Matt. 19. n. 27.

occurrentes indigentias ac neceſſitates hilari,aut ſaltem æquanimi mente ſuſtineas. 5. Si nec pro neceſſariis tuæ perſonæ, nec pro neceſſariis cœnobio vltra menſuram ſoliciteris. 6. Si gratis des quod gratis accepiſti,& libenter abſque vlla mercede in vinea Domini elabores. 7. Si tui ordinis inſtituta ad paupertatem pertinentia nullo prætextu labefactari ſuſtineas.

Indicia proſtratæ iræ ſunt. 1. Si externos motus, externa verba, & externa ſigna indignationis cohibeas: iuxta illud: Turbatus ſum, & non ſum locutus.] Et rurſus: In me, (id eſt, non extra me,) turbatum eſt cor meum.] 2. Si internos iræ motus comprimas, & eos fœdos, atque prudenti homine indignos agnoſcas. 3. Si mala in te verbis, aut factis admiſſa bonis dictis & factis ſopire contendis, & in bono malum vincis. 4. Si cùm iraſcendum eſt, (nam id aliquando neceſſarium eſſe diximus) motum iræ ratione præuenias, & lege Dei moderatum admittas. 5. Si motum dilectionis in illum, qui te laceſſiuit iniuria, imminutum, ac frigeſcentem non ſentias. 6. Si apud teipſum, & apud alios, eum qui deliquit excuſes. 7. Si pro eo, & pro reditu pacis Dominum feruenter exores,dicens: Da pacem Domine in diebus noſtris.]

Pſal. 76. 5. *Pſal. 142. 4.* *Pſal.*

Indicia extinctæ inuidiæ ſunt. 1. Si de aliorum bonis & proſperitatibus non doleas. 2. Si de illis gaudeas, & verè, ac ex animo bona poſſidentibus fratribus gratuleris. 3. Si libenti animo fratrum bonos ſucceſſus ac laudationes auſcultes. 4. Si tu ipſe collaudes, & ſpiritu dulcedinis illectus prædices. 5. Si è contrà aduerſa proximorum ægreferas, & ad eorum conſolationem accurras. 6. Si defectus, aut quæ denigrare eorum famam poſſunt, ab eorum oculis qui remedium afferre non valent, prudenter abſcondas. 7. Si ſola æterna, & ſemper duratura concupiſcas. Mors enim inuidiæ perfecta, ſecundùm Gregorium, eſt amor æternitatis, quo quis cœleſtia appetens, terrena, vt ſibi inutilia contemnit.

Greg.

Indicia victæ acediæ ſunt. 1. Si peccata etiam leuiſſima timeas, & imperfectiones exhorreas. 2. Si conſueta tuæ profeſſionis opera debitis temporibus, & cum omni perfectione facias. 3. Si te agilem & promptum ad opera ſupererogationis inuenias; ſignum enim feruoris eſt debitis non onerari,& maiora ſupra obligationem audere. 4. Si regulam, & ſtatuta ſtatus tui diligenter obſerues. 5. Si conſortia tepidorum tibi non placeant,& tu ab illis, illique à te, tanquam ab oſore ſuarum imperfectionum fugiant. 6. Si virtutem non ordinariam,ſed eximiam, & heroicam ſuſpicias,atque eam pro tua poſſibilitate imiteris. 7. Si te ſemper vt tepidum,& tuo muneri minimè ſatisfacientem reſpicias,te ſemper reprehendas,& ad altiora & ſublimiora perfectionis opera vehementer aſpires.

Indicia exploſæ inanis gloriæ ſunt. 1. Si defectus tuos, dum ædificatio fratrum aliud non petit, conſtanter & animosè detegis. 2. Si bona opera, quantum poſſibile fuerit,ab oculis humanis abſcondis. 3. Si inter laudes erubeſcis,& cum ſenſu doloris aliquid ad tuam laudem pertinens audis. 4. Si laudari non appetis,& ſermonem de tua laude contextum prudenter abſcindis. 5. Si in exercitiis,aut ſtudiis vtilibus,& modicum plauſum habentibus, libenter occuparis. 6. Si dum Deo places, hominum opiniones, & dicta pro nihilo habes. 7. Si dum alios ſupra modum laudari, & ab omnibus honorari conſpicis, talem laudem, aut famam non appetis,imò eam vt rem vilem & abiectam irrides.

Indicia excluſæ ſuperbiæ ſunt. 1. Si à te nihil niſi mala & peccata,habere cognoſcas,& omnia bona à Deo,à quo [omne datum optimum, & omne donum perfectum] emanat,prouenire ſcias. 2. Si te Deo, intimo deuotionis ſenſu ſubdas, & pro reuerentia eius omni etiam te humanæ creaturæ ſubiicias. 3. Si locum ſublimem, munus honorificum, & dignitates huius vitæ non appetas. 4. Si te relinqui, vilipendi, & in abiectiſſimo loco proiici patiaris. 5. Si neſciri ames, & non humilis, ſed vilis haberi, & pro nihilo reputari. 6. Si abſque mentis contradictione,aduerſa & abiecta ſufferas. 7. Si te omni honore & omni bono, imò & ipſa vita indignum exiſtimes.

Iacob. 1. n. 17.

Si his indiciis victa in te ac proſtrata vitia deprehenderis,nequaquam in temetipſo, vt ſuprà dictum eſt, ſed in Domino glorieris. Ipſe enim eſt qui fecit victoriam: ipſe qui hoſtes fugauit:ipſe qui aduerſarios noſtros virtuti contradicentes deiecit. Ac proinde dic in corde tuo, gratiarum actionem tuo liberatori decantans: Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius:Currus Pharaonis,& exercitum eius proiecit in mare,electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro.] Nec tamen parta ſemel victoria ſecurus dormias, & à bello ac pugna ceſſare conſtituas; quia vitia aliquando mortua ſe ſimulant, cùm re vera mortua non ſint; aliquando verò licèt mortua, nobis talia non opinantibus repentè ſuppullulant. Credite mihi, inquit Bernardus, & putata repullulant,& effugata redeunt,& reaccenduntur extincta, & ſopita denuo excitantur. Parum eſt ergo ſemel putaſſe, ſæpe putandum eſt,imò, (ſi fieri poſſit) ſemper,quia ſemper quod putari oporteat, (ſi non diſſimulas) inuenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris,erras ſi vitia putas emortua, & non magis ſuppreſſa. Velis, nolis, intra tuos fines habitat Iebuſæus, ſubiugari poteſt,ſed non exterminari.] Quod poſtremum non dicit beatiſſimus pater, quaſi putet vitiorum habitus contrariis virtutibus non extingui, ſed quia in affectibus noſtris quaſi ſemina vitiorum iam extinctorum latent, ex quibus facilè reuiuiſcant. Idque vel hoc exemplo manifeſtè cognoſces.Licèt enim vitium iræ per manſuetudinem extinguas, at manet affectus naturalis iræ, & paſſio iraſcibilis nunquam extincta, ex qua, ſi cautus non ſis, vitium iræ & indignationis emerget. Semper ergo nobis pugnandum eſt, ſemper circunſpectè incedendum, ne gaudium commutetur in luctum, & victoria noſtra in aduerſariorum victoriam conuertatur. Sic poſt primam victoriam de hoſtibus reportatam ſemper pugnantes, ſemper (Deo adiutore) vincemus, ſemper hoſtes noſtros timidiores reddemus, & longiùs à finibus noſtris fugabimus. Ex hac autem victoria in campo vitæ præſentis obtenta, quæ nunquam omnino perfecta eſt, ad illam victoriam perfectam futuri ſæculi veniemus, qua apud Dominum in cœlis per omnem æternitatem coronabimur.

Exod. 15. 3.4. *Bern. ſer. 58. in Cant.*

PARS TERTIA

De victoria tentationum.

QVÆ de ſuga peccatorum, & de extinctione vitiorum, dicta ſunt, nemo eſt, qui ad incipientes pertinere non videat. Quibus Eccleſiaſticus dicit: Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.] Et breuiùs exemplaria Græca: Fili, ſi acceſſeris ad ſeruiendum Deo, para animam tuam ad tentationem.] Id enim maximè viam Dei inchoantibus proficuum eſt, vt ſe ſciant eſſe tentandos, ne, ſi præter ſpem, belli moleſtias experiantur, timore perculſi retrocedant. Aduerſarij autem noſtri non multum ſe continent, ſed ſimulac quis peccata fugere, vitia perimere, ac iuſtitiam ſectari curat, ipſo etiam conuerſionis initio tentationibus & bellis impetitur. In cuius figura Pharao Ægyptiorum rex cum vniuerſo exercitu ſuo filios Iſrael terram ſuam deſerentes inſequitur: quia videlicet diabolus, adiunctis ſibi mundo & carne, animas per nouam vitam à ſe fugientes, ad priſtinam criminum ſeruitutem aſſiduis tentationibus reuocare conatur. Qui ſanè eſt Pharaone pertinacior: nam hic perſequutus eſt filios Iſrael vſque ad mare, diabolus verò, qui nec aquis obruitur, nec vi ægritudinis, nec imbecillitate ſenectutis emoritur, homines vſque ad extremum halitum ac finem vitæ, perſequitur. Quod fortaſſis conſiderauit Iob, cùm dixit: [Militia, (ſiue tentatio, vt Septuaginta tranſtulerunt) eſt vita hominis ſuper terram:] quia quandiu hæc mortalis vita durat, & anima carne concluſa corruptibiles in ſua ditione continet artus, cum diabolo, cum mundo, & carne pugnare non ceſſat. Si peccata declinamus, ſi vitia conſcindimus, ſi affectus cohibemus, ſi virtutes inquirimus, ſi mente ad Deum contemplandum aſcendimus, ſi charitate cogente ad proximos iuuandos eximus, nunquam deeſt aliquis Satan, aliquis aduerſarius, qui bono ſe opponat, & pro ſua poſſibilitate noſtros conatus impediat. Meritò ergo hoc loco in ratione præliandi tyronem inſtruimus, & poſtquam illi hoſtes, ſcilicet peccata & vitia, monſtrauimus, ad bellum excitamus, & ad victoriam de hoſte reportandam accendimus. Nam quid proderit, hoſtes ſcire, & remedia, id eſt, arma ad pugnandum agnoſcere, ſi pugnaturis militaris diſciplina deſit, & mentis robur, ac virtus bellandi non ſubſit? Dicamus itaque quid tentatio ſit, quæ nos ad vincendum incitent, quæ adiumenta diuinitus data ad fiduciam aſſequendæ victoriæ nos prouocent, quæ tentationum genera mentem vndiquaque circundent, quæ arma illis potenter obſiſtant. Exponamus inquam hæc, vt mens luce neceſſariæ cognitionis erudita, & tantis auxiliis gratiæ roborata, ignominioſum putet ab aduerſario vinci; facile autem, ipſum deiicere, & leonem draconémque calcare.

Eccl. 2. n. 1. — *Exod. 14. nu. 8.* — *Iob 7. n. 1.*

Quid tentatio ſit, & an tentari ſit malum.

CAP. I.

AD tentationes ſuperandas, & glorioſas de hoſte victorias aſſequendas, legentium animos excitaturus, vnde niſi à cantico fœminæ victricis exordiar? vt quæ victoriam cecinit, & eam non viribus humanis, ſed diuinis attribuit, pugnaturis victoriæ deſiderium ingerat, & pro adepta victoria

A non ſibimetipſis, ſed Deo victoriarum authori laudes concinere doceat? Noua, inquit, bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit: clypeus & haſta ſi apparuerint in quadraginta millibus Iſrael.] Prorſus noua bella in Eccleſia ſua elegit Dominus, vt qui antea aduersùs hoſtes viſibiles pro Iſraelitici populi defenſione pugnauerat, nunc pro animarum gloria aduersùs inuiſibiles hoſtes in fidelium congregatione decertet. Noua quidem bella elegit Dominus, non ſolùm quia nunc pro ſalute noſtra nouos hoſtes aggreditur, ſed quia nouo ac mirabili modo eos ſuperat atque proſternit. Milites quippe ad ge-

Iudic. 5. 8.

tendunt hoc bellum eligit, nec clypeo nec haſta munitos,id eſt armis, (quod ad ipſos attinet, ſpiritualibus)vacuos,& imbecillitati ſubiectos,quibus tamen carnem frangit,mundum eludit,& diaboli hoſtis fortiſſimi potentiam euertit. Huius bellum per ſe, aut per ſuos aduersùs animas initum tentatio dicitur. Nam ſi tentare,vt Thomas Aquinas,Guilielmus Pariſienſis, & Dionyſius Richelius aiunt, eſt experimentum de aliquo capere,vt ipſi tentato,vel tentanti,vel aliis innoteſcat quantus ſit, diabolus bello aduersùs animam geſto experiri cœpit, quas vires ipſa anima diuinitus datas habeat, & quam fidelitatem in Deum legémque cuſtodiat. Si verò tentatio, vt iidem aſſerunt, pugna eſt, vel impugnatio quædam, qua quis ad malum patrandum allicitur; quid aliud pugnando facit diabolus, niſi animas ad malum incitare,& ad legem Domini frangendam permouere? Eius ergo pugna aduersùs animas tentatio eſt, non ſolùm quatenus ab ipſo progreditur, ſed etiam quatenus ab humanis mentibus ſuſtinetur, licèt diuerſimodè: nam illa poteſt dici tentatio illata, hæc verò tentatio ſuſcepta. Suſcepta, inquam, non quia ſemper illi conſentiamus,ſed quia licèt ſerpentis verbis repugnemus, ictum tamen aduerſarij ſentimus. Vnde Gregorius ait: Quid niſi pugna contra malignos ſpiritus nomine tentationis exprimitur? Et quid appellatione militiæ, niſi contra hoſtes exercitium deſignatur? Tentatio itaque ipſa militia eſt, quia dum contra malignorum ſpirituum inſidias vigilat, in bellorum procinctu proculdubio exſudat.] Ad hanc militiam exercendam, & ad glorioſam de hoſte victoriam comparandam, tum fortes tum alacres eſſe nos conuenit, vt per fortitudinem aduerſarios ſuperemus, per lætitiam verò ac mentis alacritatem laborem pugnæ ſine vllo tædio ſuſcipiamus. Neque enim ſine fortitudine pugnantis animæ aduerſarius vincitur; nec ſine lætitia perſeuerandi deſiderium omnino perfectum eſſe cognoſcitur.

D. Tho. 22.q.79. art. 1. Guil. de tentationibus, & reſiſtent. c.1. Diony.de remed.tentatio.art. 3.

Greg. 8. mor.c.3.

Vt autem ea quæ ad victoriam tentationum nos mouent,non ſine aliquo ordine proponamus; illud in primis diſcutiendum eſt, an tentari ſit malum? Cognita enim tentationis qualitate, facilè quiſque percipiet quantum bonum ſit,tentationi reſiſtere,& quantum malum tentatione vinci atque percelli. Tentatio duas habet origines:alteram externam, ſiue extra nos poſitam, alteram internam, ſiue ſtudio aut natura intra noſmetipſos innatam. Cauſa externa tentationis eſt diabolus,qui nos innumeris decipiendi artibus infeſtare curat: cauſa externa eſt mundus,id eſt mundani homines,qui exemplis, ſuaſionibus,& minis ad malum prouocant: cauſa externa eſt turba creaturarum,quæ ſua pulchritudine, aut ſuauitate ad malum impellunt. De diabolo dictum eſt: Quia tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.] De mundo verò: Mundus totus in maligno poſitus eſt.] De cæteris autem rebus creatis ſcribitur: Quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt,& in tentationem animabus hominum,& in muſcipulam pedibus inſipientium.] Cauſa interna tentationis eſt caro noſtra, quo nomine ſenſualitas,aut appetitus tum concupiſcibilis, tum iraſcibilis exprimitur: cauſa interna, ſunt ſenſus omnes, quibus ad delectabilia inclinamur,etiam ſi rationi & virtuti contradicant: cauſa interna ſunt vitia,& praui habitus malè viuendi licentia conquiſiti, qui nos ad ſimiles ſibi actiones inclinant. De carne dicitur: Corpus quod corrumpitur,aggrauat animam,& terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.] De ſenſibus dicitur: Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcen-

1.Petr.5. n.8. *1.Ioan.5. 19.* *Sapi. 14. 11.* *Sapien.9. 15.* *Geneſ. 8. 21.*

A tia ſua.] De prauis autem moribus dictum eſt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.] Si enim verba hæc ad hominem peccatorem referantur, vt Auguſtinus aliquando retulit, manifeſtum eſt,legem carnis, aut legem membrorum,non ſolùm fomitem,ſed etiam vitioſas conſuetudines deſignare, quibus peccator ad malum trahitur, & quaſi captiuus ſeruituti iniquitatis addicitur. Si verò de viro iuſto hanc ſententiam interpretemur,qui condelectatur lege Dei ſecundùm interiorem hominem, vt idem Auguſtinus alio loco probabilius exiſtimat,membrorum lex fomitem quidem ſignificat, aut non omnino vitiis exutum, aut ſaltem ad actiones vitioſas ſemper anhelantem, & B prauis habitibus quaſi ſuperueſtiri cupientem. Ecce vniuerſarum tentationum cauſas: nullam enim tentationem inuenies, quam non ex aliquo prædictorum fontium, aut ex multis ſimul, originari cognoſcas. Videamus igitur, an aliqua tentatio in quantum ſolùm eſt impugnatio quædam noſtræ virtutis, peccatum ſit. Nam ſi peccatum eſt, & culpa qua Deum offendimus,miſerrimum ſanè erit tentari,ſicut miſerrimum eſt, Domini mandata tranſgredi, & diuinis oculis diſplicere. Si autem tentatio culpa non eſt,modò ei fortiter reſiſtamus, non eſt cur quis ſe infœlicem exiſtimet ex eo ſolo quòd tentatur, quin potiùs ſe fœlicem appellet, ex eo quòd tentatione probatur,& eſca vetita inuitatus non vincitur.

Rom. 7. 23.

Aug. lib. in loca quadam epiſt. ad Rom. nu. 45.

Aug.li.1. contra duas epiſ. Pelagiani.c.10.

Tentari,impugnari, & ad nequitiam etiam inauditam impelli,peccatum non eſt,à quacunque cauſa C tentatio procedat, dummodo tentationis ſenſum nulla ſequatur in reſiſtendo væcordia, nec minimus voluntatis aſſenſus. In hac enim tentatione, quæ à Theologis vocatur motus primo primus,quia in nobis ante omnem mentis conſiderationem ſubitò & inopinanter inſurgit, culpa etiam leuis eſſe non poteſt,eo ipſo quòd nec voluntas vllo modo aſſentitur, nec valet communi & ordinaria diligentia iſtos motus ſiue tentationes præuenire, & ne tangatur inſurgentibus cogitationibus,euitare. Et certum eſt,peccatum non eſſe vbi nec voluntas conſentit, nec negligenter ſe habet, & vbi quod nequiuit præuenire, non præuenit. Vnde Auguſtinus optimè ait: Quòd ſi illa concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in D membris moribundis habitat, præter noſtræ voluntatis legem,quaſi lege ſua mouetur,quanto magis eſt abſque culpa in corpore non conſentiente,ſi abſque culpa eſt in corpore dormiente?] Et Gregorius,per beſtias terræ,quas Dominus nobis pacificat, motiones carnis intelligens,ait: Redactæ namque intra clauſtra continentiæ, & ſi adhuc tentando rugiunt, vſque ad morſum tamen actionis illicitæ non excedunt. Atque alio loco: Et nimirum mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cùm pulſat, ſed cùm hanc ſibi per delectationem ſubiugat. Sanè ſi in huiuſmodi impugnationibus peccatum intercederet,docuiſſet nos Dominus petere ne tentaremur, & ne impugnationibus tangeremur; quod tamen non fecit. Nam illis verbis: Et ne nos inducas in tentationem,] non petimus ne tentemur, ſed ne tentatione vincamur. E Si enim oramus, ne permittamur tentari (vt ait Caſſianus) vnde erit in nobis virtus conſtantiæ comprobanda, ſecundùm illam ſententiam: Omnis vir qui non eſt tentatus, non eſt probatus? Et iterum: Beatus vir,qui ſuffert tentationem.] Non ergo hoc ſonat: Ne inducas nos in tentationem,id eſt,non permittas nos aliquando tentari, ſed ne permittas in tentatione poſitos ſuperari.] Sanctus quoque Dauid, quaſi hanc petitionem à

Aug. 1. de ciuit. c.25.

Iob 5.nu. 23. *Greg. 6. mor.c.16.*

Matth.6. n.13. *Caſſi.col. 9.c.22.* *Iacob. 1. n.12.*

Domino

A Domino nobis docendam præuidiſſet, ei ſe euidenter *Pſal. 118.* accommodans, poſtulat, dicens: Ne me derelinquas vſquequaque.] Quod Græca magis expreſſerunt, dum ſic habent: Ne me derelinquas vſque ad nimietatem.] Quaſi diceret: Non peto, Domine, vt nunquam tenter: ſcio enim vtile mihi eſſe tentari, vt meipſum tentatione cognoſcam, & tua dona in me collata, tuámque ſolertiſſimam protectionem experiar, ſed poſtulo, ne tentatio vires à te conceſſas ſuperans, aut mortem afferat, aut vulnus ac plagam infligat. Annuit Dominus deſideriis animæ ita poſtulantis, & in hoc, quòd tentationem viribus noſtris ac- *1. Cor. 10. 13.* commodat, ſuam fidelitatem oſtendit. Fidelis enim Deus eſt, inquit Paulus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione pro- B uentum, vt poſſitis ſuſtinere. Quem namque fructum ex tentatione decerpimus, & quam euadendi facultatem accipimus (vtrunque enim prouentus ſignificat) ſi in qualibet tentatione detrimentum peccati ſaltem leuis patimur, & vſque ad caſum & vulnus *Iuſt. li. de diſcipl. & perfec. monaſt. c. 12.* tentamur? Firmiſſimè ergo homines, inquit Laurentius Iuſtinianus, in hac veritatis ſententia roborentur & confidant, quòd nunquam poteſt animæ inferre mortem infeſtatio tentationis, niſi in vno ſecum conſenſu conueniat deliberatio voluntatis. Pacem quidem mentis perturbare tentationes poſſunt, gratiam verò Dei auferre non poſſunt. Impugnando labores ingerunt, & coronas immortalitatis parant.] Tentatio itaque repulſa mortem non infert, ſed coronam parat. Si mortem non infert, dum tentamur & reſiſtimus, grauiter non delinquimus: quia graue C peccatum mors eſt. Si coronam parat, dum tentamur, & aduerſariorum tentamenta repellimus, nec leuiter peccamus, quia leuia peccata coronam non præparant, ſed præparatam impediunt.

Quod verò generaliter diximus, ad leuamen afflictorum ſpecialiter exponamus. Tentatio à cauſa extrinſeca, vt à diabolo, vel ab hæreticis, vel à malis, aut inuidis profecta, peccatum tentati non eſt, immò ſignum eſt habitæ ab eo, qui tentatur, ac poſſeſſæ virtutis. Nullum quidem peccatum eſt, modò debita reſiſtentia non deſit, quoniam ſi tu nullam ignominiæ notam contrahis, dum iter faciens à raptoribus inuaderis, volentibus te ſpoliare, quos tamen animosè fugaſti, grauiter vulneraſti, & à te ce- D leriter repuliſti; quare peccati turpitudinem contrahes, ſi nulla à te data occaſione, à diabolo vel à ſuis aſſeclis petitus, & ad malum prouocatus, ſuaſiones tenes, & capiti tentationis reſiſtis. Dominus noſter Ieſus Chriſtus ab externa cauſa, nempe à diabolo *Matth. 4. 1.* tentatus eſt, & ad hoc [in deſertum ab Spiritu ſancto ductus,] vt inſultus aduerſarij pateretur. Qui au- *1. Petr. 2. 22.* tem peccatum non fecit,] id eſt, facere non potuit, nequaquam, tentationem ſentiendo & vincendo, peccauit, ſed magis robur ad vincendum, membris ſuis, id eſt, nobis, promeruit. Vnde Paulus ait: *Hebr. 4. 15.* Non enim habemus Pontificem, qui nō poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatū autem per omnia, pro ſimilitudine abſque peccato.] Si ergo ille in natura ſimili naturæ noſtræ tentatus, non peccauit, quia reſtitit, & tentatorem irriſit; quam ob cauſam nos E peccabimus, ſi ab eo artem bellandi addiſcentes, & gratiam mutuantes, dum tentamur, non proſternimur, non dimouemur, ſed potiùs aduerſarium deiicimus? Eſt autem hæc tentatio ſignum poſſeſſæ virtutis: ſicut enim rex ambitioſus & dominandi percupidus, coacta militum manu, non domum alicuius pauperculi, ſed opulentiſſimum regnum alterius regis inuadit, quod armis captum ſibi comparet, & obtentis à ſe regnis adiiciat: ita diabolus ſuperbiæ rex

A non multum curat peccatores tentare, quos habet ſuæ voluntati ſubiectos; nec multum laborat in expugnandis hominibus imperfectis, quos quotidie inordinatæ paſſiones, & inolita vitia conculcant, ſed in eos crudeliter irruit, quos videt virtutibus diuites, quorum caſu cœleſtes theſauros opeſque diripiat. Idque dictum memorabile Abbatis Apollo manifeſtè confirmat, qui cùm vidiſſet Monachum quendam ſenem, ſed tepidum vna diaboli tentatione ſuperatum ad ſæculum properare, vt carnis concupiſcentiam expleret, dixit illi, vt refert Caſſianus: Reuertere ad *Caſſian. coll. 2. c. 13.* cellam, tandemque te intellige, vel ignoratum hactenus à diabolo vel deſpectum, nec in eorum numero reputatum, quibus ille quotidie confligere, & colluctari profectibus eorum, ac ſtudiis inſtigatur: B qui vnum eius in te directum iaculum poſt tantam annorum ſeriem, non dicam reſpuere, ſed ne vno quidem die differre quiuiſti.] Quoſdam ergo diabolus vt viles & ignauos deſpicit, quos autem aſſiduè & importunè impetit, vt magnos & illuſtres metuit, & eo ipſo eos homines non mediocris virtutis eſſe dicit. Quod & in patientiſſimi Iobi moleſtiis opere ipſo teſtatus eſt, quem ideo vehementer tentauit, quia ore Domini laudatum audiuit, & perfectum virum eſſe cognouit. Et vt Gregorius ait: Ciuitatem, quam *Gregor. in progmio. c. 4.* expugnare appetiuit, nimis munitam vidit, & idcirco externis tot plagas inferens, quaſi foris exercitum admouit: animum verò vxoris in verbis malæ perſuaſionis accendens, quaſi intus ciuium corda corrupit.] Aduerte quàm non miſerum eſt à diabolo tentatio- C nibus vrgeri: ſi quidem ipſe adeò acriùs tentat (ſi permittatur,) quo in tentato maiorem perfectionem eſſe coniectat. Antiochus audiuit eſſe ciuitatem Elimaï- *1. Machab. 1. 3.* dem in Perſide nobiliſſimā, & copioſam in argento & auro: & venit, & quærebat capere ciuitatem, & deprædari eam.] O quantæ erant ciuitates in Perſide captu faciliores! at rex cupidus eas omnino contempſit, & ad ſolam Elimaïdem inhiauit, vt eius theſauros opéſque diriperet. Sic prorſus multæ ſunt in Eccleſia animæ etiam iuſtæ, & ſuæ conſcientiæ curam habentes; at diabolus perfectiſſimas acriùs aggreditur, vt eas diuitiis perfectionis ſpoliet. Habet enim fiduciam (inquit Iob) quòd influat Iordanis in os *Iob 40. 18.* eius:] id eſt, habet fiduciam quòd iuſtos deuoret, & D in ſthomacum inferni traiciat. Plurimi erant Monachi in illo aureo ſæculo, quando in fidelibus recenti ſanguine Chriſti conſperſis Dei charitas ampliùs feruebat, at diabolus vniuerſos tentans, Antonium tamen monachorum verticem acriùs impugnat. Dicitque ad ſuos, vt refert Athanaſius: Omnia *In vita Anto.* arma corripite: acriùs nobis impugnandus eſt. Sentiat, ſentiat, debet ſcire quos prouocet. Plurimæ erant Antiochiæ virgines, quæ corporis & mentis integritatem ſeruabant, at vnam Iuſtinam ſanctiſſimam vehementiùs adoritur, cuius conatus illa illæſa, & ab *Metaphraſtes in vita.* omni labe impolluta manens, ſigno crucis, & aliis mediis potenter eludit. Nec potuit improbus ille ſuam ignominiam ſilere, quòd à virguncula ſuperatur. Semel enim dixit ad Cyprianum Antiochenum priùs incantatorem, poſtea martyrem Iuſtinæ amore inſanientem: Vidi quoddam ſignum, quod valdè E horrui, & vires illius non ſuſtinui. Et iterum: Signum crucis ne dum figuratur quidem, videre omnino ſuſtinemus, ſed totis viribus nos priùs in fugam conii imus, quàm id perfectè figuretur.] Si ergo tentatio à dæmone exorta, & ſine vlla negligentia repulſa, non ſolùm peccatum non eſt, verùm etiam ſignum non contemnendæ virtutis, quare non glorioſum ducimus tentari & vincere, & ex medio ignis illæſos exire?

At tentatio non à diabolo ſolo, ſed etiam à fomite & à ſenſualitate procedit, bonum quidem delectabile procurante, & boni rationis, ac legis Dei nullam prorſus rationem habente. Hæc quidem ſignum eſt hominis originalis peccati pœnis affecti, attamen nullum omnino eſt peccatum, ſi ei voluntas reluctetur, & motus carnis aut ſenſuum nolens, & inuita patiatur. Quod ſanè Paulus apertiſſimè docuit. Quodam enim loco ait: (Rom. 7. 19.) Non quod volo bonum hoc facio; ſed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.] Aduerte duas in homine eſſe partes, alteram ſpiritualem ad rationem pertinentem, alteram carnalem ad ſenſualitatem ſpectantem. Hæc non vt manus, aut pes rationi ſubiicitur, qui ſtatim ea imperante mouetur, ſed vt ancilla rationi ſubeſt, cuius poteſt imperium detrectare. Ego igitur infœlix, quia Adæ filius, & pœnis originalis culpæ ſubiectus, quod nolo malum hoc ago, quia caro mea, quæ pars eſt mei, malum meditatur, & illicitum concupiſcit. Si autem contra voluntatem motum illicitum ſentio, iam non ego voluntate operor illud, ſed pronitas ad concupiſcendum, quod eſt habitans in me peccatum. Quomodo ergo ad culpam mihi imputabitur, quod ego non operor, ſed nolens inuitúſque ſuſtineo. Et alio loco: (Rom. 8. 1) Nihil nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis.] Qui ſunt in Chriſto Ieſu, niſi qui per fidem viuam, & charitatem, & bona opera Chriſto capiti copulãtur? Et qui ſunt, qui non ſecundùm carnem ambulant, niſi iidem ipſi, dum minimè carnali concupiſcentiæ conſentiunt? Hi non peccant, quamuis carne tententur, & ex carne aduersùs motum mentis concupiſcant; quia non pugnatores, vt inquit Anſelmus, (Anſel. ibi.) ſed victi damnantur. Lex enim gratiæ data à Chriſto Ieſu liberat à lege peccati & mortis, quæ peccatum conſequitur. Et licèt inſit in membris lex illa peccati menti repugnans, ſed iam reos non facit, quia per legem ſpiritus liberi pugnant contra illam. An tu peccas, ſi dolorem capitis ſentias, ſi ſtomachi imbecillitate affligaris, aut cordis triſtitia & afflictione pulſetis? Nullo modo: quia hæ infirmitates ſunt carnis, quas non voluntas intulit, ſed conditio naturalis inuexit. Ita prorſus ſi appetitus concupiſcibilis voluptates petat, ſi iraſcibilis vindictam efflagitet, ſi cor noſtrum aut ſuperflua, aut curioſa, aut excelſa nobis non debita concupiſcat, dum his motibus reſiſtimus, non peccamus, quia hæc ex voluntate non patimur, ſed ex naturæ conditione ſentimus. Natura autem ſola non eſt culpæ alicuius exordium, ſi voluntas illicitum motum improbet, & illum pro ſua libertate auxilio gratiæ munita cohibeat. Frequenter, ait Ambroſius, (Amb. lib. de fuga ſæculi c. 1.) irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offuſio mentem occupat, vt quod ſtudeas vitare, hoc cogites, animóque voluas. Quod cauere difficile eſt homini, exuere autem impoſſibile.] Si verò impoſſibile eſt hos motus exuere, has tentationes non experiri, quomodo imputabuntur ad peccatum, quod vitare poſſumus & omnino declinare? Et certè nemo qui amator eſſet Dei, ac perfectionis cupidus auderet mundanorum confeſſiones excipere, munus concionatoris obire, & alia pietatis munera exercere, in quibus ſæpe motus carnis, & motus vanitatis inſurgunt, ſi hæc delicta exiſtimaret. At ſancti, & perfecti hæc munera paſſim pro Dei gloria obeunt, quia putant ſe reſiſtentia, & compreſſione horum affectuum labe peccatorum immunes.

Demus tamen tentationem non ſolùm à fomite, ſed etiam à prauis moribus, quod ſæpiſſimè accidit, & à malis habitibus exoriri, quos in veteri conuerſatione contraximus, an hæc imputabitur ad peccatum? Profectò ſi verè conuerſi ſumus ad Dominum, & vitia ac diſtortos habitus contraxiſſe nos pœnitet, & tentationi ab ipſis mananti repugnamus, non magis delinquimus, quàm ſi inuiti, dæmones blaſphemias in Deum iactantes audiremus. Vitia enim (eo ipſo quòd ea contraxiſſe & fouiſſe dolemus) inuoluntaria ſunt, & in ſenſibus, & affectibus noſtris ceu morbi in corpore manẽt: vnde ſicut ſenſus morbi, quem inuiti ſuſtinemus, mentem non inficit, ita nec ſenſus vitij non polluit, ſi ei denegemus omnino conſenſum. Et hîc maximè locum habet Pauli ſententia: (Rom 8. 28.) Quòd [diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.] Quoniam hi motus à vitiis priſtinis emanantes, & à nobis diligenter repulſi, meritum afferunt, non ſibi delicti alicuius lucrum extorquent. Hoſtes quidem intra nos ſunt, id eſt, praui mores, quos ſæculo ſeruientes, admiſimus, in qua admiſſione ſine dubio peccatum, & non vnum, ſed multiplex interceſſit. At iam illis dediſſe hoſpitium retractamus, & eos intra ſepta cordis noſtri habere dolemus, & pro eorum expulſione non ſegniter laboramus, & laborantes ingemiſcimus. Si interim dum non expelluntur, ipſi clamant, ſi priſtinas voluptates oſtentant, ſi trahere ad malum nituntur, quid officiunt mundiciæ noſtræ, ſi validè repugnamus, & primæ ipſorum ſuggeſtioni reſiſtimus? Hi ergo motus à vitiis progredientes, ſigna ſunt mentis necdum perfectæ, quæ aliquando mundo ſeruiuit, nec omnino ſe à ſæculi vitiis emundauit, non tamen peccata ſunt, nec iam aliquo modo voluntaria, ſi eis ipſa mens ſolerter reſiſtat. Si autem tentationes intra genus tantùm tentationis, & impugnationis manentes peccata non ſunt, non eſt cur tentationũ nomine terreamur, ſed potiùs animæquiores effecti aduersùs afflictionem omnibus notam remedia quæramus, & ad noſtra merita cumulanda, ei diligenter reluctemur.

Tentationes appeti poſſe, & qua ratione ex illis fructum decerpimus.

CAPVT II.

SI tentationes peccata noſtra non ſunt, vt oſtenſum eſt, conſtat eas quemque poſſe ob honeſtum aliquem ac bonum finem appetere. Omne enim quod malum culpæ non eſt, poſſumus concupiſcere, licèt illud ſit maximè amarum & nobis aduerſum, quatenus ad ſalutem animæ noſtræ, ac virtutis profectum aliquo modo conducit. Tentatio igitur quatenus tendit in malum culpæ, & in nocumentum eius, qui tentationem patitur, vt inquit Dionyſius Richelius, (Diony. li. de remed. tenta. ar. 7.) non eſt appetibilis, cùm nemo (teſte Philoſopho) reſpiciens ad malum operetur: at vt tentatus poteſt tentatione vti in bonum, & eius laborem ad augmentum virtutis accipere, appetibilis eſt. Nam ſi, vt ait Paulus: (2. Timot. 2. n. 5.) Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit,] coronam appetens, certamen etiam inſtrumentum adipiſcendæ coronæ poteſt concupiſcere, vt vincat, vt triumphet, & vt aliquando tandem coronam accipiat. Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.] (Eccl. 27. 6.) An non vaſa figuli bene temperata poſſent, ſi cognitionis & deſiderij

eſſent

eſſent capacia, ignem fornacis appetere, quo apta fierent humanis vſibus deſeruire? Ita prorſus iuſti diuina gratia ſuffulti, & virtute bene diſpoſiti, poſſunt flammam tentationis cupere, quæ in eis quicquid impurum eſt, excoquat, & illos ad menſam ſummi Regis aptos efficiat. Dauid ſanè hanc doctrinam imbiberat, cùm ſe tentati & examinari poſcebat.
Pſal. 25. 2. Proba me Domine, inquit, & tenta me: vre renes meos & cor meum. Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tua.] Formido, ait vir ſecundùm cor Dei, alius eſſe, & alius putari. Ob id proba Domine in me dona tua, an ſint vſquequaque perfecta: tenta in me virtutem tuam, qua ſcilicet me dignatus es decorare, an ſit vſque ad ſuſtinendas tribulationes robuſta. Id autem peto, quoniam perſpectam habeo miſericordiam tuam, qua me proteges, & cordi eſt mihi veritas tua, cuius ſcuto me defendes. Si verò ex rei concupitæ præſentia gaudium generatur, Iacobus Apoſto-
Iacobi 1. 2.3.4. lus monet, vt gaudeamus ex tentationum ac probationum aduentu. Omne gaudium exiſtimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis: ſcientes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet, vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.] In tentatione quidem gaudendum eſt, ſicut fortis dux lætatur in bello; & cuius victoriam magnam apud regem gloriam, magnum ſtatus & dignitatis augmentum ſperat. Nam tentatio eſt fidei probatio, quæ intus in corde latet, & dum tentationem ſuperat, ſe viuam & firmam fidem eſſe patenter oſtentat. Tentatio patientiam generat, quæ à patiendo denominata, non quieſcendo & oſcitando, ſed ſuſtinendo & laborando gignitur, roboratur, atque perficitur. Patientia autem tentatum tentationem ſuperantem, ad perfectionem euehit, & eum facit virtutibus integrum, & vitæ ſanctitate perfectum. An non literati tentari & probari cupiunt, vt appareat eos eſſe doctoratus & magiſterij nuncupatione dignos, & geſtent in pileo aliquod honoris inſigne? Nonne medici examinari appetunt, vt à magiſtratibus medendi facultatem obtineant? Nonne & equites tentari concupiſcunt, & ſuam generis nobilitatem probari, vt crucem rubeam in pectore geſtent, & ſignum illud nobilitatis accipiant? Tandem nullum munus in bene gubernata republica alicui commendatur, niſi priùs tentatio præcedat, & an ſit idoneus ad illud munus exercendum, aliquo modo probetur. Cur igitur tu non poteris appetere tentari à Domino atque probari, vt honorem ſerui fidelis & gloriam eorum, qui per-
Greg. 8. mor. c.6. manſerunt in tentationibus, conſequaris? Gregorius ſanè de iuſto ita loquitur: Sed ſæpe cùm ſurrexerit, ipſa ſe extolli virtutum magnitudine ſentit, vnde & tentati ſe præſentis vitæ aduerſitatibus poſt virtutes deſiderat, ne peius ex virtutum confidentia cadat. Si enim ſeruari ſe meliùs per tentationem non cognoſceret, nequaquam Pſalmiſta diceret:
Pſal. 25. 2. Proba me Domine & tenta me.] Non itaque indecens eſt viro iuſto tentationem expetere, non ſolùm quidem vt præmium obtineat, ſed vt virtutum altitudinem magis ſecurè poſſideat.

At ordinem huius ſpiritualis belli ponamus, quod in tentatione conſiſtit, vt ſciamus quid ad tentationem ex parte hoſtis, & quid ad nos aut reſiſtentes,
Aug. 12. de Trinit. à principio vſque ad c. 13. D.Tho. 1.2.q.74. art.1. aut non reſiſtentes pertineat. Id autem, vt veſtigiis Auguſtini & Thomæ inhæreamus, illa prima tentatio, quæ orbem ſpoliauit, exponet; & primos parentes noſtros in tot, tantáſque miſerias ex innocentia deiecit. Quatuor ergo in illa tentatione reperies, ſerpentem ſuggerentem, mulierem audientem, virum

A comedentem, & lignum pulchritudine ſua tàm mulierem, quàm virum ineſcantem. Lignum bonum illud temporale ſignificat, quod aduersùs præceptum & legem impoſitam nobis appetimus. Serpens diabolum ſignet per ſeipſum, aut per carnem noſtram, aut mundum, cogitationes & deſideria mali propoſiti ſuſcitantem. Neque enim ictus eius aliud eſt quàm cogitatio aut appetitio noſtra, qua repentè tangimur, neque eſt in poteſtate noſtra huiuſmodi tactum effugere, aut illam primam cibi vetiti, & mali oblati propoſitionem ſubitaneam declinare. Mulier eſt ſenſualitas opus peccati appetens, aut delectationem præſentem, quam cogitando experitur, ſine opere concupiſcens. Vir eſt ratio motus illos ſenſualitatis reprimens aut permittens, & peccatum delecta-
B tionis vel operis, aut omnino refutans, aut in eo victus proſtratúſque conſentiens. Sicut ergo in hac tentatione primorum parentum prima illa ſerpentis alloquutio, qua dixit mulieri: Cur præcepit vobis *Gene. 3. 1.*
Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradiſi?] Peccatum mulieris non fuit: at fuit peccatũ inchoatum, quod nos gratia & iuſtitia originali priuauit, cum ſerpente verba conſulto miſcere, pomum aſpicere, tangere, & ori admouere: & fuit peccatum conſummatum, Adamum caput mulieris, pomum comedere, & Deo contempto, ſuaſioni mulieris ac eius precibus obedire: ita omnino de qualibet tentatione ſentiendum eſt. Nam primò eſt locutio dæmonis, aut ſæculi, aut carnis, quæ mihi aut vindictam, aut voluptatem prohibitam, aut quoduis aliud malum
C proponit; & hæc vocatur ſuggeſtio. Quæ non tantùm extra manet, ſed intra me quoque eſt: de qua dicit Paulus: Scio quia non habitat in me, hoc eſt, in *Roma. 7. 18.*
carne mea, bonum.] In me enim ſentio ego etiam repugnans, luxuriæ, vindictæ, aut ambitionis motus, quos non libenter audio, ſed triſtis & contra voluntatem experior. Hæc autem ſuggeſtio tentatio dicitur, & ſi ex me nihil aliud extorqueat, peccatum mihi non eſt. Nam quare mihi ad peccatum imputabitur, quòd clamores & minas hoſtis audio, quas non audire & declinare non potui? Vnde & Chriſtus Dominus pro conſolatione & inſtructione ſuorum, tentationem ac ſuggeſtionem paſſus eſt; Tentatus, *Hebræor. 4. 15.*
inquit Paulus, per omnia, pro ſimilitudine abſque peccato.] Acceſſit enim tentator, & dixit ei: Si Fi- *Matt. 4. 3.6.9.*
D lius Dei es; dic vt lapides iſti panes fiant:] & mitte te deorſum:] & hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.] Quin & duxit eum [in ſanctam ciuitatem, & in montem excelſum] ſeorſum, vt intelligamus motiones etiam carnis noſtræ, & motus iræ, atque triſtitiæ ſine vllo peccato eſſe poſſe, quando voluntas diligenter repugnat, & ignem iniectum extinguere & conſopire non ceſſat. Si autem hanc ſuggeſtionem dæmonis ſenſualitas non ſolùm inuoluntariè recipiat, ſed etiam libenter audiat, ratione non ſtatim contradicente, ſed aut motum illum permittente, cùm debuerit compeſcere, aut negligenter repugnante, tunc quaſi Heua arborem aſpicit, & pomum tangit, & peccatum veniale maius aut minus, pro maiori aut minori negligentia committit. Si tandem
E ratio conſentiat in opus peccati, aut in delectationem peccati, vel diſſimulanter ſe habeat, & quaſi non videret rebellionem carnis & ignem ſuſcitatum, cùm tamen videat, illum graſſari & dominari permittat, iam quaſi Adam precibus Heuæ victus comedit, & lethale peccatum admittit.

Cùm igitur in nobis, ſecundùm Auguſtinum & omnes doctores, duplex ſit portio partis intellectiuę, *Aug. 12. de Trinit. c.*
quæ dicitur ratio ſuperior & inferior; quarum illa rationibus æternis conſpiciendis & conſulendis inten-

A dit;quales ſunt lex diuina, naturalis vel humana, vel etiam ipſa virtutis honeſtas:hæc verò, quæ temporalia vt voluptatem,aut commoditatem conſiderat, fit omne peccatum tam mortale, quàm veniale ſine ratione ſuperiore, aut rationes æternas contemnente, aut earum vſu prætermittente non eſſe. In cuius ſi- *Iob 1. 18.* gnum filij Iob in domo maioris cum ipſo pereunt; quia donec filius maior hominis,id eſt, liberum arbitrium aliquo modo conſentiat,aut negligenter ſe habeat,ſenſus,& inferiores vires in peccatum non incidunt. Si enim culpa leuis, vt mendacium officioſum nobis offeratur, tunc venialiter peccamus, cùm ratio ſuperior videns, aut videre debens illud eſſe peccatum aſſentit:ſi autem necdum videre potuit ob temporis breuitatem,aut incogitantiam,aut ob aliam **B** cauſam,non peccabimus, licèt homo voluptate, aut commoditate illectus in illud mendacium aliquo modo propendeat. Si autem grauis culpa proponatur, & ratio ſuperior negligenter ſe habeat, nec citò ſenſui,aut appetitui, ac portioni inferiori ſubueniat, tunc in peccatum veniale prolabitur, quod pro ratione negligentiæ maius aut minus exiſtet. Si verò ratio ſuperior non tantùm ſit aliquantulum negligens, ſed etiam in ſuggeſtionem manifeſtè conſentiat,aut ſaltem incendium tentationis excitatum in appetitu diſſimulet, & hoſtibus irruentibus ſileat, & nullo modo ingreſſui eorum ſe opponat, nec deceptori noxia ſuggerenti contradicat, tunc per conſenſum, aut fictam diſſimulationem eſt lethale peccatum admiſſum. Audi verba Auguſtini,quibus iſtam *Aug. ſuprà.* **C** doctrinam docet: Si cupiditas, inquit, noſtra non moueatur ad peccandum, excluditur ſerpentis aſtutia; ſi autem mota fuerit, quaſi mulieri perſuaſum erit: ſed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrænat atque compeſcit,quod cùm fit, non labimur in peccatum, ſed cum aliquantula luctatione coronamur. Si autem ratio conſentiat, & quod libido commouerit, faciendum eſſe decernat, ab omni vita beata, tanquam paradiſo expellitur homo.] Et in eandem ſententiam Gregorius ait: *Greg. 21. mor. c. 3.* Sciendum eſt, aliud eſſe quod animus deteſtatione carnis patitur, aliud verò cùm per conſenſum delectationibus obligatur. Plerumque enim cogitatione praua pulſatur,ſed renititur, plerumque autem cùm **D** peruerſum quid concipit, hoc intra ſemetipſum etiam per deſiderium voluit. Et nimirum mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cùm pulſat, ſed cùm hanc ſibi per delectationem ſubiugat. *1. Cor. 10. n. 13.* Hinc etenim prædicator egregius dicit: Tentatio vos non apprehendat niſi humana.] Humana quippe tentatio eſt,qua plerumque in cogitatione tangimur,etiam nolentes;quia vt nonnunquam, & illicita ad animum veniant, hoc vtique in nobiſmetipſis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus.Iam verò dæmoniaca eſt & non humana tentatio,cùm ad hoc, quod carnis corruptibilitas ſuggerit, per conſenſum animus aſtringit.] His verbis ſanctus pater tria quæ diximus, nimirum ſuggeſtionem, nonnullam negligentiam, quam delectationem vocat, & conſenſum expoſuit. In quorum primo nullum eſt eſt peccatum; in medio peccatum eſt ſed humanum **E** vel leue;in tertio verò peccatum diabolicum, quod ſcilicet animam diabolo addicit, & gratiæ donis ſpoliat. Tam verò ille, quàm Auguſtinus nomine conſenſus, non ſolùm manifeſtum conſenſum intelligunt, ſed interpretatiuum etiam (liceat enim nunc voce ſcholæ vti.) illam ſcilicet fraudulentam diſſimulationem, qua ratio ſuperior, quæ intellectum & voluntatem comprehendit, malum aduertens ſilet, & nec minimum contradicit, quòd animus in mali inſpectione ſe delectet.

Hæc cùm ita ſint, cùm dicimus virum iuſtum poſſe tentationem appetere, tentationis nomine ſolam primam ſuggeſtionem intelligimus, quæ abſque peccato eſſe poteſt. Optat ergo bellum, in quo gratia Dei vincat; cupit pugnam in qua, à Domino adiutus hoſtem proſternat; deſiderat occaſionem, qua ſe fidelem Domino manifeſtet. Sicut enim iuriſperiti quærunt lites, quarum cauſa clientulos ſibi commendatos defendant, & milites deſiderant bellum, in quo aduersùs hoſtes prælientur, & nomen victorum ac diuitias lucrentur; ita iuſti poſſunt tentationes percupere, ex quibus à ſe Dei auxilio victis, & honorem victoriæ, & virtutum merita,& gloriæ præmia conquirant. Et quidem mentium fortiſſimarum indicium eſt, hoſtium incurſus non timere, nec tentationum moleſtia triſtari. Quarum robur Dominus apud Iob ſub figura illius myſtici equi pulchrè deſcribit, de quo inter alia hæc ait: Terram vngula fodit, exultat audacter: in occurſum pergit armatis: contemnit *Iob 39. 21. 22. 24* pauorem, nec cedit gladio.] Vbi audierit buccinam, dicit: Vah.] Iuſtus quidem terram vngula fodit, cùm tentationis tempus eſſe perſentiens corpus ſuum,ne inſoleſcat,& hoſtibus ſe adiungat,ſpiritus fortitudine ferit. Sic enim Paulus generoſus equus, cui Dominus ad mundum peragrandum, & hoſtes proterendos inſedit,terram vngula mortificationis pulſabat,cùm corpus ſuum caſtigabat,& in ſeruitutem redigebat.] Inſuper exultat audacter, quia ſancta quadam elatione, aut potiùs ſpiritus magna- *1. Cor. 9. n. 27.* nimitate de imminente tentatione,quaſi de occaſione patiendi & proficiendi congaudet. Nam & ipſe Paulus ait: Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo *2. Cor. 7. 4.* gaudio in omni tribulatione noſtra.] In occurſum pergit armatis:dum enim videt ſe ab inimicis inuadi,non fugit, non ſe præ affectu timoris abſcondit,ſed in occurſum hoſtium aduenientium ipſe procedit. In cuius exemplum Dominus à militibus ad crucem quæſitus, proceſſit obuiam eis, & dixit: Quem quæritis?] *Ioan. 18. 4.* Quin & magnus Antonius à dæmonibus laniatus & ſemimortuus relictus, prouocabat eos dicens: *Athanaſ. in vita.* Ecce ego hîc ſum Antonius, non fugio veſtra certamina: etiamſi maiora faciatis, nullus me ſeparabit à charitate Chriſti. Pſallebatq; dicens: Si conſiſtant aduersùm me caſtra, non timebit cor meum.] *Pſal. 26. n. 3.* Inſuper & vir iuſtus feruore charitatis accenſus contemnit pauorem. Id eſt, ſpernit ſagittas hoſtium & iacula,dicitque in diuina gratia confiſus: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio,an anguſtia?] *Roma. 8. n. 35.* an cætera, quæ ſequuntur, quæ omnia vt impotentia ad ſuum robur ſpiritus ſuperandum contemnit & ridet? Non cedit gladio, quoniam enſes diaboli iam emicantes,& ictus inferentes frangit, dum validè cuique ſuggeſtioni occurrenti reſiſtit. Ac tandem, vbi audierit buccinam, dicit: Vah: Nam vt Gregorius ait: *Greg. 31. mor. cap. 16.* Cùm certamen paſſionis ſibi propinquare conſiderat, de exercitio virtutis exultat: nec terretur pugnæ periculo, qui victoriæ lætatur triumpho. Hæc ſunt deſideria, hæ exultationes fortiorum, quibus tanquam armis ſe muniunt, & tentationibus obnituntur. Si autem nos imbecilliores tentationes non appetimus, ſaltem cùm acciderint,& in nos inſurrexerint,eas patienter ſufferamus. Nec putemus actum eſſe de nobis,ſi tentamur, quia tentari (vt poſtea dicemus) omnium eſt; immò potiùs tentationes & ſuggeſtiones animi,ſicut moleſtias & ægritudines corporis,ad ſatisfactionem peccatorum noſtrorum, & noua merita toleremus.

In id verò omnes incumbāt, qui Chriſto ſeruiunt,

A & vitam ſpiritualem arripiunt, vt ex tentationibus accidentibus fructum decerpant; quem certè colligent, ſi diligenter repugnent, & primo ingreſſui ſuggeſtionis obſiſtant. Hoc enim habent ſpiritualia bella, inter alia multa temporalibus bellis nobilius, quod in iſtis, licèt probè reſiſtas, fortè tamen ab hoſte potentiori vinceris: in illis verò nunquam diligens reſiſtentia à victoria ſeparatur, ſed ipſum reſiſtere, vincere eſt. Si autem initio tentationis non obſiſtamus, certam diabolus victoriam reportat de nobis. Vt enim Gregorius ait: *Greg. 21. mor. c. 7.* Neque culpa ad opus prodire permittitur, ſi intus vbi naſcitur, extinguatur. Si autem tentationi in corde naſcenti feſtinè non reſiſtitur, hac eadem, qua nutritur, mora roboratur, & exiſtens foris in operibus, vinci vix præualet, quia ipſam intus membrorum dominam mentem captiuam tenet.] Tunc ergo ô lector non damnum, ſed emolumentum, & maximum ex quauis tentatione conſequeris, cùm ei in ipſo principio reſiſtis. Animaduerte, quia in ipſa ſuggeſtione mali non alius quàm diabolus tibi generis humani aduerſarius alloquitur, cuius dolis obturandas eſſe aures Salomon manifeſtè proclamat, cùm ait: *Prou. 26. 24. 25.* Labiis ſuis intelligitur inimicus, cùm in corde tractauerit dolos. Quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius.] Et rurſus: *Eccli. 12. 10. 11.* Non credas inimico tuo in æternum; ſicut enim æramentum æruginat nequitia illius: & ſi humiliatus vadat curuus, adiice animum tuum, & cuſtodi te ab illo.] Atque iterum: *Eccli. 27. 25. 26.* Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abiiciet? in conſpectu oculorum tuorum condulcabit os ſuum, & ſuper ſermones tuos admirabitur, nouiſſimè autem peruertet os ſuum, & in verbis tuis dabit ſcandalum.] His tribus admirandis ſententiis, ſpiritus diuini ſapientia nos edocet, quanta diligentia ſunt primæ ſuggeſtioni aures obturandæ. Si enim verbis mendacibus dolum cordis occuluerit, ſi modeſtiam fingens, te ſub bono prætextu monuerit: ſi quaſi opus ex ære factum omnem malitiæ æruginem depoſuiſſe affirmauerit: ſi in verbis humilitatem oſtenderit: ſi dulcia & grata propoſuerit: ſi vt magis decipiat tuam reſponſionem laudauerit, ne credas ei, quoniam plenus eſt ſeptem nequitiis, id eſt, omni nequitia, & coram ſupremo iudice peruertet os ſuum ex conſiliario accuſator effectus, & ex verbis ac reſponſionibus tuis, quibus conſenſum expreſſiſti, parabit in nouiſſimo die perniciem tuam. Si ita tentationi reſtiteris, pro certo habe te ex illis nullum ſpiritale malum contraxiſſe, ſed tua merita cumulaſſe. Si autem tentationes diligenter reiectæ ſunt meritorum inſtrumenta, non eſt cur earum moleſtiam impatienter feras, quæ breuis exiſtens æternam iucunditatem efficiet.

Tentationes ſuperandas eſſe, quoniam à Domino, tentatione probamur.

CAPVT III.

DICAMVS nunc, quæ nos ad tentationes ſuperandas inuitent, & ad fortiter reſiſtendum calcar adiiciant. Et quidem ea ſunt, quibus milites huius ſæculi ſolent ad procurandam victoriam incitari. Illi enim nihil non audent, vt victoria potiantur, ſi ſciant ſe à ſuo rege probari, qui illos, vt ad magnam dignitatem eueheat, periculis priùs inimicorum expoſuit. Si aduerſùs hoſtes magnum odium concipiant, quia ab ipſis quondam ſpoliati & vulnerati fuerunt, ac eorum vilitatem agnoſcant. Si regi, quem vnicè amant, rem gratiſſimam ſe facturos arbitrentur. Si magnum ſibi auxilium, & validiſſimos ſocios adeſſe ad hoſtes ſuperandos aduertant. Si denique cumulatiſſima præmia vincentibus deſtinata conſpicient. Hęc omnia veriſſimè, & ſine vlla ambiguitate poſſunt nos ad victoriam cuiuſque tentationis irruentis accendere.

Vt autem à primo exordiamur, certum eſt hominem à Deo ſummo Rege, tentatione probari, vt fidelem, ac fortem inuentum ineffabili Sanctorum mercede coronet. Deus quidem neminem tẽtat, quaſi ipſe tentatione ad cognoſcendas hominis vires indigeat, B nec etiam tentat vt creaturam ſuam impensè dilectam, aut in peccatum impellat, aut tentatione in aliquod malum deiiciat. Secundùm quem intellectum Iacobus ait: *Iacob. 1. 13.* Nemo, cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat.] Et hac ratione diabolus vocatur à Matthæo [tentator; *Matth. 4. 3.* & ab Apoſtolo, dum ait: *1. Theſſal. 3. n. 5.* Miſi ad cognoſcendum fidem veſtram, ne fortè tentauerit vos, is qui tentat.] Quis namque credat Deum ſcientiarum Dominum, qui optimè nouit figmentum noſtrum, homines, ad eos cognoſcendos probare? aut illum, *Sap. 1. n. 13.* qui non lætatur in perditione viuorum,] illos ad decipulam, & ad caſum tentatione contingere? At tentat Deus homines, ac tentationibus affligi permittit, tum vt ipſi ſe ſciant, tum C vt alij aliquos viros iuſtos Dei fideles ſeruos agnoſcant: tum vt ſuorum errata puniat, tum vt illis coronam paret, qua per omnem æternitatem effulgeant. Atque iuxta hunc modum ille, qui à Iacobo intentator dicitur, in aliis Scripturæ locis tentator appellatur. Quare Moſes dixit ad populum: *Exod. 20. 20.* Nolite timere, vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.] Et iterum: *Deuter. 8. 2.* Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, vt affligeret te atque tentaret.] Ac rurſus: *Deut. 13. 3.* Tẽtat vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat, vtrùm diligatis eum, an non.] Et Gregorius ait: *Gregor. 7. mor. c. 7.* Sciendum verò quia aliquando nos aduerſarius, aliquando autem conterit Deus. Ex contritione autem aduerſarij D à virtute deficimus; per contritionem verò Domini fracti, à vitiis in virtute roboramur. Hanc contritionem Propheta proſpexerat, cùm dicebat: *Pſal. 2. 9.* Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli conteres eos.] In virga nos ferrea Dominus regit & conterit, quia diſpenſationis ſuæ forti rectitudine, cùm nos interiùs reficit, exteriùs affligit. Nam quo virtutem carnis humiliat, intentionem ſpiritus exaltat.] Meritò ergo de Domino dicit ſanctus Dauid: *Pſal. 64. 7.* Qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum eius.] Et apud Iſaiam: *Iſa. 51. 15.* Ego autem ſum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumeſcunt fluctus eius.] Ipſe enim eſt, qui aliquando cor noſtrum tentatione cõturbat, & ad gloriam ſuam & vtilitatem noſtram ferit, vt ſanet; & humiliat, vt ad magnitudinẽ perfectionis traducat. E Quis dubitet ipſum ſecundùm corpus quidem *Marc. 4. n. 38.* in puppi ſuper ceruical dormientem,] & ſecundùm diuinitatem vigilantem, ſæuam in mari tempeſtatem excitaſſe, vt diſcipuli ad ipſum accurrerent, & dormientis auxilium implorarent? vt etiam illos modicæ fidei argueret? & tandem vt ſedato mari homines ad ſtuporem, & incredibilem admirationem moueret? Ita ſæpe in nobis procellas tentationum venire permittit, & dum tentamur, dormit; dum ploramus, ridet; dum inuocamus, obſurdeſcit, vt defe-

ctum noſtræ fidei cognoſcamus, & vt opportunè liberati apud homines argumentum ſuæ gloriæ ſimus.

Tentat ergo nos Dominus vt ſciamus noſipſos, ſæpe namque proſperis ſucceſſibus cooperti dona Dei videmus, & nos ipſos non videmus, & ideo noſmetipſos ignoramus. Putamus nos Deo ſubiectos, prælatis obedientes & fratribus gratos, quoniam hæc & alia multa mirabilia gratia inundans, & contegens imbecillitatem noſtram, operatur in nobis. Dicimus in abundãtia noſtra: Non mouebimur in æternum:] *Pſal. 29. 7.* & ſpiritu Domini ſaginati profitemur Domino; ſicut Petrus Euchariſtia refectus, quia & ſi oportuerit nos commori tibi, non te negabimus. *Marci 14. 31.* Paulatim aſſueſcimus faciem gratiæ, faciem noſtram putare, & perſonam diuini auxilij operientem nos, vultum noſtrum exiſtimare, & ſic alios tanta gratia carentes deſpicimus, & in ſuperbiam erigimur. Adſit ergo tentatio ac ſubtractio abundantis gratiæ, vt propriæ imbecillitati relicti videamus quàm puſillanimes & miſeri ſimus, & ad humilitatis ſenſum redeamus. Profectus noſter, inquit Laurentius Iuſtinianus, per tentationes fit. *Iuſti. in ligno vitæ. tract. de ſpe. c. 4.* Neque ſibi innoteſcit quiſque qualis ſit, niſi tẽtatus: nec poteſt coronari, niſi vicerit, nec poteſt vincere, niſi certauerit, nec poteſt certare, niſi inimicum & tentationes habuerit. Ad magnam igitur vtilitatem noſtram exercitatio tentationum nobis impenſa eſt, vt non ſuperbiat ſanctitas, dũ tentatur infirmitas: non tepeſcat virtus, non deſit profectus, non diminuatur meritum: non amittatur gloriæ corona.] Tentatio itaque veluti feneſtra eſt, per quam dum noſtra interiora conſpicimus, in humilitate continemur: & ſi in alijs Domini ſperamus, at nullo modo in noſtra imbecillitate confidimus.

Tentat etiam nos Dominus, vt homines nos viros iuſtos, & timoratos, & Deo fideles, & præmio dignos cognoſcant. Sic tentauit Dominus Abraham, ipſi vnigeniti filij interfectionem indicens, vt obediens & fidelis inuentus audiret: Nunc cognoui quòd times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.] *Gen. 22. 12.* Quid eſt: Nũc cognoui? An Deus, qui ſemper omnia nouit ſolam fidelis Abrahæ obedientiam ignorabat, & propterea fuit impoſito præcepto mortis filij probandus? Nequaquam. Sed, nunc cognoui, ait, pro eo quod eſt, nunc cognoſcere omnibus feci timorem tuum, & obedientiam erga me, propter quã dignus es ingenti præmio coronari. Excipe Chryſoſtomum verba iſta interpretantem. *Chryſoſt. hom. 47. in Geneſ.* Quid igitur? Ignorabatne ante hoc iuſti virtutem, & nunc cognouit omnium Dominus? Non hoc inquit, dicens, nunc ipſe cognoui. Sed quid dicere vult? Nunc, inquit, omnibus declaraſti, quomodo ſyncero timore Deũ colas. Nam ego ſciui famulum meum. Quæ autem nunc à te facta ſunt, in doctrinam ſunt, tam præſentibus quàm futuris.] Sic prorſus ſæpe tentamur à Domino ad doctrinam bonorum, & damnationem impiorum. Ad doctrinam quidem bonorum, vt exemplo noſtro ad tentationes varias ſuſtinendas, & dæmonem vincendum animentur. Quare de iuſto Tobia dicitur: Hanc tentationem ideo permiſit Dominus venire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob.] *Tobiæ 2. 12.* Ad damnationem verò malorum, quos tentatione victos, & in peccatum lapſos, Dominus oſtenſione bonorum viles, & infideles fuiſſe mõſtrabit. Nam ſi tu in extremo iudicio appetitum ambitionis magnum fuiſſe conquereris, aut carnem tuam indomitam fuiſſe cauſeris, Dominus innumeros iuſtorum greges oſtendet, ſimilibus tentationibus ambitionis carniſque pulſatos, qui ſtrenuè vicerunt, & modeſtiam & caſtitatem ſeruarunt. Et quia tu gratia adiutus non reſtitiſti, & dæmonem te pellicientem non reiecisti annuentibus hominibus vniuerſis, & iudice ita decernente damnaberis.

Tentat deinde nos Dominus, vt antiqua aut noua peccata caſtiget. Nam ſi pœna culpam punit, quæ iuſtior delictorum pœna excogitari potuit, quàm ea, quæ nos ad peccatum impellens nec deiicere valens, ſimul & non admiſſa proficit, & tangens ac pulſans affligit? Sæpe diuina miſeratio, inquit Gregorius, *Greg. 10. mor. c. 10.* quos prodire in effrænationem illicitæ libertatis conſpicit, obiectione proſperæ aduerſitatis frangit, quatenus eliſi diſcant, quàm reproba erectione tumuerant: vt iam flagelli experimentis edomiti, quaſi iumenta domeſtica, præceptorum loris mentis colla ſubiiciant, & vitæ præſentis itinere ad nutum præſidẽtis pergant.] Hæc ad punitionem peccatorum antiquorum pertinent, quibus etiam aliorum peccatorum, quæ perpetrari poſſent, impedimentum obiicitur. At tentatio non iam libẽter audita, ſed quaſi violenter ingeſta, ſua moleſtia excoquit maculas, quas voluntariè & gratanter admiſimus, & punit quod ſponte fecimus, dum id ipſum nolentes & inuiti toleramus. Quàm magna punitio animę dilectrici caſtitatis infligitur, cùm ei diabolus carnalia obiicit, turpia ingerit, impudica proponit! Meritò Paulus dixit, ſi fortè vt Haymo putat, de motu libidinis loquebatur: *Haymo in 12. 2. Cor. 12. 7.* Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet:] neſcio enim an ſit alapa motu libidinis ignominioſior, aut colaphus importunior. Quàm ingenti pœna anima manſuetudinis aut humilitatis amatrix percellitur, cùm ad vindictã, aut ad ambitionem, & primarum ſedium amorẽ incitatur. Quam ſuaſionem ita audit, ac ſi diaboli verba, eam ad ſui adorationem hortantem auſcultaret. Eſt itaque ſæpe tentatio à Domino permiſſa, quaſi flagellum, quod nos percutit, vt à præteritis peccatis purget, & in Deum admiſſas à nobis iniquitates vindicet.

Tentat demum nos Dominus, vt abundantiſſimam gloriam pro victoria concedat, & pulcherrimam coronã in cœtu Beatorum paret. Si enim non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit;] *2. Tim. 2. 5.* non ſolùm iuſtè, verùm & miſericorditer nobis offeruntur certamina, vt in ſtatuto tempore coronemur. Quod ſignificat Eccleſiaſticus, dum Dei erga iuſtum prouidentiam exponit: *Eccleſ. 4. 19.* Timorem, inquit, & metum, & probationem inducet ſuper illum, & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ ſuæ, donec tentet eum in cogitationibus ſuis.] Ac ſi diceret: Iuſtum Dominus timore concutit, metu & anxietate pulſat pœnæ, & iudicij venturi probatione immiſſa eius fidelitatem examinat, doctrinæ, id eſt legis carni contraria poſcentis tribulatione diſcruciat, & tentat eum iuxta abditas cogitationes, & iudicia prouidentiæ ſuæ. Hæc autem quo fine? Et credat, inquit, animæ illius. Probat inquam, & tentat, vt ſe credat illi, vt in vaſe ictibus tentationum probato theſaurum fœlicitatis recondat, & ſeipſum præmium tentatæ virtuti conſtituat. Tentatio itaque eſt framea Dei, de qua dictum eſt per Zachariam; Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi;] *Zachar. 13. 7.* qua Dominus virum iuſtum ſibi charitate iunctum percutit, vt ſanet; vulnerat, vt medeatur: affligit, vt poſt afflictionem fideliter ſuſtentatam, immenſum gloriæ pondus attribuat.] Quod & inferiùs clariſſimè patefecit, dicens: *Ibid. n. 9.* Et vram eos ſicut vritur argentum, & probabo eos, ſicut probatur aurum.] Si autem quæras, quis ſit tantæ tribulationis finis? Subiungit: Ipſe vocabit nomen meum, &

ego exaudiam eum. Dicam: Populus meus es; Et ipſe dicet: Dominus Deus meus.]

Si ob iſtas cauſas à Domino tentatione percutimur, & præliandi occaſione optobamur; quis non animaduertat quàm glorioſum ſit aduerſariis repugnare, tentationes vincere, & nomen victorum obtinere? An non ſolet rex germanum fratrem, quem vnicè diligit, ad bellum mittere, & ducem magnæ cuiuſdam expeditionis facere, vt ex hoſtibus victoriam reportans, diuitias ſibi paret, & regnum aliquod adipiſcatur, vt etiam regnet, qui dignus eſt regno, & ex regia eſt ſtirpe progenitus? Ita, ô iuſte, cùm tentaris, cùm à diabolo ad malum impelleris, cùm tribulationibus à Domino immiſſis affligeris, debes cogitare, quod te Christus frater natu maior, ac Rex potentiſſimus ad bellum exſuſcitat, & occaſionem pugnandi proponit, vt vincens, diuitias & nomen tibi compares, & regnum æternum aſſequaris. Ne tentationem, infœlicitatem, ſed fœlicitatis occaſionem putes, ne excors factus aut turpiter fugias, aut viliter cadas, ſed magis reſiſtas, & vincas vt Chriſtus frater, ac Dominus tuus decernendæ coronæ cauſam habeat, & ad perfectam virtutem, ac regnum illi deſignatum promoueat. Hoſtes olim fortes erant, ſed nunc imbecilles ſunt, quorum robur Dominus fregit; à quibus arma in quibus confidebant, abſtulit, & ludibrio expoſitos, ac ligatos dimiſit. *Matt. 8.* Vide [dæmones] ligatos, qui nec porcos quidem ſine iuſſu Domini audent attingere. [Si eiicis nos, (inquiunt) mitte nos in gregem porcorum.] Vide ligatos, ſiquidem, quod ad hominum tentationem attinet, nec latum vnguem à Domini voluntate diſcedunt. Satan enim Iobum ad tentandum expetiit, & audiens. *Iob 1. 12.* Ecce vniuerſa, quæ habet, in manu tua ſunt tantùm, in eum ne extendas manum tuam:] ſolam eius ſubſtantiam diſſipauit, illi verò nihil mali intulit. Poſtea verò ampliorem facultatem efflagitans, & audiens: *Iob 2. 6.* Ecce in manu tua eſt, veruntamen animam illius ſerua,] vitam quidem ſibi denegatam non abſtulit, & ſolam carnem plagis afflixit. Si aduerſarij ligati ſunt, & vltra voluntatem Domini tentare nequeunt, qui fidelis *1. Corin. 10. 13.* cùm ſit, non patietur nos tentari ſupra id quod poſſumus;] cur eos times, cur eorum impetum reformidas, quos liber, & bene protectus, ac munitus potes effringere?

Iudic. 8. 20. Gedeon ſanè victis Zebee & Salmana, ac bene ligatis, dixit Iether primogenito ſuo, vt ſurgeret, & interficeret eos.] Sic Dominus primùm vicit aduerſarios tuos, & caput eorum ligno ſuæ crucis confregit, & vinculis colligauit, poſtea verò, vt eos proteras atque conculces, tibi præcepit: Ne ſis tu ſicut ille filius Gedeonis, de quo inquit ſcriptura: Qui non eduxit gladium; timebat enim, quia adhuc puer erat. Numquid adhuc es ſpiritu infantulus? Numquid poſt tot annos non proceſſiſti in virum robuſtum? Numquid à Domino ad victoriam vocatus, adhuc timebis, & te non filium Dei & fratrem Chriſti, ſed filium illius primi parentis, qui à diabolo eſt victus, oſtendes? Non ita ſit; ſed pugna, & vince, & aduerſarium protere, hoſtem irride, diabolum virtute Chriſti animatus proſterne, & nomen & palmam victoris acquirito. Si Dominus tentat te, vt te ipſum agnoſcas; noſce quidem te ipſum, & ob tuam infirmitatem & vilitatem contemne, ſed tibi ipſi diffidens, atque in Deo tuo protectore confidens, hoſti reſiſtes. *Rom. 8. 37.* Et clama cum Paulo: Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.] Ac ſi diceres: Supero quidem tentationes, & victor exiſto, non per meam virtutem, quæ nulla eſt, ſed per virtutem eius, qui me diligens vincit in me. Si tentat te Dominus, vt apud alios tibi nomen iuſti concilier, & ſuo amore dignum oſtendat, ne tu ab hoſte deceptus in contrariam partem abeas, & in iniuſtitiam à iuſtitia deflectas. Iob ſanè à Domino ante tentationem laudatus, & pugnæ ad probationem expoſitus, poſt tentationem Deum veracem prædicat, dum laude diuina dignus apparet. De quo dictum eſt: In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis.] *Iob 2. 10.* Sic & tu vincendo, ac ſuaſionibus dæmonis aurem obturando, Deum veracem, & te ſua gratia iuſtum ac fidelem edicito. Ne ſi ad pugnam exiens, vt Deus in te glorificetur, hoſti verò cedens, non illi gloriam, ſed tibi ignominiam & mortem aſcriſcas. Si tentat te Dominus, vt tua peccata puniat, reſiſtas neceſſe eſt; ſi enim non reſiſtas, tentatio tua non pro priſtinis ſatisfaciet vt pœna, ſed te denuo fœdauit vt culpa. Et certè miſerrimus eris, qui balneo te inficis, lotione contaminas, & pecunia ad ſolutionem debitorum tibi data, noua debita contrahis, nouas obligationes coëmis. Nonne miſerrimus *Luca 15. n. 12.* fuit ille filius prodigus, qui accepta paterna ſubſtantia, quæ ſibi contingerat, conſumpſit eam viuendo luxurioſè? Sed tentatio non minùs, quàm conſolatio ſubſtantia tua eſt, qua fideliter ſuſtentata, debes patientiam lucrari, & æternum regnum promereri. Noli eam negligenter prodigere, quod vtique facis, cùm tentationi ſuccumbis, & aduerſario tentanti non reſiſtis. Si tandem Dominus tentat te, vt pro pugna, & victoria reddat præmij cœleſtis coronam, ne pro modica pugnæ moleſtia requiem, & gaudium, & gloriam in perpetuum duraturam amittas. *Hebr. 11. 26.* Moſes Ægyptiorum diuitias contempſit, & Chriſti improperium illis prępoſuit, quia aſpiciebat in remunerationem.] *Pſal. 118. n. 112.* Dauid inclinauit cor ſuum ad faciendas iuſtificationes Domini propter retributionem.] *Gen. 49. 15.* Iſſachar vidit requiem quòd eſſet bona, & terram quòd optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factúſque eſt tributis ſeruiens;] ſic & tu oculos in remunerationem intende: retributionem aſpice: requiem tibi promiſſam aduerte. Huius autem conſideratione animatus, & deſiderio placendi ei, qui te exponit tentationi, propter bonum tuum, ac tam pij patris amore ſuccenſus fortiter dimica, ſtrenuè reſiſte, vt te agonotheta fidelem inueniat, & in hac vita dono perfectæ virtutis, in alia autem præmio æternitatis afficiat.

Tentationibus reſiſtendum, quia hoſtes noſtros reſiſtentia proſternimus.

CAPVT IV.

TRES eſſe noſtræ ſalutis hoſtes, diabolum, mundum, & carnem, iam diximus, & licèt non dixiſſemus, nullus in hac vita periculorum plena conſtitutus ignorat: quorum malitia & crudelitas debet nobis eſſe perſpecta, vt aduersùs eos odiū concipiamus, & pro aris & focis, (vt dicitur) non negligenter cum illis, ſed grauiter ac fortiter decertemus. Ac primùm, odium diaboli & audaciā in nos quis poterit explicare? Ab ipſo enim humani generis exordio ipsū perſequi, deuincere, & ſpoliare decreuit. Quare loquēdi cū prima muliere occaſionē nactus, ſtatim eā tentatione

Geneſ. 3. 1. aggreſſus eſt, dicens: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradyſi?] Eandem tentandi artem in filios Euæ vſque modò exercet, & vſque ad mundi finem ſine vlla intermiſſione tractabit. *Geneſ. 3. 15.* Cui dictum eſt: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius:] id eſt inter omnes filios Adæ, quos mulier pariet, & inter vniuerſos dæmones, qui tibi tanquam principi obedient. A dolis ſuis, ac tentationũ moleſtia neminem (quantum poteſt) immunẽ eſſe permittit. Si Iobi laudes ex ore Domini depromptas audiuit, ſtatim eum ad pugnã tentationémq; depoſcit: ſi coniuges orationis cauſa continenter viuentes agnouit, è veſtigio in continentiæ excidium exarſit, & caſtum propoſitum (ſi potuit) impediuit. *1. Corin. 7.5.* Proptereáq; monet Paulus: Et iterum reuertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.] Si cuiuſuis ſtatus homines bonum cœpiſſe animaduertit, mox in illos ſe armauit, & tanquam leo rugiens vniuerſa perluſtrauit, *1. Petr. 5. n. 8.* & omnia loca circuiuit, quærens quem deuoret.] Quid moror? Si ſaluatorem omnium, famem, patientem agnouit, ſine vlla mora illum (quem pluſquam hominem eſſe coniectabat, nondum tamen plenè cognouerat) tentatione aggredi, & laqueo diffidentiæ, & irreuerentiæ erga Deum illigare decreuit? Quis eius perſeuerantiam, aut potiùs pertinaciam in tentando patefaciat, qui nunquam dormiens, neque quieſcens; manè & veſperi; die ac nocte; & (vt vno verbo dicam) omni tempore paratus eſt mortales impetere? Sicut enim de illo Philiſtæo, qui exprobrabat agminibus Iſrael, ſcriptum eſt: *1. Reg. 17.16.* Quia procedebat manè, & veſperi; die ac nocte, & ſtabat quadraginta diebus populum Dei ad pugnam prouocans, & omnes Iſraelitas, vt imbelles atque ignauos contemnens:] Sic importunus hic hoſtis manè & veſperi, id eſt, in proſperitate & aduerſitate nos prouocat, & variis ac multiplicibus machinis tentationum infeſtat. Cuius importunitas vſque ad numerum quadraginta dierum extenditur, quia per totam hominum vitam in miſeras animas debacchatur. Quis eius inuidiam explicet? Qui, ſi quid boni moliamur, quoad eius fieri poſſit, impedire & labefactare non ſinit. Dictum namque de filiis Iſrael in libro Eſdræ. *1. Eſdra 3.3.* Collocauerunt altare Dei ſuper baſes ſuas deterrentibus eos per circuitum populis terrarum,] non minùs aptè de Eccleſiæ filiis poteſt enuntiari, qui cùm cor ſuum in Dei altare conſecrare conſtituunt, à dæmonibus deterrentur, vt ab opere cœpto deſiſtant. Quis denique eius aſtutiam edicat? *Iob 18. 10.* Cuius, vt inquit Iob, abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam.] Probè enim nouit callidus & verſutus hoſtis, inquit beatus Ephræm, *Ephre. de morbo lingua.* quibus, ac qualibus nos vinculis obſtringat, & ſi nos inuitos in ſuos caſſes coniecerit, fore vt celeriter confractis illis, mens noſtra iterum in libertatem ſe vindicet. Quapropter iucunda, ac grata vnicuique vincula iniicit, in quibus libenter conquieſcat. *Bern. ſer. de quadruplici debito.* Et Bernardus: Secundùm impetum ſpirituum huic tepido remiſſiorem, illi feruenti vitam arctiorem proponit, hoc ſolùm expetens & expectans, vt quoquomodo tollat eum à concilio iuſtorum & congregatione. Ecce ergo pedicam in terra, & decipulam in ſemita, quia in his, quæ quiſque libenter terit, & non ſine iucunditate tractat, petram ſcandali & laqueum tentationis abſcondit.

Hac importunitate hoſtis humani generis homines vniuerſos impugnat, hac audacia & calliditate eorum inſidiatur profectibus, & nos dignum ducemus aut quieſcere, aut dormire, aut negligen-

A ter & quaſi per riſum eius conatibus repugnare? Non ita ſit, ſed aduerſarij in nos odium noſtram in illum iram exacuat, indignationem prouocet, & mentem ad illum fugandum & vincendum accendat. Ille nos tentat, quoniam ab illo defecimus, & ſub vexillum Domini militamus, & infidelitate reiecta ad aciem ſeruorum fidelium amicorúmque tranſiuimus: nos reſiſtamus ei, ne noſtram gloriam euacuet, & ne iterum cum Dei hoſtibus & perduellionibus numeremur. Tentatione ipſa timidum ſe eſſe ac nos formidare declarat, quia quos deſpicit, & ſuos eſſe cognoſcit impugnare dedignatur; quæ infirmitas erit, hoſtem timentem timere, ex inſidiis bellantem iam patefactum non inſequi, & geſtantem ſuæ confuſionis præſagia, accepta de illo B victoria non in æternam confuſionem detrahere? O quanta erit noſtra coram Sanctis & Angelis laus, cùm Dominus nos, præſentibus illis omnibus, laudet, & iuſtorum ſtrenuitatem in pugnando commendet! O quanta gloria, cùm ille iuſtus iudex, qui æquiſſima lance merita vniuerſorum expendit, nos præmio victorum afficiat, & gloriæ æternæ ſerto coronet! O quàm illuſtre nomen filiorum ſecundi hominis cœleſtis acquirimus! Nam homines cœleſtes huic hoſti reſiſtunt, homines verò terreni eius monitis acquieſcunt. Si enim rex ille ſuperbus Alexander, & totius orbis dominationem appetens, vt aliquis dixit, typus eſt diaboli, quis prohibeat, quæ de illo dicta ſunt, in huius malitiam euocare? Hic *1. Mach. 1.2.* ergo re vera eſt, qui [conſtituit prælia multa.] Et, C vt Gregorius ait; *Greg. 2. mor. cap. 23.* Terram circuit, quia humana corda circumuenit, vt bona tollat, vt mala mentibus inſerat, vt inſerta cumulet, vt cumulata perficiat, vt perfectos in iniquitatibus ad pœnam ſocios adquirat. Hic obtinuit omnium munitiones, & interfecit reges terræ, & pertranſiit vſque ad fines terræ, & accepit ſpolia multitudinis gentium, & ſiluit terra in conſpectu eius. Aggreſſus eſt prælia multa, quoniam cunctos mortales impugnat: obtinuit omnium munitiones, quia in protoplaſto vniuerſorum hominum vires abſumpſit: occidit reges terræ, cùm primos generis humani parentes gratiæ vita priuauit, & ab innocentia deiecit: tranſiuit vſque ad fines terræ, cùm carnem noſtram tot miſeriis, ac doloribus eneruauit: accepit ſpolia multitudinis, quia D gratię diuitias, & virtutum opes theſauróſque contriuit. Sed quiſnam ſilet in conſpectu eius? Certè terra, id eſt homo terrenus primi parentis infirmitatem imitans & inobedientiam amplectens. At cœlum, vel homo cœleſtis non ſilet, ſed clamat ad Dominum auxilium poſcens, ſed vociferatur, & Sanctorum auxilium implorat; ſed verba profert, quibus aduerſarium ad pugnam prouocat, & illius vires Dei auxilio nixus irridet, & totius inferni conatibus lætanter inſultat. Huiuſcemodi virum non terreſtrem hominem, ſed cœleſtem appellemus, qui licèt ex terrena carne tentationem ſentiat, tamen ex auxilio cœleſti tentationem vincit, dum ei nullo modo conſentit.

Ita diabolus odio ſuo, aduersùs eum, odio & audacia nos armat, & ad victoriam de ipſo quærendam E omnibus, quibus nos tentat, modis inuitat: at mundus ſecundus hoſtis ſua vilitate, & importunitate etiã ad vincendum accendit. Mundus autẽ non machinã iſtam viſibilẽ ex corporibus cœleſtibus, terreſtribúſq; compactam, & innumerabilibus bonis refertam, ſed mundanos homines, ac delitia legum ſuarum manifeſtè ſignificat. *Dion. lib. de remediis tentatio. art.* Vnde Dionyſius Richelius ait: Secũdus aduerſarius animæ, loquẽdo in generali eſt mũdus, id eſt homines ſæculares, intimorati, carnales, ad

vitia

vitia pertrahentes; ſeu bona terrena, ſenſibiliáque obiecta, in quibus aliquid amabilitatis & delectabilitatis conſiſtit, per quod ad peccandum alliciunt: hoc eſt ad inordinatum amorem, concupiſcentiam prauam, & delectationem immundam. *1. Ioan. 2. n. 15.* Ideo ſcriptum eſt in prima Ioannis canonica: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, quia ſi quis diligit mundũ, nõ eſt charitas Patris in eo.] Quod non eſt intelligendũ quaſi debeamus machinã mundialem, aut proximos in hoc mundo degentes odire, cùm iubeamur etiã & inimicos diligere: ſed quòd vanitates mũdanas, & voluptates impuras, atq; inanes honores, & quicquid in mũdo noſtræ aduerſatur ſaluti debeamus odire, abhorrere, ac fugere. Hæc ille. Huius ergo mundi magna eſt vilitas. Quid enim vilius peccatoribus, qui vilitati peccati ſeruiunt, & Dei B imaginem maculis iniquitatum inficiunt? Quid ſtultius & inſipientius peccatoribus, qui cœnum cœlo præferunt, & virtutem digniſſimam amore odio habent, & vitium odio ab omnibus proſequendum diligunt? Quid infœlicius impiis hominibus, quos amor infœlicitatis tenet, ne in fœlicitatem properent, & extrema miſeria beatitudini prælata ab ipſis, à poſſeſſione ſanctiſſimorum bonorũ excludit? Non eſt autem minor huius hoſtis pertinacia, qui ſuas leges iniquas, vel (vt verè loquamur) legum præuaricationes adeò intactas, illibatáſque cuſtodit, vt nec pro ſociis, nec pro amicis, nec pro cognatis, nec pro parentibus, immò nec pro ipſo Deo frangi ac labefactari permittat. Videbis infœlicem mundanum ab alio iniuria petitum, qui vellet quidem, ne ſibi & C domui ſuæ exitium afferat, iniuriam remittere, at his improbis legibus illigatus omnium precibus obſurdeſcit, & diuina iuſſa aſpernatur, atque in vltionem properat, & in inimici mortem volat, ne aliquam falſi honoris læſi notam incurrat. O quàm aptè de iſto dicemus! *Rom. 8. n. 20.* Vanitati creatura ſubiecta eſt non volens,] licèt non tam ſenſum Apoſtoli quàm verba ſola teneamus. Nollet enim hic tam ſtultæ vanitati ſeruire: nollet ob tam leuem cauſam, alium interficiens aut vulnerans, domum deſerere, vxorem & chariſſima pignora derelinquere, & omnia ſua bona à prætore proſcribi. At ita faciendum eſt, inquit, omnia ſunt abiicienda, & diuina lex conculcanda, D ne leges ſæculi tranſgrediamur, odium ac vltionem præcipientes, & ne ab ſtultis hominibus ignaui & puſillo animo reputemur.

Huic ne hoſti tam vili & ſtulto ſubdemur? Eiúſne deliriis ſeruiemus? An tam fatuo capite gubernabimur? Equidem indigniùs puto homini legibus mundi regi, quàm equo ſuo aut aſino, cui inſidet in itinere dirigi. Hic enim inſtinctu naturæ pericula cauet, & foueam, licèt luto aut herbis contectam internoſcit, & ſæpe aut aſſuetudine, aut olfactu obſcura etiam nocte in hoſpitium diuertit. At mundus in ſalutis itinere toto cœlo errat, & conſultò ſuos aſſeclas in pericula conicit, & in inuia atque inacceſſa perducit. Iumento aliquando Dominus vſus eſt, vt hominem viam doceret, & arcanum, quod non videbat detegeret, *Num. 22. n. 28.* Nam & [aperuit os aſinæ,] cui E inſidebat Balaam, vt ſuum caſum excuſans, Angeli vt potuit præſentiam aperiret. Sed nunquam mundo ad noſtram doctrinam vtitur, vt ſcilicet eius ductum ſequamur, & ipſius inſipientiam conſectemur. Quinimo aduersùs mundum noſter magiſter factus, eius leges damnat, opiniones exibilat, conatus enertit, & dolos ac decipulas manifeſtat. Ac tandem iumenta à Deo facta non ſolùm nobis fideliter ſeruiunt, sed ſua diligentia & perſeuerantia monent, quomodo Deo fideliter & perſeuerantet ſeruire de-

A beamus. Ideóque bos ore Domini per Iſaiam homini in exemplum adducitur, *Iſa. 1. 3.* qui cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus, qui non ignorauit præſepe domini ſui,] vt rationalis creatura, vel exemplo irrationalium edocta humiliter erubeſcat, quia Dominum non cognouit, nec iuſſa ſui creatoris intellexit. Mundus verò nunquam nobis ſimiles monitiones ingeſſit, nunquam exempla cognoſcendi Dominum, aut obediendi, propoſuit, ſed cæcitatem iniecit, & ad inobedientiam incitauit. Quis igitur hunc hoſtem non irrideat, quem ſtolidiorem ſuo iumento conſiderat? Si mundanorum, ô anima, hucuſque ſecuta es veſtigia, ſi quæ illi odio habuerunt, paupertatem, humilitatem, & infimum locum neglexiſti, & quæ illi dilexerunt, rerum abundantiam, ſuperbiam, B & ſæculi dignitates adamaſti, iam cæcorum ductum ſequi erubeſce, & ad virtutis viam redire feſtina, ne à mundo victa in damnationis barathrum demergaris. Dole, & ſatage, vt ait Micheas, *Michæ. 4. n. 10.* quaſi parturiens: quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & venies vſque ad Babylonem, ibi liberaberis.] Propera, inquam, è ciuitate mundanorum exire, etiam ſi dolorem, & triſtitiam ſentias, dum à rebus amatis ſeiungeris. Habita in ea regione, & in eo cordis ſtatu commorare, qui ab improbis moribus mundi diſſideat: & vſque ad confuſionem procede, qua de priſtina ſtultitia confundaris: & ibi quandam ſanctam libertatem, mundique contemptum experieris. Ne de viribus tibi ad huius hoſtis victoriam tribuendis diffidas: quia hæc dicit Do- C minus: *Ibid. n. 13.* Surge & tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos, & interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino vniuerſæ terræ] Surge, inquam, à cœno mundanarum vilitatum, & à deſiderio eorum, quæ mundus amat, te libera. Aduersùs ambitionem & ſuperbiam pugna, & omnia ſplendida mundi contemptu contere atque comminue. Ego enim dabo tibi duo cornua charitatis Dei, & proximi ferrea, quibus laudationes mundanorum ſpecioſas euentiles: & vngulas æreas, quibus terrena calces atque comminuas. Tunc autem populos ſalubri morte interficies, cùm exemplo D alios ad ſæculi deſpectionem trahes; & immolabis Domino rapinas eorum, & fortitudinem illorum offeres, dum ea, quæ mundus amat, propter Dominum derelinques.

Quid autem de poſtremo hoſte, & omnium pertinaciſſimo, ſcilicet de carne, dicam, niſi quòd ſicut glorioſiſſimum eſt illam vincere, ita iniquiſſimum ab illa proſterni? Caro enim peccato infecta, vinculis ſenſualitatis & fomitis illigata, neceſſitatibus, ſuperuacuis occupationibus, & curis addicta, intellectum ſuis affectibus inordinatis excæcans, & voluntatem ad peſſima, quæ eiſdem affectibus quærit, & amat inclinans non eſt digna vt animæ potiori noſtri parti dominetur, ſed vt more ancillæ eius imperio regatur. *Sap. 9. 15.* Corpus quidem quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem;] quia hoc corruptibile taberna- E culum, quod geſtamus, non ſolùm ſua mortalitate in ima propendet, ſed impuriſſimis quoque, ac vaniſſimis deſideriis miſeram animam in compedes conicit, & à ſua libertate, qua multa, & ſublimia cogitaret, ad peccati conſenſum, & luctuoſam ſeruitutem traducit. Anima contrà, niſi velit deſipere, hãc molem, non natura, ſed affectu deponat, & ancillam in ſeruitutem redigat, ne præmium ſuæ dignitati promiſſum amittat. Illi enim non iam à patre multarum gentium, ſed à creatore omnium gentium dictum

Gen. 16. 6. A eſt: Ecce ancilla tua in manu tua eſt, vtere ea, vt li-
bet.] Quin & ipſa Agar, quæ (authore Origene) car-
nem ſignificat, audit nuncium Domini dicentem ſi-
Ibid. v. 9. bi: Reuertere ad dominam tuam, & humiliate ſub
manu illius.] Nam & caro doloribus nonnunquam
affligitur, qui ſunt velut clamores Domini, vt ad obe-
dientiam animæ reuertatur. Quàm magna imbecil-
litas Dominum nobis carnem ſubiugantem non
aſpicere, & ignominiam ex obſequio ancillæ dato
procedentem non timere! Subdamus illam, quam
Dominus in noſtra poteſtate conſtituit, & nullo mo-
do eius illecebris ac blandiciis adhæreamus. Vide-
tur namq; nobiſcum ludere, aut nobis alludere, cùm
malè blanda proponit, ſed perſecutionem armat, qua
animæ vitam, ſcilicet gratiam & puritatem reuelat.
Gen. 21. 9. B Denique cùm vidiſſet Sara, (inquit ſcriptura,) filium
Agar Ægyptiæ,] id eſt impurum carnis appetitum lu-
dentem cum filio] ſuo, id eſt, ſpiritu, & ei noxia pro-
ponentem, eius eiectionē [expetiuit.] Sed audi Pau-
Galat. 4. 29. lum quomodo illum ludum exponat: Sed quomo-
do tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, per-
ſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum, ita & nunc.
Apage talem ludum, qui iuſtitiam perſequitur, inno-
centiam interficit, & æternam mortem meditatur. Et
Orig. hõ. 7. in Gen. tu ergo, ô auditor horum (inquit Origenes) non illam
ſolam perſecutionem putes, quando furore Genti-
lium ad immolandum idolis cogeris: ſed ſi fortè vo-
luptas carnis illiciat, ſi tibi libidinis alludat illecebra,
hæc, ſi virtutis es filius, tanquam perſecutionem ma-
ximam fuge. Idcirco enim & Apoſtolus dicit:
1. Cor. 6. 18. C Fugite fornicationem.] Sed ſi iniuſtitia blandiatur, vt
perſonam potētis accipiens, & gratia eius flexus, non
rectum iudicium feras, intelligere debes, quia ſub
ſpecie ludi blandam perſecutionem ab iniuſtitia pa-
teris. Verùm & per ſingulas malitiæ ſpecies, etiam
ſi molles & delicatæ ſint, & ludo ſimiles, has perſe-
cutionem ſpiritus ducito, quia in his omnibus virtus
offenditur.] Profectò animi ſapientis eſt hanc ancil-
lam in officio continere, & eius filium impurum ap-
petitum mortificationis ſtudio frænare. Qui ſi ſpiri-
tui noxia ſuadeat, & in ſuum conſortium trahat, ex
hac blanda perſecutione ſpiritus, non aliud quàm
defectionem à Deo & peccati mortem accipiet.

Hi ergo tres hoſtes infeſtiſſimi nobis expugnandi
D & proterendi ſunt, ne eorum mucrone confoſſi per-
eamus. Ipſi enim nunquam ceſſant in noſtrum
exitium conſpirare, & noſtram deſtructionem moli-
Apoc. 12. 9. ri. De diabolo audi quid dicat Apoſtolus & Prophe-
ta Ioannes: Proiectus eſt Draco ille magnus, ſer-
pens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas; qui
ſeducit vniuerſum orbem.] Seducit quidem deſide-
rio, ſeducit conatu, licèt iuſtos ei reſiſtentes, & potiùs
ad cœlum, quàm ad terram pertinentes non ſeducat
effectu. De mundo verò, quo nomine impios ſigni-
ficari diximus, non incongruè intelligitur illud Da-
Pſal. 70. 10. uidis: Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cu-
ſtodiebant animam meam conſilium fecerunt in
vnum, dicentes: Deus dereliquit eum, perſequimi-
ni, & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat.]
Nos interdum iniqui à Deo relictos vocant, & va-
na ſtultáque blaterant, vt in puſillanimitatem deii-
Iudith 13. 17. E ciant. Cùm tamen ille, qui nunquam [deſerit ſperan-
tes in ſe] ſemper opem ferat nobis, & ad victoriam
de hoſtibus obtinendam auxilia ſuppeditet. At aſſi-
duos carnis inſultus aduerſùs nos, quis non experi-
Galat. 5. 17. tur? Tam terribiles profectò & importuni ſunt, vt li-
cèt Paulus non dixiſſet, quia [caro concupiſcit ad-
uerſùs ſpiritum,] nos tamen eruditi proprio experi-
mento eius concupiſcentiæ inſultus ſatis perſpectos
habeamus. An his hoſtibus in noſtram perniciem
A bellantibus dormiendum eſt? An conſertis manibus
ſuſtinendum, vt tentationibus nos vulnerent, lace-
rent, & tandem interimant? Non ſanè: ſed potiùs
decertandum eſt, vt eos tandem proteramus. Dauid
namque perſonam iuſti ſuſcipiens, ita ait: Perſe- Pſal. 17. 38.
quar inimicos meos, & comprehendam illos, & non
conuertar, donec deficiant. Confringam illos, nec
poterunt ſtare, cadent ſubtus pedes meos.] Vt ſcili-
cet iuſti cognoſcant, eorum munus non eſſe tenta-
tione carere, ſed tentationi repugnare, & nullo mo-
do hoſtium ſuaſionibus aſſentiri. Nec eſt, ô homo,
difficilis iſta victoria, quam ſola voluntate cōſeque-
ris, & ſine tuo conſenſu non amittis. Cùm tres ſint
ſtanti imminentes ſtratores, inquit Bernardus, ho- Bern. ſer. 85. in Cant.
rum diabolus liuore malitiæ, mundus vento vanita-
tis, homo ſemetipſum pondere ſuæ corruptionis im- B
pellit. Impellit diabolus, ſed non euertit, ſiquidem
illi tuum negaueris aſſenſum. Denique habes:
Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.] Iſte eſt, qui ſtan- Iacobi 4. v. 7.
tes in Paradiſo impulit inuidus & euertit: ſed con-
ſentientes, non reſiſtentes. Eſt & mundus impul-
ſor, quia in maligno poſitus eſt:] impellit omnes, ſed 1. Ioan. 5. 19.
ſolos euertit amicos ſuos, id eſt, conſentaneos ſibi.
Nolo eſſe amicus mundi, ne cadam. Nam qui [vult] Iaco. 4. v. 4.
eſſe huius mundi amicus, [inimicus Dei cōſtituitur,]
quo vtique nullus grauior caſus. Ex quibus ſatis cla-
ret, quàm ſit homo præcipuus impulſor ſui, qui ſuo
ſine alieno impulſu cadere poteſt, alieno abſque ſuo
cadere non poteſt. Cuinam horum præcipuè reſi-
ſtendum? Nempe huic, qui eò moleſtior, quò inte-
rior ſolus deiicere ſufficit, cùm ſine ipſo alij poſſint fa- C
cere nihil.] O igitur magna fœlicitas, neminem in hoc
bello cum hoſtibus animę niſi proprio conſenſu vin-
ci, neminem niſi volentem peccato ſubdi, & à Deo
bonorum omnium authore ſeparari! Et ô magna in-
fœlicitas, ſi quis ita ſit excors & puſillanimis, vt non
vulneribus, non verberibus, ſed ſolis clamoribus in-
uerecundis ad conſenſum præbēdum adigatur? Ho-
mo ille, qui deſcendebat ab Hieruſalem in Hierico] Lucæ 10. 30.
non propria voluntate conſentiens, ſed inuitus à la-
tronibus ſpoliatus eſt, & vulneratus, ac [ſemiuiuus re-
lictus.] Quid ergo ſi abſque propria voluntate ſpo-
liari, ac vulnerari non poſſet, putas quia ſineret ſe à
latronibus tangi, & bonis omnibus nudum ac pri-
uatum ſalute relinqui? Puto quia non erat tam oſor D
ſui, vt volens tantam calamitatem in ſeipſum iniice-
ret. Amentia ergo eſt noſtrum præbere conſenſum,
vt hoſtes nos ſpolient & vulnerent, & à prælij con-
greſſu, quod nobiſcum ineunt, victores abſcedant.
Potiùs vincamus illos, & odium eorum in nos, non
amore, ſed odio ſoluamus, & quos aduerſarios noſtræ
ſalutis nouimus, pedibus proterere & conculcare fe-
ſtinemus.

Tentationum victoria Deum in nobis magnificari.

CAPVT V.

NON ſolùm odium inimicorum huma- E
ni generis ad vincendas tentationes nos
excitat, ſed multo magis amor erga
Deum, quem, vincentes lætificamus, &
in nobis glorificamus, ad diligenter cu-
randam victoriam exſuſcitat. Mirum eſt quantis ho-
mo in hoc ſæculo tentationibus impugnetur, quan-
tis virtus in bonis, & iuſtis perſecutionibus atteratur,
quas Dominus iuſtorum amator permittit, vt ex illis
tum ſuorum ſalutem & præmia cumulatiſſima, tum

ſui laudem & gloriam eliciat. Facile quidem erat illi iuſtorum vitam, ac tempora ita diſponere, vt tranquillitate fruerentur, & cœlum non ſemper turbidum, ſed clarum ac ſerenum aſpicerent. Nec aduerſaretur facilitati voluntas illius Patris piiſſimi, qui conducibilia nobis ſemper exequitur, niſi tantæ tranquillitati, ac ſerenitati noſter profectus ſpiritualis obſiſteret. Quàm frequens, & moleſta tentationum turba nos ſemper impugnat! Audi, ſi placet, Cyprianum, vt eam ſanctiſſimi, & diſertiſſimi patris eloquentia deſcriptam accipias. Cæterum, inquit, quid aliud in mundo, quàm pugna aduersùs diabolum quotidie geritur? Quàm aduersùs iacula eius, & tela conflictationibus aſſiduis dimicatur? Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congreſſio eſt: cum carnalibus vitiis, cum illecebris ſæcularibus aſſidua & moleſta luctatio eſt. Obſeſſa mens hominis, & vndique diaboli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si auaritia proſtrata eſt, exſurgit libido: ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio: ſi ambitio contempta eſt, ira exaſperat, inflat ſuperbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abſcindit. Cogeris maledicere quod diuina lex prohibet: compelleris iurare quod non licet. Tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur; & delectat hîc inter diaboli gladios diu ſtare, cum magis concupiſcendum ſit, & optandum ad Chriſtum, ſubueniente velociùs morte, properare. Hæc ille. Iſtud ergo tam acre, tam importunum bellum amat Deus in nobis, vtique vt glorificetur in nobis. Eum ſacri ſcriptores ipſius ſpiritu afflati præliorum amicum eſſe demonſtrant. Moſes enim ait: Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius. Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare.] Et Ieremias: Dominus mecum eſt, quaſi bellator fortis: idcirco qui perſequuntur me cadent, & infirmi erunt, confundentur vehementer.] Ideo autem pugnator & bellator vocatus eſt, quoniam ſicut duces militiæ, victoria ſuorum militum gloriam ſibi comparant, & eoſdem milites diuitiis, hoſtiúmque ſpoliis multiplicant: ita & Dominus iuſtos per victoriam tentationum ditat, & ſibimetipſi magnam glorificationem acquirit.

Sed quæ eſt iſta gloria, quam Dominus ex victoria à nobis ex noſtris hoſtibus comparata, reportat? Illa ſanè, quòd infirmis, ac ineptiſſimis inſtrumentis aereas poteſtates confundit & proterit, & totum infernum non ære & ferro, ſed leuiſſima palea frangit atque proſternit. Quibuſnam titulis ſanctus Iob humanam potentiam nobilitat? Contra folium, quod vento rapitur, inquit ad Dominum, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris.] Hominem vocat folium inſtabile & leuiſſimam ſtipulam, quam non ſolus turbo, ſed vel leuis aura rapit atque diſpergit. Sed ô ineffabilis potentia Dei, ô diuinæ gloria maieſtatis, quòd inſtabili folio ſtabilitatem attribuit, & viliſſimæ paleæ robur, firmitudinémque concedit, vt ferrum frangat, vt turbini tentationis reſiſtat, & diabolum ac vniuerſos eius milites tremefaciat, & in turpem fugam conuertat. Gloria quidem Domini fuit, quòd [virga Aaron] verſa in colubrum [deuorauit virgas] maleficiorum Pharaonis. Sed ecce maior gloria hîc, quòd non virga ſed ſtipula ferrum deuorat, & dæmones vaſtat, atque comminuit. Gloria Domini fuit quòd [Gedeon trecentis tantùm viris] caſtra [Madian] in fugam conuertit. Sed ecce illuſtriorem gloriam, quòd non trecentis viris, ſed vno adoleſcentulo dæmonum acies, & vna virguncula hoſtium animæ conatus euertit. An non

A Dominus glorificatus eſt, cùm Dauid acceptis quinque [limpidiſſimis lapidibus] de torrente, [Philiſtæum] interfecit; & cùm Samſon in maxilla aſini, & in mandibula pulli aſinarum deleuit Philiſtæos, & percuſſit ex eis mille viros?] Sed ô quàm maior gloria cùm homunculo infirmiſſimo diabolum vincit, & omnia caſtra iniquarum poteſtatum timore concutit, & ſe ab homine victa eſſe, fateri compellit. Planè completur illud quod dicit Dominus per Dauidem: Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.] Dum enim hominem quaſi iam extinctum eripit de ore leonis, & ſupra leonem erigit, & leonis vires homine iam pene deuorato conſtringit, ingentem ſibi apud omnes honorem, & gloriam ex hac mirabili mutatione conquirit. Cuius B ſubitæ mutationis meminit Sophar Naamathites apud Iob, cùm ait: Et quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam, & cùm te conſumptum putaueris, orieris vt lucifer.] Exponat hanc ſententiam Gregorius. Fulgor, inquit, meridianus in veſpere eſt virtutis renouatio in tentatione, vt repentino charitatis feruore mens vigeat, quæ iam, iámque lumen ſibi gratiæ occubuiſſe formidabat. Et iuſtus, cùm ſe conſumptum putauerit, vt lucifer oritur, quia mox vt tenebreſcere tentationum caligine cœperit, ad lucem gratiæ reformatur, & in ſe ipſo monſtrat diem iuſtitiæ, qui caſurus paulo antè timuit mortem culpæ.] Hæc Gregorius multis interpoſitis omiſſis. Quis non in hac tam ſtupenda mutatione Deum ex toto C corde glorificet? Quis non cantet in viis Domini, quoniam magna eſt gloria Domini?] Qui infirmos roborat, vt robuſtiſſimis hoſtibus reſiſtant: qui puſillos erigit, vt magnos ſuperexcellant: qui infirma mundi eligit, vt fortia quæque confundat.

1. Reg. 17.49. Iudic. 15. 16. Pſal. 49. 15 Iob 11. 17. Greg. 10. mor. cap. 11. Pſal. 137. 5. 1 Cor. 1. n. 27.

Permittit ille aduerſarios noſtros ex antris & cauernis exire, vt ſuperbiam diaboli, potentiam mundi, & ferociam carnis humana imbecillitate deiiciat. Illi cogitationes iracundas, aut ſuperbas, aut impuras excitant, & vitia prauis actibus radicata oblatis peccandi occaſionibus armant, vt virtute Domini impugnati in nobis intereant. Quæ virtus tanto illuſtrior & glorioſior apparet, quanto infirmioribus inſtrumentis inſuperabiles hoſtes interficit. Cùm exorti fuerint peccatores ſicut fœnum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem: vt intereant D in ſæculum ſæculi: tu autem altiſſimus in æternum Domine.] Oriuntur vt occidant, oſtentant ſe hoſtes noſtri, vt ſtatim intereant: intereunt verò, vt in nobis Dominus ſublimis & glorioſus appareat. Vnde Dorotheus hunc eundem locum explanans, ſic ait: Peccatores, qui vt fœnum oriuntur, ſunt impuræ cogitationes. Eſt enim debile quid, & infirmum fœnum nullam habens potentiam. Cùm igitur oriuntur in anima vitioſæ cogitationes, tunc apparent omnes, qui operantur iniquitatem: quæ ſunt ipſa vitia, vt intereant in ſæculum ſæculi. Cùm enim apparuerint vitia ante concertatores & athletas, ſtatim ab eis perimuntur.] In hac tam fœlici hoſtium occiſione, quis non videat quoniam tu altiſſimus in æter- E num Domine? Altiſſimus (inquam) oſtenderis, & glorioſiſſimus commonſtraris, qui lepuſculo inualidiſſimo, id eſt homine timidiſſimo fortes & audaces inimicos interimis. Nam ſi gloria tua fuit, quòd culicibus, & ranis, & ſimilibus animalculis Ægyptum afflixiſti, & pro tuo populo decertaſti; quare non erit gloria tua, quod pueris, & puellis, & hominum infirmitate beſtias hoſtium noſtrorum illigas, ac coram orbe terrarum victas & irriſas oſtendis. Alleua ergo & nunc manum tuam ſuper gentes alienas vt videant potentiam tuam. Sicut enim in conſpectu

Pſal. 91. 8. Doroth. do. 13. Eccl. 36. 3.

eorum

eorum,dum nos ab hoſtium rabie liberas ſanctifica-
tus es in oobis, ſic & in conſpectu noſtro] dum eos
viceris manu noſtra,manu ſcilicet imbecilla [magni-
ficaberis in eis.] Magnificatur itaque Dominus in
hoſtibus noſtris, id eſt,magnus & excelſus oſtendi-
tur,quoniam hominem ex terra conditum , & infir-
mitate circundatum,ſic roborat,vt hoſtes fortiſſimos
ſe importunè inſequentes effugiat. Parum eſt hoc:
ita roborat , vt eos hoſtes victos in turpem , & timi-
dam fugam conuertat. Parum adhuc eſt iſtud: vt
ipſos hoſtes homo ſibi ſubiuget ,atque vt mancipia
bello capta ſuis vſibus,ac animæ profectui ſeruire fa-
ciat. In quo ſimul iuſtitia & miſeratio conditoris
elucet, qui hoſtes iniuſtè aduersùs nos inſurgentes
duriter punit, & nos parta victoria in conſpectu vni-
B uerſorum extollit. Ad quod fortè reſpiciebat Debo-
Iudic. 5. 11. ra,quando canebat: Vbi colliſi ſunt currus,& ho-
ſtium ſuffocatus eſt exercitus , ibi narrentur iuſtitiæ
Domini, & clementia in fortes Iſraël.] In hac vi-
ctoria , quam de hoſtibus nobis infeſtis accipimus,
narrentur iuſtitiæ Domini,quoniam eos non per cor-
Orige. hom.6.in lib.iudic. poris robur , ſed per animi iuſtitiam vincimus. In
aliis enim gentibus,vt ait Origenes , qui corporis ro-
bore fortiores ſunt, illi potentes dicuntur in prælio:
In Iſraël verò,hoc eſt,in bonorum populo,qui iuſtio-
res ſunt,ipſi potentiores dicuntur in bellis : quia iu-
ſtitia etiamſi viribus infirma ſit,vincit:iniuſtitia verò,
etſi multos & validos pugnatores habeat, ſupera-
tur.] Narrentur etiam iuſtitiæ Domini , quoniam
hoſtes in nos inſurgentes caſtigat propter moleſtias,
C quas nobis intolerunt:non tamen obliuioni tradan-
tur clementiæ in fortes Iſraël. Nam victores Iſraël,
id eſt,iuſtos clementer reſpicit, benignè ſuſcipit, lar-
giter præmiatur,vt de ſuis victoriis in æternum exul-
tent.

Iam ſi quis eſt amator Dei,& diuinæ gloriæ cupi-
dus,quàm ardenter victoriam hoſtium concupiſcet?
Quàm ſtrenuè cuique tentationi inſurgenti reſiſtet,
ne ob ſuam negligentiam,hanc gloriam verè magnā
inimici ſurripiant ? Si glorioſum eſt cum vincenti-
bus vincere , cum expugnantibus arcem hoſtium,
eam fortiter expugnare,cum bellantibus ob gloriam
regis terreni, bellare , & manus conſerere , & gloriæ
comparandæ diligenter inſiſtere , quàm glorioſius
erit , atque præſtantius cum expugnatoribus regni
D cœleſtis dæmonem , mundum , & carnem vincere,
& glorificationi Domini cooperari ? Magna gloria
eſt, eſſe inſtrumenta gloriæ Dei , & vt , quaſi digito
ſignari poſſimus,quòd laudes Domini operibus ſan-
ctis proueximus,& noſtra fidelitate,qua,ob amorem
eius,aduerſariis reſtitimus,ipſius gloriam in cordibus
hominum cumulauimus. Nam ſi gloria eſt terreni
regis aulicum ita habere fidelem vt. delicias mundi,
& honores,ac opes contemnat,ne vel in modico re-
gi diſpliceat,Dominus etiam pro gloria habet, quòd
iuſti omnia terrena deſpiciant, & inimicos ea tenta-
tione offerentes irrideant , ne vel tantillum à lege
ipſis impoſita,& à Domini voluntate diſcedant. An
Dominus labores,& victorias ſuorum,quibus glori-
ficatur in eis præmio, ac mercede vacuas dimittet?
Zacha. 12.4. Nullo modo. Immò,vt eſt in Zacharia: In die il-
E la,dicit Dominus percutiam omnem equum in ſtu-
porem,& aſcenſorem eius in amentiam: & ſuper do-
mum Iuda aperiam oculos meos,& omnem equum
populorum percutiam cæcitate.] Vide iterum illud
Iudic. 5. 11. impletum: Ibi narrentur iuſtitiæ Domini, & cle-
mentia in fortes Iſraël.] Nam iuſtitiæ Domini ſunt,
quòd aſcenſorem equi, id eſt diabolum in amentiam
vertit,qui quaſi amens præ furore redditur , dum ni-
hil aduersùs iuſtos proficit,& omnem equum,id eſt,

A omnes eius adminiſtros percutit ſtupore & cæcitate,
quia ſtupent vidētes humanam imbecillitatem tan-
tæ potentiæ reſiſtere ; & manifeſtè delirant atque
cæcutiunt, dum volunt, quos Deus tuetur deiicere,
& quos defendit,ſuperare. Eſt autem clementia in
fortes Iſraël,quòd ſuper eos aperit Dominus oculos
ſuos, vt eos in tētatione protegat, & poſt tētationem
victam præmio ſemper duraturo eorū in vincendo
labores exoluat. Audi tamen adhuc clementiam
Domini in fortes Iſraël. Stillabunt,inquit Prophe- *Amos 9.*
ta,montes dulcedinem,& omnes colles culti erunt.] *13.*
Montes & colles , (quod alio loco diximus) iuſti
ſunt. Horum autem fertilitatem quidnam præce-
dit ? Certè illud : Ecce dies venient , & compre- *Ibid. 12.*
hendet arator meſſorem, & calcator vuæ mittentem
B ſemen.] Hæc omnia non aliud ſignificant in propo-
ſito,quàm tentationum ſuſtinentiam , quibus terra
noſtri cordis exercetur,proſcinditur, atque calcatur;
vt fructus æternæ vitæ fructificet. Si ergo vt terra
bona, & optima ſemen diuinæ inſpirationis accipi-
mus, & tentationibus,ac preſſuris culti non peccato-
rum ſterilitate reſpondemus, ſed fructum virtutis fe-
rimus;tunc dulcedinem diuinæ conſolationis ſtilla-
bimus,& vt colles bene culti , pulchri & formoſi in
conſpectu Domini apparebimus. O clementiam
conditoris noſtri in fortes Iſraël , qui eos tentationi-
bus proſcindit & calcat,non quidem vt hoſtium pe-
dibus proterantur , non vt gladiis tentationum vul-
nerentur , ſed vt ex humiliatione ad gloriam , & ex
ictu hoſtis ad ſanitatem perueniant! Quorum ſani- *Tobiæ 3. 22.*
C tas , & exaltatio tota cedit in gloriam eius , qui poſt
tempeſtatem tranquillum facit , & poſt lacrymatio-
nem & fletum,exultationem infundit.]

Tentationum victoriâ nos Sanctorum coronam obtinere.

CAPVT VI.

OMNES quotquot in hac mortalitate
verſamur , pacem cupimus , requiem
optamus, moleſtias ac perturbationes
fugimus , & nemo eſt , qui non ad bra-
uium & coronam aſpiret. Inſitus nam-
D que nobis eſt à natura beatitudinis amor , ſiue in
hoc , ſiue in alio ſit poſita, quam vt noſtrum appe-
titum ſatiantem , apprehendimus , & ideo non
in bello , ſed in pace , non in motu deſiderij, ſed
in requie poſſeſſionis eam collocatam eſſe putamus.
Hoc autem eſt inter ſapientes & inſipientes, id eſt,
inter bonos malóſque diſcrimen , quod hi in requie
& tranquillitate falſa , illi verò in vera atque ſecura,
quam nullus euentus ſuccidit,nulla vis impugnatio-
nis interimit, fœlicitatem inquirunt. Impij fallaci
opinione deluſi, ac rerum viſibilium amore decepti,
intra ſemetipſos non ſemel dicunt : Beatum po- *Pſal.143. 15.*
pulum , cui hæc temporalia adſunt :] at iuſti ſuperna-
turali luce eruditi pronunciant : Beatus populus, *Pſal.143. 15.*
cuius Dominus Deus eius.] At Deus beatitudo , ac
E corona iuſtorum eadem via obtinendus eſt, qua iuſti
ac ſancti viri eum obtinuerunt, & ad eius regnum, in
quo ipſe ſe animabus ſanctis oſtentat, fœliciter pro-
perasunt. Ecce ego facio noua , ait Dominus , & *Iſai. 43.*
nunc orientur, vtique cognoſcetis ea : ponam in de- *19.*
ſerto viam, & in inuio flumina.] Operuit ille anti-
quas vitiorum vias , per quas homines tendebant in
barathrum,& noua beneficia in filios Adæ contulit,
quæ in lege gratiæ, velut roſæ pulchræ & ſuauè olen-
tes,exorta ab omnibus cognoſcuntur. Ea verò quæ-

nam

nam ſunt? Certè quod in deſerto huius mundi poſuit beatitudinis viam, & cœli ſemitam demonſtrauit, quam omnes ſancti ac iuſti triuerunt, quam nos quoque ingredi debemus, ſi ſimile prçmium habere contendimus. Non errabimus autem ſi hanc viam, tentationum victoriam appellemus. Paulus enim ait: *Actor. 14. 21.* Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei:] & per eas intramus, quas per patientiam ſuperamus, & per contemptum proſperitatum & aduerſitatum euincimus. Et Dominus duobus illis diſcipulis Emauntem pergētibus dixit: *Luca 24. 26.* Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?] Quaſi paſſiones victæ, & tentationes ſuperatæ ſint ianuæ gloriæ, ac regni cœlorum. Ioannes etiam in ſua reuelatione id clariſſimè manifeſtat. *Apocal. 7. 14. 15.* Hi ſunt, inquit, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni.] Ex hac verò tribulationum ac tentationum victoria, quod emolumentum reportauerint, ſubiungit, dicens: Ideo ſunt ante thronũ Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos.] Tribulatio ergo magna nos ante Dei thronum inuehit, & lotio, ac dealbatio indumentorum noſtrorum in ſanguine Agni, quæ tentationum ſuſtinentiam ſignificat: nam ea quotidie animas noſtras magis abluit atque dealbat, nos in templo Dei, vbi ipſi ſeruiamus, & eo perfruamur, inducit. *Exod. 26. 31.* Ac proinde meritò velum tabernaculi, quod ante arcam teſtamenti pendebat, ex purpura, coccóque bis tincto, & ex byſſo retorta, atque hyacintho conficitur, quoniam pœnæ in purpura & byſſo, & præmia in hyacintho ſignata ita debent cōmiſceri, vt ex pœna ad præmium, & ex tribulatione ad gloriam tranſeamus. Gaudium natalis hominis, *Ioan. 16. 21.* dolor partus præcedat neceſſe eſt; nam mulier cùm parturit, triſtitiam habet, quia venit hora eius,] hora, inquam, in qua vita periclitatur, niſi natura vim doloris, & partus miſerias euincat; cùm autem pepererit puerum, iam nō meminit preſſuræ propter gaudium. Bellum præcedit pacem, quietem motus, & ſerenitatem ſæua tempeſtas: & vno verbo, labor via eſt, qua poſtea quieſcimus, & in requie nos collocamus. Sic prorſus tentatio ſemita quidem eſt principio ſatis arcta & anguſta, quæ temporis ſucceſſu ſe aperit atque dilatat, & nos ambulantes per eam, ipſámque pedibus conculcantes, & robore gratiæ vincentes, in regno cœleſti conſtituit.

Iuſtos ergo, & ſanctos omnes Dominus tentari permiſit, vt per tentationum victoriam, tanquam per cœli viam in cœlum aſcenderent. Qui dum in hac degunt mortalitate, non poſſunt cantare ſecuri *Exod. 15. 1.* carmen Mariæ ſororis Moſis: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare.] Hoc enim canticum virgo illa poſt tranſitum omnino mare, & ſuffocatos hoſtes decantauit. Sancti verò, dum viuunt, nec maris tranſitum peregerunt, nec hoſtes ſuos penitus extinctos & ſuffocatos viderunt, & ideo canticum obtentæ omnino victoriæ decantare non valent. De his, *Iob 3. 18.* qui iam obierunt, inquit Iob: Non audierunt vocem exactoris, id eſt, vocem tentantis diaboli, aut mundi, ſeu carnis ad malum trahentis, & conſenſum peccati, quaſi vectigal exigentis. Qui autem in viuis adhuc ſunt hanc exactoris vocem audiunt, iuſti autem erunt, ſi eam non exaudiant, neque in malum *Grego. 4. mor. c. 31.* obiectum ſibi conſentiant. Huius exactoris vox, id eſt, diaboli, inquit Gregorius, eſt tentatio miſeræ ſuggeſtionis. Audimus autem vocem exactoris, cùm eius tentatione pulſamur, ſed non exaudimus, ſi pulſanti reſiſtimus. Audit enim qui tentationem ſen-

A tit, exaudit verò, qui tentationi conſentit. Dicatur itaque de iuſtis, non exaudierunt vocem exactoris, quoniam ſuggeſtionem eius & ſi audiunt, quia tentantur, non exaudiunt, quia conſentire cōtemnunt.] Pharao filios Iſrael fugientes & Ægyptum deſerentes inſequitur, qui imago eſt aduerſarij humani generis, nā quos tenebras ſuas, & peccata ſua fugere conſpicit, iterum comprehendere & captiuare contendit. *Exodi. 14. 5.* Nec quantumuis eum iuſti fugiant, de victoria deſperat, ſed licèt videat domum cordis eorum ſcopis mundatam & ornatam, vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, vt ſi detur illis aditus, ingreſſi habitent ibi. *Luca 11. 26.* Quod Iob contemplans ait: Ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius.] *Iob 40. 18.* B Per fluuium, vt Gregorius autumat, peccatores, & per Iordanem viros iuſtos intelligit: vnde eſt ac ſi dicat: *Greg. 33. mor. c. 6.* Poſtquam peccatores deglutierit, eorum ſtragem parui pendet, niſi etiam iuſtos glutiat & deuoret. Malis quidem velut cibis ſibi gratis libenter veſcitur, ſed bonos, quaſi cibos ſuauiores & pretioſiores vehementiùs appetens, eos vt comedat, tentationibus, & impulſibus ad malum prouocantibus ſibi parare conatur. Hos ſæpe magis tentat, vt dextrum cornu Eccleſiæ, vbi plus eſt roboris, atque virtutis vehementiùs impugnet. Nec Bernardus id diffitetur explicans illud Pſalmi: Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.] *Pſal. 90. 7.* Quod, ait, ſi magnum illud Eccleſiæ corpus conſiderare libet, facilè ſatis aduertimus, longè acriùs impugnari ſpirituales viros ipſius *Bern. ſer. 7. in Pſal. qui habitat.* C Eccleſiæ, quàm carnales: quæ nimirum duo eius latera dextrum ſiniſtrúmque puto, non inconuenienter accipimus. Agit hoc ſanè ſuperba ſemper inuidioſa malitia, perfectioris quoſque vehementiùs pulſans, iuxta illud: [Eſca eius electa.] Et iterum: *Habac. 1. 16.* Habet fiduciam, quòd Iordanis influat in os eius.] *Iob 40. n. 18.* Agit inquam, & ſi non ſine certa diuini diſpenſatione conſilij, quod quidem nec imperfectiores ſupra id, quod ferre poſſunt tentari permittit, faciens cum tentatione prouentum, & perfectioribus non modò glorioſiores, ſed numeroſiores parat ex hoſte triumphos.] Tentantur itaque iuſti, id ordinante diuina prouidentia, non vt cadant, ſed vt de hoſte triumphent. D Lapides viui ſunt, ex quibus ciuitas cœleſtis extruitur; quare in hoc mundo quaſi in lapidicina tentationibus, & aduerſariorum ictibus poliuntur. Ipſi veri ſunt Iſraelitæ, non carne, ſed ſpiritu, quibus promiſſio Abrahæ, & ſemini eius ſublimiori ſenſu ſeruata eſt, quos Pharao, id eſt diabolus, dum magis proficiunt, & magis à Domino viſitantur, importuniùs aggreditur. Videt Dominns, & tacet, atque diſſimulat, vt glorioſiùs eos è captiuitate in libertatem, è ſeruitute in æternam dignitatem educat.

Perſecutiones quidem tyrannorum tranſierunt, & tortores, qui lacerabant corpora noſtra, ceſſarunt, & cum ſuæ crudelitatis inſtrumentis, ſunt ipſi conſumpti; at non ceſſauit neceſſitas, & obligatio pugnandi iis, qui cum martyribus ſimilem adepturi ſunt immortalis gloriæ coronam. Ac proinde meritò illis dicit ſanctus Dauid: Timete Dominum omnes *Pſal. 33. 10.* E ſancti eius, quoniam nō eſt inopia timentibus eum.] Timete, inquam, Dominum, quoniam timor Domini pellit peccatum,] *Eccle. 1. n. 27.* ad quod tentationibus prouocamini. Timete Dominum, quia timor ſanctorum non ſolùm ob pœnam, ſed etiam ob malum offenſæ vulnus à tentatore infligendum declinat. Timete Dominum ſancti, quoniam timor ſanctus ianua eſt amoris, quæ præceptis Dei patens, offenſis autem eius ſemper clauſa reperitur. Non eos, qui perſeuerauerunt vſque in finem, timere hortamur, inquit Bernardus

nardus, quia ſcriptum eſt: iam non erit timor in finibus noſtris. Illis potiùs dicebamus ſanctis, quibus cuſtodia multiplex neceſſaria eſt pro multitudine periculorum. Siquidem non eſt illis colluctatio aduerſùs carnem & ſanguinem tantùm, ſed aduerſùs principatus quoque & poteſtates, aduerſùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ, in cœleſtibus.] Egent planè cuſtodia, qui tam multipliciter non modò cominus, ſed eminus appetuntur: & vbi tot pugnæ foris, non debent intus deeſſe timores.] Iuſtis ergo timendum eſt, quoniam nunquam illis in hac vita ſecuritas à tentatione eſt. Locum etiam quietis & pacis, permittente Domino, aduerſarius ſpinis & tribulis ſeminat, ne animus ſecurè dormiat, ſed tentationum punctionibus ſtimulatus, pauidus requieſcat. Ideóque Dauid ait: Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.] Nam in hac vita, quæ infirmitas & imbecillitas quædam eſt, ſtratum, id eſt, quies in turbationem vertitur, dum etiam occulta & à negotiis libera, in quibus pauſare ſolemus, impulſu alicuius tentationis turbantur. Et experimur illud quod ait Iob: Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia oſſa eius marceſcere facit:] nam in loco quietis, & pacis tentationem ſentimus, & oſſa virtutum exiccari vento vrenti impugnationis pertimeſcimus. Ecce tortores licèt non ita ſæui externo aſpectu, vt illi qui corpora cruciabant, at multo magis importuni, quos hucvſque tolerat Dominus, & vſque in finem ſæculi tolerabit, vt iuſtis gloriæ coronam fabrefaciat. Quos animaduertens Leo Papa, elegantiſſimè, vt ſolet, ad pugnam cum illis ineundam inſtigat. Qui putas, inquit, quieuiſſe perſecutionem, & nullum tibi cum hoſtibus eſſe conflictum, intimum cordis tui ſcrutare ſecretum, & omnes receſſus animæ tuæ diligens explorator ingredere, & vide ſi nulla te impugnat aduerſitas, ſi nullus tyrannus vult in mentis tuæ arcę dominari. Noli cum auaritia pacem firmare, & iniquorum quæſtuum incrementa contemne. Superbiæ concordiam nega, & magis time in gloriam ſuſcipi, quàm in humilitate calcari. Diſſociare ab ira, ne dolorem inflammet inuidiæ, cupido vindictæ. Renuntia voluptati, auertere ab immunditia, pelle luxuriam, fuge iniquitatem, omitte falſitatem, & cùm videris te multiplicem habere pugnam, tu quoque imitator martyrum, numeroſam quære victoriam.] Hos aduerſarios ſæpe ſentimus, & in pace corporis poſiti à bello mentis non ceſſamus, quia neceſſe eſt ad præmium victorum accipiendum, vt priùs pugna & lucta probemur.

Bern. ſer. 5. omniū Sanctorū. Ephеſ. 6. 12. — *Pſal. 40. n. 4.* — *Iob 33. n. 19.* — *Leo. ſer. de Machabæis.*

Sancti itaque omnes tentati ſunt, & quia ſancti, non victi, & quia non victi, corona donati. Quare tentationum victoria eos in cœlum extulit, & in æternæ coronæ poſſeſſionem inuexit. Nos igitur eandem ingrediamur viam, vt poſt adeptas glorioſas de hoſte victorias, cum ipſis pariter coronemur. Vanus puerorum timor & mulierum puſillanimitas, qua ſtatim fugiunt atque ſuccumbunt, fortium coronam non obtinet, & præmia eorum, qui fortiter dimicarunt & tandem vicerunt, victus à diabolo, & impetu alicuius peccati proſtratus non arripit, ſed ſempiternam ſibi infamiam coëmit. Quomodo Apoſtoli exaltati ſunt? Vincentes diabolum, idololatriam deſtruentes, fidem diſſeminantes. Quomodo martyres coronati? In fide perſeuerantes, & principes terræ ac eorum tormenta contemnentes. Quomodo pontifices & doctores laudati? Magna, immò incredibilia pro gloria Domini aggredientes, & humanam fragilitatem ſuperantes. Quomodo confeſſores & anachoretæ ſanctificati ſunt? Superbiam irridentes, ambitionem conculcantes, & inter hōmines Angelorum more viuentes. Quomodo virgines coronam adeptæ? Carnem domātes & ſæculi delitias reſpuentes. Et nos more lepuſculorum in fugam verſi, & voce tantùm hoſtis exterriti, & primo eius congreſſu calcati ad illorum gloriam perueniemus, & victorum ſertis coronabimur? Quis tantam ſtultitiam non cum indignatione audiat, aut potiùs, quis talem procacitatem audire ſuſtineat? Dies ſæculi à veſperi incipiunt, & in manè finiuntur: factúmque eſt veſperè & manè dies vnus:] quia veſperam tentationis à nobis victæ, aurora coronæ ſequitur, & poſt pericula nobis ſerenitas demonſtratur. Niſi præceſſerit pugna, inquit Cyprianus, non poteſt eſſe victoria, cùm fuerit in pugnæ congreſſione victoria, tunc datur vincentibus & corona. Nam gubernator in tempeſtate dignoſcitur, in acie miles probatur. Delicata iactatio eſt, cùm periculum non eſt: conflictatio in aduerſis, probatio eſt veritatis. Arbor, quæ alta radice fundata eſt, ventis incumbentibus non mouetur: & nauis, quæ forti compage ſolidata eſt, pulſatur fluctibus, nec foratur: & quando area fruges terit, ventos grana fortia & robuſta contemnunt, inanes paleæ flatu portante rapiuntur. Sic & Apoſtolus Paulus, poſt naufragia, poſt flagella, poſt carnis & corporis multa & grauia tormenta, non vexari, ſed emendari ſe dicit in aduerſis, vt dū grauiùs affligitur, veriùs comprobetur. Datus eſt mihi, inquit, ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet, vt non extollar, propter quod Dominum ter rogaui, vt diſcederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.] Quando ergo infirmitas, vel imbecillitas, & vaſtitas aliqua graſſatur, tunc virtus noſtra perficitur: tunc fides, ſi tentata perſtiterit, coronatur, ſicut ſcriptum eſt: Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.] Vide quantis, & quàm aptis ſimilibus Beatiſſimus hic pater, & ſanctiſſimus martyr oſtendat, tentationum ſuſtinentiam atque victoriam iter eſſe ad conſequendam, arripiendámque coronam! Omnia enim, tum natura genita, tum arte confecta primò laborant, poſtea quieſcunt; principio contrariis reſiſtunt, deinde vincunt; tandem gaudio victoriæ perfruuntur: & idem in operibus gratiæ ordo modúſque ſeruatur. Labora itaque vt in fine quieſcas, reſiſte vitiis, & impugnationibus diaboli, & omnium aduerſariorum animæ te conſtanter oppone, vt reſiſtendo, & contranitendo victoriam obtineas, & ex victoria ad præmia victoribus deſtinata peruenias. Abſurdum eſt enim, & planè ignominioſum inter laborantes ociari, inter perſeuerantes fugere, inter ſtantes occumbere, inter fidelitatem ſeruantes à Deo deſciſcere, & fidelem non eſſe, & cum laborantibus, perſeuerantibus, & ſtantibus, velle poſt turpem fugam, & infamem coram hoſtibus caſum, ab agonotheta coronari.

Gen. 1. 5. — *Cyprian. de mortalit.* — *2. Cor. 12. n. 7.* — *Eccle. 27. 6.*

Hominem ad tentationum victoriam à Deo, Angelis, & Sanctis iuuari.

CAPVT VII.

IN bellis viſibilibus atque terrenis, multi victorum gloriam, & fortium præmia conſiderantes, victoriæ deſideriis accenduntur, ſed propria imbecillitate preſſi, & viribus aduerſariorum exterriti, & aliorum auxilio deſtituti, ab eo, quod cupiebant, aggrediendo

deſiſtunt. *1.Reg.17. 24.* Sic Iſraelitæ viſo Philiſtæo,& ſermonibus eius auditis, quibus exprobrabat agminibus Iſrael, fugerunt & abſconderunt ſe ab hoſtibus ſuis, quia inualidiores ad pugnãdum cum illis ſemetipſos conſiderarunt.] An eadem eſt e iuſ ı noſtra, vt à pugna cum aduerſariis animæ nos ſubtrahamus, & victoriam conſequi deſperemus? Nullo modo: immò ſi res iſta attentè conſideretur, validiſſimam manum pro nobis pugnantem videbimus: quæ potentiſſimè conatibus hoſtium noſtrorum obſiſtat. Eliſeo quidem in ciuitate Dothan, Syrorum acie circundato, famulus eius timere cœpit, & periculum imminens inclamare: Propheta verò orauit, dicens: Domine aperi oculos huius, vt videat, qui accepta luce diuinitus,&videns copioſum Angelorum exercitum in circuitu Eliſei,omnẽ metũ curamq; depoſuit.] O *4.Reg.6. 17.* Domine,aperi obſecro oculos noſtros, & videamus ſemel quis nos aduersùs diabolum iuuet,quæ auxilia ad victoriam comparandam ſuppeditet,vt inanem timorem abiiciamus,& ad vincendum incitemur.

Eliſeum Angeli à Domino in auxilium miſſi cingebant, at nos Deus ipſe fortis ac potens circundat, & inſuperabili ſua potentia ſuffulcit. Nam & hoc ſignificat vaticinium Zachariæ: *Zachar. 2. 5.* Abſque muro habitabitur Ieruſalem præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.] Illa quidem terrena Ieroſolyma non carebat muro; ſed tanta erat ciuium multitudo, vt plurimi eorum extra muros habitarent, qui tamen ſecuti & læti viuebant, quoniam protectione Domini cingebantur. Ita prorſus in Eccleſia, cuius vrbs illa fuit imago, quidam intra murum habitant, nempe nos religioſi, qui regulari obſeruantia cingimur; quidam extra murum, ſcilicet ſæculares, qui non tanta vitæ circunſpectione, nec ſtatus cautela delectantur. At omnibus tam hominibus, quàm iumentis, id eſt, tam ſapientibus, quàm inſipientibus, modò ipſi velint, Dominus eſt murus igneus, qui eos ab inſurgentibus tentationibus ſua protectione defendit. Vnde alibi de eadem Hieroſolyma ſcriptum *Pſal.124. 3.* eſt: Quoniam montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.] Murus quidem igneus eſt tibi Dominus, ô anima mea, quoniam ignis illuminat, & tenebras *Pſal. 26. 1.* ignorantiæ diſcutit: Dominus autem illuminatio mea;] ignis calefacit, & frigus torporis & infirmitatis conſumit; Dominus autem ſalus mea. Cur ergo Syros timebo? Dominus protector vitæ meæ, cur dæmones iam ab ipſo victos trepidabo? Non itaque putandum eſt nos eſſe in manibus hoſtium derelictos, aut ſolos, & ſubſidiis vacuos contra illos decertare, quia Dominus ipſe pugnat pro nobis,] vt in *Exodi 14. 14.* Exodo ſcriptum eſt, adeò vt cauſa mortis, aut vulnerum noſtrorum non ſit auxiliorum diuinorum vacuitas, ſed hominis auxilia contemnentis inſida & peruerſa voluntas. Quamobrem meminerimus ſemper ſententiæ hominis Dei, qua dixit ad Amaſiam: *2. Paralip.25.8.* Si putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet Deus, ab hoſtibus Dei quippe eſt, & adiuuare, & in fugam conuertere.] Nec putemus nos, ne ſuperemur, aduersùs inſidias diaboli humana virtute pugnare, ſed auxilio Domini nixi dimicare, ſuſtinere, & inimicos vincere. Ipſe enim, & nos ad bellum roborat, & hoſtes animæ fugat. Sic certè cogitabat Iſraelitarum populus, qui auditis conatibus Holofernis non in armis, ſed in humillima deprecatione confidit. Conuerſúſque ad communem humani generis adiutorem, in hunc modum deprecatus eſt: *Iudith 6.15.* Dominus Deus cœli & terræ, intuere ſuperbiam eorum, & reſpice ad noſtram humilitatem, & faciem ſanctorum tuorum attende: & oſtende quoniam non derelinquis præſumentes de te, & præſumentes de ſe, & de ſua virtute glorantes humilias.] Hos fideliter imitemur, & cùm tentamur, ad Deum tanquam ad adiutorem noſtrum, & vnicam noſtræ ſpei anchoram recurramus. Sitque noſtra fiducia illa Michææ: Exaltabitur Domine manus tua ſuper hoſtes tuos, & omnes inimici tui interibunt.] *Michææ 5.9.* Noſtra verò oratio ita ſe effundat: Iudica Domine *Pſal. 34. 1.* nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi,] & cætera, quæ ſequuntur. Quæ Dominus audiens, ſtatim aderit, & quam petimus de hoſtibus liberationem, concedet.

Conſiderandus tamen eſt modus, quo Dominum adiutorem experimur, vt eo cognito, læti maiorem de obtinenda victoria fiduciam concipiamus. Ipſe quidem intelligentiam docet, voluntatem in ſpem erigit, fortitudinem ſubminiſtrat, remedia ſuppeditat, vires aduerſarij ligat, impugnationem extenuat, & tandem tentationis bellum in pacem conuertit. O auxiliator fideliſſime, verè adiutor in op- *Pſal.9. 10.* portunitatibus, in tribulatione,] quàm multis ac mirabilibus argumentis manifeſtas, quoniam tu adiutor & protector noſter es, & quòd aduerſarios tuis viribus ſuperamus, ex noſtra verò imbecillitate ac puſillanimitate vincimur. Dominus autẽ intelligentiam docet lege, præceptis, ſcripturis, & inſtinctibus ſuis, necnon & Prælatorum ac maiorum doctrina, vt ſciat, quod malum ab aduerſario proponatur, & quis laqueus nobis alia cogitantibus præparetur. Ideoque [Deus] dicitur [lux,] nam ſicut lux occulta *1.Ioan.1. 5.* detegit, ita ipſe laqueos & tendiculas aduerſariorum reuelat. Docet etiam quomodo nobis pugnandum ſit, & arma arripienda præſcribit. Quod beneficium certè maximum commemorat Dauid, cùm ait: Docens manus meas ad prælium, & componens *2. Reg. 22. 35. 36.* quaſi arcum æreum, brachia mea. Dediſti mihi clypeum ſalutis tuæ, & manſuetudo tua multiplicauit me.] Manus docet, & brachia componit: manus quidem docet, vt hoſtem cominus accedentem iuſtus feriat, & brachia in modum arcus tendit, vt aduerſarium eminus pugnantem auertat. Offert ipſe clypeum ſalutis, nempe protectionem ſuam, qua à tentatione ſeruamur, & noſtra merita ſua mitiate multiplicat, dum nos cadentes erigit, præſtátque vt ex caſibus noſtris, ac ſuſceptis aliquando vulneribus noſtram infirmitatem agnoſcamus, & humilitatem ad proficiendum maximè neceſſariam cumulemus.

Illuminato autem intellectu, voluntatem in ſpem vincendi erigit, quæ apprimè vtilis eſt ad victoriam in bello conſequendam. Sæpe aduerſarios noſtros multos & fortes nouimus, & nos infirmos & impotẽtes aduertimus, & tamen intus in corde, Domini verba ſentimus: Certè vidiſti omnem multitudi- *3. Reg. 20.13.* nem hanc nimiam? Ecce ego tradam eam in manu tua hodie, vt ſcias quia ego ſum Dominus.] Hodie, id eſt, in hac vita, aſpicimus ſæpe hoſtes noſtros profligatos atque ſubiectos, & Dominum verè omnium Dominum eſſe cognoſcimus, cui etiam aëreæ poteſtates & beſtiæ terræ, id eſt beſtiales affectus noſtri cordis obediunt. Et (quod certè mirabile eſt) ipſum ante obtentam victoriam audimus, dicentem: Ego *Gen.15.1.* protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.] At qui ante victoriam mercedis nobis dandæ recordatur, certè eam ab humana fragilitate obtinendam pollicetur.

Sed erecta per ſpem voluntate, nos fortes, & alacres ad dimicandum reddit: nam quis non fortiter ſe gerat dum videt ſe ab aduerſariis timeri? Et quis non

in ſpem eos calcandi ſuttigatur? Certè hanc fortitudinem eſſe velut filiam ſpei Nahum propheta declarat. *[Nahum 1.7.]* Bonus Dominus, inquit, & confortans in die tribulationis, & ſciens ſperantes in ſe.] Reiicit ille tepidos ad eius occurſum imparatos, quibus dicit: Neſcio vos. Scit autem, id eſt, complectitur feruidos, qui in ipſum ſperant, & fortitudine roborat, vt aduerſarios ſuæ ſalutis euertant. Hos reficit pane fortitudinis, vt in hoc ſpirituali bello ſuperiores euadant. Quod promiſit per Oſeam, dicens: *[Oſeæ 13. 5.]* Ego cognoui te in deſerto, in terra ſolitudinis.] Quid eſt, ego cognoui te in deſerto, in terra ſolitudinis.] Quid eſt, ego cognoui te? Explicet id Hieronymus. *[Hier. lib. 3. in Oſeā eod. cap.]* Ego, inquit, qui conditor omnium ſum, cognoui, ſiue paui te in deſerto, & in terra inhabitabili, vbi rerum omnium penuria, vbi nullæ aquæ: dedi tibi manna de cœlo, & aquarum fontes produxi de terra dutiſſima.] Cognoſcere igitur Domini, paſcere eſt, qui ſperantes in ſe pane ſuſtentat, id eſt, auxilio ſuo ad ſuperandum fortificat. Ad hoc autem pertinent remedia victoriæ obtinendæ apta, quæ iuſti, Deo donante, conquirunt, de quibus hæc ait Gregorius: *[Greg. 6. mor. cap. 15.]* Sancti viri quia contra multiformem aduerſarium ſe pugnare conſiderant, ſemetipſos in certamine multipliciter parant. Habent enim contra famem, diuini verbi pabulum: contra belli gladium, continentiæ ſcutum: contra flagellum linguæ, protectionem patientiæ: contra exterioris calamitatis damnum, interni amoris adiutorium. Vnde miro modo agitur, vt quò eos hoſtis callidus numeroſiùs tentat, eò circunſpecti Dei milites virtutibus ditiores fiant.] Quis hæc remedia & alia ſimilia pene innumerabilia, quæ agmen vitiorum oppugnant à Deo data eſſe non videat? Et quis cœleſtibus his armis indutus atque protectus, de fœlici in tentationibus ſucceſſu diffidat?

His donis anima noſtra protegitur, vt tentationi reſiſtat, & contra hoſtes tentantes inſurgat, at in ipſis tentatoribus alia tria dona ſuprà commemorata Deo donante conſequitur. Alterum eſt, quo Dominus vires aduerſariorum extenuat, & quouſque procedere debeant, ita vires nobis conceſſas non excedant, benigniſſima pietate definit. Libet de hac re Caſſianum docentem audire. *[Caſſian. col. 7. c. 21. Iob 2.]* Non habere eos poteſtatem, ait, quenquam hominem lædendi: exemplum beati Iob manifeſta ratione demonſtrat, vbi non ampliùs eum tentare audet inimicus, quàm diuina ei diſpenſatione conceditur: & confeſſio eorundem ſpirituum Euangelicis monimentis inſerta, teſtatur, dicentium: *[Matt. 8. n.31.]* Si eiicies nos, mitte nos in gregem porcorum.] Qui multo magis credendi ſunt in nullo hominum, qui ad imaginem Dei creati ſunt, introire pro arbitrio ſuo poſſe, cùm in animalia muta, ac immunda ingrediendi abſque Dei permiſſu non habuerint poteſtatem.] Hæc ille. Qui & addit, neminem non ſolùm imperfectorum, verùm etiam nec perfectorum illi poſſe reſiſtere, ſi omnē in illum, quam habet, ſine vlla menſura, exerceret poteſtatem. Ac propterea Ioannes diabolum (& idem eſto iudicium de aliis aduerſariis noſtris) non ſolutum, ſed ligatum à Chriſto deſcribit. *[Apoc. 20. 2.]* Vidi Angelum, inquit, deſcendentem de cœlo,] qui vt in confeſſo eſt apud Auguſtinum, *[Aug. lib. 20. de ciuit. c. 7.]* ſignificat Chriſtum, & apprehēdit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus & Satanas, & ligauit eum per annos mille, nempe, vt vult Gregorius, & alij, *[Greg. 32. mor. cap. 12.]* per totum gratiæ tempus, quod ab aduentu ſaluatoris vſque ad finem mundi decurrit. Quid autem eſt diabolum ligari, niſi eius vires debilitari? ne poſſit nobis nocere, niſi nos ad illum accedamus, vt Auguſtinus ait, *[Aug. ſer. 170. de temp.]* & prauæ ſuggeſtioni conſentiamus propriæ voluntatis arbitrio? Alterum donum eſt, quod ipſam tentationem placat, ne nobis importunitatem eius ſuſtinere nolentibus dominetur. Quod per Chriſtum nobis obuenire ipſe per Salomonem myſticè declarat, cùm ait: *[Prou. 8. 29. 30.]* Quando circūdabat mari, terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos, quando appendebat fundamenta terræ: cum eo eram cuncta componens.] Ipſam enim æternam ſapientiam attigiſſe, cùm æternus Pater mari & aquis, nempe tribulationibus ac tentationibus limites poſuit, quid eſt niſi ſignificare nos meritis eius tentationum imminutionem obtinuiſſe, & poteſtate earum non fuiſſe conſumptos? Poſtremum donum eſt, vt finem belli, & laborum ex eius bonitate recipiamus, quod tempore congruo tentationem nos fatigantem omnino tollit, & optatam pacem concedit. Cùm enim placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.] *[Prou. 16. 7.]* Atque iſtud opus ſuum eſſe dicit manifeſtè per Amos, in hæc verba: *[Amos 2. 9.]* Ego exterminaui Amorrhæum à facie eorum, cuius altitudo, cedrorum altitudo eius; & fortis ipſe quaſi quercus: & contriui fructum eius deſuper & radices eius ſubter.] Opus namque Dei eſt fortem armatum profligare atque deſtruere, qui cordis noſtri terram antea poſſederat: Opus eius eſt, diaboli ſuperbiam deiicere, vires confringere, radices, id eſt, vitia, peccatorum ſemina euellere; & fructus, hoc eſt, peccata ipſa exterminare. Verè, Domine, tu adiutor noſter es, tu vincis in nobis, tu aduerſarios noſtræ ſalutis conteris, vt non in nobis, ſed in te ſaluatore noſtro gaudeamus, & nō in noſtra infirmitate, ſed in tua virtute gloriemur.

Hoc auxilium Dei ſatis profectò ſufficeret; quo enim alio opus eſt nobis, ſi habemus omnipotentem defenſorem? At in bonis conferendis nunquam Dominus ſufficientia tantùm tribuit, ſed ad oſtendendam immenſam bonitatem, & nullis limitibus clauſum amorem, etiam abundantiſſima dona ſuprà neceſſitatem impertit. Voluit igitur nos ad tentationum victoriam, non ſolùm brachio ſuo protegi, ſed Angelorum quoque & Sanctorum auxilio iuuari. Hi enim nobis pugnantibus ſe comites præbent: hi nos docent & roborant: hi occultis locutionibus ad victoriam accendunt; hi aduerſùs diabolum pro noſtra liberatione clamant. Et ſicut, cùm canis panem, aut carnem, aut aliquid ſimile è conclaui aufert, illum clamantes inſequimur, vt territus os aperiat, & quæ ceperat deglutire, relinquat: ita Angeli & Sancti, cùm vident nos arte dæmonis huc illùcque iactari, & crudeli eius ore diſcerpi, eum clamoribus arcent à nobis, & à peſtifero morſu defendunt. Quod ego in Cantico Deboræ adumbratum inuenio. *[Iudic. 5. 20.]* De cœlo, inquit, dimicatum eſt contra eos; ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo, aduersùs Siſaram pugnauerunt.] Cœlum namque aduersùs aduerſarios noſtros pro nobis dimicat, quando auxilia, quæ nos tueantur, quaſi fulgura, & grandinum lapides in eos iactat: & ſtellæ (id eſt, Angeli, vt Rupertus interpretatur, *[Ruper. li. 2. in lib. iudicet. c. 8.]* manentes in ordine & curſu ſuo) pro hominibus pugnant, cùm dæmones in nos inſurgentes fugant & terrent. Vnde hi ſunt illi paſtores atq; primates, vt ait Hieronymus, quorum meminit Michæas Propheta, quos Dominus ad protectionem ſuorū, & tentatorū deſtructionē exſuſcitat. *[Michæ. 5. nu. 5. 6. Hier. lib. 2. in A- mos ad c. 5.]* Et erit iſte pax, inquit, cùm venerit Aſſyrius in terram noſtrā, & quando calcauerit in domibus noſtris, & ſuſcitabimus ſuper eum ſeptem paſtores & octo primates homines. Et paſcent terram Aſſur in gladio, & terram Nemrod in lanceis eius: & liberabit ab Aſſur, cùm venerit in terram noſtram, & cùm calcauerit in finibus noſtris.] O paſtores optimos

Angelos,& Sanctos omnes,quos Chriſtus pax noſtra ad noſtram defenſionem exſuſcitat. Nam ſi venerit diabolus in terram noſtram, vt conculcet prauis deſideriis,tanquam pedibus terminos cordis noſtri; hi primates, atque paſtores nos fortitudine & robore, diabolum verò timore & gladio paſcent, vt nos victores & fideles Domino, & illum victum,ac ignominia dignum efficiant.

Validiſſimis ergo auxiliis ad victoriam tentationum protegimur, quæ Domino nobis aſſiſtente, & iuuantibus Angelis,ac Sanctis aſſequimur. Sed hæc adiutoria, atque præſidia Dionyſius Richelius ſigillatim explicat, cuius doctrinam tanquam viri pientiſſimi ſummatim perſtringam, vt quanti, & quàm validi adiutores pro nobis pugnent, videamus. Pugnat pro nobis Chriſtus Saluator noſter, [ſtans,] vt B dixit Stephanus, [ad dexteram Dei,] vt ipſa diſpoſitione, qua viſus eſt,oſtendat,quàm paratus ſit ad auxilium ferendum accurrere. Pugnat pro nobis Beata Virgo,quæ mater eſt noſtra,& adiutrix in tribulatione,&[caput] ſerpentis, id eſt, ſuggeſtionis initia, ſua virtute comminuit. Pugnant pro nobis Angeli, quibus mandatum eſt ab eo vtique, qui Angelorum eſt Dominus, vt laqueos detegant,dæmones arceant, & nos protegant atque cuſtodiant. Pugnant & Sancti, illi præcipuè, quos aduocatos habemus,& in auxilium vocamus, qui nos inuiſibiliter conſolantur, & ſubſidia cælitus demiſſa ſuppeditant. Succurrit nobis mater Eccleſia, quæ fideles, vt filios à ſe genitos fouet, & vt pia genitrix pro illis apud Dominum interpellat. Subueniunt Prælati, dum tentationes C aperiunt, remedia ad pugnandum, & vincendum tanquam arma,conferunt, & vitæ rectè inſtituendæ documenta præſcribunt. Iuuant proximi tam maiores, quàm æquales, ſeu minores, dum vel bono exemplo ad bellum, & victoriam quærendam mouent, vel caſibus, & pœnis, quas ob ſua peccata commeriti ſunt, à ſimilibus peccatis auertunt. Dominus quoque per ſe,aut per Angelos ſanctos terret, & refrænat dæmones, & ligat, ac veluti compedibus tenet (ſicut Angelus Raphael ligauit dæmonium in deſerto ſuperioris Ægypti) ne nobis nocere valeant. Fugat etiam illos, vt ſaltem ad tempus à tentatione deſiſtant, quo nos vires reſumamus, & ad iterum pugnandum roborèmur. Tribuit præterea nobis D gratiæ ac virtutum incrementum, vt deinceps faciliùs tentationibus reluctemur; iuxta illud Pauli: Et faciet cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere.] Iam ipſe bonus Dominus intellectum noſtrum illuminat, vt verſutias inimicorum, & qualiter ſit eis reſiſtendum intelligamus. Iam timore ſolicitat, vt ſuccumbere, & vinci, & ſpoliari, & vulnerari maximè formidemus. Iam contemptibili forma hoſtem demonſtrat, vt audaciùs, & animoſiùs ſuæ impugnationi reſiſtamus. Sic aggreſſus eſt Euam in forma ſerpentis, & magno Antonio viſus eſt in forma pueri nigerrimi; vt ex eius vaſe,vt inquit Gregorius, homo cognoſceret, qualis eſſet qui intus habitaret. Suntne plura ſubſidia à benigniſſimo adiutore conceſſa? Ita ſanè. Nam ipſe tentatos conſolatur in ipſo impugnationis ardore, quod E aduertens Paulus ait: Benedictus Deus,qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra,] ne impulſu incurſionis victi ſuccumbant.] Ipſe tranquillitatem infert,]& imperat vẽtis & mari] vt quieſcant,& poſt tempeſtatem tranquillum facit, & poſt fletum exultationem infundit.] Ipſe mentem erigit, confortat, atque corroborat, vt alacriter pugnet, & tentationis moleſtiam, vt magnæ lucri ſpiritualis occaſionem admittat. Supponit ille manum ſuam ne collidamur:] Suſcipit confugientes ad ſe,ne pereamus, & moleſtiis corporis tangit, vt à vitiis animæ liberemur.

Quis iam tantis auxiliis fultus non reſpiret? Quis non ſe aduersùs aduerſarios erigat? Quis non de fœlici atque pleniſſima victoria confidat? Tentari quidem permittitur, non vt cadat, ſed vt ex pugna meritum ſibi conquirat: & ideo tot modis iuuatur, vt diuitiis ſpiritalibus cumuletur. Hoc *Iſa. 54.* enim eſt, quod Dominus ait per Iſaiam: Ad pun- *7. 8.* ctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parum à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.] Ad modicum tempus derelinquit nos Dominus, non quia auxilia ſua ſubtrahat, ſed quia, vt pugnemus, & erga ipſum fidelitatem oſtendamus, ſuam præſentiam occultat. At ſtatim accedit, & noſtras cogitationes diſperſas, & affectiones vi tentationis diſſipatas recolligit, & in ſe conuertit. Quaſi indignans & iratus ſe habet, dum ad momentum quaſi dormit, nec noſtros fletus aut deprecationes exaudit: ſed ſtatim miſeratione ſempiterna, cuius ſcilicet fructu in æternum perfruemur, nobis timentibus & vacillantibus ſe offert, & ab aduerſario, cuius faucibus glutiebamur, benignè defendit. Omnia in *Greg. 20.* bonum noſtrum ordinat, qui, vt inquit Gregorius, *mor. c.* ſanctos ſuos veniendo adiuuat, derelinquendo pro- *19.* bat, donis firmat,& tribulationibus tentat. Si igitur, ô anima mea, tam forti, ac fideli adiutore in tentationibus roboratis,quare mœrore contraheris? Nun- *Michææ* quid rex non eſt tibi, aut conſiliarius tuus periit,quia *4. 9.* comprehendit te dolor ſicut parturientem? Quare *Pſal. 42.* triſtis es anima mea? & quare conturbas me?] Imò *5.* ſpera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus.] Dum illum ſanè confiteor, & laude ac oratione meum refugium agnoſco, ſalutare meum, quod faciem triſtem ac contractam exhilarat, & Deum omnipotentem & omnia mala,licèt ineuitabilia auertentem experior.

Tentationibus reſiſtendum eſſe ob magnas vtilitates, quas anima ex victoria decerpit.

CAPVT VIII.

POSTREMVM quod ad fortiter dimicandum, milites ſolet accendere, & ad victoriam procurandam animare, præmium eſt,quo ſolent ſtrenuè pugnantes & vincentes cumulari. Quod certè tentationibus reluctanti, & eas vincenti non deeſſe certiſſimum eſt. Si enim reges terreni ſuos milites vincentes præmio afficiunt, cur Rex cœleſtis in immenſum largior iuſtos ſuis hoſtibus reluctantes, eóſque deiicientes non ditet atque coronet? Si natura ipſa res ſenſu,ac ratione carentes,dum ſua contraria ſuperant,ſine mercede eſſe non patitur, & ignem,exempli gratia ligna vincentem audauget,& eorum materia efficit maiorem, & fortiorem,quare naturę,& gratiæ author homines liberi arbitrij compotes,qui gratia induti liberè delicias reſpuunt,& de hoſtibus glorioſè triumphant,ſine præmio & mercede relinquet? Angeli quidem ſancti aduersùs malos infidóſq; pugnarũt,& ſtatim mercedẽ victoriæ,fœlicitatẽ,ac ſummi boni poſſeſſionẽ acceperũt.Ac ideo obtẽta victoria illa vox exultationis inſonuit: Nũc facta eſt ſalus, *Apoc. 12.* & virtus,& regnũ Dei noſtri.] Quare homines Angelis *10.*

victoria ſimiles, & interdum fidelitate pares, & ſibimetipſis, ac hoſti domeſtico, ſcilicet carni repugnantes, ſine præmio, atque corona permanebunt? id ſanè, nec diuina bonitas ſuſtinet, nec conditoris largitas feret, nec rectiſſima æqui agonothetæ iuſtitia permittet. Habent igitur iuſti vincentes præmium, & illud maximum atque præcipuum: de quo Apoſtolus
2. Cor. 4. 17. ait: Id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.] Leuiſſimum laborem immenſum gloriæ pondus, & breuiſſimam moleſtiam ſempiterna conſolatio repenſat.
Roma. 8. 18. Adeò vt nullo modo ſint [condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.] Illæ namque ſatis exiguæ ſunt, tum afflictione, tum diuturnitate, ſi cum præmio in nobis manifeſtādo conferantur. Quòd ſi præmia terrena nullius ferè momenti, & poſt ictum oculi deſitura, labores magnos & intolerabiles reddunt faciles & ſuaues; cur præmium cœleſte ſemper duraturum, laborem tentationum à moleſtia non eximat, & ingens vincendi deſiderium non inducat? Nam ſi illa præmia dubia ſunt, & ſæpe, aut iniuſtitia, aut impotentia principum denegata, aut immatura morte laborantium erepta, certè tentationis mercedem, neque æquiſſimus iudex ac omnium potentiſſimus moderator auferet, nec temporalis mors ab iis, qui poſt mortem capaces ſunt præmij, quod meruerunt laborando, præripiet.

Bona verò, quæ tentationes afferunt, non in ſolo præmio, quod poſt hanc vitam decernendum nobis eſt, ſed in multis aliis ingentis profectò pretij conſiſtunt. Quæ breuiter hîc recenſenda ſunt, non tantùm vt ad victoriam accendamur (ſine qua tentationes non proſunt, immò nimis obſunt profectibus noſtris) ſed vt etiam tentationes ipſas, id eſt, impugnationes, quibus tamen pro poſſe reſiſtimus, bona noſtra, (quia ſeminaria bonorum) eſſe putemus.

I. Tentatio ergo tentatum illuminat, tum vt ſeipſum, ac infirmitatem virium ſuarum, ac qualitatem ſui profectus agnoſcat, tum vt diſcat quomodo aliis afflictis & tentatis medeatur. Anima quidem tentatione illuminatur & eruditur: vnde vbi nos habemus apud Ieremiam:] Erudire Ieruſalem:] Septuaginta habent: Per omnem dolorem & flagellum,
Ierem. 6. 8. erudieris Ieruſalem,] ne fortè recedat anima mea à te.] Quia flagella tribulationum, & moleſtiæ tentationum nos erudiunt, vt de nobis ipſis modeſtè ſentiamus, ne à Domino ob ſuperbiam relinquamur. Et Iſaias ait: Veruntamen ſola vexatio intellectum
Iſa. 28. 19. dabit auditui.] Ac rurſus alio loco: Domine in
Iſaia 26. 16. anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.] Tentationis enim vox ad modum tonitrui nos exſuſcitat, vt vocem Domini, id eſt, inſtinctum eius audiamus: in anguſtia diſcimus nos impotentes eſſe, & curamus Deum adiutorem requirere, & tentatione preſſi, in qua nec muſſitare quidem audemus, ſcimus virtutis doctrinam comparare. Huius qualitas, atque imbecillitas manifeſtè tentationis impulſu detegitur, & qualis ſit ab ipſo tentato & aliis cognoſcitur. Vnde Iob ait: quòd dum increpat
Iob 33. 19. aliquem per dolorem in lectulo, id eſt tētatione pulſat, omnia oſſa eius, id eſt virtutes, marceſcere facit.] Sæpe enim anima, vt Gregorius ait, alicuius boni ſibi
Greg. 23. mor. c. 16. conſcia cùm virtutes ſuas ſibi ad memoriam reuocat, quadam delectatione paſcitur, & quaſi gratulatione propriæ plenitudinis impinguatur. Idcirco bene dicitur, quòd tentatione pulſante marceſcunt oſſa: quia dum propria infirmitas tentatione interrogante cognoſcitur, omnis illa noſtrarum virium velut pinguis,

A viridiſque gratulatio ſubitò anxietatis mœrore ſiccatur: & qui nos alicuius eſſe momenti bona noſtra penſando credidimus, pulſari paulo ampliùs, perituros nos iam iámque formidamus.] Homo autem ſuam imbecillitatem expertus, & non ex viribus propriis, ſed ex miſericordia Domini ſalutem conſequutus, didicit in ſeipſo aliis compati, didicit tentatos nullo modo contemnere, didicit pro eorum remedio, ſicut & pro ſui medela Dominum exorare, didicit tādem plagis conueniens remedium adhibere, & lapſos, ac in limo profundi defixos erigere. At qui non eſt tentatus, quid ſcit? vt inquit Eccleſiaſticus, ac ſi diceret, nihil ſcit. Sed vir in multis expertus cogitabit multa, quibus aliis poſſit mederi, & qui multa didicit, enarrabit intellectum,] id eſt, pro re nata, conEccl. 34. 9.
B ſilia aptiſſima miniſtrabit.

Tentatio etiam tentatum multipliciter purgat. Nam purgat illum à peccatis præteritis, quæ ſicut praua delectatione contraxit, ita diligenti inſurgentium tentationum repulſa diminuit. Purgat à vitiis, quibus dum quis reſiſtit, eorum vim ſibi dominandi retundit. Purgat à præſumptione, cùm ſciat homo, quòd victus occumbet, ſi de ſua virtute, aut de adepta mentis ſanctitate præſumit. Purgat à iactantia, quia dum quis videt ſe beneficio Domini à laqueo iniquitatis ereptum, non in ſeipſo, ſed in Domino gloriatur. Purgat à ſtultitia & inſipientia, quoniam tentatio facit hominem cautè incedere, ſeipſum pluſquam alium aduerſarium timere, & omnem occaſionem labendi declinare. Ecce excoxi te, diII.
C cit Dominus, ſed non quaſi argentum elegi te in camino paupertatis.] Nam ſicut metalla igne, ita Iſaia 48. 10.
mentes noſtræ tentatione purgantur. Non tamen quaſi argentum mundatæ ſunt, quoniam argentum igne omnino à ſcoria ſecernitur; anima verò in hac mortalitate poſita, nunquam, ita vt nec næuum contrahat, ab omni imperfectione mundatur. Et Eccleſiaſticus ait: In igne probatur aurum,] id eſt ad Eccl. 2.
mundiciam reducitur, [homines verò receptibiles,] id eſt digni vt à Domino recipiantur, purgandi ſunt [in camino humiliationis.] Ecce [fornacem] Babylonicam, è qua, quos Deus ſua protectione cuſtodit, [ignis] non vrit, ſed ipſorum immundiciam fœditatémque conſumit. Dan. 3. 50.

D Tentatio hominem examinat, an Deo gratus & fidelis exiſtat. Experimentum enim quoddam eſt, quo cuiuſque amor in Deum fidelitáſque cognoſcitur. Si bellum ingruat, in quo ſubditi fideles regis, ab infidelibus & perduellionibus dignoſcūtur, nonne in hoc, quod hi aut fugiunt, aut ſe abſcondunt, aut hoſtibus irruentibus adhærent: illi verò pro rege fortiter ac pro patria decertant? Ita fideles Dei ſerui ſunt, qui reſiſtunt tentationibus, qui hoſtes in ſe vincere, & à ſuis cordibus, quæ vrbes ſunt Dei, eliminare nituntur: infideles verò & transfugæ, qui à Dei legibus deficientes, dæmoni militare decernunt. Sicut ergo Dominus dimiſit gentes idôlis addictas in terra illa generi Abrahæ promiſſa, [vt in ipſis experiretur Iſraelem, vtrùm audiret mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moy-III.
Iudic. 3. 4.
E ſi, an non:] ita & nunc affectus inſurgere in ſeruis ſuis, & tentationes graſſari permittit, vt eorum virtutem experiatur. Impleturque illud ſancti Dauidis: Exaudiui te in abſcondito tempeſtatis, probaui te apud aquam contradictionis.] Aqua Pſal. 80. 8.
enim contradictionis, id eſt, tentatione probat, cuius indicium & quidem magnum eſt, quòd cùm pene obruti ſumus, noſtram orationem auſcultat. Amicitiæ quidem humanæ tentatione probantur; vnde in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt: ſi poſſides amicum,

(Eccleſ. 6. 7. & 8.) cum, in tentatione poſſide eum, & ne facilè credas ei. Eſt enim amicus ſecundùm tempus ſuum, & non permanebit in tempore tribulationis.] Eadem autem eſt cum Deo nobis initæ amicitiæ probatio. Neque enim ille verbis noſtris facilè credit, quibus illum vocamus Dominum, & nos ipſos ſuos amatores prędicamus, ſed omnino vult, vt bona opera, & præcipuè tentationes fideliter ſuſtentatæ hunc amorem oſtendant. Si enim in tempore noſtro, id eſt, in tempore, quo omnia nobis rident, & deſideriis blandiuntur noſtris, in amore perſtiterimus, & in tempore Domini, id eſt, in tempore aduerſitatis, quo vniuerſa nos expilant, & vndique iactant, ab eo defecerimus, ſatis nos amicos fictos demonſtramus, & imitatores iniqui, de quo canit Sanctus Dauid: Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.] (Pſal. 48. 19.)

IV. (Iuſtinia. in ligno vitæ. tracta. de patien. c. 4.) Tentatio à peccato præſeruat. Quod Laurentius Iuſtinianus aptiſſimo ſimili, ex his, quæ quotidie manu terimus, petito, confirmat. Sicut caro, inquit, ſi ſale non aſpergitur, quamuis ſit magna & præcipua, corrumpitur: ita & anima niſi tentationibus aſſiduis ſaliatur, continuò reſoluitur & relaxatur. Per ipſa nempe tentamenta anima negligentiæ putredinem excutit, & in Spiritus viuacitate conſeruatur.] O quantos vidimus modicis tentationibus à magnis periculis protegi, & tentatione quadam timoris, & corporali quadam ineptitudine à peſte ſuperbiæ liberari! Qui niſi tentatione illa, tanquam fræno tenerentur, vt equi effrænes & indomiti ſuis talentis ſuperbirent, & in magna mala prorueren. Aduerte itaque medicinam, non ſolùm contractis animi ægritudinibus medentem, ſed etiam ab iis, quæ iam iam imminebant manifeſtè ſeruantem, in quas noſtra culpa incurriſſemus, ſi non benignè nobis eſſet applicata. Idque ſignificat Dominus, cùm ſub imagine plebis ſuæ ad virum fidelem ait: Faciam enim conſummationem in cunctis gentibus, in quibus diſperſi te: te autem non faciam in conſummationem: ſed caſtigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius.] (Ierem. 30. 11.) Illum quippe non facit Dominus in conſummationem, cuius peccata in eon ſummationem facit, & tentationum malagma à delictis perpetrandis abducit. Cuius magni beneficij meminit Iſaias, cùm gratias agens cecinit: Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me.] (Iſaia 12. 1.) Hic nõ tantùm ob conſolationem ſibi datam, ſed ob iram quoq; in ſeipſum exercitam, Domino confitetur; & meritò, quoniam ſi conſolatio mentem deliniuit, ira ſanauit; ſi conſolatio ſpem dedit, ira, qua puniti ſumus, peccatum auertit. Ac propterea bene poſſumus canere cum Dauide: Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti; annis, quibus vidimus mala:] (Pſal. 89. 15.) nam humiliatio tentationis exaltationem inuexit, & aduerſitatum inſpectio à peccatis auellens, proſperitatem reportauit.

V. Tentatio propriam fiduciam filiam ſuperbiæ pellit. Qui enim tentationes ſentit, manifeſtè experitur, quàm impotens ſit ad reſiſtendum, niſi Domini auxiliis adiuuetur. Quare cùm Ezechia clamare compellitur: Domine vim patior, reſponde pro me.] (Iſaia 38. 14.) Conſidera ſancti regis affectum. Sicut enim rudis diſcipulus cuiuſdam eruditioris argumento ligatus, de ſe ipſo diffidit, & voce, aut oculis magiſtri aſtantis opem expoſcit: ita pius rex carnis infirmitate conſtrictus, qua dæmonis argutia ſignata eſt, neſciens ſe ab illis nexibus extricare, rogat Dominum, vt pro ſe elingue ac ignorante reſpondeat. Idem profectò iuſtus ſæpe facit, qui tentatione petitus, & iam robore eius ſuam imbecillitatem expertus, ſalutarem deſperationem concipit, & ſe in firmam diuini adiutorij ſpem exigit. Clamátque: Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam. Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.] (Pſal. 21. 21. 22.) Hanc vtilitatem expreſſit Gregorius in hunc modum: (Greg. 2. mor. cap. 25.) Plerumque dum fœcundè virtutum fructus reddimus, dum continua proſperitate pollemus, aliquantulum mens erigitur, vt à ſemetipſa ſibi exiſtere bona, quę habet, arbitretur. Quę nimirum bona antiquus hoſtis malitioſè attrectare appetit: ſed hæc tentari Deus non niſi benignè permittit: vt dum mens tentatione pulſata, in bonis, de quibus gaudebat, concutitur: imbecillitatis ſuæ debilitate cognita, in ſpe diuini adiutorij robuſtiùs ſolidetur. Fitque mira diſpenſatione pietatis, vt vnde malignus hoſtis tentat, vt interimat, inde miſericors conditor hoc erudiat, vt viuat.]

VI. Tentatio ſanctum feruorem immittit. Quod enim in humanis periculis euenit, vt malum imminens ſolicitudinem ingerat, idem in tentationibus euenire ſolet: vt ſcilicet impugnatus timeat, & formidine tactus, bona, quæ iam habet & aduerſarius ſurripere geſtit, ſolicitiùs cautiúſq; cuſtodiat. Et ſicut vir fortis, quem ſubitò alij aggrediuntur, omnes vires colligit, vt reſiſtat, & tantò animoſiùs pugnat, quantò ſe immunem conſeruare deſiderat: ita ſuæ ſalutis ſpiritualis amator, tunc potiùs & feruétiùs viuit, cùm ſe conſpicit ad peccatum impelli. Fortiores nos tentamenta faciunt, inquit Chryſoſtomus, perſuadéntq; familiariſſimos Deo fieri. (Chryſoſt. lib. de pœnit.) Qui enim imminere ſibi cernit inimicum, maiori ad illum currit deſiderio, qui ſe tueri poſſit. Ita ferè infantes pueri, cùm quid horrendum viderint, ad matrum ſinus protinus fugiunt, illarúmq; prendentes veſtes eis ſe tuentur & protegunt.] Hunc ſanè tentationis fructum ſignificat Dominus per Oſeam, dicens: In tribulatione ſua manè conſurgent ad me: (Oſee 6. 1.) Venite, & reuertamur ad Dominum, quia ipſe cœpit, & ſanabit nos: percutiet, & curabit nos.] Qui in tranquillitate poſiti vſq; ad multã diem dormiebant, tentati manè, & ſatis tempeſtiuè conſurgunt. Qui ſecuri ſola temporalia tractabãt, periculis circumſepti; ſe mutuò ad quærendum Dominum cohortantur, vt quem agnoſcunt tribulationis datorem, etiam depulſorem & liberatorem ſentiant. Et Dauid ait: Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.] (Pſal. 15. 4.) Vnde multiplicatæ ſunt non ad perniciẽ, ait Auguſtinus, ſed vt medicum deſiderarent. Et poſt multiplicatas infirmitates accelerauerunt, vt ſanarentur. Ac alio loco idem Propheta: Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.] (Pſal. 77. n. 34.) Tentatio ergo accelerare facit, oſcitantiam & ſocordiam reiicit, & ad ſolicitudinem ac feruorem inducit.

VII. Tentatio à ſuperbia animam liberat, & eam ſe ignorantem humiliat. Homo namque ſemetipſum ignorat, & maiorem virtutum cumulum ſe habere æſtimat: tentatio verò virtutes attrectans, hanc ignorantiam, & ſuperbiam ex ea manantem excludit, dum virtutem pene deiicit, & quàm modica & infirma ſit, detegit. Et certè (vt aliquo exemplo vtar) vidi ego aliquos in dignitate poſitos, & ab omnibus honoratos; qui exiſtimabant honorem illum à ſe eſſe contemptum, & intus in cordibus ſuis ſe humiles eſſe iactabant, & exteriùs vitam priuatam, & dignitatis abiectionem ſuſpirabant: poſtea verò dignitate ac honore priuati, manifeſtè cognouerunt, ſe ventum illum popularem amaſſe, & ex dignitatis depoſitione magnam triſtitiam concepiſſe. Hos & alios ſimiles tentatio humiliat, & ad diſcendã virtutẽ, cuius ſe magiſtros prædicabant, vt tyrones inſtigat. Atque hanc ob cauſam tentationes à Domino ſæpe

eſſe permiſſas docet apertè Paulus, dum de ſe ipſo dicit: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ.] Interdum ſubtrahitur gratia, inquit Bernardus, non pro ſuperbia, quæ iam eſt, ſed quæ futura eſt, niſi ſubtrahatur. Habes huius rei euidens teſtimonium de Apoſtolo, qui ſtimulos carnis ſuæ ſuſtinebat inuitus, non quia extolleretur, ſed ne extolleretur. Et hoc putat Gregorius ſignificatum illis verbis Iob, quibus de Domino dicit: Et aquas appendit in menſura.] Quia ſancti ipſi, inquit, qui ſancto ſubleuante Spiritu, ad ſumma rapiuntur, quandiu in hac vita ſunt, ne aliqua elatione ſuperbiant, quibuſdam tentationibus reprimuntur: vt nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt, ſed ne extollantur ſuperbia, fit in eis ipſarum quædam menſura virtutum.] Id ſanctiſſimus doctor exemplo Heliæ & Pauli confirmat, & poſt multa ad ſanctum Apoſtolum ſermonem conuertens ait: O Paule in cœlo iam Ieſum conſpicis, & in terra adhuc hominem fugis? In Paradiſum duceris, ſecreta Dei verba agnoſcis, & adhuc à Satanæ Angelo tentaris? Vnde ſic fortis, vt ad cœleſtia rapiaris? Vnde ſic infirmus, vt in terra hominem fugias, & adhuc à Satanæ Angelo aduerſa toleres? niſi quia ipſe, qui te ſubleuat, rurſum ſubtiliſſima te menſura moderatur, vt & in miraculis tuis nobis prædices virtutem Dei, & rurſus in timore tuo reminiſci nos facias infirmitatis noſtræ?] Hæc ille. Meritò igitur dixit Ieremias: Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. Cùm enim virga tentationis percutimur, tunc noſtram paupertatem & infirmitatem aſpicimus. Cùm nos ad reſiſtendum infirmos, ad reÿcienda vana & turpia debiles, ad iram, & alios immoderatos affectus pronos conſideramus, tunc humilitatem & contemptum noſtri concipimus. Tunc ſi victores euaſerimus, pleno corde clamamus: Niſi quia Dominus adiuuit me, paulo minùs habitaſſet in inferno anima mea:] & ei, non nobis victoriam aſcribimus. Cùm autem ſit omnis virtutis fundamentum humilitas, certè eo ipſo tentatio alacriter eſſet ſuſtinenda, quòd ad humilitatem impellit.

2. Corin. 12 n. 7.
Bern. ſer. 14. in Cant.
Iob 28. n. 25.
Greg. 19. mor. c. 5.
Threna. 3. 1.
Pſal. 93. 17.

VIII. Tentatio amorem Domini nobis conciliat, & ad diligendum eum, à quo amati ſumus, & ad deſiderium æternorum exſuſcitat. Nonne poſt pugnam, atque victoriam Dauidis de Philiſtæo conſecutam, anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam?] Ita prorſus Chriſtus filius Regis æterni, nos pugnantes benignè aſpicit, & vincentes diligit, & magno affectu cordis amplectitur, quaſi pupillam oculi ſui. Amat ille quos propter ſe mundi delectabilia deſpicere, & deſideria carnis abnegare animaduertit. Et iuxta illud Iob: Beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi,] tentationes quaſi feras in nos miſſas pacatas nobis ſentimus, cùm ea illis diuinum amorem, & cœleſtia deſideria comparamus. Nam, vt Gregorius ait: Hoſtes callidi, dum inſidiantur, affligunt, ſed afflicta mens tantò magis ad æternam patriam reditum diligit, quantò in hoc ærumnoſo exilio laborioſiùs viuit: & veriùs ſe gratiæ ſui adiutoris humiliat, cùm contra ſe inſidias hoſtium acriores penſat. Terræ ergo beſtiæ Electis pacificæ fiunt, quia maligni ſpiritus, cùm bonorum corda aduerſantes deprimunt, hæc nolentes ad amorem Domini impellunt:] Reſplendet itaque in hoc ſapientia Dei, quæ ita res ſuorum electorum diſponit, vt ſugerent mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo,] vt ſcilicet ea durina tentationum dulcedinem amoris haurirent, & ex eo, quod à cœlo auocare nititur, cœleſtia deſideria ſuſcitarent.

1. Reg. 18. 1.
Iob 5. 23.
Greg. 6. mor. cap. 16.
Deut. 32. 13.

IX. Tentatio veras diuitias, id eſt, virtutes auget, & animas ſupernis donis multiplicat. Nam & filij Iſrael perſecutione creſcebant; vnde ſcriptum eſt: Quantóque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur & creſcebant.] Ita Eccleſia tribulatione ſuccreuit, & ſimiliter quælibet anima iuſta, tentationibus imperita ſuarum opum acceſſionem facit. Quod & in pugna Dauidis cum Philiſthæo adumbratum eſt. Dictum eſt enim illi: Virum, qui percuſſerit eum, (ſcilicet Philiſtæū) ditabit Rex diuitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei, & domum patris eius faciet abſque tributo in Iſraël.] Sic iuſtum tentatum, aduerſarióſque vincentem Deus meritis ditat, gratiæ ſponſæ lectiſſimæ iungit, & à tributis, quæ duro exactori, ſcilicet diabolo exoluebat, eximit. Audi ex Deuteronomio, quantas diuitias tentatio afferat. Afflixit te penuria, inquit, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu, & patres tui: vt oſtenderet tibi, quòd non in ſolo pane viuat homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.] Putabas, quia ſolus panis conſolationis reficeret, at in medio tentationis conſtitutus, alio pane ſuauiſſimo paſtus es, nempe tentationis fructu, qui dulciùs ſapit & magis roborat. Et expertus es quòd omnipotens Dominus non ſolo pane, id eſt, conſolatione & dulcedine paſcit, ſed etiam omni verbo, id eſt, tentatione ſuſtentat. Quid enim prohibet, ſi tentationem quodcumque verbum, aut omne verbum appellemus, quæ omnia ſupplet? ſiquidem ad omnes virtutes exercendas inſtigat. Planè Dominus operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam.] Nam ſicut nubes ſeminaria ſunt pluuiæ, quæ terram fœcundat, & omnes fructus frumentáque progenerat, ſic tentationes cœlum, nempe iuſtam animam operientes, pluuiam gratiæ meritorum procreatricem infundunt. Ne ergo putemus nos à tentatione bonis ſpoliari, quia potiùs donis cœleſtibus opibúſque veſtimur. Illa animam prouocat, vt ſicut taurus prouocatus, in diabolum ardentior & robuſtior exiſtat. Illa ſpiritum premit, vt, ſicut ignis flatu preſſus, excreſcat. Illa profectibus obſtat, vt ſicut aqua rupto obſtaculo, ſic anima victa tentatione velociùs in perfectionem fluat. Quare meritò dicit Paulus; Quòd Dominus facit cum tentatione prouentum,] quia ſæpe tentatio ad meritum & augmentum proficit, cùm tamen proſper ſucceſſus officiat. Hoc enim ſignificat Gregorius, cùm ait: Secluſum quippe ab internis gaudiis genus humanum, exigente culpa mentis oculos perdidit, & quò meritorum ſuorum paſſibus graditur, neſcit. Sæpe enim gratiæ eſt donum, quod iram deputat: & ſæpe diuinæ diſtrictionis ira eſt, quod gratiam deputat. Nam plerumque gratiam æſtimat dona virtutum, & tamen de eiſdem donis elatus corruit. Plerumque velut iram metuit aduerſa tentationum, & tamen eiſdem tentationibus preſſus, ad virtutum cuſtodiam cautior exurgit.] Hæc ille. Qui & optimè explicat, quo pacto homo ex aliqua gratia gratis data, quam vehementer optauerat, ſoleat corruere, & ea aliqua tentatione ad augmenta virtutum eleuari, vt ſciamus Dominum iuxta illud Iob: Si venerit ad me, non videbo eum, & ſi abierit, non intelligam;] interdum proſperitatis dono à nobis diſcedere, & tentationis flagello venire. Tentatio igitur magna eſt cauſa diuitiarum, quæ non ſola Dei dona affert, ſed etiam ipſum authorem donorum, in quo eſt omne bonum acceſſit.

Exodi 1. 12.
1. Reg. 17. 25.
Deut. 8. 3.
Pſal. 146. n. 8.
1. Corin. 10. n. 13.
Greg. 9. mor. c. 7.
Iob 9. n. 11.

X. Tentatio virtutes iam adeptas notificat. Idq; ſignificauit Dorotheus, dicẽs: Sanctos viros paſſos eſſe, vel

ob Chriſti Ieſu nomen, vel vt virtutes ſuas ad multorum vtilitatem in lucem ederent, vel vt præmium ſuum maius apud Deum fieret. Tentat itaque nos Dominus, vt ſciat, id eſt, ſcire faciat, vtrùm diligamus eum, an non.] Nemo enim ſe in pace callet, nemo ſe in tranquillitate cognoſcit, & quantæ ſint militis vires, quanta dexteritas præliandi, non tentorium ſed pugna notificat. Quare mira nobiſcum diſpenſatione agitur, inquit Gregorius, vt mens noſtra nonnunquam pulſatione culpæ feriatur. Nam eſſe ſe magnarum virium vel virtutum homo crederet, ſi nunquam earundem virium defectum intra mentis arcana ſentiret.] Tentationes ergo & labores aduenient, vt virtutum fortitudinem aut infirmitatem aperiant.

[*Doroth. doct. 7. poſt med.* — *Deut. 13. n. 3.* — *Greg.*]

XI. Tentatio animam vincentem magnificat. Quoniam ſicut reges terreni duces ſuos, qui hoſtes deiiciunt, ſolent gloria, & triumphis honorare: ita Dominus milites ſuos diabolum, & mundum & carnem proſternentes, conſueuit ad magnum honorem efferre. Cuius promiſſio eſt in Apocalypſi: Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo meo.] Sicut enim Apoſtoli vocantur Eccleſiæ [columnæ,] quia alij fideles, tanquam maiores ipſos ſuſpiciebãt, & eis ſemetipſos quaſi fulcimentis ſuſtentabant; ita Dominus tentatos, & nunquam proſtratos columnas aliorum facit, quia in minorũ cordibus ad magnum honorem euehit, & eorum conſiliis, & orationibus infirmiorum imbecillitatem ſuffulcit. Antonio ſanè ob tentationum victoriam perpetuus honor promiſſus eſt: cui ſaluator noſter dixit, narrante Athanaſio: Quia dimicando viriliter non ceſſiſti, ſemper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari.

[*Apocal. 3. 12.* — *Galat. 2. 9.* — *Athanaſ. in vita Antonij.*]

XII. Tentatio Deum glorificat, qui dum noſtræ puſillitatis curam habet, ſuam immenſam bonitatem ac miſericordiam exerit, dum nos magnos facit, ſuam magnitudinem & gloriam oſtendit. Inuoca me, ait, in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me.] Ex hoc enim quod Deus nos adiuuat, ſuus in nobis, & in aliis eius prouidentiam aſpicientibus, honor accreſcit. Tunc liberati cantamus cum populo Iſrael, liberatrice Iuditha: Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem ſuperare nemo poteſt. Tibi ſeruiat omnis creatura tua, quia dixiſti, & facta ſunt, miſiſti ſpiritum tuum, & creata ſunt, & non eſt qui reſiſtat voci tuæ.] Oſtendit ſe Dominus planè potentem & inſuperabilem, dum vna ſola voce, vno tantùm verbo, quod intus loquitur, animam triſtem exhilarat, inquietam ſedat, & adueniente in eam latenter ſpiritu ſuo, immiſſas ab aduerſario tenebras diſſipat.

[*Pſal. 49. 15.* — *Iudith. 16. n. 16. & 17.*]

XIII. Tentatio Chriſto nos aſſimilat: qui in hac vita nobis exemplum exhibens, ſponte tentationes ſuſtinuit. Non habemus pontificem, inquit Paulus, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia, pro ſimilitudine abſque peccato.] O magna iuſtorum conſolatio! Pontificem ac paſtorem habent, qui præterquã quòd Deus eſt omnia ſciens, & noſtræ infirmitati per benignitatem condeſcendens, etiam homo eſt oculis miſericordiæ, & compaſſionis tentatos reſpiciens, quoniam omnes tentationes expertus eſt. Tentatus per omnia, id eſt, vt interpretatur Anſelmus, per omnia tentationum genera, quia in illa triplici tentatione, qua de diabolo triumphauit, omnis tentatio continetur. Tentatus (inquam) fuit pro ſimilitudine, id eſt ſecundùm illam naturam, quam à nobis traxit, nunquam tamen ſuperatus; quare ex tentatione non defectum induit, ſed ſecundum ſcientiam experimentalem vi-

[*Hebr. 4. 15.* — *Matth. 4.*]

A ſceta miſericordiæ ſuſcepit. Nec ſolùm ſemel tentatus eſt, nam conſummata tentatione, diabolus receſſit ab eo vſque ad tempus,] ex quo intelligimus poſtea reuertiſſe. Qui enim in deſerto occultè tentauerat, poſtea, vt ait Ambroſius, apertè eum aggreſſus eſt, vel, vt Theodoretus ait, qui in deſerto ad voluptatem incitauit, in cruce immoderatam triſtitiam ingeſſit: vel tandem, vt Maximus annotauit, qui per obiectionem gloriæ, & diuitiarum voluit Chriſtum ab amore Dei auellere, poſtea conatus eſt per odia, & iniurias Phariſæorum ab amore proximi ſeparare. Si Dominus vitam habuit tentationibus moleſtiiſque refertam, liquet, quia homo tentationum ſuſtentator & victor, Chriſto ſuam vitam aſſimilat.

[*Luca 4. 13. Citat D. Thom. in catena, Luc. 4.*]

B XIV. Tentatio animam conſolatur atque tranquillat, vnde & Sara ſponſa futura iunioris Tobiæ, optimè in ſua deprecatione dixit ad Dominum: Non delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem & fletum, exultationem infundis.] Nec tantùm poſt tentationem, ſed & in ipſa tentatione adeſt nobis conſolatio; quoniam dum tentati pugnamus, in intimis noſtris lætitiam quandam experimur, ex eo, quòd pro Deo patimur, & nos illi fideles aſpicimus, licèt in eo, quod in nobis craſſius & exterius eſt, dolorem & moleſtiam ſentiamus. Idque indicant illa verba Domini: Sed triſtitia veſtra conuertetur in gaudium: non in gaudium breue, ſed æternum; nam gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.] Et Paulus: Super- C abundo gaudio in omni tribulatione noſtra.] O ineffabilem magnificentiam Chriſtianæ veritatis, quæ non ſolùm in proſperitate, ſed in tribulatione quoque, & tentatione gaudium habet, & gaudium quod ſuperabundet, quod nos expleat, & ſufficiat pro aliis conſolandis, qui in aliqua preſſura ſunt.

[*Tobiæ 3. 22.* — *Ioan. 16. n. 20. n 22.* — *2. Cor. 7. 4.*]

XV. Tentatio alios ædificat; & ſæpe hanc ob cauſam, eam Dominus inſurgere & moleſtare permittit, vt proximis noſtris patientiæ, & fidelitatis exempla proponat. Hoc enim eſt quod in libro Tobiæ dicitur: Hanc tentationem ideo permiſit Dominus euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob.] Et quidem cùm aliorum tentationes audimus aut legimus, & eorum glorioſas victorias conſideramus, non parum ad ſimiliter pugnandum accendimur, & de noſtra puſillani- D mitate, qua parum reſiſtimus, aut de miſero caſu, quo ſuccubuimus, non parum erubeſcimus. Fitque tentatio reiecta ipſi tentato meritum & nobis exemplum. Atque ex illo tanquam ex præceptore diſcimus, quo pacto in poſterum reſiſtamus. Exemplum accipite fratres, inquit Iacobus Apoſtolus, exitus mali, id eſt, afflictionis ſuſtinendæ, laboris, & patientiæ, prophetas, qui loquuti ſunt in nomine Domini.] Ad hoc enim tentati ſunt, vt nos ex illis accipiamus quomodo oporteat tentationi reſiſtere. Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt:] ſuſtineamus igitur, vt per ſuſtinentiam beatitudo nobis accedat.

[*Tobiæ 2. 12.* — *Iacob 5. 11.*]

XVI. Tentatio denique tentatos afflictóſque coronat. E Nõ coronabitur, inquit Paulus ad Timotheum ſcribens, niſi qui legitimè certauerit.] Et Iacobus ait: Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.] Et in libro Tobiæ: Hoc pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita eius, ſi in probatione fuerit, coronabitur.] Hiſtoriã certè Cononis Abbatis apud Moſcum Euiratum, hoc, quod dicimus, pulchrè confirmat. Is enim cùm à ſuo monaſterio diſceſſiſſet, ne puellam ſpecioſiſſimã baptizaret (nam erat presbyter in munere baptizandi, ex obedientia prælati occupatus) &,

[*2. Tim. 2. n. 5.* — *Iacob. 1. n. 12.* — *Tobiæ 3. 21.* — *In Prato Limonario c. 3.*]

hac occaſione ſtimulum carnis tentantis ſentiret, ob-
uium habuit ſanctum Ioannem Baptiſtam, qui in vi-
ſione illi apparens, ter ipſum ſigno crucis ſignauit, &
ſtatim dixit: Crede mihi, presbyter Conon, vole-
bam te pro hac pugna mercede donari; ſed quia non
vis, ecce abſtuli à te hoc bellum, mercede autem hu-
ius operis carebis.] Tentatio ergo coronam parat,
quæ ſoli victoriæ promiſſa eſt, hanc autem quis ſine
Leo ſer. 1. Quadrageſ. pugna obtinebit? Certè nullus: vt enim dixit Leo
Papa: Nulla ſunt enim ſine tentationum experi-
mentis opera virtutis, nulla ſine perturbationibus fi-
des, nullum ſine hoſte certamen, nulla ſine congreſ-
ſione victoria. Vita hæc noſtra in medio inſidiato-
rum, in medio præliorum eſt; ſi nolumus decipi, vi-
gilandum eſt, ſi volumus ſuperare, pugnandum eſt.]
Tentatio curſus eſt, quem qui diligenter confecerit,
ad mercedem deſtinatam perueniet.

Has omnes vtilitates & alias innumeras, quæ paſ-
ſim à patribus explicantur, tentatio tentatis affert,
ſed tentatio victa, & per gratiam Domini proculca-
ta: nam ſi nos tentatione illidamur, non hæc bona,
ſed oppoſita mala conſequemur. Tentatio enim
vincens & turpans animam, non eam illuminat, ſed
obſcurat: non purgat, ſed fœdat: non fidelem Deo,
ſed infidelem monſtrat: non præſeruat, ſed in malum
præcipitat: non fiduciam in Domino, ſed deſpera-
tionem immittit. Tentatio, quæ animam ſuperat,
ſegnitiem efficit, non feruorem infundit: puſillani-
mitatem, non humilitatem affert: pudorem, non
amorem accendit: egeſtatem, non diuitias operatur:
vitia, non virtutes notificat. Hæc non facit nos ma-
gnos, ſed oſtendit fidelitate & amore puſillos: non
Deum glorificat, ſed ad indignationem prouocat:
non Chriſto à quo diſcedimus, ſed diabolo, quem
peccando imitamur, aſſimilat. Hæc tandem ani-
mam peccantem cõtriſtat, alios caſum ſcientes ſcan-
dalizat, & præripit promiſſam victoriæ coronã. Quòd
ſi quis aliquam vtilitatem ex tentatione eum vincen-
te, decerpat, non eam peccatum confert, quod ma-
lum eſt & fons omnium miſeriarum; ſed Dominus,
qui ſummè bonus eſt, & ex malis bona elicit, ex caſu
noſtro occaſionem captat, vt ſicut nos pro bonis ma-
la, ita ipſe pro malis bona retribuat. O tu igitur, qui
ſpiritualem vitam colis, & in cœlum conuerſatione
Dani. 10. 19. pergis, & virtutis guſtu delectaris,]confortare, & eſto
robuſtus,] vt in præmium victoriæ coroneris.] Ad
hoc enim tentari permitteris, vt in hac vita prædictas
vtilitates capias, ſine quibus vera virtus non ſubſiſtit,
& vt in futura cum ſanctis, & iuſtis hominibus tua-
rum victoriarum mercedem accipias. Intuere ten-
tationem tibi permiſſam, vt beneficium Dei, & pro
ea, tanquam pro beneficio gratias age, & eam diuina
gratia adiutus, non in malum tuum, ſed in profe-
Pſal. 65. 12. ctum animæ victoria conuerte. Tunc intelliges
illud: Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti
nos in refrigerium;]quoniam igni concupiſcentiæ, &
aqua deſpectionis probatus, & illo igne purior, & iſta
aqua humilior effectus in refrigerium, id eſt, in cordis
latitudinem, extolleris.

De multiplici via, qua aduerſarij nos tentant.

CAPVT IX.

DVÆ ſunt cauſæ, ob quas tentationis impul-
ſu fœdamur: altera eſt defectus cognitionis,
altera verò imbecillitas affectionis. Ille
nos inficit, quia dum tentationem ignoramus, & bo-
A nam cogitationem eſſe putamus, illi abſque metu
contrahendæ peruerſitatis adhæreſcimus; iſta verò
nos deiicit, quia hoſti potenter irruenti nequaquam
reſiſtimus. Huic poſtremo malo ſatis in ſuperiori-
bus conſultum eſt, quæ omnia ad hoc tendunt, vt af-
fectum aduersùs inſultus aduerſariorum roborent;
nunc primò noſtrorum caſuum fonti, ſcilicet igno-
rantiæ pro ſpiciendum, quam multiplicium tentatio-
num, quæ animam profectu ſpoliare ſolent, declara-
tio repellet. Ac primò ſeptem viæ, aut rationes ten-
tandi aperiendæ ſunt, quibus aduerſarij nos aggre-
diuntur, & vniuerſa tentationum genera compre-
hendunt. Diabolus enim, & alij hoſtes noſtræ ſalu-
tis, vt Ricardus Victorinus, & Dionyſius Richelius *Ricar. in Pſal. 90. Diony. li. de reme. dijs ten. tatio. art. 8.*
contemplati ſunt, primò nos tentant tentatione im-
B portuna; ſecundò tentatione dubia; tertiò tentatio-
ne ſubita; quartò tentatione occulta; quintò tenta-
tione violenta; ſextò tentatione fraudulenta; ſeptimò
tentatione perplexa. Háſque virtute Domini ſupe-
randas pollicetur Regius vates, dicens: Scuto cir- *Pſal. 90. 5.6.& 7.*
cundabit te veritas eius; non timebis à timore no-
cturno. A ſagitta volante in die, à negotio peram-
bulante in tenebris: ab incurſu & dæmonio meri-
diano. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à
dextris tuis.] Ab his quidem tentationibus libera-
mur, dum notione earum imbuimur, & diuina vir-
tute protegimur. Lux ergo nunc cœleſtis aſſiſtat, &
harum tentationum qualitates aperiat, & ex luce ad
calorem, id eſt, ex cognitione ad pugnandi dexteri-
tatem procedens, nos perfectè diuina virtus erudiat.
C Tunc ſanè ſciemus, quoniam ſepties in die cadit *Prou. 24. n. 16.*
iuſtus & reſurgit:] quia ſaltem in rebus leuibus ſæpe
hac multiplici tentatione ligatur, & potentia cœleſtis
virtutis erigitur. Tunc quiſque propter ſeptempli-
cem liberationem dicet: Septies in die laudem di- *Pſal. 118. n. 164.*
xi tibi, propter iudicia iuſtitiæ tuæ.] Verè enim iudi-
cia ſunt iuſtitiæ ſimul & benignitatis, ſi hoſtis iniuſtè
animam impetens, iuſtè cadat; & ſi anima miſerabili-
ter patiens, benignè ſe liberatam intelligat. Vt expe-
riatur illud, quod ſibi dictum eſt in Iob: In ſex tri- *Iob 5. n. 19.*
bulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te
malum.] Nam ſeptem iſtæ tribulationes, ſeptem præ-
dictæ tentationes ſunt, à quibus nos diuina miſera-
tio, ſi volumus, adhibitis auxiliis, puros illibatóſque
cuſtodit.

D Prima igitur tribulatio ſiue tentatio, quæ impor-
tuna dicitur, illa eſt, quam à memoriæ noſtræ oculis
amouere vix poſſumus, ſed ſemel amota, iterum ad
animum redit, & pene omni hora ipſum inquietare
non deſinit. Talis eſſe ſolet in multis tentatio inuti-
lium cogitationum, quæ in omni loco & tempore, &
in quacumque occupatione conſtitutis inuerecundè
ſe ingerunt, & mentis puritatem impediunt. Iam
præueniunt rei concupitæ præſentiam, iam ſub rei
præſentia exacuunt concupiſcentiam, iam ſubtracta
rei præſentia ipſius abſentis recordatione moleſtant.
Et ſicut acuta, & continua febris omni hora mem-
bra depaſcit, & corpus huc illúcque mouet, & nuſ-
quam manere permittit; ita tentationis importunitas
omnes ſtudioſas actiones, tanquam ſpiritalis vitæ
E membra diſcindit, & miſeram animam à tranquilli-
tate diuellit. Quam tentationem ſanctus Iob pul-
chrè deſcribit, cùm ait: Lapides excauant aquæ, & *Iob 14. 19.*
alluuione paulatim terra conſumitur: & homines er-
go ſimiliter perdes.] Quid durius lapide? Quid mol-
lius aqua? Et tamen dura molli ſaxa cauantur aqua:
Quia videlicet importuna tentatio, licèt nil violen-
tiæ habeat, per importunitatem vincit, & robuſtam
mentem ad prauitatis conſenſum illidit. Et, vt Gre-
gorius ait, paulatim venit in mentem, & reſiſtentem *Greg. 12. mor. c. 13.*

animũ lenibus ſuggeſtionibus inficit; & omnes in eo vires iuſtitiæ, nõ nimietate ſua, ſed aſſiduitate conſumit.] Annon Salomon omniũ hominum ſapientiſſimus, hac fuit tentatione conſumptus, qui cõſuetudine mulierũ aſſidua mentẽ à ſuo creatore ſeiunxit, & ad conſummatam perfidiam deuenit? Ita multi tentationis alicuius importunitate molleſcunt, & molles effecti à propoſito amatæ puritatis deſciſcũt. Qui cùm ſe vident ob ignominioſum caſum reprehenſi, nõ ſuæ puſillanimitati, ſed dæmonis importunitati tantum malum aſcribunt. Dicúntque: Cogitauerunt iniquitates in corde; tota die conſtituebant prælia.] Itemque & illud: Quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me.] Quaſi aduersùs aſſiduam impugnationem, ſcutum veritatis deficeret, & non nos diuinæ etiam protectionis aſſiduitas ſolidaret. Si tentatio importuna vndique nos cingit, & non tam robore, quàm importunitate circundat, animaduertamus nos etiam eſſe veritatis ſcuto circundatos, quæ illam importunitatem, dæmonis impugnationem eſſe manifeſtat. Optimum ſcutum veritas, quo ſi vbique tentamur, vbique de tentatione monemur, vt moleſtiam illam ſenſibus internis obiectam, muſcam morientem eſſe ſcientes, à ſacrificio mentis noſtræ, manu diſcretionis abigamus.

Secunda tentatio, & dicitur dubia, illa eſt, quæ ita animum ambiguitatis nubilo inuoluit, vt quid faciendum, aut quid fugiendum ſit tenere omnino non poſſit. Sæpe enim ex defectu luminis de rebus ad nos pertinentibus dubitamus, & malum quod futurum non eſt, tanquam iam imminens pertimeſcimus. Et ſicut, cùm nocte modico lunæ, & ſtellarum lumine adiuti aliquid cernimus aliud eſſe, quàm eſt, decepti iudicamus, & arborem cominus poſitam hominem ad nos venientem, rupem verò immotam feram eſſe in nos irruentem timemus: ita prorſus animus quaſi tenebris obuolutus corporis afflictionem ſuauiſſimos fructus ferentem, hoſtem putat; & illam nihil mali afferentem, nocuam, & ſaluti ad ſeruiendum Domino neceſſariæ aduerſantem exiſtimat. Laſciua igitur carnis deſideria afflictionem corporis petunt, & timores vani, conficiendi corpus eandem afflictionem auertunt, vnde homo quaſi in biuio poſitus anceps eſt, quò vadat, & merita perdit, neſciens quò ſe vertat. Euenítque illi, quod eſt in libro Iob: Cogitationes meæ variæ ſuccedunt ſibi, & mens in diuerſa rapitur.] Iam enim ob amorem profectus in ſalubriorem partem inflectitur, & carnem caſtigare cogitat; iam vanus timor inſurgens flagellum de manu præripit, quo hoſtis feriendus eſſet, & bonum conceptum exequi vetat. De quibus cogitationibus, & illud intelligi poteſt: Effuſa eſt contemptio ſuper principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via.] Sanè principes iſti nunc ſint internæ mentis cogitationes ac deliberationes, quæ noſtris affectibus dominantur, & virtutum aciem aduersùs hoſtilem vitiorum exercitum inſtruunt & ducunt. Contemptio autem ſuper principes iſtos effunditur, cùm deficiente lumine in varias ſententias diſtracti, quid faciendum ſit, non inueniunt, & dum iſti ſententiam aliorum impugnant, ad inuicem ſe contemnunt. Qui priùs errant in via, dum rationem exercendæ virtutis inuenire neſciunt, & poſtea errant in inuio, quia peccata quibus illigantur, non aduertunt. Hac tentatione pulſati ad modum claudorum ambulant, qui cùm ad bonum audent, fortiter vnum pedem figunt, cùm verò retrocedunt, altero claudicantis effigiem exprimunt. Quibus conuenit illud Eliæ: Vſquequo claudicatis in duas partes?] Nunc enim in feruorem propria conſcientia inſtimulante

A propendent, nunc in teporem vano timore perurgente declinant. Sed non ſimus iam paruuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinæ,] (*Epheſ. 4. 14.*) nec timeamus à timore nocturno, quem Dominus, niſi proterui eſſe velimus, veritate diſiicit, & quàm puerilia & vana ſunt, quæ timemus, oſtendit.

Tertia tentatio ſubita eſt, quæ repentè irruit, & noſtram conſiderationem præuenit, & priuſquam nobis conſulamus, cor mortis telo transfigit. In quam tentationem ſæpe incauti & incircunſpecti ſolent incidere. Dum enim ſine vllo timore omnia luſtrant, domóſque alienas ſine præcautione penetrant, priùs ſe in præcipitium prauæ actionis, aut praui conſenſus præcipitatos vident, quàm decipulam ſibi à diabolo paratam aduertant. Excuſant ſe miſeri iam decepti B verbis illis Ieremiæ: Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cœli: ſuper montes perſecuti ſunt nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis. (*Threno. 4. 19.*) Nam, & ſi (inquiunt) ſolicitudines noſtræ, quibus propriam ſalutem operabamur, aquilis poſſint comparari, aduerſarij tamen velociores extiterunt, qui in montibus, in vultuùm alienorum aſpectu, ex quo nihil mali ſuſpicabamur, & in locis occultis, quos bona intentione ingreſſi ſumus, nos imparatos vulnerarunt. Sed immeritò infœlices curam ſuæ ſalutis cum aquila conferunt, quæ non more aquilæ pericula eminus poſita videt, immò ad modum noctuæ, tendiculam ante oculos iactam videre & declinare contempſit. Parant aduerſarij tui, (ô vitæ ſpiritualis cultor) ſagittas ſuas, (id eſt ſubitas tentationes) in pharetra, (*Pſal. 10. 2.*) C vt ſagittent in obſcuro rectos corde.] & tu non aduerteris occulta petere, abſcondita penetrare, & ſine ſocio, ſine teſte in loca te occaſionibus plena conijcere? Aduerte quia à tentatione ſubita in die irrumpente, id eſt, à te non quæſita, ſed vltro ſe ingerente, Dominus ſe tibi liberatorem promiſit. Scuto, inquit, circundabit te veritas eius; non timebis à timore nocturno. A ſagitta volante in die.] (*Pſal. 90. 5. & 6.*) Si verò tu ſagittam, id eſt, tentationem ſubitam non in die, non in luce, non in bono opere occupatus ſuſtines, ſed in nocte, & in occaſionibus peccandi poſitus libentior expectas, non mirum ſi ſcutum veritatis non te defendat, & à ſagitta vulneteris. Fuge igitur occaſiones D peccandi, ne diabolus ſubitò inſurgens te præoccupet, & gratiam perdas, dum incautè tuam voluntatem exples.

Quarta tentatio occulta eſt, quæ ita latenter ingreditur, vt in rebus agendis vel vitandis, quæ magnam diligentiam poſcunt, magnam negligentiam inducat. Hæc rem pernicioſam ad conſiderationem non affert, ne omnino reſpuatur, aut ne debita ſolicitudine reiiciatur. Hæc rem optimam, & magni momenti indiſcuſſam relinquit, vt curſim, & feſtinanter, & cum magnis imperfectionibus executioni mandetur. Illi autem vi huius tentationis illuduntur, qui fratrum nomen denigrant, qui ſuis dictis & factis alios ſcandalizant, qui ſimilia mala perpetrant, & nunquã corriguntur, quia nunquã ſua mala conſiderãt. Illi etiã, qui rebus magnis, aut diuini cultus, aut gubernationis aliorũ addicti ſine debita cura, & dili- E gentia eas peragũt, quia obligationẽ ſui muneris non attendunt. Illi demũ, quos diabolus cõmodis terrenis ineſcat, vt eorum ſuauitate hamũ culpæ deglutiant, & mortem, quam deglutiunt, non ſentiant. De qua tentatione Gregorius intelligit illud Iob: Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam.] (*Iob 18. 10. Greg. 14. mor. c. 7.*) In terra, inquit, pedica abſconditur, cùm culpa ſub terrenis commodis occultatur. Inimicus quippe inſidians oſtendit humanæ menti in terreno lucro, quid appetat, & occultat peccati laqueum, vt

eius

A eius animam ſtringat: quatenus videat quid eſt, quod concupiſcere valeat, & tamen nequaquam videat, in quo culpæ laqueo pedem ponat. Et tunc ab antiquo hoſte ſuper ſemitam decipula ponitur, quando in actione huius mundi, quam mens appetit, peccati laqueus paratur, quæ videlicet non facilè deciperet, ſi videri potuiſſet.] Hunc ergo laqueum occultum ex triplici, quem aſſignauimus, fune contextum timebat Dauid, quando dicebat: Ab occultis meis munda me] Occultam enim, & à ſe non cognitam plagam timebat, qui iam in aliquo gradu virtutis poſitus, peccata manifeſta refutabat. Timebat & Paulus: Nam nihil, ait, mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.] Sanctus verò Iob remedium ad hoc malum vitandum expoſcit. Quantas, inquit, haben iniquitates & peccata: Scelera mea atque delicta mea oſtende mihi.] Pſalmiſta quoque, dum ait: Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.] Et rurſus: Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum: doce me iuſtificationes tuas.] Dominus enim tunc lucernam noſtram illuminat, cùm à ſcintilla diſcretionis noſtræ quaſi operientem cinerem excutit; & tenebras noſtras illuminat, cùm mentem ignoratione ſuorum peccatorum cæcam, ad lucem ſcientiæ conuertit: & faciem ſuam detegit, cùm viam ſuarum iuſtificationum oſtendit. Qui & noſtris deprecationibus prouocatus medicinam huius morbi pollicetur, dicens: Scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno. A ſagitta volante in die; à negotio perambulante in tenebris.] C Totum namque hoc negotium occultæ tentationis in tenebris agitur, quia in caligine & ignorantia mentis obtruditur, à quo tamen homo ſcuto veritatis, quæ lux eſt, omnes tenebras diſcutiens miſericorditer liberatur. Nam ſi vſque ad aduentum iudicis in tenebris maneat, & ſine occultorum grauium pœnitentia decedat, fruſtra in alia vita ad lucem cognitionis euigilat.

Pſal. 18, 13. — *1. Corin. 4. 4.* — *Iob 13. 23.* — *Pſal. 17. 29.* — *Pſal. 118. 135.* — *Pſal. 90. 5.*

Quinta tentatio violeota eſt, quæ adeò fortiter & acriter impugnat, vt ab humana imbecillitate ſuperari vix poſſit, niſi abundantiſſima gratia huiuſmodi impugnationi reſiſtat. Hanc paſſi ſunt martyres tormentis, & morte ad deſerendam fidem adacti. Hanc expertus eſt Beatiſſimus pater Benedictus, tam acribus carnis ſtimulis agitatus, vt neceſſe fuerit ad ſpinas, & tribulos, & ad remedia inſueta confugere, & D carnis pruritum ſanguine ex vulneribus erumpente ſuffocare. Quòd ſi ad ſacras litteras oculos conuertamus, non paucos ex viris iuſtis hac tentatione pulſatos cognoſcemus. Nonne Paulus de hac tentatione conqueritur? cùm ait: Supra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos viuere.] Et ſanctus Dauid hanc eandem ſentiebat; Ecce, inquit, ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes.] Patientem quoque Iob ſimilis tentatio pulſabat. Ait enim: Quaſi rupto muro, & aperta ianua irruerunt ſuper me, & ad meas miſerias deuoluti ſunt.] Nam ſicut rupto muro, & aperta ianua ciuitatis, vix ſupereſt ſpes euadendi; ita hominis penè virtute ſublata, & irruentibus hoſtibus, difficile eſt ſe in E innocentia continere. At ille qui oſtendit [negotium perambulans] in tenebris, etiam [ab incurſu,] & tentatione violenta nos liberat. Quæ optimè incurſus vocata eſt, quia nequaquam hoſtis in hoſtem eminus conſpectum, niſi impetu incurrit: & potiùs ſibi ipſi fuga conſuleret, niſi putaret ſe poſſe violentia ſuperare. Liberat igitur ab ea: quoniam ſi fortis eſt, qui in nos irruit, fortior eſt, qui nos defendit, & ſi quaſi violenter trahimur ad conſenſum peccati, potentiſſimè

Greg. 2. mor. c. 2. — *2. Corin. 1. 8.* — *Pſal. 58. 4.* — *Iob 30. 14.* — *Pſal. 90. 6.*

A ad ſuſtinendum ſenſum, & negandum conſenſum adiuuamur.

Sexta tentatio fraudulenta eſt, quæ animum decipit, & diuerſis modis veritati intentum in errore pertinaciter figit. Sed quis has dæmonis fraudes enarrare ſufficiet? Primò enim malum ſub ſpecie boni cooperit, & bibendum venenum ſub colore vini flaui & exhilarantis inducit. Iam animarum lucra promittit, & inermes & imparatos ad bellum exire compellit. Iam in alio loco, aut in ſublimiori ſtatu maiora ſpiritualis profectus augmenta proponit, & cunctantem aſcendere in barathrum ſocordiæ deiicit. Iam ſub deſiderio exercendi talentum, ambitionem ſub prætextu zeli, Prælatorum cõtemptum, & maiorum detractiones ſuadet. Quid aduerſus alios faciat, inquit Bernardus, quos videt omnino diligere B iuſtitiam, & odiſſe iniquitatem? Quid niſi vt iniquitatem palliet virtutis imagine? Quos enim perfectos boni nouerit amatores, malum eis ſub ſpecie boni non mediocris, ſed perfecti perſuadere conatur, vt citò conſentiat, qui magnopere diligit bonum, & facilè, qui currit, incurrat.] Hæc eſt via, quæ (iuxta Salomonem) videtur homini iuſta, nouiſſima autem eius deducunt ad mortem.] Hæc eſt lingua illa doloſa, pro qua amouenda Pſalmiſta deprecatur: Domine libera animam meam, à labiis iniquis & à lingua doloſa.] Lingua ſanè plena fraudis & doli eſt tentatio hęc, quę, ſicut iniuſtus venditor, mendacium pro veritate diuendit. Diſcamus, inquit Ambroſius, tentamenta diaboli plena eſſe mendacij. Vix C enim vnum verum videtur ex iis, quæ pollicitus eſt, reliqua falſa compoſuit. Quod Euæ tentatione confirmat, quam hoſtis ad tranſgreſſionem præcepti amore deitatis adegit. Vt videlicet ſciamus, quod ipſe ſubdit, non facile, niſi quod diligentiùs pertractauerimus, quod interiore probauerimus affectu, ad opus aliquod eſſe ſumendum. Deinde alia fraus dæmonis eſt, quod aliquando mentis oculos cæcat, vt hominem in peccata deiiciat: aliquando priùs appetitum inquietat, vt inſurgente paſſione, velut quadam nube oculos internos occludat. Illud Gregorius in Samſone ſignatum exiſtimat, cui Allophyli priùs [oculos eruerunt,] & poſtmodum molæ deputarunt. Iſtud verò in Sedechia, cuius filios Nabuchodonoſor ipſo præſente ſuſtulit, & [occiſis filiis] oculos] miſeri patris effodit. Sic prorſus fraudulentus D hoſtis nos capere nititur, nunc priuatione lucis, nunc ablatione feruoris, vt mens ſoli conſiderationi intenta per tepiditatem cadat, & ſolis affectibus occupata, per defectum lucis in ſcopulum iniquitatis impingat. Tertiam quoque fraudem adiicimus, qua ſolet ſenſus decipere, & conuenientibus obiectis emollire, vt mens ſuauibus ſibi nexibus capta, & quaſi dulci ſomno ſoporata, minimè tentatori ſpolianti reſiſtat. Nam tela dæmonis, inquit Leo Papa, non ſunt aſpera corporis ſenſibus, ſed nimium carni, vt animæ noceant, blandiuntur. Trahunt oculos ad varias tentationes, vt de mundi pulchritudine, aut concupiſcentia accendantur faces, aut ſuperſtitionum gignantur errores. Inſidioſo etiam ſono, & E mollibus ictibus pulſatur auditus, vt animi ſoliditas illecebroſa modulatione ſoluatur, & lethalium conſuetudine ſuauitatum incantata, & parum ſobria corda capiantur.] Hæc Leo. Sed quid ego? Nunquid exiſtimo vniuerſos diaboli dolos poſſe detegi, & à me breui charta circumſcribi? Ab his igitur ſuperſedendum eſt, ne aut lectorem innumeris ſuorum hoſtium fraudibus legendis oneremus, quas patres, (præſertim magnus Antonius) variis locis expoſuerunt, aut nos aliquid ſupra vires præſumamus. Sed certè vnam

Bern. ſer. 6. in Pſal. qui habitat. — *Prou. 14. 12.* — *Pſal. 119. 2.* — *Ambr. lib. de paradiſo. c. 13.* — *Gen. 3. 5.* — *Greg. 7. mor. cap. 13.* — *Iudic. 16. 21.* — *Ieremia 39. 6. & 7.* — *Leo ſer. 4. de ieiunio ſept. menſis.* — *Refert Athanaſius in vita ſermonem eius.*

non

Gregor. 3. mor. c. 16. A non prætenibo, quam Gregorius his verbis explanat. Sæpe antiquus hoſtis, poſtquam menti noſtræ tentationum certamen inflixerit, ab ipſo ſuo certamine ad tempus recedit, non vt illatæ malitiæ finem præbeat, ſed vt corda, quæ per quietem ſecura reddiderit, repentè rediens, faciliùs inopinatus irrumpat.] *Iob 2. 5.* Id ſanè in Iob videmus impletum, quem priùs diuitiis ſpoliauit, filiis orbauit, poſtea verò ad carnem plagis conficiendam expetiit. Nec enim ceſſat aliquando, quia ceſſet eius odium in nos, ſed quia dum ceſſat, mentem ſecuram reddit, vt tentationis oblitam acriùs impugnet. Ecce vulpes paruulas, id eſt, tentationes fraudulentas, quæ (authore Bernardo) demoliuntur vineas, quæ non tam occidendæ, quàm capiendæ, id eſt, detegendæ ſunt, quoniam eo ipſo quòd cognoſcuntur, paruo negotio eliminantur. *Bern. ſer. 64. in Cant.* Ecce fraudes dæmonis, à quibus etiam Chriſtus ſcuto veritatis nos liberat, quo etiam à dæmonio meridiano protegimur.] *Pſal. 90. n. 6.* Dæmonium enim meridianum, vt etiam Bernardus annotauit, eſt tentatio ſub ſpecie boni, aut quælibet tentatio fraudulenta, quam verus meridies oriens ex alto deuincit, dum luce ſua verum aperit, & falſum conuincit & prodit. *Bern. ſer. 33. in Cant.*

Septima tentatio perplexa eſt, quæ ſub vno eodémque tempore multis, variis, & penè contrariis vitiis impugnat, vt miſer animus vndique bellis cinctus, vnde vni acriùs reſiſtere nititur, inde in aliud, quod non timebat, luctuoſa colliſione labatur. Eſt hæc tentatio ſicut ex contrariis ventis orta implacabilis, & ſæua tempeſtas, quæ ſolet momento nauim abſorbere, & facto in mari quaſi vndarum hiatu, fluctuantem cymbam in ima demergere. C Ita prorſus anima oppoſitis impugnata vitiis, & ad contraria peccata vehementer impulſa, mirum eſt ſi naufragium effugiat, & non in profundum alicuius peccati deſcendat. Hanc quidem tentationem præuidebat David, cùm dicebat: *Pſal. 68. 15. & 16.* Eripe me de luto vt non infigar: libera me ab his, qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum; neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.] Solent enim aliquando viatores in loca cœnoſa neſcientes incurrere, & ita cœno & luto vndequaque circundari, vt omnino neſciant, quâ poſſint ſine caſu ad terram ſolidam deuenire. Sic Propheta vndique luto tentationum obſeſſus, poſtulat ab eo eripi, qui ſolus fuit potens Petrum penè ſubmerſum, ab aquarum vorticibus liberare. *Matt. 14. n. 32.* D Paulus autem expertus eſt eam, nam & ait: *2. Cor. 7. 5.* Nam & cùm veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus: foris pugnæ, intus timores.] Vide perplexitatem eius, qui foris non vna pugna, ſed multis variiſque pugnis, & intus non vno timore, ſed multiplicibus timoribus vrgebatur. Non tamen deſeruit iuſtum Deus. Vnde ſubdit: *Iudith 13. 17.* Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus. Et vt hunc non deſeruit, ita neminem [in ſe ſperantem derelinquit.] *Pſal. 90. n. 7.* Immò ſe affuturum pollicetur, dicens: Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.] E Si enim in aduerſitate poſitos nos mille tentationes infeſtent, & in proſperitate collocatos decem millia tentationum inſurgant; ille nobis aderit, ille nos tuebitur atque defendet, qui ſcit aduerſis deprimentibus per patientiam mederi, & proſpera per ſuperbiam efferentia multiplici humilitatis occaſione ſuperare. *Iob 30. 17.* Si [nocte] huius vitæ [os] noſtrum, id eſt robur mentis [perforatur] doloribus, & hoſtes, [qui nos comedunt] atque dilacerant, [non dormiunt,] neque quieſcunt. Si in multitudine eorum conſumitur veſtimentum noſtrum, illud ſcilicet quo anima operitur ex multiplici virtute contextum, & quaſi capitio tunicæ ſuccinxerunt nos, vt pene ſuffocati clamare ad Dominum, & auxilium poſcere nequeamus, necdum deponendus eſt animus, quia liberator noſter [effundet frameam] potentiæ ſuæ, quam habebat veluti vagina concluſam, & concludet atque obſidebit eos, qui omni ex parte obſidebant nos. *Pſal. 34. 3.* Eos inquam obſidebit, vt perdat, vt procul à nobis arceat, & vt ſaluator noſter effectus, certiſſimam victoriam citò affuturam promittat.

Ad hanc ſeptemplicem tentationem poſſumus vniuerſas tentationes ſiue mundi, ſiue diaboli, ſiue carnis reuocare; aut enim tentatio ſine ceſſatione impugnat, & importuna eſt: aut ambiguitatem rerum agendarum, vel omittendarum inducit, & dubia eſt: B aut repentè irruit, & ſubita eſt: aut negligentiam in rebus magni momenti gignit, & occulta eſt: aut omnes vires humanas obruit, & violenta eſt: aut ſub ſpecie boni, vel alia ratione ſeducit, & fraudulenta eſt: aut ex variis & oppoſitis impugnationibus conſtat, & perplexa eſt. Et de quolibet peccato poteſt vno ex his modis ſeorſum, vel omnibus ſimul noſter aduerſarius tentare, & nunc quaſi vno armorum genere aduersùs nos agere, nunc verò arma vniuerſa miſcere. Quibus tamen omnibus repellendis vnum ſcutum veritatis ſufficit, quæ mentem erudit, & vnum auxilium diuinæ gratiæ, quæ eandem iam veritate eruditam roborat, & ad reſiſtendum inflammat. Si diabolus ad vnum peccatum, vt ad immoderatam iram, ſubitò moueat, & importunè inſtet, C & violenter accendat, & reſiſtendi negligentiam generet, & malitiam indignationis inuoluat, & prætextu zeli defendat, & varias tentandi artes immiſceat, vna gratia, quæ conſtans eſt contra importunitatem, certa contra dubietatem, prouida contra repentinum inſultum, diligens contra negligentiam, robuſta contra violentiam, clara contra fraudulentiam, & virtute multiplex contra perplexitatem, poteſt hos omnes conatus euertere, & nos ab omni caſu liberare. Adſit mihi Dominus potentia gratiæ ſuæ, quia ſi conſiſtant aduersùm me caſtra, non timebit cor meum; ſi exurgat aduersùm me prælium, in hoc ego ſperabo.] *Pſal. 26. 3.* Omnia tentationum bella, & omnes aduerſarij, vt me conterant, potenter inſurgant, nam hoc auxilio fultus, delebo eos, vt puluerem terræ, quaſi lutum platearum comminuam eos atque confringam.] *2. Reg. 22. 43.* D Nam & Dominus ob id multa bella nos moleſtare permittit, vt multa merita conquiramus, & multiplici in ſuo regno, corona donemur.

De generalibus remedijs tentationum.

CAPVT X.

GENERALES tentandi rationes generalia remedia ſequantur, vt aciem hoſtium omnibus machinis ad nocendum inſtructam fortior, & paratior cumulus remediorum excipiat. E Quæ generalia dicuntur, non quia ipſa ſpecialia non ſint, ſatiſque ad reſiſtendi opus accommoda; ſed quia cuilibet tentationi depellendæ deſeruiunt, & nulla eſt tam noua, aut peregrina tentatio, cui non facilè aliquod ex ſubiunctis remediis obſiſtat. Licèt autem eadem ferè ſint remedia curandarum tentationum & pellendorum vitiorum, & de his ſupra non pauca diximus, hîc tamen iam dicta, aut omnino prætermittentes, aut breuiſſimè attingentes, ad alia, quæ commemorata non ſunt, exponenda feſtinabimus. De

his

Digitized by Google

Dio. li. de remedijs tentat. ab ar 13. vſque ad 24.
Guillier. lib. de tentationibus & reſiſtentijs c.
Gerſon. tract. de

A his autem plurima ſcripſerunt Dionyſius Richelius, Guillermus Pariſienſis, & Gerſon, multa etiam alij ſancti & eruditi viri docuerunt, qui res ſpirituales tractarunt, ex quibus nos non tam potiora explicare, quàm delibare decreuimus, vt lector ſub breui compendio, multa ac varia armorum genera habeat, & aduersùs multiplices aduerſariorum dolos, multas vincendi rationes addiſcat.

I. Tu ergo, ô vir Dei, qui patriam vis cœleſtem diripere, & ſcis innumera bella tentationum inſtare, & vndique aduerſarios inſurgere, nullo modo te imparatum & inermem bello committas. Recordare, obſecro, ſtulti illius adoleſcentis, qui nudo capite, capilliſque diſpersis in prælium introiuit, & [adhæſit caput eius quercui, & inter cœlum terrámque ſuſpenſus,] locum lanceis aduerſarij ducis in ſuo corpore dedit.

2. Reg. 18. 9.

B Si autem pugnam iniiſſet armis instructus galeáque protectus, non eſſet tam facilè percuſſus, nec ab armigeris Ioab tam infœliciter interfectus. Ille creator tuus, qui te bellis ſpiritualibus ſuſtinendis exponit, arma etiam contraria, quibus reſiſtas, & victoriæ præmia conſequaris, attribuit. Ne ſine illis ad bellum procedas, vt ab hoſtibus iriſus atque contemptus, vitam non iam corporis, ſed animæ pretioſioris amittas. Multos habes hoſtes, inquit Cyrillus, multa tela accipe: cum multis haſta concurris, opus eſt ergo diſcere, quo transfigas.]

Cyril. Ieroſoly. præfat. in catec.

Si autem vis hæc arma vno verbo perdiſcere, illud ſit beatiſſimi doctoris Ephreæm Syri, qui ea non ſine apta ſimilitudine expoſuit. Suum, inquit, quæque res habet contrarium.

Ephræ. de morbo lingua.

C Tenebris lux contraria eſt, amaritudini dulce, & vigilia ſomno. Qui creauit hæc omnia, nihil reliquit, cui non adiunxerit contrarium. Nam ſi mortalis homo ſuo ingenio componit inter ſe contraria, aduersúſque labores quietem adhibet, remediáque ac medicamenta, terra maríque opportunè conquirit, vt ſuam cuique morbo, vt res tempúſque poſtulat, curationem prudenter adhibeat: quantò magis immortalis ille omnium rerum procreator, cuncta ſuo diſponit ordine, atque ita moderatur, vt ad manum cuique ſint, quibus ab inimicis ſeſe defendat? Inſtructus es ergo armis, ô homo, aduersùs quoſcumq; hoſtes & aduerſarios tuos. Hæc tibi ad ſalutem conceſſa ſi neglexeris, victus, in die iudicij, quomodo teipſum excuſes, non habebis.

D Præſtò tibi contra aduerſarij machinas, ſunt arma diuerſa. Si ignita ſua in nos tela hoſtis emiſerit, habemus & nos orationis ſcutum inexpugnabile. Si libidinis in nos bellum mouent, ſociam nobis pugnam, animi dilectionem aduersùs illum aſſumamus. Si nos iniquitate captiuos ducere conatus fuerit, ad iuſtitiam confugientes, ſaluti noſtræ conſulamus. Si te per odium, atque malitiam vulnerare ſtuduerit, ad fraternam charitatem accurrito. Si te per arrogantiam atque ſuperbiam oppugnauerit, humilitatem ei opponito. Si corporis concupiſcentiam aduersùs te incitauerit, temperantiæ thoracem velociter induito. Si laſciuiæ iacula in nos contorſerit, galeam caſtitatis in eum aſſumamus. Si diuitiarum nos cupiditate ſtimulaterit, paupertatis beatitudinem habemus.

E Si gulæ nos vitio adorſus fuerit, ieiunij nobis alas aptemus. Et quia euerſionis cauſa eſt inuidia, præſtò nobis aderit charitas, ſi velimus: quæ corrigere queat & ædificare. Et ſicut ſuo inimico ſunt arma ad oppugnandum: ita & nobis adſunt noſtra ad defendendum.] Hæc omnia ille. Para igitur teipſum, & arma ad reſiſtendum comparato, & vt Eccleſiaſticus ait: Inclina autem tuam, & ſuſcipe verba intellectus; & ne feſtines in tempore obductionis,] id eſt, tempore preſſuræ & anguſtiæ, quam

Eccl. 2. 2.

A vis tentationis importat. Qui enim imparatus hoſtem excipit, tempore obſidionis imprudenter ſæpe feſtinat, & huc atque illuc ſe vertit, vt impetum eius repellat. Qui autem ad tempus obſidionis prouidet ſibi, quæ neceſſaria ſunt, is hoſtem quietus expectat. Ita & tu ſi tempeſtiuè te paraueris, & arma ad pugnandum cõquiſiens, & pene ſecurus expectabis hoſtem, & eius impetus non timebis. Arma verò paranda quædam ad intellectum, quædam ad affectum, quædam ad opus pertinent, quæ hîc ſuo ordine ſubiiciemus.

II. Illa ergo conſidera, quæ te ad reſiſtendum & vincendum accendant. Hæc autem eſſe poſſunt, quæ Ambroſius per ſex ciuitates refugij delinquentibus deſignatas, adumbrata eſſe cognouit.

Ambr. de fuga ſeculi. c. 2.

B Prima eſt cognitio verbi, & ad imaginem eius forma viuendi, vt ſi moleſtia impugnationis emerſerit, ſtatim mens ad Chriſtum properet, & eius ſanctitatem conſideret, & inde hauriat amorem boni, quod amplectatur, & mali, quod abiiciat. Vita enim æterna eſt, id eſt, ſemen æternæ vitæ, ſi cognoſcamus Deum, & quem ipſe miſit, Ieſum Chriſtum,] ea cognitione, quæ ad amorem boni & odium mali procedat.

Ioan. 17. 3.

Secunda eſt conſideratio diuinæ operationis, qua creatus eſt mundus, vt Deum noſtrum creatorem, & omnium authorem agnoſcentes, eum offendere timeamus. Etenim ſi parentes, qui nos genuerunt, amamus, & eos contriſtare erubeſcimus; quantò magis amare debemus creatorem parentum noſtrorum? & obedire vniuerſorum authori?

C Tertia eſt contemplatio poteſtatis diuinæ & maieſtatis æternæ, nam quem amor patris non cohibet à peccato, ſaltem timor illius Domini, qui poteſtatem habet mittere in gehennam,] in officio contineat.

Matt. 10. 28.

Quarta ciuitas eſt propitiationis diuinæ contuitus, vt videlicet diuinam miſericordiam conſideremus, quæ toties nobis indulſit, & ea iterum abuti, ſit nobis formidabile: ne (dicente Paulo:) Theſaurizemus nobis iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.]

Rom. 2. 5

Quinta legis diuinæ contemplatio, quæ facienda præſcribit: & ſexta illa legis portio, quæ docet, quid faciendum non ſit. Satis enim dolum iniquæ ſuaſionis aperit, ſi ſeriò cogitemus, quid Dominus, in cuius poteſtate ſumus, & à quo toti pendemus, aut nobis iubeat, aut è contra prohibeat: à cuius iuſſis reſilere, non eſt aliud, quàm

D in ſempiternam damnationem feſtinare. Hæc, quæ Ambroſius latiùs explanat, efficaciſſimè intellectum illuſtrant ad inueſtigandam peccati malitiam, & tentationem ad illud prouocantem refutandam. Sunt autem alia multa & ſimpliciora, quæ intellectus ad euertendas aduerſarij tentationes conſideret. Cogitet namque homo, quinam ſint dæmones, qui illum ad malum inducunt, & quid ſuaſionibus iniquis intendant. Illi profectò ſunt iniquiſſimi & nobis infeſtiſſimi, qui à ſuo conditore deſciuerunt, & ex ſtatu gratiæ in ſtatum perditionis lapſi ſunt. Ipſorum autem ſcopus in tentationibus eſt homines in æternum perdere, & à ſibi promiſſa fœlicitate ſeparare. Quis autem velit ſuis hoſtibus, & tam implacabilibus hoſtibus, & ſuum excidium procurantibus conſentire?

E Cogitet homo Chriſtum ſaluatorem in crucem actum, & tot preſſuras ſuſtinentem, vt debita peccatorum exoluat; & videat an æquum ſit hæc tanta beneficia perdere, & (quod ad ſe pertinet) peccati conſenſu, iterum maieſtatis Dominum crucifigere. Certè qui [aſpiciebant ſerpentem æneum à Moſe confectum,] etiam ſi à ſerpentibus eſſent [percuſſi, ſanabantur;] quantò magis qui Chriſtum è cruce pendentem aſpexerit diaboli morſum, id eſt peccati conſenſum effugiet? Cogita etiam, ô homo, di-

Num. 21. 9.

gnitatem

gnitatem tuam, quia omnibus corporeis creaturis prælatus,& [paulo minùs ab Angelis]minoratus es: quia ſplendore intellectus, & libertate arbitrij donatus; quia gratia, charitate & ſupernalibus donis indutus; quia in finem æternæ beatitudinis conditus; quia Deo,homini facto, fraternitate coniunctus; & ne diabolo hero viliſſimo ſeruias, & te ſummo malo, id eſt,peccato ſubiicias. Templum Dei es, non ex lignis lateribúſque compoſitum, ſed ex ſpiritali natura ad Dei imaginem fabricatum, quod ſi violaueris per conſenſum iniquitatis, vide ne ſuper teipſum ſemper duraturas pœnas induxeris. Cogita tandem mortis propinquitatem, Chriſti iudicis rectitudinem, pœnarum æternarum acerbitatem, fœlicitatis nos ſatiantis magnitudinem, & ne ob breuiſſimam & beſtialem voluptatem,vel ob tui hoſtis gaudium, ſcilicet tuæ voluntatis expletionem, hæc ineffabilia bona perdas, & illam immenſitatem malorum incurras.

Pſal. 8. n.6.

His omnibus, quæ ad fidem ſpectant, intellectus eruditur, vt tentationibus reſiſtat, & eas non admittendas eſſe cognoſcat. Et ideo de illa ait Paulus: In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Et Petrus: Reſiſtite fortes in fide.] Ioannes quoque: Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum,fides noſtra.] Nam verè fides eorum, quæ humano generi reuelata ſunt; fortes nos ad reſiſtendum reddit, à diaboli impulſibus nos defendit, & victoriam obtinet, ſi conſideramus quàm ſtultæ mentis eſt pro terrenis æterna, pro vilibus illuſtria, & pro his, quæ appetitum non ſatiant, nos explentia & ſaturantia deſpicere. At quæ affectum inflammant? Certè hæc. Primò honeſtatis deſiderium, ac promiſſionis ſpes. Secundum timor incurrendæ pœnæ & fœlicitatis amittendæ. Tertium amor illius,quem ſuper omnia diligimus, cuius volũtatem,& omnibus rebus creatis & nobis metipſis præponimus. Quartum fuga, qua quis aduerſarium ſuſurrantem relinquit, & ſe in abdito ſui creatoris abſcondit. Tria illa priora, Bernardus funibus, clauis, & glutino aſſimilat. Fune quodammodo,ait, alligatus eſt Redemptori, ſi quis fortè dum vehementiore tentatione turbatur,proponit ſibi honeſtatis intuitum, memoriam promiſſionis,& hoc interim ſe fune retinet, ne propoſitum penitus abrumpatur. Durum profectò vinculum & moleſtũ,ſed & periculosũ nimis,& quod diu tenere non poſſit. Siquidẽ putreſcunt funes,& pudoris vinculum aut obliuiſcimur, aut abrumpimus citò. Eſt autẽ qui clauis configitur Domino maieſtatis, quem timor Dei ligat,qui non expaueſcit ad vultus hominum, ſed ad memoriã gehennalium tormentorum. Et hic quidem peccare non metuit,ſed ardere. Durius tamen & fortius primo imprimitur, quia cùm ille vacillet in propoſito, iſte propoſitum non amittit. Glutino verò ei conglutinantur, id eſt,charitate, qui tam ſuauiter quàm ſecurè ligatus adhærens Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo.] Hæc Bernardus. De ſpe dictum eſt: In Domino ſperans non infirmabor.] Et ſi exurgat aduersùm me prælium, in hoc ego ſperabo.] Et bonus Dominus, & confortans, & ſciens ſperantes in ſe.] Scit quidẽ illos,vt roboret promiſſionibus ſuis, & rerũ ſupernarum deſiderio,ab amore terrenorum auellat,& in mediis tentationibus ad terrena prouocantibus,viſibilium contemptores efficiat. De timore hæc dicit Eccleſiaſticus: Si nõ in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua.] Ac rurſus: Timor Domini expellit peccatum: nam qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.] Amoris autem vim exprimit Paulus,cùm

Epheſ. 6. 16. — 1. Petri 5.9. — 1. Ioan. 5.4. — Bern. ſer. de triplici cohærentia vinculorum. — Pſal. 25. 1. — Pſal. 26. 3. — Nahum 1.7. — Eccleſ. 2.14. — Eccleſ. 1. 27. — Roma. 8.35.

ait: Quis nos ſeparabit à charitate Dei?] Et in Canticis dicitur, fortis vt mors dilectio.] Quia ſicut pro fugienda morte homo quælibet aduerſa patitur; ita amator Dei pro fugienda ſeparatione à vita ſua, quæ Deus eſt, omnia dulcia reſpuere, & omnia amara ſuſtinere non veretur. De abſconſione verò in Domino, intelligitur illud Iſaiæ: Et erit vir,ſicut qui abſconditur à vento,& celat ſe à tempeſtate:ſicut riui aquarũ in ſiti,& vmbra petræ prominentis in terra deſerta.] Si ventus vanitatis inſurgat, tu ad portum veritatis confuge: ſi tẽpeſtas indignationis deſæuiat, tu in Dominum, locum ſcilicet trãquillitatis intrare feſtina: ſi cupiditas exæſtuet, curre ad fontem aquæ viuæ,quæ te refrigeret: ſi libidinis ardor inſideat,ito ad petram & ad eum, qui eſt in vmbraculum diei ab æſtu,] in cuius vmbra caloré malæ cupiditatis non ſenties. Tentationi igitur valedicere, & ad Dominum cogitandum, & diligendum properare, efficaciſſimè quælibet impulſum tentatoris reiicit, & nos ſine vllo detrimento, & cum lucro defendit.

Cant. 8. 6. — Iſaiæ 32. 2. — Iſai. 4.6.

Remedia denique, quæ in ipſo opere ſita ſunt, multa ſuppetunt. Aliquando namque iuuat ad alia diuertere, & quæ nos infeſtant obliuiſci, quæ verò prodeſſe valent, animo cogitare. Sic de Iahel cantatum eſt: Aquam petenti lac dedit, & in phyala principum, obtulit butyrum.] Vide prudentiam mulieris: Siſara non lac ſed aquam petebat, quæ ſitim eius temperaret, & calore, ac fatigatione compreſſum ad fugiendum reficeret: illa verò non aquã ſed lac obtulit,quod ipsũ ſomno, id eſt,mortis imagine detineret. Tunc autem ſiniſtram manum miſit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, & tempora eius válidè perforauit. Ita & tu dæmoni ea, quæ tentationem roborent, poſtulanti, nonniſi ea offeras, quæ debilitent, vt poſſis demum illum à te repellere. Continuò vtile,immò neceſſarium eſt nos humiliare,deiicere,accuſare, vilipendere,& noſtram infirmitatem agnoſcentes, auxilium ad reſiſtendum expoſcere. Nam, vt magno Antonio reuelatum eſt, vniuerſum mundum multiplicibus laqueis implicitum aſpicienti, ſola humilitas eos euadit. Deus quoque ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam,] vt valeant fortitudinem aduerſariorum conterere. Quanti autem momenti ſit ad victoriam tentationum obtinendam humilitas, Dorotheus pulchra comparatione declarat. Sunt plerique, inquit,in mari natantes ex aliqua neceſſitate, qui cùm peritiam & artem natandi optimè teneant. vbi vndas in ſe prouentes aſpexerint,incuruati illis ſe ſubiiciunt, dum pertranſierint,atque ita ab eis nuſquam læduntur. Quòd ſi vellent venienti vndæ ſe ipſos opponere, illos abſque dubio longiùs vnda repelleret, & quaſi iacularentur in mari, atque ita fatigarentur, & frangerentur vi vndarum, nihil omnino perficientes. Idem in tentationibus contingit. Cùm quis aduenientem tentationem tulerit cum humilitate & patientia, illam ſine moleſtia, ſine læſione vlla pertranſit.] Neceſſarium etiam eſt cogitationes inſurgentes expendere,diligentiáque examinare,an quid manifeſtè malum afferant, an occultè malum ſub ſpecie boni, an bonum non rectè, nec conuenienti loco,aut tempore perſuadeant, vt ſic ſciamus damnoſas refutare, & proficuas admittere. Oportet nos, inquit Caſſianus, vniuerſas cogitationes, quæ emergunt in corde noſtro, ſagaci diſcretione diſcutere, origines earum,& cauſas,authoréſque primitùs indagantes, vt quales nos ei præbere debeamus, ex illorum merito, qui eas ſuggerunt, conſiderare poſſimus, vt efficiamur ſecundùm præceptum Domini, probabiles trapezitæ; quorum ſumma peritia eſt ac

Iudic. 5. 25. — Athanaſ. in vita. — 1. Petr. 5. n.5. — Doret. doctri.13. — Caſſia. col. 1. c. 20.

diſciplina,probare quod nam ſit aurum puriſſimum, & vt vulgò dicitur,obrizum,quódve ſit ignis purgatione minùs excoctum: æreo quoque viliique denario, ſi pretioſum numiſma ſub colore fulgentis auri imitetur,prudentiſſima diſcretione non falli: & non ſolùm numiſmata,tyrannorum vultum exprimentia ſapiēter agnoſcere,ſed etiam illa, quæ ſunt veri quidem regis imagine,ſed non legitimè figurata,peritia ſagaciore diſcernete: deinde ne quid illis à legitimo pondere diminutum ſit, cenſura trutinæ diligenter inquirere.

Ecce tria remedia ad opus pertinentia declaraui; nunc alia tria non minùs neceſſaria ſubiicio. Nam tentationi non ſolus conſenſus, aut delectatio, aut mora neganda eſt, ſed introitus ſuggeſtionis refutandus, ita vt nec primæ voci ſerpentis aurem præbeamus, ſed ſtatim diſſentiamus, reluctemur, & vel ſybilum audire dedignemur. Docuit id nos fortiſſimus Ionathas: *[1. Mach. 12.25.]* Qui, vt in libro Machabæorum legimus, audito hoſtium ſuorum aduentu, egreſſus eſt ad eos, nec dedit eis ſpacium, vt ingrederentur in regionem ſuam.] Quidnam eſt aduerſariorum aduentum audire, niſi initia ſuggeſtionis animaduertere? Statim occurrendum eſt, & vt Hieronymus *[Hieron.]* ait, dum paruus eſt hoſtis, interficiendus, ne malitia,ſi non elidatur in ſemine,vehementer excreſcat. Studioſiùs conſideremus, inquit Bernardus, *[Bern. ſer. de ſeptem ſpiritibus.]* quonam modo malignorum illorum ſpirituum ſuggeſtiones audire,immò quanta indignatione abiicere debeamus, auertentes aures noſtras,ne audiamus ſanguinem & ſapientiam, quam reuelat caro, & ſanguinis:paruulos quoque Babylonis, cogitatus, ſcilicet mundanos ab ipſo initio tenentes, & allidentes ad petram: ipſum etiam malignum cum tentationibus ſuis, à conſpectu cordis noſtri abiicientes,& deducentes ad nihilum.] Si ita primo ſibilo tentationis obſtiteris,non dubites,vt idem ſanctus pater alio loco *[idē ſer. 5. quadrageſi.]* teſtatur,quòd inimicus confuſus abſcedet à te, & non tam libenter ilico reuertetur. Si autem praua cogitatio vehementer irruperit,actione virtutis contrariæ reſiſtendum eſt, vt audacem hoſtem,ſtans pro nobis fortior amicus excipiat. De hoc remedio multa dicta ſunt ſuprà,nunc verba ſolius Bernardi meditanda propono. Et vobis, inquit, *[Ber. ſer. 1. in octaua paſcha.]* aduerſùs triplex genus tentationis triplici opus eſt munimento, vt carnis quidem concupiſcentia ipſius mortificatione vincatur, oculorum verò concupiſcentiam ſuperet ſtudium compūctionis, & aſſiduitas lacrymarum. Porro ambitionis vanitatē virtus charitatis excludat, quæ ſola caſtificat animum,ſola purgat intentionē.] Nec ſatis eſt vtcumque reſiſtere, niſi etiam fortiter & animosè reſiſtas. Hanc enim dimicandi fortitudinem ſonant verba Iudith ſuos ad pugnam hortantis: *[Iud. 14. 2.]* Et erit,cùm exierit ſol,accipiat vnus quiſque arma ſua, & exite cum impetu,non vt deſcendatis deorſum,ſed quaſi impetum facientes.] Prorſus ſol iuſtitiæ illis illuxit, qui aduersùs tentamenta diaboli, arma contrariæ virtutis accipiunt, qui non exeunt quaſi deorſum, id eſt,paulatim & timidè, ſed quaſi in via regia audacter & animosè procedunt, vt ipſa audacia decertandi hoſtes aduenientes exterreant. Circundet eos leo, terribiles vngues oſtendat, vociferetur, & rugiat, quia cùm ſola voce pugnet, cùm ſola armorum oſtenſione decertet, & nolentes ferire non poſſit, non eſt à virtutis amatore timendus. Rugire iſte leo poteſt,ait Bernardus, *[Ber. ſer. 13. in Pſalm. qui habi.]* ferire non poteſt. Rugiat quantum vult, tantùm non fugiat ouis Chriſti. Quāta minatur? Quanta exaggerat? quanta intentat? Non ſimus beſtiæ,vt nos proſternāt vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent qui tali

A curioſiùs veſtigauerunt, ad rugitum leonis nullam beſtiam ſtare poſſe, ne eam quidem, quæ aduersùs ictum, eius tota animoſitate repugnat & plerumque ſuperat ferientem,quæ non ſuſtinet rugientem. Verè beſtia,verè rationis expers, qui tam puſillanimis eſt, vt ſolo timore cedat, qui ſola futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum non telo, ſed fuga proſternitur.] Hæc ille. Non timeamus igitur,ſed intrepide repugnemus,& illa verba Domini nos roborent: Non eritis vos,qui dimicabitis,ſed tantūmodo *[2. Paral. 20. 17.]* confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos, ô Iuda & Hieruſalem:nolite timere, nec paueatis:cras egrediemini contra eos, & Dominus erit vobiſcum.] Quem iſta verba non accendant?

B Certè Barach mulieris ſermonibus animatus, *[Iudic. 5. 15.]* quaſi in præceps, & barathrum ſe diſcrimini dedit,] & in torrentem Ciſon cum impetu magno deſcendit, vt cum duce Iabim manus conſereret, quid faciemus nos non ſermonibus Deboræ,ſed Domini pollicitationibus confortati, niſi cum impetu, & ſine vllo metu ac trepidatione pugnare?

Poſtrema iam remedia,quę ſuperſunt ad vincendas tentationes,exponam. Et quidem(ſicut ea, quæ propoſuimus) in opere conſiſtunt, & quaternario poſſunt numero comprehēdi. Qui ergo aliqua tentione pulſaris,inuoca Dominum adiutorem,qui ſecundùm promiſſionem ſuam ore Dauidis pronuntiatam, *[Pſal. 90. n. 15.]* te clementer exaudiet,& à poteſtate aduerſariorum[eripiet.]Dic illi cum quanto potueris compunctionis

C affectu: Domine vim patior, reſponde *[Iſai. 38. n. 14.]* pro me.] Illud quoque regis Ioſaphat: *[2. Par. 20. 12.]* In nobis Domine non eſt tanta fortitudo,vt poſſimus huic multitudini reſiſtere,quæ irruit ſuper nos.Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.] Inuoca etiam piiſſimam omnium hominum adiutricem, Beatiſſimam Virginem Mariam, quæ à Patriarchis, Regibus,Ducibúſque progenita,ſatis indicat ſe matrem noſtram eſſe,quæ ſub tegmine alarum ſuarum nos protegat: Reginam,quæ nos defendat, & Ductricem,quæ in præmium victoribus deſtinatum deducat.Ipſa eſt [vrbs fortitudinis,] *[Iſai. 26. n. 1.]* quæ ad ſe confugientes intra mœnia ſecuriſſima protectionis recipit: clypeus omnibus ſperantibus in ſe,] *[Prou. 30. n. 5.]* in quo telum

D cuiuſque tentationis extinguitur: Caſtrorum acies *[Cant. 6. n. 3.]* ordinata,quę ſibi fidentes,impetratæ gratiæ largitione communiat. [voca,] tandem,vt ait Eliphaz apud Iob, *[Iob 5. 1.]* [ſi eſt qui tibi reſpondeat,] & quidem non deeſt,qui te erudiat in cæcitate poſitum, & qui te tentatione oppreſſum tueatur, & ad aliquem Sanctorum conuertere. Ad eum ſcilicet,vel eos præcipuè, quos apud Dominum patronos habes,vt illi piè inuocati,bona apud Regem de te loquantur, gratiam impetrent ad fugandum diabolum,& ſua interceſſione victoriam, obtineant. Aperi conſcientiam tuam Prælato,aut ſpirituali magiſtro, aut alteri probato viro,cogitationes,tentationéſque, & dæmonis ſuggeſtiones edicito,conſilium quære, & remedia curandi te ipſum, ac pugnandi rationem addiſce.

E Qui enim vulnus ſuum detegere, vel auxilium petere negligit,vt Bonauentura ait, *[Bonau. in ſpeculo. cap. 2.]* ſua non immeritò negligentia periit. Niniuitæ quidem veſtiti ſunt ſaccis, à maiore vſque ad minorem, & ſic miſericordiam meruerunt: *[Iona 3. 5.]* Miſertus eſt enim Dominus ſuper malitiam, quam loquutus fuerat,vt faceret eis. [Quidnam eſt ſaccis operiri,niſi ſe peccatores & morte dignos oſtendere. Oſtende ergo infirmitates tuas, vt periti medici ſcientia cureris. Nam ſicut humor peſtilens foras non exiens mortem affert, ita tentatio celata eam abſcondentem

inter

Clima gradu 4. de obedientia.

interficit. Optimè Climacus ait: Qui cæcum duce paſtore, gregem viæ ignarum ductore, infantem patre ſuo, ægrotum medicu, gubernatore nauem deſtituit & fraudat, vtriſque periculum parat. Qui verò ſine patris auxilio, cōtra ſpiritus nequam pugnare nititur, ab illis occiditur.] Compatere aliis tentatis & tribulatis, eiſque pro poſſe ſubſidium impende, vt & tu in ſimili neceſſitate poſitus miſericordiam conſequaris, & efficacibus gratiæ auxiliis adiuueris. Nam ſcriptum eſt: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.] Et qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.] Et beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: quoniam in die mala liberabit eum Dominus.] Tandem in promptu habeas verba Scripturę ſanctæ, cuilibet tentationi repellendæ accommodata, quæ velut iacula potentiſſima in hoſtem aduersùs te pugnantem intorqueas. Omnis enim ſermo Dei, ignitus clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe.] Sic Dominus tentanti dæmoni, ſacrarum Scripturarum ſermones oppoſuit, vt fraudulentis ſuggeſtionibus inimici, inquit Caſſianus, nos quoque ſimiliter memoria Scripturarum debeamus obſiſtere. Si his remediis fideliter vſus fueris, pro certo habeo, quòd gratia Dei tibi aderit, vt tentationes vincas, hoſtes proſternas, & teipſum mundum incontaminatúmque cuſtodias, ac tandem coronam ſeruorum fidelium & victorum obtineas.

Matth. 5. n. 4.
Matth. 7. n. 2.
Pſal. 40. n. 2.
Prou. 30. n. 5.
Matth. 4.
Caſſian. coll. 22. c. 10.

De his, quæ victoriam tentationum impediunt.

CAPVT XI.

TENTATIO, vt non ſemel diximus, cōflictus eſt belli, quo dæmones, & alij aduerſarij humanę ſalutis aduersùs homines pugnant, & homines non tantùm pro victoria, ſed etiam pro aris focíſq; decertant. Non ſolùm ergo his arma oſtendēda, & miniſtranda ſunt, quibus pugnent, ſed etiam aperienda pericula, & negligētiæ, aut ſtultitiæ pandendæ, quibus, ſi non occurrant, abſque dubio in hoc ancipiti bello vincēntur. Hæ autem ſtultitiæ cædem omnino ſunt, quę in corporali bello, quod aut pro defendenda Republica, aut pro expugnanda aduerſariorum arce victoriā, & fœlicem prælij ſucceſſum impediunt. Bellum enim animæ, ex quo ſalus ęterna dependet, non minùs quàm viſibilia bella prudentiam, & dexteritatem requirit, vt optatum finem, ſcilicet hoſtium fugam, vel mortem, & claram victoriam obtineat. Nam & Salomon ait: Cum diſpoſitione initur bellum: & erit ſalus vbi multa conſilia.] Eſt ac ſi diceret: Prudenter bella gerenda ſunt, quorum ſalus, id eſt, concupita victoria, non tam ex militum numero & copia, quàm ex eorum inuiolabili ordine pendet, & ex ducū ſapientia atque conſilio. Et meritò viribus ſapientia præfertur, quæ vires animat, &, vbi & quando oportet, ad victoriam conſequendam aſſumit. Dicatur igitur: Melior eſt ſapientia quàm vires, & vir prudēs quàm fortis.] Quoniam niſi vires ſapienter moueantur, non ſalutem ſed excidium afferent; & vir fortis ſine ſapientia, à fortitudine declinabit, & in temeritatem propendet. Quæramus itaque imperitias militum & Imperatorum, qui bella viſibilia gerenda ſuſcipiunt, & ipſorum ignorantia, ac imprudentia nos ad diſcendam ſapientiam, & tentationes vincendas erudiant.

Prou. 24. 6.
Sapien. 6. 1.

Prima ſtultitia militum eſt, (vt Dionyſius Rikelius meditatur, qui omnia ad hoc argumentum pertinentia optimè proſequitur) ſi non ſint in acie bene diſpoſiti, & ita loci diſtantia ſeparentur, vt mutuò ſe adiuuare non poſſint. Quomodo enim aciem aduerſariorum ſimul irruentem, & ſecundùm omnes ſuas partes ſe iuuantem, deficient, qui ſeparati belligerantur, & ſinguli ſolis proprijs viribus, & nihil ab alijs accipientes, hoſtem multiplicem adoriuntur. Ita in tentationis conflictu ſtultitia eſt, ſi vires internas habeas in diuerſa diſtractas, & à teipſo diuerſorum, immò & contrariorum amore diſſideas. Si hoſtis ergo voluntatem ad prauum conſenſum trahit, intellectus illius conſenſus prauitatem indagans, ſe volūtati cōſociet; appetitus mortificatione cohibitus voluntati ſeruiat; ſenſus ab eo, quod pellicit, pro voluntatis obſequio diffugiat. Nam ſi vires aut comites, aut pediſequæ voluntatis eam deſerant, aut etiam aduerſario faueant, non mirum ſi ipſa diſſiliat.

Dionyſ. li. de remed. tentatio- num art. 12.

Altera ſtultitia artis militaris eſt, ſi milites ab Imperatore, & à ſemetipſis mutuò diſſentiant. Duce namque vnum præcipiente, milites aliud facient; & dum ipſi diuerſa aggrediuntur, & in contraria diſtrahuntur, nullo negotio ab aduerſario vincentur. Sic ſi ab amore Prælatorum & fratrum te ſegreges, quorum orationibus, exemplis, & adhortationibus es in tentatione iuuandus, non mirum ſi tentatione vincaris. Annon ſcriptum eſt? Væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſubleuantem ſe.] Solus verò es, ſi corpore tantùm in congregatione habites, motibus autem, & voluntatis concordia ſine comite, ſocióque conſiſtas. Profectò, ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtūt ei: funiculus triplex difficilè rumpitur.] Sicut ergo funis ex triplici chorda contextus non facile cedit volenti eum rumpere, ita mutua charitas ex triplici fune compoſita, qua Deum propter ſeipſum amamus, & alios propter Deum diligimus, & noſtram ſalutē propter ipſum Deum amore complectimur, non facilè tentationibus ſuperabitur. Ac proinde aliis amoris nexu iungamur, quorum viribus fulti aduerſarios ſuperemus. Frater quippe, qui adiuuatur à fratre eſt quaſi ciuitas firma, quæ machinas, & tormenta bellica aduerſariorū irridet.]

Eccleſ. 4. 10.
Eccleſ. 4. 12.
Prou. 18 n. 19.

Tertia belli imperitia eſt, exercitum imparatum eſſe, arma neceſſaria non ſumere, & in loco periculoſo ac minimè munito, ſine timore dormire. Hæc cauſa occiſionis Amalecitarum fuit: qui ſuccenſa Siceleg, diſcumbebant ſuper faciem vniuerſæ terræ comedentes, & bibentes, & quaſi feſtum celebrantes diem. Percuſſit autem eos Dauid, à veſpere vſque ad veſperam alterius diei, & ferè non euaſit ex eis quiſquam.] Ita imperitia erit in ſpirituali bello cum diabolo, ſi te negligentem, & imparatum inueniat. Quare ſemper teipſum inſpice, & omnia loca circumquaque perluſtra, ſemper arma virtutum para, & auxilis diuinis oratione comparatis te communi; ſemper vigila, & cautè ac prudenter te habe, ne ab hoſte ſubitò irruente vulneteris. Ad hanc ſalubrem præparationem hortabatur ſuos diſcipulos Dominus illis verbis: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.] Lumbi enim virtute præcincti mentem fortificant, & lucerna manu accepta, pericula manifeſtat. Hanc armorum acceptionē iubet Paulus, dicens: Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.] Nam imbellis cum optimo bellatore, & inermis cum armato confligens, ſibimetipſi aut mortem, aut vincula aſciſcit. Hanc in loco periculoſo vigilantiā clamat illa ſententia Saluatoris: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.] Qui enim non vigilat non ſolùm tentatur (quod etiam vigilātibus accidit) ſed per conſenſum, tentationis profundum ingreditur. At denique omnia comprehendit Eccleſiaſticus, dum

1. Reg. 30. 16. 17.
Luca 12. n. 35.
Epheſ. 6. 13.
Matt. 26. n. 41.

Eccl. 11. 27. ait: In die bonorum,ne immemor ſis malorum.]Ita ſcilicet, vt in die pacis, & tranquillitatis te venturæ forſan tentationis cura ſolicitet, & in paradis ad bellum armis ſe animus diligenter exerceat.

Sequitur quarta imperitia in bello; ea autem eſt, ſi quis ex noſtris viam ingrediendi aduerſariis aperiat, & cum hoſtibus fœdera iungat, qui irruentes,& illum ſui Regni traditorem, & reliquos infœlici ſeruituti ſubiicient, aut inſperata morte præripient .Sic ſtultum eſt tentationi ianuam conſenſus aperire, & cum hoſte animæ, id eſt, cum peccato fœdus inire. *Matt. 10. n.4.* Vnus Iudas,qui ad Chriſti collegium pertinebat,ſaluatorem ſuum inimicis[tradidit,] & tradendo vitam occidit: eodem modo vnus conſenſus voluntatis vitam animæ in nobiſmetipſis interimit. Ne ergo, ianuam aperiamus hoſti, ſed potiùs eius doloſa verba *Ephes. 4. 27.* refutemus. Quod præcipit Paulus, dum ait: Nolite locum dare diabolo.] Qui enim,vt inquit Anſelmus, ſuggeſtionibus eius conſentit,dat ei locum in ſe. Claudendum eſt cordis oſtium, ne tentator ingrediatur.Tentator non ceſſat pulſare,vt irrumpat. Si clauſum inuenerit, tranſit.Quia verò in veſtra poteſtate eſt, hoc oſtium claudere, nolite locum dare diabolo. Etenim ſi intrauit & poſſedit, aut tu negligenter clauſiſti, aut claudere neglexiſti.] Hæc ille. Imitandus ergo eſt Eliſeus, qui præuidens ſpiculatorem à rege Ioram miſſum ad occidendum ſe,dixit ſenibus qui cum eo erant: *4. Reg. 6. 32.* Claudite oſtium, & non ſinatis eum introire.]Sic prudentes cogitationes ſenibus deſignatæ oſtium cordis claudant, ne nuntius mortis,id eſt,prauus conſenſus introeat.Ipſo námque admiſſo è veſtigio vita diſcedet, & mors peccati, quam ſuper omnia timere deberemus, aduenient.

Poſt hanc quartam ſtultitiam exponamus quintam,qua milites laborioſè,& cum ſuo periculo hoſtibus reluctantur,quos poſſent ſine vllo periculo & labore ſubiicere. Induſtria quidem belli eſt,ſi Imperator videat hoſtes fame,aut inſanabili morbo laborãtes,prælio abſtinere,protelare conflictum, vt ſine vllo ſuorum periculo,illos non tam enſe,quàm morbo & fame conficiat. Stultus autem eſſet ſi opportunitatem præueniens, cum hoſtibus manus confererer, quos præcognita alimentorum neceſſitas furore leones faceret,& ad fortiſſimè pugnandum acueret.Sic ſtulti ſunt,qui importunas quaſdam tẽtationes, quas poſſent ſolo contemptu,& reſpectu mentis ad aliqua vtiliora protercre,volunt moleſtia corporis, fractione capitis, & ſignis externis,geſtibúſque fugare,quibus præſentibus & aſpicientibus,ſeipſos ridiculos,& pene fatuos oſtendunt. Cùm turpes imagines, aut cogitationes blaſphemiæ ante oculos cordis vobis nolentibus circũuolitare,& liberè vagare conſpicitis, quid ad eas abigẽdas inſuetis motibus inſanitis? Peccatum non in ſenſu ſed in conſenſu eſt, ſenſum manſuetè & tranquillè ſupportate,conſenſum autem cohibete, & huiuſmodi deliramentorum contemptu ea ſine dubio vinceris. *Deut. 1. 30.* Dominus Deus, qui ductor eſt veſter,pro vobis ipſe pugnabit,ſicut fecit in Ægypto cunctis videntibus.] Annon Ægyptum ſeculi,aut ſæcularis vitæ ſolo contẽptu & derelictione proſtraſtis? & pugnante pro vobis Domino in regionẽ ſalutis,id eſt in ſpiritualem vitam appuliſtis? Eodẽ modo has importunas cogitationes, quæ reliquiæ ſunt ſæcularis vitæ, & quaſi racematio præteritæ conuerſationis,ſolo contemptu, & reſpectione mentis ad alia vtilia,deiicietis.

Sexta imperitia bellatorum eſt , ſi non vtantur in bello cõtrariis,quæ poſſint conatibus aduerſariorum obſiſtere.Exempli gratia,iſti caſtra incendũt,ſtultum erit,ſi aqua ignẽ non extinguas.Murum diruerũt,abſurdum erit,ſi non iterũ ædificare contendas:armentorum multitudine aciem diſturbare nituntur, ridiculũ erit,ſi nõ ſe facili negocio acies aperiat, vt equis, bobúſq; per media currentibus, ſtatim diligens cura militum iterum aciem occludat. Similiter in ſpirituali bello eſt magna ſtultitia, imminentibus malis ſimilia adiungere,& non contrariis reluctari. Caro igne cõcupiſcentiæ ardet, & tu cibo,& potu te ingurgitabis? Delicatas veſtes indues? Fœminarum cõſortia diliges? Et tam manifeſta ignis fomenta in ignem te depaſcentem,conicies, quid mirum ſi luxuria cõſummaris ? Frater conuitio te impetit , quem ſolo ſilentio & manſuetudine placare debueras,& cõuitio eius conuitia adhibes,& manifeſta contumelia reſpondes, & vna tantùm beſtia in aciem tui cordis iactata, in diuerſa per indignationẽ diſtraheris? Non erit mirabile ſi iræ gladio confoſſus ab odio vincaris. Vide quid dicat Paulus: Noli vinci à malo,ſed vince in bono malum.] *Rom. 12. n.21.* Si ſæuias in malum,vt Auguſtinus pulchrè ait, *Aug. ſer. in natali S. Laurentij.* addis te illi,& coniungeris illi. Reſtat igitur vt illum vincas,quòd illum ſuſtineas, & non eadem via indignationis,ſed via cõtraria charitatis incedas. Qui non vtuntur in bello ſpirituali contrariis, ſed vitia ſua fouent, videntur hoſti appropinquare, quem à longè poſſent ſine labore deiicere.

Septima ſtultitia eſt,oneribus, quæ curſum & pugnam impediant, ad bellũ procedere, & arma ſupra vires militum ponderoſiora geſtare. Quam meritò vitauit ſanctus Dauid,cùm[aduerſus Philiſtæum] certamen initurus, *1. Reg. 17. n.40.* arma Saulis ſibi minùs accommodata depoſuit,& funda & lapide,cui aſſuetus erat,ad gigantem debellandum[proceſſit.] In hanc verò ſtultitiam incurres,ſi pias exercitationes ſupra proprias vires,ad inſultus dæmonis vincendos arripias. Vt ſi immoderatè vigiles,ieiunes, ores,& alia ſimilia pietatis ſtudia perficias. [Rationabile obſequium veſtrum,] *Rom. 12. n.1.* inquit Apoſtolus, Tale ſcilicet,quod corpus domet, non deſtruat:tale quod per totam vitam durare poſſit,nõ quod poſt paucos dies deponere neceſſe ſit,vt imbecillitas noſtrę naturę ſubſiſtat. Pulchrè ſanè Bernardus hanc ſpiritualium militum imperitiam,in hũc modum detexit: *Bernar.* Quoties diabolus ſuggeſſit anticipare vigilias, quoad ſolennia fratrum illuderet dormitãti? Quoties produci ieiunia, vt diuinis obſequiis eo inutilem redderet,quo imbecillem? Quoties bene proficientibus in cœnobiis inuidens , obtentu quaſi maioris puritatis eremum petere perſuaſit? Et cognouerunt miſeri tandem,quàm verus ſit ſermo,quẽ fruſtra legerant: Væ ſoli,quoniam ſi ceciderit,non habet ſubleuantem?] *Eccl. 4. n. 10.* Quoties ad opus manuum, pluſquàm opus fuerat,incitauit, & fractũ viribus cæteris regularibus exercitiis inualidũ reddidit? Quàm multis exercitationem corporis non modicam perſuaſit, & pietate fraudauit? Deniq; ipſi experti eſtis,quomodo quidã,qui antè inhiberi non poterant,pòſt ad tantam ignauiam deuenerunt,vt cùm ſpiritu cœperint, nunc carne conſumentur; quàm turpe inire fœdus cum ſuis corporibus,quibus crudele antè indixerant bellũ.] Hæc ille. Ita ergo corpora caſtigemus,vt exercitatio corporalis carnem non perimat,ſed cõpreſſam virtuti ſubiiciat. Nec iſta dicta ſunt,vt omnino neceſſariam vitæ aſperitatem deſeramus, & in extremum contrarium declinemus. Caro enim licèt non imprudenter oneranda,non tamen molliter tractanda eſt, ne aduerſùs ſpiritum inualeſcat. *Pſal. 47. n.8.* In ſpiritu enim vehementi,(inquit Dauid ad Dominum loquẽs) conteres naues Tharſis,] quia non riſus,non abundantia cibi & potus,non vita delicata,ſed cõpunctionis feruor, ieiuniorum & vigiliarum ſtudium , & circunſpecta conuerſatio , mala ſæculi gaudia diſturbat.

Iob 3. nu. 6. Greg. 4. mor. c. 17. Et Iob de nocte culpæ dicit: Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat.] Id eſt (vt interpretatur Gregorius) perpetrationem culpæ, non blandimenta ſecuræ quietis foueant, ſed piè ſæuiens amaritudo pœnitentiæ irrumpat.] Et quidem qui in hoc negligens eſt, in aliam ſtultitiam incidit, quòd hoſtem amicum reputat & contra ſeipſum manifeſtè confortat.

Octaua ſtultitia eſt, in ipſo conflictu arma abiicere, & ſe hoſti ſpoliandum, feriendum, & occidendum offerre. Militem iſta facientem imitantur non perſeuerantes, qui principio quidem pugnant, & ſecundùm præſcriptum ſpiritualis magiſtri media adhibent, ſi verò tentatio (Domino ita propter eorum bonum diſponente) non ceſſet, deſpondent animum, & pene deſperant, & de tradendis hoſti ſeipſis cogitant. Sunt iſti ſicut Iſraëlitæ, qui decreuerunt apud ſe, quinque tantùm diebus auxilium expectare à Domino, & auxilio tardante, atque elapſo dierum termino præſtituto, ciuitatem hoſti committere. *Iudith 8. 11. & 12.* Quibus dixit Iudith: Qui eſtis vos, qui tentatis Dominum? Non eſt iſte ſermo qui miſericordiam prouocet, ſed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. Poſuiſtis vos terminum miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei.] *1. Corin. 15. 58.* Sed hos monet Paulus: Itaque fratres mei dilecti ſtabiles eſtote, & immobiles: abundantes in opere Domini ſemper.] Stabilitas in bono propoſito, & immobilitas in loco noſtro tenendo neceſſaria eſt. Quia profectò non incipientibus pugnare, aut pati, ſed perſeuerantibus ſalus promiſſa eſt; dicente Domino: *Matt. 10. 22. 32.* Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

Nona ſtultitia bellantium eſt, non reſiſtere hoſtibus in locis aptioribus, cuiuſmodi ſunt loca alta & anguſta, in quibus multis pauci reſiſtunt, ſed in locis patentibus, vbi aduerſarij aliquanto ſuperiores viribus, victoriam aſſequentur. Ad quam ſtultitiam cauendam hortabantur ſe Syri, dicentes: *3. Reg. 20. 23.* Dij montium ſunt Dij eorum, & ideo ſuperauerunt nos; ſed melius eſt, vt pugnemus contra eos in campeſtribus, & obtinebimus eos.] Eam autem amplectuntur, qui ſtatum vitæ perfectæ, aut vitam ipſam perfectam, & occupationes ſublimes relinquunt, in quibus facile eſt tentationes vincere, & ad vitam ſæcularem, aut ſæculares, & exteriores occupationes redeunt, in quibus difficile eſt à tentationum laqueis liberari. Aues namque in media regione aëris ſecuræ volant, at in infima regione, & prope terram periculo ſunt expoſitæ: ſic periculoſum eſt animi diſtractionibus, & terrenis occupationibus adhæreſcere, in quibus aut laqueus tentationis latet, aut viſcus immoderatæ affectionis nos capientis adhæret. *Prou. 6. 5.* Eruere igitur, inquit Salomon, quaſi damula de manu, & quaſi auis de manu aucupis.] Quod certè difficillimè præſtabis, ſi patiaris te à venatore capi, & laqueis dæmonis implicari, facillimè verò, ſi omnem occaſionem fugias, & ſicut damula inuia deſerta petens, & ſicut auis quàm longiſſimè à terra ſe ſeparans, à primo ingreſſu in laqueum, imò & ab ipſo te conſpectu laqueorum auertas.

Decima & poſtrema imperitia militum eſt, (nam alias, quas Dionyſius ponit, in prædictis comprehendimus) ibi minùs ſe de armatura prouidere, vbi *Iudic. 4.* magis neceſſaria eſt, & maiora inſtant pericula. Sic inſanus fuit Siſara, qui in tentorio inimicæ mulieris, caput, quod munire debuerat, incautè detexit, & tam craſſa imprudentia, quam iam à prælio fugiens euaſerat, mortem aſciuit. *Iudic. 5. 26.* Nam Iahel [quæſiuit in capite vulneri locum,] quod ſine galea re-

A periens, [tempora validè perforauit.] Sic etiam ſtultus eris, ſi aduersùs alia vitia te muniens, aduersùs illud arma non quæras, ad quod, aut ex naturali diſpoſitione, aut ex inſolita conſuetudine pronior exiſtis. Si ſuperbia te proterit, arma inprimis humilitatis aſſumito: ſi luxuria vrit, ab occaſionis igne diſcedito, & carnis petulantiam caſtigato: nam rege tuorum hoſtium victo, facile erit milites vincere: his autem aut illis minoribus vitiis deuictis, non ſtatim eſt facile ducem alia aeuentem deturbare. Mortuo Goliath, dicit Scriptura: Videntes Philiſtiim, quòd mortuus eſſet fortiſſimus eorum, fugerunt.] *1. Reg. 17. 51.* Sic vitio præcipuo, & acriùs nos tentante, per ſtudium contrariæ virtutis extincto, alia nobis non multùm curantibus fugiunt, & ipſa, ſua
B debilitate ſe victa & proſtrata confitentur. Has tu imperitias in ſpirituali bello aduersùs tentationes fuge, remediáque ſuprà poſita diligenter adhibe, & tibi poteris de diuina gratia, hoſtium victoriam polliceri.

De tentationibus in ſpeciali, ac primò incipientium.

CAPVT XII.

C TENTATIONVM bella tot ſunt numero, quot ſunt vitia, quæ nos infeſtant; quot ſunt peccata, quæ nos turbant: quot ſunt doli & laquei aduerſariorum, quibus nos capere & ligare contendunt: quare ſicut impoſſibile eſt, vniuerſos diaboli laqueos exponere: ita pariter eſt impoſſibile, omnes tentationes numerare. Peregrinationis huius vitæ, inquit Laurentius Iuſtinianus, *Iuſtinia. lib. de gradibus perfectio. c. 4* quiſquis voluerit indagare diſcrimina, inimicorum genera, tentationum ſpecies, numeroſitates laqueorum, & peccatorum lapſus, protſus neceſſe eſt, vt in ſua conſideratione deficiat, præcipuè cùm vita hæc horum vniuerſa ſit plena. Horis quippe ſingulis, in cunctis actibus, in omnibus negotiis, & in quibuſque locis reperies quid cauere, quid metuere,
D quid reſpuere, & cum quibus hoſtibus pugnare te oporteat. Equidem intra nos vigent concupiſcentiæ, bella geruntur, aduerſarij ſunt ſpirituales, hebetatur mens, obnubilatur intellectus, cogitationes perturbant, conſilia deſunt, alternatur intentio, frigeſcit affectio, deliberatio nutat, interdum, quę diſplicebant, placent, & poſt paululum, quæ grata erant, odio habentur, ſicque interior homo, tanquam nauis in medio pelagi conſtituta, diuerſarum procellarum impulſionibus agitata, naufragióque propinqua obtunditur, deprimitur, attollitur, & periclitatur.] Hæc ille. Non ergo opus ſupra facultatem noſtram, & quod planè ab homine fieri non poteſt, aggredimur, ſed quod facile eſt & ſimul vtile, enucleare tentamus. Il-
E lud autem eſt, ex innumera tentationum colluuie, aliquas communiores ſeligere, quæ in triplici ſtatu ſpiritualis vitæ, ſcilicet incipientium, proficientium, & perfectorum viros virtuti deditos ordinariè pertentant. Alias enim eſſe tentationes imperfectorum, alias verò perfectorum, docet Origenes manifeſtè, *Orige. in Ioſue hom. 11. ad c. 9.* quorum illi à carne & ſanguine, iſti verò à principibus, & poteſtatibus tenebrarũ, importunis tentationibus affliguntur. Quod non ita accipiendum eſt, ac ſi nunquam caro perfectos, & nunquam ſpiritus malignus imperfectos impugnet, ſed quia communi-

ter ſoleant imperfecti craſſioribus bellis impeti, perfecti verò ſpiritualioribus tentationibus impugnari. Neque etiam iſtæ tentationes ita accipiendæ ſunt, vt ſemper putemus, ſtatum, cui eas aſſignamus, vitæ ſpiritualis impetere, ſed quia ſæpe ita accidat, eas diuerſis temporibus accommodamus. Sicut enim ſol aliquando clarus & ſerenus exoritus, aliquando autem turbidus, & nubibus obuelatus; ita Chriſtus iuſtitiæ ſol quoſdam manè, id eſt, in initio conuerſionis, ſine vlla nube tentationis ſerenus illuminat, quibuſdam verò quaſi nube tectus, inter tentationes apparet. De illo primo exortu dictum eſt: Ortus eſt
Pſal. 103. 22.
ſol, & congregati ſunt,] intellige, catuli leonum, ſiue tentationum incurſus, & in cubilibus ſuis collocabuntur: quoniam ad gratiæ cœleſtis aduentũ, omnia ſolent diaboli tentamenta diſcedere. De iſta autem
B
Amos 4. 13.
illuſtratione ſecunda dicit Amos: Faciens matutinam nebulam, & gradiens ſuper excelſa terræ: Dominus Deus exercituum nomen eius.] Illuceſcit enim Dominus, ſed non ſine nebula tentationum, quæ quodammodo eius ſerenam faciem abſcondant, & ad caſum ac peccatum impellant, ita vt dicat anima:
Iſaiæ 38. 12.
Dum adhuc ordirer, ſuccidit me.] At ſiue tentationes in ipſo exordio conuerſionis incipiant, ſiue vſque ad profectum aliquem animę ſe contineant, vtiliſſimum eſt cogitare, eas non ſemper defuturas, immò cùm
Ephre. in dehortat. ad pœtentiam.
minùs putamus, aduersùs animam ſurrecturas. Quia, vt loquit Ephræm: Bellum militum breue, ſed monachi, & cuiuſuis ſpiritualis viri pugna, quouſque emigrat ad Dominum, durat.] Vtilius autem eſt, ſemper animosè pugnare, & hoſti nunc inſtanti, & nos
C
inſequenti reſiſtere. Nam ſi huic & aliis ſuo ordine dimicantibus reſtiterimus, tandẽ lux pacis, quæ nun-
Iob 11. 10. & 17.
quam occidat, nobis aſſurget. Miſeriæ quoque obliuiſceris, ô homo, (vt te Iobi verba confortent) & quaſi aquarum quæ præterierunt, (cum gaudio) recordaberis. Et quaſi meridianus fulgor conſurget tibi Dominus ad vitæ veſperam, & cùm te conſumptum putaueris, orieris vt lucifer.] Sed iam primo loco tentationes incipientium aperiamus.

De ſegnitie, aut nimio feruore tentatio. §. I.

INcipientes ſolent inprimis, aut ſegnitie ac vecordia tentari, aut nimio & indiſcreto feruore percelli. Vecordiæ cauſa triplex eſſe ſolet. Altera eſt inſcitia,
D
qua quis ſpiritalis vitæ ſublimitatem non agnoſcens, putat ſe minima quadam, aut nulla diligentia eius apicem tenere poſſe, & ideo laborare, & manibus, ac pedibus, vt aiunt, reptare non curat. Altera eſt falſa quædam tranquillitas ex tentationum defectu proueniens, qua incipiens depoſito onere peccatorum, ſe quaſi in tutiſſimo portu conſpiciens, nihil iam ſupereſſe agendum exiſtimat. Solet enim diabolus,
Caſſian. col. 7. ca. 23.
quemadmodum Caſſianus annotauit, à labore tentandi ceſſare, vt ſecuros, & nihil mali cogitantes pernicioſiùs illidat. Tertia eſt ficta quædam vel non recta conuerſio, qua quis leuitate quadam permotus, ſæculum deſerere & vitam mutare, non tam pro morum emendatione, quàm pro alio præpoſtero fine, conſtituit. Nimius autem feruor ex aliis cauſis enaſci-
E
tur. Primò quidem ex immoderato amore ſui, quo quis præteritorum peccatorũ fœditatem agnoſcens, à pœnis pro illis debitis ſe quàm citiſſimè deſiderat expedire. Deinde ex timore, quo is quaſi gladio confixus, ignes purgantes exhorret, & temporalibus corporis afflictionibus vult ſe à durioribus, & diuturnioribus in alia vita ſuſtinendis liberare. Tandem vana fiducia, qua incipiens ſibimetipſi ſubnititur, & quaſi propriis manibus, & non adiutorio Dei nititur ſuas

A
prauitates dirigere, virtutes arripere, & perfectionis arcem obtinere.

Qui ſegnitie delinquunt, ita ſuæ ægritudini medelam afferent. Si aut malè arreptam conuerſionem emendent, & denuo in eodem ſtatu, quem arripuerunt, ex deſiderio aſſequendæ ſanctitatis incipiant: aut certè vitæ ſpiritalis curriculo ex bona intentione proficiendi aſſumpto, congruis actionibus ſatisfaciant, & non vita tenere, quod profeſſi ſunt, ſed ſolo indicio externæ veſtis erubeſcant. Dicant hi conſtanter in corde ſuo: Nunc cœpi; hæc mutatio dex- *Pſal. 76. n. 11.*
teræ excelſi,] & de dextera illius potentiſſimi, qui eos mutauit, bonum exitum in propoſito arrepto confidant. Conſiderent, vt eſt in Iob, ſemitas Thema, & *Iob 6. 19.*
itinera Saba,] id eſt, infœlicem vitam tepidorum, &
B
eorum qui ſe rete nouæ obligationis illigant, & ab ea ſe per ſanctam conuerſationem expedire non curant, & hæc ad contrariam viam tenendam animabunt, ne in mala ſimilia per ſuam negligentiam incurrant. Id eſt enim quod Gregorius in eundem lo- *Greg. 7. mor. cap. 14.*
cum ait: Damna alieni reprus attendite, & tunc ſpem de æternis firmiùs ſumitis, ſi recto cordis oculo, quod in aliis diſpliceat, videtis.] Perfectionis dignitatem, & ſpiritalis vitæ momentum intelligant, ex quo non diuitiæ petituræ, non regnum temporale, ſed vitæ æternæ, & immenſi gloriæ ponderis aſſequutio dependet, & ſe ſtultos ſciant, ſi rem tantam ſine cura & labore peruigili obtenturos eſſe confidant. Nam ſicut ad magna præmia nonniſi per merita peruenitur; ita ad magna merita nõ niſi per magna ope-
C
ra & magnos labores properamus. Magni verò labore vitã ocioſam, & puerilem, & diſtractionibus deditam nequaquã ſecum admittunt. Præſentẽ tranquillitatẽ, ſi fortè adſit, non magnipendãt, immò ob ipſorum teneritudinẽ à Domino tentatorẽ ligari, vt aliquantulum ad bellum ſe præparent, certò cognoſcant aut illam quietem, quam ſentiunt, occultum eſſe bellum, & initia importuni conflictus aduertant. Solet enim diabolus interdum, & præcipuè in conuerſionis exordio à bello ceſſare, vt homini ſibi perſuadeat, ſpiritualem vitam rem ocioſam eſſe, & paucis ſubſidiis indigere, qua perſuaſione deceptus, inſtante aliqua tentatione à cœpto diſcedat. Pulchrè dixit Hieronymus, ad quendam hac tentatione laborantem ſcribens: Erras frater, erras, ſi putas vnquam *Hiero. ep. ad Heliodo.*
D
Chriſtum perſecutionem non pati. Tunc maximè oppugnaris, ſi te oppugnari neſcis. Aduerſarius *1. Petr. 5. nu. 8.*
noſter tanquam leo rugiens, aliquem deuorare quærens circuit.] & tu pacem putas? Sedet in inſidiis *Pſal. 10. nu. 8. 9.*
cum diuitibus, vt in occultis interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem reſpiciunt. Inſidiatur in occulto, ſicut leo in ſpelunca ſua: inſidiatur, vt rapiat pauperem:] & tu frondoſæ arboris rectus vmbraculo, molles ſomnos futurus præda, carpis? Inde me perſequitur luxuria: inde auaritia conatur irrumpere: inde venter meus vult mihi Deus eſſe, pro Chriſto: compellit libido, vt habitantem in me Spiritum ſanctum fugem, vt templum eius violem. Perſequitur, inquam, me hoſtis, cui nomina mille, mille nocendi artes; & ego infœlix victo-
E
rem me putabo, dum capior?] Hæc ille. Nemo igitur putet, ſe inter hoſtes poſitum pacem habere, ſed ad reſiſtendum ſpiritus feruore ſe paret.

Qui verò contrario morbo nimij feruoris laborant, quæ ſuprà de imperitis ſpiritualium militum di- *c. 11. ſtul titia 7.*
ximus, legant. Meminerint etiam iuxta illud: Quicquid obtuleris ſacrificij ſale condies,] non ſine ſale *Leuit. 2. 13.*
diſcretionis viuendum eſſe; & opus hoc ſale conditum ſuſcipi, ſine illo refutari. Numquid manduca- *Pſal. 49. 13.*
bo carnes taurorum, ait Dominus, aut ſanguinem

hirco

[hircorum potabo?] Ac ſi dicat: Nullo modo. Quia nec ſtultos ſuperborum labores approbo, nec ſacrificia proprio amore, & inani fiducia fœtentia ſuſcipio. Tandem aduertant peccata præterita, non immoderata afflictione corporis, ſed pendenti ſui oblatione ex gratia facta, eſſe delenda, & virtutis arcem non in fortitudine equi, id eſt, proprij corporis, ſed timore potiùs & amore Domini, ac ſolidarum virtutum actionibus expugnandam. Has autem imprudens corporis afflictio minuit, non promouet, lenteſcere facit, non vrget.

De memoria ſæculi & triſtitia tentatio. §. II.

TEmpore huius noxij teporis, aut etiam ſi incipientes fortiter, & diligenter ſe gerant, ſolent ſecundo loco memoria ſæculi, & antiquæ libertatis, honorum, voluptatum, diuitiarum, parentum, conſanguineorum, & amicorum recordatione tentari. Hæc omnia quaſi agmine facto in cor miſerum irruunt, & ſe ſperni lugent, ſe relinqui conqueruntur, & ſine his vitam humanam ſtare impoſſibile perſuadent. Sic, inquiunt internæ cogitationes, charos parentes deſeris? Sic ab amicis, à cognatis, & à ſodalibus te elongas? Sic in vita te ſepelis? Sic inglorius, contemptus, triſtis, & omnibus bonis orbatus manere conſtituis? Putáſne facile eſſe, ſine delitiis viuere? cibis lautioribus aſſuetum ieiunia longa protrahere? quo tempore ſocij in domibus regum ſplendent, te in obſcuriſſimo ſterquilinio iacere, & (quod morte durius videtur) conſuetudines inueteratas abrumpere? Hac tentatione pulſabatur Auguſtinus, cùm de mutanda vita, ac de reditu in domum miſericordiſſimi patris tractabat. Retinebant me, inquit, nugæ nugarum & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant: Dimittis nos? Et à momento iſto non erimus tecum vltra in æternum? Et à momento iſto non tibi licebit hoc & illud vltra in æternum? Et quæ ſuggerebant in eo, quod dixi hoc, & illud, quæ ſuggerebant, Deus meus, auertat ab anima ſerui tui miſericordia tua: quas ſordes ſuggerebant? Quæ dedecora? Et alia ibi. Iſti vitæ ſæcularis memoriæ implacabilis triſtitia ſuccedit, à qua mœſtus animus ſi non nouit extricare. Omnia vitæ ſpiritualis itinera plena ſcopulis; omnia virtutum exercitia felle illita; omnes eiuſdem propoſiti ſocij pannoſi, inculti, triſtes, inſuauéſque videntur, adeò vt mens non aliud quàm triſtitiæ tenebras, & illas perpetuas, ac cordis ſemper duraturos angores expectet. Accedit tandem expectatio quædam vitæ vſque ad canos, & multam ſenectam protelandæ, & infœliciſſimum iudicatur, tandiu in dura captiuitate viuere, & huius lucis vſura priuari. *Aug. 8. cōfeſſion. c.11.*

Hac moleſta tentatione impugnati non pauca, nec infirma habent remedia, quibus diabolo impellenti reſiſtant. Conſiderent namque vitæ breuitatem, quæ vapor eſt ad modicum parens,] & quaſi vmbra ſuper terram, & nulla eſt mora;] quam aduerſarius longam mentiens facit, ſed ipſa tum incerta, tum breuiſſima eſt, quam paucorum annorum meta concludit. Certúmque eſſe ſenem diu non poſſe viuere, & iuuenem flore iuuentutis viuidum citiſſimè (quod ſæpe videmus) poſſe falce mortis ſuccidi. Conſiderent omnia illa bona, quæ ſibi magna prædicantur, re vera eſſe bonorum vmbras, fœlicitatum laruas, & figmentorum imagines, quę ingenti labore, & periculo æternæ vitæ quæſita, in ictu oculi, quaſi vmbræ diffugiunt, & miſeros ſui amatores vacuos, triſtes, & ſempiternæ morti addictos relinquunt. *Iacobi 4. 15. 1. Paral. 29.15.* [Tranſeunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius, cùm præterierit, non eſt veſtigium inuenire.] *Sapien 5. 9. & 10.* Quanta ergo dementia eſt ob vmbram & fictam imaginem bonorum, vera bona perdere, & ſe ſibimetipſis illudere? Expendant triſtitiam illam eſſe arte impugnatoris iniectam, cui mentis trãquillitas, & vera lætitia citò ſuccedet. Deus enim, qui artem gubernandi optimè callet, ſeruos ſuos, (quos lætitia, & cõſolatione poteſt afficere) non ſemper triſtes, & quaſi in rabiem actos tenet, (quod omni eſt bonæ gubernationi contrarium) ſed poſt paulum lætitia & exultatione perfundit. Pater quidem ille euangelicus, in quo ſuam ipſe benignitatem ſignauit, filium prodigum è tantis flagitiis reuertentem, & non tam amore quàm neceſſitate cõpulſum in paternam domum remeantem, non flagello, non maledictione, non verbis contumelioſis, ſed conuiuio lætus excepit. *Lucæ 15. 17.* Et alio loco pollicitus eſt, quia [triſtitia noſtra vertetur in gaudium.] *Ioan. 16. 20.* Tu verò amore conuictus, & deſiderio placendi Domino ad nouam vitam euocatus, putas, quia ſemper triſtitia durabit, & nunquam cordi tuo radius lætæ lucis affulget? Toto cœlo erras, & malè de diuina bonitate cogitas, & in hoc, aduerſario te decipienti conſentis. Tandem aduertant hi, quàm horrendum facinus ſit, poſt amicitiam cum Deo initam, ab ea ob amorem ſæcularium velle diſcedere, de quo hæc Petrus ait: Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti.] *2. Petri 2. 20. & 21.* Quàm timendum ſit, veniam peccatorum obtentu difficiliorem facere, quæ iteratis peccatis difficiliùs conceditur, cùm voluntariè peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis, non relinquatur pro peccatis hoſtia.] *Heb. 10. 26.* Quàm ignominioſum ſit, vt qui in croceis nutriri cœperunt, iterum amplexentur ſtercora, & in præteritis miſeriis ceu ſtolida iumenta computreſcant. *Threno. 4. 5.* His ergo omnibus excitari ſtultas cogitationes excutiãt; ſeipſos ad amorem cœptæ virtutis accendant, auxilium diuinum feruentiùs efflagitent, Sanctos adiutores vocent, exemplo aliorum perſeuerantium ſe prouocent, ſpirituali magiſtro vulnus, quo ſauciantur, aperiant, & ſacramenta confeſſionis, & Euchariſtiæ frequentiùs & deuotiùs accipiant; ita fiet vt hunc laqueum frangant, & ex periculoſa ægritudine citiſſimè conualeſcant.

De deſperatione perſeuerandi tentatio. §. III.

SI hæc tentatio importuniùs vrgeat, ſolet in quandam deſperationem incidere, (quæ tertia tentatio inſipientium eſt) & ad deſerendum ſtatum virtutis impellere. In eo namque tot ſpinis cincto, tot difficultatibus & inſuauitatibus obuoluto, impoſſibile videtur, non dico, vſque ad mortem perſeuerare, ſed vel aliquot menſibus aut annis permanere. Scimus quia aduersùs eos, qui conuertuntur, (inquit Bernardus, hunc laqueum oſtendens) certamen eſſe de moleſtiis corporis conſueuit. *Bern ſer. 6. in Pſal. qui habitat.* Caro enim hactenus indomita caſtigari, & in ſeruitutem redigi nequaquam æquanimiter patitur, ſed adhuc memor recens perditæ libertatis, acriùs concupiſcit aduersùs ſpiritum, maximéque in his pœnis, in quibus eſtis vos quotidie morientes, immò morte affecti tota die, quę & ſupra vires ſunt, & vltra naturam, & contra conſuetudinem veſtram. Quid igitur mirum? Turbant iſta maximè eos, qui needum conſueuerũt, needum ſatis in prõptu habẽt recurrere ad orationes, reſurgere

ad meditationes ſanctas, vt ſic releuetur diei pondus & æſtus.] Aoget huius tentationis moleſtiã multiplicĩũ rentationum experiioentum, quas quis in vita ſæculari non nouerat, & in ipſo limine vitæ ſpiritualis ſuſtinere cõpellitur. Iudicâtque ad ptiorem vitam, ae conuerſationem ſæcularem repedandum, in qua depulſis vitiis poterit liberiùs, & tranquilliùs Dco (ſi ita libuerit) vaeare, & tot pericula, tot bella, tot dæmonis inſultus præcauere.

Qoos aduerſarius boe telo feriendos aggreditur, Deus armis ad repugnandum vacuos non deſerit. Immò multis quorum præſidio valeant ſe tueri, & hoſtes vulnerare vndiquaque communit. Ipſi ſanè, ſi ſcirent ſecundùm conſilium Cyptiani, quaſi io excelſi mootis verticem meote coofcendere, & inde faciem ſæculi, à quo fugerunt, contemplari, facillimè

B

ad tanta peócula, ad tantos dolos, techinas, mendacia, atque dolores redire formidareot. Speculare iode, inquit ſanctiſſimus doctor, ad Donatum ſcribens, rerum infra te iacentium facies, & oculis in diuerſa porrectis, ipſe à terrenis cootactibus liber, fluctuantis mundi turbioes intuere. Iam ſæculi & ipſe miſereberis, tuíque admonitus & plus in Deum gratus, maiori lætitia, quod euaſeris, gratulaberis.] Quanta ipſe pater deinde de miſeriis ſæculi ſcribat, referre ooo vacat; certè ab eo, qui hane vocationis tentationem experiretur, eſſet ipſe legendus. Aut ſaltem vouſquiſque quod de mundi cæcitatibus & periculis nouit, vt æquus index attentè conſideret, & nunquam in animum inducet, difficultatem ſecutam, & labores animæ vtiles, (demus nunc bæc io religioſa vita eſſe)

Cyprian. li. 2. epiſt. 2.

C

pro difficultaobus periculorum pleois, & pro inotilibus laboribus commutare. Animaduertat etiam belli imperatorem iuſtè capite plecti militiæ deſertores, quos aote, & poſt mortem in patibulo illis illatam, ſempiterna infamia denigrat: & apud ſe ſtatuat, quid Chriſtus ſpiritalis militiæ dux, cum deſertoribus ſtatus religioſi facere debeat, cui ſe ſponte dediderunt, & quam diris conſcieotiæ morſibus, & quanta iofamia io præſenti ſæculo, & quàm acerbis pœnis in vita futura puniat. Nec quiſque hac ratione ſe protegat, qoòd necdum voto ſe ad permanendom obſtrinxit, & ſcriptum ius facultatem facit probandi religioſam vitam, & ſi non placuerit, diſcedeodi. Licèt enim diſcedere ante profeſſiooem, aut votum culpæ non imputetur, at quanta inconſtantia eſt à

c. conſuluit. c. ſtatuimus de regularibus.

D

bono leuiter retrocedere, quanta puſillanimitas ob neſcio quam difficultatem, (quæ vel in initiis cuiuſque occupationis, etiam viliſſimæ adeſt) cœpta relioquere? quanta temeritas è tuto loco, in quo te Deus poſuerat, iterum in circum, vbi agitantur tauri, ſaltare? Conſidera etiam infœlices eueotus, & immaturas plurimorum mortes, qui à ſtatu religioſo diſceſſerũt, & quidem ſi qoos oom, ego ſolus tibi referrem, tempus me deficeret, & time iudicia Dei, ne malis ſimilibus inuoluaris. Peccata tua io memoriam reuoca, & dicens cum Propheta: Ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in couſpectu meo ſemper,] ad flagella & pœnas pro peccatis anterioris vitæ ſuſtinendas, te para, vt caſtigatus, ceu filius poſt modicum ad hæ-

Pſal. 37. 18.

E

reditatem admittaris. Saluatoris tui paſſiones pro te ſuſceptas meditare, & indigniſſimum duces à paruulo labore reſilire, & pro eo modicam crucem nolle portare. Cùm minùs putaueris, tempeſtas iſta ſedabitur, caligo fugiet, triſtioa diſcedet, virtus amabilis, ſoeij ſupra omnes ſæculi conſanguineos & amicos, æſtimabiles apparebunt, & omnia priùs amara dulceſcent. Nec te præſentes teotatiooes exterreant; quid enim mirum, ſi diabolus ſuum mancipium, à Chriſto ſibi præreptum quæſitaſi ſeruum à ſe fugieo-

A

tem inſectetur? ſi homioem ex amiciſſimo hoſtem factum perſequatur? Primordia ſemper boni pulſat, inquit Petrus Chryſologus, tentat rudimenta virtutum, ſancta in ipſo ortu feſtioat extinguere, ſciens, quòd ea ſubuertere fundata non poſſit.] Vitia etiam & paſſiones, quia indomita ſunt, flagellum abnegationis ſentientes indignantur, & præſentem turbationem cieunt, poſt paululum victa tacebunt, & nullam aut ſatis modicam, & facilem turbellam excitabunt.

Chryſol. ſer. 21.

De mutatione ſtatus tentatio. §. IV.

NON potuit diabolus his modis incipientẽ deiicere, iam alia conſilia meditatur, alias artes nocendi molitur.

B

Perfectionis dignitatem illi proponit, (ſcit enim, vt malum eliciat, bona iniquus docere:) proficiendi & io virtute creſcendi deſiderium inicit, & ſtatim io accepto ſtatu huius religionis, oonnulla eſſe impedimenta prætendit omni ratione vitanda, ne quis in propoſito diſtrictioris, & altioris vitæ aliquaodo deficiat. Hæc quia in hac familia (vt videtur) vitari non poſſunt, vocationem mutandam eſſe ſuadet, & ad aliam religionem emigrãdum, in qua minora impedimenta apparent, & maiora perfectionis ſubſidia. Hine videas nonnullos ad ſolitudioem & vitam contemplatiuam vocatos, vitam miſtam & animarum lucra percipere; alios verò animabus lucrandis addictos ſolitudinem, & vitam ab hominibus auulſam ſuſpirare. Hine etiam multorum inquietudines aſpicies, & ex eis exorta ſcandala

C

puſillorum, dum prætextu maioris boni, & diſtrictioris vitæ nuſquam ſubſiſtere nouerunt, & ex vna religione ad aliam tranſire conſtituunt.

His deſideriis toeſcatos Spiritus ſanctus, patres, ratio, & experientia curabunt. Spiritus quidem ſaoctus, qui noo ſemel hanc loci, & ſtatus mutationem, vt noxiam diſſuadet. Annon ſunt verba Saluatoris, & ſpiritus eius illa à Luca relata: Nolite tranſire de domo in domum:] Vt ſeruemus nimirum, quemadmodum dicit Ambroſius, hoſpitalis in amore conſtantiam, & ne de domo ad domum quis vaga facilitate demigret. Si ergo ius hoſpitij violandum non eſt, quod ad tempus breue ſuſcipitur; quanto minùs vnus religioſus ſtatus pro alio deſerendus, quem quis arripuit, vt ad morteio vſque profiteretur?

Luca 10. 7.

Ambr. li. 7. in Lucam.

D

Sed & idem Spiritus veritatis per Paulum ait: Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.] Nam ſi in qualibet Dei vocatione quis poteſt proficere, non eſt cur ex deſiderio proficiendi locum demutet, illum præcipuè, qui perfectionis locus eſt, & quem Deo inſpirante expetiuit, & ab eo non ſine aliorum offenſione diſcedet. Et alio loco: Obſecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis.] Puto ſanè Paulum hoc loco, ſuorum vinculorum mentionem feciſſe, vt intelligant promiſſione deuincti ſibi cogitandum eſſe, non quomodo ad aliam vocationem fugiaot, ſed quomodo in ſua vocatione proficiant. Quare addit: Cum omni humilitate & manſuetu-

1. Cor. 7. 20.

Epheſ. 4. 1.

Ibid. n. 2. 3.

E

dine, cum patientia ſupportantes inuicem in charitate; ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis,] vt ſciamus inſtabilitatis radices, ſuperbiam, iram, impatientiam, & diuiſionem cordium exiſtere. Ac iterum ait: Non deſerẽtes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam, ſed conſolantes, & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem.] Ad idem facit illud Salomonis: Locum tuum ne dimiſeris.] Atque illud Eccleſiaſtici: Confide in Dco, & mane in loco tuo.] Et prouerbium eſt: Sicut

Hebr. 10. 25.

Eccl. 10. n. 4.

Eccle. 11. n. 22.

Prou. 27. 8.

anis

auis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir, qui derelinquit locum ſuum. Nam profectò, ſicut auicula nidum ſuum deſerens, ad locum incommodiorem peruenit, aut antequam veniat, laqueo capta manet; ita iuſtos à ſua vocatione diſcedens, aliam repent ſibi minimè congruentem, vel priuſquam illam arripiat, aliqua aduerſarij decipula illaquearur.

Spiritus quidem Dei in ſanctis Scripturis ſic loquitur: qui etiam Eccleſiæ doctoribus, quid nos in hac re docturi eſſent, inſtillauit. Ego paucorum ſententias referam. Baſilius vbertimè hanc rem proſequitur, qui multis exemplis ad ſtabilitatem adductis, & cauſis eius explicatis, tandem concludit: Omnis igitur prætextus excuſandi ſui nimirum, vt rationi diſſentaneus præciſus ei eſt & ademptus, quà ſpiritali cœtu ſegregare ſe velit, demonſtrauimque, originem iſtiuſmodi conſilij nihil aliud eſſe, quàm vitiorum intemperantiam, & laborandi fugam, & iudicij corruptelam inſtabilitatémque. Ephrem Syrus ſic ait: In loco habitationis tuæ, vel quem à Deo aſſignatum accepiſti, lubens permaneto, ocium atque deſidiam à te repellens, cùm neque in loci mutatione, atque diſtantia ſitum ſit, vt paſſiones noſtras reprimamus, ſed in attentione & cura mentis. De hoc etiam multa Bernardus variis in locis, ſed illud nobis ſufficiat, ex epiſtola ad quendam Abbatem, acceptum: Fratrem Hugonem de Lauſauna ore tuo, & noſtro ſpiritu commoneemus, non omni ſpiritui credere, & ne citò moueatur, certa pro incertis deſerere, ſciens diabolum ſoli ſemper perſeuerantiæ inſidiari, quam ſolam virtutum nouit coronari: tutiúſque eſſe in ea vocatione, qua vocatus eſt, ſimpliciter perſeuerare, quàm ſub ſpecie quaſi melioris boni, id quidem, quod iam cœpit amittere, nec ad id quod præſumit, fortaſſis ſufficere. Anſelmus longam epiſtolam ſuper hac re ſcripſit, in qua hęc verba ſunt notatu digniſſima: Quapropter quicumque cœnobitarum fortè propoſitum aggreditur, expedit ei, vt in quocumque monaſterio profeſſus fuerit, (niſi tale fuerit, vbi malum facere inuitus cogatur) tota mentis intentione, amoris radicibus ibi radicare ſtudeat, atque aliorum mores aut loci conſuetudines, ſi contra diuina præcepta non ſunt, etiamſi inutiles videantur, diiudicare refugiat. Gaudeat ſe iam tandem inueniſſe, vbi ſe non inuitum, ſed voluntarium tota virtute manſurum, omni tranſmigrandi ſolicitudine propulſa, deliberet: vt quietus ad ſola piæ vitæ exercitia exquirenda ſedulò vacet. Quòd ſi ſibi videtur maiora quædam, aut vtiliora ſpirituali feruore appetere, quàm illi præſentis monaſterij inſtitutionibus liceat, æſtimet aut ſe falli, ſiue præferendo paria paribus, vel minora maioribus, ſiue præſumendo ſe poſſe, quod non poſſit: aut certè credat ſe non meruiſſe, quod deſiderat. Thomas Aquinas tranſire de vna religione ad aliam, illaudabile putat, (ad quod ex Caſſiano ſententiam Abbatis Neſterotis inducit) niſi aut zelo maioris perfectionis, aut quia diſciplina in ſua eſt religione collapſa, aut quia corporis imbecillitas cogit, non ſine diſpenſatione Pontificis ad laxiorem religionem declinare. Zelus autem ille examinandus eſt ex ante dictis verbis Anſelmi. Sæpe enim decepti ſolitudinem lucris animarum præferimus: ſæpe aliquid ſupra vires aggredimur, ſæpe à Domino minimè vocati, nos ipſos propria ſponte vocamus, & tanquam propria voluntate ducti, nullos perfectionis fructus ferimus.

Baſil. conſt. monaſt. c. 22

Ephrem. de vita ſpiritus ad monach. c. 55.

Bernar. epiſt. 32. Vide etiā in Apologia ad Guillel & lib. de præcepto, & diſpen.

Habetli. 1. vitæ eius apud Sur. in April.

D. Tho. 22 q. 189 art. 8. Caſ. 14. cap. 1.

Sed quid neceſſe eſt in his ampliùs immorari? Equidem arbuſcula ex vno ſolo in alium locum tranſlata, non creſcit, ſed langueſcit; non fructificat, ſed areſcit; præcipuè ſi loca illa diuerſas temperies habeant, & contrariis cœli, & aſtrorum influxibus adiuuentur. Et tu quaſi arbuſcula es in horto huius religionis plantata, vt ſpirituales fructus feras, quid mutationem cogitas? Quid alia exercitia, velut alios cœli influxus meditaris, quibus non fructifices, ſed areſcas? Qui inſtabilitate ducti nunc hanc, nunc illam artem profitentur, in nulla proficiunt. Varia autem inſtituta, quaſi variæ artes ſunt, & diuerſi modi viuendi, in eundem quidem finem charitatis ordinati, ſed proximis finibus, & occupationum varietate diſtincti. Si igitur non in vno ſtabiliter perſeueras, ſed poſt guſtum huius, alium diſcendum apprehendis, nullius perfectionem aſſequeris. Iam cum his hominibus contractum ſocietatis iniuiſti, quo nō ſubſtantiam huius mundi, ſed cœleſtes theſauros lucrareris, non erit tibi vtile, nec honorificum ſocietatem reſcindere, & ad aliud genus lucrandi cœlum anhelare. Vnam viam ingreſſus es, quæ ſine dubio (ab Eccleſia approbata) in perfectionem ducit, quid eam deſeris, & aliam ambulare incipis, vt nunquam aut tardiùs ad optatum finem peruenias? Hæc religioſa familia, iſtáque vocatio, ſponſa eſt, cui velut ſponſalibus, ſi adhuc tyro es, & perfecto connubio, ſi profeſſus, fuiſti coniunctus. Non expedit, immò nec licet temerariè hunc nexum abrumpere, & ſi fortè ob duritiam & inſtabilitatem cordis tui, ius ſcriptum illi libellum repudij dare permittat. Membrum es huius myſtici corporis, cui te propoſito perfectionis aſſequendæ iunxiſti, & contra naturam eſt membra à proprio corpore ſeiungi, & alieno corpori copulari: ne & tu hanc naturæ peruerſionem per inconſtantiam imiteris. Nec mihi obiicias Beatum Antonium Paduanum ex ordine Canonicorum Regularium ad ordinem Sancti Franciſci tranſlatum, nec alios pauciſſimos ex Sanctis (ſi qui ſunt) qui religionis familiam demutarunt. Non ſunt enim pauca ſpeciali Spiritus ſancti inſtinctu præſumpta in exemplum aſſumenda. Immò via regia incedendum eſt, & alij innumerabiles conſiderandi, qui (vt propriis oculis vidimus) poſt ordinis mutationem, vel ad priorem matrem redierunt, ſuam inſipientiam confitentes, vel in ordine de nouo ſuſcepto triſtes & inuiti permanſerunt, vel tandem nec minimum indicium maioris profectus demonſtrarunt. His tam firmis authoritatum, rationum, & experimentorum momentis poteris hanc tentationem eludere, & in loco, in quo te Deus poſuit, ſtabiliter permanere.

De ſcrupulis tentatio. § V.

POſtremò de tentatione ſcrupulorum tractamus; quæ ſolet mirum in modum incipientes, immò & proficientes affligere. De qua pauca apud antiquos patres, multa verò apud nouos doctores, & præcipuè ſcholaſticos inuenimus, quæ magna breuitate, & paucis verbis exponemus. Sunt autem ſcrupuli, cogitationes quædam leuiſſimis rationibus, & ferè nullis fundamentis innixæ, quibus iudicamus peccatum aliquod, ſiue graue, ſiue leue, pro qualitate ſcrupuli, actionibus noſtris ineſſe. Quæ autem ſint rationes leues, & quæ ferè nullo fundamento nitantur, non ipſe qui ſcrupulis, vel dubitationibus conſcientiæ agitatur, iudicare debet, cui ſuæ rationes euidentiæ videntur, ſed illi incumbit iudicare quem quis prudenter in magiſtrum ſpiritualem elegit, ſi ſæcularis ſit, vel ſi religioſus, quem Prælatus illi ſingulariter, aut omnibus generaliter aſſignauit. Qui ſi dicat rationes illas parui momenti eſſe, & illarum nullam eſſe rationem habendam, licèt ipſe decipiatur, ſubditus illi obediens, & ſcrupulum, aut triſtitiam de-

Digitized by Google

ponens non peccat:nec illum Deus vnquam ob tale peccatum damnabit,quia dum prælato aut magiſtro credidit,prudenter ſe geſſit.

Quàm varij autem ſint, & multiplices ſcrupulorum nodi, quibus aliqui illigantur, non eſt facile explicare. Quoſdam præteritorum criminum memoria, & in confeſſionibus ſacramentalibus retro actis admiſſa negligentia diſcruciat. Putant enim ſe hoc graue peccatum non fuiſſe confeſſos, aut non bene explicaſſe, aut aliquam circunſtantiam neceſſariam reticuiſſe,aut ſine debita diſcuſſione conſcientiæ, ſine conueniente dolore, & ſine vero emendationis propoſito abſolutionem ſuſcepiſſe,ac proinde teneri iterum confiteri, quin & generalem omnium totius vitæ peccatorum confeſſionem coguntur millies iterare. Alios horrendiſſimarum blaſphemiarum, ſtultiſſimarum hæreſium, & amariſſimarum erga Deum & Sanctos maledictionum cogitationes exagitant,& ſe blaſphemos & hæreticos putant, qui debeant ad hæreticæ prauitatis cenſores, & non ad communes animarum medicos pro remedio recurrere.Alios turpiſſimæ phantaſiæ, ſeu omnium peccatorum, vt luxuriæ,vindictæ,& ſuperbiæ cogitationes impugnant, quibus ſe præbuiſſe conſenſum exiſtimant.Sentiuntque ſe à patre ſpirituali non probè cognoſci, ac propterea ſuos in grauiſſima peccata conſenſus ab illo excuſari,& impulſus tantùm dæmonis æſtimari. Alios ea perſuaſio vexat, qua interiùs dicitur eis, quod in omnibus quæ agunt,& cogitant, lethaliter peccant: adeò vt ipſa confeſſio, ipſa Euchariſtiæ ſumptio, ipſa interrogatio, qua magiſtrum interrogant peccatum mortale ſit eis:ideoque à confeſſione abſtinent, ab altari, ad quod ſumpturi Euchariſtiam acceſſerant, fugiunt; & nihil loqui, nihil facere audent, nam in omnibus ſe peccare præſumunt. Eò ſolet hæc dementia procedere,vt hi putent ſe eſſe excommunicatos,ſuſpenſos, interdictos, & irregulares;& omnino ab Eccleſia præciſſos, quibus nullum remedium maneat,ſed ſola ſit expectanda damnatio. Alij cenſent ſe non implere aliquod præceptum,vt (exempli gratia) recitandi horas canonicas, quia defuit implendi præcepti intentio, vel debita attentio, aut integra pronuntiatio, aut aliquid ſimile, quod illos ad repetendum officium aſtringat. Aliis diuinæ præſcientiæ, & prædeſtinationis dubitationes illudunt, & ſe reprobos & damnandos eſſe coniectant. Alios denique dæmon infeſtat interrogando quid facerent, ſi hoc,aut illud ſuccederet,ſi hæc aut illa peccandi occaſio contingeret,ſi illis talis contumelia,aut talis iniuria eueniret.

Gerſon 3. p. tract. de puſillanimitate. Diony. lib. de remediis tẽta. art. 10. Scho. in 2. d. 39. Anton. 3. p. tit. 3. Sũmiſta verb. ſcrupulus.

Gerſon, Dionyſius Richelius, & Theologi varia medicamenta ad hanc infirmitatem curandam aſſignant. 1. ſit, vt homo ſe ſcrupulis agitatum, & (vt aiunt) ſcrupuloſum eſſe cognoſcat. Id autem deprehendet,ſi ſe triſtem, atra bile affectum, & vehementibus imaginationibus impugnatum videat:ſi eadem præter ordinem inculcet,& facilia, ac omnibus nota frequenter interroget: ſi poſt reſponſum à viro prudenti datum, animum minimè quietum, ſed nutabundum & hærentem aduertat: ſi cautela extraordinaria,& ſæpe ridicula peccata, & imperfectiones vitet:ſi quæ antea peccata non eſſe ſciebat, nunc velut peccata conſpiciat:ſi de his dubitet,in quibus nullus vnquam dubitandi rationem inuenit: ſi poſt arreptam virtutis viam ſe in his,in quibus quietus erat ex prudenti ratione,inquietum, & turbatum reperiat:ſi tandem ea negotia,aut occupationes,quas alij ſui ſtatus timoratæ conſcientiæ ſine vllo timore ſuſcipiunt, ipſe non ſine moleſtia turbationis exerceat. Qui hæc omnia ſigna,vel aliqua,vel aliquod illorum in ſe ipſo

A denuo animaduerterit, vel poſt aliquod tempus quietis pullulaſſe conſpexerit, ſe ſcrupulis agitatum, & planè hac moleſtia ſpirituali ægrotum exiſtimet,& vt talis factus ſe ab alio curari permittat. Si enim peritiſſimus medicus infirmitate corporali laborans non ſibi ipſi medetur,ſed alium medicum etiam imperitiorem aduocat,à quo curetur; cur vir ſpiritualis etiam magnæ ſanctitatis, ſi ſcrupulis agitetur, non ſe ſinet ab alio etiam minore curari? At ſunt aliqui ita miſerabiliter ſcrupuloſi, vt his omnibus ſignis affecti adhuc ſuam infirmitatem ignorent,& ſe non ſcrupuloſos,ſed peccatorum plenos proclament.Sciant tamen quòd ſi ſpiritualis pater hæc in illis ſigna conſpiciens,eos ſcrupuloſos eſſe iudicet,poſſunt ſe ipſos tales reputare, & permittere ſe regulis ſcrupuloſorum
B curari.

Cognito morbo,ſcrupuloſus,& qui eius ſpiritualem curam habent,cauſas huius ægritudinis diligenter inquirant.Hæ quidem multæ ac variæ eſſe ſolent, quas poſſumus ad tria capita reuocare; nam omnes ſcrupuli naſcuntur vel ex aliqua affectione animæ,vel ex aliqua corporis qualitate, vel à cauſa extrinſeca, quæ nos ad hæſitandum in omnibus, & in anxietatem hanc venire compellit. Ex parte animæ cauſæ ſcrupulorum ſunt ignorantia, qua quis aut Dei præcepta,aut Eccleſiæ imprudenter intelligit: immoderatus amor ſui, quo homo inordinatè ſe amat, & in turbationem incurrit,dum aliquid ſibi nociuum apprehendit:nimius timor,quo ſupra debitum timet effectum peccati,ſcilicet pœnam ex futuro peccato in-
C currendam, vel ob præteritum delictum incurſam, fiducia ſui, qua quis putauit omnia vitæ ſpiritualis ſtudia eſſe prona & facilia, videns autem difficultatibus redundare, incipit ſe ipſum veteri: ſuperbia, qua animus elatus deiicitur, & ſi non in peccata, at in dubitationes,& in cogitationes pueriles & ridiculas labi permittitur: immiſericordia, vt qui alios dubitantes, anxióſque contempſit,eandem anxietatem experiatur. Ex parte verò corporis cauſæ ſcrupulorum eſſe ſolent,conſtitutio corporis flegmatica,quietis auida, & doloris impatiens, quæ facit,vt homo cuncta horreat, quæ aliquam præ ſe ferunt difficultatem: compoſitio corporis frigida & melancholica, cuius eſt inanes cogitationes excitare, & timores incutere: immoderatus rigor in corpore,ieiuniis,
D vigiliis,& aliis huiuſmodi affligendo; is enim rigor, dum corpus debilitat, animam ad bene de rebus iudicandum eneruat: inſaniæ quoddam genus, quæ mania dicitur, & caput poſſidens mirabiles phantaſias,rerum apprehenſiones, & horrendos cordis affectus exſuſcitat.Cauſæ extrinſecæ ſunt: dæmon,qui permittente Deo ſcrupulis hominem infeſtat,vt à via virtutis abducat: Deus,qui ſcrupulis inſtimulat tepidos, vt imperfectiones fugiant, aut probat feruidos, & tanquam in fornace purificat: & tandem ſocietas ſcrupuloſorum, qui velut peſtes latiùs ſerpunt, & in alios ſe diffundunt.

Inquiſitis ſcrupulorum cauſis, apta remedia adhibenda ſunt.Et ſanè ſi ſcrupuli à cauſa corporali exoriantur, medici corporum eos,& rigoris moderatio,
E & capitis medicamenta curabunt. Si à Deo procedant ſocordiam noſtram caſtigante, defectus vitandi ſunt, ſi autem probante nos,ſcrupuli ſunt patienter tolerandi. Si à ſocietate aliorum, qui ſcrupulis agitantur, illi ſunt omnimodis fugiendi. Scrupulis verò ab aliis cauſis permanentibus hæc generalia remedia medebuntur. Primum ſit oratio, qua quis per I.
Chriſtum efflagitet ab hoc malo liberari, & virginem Beatam, ac omnes Sanctos ſibi patronos inuocet. Secundum: Frequens ſacramentorum vſus, II.

præter

præſertim Euchariſtiæ, qua ab anthore pacis verè in hoſtia contento pacem inquirat. Tertium: diſcreta corporis caſtigatio & miſericordiæ opera, lectio & meditatio, quæ infirmum ad gratiam tranquillitatis ſuſcipiendam diſponant. Quartum: obedientia, qua quis Prælato, aut magiſtro ſpirituali ſe ſubmittat, et credat, & imperanti ſcrupuli contemptionem obediat. Nec ea obiectione ſe protegat, quod non eſt à magiſtro bene intellectus, quia nunquam ille in re tanta, ad animam ſcilicet pertinente, quietem imperaſſet, niſi eam probè intellexiſſet. Illum autem minùs doctum, aut ſufficientem putare magnæ dementiæ & ſuperbiæ eſt, dicente Domino ad Prælatos & ſpirituales magiſtros;

Luc. 10. n. 16. qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.] Et ſi ille erraret docens, diſcipulus non errat, nec peccat, illi in ſua dubitatione obediens. Non eſt verò minùs ſtultum, ſi ſcrupuloſus dicat ſe non eſſe ſcrupuloſum, nec ægrotorum regulis gubernandum: potiùs enim ſtandum eſt dicto medici, id eſt, Prælati, ea ſuprà dictis indiciis ſcrupuloſum iudicantis quàm dicto inſipientis ægroti. Ac tandem certum ſit, ſcrupuloſum magiſtro non credentem curari non

V. poſſe. Quintum: probabilis exiſtimatio, qua quis in rebus moralibus, & incertis debet ſe prudenter ducere; & eam vel ab ipſo ſcrupuloſo inuentam, vel à patre ſpirituali propoſitam, licèt omnem hæſitationem & ſuſpicionem non eximat, ſufficientem putare, vt quis in huius actus particularis executione aut omiſſione, vel in huius ſcrupuli contemptione non peccet. Neque enim res incertæ, & obſcuræ euidenti ratione metiendæ ſunt,

VI. ſed verò ſimili exiſtimatione moderandæ. Sextum: benigna legum ac præceptorum interpretatio, qua vnusquiſque per virtutem æquitatis poteſt ſine illo ſuæ conſcientiæ detrimento inter duas legis interpretationes benigniorem, & ſibi accommodatiorem ſequi, nec tenetur eam modo impoſſibili, aut nimis difficili, aut ridiculo, aut aliter quàm alij ſui ſtatus homines obſeruant, aut contra receptam conſuetudinem obſeruare. Sibique licere ſaltem ſiue lethali peccato illius legis, aut præcepti obſeruationem prætermittere, dum ſine contemptu, & bona intentione iudicat, in præſenti euentu nequaquam obligationem inducere. Ac ſimiliter poſſe ſine peccato quamlibet opinionem probabilem ſequi, licèt minùs probabilem & ſecuram, quàm aliqui doctores, vel ſaltem aliquis doctor non contemnendæ authoritatis probabilem cenſuit. Hæc enim omnia admittit benignitas diuinæ legis, de qua dictum eſt à Domino:

Matth. 11. 30. Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.] Et

1. Io. 5. 3. Ioannes ait: Quia mandata eius grauia non

VII. ſunt. Septimum: ſcrupulorum depoſitio, nam ſcrupulis agitatus debet in omnibus ad inſtar hominum prudentium & bonorum viuere, & quod illi licitum putant, licitum putare: quod illi ſine timore faciunt, facere: & aliam aut alias leges,

VIII. quàm aliis, ſibi non eſſe impoſitas intelligere. Octauum: nitij ſcrupulorum contemptio, ita nimirum, vt ſi ex vna cogitatione alicuius rei ſcrupulus incipiat, illam contemnas & reiicias, & ad alia vtilia cogitanda animum conuertas. Neque in hoc periculo errandi, aut peccandi te ipſum exponis, quia prudenter omittis cogitare, quod aut ea probabili coniectura, aut ex præſcripto patris ſpiritualis ſcrupulum eſſe cognoſcis. Quod adeò verum eſt; vt ſi ea hac reiectione ſcrupuli aliquod in opere ſequeretur peccatum, tibi tamen ad pecca-

IX. tum non imputabitur. Nonum: oppoſita operatio,

A qua vir prudens contemnens ſcrupulum, oppoſitum eius, quod dictat, agat: & ſi aliquid ſcrupulus faciendum oblatret, non faciat, ſi verò è contra aliquid omittendum eſſe decernat, non omittat. Recitaſti horas canonicas, & ſcrupulus dicit tibi vt iterum recites, quia voluntariè diſtractus pronuntiaſti, aut hæc, & illa prætermiſiſti, nequaquam iterum recites. Confeſſus es peccata tua mediocri diligentia ad arbitrium ſacerdotis, & ſcrupulus tibi importunè ſuggerit repetendam eſſe confeſſionem, vel illud peccatum ampliùs eſſe declarandum, vel talem circunſtantiam omiſſam eſſe dicendā, nihil horum omnino facias, ſed ac ſi nihil tale feciſſes, penitus omittas. Dicit tibi diabolus, quia hæreticus es, & excommunicatus, ac proinde debes à tremendo Euchariſtiæ

B ſacramento abſtinere, ride illum, & fidenter ac ſecurè ad ſacramentum accedas. Ais: ſi ita facio, amo periculum, & iuxta dictum Eccleſiaſtici, in illo peribo?] Non amas, quia ſolo ridiculo ſcrupulo ſecundùm ſententiam ſpiritualis patris, & non probabili ratione duceris, quare ſcrupulus peribit, tu autem ita faciens nullum omnino peccatum ſubibis. Ais iterum: In dubiis tutior pars eligenda eſt. At tu non dubitas prudenti dubio, ſed ſcrupulo cruciaris, quare non debes tutiorem partem eligere. Immò & tutiorem elige, hæc autem eſt ſcrupulum conculcare, & contra illum agere, quia ſic te à moleſtiſſima tentatione defendis. Pergis eſſe importunus, & dicis, quia in hora mortis non eſſet oppoſitum ſcrupulorum agendum: ergo neque in vita.

C Sic enim viuendum eſt, ac ſi continuò eſſemus morituri? Immò in hora mortis & poſtremum halitum ſpirans, oportet te contra ſcrupulos agere, & Deum non crudelem, aut immiſericordem, aut durum putare, ſed de eo, ſecundùm dictum ſapientis in bonitate ſentire.] Decimum ac poſtremum remedium ſit, cognoſcere ſcrupuli dubiíque diſtan- X.

Eccl. 3. 27. [beside "periculum ... peribo"]

Sap. 1. n. 1. [beside "in bonitate sentire"]

tiam. Dubium enim eſt iudicium rationis, quo neſcit homo determinate an hoc, vel eius oppoſitum ſit verum, quare nullū habet aſſenſum, quo affirmet; exēpli gratia, ego in hoc opere peccaui, aut ego non peccaui, ſed anceps & quaſi ſuſpenſus in medio propendet. Scrupulus verò eſt argumentum, vel apparentia, vel formido aduersùs id, quod quis credit, vel opinatur, in quo huius rei inuenitur aſſen-

D ſus, ſcrupulo, vel formidine illa, aut ratione contraria velatus. Solent autē iſtæ hæſitationes tam importunæ, & graues eſſe, vt pene aſſenſum illum in contrarium obruant, & pene illum emergere & apparere non ſinant.] At enim aſſenſus ille ſine dubio ſit in mente ſcrupuloſi, præcipuè poſtquam virum doctum ſuos ſcrupulos ſuggillantē audiuit, non eſt cur timeat ſcrupulos & hæſitationes contemnere, & ſecundùm illum aſſenſum, licèt leuiſſimum, quo aliquid licitum credit, operari.

Ecce remedia ad ſcrupulos curandos generalia, nunc pro illis ſpecialibus ſcrupulis, quæ tetigimus, remedia ſpecialia breuiter attingamus. Poſt factam peccatorum confeſſionem cum ea ordinaria diſcuſſione & diligentia, quam ſolent alij homines alicuius

E timoris Domini in ſuis peccatis confitendis adhibere, ſcrupulis in generali tangeris, quòd non fueris cū debita examinatione, aut cū neceſſario dolore, ac propoſito emēdæ confeſſus ac propterea multa te fortè prętermiſiſſe, quæ erāt ſacerdoti pādenda. Securè poteris, immò & meritoriè his cogitationibus ianuā occludere, & nō ampliùs tuam conſcientiam circa præterita peccata diſcutere, & ac ſi nihil feciſſes, nihil penitus de præteritis cōfiteri. At ſcrupulus ſpecialis eſt huius ſcilicet peccati, quòd putas te non fuiſſe

confeſſum,

A confeſſum, aut quia non recordaris omnino te illud aperuiſſe, aut quia aliqua ratione moueris ad id credendum, licèt ex alia parte etiam adſit aliqua ratio, qua mouearis ad putandum, quòd forſitan in particulari, aut ſaltem in generali cum aliis eiuſdem generis illud fuiſti confeſſus, poteris ſecurè, & ſine vllo peccandi periculo illud reticere, & nihil de illo curare, ac ſi nũquam illud commiſiſſes. Sed vrget ſcrupulus inſolubilior: quia ſcilicet nullam habes rationem in contrarium, qua putes te illud peccatum Sacerdoti dixiſſe, ſed omnino dubitas an dixeris vel non dixeris, & habes pro vtraque parte rationes, quæ te planè dubium & ancipitem reddunt: Adhuc in hoc euentu, ſine vllo timore diſplicendi Domino peccatum illud ad confeſſionem non afferas, ſed B obliuioni traditum ſepultúmque relinquas. Nam Dei, & Eccleſiæ præcepta ad nihil nimis difficile vel intolerabile volunt adigere. Tale autem eſſet ſi quis teneretur poſt factam mediocriter confeſſionem, locum dare his ambiguitatibus, & iterum omnia peccata, aut illorum partem, aut aliquod in particulari ad ſcrupulum ſedandum repetere. Et cùm ſcrupuloſi, cæteris paribus, maiori cum diligentia ac præparatione, quàm alij non ſcrupuloſi confiteantur, quis credat iſtos ſecundùm doctrinam omnium eſſe ſecuros, illos verò non eſſe tutos, ſed ad nouas peccatorum repetitiones obligatos? Et certum eſt ſcrupuloſum ſolo dubio ad confitendum aliquod præteritum non ligari, ſed ad id obligationis ſubeundum, certitudinem, quòd peccatum illud non dixerit, debere intercedere. C Multi tandem ex his ſcrupulis circa confeſſionem oriuntur ex ignoratione eorum, quæ doctores de obligatione ſacramenti pœnitentiæ ſuſcipiendi tradunt, quæ, qui per ſe, aut per magiſtrũ diſcere non poteſt, patrem ſpiritualem credat.

II. Blaſphemiæ & maledictionum erga Deum, & Sanctos cogitationibus moleſtaris, immò te in hæreſim incidiſſe veteris? Has cogitationes omnino non timeas, quas non tu dicis, ſed diabolus (permittente Deo) mouens imaginatiuam potentiam, & ſpecies aut rerum ſimilitudines adaptans ad hæc horrenda ſignificanda, in te dicit. Ride igitur illum, & quanto magis affligeris, tanto magis à conſenſu & peccato te diſtare ſcias. Immò ſi lætareris præ amore Dei, & confeſſione fidei cum Apoſtolis, & martyribus verbera D & afflictiones pati, lætare etiam pro eodem Domino multo maiorem pœnam, ſcilicet harum cogitationum moleſtiam ſuſtinere. Ora eum cum Dauide: Effunde frameam, & conclude aduersùs eos, qui perſequũtur me.] Ipſe opportunè abiget muſcas has fœtidas, & optatam tranquillitatem concedet.

III. Multorum, ac diuerſorum peccatorum tentationibus impeteris, & interiora luxuriæ crimina, & odij, vindictæ, ambitionis, & alia mille facinora (vt tibi videtur) ſingulis momentis admitris? An neſcis, quia aliud eſt peccati ſenſus, aliud in peccatum conſenſus? Senſus peccati eſt cogitatio peccati concepti, & quaſi ab extrinſeco immiſſa, eſt velut ignis iniectus, & in fomite noſtri cordis accenſus, quem non facilè valemus extinguere, qui etiam interdum E corpus mouet, & iracundiæ flammas, aut turpes motus & inuerecundos accendit. Conſenſus verò eſt actus voluntatis, quo expreſsè peccatum vis, & iniquitatem amplecteris, qui vocatur conſenſus formalis, aut ita negligenter, & oſcitanter ſenſualitatis motus diſſimulas, vt nec minima diligentia igni iniecto extinguendo intendas, nec minima diſplicentia contradicas. Si ſentis & non conſentis, nullum (in quo omnes conueniunt) peccatum eſt tibi. Sed an conſentias facillimè potes aduertere. Eſt enim conſenſus in peccatum mortale tanta iniquitas, tam manifeſta rebellio, tam aperta honeſtatis, & virtutis contemptio, vt celari aut ignorari non poſſit. Sed tu talem in te procacitatem non ſentis, immò times, ne Deum offendas, & ideo de tentatione triſtaris; ergo lethaliter non delinquis. At dicis: Ego interpretatiuè conſentio, quia illas phantaſias non reiicio. Sed rogo te, eſto iudex æquus tui. Nonne vis Deo placere? Nonne in vita bona quam cœpiſti, permanere? Nonne millies firmum propoſitum concepiſti nunquam mortaliter delinquendi? Bene ergo & ſecurè putare potes, te non omnino diſſimulaſſe, ſed aliquantulum ſaltem leuiſſimè reſtitiſſe. Hæc autem vel minima reſiſtentia ſufficit, vt graue peccatum non admiſeris. Si verò in leue aliquod peccatum impegeris, ſcito Dominum hæc vulnera à ſuis militibus in importuniſſimo bello ſuſcepta non acriter improperare, immò compaſſionis oculis aſpicere & benigniſſimè condonare.

IV. Eò ægritudo vel inſania progreſſa eſt, vt putes te in omnibus, quæ agis, aut cogitas, peccare, immotúmque ceu lapidem tum interiùs, tum exteriùs te debere eſſe, ne pecces, te etiam mille excommunicationibus, & aliis cenſuris illigatum exiſtere. Cùm in ſæculo, frater, tuo more viuebas, cùm diabolo ſeruiebas, cùm impudicitiæ & aliis peccatis inſiſtebas, in omnibus non peccabas, nec in cenſuras Eccleſiaſticas incurrebas, & nunc in cœnobio poſitus, ſanctis actionibus occupatus, ab omni peccandi occaſione ſequeſtratus, in omnibus peccas? Eccleſia peccatorem laſciuum & ſuperbum, qualis tu eras, excommunicatione non ligauit, & nunc pœnitentem, & peccata plangentem excommunicatione percuſſit? Quis non hanc eſſe inſaniam aduertat? Conſidera, obſecro te, quòd diabolus has cogitationes immittit, vt ſaltem timore peccandi te à ſacra communione, & confeſſione & bonis ſtudiis auertat. Vt etiam in varia peccata deiiciat. Sicut enim pueri per viam lutoſam ambulantes, ſi illis proclametur, laberis, laberis, ipſo timore labuntur; ita diabolus te vt puſillum eludit. Clamat ille: laberis, laberis; peccas, peccas, vt ipſo timore cadas, & conſcientiam erroneã ex bono opere peccatum facientem concipias. Ora igitur Dominũ enixè, vt te ab hac moleſtiſſima tentatione liberet, & animoſè ac conſtanter in oppoſitũ operare. Si enim alij tui ſtatus homines aut confitendo, aut communicando, aut orando, & loquendo, & ſimilia faciendo non peccant; quare tu peccabis? Si illi non diſplicent Deo, quare tu ſolus inter homines diſplicebis?

V. At, inquis, certè præcepta non impleo, quia diſtractus omnino Miſſam audiui, quia ſine intentione, & attentione, & pronuntiatione debita horas canonicas recitaui, & quia in aliis actibus præceptis, non vt oportuit, me geſſi. Iam hîc omnia eſſent Eccleſiæ exponenda præcepta, vt hunc ſcrupulum euelleremus, quia prudentiùs feruntur, & mitiùs obligant, quàm ſcrupuloſi arbitrantur. At hæc longa res eſt, & extra propoſitum. Illud tantùm documentum propono, vt omnia Dei, & Eccleſiæ præcepta pro tua tenuitate perfectiſſimè adimpleas. Si autem nec tuo deſiderio, vt par erat, nec præcepto ſatisfacis, non propterea inquietè triſteris, quia Dominum habes ſcientem infirmitatem tuam, & matrem non te onerantem vltra puſillas vires tuas. Conſule igitur virum doctum, & pium de his ſcrupulis tuis, & quod ſemel dixerit, pro regula accipe, & quod ad implendum præceptum ſufficiens affirmauerit, tu ſufficiens eſſe crede. Neque tam actualis intentio, aut tam irremiſſa attentio, aut tam exquiſita pronunciatio neceſſaria eſt ad implenda præcepta, quam tu cum aliis ſcrupu-

ſolis cogitas, quos Eccleſia ſupportare vult, non ob ſimiles defectus damnare.

VI. Sed te cogitationes diuinæ præſcientiæ & prædeſtinationis inquietant. Non infeſtarent autem ſi Dei immenſam bonitatem agnoſceres. An alacer eſſes & ſecurus, ſi prædeſtinationem & poſtremum eius effectum, ſcilicet gloriam, in tua haberes poteſtate? Ita ſanè, ais, cùm tamen ſcias te poſſe deſtruere, ac dilapidare, quod à ſola tua poteſtate dependet. Gaude igitur quia ſalutem animæ in manu illius habes, qui te, pluſquam tu teipſum, in infinitum diligit: à cuius manu nemo te rapiet, à cuius gremio, modò tu velis, nũquam te aduerſarius excutiet. Illúdque ſit præſentiſſimum huius illuſionis remedium, cogitationes iſtas abiicere, argumentis diaboli ſolo contemptu, & conuerſione ad alia cogitãda reſpõdere, & non teipſum, ſed diuinum in omnibus beneplacitum quæritare. Statue firmiſſimè apud teipſum ab omni peccato abſtinere & diuinam legem cuſtodire, quod ſi feceris, certò ſcias te eſſe ſaluandum.

VII. De rebus, aut actibus futuris noli eſſe ſolicitus, & dæmoni interroganti, quid in hac aut illa occaſione faceres, reſponde, quoniam ſufficit diei malitia ſua,] & quòd Deus in occaſionibus tibi gratiam præbebit, vt illi fideliter ſeruias. Hæc in gratiam ſcrupuloſorum ex doctrina ſcholaſtica, cum quanta potuimus breuitate, collegimus, quæ ſcimus vtilia non fore, niſi illis, qui patri ſpirituali crediderint, & ſe ſiuerint gubernari. Qui verò patri ſpirituali non credunt, nunquam curabuntur, & ſunt velut ægroti deſperati, donec ductori ſe ſubiiciant, in Deu confidant, & dictis aliorum obediant.

Matth. 6. 34.

De tentationibus Proficientium.

CAPVT XIII.

TENTATIONIBVS incipientium explicatis, ſatis huic tractationi ſatisfactum videbatur, in qua necdum gradus incipientium exceſſimus (qui in primo huius operis volumine propoſiti ſunt) & vitæ adhuc ſpiritualis tyrones [illegible]dimus. Et certè licèt hoc ita ſit, viſum eſt hoc loco tentationes quaſdam proficientium & perfectorum exponere, ne iterum ad tẽtationes tractandas red[illegible]amus. Proficientium autem bella à puſillanimitate libuit exordiri, quia ab ipſa, vel à remediis, quibus cã curare nitimur, ſolent aliæ tentationes prodire.

Lib. 1. c.

De puſillanimitate tentatio. §. I.

PRoficientes igitur, ne creſcant, & ne ſecundùm gratiã ſibi datam operentur, ſolent à diabolo ſpiritu puſillanimitatis impugnari. Eſt autem puſillanimitas, vt Thomas Aquinas ait, vitioſa affectio mẽtis, qua quis conuenientia ac proportionata ſibi, datæ potentiæ vel virtuti recuſat attentare. Qua laborabat ille, qui acceptum talentum ſepeliuit, & in ſudario abſcondit pecuniam domini ſui.] Hæc ſolet interdũ ſolæ imaginationi & vanæ apprehẽſioni, interdum verò alicui moleſtiæ corporali ſubniti. Illi ſola inani cogitatione pulſantur, qui cùm iuuenes ſint, & corpore ſatis robuſti, proprio amore decepti, omnia virtutis ſtudia ſibi nocumentum aliquod allatura diiudicant. Ideo orationem, & attentã rerum cœleſtium meditationem fugiunt, ne caput lædãt, cilicij vſum moderatum auerſantur, ne ſtomacho imbecillitatem afferãt, flagella corpus domantia & caſtitatem cuſtodientia timent, ne oculorum aciem imminuant, & breuiter omne genus religioſarum aſperitatum horrent, ne ſaluti corporis, Dei obſequio apprimè neceſſariæ, nullum officiãt. Illi verò nõ ſola imaginatione, ſed etiam moleſtia corporali obtundtur, qui aliqua debilitate corporis afflicti, quã in aliis fiducia in Deum & fortitudo vincit, ſe ad omnia virtutis miniſteria ineptos exiſtimant. Ita oppreſſi nec concionari, nec aliquã adminiſtrationem ſubire audent, immò & ſacrum peragere coram aliis, præſertim nobilibus & doctis metuunt, quorum conſpectu turbãtur, ita vt nec orationes memoriæ commendatas, quas etiam in Miſſali legere poſſunt, proferre valeant. Quin & neſcio quas repentinas calamitates ſibi breui & ſubitò euenturas timent, quorum conſideratione velut attoniti nihil pro ſuo profectu, & Dei gloria molliri concupiſcunt. Hunc enim puſillanimitatis eſſe fructum docet apertè Chryſoſtomus. Puſillanimitas eſt, inquit, maximè eorum gratia, quæ necdum contigerunt, incertúmq; eſt an euentura ſint, mœrore iam nos ac dolore cõficere.] Mira poſſem, & ferè incredibilia de hac tentatione conſcribere; omitto tamen, quoniam qui eã experti ſunt, ex his paucis ſeipſos agnoſcent: Qui verò experientiam non habent, non tam diaboli aſtutiam, quàm ſanæ mentis carentiam putabunt. Ne tamẽ hoc ſine aliqua authoritate, & ex proprio cerebro dictum putent, verba Gerſonis notanda, & remedium ab eo datũ, quod poſtea repetemus, ſubiiciam. Sit quis, inquit, naturaliter timidus, & in naturalibus quibuſdam defectuoſus, huic ſi coram multitudine quidpiam ad agendũ incubuerit, poterit facillimè ſpiritus nequam (Deo id ad probationem, & exercitationem huius permittente) paſſionẽ timoris in tali tãtùm augmentare cum naturalium defectuum eius adiumento, vt quaſi totus ſtupefiat, viſúſque & auditus vſum quaſi intermittat, imò & ſenſu tactus quaſi intercepto per totum corpus ſpaſma incurrat, & frigido quodã perfuſus ſudore velut amens in terram cadat, quemadmodum experientia in nonnullis docuit. Cui grauiſſimæ paſſioni timoris (ſi quis eam ſemel aut bis expertus) ceſſerit, & ſe viriliter propter cõpertam difficultatem, & præſumptam confuſionem eidem non oppoſuerit, deueniet ad tantam puſillanimitatem, quod vix aut nunquam curabitur. Imò videbitur illi (quanquam phantaſticè & diabolo illudente) quod potiùs vellet mortẽ ſubire, quàm tali operi, vbi tantã expertus eſt difficultatẽ, iterũ intẽdere.] Hactenus Gerſon.

D. Thom. 22. q. 133. ar. 1.
Matt. 25. n. 18.
Chryſ. lib. 2. de prouident.
Gerſon. tract. de remedijs cõtra puſillanimit.

Hanc tentationem cum quodam magnæ ſanctitatis viro, ad remedium cuiuſdam afflictæ animæ conferens, dixit mihi eſſe pœnam ſuperbæ complacentiæ ac inanis confidentiæ, qua quis ſibi ipſi placet, atque de ſeipſo confidit. Quod & Dauid videtur indicaſſe, cùm ait: Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.] Superbi namque & ſibi ipſis præfidentes ſunt, qui Deum adiutorem in omnibus inuocare obliuiſcuntur, qui inani terrore pulſantur, vt ſciant ad ſuum conditorem pro medicamento recurrere. Indicat etiam Gregorius, dum ſic ſcribit: Multùm de ſe animus confidit, quando ſibi ad votum vires ſuppetere conſpicit. Iam ſibi fiduciam ſanctitatis arrogat; iam ſe idoneũ etiam ad cuncta virtutum culmina, quæ ſola cogitatione conceperit, putat. Sed cùm hunc tentatio ſubitò oborta tranſuerberat, eas, quæ natæ de virtutibus fuerãt, elatas cogitationes funditus turbat. Quaſi ſecuram quippe vrbem inopinatus hoſtis ingreditur, & repẽtino gladio ſuperborum ciuiũ colla ferũtur. Nihil ergo tunc, niſi cõtinuus luctus agitur, dũ capta vrbs animi à magnarũ, id eſt, virtutum ſuarum gloria, cæde interueniẽte, vacuatur.] Remediũ igitur huius tentationis eſt, primò quidem ſuperbiæ, & propriæ confidẽtiæ culpas flere, & curam Domino hominem veriſſimè ſe debere, & in illo ſolo, atque in eius auxilio omnem ſpem ac fiduciam collocare. Contra puſillanimitatem, inquit Bernardus, habenda eſt diuinæ fiducia poteſtatis, vt

Pſal. 13. 5.
Greg. 26. mor. c. 28.
Bern. ſer. 5. de Aſſumpt.

quod tuis viribus non poſſe putas, ex illius adiutorio poſſis, & cum Apoſtolo dicas: Omnia poſſum in eo qui me confortat.] *Philipp. 4 n.13.* Optimè ſanè dicta ſunt hæc: nam vt canit ſanctus Dauid: *Pſal. 114. 6.* Cuſtodiēs paruulos Dominus: humiliatus ſum, & liberauit me.] Qui ſeipſum deiecerit, & quaſi nulla ſui ratione habita in Domino ſolo confiderit, opportuniùs, quàm cogitare poterit, eius auxilium adeſſe præſentiet. Deinde remediū eſt, quemq; ſeipſum animare, & bonis cōſiderationibus, vel eorum beneficiorum, quæ à Domino accepit, vel eorum, quæ accepturus eſt, & exemplo aliorum erigere. *Iſa. 35. 4.* De quo Iſaias ait: Dicite puſillanimis: Confortamini, & nolite timere: ecce Deus veſter vltionē adducet retributionis: Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos.] Ipſe ſaluator aderit, & hoſtibus nos perſequentibus pœnas, nobis autem auxiliū impertiet. Si puſillanimitate faciente, cæci ſumus, ipſe aperiet oculos cæcorum; ſi ſurdi, aures ſurdorum patefaciet; ſi claudi, ad modum ceruorum ſaliemus; & ſi muti & elingues, dabit ille linguam eruditam & expeditam, quæ eius laudes ac perfectiones enuntiet. Tandē medicamentum eſt, ſi puſillanimis ſeipſum cogat, & nihil quod ſuo ſtatui & vocationi congruat, ob timorem prætermittat. Quòd ſi hodie minus aptè, timore & puſillanimitate faciente, ſuo muneri ſatisfecit, cras aptiùs, & meliùs ſuæ obligationi reſpondebit, & defectuum, quos in rebus ſibi iniunctis propter hanc victoriam reportandam incurret, facillimè à Domino veniam obtinebit. Semel autem, ô vir Dei, in aliqua occaſione ab ſpiritu vani timoris, aut ex toto, aut ſaltē ex parte liberatus, gratias age, animi hilaritatem concipe, & de Domini benignitate maiorem in dies emendationem ſpera. *Pſal. 54. 9.* Dic cum Dauide: Expectabam eum, qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus & tēpeſtate.] Iam ille ex parte ſaluum te fecit, qui autem cœpit, ipſe perficiet, & ex toto ab hac tempeſtate timorum, & ab impetu puſillanimitatis eripiet.

Quæ diximus, illis proficient, qui in miniſteriis vocationis ſuæ immoderato timore, & diffidentiæ cogitationibus agitantur. Illi autem, qui corporis incommoda futura pertimeſcentes, cōſuetam viris perfectis aſperitatem vitæ refugiunt, facilè docerentur, ſi auderent ipſi, imaginatione ſepoſita, proprias vires experiri, & ſaltem per aliquot menſes ſanctas corporis afflictiones amplecti. Videbūt profectò ſe nihilo imbecilliores hominibus cæteris: videbunt maiores ſibi, quàm exiſtimabant, vires ſuppetere; & moleſto onere perituræ carnis ſepoſito, non ſolùm agiliores & lætiores, ſed & Deo coniunctiores ſentient. Pro comperto habeant ſe non poſſe bene proficere, neque ad perfectionem aſcendere, niſi corpus domēt, & vt Paulus monet, *Rom. 13. 14.* curam carnis non faciant in deſideriis.] Duo enim latera ſcalę qua in cœlum aſcenditur Pſalmographus illo verſu complexus eſt: *Pſal. 24. n.18.* Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea:] quæ qui non tenuerit, nullo modo ſecurus aſcendet. Humilitas animi modeſtiā, & labor corporis afflictionem deſignat. Sed libet hæc Bernardi verbis explicare. *Bern. de clamatione de bonis deſerendis.* Hæc, inquit, ſint latera ſcalæ, vilitas & aſperitas, quibus deinceps internæ virtutis & gratiæ gradus firmiter inſerantur. Eſt enim videre homines mundum contemnentes, fauorem calcantes populi, non deſiderantes humanum diem, ſed non adeò fortes in tolerantia moleſtię corporalis, nō adeò reiicientes mollia, non adeò carnis illecebras ſuperantes. Quid iſtos dixerim, niſi latus alterū non tenere? Porrò vni tantùm lateri innitentis periculoſus nimis aſcenſus, & proximus eſt ruinæ. Quòd ſi periclitatur, qui circa carnem videtur pluſquam oporteat infirmari, licèt mundi reſpuat gloriā, nec contumeliis moueatur: profectò longè horribilius eſt periculū, & multo magis inexcuſabile, ſi quis fortè, licèt caſtigans viriliter corpus, & non parcens eius afflictioni, inueniatur tamen minùs reſiſtens gloriæ deſiderio, minùs patiens iniuriarum, minùs puritatis & ſolidæ humilitatis habens, minùs immunis à ſæculi vanitate.] Hęc ille. Geminæ igitur tentationi puſillanimitatis, & ſuperbiæ geminum ſcutum opponendū eſt, vt & corpus ſeuera caſtigatione domemus, & mentē modeſta deiectione deprimamus. Qui enim aut in hoc fuerit negligētior, aut in illo remiſſior, nunquam à communi & tepida vita diſcedet, nunquam in virtute proficiet.

De nimio Zelo tentatio. §. I I.

Alij ex proficientibus nimio & indiſcreto zelo tentantur, qui quodammodo prædictæ animi puſillanimitati opponitur, ſed non eſt minorum malorum exordium. Hic autē zelus multiplex eſt. Quidam enim externæ diſciplinæ, & cæremoniis, ac obſeruātiis nimis addicti ſunt, adeò vt illas omnibus rebus præponere videantur. Qui, (vt inquit Bonauentura) *Bonauent.* pro vna inclinatione in choro neglecta plus accenduntur, quā pro lōga detractione de alio religioſo excitata, & grauiùs indignantur pro verſiculo, aut rubricula prætermiſſa, quā pro magna perturbatione cū ſcādalo procurata.] Alij corpore ſatis validi ſolas corporis aſperitates in pretio habent, & dum corpus immoderatis ieiuniis vigiliiſque conficiunt, alios, vel ob ſtatus neceſſitatem, vel ob corporis imbecillitatem, mitiorem vitam amplectentes, contemnunt. *Luc. 18. n.12.* Et velut ille ſuperbus Phariſæus, quia ieiunat bis in ſabbato, ſe aliis non ieiunantibus præfert. Alij, qui cum prædictis ſunt numerandi, religioſam diſciplinam, & vitæ externam ſeueritatem mordicùs tenent, cellā amant, ſilentium obſeruant, & in nullo ab obſeruantia deficiūt, at amariſſimis cogitationibus fratres ſuos in aliquo iſtorum remiſſos damnant, & non ſolùm corde, ſed ore imperfectos, & vitæ religioſæ deſtructores pronūtiāt. Alij demum deſiderio animarum cōuertendarum ardent, quod minimè diſcretione moderantes non ſine periculo ſuæ ſalutis exercent. Nō putant ſe homines eſſe, & ideo occaſiones peccādi non timent, ſed dum alicuius animæ (vt ſibi videtur) ſalus proueniat, omnia tuta & ſecura prætendunt. Nec aduertunt ſe eſſe alicuius cōgregationis membra, vnde, ſi ſuo videri aliquibus proſint, eidem familiæ infamiam, aut minùs bonā opinionem apud alios conflare non metuunt. Suſcipiunt externas occupationes ſine vlla menſura, quæ etiam tempus orationi, meditationi, ſacræ lectioni deſtinatū præripiunt, & more ſæcularium mercatorū viuentes, qui nunquā quieſcunt, ſe, quoniam ſalutem animarū quęrunt, inconfuſibiles Euangelij operarios appellant. Aderit tamen tempus, cùm ſe inuenient confuſione pleniſſimos; nam in die diſcuſſionis nihil ſe profeciſſe, & nihil aliud niſi vanitatem captaſſe, & nullam vtilitatem ſuis magnis occupationibus Eccleſiæ attuliſſe cognoſcent.

Zelus iſte tēperandus eſt, ita vt, quod ignorantiæ & ſuperbiæ habet, deponat, & quod in eo eſt virtutis perfectioniſque ſeruetur. Cæremoniarum igitur zelatores, eas quidem ſolertes exerceant: nam & in obſequio Dei multo magis, quā in obſequio nobilium, aut regum quærendus eſt præſcriptus actionum ordo & operū pulchritudo, at ſi ad ipſos ex officio non pertinet, alios increpare & emēdare permittāt. Ne minora maioribus anteponāt, nec vt arboris foliū cuſtodiāt, fructus lædant. Cęremoniæ autem minima obſequia ſūt, & velut folia, quę, internā deuotionem protegunt, & reuerentiā mentis ac charitatem operiunt. Quæ dementia eſt, & ob iſtorū minimorū cuſtodiā ab

alio prætermiſſam, indignatione deuotionem extinguere, obmurmurationibus reuerentiam perdere, & rancore amoris dulcedinem ablegare. Priores partes, vt Bonauentura ait, diuinis præceptis deferendæ ſunt, deinde præceptis Eccleſiæ, poſtea ſpecialibus obligationibus ex voto, vel ſtatu ſuſceptis, tandem cultus exterioris decoro. Ergo ſtultum eſt ob hoc decorum externum, quod non tu, ſed alius prætermiſit, præceptis contraire (dum alium damnas & ſpernis) & pacem animorum turbare.

Bonau. 5.

Aſperitatum verò amatores ament quidẽ eas; ſed non ſine diſcretione amplectantur, ne dum corpus domant, inſtrumentũ ſibi ad diuinũ obſequiũ datum conficiant. Magiſtri ſpiritualis conſilio regãtur, ne ſupra vires onerati corpus exhauriant, & poſt paucos menſes, primũ neceſſitate cogente, vitę ſeueritatẽ deſerant, & poſtmodũ imaginatione creſcẽte, diſſolutè & ſæculariter viuant. His enim ſæpe quadrare ſolet, quod de Moab dixit Ieremias: Plus fecit, quàm potuit, idcirco perierunt.] Nam vnde profectũ ſpiritualẽ promouere voluerũt, inde ob indiſcretionẽ ad teporẽ declinantes eundem profectũ labefactarunt. In illud autem præcipuè incumbant, ne alios mitiùs & humaniùs viuentes contemnant. Si enim ſeueritas in domando corpore bona eſt, ſed melior humilitas. Dum ergo ex vitæ aſperitate ſuperbiunt, melius bonum, ſine quo aſperitas bona non erit, ſcilicet humilitatẽ amittunt. Sciant verã ſanctitatẽ (quod alibi probauimus) non in ieiuniis, aut vigiliis, nõ in ſacco, nec in humi cubationibus, ſed in charitate, & in virtutibus veris, ſolidíſq; conſiſtere. Præcipuũ autẽ, & efficaciſſimũ aſſequẽdæ charitatis inſtrumentũ non eſt externa carnis caſtigatio, ſed interna iudicij, voluntatis, paſſionũ, & affectionũ abnegatio, ac cordis ab omni ambitione, & amore rerũ temporaliũ auulſio. Quid igitur de minoribus virtutis exercitationibus, ſcilicet de afflictionibus carnis ſe iactant, ſi propriam voluntatem & ſui æſtimationem (quod alij mitiùs corpus tractantes non faciunt) impinguant? Interiori itaque culturæ præſertim inſiſtendum eſt, corporis autem afflictioni eatenus vacandum, quatenus vires non abſumat, & internæ puritati proficiat.

[I]erem. 48.36.
[T]om. 1. [..] 3. c. 5.

At qui externam religioſæ vitæ diſciplinam accuratiſſima ſedulitate ſuſcipiunt vehementer laudandi ſunt, ſed ſi fratres ſuos remiſſiùs viuẽtes non iudicẽt, nec aduersùs illos obmurmurent. Verè enim religioſam diſciplinã tranſgredientes peccãt, ſed multò grauiùs iudicij alieni præſumptores, & detractores delinquunt. Tu quis es, inquit, ſanctus Iacobus, qui iudicas proximum?] Ac ſi dicat: Æternus pater omne iudiciũ dedit Filio,] nõ tibi, quare iniuriã illi facis, dũ munus eius inuadis, & in meſſem alienã (vt dicitur) falcem mittis. Quid iudicas alienũ ſeruũ, qui Domino ſuo ſtat aut cadit?] Et ſi ille diſciplinæ regulas pręteriens cadit, cur tu eum ſuperbè & cõtentioſè damnas, nec illum erigis? & te ipſum in cœnum detractionum, & temerariorum iudiciorũ immergis? Si alium iudicas, perſonam Prælati ac iudicis ſumis. Sed ſcito ſcriptum eſſe: Iudicium duriſſimũ his, qui præſunt, fiet.] Quòd ſi iudices ab ipſo Domino conſtituti iudicium duriſſimum expectant, in quo ſuorum iudiciorum rationem ſunt reddituri, tu contrà voluntate Domini iudex factus iniquorum iudiciorum pœnam effugies? Compeſce teipſum, tum ne à Domino derelictus in ſimilia, aut peiora cadas (quod ſæpe euenire ſolet) tum etiam ne punitionem ſuperbis paratam incurras.

[Iac]ob. 4.
[Io]an. 5.
[Ro]ma. [1]4.
[Sa]pien. 6.

Illi tandem, qui ſuæ ſalutis obliuiſcuntur, vt aliorum infirmitatibus medeantur, monendi ſunt: vt ſi pro charitate militant, charitatis ordinem, quæ in viro iuſto ab ipſomet incipit, non prætermittant. Nam & ſponſa ait: Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.] Prorſus bene conueniunt ingreſſus in cellam vinariam, qui zelũ ſignificat, & charitatis ordinatio. Importabilis ſiquidem, vt inquit Bernardus, ſine ſcientia eſt zelus. Et vbi vehemens æmulatio, ibi maximè diſcretio eſt neceſſaria, quæ eſt ordinatio charitatis. Semper quidẽ zelus abſque ſcientia minùs efficax, minúſq; vtilis inuenitur, plerumque autem & pernicioſus valde ſentitur. Quò igitur zelus feruentior, ac vehementior ſpiritus, profuſiórq; charitas, eò vigilantiori opus ſcientia eſt, quæ zelum ſupprimat, ſpiritũ temperet, ordinet charitatem.] Sapienter dicta ſunt hæc: & illud de inefficacia, & inutilitate; ac damno nimij zeli mille experimentis comprobatur. Milites quippe fatigati nullum ferè detrimentũ hoſtibus inferunt, & operarij Euangelij ſeipſos non curantes, & propriũ ſpiritũ minimè ſaginantes, ab animatum hoſtibus vix formidantur, quos ſciunt frigidis tantùm verbis pugnare. Mater quoq; ſe ipſam non paſcens, inutilis eſt ad filios educandos, quorum imbecillitati & fami, præ defectu lactis, ſubuenire non poteſt: & miniſter Euangelicus animam ſuam ſanctis exercitationibus nõ enutriens, lacte, id eſt, pinguedine doctrinæ caret, quo filios ſpirituales ſuſtentet. Qui etiam diuitiarum huius mundi parum habentes, multum inſumunt, debita contrahunt; & quia non habent vnde exoluant, in carcerem detrudũtur. Sic qui ſupra vires ſpiritus ſe ipſos effundunt, & occupationibus licèt piis implicantur, grauiſſimis ſæpe imperfectionibus obruuntur. Hi inter pręcipites numerandi ſunt, quibus dicit Gregorius, quia dum bonorum actuum præueniũt tempus, meritum peruertunt: & ſæpe in malis corruunt, dum bona minimè diſcernunt. Qui nequaquã quid, quo modo, vel quando, quæque agant inſpiciunt, ſed plerunque acta, quia ita non debuerunt agere, cognoſcunt.] Diſcant igitur proficientes zelum temperare, & primò ac præcipuè ſe ipſos, deinde verò alios perficere: quos procul dubio efficaciùs iuuabunt, ſi propriæ perfectionis ingentem curam ſuſcipiant.

Cant. 2. n. 4.
Bern. ſer. 49. in Cant.
Greg. 3. p. paſtor. ad monit. 16.

De incuria in operando tentatio. §. III.

SOlent etiam proficientes interdum negligentia tentari, & ea, quæ ad proprium miniſterium vel cultum Dei pertinent, negligenter perficere. Qui rebus temporalibus ex obedientia deſtinentur, ea cum nauſea & triſtitia obeunt, qui animabus in viam Dei ducendis vacant incurioſè & tepidè, onus ſuum portant; qui orant, pſallunt, meditantur, aut aliquid ſimile diuini cultus peragunt, diſtracti, aridi, & frigidi diuinis inſiſtunt. Quod autem peius eſt, non curant iſti ſe ipſos accendere, & à tanta oſcitantia reſilire. Aptéque dicetur tepido illud Iſaiæ: Omnes reges gentium vniuerſi dormierunt in gloria, vir in domo ſua. Tu autem proiectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis.] Iuſti enim feruentes, qui reges dominantur, in glória & in domo ſua dormiunt, quia diligenter exequentes miniſteria, ad quæ vocati ſunt, in eis, quaſi in gratiſſima domo requieſcunt. Tepidus verò in contumelia, & extra domum dormit, quoniam in bonis torpet, & in rebus inutilibus, ac negotiis ſæcularibus quietem inuenire contendit.

Iſaia 14. 18.

Qui ſe hac tentatione impugnari cognouerit, quę peſtilentiſſima eſt, ab ea ſe extricabit, ſi cui ſeruiat, attentè cõſideret. Domino enim vniuerſorũ in exterioribus & interioribus virtutis actionibus obſequium pręſtat. Si autẽ damnabile eſt terreno principi cũ tædio & negligẽtia famulari, quanto dãnabilius erit re-

gi cœleſti, à quo præmium æternum ſperamus, oſcitanter ac incurioſè ſeruire? Amat ipſe in omnibus quæ præcipit diligentiam, adeò vt eos, qui iuſſu illius hoſtes occidunt (quod ſibi cordi non eſt, cùm in opera miſerationis ſponte prodeat, & in vltionem ac vindictam, quaſi peccatis compulſus procedat) velit gnauiter & diligenter occidere. Eóſque ſi remiſſi in occidendo ſint, maledictione percutiat per Ieremiam, dicens: Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter, vel vt alia littera habet, negligenter; & maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.] Quanto magis maledictione caſtigabit eos, qui opera vitæ negligenter perfecerint, & debitum conatum ſuffurantes quaſi fraudulenter exercuerint. Theodoretus ſanè Domini voluntatem à nobis feruorem actionis poſcentem, ex hoc loco ſapienter collegit. Atqui, ait, ſi iuſſu Dei ſermo propheticus ſubiicit hîc maledictioni eos, qui negligenter occidunt, quantas nos pœnas exoluemus, ſi munus ſpirituale parui penderimus?] Illud etiam nos ad vincendum animabit, quod operibus ſegniter factis ferè nihil proficimus, & nunquam veri humiles, patientes, obedientes euadimus; nunquam poſt multos orationis annos donum orationis acquirimus, & viri ſpirituales efficimur. Laborandum ergo eſt, vt perficiamus actiones noſtras, quæ perfectè elicitæ nos ipſos in vita ſtudioſa perficient. Id autem ſuauiter fiet, ſi per aliquot dies vnum ex bonis operibus, vt orationem, & poſtea per alios dies aliud, vt pſalmodiam, & ſic deinceps emendauerimus. Hac enim ſolertia, quam diuina gratia excitabit atque iuuabit, diabolus victus fugiet, & hanc nocendi artem, qua nos ſemper puſillos & imperfectos tenebat, detectam & eluſam aſpiciet.

Ierem. 48 10.

Theodo. ib.

A

B

C

De adhæſione ad loca & miniſteria tentatio. §. *IV.*

Alios ex proficientibus decipit aduerſarius immoderato affectu ad locum, vt ad cœnobium, vel cellam in qua habitant, & ad miniſterium, verbi gratia, docendi, concionandi, aut excipiendi confeſſiones, quod obeunt, ita vt non patiantur ab eo quod amant, iſtante Prælati obedientia, vel poſtulante neceſſitate, diuelli. Quem nimium affectum diabolus perceptæ, ac percipiendę vtilitatis prætextu cooperit, & ne timeatur bonum eſſe, & ob gloriam Dei admiſſum, perſuadet. Videáſque alios ex his non minùs quàm ſæculares homines, ſuis vtilitatibus, quas in cœnobio ad vitæ vſum accipiunt, & ſuis muneribus ac officiis addictos. Et ſi obedientia locum neceſſitatis gratia mutandum eſſe decernat, aut miniſterium hoc omittendum, & aliud obeundum eſſe conſtituat, non minùs repugnant, quàm ſi coniugati domo propria, in qua habent vxores & filios, pellerentur, aut officium mutare cogerentur, quo ſe familiámq; ſuſtentant. In tantum autem ſolet hæc dementia creſcere, vt nonnulli religioſi putent ſe huic loco, aut muneri eſſe omnino neceſſarios, omniáque ruitura eſſe, & in manifeſtam perniciem itura, ſi ipſi, columnæ ſcilicet religionis, aut hunc locum deſerant, aut ab hoc munere, quod multis annis optimè tractarunt, abſcedant. Quodque mente concipiunt, ore fatentur, & non ſine aliorum ſcandalo excuſationes diſcedendi, vel mutandi miniſterium prætexunt.

D

E

Hos planè ſpiritus ſuperbiæ & proprij amoris excæcat, qui ſi volunt proficere, debent his, quæ ſubiicimus remediis hanc tentationem profligare. Sciant ergo, & ſibi, quod veriſſimum eſt, perſuadeant, Deum ipſis opus non habere, neque eorum abſentiam, aut mortem familiæ religioſæ, aut cœnobio aut muneri, quod tractant, officere. Dominus enim potētiſſimus, qui eos amouet, alios in eorum locum meliores vel certè æquales ſubſtituet. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, (inquit ſanctus Dauid Eccleſiam alloquens) conſtitues eos principes ſuper omnem terram:] quia deficientibus Apoſtolis Deus ad gubernationē Eccleſiæ ſuæ viros Apoſtolicos ſuſcitauit; vnde non debent patres (quia in quauis religioſa familia pro patribus filios ſuſcitat) ſpiritu ſuperbiæ ducti cogitare, quòd eorum abſētia diſciplinæ rigor & optimus ordo deficiet. Mortuus eſt Petrus, & mortuus eſt Paulus, & mortui ſunt Apoſtoli, & Eccleſia non cecidit: mortuus eſt Ioannes Chryſoſtomus, & mortuus eſt Gregorius Nazianzenus, & mortui ſunt alij concionatores inſignes, & munus concionandi non eſt imminutum: mortui ſunt Thomas Aquinas, Bonauentura, & Scotus, & alij doctores præcipui, & non perierunt cathedræ, nec magiſteria Theologiæ; & tu putas gubernandi, aut concionandi, vel legendi munus in nihilum redigendum, ſi diſcedas, & illud non obeas? ſatis profectò ſtultitia & ſuperbia turges.

Pſal. 44. n. 17.

Si autem in hac adhæſione ad loca aut miniſteria, aliqui non communem vtilitatem, ſed propriam commoditatem quærant, hi erubeſcent, & ſe ipſos curare ſatagent, ſi ignominioſum morbum ſui cordis aſpiciant. Ipſi namque qui propter Dominum cuncta reliquerant, ad ea, & ad propriam voluntatem, vt canes ad vomitum, redeunt. Idôla ſæculi, vt Rachel exiens è domo Laban, ſcilicet propria commoda ſecum in vitam ſpiritualem adducunt, quæ & ipſos inquietent, & Chriſti, aduersùs ſe præuaricatores, indignationem exſuſcitent. Idôlum religioſi, inquit Humbertus, eſt omnis res tranſitoria, quæ in amore eius, Deo præponitur vel æquatur. Scrutabitur Chriſtus virum religioſum: ſed eius ſcrutinium multum erit diſſimile ſcrutinio Laban. Scrutabitur enim non ſola exteriora, ſed etiam interiora. Scrutabor (inquit) Ieruſalem in lucernis.] Non ſolùm in lucerna, quia non ſolùm exteriora videbuntur, ſed etiam cordium abſcondita.] Hæc itaque, quæ propter Deum ſolùm accipiuntur, propter ipſum etiam, cùm opus eſt, ſine vlla difficultate relinquantur. Nec iuſtus vni loco corde adhæreat, cui totus in domū conceſſus eſt orbis. Vna enim virorum Apoſtolicorū qualitas à Paulo recēſita, eſt libertas ſancta vbiq; viuēdi. Inſtabiles, inquit, ſumus] id eſt, vt quidā interpretatur: Palantes & vagabundi incertis ſedibus. Quid ergo ſtultius, quàm ad hāc libertatē vocatus vni ſe loco addicere, commodiſq; ſuis à ſanctis laboribus auocari? Nec etiā ſe amore immoderato miniſterio liget, cui non vnū, ſed multa munera variis tēporibus obeunda demandara ſunt. Faciat quòd vir ſecundū cor Dei, qui ad regnū euectus, & ab iniquo filio domo pulſus, paratus eſt in poteſtatē regiam redire, & paratus eſt eam in perpetuū relinquere. Si inuenero gratiā in oculis Domini, ait, reducet me, & oſtēdet mihi arcā & tabernaculū ſuum: ſi autem dixerit mihi: non places, præſto ſum; faciat quod bonum eſt corā ſe.] Si Dominus voluerit, ô ſancte Dauid, te ad regnū redire, quid facies? Præſto ſum. Et ſi voluerit te in ordinē redigere, & ſceptro, ac diademate ſpoliare, quid dices? Pręſto ſum. Et ſi decreuerit te nulquā conſiſtere, & ab omnibus affligi ac aſpernari, numquid patienter ſuſtinebis? Præſto ſum. O anima ſancta, quam Deus tanto rerum contēptu dotauit, vt Apoſtolici viri eam imitarentur, & diſcerent ſe expeditiſſimos fore ad cūcta deſerēda aut aggrediēda, quę vox Prælati mandantis iniunxerit. Egreſſus ſanè Tobias iunior ad quærēdum itineris comitē, inuenit

Geneſ. 31. n. 19.

Humb. lib. 1. inſtit. p. 4. cap. 2.

Sophon. 1. n. 11.

1. Corint. 4. 11.

2. Reg. 15. 25.

Tobiæ 5. 5.

Angelum, vt iuuenem ſplendidum ſtantem præcinctum,& quaſi paratum ad ambulandum.] Et nos munere Angeli Dei ſumus,id eſt,nuntij,quærentibus regnum Dei in comites ac ſocios deſignati, nemo nos ſedentes & commodis noſtris adhærentes, ſed ſtátes inueniat: nemo nos affectibus oneratos, ſed præcinctos & expeditos reperiat: nemo nos hoc aut illo munere ligatos, & impeditos, ſed liberos & paratos ad eum comitandum aſpiciat,vt ſic vocationi noſtræ reſpondeamus.Remedium igitur huius tentationis ſit, vt quis ſtatim atque affectum nimium ad locum, aut munus ſibi ineſſe perſenſerit,illum omnibus modis è corde reuellat,& ſe libertimè in poteſtate prælati dimittat, vt poſſit illum quò voluerit amandare, aut in rebus aliis occupare.

De appetitu honoris tentatio. §. V.

Tandem proficientes ſolent honoris, & laudis,& dignitatum deſiderio tentari. Omnia enim, quæ ad honorem ſpectant, more ſeruorum & ancillarum virtutem aſſectantur:vnde qui ſe vident virtutibus & donis cœleſtibus pollere,quaſi natura duce appetunt ab aliis hominibus honorari. Honor verò iſte bipartitus eſt:alter in hominum æſtimatione,qua aliquem vt ſtudioſum & ſanctitatis amatorem, & aptum ad magna gerenda ſuſpiciunt: alter verò in dignitatum Eccleſiaſticarum,ſiue ſecularium,ſiue regularium delatione conſiſtit. Quidam ergo ex proficientibus ad primum illum honorem exoptandum permouentur, vt nimirum opinione doctrinæ aut ſanctitatis obtenta,in aliis eos audientibus ſuis miniſteriis proficiant. Alij verò etiam ad ſecundum honorem quærendum incitantur,ne deſides & otioſi in cella reſideant; ſed in dignitate,tanquam in candelabro poſiti proximos iuuent. Quin & ſe talentum habere profitentur,quod non debent vt ſerui pigritantes abſcódere,ſed eo pro gloria Domini negotiari. His rationibus diabolus multos dementat. Non enim audet miſer his,qui diligenter viam virtutis currunt, ſuperbiam & ambitionem nudam exponere, ſed pallio diuinæ gloriæ quærendæ tectā offerre. Vnde Bernardus: Iam verò proficientium ſanctioribus ſtudiis, minimè quidem ſeſe opponere contrariæ virtutes apertè audent,ſed ſolent ex occulto inſidiari quaſi quædam fraudulentæ vulpeculæ:ſpecie quidem virtutes,re autem vitia. Et poſt aliqua: Interdum proficiētis cuiuſpiam,cùm ſibi profuſius aliquid ſupernæ gratiæ ſenſerit irrorari; ſubit animum deſiderium prædicandi,non quidem ad parentes & propinquos,iuxta illud: Continuò non acquieui carni & ſanguini,] ſed quaſi puriùs, fructuoſiùs,fortiúſq; paſſim ad extraneos & ad omnes. Cautè omnino. Sanè timet propheticum incurrere maledictum,ſi quæ abſcondito accepit frumenta,abſcondat in populis:& contra Euangelicum facere,niſi quę in aure audiuit,prædicauerit ſuper tecta.] Hæc ille.

Bern. ſer. 64. in Cant. — *Galat. 1. n.16.* — *Prou. 11. n.16.* — *Matt. 10. n.27.*

Appetitus iſte,dolus aduerſarij eſt, quo multos ex proficientibus decipit,& deceptos deiicit,& deiectos in maximas animi diſtractiones, & in manifeſtiſſima æternæ ſalutis pericula mergit. Et licèt vtrique deſiderio honoris, & dignitatis vna humilitas medeatur; volumus tamen eam paucis euoluere, & quaſi per partes explicare. Qui bonam igitur apud alios opinionem deſiderant, ſciant ſolam veram virtutem eſſe concupiſcendam, quam honor ſicut corpus vmbra ſubſequitur. Sicut autem ſtultus eſſet, qui ſpreta auri gleba, ad eius vmbram inhiaret; ita inſipientiſſimus eſt, qui à virtute ad honorem, id eſt, à veritate ad vmbram ſuum amorem transferret. Cognoſcant ſe famulos Dei eſſe, ad ipſóſque ſolam diligentiſſimam diuini obſequij curam, ad Dominum verò

A ipſorum opinionem ſuo obſequio neceſſariam ſpectare. Ne igitur honoris curam habentes in vera virtute quærenda tepeſcant, & munus alienum vſurpent. Audiant exhortationem Pauli: In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, per gloriam & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam: vt ſeductores & veraces: ſicut qui ignoti & cogniti.] Id eſt, in hoc cunctis viribus incumbamus, vt Domino ſolertiſſimè famulemur, ſiue nos homines magni habeant, vel vt abiectos contemnant: ſiue de noſtra conuerſatione verè bonam famam, aut falsò ignominiæ rumores ſpargant: ſiue nos veraces vel ſeductores putent, ſiue apud Deum cognitos,id eſt,probatos,vel potiùs incognitos & reprobatos exiſtiment. Vna cura ſit nobis deiiciendi nos,
B ſuperbiam conculcandi,& Domino perfectè ſeruiendi: ipſe verò noſtram bonam opinionem ad ædificationem aliorum, & ſuum obſequium neceſſariam nobis nec quærentibus, nec cogitantibus miniſtrabit. Secundùm dictum eiuſdem Pauli: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo,] mundum nobis & nos mundo crucifigamus. Vt quemadmodum crucifixus ludibrio expoſitus, & ab omnibus contemptus ad neminem poteſt manus extendere, nullúmque contingere: ita mundus, & à mundanis delatus honor ſit mihi riſui atque contemptui, à quo nec digner manu tangi, & ego velim, & optem à mundo crucifixus, id eſt, vilis putari, quem ipſe nolit alicuius honoris manu contingere.

2. Cor. 6. 8. — *Galat. 6. 14.*

C Qui verò non iam honores ſolùm, ſed dignitates & prælationes appetunt, conſiderent ſe quàm longiſſimè à Chriſti & Sanctorum exemplo diſtare, & manifeſtiſſimo ambitionis affectu ſuum ſpiritualem profectum impedire. Chriſtus enim à Patre miſſus in iuſtorum exemplum, vitam humilem, & ab omni faſtu alienam elegit; abſconſionem, & modeſtiam,& infimum locum appetendum docuit; ab iis, qui eum Regem acclamare decreuerant, humilitatis doctor factus aufugit. Denique non ſeipſum clarificauit,id eſt,in honorem intruſit,ſed Patris voluntati obediens ſe ſubdidit, vt Pontifex fieret.] At ſancti & perfecti viri, non ſolùm antiqui, ſed etiam noſtro ſæculo viuentes eandem viam ingreſſi ſunt,& vt veri Chriſti diſcipuli, non ambitionis & prenſationis, ſed humilitatis exempla poſteris reliquerunt, nec ſupre-
D mum locum, nec infulam, nec mitram,ſed infimum locum, & paupertatem, & modeſtiam adamarunt. Hos(qui innumerabiles ſunt, & ideo ſilentio ſupprimuntur) ſequantur hi, qui volunt proficere, & nec minimam honoris appetendi cogitationem admittant. Firmiter ſtatuant ſe in cella propria manſuros, & ſibi ipſis ac ſanctis laboribus vacaturos, vt per humilitatem ad gloriam veniant, & non per vanam exaltationem in ſalutis pericula ſe deiiciant. Si autem Deus voluerit eos ad honores & prælationes vocare, nequaquam ipſorum ſolicitudine indiget, ſed ſolam humilem obedientiam requirit. Qua onus & laborem ex charitate amplectentes, & honorem vix tolerantes in mediis cadendi occaſionibus non collidentur, nec cordis humilitatem amit-
E tent. Sed de hoc alio loco copioſiùs dicemus.

Hebre. 5. n. 5.

De tentationibus perfectorum.

CAPVT XIV.

De perfectorum tentationibus pauca & breuiter dicenda ſunt: quoniam ipſi multa paucis verbis intelligũt,& aptiſſimi ad inſtruendos alios,non indigent noſtris ſcriptis admoneri,nec

noſtris exhortationibus confirmari. Perfectos non eſſe pugna liberos,ſed etiam tentationibus impugnari,notiſſimum eſt. Neque enim bellum parcit his, qui adhuc in acie perdurant : nec raptores illis ſolis inſidiantur , qui in mercatum veniunt,ſed multo magis illis, qui pretioſis mercibus onuſtos in propriũ domicilium redeunt. Pyratæ quoque nauẽ aduerſariorum vacuã ſæpe contemnunt,& capere dedignantur; magnis verò opibus oneratam inſequuntur. Ita dæmones non tam animabus virtute vacuis , quàm magnis theſauris virtutum plenis , laqueos ſuarum tentationum obtendunt. Quare Gregorius ait: quia lucem rectitudinis vmbra ſequitur tentationis. Et ſanctus Iob, enumeratis multis iuſtorum tribulationibus ſubiicit: Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per ſingulos.] Si enim tres ſunt iuſtorum ſtatus: primus,quo ad bonam frugem conuertuntur:ſecundus, quo in virtutis itineribus progrediuntur:tertius, quo ad finem viæ , ſcilicet ad perfectionem perueniunt; quid erit tribus vicibus per ſingulos Dominum ſuos electos affligere , niſi in ipſo virtutis initio, atque in progreſſu , necnon in virtutis culmine eos tentationibus preſſuriſq; probare? Ac tandem Paulus de ſe,& de omnibus perfectis dixit ; Quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.] Quod quidem cùm excelſum ſit puſillis & magnis, aſcenſum habet perdifficilem, quos omnes infirmitas carnis onerat,&, qui ex eo ceciderunt aduerſarij, circundant.

[Margin: *rego. b 33. 3.* — *Iſt. 14. 21.*]

Perfecti igitur interdum omnibus vitiorum generibus,quæ iam vicerunt,ab externo principio,ſcilicet à diabolo ſuadẽte tentantur,qui & carnẽ pene emortuam aſcendit,& cupiditatem extinctã ad diuitiarum amorem exſuſcitat; & ſuperbiam eliminatam immiſſis honorũ & dignitatum deſideriis, inflammat. Permittit id Dominus,vt ex victoriis perfectorũ,quibus tentati diabolũ fœliciſſimè vincunt, & vitia diligentiſſimè fortiſſimeq; proſternunt,cæteri habeant illuſtriſſima virtutis exempla. Si enim Martyres tentati non eſſent,nec victores extitiſſent. Nos etiam imperfecti ignoraremus quanta tenacitate virtùs fidei ſeruãda eſt,ob cuius atteſtationem etiam externam, vſq; ad profundendum cruorem,& vitæ amiſſionem decertandum eſt. Si alij quoq; ex ſanctis confeſſoribus non fuiſſent terribiliter impugnati,vt exempli gratia, magnus patriarcha Benedictus,cũ fuit carnis tẽtatione pulſatus,multi neſciremus quàm acribus,& duris remediis animi morbi curãdi ſunt, & quantis impenſis non tantùm fides, ſed quælibet etiã virtus ſeruanda. Permittit deinde vt ipſi perfecti ſemetipſos perſpectos habeant,& quid ex ſe poſſideãt, quid verò ex Domini bonitate cognoſcant. Quare Gregorius egregiè ait: Ad ima pertrahit caro,ne extollat ſpiritus, & ad alta ſuſtollit ſpiritus,ne proſternat caro. Spiritus leuat, ne iaceamus in infimis:caro aggrauat, ne extollamur ex ſummis. Si non ſubleuanre ſpiritu nos caro tẽtaret, perfectione procul dubio tentationis ſuæ in ima deiiceret. Rurſum verò,ſi non tentante carne, ad ſumma nos ſpiritus ſubleuaret,in ſuperbię caſu ipſa nos peius ſubleuatione proſterneret. Sed fit certo moderamine, vt dum vnuſquiſq; ſanctorum iam quidem interiùs ad ſumma rapitur,ſed adhuc tẽtatur exteriùs,nec deſperationis lapſum, nec elationis incurrat : quoniam nec tentatio exterior culpam perficit , quia interior intentio ſurſum trahit, nec rurſum interior in ſuperbiam eleuat , quia tentatio exterior humiliat , dum grauat.] Sicut ergo Paulo datus eſt ſtimulus carnis, ne eum magnitudo reuelationum extolleret ;] ita perfectis magnæ aliquando tentationes vitiorum illatæ ſunt,ne in ſuperbiam erigantur.

[Margin: *reg. 19. or. c. 6.* — *Cor. 12. 7.*]

Cum prædictæ impugnationes vitiorum abſunt,& ſæpiſſime quidem à perfectis abſint, ita vt nulla maneat earũ memoria , ſolent ipſi perfecti ſuperbia tentari , & occultiſſimis quibuſdã ſuperbiæ cogitationibus & deſideriis impugnari. Hinc oritur curioſitas experiendi in oratione conſolationes diuinas,audiendi interiùs Domini allocutiones, videndi reuelationes, ſentiẽdi raptus & extaſes,& faciendi miracula,& alia ſimilia patrandi. Hinc oritur inanis conatus,quo volunt interdum ſupra vires laborare, negotia & labores ſupra vires aggredi , & minimis quibuſq; imperfectionibus cum immoderata anxietate vitandis inſiſtere. Hinc oritur temeritas iudicãdi facta, & dicta,& cogitationes aliorum,qua fratres ſuos in minimis rebus ſatis amarè condemnant. Hinc licentioſa increpandi libertas & audacia loquendi,qua non tantùm in æquales ſtatu,ſed in maiores quoq;,& Prę latos,& principes inuehuntur;& quia regulæ prudentiæ prætermiſſæ ſunt,nulla emendatio & magnũ ſcandalum generatur. Hinc tandem oritur immiſericordia, qua neſciunt aliorũ neceſſitatibus condolere,& ob defectum admiſſum à fratre magnas tragœdias excitare. Quod vitium in quibuſdam animaduertimus,qui ſani ſunt corpore,& nunquam imbecillitates,& carnis moleſtias ſuſtinuerunt,in aliis etiã,qui ſemper à Pręlatis dilecti , & magni habiti nunquam locum infimum tenuerunt:in aliis denique,qui à pueritia ſanctè viuentes paſſionum effrænationem ignorarunt. Ab omnibus his ſuperbiæ affectibus ſolicita fuga diſcedendum eſt. Primum experiendi diuina ſuccidit ſanctum odium ſui , quo quis ſolùm diuinum beneplacitum quærat:& in nullo ſuam cõſolationem requirat. Secundum plus nimio laborandi curat prudentia & humilitas,qua ſciat quis,quòd non poteſt adiicere ad ſtaturam ſuã cubitum vnum,]& quia omnis ſufficientia ex Deo eſt. Tertium iudicandi reiicit timor caſtus,ne dum aliquis alios temerariè iudicat,à Deo relictus in ſimilia vel peiora incidat. Quartum moderatur circunſpectio & conſilium ſapientium,quod quis in vitiorum increpatione ſequatur. Quintũ ſolet Dominus in perfectis,ariditate cordis,corporis ægritudibus,infamiis , & manifeſtis caſibus caſtigare,vt in ſeipſis diſcant,quomodo debuiſſent aliorum infirmitatibus compati. Et cùm humiliationes medullitus ſentiunt , & de negligentiis miniſtrorum in ægritudinibus contriſtantur, & ſe pene cecidiſſe in peccatum vi tentationis metuunt , tunc non fuiſſe tam exiguam aliorum virtutem animaduertunt. Et certè non magnam admodum eſſe perfectionem iſtorum hominum immiſericordium certiſſimum eſt. Vt enim inquit Caſſianus: Euidẽs indicium eſt animæ, necdum vitiorum fœcibus eliquatæ, in criminibus alienis non affectu miſericordiæ condolere;ſed rigidam iudicãtis tenere cenſuram. Nam quemadmodum perfectionem cordis poterit obtinere is, qui non habet illud, quod Apoſtolus plenitudinem legis conſummare ſignauit? Alterutrum,inquiens, onera veſtra portate; & ſic adimplebitis legem Chriſti:] Sed nec illam virtutem poſſidet charitatis,quæ non irritatur , non inflatur,non cogitat malum,quæ,omnia ſuffert,omnia ſuſtinet,omnia credit.] Iuſtus enim miſeretur animas pecorum ſuorum, viſcera autem impiorum ſine miſericordia. Ideòque iiſdem vitiis monachum ſubiacere certiſſimum eſt,quæ in alio inclementi , atque inhumana ſeueritate condemnat. Rex enim rigidus incurret in mala : Et qui obturat aures ſuas, ne audiat infirmum,& ipſe inuocabit, & non erit,qui exaudiat eum. Hæc ibi. Nitantur ergo iuſti ſe ad miſericordiam humanæ imbecillitatis inſpectione commouere,& alios infirmos & debiles compaſſione ſubleua-

[Margin: *Matth. 6. n. 27.* — *2. Cor. 3. n. 5.* — *Caſſian. coll. 11. c. 10.* — *Galat. 6. n. 2.* — *1. Cor. 13. n. 5. & 7.* — *Prou. 12. ſec. 70.* — *Prou. 13. ſec. 70.* — *Prou. 21. ſec. 70.*]

re, vt & ipſi in ſimili neceſſitate poſiti miſericordiam inueniant, aut ſimiles moleſtias & caſus effugiant. Nam ſcriptum eſt: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.] Et rurſus: Benefacit animæ ſuæ vir miſericors; qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abiicit:] ne ſcilicet ei, in neceſſitate ſubueniant, vel vt indicant Hebræa, carni ſuæ, cùm moleſtia laborat, penuriæ detrimentum affert.

Matth.5. n.7. Prou. 11. 17.

Deinde perfecti, corporis ægritudinibus, & aſſiduis carnis moleſtiis affliguntur, vt qui iam in arce, ſcilicet in mente mirabilem tranquillitatem ſentiunt, ſaltem in ſuburbiis ciuitatis ad maius meritum doloribus exerceantur. Dominus enim, ait Gregorius, flagello interrogat, cùm mentem bene ſibi per tranquillitatem ſubditam, afflictionibus pulſat, ſicut Iob, & laudatur atteſtatione iudicis, & tamen ictibus conciditur percuſſoris, vt eius patientia tanto veriùs clareſceret, quanto inquiſita duriùs fuiſſet.] Immittit Dominus has moleſtias vt electos ſuos probet. Sicut enim igne probatur argentum & aurum camino; ita corda probat Dominus.] Quòd ſi ipſi conſiderent Dominum eſſe ipſum ignem, eorum maculas excoquentem, ſatis profectò illis vſtio, licèt magna, dulceſcer. Immittit etiam, vt eos in exemplum patientiæ præbeat. Nam & ob hanc cauſam Iob corporis moleſtia peracri, & Tobiam cæcitate, & vtrumque paupertate percuſſit. Vnde Hilarius Arelatenſis optimè dixit: Magni viri multa patiuntur, & vt alios pati doceant, dati ſunt in exemplum. Huius tentationis optimum remedium eſt ægritudinem, aut moleſtiam illam à Domino miſſam eſſe cognoſcere. Quo vſus eſt Iob, dicens: Dominus dedit, Dominus abſtulit. Sit nomen Domini benedictum.] Sanctus vir, inquit Gregorius, tentante aduerſario cuncta perdi derat; ſed tamen ſciens, quia contra ſe Satan tentandi vires, niſi permittente Domino, non habebat, non ait: Dominus dedit, diabolus abſtulit; ſed Dominus dedit, Dominus abſtulit. Fortaſſe enim fuerat dolendum, ſi quod Dominus dedit, hoſtis abſtuliſſet: at poſtquã nõ abſtulit, niſi ipſe qui dedit, ſua recepit, nõ noſtra abſtulit. Si enim nos ab illo accipimus. quibus in hac vita vtimur; quid doleamus, quòd ipſo iudicante exigimur, quo largiente fœneramur?] Cùm autẽ corporalis moleſtia diuturna eſt, & à Domino data intelligitur, non multa medicamenta applicãda ſunt, ſed patientia protelanda. Sic enim faciebat quidam ex noſtris vitæ probatiſſimæ, qui magnis doloribus circundatus dicebat ad Dominum: Ego pſalmum, Miſerere, recitabo, modò tu Domine verberationem adhibeas.

Greg. 28. mor. c. 5. Prou. 17. 3. Hilar. Arelat. in vita S. Honorati. c. 14. Surius To. 7. Iob 1. nu. 21. Greg. 2. mor. c. 12.

Inſuper viri perfecti perſecutionibus atteruntur, quas dæmones (permittẽte Domino) per ſe ipſos in illos excitãt, vel per iniquos homines, aut etiã aliquãdo per iuſtos falſa opinione deceptos exercẽt. Magnum Antoniũ dæmones per ſe ipſos attriuerunt, vt ſcripta ab Athanaſio, eius narrat hiſtoria. Et Abacuc ait: [Quia cibus eius,] id eſt diaboli, [electus;] nã nõ tantùm iniquos deglutire nititur, ſed etiã ſanctos perſecutionũ dentibus deuorare conatur. Dauidem dæmones per Saülem & alios iniquos ſunt perſecuti, de quibus ipſe: Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.] Ægerrimè autem ferunt iuſti, ſeà malis affligi. Quamobrem idem Sanctus propheta orat: Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.] Tolle inquam poteſtatem me perſequendi ab hoſtibus potentiæ tuæ, quorum iniuriis valde diſcrutior. Filij quoque Iſraël oppreſſi ab alienigenis clamarunt ad Dominum: Peccauimus: Redde tu nobis quicquid tibi placet, tantùm nunc libera nos.] Iobum verò inſtigante dæmone perſecuti ſunt boni. Nempe tres illi amici, quos pios & Sanctos fuiſſe Origenes, Chryſoſtomus, & alij commemorant. Hanc verò perſecutionem, tentationem paratam eſſe Apoſtolicis viris, qui vitam perfectam profitentur, Dominus palam teſtatus eſt, qui ad ſuos Apoſtolos ait: Abſque ſynagogis facient vos: ſed venit hora vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.] Paulus quoque: Vſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus; & nudi ſumus, & colaphis cædimur.] Ei autem opponunt ſe viri perfecti armis patientiæ & longanimitatis, & ſe ſub petra diuinæ protectionis protegunt. In qua tempeſtas aquarum, id eſt, perſecutionum vortex, frangitur, & tandem poſt aliquod tempus euaneſcit. In hoc tentationum genere ſuperando mirabilis fuit Beatus Henricus Suſo ex ſacro Prædicatorum ordine. Is poſtquam per multos annos incredibilibus aſperitatibus corpus ſuum pene extinxiſſet, audiuit à Domino, vt à tam duro viuendi modo ceſſaret, quoniam illi grauiores erant cruces paratæ. Cùm autem ille tum numerum tum qualitatem harum crucium inquireret, tres tantùm, inter multas, quas paſſurus eſſet, illi oſtenſæ ſunt. Prima autem erat. Quòd hactenus quidem (dixit ei Angelus) ipſe te cecidiſti manibus tuis, ac tui miſertus ceſſabas, dum volebas: at nunc è tuis manibus ereptum, aliis te abſque vlla tui defenſione malè tractandum obiiciam: vbi neceſſe erit, vt in quorundam cæcutientium cordibus famæ & exiſtimationis tuæ magnam patiaris iacturam, quæ res longè tibi erit toleratu acerbior, quàm crux illa acutis referta clauis dorſo tuo fuerit. Hæc ad illum Angelus. Nota eſt autem crux iſta, cuius mentionem facit, quam Henricus multo tempore carni ſuæ affixam attulerat. His Dominus moleſtiis probat ſuos amicos, vt poſtea magnis præmiis afficiat.

Abac. 1. n. 16. Pſal. 21. 13. Pſal. 16. 13. Iudic. 10. 15. Orig. lib. 3. in Iob initio. Chryſoſt. præfat. in Iob. Ioan. 16. 2. 1. Corint. 4. 11. Suri. in vita cat. 22. Habetur in fine operũ eiuſdem Suſonis.

Poſtrema perfectorum tentatio, & omnium grauiſſima eſt interna derelictio; qua illis lux cœleſtis aufertur, conſolatio ſubtrahitur, & anima velut omni dono vacua relinquitur. Pro intenta contemplatione diſtractio, pro rerum diuinarum cognitione obſcuritas, pro lacrymis ariditas, pro tranquillitate multiplicium vitiorum impugnatio conſurgit. Eò aliquando caliginis offuſio progreditur, vt viri ſanctiſſimi putent ſe cum ſummo mœrore gratia priuatos, & à Domino penitus derelictos. Quanta autem ſit huius tentationis acerbitas, illi ſoli norunt, qui experti ſunt. Eámque Dominus mirificè declarauit, cùm in laborioſiſſimo crucis lecto ex charitatis morbo decumbens, non de flagellis diriſſimis, non de ſpinis amariſſimis, non de clauis duriſſimis, non de opprobriis & contumeliis ignominioſiſſimis, ſed de ſola derelictione conqueſtus eſt. Et clamauit Ieſus voce magna, dicens: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?] Se quaſi relictum ſentiebat, & hanc maximam tribulationum ſuarũ reputabat; viros Sanctos in ſua humanitate delineans, qui hoc ſummam afflictionem putant, à Domino per triſtitiam & cordis caliginem elongari. Huius tentationis remedium eſt clamare ad Dominum; & eius reditum lacrymis & gemitibus poſtulare. Sic faciebat ſponſa, dicens in Canticis: Reuertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ hinnulóque ceruorum ſuper montes Bether.] Eum ad veniendum & ſubueniendum prouocat, non tàm vocibus, quàm ſuſpiriis & gemitibus inenarrabilibus; & capreæ ac hinnulo ſimilem vocat. Cupit enim vt velut caprea, quæ, aſſerente Ruperto & Gregorio Niſſeno, perſpi-

Matth. 27. 46. Cant. 2. 17.

caciſſimos habet oculos,ſua interiora diiudicet;& vt hinnulus,qui venenatos angues abſumit,aduerſarios inſurgentes diſiiciat atque conſumat. Sic etiam faciebat Dauid quando canebat: *Pſal. 89. n. 12. & 13.* Dexteram tuam ſic notam fac,& eruditos corde in ſapientia. Conuertere Domine vſquequò? Et deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos.] Id eſt, poſtquam nouerimus Domine à te hanc tribulationem obuenire, & poſtquam ea nos erudieris, tandem reuertere ad conſolandum nos, & te ſuper amatores tuos placidum ac benignum oſtende. *Ber. ſer. 74. in Cant.* Præteriens igitur Dominus, ait Bernardus, teneri vult, abiens reuocari. Neque enim hoc irreuocabile verbum. It & redit pro beneplacito ſuo, quaſi viſitans diluculo, & ſubitò probans.] Reuocemus ergo illum noſtræ indignitatis cõfeſſione, reuocemus intenſæ afflictionis oſtenſione, reuocemus ſingultibus & clamoroſa oratione; tandem enim veniens veniet, & non tardabit, & intolerabilem animæ ſolitudinem ſua ipſe amabiliſſima præſentia depellet.

Concluſio huius libri.

CAPVT XV.

HIs aliiſque innumeris tentationibus, quas prolixum eſſet numerare, aduerſus omnes ſtatus iuſtorum, aduerſarius inſurgit, & neminem in hac regione mortis bellis & dolis exemptum habitare permittit. Incipientes à vitæ mutatione retrahit: progredientes ad ſedendum vel ab itinere deuiandum inducit; perfectis ſe opponit, & ſi non poteſt illos deiicere, aditum ſaltem ad maiorem perfectionem intercludit. Vnum eius negotium, eſt mediis variis multiplicibúſque impugnationibus noua vitia animabus inſerere, antiqua fouere, & vitiorum fructus, nimirum peccata maiora minoribus peccatis antea perpetratis aggregare. Si volumus ergo à peccatis abſtinere, & vitia deſtruere, eorum initiis, ſcilicet tentationibus & prauis ſuggeſtionibus reſiſtamus. Iam ex ſeruis & famulis Chriſti milites & ſocij facti ſumus: iam viam ſpiritus aggredientes ſacræ militiæ nomen dedimus, ne cum infirma turba ad ſarcinas maneamus. Ad ſarcinas enim veſtis & cibi, vt Hugo pulchrè annotauit, *Hugo lib. 3. de clauſt. animæ in prologo.* remanent inertes & infirmi: ad bellum verò expediti & fortes ire non timent. Nos autem qui à ſæculo nos expediuimus, & ſpiritus robur induimus, non ſit nobis cordi falſa quies, quam mille conſcientiæ morſus inquietant, nec ad bellum procedere formidemus. Non ſufficit tenuiſſe iuſtitiam, niſi eam in tentatione ſeruantes, ipſa Deo illibatos nos ſeruet. Nam & Adam iuſtitiam tenuit, ſed ſibi & poſteris immenſa mala mercatus eſt, quoniam in tentatione à iuſtitia receſſit. *Geneſ. 3. 6.* Dedit mulier viro ſuo pomum, qui comedit,] & præceptum Domini tranſgrediens à gloria ad ignominiam; à diuitiis ad mendicitatem: à vita ad mortem pertranſiuit. Ne imitemur patrem hunc, cui, Chriſto adhærentes, renuntiauimus, nec ſerpentis, id eſt, diaboli ſuaſiones; nec Euæ noſtræ, id eſt, carnis mellitos ſermones auſcultemus. *Ber. ſer. 1. omni. ſancto.* Fratres, inquit Bernardus, ſi modò præſentem videremus Adam in eo articulo poſitum, aſcendentibus cogitationibus in cor eius, coarctari inter precem vxoris & præceptum creatoris, nonne clamaremus aduerſus illum, dicentes: Caue tibi miſer, vide ne feceris, ſeducta eſt mulier, non acquieſcas ei? Vt quid ergo quoties apprehendit nos tentatio ſimilis, non perſuademus ſimiliter no-

A bis ipſis?] O magna miſeria filiorum Adam! quem per gratiam & vitam ſpiritualem exuti plenè nunquam exuimus, & eum in corde noſtro corrigentes, nos ipſos non corrigimus, quin & cogitatione inobedientiam eius reprobantes; opere & imitatione complemus. Quàm verè dixit Dauid: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.] *Pſal. 13. 3.* Cùm enim à virtute ad imperfectiones deflectimus, ab altitudine ad vilitatem declinamus: cùm à Deo per prauum conſenſum ſeparamur, inutiles reddimur. Nam homo Apoſtata vir inutilis.] *Prou. 6. 12.* Et abominabilis, & inutilis homo, qui bibit, quaſi aquam, iniquitatem.] *Iob 15. 16.* Et opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.] *Iſaiæ 59. 6.* Vide quàm inutiles! quòd putridis cadaueribus comparamur.

B Qui enim à multiplici tentatione, inquit Ricardus Victorinus, *Ricar. ad Pſal. 90. fine.* ſuſtinet ſe ſuperari, formam habet iam mortui: nec cuiuſcunque, ſed cadaueris iam putreſcentis & putridi, quod putredini iam ex omni parte ſubiaceat, & vermibus vbique ſcateat. Et poſt pauca, intus conſentientes tentationi vocat cadauera putrida, ſed ſepulta, quorum corruptio quaſi in occulto iacet: exteriùs verò etiam peccantes vocat cadauera putrida, ſed extra ſepulchrum proiecta, quorum corruptela & fœditas omnibus patet. Adhæſit itaque nobis primi parentis lepra, inuaſit nos peccati mors, ſi tentatori cedimus, & quod in illo damnamus ore, in nobis non iam verbis, ſed actione defendimus.

Roboremus igitur nos, vt dæmonis inſultus vincamus, quia, vt dixit Paulus,

C Mundo, & Angelis, & hominibus ſpectaculum facti ſumus.] *1. Corin. 4. 9.* Quaſi in theatrum producimur, vt militum Chriſti perſonam agamus, & cum aduerſariis vitæ perfectæ pugnemus. Mundus nos ſpectat, id eſt, mundani & iniqui homines, vt ſi ſuccubuerimus, noſtram ignauiam irrideant. Angeli ſpectaculo aſſiſtunt, vt ſua præſentia nos animent, & adiutorio confortent, & de victoria noſtra vehementer exultent: Homines, iuſti ſcilicet, qui non vt beſtiæ rationis expertes, ſed vt homines viuunt, nos quoque conſiderant, vt pugnantium ſtrenuitatem laudẽt, & eius ſe imitatores exhibeant. An coram tantis teſtibus qui nos damnent, occumbendum eſt? An coram tot ſpectatoribus terga vertendum, qui tantam imbecillitatem & infidelitatem

D inclament? Immò potiùs coram mundo, Angelis, & hominibus, immò & in conſpectu ipſius Dei videntis nos, ſummis conatibus eſt quærenda victoria, quæ primùm in ipſam perfectionis arcem, & poſtea in æternæ gloriæ poſſeſſionem inferat. Iam patres noſtri, iam fratres noſtri, iam ſocij noſtri vicerunt, & ex victoria coronantur, quid nos timemus, eundem Dominum adiutorem habentes, & ſimilem cum illis gratiam participantes? quid aduerſarios pene ligatos formidamus? Illi quidem, qui præceſſerunt nos difficillimis præliis & inſuperabilibus laboribus impugnati ſunt; quorum aliquos diabolus non ad leuiſſimas tentatiúculas, ſed ad ignominias, ad ingentia pericula, ad cruces, & ad mortes expetiit, in quibus tamen alacres, & intrepidi ſubſtiterunt, cur nos,

E niſi quia ignaui ſumus minima bella proſternent? Neque enim, vt dixit Ephrem, *Ephre. de abſtinendo à cupiditatibus carnalibus.* pro Saluatore noſtro Ieſu Chriſto ad præſides & reges ducti ſumus: audeo dicere quòd iuſtificata ſit Sodoma præ nobis. Neque coram tribunali iudicis ſumus adducti, & tormenta pietatis ergò paſſi. Neque caminum luculento igne ſuccenſum vidimus, neque ſartagines accenſas conſpeximus, non verucula acuta ignita, non lebetes cera & pice efferueſcentes. Neque feris cauſa pietatis obiecti ſumus, & ſuſtinuimus: neque decoctæ

ſunt

ſunt manus noſtræ à carnificibus, quorum vel ſolus aſpectus cor eius, qui ſuppliciis obiicitur commouet. Nondum intuiti ſumus enſes acutos inferri nobis, & expauimus? His verbis ſanctiſſimus pater noſtrum metum & ſocordiam demiratur, & meritò ſanè. Si enim, vt dixit Tobias, filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo,] mirum eſt quod à parentibus degeneret indigna progenies, & diſſimili vita ſimilem mercedem expectet. Si commortui ſumus, inquit Paulus, & conuiuemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus.] Priùs igitur ſæculo moriendum eſt, vt ſimilis nobis vitæ Chriſti vita proueniat: priùs tentationes ſupportandæ & hoſtes proterendi, quàm nos regnum veriſſimum perfectionis admittat. Quàm ergo magna ſtultitia eſt ſine morte, qua mundo moriamur, velle viuere, & ſine pugnæ victoria velle regnare.

Tobiæ 2. 18.
1.Tim.2. 12.

Æquitas quidem tentationum ſuſtinentiam expoſtulat. Nam ſi Dominus ſuſtinuit tentationes pro nobis, & vt Paulus dixit; fuit tentatus per omnia;] quid magnum ſi nos pro illo, immò, & pro nobis ipſis & pro vtilitate noſtra tentationes ſufferamus? Et (quod amplius, & mirabilius eſt) ſuſtinuit ille peccata noſtra; & adhuc innumeras imperfectiones negligentiáſque diſſimulat, quare nos non patienter feramus ab illo benignè corripi, ſapienter probari, & ſuauiter caſtigari? Suſtinuit te dilectus, inquit Bernardus, ſuſtine tu dilectum; ſuſtine; viriliter age. Non illum vicère peccata tua, te quoq; ipſius flagella non ſuperent: & obtinebis benedictionem.] O conſilium æquitatis plenum, quin & miſericordię pleniſſimum, vt ſi nos quotidie illi flagella noſtris imperfectionibus geminamus, patienter pro delictis tentationes inſurgentes reportemus. Sic & vſque ad cœlum ſe lex illa Pauli protendet: Alter alterius onera portate; nam Dominus pro ſua benignitate culpas noſtras ſupportabit, & patientia ab illo nobis data pro glória ipſius tentationes & moleſtias ſuſtinebit. Iacob cum Angelo luctatus eſt vſque manè:] & nos cum Domino probationem ſuſtinentes vſque ad illud, cui nunquam ſuccedet nox, vltimum manè luctemur. Dabit ille perſeuerantibus benedictionem, qui non negabit perſeuerandi voluntatem. Fiducia etiam in Domino de omni tentatione victoriam expectat. Qui enim tentat vt probet, & ferit vt ſanet, nullo modo nos abundanti auxilio ad proſternendum aduerſarium vacuos derelinquet. Nam & ſcriptum eſt: Omnem locum, quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam.] Veſtigium autem pedis noſtri fiduciam deſignat, pro cuius menſura erit & victoriæ magnitudo. Bernardus quidem ita ſenſit, illum Deuteronomij locum interpretans: Quemcunque locum calcauerit pes veſter, veſter erit.] Pes veſter, inquit, vtique ſpes veſtra eſt: & quantumcunque illa proceſſerit, obtinebit, ſi tamen in Deum tota figatur, vt firma ſit, & non titubet.] Neque ita ſpes leui caſu iuſti victoriam ſpetantis eluditur, quem à morte granis peccati ſeruatum leuia vulnera non damnant, ſed humiliant, ſed cautiorem reddunt, ſed à ſeipſo inanem confidentiam fugant, ſed vires ad diligentiùs pugnandum exſuſcitant. Fallitur prorſus iſta perſuaſio, inquit Leo Papa, & nimia vanitate veteraſcit, quicunque inter tentationes huius vitæ ab omni ſe vulnere credit immunem.] Leues itaque caſus, quos plangimus, quos ſtatim acerbiſſima contritione deflemus, quorum cauſa cœli aſpectu nos indignos exiſtimamus, magis proſunt quàm officiant, quia tantillum impulſi in aduerſarium iratiores inſurgimus. Indignatione animus & animo ſpes creſcit, & ſpei

Hebr.4. n.15.
Bern. ſer. de B. Maria.
Galat. 6. 2.
Gene. 32. n.24.
Ioſue 1.3.
Deut.11. 24.
Bern. ſer. 15. in Pſal. 90.
Leo ſer. 5. Quadrageſ.

A læta victoria ſuccedit.

Gaudium quoque mente conceptum animam ad pugnandum roborat, & ad victoriam obtinendam accendit. Nam quis neſciat ex tentatione victa gaudium naſci, & veluti ſtillam futuri præmij ſtatim pro foribus exultationem adeſſe? Equidem nullus ignorat filios Iſrael, victis & ſuffocatis Ægyptiis, ingenti lætitia fuiſſe perfuſos? Qui, vt eſt in libro ſapientiæ, tanquam equi depauerunt eſcam, & tanquam agni exultauerunt, magnificantes te Domine, qui liberaſti illos.] Hi autem iuſtorum extiterunt figura, quorum corda victis ſuis aduerſariis, & in ſanguine Chriſti demerſis vehementer exultant. Equi inuentis paſcuis vberrimis natura monente lætantur, & cur non lætentur iuſti vincentes, qui de hoſtibus ditiſſimas B coaceruant exuuias? Agni in herba viridi exultant & ſaltant: quid ni iuſti in monte virtutis aduerſariorum cadaueribus pleno ſubſiliant? Magna eſt exultatio victorię, qua dæmonum quoque in æternum damnatorum quodammodo triſtitia ſupprimitur. Gaudent enim illi, ſi nos elidant, & neſcio quonam pacto magnam pœnam & mœſtitiam non deponentes, gaudium de noſtra ruina concipiunt. Quod ita eſſe Ioannes Caſſianus, & quod plus eſt, Scriptura ſacra ab eo allata confirmat. Quas, inquit, eorum, ſcilicet dæmonum ruinas atque conflictus, ille, qui ſanos interioris hominis oculos poſſidebat quotidie, cernens, vidénſque eos ſupergaudere ruinis, & caſibus ſingulorum, ac timens ne de ſe quoque eueniret eis iſta lætitia, Dominum deprecatur: Illumina, inquiens C oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte; ne quãdo dicat inimicus meus: præualui aduersùs eum. Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero.] Et Deus meus ne ſupergaudeant mihi: ne dicant in cordibus ſuis: euge, euge animæ noſtræ, neque dicant: deuorabimus eum.] Si tanta eſt victoriæ lætitia, vt eã, prout poſſibile eſt, aduerſarij in perpetuum dãnati ſine vllo victoriæ emolumento ſibi proueniente concipiant, quantam & quàm veram habebunt iuſti, cùm vincunt, qui præmia incomparabilia ſibi parata conſiderant? Quàm pura, ſancta, & perſeuerans erit exultatio eorum, qui de fidelitate in Chriſtum ſeruata, de ſanctiſſimæ legis cuſtodia, de glorificatione Dei, de ſanctorũ imitatione, & de hoſtiũ ſuorum fuga & cõ- D fuſione lætantur. Hoſtibus Iſraelitarũ fugatis, & vtcunq; inſtaurato tẽplo, facta eſt lætitia in populo magna valde, & auerſum eſt opprobriũ gentiũ;] proſtratis igitur hoſtibus animæ, & mundato à prauis cogitationibus cordis templo, magna valde tunc lætitia ſequetur. In mari certè, vt ſimili Dorothei vtar, cùm æſtus fuerit, affliguntur omnes, quotquot in mari fuerint: cùm autem tranquillitas redierit, læti omnes inter ſe narrant tempeſtatis horrorem. Ita prorſus turbine tentationis inſtante, magna mentem ſubit afflictio, at tentatione reiecta & corde victoriæ obtentione ſedato, Dominum victoriæ authorem laudamus, nobis ipſis congratulamur, & ex aduentu tantæ tranquillitatis arrham adeſſe cœleſtis præmij ſentimus.

Sap.19.9.
Caſſian. coll. 7. c. 21.
Pſal. 12. n.4 & 5.
Pſal. 34. n 20. & 26.
1. Machab.4. 58.
Doroth. doct. 12.

Si ita ſe res habet, & tanta bona ex vna tentatio- E num victoria proueniunt, enitendum eſt nobis aduerſariorum inſultus detegere, vires confringere, audaciam cohibere, & Deo fideles inueniri. Tentationum victoria peccata vitamus, vitia depellimus, paſſiones cohibemus. Tentationum victoria virtutes inſerimus, præmia conquirimus, mandata cuſtodimus. Tentationum victoria Eccleſiam lætificamus, fratres ædificamus, laudem promeremur. Tentationum victoria cœli viam ambulamus, ſpiritu proficimus, & ad ſanctitatem peruenimus. Ob

A tentationum victoriam, quam de hoſtibus reportamus, ipſi hoſtes nos timent, boni diligunt, & Angeli victoriæ ſocios conſitentur. Profectò Domino *Matth. 4. n. 11.* aduerſarij victoria potito, acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei;] ita dum mundum, diabolum carnémque proterimus, Angeli ad nos accedunt, &, ſi non corpori alimenta, at animæ delectamenta ſubminiſtrant. Vnde Bernardus: *Bern. ſer. 4. in Pſal. 90.* Et tu ſi vis habere miniſterium Angelorum, fuge conſolationes ſæculi, & tentationibus reſiſte diaboli.] Non horrent illi conſortia iuſtorum, quos corruptibili carne circundatos vident ſpiritualibus delectari. Non dedignantur illis aſſiſtere, quos aſpiciunt aduerſùs communes hoſtes dimicare. Nec erubeſcunt miniſtrare illis, quos licèt natura minores, tamen opere quodammodo maiores agnoſcunt. Quid enim magnum ſi Angeli carne nudi, & B potentiſſima gratia veſtiti, dæmones fugent, vincant, & ſibilent? At magnum eſt, quòd homines carne veſtiti, paſſionibus impulſi, & ad malum ex duabus portionibus vna ſui parte pertracti, dæmones proterant, malum deſerant, & ad omne bonum accedant. Non denique confunduntur ſeruire nobis, quibus Dominus ipſe gloriæ (quod non ſine magno tremore excipiendum eſt) in futura gloria, prout ſuam maieſtatem deceat, certa quadam ratione miniſtrabit.

Luca 12. 37. Beati, inquit, ſerui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.] Beati planè vigilantes atque victores, qui menſuram præmiorum tam conſertam, coagitatam, & ſupereffluentem recipient. Cùm Dominus à nuptiis quæ in cœleſti gloria in perpetuum celebrantur, ad iudicandum venerit. Hæc omnia cum ſeruis ſuis fideliſſimè cumulatiſſiméque complebit. Præcinget ſe (vt interpretatur *Beda lib. 4 in Luc. ad c. 12.* Beda) cùm retributionem parabit: faciet eos diſcumbere, cùm in æternam A requiem admittet: tranſiet, quia à fide ad viſionem nos eleuabit, & miniſtri officium geret, quia eos ipſe refocillabit, & coram illis, ait Cyrillus, deliciarum mēſam apponet. Ob præmium tantum conſequendum, quo à ſanctis Angelis ſocij, quibus ipſi famulētur, & à Domino famuli fideles habemur, & præmia æterna recipimus, æquum profectò eſt nō ſolùm, vt vincere tentationes euitemus, ſed vt in mediis tētationibus de ſpe tantorum bonorū gaudeamus. Cuius gaudij inter tenebras quoq; tentationis lucētis Dominus ipſe dator & effector eſt, de quo ſcriptum eſt in Iob: Qui dedit *Iob 35. 10.* carmina in nocte.] Quid enim aliud eſt conditorem noſtrum in nocte nobis carmina dare, niſi ex ſpe retributionis, gaudium in media afflictionis tentatione cōcedere? Carmen in nocte, inquit Gregorius, eſt lętitia *Greg. 26. mor. c. 12.* in tribulatione: quia & ſi preſſuris temporalitatis B affligimur, ſpe iam tamen de æternitate gaudemus. Carmina Paulus in nocte prædicabat, dicēs: Spe gau- *Rom. 12. n. 12.* dentes, in tribulatione patientes.] Carmen in nocte David ſumpſerat, qui dicebat: Tu mihi refugium à *Pſal. 31. n. 7.* preſſura, quę circūdedit me: exultatio mea, redime me à circundantibus me.] Ecce noctem preſſuram nominat, & tamen liberatorem ſuum inter anguſtias exultationē vocat. Foris quidē nox erat in circumdatione preſſuræ, ſed intus carmina reſonabant de cōſolatione lætitiæ.] Hæc lętitiæ carmina reſonent in cordibus noſtris, cùm tentamur, & ſimiles illis erimus, de quibus ſcriptum eſt: Et prœliabātur prælium Iſrael cum *1. Macha. 3. 2.* lætitia.] Lætitia autem impatientiam & triſtitiam depellet, ardorem in pugna adiiciet, hoſtes admirabitur & effringet. Sic tandem ad tantam fœlicitatem aſſurgemus, vt ex lætitia huius temporis vera, quæ tota in Dei obſequio collocata eſt, ad æternam lætitiam tranſeamus, & vt in futuro ſæculo gaudiis & pace perfruendo, & in hoc tribulationes ſuſtinendo lætemur.

ORATIO PRO GRATIA AD PECCATA ET VITIA deſtruenda, & tentationes vincendas.

Deus meus, innocentiæ reſtitutor, quam miſeri Adæ filij delinquendo perdidimus; & puritatis amator, quam, te in cordibus noſtris illuceſcente, vehementer optamus, concede quæſo abundantiſſimam gratiam tuam, qua ab omnibus culpæ nexibus, qui in nobis tibi diſplicent, liberemur. Da Domine piiſſime, fœditatis & malitiæ peccati notitiam; da tantæ iniquitatis veriſſimam deteſtationem: da firmiſſimam ab omni peccato abſtinendi voluntatem: da fructus pœnitentiæ dignos, qui tibi offenſo, ſi non ad æqualitatem, at ad poſſibilitatem, ſatisfaciant. & animæ ad tuam imaginem creatæ maculas deleant. Quia verò fontes peccatorum ſunt vitia innumeris prauis actionibus genita, & ex prophana conuerſatione contracta; tu qui Saluator noſter es, hos impuriſſimos fontes obtura & exſicca: & aperi in agro cordis noſtri venas virtutum, & fontem aquæ viuæ, qua fœcunditatem afferat, ad cuius odorem hortus hic à te ſatus, flores bonorum deſideriorum, & fructus operum ſanctorum emittat. Quia tandem vitia tentationibus, quibus non reſiſtimus, creſcunt, & ad maiora delicta quotidie patranda roborantur; tu qui adiutor es in omni tribulatione noſtra, adiuua nos, vt aduerſarij dolos perſpiciamus, vt cognitos fugiamus, & vt illecebris inſequentibus reſiſtamus, ne vſque ad caſum & tuæ legis puriſſimæ tranſgreſſionem tentemur: Ita, ô Domine, tu, qui conuerſionem noſtram cœpiſti, perficies, & animas ſanguine Chriſti filij tui redemptas, ab hoſtibus vindicatas, poſt hanc vitam in æterna hæreditate conſtitues. Quam à te Domine ſperamus per merita eiuſdem Saluatoris noſtri, cum quo & cum Spiritu ſancto ſit tibi gloria, & laus, & gratiarum actio in ſempiterna ſæcula. Amen.

FINIS LIBRI SEXTI.

DE MORTIFICATIONE VIRIVM ANIMÆ, ET ABNEGATIONE VETERIS HOMINIS,

LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.

POST Expulſionem peccatorum,& extinctionem octo principalium vitiorum, quæ ad primordia ſpiritualis vitæ pertinent, omnis cura iuſti incipientis, & ad profectum & perfectionē anhelantis, in ſui omnimoda abnegatione, & veriſſima mortificatione collocāda eſt, qua vniuerſis itineribus partis eiuſdē iuſtæ vitæ purgatricis emenſis, poſtremum gradum ex ſuprà dictis incipientium aſcendit. Opus quidem arduum,& prolixum, in quo aliter quàm in abijciendis peccatis, & in extirpandis vitiorum ſentibus eſt, licèt non tractatione, at actione, procedendum. Nam in peccatorū depulſione eò tendendum eſt, vt omnino pereant, & in bello aduersùs vitia inito innitendum eſt, vt penitus cadant
B
& intereant: at in mortificatione ſenſuum, & virium noſtrarum, non id quærimus, vt eas extinguamus, ſed vt ab omni vitioſa conſuetudine vindicemus. Diuina quippe lex, ſanctitatiſque dilectio non petit à nobis, vt oculos eruamus, & aures obturemus, & reliquorum ſenſuum functiones deſeramus: non petit vt ſimus affectuum ac paſſionum naturalium expertes, ſed vt hæc omnia ad ordinem reuocata maneant, & gratiæ beneficio, ac mortificationis præſidio ſe à prauis motibus diſtorſiſque cohibeant. Neque etiam in id tendimus, vt inordinati motus nunquam inſurgant, nec nos alicuius mali obiectione pulſent, ſed ne in malum deriuent, mentiſque tranquillitatem perturbent. Affectibus carere, lapidis, non hominis eſt: & nullam ad malum procliuitatem ſentire, Angeli eſt; aut certè hominis in ſtatu innocentiæ politi,
C
non in ſtatu naturæ lapſæ fragili, & impura carne veſtiti. Quare Saluator noſter Ieſus Chriſtus, qui naturam aſſumpſit humanam, affectus quoque humanos admiſit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, vt Auguſtinus ait, & verus hominis animus, falſus erat humanus affectus. An amor affectus eſt hominis? Sed ipſe audiens adoleſcentem ſe ipſum de obſeruatione mandatorum commendantem, intuitus eum, dilexit eum. An timor? Sed ipſe in ianua paſſionis conſtitutus cœpit pauere, & tædere. An gaudium? Sed, Lazarus mortuus eſt, inquit, & gaudeo propter vos, vt credatis quoniam non eram ibi.] An triſtitia? Sed triſtis eſt, inquit, anima mea vſque ad mortem.] Ille ergo qui ſanctus eſt ſanctorum, & omnis perfectionis exem-

Aug 14. de Ciuit. c. 9.
Marc 10. 21.
Marc 14. 33.
Ioan. 11. 14.
Matth. 26. 38.

A
plar, affectus habuit humanos, quos licèt præuenire rationem non ſiuit, tamen ſponte libetéque commouit, ne quis eos perfectioni aduerſos cogitaret. Sicut autem Chriſtus perſonam geſſit hominis innocentia circundati: ita Paulus partes hominis egit in peccatum prolapſi, qui non tantùm affectus ſenſit, ſed eos rationem omnem præuenientes, & ad malum impellentes aduertit. Eius vox eſt: Condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.] Per legem membrorum carnis pruriginem, & peccati fomitem intelligit, quæ in hac miſera vita nec à ſanctis & perfectis diſcedit. Ex parte enim libertas, ait Auguſtinus, ex parte ſeruitus.
B
Nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas, quia nondum æternitas. Habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem. Quicquid peccatum eſt à nobis antea, in Baptiſmo deletum eſt. Numquid quia deleta eſt tota iniquitas, nulla remanſit infirmitas? Si non remanſiſſet, ſine peccato hîc viueremus. Quis autem audeat hoc dicere niſi ſuperbus, niſi miſericordia Liberatoris indigous, niſi qui ſe ipſum vult decipere, & in quo veritas non eſt?

Roma. 7. 23.
Auguſt. tract. 41 in Ioan.

Aduersùs peccata igitur vſque ad internecionem eorum pugnandum eſt: aduersùs vitia vſque ad mortem ipſorum dimicandum eſt: at aduersùs ſenſus & affectus naturæ, quam geſtamus, humanæ, non vſque ad internecionem, & mortem, ſed ad mortificationem vſque decertandum. Quæ profectò in hoc ſita
C
eſt, vt eos à malo retrahamus, & effrænes motus eorum cohibeamus, &, quantum gratia aſpirauerit, moderemur. Nam nullis illecebris commoueri, inquit Leo Papa, nullis cupiditatibus titillari, non eſt iſtius vitæ, quæ tota tentatio eſt, & qua nimirum vincitur, qui vinci ab eadem non veretur.] Et Ricardus Victorinus: Liberum arbitrium per gratiam ita creſcit ad bonum, vt iam in poteſtate conſiſtens, & habens ſub ſe milites, poſſit dicere huic: Vade, & vadit, & alij, Veni, & venit: & ſeruo ſuo, Fac hoc, & facit. Ita etiam roboratur contra malum, vt iam non regnet peccatum in hoc mortali corpore: Sæpe autem adeò, vt iam ſibi illud dictum credat: Abſque imperio tuo non mouebit quiſquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti: quod eſt, omnes prauos motus reprimere, & ab actu cohibere. At non poteſt de regno ſuo auferre omnia ſcandala, nec plenam

Leo ſer. 9. Quadrageſim.
Ricar. de ſtatu inter. hominis, c. 6.

perpetuámque pacem firmare. Id eſt procul dubio patriæ cœleſtis, in qua, cùm venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt. Tunc nouiſſima deſtruetur mors in victoriam, & ſupra modum multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis. Tunc demum dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter, eo quòd non ſit qui exterreat.] Hæc ille quibuſdam omiſſis. Semper itaque quandiu hîc viuimus, aliquod bellum manet, quod nos exerceat, aliqua ſuppullulant affectionum immoderatarum germina, quæ ſtatum mentis turbent, & ſentina noſtri cordis purum ſpiritum aliquo tetro odore perfundit. Et quemadmodum leunculus ab ipſo ortu ſuo in aula regis alitus, inter famulos ludit, diſcurrit, & ſaltat, & vſu ipſo videndi homines, manſueſcit: at leo eſt, qui irritatus prope aſtantem vngula fodit, & exacerbatus, puerum ſe ferientem dilacerare non metuit: Ita paſſiones noſtræ virtutis ſtudio manſuefactæ, & gratiæ funibus compeditæ paſſiones ſunt, & beſtiæ ſatis indomitæ in malum inclinantes, quæ oblata occaſione inſurgunt in nos, feriúntque, & cruentant animam, niſi tempeſtiuè ligentur. Id ſanè non tantùm in peccatoribus, non tantùm in communibus iuſtis, ſed etiam in viris perfectiſſimis faciunt, ſi ipſi in ſtudio vniuerſæ virtutis intepeſcant. Quod argumento eſt, eorum, & cunctorum mortificationem nequaquam motus humanorum affectuum exſcindere, ſed comprimere, & moderari. Tonſor enim capillos barbámque præſcindit, aut radit, radicem autem pilorum non excutit; immò nec attentat, quoniam id quod fieri non poteſt, & ad pulchritudinem hominis neceſſarium non eſt, attentare putat inutile. Sic homo bene mortificatus quaſi tonſor eſt, qui ſuperflua virium animæ reſecat, initia verò motuum ſuperfluorum non euellit, quia talis euulſio poſſibilis non eſt, & dignitati naturæ humanæ non parum officeret.

Cæterùm mortificationem hoc modo intellectam, opus arduum, & prolixum non immeritò nuncupauimus. Nam hæc abnegatio ſui res eſt ſatis operoſa, atque difficilis, cùm ea homo non alteri, ſed ſibimetipſi vim inferat. Miles profectò in ipſo conflictu prælij, libentiſſimè & facillimè hoſtem vulnerat, at ægerrimè & difficillimè ſe ipſum vulneraret, & manum, aut pedem abſcinderet. Chirurgus etiam magna animi alacritate carnem putridam alterius vrit, & ſecat; ſuam carnem autem, ſi morbum ſimilem contrahat, vix & non ſine magno dolore, leuiſſima manu contrectat. Ita prorſus facile eſt mortificationis inſtitutiones præſcribere, aliorúmque voluntates frangere, & abnegationis flagello pulſare: at non eſt cuique ita facile ſe ipſum eodem flagello percutere, & ſimili vſtionis genere ſe in officio continere. Nonne iuſſio Domini eſt: Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te? Si dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proiice abs te?] Sed nullo modo membrorum corporalium abſciſſionem iuſſit, ſed mortificationem præcepit, quam manus & pedis proprij abſciſſioni ſimileiò dixit, vt eius difficultatem demonſtraret. Idcirco Salomon victorem ſui fortiſſimis ducibus hoſtes proterentibus præpoſuit, dicens: Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.] Quia videlicet operoſius & difficilius eſt, affectus immoderatos cohibere, & ſenſuum petulantiam compeſcere, quàm viſibiles aduerſarios expugnare. Rectiſſiméque dixit quidam:

Matth. 5. 29.

Prou. 16. 32.

Fortior eſt qui ſe, quam qui fortiſſima vincit

Oppida, nec virtus altiùs ire poteſt.

Et Ambroſius optimè. Re vera iure ea fortitudo vocatur, quando vnuſquiſque ſe ipſum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non aduerſis perturbatur, non extollitur ſecundis, & quaſi vento quodam, variarum rerum circumfertur mutatione. Quid autem excelſius & magnificentius, quàm exercere mentem, afficere carnem, & in ſeruitutem redigere, vt obediat imperio, conſiliis obtemperet, vt in adeundis laboribus impigrè exequatur propoſitum animi ac voluntatem?] Hæc ille. Nemo ergo plenam ſui, ac perfectam in omnibus mortificationem facilem iudicet, & vt rem parui momenti ſuſcipiat, immò potiùs in hoc omnes neruos & cunctas vires intendat, vt ſenſus ſuos comprimat, voluntates inflectat, affectúſque mortificet, quo tandem difficillimam vitæ ſpiritualis partem in ſuam vendicet poteſtatem. Neque hac aſſertione virtutis cultores in ipſo tractationis exordio deterremus, immò efficaciter excitamus. Qui poſtquam ſpecioſos & ſuaues infirmæ carni fructus peccati ſpreuerunt, & vitia, radices nempe delictorum, euulſerunt, cordis ſui terram excolere, quod per ſe difficile eſt, ſibi (fauente Dei gratia) difficile non putabunt. Quædam enim per ſe difficilia ſunt, quæ iam in negotiis arduis occupato facilia videntur, & eo alacriùs & fidentiùs aggreditur, quo experimento ardua ſuperandi roboratur. Hanc autem mortificationis doctrinam illis proponimus, qui iam crimina penitus abiecerunt, qui peccata leuia magna ex parte ſuſtulerunt, & qui aduersùs octo capitalia vitia fœliciter decertarunt. Quibus poſt hoſtes deuictos iucundum erit, (licèt per ſe ſit difficile) regnum cordis ſui pene expugnatum, & è manibus hoſtium ereptum, componere, & mortificationis legibus gubernare.

Mantuane. Ambr. 1. officio. ca. 36.

Omnis autem gubernatio res longa eſt, quæ tandiu durat, quandiu reſpublica in optimo ſtatu & ſplendore conſiſtit. Quòd ſi mortificatio cordis humani, gubernatio eſt, & illius reipublicę rectio, quam ſummus omnium moderator Deus in latiſſimis ſpatiis mentis noſtræ conſtituit, quid mirum ſi non paucis diebus abſoluatur, ſed neceſſariò toto vitæ tempore perſeueret? Poſt diluuium certè, & ſacrificium Noe, quo ipſe Dominum aduersùs malitiam hominum irritatum placauit, dictum eſt: Cunctis diebus terræ, ſementis, & meſſis, frigus, & æſtus, æſtas, & hyems, nox, & dies non requieſcent.] In his verbis, ſpiritualis vitæ, poſt pœnitentiam actam peccatorum, typus exprimitur. In qua, ſementi meſſis, & meſſioni noua ſeminatio ſuccedit, quia quotidie merita ſeminamus, vt nouæ gratiæ præmia metamus: augmentúmque gratiæ metimus, vt iterum noua & auctiora merita ſeminemus. Aduerſitatem proſperitas excipit, & proſperitati alia aduerſitas ſe ſtatim adiungit: abnegationem amor excitat, & amorem abnegatio confortat: deſolationem velut noctem adueniens conſolatio temperat, & conſolationi vel vt diei ſequens deſolatio modum ſubminiſtrat. Ac ſine intermiſſione opus eſt lauare ſordes, quas noſtra mortalitas contrahit, & tribulos ac ſpinas euellere, quæ maledicta hæc terra progignit. Cecidimus ſuper aceruum lapidum, inquit Bernardus, de caſu in peccatum originale loquens, & in luto: vnde non ſolùm inquinati, ſed etiam vulnerati, & grauiter quaſſati ſumus. Lauari quidem citò poſſumus, ad ſanandum verò opus eſt curatione multa.] Lauamur quidem contritione peccatorum, lauamur confeſſione, lauamur emendationis propoſito, quæ per Dei gratiam citò perficiuntur, at ſanamur mortificatione,

Geneſ. 8. 22.

Bern. ſer. in cœna Domin.

quæ

A quæ non breui tempore fracta & quaſſata membra animæ noſtræ conſolidat, & ad amiſſam incolumitatem reducit. Egregiè ſanè explicat id Auguſtinus. *Aug. 14. de Trinit. c. 17.* Iſta, inquit, renouatio non momento vno fit ipſius conuerſionis, ſicut momento vno fit illa in baptiſmo renouatio remiſſione omnium peccatorum. Neque enim vel vnum quantulumcumque remanet: quod non remittatur. Sed quemadmodum aliud eſt carere febribus; aliud, ab infirmitate, quæ febribus facta eſt, reualeſcere: itémque, aliud eſt infixum telum de corpore demere; aliud vulnus, quod eo factũ eſt, ſecunda curatione ſanare: ita prima curatio eſt cauſam dimouere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum: ſecunda, ipſum ſanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius B imaginis. Quæ duo demonſtrantur in Pſalmo, vbi legitur; *Pſal.* Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis:] quod fit in baptiſmo. Deinde ſequitur: Qui ſanat omnes languores tuos,] quod fit quotidianis acceſſibus, cùm hæc imago renouatur.] Poſt telum igitur peccati per pœnitentiam euulſum, poſt bellum aduersùs vitia ſuſceptum, in quo non minima pars abnegationis collocata eſt, & poſt aliqualem victoriam de mundo, diabolo, & carne comparatam, ad cohibitionẽ ſenſuum, & cæterarum animæ virium, etiam in licitis tranſeundum eſt, quæ propriè mortificatio nuncupatur, vt terra noſtri cordis bene purgata, & ſpirituali oratio proſciſſa, virtutũ ſemina nõ ſine ſpe faciendi fructus accipiat. Si enim certum eſt, ſemina in inculta terra iactata aut præ defectu humoris areC ſcere, aut præ abundãtia tribulorum & ſpinarum ſuffocari, non minùs eſt manifeſtum, altiorem vitæ ſpiritualis doctrinam, affectionum humanarum immoderatione obrui, & in corde immortificato, quaſi inter dura ſaxa, diſperdi. Quamobrem perfectionis cupidi, & ſanctitatis amatores, Prophetam Ieremiam loquentem auſcultent: Nouate vobis nouale, & *Ierem. 4. 3.* nolite ſerere ſuper ſpinas: circumcidimini Domino & auferte præputia cordium veſtrorum.] Circumciſionem, inquit Hieronymus, emundationem, & *Hieron. ibid.* præputia, vitium intelligit. Hoc autem præcipitur viris Iuda & Hieruſalem, qui veram ſectantur fidem, & habitant in Eccleſia, vt non ſeminent ſuper ſpinas, quas Euangelicus ſermo ſignificat, quæ ſuffocent ſementẽ Dei, ſed priùs nouale faciant, & omnes ſuffodiant vepres, ſenteſque auferant, vt munda ſemina, munda arua ſuſcipiant.] Secundùm quam interpretationem, nouale cor noſtrum eſt, id eſt, ager, qui non iam alternis annis ſeritur, ſed per ſingulos annos, & menſes, dies, atque momenta, nouo virtutum ſemine renouatur. Semen verbum Dei eſt, illud præſertim quod cõtinet altiorem perfectionis doctrinam, quòd nobilis ille agricola filius Dei, in mundum ſeminaturus aduenit. Sentes, & vepres, & tribuli, & ſpinæ, praui ſunt motus ſenſuum, & immoderatæ appetitiones virium noſtrarum, quas exercitatione mortificationis euellimus. Hanc nunc ante virtutis doctrinam diligenter proſequamur, vt puriſſima hæc ſemina, quæ fructus ferunt, in cæleſtia horrea recondendos vtiliter mens noſtra ſuſcipiat. Hanc militandi ac bellandi diſciplinam, non oſcitanter audiamus, qua ciues noſtros à debita ſubiectione deficientes, ab inobedientia ad obedientiam & pacem traducimus. Hanc denique medendi artem addiſcamus, qua non corpora noſtra corruptibilia ſanamus, ſed animarum incorruptibilium ægritudinibus morbiſque medemur.

PARS PRIMA

Huius Libri de Natura, neceſſitate, ac præſtantia mortificationis.

MORTIFICATIO *quidem medicina eſt omnium morborum animæ, de qua illud Eccleſiaſtici non inconuenienter accipimus: Medicina omnium in feſtinatione nebulæ.] Frigiditatem enim animæ, & torporis gelu, quod ſolet herbas & flores ſanctorum deſideriorum abſumere, mortificatio, quæ inſtar nebulæ ſubobſcura eſt, & aliquid triſtitiæ habens, non ſine mirabili facilitate diſſoluit, & omnem ignauiam ſocordiámque repellit. Sed hoc medicamentum nonnihil habet auſteritatis, illis præſertim, qui peccatorum depulſione, & vitiorum pugna fatigati, vellent ſuaui aliquo potu refrigerari, & non inſuaui potu, & qui vomitum adhuc prouocet, ſua interiora viſcera commoueri. At quia hoc omnino neceſſarium eſt, vt plenè ineffabilia victorum præmia conſequantur, & ſine periculo reliquum huius itineris ſpiritualis conficiant, viſum eſt nobis, medicamentum iſtud quaſi melle condire, & ſalutares globulos, vt faciliùs glutiantur, deaurare. Id autem fiet, ſi miram abnegationis, ſeu mortificationis præſtantiam, & ſuauiſſimos fructus detegamus, &, ſi eius neceſſitatem ad curandos animi morbos, explicemus. Quæ ſanè conſideratio ad vſum mentem accendet: vſus verò ita mortificationem ſuauem reddet, vt apertè videamus, eam fatigatis, id eſt, tepidis, eſſe amaram atque difficilem; feruidis verò tam dulcem & facilem, vt ſine tædio & nauſea, immò cum ingenti exultatione ſe illâ ad finem vſque vitæ ſuſtentent. Poſtquam autem hanc, quam ſuſcipimus, prouinciam, in prima huius tractationis parte præſtiterimus, in ſequentibus ad particularia deſcendentes, modum ac rationem exercendæ mortificationis declarabimus.* *Eccli. 43. 24.*

De miſero ſtatu hominis in peccatum lapſi.

CAPVT I.

MEDICI corporum, alicuius medicinæ virtutem atque præſtantiam ſuis diſcipulis explicare volentes, primùm ægritudinis acerbitatem, cui medetur, ante ipſorum oculos ponunt, vt ex huius dolore, atque moleſtia, medicinâ depulſa, quàm ſalutaris ſit eius vis à natura indita, patentiùs aduertant. Eandem nos modò viam inquiſitionis ingredimur, & quandoquidem medicorum ſpiritualium munus obimus, mortificationis admirabilem naturam, virtutem, ac neceſſitatem, ex vi morbi, quem depellit, intendimus declarare. Morbus hic non ſimplex, ſed multiplex eſt, non corpus afficit, ſed mentem excruciat, in qua, ô malum intolerabile! nequaquam ſe continet, ſed ex illa ad indumentum animæ carnémque deſcendit. Huius morbi peſſimam qualitatem ita inueſtigabimus, ſi hominis ſani, id eſt, in ſtatu innocentiæ & ſanctitatis conſtituti, & hominis infirmi, id eſt, in peccatum prolapſi, magnum diſcrimen indagemus. Deus igitur omnium rerum tum viſibilium, tum inuiſibilium creator in initio ſæculi condidit
Eccl. 7. 30. [hominem rectum,] id eſt, animo corporéque perfectũ. Decebat enim vt ſummus ille effector, imaginem ac ſimilitudinem ſui quamperfectiſſimam delinearet, (& quidem hæc imago ipſe homo eſt) & ſuam, in ea effingenda, tum ſapientiam, tum bonitatem, tum poteſtatem oſtenderet. Et ſi tam perfectus, & decorus eſt mundus iſte viſibilis, gratia hominis conditus, & ei in domũ attributus: quàm pulchrum, ac perfectum putabimus factum fuiſſe hominem, cuius cauſſa tot ac tãta, & tam pulchra & perfecta condita ſunt? A magnitudine ſpeciei, & creaturæ, inquit Sapiens, poterat creator horum videri:] dicamus & nos quòd poteſt etiam hominis decor perfectióque monſtrari, ſiquidem omnis illa ſpecies, & omnis illa pulchritudo, propter hominem, tanquam propter herũ & dominũ, facta eſt. Quia tamen homo animo & corpore conſtat, in vtraque parte ſui incredibilem perfectionem accepit. Substantia enim animi gratia, id eſt, ſpirituali vita, in ipſo creationis momento veſtita eſt: intellectus perfectiſſima cognitione Dei, Angelorum, rerum naturalium, myſteriorum gratiæ, & eorum, quæ ad ſui finis adeptionem erant neceſſaria, ornatus eſt: voluntas, charitate; iuſtitia, religione; & reliquis harum virtutum partibus dotata eſt: duplex appetitus, concupiſcibilis & iraſcibilis, quietiſſima ſubiectione ad mentem, & virtutibus hanc ſubiectionem facientibus, decoratus eſt, adeò vt mens ſine vllo labore, imò cum ingenti iucunditate, ſuis viribus præſideret, eáſque ſapientiſſimè gubernaret. Quare mens ſecundùm quoſdam, ſalua ſemper hiſtoriæ veritate, in ſuarum virium imperio, ceu in quodam delicioſiſſimo Paradiſo, dicitur à Domino conſtituta. Plerique, inquit Ambroſius, Paradiſum, animam hominis eſſe voluerunt, in qua virtutum quædam germina pullulauerint. Hominem autem & ad operandum, & ad cuſtodiendum Paradiſum, eſſe poſitum, hoc eſt, mentem hominis, cuius virtus animam videtur excolere, nec ſolùm excolere, ſed etiam cùm excoluerit, cuſtodire. Beſtiæ autem agri, & volatilia cœli, quæ adducuntur ad Adam, noſtri irrationabiles motus ſunt, eo quòd beſtiæ vel pecora quædam, diuerſæ ſint corporis paſſiones, vel turbulentiores, vel etiam languidiores. Volatilia autem cœli, quid aliud æſtimamus, niſi inanes cogitationes, quæ velut volatilium more noſtram circumuolant animam, & huc atq; illuc vario motu ſæpe traducunt? Et ſtatim: Sed fortè arguas, quia hæc quoque Deus in tali Paradiſo locauit, hoc eſt, paſſiones corporis, & vanitatem quandã fluctuantium vel inanium cogitationum, quòd ipſe noſtri fuerit auctor erroris. Conſidera quid dicat: Habete poteſtatem piſcium maris, & volatilium cœli, & omnium repentium, quæ repunt ſuper terram. Vides quòd ille tibi tribuerit poteſtatem, vt de omnibus iudicare tu debeas, ſingulorum genera iudicij tui ſobria definitione diſcernere?] Hæc ille. Erat itaque mens in corde ſuo, quod affectus & cogitationes inhabitant, quaſi in quodam quietiſſimo Paradiſo, quem iucundè regebat, & abſque vlla rebellione moderabatur.

Sap. 13. 5.

D. Thom. 1. p. à q. 94 vſque ad 102.

Ambr. li. de paradiſo c. 11.

Hæc ad animum pertinent: corpus verò hominis pretioſiſſimis etiam donis cumulatum eſt: Fuit enim illud immortalitate donatum, non quòd immortalitate inhærente conſtaret, ſed quòd optima temperatura, & beneficio ſupernaturalis gratiæ, & eſu ligni vitæ, atque aliis mediis, poſſet ſe immune ſeruare, & liberum à morte cuſtodire. Fuit quoque corpus hominis valde robuſtum, & ab omni ægritudine & imbecillitate alienum, quod valeret omnia ſua muneta abſolutiſſimè præſtare: Fuit integrum & pulchrum, quod anima libentiſſimè inhabitaret: fuit menti omnino ſubiectum, ita vt neque in minimo eius imperio contradiceret. Mens enim per gratiam ſummiſſa Deo, vires ſui corporis omnes per iuſtitiam originalem ſibi obedientes habebat, & obedientiſſimis ac diligentiſſimis ancillis hilariter imperitabat.
Vnde Auguſtinus vocat primum hominem pudicitia ornatum, temperantia compoſitum, charitate circumdatum, immortalitate veſtitum. Et alio loco. Quid timere, vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, vbi nec mors metuebatur, nec vlla corporis mala valetudo, nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipiſceretur, nec inerat quod carnem animúmve hominis fœliciter viuentis offenderet? Et Bernardus. Primus parens noſter Paradiſi accola conſtitutus eſt, dominus terræ ſtabilitus eſt, ciuis ſupernæ Hieruſalem deſignatus eſt, domeſticus Domini factus eſt: cuius amore & agnitione ditatus eſt, conſors Angelorum, frater, & cohæres cœleſtium virtutum, nihil prorſus indigentiæ, nihil ſentiens moleſtiæ, cui erant in promptu, quę poſtulabat, non dico, neceſſitas, ſed etiam pia voluntas, cùm nihil eſſet in anima, quod offenderet, nihil in carne, quod puderet.] Sic illi. Huic homini tandem tot bonorum affluentia ſublimato cunctarum rerum viſibilium, totiúſque huius vniuerſi eſt imperium, dominatióq; conceſſa, vt omnia ſibi corporalia ſubiiceret, qui omnibus corporalibus eminebat, & qui maior & melior erat, minoribus & imperfectioribus imperaret. Dataq; eſt illi, à Domino, & poſteris eius, iſta poteſtas, illis verbis: Replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.] In cuius poteſtatis ſignum [formatis cunctis animalibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea Dominus ad Adam, vt videret quid vocaret ea.] Factum namque eſt hoc, inquit Chryſoſtomus, non vt diſcamus illius ſapientiam ſolùm, ſed vt & ſymbolum dominij per nominum impoſitionem cognoſcamus. Nam & hominibus mos eſt hoc facere in ſignum dominij, vt cùm ſeruos

Aug. concione ad Catechũ. c. 2. to. 6. 14. de Ciuitat. c. 10.

Bern. ſer. de cœna Domini.

Geneſ. 1. 28.

Geneſ. 2. 19.

Chryſ. hõ. 14. in Geneſ.

emerint,

emerint, ipſorum nomina mutent.] Quid autem putauimus nõ datum eſſe homini, vt hanc eximiam dignitatem cum debita maieſtate ac ratione compleret? Certè ſi rex communem equitem ad comitis, aut ducis ſtatum euehat; vel Pontifex pauperem clericum, aut religioſum ad maximam dignitatem Cardinalatus extollat, ſolent his quos ſublimant, amplas aſſignare diuitias, & redditus annuos donare copioſos, quibus valeant ſplendidè viuere, & magnam famulorum copiam ſuſtentare. Ita omnino ſummus Imperator Deus, qui hominem ad diadema regni prouexit, immenſis opibus auxit, quibus non rex ridiculus, ſed potentiſſimus, & omni honore dignius exiſteret. Dedit igitur illi dona naturalia, id eſt, illi naturæ in tanta integritate conditæ debita, vt poſſet Deum auctorem naturæ diligere, illi ſe ſubiicere, & vires inferiores ſine difficultate in officio continere. Dedit illi originalem iuſtitiam, quæ ita has vires inferiores ſubiiceret, vt neque in re minima rationis imperium præuenirent, neque ad aliquid præpoſterum declinarent. Adiecit demum gratiam, & magnam ac perfectiſſimam gratiam, qua homo Deum vt finem ſupernaturalem reſpiceret, merita gloriæ conquireret, & ſuo tempore ipſam gloriam, ac cœleſtes ſedes compararet.

Hæc innumerabilia bona vnum Adæ peccatum deſtruxit, vna inobedientia diſſipauit. Habebat enim iſte terrenus rex cœleſtem regem, cuius ſanctiſſima præcepta tranſgrediens, à dignitate regis cecidit, & tantam bonorum copiam amiſit. Quid enim prohibet, ſi de radice peſſimæ arboris, id eſt, de primo peccato, dicamus, quod Sanctus Iob de quodam ramuſculo pronũtiauit? Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina. (*Iob 31. 12.*) Verè omnes generis humani diuitias ignis iſte conſumpſit: verè generationes Adæ conuoluit, quia omnes filios eius miſera ſeruitute obligatos è iure ad cæleſtia regna deiecit, & in barathrum damnationis perpetuæ detruſit. Hic ignis peccati ignis peſtilens eſt, qui qualitatem veneni induens ad cor, id eſt, ad intima animæ, & ad mentis ſubſtantiam properauit, & gratiam, vitam ſcilicet omnium bonorum amabiliſſimam, ceu leuiſſimam paleam ſiccámque conſumpſit. Quare Adam alienus à Domino vocatus eſt illa amarulenta irriſione: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.] (*Geneſ. 3. 21.*) Nam eſt ac ſi dixiſſet Dominus: A me verâ vitâ, diſceſſit, dum vitam mihi ſimilem comparare geſtiuit; & dum inobedientiam complexus eſt, à mea ſimilitudine, ſcilicet à gratia & virtutibus omnino ſe poſterôſque ſeiunxit. Deinde teter peccati ignis ex intimo mentis ad intellectum ſaltauit, & ei ignorantiæ caliginem, ac tenebras offudit: poſtea charitatem, & iuſtitiam in cineres vertit, dum ad voluntatem ſubſiliuit, de quibus tenebris intelligi poteſt illud Iſaiæ: Ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata eſt in caligine eius.] (*Iſaia 5. 30.*) De euerſione autem charitatis, atque iuſtitiæ, illud Ioëlis: Ad te Domine clamabo, quia ignis comedit ſpecioſa deſerti, & flamma ſuccendit omnia ligna regionis.] (*Ioelis 1. 19.*) At quis vel excogitare poterit quàm calamitoſas ſtrages in viribus inferioribus hic ignis iniecerit? Sicut enim fulgur domum, non iam lapideam, vel lateritiam, ſed ligneam, vel tuguriolum, paleis aut viminibus contextum, feriens, penitus illud abſumit: ita peccatum hæc infirma hominis tangens, miſerabiliter diſſipauit. Quæ quoad virtutis amorem omnino conſumpta videntur, quoad iniquitatis verò deſideriuſn, ita robuſta facta ſunt, vt mentem ſtultam, & virtute vacuam ad ſe trahant, & in fœdiſſimas iniquitates immergant. Nec ſolam domum interioris ignis peccati conſumpſit, ſed domum etiam illi contiguam, id eſt, corpus, inuaſit, quod morti ſubiectum, plurimis ac maximis morbis obnoxium, fœdum & fœtidum, nuſcum & infirmum effecit. Per vnum hominem, inquit Paulus, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.] (*Rom. 5. 12.*) Et Eccleſiaſticus: A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur.] (*Eccl. 25. 33.*) Intrauit & fœditas, quare mulier, & vir, qui ante peccatum nudi non erubeſcebant,] (*Geneſ. 2. 25.*) poſt peccatum erubuerunt, & contexerunt ſe foliis ficus in erubeſcentiæ remedium. Intrauit & infirmitas: vnde dicit homo: Væ mihi ſuper contritione mea, peſſima plaga mea.] (*Ierem 10. 19*) Ego dixi: Planè hæc infirmitas mea eſt, & portabo illam.] Iuſtiſſimè autem homini ab illa dignitate lapſo res creatæ obedientiam denegarunt, vt qui aduersùs ſuũ creatorem inſurrexit, carnis ſuæ rebellionem, & omnem creaturam ſibi aduerſam præſentiret. Cogitationes, inquit, meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum.] (*Iob 17. 11.*) Et, turbatus eſt à furore oculus meus, inueteraui inter omnes inimicos meos:] (*Pſal. 6. 8.*) id eſt, inter omnes affectus meos. Et, Armara eſt creatura in vltionem inimicorum, & pugnauit orbis terrarum contra inſenſatos.] (*Sapien. 5. 18. 21.*) In illius peccati pœna, ait Auguſtinus, quid inobedientiæ niſi inobedientia retributa eſt? (*Aug. 14. de ciuit. c. 14.*) Nam quæ hominis alia miſeria, niſi aduersùs eum ipſum inobedientia eius ipſius, vt quoniam noluit quod potuit, quod non poteſt, velit? In Paradiſo enim etiamſi non omnia poterat, ante peccatũ; quicquid tamen non poterat, non volebat, & ideo poterat omnia, quæ volebat. Nunc verò ſicut in eius ſtirpe cognoſcimus, & diuina ſcriptura teſtatur, [homo vanitati ſimilis factus eſt.] (*Pſal. 143*) Quis enim enumeret, quàm multa, quæ non poteſt, velit, dum ſibi ipſe, id eſt, voluntati eius ipſe animus eius, eoque inferior caro eius non obtemperat? Ipſo namque inuito, & animus plerumque turbatur, & caro dolet, & veteraſcit, & moritur, & quicquid aliud patimur, quod non pateremur inuiti, ſi voluntati noſtræ noſtra natura omnino atque ex omnibus partibus obediret.] Quòd autem creaturæ à nobis deſciuerint, quid mirum, ſi hominis vires ab ipſo deſciuerunt, & ipſe homo à ſe ipſo deſciuit? Profectò terra ſæpiſſimè illi tanquam hoſti creatoris, fructus denegat; aqua mergit, aër peruerſa qualitate inficit, ignis adurit: metalla ab illo ſe abſcondunt, animalium quædam illum fugiunt, quædam mordent, atque diſcerpunt: cœli ipſi, benigniores Domini creaturæ, multoties ſe homini ferreos & æneos oſtendunt. Breuiter, manſit homo, per peccatum, à Deo, ab Angelis, à rebus viſibilibus, & à ſemetipſo derelictus, vt tanta caſtigatione diſceret, quantum malum fuit Deum relinquere, & peccando ſe à ſuo creatore ſegregare.

Hunc infœliciſſimum hominis caſum non tantùm, quæ hactenus induximus, aperiunt, ſed quotidianum experimẽtum in hominibus, præſertim peccatoribus, & gratia deſtitutis, clariſſimè manifeſtat. Hi namque facti rationis compotes virtutem rationi conſonam amare, & vitium rationi contrarium odiſſe debuerant. At vitia diligunt, & ſpurciſſima flagitia complectuntur, virtutes autem, & bona opera, illarum ſanctiſſimos partus, auerſantur. Æquum fuerat ipſos minoribus maiora, & terreſtribus cæleſtia præferre; è contra verò cæleſtia contemnunt, terreſtribus adhæreſcunt: maiora, id eſt, animæ bona, reſpuunt, & corporis bona,

vt honores, diuitias, voluptates ardentiſſimè concupiſcunt. Inſtrumento ſuo, ſcilicet corpore, in proprium commodum, nempe in æternæ vitæ merita conquirenda, vti debuiſſent, & tamen naturæ ordinem peruertentes, in ſuam perniciem illud conuertunt.

Cyprian.

Audi ex Cypriano, quæ turpia, & abominanda, anima per corpus exerceat. Corpore, ait, ſic vtitur anima, ſicut faber malleo, vel incude, in qua format omnium turpitudinum idola, & fabricatur qualibet quarumcumque voluptatum ſimulachra. Non eſt caro dictatrix peccati, nec inuentrix malitiæ, nec cogitatus format, nec diſponit agenda, ſed officina eſt ſpiritus, qui in ea, & per eam, quæcunque affectauerit, peragit & conſummat. Et ſtatim: Solius animæ lis iſta eſt, quæ ſecum rixatur, & cum proprio arbitrio litigat, certior in huiuſmodi quæſtionibus quid bonum ſit, quid malum, quàm in aliarum rerum inquiſitionibus quid verum ſit, quid falſum. Nam in abditarum cauſſarum inſpectionibus, & ſecretis naturæ poteſt homo errare, vel decipi; quia non per omnia à fine vſque ad finem intellectus humanus attingit; ſed in his, quæ oculis, & manibus ſubiacent, nulla ſubtilitas iudicium impedit: quia fœtentia à non fœtentibus, decora à turpibus, amara à dulcibus, dura à ſuauibus, & à diſſonis conſonantia facilè diſcernuntur. Sed deſiderij ſui veneno mens ebria, corpus contumeliis applicat, & iunctis complexibus ambo in mortiferas ſuauitates elapſi obdormiunt.] In his turpibus & fœdiſſimis, quæ Paulus, ad Romanos ſcribens, breuiter numerauit, & ampliùs quàm ille exponit, declarare non decet, animus corpus ſuum occupat, quod meritiſſimè ſibi morte præripitur, vt inſtrumento commodato careat, qui in iniuriam commodantis illo vti non timuit.

Roma. 1.

Cùm enim animus ſit immortalis, inſtrumento indigebat, quod ſaltem dono Dei in perpetuum duraret, nunquámque deficeret: quale profectò homo in ſtatu innocentiæ ſuſcepit. Sed quia homo deliquit, Deus donum ſuum originalis iuſtitiæ abſtulit, & corpus ſecundùm ſuam naturalem conditionem corruptioni obnoxium, mortaléque deſeruit. Ecce ergo hominem lapſum in peccatum, vita gratiæ carentem, plagis & vlceribus plenum: in quo intellectus cæcutit, voluntas præuaricatur, cogitatio inſanit, appetitus furit, ſenſus fallit, corpus deficit. Ecce hominem ad mala agilem, ad bona inutilem, qui virtutem, vt rem difficillimam, refugit, & bibit, ſicut aquam, iniquitatem. Ecce hominem ad ſublimiora anhelantem, ad ima deiectum, qui vltra modum ſcientiam appetens, in ignorationem incurrit, & Dei ſimilitudinem inſipienter concupiſcens, [immolauit dæmoniis, & non Deo, diis, quos ignorabat.] Loquamur ergo ad animam noſtram, lamenteműrque eius calamitatem illis verbis Ieremiæ: Cui comparabo te? Vel cui aſſimilabo te, filia Ieruſalem? Cui exæquabo te, & conſolabor te virgo filia Sion? Magna eſt, velut mare, contritio tua; quis medebitur tui?]

Deut. 32. 17.

Ierem. Thren. 2. 13.

O antea virgo in horto deliciarum Deo conſecrata, nunc verò peccato corrupta, & iniquitate polluta? O priùs filia Ieruſalem ad pacem condita, nunc verò inteſtinis bellis, & tuorum defectionibus ciuium afflicta! O priùs filia Sion, in qua omnia bona fuerant coaceruata, nunc verò ſolitaria ciuitas, facta quaſi vidua, quæ aduerſario tuo pendis tributa, cui tuam miſeriam & calamitatem comparabo? An illius qui naufragium fecit, & omnes ſuas opes amiſit? Sed tu infœlicior, quæ ſimul cum opibus vitam perdidiſti, & gratiam, ac Dei amicitiam, qua viuebas, dilapidaſti. Cui aſſimilabo te? An illi, cui vita

A præſcepta eſt, priuſquam ex vtero egrederetur, & huius pulchræ lucis vſum acciperet? Sed tu miſerior, quia melius fuiſſet non naſci, & carne non indui, quàm peccati maculas contraxiſſe. Cui exæquabo te? An illi, cui non tantùm lux, ſed etiam ipſum eſſe negatum eſt, quia Deus inter res poſſibiles, & numquam futuras, ſine vllo eſſe manere decreuit? Sed tu calamitoſior, quia ille, qui numquam fuit, nullam miſeriam ſubiir, at peccatrix anima miſeriarum ſe miſeriæ ſubiecit. Supereſt igitur vt ſuper terram non ſit conſolatio tibi, quæ omnes miſeros infœlicitate vincis. Reſtat vt ſit, velut mare, contritio tua, & calamitas tua: quia ſicut mare congregatio eſt aquarum. Nam [Deus B congregationes aquarum appellauit maria;] ita caſus in peccatum eſt omnium malorum, & miſeriarum coaceruatio, cui nulla res creata poteſt ſubuenire. Inquiramus itaque, quis medebitur tui? Quis tantæ eſt poteſtatis vt valeat tantam contritionem ſanare, tanta mala depellere, & tantis miſeriis remedium afferre?

Geneſ. 1. 10.

Hæc omnia mala hominis lapſi à Domino magna ex parte mortificatione ſanari.

C CAPVT II.

DEvs quidem optimus, & potentiſſimus, qui potuit naturam humanam condere, poteſt eam lapſam erigere, diſſipatam reparare, & in priſtinum ſtatum ac dignitatem reſtituere. Si enim amplius eſt, rem aliquam ex nihilo facere, quàm iam factam ad formam meliorem prouehere, non negabimus eum ſapientiſſimum, optimum, & omnipotentem Dominum, qui potuit animam ex nihilo extrahere, ſcire etiam eandem reficere, velle prouehere, & poſſe in tam extremam miſeriam deiectam in ſummam altitudinem eleuare. Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum:] vnde ſi D hæc ſpiritualis hominis reſurrectio, & ſalutis, ac donorum reſtitutio poſſibilitatem humanam excedit, ſed diuinam potentiam non effugit. Si homo peccato mortuus eſt, Chriſtus eſt auctor vitæ, de quo Petrus ad Iudæos. Vos autem ſanctum, & iuſtum negaſtis, & petiiſtis virum homicidam donari vobis: auctorem verò vitæ interfeciſtis,] cui æquale eſt vel viuenti primam vitam tribuere, vel mortuum à morte ſuſcitare. Si homo languidus eſt, Chriſtus eſt ſalutis effector, [Domini enim eſt ſalus,] qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo: qui [operatus eſt ſalutem in medio terræ.] Si homo cæcus eſt, Chriſtus oculorum aciem, & viſum reE ſtituit, per quem dat nobis Pater ſpiritum ſapientiæ, & reuelationis in agnitione eius, illuminatos oculos cordis noſtri, vt ſciamus, quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis. Si homo claudus, & leproſus, & omni ægritudine affectus eſt, Chriſtus eſt vniuerſorum malorum, ægritudinúmque depulſor, in cuius aduentu [cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, & pauperes euangelizantur.] Si demum homo regno, & poteſtate illi data ſpoliatus eſt, Chriſtus illum ad regnum reuocat, & ad perditam

Luca 13. 27.

Actor. 3. 14.

Pſal. 3. 9.

Actor. 10. 38.

Pſal. 73. 12.

Epheſ. 1. 18.

Matth. 11. 5.

dignita

(Pſal. 21. 19.) (1. Reg. 2. 8.)
[A] dignitatem exaltat. Nouit qui dixit: Tua eſt potentia, tuum regnum, Domine.] Et rurſus: Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.] Et iterum: Qui ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore erigit pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolum gloriæ teneat.] Hanc ob cauſam Chriſtus
(Heb. 12. 2.)
à Paulo [fidei auctor & cõſummator] vocatur quia ab eo initium fidei & ſalutis, & finem quoque fidei ac perfectionem eiuſdem ſalutis, ſcilicet fœlicitatem, accipimus. Vt ſicut egregij pictoris eſt imaginem alicuius facere, & eam obliteratam reficere: ita Chriſti ſaluatoris ſit deſtructa in nobis peccati & mortis imagine, ſimilitudinẽ ſui æterni Patris inducere, & eandem per quotidianos defectus fuſcatam reformare. Ille mortuos ſuſcitauit, cæcos illuminauit; ſurdis auditum, claudis greſſum, paralyticis [B] motum, leproſis munditiem, & alijs ægrotis conuenientem ſanitatem impertijt, vt quid in vno animo faciat, ex multis corporibus diſceremus. Animum enim viuificat, quoniam ipſe Chriſtus vita eſt: animum illuminat, quoniam lux eſt; animum ducit, quoniam via eſt: animum mouet, quoniam fortitudo eſt: animum mundat, quoniam ſanctitas eſt: animum denique ſanat, quoniam ſalus eſt. Illa ſanè, de qua Dominus per Iſaiam: Audite
(Iſaia 46. 12.)
me duro corde, qui longè eſtis à iuſtitia. Propè feci iuſtitiam meam, non elongabitur; & ſalus mea non morabitur. Dabo in Sion ſalutem, & in Iſraël gloriam meam.] Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſalus eſt & gloria: ſalus, quia in hac [C] vita nos ab animæ ægritudinibus ſanat; & gloria, quia in ſtatu immortalitatis futuro nos quoque glorificat.

Sed quanam ratione Chriſtus à miſeriis peccati nos liberat, & ad eam, quam amiſimus, ſalutem reuocat? Id ſanè facit per gratiam ſuam, & per Spiritum ſuum, quo nos viuificat, & renouat, & à poteſtate nequiſſimorum ſpirituum, id eſt, peccatorum, & vitiorum, & dæmonum liberat. Nam ſicut diffuſa luce per aërem tenebræ pereunt, & ingrediente rege victore in vrbem, hoſtis egreditur, & fugit: ita diffuſa gratia in cordibus noſtris mors culpæ euaneſcit, & intrante Spiritu Sancto dæmon abſcedit, & nuſquam apparet. Audi quid de gratia dicat
(Ezech. 36. 25.)
[D] Dominus per Ezechielem: Et effundam ſuper vos aquam mundam (gratiam nimirum, quæ animam lauat) & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mũdabo vos.]
(Epheſ. 2. 8.)
Et Paulus: Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur.] Audi quid de Spiritu Sancto in eodem Ezechiele: Et dabo vobis cor no-
(Ezech. 36. 26.)
uum, & ſpiritum nouum (qui ſcilicet cor renouet) ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.] Et Paulus
(Ad Tit. 3. 5. 6.)
de Deo Saluatore noſtro ait: quia ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis,]id eſt, per baptiſmum, & renouationis Spiritus Sancti] (quo nempe ſumus renouati) quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.] Sed quia Deus noluit ſaluare nos ſine nobis ad ſalutem noſtram cooperantibus, ideo beneficium iſtud, quo ipſe [E] homines ſaluat, atque iuſtificat non tantùm continet habitum gratiæ animabus inhærentem, & habitus virtutum infuſarum afferentem, & Spiritum Sanctum per gratiam mentes inhabitantem, ſed etiam comprehendit auxilia gratiæ, & opera noſtra ex gratia facta, quibus ad noſtram iuſtitiam cooperamus, & poſt iuſtificationem acceptam magis ac magis in iuſtitia perficimur. Hæc autem auxilia gratiæ

[A] Dei ad opera mortificationis nos mouent, & hæc opera ex gratia, quibus ad iuſtificationem operamur, aut omnino, aut aliquo modo ſub dono mortificationis continentur, & opera ſunt mortificationis, vt ſic pateat nos à malis peccati mortificatione ſanari. Nunc infantes prætermittamus, & de ſolis adultis loquamur: licèt illi quoque mortificatione ſanentur. Nam cùm mortificatio ſit (vt poſtea dicemus) quædam depoſitio veteris hominis, & vitæ carnalis abiectio, infantes, dum baptizantur, veterem hominem exuunt, & nouum induunt, & actione piæ matris Eccleſiæ, eorum defectum & ignorantiam ſupplentis, diabolo, & operibus eius renuntiant, & ſe peccata, & opera carnis reiecturos profitentur. Paulus quidem [B] baptiſmi ſacramentum ſpiritualem circumciſionem, & mortem, aut hominis iam mundanis actibus mortui ſepulturam vocat, vt videamus quàm verum ſit, paruulos quoque mortificatione baptiſmo contenta, ſaluari. In quo (id eſt, in Chriſto) inquit, & circumciſi eſtis, circumciſione non manu facta, in ex- (Coloſſ. 2. 11. 12.)
poliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti,]quæ (vt ait Anſelmus) non carnem amputat, ſed vitia[conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis](à morte ſcilicet animæ) [per fidem operationis Dei] qua nimirum credidiſtis operationem, quam Deus Pater fecit in Chriſto, [qui ſuſcitauit illum à mortuis.] Idque ſignificatur trina merſione baptiſmi, qua quis in aquam velut in ſepulchrum deponitur, & vitiis ac peccatis mortuus iudicatur. In- [C] fantes igitur recèns nati etiam quodam mortificationis genere ſanantur, in quibus moritur peccatum per originem traductum in illos, & opera carnis deſeruntur, quæ mater Eccleſia nomine ſuorum filiorum abdicat, vt eos in filiorum Dei dignitatem, & in gratiam adducat. Et hæc eſt ſpiritualis paruulorum circumciſio adhuc vigens ſecundùm ſententiam Auguſtini, & aliorum patrum antiqua illa, quam Chriſtus aboleuit, circumſione ſignata, quia ſi nunc paruulorum caro non amputatur, at ſuperfluitas cordis præciditur.

Verùm ad adultos redeamus, quos fatemur mortificatione ſanari, & in faſtigium perfectionis extolli. Quod vt manifeſtum fiat, conſidera mihi pec- [D] catorem, iniquitatibus & flagitiis ſordentem, qui velit ad ſanam mentem redire, & gratiam ac vitam animæ comparare. Is primùm, & craſſius mortificationis genus ſubire debet, quod in peccatorum expulſione conſiſtit: licèt illa cordi adhæreant, licèt delectent, licèt grauiſſimum, & pene morti coniunctum videatur, illa relinquere. Meditemur hac de re verba Hieronymi: Non eſt, inquit, delicata in (Hier. ep. ad Algaſ. qu. 3. Tom. 3.)
Deum, & ſecura confeſſio. Qui in me credit, debet ſuum ſanguinem fundere. Qui enim perdiderit animam ſuam in præſenti, lucrifaciet eam in futuro. Quotidie credens in Chriſtum, tollit crucem ſuam, & negat ſeipſum. Qui impudicus fuit, verſus ad caſtitatem, temperantia luxuriam negat. Qui formidoloſus & timidus, aſſumpto robore fortitudinis, priorem ſe eſſe neſcit. Iniquus, ſi ſequatur iuſtitiam, negat iniquitatem. Stultus, ſi Chriſtum con- [E] fiteatur, Dei virtutem, & Dei ſapientiam, negat ſtultitiam. Quod ſcientes non ſolùm perſecutionis tempore, & neceſſitate martyrij, ſed in omni conuerſatione, opere, cogitatione, ſermone negemus noſmetipſos, & confiteamur eos, qui in Chriſto renati ſumus.] Hæc ille. Ad hoc mortificationis genus Chriſtus homines prouocat, cùm ait: Si quis vult (Matt. 16. 24.)
poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucẽ ſuam, & ſequatur me.] Iſte enim poſt Chriſtum, eſt

A gratiam eius induere,& nouam fieri creaturam, ſecundùm illud Pauli: *1. Cor. 5.* Si qua igitur in Chriſto noua creatura,vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia noua. Volenti verò hanc Chriſti ſequelam, præceptũ mortificationis indicitur, vt ſcilicet ſe ipſum neget,& actus carnales deponat. *Greg. ho. 10. in Ezech.* Nam ſemetipſum abnegat, inquit Gregorius, qui mutatur ad meliora, & incipit eſſe, quod non erat, & deſinit eſſe quod erat] Eandem quoque mortificationem, quaſi penicillo, delineat Paulus, cùm ait: *Rom. 6. 6. 7.* Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato.] Quiſnam eſt vetus homo noſter? Nonne ſunt carnalia opera? Nonne immoderatæ affectiones, & reliquiæ ex peccato manantes? B Sed hæc omnia cum Chriſto crucifixa ſunt, id eſt, gratia per eius mortem & crucifixionem nobis data, ſunt à prauis moribus mortificata, vt deſtruatur corpus peccati, id eſt, omnis peccatorum congenes, & vt deinceps non obediamus peccato. Nam ſi illa non crucifigerentur, & mortificatione ligarentur, non poſſemus à peccato liberari. Oportet enim hominem mori peccato, vt ad vitam nouam, ad iuſtitiámque reſurgat. *Roma. 8. 12. 13.* Et alio loco ait: Ergo fratres debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.] Vita carnis, id eſt, vita carnalis, & exequutio operum iniquorum, mors animæ eſt, quam ſpiritu gratiæ debemus perimere, aut mortificare, vt Deo, ac C iuſtitiæ viuamus. Carnalis enim, & ſpiritualis vita non minùs opponuntur inter ſe, quàm qualibet alia contraria: vnde ſi vt candorem, vel calorem acquiramus neceſſe eſt atrorem vel frigus repellere: ita procul ableganda eſt impura, & carnalis vita vt pura & ſpiritualis adueniat. Præſcindendi ſunt in hac myſtica arbore, quæ ſumus nos, rami ſteriles veteris Adæ, vt rami fructiferi cæleſtis Adæ progerminent. Quis enim vidit vineam necdum putatam bene florere, & copioſos fructus facere? Hoſtis Domini pellendus eſt, vt dominus ipſe in domum cordis redeat, & illam lætus inhabitet. Ab infirmo peccati loco diſcedendum eſt, vt in ſuperius cœnaculum gratiæ ſurgamus. D Hæc omnia, ſi bene inſpiciantur, mortificationem ſonant, ſine qua certum eſt neminem poſſe à morte peccati, quam debet in ſe perimere, ad vitam gratiæ remeare.

Demus iam hominem à peccato diſceſſiſſe, & donum fuiſſe iuſtitiæ conſequutum, certè per ipſum gratiæ & iuſtitiæ ingreſſum vitioſos habitus non depoſuit; quos aſſuetudo priſtinæ conuerſationis inuexit. Certè peccatorum reliquias non abſumpſit, nec fœtorem tetri liquoris eluit, quem ad pedes ſacerdotis per confeſſionem effudit. Certè pronitatem ad malum non reiecit, quam non momentanea conuerſio deſtruit, ſed gratia aſtans animæ & aſſiduus labor extenuat. *Leo ſer. 7. de ieiunio decimi menſis.* Optimè namque dixit Leo Papa, Natura mutabilis, & de peccati labe mortalis. E Licèt etiam iam redempta, & ſacro baptiſmate ſit renata, in quantum eſt paſſibilis, in tantum eſt ad deteriora procliuis. Corrumperetur carnali deſiderio, niſi ſpirituali muniretur auxilio: quia ſicut illi numquam deeſt vnde corruat; ita ſemper præſtò eſt vndæ ſubſiſtat.] Ergo poſt conuerſionem alio genere mortificationis opus eſt, quo homo ſe in adepta gratia conſeruet, & procliuitatem ad mala cohibeat. Iam quidem aduersùs præterita peccata pugnantem, & illa gratia pœnitendi deA ſtruit; ſed manet intus multiplex peccatorum incentor, qui iterum ad peccatum pertrahet, niſi illum mortificationis gladius perſequatur. Laſciua caro impudica ſuſpirat, pueriles ſenſus ſuas delicias, licèt rationi & legi Dei aduerſas, efflagitant: paſſionum venti fremunt, & in mari noſtri cordis liberè vagari nituntur: ſtulta cogitatio non obtenta, immò nec petita venia diſcedit, & ad quæuis impura & illicita effingenda feſtinat. An tot ægritudines poſſunt ſine medicamento abnegationis ſanari? An tot clamores infimorum ſeruulorum poſſunt ſine mortificationis flagello cohiberi? Ne te contineas, ne tuas affectiones comprimas, ne aduersùs ſenſus deteriora poſcentes indigneris, & poſt tantillum temporis in priſtina peccata corrues, & in iniqui- B tatis pelagus demergeris. Quid dixit Saluator illi paralytico à ſe ſanato, ne in eandem aut grauiorem infirmitatem rediret? Ecce, inquit, ſanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.] *Io. 5. 14.* Cauſæ ergo ægritudinis tollendæ aut minuendæ ſunt, niſi velimus in eandem prolabi. At affectus noſtri, & procliuitates ad malum, cauſæ fuerunt ægritudinum animæ, nempe præteritorum delictorum. Quis non videat eas mortificatione eſſe minuendas, ne ægritudinem priorem efficiant? Iam cùm iuſtificati ſumus, aduerſario noſtro, ſcilicet Chriſto, peccatis noſtris aduerſanti conſenſimus, vt eius iram & pœnas perpetuas fugeremus: non poſſumus in eius amicitia perdurare, niſi nobis cum ipſis inimicitias per mortificationem C geramus. Tu verò, inquit Bernardus, qui hæc audis, ſi pauens cœperis velle fugere à ventura ira, credo, ſollicitus eris, quomodo huic conſentias aduerſario, *Bern. ſer. 85. in Cant.* qui tibi illam tam terribiliter intentare videtur. At iſtud impoſſibile, niſi diſſentias tecum, niſi tibimet ipſi aduerſeris, niſi graui & vigili lucta tu ipſe contra te ipſum infatigabiliter prælieris: poſtremò, niſi valefacias inueteratæ conſuetudini innatæque affectioni. Id quidem durum. Si tuis attemperaueris viribus, tale erit, ac ſi in vno digitorum tuorum torrentis impetum ſiſtere, aut ipſum denuo coneris Iordanem conuertere retrorſum. Quid facies? Quære verbum, cui conſentias, ipſo faciente vt conſentias. Fuge ad illum, D qui aduerſatur, per quem talis fias, cui iam non aduerſetur, vt blandiatur, qui minabatur, & ſit ad immutandum efficacior infuſa gratia, quàm intenſa ira.] Hactenus Bernardus. Hinc elucet quàm neceſſaria mortificatio ſit, ne iterum peccemus, & aliquantulum in virtute proficiamus. Quia non poteſt quis Chriſto bona poſcenti conſentire, niſi à propriis deſideriis mala poſcentibus ipſe diſſentiat: nec poteſt virtutes augere, niſi immoderatas cupiditates diminuat, quas mortificationis gladius euincit. Paulus quidem iuſtificatos alloquebatur, cùm dicebat: *Epheſ. 5. 11.* Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.] Quiſnam non communicat tenebrarum, id eſt, peccatorum, operibus? Qui ea non patrat, qui nequaquam eorum cogitationi à diabolo immiſſæ conſentit. E Et quis redarguit? Qui contrariis operibus ea mala eſſe, & reprehenſione digna demonſtrat. Quomodo autem iuſti habentes eandem pronitatem, quam habent iniqui ad patrandum malum (homines enim ſunt) non communicabunt eorum operibus, immò potiùs vita & exemplo redarguent, niſi hanc pronitatem mortificent, & non ſecundùm illam, ſed ſecundùm Dei voluntatem vitam inſtituant?

A Ad perſeuerandum ergo,& aliqualiter proficiendum, mortificatio neceſſaria eſt. At velit quis ad perfectionem venire? Sanè ſine alio ſublimiori mortificationis genere, quod leuia etiam peccata demat,& imperfectiones amputet, & multa etiam licita & conceſſa reiiciat, ad finem concupitum non veniet. Perfectio enim leuia peccata libenter non ſuſtinet, ſed quantum poteſt, demit: imperfectiones tanquam ſe fuſcantes depellit: conſilia Euangelica pro ſtatus poſſibilitate cuſtodit. Quis autem peccata leuia vitabit, niſi etiam in leuibus ſeipſum abneget? Quis imperfectiones fugiet, niſi propriam voluntatem ſæpe minùs perfecta poſtulantem frangat? Quis conſilia cuſtodiet, niſi multa ſibi non vetita, immò conceſſa reiiciat? Totum
B perfectionis ſtudium, quædam ſublimis mortificatio eſt, qua vir perfectus, in dies magis ac magis Chriſtum induens, magis ac magis veteris Adæ mores comprimit, atque conſumit. Si pauper eſt, cupiditatem rerum temporalium vſque ad magnę quoque penuriæ ſufficientiam cohibet: ſi caſtus eſt, appetitum voluptatis vſque ad leuiſſimæ cogitationis voluptuoſæ deteſtationem negat: ſi obediens, propriam voluntatem vſque ad rerum difficilium & amariſſimarum admiſſionem calcat: ſi pias actiones ſubit, intus elationem, & inanis gloriæ titillationem, & extra proprium ſenſum tepiditatem,& mille alias imperfectiones amouet: ſi orationi ſe tradit, quoddam genus mortis amplectitur, dum ſenſus externos ſuis actionibus priuat, internos ad cogita-
C tionum paupertatē adigit,& in cella, in loco obſcuro, ſine ſociis, ſine luce, immò quantum poteſt, ſine ſe ipſo deliteſcit. An omnia hæc non ſunt magnæ mortificationis actiones? Et quidem: ſine quibus tamen nemo in virtute vſque ad mediocritatem profecit, nullus ad mentis puritatem peruenit. Deſiderante Dauide potum aquæ de ciſterna Bethlehem, [irruperunt tres fortes caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam,& attulerunt eam ad Dauid.] Si illi verò non fortiter irrupiſſent atque viciſſent, nunquam aquam detuliſſent. Hiſtoria hæc, quòd nunc tractamus, non obſcurè ſignificat. Dauid enim Chriſti Saluatoris eſt typus, qui in acie poſitus, id eſt, nobiſcum, vſque ad conſummationem ſæculi, in tentorio Euchariſtiæ
D degens, aquam ex ciſterna illa, quæ eſt in domo panis, id eſt, imitationem vitæ cœleſtis, & perfectionis opera ſibi afferri deſiderat. Hanc autem non infirmi, ſed fortes, afferunt, non qui in ſegnitie ſedent, ſed qui mortificationis impetu hoſtes perfectionis obſiſtentes irrumpunt. Animæ ita pugnantes offerunt Chriſto puritatis aquam, quam ipſe libentiſſimè æterno Patri libare conſtituat: de qua bene dictum eſt, quòd ſanguine, & vitarum periculo empta eſt, id eſt, propriæ voluntatis abnegatione, & vitæ carnalis expulſione conquiſita. Hac perfectionis aqua, & quæ eam comitari ſolet, conſolatione diuina, illæ animæ abundant, quæ fortiter mortificationi ſtudent, & motibus inordinatis reſiſtunt: cùm tamen è contra mortificationis oblitæ, magnam patiantur huius
E aquæ penuriam. Vnde, inquit Bernardus, ſpiritualis gratiæ inopia tanta quibuſdam, cùm aliis copia tanta exuberet? Profectò nec auarus, nec inops eſt gratiæ diſtributor, ſed vbi vacua vaſa deſunt, ſtare oleum neceſſe eſt. Vndique ſe ingerit amor mundi, cum conſolationibus, immò deſolationibus ſuis obſeruat aditus, per feneſtras irruit, mentem occupat, ſed non eius, qui dixit: Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum.] Præoccupatum nempe ſæcularibus deſideriis animum de-

1. Reg. 23.16.

Bern. ſer. 6. de Aſcenſion.

Pſal. 76. 4.

A lectatio ſancta declinat, nec miſceri poterunt vera vanis, æterna caducis, ſpiritualia corporalibus, ſumma imis, vt pariter ſapias quæ ſurſum ſunt, & quæ ſuper terram.] Eſt igitur mortificatio, id eſt, motuum carnalium, & illicitorum abiectio atque repreſſio, quæ animam peccato mortuam ad ſpiritalem vitam reuocat,& reuocatam, ſed adhuc infirmam, ſanat, & vtcumque ſanatam, decore perfectionis exornat. Hæc, inquam, facit mortificatio, quam diuina gratia excitat, & mouet, & facit in nobis, vt non ſine noſtris actibus nos viuificet, atque perficiat. Ac proinde ea eſt velut iter quoddam, quo ad vitam properamus,& à morte diſcedimus: eſt velut medicina, quæ plagis noſtris applicata, ſaniem tollit, putorem tergit, & ſanitatem optatam affert: eſt quaſi penicillus ma-
B nu Domini pictoris optimi aſſumptus, quo in imagine ſua minimos næuos abradit, deformata reformat, vetuſta renouat,& cœpta vſque ad perfectionem adducit. Mortificatio generale eſt inſtrumentum, quo ſalutem noſtram operamur, à malo ſeiungimur, & boni nos amatores profitemur. Quæ cùm ægritudines depellat animæ,& quicquid peccatum vulnerauit, mirabiliter ſanet, poſt bellum cum vitiis vtcumque ſuſceptum, à perfectionis amatoribus diligenter ſuſcipienda eſt, & tanquam omnino neceſſaria, vulnerum medicina ſuis malis applicanda. Cuius naturam priùs exponemus,& vtilitates eius quaſi inuolutè & confuſè tactas ſigillatim declarabimus, vt poſtea libentiùs ad praxim non tam legendam quàm opere complendam accedamus.

C

Quid ſit Mortificatio, & quotuplex, ac de eius nominibus?

CAP. III.

Mortificationis ſubſtantia atque natura breui definitione conuenienter exprimitur, quæ eſt huiuſmodi. Mortificatio eſt ſpontanea, liberáque animæ à vita carnali ſeparatio, & virium tùm externarum tùm internarum, ab illicitis operibus diſſolutio. Cùm enim mortificatio
D ſit quoddam genus mortis (vt ipſum nomen indicat) non aliter quàm vt quædam mors ſpecialis, eſt à nobis explicanda. Nec quia vocatur mors, aut timenda aut fugienda eſt, quoniam eâ id quod Deo diſplicet,& homini nocet, corrumpitur, vt mens noſtra iucundiori vita veſtiatur. Neque eam debemus exiſtimare terribilem, quam non peccatum, vt pœnam, attulit, ſed iuſtitia Chriſti, vt peccatum occidat, innexit. Vt autem ſciamus in quo hæc ſeparatio diſſolutióve conſiſtat, in memoriam reuocandum eſt, duas eſſe hominis partes, ſubſtantia officióque diſtinctas. Has diuerſis nominibus declaramus: vocantur enim caro & ſpiritus; ſenſualitas & ratio; homo vetus, & nouus; exterior, & interior. Carnis & ſpiritus meminit Paulus, dicens: Caro concupiſcit aduersùs ſpi-
E ritum, ſpiritus autem aduersùs carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcumque vultis, illa faciatis.] Meminit etiam hominis veteris, & noui. Nolite, inquit, mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem, cum actibus ſuis, & induentes nouum, eum, qui renouatur in agnitionem ſecundùm imaginem eius qui creauit illum.] Nec oblitus eſt hominis exterioris & interioris: Sed licèt is, qui foris eſt, noſter homo, corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem.] Et conde-

Galat. 5. 17.

Coloſſ. 3. 9.

2 Corin. 4.16.

Roma. 7. 23. *Auguſt. lib. 1. de ſerm. Domini in monte c. 12.*

lector legi Dei ſecũdùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.] Senſualitatem verò & rationem nominauit Auguſtinus, dum carnalem appetitum, in quo eſt illicita delectatio, Euæ, & rationem, in qua eſt conſenſus, viro comparat: & huius vilitatem, qua ſe ſenſibus ſubdit, omnium noſtrorum caſuum initium eſſe demonſtrat. Caro igitur, ſenſualitas, homo vetus & exterior, inferiorem noſtri partem deſignant, qua à belluis non diſtamus, & bona ſenſibilia, voluptatéſque corpori gratas appetimus. Spiritus verò, ratio, homo nouus, & homo interior, ſuperiorem partem præferunt, qua coniungimur Angelis, & virtuti conſentanea, ac Deo grata concupiſcimus.

Hæ duæ hominis portiones ita natura ac ſubſtantia copulantur, vt tamen deſideriis operibúſque diſſideant. Nam ſpiritus virtutem, & puritatem ſibi, & corpori, & proximis cupit: caro verò ad res ſenſibus delectabiles, & corpori gratas anhelat: ille legem Dei ſeruandam eſſe decernit, iſta modò laſciua ſuppetant, nihil putat de diuina eſſe lege curandum: ille cœlum & cœleſtia quærit, iſta terram ſolùm, & terreſtria ſuſpirat. Euenit ergo in his qui peccato deſeruiunt, vt caro non natura, ſed actibus, & conuerſatione carnali quaſi mentem informet; & ei eſſe carnale non quoad ſubſtantiam, ſed quoad mores, id eſt, deſideria carnalia, & impura communicet; & tunc homo vitam carnalem viuit, & vitam ſpiritualem deſerit, quam Dei dono, & gratiæ poſſeſſione conceperat. Quemadmodum enim (vt aliquo impoſſibili rem poſſibilem, & frequentiſſimam oſtendamus) ſi iumentum in materiam hominis ſuam formam induceret, neceſſario formam rationalem expelleret, & illum hominem externa quidem forma hominis retenta, iumentum & beſtiam faceret: ita caro in mentem ſuos mores beſtiales inuehens, mores ſpiritales aufert, & ad culpam trahens à gratia ſeparat, & ipſam mentem non natura, ſed cogitationibus, ſed deſideriis, ſed actibus pecudem efficit. Mortificatio itaque eſt hanc formam carnis, aut conuerſationem carnis à mente ſeiungere, & carnem ancillam menti Dominæ ſubdere, & mentem ad ſuam, quaſi naturalem formam, id eſt, ad vitam ſpiritualem reuocare. Optimè autem vocatur mortificatio, quaſi mors: quoniam ſi mors, vt dixit Seneca, eſt naturæ lex, tributum, officiúmque mortalium, malorúmque omnium remedium, hæc certa quadam ratione mortificationi abnegationíque conueniunt. Mortificatio quippe lex eſt, non tam naturæ, quàm gratiæ, quam in lege gratię ore Pauli promulgatam eſſe cognoſcimus. Mortificate, inquit membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, propter quæ venit ira Dei in filios incredulitatis.] Mortificatio tributũ eſt, quod vniuerſorum creatori pendimus, vt nos non iam carnis ſeruos, cui vectigalia denegamus, ſed ipſius Domini famulos profiteamur. Sic implemus illud Domini: Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.] Quoniam ſicut regibus eorum ſubditi tributa pendunt; ita nos, qui ad regnum Chriſti pertinemus, ei, quod noſtris ſenſibus & voluntatibus deminus, in tributum exoluimus. Reddimúſque ſecundùm conſilium Pauli, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Si enim tributum eſt, vt putat Anſelmus (neſcio an id Grammatici probarent) quod præſentes ſoluunt, & vectigal, quod in ſignum ſubiectionis ex diſſitis regionibus mittitur. quid eſt abnegare ſeipſum, niſi in cœleſtia regna res magni pretij mittere, & Chriſto in cordibus noſtris præſenti gratum obſequium exhibere: quem ſibi minus grata negantes honoramus, & ſigna veræ dilectionis oſtendimus? Mortificatio officium eſt mortalium; nam iuſtum eſt nos, qui mortales ſumus, quotidie operibus mortuis mori, vt peccatis mortui iuſtitiæ viuamus.] Et ſi officium eſt quod quiſque debet facere, quid nos aliud facere debemus, niſi imaginem Adæ terreſtris abiicere, vt imaginem cœleſtis Adæ geſtemus? Eſt denique mortificatio omnium malorum remedium, quia (vt iam ex parte diximus, & ſtatim ſigillatim dicemus) ipſa eſt quæ peccata reiicit, vitia extinguit, & quicquid in nobis vitioſum, aut minus ordinatum eſt, facilè atque aptè componit. Et ſicut mors animum malis huius vitæ eripit, & in ſtatum immortalitatis, & immutabilitatis mittit, ita mortificatio ab inquietudinibus huius vitæ liberat, & quendam immutabilitatis ſatis amabilem gradum importat.

Seneca lib. 6. qq. natural. cap. 32. *Coloſſ 3. 5.* *Luca 20. 25.* *Roman. 13. 7.* *Anſelm. ibid.* *1. Petr. 2. 24.*

Sed quare mortificatio non potiùs vocatur mors? Certè quidem quia non tam in ipſa ſeiunctione animæ à vita carnali, quàm in lucta ad conſequendam iſtam ſeparationem eſt poſita. Sicut enim ſeparationem animæ à corpore procedit lucta quædam, & veluti conatus quidam animæ, quo nititur corpus aggrauans, & iam ſibi moleſtum exuere: ita veram tranquillitatem mentis, quæ in victoria motuum ſenſualium ſita eſt, lucta & certamen, cum ſenſualitate, ac vita carnali præcedit, quod certamen vt ad tranquillitatem tendens, nomen mortificationis obtinuit. Hoc autem certamen longum, & laborioſum eſt, ſi per ſe conſideretur, licèt diuina gratia nos excitans, & iuuans ſatis tolerabile, & ſuaue illud efficiat. Quiſnam ambigat certamen hoc eſſe lõgum, quod vſque ad mortem naturalem, vel vſque ad perfectam carnalium motuum victoriam ſe extendit? quam cum in hac vita nunquam ſine aliqua contradictione carnis aſſequamur, ſemper pugnare & certare compellimur. Quoniam propter te, inquit Dauid, mortificamur tota die; æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.] Singulis diebus mortificationi propter te Domine, id eſt, propter tuum amorem intendimus; & vt rationales oues ad mortem carnalium affectionum deſtinatæ, nihil niſi hanc mortem ſanè deſiderabilem cogitamus. Ac fortaſſis propterea Bernardus mortificationem reſpirationi comparat, quoniam nunquam eſt à mortificatione, ſicut nec à reſpiratione ceſſandum. Cùm enim dixiſſet reſpirandum eſſe à conſpiratione iniqua peccati, hæc ſubiicit: Quæris in quo ſit reſpiratio iſta? In eo ſi incipiat ſpiritus viciſſim concupiſcere aduersùs carnem. Huic ſi repugnes, reſpiras. Si ſpiritu facta carnis mortificas, reſpiraſti. Si hanc cum vitiis, & concupiſcentiis tuis crucifigis, reſpiraſti. Caſtigo, inquit Paulus, corpus meum. Vox eſt reſpirantis, immò qui iam reſpirarat. Vade & tu fac ſimiliter, vt te reſpiraſſe probes, vt diem denuo inſpirantem tibi noueris illuxiſſe.] Sic ille. Quis etiam non videat hoc certamen eſſe moleſtum? Nam moleſtum eſt animo ad imperandum creato, à ſuo corpore quaſi in ſeruitutem redigi, & ad impura deſideria trahi, ſicut moleſtiſſimum eſſet nobili reginæ, alicui ex ſuis ancillis deſeruire. Laborioſum eſt illi ſanguiſugæ filias, id eſt, carnis affectiones compeſcere, dicentes ſemper: Affer, Affer. Quæ primo affer neceſſaria poſcunt, & ſecundo affer ſuperflua concupiſcunt. Durum eſt illi ſemper ſenſualitati contradicere, quam vt ſocium inſeparabilem naturaliter diligit: quam etiam ſæpe aduertit mortificatione, dolore affici, abnegatione affligi, & motuum ſuorum cohibitione turbari. At hæc moleſtia eſt

Pſal. 43. 22. *Bern. ſer. 72. in Cant.* *Prou. 30. 15.*

Marci 9. 15.

ſtia eſt viriliter ſuſtinenda, quoniam hoſtis non ſine aliquo labore foras pellitur. Surdus enim,& mutus ſpiritus ab homine,quem poſſederat, exire compulſus,[exclamans, & eum multum diſcerpens] egreditur,ita vt miſer homo planè mortuus videretur. Ita immortificationis ſpiritus,qui mutus eſt,nã ſeipſum ſilentio tegit, & ſurdus quoniam diuinos inſtinctus audire contemnit, non niſi cum clamore, & moleſtia hominem deſerit. A quo homo liber,vt optimè aduertit Gregorius, viuus manet, licèt inſipientibus mortuus videatur. Velut mortuus,inquit, oſtenditur, qui à maligni ſpiritus poteſtate liberatur: quia quiſquis iam terrena deſideria ſubegit, vitam in ſe carnalis conuerſationis extinguit, & mundo mortuus apparet, quia poſſeſſore prauo, qui per immunda deſideria ſe agitabat,caret.Quem multi mortuum dicunt, quia qui ſpiritualiter viuere neſciunt, eum, qui carnalia bona non ſequitur, extinctum funditus arbitrantur.] Parum autem refert ſi ſtulti delirantes, mortuos nos putent,dummodo nos mortem peccati deponentes,vitam homine dignam viuamus. Manet igitur ſatis (vt exiſtimo) expoſita mortificationis natura.Nam cum ſponte ob Dei amorem, ſtudiumque virtutis vires, & affectiones noſtras componimus,& motus inordinatos, aut imperfectos cohibemus,tunc dicimur mortificare nos ipſos, tunc vitam veterem, & carnalem exuimus, vt nouam vitam, & ſpiritualem, & propriam hominis ad beatitudinem conditi ſectemur.

Greg. 10. mor. cap. 17.

Inueſtigemus verò nunc quot ſint mortificationis genera, ſeu quot modis hominem ſeipſum abnegare contingat? Communiter à patribus duo genera mortificationis aſſignantur:alterum quo exteriorem hominem, alterum, quo interiorem cohibemus, atque componimus. Mortificatio illius primi generis vocatur exterior, quæ ſenſus omnes, & linguam, & membra corporis moderatur, ne in illicita, aut imperfecta diffluant: Mortificatio verò ſecundi generis vocatur interior, quæ affectus, & intellectum,& voluntatem,& cogitationem regit,ne etiam in mala, aut imperfecta conſentiant. Eas autem in ſacris paginis figuratas inuenio. Nam in ipſo introitu terræ promiſſionis dixit Dominus Ioſue: Fac tibi cultros lapideos,& circumcide ſecundò filios Iſrael.] Quæ circumciſio,cùm vocetur ſecunda, primam aliquam ſupponebat,aut eam,quam fecit Abraham, vt aliqui volunt,cuius mentio fit in Geneſi, aut aliam factam in ipſa egreſſione ex Ægypto,vt multi ex Hebræis autumant,& Auguſtinus inſinuat, qua idem populus, quoad eos, qui nec dum erant circumciſi,iterum circumciſus eſt. Prima itaque circumciſio in Ægypto facta externam mortificationem deſignat; ſecunda verò in tranſitu Iordanis effecta internam mortificationem ſignificat, quæ meritò fit in colle præputiorum, quoniam, qui interiora mortificare audet, iam collem, id eſt,aliquem gradum perfectionis aſcendit. Harum prima exterior ſi ſola accipiatur nulla habita ratione ſecundæ non multi momenti eſt; quippe quæ animum incircumciſum, ac vitiis ſubiectum relinquit. Idque Cyprianus elegantiſſima oratione confirmat. Neque enim, inquit, locus deſertus,ſaccus pro veſte, legumen pro cibo, neque ieiunia,neque chameuniæ (id eſt,humicubationes) monachum abſoluunt: ſub his inuolucris interdum latet animus valde mundanus.Quod ita deprehenditur, ſi ad munus aliquod Eccleſiaſticum vocentur; vbi videas quoſdam ex illis facillimè vinci deliciis, impatientiores iniuriarum, appetentiores vindictæ quam quiuis alius ſit ex media plebe. Quid cauſſæ eſt? Quoniam corpus exercuerunt magis quàm animum; cùm beatus Paulus doceat,quòd[exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt, pietas ad omnia] valeat. Non hæc dixerim, quod improbandi ſint, qui talibus modis caſtigant corpus ſuum, & in ſeruitutem redigunt: ſed quòd[Satanas]mille inſtructus artibus nonnumquam illudit incautis[transfigurans ſe in Angelum lucis,] & ex huiuſmodi corporum exercitamentis inducit illis falſam ſanctimoniæ perſuaſionem:cumque intus madeant ſpiritalibus vitiis, & ſibi,& aliis habentur pij. Sic ille. Secunda quoque interior mortificatio,ſi primam exteriorem negligat, non admodum tuta eſt; quippe quæ ſecum afferat manifeſtum ſuperbiæ, aut tepiditatis indicium. Superbiæ quidem,dum quis putare videtur, ſe perfectioribus ſtudiis occupatum,minoribus non indigere. Tepiditatis verò quoniam ſatis languida, & ridicula eſt interior mortificatio, quæ ſeruum ſuæ prouidentiæ commendatum, ſcilicet corpus non comprimit, & illud molliter vagari permittit. Heli profectò ſacerdos ſeueriſſimè à Domino mulctatus eſt,non quòd ipſe indignè ſe geſſerit,ſed quòd filios ſuos iniquè conuerſari permiſerit.Ita nonnullæ mentes donis,& conſolationibus cœleſtibus vacuæ relinquuntur, non quia affectus non comprimant, ſed quia puſillanimitate ductæ corpus ſuum delicioſè tractent, & nequaquam diſciplina religioſa cohibeant.Iccirco ſecundùm præceptum Baſilij hæc duo mortificationis genera iungenda ſunt, & primo loco interiori,ſecundo verò exteriori vacandum. Neque enim,inquit, ſi corporis vitia per ieiunia, vigiliáſque abſciderimus, animam verò motibus propriis ex zelo,& hypocriſi,& perturbationibus cæteris agitatam negligamus, conferre ad virtutem aliquid corporis exercitationem arbitramur. Neque item anima ſuis purgata vitiis, ſi corpori ad voluptates ventris, reliquáſque delicias liberas habenas permittamus, remota etiam mortificationis immunditia, perfectam ad virtutem vitam noſtram portare poterimus. Verùm enim qui virtutis curſum omni vitiorum labe purum feſtinat oſtendere, is neceſſe eſt animæ virtutibus adiiciat, & corporis bona, & his, quæ per corpus aſſiduæ exercitationis labore peragit, virtutes animæ concordes oſtendat. Neque enim verax, & ſine ſimulationis fuco vita eſſe poteſt, niſi animæ, & corporis membra congruẽtiam ad inuicem, & concordiam habeant: fieri enim equidem non poſſe puto,vt aut animæ adipiſcamur bona, niſi abſint vitia corporis,aut corporis bona conſequamur, niſi virtutes animæ antè præcedant.] Ex his duobus Cypriani, Baſiliíque dictis ſatis conſtat,in quo conſiſtant hæc duo mortificationis genera:& quomodo ita ſint temperanda, vt nec ſola corporis mortificatione contenti ſimus, nec ob internam mortificationem potiorem, externæ etiam mortificationis neceſſariæ obliuiſcamur.

Ioſue 5. 2. — Gen. 17. — Cyprian, de duplici Martyr. longè ante fin. — 1 Timot. 4. 8. — 2. Corin. 11. — 1. Reg 3. 12. — Baſil. de vera virginit. poſt med.

Vtraque mortificatio tam exterior,quàm interior in alias duas eſt diuidenda. Altera eſt,qua ab illicitis abſtinemus: altera, qua etiam à quibuſdam licitis temperamus. Illicita ſunt omnia peccata ſiue grauia,ſiue leuia,quæ Deus fieri vetuit. Licita ſũt omnia nobis conceſſa,quæ Dominus nullo præcepto, nec maiori,nec minori prohibuit. Qui ergo ita ſuos ſenſus,& affectus cohibet,vt in peccata non effluat, primam mortificationem, qua ab illicitis abſtinet, habet:qui verò propter amorem Domini,& obtentum perfectionis quædam ſibi licita,& conceſſa negat, in viſu,in auditu,in cibo,& potu, in ſermone, & in aliis huiuſmodi, is ſecundam in licitis mortificationem exercet. Ad primam illam, qua ab illicitis abducimur, hortatur Paulus, dicens: Nolite errare, Deus

Galat. 6. 7 8.

non

non irridetur. Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem.] Item & Ieremias, dum ait: *Ierem. 48.10.* Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.] Nam ſeminare in carne eſt operibus carnis inſiſtere: quo nomine vniuerſa peccata notantur: & prohibere gladium à ſanguine, eſt mortificationis gladium in abſcindendis illicitis ſanguine ſignatis non occupare, ſed eum ocioſum, & rubigine obductum tenere. De ſecunda verò, qua propter dominum quædam licita relinquimus, gloriatur Iob; qui de ſe ait: *Iob 7.16.* Deſperaui, nequaquam vltrà iam viuam.] Gloriatur & Dauid: *Pſal. 118. 81.* Nam defecit, ait, in ſalutari tuo anima mea.] Et iterum: *Pſal. 83. 3.* Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.] Quid enim aliud eſt iuſtum deſperare, inquit Gregorius, *Gregor. 8. mor. c. 12.* niſi præſentis vitæ bona, æternitatis electione deſerere? B Et quid eſt in atria Domini concupiſcere, & deficere, niſi propter amorem æternorum, in amore temporalium etiam nobis conceſſorum non perdurare? Neceſſitas autem huius duplicis abnegationis colligitur ex eo quod Bernardus ait, *Bern. ſer. 11. in Pſal. 90.* duas eſſe hominis vias, quarum altera vocatur neceſſitas, altera verò vocatur cupiditas. Neceſſitas ea, quæ ad victum, ad veſtitum, ad congruam commoditatem neceſſaria ſunt, poſtulat; cupiditas ea, quæ luxui & oſtentationi ſeruiunt, efflagitat. Has duas vias duplex mortificatio dicta rectificat. Nam mortificatio in illicitis cupiditatem comprimit, vt non eamus poſt concupiſcentias noſtras: mortificatio verò in licitis neceſſitatem anguſtat, vt paucis contentates parum neceſſarias omittat. C Eſt autem apprimè vtile nonnulla licita abſcindere, non ſolùm vt conſilia ſectantes abundantiorem mercedem accipiamus, verùm etiam vt aſſueti ad relinquenda licita, quæ placent, faciliùs illicita, cùm nos ineſcare tentauerint, relinquamus. Vnde Caſſianus egregiè ait: *Caſſian. col. 21. c. 8.* Non tam laudabile eſt ſi ab illicitis, quàm etiam ſi à licitis temperemus, & his propter eius reuerentiam non vtamur, quæ ea nobis propter infirmitatem noſtram vtenda permiſit.] Et Gregorius: *Gregor. 5. mor. c. 8.* Solus in illicitis non cadit, qui ſe aliquando & à licitis cautè reſtringit.] Qui ita in licitis ſe abnegat, poteſt cum pſalmographo dicere: *Pſal. 53. 8.* Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum eſt.] D Ille quippe maxima cum perfectione voluntariè ſacrificia offerre videtur, qui ad immolandum ſpiritales hoſtias, nec præceptis adigitur, ſed ſola virtute amoris inclinatur.

Mortificatio tandem ſiue exterior, ſiue interior, ſiue illicita, ſiue nonnulla licita deſerat, multa nomina ſortita eſt, quæ vim eius, ac naturam ſignificant. Vocatur enim mortificationis nomine, quo hucuſq; vſi ſumus: vocatur etiam abnegatio, renuntiatio, ſpiritualis circumciſio, ieiunium, odium ſui, violentia, crux. Primo nomine vſus eſt Paulus, dicens; *2. Cor. 4. 10.* Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.] Hoc verò nomen optimè exprimit huius ſancti ſtudij qualitatem, quo verè mundo morimur, & à multis licitis ſequeſtramur. Abnegationis nomen vſurpat Dominus, dum ait: *Matth. 16.24.* E Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.] Tunc enim nos negamus, cùm nobis aliquid malè, aut imperfectè cupientibus per aduerbium non reſpondemus, & à noſtris concupiſcentiis, deſideriiſque ſeiungimur. Renuntiationis nomen etiam docuit ipſe Dominus. *Luca 14. 33.* Qui non renuntiat, inquit, omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.] Eſt igitur renuntiatio, ait Baſilius, *Baſil. reg. 8. fuſ. diſp.* nihil aliud, quàm vinculorum craſſæ huius, ac temporariæ conuerſationis abſolu- A tio, quæ nos dum emancipat ſemel, ac ſubducit anxiis, & humanam vitam comitantibus negotiis, & promptiores, ac magis idoneos reddit ineundæ viæ ad Dei contemplationem rectà prouehentis.] Circumciſionis nomen à Paulo multis locis didicimus, cuius eſt illud: *Colloſ. 2. 11.* Circumciſi eſtis circumciſione non manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti.] Meritò autem hoc nomen mortificationi indidit, quoniam ſicut abrogata circumciſio ſuperflua carnis amputauit: ita ſpiritualis circumciſio à Chriſto in lege gratiæ retenta, ſuperuacua mentis abſcindit. Ieiunij nomine meminit Dominus per Iſaiam: *Iſaia 58. 6.* Nonne, ait, hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes.] Eſt ac ſi diceret: Ieiunium B mihi gratiſſimum eſt peccatorum funes exoluere, & deſideriorũ inanium pondus abiicere. Et Auguſtinus *Auguſt. tract. 17. in Ioan.* in eodem ſenſu loquens, ait: Ieiunium magnum, & generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſæculi. Meminit etiam nomine odij, dicens: *Ioan. 12. 25.* Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.] Nam qui odio habet aliquem, eius frangit voluntatem, & vires eneruat: quia verò dum nos abnegamus, ſimilia ſenſibus & concupiſcentiis facimus, ideo aliquid noſtri, ſcilicet quod inordinatum eſt, deteſtamur, vt quod potius, & excellentius eſt diligamus. Nomen quoque violentiæ ex doctrina ipſius Saluatoris accepimus, dicentis: *Matth. 11.12.* Quoniam [regnum cœlorum vim patitur.] Audi ex Ambroſio quænam ſit iſta vis. *Ambr li. 5. in Lucam ad finem.* C Vis, inquit, menti affertur humanæ, quæ diuerſis illecebris delinita laborem fugit, voluptates expetit, cùm vel metu ſupplicij coërcita, vel præmio prouocata vincere ipſa ſentitur, & tanquam exantlatis laboribus palmam, quæ ſibi plurimis aduerſitatibus ſubtrahebatur eripere contendit. Ac tandem mortificationem ſub nomine crucis nos docuit; nam ait: *Matth. 10.38.* Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.] De hac cruce, quæ in vera abnegatione poſita eſt, gloriabatur Paulus, quando dicebat: Chriſto confixus ſum cruci. Suſceptio enim crucis, inquit Leo Papa, *Leo ſer. 1 de reſurrectione.* eſt interfectio cupiditatis, occiſio vitiorum, declinatio vanitatis, & abdicatio omnis erroris.] Hanc ergo crucem vt hilariter ſuſcipiamus, hanc violentiam vt nobis fortiter inferamus; D hoc odium vt vtiliter admittamus: hoc ieiunium vt ſanctè cuſtodiamus: hanc circumciſionem vt cum fructu ſuſtineamus: hanc abnegationem, & mortificationem vt ſtrenuè exerceamus, eius tum neceſſitatem, tum dignitatem, ac præſtantiam inueſtigemus.

Mortificationem eſſe homini iuſto apprimè neceſſariam.

CAPVT IV.

QVID ſit mortificatio vidimus, nunc eius neceſſitatem, atque præſtantiam ſpiritualem tenendam, & ad perfectionem aſſequendam videamus. E Licèt enim ex his, quæ hactenus diximus, ſatis perſpecta eſſe poteſt, tamen res tanta diſtinctiùs & explicatiùs tractanda eſt, vt nos ad mortificationis amorem & ſtudium alliciat. Mortificatio in ipſo vitæ ſpiritualis ingreſſu omnibus à Domino præcepta eſt, ſine qua nemo vitam hanc inchoare, aut proſequi, aut conſummare præſumat; quia ſtatim atque eam deſeruerit, & ſuis concupiſcentiis adhæſerit, ab eo, quod

adeptus fuerat, bono diſcedet. Nam quod iuſſum eſt Moyſi & Ioſue accedentibus ad Dominum, omnibus etiam iuſtis ſine dubio præcipitur. Quid dictum eſt illi ad viſionem ardentis rubi pergenti? Certè: *Exodi 3. 5.* Ne appropies huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.] Et quid dictum eſt huic ad videndum Angelum properanti? Certè: *Ioſue 5. 16.* Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt.] Idem omnino præceptum omnibus iuſtis indicitur: vt ſciant ſe in loco ſancto ſtare, ſi vitam ſanctam, Deóque conſecratam colere incipiant; ac proinde debere ipſos calceamenta ſoluere, id eſt, affectus omnes carnis deponere, & actus vitæ veteris tractare. Carnalis profectò circumciſio tam ſine vlla diſpenſatione veteribus Iſraelitis iniuncta eſt, vt dicat Dominus: *Gen. 17. 14.* Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.] Sed non minus diſtrictè nobis circumciſio ſpiritualis iniungitur, qua ſpiritus noxia & ſuperflua reſecemus. Idque perſpicuè teſtatur Cyprianus ita ſcribens: *Cypr. lib. de cardinal. oper. Chriſ. ſer. de circumciſ.* Vbi Chriſtus Dominus venit, de quo in capite libri ſcriptum erat, vt in morte ſua, Patris voluntatem impleret, ceſſarunt ſacrificia: nec tam truncationem præputij Euangelium imperauit, ſed circumciſionē cordis, & omnem tam membrorum, quàm affectionum petulantiam gladio ſpiritus reſecari, immutabili decreto mandauit. Et ad idem Bernardus: *Bern. ſer. 1. de circumciſ.* Et nos fratres, inquit, circumcidi neceſſe eſt, & ſic nomen ſalutis accipere. Circumcidi ſanè non littera, ſed ſpiritu & veritate: circumcidi non vno membro, ſed toto corpore ſimul. Atque infrà: Quæ eſt mortalis circumciſio noſtra, niſi quam commendat Apoſtolus? *1. Tim. 6.* Victum, inquiens & veſtitum habentes, his contenti ſimus.] Optimè prorſus circumcidit nos, & ſuperflua reſecat vniuerſa, voluntaria paupertas, pœnitentiæ labor, regularis obſeruatio diſciplinæ.] Audi hanc circumciſionem præceptam apud Ieremiam: *Ierem. 4. 4.* Circumcidimini Domino, ait, & auferte præputia non carnis, ſed cordium veſtrorum.] Apud Ezechielem quoque: *Ezech. 44. 9.* Omnis alienigena incircumciſus corde, & incircumciſus carne non ingredietur Sanctuarium meum.] Cor, inquit Hieronymus, *Hier. ib.* circumcidimus cultello Dei, & aufertur de corde noſtro præputium, quando turpes cogitationes nequaquam exeunt de corde noſtro, nec de nobis dicitur: *Actor. 28.* Impinguatum eſt cor populi huius, & auribus ſuis grauiter audierunt.] Ergo & caro ſimiliter circumciditur, vt nequaquam faciamus terrena opera, quæ pro neceſſitate corporis facere compellimur, cibum capere, & potum, & ſomnum, & vti veſtibus, quæ tunc circumcidimus, ſi non ad delicias, & ad luxuriam, & ad inertiam, ſed ad neceſſitatem naturæ, & corporis iſtius ſuſtentaculum cuncta faciamus.] Sicut ergo pueri apud Hebræos, auctore Euthimio & Theophilacto, priùs carnaliter circumcidebantur, quàm nomen ſuæ gentis acciperent; ita iuſti priùs debent ſe ipſos ſpiritaliter circumcidere, hoc eſt, ſe ipſos abnegare, quàm militum Chriſti nomen obtineant. Atque adeò magna eſt mortificationis neceſſitas, quam non iam nomen perfecti, aut nomen ſpiritualis viri, ſed etiam nomen Chriſtiani videtur ſupponere. Incaſſum enim hoc nomen accipit, qui virtute Chriſti opera carnis non negat, & quæ à Chriſtò ſeparant, non abſcindit.

Omnibus itaque tam imperfectis, quàm perfectis ſpiritualis circumciſio, id eſt, mortificatio, quæ illicita & ſuperflua reſecet, neceſſaria eſt. Vnde peccatoribus dicitur per Ioelem: *Ioel 2.* Conuertimini ad me in toto corde veſtro: in ieiunio, fletu, & planctu.] Iuſto verò promittit Dominus per Dauidem: *Pſal. 90. 15.* Cum ipſo ſum in tribulatione.] Peccator ergo cōuerſus & iuſtus, licèt à Domino dilectus, in dolore ſunt, vterque habet quod amputet, vtrumque cruciat circumciſionis dolor; ſiquidem ille in ieiunio, & fletu, & planctu viuit, & hic in tribulatione degit, à qua neceſſe habet liberari. Chriſtus princeps noſter caput eſt glorioſum beatorum & viatorum: ſed non eodem modo ſe beatis, ac viatoribus exhibet. Illos enim forma gloriæ, quam nunc habet, abundè lætificat, iſtis verò faciem ſputis illitam, ſanguine perfuſam, & lacrymis irrigatam oſtendit. Illi ſecundùm id quod vident, ſemper gaudent, ſemper lætantur: iſti ſecundùm id quod mente conſiderant, ſemper vtcumque mœrent, ſemper deſiderio crucem imitandi ſuccenduntur. Nam ignominioſum eſſet illis, dū ſibi repreſentant Chriſtus non circumdatus gloria, ſed ſpinis coronatus, ſi cuperent gloria potiri, & non dolorum eius imitatione, quam abnegatione poſſident, coronari. Dauidem à Saüle fugientem, & in ſpelunca Odolla latitantem non læti, ſed triſtes quæruut, non mundi lætitiam habentibus, ſed mundi perſecutionem patientibus imperat. Denique cōuenerunt ad eum omnes, *1. Reg. 22. 2.* qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum princeps.] Ita Chriſto adhuc in Trono Eccleſiæ manenti non ſeipſos mundi commodis & propria voluntate lactantes, ſed ſe ipſos abnegātes & duriter tractantes, adhærent. Hi ſunt in anguſtia conſtituti, nam propter amorem perfectionis cordis mortificati, triſtitiam voluntariè ſuſcipiunt. Hi ſunt ære alieno oppreſſi, quos ſuorum peccatorum debita, ad ſui mortificationem, id eſt, ad debitorum exolutionem ſolicitant. Hi ſunt amaro animo, quibus curæ eſt ſemet ipſos in amaritudine conſtituere, vt filij reſuſcitationem, id eſt, animi feruorem, & vitæ perfectionem à verò Eliſeo, nempe à Chriſto, conſequantur. Hos Chriſtus in deſerto huius mundi degens vocat, & dicit illis: *Matth. 11. 28.* Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos:] alacres verò ſecundùm mundi lætitiam non vocat, ſed illis, *Luca 6. 24.* Væ, nimirum luctum & triſtitiam, annuntiat. Væ vobis, inquit, qui habetis conſolationem veſtram. Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc; quia lugebitis, & flebitis.] Iſti, qui riſui, & cachinnis vacant, & ſuæ voluntati obſecundant, licèt ſtatu ad regnum Chriſti pertinere videantur, tamen vitæ conuerſatione non Chriſto, ſed mundo, non viris ſpiritualibus, ſed mundanis iunguntur. Quibus optimè conuenit illud, quod quidam Iſraelitæ è Babylone ad ſuam patriam tranſlati dixerunt: *2. Eſdra 5. 5.* Et nunc ſicut carnes fratrum noſtrorum, ſic carnes noſtræ ſunt: & ſicut filij eorum, ita & filij noſtri:] Nam ad vitam religioſam, vel ſpiritualem tranſlati, ob ſuam deſidiam non plus diuinæ conſolationis, quàm ſæculares percipiunt. Sicut illi nihil ſpirituale ſapiunt, ita & iſti: ſicut illi in ſpiritu, macie attenuantur, ita & iſti præ imbecillitate tabeſcunt: ſicut filij illorum, id eſt, affectus Babyloniæ ſeruiunt, ita affectus iſtorum rebus mundanis famulari coguntur. Non propter hoc reliquimus mundum, ſed vt ab illo elongati, nec eius recordationem admittamus. Huius enim vitæ finis eſt, vt Caſſianus ait, *Caſſi. col. 19. c. 8.* omnes noſtras mortificare & crucifigere voluntates, ac, ſecundùm Euangelicæ perfectionis ſalutare mandatum, nihil de craſtino cogitare. Abſurdum eſt autem, & ſatis miſerum in arrepto melioris vitæ propoſito ſolo corpore, & non omnino permanere.

Vis videre quàm verum ſit, quod immortificati ſolo corpore, & non mente in vita ſpirituali permaneant,

Digitized by Google

A neant? Sanè nihil illius, niſi ſolam externam formam videntur induere. Nam educti ex Ægypto vitæ prophanæ, & in Sanctorum conuerſationem tranſlati vitia ſua delere renuunt, quorum fraudibus iam alia vice decipiuntur. Præcepit Dominus filiis Iſraël, vt delerent gentes, terram ſibi datam occupantes: quibus minimè iuſſa complentibus comminatus eſt, dicens; Noluiſtis audire vocem meam; cur hoc feciſtis? Quamobrem nolui delere eos à facie veſtra, vt habeatis hoſtes. & dij eorum ſint vobis in ruinam.] Eodem modo tepidis comminatur, qui nolunt ſuas frangere voluntates, & ſuos ſenſus & affectus cohibere. Eorum namque propriæ voluntates, & proprij affectus, ſunt hoſtes, qui quotidie ſuos ſeruatores inquietant, & non ſemel in peccata deiiciunt. Ab

Iudic. 2. 2.

B iſtis ergo hoſtibus decepti ſunt, vt poſtquam ſe Deo conſecrarunt, mundo ſeruiant, & non ſecundùm Deum, ſed ſecundùm hominem viuant. Perſcrutemur quidnam ſit ſecundùm Deum & ſecundùm hominem viuere, vt quod dicimus euidenter aſtruamus. Ille ſecundùm hominem viuit, inquit Proſper, qui ſecundùm ſeipſum viuit; quia & ipſe homo eſt, & ſecundùm ſeipſum viuit. Qui ſi potuerit, eſt cum quibus vult, pergit quò vult, dormit quando & quandiu vult, loquitur quæ vult, & vbi vult, manducat, & bibit quando & quod vult, & quantum vult: ridet, ac lætatur inter quos vult: poſtremò, quicquid naribus ſuaue eſt, quicquid tactui blandum, quicquid oculis delectabile, quicquid cæteris ſenſibus carnis ſuæ iucundum, exercet, ac ſequitur, qualiter vult, qui omnia licita & illicita carnaliter vult.] Si il-

Proſper lib. 3. de vita contemplat. c. 1.

C li, qui non ſe mortificant, hæc omnia faciunt, & propriam voluntatem, regulam ſuorum operum habent, manifeſtum eſt, quia ſecundùm hominem viuunt. Pergat ipſe ſanctus doctor, & quid ſit viuere ſecundùm Deum nobis edicat. Qui, ait, ſecundùm Deum viuit, non quod eum carnaliter delectat, ſed quod ædificat ſpiritualiter, facit, & omnia deſideria carnis ſpiritualis deſiderij delectatione compeſcit; futura præſentibus anteponit, carnem ſpiritui ſubdit, & quicquid cupit, aut agit, non vult ex ſua, ſed ex Dei ſui voluntate procedere, cui placere totis viribus concupiſcit.] Longè profectò ab iſtis actibus ſunt, qui ſeipſos palpant, & in nullo ſuis deſideriis contradicunt. Non igitur ſecundùm Deum viuunt, atque adeò externam tantùm ſpiritualis vitæ veſtem indu-

D ti, & operibus carnis occupati, ſe eſſe, quod non ſunt, apertiſſimè mentiuntur. Curat hoc diabolus, vt non iam in ſæculo tantùm, ſed in vrbibus quoque Domini, id eſt, in familiis Domino conſecratis habeat non paucos, qui ei tributa perſoluant. Curat hoc, vt homines deſidiæ aſſuetos, & inermes facilè (data occaſione) ad ſe transferat, & peccati ſeruos efficiat. Caueat Philiſtiim, ne fortè facerent Hebræi gladium ac lanceam.] Ita nituntur dæmones, ne ad Deum tranſmigrantes inſtrumenta bellandi, id eſt, exercitia mortificationis, habeant, quibus poterunt ſe è manibus hoſtium eripere.

1. Reg. 13. 19.

E Si verò hi, qui mortificationem non colunt, vitam carnalem agunt, facilè intelligetur, quonam pacto omnia vitæ ſpiritualis bona, quam profiteri voluerunt, ipſis deficiant. Neque enim ſani ſunt, qui tot ægritudinibus animæ laborant, & tot doloribus ex immoderato amore, & inordinata triſtitia, ex effræni ira, & ex multiplici alia affectione manantibus agitantur. Neque ſani eſſe poſſunt, quoniam, vt etiam nouit Plato, ſicut à corporibus, ita & ab animis noxia & ſuperflua auferenda ſunt, vt ſanitas cupita proueniat. Qui autem nolunt mortificationis beneficio ſeipſos frænare, & noxias ac ſuperfluas affectiones

Plato in Gorgia.

amouere, quomodo ſanitatem acquirent? Vt in corporibus, inquit Baſilius, neceſſariò & demi illa debent, quæ ſuperuacanea ſunt, & quæ abſunt apponi: ſic idem quoque nobis in animis noſtris ſeruandum eſt, vt quæ aliena ſunt, ſcilicet amandemus, & quæ idonea aſciſcamus.] At tepidi & immortificati pacem habere non poſſunt. Pacati enim non erunt, quos tot hoſtium, id eſt, inanium deſideriorum clamores exagitant, quos tot inteſtina contrariorum appetituum bella moleſtant. Et beſtiæ terræ, inquit Iob, pacificæ erunt tibi, & ſcies quòd pacem habeat tabernaculum tuum.] Dum ergo beſtias terræ, id eſt, cordis noſtri paſſiones non pacamus, fruſtra in tabernaculo mentis pacem habere contendimus. Virum pacificum elegit Dominus, vt magnificum ſibi templum extrueret. Atque ideo iſte eſt ſermo eius ad Dauidem: Filius qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus: faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum. Ipſe ædificabit domum nomini meo.] Nec ſatis fuit ad illud templum ædificandum bellare, ſed neceſſe fuit iam bellaſſe, & pacem per circuitum quæſiuiſſe; & nos putamus non iam in ipſo bello, quando aliquid terræ ſubegimus, ſed ante omne bellum, quando hoſtes noſtri, id eſt, immoderati ſenſus, & affectus nos poſſident, perfectionis templum ædificare, & locum vbi cum Deo conuerſemus, inuenire? Toto cœlo erramus, & nos ipſos manifeſtè decipimus. Nam cœleſtis illa cognitio, quæ non ſolum intellectum erudit, ſed aſſidua cum Deo colloquia parit, & ſaporem illum abſconditum in affectum transfundit, illis tantùm conceditur, qui mortificatione ſe mundant, qui omni impuritate (quantum poſſunt) ſe vacuant, vt nectar illud cœleſte percipiant. Nemo enim, inquit Caſſianus, in vas fœtidum atque corruptum, vnguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretioſi quicquam liquoris infundit. Faciliùs enim, quamuis odoratiſſimam myrrham ſemel horrendis imbuta fœtoribus teſta contaminat, quàm vt aliquid ex ea ſuauitatis aut gratiæ ipſa cōcipiat: quia multò citiùs mūda corrūpuntur, quàm corrupta mundātur. Ita igitur & vas pectoris noſtri, niſi priùs fuerit ab omni fœtidiſſima vitiorum contagione purgatum, non merebitur ſuſcipere illud benedictionis vnguentum, de quo dicitur per Prophetam: Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius:] nec illam ſcientiam ſpiritalem, & eloquia ſcripturarum, quæ ſunt [dulciora ſuper mel, & fauum,] impolluta ſeruabit.] Sic ille. Ex quibus liquet, ad initium & finem ſpiritalis vitæ, mortificationem neceſſariam eſſe. Initium enim eſt, ſecundùm Deum velle viuere; finis autem ſanitatem animi, id eſt, perfectionem adipiſci, & ad iugitatem diuinæ præſentiæ, & aſſiduitatem puriſſimæ orationis venire. At qui ſe non abnegant, non ſolùm ad finem non veniunt, verùm etiam nec huius viæ initia capeſſunt.

Baſil. regul. vlt. fuſius diſput.

Iob 5. 23.

1. Paral. 22. 9. 10.

Caſſi. col. 14. c. 14.

Pſal. 132.

Pſal. 18. 11.

Qui ergo volunt in ſpirituali vita non in vanum laborare, & aliquos in via Dei progreſſus facere, in ſtudium propriæ abnegationis diligenter incumbant. Sciant ſe inter Angelos, & bruta animalia natura poſitos, quorum extremorum aliquid, vt media participant, & ſi cupiunt per ſpiritalem vitam ad Angelorum imitationem transferri, neceſſe eſt vt illud exuenent, quod eſt ſibi beſtiiſque commune. Nullus enim poteſt vni extremo appropinquare, quin ſe ab alio diiungat. Mortificatio verò hominem à corpore, id eſt, à beſtialibus motibus ſeparat, vt ad ſpirituum imitationem accedat. Cognoſcant etiam ſine mortificationis ſtudio minimè poſſe ſe diuitias ſpiri-

A tus comparare. Sicut enim qui diuitias congregat, parua non deſpicit, ſed obolos etiam, & minima quæque coaceruat, ex quibus multiplicatis ſolet magnus theſaurus conflari; ita qui virtute diues eſſe geſtit, in omnibus ſe abneget, & minimas quoque ſe mortificandi occaſiones ſuſcipiat, vt magna congerat virtutis augmenta. Modica ſementis detractio non modicum affert meſſis detrimentum. Sic modica propriæ abnegationis prætermiſſio, quæ ſeminis vicem obtinet, non paruam affert profectus ſpiritalis iacturam. Et quidem Dominus magna ſolet his dona negare, qui vel in modicis ſuam mortificationem negligunt, & cor à mundi cupiditatibus elongare contemnunt. Nam dona, vt ſint dona, nequaquam debita ſunt. Non autem mirum, ſi ei, qui parcus eſt in minoribus, quo ſatis ſe parum amoris habere demonſtrat,

B id quod non eſt debitum, denegetur. Mortificationi ergo noſtræ totis viribus intendamus, ne amabili, propter quem omnia demiſimus, fine fruſtremur. Cuique ſtatui ſua refectio conuenit, & infantibus lacte opus eſt, at perfectos viros magis ſolidus cibus delectat. Sicut autem futuræ vitæ, cuius cauſa laboramus, perpetua delectatio & æterna fruitio, cibus eſt, ita præſentem vitam non delectatio, ſed mortificatio ſuſtentat. In cuius ſignum Deus primis noſtris parentibus arborem ſcientiæ boni & mali interdixit, lignum verò vitæ conceſſit. Et nobis ergo ad ſumendum cibum non alia, quàm arbor vitæ conceditur. Hæc autem, vt inquit Ambroſius, crux eſt Chriſti, ex qua ſi pomum abnegationis accipiamus, & à prauis noſtris affectibus fugiamus, certiſſimè in perpetuum viuemus.

Ambr. præfat. in Pſal. 35

C Putent inſani homines, & iuxta legem carnis viuentes, quòd nos mortificatio perimit, quia ad horam carnem nonnullo pallore afficit, & nos modeſtiæ ſeruientes à laudibus humanis abſcondit: putét, inquam, hoc; nam certum eſt quòd ipſi falluntur, & nos mortificatione non morimur, ſed viuimus; non quoad aliquid bonum, ſed quoad deteſtabile, inordinatúmque perimus. Putabant Ægyptij quia filij Iſrael eſſét obſeruatione circumciſionis, & ſanguinis effuſione morituri, at contrà accidit: nam obſeruatio præcepti non attulit illis mortem, ſed vitam. In cuius atteſtationem dixit illis poſt circumciſionem Dominus: Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis.]

Ioſue 5. 9.

D Ac ſi diceret: Certè vidiſtis, quia ſiccato Iordane in hanc regionem tranſiuiſtis, & terram vobis promiſſam occupaſtis, & in ea tanquam in terra vobis pacifica circumciſi eſtis, & per tres dies ſine vllo timore, donec ſanaremini, quieuiſtis: non ergo ad mortem eduxi vos ex Ægypto, vt veſtri oppreſſores dicebant, ſed vt liberi & ſecuri viueretis. Ita & à nobis ſpiritalem circumciſionem, id eſt, mortificationem colentibus, mundi opprobrium auferetur: quia mundani videbunt nos per abnegationem nullo modo vitam perdidiſſe, ſed vitam carnalem, & Deo inuiſam pro vita ſpiritali & Deo grata commutaſſe.

Mortificationem viri iuſti eſſe Deo gratiſſimam.

CAPVT V.

E SI mortificatio nobis neceſſaria eſt, conſtat eam Deo eſſe gratiſſimam, quem, vt amatorẽ humani generis, omnia noſtra bona delectant. Pater enim filiũ habens dilectiſſimum morbo grauiſſimo laborantem, & extremum ſpiritum agentem, auidiſſimè cupit, & quærit medicinã, qua illi, quem vnicè amat,

A in tanto diſcrimine conſtituto ſubueniat: inuentam maximo etiam pretio mercatur, & omnibus ſuis bonis præfert, tanquam vitam filio dilectiſſimo, & ſalutem allaturam. Deus autem Pater noſter eſt, pater vtique miſericordiarum, & Deus totius cõſolationis; qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam, regenerauit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis.] Et nos filij eius ſumus, qui per Chriſtum accepimus poteſtatem, filios Dei fieri;] ſed filij ægroti & infirmi, quos ſi gratia, ac participatio diuinæ perfectionis viuificat, at morbus fomitis, & peruerſorum appetituum excruciat. Signati ſumus in illo filio mulieris matrisfamiliâs, cuius [erat languor fortiſſimus,] quia ardentiſſima concupiſcentiarum febre languemus. Sed medicina huius ægritudinis, vt

1. Cor. 1. 3.
1. Petr. 1. 3.
12. Ioan. 1. 12.
3. Reg. 17. 17.

B ſuprà diximus, mortificatio eſt, quæ vulneribus noſtris medetur, tumores pellit, & animæ ſalutem reſtituit. Hanc ergo pater noſter cœleſtis magni æſtimabit, & ſi nos eam animosè acceperimus, gratiſſimum obſequium habebit. Voluntas noſtra rem inſuauem ori admouere recuſat; ſed ſi eam vicerimus, & propter amorem Patris & Dei noſtri amaram potionem abnegationis acceperimus, obſequium ei accepriſſimum exhibebimus. Nihil enim, vt Ricardus Victorinus ait, ita flagrat Domino in odorem ſuauitatis, quàm ſi mactetur ei vitulus propriæ voluntatis. Sed quàm acceptus erit hic voluntatis propriæ vitulus, ſi illum in amplectenda mortificatione tam nobis neceſſaria mactemus, & ſi dum perpetuò nos cohibemus, eum in iuge ſacrificium conuertamus.

Ricar. in Pſal 28. in illud: Et comminuet vt vitulum Libani, &c.

C Eſt autem hoc loco quid admirabile, & interioris hominis palato ſuaue, in quo quàm gratum ſit Domino, quod nobis imperemus, ſatis elucet. Nam quemadmodum ſi paruulus filius vi imbecillitatis oppreſſus cibum ſalutarem auerſetur, qui ſimul ſit morbi medicina, ſolet pater primogenito filio, & vxori, & famulis imperare, vt cibum illum in conſpectu ægrotantis guſtent, & laudent, quo ab illo metum auferat, eúmque ad guſtandum alliciat: ita Dominus verè pater hominis infirmi, quem ſaluare deſiderat, cibum mortificationis maiori filio, & vxori, & domeſticis ſuis guſtandum obtulit, vt homo imperfectus tot exemplis prouocatus, ad illum cibum ſumendum aſſurgat. Annon Chriſtus Filius eſt æterni Patris? Et

D quidem filius primogenitus, & non quemadmodum nos adoptione, ſed naturâ: de quo ait: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.] At ipſe, vt Patris voluntatem impleat, quid ait? Calicem, inquit, ſalutaris accipiam,] potum ſcilicet paſſionis & crucis, in qua me ſacrificabo hoſtiam laudis. Nec contentus accipere, potum etiam crucis laudat, ne nos bibere vereamur, & dicit: Calix meus inebrians quàm præclarus eſt?] Annon Eccleſia vxor eſt Dei? Et ſanè; illa de qua Dauid cecinit: Vxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.] Sed illa ab ipſo ſuæ conditionis exordio, Deo ita ordinante, calicem laborum bibit, & perſecutionem paſſa eſt. Quod & ipſa vitis ſimilitudo demonſtrat. Nam ſicut vitis putanda eſt, vt fructus ſuauiſſimos ferat: ita & Eccleſia preſſuras, & afflictiones ſubire debet, vt abundè fructificet. Audi ipſam perſecutionem ſu-

Matt. 17 5.
Pſal. 115. 4.
Pſal. 22. 5.
Pſal. 127. 3.

E ſtinentem, & calicem doloris bibentem: Filij matris meæ pugnauerunt contra me.] Quia Iudæi, vt Bernardus exponit, filij Synagogæ, ex qua primùm Eccleſia velut filia proceſſit, magnam aduersùs Eccleſiam principio in capite, & progreſſu temporis, in membris perſecutionem excitarunt. Perſecutionem autem à Iudæis cœptam gentes roborare perſtiterunt, & hæretici continuare non ceſſant, vt ſemper calicem doloris bibat, & tribulationem patiatur.

Cant. 5. 1.
Bern. ſer 29. in Cant.

Audi & calicem laudantem. Conuerſa enim ad Sponſum ait: Dabo tibi poculum ex vino cõditum, & muſtum malorum granatorum meorum.] *Cant 8. 2.* Eſt ac ſi diceret coram ægroto filio, vt eum ad bibendum excitet: O ſponſe,tam ſuaue, ac dulce eſt poculum malorum granatorum meorum,id eſt,vt Gregorius, & Rupertus volunt, *Greg. ibi. Ruper. li. 7. in Cãt.* perſecutionum, quas patior, vt illud conſtituam tibi ipſi porrigere:non iam vt bibas, qui impaſſibilis in gloria ſedes,ſed vt in odorem ſuauitatis accipias. Annon tandem ſancti ſerui ſunt Domini?Et ſine vlla dubitatione ſatis fideles & prudentes,quorum alios conſtituit ſuper familiam ſuam, vt illi cibum prædicationis darent in tempore:alios verò hoc cibo refectos in ſuo obſequio ſtrenuos, & diligentes inuenit.Sed hi mortificationis calicem bibendum acceperunt. Oſtendiſti, inquiunt,populo tuo dura; potaſti nos vino compunctionis. *Pſal. 59. 3.4.* Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.]Conſidera iuſtorum populum,qui in Oſea vocati ſunt filij Dei viuentis, *Oſee 1. 10.* & eos omnes ſanguine rubricatos,id eſt,mortificatione & laboribus probatos aſpicies.Hoc ſignum datum eſt illis, quòd fugerunt à facie arcus, & iram ob priſtina peccata commeritam declinarunt, quia certum eſt hîc ſufficienter punitos non in pœnam,ſed in præmium reſeruari.Laudant & illi calicem, qui diuini amoris participes,cum Paulo Dei amatore gaudente in paſſionibus, *Coloſſ. 1. 24.* ſuperabundantéque gaudio in tribulationibus,& ipſi in paſſione,& afflictionibus gaudẽt, vt ſe dulcem ſpiritui calicem accepiſſe reſtentur. Omnibus igitur dilectis ſuis Deus mortificationis, ſeu afflictionis calicem propinat, vt nos tantis exemplis illecti minimè illum auerſemur.Ex quo etiam diſcimus quàm grata eſt illi noſtra mortificatio, ad cuius ſtudium nos verbis ſuis, & inſtinctibus, & promiſſionibus, & exemplis Chriſti,& Sanctorum accendit.

Si itaque iuſti deteſtatione præteritorum peccatorum vtcumque perfuncti,vltrà procedant,& à lacte conſolationum terrenarum ſe ſtudio mortificationis abducant, lætatur Dominus non aliter, quàm pater amantiſſimus, qui, nato ſibi filio, cupit videre illum ab vberibus nutricis auulſum, adultorũ pane ſuſtentati. Creuit puer Iſaac, & ablactatus eſt; fecítque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.] *Geneſ. 21. 8.* Conſule Auguſtinum,& Ambroſium, & ab illis huius hiſtoriæ moralem intelligentiam pete. *Aug. lib. qq. in Geneſ. q. 50. tom. 4. Amb. lib. 1. de Abraham. c. 7.* Ille enim pater multarum gẽtium Deum patrẽ omnium iuſtorum, & filius Iſaac ablactatus virum iuſtum ſignificat. In die natalis eius ſerui lætentur,& gaudium ſit Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente:] *Luca 15. 10.* patris verò nulla tunc ſcribatur lætitia, qui filij ſibi nati perſeuerantiam expectat. At tempore ablactationis cùm iam natus pericula puſillorum excedit, & ſigna oſtendit maioris ætatis, tunc pater edat ſigna lætitiæ. Monſtret ſe maximè in ablactato gaudere, & in noſtra mortificatione lætati. Non ſanè quia noſtræ lacrymæ, & noſtri dolores, quatenus dolores ſunt, illi placeant, ſed quia eum noſter profectus abnegatione conquiſitus plenè lætificat. Vel dicamus, quod in conuerſione peccatoris conuiuium inſtruitur, quia Dominus gratam habet conuerſionem: at in ablactatione iuſti non iam conuiuium vtcumque, ſed grande conuiuium præparatur, quia abnegationem,ſignum adultioris, & fortioris ætatis, multo gratiorem habet. Ad quam ſi quis poſt conuerſionem non veniat, ſed in ſuorum affectuum imperfectione, & in ſuorum deſideriorum luto permaneat, cum paruulis, & imperfectis illa Pauli increpatione mulctabitur: *1. Cor. 3. 2.* Lac vobis potum dedi, non eſcam:non-**A** dum enim poteratis; ſed nec nunc quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis.] Carnalis adhuc eſt, qui diaboli, & peccati faucibus ereptus, deſiderijs & affectibus carnis adhæret: paruulus eſt, qui putat ſe abſque abnegatione poſſe viuere, & ſine circumciſione cordis in populo Dei, atque in iuſtorum numero poſſe perſiſtere. Cui lac, id eſt,minùs perfecta doctrina, quæ ad initia ſpiritualis vitæ pertinet, ingerenda eſt,& rerum ſublimiorum communicatio deneganda.

Hoc abnegationis ſtudium velut ſibi gratiſſimum Dominus in iuſtis quærit, vt illos non iam quacumque amicitia, ſed arctiſſima familiaritate dignos ad conuiuium cœleſtium conſolationum ad- **B** mittat. Vult ipſe priùs ad epulas noſtras ſibi ſuauiſſimas inuitari, vt poſtea nos ad epulas ſuas viciſſim inuitet. Epulæ noſtræ quibus paſcimur,quibus ſpiritu creſcimus, quibus in virtute ſuſtentamur, opera abnegationis & virtutum actiones ſunt. Abnegationis opera ſunt panes illi lacrymarum, quibus iuſti cibantur, & panes illi hordeacei, quibus in deſerto huius vitæ reficiuntur, ne deficiant in via: qui licèt atri & duri, at in via deſerti ſunt reficiendis animabus aptiſſimi, quoniam putredini, & rubigini propriæ voluntatis obſiſtunt. Actiones verò virtutum ſunt tres illi panes veritatis, *Luca 11. 6.* charitatis, & fortitudinis, vt Bernardus exponit, quos ante amicum noſtrum Chriſtum apponimus, vt illum ad nos diuertentem reficiamus. Ad hoc **C** conuiuium ipſe libentiſſimè vocatus venit, & noſtris epulis paſtus nos poſtea ad ſuum conuiuium,& benedictionem admittit. Vtrumque in canticis canticorum expreſſum inuenio. *Cant. 5. 1.* Veni, inquit,ſponſus,(nam de ſe loquitur) in hortum meum, ô ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo.] Hortus ſponſi mens ſponſæ, quæ inſtar horti viret, floret,& olet. Ex hoc horto myrrham & aromata, id eſt, opera mortificationis, & virtutum actus legit. In eo etiam horto non mel purum, ſed fauum cum melle comedit,& non lac ſolùm, ſed lac, & vinum bibit, quia cibus, & potus à nobis oblatus, qui illi ſapiat, debet mortificatione, & virtutum ſuauitate conſtare. Cognoſcamus, inquit Ambroſius, quos **D** fructus,& cibos epuletur Deus,quibúſve delectetur. *Ambr. in Cant. ad cap. 5.* Delectatur eo, ſi quis mortificet peccatũ ſuum, oblitteret culpam ſuam,ſepeliat atque oboleſaciat iniquitates ſuas.] Myrrham autem ſuam,& aromata ſua;& fauum cum melle ſuum,& vinum,& lac ſuum vocat, quia ad mortificationis, & virtutum opera gratia ſponſi excitat, gratia adiuuat, & imbecillitas noſtra ſola ad illa præſtanda non ſufficit. Iam his epulis ſponſus iucundiſſimè ſatiatus, in ſignum grati animi nos ſtatim ad epulas cœleſtes inuitat. Comedite amici, ait, & bibite: & inebriamini chariſſimi. *Ibid.* Quoſdam ad cibum & potum, alios verò ad ſobriam,& caſtam ebrietatem vocat. Illi ſunt iuſti, qui ſe vtcumque abnegant, qui mediocriter virtutis ſtudia ſectantur, quos ſpiritualis cibus, & po- **E** tus, id eſt,aliqua diuina conſolatio ſuſtentat.Iſti ſunt viri perfecti, qui ſe feruenter abnegant,& diligentiſſimè in virtutes incumbũt, quos cœleſtis quædam ebrietas, id eſt, nimia quædam, & noſtrum captum ſuperans abundantia diuinæ conſolationis abſorbet.Vel ſi hæc ad omnes referamus, tria,quæ à nobis accepit, triplici beneficio repenſat.Meſſuit myrrham cum aromatibus, comedit fauum cum melle, bibit vinum cum lacte. In præmium horum trium, & vt ſibi quàm gratiſſima profiteatur, tria nobis

cibum,

Bernard. de diligẽdo Deo longè ante fin. cibum, potum, ebrietatémq; promittit. Quid autem hæc ſint, accipe ex Bernardo. Laborantes in corpore vocat ad cibum: iam poſito corpore quieſcentes ad potum inuitat; reſumentes corpora, etiam vt inebrientur, impellit.] Fœlix planè noſtra mortificatio, quam Dominus ſic acceptam habet, vt & in hac vita, & in futura tam magnis præmiis afficiat.

In hac vita cibus laborantibus, & ſuas voluntates abnegantibus datur, quem illa benedictione Patriarchæ Iſaac ſignatum exiſtimo. Hic enim cùm oblatos à Iacob cibos comediſſet, & hauſto vino eius oſculum expetiiſſet, ad benedictionem procedens, dixit: Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.] Animaduerte ordinem: primùm cibos à Sara paratos, & à Iacob oblatos manducauit, deinde oſculum poſtulauit, poſtremò benedictionem impertiuit. In Iſaac Chriſtum intellige, in Iacob verò maioris fratris benedictionem præripere geſtiente, mentes humiles; qui ſuperbos, & tepidos vacuos relinquunt, mihi conſidera: in Sara aut Eccleſiam aut religioſam congregationem meditare, quæ dilecto filio, id eſt, humili, ac feruido iuſto monita ſalutis infundit. Poſtquam ergo hic à matre edoctus, Chriſto cõuiuium fecit, quod iam diximus, & abnegationis ac virtutum opera miniſtrauit, ad oſculum magnæ dilectionis ſignum admittitur, & in præmium ſuæ abnegationis luce ad cõtemplandum, & gratia ad perfectè viuendum roboratur. Ros enim, inquit Gregorius, deſuper, & ſubtiliter cadit. Et rore de rore cœli accipimus, quoties per infuſionem contemplationis intimæ de ſupernis aliquid tenuiter videmus. Cùm verò bona opera etiam per corpus agimus, de terræ pinguedine ditamur.] Hoc ergo præmium abnegationis, ſine vlla dilatione in hac vita iuſto datur, quo magis, ac magis ſuam virtutem augeat, & extrà in actione, & intus in conſideratione proficiat. In futura autem vita, his, qui ſe abnegarunt, non iam cibus, cuius comminutio aliquem laborem habet, ſed potus ſine vllo labore, id eſt, guſtus diuinæ viſionis offertur. Quem illis promiſit Dominus per Iſaiam, dùm cuique illorum dicit: Si auerteris à ſabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaberis ſabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum, & glorificaberis eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonem. Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui.] Digna profectò retributio, vt qui triſtitiam ex abnegatione ſuæ voluntatis, & linguæ, & ſenſuum expertus eſt, voluntatem ſanctiſſimam ex Domini aſpectu ſentiat: qui ſe mortificatione depreſſit, ſuper omnia terrena, & viſibilia efferatur: qui Dominum hìc ad ſuas epulas inuitauit, dum illi ſui mortificationem, & virtutum actiones obtulit, ad poſſidendam hæreditatem Iacob, & gloriam ſanguine Chriſti emptam, inuitetur. Sed cùm reſumptis corporibus, in gaudium Domini intrabimus, tunc potus in ebrietatem tranſibit, quia gloria in corpora ſe diffundet, & non iam aliquid hominis, ſed totum hominem illa diuina ſuauitas occupabit. Tunc ſenſus cohibiti, dulciſſimis, ac puriſſimis motibus exultabunt: tunc affectus repreſſi ſine vlla imperfectione in immenſum gaudebunt: tunc corpus, quod in hoc ſæculo inceſſit fame pallidum, flagris liuidum, cilicio oppreſſum, claritate, impaſſibilitate, & gloria donabitur. Acceptiſſimam ergo, atque gratiſſimam habet Dominus abnegationem noſtram, quam vt morborum noſtrorum medicinam quærit, ad quam ſumendam tot modis nos allicit, quàm vt epulum ſibi ſuauiſſimum concupiſcit, & tam copioſa in animo, & corpore mercede rependit. Atque adeò ſi deſiderium huic creatori noſtro placendi nos tangit, ſi amor proprij boni, & tam immenſi boni nos poſſidet, ſtudium ſanctæ mortificationis arripiamus, & præciſſione malorum, mentem ad bona paremus.

Marginal notes (left): *Gen. 27. 27.* — *Greg. hõ. 6. in Ezech. ante med. ij.* — *Iſa. 58. 13. 14.*

Iuſtum ad dona cœleſtia mortificatione parari.

CAPVT VI.

NE quaſi in tranſitu inueſtigemus bona cœleſtia, quibus ſuſcipiendis mortificatione paramur, ſed ex profeſſo illa, vt nos accendant, conſideremus. Ad quam inueſtigationem operæpretium eſt meminiſſe, virtutem ac perfectionem donum Dei eſſe, quo dilectos, & electos ſuos in hac vita auget, vt in futura per omnem æternitatem duratura multiplicet. Habet autem ſe Dominus in huius doni largitione ſicut prudentiſſimus & æquiſſimus rex, qui cuperet, & efficaciter decerneret filium alicuius fideliſſimi ſerui ſublimare. Nam priùs curat, vt adoleſcens ille mores vilium hominum dediſcat, & ſe conſuetudinibus prauis ſpoliet, & omne quod ſummæ dignitati impedimento eſſe poſſit, abiiciat, ne dignitas malis moribus ſuperpoſita, illi ſeruiat ad ruinam. Ita omnino Dominus volens hominem ad perfectionem euehere, & donis cœleſtibus cumulare, priùs confert illi auxilia gratiæ, ad mortificationis opera, quibus vetuſtatem primi parentis exuat, & carnales affectus derelinquat, vt dona illa amiciſſimis reſeruata capiat non animus immortificatus, qui donis illis ſuperbiat, ſed impuris affectibus exutus, qui proficiat. Neceſſe eſt ergo, ô homo, ſi vis perfectione veſtiri, & ad intimam Dei familiaritatem admitti, vt mortificationis baculo ſæculum à te repellas, & eius leges minimè tuis affectibus dominari permittas. Sic Banaias filius Ioiadæ magnam dignitatem eſt aſſequutus, de quo legimus: Quia deſcendit ad Ægyptium in virga, & extorſit haſtam de manu Ægyptij, & interfecit eum haſta ſua.] Cuius egregij facinoris præmium fuit, quòd fecit eum ſibi Dauid auricularium à ſecreto. O quanta latent in geſtis, quæ Scriptura narrat, occulta myſteria, quibus auctor Scripturæ Spiritus ſanctus voluit ſub cortice litteræ incluſis, noſtram ruditatem edocere! Ægyptius hic haſta pugnans, typus eſt ſæculi, quod affectibus humanis, & carne noſtra aduersùs nos vtens, nititur victoriam reportare. Banaias verò, qui interpretatur filius Domini, imago eſt viri ſpiritualis & iuſti, qui ſi velit ſecreta Domini ſui, ac patris agnoſcere, & cum eo deuotionis ſpiritu conuerſari, debet in virga, id eſt, in mortificationis ſpiritu ad pugnam cum Ægyptio procedere, ab eiúſque manu ſuos affectus eripere, quibus moderatis & in ſuum dominium vindicatis, ſe vulnerantem offendat, percutientémque percutiat. Hunc deuotionis ſpiritum concipit ſterilis anima, iam facta fœcunda, ſi ſuos ſenſus, & affectus mortificatione cohibeat, cuius etiam alia myſtica ſanctarum litterarum interpretatio non deeſt. Apparuit enim Angelus Domini vxori Manue ſterili, dixitque illi: Sterilis es, & abſque liberis, ſed

Marginal notes (right): *2. Reg 23. 21.* — *Iudic. 13. 3.*

A concipies, & paries filium.] Quid autem ô ſancte Angele, faciet hæc mulier, vt vterum geſtet, opprobrium ſterilitatis depellat, & filium aliquando brachiis aſtringat? Caue, inquit, ne bibas vinum ac ſiceram, nec immundum quicquam comedas.] Iam ſanè præceptum ad ſuſcipienda dona Dei mortificationis aduerto. Nam ſi Manue requiem ſignificat, quænam erit vxor Manue, niſi anima, quæ ſtatui vitæ ſpiritualis, in quo eſt vera requies, iuncta, adhuc vno dolore ſterilitatis angitur, nec ab illo ſtatu ſatis per ſe fœcundo fœcundatur? Vt ergo concipiat, neceſſe eſt vt vinum, & ſiceram, & quicquid immundum eſt, penitus relinquat, id eſt, vt delectabilia fugiat, & carni ſuauia in cogitatione, in deſiderio, & in actione reiiciat. Sic generabit ſpiritum deuotionis Samſone ſignatum, qui vt ſolis, id eſt, Domini fortitudo dæmones vincet, & interiorem pacem reſtituet.

Iudic. 13. 4.

B Sed videndum eſt, quo ordine vniuerſa dona Dei ſpiritu deuotionis contenta ab vna mortificatione, tanquam ab eorum ianua, dependeant. Donum Dei eſt, Deo viuere, & gratiæ vitam poſſidere: ſed hoc donum abnegatione conſequimur, quia neceſſe eſt peccato, & nobis ipſis mori, vt Deo, ac iuſtitiæ viuamus. Vnde ſanctus Dauid: In conſpectu eius (ſcilicet Domini) cadent omnes, qui deſcendunt in terram, & anima mea illi viuet: & ſemen meum ſeruiet ipſi.] Ab illo, & ab eius gratia excidunt, qui in his, quæ aduerſantur legi, terrenis adhærent. At anima mea, quæ, vt ait Auguſtinus, in contemptu ſæculi huius quaſi mori videtur hominibus, hac carnali morte, quæ mortificatione completur, viuet Domino, & ſemen meum, id eſt, opera mea illi deſeruient. Meritò itaque ipſe ſanctus Propheta à mundo homines ſeparat, vt vitam Deo gratam ducere valeant. Quærite, inquit, Deum, & viuet anima veſtra.] Qui autem Deum quærunt, niſi qui terrenarum cupiditatum obliti, ſola diuina, vel quæ ad ea conducibilia ſunt, comparare contendunt? De quibus alio loco dictum eſt: Hæc eſt generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.] Illi ſcilicet, qui habent innocentes manus, quas peccatis non polluunt, & munda corda, quæ minimè rerum terrenarum immoderato amore contaminant. Donum etiam Dei eſt in vita ſpirituali ſemel habita permanere, & gratiam iuſtitiámque ſeruare? Sed iuſtitiam etiam mortificationis præſidio cuſtodimus. Nam Dominus per hunc eundem Prophetam ait: Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.] Diſciplina aliquid amarum ſignificare videtur: quare Beda exponit: Deſiderate capere etiam fugientem diſciplinam, id eſt, flagella patris veſtri, quibus diſciplinati & probati efficiemini.] Quid autem melius nomen flagelli obtinebit, quàm vera, & generalis omniũ noſtrorum deſideriorum, & affectuum abnegatio, quæ non carnem ſolùm, ſed propriam voluntatem teneriorem, & (ſi de voluntate id dici poteſt) ſenſibiliorem percutit? Flagellum ergo iſtud vtraque manu, cùm oportuerit, apprehendendum eſt, & eo noſtris diſtortis voluntatibus obſiſtendum, ne ab arce iuſtitiæ, & ſanctitatis excidamus. Natura enim noſtra ad malum procliuis, in id, quod ſibi vt delectabile proponitur, ſtatim declinat, ſi non ſemper manifeſtè, at diſſimulanter, atque paulatim, niſi mortificationis diſciplina illam coërceat, & timoris, ac amoris nexibus illigatam in bono, æquóque detineat.

Pſal. 21. 30.

Aug. ibi.

C

Pſal. 68 33.

Pſal. 23. 6.

D

Pſal. 2. 12.

Beda ibi.

E

Iuſtitiam autem perſeuerantem, & in dies magis, ac magis creſcentem multa alia dona cœleſtia, comitantur, ad quæ omnia mortificatione diſponimur. Nam ſicut pictor tabellam ſibi oblatam priùs dolat, & parat, quàm in ea viuis coloribus alicuius imaginem formet: ita cor noſtrum per amorem iuſtitiæ oblatum Domino priùs mortificatione dolandum, & parandum eſt, quàm dona cœleſtia, quaſi viuos & pulchros colores, excipiat. Deſideria etiam initia quædam ſunt rerum cupitarum; quare qui deſideriis huius mundi ſubiicitur, mundo profectò aditum aperit, & rebus cœleſtibus occludit. Vtriſque enim, id eſt, mundanis, & cœleſtibus ſimul ſeruire impoſſibile eſt, cùm hæc contraria quærant, & illa iſtorum ingreſſum impediant. Sapienter quidem dixit Laurentius Iuſtinianus: Incongruum eſt carnis, & ſpiritus ſimul miſcere affectus: cùm adinuicem contrarij ſint. Carnis quippe affectus deprimit ad ima: ſpiritus verò ſurſum rapit. Viſibilibus nutritur caro, inuiſibilibus verò ſpiritus; corruptioni ſemper appropinquat caro, & in ea delectatur: incorruptibilis verò cùm ſit ſpiritus, incorruptibilium delectatur amore. Hæc præſentia inceſſanter appetit: ille niſi æternorum repleri non poteſt. Nemo carnalium affectuum præpeditus onere, cœlum petere præſumat; cùm Apoſtolus dicat: carnem, & ſanguinem regnum Dei poſſidere non poſſe.] Si adeò contrarij ſunt affectus carnis affectibus ſpiritus, niſi illi abnegatione minuantur, nunquam hi adoleſcent: & ſi illi, dum in re graui diuinis legibus opponuntur, à cœleſti patria ſemper exulare faciunt; dum verò in rebus minoribus deficiunt, ab ingreſſu in illam patriam retardant, non dubium quin etiam dona, quibus ad ſponſi thalamum paramur, eripiant. Nemo enim ſemen ſuum terræ non purgatæ, & tribulis, ac ſentibus plenæ committit. Nec Dominus ergo dona ſua, quæ ſemina ſunt æternorum bonorum, animo immortificato, & vanis affectibus pleno conferre dignabitur. Elias aſcenſurus in cœlum, vel in illam regionem omnis mali & afflictionis expertem, vbi nouiſſimorum temporum aduentum expectat, diſcipulum ſuum Eliſeum in Galgalis manere præcepit. Ille à tali manſione, & ſui præceptoris derelictione vehementer abhorruit. Viuit Dominus, inquit, & viuit anima tua, quia non derelinquam te.] Pergentes autem illi inde vſque Bethel, ibi diſcipulum manere iuſſit, & eiſdem verbis manere detrectauit. Tranſeuntes denique vſque Iericho, Elias tertiò Eliſeum de manſione commonuit, & ille non minori conſtantia, quàm priùs diſcedere à magiſtro auerſatus eſt. Fidelitas hæc erga magiſtrum, magnum donum, ſcilicet, duplicem Eliæ ſpiritum impetrauit. Nam tranſuadato etiam Iordane, cùm Eliſeus ita oraſſet Eliam: Obſecro, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus; reſponſum accepit: Si videris me quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti. Vidit, & Elia aſcendente clamauit: Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius, & duplicatum ſpiritum, quem petierat, accepit. Mira ſanè res, & non perfunctoriè meditanda. Diſcipulus magiſtro non ſemel, non bis tantùm, ſed ter repugnat, & externis oculis inobediens apparet, dum ſibi iuſſa executioni mandare detrectat, & non pœnam, ſed præmium accipit, non vacuationem ſpiritus, quam ſolet inobedientia deferre, ſed duplicatum ſpiritum obtinet, quis putet hæc omnia carere myſterio? Elias itaque non iubens, ſed tentans & probans, Eliſeo manendi libertatem conceſſit, quod ille probè intelligens inobedientiæ vitium effugit, & amoris & fidei meritum impetrauit, nobiſque ſtudium mor-

Iuſtin. li. de diſcipl. & perfect. monaſt. ca. 4.

1. Cor. 15. 50.

4. Reg. 2.

tificationis viro iuſto neceſſarium expreſſit. Qui enim in Galgalis, quæ reuolutionem ſonant, id eſt, in rebus huius ſæculi, quæ perpetua mutabilitate rotantur, affectu non manet, neque in Bethel, quæ domus Dei interpretatur, id eſt, in curioſitatibus, & imperfectionibus mentis ſtare ſuſtinet: neque in Iericho, quæ lunam ſiguificat, id eſt, in inconſtantia variorum deſideriorum, & appetituum perſeuerare vult, ſed omnia, quæ inſtar aquæ defluunt, & dilabuntur, abnegatione tranſcendit; is duplicem ſpiritum, donum pretioſum & magnum recipit. Qui autem ſcire auet, quiſnam ſit, & qualis iſte ſpiritus duplicatus, audiat Bernardum dicentem: *Bern. ſer. 3. de Aſcenſ.* Quis eſt iſte ſpiritus duplex, qui quæritur, niſi illuminatio intellectus, & affectus purgatio? Res difficilis, quia rarus in terris eſt, qui illum habere mereatur. Et poſt pauca: Non dubito ergo intellectum omnium veſtrum illuminatum eſſe, ſed non affectum æquè eſſe purgatum, manifeſtis approbo coniecturis. Omnes quod bonum eſt noſtis, & viam, per quam incedere debeatis, ſed voluntas non vna eſt.] Hæc ergo dona iuſtitiam creſcentem comitantia ex mortificatione procedunt. Nam illa, dum vitia tollit, intellectus tenebras pellit; & dum paſſiones cohibet, manifeſtè manantes ex illis purgat affectus.

Ferè nullum eſt donum ad perfectionem pertinens, quod ad hæc duo quodam modo reuocari non poſſit: quare hic tantiſper hæreamus, exponamuſque quomodo ad illa mortificatio diſponat. Hæc igitur illuminat intellectum, & mirabiliter erudit, quia impura, & ſuperflua deſideria intellectum obſcurantia depellit. Diſſipata nebula, diſcuſſiſque atris ac denſis nubibus, ſol clarior effulget. Sic abiectis per mortificationem vanis deſideriis, & imperfectionibus vniuerſis intellectus ad lumen veritatis procedit. Ligna priùs ſiccanda ſunt, quàm igne ſplendenti flammeſcant. Sic mens à prauis affectibus, & ab humore carnis ſiccanda eſt, vt lucem ſe docentem concipiat. *Leuit. 1.* Et in Leuitico præceptum eſt, vt animal priùs ad gladium, quàm ad ignem veniat, priùs in fruſta concidatur, & pellis illi detrahatur, quàm flamma abſumente in acceptabile holocauſtum aſcendat. Quid aliud in hac lege datur intelligi, niſi quòd anima priùs mortificatione mactanda eſt: priùs rerum terrenarum amore, quaſi pelle, nudanda eſt: priùs gladio abnegationis ab imperfectionibus, & curioſitatibus ſenſuum abſcindenda eſt, quàm igne contemplationis ardeat, & luce illa ſapientiæ, quæ ita docet, vt moueat, in altari cordis effulgeat? Antiqua lex circumciſis carne data eſt, vt ex ſcriptura conſtat, *Amb. in epiſt. ad Galat. ad cap. 5.* & etiam annotauit Ambroſius; legis verò gratiæ intelligentia perfecta illis datur, qui circumciſionem cordis admittunt. Nam cordis ſuperfluitates id faciunt, vt legem Dei notitia quadam ieiuna intelligamus, quæ ſæpe nec nos intelligentes ob noſtram duritiam ad bonum mouet, nec, dum docemus alios, ipſorum torporem & ignauiam excutit. *4 Reg. 2. 13.* Elias nonniſi dimiſſo pallio in cœlum per turbinem rapitur: & nemo niſi abiectis, & mortificatis terrenis affectibus, in rerum cœleſtium contemplationem ſubuehitur. Multos quippe videmus ad ſtudium, orationis vocatos ſemper humi repere, nunquam ad aliquid vel mediocre in hoc genere orationis admittit, & ferè quotidie cæcitate, & diſtractionibus impugnari. Manifeſta eſt huius rei cauſſa, quòd nunquam pallium ſuorum deſideriorum relinquunt, & ideo currus igneus

A contemplationis eos non rapit, nec in cœlum, id eſt, in internam quietem ſpiritus, vbi Deus videtur, extollit. Poſtulat Moyſes à Domino: *Exod. 33. 13. & 20.* Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam.] Et accipit reſponſum: Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet.] Quare hoc? Niſi quoniam priùs mundo, & rebus terrenis, & nobiſmetipſis moriendum per abnegationem eſt, quàm lucem ad contemplandum Dominum mereamur. Atque adeò Dauid iam ſe mortuum abnegatione putabat, cùm poſtulare Domini aſpectum audebat: Illumina, inquit, faciem tuam ſuper ſeruum tuum.] *Pſal. 118.* Quid hoc eſſe putamus, ait Ricardus Victorinus, *Ricar. an not. ad eund. Pſal.* quod nonniſi faciem oſtendi ſibi poſtulat, nec iam poſteB riora, ſed facie ad faciem videre deſiderat? Nunquid mente excidit, quòd Moyſi Dominus longè antè prædixit; Non videbit me homo, & viuet? Patet ergo quia ſi huic mundo adhuc viueret, nunquam talia orare præſumpſiſſet. Mentior: ſi non & ipſe alibi hoc idem teſtatur, dicens: Propter te mortificamur tota die.] *Pſal. 43.* Quare ergo mortuus non creditur qui tota die mortificatur? An fortè quia non dixit, morimur: ſed mortificamur? Scimus tamen quia in Dei oculis maioris meriti eſt, ſæpe mortificari, quàm mori. Nonne mors martyrum tantò erat pretioſior, quantò mortem præcedens pœna productior? Quibus volentibus mori, non dabatur occidi. Nonne prædeſtinatis ad vitam hoc ipſum ad gloriæ cumulum proficit, quod ſine C acri pugna, ſine acerba pœna, carnalis in eis vita non deficit? Mortificatur ergo Dauid, vt tandem moriatur, & ſic aliquo modo dignus inueniatur videre faciem Dei in iubilo. Scit namque quia beatus populus, qui ſcit iubilationem.] *Pſal. 88. 16.* Satagite ergo & vos, ſecundùm Apoſtoli conſilium, mortificare membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, vt poſſitis cum Propheta fiducialiter Deo dicere: Quoniam propter te mortificamur tota die.] Hæc ille. Quibus claret mortificationem ad dona intellectum illuminantia præparare, & nos de rebus cœleſtibus erudire.

Nec ſolùm hoc, ſed etiam eadem mortificatio infert dona, quæ purgant, & inflammant affectum. Hæc enim vana deſideria, quæ nos turbant, D à cordibus noſtris excludit. *Gen 21.* Reiecit ſemel Abraham ancillam Agar, & filium eius, & reddita eſt pax; nam antea diſſidia erant in domo. Ita reiecta immortificatione cordis, quæ non vnum tantùm, ſed multos filios, id eſt, multos appetitus generat ad malum pertrahentes, redit interior pax, & tranquilla ſerenitas. Turbationis autem vacuitatem, & pacem ſequitur cœleſtis conſolatio, quæ etiam ſeipſos abnegantibus datur. Sicut enim cibus ille cœleſtis, quo populus Iſraeliticus in deſerto paſtus eſt, nunquam è cœlo, vel è ſuprema aëris regione deſcendit, quouſque panis Ægypti defecit; *Exodi 16.* ita communiter cœleſtibus conſolationibus non reficimur, quouſque per mortificationem terrenas curas abiiciamus. Quod & Ambroſius ſignifi- *Amb. lib. de fuga ſæculi c. 8.* E catum putat in conceptione Iſaac, quem tunc Sara concepit, cùm deſierant illi fieri muliebria. Cùm enim Iſaac riſum, ac lætitiam ſignificet, *Gen. 27.* quid eſt Saram in frigida ſenectute concipere, niſi fidelem animam depulſo carnalium deſideriorum feruore ad ſpiritalem lætitiam peruenire? In quam ſententiam Bernardus: *Bern. declamat. de bonis deſeren. ad finem.* Pretioſa ſiquidem diuina conſolatio eſt, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. Infœlix tu Eſau, qui dixiſti: *Gen. 27.* Num vnam tantùm benedictionem habet pater?]

Pſal. 26. 4. Quanto melius erat dicere cum propheta : Vnam petij à Domino, hanc requiram. Indignus enim benedictione cæleſti conuincitur, qui dubio quærie affectu, duplici petit intentione, aliud ſibi refugium parans, ſi fortè eam non obtinere contingat.]

Cùm ergo Domini ſit dona cæleſtia conferre, noſtrûm verò non ſine eius gratia nos ad ea ſuſcipienda, mortificatione parare, nunquam eam è manibus, ac operibus elabi ſinamus, vt ad hæc pretioſa dona, & ad ipſam perfectionem venire poſſimus. Nam hæc, mons eſt excelſus, culmine ſuo ipſum cælum pertingens, ad quem voluptatibus ſenſuum, & rerum terrenarum deſideriis oneratis non datur appropinquare. Daturus Dominus legem in monte Sina, homines, & iumenta ad montem accedere prohibuit. *Exod. 19. 12. 13.* Omnis, inquit, qui tetigerit montem, morte morietur: ſiue iumentum fuerit, ſiue homo, non viuet.] Non ſola animalia muta, ſed homines quoque à monte arcet, & ſolum Moſem accedere, & legem audire permittit: quia non ſoli peccatores per beſtias ſignati, ſed etiam iuſti immortificati, qui hominum affectus non exuunt, cùm volunt ad ſublimitatem cõtẽplationis, & ad verticem perfectionis acendere, quaſi lapidibus obruũtur. *Greg. 6. mor. c. 17.* Vnde Gregorius ait: Cùm lex accipitur, populus à monte prohibetur, vt videlicet, qui infirmis adhuc mentibus terrena deſiderant, conſiderare ſublimia non præſumant. Et rectè ſubditur: Si beſtia tetigerit montem, lapidabitur. Beſtia enim montem tangit, cùm mens irrationabilibus deſideriis ſubdita, ad contemplationis alta ſe erigit: ſed lapidibus percutitur, quia ſumma non ſuſtinens, ipſis ſuperni ponderis ictibus necatur.] Longè quidem à perfectione erunt, qui eam ſaltem contemplari non poſſunt. Quòd ſi immortificatis animis ſublimitatis contemplatio negatur, clarum eſt, quia nec poſſeſſio conceditur. Ac proinde nos, qui ad montem, ſcilicet ad perfectionem, aſcendere nitimur, tota animi fortitudine affectus humanos exuamus. *Cant. 10. 2.* Iam Sponſus animam vocat, & dicit: Surge, propera amica mea, & veni :] tunc autem vocat, cùm vox turturis auiculæ ſolitariæ in auribus eius inſonuit. Vnde ſubdit : Vox turturis audita eſt in terra noſtra. Sonet itaque apud illum vox turturis, clamor animæ ſolitudinem rerum terrenarum amantis, & pro cæleſti patria, & pro eius imagine, ſcilicet pro perfectione gementis. *Bern. ſer. 59 in Cant.* Donec homines, inquit Bernardus pro Dei cultu mercedem tantùm in terra, & tantùm terram acceperunt (illam vtique lacte, & melle manantem) minimè ſe cognouerunt peregrinos ſuper terram, nec more turturis ingemuerunt, veluti patriæ reminiſcentes: magis autem pro patria exilio abutentes, dederunt ſe comedere pinguia, & bibere mulſum. Ita tandiu non eſt vox turturis audita in terra noſtra. Vbi ergo regni cælorum promiſſio facta eſt, tunc intellexerunt homines ſe non habere hîc ciuitatem manentem, ſed futuram inquirere tota auiditate cœperunt, & tunc primùm manifeſtè, ſonuit in terra vox turturis]. Hæc ille. Nobis ſanè nõ terra, ſed cælum promiſſum eſt, non pro terrenis bonis, ſed pro donis cæleſtibus laboramus; quare ad inſtar turturum ſpiritalem ſolitudinem, & à viſibilibus elongationem amemus. Hæc elongatio, quæ mortificatione perficitur, diuinum adiutorium ad conſequenda hæc bona, quæ cupimus, impertiabit. Nam & Ioannes cadens ad pedes Domini velut mortuus, manus eius ſe ſubleuãtes perſenſit. *Apocal. 1. 17.* Et cùm vidiſſem eum, inquit, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus, & poſuit dexteram ſuam ſuper me.] O eximia mortificationis nobilitas, quam viſio Chriſti, & cognitio Domini generat. Ioannes enim, qui non mortuus, ſed tanquam mortuus cecidit, perſonam ſe mortificantium expreſſit. Et ô magna mortificationis vtilitas, quæ, vt etiam Ricardus annotauit, diuinum auxilium ad ſurgendum, id eſt, ad lucem ſapientiæ, & feruorem amoris aſſequendum, promeruit. *Ricar. li. 1. in Apo. c. 4.* Non dubium quin ipſa animam purget, & mundet, & ad bona cæleſtia recipienda diſponat.

Mortificatione peccata minui, & pœnas præteritorum delictorum exolui.

CAP. VII.

SVFFICERET Profectò, ſi tantùm cum viris feruidis & perfectis loqueremur, mortificationis fructum generaliter oſtendiſſe, & vim huius medicaminis ad ſanandas animas expoſitis diſcurſibus demonſtraſſe: ſed quia tepidos etiam, & necdum in virtute fundatos hortamur, operæpretium eſt, ad magis particularia deſcendere, & quæ bona, mortificatio ex Dei gratia procedens adferat, explicare. Horum autem primum ſit, quod ordine etiam vitæ ſpiritualis addiſcendæ: primum eſt, ſcilicet quòd mortificatio morbos animæ, nimirum peccata, fugat, & quia hi morbi voluntarij fuerunt, atque ob id pœnam merentur, debitas pœnas peccatorum auertit. Hominem mortificatione peccata fugere, & ea quotidie magis numero minuere, & grauitate extenuare ex ipſa mortificationis natura compertiſſimum eſt. Nam illa (vt iam didicimus) nihil aliud eſt, quàm prauorum actuum, & malorum deſideriorum cohibitio, & licitorum quoque repreſſio, ſi valeant aliquando ex eo, quod nobis conceſſum eſt, in aliquid prohibitum declinare. Quis autem non videat hanc tam ſolicitam pugnam aduerſùs prauos actus, & impura deſideria ex diametro cum omni peccato pugnare? Da hominem grauiſſimis peccatis luxuriæ, iræ, ſuperbiæ, & ſimilibus aliis ſordentem, qui per veram pœnitentiam, & peccatorum deteſtationem ad Deum conuertatur, iſte ſi non ſe ampliùs mortificet, & ſi ſui cordis deſideriis conniueat, ſtatim in eadem peccata, immò & in peiora labitur, ad quæ acquiſita vitia, & praui affectus, & dæmones omnia iniqua ſuadentes, inclinant. Da illum poſt conuerſionem adiuuante diuina gratia, ſe cohibere, occaſiones fugere, clamores ſuorum affectuum compeſcere, & cum malè aſſueta natura pugnare, hic iam peccata ſaltem grauia deuitat, & gratiam, theſaurum ditiſſimum, in abditis ſuæ mentis conſeruat. Da illum tandem ſubtiliori, & altiori genere mortificationis vti, & delectationes leuium peccatorum timere, multa licita, & conceſſa deſerere, & ſe oratione, lectione, & ſanctis operibus, licèt minùs palato carnis ſuauibus, occupare: & videbis eum iam non ſolùm omnia peccata lethalia, ſed multa etiam venialia fugiſſe, & vitam ſpiritualem, & viro iuſto dignam, ac planè ſanctam fuiſſe complexum. Ergo mortificatio antidotum eſt, quod morbos peccatorum pellit, & animæ ſanitatem efficit. Nam poſtquam quis à peccato diſceſſerit, & ſtatum virtutis aſſumpſerit, non ſufficiet mundanus timor, vel honoris amor, vel alij humani reſpectus, vt ſe à peccato contineat, niſi gratia Dei per ſtudium mortificationis eius voluntatem dirigat, & à peccandi amore diuellat. Quod ſignificatum eſt per myſterium in illo, quod dixit Dominus ad Eliam, cùm præcepit, vt vngeret Hazael in regem Syriæ, & Iehu in regem Iſrael. *3. Reg. 19. 17.* Et erit, inquit, qui-

cumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu, & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliſeus.] Hazael enim & Iehu temporales reges, reſpectus humanos mihi ſignificant, quos multi hoſtes, id eſt, plurima peccata fugiunt; quia ſi ob timorem mundanum non pecces, vbi non fuerit timor pœnæ, delinques, & ſi ob amorem honoris te abſtines, in abſcondito, & præſertim in corde peccare non metues. At Eliſeus propheta Domini, & ſpiritualem poteſtatem accipiens, mortificationis ſtudium ex diuino amore manans ſignat, à cuius gladio nullus hoſtis, id eſt, nullum peccatum, quod timorem pœnæ aut infamiæ fugit, ſe defendet. Sed hoc ſtudium potens eſt omnia peccata perimere, quia veretur Deo diſplicere, quem nouit cogitationum quoque occultiſſimarum inſpectorem.

Cùm peccata in animo regnant, & homo ambulat poſt concupiſcentias ſuas, tunc ineſt illi falſa quædam pax, quam ſolum iuſtum mortificationis bellum ſcindit, vt veram & deſiderabilem pacem reſtituat. Quemadmodum enim reſpublica à ſuo legitimo rege deficiens, infœlici quadam pace fruitur, quandiu à rege ad debitam obedientiam non adigitur: ita animus à Deo per peccatum deciſcens, nonnullam habet pacis imaginem, dum armis, & vi ad ſui creatoris obedientiam minimè reuocatur. Falſa profectò, & infœlix pax, quam habet miſerum mancipium cum diabolo, tyranno duriſſimo: quia ei reſiſtere, & ab eo ſe liberare non valet. Infœlix pax, quam tot conſcientiæ morſus, tot gehennæ timores inquietant, donec homo eam deſerat, & ad domum patris offenſi homo per iter mortificationis redeat. Falſa pax, de qua ſcriptũ eſt: Pax, pax, & non erat pax. Infœlix pax, quam illa mala opprimunt, de quibus Dominus non ſine fletu ad
Luc.19. 42. Hieroſolymam: Si cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.] Eſt enim atque ſi dixiſſet: Si cognouiſſes & tu in miſera pace poſita, Sicut & ego cognoſco, quæ abſcondita ſunt ab oculis tuis, quomodo ſcilicet circumdabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te vndique, nullo modo hac externa pace lætateris. Hanc pacem cum peccatis bellum mortificationis turbat, quod Dominus ad ea proſternenda mouet, vt creaturam ſuam à diabolo ſibi ablatam recuperet. Ipſe quidem mouet hoc bellum, quia mortificatio donum gratiæ eſt nos roborantis ad pugnandum, non opus infirmæ naturæ. Nos autem vt milites eius pugnamus, cum peccata deteſtamur, & impura deſideria cohibemus. Cum verò iſta mortificationis pugna ex parte noſtra fortis eſt, & perſeuerans, tunc falſam pacem cum diabolo initam reſcindimus: tunc hoſtes, ſcilicet peccata, fugamus, tunc ad veram pacem, & ad ſubiectionem Deo debitam pertranſi-
Pſal.104. 13. mus. De hoc reditu dictum eſt per prophetam: Et pertranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges.] Tranſimus enim de concupiſcentiis carnis ad deſideria ſpiritus, & de regno iniquitatis ad imperium charitatis. In hoc
Pſal. 84 11. trãſito impleuit illud: Iuſtitia, & pax oſculatę ſunt.] Priùs enim, cùm ſeruiebamus peccato, falſa pax oſculabatur iniuſtitiam, cum qua erat amicitia fœderata: at vera pace reſtituta impurum ipſa oſculum iniquitatis exhorruit, & iuſtitiæ ſibi amicæ, ſine qua eſſe non poteſt, oſculum expetiuit. Iam ſubiecti Domino, offerre poſſumus ei ſacrificia gratiſſima, il-
Malach. 3.3. la ſcilicet, de quibus Malachias: Et erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia.] Et Dauid: Sa-
Pſal.4.6. crificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.] Quouſque enim bellum deteſtationis peccati, & pugna mortificationis, qua peccandi deſideriis obſiſtimus, nos Domino ſubdat, ſacrificia, & oblationes noſtræ, quia iuſtitiæ non ſunt, placere non poſſunt. Ieiunet oculus, inquit Bernardus, à curioſis aſpectibus & omni petulantia, vt bene humiliatus coërceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa. Ieiunet auris nequiter pruriens à fabulis &
Bern.ſer. 3. de ieiunio Quadrageſima. rumoribus, & quæcumque otioſa ſunt, & ad ſalutem minimè pertinentia. Ieiunet lingua à detractione, & murmuratione, ab inutilibus, vanis, atque ſcurrilibus verbis: interdum quoque ob grauitatem ſilentij, & ab ipſis, quæ videri poterant neceſſaria. Ieiunet manus ab otioſis ſignis, & ab operibus omnibus, quæcumque non ſunt imperata. Sed & multo magis anima ipſa ieiunet à vitiis, & propria voluntate ſua. Etenim ſine ieiunio hoc cætera à Domino reprobantur. Sicut ſcriptum eſt: Quia in
Iſaia.58. 3. diebus ieiuniorum veſtrorum voluntates veſtræ inueniuntur.] Hoc itaque ſpirituale ieiunium, hæc mortificatio, quæ peccatis nos eripit, opera, & ſacrificia facit acceptabilia. Nam præceptum Leuitici eſt:

Leuit. 2. 11. Nec quicquam fermenti, ac mellis adolebitur in ſacrificio, Domino.] Quod licèt ad litteram euacuatum eſt, tamen quoad ſpiritualem intelligentiam adhuc perſtat. Quoniam, vt aiunt Radulphus, & Be-
Radul. ibid. Beda expoſit. in Leuit. c. 2. da, nec fermentum malitiæ & nequitiæ, nec mel voluptatis offerendum eſt Domino, ſed mens à nequitia libera, & ab omni deſiderio illicitæ voluptatis aliena, quam ſine mortificationis ſtudio nullus inueniet.

Certum eſt itaque, mortificationem peccata grauia tollere, à quibus nullus, niſi ſe abneget, abſtinebit, & peccata leuia magna ex parte minuere; ſed nũc videndum eſt, quomodo peccatorum patratorũ pœnas exoluat. Ad hoc ſanè confirmandum nulla ratione, neq; auctoritate opus eſt, ſed ego omniũ eorũ, qui ſe ex animo ad Deum conuertunt, conſcientias appello. Hi enim ſtatim ſe fructuum pœnitentiæ debitores putant, ſibique incumbere, quæ malè, & cõtra legem præſumpſerunt, mortificatione purgare. Sed & id exigit æquitas diuinę iuſtitię, vt qui poſt ſua deſideria, & ſuas voluntates euntes legis ſibi impoſitæ tramitem exceſſerunt, eadem deſideria, ac voluntates in vltionem admiſſorum frangant, & ſe quandoque à licitis, atque permiſſis abſtineant. Ideóque patres ſentiunt ob mortificationem piè, & ex gratia ſuſceptam debita noſtra remitti. Vnde Bernardus ait:

Bern.ſer. 4. de ieiunio Quadrageſ. Pro eo quòd ab ipſis quoq; licitis abſtinemus, ea nobis, quæ priùs commiſimus, illicita condonantur. Quid verò eſt condonari commiſſa, niſi ieiunio breui ieiunia redimi ſempiterna? Gehennam enim meruimus, vbi nullus vnquam cibus eſt, cõſolatio nulla, terminus nullus: vbi guttam aquæ diues poſtulat, & accipere non meretur. Bonum ergo & ſalutare ieiunium, quo redimuntur æterna ſupplicia, dũ remittũtur hoc modo peccata. Non ſolùm autem abolitio eſt peccatorũ, ſed extirpatio vitiorũ: nõ ſolùm obtinet veniã, ſed & promeretur gratiã: non ſolùm delet peccata præterita, quæ cõmiſimus, ſed & repellit futura, quæ committere poteramus.] Hęc omnia Bernardus. quæ certè non tãtùm de illo ieiunio cõſueto dicta ſunt, quo ab eſcis carnalibus abſtinemus, ſed multo magis de illo abnegationis ieiunio, quo oculi, & aures, & manus, & affectus, & propria voluntas ab actibus illicitis, & imperfectis ieiunant. Et
Aug. lib. de vera, & falſa pœnit. c. 15 To. 4. ad idem Auguſtinus, aut quiuis alius auctor libri de vera & falſa pœnitentia; Abſtineat à multis licitis, qui per libertatem arbitrij commiſit illicita.

A Et infrà: Cohibeat ſe à ludis, & à ſpectaculis ſæculi, qui perfectam vult conſequi gratiam remiſſionis. Nam Dina, ſi ſe cohibuiſſet, ſi inter ſuos remanſiſſet, ab extraneo raptore corrupta non fuiſſet. Tanto igitur magis ſibi caueat, & cohibeat ſe anima, quæ ſæpe, vel ſemel corrupta eſt & rapta: timeat iam docta experimento, quod ignorauit virgo.] Hæc ille. Nos ergo vel amor propriæ commoditatis moueat, & abnegationi noſtrorum ſenſuum & voluntatum inſiſtamus, qua ab intolerabilibus pœnis ob admiſſa peccata debitis liberemur. Si enim diues, qui immane facinus perpetrauit propter quod ſit morte plectendus, libentiſſimè vitam ſuam pecuniis redimit, aut ſi pecuniæ ſolæ non ſufficiunt, exilium patienter ſuſtinet, vel in aliquo regni propugnaculo, quod ſæpe hoſtes inuadunt, per aliquot annos B militiam exercet: quid nobis faciendum eſt, non iam vt vitam temporalem ad breue tempus protelemus, ſed vt pœnas alterius vitæ terribiles fugiamus? Certè diuites virium corporalium ſumus, diuites ſenſuum, diuites affectionum, diuites voluntatum. Nondum ad illam beatitudinem peruenimus, qua dictum eſt: Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum; quia adhuc multarum cogitationum, affectionúmque diuitias, ampláſque ſubſtantias retinemus: quas, auctore Caſſiano, Euangelicus ſermo abiiciendas eſſe propoſuit. His diuitiis noſtram ſalutem mercemur, quod fiet, ſi mortificationis gladio eas abſciderimus, & ipſarum deſertione iudicem noſtrum placauerimus. Implebimúſque illud: Facite vobis amicos de mammona C iniquitatis.] Nam verè iſtæ cogitationes, & affectiones impuræ diuitiæ ſunt iniquitatis, quas iniquitas primorum parentum peperit, noſtra incuria, & negligentia comparauit, & diabolus annuens noſtris vitiis inuexit. His Deum in patrem, & Sanctos in amicos quærimus, cùm mentes noſtras per mortificationem ab ipſarum inquinamento mundamus

Genes. 34.1. — *Matth. 5.* — *Caſſian. col. 10. c. 10.* — *Luca 16. 9.*

Alio etiam pœnarum genere ſolent peccata puniri, quod licèt mitius ſit, eo verò prædictum genus vltionis quadam ratione ſuperat, quia non in futurum reſeruatur, ſed in præſenti tempore ad caſtigationem peccatorum infligitur. Et ſicut præſentia bona, quamuis minora, magis alliciunt, ita præſentia mala, quæ comparatione futurorum parui momenti ſunt, magis ab aliquibus formidantur. D Hoc autem genus eas pœnas comprehendit, quarum hæc vita capax eſt, ſcilicet moleſtias corporis, infamias, & bonorum temporalium amiſſiones, quibus ſæpe Deus peccata caſtigat; & has etiam ſtudium propriæ abnegationis auertit. Veriſſimum enim eſt quod dixit Paulus: Si nos metipſos diiudicaremus, nō vtique iudicaremur.] Nam Dominus, qui ſummè miſericors eſt, & parcendi occaſiones inquirit, vltionem ſua manu non infert, ſi noſtra manu videt inflictam. Vnde Theodoretus: Si vellemus vitæ noſtræ rationes inire, & iuſtam in nos ferremus ſententiam, non ferret in nos Deus, qua nos puniret, ſententiā. Et Anſelmus: Verſetur ante oculos hominis imago futuri iudicij, & quicquid in ſe viderit, quod à iudice venturo reprehendi poſſit, & puniri, ipſe nunc in ſeipſo reprehendat, & E puniat. Peccata enim ſiue parua, ſiue magna impunita eſſe non poſſunt; quia aut homine puniente, aut Deo iudicante plectuntur. Ceſſat autem vindicta diuina, ſi conuerſio præcurrat humana.] Præcedat itaque humana punitio, id eſt, à nobiſmet ipſis inflicta pro peccatis caſtigatio, & vltio in nos diuina ceſſabit. Sic enim ſcriptum eſt per Nahum: Non conſurget duplex tribulatio:] vel vt Septuaginta verterunt: Non vindicabit bis in idipſum in tribulatione.] Si ergo tribulatio pro peccatis a nobis ſponte ſuſcepta ſurrexit, nequaquam tribulatio à Domino immiſſa conſurget. Si puniuit nos Dominus manu noſtra, dum nos ad mortificationem ſenſuum, & affectuum incitauit, non puniet, nec conteret manu ſua, quos iam caſtigatos & contritos ieiuniet. Quod quidem ſi mentis oculi ſola exteriora non videant, ſed ad interiora penetrent, facilè hanc rem in hominibus animaduertent. Vidimus enim non ſemel adhuc in virorum ſpiritualium cœtibus aliquos ſe molliter tractantes magnis moleſtiis corporis cruciatos, & alios acria aduerſùs carnem ſuam bella per opera mortificationis gerentes, mirabili ſanitate, & robore carnis affectos. Cuius cauſa eſſe poteſt, quòd iſti ſe puniunt, & ideo à Domino minimè puniuntur, & illi ſe palpant, ideóque à Domino caſtigantur. Sciebat id Iob, quare ait: Vias meas in conſpectu eius arguam: & ipſe erit ſaluator meus.] Puniam, inquam, præteritas actiones meas, ſi quas punitione dignas inuenero, & (iuxta Hebræam lectionem) hoc mihi euadet in ſalutem. Scio namque quia ſi me ipſum ob errata caſtigauero, Deum non tam experturus ſum iudicem, quàm habiturus ſaluatorem. Sciamus & idem nos, & ſancto, ac ſpirituali ieiunio à licitis etiam nos abſtineamus, ne pœnas à Domino illatas ſuſtentemus. Quòd ſi tentator ſuggeſſerit, vt verbis Auguſtini vtar: Quid facis, quia ieiunas, defraudas animam tuam, non ei das quod eam delectat, tibi ipſi ingeris pœnam, tuus ipſe tortor & cruciator exiſtis. Deo ergo placet quia te crucias? Ergo crudelis eſt, qui delectatur pœnis tuis. Reſponde huiuſmodi tentatori: Excrucio me planè, vt ille parcat, do de me pœnas, vt ille ſubueniat, vt placeam oculis eius, vt delectem ſuauitatem eius. Nam & victima excruciatur, vt in aram imponatur.] Expende igitur ſeriò hanc primam mortificationis vtilitatem, quòd à peccatis auellit, & pœnas alterius vitæ euacuat, & pro pœnis debitis in hac vita ſatisfacit, qua conſideratione animatus, incipe iam vt maiora mala fugias, aliquam moleſtiam ſupportare, & te ipſum mortificatione cohibere.

1. Corin. 11.31. — *Theod. ibid.* — *Anſel. ibid.* — *Nahum 1.9.* — *Iob 13. 15.* — *Auguſ. tract. de vtilitate ieiunij. To. 9.*

Mortificatione vitia extingui.

CAPVT VIII.

NON Tantùm mortificationis ſtudium peccata conſumit, verùm & radices peccatorum, ſcilicet vitia, & prauos habitus euellit, ne iterum pullulent, & crimina fructus mortis emittant. Sicut enim radices arborum nullo humore rigatæ ſiccantur; ita vitia nouis actibus non irrigata flacceſcunt. Hos autem nouos actus abnegationis ſtudium tollit, dum animam à nouis peccatis auertit. Sicut etiam ignis lapidibus obrutus, & cineribus oppreſſus extinguitur, deficiente ſibi fomite, quo ſe ipſum ſuſtentet: ita vitiorum ignis abnegatione circumdatus, & pabulo recentium actionum priuatus, ipſa oppreſſione necatur. Quàm ſæpe in conuerſionibus peccatorum hoc vidimus, & gratiæ efficacitatem mirati ſumus? Quæ cùm eos à priſtinis delictis cohibet, ex ſuperbis humiles, ex guloſis abſtinentes, ex luxurioſis caſtos, ex iracundis mites efficit. Atque adeò ſapienter

Ricard. ad Pſal. 90.

Ricardus Victorinus omnem de vitiis partam victoriam mortificationi corporis, & cordis aſcribit. Cùm enim vitia in duo genera vitiorum, carnalium & ſpiritualium, diuiſiſſet, ſubdit: Carnalia triumphamus per diſciplinam corporis, ſpiritualia verò per diſciplinam cordis. Et infrà: Copioſior eſt corruptio ſpiritualis, quàm corruptio corporalis, congreſſióque ſpiritualium vitiorum multo denſior eſt, quàm congreſſio vitiorum corporalium. Contra hos vtróſque animæ hoſtes oportet ſanè fortiter dimicare: & alij quidem conterendi ſunt corporis afflictione, alij autem affligendi cordis contritione.] Hæc ille. Iſtámque vitiorum extinctionem illo Dauidis carmine, cum eodem patre puto ſignatam, quo Dauid ait: (Pſal. 90.) Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.] Vitia enim carnalia, quæ pauciora ſunt, numero millenario; vitia verò ſpiritualia, quæ plura ſunt, numero decem millenario ſignantur. Sed tam hæc, quàm illa victa cadunt, cùm Domini ſcuto circumdati, abnegatione pugnamus. Si verò vel in minimo eis aſſenſerimus, ipſa nos vincent, & igne concupiſcentiarum adurent. Quid enim fecit Samſon, vt ſegetes Philiſtinorum incenderet? Apprehendit trecentas vulpes, & faces ligauit ad earum caudas, quas igne ſuccendens, & vulpes dimittens, omnia frumenta illorum abſumpſit. Sic diabolus interdum Samſonem imitatur, vt virtutes in nobis perdat: faces enim accenſas in caudis vulpecularum, hoc eſt, in motibus vitiorum ſenſualitatis, voluptates ligat, quæ ſi diſcurrere ſinantur, nos ſine dubio virtutis vacuos derelinquent. Quare his cogitationũ mollium diſcurſibus abnegatione reſiſtendum eſt, ſi ſegetem meritorum noſtrorum volumus ab incendio ſeruare, & frumenta bonorum operum, quibus ſuſtentamur, cuſtodire. Meritò verò dicimus hominem híſce cogitationibus abnegatione reſiſtere, quoniam cùm illæ placeant carni, & ſenſibus blandiantur, eas reſpuere, nihil aliud eſt, quàm vitam ſenſualem perimere, & hominem ſibi ipſi, quod delectat, denegare.

Si quis igitur velit hunc concupiſcentiæ ignem, quem vitia accendunt, conſopire, actiones aduersùs illum abnegationis aggreget, quibus eius potentiæ omnia vaſtanti reſiſtat. Si quis cupiat vitia paulatim minuere, & tandem, afflante Dei ſpiritu, omnino fugare, motus eorum inſurgentes, & nos infeſtantes, aſſidua reſiſtentia, & conatu in oppoſitam partem, mortificet. Si quis exoptet vitæ ſpiritualis, quam profitetur, ſeruare diuitias, in ſenſibus, & affectibus, & voluntatibus ſuis abnegationem cuſtodem pónat, ſine qua non diues bonorum, ſed vacuus & vanus permanebit. Vitium enim, quod in corde immortificato regnat, non tantùm illud vanum efficit, ſed & ipſummet vitium vanitas eſt, quæ nos inanes, id eſt, inutiles & virtutibus vacuos reddit; quam vanitatem abſque mortificatione nullus à proprij cordis habitaculo poterit ablegare. (Pſal. 38. 6.) Verumtamen, inquit ſanctus Dauid, vniuerſa vanitas omnis homo viuens.] Quare vt homo vanitas non ſit, viuens non ſit: vt non vanitati, ſcilicet vitio, ſubiaceat, quo inutilis & infructuoſus efficitur, moriatur abnegatione ſui, quam poſſumus vocare mortem iuſtorum; quæ illum à vanitate ad veritatem virtutum transferat, & hominem vitiis mortuum, ſed Deo & virtuti viuum efficiat. Tunc ſanè Deo & virtuti viuimus, cùm Deo ſubdimur, & ſecundùm virtutis præſcriptum, vitam noſtram inſtituimus. Et cùm iſta ſubiectio pax mentis ſit, qua ſuperiori conſentit, & ſe ab illo regi, ac gubernari ſinit, relinquitur vitam noſtram in pace conſiſtere. Hanc pacem vitia turbant, & tollunt, iuxta illud (Iacobi 4. 1.) Iacobi: Vnde bella, & lites in vobis? Nonne hinc?

A Ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?] Ergo quod pacem affert, manifeſtè vitiis repugnat. At abnegatio eſt quoddam ſeminarium pacis, quoniam qui ſe in illicitis abnegant, Deo ſe ſubiiciunt, proximis debita reddunt, corpora propria non dominari, ſed in ſuo loco ſtare permittunt. Non dubium igitur, quin hi mortificatione vitiis obſiſtant. Ipſum autem obſiſtere vitiis, & repugnare illis, vincere eſt, quia ſicut cùm aſſentimur vitiis, vincimur, ita cùm repugnamus, victores euadimus. Ergo qui repugnant vitiis, vitia vincunt atque proſternunt. Ipſum autem proſternere, vitia extinguere eſt; quoniam vitia hoſtes ſunt proterui & indomiti, in quorum conditionem nunquam induces, quòd viua ſeruiant, & virtuti tanquam victrici vel ad momentum obe-
B diant. Ergo qui vitia proſternunt, vitia & habitus prauos extinguunt. Sed mortificatio vitiis obſiſtit (vt manifeſtum eſt) & vitia vincit; igitur ipſa eſt inſtrumentum gratiæ Dei, quod mores vitioſos extinguit.

Mortificatio quidem eſt, quæ in homine nomen iniqui, & vitioſi perimit, & nuncupationem viri ſtudioſi & ſpiritualis concedit. Quod certè non faceret, niſi vitia, & mores prauos extingueret. Nam ſi ſapientia nomen ſapientis, & pulchritudo nomen pulchri, & miſericordia nomen miſericordis attribuit, liquet, quia & ſapientia inſipientiam deſtruit, & pulchritudo deformitatem tollit, & miſericordia immiſericordiam euertit. Ergo ſi mortificatio ſtudioſum & ſpiritualem facit, manifeſtè vitia virtuti, & vitæ ſpirituali contraria ſubuertit. Ab ipſa verò hominem ſtu-
C dioſum, & ſpiritualis vitæ ſectatorem fieri, non ego dico, ſed Paulus, dum ait: (Galat. 5. 24.) Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.] Quinam ſunt Chriſti ſectatores? An iniqui? An impuri? An carnales homines? (2. Corin. 6. 14.) Et quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Aut quæ conuentio Chriſti ad Belial?] Chriſti igitur ſectatores ſunt virtutis amatores, puritatis cultores, & vitę ſpiritualis profeſſores. Chriſti ſunt, Chriſto deuoti, vt exponit Ambroſius. (Ambr. ibid.) Chriſti ſunt, qui ſunt poſſeſſio Chriſti, qui ſunt ex parte Chriſti, qui ſunt membra Chriſti, & ſequuntur veſtigia paſſionis eius, vt interpretatur Anſelmus. (Anſel. ibid.) Et quid eſt crucifigere vitia & concupiſcentias? An vi-
D tia fouere? An concupiſcentias enutrire? Non, ſed illa deſtruere, iſtas autem mortificare. Eſt itaque viri Chriſtiani, & ſtudioſi aptiſſima verbis Pauli aſſignata deſcriptio: quòd ille ſit, qui concupiſcentias ſuas abnegat, & vitia ſua diligenter mortificat. (Vbi ſupr.) Vnde Anſelmus, Serui Chriſti laborant, vt neque opera vitiorum faciant, neque concupiſcentiis carnalibus vel in corde conſentiant. Et reprimendo carnis voluptates, crucem ſibi ipſis faciunt, ac præceptis iuſtitiæ, quaſi quibuſdam clauis, ſe configunt, vt prauã actionem, & peruerſam voluntatem in ſe ipſis refrænent.] Conſtat ex his mortificationem vitam eſſe, & officium Chriſtiani hominis, quæ ipſum Chriſti ſectatorem, vel ſi mauis Chriſtiferum, id eſt, Chriſti imaginem crucifixi ferentem efficit. Ac proinde ad mortificationem ſpectat abolere veteris Adæ aduerſam
E imaginem, ex vitiis veluti ex multis membris compoſitam, quam eadem mens ſimul cum vera Chriſti imitatione deferre non valet. Quod manifeſtè Paulus ait: (1. Corin. 15. 49.) Sicut portauimus imaginem terreni, portemus, & imaginem cœleſtis.] Et quare id ô Paule? Subiicit: (n. 50.) Hoc autem dico fratres, quia caro, & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt, neque corruptio incorruptelam poſſidebit.] Suadeo, inquit, vobis, vt deponatis terreni hominis, id eſt, peccatorum, ac vitiorum imaginem, quoniam illa circumdati

regnum cœleſte, & immortalitatem non poſſidebitis. Si autem imago terreni hominis à gloria reiicit, etiam à participatione imaginis Chriſti Saluatoris excludit. Quia nemo hac inſignitus imagine, & virtutum Chriſti opibus locupletatus, indignus regno iudicabitur.

Sicut ergò gentes illæ, quæ terram Abrahæ promiſſam poſſidebant, vno continuo bello ab Iſraelitis, Domini fauore ſuſcepto, deletæ ſunt; ita & vitia gentibus illis ſignata, vno mortificationis conflictu vincuntur, & vna quaſi non interrupta pugna profligantur. Et homo ex gratia Dei ſecum ipſe pugnans, terram propriæ mentis, vt eam lætus ſecutúſque poſſideat, ab hoſtibus eam occupantibus, id eſt, à vitiis expurgat. Ideóque iure optimo Auguſtinus abnegationem, quam abſtinentiam ſpiritualem appellat, corporali ieiunio præponit, quoniam hoc, ſi ſolum ſit, ſolam carnem domat, & vitia carnis ad ſummum comprimit: illa verò omnia vitia, & prauos mores interficit. *Aug. ſer. 20. de Sãctis c. 5.* Duo, inquit, ſunt abſtinentiæ, & crucis genera, vnum corporale, aliud ſpiritale. Vnum à potu, atque epulis temperare, appetitum gulæ à delectationibus, & molliſſimis ſuauitatibus coërcere, ab iis, quę per tactum, & guſtum, viſúmque decipiunt, ſenſum viriliter reuocare, ac violenter abſtrahere; Alterum abſtinentiæ, & crucis genus eſt pretioſius atque ſublimius, motus animi regere, & perturbationes illius modeſtiæ tranquillitate placare: iræ ac ſuperbiæ impetus, quaſi feram beſtiam refrænare, litigare quotidie contra vitia ſua, increpare ſe quadam cenſura auſteritatis & virtutis, & rixam quodammodo cum homine interiore conſerere. Pretioſa in conſpectu Dei & glorioſa crux; cogitationes malas in poteſtatem redigere, voluntates proprias abnegare, eáſque interiori examinatione diſcutere, & regentis imperio ſubiugare. A ſermone, atque opere, quo anima læditur, tanquam à cibis noxiis abſtinere, & ſenſum ab iis, quæ contraria ſunt, ſpiritali temperantia ſobrium cuſtodire.] Hæc Auguſtinus. Ecce ſpiritalem abſtinentiam, id eſt, mortificationem aptè deſcriptam, quæ ieiunio corporali præfertur, & multo pretioſior iudicatur, quoniam ex propria natura habet, non hoc, aut illud genus vitiorum, ſed omnia in vniuerſum vitia perimere. Hæc facit, vt dum iuſtus appetitum cibi, & potus temperat, & non ad voluptatem, ſed ad neceſſitatem, & parcè, alimentum ſumit, ex antea guloſo & pene ebrio, abſtinens & ſobrius euadat. Hæc facit, vt dum carnem domat, & libidinis motus refrænat, & non ſolùm impura deſideria, ſed & minùs pudicas cogitationes, quaſi peſtes, abigit, ex inhoneſto in caſtum hominem conuertatur, & ſi non virginitate, quam ſemel perditam recuperare non poteſt, at caſtitate, & mundicia cordis & corporis, ipſis virginibus exæquetur. Hæc facit, vt dum quis ad contemnendas diuitias ſe cogit, & ipſa neceſſaria non ſine multa menſura, & abſque cordis adhæſione accipit, ex auaro, immo & ex rapaciſſimo prudenter largus, & moderatè profuſus fiat. Hæc ſi iram & indignationem cohibeat, & inter iniurias, & contumelias ſilentium indicat, & mentis turbationem compeſcat, pro ira ſpiritum manſuetudinis infert. Hæc tandem gaudium de bonis fratrum imperans, diligentiam in bonis operibus iubens, laudes humanas, & omnem faſtum, & ambitionem ſpernens, pro inuidia charitatem, pro acedia ſtrenuitatem, pro inani gloria magnanimitatem, & pro ſuperbia humilitatem impertit. Aptè igitur de abnegatione pronunciare poſſumus quod de ſapientia dictum eſt: *Sapien. 7. 27.* Et cum ſit vna, omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innouat.] Illa enim inſtrumentum eſt gratiæ Dei, quo vniuerſa

A vitia deſtruit, & primi hominis vetuſtate reiecta, mentem noſtram quaſi in nouam transfert creaturam. Nec præſumptuosè abnegationi, ſapientiæ nomen aſcribimus; nam illa eſt ſapientiæ pars, aut ſapientiæ filia chariſſima, qua ſcimus nos ipſos regere, noxia, licèt delectent, auertere, & vtilia atque perfecta, licèt minùs appareant ſuauia, pulſis timoribus amplexari. Paulus certè ab hac loquutione non abhortet. Ait enim: Prudentia carnis mors eſt; prudentia autem ſpiritus vita & pax: quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo; legi enim Dei non eſt ſubiecta, neque enim poteſt. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.] *Rom. 8. 6.7.8.* Quid vocat ſapientiam, & prudentiam carnis? Nonne carnis appetitus, & immoderatas inclinationes, quibus in vetita, & nobis
B noxia diffluimus? Ita ſanè. Hi namque motus ſunt, qui legi Dei non poſſunt eſſe ſubiecti, quoniam ab omni eò, quod ipſa iubet, exorbitant. Sapientia igitur, & prudentia ſpiritus erit, quæ motus iſtos prauos frænat, & cohibet, & quæ, vt ait Ambroſius, ſequitur ſpiritalia, contemptis illecebris vitæ præſentis. *Ambr. ibid.* Hæc autem ne latum vnguem à mortificatione ſecernitur: vt ſciamus hanc veriſſimam eſſe ſapientiam, quæ profectò vna cùm ſit, omnem vincit vitiorum malitiam, ac per ingreſſum virtutum vires humanas innouat, & omnia noſtra ex præſcripto diuinæ legis attemperat.

Quòd ſi immortificatio, ſapientia carnis eſt, ipſa profectò mors eſt? Et ſi mortificatio, ſapientia ſpiritus eſt, & ipſa vita eſt? Ita quidem. Nam viuere is
C maximè dicitur, inquit Chryſoſtomus, qui vita mortificatus eſt. *Chryſoſt. hom. 13. ad Rom. in morali.* Quod, propoſitis duobus hominibus quorum alter ductum ſapientiæ carnis, vel immortificationis ſequatur, alter verò ſapientiæ ſpiritus, ſiue mortificationi ſe comitem ac auditorem præbeat, ſatis euidenter oſtendit. Ille enim oculis inſipientium videtur viuere, ſed re vera deliciarum & rerum viſibilium amore ad peccata tractus, emoritur. Hic autem, qui apud eoſdem mortuus apparet, operibus vitæ, ſcilicet diuina cognitione, & ſanctis deſideriis, ac rerum cœleſtium amore lætatur. Huic non ſolùm adeſt pura & iucunda vita, verùm & vera pax, quæ neceſſariò legis cuſtodiam, & cupiditatum abiectionem conſequitur. At vbi eſt iucunda vita, & vera pax,
D neceſſe eſt, vt vitia non regnent, ſpiritualis vitæ ac omnis pacis inimica: quæ ſi non ſemper vitam animæ tollunt, ſed ſemper pacem turbant, quandiu in corde ſubſiſtunt. Pulchrè igitur Ephræm abrenuntiationem in Baptiſmo factam deſcribens, quæ nihil aliud eſt, quàm futuræ per totam vitam abnegationis ſponſio, omnium vitiorum interfectricem exiſtimat. Abrenuntiatio, ait, quam in Baptiſmo facimus, nominata quidem apparet parua, cæterùm intellecta admodum magna: quam qui ſeruare valuerit, beatiſſimus erit. *Ephræ. de abrenunciat.* Paucis namque verbis cuncta, quæ nominantur mala, quæque odit Deus, valere iubemus & abrenunciamus: cuiuſmodi ſunt, non vnum dumtaxat, non duo, nec decem; ſed quodcumque appellatur malum. Numeratis autem multis malis, quibus abrenuntiauimus, ſubdit. Atqui hæc ipſa abrenuntiatio, & pulchra confeſſio exigetur à quocumque
E Chriſtiano in illa die. Scriptum eſt enim: Quoniam ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.] *Matt. 12.* Iterumque Dominus ait: De ore tuo te iudico, ſerue nequam.] *Luca 19.* Hæc pollicitatio, quam ore Eccleſiæ matris noſtræ fecimus, nos ad ſtudium mortificationis accendat; & ſicut voce renunciauimus vitiis vniuerſis, ita & actione renunciemus. Quod tunc perfectè fiet, cùm omnes concupiſcentias noſtras abnegauerimus. Tunc erimus omnium

peccatorum, ac vitiorum iuſtiſſimi deſertores, qui ea, quæ Dei voluntati contradicunt, deſerimus, & abnegationis gladio perimimus. Congruítque nobis illa populo Iſraelitico data laudatio: Non eſt idólum
Num. 23. 21. in Iacob, nec videtur ſimulachrum in Iſrael. Dominus Deus eius cum eo eſt, & clangor victoriæ regis in illo.] Iam in anima, quæ aduersùs ſuas concupiſcentias mortificatione pugnauit: nullum idôlum, id eſt, nullum vitium erectum eſt, iam ſuperbia, præſumptio, ambitio, inanis gloria, iracundia, impudicitia, voracitas, & reliqua monſtra proſtrata ſunt. Iam Dominus eam, velut templum ſibi gratiſſimum virtutibus decoratum, inhabitat, & clangore tubæ, id eſt, donis, quæ perfectis viris dari ſolent, victoriam, quam de hoſtibus reportauit, apertè notificat. Cuius
B victoriæ laus in ipſum redundet auctorem, Dominum noſtrum Ieſum Christum, cui ſit gloria & imperium in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Mortificatione tentationes vinci.

CAPVT IX.

ALIVD bonum, & quidem cum maximis conferendum, mortificatione conſequimur, quòd nimirum eâ omnes tentationes vincimus, & hoſtes animæ ſuperamus. Et ſine mortificatione, qua
C reſiſtimus ſuadenti nobis iniqua, & nolumus prauæ ſuggeſtioni conſentire, nulla poteſt eſſe victoria. Id vero comparatione temporalis belli, cui ſpiritualia bella ſunt ſimilia, ſatis patenter euincitur. Omnia enim bella, quæ in aliquam rempublicam ſuſcitantur, duo tantum agnoſcunt turbationis exordia: aut enim ab aliquo hoſte, ac inimico reipublicæ, aut ab aliquo amico, qui ſibimetipſi, & ſuo regi deficit, vt à filio ipſius regis, vel alio ciue proueniunt. Hi ex aliqua cauſa vel à regno data, vel à ſeipſis quæſita & accepta, ſolent bella mouere: nec alia poſſunt belli inueniri principia; hæc verò duo facilè poſſunt firmari ex ſacrarum litterarum hiſtoria. Nam bellum ab hoſte ſuſceptum fuit illud, quod ſuſcitauit Benadad rex
4. Reg. 6. Syriæ aduersùs regnum Iſrael, quando coacto exercitu ſuo [aſcendit, & obſedit Samariam.] Illud etiam
D quod geſſit Sennacherib rex Aſſyriorum aduersùs
4. Reg. 18. regnum Iuda, cùm aſcendit ad vniuerſas ciuitates Iudę munitas, & cepit eas. Bellum autem à ciue deficiente initum fuit illud, quod cœpit Ieroboam primus rex Iſrael, quando cum decem tribubus excuſſit iugum duriſſimum regis Roboam, & eiſdem decem
2. Reg. 15. tribubus imperauit. Et multo magis illud ab Abſalone ſuſceptum; cùm aduersùs Dauidem patrem inſurrexit, eúmque domo cedere, & in fugam ſe dare coëgit. Ita omnis tentatio, quę bellum quoddam eſt, non corporale, ſed ſpirituale, non quod corpus, ſed quod mentem inuadat; & ad aliquod peccatum impellat, aut ab hoſtibus, aut amicis infertur. Illa tentatio ab hoſte prouenit, quæ à diabolo per ſe ipſum, vel per
E ſuos adminiſtros, ad malum inſtigante procedit. Illa verò ab amico intentata eſt, quam ſenſus, & appetitiones noſtræ ad malum procliues exſuſcitant. Caro enim noſtra, quæ ſenſum, & appetitum peccata ſuadentem continet, licèt nunc inimica ſit, tamen priùs amica erat & ſocia animæ, ſi homo à ſuo creatore non deſciuiſſet, & in ſtatu innocentiæ perduraſſet. Eadem ergo debet eſſe ratio tentationes vincendi, quæ modus & cauſa eſt bella temporalia, & viſibilia ſuperandi. Nam eodem modo ſuperantur, vel pro-

A mouentur ea, quæ in vna, atque eadem natura conueniunt. Et nihil intereſt, an aliquid animatum ſit, an inanimatum, an corporis particeps, vel corporis expers; quia dummodo contrarium ſit, contrarij ſubiectione, qua ſibi ſubditur, promouetur, & reſiſtentia ac pugna deſtruitur. Calorem profectò, qui corporalis eſt, frigus contrarium pellit, & iuſtitiam, quæ incorporalis eſt, iniuſtitia oppoſita diſſipat; & quia eadem vtrique ratio inimicitiæ & contrarietatis ineſt, eodem modo pugnant, & eadem ratione de ſe inuicem triumphos reportant. Atque adeò eo modo, quo bella viſibilia à nobis ſuperantur, eodem inuiſibilia bella ſuperanda ſunt, niſi velimus ordinem à Deo præſcriptum inuertere, & nouam, quæ nobis non ſuccedet, rationem rerum diſponendarum in-
B uenire.

Bella autem viſibilia (vt iam dicere cœperamus) reſiſtentia facta, & hoſtium adepta ſubiectione, finiuntur. Nam dum reſiſtimus hoſtibus, eos ſtupefacimus & fatigamus; & dum fortiùs bellamus, eos proſternimus, atque ſubiicimus, quibus occiſis, aut in ſeruitutem redactis, aut in fugam verſis, optatam pacem obtinemus. Bellorum ergo ſpiritualium, id eſt, tentationum, victoria in reſiſtentia, & pugna, & hoſtium ſubiectione conſiſtit. Nunc igitur ad tentationes ab amicis, id eſt, à carne, & ſenſibus, & affectibus prouenientes, oculos conuertamus, & eas ipſiſſima mortificatione vinci manifeſtiſſimè perſpiciemus. Si enim caro laſciua poſtulet, & impudicitiæ ſuggeſtione me tentet; quid eſt eam vincere, niſi eius motus
C opprimere, petitam voluptatem abnegare, & ei non motibus, quæ delectent, ſed flagris, & ciliciis, & ieiuniis, quæ eam doment, reſpondere? Si ſenſus, exempli gratia auditus, rumores curioſos efflagitet; quid eſt eum ſubiicere, niſi ipſum ſeris circumſpectionis occludere, & ab audiendis iis, quæ delectant, auertere? Si affectus iræ ad vindictam tentatione prouocet, quid eſt eum proſternere, niſi me ipſum ad manſuetudinem cogere, inimico parcere, & ei pro ſilentio vocem, pro vituperio laudationem, & pro malo bonum erogare? Hæc autem omnia, actiones abnegationis ac mortificationis ſunt; quare conſtat earum tentationum victoriam, quæ à ſenſibus & affectibus emanant, à noſtra mortificatione pendere. Quare Baſilius optimè internam pacem, victoriæ tentationum comitē, ſtudio mortificationis aſcribit. Quam- Baſil. orat. 21. de ſix sec tate.
D uis nauis gubernatori, inquit, conceſſum non ſit, tranquillitatem mari pro arbitrio & voluntate imponere; nobis tamen integrum eſt, vitam quietam, omnique vacantem perturbatione conſtituere, ſi nimirum internos tumultus, qui ab affectionibus externis proficiſci ſolent, ſedauerimus, & mentem iis, quæ extrinſecus accidunt, altiorem conſtituerimus. Siquidem illi, qui nimis magnum ſtudium, & curam in res mundi iſtius conferunt, tanquam volucres carnoſæ fruſtra alas habentes, vnà cum eſculentis ſuis deorſum trahuntur.] Hæc ille. Quod & ego in illo bello Dauidis cum Abſalone adumbratum aſpicio. Nam qua ratione Dauid bellum illud vicit, & regno ſuo ereptam pacem reſtituit? Nonne cum propria
E carne, nempe cum filio, pugnando, & cum tribus ſui ducis lanceis perimendo? Ita quoque & nos dum abnegatione pugnamus aduersùs noſmetipſos & carnem, affligimus hoſtes domeſticos, nimirum carnem ipſam, & eius affectus ac deſideria vincimus. Forſitan autem Roboam ſubditum aduersùm ſe rebellantem non vicit, quia non pugnauit. Dixit enim Semeias propheta ad Roboam, & Iudam, & Beniamin; Hæc dicit Dominus: non aſcendetis, ne- 3. Reg. 12. 14
que bellabitis contra fratres veſtros filios Iſrael:

A reuertatur vir in domum ſuam, à me enim factum
eſt verbum hoc.] Vnde ſicut Dominus ſcidit regnum
Iſrael, à regno Iudæ bellum prohibens, ita ſubdit car-
nem ſpiritui, bellum iubens. Qui verò pugnare no-
luerit, nec ſeipſum mortificatione domare, nunquam
carnem, ſenſúſque ſubiiciet. Nam & in prouerbiis
Prou. 19. 21. ſcriptum eſt: Qui delicatè à pueritia nutrit ſer-
uum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem.] Seruus
autem noſter, caro noſtra eſt, cuius inſultus non co-
hibebimus, niſi eam ſeueriter duritérque tractemus.
Quæ ſeueritas non tantùm in corporali afflictione,
ſed multo magis in frangendis propriis voluntati-
bus, & appetitionibus ponenda eſt, quarum com-
preſſio multo magis, quàm ieiunia & veſtes hirſu-
tæ, carnis petulantiam compeſcit, impetúſque mor-
B tificat.

Si autem tentationes, non iam tanquam à primo
principio, à domeſticis, ſed ab externis hoſtibus, ſcili-
cet à dæmonibus proueniant, etiam mortificatione
vincendæ ſunt. Dæmones quippe in tantum bella
mouent, nóſque pertentant, in quantum illicita ſug-
gerunt, & per ſenſus, & affectus cordis noſtri ad ma-
lum nos prouocant. Sicut enim Philiſtæi voluerunt
per Dalilam Samſonem decipere: dicebántque ad il-
Iud. cum 14. 15. lam: Blandire viro tuo, & ſuade ei, vt indicet tibi,
quid ſignificet problema; quòd ſi facere nolueris, in-
cendemus te, & domum patris tui:] ſic dæmones per
carnem noſtram, tanquam per ſociam nobis prædi-
lectam, conantur rationem ad peccati conſenſum in-
citare. Dicúntque illi: Blandire viro tuo, & curato
C mentem tuam delinire blanditiis: luge coram illa, &
te infirmam, & triſtem diſſimula, vt propoſitum vir-
tutis inflectas, & ad ſuperfluam remiſſionē, indéque
ad peccatum ibi abſconditum pertrahas. Si ergo dæ-
mones nonniſi per carnem, & ſenſus, ac appetitus
nos tentant; ſi hæc ſunt eorum arma, quibus nos ag-
grediuntur, & vulnerant, iam liquet, quia eos vinci-
mus, dum arma iſta mortificatione confringimus, &
noſmetipſos abnegamus. Quod & in Samſone non
iam adumbratum, ſed expreſſum videmus: qui ſi re-
ſponſionem diſtuliſſet, & ſecretum ſuum celaſſet,
nunquam ab iniqua muliere vinculis fuiſſet aſtri-
ctus, & in poteſtatem hoſtium traditus. At aſſentitus
Indic. 16. eſt miſer vir importunis precibus fœminæ; Quæ
D dum cognouit virtutem eius eſſe in crinibus, vocato
tonſore, crines capitis eius raſit, & ludibrio ac riſui
Philiſtinorum expoſuit.] Ita prorſus caro noſtra à ge-
neris humani aduerſariis edocta, ſpiritui inculcat
Iudic. 16. 15. verba mellita Dalilæ: Quomodo dicis, quòd amas
me, cùm animus tuus non ſit mecum?] Quomodo,
inquam, me carnem tuam agnoſcis, quam nemo vn-
quam odio habuit, ſi portas meorum ſenſuum clau-
dis, ſi nunquam meis deſideriis acquieſcis, ſi quoti-
die me verberibus domas, & laborare, ieiunare, & vi-
gilare compellis. O homo non audias eam, ne te
credas ei, quia meretrix eſt, non ſponſa fidelis, & cri-
nes tuos, in quibus ineſt fortitudo, id eſt, ſanctas co-
gitationes, & pia propoſita, auferet, atque malorum
deſideriorum vinculis illigatum hoſtibus interficien-
dum tradet. Audi Michæam dicentem: Nolite cre-
Michæ 7. 5. dere amico, & nolite confidere in duce: ab ea, quæ
E dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.] Non
ergo corpori tuo credas voluptuoſa poſcenti, ne fi-
das carni tuæ ſuauia & mollia poſtulanti; quia veluti
ſploratrix aduerſariorum eſt, nihil aliud quærens, niſi
per ſuas voluptates humani generis hoſtibus te com-
mittere. Vt itaque tentationes vincamus ab externis
aduerſariis exortas, domeſticus hoſtis abnegatione
vincendus eſt, ſine cuius auxilio neminem ſpiritales
nequitiæ proſtrarunt. Et quidem id in illis duobus
bellis ſuprà memoratis figuratum eſt. Nam & rex
Iſrael viſus eſt à populo cilicium gerens, quo putabat
à ſe Syriæ regem auertere, & Ezechias [opertus eſt *4. Reg. 6. 30.*
ſacco] vt Senacheribum à ſe fugaret. An reges ſeipſos *4. Reg. 19. 1.*
affligentes reipublicæ hoſtes affligunt, atque deii-
ciunt? Ita certè: quoniam ſui mortificatione Domi-
num placant, cuius eſt, eos hoſtibus tradere, vel ab
hoſtibus liberare. Multo ergo magis nos victoriam
de diabolo conſequemur, ſi carnem noſtram domue-
rimus, & proprias voluntates confregerimus, quo &
arma eius diripimus, in quibus confidebat, & Domi-
num in adiutorem vocamus.

Vniuerſæ itaque tentationes, ſiue ab extraneo, ſi-
ue à domeſtico hoſte procedant, mortificatione vin-
cuntur, & abnegatione ſuperantur. Quare Dominus
Eccleſiæ ſuæ, ſingulíſque fidelibus arma conuenien-
tia ad pugnandum dedit, & virtutem, ac fortitudi-
nem ad dimicandum attribuit. Ideo in Canticis can-
ticorum Eccleſiæ collum turri munitiſſimæ compa-
ratur. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata *Cant. 4. 4.*
eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea,
omnis armatura fortium.] Nam ſi collum, vt aliqui
volunt, non tam eam corporis partem, quæ caput ſu-
ſtentat, quàm totius corporis ſtaturam proceram,
erectámque ſignificat, quinam dicentur hoc collum
coagmentare niſi iuſti, in quorum iuſtitia, & ſanctita-
te Eccleſiæ eſt altitudo ac proceritas collocata? A
qua interpretatione non multum diſſentit Grego- *Greg. ib.*
rius, qui per Eccleſiæ collum ſanctos prædicatores
intelligit. Conuenit autem omnibus ſanctis perfe-
ctio turris Dauidis, quæ, vt notauit Ambroſius, facta *Ambr. ibid.*
eſt, vt ſubſidio eſſet, pariter & decori. Suſidio, vt quiſ-
que ex ea hoſtem aſpiceret, & expelleret: decori ve-
rò, quia ita ædificata erat, vt non ſolùm inter humi-
lia, ſed etiam inter excelſa ſuperemineret. Ita & iuſti
in Eccleſia ſubſidio ſunt, quoniam eam oratione &
exemplo tuentur; & decori, quoniam vitæ pulchri-
tudine hanc Dei ciuitatem, quæ adhuc in terris mi-
litat, decenter exornant. Hi turri comparantur, ex
qua clypei, & aliorum generum arma dependent,
quia videlicet ad eos pertinet clypeo, & armis, id eſt,
auxiliis gratiæ ſibi donatis diabolo reſiſtere, aduer-
sùs proprios ſenſus affectúſque pugnare, quorum
prauis motibus diabolus ipſos adoritur: & ſe in debi-
to officio continere. Pugnare enim aduersùs dia-
bolum, non eſt illum enſe materiali percutere, ſed
quémque ſemetipſum mortificationis gladio ferire:
non illum occidere, qui (quod ad naturam attinet)
immortalis eſt, ſed ſemetipſum mortificare: non eſt
illum in carcerem coniicere, aut compedibus cate-
niſque conſtringere, ſed proprias concupiſcentias ab-
negatione cohibere. His ille pugnat aduersùs homi-
nem, hi affectus praui ſunt milites, ex quibus eius
exercitus coaleſcit, atque conflatur, quibus victis, ſta-
tim ipſe victus, & confuſus abſcedit. Sit igitur iuſtus
turris munitiſſima, quam licèt hoſtes cingant, licèt
machinis & tormentis oppugnent, nunquam tamen
per conſenſum in malum ſibi ſubiiciant. Iuſti pul-
chritudo non in menſis, non in mollibus ſubſelliis,
non in aulæis, & aliis ſimilibus, quæ regem pacificum
decent; ſed in clypeis, in galeis, in lanceis, & in omni
armorum genere poſita cenſeatur. Iſtis armis, quibus
abnegationis actus ſignamus, ſatis propinquos habet
hoſtes, quos vulneret. Nam oculi hoſtes ſunt, & au-
res, & manus, & cogitationes, & deſideria in præcor-
diis abſcondita, quæ in aliquid illicitum properantia
pro diabolo belligerantur, eúmque nituntur facere
miſeri hominis poſſeſſorem. Sed ſi homo contra ni-
tens iſtos hoſtes abnegatione vincat, atque cohibeat,
tentationes vincet, quæ nihil aliud ſunt, quàm iſti

motus

motus aduerſùs Dei legem inſurgentes, & fugatis, ac proſtratis hoſtibus, lætus & pacatus exiſter. Quod profectò non ſiluit Paulus, dicens: *Epheſ. 6. 13.* Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.] Non dico, ait, vt arma carnis, ſed arma ſpiritus aſſumatis, ea verò ſunt ieiunia, abſtinentiæ, mundi contemptio, & ea, quæ moleſta ſunt carni, quibus Deus apparens in carne aduerſùs diabolum proceſſit armatus. His armis in die malo, id *Anſel. ibi.* eſt, in die tentationis, vt exponit Anſelmus, tentationibus inſurgentibus reſiſteris. Inde autem quid ſequetur? Certè, vt in omnibus virtutibus perfecti ſteris; Id eſt, vt cunctarum virtutum perfectione ditati iam ea pace fruamini, quam, ſi non omne bellum deſerit, at infirma bella, quæ facili negocio vincantur, & cum puſilla moleſtia turbent. B

Quia ergo omnis victoria noſtra, qua à tentationibus liberamur, & mentis tranquillitatem conſequimur, ex abnegatione dependet, ideo in ſcripturis ſanctis primò nobis virtus ad pugnandum, robur ad vincendum nos ipſos, & poſtea pax mentis, tranquillitáſque promittitur. Vnde ſanctus Dauid: *Pſal. 17. 40.* Præcinxiſti me virtute ad bellum, & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me. Et inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti.] Sine virtute enim ad bellum, quo affectiones noſtras vincamus, nunquam hoſtes noſtros his affectionibus pro armis vtentes, ſupplantabimus, neque eos à nobis victos repellemus. *Pſal. 121. 7.* Et iterum: Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus, ac propugnaculis Eccleſiæ, hoc eſt, in iuſtis hominibus ex virtute proueniat: quia niſi præcedat virtus ad pugnandum, & ad domandos iuſtitiæ hoſtes, nunquam C pax optata ſuccedet. *Pſal. 28. 10.* Atque alibi: Dominus virtutem populo ſuo dabit: Dominus benedicet populo ſuo in pace.] Optimus ordo, & generaliter in diuina prouidentia ſeruatus. Primò dat virtutem eximiam & excelſam, quæ potens ſit hoſtes proteruos & implacabiles ſternere, & poſt illam non quaſi in ſudario cuſtoditam, ſed multis, & aſſiduis operibus abnegationis applicitam, tandem pacis nos benedictione multiplicat. *Ricar. ad eundem Pſal.* Videte, inquit Ricardus Victorinus, & attendite diuinæ donationis ordinem. Daturus populo ſuo Dominus virtutem, & pacem, priùs dat virtutem, & poſtea pacem. Habet namque aduerſarios innumeros populus iſte Dei; & quod adhuc grauius eſt, inimici eorum fortiſſimi: D Opus ergo habent virtute & fortitudine magna, contra quos iugi ſolicitudine vigilat tot aduerſariorum tam periniqua conſtantia. Vultis autem audire qualem, & quantam virtutem eis eorum dux promittat; ita tamen ſi eius præcepta mandatáque cuſtodiant? Perſequemini, inquit, inimicos veſtros, & corruent coram vobis. Perſequentur quinque de vobis centum alienos, & centum de vobis decem millia. Cadent inimici in conſpectu veſtro, gladio. Parum eſt hoc, audi adhuc aliquid maius de huius regis militibus, quorum vnus perſequitur mille, & duo fugant decem millia.] Hæc ille. Optima quidem obſeruatio, & nobis perutilis, vt nunquam pacem adipiſci ſine E virtute quæramus. Sine ea, inquam, virtute, qua domeſticos hoſtes, carnem, & ſenſus ad malum pronos, & affectus inordinatos ſubiiciamus. Dum enim hos vincimus, dæmones quoque externos aduerſarios proſternimus, qui nihil in nos poſſunt, niſi aliquis domeſticus hoſtis illis faueat, & ſua importunitate, aut dolo illis ianuam noſtri conſenſus aperiat. Velle autem ſine virtute animæ pacem, & ſine mortificatione victoriam, eſt, ac ſi quis miles

A velit fortiſſimos hoſtes dormiendo perimere, aut illis arma & alimenta miniſtrando, de ipſis victoriam comparare. Quod fieri non poſſe illa verba Auguſtini declarant: Non eſt pax, vbi non eſt ſub- *Aug. lib. de ciuit. Dei.* iectio repugnantium.] Qui autem non ſubiicit hoſtes repugnantes ſibi, ſed ſubditur illis, velut ſeruus, & fouet illos, vt acriùs inſurgant, & pertinaciùs rebellent, quomodo pacem conſequetur? Pateris, ô frater, tentationes carnis, & corpus tuum non abſtinentia domas, ſed cibis ingurgitas; non cilicio & verberibus crucias, ſed mollibus indumentis circumdas; non oculos ab alienæ pulchritudinis aſpectu tollis, ſed eos per quæque pulchra, & illicentia vagari permittis: quonam ratione pacem inuenies? Superbiæ, & ambitionis impugnatione tentatis, & nunquam in animum inducis, vt plauſus hominum fugias, vt in miniſterio humili te contineas, vt defectus naturales coram fratribus, mortificationis cauſa, aliquando manifeſtes, ingenium verò, & eloquentiam, cæteráſque dotes ad breue tempus abſcondas, quonam modo pacem aſſequeris? Quære igitur priùs virtutem, vt contingat tibi pax: abnega teipſum, vt mentis tranquillitatem, & victoriam tentationis accipias. Quia nemo ſine pugna vicit, ſine bello ad pacem peruenit, & ſine ſubiectione, aut morte hoſtium ſuorum victoriam vnquam reportauit.

Mortificatione virtutes acquiri.

CAPVT X.

NVNC, quanti momenti ſit mortificatio ad vniuerſas virtutes acquirendas, explicandum eſt, quarum acquiſitio multo magis, quàm aliqui fortaſſe putant, ab hoc abnegationis ſtudio dependet. Nam ſi ipſi exiſtiment, mortificationem eſſe inſtrumentum vnum ex multis ad aſſequendas virtutes, nos putamus inſtrumentum eſſe præcipuum, ſine quo reliqua huic negotio adhibita nihil omnino poſſe efficere, nec minimum virtutis alicuius gradum generare. Id autem manifeſtè conſtat ex ipſa natura virtutum, quarum aliquæ ad efferendam naturam noſtram datæ ſunt, ad eas ſupernaturales actiones, quas ſolo adiumento naturali præſtare non poteſt: aliæ verò ad ipſam naturam humanam in mortalibus actionibus dirigendam, omnémque earum prauitatem ablegandam. Primi generis ſunt virtutes Theologicæ, & aliæ ſupernaturales infuſæ, quarum munus eſt, mentem ſuauiter ad actiones naturam excedentes erigere. Secundi verò generis ſunt virtutes morales, quarum eſt vires noſtras ita perficere, vt ſine difficultate bonum opus faciant, neque ab æquo & iuſto deflectant. Et ſi bene inſpiciamus, omnis virtus, quæcumque illa ſit, naturam prauis actibus & imperfectis ſpoliat, & ad aliquid altum, excelſúmque ſuſtollit: cùm ſemper ipſa bonum & perfectum petat, quod nobis comparatum, ſuperius, & altius eſſe cognoſcitur. Omnis ergo virtutis actio aut malum, & imperfectum reiicit, aut bonum naturæ noſtræ corruptæ difficile exercet. Cùm autem virtus illis actionibus acquiratur, quibus ipſa conſeruatur, & creſcit, & ad quas animum ſtudioſum inclinat, relinquitur acquiſitionem cuiuſcumq; virtutis in his duobus actionũ generibus, ſcilicet in mali nobis delectabilis fuga & reiectione, & in boni nobis difficilis exequutione cõſiſtere. Loquamur

verò nunc de virtutibus acquiſitis, nam infuſæ non actibus noſtris generantur, ſed Dei infuſione producuntur, & augentur: qui tamen in adultis ſimiles actiones, quibus malum fugiant, & bonum exerceant, vt diſpoſitiones infuſionis faciendæ, vel vt merita augmenti concedendi requirit. Quis autem non videat tam mali delectabilis fugam, quàm boni difficilis amplexum ad mortificationem pertinere? Mortificatio enim eſt (vt exemplo virtutis abſtinentiæ hoc explicemus) cibos ſuaues & vina pretioſa, ſuſtentationi naturæ minimè neceſſaria reſpuere, conſuetam refectionis horam expectare, appetitum in ipſa comeſtione frænare, hominem non ſe ſuper cibum & potum effundere, & feſtinationem edendi & bibendi, & alias innumeras imperfectiones noſtras cohibere. Mortificatio etiam eſt, alimenta vilia & inſuauia percipere, quæ appetitum non excitent, ſed naturam ſuſtentent: debitam ſemper menſuram in eſculentorum admiſſione tenere, aliqua etiam neceſſaria pro aſſequenda maiori agilitate ad actiones contemplationis, & omnis virtutis, demere. Cùm igitur ſine his impoſſibile ſit abſtinentiam acquirere, manifeſtum eſt, impoſſibile eſſe ſine mortificationis actibus abſtinentiam comparare. Et cùm eadem ſit (vt diximus) omnium virtutum ratio, quod quiſque poteſt per ſeipſum facili diſcurſu colligere, certiſſimum eſt, eas omnes ab actibus mortificationis pendere, nec ſine mortificatione quemquam virtutis poſſeſſorem exiſtere.

Iam qui putat ſe ſine aſſidua mortificatione poſſe virtutes acquirere, & mentem ſuam his pretioſis gemmis ornare, ſciat, quia manifeſtè errat: ſciat, quia oleum & operam perdit, ſciat, quia nunquam ſe ſtudioſum, & tanti boni poſſeſſorem inueniet. Apud Iob enim de ſapientia ſcriptum eſt, qua Dei cognitionem omni virtuti coniunctam ſignificari didicimus: Neſcit homo pretium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium.] Hominibus notio huius ſapientiæ denegatur, illis videlicet, qui tantùm homines ſunt, qui terrena ſapiunt, qui nihil ſublime, nihil ſupra id, quod videtur oculis, & percipitur ſenſibus, æſtimant. Nec inuenitur apud eos, qui ſuauiter viuunt, qui nimirum ſuis deſideriis parent, rerum ſuauium appetitionibus delectantur, & in nullo ſibimetipſis contradicunt. Hanc ſapientiam timoris Dei, inquit Hieronymus, non habet quiſpiam, niſi carnem ſuam crucifixerit cum vitiis & concupiſcentiis, niſi vixerit vt Paulus Apoſtolus, & omnes ſancti in tribulationibus, perſecutionibus, anguſtiis, & preſſuris. Et ideo ſuauiter ſunt dicti viuere illi, qui nullo iugo diſciplinæ tenentur, & effrænes, ac præcipites in labem prorumpunt vitiorum.] Ab his abſcondit ſe virtutis ſapientia, quæ mundiſſima eſt, atque adeò non poteſt amare eos, qui non ſe ab omni immundicia diuellunt: & quietiſſima, quare fugit ab illis, qui ſemper diuerſis affectibus inquietum animum geſtant. Hæc ſapientia, quam nunc à vera virtute non diſcernimus, via eſt viri iuſti rectiſſima, in qua ſine fortitudine ad vincendum ſeipſum, ſtare non poterit. Ideóque ſanctus Iob virtuti robur adiunxit, dicens: Et tenebit iuſtus viam ſuam, & mundis manibus addet fortitudinem.] Via iuſti, & mundæ manus iuſti idem omnino, id eſt, iuſtorum virtutes, actionéſque ex virtutibus procedentes ſignificant. Atque ideo vt iuſtus teneat viam ſuam, id eſt, vt virtuti, quam profeſſus eſt, firmiter adhæreat, & vt à mundicia ſuarum manuum non diſcedat, neceſſe eſt, vt virtuti fortitudinem addat, qua omnes difficultates virtuti aduerſantes ſuperet, qua delectabilia mundi reſpuat, & qua ſe ſuopte appetitu in illicita ruentem, in bono & æquo contineat. Immò & multiplex virtus, multiplex via Domini eſt, quam vt nos ipſe Dominus doceat, omnem vitiorum prauitatem, & affectionum obliquitatem vult à nobis ablegari. De qua multiplici via Iſaias ait: Et erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.] Praua, & aſpera ſecundùm Origenem vitia; & directa, ac viæ planæ, virtutes deſignant. Quo indicatum eſt, debere nos vniuerſas vitioſas affectiones abnegare, vt vias directas, ac planas Domini, id eſt, vt virtutes teneamus. Iuſtum enim deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei.] Vt Dominus regnum Dei viro iuſto per aſſequutionem perfectionis oſtendat, qua ſolet aliquem guſtum cœleſtis conſolationis impertire, primùm deducit illum per vias rectas, id eſt, per vniuerſarum virtutum ſemitas: quomodo verò ambulabit homo per vias rectas, niſi priùs ipſe à viis vitiorum prauis obliquíſque diſcedat? Et quomodo ab huiuſmodi vitiis, quibus eſt aſſuetus, & in quibus inuenit delectationem, diſcedet, niſi ſeipſum abnegare, & à lacte ſæculi ablactare decernat? Certè viæ iſtæ Domini, vt inquit Bernardus, viæ rectæ, viæ pulchræ, viæ plenæ, viæ planæ. Rectæ ſine errore, quia ducunt ad vitam. Pulchræ ſine ſorde, quia docent mundiciam. Plenæ multitudine, quia iam totus mundus eſt intra Chriſti ſagenam. Planæ ſine difficultate, quia donant ſuauitatem.] Vt igitur ambulemus per vias rectas, oportet noſtrorum deſideriorum obliquitatem deſerere, vt incedamus per vias pulchras, oportet ab immundicia affectionum fugere: vt teneamus vias plenas ſpiritualium nempe virorum, qui per eas ambulant, neceſſe eſt, vacuitatem ac vanitatem mundi deſpicere: vt denique ingrediamur vias planas, neceſſarium eſt à viis voluntatum noſtrarum, ſcopulis complanatis, ſeparari. Qui autem non videt hæc omnia ſola mortificatione fieri, adhuc vias virtutis, & ſpiritualis conuerſationis ignorat.

Oportet ergo, vt virtutes aſſequamur, & fructus bonarum actionum feramus, abnegationi eorum, quæ nos delectant, inſiſtere. Virtus enim, vt Thomas Aquinas docet, prærequirit paſſiones ſedatas; & ex conſequenti ſenſus moderatos, ſine quorum moderatione paſſiones tranquillitatem non habebunt. Omnis autem ſenſuum moderatio, paſſionúmque ſedatio, mortificatione inchoatur, mortificatione progreditur, eadémque perficitur. Quare qui aſſiduæ mortificationis obliuiſcitur, neque in infimo gradu virtutes acquiret. Certè ſicut vitis naturaliter palmitibus huc illúcque diſtenditur, & pampinis ſe diffundit, adeò vt neceſſe ſit eos amputare, ſi agricola ex vite fructum expectet: ita natura noſtra poſt Adæ peccatum in id præcipuè incumbit, vt cogitationibus, ac deſideriis, velut ſarmentis, ſe in res viſibiles, & terrenas effundat; quæ falce mortificationis reſecanda ſunt, ſi homo cupiat ſuaues botros, id eſt, dulciſſimos virtutum actus emittere. Nam in vite paupertas palmitum, eſt abundantia fructuum, quia à palmitibus ferendis prohibita, non iam per inutiles pampinos, ſed per vtiles fructus, ſuauéſque prorumpit: ita & in anima paupertas affectionum, quam mortificatio efficit, eſt abundantia virtutum, quia conatus, qui operibus carnis denegatur, actionibus iuſtitiæ conceditur. Vnde meritò Chriſtus de patre loquens, ait: Omnem palmitem in me

non

Marginal notes: *Iob 28. 13.* — *Hiero. ad eundem locum.* — *Iob 17. 9.* — *Iſa. 40. 4. Orig. hō. 21. in c. 1. Luc.* — *Sap. 10. 10.* — *Bern. ſe. in eūdem locum ſapientiæ.* — *D. Thom. 1. 2. q. 59. ar. 2.* — *Ioan. 15. 2.*

non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat.] Quinam ſunt palmites, qui fructum non ferunt? Peccatores, qui ſola fide mortua contenti bona opera præſtare non curant. Et qui ſunt palmites, qui fructum ferunt? Iuſti; qui bonis operibus fidei reſpondent. Hi à patre purgantur, vt abundantiorem fructum afferant, cum auxilijs gratiæ roborantur, vt affectiones terrenas deponant, & ſe à rebus mundanis abſtineant. Mundi quidem ſunt, ſed vt creſcant fructibus, adhuc ſunt ampliùs abnegatione mundandi. Neque enim, niſi mundi eſſent,

Auguſt. tract. 80. in Ioan. vt ait Auguſtinus, fructum ferre potuiſſent, & niſi amplius mundarentur, ad perfectionem fructus veniſſent. Quare mundat mundos, hoc eſt, fructuoſos, vt tanto ſint fructuoſiores, quanto mundiores. Qui autem non putantur, atque purgantur, paulatim ſteriles fiunt. Ideóque dictum eſt

Iſa. 5. 6. de vinea Domini Sabaot: Non putabitur, & non fodietur, & aſcendent vepres & ſpinæ.] Ita ſanè contingit, vt qui ſeipſos mortificatione non purgant, neque humilitate deiiciunt, expectati vt faciant vuas, faciant labruſcas, & pro virtutum actionibus, quas ferre debuerant, ſpinis, & tribulis ineptorum ſermonum, & malorum operum accedentes compungant. Qui ergo volunt ab his malis eripi, & diaboli poteſtatem fugere, cuius eſt vitioſa opera ſuadere, ab aſſidua ſui abnegatione non fugiant. Quod ſtudium eſſe iuſtorum docet

Iob 41. 16. Dominus in Iob, dicens: Cùm ſublatus fuerit, ſubintellige, diabolus, timebunt Angeli, & territi purgabuntur. Cùm, inquam, aduerſarius ſe erexerit, & aduersùs viros iuſtos pugnare conſtituerit, tum illi, qui imitatione ſunt Angeli, caſto timore, & abnegatione ſe protegent, & à prauis actionibus ſe defendent.

Abnegatio itaque neceſſaria eſt, vt diſtorti mores deficiant, virtutéſque ſuccreſcant. Neque poteſt aliquis pretioſis virtutum indumentis ornari, niſi priùs per abnegationem viles, & fœtidos vitiorum pannos abiiciat. Sicut enim accipiter veteres plumas deponit, vt nouis & pulchrioribus veſtiatur; ita iuſtus, qui nititur volatu in cœlum aſcendere, & ipſum Verbum Patris, carne velatum imitationis vnguibus apprehendere, neceſſe habet antiquas vitiorum pennas exuere, vt nouis, ſcilicet virtutibus, exornetur.

Iob 39. 26. Nunquid, ait Dominus ad Iob, per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad auſtrum?] Ac ſi dicat, non tuum, ſed meum opus eſt, quòd accipiter ad calorem Auſtri, alas expandat, vt huius venti tepore membra ſua ad laxandas plumas veteres, & nouas induendas concaleſcant. Sic prorſus opus gratiæ meæ eſt, quam ego volentibus offero, quòd iuſtus Spiritus ſancti calore concepto vitioſos actus mortificatione exuat, vt bonorum

Greg. 31. mor. c. 18. operum exercitatione virtutes induat. Quid eſt accipitrem in Auſtro plumeſcere, inquit Gregorius, niſi quòd vnuſquiſque ſanctorum tactus flatu ſancti Spiritus concaleſcit, & vſum vetuſtæ conuerſationis abiiciens, noui hominis formam ſumit? Quod

Coloſſ. 3. Paulus admonet dicens: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes no-

Epheſ. 4. uum.] Et rurſum: Licèt is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur; tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem.] Vetuſtam autem pennam proiicere, eſt inueterata ſtudia doloſæ actionis amittere: & nouam pennam ſumere, eſt mitem, ac ſimplicem bene viuendo ſenſum tenere.] Hæc ille. Sicut autem fieri non poteſt, vt auicula nouas plumas induat, niſi veteres exuat: ita impoſſibile eſt,

A vt quis non abiectis actuum vitioſorum veſtibus, bonorum habituum, id eſt, virtutum indumentis decoretur. Illos autem vitioſos actus ſolum ſtudium abnegationis depellit: quia nemo poteſt quod placet, abiicere, & quod delectat, relinquere, niſi ſibi ipſi contradicens, flagello mortificationis vtatur. A nobis igitur mortificationis gladio imperfectiones, & ſuperflua deſideria præcidamus, vt cœleſtibus deſiderijs ad omnem virtutem incitemur. Nam hæc deſideria robur ad proſequendam mortificationem adiicient, & ſtudioſarum actionum erunt initia, quibus virtus ipſa generatur, & ſemel genita conſeruatur, & creſcit. Saliamus nos, ne ſpiritus ſine mortificationis ſale putreſcat. Immò &

B ſaliamus nos, vt ſpiritus acerbitate ſepoſita, & ſuauitate virtutum comparata, cibus Domino acceptus fiat. Quemadmodum enim oleæ per ſe ſumptæ inſuauiſſimæ ſunt, quas nemo vel ori admouere ſuſtinebit, at ſalſugine conditæ tam gratum ſaporem accipiunt, vt ornant non tantùm communes pauperum menſas, ſed etiam lauta regum & pretioſa conuiuia; & ita humanus ſpiritus vitiis affectus inſuauiſſimus eſt, quem menſa Domini non ſine indignatione repellet, at mortificationis ſale conditus, & virtutibus præparatus tantam ſuauitatem comparat, vt dignus ſit menſæ Domini præſentari. Iure igitur hoc mortificationis ſal omnino neceſſarium vitæ ſpirituali putamus, quod nos à malis præſeruat, adeò vt poſſit inter ea numerari, ſi-

C ne quibus nequaquam hæc vita ſubſiſtit. Dicemúſque illud Eccleſiaſtici ſub cortice medullam ſpi- *Eccli 39. 31.*
ritus inſpicientes: Initium, id eſt, ſumma neceſſariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum, ſal, lac, & panis ſimilagineus, & mel, & botrus vuæ, & oleum, & veſtimentum.] Nam ad vitam ſpiritalem agendam neceſſaria eſt aqua compunctionis, qua lauemur: ignis Spiritus ſancti, quo accendamur: ferrum tribulationis, quo domemur; ſal mortificationis, quo à putredine ſeruemur; lac puritatis, quo exornemur; panis virtutum, quo ſuſtentemur; mel conſolationis, quo roboremur: botrus zeli, quo bona adepta cuſtodiamus; oleum charitatis, quo emolliamur; & veſtimentum gratiæ, quo operiamur.

D Nec ſatis eſt ad virtutes acquirendas, eam mortificationem excolere, qua mala, & virtuti contraria deſerimus, niſi eam, quæ bonis etiam actionibus, licèt difficilioribus inſiſtit, amplectamur. Nam aliqui ſunt, qui iam à malis abſtinent, at volunt ſemper humi repere, in infimo loco iacere, & nunquam ad aſcendendum, & aliquid magnum moliendum animari. Hi nunquam erunt virtute ſublimes, niſi hanc ſuam puſillanimitatem abnegent, & ſeipſos ad aſcendendum, & magnas virtutum actiones exercendas impellant. Magnificum enim opus ſine magnis ſumptibus fieri non poteſt, & nemo ſine magno labore ardua petit, & nunquam ſine magna difficultate, & eximio conatu theſaurum altè effoſum diuitiarum cupidus poſſidebit. Nihil

E verò magnificentius eſt, nihil difficilius, nihil ditius & occultius virtute perfecta, quam profectò ſine ingenti labore & conatu mentis, & ſine magnis ſumptibus, quibus homo vniuerſa terrena, ſaltem quoad affectum deſerat, nunquam acquiret. Neceſſarium eſt ergo, ſi ad eam peruenire cupit, vt amorem tepidæ quietis abneget, & mentem, ſi non in luto hærentem, at in ordinaria quadam vitæ conuerſatione iacentem, maioris laboris impoſitione mortificet. Omnis aſcenſus, inquit Gregorius, in la- *Greg. lib. 7 mor. c. 10.*
bore eſt, deſcenſus in voluptate, quia per admiſſum

greſſus ad ſuperiora tenditur, per remiſſionem verò ad inferiora declinatur. Ad montis enim verticem ſaxum ſubuehere, magni laboris eſt, idémque à ſummis ad ima dimittere labor non eſt: ſine mora videlicet proruit, qui magnis conatibus ad ſumma peruenit.] Si ergo nos non quidem vſque ad infimum montis, ſed ad culmen vſque virtutis aſcendere volumus, neceſſe eſt, vt pluſquam ordinariè laboremus. Qui ſanè labor magnam naturæ violentiam inferendam habet, & ſatis difficilem mortificationem inuoluit. Cupis eſſe verè humilis? iam omnes occaſiones honoris, & gloriæ mundanæ tibi deſerendæ ſunt, vilia quæque & abiecta miniſteria libentiſſimè admittenda, quæ te apud homines glorioſum, & nominatum facere poſſunt, abſcondenda: in rebus minùs rectè factis, quæ tibi imputantur, ſilendum: ſiniſtram opinionem de te conceptam, & tibi falsò impoſitam, ineptitudinis famam ad munus alicuius momenti ſubeundum, tolerandam. Alij te verbis minùs veris ex albo reiicient, vt ſe ingerant; tuos labores taxabunt, vt ſuos exaltent, quia ſine tui iniuria, & vilipenſione ſe magnos eſſe poſſe non iudicant, & tibi in his occaſionibus, & mille ſimilibus tacendum eſt, niſi euidens Dei gloria ad modeſtè loquendum obliget, ſi velis ad mediocrem ſaltem humilitatem, & mundi contemptum peruenire. Et tu hæc, & alia multa difficilia, quæ ſimiliter in aliis virtutibus exercendis occurrunt, ſine mortificatione præſtabis? Et tu hæc æquanimiter ſine abnegatione ſuſtinebis? Ergo ſine mortificationis ſtudio non eſt poſſibile virtutes acquirere, nec ad aliquem ſaltem mediocrem earum gradum peruenire. Quare ſupereſt, vt vel ſine vera virtute maneas, atque in ſterquilinio tepiditatis iaceas, vel vt vehementi cuidam ſtudio mortificationis inſiſtas.

Iſa. 9. 5.

Nam omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum miſtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis.] Non quidem poteris teipſum veſtibus veteris Adæ, niſi violenter exuere; non poteris ſine proprij ſanguinis effuſione, id eſt, ſine eorum, quæ diligis abiectione, à te priſtinos mores euellere, immò oportet laborare, & tibimetipſi violentiam inferre, vt pannos hos viles deſtruas, & igne charitatis abſumas. Ex quorum certè combuſtione auis vnica, virtus emergit, & ſuo aduentu humani cordis regionem lætificat. Phœnix enim (vt fertur) membra feſſa, & ſenio confecta igne concremat, vt ex cineribus renaſcatur, & iuuenis ac pulcher aſſurgat. Sic iuſtus debet tanquam membra, quæ ſunt ſuper terram, id eſt, affectus immoderatos, & omnem puſillanimitatem, & amorem noxiæ quietis adurere, vt valeat vitam nouam, & Chriſto ſimilem accipere, ac virtutibus, tanquam nouis & pulcherrimis pennis, decorari.

Mortificatione donum orationis impetrari.

CAPVT XI.

ORATIONIS, ac contemplationis donum cœtui virtutum adiungitur; quamobrem ſi mortificatio neceſſaria eſt ad omnes virtutes acquirendas, ex eodem fonte naſcitur, eam ad orationis donum comparandum neceſſariam exiſtere. Sed aliquid habet oratio, ratione cuius mortificationi indiſſolubiliùs adiungitur, & multo magis, quàm virtutes reliquæ, ab eius aſſiduo ſtudio dependet. Quod ita eſſe confirmabimus, ſi interrogemus, quare non tantùm in ſtatibus ſæcularibus Eccleſiæ Dei, ſed etiam in ſtatu Eccleſiaſtico, & in congregationibus religioſis inueniuntur multi viri boni, qui rectè viuant, qui ſine graui peccato conuerſentur, qui ad abſtinentias, & corporis aſperitates, & opera miſericordiæ, & actiones virtutum moralium ſe applicent; è contra verò inueniantur pauciſſimi, qui donum orationis habeant, qui cum Deo non iam verbis ſolis, ſed in ſpiritu & veritate, conuerſentur, & lucem contemplationis obtineant. An Deus noſter ſeuerus, & impetioſus eſt, qui velit vt homines ſibi famulentur, non verò vt eius alloquium expetant, neque ad ipſius conuerſationem accedant? Non. Quia de Sapientia Patris, ac Dei filio ſcriptum eſt: Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum:] neque horrebit eos, quorum naturam induit, quorum fratrem, ducem ac magiſtrum ſe fecit, quorum conuictum, & conuerſationem ad ſuas delicias requirit. Idem autem de Patre, & Spiritu ſancto ſentire par eſt. Nam ipſe Filius dixit: Qui videt me, videt & patrem;] vt ſe habere cum Patre non tantùm eandem naturam, verùm & eandem voluntatem, oſtenderet. Et cùm Trinitas Deus vnius ſit naturæ, atque ſubſtantiæ, eiuſdémque voluntatis, quod Filius pro deliciis habet, ſcilicet cum hominibus conuerſari, Pater quoque, & Spiritus ſanctus ſuas delicias computabit. An pauciſſimorum virorum ſpiritualium cauſa eſt, quòd homines ad omnipotentem Deum appropinquare, & tantam maieſtatem interpellare non audeant? Non. Quoniam iam euanuit tempus illud, in quo homines perterriti, ac pauore concuſſi ſtabant procul, & dicebant Moyſi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.] Immò nunc inſtat tempus, in quo quiſque filius Eccleſiæ audit dicentem Sponſum: Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.] Et multi ſunt, qui donum orationis vehementer exoptant, nec obtinent; qui dum conantur aſcendere, deturbantur: qui pulſant, & non aperitur eis: qui poſſunt dicere illud Ezechiæ: Dum adhuc ordirer, ſuccidit me.] An tandem huius rei cauſa eſt, quod Domini conuerſatio amara, & inſulſa homines ad eam aſpirantes exterret, & ſua inſuauitate eos iam accedentes repellit? Nullo modo. Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium.] Cuius manifeſtum ſignum eſt, quòd ad aliquam mediocritatem orationis admiſſi ita ſolent res humanas relinquere, & in aſſiduam Domini communicationem incumbere, vt vix charitate, proximorúmque neceſſitate poſcente, valeant à dulciſſimo Sponſi amplexu ſeparari.

Prou. 8. 31. — *Ioan. 14. 10.* — *Exodi 20. 18.* — *Cant. 2. 14.* — *Iſa. 38. 12.* — *Sapien. 8. 16.*

Huius ergo paucitatis virorum ſpiritualium, & qui donum orationis habeant, nulla alia cauſa aſſignari poteſt, niſi quòd oratio ac contemplatio, magnum, & indefeſſum ſtudium mortificationis præexigit; & quia pauciſſimi ſunt, qui ſeipſos fortiter abnegent, & perfectè mortificent, ideo rari inueniuntur, qui in cellam vinariam admittantur, & vinum illud diuinæ communicationis, quod non ad ſtultitiam, ſed ad ſapientiam inebriat, ſi non ad ſatietatem, ſaltem ad nonnullam ſufficientiam ebibant. Oratio enim (quo nomine, toto hoc capite contemplationem, & omnem cum Deo communicationem intelligo) eſt virtus caſtiſſima, (vt eam vocat Dionyſius Areopagita) & quæ requirit purgatiſſimas, & tranquilliſſimas mentes; quare abſente ab aliquo mentis tranquil-

Dyon. lib. de diuinis nomi. c. 9.

litate

litate atque mundicia, necnon & paſſionum pacatione, quæ tria à mortificatione proueniunt, neceſſe eſt, vt virtus orationis ſe abſcondat, & radius ille diuinæ claritatis, quo Deum contemplamur, abſcedat. [Aſcendit] ſponſa, nempe fidelis anima, per contemplationem ad Deum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris; Quòd ſi myrrha mortificationem, & thus orationem deſignat, ſi primum tollamus, oratio noſtra præ ſignitie non valebit aſcendere, neque Deo appropinquare. Simul aſcendit vtique, ait Ricardus de ſancto Victore, fumus mortificationis, ſcilicet & deſiderij atque orationis: qui alter ab altero fulcitur, ita vt neuter per ſe poſſit aſcendere, vel Deo placere. Superna enim deſiderare non poſſumus, niſi terrena deſpiciamus; & terrena non deſpicimus, niſi ſupernorum deſiderio trahamur. Abſque delectatione enim cor eſſe non poteſt, ſed aliqua ideo trahi neceſſe eſt, quia trahit ſua quemque voluptas, vnde cùm alia illi ſubtrahitur, ad aliam faciliùs inclinatur: & quia vacuum eſt, ad aliquid capiendum ampliùs eſt diſpoſitum. Tanto ergo magis ſpiritualem delectationem admittit, quanto & conſolationis terrenæ expers eſt, & in aliquo delectari non cupit.] Hæc ille, & alia optimè. Sicut autem anima mortificatione, ſimul & oratione ſubtollitur: ita & Dominus eiſdem duobus ſtudiis iunctis attrahitur, vnde & ipſe in Canticis ait: Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.] Eos namque familiariter viſitat, vt Gregorius annotat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, & per mundas, & humiles orationes ſuauiter redolere perſpicit.] Nec prætereunda eſt diuina loquutio, qua mortificationi nomen montis, & orationi nomen collis applicuit, quia videlicet oratio debet eſſe ſui cognitione humilis, & mortificatio fortitudine pugnandi ſublimis. Vel quia cùm mons collem quantitate mollis excedat, mortificatio debet orationem temporis diuturnitate ſuperare. Oratio enim quieta, & ab aliis occupationibus ſequeſtrata determinata habet tempora, quibus ab anima iuſta fundatur: at ferè nullum eſt tempus, in quo ipſamet anima à mortificationis exercitio ferietur. Sed quodcumque munus, quamcumque occupationem ſubeat, inuenit aliquid, in quo poſſit ſe ipſam vincere, & abnegare.

Cant. 3. 6. — *Ricard. in Cant. c. 9. ante medium.* — *Cant. 4. 6.* — *Gregor. ibid.*

Omnes quidem ſancti, ac perfecti viri nunquam ſine magna mortificatione, ad magnum orationis donum aſcenderunt, ideóque ineptiæ nobis tribuetur, ſi non mortificantes nos ipſos, velimus orationis donum accipere. Abraham aſcendens in montem, vt filium ſuum immolaret, ſtruem lignorum humeris eius impoſuit, ipſe verò portabat in manibus ignem & gladium. Hic patet multarum gentium, omnium eſt iuſtorum imago, qui dilectum filium Domino immolaturi, eum lignis onerant, & ipſi ignem, & gladium in manibus portant. Quid ligna indicant? Sanctas quidem, & pias meditationes, quæ ignem cæleſtis amoris foueant, quo ſpiritus immolandus ardebit. Et quid ignis gladiúſque ſignificant? Studium orationis & amoris, quo noſter ſpiritus ardet, & ſtudium mortificationis, quo, vt Deo viuat, mundo perit. Sed hunc gladium ſimul cum igne iuſti in manibus, id eſt, in operibus portant, quia proprium ſpiritum niſi abnegatione mactatum, non audent, immò nec poſſunt igne orationis incendere, nec charitatis flamma cremare. Quod ergo illi faciunt, & nos ſimiliter faciamus: priùs mactemus nos ipſos mortificationis gladio, quia ſicut in veteri lege animal viuum ſacrificij gratia, non licebat igni dare; ita & nunc fruſtra

Geneſ. 22. 6.

A laborabimus nos ipſos carni, & affectibus mundi viuentes ſanctæ orationis igni committere. Hic enim ignis non viuos, ſed mortuos ſæculo inflammare, & illuminare conſueuit, vnde & nos viuentes contemnet, & frigidos atque obſcuros relinquet. Quid? quòd non ſolùm animalia viua igni non tradebantur, ſed & immunda ſecundùm legem erant à Domini ſacrificio repulſa? Horum verò immundorum onus erat camelus, qui licèt ruminet, non tamen habet dorſum rectum, nec vngulam diuidit. Quem autem camelus ſignificat, niſi illum, qui vult ſe Deo in altari orationis immolare, non tamen rectitudinem ſpiritus quærere, nec inter bonum, & malum mortificatione diſcernere? Hic ſanè immundus eſt, indignus prorſus Domino præ-

B ſentari, & ſancto igne orationis incendi. Quin & camilieſus prohibetur, quo, vt inquit Beda, vita damnatur informis, & moribus tortuoſa: vt ex alio capite cognoſcamus, carnalem & immortificatam vitam, quam nobis non licet attingere, nec licere ad orationem & contemplationem adducere. In altari enim cordis, & in igne contemplationis ſpiritus mundo mortuus redolet, viuus fœtet: ſpiritus mortificatione lotus placet, at prauis affectibus inquinatus ob ſuam impuritatem reiicitur. O quàm verum hoc! Accedit homo ad cõtemplandum, qui de mortificatione non curat, & ibi eius ſpiritus vix ad momentum quieſcere ſciens, mille vana conſiderat, mille impura, & obſcæna meditatur, & quaſi his, quę cogitare debuerat, bonis admiſcet. An id non eſt

Beda qq. in Leuit. c. 9. To. 8.

C fœtere, & intolerabilem odorem emittere? Iam poſt paucos dies, videns ſe nihil meditatione proficere, ſtudium meditandi ac contemplandi deſerit, & occupationibus externis ſolùm intendit. An id non eſt à Domini conſpectu repelli? Verum igitur eſt, quia ad immolandum ſpiritum Domino concurrere debent ignis & gladius; & verum etiam eſt, ſpiritum prauis affectibus immundum non poſſe ſacro contemplationis igne accendi, nec flamma charitatis concremari.

Inuenimus cauſam quare pauci adhuc ex viris bonis donum orationis, & contemplationis habeant, quia ſcilicet pauci ſunt, qui diligenter in ſtudiũ mortificationis incumbant. Vnde ſapienter Beatus Pater Ignatius, audiens quendam ex noſtris de viro re-

Lib. 5. c. 1.

D ligioſo laudis causâ dicentem, quòd eſſet vir multæ orationis, vocem ipſam commutauit, aut radicem potiùs multæ orationis expreſſit, dicens: Vir erit multæ mortificationis. Sentiebat enim, quod veriſſimum eſt, magnum orationis donum ex magno abnegationis ſtudio pendere, & ſemper diſceſſum à nobiſmetipſis per mortificationem, & acceſſum ad Dominũ per orationẽ copulari. Sed quæramus nunc quam ob cauſam ita oratio mortificationi iungatur, vt ab ea diuelli, ſeparaŕique non poſſit? Certè quidẽ huius rei manifeſtiſſimam cauſam inuenimus, quòd oratio, ea præcipuè quæ mente fit, eſt quædam puriſſima rerum cæleſtium inſpectio, qua nos ad odium mali, bonique amorem incitamus. Inſpectio verò oculos mentis luce perfuſos, mundos, atque tran-

E quillos omnino requirit. Sicut enim corporis oculi tenebris obcæcati, vel puluere coinquinati, vel aliquo noxio humore turbati nequeunt colores aſpicere: ita oculi mentis ſine luce, ſine mundicia & ſine tranquillitate non valent diuina contemplari. Hæc autem tria ſunt mortificationis opera. Mortificatio enim dum peccata vitat, & ab illis abſtinet, illicitáque fugit, lucem ad meditandum & contemplandum impetrat. Nam Iſaias ait: Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere fa-

Iſaias 28. 9.

A ciet auditum? Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.] Non eos, qui ſæculi lacte nutriuntur, & rerum viſibilium vberibus delectantur, ſed impuris actibus valedicentes, ſapientia Dei, & lux contemplationis erudiet. (1. Corint. 2. 14.) Et Paulus: Animalis homo non percepit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur. Quis eſt animalis homo? Nonne qui animam videtur habere, non mentem: id eſt, qui omnem vitam ſuam in viſibilibus occupat, & nunquam ſe ad inuiſibilia percipienda, & diligenda præparat? Is non perſpicit arcana cæleſtia: ita ea audit, & cogitat, ac figmenta cogitaret, quibus nec ad bonum, nec ad malum moueretur. Stultitiam reputat, ob inuiſibilia futura ſe à præ- B ſentibus viſibilibus elongare: cùm tamen hæc ſit ſumma ſapientia, quam ſola lux diuina ſpiritualibus hominibus conceſſa diſcernit. Ac proinde ſapienter poſtulabat ſanctus Dauid: (Pſal. 118. 18.) Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.] Da, inquam mihi Domine vt me cohibeam, & tenebras meorum peccatorum auferam, licèt mihi inſipienti ſit iucundum in tenebris ambulare. Tūc verò cæleſti me luce perfundes, vt legis tuæ myſteria cum fructu conſiderem. (Greg. 5. mor. c. 21.) Vt enim dixit Gregorius: Mens ad contemplanda interna non perducitur, niſi ab his, quæ exteriùs implicant, ſtudioſè ſubtrahatur.] Relinquat igitur ea, quæ ipſam in terris ligatam, & compeditam tenent, vt ſe poſſit ſubtili cognitione, & cæleſtibus deſideriis cælis inferre, & vultui ſe Domini C præſentare.

Mortificationis etiam opus eſt, puluerem ineptarum cogitationum, & adhæſionem ad res terrenas abſtergere, quæ mentem in Dei hoſpitium creatam, & in thalamum præparatam, ingenita vilitate contaminant. Si autem contaminant, ineptam quoque ad colloquia reddont cum ſuo conditore miſcenda, eámque prægrauant, vt pennis cognitionis, & affectionis ad alta, ac ſublimia volare non poſſit. Obidque pulcherrimè Abbas Iſaac (Caſſian. col. 9. c. 3.) apud Ioannem Caſſianum, mentem noſtram pennæ leuiſſimæ comparauit. Quæ, inquit, ſi humoris cuiuſpiam extrinſecus accidentis corruptione viriata non fuerit, vel infuſa mobilitate ſubſtantiæ ſuæ, tenuiſſimi ſpiritus adiumento, velut natura- D liter ad ſublimia, cœleſtiáque ſuſtollitur: ſin verò humoris cuiuſquam aſpergine, vel infuſione fuerit prægrauata, non modò in nullos aërios volatus naturali mobilitate raptabitur, ſed etiam ad ima terræ concepti humoris pondere deprimetur: ita mens quoque noſtra ſi accidentibus vitiis, curiſque mundanis aggrauata non fuerit, noxiæve libidinis humore corrupta, velut naturali puritatis ſuæ beneficio ſubleuata, leuiſſimo ſpiritalis meditationis afflatu ſublimabitur ad ſuperna, & humilia deſerens atque terrena, ad cæleſtia, & inuiſibilia transferetur.] Hæc ille. Ea ergo vſus mortificationis abſtergat, quæ mentem ab orationis aſcenſione retardant, cuiuſmodi ſunt diſtractiones, contentiones, verboſitates, detractiones, proprij honoris & commodita- E tis quæſitiones, & alia huiuſmodi, quæ ſæpe viros etiam bonos, & ſpirituales offuſcant. Nam ſicut horum admiſſiones ad Sponſi conclaue, ingreſſum impediunt, & gratiam tollunt impetrandi, ita eorundem abnegationes aſſiduæ ianuam Domini pendunt, & vim habent, quod petitur, obtinendi. Quid ſignificat mirabilis Abbatis Nili ſententia: (Nilus.) Quidquid patienter tuleris, fructum in oratione percipies. Id eſt, ſi teipſum abnegaueris, & corpus, ac animam flagello mortificationis afflixe-

A ris, non ſolùm in alia vita, verùm & in tempore orationis præmium aliquod aſſequeris. Quia ſicut immortificatio, mentis ariditate & deſolatione ſæpe mulctatur; ita è contrario abnegationi deuotione mentis & cæleſti conſolatione reſpondetur. Æquum enim eſt vt ruſticus inuerecundè Palatium regis irrumpens, & cæpe, ac allia, & ſimiles cibos groſſiores rerum mundanarum eructans, hilarem faciem regis non videat, pauperculus verò humilis modeſtè ingrediens, & ſe abnegatione purificans, ſui deſiderij impletionem accipiat. Memor eſt illius Paulini præcepti: (1. Tim. 2. 8.) Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione.] Et dum manus, id eſt, opera, & affectiones ab ira, & contentione, & ſimilibus malis emundat, ſeipſum B ad magnum fructum percipiendum, ex oratione diſponit. Lignum aridum, omnique humore liberum, aptum eſt, vt ab igne conſumatur, ſic mens ab amore temporalium mortificatione purgata, diſpoſita eſt, vt cæleſti illuſtratione & calore formetur. Nam Deus ſibi ſimiles diligit, eóſque libenter in ſuam familiaritatem euehit. Similes autem Deo ſunt, qui ſibimet ipſis vim inferunt, & in omnibus, quoad poſſunt, deſideria ſæcularia mortificant. Ita quidem fiunt ſpirituales viri, id eſt, carnalia & mundana fugientes, & cæleſtia ac ſpiritualia conſectantes. Quid ergo mirum, ſi ille, qui ſpiritus eſt, ſpirituales diligat, ſpirituales dona multiplicet, ſpirituales ſibi per intimam familiaritatem adiungat?

Mortificatio denique omnem perturbationem C aufert, & miram animæ tranquillitatem importat. Deus ſanè pacatam animam ad actus contemplationis inuitat. In pace enim factus eſt locus eius.] (Pſal. 75. 3.) Templum quoque ſibi à rege pacifico, & in tempore pacis ædificari voluit. In diebus ſummæ pacis natus eſt, cùm gentes conflabant gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces.] (Iſaia. 2. 4.) Atque Eliæ in quadam pacis imagine, ſcilicet in [ſibilo auræ tenuis,] apparuit. (3. Reg. 19. 12.) Hanc autem pacem, à qua homines ſuis deſideriis & voluntatibus adhærentes, longiſſimè abſunt, viri mortificati, prout in hac vita fieri datum eſt, certiſſimè poſſident. Affectus enim, & deſideria prophana, necnon & ſenſuum oblectationes ſunt quaſi venti vehementiùs ſpirantes, qui D mare noſtri cordis turbant, & ſæuiſſimas tempeſtates exſuſcitant. Et vidimus ſæpe non tantùm corda impiorum, ſed etiam corda bonorum, quaſi mare, feruere, & paſſionum quaſi ventorum diris flatibus ſurſum & deorſum agitari. Iſtam verò tempeſtatem mortificatio ſedat, quæ affectus cōprimit, ſenſus cohibet, deſideria ligat, & ſpiritales hos vētos velut alter Æolus, carcere occludit. Quamobrē Iſaias ait: (Iſaia 32. 17.) Et erit opus iuſtitiæ pax,] quia dum iuſtus, vt æquus iudex, in affectiones immoderatas ſententiam profert, & eas abnegationis flagello caſtigat, eam pacem mentis, & cordis tranquillitatem obtinet, quæ omnem humanū ſenſum exuperat. Idque Ricardus Victorinus (Ricard.) in duobus filiis Zelphæ Gad, & Aſer, ſecūdùm tropologiam adumbratum putat, quorum ille vigorem abſtinentiæ, & iſte vigorem patientiæ, & E vterque ſimul plenam abnegationem ex ablatione delectabilium, & ſuſtinentia triſtium conſtantem ſignificat. Hi duo in Deuteronomio benedicti vocantur, (Deuter. 33.) & fœlicitas interpretantur, quia vigor abſtinentiæ, quo omnia ſuperflua reſecamus, & vigor patientiæ, quo affligentia quæque ſuſtinemus, nos in hac vita fœlices, & pacis poſſeſſores reddunt. Nam duo ſunt, inquit prædictus doctor, ex quibus conſtat gaudium beatitudinis carere eo ſcilicet, quod nolis, & habere quod velis. (Ricar. Ben. ... c. 26.)

Fœlicem,

Fœlicem ſiquidem dicimus, qui nil patitur, quod nolit, & illum beatum iudicamus, cui ſuppetunt, quæ cupit. Qui igitur pro cæleſtium deſiderio, ſæculi voluptatem odit, profectò per abſtinentiam hoſtem ſuum vbique declinare poterit. Rectè ergo vigor abſtinentiæ Gad, id eſt, fœlicitas dicitur, qui vbique calcat ſæculi blandimenta, quæ deteſtatur. Item qui pro amore Dei, afflictionem corporis diligit, vbi quæſo, non inueniat aliquid vnde affligi poſſit? Si ergo iure beatus creditur, qui vbique inuenit quod amat: iuſtè vigor patientiæ, Aſſer, hoc eſt, beatus, nominatur, cui vndique obuiat quod deſiderat.] Sic ille. Iam ſi abnegatio lucem affert, oculos interiores mundat, & mentem pacat, atque tranquillat, non dubium quin ad donum orationis contemplationiſque diſponat.

Ex quo etiam ſequitur, abnegationem duos orationis comites, impetrationem eorum quæ poſtulamus aut deſideramus, & ſpiritualem conſolationem afferre. Impetrationem quidem: quoniam Dominus, qui impensè ſuos diligit, non negat illis, quod videt magno deſiderio, magna præparatione, & fletu, ac lacrymis poſtulare. Qui verò orationi mortificationem adiungunt, ea ſe ad impetrandum diſponunt, lacrymis, ſi non corporis, at mentis, id eſt, afflictione petunt, & ſe ingens habere deſiderium poſtulatorum oſtendunt. Iudith in cilicio, & cinere orans victoriam hoſtium impetrat. Eſther ieiunans, & ſe affligens, Aſſuerum placat. Ioſaphat prædicato ieiunio omnibus ſubiectis ſuis hoſtes effugit. Daniel deprecatur in ieiunio, ſacco, & cinere, & ſtupenda dona conſequitur. Et eodem modo nos, dum orationi mortificationem corporis, & multo magis ſenſuum, & affectuum compreſſionem copulamus, quod petimus, aut cupimus, ſuſcipimus. At quis explicare ſufficiat, quàm magnis conſolationibus Dominus in orationis lectulo mortificatos recreet? Hoc alterius tractationis eſt. Interim tamen ſciamus, quòd ſicut in rebus ſæculi oblectantes ſe ipſos, diuina conſolatione priuantur; ita ſemetipſos vincentes, & abnegantes ineffabilibus ſæpe conſolationibus perfruuntur. Filij Iſrael non in Ægypto, ſed in Deſerto, poſtquam Ægypti farina defecerat, manna de cælo, quo reficerentur, ſine vllo labore ſuſcipiunt. Ita iuſti pane cæleſtis conſolationis abundant, cùm oblectationes mundi deſerunt, & per ſui abnegationem quaſi in quodam ſe deſerto conſtituunt. Ibi guſtant panem, quem non terra manibus hominum culta profert, ſed cælum ſponte demittit: Omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem.] His dicitur in Prouerbiis, vt potus cæleſtis ſuauitatis concedatur: Date ſiceram mœrentibus, ait Salomon, & vinum his, qui amaro ſunt animo.] In his nominibus ſiceræ & vini, diuina conſolatio, & in eo, qui amaro eſt animo vir mortificatus exprimitur. Vnde Beda: Siceram & vinum hoc loco, ſupernam diuinæ ſapientiæ conſolationem dicit, quæ illis eſt exhibenda cordibus, quæ in infimis conſolari refugiunt; & quicquid occurrit in præſenti, amaro ſuſcipiunt animo: ſolis, quæ nondum vident, gaudiis cæleſtibus tota mente inhærentes, iuxta eum, qui dixit: Negauit conſolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus ſum.] Hæc ille. O igitur flendam hominum inſipientiam! qui ob terrenas oblectatiunculas, quas vix ſummis labiis attingunt, cæleſtium conſolationum abundantia priuantur! O deteſtandam ſtultitiam eorum, qui magis volunt in rebus viſibilibus, quàm in omnium creatore delectari! Sed ô nullis verbis ſatis damnatam cæcitatem ſpiritualium virorum, qui ob res ferè nullius momenti, quas facillimè poſſent abiicere, tam ineffabilibus bonis ſe indignos efficiunt! Nam ſæcularis ſuo corpori indulgens aliqua percipit oblectamenta creaturarum, quæ ſaltem ad horam miſerum corpus exſatiant, eiuſque ad breue tempus appetitum, & deſiderium explent. At nos pro noſtri ſtatus ratione à mundi deliciis elongati, ob, neſcio quas, puerilitates ſenſuum, & affectuum noſtrorum, & ob, neſcio quam, inanis gloriæ vmbram cæleſtes conſolationes, certè maximas, & ſuauiſſimas perdimus, & donum ſanctæ contemplationis admittimus. Tantæ ergo dementiæ nos pudeat, & qui iam maiora, & quæ alicuius videbantur eſſe momenti, reliquimus, ne ob res nihili tam ſuauia bona perdamus. Fortiter, & conſtanter abnegemus nos ipſos, quia ſine abnegatione nunquam in ſponſi arcanum intrabimus, nunquam cæleſtes conſolationes conſequemur.

Judith.9.1. Eſther.4. 2.Paral.20.3. Daniel.9.3. Exod. Sapien.16.20. Prouer.31.6. Beda. li.3 in Prouer. ad eundem locum. Pſal.76.4.

Mortificatione omnem perfectionem obtineri.

CAPVT XII.

QVID Amplius de hoc præſtantiſſimo abnegationis medicamento dicemus, niſi quod medici corporum, ſua medicamenta laudantes, ſolent profiteri, nimirum ea omnibus inualetudinibus carnis mederi, amabilémque ſalutem præſtare? Dicant ipſi quod ſibi libuerit, & ſuas curandi rationes exaggerent, quia nunquam vno duntaxat medicamine vniuerſos carnis morbos curabunt, nunquam eam à corruptibilitate vindicabunt, nunquam perpetua & indirupta ſanitate complebunt. At nos verè, & ſine vlla exaggeratione dicimus, vnum abnegationis medicamen omnes ſpiritus noſtri infirmitates, plagáſque depellere, & omnem ſanitatem ſpiritualem, quæ nobis volentibus ſemper duret, ſcilicet ſanctitatem & perfectionem afferre. Nec eſt neceſſe repetere, de illa abnegatione eſſe ſermonem, quam diuina gratia parit, & Deus, nos ſupernaturaliter mouens, in nobis efficit, ſine quo nihil omnino poſſumus, & nec minimam perfectionis particulam comparare valemus. Ioannes Caſſianus mortificationem, pefectionis initium appellat. Mortificatione voluntatum, inquit, extirpantur, atque marceſcunt vitia vniuerſa. Expulſione vitiorum virtutes fructificant, atque ſuccreſcunt. Pullulatione virtutum, puritas cordis acquiritur. Puritate cordis Apoſtolicæ, charitatis perfectiò poſſidetur. At nos amplius dicimus: mortificationem nempe non tantùm perfectionis initium exiſtere, ſed illius beneficio animam omnes gradus perfectionis aſcendere. Mortificatio enim, vt monſtratum eſt, vitia extinguit, quatenus nos à malo retrahit. Mortificatio virtutes inſerit, quatenus ad actus difficiles aggrediendos & ſuſtinendos impellit. Mortificatio cor purificat, dum affectus moderatur, & rerum viſibilium deſideria cohibet. Mortificatio denique mentem diſſoluit, vt in altum perfectæ charitatis volet. Ab ipſa igitur omnis noſtra perfectio dependet. Perfectionem quidem in primo volumine huius operis, ſanitati comparauimus. vt ſicut ſanitas corporis in humorum temperie, & membrorum ac virium integritate, & agilitate poſita eſt; ita

Caſſian. lib.4. de inſtit. c.43. Tomo.1. lib.3.3.p.2.c.

ſanitas, aut ſanctitas animæ in ea vita gratiæ, quæ paſſiones temperet, & omnes virtutes inferat, & agilitatem ad omnia opera actionis, & contemplationis tribuat, eſt collocata. Hanc autem Dominus hominibus, mouendo eos ad indefeſſum mortificationis ſtudium, concedit. Nam ea mortificationis parte, qua ſe à peccatis elongant, & à rebus creatis auertunt, ad Deúmque conuertunt, ſpirirum gratiæ conſequuntur. Poſt acceptam verò gratiam, quò ſe magis abnegant, maiorem paſſionum moderationem, & maius virtutum augmentum, & faciliorem aditum ad ineundam cum Domino familiaritatem, impetrant. Quare mortificatio eſt in omnibus perfectionis gradibus neceſſaria, quæ mentem paulatim vſque ad ſummam perfectionem extollit. Hanc mortificationem (quod certè præſtantiſſimum eſt eius elogium) ipſo ſtudio orationis quærimus, quod ideo ſublimiſſimum inuenitur, quia eo mortificationem, & mentis puritatem, & Chriſti quandam ſimilitudinem comparamus. Licèt enim mortificatio ad orationem referatur, nóſque abnegamus, vt puras ad Dominum manus leuemus: tamen ipſa oratio iterum ac contemplatio potiſſima ad mortificationẽ refertur, ideóque oramus, ac contẽplamur, vt robur ad omnem mortificationem, & diuinæ legis obſeruationem impetremus. Eſtque in hac re pulcherrimus quidam circulus, vt ſicut ex niue aqua, & ex aqua nix gignitur; ita oratio ob mortificationẽ, & mortificatio ob orationem quæratur. Ex quo elicitur in his duobus animæ perfectionem conſiſtere: in illiſque incipiendum eſſe, per illa progrediendum, atq; in his vitam eſſe finiendam, ſi volumus hîc nonnullam perfectionem habere, & ad præmia perfectorum euolare.

Videamus quàm verum ſit, mortificationem ianuam omnis perfectionis exiſtere, cui productio magni fructus ſpiritualis aſcribitur. Dominus enim ait: Niſi granum frumenti cadens in terra, mortuũ fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.] Nam ſi hoc verbum à Capite, Chriſto, de quo ad litteram dictum eſt, ad eius membra transferamus, multum fructum morti carnalium appetitionum, vel mortificationi aſcribi videbimus. Sicut verò nullus fructus nullam virtutis poſſeſſionem ſignificat: ita paruus fructus nonnullam virtutis acceſſionem; & multus fructus virtutis perfectionem deſignat. Ex quo intelligendum eſt, vt quemadmodum Dominus per veram mortem ſuam multum fructum attulit; quia perfectiſſimè genus humanum redemit: ita iuſtus per veram, & perfectam mortificationem ſuam multum fructum afferat, id eſt, ad perfectam virtutem aſcendat. Qui ſine vlla ſui abnegatione nullum fructum afferet, ſed integer ſenſibus, & affectibus, & frigidus, atque inutilis permanebit. Cum aliqua verò mortificatione aliquem fructum dabit, licèt paruum, quia alicuius gradus virtutis erit particeps. At cum omnimoda mortificatione, qua verè mundo mortuus eſſe dicatur, copioſum fructum reportabit, quoniam ipſam virtutis perfectionem obtinebit. Is filius Chriſti prædilectus prædicabitur, qui ad ſimilitudinem eius, cruci mortificationis affixus, vt multum fructificet, verè mundo mortuus eſſe videbitur. Poteritque Chriſtum patrem appellare, & de eius ſingulari prouidẽtia gloriari, propter cuius amorem mundi vanitatem, & carnis voluptatem ſpreuit. Vnde Bernardus de ſcientia malorum ait: Alia eſt ſcientia mundi, quæ docet vanitatem: & alia ſcientia carnis, quæ docet voluptatem. Illa tanquam pater, iſta tanquam mater nobis eſt. Sicut enim mater filio ſuo ſemper optat quietem, & omnem prorſus laborem claudit à filio ſuo; ſic caro incraſſata, impinguata, dilatata recalcitrat, nec minimis ſaltem digitis patitur ſe contingi. Et ſicut pater vult filium ſuum huc, illúcque diſcurrere, vt addiſcat vnde aliquando magnificetur: ſic & mundus vult hominem multis laboribus intricari, vt habeat vnde ſuperbiat, vnde inflectur, & deſipiat de vanitate in id ipſum. Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, id eſt, propriæ voluntatis, quæ quaſi radix eſt, duæ filiæ ſunt vanitas, & voluptas clamantes, Affer, Affer. Hæ nunquam ſatiantur: nunquam dicunt: Sufficit. Si quis has plenè in ſe contriuerit, non immeritò ſibi illam vocem poterit coaptare: Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem aſſumpſit me.] Hæc ille. Sicut verò nihil eſt illuſtrius, quàm Dei filium eſſe, Deúmque patrem vocare & agnoſcere; ita nihil poteſt eſſe mortificatione excellentius & vtilius, quæ iuſtis hanc confert ampliſſimam dignitatem. Planè eos facit filios Dei, quàm ſimillimos illi, quoniam omnem diſſimilitudinem à peccatis, & prauis affectibus prouenientem conſumit, & ad accipiendam de manu Domini perfectam charitatem, diſponit. Ea eſt, quæ corda iuſtorum plenè ab inanibus ſæculi deſideriis euacuans, apta facit, vt ſuauiſſimo perfectionis deſiderio repleantur. Qui enim in quibuſdam ſe abnegant, & in aliis ſecum ipſi diſſimulant, velut ſemiuacui, aut ſemipleni ſe ipſos non poſſunt hoc pretioſo vnguento repleri. Qui verò omnimodæ mortificationi ſe tradunt, hi mundo vacui ſunt, quos Dominus nullo pacto vacuos manere permittet, ſed ſpiritu perfectionis replebit. Audiunt hi Paulum dicentem: Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi:] curántque omnem malitiam, & immunditiam abnegare, & exuere, vt panes azymi, id eſt, puri, & ſinceri, ac homines ſancti, & perfecti reperiantur. Nam ſicut panis aliquid fermenti habens non eſt azymus: ita iuſtus aliquid voluntariè non mortificatum habẽs, non eſt omnino perfectus. Vt ſic pateat omnem huius vitæ perfectionem mortificationi ſubniti & ex eius exercitatione conſtare.

Perfectio quidem benedictio Domini eſt, quam ipſe poſt multos iuſtorum labores, ipſis tanquam maximè dilectis impertit. De ea dictum eſt in Prouerbiis: Benedictio Domini ſuper caput iuſti.] Nã cùm Hebræa habeant: Benedictiones capiti iuſti, quid melius huius benedictionis nomine intelligi poteſt, quàm ipſa iuſti perfectio, quæ omnes eius benedictiones, id eſt, omnes virtutes, & omnia Dei dona comprehendit? Quæ optimè ſuper caput iuſti eſſe dicitur, quoniam primùm mentem eius replet, & ex mente in vires animæ ſe diffundit. Eandémque promittit iuſto ſe mundanti ſanctus Dauid, cùm ait: Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Eam ſcilicet benedictionem, & eam miſericordiam, quæ omnem ab eo (quantum in hac vita fieri poteſt) miſeriam imperfectionum depellat. De iſtá que benedictione Eccleſiaſticus ait: Benedictio illius quaſi fluuius mundauit: quomodo cataclyſmus aridam inebriauit:] Ita enim eximium perfectionis donum ad inſtar inundantis fluuij, atque abundantiſſimæ aquæ, mentem fœcundat, & copia cœleſtium donorum inebriat. Hæc autem benedictio, vt mortificationis præmium merceſque promittitur. Quare & illi, qui diſtrictis gladiis vituli adoratores trucidarunt, audierunt à Moyſe: Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino vnuſquique in filio, & in

Ioan. 12. 24.

Bern. ſer. in illud Sap. 6. Iuſtum deduxit Dominus.

1. Corint. 5. 7.

Prouer. 10. 6.

Pſal. 23. 5.

Eccli. 39. 27.

Exod. 32. 29.

fratre ſuu, vt detur vobis benedictio.] Et ſimiliter abnegantes ſeipſos conſecrant Domiuo manus ſuas in filio, & io fratre: in filio qoidem, quoniam filios ſui appetitus, id eſt, deſideria inania cohibent: in fratre verò, quooiam corpus animæ ſocium, & quaſi fratrem rationi ſubiiciunt. Quidni expectent benedictionem, qua vitiorum deſtructures, & fortes Domini milites prædiceotur? Perfectionis itaque benedictio ſeipſos abnegantibus datur. In illos quadrat

Ierem. 31.23. illa imprecatio Ieremiæ: Benedicat tibi Dominus pulchritudo iuſtitiæ, mons ſanctus. Quando enim iſta imprecatio profertur? Adhuc dicent, inquit, verbum iſtud in terra Iuda, & in vrbibus eius, cùm conuertero captiuitatem eorum. Cùm igitur Dominus ſuorum captiuitatem conuertit, cùm eos à miſera ſeruitute peccatorum, quorum iugum per mortificationem excutiunt, ad iuſtitiam transfert, tunc

Hier. ib. Chriſtus, qui ſecundùm interpretatiooem Hieronymi, monte ſancto, & iuſtitiæ pulchritudine ſignificatur, eis hanc amplam benedictionem communicat, qua ipſi & ſancti fiot, & tales (cùm opus eſt) ab omnibus cenſeantur. Tunc impletur illud, quod in eodem

Ierem. 31. 25.26. propheta ſequitur: Quia inebriaui animam laſſam, & omnem animam eſurientem ſatiaui. Ideo quaſi de ſomno ſuſcitatus ſum, & vidi, & ſomnus meus dulcis mihi.] Dominus enim omnem animam abnegationis labore fatigatam refocillat, & cibo perfectæ virtutis exſatiat, & potu cœleſtium conſolationum inebriat. Sed ô ſalutaris ebrietas, quæ non torporem & ſomnum, ſed mentem peruigilem, & in cœpto labore perſeuerantem immittit. Refecti enim iuſti, & bene potati dicunt: Quaſi de ſomno ſuſcitati ſumus, quia illa cœleſtis refectio nos ad vigilandum, & ampliùs laborandum exſuſcitat. Vidimus namque ineffabilia bona, quæ Dominus nobis communicat, & dulcedinem illius ſomni experti ſumus, qua mens terrenis rebus defæcata, in ſinu Sponſi ſoporatur, & dormit: & ideo laborem abnegatioois reſumimus, ſi fortè iterum dormiamus. Qui ergo hanc benedictionem, id eſt, perfectionem cupis, aſſidua mortificatione teipſum exerce: illa enim eſt, quæ moerem euacuat, vt ſuauem illum liquorem accipiat. Nec poteſt quis ſine abiectione mali bonum cooſequi, oec ſine expulſiooe perturbationum ad perfectionis, ac tranquillitatis pacem peruenire.

Mortificationem eſſe imitationem Chriſti veriſſimam.

CAPVT XIII.

OMNIS noſtra perfectio, qoam, aſpirante Dei gratia, conſequi poſſumus, ad hoc ſummum poteſt prouehi, vt aliquam Chriſti Domini, & Saluatoris

Matt. 10. 14. noſtri ſimilitudinem induamus. Neque enim eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper Dominum ſuum. Sufficit diſcipulo vt ſit, ſicut magiſter eius, & ſeruo, ſicut Dominus eius.] Quod ſi ita eſt, fœliciter ſatis actum erit oobiſcum, ſi poſt immenſos labores, perfectionis gratia ſuſceptos, ſicut magiſter noſter ac Dominos, ſimus, id eſt, aliqua, vel tantulla ſimilitudine, eius perfectionis donemur. Sed hanc ſimilitudinem per Dei gratiam aſſiduus, & diligens vſus mortificationis aſſequitur; qua Chriſti imagines reddimur, eiúſque inſignibus, ac veluti lineamentis induimur. Nam vt ex aliquo ligno imago cuiuſdam regis affabre fiat, oportet illud ab arbo-

A re exſcindere, excisſum è nemore extrahere, extractum aſcia læuigare, læuigatum ſcalpello polire, politum penicillo viuis coloribus tingere, & per partes auri ſplendore contegere. Sic, vt ex homine pulcherrima Chriſti imago reſultet, eadem omnino ſunt neceſſaria; quæ omnia mortificatio ſculptrix diligentiſſima præſtat, & ex his omnibus Chriſti imaginem in nobis figurat. Nam (vt à primo ordiamur) arbor, cuius rami ſumus, eſt profectò vetus Adam, cuius ſuccum iniquitatis per venulas, & occultos meatus naturalium affectionum trahimus, vt carni viuamus, & mortis fructibus oneremur. Ab hac verò arbore mortificatio nos cædit, dum amorem rerum mundanarum, quo veteri Adæ inhæremus, abſcindit. Quemadmodum enim ad ædificãdum templum Domino, *2. Paral. 2.*

B ligna io monte Libano cædebantur, & Hieroſolymam comportabantur: ita vt Saluatori ex nobiſmetipſis templum extruamus, immò vt eius imagines efficiamur, neceſſe eſt ab impura protoparentis radice diſcindi, & ab eius moribus ſeparari. Id autem abnegatio præſtat, quæ dolorem animæ ſuis affectibus iunctæ contemneos, eam ab eo, quod diligebat, ſeparat. Ipſa etiam hominem iam deſiderio ab imitatione primi parentis ſeparatum à nemore, id eſt, à ſæculo extrahit. Quod quidem facit, vel dum opere ad aliquem ſtatum vitæ ſpiritualis transfert, vel dum ſaltem affectu, & vita ab occupationibus terrenis diſiungit. Quis enim poterit, niſi abnegando ſeipſum, aut ſæculum actione relinquere, aut ſaltem ab eius actibus amore & affectu diuelli? Certè quæ aman-

C tur, nunquam ſine labore & triſtitia relinquuntur: oportet ergo, vt homo abnegatione ſui hunc laborem ac triſtitiam vincat, vt poſſit à morte ſibi dilecta diſiungi, & ad vitam, quam non diligebat, iam verò amabilem reputat, reuocari. Vnde & in libro Eſdræ ad Dominum dictum eſt: Mortificabis eum, ſcilicet hominem, vt tuam creaturam, & viuificabis eum, vt opus tuum.] Quia nimirum priùs à creatura Domini, quæ illi diſplicent, remouentur, quàm ad nouam ipſa vitam aſſurgat. *4. Eſdræ 8.13.*

Ligno verò iſto myſtico ab arbore euolſo, & à nemore ſæcularis conuerſatiooìs extracto, incipit abnegatio ipſum aſſiduis ictibus læuigare, & dolare, id eſt continuis actionibus ſibi conuenientibus exercere. Nunc ſenſus cohibet, & ſuperfluas rerum delectabi-

D lium perceptiones deſerit. Nuoc cogitationes ligat, & ab immundis, & inanibus rebus auertit. Nunc appetitiones frænat, & inordinatum amorem, triſtitiam, iram, & affectiones reliquas in immoderatos actus prodire non ſinit. Nunc corpus domat, & quod neceſſarium non eſt in cibu, in potu, in veſte, in vtenſilibus, & in reliquis huiuſmodi conſtanter reſecat. Poſtquam verò his actibus veterem hominem læuigauerit, vires omnes quaſi ſcalpello perficit, dum minores imperfectiones, quoad fieri poteſt, reiicit, & abſcindit. Deiode dum actionibus virtutum, licèt laborioſis intendit, quaſi penicillo viuos colores infundit. Et tandem dum cupiditatem minuit, ad aurum charitatis excipiendum diſponit, quo homo non ſe ſupra reliqua omnia, ſed Deum ſupra ſe, & ſicut

E ſeipſum proximos diligat. Ex his autem omnibus imago Chriſti, & figura quædam Dei noſtri conſurgit. Ad quod hortatur Paulus dicens: Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.] Nam ſicut tunc portabamus imaginem terreni hominis, cùm eius vitiis ſubdebamur, cùm terrena & prophana diligebamus; ita cœleſtis hominis induimus imaginem, cùm his expulſis, & abſciſſis, normam conuerſationis Chriſti tenemus. Quod Gregorius Nazianzenus his verbis teſtatur: *1. Corin. 15.49.*

Nam

Nazian. orat. de calamit. extrema ſua. Nam profectò Dei magni figmentum & imago eſt, homo diuinitùs ad Deum proficiſcens, quiſquis ſurſum tendens, carnéſque ſpiritus vinculis coërcens, Chriſtum benignum, ac placidum vitæ ſuæ ducem habet: ſéque ita comparauit, vt facultates omnes ſuas, & linguam, & aures, mentémque adeò ipſam, atque omne corporis robur futuræ vitæ addicat, mundóque quicquid aduerſarius Belial alienorum raptor occupabat, extorqueat, atque in horrea ferat terrenis longè præſtantiora, quæ vel à furibus compilantur, vel vi aliqua maiore ſubuertuntur.] Si autem hoc ita eſt, quid efficacius mouere nos poteſt ad abnegationem conſectandam, quàm hæc Chriſti imago abnegationis præſidio cordibus noſtris impreſſa, cui nihil in hac vita iure præfertur? Quod Eccleſiaſticus

Eccli. 27. 3. B confitetur dicens: Nihil melius eſt, quàm timor Dei: & nihil dulcius, quàm reſpicere in mandatis Domini: Gloria magna eſt ſequi Dominum: longitudo enim dierum aſſumetur ab eo.] Prorſus gloria magna eſt, ſequi vita & imitatione Saluatorem noſtrum: nam & glorioſum valde eſt regi ſimilem eſſe, eiúſque veſtibus indui, & regis inſignibus exornari. Glorioſum etiam eſt eam vitæ rationem ſuſcipere, qua de manu regis perpetuum præmium accipimus, & fœlicitatem æternam comparamus. Hæc verò vitæ ratio non eſt alia, quàm quæ actionum, & paſſionum Chriſti ſequela, atque imitatione perficitur.

Rom. 8. 17. Erimus namque hæredes Dei, & cohæredes Chriſti, ſi tamen compatimur, quemadmodum Paulus ait, vt

2. Tim. 2. 11. & conglorificemur.] Et rurſus: Si commortui ſumus, & conuiuemus; ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus.] C Ex quo conſtat, eum, qui noluerit Chriſto ſimilem eſſe, non poſſe cum Chriſto regnare.

Ipſe quidem Paulus iſta cognoſcens, de hac Chriſti imagine ſibi per omnium rerum terrenarum abnegationem impreſſa gloriatur, cùm ait:

Galat. 6. 14. Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti:] quaſi omnem aliam gloriam ſuſpectam habeat, & indignam Chriſtiano homine, quam non crux, & imitatio vitæ Saluatoris attulerit. Propter hanc gloriam ſanè veriſſimam vniuerſa terrena contemnit:

Phil. 3. 8. Veruntamen, ait, exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci,

1. Corin. 2. 2. & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.] Immò & ſe nihil aliud noſſe, aut docere conſtituit. Non enim, inquit, iudicaui me ſcire aliquid inter D vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.] An Paulus Chriſtum natum, prædicantem, morbos ſanantem, & virtutes facientem ignorabat? An omnibus Chriſti myſteriis prætermiſſis, ſolam eius crucem & mortem prædicabat? Et quomodo ille aliorum obliuiſceretur, quæ ad Chriſti amorem teſtandum, & ad vitam noſtram erudiendam pertinebant? Dicens ergo ſe tantùm noſſe Chriſtum crucifixum, oſtendit manifeſtè omnem Chriſti vitam fuiſſe ad crucis ſimilitudinem efformatam, & laboribus tribulationibúſque conſperſam. Nam & in infantia ſumma paupertas, & incommoditas illi adfuit, in vita deſpectio & humilitas, atque in morte iniuriarum multitudo & tormentorum acerbitas. E Vnde ait ad

Pſal. 68. 10. 11. 12. Patrem loquens: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Et operui in ieiunio animã meam, & factum eſt in opprobrium mihi. Et poſui veſtimentum meum, cilicium, & factus ſum illis in parabolam.] Tu hæc lector attende, quia ſi ieiunium infantiæ, & cilicium vitæ, & opprobrium morti accommodare velis, omnem Chriſti vitam, crucem & laborem fuiſſe cognoſces. Si omnis vita eius crux fuit, & qui nouit Chriſtum in mundo manentem, non

A potuit eum noſſe niſi crucifixum, manifeſtum eſt, quoniam ille imaginem eius induit, qui crucem baiulat poſt Dominum, & mortificationis oneri humeros ſuæ vitæ ſupponit. Hæ Chriſti imagines, vel Chriſti homines nos efficiunt. Egregiè namque dixit Ephræm: Qui verè cupit eſſe homo Chriſti, *Ephram de Fide.* æterniſque bonis ſe fruiturum ſperat, paupertatem, diuitias cum gaudio exiſtimare debet; & afflictionem recreationem; aſperitatem victus delicias: improperium honorem; & contumelias gloriam ducere: hæc enim vera ſeruorum Dei gloria eſt. Neque verò ſolùm improperia ferre debet pugil, ac miles Chriſti, quin & ſi fortè diuitiæ obuenerint, eas, vt ſtercora, reſpuere oportebit. Si gloria, & principatus non extollatur, & ſuperbiat: ſi laudes, atque hono- B res hominum, vt quæ ne ſint quidem exiſtimanda: quin etiam propter huiuſmodi res, quæ habentur glorioſæ, confundi & lugere oportet: & propter eiuſmodi contrà lætari, & gaudere, quæ habentur vilia, & abiecta putantur.] Sic ille. Ecce deſcriptionem veriſſimam imaginis Chriſti, ſiue hominis, qui Chriſti eſt, & Chriſtum imitatur, cuius imitatio non in deliciis, non in deſideriis inanibus, non in ſenſuum oblectationibus, non in expletione propriarum voluntatum, ſed in caſtigatione carnis, in abiectione deſideriorum, in ſenſuum mortificatione, & in voluntatis propriæ abnegatione poſita reperitur. Et ille Chriſto ſimilior, & imago eius pulchrior, & perfectior euadit, qui ſolicitiùs ſeipſum abnegat, & per laborem mortificationis magis ſe à moribus hominis C terreſtris elongat. Quia quò magis veteris hominis conuerſationem fugit, eò magis ad Chriſti imitationem accedit.

Sed quis non videat mortificatione hanc Chriſti imitationem induci, quam tum in agendo, tum in patiendo ſe ipſos abnegantes ſuſcipiunt? In agendo quidem, quoniam ipſi opera humilitatis & miſericordiæ amplectuntur, non quibus ſibi placeant, & ſe ipſos oſtentent, ſed quibus, dum aliis proſunt, ſe ipſos deiiciant. In patiendo verò, quia quæque dura & aduerſa eligunt; quæque corpus affligentia libentiſſimè perferunt, vt ſe ipſos crucifigant. Baſilius quidem primum mortificationis gradum in rerum externarum renunciatione poſitum ſimilitudinis, quam cum Chriſto habere debemus, initium appellat. *Baſi. reg. 8. fuſ. diſ.* Renunciatio eiuſmodi, inquit, citra vllius impedimenti re- D moram ſubſidio eſt nobis, nec mediocri, ad parandam poſſeſſionem, vſúmque rerum pretioſiſſimarum, nempe ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, vtque breuiori compendio circumſcribam renunciationem: eſt cordis ab humano viuendi ritu ad eum tranſcriptio, qui in cœlis eſt: adeò vt iure optimo dicere poſſimus: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt: &, quod omnium maximum eſt, ſimilitudinis, quam cum Chriſto habere debemus, initium: qui ipſe cùm diues eſſet, egenus factus eſt propter nos.] Si igitur renunciatio, aut abnegationis inceptio, initium eſt eius ſimilitudinis, qua Chriſto ſimiles efficimur: liquet, omnimodam abnegationem, ſimilitudinem eſſe perfectam, qua non iam in vno, aut in altero, ſed E in omnibus, quoad fieri poteſt, eius conuerſationem imitamur. Eâ enim vniuerſas maculas fugimus, quas ipſe nec voluit, nec potuit ſuſcipere; aut ſi non omnes fugimus, quia miſera iſta vita tantam puritatem non ſuffert, ſaltem quas contrahimus, deploramus. Eâ affectiones noſtras componimus, & ad imitationem ſanctiſſimarum affectionum ſuarum, quæ nunquam, nec in minimo à ratione, & perfectione receſſerunt, rationi, & ſpiritui ſubiicimus. Eâ quæcunque difficilia in virtutum actionibus occurrentia, vt Chriſti

virtutū ſimus capaces, ſuperamus. Ea aduerſa, & corpori, ac animæ noſtræ acerba, ob imitationem patientiæ eius ſuſtinemus. Ac tandem per mortificationem ita viuimus, vt vita Chriſti, & operum eius pulchritudo in nobis, puritáſque reſplendeat. Iam Chriſtus ſedet in nobis, vt non in noſtra conuerſatione vetus Adam, ſed nouus appareat. Dominus enim Pſal. 28. 10. diluuium inhabitare facit, & ſedebit rex in æternum.] Ante abnegationis quippe diluuium, quod affectus immoderatos ſubmergat, rex hic fortiſſimus non ſedebat, ſed ambulabat, & diſcurrebat, vt in regno ſuo hoſtes ſibi infeſtos, nempe iniquitates noſtras extin- Pſal. 43. 26. gueret. Idque precabamur dicentes: Exurge Domine, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum.] Et alio loco deſcribitur vir pugnator, omnipotens nomen eius, qui exurgit, & apprehendit arma, & ſcutum, venítque in adiutorium noſtrum. At poſt diluuium, poſt peccata noſtra mare, id eſt, contritione ſuffocata, poſt vitia noſtra extincta, & poſt affectiones vtcumque inundatione cœleſtium deſideriorum opertas, ſedet rex in nobis tanquam in ſedibus ſuis, & ſuum ſplendorem, & decorem oſtentat. Quemadmodum enim dum rex ſedet in throno, parum aut nihil throni videtur, quia corpore ſuo, & veſtibus, & regis inſignibus illum contegit, atque cooperit: ita dum Chriſtus ſedet in nobis, noſtras imbecillitates operit, ſeu potiùs roborat, atque confortat; ita vt aſpicientes non tam nos, quàm illum nos gubernantem, & ſua præſentia nobilitantem aduertant. Quod experiebatur in ſeipſo Paulus dicens: Galat. 2. 20. Viuo ego, iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus.] Quando hoc dixit? Certè poſtquam præmiſerat: Ego per legem (quæ ſcilicet Chriſtum mihi prædicauit) legi mortuus ſum, vt Deo viuam. Chriſto confixus ſum cruci. Factus, inquam, Chriſti ſocius in paſſionibus, & per abiectionem carnalis hominis, ipſius imitator effectus, non iam viuo ego, ſed ipſe viuit in me, cuius vitæ, conuerſationíque conformor. Ipſe igitur ſedit in me, & apparet in me, adeò vt qui me vident, Chriſtum ſe videre putent. Quia ſi non ſum Chriſtus ſubſtantiâ, ſum tamen Chriſtus imitatione: ſi non ſum perſona Chriſti, ſum tamen imago Chriſti, quem per mortem, qua carni mortuus ſum, in me ipſo delineaui, & per crucis mortificationem, quam in corpore animóque circumfero, in mea vita depinxi.

Si ergo abnegatio, eſt imitatio Chriſti Ieſu, qua eius ſimilitudinem induimus, æquum profectò eſt, vt illam magna cura, & diligentia complectamur. Membra eius ſumus, ipſíque, vt capiti, per fidem & amorem coniungimur, viam ergo crucis, quam caput Chriſtus ingreſſus eſt, membris, ſcilicet nobis, conuenientem iudicemus. Animas noſtras in ſponſas illi dedimus; illum igitur, vt ſponſum amantiſſimum, in laboribus, & preſſuris ſequamur. Non enim decet ſponſam fidelem ab ſponſo ſecedere, & diuerſam vitæ rationem ab illa, quam ſponſus elegit, amare. Ducem illum, atque imperatorem ſequimur: de ipſius itaque inſignibus, ſcilicet de plagis, de doloribus, ac Ioan. 14. 6. de preſſuris gloriemur. Chriſtus eſt via, veritas, & vita.] Greſſus noſtros in hac via ponamus: aures huic veritati præbeamus: & noſtram conuerſationem hac vita formemus. Tunc autem hanc viam ambulamus, cùm pedes affectionum noſtrarum in laboribus, & afflictionibus ponimus. Tunc veritatem hanc audimus, cùm doctrinam crucis, & mortificationis à Chriſto prædicatam auſcultamus. Tunc hanc vitam aſſequimur, cùm fugientes noſmetipſos & omnia, quæ mundus diligit, Chriſti imitationem induimus, & formam crucis eius in noſtra conuerſatione tenemus. Non ergo elucet in nobis ſine vera abnegatio-

A ne, Chriſti Saluatoris imago: quæ profectò nos efformans, à ſimilitudine veteris hominis liberat, cuius actus deponimus, & ſimiles Chriſto reddit, cuius actus tum in interiori, tum in externa exercitatione ſequimur. Ad hoc, Domine Ieſu, à ſæculo diſceſſimus, & vitam ſpiritualem profeſſi ſumus, vt tuam vitam ſanctiſſimam imitemur, & tibi ſimiles in omni ſanctitate efficiamur, per quam tandem gloriæ tuæ participatione cumulemur. Da igitur, nos abnegationis iugo colla ſubiicere, eámque in magiſtram ac præceptricem admittere, quatenus eius doctrina nos primùm in tuam imitationem extollat, & ex illa in gloriæ ſanctis paratæ ſedem deſiderabilē introducat.

B *De Excellentia Mortificationis.*

CAP. XIV.

VNIVERSA, quæ hactenus diximus, magnam eſſe præſtantiam atque excellentiam abnegationis declarant, cui datum eſſe videtur, vt animam à malis ex peccato prouenientibus liberet, & bonis augeat, quæ Chriſti imitatione, & omni perfectione continentur. Atque adeò aptiſſimè intelligi poteſt de illa pulchra ſententia Salomonis: Pre- Eccl. 10. 1. tioſior eſt ſapientia, & gloria parua, & ad tempus ſtultitia.] Abnegatio enim ſtultitia vocatur, non alia ſanè, quàm illa, de qua dicit Paulus: Placuit Deo per 1. Corin. 1. 21. C ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.] Et rurſus: Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc 1. Corint. 3. 18. ſæculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens.] Meritò verò hoc ſtultitiæ nomine abnegatio denotatur, quia hominibus ſtultum videtur, ſi homo præſentia delectabilia deſpiciat, in nullo ſuas voluntates expleat, & propriis deſideriis ac ſenſibus contradicat. At hæc ſtultitia eſt parua, & ad tempus. Parua quidem, quoniam non eſſet magnum detrimentum in terrenis errare, dummodo in rebus cœleſtibus ſaperemus. Et quia apud inſipientes tantummodo, id eſt, apud iniquos hæc ſtultitia videtur, cùm tamen apud veros ſapientes, ſcilicet iuſtos, & ſanctos ſumma ſapientia reputetur. D Eſt etiam ſtultitia ſolùm ad tempus, quoniam elapſo huius mortalitatis puncto, omnes docti pariter, & indocti, & vniuerſi iuſti, & peccatores cognoſcent, quàm ſapientes fuerunt, qui voluptates carnis reliquerunt, & ſemetipſos abnegarunt. De quibus iniqui dicent: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in Sapien. 5. 3. 4. 5. deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.] Hæc itaque parua ac temporanea ſtultitia, pretioſior eſt mundi ſapientia, & gloria. Nam ſapientiam mundi, qua mali ſapientes ſunt in oculis ſuis, iuxta dictum Iſaiæ: Et coram ſemetipſis prudentes,] qua ſibi Iſaia 5. 21. placent, & omnia inſuauia refugiunt, & dulcibus delectantur, Dominus irridebit; & gloriam ſæcularem ſe exaltantem aduersùs gloriam Dei in ſempiternam ignominiam commutabit. Et verè hæc ſapientia, & E gloria ſæculi ignominia eſt, quoniam probroſum eſt, ſi ſordidiſſimum mancipium hero nobiliſſimo dominetur. Quid autem carne, & affectibus carnis ſordidius, qui per mundi ſapientiam, qua oblectationes huius vitæ abnegationi præponunt, ſpiritui immortali, & propter Deum creato, dominantur? Non decent ſanè ſtultum deliciæ, nec ſeruum dominari prin- Prou. 19. 10. cipibus.] O quàm indecorum, & abſurdum, ſi inſipiens caro noſtra, quæ viliſſimam voluptatem Deo

prætulit

A præſtulit, deliciis & indulgentiis incraſſetur, & ancilla viliſſima ſpiritui ſalubria poſcenti dominari permittatur. Planè hoc eſt vnum ex illis quatuor, quæ omnem terram turbare noſcuntur. Per tria, inquit idem Salomon, mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere. Per ſeruum, cùm regnauerit: per ſtultum, cùm ſaturatus fuerit cibo: per odioſam mulierem, cùm in matrimonio fuerit aſſumpta: & per ancillam, cùm fuerit hæres dominæ ſuæ.] Immo & omnia hæc vna immortificatione continentur. Nam carnalis affectus, qui ſeruire debuerat, imperat rationi & corpori, quod de ſe inſtar eſt bruti, quicquid petit, vſque ad ſatietatem ingeritur: & odioſa caro in nimio habetur honore: & ſenſualitas, dum ſuis deliciis ferè totum tempus præripit, videtur fieri hæres rationis, ſcilicet dominæ ſuæ. Per hæc quatuor cordis

Prou. 30. 21.

B noſtri terra turbatur, quòd cùm aliqua cœleſti luce perfunditur, ea tamen indigniſſima ferre non poteſt.

Superat ſanè hæc ſapiens abnegationis ſtultitia omnem carnis ſapientiam & gloriam, ſiquidem iſta infamis eſt, quæ homines turbat; illa verò omni digna laudatione, quæ humana corda tranquillat. Audi quàm ſit hæc ſapientium ſtultitia, omni ſtultorum ſapientia & gloria pretioſior. Omnis ponderatio, inquit Eccleſiaſticus, non eſt digna continentis animæ.] Nihil enim eſt in humanis, quod cum anima continente, id eſt ſuos affectus cohibente, conferri debeat: nam talis anima habet in ſe venam, vnde omnis cordis tranquillitas, & vniuerſa ad vitam ſpiritualem pertinentia bona procedunt. Hæc vena vi-

Eccli. 26. 20.

C tæ (ſic enim nunc abnegationem vocare libet) in præmium obſeruationis legis promiſſa eſt: nam populo ſeruanti legem dicitur in Deuteronomio: Circumcidet Dominus cor tuum, & cor ſeminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt poſſis viuere.] Ecce partem præmij legis cuſtodiæ, quia qui legem Domini cuſtodierint, non tantùm in futura vita præmia æterna ſuſcipient, ſed in hac vita velut partem præmij, cor circumciſum, id eſt, mortificatum, & abnegatione compoſitum obtinebunt. Ecce quoque venam vitæ, quia circumciſum cor ad hoc datur, vt ſit diuini amoris, ac totius vitæ ſpiritualis exordium. Nec incongruè cordis circumciſionem, aut abnegationem finem quodammodo præceptorum facimus, quia id à Leo-

Deut. 30. 6.

D ne Papa didicimus. Omnis, inquit, diuinorum eruditio præceptorum hoc maximè agit apud corda credentium, vt amor prauus recto amore ſuperetur, & delectatione iuſtitiæ peccandi cupiditas deſtruatur.] Eſt itaque abnegatio, mandatorum proximus finis, quia ad hoc mandata nobis data ſunt, vt praua noſtra deſideria contineant. Quæ ideo continemus, vt per virtutum actiones Deo iubenti placeamus. Vnde Ioannes Caſſianus abnegationem aliis gratiis, quæ in pretio ſunt apud homines, pretioſiorem æſtimat, quia ipſam legis obſeruationem, & mentis puritatem conciliat. Et re vera, inquit, maius miraculum eſt, de propria carne fomitem eradicare luxuriæ, quàm expellere immundos ſpiritus de corporibus alienis: & magnificentius ſignum eſt, virtute patientiæ truculentos motus iracundiæ cohibere, quàm aëreis prin-

Leo ſer. 8. de ieiunio 7. menſis.

Caſſian. col. 15. c. 8.

E cipibus imperare: pluſque eſt, excluſiſſe edaciſſimos de corde proprio triſtitiæ morbos, quàm valetudines alterius, febréſque corporeas expuliſſe. Poſtremò multis modis præclarior virtus, ſublimiórque profectus eſt, animæ propriæ curare languores, quàm corporis alieni. Quantò enim hæc ſublimior carne eſt, tantò præſtantior eius eſt ſalus; quantóque pretioſioris, excellentioriſque eſt ſubſtantiæ, tantò grauioris ac perničioſioris eſt ruinæ.] Sic ille, & meritò. Nam

A hæc omnia, quæ ad gratias gratis datas ſpectant, non ſunt vitæ ſpiritualis fructus, ſed folia, ſine quibus reperiuntur in multis hominibus magnorũ meritorum fructus: at abnegatio radix eſt meritorum: quia ſi quis ſeipſum nõ abneget, & ab illicitis ſeparet, atque à licitis etiam quandoque diuellat, non poterit nec legem ſeruare, nec fructus bonorum operum facere, nec præmia conſiliorum poſſidere. Atque adeò quemadmodum radix arboris, nec pulchra, nec ſuauis eſt, ſed nihilominus omnem arboris pulchritudinem, & fructuum ſuauitatem virtute continet: ita abnegatio exteriori ſpecie pallida, & inſuauis, vt radix, ac initium ſpiritualis vitæ, omnem eius pulchritudinem ac ſuauitatem comprehendit.

B Iam oculos in ea, quæ ſuprà diximus, attolle, & videbis quanta abnegatio bona quaſi clauſa & cuſtodita contineat. Abnegatio aduerſùs vitia iuſtos erigit, vt non ſeruiant eis. Canántque multo fœliciore ſucceſſu, quàm Sichimitæ: Quis eſt Abimelech, & quæ eſt Sichem, vt ſeruiamus ei?] Nam ſi habitatores Sichem indignum putarunt ſeruire Abimelech, & propterea perierunt; iuſti indignum putant vitiis tributa pendere, aduerſúſque ea mortificatione pugnant, & propterea miſeram ſeruitutem ac perditionem euadunt. Vera enim libertas & opulentiſſimum regnum eſt, Deo ſubdi: infœlix verò captiuitas rerum creatarum amori ſeruire. In cuius ſignum Iſraelitis imperium Domini detrectantibus, & regem de ſua natione poſcentibus dicitur, vt audiant ius re-

Iudic. 9. 28.

C gis, qui regnaturus eſt ſuper eos. Ius autem erat, quod filios, & filias eorum tolleret, & ſeruos, & ancillas, & agros, & oliueta, & omnia quæ haberent, acciperet, vt illos in ſuum obſequium occuparet, & iſta ſuis temporalibus bonis adiiceret. Ita qui amori terrenorum, tanquam regi, ſeruire volunt, hoc ab eo iure regũtur, vt cunctas vires, & affectiones ſuas duriſſimis eius obſequiis addicant. Qui autem ab hoc amore poſſidentur, Deo ſe ſubtrahunt, & ab eo poſſideri non poſſunt. Quoniam amor ſæculi, & amor Dei nihil volunt habere commune, & quod ille ex nobis habet, hic à noſtra infidelitate iniuriam paſſus, amittit. Enitendum eſt itaque vnicuique noſtrûm, vt Chriſtum ducem ſuum imitans, dicat: Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.] Quod profectò tunc verè dicet, cùm pro huius vitæ

1. Reg. 8. 11.

Ioan. 14. 30.

D poſſibilitate ſe à terrenorum amore ſubtraxerit. Nam poſt propoſitum vitæ ſpiritualis arreptum ſenſuum delectationibus, & rerum viſibilium affectibus illigari, nihil aliud eſt, quàm gemmam multo pretio comparatam pedibus beſtiarum atterere. Gemma quippe eſt anima noſtra, quam ſubſidiis magnis diuinæ gratiæ, & ingenti dolore, ac contritione cordis è diaboli eripuimus poteſtate, quam pedes beſtiarum calcant, quoties affectus minùs mortificati eam oblectationibus ſenſuum, & propriæ voluntati, & inani gloriolæ, & aliis huiuſmodi ſeruire compellunt. Fitque vt quemadmodum quis à ſæua tempeſtate maris in nauigio liberatus, ſi illud aqua implere curaret, ad ſimile periculum, quod euaſit, rediret: ita & nos à ſæculi periculis in naui vitæ ſpiritualis educti, ſi immor-

E tificationes noſtras non fugimus, nauem, qua ſuſcepti ſumus, ac nos ipſos cum illa, quaſi aqua inanium deſideriorum mergere, ac diſſipare conamur. Barbari Melitæ inſulæ videntes Paulum, quem vix mare ad littus eiecerat, viperæ morſu percuſſum, dicebant: Vtique homicida eſt homo hic, qui cùm euaſerit de mari, vltio non ſinit eum viuere.] O quàm meritò non iam barbari, ſed dæmones ipſi ſubſannabunt nos, ſi immortificationi ſubdamur, qui à periculoſo mari huius ſæculi per Dei gratiam erepti, & in tuto

Act. 28. 4.

loco

loco conuerſationis ſpiritalis collocati, vipera propriæ voluntatis mordemur, & viuere quietè non ſinimur. Illa barbarorum Pauli contemptio in admirationem eius laudémque tranſiuit, dum viderunt eum pro conditione quidem carnis à beſtia percuſſum, ſed diuino miraculo, à morte & omni malo liberatum. At ſubſannatio noſtra, qua ab aduerſariis irridemur, in maius ſe quotidie vituperium extendet, quia non ſolùm à vipera, id eſt, à propria voluntate, dente alicuius ſuggeſtionis tangimur, ſed immortificationis veneno perimus.

At ab his malis abnegatio ſuæ virtutis excellentia nos ſeruat, quæ ſicut Paulum virtus diuina à morſu viperæ; ita & ipſa à veneno immortificationis nos liberat. Vipera quidem hominem momordit, ſed Apoſtolum, ac Chriſti ſeruum, necare non potuit: ita deſiderium oblectationum terrenarum forſitan nos homines tanget, ſed ſi nos abnegauerimus, per conſenſum non inficiet. Hæc enim abnegatio ea nos dignitate afficit, vt & Apoſtoli imitatores, & Chriſti ſerui ſimus, quos diuina virtus, ſi non à ſuggeſtione beſtiolæ, at ab infectione præſeruat. Tu quoque, loquit Bernardus, ſi propriam deſeras voluntatem, ſi corporis voluptatibus perfectè renunties, ſi carnem tuam crucifigas cum vitiis & concupiſcentiis, ſed & mortifices membra tua, quæ ſunt ſuper terram, probabis te Pauli imitatorem, qui non facies animam tuam pretioſiorem teipſo, probabis & Chriſti diſcipulum, etiam illam perdendo ſalubriter. Et quidem prudentiùs eam perdis, vt cuſtodias, quàm cuſtodis, vt perdas.] Quæ te docet, ô vir iuſte, ſeruire Chriſto, & eius diſcipulis aggregari, quin & vitam carnalem perdere, vt ſpiritualem in perpetuum ſerues; haud dubiè virus in te cuiuſpiam immoderati affectus vſque ad caſum graſſari non ſinet. Qui diſſipat ſepem, ait Salomon, mordebit eum coluber:] vnde qui ſepem mortificationis non diſſipat, ſed quotidie nouis actionibus roborat, colubri morſum extra ſepem manentis non ſentiet. Et Eccleſiaſticus ait: Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio:] qui ergo ſeipſum hac ſepe communit, minimè ſuarum virtutum direptionem timebit. Quod cùm ad litteram de vxore dictum ſit, quid ſecundùm altiorem ſenſum indicat, niſi vt qui ſe quoad carnis deſideria caſtrauit propter regnum cœlorum, abnegationem in vxorem habeat, & eius conſortium nunquam omittat? Huic enim optimè illa conueniunt, quæ de vxore dicuntur: Qui poſſidet mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem, adiutorium ſecũdùm illum eſt, & columna, & requies.] Nam qui ſui abnegationem poſſidet, habet iam initium magnarum opum, ſcilicet pretioſiſſimarum virtutum, quas talis coniugis parat induſtria. Habet etiam adiutorium valde conueniens ſibi, quod turbam ſeruulorum, nempe affectuum, reprimat, & totam domum cordis in pace contineat. Eſt illi abnegatio, columna, quæ illum à multis caſibus culpíſque defendat: & requies, in qua à deſideriis ſæculi liberatus, conquieſcat.

Bern. ſer. 30. in Cant.

Eccl. 10. 8.

Eccl. 36. 27.

Ibi. v. 26.

Nec ſolùm abnegatio nobis ſponſa eſt, ſed & bona mater, cuius beneficio puerorum cibos, id eſt, rerum viſibilium appetitiones deſerimus, vt ſolido maiorum cibo ſuſtentemur. Anna quidem mater Samuelis, tanta prole ditata, cùm ad aſcendendum in templum Domini inuitaretur, reſpondit: Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conſpectum Domini, & maneat ibi iugiter.] Sapienter cogitauit infantes ætate non eſſe aptos templo, quia neſciunt orare, ſciunt autem perſtrepere, & orãtes turbare: ideo noluit infantem ſuum ante conuenientem ætatem, in domum Domini adducere. Sic & hæc bona nutrix à lacte rerum ſæcularium ablactat, & poſtea à tenerioribus puerorum alimẽtis, ſcilicet à ſenſuum delectationibus, & ab omni inordinatione affectuum, auertit; ac tandem in conſpectum Domini introducit. Ibi in ſtudio nẽpe ſanctæ orationis, apparemus corã Domino, id eſt, vt homines reuerenter ſtamus, & nõ puerorum more huc illúcq; cogitatione diſcurrimus. Ibi poſt ablactationem ſcimus manere iugiter, ſcimus, inquam, non iam paternam domum, & puerorũ alimenta ſuſpirare, ſed ad longum tempus ſuauitatem ſpiritus perſentire. Ibi noſtræ abnegationis præmia ſuſcipimus. Nam qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent:] & anima in intimis ſuis audit illam vocem ſanè lætiſſimam: Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius.] De fructu manuum ſuarum comedit, quia ſecundùm maiorem aut minorem laborem, maius aut minus præmium recipit. Quare Iob de iuſto ait: Et ſicut dies mercenarij, dies eius.] Quia ſicut mercenarij præmium labori commenſuratur; ita iuſti merces ſecundùm maiorem abnegationem augetur. Cùm opus creſcit, inquit Gregorius, præmij fiducia proficit: cùm verò opus torpuerit, ſpes à remuneratione laſſeſcit. Vnde & electus quiſque vitam ſuam, quaſi mercenarij dies, penſans, tanto fidentiùs ſpe tendit ad præmium, quanto nunc robuſtiùs perdurat ad laboris incrementum. Qui ſit decurſus præſentis temporis, penſat, dies cum operibus numerat, ne à labore vacua tranſeant vitæ momenta, formidat. Aduerſis gaudet, paſſione reficitur, mœrore refouetur; quia ſubſequentis vitæ præmiis tanto ſe remunerari largiùs conſpicit, quãto pro amore illius quotidianis ſe mortibus veniùs impendit.] Hæc ille. Quid igitur amplius ad cognoſcendam mortificationis excellẽtiam expoſcimus? ſiquidem illa & bona ſpiritualis vitæ affert, & mala prophanæ vitæ repellit. Illa copioſum fructum æternæ fœlicitatis confert, & omne lætiſſimas ſegetes tranquillitatis expectat. Nam poſt hoſtes aliquantulum mortificatione deuictos, impletur illud Michææ: Et ſedebit vir ſubtus vitem ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & non erit qui deterreat.] Sub his, quas plantauit, virtutum arboribus lętus ſedet, atque quieſcit, & fructus ſuauiſſimæ ſpei colligit, quibus interim ſe vſque ad aduentum æternæ poſſeſſionis reficiat.

1. Reg. 1. 22.

Pſal. 125. 5.

Prou. 31. 31.

Iob 7. 1.

Greg. 8. mor. c. 5.

Michea 4. 4.

Mortificationem nunquam eſſe omittendam.

CAPVT XV.

AD hanc mortificationis excellentiam pertinet, quòd vir mortificatus duci fortiſſimo, ac hoſtium expugnatori, præfertur: quam excellentiam ideo ſeorſum attingimus, vt mortificationis durationem poſt eius nobilitatem, aperiamus. Eum, qui ſeipſum abnegat, virum eſſe fortiſſimum ex Salomone iam vidimus; qui ait: Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.] Lactantius quidem ac ſi iſtam ſapientis ſententiam interpretaretur, illum, qui ſe abnegat, cum Hercule confert, & huic tam de fortitudine celebrato elegantiſſimis verbis præponit. Non enim fortior iudicandus eſt, inquit, qui leonem, quàm qui violentiam, & in ſeipſo incluſam feram ſuperat iracundiam; aut qui rapaciſſimas volucres deiicit, quàm qui cupiditates auidiſſimas coërcet; aut qui Amazonem bellatricem, quàm qui libidinem vincit, pudoris ac famæ debellatricem; aut qui

Prou. 16. 32.

Lactan. lib. 5. diuin. inſtit. c. 9.

ſimum de ſtabulo, quàm qui vitia de corde ſuo egerit, quæ magis ſunt pernicioſa, quia domeſtica & propria mala ſunt, quàm illa, quæ & vitari poterant, & caueri. Ex quo fit, vt ille ſolus vir fortis debeat iudicari, qui temperans eſt, & moderatus, & iuſtus.] Hæc Lactantius. Et in eandem ſententiam Ambroſius putat Iacob Patriarcham ouium paſtorem induci, quòd corpori, & ſenſibus imperitaret, & ſuis motibus diligenter præeſſet. Er ſtatim ait: Animum vincere, iracundiam cohibere, compugnantéſque leges carnis, & mentis in vnum cogere, immortalis cuiuſdam eſt viri, quem inferni porta non ſuſceperit. Denique ipſe ſibi legiſlator vindicauit hoc munus, vt oues paſceret Iethro, qui dicitur ſuperfluus, & ageret in deſertum: eo quòd irrationabilem, & ſuperflui, vulgariſque ſermonis loquacitatem in ſecreta quædam ſobriæ doctrinæ coëgit myſteria. Et concludit: Ideo Ægyptios abominatos fuiſſe paſtores, quoniam, qui paſſionibus ſeruiunt, & voluptatibus indulgent, doctorem virtutis quadam deteſtatione declinãt. Quare ergo tanti habetur hominis ſibi imperantis fortitudo, ita vt ducibus fortiſſimis præferatur, præſertim cum multoties propria abnegatio, non ad res magni momenti, quæ non ſemper occurrunt, ſed ad res faciles, minimáſque procedat? Huius eam eſſe cauſam exiſtimo, quòd duces, ac milites huius ſæculi ſemel, aut bis, aut aliquo tempore cum hoſtibus manus conſerunt, quibus victis, in pace quieſcunt: at miles Chriſti, iuſtus ſcilicet, qui virtutis arcem expugnat, ab ipſo ſuæ conuerſionis exordio vſque ad extremum vitæ halitum, debet, ſi vult proficere, ſecum ipſe pugnare, & gladio mortificationis cohibere. Hæc autem in pugna & abnegatione, conſtantia vſque ad mortem perſeuerans, adeò mirabilis & glorioſa eſt, vt in ea fidelis inuentus meritò inter fortes, fortiſſimi nomen obtineat.

Ambr. li. 1. de Cain. c.6.

Eſſe autem neceſſariam hanc abnegationis inſtantiam, ita vt nunquam illam relinquamus, delineatum eſt in ſermone cuiuſdam prophetæ, qui dixit regi Iſrael reuertenti, obtenta victoria aduerſùm regem Syriæ: Vade, & confortare, & ſcito, & vide quid facias, ſequenti enim anno rex Syriæ aſcendet contra te.] Nec dum vnum bellum finierat, & iam vocatur ad aliud, & noua cura illi ſe parandi ad ſequentem pugnam indicitur: quia videlicet in hac vita nunquam ceſſandum eſt, ſed ſemper nos ipſos timere, ſemper à noſtris affectibus cauere, ſemper noua abnegationis bella aduersùs noſtras voluntates debemus meditari. Quia ſi quieuerimus, affectus, noſtræ ſalutis infeſtiſſimi hoſtes in noſtrum excidium aſſurgent. Cæterùm non ſolùm per ænigmata, ſed palam, ac ſine ambagibus ad hanc abnegationis aſſiduitatem monemur. Et Dominus non vtcumque vigilantes, ſed ſemper vſque ad aduentum ſuum vigilantes laudat. Beati, inquit, ſunt ſerui illi, quos cùm venerit dominus, inuenerit vigilantes. Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi.] Quidnam eſt ſemper vigilare, niſi hominem domum cordis ſui ab irruptione omnium hoſtium cuſtodire? Et quis eſt præcipuus, & acerbior hoſtis hominis? Nonne ipſe ſui? Ergo tunc ſemper vigilat, cùm ſemper ſeipſum veretur, & ſibi ipſi contradicere, ac à ſemetipſo obſeruare ſe, non deſinit. Egregiè ſanè Proſper in hanc ſententiam ait: Cæterùm in hac vita, quamuis ſtrenuè dimicemus, & adiuuante Domino, cateruas hoſtium, quibus circumfundimur, proſternamus, tamen ſi ab eis nolumus vinci, nunquam pugnare deſinimus. Nec vincentes ſecuros faciunt viriliter deſudata iam prælia, ſed magis ſolicitant aduerſariorum rediuiua certamina. Ac ſic, quia ſecundùm Scripturæ ſacræ ſermonem, tota humana vita tentatio eſt ſuper terram, tunc eſt tentatio finienda, quando finitur & pugna: & tunc eſt finienda pugna, quando poſt hanc vitam ſuccedit pugnæ ſecura victoria.] Optimè ſcripta ſunt hæc, ex quibus habemus, ante vitæ finem non eſſe à certamine diſcedendum, quo nos ipſos contineamus, ſed ſemper eſſe aduersùs motus naturæ noſtræ affectúſque pugnandum. Multis quidem ex antiquis patribus nomina ſunt alicuius myſterij gratia, mutata; at in Iacob, cui nomen etiam nouum inditum eſt, quid ſpeciale reperimus, quod ad abnegationis aſſiduitatem inducit. Illud autem eſt, quòd priores illi patres poſt mutationem nominum, nunquam aut rariſſimè antiquatis nominibus appellantur. Abram vocatus eſt Abraham, & deinceps ſemper vocatur Abraham. Sarai nouo nomine dicitur Sara, & in poſterum ſemper vocatur Sara. At Iacob audit: Non vocaberis vltrà Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum.] Poſt nominis verò mutationem frequentiſſimè vocatur Iacob, & nomine potiùs antiquo, quàm nouo cognoſcitur. Putabimúſne id vacare myſterio? Non ſanè. Iacob enim idem eſt, quod ſupplantator: Iſrael verò eſt præualens Deo. Vnde duo nobis videntur indicata. Alterum eſt, virum illum præualere Deo, & amplam benedictionem impetrare, qui vitia ſua & deſideria ſupplantat, ac ſeipſum abnegationis flagello caſtigat. Alterum verò, iuſtum aliquando debere eſſe Iſrael, cùm ſcilicet inſtat neceſſitas aliquid poſtulandi; at ſemper debere eſſe Iacob, qui nimirum bella aduersùs carnem, & ſanguinem gerat, ſenſus comprimat, & prauis affectibus contradicat. Nunquam nomen Iacob deſerat, aut potiùs nunquam munus Iacob, id eſt, ſupplantare vitia, & affectus vincere, derelinquat. Sic enim poſt hanc vitam, nomen, & munus Iacob omnino deponet, & in perpetuum vocabitur Iſrael, qui dicat: Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.]

3. Reg. 20.22.

Luca 12. 37.38.

Proſp. 1. de vita contemplat. c.1.

Geneſ.35 10.

Geneſ.32 30.

Sed quare ſemper eſt mortificationi vacandum? Ideo profectò, quia caro ſemel afflictione ſiccata, iterum viret, ſenſus domiti denuo ſe aduersùs rationem erigunt, & affectus repreſſi, ſi à mortificatione ceſſemus, maiori impetu conualeſcunt. Quemadmodum enim, eo quòd herbæ viuunt, artíque obſiſtunt, ſæpe fit, vt viridarij cultor varias de myrto figuras effingat, & tamen ſemel, & iterum forfice reſecat, ne amputatæ breui ſylueſcant: ita eo quòd hortus Domini, qui animus noſter eſt, cum omnibus ſuis cupiditatibus, ac libidinibus viuit, poſtquam in eo Chriſti effigiem, pulchrámque iuſtitiæ formam effinxerimus, neceſſe eſt, vt iterum atque iterum mortificationis gladio quę pullulant, reſecemus; ne quæ multo labore præſtitimus, in caſum elaborata lugeamus. Si lapidem incidas, & in eo non ſine magno labore imaginem crucis inſculpas, nunquam illa deletur, quia lapis vita carens minimè nouis augmentis accreſcit. At tu non es lapis, vita & ſenſu carens, ſed homo mutationi ſubiectus, in quo affectus veteris Adæ quotidie reuireſcũt, & robur aduersùs virtutem aſſumunt: quomodo poteris ſecurè dormire, & ab aſſidua ipſorum compreſſione ceſſare? Illius fortis mulieris, quam Salomon tã glorioſis laudat elogiis, vna veſtis ex fortitudine & decore componitur. Fortitudo, ait, & decor indumentum eius, & ridebit in die nouiſſimo.] Fortitudo mentem perſeuerantem deſignat, qua quis aduersùs ſe pugnat: & decor, nitorẽ puritatis, quo ſemetipſum

Prou.31 25.

exornat. Ideo autem vnius & eiuſdem veſtis fortitudo & decor, partes eſſe dicũtur; quia qui perſeuerantiæ in ſui abnegatione obliuiſcitur, minimè perfectæ virtutis pulchritudine decoratur. Quinimò dũ homo priùs ſe abnegans, atq; mortificans ab ſtudio abnegationis ceſſat, paulàtim ex mundicia ad immundiciam, & ex magna perfectione ad magnas imperfectiones declinat. Eſtque ſimilis ſtatuæ per ſomnium à ſuperbo illo Rege cõſpectæ, quæ in auro cœpit, & in luto finiuit. Huius ſtatuæ, inquit Daniel, caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porro venter, & fæmora ex ære; tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.] Ecce imaginem tepidorum, & inſtabilium hominum, qui ab auro in luto decidunt, & miſeras ſenſuum oblectationes reſumunt. Charitatis autem & feruor, illos quaſi cœleſtes faciebat, qui ſola cœleſtia ſapiebant, & viſibilia, quæ fortiter reliquerant, ignorabant. At ſi incipiant tepeſcere, non iam ardentiſſimo amore, ſed ſcientia, & rerum cognitione, in argento ſignata, delectantur. Poſtea ſolo ære: id eſt, ſermone ſonante cõtenti, ea prædicant, quæ nec digito quidem tangunt; adeò vt inter eorum linguam & vitam, pluſquam inter cœlum, & terram interſit. Deinde efficiuntur homines ferrei, duri, & indomiti, quos nulla exhortatio mouet, nulla imminens vltio terret, nullum diuinum beneficium emollit. Tandem apparent, quod ſunt, nempe homines lutei, qui in cœno ſuarum cupiditatum hærent, & nihil ſanctitatis in eorum conuerſatione reſplendet.

Dan. 2. 32. 33.

Vel aliter poſſumus cum Ricardo Victorino hunc caſum hominis inſtabilis, & non perſeuerantis explicare. Nam tunc eſt aurum, cùm charitatis feruore regitur, & ob amorem æternorum temporalia omnia vilia reputat. Tunc eſt argentum, cùm non charitate, ſed deliberatione gubernatur, qui ſe cohibet, & bonum agit, non quia hæc ex amore delectant, ſed ex cognitione, vt neceſſaria ad ſpiritalem vitam conſeruandam placent. Qui licèt pretioſioris ſit metalli, bonum enim eſt veritatem amare, tamen eò miſer eſt; quia ex auro ad argentum cecidit, & qui priùs ad virtutem amore ferebatur, poſtea ad virtutem ratione ſe cogit. Aduersùs quem Dominus aliquid habet, quòd primum feruorem charitatis reliquit. Tunc eſt æs, quando ex veritate tranſit ad vanitatem, & bonum operatur exteriùs, non virtutis ſed laudis amore. Qui ſancta loquitur, & exteriori quidem ſpecie, aliqua virtutis opera oſtendit, at impurus eſt deſiderio & cogitatione. Nomen habet quod viuat, ſed mortuus eſt. Eſt ex illis, qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum;] quia ſub verbis pacificis, virtutémque ſonantibus, cor non in eo, quod prædicat, ſed in eo quod delectat, ſine timore conſtituit. Tunc eſt ferrum, cùm non valens diſſimulare, nec potens quod cupiebat, ſimulatione expiſcari, illis infenſus eſt; quos priùs ad adulationem honorare decreuerat. Habétque pedes veloces ad effundendum ſanguinem; vtpote partim ferreos, quoniam dum illis, quos ſuæ voluntati obſequentes non videt, iraſcitur, omnem humanitatem deponit. Tunc demum eſt teſta & lutum, quando palam, & ſine vllo fuco antiquas repetit voluptates, & vitæ auſteritatem, quam bene ingreſſus fuerat, malè abiicit, & cordis ſui deſideriis ſe committit. Ne ergo ex auro in lutum, & ex cœlo in cœnum cadamus, neceſſe eſt, vt ſemper nos cohibere, ac abnegare curemus. Væ enim his, qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient, cùm inſpicere cœperit Dominus?] Væ, inquam, illis, qui citò fecerunt; qui ſpiritu cœperunt, & carne conſummantur: qui poſtquam equum retractarium corporis ſui, aliquo tempore domiti timore continuerunt, poſtea laſſati, ei habenas ſuorum deſideriorum laxarunt. Nam cùm à viis rectis omnis virtutis diſceſſerint, & vias diſtortas ſuarum voluntatum ingreſſi fuerint, quid aliud niſi miſerabiles caſus, & animæ mortem, ad quam illæ viæ ducunt, iure poſſunt expectare? Quid faciet Dominus? Certè illos acriter increpabit, qui non potuerũt breuiſſima morula huius fugacis vitæ cum illo vigilare. Cùm tamen è contrario iuſtis præceptum ſit, vt conſtituant diem ſolemnem in condenſis vſque ad cornu Altaris,] id eſt, vt vſque ad finem vitæ ſeipſos per mortificationem immolantes, quaſi in magna turba hominum, quæ ſolet ad ſolennia feſta conuenire Domino feſta concelebrent. Solennem namque Domino diem, ait Gregorius, in confrequentationibus conſtituit, quiſquis ſe aſſiduè in eius deſiderio affligit. Qui nimirum ſolennitatis dies vſque ad Altaris cornu tendi præcipitur: quia tandiu neceſſe eſt, vt quiſque ſe affliciat, quouſque ad ſuperni ſacrificij altitudinem, id eſt, ad æterna gaudia pertingat.] Priuſquam illuc veniamus, ceſſandum non eſt, quia toto vitæ tempore holocauſtum abnegationis Domino offerendum eſt.

Ricar. lib. 1. de erud. inter. homin. c. 24.

Apoc. 3.

Pſal. 27. 3.

Eccl. 2. 16.

Pſal. 117. 28.

Greg. 9. mor. c. 15.

Hanc abnegationis aſſiduitatem, & in mortificatione perſeuerantiam, ſuo exemplo docuit mundi Saluator, qui totos dies mortalitatis ſuæ in laboribus, & afflictionibus, & vitæ auſteritate tranſegit. Nec in his exemplis laborum illuſtriſſimis ceſſauit pij magiſtri docendi ſedulitas, ſed actus in crucem, & ad deſcenſum ſub fidei pollicitatione à ſuis crucifixoribus inuitatus, illis hoc remedio perſeuerantiæ inimico ſubuenire contempſit. Dicebant illi: Chriſtus rex Iſrael, deſcendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus.] Ille verò noluit à cruce deſcendere, tum quia efficaciùs in cruce poſitus, quàm crucem fugiens, eos ad credendum hortabatur: tum vt nobis certiſſimam æternitatis viam, ſcilicet perſeuerantiam, in mortificationis cruce monſtraret. Ita & nos, inquit Bernardus, quicumque ſequimur caput noſtrum, tota die hac, qua plaſmati, & redempti ſumus, non ceſſemus agere pœnitentiam, non ceſſemus tollere crucem noſtram, perſeuerantes in ea, ſicut ipſe perſeuerauit, donec dicat ſpiritus, vt requieſcamus à laboribus noſtris. Neminem audiamus, non carnem & ſanguinem, nõ ſpiritum quemlibet, deſcenſum à cruce ſuadentem. Perſiſtamus in cruce, moriamur in cruce: deponamur aliorum manibus, non noſtra leuitate: Caput noſtrum depoſuêre viri iuſti: nos ergo dignatione ſua Angeli ſancti deponant, vt conſummata viriliter die crucis, ſecunda, quæ poſt mortem eſt, quieſcamus ſuauiter, dormiamus fœliciter in ſepulchris, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, qui reſuſcitabit corpora noſtra tertia demum die, configurata corpori claritatis ſuæ.] Hæc ille. Exemplum itaque Chriſti non ad intermittendam abnegationem, ſed ad perſeuerantiam in cruce vocat. Hæc crux nos paruulos teneat, quia & crux paruula eſt, quæ corpus ſolùm onerat, & ſuperflua tantùm corporis, ſenſuúmque mortificat. Crux etiam nos proficientes aſtringat; quia & crux mediocris eſt, quæ interiores affectus, & propriam voluntatem, & iudicium premit. Crux demum nos iam ad perfectionem tendentes excipiat: quia & crux magna magnis præparatur, quæ eos deſolationibus, perſecutionibus, humiliationibus, & derelictionibus opprimẽs, deſtinato tẽpore gloria magnorũ perfectis

Marc. 15. 32.

Bern. ſer. 1. in die Paſchæ.

A parata coronat. Dies breuis huius vitæ, dies laboris eſt, quo diem longum æternitatis, in quo eſt vera requies, ab omni labore mercamur: ne hunc diem quietis, & pauſationis velimus facere, quo proculdubio negligenter, & deſidioſè tranſacto, in illo æterno, quod ſequitur, non quietem, ſed ſine fructu laborem, ſine conſolatione dolorem, & ſine vlla requie afflictionem habebimus. De reſurrectionis die ſcriptum

Pſal. 117. 24. eſt: Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.] De diebus verò mortalitatis dicitur:

Exod. 20. 9. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.] Laboremus itaque nunc, & terram cordis noſtri mortificatione colamus, vt in ſeptimo die ineffabili gaudio lætemur.

Eccle. 11. 10. Aufer, ô frater, iram à corde tuo,] interiores affectus cohibendo, [& amoue malitiam à carne tua,] B corpus diſcreta afflictione domando, quoniã [adoleſcentia, & voluptas vana ſunt.] Veritas autẽ & ſapientia eſt in corde ſenili, quod præſentia parua reſpuit, vt futura, magna & æterna poſſideat.

Mortificationem eſſe magni momenti, etiam in minimis.

CAPVT XVI.

MORTIFICATIONIS aſſiduitas aliam detegit mortificationis qualitatem, quòd ſcilicet ad res minimas, & C parui momenti ſe debeat extendere, in quo non eſt minima, ſed maxima, ſupra id quod dici poteſt, ad vitam ſpiritualem meritorum acceſſio. Non ſemper magna occurrunt abnegatione reſecanda: quia ſicut in bello pauci ſunt duces aliorum, pauci etiam ſunt milites fortiſſimi, qui contrario regi metum incutiant: multi verò milites ignaui, & ad ignobile militiæ vulgus pertinentes, quos ſolus clangor buccinæ turbat, & terret: ita aduerſariorum aduerſùs animã militantium pauci ſunt magni, qui negotium nobis faceſſant, ſi ad innumerabilem puſillarum imperfectionum turbam comparentur. Sunt igitur inter viros iuſtos nonnulli, qui nondum cum magnis, & fortibus imperfectionibus confligere audeant, nec ſperãt ſe reportaturos de aliquo ſtrenuo hoſte victoriam. Sunt etiam alij profi- D cientes nimirum, atque perfecti, qui iam magnas imperfectiones vicerunt, nondum tamen in minoribus ſeipſos plenè ſuperarunt. Atque adeò illis abnegatio in rebus minimis neceſſaria eſt, vt ex minimis cum mediocribus imperfectionibus, & ex mediocribus cum maioribus pugnare diſcant: & iſtis etiam eſt vtiliſſima, vt vitam perfectam, & vitæ ſanctorum ſimilem, qui in minimis etiam ſeipſos abnegarunt, ſectari conſueſcant. Quemadmodum enim rex, expugnato regno, quod aduerſùm ſe rebellauerat, occiſiſq; defectionis ducibus, ſolet in infimam quoq; turbam ſæuire, ſi eam minimè obedientem futuram, atq; fidelem ſperet: ſic iuſtus ſubacto regno cordis ſui, & vitiis maioribus grauioribúſq; proſtratis, turbam minimarum imperfectionũ abnegatione perſequitur, qua viuẽte, E ſcit ſe perfectorum pacem habere non poſſe. Ex quibus conſtat, omnibus neceſſariam eſſe in rebus minimis abnegationem, ſine qua nunquam ad perfectam virtutem minima etiam corrigentem peruenient.

Eccli. 19. 30. Ad quod fortè hortabatur Eccleſiaſticus, dicens: Minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies.] Id eſt: minora quæque merita, quæ in minimis abnegationibus reperiuntur, magni reputa, ne eorum, qui alienis facultatibus ſuſtentari volunt, improperiis impetaris. Qui enim has paruas merendi occaſiones contemnunt, cùm maiores in promptu non habeant, & ſi haberent, minùs eis veluti difficilioribus vterentur, ex alienis ſuorum maiorum meritis gloriantur. Sed tunc improperia peregrinantium audiunt; quia vt alieni ab illis bonis, quæ non ſua, ſed maiorum ſunt, à ſapientibus, & res æqua lance æſtimantibus irridentur.

Planè hæc minima abnegationis opera pro magnis reputanda ſunt, quæ à Domino nobis commendata noſcuntur. Nam turba illa magna hominum quinque panibus, & duobus piſcibus refecta, dixit: Collígite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.] Quid enim per quinque panes, & duos piſces, niſi maiora virtutis opera, & maiores labores, quos nemo iuſtus deſpicit, indicantur? Et quid per fragmenta, niſi minores occaſiones patiendi, & ſe abnegandi innuuntur? Sed hæc etiam ab Apoſtolis, & Apoſtolicis viris colligenda ſunt, ne præ incuria pereant, & panibus integris, id eſt, maioribus occaſionibus meritorum deficientibus, qui fragmenta contempſit, quibus ſe vtcumque reficere poterat, præ fame deficiat. Hæ panum reliquiæ, hæ ſcilicet minimæ abnegationes omittendæ non ſunt, quas qui auidè petierit, etiam integrum panem recipiet. Chananæa illa à finibus Tyri & Sydonis egreſſa, duriter à Domino tractata reſpondit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.] Iam certè fines ſuperborum egreſſa fuerat, quæ humilitate veſtra, micas, id eſt, paruas etiam lucrandi occaſiones ſibi vtiles eſſe putabat. Et quia has non abiecit, ore Domini laudata eſt, & filiæ ſanitatem importunè poſtulatam recepit. Denique audiuit: O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.] Ita & nos, ſi micas non deſpexerimus, id eſt, minimas nos abnegandi occaſiones, quas diuites, nempe ſuperbi deſpiciunt, non iam ſolùm de fide, ſed & de humilitate laudabimur, & maiora, quæ cupiebamus, incrementa virtutum impetrabimus. Ideo ſanè pauper Lazarus iuſtus deſcribitur, qui tamen cupiebat ſaturari [de micis, quæ cadebant de menſa diuitis:] quoniam proprium iuſtorum eſt, has paruas micas, nempe modicas ſe abnegandi occaſiones expetere, & illis ſui deſiderij ventrem explere. Meritò verò dicitur, quòd in domo crudelis diuitis nemo huic pauperi micas dabat, quia qui luxui ſeruiunt, hæc parua merita à iuſto ſubtrahunt, dum illum iſta quærentem, exercentémque contemnunt. Ipſe verò etiam irriſus, & cum indignatione repulſus, paruas ſui abnegationes ſectari non deſinit, quas magni cuiuſdam profectus eſſe initia cognoſcit.

Ioan. 6. 12.

Matt. 15. 27.

Luca 16. 21.

Hæc in minoribus abnegatio nos expedit, vt puriſſimas orationes fundamus, & ad diuinos amplexus euolemus. Neq; enim ſolæ magnæ imperfectiones nos vinciunt, ſed etiam minores ligant, & ab hoc ſacro volatu in cœlum impediunt. Quid autem refert ſi ferrea catena, aut fune ex ſerico contexto tenearis, ſi vinctus manes, & ab his, quæ tuum ſtatum ac dignitatem decent, ceſſare compelleris? Quid refert ſi oculis tuis laminam magnam, aut paruam obiicias, ſi hæc non minùs quàm illa mentem obnubilat, vt cœleſtia contemplari non poſſis? Audi Caſſianum, quibus verbis parua etiam ad curas ſæculares, quæ ab oratione ſeparant, pertinere definiat. Et idcirco, inquit, morbum ambitus ſæcularis noſtris mentibus non ineſſe, non vtique eorum tantùm negotiorum abſtinentia comprobabit, quæ etiã ſi velimus, explere non poſſumus,

neque illarum deſpectus rerum, quas ſi affectaueri-mus,tam apud ſpirituales viros,quàm apud ſæculi homines notabiles prima fronte reddemur: ſed cum etiam illa,quæ noſtræ ſuppetunt poteſtati, & honeſtate quadam videntur obnubi, rigida mentis diſtrictione reſpuimus. Et re vera non minùs hæc; quæ parua videntur, & minima, quæque ab his, qui noſtræ profeſſionis ſunt, cernimus indifferenter admitti,pro qualitate ſua aggrauãt mentem, quàm illa maiora, quæ ſecundùm ſuum ſtatum ſæcularium ſenſus inebriare conſuerunt, nõ ſinentes depoſita fæce terrena,ad Deum, in quo ſemper defixa eſſe debet intentio,monachum reſpirare,cui ab illo ſummo bono vel parua ſeparatio mors præſens, ac pernicioſiſſimus interitus eſt credẽdus.]Hæc ille;quæ ſatis oſtendunt non ſolùm magna, ſed & parua perfectioni diuinæ familiaritatis obſtare, quam ſi cupimus, illa quoque parua ſunt abnegatione reſecanda.Odor indumenti ſponſæ,cui comparetur, attende. Odor, ait, veſtimentorum tuorum; ſicut odor thuris] Thus lacryma eſt cuiuſdam arbuſculæ in Arabia natæ,quam, vt iſtud aroma effluat,non præcidunt, ſed in cortice thuris auidi inciſionibus paruis aperiunt. In qua arbuſcula imaginem iuſtorum inſpicio,qui paruis,ſed aſſiduis abnegationibus cædendi ſunt, vt odoratiſſima contemplationis thura profundant.Si verò ſenſibus, & affectibus integri manere velint, nec ſeipſos gladio mortificationis incidere, non mirum erit, ſi boni odoris ſuauitate careant, quam ſolent in conſpectu Domini,viri mortificati & ſpirituales inferre. Hæc enim minorum abnegatio tetrum odorem eliminat,quem aſſiduæ imperfectiones emittunt:efficimúrque ea virtutum odore præcipui, vt Deo & hominibus placeamus.

Cant. 4. 11.

Eſt etiam huius abnegationis alia vtilitas, & quidem maxima; quòd dum nos in rebus minimis abnegamus,ſenſim propriam voluntatem, cunctorum malorum ſeminarium, proterimus, qua proſtrata ad mirabilem quandam, & nonniſi expertis cognitam mentis tranquillitatem peruenimus.Nam & nõnulli ſunt,& nunc quoque(cùm manus Domini abbreuiata non ſit) qui vita apparent quaſi cœleſtes homines,& regiones illas ſupremas incolentes, quos affectus humani ferè non tangunt. Qui nec proſperitate inflantur,nec aduerſitate turbantur,nec honores aut dignitates appetunt, nec diſceſſum ex hac vita metuũt,nec aliquid,niſi Deum,concupiſcunt.Hic ſtatus licèt aliquando ſit effectus cuiuſdam profundæ & ſupernæ orationis,qua mens ad tempus in rerum cœleſtium admirationem rapta,ab his viliſſimis & abiectiſſimis rebus auellitur, tamen interdum ſine iſto magno contemplationis dono eſt effectus cuiuſdam ſublimis mortificationis,qua homo à ſua propria voluntate ſeparatur. Hanc autem abnegationem præcipuam rerum minimarũ aſſiduæ abnegationes pariũt, cuius rei teſtis eſt Dorotheus,qui cùm dixiſſet impaſſibilitatem (ſic enim vocat magnam tranquillitatem animi) mortificatione propriæ voluntatis acquiri, & iſtam aſſiduis abnegationibus comparari, ſubdit cuiuſnam generis eſſe debeant hæ abnegationes,dicẽs: Nec quiſquam hoc putet arduum & difficile (propriam ſcilicet moderari voluntatem)cùm breui compẽdio & ſpacio quis ſeipſum poſſit,ſi velit,decies abnegare. Quod quo pacto fiat, edocebo:Obambulat aliquis,& quippiam conſpicatus perſuadetur à cogitatione,vt id aduertat: at is cogitationi,& non bonæ perſuaſioni repugnat,ſéque auertit. Rurſum inuenit quis nugis,& vanis rumoribus occupatos,perſuadet, vt ſe turbæ quoque immiſceat, & verba pariter inſerat; negat id ſe acturum,& auerſus aliò propriam vo-

Doroth. doctrina. 1.

A luntatem abſcindit. Item ſuccurrit illi, vt coquinam adeat, interrogétque, quid paret obſonij? non adit, ac ſe cohibet. Cernit aliquid in culina, quis illud attulerit ſolicitatur interrogare, comprimit appetitum & vocem, & nihil percunctatur. Sicque dum parua quæque præcidit,ſenſim quæcumque præcidere aduenientia conſueſcit,& iam ſumma cum requie nihil præter voluntatem ſuam ſe ſentit habere, & quicquid factum fuerit,eo ira contentus eſt, ac ſi ad vota ſua eueniſſet. Qui enim proprium nihil habet aut ſuum,quicquid factum fuerit,id proprium putat. Cúmque nullam affectionem habeat, omnino tandem(vt dixi) ad impaſſibilitatem animi perducitur. Aduertite igitur quantum puſillũ hoc proficere nos faciat,& propriam abſcindere voluntatem,quantum

B conferat.]Hæc omnia Dorotheus.Quòd ſi magnum eſt,propriam abnegare voluntatem,ſi pretioſum eſt, mentis tranquillitatem acquirere:iam elucet quanti momenti ſit abnegationi minimarum imperfectionum inſiſtere. Nam profectò qui hoc genus abnegationis reſpuunt, & ſibimetipſis in minoribus imperfectionibus condeſcendunt, homines fiunt propriæ voluntati nimis addicti, qui nunquam in virtute magnos progreſſus facient, neque vſque ad aliquam mediocritatem, carnem ſpiritui ſubiicient. Præcepit Dominus Sauli,vt percuteret Amalec,& demoliretur vniuerſa eius, interficerétque vſque ad paruulos,atque lactentes;]quo innititur,omnia quæ ad regnum peccati ſpectant,tam magna, quàm parua eſſe mortificatione vaſtanda. Qui verò Saülem inobe-

1. Reg. 15. 3.

C dientia imitatur, & viliorem, quàm ille, rationem iniens pretioſioribus immolatis abiectiora reſeruat, timeat ne coram Dòmino quodãmodo damnabilior exiſtat. Saül namque melioribus reſeruatis,viliſſimã quæq; demolitus eſt,ad quod impulit eum poſſidẽdi cupiditas. At tu,qui maiora & pretioſiora reliquiſti, quãta increpatione dignus exiſtimaberis, ſi ob minima non mortificata,regnum cordis tui nunquã plenè ſubiectum Domino,pacatúmque poſſideas?Ille quidem grauiùs deliquit,quia in re magni momẽti Deo inobediẽs extitit,at tu primo aſpectu impudẽtiùs deficis,quia ob res nullius ferè momẽti diuinæ volũtati minimas etiam imperfectiones deteſtanti cõtradicis

Nec ſolùm minores defectus ſunt mortificatione

D collẽdi,ſed minimæ etiam delectatiunculæ, quamuis liceant,& nõ ſint prohibitæ,præcidendæ,vt in his paruis ob amorẽ Domini relinquere maiora diſcamus. Id enim quàm gratum ſit Domino,qui magnus cùm ſit,minima noſtra obſequia nõ deſpicit,notanda verba Bloſij pientiſſimi viri declarant,quæ libet hoc loco ad verbum inſerere. Quando quis,inquit,propter Deũ ſenſualitati, voluntatiq; propriæ etiam in rebus minimis reluctatur,ac ſe mortificat;rem ipſi Deo magis gratam fecit,quàm ſi multos mortuos ad vitam reuocaret. Si duo homines in eodem itinere conſtituti elegantẽ floſculum offenderẽt,quorum alter cuperet quidem illum decerpere,ſed meliùs deliberans diceret ſibi ipſi:Dimitte eum propter Deum:alter verò nihil præmeditatus carperet florem:iſte quidem ſimpliciter decerpendo nõ peccaret,ſed ille propter Deum

Bloſij in lib. inſtit. ſpirit. c. 2.

E dimittendo florem, tantum præ decerpẽte obtineret meritum,quanta eſt diſtantia cœli à terra.Quòd ſi pro tantilla mortificatione Deus tam grandẽ mercedem reſtituet;quantam illis redditurus eſt,qui ſe & omnia pro eius amore contẽnunt,atq; relinquũt?Aſceta ergo frequẽter dicat Deo intra ſe: Propter te,Domine, nolo illud videre,cùm neceſſe nõ ſit, vt ipſum videã: propter te nolo illud audire,nolo illud guſtare, nolo illud loqui,nolo illud tangere.Ipſe Deũ in fundo animę ſuæ perfectè ſentire nõ poterit,niſi in eo moriatur

A quicquid inordinatum eſt.] Hactenus ille. Et re vera, iſta verba ſunt conſideratione digniſſima. Videntur enim primo aſpectu ſtudium iſtud modicarum abnegationum ſupra nimietatem extollere, ſi tamen attentè inſpiciantur, nihil aſſerunt, quod limites excedat veritatis. Mortuos enim ſuſcitare, opus eſſe ſolet gratiæ cuiuſdam gratis datæ propter vtilitatem aliorum, quam mali, & qui audituri ſunt: Non noui vos: Diſcedite à me operarij iniquitatis,] aliquando recipiunt. Se verò ipſum in minimis abnegare, ſolet ab animo pio, & perfectionis ac Dei amatore prouenire, qui hac abnegatione ſuum in Deum amorem teſtatur, & gratiæ, ac gloriæ maioris mercedem accumulat. Qui florem ad non prohibitam delectationem, carpit, quoddam naturæ B opus videtur facere, quo nimirum ſeipſum & ſuam oblectationem quærit, cui operi ſic facto, & in nullum altiorem finem ordinato, nullum præmium ſupernaturale reſpondet. At qui florem abnegationis propriæ gratiâ dimittit, opus meritorium, & Deo gratum facit, quod ipſe, ſi ab homine iuſto fiat, æterno præmio compenſat. Si autem quæras, quare tam grata ſunt Domino iſta modicæ abnegationis obſequia? Duplex nunc occurrit ratio: Altera ex parte hominis offerentis, altera verò ex parte Domini acceptantis. Hæc eſt: Quòd Deus iuſtos ſuos non tantùm veriſſimè & fortiſſimè, ſed etiam teneriſſimè & dulciſſimè amat. Vnde ſicut pater libentiſſimè accipit pomum ab infantulo filio ſibi oblatum, & quaſi dono illo delectatus filium C amplectitur, & exoſculatur, & pomum ſibi nullius vtilitatis, ad teſtandum amorem ſuum ſtatim aureo, vel gemma, vel dono alio maiori perſoluit: ita Dominus miſericors iuſtorum pater, quaſi amore ſuorum paruulorum victus, hæc minima obſequia gratiſſima reputat, & non ſemel amplexu, & oſculo, & gemma, id eſt, poſt modicum data conſolatione repenſat. Illa verò eſt: quòd homo has parvulas abnegationes exercens, in modico ſe mortificans, in magnis occaſionibus ſe fidelitatem habiturum oſtendit: iuxta illud: Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt.] (*Lucæ 16. 10.*) Et hæ modicæ abnegationes, animum pium, modeſtum, ſuam paruitatem cognoſcentem monſtrant, qui ſe pauperem putat, & minimis etiam proficiendi occaſionibus ſe indigere fatetur. Hanc autem modeſtiam D ac humilitatem, ille humilium amator, & humilitatis præceptor tum gratiſſimam habet, tum maiori præmio, quàm nos putamus, cumulare decernit. Tu ergo vir Dei, qui perfectionis amore flagras, tepidorum & ſuperborum opinionem ride, & licèt illi paruas, & magnas abnegationes deſpiciant, & ſuum honorem, & commodum in omnibus quærant; tu tamen minimas has abnegationes ſectari non deſinas. Semina ſunt, quæ in optima terra humilis cordis reconditam copioſam ſegetem pollicentur. Initia ſunt maiorum meritorum, quæ magnam perfectionem promittunt. Flores ſunt, & illi quidem lectiſſimi, qui lectulum Sponſi, ſcilicet animam iuſtam, exornant, & ſuauiſſimo odore perfun-E dunt. Quòd ſi licet iuſtorum elogia ad ipſorum actus transferre, audeo dicere, quòd [minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam.] (*Iſaiæ 60. 22.*) Quia minimum actum, quo te abnegas, incomparabili præmio affectum videbis, & de paruularum abnegationum ſtudio in perpetuas æternitates lætaberis.

Quò poſſit hominis mortificatio peruenire.

CAPVT XVII.

HAc, qua diximus, abnegationis aſſiduitate mens ad magnam virtutem aſcendet, & in ſpiritu puritatis ſupra id, quod tepidi cogitamus, diuina gratia aſpirante, proficiet, nunquã tamen in hac mortalitate poſita ad omnimodam tranquillitatem perueniet. Semper enim vitia, licèt penitus à viro perfecto victa, externis occaſionibus emergentibus iterum ingredi, & dominari nitentur: & affectus, qui extingui non poſſunt, rationis ordinem prætergredi, atque à debita menſura exorbitare curabunt; & internam ſerenitatem aliqua turbatio concutiet. Illud ergo ſpiritualis vir per ſtudium mortificationis aſſequi cupiat, quod perfecti ſunt aſſequuti, nimirum vt paſſiones ſuas, cùm inſurrexerint, cenſuræ diſtrictione compeſcat, at non putet ſe facere vt nunquam inſurgant. Pugnet aduersùs defectus ſuos viriliter atque conſtanter, non tamen puſillanimis fiat, dum vniuerſos expugnare non valeat, quia id huius vitæ poſſibilitatem excedit. Neque enim conditio noſtræ fragilis naturæ fert, vt immoti ſtemus, & nunquam ſaltem in leuibus cadamus, nec voluntas Domini eſt, vt in acie poſiti ſemper à bello ceſſemus. An poteſt terra aquis irrigata nullam herbam, nullum tribulum, aut ſpinam progignere? An poteſt mare ventis agitatum quaſi in malacia quieſcere? An poteſt ignis, appoſitis fomentis, non creſcere, & ac ſi combuſtibilia deeſſent, extingui? Sed cor noſtrum terrenum rerum ſenſibilium aſpectu & infuſione rigatur, ſed tentationibus, ſaltem ab externo principio ſuſcitatis, veluti ventis impellitur, ſed nouis fomentis eorũ, quibus indigemus, aut neceſſaria putamus, circundatur; quanam ratione poterit ſine vllo prorſus concupiſcentiæ odore manere, ſine vllo motu deſideriorum quieſcere, ſine vllo fructu ſibi cognato alicuius affectus inordinati perſtare? Eſto tamen, quòd ex parte naturæ noſtræ hæc cauſſa non vrgeat, quæ ſanè maximè vrget, & nos non poſſe omni titillatione vacuos eſſe, patefacit: at quis herus ſeruum ſuum deſidioſum eſſe patietur? Quis pater, ſi viſcera patris habeat, filium dilectiſſimum non erudiet? Quis magiſter neque initia diſciplinæ ſuos diſcipulos edocebit? Dominus igitur, qui herus eſt noſter, & magiſter, & Pater à nobis deſidiam procul abiget, & omnem ignorationem ac cæcitatem depellet. Quo autem occupabimur, ſi nullus inſurgit motus, qui noſtram virtutem exerceat, & ad opem poſtulandam alliciat? Et quid diſcemus, ſi primas ſyllabas, id eſt, nos ipſos compeſcere, & comprimere motus paſſionum inſurgentes ignoramus? Ergo ad patris amorem, & Domini ac magiſtri prouidentiam ſpectat, vt defectus aliquos, & affectus huius vitæ, quibuſcum pugnemus, & ex quibus noſtram infirmitatem diſcamus, derelinquat.

Iam duæ iſtæ cauſæ paulo latiùs euoluendæ ſunt, ob, quas non poſſumus, quantacumque adhibita abnegatione perfectam mentis tranquillitatem, & (vt quidam ex antiquis errantibus nominarunt,) impaſſibilitatem acquirere. Primò igitur obſtat huic perpetuæ tranquillitati ipſa humana natura, quæ ex duabus portionibus diſſidentibus coagmentata, fieri non poteſt, vt altera aduersùs alteram aliquando non pugnet. Caro etiam, ſi caro eſt, carnis affectus & motus habet, quandiu in aliam naturam non tranſit, &

caro mortalis eſſe non deſinit. Vnde Hieronymus: Difficile eſt, quin potiùs impoſſibile, perturbationis initiis carere quempiam, quas ſignificantiùs Græci *προπαθείας* vocant: nos, vt verbum vertamus è verbo, antepaſſiones poſſumus dicere, eo quòd incentiua vitiorum, omnium titillent animos, & quaſi in meditullio noſtrum iudicium ſit, vel abiicere cogitata, vel recipere. Vnde & naturæ Dominus in Euangelio loquebatur: De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Ex quo perſpicuum eſt iuxta alterius libri teſtimonium, procliuius eſſe cor hominis à pueritia ad malum; & inter opera carnis & ſpiritus, quæ Apoſtolus enumerat, mediam animam fluctuare, nunc hæc, nunc illa cupientem. Nam ſine vitiis nemo naſcitur: optimus ille eſt, qui minimis vrgetur, veluti ſi egregio inſperſos reprehendas corpore næuos. Hoc eſt, quod aliis verbis Propheta ſignificat: Turbatus ſum, & non ſum loquutus. Et in eodem volumine: Iraſcimini, & nolite peccare.] Hucuſque ille. Et huius perpetuæ pugnæ optimè quidem radicem attigit: ex qua ſequitur maniſeſtè nos aliquibus imperfectionibus frequenter pulſari, & aliqua peccata leuia ſaltem habere. Quis enim in continuo & prolixo prælio, quod vſque ad mortem durat, ita ſe geret, vt ab infeſtiſſimo, & fortiſſimo hoſte nec minimum vulnus recipiat? Verum ſanè eſt quaſdam in nobis eſſe imperfectiones, quas, quia in abnegatione minimè perſeueramus, non vincimus. Nam & Ioas rex Iſrael iuſſus ab Eliſeo percutere terram baculo, cœpit ille quidem percutere, ſed ante tempus deſtitit, ideoque per increpationem dictum eſt illi: Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſummationem.] Nunc autem tribus vicibus percuties eam. Sic & nos aliquando inchoamus imperfectionem quampiam baculo abnegationis ferire, eam tamen, quia citò ceſſamus, nequaquam vſque ad perfectam victoriam percutimus. Verum eſt etiam interdum imperfectionem non vinci, quia tempus à Domino deſtinatum victoriæ concedendæ non venit. In cuius ſignum dictum eſt Dauidi volenti pugnare aduersùs Philiſtæos: Cùm audieris ſonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutias caſtra Philiſtiim.] Quouſque enim ſonitus Domini venientis in adiutorium, in iuſtorum mentibus audiatur, id eſt, quouſque eius auxilium eos roboret, atque confortet, non poterunt ſuos aduerſarios, nempe vitia & imperfectiones, euincere. Hæc ita ſunt: at multoties nec in pugnando perſeuerantia deeſt, nec intempeſtiuè victoriam volumus, ſed ideo non vincimus, quia aduersùs naturam ſemper terrena appetentem, & ſuum commodum quærentem pugnamus. Et ſicut illa nunquam ſua naturalia perdit, quia ſi perderet, iam natura humana non eſſet; ita nunquam ex toto ſuas vilitates, & imperfectiones amittit.

Hier. epiſt. 9. ad Saluinā ca. 5.

4 Reg. 13. 19.

2. Reg. 5. 24.

Secundò perpetuæ paci obſiſtit (vt ita dicam) diuina voluntas. Aliqua enim ſunt in viris iuſtis leuiſſima delicta, & imperfectiones minimæ, quas procul dubio, diuina gratia iuuante, poſſent deſtruere, qua magna vitia diſſiparunt, ſed Deo permittente, non deſtruunt, ne ex nimia tranquillitate ſuperbiant, & ſui cognitionem & contemptum amittant. In hoc ſenſu accepit Gregorius illud Iob: Obtenebrentur ſtellæ caligine eius.] Stellæ, inquit, huius noctis caligine obtenebrantur, quando & hi, qui magnis iam virtutibus ſplendent, adhuc de obſcuritate culpæ aliquid renitentes ſuſtinent, vt etiam magna vitæ claritate luceant, & tamen adhuc noctis reliquias, nolentes trahant. Quod ad hoc agitur, vt mens proficiens ad virtutem iuſtitiæ, ſua meliùs infirmitate roboretur, & inde veriùs in bonis luceat, vnde eam etiam nolentem, parua reprehēſibilia humiliter obſcurant.] Illud etiam eiuſdem ſapientis: Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt,] ad idem propoſitum accommodat. Quia nonnunquam, inquit, virtutibus proficere conamur, & quædam dona percipimus, à quibuſdam verò repulſi in imis iacemus. Nemo enim eſt, qui tantum virtutis apprehendat, quantum deſiderat: quia omnipotens Deus interiora diſcernens, ipſis ſpiritalibus profectibus modū ponit, vt ex hoc homo, quod apprehendere conatur, & nō valet, in illis non ſe eleuet, quæ valet.] Hæc ille. Elias vir fortis, & zelator maximus gloriæ Dei, Achab regem non timuit, immò acerrimè reprehendit, Iezabelem verò infirmam mulierem formidauit; miniſque eius exterritus [timuit, & ſurgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas.] Petrus Apoſtolus Domini, & Eccleſiæ caput, militum cohortem ſolus aggreditur, & poſt modicum, ancillæ voce deiicitur. Hæc diuinam diſpoſitionem, iuſtorum humilitatem cuſtodientem inſinuant, cuius beneficio fit, vt magnas tentationes vincant, nec tamen minimas imperfectiones aſſidua mortificatione proſternant. Quia videlicet melius eſt, vt parua imperfectio perfectos humiliet, quàm vt nulla imperfectio in ſuperbiam eleuet, & in barathrum malorum, demergat. Habitauit, ait ſcriptura, Chananæus in medio Ephraim vſque in diem hanc tributarius,] & in medio mentis iuſtæ, & eximia dona poſſidentis defectulus aliquis non mortuus inhabitat, cuius præſentia ab elatione ipſam mentem expurgat. Qui meritò tributum pendens inducitur, quia licèt nunquam omnino deficiat, aſſiduis tamen gemitibus, & lacrymis, & cura peruigili ipſum mortificandi, tenuatur. Ac denique non ſolùm Dominus animalia munda, ſed & aliqua immunda in arca à diluuio ſeruauit. Ex omnibus, inquit, animantibus mundis tolle ſeptena & ſeptena, maſculum & fœminam: de animantibus verò immundis duo & duo, maſculum & fœminam.] Seruantur, inquam, animalia munda, id eſt ſancti, ac puri affectus, vt ſuo tempore multiplicentur, & creſcant: & ſeruantur animalia immunda, id eſt, imperfectiones minimæ, quæ manere permittuntur, vt animam in humilitate contineant. A diuina ergo voluntate pendet, quòd aliqua leuia peccata in iuſtis non funditus pereant, non quia ipſe, qui ſummè bonus eſt, ad malum cogat, ſed quia hæc mala & minùs iuſta permittat: non quia ea velit aut approbet, ſed quia patienter ſuſtineat. Iudicat enim melius eſſe, in dilectis ſuis parua mala permittere, vt eos in modeſtia & humilitate contineat, quàm nihil leuiorum imperfectionum ſuſtinere, ex quo illos ſuperbiendi occaſionem accipientes amittat.

Iob. 3. 9.

Gregor. 3. mor cap. 19.

Iob. 14. 5.

Greg. 12. mor. c. 2.

3. Reg. 19. 3.

Ioan. 18.

Ioſue 16 10.

Gen 7. 2.

Quid ergo ex hac veritate amator perfectionis eliciet? Id quidem, vt licèt nunquam ſe plenè vincere poſſit, & omnes prorſus imperfectiones delere, non tamen ideo crucem deponat. Nec ſtudium aſſiduæ abnegationis abiiciat. Huius enim aſſiduitate fortaſſis veniet ad eam mentis tranquillitatem perfectis conceſſam, & à Dorotheo verbis ſuprà adductis, enucleatam, quæ magna eſt, ſuprà quàm inexperti putant, & omni conatu expetenda, licèt (vt diximus) minimè omnem imperfectionē, nec omnem motum appetitus aduersùm rationem inſurgentem, excludat. Sed aliud eſt, quaſi latratus canis à longè ſentire, aliud verò canis dentibus atteri, & morſibus cruentari. Ita aliud eſt paſſiones quaſi muſſitantes,

A aut à longè oblatrantes audire, aliud verò ipſarum paſſim furore diſcerpi. Hoc ego quotidie experior,& imperfecti,mei ſimiles frequenter patiuntur:illud verò perfecti in ſeipſis aduertunt, qui diuina gratia præuenti & adiuti,atque aſſidua mortificatione domiti, raros,& lentos inſultus ſentiunt,& veluti muſcarum punctiones,quas diſcretionis manu abigunt,& paruo, aut ferè nullo labore propellunt. Si autem nunquam tantam pacem fuerit aſſequutus, at ſaltem ad illum ſtatum accedet,in quo dæmones illum timeát, & affectus nihil iam procaciter audeant, ſed ad bellum neceſſitatis prætextu,& honeſtatis colore obuoluti procedant. Et cùm ad apertum malum allexerint,veluti animæ dormitionem expectent, cùm ſcilicet æternorum oblita, & à conſideratione rationum ſpiritualium ſegregata in aliquod temporale,&
B caducum intendat. Quòd ſi ſibilo ſerpentis tacta è veſtigio reſurgat,& ad remedia prauum motum expellentia ſe applicet,praui motus, ac ſenſualitatis inſultus,quaſi cum rubore diffugiant. Si nec hunc perfectionis gradum mens obtinuerit, ſed alium minorem acquiret,qui tamen miſeram ſortem, quam imperfecti,& ſegnes ſuſtinemus,excedat. Et ipſe labor aſſiduæ abnegationis vtiliſſimus eſt, qui paulatim vitia extenuat, affectus ligat, corpus domat, & præmium æternæ exultationis expectat. Sciat homo pro conſolatione ſua, quia dum grauia peccata expulit, ſéque à prauis ſuggeſtionibus per mortificationem auertit,Dominum apud ſe habet,& eius ſit præſentiâ cõtentus. Illos qui ſe aſſidua abnegatione cohibent,
C nunquam tamen videntur ſæculi mores deponere, nec in virtute proficere, iumento comparat Bernardus,cui Hieroſolymam ingrediens inſidebat Dominus,vt hoc ſe ſolatio demulceant. Poſtquam enim eos hortatus eſt,vt nitantur de iumentis in homines commutati,qui læti Saluatorem excipiunt, hæc ſubiicit: Quod ſi non faciunt, obſecro, vt in eo quod ſunt,permaneant,& patienter interim ferant quæ ſalubria ſunt, & ſi minùs ſuauia, donec complaceat Domino reſpicere humilitatem eorum, & in melius aliquid eos promouere. Vultis autem vt aliquatenus conſolemur iumentum noſtrum? Scimus equidem quia cantare non nouit. Neque enim de eis eſt, qui dicere poſſit: Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.] Attamen
D vnum eſt, quod nemini cæterorum tam propè eſt Dominus. Nam nec ipſi,qui hinc inde adhærent,tam propè eum habent,vt iumentum,cui inſidet. Et audi hoc ipſum à Propheta: Propè eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde.]Nam & mater,quem ægrotantem nouit filium,magis fouet, & ſæpius amplectitur eum.]Sic ille. Hoc igitur pro magno habeant, qui ſe aſſiduè abnegant,quòd Domino placent, nec longè eſt ab vnoquoque eorum. Et licèt ſemper aliquibus affectibus proterantur; non tamen ob id deſperent, neque à mortificatione deſiſtant. Erit fortaſſe tempus, cùm illa verba Iahaziel, ſuper quem factus eſt ſpiritus Domini,aure mentis excipient: Nolite timere,nec paueatis hanc multitudinem:non eſt enim veſtra pugna,ſed Dei.] Et rurſus: Tantummodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſu-
E per vos.] Hæc,inquam, audient, & quæ multo tempore non potuerunt euincere, vno momento victa, & proſtrata reſpicient. Et licèt aliquid præteritæ conuerſationis, aduersùs quod pugnant, non plenè adhuc eliminatum inquietet, planè beati erunt, quos Dominus vſque ad horam mortis pro ſua gloria pugnantes,& laborantes inueniet. Tunc ipſe ſemifacta complebit, nec dum plenè purificata mundabit, & pacem,ac mentis puritatem optatam concedet.

Bern. ſer. 2. in ramis pal.

Pſalm. 118.54.

Pſal. 33.19.

2. Paral. 20.15.

Ad Mortificationem adhortatio.

CAPVT XVIII.

CVm ergo mortificatio neceſſaria nobis ſit ad ſpiritalem vitam ſectandam, ſiue omnino vincamus,ſiue tantùm irruptioni affectionum obſiſtamus, manifeſtum eſt,vſque ad extremum vitæ diem nunquam eſſe deſerendam. Atque adeò cuique eſſe dicendum, quod de ſe & ſanctus Iob: Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.] Omnibus enim diebus militandum eſt, & omnibus expectandum, quando bello importuno pax concupita ſuccedet. Nam qui in hac vita non militat,& cum ſuis peruerſis voluntatibus malam pacem conciliat, nullam ſui in melius mutationem, nullam vitiorum victoriam, nullam veram pacem expectat. Quare ſi interna cogitatio à nobis interrogauerit; quando à tam importuno bello deſiſtendũ eſt,quando propriis voluntatibus cõdeſcendendum; reſpondeamus illi,quod reſpondit Iehu nuntio regis Ioram: Quid tibi & paci: Tranſi,& ſequere me.] Quid,inquam,nunc anima mea de pace cogitas? Quid de hora ſomni, & quietis interrogas, cùm huic vitæ non pax, tranquillitáſque conueniat, cùm hæc mortalis conuerſatio perpetuum quoddam bellum ſit? Tranſi magis ex deſideriis pacis ad ardorem ſacri belli, & me hoſtes meos, id eſt, voluntates meas, & affectus meos inſectantem ſequere, donec impiam Iezabelem, id eſt, carnis prauam concupiſcentiam,dilacerem;& Ioram,id eſt,elatum ſuperbiæ appetitum ſagitta transfigam. Inueteraſti adhuc in terra aliena,& ſenuiſti in cõuerſatione terrena:coinquinatáque es cum mortuis, ac prophanorum hominum deſideriis fœdata: & deputata es cum deſcendentibus in infernum,] cum his ſcilicet, qui ſola inferiora appetunt, & terrena concupiſcunt. Abſurdum eſt itaque, vt pacem clames, donec per tuimet victoriam,iugum prauarum concupiſcentiarum excutias. Non venit Dominus tuus pacem mittere in terrã,ſed gladiũ:]quandiu in terra es mortificationis gladium para,ſuperflua amputa,praua & impura deſideria ſeca, & in manſiones cœleſtes pacem haud dubiè veram,& nunquam finiendam reſerua. Sic noſtris cogitationibus pacem ante tempus poſcentibus reſpondeamus, & erubeſcamus eſſe ex illis, qui contra dictum Domini: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire,] & ipſi Domino, & noſtris vanis deſideriis famulari geſtimus? Nonne riſu digna fuit petitio Naaman principis militiæ regis Syriæ, qui ſanatus à lepra, dixit ad Eliſeum: Hoc ſolum eſt de quo depreceris Dominum pro ſeruo tuo,quando ingredietur Dominus meus templum Remmon,vt adoret:Et illo innitente ſuper manum meam, ſi adorauero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, vt ignoſcat mihi Dominus ſeruo tuo pro hac re. Et Dominum in Deum habere, & ſimul idôlum adorare, aut adorationem ſimulare volebat, & duo inter ſe valde contraria,veri ſcilicet Dei adorationem,& falſi reuerentiam miſcere. Cui meritò dixit Eliſeus: Vade in pace. Non quaſi propoſitum approbans aut legem,quam non poterat,ſolum Deum adorandi relaxans, ſed quaſi orationem pollicens, & Deo preces efflagitantem commendans. Ita & nos iuſtæ increpationi ſubiacebimus, ſi à lepra ſanati prophanæ conuerſationis velimus & Deum adorare, & ſimul affectibus cordis noſtri ſeruire. Hi nos furantur, & ſæpe cœleſtibus meditationibus occupatos à conſpectu Domini ſubtrahunt,& illi inuiſos nos faciunt.

Iob. 14.14.

4.Reg.9.18.

Baruch 3.11.

Matth. 10.34.

4.Reg.5.18.

Eccli.15. 22.

Non enim, vt eſt in Eccleſiaſtico, concupiſcit multitudinem filiorum infidelium,& inutilium.]Infideles autem ſunt, qui ſuis cupiditatibus famulantur, cùm Deo debitam fidelitatem, tãquam omnium regi, non ſeruent:& inutiles,quia dum Deo, & ſibimet ſeruire volunt,nec Deo,nec ſibi ſatisfaciunt,& cor nimis anguſtum in duo, quæ copulari non poſſunt, ſibi inuicem aduerſa diſpertiunt.

Illi verò filij vtiles & fideles ſunt,qui ſe totos Deo conſecrant,& ve illi ſe perfectè tradant,ab omni immoderata cupiditate ſe ipſos auertunt. Libenter mundo moriuntur,vt Deo viuant,quia probè ſciunt, ſe non poſſe Deo viuere, & ſæculi deſideriis famulari. Naboth Iezraëlites iuſtus ſcribitur,& de conſtantia virili laudatur, quòd [vineam] ſuam regi Achab dare noluit,quia petebat eam[vt in hortum olerum] verteret; ſapienter cogitans, vt Hugo meditatur, indignum eſſe, quòd labor excolendæ, & mortificandæ carnis verteretur in hortum voluptatis. Sic prorſus iuſti ſunt, & viri conſtantes, qui poſt conuerſionem ſuam,malunt occumbere,quàm vinum mortificationis pro deliciis commutare. Hos imitamur nos, & filij vtiles reputamur, ſi ſenſus, & affectus noſtros abnegationis cenſurâ cohibemus. Nemo de victoria deſperet, quia Domino, cuius præſidio ſuperaturus eſt,nihil impoſſibile aut difficile reperitur.Imperauit ipſe piſci, qui deglutiuit Ionam, & euomuit Ionam in Aridam.]Imperauit Petro vt ſurgeret,& ſtatim ceciderunt catenæ de manibus eius.] Ab ipſis inferni, & mortis faucibus Lazarum vna voce tantùm eripuit. Quare non poterit vnico verbo de noſtris cupiditatibus victoriam concedere, & beſtias paſſionum mortificatione frænare ? Iſtud ergo mortificationis ſtudium cordi nobis ſit ab ipſo conuerſionis exordio: nam ſi arbuſculæ tenellę facilè diriguntur,ad proceritatem verò progreſſę,volenti eas rectitudine emendare,non cedunt:ſi pueri, quorum blanda ſunt organa ſenſuum,proni ſunt ad diſcendũ,at ætate grandæui nihil nouum tenere poſſunt:ſi pulli beſtiarum,hominum arte domantur, grandes verò facti nullis laboribus manſueſcunt:ſi hæc,inquam,ita ſunt,facilius erit,nos in initiis ſpiritualis vitæ componere, quàm poſt multos dies ad debitum ordinem reuocare. Caro ergo(quo nomine corpus, & ſenſus,& affectus,& carnales voluntates intelligi volumus) ſtatim in initio conuerſionis noſtræ cohibenda eſt,vt ſuauiter vitam ordinemus, & priùs nos iugo mortificationis ſubiectos, quàm homines aduertamus. Non ſit illa conſiliatrix in his,quæ ſunt aut cauenda, aut actione præſtanda, ſed magis lex ſpiritus, quæ licèt carni aduerſa, nobis tamen conducibilia ſuggeret. Id enim fortè præcepit Dominus,cùm ad rectam in omnibus intentionem adhortans, ait: Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.]Nam dextera manus, inquit Chryſoſtomus,eſt voluntas animę ſemper ad bonum contendens: ſiniſtra autem voluntas carnis ſemper Deo contraria.Neſciat ergo carnis voluntas,quod facit voluntas animæ.] Neſciat,inquam,id eſt, ne eius conſenſum expectemus,ne quid ſibi bonum ſentiat, inquiramus, ſed magis quod ipſa non probauerit, & durum putauerit, dextera manus, hoc eſt, voluntas ſpiritus actione perficiat.Terra quidem,ſi ſenſum haberet,vomere proſciſſa gemeret, dolorémq; ſentiret; ſed non ob id eam ſubigere ceſſaremus,ne ſterilis,atque infœcunda perſtaret.Sic caro noſtra abnegationis aratro mouenda eſt,licèt gemat,ne hoc beneficio orbata ſylueſcat. Vnde Ambroſius exponens illud Dauidis: Inhabita terram, & paſceris in diuitiis eius,ita inquit. Quæ eſt terra, quam ſuadet inhabitandam, niſi anima tua, quam bene debes excolere,

3. Reg. 21.3. — *Hugo 2. de clauſtro animæ c.23.* — *Ionæ 2. 11.* — *Actor. 12.7.* — *Ioan. 11. 43.* — *Matt. 6. 3.* — *Chryſ. in imperfecto. hom. 13.* — *Pſal. 36. Ambr. ad eundem Pſal.*

A frequenter ſpiritalibus inarare vomeribus, ne longo inhorreſcat ſitu ? Bonus enim agricola quotidiana operatione, & peruigili ſolicitudine exercet agrum ſuum, & propria ruta cuſtodit, ne deuaſtet ea aper de ſylua,& fructus maturos raptor eripiat. Ara ergo terram tuam, vt cùm venerit qui ſeminat verbum, animam tuam inueniat præparatam, ne ſupra inculta cordis tui decidat ſemen, & veniant aues cœli, & diripiant,quod fuerit ſeminatum.] Hanc terram à principio aſſueſcamus excolere, quia in hoc à terra, quam pedibus calcamus,manifeſtè ſecernitur, quòd hæc frequenter culta ſeminatáque laſſeſcit, adeò vt oporteat,eam aliquo tempore ſine cultura relinquere: illa verò quò magis colitur & exercetur, eò feracior ad fructum ferendum inuenitur.

B Si verò ſpiritualem vitam malè cœpimus, & ad multos annos ſine mortificatione viximus, ſaltem nunc ad mentem redeamus. Non eſt omnino ſera noſtra in melius mutatio, cui præmium reſpondebit illorum,qui ab initio laborarunt. Quia & qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt,ſicut & alij,ſingulos denarios.] Et nos ſimiliter tandem aliquando incipientes, præmium eorum, qui ab initio ſe abnegarunt, recipiemus, ſi quod laboris nobis deeſt,humilitate ſuppleamus. Non erit inſuauis abnegatio,etiam poſt multum tempus aſſumpta, quæ tepidæ conſcientiæ afflictionem euacuat.Verè enim, qui tepidè viuunt, & ſe ipſos palpant,dum ſui abnegationem fugiunt, cruciatus longè acerbiores conſcientiæ mordentis incurrunt. C Quod pulchre indicauit ſanctus Iob,dicens: Qui timent pruinam,irruet ſuper eos nix.] Et alio loco de impio ait: Fugiet arma ferrea,& irruet in arcum æreũ.] Et Iſaias: Qui fugerit à facie formidinis, cadet in foueam: & qui ſe explicauerit de fouea,tenebitur laqueo.] Hæc omnia quid aliud indicant, niſi paruam inſuauitatem abnegationis fugientes, acerbioribus doloribus excipi deſideriorum,qui non ſortiuntur effectum, & implacabili conſcientiæ dente morderi? Melius itaque eſt,modicam carnis triſtitiam ex mortificatione prouenientem cum fructu pati, quàm edaciſſimos propriæ conſcientiæ morſus ſine fructu ſentire. Nec denique hæc ſera abnegatio erit inutilis, quæ licèt non tam facilè,ac abnegatio tempeſtiuè accepta, nos indomitos non relinquet, nec fructu profectus noſtri carebit. D Diligens enim inſtitutio gratiæ auxilio roborata, excitata, & adiuta vincit procul dubio, & emendat naturam, & quam ſine abnegatione velut immanem beſtiam ſufferebamus,per abnegationem mitem,& diuinis mandatis obedientem experimur. Et ſanè non deeſt nobis ad hoc aſtruendum, argumentum ex Ambroſio decerptum. Illa, inquit, quæ conſortium noſtræ ſubſtantiæ non habent, agnoſcunt tamen noſtræ vocis imperium, & cùm ſuæ naturæ nullam rationem habeant, noſtræ naturæ rationem capeſſunt, & quodammodo transfuſam acquirunt. Equos videmus popularibus incitari ſtudiis, gaudere plauſibus, blandimentis delectari magiſtri. Toruos leones cernimus naturalem feritatem, imperata mutata manſuetudine, ſuam rabiem deponere, E noſtros mores ſumere.Et cùm ſint ipſi terribiles,diſcunt timere.Cæditur canis,vt paueſcat leo,& qui ſua iniuria exaſperatur, coërcetur aliena, alteriúſque exemplo frangitur. Quoties parata præda,& cibo obuio,famem perpeti malunt, dum offenſam magiſtri verentur? Quoties repentino impulſi motu aperta ad morſus ora iuſſi reſoluunt? Ita dum noſtræ voluntati obſequuntur, ſuæ obliuiſcuntur. Ex quo infert beatiſſimus Doctor, quod nos perſuadere contendimus, ſenſus, & affectus inſtitutione domari, &

Matth. 20.9. — *Iob.6.16.* — *Iob. 20. 24.* — *Iſaiæ 24. 18.* — *Ambr. lib. 2. de Cain c.1.*

natura

naturalem feritatem deponere. Si enim hæc inſtitutio tantum valet, vt beſtias contineat, & manſuefaciat, quidni naturam noſtram doctrinæ capacem, & ad virtutem creatam inſtituat, atque componat? Non itaque contenti ſimus, quia ſæculi exteriora reliquimus, niſi etiam nos ipſos relinquamus, & affectus carnis moderemur. Nam Paulus formam ſpiritualium virorum induens, ait: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.] An ambigis inter has duas crucifixiones aliquid eſſe diſcriminis? Sed audi illud ex Dorotheo. Quid, inquit, differt crucifigere ſibi, ipſi mundum, & mundo crucifigi? Mundus homini crucifigitur, cùm mundo abrenuntiat homo, & ex inde ſolitarius fit, relictis parentibus, poſſeſſionibus, agris, negotiationibus, rerum copia. Crucifigitur enim illi mundus, quia deſerit eum. Quo pacto crucifigitur homo mundo? Cùm ſcilicet vbi ex mundi rebus exceſſerit, certat aduersùs rerum concupiſcentias, aduersùs voluptates, aduersùs propriam voluntatem, ſubigitque innatas paſſiones & vitia.] Hæc ille. Duo itaque viris ſpiritualibus neceſſaria ſunt illa duplici crucifixione ſignata: Alterum, vt mundi bona deſerant; Alterum, vt ſe mortificatione cohibeant. Qui illud tantùm præſtant, mundum ſibi crucifigunt. Sed quid prodeſt frater, crucifixiſſe mundum, ſi tu per immortificationem ſolutus manes, qui illum ad mortem animæ tuæ, vt tibi viuat, aliquando diſſolues? Poſtquam ergo illum in crucem egiſti, crucifige etiam teipſum, vt ligatis per mortificationem manibus tuis, nunquam illum, qui te valet decipere & interficere, ex ſupplicio, quod meretur, eripias.

Galat. 6. 14.

Doroth. doct. 1. ad medium.

Non ſufficit ergo, per abrenunciationem rerum ſæcularium crucifixiſſe mundum, niſi etiam per veram ſenſuum, & cupiditatum abnegationem crucifigamus nos ipſos. Quia illa externa crucifixio, qua diuitias ſæculi, & veſtem hominum mundo ſeruientium abiecimus, huius eſt interioris crucifixionis indicium. Mendacij autem arguemur, ſi veſtis religioſa, aut ſpirituali viro accommodata vnum indicet, & animus illa religionis oſtenſione contectus aliud velit: ſi indumentum, mortificationem, & rerum viſibilium contemptum prædicet, & mens res viſibiles concupiſcat, & omnem mortificationem exhorreat. Hanc verò mendacij notam fugiemus, ſi mundi crucifixioni, aut rerum ſæcularium renunciationi noſtram crucifixionem, id eſt, noſtri mortificationem, adiiciamus. Implebimúſque illud Pauli: State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate.] Iam lumbos ſuccinximus, ſi per externam abrenunciationem mundana contempſimus, ſed tantùm in ſimulatione, & non in veritate, ſi ſenſus, & affectiones minimè cohibemus. Tunc autem ſtamus ſuccincti lumbos in veritate, quando ſtatus, & mens; veſtis & vita à cupiditatibus mundi aliena conſentiunt. Non enim ſufficit, inquit Origenes, te apud homines videri ſeruare veritatem. Poſſibile namque eſt fallere homines, & veracem videri, ſed non ex eo in veritate ſuccinctus es, niſi & in conſpectu Domini ſeruaueris veritatem, id eſt, non ſolùm quæ voce homines audiunt, ſed ea, quæ in corde perſpicit Deus: vt nihil ſit falſum in lingua, nihil ſit in corde fucatum, ſecundùm quod Propheta dicit de talibus: Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum.] Si ita viuamus, iam mendacij non arguemur, immò potiùs, tanquam veri Chriſti imitatores, qui crucem laborum portamus, & in ea cupiditates noſtras clauis diuini timoris affigimus, laudem fidelium Chriſti imitatorum promerebimur. Sic vita noſtra, vt puriſſimum holocauſtum, coram Domino in odorem ſuauitatis aſcendet. Neque enim illi more

Epheſ. 6. 14.

Origen. hom. 5. in Ioſue.

A hypocritarum ſolam pellem, id eſt, externas diuitias, & voluptates offerimus, ſed carnem, & oſſa, & ſanguinem, & medullas, ſcilicet quicquid in nobis pretioſum eſt, ſenſus, affectiones, voluntatéſque litamus. Sic tandem ad imitationem Pauli, duas nobis cruces paramus: Alteram, qua mundus nobis ludibrio ſit: Alteram, qua viciſſim nos illi ludibrio ſimus. Vel potiùs cum fideli Abraham ad noſtram requiem, non vnum tãtùm, ſed duo ſepulchra coëmimus. Si enim, vt inquit Hieronymus, bis hominem neceſſe eſt mori, & bis ei vita debetur, æquum eſt, vt pro duplici morte, & pro duplici parte ſui, duo etiam ſepulchra condat. Et corpus quidem anima vacuum in terra reconditur, vt in die reſurrectionis ſuæ reſumptum ab anima, viuum exeat: anima verò à vita carnis auulſa, Deo tamen viuens, in ſepulchro abnegationis B occulitur, vt inde peccatorum, & vitiorum victrix aſſurgat. Qui autem vnico carnis ſepulchro contentus, alterum ſuæ abnegationis pro mente non quærit, & ſecundùm deſideria carnis viuit; is non ad vitam, ſed ad mortem & damnationem reſurget.

Gen. 23. 9.

Hieron. epiſt. ad filias Geruntii eſt 3. To. 9.

Per mortificationem itaque vitæ noſtræ conſulimus, & victoriam de vniuerſis vitiis comparamus. In cuius ſignum filij Iſrael profecti de Mara, venerunt in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & palmæ ſeptuaginta:] quia videlicet ex amaritudine abnegationis ad refrigerium progredimur, & victoriæ palmam obtinemus. Hæc victoria, ac præmium nobis ob abnegationem paratum, ſemper ante mentis oculos obuerſetur, vt illud ad moleſtias ſuſtinendas C corroboret. Mala enim vitæ præſentis, inquit Gregorius, tantò durius animus ſentit, quantò penſare bonum, quod ſequitur, negligit; & quia non vult præmia conſiderare, quæ reſtant, grauia æſtimat eſſe, quæ tolerat. Vnde & contra flagelli ictum cogitatio cæca conqueritur, & quaſi infinita calamitas creditur, quæ diebus curſu labentibus quotidie finitur. At ſi ſemel quiſque ad æterna ſe erigat, atque in his, quæ incommutabiliter permanent, oculos cordis figat, propè nihil eſſe hoc conſpicit, quicquid ad finem currit. Præſentis vitæ aduerſa tolerat, ſed quaſi nihil eſſe, omne quod labitur, penſat. Quò enim ſe internis gaudiis robuſtiùs inſerit, eò minus externos dolores ſentit.] Sic ille. Secundùm hoc, præmia nobis parata meditemur, pacem, & tranquillitatem, ac mentis puritatem in præſenti vita mortificatis conceſſam, D & alia abundantiſſimam gloriam contemplemur, & ſic libentiſſimè abnegationis laborem amplectemur, quæ profectò via eſt, qua ad illam gloriam properamus. Arcta via eſt caſtitas, inquit Cyprianus, trames ſtrictus, humilitas, ieiunio affligi, & carnem in ſeruitutem redigere, ſcrupuloſæ ſunt ſemitæ, ſed ad patriam ſuperiorem, nonniſi per meatus difficiles armati milites reuertuntur.] Anguſtæ igitur ſemitæ nobis terendæ ſunt, vt in illam latitudinem admittamur, quam Dominus ſeruis fidelibus pro eo laborantibus præparauit. Nec nos harum viarum difficultas, vel abnegationis auſteritas à cœpta vitæ ratione deterreat, quia quò magis has vias triuerimus, eò illas faciliores & ſuauiores inueniemus. Aſſidua abnegationis E ſtudia aquæ ſunt, tales verò, vt nos lauent, non vt obruant, atque demergant. Aquæ ſunt, ſed aquæ tranſeuntes & decurrentes, quæ nos à ſordibus mundos, lætóſque relinquunt. Vix pertranſient, cùm earum obliuiſcemur, præ gaudio, & exultatione, quam afferet adepta mundicia. Miſeriæ quoque obliuiſceris, inquit Iob, id eſt doloris & anguſtiæ, quam abnegatio attulit, & quaſi aquarum, quæ pertranſierunt, non recordaberis. Decurret aqua, ô frater, & dolor paruus in tui abnegatione repertus tran-

Num. 33. 9.

Greg. 10. mor. cap. 12.

Cypr. de ſtella & Magis.

Iob. 11. 16.

ſiet, ſed

Psal. 29. 6. ſiet, ſed non te aridum atque immundum, ſed refocillatum ac purificatum relinquet. Tantiſper ad veſperum huius vitæ demorabitur fletus,] ſed ſuſtine: quia[ad matutinum lætitia.]Fletus ſatis modicus, & temperatus eſt, tu ipſe experiris, & vix lacrymulas aliquas meos triſtis exprimit, neque enim iudicat ſuos labores magno fletu dignos, at lætitia, quæ te manet, non eſt parua, ſed ſupra omnem noſtram cogitationem eximia. Hanc nullus dolor, nulla triſtitia intercipiet, illum verò fletum etiam in ipſo ortu ſuo immiſſa menti lætitia temperat: ita vt homo de nouitate operum diuinorum ſtupeat. Nam poſtquam ex animo, abnegationi ſe tradit, ſic oppoſita iuncta, & miſta conſiderat, vt & de gaudio mundi triſtetur, & de

A triſtitia ſui corporis, aut ſenſuum vehementer exultet. Meritò ergo, Domine, canit ſeruus tuus Dauid: Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos à ſignis tuis: Exitus matutini, & veſperè delectabis.] Stupebunt, inquam illi, & timebunt præ admiratione mirabilium tuorum, quia non ſolum exitus matutini, id eſt, præmij, quod ſperant, delectatione perfundes, ſed etiam exitus veſperè, & ipſa mortificationis initia, in quibus demoratur fletus, exultatione complebis. Vt ſic tuam pluſquam paternam benignitatem admiremur, qui noſtræ imbecillitatis miſeratus, medicamentum abnegationis inſuaue, melle dulcedinis & conſolationis illinis. Psal. 64. 9.

PARS SECVNDA

De Mortificatione exterioris hominis.

EXPOSITA vtcumque mortificationis tum naturâ, tum præſtantiâ, reliquum eſt, vt ex generali tractatione calamus ad particularia, & magis vtilia ſe conuertat. In his autem, quæ mortificatione reformanda ſunt, eſſe aliquam ordinis rationem, Ioannes Caſſianus aperte docet: & à carnalibus ſeu exterioribus ad ſpiritualia, & interiora procedendum eſſe definit. Quod & Pauli auctoritate confirmat. Ille enim primò caſtigat corpus, & in ſeruitutem redigit: poſtea verò aduerſus principatus, & poteſtates colluctationem inſtituit. Etſi, vt ipſe alio loco ait: Non priùs, quod ſpiritale eſt, ſed quod animale: deinde quod ſpiritale:] perſpicuum eſt à parte animali, oculiſque ſubiecta in propria abnegatione inchoandum eſſe, vt noſter labor priùs fundamenta iaciat, & deinde ædificationem erigat: Et à facilioribus, & craſſioribus incipiens, ad difficiliora & ſubtiliora moderanda conſurgat. Nunc ergo de mortificatione ſenſuum, & eorum, quæ ad corpus pertinent, agemus, quibus cohibitis, meliùs de affectuum interiorum ordinatione tractabimus.

Caſſian. lib. 5. de ſpirit. Gaſtrimar. c. 18. 1. Corin. 9. Epheſ. 6. 1 Corin. 15 46

Mortificationem non coniunctim, ſed quaſi per partes eſſe accipiendam.

CAPVT I.

OPERA Hominum ita ab auctore naturæ, Deo, inſtituta ſunt, vt non ſecundùm omnes ſuas partes ſimul fiant, ſed paulatim ex initiis ad media, & ex mediis ad ſumma, extremáque procedant. Idque ipſa humana natura requirit, vt quoniam virtute operandi finita eſt, non ſine limite in opus exeat; nec tam citò, ac res mente concipit, actione faciat; nec duo extrema, ſcilicet principium, & finem, nimis diſtantia, quaſi vno impetu ſui conatus attingat. Voluit autem Deus hunc modum operandi honore maximo augere, dum illum ſibi, non ad ſuam neceſſitatem, ſed ad noſtram eruditionem aſſumpſit. Poterat enim ille orbem vniuerſum momento condere, & in puncto durationis omnia inuiſibilia, & viſibilia creare, uoluit tamen, neque in hoc opus ſuum æquare potentiæ, ſed illud ſex diebus perfecit, & per interualla temporis aptè diſtinxit, vt non ſolùm rebus creatis naturam, ac perfectionem donaret, ſed etiam de modo, ac ratione agendi mortales inſtrueret. Huius rei ipſos quoque cælos voluit eſſe doctores, qui
Genes. 1.

B quotidie hunc inferiorem mundum paulatim illuminant, & primùm minima luce, deinde maiori, ac tandem maxima, ſcilicet meridiana, perfundunt: qui ſegetes quaſi per partes adoleſcere faciunt: qui tandem circulum ſuum, quo hominum vitam metiuntur, viginti quatuor horarum menſurâ perficiunt. Iam homo tum à Deo auctore ſuo, tum à nobiliſſimis creaturis edoctus, eam in operibus ſuis rationem tenet, vt vnum poſt aliud faciat, & in ſingulis eorum, vnam, poſt aliam partem, elaboret, & ſic omne opus abſoluat atq; perficiat. Terram ligone domat, aratro ſubigit, ſpinas euellit, ſemina ſpargit, aquis irrigat, & fructus non celeres, ſed tardos, & ſenſim naſcentes, creſcentes, & matureſcentes expectat. Artes ad vitam mortalem conſeruandam inuentas paulatim capit, C & ex rudibus quibuſdam initijs ad maiora ſe promouet, & ex mediocribus ad earum perfectionem aſſurgit. Scientias, veritatis doctrices, mentis ornamenta, & virtutis ſubſidia, lento quodam proceſſu conſequitur, & primùm vniuerſaliora principia intelligit, & poſtea ex illis nunc vnam concluſionem, nunc aliam elicit, & poſt multum tempus inſumptum, & magnum laborem adhibitum, perfectè ſcientiam addiſcit. In his omnibus, & quibuſcumq; alijs ab homine præſtitis curæ partitio, laboris diſtributio, & eius quod fit, erga ſingulas partes exercitatio, opus mirabiliter promouet, ac perficit, conatus verò erga

Digitized by Google

omnia ſimul exitum deſideratum impedit, & deſideſio laborantis obſiſtit. Cuius rei teſtis eſt Salomonis ſententia, ita dicentis: Subſtantia feſtinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur,] Ipſa namque feſtinatio laborandi fructum minuit, & dum quis omnia accipit, omnia perdit: ſi verò lento gradu procedat, & nunc huic parti operis, quæ ſuas vires non excedit, & nunc illi manum admoueat, ſe perueniſſe ad finem aduertit. *Prou. 13. 11.*

Eadem vitæ ſpiritualis, & aliorum operum, ratio eſt, quam nemo quantumuis feruidus debet ſimul aggredi, ſed paulatim atque per gradus ad eius faſtigium aſcendere. Vt quemadmodum natura vitam corporis ſenſim perficit, & ex infantia ad pueritiam, ex pueritia ad adoleſcentiam, & ex illa ad ſequentes ætates promouet; ita gratia vitam ſpiritus ex ipſo exordio ad profectum, & ex profectu ad perfectionem educat. Quod indicaſſe videtur Paulus: Qui vt ſapiens architectus fundamentum poſuit, vt alij ſuperædificarent,] nec putauit congruum eſſe, ſimul fundamenta iacere, & parietes huius molitionis erigere. Alibi etiam quibuſdam lac primum in potum offert, & poſtmodum eſcam fortiorum ſubminiſtrat. Apud quoſdam non iudicat ſe ſcire aliquid, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Apud alios verò ſapientiam loquitur, nimirum apud perfectos. Ac tandem omnis, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ: paruulus enim eſt.] Perfectorum autem eſt ſolidus cibus. His omnibus indicatum eſt, ſpiritualem vitam non eſſe ſimul ſecundùm omnem partem accipiendam, ſed quaſi minutatim, & vnam partem poſt aliam eſſe ſectandam. Quæ autem de vita ſpirituali generaliter dicta ſunt, in hac eius parte, quam nunc ſcribimus, nempe in ſtudio abnegationis, maximè locum habent, cuius nec perſeuerans erit exercitatio, neque magnus profectus, niſi in ea per omnes ſenſus & vires animæ, ſingulatim procedatur. Qui enim omnes actiones ſimul in mortificatione aggreditur, & ex mero ſæculari & prophano homine repentè perfectus, & ab omnibus ſuis vitiis alienus prodire contendit, is fortè tanto oneri minùs ſufficiet, & triſtitia obrutus, ab eo quod imprudenter cœperat, citò deſiſtet. Non poterit etiam magnam abnegationis peritiam aſſequi, qui vno eodémque tempore curam ſuæ mentis in tam varia ac diuerſa ſtudia diffundit. Et ſicut venator, qui multas feras è nemore egredientes inſequitur, & hinc illincque vagatur, ſæpe nullam earum capit, & non ſolùm fatigatus, ſed & vacuus in domum redit: ita qui omnia coniunctim exteriora, & interiora moderari nititur, nihil perfectè moderatur. Quare in Pſalmis ſcriptum eſt: Quoniam ordinatione Domini perſeuerat dies:] nam ſi ordinatio ac debita diſpoſitio, id eſt, diſcretio abſit, vt interpretatur Bernardus, nec perſeuerantia in die virtutis erit, nec quod cœptum eſt, ad propoſitum finem perfectionis aſſequendæ conducet. Hanc enim non abnegationis inceptio, ſed conſummatio, aut nonnulla affectionum noſtrarum ſubiectio affert, quæ ſine animo in abnegatione iugiter perdurante non ſubſiſtit.

1. Corin. 3. 10. *1. Corin. 3. 2.* *1. Corin. 2. 2.* *Hebr. 5. 13.* *Pſal. 118. 91.* *Bern. ſer. 49. in Cant.*

Abnegationi ergo ita inſiſtendum eſt, vt priùs faciliora, & poſtea difficiliora aggrediamur; ac tam in his quàm in illis nō ſimul vniuerſos hoſtes, ſed vnum poſt alium profligemus. Priùs, exempli gratia, cura noſtra oculos comprimat, deinde aures componat; ac ita ſuo ordine reliquos ſenſus cohibeat: quibus in ſeruitutem redactis, aduersùs cogitationes & affectiones bellum gerat: his verò vtcunque repreſſis proprium amorem, propriam voluntatem, proprium iudicium, & reliquos aduerſarios ex proprio amore manantes ſubiiciat. A facilioribus incipiendum eſſe Bonauentura docet his verbis: Non tamen in principio ardua, ſiue multa, præſumant. Nec ſine licentia aliquid notabile attentēt, ſed à minoribus virtutibus paulatim ad maiores conſcendant. Hæreditas, ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo, benedictione carebit.] In omnibus verò ordinem eſſe tenendum, & ſingula, quæ perfectioni obſiſtunt, ſigillatim eſſe moderanda, ſanctiſſimi Macharij Ægyptij confirmat auctoritas: qui interrogatus, an vitium paulatim ſit extirpandum, in hunc modum reſpondit: Quemadmodum in vtero imperfectus infans, non quamprimùm concreſcit in hominem, ſed paulatim formatur, & gignitur, neque mox perfectus homo euadit, ſed longo annorum ſucceſſu augetur, & vir efficitur: eſtq́ue veluti ſemina tritici aut hordei, quæ terræ mandata non ſtatim radicem producunt; ſed vbi tranſeunt hyemes & venti, tum opportuno tempore ſpicæ naſcuntur: itidem qui pyrum plantat, non mox fructum percipit: eodem etiam modo in rebus ſpiritualibus, vbi tanta ſapientia eſt & ſubtilitas, paulatim augetur homo, euaditque in virum perfectum, & plenitudinem ætatis, non, vt quidam aiunt, induere, & exuere. Qui diſcere litteras optat, pergit primùm ad ediſcenda ſigna, in quibus cùm fuerit primus, migrat ad ſcholam Latinorum, in qua eſt omnium poſtremus: denuo cùm ibi primus euaſerit, proficiſcitur ad ſcholam forenſem, in qua rurſum eſt omnium nouiſſimus & principiarius: deinde ſcholaſticus effectus, omnium Cauſidicorum nouitius & extremus eſt, tum dux euadit: qui vbi magiſtratum fuerit aſſequutus, adiutorem ſibi ſumit aſſeſſorem. Si ergo in rebus externis tot habet homo promotionis gradus, quanto magis cœleſtia myſteria multis gradibus atque promotionibus acquiruntur, & tum qui per multas exercitationes, & varia rerum pericula, progreſſus fuerit, perfectus euadit?] His omnibus ſimilibus beatus hic Abbas rationem perficiendi animum ac moderandi patefecit: quam, ſi vitas ſanctorum meditamur, apertè videbimus fuiſſe ab ipſis obſeruatam. Cùm enim primùm ſe ad opus perfectionis accingebant, mentem ſuam, vt agrum ſpinis, tribulis, & ſentibus plenum, conſiderabant, quem non vno die totum excolere, (hoc enim non eſt poſſibile) ſed multo tempore, & per partes purgare, emollire, & ſeminibus ditare curarunt, vt tandem fructum omnium virtutum afferret, & ab vniuerſis ſuis imperfectionibus peccatiſque diſcederet. Ita ſanè virtutem acquirendam eſſe monuit Eccleſiaſticus, dicens: Fili, à iuuentute tua excipe doctrinam, & vſque ad canos inuenies ſapientiam. Quaſi is, qui arat, & ſeminat, accede ad eam, & ſuſtine bonos fructus illius.] Dum enim ſapientiæ ac virtutis amatorem agricolæ aranti, & ſemina iacienti, comparat, quid aliud ſignificat, niſi quòd ſicut is hoc anno vnam faciem ſui agri arat & ſeminat, & ſequenti anno alteram aratro ſcindit, & ſeminibus complet, vt cumulatum inde fructum percipiat: ita vir iuſtus non erga terram iſtam, ſed erga cor ſuum ſpiritualem agricolationem exercens, nunc hanc animæ potentiam, nunc illam à defectibus purgat, & virtutis ſeminibus ornat, vt nullā ſui partem ſylueſcentem, & fructum non ferentem ſuſtineat? In quo labore multo eſt aratore terræ fœlicior: nam hic ex agri facie, quam anno præterito arauit, & ſeminauit, & præſenti anno non colit, nullum fructum colligit, iuſtus verò ex parte animæ, quam elapſis diebus reformauit, quotidie, cum moderata attentione conſeruandi, quod emendatum eſt, fructus etiam iuſtitiæ decerpit. Illa enim pars vomere abnegationis

Bonauen. ſpeculo 1. p. principali c. 2. *Machar. hom. 15. longè ante finem habet. 1. To. Biblio.* *Eccli. 6. 18.*

exculta

exculta habituum alicuius virtutis acquirit, quo ſuauiter & faciliter per ſemitas virtutis ducitur, & ad id quod ſecundùm rationem eſt, gratia aſpirante, permouetur.

Hanc rationem perficiendi ſeipſum, quam ſancti exemplo docuerunt, & Eccleſiaſticus monuit, quiſquis tenere debet, ſi vult non mediocres in virtute progreſſus habere. Seipſum igitur pictorem exiſtimet, qui non in tabula cedri aut cupreſſi, ſed in proprio corde & corpore imaginem Chriſti Saluatoris effingit. Et ſicut pictor ſingulas partes imaginis format, quam penicillo elaborat: ita modeſtiã oculorum Chriſti in oculis ſuis, & circunſpectionem auriũ eius in auribus, & virtutes alias in reliquis animæ viribus ad viuum exprimere & delineare contendat. Diſcat ex ſponſa terreni hominis, quomodo mentem ſuam expolire debeat. Illa enim non ſimul ſe totam ornat, ſed quaſi per partes pulchram & decoram efficit. Primùm faciem lauat, inde oculos ſtybio pingit, capillaturam criſpat, aures inauribus, collum torque, & manus annulis, & dextrocheriis excolit, & ſe totam incredibili diligentia comit. Sic omnino mens, quæ Chriſti connubium ambit, non ſit in ſui ornatu minùs diligens, vt tanto ſponſo placeat, ſed ſingula, quæ ad ſe pertinent, ſigillatim exornet. Nihil habeat, quod non ſeorſum inſpiciat, quod non ex profeſſo componat, quod non ſeparatim cenſura mortificationis emendet. Animam ita mundatam & emendatam ſponſus de pulchritudine laudat, eiúſque oculos, caput, collum, pedes, & cæteras partes magnificis verbis in cantico Canticorum commendat. Ac tandem ſic omnem laudationem concludit: Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in deliciis!] Qua ſentẽtia, quæ admirationem continet, apertè oſtendit animæ pulchritudinem non eſſe admirabilẽ, niſi ex omnium ſenſuum ac virium decore conſurgat. Omniáque eſſe mundanda & polienda, vt anima non iam amica, ſed amiciſſima & chariſſima nominetur, cui cœleſtes deliciæ proueniant. Ad tantam pulchritudinem paulatim & per gradus aſcenditur, & dum nunc exteriora, nunc interiora mundantur, perfecta pulchritudo ac mundicies acquiritur. Si enim magiſter tenellum puerum paulatim erudit, & vnam veritatem poſt aliam animo eius ingerit: Si ædificator nunc vnum lapidem, nunc alium in ædificio ponit, & hac minuta lapidum ſubſtructione magnos parietes erigit, & arcem regiam ad vmbilicum perducit: Si corporalis ſalutis cupidus cibos ſibi oblatos non ſimul glutit & deuorat, ſed vnam buccellam poſt aliam in ſtomachum ingerit; quid faciet puritatis ſectator niſi iſtos imitari; & virtutis doctrinam, non generaliter tantùm, ſed ſpecialiter, & per partes addiſcere? Seipſum igitur veluti egregius doctor minutatim erudiat, & ſuæ menti ſapientiam cupienti, ſapientiæ doctrinam inſtillet. Putet ſe ædificatorem eſſe palatij Regis æterni, cuius nunc in ſuo corde vnam partem, nunc aliam ædificet. Nec tot ſimul cibos ſpirituales deglutiat, id eſt, tot vno tempore, moderanda & diſponenda apprehendat, vt calor mentis ea minimè coquere, & in propriam ſubſtantiam commutare ſufficiat.

Cant. 7. 6.

Si itaque virtus ſic à viris ſpiritualibus diſcenda eſt, ita etiam eſt à doctore tradenda, vt tantundem hic offerat, quantum diſcipulus colligit, & in omnibus doctrina diſciplináque conſentiant. Quare nos, qui artem nunc abnegationis tradendam aggredimur, ex qua præcipuè omnis virtutis actio dependet, eam per ſingulas partes animæ diſcurrendo tractamus. Immò & in qualibet abnegatione, ad finem illius, coronidis loco, ſpeciales actus, quibus ſe iuſtus abnegare debeat, attingimus, ne quis vnquam ignorationi tribuat, quòd non ſeipſum abnegauit, & parum in hoc ſanctiſſimo ſtudio profecit. Tu, Domine, qui omnium bonorum es auctor, & non ſolùm ſapientium, ſed & ignorantium eruditor, ſtylum tempera, verba diſpone, & mentem pro te laborantem gratia tuæ viſitationis illuſtra, vt ſeipſam poſſit ſimul cum aliis piis mentibus, quæ iſta legerint, incitare, & ad ſanctam abnegationem, ac tui imitationem, permouere.

De Mortificatione Oculorum.

CAPVT II.

HÆc eſt hominis magna & luctuoſa miſeria, cui aditum per peccatum aperuit, quòd dona precioſa de manu creatoris accepta in ipſius donantis offenſam, ac in ſuam perniciem damnationémque conuertit. Id ita eſſe omnia creata, ab homine iniuria affecta, & vltionem de eo à communi creatore efflagitantia proclamant. Vniuerſa namque quæ Deus condidit, viſibilia & inuiſibilia, corporea & ſpiritualia dona homini conceſſa ſunt, quæ illi vel ad vitam ſpiritualem conſequendam, vel promouendam, vel ad vitam naturalem ſeruandam ſeruiunt. Quid autem iſtorum eſt, quo homo aliquando non ſit abuſus? Quid eſt, quod non peccati inſtrumentum fecerit? Quid eſt, quod non tanquam telum in Dominum ſuum eiaculauerit? Terram facit domum iniquitatis; mare viam auaritiæ; aëra, & ventos vanitati ſeruire cogit; ignem, in miniſterio crudelitatis & homicidiorum occupatum tenet: cœlis & aſtris ſæpe ad ſuperſtitionem: Sole & Luna, & Angelis ad idololatriam eſt vſus: & nihil eſt tam ſanctum, tam purum, tam reconditum, quod in malum vſum trahẽs, non interdũ alicuius peccati malitia fœdauerit. Ideo Iob, vt quaſi ſummam omnium ſuarum virtutum faciat, & maximum ſuæ innocentiæ teſtimonium in medium proferat, ait: Si aduerſùm me terra mea clamat, & cum ipſa ſulci eius deflent: ſi fructus eius comedi abſque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina.] Qua ſentẽtia indicat euidenter terram, & vniuerſa alia hominum cauſa creata, aduerſùs peccatores clamare, & quaſi præ deſiderio vltionis deflere, cùm ſe vident ad miniſteria iniquitatis adacta, & in materiam offenſionis diuinæ conuerſa. Ne verò longiùs euagemur, hãc calamitatẽ noſtram, non iam in foro, ſed in domibus noſtris, & intra nos ipſos inſpiciamus. Nam quid rogo eſt in homine, ſiue ad mentem eius, ſiue ad corpus pertineat, quod non proprio hominis damno, & diuinę indignationi prouocandæ ſubſeruiat? Omittamus nunc intellectus errores, & cæcitates, voluntatis odium ac peruerſitatem, ſenſuum internorum figmenta, concupiſcibilis vilitatem, iraſcibilis furorẽ, & ſolum corpus, ac ſenſus externos contemplemur, in quibus innumerabilia videbimus, quæ & Dei iram accendant, & noſtrã perniciem machinentur. Corpus quidem donum Dei eſt, quod animæ in domicilium, in vehiculum, in inſtrumentum ſalutis dedit. Oculi dona Dei ſunt homini data, vt per illos veluti per feneſtras ſplendidiſſimas, atque pulcherrimas, ſolem & lunam, & reliqua corporea conſpiceret, & ex illis tanquam ex veſtigiis creatoris magnitudinem apprehẽderet. Aures, & olfaciendi, & guſtandi vis, ac tactus per omnia membra diffuſus, dona Dei ſunt, quibus homo neceſſaria percipiat, & intelligibilium ac cœleſtium notioni ſe

Iob 31. 38. 39. 40.

A committat. At quanta ſint corporis ſenſuúmque peccata, quàm fœda, quàm nefanda, quàm deteſtabilia, quibus aduersùs Dominũ rebellamus, quis explicare ſufficiat? Hæc ſilentio tegenda ſunt, & lacrymis ac gemitibus relinquenda, ne aut ore prolata, aut ſtylo detecta, caſtas legentium aures obtundát. Solùm dicamus per ſenſus quæq; vilia & noxia in mentem irrumpere, quæ ipſam inquinent: & ipſam mentẽ quaſi per portas exire, vt ſe omnium peccatorum, ac ipſius mortis infectione cõtaminet. Vtrumq; expreſſit Gregorius, dicens: Viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus quaſi quædam viæ mentis ſunt, quibus foras veniat, & ea, quæ extra eius ſunt ſubſtantiam, concupiſcat. Per hos etenim corporis ſenſus, quaſi per feneſtras quaſdam exteriora quæq; anima reſpicit, reſpiciens concupiſcit. Hinc etenim Ieremias ait: Aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras.] Mors quippe per feneſtras aſcendit, & domum ingreditur, cùm per ſenſus corporis concupiſcentia veniens habitaculum intrat mentis.] Hæc ille. Vna ergo pars vitæ ſpiritualis eſt, & illa quidem magni momenti, hoc malum corporis & ſenſuum mortificatione depellere, & tam illud quàm iſtos ad creatoris obedientiam reuocare. Hac enim parte craſſiori noſtræ naturæ compoſita, mirum in modum aperitur via ad partem aliam ſublimiorem Deo ſubiiciendam, & à peccatorum ac vitiorum ſordibus vindicandam.

Greg. 21. mor. c. 2.

B

Ierem. 9. 21.

Primum igitur bellum aduersùs oculorum petulantiam ſuſcipiendum eſt, vt ſenſus manifeſtior, & ad caſum procliuior in ipſo exordio pugnæ vincatur. Cuius oblectationem audacter debemus contemnere: Quæ, vt inquit Ricardus de ſancto Victore, infima, & infirma eſt: & quia anguſta eſt, maxima non comprehendit: & quia hebes eſt, minima non diſcernit: & quia pigra eſt, non attingit remota: & quia perſpicax non eſt, non penetrat occulta. Quæ nihil denique myſticæ ſignificationis continet, ſed tantummodo corporei ſenſus motum & actionem habet. Quis pro re tam vili pericula ſalutis æternæ, aut profectus animæ ſubeat, & momentaneam voluptatem non ſpernat? Si autem vilitas hæc aſpectus corporei ad eius curioſitatem retundendam non ſufficit; ſufficiant tamen immedicabilia damna, quæ ex incauto aſpectu proueniunt, quorũ non ſemel ſcripturæ ſanctæ recordantur. Dina egreditur vt videat mulieres regionis illius:] vidit, & oculos curioſè pauit, ſed curioſitatem ſuá pudoris & famæ amiſſione perſoluit. Fortiſſimus Samſon vidit mulierẽ de filiabus Philiſtiim; vidit, & adamauit, & vxorem accepit; & in præmium viſionis, aut in vltionem vanæ curioſitatis, vires & libertatem, & vitam amiſit. Robuſtiſſimus Dauid [vidit mulierem ſe lauantẽ,] quam fortaſſis nunquam viderat: vidit, ſed qui Philiſtæum vicit, ab impura fuit voluptate deuictus, & in maximas pœnas, quæ ex peccato ortum habuerunt, calamitatéſque, coniectus. Quid plura? [Vidit mulier,] illa ſcilicet, quæ noſtræ fuit perditionis origo, [quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum:] vidit, ſed & ipſa deliquit, & virum decepit, & Deum ad iram & vindictam prouocauit, cuius adhuc remanent triſtia veſtigia, & omne genus humanum ineuitabili morti ſubiecit. O igitur quanta mala ex curioſa & incircunſpecta viſione naſcuntur! O quanti dolores ex breuiſſima voluptate oculorum oriuntur! O quantæ calamitates ex luminum immortificatione generantur! Quàm verè dixit Ieremias: Oculus meus deprædatus eſt animam meam, quia vna tantùm minùs prouida ac circunſpecta viſio ſolet bona animæ deprædari, & lucem oculorum mentis diripere. Et vt ait ad eundem locum Beda, qui & ex Gregorio deſumpſit, ſemel

C

Ricar. li. 1. in Apocal. c. 1.

Gen. 34. 2.

D

Iudic. 14. 1.

2. Reg. 11. 2.

Geneſ. 3. 6.

E

Thren. 3. 51.

A ſpecies formæ cordi per oculos alligata, vix magnitudinis manu ſoluitur. Et ne quædam lubrica in cogitatione verſemus, prouidendum nobis eſt, quia intueri non debet, quod non licet concupiſci. Vt enim munda mens in cogitatione ſeruetur à laſciuia voluptatis ſuæ, deprimendi ſunt oculi, quaſi quidam raptores ad culpam.] Expertus eſt id ipſum Salomon, qui de ſe fatetur: Omnia, quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis:] Quid autem inde ſit conſequutum, attenta eſt meditatione noſcendum. Nam mulieres alienigenas vidit, viſas concupiuit, concupitas poſſedit, poſſeſſas cordi ſuo dominari permiſit. Satis magnum malum eſt hoc, vt mulier ad ſeruiendum data homini, & regi, & ſapientiſſimo dominetur. At miſeria Salomonis longiùs ſe protraxit, quia cauſſa mulierum, quas viderat, idôlis phana conſtruxit, deos falſos (qui non ſunt dij) inſipienter adorauit, & à Deo, id eſt, ab omni bono diſceſſit. Quo intelligimus quàm ſit Domini Ieſu ſalubre conſilium: Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te.] Melius etenim illi fuiſſet, oculos non tantùm clauſiſſe, ſed & eruiſſe, quàm in damnationem ſuam tanta facinora perpetraſſe. Appatétque veriſſimum eſſe illud, etiam craſſiori modo intellectum: Si oculus tuus ſimplex fuerit, etiam totum corpus tuum lucidum erit.] Dum namque Salomon oculos ſuos in ſimplicitate cuſtodiuit, vitam innocentem tenuit; ex quo verò oculorum aciem in alienas formas effudit, ab innocentia ad turpiſſima flagitia declinauit.

Beda 2. lib. 2. in Thren. habet inter opera Hieronymi. Greg. 21 mor. c. 2

Eccl. 2. 10.

B

Matth. 18. 9.

Matth. 6. 22.

C In quibus ergo oculi moderandi, & comprimendi ſunt, ne per illus animus ad culpam exeat, & culpa ad animi mortem ingrediatur? Primùm quidem in hoc, quod iam explicare cœpimus, vt omnem fœminarum aſpectum fugiamus, & ita eas pro bono charitatis ad colloquium neceſſariũ admittamus, vt tamen noſtræ ſaluti & tranquillitati conſulentes, earũ viſionem declinemus. Facilis enim eſt trãſitus ab aſpectu ad concupiſcentiã: aut ſaltẽ in corde iuſti imago mulieris ingeſta, ſi non conſenſum extorqueat, at tentationes, & ineptas recordationes exſuſcitat. Quod innocens Iob probè cognoſcẽs, ait: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.] Rem pernceceſſariam non leuiter attingendam, ſed pacto cum oculis inito, id eſt, firmiſſimo quodã propoſito aſſumendam exiſtimat, vt ſcilicet oculos ad aſpectum virginis claudat, ne intus in animũ ſemen alicuius minùs honeſtæ cogitationis iniiciat. Aſpectus quippe mulieris quaſi manus eſt, ſemina malarũ cogitationũ in corde ſerens; vel potiùs ipſe aſpectus eſt ſemẽ, quod in oculis ſatum, ſpicã multarũ cogitationũ malarum, veluti ex multis granis cõpactã, in corde progignit. Granũ enim tritici intra terrã abſconditur, ſed extra terram, & in aëre ſuprà ſtante fructum emittit. Ita incautus aſpectus in oculo quidem efficitur, ſed in ſuperiori animæ vi, nempe in cogitatione, phantaſmata caſtitati aduerſantia fructificat. Si autem nemo ſcire poteſt, quid ex viſione pulchræ mulieris in animo ſuo euenturum ſit (nam & incautus aſpectus (vt vidimus) ſapientibus etiã & ſanctis ſolet illudere, illóſq; ad conſenſum iniquitatis pertrahere) qua frõte audet quis, ſi Dei timorem habeat, oculos in mulierem coniicere, & non caſu tantùm, ſed ex profeſſu formam ad malum allicientem ſpectare? Certè Dominus optimus imbecillitatis humanæ cognitor, ab aſpectu quoque voluit retrahere, cùm dixit: Omnis qui viderit mulierẽ ad concupiſcendũ eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.] Licèt enim his verbis internam concupiſcentiam vetuerit, tamẽ & incautum oculorum aſpectum compeſcuit, qui parẽs eſt laſciuæ concupiſ-

Iob 31. 1.

D

E

Matth. 5. 28.

centiæ.

centiæ. Idque ſapienter calluit Saluianus Maſſilienſis Epiſcopus,& hæc elegantiſſima oratione patefecit. Hinc intelligere planè poſſumus, quàm caſtos nos eſſe Saluator iuſſerit, qui etiā licentiā viſionis abſcidit. Sciens enim feneſtras quodammodo eſſe noſtrarum mentiū, lumeo oculorū: & omnes improbas cupiditates, in cor, per oculos, quaſi per naturales cuniculos, introire, extinguere eas penitus foris voluit, ne intus orirētur, & lethaliter creſcentibus fibris, cōualeſceret ēt fortaſſe in animo, ſi germinaſſent in viſu. Idcirco itaq; ait Dominus, petulcos impudicorū hominū intuitus noxa adulterij nō carere, ſcilicet, vt qui bona fide fugeret adulteriū, cuſtodiret aſpectum.] Hæc ille. Et ad idem Hugo Victorinus ait: Quia per illicitū viſum cōcupiſcētia oritur, per quā integritas mētis violatur: neceſſe eſt vt ſemper ſeruus Dei viſum ſuū reprimat, ne per cōcupiſcentiā & per immunditiā cordis, Deū offendat.] Iſta ſunt Hugonis verba. Et itaq; fœminarū aſpectus veluti ægrotationis initiū, qua mens impudicitiæ titillatione cōficitur: eſt flatus, quo ignis turpis cogitationis, & cōſenſus accenditur: eſt primus ictus hoſtis, quo animū ferire conatur. Atque adeò ſolerter fugiendus eſt ab eo, qui vult nō perire, & caſtitatem, quam in ſponſam accepit, purā inuiolatámq; ſeruare.

Saluia. lib. 3. de prouiden. poſt medium.

Hugo in regulam c. 6

Nemo de ſenectute, de canis, ac de frigido ſanguine confidat; nemo ſe de adepta ſanctitate ſecurū reddat; nemo de ſeruata per multos annos caſtitate ſibimetipſi blādiatur, quia vniuerſa hęc viuus incircunſpectus mulieris aſpectus ſolet contēnere, & ſenes, & ſanctos, & caſtos debellare. Iudices illi Iſraëlis ſenes erāt, atq; grandæui, de quibus tamen in Daniele ſcriptum eſt: Videbāt eam (nempe Suſannā) ſenes quotidie ingredientem, & deambulantē, & exarſerunt in concupiſcētia eius.] Dauid ſanctus erat, & Iob caſtiſſimus per totam vitā extiterat, quorū ille, quia fœminā aſpexit, ſanctitatem perdidit, & hic ne perderet, aſpectum incautum formidauit. Et Eccleſiaſticus non ad iuuenes tantùm, non ad peccatores tantùm, non ad laſciuos tantum, ſed ad omnes in vniuerſū loquitur, cùm ait: Ne reſpicias mulierē multiuolā, id eſt, ad multorum concupiſcentiā euolantē, ne fortè incidas in laqueos illius. Virginē ne conſpicias, ne fortè ſcandalizeris in decore illius. Auerte faciē tuam à muliere compta, & ne circunſpicias ſpeciē alienam: propter ſpeciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcit.] Hæc, inquā, omnia ſenibus etiam, & ſanctis, & caſtis dicta ſunt, quoniam magna eſſe ſolet oculorum, & aliorū ſenſuum coniunctio, & nec audire, nec odorari, nec guſtare, nec contrectare pigebit, quòd voluptati erit cōſpicere. Immò & his præcipuè dicuntur, quos viſio fœminarum incauta ſolet magis afficere. Nam experientia eſſe compertū audiuimus, quòd prophani homines laſciuis aſpectibus aſſueti, ferè nullā ex illis inquietudinem patiuntur; ad Deum verò cōuerſi, & à fœminis ſequeſtrati, ex leuiſſimo aſpectu prauis cogitationibus moleſtātur. Quod & naturale eſt; nam ſi ab aſſuetis (vt dicitur) non fit paſſio, certè ab inſuetis procedit. Vnde Baſilius virginem caſtiſſimā inſtituens, hæc ait: Nam cùm hauſtę luminibus formæ obtutus paſſiuè defixerit, atque in anima voluptate mollita ceræ inſtar, cōſpectæ ſpeciei imagines preſſerit, quamuis ille abeat, ſentíſumq; ſit, qui huiuſmodi formas impreſſerit: inſignita animo cōſpecti ſpecies, quod ſuum eſt, ſemper operatur: animámque imaginibus ludit. Idcirco virgini principio quidem ſummopere cauendū eſt, ne cuiquā infigat obtutus: vel certè ſi defixiſſe cōtigerit, figuras animo altiùs infigi molientes à ſe contraria virtute reuciat, ac penitus arceat: vt nullā corporis ſpeciē diuturnus conſuetudinis obiectaculis formet. Quòd ſi fortè euotingat clàm animę corporeas imprimi formas, eas perpetua rerum honeſtarū memoria omni ſtudio in ſeipſa delere contendat: corporeas quidem illas veluti ceræ inſcriptas animi, ad meliora ac diuina conuerſione abolendo, ſanctarumque rerum imagines elaboratis meditationibus ac ſpeculationibus illarum vice inſcribendo.] Huc vſque Baſilius. Quæ virgini, & cuicumque vitam ſpiritualem ſectanti dicta ſunt. Non enim poterit internam pacem, mentiſque puritatem retinere, niſi oculos carnis formis illicientibus claudat, & ab his, quæ turbare poſſunt, ſe ſubducat.

Daniel. 13. 8.

Eccle. 9. 3. 5. 8.

Baſilius.

Vt autem hæc verißima eſſe clariùs appareat, cuiuſdam ſenis, & ſancti, & caſti ſubiiciamus exemplum, in quo omnes cuiuſcumque ſint ſtatus aut conditionis, addiſcant, qualem habere debeant oculorum cuſtodiā. Is eſt ſanctus Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus; cuius hiſtoriam texens Guigo vir venerabilis, & quintus magnæ Carthuſiæ prior, quædā dicit de eius circunſpectione valde admiranda, ideòq; ad verbum referenda, quoniam vtiliſſimā animabus doctrinam continent. Porrò, inquit, mulierū confeſſiones non minùs cautè quàm benignè ſuſcipiebat. Non enim in angulis, aut obſcuris, aut ſecretis locis, eas audire ſolitus erat, ſed potiùs vbi à pluribus conſpici poſſet. Et aurem quidē ſatis familiariter applicabat: oculorum autem in alteram partem vertebat aſpectū, auditum ſolum, propter inſidias diaboli huiuſmodi negotiis aſſerens applicandum. Quam videlicet oculorum cuſtodiam incredibili ſemper & vbique circunſpectione ſeruabat, ita vt cùm potentes ac nobiles mulieres, iuxta illud Apoſtoli, Cui honorē honorē,] ad colloquium honorificè hilaritérq; frequenter ſuſciperet, multa corā ſe, diúq; tractantium facies penitus non videret. Dicebat enim cogitationes illicitas difficillimè poſſe vitari, niſi quis corporis ſenſus vigilantia multa cōpreſſerit: intrare autē, ſecundùm Prophetam, mortē per has quaſi feneſtras, & ingredi domos noſtras.] Hæc ſanè oculorum cuſtodia mirabilis eſt, ſed etiam imitabilis, quam duos ex noſtris viros puritate conſpicuos per totā vitam, cùm tamen frequentiſſimè primarias fœminas adirent, ſeruaſſe cognouimus. Sed conſultò in his lucubrationibus ab exemplis noſtrorum temperamus, (quæ alius fortaſſe ad modum dialogorum Gregorij in vnum volumen congeret) quia ad omnia ſcribenda non ſufficimus. At Beatus Hugo adhuc inuētus eſt in hac re cautior: Qui conſtanter affirmabat, non à mulierum tantùm, ſed à virorum quoq; vultibus religioſæ mentis auertendum intuitū, aſſerens quod experientia ſua poteſt quiſq; conijcere, per communionē humanæ mutabilitatis, atq; compaſſionē fieri, vt affectiones conſpecti frequenter ad conſpicientem inæſtimabili velocitate pertranſeant, &, verbi gratia, de irato iratus, & de triſti triſtis, & de laſciuiente fiat laſciuiēs; quas paſſiones, ſatis eſſe, habere quemquam proprias, non in ſe tranſcribere taliter alienas. Nullius de totius Epiſcopatus ſui mulieris, præter vnius, ita faciem aſpexiſſe, vt ex conſideratione vultus, ſi occurreret, quænam eſſet, poſſet cognoſcere.] Hactenus Guigo. Nos verò huius ſanctiſſimi viri tum ſeſum, tum actum ſuſcipiamus, & memores illius dicti Domini per Ezechielem: Vnuſquiſque offenſiones ſuorum oculorum abiiciat:] fœminarum formas, quæ nos offendere ac polluere queunt, demiſſis modeſtè oculis refutemus. Qui enim, vt inquit Iſaias, claudit oculos ſuos, ne videat malum: Iſte in excelſis habitabit: munimenta ſaxorum, ſublimitas eius.] Forma mulieris de ſe mala non eſt, at homini ob ſuam imbecillitatem, mala, id eſt, noxia, & periculoſa eſt. Quare claudendi ſunt oculi, aut certè diſſimulanter demittendi,

Surius in Aprili. To. 2.

Rom. 13.

Ierem. 9.

Ezech. 20 7.

Iſaia 33. 15.

ne ſibi noxia videant,& à celſitudine vitæ, & à loco tuto,in quo morabatur,miſerabiliter decidat.

Nec ſolùs fœminarum aſpectus fugiendus eſt, ad oculorum noſtrorum effrænationem reprimendam, ſed multa alia vitanda ſunt, quæ poſſunt mentem diſtrahere,& à trãquillitate aut puritate dimouere. Spiritualis ergo vir, ſpectaculis rerum prophanarum, aut in quibus homines prophani, & impuri ſe hiſtriones exhibent, & comœdias tragœdiáſq; repræſentant, nequaquã intendat. Non dico, ne lubens & voluntarius loca illorum ſpectaculorũ adeat, quis enim id de ſectatore perfectionis credat, quod nec Chriſtianũ decet,& in homine ſæculari damnatur? ſed ne, ſi neceſſitate aliqua comœdiis vel tragœdiis adſtiterit, eorum delitia & vanitates aduertat. Neq; enim difficile eſt, corpus in loco, vbi hæc geruntur, habere,& oculis ſine alicuius nota nõ aduertere, ſed mentẽ ad cœleſtia leuare. Profectò Auguſtinus ſæcularẽ cõuerſum ad Dominũ in hunc modũ dicit ab aſpicientibus collaudari: Ego, dicit vnus eorũ, illũ noui, quàm ebrioſus fuit, quàm ſceleratus, qualis amator circi, aut amphiteatri, qualis fraudator: quomodo Deo ſeruit, quàm innocens factus eſt.] Quàm turpe & miſerandũ eſſet, perfectionis amatorem & vitæ religioſæ cultorẽ, de eo, quòd aſſiſtat hiſtrionibus aſpiciẽdis, à ſæcularibus vituperari? Fugiẽda ſunt iſta Chriſtianis fidelibus, inquit Cyprianus, tam vana, tam pernicioſa, tam ſacrilega ſpectacula,& oculi noſtri ſunt & aures cuſtodiẽdæ: citò in hoc aſſueſcimus, quod audimus, ſcelere. Nam cùm mens hominis ad vitia ipſa ducatur, ſibi quid faciet, ſi habuerit exẽpla naturæ corporis lubricæ? Quæ ſponte corruet, quid faciet, ſi fuerit impulſa? Auocandus eſt animus ab iſtis. Si hæc dicit ſanctus doctor Chriſtianis, cui alij ſancti Patres conſentiunt; quid diceret religioſo, aut ſpiritualis vitæ cultori, niſi quòd ignominioſiſſimum eſſet illi, tale genus oblectationis cogitare? Atque adeò, ſi aliquando, cogente neceſſitate (quod vix eueniet,) ſpectaculo aſſiſtendũ eſt, puritatis cupidus lumina corporis ſui, infeſtiſſima vanitate non paſcat, ne mentis oculos perdat. Immò cantantibus & conclamãtibus hiſtrionibus, ipſe Domino in corde ſuo cantet, & dicat: Auerte oculos meos, ne videam vanitatem; in via tua viuifica me.]

Aug. in Pſal. 119. in illud: Sagitta potentis &c.

Cyprian. lib. de ſpectac.

Pſal. 118. 37.

Idem omnino eſto iudicium multorum aliorum, quibus ſæculares homines oblectantur. Cuiuſmodi ſunt choreæ, ſaltationes, equorum curſus, taurorum agitationes, torneamenta, & alia ſimilia, quæ ad ludos theatrales pertinent. A loco, vbi iſta fiunt, ſpiritualis vir ſe conſtantiſſimè ſeparet; ſi non poſſit omnino, oculos ſuos prudenter,& ſine alicuius offenſione aliò diuertat. Cypriani tempore aliqui fideles non verebantur his ludis aſſiſtere, qui & ſacris litteris ſe protegebant, in quibus choreæ,& ludi narrãtur, nec prohibentur. In hos meritò ſanctiſſimus Doctor inuehitur: Melius, inquit, fuiſſet iſtis nullas litteras noſſe, quàm ſic litteras legere. Verba enim & exempla, quæ ad exhortationem Euangelicæ virtutis poſita ſunt, ad vitiorum patrocinia transferuntur: quoniam non vt ſpectarentur, iſta ſcripta ſunt, ſed vt animis noſtris inſtantia maior excitaretur in rebus profuturis, dum tanta eſt apud Ethnicos in rebus non profuturis. Argumentum eſt ergo excitãdæ virtutis, non permiſſio, ſiue libertas ſpectandi gentilis erroris.] Sic ille. Fugiat itaq; iuſtus tripudiorũ & ſaltationum aſpectum, in quibus Saul inuidia & odio ſuccenditur, in quorum præmium Baptiſta Præcurſor occiditur, quibus etiam idololatriæ crimẽ admiſcetur. Audiat Eccleſiaſticum dicentem: Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis: nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius.] Nec minoris putet detrimenti, ſaltatorem quàm ſaltatricem aſpi-

Cyprian. lib. de ſpectac.

1. Reg.

Marci. 6. Eccl. 9. 4.

A cere: quoniam viri etiam ſubſilientis motus ad impudicitiam mouent,& (eſto quòd ad tantũ malum non excitarent aliquem) ſaltem cor ab eo, quod ſerium eſt rectũmque, diuellunt. Quam autem mentis grauitatem, quam compunctionem habebit, qui leuiſſimis ſtultorum motibus delectatur,& in riſum, in cachinnos,& in Dei obliuionem abire compellitur?

Ad hanc etiam oculorum abnegationem ſpectat, lectionem librorum curioſorum & prophanorum omnino reiicere, quam viro religioſo & ſpirituali indigniſſimam eſſe iam diximus. Ad ipſa enim vitæ ſpiritualis exordia pertinere certum eſt, horũ librorum vſum omittere. Vnde in Actis Apoſtolorum legimus: Multi ex his, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros,& combuſſerunt coram omnibus.] Quoſnam libros? Eos ſanè, qui curioſa,& magica, & noxia tractabant. B Nec in animum induxerunt, eos vendere, ſed comburere maluerunt, ne doctrina peſtilens emptoribus obeſſet, ſed potiùs flammis digniſſima omnino periret. Sed quàm abſurdum eſt neglectis ſanctarum ſcripturarum,& Patrum ſacrorum voluminibus animum ad neſcio quæ curioſa,& faceta,& compta legenda oculos applicare? Et verè dum hæc leguntur, ſacra ſcripta negliguntur, non ſolùm quia his debitum tempus lectione occupandum ſurripitur, verùm etiam quia illa impura & vana, his puriſſimis & ſolidiſſimis admiſcere, non ſine horum iniuria præſtatur. Ad hoc facit memorabile exemplum Hermanni Steinueldenſis Canonici, ex ordine Præmonſtratenſi, quem eximia ſanctitas,& ſingularis erga C Beatam Virginem deuotio mirabiliter ſublimauit. De illo ergo hæc ad verbum narrat eius hiſtoria: Quoties more puerorum fabulas poëtarum vel diſcere iubebatur, vel legere, non tulit patienter: immò & ipſos ſe docentes, ſuper quos iam intus ſpirituali vnctione docente profecerat, reprehendit, aſſerens, quòd Deo vero contumeliam irrogarent, falſorum deorũ nomina in poëtarũ libris etiã recitando. Solebátq; nobis poſtmodũ de quibuſdam magiſtris ſuis, qui cæteros religione anteire videbãtur, narrare, ſe nõ ſufficere admirari, ꝙ viri religioſi in ſcriptis poſſent poëticis delectari, cùm tanta ſint ſcripta veritate ſubnixa, per quæ ad Dei poſſit notitiam perueniri. Quis enim, niſi ſtultus, quærat liliũ inter ſpinas, vnde ſine punctionibus non poſſit abſtrahi, quod faciliùs & vtiliùs ſine læſione poſſit acquiri? Hæc ibi. Et meritò D ſanè vir hic ſanctus mirabatur,& harũ rerum lectionem aut auditionẽ, Dei reputabat iniuriã. Nam ſi vir nobilis iniuriæ aſcribit, quòd ſutorẽ, aut fabrũ ſimul cum illo ad menſam inuites; cur ſpiritus Dei, auctor ſacrarum litterarũ,& patres Eccleſiæ eodem ſpiritu pleni iniuriæ nõ tribuent, quòd in eodẽ armario memoriæ ſuas ſententias grauiſſimas,& ocioſorũ librorum dicta recondas? Baſilius quendã Epiſcopum reprehendit, quòd ſepoſitis ad tempus ſacris libris, poëtas legerit, monétq; eum, vt reſipiſcat,& ad ſe ipſum redeat: nam re vera, qui inanibus libris euoluẽdis intendit, à ſe ipſo,& à viri ſpiritualis dignitate diſcedit. Hanc verò lectionẽ prætextu vtilitatis excuſare, quæ ad ſacras cõciones ex illa decerpitur, ridicula & ſtulta res eſt. E Ex his enim libris vanis, quæ poſſunt, niſi vana aut curioſa deſumi, quæ ſanctæ prædicationis acrimoniam & grauitatem ſubuertant? Corporis incolumitatẽ medicaminibus quærere licitũ eſt; at ex maleficiis & incantationibus petere, iniquum eſt. Ita æquũ eſt ex Sacris libris & ſanctis Patribus eloquentiſſimis,& ex modernis auctoribus, qui dignè & religioſè ſacra tractant, ad conciones ſales accipere: at malum eſt,& ſtultum,& hominum ſpiritum Chriſti neſcientium proprium, in libris vanis & impuris ſa-

Lib. 5. c. tom. 1.

Actuum 19. 19.

Baſil. epiſt. 97.

les, &

les & acuta dicta quæritare. Abnegationis ergo ſtu- A
dioſus ſeria & vtilia legat, libros verò Latinus, &
multo magis vulgares, vana & amatoria tractantes,
vt omnis virtutis peſtes, explodat.

Deniq; (vt omnia, quæ huius abnegationis ſunt,
vno verbo comprehẽdam) oculis quæcumq; inania,
quæcumque inutilia neganda ſunt, ne mentis tran-
quillitatem & orationis puritatem impediant. Ad
quid enim imagines prophanorum hominum con-
ſiderabis, gemmas, & lapillos pretioſos, ac vaſa argẽ-
tea ſiue aurea diuitum aſpicies; ædificia magna, & ſu-
perba videbis? ad quid, quicquid occurrerit, luſtrare
cupies, niſi vt animum diſtractum & immundũ ſem-
per habeas, & nunquam puras manus ad Deum le-
uare conſueſcas? Expẽde qualibus verbis Dorotheus
Dorot. doctr. 21. interrog. 5. hanc oculorum cuſtodiam commendet. Conſue- B
ſce, inquit, non circumferre oculos ad aliena & va-
na, hæc enim depente faciunt labores omnes mona-
ſticos.] O rem tremendam, cunctos virtutis labores
dilapidare, ac deſtruere: Sed hanc ea ſententia huius
patris per incautum aſpectum interdũ incurrimus.
Ideo perfectionis auidi ſemper fuerunt diligentiſ-
ſimi oculorum cuſtodes, & minimos quoq; in hac
parte defectus non parua cenſura caſtigarunt. In quo
Magnus Euſebius apud Theodoretum mirabile re-
Theodoret. in hiſtoria ſãctor. in Euſebio. 4. liquit virtutis documentum: Is enim, cùm ſemel ab
auditione lectionis Euangelicæ, aſpectu quotũdam
agricolarum diſtraheretur, qui in ſubiecto cãpo ter-
ram excolebant, ita ſe ipſum puniuit, vt per quadra-
ginta annos, & eo amplius, quibus poſtea vixit, nec C
agrum illum aſpiceret, nec in cælum & aſtra oculos
attolleret, ſed ſemper, iniecto in collũ collari ferreo,
inclinatus incederet. Interrogatus autem quam ob
cauſam ſe tam ſeueriter ob modicum defectulũ ca-
ſtigaret, reſpondit dignam ſanctiſſimo viro ſenten-
tiam: Ne, dixit, aduerſarius de rebus magnis bellum
gerat, conor illum ad hæc parua traducere. Nã ſi me
aliquando ab hoc propoſito dimouerit, & agrum
aut cælum conſpicari fecerit, in re tantùm parui mo-
menti me vincet. Nec minùs mirandum eſt, quod
Marul. lib. 3. c. 10 ad finem. narrat Marulus de quadam ſanctiſſima Abbatiſſa,
nomine Sara, quæ cùm in monaſterio prope ripam
fluminis poſito per ſexaginta annos habitaſſet, haud
ſuſtinuit per feneſtram vel leuiter labẽtes aquas, aut
prati adiacẽtis amœnitatem aſpicere, ne ex eo aſpe-
ctu aliquid caperet voluptatis. Sic viri perfecti ſolent D
oculos corporis cuſtodire, & ſeris abnegationis oc-
cludere, ne dum per exteriora vltra neceſſitatem di-
uagantur, contemplationi rerum cæleſtium obſiſtãt.
Sic & tu, ô lector, qui faſtigium virtutis cupis, ocu-
los debes à rebus inutilibus ac vanis abducere. Co-
gita tuos oculus eſſe non tuos, quos hoſtis tuus ſæpe
victoriarum ſuarum inſtrumenta fecit, quos mens
tua aduersùs ſe rebellare cognouit, quos mors ali-
quando videndi facultate priuabit. Habe eos, vt non
tuos, & in omnibus, quæ potueris, tanquam oculos
ad te non pertinentes abnega, vt ipſos abnegatione
Pſal. 90. 8. recuperes, & in æternum ad gaudia poſſideas. Si ita
feceris, oculis tuis conſiderabis, & retributionem
peccatorum videbis. Erit enim tempus, cùm oculi
quibus te quo ad ſuperfluum vſum propter deſide- E
rium perfectionis orbaſti, tui erunt, & tibi reſtituen-
tur; ipſiſque aduerſariorum tuorum ad malum te
oculis prouocantium vltionem aſpicies. Quin &
oculis tuis videbis iucunditatem & exultationem,
Pſal. 26. 13. quæ venient tibi à Deo tuo. Iam non dices: Cre-
do videre bona Domini in terra viuentium:] quia fi-
des abibit, & viſio clara illorum ineffabilium bono-
Pſal. 47 rum adueniet. Immò dices: Sicut audiuimus, ſic
vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei
noſtri.] Quia in ea Sanctorum pulchritudinem affa-
tim videndam in mercedem abnegationis accipies.
Iam audi ſummam eorum, in quibus debes oculos
reformare.

Vſus Mortificationis oculorum.

I. FOeminas iuuenes, præcipuè formoſas & cõ-
ptas, abſque manifeſta neceſſitate ne videas.

II. Comœdias, tragœdias, & alia ſimilia ſpecta-
cula à prophanis hominibus data, ne aſpicias.

III. Choreis, tripudiis, equorum curſibus, tauro-
rum agitationibus, haſtiludiis, torneamentis, & aliis
ludis theatralibus ne te ſpectatorem præbeas.

IV. Libros impuros, aut vanos, vel ad ſolam cu-
rioſitatem editos, præſertim vulgares, ne legas.

V. Diuitum gazas, vaſa aurea & argentea, gẽmas,
& lapides pretioſos, ſæcularium ornamentis & vſi-
bus applicatos, ne oculis contempleris.

VI. Hominum nulla præcipua virtute inſignium
imagines, ad vanitatem ac ſuperbiam effictas, ne
conſideres.

VII. Palatia, ædificia ſuperba, quæ Chriſtus vi- *Matth. 24.*
dere contempſit, amœnos hortos, & pulchra virida-
ria, & alia huiuſmodi ad faſtum & oblectationem
potentum elaborata, ne tuis luminibus offeras.

VIII. Cellam fratris aut conclaue alicuius alte-
rius ingreſſus, quæ ſunt in menſa, aut in alio loco, ne
curioſè ſcruteris.

IX. Cùm aliquò pergis, ſiue domi, ſiue foris, poſt
te venientes, & hàc ſeu illac tranſeuntes, leuiter, &
ſine aliqua neceſſitate ne aſpicias.

X. Oculos tibi ſolùm ad neceſſaria & vtilia vi-
denda conceſſos, ſolùm in res neceſſarias vel vtiles
videndas intende.

Ea igitur videas, quæ neceſſaria ſunt, quæ vtilia,
quæ mentem ad contemptum viſibilium excitabũt,
& ad deſideria cæleſtium attollent. Sic facies oculos
tuos, inſtrumenta virtutum, & habebis feneſtras lu-
ci diuinæ ſeruientes, non ad diſtractionem & vani-
tatem iuuantes. Miraberis fortaſſe, optime lector,
quòd aliqua ex his legenda ſpiritualibus viris pro-
ponam, & quaſi illis neceſſaria ingeram, à quibus ſæ-
culares homines aliquantulum timorati ſolent ab-
ſtinere. Tibi congratulor, quòd talis ſis, vt his non
egeas. Nos verò, qui multorum mores vidimus, &
maria tranauimus, certiſſimè nouimus nonnullos
ſpirituales viros his omnibus documentis indigere.

De Mortificatione Aurium.

CAPVT III.

SECVNDVS Senſus ordine dignita-
tis à Philoſophis numeratur Auditus,
qui etiam magna abnegatione opus ha-
bet, ne mens pro vtilibus noxia & per-
niciem afferentia percipiat. Auditum
enim ſapientes vocarunt ſenſum diſciplinæ, quòd
per eum, veluti per ianuam, notio veritatis &
omnis ſapientia in mentem introeat. Hæc autem
ianua abnegationis & circumſpectionis cura ſoli-
citè cuſtodienda eſt, ne pro veritate mendacium,
pro ſapientia ſtultitia, & pro his quæ proſint, ea quæ
officiant, in penetralia cordis irrumpant. Nam & de
porta, per quam ingreſſum eſt verbum veritatis, di-
citur in Ezechiele: Porta hæc clauſa erit: non *Ezech. 44.2.*
aperietur, & vir non tranſibit per eam: qui-
niam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam.]
Simile quiddam & nos de porta noſtra, vel de au-
ribus noſtris, per quas ingreditur bonus verbi do-

ctrina, dicamus. Vt ſcilicet, quoniam auribus verba noſtri Saluatoris excipimus, & Euangelij doctrinam audimus,eas clauſas, & bene obſeratas doctrinis vanis, & verbis ocioſis ac inutilibus, teneamus. Neque enim decet, portam, per quam rex ingreditur, hoſti patere,& aditum veritatis vanitatibus & ſcurrilitatibus aperiri. Habemus verò huius abnegationis ipſas aures magiſtras,quæ ita factæ sũt, vt ſui ipſarum fabrica nos circumſpectionis & abnegationis admoneant. Hanc Ambroſius pulchrè depingit: In auribus,inquit,ita laborauit opus ſuum natura,vt ipſi anfractus cauernarum mira prudentia ſinuati, plurimum vtilitatis afferant, ne repentè feriat ſecreta capitis ſonus. Denique ſæpe multos improuiſo clangore conſternari videmus,& attonitos, aut vocis alienius aut tumultus ſono expauſcere. Sordes ipſæ, quæ inter eoſdem gignuntur anfractus, velut quodam glutino auditum ligant. Simul ſi vehementior pulſus fuerit alicuius, ſonus infringitur, ac retardatur,vt prænunciatus potiùs mulceat,quàm improuiſus interna concutiat.Vermiculi quoque (ſi aurem penetrare tentauerint) quodam ſordium viſco tenentur.] Hæc ille. Aures itaque noſtræ,anfractus & ſinus abnegationis habeant,in quibus verba inutilia & pernicioſa,quaſi in ingreſſu arcis teneantur, & veluti nuncij mortis ad mentem penetrare nullomodo ſinantur,ſed cum indignatione refutentur. Habeant etiam & circumſpectionis viſcum, in quo beſtiolæ, id eſt, falſitates & ſcurrilitates, quas nobis ocioſus quiſque & tepidus dicere volet, inhæreſcant. Nam certè non minùs contra bonos mores, quàm contra naturam eſt, aures vniuerſis vanitatibus peruias & explicatas habere. Qui autem eas ab his cuſtodire contemnunt, ſolent, cùm audiunt verba diuina, tædio affici, nec ipſorum efficacia permoueri. In eóſque clamare poſſumus illud Ieremiæ: Ecce incircumciſæ aures eorum, & audire non poſſunt: Ecce verbum Domini factum eſt eis in opprobrium, & non ſuſcipient illud.] Item & illud Stephani ad perſequutores ſuos: Incircumciſis cordibus, & auribus vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis.] Nam ſi aures incircumciſæ ſunt, vt putat Theodoretus, quæ ſine diſcrimine excipiunt omnia, tales profectò geſtant, qui nouitates, detractiones, mendacia, nugas, & alia huius farinæ libenter auſcultant.

Ambr. li. de Noë, c. 7. — *Ierem. 6. 10.* — *Actor. 7. 51.* — *Theodor. in illud Ierem.*

Scriptura ſacra pericula aurium incircumciſarum non tacuit, immò ſatis tempeſtiuè manifeſtéque detexit. Nam ſi Euæ peccatum ab intemperantia oculorum inchoauit (vt vidimus) crimen Adæ maius, & noxius ab incircumciſione aurium, ſeu à negligentia cuſtodiendi auditum,incœpit. Indicauit hoc Domini increpatio dicentis: Quia audiſti vocem vxoris tuæ,& comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.] Si ille non audiſſet verba mulieris, ſi ſuaſionibus eius aures occluſiſſet, nunquam peccaſſet, nec nos in voraginem tantorum malorum conieciſſet.Sed citò cecidit,inquit Petrus Chryſologus, dum citò credidit, & dum facilè dat aures ad mulieris auditum, ſe ſuóſque peſſimo addixit inimico. Ita multi hodie,in eo,quod non oportet, peſſimum ſequentes genitoris exemplum, verba vana & pernicioſa audiunt, quæ ſi non ſemper innocentiam perdunt,at mentis quietem ac puritatem ſurripiunt. Quos nec naturalis prudentia,aut ſcientia, ac virtus acquiſita protegit, quoniam affectus ad malum pronus facilè poſt verba ſeductoria currit, & ab æquo & bono diſcedit. Lego de Salomone, quod ſanè magnum timorem incutit: Cùmque iam eſſet ſenex, inquit Scriptura, deprauatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo.] Quonam modo cor eius per mulieres ad idololatriam deuolutum eſt? Annon poterat frui impuris amplexibus,niſi ante idôla procumberet, & fictos deos adoraret? Poterat quidem. Sed amore fœminarum alienigenarum exarſit, amor verò aures eius ad ſuaſiones & importunitates earum patefecit, & per aures conſenſus in delictum horrendum intrauit. Vnde Auguſtinus: Nec Salomonem credibile eſt errore putaſſe idôlis eſſe ſeruiendum, ſed blanditiis fœmineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum.] Quis igitur hæc legens,& tales ſtrages ab incircumciſione aurium prouenientes aſpiciens, aures ſuas non cuſtodiat, & ſeris circumſpectionis non occludat? Certè Eccleſiaſticus non iam aures portis & ſeris obſerandas,ſed ſpinis ſepiendas exiſtimat. Sepi,ait,aures tuas ſpinis,linguam nequam noli audire.] Quo loco aures noſtras vineæ ſelectiſſimæ, & verba inania belluis videtur comparare. Et meritò: quoniam ex auribus in torcular cordis noſtri, quaſi muſtum ſanctorum eloquiorum exprimimus, quod meditatione coctum atque digeſtum, animam roborat, atque lætificat. Inanes verò ſermones in hac vinea aurium noſtrarum ſancta eloquia depaſcunt, nóſque vino ſapientiæ vacuos relinquiunt. Circumſepiantur igitur aures ſpinis ſolicitæ circumſpectionis & grauis ſeueritatis, quæ beſtias ineptorum verborum intrare non ſinant. Iſta quidem verba, quæ haud dubiè aduerſarius puritatis perora tepidorum loquitur, à ſancto Iob flammæ ignis ſimilia eſſe dicuntur: Halitus, inquit, eius,id eſt,dæmonis,prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.] Halitus eius eſt praua ſuggeſtio, ſed flamma de ore eius egrediens, eſt verbum ineptum; quia (vt ait optimè Gregorius) quicquid per ſe, quicquid per prædicatores ſuos loquitur, ignis eſt,quo infructuoſa ligna concremantur.] Si autem tanta ſolicitudine flammam accedentem fugimus,æquum eſt, vt eadem immò & maiori, audire verba inepta,caueamus.Malus enim, vt ait Sapiens,obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labiis mendacibus:] quare iuſtus, vt iuſtitiam ſeruet,& iniquus non fiat, aures cuſtodiat, ne iniquos & mendaces ſermones audiat, quorum auditione ad obedientiam iniquitatis ſe præparat. Meritò igitur Bernardus, vt ad aurium cuſtodiam nos incitet, ait: Facilè lingua labitur, nec minùs facilè illabitur cordi, ita vt multis inter loquendum minùs profuerit, quòd propriam cohibuerint, dum non cauerint alienam. Vtilis eſt frater,qui tibi loquitur, ſapiens eſt religioſus, ac timens Deum, plus dico, Angelus eſt & Angelus lucis: etiam ſic caue tibi, ne audias vnde lædaris. Nec perſonam tibi velim ſuſpectam eſſe,ſed linguam, præſertim in ſermocinatione communi.] Hæc ille.

Geneſ. 3. 17. — *Petr. Chryſol. ſer. 79.* — *3. Reg. 11. 4.* — *Aug. 14. de ciui. c. 11.* — *Eccl. 28. 28.* — *Iob 41. 12.* — *Greg. 33. mor. c. 18.* — *Prouer. 17. 4.* — *Bern. ſer. de triplici cuſtodia, manus, linguæ, & cordis.*

Multa autem ſunt verborum genera, quibus mortificationis ſepimento obſtandum eſt. Nos autem, qui virorum ſpiritualium aures mundare nitimur,ne eas verborum obſcœnorum commemoratione inquinemus. Certum eſt enim,quæ ſæculares honeſti audire horrent, à virtutis ſectatoribus nullo modo admitti, immò, ſi quid caſu inciderit, quod vel à longè tantillum impuritatis olcat, eos, ad inſtar caſtiſſimæ cuiuſdam virginis, erubeſcere. Et meritò quidem: quoniam talibus verbis non minima iniuria virtus caſtitatis afficitur. Optiméque Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus, cognomento Thaumaturgus, verba minùs honeſta ſomniorum

Greg. Thaumat. in Eccleſ. c. 5. Habet Tõ. Bibliot. Sanct.

ludi

lucificationibus comparat: vt ſicut iſtæ interdum mentem & corpus fœdant; ita illa mentes & corpora caſtitatis amatorum inquietent. Et vtinam tantùm inquietarent, ſed ſolent etiam caſtitati naufragium afferre. Nam ſicut per modicum foramen magna copia aquæ in nauim ingreditur, quæ eam vniuersóſque nauigantes mergat: ita prorſus per verbum minùs pudicùm, quaſi per paruum foramen magna vis tentationis irruit, quæ nauem cordis in periculum ſubmerſionis adducat. Non obliuiſcuntur proinde ſpirituales viri illius ſententiæ Eccleſiaſtici: Verbum nequam immutabit cor, ex quò partes quatuor oriuntur: bonum & malum, vita & mors.] Qua comminatione perculſi, ab auditione verbi minùs caſti, non minùs quàm à ſerpente cauent, ne huiuſmodi verbum cor eorum à bono in malum immutet, & pro virtute iniquitatem, ac pro vita, virtutis præmio, mortem, iniquitatis pœnam, infundat.

Eccl. 37. 21.

Hunc ergo defectum aurium omittamus; à quo certiſſimum eſt, viros ſpirituales quàm longiſſimè abeſſe, & alios leuiores, aut honeſtiorem colorem habentes numeremus. Ac illud ſtatim ſe offert admonendum, vt hi, qui virtutem & puritatem amant, carmina amatoria aut prophana, & ſæculares cantilenas, quæ aures mulcent, cor verò emolliunt, & ab amore ſeueritatis auertunt, audire detrectent. Licèt enim conſilium ſit Eccleſiaſtici: Non impedias muſicam,] quo dicto cantus & muſicam commendat: eam tamen laudari compertum eſt, quæ laudes Dei continens, mentem ad cæleſtia contemplanda & deſideranda ſuſtollit; non quæ prophana ac ridicula euulgans, aut minùs graues, & puras, aut ſaltem vanas cogitationes ingerit. Nam iſtam in Amos improbatam reperimus, cuius ore dixit Dominus: Aufer à me tumultum carminum tuorum; & cantica lyræ tuæ non audiam.] Ac ſi diceret: Non poſſum huiuſmodi cantica probare, quæ, quod ego in corde facio, deſtruunt, quod ego purifico, ipſa irreuerenter inficiunt. Grauiter ſanè Chryſoſtomus, & verè iſta cantica animæ ſordes exiſtimat. Vt igitur, inquit, pauperibus domus noſtræ, & Apoſtolis aures pateant, omnem ſordiciem ab auribus animi expurgemus. Nam quemadmodum ſordes & limus aures corporis obſtruere ſolent: ſic meretricij cantus, huius ſæculi fabulæ, debitorum onus, creditorúmque ac fœnorum ratio, aures mentis ſolent obſtruere, atque immundas facere: quaſi enim ſtercus auribus veſtris immittunt huiuſmodi colloquia: & quod Barbarus ille minabatur, dicens: Comedetis ſtercus veſtrum, id nunc multi non verbo, ſed re in vobis faciunt, immò verò etiam multo peius ac fœdius. Nam fornicarij cantus multo magis quàm ſtercora ſunt abominabiles.] Hæc ille. Meretricij verò cantus non ſolùm dicuntur, qui à meretricibus lenonibúſque cantantur, ſed illi quoque qui laſciui ſunt & prophani, licèt ab honeſtis hominibus modulentur. Idem namque latet in vtroque cantico laſciuiæ venenum, niſi quòd illud ex vaſe ſpurciſſimo, iſtud ex mundiori vaſe profertur. Iuſti igitur ſimiles cantiones nulla ratione audiant, nec animi laxandi gratia, quibus & ſe ipſos turbent, & auditione diuinæ inſpirationis indignos faciant, vocémque Domini, aures mundas cupientem abiiciant.

Eccl. 32. 5.

Amos 5. 23.

Chryſoſt. hom. 38. in Matth.

Loquitur de Rab. Iſaiæ 36.

In eodem gradu vitandæ ſunt nugæ, ſcurrilitates, omnéſque narrationes riſum excitantes, quæ ſi inter iuuenes ſæculares locum habent, nullo tamen modo viros ſpirituales, & perfectionis amatores decent. Sicut enim hæc dicere, leuis eſt animi, ita eadem audire libenter, diſtractæ & leuis eſt mentis, quæ verba Dei aure interna non excipit, & à debita virtutis ſeueritate deflexit. Nugæ, ſi incidant, dicebat Bernardus, interdum ferendæ fortaſſis, referendæ nunquam. Prorumpendum ſanè in ſerium quid, quod non modò vtiliter, ſed & libenter audiatur, vt ſuperſedeant ocioſis.] Et alio loco: Verbum ſcurrile ab ore procul ſit, & procul ab aure relegandum eſt. Fœdè enim ad cachinnos moueris, ſed fœdiùs alios moues.] Non verò propterea quòd minùs in auditione ſcurrilium, quàm in loquela fœditatis inſit, audendum eſt auribus excipere, quod non audimus, ore proferre: quoniam non ſolùm maiora mala, ſed etiã minora fugiẽda ſunt, ſi volumus ad mẽtis puritatẽ feſtinare. Et licèt minus malũ ſit, ridicula & vana audire, quàm loqui, non verò minoris detrimẽti ſolet eſſe cauſa; quoniã ſi loquutio ridicula ab omni compunctione, & ſpirituali dulcedine mentẽ loquentis euacuat; auditio nugatũ riſum mouentium, vanam lætitiam & amaram diſtractionem infundit. Diligenter ergo ſeruandum eſt præceptum Pauli, vt ſcilicet non nominetur in nobis turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet.] Si enim illud verbum: Nec nominetur in vobis, ſignificat, auctore Chryſoſtomo, vt hæc omnino inter nos non appareant, non tantùm ex parte loquentis interdicuntur, ſed ex parte quoque audientis prohibentur, vt quiſque nimirum erubeſcat audire, quod erubeſceret ſermonibus explicare.

Bern. lib. 3. vitæ c. 3.

Epheſ. 5. 4.

Chryſoſt. hom. in epiſt. ad Epheſios.

Cuſtodiendæ ſunt etiã aures à rumoribus ſæcularibus, qui certè ad viros ſpirituales nõ pertinẽt, cùm ipſi vitam virtutis ingreſſi, ſæculo & eius negotiis renũtiauerint. Succeſſus ſãctæ Eccleſiæ ſiue proſperos, ſiue aduerſos audire, vtile reputamus, & nullo modo perfectioni contrarium: qualia ſunt creatio noui Põtificis, Chriſti in terris Vicarij: victoria de Hæreticis aut aliis fidei hoſtibus parta: recens infideliũ cõuerſio, & alia proſpera huius generis, aut aduerſa, quæ, exigentibus peccatis noſtris, ſolent Eccleſiam impetere. Nos enim, qui ſumus eiuſdem Eccleſiæ filij, debemus hæc noſſe, vt de bonis ſanctæ matris noſtræ gaudeamus, & de malis atq; aduerſis triſtemur; vt etiam oratio noſtra pro donis gratias agat, & flagella ac aduerſitates auertat. At prophana interrogare & audire, magnæ demẽtiæ eſt; qui ſcilicet apud potentes huius ſæculi valeant, qui per ambitionem primas ſedes obtineant, qui nobiles matrimonio iungantur, quibus luſibus iuuenes illuſtres curiam regis exhilarent, & alia huius generis, quæ nullam in ſe ædificationem continent. Qui hæc narrãt, qui his epiſtolas ad alios miſſas implent, qui talia libenter audiunt, nunquam ſpiritum orationis accipient, nec viri perfecti & ſpirituales euadent. Athenienſibus vitio datũ eſt, quòd eſſent rumorũ audiendorũ amatores, de quibus in Actis Apoſtolorũ ſcribitur: Athenienſes autem omnes, & aduenæ hoſpites ad nihil aliud vacabãt, niſi aut dicere, aut audire aliquid noui.] Si id in ſæcularibus & infidelibus vitium erat, qui nec veram virtutem nouerãt, nec fidem à limine ſalutauerãt, quàm vitioſum erit in his, qui ſæculo, & põpis ſuis nuntiũ remiſerunt, & ſe Deo ac virtuti cõſecrarunt? His euenit quod filiis Dan, terram habitationis quærentibus, qui venientes in domũ Michæ, inuenerunt ibi [Ephod, & Sculptile, atq; conflatile:] Sic & iſti inuenerũt veſtem Deo ſacratam, id eſt, habitum religioſum, quo ſe tegerẽt, & cum eo, ſuâ culpâ, inuenerunt ſculptile peruerſi operis, & conflatile vanæ confabulationis. Conflatile enim hoc modo fit: Metallum in ignem mittitur, & follibus aërem

Actor. 17. 21.

Iudic. 18. 14.

A attrahentibus ac emittentibus flamma ſuccenditur: ſic dura materies liqueſcit,& formam ab artifice intentam ſuſcipit. Ita prorſus inter imperfectos euenit: Ponũt in medio metallum, id eſt, ſæculares nouitates prophanóſque rumores, aër attrahitur & emittitur, cùm res ridicula, aut vana dicitur, & auditus. Quid ex hac fornace exiet, niſi conflatile diſtractæ mentis, quæ ſe ad vana & inutilia componat? Et vtinam ſolam vanitatis formam indueret, fortè non tam acriter loqueremur, ſed ſæpe ex vanitate ſe ad procacitatem & laſciuiam extendit. Nam & Aaron petiuit à filiis Iſraël inaures aureas filiorũ & filiarum ſuarũ, & ex illis vitulum conflatilem, quem ſequerentur, effecit.] Inaures ſunt rumores, quia ſicut inauris imponitur auri, ſic rumor auditui. Ex rumoribus autem B conflatur vitulus petulantiæ, qui puritatem mentis aufert, & quietem orationis turbat. Sic profectò Hugo Victorinus hæc, quæ diximus, ad auditores rumorum accõmodat, qui & alio loco ait, hoc vitium eſſe proprium ocioſorum: qui poſt delicatorum ciborum diuerſa fercula, cùm in clauſtro ſedeant, non lectioni & ſilentio, ſed rumoribus & curioſitati vacant; qui locum, & tempus loquendi & tacendi nuſquam & nunquam ſeruant, ſed inſtabiles & ocioſi, nunc hos nunc illos ad colloquium vocant.] Erubeſcat iuſtus, talibus, nempe ocioſis ac imperfectis, annumerari, & ſæculares rumores audire non quærat. Non tantùm non quærat, ſed & à perſonis & à locis, in quibus ocioſæ nouitates narrantur, fugiat, vt ſe à diſtractionibus, & inanibus cogitationibus, & C ab impuris deſideriis, quæ ex his cogitationibus generantur, mundum cuſtodiat. Si nõ potuerit fugere, at quantum valuerit, ſine alicuius nota, ad ea, quæ dicuntur, non attendat. Turpia enim verba, inquit Proſper, (& eadem de verbis ocioſis & vanis eſt ratio) per aures ingreſſa, quid prævalent, (id eſt, nihil prævalent,) ſi non fuerint arbitrio mentis admiſſa: Faciat quod Bernardus, qui ad homines pro negotiis Eccleſiæ exiens, & ea ſolertiſſimè tractans, ſi interim aliquid minùs pertinens diceretur, colligebat ſe ipſum, & illa, quæ iactabantur inutilia, contemnens, ad aliquid cœleſte conſiderandum, animum applicabat. Faciat ſaltem, aut præſtare nitatur, quod Maches Abbas, de quo narrat Caſſianus, quòd ſi quis detractionis verbum vel ocioſum tentaſſet inferre, D in ſomnum protinus concidebat, nec vſque ad aurium quidem eius pollutionẽ virus obloquij poterat peruenire. Nec prætermittimus de eodem ſene ſcriptam hiſtoriam, quæ ſatis quidem potens eſt, vt quemque ab auditione rumorum ſæcularium abducat. Hic idem ſenex, inquit Caſſianus, ocioſarum fabularum diabolum eſſe fautorem, ac ſpiritualium collationum impugnatorem ſemper exiſtere, his declarauit indiciis. Nam cum fratribus quibuſdã de rebus neceſſariis ac ſpiritualibus cùm diſputaret, eóſq; videret letheo quodã ſopore demergi, nec poſſe ab oculis ſuis pondus ſomni depellere, ocioſam repentè fabulam introduxit. Ad cuius oblectationem cùm eos euigilaſſe confeſtim, atque erectas aures ſuas habere vidiſſet, ingemiſcens ait: Nunc vſque de ſpirituali-E bus loquebamur, & omnium veſtrûm oculi lethali dormitatione deprimebantur: at cùm ocioſa fabula intromiſſa eſt, omnes expergefacti torporem ſomni dominantis excuſſimus. Vel ex hoc ergo perpendite, quiſnam collationis illius ſpiritualis fuerit impugnator, aut quis huius infructuoſæ atque carnalis inſinuator exiſtat. Ille etenim eſſe manifeſtiſſimè deprehendetur, qui malis adgaudens, vel illam fouere, vel illam impugnare non deſinit.] Hæc Abbas ille dixit. Et ſatis patefactum eſt ocioſorum ru-

Exod 32. 4.

Hugo 5. de clauſtro animæ c. 9. & lib. 2. c. 10.

Proſp lib. 3. de vita contem. c. 6.

Caſſian. lib. 5. c. 29.

Cap. 31.

A morum detrimentum, qui, diabolo ſuadente & inſtigante, inter viros perfectionis ſtudioſos admittuntur, vt ipſi verba Dei ablegent, & audi ſemper ac diſtracti perſiſtant.

Licèt autem iſti, qui audiendis vanis rumoribus vacant, ſatis ſint ſui profectus incurioſi, longè tamen damnabiliores ſunt, qui defectus, licèt modicos, fratrum audiunt, & detractoribus aures aperiunt. Nunc nihil de illis dicimus, qui ſine vlla neceſſitate, (qualis intercedit, cùm fratris remedium exquiritur,) occulta crimina aliorum auſcultant, quos ſcimus ſæpiſſime grauiter peccare; ſed illos ſolùm taxamus, qui leues defectus fratrum audire non timent. Hi non modicum præferont ſuæ imperfectionis indicium. Nam ſicut B murmurator culparum leuium, facilè, ſi culpas graues noſſet, canino dente corroderet; ita auſcultator defectuum leuiorum, graues etiam, ſi ſibi narrarentur, audiret. Sed non audit, quia non adeſt, qui grauia crimina fratrum enarret. Aures ergo detractionibus ſunt obturandæ, quarum venenum mentem turbat, charitatem exterminat, & fratris; quem in magno pretio habere debuimus, contemptum importat. Noli eſſe in conuiuiis potatorum, inquit Salomon, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt: quia vacantes potibus & dantes ſymbola conſumentur.] Quinam ſunt, ſecundùm interpretationem Bedæ, qui carnes ad veſcendum conferunt, niſi qui in collocutione derogationis proximorum vitia di-C cunt? Et, qui ſunt, qui potibus vacant, niſi qui de opprobrio alienæ vitæ ſe inebriant? Illis ergo & iſtis conſumptio prædicitur, vt intelligamus, quòd quos eadem pœna punit, ſimilis etiam culpa conſtringit. Si autem formidamus aliorum defectus ore proferre, æquum eſt, vt & aure excipere timeamus, vt detractorum ſupplicium euitemus. Si quis enim, inquit Beatus Ephræm, vel iure in regem peccantem inueharur, qui præſentes ſunt, ea quæ aduersùs regem dicuntur, audire renuunt: Si quis autem adeſſe pergat, & audire, iam idem in vtrumque ſupplicium conſtituitur: vnúſque propter vitium linguæ, alter propter auditum damnatur. Narrat aliquid obtrectator, & tu illi præbes aurem, & quam il-D le ſuo ore inferre ſtudet necem, tu eam aurium tuarum ſinu excipis, acerbiſſimúmque mendacij fermentum in animo tuo commiſces. Vnde mors principium habuit? Nonne per aures Euæ, dum eam ſerpens alloqueretur, aditum ſibi patefecit? Poteſt enim improbus dæmon per os loquentis tacentem occidere: & quem proprio lædere nequiret ore, per auditum interficit. His ille probat eandem eſſe detrahentis ac detractionem audientis pœnam. Infrà verò optimè exponit, quàm ſit vitium audiendi detractores abominandum. Nam cùm dixiſſet Saluatorem noſtrum ore acetum cum felle guſtaſſe, aure verò dæmonis verba excipere recuſaſſe, hæc ſubiicit: Melius autem fuerit, ſi odorem pariter & guſtum veneni euita-E ueris. Cur fumum celerrimè fugis, mendacem autem cum voluptate ac ſedulitate auſcultas? A fœtore abhorres, & apud maledicum ſedes? Si vnum è membris tuis valeat, & aliud langueat, totus laboras vno membro laborante. Exemplum à militibus cape: Nonne totum corpus militis ferreo thorace munitur? Accidit autem & illud ob laxiorem conſtitutionem lædi: nam ſi per tenuem aliquam rimulam telo aditus pateſiat, ſtrenuo militi mortem affert; Quanto magis per apertas aurium

Prouerb. 23. 20.

Beda lib. 2. in Prouer. ad c. 23.

Ephræm de morbo linguæ.

Geneſ. 3.

fores

fores morti ingreſſus dabitur? Magna ſiquidẽ eſt auris feneſtra, quippe per quam mors in mũdum ingreſſa, cunctas deuorauit gentes ac nationes, & inſatiabilis adhuc remanet. Seris igitur ac vectibus obſtruendæ ſunt tibi auriũ fores, ne maledicentia, & obtrectatio ſubintrare poſſit.] Hactenus Ephræm. Ex cuius ſententia ſatis claret, nec minimos defectus aliorum eſſe libenter audiendos, ſed potiùs aut aperta contradictione, ſi id obloquentis qualitas ferat, vel ſaltem triſtitia vultus repellendos, ne parua detractio audita mentem audientis polluat, & ad magnam detractionem audiendam, atque adeò ad mortem animæ incurrendam diſponat.

Non ſolùm autem aliorum defectus procul ab auribus abiciendi ſunt, verùm & laudationes noſtræ veriſſima humilitate repudiandæ. Valde namque mirum eſt, quòd viri ſapientia ac virtute præſtantes ab hominibus laudari velint, & ſuas conciones, ſua ſcripta, ſua dicta, vel facta coram ſe extolli & commendari ſuſtineant. Immò fœdius eſt & ſtultius, quòd præſentes, quid de ſuis dictis aut geſtis ſentiant, interrogent, eo ſolùm fine, vt ab illis oblata aut ingeſta occaſione laudentur. Qui hoc vitio ſatis pernicioſo ſordent, ſe ad contemnendas adulatorum laudes excitabunt, ſi conſiderent ſe ab adulatoribus decipi, & ad ſuperbiam impelli. Veriſſimum enim eſt illud

Iſa.3.12. Iſaiæ: Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.] Hoc enim eſt, vias noſtras diſſipari, in ſuperbiam, ob quam deiiciamur, & à Domino relinquamur, extolli. Perpendant etiam hanc propriarum laudum admiſſionem à Salomone fuiſſe prohibitam. *Prou.1. 10.* Cùm te, inquit, lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis.] Verè enim peccatores ſunt, qui ineptè laudando delinquunt, & audientem ad ſuperbiæ, & inanis gloriæ peccatum inclinant. Hi propriæ excellentiæ auidos lactant, dum verbis laudationis melle illinitis, quibus ſuperbo animo nihil dulcius, ineſcant. Monet verò Sapiens, ne acquieſcamus eis, id eſt, ne eorum verba audire patiamur, quorum veneno immoderati noſtrarum rerum amatores & æſtimatores efficimur. Aduertant deinde, quid ſanctus Dauid de vanis laudibus, Spiritus ſancti ſcientia illuminatus edicat.

Pſal.140. 5. Oleum, inquit, peccatoris non impinguet caput meum.] Et rurſus: *Pſal. 54. 22.* Molliti ſunt ſermones eius, ſcilicet adulatoris, ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.] Peccatoris ergo oleum, eſt vana laus, quæ non ad charitatem, ſed ad vanitatem impinguat. Eſt etiam inſtar iaculi, quod cor audientis vulnere vanægloriæ transfigit. Tandem ſeipſos proprio motu ſui cordis edoceant. *Prou 27. 6.* Si enim, vt ait Sapiens: Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis: dum vulnera, id eſt, increpationes, diligentium reſpuunt, quia palato cordis ſuperbia infecto inſulſæ videntur: quare non diſcunt oſcula odientium, id eſt, adulationes reiicere, quæ puritati virtutis officiunt? Nec modica vmbra, cùm ſol eſt in meridie, nos deprimit, nec magna, cùm ſol oritur, vel occidit, ex corpore noſtro reſultans extollit: Sic nec detractionibus maleuolorum viliores, nec laudibus adulatorum meliores euadimus. Quid igitur ea audimus, quæ magnitudini noſtræ non ſeruiunt, quin & dum magnificant, meritum bonæ actionis tollunt? Dicamus proinde cum Iob: *Iob 16. 20.* Ecce in cœlo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis. Verboſi amici mei; ad Deum ſtillat oculus meus.] Dominum teſtem, ac laudatorem noſtrorum operum requiramus: homines verò, nec vituperatores timeamus, nec laudatores auſcultemus. Si quis laudem ingeſſerit, aut ex manifeſta increpatione, aut vultus ſeueritate cognoſcat, nos vento non paſci, nec ad inſtar puerorum, ineptis laudibus delectari.

Alij non iam inuidia aut inani gloria, ſicut auditores detractionum & laudum, fœtent, ſed vana quadam curioſitate ducuntur, dum arcana aliorum audire concupiſcunt. Non vocati ad concilium accedunt; quid verbis tractetur, interrogant: immò & in tantum ſe ab hoc vitio peſſundari ſuſtinent, vt vnde non videantur, quæ in occulto ab aliquibus conferuntur, auſcultent. Iſtos ſic monet Baſilius: Aures tuas ab audiendis mundanis narrationibus abducito, quãtum potes, ne cœni reſperſione animam oblinas tuam. *Baſil. ſer. de abdicatione rerum.* Ne labores, vt audias, quæ ab aliis dicantur: nec immiſeris caput tuum in mediũ colloquentium: ne & tu ſubſanneris, & illos detractores efficias.] Hæc ille. Vana itaque curioſitas cohibenda eſt, quia dum aliorum facta audimus, euenit vt nos ipſos ignoremus. Sæpe quoque aure excipimus quod mentem perturbet, & mille ſuſpicionibus ac timoribus impleat. Negotia, quæ tractabantur, non benè cognita, aliter quàm ſint, non ſemel concipimus, loquentes vel illos, de quibus loquebantur, temerariè iudicamus: Si audita aliis narremus, multorum mendaciorum auctores ſimus, & non leuibus ſcrupulis conſcientiam noſtram vrgemus. Quæ omnia vnica aurium cuſtodia præciduntur, qua, ad nos non pertinentia, audire contemnimus.

His tandem aurium defectibus cohibendis alius poſtremus adiungendus eſt, qui oppoſito modo procedit. Nam qui noxia & vana libenter audiunt, ſæpe ad doctrinam cœleſtem audiendam obſurdeſcunt. Sacras cõciones tanquam ad ſolos ſæculares habitas, fugiunt, ſpirituales exhortationes auerſantur, collationibus de rebus diuinis, aſtare contemnunt. Fictas etiam aut veras occupationes inueniunt, quibus ſe à rerum diuinarum auditione ſequeſtrent. Alij aſſiſtũt quidem, ſed ac ſi non aſſiſterent: diſtracti, pigri, oſcitantes, aut ſaltem curioſi, & eorum, quæ dicuntur, facti cenſores, qui aridi veniunt, & aridi, ac minimè cõpuncti diſcedunt. Sed hi, ſicut aures debent à vanis & curioſis abducere, ita debent ad ſpiritualia ac diuina arrigere, & ſeipſos ad fructum aliquem colligendum permouere. Si Dei ſunt, verba Dei audiant, & ſciant improbis Phariſæis dictum eſſe: *Ioan. 8. 47.* Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.] Nec ſolùm audiant, verùm & ſinu mentis excipiant. Nam Iſaias ait: *Iſa.1.1.* Audite cœli, & auribus percipe terra;] vt indicet ſpirituales eſſe & cœleſtes, qui vt homines audiunt, terrenos verò & carnales, qui aure tenus diuina percipiunt. Nihil dicitur etiam ſæcularibus, quod ſpiritualis vir non poſſit in ſuum vſum attrahere, & ſuo ſtatui aut neceſſitati accommodare. Scriptura enim ſacra, & omnis doctrina ex illa collecta, eſt velut gleba auri, ex qua & vas in vſum diuitis ignobilis, & in vſum principis vel regis efficitur. Et ſicut Caſſianus ait: *Caſſian. col 14. c. 11.* Pro qualitate legentis vel audientis, quodammodo in eadem littera ſenſus ſcripturæ ſuccreſcit. Omnes igitur poſſunt ex concionibus ad ſæculares, vel ex exhortationibus ad minùs prouectos habitis, aliquid ad ſuam vtilitatem conuertere, modò humiliter ac deuotè audiant, & in eo, qui loquitur, (quicumque ille ſit, modò catholicè loquatur,) Chriſtum loquentem agnoſcat, & modeſti diſcipuli, non ſuperbi cenſores aſſiſtant. Legimus quidem de ſanctis prætentis, & in vitis perfectis præſentibus non ſemel notauimus, vtroſque magno audiendi verbi Dei deſiderio teneri, & nunquam ob imperitiam loquentis de rebus ſpiritualibus, à conſortio communis populi audientis auerti.

Vſus mortificationis aurium.

HIs ergo, virtutis amator, (vt omnia breuiter colligam) aures tuas ab omni labe mundabis.

I. Si coram te aliquid obſcœnum, aut impudicum, aut minùs honeſtum, vel certè quod quàm longiſſimè aliquam impuritatem oleat, proferre aliquis attentet, tu maximam tui ſtatus, ac perſonæ Deo conſecratæ iniuriam reputa.

II. Qui talia loqui audent, non tantùm fuge, & deteſtare, ſed eos etiam viles, fatuos, & infames exiſtima.

III. Amatoria carmina, verſus aliquid impuritatis habentes, licèt ſcitè compoſitos, & cantilenas ſæculares à quocumque occinantur, penitus reiice.

B

IV. Nugas, ſcurrilitates, verba ioculatoria, & narrationes ridiculas, & alia riſum & cachinnos pronocantia non audias, nec vbi hæc dicuntur, aſſiſtas.

V. Rumoribus ſæcularium rerum, & inutilibus nouitatibus, quæ ad tuum ſtatum non pertinent, nequaquam intendas.

VI. Detractionibus & obmurmurationibus fratrum, etiam ſi leuiſſimi tantùm eorum defectus dicantur, nullo modo aures tuas præbeas.

VII. Laudationes tuas, & omne genus adulationis, quod te, & tua efferat, audire contemne.

VIII. Quæ occulta ſunt, & ab aliis, te non ad conſilium vocato, tractantur, non auſcultes, nec te conſortio ſecretè loquentium ingeras.

C

IX. Nihil audire aueas, ſi non neceſſitati, aut vtilitati, aut charitati aliquomodo ſeruiat.

X. Verba Dei, à quocumque dicantur, frequenter & humiliter audi, deuotè mentis ſinu reconde, & in animæ tuæ profectum conuerte.

Ac tandem aures tuas, pretioſas fiſtulas eſſe conſidera, per quas in piſcinam cordis tui puriſſima aqua doctrinæ cœleſtis ingreditur; & ne eas fœdi liquoris, id eſt, verborum inutilium admiſſione contamines, Sicut enim cor ad capiendam, ac opere complendam doctrinam cœleſtem, purum illibatúmque ſeruatur; ita æquum eſt, vt auris pro reuerentia eiuſdem doctrinæ ab omni (quantum fieri poſſit) impuritate mundetur.

D

De mortificatione odoratus.

CAPVT IV.

OLFACTVS, inter ſenſus carnis, tertium obtinet locum, qui & poſt viſum, & auditum cohibendus eſt, ne bonus corporis odor, ſit mali odoris interioris indicium. Compertum eſt enim, ſuauium odoramentorum curam propriam eſſe mulierculárum, quæ ſimul cum carnis integritate timorem quoque & verecundiam perdiderunt. Vnde Salomon viuis coloribus meretricem depingens, inter alia eius verba, quæ refert, hæc etiam ſcribit: *Prou. 7. 16.* Aſperſi cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo:] Quæ cùm poſtremò proponat ſtulto adoleſcenti, antequam illis verbis, Veni, inebriemur vberibus, ad flagitium inuitet, ſatis oſtendit eſſe ad excitandam libidinem efficaciſſima. Has autem imitantur homines effœminati, qui eodem morbo ægri, ſimilia circumferunt ſigna luxuriæ. Fortaſſis id faciunt, vt grauem odorem vitiorum ſuorum bonis odoribus contegāt, cùm tamen eo ipſo, quòd amomo & muſco conditur, plus fœteant. *2. Paral. 16. 14.* Nam & regem Aſa, vita functum poſuerunt ſuper lectum ſuum plenum aromatibus, & vnguentis meretriciis] pigmentorum arte confectis, quæ eum non vita donabant, ſed magis vbi iaceret defunctus, oſtendebant. Ita prorſus odorum ſuauitas non animum effœminatum operit, ſed quas habeat cogitationes, & affectiones oſtendit. Egregiè profectò id fatetur Chryſoſtomus, ita ſcribens: *Chryſt. 4. de Lazaro. 2.* Miles es ſpiritualis. Talis autem miles non dormit in lecto eburneo, ſed humi. Non oblinitur vnguentis. Nam iſta cura eſt meretricis amoribus implicatorum, ac perditorum, ſcenicorum metúſque deploratæ hominum. Te verò non oportet olere vnguentum, ſed ſpirare virtutem. Nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam.

B

Corporis enim, ac veſtium fragrantia arguit intus latere animum graueolentem, & immundum. Quum enim diabolus aggreſſus delicijs intrauerit animam, omníque vitiorum genere compleuerit, tum & in corpore ſuæ corruptionis lectum oblinit vnguentis. Nec ſecus atque hi, qui pituita naſi, catarrhóque perpetuo laborāt, & veſtes, & manus, & faciem contaminant, eo quòd ſubinde narium profluuium abſtergunt, anima quoque iſtius praui profluuij malitiam in corpus abſtergit. Quis enim præclarū aliquid aut bonæ ſignis opinabitur de eo qui ſpirat vnguenta?] Hæc omnia ille. Quæ cùm ita ſint, ſuaues corporis ac veſtimentorum odores reſpuendi ſunt, ne, dum bene olemus, (vt neſcio quis dixit) grauiter oleamus. Hos enim odores abiicere mentis eſt verè pœnitentis, & ad nouam ac ſpiritualem vitam à priſtina vanitate conuerſæ.

C

Quare] peccatrix illa mulier,] *Luc. 7. 37.* quæ tam citò è iam obſcuris tenebris in tantam claritatem emerſit, ſtatim atque voluntatem melioris vitæ concepit, [attulit] ad Dominum [alabaſtrum vnguenti,] quo ſuauia odoramenta recondebat. Et illa non iam corpori ſuo adiungenda, ſed pedibus Saluatoris conculcanda proiecit. Idem omnino ſpiritualibus viris faciendum eſt, qui vt ſe veros ſæculi deſertores exhibeant, debent iſta carnis oblectamenta, & vitiorum irritamenta, reſpuere. Nec ſe Auguſtini defendant exemplo, aſſerentis: *Aug. 10. confeſ. c. 32.* De illecebra odorum non ſatago nimis. Cùm abſunt, non requiro, cùm adſunt, non reſpuo, paratus etiam eis ſemper carere. Cùm enim doctor ſanctiſſimus, & vir moderatiſſimus ait: Cùm adſunt, non reſpuo, de ea odorum

D

ſuauitate loquebatur, non quam ipſe ſponte accerſebat, ſed quam ex rebus oblatis, aut coram poſitis, quas non poterat euitare, captabat.

Defectus ſenſus olfactus in viris ſpiritualibus pauci ſunt, ſed tamen aliquos animaduerti, quos neceſſe eſt breuiter aperire. Quidam enim ex his, qui perfectionem cupiunt, quodam ſpiritu (vt ita dicam) condeſcendentiæ ducti, ſolent à piis perſonis linteola ad emungendas nares, immò & interulas aquis odoriferis illitas acceptare, & ſine vllo ſcrupulo ad proprium vſum deferre. Quod (vt ego credo) aut ex nonnulla puſillanimitate, qua timent offerentes contriſtare, vel (quod verius eſt) ex quadam inaduertentia procedit. Sed rogo illos, ne in re ad mentis ſuæ candorem, & ad aliorum ædificationem pertinēre aliquam

E

inaduertentiam admittant. Nam quo pacto Dominus per cellas ſeruorum ſuorum inuiſibiliter tranſiens, eum ſua conſolatione, & interna ſuauitate dignabitur, quem videt ſuauitati, & oblectationi ſuorum ſenſuum addictum? Aut quomodo Angelus cuſtodiæ hominis deputatus eum non horrebit, quem inuenit ſub habitu religioſi, & ſpiritualis viri olere, non militem Chriſti ſtrenuum, ſed adoleſcentulum delicatum, ne dicam impudicum? Aut qua ratione ſæcularis, pro remedio ſuorum ſcelerum ad ſpiritua-

lem

lem vitum accedés,cum venerabitur,quem ex odore,non corporis domitorem, nec vitiorum hoſtem, ſed morbus aulicum, ſed ſui blandum palpatorem, ſed deliciarum huius ſæculi ſectatorem ſentit? Aut quod erit diſcrimen inter linteolum religioſi, & adoleſcentuli ſæcularis, & compti, ſi vtrumque ex byſſo, aut ex alio lino delicatiſſimo eodem prorſus odore perfuſo conficitur? Hæc nos ſæcularibus contemptibiles faciunt; hæc firmitudinem noſtri ſtatus enervant,hæc ſine dubio multis miſerationibus Domini ianuam intercludunt; nam dum ſæculares delicatos olemus, à Domino ſæcularium more tractamur. Fugiat ergo Dei ſeruus hæc oblectamenta damnanda,& nec importunè oblata apud ſe habere ſuſtineat. Et qui, iuxta dictum Pauli, Chriſti bonus odor eſt Deo,] ad oblectationem diaboli ſe huius ſæculi odorem eſſe vereatur. Res enim, vt inquit Ambroſius, cùm non videantur, per odorem tamen cognoſcuntur:quòd ſi tu ſeculares non ſerios & graues, ſed delicatos & diſſolutos oles,quid mirum ſi quamuis ſub habitu virtutis lateas,ſæculi amator videaris, & minùs cautus iudiceris?

2. Cor. 2. 15. *Amb. ibi.*

Alij honeſtiori prætextu reuerentiæ permoti,quas ſecum in thecis affabre elaboratis,decenter reconditas ſanctorum reliquias geſtant,muſco & aliis odoribus circumdant, vt ſe ſanctorum illorum veneratores eſſe teſtentur. Sanctorum quidem pignora, quemque ſecum deferre pium eſt & ſalutare, quod perpetua Eccleſiæ traditio approbat, quod viri non ſolùm virtute, ſed & ſapientia præſtantes fecerunt, & faciunt; quod multis vtilitatibus plenum eſſe cognoſcitur: Dominator enim Chriſtus,vt inquit Damaſcenus, fontes nobis ſalutares præbuit ſanctorum reliquias, quæ multis modis beneficia ſcaturiunt.Per ipſos ſanctos, dæmones abiguntur, morbi effugantur, infirmi curantur, cæci vident, leproſi mundantur, tentationes mœroréſque ſoluuntur, omne donum bonum à patre luminum per eos his, qui indubitata fide petunt, deſcendit.] Hæc ille. Longum autem eſſet,& ſatis extra noſtrum propoſitum,omnia iſta exemplis illuſtrare. Sed licèt hoc ita ſit, nolunt tamen ſancti, quorum pignora non in Eccleſia recondimus, ſed nobiſcum circumferimus, odorum iſtorum ſuauitate venerari. Neque enim illos delectat noſtra mollities, qua prætextu reuerentiæ ipſorum, non Chriſti pugiles, ſed ſponſos de thalamo progredientes redolemus. Nec placet indiſcreta curioſitas, qua ſæculares ad nos ventitantes ſcandali mucrone percellimus. Illi quippe nos ſentiunt mulieicularum odore perfuſos, neſciunt autem an ille odor homini mortificato, & mundi contemptori non congruens,à noſtris veſtibus manet, an à ſanctorum reliquiis procedat. Et eſto, quòd ſcirent; non id religioni ſanctorúmque venerationi, ſed vanæ curioſitati tribuerent. Chriſtus Saluator noſter, cùm dignatus eſt conuerſari nobiſcum, in ſtabulo non bene olente natus, & in monte oſſibus facinoroſorum olido mortuus eſt. Ita ſancti, cùm nos comitantur, libentiſſimè ferunt,ſine his odoribus apud nos manere, & quaſi duces in prælio, & ductores in deſerto, & magiſtri in ſchola pœnitentiæ ſine ſuauitatibus, quibus non indigent, honorari. Sanctorum igitur ſacra pignora decenter cuſtodita geſtemus, precibus oris, & affectibus cordis veneremur, & conuerſatione imitemur,non tamen velamen noſtræ immortificationis faciamus.

Damaſc. 4. fidei. c.

Nonnulli neceſſitatis colore bonos ſecum odores,& vana pigmenta geſtare non metuunt. Patiuntur namque quaſdam anguſtias, & preſſuras cordis ex atra bili profectas, quibus ex conſilio medicorum,odorum fragrantiâ medendum exiſtimant.Iam hîc mitiùs loquendum eſt,ne moleſti reprehenſores videamur. Inquirant ergo hi, & ſecum meditentur, an iſta ſit vera, & magna neceſſitas, & an alio remedio religioſiori cordis aut cerebri incommodo poſſit occurri. Primò, inquam, expendant, an neceſſitas ſit vera. Nam ſi ficta eſt,& non carnis infirmitati, ſed imaginationi ſubnixa, ſeipſos certè fallent, non verò Deum iſtarum in ſuis ſeruis deliciarum oſorem, nec homines prudentes decipient. Deinde videant, an neceſſitas magna ſit, quia videlicet ægritudo corporis maius periculum minitatur, vel magni obſequij diuini occupationes impedit. Si namque incommoditas patua eſt, non decet eam tanto noſtræ grauitatis ac ſeueritatis impendio remouere. Et multo melius, Deóque acceptius erit modicam inualetudinem patienter ſuſtinere, quàm remedio minùs religioſo, & muliercularum curioſitatem redolente,propulſare. Quid? quòd vir Deo conſecratus,ſecundùm exteriorem ſpeciem bene valens, & quotidie Sacrum faciens, & conuenientibus temporibus ad populum conciones habens,confeſſiones excipiens, & in ſimilia opera pietatis incumbens, ab omnibus minùs cautus, minúſq; mundi contemptor iudicabitur,ſi cum odoramenta prophanorum hominum deferre percipiant? Quo certè obſtaculum doctrinæ à ſe prædicatæ ponet, putabúntque auditores, eum non operari,ſed loqui, & miniſteria Euangelica exteriùs quidem tractare, minimè tamen, quæ dicit,actione complere. Hæ paruæ corporis moleſtiæ, & cordis imbecillitates ad omniū notitiam non veniunt:eorum verò, qui eas audiunt, multi non credunt, immò velamen eſſe vanæ curioſitatis, & delicatæ prophanitatis ſibi perſuadent. Quare conſultius eſt, parui momenti incommoda diſſimulare,quę ſolent feruore curari,quàm pigmentis & odoribus delinire. At ex conſcientiæ propriæ teſtimonio, & ex medicorum ſententia grauis vrget infirmitas, quam diſſimulare non licet, cui ab ipſa natura data ſunt bonorum odorum remedia? Tunc medici ab eo, qui ſui victoriam cupit,hortandi ſunt, vt alia medicamenta (ſi fieri poſſit) adhibeant. Neſcio enim an ſit aliqua corporis ægritudo, cuius extinctio ita ab odoramentorum ſuauitate dependeat, vt nequeat alia ratione curari. Et ſi talis inuenitur, illa erit ſatis ſingularis, quam homines non paſſim incurrent. Exiſtentibus verò aliis medicaminibus, quæ valeant morbum depellere, muſcus, & zibethus, & ambra, & alia ſimilia reſpuenda ſunt, ne corpora noſtra in fœtorem deſitura, delicationbus, quàm noſter ſtatus fert, medicaminibus foueantur. Sed ſi omnino hæc remedia ſunt neceſſaria, tunc cum debita modeſtia admittenda ſunt, ſeruato interim in mente eorum carendi deſiderio,& amata præ omnibus diſciplinæ cenſurâ. Sciant tamen omnes, qui nos inuiſunt, nos non pro voluptate,ſed pro neceſſitate pigmentis, & odoramentorum vti ſuauitate,quam, cùm primùm potuerimus, pro reuerentia Domini, qui nos vitam aſperam docuit, & ab omni carnis voluptate alienam,abiiciamus. Hæc autem de odoribus illis dicta ſunt, quæ communiter mulierculæ, & adoleſcentes compti in deliciis habent. Nam roſis,& floribus, & amomo, & croco, & balſamo,& aliis huiuſmodi, quæ apud pharmacopolas veneunt,vti licet,dum quis ægritudine alicuius momenti preſſus, lecto decumbit. Hæc enim non laſciuiam redolent, vt muſcus & alia, ſed neceſſitatē prætendunt,cui viri ſpirituales, & Deo dicati non minùs quàm reliqui ſubiacēt:poſſuntq; illi ſine vllo virtutis detrimēto per remedia naturalia ſubuenire.

Illi

A Illi tandem per hunc ſenſum grauiùs peccant, qui nòn ob aliquam neceſſitatem, ſed ob ſolam curioſitatem, & corporis oblectationem, odorum ſuauitate ſe mulcent. Qui ſecum ſuauia odoramenta deferant, & per vicos & compita ſuæ non iam immortificationis tantùm, ſed & impudicitiæ indicia diffundunt. Qui in cellis ſeu cubiculis deſident, aromaticis ſuffimentis fragrantibus, vt ſe corporis proprij cultores, non virtutis amatores oſtendant. Res quidem ſacras, & Dei, ac ſanctorum Baſilicas varijs ſuauiſſimorum odorum replere generibus, optimum eſt, quæ noſtram internam reuerentiam, & animum verè pium deuotúmque deſignent. Et cùm eas adimus, puros illos odores percipere, ſalubre eſt, vt mentem ad cœleſtia contemplanda efferant, & noſtrum torporem exſuſcitent. Sed ſine hoc ſine B odoribus cingi, & cellas ſuffimentis opplere, & oblectationes impudicorum aſſumere, valde eſt reprehẽſibile, quod vir Deo dicatus fugere debet omnino, vt huius ſenſus abnegationem arripiat. Veſtes Eſau, quas Iacob ad ſurripiendam eius benedictionem acepit, odoribus erãt aſperſæ. Vnde dicitur de Iſaac, quòd vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, ipſi benedictionem impertiit. At veſtes illæ ſacerdotales erant, vt inquit Hieronymus, quas diuini honoris ergò primogeniti odoribus perfundere conſueuerant. Veſtes verò communes prophani hominis non credimus, his delicijs fuiſſe perfuſas. Ne ergo, qui de virtute gloriantur, indulgentia erga ſeipſos hominem prophanum excedant, quia & odorifera C indumenta Eſau in cauſa fuerunt, vt ipſe benedictione careret. Ita ſanè, ô frater, hæc laſciua tuorum veſtimentorum, aliarúmve rerum mollities, te interna benedictione priuabit: Et meritò interna benedictione orbatum dico, quem viliſſimis hiſce conſolationibus carnis illigatum ſpiritus conſolatio deſerit. Meritò benedictione vacuum dico, quem Lactantius cenſet eſſe omnino virtutis expertem. Dicamus, inquit, turpe eſſe ſapienti ac bono, ſi ventri & gulæ ſeruiat, ſi vnguentis oblitus, ac floribus coronatus incedat: quod qui facit, vtique inſipiens, ineptus, & nihil eſt, & quem ne odor quidem virtutis attigerit.] At de indumentis ſponſæ cœleſtis dictum eſt: Et odor veſtimẽtorum tuorum ſicut odor thuris.] Volo igitur ſponſam imitari, quia ad hoc eius D virtus exprimitur, vt eam conuerſatione ſequamur, & veſtibus redolere. Bene res habet; indumenta tua ſponſæ odoribus fragrent, & ſimilem veſtibus animæ perfectæ ſuauitatem effundant. Sed ſcito veſtimentorum ſponſæ nomine bona opera deſignari, odorum verò typo vel bonam eius famam, vt Anſelmus putat, vel iuge ſtudium orationis, vt vult Gregorius, vel vt alij interpretantur, vniuerſarum virtutum perfectiones exprimi. Opera ergo tua virtutes oleant, oratione in cœlum aſcendant, &. bonam ex ſe famam effundant, & ſic corpus tuum duriter tractabis, & odorum ſuauitates ſpernes.

Gen. 27. 27.

Hierony. trad. Hebraicis in Geneſim.

Lactant. 6. inſt. c. 22.

Cant. 4. 11.

Anſelm. & Greg. ibid.

Hæc in ſugillationem eorum dicta ſunt, qui in veſtibus, aut in aliquo, quod ſecum geſtant, ſuaues odores admittunt. Sed non ſunt minùs reprehenſione digni, qui cellas, & cubicula ſua ſuffitibus E curioſè perfundunt. Cella namque locus eſt orationis, locus gemituum & fletuum, locus lectionis ac meditationis, in qua non ſunt admittenda quæ diſtrahant, aut mulceant, ſed quæ compunctionem accendant. Cella carcer eſt corporis, in quo corpus detinemus, vt mente & ſpiritu in cœleſtia ſurgamus: vt quid in carcere hoſtem noſtrum, vt mentẽ aſcendentem impediat, odorum ſuauitate mulcemus? Cella iter eſt cœli, ſed hoc iter nunquam legimus, A floribus, & roſis, & odoribus eſſe conſperſum, ſed tribulis & ſpinis, id eſt, laboribus, & tribulationibus ſatis oppletum. Non enim lata, hoc eſt, ſuauis, ſed arcta, id eſt, dura, & difficilis vocatur via, quæ ducit ad vitam, adeò vt pauci ſint, qui intrant per eam. De loco, in quo manebat Magnus Arſenius, hæc legimus: Aqua, qua palmarum ramos madefaciebat, vt fierent molliores, quæ nunquam ab illo mutabatur, ſed ſic diu manebat, corrumpebatur, maléque olebat, & tetra erat aſpectu: adeò vt quidam ex patribus ſenẽ rogarent, cur hoc faceret, & ei exprobrarent ſocordiam. Is verò, cùm, inquit, ſuaueolentia, & aromatibus priùs ſim vſus, odoratus damnum modò corrigo contrarijs. Idem de Beato Patre noſtro Franciſco Borgia memini me legiſſe, qui aromatum B ſuauitatem, qua, cùm eſſet clariſſimus Gandiæ Dux, fuerat vſus, grauiorum aliquando odorum tolerantia repenſabat. Hæc & ſimilia de viris perfectis memoria proditum eſt, de quibus tamen nunquam narratur, quòd cellas odoribus ſuffiuerint, aut ſe hoc genere ſuauitatis oblectauerint.

Matth. 7. 14.

Surius in Inito. die. 19.

Non ſufficit autem ad abnegationem odoratus, ſi quis odorum ſuauitates cõtemnat, niſi etiam, cùm opus eſt, graueolentiam libenter, aut ſaltem patienter toleret. Nam multa ſunt pietatis opera, quæ ſine hac mortificatione explere non poſſumus. Longa ac moleſta nauigatione ad infideles tranſmigrandum eſt? Sed nauis oneraria nauigãtibus & mercibus plena, non ſolet eſſe minùs referta malis odoribus. Triremes adeundæ ſunt, vt remigum confeſſiones au- C diamus, illiſque ſpiritualem opem feramus? Sed in triremibus non parum eſt mali odoris tolerandum. Carceres, & xenodochia inuiſenda ſunt, vt compediti & infirmi noſtro miniſterio non careant? Sed ibi teter odor, qui ingredientes exerciet, ſine vlla intermiſſione deſedit. In tuguriis miſerorum Indorum, & in domunculis Æthiopum, aut aliorum pauperculorum, vt eis ægritudine detentis ſubueniamus, ingrediendum eſt? Sed ibi olida, & moleſtiam huic ſenſui afferentia non deſunt. Ita ergo Dei, & fratrum amator, ac virtutis cultor, odoratui dominetur, vt propter hanc graueolentiam iſta opera charitatis magnæ non deſerat, & ingreſſum horum locorum immundorum, vt immundos mundet, mũdus ipſe non fugiat. Haud dubiè inter iſtos teteros odores Chri- D ſtus animæ ipſum ſitienti optimè olet: ibi ſeipſum detegit, ibi mentes ſuorum miniſtrorũ illuſtrans, quantum ſibi placeat opus charitatis paupereulis impenſum, indicijs non obſcuris oſtendit. Denique in viliſſima caſa pauperculi, quam propter Dei amorem, & animæ ſalutem, intramus, non ſemel fœtor in odorem, & obſcuritas in ſplendorem, ac in ſaporem amaritudo conuertitur.

Vſus mortificationis odoratus.

VT igitur omnia, quæ dicta ſunt, ſummatim perſtringam, hæc tibi obſeruanda ſunt, vt ſenſum odoratus componas.

I. Linteola, interulas, & alia ſimilia à ſæcularibus oblata, ſi minùs religioſa ſint, odoribuſque perfuſa, aut non admittas, aut ſaltem in tuum vſum non aſſumas.

II. Reliquiaria, quæ tecum geſtas, ob prætextum venerationis ſanctorum, odorum ſuauitate non repleas, ſed odoramentis pro ſanctorum reliquiis, quæ in Eccleſia, vel Sacello aſſeruantur, omiſſis, quas ad tutamen è collo appendis, decenter collocatas, ſine vllis tamen odoribus, tecum deferas.

III. Modicas cordis aut cerebri imbecillitates aſſidua bonorum odorum geſtatione non cures, ſed

alius

aliis remediis, quę minimè laſciuiam redoleant, & ſæculares non oſtendant, tuæ neceſſitati prouideas.

IV. Multo minùs curioſitatis aut oblectationis gratia veſtes tuæ, aut locus in quo habitas, aliquid ſuaue redoleant, ne te minùs pudicum, aut ſaltem minùs cautum eſſe prodant.

V. Cùm neceſſe fuerit ad animarum ſalutem, aut ad aliquod pium opus gerendum graueolentiam ſuſtinere, eam fortiter perferas, nec propter hanc moleſtiam miniſteria charitatis omittas.

Sic hanc corpoream odoramentorum ſuauitatem abiiciens, ſpiritualem ac cœleſtem Chriſti odorem mentis tuæ ſenſu percipies: cuius indicibili ſuauitate delectatus, dices cum ſponſa: In odorem vnguentorum tuorum curremus:] & poſt illum per vniuerſas virtutis vias mirabili feruoris celeritate diſcurres. Hæc te certiſſimè in æternam patriam ducent, in qua, vt optimè dixit Marulus, Non eſt Engadi vicus balſami ferax, non Sabæa regio thuris abundans, non pretioſorum vnguentorum mater Arabia, ſed quod bis longè redolentius ac ſuauius habetur, diuinæ præſentiæ indicibile odoramentum, & cunctis animæ ſenſibus nunquam defutura dulcedo.

Cant. 1.

Marul. in Euangeliſtario li. 4. c. 22.

De Mortificatione Guſtus.

CAPVT V.

IAM ad quartum ſenſum, nempe ad Guſtum, tranſeamus, cuius abnegatio apprimè neceſſaria eſt, quoniam ſolet potentiſſimè hominum mentibus dominari. Hic eſt veluti internoncius ſaporum, & ventris; ac gulæ & ebrietatis incentor, qui inter carnem noſtram cibóſque diſcurrit, vt ſine debita moderatione iuncti, in obſcœna etiam flagitia proſiliant. Neceſſe eſt autem hunc ſenſum à ſpirituali viro acriter cohiberi; tum vt ipſe, qui ſtatu & conuerſatione purus eſt, purum & moderatum guſtum habeat, tum, vt qui bellator eſt, aduersùs vitia bellum iſtud glorioſum incipiat. Non enim decet viri iuſti guſtum iniuſtum eſſe, qui ſeipſum contra præſcriptum mentis dominatricis immoderatè ſuauitatibus tradat, eiúſque libertatem præripiat. Virginem namque eſſe, & guſtum virginis conuenit, inquit Baſilius, nullíque gula ſuauiter oblectanti illecebræ peruium. Integram ſe, & in hac parte, atque inuiolabilem ſancta virgo cautè ſeruabit: corpúſque, vt ſeruire queat animæ in his, quæ ſunt neceſſaria victui, moderabitur prudenter, ac reget.] Quomodo verò ab huius ſenſus victoria, cui gula cognata eſt, bella ſint ſpiritalia inchoanda, tradit Hugo Victorinus in hunc modum. Neque ad conflictum ſpiritualis certaminis aſſurgitur, ſi non priùs intra noſmetipſos hoſtis poſitus gulæ, videlicet appetitus, edomatur; quia ſi non priùs ea, quæ nobis viciniora ſunt, proſternimus, inaniter ad ea quæ longè ſunt impugnanda tranſimus.] Sic ille, & verè. Nam ſicut guſtum vincere, nos ad alia bella vincenda coaptat, ita ab illo vinci, atque proſterni, in innumerabilia peccara ſæpe diſturbat. Guſtus vini Noe generis noſtri inſtauratorem ſubiiciens, eius pudenda detexit. Guſtus Lot duarum filiarum ſtupratorem effecit. Guſtus ab Eſau ius primogenituræ præripuit. Guſtus Iſraelitas in Deſerto magna ex parte repentina morte ſuſtulit. Guſtus filios Heli ſacerdotis Ophni, & Phinees gladio Philiſtinorum confodit. Guſtus Ela gladio Zambri interficiendum obiecit. Guſtus per manum mulieris caput Holofernis abſcidit. Guſtus Simonem Machabæum in conuiuio, & filios eius & ſeruos occidit. Hic tandem innumeros alios animo & corpore exterminauit. Nam ex deſiderio ſaporis in ſaturitatem, & ſatuitate in obſcœnitates fœdiſſimas, & ex his in maximas calamitates deiecit, & indignationi Domini tradidit diſſipandos. Atque ideo ipſe Dominus ait: Saturaui eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabuntur.] Nunquid ſuper his non viſitabo, & in gente tali non vlciſcetur anima mea? Hæc autem omnia illis etiam metum incutiant, & ad guſtus abnegationẽ accendant, qui in rebus, non adeò magnis, eum ſibi dominari diſſimulant. Certum eſt enim, quòd ex paruis venitur ad magna; &, ſi Dominus tantis cladibus notabiles huius ſenſus exceſſus punit, minores quoque, licèt non tam graui pœna, mulctabit, neque eos ſine condigna caſtigatione relinquet. Nec minùs certum eſt, guſtum carnis, guſtum mentis excludere: & eos, qui dulcedine ſaporum explentur, nequaquam à Domino interna ſuauitate ſatiari. Quamobrem ſenſus iſte, ceu puer, compeſcendus eſt, & abnegatione, quaſi virga, plectendus, ne eius voluptas fratris maioris, ſpiritus ſcilicet, delicias tollat, & per eum caro aduerſùs mentem inſoleſcat.

Baſil. lib. de virginitate.

Hugo in regula c. 5.

Gen. 9. 21. *Gen. 19. 12.* *Gen. 25. 31.* *Num. 11. 33.* *1. Reg. 4. 11.* *3. Reg. 16. 10.* *Iudith 13. 10.* *Machab. 16. 16.*

Ierem. 5. 7.

Ad plenam guſtus abnegationem exponendam, omnia illa accerſenda eſſent, quæ ſuprà ad extinctionem vitij gulæ conſcripſimus, niſi cuperemus nihil repetere, & noua ſemper vitæ ſpiritualis documenta, prout Dominus donare dignatur, explicare. Illa ergo legenda ſunt, aut in memoriam reuocanda, vnde diſcemus, quid, quantum, quale, quomodo, & vbi cibum ſumere debeamus. Hoc verò loco ſolùm adducemus ea, quæ illis documentis iam expoſitis, & huius ſenſus mortificationi ſubſeruiant. Ac primò ſumptionem cibi oratio intenta, ac feruens, & intentionis directio præcedat, qua à Domino poſtulemus, & apud nos ipſos ſtatuamus, cibos non ad voluptatem, ſed ad neceſſitatem, accipere; & ſolùm ad explendam Domini voluntatem, qui nos huic curæ ſubiecit, & ad ſuſtentandam naturam, manducare. Quæ intentio in ipſo refectionis decurſu repetenda eſt, ita vt voluptatem faciat fugere, & tantùm neceſſitati ſeruire. In Euangelio enim legimus, Chriſtum Dominum ſæpe ab oratione refectionem corporis inchoaſſe, vt nos ad fundendam orationem ante cibi ſumptionem inſtrueret. Quid autem oratione in hoc tempore fuſa petẽdum eſt, niſi quod communiter petimus, vt ſcilicet Dominus tum nos, tum ſumenda benedicat? His autem bene imprecamur, vt accepta illa, corpora reficiant, & roborent; nobis autem poſtulamus, vt ſecundùm Domini beneplacitum, non pro vili voluptate, ſed pro ſuſtentatione naturæ alimentis ſuſteotemur. Hac prævia oratione vſus eſt Auguſtinus, vt ipſe de ſe fatetur in confeſſionibus ſuis. Enumeratis enim variis tentationum laqueis, qui in ſumptione ciborum animæ inſidiantur, ait: His tentationibus quotidie conor reſiſtere, & inuoco Domine, dexteram tuã ad ſalutem meam, & ad te refero æſtus meos, quia conſilium mihi de hac re nondum ſtat.] Hæc ille.

Lib. 6. p. 2. c. 3 & 4.

Aug. 10 confeſſio. c. 31.

Deinde corporis valetudine fruentes nihil ſpeciale ad manducandum petamus, ſed quæ benigna prouidentia Prælati omnibus in commune miniſtrauerit, cum gratiarũ actione guſtemus. Horum verò, quę magis vilia, quæ minùs ſuauia, minúſque appetitum illicientia, libẽtiùs ſumẽda ſunt, vt ipſa alimentorum diſcretio minimè neceſſariã guſtus oblectationẽ reiiciat. O quantùm inter ſapientiã ſpiritus, ſapientiámq; carnis interſtat, quarum hæc ſtultitiam putaret, ſuauibus inſuauia fercula, & pretioſis vilia præferre! Illa verò inſipientiam putat, inſuauibus ſuauia

& vilibus meliora præponere. Huius autem litis nec caro, nec ſpiritus, quia litigant, iudicis partes agant, ſed media ratio ſit iudex, quæ arbitra ſedens, horum litigantium rationes audiat, & æquam ſententiam ferat. Sapientia carnis dicit: Meliora & ſuauiora ſumenda ſunt, quia meliùs corpus impinguant, quia guſtum magis delectant, quia ſic homines nobiles, & plebeij, ſapientes & inſipientes faciunt, & oppoſitum ridiculum iudicarent. Sapientia ſpiritus dicit: Tua exiſtimatio vera non eſt; immò viliora & inſuauiora accipienda ſunt, quia corpus ſolidius & fortius ad labores reddunt; quia guſtum ad comedendum vltra neceſſitatem non ineſcant: quia effrænes motus carnis comprimunt; quia præterita peccata caſtigant; quia ad obtinendam ſpiritualem ſuauitatem diſponunt; quia ſic tandem viri ſancti fecerunt, & faciunt, & oppoſitum puerile & noxium exiſtimarunt, quorum auctoritas ſenſui omnium mundanorum præponenda eſt: ſicut in omni bene gubernata republica, paucorum nobilium ſapientiúmque ſententia, vilis plebeculæ, & vulgarium multitudinis ſententiæ præponitur. Ratio auditis partibus ius dicit, & conſtanter affirmat carnis ſapientiam deſipere, ſapientiam verò ſpiritus non errare. Caro appellat Dominum, & rationis iudicium iniquum clamat; ſpiritus in prouocatione conſentit. Dominus, qui errare non poteſt, rationis confirmat ſententiam. Nam & ego, inquit, Rex regum vitam mortalem agens cùm poſſem, non ſuauia, & magnis apparata ſumptibus, ſed vilia & communia manducaui; hominibus in prima illa ætate ante diluuium, nonniſi poma, & olera, & fruges appoſui: dilectum populum meum Manna cibo ſimplici in deſerto paui.] Semel per ſeruum meum Eliſeum, & iterum per me ipſum magnam turbam hominum hordeaceis panibus inuitaui. Danieli, & ſociis eius menſam regiam contemnere, & leguminibus veſci præcepi: Et Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, inſuauia & vilia eſculenta manducare volui, & nunquam illis gulæ delicias miniſtraui, quos ad ſempiternas delicias elegi. Quid mutis ſapientia carnis? Quid murmuras? Annon tam euidenter conuicta erubeſces? Audi igitur ſeruos poſt Dominum, non omnes, qui hac de re locuti ſunt, ſed vnum, aut alterum, vt ampliùs confundaris. Vincentius Ferrarienſis ait: Si panem diuerſum, durum, mollem, album, aut aliter factum ante te habeas, illum comedas, qui eſt vicinior, & libentiùs comedas illum, ad quem minùs ſenſualitas inclinatur. Et Bernardus: Eſt autem vniuerſum præſentis pœnitentiæ tempus, vigilia quædam ſolemnitatis magni & æterni ſabbathi, quod præſtolamur. Nec cauſaberis vigiliam longiorem, ſi æternitatem feſtiuitatis attendas.] Si verò tempus hoc vigiliæ eſt, ei delicata, & ſuauia non congruunt, quæ niſi velimus nos ipſos eludere, ab abſtinentiæ ac ieiuniorum temporibus reiiciuntur. Et Hugo Victorinus: Obſeruatio, inquit, in eo, quid ſumat, id eſt, vt nec nimis pretioſa & delicata expetat, nec nimis rara & inſolita requirat, nec nimis lauta, & accuratè præparata concupiſcat.] His manifeſtum fit, alimenta ſuauia, quoad fieri poſſit, eſſe vitanda, illáque guſtui concedenda, quæ ille quidem non horreat, & humanam fragilitatem ſuſtentent, non onerent, & ad ſpiritualia munera agiliores efficiant. Nec durum eſt hominem ſanum, ac robuſtum nihil omnino petere, & ſolis ſibi oblatis alimentis eſſe contentum, cùm nouerimus aliquos ægrotantes præ mortificationis deſiderio oblata ſolùm accipere, licèt minùs ſibi grata, & nihil omnino poſtulare.

Hier. lib. 1. contra Iouinian. Amb. epiſt. 82. Num. 11.

4. Reg 4. Ioan. 6.

Daniel 1.

Vincent. tract. de vita ſpirit. c. 3. §. de modo ſtandi in menſa. Bern. ſer. in vigil. S. Andreæ.

Hugo. lib. de inſt. nouit. c. 19.

Ad hoc pertinet, vt ab aliquibus cibis delicatiſſimis quos ſæculares homines in deliciis habent, penitus pro amore Domini toto vitæ tempore abſtinendum ſit, ſi abſque ſingularitatis nota poſſimus, vt alimenta noſtra ab ſtatu pœnitentiæ, quem profitemur, non diſſonent. Certum eſt enim, plurimos pauperes nunquam ſuauiſſima aliqua eſculenta guſtaſſe, & nos pauperiores ſumus, immò veram, & Euangelicam paupertatem ſponſam accepimus: quid magnum ſi quod illi inuiti faciunt, nos ad carnem domandam libenter faciamus? Cibi iſti boni ſunt, non imus inficias. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.] At ſæpe bona meliorum causâ deſerimus, & multo melius eſt, ab his, propter mortificationem abſtinere, quàm ea ſine neceſſitate guſtare. Paulus quidem reprehendit eos, qui iubent abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione: ſed illos tantùm, vt docet Irenæus, & Epiphanius, & alij patres, qui hanc abſtinentiam propter ciborum immundiciam ſuadebant, non verò illos, qui ad moderatam corporis contritionem aliquos cibos repudiabant. Si autem multi ex ſanctis viris, qui præceſſerunt nos, vino & carnibus perpetuò abſtinuerunt, quid magnum erit, ſi nos non iam à carnibus, & à vino, ſed à quibuſdam delicatiſſimis abſtineamus, quæ non neceſſitas exigit, ſed ſola ingluuies, & deteſtanda mollicies inuenit? Hæc quantorũ ſoleant eſſe cauſæ malorum, in his præſertim, qui ea intemperantiùs, & cum aliorum ſcandalo ſumunt, Laurentius Iuſtinianus ſic exponit: Non parum corporum & animarum aduerſatur ſaluti effrænata exquiſitiorum ciborum voluptas, quotidianúſque eorundem vſus, quem comitantur frequenter languores crebri, contemptus abſtinentiæ, immoderata delectatio gulæ, ventris repletio, fugis crapula, carnales motus, cogitiones impudicæ, moroſæ delectationes, libidinoſi conſenſus, pollutiones nocturnæ, colloquia inhoneſta, & alia quamplurima vitia, quæ à religioſis viris, ac morum grauitate decoratis, omnino debent eſſe aliena.] Hæc ille. Seruos itaque Dei, cuius ſaporis ſint iſta delicatiſſima fercula, quæ mundanis apponuntur, penitus neſciat; non quia per ſe mala, ſed quia ſano homini ſuperflua, quia viro religioſo minimè conuenientia, quia ſtudiis orationis & abnegationis non congrua, quibus volumus corpus eiúſque appetitiones comprimere, & mentem virtutibus, & cæleſtibus donis ſignare.

1. Tim. 4. 4.

ibid. n. 3.

Irenæ. li. 1. c. 3. Epiph. hæreſ. 43.

Iuſt. h. de perfectionis gradibus c. 4.

Alimenta communia non vſque ad ſatietatem accipienda ſunt, ſeu ita moderanda, vt è menſa ſurgentes aliquantulum eſuriamus. Quod & corpori & animæ ſaluberrimum inuenitur. Corpori quidem (in quo vniuerſa medicinæ ars conſentit) quoniam ſtomachus aut ventriculus meliùs ingeſta complectitur, facilius digerit, & malis humoribus & cruditatibus non repletur. Animæ verò, quia minùs grauata cibis, citiùs ſe à colloquiis, & occupationibus minùs ſeriis expedit, vt meditatione ſe paſcat, & affectibus deuotis pingueſcat. Tanta ſit, inquit Hieronymus, in ſumendo ſobrietas, tanta taliſque parcitas, vt venter potiùs conqueratur, quàm gaudeat. Non egeat in digerendo ſtomachus medicinis, ructum potiùs vacuatio, quàm nimia repletio inducat. Idem monet Eccleſiaſtes, frugalitatis bona, & ſaturitatis mala vno verbo comprehendens. Dulcis, inquit, eſt ſomnus operanti, ſiue parum, ſiue multum comedat, ſaturitas autem diuitis non ſinit eum dormire.] Ille enim, qui ad depellendam paupertatem laborat, ſiue multũ, id eſt, neceſſarium, ſiue parũ, id eſt, minus quàm neceſſariũ eſt, comedat, quietè dormit; iſte verò cibis diſtentus, & bellum tot ferculorũ inter

Hiero. ad virgines c. 35.

Eccl. 5. 11.

ſe pu

ſe pugnantium intra ſtomachum ſentiens, nunquam ſine tormẽto & moleſtia quieſcit. Vnde Auguſtinus ait: Hoc me docuiſti, Domine, vt quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam: quo diſcimus, in alimentis tenendam menſuram. Nam quemadmodum medicamenta non accipiuntur ad ſatietatem, ſed ad ſalutem corporis, ita alimenta non ad ſatietatem, ſed ad eiuſdem corporis ſuſtentationem ſumantur. Idque ſeruabat Edmundus, ſanctiſſimus Cantuarienſis Archiepiſcopus, cui (vt in eius vita legitur) nunquam curæ fuit, vt paſceret corpus, ſed vt ſuſtentaret. Qui autem propter Dominum carni ſuæ dabat panem arctum, & aquam breuem, meruit pane vitæ & intellectus refici, cùm fuerit ſapientia clarus, & ſui temporis doctor eximius.

Aug. 10. confeſ. c. 31.

Surius To. 6.

Portio cibi, quæ nobis apponitur, non omnis ſumenda eſt, ſed aliquid modicum relinquendum, vt abnegationis amatores exiſtamus. Huius documenti habemus aſſertorem Bernardum: Sed Chriſtianus, inquit, homo comedit vt viuat, non viuit vt comedat, ſicut quidam ait, idque & illud bene de inutilibus & voracibus,

Bern. ſer. de paſſione Domini c. 42.

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati.

Chriſtianus autem non ſic, ſed ſemper ita ſurgat de menſa, vt adhuc habeat appetitum plura ſumendi: & eum, qui adhuc eſſet implendus cibariis, Domino Ieſu pro grato munere conferat appetitum, qui pro ſalute noſtra ſæpius eſurire voluit & ſitire.] Hæc ille. Ad hoc abnegationis genus, & modicum Domino obſequium offerendum, incitare nos debet, quòd optimos imitamur. Sicut enim reges & diuites ſęculi, nunquam omnia ſibi appoſita deuorant, ſed multa ſeruis accipienda relinquunt; ſic & nos, qui in curia Domini dominorum principatum ambimus, in hoc debemus more magnatorum comedere, quod ex rebus nobis oblatis parum aliquid relinquamus. Eſt etiam id gratæ mentis indicium, quæ opere ipſo dicit, ſe tanta ad corporis ſuſtentationem accipere, & tam abundãter ſibi pro hac mortalitate prouideri, vt poſſit alios inuitare. Si autẽ aliquando cogitatio importuniùs ſuaſerit, omnia quæ apponũtur, eſſe ſumẽda, nihilq; vel modicũ omittendum, dicat quiſq; ſibi quod ſanctus Dauid: Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hoc.] Immò debeo quod mente propoſui, implere fideliter, vt in his modicis diſcam appetitum cohibere.

2. Reg. 23. 17.

Ita etiam accipiatur cibus, vt mens non ad alimentorum ſuauitatem, quam non quærit, ſed ad aliquid audiendum aut conſiderandum attendat. Sic corpus reficitur, & guſtus delectatio reprimitur, & mẽti proprius quoque cibus ingeritur. Audi hoc ex Bernardo, qui ſic ait: Cùm manducas, nequaquam totus manduces, ſed corpore tuo ſuam refectionem procurante, mens ſuam non negligat, ſed de memoria ſuauitatis Domini, vel ſcripturarũ aliquid, quod eam paſcat, meditando, vel ſaltem memorando ſecum ruminet, & digerat. Et Baſilius. Inter epulãdum hoc cauere conuenit, ne helluantium ſpeciem præbeamus, ſed & conſtantiam & manſuetudinem vbique retineamus, atque in percipiendis voluptatibus æquabilem continentiam; ne tum quidem porro ita animis eſſe feriatis nos oportet, vt commentatione rerum diuinarum vacemus. Quippe qui alimentorum naturam, corporiſque aliti opificium, argumentum habeamus diuinas laudes exordiendi, vtique cùm in mentem nobis venit, quomodo varia cibi genera corporum qualitati accommodata, ab eo ſint inuenta, qui omnia moderatur, & regit.] Hæc ille. Quibus verbis non tãtùm docemur, tempore refectionis corporalis quid facto opus ſit, ſed etiam abundans materia meditandi ac

Bern. ad Fratres de monte Dei.

Baſil. epiſt. 1.

A laudandi Dominum nobis adminiſtratur.

Manducantibus nobis, qum & iam conſuetam refectionem ſumentibus, videtur noua fames ac noua comedendi auiditas excitari; & importuna quædam voluntas exoriri, quæ nobis iam refectionem corporis perficientibus ſuggerit, vt quaſi de nouo incipiamus, & vltrà quàm neceſſarium ſit, & animo ſtatueramus, guſtemus. Sed cùm iſtam auiditatem ac voluptatem, non fames nec cibi neceſſitas, ſed tentatio ingerat; alimenta penitus linquenda ſunt, a menſaque ſurgendum, ne in gulæ ſcopulũ illidamur. Huius tentationis meminit Gregorius his verbis: Sæpe autem in ipſa edendi via furtiuè adiuncta voluptas ſubſequitur: nonnunquam verò impudenter libera etiam præire conatur. Facile autem eſt deprehendere, cùm voluptas eius neceſſitatem præuenit: ſed valde eſt difficile diſcernere, cùm in ipſo eſu neceſſario ſe occulta ſubiungit. Nam quia præeuntem naturæ appetitum ſequitur, quaſi à tergo veniens tardiùs videtur. Eo enim tempore, quo neceſſitati debitum ſoluitur, quia per eſum voluptas neceſſitati miſcetur, quid neceſſitas petat, & quid, ſicut dictum eſt, voluptas ſuppetat, ignoratur. Sæpe verò diſcernimus: & quia vtramque per experientiam ſibi coniunctam nouimus, in hoc quòd extra metas rapimur, liberè reficiendo fallimur; & dum ſibi mens ex neceſſitate blanditur, & voluntate decipitur. Meminit & Auguſtinus; ſic enim ait: Et cùm ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adiungit ſe tanquam pediſſequa periculoſa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius cauſa fiat, quod ſalutis cauſa me facere vel dico, vel volo, nec idem modus vtriuſque eſt. Nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt. Et ſæpe incertũ fit, vtrùm adhuc neceſſaria corporis cura ſubſidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia miniſterium ſuppetat. Bernardus verò non tantùm hanc falſam concupiſcentiam detegit, ſed & remedium ſubiungit, quod ſuprà à nobis tactum eſt. Frequenter, inquit, ſolet accidere, quòd ſumptis cibariis, quæ ſecundùm conſuetudinem neceſſitati ſumentis poſſent & deberent ſufficere, quædam ſurgat noua delectatio, quæ facit hominem improuidum, & inſidias diaboli non cauentem, illi cibo cum tãto ſtudio inhærere, tanquam nihil antè comederit, vel intra multos dies, poſt hoc nil ſit ſumpturus ciborum. Et quia gulæ ſpeciem in ſe deprehendunt, auxiliante Deo, huic facilè poſſunt reſiſtere, quia impetus eius non longiùs durat, quàm dum à menſa ſurgatur, & illius, quod tanto ſtudio deſideratur, memoria ſubducatur.] Sic loquuti ſunt hi patres ſanctiſſimi pariter ac ſapientiſſimi, quos conſulto latè retulimus, vt lectores videant, quæ modica ſancti in ſemetipſis conſiderabant & corrigebant, nec ea ſuis lucubrationibus indigna cenſuerunt, ſed potiùs litteris conſignarunt. Huius ergo belli victoria, in quo guſtus aduersùs rationem inſurgit, ſubita alimentorum relictione conquiritur, quibus dimiſſis è veſtigio euaneſcit illa falſa fames, quæ nos ad excedendum incitabat.

Greg. 30. mor. c. 14.

Aug. 10. confeſ. c. 31.

Bern. ſer. de paſſ. Domini c. 42.

Poſtrema guſtus effrænatio circa potum ſolet accidere, in cuius quantitate, aut qualitate, aut frequentia non parum à quibuſdam peccatur. Aliqui enim in ipſo feruore adoleſcentiæ, vino vtuntur; & igni concupiſcentiæ ignem adiciunt, cùm tamen huic ætati, tum ob corporis ſalutem, tũ ob caſtitatis amorem, magis potus frigidæ aquæ conueniat. Salomon ait: Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapiẽtiam, deuitarẽmque ſtultitiam.] Et in Numeris præceptũ erat: Vir, ſiue mulier, cùm fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare

Eccl. 2. 3.

Num. 6. 4

à vino,& omni, quod inebriare poteſt,abſtinebunt.] A
Et Daniel à vino abſtinens myſteriorum cœleſtium (Daniel. 10.3.) reuelationem aſſequitur.Ioannìſque Baptiſtæ ſanctitas,ex vini a ſiceræ abſtinentia monſtratur.Hæc autem omnia in iuuenibus copulantur,qui debent ſanctitatis deſiderio prælucere; primitias vitæ Domino conſecrare, & ſapientiam, rerúmque cœleſtium cognitionem inquirere. His ergo Baſilius, & Hieronymus optimo iure vino interdicunt: cuius vſum ſanè deberent relinquere,& ſaltem vſque ad maturiorem ætatem differre. (Baſil.lib. de virg. Hieron. epiſt. ad Euſto.) Alij verò ætate iam, & neceſſitate poſcente,vino vtuntur,quod illis nullo modo prohibemus,ſi teneant ſobrietatis menſuram. Hæc autem eſt,ſi vinum bene lymphatum bibant,nec nimis pretioſum exquiſitúmue requirant.Si inſuper, nihil penitus de eo, quod ſibi propinatur, vel in bonum vel in malum loquantur. B Nam appoſita vina laudare, aut vnum alteri guſtu,aut ſermone præferre,& è quibus regionibus vina pretioſiora aduehantur diſputare, ſermones ſunt eorum, qui ventri deſeruiunt, non illorum, qui ſolius neceſſitatis gratia cibum & potum accipiunt. Vidimus etiam in ipſo aquæ potu apud aliquos, quod non eſt inuoluendum ſilentio. Nam aquam delicatiſſimam & optimam quærunt, & inueniunt,& cùm aliam propè habeant,ex loco ſatis diſſito ſibi afferri curant: eam nonniſi lapidibus ad hoc arte elaboratis diſtillatam refutant, & adiuncta niue, aut gelu, vt ſuauiùs bibatur, infrigidant. Vniuerſa hæc aulicorum ſunt, & eorum, qui curam carnis faciunt in deſideriis. At amatoribus perfectionis,qui guſtatui ſuo non ſeruire,ſed imperare volunt, C ſatis eſt,(ſi non vrgens aliqua,& manifeſta neceſſitas ſubſit)communis aqua,quam reliqui bibunt,à fratre, è puteo vel fonte hauſta, nec maiori labore, ac diligentia potum ſibi miniſtrari curabunt. Denique in frequenti vſu bibendi ſolet eſſe nonnullus exceſſus corpori etiam ſatis nocuus:cùm tamen, niſi in vehementi æſtu, ſufficiat horis conſuetis prandij & cœnæ potum ſufficientem accipere. Qui autem hoc ſibi difficile putant, quod multi experti ſunt eſſe facillimum, frequentiùs bibant, ita tamen vt ſobrietatis memores,ſuæ neceſſitatis metas non excedant.

Vſus Mortificationis Guſtus.

TV ergo virtutis amator, qui cupis guſtui, ſicut & cæteris ſenſibus,modum imponere, ita illum moderaberis. D

I. Sumptionem cibi præcedat oratio, & directio cordis, quibus petas, & velis alimenta neceſſaria,non pro voluptate,ſed pro explenda Domini voluntate,& pro naturæ neceſſitate percipere,& vt corpus conſueta refectione roboratum poſſit menti ſeruire,& diuinis obſequiis attendere.

II. Saltem dum bene vales, nihil ſpeciale ad manducandum petas, ſed his ferculis, quæ omnibus apponuntur,eſto contentus.

III. Ex his,quæ tibi miniſtrata ſunt,ad maiorem guſtus abnegationem viliora,& inſuauiora,quæ magis pauperem decent,eligito.

IV. Delicatiſſimos ſæcularium diuitum cibos, ſi E abſque ſingularitatis nota poſſis, (& certè ſæpiſſime poteris) penitus abiice,& hæc,quæ ſoli delectationi proſunt,manducare erubeſce.

V. Communes cibos nunquam ad ſatietatem capias,ſed ita è menſa ſurge,vt tantillum eſurias.

VI. Ex quocumque eſculento, quod tibi miniſtratum eſt,in ſignum gratitudinis aliquid parum relinquito, quod Domino in acceptiſſimum ſacrificium delibes.

VII. Ita comedas, vt non totus comedas, ſed mente alicui piæ commentationi,vel his quæ leguntur,intendas.

VIII. Si pœne finita refectione, quaſi nihil comediſſes,noua fames,& amplius ſumēdi ardor inſurgat, aduerſarij dolum agnoſce, & ſubita relictione menſæ,aut ceſſatione comedendi,illum illude.

IX. Adoleſcens,aut iuuenis, vinum ſine euidenti neceſſitate non bibas.

X. Pretioſa vina, & ſuauia, & delicata penitus non requiras, nec de cibis aut potibus quicquam loquatis.

XI. Communem aquam,qua omnes vtuntur, in vſum accipe, ſciens quia nunquam inteſtina perforabit.

XII. Horis prandij & cœnæ tantùm bibe, ſi verò interdiu bibendum ſit, potu ſolùm ad neceſſitatem vtaris.

Et pro certo habe, hanc guſtus abnegationem Deo eſſe gratiſſimam, quam qui ſeruarunt, cœleſtibus donis eminuerunt. Ita tamen guſtum cohibeas, vt naturam non lædas, nec enim Domino placent indiſcreti famulatus,ſed diſcretione moderati. Scriptum eſt autē in Deuteronomio: Non abominaberis Ægyptium,quia fuiſti incola in terra eius.] (Deut.23. 7.) Quod Caſſianus figuraliter de corpore noſtro intelligendum exiſtimat: nam illud non debemus imprudenter opprimere,ſed prudenter regere,& ab illicitis ſolùm aut ſuperfluis auocare.

De Mortificatione Tactus,

CAPVT VI.

TACTVS viſus eſt omnibus vniuerſorum ſenſuum periculoſiſſimus, quoniam per omnia membra diffuſus, mentem quaſi per omnem partem oppugnat. Alij ſenſus portæ ſunt animæ, per quas mors, niſi circunſpectione claudantur, ingreditur: At tactus eſt quaſi diſſipatio murorum,quibus ſolo æquatis nihil in vrbe tutum eſſe cognoſcitur. Illi ſunt velut parua foramina,vel anguſtæ quædam particulæ, quas vnus miles, id eſt,vnum circunſpectionis genus cuſtodit: Tactus verò eſt veluti magna porta,aut ampla parietis ruptio, quam magna militum turba,id eſt,multiplex cautio, vix ab hoſte defendit. Illi ſunt velut canes venatici, qui prædam odorantur,& miſeram inſequuntur animam: at tactus eſt quaſi venator ipſe, qui prædam ad ſe adductam ſæpe lethalis criminis gladio confodit. Sapienter Baſilius ab hoc ſenſu, tanquam ab omnium infeſtiſſimo, maximè cauere virginem docet. Tactum,inquit,vt ſenſuum omnium pernicioſiſſimum, (Baſil.lib. de virg.) & ſæuiſſimè blandientem, ſenſuſque reliquos in ſua ad voluptatis illecebras pellicientem, immaculatum, & perturbationibus minimè peruium, ſemper quàm maxima poterit cura, ſeruabit. Hic enim toto cùm ſit diffuſus corpore, per omnem illius ſuperficiem, non eam ſolùm, quæ apparet extrinſecus, verùm & quæ altiùs recondita eſt, ad vitioſos contactus aduersùs animam ſæuè dominatur. Porro manibus ad vſus noxios præcipuè nitens, his velvti quibuſdam circumſeptus armis, feruentiùs per horum inſtrumentorum conſenſum omnes, qui inciderint, capit.] Hæc Baſilius. Qui & poſtea ait, non aliter nobis hunc ſenſum minimè cohibentibus euenire, quàm ſi caudam ſerpentis tangeremus. Sicut enim dum quis caudam ſerpentis attingit, citiſſimè caput ipſe conuertit, & tangentem mordens

dens in corpus eius venena diffundit: ita tactus minùs circunſpectus totum tangentis corpus in ſe conuertit, & ad prauum conſenſum trahit. Hic ſenſus infimus omnium cùm ſit, ita tamen inſoleſcit, vt reliquorum Dominus videatur. Oculi enim vident, & aures audiunt, & nares odorantur, immò & cogitatio fingit, & cor concupiſcit, & pedes ſequuntur, quod tactus ad ſuam voluptatem percipiat. Ac proinde meritò ab Auguſtino hic ſenſus inter elementa comparatus eſt terræ. Tactus, inquit, qui eſt quintus in ſenſibus, terreno elemento magis congruit, & per totum corpus animantis, quod ex terra eſt, quæque tacta ſentiuntur. Meritò, inquam, terræ comparatur, quoniam ſicut reliqua elementa, licèt perfectiora, terræ famulantur, eámque ſalubrem, habitabilem, & fœcundam efficiunt: ita alij ſenſus, licèt ſublimioris conditionis, tactus voluptati deſeruiunt. Sed iniquus eſt herus, & crudelis animæ deuaſtator, quo auctore mors ab aliis ſenſibus cœpta perficitur. Miſit Dominus in terram Iuda latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon: ad extremum autem miſit Nabuchodonozor regem Babyloniæ, qui deprædatus eſt terram illam, qui & Ioachim captiuum in Babylonem tranſtulit, & omnes principes Iuda captiuitati ſubiecit.] Si protſus quatuor ſenſus ſuprà dicti, ſicut quidam latrunculi animam vexant, & aliqua eius bona diripiunt; at tactus vt immanis tyrannus à ſua libertate dimouet, & miſera ſeruitute captiuat. Meritò igitur clamat Iſaias: Recedite, recedite, exite inde. Pollutum nolite tangere, exite de medio eius. Mundamini, qui fertis vaſa Domini.] Quinam ferunt vaſa Domini, niſi iuſti, qui armaturam ſpiritualem, nomine vaſorum intellectam, vt explicat Hieronymus, id eſt, virtutum multitudinem, portant? Sed his dicitur, vt exeant de medio concupiſcentiarum ſuarum, quas ſcilicet caro noſtra progenerat. Quod vt aſſequantur, debent polluta non tangere, id eſt, ea, quæ ſuo contactu poſſunt mentem inficere, & ab omni occaſione mali recedere.

Aug. lib. 3. de gen. ad lit. ca. 4. To. 3.

4. Reg. 24. 2. & 14.

Iſaia 52. 11.

Hier. ib.

Huius ergo ſenſus abnegatio ſummè neceſſaria eſt ad animæ conſequendam puritatem. Ad eam verò tractandam non eſt opus, turpia & obſcœna commemorare, quibus homines ad tactus oblectationem ſuum corpus, mentémque contaminant: quæ manifeſtum eſt, quàm longiſſimè abeſſe à vita & conuerſatione iuſtorum. Quis enim ignoret, corpus humanum, & præſertim alterius ſexus, quaſi ignem eſſe, quem, vt grauiſſimis verbis aiunt Anſelmus & Baſilius, qui tetigerit, ſtatim apertam concupiſcentiæ flammam, ſceleriſque vſtionem experietur? His ergo omiſſis, quorum etiam cogitationem iuſtus quiſque formidat, alia minora, ſed non parum periculoſa ſcribenda ſunt, in quibus oportet tactum cohibere.

Anſel. 1. cor. 7. in illud: Bonum eſt homini, &c. Baſil. lib. de virg.

Primò, vnuſquiſque manus à ſui ipſius tactu contineat, vt ſuprà diximus, & carnem ſuam nudam contrectare erubeſcat. Ab hoc enim contactu, licèt ſine animo alicuius impudicitiæ fiat, non poteſt abeſſe nonnulla carnis titillatio, aut ſaltem aliquis circunſpectionis defectus. Et quemadmodum ſiquis prunam accenſam manu tangat, aduritur: ſi verò carbonem extinctum, fœdatur: ita ſi tangat carnem propriam adhuc tentationibus luxuriæ accenſam, malis cogitationibus, & impuris deſideriis inflammatur: ſi verò caro quaſi extinctus carbo his tentationibus careat, adhuc homo improuidus per eius tactum non neceſſarium inficitur. Ad carnem adhuc calore concupiſcentiæ viuam pertinet illud Salomonis: Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta illius non ardeant?] Nam qui eam manu quaſi veſtimento tegit, impuris deſideriis ardebit. Ad carnem verò iam mortificatam, & aliquam vmbram pacis in materia caſtitatis habentem, pertinet illud Eccleſiaſtici: Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.] Quia corpus noſtrum ſibi mundum, animæ noſtræ pix eſt, eam caligine obuoluens, quod ſine neceſſitate attrectare non poſſumus, quin defectu circunſpectionis inquinemur. Ne igitur inflammemur aut inquinemur, ab his etiam non neceſſariis contactibus cauendum eſt, & in his modicis ſenſus peſtilens abnegandus. Sic implebitur illud Iob: Deficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem reuertetur.] Tunc enim caro deficit, inquit Gregorius, quando iam nullis ſuis motibus ſeruit: quia præſidens ſpiritus, cuncta eius fluxa reſtringit; & tunc in cinerem vertitur, cùm ſuæ vilitatis recordatur. Atque adeò ſignum deficientis carnis eſt, & mentis humilis, atque ſubmiſſæ, ſi homo ſeipſum infirmum aſpiciens, minimas occaſiones cadendi timeat, & ab his motibus non neceſſariis propter deſiderium puritatis abſtineat.

Lib. 6. p. 22. 5.

Prou. 6. 27.

Eccl. 13. 1.

Iob 34. 15.

Greg 24. mor. ca. 12.

Deinde in eodem gradu cauendum eſt, ne corpus alterius, nec in parte honeſta, & oculis expoſita, contingamus. Nam fratris manum manu apprehendere, brachium licèt veſte tectum tangere, & manibus ludere, magna immodeſtia, & irreligioſa audacia non caret. Quamobrem meritò apud patres magna verborum grauitate prohibetur. Bonauentura ait: Nunquam iunior frater ad ſenioris fratris caput, aures, vel faciem quaſi applaudendo; vel ob aliam quamlibet cauſam, niſi neceſſariam, manum apponat, vel aliter cum eo facto, vel verbo minùs reuerenter iocetur. Et alio loco: Alium quempiam, præter neceſſitatem, ad cingulum vel manum accipere flores; fructus, vel baculum in manu ocioſè geſtare; cingulum inter digitos voluendo rotare; honeſtati non conſonat, immò laſciuiæ ſignum quodammodo prætendit. Acerbiùs multò Caſſianus, qui inſtituta illorum antiquorum monachorum narrans, hæc ait: Summa obſeruantia cuſtoditur, ne quiſquam cum alio, ac præcipuè iuniore, vel ad punctum temporis pariter ſubſtitiſſe, aut vſpiam ſeceſſiſſe, vel manus ſuas inuicem tenuiſſe deprehendatur. Si qui verò contra huius regulæ diſciplinam reperti fuerint aliquid admiſiſſe, vt contumaces, ác præuaricatores mandatorum, non leuis culpæ rei pronunciati, ſuſpicione etiam coniurationis prauique conſilij carere non poterunt. Denique Pachomius ille mirabilis in regula ab Angelo accepta, ſic ſcribit: Manum alterius nemo teneat. Siue ambulauerit, ſiue ſederit, aut ſteterit, vno cubito diſtet ab altero. Hæc tam exquiſitè iubent patres, & exactiſſimè apud viros diſciplinæ amatores ſeruantur; quoniam in his incautis tactibus, non ſolùm immodeſtiæ periculum, ſed & alia maiora ſolent reperiri, quæ mens circunſpecta & pura diligenter euitat. Nunquam itaque ſine aperta neceſſitate, manus alterius tangenda eſt, aut auris, aut caput, aut veſtis; ſed ita in conuerſatione procedendum, vt vox modeſta & ſummiſſa noſtrum ſenſum exprimat: manus verò diligenti cautione ligata, ſe ab omni tactu contineat.

Bonau. in ſpeculo diſcip. p. 2. ca. 6. fine. P. 3. c. 7.

Caſſia 2. de inſtit. renun. c. 15.

Pachom. in regul. 53.

Præterea in ſignis fraternæ charitatis ea menſura ſeruetur, vt amorem mundanum aut prophanum non oleant. Eſt enim apud aliquos ſpirituales viros conſuetudo laudabilis, vt cùm peregrè abeunt, aut redeunt, mutuò ſe in ſignum charitatis amplexentur; quæ conſuetudo ſatis antiqua

eſt, & ex ſacris ſcripturis colligitur. *Geneſ. 33. 4.* De Eſau quippe in Geneſi legitur, quòd currens obuiam fratri ſuo, amplexatus eſt eum: ſtringénſque collum eius, & oſculans fleuit.] *Geneſ. 45. 14.* Et de Ioſeph: Cùmque amplexatus recidiſſet in collũ Beniamin fratris ſui, fleuit, illo quoque ſimiliter flente ſuper collum eius.] Et de illo miſericordiæ patre, qui filium perditum reuertentem excepit, dicitur: *Lucæ 15. 21.* Quia miſericordia motus accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.] Hic mos adhuc inter vniuerſos mortales viget, qui ſignum amoris à natura datum, quo amantes mutuò iunguntur, in diſceſſione vel reditu, ad oſtendendam beneuolentiam, aſſumunt. Sed inter virtutis profeſſores ita tenendus eſt, vt charitati & beneuolentiæ proſit, modeſtiæ verò & puritati non obſit. A Quod fiet, ſi cùm ſe inuicem ad amoris ſignificationem amplexantur, id obſeruent, vt amplexus nec nimis moroſus ſit, nec nimis ſtrictus, nec, vltra quàm conſuetum eſt, repetitus. Inſuper ſi illæ tantùm perſonæ ad amplexum admittantur, quas conſuetudo vigens admiſit. Nam ſi illis ſolis ex conſuetudine hoc amoris ſignum offertur, qui mecum ſtatu communicant, non eſt ad alios, licèt amiciſſimos, extendendum. Eſt autem inſignis immodeſtiæ & immortificationis indicium, cùm aliquem amplexamur, genam genę fratris adiungere, cùm hoc inter viros circunſpectos non fiat, & nullo modo amoris oſtenſioni deſeruiat. Verum quidem eſt, olim in Eccleſia oſcula pura & ſancta fratribus dari ſolita. Vnde Paulus: *Roma. 16. 16.* Salutate inuicem in oſculo ſancto.] Et alio loco: *1. Theſſ. 5. 26.* Salutate fratres omnes in oſculo ſancto.] Eiſdémque verbis Petrus oſculum in ſua *1. Petri 5. 14.* prima canonica dari concedit. At abſcedente columbina ſimplicitate, quæ in fidelium conuerſatione fulgebat, oſculum ab vſu fidelium relegatum eſt, quod non oportet hac genarum coniunctione ſuſcitare, & quodammodo in nouum vſum adducere. Manifeſtum eſt enim, quædam aliquo tempore honeſtè fieri, quæ mutatis perſonis aut temporibus turpiter præſumuntur: & in his, quæ ad laxitatem vergunt, melius eſt ab illis penitus abſtinere.

Alio genere immortificationis, tactu delinquimus, cùm ſcilicet veſtem & lectum molliora quærimus, quàm ſtatus aut neceſſitas noſtra requirat. Aliquando enim in indumentis ſingulares ſumus, & ea quæ extra fratrum conſuetudinem ſunt, delicatiora præparamus: interdum etiam quæ nos in lecto vſque ad delicias foueant, non ſine ſcandalo aliorum præſumimus. Sed quia de abnegatione in veſtibus ſeruanda, ſtatim ex profeſſo dicendum eſt: hoc loco ſolùm aduertamus, vt veſtes & lectum noſtrum, ſi viræ ſpiritualis profeſſores ſumus, nec in preno, nec in mollicie communem vſum noſtri ſtatus excedant. Qui nullum lini genus, nec circa carnem admittunt, lana vſuali contenti, ei libenter aſſueſcant. Qui lino in interulis ac linteolis vtuntur, tale pro more quætant, quod duriuſculum ſit, quod pauperes deceat, quod corpus ad neceſſitatem foueat, non mulceat. *Geneſ. 3. 7.* Adam enim pater generis noſtri, poſtquam peccauit, non mollia veſtimenta requiſiuit, ſed foliis ficus aſperis, & nullam ingerẽtibus molliciem ſe contexit. *Irenæ lib. 3. c. hæreſ. c. 37.* Etenim, vt inquit pulchre Irenęus, per ſuccinctorium in facto oſtendit ſuam pœnitentiam: foliis ficulneis ſemetipſum contegens, exiſtentibus & aliis foliis multis, quæ minùs corpus eius vexare potuiſſent. Condignum tamen inobedientiæ amictum fecit, conterritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum: quoniam indolem, & puerilem amiſerat ſenſum, & in cogitationem peiorem venerat, frænum continentiæ ſibi & vxori ſuæ circumdedit, timens Deum, & aduentum eius expectans, & velut tale quid ſignificans: quoniam, inquit, eam quam habui à ſpiritu Sanctitatis, ſtolam amiſi per inobedientiam, & nunc cognoſco, quoniam ſim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præſtat, mordet autem & pungit corpus.] Hæc ille. At nos, qui parentem noſtrum in peccatis imitati ſumus, qui & nunc meliora ſapientes, in pœnitentia imitari volumus, æquum eſt, vt in abiectione mollium veſtium imitemur. Et indumentum tale ſit, quod corpus quidem contegat, non tamen delicatiores ad opera virtutis faciat, nec prauam concupiſcentiam accendat. Sed lectum alterius pœnitentis audiamus. Hic ſit ſanctus Dauid, qui ait: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum; *Pſal. 6. 7.* B lacrymis meis ſtratum meum rigabo.] Quid de hoc lecto ſentiendum eſt, niſi quòd licèt regem exciperet, nulla tamen mollicie parabatur, quem quieſcendi neceſſitas ſola, non tam ad pauſandum, quàm ad plorandum & gemendum elegerat? Talis ſit ſeruorum Dei lectus, qui ſua auſteritate & paupertate, non ad laſciuiendum, ſed ad moderatiſſimè quieſcendum præparetur. Omnéſque, qui illum viderint, ſigna venerandæ paupertatis & honeſtatis videant, non mentis fœmineæ & mollis indicia prætendant.

Alius tandem defectus huius ſenſus ad curioſitatem pertinens eſt, quo cuncta, quæ propè ſunt, libros, codices, atramentaria, imagines, & quicquid in menſa aut cella fratris eſt, ſtatim volumus contrectare. C Abſitiam iſta leuitas, & nobis noxia, & ſæpe fratri moleſta: ſed manus ſunt mortificationis ligatæ ſola neceſſaria contingant. Hæc habuimus, quæ de mortificatione quinque ſenſuum diceremus. Ad quam nos exhortatur Bernardus his verbis, quæ manifeſtiſſimè illorum ignorantiam & vilitatem exponunt, qui ſenſuum ſuorum concupiſcentiam ſectantur. Age, inquit, relinquere vniuerſa diſponis? *Bern. in illud: Ecce nos reliquimus omnia.* Te quoque inter relinquenda numerare memento. Immò verò maximè & principaliter abnega temetipſum, ſi deliberas ſequi eum, qui exinaniuit propter te ſemetipſum: pone grauiſſimam ſarcinam, pone aſinariam molam, terrenam molem: pone illa quinque, non hominum planè iuga ſed boum, quæ tibi inſipienter emiſti. Alioqui ſequi D ſponſum, & venire ad nuptias ſpirituales, quinaria hac preſſus & oppreſſus corporis ſenſualitate non poteris: ſed & ſi nouiſſimè veneris, & pulſaueris, minimè profectò aperietur tibi, ſed reſpondebitur de intus, quòd non [ſit de bobus,] & aſinis, cæteriſque iumentis inſipientibus [cura Deo.] *1. Cor. 9.* An verò comparatum iumentis eſſe quis dubitet hominem, qui ſibi iuga emerit iumentorum, niſi quòd eo ſanè ipſis quoque iumentis conuincitur ſtolidior, & beſtialior beſtiis comprobatur, quòd iuga neceſſitatis earum propria ipſe ſubeat voluntate? Quod enim illis natura eſt, huic culpa: dum tanquam vnum ex his, quæ ratione carent, ſine ratione degens & ipſe ſub corporeis ſimiliter ſenſibus incuruatur. Sed E quid eum iuga ſubiiſſe cauſamur? Arguamus magis emiſſe. Illud enim ſtoliditatis miſerandæ, iſtud extremæ dementiæ. Dignus eſt operarius mercede ſua.] *1. Tim. 5. 18.* Nam vt mercedem pro opere tribuat, inauditum.] Hæc omnia & plura alia Bernardus. Hæc igitur ſenſuum onera deponenda ſunt, vt iter in cœlum ſatis per ſe difficile peragamus. Tunc autem deponimus, cùm ſenſibus ad neceſſitatem vtimur, ad voluptatem cohibemus. Tunc deponimus, cùm ipſi neceſſitati, non tam propter indigentiam noſtram, quàm ob implendam diuinam voluntatem,

ſubiicimur, & ſenſuum vſum, quaſi inſtrumentum ad animæ perfectionem elaborandam, aſſumimus. Qui ita ſenſus externos repreſſerit, & ab illicitis & ſuperfluis abduxerit, aptus ſanè efficitur, cui Dominus mentis puriſſimam voluptatem tribuat, & interiores ſenſus, ſublimia percipientes, aperiat.

Vſus mortificationis tactus.

HIs paucis omnem tactus mortificationem comprehendimus.

I. Quæ minùs honeſta ſunt, ita quo ad vſum huius ſenſus cogita, ac ſi tibi eſſent impoſſibilia: aut potiùs ea omnino non cogites, ſed à momentanea etiam, ſi potueris, apprehenſione repellas.

II. Teipſum adhuc in honeſtis partibus corporis, ſine manifeſta neceſſitate non tangas.

III. Alterius manum, aurem, caput, vel brachium, niſi euidens neceſſitas adſit, nullo modo contingas.

IV. Si fratrem, beneuolentiæ gratiâ, peregre euntem aut redeuntem amplexaris, genam tuam illius genæ non adiungas, & modeſtiæ ac circunſpectionis memineris.

V. In veſtibus & lecto molliciem, aut delicias non quæras, ſed ſoli neceſſitati prouidere concupiſcas.

VI. Ea, quæ coram te ſunt, ad curioſitatem non tangas, ſed niſi neceſſitas aliud poſtulauerit, manus quietas contineas.

Ac tandem, vt videas quanta circunſpectione ſint alterius fratris tactus, etiam in manu vitandi, audi memorandum exemplum Beati Nicetij, Lugdunenſis Epiſcopi, quod Gregorius Turonenſis narrat his verbis: (*Surius in Aprili.*) Recolo, inquit, in adoleſcentia mea, cùm primum litterarum elementa cœpiſſem agnoſcere, & eſſem quaſi octaui anni æuo, illéque indignum me lectulo locari iuberet, ac paterna dilectionis dulcedine vlna ſuſciperet, oram indumenti ſui articulis arripiens, ita ſe colobio concludebat, vt nunquam artus meos beata eius membra contigerint.] O magnam viri ſanctiſſimi circunſpectionem, quam certè actione ſequi debet, qui ad ſimilem caſtitatem nititur propinquare. Tactus enim, qui vehementiùs caſtitatem impugnat, ita à non neceſſariis actionibus temperandus eſt, vt ille, qui illicitam voluptatem ſentire poteſt, nunquam ſe polluat, nec mentem Deo conſecratam, inficiat.

De mortificatione corporis quoad motus eius.

CAPVT VII.

AEGRITVDO corporis noſtri ad mores pertinens, quæ virtuti contradicit, non tantùm in ſenſibus reſidet, ſed vt generalis quædam infirmitas in totum corpus ſe diffundit. In eo namque ferè nihil inueniemus, ſi abſit virtutis diſciplina, quod non cenſura mortificationis indigeat. Et ſicut Æthiops è regionibus longinquis aduectus, quem vir nobilis in ſeruum mercatur, non in hoc tantùm, aut illo, ſed in omnibus docendus eſt, vt ſciat tandem non ineptè ſeruire; ita corpus, quod menti in ſeruum datum eſt, ferè in omnibus diſciplina eget, qua ad ſeruiendum virtuti quàm aptiſſimum efficiatur. Illi enim pueri Hebræorum genere nobiles, forma decori, ſcientia ac virtute perornati, vt miniſtrarent in pa-

A latio regis alienigenæ, docendi fuerunt litteras, & mores Chaldæorum: quia licèt ad famulandum regi ſuo, qui Hebræis imperitabat, erant ſatis apti, ad ſeruiendum alieno regi minùs putabantur induſtrij. (*Dan. 1. 4.*) Multo ergo magis corpus noſtrum, quod ſolùm didicit vanitati & ambitioni ſeruire, neceſſe habet alios mores addiſcere, vt in poſterum ſcias virtuti & ſanctitati miniſtrare. Omnes autem defectus corporis, qui ſunt mortificatione cohibendi, tribus vitiorum generibus continentur; quorum primum, in ipſo corporis motu immoderato poſitum eſt, ſecundum, in exquiſito ornatu, & tertium, in illicitæ voluptatis appetitione collocatum. Illi primo medetur omniū exteriorum actionum moderatio; ſecundo indumentorum iuxta ſtatus qualitatem admiſſio; tertio
B conuerſationis auſteritas, quæ illicitas concupiſcentias frænat. Atque hæc tria debet corpus noſtrum per diſciplinam mortificationis addiſcere, vt virtuti ſeruiat, & mentis noſtræ virtutem quærentis, famulus quàm aptiſſimus fiat.

Primo ergo illud motionum ſuarum moderationem doceamus, vt in nulla earum aduersùs virtutis regulas vel deficiat, vel excedat. Id autem corpus aſſequetur, ſi ſingula membra eius, proprium munus ſuum exequantur, neque alienum vſurpare præſumant. Cùm loqueris, loquatur os, non manus, neque illam loquendo moueas; aut digitos eius extendas, quia non ad loquendum, ſed ad operandum facta eſt. Cùm audis, audiat auris, non os, neque illo aperto, quaſi per ipſum verba loquentis influere
C debeant, fratrem auſcultes: quia non ad audiendum, ſed ad loquendum datum eſt. Cùm ambulas, ambulent pedes, non brachia, neque ea dum ambulas, antè & retro moueas; quia non ad ambulandum, ſed ad alia miniſteria fuerunt tibi à creatore conceſſa. Sic per alia corporis membra diſcurrendum eſt: & attentè conſiderandum, quod ſit ſingulorum officium, vt illud tantùm præſtet, & à reliquis, tanquam à muneribus ſibi non congruis, abſtineat. Eſt enim, inquit Hugo Victorinus, quaſi quædam reſpublica corpus humanum, in quo ſingulis membris ſua officia diſtributa ſunt. (*Hugo inſtit. nouit. c. 12.*) Dúmque vnum membrum, alterius membri officium inordinatè ſibi vendicat, quid aliud quàm concordiam vniuerſitatis perturbat? Dúmque aliud ſuo motu, alterius motum impedit,
D certè illi, quam natura moderatur, diſpoſitioni contradicit.] Cogita igitur te iudicem in corpore tuo quaſi in quadam ciuitate fuiſſe à Domino conſtitutum, & cuique ciui, ſcilicet cuique membro, ſuum opus aſſigna, & opus alterius alterum occupare non ſinas, ne ſint vniuerſa confuſa.

Altera lex motionum corporis eſt, vt quodlibet membrum decenter ac moderatè ſuum impleat officium, ita vt nec propriam mentem turbet, accelerétve, nec oculos inſpicientium offendat. Pauca huius legis exempla ſubiiciamus. Si alium aſpicis, non triſtibus oculis, ſed hilariter & modeſtè aſpicias, nec oculos in illum figas; nam perfrictæ frontis eſt, oculos in alterius faciem defigere, & illum quaſi ſuperbiendo & contemnendo luſtrare.
E Et inter alia quæ deteſtatur Dominus, ſunt oculi ſublimes; qui elatè & arroganter alios intuentur. (*Prou. 6.*) Si loqueris, nec nimis altè, nec nimis ſubmiſsè, ſed pro qualitate, aut diſtantia loci, ita vt ab aſtantibus audiaris: Nec nimis tardè, quod indicium eſt negligentiæ: nec nimis velociter, & ſine debita prolatione verborum, quod ſignum eſt aut puſillanimitatis, aut iracundiæ. Quare Eccleſiaſticus ait: Noli citatus eſſe in lingua tua.] Et Baſilius inter alia virtutis documenta, quæ diſcipulis magni (*In Baſilij vita apud Amphiloch.*)

Philoſophi Libanij propoſuit, vnũ dedit, vt diſtinctè & articulatim pronunciarent. Si ſedes, non in ſedili, quaſi in lecto, iaceas, ſed ſcapulis tectus eaiſtas: non crura diuarices, ſed iuncta & bene compoſita teneas: non vnum pedem alteri ſuperinicias, ſed æquè vtroque pede, aut terram aut ſuppedaneum attingas. Si ambolas, non impetuoſè, ſed leniter: non erecta ceruice, ſed aliquantulum ſubmiſsè: non pompaticè, ſed modeſtè: non arroganter & prominenti pectore, ſed blandè perambules. Nihil ſit in inceſſu, quod leuitatem, vel ſuperbiam, vel remiſſionem, vel hypocriſim ſapiat. Quidam enim apud Iſaiam reprehenduntur, quòd non ſit iudicium in greſſibus eorum.] Illi autem in greſſibus oon ſeruant iudicium, qui in gradiendo modum & ordinem neſciunt. Et Bernardus ait: Sit in greſſu tuo ſimplicitas, ſit in inceſſu honeſtas. Nihil dedecoris, nihil laſciuiæ, nihil petulantiæ, nihil inſolentiæ, nihil leuitatis in inceſſu tuo appareat: Animus enim in corporis geſtu apparet: Geſtus corporis ſignum eſt mentis: Corporis geſtu animus proditur. Ergo inceſſus tuus non habeat imaginem leuitatis, inceſſus tuus non offendat oculos alterius. Non præbeas de te ſpectaculum; non des aliis locum de te obtrectandi.] Ex his poteris intelligere, quomodo in aliis actibus te debeas gerere. Nihil enim inconſideratè agendum eſt, ad nullum opus ſine præuia attentione procedendum, vt omnia Deo placeant, & homines ædificent, dum debita ratione præſtantur. Concludit Hugo, quæ ad hanc legem pertinent, his verbis: Geſtus hominis in omni actu debet eſſe gratioſus ſine mollicie, quietus ſine diſſolutione, grauis ſine tarditate, alacer ſine inquietudine, maturus ſine proteruia, & ſine turbulentia ſeuerus.] Hæc ille.

Iſa. 59. 8.

Bern. ſer. 9. ad ſororem.

Hugo 3.

Non ſufficit autem, quæque in ſeipſis decenter & moderatè agere, niſi etiam conuenienti loco & tempore fiant. Nam multa ſont, quæ in vno loco decent, in alio verò non decent, & quæ vno tempore honeſtè aſſumuntur, & in alio reprehenſibilia cenſentur. In atrio aliquos aſpicere, ſæpe bonum eſt, at in altari, cùm Sacrum facis, & verſus ad populum, illum ex more ſalutas, aſtantes ſpectare, immodeſtiſſimum eſt. In quo loco oculus immoderatè eleuatus non poteſt videre, niſi quæ animum diſtrahant, & ab obliuione creatoris illum aoertant. Similiter tempore animi recreationi deputato loqui, & de rebus noſtro ſtatui conuenientibus verba facere licet: at ſilentij tempore ſine manifeſta neceſſitate non licet. Illud quippe tempus, quod locutioni non neceſſariæ datum eſt, lectioni, aot orationi, aut debitæ occupationi ſurripitur. Atque eodem modo pro iuſta ac neceſſaria cauſa, intra vel extra domum incedere, bonum eſt; ſed malum, & reprehenſione dignum, ac manifeſtæ inſtabilitatis indiciom, ſi oulla vrgente cauſa, eatra cœoobium egredi velis: ſi intra domum de loco ad locum tranſeas, de cella vnius fratris ad cellam alterius diſcurras; ſi communes officinas frequentes: ſi in audiendis rumoribus, & miſcendis vanis ſermonibus occuperis. Loca ergo & tempora inſpicienda ſunt, & ita illis opera coaptanda, vt inter ſe ſecundùm præſcriptum diſciplinæ conſentiant. Neqne putandum eſt, opus bonum ex eo ſolùm malum reddi, quòd indecenter fiat, ſed ex eo quoque, quòd minùs conueniente loco, aut tempore, aut ſine debitis circunſtantiis fiat. Vnde & in hoc abnegatio ſuam vim habeat, vt vniuerſa opera non tantùm conuenienter, ſed etiam decenti loco & tempore fieri permittat.

Interdum conuerſationis ſeueritas deponenda eſt, & pro humana imbecillitate fouenda, aut pro fraterna charitate ſeruanda: vultus hilarior aſſumendus, & aliquid iodolgentiæ & mentis laxationi coocedendum; at nunquam eſt cura abnegationis penitus ableg
anda. Sed ipſa, quæ ſanè prudentiſſima eſt, & optimè nouit ſuos ſectatores non opprimere, etiam recreationi iodex aſſiſtat. Hæc faciet, vt nihil indecens in opere admittatur, ipſa (de qoo poſtea) vt nihil ſcurrile, & noſtra profeſſione indignum dicatur; ipſa, vt vſque ad moderatam lætitiam, non verò vſque ad effuſionem animi, oec vſque ad riſum puerilem, neque vſque ad inſipientes cachinnos noſtra exultatio procedat. De hoc ootanda ſunt verba Baſilij, qui ab huiuſmodi effuſione non tantùm ſcripturæ teſtimoniis, ſed & exemplo Saluatoris abducit. Verumenim, inquit, modicè rictum diducere, eóque modo animi ſui diffuſionem leniter ſignificare, non eſt contra decorum, quatenus illud tantùm indicetur, quod ſcriptum eſt: Cor gaudens exhilarat faciem.] Illud autem, in immanes cachinnos prorumpere, & corpore, contra animi voluntatem, ſuffultare, oequaquam eſt eius, qui animo compoſito ſit, aut planè probo, & compote ſui ipſius. Porro hoc ita eſſe, vir ſapientiſſimus Salomon confirmat his verbis: Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam; vir autem ſapiens vix tacitè ridebit.] Huiuſmodi genus riſus etiam Eccleſiaſtes damnans, tanquam rem animi conſtantiæ & grauitati maximè contrariam, ſic dicit: Riſum reputaui errorem.] Et item: Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla ſic riſus ſtulti. Atque hoc ipſum etiam ita eſſe, Dominus oſtendit, qui ſuſceptis cæteris, quæ neceſſariò corpus ſequuntur, affectionibus, iiſque omnibus quæcumque virtutis teſtificationem habent, veluti laſſitudine, & miſericordia aduerſùs calamitoſos, riſu, quaotum Euangeliorum hiſtoria cognoſci poteſt, vſus ounquam ſit, contráque, omnes quotqnot ab eo tenerentur, miſeros appellauerit.] Hæc Baſilius. Moltum quidem apud nos valere debet Domini eaemplum, vt ab immoderato riſu temperemus, & profuſam ac incautam fugiamus lætitiam. Ad idque etiam iuuat quod tangit Baſilius, nempe tremendum væ ridentibus aſſe paratum, dicente Domino: Væ vobis, qui ridetis nũc, quia lugebitis, & flebitis.] E contrà verò luctum aſſumentibus æterna conſolatio promiſſa eſt. Nam beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.] Moderatus autem riſus nos omnino decet, ſi aliquando ridendum eſt. Tum quia habitum hominum ſapientum geſtamus, & ſapientiam profitemur, qua in rebus noſtris gubernamur, & non ſenſu, ſed ratione ducimur: & Eccleſiaſticus, vt iam vidimus, ait: Fatui eſſe, in riſu exaltare vocem ſuam; viri autem ſapientis, riſum immoderatum cohibere. Tum etiam, quia quæ propria ſunt muneris noſtri, abundanter eaercemus; alieni verò moneris aut nunquam, aut ſummis, vt aiunt, digitis tractamus. At ſtatus noſter eſt ſtatus lugentium, quibus conuenit, peccata, tum à nobis commiſſa, tum à populo patrata deflere: quare luctom abundanter, riſum verò, qui ad amatores ſæculi pertinet, preſsè, & quaſi aliud agentes, nobis admitiendom eſt. Meritò proinde monuit Dorotheus: Si coactus fueris ridere, riſus tuus lateat dentibus. Id eſt, non ita rideas, vt dentes oſtendas, & nimia lætitia diſſolutus, mentis tranquillitatem, & ſalutarem compunctionem amittas. Nec ideo putemus riſui habenas eſſe ſolnendas, quia Scriptura ſancta aliquando riſum in bonam partem aſſumit. Sara enim, accepto repromiſſionis filio, dixit: Riſum fecit mihi Dominus: quicumqoe audierit, corridebit mihi.] Et apud Iob: Donec impleatur

Baſil. reg. 17. fuſ. diſp.

Prou. 15. 13.

Eccl. 21. 23.

Eccl. 2. 2.

Eccl. 7. 7.

Luca 6. 25.

Matth. 5.

Doroth. doct. 4.

Gen. 21. 7.

Iob 8. 21.

riſu

A riſu os tuũ,& labia tua iubilo.]Hæc,inquã,oon de ſoluto riſu,& de immoderata oris apertione,ſed de intima meotis lætiria dicta ſunt. Hanc Dominus oobis ſæpe abuodantiâ ſuorum beneficiorum immittit,& vt exteriùs eam oſtẽdamus,concedit;quòd autẽ ineptiſſimis riſibus diſſoluamur, ſemper illi diſplicuit.

Omoia hæc & alia ſimilia, quæ ad moderatam corporis motionem ſpectant, noo ſolùm, cùm apud alios manemus,ſeruaoda ſunt, ſed etiam cùm in cella ſoli,abſconditi,& ſine arbitris commoramur. Eſt enim modeſtia per ſe amabilis, quam non propter homioes, ſed propter ſeipſam, & propter reuereotiam Domini cuncta cernentis amplectimur. Et, ſi ſoli,& ſine ſociis, viri religioſi aut ſpirituales ſumus, æquum eſt vt ſoli decorum ſeruemus,& omni actione minùs deceoti vacui maneamus. Optimè Beatus

B

Bonau. informat. mentis. 1. p. c. 16.

Bonauentura hoc documentum ſcripſit, & ſimul rationes eius expoſuit. Nunquam ita ſecurus ſis,ioquit, & abſconſus, quin ita diſciplinatè & caſtè te habeas in viſu,geſtu,tactu,& in omnibus aliis,ac ſi ab aliquo videreris. Quia ſancti Angeli, qui oobiſcum ſunt, ſemper vident omnia opera,quæ facimus, quorum aſpectus debemus vbique venerari, & præſentiam reuereri. Videt nos etiam ipſe Deus, & iudex noſter. Videt etiam oos ipſa conſcientia noſtra, teſtis eorum quæ facimus, & accuſatrix. Qui autem magis veretur hominum aſpectus, quàm Dei, & cooſcientiæ propriæ, & ſaoctorum Angelorum, non eſt caſtus amator boni. Eadem breuiùs habet Dorotheus, qui ſic ait: Cum modeſtia egredere ad neceſſarios vſus neceſſariè.

Doroth. ſuprà.

C

Venerare cuſtodem tuum Aogelum, io omnibus actibus tuis. Cum timore Dei omnia perfice; téque ad orationem, meditationem, & contemplationem ſæpe compelle.] His nihil addendum eſt,ſed ea ſunt mente retinenda,& diligenti actione præſtanda. In quibus ſioe dubio aliqua corporis abnegatio eſt, quod cuperet liberè in omnibus vagari, & oulla diſciplinæ regula contineri. At abnegatio hæc eſt vtiliſſima, non ſolùm quia per eam multiplex imperfectio vitatur, ſed etiam, quoniam mens corporis compoſitione componitor. Eſt eoim tam arcta animæ corporiſque coniunctio, vt ſicut illa corpus pro voluntate regit, & mouet,ita & ab illo læto, vel triſti, ſano,vel infirmo, decenter vel indeceoter ſe habente, varias qualitates recipiat. Semper ergo hoc compoſitum, ac bene morigeratum teneamus; ne animam à propoſito virtutis ad

D

aliquam transferat leuitatem, & ab optimo ſuo ſtatu dimoueat.

Vſus mortificationis motionum corporis.

ATque vt paucis verbis complectamur vniuerſa, qoæ io hac mortificatione diximus.

I. Membra corporis ita regenda ſunt, vt vnumquodque ſuam ſolam actionem faciat, & à motibus cæterorum membrorum penitus ſuperſedeat.

II. Quodlibet membrum decenter, & prout congruit ſtatui & perſonæ operantis,ſuam actionem præſtet.

E

III. Loca, & tempora cuique actioni conuenientia conſidera,& extra cuiuſque proprium locum, & tempus,illam non aſſumas.

IV. Cùm, laxandi animi gratiâ,ſeueritatem deponis, ita hilariorem faciem, & riſum admittas, vt tamen ſemper modeſtiæ & circunſpectionis memineris.

V. Hæc, non tantùm aliis aſſociatus, verùm & ſolus, & in cella abſconditus, propter præſentiam Domini vniuerſa conſiderantis, & Angeli tecum aſtantis,obſerues.

A Quæ tamen oon ita accipieoda ſunt, vt ob deſiderium componeodi corporis, io vanam ſuperſtitionem declinemus. Nam pro temporis & occaſionum exigeotia, oportet iſta mutare, & quod voo loco, aut tempore, aut cum quibuſdam perſonis minùs conueniens eſſet, cum aliis decens ac conueniens agnoſcere. Pulchre enim dixit Bonauentura: Prudens, vt rerum varietas exigit, ita ſe accommodat tempori, non ſe in aliquibus mutans, ſed potiùs aptans, ſicut manos, quæ eadem eſt, cùm in palmum extenditur, & cùm in pugillum conſtringitur.

Bonau. in prologo ſpeculi.

B

De mortificatione corporis quoad cultum eius.

CAPVT VIII.

SPONSA in Cantico Canticorum, Chriſti ſponſi pulcherrimi conſortium ambiens, & ab eo amari deſiderans, ſeipſam vna atque eadem verborum ſerie, de nigredine & venuſtate commeodat, dicens: Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis;]quod non putamus magno carere myſterio. Nam pulchritudo digna eſt, quæ in laudationem afferatur: de quo enim fœminæ communiter ſeipſas, niſi de pulchritudine, laudant,

Cantic. 1. 4.

C

quæ eas oculis inſpicientium amabiles, & cordibus deſiderabiles reddit? An nigredo potiùs eſſet ſilentio ſupprimenda, quæ ipſam pulchritudinem fuſcat, & oon parum decorem corporis ex aliis cooſurgentem extenuat? Color ater,& in fœmina, apud Æthiopes forſitan habetur in pretio, apud illos ſcilicet qui coocupiſcentiæ deſideriis vtuntur; at apud eos, qui à radiis huiuſmodi caloris longè ſont poſiti, & deſideria rerum mundanarum aufugiunt, non pretioſus, ſed contemptibilis, non laude, ſed vituperio dignus apparet. Quomodo ergo ſponſa, id eſt, ſpiritualis aoima in candidatorum regiooe nata, & ioter ſanctos eoutrita, ad ſui laudem ſimul cum pulchritudine colorem oigrum, cutémque atram ex caloris vehementia commemorat? Niſi velimus dicere,

D

ſponſam nequaquam ſe de atra cute laudare,ſed potiùs eam ex adiuncta pulchritudine excuſare; quaſi dicat: Licèt ſim nigra, quod meritò mihi vitio dari poteſt, tamen ſum etiam pulchra, & ex partium debita proportiooe formoſa;nec debeo ob nigredinem omnino contemni. At difficile eſt, perfectam pulchritudinem cum atro colore reperiri;præſertim non innato, ſed extrinſecus acceſſito, cùm pulchritudo non ex ſola proportione, ſed ex coloris quoqoe ſuauitate depeodeat. Et eſto, quòd nigredo corporis perfectam ſecum venuſtatem admittat, ſed nigredo morum,& actionum inſuauitas, de qua Canticorum liber ſub illo cortice loquitur, noo poteſt non cum mentis decore pugnare. Dicamus ergo ſponſam ſimul ſe de vtroque laudare, omnium de corporis ni-

E

gredine, ac de mentis pulchritudine: ita vt dicat: Corpore quidem ſum nigra,& ſquallida,quod mihi laudi tribuendum eſt,ſi mente ſum pulchra,& decora; quia nigredinem ſciens volenſque ſuſcepi, vt io itinere poſita, ſecuriùs pulchritudioem decorémque cuſtodiam. Annon Cedarenorum tabernacula, qui ſemper loca mutant, & per deſerta ac inuia diſcurruot, eo pretioſiora ſunt, quo interiores diuitias, & elaboratam pulchritudinẽ coriacea ac ſub nigra pelle cooperiunt? Annon tentoria Salomonis eo ſunt illu-

ſtriora,

ſtriora, quo magnam copiam auri, & argenti, & immenſam cortinarum pulchritudinem, ac ipſum regem Salomonem intus quieſcentem, ſagis & cilicis conteguut, quæ interiora ab imbribus & cœli iniuria defendant? Ita prorſus & ego eo ſum pulchrior ac ſapientior iudicanda, quo virtutum & donorum cœleſtium abundantiam externa auſteritate cuſtodio, & corporis deiectione cooperio.

Iam ſponſæ, id eſt, animæ iuſtæ, ſenſum accepimus: ipſa pulchritudinis nomine gratiam & virtutes, nigredinis verò appellatione, corporis ſqualorem intelligit. Et meritò de vtroque ſe laudat: quoniam ſi virtus eam pulchram, nempe iuſtam ac ſanctam facit, nigredo, quaſi operimentum eſt virtutis, & velut murus ſanctitatis, qui adeptam iuſtitiam tuetur, atque conſeruat. Hæc autem nigredo in duobus poſita eſt; ſcilicet in externo cultu veſtium, qui humilitatem ac ſæculi contemptionem redoleat; & in caſtigatione corporis, quæ illud menti ſubiiciat. Vnde duplex eſt nigredo animæ iuſtæ admodum neceſſaria, ad multiplicem virtutum pulchritudinem aſſeruandam: nunc de illa prima, & in ſequentibus de hac poſteriori dicamus. Illa verò nigredo, quæ in veſtium paupertate conſiſtit, quàm ſit cuſtodiendæ pulchritudini mentis neceſſaria, Bernardus egregiè tractat, hunc in modum ſcribens: Si conſideremus habitum exteriorem Sanctorum, eum, qui in facie eſt, quàm ſit humilis vtique & abiectus & quadam neglectus incuriâ: cùm tamen identidem intus reuelata facie gloriam Dei ſpeculantes, in eandem imaginem transformentur, de claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu: nonne vnaquælibet talis anima meritò nobis videbitur, poſſe reſpondere exprobrantibus ſibi nigredinem: [Nigra ſum ſed formoſa?] Vis tibi denique demonſtrem animam & nigram pariter & formoſam? Epiſtolæ, inquiunt, graues ſunt, ſed præſentia corporis infirma, & ſermo contemptibilis.] Expoſita autem mirabili pulchritudine Pauli, exteriori humilitate contecta, ſubiicit: Non planè contemnenda in Sanctis iſta nigredo externa, quæ candorem operatur internum, & ſedem proinde præparat ſapientiæ.] Et paulo pòſt: Meritò omnis cura ſanctorum, ſpreto ornatu cultúque ſuperfluo exterioris ſui hominis, qui certè corrumpitur, omni ſe diligentia præbet, & occupat excolendo ac decorando interiori illi, qui ad imaginem Dei eſt, & renouatur de die in diem. Certi ſunt enim, Deo non poſſe eſſe quicquam acceptius imagine ſua, ſi proprio fuerit reſtituta decori.] Hæc & multa alia Bernardus. Et quidem ex alia ratione facilè elicimus, indumentorum paupertatem augmento virtutis proficere, quæ deſumpta ex ipſorum natura ſtatim occurrit. Nam veſtimenta data ſunt tum in erubeſcentiæ, tum in infirmitatis humanæ remedium. Primò igitur nobis fuerunt in ſubſidium erubeſcentiæ conceſſa; quoniam corpora noſtra aduersùs animam rebellantia, & contra voluntatem hominis in turpes ſe motus efferentia, debuerunt, vt ſine rubore in viuum multi viueremus, indumentis operiri. Hoc autem fuiſſe vſus indumentorum initium, conſtat ex Geneſi, in quo de patribus humani generis poſt tranſgreſſionem, dicitur: Cùmque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.] Deinde veſtimenta ſunt nobis propter indigentiam prærogata, quia nimirum æſtu fatigari, & frigore afflicti, & imbribus, & niuibus, & grandine, ac pruina, & aliis inclementiis verberati, debuimus, indumentis, veluti medicamentis, foueri, & veluti armis, ab ictibus ſeruorum noſtrorum, qui propter peccatum aduersùm nos inſurrexerunt, vtcumque defendi. Et hanc cauſam tangit Paulus, cùm ait: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Ex his autem duabus cauſis ſtatim ſequitur, indumentum eſſe veluti infamiæ notam, ac miſeriæ & infœlicitatis inſigne. Quia ſi fideles fuiſſemus Deo, nec corpus, contra rationis imperium, in turpes motus proſiliret, nec nos moleſtia rerum naturalium inuaderet, vnde nec neceſſitas indumentorum accederet. Ergo indumenta exquiſitiora parare, & ex illis aut oblectationem aut honorem quærere, manifeſtè eſt à lege diuina exorbitare, & ab honeſto fine, propter quem ſunt inſtituta, deficere. Id autem non erit ſine detrimento veræ virtutis, cuius regulæ hoc peruerſo veſtimentorum vſu læduntur. Et quia honor virtutem ſequitur, & dedecus vitium comitatur, fit vt eo ipſo quòd homo exceſſum in indumentis habens, virtutem lædit, & honorem apud alios perdat, ac infamiam incurrat. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur: Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis, annuntiant de illo.] Quia videlicet, ſicut immoderatus riſus, leuitatem; & pompaticus inceſſus, arrogantiam ac ſuperbiam; ita exquiſitus corporis cultus vtrumque ſignificat. Ad idemque optimè Clemens Alexandrinus ait: Quemadmodum fumus ignem, bonus autem color bonúſque pulſus ſanitatem: ita etiam talis, qui eſt apud nos, amictus indicat, qualis ſit noſtrorum morum conſtitutio.]

Sponſa ergo Chriſti, id eſt, ſpiritualis anima, hanc nigredinem in veſtium moderatione poſitam, impensè dilectam habeat, quia ſe (ſi alia non deſint) dignam amore ſponſi, & perfectionis amatricem, & ab omni leuitate alienam oſtendat. Et in hoc erga corpus ſuum abnegationem ſectetur, vt ab eo, quicquid in indumentis ſtatus & vita ſpiritualis non approbat, conſtanti ſtabilitate remoueat. Omnia verò, quæ Hugo Victorinus, Bonauentura, & Humbertus de habitu virorum ſpiritualium ſcribunt, ſex poſſunt documentis comprehendi, quæ qui ſeruauerit, ſatis (vt putamus) huic abnegationi ſatisfaciet. Hæc autem memoriæ gratiâ ad genus veſtis, ad qualitatem, ad colorem, ad formam, ad coaptationem, & ad munditiam pertinent. Circa genus veſtis, illud obſeruandum eſt, vt veſtimenta non ſint pretioſa, ſed vilia, & ex panno, qui pauperes deceat, & modico ematur pretio, confecta. Abuſus enim eſt, & nullo modo ferendus, ſi religioſus ex panno optimo, quem ditiſſimus & nobiliſſimus ſæcularis indueret, veſtiatur. Chriſtus Dominus, caput noſtrum, ac religionum ſupremus Prælatus, & ſpiritualis conuerſationis forma, nunquam in hac mortalitate habitum pretioſum geſtauit, ſed ſemper fuit viliſſima pauperum illius temporis veſte, nempe tunica & pallio, contectus: quid nos miſerabiles, qui eius imitationem profitemur, in hoc ab eo fugimus, dum pretioſas ad vſum veſtes quærimus? Petrus Apoſtolus fidelibus fœminis etiam coniugatis præcipit, ne vtātur veſte pretioſa: Quarum, inquit, non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.] Et Paulus per omnia Petro conſortius: Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa.] An hæc Eccleſiæ capita, ſpiritualibus & religioſis viris veſtimenta pretioſa concederent, quæ fœminis tanta ſeueritate prohibuerunt? Non puto: quoniam cùm illa non ad neceſſitatem quærantur, cui vile ſufficit veſtimentum, apertum eſt, quia ad faſtum & vanitatem quæruntur. Hoc eſt enim, quod Gregorius quodam loco ait: Nemo veſtimenta pre-

Bern. ſer. 55. in Cant.

2. Cor. 10.

Gen. 3. 7.

Eccl. 19. 27.

Clem. 3. Pædago. c. 11.

Hugo de inſtit. nouit. c. 9. Bonau. in ſpec. p. 3. c. 8. Humb. li. 2. p. 3. a. 2.

1. Pet. 3. 3.

1. Tim. 2. 9.

Greg. hō. 40. in Euang. ad med.

tioſa,

tioſa,niſi ad inanem gloriam,quærit, videlicet vt honorabilior cæteris eſſe videatur. Nam quia pro ſola inani gloria veſtimentum pretioſius quæritur, res ipſa teſtatur, quòd nemo vult ibi pretioſis veſtibus indui,vbi ab aliis non poſſit videri. Et alio loco: Nemo exiſtimet, in fluxu atque ſtudio pretioſarum veſtium peccatum deeſſe:quia ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo Ioannem Dominus de veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet. Si hoc culpa non eſſet, nequaquam Paulus Apoſtolus per epiſtolam, fœminas à pretioſarum veſtium appetitu compeſceret,dicens: Non in veſte pretioſa.] Penſate ergo quæ culpa ſit hoc etiam viros appetere,à quo curauit paſtor Eccleſiæ & fœminas prohibere.]Dominus quidem humanam animam luteo corpore texit,& carne, oſſibus,& neruis corruptibilibus amiciuit, vt nos ex hoc facto diſcamus, vilem materiam noſtram vili veſtimento circumdare,quod poſſit nuditatem operire, & temporis iniurias propulſare. Si verò hæc materia de ſe vilis,nobis pretioſa eſt, eo ipſo abiecta eſſet veſte tegenda. Nam mercator pretioſam gemmam vili capſula contegit, & ſic eam meliùs diligentiúſque cuſtodit. Ita prorſus & nos, corpus ſub vili indumento meliùs cuſtodimus, à quo incitamenta arrogantiæ & laſciuiæ ſeparamus. Sit ergo indumentum noſtrum ex panno vili & craſſo confectum,ex illo nimirum, qui ab œconomo, vel diſpenſatore domus pro tota congregatione coëmitur. Hic enim pãnus pro omnibus comparatus,ſemper erit pauperum ſtatui accommodus. Hic Prælatum veſtiat,vt ad ſimilitudinem boni paſtoris, non alio quàm ouium ſuarum vellere ſeipſum operiat.Hic denique magiſtros,concionarores, & alios quoſcunque, quauis dignitate præfulgeant,contegat,ne diuerſitas veſtium illos paupertatem ac humilitatem deſeruiſſe prætendat.

Hom.6. in Euãg.

Circa qualitatem veſtimentorum curandum eſt, ne ſint nimis mollia, neque ſubtilia, quibus corpus molleſcat,ſed talia,quæ nonnulla craſſicie & aſperitate ipſum ad ſanctos labores corroborent. Neque enim nos Chriſto ſeruimus,vt in ocio & ſegnicie putreſcamus,ſed vt mille modis pro eius gloria,& animarum ſalute laboremus. Huic autem labori manifeſtè obſtat mollicies & ſubtilitas veſtium,quę corpus laxitati aſſueſacit,& à duricie neceſſaria laboribus ferendis auertit. Optimè ergo ait ſanctus Ephræm: Ne veſtis ſit mollis,nec odoramenta in veſtibus, fœminarum more. Sed anima potiùs optimo fragret odore Spiritus ſancti per vitam bonam.] Fœminis mollioribus,& quieti,ac minoribus laboribus à Deo factis,ſubtiliora, & leuiora indumenta ex vſu omniũ ferè gentium data ſunt; hominibus verò fortioribus ex eodem vſu denegata,& alia duriora conceſſa. Sed iam abuſus magna ex parte hunc ordinem immutauit,& homines pariter ac mulieres delicatis veſtibus amiciuit. Si id in ſæcularibus abuſum appellamus,& iuſtè reprehendimus; quanta erimus reprehenſione digni, ſi eidem malo ſubditi inueniremur? Inuenimur autem, dum præter ordinem regularem,ſubtilitatem & molliciem in noſtris indumentis admittimus. In Deuteronomio ſcriptum eſt: Non vtetur vir veſte fœminea.] Quod non tantùm de forma veſtis, ſed de qualitate quoque eius poteſt intelligi: vt ſcilicet vir more fœminarum, veſtem nimis teneram & delicatam non induat. Et Dominus per Sophoniam ait: Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina.] Hi autem, ſpirituales viri mihi eſſe videntur, qui mollibus veſtiuntur. Mollis quippe veſtis quaſi ciuis eſt ſæculi, & in religioſa domo quaſi aduena & peregrina; Nam qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.] Ergo qui in vita religioſa poſitus, mollia ad indumentum quærit, is veſtem peregrinam induit, ac proinde dignus eſt,vt à Domino viliretur, id eſt, acriter puniatur. Mollia enim indumenta, vt ait Bernardus, animi molliciem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, niſi priùs neglecta fuiſſet mens inculta virtutibus.] Quis autem puret,mentem mollem,& virtutis contemptricem, non eſſe acriter caſtigandam? Ad fugiendum autem hoc vitium in veſtibus, non aliud conſilium do, niſi quod ſuprà ſcripſi; vt ex panno, vel lino pro omni congregatione empto, veſtiamur. Hæc enim abſque dubio pro omnibus empta non erunt nimis mollia, neque ſubtilia. Et,ſi aliquando, (quod de zelo boni Prælati non credimus) ad nonnullam molliciem acceſſerint, id nobis non imputabitur, qui ceu veri pauperes religioſi, indumenta geſtamus, quæ à Prælato & Congregatione nobis data ſunt.

Ephræm, de abſtinendo à cupidit. carnalibus.

Deut.22. 5.

Sophon.1. 8.

Matt.11. 8.

Bern. in Apologia ad Guilielmum.

De colore veſtimentorum illud dicere oportet, ne illa ſint nitidiora aut ſplendidiora quàm deceat. Quod vtique conſequemur, ſi pretium veſtis, & nimiam ſubtilitatẽ vitauerimus, quibus ſolet extraordinarius nitor adiungi. Sit ergo color indumẽtorum noſtrorũ, non alienus ab ſtatu pauperum, qui omnia mundana contemnunt. Nullam in ſe præferat vanitatis aut arrogantiæ notam, quæ à nimio nitore nequaquam abeſſe conſpicitur. Veſtis quoque ſit monachi, inquit Caſſianus, quæ corpus contegat tantùm, ac repellat nuditatis verecundiam, & frigoris retundat iniuriam, non quæ ſeminaria vanitatis aut elationis enutriat.] Hæc ille. In qua re Auguſtinus, doctor ſanctiſſimus, poſt ſuſceptam etiam Epiſcopalem dignitatem,præbuit inſigne moderationis exemplum. De quo hæc ſcribit Poſſidius: Veſtis eius, & calceamenta,& lectualia ex moderato & competenti habitu erant,nec nitida nimiùm,nec abiecta plurimùm: quia his plerumque vel iactare ſe inſolẽter homines ſolent,vel abiicere, ex vtroque, non quæ Ieſu Chriſti,ſed quæ ſua ſunt iidem quærentes. At iſtę Beatus medium tenebat, neque in dexteram, neque in ſiniſtram declinans.] Quòd ſi, nec Epiſcopos decet nimius nitor, ac ſplendidus indumentorum color, quanto minùs pauperibus, & mundo mortuis cõueniet? Certè ſtultitia eſſet non ferenda,ſi quis nitidiſſimam & ſplendidiſſimam ſindonem, qua cadauer ſuum obuolueretur, & in ſepulchro reconderetur, quæreret.Et nos iam ſæculo defuncti ſumus,& in religioſis domibus,quaſi in ſepulchris,deliteſcimus,ad quid nitida concupiſcimus veſtimenta? Ridet Bernardus eos, qui huic ſubiacent ignorantiæ,& inutiles eorum curas pulchre deſcribit. At tu,inquit,quando cucullã empturus luſtras vrbes,fora circuis,percurris nundinas, domos ſcrutaris negotiatorum, cunctam euertis ſingulorum ſupellectilem, ingentes explicas cumulos pannorũ,attrectas digitis,admoues oculis, ſolis opponis radio;quicquid groſſum, quicquid pallidum occurrerit,reſpuis. Si quid autem ſui puritate & nitore placuerit, illud mox quantolibet pretio ſatagis tibi retinere. Rogo te ex corde facis hæc, an ſimpliciter? Cùm denique contra regulam, non quod vilius occurrerit, ſed ſtudioſiſſimè quæris, quod,quia rariùs inuenitur,pretioſiùs emitur, ignorãs facis hæc,an ex induſtria? Ex cordis theſauro ſine dubio procedit, quicquid foris apparet vitioſum. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior ſuperfluitas interioris vanitatis indicium eſt.] Hactenus ille. Quo oſtenditur miſerabiliſſimum eſſe pro pulchritudine animæ nitorem veſtium corporis cupere, & curam poliendæ mentis ad ſolicitudinem carnis ornandæ transferre.

Caſſian. lib. 1. de inſtitut. c.3.

In eius vita c. 22.

Bern. in Apologia.

Forma veſtium talis ſit, quam nullus ob exquiſitum modum, aduertat. Nec nimis longæ, quæ aliquid vanæ auctoritatis: nec nimis breues, quæ minùs honeſtatis habeant: nec nimis amplæ, quæ animi laxitatem: nec nimis ſtrictæ, quæ ſimulationem prætendãt; nec denique ita fiant, vt vel in minimo à communi habitu aliorum eiuſdem conuerſationis diſſentiant. Iam enim vana cura ſæcularium, quodammodo in nonnullos viros religioſos irrepſit: vt ſicut illi breui tempore formam veſtimentorum demutant, & iam vno modo, & poſtea alio induti procedunt, ita iſti nouas habitus formas in ſuas congregationes inuehere non verentur. Hi caudas veſtibus adiiciunt, vt puluerem colligant: illi collum, ſiue ſupremam veſtis partem altiorem faciunt, vt corpulentiores appareãt: alij manicas geſtant ampliores, neſcio an vt in eis quædam alibi cuſtodienda recondant. Non eſt multa cura ſpiritualis profectus in illis, quos iſtæ curæ, & cogitationes indumenta mutandi, ſolicitant. Ad formam ergo conſuetam habitus efformandus eſt, ita ſcilicet, vt ſicut ſemper ſerui Dei ſumus, ita tales externa quoque veſte appareamus. Si alia immutata ſeruamus, neceſſe eſt, vt veſtem, etiam quoad formam, nunquam mutemus. Illa ſit talis, quæ ex forma ſua nos pauperes, & filios eorum, qui paupertatem propter diuitias ſæculi venturi amplexi ſunt, non curioſitatis & vanitatis, aut alterius ſimilis affectus, ſectatores annuntiet.

Coaptatio veſtis pertinet ad modum, quo eam portamus, & noſtro corpori coaptamus. In quo illud quærere debemus, vt veſtes nos decenter operiant, vt modeſtam quandam grauitatem præferant, vt non ad deſiderium placendi aliis, ſed ad augmentum modeſtiæ & humilitatis nos ornent. Verè enim qui modis inſuetis pileum, aut capucium capiti adaptant, & veſtes nimis curioſè plicant, aut circumuoluunt, vel quid ſimile, quod viri prudentes & graues non faciunt, inchoare præſumunt, homines ſunt diſtracti & vani, qui ab aliis videri, & ad aliquam inanem laudem notari appetunt. Sed gratia Dei, vt optimè Hugo ait, omnes, qui talibus ſtudent, per hæc quibus placere cupiunt hominibus, apud omnes magis viles & contemptibiles fiunt. Qui propterea quòd oculos ad ſuam vanitatem & leuitatem conſiderandam non habent, à Prælatis ſunt duriter increpandi. Doceantur itaque modeſtiam & neceſſariam grauitatem, vt quod alij boni & morigerati ſuo exemplo ædificant, iſti tanta leuitatis oſtentione non deſtruãt. Proponatur illis prudentium ſæcularium vſus, qui ob ipſum honorem ſæculi ab his leuitatibus abſtinent, vt ab illis externa grauitate ac modeſtia vinci erubeſcant.

Hugo ſuprà.

In veſtitu tandem vili, & paupere, & ab omni ſigno leuitatis alieno, decens mundicia ſeruetur. Sæpe neglectus veſtis vſque ad immundiciam & ſordes ex inani gloria ſolet procedere. Vnde Hieronymus: Ornatus, & ſordes pari modo fugienda ſunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Et rurſus: Nec affectatæ ſordes, nec exquiſitæ deliciæ laudem pariunt.] Illud ergo Salomonis ad litteram etiam ſeruari conuenit: Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, id eſt, decenter munda & ornata.] Sic ſancti viri honeſtam curam indumentorum habuerunt. Vnde de quibuſdam eorum legitur, vt de Bernardo & Ignatio noſtro, quòd paupertas in veſtimentis ſemper illis placuit, ſordes autem nunquam. Sic quiſque in veſtibus quoque nonnullam imaginem mentis ſuæ præferet, vt ſicut mentis puritatem amat, ita corporis & veſtimenti mundiciam non reſpuat. Sic erga paupertatem, virtutem nobiliſſimam, reuerenter ſe geret, quam non in ſordibus, ſed in omni mundicia cuſtodiet. Sic neſcio quid pulchritudinis mundiciæ addet, dum illam indumento pauperi & vili coniungit. Sic denique proximos ædificabit, quos Deo lucraturus eſt, quia eos à ſuo conſortio per fœtorem & veſtium immundiciam non auertet. Sed in hac mundicia modus etiam tenendus eſt, vt ad nimiam curioſitatem non declinet, & dum animus immoderatè in ſacco mundiciam quærit, eius habendæ cauſa, exceſſum aliquem in indumentis admittat.

Hieron. epiſt. ſuprà.

Eccl. 8. 9.

In his omnibus aliqua reperitur noſtræ carnis abnegatio, quæ ſemper in veſtibus arrogantiam & delicias concupiuit: & cùm ab ea omnis ſuperfluitas ſubmouetur, & ad modeſtiam & paupertatem reſtringitur, eius deſiderium abnegatur. Sed hæc, quæ diximus, debita ſunt, quia non poteſt culpa vacare, ſi aliquis pretioſiorem, aut ſubtiliorem, aut nitidiorem veſtem induat, quàm ſuus depoſcit ſtatus: ſi etiam in forma veſtis, aut in coaptatione, aut in ſordibus, vel exquiſita mundicia imprudenter excedat. Quare in hac abnegatione vltrà procedendum eſt, & aliquod non debitum ſed ſpontaneum obſequium præſtandum. Illud autem erit ſi aliquando, præſertim in ipſo conuerſionis initio, veſtimenta viliſſima, quæ nos apud homines contemptibiles faciant, & aliquem ruborem ingerant, induamus. Id ſanè Franciſcus fecit, qui diſcalciatus & viliſſimis indumentis tectus, fratri, & famulis domus ſuæ, & omnibus ſuis ciuibus ſe in riſum & ludibrium expoſuit. Idem omnino multi perfecti viri fecerunt, quos ſigillatim recenſere non vacat, vt à ſæculo exeuntes, ipſum abiectiori veſte contemnerent, & ſeipſos illi abundantius crucifigerent. Nec is vſus in familiis religioſis excidit, in quibus tyrones, contemptibiles veſtes, ad maiorem ſui abnegationem, accipiunt. Hoc abnegationis genus in tyrocinio ſpiritualis vitæ libentiſſimè ſuſcipiendum eſt, poſtea verò in vitæ decurſu non penitus abiiciendum; ſed dum ſe occaſio obtulerit, amplexandum. Veſtis lacera & pannoſa, religioſum ſenem & grauem decet, qua iuuenibus præluceat, & paupertatem ſibi cordi eſſe, demonſtret. Interiora indumenta vetuſtate conſumpta eundem interdum non dedecent: Si exteriora, propter eos ſæculares, quibuſcum ad Dei gloriam conuerſatur, debeant eſſe meliora, vt in aliquo incommoditatem perferat. Moderatio in admittendis indumentis omnibus conuenit, vt non ſimul noua ſint omnia, ſed ſi vnum admittatur nouum, alterum retineatur lacerum; ne pauperculus, ac ſi eſſet diues, nitidus omnino procedat. Hæc & alia, prout ſpiritus Domini ſuggeſſerit, vnuſquiſque in cultu ſui corporis obſeruare poterit, quibus ſeipſum abneget, & omnem externam, quæ ex indumentis naſci ſolet, arrogantiam cohibeat. Sic implebit illud Eccleſiaſtici: In veſtitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris.] Aſſignat autem huius præcepti optimas cauſas: Quoniam mirabilia opera altiſſimi ſolius, & glorioſa, & abſconſa, & inuiſa opera illius. Amictus, inquam, hominis, aut opus quoduis ab eo factum, non eſt admirabile, ſed ſolius Dei opera ſunt admiranda, cui propterea omnis laus, ac gloria eſt tribuenda. Et incomprehenſibilia ſunt iudicia Domini, qui conſueuit fortes commutare, & glorioſos in confuſionem adducere.

Eccl. 11. 4.

Vſus mortificationis corporis quo ad cultum.

His itaque non multis documentis omnis hæc abnegatio continetur.

I. Veſti

I. Veſtimenta non ſint pretioſa, ſed vilia, & modico pretio empta, & ab ſtatu pauperum non aliena.

II. Non ſint nimis mollia nec nimis ſubtilia, ſed potiùs aliquantulum dura & craſſa, quæ corpora, non ad ocium ſed ad honeſtos labores nata, cooperiant.

III. Non ſint nitida nec ſplendida, ſed talis coloris, qui ſtatui lugentium & pœnitentiam agentium, congruant.

IV. Non ſint exquiſitè compoſita, ſed formã religioſam habeant, quæ omnibus ædificationẽ præbeat.

V. Non ſint leuiter ac pueriliter corpori coaptata, ſed tali modo, vt mentẽ ſeriam & grauem oſtendant.

VI. Non ſint ſordida nec nimis munda, quæ ad immoderatam curioſitatem deflectant.

VII. Interdum, præſertim in initio conuerſionis, viliſſima indumenta accipienda ſunt, quæ mentem, ſe in ſuperbiam erigentem, humilient.

VIII. Omni tempore curandum eſt, ne omnia in hoc genere amictus corporalis ſint commoda, vt pro amore Domini in hoc, ſicut in cæteris, aliquid patiamur.

Atque illud in primis curare debemus, vt amictum corporis, propter eum finem tantùm, ad quem ordinatus eſt, ſcilicet ob tegendam nuditatem & repellendas temporis iniurias, & non ad inanem gloriam, aſſumamus. Ad quod nos hortatur ſanctus Ephræm hac pulcherrima oratione: Noli ſplendido ornatu veſtiũ gloriari, memor quomodo ouinis pellibus indutus fuerit Helias, & ſacco Iſaias propheta, de quo ſcriptum eſt: Vade, & ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamẽta tolle de pedibus tuis.] Quali item Ioannes Baptiſta veſtimẽto vſus ſit, ne obliuiſcaris. Quare non veſtium ſplendore ſtudeas eſſe conſpicuus, ſed per bona ſanctaque opera luceat lux tua coram omnibus, vt vbique glorificetur Dominus.

Ephræm, conſil. de vita ſpirituali. c. 9. Iſa. 20. 2.

De mortificatione corporis quo ad aſperitates.

CAPVT IX.

NVNC de altera nigredine ſponſæ dicendum eſt, quæ in ſpontanea carnis afflictione conſpicitur: Non minùs, quàm præcedens, ſpiritui neceſſaria, quia corpus domat, & imperiũ rationis virtutiſque ſubmittit. Quæ licèt quodam modo ad abnegationem tactus pertineat, eo quòd carnis afflictio tactu ſentitur: tamen ſeiungenda fuit tractatione, quia ſpecialem continet difficultatem, & quia non tam aſſumitur, vt ſuperflua tactus reſecentur, quàm vt corpus edometur, & caro ſpiritui ſubiiciatur. Ad hanc corporis afflictionem ſpirituales viri, qui ſpiritus viam non ſegniter currunt, non ſunt multùm adhortandi: quia ſpiritu Dei acti, & dolore peccatorum incitati, & quotidianarum imperfectionum graueolentia perculſi, ſatis ſe pronos ſentiunt ad carnem multis modis affligendam, niſi fortè (quod ſupra modum, omnem aſſumptam aſperitatem ſuperat) morborum ac dolorum grauitate vexentur. Sed alij monendi ſunt, qui necdum ſuam agnoſcentes paupertatem, nec carnis aduersùs ſpiritum ferociam perpendentes, blandè corpus ſuum tractant, & illud, vt perfectioni ſeruiat, edomare non curant. Tales eſſe nonnunquam ſolent ſpiritualis vitæ tyrones, qui dum veteranos, ſenes præſertim & imbecillos, conſiderant, volunt illos in ratione vitæ præſentis imitari. Non animaduertunt quid hi fecerint, quos labores pro virtute ſubierint, quas difficultates ſuperauerint, ſed vident, quod modò ægritudinibus affecti fa-

A ciunt, ibíque curant incipere in cura ſui corporis, vbi iſti iam deſinunt. Nullus tamen erit, etſi parum lucis habeat, qui iſtorum tepidorum errorem non videat. Volunt enim ante laborem ociari, ante ambulationem feſſi ſedere, & ante pugnam more victorum in pace quietéque perſiſtere. Alij neceſſitate compulſi & ægritudinibus prægrauati, ab afflictione corporis ceſſant, cùm tamen à pugna interior cum vitiis non ceſſent: ipſi verò corpore robuſto, affectibus inordinatis, & ſenſibus ad quæque illicita pronis, cupiunt, carnem ſuam, vniuerſorum vitiorum fontem, molliter attrectare. Cum his loquutus videtur ſanctus Bonauentura, cùm ait: Feruorem nouitiorum non decent illæ miſericordes B in ſeipſis diſcretiones, & diſcretiorum diſpenſationes faciles, quia indulgentiæ ſuo iudicio non ſunt admittendæ, nec tamen recuſandæ ſunt alieno. A ſeipſo in ſeipſum rigida debet eſſe cenſura & diſtricta ſeueritas.] In his ergo, quæ ad corpus pertinent, obedientia illis neceſſaria eſt, ne in aſſumpta afflictione per indiſcretionem excedant, ſed dum ipſa non obſiſtit, in aſſiduam, non tamen indiſcretam, corporis afflictionem illis incumbendum eſt, ne cum primo hoſte & omnium infeſtiſſimo amicitias iniiſſe videantur. Corpore enim viuo quoad ſæculum, id eſt, immortificato manente, non poterunt bella interiora aggredi, nec hoſtes in abſcondito decertantes proſternere.

Bonau. in ſpecul. 2 p princip. c. 2.

Hi autem & reliqui omnes, qui ſe puſillanimes ad affligendum corpus, ſentiunt, non vno tantùm, C ſed multis incitamentis, tum à neceſſitate, tum ab vtilitate huius afflictionis petitis, mentem ſuam ad domandum corpus accendent. Et quidem ſatis illis deberet ſufficere, omnium, quos imitari geſtiunt, virorum perfectorum exemplum. Quis enim illorum, niſi non leuis ægritudo corporis impediret, corporis afflictationem non tenuit? Quis illorum ciliciis, flagellis, ieiuniis, vigiliis, humicubationibus, & aliis ſimilibus carnem ſuam non afflixit? Si euoluamus Sanctorum hiſtorias, neminem illorum reperiemus, qui aduersùs proprium corpus, hoc mortificationis genere vſus non ſit. Immò videbimus ſanctos reges, atque reginas, coniugatos, & teneriſſimas virgines (vt nunc de cæteris taceam, quibus maior erat huius afflictionis deſinendæ cõ- D moditas) corpora ſua his ſanctis aſperitatibus domuiſſe, omnémque erga carnem indulgentiam repudiaſſe. Cilicinam quidem veſtem, Caſſianus monacho minùs congruam eſſe credit, ſed illam extrinſecus apparentem, quam vana oſtentatio ſequeretur; illam etiam, quæ in religioſis corpore laborantibus, laboribus ex obligatione vel ex charitate ſuſceptis, obſtaret. At veſtem aut zonam cilicinam, lumbis hærentem, communi habitu tectam, & orationi ac ſtudiis proficientem, ipſe non improbat, & innumerabiles viri perfecti, eã vtentes approbarunt. Quòd ſi ſancti hoc & aliis multis afflictionis generibus carnem ſuam domuerunt, non eſt cur hi, qui ad eorum perfectionem aſpirant, corporis afflictionem fugiant, & ſe carnis ſuæ ſtultos E amatores efficiant. More enim eorum, quorum ſtatum profitemur, viuendum eſt, & aulicus, cum aulicis ſe palpet, & ſæcularis mundanus, cum mundanis ſe molliter tractet, at ſpiritualis vir, cum viris perfectis & ſanctis, corpus ſuum pia ſeueritate caſtiget. Hoc namque vitæ tempus non ad indulgendum corpori, ſed ad curandam animæ ſalutem accepit. Tempus hoc, inquit Bernardus, animabus, non corporibus eſt aſſignatum, dies ſalutis vtique non voluptatis. Omnia tẽpus habent: animabus nũc operam

Caſſian. lib. 1. de inſtit. c. 3.

Bern. declamat. ecce nos reliquimus, &c. poſt medium.

A dare neceſſe eſt. Nam in carne qui ſeminat, ſolam eamde metet corruptioně.] At nemo, inquiunt, carnem ſuam odio habuit? Verum eſt: ſed zelum habens abſq; ſcientia, dum prodeſſe feſtinat, inuenitur obeſſe. Cum enim iudicium carnis ex anima pendeat, carni nihil poteſt eſſe vtilius, quàm ſalus animæ prouiden; vt videlicet in tempore ſit reſpectus illius, & ſocia paſſionis, fœlicitatis quoque conſortium mereatur.] Hæc Bernardus. Ex cuius ſententia ad amplectendam carnis caſtigationem, profectò valde conſtringimur. Nam ſi ſalutem animæ cupimus, hác corporis punitione cōſequimur, quia corpus animæ ſubdimus, & admiſſa peccata purgamus. Si verò ſalutem, & voluptatem corporis concupiſcimus, illam quoq;, ipſum corpus caſtigando, tenemus; quoniam præmium breuis afflictionis eſt vita perpetua, & æterna

Galat. 6. 8.

B delectatio, ſicut merces breuis delectationis cōtra diuiná legem acceptæ erit nunquam deſtituta punitio.

Sed iam afflictionis vtilitates corporalis ſigillatim videamus. Dionyſius Richelius octo vtilitates breui ſermone perſtringit, quas nos paulo latiùs exponemus. Prima ergo vtilitas corporalium afflictionum eſt ſatisfactio pro peccatis. Qui enim corporis delectatione deliquimus, æquum eſt, vt corporis caſtigatione reſurgamus. Si caro nos decepit, & ad tranſgreſſionem diuinæ legis adegit, iuſtum eſt, vt ſuorum factorum pœnas luat. Si experta eſt cibum, qui adduxit mortem, experiatur & ieiunium, quod diſponit ad vitam. In omni bene ordinata republica crimina ciuium dolore puniuntur: porro gubernatio huma-

Dion. lib. 1 de vita, & fine ſolitar. ar. 17.

C na hoc non ea ſe habet, ſed ex imitatione gubernationis diuinæ. Vult igitur Dominus, qui iuſtitiam miſericordia temperat, vt in præſenti vita dolore & afflictione corporis cruciemur, ne in vita futura dolores ſine vlla cōparatione maiores experiamur. Ideóque per Ieremiam ait: Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod loquutus ſum aduersùs eam; agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei.] O afflictionem ſalutarem, & omnibus delicijs præferendam, cuius fructus eſt, vt Dominus manum iam extentam ad percutiendum, contineat, & vltionem capiti noſtro imminentem auertat! Et per Ezechielem: Cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium, & iuſtitiam; ipſe animam ſuam viuificabit.] Quid-

Ierem. 18. 8.

Ezech. 18. 26.

D nam eſt iudicium & iuſtitiam facere? Nonne carni, quam meretur, pro tranſgreſſionibus ſuis, pœnam retribuere? Sed animæ vita hanc iuſtitiam ſequitur, dum caſtigatio carnis aſſumpta, per gratiam Dei facta, veniam promeretur. Quantum autem inſit periculum peccatoribus, ſi non peccata ſua debita vltione caſtigent, indicat Eccleſiaſticus, dicens: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.] Vt quoniam horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis, id eſt, punitiuas & vltrices, ſciamus nobis nullum effugium eſſe, niſi corde peccatum deſerere, & opere ipſo pro commiſſis peccatis noſipſos animosè caſtigare.

Eccl. 2. 22.

Hebr. 10. 31.

Secunda vtilitas afflictionis corporalis eſt ad gratiam ſuſcipiendam præparatio, quia cùm per inſpira-

E tionem & gratiam Dei, quod ad nos pertinet, facimus, ad ſuſcipiendam vlteriorem Domini miſericordiam; ſinus cordis aperimus. Hoc nouit Daniel, qui vt ſe ad ſuſcipiendam diuinam reuelationem pararet, luctu, & ieiunio, & corporea afflictatione ſe muniuit. Lugebam, inquit, trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum, ſed nec vnguento vnctus ſum, donec complerétur trium hebdomadarum dies.] Hoc nouerunt & Niniuitæ, qui ieiunio & ſacco

Dan. 10.

Ionæ 3. 8.

A afflicti, tantorum ſcelerum veniam impetrarunt. Quin & Achab: nam opertus cilicio, & à cibis abſtinens, & dormiens in ſacco, pro diebus regni ſui, intentatas calamitates à ſe dimouit. Vt ergo milites ad aliquam dignitatem obtinendam, vulnera corporum ſuorum & cicatrices, reipublicæ tuendæ causà acceptas, regi oſtendunt, & ab eo quod cupiunt conſequuntur: ſic & nos corporis imbecillitatem ex ieiunijs prouenientem, cutis nigredinem ex cilicio contractam, vibices ictibus flagellorum factas, & alia ſimilia Domino commonſtremus, vt aliquam nouam gratiam obtineamus. Hæc enim oſtenſio non ex ſuperbia, ſed ex cordis mœrore procedens, multum apud Dominum valet, vt theſauros miſerationum ſuarum nobis aperiat. Quàm verò magni ſint

4. Reg. 21. 27.

B hi, quomodóque eos carnis afflictione quæramus, docet egregiè Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, qui ſic ſcribit: Ait quodam loco ſermo diuinus: In diebus ſolennitatum veſtrarū affligite animas veſtras.] Quare hoc dixit? Quia ieiunia, ac vigiliæ, & ſanctæ afflictiones, humiliata corpora macerant, ſed immaculata corda purificant. Membris ſubtrahunt fortitudinem, ſed conſcientijs addunt nitorem. Nihilominus de contritione animi redimantur crimina voluptatum. Per duræ crucis exercitia, deceptæ dudum carnis gaudia puniuntur: ac ſic mortificatione præſenti, futura mortis ſententia præuenitur: & dum culpæ auctor humiliatus, culpa conſumitur: dumque ex tenore afflictio voluntariæ diſtrictionis infertur, tremendi iudicij offenſa ſedatur, & ingentia debita labor ſol-

Cæſar. hō. 2.

Leuit. 16.

C uit exiguus, quæ vix conſumpturus erat labor æternus.] Hæc ille. Expendenda ſunt ſigillatim omnia bona, quæ non multis verbis ſanctus hic pater collegit, & videbimus quàm immenſos theſauros ſpiritualium diuitiarum in cor noſtrum inſerimus, dum illud per afflictionem carnis parua oblectatione vacuamus.

Tertia vtilitas, eſt multorum malorum, tum ſpiritualium, tum corporalium abſciſſio. Nam afflictio corporalis cohibet carnis impetus, vitiorum motus, & paſſionum appetitus: arcet etiam corporis morbos, & ſucceſſus ſecundùm ſpeciem huius ſæculi aduerſos, quos Dominus in punitionem noſtrorum peccatorum infligeret, niſi iram eius afflictio voluntariè aſſumpta contineret. Quòd hæc afflictio motus inordi-

D natos comprimat, ſatis docet Paulus, cùm ait: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo; ne fortè, cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.] Caſtigare corpus, inquit Ambroſius, eſt ieiunijs illud agere, & illa ei dare, quæ ad vitam proficiant, non ad luxum. Seruituti verò ſubijcitur, dum non ſuam perficit, ſed ſpiritus voluntatem. Ideo ſe refrænare corpus ſuum oſtendit, vt remuneratione, quam alijs prædicat, etiam ipſe dignus habeatur, ne alijs curatis, ipſe remaneat in vulnere.] Ieiunia itaque, & aliæ corporis afflictiones vulneribus noſtris medentur, illis nimirum, quæ inordinati affectus infligunt. Quòd verò hæc afflictio, mala temporalia nobis inferenda remoueat, ex hiſtoria Dauidis agnoſcimus. Cùm enim ob numeratos Iſraelitas peſtis maxima graſſaretur in po-

1. Cor. 9. 27.

Amb. ibi.

E pulo, adeò vt tribus diebus deſiderarentur [ſeptuaginta millia virorum;] Dauid, & nobiles eius veſtiti cilicijs, Dominum placauerunt, & maximum illud malum propulſarunt. Iudith quoque conſuluit Iſraelitis, corporis afflictionem aſſumere, vt Dominum ad miſericordiam inflecterent. Humiliemus illi, inquit, animas noſtras, & in ſpiritu conſtituti humiliato, ſeruiamus illi.]

1. Paralip. 21. 14.

Iudith 8. 16.

Quarta vtilitas, eſt Chriſti Saluatoris noſtri imitatio. Saluator enim noſter in mundum veniens,

vitam

A vitam aſperam ac duram elegit. Videas illum in ſtabulo natum, in domo pauperum enutritũ, in ipſa infantia incómodis longi itineris & moleſtæ peregrinationis affectũ, fame, & ſiti, frigore, & calore variiſque laboribus fatigatum: flagellis, ſpinis, clauis, & lancea confoſſum, & in duriſſimo crucis ligno euectum. Quiſnam huius vitæ, & conuerſationis Domini imitator exiſtit? An qui blanda, & mollia, & ſuauia ſuo corpori parat? Non ſanè: ſed qui ipſum ieiuniis & vigiliis atterit, flagellis percutit, veſtis aſperitate pungit, & aliis laboribus & carnis moleſtiis exercet. Nec ſufficit hanc imitationem in animo geſtare, niſi etiam cùm adeſt facultas, geſtemus in corpore. Nã Dominus, anima ſimul & corpore, pro hominibus paſſus eſt, vt vnuſquiſque pro eo, tum anima tum corpore

B *1. Petri. 2. 24.* aliquid moleſtiæ ſuſtineat. Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus.] Pertulit ille pœnas à peccatis noſtris commeritas, in corpore ſuo, ne homo ſine aliquo dolore & pœna, pro delictis non alienis, ſed propriis, ſuum corpus velit manere: Immò dicat

Galat. 6. 17. cum Paulo: Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto; & de his pretioſis ſtigmatibus plus quàm de maxima dignitate ſe iactet. Et Apoſtolus quidem de liuoribus, plagis, & vulneribus, quæ cauſa fidei accepit in corpore, gloriatur, tanquam de notis, ferri vſtione in carne ſua impreſſis, quibus ſe Chriſti ſeruum eſſe monſtrabat. Sciebat enim, Chriſti ſeruiturem omnem huius ſæculi poteſtatem excellere. Sic & nos, vt Apoſtolorum diſcipuli, de eiſdẽ notis,

C id eſt, de laboribus & afflictionibus, quas in carne pro Chriſto & pro victoria noſtrorum appetituum patimur, cum ingenti exultatione lætemur. Id au-

Ioan. 12. 26. tem iure, quoniam per afflictiones ad æternæ gloriæ exultationes currimus. Qui mihi miniſtrat, ait Dominus, me ſequatur: & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.] Si miniſtri ergo & ſerui eius ſumus, ſequamur eum: Sequamur mente, ſequamur & corpore: mens ad ſimilitudinem mentis eius, virtutibus & puritate reſplendeat; corpus verò ad ſimilitudinẽ corporis eius, dolore & afflictione proficiat. Nam hæc ſequela, hæc imitatio non eſt ſine fructu. Fructus enim huius imitationis, eſt manſio æternæ beatitudinis.

D Quinta vtilitas afflictionis corporalis, eſt gloriæ magnitudo, quæ eam pro Domino ſufferentibus eſt

Roma. 8. promiſſa. De illis namque dictum eſt, [quia ſi compatiantur, & conregnabunt.] Ipſique experti di-

2. Corin. 1. 5. cunt illud Pauli: Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio

Pſal. 93. 19. noſtra.] Expertus eſt & Dauid, cùm cecinit: Secundùm multitudinem dolorum meorum, in corde meo conſolationes tuæ lætificauerũt animam meá.] Quæ enim eſt iſta conſolatio, corda afflictorum exhilarans, niſi illa, quæ de ſpe amplioris gloriæ procedit? Quanta verò futura ſit iſta gloria ſe affligentibus & caſtigantibus promiſſa, hîc non cognoſcimus, ſed in futura vita videbimus, Quemadmodum enim, cùm cortex nucis confringitur, apparet, quid intus habeat, & an inanis, an verò nuclei plena exi-

E ſtat: ita cùm ſaccus iſtius corporis diſcindetur, quid mercedis lateat, conſiderabitur. Tunc corpus purpura & byſſo contectum, ciborum ſuauitate lactatum, & omni genere oblectationis oppletum, mercede vacuum, immò putredine & fœtore plenum erit: corpus verò cilicio punctum, flagellis liuidum, ieiuniis macidum, & aliis afflictionibus oper-

Bern. ſer. 2. de verbis Iſaiæ. 6. tum, gloria circumdatum apparebit. Hac ergo meditatione, vir iuſtus ſe ad amorem aſperitatis corporalis accendat, & carni ſuæ laborem detrectanti di-

A cat cum Bernardo: Quid adhuc murmuras caro miſera; quid adhuc recalcitras, & aduersùs ſpiritum concupiſcis? Si te humiliat, ſi caſtigat, ſi redigit in ſeruitutem, id profectò in tuo genere non minùs tua intereſt, quàm ipſius. Quid eis inuides, qui de operibus vermium, & murium pellibus, ingloriam planè gloriam mendicare non erubeſcunt, cultu indigno, viris interdicto & mulieribus, ſemet ipſos dehoneſtantes potiùs quàm ornantes? Reforment ipſi, aut magis certè deforment corpora ſua, te (ſi fueris corporis humiliati) reformabit idem artifex, qui formauit. Illam (ſi non deſipis) præſtolabere manum, vt quod fecit, ipſa reficiat.] Sic ille. Hac igitur expectatione commoniti, corpus audacter affligamus, vt maior gloria & abundantior ſplendor

B cumulet maiorem, non tamen immoderatam aſperitatis aſſumptæ menſuram.

Sexta vtilitas, eſt proximorum ædificatio & inſtructio. Qui ſanè dum vident ſpirituales viros, conuerſationis aſperitatem amantes, & omnem indulgentiam, etiam licitam, reſpuentes, valde eos admirantur, & trahunt in ædificationis exemplum. Diſcunt etiam quomodo debeant conuerſari, & corporum ſuorum oblectationem contemnere, quam à viris verè ſapientibus, id eſt, à ſanctis & perfectis hominibus, vident non concupitam, ſed omnino-

Baſil. reg. 17. fuſ. diſp. dis refutatam. Huius vtilitatis meminit Baſilius ſic ſcribens: Reliquæ quidem virtutes, cùm in occulto exerceantur, minùs ſæpe illuſtres apud homines exiſtunt. Continentia autem, in quo ineſt, eum vel

C primo ipſo aſpectu tantùm, notum facit. Et cùm dixiſſet, Chriſti ſeruum ex corporis macilentia cognoſci, ſubdit: Quantum enim vel in ſolo continentis alicuius aſpectu lucri eſt: videre illum videlicet parcè tenuitérque res etiam ipſas neceſſarias attingentem, ægréque naturæ miniſterium, perinde ac tributum moleſtiæ & angoris plenum, pendentem, temporíſque, quod in hoc ipſo conſumitur, moram animo iniquo ferentem, celerrimé que à menſa ad obeunda munera ſua reſilientem? Si quidem opinor ad animum illius, qui ventris libidinibus ſeruiat, peruellendum, & ad frugem reuocandum, meliorem nullam cuinſuis generis orationem poſſe excogitari, quæ tantundem va-

D leat, quàm vel ſolum continentis alicuius aſpe-

Roma 12. 17. ctum.] Hæc Baſilius. Et quidem Paulus ait: Prouidentes bona, non tantùm coram Deo, ſed

1. Reg. 16. 7. etiam coram omnibus hominibus.] In libro autem regnorum ſcriptum eſt: Homo videt ea, quæ patent. Deus autem intuetur cor.] Ergo & intus in mente, & extrà in corpore virtus, & contemptus voluptatis tenenda ſunt, vt coram Deo & hominibus, bona prouideamus. Ab his verò nulla gloria quærenda eſt, ſed ſola diuina laus gloriáque captanda.

Septima vtilitas, eſt noſtrarum precum exauditio. Quoniam ſicut cùm infans lacrymis & gemitibus vbera poſcit, non poteſt mater ſe ipſam continere, quin ori eius lactis fontem admoueat: ita cùm anima affligens corpus ſuum munera poſtulat, non claudit Dominus viſcera ſua, quin illi abundan-

E ter ſatisfaciat. Quare ſacræ litteræ non ſemel illorum geſta commemorant, qui ieiunio, cilicio, & cinere capiti impoſito, ſe affligentes, non tantùm veniam peccatorum, ſed & liberationem à magnis ca-

Cypria. de ieiunio Chriſti. lamitatibus impetrarunt. Et Cyprianus ait: Quotquot viros virtutum vidimus, ſine ieiunio non legimus aſcendiſſe: nec aliquid magnum moliti ſunt: niſi priùs abſtinentia præceſſiſſet. Quoties aliquid à Deo obtinere conati ſunt, ieiunijs incubuêre & lacrymis, & pernoctantes in orationibus,

ſiliciis carni hærentibus, ſupplices beneficia poſtularunt. Nec defuit prouentus, vbi ad pedes Dei, ſacrificium contriti cordis offerens, ſe proſtrauit humilitas; ſed propè fuit inuocantibus ſe Deus, & porrexit manum naufragis, & ſubuenit afflictis.] Sic ille. Antiocheni vt Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpti erant à Spiritu ſancto, dimitterent, priùs ieiunio & oratione ſe muniunt. Ieiunantes, (*Actor. 13. 3.*) inquit, & orantes, imponentéſque eis manus, dimiſerunt illos.] Et ipſi Saulus & Barnabas orant cum ieiunationibus, vt Domino animas fidelium com- (*Actor. 14. 22.*) mendent. Sempérque Eccleſia ab Spiritu ſancto docta, cenſuit orationi afflictionem corporis eſſe iungendam, vt poſtulatio afflictione, quaſi curru vecta, in conſpectum Domini poſſit aſcendere.

Poſtrema vtilitas, eſt nequiſſimorum ſpirituum fuga. Illi quippe ſpurciſſimarum voluptatum amatores & libidinis incentores, illorum conſpectum auerſantur, & timent, quos vident, per ſpontaneas afflictiones carni bellum indicere. Nullam ſe ſperant requiem habituros in illis, quorum corpora ieiuniis, vigiliis, & veſte aſpera, & aliis afflictionibus caſtigata (*Climac. grad. 26.*) conſpiciunt. Vnde Climacus pulchre ait: Sicut exſiccatum lutum iam non porcis vſui eſſe poteſt, vt ibi ſe volutent; ita & caro per abſtinentiam marcida effecta, dæmonibus vltrà non præbebit in ſe quieſcendi locum.] Afflictio ergo diſcreta corporis noſtri, afflictio illorum eſt, dolor carnis noſtræ illos torquet, & vt canes virga percuſſos, à nobis arcet, ne tentationes afferant, & profectibus noſtris inſidientur. Ideo illi mille artibus curant, ſeruos Dei à carnis afflictionibus abſtrahere, & ad non neceſſariam indulgentiam, timore ægritudinis incurrendæ, permouere. Quod faciunt, non quidem vt corpus validum ſeruent, ſed vt corpus pariter & mentem interimant. Egregiè Hugo Victorinus, expoſitis vanis rationibus dæmonis, quibus carnis afflictionem fugiendam eſſe (*Hugo. l. de clauſt. anima. c. 2.*) ſuadet, hæc ſubdit: Ecce diabolus phyſicam docet: ecce medicus factus eſt, de complexionibus loquitur, infirmitates diuerſas, ſi teneatur religio, generari prædicat. Sed quare hoc? Non vt mederi velit, ſed vt occidere poſſit: Non vt ægritudines curet, ſed vt ſecuriùs inferat mortem. Videt ex ſubtractione ciborum, luxuriæ vires poſſe minui, & ideo non tardat minari ægritudinem. Timet ocium perire, & ſomnolentiam deſtrui, & ideo laboris intolerantiam & protenſa vigiliarum ſpacia prætendit. Credit, ex paupertate humilitatem nutriri, & ideo quærit occaſiones, quibus humilitatis impediat aduentum.] Hæc ille. Intelligamus ergo aſtutias dæmonis, & non facilè carni noſtræ ſuperflua poſtulanti credamus, ſed ad deiiciendos aduerſarios, ad noua beneficia impetranda, & ad reliqua quæ diximus, obtinenda, eam aſſumpta afflictione domemus.

Vſus Mortificationis corporis quo ad aſperitates.

HÆc autem ſunt, ô ſerue Dei, quibus poteris corpus tuum caſtigare, vt illud nó iam ſeruum proteruum, ſed morigeratum & in omnibus ſubiectum poſſideas.

I. Cilicium ex ſetis animalium contextum, vel ex alia materia aſperiori compactum, aliquot ſaltem hebdomadæ diebus induito.

II. Flagris, & funibus, vel alio, quod dolorem inferat, corpus tuum cædito.

III. In lectulo ab omni mollicie alieno ſemper: & aliquando, vt bis aut ter in hebdomada, in nuda tabula ad dormiendum cubato.

IIII. Cellam non ampliorem, ſed anguſtiorem & obſcuriorem, quantum tui officij aut miniſterij qualitas permiſerit, ad habitandum eligito.

V. Ab alimentis ſuauitatem, ab aqua nimiam frigiditatem, quæ non parum delectat, amoueto.

VI. In veſtibus, quæ ſemper nudæ eſſe debent, aliquam incommoditatem, & ad tempus ob tui vilipenſionem, nonnullam immundiciem admittito.

VII. Ieiuniis & inedia carnem atterito.

VIII. Genuflexionibus & ſtationibus protelatis, tempore ſcilicet prolixæ orationis, te ipſum affligito.

IX. Frigus, & æſtum, & corporis fatigationem ex itinere, aut alio labore profectam, libenter ſuſtineto.

X. Quicquid aliud carni moleſtum occurrerit, vt gemmam pretioſam aſſumito.

His aliíſque ſimilibus viri ſancti domuerunt corpora ſua (quod ex eorum hiſtoriis conſtat) vt hoſtem, qui fuit multorum peccatorum cauſa, punirent, & merita cumularent. Quos imitari debemus, ita tamen, vt menſuræ gratiæ nobis datæ cooperemur, & vires noſtras non excedamus. Sicut enim certum eſt, omnia iſta vniuerſis congruere, neminémque eſſe, qui non poſſit in his aliquod Domino gratiſſimum obſequium offerre: ita etiam eſt certiſſimum, multos ob corporis imbecillitatem, aut ob muneris obligationem, aut ob ſtatus qualitatem, ſatis modicum poſſe præſtare. Quare in his omnibus, & in aliis quæ ad mortificationem pertinent, tum virtus diſcretionis, tum conſilium viri ſapientis ſunt neceſſaria. De quibus in fine huius tractationis dicemus. (*Infrà. p. 3. c. vlt.*)

De Mortificatione linguæ: & primò de malis eius.

CAPVT X.

CVM Potens aliquis rex, alterius principis regnum inuadit, & victor exiſtens, non tantùm paruula oppidula, ſed fortes quoque vrbes expugnat; ſolent victi ſe in arcem muniſſimam regni recipere, vt ibi ſe ab hoſte defendant, & inde reſumptis viribus exeant, omniáque loca amiſſa recuperent. Quos vt rex victor penitus proſternat, & vincat, compellitur quaſi de nouo bellum incipere, vt ſcilicet arcem illam, in quam hoſtes confluxerunt, ſuæ ſubiiciat poteſtati. Idque eueniſſe Dauidi ex ſcriptura ſacra cognoſcitur: Occupato namque regno Iudæ & Iſraëlis, abiit in Ieruſalem, quam Iebuſæi illuc vſque poſſederant, vt eam ſibi ſubderet, & hoſtes Iſraëlitarũ omnino deleret. (*2. Reg. 5. 6.*) Idem profectò viro iuſto, & proprij cordis expugnatori faciendum eſt, qui cohibitis ſenſibus, & compreſſo ac domito corpore, debet ſcire, adhuc munitiſſimam arcem expugnandam ſupereſſe, qua hoſtes, id eſt, vitia ſe tuentur, & protegunt. Hæc autem arx non eſt alia quàm lingua, cuius ſubiectio adeò ſpirituali viro neceſſaria eſt, vt ſine illa nullatenus perfectionem obtineat. Nam quomodo perfectionem aſſequetur, qui originem innumerabilium imperfectionum fouet, qui initium tot malorum liberum ſeruat in corpore, qui inquietudinum ſeminarium non obturat: Hoſtes certè ex lingua, tanquam ex latebris, egredientes, ni ipſa perácri abnegationis curâ comprimantur, victorem vincent, & quicquid magno labore quæſierat, ſine difficultate diripient. Verba enim ocioſitatis, iactantiæ, & amarulentiæ, & aliorum vitiorum, cor eiſdem, à quibus dimanant, vitiis ſubiicient, tanto faciliùs, quanto ſuauius eſt, conſenſum voluntatis,

ſenſum

A ſenſum,& verba ſequi,& in illis, quæ laudat, hærere. Nihil ergo ſpiritualis vir ſe feciſſe putet, ſi compreſſo per aſperitates corpore, linguam non cohibet; qui ipſa per ſe ſufficit bella in mente ſuſcitare, & flammas inanium deſideriorum accendere. Quare eius mala dicamus, quorum conſideratio ſanctam indignationem,& odium ſalutare aduerſùs hunc hoſtem exacuat,& valida deſideria eius ſubiectionis adiiciat.

Spiritus Dei per os Iacobi Apoſtoli, linguæ mala, ſacrarum ſcripturarum voluminibus declarata, ad eruditionem noſtram in vnum collegit. Exorditur autem à generalitate detrimenti,quia lingua omnes vincit, & vniuerſos aliquo fraudis telo configit. *Iacob. 3. 2.* Si quis,inquit, in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir;potens etiam fræno circumducere totum corpus. Tanta, inquam, eſt ad peccandum linguâ facilitas, tanta ad delinquendum ſermone procliuitas, vt fortè nemo fuerit, vno Chriſto Saluatore, qui omnino peccare non potuit, & vna Beata Virgine excepta, qui non aliquando leui ſermone deliquerit. Idque verba præcedentia confirmant. In multis offendimus omnes. Qui omnes? *Auguſt. ſer. 112. de diuer. c. 1.* Annon Apoſtolus eſt qui loquitur,& ſe reliquis annumerat, vt notauit Auguſtinus? Ergo etiam ſancti, etiam Prophetæ, & ipſimet Apoſtoli, in communi conuerſatione aliquando verbo deliquerunt. *Eccl. 19. 17.* Et Eccleſiaſticus neminem excipiens ait: Quis eſt, qui non deliquerit in lingua ſua?] Quaſi dicat: Non facilè inuenies aliquem, qui non linguâ deliquerit; quare ſi amicus labatur linguâ,ſed non ex animo, quia ex ignorantia aut inaduertentia peccauit, facilè illi erit ignoſcendum. Nec nobis obiiciatur Ioannes Baptiſta, de quo canit Eccleſia, quia in deſertum ſeceſſit, *Ne leui ſaltem maculare vitam. Famine poſſet.* Aliud enim eſt velle, aliud perficere: aliud conari, aliud exequi: & fortè ille poſtquam deſertum petiit, vt linguam cuſtodiret, ad homines regrediens, nonnulla linguæ imperfectione peccauit. Aut ſi non peccauit, nec etiam leuiſſimè, erit ille, de quo ſubinfertur, quia linguâ non offendens, perfectus eſt vir. Nec etiam in oppoſitum afferendi ſunt elingues, & muti; quoniam iſtis facultas delinquendi per linguam ſubtracta eſt: & ſi non loquendi poteſtate,at voluntate peccarunt. Mala igitur linguæ generalia ſunt:quia omne genus humanum peruadunt.Si quis verò poſt multum laborẽ, ac diligentiſſimam curam in eliminandis linguæ vitiis adhibitam,iam eouſque proceſſit,vt verbo non offendat,& ſermone non cadat, is in virum perfectum ac omni virtute conſummatum euaſit. Nec vtcumq; perfectus eſt,ſed planè potẽs,totum corpus,id eſt,omnes animæ facultates, omnes habitus,omnes affectus,& deſideria frænare. Nam quilibet hominum exceſſus ſtatim ſermone patefactus exiſtit, & oblata occaſione, verbo manifeſtatur. Et bene poterit quis per aliquod tempus ſilentio vitia mentis obtegere, & alium ſe fingere: ſed ſi diu cum illo conuerſemur,ex verbis, quid intus habeat, nullo negotio venabimur. Vnde oportet,perfectum virum eſſe illum, qui de theſauro cordis ſui ſemper per linguam bona promit, & nunquam aliquid vitioſum aut imperfectum edicit.

Sed malum linguæ, ex eo quòd ſit generale, non eſſet admodum extimeſcendum, ſi ſimplex & modicum eſſet, paruúmque damnum ac moleſtiam ingereret: At multiplex & magnum eſt,ac propterea omni eſt diligentia vitandum. Eſt quidem multiplex; quoniam omnes affectus & vires animæ in præceps trahit. Annon frænum paruulum inſtrumentum eſt? Sed illud ad gubernandum equum eſt magni momenti,quoniam ori eius iniectum, totum equi corpus in quam voluerit partem circumfert. Annon clauus nauis modicus eſt? Sed ipſe ſufficit magnam nauim onerariam, à validis etiam ventis agitatam, in eam partem, qua voluerit gubernator, impellere. Ita lingua, ſi formam eius ac quantitatem ſpectes, modicum quidem membrum eſt, quod in ore quaſi in ſua cauernula latitat, & licèt inde, velut ſi mus paruulus ex ſuo latibulo progrediatur, nihil mali inferendum præfert: At ſi fructus eius, id eſt, verba conſideres, magnificè ſe iactat, & miros ſermones effundit, quibus & manus,& pedes, & cor ad mille facinorum patrationem impellit. Eſt velut frænum,quod Dominus in os hominis mittit,vt laude eius lingua prolata, ſecundùm ſententiam ſcriptam in Iſaia,[infrænaret eum, ne intereat.] *Iſaie 48 9.* At ſi B diabolus habenas huic fræno affixas accipiat, & ſermonibus à ſe dictatis linguam moueat, totum hominem,quaſi equum furiis agitatum, in barathrum multorum peccatorum coniiciet. Adeò vt dicat Eccleſiaſticus: *Eccl. 28. 22.* Multi ceciderunt in ore gladij, ſed non ſic, quaſi qui interierunt per linguam ſuam.] Eſt etiam lingua tanquam nauis gubernaculum, quod in partibus nauis,ſi ad eius magnitudinem attendamus, ferè poſtremum locum obtinet. Sed ex eius ductu maximè pendet bona aut mala nauigatio,& in optatum portum appulſio, aut miſera nauigantium nauiſque ſubmerſio. Sic lingua temon eſt vitæ noſtræ, cui Dominus, niſi reluctemur, gubernator aſſiſtit, iuxta illud quod ait Salomon in Prouerbiis: *Prouer. 16. 1.* Hominis eſt animam præparare,] id eſt,quid C in aliquo negotio dicturus eſt, cogitare, [& Domini gubernare linguam.] Si verò nos è manibus tam ſapientis gubernatoris temonem eripiamus, & aduerſario committamus, abſque dubio ſubmergemur. Quod amicus quidam Iob ſignificauit, dicens: *Iob 11. 2.* Nunquid qui multa loquitur, non audiet, aut vir verboſus iuſtificabitur?] Eſt enim propriũ loquacis hominis velle omnia loqui,& nihil audire; qui,vt inquit Gregorius, *Greg. 10. mor. c. 2.* iuſtificari nequaquam poterit; quia dum quiſque per verba diffluit, perdita grauitate ſilentij, mentis cuſtodiam amittit. Quod amicis Iob eueniſſe, *Idem 3. mor. c. 10* idem ſanctus doctor teſtatus eſt. Nam cùm tacent, iuſti habentur, cùm loquuntur, à Domino reprobantur:& præcipiti locutione perdiderunt bonũ, quod multo labore mercati ſunt. Vide quo pacto D modica lingua inſtar nauis gubernaculi merces noſtrorum meritorum iniuſtitiæ naufragio ſubmergat.

Nec ſolùm lingua multiplex malum affert, ſed quodlibet etiam illorum ita ſolet augere, vt incautè loquentem omnino conſumat. Nam ſicut modica ſcintilla ignis magnam ſyluam incendit, & nemus denſiſſimum in cinerem vertit: ita vnum verbum, quod ex lingua,tanquã ex igne, reſultat, labores pro virtute antea ſuſceptos adurit. Vnde Bernardus: *Bern. ſer. de tripli- ci cuſto- dia ma nus, &c.* Leuis res eſt ſermo,ſed grauiter vulnerat, aptiſſimum euacuandis cordibus inſtrumentum.] Scintilla hîc accenditur,& poſt modicum ventis impulſa, in loca diſtantiſſima flammas conſumentes effundit. Ita verbum incautè prolatum hîc dicitur, & non tantùm præſentes libenter audientes vrit, ſed abſentes E quoque nihil timentes vorat. Quod profectò idem Bernardus non ſiluit: *Idem ſer. 24. in Cant.* Vnus, inquit, eſt, qui loquitur, & vnum tantùm verbum profert, & tamen illud vnum verbum vno in momento, multitudinis audientium dum aures afficit, animas interficit. Cui addit Humbertus: *Humber. lib. 2. p. 3. c 5.* Nocet his, de quibus loquitur, etiam valde remotis: vt lingua eius,qui eſt in Gallia, nocet ei, qui eſt vltra mare, vel in Hiſpania, dum eum infamat. Immò lingua eius, qui eſt in terra, quodammodo nocet ei qui eſt in cœlo, dum

Deum blaſphemat.] Ideo Ieremias linguam comparat arcui: Extenderunt linguam ſuam, quaſi arcum mendacij & non veritatis:] quoniam ſicut arcus à longè ferit, ita lingua abſentibus etiam & longè diſſitis nocet. Scintilla denique principio modicum ignem accendit, ſed non magna interiecta mora, magnam flammam & inextinguibilem ignem exſuſcitat: Sic verbum incircumſpectum à paucis incipit, ſed ex his ad peſtilentiora procedit. Audiamus hoc ex ore Gregorij, explicantis illud Iob: Et in ventum verba profertis.] In ventum, inquit, verba proferre, eſt ocioſa dicere. Nam ſæpe dum ab ocioſis verbis nequaquam lingua compeſcitur, ad temeritatem quoque ſtultæ increpationis effrænatur. Quibuſdam enim ruinæ ſuæ gradibus deſidioſa mens in foueæ lapſus impellitur: Nam dum ocioſa verba cauere negligimus, ad noxia peruenimus: vt prius loqui aliena libeat, & poſtmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, lingua mordeat, quandoque autem vſque ad apertas contumelias erumpat.] Hæc ille. Eſt ergo magna ſimilitudo inter verbum malè prolatum atque ſcintillam; quòd ſicut hæc ſerpit quàm latiſſimè, & ingentem flammam excitat, ita illud loca remotiora peruadit, in illiſque corda nimis cauta ſuccendit. Vnum verbum Arrij, vnus ſermo Sabellij, vna peruerſa doctrina Pelagij aut Luthen, quaſi vna ſcintilla fuit, ſed quas ſtrages non intulit, quas calamitates Eccleſiæ non attulit?

Ierem. 11. 3.

Iob. 6.

Greg. 7. mor. c. 37.

Quòd ſi verba ſcintillæ ſunt, & ſcintillæ ex igne ſolent erumpere, vide tu quid de lingua debeas cogitare? Certè lingua ignis eſt, & ignis vorax atque conſumens, quod & eius forma, & color, & motus, & effectus declarant. Nam ſi formam eius ſpectes, in figuram cuiuſdam flammæ, ex fornace erumpentis, extenditur. Quare Iſaias flammam ignis, linguam eius appellauit, cùm dixit: Sicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit.] Si colorem aſpicias, igneum colorem habet, & rubore ſuo ſatis deſignat, ſe vitæ innocentium non parcere, & proximorum ſanguine delectari. De linguis enim iniquorum dictum eſt, quòd [acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labijs eorum.] Et rurſus: Lingua eorum gladius acutus.] Quare hoc? niſi quia lingua crudelis ad modum ſerpentis mordet, & ſicut gladius, ſanguinem fundit? Si motum conſideres, ecce flamma, huc & illuc voluitur, & ſi quæ tangit, illis non parcit, ſed quaſi ignis vorat, aut fumo & fuligine tingit. Meritòque de ea ait Eccleſiaſticus: Lingua tertia, id eſt, debita ſimplicitate carens, multos commouit, & diſperſit illos de gente in gentem: ciuitates muratas diruitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit. Ex quo conſtat eam habere effectus ignis: Quoniam cùm iſte in domo alicuius accenditur, omnes turbat, & in varias domus partes ſpargit, vt quæ tangit, quibus ignem extinguant. Si autem ignis præualuerit, omnia vaſtat, vicinas etiam domos ditiſſimorum inuadit, & opes eorum abſumit: Sic prorſus lingua, ſi incipiat præter ordinem & extra metas rationis voluta ri, præſentes & abſentes commouet, & niſi eius verba citò compreſſerint, virtutibus fratrum damnum affert, & quicquid tangit, ſua malignitate peruertit.

Iſaiæ 5. 24.

Pſal. 139. 4.

Pſal. 56. 5.

Eccl. 28. 16.

Eſt igitur lingua ignis, & nō ſolùm hoc, ſed & vniuerſitas iniquitatis. Nam ti nunc vniuerſitatem pro eo, quod vulgo ſumitur, ſcilicet pro Academia, ſumamus, meritò vniuerſitas iniquitatis à Iacobo dicitur, quâ quicquid iniquum & perverſum eſt, edocetur. In ampliſſima Academia, qualis eſt Salmanticenſis aut Complutenſis, omnes ſcientiæ, & iura canonica, & ciuilia ad amuſſim explicantur: ſic in lingua mala, quaſi in vniuerſitate malorum, omnes iniquitates, omnia delicta, & vniuerſæ iniuriæ contra leges diuinas & humanas exponuntur. Annon ſolæ iniquitates ſunt, quæ hominem fœdant & inquinant? ſed has Dominus ex ore & corde exire pronuntiat? Quæ autem procedunt de ore, inquit, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.] Aues ſcire, quæ mala in hac iniquitatis vniuerſitate leguntur? Audi igitur. In ea explicantur adulationes, blaſphemiæ, calumniæ, detractiones, excuſationes peccatorum, fraudes, gloriationes vanæ, hæreſes, irrationes falſæ, lamentationes iniuſtæ, mendacia, nugæ, obſtructiones veritatis, periuria, querelæ, rixæ, ſuſurrationes, taciturnitates puſillanimes vituperationes, & zelus amarus. Hæc vniuerſitas indignos honorat, & ornat ſapientiæ & virtutis inſignibus: dignos verò, debito honore ſpoliat, & apud omnes infamat. In hac tandem vniuerſitate malorum, ferè non eſt malum quod non inueniatur. Peccatum, quod per linguam admittitur, inquit Baſilius, omnium ferè propenſiſſimum, & idem multiforme. Iratus es? Mox lingua occurrit. Concupiſcentia teneris? Habes & hîc linguam ante omnia, quaſi lenam & conciliatricem, quæ cooperetur peccato, quæ per ſimulationem proximis imponat. Eſt tibi lingua quoque vice ſcuti ad iniquitatem, cùm non ex corde loquitur, ſed ea promit, quæ ad fraudem & impoſturam faciunt. Denique quid opus commemorare quæ per linguam peccentur? Vita noſtra referta eſt linguæ delictis: Turpiloquio, vrbanitate, ſtultiloquio, & quæ non conueniunt, detractione, ocioſo ſermone, periurio, falſis teſtimoniis. Hæc mala omnia, & adhuc illis plura, ſunt linguæ opera. Qui verò aduerſus Dei gloriam os aperiunt, & iniquitatem in excelſum loquuntur, aliône quàm linguæ organo impietatem ſuam perficiunt?] Sic Baſilius. Lingua maculat totum corpus, id eſt, omnes affectiones noſtras: Quia enim per eam omnia mala concinnantur, vt ſtupra & latrocinia, aut patrantur, vt penuria & falſa teſtimonia, aut iniquis prætextibus defenduntur, ideo nihil eſt in nobis, quod non maculet, & à ſua puritate deturbet. Vel maculat totum corpus, quia reſtis eſt maculatum cordis, & quæ mala intus lateant, oſtendit. Et inflammat rotam natiuitatis noſtræ, nempe omnem vitæ noſtræ curſum: quoniam hæc adoleſcentes decipit, iuuenes inflammat, viros prouocat ad malum, in ſenibus indignationem ſuſcitat. Inflammat rotam natiuitatis; quia dum ipſa voluitur, prauos affectus iræ, inanis gloriæ, & puſillanimitatis accendit. Nec mirū quòd tot mala inferat: ſiquidem ipſa inflammatur à gehenna, id eſt, à diabolo incitatur, qui ſicut per ſe ipſum & per prauas ſuggeſtiones ad omne malum prouocatis per iniquam linguam ad omne peccatum inſtigat.

Matth. 15. 18.

Baſil. hom. in Pſal. 33.

Id verò maximè auget linguæ nequitiam, quòd eſt ſupra vires humanas, hūc hoſtem vincere, & moderari. Homo quidem arte & induſtria feras immanes domat, vt vrſos, elephantes, atque leones; ſerpentes ſubdit, dum aſpides & baſiliſcos interficit; volucres manſuefacit, & cicures reddit; piſces capit, & in ſuum quotidie vſum aſſumit; at linguam nullis hominum proprijs viribus domuit, nec ſuo imperio ac poteſtati ſubiecit. Solus Deus eſt, qui hanc beſtiam domat, & in eius ſubiectione talem rationem iniit, vt ea ipſa linguæ ferocitatem & ſæuitiam oſtenderet. Nam ſæuum mare, quo nihil terribilius ac indomabilius inuenitur, ſolo præcepto voluntatis ſuæ & infirma arena coërcuit. Nihilque aliud ſignificat, cùm per Iob ait: Circumdedi illud terminis meis, & poſui

Iob. 38. 10.

A & poſui vectem & oſtia, & dixi: Vſque huc venies,& non procedes amplius,& hîc confringes tumentes fluctus tuos.] Quinam ſunt termini maris? Qui vectes & oſtiá, quibus eius ira comprimitur? Illi profectò,qui ſtatim explicantur. Dixi, vſque hac venies. Solum enim præceptum Dei,quod etiam inſenſibilia audiunt, cui rationis expertia obediunt, illud tenet,& ne terram habitabilem obruat,in mobili arena concludit. At linguã, vt eam cohiberet, ori,id eſt,perpetuo carceri,mancipauit, & quaſi in cauea collocauit,dentibúſque, quaſi fortiſſimis militibus, communiuit. Nec ſolùm hac cuſtodia circumdedit,ſed & compedibus ac catenis vinxit (quæ ſunt varia ligamenta, quorum gratiâ,lingua dicta eſt) & ſaliuâ,quaſi cœno, inuoluit,vt minùs facilè poſſet officere. B Et quia hæc necdum ſufficiunt, intellectu regit,& gratia protegit,ne terminos iuſtitiæ tranſiliat. Vides linguam à Deo ipſo ligatam & domitam? Sed qui eam probè cognoſcunt, maiorem illi in dies ab ipſo Domino adhiberi cuſtodiam cupiunt.

Eccl. 22. 33. Quamobrem Eccleſiaſticus orans & optans, ait: Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum,vt non cadam ab ipſis, *Pſal. 140. 3.* & lingua mea perdat me?] Et Dauid: Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.] O ſancti & ſapientes viri,quid petitis? Nonne linguam dentibus & labiis, tanquam muris fortiſſimis,ſatis cuſtoditam habetis? Adhuc reſpondent;eius crudelitatem timemus,quia labiis & dentibus occluſa lingua ſolet ingentia damna inferre C mortalibus, & ideo maiorem cuſtodiam poſtulamus. Signaculum autem certum & oſtium circumſtantię,idem mihi ſignificant,id eſt,debitam circumſpectionem: quam Deus ponit,ſine quo incertæ & inutiles prouidentiæ noſtræ: & homo ponit, quia *Eccle. 18. 29.* debet linguam ſuam diligenter obſerare. Cui in Eccleſiaſtico dictum eſt: Ori tuo facito oſtia & ſeras:& verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos,& attende ne fortè labaris in lingua.] Oſtium, dicit, vt faciamus ori,& non murum, quemadmo*Hugo. 2. de clauſtro animæ, c. 10.* dum notauit Hugo:quia non omnino loquendi facultas negatur, ſed illicitus linguæ vſus prohibetur. Iure ergo viri iuſti linguam adeò timent, quoniam inquietum malum eſt ex vno peccato ſaltans in alterum, & ex vna detractione aut maledictione in D aliam proſiliens. Inquietum malum,non in eo,qui ſtultè loquitur,ſe continens,ſed nunc hunc audientem,& ſtatim illum, & poſtea omnes in ſimilia verba deiiciens. Eſt quoque plena veneno mortifero, ſcilicet peccatis,quæ iam retulimus,& omnium iur*Pſal. 13. 3. Pſ. 139. 4.* giorum & rixarum ſeminarium. Cuius cauſa de impiis dicitur, quòd eorum os amaritudine plenum eſt:& venenum aſpidum ſub labiis eorum.] Quis neget linguam,membrum peſtilens eſſe? Quæ, vt *Bern. lib. de interiori domo, c. 50.* Bernardus ait,ligat,& ligari non poteſt,labilis eſt, & teneri non poteſt,ſed labitur, & fallitur. Labitur, vt anguilla;penetrat,vt ſagitta;tollit amicos, multiplicat inimicos, mouet rixas,ſeminat diſcordias. Vno ictu multos percutit,& interficit. Blanda eſt,& ſubdola,lata,& parata ad exhaurienda bona,& miſcenE da mala.] Quis ambigat,eam plenam eſſe veneno, quæ non iam ictu, ſed ſibilo ferit,& miſerum ſuſurrationibus audiendis intentum interimit?

Sed hæc omnia poſtremo linguæ malo vincuntur,quia eſt velut quoddam monſtrum,quaſi ex naturis oppoſitis coagmentatum. Annon prodigij loco haberetur, ſi idem omnino fons aquam dulcem & amaram emitteret? Annon eſſet oſtentum, ſi ficus vuas faceret,aut vitis ficus? Annon homines præ admiratione ſtupefierent,ſi viderent aquam ſalſam per A ſe,in dulcem aquam conuerti, aut dulcem in amaram commutari? At hæc omnia prodigia in vnam tantùm linguam conueniunt. Eâ enim Deum benedicimus,& homines ad Dei imaginem factos maledictione proſcindimus: eâ veritatem & falſitatem, ſermones vtiles & noxios proferimus. Ac propterea dictum eſt à Salomone: Mors,& vita in manibus *Prou. 18. 21.* linguæ:qui diligunt eam, comedent fructus eius.] Quia videlicet lingua bona, loquens vitam & fructus vitæ;& lingua peſſima,loquens mortem, & fructus mortis ſubminiſtrat. Lingua quoque vt arbor bona,à Deo creata eſt,vt bonos fructus veritatis ferat, & vt aqua dulcis, quæ bonis conſiliis maculas proximorum abſtergat, & tamen culpâ & incuriâ hominum fructus mendacij facit, & prauis conſiliis B audientes ad peiora conuertit. Optimè itaque ille philoſophus,quem Plutarchus refert, interrogatus, *Plutar. li. de audiendo.* quid eſſet in victimæ carnibus optimum & peſſimum,linguam oſtendit,quam,ſi bona loquatur, vt principium multorum bonorum, optimam dixit, &, ſi mala proferat, vt ſeminarium omnium malorum, peſſimam pronuntiauit. Egregiè quoque *Chryſ. hõ. 4. ad Baptizandos. To. 3.* Chryſoſtomus: Media vtriuſque partis lingua eſt, & ſi vtriuſque eſt, tu dominus es. Nam & gladius in medio poſitus, ſi quidem fuerit aduersùs hoſtes arreptus, ſalutaris accipienti reperitur: ſi verò tenentis viſceribus inferatur, mortem præparat inferenti: non quia talis ferri natura, ſed quia vtentis tale conſilium eſt: ita & lingua æſtimetur gladius in medio poſitus. Armetur aduersùs pecC cata tua,non ad fratris plagam præparetur.] Et hanc linguæ qualitatem Dominus exponens, ait: Ex *Matth. 12. 37.* verbis tuis iuſtificaberis,& ex verbis tuis condemnaberis.] Quia ſi fons iſte ſermonum,puram aquam ſanctorum verborum ſcaturierit,ad loquentis iuſtificationem conferet,ſi verò ex illo aqua fœtida prauorum verborum eruperit, ad eiuſdem damnationem conducet. O igitur monſtrum admirandum, quod ex vna quidem parte pulcherrimum, ex alia verò turpiſſimum apparet! ex illa vitam promittit,ex iſta mortem irrogat! ex illa amiciſſimum nobis & vtiliſſimum,ex iſta autem inimiciſſimum & infeſtiſſimum inuenitur! Linguam Deus bonam & naturæ congruentiſſimam fecit, quia ad neceſſariam manifeſtationem ſenſuum noſtrorum, eam in ore colloD cauit,ſed nos monſtrum & oſtentum fecimus; quia illi,quas Deus non fecit,culpas addidimus. Ipſa de ſe bona eſt,ſi eius naturam conſideres,quia pars noſtro corpori debita, ſine qua in multis rebus muta animantia imitaremur. Ipſa quoque,ſi ad mores referatur,media ſeu indifferens eſt,quam poſſumus in bonum & in malum voluere. At incautis & incircũſpectis hominibus peſſima eſt,quia eâ ad omnem perniciem & iniquitatem ſe armant. Nam quis, *Nazian. orat. de Quadrageſima.* vt Nazianzenus ait,quot mala ex ea oriantur, oratione conſequi poſſit? Domum cum domo, ſi ita voluerit, vrbem cum vrbe, principem cum populo, populum rurſus cum principe, ſtatim ac ſine vllo negotio committit, non aliter atque igniculus ſtipulæ admotus, in magnum incendium citò excreE ſcens. Conuictores, filios,parentes, fratres,amicos, vxores, maritos, omnes denique perfacilè in mutuam perniciem armat. Sceleratum hominem bonum aſſerit;bonum contrà calculo ſuo perdit, ſubindéque ſententiam ſuam retexit, atque inuertit. Quis parem linguæ vim habet? Quamuis ea tenuis & exigua ſit,nulli tamen rei tantùm roboris ineſt.] Hæc ille. Si tantum malum eſt lingua, & tam multiplex malum,non naturâ ſuâ,ſed vitio noſtro,oportet,vt peruigili cura eam cohibeamus,& eius ſuper-

ſlua, non gladio ferreo, ſed gladio mortificationis A reſecemus.

De Peccatis Linguæ in ſpeciali, quæ ſunt abneganda.

CAPVT XI.

Iacobi 3. BEATVS Iacobus Apoſtolus linguam, vt vidimus, ſoon comparauit, ex quo dulcis aqua diuinarum laudationum, & amara multorum peccatorum, emanat. Ad nos autem, qui linguæ ægritudinibus mederi volumus, non pertinet nunc, rationem laudandi Dominum, illam edocere (quod ſuum inferiùs habebit tractatum) ſed tantùm à peccatis & lapſibus auoca- B
Tom. 3. li. 21. p. 2. re. Communia ergo linguæ peccata in medium proferenda ſunt, & ſtatim remedia pro eorum curatione deſcribenda, quibus hæc exterioris mortificationis tractatio concluditur. Nec polliciti ſumus, omnia huius membri delicta proponere, quod immenſi laboris eſſet, & ſcopum noſtræ tractationis excedit, ſed tantùm illa, in quæ etiam iuſti ſolent incidere. Quare nunc hæreſes, blaſphemias, periuria, infamationes proximorum, contumelias, diſcordiarum ſeminationes, dolos & deceptiones in re graui, & alia ſimilia monſtra taceamus; & ea ſolùm, quæ ſolent inficere timoratas conſcientias, explicemus. Hæc verò duobus poſſunt comprehendi; nam aut dicimus, quæ dicenda non ſunt; aut tacemus, quæ C
Gregor. 3. mor. c. 8. dicenda ſunt. De quibus Gregorius ſic ait: Duobus modis labiis delinquimus, cùm aut iniuſta dicimus, aut iuſta reticemus. Nam ſi aliquando &
Iſaia. 6. 5. tacere, culpa non eſſet, propheta non diceret: Væ mihi, quia tacui.] Solùm probat Beatus hic Pater ſilentio & taciturnitati culpam ineſſe: quòd verò loquelæ culpa ſæpiſſime adhæreat, ideo non probauit, quia apud omnes certum eſſe cognouit. Siquidem cùm bona dicimus, ex multitudine tantùm verborum peccamus: vt conſtat ex illo Salomo-
Prouer. 10. 19. nis: In multiloquio non deerit peccatum: & cùm ſanam doctrinam effundimus, delinquimus, ſi non ordinatè & debito fine proximos edocemus. Quin & delicto non vacat, (quod certè abſque timore & rubore ſcribendum non eſſet,) ſi quæ aliis ingerimus, nequaquam aut ſopore aut deſiderio præſta- D mus. Quod idem Salomon aureo prouerbio confir-
Prouer. 14. 23. mat: In omni opere erit abundantia: vbi autem verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas.] Eſt ac ſi diceret: non in loquendo, ſed in agendo virtus ſita eſt: nec iuſtus eſt, qui bona dicit, ſed qui bona bene actione complet. Quod patentiùs docuit Domi-
Matth. 7. 21. nus: Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, hic intrabit in
Matth. 23. 4. regnum cælorum.] Et ob eandem cauſam illos reprehendit, qui verbis ſuis alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere.] O quantum iudicium nos manet, qui multa dicimus, & pauca complemus; at ſaltem ad nonnullam excuſationem E noſtram multa præſtare cupiamus. Sed relinquamus iſta, & conſideremus, quòd ſi in ipſa quoque loquutione boni, culpa ſe immiſcet, quanto magis in locutione malorum & inutilium, dominatum obtinebit? Poſſumus ergo dupliciter lingua delinquere: nimirum ſi mala aut bona non bene dicimus, aut ſi bona, cùm oportet proferre, tacemus. At quia hæc nimis generalia ſunt, ad ſpecialia, & eo ipſo magis vtilia, deſcendamus.

Primum linguæ peccatum, Detractio, §. 1.

DElinquit igitur lingua, primò, ſi adhuc de rebus leuioribus fratrum detrahat, & ſe non à leuiſſima quoque murmuratione cuſtodiat. Peſſimum vitium eſt, detractio, quam peſſimus pater genuit, & ſordidiſſima ac putidiſſima mater parturiuit. Pater detractionis eſt, peruerſus appetitus, ex corruptione naturæ progenitus, quo ad geſta aliorum carpenda, & vitas fratrum rodendas inclinamur: Mater eſſe ſolet inuidia, qua de bonis aliorum dolemus: aut ſuperbia, qua ipſos in corde noſtro deſpicimus. Ex his autem parentibus, quæ ſoboles niſi peſſima & abſurda ſuccreſcit? Certè magna eſt detractionis fœdi- B tas, quam Dominus ad incutiendum nobis timo-
Numer. 12. 10. rem, oculis etiam carnalibus patefecit. Cùm enim Maria, ſoror Moyſi fratri ſuo mitiſſimo detraxiſſet, apparuit [candens lepra, quaſi nix:] non ſolùm profectò, vt detractionis pœnam ſentiret, ſed vt in qualitate pœnæ illi illatæ, Dominus huius vitij fœditatem demonſtraret. Nam ſicut lepra carnem depaſcit: ita detractio mentem detrahentis inficit, atque conſumit. Hoc autem fuiſſe conſilium Dei, Ephræm
Ephr. de morbo linguæ. manifeſtè fatetur: Deſcriptione Mariæ Propheteſſæ, nobis veritatis exemplum exhibuit. Nam apertè corpus illius lepra occupauit, quia clam lepra peccati animam ſuam infecerat. Ex manifeſto eius malo peccatum innotuit, quod latebat. Ex teterrima il- C lius lepra docemur, quàm graue ac deteſtabile vitium ſit, obtrectatio. Corpus, quod lepra infectum cernebatur, velut ſpeculum quoddam fuit animæ, quæ non perſpiciebatur, cuius indicabat maculam: Ex illa carnis corruptione patefactum eſt, quomodo hominis maledici ac detractoris corrumpatur animus. Per hominem verò exteriorem, hominem ſuum interiorem intellexit: Nam ſicut illa defecerat à fratre ſuo, ita & ab ipſa proprium corpus defecit, vt ex ſemetipſa charitatem addiſceret.] Hæc ille. Optima eſt lepræ & detractionis comparatio, quia ſicut lepra omnes corporis partes inuadit; ita detractio totum detractorem exedit. Cor detractoris percutit,
Luca. 6. 45. iuxta illud, quod ſcriptum eſt: Malus homo de malo theſauro cordis ſui profert malum.] Ipſa detractio hominem malum fecit, & abditum cordis D eius peſſimum reddidit. Linguam inficit: vnde Ec-
Eccle. 51. 7. cleſiaſticus laudans Dominum dicit: Liberaſti me à lingua coinquinata, & à verbo mendacij.] Quid enim, niſi detractio linguam contaminat, quæ omnes ſordes, id eſt, peccata, & defectus fratrum ſub detractoris lingua recondit: Virtutes deſtruit, ſe-
Eccli. 28. 21. cundùm illud: Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet oſſa.] Oſſa enim, ſecun-
Greg. in Pſal. 3. pœnit. dùm Gregorium, virtutes ſignificant, quas lingua maledici non tantùm in proximo eleuat, ſed & in ſemetipſo conſumit. Ac tandem detractio nihil ſanum in miſero detractore relinquit. Quare Paulus
2. Timoth. 2. 17. de detractoribus ait: Multum proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum, vt cancer, ſerpit.] Nam quemadmodum cancer, paulatim cuncta membra E corporis occupat: ſic detractio cuncta interiora corrodit.

Cùm tantum malum ſit detractio, à iuſtorum familiis penitus releganda eſt. Et vt dixit Baſilius de
Baſil. reg. 26. ex breuiorib. detractore, ac de illo qui detractorem auſcultat: Exterminandi à reliquorum ſocietate ambo: Detrahentem enim ſecreto proximo ſuo, hunc perſe-
Pſal. 100. quebar.] Et alibi dictum eſt: Detrahentem noli- to libenter audire, ne ſuſtollaris.] Nec homo ſe excuſet, dicens, quia de rebus leuiſſimis ac nullius ſe-

rè mo

rè momenti detrahit,& nunquã grauia crimina quæ inter ſuos fratres non videt,in medium profert.Hoc enim certa quadam ratione detractorem deteſtabiliorem efficit. Si enim fratres ſui iuſti ſunt,qui pro humana fragilitate leuia non vitant,quare illos non reueretur? quare illis maledica lingua non parcat? quare ſuperba mens, ipſorum vitam ob leues defectus & vix euitabiles, inuerecundè proſcindat?

Eccleſ. 10.20. In cogitatione tua,inquit Salomon, regi ne detrahas,& in ſecreto cubili tuo, ne maledixeris diuiti: quia & aues cæli portabunt vocem tuam,& qui habet pennas,annuntiabit ſententiam.] Quiſnam eſt hic rex,niſi iuſtus,qui ſe ipſum moderatur & regit? Quis diues, niſi qui virtutibus & meritis abundat? Sed huic detrahere, huic etiam in leuibus maledicere,inſignis inuerecundia eſt.Quia aues cæli,id eſt, Angeli, vt interpretatur Gregorius Neocæſarienſis, ſummo cælorum regi annuntiabunt verba detractoris, & innocentis infamiam.Hic autem ſupremus Dominus,qui pennas habet, quem nemo poteſt effugere, maledicum debita caſtigatione mulctabit. Quid refert, ô frater, quòd leuia tantùm canino dente rodis,ſi tuam maleuolentiam foues,ſi fratrem lædis,ſi pacem turbas,ſi charitatem diſſipas, ſi vnitatem ſcindis, ſi alios te audientes ſcandalizas? Tot mala in eos,qui te audiunt,aggeras,vt Eccleſiaſticus eum beatum prædicet,qui à lingua tua vulnus non

Eccl. 28. 23.24. ſenſit: Beatus, inquit, qui tectus eſt à lingua nequam, qui in iracundia illius non tranſiuit, & qui non attraxit iugum illius,& in vinculis eius non eſt ligatus:iugum enim illius,iugum ferreum eſt,& vinculum illius,vinculum æreum eſt.]Quid tandem intereſt,quòd leuia dicis,ſi hac detractione leuiorum, tuæ indignationi ſatiſfacis,aut tuæ inuidiæ vel ſuperbiæ reſpondes:ſi fratri,de quo detrahis,quantũ mali potes, liuore poſſeſſus infers:& ſi manifeſtum apud te teſtimonium habes,quia ſi grauiora de illo ſcires, grauiora propalares? Leuia dixi. Sed quid dicturus eras,ſi frater tuus Dei gratia protectus,ſolùm leues defectus haberet? Leuia dixi.Sed quæ prolaturus eras, ſi tantùm leuia mala de illo cognoſcis? Leuia dixi. Sed quid refert, ſi leui detractione fratris,bonam opinionem non leuiter denigraſti? Certum eſt enim, quòd leuia de viro graui & ſpirituali dicta, magis cum vulnerant, quàm hominem perditum grauia percellerent. Nolite igitur detrahere alterutrum,

Iacobi.4. 11. fratres mei,ait ſanctus Iacobus: Qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem ſuum, detrahit legi, aut iudicat legem.] Multoties namque quod de fratre ob ignorantiam noſtram detrahimus, lex non damnat,ſed approbat;non vetat,ſed laudat;non reiicit,ſed tãquam magis perfectum amplectitur.Quare dum opus fratris bonum,nos malum dicimus,legem,illud opus probantem,damnamus.Ac proinde cohibendus eſt maximè hic appetitus detrahendi,& de nullo malum pronuntiandum.Dicamus de proximo,quod bonum de eo dicitur:quod verò malum ab aliis profertur, ſupprimamus. Sic omnino fecerunt Apoſtoli, necdum ad magnam ſanctitatem adu̅ecti.Nam interrogati à Domino: Quem dicunt

Matth. 16.13. homines eſſe filium hominis?] non reſponderunt: Dicunt eſſe Samaritanum, aut dæmoniacum, aut potatorem vini;ſed ſic: Alij dicunt eſſe Ioannem Baptiſtam,alij autem Eliam,alij verò Ieremiam, aut vnum ex prophetis.]Imitemur illos,& defectus fratrum tacentes,bona tantùm eorum pronuntiemus. Maximè autem detractio maiorum & Prælatorum

Exod. 22.28. Pſal. 72. fugienda eſt. Scriptum eſt enim: Diis non detrahes,& principi populi tui non maledices.]Ne ſimus ex illis, [qui poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua

A eorum tranſiuit in terra.]Nam ſi per cęlos,miniſtros Domini,& per terram, iuſtos habitãtes in terra,cum Chaldaica paraphraſi intelligamus,quid infœlicius, quàm Deum,& eius vicarios, & iuſtos lingua percutere, & nos ab illorum conſortio per detractionem ſemouere?

Secundum peccatum linguæ,mendacium. § II.

DEinde peccat lingua, ſi mendacia,quæ officioſa dicuntur,id eſt,quæ nullum damnum afferant, vel iocoſa, quæ ad luſum dicantur, proferat: & vel leuiſſimè veritatem eloquij deponat:Si enim mendacium etiam pro ſalute aliorum prolatum, vt Auguſtinus,Gregorius,& Bernardus aiunt, & omnes *Aug. in Pſal. 5. Gregor. 18. mor. c 4.*

B Theologi vno ore clamant, peccatum eſt, quanto magis pro rebus nihili dicendum non eſt? Audi ex Dorotheo, quàm ridiculis ex cauſis ſoleant aliqui viri religioſi mentiri: Sermone,inquit, quis mendax eſt,cùm,verbi gratia,torpeſcens aliquis,ad nocturnas vigilias ſurgere, & ſibi ipſi parcens, non ait poſtmodum:da veniam obſecro pater, quia deſidia & negligentia non aſſurrexi, ſed febrem paſſus ſum & vertiginem,nec quiui vllo pacto ſurgere: deficiebam,debilis eram, caput dolebam,ſtomachi tormina patiebar.Et decies mentitur,ne vnam pœnitentiam agat,atque humilietur.Alius in aliqua re accuſatus,verba permetitur, expolit ſermonem, ne ferat accuſationem.Si quis item cum fratre contenderit, non ceſſat ſophiſticè arguere, & noxam omnem in *Bern. ſer. 31 ad ſororem. Doroth. doct. 9.*

C fratrem reflectere,dicens: Hoc tu dixiſti,hoc tu feciſti,non ego, atque alia plurima in hunc modum, ne humilietur. Alius quoque,cùm rem vllam deſideraueri,non audet apertè dicere, quòd eam deſideret,ſed circuitionibus vtitur,dicens: Hoc patior, hac re mihi opus eſt, hoc mihi debetur; & toties mentiri pergit,dum deſiderium ſuum expleat, dum voti ſui compos fiat.] Sic ille.Hæc & ſimilia mendacia non ſunt peccata grauia,ſed leuia, fateor: at ſunt,(ſi ſcienter dicantur)viliſſimarum mentium ſigna,ſi verò minùs aduertenter proferantur, mentium negligentium, & ſuam puritatem parum curantium indicia. Ideoque opprobrium & infamiam adiunctam habent. Vnde Eccleſiaſticus:

D Opprobrium nequam in homine mendacium,& in ore indiſciplinatorum aſſiduè erit.Potior fur,quàm aſſiduitas viri mendacis, perditionem autem ambo hæreditabũt. Mores hominum mendacium ſine honore;& confuſio iſtorum cum ipſis ſine intermiſſione.] Et ſanè mendaces ſemel cogniti,hanc ignominiam ſatis ſibi debitam ſuſtinent,vt ſemper audientibus ſuſpecti ſint,& nec in veris fides illis adhibeatur. An verò eam patienter ſuſtineant,neſcio: hoc autem vnum ſcio, quia viles ſunt, qui occaſionem mendacio præbent, vt ſibi credulitas denegetur. Omnia ficta apud homines contemptui habentur: quare mendaces æſtimari non poſſunt, qui fictionibus & ſimulationibus ſuis eos decipiunt, quibuſcum conuerſantur.Semper ergo veritas, licèt dolorem,aut ruborem ingerat,dicenda eſt, quia melius *Eccl. 20. 26. 27 28.*

E eſt dolorem aut increpationem ſentire, quàm mendacij vilitate notari.

Non pauca verò ſunt, quæ virum iuſtum ab hoc infami vitio auocant.Nam mendacia,etiam leuia & per iocum dicta, aduerſa ſunt legi Dei, ab eoque in ſcriptura prohibita. Qui enim dixit: Mendaciũ fugies.]Et, Non mentiemini,nec decipiet quiſque proximum ſuum.] Et,Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo; quoniam ſumus inuicem mem- *Exod. 23. 7. Leuit. 19. 11. Epheſ. 4. 25.*

Coloſſ. 3. 9. bra. Et, nolite mentiri inuicem.] Qui, inquam, hæc dixit, non propter ſola grauia mendacia, ſed propter quæcumque, ſiue grauia ſiue leuia, dicta eſſe voluit. Mendax diabolum imitatur, qui ad decipiendum Achab, ſeipſum inuitauit, dicens : *1. Paralip. 18. 21* Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius.] De eóque dictum eſt à Domino : *Ioann. 8. 44.* Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt & pater eius.] Similiter verò atque diabolus pater eſt mendacij, qui illud pronuntiare non timet. Et ſicut dæmon odibilis eſt Deo, ita mendax dignus eſt, quẽ ipſe Dominus auerſetur. *Eccl. 2. 14.* Væ duplici corde, ait Eccleſiaſticus & labiis ſceleſtis.] *Prouer. 12. 22.* Et abominatio eſt Domino labia mendacia.] Nec mirum: Quoniam cùm Deus ſumma veritas ſit, quidni mẽdacem abominetur? Multum autem confert ad deteſtationem mendacij (quod iam diximus) ab aliis mendacis dicta non ſuſcipi, neque eis fidem adhiberi. Quod pulchrè teſtatus eſt Ephræm, dicens : *Ephram de virtute & vitiis.* Miſer atque infelix, qui mendaciis addictus eſt, quoniam ab initio diabolus mendax eſt. Qui autem delectatur mendaciis, hic in verbis ſuis omnem perdit auctoritatem, odibilis enim Deo pariter & hominibus redditur. Et quis hominem mendacem non deploret? Hic enim in nullo opere probatur, & in quacumque reſponſione ſua ſuſpectus eſt. Hic rixas & iurgia in monaſteriis ſuſcitat, & in mutua familiaritate eſt, vt in ferro rubigo.] Hæc ille. Ne ergo, ô frater, vt Eccleſiaſticus ait ; *Eccl. 7.* velis vti mendacio vllo, ſed ante omnia opera quæ aggreſſus fueris, *Eccl. 37. 20.* verbum verax præcedat te :] attentè tua verba conſidera, & nihil dicas, quod falſitatis argui poſſit, & quod non punctum veritatis attingat. Roga Dominum cum Salomone : *Prouer. 30. 8.* Vanitatem & verba mendacia longè fac à me. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi; tribue tantùm victui meo neceſſaria.] Formido maximè, ò Domine, cor vanum, & rebus ſæculi addictum, ac linguam mendacem, quæ vt fugiam, deprecor, vt à multis opibus & mendicitate me liberes. Multæ enim opes, id eſt, multa naturæ dona, & hominibus mirabilia talenta, me fortaſſis in vanitatem deiicient: & multa mendicitas, id eſt, virtutis vacuitas, me, vt placeam hominibus, ad mendacium impellent.

Tertium linguæ peccatum, duplicitas. §. III.

DEficit etiam lingua, ſi verbis ambiguis loquatur, quæ in ſimplici & conſueto ſenſu, ab audientibus acceptantur, & in alio ſenſu à ſimulatore proferuntur. Quamuis enim ſecundùm Theologos liceat, iuſtitia charitatéve poſcente, aut proximi liberatione à graui malo poſtulante, verba quæ ſecundùm communem hominum vſum duas ſignificationes habent, in vna earum dicere, licèt in alia tyrannus aut iniquus iudex intelligat; tamen in communi conuerſatione, cùm licitè interrogamur, verba ab aſſueto ſenſu extrahere, & ad alienam ſignificationem retorquere, duplicitas eſt, & meritò ab audiente reputatur iniuria. De qua dictum videtur : *Eccl. 5. 11.* Omnis peccator probatur in duplici lingua:] quia ſicut duplex lingua, id eſt, vnum dicens, & aliud inuoluens, doloſum cor denotat: ita loquentem peccatorem demonſtrat. De eadem quoque poteſt & illud eiuſdem Sapientis intelligi : *Eccl. 37. 23.* Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt.] Ille namque propriè loquitur ſophiſticè; qui captioſis & fallacibus vtitur ſermonibus, vt vnum dicens, aliud perſuadeat. Et quidem hominis ambiguè & ſimulatè loquentis, ſicut eadem eſt culpa atque mendacis; ita eadem eſt pœna, vt ſemel cognitos ab aliis, in nullo ei fidem adhibeant. Quod idem Eccleſiaſticus ſtatim indicat, dum ſubdit : *ibid.* In omni re defraudabitur: non eſt illi data à Domino gratia, omni enim ſapientia defraudatus eſt.] Ac ſi diceret : Qui ambiguè & per ſimulationem loquitur, nullo honore dignus habebitur: nullam apud homines inueniet gratiam, quia, verbis ſuis falſam veritatem & mendacium verum amplectens, os ſuum vacuat omni ſapientia. Meritò proinde Laurentius Iuſtinianus de iuſtis loquens, ait : *Iuſtin. de vita ſolit. c. 4.* In eorum ſermonibus debet eſſe ſimplicitas copulata prudentiæ, vt non aliud lateat in corde quàm ſonet in ore.] Et Ambroſius : *Ambr. 3. officior. c. 9.* Turpis eſt omnis fraus. Denique etiam in rebus vilibus, execrabilis eſt ſtateræ fallacia & fraudulenta menſura. Si in foro rerum venalium, in vſu commerciorum fraus plectitur, poteſtne irreprehenſibilis videri inter officia virtutum?] Ne ergo conuictui humano obicem opponamus, qui certè hac ambiguitate loquendi maximè impeditur, ſimplicitatem in loquendo ſectemur. Cohibeatur lingua, & fræno mortificationis reprimatur, ne inuolutè & ambiguè ſenſus animæ proferat, ſed ſine vllo inuolucro ſimpliciſſimam & puriſſimam edicat veritatem.

Quartum peccatum linguæ, contentio. §. IV.

RVrſus delinquit lingua, ſi contentionibus vacet, ſi nimirum vel prætextu indagandæ veritatis, vel operis alicuius meliùs gerendi, vel alicuius commodi lucrive captandi, cum alio verbis contendat. Sanctus Abbas Iſaias, contentionem, omnium malorum ſeminarium putat : ait enim : *Iſai. orat. 8. To. 5 Biblioth.* Noli eſſe contentioſus, ne omnis in te habitet improbitas.] Vt ergo eam à lingua eliminemus, conſiderandum eſt, ita omnia cum fratribus eſſe tranſigenda, vt ſine pugna verborum finis optatus eueniat. Et, ſi quidem finis hic veritas fuerit, quam diſcurſu diſputationis inquirimus, vel illa neceſſaria eſt ad ſciendum, vel ad bene agendum, vel ad aliquod malum propulſandum : vel è contrario penitus neceſſaria non eſt, quam ſola ocioſitas, aut curioſitas, aut libido loquendi veſtigat. Si veritas neceſſaria eſt, tunc ex honeſto fine eam inueniendi, licet rationum momentis & aliorum auctoritatibus, cum modeſtia diſputare, non verò clamore, & incompoſito ſermone, & verbis arrogantiæ aut contumeliæ contendere. Id namque prohibet Paulus, dicens ad Timotheum : *2. Timot. 2. 14.* Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium.] Quo loco Anſelmus ait : Non ait Apoſtolus: Noli rationibus contendere, (id eſt, ad inueſtigandam veritatem diſputare, ſed noli contendere verbis, vbi procax garrulitas eſt.] Rurſúſque idem Paulus huiuſmodi contentioſos, imperfectos appellat. *1. Corin. 3. 3.* Cùm ſit, inquit, inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?] Si autem veritas nullius eſt momenti, vt ſi frater dicat aliquid manè dictum factúmve eſſe, cùm non niſi prope meridiem factum fuerit, & nihil omnino intereſt, qua diei hora contigerit, tunc nec rationibus nec verbis agendum eſt, ſed omnino tacendum, ne diſputatio, nulla neceſſitate ſuſcepta, in contentionem tranſeat, & aliquam turbationem aut inquietudinem gignat. Quod profectò monuit Eccleſiaſticus cùm dixit : *Eccl. 11. 9.* De ea re, quæ te non moleſtat, ne certeris. Pro re ſcilicet, quæ tua non intereſt, ne verbis cum alio contendas; ſed ſpiritum cohibe, & ab inanium

ſermonum

ſermonum contentione caue, ne pro eo, quod nullius momenti eſt, pacem ad tuum fratrem amittas.

Si verò aliquid operis agendum eſt, nullus prohibet, vt in ſpiritu lenitatis rationes afferantur, quæ illud ſic aut aliter faciendum ſuadeant: at cùm res iam ad contentionem procedit, ſilendum eſt, & aliis mediis, incommodo, ſi emergat, occurrendum, verba autem, & clamores omnimodis amputandi. Ita Abraham diſceſſione à cognato ſuo Loth ſimultates & rixas vitauit. Quare dixit illi: Ne quæſo ſit iurgium inter me, & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos, fratres enim ſumus.] In quem locum egregiè Chryſoſtomus: Quomodo rationi conſentaneum eſt, quòd homines, qui fratres ſunt, qui eandem naturam ſortiti, qui eiuſdem ſunt familiæ, qui eodem loco habitaturi ſunt, quos manſuetudinis, lenitatis, & omnis philoſophiæ doctores eſſe oportebat, inter ſe contendant, & digladientur?] Huc etiam pertinet illud Pauli: Nihil per contentionem neque per inanem gloriam.] Etſi enim operandum eſt & laborandum, nunquam tamen quicquam ob ſtudium contentionis, ſicut nec ob vanitatem, faciendum.

Gene. 13. 8. *Chryſoſt. hom. 33. in Geneſ.* *Phil. 2.*

Tandem, ſi commoditas aliqua aut lucrum intercedat, potiùs aliquid detrimenti ſuſtinendum eſt, quàm ad contentionem veniamus. Nam & Paulus vitio vertit Corinthiis, quòd in iudicio contenderint. Iam, inquit, omnino delictum eſt in vobis, quòd iudicia, id eſt, lites, habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini? Dominus quoque conducibilius cenſet, lucrum temporale perdere, quàm cum aliquo iudicio contendere. Qui tecum, inquit, vult contendere in iudicio, & tunicam tollere, dimitte ei & pallium.] Ac ſi diceret: Melius eſt, partem ſubſtantiæ ſurripere geſtienti, quicquid habes relinquere, quàm ad rixas & contentiones venire.

1. Cor. 6. 7. *Matth. 5. 40.*

Iuuabunt autem nos ad contentiones vitandas conſiderare, mala ex illis exorta, quæ Laurentius Iuſtinianus more ſuo pulchre ſcribit. Contentio eſt, inquit, ignita diaboli ſagitta ad perdendas animas. O quanta iurgia, quanta odia ex contentioſis oriuntur ſermonibus! O quoties veritas occultatur, & falſum pro vero defenditur timore confuſionis! Peſſimum namque malum eſt, contentioni vacare, per quam amicitiarum compago diſſoluitur, & animorum dulce vinculum diſſipatur. Qui contentioſus exiſtit, antiqui hoſtis in ſe immiſſiones admittit, diaboli miniſterium operatur, dirumpit pacem, rixas concitat, parit odium, furorem nutrit, denigrat honeſtatem, ſapientiam perdit, rationem confundit, oculum mentis obnubilat, gratiæ lumen repellit, fraternam dilectionem frangit, & ipſam cœleſtem in ſe occidit charitatem.] Sic ille. Iure optimo ſanè Eccleſiaſticus ait: Abſtine te à lite, & minues peccata:] quia ex vna contētione inter nos ſemel vniuerſa, quę hic ſanctus pater in vnum collegit, peccata manant. Nec ſolùm contentio cauſa peccatorum eſt, ſed & fructus peccati: ſolent enim contentionis verba ex appetitu inanis gloriæ procedere, aut ex immoderata cupiditate, vel ex duricie iudicij generari. Interdum ex ſola praua inclinatione promanant, qua quis pronus eſt omnibus ſe opponere; his, quæ dicuntur, contradicere, & eo ipſo quòd aliquid dictum eſt, vel vti falsò aut imprudenter dictum improbare. Hæc igitur vitia procul abiicienda ſunt, vt à contentionibus temperemus; & charitas ac modeſtia præ omnibus conſectanda. Tace frater, & linguam tuam nexibus ſilentij contine; nam ſi ad vitandam contentionem taces, non victus ab alio, ſed victor exiſtis, & actum inſignis humilitatis facis. Contentiones, &

Iuſtin. li. de diſciplina, & perfect. monaſt. conuerſat. c. 13. *Eccl. 28. 10.* *Tit. 3. 9.*

A pugnas verborum deuita; generant enim lites, & pro ratione tui ſtatus non lites quæris, ſed concordiam & pacem diligis. Honor eſt homini, inquit Salomon, qui ſeparat ſe à contentionibus: omnes autem ſtulti miſcentur contumeliis.] Ergo ſi honorem quęris, contentionem fuge: quia Deus pro te pugnabit, & homines te prudentem & cordatum iudicabunt, & immunis eris à multis verbis amaris, quæ inter contendendum proferres.

Prou. 20. 3.

Quintum peccatum linguæ, iactantia. §. V.

AD hæc peccat lingua per iactantiam, cùm ſcilicet quis ſe aut ſua verbis imprudenter extollit. Iactantiámque propriè ad vitia ſermonis pertinere, in B illa deſcriptione Hugonis apparet, qua dicit: Iactantia eſt, faſtu mentis id agente, maiora quàm ſint de te inaniter prædicare, & promittere. Dupliciter autem ſolet lingua hoc vitio delinquere. Primo quidem, cùm quis ſe ipſum & ſuos progenitores laudat, ſanguinis nobilitatem prædicat, & dona naturalia ſibi aut ſuis data magnificat. Quo, in viro religioſo, vix poterit aliquid vel imprudentius vel ſtultius inueniri. Vt nempe, qui ſæculum & ſæcularia deſeruit, ea laudet & exaltet, quæ contempſit. Et fortaſſis ſanctus Tobias ab hoc iactantiæ genere filium auocare voluit, cui hanc inter alias ſalutarem monitionem ingeſſit. Superbiam in tuo ſermone nunquam dominari permittas.] Eoque peccati genere infecti, apud Sophoniam, magniloqui ſuperbiæ appellan- C tur: quoniam ex tumore ſuperbiæ imus abdito, ſuperbi & elati ſermones exteriùs erumpunt. Secundo verò lingua per iactantiam deficit, cùm quis vel ſcientiam ſuam, vel virtutem, vel merita, vel labores pro Deo ſuſceptos exaggerat. Obliuiſcitur illius dicti Salomonis: Laudet te alienus & non os tuum, extraneus & non labia tua.] Et ideo non tam curat præſtare ob Dei gloriam, quæ alij laudent, quàm loqui in approbationem ſui, & minima, quæ agit prædicare. Optimè Paulus Apoſtolus, inanes ſui ipſorum laudatores irridet, cùm Corinthiis ſcribens ait: Non enim audemus inſerere, aut comparare nos quibuſdam, qui ſe ipſos commendant: ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos no- D bis.] Non audet ſe inſerere illis; quia dum iſti ſe laudant, merita ſua & mercedem accipiēdam euacuant. Nec dignum eſt, vt illis comparetur, qui in ſuo gradu conſiſtens gloriam Deo debitam non ſibi arrogat, & dum vanam laudem ab hominibus non quærit, veram à Deo ſibi laudem conciliat. Fugiendi ergo ſunt huiuſmodi ſermones, qui propriam continent laudem, & ſemper de nobiſmetipſis modeſtè loquendum, quia laus in proprio ore ſordet, atque vileſcit. Et non tantùm propria laus ſignum ſuperbiæ eſt, ſed etiam index inſignis ſtultitiæ: quam Dominus in Nabuchodonozore debita profectò ſtultitiæ pœna mulctauit. Nam cùm ille ſe de Babyloniæ ædificatione iactaſſet,] eadem hora ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infe- E ctum eſt.] In beſtiam ille commutatur, qui in tantam ſtultitiam procedit, vt ſe ipſum laudet, ac ſi ſuorum bonorum non Deus, ſed ipſe auctor exiſteret.

Hugo li. de fructibus carnis c. 4. *Tobiæ 4. 14.* *Sophon. 3. 11.* *Prou. 27. 2.* *2. Corin. 10. 12.* *Daniel. 4. 30.*

Illi verò primæ iactantiæ, qua nos de genere, de proauis, & de nobilitate laudamus, conſideratione humanæ vilitatis occurrimus. Quod remedium adhibuit Auguſtinus his verbis: De diuitiis, & honoribus, & maiorum nobilitate te iactas, & exultas de patria, & pulchritudine corporis & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur? Reſpice te ipſum, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis.

Aug.

Circum

quia eatenus illa tractata ſunt quatenus reperiuntur in iuſtis, qui in rebus leuibus ac parui momenti, aut detrahunt, aut mentiuntur, aut ambiguè loquuntur, aut contendunt, aut ſe iactant, aut minimè ſecreta cuſtodiunt. Hæc autem, quæ ſubiicienus, licèt minora, paruipendenda non ſunt; quoniam non minima detrimenta in profectum vitæ ſpiritualis important. Sed iam illa ſigillatim, ſicut & reliqua proſequamur.

Septimum linguæ peccatum, ſcurrilitas. §. I.

EST ergo ſeptimum peccatum linguæ, ſcurrilitas, iocoſáque dicacitas, quod eo pernicioſius & damnabilius eſt, quo magis debitæ ſeueritati religioſi ſtatus opponitur. Quis enim ferat, hominem animæ ſalutem curantem, & perfectionis conſequendæ ſolicitudinibus inhærentem, ſcurram agere, & verbis riſum prouocantibus cum aliis ociari? *Pſal. 139. 12.* Vir linguoſus, inquit ſanctus Dauid, non dirigetur in terra.] Annon linguoſus, qui non contentus ſermonibus ad ſuum ſtatum pertinentibus, ſcurrarum & blateronum verba corradit, & ſe inter ſeruos Dei non religioſum, non circumſpectum, non grauem, ſed prophanum, ſed impudentem, ſed quaſi ſcenam agentem oſtendit? Sed huic, neque in terra morientium, neque in terra viuentium, res ex voluntate ſuccedet. Nam in hac vita ab audientibus vilis planè & ſtultus putabitur, & in futura, vt pœnas luat, acri igne purgatorij comburetur. Dicat tibi Chryſoſtomus, ô frater, quàm cum tuo ſtatu ſcurrilia depugnent? *Chryſ. hō. 17. ad Epheſ.* Tu verò, inquit, leuiter vrbanis facetiis iocularis? Quis athletarum ſtadium ingreſſus, relicta ſolicitudine cum aduerſario certandi, facetiis vtitur? Inſtat diabolus, circuit rugiens, vt rapiat, omnia mouet, ac tentat, omnia aduersùs caput tuum inuertit, extráque nidum eiicere te molitur, dentibus ſtridet, ac fremit, ignem ſpirat aduersùs ſalutem tuam; & tu ſedes facetias effundens, & quæ ſtulta ſunt, & ad rem non conueniunt, effutiens? Poteris itaque ipſum bene ſuperare? Et poſt pauca: Belli tempus eſt; & tu quæ tripudiantium ſunt, vſurpas? Non vides bella gerentium facies, quomodo ſint triſtes, contractæ, ſuperciliis terribiles, & horrore plenæ? Vidéſne aciem oculorum auſteram? Cor excitatum, ſaliens, & palpitans? Animum collectum, trementem, ac trepidantem? Vt multam diſciplinam rerúmque concinnitatem taceam. Itaque apud illos non licet verbum turpe dicere, immò ne loqui quidem temerè, multum ſilentij illis, qui in exercitu ſunt, ſibi inuicem mandantibus. Si ergo illi, quibuſcum ſenſibilibus & carnalibus hoſtibus, bellum eſt, quíque nihil ex ſermonibus noceri poterunt, tanto vtuntur ſilentio: tu, cui in ſermonibus bellum eſt, immò potior pars belli, eam tibi partem incautam relinques & nudam? An ignoras quòd hinc potiſſimùm pluribus inſidiis obruimur? Ludis, deliciaris, facetias dicis, ac riſum moues, nihil iſta curans?] Hæc & multa alia pulchre Chryſoſtomus. Verba hæc faceta & ſcurrilia graues etiam ſæculares auerſantur, quæ reputant ſibi prorſus indigna: quanto potiori ratione vir ſpiritualis declinabit, & ab his tanquam à minimè conuenientibus nocuiſque diffugiet? Similibus verbis, loquentis conſcientia fœdatur, & mens leuitate & vana lætitia polluitur. Simul etiam cum inanis admiſſione lætitiæ ſalutarem compunctionem, & cœleſtem conſolationem abiicit. Nam compunctio & cæleſtis conſolatio menti puræ, & ſeria ac ſalubria meditanti, non iocularia & leuia loquenti ſe inſerunt. Si autem, vt Saluator ait, ex abundantia cordis os loquitur; *Matt. 12. 34.* ludicrus ſanè & vilis eſt animus, quē ludicra riſumque mouentia ore effutire delectat. Conſecrasti os tuum Euangelio, inquit Bernardus, *Bern. lib. de conſiderat.* iam talibus aperire illicitum eſt, aſſueſcere ſacrilegium.] Quis tam acuto telo perculſus, à talibus verbis deinceps non abſtineat? Cùm planè irreuerentia ſit minimè toleranda, os, & labia diuinis laudibus promendis conſecrata, & prædicationi Euangelij dicata, ſcenicorum hominum verbis inficere, & ex eodem ſermonum fonte puriſſimam aquam veritatis, ac lutulentam ſcurrilium ſermonum proferre.

Rogo igitur te, quiſquis ſtatum & vitam ſpiritualem habes, ne nugis & iocularitatibus dicendis os tuum, Deo & rebus diuinis conſecratum, aperias. Hæc enim verba te apud fratres tuos contemptibilem reddunt. Quare dixit Salomon: *Prou. 10. 14.* Os ſtulti confuſioni proximum eſt:] quia inter iocularia verba vanus & contemptum, quo audientes illum deſpiciunt, nihil niſi cortina ſimulationis intenacet. Et ſi corda illorum, qui rident, videres, & tua verba tanquam ſcitè dicta concelebrant, ibi te deſpectum & nihili æſtimatum aſpiceres. Sæpe etiam apud illos non parum offendis, dum verbis mordentibus in aliquem defectum audientium impingis. Quod tetigit Eccleſiaſticus, dicens: *Eccli. 20. 13.* Sapiens in verbis ſeipſum amabilem facit; gratiæ autem fatuorum effundentur.] Annon gratiæ fatuorum ſunt ſales, lepôres, atque facetiæ, quibus ſæpe, velut ſagittis, audientium corda transfigunt? Sed hæc effundentur, id eſt, ab eo, qui audit, & pungitur, cum indignatione & non ſine ſimili dicterio, quod in fatuum retorqueat, repellentur, eúmque à ſua amicitia reiiciet. Nec facile eſt explicare, quàm graues ex his verbis ſint inter fratres ſimultates exortæ, & ſæpe ex ludo ad bellum; ex riſu ad luctum, & ex verbo nullius ferè momenti ad apertas iniurias contumeliáſque proceditur. Adeò vt quotidie verum reperiamus aliud dictum eiuſdem ſapientis: *Eccli. 20. 17.* Eſt odibilis, qui procax eſt ad loquendum.] Ac ſtatim: Qui multis vtitur verbis, lædet animam ſuam, & qui poteſtatem ſibi ſumit iniuſtè, odietur.] Iſtos procaces, qui voluptatem ex inſulſis verbis captatam, fratrum quieti præponunt, omnes odio habent, nec ſolùm proprias animas peccatis & ſcrupulis lædunt, ſed in offenſionem & iram aliorum incurrunt. Sint ergo tua verba ſeria, vtilia, & ab omni ſcurrilitate quàm alieniſſima, & qui te in communi etiam animi laxatione audierint, virum religioſum audiant, qui intra modeſtiæ & religionis limites, ad tempus curas abiicit; non ſcurram ſcenam agentem te eſſe coniiciat.

Octauum linguæ peccatum, ocioſitas. §. II.

OCtauum linguæ peccatum, ocioſitas dicitur, cùm ſcilicet verbum ocioſum inutiléque profertur. Quod licèt ſcurrilitate minus ſit, tamen prout fieri poterit, fugiendum eſt, quoniam ex illo ad maiora incommoda peruenitur. Sed intelligamus quod ſit verbum ocioſum, in cuius definitione Gregorius *Gregor. 7. mor. c. 18. & 3. p. cura paſto. admo. 15. Baſil. ebſtit. monaſt. c. 11.* Baſiliúſque conueniunt. Ille ait: Ocioſum verbum eſt, quod aut ratione iuſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret. Hic verò vberiùs, ſed ad idem pertinens: Verborum ea opinor vtilitas fuerit, ſi aut de virtute in loco diſſeratur, aut ſi rei alicuius, quæ facienda inſtet, vrgeátque vſum, ſer

A moaccommodetur, aut etiam denique ad audientium ædificationem referatur. Qui autem in alio quouis genere ſermonis verſentur, ij reiici, tanquam ſuperuacanei ac inutiles, debent.] Verbi autem ocioſi & ſcurrilis diſcrimen Hieronymus patefecit, qui ſic *Hierony.* ſcribit: Ocioſum verbum eſt, quod ſine vtilitate & loquentis dicitur & audientis: ſi omiſſis ſeriis, de rebus friuolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Cæterùm qui ſcurrilia replicat, & cachinnis ora diſſoluit, & aliquid profert turpitudinis, hic non ocioſi verbi, ſed criminoſi, id eſt, grauioris culpæ, tenebitur reus.] Sic ille. Habemus itaque quod ſit verbum ocioſum, quod ſcilicet ob nullam vtilitatem, nec ſpiritualem nec temporalem, prolatum eſt. Quòd ſi aliquam habeat, licèt non ex ſe, tamen B ex ordinatione loquentis, vt eſſet animi beneuoli, ei qui offenſionem ſuſpicabatur, oſtenſio: amicitiæ reconciliatio, ægroti recreatio, licèt aliquantulum facetum ſit, dummodo minimè regulas modeſtiæ tranſiliat, iam non ocioſum, ſed vtile reputabitur.

Quatuor verò ſunt præcipua, quæ nobis ocioſorum ſermonum timorem incutiunt. Alterum, quòd ipſi ſunt peccata, Deo ingrata, lege eius vetita, de quibus ſumus rationem reddituri. Neque iſtud ex alio quàm ex ore ipſius iudicis accepimus, dicentis: *Matt. 12. 36.* Dico autem vobis, quoniam omne verbum ocioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.] Quæ quidem ratio, in die iudicij & apud tam diſtrictum iudicem reddenda, non eſt parum formidanda. Quantámque ha- C beat timoris cauſam, animaduertit Baſilius his verbis: *Baſil. reg. breuit. interrog. 23.* In vniuerſum, omne verbum, quod ad propoſitum in Domino vſum non facit, ocioſum eſt: & adeò magnum eſt huiuſmodi verbi periculum, vt licèt genere ipſo, de numero bonorum ſit, quod dicatur, tamen, niſi ad ædificationem fidei dirigatur, (quo nomine omnes ſermones aliquo modo neceſſarios amplectitur,) nequaquam, propterea quòd bonum ſit, liber ſit à periculo, qui illud loquutus ſit: quippe qui videlicet ex eo quòd ad ædificationem illud non accommodauerit, contriſtaſſe noſcitur Spiritum ſanctum Dei.] Hæc ille. Si quis autem amator eſt Dei & Spiritus ſancti ipſum habitantis venerator, ſat ſcio, timebit, tantum hoſpitem vel in minimo contriſtare, minúſque reuerenter erga illum ſe D gerere.

Alterum nos à verbis ocioſis anocans eſt, facillimũ eſſe ex ocioſis ad ſcurrilia & noxia dilabi. Quemadmodum enim iter agens, dum paruum in lapidem offendit, ſolet occaſione illius paruæ offenſionis cadere, & ſeipſum grauiter vulnerare: ita modica offenſio verbi ocioſi, caſum in detractiones & ſcurrilitates inducit. *Prou. 25. 28.* Sicut vrbs patens & abſque murorum ambitu, ait Salomon: ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.] Nam dum ſe in minimis non cohibet, facilè ad damnabiliora procedit. Et qui circunſpectionis, & ſancti timoris vallo infirmos hoſtes non arcet, nullo negotio, fortioribus irrumpentibus ſe ſubmittet. Meritóque Henricus Harphius ex multiloquio, quo E nomine ocioſorum verborum intelligitur multitudo, multa mala oriri cenſuit. *Henri. li. 1. in Cät. p. 2. c. 35.* Multiloquium, ait, eſt argumentum inſipientiæ, miniſter mendacij, manuductor ſcurrilitatis & leuitatis, potator detractionis, extinctor compunctionis, conditor acediæ, diſſipator deuotionis, obſcuratio orationis, trigefactio caloris & feruoris, extinctor pacis, & euerſor totius rectitudinis.] Hæc ille. Verba illa Eccle- *Eccl. 28.* ſiaſtici: Sepi aures tuas ſpinis;] ſeptuaginta aliter

A tranſtulerunt! Nempe: Sepi poſſeſſionem tuam ſpinis; & aurum & argentum tuum alliga; & ori tuo fac oſtium & vectem; & verbis tuis iugum & ſtateram. Quâ ſententiâ monemur verba omnia noſtra ponderare, & nullum eloquium ſine examinatione proferre. Ad quem locum Ambroſius ait: *Ambr. 1 officio. c. 3.* Poſſeſſio tua, mens tua eſt. Aurum tuum, cor tuum eſt. Argentum tuum, eloquium tuum eſt. *Pſal. 11.* Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum.] Et poſt pauca. Alliga ſermonem tuum, ne luxuriet, ne laſciuiat, & multiloquio peccata ſibi colligat. Sit reſtrictior & ripis ſuis coërceatur. Citò lutum colligit amnis exundans.]

B Tertium verba ocioſa reſtringens eſt, quòd ea conſcientiam turbant, mentem obnubilant, & ſpiritum deuotionis extenuant. In libro quippe Numerorum ſcriptum eſt: *Numer. 19. 15.* Vas, quod non habuerit operculum nec ligaturam deſuper, immundum erit.] Iſtud autem vas hominem loquacem ſignat, cuius os nec circunſpectio tegit, nec funis timoris Domini deuincit, ne in vana & ſuperflua decidat. Qui immundus per legem reputatur, quoniam in illum ratò, aut nunquam precoſus liquor deuotionis inijcitur. Et Laurentius Iuſtinianus ait: *Iuſt. li. de diſcip. monaſ. c. 15.* Pacifica mens, cultrix Dei, & virtutum amatrix, atque in oratione piè ardentérque Domino aſtare deſiderans, prouidâ gubernatione intra clauſtra ſilentij cohibet linguam. Nihil enim ſic diſſoluit mentem, compunctionem diſſipat, confuſionem adducit, deni- C grat honeſtatem, & interioris guſtus dulcedinem tepefacit, ſicut inanis & præſumptuoſa loquacitas.] Hæc ille.

Quartum denique verba ocioſa maximè damnans eſt, quòd ipſa tempus auro pretioſius, quod nobis ad ſalutem animæ datum eſt, ſine ſpe recuperationis ſurripiunt. De quo verba Bernardi ſubiiciam, & quidem non tantùm lectione, ſed intenta conſideratione digniſſima: *Bern.* Volat verbum irreuocabile, volat tempus irremediabile, nec aduertit inſipiens, quid amittat. Liber confabulari, aiunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora! ô donec pertranſeat tempus! Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam ve- D niam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam, miſeratio conditoris indulget? Donec tranſeat tempus, quo diuinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem, aſpirare ad promiſſam fœlicitatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem? Sic nimirum ſit agricolæ, cùm diu deſiderata affuerit opportunitas ſeminandi: ſic vinitores cùm expectatum tempus putationis aduenerit, inueniſſe occupationes, & quaſi irreprehenſibiliter ſine opere diem tranſegiſſe lætantur? Sic inſtantibus nundinis inſtitores nectere moras, occaſiones quærere ſolent, ne quem fortè ſibi ex eis quæſtum prouenire contingat? Sic denique pauperes mendicantes, cum multis clamoribus euocatus tandem affuerit elee- E moſynarum diſtributor, diuerticula captant, & currentibus ſociis vacuos ambiunt occupare receſſus, & fouere latebras in angulis platearum? Vtinam tandem vel ſolùm tempus vitæ amitteretur in verbis; ſed multi in his etiam vitam amittere comprobantur, nec modò ipſi amittere, ſed adimere quoque & hoc fratribus ſuis.] Huc vſque ille. His ſententiam Hieronymi libet adiungere, in hunc modum ſcribentis: *Hiero. in ep. ad Galat. 6.* Breue eſt vitæ iſtius curriculum: hoc ipſũ quod loquor, quod dico, quod ſcribo, quod

emendo,

eitendo, quod relego, de tempore meo mibi aut creſcit, aut deperit. Titus filius Veſpaſiani, qui in vltionem Dominici ſanguinis ſubuertis Hieroſolymis. Romam victor ingreſſus eſt, tantæ dicitur fuiſſe bonitatis, vt cùm quadam nocte ſerò recordaretur in cœna, quòd nihil boni die illa feciſſet; dixerit amicis: Hodie diem perdidi. Nos putamus non petire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cùm ocioſum verbum loquimur, pro quo reddituri ſumus rationem in die iudicij? Quòd ſi hoc ille ſine lege, ſine Euangelio, ſine Saluatoris & Apoſtolorum doctrina naturaliter & dixit, & fecit; quid nos oportet facere?] Ne igitur aditum ſpiritui deuotionis occludamus, aut iam adeptam euacuemus, & ne in maiora incommoda dilabamur, & iudicium, ac cruciantem purgatorij ignem nobis paremus, (B) tempúſque pretioſiſſimum amittamus, neceſſarium eſt, linguam ab ocioſis ſermonibus mortificatione reſtringere, & ſpiritualium verborum amore cohibere. Neque enim, vt inquit Ambroſius, parui periculi eſt, de rebus ſæcularibus & ocioſis loqui, cùm tam mirabilia Dei opera habeamus, de quibus loquamur. Ac proinde ſtatuat iuſtus apud ſemetipſum cum ſancto Dauide: Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum; quia omnia mandata tua æquitas.] Et verba ocioſa & vana relinquat, ſiquidem præceptum Domini æquum iubet ab his temperare, & ſola vtilia verba proferre.

Ambr. in Pſal. 118. ſer. 22.

Pſal. 118. 172.

Nonum linguæ peccatum, imprudentia. §. III.

(C) NOn ſatis eſt, à malis & inutilibus verbis cauere, & bona dicere, niſi etiam bona bene dicamus, & prudentium circunſpectionem in loquutione ſectemur. Quamobrem nonum linguæ peccatum eſt indiſcretio vel imprudentia, cùm ſcilicet bona, quæ loquimur, aut noſtræ perſonæ aut ſtatui audientium non congruunt. De quo multa Hugo & Humbertus optimè; nos paucis ea colligemus. Debet ergo qui loquitur, ſuam perſonam, ſtatum, & ætatem conſiderare, & de his, quæ in ſe viderit conuenientia, loqui. Senes enim non imprudenter conſilia aliis inferioribus dabunt, ſi debitam modeſtiam teneant; iuuenes verò ſatis imprudenter & arroganter conſilia ac documenta dare præſumunt. Quibus in Prouerbiis dicitur: (D) Non decent ſtultum verba compoſita.] Pro quo Hebræa habent; non decet ſtultum labium excellentiæ vel auctoritatis: quia minori prudentia pollens; qualis eſt iuuenis, non debet conſilia prudentium vſurpare, nec ſe ad docendum ingerere. Ne tamen omnino iuuenes ab hoc honore excludamus, quos ſcimus frequenter ſupra ſenes tepidos intelligere, conſiderandum eſt, quia cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata; & multa ſanctum iuuenem decent, quæ ſenis ſuperbi & tepidi ſtatui officerent. Similiter ſapientes abdita difficilium quæſtionum ediſſerunt; indocti & idiotæ temerariè tentant exponere, quæ non aſſequuntur. Vnde & Salomon: Quomodo pulchras fruſtra habet claudus tibias: ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola.] (E) Id eſt, quemadmodum pulchræ tibiæ claudo non ſunt ornamento, quoniam illis rectè vti non poteſt; ita ſubtilis doctrina non congruit ori hominis imperiti, qui eam nonniſi inſipienter exponet. Item Prælatis datum eſt errata corrigere, & præpoſterè facta reprehendere: ſubditis verò pares ſuos reprehenſione ferire, nequaquam ordinariè conceditur. In hoc namque ſe maiores aliis faciunt, cùm maiores non ſint, & munus Prælatorum vſurpant.

Hugo. in inſtit. nouit. c. 13. Humbertus lib. 2. p. 3. c. 5. parte 3. idem.

Prou. 17. 7.

Sap. 4. 9.

(A) Oportet etiam expendere perſonam, cum loquimur. Nam vel cupimus ab eo inſtrui, vel ipſum noſtris verbis inſtruere. Si propriam inſtructionem quærimus, illum interrogemus, audiamúſque, ex cuius doctrina, vel ob maiorem ſcientiam, vel ob ſublimiorem virtutem, vel ob liberiorem ab affectibus animum, aliquem profectum haurire confidimus. Ideóque Eccleſiaſticus ait: Cum ſtulto ne multum loquaris:] atque adeò cum illis loquendum ad accipiendam eruditionem eſt, qui nos ſcientia & virtute præcedunt. Si verò alium inſtruere peroptamus, ille talis ſit, quem ſperemus noſtris monitionibus poſſe corrigi: & nos tales ſimus, ne ob teneram virtutem timeamus prauis eius ſuggeſtionibus poſſe corrumpi. Illud ſonant verba (B) Salomonis: In auribus inſipientium ne loquaris: quia deſpicient doctrinam eloquij tui.] Et rurſus: Noli arguere deriſorem, ne oderit te. Argue ſapientem, & diliget te.] Et Dominus ait: Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis.] Iſtud verò ſignificat illa ſpiritus diuini ſententia: Verba impiorum inſidiantur ſanguini.] Illa quoque: Verbum nequam immutabit cor, ex quo partes quatuor oriuntur: bonum, & malum; vita, & mors.] Et quidem licèt ſuperfluum ſit illum admonere, quem nequeas corrigere; peſſimum tamen eſt cum illo verba miſcere, qui te valeat ad malum pertrahere. Ibi enim labor ſermonis perditur, hîc verò profectus noſter perditur; immò & ſalus ipſa animæ (C) periclitatur.

Eccl. 21. 14.

Prou. 23. 9.

Prou. 9. 8.

Matt. 7. 6.

Prou. 12. 6.

Eccl. 37. 21.

Tandem videndum quid & quomodo cum fratribus verba faciamus. Nam non tantùm bona dicenda ſunt, ſed quæ materiæ, de qua agimus, congruant, & audientium capacitati conueniant. Dicenda ſunt apta inchoatæ diſputationi, quæ ſcilicet illi lucem afferant: quæ animum ad amplectendum id, quod tractatur, vel fugiendum, pro rei exigentia, conferant; quæ falſitatem ſe ingerentem, expellant: Si hæc non ſupperant, tacendum eſt, iuxta illud. Si eſt tibi intellectus, reſponde proximo: ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiaris in verbo indiſciplinato.] Dicenda ſunt etiam, quæ auditores capiant, & quæ ſuæ capacitati accommodata non difficulter intelligant. Cuius rei Dominus ipſe magiſtrum ſe (D) præbuit, dum dixit: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.] Iure altiora conticuit, & tantùm accommoda captui auditorum expreſſit, ex quo diſcimus non minoris imprudentiæ eſſe ſublimiora mentibus abiectis proponere, quàm iumentum ſupra vires à natura conceſſas onerare.

Eccl. 5. 14.

Ioan. 16. 12.

Modus quoque in his, quæ loquimur, tenendus eſt: vt ſcilicet modeſtè, humiliter, demiſsè, ſuauiter, verè dulcitérque loquamur. Modeſtè loquimur, ſi nullus motus minùs ordinatus oculorũ, manuum, aut aliorum membrorum, ſermonis placiditatem imminuat: iuxta illud: Fons vitæ eruditio poſſidentis:] ipſam ſcilicet eruditionem, vt interpretatur Beda, quia eam quaſi poſſeſſor moderatè & non (E) præcipitanter effundit: [doctrina ſtultorum, fatuitas,] quoniam illam ſtultis motibus ingerit: [Cor ſapientis erudiet os eius,] vt recta rectè proferat, [& labiis eius addet gratiam.] Fauus mellis, cõpoſita verba,] id eſt, decenter prolata: [dulcedo animæ, ſanitas oſſium.] Humiliter loquimur, ſi nullum elationis aut arrogantiæ ſignum, noſtræ doctrinæ ſimplicitatem inficiat. Excelſa enim ſtulto ſapientia, in porta non aperiet os ſuum.] Ac ſi diceret ſapiens: Stultus doctrinam ſuam excelſis ſermonibus

Prou. 16. 22. 23. 24.

Prou. 24. 7.

venditat,& arroganter declarat,ac propterea in porta, in conuentibus, in locis publicis contemptui habebitur, adeò vt iam os aperire non audeat. Atque id ſuperborum eſſe docet idem Salomon, dicens: *Prou. 18. 23.* Cum obſecrationibus loquetur pauper:& diues,] id eſt, qui ſe diuitem iactat, [effabitur rigidè.] Demiſsè verba facimus, cùm vox importunis clamoribus caret,& immoderato ſtrepitu auditores non terret. De *Iſa. 42. 2.* quo per Iſaiam laudatus eſt Dominus: Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox eius foris.] Ita, inquam, vocem ſuam moderabitur, vt nunquam clamoribus agat, nec in plateis more vilium hominum, cum aliis rixetur. Idémque monet *Epheſ. 4. 31.* Paulus: Omnis clamor,inquit,& ira, & amaritudo auferatur à vobis.]Suauiter ſermocinamur,cùm prolationis aſperitas aſtantium aures iniucundè non ferit. Quod etiam in ſtultis, non in viris prudenti- *Prou. 18. 6.* bus, inueniri, teſtis eſt Salomon: Labia ſtulti miſcent ſe rixis, & os eius iurgia prouocat.] Ex quo quale capiat emolumentum, aperit ſtatim, ſubdens: Os ſtulti,contritio eius; & labia ipſius,ruina animæ eius.] Veraciter dicimus, ſi ſermonem noſtrum ob falſitatem aut ambiguitatem nemo con- *Prou. 19. 5. inf. n. 8.* temnat. Qui enim mendacia loquitur, non effugiet. Et qui tantùm verba ſectatur, id eſt, ornatum verborum, & non veritatem ſequitur, nihil apud alios honoris, neque apud ſe fructus ſolidioris habebit. Demum dulciter loquimur, ſi veritatem, non ſine ratione, nec ſine delectatione prolatam, libenter auditores ſuſcipiant. Vnde ſcri- *Eccl. 6. 5.* ptum habemus in Eccleſiaſtico: Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: & lingua euchatis, id eſt, gratioſa, in bono homine abundat:] id namque præter alia conſequetur, vt alij ei dulciter & blandè reſpondeant. Hæc omnia vitia in ſermonibus rerum bonarum facilè attendi poſſunt, quæ contrariis documentis à nobis propoſitis, cenſura mortificationis in lingua viri ſpiritualis expoliat. Quod faciet, ſi naturam gratia & induſtria, etiamſi aliquam moleſtiam ſentiamus, emendet.

Decimum linguæ peccatum, importunitas. §. IV.

EX alia etiam parte poteſt bonis ſermonibus admiſceri peccatum, ſi illi non in loco debito, aut inconuenienti tempore proferantur. Et ideo decimum linguæ peccatum vocatur à nobis importunitas, cùm ſcilicet quis ad loquendum, nec loci nec temporis commoditatem obſeruat. Ergo vt importunitatem fugiamus, locus in primis inſpiciendus eſt, an verbis & ſermocinationi det locum. Quidam enim locus perpetuum ſilentium exigit, vt Eccleſia, in qua orationi & diuinis laudibus vacandum eſt, & à colloquiis penitus temperandum. Ad quod celebre eſt dictum Augusti- *Aug.* ni: In Oratorio nihil agendum eſt, præter id ad quod factum eſt: Nec decet ab hoc loco ſine magna reprehenſione mei ipſius aliorúmque diſcedere: qui ſæpe in choro, dum tempus pſallendi tantiſper expectamus, linguam ad proferenda minimè neceſſaria diſſoluimus, cùm tamen debuiſſemus taciti, & timore ac reuerentia pleni noſipſos ad orandum parare, & ante diuinam maieſtatem, non confabulantes ſed trementes aſſiſtere. Seraphim aſſiſtentes Domino, dum Iſaiæ in templo per viſio- *Iſa. 6. 3.* nem apparuit, timore concuſſi & amore ſuccenſi clamabant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum:] & nos eidem Domino in templo frigidi & minimè trepidi aſtamus, & de rebus confabulamur, nec erubeſcimus? Tanta irreuerentia inulta non erit. Alius locus diſputationibus & veritatis inquiſitioni deputatus eſt, & in eo licet diſputare, interrogare, reſpondere, & quicquid ad docendum vel diſcendum confert, ſermone proferre. Alius item locus exhortationibus & ſpiritualibus colloquiis deſtinatur, in quo licitum, iuxta perſonarum qualitatem, aut dicere, aut tacentes audire. Ac demum ſunt loca communia, in quibus de rebus exterioribus, neceſſariis tamen aut vtilibus, non negatur loquendi facultas. Cùm verò nullus locus verbis otioſis & iocularibus deputetur, relinquitur hæc eſſe omnino ab ore ſpiritualium virorum releganda, & ſola neceſſaria aut vtilia, pro loci exigentia, in medium proferenda.

Tempus etiam conſiderandum eſt, an locutionem admittat, quod tanti momenti eſt, vt ex eo ſolo non obſeruato, verbum noſtrum, malum reddatur. Multáque ſunt in prouerbiis, quæ verbi tempeſtiuè prolati virtutem & pulchritudinem declarant. Vt illud: Mala aurea in lectis argenteis, qui loqui- *Prou. 25. 11.* tur verbum in tempore ſuo.] In quam ſententiam *Beda ibi.* Beda ait, huiuſmodi verba eſſe mala; quia de arbore vitæ, hoc eſt, de Dei ſapientia orta: & aurea; quia charitatem menti audientium infundunt: & in lectis argenteis; quia requiem præſtant animabus audientium, & ſplendore fulgent veritatis. Item & illud: Ex ore fatui reprobabitur parabola; quia non *Eccl. 20. 22.* dicit illam in tempore ſuo.] Et homo ſapiens tacebit *Eccl. 20. 7.* vſque ad tempus: laſciuus autem & imprudens non ſeruabit tempus.] Aliquando ergo tempus loquendi non eſt, vt cùm ex præſcripto regulæ ſilentium indicitur: cùm alius cœpit loqui, nec decet, vt noſtra loquela ſermonē eius interrumpat: cùm non habemus in promptu quod loquamur. Nam & ſtul- *Prou. 17. 28.* tus quoque, ſi tacuerit, ſapiens reputabitur, & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens.] Similiter tacendum eſt, cùm irati ſumus, & affectu indignationis poſſeſſi minùs ordinatè loquemur. Vnde Dauid: Obmutui, *Pſal. 38. 3.* & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt.] Atque etiam cùm alij immoderato affectu deuincti, noſtram admonitionem ſpernent, aut non cum fructu ſuſcipient. E contrà, aliquando eſt tempus loquendi, cùm obedientia iubet, cùm charitas poſcit, cùm neceſſitas vrget, cùm vtilitas ſperata ex verbis, fructum non contemnendum promittit. In his temporibus loqui ſecundùm virtutem eſt, nec apud Dominum mercede carebit. Studium ergo mortificationis, locum tempúſque perpendat, & verba aut loco aut tempori incongrua præcidat.

Vndecimum linguæ peccatum, irreuerentia. §. V.

ALius linguæ defectus irreuerentia dicatur: qua quis maiori non defert, aut erga alterum, quem in veneratione habere par eſt, aut erga rem, quam tractat, reſpectum debitum non cuſtodit. Eſt namque maiori aut ætate aut dignitate deferendum, & ſæpe coram illo, niſi interrogemur, à ſermonum prolatione ceſſandū. Eccleſiaſtici enim vox eſt: Priùs quàm *Eccl. 11. 8.* audias, ne reſpondeas verbum; & in medio ſeniorum ne adiicias loqui.] Aut ſi legamus ſermonem, vt omnino legendus eſt, ad idem poteſt referri; Ne, ſcilicet, cùm maior loquitur, interrumpamus eius ſermonem, ſed attentè illum auſcultemus. Eandémque vocē ſeruabant cōciues ſancti Iob, de quibus ipſe ait: Qui me audiebant, expectabant ſententiā, & intenti *Iob 29. 21.* tacebant ad conſilium meum. Verbis meis addere nihil audebāt, & ſuper illos ſtillabat eloquium meum.] Et Proſper, temperantiæ officiis hanc maiorum ad

verba

verba pertinentem venerationem adiungit: Temperantiæ eſt, inquit, quòd reuerentiam ſenioribus exhibemus, æquales germanitus honoramus, iunioribus gratiam paternæ dilectionis impendimus, quòd præſtamus loquenti ſeniori ſilentium, quòd ipſius ad loquendum præſtolamus imperium.] Sic ille. Eò vſque verò expectandum eſt ad loquendum, præceptum ſenis, quo nulla adeſt interrogandi neceſſitas, nulla eius, qua velit à nobis præueniri, voluntas. Nam ſi neceſſe ſit aliquid interrogare, vel potior aut ætate maior gratum habet noſtrum alloquium, nullam irreuerentiæ vituperationem meremur, ſi illum modeſto ſermone præueniamus.

Erga alios etiam æquales aut minores eſt ſuo modo reuerentia tenenda, ita vt nullam ſermone noſtro illis iniuriam inferamus. Eſt autem quoddam iniuriæ genus, cum illis, ſeu verbo ſeu ſcripto, quaſi per iocum, & minùs ſeriò agere, & alloquium noſtrum ad ſcurrilitatem reuocare. Illum enim minùs grauem putamus, quem minùs grauiter, minùs reuerenter alloquimur. Quod in litteris quoque ad alios à nobis datis fugiendum eſſe, docet Bonauentura, dum ait:

Bonauent. ſpec. part. 3. c. 3.

In verbis ſuis aut litteris, ſi quas aliquando dirigunt, puerilibus vel adulatoriis non vtantur blanditiis, ſed tanquam religioſis ſuam breuiter & veraciter intentionem exponant. Ita ergo cum omnibus conuerſemur, vt & noſtræ grauitati & reuerentiæ illis debitæ conſulamus.

Erga res tandem, quas verbis exponimus, eſt debita reuerentia ſeruanda. Quia nec ſeria quaſi per iocum tractanda ſunt: vnde Seneca: Vitioſum eſt in re ſeria, delicatum inferre ſermonem: nec diuina & ſpiritualia prophanis hiſtoriis & vilibus ſimilibus explicanda. De qua re Humbertus ait: Non decet, cùm de diuinis loquimur, vt exemplis vilibus vtamur.]

Seneca.

Humb. li. 2. p. 3. c. 6. p. ſilen.

Sed hoc malum ex miſeriori radice procedit, quòd qui ſpiritualis non eſt, ſpiritualia abiectè & ruditer concipit, & qui abiectè concipit, viliter ſua ſenſa depromit. Ideóque multi hodie in Eccleſia Dei, qui è ſuggeſtu populos exhortamur, & diuinas ſcripturas edicimus, inſtar æris ſonantis aut cymbali tinnientis, ferè nihil efficimus, quia minimè per experientiam cognita ac opere completa proponimus. Quare vt reuerenter de diuinis loquamur, opus eſt ea coram Domino meditari, nos ipſos ad eorum amorem afficere. Si enim cæcus aut non iudicat, aut ineptè iudicat de coloribus, pariter rerum ſpiritualium imperitus, ineptè ea verbis patefaciet, & quod in patribus bene ſcriptum eſt, ſua ignoratione vitiabit, & à natiuo ſplendore diuellet. Nec vir doctus & eloquens in ſua ſcientia aut eloquentia confidat: quia diuina non ſola eloquentia humana explicantur, ſed vita inculpata & adiutorio Sancti Spiritus aperiuntur: Aliud namque eſt, vt Caſſianus ait, facilitatem oris & nitorem habere ſermonis, & aliud, venas ac medullas cœleſtium intrare dictorum; ac profunda & abſcondita ſacramenta puriſſimo cordis oculo contemplari. Quod nullatenus humana doctrina, nec eruditio ſæcularis, ſed ſola puritas mentis per illuminationem ſancti Spiritus, obtinebit.

Caſſian. col. 14. c. 9.

Duodecimum linguæ peccatum, falſa taciturnitas. §. VI.

POſtremum linguæ vitium à nobis explicandum, falſa aut noxia taciturnitas dici poteſt: Falſa quidem, dum quis exteriùs à verbis abſtinens, interiùs verba non pauca nec parum iniqua loquitur; noxia verò, dum ob ſilentium noſtrum, frater, quem deberemus corrigere, minimè à ſuo errore reuocatur. De illa prima ſic inquit Gregorius: Sed inter hæc ſciendum eſt, quia cùm pauore nimio à locutione reſtringimur: interdum plus quàm neceſſe eſt, intra clauſtra ſilentij coarctamur; & dum linguæ vitia incautè fugimus, occultè deterioribus implicamur. Nam ſæpe, dum ab eloquio immoderatè compeſcimur, graue multiloquium in corde toleramus: vt eo plus cogitationes in mente ferueant, quo illas violenta cuſtodia indiſcreti ſilentij anguſtat: & plerumque tanto latiùs defluunt, quanto ſe eſſe ſecuriùs æſtimant, quia foris à reprehenſoribus non videntur. Vnde mens nonnunquam in ſuperbiam attollitur, eóſque quos loquentes audit, quaſi infirmos conſpicit. Cúmque os corporis claudit, quantum ſe vitiis ſuperbiendo aperiat, non agnoſcit. De ſecunda verò, ſcilicet de falſa taciturnitate, poſt pauca ſubiungit: Plerumque nimis taciti, dum quorundam mala reſpiciunt, & tamen in ſilentio linguam premunt, quaſi conſpectis vulneribus vſum medicaminis ſubtrahunt, & eo mortis auctores fiunt, quo virus, quod poterant eiicere loquendo, noluerunt. Vnde & immoderatum ſilentium, ſi culpa non eſſet, propheta non diceret: Væ mihi, quia tacui.] Quid ergo inter hæc, niſi ſtudioſè lingua ſub magni moderaminis libratione frænanda eſt; non inſolubiliter obliganda, ne aut laxata, in vitium defluat, aut reſtricta, etiam ab vtilitate torpeſcat?] Hactenus ille. Hinc perſpicitur, in taciturnitate quoque nonnunquam non parum eſſe periculi, cùm videlicet aut veritas neceſſaria ſupprimitur, aut exhortatio indigentibus denegatur, aut increpatio, ne delinquentes, cùm opus eſt, feriat, funibus puſillanimitatis vel negligentiæ quaſi ligata retinetur. Sed quia hæc præcipuè ad Prælatos pertinent, quos alio loco commodiùs alloquemur, nunc ab his ſuperſedendum eſt, & ad illam primam taciturnitatem redeundum, qua quis exteriùs ſilens, interiùs cogitationis ore multa ſuperuacua verba profundit. Commune hominum malum, quod in tantum mentis tranquillitati obeſt, vt, vel victis paſſionibus affectibúſque compoſitis, hoc ſolùm optatæ paci vehementer obſiſtat. Sicut ergo ratio linguam carnis frænat, ne ſe in verba illicita aut vana præcipitem agat: ita & hanc interiorem linguam deuinciat, ne in ſcopulos inanium cogitationum illidat. Cogitationes enim, vt etiam alio loco ſapienter dixit Gregorius, ancillis meritò comparantur, quæ ſi domina ratio à domo cordis per incuriam exeat, miſſis vocibus perſtrepunt, ſilentium deſerunt, & à deputati operis officio diſcedunt. Adſit proinde cordi ratio, quæ has pediſſequas comprimat, & vt verum ſeruemus ſilentium, in taciturnitate contineat. Sed quia de mortificatione cogitationum inferiùs dicendum eſt, iam calamum à longa, ſupra quàm putabamus, diſputatione contineamus.

Greg. 7. mor. c. 17.

Iſai. 6.

Greg. 1. mor. c. 15.

P. 3. c.

Vſus mortificationis linguæ. §. VII.

SOlum ſupereſt, quæ latè diximus, ad breuem ſummam redigere. Spiritualis ergo vir, qui, grauioribus linguæ criminibus eliminatis, cupis etiam minora vitare, & membrum peſtilens cohibere, hæc ſunt tibi omni diligentia ſeruanda.

I. Detractiones proximorum, etiam de rebus leuiſſimis, & quæ nullius apparent momenti, fugito.

II. Mendacia iocoſa & officioſa, quamuis ex illis magnum ſperetur emolumentum, declinato.

III. Duplicitates ſenſuum, & ambiguitates verborum, ſermoniſque obſcuritates depouito.

IV. Rixas & contentiones, ſiue pro indaganda veritate, ſiue pro aliquo negotio gerendo, prudenter abiicito.

V. Omnem iactantiam, verborum arrogantiam ac laudem in proprio ore fœtentem, vitato.

VI. Quæ ſecreta eſſe oportet, nemini, niſi ex cauſa & in conceſſis euentibus, reuelato.

VII. Scurrilia, & nugatoria, & ſtatui ſpiritualis vitæ minimè congrua, loqui erubeſcito.

VIII. Ocioſa & vana ocioſis & vanis hominibus profari relinquito.

IX. Quæ te deceant, quæ audienti conueniant, quæ materiæ congruant, per prudentiam ad loquendum quærito, & modum in ſermone tenendum cuſtodito.

X. In loco ad loquendum non deſtinato, & in tempore taciturnitati deputato, ſilentium cuſtodias.

XI. Erga alios, quibuſcum loqueris, & erga res diuinas, quas exponis, reuerenter te habeas.

XII. Ita linguâ taceas, vt intus vana non cogites; & cùm opus eſt loqui, propter amorem ſilentij, vtilem ſermonem non omittas.

In his omnibus lingua eſt per mortificationem cohibenda, vt quoties aliquid huiuſmodi, vel aliud quippiam rationi & virtuti contrarium occurrerit, illud Domini timor depellat, &, ſi in aliquo peccatum fuerit, ferula mortificationis ſine debita caſtigatione elabi non ſinat.

De documentis ad mortificandam linguam.

CAPVT XIII.

Licet in fine huius tractatus, communia remedia ſimus tradituri, quæ nos ad mortificationem capeſſendam iuuent, tamen linguæ pericula tanta ſunt, vt præter documenta generalia, etiam nonnulla ſpecialia requirant, quæ hoc loco operæpretium duximus exponenda. Quemadmodum enim, ſi princeps aliquis regnum, ſubiectionis iugum detrectans, expugnet, præter communem totius regni cuſtodiam, fortiſſimos milites in munitiſſima arce conſtituit, qui eam abſque vlla defectione ſeruantes, totius regni pacem tueantur: ita ſpiritualis vir regnum cordis ſui, quod à virtute deſciuerat, eidem virtuti ac ſanctitati ſubiiciens, vltra communem curam, quâ toti regno proſpiciat, debet ſpecialibus remediis linguam, ex qua tota pax pendet, moderari, & ſolicita circunſpectione munire. Quod ſanè durum non æſtimabit, ſi conſideret ad hoc, inter alia, vitam ſpiritualem arripuiſſe, vt linguæ ſuæ circunſpectionis ſeras conſtituat. Vt enim dixit Euſebius Emiſſenus: Non ad ſecuritatem, ſed ad pugnam huc venimus, vt contra vitia præliemur, vt linguæ gladios retundamus, id eſt, verba pungitiua, contentioſa, maligna, detractoria euitemus; vt non ſolùm inuicem non inferamus iniurias, ſed nec ſentiamus illatas.] Hæc Dionyſius ex illo. *Euſeb. refert Dionyſ. opus de profeſſ. monaſtica. ar. 7.*

I. Qui ergo cupis linguam frænare, & hanc beſtiam indomitam cohibere, magnas ſilentij vtilitates conſidera. Silentium eſt veluti ſtatus religioſi forma atque ſubſtantia, non quia in illo ſitus ſit, ſed quia ſine illo penitus eius profectus euaneſcit & perit. Si quis enim putat ſe religioſum eſſe, non reſtrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio.] Silentium eſt frænum, quod ori noſtro iniectum, omne corpus actionum noſtrarum moderatur & regit. *Iacobi. 1. 26.* Eſt quaſi murus & antemurale, quod vrbem animæ, bellis cinctam & hoſtibus circumſeptam, munit & protegit. Nam, & memento belli, ait Dominus ad Iob, nec vltrà addas loqui.] *Iob 40. 27.* Ac ſi dixiſſet: In has anguſtias diſceptationis meæ te coëgit nonnulla verboſitas. Sile ergo, ne iterum mea verba te obruant, & mihi ob loquacitatem inuiſum, (quam, ſi vltrà loquaris, incurres) te hoſtes tui maioribus malis immergant. Idem clariùs confirmat Salomon, dicens: Sicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.] *Prou. 25. 28.* Silentium foueam obſtruit, cuius causâ innumerabiles perierunt. Vnde & ipſe Salomon ait: Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem iuſtus de anguſtia.] *Prou. 12. 13.* Iuſtus, inquam, effugit de anguſtia, quoniam ſe peccatis labiorum non implicat. Et rurſus Eccleſiaſticus ait: Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam.] *Eccli. 19. 5.* Tandem ſilentium eſt deuotionis cuſtos, cæleſtis conſolationis pronubus, & ſanctæ orationis incentor. Bonum eſt enim præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.] *[illegible] Thren. 3. 26.* Quod qui non ſeruant, & vanis ſermonibus ora laxant, neque ſpiritu proficient, neque diuinam ſuauitatem, tacentibus & Deo intentis paratam, percipient.

II. Cùm os aperis ad loquendum, cogita (quod veriſſimum eſt) verba tua ab ipſo Domino & conditore vniuerſorum auditi. Tu neque apud illam ſupremam Maieſtatem ea ſermone proferre, quæ coram Prælato aut inculpatæ vitæ homine loqui erubeſceres. Aliudque linguæ continendæ remedium ſcripſit Gregorius Neocæſarienſis his verbis: Lingua parcè vti præclarum, atque ad loquendi ſtudium grauitatem conſtantiámque cordis adhibere. Non enim nos inconſultò loquendi ſtudio teneri oportet, eáque quæ in mentem veniunt, quamuis abſurda, proferre, atque emittere: verùm cogitare, quòd licet magno interuallo à cœlo diſtemus, certum eſt tamen ſermones noſtros à Deo exaudiri, atque vtile eſt lapſum in loquendo cauere.] *Gregor. Neocaſ. in Eccleſiaſten. c. 5.* Sic ille. Si ergo Deus ipſe ſummus ſermones noſtros audit, ſi Angeli cuſtodes auſcultant, ſi hoſtes noſtri aſtant, vt inutilia verba diſpungant, & in die rationis nos apud rectiſſimum iudicem acriter de illis accuſent, quanam ratione audes ob modicam loquendi voluptatem, & oculis Dei ac angelorum diſplicere, & te in pericula inimicæ accuſationis conijcere?

III. Firmiter ſtatue apud temetipſum, conſortium illorum fratrum vitare, quibuſcum ſoles frequenter lingua delinquere: Itémque illa loca fugere, in quibus periculum eſt debitum frangendi ſilentium: Atque etiam in illis horis, in quibus faciliùs linguâ laberis, maiori cuſtodia te in taciturnitate continere. Quod verò ſemel ſtatueris, firmiter exequere, & ſtabiliter imple. Hæc namque propoſita ſunt illa, de quibus Salomon: Et iudicia quaſi vectes vrbium.] *Prou 18. 19.* Quæ ſi firma ſint & inuiolabiliter cuſtodita, nullo modo à dæmone ſuperantur, immò verò mentem, vt in plurimùm, à linguæ lapſu, qui alicuius ſit momenti, cuſtodiunt.

IV. Cùm è cella egrederis, teipſum ad verba inania fugienda præmuni. Id ita facies, ſi auxilium ad declinandos linguæ lapſus efflagites: ſi data occaſione loquendi, aliquid vtile præmeditatum proponas. Si cœptum nullius vtilitatis ſermonem aliò diuertas.

A Huius documenti ſalutaris Bonauentura aſſertor eſt his modis: Proceſſurus in publicum, præmuni te ipſum, & animi ſtatum à verbis inanibus diſtinere. Proinde tibi, antequam prodas vtile aliquid, vide ſi expedierit, ſermo tuus ſit familiaris, prudentique conſiderationi ſubmiſſus prouiſioni.] Orandus igitur eſt Dominus ſemper, ſed præcipuè cum ad conuentum aliorum vadis, vt ipſe, qui beſtias domat, & manſuefacit, linguam timore ſuo regat atque contineat. Præueniendum eſt aliquid non inutile, quod in loco ad ſermocinandum deſtinato, te & alios occupet, ne ipſa mens vtili conſideratione vacua vanis intendat, aut ſe in vana & ocioſa diffundat. Filum inepti ſermonis, vel vultus ſeueritate, vel rei vtilis, quæ audientes alliciat, commemoratione, rumpendum, ita vt ſenſim aſtantes corrigat, & à te delinquendi occaſionem auertat.

B

V. Imitare in proferendis ſermonibus ſpirituales viros, in quibus manifeſtè perſpicies, quia ſunt ad loquendum tardi, & ad tacendum proni, & in vtroque ratione temperati. Sis ergo, vt inquit Iacobus, velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.] Præceptor enim, vt ſcitè annotauit Baſilius, natura loquendi audiendique modum ad proportionis regulam inſtituens, duas aures, linguam vnam nobis effinxit, quaſi & duplum, diſciplinæ cauſa, audire debeamus, & ad ea quæ rogamur, ſeſquialtera proportione, conſultiùs referre ſermonem. In quo non poſſumus non illos damnare, qui vniuerſa loquuntur, qui in conuentu fratrum poſiti, ſoli & ſemper audiuntur, qui alios ſua importunitate obruunt, & eorum ora nimia garrulitate occludunt. Id profectò non tantùm ſpiritui, ſed etiam vrbanitati aduerſatur, quæ ſemper modeſtè ſe gerit, &, ſi non primas, ſaltem aliquas partes aliis concedit. Sis etiam ad tacendum pronus, & hi, quibuſcum conuerſaris, ſibi perſuadeant, te libentius audire, quàm loqui, & quàm libentiſſimè à ſermone ſuperſedere. Sic namque verba tua magni æſtimabunt, ſicut illi amici Iob omnes expectabant eius verba; de quibus ipſe ait: Expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant, quaſi ad imbrem ſerotinum.] Quod (vt opinor) non facerent, ſi verba eius pro nihilo venditari cognouiſſent.

Iacobi 1. 19. *Baſil. lib. de Virginit.* *Iob 24. 23.*

C

VI. Sermonem tuum præcedat mentis deliberatio, qua ſcilicet diiudices, an verba, quæ proferre aues, ſint vera, ſint vtilia, ſint virtuti & rationi conſona, vt ſi ab his defecerint, ab ore nunquam exeant. Hoc docent multa dicta Sapientis, vt: Ne temerè quid loquaris.] Noli citatus eſſe in lingua tua.] Verba prudentium ſtaterâ ponderabuntur.] In ore fatuorum cor illorum; & in corde ſapientium os illorum.] Quæ nihil aliud ſignificant, niſi quòd prouerbium dicit: vt verba priùs veniant ad limam, quàm ad linguam. Lima verborum eſt ratio; eſt prudentia, eſt conſideratio. Hæc ergo priùs ſermonem examinent; & ab eis probatum os dicat, improbatum verò reiiciat. Et quidem licèt vniuerſas actiones hominum debeat mentis deliberatio præcedere, maximè ad loquendum requiritur: quia facillimum eſt linguâ labi, & mentem ſe verborum effuſione diſtrahere.

Eccl. 5. 1. *Eccl. 4. 34.* *Eccl. 21. 28.* *Ibi. n. 29.*

D

VII. Quia verò nunquam poteris tanta circumſpectione linguam moderari, quin interdum per ignorantiam, aut per inconſiderationem, aut aliis modis ſermone delinquas, enitendum eſt tibi, ſanctis operibus iugiter & frequenter inſtare, vt illicitam locutionem bona operatio tegat, & ſermonis ineptias aliquando nobis nolentibus irrumpentes, multitudo ſtudioſarum actionum abſorbeat. Hoc remedio vſus eſt Beatus Iob, qui de ſe ait: Manum meam ponam ſuper os meum.] Vt enim ſacri eloquij, inquit Gregorius, in manu operatio, in ore loquutio ſolet intelligi. Manum ergo ſuper os ponere, eſt virtute boni operis culpas tegere incautæ loquutionis. Et infra: Sancti viri ante Dei oculos ſtudent culpas linguæ tegere meritis vitæ, ſtudent bonorum operum pondere premere immoderata verborum. Vnde in ſancta Eccleſia manus ſuper os ponitur, dum in electis eius quotidie ocioſæ loquutionis vitium bonæ actionis virtute operitur.] Hæc ille. Bonas igitur operationes Domino pro vitio incautæ loquutionis non ſemel offeramus. Vt quoniam operatio eſt loquutione præſtantior, in hoc magis eluceat noſtra compunctio, quod pro leui verbo, quod vento ſapit, minus circumſpectè prolato, non iam ſolo verbo, ſed etiam actionibus ſolidis ſatisfacimus, & veniam maioris obſequij oblatione poſtulamus. Nec in hoc tantum ſanctus vir imitandus eſt nobis, ſed & in ratione quoque, qua ipſe ſe à paulo liberiori & minus modeſta loquutione mundabat. Quid enim ipſe ait? Vnum locutus ſum, quod vtinam non dixiſſem, & alterum: quibus vltra non addam.] Vnum loquutus ſum & alterum: ecce ſinceriſſimam oris confeſſionem. Quod vtinam non dixiſſem: ecce veriſſimam cordis deteſtationem. Quibus vltra non addam: ecce ſtabiliſſimum emendationis propoſitum. Verba ergo noſtra minus cauta, verè & ex animo deteſtemur: non quaſi ex conſuetudine, ſed cum dolore & gemitu fateamur: & firmo propoſito ab illis abſtinere deliberemus. Sic enim iam incautè effuſa purgantur, & ſimilia in poſterum ab ore noſtro remouentur. A quibus ipſe Dominus, in cuius ore nunquam inuentus eſt dolus, liberet nos per ſuam miſericordiam. Amen.

Iob 39. 34. *Greg. 32. moral. 2.* *Iob 39. 35.*

PARS TERTIA

De Mortificatione hominis interioris.

IN huius tractationis exordio duo mortificationis genera eſſe didicimus: alterum, quod exteriorem hominem & carnis oculis obiectum perficit: alterum, quod hominem inuiſibilem interiorémque componit. Illud primum hactenus expoſuimus; iſtud verò poſterius, nunc prout nobis à Domino datum fuerit, in hac vltima huius libri parte tractabimus. Ad quod mortificationis genus, vitæ ſpiritualis munus extendi, immò præcipuè in

llo conſiſtere, Paulus manifeſtè fatetur his verbis: Licèt is qui foris eſt, noſter homo, corrumpatur; tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem.] Quo loco hunc intellectum inſpicio: vt ſicut perpetua carnis noſtræ occupatio eſt, laboribus, & preſſuris, atque ipſo ſolo decurſu temporis atteri, & ad mortem ire; ita perpetua mentis occupatio eſſe debet, iuſtitiæ operibus iuueneſcere, vetuſtatem Adæ deponere, & nouis profectibus innouari. Id autem ſui mortificatione conſequitur, qua ſe à prauis actionibus ſeparat, & in Chriſtum vitæ puritate transformat. Tanto ergo attentiori ſtudio hæc tractatio legenda & executioni mandanda eſt, quanto intimius vitæ ſpiritualis munus tangit, & ex ea profectus ac perfectio mentis noſtræ dependet. 2. Cor. 4. 16.

Mortificationem interiorem præcipuam eſſe, ac finem exterioris.

CAPVT I.

QVi Mortificationi ſenſuum, corporis, & linguæ per aliquod ſpatium temporis inſtiterunt, vehementer laudandi ſunt, tanquam illi, qui iugum iniquitatis excutere & abominari cœperunt, & virtutis ac ſanctitatis itinera inchoare curarunt. Nam ſicut opus eſt non contemnendæ virtutis, hæc externa humanæ naturæ, peccato vitiata ab exceſſibus vindicare: ita non poteſt priuari laude, quæ non tantùm perfectionem, ſed etiam primordia virtutis inſequitur. At ſi in hac externa & tenera mortificatione ſiſtant, neque vltrà ad interiorem progrediantur, non minùs erunt riſu & vituperatione digni, quàm ſi iter propter iter & non propter finem itineris, ſcilicet propter vrbem vel locum quietis, arriperent. Interna enim abnegatio ac interioris hominis compoſitio, exterioris, quæ ſenſibus & corpori adhibetur, ſcopus eſt; quam ſi non omnino inutiliter, at cum exiguo fructu accipit, qui eius laborem propter quietem & tranquillitatem mentis non quærit. Duris illis & proteruis Iſraelitis non ſatis fuit, exiiſſe ex Ægypto; quia ob puſillanimitatem & diffidentiam ſuam in Deſerto interierunt, & nunquam ad terram ſibi promiſſam, lacte & melle manantem, peruenerunt. De quibus per regium vatem conqueritur Dominus: Et iſti non cognouerunt vias meas; vt iuraui in ira mea; ſi introibunt in requiem meam.] Ita & ſpiritualibus viris, aut ad ſpiritualem vitam aſpirantibus non ſatis erit, ſe ipſos exteriùs abnegare, quod eſt quaſi Ægyptum deſerere, niſi etiam interiùs ſe cohibeant, & ſubiectis potioribus viribus, quæ intus in mente & in corde latent, ad eam, quam Dominus perfectis pollicitus eſt, mentis puritatem & tranquillitatem aſcendant. Nihil enim nobis proderit, inquit optimè Caſſianus, abrenuntiatio corporalis & localis quodammodo tranſmigratio ex Ægypto, ſi renuntiationem cordis, quæ ſublimior & vtilior eſt, non valuerimus ſimiliter obtinere.] Et huic propoſito accommodari poteſt illa Saluatoris noſtri ſententia: Multi ſunt vocati, pauci verò electi:] quia multi ſunt, qui carnem domant, qui corpus ieiuniis, vigiliis, hirſuta veſte, & aliis ſimilibus, ſine ceſſatione caſtigant: qui ſenſus cohibent, & linguam ſilentij fręno moderantur: pauci verò, qui propriam voluntatem comprimant, qui proprium iudicium alterius diffinitioni ſubiiciant, qui affectibus imperent, & inordinatum amorem priuatúmque deponant: quibus tamen ſolis ex electione Domini, requies perfectionis promittitur. Illi quandiu in illo primo genere abnegationis hærent, nec vltrà procedunt, quaſi in deſerto vagantur, & huc illúcque oberrantes, rectámque viam minimè tenentes, nunquam in optatam puritatem, quaſi in tutiſſimum portum, appellunt. Iſti verò, cùm exteriora onera quaſi puerilia cenſentes, ad interiora nituntur, & mentis rempublicam primùm ſedare & poſtmodum virtutibus ditare conantur, imaginem quandam illius innocentiæ obtinent, quam in primis parentibus antea perdiderant. Illi ſemper infantes ſolam corporis accretionem addiſcunt, quomodo loquendum ſit, quomodo reſpiciendum & audiendum; quomodo quieſcendum aut ambulandum. Iſti infantiam deſerentes, & corpus ſatis moderatum & ad debitam virtutis magnitudinem adductum habentes, mentem ſpiritualis mortificationis doctrinâ perficiunt: Illi leui quodam virtutis guſtu contenti, nihil magnum ſapiunt, & omnem perfectionem ſuam in ieiuniis, & vigiliis, & dura corporis exercitatione conſtituunt. Hi verò hanc carnis ſenſuſque caſtigationem, initium tantùm virtutis eſſe cenſentes (ſicut re vera eſt) ad media & ad finem, ſcilicet ad internam mortificationem & intimam mentis puritatem, iugiter aſpirare decernunt.

Pſal. 94. 11.

Caſſian. coll. 3. 6. 7

Matth. 22.

A

B

Illorum ergo miſereri debemus, iſtos ſequi; illos ad maiora compellere, iſtos imitari; quoniam illi incipientes ſunt in ipſo introitu viæ, quaſi in fine ſedentes: iſti verò proficientes ſunt, ad metam perfectionis non lentis paſſibus feſtinantes. Miſereamur illorum: quoniam dum in externa mortificatione gradum ſiſtunt, miſerationem Domini, ipſos ad maiora vocantis, impediũt. Eos alloquitur ipſe per Oſeam prophetam, dicens: Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? Miſericordia veſtra, quaſi nubes matutina & quaſi ros manè pertranſiens.] Pro miſericordia, Hebræa lectio ſanctitatem habet. Vnde ſenſus eſt; Quid faciam vobis ô homines in initiis virtutis ſemper hærentes, quo pacto vos ad ſanctitatem vſque ſuſtollam, quorum virtus animo concepta & concupita, matutinæ nubi & rori manè tranſeunti eſt comparanda? Nam ſicut nubes matutina largum imbrem promittit, ſiccata verò ardore ſolis areſcit: & ſicut ros manè cadens & eodem ardore citò euaneſcens, ſufficientem humorem ad fructificandum, terræ non affert: ita hæc veſtra externa religionis oſtenſio & dura corporis caſtigatio, magnam virtutem in animo pollicetur, quam tamen non infert; quia in ſolo corpore manens, nunquam ad eiuſdem animæ informationem procedit. Sunt hi, qui ſola externa mortificatione occupantur, ſicut qui habent ſcalam ad aſcendendum, aut nauim ad nauigandum, nunquam tamen aſcendunt, neque in aliam ripam adnauigant. Sic enim externæ corporis caſtigationes ſenſuúmq; cohibitiones, ſunt velut quidam gradus, per quos ad mentis requiem & puritatem aſcendimus. Sed quid prodeſt gradus tenere, & perpetuò in illis hærere, nunquámque ad mentis mundiciem feſtinare? Dum corpus caſtigas, ô frater, dum ieiuniis & ciliciis domas, & oculos, aures, atque alios ſenſus ab illicitis auocas, domum quidem tuam exteriùs

Oſeæ 6. 4.

C

D

A

mundas & polluat ſi paſſiones non comprimas, ſi iudicium & voluntatem, & manes cogitationes cohibere non cures, eandem domum tuam foris pulchram & mundam, intus ſcorpionibus & ſerpentibus plenam, non mundas. Maceriam vineæ erigis, ipſam verò vineam prorſus incultam deſertámque relinquis. Exterior quippe mortificatio maceria eſt, quam interioris grana curamus; nihil autem proficiet, hanc integram inuiolatámque tenere, niſi pro cordis mundicia, noſtra diligentiùs certet induſtria. Sapienter profectò Ioannes Caſſianus ait: Labor carnalis ſpiritus contritioni coniunctus, acceptiſſimum Deo ſacrificium dignúmque ſanctitatis habitaculum puris mundíſque receſſibus exhibebit. Cæterùm ſi corporaliter ieiunantes, pernicioſiſſimis animæ vitiis implicemur, nihil nobis proderit carnalis afflictio, pretioſiore parte polluta: per eam ſcilicer ſubſtantiam delinquentibus nobis, quâ efficimur habitaculum Spiritus ſancti. Non enim tam corruptibilis caro, quàm cor mundum, habitaculum Dei templúmque Spiritus ſancti efficitur. Et ad idem Dionyſius Richelius: Certiſſimè noueris, ô monachalis vitæ profeſſor, nihil vtique tibi patrocinari, agros pecuniáſque ſpreuiſſe, ſi non gulæ, atque ſuperbiæ, & omnis demum circa tranſitoria affectionis ſuperfluæ motum impetúmque contemnis, ſi non paſſionum inordinationem coërces, & ſenſuales quoſque appetitus rationis cenſuræ ſubiicere ſtudes. Denique neque exteriora ſpreuiſſe, & carnis quoque paſſionúmque incurſus frænaſſe, inclytum atque ſufficiens repures, niſi intellectum inſuper, mentiſque affectum, per fidei ſinceræ conſtantiam & item amoroſam diuinorum contemplationem, diuinæ voluntati & ſapientiæ ſubdere ſatagas. Conſonat his duobus Euſebius Emiſſenus: Videte, inquit, vocationem veſtram chariſſimi: Venire ad clauſtrum aut eremum, ſummæ perfectionis exordium eſt: ſed non perfectè in eremo viuere, ſumma damnatio eſt. Quid prodeſt, ſi locus clauſtralis & quietus corporaliter teneatur, & inquietudo in corde verſetur? Quid (inquam) prodeſt, ſi in habitatione ſilentium ſit, & in habitantibus ſit vitiorum tumultus & colluctatio paſſionum? ſi exteriora noſtra ſerenitas teneat & interiora tempeſtas?] Hactènus hi Patres. Ex quibus manifeſtè cognoſcimus, exiliter admodum profeciſſe, qui in corporibus per abſtinentiam & veſtem aſperam maceratis, & ſub ſenſibus vtcumque mortificatione compoſitis, animas geſtant paſſionibus immoderatis affectas, & proprij iudicij, & amoris, ac propriæ voluntatis motibus effrænatas. Quorum labor inutilis inuenitur, quia in labore manſit, & ad puritatem mentis non peruenit.

Caſſian. lib. 4. de Inſtit. renunt. c. 23.

Dionyſ. l. 4. de ... fam. art. 1.

Euſeb. hom.

B

C

D

Hoc autem ideo ſic eſt, quia externa mortificatio parua eſt, ſi eum interna mortificatione conferatur. Hæc enim præſtantior eſt, & (vt diximus) finis illius, cuius cauſâ, omnis carnis caſtigatio & ſenſuum ac linguæ compreſſio ſuſcipitur. Sicut enim animus finis corporis eſt, ita ad perfectionem animæ, tanquam ad finem, tendat neceſſe eſt, quicquid virtutis aut abnegationis per corpus exercetur. Non tam in corpore, quàm in mente. Chriſto Saluatori paramus hoſpitium; ſecundùm illud Pauli: Vt det vobis ſecundùm diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per ſpiritum eius in interiorem hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris.] Ergo mens potiùs abnegatione mundanda eſt, vt intus potiùs quàm extrà, iuxta id, quod ſponſam Chriſti decet, noſtra gloria & pulchritudo reſplendeat. Fœliciter in perfectionem, ac ex illa in cumulatiſſimam gloriam properare diſponimus: ne igitur claudicantes, & quaſi

E

Epheſ. 3. 16.17.

A

vno pede tantùm, longum iter ambulare tentemus. Audiamus eundem Paulum dicentem: Propter quod remiſſas manus & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur.] Ille verò claudicat, qui corpus quidem afflictione domat, nimimè tamen abnegatione mentem exercet. Ille claudicat, qui exteriùs ſe continet, interiùs autem propriæ voluntati & ſuis affectibus habenas laxat, vt quocumque tulerit vanitatis ſpiritus, eant. Hic nunquam ſanitatem concupitam percipiet, quoniam ſanitas animæ non corpori, ſed ipſi animæ adhæreat, neceſſe eſt; quam, niſi medicamina abnegationis illi applicentur, haudquaquam poterit obtinere. Vnde & ipſe Apoſtolus ſubiungens ait: Pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.] Quid eſt ſanctimonia? Nonne cordis mentiſque mundicia? Hanc autem nemo ſectatur, niſi proprios affectus mortificatione comprimat, & internas cupiditates cohibeat. Terruit autem, non formidine mali ſed amiſſione boni; quia ad Dei amatorem virtutiſque cultorem hæc verba mittebat. Ecce fac quod vis, (inquit Anſelmus, hunc locum interpretans, & certè ex Auguſtino deſumpſit,) imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam, quicquid libuerit, licitum puta. Non te hîc punio, non te in gehennam mitto, faciem meam tantùm tibi negabo. Si expauiſti, amaſti.] Hæc ille. Nos ergo, qui ſcholam amoris adimus, qui Dei amatores eſſe profitemur, non ſolum pacem externam cum omnibus ſed & internam ſanctimoniam quæramus. Moderemur corpus (hoc enim & bonum & neceſſarium eſt,) cohibeamus ſenſus, motus externos componamus, ſed præcipuè affectus immoderatos, priuatum amorem, & voluntatem, ac proprium iudicium frænemus. Hoc namque nos perfectos facit & puros: illud verò tantùm ad perfectionem puritatémque diſponit.

Hebr. 12. 12.

Hebr. 12. 13.

Anſel. ibid. Aug.

B

C

Hæc duo nobis attulit Chriſti Saluatoris aduentus, de quo inquit Oſeas: Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius: & veniet quaſi imber nobis temporaneus & ſerotinus.] Ipſe Dominus (vt notauit Hieronymus) vocatur manè, aurora, & diluculum: quoniam ſicut aurora eſt prima lux, non in illo paruo ſplendore manens, ſed ad meridiem vſque & perfectam claritatem procedens: ita Dominus ſpirituali ſuo aduentu in nobis, non tantùm primordia lucis, id eſt, vitæ ſpiritualis, quæ in exercitatione corporis ſunt collocata, nobis affert, ſed etiam augmentum & perfectionem lucis aut veræ virtutis, quæ in mentis moderatione & ornatu poſita eſt, ſenſim & quaſi per gradus efficit. Venit nobis quaſi imber temporaneus & ſerotinus; quoniam ſicut imber temporaneus, ſemina nuper in terram iacta viuificat, & germinare facit, & imber ſerotinus eadem ſemina iam nata promouet, & ſegetes ad maturitatem perducit: ita Saluator noſter per iuſtitiam in nos deſcendens, principio initia fructuum ſpiritualium, id eſt, externam mortificationem profert; poſtea verò maturos fructus, id eſt, mentis moderationem & puritatem oſtendit. Ideo inquit Paulus, quòd pater cum illo omnia nobis donauit; quia auxilia & virtutem ad vincendum corpus & vincendam mentem, & dona ad vnamque partem cohibēdam, ornandam, & perficiendam, & ad fœlicitatem comparandam, impertiuit. Et alio loco: Cùm autem ſubiecta fuerint illi omnia; tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit ipſe omnia in omnibus.] Omnia ergo in nobis Chriſto ſubiicienda ſunt corporalia & ſpiritualia: minora & maiora, quæ carnis

Oſea 6. 3.

Hier. ib.

D

E

Roma. 8 32.

1. Corin. 15.28.

oculis

A oculis conſpiciuntur, & quæ ſolis oculis mentis videntur: vt ipſe in nobis omnibus imperet, & omnia noſtra ſibi ſubiciat, qui exemplum rectè viuendi intus & extrà hominibus dedit. Si ergo ad vtramque partem naturæ noſtræ moderandam auxilia nobis data ſunt, ne ſolam corpoream ſubſtantiam excolamus, incorpoream verò incultam incompoſitámque ſeruemus. Si corporis moderatio quaſi medicina eſt, & mortificatio mentis velut concupita ſalus, non eſt æquum vt potionem ac medicamentum ſumentes, ipſam ſalutem aut præcipuum actum, quo ſanamur, detrectemus. Si tandem in ſpirituali vita, corporis abnegatio propter animæ abnegationem & tranquillitatem quæritur, ne ſimus tam ſtulti, vt ciliciis & abſtinētiis, oneratis, & compreſſione ſenſuum
B afflictis, mētis abnegatio magis neceſſaria ſordeat, & interna tranquillitas nunquam obueniat. Et iam hanc internam abnegationem verbis exponamus: & vtinam, ſicut exponimus, nullo vitæ tempore ab eius deſiderio & exercitatione ceſſemus.

De Mortificatione proprij amoris.

CAPVT II.

TRACTATIO hæc interioris abnegationis ab ipſa radice ſua inchoanda eſt, vt noſtræ mentis conatus in ea euellenda atque exſcindenda ponatur, & inde facilius deſtruendis peſtilentis radicis ramis ſpiritualis
C viri ſtudium applicetur. Radix autem omnium malorum animæ, eſt priuatus aut proprius amor, quo quis ſeipſum poſt Adæ peccatum, quaſi finem ſuarum actionum deſideriorúmque conſtituit. Paulus quidem ita ſine vlla dubitatione ſentit: [Erunt, ait, homines ſeipſos amantes:] inde autem quàm longam deducat malorum ſeriem, aduerte: [Cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.] Vide quanta mala ex eo quod dixit, Erunt homines ſeipſos amantes, ſiue
D ex proprio ſui amore, veluti ex radice ac origine totius iniquitatis eliciat. Ab hoc, velut fonte, inquit Anſelmus, quòd ſcilicet homines erunt ſeipſos amantes, manabunt multi vitiorum riui. Et Thomas Aquinas ait, quòd radix totius iniquitatis eſt amor ſui ipſius. Et Gregorius: [Scimus quia vehementer claudit oculum cordis amor priuatus: Quo ſanè clauſo, facile eſt in vniuerſa mala præcipitem ferri, & quò ruamus, penitus ignorare. Ideo verò hic amor omnium eſt peccatorum & defectuum exordium: quia amor per ſe ſumptus vniuerſorum eſt humanorum affectuum initium. Quare ſi ipſe malus fiat ex aliquo accidente, vel ex præpoſtero fine, vel ex eo circa quod verſatur, omnes affectus inquinat, ſicut ſi
E bonus ſit, omnes etiam affectus rectificat. At amor ſui ipſius, de quo nunc loquimur, peruerſus eſt, vt ſtatim oſtendemus; ergo omnes affectus ad ſe pertractos malos efficiet. Ex quibus cùm opera ipſa progrediantur, quid mirum ſi mala prodeant, vt ipſe malus amor rectè appelletur omnium malorum origo? Quod confirmat Auguſtinus dicens: [Recta voluntas eſt bonus amor; & voluntas peruerſa, malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas eſt: id autem habens, eóque fruens, lætitia. Fugiens quod ei auerſatur, timor eſt; idque ſi acci-

2. Timot. 3.1.
[illegible]
Anſel. ibid.
D. Tho. ibid.
Gregor. hom. 4. in Ezechiel.
Aug. 14. de ciuit. c.7. To.5.

A derit, ſentiens triſtitia eſt. Proinde mala ſunt iſta, ſi malus eſt amor; bona, ſi bonus.] Sic ipſe. Cùm igitur amor ſit velut cardo, in quo omnis interior reſpublica mouetur, & à quo omnes cogitationes, & cuncta deſideria, operáque procedunt, ille primò ac præcipuè moderandus eſt, vt reliqua ad rectitudinem redeant, & ordinem ſpiritualis vitæ neceſſarium admittant. Ac ideo videamus, quid amor ſit, & quid proprius aut priuatus amor, quæ eius germina, & quomodo gratia Dei noſtram induſtriam præueniens & adiuuans, infeſtiſſimum hunc hoſtem deiciat.

Amor in creatura rationali eſt affectus animi quo quiſque bona vult ſibi vel aliis: amor verò ſui aut amor priuatus aut proprius, dicitur ille, quo quis vult ſibi bona, & fugit aduerſa propter ſeipſum,
B vel ſiſtendo in ſeipſo, tanquam in fine. Ita hunc amorem explicuit Baſilius, qui ſic ait: [Amans ſui ipſius eſt, qui ſeipſum amat priuato & immodico amore. Talem autem ſe eſſe quis cognoſcit, ſi quæ facit, ea commodi ſui causâ facit, licèt quod fiat, ex mandato ſit. Nam illud, quietis ſuæ cauſa omittere aliquid eorum, quæ ad vtilitatem fratris pertineant, ſiue animi illa quies ſit ſiue corporis, iam hoc quibuſuis etiam aliis perſpicuum eſt, vitium eſſe amoris ſui ipſius, cuius finis perditio.] Sic ille. Meritò autem finis huius amoris dicitur à Baſilio, perditio: [Quoniam ſicut ciuitatem cœleſtem, vt ait Auguſtinus, ædificat amor Dei vſque ad contemptum ſui; ita ciuitatem terreſtrem, cui diabolus dominatur, ædificat amor ſui vſque ad contemptum Dei.] Et planè hic amor eſt inor-
C dinatus atq; peruerſus, quod vel ipſa humana ratio, ſi non cæcutiat, tantiſper adiuta, facili diſcurſu cognoſcit. Homo enim conditus eſt non propter ſeipſum, ſed propter Deum; quia omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, adeò vt quicquid eſt hominis, id totum factum ſit propter gloriam Dei. Ita ergo bona debet ſibi quærere, ſi ordinatè quærat, vt illa non propter ſeipſum, quaſi propter finem, quærat, ſed propter Deum qui finis ſuus eſt, & vniuerſarum rerum, inquirat. Quare ſicut lectus regis, qui deliciarum eius causâ variis odoramentis aſpergitur, ſi compos rationis eſſet, dum odoramenta propter ſeipſum, & non propter regem vellet, hic infidelis exiſteret: ita homo, cui bona propter Dei gloriam ſuppetunt, infidelis eſt illi, ſi hæc bona non in Deum
D referat, ſed propter ſeipſum, quaſi propter finem, habere geſtiat. Idémque eſſet, ac ſi procurator ſponſi, non vt eius partes ageret, ſed vt ſponſam in ſui amorem prouocaret, ſplendidus & pulcher ſponſalibus contrahendis aſſiſteret. Hæc autem amoris proprij peruerſitas ampliùs exponitur, ſi conſideremus aliquid honorificum aut delectabile poſſe eſſe homini, quod tamen Deo aliter diſponenti aut contraria præcipienti diſpliceat. Si autem homo ſeipſum proprio amore diligat, id eſt, bonum ſibi velit propter ſeipſum, fiet, vt honorem aut voluptatem diuinis iuſſis præferat, quam nulla habita ratione Dei, vltimi finis ſui, experiri deſiderat. Quis autem in hoc facto manifeſtam peruerſitatem non inſpicit? Eſt namque ac
E ſi ſeruus vellet cum detrimento Domini ſui, aliquod bonum præter neceſſitatem accipere: immò eſt, ac ſi cuperet cum nece ſui Domini, breuiſſimam voluptatem captare. Sicut enim qui contra Dei præcepta ſe oblectat (quod ad ſe attinet) diuinam voluntatem proterit; ita etiam diuinam illam naturam minimè à ſua voluntate diſiunctam ſpernit, atque peſſumdat. Veriſſiméque Dionyſius Richelius ſequutus Auguſtinum ait: [Hic amor priuatus, omnium radix atque origo iniquitatum, ſacræ extat charitatis venenum. Et minoratio iſtius deteſtandi amoris, eſt

Baſil. reg. breu. ad interr. 54.
Aug. lib. 14. de ciuit. c.28.
Dionyſ. lib. de laud. de vita ſolitar. art. 6.

chari

charitatis profectus & incrementum. Mera verò praui improbíque illius amoris eradicatio, eſt charitatis perfectio.] Nec obſtat ad hunc excuſandum amorem, quòd homo velit ſibi bona licita, & non vetita lege Dei. Nam ſi ea ſibi non propter Deum, ſed propter ſeipſum velit, graue quidem peccatum reiicit, ſed periculum non euadit. Si namque hodie bona, vt virtutem & ſanctitatem: aut media, vt cibum & potum, quia ſibi conducibilia ſunt, nullo reſpectu habito ad Deum, appetit; cras mala & illicita, quia ſibi conducibilia, etiamſi Dei repugnent mandatis, concupiſcet. Cùm enim ſua commoditas, ſuus honor, ſua voluptas, & non Deus, ſit tota appetendi ratio, quicquid huic honori aut voluptati aſſequendæ fuerit vtile, etiamſi Deo repugnet, admittet. Sicut ſi quis corporis ſanitatem præ omnibus cupiat, illud ſumet amarum aut dulce, quod medicus ad hunc finem aſſequendum, vtile eſſe præſcripſerit.

Ex his perſpicua manet amoris ſui ipſius priuatíue peruerſitas, qui latiſſimum in vniuerſos homines tenet imperium. In illo enim innocentiæ fœliciſſimo ſtatu, in quo vniuerſorum creator hominum genus condiderat, erat etiam erga nos ipſos amor iſte rectiſſimus, quia ſicut Deum propter ſeipſum & reliqua omnia propter Deum, ita & nos propter Deum diligebamus; & quicquid voluptatis, quicquid honoris, quicquid commoditatis nobis cupiebamus, non in noſtra paruitate ſiſtebat, ſed tranſibat ad Deum, tanquam ad ſupremum finem ac rectiſſimam diligendi menſuram. At humana natura per peccatum originale corrupta, ita amor à ſuo fine deſciuit, vt non in Deum tendat, ſed nos ipſos, ſi in ſua corruptione relinquatur, & à gratia non corrigatur, ſcopum ſibi ac finem conſtituat. Quod ſignificauit illa mulier, quæ,

Lucæ 13. 11. vt ait Lucas, habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere.] Nam hic ſpiritus infirmitatis, mulierem illam, in qua humana ſignificabatur natura, ad ima deprimens, amorem priuatum deſignabat, quo à cœleſtibus ſeparamur, & ad nos ipſos ac terrena conuertimur.

Gregor. hom. 31. in Euãg. Ad corda veſtra, fratres chariſſimi, redite, inquit Gregorius, quid horis omnibus, in cogitationibus veſtris voluatis, ſemper aſpicite. Alius de honoribus, alius de pecuniis, alius de prædiorum ambitu cogitat. Hæc cuncta in imo ſunt, & quando mens talibus implicatur, ab ſtatus ſui rectitudine flectitur. Et quia ad cœleſte deſiderium non aſſurgit, quaſi mulier inclinata, ſurſum reſpicere nequaquam poteſt.] Sic ipſe. Miſerum autem eſt aſpicere, quanto impetu homo ad ſe ipſum amore feratur, & quomodo in omnibus, tum bonis, tum malis, tum temporalibus, tum ſpiritualibus ſeipſum inquirat. Et quemadmodum flamma ignis in ſupernam regionem aſcendens, ſi ſubitò verteretur in lapidem, ſtatim motum illum ſurſum deſereret, & ſe magna vi deorſum atque in terram inclinaret: ita mens noſtra per peccatum, ex cœleſti, terrena facta, amoris motu non ſurſum in Deum aſcendit, ſed deorſum in terrena atque in ſe ipſam, ſine vlla requie contendit. In omnibus quæ agit homo, nihil de Deo cogitat, ſed de ſe ipſo & de ſuis commodis cum cura ſolicitat. Si edit, bibit, dormit, ea facit, vt ſeipſum foueat: voluptates, delicias, illecebras cupit, & captat, vt ſe ipſum oblectet: opes, honores, dignitates ambit, vt ſe ipſum efferat. Quid moramur? Peccatorum remiſſionem, virtutum adeptionem, orationis donum, cœleſtes conſolationes, & ſpiritualem profectum ſæpe cum gemitibus & lacrymis poſtulat, non vt Deo placeat, ſed tantùm vt ſemetipſum à malis eripiat. Et videbis in infœlici homine, peſſima amoris proprij ægritudine

A laborante, illius peruerſitatis viuam imaginem, quam Nabuchodonozor rex, in abominabili ſtatua ſexaginta cubitorum erexerat. Sicut enim ille ſublato veri Dei cultu, voluit pro Deo haberi, & ab omnibus *Daniel. 3. 1.* populis adorari; ita homo ſe quaſi idôlum faciens, vniuerſa terreſtria & cœleſtia aduocat, vt ipſi genuflectant, id eſt, omnibus, quæ habent, ipſius commoditati deſeruiant. Immò (& vt penitus appareat huius amoris iniquitas) ipſum Deum, qui (vt eſt in Apocalypſi) eſt Alpha, & Omega, id eſt, principium & finis, *Apocal.* quaſi à nobilitate vltimi finis deiicit, dum homo per hunc amorem, Deum ipſum non propter Deum, ſed propter ſe, tanquam propter finem, habere concupiſcit. Et ecce illam peruerſitatem ab Auguſtino deploratam, qua fruimur vtendis, & vtimur fruendis, *Auguſt.*

B quia nos propter Deum creatos, quaſi propter nos ipſos, amore noſtri ipſorum eſſe volumus, & Deum, cuius cauſa conditi ſumus, quaſi ex ſua maieſtate ad noſtrorum commodorum obſequia deiicimus. Longè autem ab hac nequitia eſt amor ſupernaturalis, & deſiderium, & ſpes, quibus interdum Deum nobis volumus & deſideramus, & in futura vita habere confidimus. Quia his nos quidem ipſos diligimus, nobiſmetipſis Deum & bona Dei ſperamus, deſideramus, & volumus, ſed non propter nos, tanquam propter finem, ſed propter ipſum Deum in hæc bona diligenda, ſperanda, & deſideranda, voluntatis affectu contendimus.

Hic ergo amor priuatus, ſummis conatibus eliminandus eſt, ſi locus eſt concedendus in corde noſtro

C virtuti: quoniam omnem ipſe virtutem ſanctitatémque peruertit. Oculum in primis ſimplicis & rectæ intentionis obcæcat. Recta enim intentio in omnibus Deum quærit, vniuerſarum cogitationum, deſideriorum, & actionum Deum finem conſtituit, in eum, tanquam in ſcopum & metam, toto niſu contendit. Sed proprius amor, relicto Deo, hominem ipſum, cupientem aut operantem ſibi finem, præſcribit, & non diuinum honorem, ſed hominis commoda & emolumenta conquirit. Vitiata autem intentione, omnis labor, omnis conatus in virtute etiam aſſequenda, omne bonum deſiderium, actióque corrumpitur; qua ſublata, vera virtus & animæ ſanctitas ſtare non poteſt. Nititúrque ad ſummum proprius amor, homines virtutis ſtudioſos facere ſimiles Samaritis, de quibus legimus; Quia cùm Dominum *4. Reg. 17. 33*

D colerent, diis quoque ſuis ſeruiebant iuxta conſuetudinem gentium:] ita ſanè homines proprio amori ſubiecti, non ſoli Domino, ſed ſuis etiam commodis, quaſi impuris idôlis ſeruiunt, & ita illum quærunt, vt ſe ipſos magis inuenire & fouere conentur. Deinde amor hic peruerſus virtuti charitatis, atque adeò medullæ ſanctitatis & perfectionis opponitur: quia amor Dei, & amor ſui (vt ex his, quæ nunc diximus liquet,) in oppoſita tendunt, & ad contrarios fines aſpirant. Ille creatorem reſpicit, iſte creaturam: ille Deum, iſte hominis emolumentum conſiderat: ille quid Domino placeat amplectitur, iſte quid nobis gratum & iucundum ſit, etiamſi Deo ſit inuiſum, amplectendum vociferatur. Amor Dei, fons eſt omnium

E meritorum; quia nullum meritum eſt apud Deum, niſi ab amico per gratiam & charitatem, ſibíque grato, procedat. Amor ſui eſt origo omnium peccatorum; quia nullus niſi immoderatè ſe ipſum amando, & bonum vetitum ſibi concupiſcendo, delinquit. Si ergo merita ſunt contraria peccatis, origines habent oppoſitas, nec poteſt quis Dei amore, qui eſt initium meritorum, cumulari; & ſui amore, qui eſt initium omnium peccatorum, etiam grauium, poſſideri: Sed neceſſe eſt, proprium amorem in aliquo ſaltem gra-

du eiice

A du eiicere, vt amor Dei intret, & omnino relegare, vt ipſe Dei amor ex initiis ad perfectionem deueniat. Nemo poteſt ſimul vno oculo cœlum & altero terram aſpicere, ſed tota oculorum acies, aut cœlo, aut terræ applicanda eſt: ita nemo poteſt Deo & ſibi, tanquam fini, inhærere: ſed ſi illum, tanquam finem, diligit, ſeipſum vt finem non diligat, atque adeò à proprio & immoderato amore diſcedat, neceſſe eſt.

Si verò amor ſui, matrem, id eſt, charitatem, impugnat, etiam filias, id eſt, virtutes omnes, oppugnabit. Et verè ita eſt. Sicut enim aqua ignem corrumpens, omnibus ad ignem præparantibus & ignem ſequentibus interitum affert; & ſiccitatem, calorem, & ſplendorem ignis diſperdit: ſic omnino amor ſui, ignem charitatis deſtruens, vniuerſarum virtutum charitatem antecedentium vel ſequentium inimicus B exiſtit. Fidem obnubilat, ſpem extenuat, timorem Dei pellit: miſericordiam, beneficentiam, æquitatem, manſuetudinem, humilitatem, & chorum reliquarum virtutum auerſatur; quia cupiens homo ſuper omnia ſibi ipſi placere, ſanctiſſimas virtutes odit, quæ aut docendo, aut contraria proponendo, aut in oppoſitum laborando, prauis amoris proprij deſideriis obſiſtunt. Qui ſeipſum immoderatè diligit, omnem difficultatem timet, omnem laborem refugit, omnem inſuauitatem ſubire detrectat: quomodo ergo virtutes amabit difficultatibus plenas & laboribus abundè refertas? Certè claudus contemnit gemmam in alto ſuſpenſam, & blandus palpator ſui virtutem difficultatibus implicatam. Et quemadmodum qui ad guſtum dulcedinis nauſeant, cibum ſibi C ſuauiſſimum, melle tamen illitum, auerſantur: ita amatores ſui, virtutes laboribus & duris exercitationibus inuolutas, guſtare non ſuſtinent. Virtutibus autem per proprium amorem relegatis, quid ſupereſt, niſi vt paſſiones & affectus animi, quorum moderatio à duplici virtute, fortitudine & temperantia, dependet, ſemper duri, proterui, immoderati, effrænatique perſiſtant? Nam proprius amor, qui his præſertim virtutibus ſe opponit, & puſillanimis eſt ac parcitatis inimicus, nunquam huiuſmodi affectibus dominabitur. Et ſicut ipſe nimius eſt in voluptatibus, & bonis ſenſibilibus quæritandis; ita amorem poſt ſe trahit ad amanda immoderatè ſenſibilia, & odium ad immoderatè odienda omnia difficilia, & paſſiones reliquas ad ſua obiecta inordinatè ſectanda, vt ſic quotidie in peius eant, & effrænatiùs à du- D ctu rationis ſe ſubtrahant. Abſalon non tantùm voluit Dauidem pium patrem perdere, ſed conatus eſt omnem populum ab eius ditione ſeparare. Denique faciebat hoc omni Iſrael venienti ad iudicium,

2. Reg. 15. 6.

& ſollicitabat corda virorum Iſrael.] Sic prorſus immoderatus ſui amor, non ſolùm æternam hominis mortem machinatur, ſed, vt faciliùs illum interimat, omnem populum, id eſt, omnes paſſiones, aduersùs rationem virtutémque ſollicitat. Et quemadmodum draco ille magnus, à Ioanne commemoratus, [caudâ traxit poſt ſe tertiam partem ſtellarum:] ſic amor iſte

Apoc. 12. 4.

inordinatus, verè draco, qui cuncta noſtra merita deuorat, trahit poſt ſe tertiam hominis partem, id eſt, mediam affectuum paſſionúmque portionem, men- E ti & corpori intenectam, vt aduersùs ſpiritum rebellans ſuis exceſſibus & ſtultitiis deſeruiat. Satis verò perſpicuum eſt, neminem ſine paſſionum mortificatione poſſe gemmam perfectionis tenere.

Sed quantum amor ſui, ſtudium orationis, & diuinam familiaritatem, atque adeò nobiliſſimum inſtrumentum perfectionis impediat, nemo poteſt ignorare. Equidem puto id non ignoraſſe Iacob, qui aſcenſurus in Bethel, & facturus altare Deo, dixit ad

A omnes viros ac mulieres domus ſuæ: Abiicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra.] Quia profectò ad orandum & inuocandum Dominum, non ſufficit maculas præteritorum peccatorum lauiſſe, & priſtinam conuerſationem mutaſſe, niſi etiam idola deſideriorum maniorum, quæ proprius amor erigere in corde noſtro non ceſſat, mortificationis ſollicitudo deiiciat.

Gen. 35. 2.

Nec etiam filij & ſerui patriarchæ fidelis id ipſum ignorarunt, qui, vt facer textus ſtatim ſubdit; dederunt ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum:] hoc facto demonſtrantes, ſe, vt poſſent mundas ad Deum leuare manus, non ſolùm vana amoris proprij deſideria abiecisse, ſed aures quoque obturando eas impuris hu-

ibid. n. 4.

B ius amoris ſuaſionibus, ab omni prophano ornatu purgaſſe. Sed & Iacob [infodit idola, & inaures ſubter terebinthum, quæ eſt poſt vrbem Sichem:] quia ita debent à nobis ſuaſiones immoderati amoris noſtri & deſideria contemni, vt quaſi ſepulta & in puluerem verſa, nunquam coram oculis hominis interioris appareant. Quod verò familia Iacob ſciuit, ſerui Chriſti, ſcilicet iuſti, ignorare non poterunt. Si enim norunt, ſe, vt ſolem videant, debere oculos in cœlum conuertere, & à terris auocare, quomodo neſcient, ſe, vt Deum contemplentur, debere mentis lumina in Deum ipſum attollere, & à ſeipſis, qui viles terra & ſtercus ſunt, curam & conſiderationem dimouere? Id autem proprium amorem impedire manifeſtum eſt: Nam ita natura comparatum eſt, vt C homo id cernet, quod amat, id cogitet, id animo voluat, ad id ſeipſum afficiat, quod diligit. Si ergo, ô iuſte, teipſum diligis, & immoderatè diligis, omnia in teipſum tanquam in finem ordinans, te ipſum vtique cogitabis, tua commoda cupies: quibus ergo viribus contemplaturus & amaturus es Deum tuum? Scito, & vide, quia, vt dixit Iſaias: Coanguſtatum eſt ſtratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque, nempe te & Deum, operire non poteſt. Humanus intellectus ab omnibus viſibilibus rebus abſtractus, vix nouit ad res cœleſtes contemplandas aſſurgere, & limitatus affectus à creaturis auocatus, nec dum valet ſe diuinis immergere, quid faciet ille caligine offuſus, & iſte vinculis compeditus, & vterque proprio amore ad ima depreſſus? Lego: quia vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.] Si ergo theſaurum in te-

Iſaiæ 28. 20.

Matt. 6. 21.

D metipſo habes, id eſt, te & commoda tua, ſcopum tuarum curarum & tuorum laborum efficis, tu te procul dubio, & non in Deo intellectũ, & affectum habebis. Lego in Auguſtino, quia amor & pondus rationalis naturæ coinciduni. Amor, inquit, meus, pondus meum, illo feror, quocunque feror. Si igitur amor tuus proprius, id eſt, terrenus eſt, qui in ſæculi vilitates inclinat, non poſſum credere, quòd orationis & meditationis tempore, ſanctis cogitationibus & feruidis deſideriis in cœlum attolletis, ſed magis vanis diſtractionibus ad ima deprimeris. Lego; Quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei.] Ergo per tui amorem non tantùm animalis

1. Cor. 2. 14.

E ſed beſtialis effectus, minimè cœleſtia & diuina percipies. Quid plura? Lego: Agrum tuum non ſeres diuerſo ſemine: veſte, quæ ex duobus texta eſt, non indueris:] quia in veritum niteris, cum agrum cordis tui ſimul amore Dei & amore tui ipſius ſerere tentas, & cœleſtium ac terrenorum deſiderio vitam tuam occupare præſumis. Denique quotidiana experientia te doceat: nam in cella abſconditus, feneſtris & feris clauſis, & ab omni externo opere, quod te interpellet, ſequeſtratus, ſexcentis phantaſiis illudens, ridiculis voluptatum aut honorum cogitationibus

Leuit. 19. 19.

impugna

impugnatis, & è cœlo ad ſtercora tuarum commoditatum vel nolens reſiſtenſque pertrahens. Trahit autem te herus tuus, amor tui, cui teipſum vendidiſti, cuius imperio collum ſubieciſti, qui non ſuſtinet te, niſi terrenis diſtineri, & in vanis & noxiis deſideriis occupari.

Quia ergo amor proprius & immoderatus noſtri ipſorum tam exitioſus eſt, ideo Dominus non tantùm illum vetuit, ſed & oppoſitum odium, quod ſanctum quidem eſt & ſalutare, præcepit. Hoc enim ſonant illa verba Saluatoris:

Luca 14. 26.

Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.] Odium animæ noſtræ, ſeu noſtri ipſorum, alicui ſanè amori opponitur. Non autem opponitur illi, (B) quo nos in Deo & propter Deum diligimus, qui charitas eſt: ſed illi, quo nos in nobis & propter noſmetipſos diligimus; qui amor proprius eſt. Sicut itaque nos malè & immoderatè amamus, cùm ſæculi bona & commoda propter noſtram voluptatem quærimus; ita bene nos odio habemus, cùm, vt inquit Gregorius, animę carnalibus deſideriis non acquieſcimus, cùm eius appetitum frangimus, cùm eius voluptatibus reluctamur.

Gregor. hom. 37. in Euāg.

Iſtud igitur odium nos diſcipulos Chriſti efficit, ille amor ab eadem diſciplina antea quoque admiſſos excludit. Iſtud odium vitam ſpiritualem proſeminat; amor ille reuellit: iſtud veſtem perfectionis apprehendit, ille dirumpit. Denique proprius amor nos perdit; odium verò ſanctum noſtri in vitam æternam inducit. Nam, qui amat (C) animam ſuam, perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.]

Ioan. 12. 25.

Qui, inquam, amat ſeipſum amore hoc immoderato, quem proprium dicimus, quo ſe ſui ipſius quaſi idolum facit, quo bona ſæculi & carnis voluptates inquirit, is ſeipſum in perpetuum perdet. Qui autem ſeipſum odio habuerit, ita vt voluntates ſuas non faciat, & à rebus illicitis auellat, in omnem æternitatem vitam fœlicem poſſidebit. Id profectò eſt, ſeipſum ad mortem malè amare, vt optimè interpretatus eſt Chryſoſtomus, & ad vitam ſanctè ſe odio habere.

Chryſoſt. hom. 66. in Ioan.

Nam qui cupiditatibus propriæ voluntatis obtemperat, aliquod bonum falſum & apparens ſibi vult, ideóque malè & inſipienter ſe diligit. At qui prauis deſideriis contradicit, nonnullam triſtitiam ſibi importat, qua, quia æternam lætitiam mercatur, (D) bene & prudenter ſe odit. Aduersùs ergo amorem hunc proprium, aſſiduum & implacabile bellum nobis ſuſcipiendum eſt, quia charitas & perfectio non dominabitur in cordibus noſtris, niſi amor iſte moriatur, cuius præſentia, ſicut ſufficiens eſt omnia mala gignere, & vniuerſa peccata ſuadere; ita de ipſo parta victoria poteſt cunctos alios hoſtes ſpiritualis vitæ proſternere, & cunctas virtutes generare. Vnde diligat ſe homo amore, (vt ita dicam,) communi: eo ſcilicet amore charitatis, quo reliquos homines diligit propter Deum: non verò diligat ſe amore proprio, quo in ſe ipſum tanquam in finem tendat: Nam quemadmodum ſapienter dixit Auguſtinus:

Aug. 1. de doctrin. Chriſt. c. 22.

Tunc eſt optimus homo, (E) cùm tota ſua vita pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si autem ſe propter ſe diligit, non ſe refert in Deum, ſed ad ſeipſum conuerſus non ad incommutabile aliquid conuertitur. Et propterea cum defectu ſe fruitur, id eſt, ſe diligit, quia melior eſt cùm totus hæret, atque conſtringitur incommutabili bono, quàm cùm inde vel ad ſeipſum relaxatur. Diligat ſe homo propter eum, cuius gratiâ factus eſt, amore verò proprio, & immoderato non ſe amet, ſed potiùs illum di- (A) ligenter mortificet, vt ad eius mortificationem charitas viuat, & ad ipſius mortem eadem charitas in perfectionem aſſurgat.

De Mortificatione actuum & exceſſuum amoris proprij.

CAPVT III.

ETsi omnia peccata, imperfectiones, & exceſſus noſtri ab amore proprio progrediantur, tamen neceſſe eſt ea ſub quibuſdam capitibus comprehendere, vt contra hanc belluam immanem pugnare poſſimus. Quam non omnino ineptè in dracone illo à Ioanne in Apocalypſi conſpecto, ſignatam eſſe per myſterium coniectamus.

Apoc. 12. 3.

Hic habebat capita ſeptem & cornua decem, quibus ſeptemdecim defectus proprij amoris ſignati ſunt, à quibus, tanquam à fontibus, omnium malorum noſtrorum, (ſi bene inſpiciatur,) turba procedit. Meritò verò non ſolùm capitibus beſtiæ, ſed & cornibus oſtenduntur; quoniam ceu capita, animæ caſus initiant, & ceu cornua, vitam noſtram feriunt atque cruentant. Draco autem iſte, id eſt, proprius amor, paratus erat, filium mulieris deuorare, quia eius conatus eſt, ſpiritum ſanctitatis & deuotionis extinguere. Vt itaque hunc filium animæ dilectiſſimum ab omni iniuria vindicemus, neceſſe eſt immanem beſtiam adoriri, & eius capita & cornua diligenter amputare, & vnicuique, ne iterum pulluler, gratiæ ignem admouere. Hæc ergo capita & cornua proprij amoris quaſi digito demonſtremus, & quibus mediis excindenda ſint, oſtendamus legentibus.

I. Caput.

Primum caput amoris proprij, eſt æſtimatio ſui, qua quis in ſeipſo deceptus ſe quid magnum putat, dona ſua naturalia aut ſupernaturalia ſupra meritum magna, & omni æſtimatione digna exiſtimat. Iſte in nullo ferè ſibi diſplicet, immò in omnibus complacet ſibi, ſuos defectus extenuat, labores exaggerat, & de eo, quod rectè facit, ac ſi ſuum & non Dei eſſet, latenti quadam cogitatione & abſcondito deſiderio gloriam ac laudem concupiſcit. Mordet hoc venenatum caput ore mortifero non tantùm eos, qui ſcientia, ingenio, & donis naturalibus pollent, ſed eos quoque, qui virtutibus, & laboribus pro Chriſto ſuſceptis, & diuina familiaritate reſplendent: Qui non ſemel quaſi furtiuè dicunt: Non ſumus ſicut cæteri hominũ;] & diſſimulanter ſeipſos aliquid reputant, alióſque contemnunt.

Luca 18. 11.

Ricar. de extermi nat. mali c. 14.

Vnde Ricardus Victorinus myſticè in Iordane immoderatum ſui amorem intelligens, ſic ait: Cùm cœperit ſemen illud, quod cecidit in terram bonam, producere de ſe fructum, aliud triceſimum, aliud ſexageſimum, aliud centeſimum, ſolet nimirum eo tempore Iordanis vnda altiùs intumeſcere: & vt eſt humani animi, magna de ſe æſtimare, magnum ſe aliquem credere, cùm viderit ſe multum fructum facere, & ad maturitatis meſſem peruenire. Tunc, (nec mirũ,) quo maiora de ſeipſo æſtimat, eo maiori dilectione dignum ſe eſſe iudicat; magnúmque eſt valde, ſi non vſque ad ſuperfluitatem in ima defluat, & iuſtæ æquitatis metas vtilitatíſque ripas non excedat. Quantum ergo putas, quàm magnum miraculum exiſtimas, tibi ipſi vileſcere, tibi ipſi magis magiſque diſplicere, eo præcipuè tempore, cùm incipis magnus eſſe,

A magnúſque omnibus apparere?] Et ſtatim, cùm di-
xiſſet facile eſſe, quemque ſeipſum contemnere, cùm
peccatis ſordet, tepiditatéque frigeſcit, ſubdit: Sed
illud magnum erit, ſi in tempore meſſis & inter vir-
tutum ſucceſſus, poſſit Iordanis vnda intra aluei ſui
ripas includere, & amoris priuati impetum intra mo-
deſtiæ metas cohibere.] Hactenus ille. Ex hoc
capite oriuntur peccata ſuperbiæ, arrogantiæ, iactan-
tiæ, & alia ſimilia, ad quæ homo propria ſui æſtima-
tione raptatur, quibus (vt dicemus) propria cognitio
& humilitas opponenda eſt, ne nos in atram cæcita-
tem atque in immenſa mala deiiciant.

II. Aliud caput huius draconis eſt, velle ab homi-
nibus non propter Deum ſed propter ſeipſum ama-
ri, timeri, revereri, & laudari. Nam qui ſeip-
B ſum magni reputat, & aliis meliorem ac præſtan-
tiorem putat, non mirum ſi ab illis amorem ſupra
merita ſua ac reuerentiam requirat. Huius autem
affectus immoderati meminit Auguſtinus dicens:
Aug. 10. confeſſ. c. 36. Itaque nobis propter quædam humanæ ſocietatis
officia neceſſarium eſt amari, & timeri ab homini-
bus, inſtat aduerſarius veræ beatitudinis noſtræ, vbi-
que ſpargens in laqueis Euge, Euge: vt dum auidè
colligimus, incautè capiamur, & à veritate tua gau-
dium noſtrum deponamus, atque in hominum fallá-
cia ponamus: libeatque nos amari, & timeri non pro-
pter te ſed pro te, atque iſto modo ſui ſimiles factos
ſecum habeat, non ad concordiam charitatis, ſed ad
conſortium ſupplicij.] Hæc ille. Iſtud autem inane
deſiderium & iram generat in eos, qui nos nec amãt,
C nec reuerentur, nec timent: & querimonias, obmur-
murationes, ac iudicia temeraria procreat, quibus
Prælatos, & æquales & minores noſtro deſiderio
minimè ſatisfacientes, lædimus, & multa ac magna
bona ſpiritualia diſſipat. Chriſtus námque ſpon-
ſus eſt animæ iuſtæ, in qua velut quoddam genus, aut
initium adulterij reprehendit, velle ab aliis non pro-
pter ſeipſum amari. Idque ſæpe cæcitate, ariditate,
& abundantioris gratiæ ſubtractione caſtigat. Mul-
tique experiuntur ſe minùs impensè ac tenerè à Deo
diligi, quoniam volunt à creaturis amari: & amorem
ac reuerentiam concupitam non aſſequuntur, quo-
niam hæc, ceu vmbra, inſequentes fugiunt, & fugien-
tes ac ſe ſubtrahentes inquirunt.

III. Tertium caput ad timorem referri poteſt, quo
D quis timet contemptum & vilipenſionem propriam,
tantùm quia ſibi noxia eſt, non quia Deo iudicatur
inuiſa. Sæpe verò impletur in hominibus, immo-
deratè contemptum timentibus, quod dicit Iob:
Iob 3. 25. Quia timor, quem timebam, euenit mihi, & quod
verebar, accidit:] namen contemptum, quem timidi
fugere conabantur, incurrunt, & deſpectionem,
quam auerſabantur, triſtes nolentéſque percipiunt.
Ex hoc affectu nimia triſtitia generatur, puſillanimi-
táſque progreditur, quam ſi homo viriliter abieciſſet,
contemptum ſanè odio habitum euitaſſet. Et per-
mittente Domino ipſe homo ſuo proprio amore pu-
nitur, quoniam vano timore, ea illo nimio amore
procedente, cruciatur. Ac proinde iure optimo hic
E inanis timor prohibitus eſt, & per Iſaiam Dominus
Iſaia 51. 7. 8. ait: Nolite timere opprobrium hominum, & blaſ-
phemias eorum ne metuaris. Sicut enim veſtimen-
tum, ſic comedet eos vermis, & ſicut lanam, deuora-
Prou 3. 25. bit eos tinea.] Ac per Salomonem: Ne paueas re-
pentino terrore, & irruentes tibi potentias impio-
rum: Dominus enim erit in latere tuo.] Sed proprius
amor, in quo, ſi in aliquo, quadrat, quòd cæcus ſit,
hæc monita ſalutaria non audit, & lepuſculo timi-
dior, nunquam fallaces inſipientium hominum opi-
niones dictáque contemnit.

A Quartum caput ab amore proprio procedens, eſt IV.
inanis quædam & inſipiens erubeſcentia, qua homo
de aliquibus defectibus, vel à natura ipſa prouenien-
tibus, vel ab ægritudine aut imbecillitate mananti-
bus, erubeſcit. Quales ſunt priuatio vel mutilatio ali-
cuius membri, deformitas corporis, vinculum lin-
guæ, rectam prolationem impediens, inſuauitas vo-
cis, natalium vilitas, muneris defectio, indumento-
rum paupertas, & alia ſimilia. Hęc enim reſpicit ama-
tor ſui, vt ſuæ propriæ excellentiæ damna & honoris
detrimenta, & ideo nititur illa ſimulatione contege-
re, quod ſi non poſſit, neſcit noxiæ verecundiæ &
puerili erubeſcentiæ modum imponere. Cuius cæci-
tas eo maior eſt, quo ipſe virtutum abſentiam, animæ
fœditatem, ineptam loquacitatem non ſentit, atque
B Adæ, aduersùs Deum rebellantis, imitationem, ocio-
ſitatem, & viliſſimos vitiorum pannos, quibus cir-
cundatus eſt, non erubeſcit. Ne pro his omnibus
confundaris,] ô frater, vt Eccleſiaſtici ſermo te mo- *Eccl. 41. 1.*
neat, quia cùm hæc culpa vacent, nullam, ſi ſapienter
conſiderentur, & patienter admittantur, erubeſcen-
tiæ cauſam important. Sic à Domino factus es, vel in
talibus defectibus ad tuam vtilitatem & humilitatis
cuſtodiam coniectus; quid medicamentum neceſſa-
rium habens, ea illo confuſionem, quam non habet,
pertimeſcis? Oſtendam tibi cum ipſo ſapiente, de
quibus ſit erubeſcendum. Erubeſce igitur à patre & *Eccl. 41. 21. 22. 23. 24. 25.*
à matre, de fornicatione: & à præſidente & à poten-
te, de mendacio: à principe & à iudice, de delicto: à
ſynagoga & plebe, de iniquitate: à ſocio & amico,
C de iniuſtitia: & de loco in quo habitas, de furto, de
veritate Dei, & teſtamento: de diſcubitu in pani-
bus, & ab obfuſcatione dati & accepti: & à ſalutan-
tibus, de ſilentio: à reſpectu mulieris fornicariæ: &
ab auerſione vultus cognati.] Hæc inquam, tibi ſint
confuſionis occaſio: ſi in conſpectu parentum, ſcili-
cet Chriſti & Eccleſiæ, rem creatam immodicè
amans, fueris ſpiritualiter fornicatus: ſi fueris coram
Deo, omnium iudice & omnipotente, mentitus: ſi in
aliquo in conſpectu eiuſdem iudicis tui ac factoris
deliqueris: ſi plebem aut congregationem, in qua vi-
uis, iniquitate ſcandalizaueris: ſi ſocium iniuria af-
feceris: ſi in domo tua de furto in legem Dei admiſ-
ſo notatus fueris: ſi in conuiuio ſuperbiens primas
ſedes elegeris: ſi muneri tuo minimè ſatisfaciens
D tuam famam denigraueris: ſi ſalutantes te præ arro-
gantia non ſalutaueris: ſi intentis & minùs pudicis
aut cautis oculis pulchram mulierem aſpexeris: ſi ad
ampliorem dignitatem euectus, propinquos aut
amicos habitos in humili ſtatu contempſeris. Pro
his, & aliis ſimilibus, quæ peccata ſunt, tibi eru-
beſcendum eſt; at pro illis, quæ à natura ex diuinæ
prouidentiæ ordine ſuſcepiſti, nulla eſt habenda
confuſio. Pelle vanum de his, quæ in tua poteſtate
non ſunt, noxiúmque pudorem; hominibus placere
non cupias, ſed ſoli Deo, cui humilia & deuota pla-
cent obſequia, licèt ab exiguo talento, & ab homine,
aliquo defectu naturali impedito, procedant. Tibi-
que perſuade, hunc pudorem filium eſſe immodera-
E ti amoris turpiùs, quem ſi non viceris, in multis, quę
ad Dei gloriam pertinent, te quaſi erubeſcentia pue-
rili ligatum reperies.

Quintum caput eſt eorum, quæ opinionem homi- V.
nis minuere poſſunt, abſconſio, qua nimirum quis vi-
tia, & culpas ſuas, & defectus occultat, non quidem
ob ædificationem proximorum, ſed ad aucupandum
in cordibus aliorum honorem, & nomen ſanctitatis
aut virtutis, quam nõ habet, obtinendũ. Hanc autem *Nazian. in Apol. longe poſt initium*
doloſam hypocriſim, proprij amoris eſſe filiam, ex
verbis Nazianzeni diſcemus. At nobis, ait, ingenij

ſolet

ſolertia, & cæcus noſtri amor, & quod facilè cuiquam cedere nec ſciamus, nec ſuſtinemus, plurimùm ad virtutem impedimenti affert, ac velut inſtructa acie ſe ſe iis, qui nobis opem ferunt, opponit: quantúmque ſtudium à nobis adhiberi conueniebat, vt morbum medicis detegeremus, tantum ad medicinam fugiendam, adhibemus, atque in noſtram perniciem fortes ſumus & aduersùs ſanitatem noſtram periti. Vel enim turpiter & abiectè peccatum ſupprimimus, non ſecus ac malignum morbum quendam & ſubputridum in intimis animæ receſſibus occultantes, perinde ac magnum quoque Dei víſque illius vltricis oculum fugituri, ſi homines fefellerimus, vel excuſationes in peccatis proferimus, verborum patrocinium vitiis noſtris exquirentes.] Sic ille. Quanta verò peccata, & quantæ ſimulationes & falſitates ex hoc affectu naſcantur, non eſt difficile explicare. Sed quid nunc ingentia eorum ſacrilegia tangam, qui in ſacramentali confeſſione grauia peccata celant, ne vel ſacerdos ipſe locum Dei gerens, confitentium caſus agnoſcat? Quaſi Deum ipſum fallere poſſint, & ſe coram eo, qui corda & renes ſcrutatur, mendaciis & ſacroſancti iudicij iniuriis iuſtificare valeant. Quid periuria? Quid falſa teſtimonia eorum commemorem, qui ne Prælato non graue vulnus aperiant, animam ſuam ſæuo mucrone grauiſſimi peccati confodiunt? Quid tandem illorum dolos & fraudes edicam, qui vt iniquitatem contegant, operiunt ſe [veſtimentis ouium, cùm tamen intrinſecus ſint lupi rapaces?] (*Matth. 7.15.*) Hæc ad viros ſpirituales non pertinent: quos tamen hoc germen proprij amoris non parum inquietat, dum ſuas imperfectiones excuſant, malè facta defendunt, alij quàm ſunt, ſæpe videri volunt, & odium, iram, immoderatum amorem, viuendi ſocordiam, velamine zeli, iuſtitiæ, charitatis, & prudentiæ cooperiunt. Certè proprius amor, ſapientiſſimus eſt [ſapientia] carnali, quæ [ſtultitia eſt apud Deum,] (*1 Corin. 3.19.*) vel potiùs calidiſſimus. Nouit enim in oculis ſaltem inexpertorum vitia nomine virtutum compellare, & culpis ac defectibus apparentes ſatis excuſationes obtendere. Sed Deus non irridetur.] (*Galat. 6. 7.*) Tu, qui culpas tuas & defectus occultas, eo ipſo hanc beſtiam proprij amoris impinguas, & te à profectu charitatis elongas. Deinde culpam, quam prudenti confeſſione & modica confuſione dilueres, ad maiorem & omnibus notam pœnam in ſinu recondis. Facit namque Dominus non ſemel cum ſuis, quod per os Nathan dixit ad Dauidem: Tu enim feciſti abſconditè, ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu ſolis.] (*2. Reg. 12.12.*)

VI. Sextum caput, eſt nimia quædam, & immoderata cura poliendi & perficiendi ea opera, quæ viſuri ſunt homines, & è contrà, lugenda quædam incuria in his, quæ viſurus & probaturus eſt Deus. Hæc cura eſt crudelis gladius, quo multi ſpirituales viri non Dei, ſed mundi & vanitatis martyres fiunt. Si concionaturi ſunt, anxia eos ſolicitudo excruciat inueniendi ſubtilia, diſponendi curioſa, & proponendi inania, quæ non animas lucrentur, ſed dicenti honorem & nomen ſapientis afferant, & aſtantium aures permulceant. Si philoſophi eas diſciplinas aut Theologiam lecturi, moleſtus angor torquet nouas opiniones excogitandi, & probabiles rationes inueniendi, quibus & ſe ipſos nominatos faciant, & inaudita confirment. Si munus gubernandi obituri, inquietum deſiderium exagitat auctoritatem erga primates captandi, ſubditis placendi, & cœnobij res augmentandi, quo & ſupra vires occupationes admittunt, & diſciplinam labefactari ſinunt. Breuiter hæc cura eos facit, vt hominibus placeant, in omni occupatione publica & exteriori ſolicitos. At oratio tepida, pſalmodia diſtracta, lectio curioſa, mortificatio ignaua, mentis puritas nulla, ſatis oſtendunt, illos non prò animæ puritate nec pro Dei gloria, ſed pro vana nominis exiſtimatione laborare. Quorum imaginem expreſſit Salomon in eo ſanè, quod domum Domini ædificauit ſeptem annis, domum autem ſuam tredecim annis. (*3 Reg. 6. 38. & c. 7 1.*) Ita amatores ſui ipſorum, tempus, altiſſimo Deo deputatum, nunc decurtant, nunc omnino ſurripiunt, & ad vacandum ei vix opportunitatem inueniunt: at in captandis ſuis commodis; & in his, quæ placeant hominibus, totam ætatem inſumunt. O miſera ætas, quam vniuerſi in nouiſſimo die fructus & meriti vacuam aſpicient. Si enim præceptum ſummæ veritatis eſt: Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum, qui in cœlis eſt:] (*Matth. 6.1.*) quod iſti præmium expectant, quorum oculi proprio amore cæci, ſolum plauſum hominum aſpiciunt, & Deo propter ſeipſum obſequi renuunt?

VII. Poſtremum caput huius amoris eſt, quo infœlix amator ſui vltrà in malo progrediens, non tantùm ea quæ homines vident & probant, vt eis placeat, facit, ſed ea quoque, quæ illi improbaturi ſunt, licèt bona & Deo grata, ad vitandam confuſionem omittit. In hoc verò duplex poteſt incidere peccatum: Alterum grauius, quo homo debita, ne contemnatur, prætermittit: alterum leuius, quo libera & ſpontanea obſequia ob eandem rationem derelinquit. Hic enim pernicioſus amor ora concionatorum & conſiliatorum obturat, ne liberè verum loquantur: cor iudicum & Prælatorum anguſtat, ne iuſtitiam cuique præſtent, & diſciplinam virtutemque defendant: manus laborantium ligat, ne in rebus abiectis ſibi iniunctis, Deo tamen gratis, obediãt. Similiter Dei ſeruos puſillanimes facit, ne à cœtu tepidorum ſe ſubtrahant, ne conuerſationis modum perfectiorem arripiant, ne culpas ſuas ſine ſcandalo & cum aliorum ædificatione prodant, ne ieiunia, vigilias, & longius, quàm alij, orationis tempus & alia ſimilia ſuſcipiant. Hæc inquam omnia amator ſui ſæpe deſerit, quia timet ex eis apud homines aliquod detrimentum incurrere, & nonnullam auerſionem aut confuſionem ſubire. Iſto vitio laborabat Nicodemus, qui [venit ad Dominum nocte:] (*Ioan. 3. 2.*) quia videlicet erubuit in die, & coram aliis ſe Chriſti diſcipulum profiteri. Laborabat & Petrus, antequam indueretur virtute ex alto: nam & timuit de conſortio Chriſti confundi, & ideo negauit, ſe illum noſſe, à quo omnia bona receperat. (*Luca. 22. n 57. 58. 59. 60.*) E contrà Paulus ea ſpiritus virtute roboratus ait: Non erubeſco Euangelium, virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti.] (*Roma. 1. 16.*) Illius autem infirmitas ex ſui amore profecta narratur, vt eam reiiciamus: atque iſtius firmitas à Dei charitate donata, vt eam opere compleamus. Intereſt autem noſtra, iſtum affectũ compeſcere, & minimè de oborta apud homines confuſione confundi, quoniam Dominus ait: Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua.] (*Luca 9. 26.*) Et rurſus: Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.] (*1. Reg 2. 30.*) Saluator quidem noſter probè ſciebat quantum eſſet opprobrium accepturus ex eo, quòd ſe ad noſtram

1. Corin. 1.23. ſalutem deiiceret, ſalutémque curaret: Cuius vita, reſte Paulo, Iudæis ſcandalum facta eſt, gentibus autem ſtultitia.] At non ob id à cœpto deſtitit, nec ceſſauit ab officio Redemptoris. Quanta ergo illorum inſipientia eſt, qui amore proprio decepti ea omittunt, ne aliquam confuſionem incurrant, ſine quibus aut ſuæ redemptioni non cooperantur, aut omnino nunquam redemptione potientur? Ecce ſeptem capita draconis, id eſt, proprij amoris, ſatis horrenda, ex quibus facilè, quàm peſtilens ſit eius natura, coniicies. Hæc verò qua ratione præcidenda ſint, inferiùs agnoſces.

Adhuc de Actibus Amoris proprij.

CAPVT IV.

MYSTICVS ille draco, quo proprium amorem ſignauimus, ſeptem capitibus gubernatus & decem cornibus inſtructus eſſe deſcribitur, quibus animas percutit, & in barathrum damnationis deiicit. Sicut enim decem illi armigeri Ioab, Abſalonem tribus confoſſum lanceis percuſſerunt, occiderunt, & in foueam grandem detruſum lapidibus obruerunt: ita decem cornua, id eſt, decem alij amoris proprij exceſſus, hominem triplici cogitationis, oris, & operis peccato transfixum, grauiùs interimunt, & aceruo lapidum, nimirum vitiorum onere, premunt. Quòd ſi dixit Iacob ad Laban ſocerum ſuum: Per viginti annos ſeruiui tibi, & immutaſti mercedem meam decem vicibus;] non minùs bene poteſt quilibet homo de proprio amore conqueri, quia per totam vitam obſequutus eſt ipſi, & his decem cornibus, per decem vices ſeruientis ſibi, mercedem mutat; quia de vno deſiderio in aliud raptatum, tandem ſtipendio veræ mercedis euacuat. Iam ergo ſeptem capita draconis expreſſimus; nunc decem cornua eiuſdem explicemus. Quæ, vt mihi quidem videtur, ſunt tria deſideria, tres amores, & quatuor amaritudines, ab amore proprio ad nos feriendos procreatæ.

2. Reg. 18.14.

Gene. 31. 41.

I. Cornu. Proprius enim amor, quo quis ſe immoderatè & peruersè diligit, cum ad deſideranda & amanda omnia bona, quæ corpori ſeruiunt, & quibus ſenſualitas delectatur, vehementer impellit. Nam cùm amare ſit, bonum alicui velle, conſequens eſt, vt qui ſeipſum amat, bonum ſibi velit. Qualis verò amor eſt, talia ſibi bona concupiſcit. Vnde, qui ſeipſum malo & terreno amore diligit, & ad fruendum ſeipſo & hoc mundo, amore complectitur, bona huius mundi ſibi ipſi, cœleſtibus contemptis, inquirit. Deſiderat igitur homo proprio amore ſaucius ſibi ipſi bona temporalia, non ad neceſſitatem tantùm, ſed etiam ad ſuperfluitatem & vanitatem. Hinc inter nos quoque, qui mundum ſtatu deſerimus, & vitam religioſam profitemur, tot res non neceſſariæ, tot curioſæ, tot pulchræ, & exquiſitæ, tot ſuperuacuæ naſcuntur, quibus non neceſſitati ſuccurrimus, non imbecillitatem ad diuinum obſequium fouemus, ſed poſſidendi amore ſub voto paupertatis oblectamur. Non aduertimus, quid ſtatus religioſus poſcat, quid neceſſitas admittat, quid profeſſio vetet, ſed quid cupiditas efflagitet, quid mundus & turba cognatorum aut amicorum ingerat, quid cor terrenum concupiſcat. Hoc deſiderium nos inficit, quia puriſſimam mentem, ad Deum poſſidendum creatam, rerum terrenarum amore miſcemus. Hoc nos ignauos efficit, vt à Chriſto du-A ce, ad maiora bella vincenda non admittamur, nec cum ſpiritualibus vitiis, qui à carnalibus vincimur, pugnare poſſimus. Nam & Gedeon ex præcepto Domini ſolos eos, qui manu lamberunt aquas, ad prælium cum Madianitis admiſit: reliquos verò, qui flexo poplite biberunt, ab acie proiecit. Ita qui ad res terrenas amore curuatur, ipſiſque immodicè adhæret, non eſt aptus ad militiam Chriſti ſequendam. Ille verò probabilis, ille electus eſt, inquit Origenes, qui poſtquam ad aquas Baptiſmi ventum eſt, flecti ad neceſſitates terrenas & corporeas neſcit, qui vitiis non indulget, neque ob peccati ſitim ſternitur pronus.] Hoc tandem deſiderium nos à poſſeſſione Dei, boni in infinitum melioris, excludit. Egregiè namque Proſper ait: B Qui vult Deum poſſidere, renunciet mundo, vt ſit illi Deus, beata poſſeſſio. Nec renuntiet mundo is, quem terrenæ poſſeſſionis adhuc delectat ambitio, quia quandiu ſua non relinquit, mundo, cuius bona retinet, ſeruit. Et vtique non poteſt mundo ſeruire ſimul & Deo: ac ſic propterea voluit Deus cultores ſuos omnibus renuntiare, propter quæ diligitur mundus, vt excluſa cupiditate mundi, diuina in eis charitas poſſit augeri vel perfici.] Pertimeſcendum ergo hoc deſiderium eſt, quo proprius amor nos illigatos tenet, ne in vitam perfectam proficiſcamur, & Deum ac diuina ſectemur.

Iudic.7. 5.

Orig. hom.9. in Iudic.

Proſp. l.2. de vita cont. cap. 16.

II. Deſiderat etiam homo, eodem inordinato amore poſſeſſus, illicitas vel non neceſſarias voluptates, quibus ſenſus externi delectantur, vel ſenſus capiun-C tur interni. Inhiátque in pulchra, quæ paſcant viſum; in curioſa, quæ mulceant auditum; in ſuauia, quæ capiant odoratum; in dulcia, quæ oblectent guſtum, & in mollia, quæ ineſcent & tactum. Viſum paſcit colorum varietas, corporum decor, ædificiorum ſuperbia, veſtium & aulæorum ſplendor, theatrorum ludi, mimorum geſticulationes, ſaltatorum tripudia, & alia quæ ad pulchritudinem ſpectant. Mulcet auditum vocum melodia, inſtrumentorum muſicorum pulſatio, fabellarum narratio, defectuum proximi auditio, librorum curioſorum lectio, & quæcumque ſono continentur. Capit odoratum vnguentorum ſuauitas, herbarum ſuccus, indumentorum fragrantia, & omnia quæ odore comprehenduntur. Oblectant guſtum ci-D borum deliciæ, quos vel ipſa natura dedit, vel hominum effrænatus appetitus inuenit, ſaporum differentiæ, & conuiuiorum lautitia & abundantia, qua venter nonnunquam ad ea, quæ torqueant, quæ ſanitatem eripiant, quæ occidant, capienda diſtenditur. Ineſcat tactum veſtium ſubtilitas, lecti mollicies, linteorum pretioſitas, & alia, quibus homo ad imbecillitatem infantium & ad teneritudinem mulierum reuocatur. Hæc pro ſenſibus externis quæruntur, at pro illis & pro internis, quanta inania, quanta illicita in libris, in diſcurſibus, in conſalutationibus, & in cogitationum varietate comparantur? Certè ſenſus ea percipiens vix poterit recenſere, & decurſu temporis numerare. His E autem omnibus dum oblectationem quærimus, dolorem & morſum conſcientiæ reperimus, & dum in quietem ſenſuum noſtrorum tendimus, à vera pace, quæ intus reſidet, elongamur. Vnum ſcio, inquit Ricardus Victorinus, nec dubitare audeo: quia quandiu amor ad multa ſpargitur, & ad ima deriuatur, nunquam ad plenam pacem perducitur, nunquam ad veræ ſecuritatis tranquillitatem ſerenatur. O anima infœlix & miſera! vſque quò [ſolicita es, & turbaris erga plurima,] porro cùm vnum ſit neceſſarium? Tandem aliquando fige

Ricard. tract.1. de exterminat. mali. ca. 19.

Luca 10. 41.

deſide

deſiderium, dilige vnum. Fœlices illius ciuitatis ciues, cuius participatio eorum in id ipſum. Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum,
Prouer. 17.14. noli ſinere eas fluere deorſum. An neſcis, quia, qui dimittit aquas ſuas, caput eſt iurgiorum?] Quid per ima deſideria defluis? Quid tibi cum bonis peritturis gaudiiſque lugendis? An neſcis, quia omnis aqua, quæ deorſum currit, in mare deſcendit? Omnia ſiquidem flumina intrant in mare, & omnis infima delectatio deſinit in dolore. His magnus contemplator ab amore temporalium commodorum nos auocat, & meritò: quoniam iuxta illud:
Prouer. 14.13. Extrema gaudij luctus occupat,] omnes illicitæ aut ſuperfluæ voluptates in luctum deſinent, & in dolorem conſcientiæ deficient. Et quemadmodum omnis aqua dulcis in mare deſcendit, ibique dulcedinem perdit: ita omnis vana delectatio in ſuum finem veniens, inquietudinem animæ afferet, & eam, qua nos decipiebat, ſuauitatem amittet. Quin & animum relinquent bonis vacuum: nam ſicut illæ meretrices, filij prodigi ſubſtantiam diripuerunt, & ad paſcendos porcos adegerunt; ſic voluptates ſenſuum, delicias & opes animi auferunt, & ſeruituti concupiſcentiæ ſubiiciunt.

III. Deſiderat tandem homo, ſi ab amore proprio regatur, honorem, laudem, & excellentiam ſuper alios; & inter deſideria noſtra, neſcio, an aliquod ſit hoc deſiderio potentius. Mens enim humana ad æternam gloriam creata, cuius tanta eſt ad bona ſuſcipienda capacitas conditioniſque nobilitas, non poteſt ſine deſiderio honoris ac gloriæ eſſe, qua ſuo poſſit appetitui ſatisfacere. Quare ſi hoc deſiderium in vero honore ac vera gloria quærenda non ponat, qualem in cæleſti manſione tenebit, conſequens eſt, vt in vano honore huius ſæculi & in inani gloria conſtituat. Hinc, qui non ducuntur charitatis amore, ſed immoderato ſui amore reguntur, ad huius ſæculi magnitudinem & ſplendorem aſpirant. Nunc ex hoc honoris deſiderio Prælationes ſuper alios & dignitates ambiunt: quandóque palam & ſine vllo fuco, quandóque diſſimulanter, & ſe eas nec cupere, nec libenter admittere, ſed obedientia compulſos, ad eas aſcendiſſe fingunt. Nunc ſedes honorabiliores & eminentiora loca in conuentibus quærunt, & pro illis vſque ad pugnas & conuitia decertant. Nunc ſplendidiora nomina & titulos illuſtriores aucupantur, quibus audientibus & legentibus nobiliores appareant. Nunc ſe arroganter iactant, & ab aliis, verbis extolli, & laudari appetunt, & de nobilitate generis, de rebus optimè geſtis, de laboribus exantlatis, & de virtutibus, ac ſanctitate magnificari concupiſcunt. Nunc opera ſingularia oſtendunt, quæ alius non fecit; ædificia perpetua aggrediuntur, in quibus eorum nomen permaneat: amorem erga ſeipſos aut intimam principum familiaritatem euulgant, parentum claritudinem & maiorum ſtemmata publicant, & ſi quid culpæ, ſi quid ignorantiæ, ſi quid imperfectionis habeant, aut abſcondunt & excuſant, aut ſi non poſſint, ita vt in aliquem eorum honorem redundet, & quaſi ex humilitate manifeſtant. His omnibus cupiendis, quæ honorem & excellentiam ſapiunt, habenas deſiderij laxant, putantes ſe non pro vanitate, ſed pro Dei gloria huiuſmodi quæritare. Legunt namque in Bernardo, Quòd ſicut temperantiæ eſt,
Bern. ſer. 3. in [illegible] præconia populi & ſæculi eius proſpera declinare; ſic interdum iuſtitiæ eſt, certa quidem diſpenſatione admittere ea. Sed deſiderium eminendi, & modus quærendi, & ratio viuendi in honoribus, & inquietudo non acquirendi, & triſtitia perdendi ſatis aperiunt ſe non ad iuſtitiam, ſed ad ambitionem & ſuperbam excellentiam, honorem deſiderare & admittere. Illis dicit Dominus non ſine pertimeſcenda comminatione, quod dixit Phariſæis: Væ *Luca. 11. 43.*
vobis, quia diligitis primas cathedras in ſynagogis & ſalutationes in foro.] Et optimè iſtis aſſignatur væ, qui tam ſtulti ſunt, vt velint periculoſis muneribus onerari, & obligatione reddendæ rationis obſtringi. Noli quærere à Domino ducatum, in- *Eccle. 7. 4.*
quit Eccleſiaſticus, neque à rege cathedram honoris.] Et Iacobus: Nolite plures magiſtri fieri, fra- *Iacob. 3. 1.*
tres mei, ſcientes, quoniam maius iudicium ſumitis.] Et Dominus: Vos autem nolite vocari Rab- *Matth. 23.8.*
bi;] quibus omnibus interdicitur honoris, & dignitatis, & præcipui loci ſtulta cupiditas. At homo proprio amore cæcus & ſurdus, has voces non audit, nec pericula animaduertit, ſed dum ſeipſum immodicè amat, aliis dignitate & honore præferri concupiſcit.

IV. Hæc tria deſiderat amator ſui, ſed quid amat? Certè amat hæc eadem, quæ deſiderat, vt ſe opponat illi præcepto Domini, per os Ioannis promulgato: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in
1. Ioan. 2. 15.16. mundo ſunt: Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.] Quæ igitur ex his adeptus eſt, nempe ex rebus temporalibus, ex voluptatibus, ex honoribus, immodicè amat, non vt mutuo accepta, ſed vt propria amat vſque ad contemptum Dei, aut ſaltem vſque ad detrimentum virtutis & perfectionis amat, & ſe ab illis patienter auelli non ſuſtinet, & ab aliquo tangi nulla ratione permittit. Hoc autem amore mens humana non leuiter maculatur, & inepta ad ſuſcipienda cæleſtia dona redditur. Deus enim, vt ait Paulus, lux eſt: anima verò ſpeculum, quod illa ſuprema lux radio ſui ſplendoris illuminat. At amor hic viſibilium ſpeculum animæ inficit & turbat, ne cæleſti ſplendore perfundatur. Abſalon capillis hæſit quercui, illiſque vinctus *2. Reg. 18.*
atque detentus, lucem hanc, qua fruebatur, amiſit. Sic & homo rerum viſibilium affectibus compeditus lucem ſpiritualem extinguit, & eouſque aliquando procedit, vt gratiam etiam vitamque ſpiritualem abiiciat. Quod illa Oſeæ verba deſignant: Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.] *Oſea. 10. 2.*
Nam verè, qui variis amoribus rerum viſibilium diuiditur, & quaſi in multas partes diſcerpitur, proximus eſt peccato, quo quoad Deum eiúſque gratiam moritur. Nec nos ab hoc periculo putemus immunes, ex eo quòd ea, quæ diligimus, parua ſint, & vitæ huius vſibus neceſſaria; quia hæc ſi immoderatè & ex proprio amore diligantur, non minùs quàm maiora & ſuperflua puritati mentis officiunt. In quam ſententiam Caſſianus grauiſſimè ait: Nam *Caſſian. coll. 4. c. vlt.*
illud ridiculum qualiter exprimetur, quòd nonnullos poſt illum primæ renuntiationis ardorem, quo vel res familiares, vel opes plurimas, ac militiam ſæculi relinquentes, ſemetipſos ad monaſteria contulerunt, tanto cernimus ſtudio in his, quæ penitus abſcindi non poſſunt, & quæ nequeũt in hoc ordine non haberi, quamuis parua viliáque ſint, eſſe deuinctos, vt horum cura, priſtinarum omnium facultatum ſuperet paſſionem? Quibus profectò non magnè proderit, maiores opes ac ſubſtantias contempſiſſe, quia affectus earum, ob quos illæ contemptæ ſunt, in res paruas atque exiguas tranſtulerunt. Nam vitium cupiditatis & auaritiæ, quod erga ſpecies pretioſas exercere non poſſunt, circa viliores materias retinentes, non abſcidiſſe, ſed

ſed commutaſſe ſe probant priſtinam paſſionem.] Hæc,& multa alia pulchre Caſſianus. Meritò proinde reprehendit Nehemias Eliaſib, eo quòd theſauros Tobiæ viri gentilis in templum intulerit. Et veni,inquit,in Ieruſalem,& intellexi malum, quod fecerat Eliaſib Tobiæ,vt faceret ei theſaurum in veſtibulis domus Dei.] Qua nos etiam reprehenſione percellimur,ſi in domum Dei,id eſt, in mentis noſtræ receſſus nimium amorem rerum viſibilium, licèt neceſſariarum,inſeramus.

2. Eſdræ. 13. 7.

V. Non in hoc ſiſtit amator ſui, ſed qui à proprio amore didicit amare res nimiè, diſcit etiam immodicè amare perſonas. Propinquos ergo & conſanguineos vſque ad ſui odium diligit,amicos & familiares vſque ad diſtractionem ſpiritus & vſque ad aliorum ſcãdalum,amat,& nullam ſcit in amore diſcretionis tenere menſuram. Ignorat fortaſſis hunc amorem etiam bonorum,Dei amorem mentiſq; puritatem impedire. At Dominus, id, quod amator ſui neſcire ſe dicit, mirabili quadam ratione monſtrauit. Dixit enim diſcipulis ſuis: Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos.] Interpretetur locum Auguſtinus, & dicat, quare expediens erat Apoſtolis Chriſtum abire, & ſine eius diſceſſu,quare non poterat ſpiritus ſanctus venire. Expedit, inquit,vobis vt hæc forma ſerui auferatur à vobis. Caro quidem factum Verbum habito in vobis,ſed nolo me carnaliter adhuc diligatis, & iſto lacte contenti ſemper infantes eſſe cupiatis: expedit vobis vt ego vadam, ſi enim non abiero,paracletus non veniet ad vos. Si alimenta tenera, quibus vos alui,non ſubtraxero, ſolidum cibum non eſurietis. Si carni carnaliter hæſeritis, capaces ſpiritus non eritis.] Et ad idem Bernardus: Itane moleſta paracleto præſentia Chriſti, aut contubernium Dominicæ carnis? Spiritus ſanctus horrebat, quæ (ſicut Angelo prænuntiante cognouimus) nec concipi quidem, niſi eo ſuperueniente potuerant? Quid ergo eſt: Niſi ego abiero, paracletus non veniet? Niſi carnis præſentia veſtris ſubtrahatur aſpectibus, ſpiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus.] Si ergo amor hominis Chriſti aliquantum tener, aliquantum imperfectus ſpiritus ſancti aduentui obſtabat, & mentis aſcenſum ad perfectionem impediebat; putas tu quia amor cognatorum & amicorum immoderatus proficiet? Vitis quidem putanda eſt, vt fructus ferat; & tu ſimiliter cor tuum debes circumcidere, & huiuſmodi affectus immodicos erga propinquos & amicos amputare, vt fructus facias perfectionis. His namque affectibus in corde regnantibus, facilè ab hoſte, vt inquit Anſelmus, id eſt, à diabolo, capieris. Qui, ait, in monachatum non valet irrumpere: nec his, qui monachi ſunt, quicquam facere mali, niſi ad ſæculum redierint corpore,vel aliqua parentum affectione. At proprius amor, qui damna ſpiritualia non cogitat,& ſola temporalia æſtimat,etiam cum tam graui detrimento iubet,parentes & propinquos immoderatè diligi, & amicus vſque ad effuſionem cordis amari.

Ioan. 16. 7.

Auguſt. tract. 94. in Ioan.

Bern. ſer. 6. de Aſcenſ.

Anſel li. de ſimilit. c. 76.

VI. At ſunt aliqui ex ſpiritualibus viris, & quidem non pauci, qui res terrenas viſibileſque conculcant: qui amicos & propinquos prudenter, moderatè & ſpiritualiter diligunt, ſed alio amoris proprij viſco eo periculoſiori, quo occultiori, capiuntur. Hic autem eſt amor propriorum operum, & priuatorum exercitiorum,nec non & ſpiritalium cõſolationum, quibus omnibus amatores ſui ita inhæreſcunt, vt pro vnoquoque eorum millies in ſingularitatis vitium cadãt,& fraternam charitatem, miſericordiam erga indigentes, charitatéſque peſſundent. Et illi quidem plurimas orationes vocales, vltra eas, quas ſanctè prudentérque ſtatuit Eccleſia, recitandas ſuſcipiunt, prolixa tempora ad meditandum & legendum ſibi præfigunt,ieiuniis, & vigiliis,aliiſque aſperitatibus ſupra vires ſe onerant, & non tam in gratia Dei, quàm in his, veluti in efficaciſſimis inſtrumentis perfectionis adipiſcendæ confidunt. Et ſicut Ieroboam fecit [duos vitulos aureos,] & in eis, non verò in loco, quem deſtinauerat Dominus, ipſum Deum adorare conſtituit: Ita hi non in operibus ad quæ à Domino vocantur, ſed in his, quæ mente ſua excogitarunt, ipſi ſeruire volunt. Hæc non aliter amant, quàm ſæculi amatores aurum, argentũ,& reliqua bona temporalia diligunt. Nam ſicut iſti cæco amore ducti propter temporalia Chriſtum deſerunt, & eius mandata tranſgrediuntur:ita illi propter ſuas oratiunculas,& propter ſuum viuendi modum irremiſsè tenendum,virtutes ſolidas, quibus boni fierẽt, pro nihilo ducunt. Ad opus obedientiæ vocantur? ſed nunc precandum eſt,aiunt:ad proximi ſpiritalem neceſſitatem depellendam inuitantur? ſed nunc legendum eſt, inquiunt: clamat ad eos ægrotus in xenodochij lecto recumbens,aut infœlix compedibus in carcere compeditus opem poſtulans, & apud illos onus peccati deponere confeſſione deſiderans; ſed hunc diem, inquiunt, certis exercitiis deſtinauimus non poſſumus exire domo,nec indigentem à ſuis miſeriis liberare. O quantum vales immoderate amor! ô quàm latè dominatis, qui etiam ſanctitatis opera tuæ ditioni ſubdis, qui ſpiritales actiones ad proprium commodum ordinas,qui ſub prætextu deuotionis teipſum quæris, & pro minoribus meliora relinquis! Hæc ergo bona diligenda ſunt, ſed ſine proprietate diligenda,ita ſcilicet vt illa non ob proprium commodum, ſed ob Dei gloriam faciamus: ita videlicet dum non inſtar præceptum illa faciendi,propter meliora charitatis opera,ſi opus fuerit,ad tempus intermittamus: ita vt non noſtris laboribus confidentes, propter illos nos meliores eſſe putemus.

3. Reg. 12. 28.

Ex his omnibus in amatoribus ſui ipſorum quadruplex amaritudo conſurgit. VII. Vna eſt amaritudo triſtitiæ,quæ ex propriis deſideriis aliquo modo impeditis exoritur. Qui enim terrena amant, viſibilia deſiderant, & plus nimio ſuis occupationibus & exercitiis adhærent, non poſſunt non ex impedimento emergente triſtari,& aduersùs eum qui illud ſuſcitauit,commoueri. VIII. Altera eſt amaritudo inuidiæ,qua ſe ipſos amantes alienas virtutes & proximorum dona obſcurare conantur,ne ſibi aliquis præferatur. Nam amor ſui valde ſuperbus eſt, excellentiam ambit, ſingularitatem virtutis & donorum amat, & conſortium alterius in honore aut dignitate non ſuſtinet. IX. Tertia eſt amaritudo impatientiæ, qua immodico ſui amore deceptus, aduersùs eos,qui ſuis deſideriis obſtant, vel ſibi quoquomodo exæquantur, per indignationem irritatur, & verbis aut operibus eorum bonum nomen eleuare aut iniuriam inferre molitur. X. Poſtrema eſt amaritudo ſcrupulorum,quibus profectò amatores ſui ipſorum acriter vexari ſolent. Nam hæc omnia quæ diximus, non poſſunt conſcientiam teneram & virtutem ſitientem non pungere, quam ex vna parte vera iuſtitia ad ſe vocat, & ex alia tot, ſi non peccatorum grauium, at defectuum & imperfectionum multitudo delectat. Hæc ſunt decem cornua immanis draconis, ſeu decem tela amoris proprij, quibus omnes homines percutit, & vniuerſum genus humanum euentilat.

Ab his iuſti ſe immunes non poſſunt; quia ſi proprius amor regnat in eis, ſi non ad graue & lethale peccatū trahat, at innumerabilibus peccans leuibus vulnerat. Oportet ergo aduersùs hunc peruerſum amorem pugnare grauiter, ſi perfectam virtutem ſitimus, ſi ad mentis puritatem & tranquillitatem properamus.

De Mediis generalibus ad mortificandum proprium amorem.

CAPVT V.

SANCTA Illa mulier Chriſtum, ſeu eius imitationem, & ſpiritum perfectionis pariens, ſub cuius typo à Ioanne Catholica Eccleſia depingitur, duobus modis, nimirum fuga & prælio, draconis ferociam & immanitatem effugit. De fugà dicitur: Et mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo.] De prælio verò: Et factum eſt prælium magnum in cælo, Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone.] *Apocal. 12. 6. & 7.* Quo nobis, ſi draconis nomine amorem proprium intelligamus, ſignatum eſt, aduersùs eum, ſi victoriam cupimus, fuga & bello nos debere pugnare. Fuga eſt motus animi, quo à nobis ipſis & à rebus terrenis diſcedimus, & Chriſti imitationem imbuimus. Ille quippe eſt ſolitudo, in quam, dum cordis affectibus venimus, vmbraculum ab æſtu amoris immoderati, & tranquillitatem inuenimus. Pulchrè ſanè in hanc ſententiam Ambroſius ait: *Ambr. in c. 12. Apoc.* Solitudinem Ioannes Chriſtum vocat. Solitudo quippe dicitur, eo quòd ſola ſit, deſerta ab habitatoribus. Similiter & Chriſtus deſertus eſt à ſuis, ſicut Euangeliſta loquitur, dicens: In propria venit, & ſui eum non receperunt. *Ioan. 1. 11.*]Et per prophetam loquitur Dominus dicens: Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. *Iſa. 63. 3.*] Mulier igitur fugit in ſolitudinem: quia Apoſtoli & cæteri diſcipuli, ex quibus conſtabat Eccleſia, relicto diabolo relictiſque omnibus quæ poſſidebant, Chriſtum ſecuti ſunt.] Hæc ille. Prælium autem eſt ſpiritalis ille conflictus, quo aduersùs nos ipſos, & omnia prædicta mala pugnamus, eo quidem fine, vt proprium amorem relegantes, perfectæ charitati in nobis domicilium aſſignemus. Quod bellum tam anceps & periculoſum eſt, vt ad victoriam obtinendam egeamus ſanctorum Angelorum præſidio iuuari. Quibus & omnis pugna & omnis victoria conuenienter aſcribitur; quoniam licèt nos aliquid faciamus, dum cooperamur Deo, tamen hoc opus prius atque præſtantius eſt gratiæ Dei, qui cæleſtibus præſidiis hanc beſtiam in nobis amoris immoderati proſternit. His ergo duobus inſtrumentis, fuga & prælio, omnis armatura aduersùs hunc hoſtem comprehenſa eſt: nam dum à nobis ipſis fugiendo diſcedimus, & prædictos affectus pugnando calcamus, victores profectò huius peruerſi amoris exiſtimus. At quia non ſufficit ita ſummatim arma contra hunc importunum hoſtem notare, libet ea ad legentium vtilitatem, ſeruata debita breuitate, ſigillatim attingere.

Tu ergo, ô iuſte, qui itineribus externæ abnegationis emenſis, ad ſubliniorem abnegationem cupis aſcendere, & primo loco, cum principe omnium hoſtium animæ, ſcilicet cum proprio ac immoderato amore, pugnare, his quæ ſubiicimus, armis tibi pugnandum eſt, vt coronam victoris accipias. Principio duas veſtes, nomine quidem oppoſitas, ſed natura ſorores, diffidentiam & confidentiam indue. Diffidentiam ſcilicet, quâ tibi ipſi, veluti abyſſo omnis imbecillitatis & impotentiæ, diffidas: confidentiam verò, quâ in Deo potentiſſimo, benigniſſimo, ac omnium donorum auctore, confidas. Paris enim in hoc negotio periculi eſt, aut nobis ipſis, qui nihil prorſus valemus, fidere, aut de eo, qui omnia poteſt, & noſtram perfectionem vehementer ſitit, deſperare. Nos huius operis inſtrumenta ſumus, ille cauſa prima atque præcipua, vt omnis Theologia clamat, & Marcus Eremita egregiè his verbis expoſuit: *Mar. Erē. de paradiſo & lege ſpir. ad finem. To. 3. Bibliotheca.* Quemadmodum ferrum dum ſecat, ſcindit, arat, plantat, ipſum quidem, quatenus impellitur, aliquid præbet; alius tamen eſt, qui mouet, & agitat ferrum: & vbi fuerit attritum, igni mandat, & inſtaurat: hunc in modum homo, licèt exerceatur, & laboret, operans quod bonum eſt, Dominus tamen clam in ipſo operatur; & dum labore fatigatur & atteritur, ille conſolatur, atque recreat animum: vt ait Propheta: Num glориabitur ſecuris abſque ſcindente: aut in altum trahetur ſerra ſine trahente?] *Iſaia 10. 15.* Noſtræ itaque naturæ admoniti, qua ſine Deo in minimis, necdum in maioribus nihil poſſumus, de nobis ipſis deſperemus, at in eo, qui nos ad bonum mouet, confidamus.

Hic autem affectus, quo quis de ſe ipſo diffidit, & in Deo omnipotente confidit, orationem parit, facitque auxilium pro obtinenda huius hoſtis victoria poſtulari. Ora igitur obnixè Dominum, vt ipſe in te amorem immoderatum vincat, & vires gratiæ tibi ad fortiter dimicandum concedat. Caſta illa Iudith, cui Dominus cor virile ac planè robuſtum impreſſerat, volens Holofernem occidere, ita precata eſt: Confirma me Domine Deus Iſraël, & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum, vt, *Iudith. 13. 7.* ſicut promiſiſti, Ieruſalem ciuitatem tuam erigas, & hoc quod credens per te poſſe fieri cogitaui, perficiam. Hanc eandem orationem cum proprio amore pugnaturus, ex ore huius ſanctæ mulieris aſſume: O Domine, qui Deus omnium cùm ſis, iuſtorum, & videndum te, Deus nuncupari voluiſti, reſpice ſeruum tuum, obſecro, tuum auxilium implorantem, & in omnibus, ſed præcipuè in hoc inſigni opere, quod caput eſt cæterorum, à tua larga benedictione pendentem: Robora infirmitatem meam, ſine te penitus impotentem, faue conatui meo, quem tu dediſti, ſine tuo præſidio fruſtra aliquid molienti, vt meum immoderatum amorem vincens, animam meam erigas, & puritatem eius, quam iam incœpiſti, perficias. Sic aut aliter pro adipiſcenda amoris proprij victoria, tibi orandum eſt, & non ſemel, ſed quotidie hæc eſt oratio fundenda, quia licèt hodie in occaſionibus occurrentibus, quæ multæ ſunt, hunc amorem vincas; tamen cras illum proteruum & aduersùs te inſurgentem ſenties. Ora ergo quotidie, vt quotidie diuina gratia adiutus illum repugnantem virtuti ſubiicias.

Enitere magis ac magis Dei charitatem augere, & diuini amoris affectibus, ſi fieri poſſet, ſingulis momẽtis, tibi ipſi præſtare. Hic enim puriſſimus amor eſt lux, quæ tenebras tetri amoris diſiicit: eſt rectitudo, quæ mentem in terram curuatam effert: eſt calor, qui frigus diſtorti in nos amoris diſpellit. Et quidem amor Dei eſt acutiſſimus gladius, qui caput proprij amoris amputat, vt vltrà in nos regnare non poſſit. Nam caput, id eſt, præcipuum in amore proprio illud eſt, quo homo per hunc amorem omnia in ſe ipſum ordinat, quatenus ſuum bonum non ob aliud, quàm ob ſemetipſum peroptat. Caput hoc charitas præcidit, quia cuncta in Deum vnicè dile-

Iuſtin. li. de diſcipli. monas. conuer. c. 10. ctum refert. Vnde Laurentius Iuſtinianus: Charitas, ait, cùm ſit abyſſus indeficiens, riuus defluens, Paradiſus affluens, lumen irradians, cibus replens, ſatietas fouens, exultatio eleuans, vinculum vniens, amor liquefaciens, guſtus inebrians, ſicut ordinatur à Deo; ita cunctas ad eum dirigit actiones, intentiones, & affectiones, quæ quanto puriùs exercentur, tanto vehementiùs ipſam, de qua prodeunt, augent charitatem.] Sic ille. Semper itaque dilige Dominum, & hæc, ſi non tota, at præcipua occupatio tua ad Deum ignitis affectibus aſpirare, eoſque ſine vlla ceſſatione aliis occupationibus, quantum permiſerit diſcretio, miſcere, qui facient vt te, & reliqua propter Deum tam ardenter dilectum diligas, vt illum peruerſum amorem, quo te & reliqua propter te diligis, omnino proſternas. Paulus fratrum amore B ſuccenſus, ait: *Roma. 9. 3.* Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.] O ſi erga Chriſtum amore charitatis arderes, quomodo te ipſum deſpiceres, & pro illo anathema eſſe, & ab omnibus deſpici ac conculcari gratum haberes! Si ergo odium tui concipere aues, ama; ama, inquam, illum cuius amor potentiſſimus eſt, qui vt ſe non amet, immò nec ſentiat, mentem inebriat.

Rectam intentionem non tantùm habitu aut virtute, (vt dicitur,) ſed actu in omnibus habe: ita ſcilicet vt in cunctis, quæ cogitas, vel deſideras, quæ loqueris, vel agis, non teipſum, ſed Deum tuum eiuſque beneplacitum & gloriam inquiras. Dic frequentiſſimè, ſed præcipuè cùm aliquid commoditatis aſſumis, id quidem non propter me C capio, non propter meam commoditatem admitto, ſed vt me Domini voluntati ſubiiciam, cui gratum eſt, me commodum iſtud accipere. Si cum æquali eius gloria poſſem, magis vellem ad mei abnegationem hac commoditate aut voluptate carere. Iſta in omnibus intentionis directio ex animo facta, crede mihi, mirum in modum mentem purificat, & in dies proprium amorem extenuat: adeò vt homo his affectibus aſſuetus, planè ſentiat, ſe cum Dei gratia ſolùm ad eius voluntatem explendam quæque commoda acceptare. *Herp. in directorio mortif. 2.* Triplex autem eſt recta intentio, vt Henricus Herpius annotauit: altera recta, altera ſimplex, tertia deiformis, & hæc adeò proprio amori repugnat, vt ſi perſeueranter teneatur, illius vires in- D fringat. Intentio recta eſt, qua homo bona operatur, & mala fugit principaliter propter Deum: *Greg.* iuxta dictum Gregorij: Rectus eſt ille, qui aduerſis non frangitur, qui ad temporalia non inclinatur, qui ad ſuperiora totus erigitur, qui diuinæ voluntati totus ſubiicitur. Intentio ſimplex eſt, qua homo non ſolùm intendit Deo placere, illum laude atque honore afficere, verùm etiam quærit, omnibus operibus Deo ſe per imitationem vnire, eiúſque quoad fieri poteſt, perfectionem induere. Intentio deiformis eſt, qua quis tam in proſperis quàm in aduerſis Dei gloriam & imitationem quærit, ſolùm vt illi placeat, & quia ipſe Dominus vult proſpera E ab operante admitti, & aduerſa atque amara fortiter ſuſtineri, nec vllo modo homo ſeipſum inquirit. Quæ intentio non ineptè deiformis vocatur, quoniam nos noſtris commodis exuit, & vndique Dei voluntate conueſtit. Et ſic eam appellauit Bernardus, dicens: *Bern. de diligendo Deo. §. Felix.* Quoniam ſcriptura loquitur, Deum omnia feciſſe propter ſemetipſum, erit profectò vt factura ſeſe quandoque conformet, & concordet auctori. Oportet proinde in eundem nos affectum quandoque tranſire, vt quomodo Deus omnia eſſe voluit propter ſemetipſum, ſic nos quo-

A que nec nos ipſos nec aliquid aliud fuiſſe, vel eſſe velimus, niſi æquè propter ipſum, ob ſolam videlicet ipſius voluntatem non ob noſtram voluptatem. Delectabit ſanè non tam noſtra, vel ſopita neceſſitas, vel ſortita fœlicitas, quàm quòd eius in nobis, & de nobis voluntas adimpleta videbitur: quod & quotidie poſtulamus in oratione, cùm dicimus: Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.] *Matth. 6. 10.* O amor ſanctus & caſtus! ô dulcis, & ſuauis affectio! O pura & defæcata intentio voluntatis, eo certè defæcatior & purior, quo in ea de proprio nil iam admixtum relinquitur: eo ſuauior, & dulcior, quo totum diuinum eſt, quod ſentitur! Sic affici, deificari eſt.] Hæc ille. Iſtam ergo intentionis rectitudinem ardenter poſtula, inſtanter efflagita, & ex illa omne opus, & omne deſiderium, ac cogitationem proferre cura, qua validiſſimè & proprium amorem proſternes, & ad mirabilem tranquillitatem aſſurges. Tunc aduerſi euentus mentem non pungent, tunc dolores & ægritudines bene ſapient, tunc honoris iacturæ & infamiæ dulceſcent, quia in his omnibus diuinam voluntatem, ad quam tendebas, impletam inuenies. Interim verò quòd hoc donum ex Deo accipis, ſat ſcio, & expertus loquor, proprius amor te proſperis ſucceſſibus per vanitatem extollet, & aduerſis per triſtitiam, impatientiam, & puſillanimitatem, dilaceiabit. Vt enim inquit Leo Papa: *Leo. ſer. 5. de iei. mo. 7. menſis.* Quod de ſpecie, de copia, de varietate blanditur, non facilè declinatur, niſi in illa viſibilium pulchritudine creator potiùs quàm creatura diligatur.] Diligatur itaque creator, & tu, ac reliqua omnia tantùm propter ipſum amentur, vt ſic proprius amor corruat, & Dei amor in dies magis ac magis accreſcat.

Odium tandem tui ipſius comparare curato; nam ſicut lux tenebras diſcutit; ita odium ſanctum tui ipſius peruerſum amorem repellet. Eſt autem hoc odium nihil aliud quàm affectus voluntate conceptus, quo aduerſa & moleſta corpori tibi eligis, quo dulcia & ſuauia carni ſubtrahis, quo nullum bonum, ſiue corporale ſiue ſpirituale, tibi, niſi propter Deum, concupiſcis. Hac ſimilitudine qualitatem huius affectus intelliges. Sit tibi amicus chariſſimus, cuius amor te totum poſſideat, cuius voluntatem explere ſuper omnia deſideres: Sit illi ſeruus tibi infeſtiſſimus, quem magno odio habeas, cui multa mala inferre non dubites: Hunc ſeruum libentiſſimè flagellares, & verbis proſcinderes, ſi id gratum hero illius & amico tuo eſſe cognoſceres. E contrà verò cibum, & potum, & veſtem, & reliqua ad vitam neceſſaria illi, non propter ipſum, ſed propter amicum tuum, quem ſcis ita velle, concederes. Eadem ſi tibi accommodaueris, erga te ipſum odium ſalutare concipies. Amicus enim eſt Deus, quem debes ex toto corde & ex tota mente diligere: Seruus es tu ipſe, qui non alteri, ſed tibimet ipſi magnum ac multiplex malum intuliſti. Conſidera enim te eſſe geminum, cùm naturam bonam ex ſéque Deo ſubiectam habeas; & propenſionem ad malum, ex primo parente hæreditate transfuſam, ſéque ipſam quærentem, nōdum omiſeris. Hunc ergo ſeruum rebellem, & tibi maxima mala afferentem duriter tracta, libenter percute, & afflige in omnibus, quæ Deo grata eſſe perſpexeris. Si autem paſcis, ſi foues, ſi ſuſtines, non propter illum, ſed propter amicum, id eſt, propter Dominum ita volentem ac præcipientem, efficies. Scito verò iſtud odium ſalutare, quod charitatis eſt frater, eadem prorſus ratione ac

chari

charitas, generari. Nam ſicut charitas erga Deum, iteratis amoris actibus & aſſidua oratione gignitur: ita odium tui, odij actionibus (id eſt, aſſiduis abnegationibus & oratione) procreatur. Quod manifeſtè teſtatus eſt Auguſtinus, dicens: (*Aug. ſer. 47. de diuerſis c. 2.*) Prima hominis perditio fuit amor ſui. Si enim ſe non amaret, & Deum ſibi præponeret, Deo eſſe ſemper ſubditus vellet. Non autem conuerteretur ad negligendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem ſuam. Hoc eſt enim amare ſe, facere voluntatem ſuam. Præpone his voluntatem Dei, præpone melioris voluntatem, diſce amare te, non amando te.] Sic ille. Sæpe itaque teipſum abnega, in omnibus (quoad fieri poſſis) te mortifica, tuæ voluntati contradicito. Idque non tam ob tuum profectum facias, quàm vt Deo obſequium præſtes, & eius voluntatem perficias. Ora etiam inſtanter (quod iam diximus) vt tibi hic ſanctus affectus concedatur, quia verè donum eſt Dei, quod homo ſine ope cœleſti, non ſolùm non habet, ſed nec poſſibile eſſe cognoſcit. Si autem ita fueris teipſum ac prauos cordis affectus deteſtatus, abſque vllo peccato aut perfectionis defectu diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. (*Matth. 5. 43.*) Nam verè Dominus ipſe proximus tuus eſt, qui tibi & Deus & pater eſt. Et omnes homines proximi ſunt, quos tibi Deus naturâ coniunxit. Amor verò proprius inimicus eſt tibi, qui bona cœleſtia à te ſurripuit, & tot damna, id eſt, tot peccata, in tuum caput ſine ceſſatione congeſſit. Iam igitur Deum tuum & vniuerſos homines dilige, hunc verò amorem odio habe, qui tantorum malorum initium exiſtit. Sicque præceptum implebis, quod Dominus in hoc ſenſu nunquam auxit, nec aliqua adiectione correxit. Occidéſque Amalec, & delebis nomen eius ſub cœlo, quia hunc principem hancve originem peccatorum interimes, ne ipſa te interimat, & à vera vita deiiciat.

De ſpecialibus medijs pro mortificatione proprij amoris.

CAPVT VI.

SVPRADICTA documenta pro obtinenda amoris proprij victoria generalia ſunt, quæ vniuerſis eius malis repugnant, ſed ſunt alia magis ſpecialia, actibus huius amoris oppoſita, quæ etiam opere tenenda ſunt, vt crudelis ſanctæ perfectionis hoſtis intereat. Hæc autem breuiter percurremus, vt arma accommodata ad reſiſtendum multiplicibus eius incurſibus habeamus.

Contemne igitur teipſum, ô homo, & vt ex corde contemnas, ſæpe teipſum inſpice, & quis ac qualis ſis, penitùs agnoſce. Minimè dico nunc, vt ſcias te hominem eſſe, id eſt, calamitatum, & vilitatum, & cæcitatum abyſſum, (id namque non diffiteris,) ſed dico vt ſcias te non eſſe hominem ſingularem, alijs ſcientiâ, aut virtute, aut alio dono prælatum, ſed vnum eſſe ex multis millibus, quos Deus quotidie & natura progignit. Tibi dicunt reliqui homines, & meritò, quod Iob effatus eſt: (*Iob. 13. 2.*) Secundùm ſcientiam veſtram & ego noui, nec inferior veſtri ſum:] quia te vera, quæ tu cognoſcis, comprehendunt, quæ conaris, poſſunt, & quò pertingere cupis, accedunt. Sol illis oritur, ſicut & tibi, & Deus, qui omnium eſt Dominus, non ſoli tibi, ſed reliquis quoque dona concedit, & ita te conditione ſimilibus colligauit, vt paucis præponeret, & infinitis penè ſupponeret. Id itaque de te ſentias, id de te præſumas, quod infimum animalculum, inter innumera alia paria & maiora creatum, par eſt de ſeipſo ſentire. Id ſanè proprio amori repugnare non obſcurè docuit Auguſtinus, qui amatorem ſui in filio prodigo reuertente ad patrem intelligens, ait: (*Aug. ſer. 47. de ſanct. c. 2.*) Si ergo exierat à ſe, & à quo exierat redeundo ad ſe, vt eat ad patrem, neget ſe. Quid eſt, neget ſe? Non præſumat de ſe, ſentiat ſe hominem, & reſpiciat dictum propheticum: (*Ierem. 17. 5.*) Maledictus omnis, qui ſpem ſuam ponit in homine.] Subducat ſe ſibi, ſed non deorſum verſus. Subducat ſe ſibi, vt hæreat Deo. Quicquid boni habet, illi tribuat, à quo factus eſt: quicquid mali habet, ipſe ſibi fecit.] Hæc ille. Maximi momenti eſt iſta modeſta æſtimatio ſui, qua quis non excelſa de ſe ſapiat, ne amore ſibi ipſi immoderatiùs inhæreat. Quam quia non habes, dum te ſingularem putas, latenti quadam cogitatione te alijs præponis, & ſingulari amore dignum ducis. Ac proinde neceſſe eſt, radicem tollas, vt rami huius arboris, id eſt, actiones huius amoris areſcant.

Ne velis ſingulariter ab hominibus amari, aut timeri, nec laude ac reuerentia affici. Si enim ad ſummum es vnus ex alijs, non verò ſuper alios, non eſt cur illis amore, vel laude, vel quouis alio affectu apud alios emineas. Immò id ob amorem Dei cupias, vt homines te non diligant, te aſpernentur, & nulla laude dignum fateantur. Si quando de teipſo loquaris, te, & tua quantum veritas patietur, verbis extenua: & melius eſt (niſi cauſa ſpecialis adſit) nihil de teipſo loqui, niſi quod poſſit te ad tui deiectionem & ad humilitatem adiuuare. At ſi neceſſitas inſtet laudandi, aut excuſandi teipſum, quæ profectò inſtat, cùm id vel gloria Dei, vel proximorum magna ædificatio, vel muneris demandati executio, vel ſcandali vitatio poſtulet, tunc non ſine directione intentionis ad Deum, nec ſine modeſtia te lauda aut excuſa, vt propria laus ac propria defenſio non tui amorem augeat, ſed præſenti neceſſitati ſubſeruiat. Sic ſe laudauit Paulus, cùm opus fuit: & donis Dei, ne illum extollerent, ſuam eadem ſerie verborum infirmitatem commiſcuit. Quin & laudationem ſuam illa correctione concluſit: (*2. Cor. 12. 11.*) Factus ſum inſipiens, vos me coëgiſtis.] Hæ laudes ex neceſſitate & recta intentione aut ſuſceptæ aut admiſſæ culpa vacant, nullámque Deo, ſicut laudes ſuperborum, iniuriam irrogant. Sicut enim grauis culpa eſt, inquit Gregorius, (*Greg. 18. mor. c. 12.*) ſibi hoc hominem arrogare, quod non eſt: ſic plerumque culpa nulla eſt, ſi humiliter bonum dicat, quod eſt. Vnde ſæpe contingit, vt iuſti, & iniuſti habeant verba ſimilia, ſed tamen cor longè diſſimile; & ex quibus dictis Dominus ab iniuſtis offenditur, in eiſdem quoque à iuſtis placatur. Id ſtatim in Phariſæi & Ezechiæ verbis oſtendit, (*Luca 18. Iſaia 38.*) quoniam iſte, quia ex humilitate ſe laudauit, vt miſericordiam acciperet, placuit; & ille, quia ſe ex ſuperbia prædicauit, valde diſplicuit. Sed cùm neceſſitate compulſus te laudaueris, aut laudes tuas ab alio prolatas ſuſtinueris, poſtea ad cor rediens, teipſum vehementer argue, reprehende, atque vitupera, vt ſequens vituperatio ſit præcedentis laudis medicina, quæ laus licèt ex neceſſitate ſuſcepta, quaſi ventus peſtilens lædit, & caput propriæ æſtimationis ac proprij amoris extollit.

Contemptum apud homines & confuſionem non timeas, & quæ ad hunc timorem repellendum valet, attentè conſideres. Hæc autem non pauca eſſe poſſunt, nec leuis momenti: dum verò alia menti non occurrunt, tria iſta recogita. Vnum eſt, te ob priſtina

peccata,

peccata, & ob præſentem ignauiam dignum eſſe magno contemptu, quem paruula confuſione apud homines ſuſtentata redimes. Alterum eſt, homines ſæpe falli, de quibus dicitur: Veruntamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris:] *Pſal. 61. 10.* quid autem refert, iudicio ignorantium non probari, & ſtaterâ doloſâ minùs habentem inueniri, dummodo iudicio Domini proberis, & eius ſtaterâ integer inueniaris? Hanc ſtateram ſuſpiciebat Iob, dicebat enim: Appendat me in ſtatera iuſta, & ſciat Deus ſimplicitatem meam;] *Iob 31. 6.* fallaces verò hominum ſtateras penitus aſpernabatur, ad quos ita loquutus eſt: Abſit à me, vt vos iuſtos eſſe iudicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.] *Iob. 27. 5.* Tertium eſt, Saluatorem noſtrum crucis ſuſtinuiſſe patibulum, multis ac magnis ignominiis circumſeptum: de quo Paulus: [Suſtinuit crucem confuſione contempta,] *Hebr. 12. 2.* cuius certè membrum non apparet, qui ignominiam vſque adeò timet, & minimè contemptum contemnit.

Omnem erubeſcentiam abiice, quæ ex defectibus naturalibus manat, & te luſcum, balbum, aut deformem, ad diuina obſequia ſiue negotia tractanda cum debita libertate compelle. Defectum habentes in corpore, propter decentiam & propter ſignificationem ab altari Domini repellebantur, ſed non prohibebantur ab exercitatione virtutis. Non eſt cur tu, defectum corporis inculpabiliter patiens, præ inepto pudore ab actionibus virtutis abſtineas. At defectum habens (inquis) corporalem, ad Domini altare conſcendo, & hierarchica miniſteria tracto, nec valeo eo decore ac ſplendore, atque alij, meo muneri ſatisfacere. Sed rogo à te, apud quos ſplendorem exquiris? An apud homines? Sed hoc eſt hominum gloriam quærere, hominibus placere velle, & proprium amorem virtutis etiam actibus impinguare. An apud Deum? At apud illum nitet virtus, ſplendet animi puritas, nec eſt contemptibilis aut ridicula corporis imbecillitas. Audis in Leuitico Dominum præcipientem: Homo, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius: ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi paruo vel grandi vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu: ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel herniofus. *Leuit. 21. 18.* Sed audi etiam Gregorium exponentem quid iſta ſignificent: Cæcus quippe eſt, qui ſupernæ contemplationis lumen ignorat, qui præſentis vitæ tenebris preſſus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conſpicit, quò greſſus operis porrigat, neſcit. *Greg. 1. p. Paſtor. c. 11.* Claudus eſt, qui, quò pergere debeat, aſpicit, ſed per infirmitatem mentis, vitæ viam perfectæ non valet tenere, quam videt. Ille eſt paruo, vel grandi, vel torto naſo, qui aut menſuram diſcretionis non tenet, aut immoderata diſcretione, quæ eo ipſo, quòd immoderata eſt, in imprudentiam vergit, rectitudinis menſuram confundit. Ille eſt fractus pede vel manu, qui in via Dei vltrà non pergit, & virtutum actibus non inſiſtit. Gibbus eſt, qui terrenis deſideriis ad ima deprimitur: Lippus, cuius ad videnda cœleſtia animus obſcuratur. Albuginem habet, qui veritatem agnoſcens, arrogantiæ tumore diſtenditur: iugem ſcabiem, cui carnis ardor dominatur: impetiginem, qui poſſidendi cura mordetur: ponderoſus eſt, qui prauis cogitationibus, quaſi in multa diſcerpitur. Hæc, frater, ſi habes, tibi pudorem iniiciant, qui ſalutaris eſt, & ad vitiorum emendationem prouocat. At defectibus naturalibus affectus, Deo ſeruire non erubeſcas, ſi Eccleſia te ab altari non arceat, ſed vt filium mater benigna ſuſtineat.

A Non abſcondas defectus vel culpas tuas, immò interdum ex conſenſu ſpiritualis patris coram aliis fratribus reuelato, ſi ex illis nullum ſcandalum generatur, nec minor ædificatio dãnúmve tibi vel illis, qui audiunt, obtenditur. Id viros ſanctos feciſſe legimus, non tantùm in ſuæ conuerſionis exordio, ſed etiam poſt multam virtutem adeptam: id etiam ſpirituales viros multis ſanctis laboribus exornatos, & venerabili canitie conſpicuos, non ſine magna ædificatione noſtra egiſſe conſpeximus. Auguſtinus certè in libris confeſſionum, ad humilitatis augmentum & proprij amoris decrementum, ineptias iuuentutis ſuæ litteris conſignauit. *Auguſt.* Quem ex parte imitantur, qui licèt non ſcripto, verbo tamen coram fratribus negligentiolas ſuas pandunt, & ignorantias ac defectus, nullum ſcandalum afferentes, aperiunt. In quibus B exercitatio hæc ſicut humilitatem affert; ita proprium amorem obtundit. Nam ſicut hic culpas & defectus excuſat; ita odium ſanctum quærit pia humilitas, qua quis ſeipſum accuſat. Quam autem habeat vtilitatem iſta culparum detectio, Bernardus optimo ſimili patefecit. Propterea dico vobis, chariſſimi, ait, vtile eſt abſcondere magis, quàm oſtentare, ſi quid habemus boni: ſicut & mendici, cùm eleemoſynam petunt, non pretioſas veſtes oſtendunt, ſed ſeminuda membra aut vlcera, ſi habuerint, vt citiùs ad miſericordiam videntis animus inclinetur.] *Bern. ſer. 4. de Aduentu.* Sic ille. Et ita profectò eſt, quòd dum vlcera defectuum noſtrorum fratribus aperimus, largam benedictionem à Domino comparamus.

C Ne te placendi hominibus cura ſolicitet, aut anxietas diſplicendi moleſtet. Seruus enim in obſequiis dominum ſuum reſpicit, illi tantùm placere cupit, illi moleſtiam afferre metuit. Et tu ſeruus Dei es, non hominum, quare eorum gratiam aucupare, & auerſionem amouere curabis, ac ſi ab eis præmium expectares, eiſque, mancipij more, ſeruires? Inſipiens, inquit Bernardus, tu, qui merces congregas in ſaccum pertuſum: qui theſaurum tuum alieno in ore conſtituis: ignoras quòd arca iſta non clauditur, nec ſeras habet? *Bern. ſer. 4. de aduentu.* Quanto meliùs ſapiunt, qui theſaurum ſuum ipſi ſibi ſeruant, aliis non committunt? Verùm nunquid ſemper ſeruabunt? Nunquid ſemper abſcondent? Veniet, cùm manifeſta erunt abſcondita cordis, quæ verò non fuerint oſtentata, D non comparebunt.] Hæc ille. Dum ergo teipſum inſipienter amas, & hominibus placere geſtis, aut diſplicere formidas, te veriſſimo odio, illóque ſatis noxio proſequeris, quia labores tuos tibi ſurripis, & inani gloriæ vorandos committis. Satius ergo eſt, hominum opiniones pro nihilo ducere, & Dei ſolius beneplacitum quæritare.

Corpori tuo perpetuum bellum indicito, ſenſus omnes, non tantùm ab illicitis, verùm & à licitis comprime, delicias ac voluptates nega, & carnem aſſidua & prudenti afflictatione caſtiga. Quod ſanè non putabis difficile, nec durum aut importabile iudicabis, ſi corpus tuum, hoſtem tuum eſſe, quod mortem animæ machinatur, attentè conſideres. Quid namque ſunt impuri motus eius, quid clamores eius, illicita aut ſuperflua poſcentes, niſi immanes E ictus, quibus vult mentem peccati gladio necare? Hanc in corde cogitationem fouebat Macharius Abbas, qui cùm ſporta arenis plena onuſtus incederet, & à quodam interrogaretur, quare ita ſeipſum oneraret, vexo vexantem me, id eſt, carnem quam geſtabat, clara voce reſpondit. *Surius in Ianuar.* Eandem Dorotheus Abbas ſanctiſſimus verſabat in pectore; qui, vt narrat Sozomenus, duriſſimam vitam aggreſſus, & itidem rogatus ab alio, cur corpus ita conficeret, hoc *Sozome. lib. 6. hiſt. c. 29.*

A reſponſum protulit: Quia illud me conficit. Eàdem tandem ſegebatur Beatiſſimus Hilarion Abbas, qui, referente Hieronymo, corpori ſuo recalcitranti & delicias meditanti, dicebat: *Hieron. in vita eius.* Ego aſelle faciam, vt non calcitres: nec te hordeo alam, ſed paleis. Fame te conficiam, & ſiti: graui onerabo pondere, per æſtus indagabo, & frigora, vt cibum potiùs quàm laſciuiam cogites.] Corpus igitur, hoſtis cogitandus eſt, à quo debemus prudenter cauere, eiúſque motibus effrænatis, afflictionibus & laboribus, obſtare. Quòd ſi putamus, hoſtem hunc atque inimicum eſſe cum reliquis inimicis diligendum, ſciamus illum verè corpus ſuum diligere ſecundum Deum, qui eis illicita negat, & ne in prohibita defluat, aliquorum quoque conceſſorum priuatione caſtigat. B Si enim pater diligit filium, dum eum ob iniquè facta reprehendit, & punit, vt, quæ in futurum eſſe poſſent, mala vitet, & præterita luat, quis non videat corpus ab homine diligi, dum illud per mortificationem à malis auocat, & ad virtutis opera ſectanda atque amplectenda reuocat? Corpus itaque, vt equum indomitum, rege, & vt belluam, ſua tantùm commoda reſpicientem, mortificatione comprimito, vt proprio amore circa corpus abnegato, facile ſit ad maiora bella progredi, & illum in magis arduis ac difficilibus vincere.

Bona temporalia affectu deſere, ſi fortè relinquere non vales actu: Si verò ex illis es, qui omnia pro Chriſto reliquerunt, paupertatem ama, vt fontem veriſſimarum opum, & nihil quod ipſa auerſetur, habere ſuſtineas. C Vilis ſit veſtis, moderatus lectus, communis cibus, curta ſupellex, & omnia non luxui, non vanitati, ſed puræ neceſſitati deſeruiant, quæ etiam, ſi defuerint, patientia ſufferat, ſi adfuerint, non propriæ commoditatis deſiderium, ſed amor exequendæ diuinæ voluntatis admittat. Hoc eſt enim quod monet Gregorius, ita ſcribens: *Gregor. 8. moral. c. 18.* Iuſti nec oblata bona hîc pro magno ſuſcipiunt, nec illata mala valde pertimeſcunt, ſed cùm bonis præſentibus vtuntur, ventura mala metuunt, & cùm de malis præſentibus gemunt, bonorum ſequentium amore conſolantur: ſicque temporali refouentur ſubſidio, ſicut viator in ſtabulo vtitur lecto; pauſat, & recedere feſtinat, quieſcit corpore, ſed ad aliud tendit mente.] Qui ita temporalia accipit, mirum in modum proprium amorem in dies D imminuit. Eſtóque ex illis, qui Pauli præceptum implent: *1. Cor. 7. 29.* Hoc itaque dico fratres, tempus breue eſt. Reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint] & poſteà: *Ibid. v. 31.* & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.] Ita quippe præſentibus vtitur, vt tamen immodico eorum affectu non fœdetur. Verè homo ſapiens, qui ita neceſſariis accipit, vt cor ſuum illibatum in Dei ſui habitationem obſeruet. *Hugo lib. 4. de vanit. mundi ad finem.* Nam ille prudentiſſimus eſt, inquit Hugo, qui ſic ſcit tranſeuntia in vſum vertere, vt tamen non noxie in eorum defectu mentem à ſua ſtabilitate declinare.] Ita igitur temporalia accipias, vt affectui non adhæreant: ita reſpicias, vt conceſſa ſimpliciter ſumas, &, ſi ei non offerantur, patienter ſuſtineas.

E Honores ac dignitates non quæras; oblatas, ſi potueris, prudenter fugias. Et quidem poteris: pauciſſimæ enim aut ferè nullæ ſunt iam congregationes in Eccleſia, in quibus dignitates dignis nolentibus ingerantur, immò vltro ſe ad omnia offerentibus, & poſtulantibus, & ambientibus conceduntur. Tu verò, qui proprium amorem impugnas, honores fuge, & te à dignitatibus ſubtrahe, in quibus hic hoſtis non contemnendas vires reſumit. Dignitas quippe non bene adminiſtrata, voluntatem propriam fouet, pro-

A prium iudicium obdurat, ſui æſtimationem & aliorum contemptum generat, paſſiones interdum ab abnegatione diſſoluit, quæ omnia velut ſtipulæ, & ligna igni proprij amoris iniecta, illum in ſuo ardore corroborant. Annon vis velociùs & ſecuriùs incedere, & quantum ſine impedimento potueris, ad ſalutem animæ feſtinare? Sed crede mihi, quia dignitas, (niſi fortè ſis alter Bernardus, aut alter Auguſtinus, vel Chryſoſtomus) tibi mille compedes, ne progrediaris, iniiciet, mille pericula ſuſcitabit, mille impedimenta profectus ſpiritualis opponet. In ſtatu humili conſtitutus, quotidie in multis cadis, & in multis à te cognitis, & in pluribus forſan à te abſconditis, per culpam delinquis. Quid facies ad digni- B tatem & honorem ſublimatus, in quo maiores ſunt delinquendi occaſiones, & difficilius aduersùs innocentiam & virtutem bellum inſurgit? Nisi fortè putas (quod ſtultum eſt) te in via lata & plana non eſſe à caſu tutum, & in ſemita anguſta, & ſcopulis plena, & hoſtibus cincta, te eſſe ſecurum. Modò dum nihil es, & ipſa te deiectio conditionis cohibet, vix ſuperbiam compeſcis, vix à vindicta temperas, vix à luxu & ſuperfluitate te contines, quid facies, cùm aliquid eris, cùm laudatores, dico adulatores, te circumſepient, qui malè etiam geſta laudabunt, qui ad vltionem animabunt, qui aliorum ſuperborum, qui præſunt, exemplo ad faſtum ac luxum accendent? Quid? quòd non ſufficit in Prælatione bene viuere, niſi etiam aliorum vitas emendes, errata corrigas, & C ita illis præficiaris, vt eiſdem quoque proficias? At non eſt facile, eum, qui nunquam in ſpiritu proficit, prodeſſe aliis, & in imperfectionum ſalebra ſemper hærentem, alios à ſuis delictis extrahere. In Eccleſiaſtico legis: *Eccli. 10. 28.* Vir inſcius non honorabitur,] id eſt, dignus honore non habebitur. Si autem adeò inſcius es, licèt aliis ſapiens videaris, vt teipſum gubernare neſcias, & ad veram virtutem adigere, quare te honore & Prælatione dignum iudicas? Bernardus loquens de cella vinaria, in quam ſponſa ſe gloriatur introductam, in quáque zelus feruentis charitatis reconditur, ait: *Bern. ſer. de Cant. 23.* Nec debet omnino præeſſe aliis, qui in eam needum meruit introduci. Oportet prorſus hoc vino æſtuet, qui aliis præſidet, quemadmodum doctor gentium æſtuabat, quando dicebat: D Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? *2. Cor. 11. 29.* Alioqui improbè ſatis præeſſe affectas, quibus prodeſſe non curas: & quorum non zelas ſalutem, ſubiectionem nimis ambitiosè vendicas tibi.] Hæc ille dicit. Ego autem video te tuum, non Domini honorem, zelantem; tuis, non ſubditorum commodis inhiantem, proprio amore, & non charitate feruentem; quare cogito Prælationem tibi periculoſam eſſe, ad quam non pro Dei gloria, ſed ex deſiderio ambitionis aſpiras; ſed de hoc alibi fuſiùs loquemur. Satis nunc ſit dicere ad proprium amorem profligandum oportere, affectum hunc honorum & dignitatum acquirendarum omnino deponere, vt ille, qui ſe deſpicit, ab aliis non honorari, nec extolli, ſed deſpici velit, vt vera ſit erga proprium contemptum affectio.

E Breuiter dico, nihil huiuſmodi diligas: nec res aliquas huius mundi, nec perſonas, (vt propinquos & amicos,) nimio amore complectaris, vt hoc erga alios amore compreſſo, etiam erga teipſum moderatus amor & Deo ſubiectus exiſtat. Alij quidem homines diligendi ſunt, res etiam creatæ in vſum aſſumendæ; ſed ita vſus in has & amor in illos feratur, vt moderatè, ac propter Deum, non propter noſipſus efferbeat. Cuius cauſam exponit Leo Papa in hunc modum ſcribens: *Leo ſer. 5. de iciunio 7. menſis.* Duo amores ſunt, ex quibus omnes

prodeunt,

prodeunt voluntates, ita diuerſæ qualitatibus, ſicut diuiduntur auctoribus. Rationabilis enim animus, qui ſine amore eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta ſunt noxia. Et ideo æternis bonis inſeparabiliter inhærendum, temporalibus verò tranſeunter vtendum eſt, vt peregrinantibus nobis & ad patriam redire properantibus, quicquid de proſperitatibus mundi huius occurrerit, viaticum ſit itineris, non illecebra manſionis.] Sic Leo. Docétque nos, ſi volumus ſemper vita ſpirituali proficere, ita oportere in res terrenas amore ferri, vt mentem ab itinere non retardent, nec curſum perfectionis impediant. Quod tunc fit, quando non tam ipſæ deſiderantur, aut diliguntur, quàm Deus in illis diligitur. Sed ſi res à Deo conditæ, à Deo ipſo nos ſeparent, & intellectum obſcurent, affectum illigent, & paſſiones cordis perturbent, quis non videat eas eſſe reiiciendas, quouſque diſcant, aut nos in earum vſu & amore diſcamus, Deum amare, & non inſtrumentis ad amandum datis in amore datoris intepeſcere? Et ego ſi exaltatus fuero à terra, dixit Dominus, omnia traham ad me ipſum.] Quæ vox ſecundùm Bernardum, omnibus iuſtis conuenit, qui omnem profectum comparabunt, omnes hoſtes proſternent, omnia dona conſequentur ſi ſe ab amore terrenorum expediant. Si autem amor ſæculi dominetur in nobis, amor etiam noſtri ipſorum dominabitur, qui illo creſcente ſuccreſcit: à quo victi nunquam valebimus caput attollere, vt ad medium montis, id eſt, ad aliquem profectum mediocrem veniamus.

Ioan. 12. 32.
Bern. ſer. 21. in Cant.

Ita pias occupationes aſſumas, & erga exercitationes ſpirituales afficiaris, vt tamen ſpiritum libertatis, ad eas immutandas, aut ad tempus intermittendas, aut cùm expedierit, penitus omittendas, non deſeras. Nam quæ pro charitatis augmento ſumuntur, charitati ſeruire debent, non illi, nec in minimis imperare. Tunc verò pia opera charitati imperant, cùm Deo aut obedientiâ aliud iubente, quod cum illis non poteſt compati, perſeuerant. Cognoſces autem ad illas proprio amore te duci, ſi in illis exercendis ſis agilis, quæ tibi præcepta non ſunt, & aſſuetudine dulcuerunt: in rebus tamen ab obedientia iniunctis, aut Deo magis acceptis, tardus & difficilis inueniaris. Saluator quidem noſter, vt rationem benè operandi nos edoceret, aliter in ſua conuerſatione ſe habuit. Nam opera (vt ita dicam) naturæ conſona, quæ ſcilicet nullam ei moleſtiam ingerebant, qualia ſunt prædicatio & miraculorũ patratio, communi modo edidit, id eſt, nulla ardentioris deſiderij ſignificatione patranda ſuſcepit; at ad paſſionem & crucem ſibi moleſtiſſimam, & penitus tenerrimæ humanitati contrariam, ardentiſſimo deſiderio & celeri gradu properauit. De quo ſcribit Marcus: Quia præcedebat illos Ieſus, nempe diſcipulos, aſcendens Ieroſolymam, & illi ſtupebant, & ſequentes timebant.] Vide hîc charitatis in Chriſto, & proprij amoris in diſcipulis expreſſam imaginem. Ille ad paſſionem ſibi quidem acerbiſſimam, ſed patri gratiſſimam, nobiſque ſummè neceſſariam properat, & celeri paſſu diſcipulos robuſtiores præcedit, vt charitatis ardorem, & in patiendo exultationem oſtenderet. Vnde Theophylactus: Inſuper hoc, quòd omnes præcedit, & præuenit in via, oſtendit, quòd ad paſſionem accurrat, & non fugiat mortem propter noſtram ſalutem.] At diſcipuli ſtupent, & timet, & vix præeuntem ſequuntur, quia, vt ait Beda, timebant pati, & occidi. Nos ergo non diſcipulos in hoc, ſed Dominum ipſum imitemur, & noſtra quidem bona, quæ ſponte ſuſcipimus, liberâ mente tractemus, ſed maiora bona, quæ nobis præcipiuntur, & licèt nobis ſint moleſta, viliora tamen Deóque gratiora inueniuntur, ardentiori voluntate & maiori cura faciamus. Enimuero qui contrà faciunt, ab Henrico Suſone, viro rerum ſpiritualium peritiſſimo, hac ſententia notantur: Nimis, proh dolor, hodie excæcati ſunt homines, & multa facere volunt, varia quoque inſtituunt, ac moliuntur, perinde quaſi Deum ipſum nutrire velint: & hæc omnia nonniſi ex ſeipſis, ex propria voluntate, cum vana ſui complacentia, ex proprio ſenſu ac iudicio, & ſuapte natura. Sed hæc perfectiora non ſunt, nec tam noſtris conatibus, quàm noſtri reſignatione, mortificatione, perditione, abnegatione ad perfectionem peruenimus.] Omnia itaque propter Deum agenda, aut omittenda ſunt, vt vbi diuina voluntas magis eluxerit, ibi noſtra voluntas, ſedula operatrix aſſiſtat.

Marc. 10. 32.
Theophyl. ibid.
Beda ibi.
Suſo. ſer. 4.

Omnem tandem amaritudinem triſtitiæ, inuidiæ, impatientiæ, & ſcrupuloſitatis cohibe, & cor tranquillum, & quantum iſta mortalis vita ſuffert, imperturbatum habe, nec aduerſis ſucceſſibus frangi aut opprimi ſinas. Amaritudo namque ex proprio amore orta, &, ex eo quòd non fit noſtra voluntas, aucta, ipſi proprio amori vires adiicit, vt nunquam mens à nexibus eius ſe extricet. Quare ſuauitas Dei intima mentis edulcans, & quæ aduerſa acciderint, æquanimiter ferens, & non propria commoda, ſed beneplacitum diuinum exquirens, ab hoc amore robur adimit, & hominem à proprio amore, quo inficitur, in Dei amorem, quo mundatur, paulatim transfert.

Vſus mortificationis proprij amoris.

HÆc ergo, vt omnia, quæ dicta ſunt, breuiter colligantur, ad vincendum proprium amorem plurimum valent.

I. In adeptione cuiuſcumque boni, ſed præcipuè in victoria amoris tui, ita de teipſo diffidas, vt tamen Deum ad vincendum tibi certiſſimè affuturum eſſe confidas.

II. Ora illum aſſiduè, ardenter, & confidenter, vt te à tuo proprio amore expediat, & ſuo diuino amori ex toto ſubmittat.

III. Ignem charitatis iteratis affectibus magis ac magis accende, qui ignem priuati amoris & terrenarum cupiditatum extinguat.

IV. Quicquid egeris, quicquid omiſeris, non ob tuam vtilitatem aut commoditatem, ſed ad diuinam voluntatem explendam per intentionis rectitudinem ſemper agas, vel omittas.

V. Si vis non te malè diligere, odio ſancto teipſum proſequere, quo tibi ſenſibilia bona adimas, vt inuiſibilia & cœleſtia conquiras.

VI. Aſſueſce teipſum agnoſcere, non ſupra alios, ſed infra omnes, aut certè vnum ex aliis cogitare, & nihil ſingulare te habere præſumas.

VII. Ne ſingularem amorem, timorem, aut reuerentiam alicuius erga te exigas, ſed, ceu alij, tractari concupiſcas.

VIII. Contemptum confuſionémve, qua (ſi humilis es) te digniſſimum reputabis quantum potueris, non fugias.

IX. Defectus naturales, quibus culpa non ſubeſt, patienter, immò & libenter ſuſtine, nec de illis apud homines erubeſcas.

X. Culpas tuas, quæ offenſionem in auribus audientium non generent, apud fratres, humilitatis gratiâ, reuelato.

XI. Homi

XI. Hominibus placere aut diſplicere, pro nihilo ducito.

XII. Corpus caſtigato, ſenſus cohibeto, & paſſionibus, vt poſtea dicemus, acriter imperato.

XIII. Affectum erga honores, erga res, quibus vteris, erga propinquos & amicos, & erga omnem rem creatam, ſi immoderatus ſit, & non propter Deum acceptus, animosè comprimito.

XIV. Occupationes pias & bonas, non ſine ſpiritus libertate ſuſcipito.

XV. Cor omni amaritudine liberum, & ſpiritus cœleſtis ſuauitate repletum, in aduerſis ſucceſſibus habere curato.

Ex hiſque omnibus videbis, amoris proprij abnegationem quacumque immortificatione impediri, & B quacumque noſtri mortificatione iuuari.

De mortificatione propriæ voluntatis.

CAPVT VII.

BELLO iam aduerſùs proprium amorem expoſito, ſequitur vt de propriæ voluntatis impugnatione tractemus, quæ proprio amori ita adhæret, vt nunquam ab illo tanquam ab indiuiſibili ſocio ſe permittat ſeparari: neceſſéque ſit vtrumque hoc bellum ſimul inire, ne labor aſſumptus cupito priuetur effectu. Voluntas autem propria dicitur, quæ ita noſtra eſt, vt in eo, quod volu- C mus, non ſit Deo proximíſque communis. Vt ſi ego velim dormire, aut vigilare, quo tempore non eſt ſecundùm diuinam voluntatem, quòd vigilem, & ordinis inſtituta, iuſſiones Prælatorum, & conſenſus fratrum, tunc vigilandum eſſe non cenſent, id dicetur fieri ex propria voluntate. Ita quidem propria voluntas expoſita eſt à Bernardo, cuius hæc ſunt verba: Voluntatem dico propriam, quæ non eſt communis cum Deo & hominibus, ſed noſtra tantùm: quando, quod volumus, non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum, ſed propter noſmetipſos facimus, non intendentes placere Deo, & prodeſſe fratribus, ſed ſatisfacere propriis motibus animorum. Et Anſelmus in idem conſpirat, licèt aliis verbis ſit vſus. Propria voluntas eſt, inquit, quæ Dei voluntatem ſibi aduo- D catam habere non poteſt: vt ſi quæratur, cur hoc aut illud velit, reſpondere veraciter non valet, quia & Deus vult, vt hoc velit.] Sic illi. Vt autem exquiſitior habeatur propriæ voluntatis notitia, obſeruandum eſt, eam aliquando reperiri in ſubſtantia eius, quod volumus, aliquando verò ſolùm in his, quæ inſunt rei, quam peroptamus. Si enim velis in die ieiunij manducare, acceptio tibi ex propria voluntate eſt, quia nec Deus nec Eccleſia volunt, vt illo die, more aliorum dierum, comedas, ſed vetitis cibis abſtineas. At ſi velis orare, non tamen tempore aut modo, quo eſt oratio fundenda, res quidem volita, nempe oratio, non ex propria voluntate eſt; quam Deus vult à te fundi; ſed modus ac orandi ratio eſt ex propria voluntate, quia Deus non vult, vt diſtractus & tepidus ores, aut in tempus importunum præſtantiſſimam E occupationem reiicias.

Bern. ſer. 3 de Reſurrect.

Anſel. li. de ſimilit. c. 6.

Si aggrederemur omnes cauſas abnegandæ propriæ voluntatis exponere, prolixum ſatis cuderemus tractatum, & magnum tædium ingeneraremus lectori. Aliquas ergo ſcribendas eligamus, quæ seriò conſideratæ huius abnegationis neceſſitatem ſatis efficaciter perſuadent. Ac primò, quid duo patres de propria voluntate dicant, audiamus; tanta enim eius ingeminant probra, vt vel hoc ſolo eſſet omnimodis dete- A ſtanda. Dic tu Laurenti Iuſtiniane, Patriarcha Beatiſſime, & magiſter rerum ſpiritualium clariſſime, de propria voluntate quid ſentias. Grauiſſimum, inquit, à ſe onus reiicit, qui ſuam repulit voluntatem. Propria voluntas Deo ſemper inimicatur. Dominari toto poſſe conatur; rationis iudicium extorquet, ſuo faciens arbitrio militare. Non maioribus acquieſcit, non reueretur, non obtemperat, nulli ſubeſſe poteſt: nec commoditate flectitur, nec minis humiliatur, ſemper procax eſt, effrænata in locutione, incompoſita in moribus, inordinata in affectionibus, ignara ſui, & à proximi dilectione aliena. O malum deteſtabile, ó antiqua nequitia, quantum præuales! Quantum dominaris! Per te Angelorum ruina facta eſt, & B cœlorum agmina minorata: per te deliciarum paradiſus homine orbatus eſt, & humanum genus innumeris cladibus ſauciatum. Te ſuadẽte corruit Adam, & innocentiæ ſtola nudatus eſt. A te dominandi ambitio & à Deo apoſtatandi ſumpsẽre principium. Tu cognatorum amorem ſcindis, & coniugum diuortia facis. Tu amicitiarum iura violas, & domeſticorum vota diſſoluis. Tu cunctum perturbas orbem, & plurimis reples flagitus. Tu bellorum diſcordias generas. Tu pacem fugas, & odiorum venena diſſeminas. Tu infernum ditas, & gehennalibus flãmis fomentum ſubminiſtras. In cœlo præualuiſti, & in hoc ſæculo principaris. Et tu Bernarde de propria voluntate quid cogitas? Porrò, inquit, voluntas propria quo furore Dominum maieſtatis impugnet, au- C diant, & timeant ſerui propriæ voluntatis. Primò namque ſeipſam ſubſtrahit, & ſubiicit eius dominatui, cui, tanquam auctori, ſeruire iure debuerat, dum efficitur ſua. Sed nunquid contenta erit hac iniuria? Addit adhuc, & quod in ſe eſt, omnia quoque, quæ Dei ſunt, tollit, & diripit. Quem enim modum ſibi ponit humana cupiditas? Nonne qui per vſuram acquirit pecuniam modicam, ſimiliter mundum conaretur vniuerſum lucrari, ſi non deeſſet poſſibilitas, ſi ſuppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter, nemini, qui ſit in propria voluntate, poſſet vniuerſus mundus ſufficere. Sed vtinam vel rebus iſtis eſſet contenta, ne in ipſum (horribile dictu) deſæuiſſet auctorem. Nunc autem & ipſum (quantum in ipſa eſt) Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet, Deum pec- D cata ſua aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut ea neſcire. Vult ergo eum non eſſe Deum, quæ, quantum in ipſa eſt, vult eum, aut impotentem, aut iniuſtum eſſe, aut inſipientem. Crudelis planè & omnino execranda malicia, quæ Dei potentiam, iuſtitiam, ſapientiam perire deſiderat. Hæc eſt crudelis beſtia, fera peſſima, rapaciſſima lupa, & leæna ſæuiſſima. Hæc eſt immundiſſima lepra animi, propter quam in Iordane mergi oporteat, & imitari eum, qui non venit facere voluntatem ſuam. Vnde & in paſſione: Non mea, inquit, voluntas, ſed tua fiat.] Hactenus Bernardus. Iſta certè ſatis ſufficerent ad propriam in omnibus deponendam voluntatem; cuius iugum importabile, cuius fructus, omne flagitium, cuius opus, inferni repletio, cuius conatus, ad- E uerſùs Deum, bellum, & defectio iudicata ſunt. Sed nos pauca quædam ex aliis patribus adiiciemus, quæ clariùs expoſita, huius eximij mali damnum oſtendant.

Laurent. Iuſt. de diſcipl. monaſtic. c. 7.

Bern. ſer. 3. de reſurrect.

Duæ nobis vitæ contingunt, ſatis natura diſſitæ actionibúſque contrariæ. Altera, qua in nobis ipſis, in regione ſcilicet ſteriliſſima, & obſcuriſſima viuimus: altera, qua in Deo, in cumulo nẽpe omnium bonorum, habitamus. Iſta vita ex communi, Deo & nobis, voluntate oritur, qua quod ipſe vult, volumus,

& eius æquiſſimo velle formamur: Illa verò ex propria voluntate progreditur, qua à diuina voluntate, ab origine ſcilicet omnium bonorum, auertimur. In illo enim viuimus, cuius amore & actionibus diſtinemur: atque adeò vita noſtra in nobis eſt, ſi propriæ voluntatis operibus occupamur. Quid autem miſerius, quàm hominem in ſeipſo viuere, & per deſertum ſuæ puſillitatis errare, qui potuit ſecundùm vocationem ſuam in Deo omnium deliciarum auctore quieſcere? Non ſic ſanctus Dauid, qui ſeipſum deſeruit, & ſuam volũtatem peſſundedit, vt non in ſe, ſed
Pſal. 72. 21. in Deo vitam haberet. Quia inflammatum, inquit, eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt; & ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui. Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.] Cor, inquam, meum, ô Domine, non propria voluntate frigeſeci, ſed charitate ac tuæ voluntatis impletione ſuccendi: affectus carnis in affectus ſpiritus commutaui: ad nihilum me per omnimodam abnegationem redegi, & vt vilem abiectúmque contempſi: &, ac ſi eſſem iumentum rationis expers, velle meum exui, & aliorum ductui me permiſi, vt tecum eſſem, id eſt, vt ſemper in te, per te, & ſecundùm te viuerem. Nec ſolùm homo per propriam voluntatem extra Deum viuit, verùm & (quantum poteſt) eius dominio ſe eximit, & aduerſùs eum rebellare conuincitur. Solius namque Dei eſt propriam habere voluntatem, qui cùm ſit dominus omnium, nullum ſupra ſe, cuius voluntatem ſequatur, agnoſcit. Qui
Iſa. 46. 10. dicit per Iſaiam: Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.] Homo verò, dum propria voluntate regitur, à diuina voluntate ſe ſubtrahit, cui ſubdi debuerat, & quaſi iubendi poteſtatem à
Anſel. li. de ſimilit. c. 8. Domino aufert. Vnde Anſelmus: Cùm homo vult aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert quaſi ſuam coronam. Sicut enim corona ſoli regi competit; ſic propria voluntas ſoli Deo. Et ſicut regem aliquem inhonoraret, qui ſuam coronam ei auferret: ſic homo inhonorat Deum, qui aufert ei propriæ voluntatis priuilegium.] Sic ille. Quid nequius potuit de propria voluntate excogitari? Et quidem meritò, qui tam iniquus eſt, vt Domino coronam ſurripiat, fidelium ſeruorum mercede pri-
Matt. 10. uatur. Nec in hac vita nec in futura centuplum recipiet, quod omnia deſerentibus promiſſum eſt. Non enim præmium meretur, qui loculos habet, ſi non pecuniæ, at propriæ voluntatis; qui peior quàm
Actor. 5. Ananias, non quamcumque ſui partem, ſed potiorem ac pretioſiorem ſibi reſeruauit: qui ſimilis Lucifero, quantum ad ſe attinuit, in throno Dei, nempe in deſiderio viuendi, pro more ſuo magna temeritate conſedit.

Ei ſanè, qui omnia exteriora reliquit, propria tamen voluntate retenta, parum aut nihil proderit labor, quo à ſe minora abiecit, & maiora retinuit. Immò dignus erit vltione diriſſima, qui tam procax eſt, vt Deo vilia quæque offerat, & holocauſtum pingue propriæ voluntatis ſibi, tanquam idolo, conſecrare non timeat. Vide quàm ægrè ferat Dominus iſtam
1. Reg. 15. 9. audaciam. Pepercit, inquit, Saül, & populus, Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & vniuerſis, quæ pulchra erant; nec voluerunt diſperdere ea: quicquid verò vile fuit
Ibid. 11. & reprobum, hoc demoliti ſunt.] Hæc fecit Saül; & Dominus quid intulit? Pœnitet me, quòd conſtituerim Saul regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit.] De tranſgreſſione voluntatis ſuæ Dominus, & de propria voluntate à Saule impleta conqueritur: quam regni ablatione & indignabũda à ſe reiectione mulctauit. An tu amaror propriæ

A voluntatis, qui eadem facis, conſimilem pœnam non times? Er quomodo, inquis, hoc facio? Certè miſſus à Domino ad pugnandum cum diabolo, & ad vincendum mundum euocatus, argentum, & aurum, & reliqua exteriora, vilia nempe & reproba, id eſt, contemptibilia dimiſiſti: voluntati autem tuæ parcis, quæ gregibus ouium & armentorum præſtat, & pretioſioribus & pulchrioribus pretioſior & pulchrior exiſtit: quomodo non opere cum impio Saule conſentis? Dicit ergo Dominus, & vita tua ſatis oſtendit, quia ita dicit: Pœnitet me, quòd hunc religioſum conſtituerim. Si enim Deus (quod certiſſimum eſt) pœnitentia non tangitur, ſed dicitur pœnitere, quoniam exteriùs deſtruit, quod antea confecerat: quis non videat, eum quaſi in tua vocatione pœnituiſſe,
B qui te habitu quidem virũ religioſum, ſed vita mundanum ac dyſcolum eſſe permittit? Doceat ergo te Leo Papa, quanam ratione viliorum demolitio, id eſt, exteriorum abiectio, erit Domino grata & accepta. *Leo Papa ſer. 9. de ieiunio 7. menſis.*
Vt mens rationalis, inquit, ſalubriter exteriora caſtiget, debet etiam propria exercere ieiunia: quia non ſolùm carnis deſideriis, ſed etiam animi cupiditatibus conuenit repugnare, dicente ſcriptura: Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua mala auertere.] Ieiunans ergo, ab iis quæ caro appetit, ieiunet, & ab iis quæ malè interior ſubſtantia cõcupiſcit. Peſſimus enim animæ eſt cibus, velle quod non licet, & noxia cordis delectatio eſt, quæ aut turpi lucro paſcitur, aut ſuperbia extollitur, aut adulatione lætatur.] *Eccli. 18. 30.*
Hæc ille. Et verè talis eſſe debet noſtra abnegatio, qua
C externa relinquimus; ſi enim propriæ voluntatis abnegatione, tanquam anima, non informetur, nunquam nos faciet habitatione primi parentis extorres. Petrus iam ab exterioribus ieiunauerat, quando vniuerſa reliquerat, nolebat tamen à propria voluntate ieiunare, & lotionem pedum ſuorum de manu humilis magiſtri ſuſcipere. Sed à Domino quid audit? Si non lauero te, non habebis partem mecum.] *Ioan. 13. 8.*
Hoc ipſo ſignificans, non ſuffeciſſe Petro, omnia reliquiſſe, ſi non in omnibus diuinæ ſe voluntati ſubiciſſet, & propriam voluntatem abnegaſſet. Idem itaque in nobis requiritur: quia exteriorum dimiſſio & voluntatis propriæ retentio, eſt quaſi donum decurtatum & holocauſtum rapinâ diminutũ, quod odio haberi à Domino, Iſaias manifeſtè pronuntiat. Ego *Iſa. 61. 8.*
D Dominus, ait, diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſto.] Tu verò ſi propriam retineas voluntatem, iudicium negligis; quia quod eſt Deo debitum, negas; & rapinam in holocauſto complecteris, quia voluntatem tuam cum reliquis Deo conſecrandam ſuffuraris. Sed audi quod ſequitur: Et dabo opus eorum in veritate.] Id eſt, abſq; dubio iuxta opus eorum, retribuam eis. Quòd ſi opus ſacrificij tui redditur ob rapinam propriæ voluntatis ingratum, eſt cur pœnam timeas, non cur retributionem expectes.

Ne ergo merita noſtrorum laborum perdamus, voluntas propria abiicienda eſt, quam inſipientes in conſortem admiſimus. Accipiamus ex ore Secheniæ verba, quæ dixit Eſdræ, ac nobis ipſis applicemus:
E Si eſt pœnitentia in Iſrael ſuper hoc, percutiamus fœdus cum Domino Deo noſtro, vt proiiciamus vniuerſas vxores, & eos qui de his nati ſunt, iuxta voluntatem Domini, & eorum qui timent præceptum Domini: ſecundùm legem fiat.] O ſalutare conſiliũ, quod ab hoc viro Dei populo propoſitum eſt, ſed & præceptũ legis eſt, quæ ait: Ne faciamus voluntates noſtras in die ſancto Domini,] id eſt, in tẽpore nobis ad viuẽdũ prærogato! O adhortatio hilariter ſuſcipienda, qua Domino fœderamur, eiúſq; voluntatẽ implemus, & *1. Eſdra. 10. 2. 3.* *Iſaiæ 58. 13.*

timentes Dominum actione ſequimur! Vt ſcilicet vnuſquiſque ſuam voluntatem reiiciat,quam aduerſùs legem faciens in coniugium admiſit, & filios ex ea ſuſceptos, id eſt, vana & inutilia deſideria,relinquat; non quidem vt ſolus aut ſterilis maneat,ſed vt diuinæ copuletur voluntati, ex qua filios amabiliſſimos, nempe merita æternæ vitæ, ſuſcipiat. Annon ſcriptum eſt in Eccleſiaſtico: (*Eccl. 25. 23.*) Commorari draconi & leoni placebit, quàm habitare cum muliere nequam?] Sed quæ mulier,propria voluntate nequior? ſiquidem dum eam nobis adiungimus, peccatorum & imperfectionum innumerabilium onere premimur. (*Eccl. 26. 10.*) Verè ſicut boum iugũ, quod mouetur, id eſt, præ laxitate concutitur, & agitatur:ita & mulier nequam:qui tenet illam, quaſi qui apprehendit ſcorpionem.] Talis eſt propria voluntas, cui nonnunquam homo,veluti malæ coniugi,fœderatur,quæ totam domum interiorem turbat, hominibus & Deo repugnat,& eam amplectentem quaſi veneno contaminat.Hæc,quæ primo aſpectu libertatem ſapit, & hominem videtur facere ſui iuris, ſi intimiùs inſpiciatur,magis premit iugo importabili,quod,qui non vult perire,debet excutere. Optimè namque dixit (*Bern. de diligendo Deo,ad finem.*) Bernardus: Tunc dixerim,quemque ſibi fecilſe ſuam legem, quando communi & æternæ legi propriam prætulit voluntatem, peruersè vtique volens ſuum imitari creatorem:vt ſicut ipſe ſibi lex ſuique iuris eſt; ita is quoque ſeipſum regeret, & legem ſibi ſuam faceret voluntatem;graue vtique & importabile iugum ſuper omnes filios Adam,heu inclinans & incuruans ceruices noſtras, adeò vt vita noſtra inferno appropinquaret!] Hæc ille. Qui & addit, de hoc iugo (*Iob 7. 20*) ſanctum Iob fuiſſe loquutum, cùm dixit: Et factus ſum mihimet ipſi grauis.] Ille enim ſeipſum grauat, qui iugum propriæ voluntatis excutere & ablegare non curat.

Et nos quidem cùm ſæculo valedixerimus, onera eorum reliquimus, quæ in itinere retardabant,quare igitur propriam voluntatem retinebimus,quæ in immenſum plus onerat, & ne in perfectionem pergamus,ad terrena quæque & ad quamplurimas imperfectiones inclinat?Nam & patres antiqui, rerum ſpiritualium peritiſſimi, impoſſibile pronuntiabant, quemquã poſſe affectus & vitia ſua vincere, niſi propriam voluntatem antea viciſſet. Vnde & Caſſianus (*Caſſian. lib.4. de inſtitut. c.8.*) ait: Senioris hæc erit ſolicitudo & eruditio principalis,per quam iunior introductus,aſcendere conſequenter etiam culmina perfectionis ſumma præualeat;vt doceat eum primitus ſuas vincere voluntates, quem ſtudioſè in his ac diligenter exercens, hæc illi ſemper imperare curabit,quæ ſenſerit animo eius eſſe contraria.Multis ſiquidem experimentis edocti tradunt, monachum,& maximè iuniores, ne voluptatem quidem concupiſcentiæ ſuæ refrænare poſſe,niſi priùs mortificare per obedientiam ſuas didicerit voluntates.Ideóque pronunciant, nullatenus præualere, vel iram, vel triſtitiam, vel ſpiritum fornicationis extinguere : ſed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus vnitatem perpetuam,nec firmam diuturnámq; retinere poſſe concordiam, ſed nec in cœnobio quidem diutiùs perdurare eum, qui priùs voluntates ſuas non didicerit ſuperare.O quantum hãc rem hic ſanctus pater exaggerat!Et re vera non exaggerat, quia licèt ſine propriæ voluntatis victoria, in cœnobio quantum ad vitam communem perduremus,at quantum ad propoſitum aſſequendæ perfectionis,quæ ſine hac victoria non apprehenditur,minimè perduramus. Intelligamus ex verbis Abbatis (*Caſſian. ibid.c.34.*) Pynuphij, quem idem Caſſianus alibi adducit, qualiſnam ſit noſtra profeſſio: Eo,inquit,habitu atque figurâ,qua pro nobis in patibulo fuit ille ſuſpenſus,id eſt,Chriſtus,nos quoque neceſſe eſt in hac vita degere;vt ſcilicet ſecundùm Dauid affigentes timore Domini carnes noſtras, (*Pſal. 118 120.*) vniuerſas voluntates noſtras ac deſideria, non noſtræ concupiſcentiæ ſeruientia, ſed mortificationi eius habeamus affixa.] Si hæc eſt ſubſtantia vitæ noſtræ, quis propriam voluntatem non abnegans, putat ſe vt verum religioſum in cœnobio permanere? Quis non fatebitur,ſe,retento habitu,milies ſuam profeſſionem receciſſe,& ad ſæcularem vitam(quæ propria voluntate communiter regitur)remeaſſe? Quis Chriſtum, omnium religioſorum parentem optimum, non imitetur,dicentem: (*Luca. 22. 42.*) Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat?] Quis ceu filius Dei adoptione,ipſo opere non oſtendat,ſe ad vitam ſpiritualem veniſſe, non vt faceret voluntatem ſuam,ſed volũtatem Patris,qui in cœlis eſt? Profectò pauci ſunt,qui non faciant vias ſuas, (*Iſa. 58.3*) & non inueniatur voluntas eorum, vt loquantur ſermonem, quæ proprium velle oleat, & ſpiritualium virorum aures offendat.Iam ergo hanc beſtiam,proprij amoris germanam ſororem, ac omnium noſtrorum malorum fontem,abnegare conemur;quia nihil proderit ſiccare riuos,id eſt,vitia,quæ ex propria voluntate manãt, ſi ipſam vitiorum originem non curemus obturare.

In quibus propria voluntas eſt mortificanda.

CAPVT VIII.

NVNC ad opus procedendum eſt,& docendum,in quibus rebus ac quomodo abneganda ſit propria voluntas. Hæc enim abnegatio, tum nobis vtiliſſima eſt, tum Deo gratiſſima:Nobis quidem vtiliſſima eſt:nam voluntas eſt velut caput totius corporis actionum noſtrarum: quare dum caput ad cæleſtia leuamus, & ſecundùm legem ſpiritus regimus,omnes alias actiones noſtræ vitæ componimus.Deo autem noſcitur eſſe gratiſſima,quoniam per hanc abnegationem, non fructus tantùm ei, ſed arborem ac ipſam radicem arboris damus, & non tantùm milites à recto deficientes,ſcilicet inferiores vires noſtras,ſed regem,hos milites ſolicitantem,ipſi ſubmittimus. (*Eccl. 5.7*) Excelſo excelſior eſt alius, ait Salomon, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij, & inſuper vniuerſæ terræ rex imperat ſeruienti.] Exponat Ricardus Victorinus, quiſnam ſit iſte rex, qui omnibus imperat: (*Ricar. de ſtatu interioris hom.c.6.*) Eſt, inquit,liberum hominis arbitrium, quia omnia corporis membra ei ad nutum deſeruiunt: & appetitus, ſi aliquando rebellent,poteſt ab actu refrænare, & refrænatos graui vltione percutere,& eorum audaciam forti caſtigatione frangere & emollire. Inueſtigemus igitur quanam ratione rex hic interioris reipublicæ noſtræ, Deo ſit ſubiiciendus, & ab omni, quod non deceat,auocandus,

Quæris itaque à me, in quibus propria voluntas abnegãda ſit? Vno verbo dico: In omnibus eſt abneganda,tum externis,tum internis:tum temporalibus, tum ſpiritualibus, ita vt nihil propter nos ipſos, aut propter noſtram voluntatem explendam,aut cupiamus,aut faciamus.Vt enim inquit Baſilius, (*Baſil. in reg breui. ad interrog.74.*) quicquid ex propria voluntate concupiſcitur,id alienũ eſt à pietatis cultoribus.Et ſapiẽter ita loquutur,quia cultores pietatis, qua tales ſunt,non poſſunt à diuina voluntate ſeiungi, à qua ſine dubiò diſcordant,ſi à propria voluntate regantur.Et alio loco idẽ Baſilius ait: (*Idem reg 123.*) Vti propria voluntate arbitrióve, alienum eſt à recta ratione.Et rurſus alibi: Quicquid quiſque ex propriæ

voluntatis arbitrio facit, id cùm facientis proprium ſit, alienum eſt à cultu pietatis. Alienum, inquam, eſt à recta ratione; quia ipſa recta ratio dictat, vt creatura propter Deum facta, vniuerſa quæ agit, in Deũ ſuum referat, & non quaſi eſſet propter ſeipſam facta, ſuam propriam voluntatem quærat. Alienum etiam à cultu pietatis; quoniam opus virtutis non eſt, aut opus eſt diſtorta intentione infectum, quo homo ſuæ tantùm voluntatis expletionem, & non ſublimiorem finem, vel actu, vel virtute inquirit. In omnibus ergo, quæ facimus, etiam in bonis, & ſpiritualibus operibus, neceſſe eſt propriam voluntatem abnegare, vt ſcilicet non propter nos, qui ad finem viliſſimum pertinemus, ſed diuinæ voluntatis gratia faciamus. Sic imitatores ſumus Chriſti Saluatoris noſtri dicentis: *Ioan.6,38* Quia deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me, Patris.] Et ſanè ille ad hoc deſcendit de cœlo; nos verò ad id ipſum cõditi ſumus, & ad hoc ſpeciali vocatione, qua in vitam ſpiritualem ſumus tranſlati, inuitati ſumus. Quare hæc diuina voluntas ſemper præ oculis habenda eſt: quæ ei fuerint conſona, & quia conſona, libenter admittenda; & quæ fuerint diſſona, eo ipſo quòd diſſona, licèt nobis ſint commoda aut ſuauia, penitus repudianda.

Sed hoc documentum generale in alia magis ſpecialia, & ideo magis proficua diſtribuamus. Ne igitur, in primis, aliquod malum velimus, quia malum noſtræ propriȩ voluntatis germen eſt, ſempérque à diuina voluntate diſcordat. Nec ſolùm magna mala, nempe grauia peccata, fugienda ſunt, ſed etiam minora mala, in quibus non ſemel paſci ſolent voluntates, ac concupiſcentiæ bonorum. Qui ita ſolent rebus minimis adhærere, & imperfectiones amare, ſicut mali in rebus vetitis maioris momenti delectantur. *1.Cor.10.6.* Ne ſimus concupiſcentes malorum,] inquit Paulus [ſicut & illi,] nẽpe antiqui Iſraelitæ [concupierunt.] Qui profectò videbantur ſibi nihil malum concupiſcere, quia cibos, quibus aſſueuerant, cupiebant. Et ita multi ex aſſuetudine in minimis delinquendi, putant ſe non delinquere, nec aliquid ſaluti interioris hominis noxium concupiſcere: At venenum cupiunt, quod ſuſceptum, ſi ob paucitatem non necat, ſed neceſſe eſt, vt animam ſenſim ad peiora deflectat.

Quæ ſunt de genere bonorum, aut mediorum, non propter nos ipſos, ſed propter Deum, & ad explendam ſuam voluntatem, velimus, vt ſic bona ſuam bonitatem augeant, & media bona fiant. Bona ſunt virtutes, ſtudioſa opera vt oratio, vſus ſacramentorum, & dona cœleſtia. Hæc ita accipienda aut deſideranda ſunt, quatenus Deus vult à nobis accipi vel deſiderari, & non debent propter noſtrum priuatum commodum concupiſci. Sic enim & ſuam bonitatem retinent, & ex hoc præſtantiſſimo fine placendi Deo, ad quem actu diriguntur, maiorem quandam bonitatem obtinent. Media ſunt, quæ poſſunt in bonum & malum verti, vt cibus, & ſomnus, & cætera huiuſmodi. Hæc autem non ad noſtrum tantùm commodum, ſed ad Domini beneplacitum implendum accipienda ſunt, vt ex mediis bona fiant, & mercede non careant. Ad hoc pertinet, vt in rerum deſiderio & vſu ſeruemus modum: Nam minima bona, vt temporalia, non ſunt nimis appetenda; & magna bona, vt virtutes & quæcumque nos faciunt bonos & iuſtos, non ſunt tepidè & negligenter amanda. Media etiam & inſtrumenta virtutis, vt ieiunium, ſilentium, ſolitudo, propter ipſam virtutem, id eſt, propter finem, ad quem ſunt ordinata, diligantur: ipſe autem finis proximus, nẽpe virtus, propter finem vltimum,

A qui Deus eſt, appetatur. Ac tandem quædam abſolutè & ſimpliciter volenda ſunt, vt ſanctitas, animæ puritas, & merces in cœlis nobis promiſſa; alia verò non, niſi ſub modo & conditione poſtulanda, vt temporalia bona; ſi nempe nobis ea habere expedierit. Voluntas enim Domini eſt, vt hęc omnia ita velimus, cuius beneplacitum pro regula certiſſima volendi & nolendi habere debemus; ſi nolumus in voraginem propriæ voluntatis incidere. In quam procul dubio cadunt, qui viliſſima quæque & nullius momenti ardentiſſimè cupiunt, & meliora, quia non tam ſibi ſuauia, negligenter volunt, aut omnino non volunt; qui externas corporis aſperitates quaſi propter ipſas aſſumunt, & veras ac ſolidas virtutes parnipendunt: qui ad ſpiritualia tepidi ſunt, & ad B temporalia ita ardenter auidi, vt ea ſine vlla conditione concupiſcant.

Studioſa opera, quibus intendimus, ita exercenda ſunt, vt verè parati ſimus ea relinquere, aut pro aliis commutare, cùm Dominus per ſuum inſtinctum aut per vocem Prælati ſic faciendum eſſe præſcripſerit. Signum enim eſt euidens propriæ voluntatis, accedente Prælati iuſſu licito, nolle à cœpta occupatione diſcedere. Munus tibi docendi demandatum eſt, ſed poſtea tibi præcipitur, vt cathedram relinquas, aut pulpitum & aliud munus minoris ſplendoris obeas. Renuis obedire, mille excuſationes prætendis, fauore aliorum te munis, ne à grato tibi miniſterio diſcedere compellaris. Sanè admodum cæcus es, ſi te propria C voluntate regi adhuc ignores. Qui enim non propria, ſed Dei voluntate reguntur, non quod ſibi gratum & ſuaue eſt, ſed quod Domino eſt acceptum, aſpiciunt. Aſſiduè dicunt corde & ore: Paratum *Pſal.56.8.* cor meum, paratum cor meum:] & opere ipſo non ad vnum addictos, vt naturalia omnia, ſed vt ſancta [animalia, quæ ibant & reuertebantur,] ad omnia ſe paratos oſtendunt. *Ezech.1.* Hi ſimiles ſunt Paulo, qui ad Dominum perfectè conuerſus dicebat: Domine, quid me vis facere?] Illi verò velut cæci, & rerum ſpiritualium imperiti, imitantur cæcum illum, qui Dominum ad ſuam voluntatem trahere peroptauit. *Act.9.7.* Sed præſtat hoc ſuauiſſimis Bernardi verbis audire: *Bern.ſer.1.de conuerſione Pauli.* Quàm pauci inueniantur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui ſuam ita abiecerint D voluntatem, vt ne ipſum quidem cor proprium habeant, vt non quid ipſi, ſed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes ſine intermiſſione: Domine, quid me vis facere? Et illud Samuelis: Loquere Domine quia audit ſeruus tuus.] Heu plures habemus Euangelici illius cæci, quàm noui Apoſtoli imitatores. *1.Reg.3.10.* Quid vis,] ait Dominus ad cæcum illum, [vt faciam tibi?] *Matt.20.32.* Quanta eſt miſeratio tua Domine, quanta dignatio tua? Siccine dominus ſerui quærit vt faciat voluntatem? Verè cæcus ille, quia non conſiderauit, non expauit, non exclamauit: Abſit hoc Domine, tu magis dic; quid me facere velis. Sic enim decet, ſic omnino dignum eſt, non meam à te, ſed à me tuam quæri & fieri voluntatem. Videtis fratres, quia verè neceſſaria erat hoc in loco conuerſio? Sic profe E ctò, ſic multorum vſque hodie puſillanimitas & peruerſitas exigit, vt ab eis quæri oporteat: Quid vis vt faciam tibi? Non ipſi quærant, Domine quid me vis facere? Conſiderare neceſſe habent miniſtri & vicarij Chriſti, quid ſibi præcipi velint: non ipſi conſiderant, quæ voluntas ſit præceptoris. Non eſt obedientia eorum plena, non in omnibus parati ſunt obſequi, non per omnia ſequi propoſuerunt eum, qui non ſuam ſed Patris

venit facere voluntatem. Diſcernunt, & diiudicant eligentes in quibus obediant imperanti, imò in quibus præceptorem ſuum ipſorum obedire oceeſſe ſit voluntati. Huiuſmodi itaque etſi tolerari ſe videant, & condeſcendi ac morem geri voluntati ſuæ, proficiant, obſecro, pudeatque ſemper paruulos inueniri: ne quando fortè audiant: Quid debui vobis facere, & non feci? & abutentibus patientia & benignitate Prælati, fiat tandem multitudo habitæ miſerationis cumulus iuſtæ damnationis.] Hactenus Bernardus. Iam ergo liquet, eos qui ad omnia, quæ ſibi præcipiuntur, omninè parati ſunt, longè à propriæ voluntatis abnegatione ſeceni, quam tantùm abeſt vt negent, vt potiùs ſe illius ſeruitio mancipēt, & pro regula habeant, non quod Deus iuſſerit, ſed quod illa præceperit. Vnde neceſſe eſt ad propriam voluntatem abnegandam, talem mentis diſpoſitionem induere, vt ita ſtudioſis occupationibus inhæreamus, quòd illis manus inſiſtant, & pia incumbat ſolicitudo, at penitus voluntatis affectus non hæreat. Hic enim ſoli voluntati diuinæ affigendus eſt, vt eam amplectatur, quæ viderit hac voluntate circumdata, & ea conſtanter teneat, quæ eadem minùs perſpexerit approbata.

Bonum commune congregationis, in qua viuimus, commodis noſtris præferendum eſt, quia illud Deus prouidentiâ ſuâ noſtris commoditatibus anteponit, & nunquam propter has illud eſt ſuo ſplendore priuandum. In quo multi, qui viros ſpirituales ſe iactant, apertè delinquunt: de quibus veriſſimè dici poteſt, quòd quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Hi neceſſitatis prætextu nouas indulgentias ac priuilegia in vita religioſa petunt, nouos & inſuetos conuerſandi modos in eam inuehunt, neſcio quæ delicata & ſplendida, quoad cibum & indumentum, & cellæ ornatum, introducunt. Et nihil illis curæ eſt, ſi regula peſſum eat, ſi diſciplina pereat, modò ſua voluntas fiat. O quàm aptè dixit Beatus Iſaias Abbas, inimicum Dei conſtitui, qui propriam ſequitur voluntatem? Nam ſi inimicus hominis eſt, qui ipſius domum euertit, & iuſſa proterit, quomodo non erit Dei hoſtis, qui vt ſuæ voluntati ſatisfaciat, religioſam diſciplinam deſtruit, & ab eo ſancita contemnit? Intelligendum eſt ergo, familiam, in qua viuimus, eſſe totum, nos verò eſſe partes, Deum autem eſſe huius familiæ ſapientiſſimum gubernatorem. Cùm autem eius voluntas ſit magis totum, quàm partem gubernare, ita nos debemus primo loco bonum commune quærere, & promouere, eique noſtra omnia accommodare, & ſubmittere, vt noſtram voluntatem abnegemus, & Dei voluntatem ſequamur.

Philip. 2. 21.

Iſa. mat. 25.to.3. biblioth.

Eligamus etiam ad propriam voluntatem vincendam magis ſubeſſe, quàm præeſſe, potiùs alterius doctu regi, quàm cæteris imperare. Certum eſt enim, eos qui aliis præſunt, in magno verſari periculo ſequendi ſuam voluntatem. Et vidimus aliquos aliorum regimini aſſuetos, cùm onus gubernandi deponunt, ægre ſatis propriam, cui aſſueuerant, voluntatem deponere, & vix ſe alterius voluntati & iudicio ſubmittere. Sed iſti quodammodo patcendum eſt, quia ſaltem aliorum bonum curantes, ſuum non ita perfectè curarunt. Qui dicere poſſunt illud ſponſæ: Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui.] At illos quo modo excuſabimus, qui nunquam ad onus Prælationis admiſſi, ſemper extiterunt ſuorum ſuperiorum Prælati? Nam & nolunt voluntates Prælatorum regi, non ſuſtinent de ſuis defectibus corrigi, non acquieſcunt res ſibi demandatas ſapientiorum conſilio exequi, ſed omnia volunt ex proprio ſenſu & voluntate præſtare. Quin & annos vitæ religioſæ computamus, & aliquid nos lucratos eſſe contendimus, cùm tamen ſine propriæ voluntatis victoria parum, aut nihil noſtrum theſaurum augeamus. Verba Cæſarij nos confundant: Non te fallat, inquit, ô frater, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter ſæculo conſumpſiſti. Illum tantùm diem vixiſſe te computa, in quo voluntates proprias abnegaſti, quem ſine vlla regolæ tranſgreſſione duxiſti.] Ergo paucis, vel nullis fortè diebus in religione viximus, qui rarò aut nunquam propriam voluntatem fregimus, & inſtituta noſtra quondie profudimus. Ita autem damnum vtcumque reſarciemus, ſi ſubditi, voluntatem Prælatorum libenter ſequamur: ſi onus Prælationis humiliter reluctemur: ſi in eo conſtituti, non quod libeat, ſed quod liceat, & quia licet, & diuinæ eſt voluntati conſonum, faciamus. Dum hoc onus ſubire contigerit, ne velimus, vt nimis noſtris præceptis à ſubditis obtemperetur, néue vt plus æquo noſtris conſiliis ab æqualibus deferatur. Signum quippe ſuperbi animi eſt & propriæ voluntati ſeruientis, duram ab omnibus obedientiam, ſicut à mancipiis, exigere.

Cant. 1. 6.

Caſarius hom. 17.

Qui aliquid ſibi commodum vel gratum iudicauerint, non debent ſtatim, ſi propriæ voluntatis ſeruitutem timent, omnem lapidem mouere, vt quod deſiderant, conſequantur. Sed priùs quaſi iudices ſui ipſorum, attentè conſiderent, an id, quod cupiunt, ſibi neceſſarium ſit, an gratum ſit Domino futurum, quòd illud aſſequi curent; an nullum proximo ſcandalum, nullamve offenſionem ſit allaturum. Quibus conſideratis, ſi illud tale fuerit iudicatum, quòd virum ſpiritualem deceat, quòd fratrum conſcientiam non lædat, & Domini voluntati placeat, poterit moderatis ac diſcretis mediis inquiri. In hoc non modicos nec infrequentes defectus committimus. Solemus enim ſimulatque aliquid nobis vtile apprehendimus, illud importunè poſtulare, maiores etiam inuitos & reluctantes ad noſtram voluntatem pertrahere, & nihil non aggredi, quod noſtro deſiderio explendo commodum cogitamus. His propria voluntas roboratur, & maiorem in nos poteſtatem aſſequitur, adeò vt inſeras animas noſtras, quaſi timidas ancillas, poſt ſe trahat, & nunquā quietas eſſe ſinat. Certum eſt enim quietem animæ ex abnegatione propriæ voluntatis pendere, nec quemquam poſſe ſine illa ad veram pacem, & munditiam peruenire. Sit ergo certiſſima volēdi & nolendi menſura, non deſiderium noſtrum, quod ſæpe noxium eſt nobis, ſed diuina voluntas, quam, cùm in omnibus quærimus, tunc perfectè peſtem propriæ voluntatis excutimus. Immolemus Domino primogenitum, id eſt, deſiderium noſtrum & gaudium noſtrum, vt dum rebus terrenis moritur, viuus rebus cæleſtibus inueniatur. Abraham enim ad præceptum Domini immolare voluit filium ſuum Iſaac, & (quod ad ſe pertinuit,) illum immolauit, quo illum non perdidit, ſed tanto merito auctum recepit: Et tu igitur, inquit Bernardus, ſi vocem Domini audieris intus in animo, & dicatur tibi vt offeras Iſaac, id eſt, quodcumque eſt gaudiū, immoles Deo, (interpretatur enim Iſaac, gaudium vel riſus,) fideliter & conſtanter obedire ne timeas. Nimirum etſi rem grandem tibi dicit propheta, facere debes, & obtemperandum ei per omnia, etiamſi oportuerit ipſum Iſaac iugulari. Nunc autem quicquid affectio propria iudicet, ſecurus eſto, non Iſaac, ſed aries morietur: nō peribit tibi lętitia, ſed contumacia.] Non in quā peribit quies animi, quam in te

Gen. 22.

Bern. de bonis deſerendis ante fin.

concupitæ poſſeſſione quærebamus, ſed peribit vanitas deſiderij, dum illud Domini voluntati ſubijcimus. Qui pro illo ſancta deſideria ſuſcitabit, quæ impleta nos ſatient, & non conſcientiæ inquietæ ſpinis inquietent.

Vſus mortificationis propriæ voluntatis.

ACcipe omnē rationem dilucidam propriam voluntatem abnegandi.

I. Non ſolùm mala fugias, ſed & bona non propter tuum commodum, ſed ad diuinam voluntatem faciendam inquiras.

II. Modum in rebus appetendis teneas, vt minora bona minùs, maiora magis, media propter virtutem, hanc propter animæ puritatem & ad Deum coniunctionem, appetas.

III. Studioſis operibus, quibus intendis, ita voluntate adhæreas, vt paratus ſis, ea ſine vlla triſtitia relinquere, cùm eorum dimiſſionem magis gratam Domino iudicaueris.

IV. Si aliquid tibi vtile, aut proficuum aſpexeris, non priùs illud obtinere nitaris, quàm (prout in hac obſcuritate cognitionis fieri poteſt) id Domino gratum eſſe cognoueris.

V. Elige magis ſubeſſe quàm præeſſe: fœlicitatem puta alterius arbitrio viuere; & infœlicitatem tuo proprio ſenſu & arbitrio gubernari.

VI. Si aliquid oratione poſtulaueris, cura in ipſo actu orandi intentionem dirigere, ita ſcilicet vt non propter teipſum aut propter commodum amici poſtules, ſed propter Deum; quia nempe ipſe ita vult fieri aut poſtulari; precibus efflagites.

Cùm autem iam ex præcepto Eccleſiæ, aut Prælatorum, vel ex probabilibus conjecturis diuinam voluntatem agnouimus, non eſt vitium propriæ voluntatis, illam voluntatem diuinam promptè & libenter exequi; immò id proprium eſt perfectæ virtutis, quæ bona propter debitum finem ardenter & delectabiliter operatur. Aſpiciamus ergo ſemper voluntatem noſtram, vt hoſtem noſtræ ſalutis, ex qua cuncta peccata, quæ fecimus, prodierunt. Sicque glorioſum ducemus, & delectabile, illam in omnibus vincere, & diuinæ voluntati ſubijcere.

De mortificatione intellectus in inquiſitione veritatis.

CAPVT IX.

INTELLECTVS humanus per Adæ peccatum non leuius quàm voluntas, immò grauius ac deteſtabilius vulnus accepit, quia omnis peruerſitas voluntatis ſolet in aliquo intellectus errore aut deceptione fundari. Vulnus autem intellectus generaliter acceptum, eſt ignorantia vel cæcitas, qua homo & in notione veritatis errat, & quid ſit faciendum à ſe vel alio, aut fugiendum, ignorat. Id ſignificant illa verba Dauidis: Homo comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.] *Pſal. 48. 13.* Vt ſicut hæc inſtinctu naturali ducuntur, ita ille non ratione in ſuis operibus, ſed paſſione feratur. Et ad hoc adaptat Gregorius illud Iob: Obtenebrentur ſtellæ caligine eius,] *Iob 3. 9.* ſcilicet noctis culpæ, in qua peccatores ſumus concepti. Nox quippe illa, inquit, *Gregor. 4. mor. c. 22.* conſenſus videlicet ad culpam, quæ ad nos primi parentis eſt exceſſu propaga-

A ta, mentis noſtræ oculum tanta obſcuritate perculit, vt omnis homo in huius vitæ exilio, cæcitatis ſuæ tenebris preſſus, quantalibet vi ad æternitatis lumen intenderit, penetrare non poſſit. Poſt pœnam namque damnati peccatores naſcimur, atque ad hanc vitam cum mortis noſtræ merito venimus: & cùm ad ſupernæ lucis radium aciem mentis erigimus, ipſa infirmitatis noſtræ obſcuritate caligamus.] Hæc ille. Peccatum ergo fuit velut macula, quæ totum hominem infecit, & ab intellectu incipiens, qui iudicauit tunc diuinum tranſgrediendum eſſe mandatum, magis ipſum, quàm reliquas virtutes animæ obſcurauit. Adeò vt dicat homo: Traditus ſum, & non egrediebar; oculi mei languerunt præ inopia.] *Pſal. 87. 10.* Traditus, inquam, à me ipſo iniquitati, qua diuina mandata poſt-

B habui; neque ab hoc lacu calamitatis egreſſus ſentio oculos mentis, præ inopia luminis cæcutientes, & in veri notitia caligantes. Tanta eſt autem iſta ignorantia, vt intellectus ſeipſum ignoret, & cùm non videat, ſe tamen videre, & veritatem aſſequi, & alios poſſe docere putet. Cæcus eſt & manu tentans, niſi cœleſti illuſtretur lumine, & tamen iudicat ſe occulta videre, agenda perſpicere, & nihil eſſe in veris cognoſcendis, aut bonis agendis, quod acie ſuæ cognitionis callere non poſſit. Cùm autem duplex ſit functio huius potentiæ, altera, qua veritatem ſpeculatur, & ſic dicitur intellectus ſpeculatiuus, altera, qua agenda & omittenda decernit, & dicitur intellectus practicus, in vtraque harum indiget mortificatione iuuari. Si enim intellectum ducem er-

C rorum noſtrorum non ordinauerimus, nunquam victoriam de vitijs obtinebimus. Dicéntque vitia noſtra aduersùs virtutem armata, quod milites & duces Iſraelitæ Dauidi: Siue fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: ſiue media pars ceciderit de nobis, non ſatis curabunt, quia tu vnus pro decem millibus computaris:] *2. Reg. 18. 3.* Nam & ſi aliquando peruerſi mores noſtri ad tempus fugerint, & ſe aliæ vires animæ à malo ſubtraxerint, parum ad euertendam virtutem proderit, ſi intellectus, dux errorum, qui ſtatim mala eſſe reſumenda iudicabit, immortificatus & inordinatus permaneat. Priùs ergo dicamus, quomodo intellectus in cognitione veritatis cohibendus ſit, & poſtea quomodo in agendorum definitionibus mode-

D randus.

Intellectus, vt veritatem cognoſcit, hoc nomen retinet, & vocatur intellectus, aut vis cognoſcitiua, ſiue intelligentia. Qui non paucos, nec leues habet defectus in vitam ac mores hominum deriuatos. Homo enim, qui debet intellectum excolere, ſolet in ſcientiæ ſuo ſtatui neceſſariæ adeptione torpere. Non diſcit quæ diſcere tenebatur, ideóq; neſciens in adminiſtratione ſibi demandata, exempli gratiâ, confeſſiones excipiendi, aut nodos animarum per conſilium diſſoluendi, ſæpe delinquit. Quem ignorantia non excuſabit, quia eam per ſtudium addiſcendi ſuperare debuit. Et adnumerabitur illi populo, de quo per Oſeam ſcriptum eſt: Populus non intelligens vapulabit.] *Oſee. 4. 14.* Et eueniet illi quod Paulus ait: Si quis ignorat, ignorabitur.] *1. Cor. 14. 38.* Ignorabitur, inquam, iudicio appro-

E bationis à Domino, cuius voluntatem ſcire contempſit. Gentes tranſlatæ à rege Aſſyriorum in ciuitates Samariæ, ignorabant legitima Dei terræ, & ob id interfecti ſunt à leonibus. *4. Reg. 17. 26.* Sic multi ad ſtatum ſacerdotalem tranſlati, ea quibus Deus eſt colendus, ignorant, quam ignorantiam animarum ſuarum damnatione perſoluunt. Se igitur ipſos ab inanibus cogitationibus auocent, & per mortificationem, ignauiam & torporem addiſcendi cohibeant. Nec ſe

maiore

maiore ætate protegant, aut ſe iam ſenes eſſe prætendant. Quia, vt ſapienter Ambroſius ait: [Nulla ætas ad perdiſcendum ſera eſt. Erubeſcat ſenectus, quæ emendare ſe non poteſt. Non annorum canicies eſt laudanda ſed morum. Nullus pudor eſt, ad meliora tranſire.] Nec nimij habendi ſumus ex eo, quòd ſtudium ſciendi commendamus. Nos enim planè in ea ſumus ſententia, in familia religioſa abſque ſtudio diſcendi non poſſe diſciplinam vigere. Quid enim facient innumerabiles religioſi, dum à communibus operibus vacant, ſi non diſcunt, aut orant? At non omnes ad longam orationem ac meditationem ſunt apti, nec duris agricolarum laboribus aſſueti. Si ergo libros non euoluunt, nec intellectum excolunt, quibus fructuoſis operibus occupantur? Sed vita noſtra non ad otioſitatem inſtituta eſt, ſed ad pios & Eccleſiæ vtiles labores inuenta. Humbertus ſanè in prologo ſuarum eruditionum, mirificè ſtudium addiſcendi commendat, & decem damna ex defectu eruditionis manantia perſequitur. Putátque ignorantiam in cœtibus religioſis peccandi timorem expellere, & abundantiam ſpiritualium bonorum relegare.

Ambr. li. 5. epiſt. 37.

Alij deficiunt in hoc, quòd diſcere quidem incipiunt, ſed inutilia diſcunt. Inutilia verò ſunt, quæ neque Dei obſequio, nec proximorum vtilitati, nec diſcentium ſtatui conueniunt. His ab addiſcendis neceſſariis aut vtilibus impediuntur: ſimiles illis qui omnium indigi, ſplendentes lapillos nullius pretij in domum ſuam magna auiditate recondunt, & panem ac veſtem, ſine quibus viuere nequeunt, non requirunt. [Non plus ſapere, inquit Paulus, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.] Quia, teſte Auguſtino, ſi pro viribus ſuis alatur infans, fiet vt creſcendo plus capiat. Si autem vires ſuæ capacitatis excedat, deficiet antequam creſcat. Ille autem viribus ſui intellectus non conſulit, qui vult ſimul vtilia & inutilia capere; aut relictis vtilibus, quæ ſunt quaſi alimenta congrua, curat inutiles doctrinas, quaſi aliena & dura alimenta, ori intellectus ingerere. Ne ergo, ô iuſte, erigas oculos tuos ad opes ſcientiæ, quas vtiliter non potes habere, quia facient tibi pennas vt aquilæ, & volabunt in cœlum. Quid enim eſt iſta inutilia nos ab vtilibus auocare, niſi pennas ad fugiendum aſſumere? Quia ea non potenmus aſſequi, niſi noſtrum domicilium, id eſt, ea, quæ nos decent, relinquamus, & poſtea ad altiora, id eſt, non debita, nobis, euolemus. Omnis procul pellatur curioſitas, omne ſtudium placendi hominibus, & inaniter lucendi reiiciatur, & nitamur, quæ proſint ſcire, & quæ Deo placeant, & proximos iuuent, & ſtatui noſtro congruant, agnoſcere. In qua re iterum inculcanda profectò nimij non ſumus, cùm eam tempeſtatē, qua viri Deo conſecrati, & ſacrarum ſcripturarum ſtudiis addicti, poëtarum luſibus & Ethnicorum figmentis intendunt, non ſine tantæ deceptionis dolore videamus. Viros Deo deditos ab his humanis ſtudiis auocatos & ſcimus, & legimus, ad ea verò vocatos à Deo & inuitatos hucuſque non vidimus. Et vt huiuſce rei aliquod proferamus exemplum: Simon de Caſſia vir ſanè in diuinis ſcripturis mirè verſatus, & ſanctitate conſpicuus, quid ſibi de ſcientiis humanis relinquendis iuſſum de cœlo fuerit, in hunc modum ſcribit:

Rom. 12. 3.

Aug. 21. de ciuit. Dei.

[Iuuenis fui aliquali dotatus ingenio, intendebam his ſcientiis, ſicut coætanei mei, credens ex his placere Altiſſimo, atque ſic debere perfectam vitam peragi. Cum verò omnes collegas meos viderem in hanc tenebroſam voraginem proſilire; accidit quodam die in meis teneris annis me ferentem omnes ferè libros naturales ſub chlamyde, vt ſumma diligentia repeterem, quæ audieram à doctore: & cùm interroga-

Simon de Caſſia. lib. 8 ſup. Euangel. c. 11. in illud Lucæ: cum meretricibus, &c.

A ret me, qui creditus ab omnibus ſanctæ vitæ, dicens: Quid eſt hoc, quod defers frater? Libros naturales me ferre reſpondi. At ille: Non eſt hæc via tua, neque vocatio tua, nec verorum Chriſtianorum intendere naturæ, ſed gratiæ. Verbis quoque completis, tanta celeritate mutatum eſt cor meum, vt ſi voluiſſem, non potuiſſem aperire codices naturales, nec etiam ex iuſſu aliquid ex eis memoriæ commendare; atque quod magis mirandum erat, porta intelligentiæ claudebatur; diſponente Deo, ad Theologica me conuerti, illis omnino dimiſſis, in quibus fruſtra ſudaueram, atque diſpoſueram deſudare: & aliqua luce veritatis perfuſus, puro & claro animo intellexi, meretrices eſſe inuiſibiles animi omnes iſtas ſcientias, animam indeuotam & volantem per aëra con-

B ſtituentes, & denegantes ſuis peritis viam humilitatis in fide atque in moribus ſæpe. Vidi etiam ſecreto mentis intuitu in eis recuruatum, omnino etiam inuitè orare volentem, & quod horrendum eſt, gratiæ initium deficiebat in natura, & geometrizabat corporum quantitatem, qui ſibi viuit immenſuratus. Et aſtra, & ipſorum orbes, & orbiculos, & reuolutionem reuoluebat in animo, dum ſe ſponderet Altiſſimo ſupplicare. Neminem audiui, nec vidi deuotè atque humiliter intendentem ad Euangelij veritatem, talibus meretricibus ſedulò implicatum, niſi repudio mancipauerit. Procul dubio plerumque à Deo faciunt animam fornicari. Sed dicit ſcriptura: [Perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te.] &c. Barbatus *Pſal. 72.*
ſum omnibus, qui horum, quæ dicuntur, intrinſecam *72.*

C experientiam non viderunt, & appellor fatuus à talibus ſcientiis faſcinatis, ſed veritatem nouit Altiſſimus, & ipſi videbunt eum, cùm durè fuerint exacti, quòd talibus vanitatibus ſe dederunt.] Hactenus ille. Qui, vt perſpicuum eſt, non tantùm à poëtarum fabulis & oratorum ſententiis tumidis auocatus fuit, ſed, vt Chriſti opera puriùs contemplaretur, & à naturalibus ſcientiis auulſus. Nos autem ſcientias naturales non damnamus, quas ad Theologica ſtudia neceſſarias eſſe fatemur, ſed Theologos, & viros ſpirituales, ac perfectionis deſiderio accenſos, poëtis & prophanis auctoribus legendis, & paſſim citandis intendere, liberè reprehendimus. Hi non confirmandæ veritati, niſi rariſſimè, ſed fouendæ curioſitati & vanitati capiandæ deſeruiunt. Quare huiuſmodi ſtudia adoleſcentulis relinquenda ſunt, dum ad Theologi-

D cas veritates addiſcendas ſe parant, & alia vtiliora exercitia à viris ſpiritualibus vſurpanda, quæ intellectum non diſtrahant, ſed doceant; quæ affectum non in terram deiiciant, ſed in cœlum efferant, & quæ ad compungendum ſpiritum & mentem euehendam in cœleſtia conducant. Si huius ſententiæ noſtræ lector, vir ſpiritualis & Deo deditus non fuerit, fortitan eam non intelliget, forſitā & irridebit; ſed ſi aliquem guſtum rerum ſpiritualium habuerit, eius conſcientiæ & experientiæ relinquo, quantum his ineptis ſtudiis à deuotione auocetur, & vanis cogitationibus orationis tempore diſtrahatur.

Non ſufficit ad vtilia diſcenda intellectum applicare, niſi illa debito modo diſcantur. Ad hunc autem

E modum tria pertinent, vt rectè, vt modeſtè, vt ordinatè doctrinam proficuam quæramus. Tunc rectè doctrinam quærimus, ſi ob bonum finem, ob gloriam ſcilicet Dei, & animarum ſalutem, & profectum animæ noſtræ, veritatis cognitionem petemus. Tunc modeſtè eidem inſiſtimus, ſi nouitates fugiamus, ſi viam tritam ob rationes tantùm probabiles & vim intellectui non afferentes, nequaquam deſeramus: ſi ſapientium antiquorum auctoritatem maximè veneremur. Tunc ordinatè ſcientiam inquirimus, cùm

eam non finem virtutis, ſed inſtrumentum ad virtutem facimus; cùm tempora inter cognitionem & bonam actionem partimur; cùm horas debitas diuino cultui & orationi relinquimus. Si prauus affectus aut curioſus intellectus aliquid his oppoſitum poſtulauerit, gladio abnegationis mortifica. Qui ſine debito fine diſcit, eſt ſimilis ei qui ædificat ſuper arenam. Nam deſcendente pluuia humiliationis, & irruentibus fluminibus tentationum, & flante vento ambitionis, ſtructura virtutis, quam ſimul cum ſcientia ſurrexiſſe credebamus, non ſine dolore & ſcandalo aliorum procumbet. Qui ſine modeſtia doctrinam quærit, ſæpe decipitur, & falſum pro vero apparénſque pro ſolido admittit. Quare monet Salomon:

Prou. 22. 17. 18. Inclina aurem tuam, & audi verba ſapientium: appone autem cor tuum ad doctrinam meam (non ad doctrinam tuam, quam ſcilicet in proprio corde finxiſti,) quæ pulchra erit tibi, cùm ſeruaueris eam in ventre tuo, & redundabit in labiis tuis.] Qui ſine ordine, ſtudio ſcientiarum inſiſtit, dum ſterilem cognitionem parat, vitæ puritatem ac veram virtutem extenuat. Non poterit hic imprudentiam effugere.

Hugo. in Didaſcalico c. Dionyſ. tract. de doct. ſcholaſt. ar. 4. Quia, vt inquiunt Hugo Victorinus & Dionyſius Richelius, imprudentia eſt, quando congruum modum ac ordinem in his, quæ diſcimus, non ſeruamus. Quomodo autem congruum diſcendi ordinem ſeruat, qui cognitionem rerum nullo modo cum virtute conferendam, adeptioni virtutum, & cultui diuino, & animæ ſuæ puritati præfert?

Alij autem ſunt exceſſus intellectus magis ad vitam moralem pertinentes, quos oportet abnegare. Exceſſus eius eſt, ſi non priùs docenda audiat, quàm alios docere aut monere præſumat. Nam vt bene

Amb. lib. de Noe c. 31. dixit Ambroſius, diſcendum priùs eſt quàm loquendum. Aures paratas habe, vt aliquid de ſapientium conſiliis conſequaris. Lingua reprimenda eſt, auditio præparanda.] Et ſicut qui alium ad conuiuium inuitat, priùs conuenientia præparat, quæ in cibo & in potu miniſtraturus eſt ei: ita & qui docturus eſt fratrem & doctrinæ cibum oblaturus, paret diſcendo & audiendo quod apponat, ne cum fratris detrimento à docendi munere confuſus abſcedat. Salomon in Prouerbiis huius rei momentum aptiſſimo ſimili, ex conuiuiis petito, patefecit:

Prou. 23. 1. Quando ſederis, inquit, vt comedas cum principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam: & ſtatue cultrum in gutture tuo.] Ad menſam diuitis ſedet, qui ad menſam ſcripturarum & ad doctrinam exponendam accedit. Appoſita attendit, ſi quæ ab ipſo dicenda ſunt, priùs intelligentia capit, & non oſcitanter intelligit. Cultrum in gutture ſtatuit, quando (vt inquit

Beda ib. Beda, quia guttur pro loquela, & gladius pro diſcretione ponitur) ſecundùm id, quod bene didicit, diſcreta verba depromit. Nec defectus in hoc putandus eſt parui momenti, ex quo magna ſæpe mala generantur. Multi enim in diſpoſitione vitæ ſuæ & actionum ſuarum errant, & malum pro bono com-

Iſaia 5. 20. plectuntur, quia doctores habuerunt [dicentes malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.] Alij nunquam in virtute proficiunt, neque ad ſtudium orationis & diuinam familiaritatem aſcendunt, quia magiſtros habent rerum ſpiritualium imperitos, qui neſciunt diſcipulos ſuos ad altiora dirigere, & lac puſillorum à ſolido cibo diſcernere. Hi ſi ſeipſos cohiberent, & priùs audirent quàm loquerentur, aut certè, ſi res ſpiritus non intelligunt, animas ſitientes perfectionem, ad expertos mitterent, minimè tanta detrimenta in ſuos auditores inferrent.

A Exceſſus etiam intellectus eſt, ſi non eius operatio actiones alias humanæ vitæ præcedat. Quod enim ſunt oculi pedibus, eſt intellectus humanis actionibus: vnde ſicut ambulans ſine ductu oculorum ſæpe cadit: ita qui operatur ſine præcedente intellectus conſilio, in peccatum impinget. Dirige ſemitas pedibus tuis, inquit Salomon, & omnes viæ tuæ ſtabilientur.] *Prou. 4. 26.* Hoc eſt, ad normam itinerantis, greſſus animæ, id eſt, actus tuos, ſtaterâ ſapientiæ pondera, vt viæ tuæ, id eſt, eædem actiones tuæ, in vitia non errent, ſed ſtabiles ac firmæ in virtute perſeuerent. Annon obſcurus & teter eſſet hic mundus, ſi ſolis luce careret? Sed talis eſt vita hominis, quam non pulchritudo intelligentiæ & præmeditatio mentis illuminat. Quamobrem præclarè Bernardus, ſcribens ad

B Eugenium Papam, cuius humeris totum Eccleſiæ pondus inſederat, ait: *Bern. lib. 1. de conſiderat.* Nunc autem, quoniam dies mali ſunt, ſufficit interim admonitum eſſe, non totum te nec ſemper dare actioni, ſed conſiderationi aliquid tui, & cordis, & temporis ſequeſtrare. Et infrà, Et primùm quidem ipſum fontem ſuum, id eſt, mentem, de qua oritur, purificat conſideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat & ordinat. Poſtremò diuinarum pariter & humanarum rerum ſcientiam confert. Hæc eſt, quæ confuſa determinat, hiantia cogit, ſparſa colligit, ſecreta rimatur, vera veſtigat, veriſimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc eſt, quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente reſideat, aut incorrectum, aut correctione egens.] Sic

C ille. Cogendus eſt itaque per mortificationem intellectus, vt ſe intra ſemetipſum contineat, vt aliena relinquat, vt ſua aptè ſapientérque diſponat, vt quem finem ſint habitura voluntatis deſideria, quem exitum humanæ vitæ opera, attentè conſideret, ne ſine hac luce, omnia noſtra obſcura, ſine hac regula, diſtorta, ſine hoc pædagogo, inordinata, Deóque minimè grata cenſeantur. Ille enim non ſolùm gratum non habet, quod ſine ratione & ex impetu paſſionis fit, verùm & dignum pœna & vltione cenſet. Quare Iſaias ait: *Iſaia 27. 11.* Non eſt populus ſapiens, propterea non miſerebitur eius, qui fecit eum, & qui formauit eum, non parcet ei.] Sapientia, id eſt, intellectus præuiſio ac directio, noſtras actiones præcedat, & ſtudioſas ac virtuti conſonas, voluntati diligendas & manibus

D exequendas proponat, ne ira inſipienti populo parata hominem inſipienter operantem inueniat.

Damnabilior tandem intellectus exceſſus eſt, quo quis ſua propria deſpiciens, inſipienter aliena conſiderat. Vitas fratrum iudicat, actiones examinat, conuerſationem damnat, & per temerarias ſuſpiciones bona aliorum in malam, & mala in peſſimam partem inflectit. Hoc autem deteſtabile vitium iudicandi ex obliuione ſui naſci, qua quis propria acta non cogitat, Proſper manifeſtis verbis inſinuat. *Proſper. lib. 2. de vita cōt. c. 6.* Tandiu, inquit, quis peccata ſua, quæ noſſe, ac deflere debet, ignorat, quandiu curioſè aliena conſiderat. Quòd ſi mores ſuos ad ſe conuerſus aſpiciat, nō requirit quod in aliis ſpecialiter reprehendat, ſed in ſeipſo quod lu-

E geat.] Hæc ille. Imitamur ſanè frequenter cupidos alienarum opum & ſuæ neceſſitatis incurioſos ſartores, qui occupati ſarciendis aliorum veſtibus, vt ab eis pecuniam corradant, ſuas habent vndiquaque diſciſſas. Sic aliorum vitam corrigimus, actiones aduertimus, conuerſationem emendamus; noſtram verò ſuperbiâ laceratam & temerariis ſuſpicionibus infectam omittimus. At non ita incautè viuendum eſt, ſed intellectus ab aliorum actibus abducendus cogendúſque, vt ſua acta & cogitata diiudicet. Nam & præceptum eſt Domini: *Matth. 7. 1.* Nolite iudicare, vt non

iudice

iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.] Quid eſt, nolite iudicare, niſi, nolite in alienos mores irrumpere: nolite in acta proximorum inquirere, & more iudicum, an bona ſint an mala, temerarium ac vobis minimè conceſſum iudicium ferre? Quòd ſi ſimplex vos iudicium non continet, at ſubiuncta pœna cohibeat, vt non ab hominibus & à Deo iudicemini. Certum eſt enim, eos, qui aliorum vitas iudicant, ſeueros ſuæ vitæ iudices inuenire. Certius autem eſt, eos diuinum iudicium non effugere; quo propter iudicia temeraria multantur. Et quidem ſeuerè & rigidè. Nam ſicut temerariè iudicantes, durè erga proximos ſe habent, ita (vt eadem menſura pœnam ſuſtineant) durum & implacabile iudicium ſubibunt. In hac etiam vita non pauca, nec prætereunda mala temerarium iudicium ingenerat. [*Anſel. li. de ſimil. c.110.*] Optimè enim notauit Anſelmus, quòd ſi iudicans alterum, peccator eſt, exemplo illius in malo perſeuerat: ſi pœnitens, peccantis quoque exemplo iterum labitur, aut in cœpta pœnitentia frigeſcit, aut ſaltem viſi peccati impugnatione tentatur: ſi verò iuſtus peccantem auerſatur, & ſe ſupra illum per ſuperbiam extollit. Sed quid ſtultius, quàm aliena mala parua curare, & propria magna negligere? Quid arrogantius, quàm actionem dubiam alterius damnare, cuius intentionem ac cæteras cauſas nec dum diſcuſſimus? Quid periculoſius, quàm alios iudicantes, nos ipſo iudicio innocentes confiteri? Nam Dominus ad Scribas & Phariſæos dixit: [*Ioan.8. 7.*] Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam (ſcilicet in mulierem adulteram) lapidem mittat.] Innuens videlicet damnationem reorum, eſſe iudicum innocentium: illúmque, qui in alium lapidem iudicij mittit, ſe innocentem pronunciare. O igitur abominabile peccatum, quod etiam latro in ipſo ſtudioſo vitæ tyrocinio oculis mentis aduertit, & tam acri reprehenſione damnauit! [*Lucæ 23. 40.*] Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es?] dixit ad alterum ſocium, à quo Dominum maieſtatis temerariè iudicatum agnouerat. Quaſi diceret, inſignis peruicaciæ eſſe, conſimili cum Domino pœna damnatum, diſſimili verò cauſa in crucem actum, (quia Chriſtus innocens ob aliena peccata, & latro nocens ob propria mortem perferebat,) ſortes per iudicium temerarium commutare, & illum, qui innocentiſſimus erat, peccatorem, ſe autem, qui ſceleratiſſimus erat, innocentem profiteri. Lex itaque non temerariè iudicandi à latrone (vt ſcitè notauit Chryſoſtomus) [*Chryſoſt. hom. 24. in Matt.*] ſeruata eſt, & nos, qui de vita ſpirituali gloriamur, eam paſſim tranſgredimur, dum fratribus noſtris crimina, nunquam fortè ab illis ſomniata, iniuſtè ſatis imponimus.

Intellectus ergo acriter eſt abnegandus, vt ſeipſum iudicet, & aliorum vitas, quarum correctio ad nos non pertinet, diſcutere & damnare non velit. Idque facilè meo iudicio diſcemus, ſi noſtram agnouerimus conditionem. Poſſumus enim eadem facere, quæ proximi noſtri fecerunt, quos iudicare & damnare nō formidamus. Et, ſi Æthiops alium Æthiopem, coloris atri gratiâ, non damnat; cur in peccatis enutritus alium conſimilem peccatorem iudicat, atque condemnat? Præſertim cùm iſte, qui cecidit, & modò iudicatur, poſſit reſurgere, & ego, qui eum iudico, poſſim in idem peccatū cadere, & in eo vſque ad finem perſeuerare? [*Iob 34. 25.*] Conteret multos & innumerabiles Dominus, & ſtare faciet alios pro eis.] Conteret, inquam, eos, quos poſt aliorum iudicia, in ſimilia crimina labi permittet, & ſtare faciet ſæpe pro eis, quos antea ſtantium iudicia temeraria percuſſerunt. [*Greg. 25. mor. c.8.*] Hæc ſententia, inquit Gregorius, qua narratur aliorum erigi, aliorum autem vita confringi, & ſpes nutritur humilium, & elatio premitur ſuperborum, dum & illi bona poſſunt amittere, de quibus ſuperbiunt, & iſti ea percipere, quæ quia non habebant, contemnuntur. Formidemus igitur in his, quæ accepimus, nec eos, qui illa nec dum aſſequuti ſunt, deſpiciamus. Quid enim ſumus hodie, nouimus, quid autem poſt paululum poſſimus eſſe, neſcimus. Hi verò, quos fortaſſe deſpicimus, & tardè poſſunt incipere, & tamen vitam noſtram feruentioribus ſtudiis ante ire.] Hæc Gregorius. Cui addendum eſt, quòd non ſolùm in ea, quæ iudicamus, poſſumus cadere, verùm & per iudicium ita viuimus, quaſi velimus nos ad caſum parare. Temerariè namque alium iudicans, meretur gratia ad ſtandum carere, dum virtutem ſuam non Deo, ſed ſibi ipſi præſumit adſcribere. [B] Qui enim alium iudicat, quaſi opere ſuo dicit; ego non cecidi, quia per vires meas à peccato diſceſſi: tanta ſuperbia digna eſt, quæ à Domino relinquatur, vt per ſequentem caſum ſe deiiciat, & intellectum à temerario iudicio continere diſcat. Iuuant tandem ad iudicia temeraria reiicienda, quatuor illa, quæ Laurentius Iuſtinianus numerauit: [*Iuſtin. in ligno vitæ tract. de charit. c.9.*] Quatuor, ait, ſunt qualitates, quibus diligentis Deum anima compungitur, & à proximorum operibus oculos auertit. Quum aut malorum ſuorum reminiſcitur, conſiderans vbi fuit: aut iudiciorum Dei ſententiam metuens, ſecum quærens, conſiderat, vbi erit: aut cùm mala vitæ præſentis attendens ſolerter, mœrens conſiderat, vbi eſt: [C] aut cùm bona ſupernæ patriæ contemplatur, quæ quia nondum adipiſcitur, lugens conſpicit, vbi non eſt.] Sic ille. His cibis profectò ſaluberrimis intellectum paſcamus, & facilè à peccatorum alienorum conſideratione & iudicio, peſſimis alimentis, abſtinebimus.

Vſus Mortificationis intellectus.

FAciamus iam, pro more, breuem ſummam eorum, in quibus debeas intellectum per mortificationem cohibere.

I. Intellectus igitur ignauiam pelle, & in quocumque ſtatu aut ætate ſis, res ad ſalutem neceſſarias, ſine quibus ſcilicet tuo muneri ſatis eſſe non poteris, diligenter addiſce.

II. Inutilia diſcere aut inueſtigare non cures. [D] Quædam autem adoleſcentibus aut vitam communem agentibus ſunt vtilia, quæ tibi iam viro aut ad perfectionem properanti inutilia iudicabis.

III. Vtilia bonâ intentione ſcire, & ex maiorum auctoritate inueſtigare, & debito modo & tempore tibi parare curabis.

IV. Quæ non didiciſti, non doceas, ne & tu malè docendo labaris, & alij tuos errores credendo cadant, ſed magis te interrogantes, humiliter ad doctiores remittas.

V. Omnes actiones tuas, intellectus conſideratione præcedas; quod malum iudicaueris, fugias; & quod bonum cognoueris, facias, & itinera vitæ tuæ ſapienter inſtituas.

[E] VI. Vitam & mores aliorum non iudices, ſed Deo ac Prælatis iudicanda & inſpicienda relinquas.

Ac pro comperto habeas, diligentem intellectus culturam, fontem eſſe multorum ſpiritualium bonorum, quæ & otium, vitiorum ſeminarium pellit, & omnem vitam humanam dirigit, & nos Angelis iungit, à belluiſque diſcernit.

De Mortificatione intellectus, ſiue iudicij proprij in rebus agendis.

CAPVT X.

INTELLECTVM noſtrum ab eo actu, quo iudicat de rebus, & diſcernit quid in quaque re tenendum aut agendum ſit, ſolemus vocare iudicium, ab ipſa actione quam elicit, ei nomen imponentes, aut ſub ea illum conſiderantes. Quod verum eſt, ſi ab eo, quod eſt in re, vel debet eſſe in actione, non deuiet, falſum verò, ſi aliter ſentiat ac iudicet, quàm res vel actio ſe habet. Hic autem actus eius, qui iudicium appellatur, & noſter proprius eſt, multa indiget abnegatione, quam vt tractemus, ab ipſa definitione eius incipiamus oportet. Proprium B ergo iudicium eſt, quod non eſt Dei nec hominum ſapientium iudicio conforme, ſed ſingulare noſtrum, ab aliorum diffinitione ac ſententia diſſentiens. Sunt enim plurimi etiam in cœtibus ſpiritualium virorum, qui ita propriæ ſententiæ, ac ſententiæ ſanctæ Eccleſiæ & Conſiliorum adhærent; qui quod ipſi iudicant, meram veritatem: quod alij contrà ſentiunt, nugas & deliramenta iudicant: qui ſe in ſententia ſequentes amant, ſibi autem contradicentes arido corde & oculis toruis aſpiciunt: qui denique, ſi ſuo ſenſui aliquid opponatur, mirum in modum turbantur & contriſtantur, & quod ſemel animo conceperunt, pro regula veritatis habent, & ab omnibus pro tali C habendum eſſe decernunt. Vitium hoc intellectus generaliter ex ſuperbia & præſumptione naſcitur, qua quis ſeipſum magnum aliquid reputat, alios verò, quaſi infrà iacentes, deſpicit, & ſcientia ac prudentia minores exiſtimat. Ex hoc vitio propria voluntas exoritur, omnium peccatorum initium; quia, qui ſe putat in omnibus punctum attingere, quòd alij à ſe decreta & volita non faciunt, ſuſtinere non poteſt. Quod indicatum eſt ab Eccleſiaſtico, dum ait: Synagogæ ſuperborum non erit ſanitas: frutex enim peccati radicabitur in illis, & non intelligetur.] Quinam ſunt iſti ſuperbi? Nonne qui ſeipſos ſupra alios extollunt, qui ſuas ſententias ſtatuunt, & alienas deſpiciunt? Hi nunquam ad ſalutem redibunt, quo- D niam initium ac ianuam ſalutis, nempe intellectum habent obcæcatum. Frutex peccati, vel ſtirps, ac initium peccati, nempe voluntas propria altas radices aget in illis, priuſquam ſe tanto malo infectos intelligant. Vulnus in corpore fœdum quidem eſt, ſed in facie fœdiſſimum: macula in linteo turpis eſt, ſed in mundo byſſo turpiſſima: ſic omne vitium ſuam habet deformitatem, at duricies intellectus & iudicij proprietas, quia faciem hominis turpat, nempe intelligentiam, & byſſum, nempe lucem naturalem, obſcurat, eſt cuiuſdam turpitudinis genus inſigne.

Eccl. 3. 30.

Qui hoc proprium iudicium non abnegant, nec illud ſuperiorum ac ſapientium iudicio ſubmittunt, manifeſtum incurrunt errandi & ſe præcipitandi pe- E riculum. Quare monet Salomon: Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.] Quaſi dicat, non in propria prudentia ac rerum gerendarum dexteritate, ſed in Domino eſſe confidendum: qui homines ſæpe per alios homines docet, ne errent, & ideo alij ſunt humiliter auſcultandi. Et Baſilius ait: Quòd ſicut in vniuerſum vti propria voluntate arbitrióve, alienum eſt à recta ratione; ita maioris partis iudicio non ſtare, eſt contumaciæ & peruicaciæ periculum incurrere.] Ea hoc turpiſſimo fonte magna errorum, hæreſum, & diſcor-

Prou. 3. 5.

Baſil. in reg. breu. 123.

A diarum pars ortum habuerunt: dum perditiſſimi homines malunt in iudicio rerum ſuis ineptis definitionibus adhærere, quàm Eccleſiæ & ſapientiorum iudicio gubernari. Videmúſque completum illud Salomonis: Ambulans recto itinere & timens Deum deſpicitur ab eo qui infami graditur viâ.] Quoniam iſti non ſolùm errant, & ab eo, quod rectum eſt, deuiant, ſed etiam infallibilem veritatem tenentes & viam rectam ambulantes irrident. Illuduntur planè à dæmone, cuius ſententiam in ſuo proprio iudicio ſæpiſſime venerantur, à quo pro vero lumine tetram obſcuritatem excipiunt. Quam perniciem impoſſibile eſt euadere quempiam (inquit Caſſianus) iudicio proprio confidentem, niſi Paulum monentem, vt idem ſapiamus omnes, audiat, & pro meliorum ac B ſapientiorum ſententia ſuum iudicium abiiciat. Optimè dixit Climacus: In his, qui ſibi credunt, dæmon ſæpe propheta fit: Ab hoc autem falſo propheta edocti, qui pater eſt omnis mendacij, quid niſi mendacium & falſitatem imbibent, qua intellectu decepti, mores ſuos fallant, & alios eorum doctrinam aut exemplum ſectantes decipiant? Proprio ergo iudicio fidendum non eſt, ſub cuius velamine ex vna parte diabolus, & ex alia ſe proprius amor abſcondit. Quemadmodum enim ſi medicus ad medelã ægritudinis accerſitus, illi medeo neſciat, & nos periculo mortis exponat; aut ſi aduocatus ad litem defendendam admiſſus ſuâ ignorantiâ illam perdat, nunquam deinceps eorum vtimur operâ, quos nouimus vitæ & ſubſtantiæ deſtructores; ita cùm experimento didice- C rimus nos à proprio iudicio, non ſemel aut bis ſed ſæpiſſime fuiſſe deceptos, æquum eſt, vt nunquam ipſum ad conſilium admittamus. Iudicium proprium non tantùm diabolus decipit, ſed & proprius amor mouet, adeò vt quotieſcumque proprium iudicium ſequimur, proprio etiam amore regamur. Quis autem vel ignorantiſſimus neſciat, amorem in propria cauſa iudicem fuiſſe ſuſpectum, à quo æqua non ſit ſpetanda ſententia? Legibus humanis ſtatutum, inquit Bernardus, & in cauſis tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus ſeruatum ſcio, ſpeciales amicos cauſantium non debere admitti ad iudicium, ne vel fallant, vel fallantur amore ſuorum. Quòd ſi culpam amici, tuo iudicio, amor illius aut minuit, aut penitus D abſcondit, quanto magis amor tui tuum contra te iudicium fallit?] Hæc ille. Cuius ratio ſi attentiùs inſpiciatur, adeò euidens eſt, vt fruſtra in alijs quærendis laboremus. Certum eſt enim, amorem, quo maior eſt, eo magis cæcum eſſe, magiſque à recto veritatis tramite deuiare. At amor amicorum & propinquorum iudicia peruertit, vt in illorum cauſis palam erremus, & falſum pro vero, ac pro bono malum amplectamur. Quid ergo amor noſtri ipſorum faciet, qui longè maior eſt, niſi proprium iudicium obſcurare, & nos ſub veritatis prætextu decipere? Iudicium igitur proprium, cæco noſtri amore veſtitum & ab illo gubernatum, ſemper ſuſpectum habendum eſt, & maior lucro tribuendum cum ſapientibus erra- E re, quàm cum noſtro ſenſu verum attingere. Nam ſi cum ſapientibus errauerimus, aliquam apud Dominum excuſationem habebimus, quòd illos ſequuti ſumus, qui lucem ſcientiæ præferebant: ſi autem noſter nos ſenſus noſtrúmque iudicium fallat, nulla nos excuſatio, quaſi ex malitia peccantes, à flagello eius indignationis eripiet.

Prou. 14. 2.

Caſſia. coll. 16. c. 11.

Philipp. 2.

Climac. grad. 3.

Bern. lib. de gradibus humilit.

Hæc in deteſtationem proprij iudicij ſufficiant: nunc in quibus ſit abnegandum videamus. Negare proprium iudicium oportet in his, quæ pertinent ad doctrinam & inquiſitionem veritatis: ita ſcilicet, vt nulla ratione ligati, veram eam opinionem putemus,

quam

quam eſſe falſam omnes ſapientes, aut illam impu-
gnando aut oppoſitam amplectendo, putarunt. Cùm
enim appetitus ſciendi magnus ſit in homine, adeò
Ariſt. 1. Metaph. c. 1. vt à Philoſopho ſcriptū ſit, Quòd omnis homo ſua-
pte natura appetat ſcire; fit vt faciliùs erga cognitio-
nem veritatis, quàm erga res agendas affectu paſſio-
nis capiatur. Et ſicut mater amore cæca plus in pro-
prio filio, quàm in filiis aliarum complacet ſibi; cùm-
que, cùm deformis ſit, omnibus aliis infantibus ve-
nuſtiorem exiſtimat: ita quilibet opinionem à ſe con-
ceptam teneriùs amat, & cùm nec latum vnguem à
delirio diſtet, quaſi veriorem & efficacioribus ratio-
nibus fulcitam, aliorum ſapientiorum opinionibus
præfert. Hinc tot nouitates, tot ſententiæ nunquam
auditæ in ſcholas inuectæ, quas ſi euidens ratio veras
B eſſe conuinceret, taceremus quidem; at ſi (vt tu ipſe
fateris) rationibus ſolùm probabilibus nituntur, qua-
re plus tuæ probabilitati credis, quàm auctoritati
omnium ſapientium? quos nixus leui fundamento
contemnis. Hoc tuum fundamentum clariſſima priſ-
corum ingenia viderunt, & illi ſatisfecerunt, aut tan-
quam puerile aſpernati ſunt, quibus non deberes
tuum iudicium præferre, niſi fortè exiſtimes Domi-
num in apertione huius veritatis illos omnes præter-
iiſſe, & tibi ſoli in angulo mundi poſito reuelaſſe.
Conuerte obſecro lumina ad elapſos vitæ tuæ an-
nos: vide quoties alicui opinioni firmiter adhæſiſti,
& poſtea ſucceſſu temporis nouiſti te fuiſſe decep-
tum, & non ſine magno pudore ſententiam corde,
verbo, & ſcripto mutaſti. Idem nunc es, qui antea
C eras, idem ingenium habes, licèt fortè magis excul-
tum, & ob id magis proprio amore cæcum, & magis
in ſuperbiam elatum, & ob id non debes aduersùs
ſententias omnium illi fidere. Multa falſa ſunt prima
ſpecie probabiliora veris; & multa vera, quæ diffici-
liùs quàm falſa defenduntur, quia ab intellectu re-
bus ſenſibilibus cognoſcendis aſſueto minimè pene-
trantur: quare nec illa ob rationem (vt videtur) inſo-
lubilem admittenda ſunt, nec iſta ob difficultatem
repudianda. His iudicium in diſquiſitione veritatis
cohibendum eſt, ne in noua & nunquam audita de-
clinet. At cùm opiniones ſunt variæ, doctorum præ-
ſertim eiuſdem notæ, non eſt vitium proprij iudicij,
his magis quàm illis adhærere, ſi rationum momen-
ta, veritatem ſtare pro altera parte, efficaciùs expreſ-
D ſerint. Neque enim iurauimus in verba alicuius, ſed
in verba veritatis, quare licet & decet ſine irreueren-
tia aliorum doctorum, eam ex ore docentis acci-
pere.

Negandum eſt etiam iudicium in rebus à tota
congregatione probatis, & ſumma omnium, qui be-
ne ſentiunt, conſenſione ſuſceptis, quibus quemque
ſuum particulare iudicium præferre tanta eſt impu-
dentia, tanta ſuperbia, vt vix poſſit ſermonibus expli-
cari. Huius audaciam pulcherrimè detegit Bernar-
Ber. ſer. 3. de reſurrect. dus hunc in modum: Lepra proprij conſilij eo per-
nicioſior eſt, quo magis occulta; & quo magis abun-
dat, tanto quiſque ſibi ſanior eſſe videtur. Hæc illo-
rum eſt, qui zelum Dei habent ſed non ſecundùm
E ſcientiam, ſequentes errorem ſuum & obſtinati in
eo, ita vt nullis velint conſiliis acquieſcere. Hi ſunt
vnitatis diuiſores, inimici pacis, charitatis expertes,
vanitate tumentes, placentes ſibi, & magni in oculis
ſuis, ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes con-
ſtituere. Et quæ maior ſuperbia, quàm vt vnus homo
toti congregationi iudicium ſuum præferat, tan-
quam ipſe ſolus habeat ſpiritum Dei? Idololatriæ
ſcelus eſt, non acquieſcere, & quaſi peccatum ario-
landi, repugnare. Eant nunc, qui ſe faciunt religio-
ſiores aliis, qui non ſunt ſicut cæteri hominum, ec-

A ce arioli & idololatræ facti ſunt: ſi tamen vel ei, qui
dixit hoc, pluſquàm ſibi iudicant eſſe credendum.
Neque huic diſſonat veritatis ſermo, quem dixit:
Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & *Matth. 18. 17.*
Publicanus.] Huc vſque Bernardus. Iſtud autem
immane vitium ex tribus ſolet radicibus exoriri: Ex
ignorantia nempe, qua quis patrum inſtituta non in-
telligit: ex tepiditate, qua illa duriſſima & minùs
captui humano accommodata coniectat: & ex ſu-
perbia, qua ſe aliis iudicio præferre indignum aut im-
moderatum non putat. His radicibus ſecuris abnega-
tionis applicanda eſt, vt mala proprij iudicij arbor
areſcat. Nam ſi ignorantia te decipit, ô frater, quære
ſapientiorem, qui te maiorum leges doceat, præcep-
tionùmque rationes exponat, quas quia non pru-
B dentia carnalis, ſed cœleſtis ſapientia dictauit, non
debes rationibus humanis examinare, ſed ſpiritus
trutina ac lance diſcutere. Si autem tepiditas te fal-
lit, vide quia, quæ impoſſibilia ſunt apud homi- *Luca 18. 27.*
nes, poſſibilia ſunt apud Deum.] Et hæc eadem præ-
ceſſores tui, Dei ſpiritum habentes, non tantùm ſan-
cta & perfecta cenſuerunt, verùm vt facilia & dele-
ctabilia ſeruarunt. Te autem onerant, quia ſpiri-
tu feruoris ſepoſito, acediæ & ſocordiæ tentatione
turbaris. Si denique ſuperbia te inflat, ſcito hanc eſ-
ſe peſtem, quæ infecit hæreticos, & ab Eccleſia ſe-
parauit, & in tam miſeram calamitatem abire coe-
git. Time igitur, ne dum hodie contrarium vnius
ſtatuti, & cras oppoſitum alterius legis ſentire facit,
paulatim à vero ſenſu tui inſtituti abſtrahat, &
C tandem, ſi non à fide, at à Sanctorum congregatione
diuellat.

Pars etiam huius abnegationis eſt, ſi non tantùm
Patrum ſcita per contrarium iudicium reiiciamus
nunquam, verùm illa apud nos ipſos nec ad examen
vocemus. Paris enim irreuerentiæ eſt, ſi ſubditus le-
gem à principe latam examinet, an iuſtum iubeat, &
ſi religioſus inſtituta ſanctiſſimorum Patrum inſpi-
ciat, & verſet, an æquum opportunúmque præci-
piant: Si non credideritis, inquit Iſaias, non permane-
bitis.] Quia nimirum quæ à patribus accepimus, ſim-
pliciter credenda ſunt, non curioſè inueſtigan da, ſi *Iſaia 7. 9.*
volumus quieti in noſtra vocatione perſtare. Et via
ad illa intelligenda non eſt ſuperba & audax ipſo-
rum diſquiſitio, ſed modeſta ac reuerentiæ plena cre-
D dulitas. Qua ſi ea patrum inſtituta ſimpliciter acce-
perimus, & opere compleuerimus, quàm apta, quàm
ſancta, quàm perfecta ſint, per experimentum co-
gnoſcemus. De qua re hæc optima & notatu di-
gniſſima legimus apud Caſſianum: Neque vos *Caſſian. coll. 18. c. 3.*
moueat, aut ab imitatione diuertat, ac retrahat, etiā-
ſi vobis ad præſens alicuius rei vel facti ratio vel cau-
ſa non liqueat; quia eos, qui bene de cunctis ac ſim-
pliciter ſentiunt, & vniuerſa, quæ à ſenioribus tradi
gerive perſpexerint, fideliter imitari magis quàm
diſcutere ſtudent, per operis experientiam rerum
etiam omnium ſcientia ſubſequetur. Cæterùm nun-
quam rationem veritatis intrabit, quiſquis à diſcuſ-
E ſione cœperit erudiri: quia videns eum inimicus, ſuo
potiùs quàm patrum iudicio confidentem, facilè in
id vſque propellit, vt etiam illa, quæ maximè vtilia
ac ſaluberrima ſunt, ſuperflua ei videantur & no-
xia. Atque ita præſumptioni eius callidus hoſtis il-
ludit, vt irrationabilibus definitionibus ſuis pertina-
citer inhærendo, hoc ſolummodo ſibi ſanctum per-
ſuadeat, quod rectum atque iuſtiſſimum ſuæ tan-
tùm obſtinationis errore cenſuerit.] Hæc ille. Et
ſanè quod in omnibus ſcientiis & artibus iuſtè à no-
bis exigitur, vt aliqua ſine vlla hæſitatione creda-
mus, ex quibus acceptis ad alia minora, quæ ex

iiſis

illis ſequuntur, diſquiſitione procedimus, non mirum ſi in ſcientio ſpiritus exigatur. Hæc autem in iſta ſaluberrima ſcientia tanquam principia ſunt, quæ primi patres ad eam edocendam vocati ſanxerunt. Horum ergo ſanctiones diſcutere, non minùs ſtultum eſt, quàm ſi quis principia alicuius ſcientiæ velit ad examen adducere. Ac proinde iudicium noſtrum eſt maioribus ſubmittendum, ita vt eorum inſtituta ſimpliciter accipientes, in ea inquirere vereamur.

Iudicium quoque proprium magna abnegatione eget in rebus particularibus, quæ ad noſtras animas pertinent, & ad viam ſpiritus ambulandam, in quibus proprio iudicio regi, & magiſtri ſpiritualis documenta prætetire, irreparabilia damna ſolet inducere. Vtinam non ſæpiſſime vidiſſemus multos altiora ſe, contra ſuperioris mandatum, præſumentes, aut minoribus, quàm robuſtæ vires ferunt, aduersùm idem mandatum ſtudentes, æquale damnum incurriſſe; quia aut parũ aut nihil proficiunt, dum ſe regi & gubernari non ſinunt. Sed vidimus, & plorauimus, quod in nobis ipſis iam ſine vllo remedio ſumus experti. Diabolus enim, qui noſtris ſemper inſidiatur profectibus, & vt eis damnum afferat, transfigurat ſe in Angelum lucis, *(2. Cor. 11.)* feruidos ad magnas corporis aſperitates, ad immoderatos labores, ad onera importabilia: tepidos verò ad omne aſperum declinandum & omne onus abiiciendum impellit. Qui ſi ſpirituali magiſtro credidiſſent, & illi indiſcretionem, iſti verò ſocordiam depoſuiſſent, multa damna ſpiritualis profectus euitaſſent. Dominus noſter Ieſus Chriſtus leproſos, iam à lepra mundatos, mittebat ad ſacerdotes, & dicebat: Ite, oſtendite vos ſacerdotibus,] *(Luca 17. 14.)* vt illi ſcilicet expenderent an vera an apparens eſſet ſalus illis reſtituta. Quo oſtendit non mala ſolùm, ſed & bona, non proprio ſed maiorum iudicio eſſe examinanda, ſi in omnibus tuti eſſe volumus. Nam qui proprio iudicio regitur, ſimilis eſt ſecundùm Anſelmum, *(Anſel. li. de ſimil. c. 142.)* ei, qui proprio caret cultro, & meritò eſurit, ſi alieno incidere nolit. Cultrum enim tuum, ô frater, id eſt, iudicium tuum ſatis obtuſum habes, licèt tibi acutum & aptum ad ſecandum eſſe videatur. Illo nihil vtiliter incides; quòd ſi alieno iudicio ad tua diſcernenda non vtaris, profectus ſpiritualis fame peribis. Meritò Paulus illos laudat, *(2. Corin. 8. 5.)* qui ſemetipſos dederunt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei. Quia videlicet gratiſſimum Deo ſacrificium eſt, vt qui ſe illi per ſtudium vitæ ſpiritualis tradunt, præpoſitis etiam ab ipſo deſignatis ſe per obedientiam tradant. Qualis autem erit obedientia illius, qui in rebus minimis, ſcilicet in exterioribus obediens, in maioribus ſpiritualibúſque non paret: qui præcipuum ſui, nempe ſtudioſa opera vitæ ſuæ, non ex ſuperioris arbitrio, ſed ex proprio iudicio diſponit? Sanè qui patri ſpirituali, inquit Climacus, *(Climac. grad. 4. de obed.)* tunc quidem obedit, nunc verò inobediens eſt, is ei comparandus eſt, qui oculis ſuis modò collyrium modò calcem imponit.] Prorſus ita eſt: Nam collyrium imponit, quo oculos ſuos ſanet, qui alterius ſententiam ſequitur, & ſtatim calcem adhibet, qui oculos depaſcat, cùm proprio iudicio gubernatur. Sciamus ergo iudicium proprium in rebus noſtris maximè debere nobis eſſe ſuſpectum, abnegationéque eſſe cohibendum, ne in magnos errores incidamus.

Nec tantùm ad hoc genus obedientiæ noſtræ abnegatio procedat, ſed etiam negemus iudicium in rebus agendis, vt non tam ex proprio ſenſu quàm ex aliorum ſententia illas peragamus. Tuta enim, & ſuauis via eſſe ſolet, quam omnes ingrediuntur; periculoſa verò & triſtis, quam ſibi ipſi vnus ſolus inuenit. Qui profectò aut errabit, aut alia incommoda non effugiet, aut vix poterit non de ſingularitate notari. Res itaque, præcipuè graues, ex aliorum conſilio diſponendæ ſunt: Salus enim vbi multa conſilia.] *(Prou. 11. 14.)* Minores verò, ſi nullum appareat inconueniens, an ſic vel ſic fiant, ſine difficultate ex aliorum ſententia potiùs quàm ex noſtra faciendæ, vt in his minoribus ad negandum iudicium noſtrum paulatim aſſueſcamus. Id autem maximè eſſe ad pacem congregationis neceſſarium, docet optimè Hugo Victorinus, ſic ſcribens: *(Hugo. in regul. Aug. c. 2.)* Hoc eſt, quod maximè adducit concordiam, ſi quiſque non ſuam, ſed alterius voluntatem facere ſtudeat in bono. Et hoc eſt magnæ humilitatis indicium. Inde generatur obedientia, creſcit charitas, & pax, atque iuſtitia, & Eccleſiæ virtutes. Quòd ſi volo facere voluntatem meam & iſte ſuam; fiunt diuiſiones, oriuntur lites, iræ quoque & rixę, quę ſunt opera carnis. Et ſicut ait Apoſtolus: *(Galat. 5. 21.)* Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.] Sunt quidam in congregatione obſtinati in ſuo ſenſu, ſapientes in oculis ſuis; nam quod in animo conceperint, hoc quaſi ex ratione defendunt, nec ſe aliis, ſed alios ſibi applicari contendunt. Et ſi viderint non ſibi obtemperari, ſtatim commouentur & perturbantur. Tales ſolent eſſe rebelles mandatis ſeniorum, plurimúmque in eis regnat paſſio inobedientiæ & impatientiæ. Iſti non ſunt idonei ad concordiam.] Hæc ille. Bene deſcripti ſunt, qui in negotiis & rebus agendis ſuo proprio iudicio fidunt. Qui ſi in vno punctum attingunt, in innumerabilibus errant: quoniam congregationis ſenſui ex diametro ſe opponunt: illa verò ſolet è contrario in multis generaliter punctum attingere, & in paucis errare. In vno quidem voluntatem Dei implent, in hoc ſcilicet quòd malam vitam abiecerunt, & ſe per propoſitum ſpiritualis vitæ Domino conſecrarunt, at in multis aliis ab ea diſcordant, nempe in his, in quibus nolunt ſapientioribus conſentire. Qui ſi dicant cum Saule: Impleui verbum Domini:] *(1. Reg. 15. 14.)* Dicetur eis: Et quæ eſt hæc vox gregũ, quæ reſonat in auribus meis, & armẽtorum, quá ego audio?] Nam multa habent apud ſe clamantia & dicentia, quia in multis non Dei voluntatem, ſed propriam ac proprium ſenſum exequuntur. Licèt autem in omnibus, vbi nullum peccatum eſt, nec notabile incommodum ſperatur, ſaluberrimum ſit aliorum iudicium ſequi; at in rebus à Prælato iuſſis, inſignis contumacia eſt, nolle proprium iudicium illis ſubmittere. Quam Samuel in eodem libro Regum euidenter expreſſit: Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare: & quaſi ſcęlus idololatrię nolle acquieſcere.] *(1. Reg. 15. 23.)* Quo loco non tam externam inobedientiam, quàm iudicij proteruiam eſſe damnatam, Bernardus teſtatus eſt, cuius hæc ſunt verba: *(Bern. lib. de præcepto & diſpenſat.)* Non ait, non acquieſcere, ſed nolle acquieſcere; vt non iuſſionis ſimplex ipſa tranſgreſſio, ſed voluntatis ſuperba contemptio ſcelus idololatriæ reputetur. Non eſt enim id ipſum, nolle obedire, & non obedire. Hoc quippe interdum erroris eſt, nonnunquam & infirmitatis: illud verò aut odioſæ pertinaciæ aut contumaciæ non ferendæ.] Sic ille. Sed de hoc aliàs.

Vſus Mortificationis proprij iudicij.

His ergo exceſſibus iudicij proprij, malagma abnegationis adhibebis, ne te, ſicut Heronem à Caſſiano memoratum, in barathrum deſperationis aut errorum deiiciat.

I. Nullam doctrinam veram putabis, aut intel-

lectu complecteris, quam non ſapientes catholici & filij Eccleſiæ fideles aliquando docuerint.

II. Inſtitutiones à tota congregatione probatas magna veneratione ſuſcipies, & quos eas refutare videris, vt monſtra & animæ peſtes abominaberis.

III. Maiorum decreta nunquam in examen adduces, ſed illa, vt à maioribus tradita ſunt, ſimpliciter intelliges, & vt congrua & vſui accommodata, tum opere tum ſenſu retinebis.

IV. In rebus ad tuam vitam & mores pertinentibus, nunquam teipſum reges, ſed aliorum iudicio gubernaberis.

V. Res externas alicuius momenti, nunquam ſine conſilio præueniente diſpones.

VI. Ea quæ minoris momenti ſunt, ſi nullum B ſequatur incommodum, potiùs ex aliorum iudicio, quàm ex propria ſententia, executioni mandabis.

Scitóque abnegationem proprij iudicij, Deo noſtro omnium eſſe gratiſſimam; quoniam aliis, beſtias, id eſt, ſenſus & affectus noſtros offerimus; hac verò præcipuam noſtri partem & qua homines ſumus, id eſt, mentem, mactamus.

De Mortificatione Paſsionum appetitus concupiſcentis & iraſcentis.

CAPVT XI.

OMNIS turba virium animæ, triplici ordine continetur: quorum alter eſt ſupremus, memoriam, intelligentiam, voluntatémque complectens: alter infimus ſenſus, omnes externos, & membra corporis apta ad loquelam, & motum continens: tertius medius, appetitum & ſenſus interiores comprehendens. Hactenus partem ſupremam & infimam mortificatione compoſuimus; nunc verò (ne nihil proteruum relinquatur) mediam noſtri partem inſtituamus. Ab appetitu autem inchoandum videtur, quoniam facilius quàm vaga cogitatio componitur. Is duplex eſt, alter concupiſcens, quo tendimus in bonum, vel malum, proſequutione, vel fuga, quatenus abſolutè bonum, vel malum eſt: alter iraſcens, quo tendimus in bonum, vel malum, vt difficile ad obtinendum, vel difficile ad propulſandum. Duplex hic appetitus, ſedes eſt paſſionum animæ, quæ ſic appellatæ ſunt; quoniam non ſine aliqua immutatione corporis, huiuſmodi affectus eliciuntur, qua corpus aliquid patitur, & pro ratione affectus dominantis aut contrahitur, aut dilatatur. In appetitu concupiſcente ſex paſſiones collocantur, tres circa bonum, tres circa malum. Nam ſi appetitus hic inclinetur in bonum, quatenus ſibi conueniens, reſultat amor: ſi in bonum, vt abſens eſt, & poſſibile poſſideri, reſultat deſiderium: ſi in bonum, vt præſens & obtentum eſt, reſultat delectatio, qua appetitus in illo bono conquieſcit. Si verò per ſenſum interiorem proponatur illi malum, vt ſibi incommodum, inſurgit odium: ſi malum, vt abſens ac futurum, inſurgit fuga: ſi malum, vt præſens, inſurgit triſtitia. In appetitu iraſcente quinque paſſiones reſident; tres circa bonum, duæ circa malum. Nam ſi bonum arduum ac difficile apprehendatur vt poſſibile, ſurgit ſpes obtinendi & audacia media applicandi: ſi apprehendatur vt impoſſibile, ſurgit deſperatio: ſi verò malum arduum apprehendatur, vt futurum, elicitur timor, at ſi præſens conſideretur, accenditur ira, qua de eo, qui malum intulit, vltionem ſumamus. Sunt igitur affectus, ſiue A paſſiones appetitus vndecim: amor, & odium; deſiderium, & fuga; delectatio, & triſtitia: ſpes, audacia, & deſperatio, timor, & ira.

Hæ omnes paſſiones mortificationis ſpiritu frænandæ ſunt, ſi aliquem progreſſum in virtute ſumus facturi. Illæ enim ſunt inſtar nebulæ, quæ lumen rationis obſcurant. Sunt quaſi ſtercora, quæ cor noſtrum, nempe lectum Chriſti, turpant, & Spiritum ſanctum, in nobis habitantem, contriſtant. Sunt compedes, & catenæ animam in terra detinentes, vt aſſurgere ad ſpiritualia & cœleſtia non poſſit. Nam animalis homo [inquit Paulus, ille ſcilicet, qui more 1. Cor. 2. 14. pecudis ſuis affectibus regitur,] non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei.] His quidem affectibus minimè per mortificationem cohibitis, ſimiles beſtiis efficimur, quas ad commoda proſequenda & incommoda fugienda, non ratio, non virtus, ſed appetitus impellit. Nec ideo eſt à ſolicita mortificationis cura ceſſandum, quòd iam ſopitæ & compreſſæ videantur, quia niſi in ſeruitutem redigantur, cùm minùs cogitemus, nos facient vilitatum terrenarum amatores. Nota eſt nobis aſtutorum Gabaonitarum hiſtoria: Hi enim ſe Ioſue 9. 5. de terra longinqua venire mentientes, & laſſitudinem ſimulantes, Iſraelitas deceperunt, & ſe ſi non à ſeruitute, at à morte liberarunt. Hic eſt aſtus noſtrorum affectuum, qui laſſos & defectos ſe ſimulant, vt libertatem extorqueant, & nos ſub commiſerationis ſpecie decipiant. Prudens autem Ioſue, id eſt, iuſtus, licèt eos non interficiat (neq; enim poteſt) at non placatur donec illos per mortificationem rationi & virtuti ſubiiciat. Non aliud de affectibus quàm de C immanibus feris cogitandum eſt. Quæ ſi in ſolitudine poſitæ, aut in cauea compeditæ nemini officiunt, non eſt quia cornibus, & dentibus, & vnguibus, & feritate careant, ſed quia nullus adeſt, in quem ſua crudelitate deſæuiant. Ita prorſus affectus ſæpe non nocent, quia aſſidua abnegatione & funibus gratiæ ligantur, & in quadam occaſionum ſolitudine vincti tenentur. Sed prodat ſe occaſio ligitandi, & ſuauis catena gratiæ ac noſtræ cooperationis abſcedat, & videbis, quàm grauiter fera amoris, aut iræ, aut triſtitiæ te vulneret. Si ergo monſtroſum eſſet, & prodigio ſimile, quòd homo equo factus ſimilis pedibus & manibus ad terram pronus graderetur, beſtia verò illi inſideret, & fræno & habenis regeret, & calcaribus ad ambulandum inſtimularet; non minùs prodigioſum eſt, quòd fera paſſionis rationem poſt ſe trahat, & D quaſi illi inſidens, quocunque appeti erit ſuus furor, impellat. Profectò quotieſcumque paſſioni ſeruimus, ordinem naturæ peruertimus, prodigioſam vitam ducimus, & riſui ſapientium hominum, ac ludibrio Angelorum nos exponimus. Qualis enim eſt in Aug. oculis hominum, [inquit Auguſtinus, qui inuerſis pedibus ambulare videtur, talis eſt in oculis Angelorum, cui propria caro dominatur.] Si ergo qui inuerſis pedibus ambulat, apud homines riſum mouet; cur non infamis ſit apud Angelos, qui pedibus, id eſt, affectibus, rationem ſupponit?

His etiam affectibus ſæpiſſime vulneramur, & plagis delictorum impoſitis vix ſemiuiui relinquimur. Nonne amor vulnerat mentem, ſi ad vilia diligenda trahat? Nonne odium, ſi fratrem è corde propel- E lat? Nonne triſtitia, ſi feruorem ſpiritus contrahat? Nonne ira, ſi rationem obſcurans vltionis deſiderium accendat? Hæc & ſimilia vulnera vitamus, cùm affectus & concupiſcentias cohibemus. Vnde pulchre Dorotheus: Subiiciam, inquit, vobis ſimilitudinem, cuius potiſſimùm ſimilis ſit, Doroth. doct. 10. in fine. qui paſſionem exercet & vlciſcitur. Homini puto ſimilem ſagittâ ab hoſte percuſſo: qui ſagittam

A ſuis manibus arripiens, cordi proprio infigit. Qui verò paſſionem comprimit, ſimilis eſt percuſſo quidem ſagittâ ab hoſte, ſed nuſquam vulnerato ob thoracem, quem indutus eſt. Qui autem eradicat, & euellit paſſionem, ſimilis eſt percuſſo quidem, ſed ſagittas arreptas manibus confringenti, aut illas in hoſtis cor detorquenti; vt canitur in pſalmo: *Pſal. 36. 15.* Gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur.] Sic ille. Affectus itaque, ſi comprimantur, non obſunt; at ſi non cohibeantur, gladij & ſagittæ ſunt, quæ miſeram mentem transfigunt. Nam & ideo peccatores in ſacris ſcripturis vulnerati appellantur. Et Iob ait: *Iob 24. 12.* Anima vulneratorum clamabit, & Deus inultum abire non patitur.] Sanctus verò Dauid: *Pſal. 87. 6.* Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor ampliùs, & ipſi de manu tua repulſi ſunt.] B Et Salomon de meretrice ait: *Prou. 7. 26.* quia multos vulneratos deiecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea.] Iſtos omnes aduerſarij ipſorum, nempe dæmones & peccata vulnerarunt, ſed non aliis telis, quàm propriis eorum affectibus, vulnera ac plagas intulerunt. Mentes hominum, horum affectuum mucro confodit, & ex apertis vulneribus omnis iniquitatis ſanguinem elicit. Hoc ſanguine infecti ac fœdati ſunt, quem lacrymis & contritione cordis debent extergere, ſi cupiunt ad mundiciam pertranſire. Quòd ſi vulnera dolor comitatur, non carent illi graui dolore, quos paſſionum tela transfigunt. Immò affectus immoderatus inuolutus eſt graui dolore, quem terrena amantes aut cupientes, & quæ fugienda non eſſent, fugientes & auerſantes, C ſentiunt. Soli iſti ſunt, qui nunquam tranquillitatem obtinent, qui querimoniis & clamoribus aures ſuorum fratrum replent, quibus dolorem ab immoderata paſſione factum manifeſtè teſtantur. Oſtendítque id Ioannes, dicens in Apocalypſi: *Apoc. 14. 11.* Nec habent requiem die, ac nocte, qui adorauerunt beſtiam & imaginem eius.] Adorant beſtiam, qui ſuæ carni deſeruiunt: venerantur verò eius imaginem, qui eius cupiditatibus obſequuntur. Et hi in quadam inquietudine perpetua verſantur, quoniam dolor à propriis affectibus excitatus, non ſinit eos in aliquo loco quietè conſiſtere. Ad hoc *Aug. 1. cõf. c. 12.* etiam facit dictum Auguſtini: Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus: nam paſſionum inordinatio non poteſt non dolorem acrem & pœnam infligere.

D Omnis ergo noſtra fortitudo in hoc ponenda eſt, vt paſſiones noſtras vincamus, neque earum ictibus vulneremur. Neque enim fortis putandus eſt, qui corporis viribus pollet; nam ſic leones, & pantheræ, & elephantes (quos quia ratio non decorat, nec virtus fortitudinis afficit,) eſſent hominibus fortiores, ſed qui mentis virtute præeminent. Neque actionem fortitudinis præſtat, qui ſibi malum afferentem proterit, ſed qui malum illatum patienter æquanimitérque ſuſtentat. Vnde Ambroſius: *Ambr. 1. offic. c. 36.* Et re vera, inquit, ea iure fortitudo vocatur, quando vnuſquiſque ſeipſum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, E non aduerſis perturbatur, non extollitur ſecundis, & quaſi vento quodam variarum rerum, circumfertur mutatione. Quid autem excelſius & magnificentius, quàm exercere mentem, afficere carnem, & in ſeruitutem redigere, vt obediat imperio, conſiliis obtemperet, & in adeundis laboribus impigre exequatur propoſitum animi ac voluntatem?] Hæc ille. Iſta pulcherrima fortitudo nos iuuat, quæ Ioſeph Patriarcham ornauit, cùm fugiendo heram, vulnus turpitudinis depulit. Hæc

A nos protegat, quæ Dauidem regem glorioſiſſimum fecit, qui non tantam gloriã hoſtium victoris, quàm Saulis, quem occidere potuit, dimiſſione conquiſiuit. Hæc nos tueatur, quæ Iobum hominibus admirabilem præſtitit, qui in tantis miſeriis tolerantiam habens, & tot calamitates patienter ſuſtinens, dignus qui à Deo ipſo laudaretur, apparuit. Hac autem circumamicti non aduersùs alios hoſtes, quàm aduersùs affectus noſtros, depugnemus, quibus victis, reliquos, qui nos infeſtant, proculcamus. Horum victoria beatitudo eſt, ſicut ab illis vinci, extrema miſeria. Egregiè enim Beatus Ephræm ait: *Ephræm. ſer. ad patres, in vnaquaque perſeuerantes.* Ille verè diuinus eſt Philoſophus, qui omni tempore prauis ſuis concupiſcentiis reſiſtit. Nam qui in ſolo nomine ſapientiæ ſibi blanditur, & gloriatur, propriáſque ſibi concupiſcentias non ſubiicit, inſipiés hic prorſus, ac ſtul- B tus reputabitur, quòd de tam modicis paſſionibus ipſe inquietari, atque torqueri velit.] Hæc ille. Si autem veram philoſophiam, ſiue veram ſapientiam ex veri cognitione, & boni actione compoſitam, vera beatitudo ſubſequitur, quid niſi æternæ fœlicitatis præmium ſperabit, qui vt rectum agat, ſuis affectibus per abnegationem modum imponit? E contrà verò, qui paſſionibus ſui euidis ſubiicitur, non præmium ſed pœnam prophanorum ſperet, quibus vita & conuerſatione conſentit. Vt enim Gregorius latè & pulchrè proſequitur, *Greg. 29. mor. c. 6.* vnuſquiſque illius membrum eſt, cuius actiones imitatur. Et inuidus atque ſuperbus diaboli membrum eſſe conuincitur, qui [inuidiam diaboli, qua mors introiuit in orbem terrarũ,] & ſuper- *Sapien. 2. Iob 41.* C biã, qua [omne ſublime videt,] & rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ, vita & conuerſatione profitetur. Qui ergo cum mundanis paſſione regitur, & non ratione gubernatur, pars mundi eſt, & membrum huius ſæculi in maligno poſiti, licèt habitu aut ſtatu ad cœtum ſpiritualium virorum pertineat. Quare mundanorum mercedem, aut potiùs pœnam, quia immoderatis affectibus obſequutus eſt, ſine dubio ſuſcipiet.

Qui autem hanc prophanorum pœnam effugere, & Sanctorum præmia comparare deſiderat, ita aduersùs ſuas paſſiones pugnet, vt in impugnationis initio, & cùm primum aduersùs virtutem inſurgunt, eas omni conatu cohibeat. Facilius enim *Senec. epiſt. 86.* eſt, inquit Seneca, initia affectuum prohibere, quàm impetum regere. Facile ſanè eſt, paſſionem inci- D pientem ac de nouo inſurgentem vincere, difficile verò eandem paſſionem iam roboratam profligare. Quod non obſcurè Salomon indicauit, cùm dixit: *Prou. 29. 21.* Qui delicatè à pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem.] Quis ſeruus noſter? Nonne appetitus noſter? Et quis delicatè nutrit eum à pueritia? Nonne ille, qui cùm appetitum rebellantem aduertit, illius impuros motus refrænare contemnit? Sed is eum ſentiet contumacem, quia cùm poſtea voluerit illum cohibere, validè repugnantem & virtuti reſiſtentem inueniet. Magis autem hanc ſententiam confirmat tranſlatio Septuaginta, quæ ſic habet: *Prou. 29.* Qui deliciatur à puero, famulus erit: nouiſſimè autem dolebit ſuper E ſe.] Namque ſerò malorum pœnitet, inquit Beda, *Beda ib.* eandem verſionem afferens, qui ſe meminit noluiſſe in tenera ætate à ſuis voluptatibus ad regulam continere prudentium.] Paſſiones itaque cùm prima ſigna immoderationis oſtendunt, ſtatim mortificandæ ſunt, & paruula ſcintilla, cùm primùm prodierit, extinguenda, ne in magnum ignem excreſcens, omnia, quæ longo tempore ædificaueramus, deuaſtet. Catulus leonis in domum regiam adductus facilè domatur, at magnus leo nulla

Digitized by Google

vi ad manſuetudinem ex ſua feritate transfertur. Sic omnino affectus pullulans paruo negotio comprimitur,ſed poſtquam nimium excreuerit, difficillimè cohibetur. Virgultum etiam puer eradicabit, at proceram arborem nec vir robuſtus excindet.Idem prorſus euenit in paſſionum cauſa: de quo gratum erit Beatum Dorotheum diſputantem audire: Euellere,ait,poſſumus vitia & paſſiones noſtras, cùm teneræ ſunt,tanquam arbuſta,nec curamus. (Doroth. lib. 11.) Quin potiùs ſinimus illas obdureſcere,& creſcere in nobis,vt perfectam in nobis malitiam & poſtremam tandem faciant. Aliud eſt enim, euellere paruam herbam & teneram,quæ ſtatim extirpatur,& aliud,magnam arborem eradicare.Otioſus erat quandoque ſenex magnus cum diſcipulis ſuis in hortis, in quibus cupreſſi variæ, magnæ ſcilicet & paruæ, creuerant. Imperauit igitur vni ex fratribus ſenex cupreſſum euellere, quæ cùm parua eſſet & tenera, vna manu extirpata eſt. Poſtquam iuſſit aliam tamuſculam euelli, quæ non vna, ſed ambabus manibus tandem euulſa eſt, tertio, maiorem adhuc prioribus videns ſenex,& illam imperauit euelli, quæ non ſine magno labore extracta eſt.Quartam quoque, cæteris altiorem, extirpari iuſſit, quæ ſummo conatu, labore, & ſudore vix extrahi potuit. Quintam adiecit maximam, quam cùm ille conaretur euellere, nunquam valuit, ſed incaſſum circa eam laborabat, deſudabátque. Quod vt vidit ſenex, ſolum videlicet opus minimè perficere poſſe, iuſſit coadiutorem accedere, ſicque ambo illam tandem extraxêre. Tùnc ad omnes conuerſus ſenex ait: Huiuſcemodi ſunt paſſiones noſtræ,fratres: Cùm teneræ ſunt & paruæ,ſi volumus, facilè illas poſſumus à nobis extirpare. Quòd ſi eas neglexerimus,obdureſcent illico,quóque magis obduruerint,eo maiore vi & labore opus erit. His non minùs lepidè, quàm verè facilitatem vincendi paſſiones,cùm remiſſæ ſunt,& difficultatem eas iam roboratas ſuperandi depinxit. Quibus nihil addendum eſt, niſi quòd adoleſcentuli aduersùs paſſiones ſuas fortiter pugnent, & facilè eas comprimēt; viri autem & ſenes, qui in peccatis duruerunt, non deſperent, quia cum magno labore, & Sanctorum auxilio affectus ſuos, licèt admodum effrænatos, proſternent.

Vſus generalis Mortificationis paſſionum.

NVnc ſummatim audi, quæ paſſiones moderabuntur,& te illis ſuperiorem facient.

I. In rem aliquam illicitam ac vetitam, paſſionem ſiue proſequutione ſiue fuga ire non ſinas.

II. In ea bona,quæ ſuperfluè quæruntur,aut mala pœnæ leuia,quæ ſine neceſſitate vitantur,affectum moueri,quantum valueris,ne permittas.

III. Bona neceſſariò quærenda,& mala pœnæ neceſſariò propulſanda,moderatè & tranquillè quęrito, & ſine vlla perturbatione, quantum tibi à natura permiſſum fuerit & à gratia conceſſum, propulſato.

IV. Bonis præſentibus ſine nimia lætitia vtere, & malis prementibus patienter & ſine nimia triſtitia te ſubmitte.

Nouerîſque totam paſſionum mortificationem aut pręcipuam eius partem,in interna tranquillitate conſiſtere, qua clamores paſſionum ſedes, motus comprimas, & nec in opus externum, aut in immoderatam actionem internam erumpere ſinas.

A

Quibus mediis paſſiones appetitus concupiſcentis ſint cohibendæ.

CAPVT XII.

PRÆTER remedia generalia, quæ pro paſſionum mortificatione ſignantur,alia ſunt particularia, cuique affectui ſiue paſſioni congruentia, quæ nunc breuiter referemus: Paſſionibus autem contrariis conſequenter medicamenta applicanda ſunt,vt & earum natura & medicamentorum diuerſitas magis [illegible]ceat.

Immoderati amoris primum remedium eſt, ſenſus, B præcipuè oculos & cogitationem, auocare à re malè dilecta,ne bonitas aut pulchritudo in illa apparens,affectum amoris augeat,& peruerſum ignem in præcordiis ardentem magis accendat. Oculi enim & alij ſenſus videntur eſſe amoris pronubi, qui ſenſibilem perfectionem rei amatæ percipientes, eam ampliùs amandam eſſe ſuadent. Cogitatio verò eſt imago rei amatæ nō ab aliquo pictore liberè rem intuente,ſed ab appetitu paſſione illigato depicta, quæ eo vehementiùs ad amandum mouet, quo pulchriùs rem diligendam refert. Profectò de oculis habemus in libro Iudith,quòd videns eam Holofernes,captus (Iudith. 10. 17.) eſt in oculis ſuis. In Geneſi verò, quia videntes filij (Gen. 6.) Dei,id eſt iuſti à Setho progeniti,filias hominū,nempe filias à Caino generatas, non ſine indignatione Domini,acceperūt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant. C De cogitatione verò in Prouerbiis legimus: Cogitatio ſtulti peccatum eſt,] (Prou. 24. 9.) quia nimirum affectus peccati,& opus peccati ab ea ſumunt initium. Secundum remedium eſt,mala diſquirere,quę rem amatam vndique ſepiunt.Nulla enim creatura eſt,in qua non poſſint multa reperiri,quę eius aut decorem aut amabilitatem imminuant. 3. Incommoda examinanda ſunt,quæ ex immoderato amore procedunt: quot ſuſpiciones,quot inuidias,quot rixas,& ſimultates,quot inquietudines, & conſcientiæ torſiones generat peruerſus amor?Sed præcipuè Dei iram prouocat,& hominem peruerſè amantem à ſeipſo per veriſſimum odium alienat. Qui enim diligit iniquitatem,vt Dauid ait,odit animam ſuam.] (Pſal. 10. 6.) 4. Fugienda eſt res amata, D & quantum fieri poterit,nec ad conuictum nec ad loquelam admittenda, quia ineptam amicitiam ſicut conuerſatio ligat, ita ſeparatio obliuióque diſſoluit. 5. Occupanda eſt mens aliis in rebus,quæ curas ingerant,& memoriam rei amatæ dimoueant,omniſque deſidia vitanda. (Laertius lib. 6.) Nam & Diogenes,apud Laertium, aiebat,Amorem, otioſorū eſſe negotium, Et quidam alius: *Otia ſi tollas,perieris Cupidinis arcus.* 6. Ad ea, quæ verè amabilia ſunt,vt ad Deum,ad virtutem, ad æterna præmia conuertēdus eſt amor,vt bonus amor malum amorem pellat, & mens hominis, illo præſtantiſſimo amore ditata, viliſſimo amore rerum creatarum ſordere erubeſcat.

Odij remedia amoris remediis contraria ſunt. 1. Nam & exquirēda ſunt bona,quæ rem odio habi- E tam ornant, quorum cauſa amore digna cenſeatur. 2. Si ille,quem odio habemus,homo ſit, cogitandus eſt frater à Deo dilectus, ad æternam gloriam præordinatus, & quantum malum eſt, fratrem auerſari, & eum, quem Deus diligit, & omnes Sancti & Angeli expectant,à noſtro amore repellere. 3. Cogendus eſt animus,vt bona de illo loquatur,vt verbis laudet coram aliis, & reuerentiæ ſignis honoret. Hæc enim cor odientis leniunt,& inimicū quodammodo amore dignum oſtendunt. 4. Non eſt ille à benigno colloquio repellendus,in quo non de his,quę odium

luſcitent,ſed de aliis rebus agatur,quæ mutuam amicitiam concilient. 5. Illo duplici medicamine vtendum eſt, quod magnus medicus animarum Chriſtus edocuit. Qui cum dixiſſet: [*Matt. 5. 44.*] Diligite inimicos veſtros, ſtatim ſubiecit: Benefacite his, qui oderunt vos.] Et poſtea: Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.] Impellat ergo ſe homo bona vel cum tædio inimicis præſtare, & pro illis pias orationes fundere; quia hæc paulatim cor immutabunt, tædium & repugnantiam vincent, atque ingerent oppoſitum amoris affectum.

Deſiderij remedia eadem ſunt, quæ malo amori medentur. Addenda præterea ſunt alia. 1. Conſiderandum eſt, rem concupitam nos ſatiare non poſſe, immò poſtquam adepti fuerimus, mentem, non minùs quàm antea, vacuam & inquietam relinquere. Quid autem inutilius aut inſipientius, quàm ea,quæ non ſatiant concupiſcere, eorúmque deſiderio torqueri? 2. Quod antea deſideraui, ſi ſum adeptus,è veſtigio contempſi, illud moleſtiam ingerens,& mille laboribus onerans,ſum expertus,& poſt modicum tempus deſideraui illud omittere, & ad alia appetitu & actione tranſire. Eadem autem erit ratio eius, quod nunc cupio, quia par eſt huius rei & alterius egeſtas. Melius eſt ergo rem vilem non deſiderare,& quam poſt paucos dies aſpernaturus ſum, à principio contemnere. 3. Rem, quam deſideras, vt commoditatem aut honorem abeuntem & diſcedentem conſidera, iuxta conſilium Ariſtotelis, quem Valerius retulit:Et Paulus quaſi digito demonſtrauit, dicens: [*Valer. Max. li. 7. c. 7.*] Præterit enim figura huius mundi.] [*1.Cor. 7. 31.*] Quæ autem abeuntia conſiderantur, nec deſiderio tenentur,eo ipſo,niſi cæci ſumus,contemnuntur. Deſiderium namque propter poſſeſſionem eſt; vt quid autem deſidero, quod quia ſemper fugit, & tranſit, atque diſcedit, aut nunquam aut vix ad momentum poſſideo? 4. Quod concupiſco, aut conſequi non poſſum, quia potentiores idem cupiunt, & rem à me deſideratam præripiunt, vt eueniebat illi languido, [*Ioan. 5. 5.*] qui hominem non habens, per triginta & octo annos nunquam potuit, ad comparandam ſalutem, in piſcinam tempeſtiuè deſcendere:aut poſſum quidem, & tandem conſequar, ſed poſt adeptionem non melior quàm priùs, immò potiùs peior exiſtam. Si rem concupitam non poſſum aſſequi, deſiderium admittere nihil aliud eſt, quàm tortorem, qui me infeſtet, accerſere. Si autem poſſum, id deſidero, quod adueniens dolorem & pœnitentiam importabit. Quanto ergo melius eſt hæc incommoda, vnica vani deſiderij mortificatione remouere? 5. Tandem mors, & aliæ huius vitæ miſeriæ ob oculos habendæ ſunt, quæ attentè perpenſæ mirum in modum inania deſideria coërcent. Ad quod adducitur pulchra Philoſophi Epicteti ſententia: Mors, inquit, & omnia, quæ in malis habentur, ob oculos tibi quotidie verſentur, maximè verò mors. Sic nihil humile cogitabis, neque impenſè cupies quicquam.

Fuga ſiue abominatio ſua habet remedia, cùm ea, quæ non ſunt fugienda aut abominanda, declinat. Multa quippe interdum fugimus, vt aduerſa & appetitui noſtro contraria, quæ quia ſpiritui proſunt, & ſpirituali vitæ proficiunt, ineptè ſatis declinamus. 1. Et hoc ſit primum huius exceſſus medicamen, quòd hæc inſulſa & ſuauia, ſua vtilitate non carent. Quòd ſi potum amarum accipimus, quia corporis ſalutem affert; cur amara menti ſalutem afferentia non tolerabimus? 2. Accedit facta ab ipſa rei amaræ acceptione mutatio, quæ non alio, quàm ipſo vſu dulceſcit. Et ſicut aliqui, dum ſtomachi neceſſitate poſcente, incipiunt vinum bibere, guſtus moleſtiam ſentiunt; poſtea verò quàm vino aſſueſcunt, non parum eo delectantur: ita aſpera & corpori aduerſa principio amara, ſed poſtea per aſſuetudinem dulcia videntur. 3. Non poſſumus etiam mandata Domini cuſtodire, niſi aliquid moleſtum ſentiamus. Vnde cum Regio Propheta dicendum eſt:
Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias [*Pſal. 16. 4.*]
duras:] quia nimirum verba Domini, quæ dulciora ſunt ſuper mel,& fauum, quoties ob inualetudinem noſtram amareſcunt nobis, non reiicienda ſunt, ſed amplexanda, vt cuſtodita nos ſanent, & ſanis ſuam ſuauitatem oſtendant. 4. Nec deſunt magna præmia tolerantibus res aduerſas; [*Roma. 8. 17.*] hæredes enim ſumus Dei,cohæredes autem Chriſti:ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.]

Delectatio & lætitia de rebus noxiis aut vanis, qualis eſt ea,quæ peccatum ſiue graue ſiue leue conſequitur, aut de rebus inanibus, quæ ad Dei gloriam non referuntur, generatur, magna curatione eget, quia potentiſſima eſt ad ineſcandum animum & ab omni virtute ſeparandum. 1. Curat illam firmum propoſitum reſpuendi huiuſmodi voluptates.Nam ſi Dominus gloriæ, forma noſtræ cõuerſationis factus, delicias & corporis voluptates auerſatus eſt, & aſperaquæque pro nobis paſſus; quid pro eius amore eandem viam ingredi dubitamus,vt omnem inanem delectationem auerſemur? 2. Iſtud autem propoſitum non eſt difficile conſiderantibus mala, quæ voluptates ingenerent.Ipſę enim ad omne flagitium excitant, & mentem nobiliſſimam viliſſimo mancipio,ſcilicet peccato,proſtituũt: quod in Dauide conſpicimus, [*2.Reg.*] ob vnam carnis voluptatem è tanta ſanctitate ad tantam iniquitatem deiecto. Ipſæ virtutes omnes diſſipant, & earum regnum euertunt, quod non in molli voluptate, ſed in duro labore omnis Philoſophia conſtituit. Ipſæ virtutum aurigam, prudentiam videlicet, deſtruunt, hominéſque, à ſua dignitate deturbatos,pecudibus ſimiles faciunt: quæ, vt inquit Auguſtinus, [*Aug. 14. de ciuit. c.16.*] cùm magnæ ſunt, omnem aciem mentis & cogitationis obtundunt. Ipſæ ab Antiſthene,quem refert Laertius, [*Laertius lib. 6. c. 1.*] peiores inſania reputantur:inſaniam enim ſæpe aufert medicus; at voluptates, cùm mentem eripiant homini, inſanabilia mala videntur. Ipſæ ſuffocant verbum Dei, vt Dominus ait; [*Luca 8.*] nam quidam à voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur,& non referunt fructum:quod verbum, deliciis obrutum, fructum ferre non poteſt. Ipſæ demum corpus ipſum eneruant,ineptúmque ad officia virtutis faciunt. 3. His adiicienda eſt breuitas voluptatis, ſerióque examinandum quantum temporis ipſa nos oblectabit,quantum item temporis ob acceptam voluptatem conſcientia mordebit. Cùm autem viderimus,tẽpus doloris eſſe tempore voluptatis in immẽſum longius,hanc ſine dubio,tanquam doloris ſeminarium,reiiciemus. 4. Opponenda tandem eſt noxię voluptati de rebus diuinis veriſſima delectatio,cui guſtus aſſuetus illam homine indignã reputabit. Delectare in Domino, inquit Pſalmographus, [*Pſal. 36. 4.*] & dabit tibi petitiones cordis tui.] Hęc delectatio,qua incipimus in fonte omniũ bonorũ delectari, faciet vt poſtulata,non à carne, ſed à ſpiritu, recipiamus. Quæ ita ſpiritum afficient,vt ipſe carnis petitiones reſpuat,& omnia eius oblectamenta contemnat,

Triſtitia de ſucceſſibus humanis concepta, ſi ſit immoderatior,mala confert, iuxta illud Eccleſiaſtici: [*Eccl. 30. 25.*] Triſtitiam longè expelle à te,multus enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in ea.] Cui conſonat Paulus: [*2. Cor. 7.*] Triſtitia, inquit, ſæculi mortem operatur.] Hanc autẽ multa leniunt. 1.Conſideratio multorum

multorum malorum, quæ ex illa exoriuntur. Solet in aqua turbida, inquit Bonauentura, id eſt, in corde *Bonauen. in ſpeculo. p. 1. c. 2.* triſti, latere piſcaturus animam coluber tortuoſus.] Et Caſſianus: *Caſſian. lib. 9. c. 3.* Veſtimentum tinearum eſu attactum, nullius pretij, vel honeſti vſus poterit vlteriùs habere commercium: itidémque lignum vermibus exaratum non iam ad ornatum vel mediocris ædificij, ſed ad combuſtionem ignis merebitur deputari. Ita igitur & anima, quæ edaciſſimis triſtitiæ morſibus deuoratur, inutilis erit vel veſtimento illi Pontificali, quod vnguentum Spiritus ſancti de cælo deſcendens, priùs in barbam Aaron, deinde in oram ſuam ſolere ſuſcipere, ſancti Dauid vaticinio perhibetur, ſecundùm illud: *Pſal. 132. 2.* Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius.] Sed nec ad ſtructuram templi illius ſpiritualis atque ornatum poterit pertinere, cuius Paulus architectus ſapiens poſuit fundamenta, dicens: *1. Corin. 3.16.* Vos eſtis templum Dei, & ſpiritus Dei habitat in vobis.] Sic ille. Hæc, & alia mala, quæ triſtitia affert, ſapiens vnica eius depulſione aut moderatione depellit. 2. Mala, quæ euenire poſſunt, præmeditanda ſunt, aduerſáque nobis poſſe accidere, animo ſæpe voluendum, vt ſi euenerint, non nos imparatos inueniant. Hinc eſt illud *Greg. hom. 35. in euang.* Gregorij: Minùs iacula feriunt, quæ præuidentur; & nos tolerabiliùs mundi mala ſuſcipimus, ſi contra hæc per præſcientiæ clypeum munimur. 3. Si quid aduerſum eueniat, non tam vt malum, quàm vt occaſio exercendi præclaras virtutes, nempe patientiam & animi magnitudinem, & vt inſtrumentum conciliandi diuinam gratiam, ſuſcipiendum eſt. Sic Paulus aduerſa reſpiciebat, cùm ſcripſit ad Philippenſes: *Philip. 1. 29.* Vobis donatum eſt, nō ſolùm vt in eum credatis, ſed etiā vt pro eo patiamini.] Sic & Dauid *Pſal. 24. 18.* ex tribulatione gratiam ſibi cōciliat, dicens: Vide humilitatem meam & laborē meum, & dimitte omnia peccata mea.] 4. Auocanda eſt cogitatio à præſenti moleſtia, & bonis iam obtentis occupanda, vel certè ſpe obtinendorum bonorum erigenda. Vnde *Caſſia. lib. 9. c. 13.* Caſſianus: Hanc pernicioſiſſimam paſſionem triſtitiæ ita expellere poterimus, vt mentem noſtram futura ſpe & cōtēplatione repromiſſæ beatitudinis erigamus.] Qui & addit, ex quacumque cauſa triſtitiam exortam bonorū futurorum ſpe potentiſſimè ſolere leniri, & proſperitatis venturæ memoria mitigari. 5. Quæ nobis mortalibus accidunt, humana ſunt, aliiſq; multis hominibus euenerunt; neque eſt cur nos ab iis quæ alij æquanimiter ſuſtinuerunt, immunes putemus, aut cur non ea æquo animo feramus. In ferendiſque aduerſis euentibus, ſicut & in cæteris rebus, illi potiùs imitandi ſunt, qui patienter ſuſtinentes, magnum ex illis emolumentum collegerunt, quàm illi, qui ob impatientiam & immoderatam triſtitiam, nullum profectum reportarunt. 6. Aſſumpta triſtitia nullo modo cauſam doloris tollit aut mitigat, immò magis dolorem aggerat, quem ſpes & æquanimitas vtcumque lenirent: quare abſurdum eſt triſtitia in aduerſis ſe conficere, & non per conformitatem cum voluntate diuina caput leuare. 7. Qui aliquam eſt calamitatem expertus, & quis non eſt expertus? eius recordatione poterit cōcipere ſpem fœlicis exitus ex malo præſenti. Nam ille benignus Dominus, qui præteritam calamitatem depulit, nos ex præſenti etiam eripiet. Hacque conſideratione Paulus Hebræos ad conſtantiam ac patientiam hortatus eſt: *Hebræ. 10.32.* Rememoramini, inquit, priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum.] Et infrà: *& 37.* Adhuc modicum aliquantulùmque, qui venturus eſt, veniet, & non tardabit.] 8. Ea demum triſtitiam leuant, quæ moderatam, & ſecundùm Deum, delectationem afferunt. In quibus præcipuum locum habet contemplatio veritatis, vt Diuus Thomas ait, & in- *D.Thom. 22. q. 35. ar. 5.* tenta conſideratio diuinæ prouidentiæ omnia noſtra ex amore diſponentis. Quare enim filius triſtetur, ex eo quòd benigniſsimus pater & ſapientiſsimus, qui errare non poteſt, ex magno amore intulit, & dilectiſsimo filio vtiliſsimum iudicauit?

Quibus mediis paſſiones appetitus iraſcentis ſint frænandæ.

CAPVT XIII.

AFFECTVS ſiue paſſiones in appetitu iraſcente reſidentes, neque minoribus exceſsibus ſubiacent, neque minoribus remediis indigent, quàm paſsiones partem concupiſcentem occupantes. De remediis ergo, quæ eas vtcumque componant, pauca dicamus.

Spe ſæpe delinquimus, cùm ſpiritui noxia ſperamus, cùm vana & prophana nos obtenturos eſſe cōfidimus, & cùm ex vana ſpe labores non leuis momenti, pro acquiſitione voluptatum aut honorum apprehendimus. Quare in libro Sapientiæ legimus: *Sapien. 5. 15.* Spes impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur: & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt: & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis. Et Iob ait: *Iob. 11. 20.* Spes impiorum abominatio animæ.] Salomon quoque: *Prouer. 10. 28.* Spes impiorum peribit.] Ac tandem Eccleſiaſticus: *Eccl. 34. 1.* Vana ſpes, & mendacium viro inſenſato.] Et quidem cùm talis eſt ſpes, his eſt remediis moderanda. I. Vanitas rerum, quas ſperamus, inſpicienda eſt, quæ nullo modo labori in eis acquirendis impendendo reſpondent. Et ſi nullus emit mille aureis rem quæ flocci penditur, quare ſtultus homo tanto labore rem vilem, & forſitan damnationem allaturam, mercabitur? Pars mea Do- *Threno. 3. 24.* minus, inquit ſanctus Ieremias, propterea expectabo eum.] Nam hoc ſummum bonum ſperandum eſt, & quæ ad illud nos ducunt: vana verò & inutilia omnimodis aſpernanda. 2. Debemus itaque ſpem ad cœleſtia conuertere, & pro eis adipiſcendis laborare, vt inanes ſpes in noſtris cordibus euaneſcant. Qui enim ſe imperium aliquando tandem adepturum ſperat, viliſſimum munus ſperare erubeſcit. Et nos ergo, ſi conſequi cœleſtia ſperemus, ſi pro noſtri victoria fortiter laboremus, quæ huius ſæculi ſunt, nequaquam anxiè ſperabimus. 3. Proderit maximè contemptus ſæculi & deſpectio terrenorum, quia nemo, quæ contemnit, ſperat, magis autem concutitur timore, ne res contempta ſibi vnquam eueniat. Quamobrem ſi terrena contempſerimus, nunquam in illa immoderatæ ſpei motibus erigemur. Omnis, qui viderit te, [ô munde,] reſiliet *Nahum. 3. 7.* à te,] inquit Nahum propheta: quia qui te cognouerit, nunquam pellem tuam deauratam ſperabit, magis autem illa, quæ frigus non pellit, ſe operire aut fouere timebit.

Similiter deſperatio multis eſt obnoxia delictis, vt ſi quis de his, quæ debet ſperare, deſperet. Debet enim homo ſperare ſe impetraturum veniam peccatorum; ſe obtenturum in bono ſtatu, quem arripuit, perſeuerantiam, tentationum victoriam; tribulationum leuamen, & auxilium ad proficiendum, & reliqua huiuſmodi. Vnde ſi circa hæc affectus aliqua

deſperatione aut diffidentia feratur, bonis eſt cogitationibus corrigendus, & in ſpei affectum commutandus. 1. Duplex eſt verò cogitatio præcipua, quæ omnem deſperationem depellit. Altera eſt cogitatio diuinæ miſericordiæ, cui omnia mundi peccata comparata, non maioris momenti ſunt, quàm comparatione maris, guttula roris exigua. Hæc eſt quæ Paulo blaſphemo & contumelioſo, & Magdalenæ magnæ peccatrici pepercit. Hæc eſt, quæ innumerabiles peccatores ad bonam frugem adduxit. Quare ergo mihi non parcat, ſi dolore tactus & actu emendatus accurrero? quare me, quæ omnes ſinu benignitatis recipit, non excipiat? Hæc eſt, quæ ſordidiſſimis peccatoribus iam conuerſis, ad aliorum conuerſionem eſt vſa: De quo Dominus ipſe gloriatur loquens ad Iob: *Iob 38. 22.* Nunquid, ait, ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparaui in tempus hoſtis, & in diem pugnæ, & belli?] Quinam ſignificantur, ſecundùm Gregorium, nomine niuis & grandinis? *Greg. 29. mor. c. 11* Nonne mentes & corda prauorum? De quibus Ieremias ait: *Ierem. 6. 7.* Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam, ſic anima frigidam fecit malitiam ſuam.] Et Dominus: *Matth. 24.* Quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorũ.] In his ipſe Dominus theſauros habet, quia multos electos, qui emendandi ſunt, inter prauos eſſe cognoſcit. Quos in tempus hoſtis, & in diem pugnæ, & belli præparat, quia eorum mira conuerſione, & inculpatæ vitæ exemplo, & doctrina ſanctiſſima omnes iniquos impugnat, & multos expugnat. Quare ergo me deſperatione conteram, & non potiùs in ſpem erectus, quòd vnus illorum ſim futurus, de Saluatoris miſericordia confidam? 2. Altera cogitatio eſt diuinæ potentiæ, cum eximio amore coniunctæ, quæ abundantiſſima auxilia ad cœpta perficienda præſtabit, & in omni nobis tribulatione & neceſſitate ſubueniet. In quâcumque igitur calamitaté coniectus, fœlicem tibi exitum de diuina miſeratione promitte. Verbáque Beati Patris Ephræm *Ephræm. ſer. 2. de pœnit.* non ſolùm lege, ſed & ſedulò meditare, quæ te contra omnem deſperationem confirment. Furto, inquit, tibi ſublatus eſt theſaurus, ſed adhuc bonæ negotiationis tibi aperta remanet via: tempus adhuc tibi ſuppetit recuperandi theſaurum; modò ne deſperes. Quare ſedulò ac ſolicitè eum collige, atque recupera. Etſi telo vulneratus ſis, penitus animo ne còcidas, ad mortem vſque perferas, ne timeas ictum. Oſtende tuam in certando ſcientiam ac robur, vt refulgens gloriæ corona texatur tibi. Etſi à latrone ſpoliatus ſis, à curſu incœpto caue deſiſtas; in bello contingit vt & feriamus, & vulneremur. Etiamſi pruina tuum agrum læſerit, iterum ac tertiò fodito, impigréque ipſum excolito, & diligenter ſerito. Ecce plenæ tibi nubes ac pluuiæ adueniunt. Ne te latro pellat via. Non terrearis, neque onere in medio viæ relicto, procede. Ex conflictu vbi vulneratus es, victoriam referre contende. Quomodo antè à tuo theſauro ſpoliatus es, poteris rurſus tibi eundem recuperare.] Hæc ille. Quæ allegoricè dicta, ſi penitus intelligantur, mirificè omnem deſperationem reiiciunt, & in ſpem fœlicium exituum mentem attollunt.

Paſſio quoque audaciæ immoderata eſt, ſi aliquid vetitum & aduersùs diuinam voluntatem audeamus, ſi aliquid etiam vltra vires, vel iam à Domino datas, vel promiſſas, præſumamus, quas ex occulta inſpiratione, vel ex conſilio Prælatorum, vel ex ratione prudenti nobis affuturas eſſe cognoſcimus. 1. Audaciam ad malum frænat iuſtitia Dei, quæ ſua mandata tranſgredientes acriter punit, & eorum co-

A naribus potenter obſiſtit. Nam ſi homines auſi ſunt ædificare ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum, *Geneſ. 11. 4.* eſt Deus in cælo, qui illos irrideat, & opera eorum conterat, atque confringat. 2. Audaciam verò ad ea, quæ vltra vires ſunt, cohibet in iuſtis diſcreta humilitas humiliſque diſcretio; vt conſiderantes, quia ſine Deo nihil poſſunt facere, illa ſolùm aggrediantur, in quibus Deum adiutorem habebunt. Spiritus enim ſanctus, vt inquit Gregorius, *Greg. lib. 4. in 1. Reg. ad c. 9.* dum ſenſus honeſtè viuentium inſtruit, audaces modò, modò timidos reddit. Audaces quidem, vt præſumant; timidos, ne ſuperbiant. Impellit, vt neceſſaria poſtulent; retrahit, ne nimis præſumendo vitium incurrant temeritatis.] Hæc ille. Serui itaque ſui domini ductum ſequantur, & audaciam ſancto B timore temperent, ne ſit temeraria: timorem verò diſcretâ audaciâ vrgeant, ne in puſillanimitatem ſpiritus cadant.

Timor malus & cohibendus eſt, quando propter alicuius rei timorem bonum relinquimus, vel malum agimus, aut quando ea, quæ non ſunt metuenda, formidamus. 1. Huic autem timori medemur omnibus his, quibus vanum amorem, inanem concupiſcentiam, & noxiam triſtitiam curamus. Qui enim bonum aliquod non amat, nec cupit, eius amiſſionem non timet; & qui ita robuſtus eſt aduersùs triſtitiam, vt malum præſens non ſentiat: quid mirum ſi idem futurum, vel etiam iam incumbens non metuat? In quam ſententiam ait Auguſtinus: *Aug. lib. 83. q. 33.* Qui cupit, cùm nihil aliud ſit cupiditas, quàm amor C rerum tranſeuntium, metuat neceſſe eſt, ne amittat eas, cùm adeptus fuerit, aut non adipiſcatur. Et qui angitur animi dolore, neceſſe eſt metu agitetur, quia quorum malorum præſentium eſt anxietudo, eorum eſt imminentium metus. 2. Præter hæc, magnam vim habet ad ſedandum timorem, cogitatio eorum excellentium virorum, qui in ſimilibus euentibus imperterriti ſteterunt, nec ſe ob imminens malum à virtute ſepararunt. Prodeſt etiam cogitare, illud, quod timemus, aut malum non eſſe, aut non magnum malum, aut non eſſe euenturum. Sæpe enim aliqua timuimus, quæ quàm longiſſimè à nobis abfuerunt. Idémque de hoc malo, quod nunc nos terret, ſperare debemus, ne ex illis ſimus, qui (vt ait Pſalmus) *Pſal. 13. 5.* illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.] 3. Sed eſto, malum, & magnum malum D ſit euenturum, certè inutile eſt, nos illius memoria ante tempus excruciari, & ſatis eſt eo adueniente & vrgente torqueri. Sufficit diei malitia ſua,] *Matth. 6. 34.* ne eam nos conſideratione futurorum augeamus, quin potiùs his, quæ eam leniant, quantum poſſibile fuerit, extenuemus. 4. Efficaciſſima tandem timoris medicina eſt, vera charitas, qua quis Deum diligat, & ſe ab eo diligi ſentiat: ſpiritualis feruor, quo iuſtus pro amore Domini, non tantùm paratus ſit omnia bona facere, ſed & cuncta mala ſuſtinere: & inſuperabilis fiducia, qua ſciat in Deo fortiſſimo protectore confidere: *Pſal. 124.* Qui enim confidunt in Domino, ſicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem.] Et ſi Dominus protector vitæ *Pſal. 26. 1.* E meæ, à quo trepidabo?]

Eiſdem autem remediis, quibus iræ vitium extinguitur, paſſio iræ frænatur ac cohibetur, quæ cùm ſuprà explicata ſint, pauca ſunt, quæ in hunc locum afferamus. 1. Ad iram leniendam plurimum valet, cùm irati ſumus, nihil verbo aut facto tentare, ſed omnia ad illud negotium ſpectantia, in aliud tempus differre. 2. Prodeſt etiam tempore huius ſilentij ac internæ quietis, adductis rationibus, cauſam iræ conceptæ minuere. 3. Vtile ſimiliter

erit erga occaſionem iræ, ſicut poſt aliquot dies nos habebimus, quando ſine dubio pacati erimus, ita nunc ratione nos regere, & virtutis imperio pacare. 4. Conſideremus deinde, eum qui nobis iniuriam intulit, cùm maius ſibi quàm nobis malum attulerit; nobis enim malum pœnæ, ſibi verò malum culpæ importauit; eſſe non tam ira quàm commiſeratione digniſſimum. 5. Ac præterea per iram atque vindictam, malum non amouemus, ſed potiùs maximè cumulamus. Malum enim iniuriæ patienter ſuſtentatum nos patientes & Deo gratos facit, iracundè verò ſuſceptum, iracundos & ſenſu puſillos efficit. 6. Manſuetudinis dignitas expendenda eſt, iracundiæ nequitia oculis obiicienda, & exempla manſuetorum, præcipuè Chriſti Domini & Sanctorum meditanda. Tanta quippe eſt manſuetudinis pulchritudo, vt vel leænas & tygrides in ſui amorem alliciat: tanta iracundiæ turpitudo, vt vel illos, qui nullo metu tanguntur, exterreat: tantus Chriſti, agni mitiſſimi, ac manſuetorum ſplendor, vt vel ſepultos, ſi fieri poſſet, ad ſui imitationem inducat. 7. Qui etiam iram cohibere vult, neceſſe eſt vt paucis, iiſque vix ad vitam ſufficientibus, ſit contentus: item oportet vt vanam curioſitatem vincat, eorum namque cognitione, quæ melius eſſet neſcire, ſolet ad indignationem commoueri. 8. Non ſufficit autem ad pacem ac concordiam ſeruandam, in nobis iram cohibere, ſed & nobis incumbit, fratrum iratorum iracundiam moderari. Id autem fiet ſi iuxta conſilium Pauli, quo inquit: Date locum iræ,] locum iratis demus, & ne ſtatim, ac flamma iræ erumpit, illi imprudenter obſiſtamus. Si & ſecundùm dictum ſapientis: Reſponſio mollis frangit iram:] conuenienti tempore humilibus modeſtiſque ſermonibus iratum mitigemus. Si quoque cùm à nobis erratum fuit, culpa cognita, veniam humiliter deprecemur. Si denique quod admiſſum eſt, quàm longiſſimè à ſuſpicione contemptus remoueamus.

Roman. 12. 19.

Prouer. 15. 1.

Atque in vniuerſum admodum è re erit, omnibus paſſionibus temperandis, eas, ſicut re vera ſunt, noſtræ artis inſtrumenta cogitare. Actus enim paſſionum & ſimiles alij, qui à voluntate eliciuntur (vt ſuo loco, Deo nobis annuente, dicemus,) ſunt officia præcipua, quibus in oratione proficimus. Fructus enim meditationis & contemplationis eſt, amare, deſiderare, ſperare Deum, & bona cæleſtia, & delectari in eis, & ad ea obtinenda conuenientibus mediis audere: Item odiſſe, fugere, & timere malum, de peccatis triſtari, & aduersùm iniquitatem iraſci, & de noſtris viribus nudis penitus deſperare: ac tandem ſecundùm has internas actiones, vitam noſtram inſtituere. Sicut ergo artifex, niſi omnino deſipiat, inſtrumenta ſuæ artis quàm diligentiſſimè emundat, & polit, & bene temperata recondit, vt poſſit eis ſuum opus perficere: ita & nos affectus noſtros emundemus, poliamus, & optimè attemperatos cuſtodiamus, vt in ſublimiſſima familiaritate cum Domino, illis poſſimus ad præſtantiſſimarum virtutum actiones iuuari.

Tom. 3. lib. 13. per multa capita

De Mortificatione cogitationum.

CAPVT XIV.

INTERIORES ſenſus vno nomine cogitationis vel imaginationis comprehendimus, quòd illis viſa, audita, odorata, guſtata, & contrectata variis modis cogitamus, & ex illis, tanquam ex lignis & lapidibus, ingentia & admiranda monſtra componimus. Horum ſenſuum actiones vocamus cogitationes: quoniam illis varia ſenſibilia, tum abſentia, tum præſentia quaſi in vnum colligimus, vt eorum perceptione delectemur. Quibus cogitationibus licèt intellectus ad ſuum opus vtatur, & phantaſiæ ac imaginationi cooperetur, maluimus tamen hanc mortificationem his ſenſibus adſcribere: quoniam & illorum propria eſt, & omnis noſtra intelligentia in hac vita mortali, communiter, (paucis exceptis euentibus, de quibus in tractatione de contemplatione dicemus,) à ſenſu interiori incipit, tanquam ab eo, qui rem intelligendam ſubminiſtrat, & ſine ſenſu interiore cooperante non ſubſiſtit. Hæc autem cogitationum abnegatio conſultò in poſtremum locum reiecta eſt, licèt ex natura rei prior ſit cogitatio, quàm appetitio; quoniam, (vt quis etiam ſpiritualiſſimus in ſe ipſo experietur,) facilius eſt, mala opera fugere, & appetitiones malorum aut vanorum frænare, quàm eorundem cogitationes continere. Inueniemúſque iuſtum adeò fœliciter pugnantem, vt non ſolùm rectè, ſed & perfectè conuerſetur, & appetitus ſuos optimè moderetur: qui tamen vix poteſt cogitationes componere, & cordis diſtractiones in vnum colligere. De quo amariſſimè conquerebatur Dauid, dicens: Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei; & cor meum dereliquit me.] Illæ enim iniquitates ſuper capillos multiplicantur, quæ ſine opere & deſiderio, in ſola incuria cogitationis complentur. Et cor noſtrum derelinquit nos, cùm inſtar infidelis ancillæ ex domo fugientis, per quæque vana & ſuperflua cogitatione vagatur. Eandem difficultatem continendi inutiles cogitationes Salomon euidenter expreſſit, cùm dixit: Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt poſteà ædifices domum tuam.] Dum enim priùs operis præparationem quàm agri culturam indixit; profectò docuit, facilius eſſe, opera externa recta facere, quàm agrum cordis à prauis aut vanis cogitationibus emundare. Et Sophar, vt hanc humani cordis imbecillitatem adſtruat, apud Iob ait: Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia: Tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis.] Priùs à manu iniquitatem ſubtrahi, inquit Gregorius, & poſt à tabernaculo admonet iniuſtitiam abſcindi, quia quiſquis iam praua à ſe opera exteriùs reſecat, neceſſe profectò eſt, vt ad ſemet-ipſum rediens, ſolerter ſeſe in mentis intentione diſcernat, ne culpa, quam iam in actione non habet, adhuc in cogitatione perduret.] Sic ille. Vnde ſi poſterior cogitationum moderatio tanquam difficilior expetitur, per quam puritas animæ noſtræ ſtabilitáſque completur, meritò poſt mortificationem operum & deſideriorum, quam expreſſimus, nunc ad cogitationum compreſſionem properamus.

Pſal. 39. 13.

Prouer. 24. 27.

Iob. 11. 14 15.

Greg. 10. mor. c. 11

Qui ergo hucvſque ſolicitus fuit, vitam ſuam exteriorem corrigere, & intellectum ac voluntatem, necnon & paſſiones atque deſideria componere, nitatur deinceps cor ſuum ad tranquillitatem adducere, quaſi ſeipſum in quadam mentis ſolitudine conſtituere, & non ſolùm malas cogitationes ſed [muſcas] quoque [morientes, quæ perdunt ſuauitatem vnguenti,] id eſt, vanas & inutiles, amputare. Non quidem eſt in noſtra poteſtate malarum aut inanium cogitationum impugnatione carere; at in noſtro arbitrio cum diuinæ gratiæ adiutorio ſitum eſt, eas conſtanti animoſitate reſpuere. Cuius rei vnus teſtis inter plurimos, qui adduci poſſent, affertur Caſſianus, cuius hæc eſt ſententia, Mentem

Eccleſ. 10. 1.

Caſſia. col. 1. c. 17.

A quidem non interpellari cogitationibus impoſsibile eſt, ſuſcipere verò eas ſiue reſpuere, omni ſtudenti poſsibile eſt. Quemadmodum igitur ortus earum non omnimodis pendet à nobis; ita probatio vel electio conſiſtit in nobis.] *Numer. 8.7.* Eapropter in Numeris præceptum eſt Leuitis, vt radant pilos carnis ſuæ, non vt eorum radices excindant: quia Leuitæ, id eſt, aſſumpti in obſequium Domini, poſſunt quidem inanes cogitationes reiicere, non tamen poſſunt earum impulſu non tangi. *Greg. 5. mor. c. 24.* Raſis pilis, inquit Gregorius, in carne radices remanent & creſcunt, vt iterum radantur: quia magno quidem ſtudio ſuperfluæ cogitationes amputandæ ſunt, ſed tamen amputari funditus nequaquam poſſunt. Semper enim caro ſuperflua generat, quæ ſemper ſpiritus ferro ſolicitudinis recidat.] Hæc ille. B Nec ſolùm in noſtro arbitrio diuina gratia fulto, eſt noxias cogitationes abiicere, ſed etiam earum quotidie numerum magis ac magis attenuare. In hoc namque non minùs quàm in aliis rebus aſſuetudo valet, vt ſicut vitia carnis & deſideria cordis inepta oppoſitis actibus & deſideriis minuimus: ita vanitatem cogitationum, cura inferendarum bonarum meditationum extenuemus. Et quemadmodum, qui ex hoſtibus ſuis aliquos quotidie interimit, neceſſe eſt vt pauciores & infirmiores ſibi remaneant: ita pauciores cogitationes profectui ſuo infeſtas ſentiet, qui quotidie aliquas diligenter euellit. Quod fortaſsis meditabatur ſanctus Dauid, *Pſal. 100. 8.* quando dicebat: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.] C Quid enim eſt matutinum, niſi conuerſationis initium? Sed in initio cuiuſque diei, quando velut de nouo ſpiritualem conuerſationem incipimus, peccatores terræ, id eſt, ſuperfluæ cogitationes, occidendæ ſunt, vt tandem anima noſtra, quæ vrbs Domini eſt, omnibus his iniquitatem operantibus careat, & ſe pacatam Domino per maiorem cogitationum mundiciã quotidie cuſtodiat. *Origen. hom. 8. in Ioſue.* Vel matutinum ſit Chriſtus Dominus, vt inquit Origenes, in cuius luce ciuitas Domini, nempe anima noſtra, ædificatur ex viuis lapidibus, id eſt, ex virtutibus variis, & ab omni praua cogitatione purgatur, vt in dies pulchrior & ſanctior euadat.

Quanti autem momenti ſit cogitationes noſtras expendere, & non ſolùm malas, ſed & inutiles ac ſuperfluas abiicere, multa declarant. Nam & cogitationes initia ſunt verborum, & initia ſunt deſideriorum & operum. D Et ideo qui noxias cogitationes nutrit, noxia deſideria, impura verba, & mala opera habebit. Atque ex vna cogitatione omnem ſuam vitam inficiet. Mala aut ſuperflua cogitatio, initium eſt mali aut inanis deſiderij, illud enim ſolùm cupimus, quod priùs cogitamus; & difficile eſt, malum mente conceptum ad deſiderium non dilatare, & in ſola cogitatione continere. Quare ſapienter Laurentius Iuſtinianus, *Iuſti. in ligno vitæ. tract. de charitat. c. 4.* ex cogitatione amorem ac deſiderium noſtrum cognoſcendum eſſe decernit: Vis noſſe, inquit, vbi theſaurizas? Attende quid amas. Vis noſſe quid amas? Attende quid cogitas. Ita fit vt theſaurũ tuum ex tuo amore cognoſcas, & amorem tuum ex E indicio cogitationis intelligas.] Verba quoque pernicioſa ex cogitatione procedunt. *Ierem. 18. 18.* Iudæi enim apud Ieremiam aiunt: Venite, & cogitemus contra eum cogitationes.]Et ſtatim ſubinferunt: Venite, & percutiamus eum lingua, & non attendamus ad vniuerſos ſermones eius.] Nec ſolùm inepta cogitatio inepta verba profundit, verùm & diuinas laudes ac puras orationes impedit. Hoc quippe ſignificant illa *Pſal. 136. 5.* verba Dauidis: Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. Obliuio cęleſtium rerum, cogitatio eſt terrenarũ, quia homo vigilans ſine cogitatione eſſe non poteſt. Hæc autem linguam ligat, & palato adhærere facit, ne ſe ad laudes diuinas expediat. Obliuioni etiã datur dextera noſtra, id eſt, mens Deum laudans aut orans, licèt ſiniſtra, id eſt, lingua carnis, ad fundendas preces orationéſque ſoluatur. Opera autem à cogitatione prodire Dominus ipſe docet. Ait enim: De corde exeunt cogitationes *Matth. 15. 19.* malæ, homicidia, adulteria.] Ac ſi diceret, priùs eſt homicidium aut adulterium cogitatum, poſtmodum homicidium aut adulterium actione completũ. Nec quis homicidium nec adulterium pariet, quod non priùs cogitationis ventre conceperit. Ad idem etiam Gregorius, explicans illud Iob: *Iob 8. 17. Grego. 8. mor. c. 19.* Super aceruũ petrarum radices eius denſabũtur,]ait: Quid radicum nomine, niſi latentes cogitationes accipimus, quæ in occulto prodeunt, ſed in oſtenſione operum per apertum ſurgunt? Sicut & de verbi ſemine per prophetam dicitur: *Iſaia 37. 31.* Et hoc quod ſaluatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum eſt, mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum.]Radicem quippe deorſum mittere, eſt cogitationem bonam in abditis multiplicare. Fructum verò ſurſum facere, eſt per efficaciam operis, rectã quæ cogitauit, oſtẽdere.] Si ergo ineptæ cogitationes, noſtra deſideria, verba, & opera deſtruunt, profectò omnes opes hominis diſſipant, omnia merita dilapidant, quæ aut deſiderio, aut verbo, aut opere continentur, omnémque vitam ſpiritualem inficiunt. Hæ ſunt illæ locuſtæ, de quibus in Exodo ſcribitur: *Exod. 10. 15.* Operuerúntque vniuerſam ſuperficiem terræ vaſtantes omnia.]Immò & illa de qua Amos: *Amos 7. 1.* Et ecce fictor locuſtæ in principio germinantium ſerotini imbris, quæ conſummauit comedere herbam terræ.] Nam verè malæ, & inutiles cogitationes bona cogitata in ſui ortus exortu deuorant, & omnem fructum mentis noſtræ deuaſtant. Quod enim bonum perſeuerabit in nobis, ſi eius memoriam prauæ cogitationes delent, & ſi ad contrarium malum ſua importunitate compellunt?

Non ergo ſatis eſt ad vitæ puritatem amplectendam, praua opera fugere, ſed neceſſe quoque eſt, à prauis & ſtultis cogitationibus declinare. Certum etenim eſt, quòd ſine vllo externo opere, ſola cogitatione peccatur: idque ſignificant illa verba Salomonis: *Prouer. 11. 21.* Manus in manu non erit innocens malus.] Quia & ſi ab iniqua actione, vt inquit *Beda ibid.* Beda, manus ad horam ſubtrahit, cordis tamen innocentiam manus habere non valet.] Et Dominus per Iſaiam ait: *Iſaia 1. 16.* Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.] Per Ieremiam quoque: *Ieremia 4. 14.* Laua à malitia cor tuum Ieruſalem, vt ſalua fias: vſque quò morabuntur in te cogitationes noxiæ?] Si ergo malum eſt in ſolis cogitationibus, ſi immundicia reſidet in corde, quæ eſt non alia quàm contritionis aqua lauanda: ſi ſpirituale detrimentum ex his quæ mente verſamus, licèt opere non impleantur, incurrimus; dubium non eſt, quin cogitationes medicamine mortificationis indigeant. Eas Dominus, niſi abnegatione cohibeantur, tranquillitatis internæ priuatione caſtigat: dicítque imperfectus quiſque, dum vanis cogitationibus delectatur, illud Ieremiæ: *Ierem. 4. 19.* Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo: ſenſus cordis mei turbati ſunt in me:] quia poſtquam aduertit ſe impura aut inani cogitatione pollutũ, non poteſt non huius mali admiſsione torqueri. Torquetur ſanè, quia ibi eſt malitia, vt inquit *Ambroſ. de fuga ſæculi c. 7.* Ambroſius, vbi debet eſſe innocentia: & illud plus laborat, quod in nobis debet eſſe tranquillius,

A atque id nequitiæ veſtigiis proculcatur, ſtimulatur vnguibus, proceſſu quodam improbitatis incrementóque concitatur vbi eſt genitale ſeminarium poteſtatis æternæ.] Hinc autem punitioni, quæ interiùs, vbi peccamus, adhibetur, ipſe iudex noſter pœnas externas addit, vt tibi ſolam peccati cogitationem diſplicere demonſtret. Nam & Nabuchodonoſor ſola elationis cogitatione peccauerat, & necdum in verba elationis eruperat, cùm ore prophetico ſententiam ſuæ reprobationis audiuit. Poſteà dixit: Nonne hæc eſt Babylō magna, quam ego ædificaui?] &c. Et priùs autem mentis accepit: Succidite arborem, & diſſipate illam:] vt homo cognoſcat, ſolā cogitationem, etiam vacuam externa actione, puniri. Dum enim in cogitatione ſe animus eleuat, inquit Gregorius, plenè in ſe iram iudicis prouocat, quamuis per iniqua foris B opera non erumpat. Intus quippe eſt qui iudicat, intus quod iudicatur. Cùm ergo in corde deliquimus, latet homines, quod apud nos agimus, ſed tamē ipſo iudice teſte peccamus.] Sic ille. Nec ſolùm in hac vita, ſed etiam in futura, malæ aut ineptæ cogitationes pro ſuæ malitiæ qualitate puniuntur: &, ſi grauia peccata ſunt, infernus depaſcit; ſi verò leuia, ignis purgatorius adurit. Ibi imperfectus homo pœnas luet, & de ſuis vanis cogitationibus erubeſcet. Quod ſanè Baſilius in libro de virginitate latè & pulchre perſequitur. Putat enim ille, cogitationes malas & inanes aliqua in anima ſui veſtigia relinquere, & aliquas maculas ſpiritui voluntariè cogitanti imprimere, quæ ablato corporis tegumento, poſt mortem omnibus C apparebūt. Sicut ergo, qui in tabella turpia & obſcœna depinxit, aut in corpore maculas habet veſtis operimento contectas, contemptibilis & riſu dignus apparet his, qui caſu aliquo tabellam illam cōtemplantur, aut corpus illius in balneo nudum aſpiciunt: ita & in extremo die, probro & ludibrio coram omnibus exponemur, cùm ineptiſſimas vanitates quas animo volueramus, aſpexerint. Et quidem hoc dictum ſapientiſſimi doctoris aptè intellectum, verum eſt. Quælibet enim mala aut vana cogitatio, peccatum eſt, quod maculat animam, & eius decorem turpificat. Has autem maculas (quicquid illæ ſint) omnes in die iudicij, Deo faciente, videbunt, vt æquitatem ſui iudicij & iuſtitiæ ſeueritatem, etiam minima punien- D tem, agnoſcant. Quanta igitur erit tunc hominis imperfecti confuſio, cùm vniuerſi homines viderint, quæ animo cogitauit, quæ libenter mente reuoluit? Magnam, inquam, apud omnes confuſionem comparabit, ſiquidem interdum ipſe ſolus ſe talia cogitaſſe erubeſcit.

Dan. 4. 27. *Dan. 4. 20.* *Greg. 1. p. Paſto. c. 4.* *Baſil. lib. de virginit. ante med.*

Hæc omnia nos ad cogitationum mortificationem validiſſimè vocant, & ad repellendam fortiter quamlibet, non tantùm malam, verùm & vanam ac ineptam cogitationem inuitant. Reſili ab ea, ô homo Dei, vt Salomon in Prouerbiis ſecundùm verſionem Septuaginta te doceat: Noli demorari in loco eius, neque intendas oculum tuum in eam.] Ne ſi viderint te Angeli, vt Caſſianus ait, eum locum interpretans, turpi aut inani cogitatione inuolutum, à te ſine benedictionis exhibitione diſcedant. Iam vnus ex E illis es, quibus dixit Dominus: Vos de hoc mundo non eſtis:] cur ſæcularia & inania cogitare aſſueſces? Iam aliquando fuiſti ſpiritus ſuauitatem expertus, cor illam inanium cogitationum iniectione perdes, & in inquietudinem carnis, ſi non opere, at mente & conſideratione redibis? Iam ſcholam ſerpentis effugiſti, cui dictum eſt: Super pectus tuum gradieris:] ne cogitatione ad terrena dilapſa pectore repere videaris. Audi Thomam à Campis, virum piiſſimum, quibus ſimilibus delictum inanium cogitatio-

Prou. 9. *Caſſian. col. 20. c. 9.* *Ioan. 15. 19.* *Geneſ. 3. 14.*

A num exaggeret: Dic mihi, inquit, qualem mereretur cōfuſionem ac pœnam, qui Dominum terræ ac principem regni, contumelioſis verbis & factis indignis offendit? Vel certè quantæ vituperationis iaculo ille feriendus eſſet, qui in conſpectu regis & miniſtrorum eius, fœtidiſſimum cadauer tangeret, aut lutum immundum reuolueret? Nonne ſtatim confuſibiliter expellendus eſſet, aut etiam carceri tradendus ab omnibus iudicaretur? Tu es, prô pudor! ſtultus ille, qui peſſimam hanc rem feciſti. Nam ecce, in præſentia diuinæ maieſtatis & ſanctorum Angelorum eius, peccare non timuiſti, multa illicita phantaſmata verſans, quæ citiſſimè reſpuere deberes, & pluſquam lutum platearum, deteſtari. Inſuper permittis, cor tuum in omne pene ſeculum euagari, etiam B tempore orationis & in loco ſacro, vbi cum maiori reuerentia & ſolicitiori attentione iuberis aſſiſtere, ac ſolùm Deo & tibi ipſi firmiſſimè vacare.] Hactenus ille. Chriſtus Dominus in Apocalypſi apparet, habens gladium in ore ſuo ex vtraque parte acutum: Et de ore eius, inquit, gladius vtraque parte acutus exibat.] Quia venit amputare in nobis non ſolùm vitia carnis, ſed etiam vitia cogitationis. Viſus eſt etiam præcinctus ad mamillas zona aurea:] quoniam non ſolùm vult in ſuis renes, id eſt, actiones, reſtringere, ſed etiam pectus, id eſt, cogitationes, moderari. Lex enim gratiæ, vt Gregorius ait, vtramque munditiam corporis & cordis poſtulat, & non ſola eam operum puritas, ſed etiam cogitationum munditia delectat. Pro hac ergo, ſi perfectionem diligis, C conſtanter labora, omnem cogitationum vanitatem gladio mortificationis reſeca, vt per omnimodam circumciſionem peccati ad Sanctorum populum pertinere videaris.

Thomas à Kampis, lib. 3. de diſciplina clauſtral. c. 1. *Apoc. 1. 16.* *Apoc. 1. 13.* *Greg. 21. mor. c. 2.*

Quæ cogitationes, & quibus medijs ſunt mortificandæ.

CAPVT XV.

TRIPLEX eſt genus cogitationum, ſecundùm Bernardum, quas oporteat abnegare. Alterum eſt cogitationum im- D mundarum, ſiue ad vitia carnis ſiue ad alia vitia pertinētium, quæ vt fœtidiſſimum cœnum, animam primùm commaculant, & niſi citò abiiciantur, criminis mortem important: Alterum eſt cogitationum otioſarum, curioſarum, & inutilium, quibus homo otioſus quaſi vento paſcitur, & per inuia & inacceſſa huius ſæculi, ſine vllo circunſpectionis fræno vagatur. Tertium eſt cogitationum rerum neceſſariarum, vt cibi, & potus, & veſtimenti, & habitationis, & aliorum ſimilium, ſine quorum præſidio vitam iſtam ducere nequimus. Quas cogitationes Bernardus putat in Rubem fuiſſe deſignatas, quem Iacob vocauit, ſicut re vera erat, primogenitum ſuum, dixitque de eo: Non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.] Rubea, in- E quit, & carnalis atque ſanguinea huiuſmodi concupiſcentia eſt, quæ tunc cubile noſtrum aſcendit, cùm non ſolùm memoriam tangit cogitatione, ſed & ipſum voluntatis ſtratum ingreditur, & polluit praua delectatione. Bene autem primogenitus noſter dicitur appetitus ille carnalis, qui ab ipſo nimirum initio vitæ noſtræ, in nobis pullulat, cùm cætera vitia proceſſu temporis ex malitia mundi huius, variíſque occaſionibus contrahantur.] Hæc ille.

Bern. ſer. de tripli. ci genere cogit. *Gen. 49. 4.*

Iſtæ omnes cogitationes ex diuerſis cauſis oriri

ſolent.

A ſolent. Aliquando enim ex ipſa humani cordis inſtabilitate naſcuntur, quod ſemper ex hoc in illud cogitatione mouetur, & quietum eſſe non poteſt. Quare niſi diligenter bona cogitemus, ipſum cor illicita, aut ocioſa, aut certè ſibi commoda quærit cogitanda, in quibus tanquam in luto voluatur. Pulchre ſanè, inquit Caſſianus, exercitium cordis, molarum ſimilitudini comparatur; quas meatus aquarum præceps impetu rotante prouoluit. Quæ nullatenus quidem ceſſare poſſunt ab opere ſuo, aquarum impulſibus circumactæ: in eius verò qui præeſt, ſitum eſt poteſtate, vtrumnam triticum malit, an hordeum loliúmve comminui. Illud quippe eſt procul dubio commolendum, quod ingeſtum ab illo fuerit, cui operis illius cura commiſſa eſt. Ita igitur etiam mens, per

Caſſian. coll. 1. c. 18.

B vitæ præſentis incurſus, vndique ingruentibus tentationum torrentibus, circumacta, vacua quidem cogitationum æſtibus eſſe non poterit, quales verò vel admittere vel parare ſibi debeat, ſtudij ac diligentiæ ſuæ prouidebit induſtria.] Interdum malæ aut vanæ cogitationes ex concupiſcentiis noſtris progrediuntur: quæ enim concupiſcimus, & amamus libenter, ſi non opere at ſaltem cogitatione apprehendimus, & quæ nobis ex amore pulchra ſunt, non ſine voluptate conſpicimus. Inde Iob ad cohibendam minùs caſtam cogitationem, oculos à pulchritudine mulieris auertit, cuius aſpectus concupiſcentiam excitat, & côcupiſcentia importunam cogitationem intrudit: Pepigi, inquit, fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.] Vt enim cogitationes cordis, ait Gregorius, caſtè ſeruare potuiſſet, fœdus cum

Iob 31. 1.

Greg. 21. mor. c. 2.

C oculis pepigit, ne prius incautè aſpiceret, quod poſtmodum inuitus amaret.] Oculos ergo primò cuſtodiuit, ne concupiſcentia exardeſceret, & concupiſcentiam coërcuit, ne vel cogitationis immundiciâ delinqueret; & ſic ſe totum immunem à delicto ſeruaret. Item huiuſmodi cogitationes ex occaſione rerum viſarum, auditarum, aut alio ſenſu perceptarum, procedunt. Quoniam hæ res in mentibus noſtris ſui imagines imprimunt, ad quas facilè, ſi non aliunde teneamur, ipſius mentis volubilitate côuertimur. Et res appetitui conuenientes fortiter nobis adhærent, adeò, vt vix ab earum memoria nos extricare poſſimus. Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ:] & ſicut corpus de limo factum eſt, ita

Gen. 2. 7.

D ſpiritus quodammodo limoſus & glutinoſus eſt, quia terrena illum afficiunt, niſi ad cœleſtia amanda & cogitanda ſe efferat. Poſtrema cogitationum malarum aut ineptarum cauſa, eſt aſtus diaboli, qui quos poteſt, prauis, & impudicis, & amaris cogitationibus vulnerat, quos non poteſt adeò ferire, ſaltem vanis, & inutilibus cogitationibus fœdat. Poteſt enim ille in organis corporis animales ſpiritus, & imagines rerum mouere, vt ſic vana & ſuperflua repræſentet. De quo inquit Iob: Quia halitus eius prunas ardere facit; quia impulſus eius cogitationes prauas excitat, & ad impuras concupiſcentias impellit. Baſilius has quatuor malarum cogitationum cauſas ſub duabus comprehendit. Duobus modis, ait, indecoræ conceptiones rectis cogitationibus turbam & intemperiem conciunt: cùm aut animus, videlicet ex

Iob 41. 12.

Baſil. in conſt. monaſt. c. 18.

E ſuaipſe quadam incuriâ, ad rerum futilium contemplationem aberrat, temeréque ex aliis in alias cogitationes dilabitur; aut cùm inſidioſè menti noſtræ abſurdas rerum ſpecies diabolus conatur obiicere, eámque hoc modo à rerum laudabilium contemplatione inquiſitionéque auocare.] Sic ille. Sed ex quacumque cauſa exoriantur huiuſmodi cogitationes, abnegatione cohibendæ ſunt, & à iuſtorum cordibus ablegandæ.

A Enitamur itaque, cor noſtrum poſſidere, & in illud dominorum poteſtatem comparare: ita ſcilicet vt ſemper ad ianuam eius per ſolicitam circunſpectionem aſtantes, & bonarum cogitationum ingreſſui conſentientes, malas & inutiles reſpuamus. Illúdque ſciamus, hanc poteſtatem noſtram, qua cogitationibus imperemus, ſecundùm tropicam ſignificationem ex ſententia Caſſiani in illo Centurione fuiſſe adumbratam, qui dixit ad Dominum: Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic; vade, & vadit: & alij; Veni, & venit. & ſeruo meo; Fac hoc, & facit.] Sic & nos ſub noſtra ditione cogitationes habere enitamur, adeò vt quibuſdam, ſcilicet bonis, aduentum; quibuſdam autem, ſcilicet malis, non ſine indigna-

Caſſian. col. 7. c. 5.

Matth. 8. 9.

B tione diſceſſum imperemus. Nec ſola poteſtas nobis neceſſaria eſt, ſed etiam ſolicita circunſpectio. Nam ſicut aliquando inter filios Dei affuit etiam Satan: ita (docente Gregorio) bonis cogitationibus à ſpiritu Domini ſeminatis, diabolus malas aut ineptas interſerit, quibus bene cogitata perturbet & malè perturbata dilaniet. Huic autem dolo aduerſarij, cura circunſpectionis obſiſtimus, filios Dei, filios Dei eſſe, & Satan, Satan eſſe cognoſcimus: ac illis in ſuum locum admiſſis, iſtum à domicilio cordis Deo conſecrato repellimus. Mediorum autem ad hanc cogitationum mortificationem, quædam omnibus malis & ineptis cogitationibus communia ſunt: quædam tribus prædictis cogitationum generibus accommodata, & tam hæc quàm illa breuiter per-

Iob 1. 6.

Gregor. 2. mor. c. 23.

C tractabimus.

Si ergo vis malas & vanas cogitationes gladio mortificationis abſcindere, poſtula à Domino, vt ipſe in hoc bello te adiuuet, & cor tuum rebelle & fugax tibi ſubiiciat. Illum in hoc bello adiutorem eſſe fatetur Dauid: Protector meus, inquit, & in ipſo ſperaui; qui ſubdit populum meum ſub me.] Nam ſanctis mentibus, vt interpretatus eſt Gregorius, populi ſubiguntur, cùm ab eis per diſtrictæ ſeueritatis præſentiam cogitationes ſtultæ diſſiliunt, vt non per abrupta phantaſmatum rapiant, ſed rationi ſubditæ, à corde humiliter conquieſcant.] Idipſum Eccleſia actione prædicat; quæ publicas orationes aliquando in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio fundit, vt adiutorium ad repellendas malas cogitationes efflagitet. Tu au-

I.

Pſal. 143. 2.

Greg. 16. mor. c. 18.

D tem Eccleſiæ fili, matrem ſanctiſſimam imitare; & ſciens quia Dominus non ſolùm aufert à nobis cor lapideum, & tribuit carneum; ſed etiam aufert cor immundum, & tribuit mundum: dic illi cum Dauide: Cor mundum crea in me Deus;] vt ipſe in te mundiciam cogitationum attribuat. Deinde principiis cogitationum reſiſte: facilius namque ingreſſus malæ aut inutilis cogitationis impeditur, quàm poſt ingreſſum aſſenſus denegatur. Et beatus ille, qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram.] Ille, inquam, beatus eſt (inquit Dorotheus) qui quæcumque genimina tua, ô ſæcule, id eſt prauas & iniquas cogitationes non admiſerit in ſe, neque his omnino in principio locum dederit, vt coaleſcere poſſint, & augeri, ac tandem malum operari.] Non er-

Pſal. 50. 12.

II.

Pſal. 136. 9.

Dorothe. doct. 11.

E go immorandum nobis eſt, cùm inepta cogitatio mentem pulſat, ſed ne nos inficiat, atque contaminet, è veſtigio repellenda. Præterea, huiuſmodi inutilia & praua cogitata, patri ſpirituali cum magna humilitate & ſinceritate propalato, vt ipſe ex cogitationibus tuos affectus agnoſcat, & iſtis ac illis cogitatum medicamentum adhibeat. Hunc fuiſſe morem antiquorum monachorum Ioannes Climacus manifeſtè narrat. Ait enim, cuiuſdam monaſterij ex illis mores deſcribens: Ad cuiuſdam fratris latus cùm ap-

III.

Climacus grad. 4. ante medium.

pentium cingulo breuem libellum conſpicerem, didici eum quotidie cogitationes ſuas in eo notare, háſque omnes nuntiare paſtori ſolitum. Non ſolùm autem illum, ſed & alios quàm plures id facere ibidem proſpexi.] Optimus ſanè mos, quo illud Dauidicum implemus: Effundite coram illo corda veſtra;] quæ ſine dubio coram Domino effundimus, cùm ei, qui locum Dei gerit, noſtras cogitationes ad medelam propalamus. (Pſal. 61. 9.)

IV. Conſidera quoque, Dominum cor tuum videre, intima eius atque occultiſſima aſpicere, & nihil eſſe tam abſconditum, quod non eius oculis clarum ſit & apertum. Et ſi coram Prælato aut homine magnæ auctoritatis, inutilia cogitare erubeſceres; quanto magis fugies, eadem quæ Deo diſplicent, in eius oculis meditari? Hac ratione ſanè potentiſſima Ioannes Caſſianus nos ad munditiam cogitationum hortatur. Propoſito quippe illorum exemplo, qui in agone terreno decertabant, hæc ſubiicit: Quod illi in corporis puritate aſſequi cupiunt, nos debemus etiam in arcanis conſcientiæ poſſidere, in qua Dominus arbiter atque agonotheta reſidés, pugnam curſus & certaminis noſtri iugiter ſpectat, vt ea quæ in propatulo horremus admittere, ne intrinſecus quidem coaleſcere incauta cogitatione patiamur, & in quibus humana cognitione confundimur, ne occulta quidem conniuentia polluamur. Quæ licèt poſſit hominum præterire notitiam, ſanctorum tamen Angelorum (ſi eis Dominus reuelauerit) ipſiuſque omnipotentis Dei ſcientiam, quam nulla ſubterfugiunt ſecreta, latere non poterit.] Sic ille. Qui autem Domini maieſtatem meditantes, ab ineptis cogitationibus non rettahuntur, ipſo opere ſuo ſentire videntur, quòd poſſint ab oculis eius abſcondi. Quibus congruet illud Iſaiæ: Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos? Et quis nouit nos?] Aut certè ſi id non ſentiunt (ſicut verè non ſentiunt) ſatis inuerecundi ſunt, qui oculos Domini ſua corda cernentes non verentur. (Caſſia. li. 6. c. 9.) (Iſa. 29. 15.)

V. Poſtremò efficaciſſimum remedium ad inanes & prauas cogitationes pellendas, eſt bonis ſemper cogitationibus occupari. Mundus enim in quo fluctuamus, inquit Bonauentura, variis tempeſtatum ventis agitatur; & qui non vult nauem cordis ſui quaſſationibus conteri, vndarum influxione demergi, vel in extremas plagas ventorum flatibus impelli, affigere eam funibus bonarum cogitationum aſſueſcat ad petram immobilem, quæ eſt Chriſtus.] Hæc ille. Anſelmus verò id ipſum optimo ſimili declarat: Sicut enim cùm manu ſcribimus, eadem manu nequaquam ſemina ſpargimus; ſic cùm vtile quid cogitamus, non poſſumus ad inania eadem cogitatione dilabi. Sancta igitur & vtilia ſemper cogitemus, quæ impura & inutilia repellent. (Bonau. in informat. nouit. 2. p. c. 4.) (Anſel. li. de ſimilit. c. 159.)

Hæc ſunt media generalia ad malas cogitationes ſubruendas; non deſunt verò alia magis ſpecialia, quę triplici illi cogitationum generi ſuprà dicto medeantur. Cogitationibus impuris & peccatum aliquod ingerentibus obſiſtemus, ſi meminerimus noſtræ profeſſionis, cui talia cogitare minimè congruit. Ne ergo à memoria repellat Deum, inquit Bernardus, irruens turba plurimarum cogitationum, quæ ſolent effluere, tanquam vilis plebecula in atrium; ponatur ad eius portam ianitor, cuius nomen eſt recordatio propriæ profeſſionis: vt cùm turpibus ſeſe cogitationibus ſenſerit animus prægrauari, increpet ſe, & dicat ſibi: Tune hæc debes cogitare, qui ſacerdos es, qui clericus es, qui monachus es? Cultor iuſtitiæ debet in ſe quicquam iniquum admittere? Decet ſeruum Chriſti, amatorem Dei, tale aliquid ad modicum meditari? Hæc dicendo excludet fluxum illicitæ cogitationis per recordationem propriæ profeſſionis.] Proderit etiam ſi portas ſenſuum occluſerimus; nam ea, quæ viſu, auditu, aut alio ſenſu percipimus, ſunt quæ prauas cogitationes exſuſcitant, & cordis mundiciam deprædantur. Vnde cautè ſenſibus vti, eſt ſeminaria malarum cogitationum amputare. E re tandem erit, ſi eorum conuictum vitauerimus, qui nos poſſunt ad malum excitare. Hi enim exemplo aut conuerſatione ſua, primùm ſenſus exteriores pulſant, deinde cogitationem mouent, poſtea deſideria ſuſcitant, & tandem nefariis operibus ingreſſum aperiunt. De hoc remedio iſta dicit (Bern. ſer. de ampli. ...) (A)

B Baſilius: Atque etiam ad continendam in officio mentis agitationem, ne ad futiles videlicet, ac minimè neceſſarias cogitationes aberret, illud adiuuat, ſi quis ſeorſum à cæteris communem vitam ſectantibus, viuat: Quandoquidem promiſcuè vitam agere cum iis, qui ſecuti perfectam illam Domini præceptorum obſeruationem contemnunt, pernicioſum eſſe, etiam Salomon ipſe docet. Sic enim eſt apud ipſum: Noli amicus eſſe homini iracundo, neque habitaueris cum viro furioſo, ne forte diſcas vias eius, & ſumas laqueos animæ tuæ.] Sic ille. (Baſil. reg. 6. fuſius diſp.)

Cogitationes otioſæ, curioſæ, & inutiles his remediis cohibentur: Si nobis cordi ſit proprius mentis profectus, qui his cogitationibus mirum in modum impeditur; & qui ſua diligenter curat, aliena illi cogitare non vacat.

C Si per experientiam didicerimus, quantum hæ animum diſtrahant, mentem inquietent, & omnia interiora perturbent: quibus profectò ſi aditum aperuerimus, impoſſibile eſt feruidè orare, intentè meditari, & aliquam in familiaritate cum Deo progreſſionem habere. Si otium & ſocordiam vitauerimus, quæ fons eſt huiuſmodi cogitationum. Quid enim minùs malum otioſus & excors faciet, niſi vana & inutilia cogitare, & ſeipſum memoria rerum inanium affligere? Si denique intelligamus, ſtultiſſimum eſſe, ſpacia temporis ad Deum cognoſcendum & amandum deſtinata, in meta vanitate, ſine vllo fructu, & cum magno noſtro detrimento, conterere.

Cogitationes tertij generis fortiter reprimendæ ſunt: ita vt ſolùm tempore neceſſario & moderatè

D nos occupent: Oportet, inquit Bernardus, reprimere, quem extinguere non poſſumus, appetitum: vt quàm citò cubile noſtrum ingreditur, creſcere eum nullatenus patiamur: ſed ſub nobis ſit, quemadmodum dicit Scriptura: Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.] Proderit etiam nos ſub Dei prouidentia conſpicere. Et ſi ipſi eſt cura de nobis, non eſt cur nos rerum neceſſariarum anxia cura ſolicitet. Ac demum animo voluendum eſt illud dictum Domini: Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Nam ſi virtutem coluerimus, quæ corpori neceſſaria ſunt, nullo modo defutura ſciamus. (Bernar.) (Gen. 4. 7.) (Matth. 6. 33.)

Vſus mortificationis cogitationum.

E QVi ergo vis malas & ineptas cogitationes cohibere, his te armis præmunire curato.

I. Aſſiduis precibus à Domino efflagita, vt cor tuum ab huiuſmodi cogitationibus mundet.

II. Principiis cogitationum obſta; nam ſerò medicina paratur.

III. Cogitationes tuas ad ruborem & humilitatem, ſpirituali patri manifeſta.

IV. Cor tuum & cogitationes tuas Deo patere conſidera.

V. Bonis

V. Bonis ſemper cogitationibus cor occupatum habe, quæ contrarias intrare non ſinant.

VI. Impuris cogitationibus, memoriâ tuæ profeſſionis, cuſtodiâ ſenſuum, & fugâ malorum, repugna.

VII. Curioſis & otioſis cogitationibus, te amore proprij profectus, vitatione otij, & deſiderio diuinæ familiaritatis, oppone.

VIII. Cogitationibus de rebus neceſſariis, recordatione diuinæ prouidentiæ ac ſummi patris, te ceu filium amantis, obſiſte.

Scitóque viros perfectos tantum dominium ſuarum cogitationum mortificatione comparare, vt ferè ſemper Deum, aut aliquid bonum propter Deum, cogitent, & mirabilem imaginationis tranquillitatem acquirant. Et licèt aliquod bellum ſentiant, illud leue ſit, quòd non multum negotij illis faceſſant.

De ſuſtinendis mortificationibus illatis à Deo.

CAPVT XVI.

OPERA Dei, captui humano incomprehenſibilia eſſe docet Eccleſiaſticus, dicens: Non eſt minuere neque adiicere, nec eſt inuenire magnalia Dei. Cùm conſummauerit homo, tunc incipiet, & cùm quieuerit, aporiabitur.] (*Eccli. 18. 5. 6.*) Adeò, inquit, ſunt perfecta opera Dei, vt nihil quaſi ſuperfluum ab eis demi, nihil tanquam neceſſarium eis adiici poſſit. Adeò ſunt incomprehenſibilia, vt cùm homo ſe ea abſoluiſſe & inueſtigaſſe putauerit, tunc illi, quaſi nihil egerit, incipiendum ſit: & cùm quieſcendum ſibi eſſe cogitauerit, tunc quaſi perplexus & anceps neceſſe habebit, quaſi à principio nouam inueſtigationem ordiri. Hæc verba Rabanus (*Raban. ibid.*) de via virtutis intelligit, in qua nouo feruore ſemper incipiendum eſt, ne ſi homo ſedeat, aut quieſcat, impetu ſuorum affectuum impulſus, in priſtina vitia labatur. Nos verò eadem propoſito noſtro, ſcilicet ſtudio mortificationis, accommodamus, in qua poſtquam iuſtus quaſi ad culmen ſuæ abnegationis aſcenderit, & ſe in omnibus, quæ hactenus docuimus, abnegauerit, debet quaſi de nouo aliud genus ſublimioris mortificationis addiſcere, & æquanimiter illatas ſibi mortificationes à Deo, ſiue per ſe, ſiue per homines, ſiue per aërias poteſtates ſuſtinere. Meritò autem mortificationẽ hucuſque explicatam, initium mortificationis dicemus; mortificationem verò modò tractandam, finem mortificationis, immò & omnis virtutis appellabimus: quoniam illa incipientium, aut proficientium eſt, ſuper quam, tanquam ſuper fundamentum, virtutes ædificant: hæc verò magis eſt perfectorum, quos Dominus, poſtquam ſeipſos probauerunt, probat; & poſtquam ſe exercuerunt, exercet, vt hoc poſtremo mortificationis genere, veluti vltima manu, magis poliat atque perficiat. Profectò illa verba Saluatoris dicta Petro, hoc, quod dicimus, non obſcurè ſignificant: Amen amen dico tibi, (*Ioan. 21. 18.*) cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu nõ vis.] Hîc habemus Petrum iuuenem & Petrum ſenem, id eſt, hominem incipientem atque perfectum. Petrus iuuenis eſt, qui carnis, & ſenſuum, & appetituum rebellionem ſentit. Petrus ſenex eſt, qui dominos & bene morigeratos habet affectus. Pętro iuueni ex ſententia

A Domini conuenit, vt ſeipſum cingat, vt ſcilicet ſeipſum abneget, & quicquid in ſe vitioſum inuenerit, lima abnegationis eradat. Petro autem ſeni competit, vt manus attollat, id eſt, vt ſe Domino obedientem, & (vt dicitur) reſignatum præbeat, vt variis laboribus ab ipſo cingatur. Vnde qui hactenus ſeipſum in omnibus ſuprà dictis abnegauit, neceſſe habet ad omnimodam mentis puritatem aſſequendam, ſe flagellationibus ſummi magiſtri ſubmittere. Quemadmodum enim poſtquam puer chartam ſcripſit, in qua characteres pulcherrimos eſt imitatus, à ludi magiſtro acceſſitur, qui chartam ſcriptam diligenter inſpicit, lituras & cætera errata reprehendit, & calamo ſuo litteras malè formatas emendat: ita poſtquam iuſtus ſeipſum abnegauit, & in ſe (prout potuit) imaginem
B ſalutis expreſſit, ſolet laboribus à Domino immiſſis, veluti penicillo emendari, & quaſi manu ipſius magis ac magis perfici.

Iam ergo explicemus, in quo hæc poſtrema mortificatio collocata ſit. Dominus cum his, qui ſe fortiter & perſeueranter abnegarunt, vno è duobus modis ſolet ſe gerere. Quoſdam enim ſtatim poſt ſui ipſorum abnegationem rerum ſupernarum luce perfundit, affectibus inſuetis charitatis accendit, conſolationibus paſcit, & ceu filios dilectiſſimos, mirabili quadam teneritate delinit. Alios verò è contrà veluti in terra caligine deſerit, cor arens, & omni affectu vacuum habere ſinit, deſolationibus percutit, tentationibus, ægritudinibus, perſecutionibus, infamiis, & triſtitiis affligit. Quare verò tam oppoſitis modis
C cum ſibi dilectis ſe habeat, quis poterit explicare, præſertim cùm ſcriptum ſit: Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Sanè hîc exclamandum eſt cum Paulo: O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius! Auget autem admirationem, quòd Dominus his duabus viis, adeò inter ſe contrariis, in eundem finem tendit, & eundem fructum aſſequitur. Nam immiſſa conſolatione & lætitia animam iuſtam purgat, & perficit, & permiſſa deſolatione, triſtitia & afflictione animam mundat, atque purificat. Sæpéque eueniet, vt alter conſolationibus, & alter afflictionibus eundem gradum perfectionis acquirant. Nam & in curia regis terreni, id non ſemel ſolet contingere, vt vnus dulci
D familiaritate regis detentus, & alter duris præliorum periculis occupatus, ſimiles diuitias parent: cur non in Eccleſia, quæ curia Dei eſt, idem non eueniat, vt vnus per iter ſuaue conſolationum, & alter per anfractus tribulationum, ſimilem omnino puritatem obtineant? Qui itaque conſolationibus & ſerenitate purgantur ampliùs & perficiuntur, ſunt ex illis, qui canunt cum Dauide: Quoniam ira in indignatione (*Pſal. 29. 6.*) eius, & vita in voluntate eius. Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.] Quia poſt veſperum abnegationis ſuæ, in quo fleuerunt, experiuntur matutinum cœleſtis lætitiæ, qua lætantur. Qui verò deſolationibus & afflictionibus ampliorem mundiciam adipiſcuntur, ſunt ex illis, qui dicunt cum Paulo: Nullam requiem habuit caro noſtra, (*2. Cor. 7. 5.*)
E ſed omnem tribulationem paſſi ſumus; foris pugnæ, intus timores.] Omnem, inquam, tribulationem ſuſtinent, non ſolùm illam, quam ſponte ſubeunt, ſed & illam, quam, repugnante natura, ab aliis ſuſcipiunt. Foris ſecum pugnant, & poſtquam ſeipſos vicerunt, necdum aliquo præmio victoriæ fruuntur, quod diſponente Domino, dilatum eſt, ſed intus cum ingenti timore & cum multiplici afflictione decertant. Illos primos refert Salomon, qui poſt paruulam contradictionem, à fratre Adonia ſuſcitatam, ſtatim in throno (*3. Reg.*)

Reg. patris ſedet, & cum magna tranquillitate regnum adminiſtrat. Iſtos repræſentat Dauid, qui nunc cum gigante pugnat, nunc iras Saulis & mille pericula mortis ab illo intentata ſuſtentat, nunc aduersùs Philiſtæos frequentia bella ſuſcipit, & tandem in fine vitæ nonnullam pacem recepit. Sic prorſus illi primi iuſti à fratre, id eſt, à propria carne, tantiſper impugnantur, ſed ea per mortificationem victa, pacem magnam, lætitiam ſpiritus, & exultationem obtinent. Iſtis verò etiam victo gigante, id eſt corpore domito & affectibus moderatis, innumeræ afflictiones ſuſtinendæ ſuperſunt.

Duo igitur hæc mortificatio continet: Alterum eſt, vt ſi poſt multam mortificationem ac perſeuerantem multorum annorum abnegationem, Dominus voluerit, nos non conſolationibus deliniře, B ſed afflictionibus, tum internis tum externis, exercere, id æquanimiter feramus. Alterum verò, vt quaſcumque tribulationes, tentationes, moleſtias, ariditates, deſolationes, & obſcuritates immiſſas, reſignato animo toleremus. Statuamúſque apud noſmetipſos, ſi ita Domino placitum fuerit, gaudia etiam ſpiritualia futuræ vitæ relinquere, in qua cum ipſo exercente nos, in æternum gaudebimus, & in hac mortalitate, omni luce, & gaudio, & pace, & conſolatione carere. Quibus ſe à nobis ſubtrahentibus, non ob id conſolationes corporales quæremus, ſed in omni ariditate & deſertione poſiti, Domino conſtanter, feruidè, & fideliter ſeruiemus, & ſæculum, & omnia eius ſplendida conculcabimus. C Beatus ille, qui hanc reſignationem perfectam habuerit, & ſe ab omnibus quoque conſolationibus ſpiritualibus ablactauerit, quia occulto quodam modo, & non ſolùm hominibus, verùm & ipſi abſcondito, mirum in modum proficiet. Hanc mentem reſignatam & plenè mortificatam induemus, ſi animo expenderimus, Domino vniuerſorum, cui vel in minimo repugnare nefas eſt, ita placere, vt triſtes, afflicti, & ſine conſolatione viuamus.

Gregor. 2. mor. c. 12. Magna quippe eſt conſolatio in eo, quod diſplicet, inquit Gregorius, quod illo ordinante erga nos agitur, cui nonniſi iuſtum placet. Si igitur iuſta Deo placere ſcimus; pati autem nulla, niſi quæ Deo placuerint, poſſumus, iuſta ſunt cuncta, quæ patimur, & valde iniuſtum eſt, ſi de iuſta paſſione D murmuramus.] Hac meditatione patientiſſimus *Iob c. 19.* Iob ſuam afflictionem ſolabatur, quando dicebat: Et hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore, non parcat, nec contradicam ſermonibus Sancti.] Hoc, inquam, habeo pro leuamine, vt maioribus doloribus & pœnis vſque ad mortem afficiat, quia hinc ereptus, ſecurus euadam, quòd nunquam mei Cōditoris ſanctiſſimi præceptis obſiſtam. Hanc & Eccleſiaſticus omnibus in commune proponit, & non ſemel repetit, quaſi efficaciſſimam ad *Eccl. 2. 3. 4.* afflictorum conſolationem: Suſtine, inquit, ſuſtentationes Dei, coniungere Deo, & ſuſtine, vt creſcat in nouiſſimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe.] Ac ſi diceret: Suſtine afflictiones E tibi euenientes, quoniam à Deo immiſſæ ſunt; conglutinare Deo per patientiam & tolerantiam, & patienter ſubiicias te probationi, vt in nouiſſimis magno incremento meritorum augearis. Quicquid à manu Domini tibi datum fuerit, licèt laborioſum & moleſtum, libenter accipe, & in mediis doloribus patienter expecta, & in afflictione ac deiectione tua tolerantiam habe, quoniam ſicut metalla probantur igne, ita & tu tribulatione probaris.

A Licèt autem hoc abundè ſufficiat, vt vnuſquiſque tentationi & deſolationi ſe ſubdat: neque enim dicit figmentum ei qui ſe finxit; Quid me feciſti ſic?] Tamen non deſunt aliæ cauſæ, quas intellectus *Rom. 9. 21.* humanus, diuina luce perfuſus, aſſequitur, quarum conſideratione iuſti, malis pœnæ probati, poſſunt ſe ad tolerantiam roborare. Eos quippe Dominus per viam deſolationum & tentationum ducit, vt domentur, vt humilientur, vt promoueantur, & vt perfectiùs Chriſti imitatione formentur. Primò quidem vt domentur: Nam ſunt aliqui iuſti, etiam ex his, qui vtcumque ſe mortificatione mundarunt, qui conſolationibus & proſperitatibus affecti, nunquam plenè ſeipſos cognoſcunt, nec veterem hominem exuunt, in quibus Dominus riuos B dulcium lacrymarum exſiccat, & à quibus conſolationes aufert, & in quadam miſera ariditate & paupertate conſtituit, vt ſuam imbecillitatem calleant, & proprium amorem, quo in omnibus ſeipſos quærunt, abiiciant. Neſciunt plenè ſubdi Deo, quare illos flagellis & fame percutit, ceu feras indomitas, vt ſuo factori ſe ſubdant. Ad quod plurimum facit pulchra Auguſtini ſententia: Imago Dei, ait, domat feram, & non domat Deus *Aug. ser. 4. de verbis Domini.* imaginem ſuam? In illo ſpes eſt, ei nos ſubdamus, & miſericordiam precemur. In illo ſpem noſtram ponamus, & donec domemur & perdomemur, id eſt, perficiamur, domitorem feramus. Plerumque enim profert domitor noſter etiam flagella: ſi enim tu ad domanda iumenta tua, profers virgam, Deus C non proferat ad domanda iumenta ſua, qui ſumus nos, qui de iumentis ſuis faciet filios?] Hæc ille. Vix autem credi poteſt, quantùm hæc Dei flagella mentem doment, quantùm deprimant, quàm mitem ac tractabilem illam efficiant. Et quæ tempore conſolationis, ad damnationem ſuam omne aſperum refugiebat, & quaſi tenera ancillula ſibi tantùm vacabat, poſtea ad ſalutem ſuam pro Domino labores amplectitur, & ad omne bonum ſupernaturalibus viribus exornatur. Dicit: Quæ priùs tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei, ſumpſi. Et hæc licèt alimenta inſuauia, tamen ſalubria, eam ad ætatem virilem prouehunt, ad ſanctitatémque perducunt.

Deinde affliguntur vt humilientur: Nam, vt D inquit Iſaias: Tantummodo ſola vexatio intelle- *Iſaia 28. 19.* ctum dabit auditui:] & hæc potentiſſimè nos nobis detegit, quàm infirmi & viles ſimus, aperit, & in infimum noſtræ contemptionis demittit. Et eadem ratione multiplici afflictione tentamur, qua animus noſter fragili carni copulatus eſt. Duplici enim ratione, vt ait Laurentius Iuſtinianus, Dei ſa- *Inſtit. l. de diſcipl. monaſt. c. 4.* pientia rationalem ſpiritum fragili atque paſſibili copulauit naturæ: vt qui luteo amictus erat indumento, atque in hoc exilio cum cæteris poſitus animantibus, æquanimior eſſet, ac humiliter præſtolaretur tempus, quo de hac traheretur peregrinatione. Præterea vt ex aſſidua conſideratione corporeæ fragilitatis, occaſionem caperet conſeruandi eximia dona ſuæ ipſius ſpiritualis naturæ: quia propalatæ di- E uitiæ facilè deprædantur; quæ verò latent, cuſtodiuntur ſine labore.] Sic ille. Multi igitur cæleſtibus conſolationibus meſcati, aliorum conſortia refugiunt, quibus vtiles eſſe poſſent: in ſuorum donorum conſideratione, velut Angelus Apoſtata, ſe efferunt; & ſe abſcondita quadam cogitatione ſuper alios extollunt. Quare peritiſſimus animarum medicus, vt huic ſuperbiæ medeatur, idôlum illorum, id eſt, præſenté proſperitatem, qua fruebantur, demolitur, (illis enim quaſi idolum eſt,. quia neſciunt diuinis donis

bene vti) & afflictionibus ac cæcitatibus implicatos,ad ſuæ infirmitatis notionem,& ad honeſtos cum animabus labores exire compellit. Dicat ergo qui afflictionibus & mentis ariditate probatur: Bonum mihi quia humiliaſti me:vt diſcã iuſtificationes tuas.] Nam verè illata afflictio,humilitatem inuehens,quæ iuſtitiæ eſt fundamentum, mandatorum Dei ſalutarem doctrinam inducit. *Pſal.118. 71.*

Affliguntur etiam vt promoueantur. Quoniam ſi cæleſtis conſolatio & dulcis affectus mirum in modum virtutem promouet, non minùs tamen eadem virtus,immò ſæpe multo magis deſolatione, ariditate,& afflictione multiplici cumulatur & creſcit. Facillimum enim eſt, immoderato amore conſolationibus adhærere,quod triſtitia & dolor illorum teſtatur, qui abſentiam Domini quaſi impatienter ferunt, non tam quia Deus ſe abſcondit, quàm quia conſolatio ſuauis abſcedit. Qui autem immoderatè conſolationi adhæret, cùm iam non Deum, ſed ſeipſum quærat manifeſtè, non creſcit. Similiter facile eſt, potionibus amaris, & abſtinentia eorum quæ nos delectabant, mente ſanari, & per patientiam rerum moleſtarum ad perfectionem prouehi. Vnde Baſilius optimè: Fili,patientiam arripe,quia maxima virtus eſt animæ, vt velociter ad ſublimitatem profectionis poſſis aſcendere. Et ſtatim: Patientia grandis eſt medela animæ.]Verè grandis,quæ quanto duriùs, tanto ſecuriùs ſanat,& dum moleſta dolorem ingerunt,& patienter tolerantur, ſuſtinentibus neſcientibus eis, quam per conſolationes quærebant, ſanctitatis menſuram attribuit. *Baſil. admonit. ad filiũ ſpirit.*

Affliguntur denique iuſti, vt perfectiùs Chriſti Saluatoris noſtri imitatione formentur. Si enim vitam Domini diligenter inſpicimus,inueniemus eum doloribus libenter quidem admiſſis, ſed ab alio illatis,noſtram ſalutem perfeciſſe.Calicem,inquit,quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Et quare Pater ipſe calicem filio dedit, & non illi eligendum & pro libito aſſumendum remiſit?Credo certè vnam ex multis rationibus fuiſſe, ne huic calici aliqua cauſa doloris & aliqua circunſtantia perfectionis deficeret. Nam dolor voluntariè aſſumptus, minùs percutit, & affligit nos, multo verò magis ille, quem alius ingerit, & nobis ſuſtinendum eſſe præſcribit. Et magnum meritum eſt, laborem ab alio impoſitum libentiſſimè ſuſtinere, & magna perfectio, voluntatem noſtram dolorem infligenti accommodare, & nec in minimo eius iuſſis contraire. Vt ergo hæc obedientia, hæc charitas,hæc patientia in Chriſti laboribus eluceret, calicem à Patre quidē datum, & à ſe ipſo libentiſſimè ſuſceptum, voluit pro nobis bibere. Nec hac Patris iuſſione contentus,qua ſibi iuſſum eſt pati, voluit quoq; paſſionem ſuam Iudæorum manibus inflictam tolerare. Denique illi Chriſtum comprehendunt,illi flagellis cædunt,illi ſpinea corona venerabile caput cingunt, illi humeris eius crucem imponunt,illi veſtibus exuunt, illi cruci clauis affigunt, illi eleuant Dominum crucifixum, & medium inter cælum & terram ponunt:illi lancea latus perforant, illi ſannis & opprobriis ſaturant, illi tandem quæcumque poſſunt, eidem afflictionis & doloris infligunt. Ipſe autem Dominus hæc omnia mala ab aliis illata patientiſſimè ſuſtinebat,libentiſſimè amplexabatur, & pro reuerentia Patris & amore hominum, ac ſi eſſent dulcia & læta,ſuſcipiebat. Et oblatus eſt,quia ipſe voluit,& non aperuit os ſuum. Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tōdente ſe obmuteſcet,& non aperiet os ſuum.] Quid ſibi vult illa repetitio:& non aperuit os ſuum, & non aperiet os ſuum? Non quidem aperuit os *Ioan. 18. 11.* *Iſa. 53. 7.*

A ſuum,vt patri repugnaret, tantorum cruciatuum admiſſionem imperanti; immò dixit: In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.] Et non aperuit os ſuum, vt de Iudæis tanta mala inferentibus conquereretur, aut tam acerbis pœnis obſiſteret: Dominus Deus, inquit, aperuit mihi aurem, ego autem non contradico; retrorſum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.] Et ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.] Nunquid Dominus maieſtatis hæc omnia mala deforis illata ſuſcipiet, & nos, B qui de mortificatione & eius ſequela gloriamur, nihil verum ab illis illatum ſuſtinebimus pati, & contenti erimus quædam quaſi ficta manu propria, quæ erga nos ipſos blandiſſima eſt, inflicta tolerare? Iam initia ſpiritus relinquamus, iam noſtra cilicia, & flagella, noſtras vigilias, & ieiunia, noſtras ſenſuum & affectuum cohibitiones, & reliqua huiuſmodi contemnamus, ſi res moleſtas extrinſecus aduenientes impatienter ferimus, & manu Domini probari nolumus. Manus enim noſtra, qua nos abnegamus, infirmiſſima eſt, non eſt indicium magnæ fortitudinis, ſi eius vulnera ſuſtineamus; at manus Domini potentiſſima eſt,ſignúmque eſt inſignis virtutis, ſi plagas ab illa impoſitas toleremus. *Pſal. 39. 8* *Iſa. 50. 5. 6.* *Pſal. 37. 18.*

C At ſcio,quo prætextu te protegas.Ais enim,te non moleſtias illatas ſed profectus impedimenta ſentire. Quia videlicet ægritudinibus preſſus religioſam diſciplinam ſeruare, & ariditate ac deſolatione mentis affectus, Deum feruidè amare non poteris.Optimè, ſed audi quàm inſigniter decipiaris! Nam ſi hæc quæ pateris, ad perſecutiones inimicorum, ad detractiones & infamias pertineant, non te à diſciplina ſeparant, non ab amore diuellunt, immò te ad diſciplinam diſtrictiùs cuſtodiendam,& ad Deum feruentiùs quærendum impellunt. Sponſæ quidem vox eſt: Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.] Vtriuſque, Aquilonis ſcilicet & Auſtri, flatum deſiderat, quorum illo perſecutiones, iſto proſperitates intelligimus: quia vt fluant virtutum aromata, non minùs D prodeſt perſecutionis aſperitas, quàm iucunditas conſolationum. Et illi, quos commemorat Paulus, lapidati,ſecti, tentati,& in occiſione gladij mortui,his malis affecti, nullo modo perfectionem amiſerunt, ſed maiorem ſanctitatem compararunt. Si verò tentationibus & dæmonis impulſibus moleſteris, hæc etiam nec diſciplinam nec amorem impediunt erga Deum, modò aduersùs tentationes pugnes, & ſuaſionibus diaboli minimè cōſentias.Quin & tentationes maiori diſtrictione vincimus, & ardentiori amore ſuperamus. Et Paulus tentatus ait: quoniam virtus in infirmitate, id eſt, tentatione,perficitur.] At te multiplex ægritudo diſcruciat, quæ te nec ieiunare, neque ad vigilias aſſurgere, nec cum aliis laborare permittit. Nihil omnino refert,ſi dum E ab externa diſciplina, quia eam ferre non potes, deficis, aliud melius & Deo gratius in ſacrificium offert. Audi quid de fratribus ægrotis dicat Hugo Victorinus: Nihil de ordine implere ſe fatentur, ſed, niſi fallor, implent totum. Infirmitatis clauſtro coarctantur, diſciplinantur anxietatum virgis & ſpinis dolorum: ieiunant, vigilant, laborant: quia cibum, ſomnum, quietem infirmitas negat.] Hæc ille. Non ergo eſt, cur triſteris, quia diſciplinam ſanorum non ſeruas, ſi aliam ſine comparatione *Cant. 4 16.* *Hebr. 11. 36.* *Hugo. 1 de clauſtro animæ c. 12.*

auſteriorem

auſteriorem ægrotorum cuſtodis. Denique cordis ariditatem & in oratione deſolationem ægerrimè ſuſtines, & ea à religionis & cultus Dei actibus impediri conquereris. Non miror ſi hoc ſentias. Quis enim tuam abſentiam, ô ſuauiſſime animarum ſponſe, non ſentiat? Quis ſine lacrymis atque ſingultibus te fugiſſe & abſceſſiſſe ſuſtineat? Sed hæc Domini abſceſſio, modò culpa tua vacet, ô frater, ſi non hilariter, at patienti & reſignato animo ſuſtinenda eſt, qua ſæpe ſolam ſenſibilem conſolationem perdis, amabilem verò eius præſentiam non amittis. Mariæ Magdalenæ Dominus præſens aderat, & illa tantæ dignationis ignara illum abſentem deflebat. Ipſe alloquebatur eam: at illa ipſius alloquio ſe priuatam eſſe lugebat. Audit eum dicentem: Mulier
Ioan. 20. 15. quid ploras? Quem quæris?] Et adhuc in luctu B perſiſtit, & ſingultus doloris ingeminat. Ita ſæpe, ô anima, quamuis arida & deſolata, Deum præſentem habes, ſed non agnoſcis: audis, ſed non intelligis, & ſalutem tuam ſubliniori modo operantem, quaſi tuæ ſalutis obliuioſum, incuſas. At aridus non amo? Si amas: Et amor deuotionis ſi eſt dulcior, fortaſſis amor deſolationis eſt verior: ille ſuauior, ſed iſte robuſtior: ille nos paſcit, & iſte non ſemel Domino magis placet. Denique perpetua conſolatio non huius temporis eſt, ſed æui futuri. In hoc namque tempore, deſolatione, & conſolatione; aduerſitate & proſperitate perficimur: De manè vſque
Iſa. 38. 12. ad veſperam finies me,] inquit iuſtus Ezechias, id
Bern. ſer. de cantico Ezechiæ. eſt, conſummabis me. Non in ſolo manè, ait Bernardus, viſitationis, aut tantùm in veſpera tentationis, ſed in vtroque ſimul erit perfectio mea. Stultus C ergo qui tantùm ſperabam vſque ad manè, cùm Da-
Pſal. 129. 6. uid dicat: A cuſtodia matutina vſque ad noctem ſperet Iſrael in Domino.] Hæc omnia dicta ſunt, ne
1. Cor. 11. 32. nos infœlices putemus, cùm à Domino probamur, cùm mortificamur, cùm affligimur, quia dum iudicamur, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Qui igitur hucvſque nos ipſos cohibuimus, & ſenſus noſtros, & affectus, voluntateſque compreſſimus, ad hoc genus mortificationis ſublimius aſcendamus, vt aduerſa nobis illata patienter & hilariter toleremus.

De documentis generalibus ad Mortificationem.

CAPVT XVII.

OMNIA quę ad ſingulas virium noſtrarum mortificationes ſpectant, iam explicata ſunt, reſtat vt documenta generalia tractemus, quæ huic ſtudio vitæ ſpiritalis præcipuo ſubſeruiant. Licèt enim in quaque mortificatione media ſpecialia ad eam exercendam docuerimus, nunc ſi documenta, quæ generaliter omni mortificationi proſint, aſſignemus, nos operæpretium facturos putamus.

Si ergo, ô iuſte, cupis temetipſum vtiliter cohibere, mortificationem tuam ad finem debitum ſemper referre memento. Finis autem eius eſt perfectio vitæ, puritas mentis, mandatorum obſeruatio, & vniuerſarum acquiſitio virtutum. Huius primi documenti notiſſima eſt tum veritas, tum neceſſitas: eiuſque Beatiſſimus Arſenius, Eremitarum decus & ma-
In eius vita affert Surius in Iulio. niſeſtus aſſertor, qui in quadam grauiſſima oratione ad monachos habita, ſic ait: Fratres & Patres, omnem rem, quam quis aggreditur, præcedit cauſa aliqua &

A ſcopus, propter quem agitur. Cauſam verò, cur nos ex mundo fugerimus, nullam aliam dixerimus, niſi vt purgemus animam, & quæ eam conſequitur, ſalutem adipiſcamur. Statuendum eſt ergo nobis, vt nos purgemus pro viribus, & maximè interiorem hominem, vbi & maius eſt bellum & victoria difficilior. Multi enim ſunt, qui, quod attinet ad carnis pollutionem & peccati operationem, magnam oſtenderunt continentiam, & vſi ſunt ieiuniis & aliis afflictionibus. De pollutione autem cogitationis & perfecta purgatione nihil omnino cogitauerunt, etiamſi ſit præceptum, non de purgatione ſolùm carnis pollutionis, ſed etiam ſpiritus. Quin etiam multis quidem curæ fuit, vt fugerent fornicationem aliáſq; voluptates: vt autem vitia occultiora, nempe inuidiam, glorię cupiditatem, nimiam de ſe perſuaſionem, pecuniarum amorem, & quæ eſt omnium peſſima, ſuperbiam: vt has, inquam, effugerẽt perturbationes, pauci admodum curarunt. Ea ratione hi dimidiam habent purgationem; vel potiùs maiori & præſtantiori parte manent impurgati, ſuntq; veluti ſtatuæ, quę ſæpe quidem extrinſecus auro, vel ære refulgent, interna autem plena ſunt immunditia & quauis alia viliſſima materia. Ab his ergo non maniſeſtis vitiis nos vel maximè ſtudeamus expurgare.] Hactenus ille.

Ita manus & vires tuas ad mortificationem exere, vt nunquam de tuis laboribus & aſperitatibus corporis, ſed de Domino te ad illas excitante, & ob miſerationem ſuam te ad virtutem prouehente confidas. Vt enim inquit Ricardus optimè: Quantum Ricar. in C. it. c. 11.
fideles de ſe diffidunt, tantum in diuinæ ſpei adiutorio confidunt: & quantum de ſe infirmantur, tantum fortes ſunt & potentes in Deo. Sicut enim quod ſeminatur, non viuit, niſi priùs moriatur: ita perficere volens non roboratur, niſi priùs in ſe infirmetur, & ex hoc humilietur: nec in Deo proficit, ſi non priùs in ſe deficit, & defectum ſuum cognoſcit. Impoſſibile eſt igitur, quempiam de ſeipſo triumphare poſſe, donec experimento didicerit, propria ſe virtute obtinere non poſſe triumphum. Itaque infirmitatem cognoſcentibus, & per hoc ſe humiliãtibus, & in ſe non confidentibus, robur præbet Chriſtus, vt carnaliter eſſe fortes deſinant, & ſpiritualiter conualeſcant. Ita dum de ſe deſperant, & in Chriſto ſperant, mutant fortitudinem, & aſſumunt pennas vt aquilæ, atque D volant.] Hæc ille. De te igitur ipſo deſperandũ eſt, qui fragilis & infirmus, quacunq; oborta contradictione deiiceris; & in Domino confidendum, qui ſperantes in ſe nunquam ſine abundanti auxilio derelinquit.

Quamcumque mortificationem exerceas, eam æterno Patri in vnione offeras paſſionum ac laborum Ieſu Chriſti, Domini noſtri ac vnigeniti Filij ſui, vt ex hac actuali intentione & vnione, maius meritum & maiores vires ad mentem ordinandam accipiat. Nam Epheſ. 1. 22.
& pater ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius & plenitudo eius,] vt ſicut membra vnita capiti motum ab eo & vitam habent; ita & nos membra Chriſti in vnione meritorum ipſius vitam gratiæ & gloriæ meritum accipiamus. Anna mater Samuelis volens ſuum votum imple- 1. Reg. 1. 24.
E re, & filium ſuum iam ablactatum offerre Domino, adduxit eum ſecum poſtquam ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo. Talis ſit noſtræ mortificationis oblatio: Offeramus Domino filium ablactatum, id eſt, opus abnegationis ab omni mundi huius delectatione ſeparatum: & offeramus illud cum modiis farinæ & amphora vini, hoc eſt in vnione ſacrificij Chriſti, quod de ſeipſo patri in cruce obtulit, &

panis &c. vini ſpeciebus, ſub quibus ipſe Chriſtus verè latet, expreſſit. Offeramus, inquam, illud in vitulis tribus, quibus Saluatoris noſtri diuinitas, anima & caro ſignantur, vt ex vnione ad hunc Saluatorem gratiùs admittatur, & ampliorem nobis deferat ſalutem. Si enim homines cum optima parte vituli aut arietis, quam ad comedendum accipiunt, non dedignantur viliſſimum quoddam additamentum admittere, cur Dominus cum infinitis, & pretioſiſſimis meritis filij ſui exile opus noſtrum, illis adiunctum non admittat?

Non ſimul omnia mortificationis ſtudia ſuſcipias, ſed à minoribus & facilioribus incipe, & ex illis ad maiora ac difficiliora progredere. Quod non ſolùm de omnium mortificationum genere accipiendum eſt, ſed etiam in quauis ſpeciali mortificatione ſeruandum; vt ſcilicet cùm te abnegare & cohibere diſcis, minora in opere ipſo priùs ad opus veniant, & ea quæ maioris ſunt momenti, præcedant. Ricardus Victorinus ſapienter hoc docet, ſic ſcribens: Qui molliter & diſſolutè viuendo, inimico contra ſe vires præbuit; verſa vice, vt contra hunc roboretur, & illi reſiſtat, à minimis incipiat, & frequenter in talibus præualere conetur, quatenus vſu vincendo roboretur, & de minorum victoria ad maiora vincēda paulatim conualeſcat.] Hæc ergo minora nequaquam cōtemnenda ſunt, non tantùm quia Deo grata, non tantùm quia præmio digna, (vt ſuprà dictum eſt) ſed etiam quia paulatim cor noſtrum emolliunt, & parant ad maiores abnegationes ſuſtinendas, & dum his minoribus occupamur, ad ferendum abnegationis onus aſſueſcimus. *Ricar. in Cāt. c. 21.*

Hæc etiam ſunt media, quæ maximè ad mortificationem adiuuant. Primò, ſi ea bona mortificationis mediteris, quæ ſunt in prima huius tractationis parte deſcripta. Quis enim propter tam præſtantiſſima bona, non labores atque preſſuras libenter ſuſtineat? Secundò, ſi Chriſti Saluatoris vitam intentè conſideres, & te diſcipulum, ſeruum, & militem eius aduertas: nam valde ſtultum eſt, diſcipulum minimè doctrinam præceptoris amplecti, ſeruum ſui domini veſtigia non ſequi, & militem pugnantis & occumbentis in cruce ducis, ſegnem & inertem otiari. Tertiò, ſi omnium ſanctorum hiſtorias, tum martyrum, tum confeſſorum, non ad curioſitatem, ſed ad imitationem euoluas, quorum vita (quæ non fuit, niſi perpetua quædam & continens abnegatio) nihil aliud te docebit, ad nihil aliud accendet, niſi ad omnia carnis oblectamenta reſpuenda & plenam de te victoriam comparandam. Quartò, ſi mundanorum vitam oculis mentis obiicias: hi namque, ob perituras diuitias, ob honores inanes, ob impuriſſimas voluptates, mirum eſt quanta faciant, & quanta patiantur: quid ergo æquum eſt, te ob veram virtutem facere, quæ per ſe in immenſum maius bonum eſt, & ad æterna bona aditum parat? Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & ſerotinum. Patiens igitur eſto & tu, & confirma cor tuum, quoniam aduentus Domini appropinquauit.] Quintò, ſi Chriſtum in quocumque, quod aggrederis, te videntem, & conſiderantem, & tuis laboribus præmia decernentem contempleris. Quis enim, vt ait Cyprianus, non libenter & promptè calicem ſalutis accipiat? Quis non appetat gaudibundus & lætus, in quo & aliquid & ipſe Domino ſuo retribuat? Quis non pretioſam in conſpectu Domini mortem fortiter & conſtanter exci- *Iacobi. 5. 7.8.* *Cyprian. epiſt. 77. ad Nemeſianum.*

piat? Placiturus eius oculis, qui nos in congreſſione nominis ſui deſuper ſpectat, volentes comprobat, adiuuat dimicantes, vincentes coronat, retributione bonitatis ac pietatis paternæ remunerans in nobis, quicquid ipſe præſtitit, & honorans, quod ipſe perfecit?

Tandem ad mortificationem complectendam maximè conferet, ſcire eam non eſſe triſtem, non amaram, non turbulentam, ſed lætam, ſed dulcem, ſed tranquillam, licèt primo aſpectu alia eſſe videatur. Ita enim Dominus, qui mitis eſt erga ſuos, panem hunc iuſtorum quotidianum condiuit, vt ore manſus & in opus aſſumptus, dulciùs ſapiat quàm mundi deliciæ. Et ſicut Eliſeus miſſa farina in ollam colocynthidarum, quæ amariſſimæ erant, eam dulcem fecit, & omnem amaritudinem depulit: ita Chriſtus neſcio quid in ſtudium mortificationis iniicit, quo illud dulciſſimum & ſuauiſſimum facit. Ad quod optimum eſt illud Bernardi, qui loquens de verbis amatoriis Beati Andreæ, quibus crucem ſibi dilectiſſimam declarabat, hæc ait: Dum enim noctis huius vigilias celebrantes, in verbis tantæ exultationis cantando delectaremur, putas, non fuit in nobis, qui ſecum cogitaret & diceret: Quid ſibi vult hoc, aut vnde tam noua lætitia? Certè & crux pretioſa eſt, & crux amari poteſt, & crux habet exultationem. Ita eſt, fratres mei. Si fuerit qui colligat ſemper lignum crucis, vitam germinat, fructificat iucunditatem, oleum lætitiæ ſtillat, balſamum ſudat ſpiritualium chariſmatum. Non eſt ſylueſtris arbor, lignum vitæ eſt apprehendentibus eam. Arbor fructifera, arbor ſalutifera eſt: alioquin quomodo Dominicam occuparet terram? Illam dico pretioſiſſimam glebam, cui clauorum eſt infixa radicibus. Si non eſſet hæc pretioſior cunctis, fructuoſior vniuerſis, nunquam illo plantaretur in horto, nec illam permitteretur vineam occupare. Deinde quid mirum ſi cruci ſuauitatem dedit, qui dedit & igni? Aut quomodo crux iudicatur inſipida, vbi dulce ſapit & flamma? Quid enim ſapiebat Laurentio ignis, cùm irrideret carnifices, iudicem ſubſannaret?] Hactenus ille. Vnde ſi doloris & triſtitiæ timor à mortificatione nos retrahit, iam non eſt, cur illam fugiamus, quam alacrem & exultationis plenam inueniemus ipſa hora, qua illam fuerimus amplexi. Quo magis guſtatur, magis dulceſcit; quo auidiùs comeditur, meliorem ſaporem ingerit, & quo frequentiùs aſſumitur, maiorem voluptatem ex ea, amans Deum animus capit. *4. Reg. 4. 41.* *Bern. ſer. 1. de S. Andrea.*

De diſcretione in mortificatione ſeruanda.

CAPVT XVIII.

POSTREMVM quod de mortificatione dicimus, illud eſt, vt ſit ſemper diuinæ ſapientiæ luce gubernata & diſcretionis ſale condita. Neque enim placebit Domino ſacrificium noſtrum, quod hoc myſtico ſale caruerit, & indiſcretio ſtulta dictauerit. Ideóque in Leuitico ſcriptum eſt: Quicquid obtuleris ſacrificij, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo.] In omni oblatione tua offeres ſal. Et Dominus in Marco eandem legem adducens, ait: Et omnis victima ſale ſalietur.] Inſulſa namque, & ideo ingrata eſt Domino noſtrorum obſequiorum oblatio, niſi illi diſcretionis ſal apponamus, quod omnē inſuauitatē defectus ex- *Leuit. 2. 13.* *Marc. 9. 49.*

ceſsúſue

ceſsúſve dimoueat. Sunt quidem nonnulli in omnibus natura remiſſi, qui neq; in vita ſæculari inſigniter mali fuerunt, neque in vita ſpirituali eminere contendunt. Quibus diſcretio ad hoc neceſſaria eſt, vt ſegnitiem auferat, & mentem, quaſi dormiturientem, ad vigiliam feruoris exſuſcitet. E contra ſunt alij natura vehementes, qui flagitia ſectantes, alios coætaneos procacitate & peccandi auiditate ſuperant: & ad bonam frugem conuerſi, inter omnes ſupereminent. In quos quadrat illud Iob: Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium.] Nam ſi frigiditas, peccata; & calor, iuſtitiam ſignificat, quid eſt ab aquis niuium ad nimium calorem tranſire, niſi in malis & in bonis eos nimios eſſe, & nullam menſuram ſeruare? Alij verò non iam propenſione naturæ, ſed conuerſionis feruore concepto, proprias vires examinare non curant, & onera illis imparia ſibi audent imponere: quæ non fragilitati carnis, ſed ardori cordis accommodant. Qui quodammodo infœliciores ſunt illis, qui nunquam viam virtutis incœperunt, quoniam non iam in tenebris, ſed in media luce cæcutiunt. De illis quippe dicitur: Effuſa eſt contemptio ſuper principes; & errare fecit eos in inuio & non in via.] At iſti non iam in inuio, ſed in ipſa via errant, in qua certè errandum non erat. Dominus enim adiuuit pauperem de inopia, & poſuit ſicut oues familias:] quia nimirum incipientibus & robur ad incedendum tribuit, & ducatum ouibus ſuis, ne in quærendis paſcuis errent, impertit. Satis autem miſerum eſt, oues tantum ducem habentes à via virtutis per indiſcretionem deuiare. Hos ergo ſpiritu feruidos, & illos natura nimios nunc alloquimur; & eos ad diſcretionis menſuram in mortificatione ſui tenendam hortamur.

Iob 24. 19.

Pſal. 106. 40.

Ibid. 41.

Hæc autem diſcretio tribus partibus, vt mihi quidem hæc attentè cogitanti videtur, aptè ſufficientérque completur. Quarum vna ad corporis mortificationem, altera ad mentis abnegationem, tertia ad vtramque pertinere cognoſcitur. Corporis mortificatio ſenſuúmque cohibitio, non debet vires naturales carnis aut diuinitus datas excedere. Vires naturales ſunt, quas ipſa natura peperit; vires diuinitus datæ ſunt, quas Dominus ipſe naturæ ipſius, naturæ fragilitatem roborans, quibuſdam eximiis ſanctis, ad magnas aſperitates ſpeciali inſtinctu vocatis, impertiuit. Has ſi tu non habeas, quod ex multis, ſed præcipuè ex conſilio maiorum agnoſces, ſanctos quidem illos admiraberis atque ſuſpicies, non tamen imitaberis, & ſolùm iuxta vires naturales corporalem mortificationem aſſumes. Cœleſtis namque gratia, vt optimè ait Laurentius Iuſtinianus, omnibus ſe communicat, non tamen æqualiter. Cunctos ſaluare vult Deus, non autem ſanctificare.] Nec te infœlicem exiſtimes, qui non vales, ſicut alij, carnem domare; quia per ardentia deſideria & ſtudium interiorum virtutum ſupplere poteris, quod infirma caro ſuſtinere non poteſt. Cogita ergo corpus eſſe ſicut equum, quo veheris; mentem verò eſſe inſtar ſeſſuris, quæ corpori, id eſt, equo, inſidens, illud habenis & fræno diſcretionis gubernat. Et noli equum tuum ita abſtinentia & aliis laboribus macerare, vt mediâ viâ deficiat, & onus ſuſtinere non valeat. Similitudo hæc magni Baſilij eſt, qui corpus rationis expers, à ratione, quæ vt nomen ipſum refert, rectio eſt & intelligentia, gubernandum omnino ac regendum eſſe autumat. Qualis autem erit rectio, ſi ipſi intelligentiæ lux diſcretionis deſit, ſine qua numine intelligentiæ eſt prorſus indigna? Et alibi ad idem ait: Sicut per ciborum abundantiam laſciuiens equus noſter, aurigam quacumque vult peſſimè præcipitem fert: ita & per nimium propoſitum impedit virtutis iter. Quemadmodum denique aurigæ non expedit, equum ita affluenti ſaginare præſepio, vt illius laſciuis motibus inordinatíſque lædatur; & quò ille voluerit, circumferatur, dum feruidis eius ac nimiis viribus nequit obſiſtere: ita neque virtutis viam cum eo pergere inſtituenti, conuenit ex nimia neceſſarij victus indigentia vires eius omnino deducere, ne perpetuis infirmitatis incommodis preſſus, alligatus inextricabiles ipſius cauſa labores ſubire cogatur.] Hæc ille.

Iuſtin. li. de diſciplin. monaſt. c. 27.

Baſil. in conſt. monaſt. c. 3.

Baſil. de virgin. col. 7.

Multis aliis ſimilibus Patres hanc in caſtigando corpore moderationem ac diſcretionem docent. Nam corpus eſt inſtrumentum, quo multa officia noſtræ artis, id eſt, ſpiritalis vitæ, præſtamus. Quod ſi confractum ſit & nimiis aſperitatibus attenuatum, potiùs impedimento nobis erit, nec poterit in virtutis operibus adiuuare. Eſt etiam corpus cithara vel organum, quod artificiosè pulſamus, vt ad ſonum eius laudes Domino decantemus. Vnde Gregorius: Quid eſt officium corporis, niſi organum cordis? Quare ad modum muſici inſtrumenti magnam temperiem exigit: ita ſcilicet vt chordæ, id eſt, vires eius, nec præ laxitate non ſonent, nec præ nimio rigore rumpantur, nec debitam ſibi diſpoſitionem excedant. Eſt quoque corpus, mentis tabernaculum: ideóque Paulus ait: Nam qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eo quòd nolumus exſpoliari, ſed ſuperueſtiri.] Tabernaculum verò in quo habitamus, mundandum quidem eſt, non diruendum: claudendum eſt, ne in id introeant mala, non verò per indiſcretionem diſſipandum. Ac tandem caro noſtra, quatenus bono conſentit, ſocia eſt animi non inimica; vxor eſt non cõcubina: ita ergo tractanda eſt, vt virtuti ſeruiat, non ita vt immoderato onere preſſa ſuccumbat. Errant illi, qui carnem ita diligunt, vt eius commoda propriæ perfectioni præferant, & quaſi ſeipſos in carnem transforment. Quibus Bernardus ait: Cæterùm ſic amet anima carnem, vt non ipſa in carnem tranſiſſe putetur, dicatúrque ei à Domino: Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.] Diligat anima carnem ſuam, ſed multo magis ſuam ipſius animam ſeruet. Amet Adam Euam ſuam, ſed non ſic amet, vt voci eius plus obediat quàm diuinæ. Denique neque ipſi quidem expedit ſic amari, vt videlicet, cui interim caues à flagello fraternæ correptionis, theſaurizes iram æternæ damnationis.] Hi errant, ſed admodum etiam errant, qui carnem ita atterunt atque conficiunt, vt animæ ſeruire non poſſit. Qui dum proficere ſtudent, ſe, dum minùs putant, in perpetuam inualetudinem, id eſt, in occaſionem teporis & innumerabilium imperfectionum immergunt: & dum ſeipſos fugiunt, ad ſeipſos reuertuntur. His Caſſianus ſapienter antiquorum ſententiam in memoriam reuocat, aſſerentem: Nimietates, æqualitates ſunt. Ad vnum enim finem, inquit, nimietas ieiunij & voracitatis peruenit, eodémque diſpendio vigiliarum immoderata continuatio monachum, quo ſomni grauiſſimi torpor, inuoluit. Nam per exceſſum continentiæ debilitatum quemque, ad illum ſtatum reuocari neceſſe eſt, in quo negligens quiſque per incuriam detinetur: ita vt frequenter, quos per gaſtrimargiam decipi non potuiſſe conſpeximus, per immoderationem ieiuniorum viderimus fuiſſe deiectos, atque ad eandem quam vicerant paſſionem, infirmitatis occaſione collapſus. Vigiliæ quoque & pernoctationes irrationabiles

Gregor.

2. Cor. 5. 4.

Bern. ſer. 10. in Pſal. Qui habitat. Gen. 6.

Caſſian. col. 2. c. 16.

deiecerunt, quos ſomnus ſuperare non potuit.] Hactenus ille. Corpus ergo noſtrum, vt ægrotum in lecto iacentem, aſpiciamus, cui noxia denegantur, ſalubria verò conceduntur: ita corpori neceſſaria tribuamus, ſuperflua verò & illicita denegemus. Non occidamus illud, ſiquidem ipſius reſurrectionem & ſperamus & appetimus, ſed magis cohibeamus, & ab omni immunditia ſeparemus, vt iam in ſeipſo aliquam formam exprimat illius vitæ glorioſæ, quam ſperat. Portet onus ieiuniorum, vigiliarum, & aliarum aſperitatum, quod poteſt, in cæteris illi parcamus, ne nos in media via deſerat, & prorſus impotentes ad laborandum derelinquat.

Mentis quoque mortificatio diſcretione regenda eſt: vt nimirum neque in minimis hæreat, nec ad impoſſibilia venire præſumat. Illi in minimis hærent, qui quadam mediocritate, vel (vt veriùs dicam) puſillitate contenti, ad perfectam cordis munditiam non aſpirant. Qui eouſque ſuam mentis abnegationem protrahunt, vt peccata grauia non faciant, vt leuia omnis craſſa, & in ſuo genere admodum verecunda, non admittant, vt aliquantulum ſuos affectus doment, & nihil aliud à ſuo corde requirunt. Illi ad impoſſibilia aſpirant, qui nec minimum ſenſum carnis, nec minimam immundam cognitionem ſuſtinere volunt, & ſi quid huiuſmodi ſentiant, vehementer triſtantur, ac ſi carnem mortalem & ad omnem impuritatem pronam non geſtarent. Illi ergo animandi ſunt, hi cohibendi: illi ad maiora & perfectiora mittendi; iſti ad ſuam conditionem agnoſcendam inuitandi, vt vtrique C medium teneant, & in nimietatem teporis aut indiſcreti feruoris non incidant. Illi ergo, qui in minimis hærent, ſciant ſe aut ignorantia aut tepiditate laborare. Ignorantia quidem; quoniam neſciunt, quanta ſit virtus gratiæ, quàm copioſa redemptio Saluatoris, quàm magnæ ex illa prouenientes ſanctorum diuitiæ, & ideo eam puritatem aſſequi non curant, quam nec eſſe in aliis exiſtimant. Tepiditate verò; quia dum remiſsè perfectionem diligunt, ad eam maioribus laboribus, quos in perfecta mortificatione eſſe putant, aſcendere nolunt. Et ideo inueniemus plurimos, qui nec in Sodomis manere conſtituunt, nec in montem aſcendere audent, ſed in Segor, paruula ciuitate, quaſi in medio ſita, manere conſtituunt. Qui tamen quandiu in montem non D properant, & ad perfectam mortificationem non feſtinant, nec montis tranquillitate gaudent, nec ſcintillas, & fumum, & terrores Sodomorum effugiunt. Huiuſmodi, inquit Bernardus, (& ſanè iſtos paucis contentos quaſi digito oſtendit) ſi diu ita permanſerint ſub onere, aut opprimuntur & ſuccumbunt, aut quodammodo in inferno ſunt, vt nunquam ad plenum reſpirent, in luce miſerationum Domini, nec in libertatem ſpiritus, quæ ſola facit iugum ſuaue & onus leue. Inde autem tam perniciosa tepiditas emanat, quia affectus, id eſt, voluntas eorum, nondum purgata eſt, nec bonum ſic volunt, ſicut nouerunt, à propria concupiſcentia abſtracti grauiter & illecti. Amant enim in carne ſua terrenas E conſolatiunculas, ſiue in verbo, ſiue in ſigno, ſiue in facto, ſiue in aliquo alio: & ſi hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Inde eſt, quòd rarò affectiones ſuas dirigunt in Deum, & eorum compunctio non continua ſed horaria eſt. Impleri autem viſitationibus Domini anima non poteſt, quæ his diſtractionibus ſubiacet: & quanto magis illis euacuabitur, tanto ampliùs iſtis implebitur: ſi multùm, multùm; ſi parùm, parùm: Vel certè ſi magis probis, nunquam iſtæ illis miſceri poterunt in æternum,

Gen. 19.

Bern. ſer. 3. de Aſcenſ. Domini.

A quia vbi vaſa vacua non inuenit, oleum ſtare neceſſe eſt: nec mittunt vinum nouum, niſi in vtres nouos, vt ambo conſeruentur. Neque enim ſpiritus, & caro, ignis, & tepiditas in vno domicilio commorantur, præſertim cùm tepiditas ipſi Domino ſoleat vomitum prouocare.] Huc vſque ille. Neceſſe eſt ergo in mortificationis ſtudio, ſicut & in reliquis virtutis actionibus, maiora petere, quia qui ad mediocritatem ſolùm tendunt, in imo iacent, & qui ſolam mendicitatem fugere ſtatuunt, nunquam diuitias acquirunt.

At qui impoſſibilia præſumunt, ſuperbiam comprimant, & ſe non Angelos, ſed homines, ſed fragiles, ſed peccatores eſſe cognoſcant. Licèt enim (vt dixit Ambroſius) tantum valeat inſtitutio, vt vincat B naturam, non tamen eam in aliam naturam ac ſubſtantiam commutat. Mutaret autem illam in aliam longè ſuperiorem, ſi homo non ſolùm impuros motus vinceret, ſed eouſque eueheretur, vt nullum motum repugnantem ſpiritui ſentiret. Id profectò eſſet, vt præclarè inquit Hieronymus, hominem ex homine tollere, & in corpore conſtitutum eſſe ſine corpore, dicente Apoſtolo: Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?] Enitamur itaque paſſiones vincere, prauas inclinationes abſcindere, & fomitem cohibere, non tamen quod naturale eſt, euellere, & ſicut conſenſum, ita & ſenſum ablegare. Quod etiam omnino vincere non potuerimus, lacrymis & humilitate ſuppleamus. Hoc namque eſt ſaluberrimum Bernardi conſilium, ita ſcriC bentis: Itaque Iuda & Hieruſalem, nolite timere, ſi perfectionem, quam deſideratis, nondum poteſtis adipiſci: ſed quod minus habet imperfectio conuerſationis, ſuppleat humilitas confeſſionis, & imperfectum veſtrum viderunt oculi Dei. Propterea enim mandata ſua mandauit cuſtodiri nimis, vt videntes imperfectionem noſtram deficere, & non poſſe implere quod debet, fugiamus ad miſericordiam, & dicamus: Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas:] & qui non poſſumus in veſtitu innocentiæ ſeu iuſtitiæ, appareamus veſtiti confeſſione.] Sic ille. Humilitati autem huic, qua nos peccatores fatemur, orationem iungamus, qua ex immortificatis mortificatos, ex imperfectis perfectos, & ex peccatoribus iuſtos fieri poſtulemus. Hoc eſt enim, D quod dicit Leo Papa: Qui correctionis reparationem experitur eſſe difficilem, confugiat ad auxiliantis Dei clementiam, vt vincula malæ conſuetudinis ab illo poſcat abrumpi, qui alleuat omnes, qui corruunt, & erigit omnes eliſos.] Sic hæc duo extrema teporis & nimiæ diſtrictionis fugientes, & per mediam viam diſcretionis ambulantes, ad illum mortificationis gradum, aſpirante diuina gratia, veniemus, vt vitia & imperfectiones abnegemus, licèt naturam humanam & nonnullos eius motus, quibus virtutem pulſet & impugnet, non exuamus.

In omni tandem mortificatione, tum externa, tum interna, id obſeruandum eſt, vt nihil indecens, nihil abſurdum, gratiâ propriæ abnegationis, fiat, E quod oculos aut aures fratrum aſtantium offendat. Eſt enim virtus pulcherrima, quæ non ad ea quæ noceant & ſcandalizent, ſed ad ea quæ iuuent & ædificent, iuſtum inclinat. Et aliqua horret natura noſtra, non quatenus à nobis vitiis fœdata, ſed quatenus à Deo bene condita eſt. Hunc autem horrorem, qui ſemper eſt mali, & eius quod minùs decens, minùs pudicum, minùs circumſpectum eſt, non debet homo abnegare, ſed tanquam bonum & ſaluti ſpirituali proficuum cuſtodire. Quid enim ſi

Ambroſ. lib. 2. de Cain. c. 5.

Hieron. epiſt. ad Rom. 8.

Bern. ſer. 2. in vigilia Natalis Domini.

Pſal. 62. 4

Leo ſer. 6. Epiphan.

Digitized by Google

nudus coram omnibus apparere horres? an teipſum mortificationis prætextu in conſpectu fratrum nudabis? Si ſtultus & amens apparere times, nunquid vt teipſum viocas, ſtultitiam aut blaſphemiam in conuentu aliorum dices? Si de anteacta vita in ſæculo malè conſumpta erubeſcis, an illam & fœda peccata, vt teipſum mortifices, propalabis? Hæc facere, abſurdum omnino eſt, aſtus eſt diaboli, quo nobis illudit, & apud alios virtutem infamat, qui eam, quaſi iſta abſurda præcipientem, ſtultam & inſipientem exiſtimant. Sed abſit, vt hæc & alia ſimilia, virtus vera præcipiat, quam prudentia regit, quam bonus odor comitatur, quam omnis pulchritudo circumdat. Christus nos perfectam mortificatiooem docuit, ſed facere inepta & ſtulta non docuit. Sancti in exemplum abnegatiunis nobis dati ſunt, quorum vita plena fuit honeſtatis atque decons; nihil in eorum geſtis legimns, quod circunſpectionem non ſapiat, quod diſcretionem non oleat, quod ſtultitiam, & imprudentiam noo condemnet: quòd ſi aliquis eorum quicquam fecit, quod minùs decens, minùs hone-

A ſtum videatur: illud vt ſanctus & perfectus non fecit: vel Deo mouente ob finem bonum, qui opus illud honeſtauit, fecit. Quod autem peculiari inſtinctu factum eſt, nobis admirandum quidem erit, ſed imitandum non eſt. Ecce ergo Mortificationis ac crucis doctrinam vtcumque deſcriptam, quam ſi non tantùm legetis, ſed ſecundùm eam, vitam inſtitueris, ad magnum culmen perfectionis aſcendes. Hæc namque eſt perfecta imitatio vitæ Christi Ieſu, quæ peccata deſtruit, imperfectiones abiicit, vitia repellit. Hæc eſt, quæ tentationes vincit, virtutes inſerit, in donum orationis inuehit, dona oondum adepta comparat, & iam lucrata cuſtodit. Hæc eſt crux, quam quotidie ferre debemus, vt Chriſtum ſine offenſione & cum magno præmio ſequamur. Cuius lignum B rectum, abnegatio interna eſt, quæ mentem ad cœleſtia erigit, lignum verò tráſuerſum mortificatio externa, quæ corpus noſtrum ab imperfectionum cœno ſuſtollit. In hac cruce teipſum crucifige, vt ſicut Chriſtus princeps tuus ex cruce ad thronum euoles, & poſt dolorem gloriam conſequaris.

ORATIO

AD POSTVLANDVM

SPIRITVM MORTIFICATIONIS.

DOMINE Ieſu Chriſte, iuſtorum Magiſter, & omnis ſanctitatis exemplar, qui nobis crucem tollere præcepiſti, & in crucem actus, figurá & nuditate ſanctiſſimi corporis tui perfectionis imaginem demonſtraſti, da quæſumus, vt te perſeueranter ſequamur, & per patientiam crucis tuam conuerſationem imitemur. Crux noſtra, ô Domine Deus & Saluator meus, mortificatio noſtra eſt: da igitur, vt mortificatio amore nos teneat, exercitatione nos occupet, & ſuis nos ſemper brachiis excipiat. Crucifigamus corpora noſtra, ab illis omnia impura & ſuperflua ſeparantes: crucifigamus & mentes noſtras, vniuerſa ab eis vitioſa & imperfecta tollentes; ſemper in cruce tibi, ô vita noſtra, viuamus, & in cruce omnibus rebus terrenis moriamur; vt dum mundo morimur, & tibi per vitam puram & illibatam viuimus, ad perfectionem veniamus, & illam vitam perpetuam, beatam, ſecuram adipiſcamur, quam ab æterno paraſti timentibus, amantibus, & imitantibus te. Amen.

FINIS LIBRI II.

DE ADEPTIONE VIRTVTVM,

LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM.

DIligens ac negotioſus agricola, cuius ſcopus eſt, copioſos fructus in granario recondere, ex quibus toto anno ſeipſum ſuóſque ſuſtentet, non ſolùm curat, terram aratro proſcindere, ſentes euellere, & à lolio zizaniiſque purgare; verùm & fœcunda ſemina ſpargere, ſine quibus, humore putrefactis, & ſolis calore fotis, nunquam poterit ex terra, licèt bene culta vomeréque ſubacta, frumentorum abundantiam quaſi in mercedem aſſumpti laboris accipere. Ita prorſus vir iuſtus, qui meritis congregandis incumbit, quibus paſcatur in terra, & diteſcat in cœlis, non tantùm nititur terram cordis ſui à peccatis vitiiſque mundare, & ex ea per ſtudium mortificationis, motus illicitos impuróſque reiicere, ſed & lectiſſima grana virtutum inſerere, quæ fructus optimos ſanctorum operum faciant, quibus in cœleſti patria ſeipſum abundè reficiat. Poſtquam ergo legens atque conſiderans, alteram partem huius agricolationis abſoluit, quæ in peccatorum depulſione, in vitiorum extinctione, & in affectionum compreſſione conſiſtit, æquum eſt, vt ad alteram tranſeat, in virtutum aſſequutione poſitam, & quomodo illæ inſerendæ ſint, quomodo ager cordis fimo propriæ diffidentiæ ſtercorandus, & quomodo rigandus, addiſcat. Hanc partem nunc benigniſſimo Dei auxilio fidentes, ſcribendam aggredimur, cuius gratia illam primam, prout valuimus, ſtylo & commentatione tractauimus. Neque enim ad hoc, peccato, & vitiis, & prauis affectionibus morimur, vt ſolùm mors iſta non horribilis, ſed amabilis certè nos teneat, immò vt mens noſtra ex hac morte, quæ vitam carnalem perimit, in meliorem vitam, nempe in cœleſtem & ſpiritalem, atque adeò in vitam virtutum aſſurgat. Sanè quidem id operata eſt mors filij Dei, qui ſicut & mortuus eſt, & reſurrexit, ita & peccata noſtra per ſuam mortem occidit, vt illis extinctis, nos ad meliorem vitam, quam in Adamo amiſeramus, reuocaret. Nam & peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus.] *Petr. 2. 4.* Vita iuſtitiæ, id eſt, omnis virtutis ac ſanctitatis, finis mortis peccati & omnis abnegationis eſt, ſine qua omnis abnegatio, vniuerſorúmque peccatorum depulſio, ſi ab illa vita ſaltem cogitatione ſecernatur, neceſſe eſt manca & imperfecta permaneat. Chriſto namque paſſo in carne] (vt etiam ſcriptura ait) & vos eadem cogitatione armamini: *Petr. 4.* quia qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis. Vt iam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne viuat temporis. Qui, inquam cum Chriſto per vitæ eius imitationem peccatis & carnis concupiſcentiis eſt mortuus, ad hoc illis mortuus eſt, vt quod vitæ ſupereſt, Domini voluntati ſe accommodet, & ſecundùm leges ſanctiſſimas virtutum viuat. A morte profectò tranſit ad vitam, vt vitiorum interitus vniuerſæ ſit virtutis exortus. Mortui eſtis, inquit Paulus, loquens cum his qui nati ſunt ſpiritu, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo:] *Coloſ. 3. 3.* vt ſi homines vident vos abſtinere iam à peccatis, aſpiciant quoque vitam illam charitatis & virtutis, aut ſaltem illam coniectura aſſequantur, quia cùm ſpiritualis ſit, corporeis oculis latet, & quaſi repoſita eſt in Chriſto & in Deo, ex cuius gratia tota pendet, & ibi cuſtodita, niſi ex veſtra culpa, non excidet.

Huic duplici iuſtitiæ parti, quæ ex multis minoribus partibus conflata eſt, optimè conuenit; vt ſcala cœli vocetur, ſeu aſcenſus in cœleſtem patriam dicatur. Sicut enim ſcala plures habet gradus, non confuſè ſed ordinatè diſpoſitos; immò etſi longa ſit, varios habet ordines graduum, quorum vnus rectus à pauimẽto incipit, & alius quaſi ex tranſuerſo ſe protendit, & alius ſuperiora cœnacula attingit; ita iuſtitiæ partes ordinatiſſimè inter ſe diſpoſitæ, & in varios graduum ordines diſtributæ, pulcherrimam ſcalam patriæ cœleſtis efficiunt. Hanc ſanctus Iacob in domo Dei & in loco ſancto, in quo Dominus habitat, per reuelationem aſpexit. Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ. *Gene. 28. 12.* Quis neget hanc ſcalam, ſcalam eſſe virtutum? Certè Laurentius Iuſtinianus, ſatis à Deo illuminatus, hanc in illa eſſe delineatam agnouit. Qui exponens illud Canticorum: Omnia poma noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi,] *Cant. 7. 11.* hæc ait: Poma quidem vetera, habitus; noua verò, actus dicit eſſe virtutum. In his duobus quaſi in duplici ligno contexitur ſcala virtutum, per quam ad perfectionem conſcenditur. Hæc procul dubio per illam ſcalam, quam in ſomnis contemplatus eſt ſanctus Iacob, figurata fuit, in qua videlicet aſcendentes & deſcendentes Angelos, ipſúmque Angelorum Dominum ſcalæ vidit innixum.] *Iuſt. li. 2. de ſpirit. & anima interitu, ante finẽ.* Hæc igitur ſcala firmiter ſtabilita eſt ſuper terram; quia cor noſtrum, quod ſuæ naturæ relictum, terrenum eſt, pedibus ſuis, virtutum nempe actibus & ha-

bitibus

[A] bitibus calcat, atque ſuppeditat. Cœlum ſummitate contingit, quoniam præmium eius & quaſi vertex, merces eſt regni cœleſtis. *Hebræ. 1. 3.* Dominus innititur ſcalæ, non quidem quòd ab ea ſuſtẽtetur, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ, ſed quòd ipſam ſcalam omnéſque ſuſtentet. Iuſti denique, homines quidem naturâ, ſed Angeli puritate, per eam aſcendunt atque deſcendunt, quia nunc his virtutibus ſtudent, quibus in Deum itur, nunc verò illis, quibus proximorum vtilitas quæritur. Huius ſcalæ tres ſunt ordines graduũ: infimus, terræ adhærens, à malo diſcedit: ſecundus & medius virtutem moralem complet: ſupremus Theologicam virtutem comprehendit. Ille primus ex multis gradibus, quos ſuprà in receſſione à malo numerauimus, aptè compingitur. Quem aſcendens anima, grauia peccata fugit, leuia pertimeſcit, [B] portenta vitiorum extinguit, vires ſuas affectúſque componit, & tentationes, ad malum impellentes, euincit. Secundus ex quatuor virtutibus moralibus, prudentia, iuſtitia, fortitudine, & temperantia, & ex reliquis, quæ illis annectuntur, pulcherrimè coaleſcit. Tertius verò ex tribus virtutibus Theologicis, fide, ſpe, & charitate, & ex nonnullis donis, quæ illas comitantur, videtur eſſe conflatus.

Qui in hac ſcala cœli, primum iam ordinem graduum aſcendit, beatus erit, ſi ſe ad alios conſcendendos accingat. *Pſal. 83. 6.* Beatus enim vir, ô Domine, cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit.] Expende nunc mihi ſcalam & gradus eius in corde, & cùm recordaris viſam eſſe à Iacob, ſtantem ſuper terram, in- [C] telliges, terram iſtam non aliam eſſe quàm humanum cor. *Auguſt. ibid.* Ipſum cor eſt vallis lacrymarum, vt Auguſtinus manifeſtè interpretatur: quoniam in eo aſcendentibus, non panis riſus atque lætitiæ, ſed panis doloris atque laboris, panis gemitus & plorationis edendus apponitur. Ipſum cor eſt locus, quem homo, authore Deo, ſibi poſuit atque conſtituit, vt in eo habitet, & habitando, ſcalam virtutis aſcendat: quia extra cor manentibus, & per vana & inutilia aut actione aut cogitatione vagantibus, aſcendendi & proficiendi negatur occaſio. Aſcenſiones autem vel gradus huius ſcalæ, virtutes ſunt. *Greg. hom. 19. in Ezechiel. 44.* Vnde Gregorius ait: Conuallis humilis locus eſt, & peccator quiſque dum ſe in lacrymis affligit, in corde per aſcẽſum virtutum proficit.] Id autem verba pſalmi ſequentia ſignificant: *Pſal. 83. 8.* Etenim benedictionem dabit legiſ- [D] lator: ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.] Quibuſnam indicitur iſta profectio? Equidem puto, quia iuſtis. Sicut enim impij de iniquitate in iniquitatem corruunt; ita iuſti de virtute in virtutem progrediuntur. His datur à legiſlatore Chriſto, benedictio gratiæ, quia proprijs viribus tam longam viam ambulare aut inchoare non poſſunt. Prorſus benedictio, quæ magnum eſt donum, & cumulus multorũ bonorum, quæ iuſtos benedictos efficit, quæ in æternam illam benedictionem, omni malo alienam, perducit. Hac benedictione ditati procedunt de vna virtute in aliam, quoniam vna adepta, aliam quærunt, & vna comparata, [E] aliam ſuſpirant, donec omnium poſſeſſores fiant. Nam ſi diuites huius ſæculi, nunquam diuitijs & honoribus ad menſuram ſui deſiderij replentur: iuſti, qui ſunt diuites æui futuri, nunquam virtutibus & donis cœleſtibus ſatiantur, ſed quibuſcunque quæſitis, alia maiora concupiſcunt. Semper igitur gradus huius ſcalæ cœleſtis aſcendunt; ſemper de virtute pergunt in virtutem, vt quibus nullus eſt finis deſiderij proficiendi, nullus ſit finis ambulandi.
Vel, vt Auguſtinus legit, ibunt de virtutibus in vir- [A] tutem, quia comparatis virtutibus vniuerſis, non ſe ſatis diuites nec ſatis fœlices putabunt, ſed adhuc auidiſſimè pergent in virtutem contemplationis Dei. Ab his virtutibus, inquit, imus in illam virtutem. *Auguſt. ibid.* Et quæ erit illa virtus, niſi ſolius contemplationis Dei? Neceſſaria ibi non erit iſta prudentia, vbi nulla mala occurſura ſunt, quæ vitemus. Sed quid putamus, fratres? Non iſta iuſtitia, vbi nulla erit cuiuſquam indigentia, cui ſubuenire debeamus. Non iſta temperantia, vbi nulla erit libido refrænanda. Non iſta fortitudo, vbi nulla erunt mala toleranda. Ergo ab his virtutibus huius actionis ibimus in virtutem illius contemplationis, qua contemplemur Deum, ſicut ſcriptum eſt: *Pſal. 5. 5.* Manè aſtabo tibi, & contemplabor.] Hæc ille. Qui & putat hunc ſenſum ex ver- [B] bis ſequẽtibus elici: videbitur Deus deorum in Sion. Ex virtutibus enim, quibus recta rectè operamur, ibimus in contemplationem, quia videbimus Deum deorum, id eſt, Sanctorum. *Pſal. 81. 6.* Nam ego dixi, dij eſtis.] Et videbimus eum non iam in exilio, ſed in patria; non in ænigmate, ſed facie ad faciem; non in Ægypto, ſed in Sion.

In ſuperioribus, priorem partem huius ſcalæ deſcripſimus, & quibus cordis greſſibus eam emetiri valebimus, vtcumque explicuimus; nunc inſtituti noſtri eſt, edocere quonam modo aliæ duæ partes, quibus omnes virtutes, tum morales, tum Theologicæ continentur, ſint à nobis aſcendendæ: quod tres, qui ſuperſunt, huius ſecũdi voluminis libri, Deo dante, præſtabunt. Conſultò autem dicimus, nos mo- [C] dum aſcendendi & rationem virtutis acquirendæ eſſe expoſituros, quia non aggredimur virtutes omnes fuſè tractare, quod immenſi laboris & prolixitatis eſſet, & ab alijs nouimus ſatis copioſè elaboratum, ſed tantùm viam ac rationem acquirendi virtutes exponere, quod à multis ſcimus fuiſſe prætermiſſum. Hæc autem via (vt inferiùs manifeſtè patefiet) intelligi, aut exponi non poterit ſine aliqua cognitione ſingularum virtutum. Neceſſéque erit ipſarum naturas & actiones attingere, non quaſi id ex profeſſo tractemus, ſed quaſi partem quandam exponendi inſtrumenta acquirendarum virtutum, doceamus. Volumus ergo, ô lector, docere te, quo pretio, à quo, & quo pacto gemmas pretioſiſſimas, nempe virtutes, mercaberis: Volumus etiam aperire viam, multis profectò clauſam & inuiam, qua pulcherrimam virgi- [D] nem, nempe virtutem, cuius amplexus non turpat, ſed mundat, non mentem obtenebrat, ſed illuminat, in ſponſam aſſequeris. Volumus gradus iuſtitiæ & ſanctitatis exponere, quibus primùm in atria fœlicitatis æternæ, nempe in puritatem cordis, & poſtea in ipſam fœlicitatem aſcendes. Nonne dicis cum Dauide: *Pſal. 59. 11.* Quis deducet me in ciuitatem munitam? Quis deducet me vſque in Idumæam?] Quis, inquam, mihi tribuat, vt animam meam, prorſus terrenam & luto adhærentem, expugnem, & per virtutum ſtudia, Deo, à quo deſciuerat, meo Creatori ſubijciam? Quis mihi concedet, vt poſt expugnationem animæ meæ, in ciuitatem munitam, id eſt, in cœleſtem Hieruſalem, vt interpretatur Beda, *Beda ibid.* quæ [E] eſt ciuitas munita, ad quam nullus hoſtis accedit, & à qua nullus ciuis recedit, tandem aliquando conſcẽdam? Sed audi. Deus qui te antea repulit, cùm delinquebas, ſuſcipiens te, per hæc media, quæ ſcripta tibi tradimus, deducet te, vt teipſum in hac vita, & beatitudinis claritatem in alia poſſideas. Nonne ais cũ ſanctis illis mulieribus: *Marc. 16. 3.* Quis reuoluet nobis lapidem ab hoſtio monumenti?] Quis nimirum difficultatem ingrediendi in proprium cor dimouebit, vt Chriſtum virtutum aromatibus vngam atque deli-

niam

niam? Quis impedimenta huius placiti obſequij impendēdi depellet? Sed hæc quæ ſubiiciemus, attentè lege, & multo magis actione cōple; nam ſi Dei gratia adiutus impleueris, te difficultatem viciſſe & calcaſſe reperies. Dauid certè Amalecitem, qui ipſum deduxit ad cuneum hoſtium ſuorum, ex quorum manibus vxores ſuas & ſubſtantiam extorſit, vita donauit, & (vt credibile eſt de liberaliſſimo principe) magnis præmiis affecit. Sed ego deducam te non in acies ho- A ſtium, à quibus forſitan capieris, ſed in aciem virtutum omnium, in qua teipſum per delicta & imperfectiones perditum inuenies, & cœleſtibus diuitiis, quas communis pater Adam perdidit, cumulaberis. Hoc tantùm præmium requiro, vt non ſuperbè quaſi cenſor & iudex, ſed modeſtè vt auditor diſcendi auidus legas, vt quæ legeris, actione complere cures, & dum impleueris, emolumento, & exultatione, & pręmio ex vera virtute prouenientè fruaris.

1. Reg. 30.15.

PARS PRIMA

Huius libri de ſubſtantia & excellentia Virtutis.

QVIA tamen inſtrumenta cuiuſcumque artis, qualia futura ſint, ex cognitione operis, quod ars illa præſtat, omnino dependet; ideo volentibus nobis inſtrumenta artis ſpiritualis inquirere, quibus virtus ipſa eſt addiſcenda & actione formanda, operæpretium eſt, ab ipſa virtute, quam diſcere & exercere intendimus, tractationem inchoare. Dicemus itaque primò, quid virtus ſit quantáque eius nobilitas atque præſtantia, vt ea cognita, qua ratione mentibus noſtris inſerenda ſit, quibúſque inſtrumentis efficienda, meliùs & faciliùs capiamus. Hæc etiam prima tractatio, non ſolùm cognitioni, ſed etiam affectui deſeruiet: cognito enim à nobis virtutis pretio, eiúſque decore perſpecto, voluntas non poterit eius amore non capi, & ad illius ſtudium incitari. Id ſolum curandum nunc eſt, vt imperitia ſermonis noſtri dum illuſtrare virtutem vult, ei tenebras non offundat. Quod ille daturus eſt, cuius ſapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas. O igitur, tu Domine, qui ex ore infantium & lactantium laudem perficis, & per incipientes etiam, vt omnes te loquentem intelligant, perfectorum ſapientiam loqueris: illumina mentem, excita affectum, & verſa ſtylum meum, vt vera de virtute doceam, & dum aliis prodeſſe ſtudeo, ex eo quod de tua largitate pro illis accipio, me ipſum ſatis fameſcentem quoque reficiam.

De Virtute in generali, Quid ſit.

CAPVT I.

QVI in re magni momenti volunt punctum veritatis attingere, & in ipſo opere non errare, ſolent viros ſapientes accerſere, & peritos illius artis, ad quam pertinet opus, vocare, vt auditis illorum ſententiis meliorem eligant, aut ex omnibus aliquid colligentes, optatum opus pulchrius & abſolutius efficiant. Sapiunt quidem, dum ita faciunt, quoniam documentum ſapientis Salomonis amplectuntur: Vbi non eſt gubernator, populus corruet; ſalus autem, vbi multa conſilia.] Sicut enim populus, ſiue in quiete pacis, ſiue in belli diſcrimine pelſum it, gubernatore & conſiliis deſtitutus, ſtat verò, & floret, & creſcit optimo rectore, & ſalutaribus conſiliis gubernatus: ita quæque res & quodque negotium, præter ſapientium conſilia geſtum, perditur, & ſecundùm illa in opus eductum fœliciſſimè propagatur. Nos igitur qui virtutis naturam inueſtigare cupimus, eiuſque notionem aliis tradere incipimus, hoc ſaluberrimum documentum ſequamur; & quid alij de virtute ſenſerint, quave ratione eam definierint, priùs explicemus, vt vel vna ſapientiſſimorum virorum ſententia B nos doceat, vel ex ſingulis aliquid aſſumentes, vna à nobis collecta deſcriptio, tum nos, tum legentes erudiat. Summus Philoſophus Ariſtoteles, qui in exponendis rebus ad mores pertinentibus fuit admirabilis, in tradenda notione virtutis ſeipſum exceſſit, & quaſi ſuum acutiſſimum ingenium poſt ſe reliquit. Sic enim virtutem definiuit: Virtus eſt, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit.] Cuius iam eximium elogium elucet. Quid namque optabilius homini eſſe poteſt, quàm vt ipſe bonus ſit, & eius opera bona reddantur? Certè quidem omnia in ſuo genere bona eſſe percupiunt, adeò vt res etiam inanimes in hoc naturaliter elaborent, vt ſeipſas in ſuo loco conſtituant, & in eo ſe ſeruent, poliant, atque promoueant. Quid ergo debet optare homo, C niſi virtutem, qua bonus homo redditur, qua à fœditate nequitiæ liberatur, qua ſuorum operum bonitatem & pulchritudinem adipiſcitur? Relictis verò aliis huius Philoſophi deſcriptionibus, quæ in idem incidunt, Baſilius vitium ac virtutem ſimul in hunc modum deſcribit: Hæc eſt vitij definitio, prauus & à præceptis Domini abhorrens vſus earum facultatum, quæ boni cauſa datæ nobis à Deo ſunt: Quemadmodum contrà virtutis, quæ ex Deo eſt, earundem vſus, bona adhibita mente, præceptis Domini conueniens. Ex qua etiam magnus nobis vitij metus

Prou. 12. 14.

Ariſt. 2. Ethicor. c. 6.

Baſil reg. 2. fuſ. diſput.

incutitur

incutitur, & magnus virtutis amor inijcitur. Nam tremendum eſt, viribus malè & ad offenſam Dei vti, quas ipſe in ſuum obſequium dedit, quod ſanè inultum eſſe non ſinet: pulchrum verò & noſtro deſiderio dignum, eaſdem vires à ſeruitute peccatorum eripere, & ad immenſum præmium accipiendum, virtutis miniſterio ſanctis operibus occupare. Auguſtinus vitio relicto, quod vtinam omnino relinquamus, ſolam virtutem ſic definit: Virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nemo malè vtitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur. Et hæc quoque deſcriptio magnam virtutis dignitatem oſtendit. Optima enim res eſt, quæ non iam ſoli corpori corruptibili ſed menti immortali congruit. Deſiderabilis res eſt, quæ rectam vitam & Deo placitam efficit. Honorabilis res eſt, quam quiſque in ſanctum vſum accipit, & nemo in malum vſum tangit: & tandem magna & eximia res eſt, quæ Deum ſolum authorem agnoſcit. Dicitur autem Deus, operator virtutis in nobis ſine nobis, comparatione quidem virtutum infuſarum; quoniam ipſe ſolus habitum infuſæ virtutis infundit: comparatione verò virtutum acquiſitarum, quoniam ipſe ſolus ſemina harum virtutum ac primas de eis acquirendis cogitationes immittit. Bernardus denique, vt reliquos virtutem deſcribentes omittamus, ſic eius naturam declarat: Virtus ſi perfecta ſit, facilè animum victorem ſui & inuictum reddit ad omnia. Eſt quippe vigor animi cedere neſcius pro tuenda ratione: Aut, ſi magis probas, vigor animi immobiliter ſtantis cum ratione vel pro ratione. Vel ſic: Vigor animi, quod in ſe eſt, omnia ad rationem cogens vel dirigens. In hac ſimiliter deſcriptione virtutis magnus eius decor inſpicitur, quæ talis eſt, vt mentem ad deteriora labantem teneat, & mille modis ad exorbitantiam impulſam, à ratione diſcedere & à bono ſeparari non ſinat.

Aug. lib. 2. de lib. arbit. ca. 18. & 19.

Bern. ſer. 85. in Cant.

Iam ex his omnibus virtutis deſcriptionem colligamus, quæ pro noſtro modulo, eius naturam proprietatéſque declaret: Virtus eſt ſupplementum naturæ, ornamentum mentis, facilitas boni operis, qua benè ſanctéque viuimus, qua veris malis, ſcilicet peccatis, reſiſtimus, qua meritis cumulamur, qua vitam æternam promeremur, & Chriſti imagines ac Dei imitatores efficimur. Neque enim hîc ſermo eſt de illis virtutibus, aut fictis aut imperfectis, quas Philoſophi quæſierunt, ſed de illis, quas fidelis anima, veri Dei & Chriſti, Filij eius, cognitione imbuta, ac diuina gratia adiuta comparat, & ad vitam beatam aſſequendam refert. Optimè profectò virtus appellatur ſupplementum naturæ; quoniam homo poſt originale peccatum, naſcitur pronus ad malum; ante hoc verò peccatum, ſi ſuæ naturæ relinqueretur, vtique naſceretur ineptus ad ſupernaturale bonum, & non omnino aptus ad bonum rationis, cui appetitus aliquantulum reluctaretur. Quid ergo facit virtus? hunc defectum noſtræ naturæ ſupplet. Nam ipſa cùm ſit quædam qualitas, ac quidam bonus habitus menti inſitus, pronitatem ad malum moderatur, difficultatem ad bonum vincit, ex ea parte, qua virtutes morales continet: ex ea verò, qua ſupernaturales amplectitur, mentem ad bona ſupernaturalia erigit, & ad actiones naturæ facultatem excedentes mirè diſponit. Diabolus aliquid conatus eſt facere, & addere naturæ noſtræ, nempe crimen & vitium, quibus nos Deo inuiſos faceret, & in damnationem deiiceret. Deus autem vt opus ſuum à diabolo deſtructum ſtatueret, & hominem perditum reformaret, virtutem ei addidit, vt ſibi ex inuiſo gratum faceret, & in cœlum erigeret. Rebus aliis, ad finem tantum naturalem creatis, dandæ quidem fuerunt vires

A & proprietates cuiuſcunque naturæ congruæ, quibus poſſent operari: nihil autem fuit addendum naturæ, quia his quæ propria habet, ad ſuum finem valet peruenire. At homini, ad vitam cœleſtem creato, addenda fuit virtus, qua caput in cœlum attolleret, & ad actiones vita cœleſti dignas aſſurgeret. Supplet ergo virtus, quod humana natura non poteſt, vt vbi iſta deſinit, illa ſuum opus incipiat.

Aptè etiam virtus, ornamentum mentis vocata eſt; nam mens ſine virtute, tum nuda, tum turpis, & deformis apparet. Dicitúrque illi, needum virtute circundatæ, per Ezechielem: Et eras nuda & confuſione plena.] Et Ioannes in Apocalypſi ait: Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.] Infœlix eſt peccator, B qui dormit & ſtertit, & ſe ac ſua cuſtodire non curat, quia bonis ſpoliatus, & turpis ac deformis apparens, in poſtremo die ab Angelis irridebitur. Beatus autem autem iuſtus, qui vigilat, qui veſtium ſuarum, id eſt virtutum ſeruandarum & augendarum, magnam rationem habet, quoniam in eodem examinationis die de ornatu & ſplendore laudabitur. Eſt itaque vitium, turpitudo; & virtus, ornatus, quem Dominus per Iſaiam, iuxta myſticum ſenſum, quem Hieronymus latè proſequitur, ab animabus, quæ ex iuſtitia ſuperbiunt, ſe ablaturum minitatur, cùm ait: In illa die auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia,] & cætera quæ ſequuntur, quibus, vt hic ſanctus doctor ait, ſignata ſunt variarum ornamenta virtutum. C Eadémque ornamenta apertiſſimè Eccleſia ſe accepiſſe gloriatur, cùm per eundem prophetam ait: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.] Et Hieronymus virtutes, mentis ornatus appellat, dicens: Vis ſcire, quales quærat Dominus ornatus? Habeto iuſtitiam, temperantiam, prudentiam, fortitudinem, nihil hac gemmarum varietate diſtinctius.] O pretioſa ornamenta, quæ totam mentem, non ad vanitatem ſed ad veritatem, exornant, & ex mente in corpus etiam ſigna decoris effundunt! Nam virtus intellectum ornat luce, voluntatem rectitudine, iraſcibilem lenitate, concupiſcibilem moderatione, & corpus ipſum motibus honeſtis adaptat, vt D in toto homine nihil incompoſitum inornatúmque relinquat.

Ezechiel. 16.7.
Apoc. 16. 15.

Iſaia 3. 18.
Hiero. ib. lib. 2.

Iſaia 61. 10.

Vocatur deinde virtus facilitas boni operis; quoniam hominem ad bona & ſancta opera pronum facit, omnem difficultatem & repugnantiam, à conſuetudine vitioſa exortam, ſubmouet, & voluptatem in bonis operibus ac ſuauitatem attribuit. Ideo autem puto, virtutem fuiſſe vocatam amoris ordinem vel amorem Dei, quoniam non tantùm amorem ordinat, ſed etiam ex eo quod amoris habet, omnia opera ſtudioſa facilitat. Nihil omnino eſſe virtutem affirmauerim, inquit Auguſtinus, niſi ſummum amorem Dei. Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipſius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. E Itaque illas quatuor virtutes, (quarum vtinā ita ſit in mentibus vis, vt nomina in ore ſunt omnium,) ſic etiam definire non dubitem: vt temperantia ſit amor, integrum ſe præbens ei quod amatur: fortitudo amor facilè tolerans omnia, propter quod amatur: Iuſtitia amor ſoli amato ſeruiens, & propterea rectè dominans: prudentia amor, ea quibus adiuuatur, ab eis, quibus impeditur, ſagaciter ſeligens.] Hæc ille & alia ad idem

Aug. lib. 1. de moribus Eccleſ. c. 15. To. 1.

A propoſitum. Quare, rogo, omnis virtus eſt amor, niſi quia ita nos moderatur & regit, vt ſuauiter in ſuas actiones ducat: ita trahit, vt voluptate trahat: ita impellit, vt mens in bonum, ad quod impellitur, magna facilitate feratur? Vitium quidem ad actiones vitioſas inclinat, & tantam in eis facilitatem & fictam ſuauitatem ponit, vt vix ab eis iniquus ſeparari ſe ſinat. Et prouerbium eſt, vt inquit Salomon: [Prou. 22. 6.] Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.] Virtus ergo idem faciet; quia ſi illud corruptio naturæ roborat, hanc ratio, cui virtus eſt, conſona & diuina gratia conſortat. Mentóque iuſtus ait, facilitatem & ſuauitatem in operibus virtutis inueniens: [Sapien. 8.16.] Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa: non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium.]

B Virtute benè ſanctéque viuimus; quoniam opera illius bona ſunt, & cogitationes ac affectiones illius ſanctæ ſunt. Ipſa nos ad Deum, tanquam ad finem, mittit, eique, tanquam bono noſtro, & bono in ſe ſummo, & infinitè concupiſcibili, amore & imitatione coniungit. [Aug. ſup.] Vnde virtutem vocat Auguſtinus, non quemlibet amorem, ſed amorem ſummi boni, ſummæ ſapientiæ, ſummæque concordiæ. Non autem alij, quàm Deo, nos coniunget amor Dei. Ipſa nos ad ſancta opera incitat, & in bona ac ſecundùm Deum vita confortat. [Iuſtin. li. de vita ſolit. c. 11.] Eſt quippe virtus, inquit Laurentius Iuſtinianus, (propheta perlubente) [Pſal. 103. 15.] panis ſolidus, confirmans cor hominis, & ad bene viuendum omnia interiora membra corroborans. C Hunc panem myſticè comedit Propheta, & aquam [3. Reg. 19.8.] bibit, propter quod adeò effectus eſt validus, vt [in fortitudine cibi ac potus iſtius, quadraginta diebus totidémque noctibus ambularet, donec pertingeret ad montem Dei, Horeb.] Diſce igitur tu, qui ad ſpiritualem montem perfectionis conaris aſcendere, quibus debeas vti alimentis, quatenus quadraginta dierum peragrare valeas iter. Nunquam Euangelicæ perfectionis rudimenta & decalogi mandata perficies, ſi non ſapientiæ aqua & virtutis fueris pane ſaginatus.] Si autem ſanctitas nihil aliud eſt quàm munditia, nos Deo iungens, & rectam ac illibatam noſtram conuerſationem faciens, manifeſtum eſt, quia virtute, iſta nobis præſtante, benè ſanctéque viuimus, & boni ac ſancti apud Deum & homines, vera ſapientes, reputamur.

D Virtute veris malis, peccatis nempe vitiiſque, reſiſtimus. Nam ſicut ipſa eſt filia gratiæ, ita etiam eſt diligentiſſima & fideliſſima gratiæ cuſtos, pro cuius ſemper tutamine ac augmento laborat. Quare ſi videat occaſiones peccatorum emergere, ſi animaduertat peccata, quæ hoſtes ſunt gratiæ, ad nos decipiendos aduenire, vt nempe conſenſum in malum, gratiæ deſtructorem, extorqueant; ſtatim leone fortior, & animoſiſſimo duce conſtantior, opponit ſe illis, ab ipſis etiam portis cogitationis arcet, & victa ac confuſa abire compellit. Hoc autem opus vnum è duobus eſt, in quæ virtus incumbit. [Baſil. hom. 13. exhortat. ad baptiſmum.] Rectéque Baſilius dixit: Virtus eſt vitatio mali, ſtudium E boni. Et Marcus eremita illud primum opus exponens, ait: [Marcus Eremit. capitulis de his qui putant ex operibus iuſtificari. To. 3. 3. biblio-] Qui temperantis eſt animi, à crapula & gaſtrimargia abſtinet: opum negligens, ab auaritia: quietus, à garrulitate: purus & caſtus, à voluptatibus: pudicus, à ſcortationibus: contentus, à ſtudio congerendæ pecuniæ: mitis & manſuetus, à tumultu & turbis: humilis animi, ab ambitione & vana gloria: qui præeſt, à contentione: redarguens, à ſimulatione. Similiter qui vacat precationibus, ab incredulitate & diffidentia alienus eſt: confeſſor,

A à negatione: martyr, ab idololatria. Vides ergo quemadmodum omnis virtus, quæ ad mortem vſque perficitur, nullum aliud opus, quàm peccati abſtinentia, ſit.] Hæc ille. Qui ex eo dixit, nullum aliud niſi abſtinentiam peccati, opus eſſe virtutis, non quia virtus ſolùm peccatis reſiſtat, ſed quia dum bonum facit, peccatis etiam obſtaculum, ne ingrediatur, opponere intendit. Ecce [Ioſue 6. 3.] viros bellatores, quos Dominus præcepit circuire vrbem Iericho, vt muri eius funditus corruant, & vniuerſi Iſraelitarum hoſtes intereant. Ciuitas hæc, vitiorum typus, bellatorum circuitu & tubarum clangore ſubuerſa eſt, quia videlicet dum virtutibus vnia coanguſtamus, & in cœlum tuba orationis clamamus, peccata, vitiorum progenies, B euincimus.

At tandem, vt finiam, virtute merita cumulamus, cùm actiones eius in eo qui amicus eſt Dei, & gratiam habet, merita ſint, quæ prioribus adiecta mentis cumulum ſpiritualium diuitiarum augmentant. Et vitam æternam promeremur, quæ non aliis, quàm bonis operibus ſeu virtutis actionibus promiſſa eſt. Illiſque, qui in huiuſmodi ſe actionibus exercuerunt, dicet Dominus: [Matth. 25.34.] Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.] Et Chriſti ac Dei imitatores efficimur. Quoniam cùm Deum mente concipimus, ſtatim offert ſe nobis Dominus quidam ſanctiſſimus, optimus, iuſtiſſimus, benigniſſimus, omnis boni amator, & omnis mali abominator & vltor. Et cùm Chriſtum C meditamur, eiſdem virtutibus cinctum videmus, qui imago Dei eſt, & dixit: Qui videt me, videt & patrem.] Dum ergo virtutibus congerendis & augendis inſiſtimus, Dei & Filij eius, Ieſu Chriſti, imitatores ſumus: & dum hoc ſtudium magis promouetur, magis ac magis ad eius imitationem accedimus. Cuius rei teſtes ſunt Baſilius & Gregorius. Ille ait: [Baſil. ſer. de inſtit. monachorum.] Qui in ſeipſo, quantum in ipſo ſit, naturæ diuinæ liberrimam affectuum tranquillitatem imitatus fuerit, hic defœdatam priùs in animo ſuo Dei imaginem reſtituit priſtino nitori. Hic verò inquit: [Greg. in 1. Reg. ad c. 2. lib. 1.] In electorum multitudine impreſſam redemptoris imaginem videmus, dum qui terrena omnia deſpiciunt, carnis voluptates fugiunt, propria derelinquunt; tanto altiori poteſtate radiant, quanto hæc tanta virtutis inſignia, in veterum multitudine ſancta D Eccleſia non habebat.] Sic illi. Hæc eſt virtutis facies, ſatis profectò amabilis, ſatis decora, quæ vel ſic, abſque ornatu viſa, mentem noſtram admiratur, & immenſum ſui amorem ac deſiderium iniicit. Nunc quo vehementiùs eius conſortium deſideremus, paucas eius ex multis perfectiones aduertamus.

Quanta ſit Virtutis honeſtas.

CAPVT II.

E BONVM Doctores, tum externi, tum noſtri, triplex eſſe conſueuerunt, illudque [Ariſt. 2. Ethic. c. 3] honeſtum, vtile, & delectabile nuncuparunt. Celebris eſt hæc diuiſio boni [Tullius lib. 5. Tuſcul. quæſt.] apud Ariſtotelem & Ciceronem, quam integram, nô tam probat, quàm inſinuat Ambroſius, [Ambr. 1. offic. c. 9.] dicẽs: Nos nihil omnino, niſi quod deceat, & honeſtum ſit, futurorum magis, quàm præſentiũ metimur formula, nihilq; vtile, niſi quod ad vitæ illius æternæ proſit gratiam, definimus, non quod ad delectatio- [D. Thom. 1. p. q. 5. art. 6.] nẽ præſentis. Eam tamen Thomas Aquinas & omnes doctores, qui ſcholas ſequuntur, & ſubtiliùs rerum

natuias inueſtigant, vnanimi conſenſu approbaot atque recipiunt. Cùm verò ea quadret in bonum abſolutè ſumptum, vt bonum naturale moraléque comprehendit, oos qui nunc homioes in ſpiritu erudimus, eam ad ſolum bonum hominis anguſtamus. Eſt ergo booum honeſtum, quod bominem decet, in quantum homo eſt, quod rationi & legi Dei eſt conſentaneum, quod ſui gratia ſeu propter ſeipſum appeti poteſt. Bonum verò vtile eſt, quod gratia alterius appetitur, & ad aſſequendum finem prodeſt. At bonum delectabile eſt, quod terminat noſtrum deſiderium poſt adeptionem rei amatæ, tanquam quies & tranquillitas deſiderij, in qua conquieſcimus. Horum trium bonorum primum, eſt præcipuum & per ſe bonum, quia ſimpliciter bomioi conueniens: reliqua verò duo eatenus dicuntur bona, quateous illi primo ſeruiunt, aut qnateous illud conſequuntur. Quare Ricardus Victorinus bonum vtile, ait, noo tam vocandum eſſe booum, quàm commodum, non quia bonum non ſit, ſed quia omnis eius bonitas, ex eo quòd conferat ad bonum honeſtum, petenda eſt. Bonom verò delectabile vocatur iucundum, iuxta illud Pſalmi: Quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in voum.] Hæc tria bona ſeu hæ tres rationes booi, maximè io virtute repetiuotur, quæ eo maiori conatu appetenda & quærenda eſt, quo omnem in ſe boni ratiooem continet. Si enim quodlibet bonum, per ſe aut ſeorſum ſumptum, appetitur, quidni omne bonum diligentiùs & ardeotiùs appetatur?

Ricar. de ſtat. interioris hominis ca. 33.

Pſal. 132. 1.

Virtus ergo bonum hooeſtum eſt, parum eſt boc, bonum honeſtiſſimum eſt, immò & ipſa hooeſtas eſt à nobis exiſtimanda. Nam & Tullius dixit: Virtus & honeſtas duo nomina ſunt, ſed res ſubiecta eadem eſt. Et, ſi opera nuſtra honeſta ſunt, quia virtute pollent, quia ab ea progrediuntur, & in illam tendunt, manifeſtum eſt, ipſam virtutem, honeſtatem eſſe, à qua alia hooeſta vocantur. Bonum honeſtum, maximum bonorum eſt, & virtus ſola maxima bona complet, quare ipſa ſola inter bona creata, quibus ad fœlicitatem imus, bonum honeſtum eſt. Comprobet boc Auguſtinus: Virtutes, inquit, quibus rectè viuitur, magna bona ſunt: ſpecies antem quorumlibet corporum, ſine quibus rectè viui poteſt, minima bona ſunt: potentiæ verò animæ, ſine quibus rectè viui nun poteſt, media bona ſunt.] Si ita vires animæ amamus, vt ſenſus, & appetitus, & potentias rationales; ſi corpora, extra oos poſita, quia vitæ mortali ſeruiunt, vt cibum, & veſtem, & domum, diligimus; quanto maiori amore & dilectione eſt digna virtus, quæ reliquis vt maximum infimo aut medio præfertur, & ſine illa cor noſtrum, etſi cæteris affluat, nunquam plenè ſatiatur? Virtus booum honeſtum eſt, quoniam hominem docet. Cuilibet enim rei id maximè coouenit, quod ſecuodùm eius naturam eſt: virtus autem ſecundùm naturam eſt hominis, quare illi maximè conuenit. Nullum vitium, ioquit Bernardus, naturale eſt, virtus verò omnis bomini naturalis eſt. Et poſt pauca: Virtus, quoniam naturæ res eſt, cùm venit in animam aliquando, non venit ſine labore, ſed venit in locum ſuum, & ſedet fideliter, & bene cum ea naturæ conuenit, cùm nullum præmium potius ſit ei, quàm in Deo conſcientia ſui. Dicitur autem virtus omnis naturalis, non quia naturæ limitibus cootineatur, cùm aliquas virtutes, vt fidem, vt ſpem, vt charitatem, ſupernaturales eſſe ſciamus, nec quia ſolis naturæ viribus in noſtris mentibus procreetur, quas bene nouimus gratiæ auxilio ad virtutes quærendas indigere; ſed quia homini rationis compoti nihil aliud magis conoeniat, quàm viuere ſecundùm rationem: quod à virtute prouenire, vt ſtatim dicemus, certiſſimum eſt. Quòd ſi quiſque in illud bonum maiori ſtudio fertur, quod proprium cogitat, adeò vt illius comparatione alia omnia contemnat: nos qui virtutem, proprium bonum noſtrum ſcimus, id eſt, naturæ noſtræ conueniens & in nos quadraos, quo homines ſumus, eam bonis alus præferamus. Alia quidem bona vel externa ſunt, & nos non tam afficiunt, quàm circumſepiunt, vel veſtimento noſtro, id eſt, corpori adhærent, quæ aut alus rapientibus, amittemus, aut ipſis ſeneſcentibus, deſeremus, aut intereunte corpore, cum eo deponemus, & carne corrupta, decident. At virtus in immortali domicilio, nempe in mente, recondita, & per aſſuetudinem quaſi in naturam verſa, nullis rapientibus diripietur, nullo tempore veteraſcet, nulla mors à mente diuellet. Egregiéque dixit Tullius: Omnia alia caduca ſunt, vna virtus eſt arctiſſimis defixa radicibus.] Alia bona fortaſſis noſtra, digna laude efficiont, non nos: at virtus taoquam coouenieus homini, vt homo eſt, cum laude & honore dignum reddit. Templum quidem Dei io ſcripturis ſanctis non de auri & argenti copia, oon de magnifica ædificatione, ſed de ſanctitate laudatur. Sanctum, inquit, eſt templum tuum, mirabile in æquitate.] Non dixit, air Auguſtinus, templum ſanctum tuum mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis; ſed mirabile in iuſtitia.] Quare hoc? Niſi vt intelligamus, templum Dei ſanctum, quod ſumus nos, non de honoribus, non de diuitiis, noo de corporis aut pulchritudine aut robore, ſed de virtute debere laudari? Quia illa corpori ſeruiunt, virtutes verò illud, quo homines conſtituimur, ſcilicet mentem afficiunt. Ideóque fortaſſis Deus ipſe, in omnibus & per omnia laudabilis, à ſanctis Angèlis de ſanctitate laudatus eſt, qui clamabant: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituũ:] vt intelligeremus hanc eſſe ſuorum veram laudem, quòd virtute ac ſanctitate præfulgeant.

Cicer. officio.

Aug. lib. 2. de lib. arb. c. 19.

Bern. ad fratres de monte Dei lìgò ante ſinè.

Tullius.

Pſal. 64. 5. Aug. ib.

Iſaia 6. 3.

Ex eo etiam virtus honeſtiſſima eſt, quòd ipſa & eius actio, adeò eſt legi Dei & rationi conſentanea, vt ſolis virtutum actionibus omoem legem compleamus, & ſecundùm rectam rationem vitam inſtituamus humanam. Reliqua enim bona ita bona ſunt, vt ſecundùm naturam ſuam non ſint rationi conſona nec legi conformia, & ideo eorum vſus poteſt eſſe malus. Quod vtinam experimentum noo quotidie demonſtraſſet in multis, qui opibus, hooonbus, voluptatibus, & ipſis ſenſibus, ac animæ viribus malè, & aduerſus Dei præceptiooes vtuntur. At virtus quia ex natura ſua bonum ſecundùm rationem & legem eſt, nunquam in malum vſum aſſumitur. Virtutibus, inquit Auguſtinus, nemo malè vtitur, cæteris autem bonis, id eſt, medus & mioimis, non ſolùm bene, ſed etiam malè quiſque vti poteſt. Et ideo virtute nemo malè vtitur, quia opus virtutis eſt bonus vſus iſtorum, quibus etiam non bene vti poſſumus. Nemo autem bene vtendo malè vtitur.] Sic ille. Quibus non ſolùm quod dicimus, aſtruit, ſed & efficaciſſimã dicti rationem oſtendit. Eo enim ipſo quòd virtute malè vti velis, in vitium dilaberis, & à virtute deficiſcis. Vt ſi miſericordiæ opera ad captandam inanem gloriam intorqueas, ſi ſtatum à curis mũdi ſequeſtratum profitearis, vt te principes huius ſęculi prælatione onerent, & ſolicitudinibus terrenis inuoluant, quis dubitet te in his actionibus, quę primo aſpectu, virtu-

Aug. lib. 2. de lib. arb. c. 19.

tis eſſe

A ris eſſe videntur, à virtute defeciſſe, & non merita ſed demerita cumulaſſe? Hinc autem oritur, vt virtus ſemper nos bonos faciat, & quia nunquam à lege & ratione ſeparatur, poſſeſſores ſuos, ſtudioſos irreprehenſibiléſque conſtituat. Enimvero eſto, ô homo, quòd bona ſint omnia quæ poſſides, nunquam tu ſine virtute bonus eris. Bonæ ſunt opes tuæ? Quid intereſt? *Eccl. 11. 10.* Nam ſi diues fueris, non eris immunis à delicto.] *Boëtius.* Boni honores & dignitates tuæ? Quid refert? Cùm improbis collata dignitas, vt inquit Boëtius, nõ ſolùm non faciat dignos, ſed multoties oſtendat indignos? Bona eſt domus tua, bona veſtis tua, bonus cibus, & bonus potus tuus? Quid dicam? bonus eſt intellectus tuus, acutum ingenium, præmaturum iudicium, robuſtum corpus, expeditus ſenſus? hæc omnia ſine virtute te bonum non faciunt, ſed ſi eis malè vta- B ris, maiori damnationi ſubiiciunt. *Bern.* Nam & ſi quis callidus eſt ingenio, inquit Bernardus, ſi viget arte, ſi præeminet intellectu, inſtrumenta ſunt hæc, tam vitiorum quàm virtutum. At ſi virtutem poſſideas, licèt omnibus aliis careas, re vera bonus eris, ab omnibúſque, etiam iniquis, bonus appellaberis. Vidimus enim ſanctiſſimos viros bono ſalutis orbatos, & plagis, vlceribus, ac morbis exeſos: Vidimus eos ſine honoribus, ſine dignitatibus, ſine opibus, ſine deliciis vitam duxiſſe, immò inglorios, infamia notatos, mendicitate & moleſtiis oppreſſos, in aliam vitam emigraſſe, quos tamen ob horum defectum nemo infœlices aut malos putat, quin potiùs ob tantorum malorum tolerantiam, fœliciſſimos ac opti- C mos prædicat. Eſt ergo virtus omnium bonorum optimum, & (vt verius dicam) inter omnes res creatas ipſa ſola (ſi de morali bonitate loquamur) bona eſt, quæ nos coram Deo & hominibus bonos efficit, & reliqua omnia, ſi ei contradicant, mala eſſe demonſtrat, & ſi ad ipſam referantur, eis bonitatem impertit. Virtus prorſus eſt honeſtiſſima, quæ nos legi Dei ſubdit, Prælatis & eorum iuſſionibus obſequentes facit, ratioui rectæ ſubiicit, & actiones humanas, ab ea dimanantes, honeſtas & Deo placentes elicit. Quòd ſi in rebus noſtris bonitatem, quæ nos bonos reddat, id eſt, virtutem, quæramus: aliquando ita pueri ſenſibus ſumus, quòd detritam veſtem, vel inſuauem vocem, vel linguam balbutientem habere erubeſcimus, & nõ nos pudet virtute carere, ſine qua D non iam veſtes, ſed animam improbam & Deo inuiſam circumferimus. *Aug. ser. 12. de verbis Domini.* Bona vis habere, inquit Augustinus, & bonus non vis eſſe? Nam dic mihi, ô homo, quid eſt quod velis tu malum habere? Non vxorem, non filium, non ſeruum, non domum, non equum, non tunicam, poſtremò non caligam. Rogo te, præpone vitam tuam caligæ tuæ. Nam quid eſt quod tantum peccaſti in teipſum, vt omnia velis habere bona, & teipſum non velis habere bonum?] Sic ille. Nunc itaque, quia volumus animam cum reliquis rebus habere bonam, immò eam præ omnibus habere ſanctam & puram, cura nos honeſtatis atque virtutis adipiſcendæ ſoliciter, quam ſi aſſe- E quuti fuerimus, non iam ex parte & ſecundùm minima noſtra, ſed ſecundùm id quod nos homines facit, & ſecundùm id quo ſumus boni ac iuſti, prædicabimur.

Demum, ſi bonum honeſtum eſt, quod ſui gratia & non propter aliud appetimus, quin & reliqua propter ipſum cupimus, hæc ratio manifeſtiſſimè in virtute conſpicitur, propter quam honeſtiſſima eſſe probatur. Non eſt aliquid requirendum, propter quod virtus appetatur; nam qui humilitatem, vel obedientiam, vel quamlibet aliam virtutem propter bonitatem ei inſitam appetit, & qui opus virtu- A tis exequitur, vt bonitatis virtutis ſit particeps, etiamſi nihil aliud reſpiciat, nullo modo à rectæ rationis ſententia diſcedit. Quia enim virtus eſt quædam participatio bonitatis Dei, & habet Deum quaſi in ſua ratione imbibitum, quem operando imitatur, ideo per ſeipſam eſt amabilis, & qui eam amat, Dei participationem & diuinæ bonitatis imitationem amat, quod ſui gratia appetendum eſſe omnis Philoſophia proclamat. Alia verò omnia, vt vita, vt ſalus, vt honos, vt diuitiæ, & reliqua quæ in minimis, aut mediis bonis numerantur, virtutis & Dei gratia appetenda ſunt, adeò vt ſi in hunc finem, vel actu, vel virtute, vel habitu non referantur, tanquam ſuo fine carentia, nos in aliquod ſaltem leue delictum impellant. Vide ergo quanta ſit vir- B tutis honeſtas, quæ ipſa per ſeipſam bona exiſtens, vniuerſa alia, quæ appetuntur & deſiderantur, honeſtat. Virtus eſt, quæ mentem indifferentem, & neque ad bonum, neque ad malum aſtrictam, ad bonum determinat atque definit; & quaſi pondus illi adiicit, vt à malo fugiat, & in bonum atque honeſtum inſita inclinatione propẽdeat. Hęc animum ad omne opus rationi conſentaneum, nõ tantùm idoneum, ſed & facilem ac promptum reddit; & ſicut ludimagiſter facillimè pulcherrimos characteres delineat, & effigiator imaginem perfectiſſimam pingit, & muſicus ſuauiſſimè citharam pulſat: ita virtutis poſſeſſor, ſine vlla difficultate in ſtudioſas actiones incumbit. Hæc in bonis operibus quoddam genus immobilitatis adiicit, & incredibilem firmitatem attribuit. Nam C & arbor fructus fert ſtabiliter iuxta naturam ſuam, & homo iuxta qualitatem inſitam menti ſuæ. Et omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit. *Matth. 7. 17.* Hæc profectò ſententia de hominibus bonis ac malis à Domino pronunciata eſt, quos arboribus comparat, quia ſecundùm virtutem aut vitium, quod dominatur in eis, bonum vel malum firmiter operantur. Licèt in hoc ſit arboris hominíſque diſcrimen, quòd hæc naturaliter fructificat, homo verò licèt firmiter, tamen ſpontaneè & libere fructus malorum aut bonorum operum profert. Virtus eſt, quæ ſtudioſas actiones magno valore nobilitat. Neque enim minùs diſtant bonum opus ex virtute, aut ſine virtute progrediens, D quàm dies, & nox, cœlum, & terra. Aſpice duos, quorum alter ex virtute miſericordiæ, alter ſine miſericordia eleemoſynam tribuat, & apertè cognoſces nullam à nobis exaggerationem fuiſſe prolatam. Ille quippe finem proprium virtutis, aut vlteriorem & meliorem finem, nempe Dei gloriam ſimpliciſſimè intendit: hic finem præpoſterum, aut finem bonum terrenis mouentibus mixtum, & ſatis imperfectè quærit. Ille ex maiori ſcientia boni, & magis ex electiue operatur: hic magis ex paſſione aut affectu naturali mouetur. Illius opera ſunt, vt fructus maturi vineæ, aut agri bene culti, corpori ſalutares & guſtui ſuaues: iſtius verò vt fructus vineæ aut agri inculti, qui parum reficiunt corpus, & dentibus ſtuporem E immittunt. Ac tandẽ vide diſcrimen inter actionem illius, qui ex arte bene acquiſita ſcribit, aut lyrã pulſat, & illius, qui ſine arte characteres efformat, aut muſicum percutit inſtrumentum; quia tale omnino reperitur inter actionem illius, qui ex virtute, & actionem illius, qui ſine virtute bonũ opus exequitur. Bonorum laborũ,] id eſt illorũ, qui ex vera virtute procedũt, [glorioſus eſt fructus,] vt in libro ſapiẽtię ſcriptum eſt, *Sapient. 3. 15.* [& quæ oon concidat radix ſapientiæ.] At de operibus impiorum, & qui ſine vera virtute aliquid moliuntur, poſtea ſcribitur: Confringentur rami inconſummati, & fructus illorum inutiles & acerbi ad *Sapient. 4. 5.*

A manducandum,& ad nihilum apti.]

His intelligitur, virtutem, bonum eſſe honeſtiſſimum, quod iure debemus aliis bonis omnibus anteponere. Si enim bona corporis amamus,quæ qualitatem corporis habentia aliquando pereunt, quanto magis ſunt diligendæ virtutes, quæ mentem incorruptibilem ornantes, ſine fine perdurant? *Matth.6. 19.* Si theſauros huius ſæculi concupiſcimus,quos tinea & ærugo demolitur, & quos fures effodiunt & furantur; quanto æquiori iure ſunt amplectendæ virtutes,quibus nec fur appropiat, quáſque nec tinea corrumpit? Si amore terrenorum capimur, quæ non tantùm bonis,ſed malis quoq; & reprobis dantur,quanto ardentiori ſtudio, virtutū amore illigari debemus,quæ ſolis bonis & ad Dei amicitiā aſpirantibus conferuntur? B Ad alia bona capeſſenda voluntas humana non ſufficit,quorū aſſequutionē ſæpe alij eadē cupientes impediunt,aut vires in homine ad ea obtinenda deficiunt:at virtus ſola voluntate, diuina gratia adiuta, quæ nemini deeſt,ab eius amatore conquiritur. Alia bona tēpore aduerſitatis decreſcūt,& huius vitæ miſeriis creſcentibus tandem omnino deficiunt: virtus verò in paupertate creſcit,in ægritudine adoleſcit, & in ipſa morte corporis vitam incorruptibilem induit. Hæc facit homines venerabiles & omni honore digniſſimos; nulláque eſt gens tam inculta aut natio tam barbara, in qua virtute pollentes, non primas honoris & reuerentiæ partes obtineant. Diuites exteriùs à pauperibus honorantur, nobiles ab ignobilibus & principes à ſubiectis,in magna veneratione habentur; C at iuſti omnium conſcientia & ipſa natura impellente, intus in animo digniores & fœliciores reputantur; quos diuites, quos nobiles, quos principes, & reges honorant, & ob vnam virtutem ſe meliores & beatiores exiſtimant. Beata ergo,& benedicta à Domino illa anima, ait quidam doctor, *Henr. Herp. lib. 1. Theol. myſtica c.22.* cuius humilitas alterius ſuperbiam confundit, cuius manſuetudo alterius iram extinguit, cuius obedientia tacitè pigritiam alterius increpat, cuius feruor alterius inertiam excitat, quæ fratris ſui interiorem oculum turbatum gratia ædificationis & conſolationis illuminat. Nam inter homines quæ ſublimior & Deo gratior eſſe conuerſatio poteſt, quàm eorum qui ſe penitus vitiis abdicant? qui virtutum ſtudiis animum efficaciter dedicant? Qui cæteros, exercitio quotidiano & exemplo, ad gratiam authoris ſui conuertere ſtudent: D qui crebra fidelium acquiſitione per doctrinam,lacrymas,orationes, & exemplaritates patriæ cœleſtis gaudium ſemper multiplicant, vt egreſſuri de hoc mundo fœliciter audiant: Intra in gaudium Domini tui.] Hæc Herpius. Ex hoc ergo honeſtatis capite magnum robur habet virtus ad voluntatem captiuandam,quia ſola virtus inter omnia creata,aut quod ad virtutem quoquomodo pertinet,vt eius effectus,vel cauſa,vel ſubiectum, honeſtatis eſt capax. Vnde iuſti, qui honeſtatem amant, & bono honeſto delectantur, non eſt cur aliud niſi virtutem,& quæ ad virtutem pertinent,aliquo modo requirant. Qua ſi careant,fine,cuius gratia laborant, manifeſtè carent, & iuſti eſſe deſinunt; E quam ſi habeant,ſuum finem, propter quem conditi ſunt,ſcilicet Deum,aſſequuntur. Eius enim domicilium eſt virtus,in qua poſſidetur, adoratur, & colitur. Poſſidetur, inquam, ab his, qui virtute pollent, dum hæc mortalitas durat in ſpe, & poſt hanc mortalitatem reipſa tenetur,& ſe tenentes ac poſſidentes vera fœlicitate lætificat.

Quanta ſit Virtutis vtilitas.

CAPVT III.

A MAGNA eſt ſanè virtutis honeſtas (vt vidimus) ſed in nullo minor eſt eiuſdem vtilitas, adeò vt ſicut eam, bonum honeſtiſſimum eſſe cenſuimus; ita nunc ſine vlla errandi formidine, bonū omnium vtilium vtiliſſimum reputamus. Quamobrem ſi virtus ſua honeſtate ad amorem ſui excitat, non minùs ſua vtilitate ad amorem inuitat. Solam virtutem inter res creatas, bonum honeſtum eſſe monſtrauimus; quia omnia honeſta & decora à virtute honeſtatem habent, & quid erit ſi eam ſolam,bonum vtile exiſtimemus? Videbitur hoc forſitan alicui falſum & abſurdum, cùm innumera alia B vtilia nominentur, vt cibus,& veſtis, & ſalus, & integritas corporis,& innumera alia,ſine quibus vita iſta non ducitur: ſed eſt,ſi rectè intelligatur, aſſertio veriſſima. Duo ergo nobis oſtendenda ſunt: alterum, virtutem eſſe bonum, omnium bonorum vtilium vtiliſſimum: alterum, ſolam illam eſſe vtilem, & reliqua inutilia & noxia, ſi à virtute ſeparentur. Illud facili negocio probatur: Nam bonum vtile definitur, quod conducit ad finem: omnium ergo vtilium vtiliſſimum erit, quod magis conducit ad finem, & ſine quo omnino non poteſt obtineri finis. Talem autem eſſe virtutem, ſacra ſcriptura clamat, & nullus fidelis ignorat,& ſolus ille,qui ſenſu & cognitione caret,addubitat. Finis enim noſter, poſſeſſio Dei eſt, cuius gratia reliqua appetenda ſunt, & cuius comparatione vtilia aut noxia reputanda. C Nam ideo vocatur Deus [principium,& finis.] *Apocal. 22. 13.* Et æterna veritas dixit: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum.] *Ioan. 17. 3.* Hunc autem finem noſtrum, non ſalute, non opibus, non honoribus, ſed virtute conſequimur. Id enim ſignificant illa verba: Quis aſcendet in montem Domini? Aut quis ſtabit in loco ſancto eius? *Pſal. 23. 3. 4.* Innocens manibus & mundo corde.] Et illa: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, id eſt, virtutibus, *Cant.8.5.* innixa ſuper dilectum ſuum?] Quibus verbis duplex ratio aſcenſionis in cœlum denotatur: Virtutis opus ſcilicet & auxilium gratiæ Dei. Et rurſus illa Iſaiæ: Qui ambulat in iuſtitiis, & loquitur veritatem. *Iſaia 33. 15. 16.* Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum, ſublimitas eius.] Illáque Pauli: *Roma. 2. 5.7.* Reddet his, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. D Et iterum: Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.] *Ibidem. n. 10.* His omnibus & aliis innumeris, non diuitibus, non nobilibus, non honore fulgentibus, non robuſtis corpore, ſed robuſtis corde, ſcilicet iuſtis, æterna vita promittitur. Ergo iuſtitia & virtus omnium rerum eſt vtiliſſima ad conſequendum vitæ æternæ finem. Quòd ſi alia vtilia ſunt, id habēt, quia proximè, aut medio aliquo interiecto ad virtutem parandam conferunt. Vt, exempli gratia, ſalus eſt vtilis ne à virtute ſectanda impediamur: res temporales vtiles, vt neceſſaria habentes ad virtutem inuemur: honor vtilis, vt munere noſtro, tum in nobis, tum in aliis, virtute proficiamus. Si verò hæc & alia media, aut indifferentia operi virtutis obſiſterent, E & nos peccatis illigarent, eo ipſo vtilitatem amitterent. Atque adeò virtus non ſolùm vtiliſſima eſt, ſed & ratio, quare alia ſint vtilia vel inutilia, apertiſſimè eſſe conſpicitur. Sapientérque Ambroſius ait: *Ambr. 1. off. c.9.* Neque aliqua commoda in facultatibus & copiis opum conſtituimus, ſed incommoda hæc putamus, ſi non reiiciantur (intellige cùm virtuti opponuntur) eáque oneri magis cùm ſint æſtimari, quàm diſpendio, cùm erogantur.] Hæc ille.

Vt au

Vt autem probè ſciremus, virtutem nobis vtiliſſimam eſſe, eam ſapientes noſtri omnium rerum vtilium nomine nuncuparunt. Vtilis quidem putatur, & meritò mundicies corporis, quæ & ſaluti naturali eſt neceſſaria, & ſine ea in publicum prodire, & cum hominibus conuerſari vix poſſumus. Virtus verò mundicies eſt animæ, quæ eam à peccatorum fœcibus liberat, & à ſordibus vitiorum expurgat. *Iob 22. 30.* Iob enim ait: Saluabitur innocens, ſaluabitur autem in mundicia manuum ſuarum.] Nemo eſt tam ignarus, qui putet hominem manuū corporis mundicia ſaluari. Vnde ſenſus eſt: Innocentem propter operum ſuorum bonitatem eſſe ſaluandum. *Greg. 16. mor. c. 10.* Quia, vt Gregorius ait, illum in extremo examine iuſtitia æterni iudicis ſaluat, quem hîc eius pietas ab immundis operibus liberat.] Virtutis igitur actiones mundicia ſunt, quibus & ſalutem mentis adipiſcimur, & ſine rubore cum Deo & Angelis conuerſamur. *Prouer. 22. 11.* Proptereáque ſcriptum eſt: Qui diligit cordis mundiciam, propter gratiam labiorum ſuorum, habebit amicum regem:] illum ſcilicet regem, qui per cuncta ſæcula regnat in cœlis. Vtilis eſt pax, quæ cædes, & fames, & ſeruitutes, & rapinas, & alias iniurias, ex bellis prouenientes, arcet? Et virtus eſt pax animæ iucundiſſima, quam nobis nolentibus nemo corrumpet. Annon pax, quæ paſſiones noſtras efferueſcentes & ad ſenſibilia anhelantes cohibet? Annon pax, quæ tentationes aduersùs legem Dei inſurgentes aut mitigat, aut omnino tollit? Annon pax, quæ inquietudines ex nimiis occupationibus generatas, eas moderando, depellit? Verè pax, quam Dominus prædicaturus aduenit, de quo à *Zacharia 9. 10.* Zacharia fuerat prædictum: Loquetur pacē gentibus.] Et Paulus videns illud impletum, & ſpiritu *Ephes. 2. 17. 18.* exultans, ait: Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuiſtis, & pacem his, qui propè: quoniam per ipſum acceſſum habemus ambo in vno ſpiritu ad Patrem.] Quamnam quæſo pacem Chriſtus euangelizauit nobis, niſi pacem Euangelij, cuius, peccatorum deteſtatione & virtutum exercitatione, participes ſumus? Hanc euangelizauit Iudæis, qui propè, & Gentilibus, qui longè erant, vt per virtutem ipſius in ſpiritu charitatis gratiam accedendi ad Deum obtinerent. Vtilis eſt victoria, qua tempore belli pacem aſſequimur. Virtus autem eſt victoria; nam ea affectus noſtros & vitia vincimus, & dæmones nos ad peccata incitantes proſternimus. Artes quidem ſola ceſſatione ab opere & ocioſitate obliuioni tradimus: & ita præpoſteros motes noſtros, à quibus per ſtudium virtutis ceſſamus, eo ipſo dediſcimus. Et non aliter tentatio, actione virtutis compreſſa, extinguitur, quàm flamma, ſi non erumpat, ſuffocatur. Quòd ſi armis victoriam de hoſtibus obtinemus, quæ ideo vtilia reputantur: virtutes ſunt arma noſtra, quibus nos defendimus, *2. Corint. 6. 7.* & hoſtes occidimus. Id ſatis apertè Apoſtoli teſtimonio probare poſſumus, qui exhortatur nos vt pugnemus [per arma iuſtitiæ, à dextris & à ſiniſtris.] Id *Anſel. ibid.* eſt, per virtutes vitiis contrarias, vt exponit Anſelmus, vt humilitas deiiciat ſuperbiam, largitas extirpet auaritiam, beneuolentia inuidiam, & ſic cæteræ virtutes deſtruant oppoſita ſibi vitia. Et alio loco cuilibet virtuti proprium genus armorum applicat: *Ephes. 6. 14.* State, inquit, ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus ſumentes ſcutum fidei,] & alia quæ ſequuntur. Sunt itaque virtutes arma noſtra, ſine vlla comparatione, armis corporalibus præſtantiora. Iſta namque fiunt ex ferro, illa ex imitatione Dei; quia dum illum imitamur, virtutes induimus. Arma corporalia corpus protegunt, virtutes mentem. Illa nobis nolentibus, iſtæ, nonniſi nobis volentibus, ſuperantur, & confringuntur. Illa ita limitata ſunt, vt non niſi vni vſui deſeruiant: nam galea ſemper eſt galea, non gladius: & gladius ſemper eſt gladius, non galea: At virtus eadem non vnam animæ partem, ſed totam mentem armat, & protegit, & pro variis armorum generibus valet. Docuit hoc egregiè Auguſtinus, qui cùm virtutes, arma dixiſſet, ſubdit: *Aug. lib. de doctr. Chriſtiana.* Verumtamen chariſſimi, arma iſta non ſic putetis eſſe, vt quaſi quod ſcutum eſt, ſemper ſcutum ſit; aut quod galea eſt, ſemper galea ſit: aut quæ lorica eſt, ſemper lorica ſit. In iſtis enim armis corporalibus ita eſt. Quanquam & de ferro quæ fiunt, mutari poſſunt, vt ex gladio fiat ſecuris. Tamen ipſum Apoſtolum videmus dixiſſe, quodam loco loricam fidei, & alio loco dixiſſe ſcutum fidei: ſcutum ergo eſt, quia tela inimicorum excipit, & repellit: lorica eſt, quia interiora tua transfigi non ſinit.] Sic ille. Ac proinde virtus, vtiliſſimum eſt armorum genus, quod vſibus variis aptatur. Eſt galea, quia caput, id eſt, Dei cognitionem, protegit: eſt lorica, quia corpus, id eſt omnem vitam ſpiritualem, munit; eſt ſcutum, quia tela tentationum excipit: eſt enſis, quia hoſtem propiùs accedentem arcet; eſt lancea, quia eminus poſitum & è longinquo dimicantem ferit, & eſt omne genus armorum, quoniam & brachia, quibus pugnamus, & pedes, quibus ambulamus, ſcilicet actiones noſtras affectúſque defendit. Eſt murus, qui nos vndique cingit, ne ab aduerſariis expugnemur: eſt turris contra Damaſcum, ne vitia contraria timeamus, & robur cordis, quo vniuerſa vitia ſuperemus.

Sed omnium rerum huic vitæ vtilium, vtiliſſimæ habentur diuitiæ, quibus alimenta, & tegumenta & medicamina coēmimus, omníque noſtræ indigentiæ ſubuenimus. Virtutibus autem quis iure hanc gloriam adimat, vt noſtræ opes veræ ſint, & nominentur? Profectò temporalia bona, ſi rectis oculis conſpiciantur, noſtra non ſunt, quorum non tam domini, quàm cuſtodes & adminiſtratores efficimur: quæ, dum ea retinere volumus, fugiunt; dum ea cupimus cuſtodire, perduntur: quæ nos interdum in maiori indigentia relinquunt; atque adeò ſi noſtra non ſunt, neque bona noſtra ſunt. At virtutes ſunt veræ diuitiæ & noſtræ diuitiæ, quæ nunquam nos deſerunt, nec à nobis fugiunt, ſed in vita & poſt vitā comitantur, & in maiori indigentia, nempe in hora mortis, fideliſſimè aſſident nobis, & animas hinc emigrantes in vitam æternam deducunt. Audiamus Bernardum, pulcherrimis verbis teſtimonium huic veritati perhibentem: *Bern. ſer. 4. de Aduent.* Filij Adam, inquit, genus auarum & ambitioſum, audite: Quid vobis cum terrenis diuitiis & gloria temporali, quæ nec veræ nec veſtræ ſunt? Aurum & argentum nonne terra eſt rubra & alba, quam ſolus hominum error facit, aut magis reputat pretioſam? Denique ſi veſtra ſunt hæc, tollite ea vobiſcum. Sed homo cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.] *Pſal. 48. 18.* Veræ ergo diuitiæ non opes ſunt, ſed virtutes, quas ſecum conſcientia portat, vt in perpetuum diues fiat. De gloria quoque dicit Apoſtolus: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.] *2. Corin. 1. 12.* Et alio loco ait: *Bern. lib. 2. de conſiderat.* Hoc chirographum paternæ tuæ hæreditatis, quod tibi euoluimus, vbi inſpicias portionem ſubſtantiæ, quæ te contigit. Induere fortitudinem, & hæreditaſti. Poſſide fidem, poſſide pietatem, poſſide ſapientiam, ſed ſapientia ſanctorum ipſa eſt timor Domini, & habes quod tuum eſt. Habes ſine defraudatione integrum paternum fundum.

Pretioſiſſimus fundus virtus eſt. Bonus fundus humilitas, in qua omne ædificium ſpirituale conſtructum, creſcit in templum ſanctum in Domino. Sunt ergo virtutes veræ diuitiæ noſtræ, quarum præſidio in hac vita & in futura, neceſſaria mereamur. Nam earum actionibus reficimur, & cæleſti conſolatione potamur, & veſtem gratiæ & habitaculum diuinæ protectionis promeremur. Poſt mortem verò vitam æternam iuxta oblatum pretium virtutum, accipimus: & qui magis ſtrenuè ſe in virtutibus exercuerit, in illa cæleſti patria maiorem gloriam comparabit. Si ergo vtiles putantur & ſunt temporales diuitiæ, quia illis neceſſaria ad vitam mortalem tranſigendam mercamur, quàm in immenſum vtiliores erunt virtutes, quibus non iam neceſſaria ad vitam, ſed ipſam vitam & illam immortalem perpetuámque, coëmimus? Verè omnibus theſauris pretioſiores ſunt virtutes, quia præmium æternæ vitæ de virtutis actione procedit. Meritóque dixit Socrates (vt quidam doctor refert) bonorum omnium & totius proſperitatis cauſam penes virtutem conſiſtere: ipſámque ſolam eſſe, quæ res impoſſibiles ad poſſibilem redigit facilitatem: ſolámque virtutem poſſe fortunatiſſimum facere; & abſque virtute ex aliis proſperis neminem poſſe fœlicitatem inuenire. Audi in quantis virtus diuitiis temporalibus præſtet: Nam diuitiæ bona externa ſunt, quas alij poſſunt deprædari: virtus verò bonum internum, quod à nemine poteſt auferri. Diuitiæ vſu conſumuntur, virtutes promouentur, & creſcunt: illæ ſæpe animæ ſaluti obſunt, iſtæ quanto maiores, magis proſunt. Diuitiæ virtutes diſſipant, hæ verò diuitias ipſas, à quibus diſſipantur, & reliqua bona temporalia cuſtodiunt. Diuitiæ non ſemel faciunt ſuum poſſeſſorem malum: virtutes efficiunt bonum. Ac tandem diuitiæ, vt bonæ ſint, debent à virtutibus regi, hæ verò habent à ſolo omnium authore gubernari. Hæ igitur ſunt veræ noſtræ diuitiæ, quæ ſua poſſeſſione nos ditant, & dum opibus temporalibus bene vtuntur, merita æterna in cæleſtibus tabernaculis collocant.

Arphius lib. 1. Theol. myſt. c. 14.

Habemus iam, virtutem eſſe omnium vtilium vtiliſſimam, in quam omnium vtilium vtilitates congeruntur, quáque homines ad veram fœlicitatem aſcendunt: Nunc oſtendamus, nihil eſſe vtile præter virtutem: non quia res creatæ non ſint vtiles ad ſuos fines, quorum gratia à Deo conditæ ſunt, ſed quia illæ omnes proximè vel remotè ad virtutem ſunt referendæ; ita vt ſi virtutem quoquomodo lædant, eo ipſo vtilitatem amittant. Non eſt difficile hoc perſuadere legentibus, ſi ordinem rerum à Deo conditarum aduertant. Eſt enim ordo ſicut in efficientibus, ita etiam in finibus,] vt omnis Philoſophia teſtatur: Et ſicut vnus effectus, exempli gratia, homo genitus, pendet à proxima cauſa, nempe ab homine, & homo pendet à ſole, qui omnium generationum ponitur cauſa, & ſol pendet à primo cælo, quod ſpatio viginti quatuor horarum ſuum circulum conficit, & primum cælum pendet à Deo: ita hæc res, putà medicina, dicitur vtilis, quia conducit ad hunc proximum finem, nimirum ad comparandam ſalutem corporis; & hæc pendet ex alio fine, nempe ex humanis operibus, propter quas rectè præſtandas quæritur ſalus; & iſtæ pendent ex recta ratione, cui debent eſſe conformes; & hæc pendet ex voluntate Dei & præceptis eius, quæ ſunt de virtutum actionibus, per comparationem ad quæ recta & iuſta nuncupantur. Vide nunc ordinem ac dependentiam efficientium cauſarum, quia ſi primam tollas, omnes tollis, & poſtremum effectum impedies. Si enim Deus per ſe aut per ſubiectam intelligentiam primum cœlum non moueat, illud vtique non mouebitur: ſi primum cœlum non moueatur, nec ſol circulum diurnum conficiet: ſi ſol à ſuo motu ceſſet, homo non generabit: ſi homo non generet, homo productus non erit. Idem eſt quoque finium ordo. Nam ſi voluntatem Dei non impleamus, eiúſque præcepta ſeruemus, ratio noſtra, quæ contrarium Dei præceptis dictat, recta non erit: ſi ratio recta non ſit, nec actiones humanæ rectæ præſtantur: ſi actiones humanæ rectæ non ſunt futuræ, ſed Deo contrariæ & inuiſæ, ſalus corporis in peccatis conſumenda, non eſt vt bona deſideranda: ſi ſalus non eſt peccatori, eam in peccatis & ſceleribus conſumpturo conueniens, nec medicina ſalutem ad patrandam iniquitatem efficiens, vtilis erit. Omnis ergo rerum vtilitas ex poſtremo fine petenda eſt. Non quidem, quia res vt vtiles cenſeantur, debeant ſemper in vltimum finem actu aut virtute dirigi: ſufficit enim vt de ſe poſſint in illum referri, ſed quia tales eſſe debent, & taliter à nobis aſſumi, vt nos à Deo, fine noſtro, non ſeparent. Quare ex eo vtiles ſunt, quòd aliquo modo Deum, finem, reſpiciunt, & in veram virtutem, qua Deo iungimur, ſaltem eam non impediendo, tendunt. Quæcumque igitur virtus non ſunt, aut aliquam eius rationem non induunt, ſaltem hanc, quòd virtuti non aduerſentur, inutilia immò & noxia ſunt æſtimanda. Ergo ſola virtus eſt vtilis, quæ mentem ſuo vero fini, ſcilicet Deo, iungit, & alias res omnes, quia aut in eam tendunt, aut illi non aduerſantur, vtiles efficit. Et meritò dixit Auguſtinus, Non vtiliter in tempore viuitur niſi ad comparandum meritum, quo in æternitate viuatur. Nihil profectò in rebus terrenis eſt ipſa vita vtilius; ſi autem hæc inutilis eſt, niſi ad comparandam vitam æternitatis ordinatur, quæ per ſtudium virtutis paratur, quanto magis reliqua non tam vtilia, nec tam deſiderabilia, inutilia & inania habenda ſunt, ſi virtuti & æternitati aduerſentur? Hæc ita eſſe, ſcriptura ſacra manifeſtè docet, dum homines, & ſtudia eorum, virtuti aduerſantia, inutilia appellat. Dauid ait: Omnes declinauerunt,] id eſt, à Deo deſciuerunt. Et ſtatim ſubiungit: Simul inutiles facti ſunt;] quia rectam viam virtutis deſerere, & à Deo deſciſcere, eſt hominem reprobum atque inutilem fieri. Et Sapiens: Sapientiam & diſciplinam qui abiicit, infœlix eſt, & vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu, & inutilia opera eorum.] Et Paulus: Qui volunt diuites fieri, incidunt in deſideria inutilia.] Ac tandem Iſaïas: Cogitationes eorum, id eſt, impiorum, cogitationes inutiles.] Ecce cogitationes inutiles, & deſideria & opera inutilia, & res inutiles à ſcriptura dicuntur, quæ virtuti & legi Dei obſiſtunt, vt diſcas, ſolam virtutem, & quoquomodo ad eam pertinentia, vtilia cenſere, & reliqua inutilia & noxia nuncupare. Anne temporales opes vtiles cenſebis, ſi te in ſuperbiam erigant? An honores, ſi te à deſiderio honoris & gloriæ Dei ſeparent? An voluptates, ſi cor tuum, ac ſi eſſet bruti cuiuſdam, in terram inclinent? An ſalus, ſi te ad malum habilem faciat? An vita, ſi ſolùm cumulandis peccatis deſeruiat? An vtiles erunt propinqui, ſi te rebus terrenis inuoluant? An amici, ſi te ad malum pertrahant? An famuli, ſi tibi in fouendis iniquitatibus tuis ad nutum obediant? Non puto, hominem, qui homo ſit, id eſt rationis compos, tam apertè decipere, vt hæc quæ corpori proſunt, ſi animæ & virtuti obſint, vtilia dicat aut ſentiat. Quin immò ſicut gladius in manu

Ariſt. 2. Metaph. c. 2.

Auguſt.

Pſal. 52. 4.

Sapien. 3. 11.

1. Timoth. 6. 9.

militis

militis ſtrenuè pro patria pugnantis, vtilis, & in manu frenetici, inutilis & noxius dicitur: ita quodcumque bonum in poteſtate peccatoris, eo ad malum vtentis, inutilis reputabitur. Ex eóque dixit Dominus: Si manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proiice abs te. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te.] Quidnam manu, & pede, & oculo in humano corpore inuenitur vtilius, quibus laboramus, progredimur, & videmus? At hæc tam chara, tam vtilia, en ipſo quòd virtuti contradicant, peſtes ſunt noſtræ, quas non vt commodum, ſed vt detrimentum afferentes, debemus omnimodis refutare. Alia ergo non tam neceſſaria qualitatem mutant, &, ſi antea vtilia erant, inutilia redduntur, ſi actionibus virtutis obſiſtant.

Matth. 18. 8.

Si autem virtus maximè vtilis eſt, & ſola vtilis (vt monſtratum eſt) quia reliqua ſolùm, quatenus virtuti ſeruiunt, aut virtuti non aduerſantur, habentur vtilia, quis ambigat eam ſummis conatibus eſſe quærendam, ſiquidem iuxta vtilitatis, aut neceſſitatis menſuram ſolemus conatum rebus quærendis adhibere? Certè quidem mundani homines magna cura argentum eruunt ex viſceribus terræ, quia illius vſu ſuis neceſſitatibus prouident. Maiori verò cura effodiunt aurum, & pro minori copia auri maiorem copiam argenti libenter impendunt, quia aurum ſciunt argento eſſe pretioſius. Adhuc vehementiori conatu quærunt gemmas & lapides pretioſos, quoniam ſecundùm humanam æſtimationem argento & auro præferuntur. Quid ergo facerent, & quanta ſolicitudine illam rem quærerent, ſi reperiretur in rerum natura, quæ ſimul eſſet argentum, & aurum, & gemma, & lapis pretioſus, & quicquid magnum, & pulchrum, & pretioſum poſſent cogitare? Hæc res, ô homo, virtus eſt, quam non vna anguſtat vtilitas, ſed omnia vtilia continet, omnémque in ea vtilitatem inuenies. Hæc vt cibus, reficit; vt potus, recreat; vt veſtis, operit; vt gemma, ornat; vt aurum & argentum, ditat. Hæc in proſperitate moderatur; in aduerſitate conſolatur; in ægritudine roborat; in perſecutione ſuſtentat. Hæc adoleſcentiam erudit, ne ignorantiam diligat; iuuentutem cohibet, ne in præcipitium eat: virilem ætatem comitatur, ne ſe peccatis inuoluat: & ſenectam ornat, vt apud omnes dignitatem habeat. Hæc ſe ſequentes in hoc ſæculo honorat, & in futuro magnificat, & vitam noſtram laboréſque æterno præmio coronat. Nihil igitur eſt virtuti par, vt verbis Chryſoſtomi vtar, quæ nos, & in futuro ſæculo è gehenna eripit, & regno cælorum nobis frui concedit, & in præſenti quoque ſæculo omnibus ſuperiores conſtituit, qui nobis ſine cauſſa inſidiantur: & non hominibus ſolùm, ſed & ipſo ſalutis noſtræ inimico, diabolo, fortiores efficit. Quid igitur illi par fuerit, quæ non ſolùm hominibus inſidiantibus, ſed & dæmonibus ſuperiores, ſui ſtudioſos efficit? Virtus autem eſt, humana omnia deſpicere, futura ſingulis horis cogitare, nullis præſentibus addictum eſſe: ſed ſcire, omnia humana, vmbram eſſe, & ſomnium, & ſi quid his vilius. Virtus eſt, erga negotia huius vitæ non magis quàm erga mortuum affici: & ita vitioſæ operationis expertem, vt ad ea quæ offendere animæ ſalutem poſſunt, quaſi mortuus quis ſit, viuat autem, vt operetur tantum ea quæ ſpiritus ſunt; ſicut & Paulus dicebat. Viuo autem iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus.] Sic ille. Hæc ſi bene aduertiſti, eſt tota vita ſpiritualis ab hoc ſancto doctore deſcripta, quam ſine vlla exceptione virtuti tribuit, vt ſcias, virtutem omnia ſpiritualis vitæ bona afferre, omnéſque eius vtilitates recondere. Virtute namque peccata præterita deteſtamur, & futura cauemus. Virtute ſenſus, affectus, & animæ vires componimus. Virtute præceptis Dei, & Eccleſiæ, & Prælatorum obedimus. Virtute cum Deo conuerſamur, & mentem ad res cæleſtes attollimus. Virtute à malo declinamus, & bonum facimus, & recta in vitam beatam tendimus. Hanc igitur omnibus rebus vtilibus præferamus, in qua omnium vtilitates obtinemus.

Chryſoſt. hom. 8. in Geneſ.

Galat. 2. 20.

Quantæ ſint Virtutis deliciæ.

CAPVT IV.

MONSTRATVM eſt, Virtuti honeſtatem & vtilitatem ineſſe, nunc an illi inſit voluptas diſquirendum eſt, quæ magnam vim habet ad hominum capiendos animos. Adeò ſanè, vt hominum hera & domina iure debeat nominari. Herus enim mancipiis imperitat, & ſeruos ſibi ſubiicit, & ad nutum, vult eorum non ſolùm viribus, ſed & voluntatibus vti: & ſæua voluptas homines ſibi obſequentes ligat, & religat, adeò vt aliquando nihil aliud, quàm huius dominæ ſuauitates libeat cogitare. Sapientérque dixit Euſebius: Eorum, qui fœdis voluptatibus dediti ſunt, nullum tu liberum ducas; hi enim multo ſæuioribus dominis, quàm ſint, qui fortuna ſeruos comparant, poſſideántque, cogentibus eos, ſeruiunt. Si ergo virtus comitem haberet voluptatem, iam nemo eſſet, qui virtutis imperium detrectaret, nemo, qui amabiliſſimæ ſponſæ conſortio viliſſimi heri, nempe vitij dominatum præferret. Videtur tamen nullo modo eſſe veriſimile, quòd virtus voluptatem habeat, cùm potiùs virtus & voluptas dicantur eſſe contraria. Eſt enim qui cecinit, ſi bene memini: *Hinc virtus, illinc virtutis inimica voluptas.*] Et Ambroſius ait: Duæ mulieres vnicuique noſtrum cohabitant, inimicitiis ac diſcordiis diſſidentes, velut quibuſdam zelotypiæ contentionibus, noſtræ replentes animæ domum: Vna earum nobis ſuauitati & amori eſt, blandæ conciliatrix gratiæ, quæ vocatur voluptas. Hanc nobis opinamur ſociam ac domeſticam: illam alteram, immitem, aſperam, feram credimus, cui nomen virtus eſt.] Dominus quoque, virtutis inſuauitatem & difficultatem ſine vllo fuco demonſtrat, ne ad virtutem inuitati, de aliquo dolo aut deceptione conqueramur. Intrate, inquit, per anguſtam portam; quia lata porta & ſpacioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam.] Quàm anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam! Quis autem non videat, inſuaue & durum eſſe, anguſtam portam ingredi, & arctam viam, in cliuo poſitam, & anfractuum ac ſcopulorum plenam, ambulare? Virtus quidem à vi dicitur, & ſecundùm vnam acceptionem robur ac fortitudinem ſignificat, quo datur intelligi, veram virtutem ſine inuicta fortitudine, qua nos ipſos cohibeamus, & naturæ vim inferamus, non poſſe in noſtram poſſeſſionem deuenire. Vim autem naturę inferre, & flumē affectionum noſtrarum ex antiquo alueo in alia loca deriuare, haud poteſt magno labore & dolore carere. Nec ineptè quidā virtutem igni cōparauit: nam ſicut ignis oculis apparet (ſicut re vera eſt) ſplendidiſſimus atque pulcherrimus: ſed manibus attrectātibus, quas ſine vlla mora combureret, acerbus eſt & terribilis; ita virtus conſiderationi ſe pulchram, ſuauem, & decorā oſtentat; executioni verò ſe auſterā eſſe & amarā, ſatis

Euſeb.

Silius Ital. lib. 15.

Ambro. lib. 1. de Cain. c. 4.

Matth. 7. 14.

apertè notificat. Et ſicut arbor quædam huius Americæ, cuius apud Latinos, & Hiſpanos, imò & apud ipſos Peruenſes, quantum potui deprehendere, eſt nomen incognitum, glandulas fert, guſtui ſatis ſuaues, quæ in ſtomachum traiectæ miras ventris torſiones & cordis anguſtias exſuſcitant, & noxios humores non ſine ditiſſima conuulſione, pectoris vomitione propellit: ſic virtus ſuauis eſt palato deſiderij noſtri, quam amabili aſpectu & hilari facie eſſe conſiderat, at in mentes noſtras actione transfuſa, eas vehementer excruciat, quouſque præpoſteros mores & minimas quaſque imperfectiones eiiciant. Multos tandem labores, nullam verò requiem eſſe virtutis, Chius Philoſophus, quem magnus Baſilius citat, & laudat in quadam Herculis narratione, demonſtrat. Is enim cùm quadam die, an ſequenda eſſet via voluptatis an virtutis, ambigeret; aſtiterunt illi duæ fœminæ, quarum cōditionem ex ipſo habitu ſtatim agnouit. Altera, inquit, forma conſpicua, molliore facie, laſciuis oculis, ſermone blando, omnia fauſta faciliáque, & ad vitæ ſolatia tendentia per otium, pollicendo, Herculem ad ſe trahere conabatur. Altera verò vultu rigido, ſqualenti mœſtóque ore, magnam fiduciam atque conſtantiam præ ſe ferens, nihil iucundum, nihil amœnum oſtendebat; laboréſque immenſos terra marique ſubeundos. Ecce iterum ex ſententia huius Philoſophi atque Baſilij, virtutem voluptati inimicam appellari, eámque ſectatoribus ſuis non niſi labores & triſtitiam offerre; quomodo ergo æquum erit illam bonum delectabile exiſtimare?

Baſil. hom. 24. de legen. lib. gent.

Hæc res magni momenti eſt, & vt pro virtute certemus, & eam deliciis plenam oſtendamus, neceſſe eſt, ſicut & in cæteris rebus, ita duos ſtatus in virtute diſtinguere. Alter eſt quo virtutem aſſequimur: alter, quo virtute iam adepta & comparata lætamur. Hæc autem duo in quocumque alio bono eſſe conſideranda, manifeſtum eſt. In opibus enim atque diuitiis, aliud eſt diuitias acquirere, aliud verò quæſitas poſſidere. In honoribus aliud eſt, dignitatem ambire; aliud, poſt eam obtentam ſubiectis imperare. In voluptatibus carnis, aliud eſt, occaſionem rei amatæ fruendæ nanciſci; aliud, poſt eam nactam voluptate potiri. Comparemus nunc ſingula ſingulis, & diſquiramus an adeptio virtutis, & ipſa virtus adepta, omnium aliorum bonorum adeptioni, & ipſis bonis adeptis voluptate & deliciis emineat. Bonorum terrenorum adeptio amariſſima eſt. Quis enim labores & angores enumeret, illorum, qui congerendis auro, & argento, & aliis diuitiis inſiſtunt? Quantis ſolicitudinibus lacerentur? Quanto ſudore & contritione corporis, quæ ab itineribus, & longis ac periculoſis nauigationibus afferuntur, toto vitæ tempore onerentur? Quantis, ſi res non bene ſuccedat, triſtitiis & afflictionibus opprimantur? Quis vel mente concipiat ambitioſorum moleſtias? Nam vt dignitatem concupitam obtineant, homines rogant, quo neſcio an in hac vita ſit aliquid laborioſius; ſicut nihil eſt in ea, quàm Deum rogare, fœlicius; coram ignobilioribus ſe deiiciunt, qui ſe technis & dolis in regum familiaritatem inſinuarunt, eos non aliter quàm famuli aut ſerui, expectant, & aſſectantur, & ab hominum vilium & ſuperborum ore pendent, quorum ope munus aliquando deſideratum obibunt. Quis tandem verbis enumeret amaritudines illorum, qui in fœdiſſimo cœno carnalium voluptatum quaſi ſues volutantur, quos metus ſupplicij angit, dens malæ conſcientiæ rodit, & rabies zelotypiæ diſcerpit? Has autem moleſtias ſpes boni concupiti non minuit, quod modicum eſt & exile, quod breue & poſt modicum finiendum; quod hominis cupientis deſideria non ſatians; quod ſæpe ſua præſentia non lætitiam, ſed faſtidium & triſtitiam adiiciens. Meritóque Auguſtinus, hominum mundanorum ſtudia reſpiciens, ſic diſputat de mundo: Ecce, inquit, ruinoſus eſt mundus, ecce tantis calamitatibus repleuit Dominus mundum, ecce amarus eſt mundus, & ſic amatur. Quid faceremus, ſi dulcis eſſet? O munde immunde, teneri vis periens? quid faceres, ſi maneres? Quem non deciperes dulcis, ſi amarus alimenta mentiris? Et Gregorius: Si ſubtiliter conſideretur omne quod hîc agitur, pœna & miſeria eſt. Ipſi etenim corruptioni carnis ſeruire ad neceſſaria atque conceſſa, miſeria eſt: vt contra frigus, veſtimenta, contra famem, alimenta, contra æſtum, frigora requirantur. Quòd multa cautela cuſtoditur ſalus corporis, quòd etiam cuſtodita amittitur, amiſſa cum graui labore reparatur; & tamen reparata, in dubio ſemper eſt, quid hoc aliud quàm mortalis vitæ miſeria eſt? Quòd amamus amicos, ſuſpecti, ne offendi valeant: formidamus inimicos, atque ſecuri de eis non ſumus vtique quos formidamus: quòd plerumque inimicis ſic confidenter quaſi amicis loquimur, & nonnunquam pura verba proximorum, & multum nos fortaſſe diligentium, quaſi verba ſuſcipimus inimicorum, & qui falli nunquam vel fallere volumus, ex cautela noſtra grauiùs erramus; quid itaque hoc niſi humanæ vitæ miſeria eſt?] Sic ille. His omnibus, quibus voluptatem quærimus, triſtitiam & dolorem reperimus, & adeptionem cuiuſcunque temporalis boni doloribus & triſtitiis ſentimus aſperſam, vt vitam iſtam ſingulis horis triſtem & luctuoſam experiamur. Sicque expertus eſt rex ille, qui omnem curam ac ſolicitudinem in quærenda voluptate collocauerat, ſiquidem poſt immenſos labores, gratia voluptatis exantlatos, concludit, dicens: Tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuerſa eſſe ſub ſole: & cuncta vanitatem & afflictionem ſpiritus.]

Aug. lib. 4. de ſymbolo, c. 1. to. 9.

Greg. 11. mor. c. 16

Eccleſ. 2. 17.

Adeptio verò virtutis eſt iucundiſſima, quia multa habet, quæ laborem extirpandi vitia, & affectus cohibendi, & ſe exercendi in rebus arduis imminuant. Facit enim hanc adeptionem ſuauem occupationis nobilitas, quæ homine, ad Dei viſionem & fruitionem creato, digna conſpicitur. Item & rationalis natura, quæ operibus ſtudioſis paſcitur, ſicut & natura ſenſualis congruis ſibi actionibus delectatur. Deinde conſcientiæ ſerenitas, quam ſolum virtutis opus pacat, atque lætificat. Ad hæc vera laus Dei, Angelorum, & hominum, quæ ſolam virtutem laudat, & prædicat. Ac tandem ſpes incomprehenſibilis pręmij & nunquam deſituri, quod virtutis amator & aſſectator expectat. Et hæc ſpes tanti ponderis eſt, vt omnem laborem aſſequendæ virtutis, melle dulciorem & ſuauiorem efficiat. Quod indicauit ille dominus, qui adeptionem virtutis, arctam viam & anguſtam portam vocauit: dum ei aliud nomen redolens ſuauitatem impoſuit: Iugum, inquit, meum ſuaue eſt, & onus meum leue.] Virtus namque vt in adeptione eſt, iugum & onus vocatur, ſic enim premit, & onerat. At premit ſuauiter, & onerat leuiter, imò & dulciter propter ſpem mercedis æternæ, in quam oculos mentis intendit. Audiamus Chryſoſtomum pulcherrimè de hac re verba facientem. Poſtquam enim dixerat virtutis laborem eſſe facilem & lenem, quod citò tranſeat, addit: Non enim tranſire ſolùm labores atque ſudores, ſed ad bonum quoque properare finem (ad facilem vitam quippe contendit) poteſt conſolationem afferre certantibus: ita & temporale ſudorum & per-

Matth. 11.

Chryſ. hom. 24 in Matt.

periturum coronarum. Et quia priùs ſunt laborioſa quę A
tranſeũt, poſtea glorioſa quæ permanent, maximum
poteſt laborum eſſe ſolatium. Propter quod & Pau-
lus tribulationem leuem vocauit, nõ vtique ad qua-
litatem tribulationum, ſed ad certarum voluota-
2. Cor. 4. 17.18. tem, & ſpem reſpiciens futurorum: Quod enim, in-
quit, momentaneum & leue eſt tribulationis no-
ſtræ, ſupra modum ſublimitatem, æternum gloriæ
pondus, operatur in nobis, non contemplantibus
nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.] Quòd
ſi nautis minaces illi pelagi fluctus, ſi tempeſtates at-
que hyemes agricolis; ſi vulnera cædéſque militibus;
ſi grauiſſimi illi ictus plagæque pugilibus leues vi-
dentur, atque tolerabiles propter ſpem tẽporalium
ac pereuntium commodorum: multo magis cùm
cœlum proponatur in præmio, & ineffabilia illa bo- B
na atque perpetua, nihil ex præſentibus his aduerſi-
tatibus ſentietur.] Hactenus Chryſoſtomus. Ex cu-
ius verbis manifeſtè cognoſcitur, virtutis aſſequu-
tionem reliquis ſtudiis & occupationibus hominũ,
delectatione præſtare. Hanc autem puriſſimam vo-
luptatem ſanctus Dauid mentis ore guſtabat, quan-
Pſal. 118. 103. do canebat: Quàm dulcia faucibus meis eloquia
tua; ſuper mel ori meo.] Nam quæ, rogo, ſunt elo-
quia Dei, niſi vt abnegemus nos ipſos, vt patri, &
matri, & fratribus, nos in via Dei remorantibus, va-
ledicamus; vt manum & pedem nos ſcandalizan-
tem abſcindamus; & alia huiuſmodi legis Euange-
licæ difficilia? Sed hæc dulcia & ſuauia reperit os
iuſtorum, quia ea ſpiritualis dulcedo cooperuit, &
Prou. 24. 13. cœleſtis ſuauitas illiniuit. Igitur comede, fili mi, mel, C
quia bonum eſt, & fauum dulciſſimum gutturi tuo.]
Si autem nomine mellis & faui, adhuc virtutis ade-
ptionem non intelligis, audi quod ſequitur: Sic &
doctrina ſapientiæ animæ tuæ, quam cùm inueneris,
habebis in nouiſſimis ſpem, & ſpes tua non peribit.
Ideo profectò doctrinam ſapientiæ melli comparat
Beda lib. 2. in Prou. c. 16. & fauo; quia, vt inquit Beda, ſicut duo illa cibis, ita
& hæc doctrinis cæteris dulcedine præſtat. Ac proin-
de magnas inuenit iuſtus delicias in adeptione vir-
tutis, quas ſpiritus veritatis maximæ, quam corpus
ſentit, dulcedini comparauit.

At ipſa virtus iam adepta, & per aſſuetudinem in
mores noſtros transfuſa, quàm dulcis ac ſuauis ſit,
quis poterit explicare? Certè quidem reliqua omnia,
quæ in bonis apud homines computantur, adepta D
vix tantillum delectant, & nullo modo ſatiant, immò
& ſemper infœlicem animam illis adhærentem curis,
conſcientiæ morſibus, timoribúſque cruentant. Si
enim ipſa mundi huius voluptas nunquam eſt pura,
ſed doloribus & afflictione mixta, cuius extrema, vt
inquit Sapiens, luctus occupat, quam putas aliæ res
ſæculi delectationem habebunt, quam à terrena vo-
luptate mendicatunt? Virtus verò poſſeſſores ſuos,
pura & perpetua delectatione perfundit. Et huma-
nus animus, licèt huius ſæculi bonis orbatus, ſibi ipſi
de ſola virtute cõgaudet. Hæc natura ſua habitus eſt
mentis; & omnis habitus iam comparatus, & quaſi
in alteram naturam verſus, hominem eo vtentem vo-
luptate proſequitur. Nam ſi vitioſus, ſuperbiæ, &
iræ, & aliorum vitiorum actionibus delectatur, quas E
tanta turba moleſtiarum & motuum infeſtat; cur
non multo magis virtutis ſtudioſus virtutum actio-
Leo ſer. 8. de ieiunio ſep. menſ. nibus delectetur? Scitè quidem dixit Leo Papa: Si
ſeipſum ſibi rationalis homo comparet, omnéſque
ſuorum actuum qualitates vera inſpectione diiudi-
cet, nunquid in intimis ſuæ conſcientiæ hoc delecta-
tionis inueniet de iniquitate cõmiſſa, quod de æqui-
tate ſeruata? Aut tantum ei iucunditatis carnalis vo-
luptas, quantum ſpiritalis pariet appetitus? Nihil

A protſus de virtutum ſplendore attingit, nihil de ſua-
uitate pietatis guſtat, qui magis vult ſordeſcere in iis
quæ immunda ſunt, quàm in iis ſplendere, quæ ſan-
cta ſunt. Non ſinit ratio, vt in cordibus vſquequa-
que captiuis ita placeat ſatiata ira vt remiſſa vindicta,
aut tantum generent gaudium mala quæſita de alie-
no, quantum bona expenſa de proprio. Fœlicior
ſemper parca temperantia, quàm profuſa luxuria,
maiórque eſt lux humilibus quàm ſuperbis, & ſubli-
mior mens, quæ inter prohibita atque permiſſa cer-
tius habet ſperare cœleſtia, quàm amare terrena.] Sic
ille. Summus ille conditor Deus, qui non ſolùm res
omnes creauit, ſed & ſua ſemper prouidentia guber-
nat, earum actionibus delectationem quaſi in præ-
mium laboris adiecit. Id enim mihi illa verba Daui-
B dis ſignificant: Delectationes in dextera tua vſque *Pſal. 15. 11.*
in finem.] Sunt quidem delectationes in eius dexte-
ra; non vt eas à nobis ſeruet, ſed vt in res earum ca-
paces diſtribuat. Quibus actionibus putas tu ma-
iorem voluptatem addidit? illis, quibus offenditur,
an illis potius, quibus placatur: illis quibus ſua lex
ſanctiſſima conculcatur, & frangitur, an illis, quibus
eadem lex diligitur, & impletur? Si ergo illicitis
actionibus delectationem aliquam illa ſumma boni-
tas non negauit, non quatenus illicitæ ſunt, ſed qua-
tenus à natura profectæ; quanto potiorem & maio-
rem operibus virtutis conceſſit? Cogita patremfami-
liàs, cum vaſe mellis in triclinium ingredientem, vbi
filij eius, & ſerui, & hoſtes ad menſam accumbunt,
ex cóque vaſe non parum dulciſſimi alimenti hoſti-
C bus & ſeruis impartientem; an cùm ad filios acceſſe-
rit auarus erit, & ſine mellis portione relinquet? Nul-
lo modo. Quod à patrefamiliâs alienum iudicas, à
patre cœleſti, qui iubet, ne alium niſi ipſum vocemus
patrem ſuper terram, alienum exiſtima. Et ſiquidem
ipſe hoſtibus ſuis, nempe infidelibus & peccatori-
bus, in rebus huius ſæculi voluptatem impertit; &
ſeruis, ſcilicet fidelibus legem vtcumque cuſtodien-
tibus, in rebus mundi delectationem tribuit; filios
chariſſimos, eos nimirum qui ſe totos virtuti dedi-
cant, ſine ingenti voluptate, quam ex bonis operi-
bus percipiant, neqoaquam dimittet. Quàm magna *Pſal. 30. 20.*
multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondi-
ſti timentibus te! Verè magna ac multiplex dulcedo,
quam iuſtis in cœleſti patria reſeruatam habes, & in
D hac mortalitate in bonis eorum ſtudiis abſcondis.
Perfeciſti, id eſt, perfectam & conſummatam affe-
ctas eam pro eis, qui ſperant in te, abundantiſſimè il-
lis dandam in conſpectu filiorum hominum. At
nunc, ne deficiant in via, ſtillas quaſdam illius æter-
næ dulcedinis in cordibus illorum infundis, quibus,
licèt ſtillis, dulcedines & voluptates ſæculi compara-
tæ, amaræ & inſuaues exiſtunt. Denique [animalia
tua,] id eſt, innocentes & iuſti, [habitabunt] in Ec- *Pſal. 67. 11.*
cleſia tua. [Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.]
Paras egeno cibum bonorum operum, ſed in dulce-
dine, ne ob defectum voluptatis, cibum ſalutis
auerſetur. Paras in dulcedine, vt bonum opus, *Aug. ibid.*
quemadmodum dicit Auguſtinus, fiat, non timore,
ſed amore: non formidine pœnæ, ſed delectatione
iuſtitiæ.

E Hæc virtutis delectatio ac iuſtitiæ ſuauitas, adeò
viri iuſti mentem ineſcat, vt non ſolùm huius ſæculi
voluptates ſpernat, verùm & in ſtudio virtutis vix in-
tra metas diſcretionis ſeipſum contineat. Nonne le-
giſti in ſanctorum geſtis, eos indicibiles corporis
aſperitates pro Chriſti amore ſuſcepiſſe, carnem ieiu-
niis, ciliciis, & flagellis attriuiſſe, noctes, diuinis col-
loquiis vacantes inſomnes duxiſſe, & quod mundani
refugiunt, ipſos vt dulciſſimum & ſuauiſſimum

adamaſſe?

adamaſte? Sed ſcito hæc omnia tam ardenter ab ipſis A fuiſſe ſuſcepta virtutis opera, quia in illis puriſſimam voluptatem ſentiebant, & non ſine magnis deliciis ſpiritus res ſenſui horribiles acceptabant. Animus enim humanus robuſtus & validus, licèt amara & aſpera æquanimiter toleret, non tamen ardenter & deſideranter ſine aliqua delectatione ſuſcipit. Quamobrem hoc ardens ſanctorum deſiderium, quo in amara & ardua feruntur, manifeſtè arguit, rebus illis amaris aliquam occultam voluptatem ineſſe, cuius cauſa ab ipſis non tantùm ſuſtineantur, verùm & auidè deſiderentur. *Iob. 38. n. 18.* Sapientérque Gregorius illud ſancti Iob: Nunquid conſideraſti latitudinem terræ?] ad myſticum ſenſum detorquens, de latitudine virtutum intelligit. Virtus quippe ita animum dilatat, vt de rebus aſperis & difficilibus gaudeat. B *Actor. 5. Rom. 5.* Apoſtoli in flagellis & contumeliis gaudent: Paulus in tribulationibus gloriatur, ſancti in penuriis, in nuditatibus, in fame, in ſiti, & in infirmitatibus carnis exultant. Qui licèt gratiam induerint, cùm tamen naturam non exuerint, non poſſent in his laboribus exultare, niſi eos affectos aliqua voluptate ſentirent. Sicut enim viſu, nonniſi lucidum, aut coloratum percipitur, & ſicut auditu, nonniſi vox aut ſonus auditur: ita voluntas nonniſi de aliqua voluptate aut conſolatione lætatur. Atque adeò ſancti & iuſti viri, in ſtudiis virtutis exultantes, quæ inſuauitate & amaritudine obtuta apparent, non modicā in eis voluptatem conſolationémque percipiunt. Sed quid multis opus eſt? Sanè vera voluptas, quæ animum C ſatiet, & quietet, nonniſi ex virtute percipitur. Nam terrena omnia, cùm ſummis labiis attinguntur, dulcia videntur, at dentibus experientiæ manſa & deglutita, conſcientiæ morſibus amareſcunt. Virtus autem eminus conſpecta, ingenita ſua grauitate nonnullum timorem incutit, ſed guſtata & amplexata dulceſcit. Stultum ergo eſt in alio, quàm in vera virtute & in ſtudioſis operibus gaudium & voluptatem inquirere. *Bern. in illud, Nō eſt regnū Dei eſca, & potus. ſer. 4. Iſa. 48. 21.* Sic fatui filij Adam, inquit Bernardus, & præcipiti ſaltu iuſtitiam tranſilientes, & pacem rem finalem in principium conuertere, & peruertere vultis? Nemo enim eſt, qui gaudere non velit. Non ſtabit, & non erit iſtud; quia ſicut [non eſt pax impiis,] ſic nec gaudere impiis, [dicit Dominus.] Non ſic impij, non ſic. Prius eſt iuſtitiam facere, in- D quirere pacem, & perſequi eam, & ſic demum apprehendere gaudium; immò à gaudio comprehendi. *Chryſ. hō. 1. ad Roma. in Moral.* Et Chryſoſtomus: Animi tranquillitatem & lætitiam, non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non menſæ ſumptus, non veſtium ornatus, non aliud quicquam rerum humanarum adferre conſueuit, præterquam rectè factum ſolùm ſpirituale, ac conſcientia bona, quam certè qui puram habet, vt pannoſus ſit, vt cum fame luctetur, tamen tranquillior beatiórque eſt iis, qui inter delicias magnopere degunt. Quemadmodum & qui ſibi malè conſcius eſt, vt omnium bona poſſideat, omnium eſt miſerrimus. Quapropter Paulus in aſſidua fame ac nuditate victitans, tum autem & quotidie flagris cæſus gau- E debat, ac deliciabatur ſupra eos omnes, qui tunc regnabant. *3. Reg. 21.* Achab autem, rex cùm eſſet, ac deliciis ſumptuoſis perfrueretur, commiſſo peccato illo gemebat, animum deſpondens, etátque illius facies collabens, & poſt peccatum & ante peccatum. Igitur ſi voluptate frui volumus, ante omnia alia, fugiamus vitium, virtutémque ſectemur: aliter enim nobis non licet voluptatis participibus fieri, vt ad ipſum etiam regium ſolium conſcenderimus.] Hæc omnia ille & veriſſimè. Voluptas enim exoritur ex præ- A ſentia rei conuenientis, ſicut & triſtitia ex præſentia contrarij. Quid ergo ex vitio, quod naturæ hominis contrarium eſt, niſi triſtitiam hominis, & quid ex virtute, quæ naturæ hominis maximè conueniens eſt, niſi lætitiam & gaudium expectabimus? In huius gremio anima læta quieſcit, & quæcumque aduerſantia & dolorem ingerentia, virtutis recordatione aut pellit, aut minuit. Exultátque iuſtus, licèt rebus aduerſis circumſeptus, quia pura conſcientia ſe mala illa criminibus prometuiſſe non nouit, & cauſas eſſe augendæ virtutis aduertit. Iam itaque qui amore voluptatis capimur, qui triſtitiam & dolorem formidamus, qui delectatione maximè ad laborandum permouemur, pro certo habeamus, illam ſitam eſſe in ſtudio & exercitatione virtutis; quam qui non ex- B colunt, nunquam ſibi veram & homine dignam delectationem vindicabit.

Quanta ſit Virtutis pulchritudo.

CAPVT V.

QVæ corpori voluptatem afferunt, ſæpe ſolent de fœditate notari, quia cùm ſint nobis brutiſque communia, non ſolent ab homine tanta libertate & tam recta intentione appeti, quin ipſum aliqua deformitate commaculent. In hoc autem virtus eſt mirabilis & omni C dilectione digniſſima, quòd ſine vlla fœditate deliciis affluit, & immenſa quadam pulchritudine fulget. Quam ſi oculi carnis viderent, omnium ad ſe, tam ſapientum, quàm inſipientium, amores attraheret. Trahit illa, & quidem potentiſſimè, ſapientium animos, quia oculos mentis habent, quibus virtutis pulchritudo conſpicitur. Trahit etiam ſæpe animos inſipientium, quia licèt hos interiores oculos habeāt, caligine ignorantiæ offuſos, tamen tantus eſt virtutis ſplendor, vt etiam ab ignorantibus videatur. Si qui verò eius decorē non admirantur, nec amore capiuntur, illi ſunt, qui more pecodum, oculos ſolùm habent carnis reſidentes in facie, nec vtuntur ſpiritalibus oculis, quos naturæ conditor collocauit in mente. Virtutis ergo pulchritudo ex his, quibus ſi- D milis dicitur, non obſcurè cognoſcitur. Virtutes enim ſtellis fulgentiſſimis aſſimilatæ ſunt, quarum decore cælum ſpirituale veſtitur. Quia ſicut firmamētum per ſe quidem pulchrum eſt, at efficitur ſtellarum ornatu & varietate pulcherrimum. Ita anima iuſta gratiæ iuſtificantis ſplendore pulchra redditur, ſed dum illi additur multiplex omnium virtutum gratia, non tantùm pulchra, ſed pulcherrima iudicatur. Virtutes autem ſtellis ſimiles eſſe Bernardus cenſuit, ſic ſcribens: Cœlum eſt ſancta aliqua anima, *Bern. ſer. 27. in Cant.* habens ſolem intellectum, lunam fidem, aſtra virtutes. Vel certè ſol iuſtitiæ zelus, aut feruens charitas, & luna continentia. Quo modo enim claritas, vt aiunt, lunæ, nonniſi à ſole eſt: ſic abſque charitate ſeu iuſtitia continentiæ, meritum nullum eſt. Porro ſtel- E las dixiſſe virtutes non me pœnitet, conſiderantem congruentiam ſimilitudinis. Quo modo nempe ſtellæ in nocte lucent, in die latent: ſic vera virtus, quæ ſæpe in proſperis non apparet, eminet in aduerſis:] Sic ille. Licèt autem virtus in aduerſis magis emineat, at in proſperis non ita abſcondita eſt, vt penitus non appareat. Nam & iuſtus in proſperis tantam moderationem, tantum contemptum terrenæ fœlicitatis obſeruat, vt per hæc, quaſi per rimulas quaſdam, ſplendor virtutis effulgeat. Vnde in proſpe-

ris &

ris & in aduerſis virtutes ſunt ſtellæ pulcherrimæ, quæ iuſtam animam cingunt, atque condecorant. Virtutes etiam ſimiles ſunt lapidibus pretioſis, quibus non tantùm ineſt valor, ſed inæſtimabilis pulchritudo. His non terrigenæ tantùm, ſed & ſpiritus cæleſtes ornantur: naturaliſque eorum pulchritudini ex ſplendore virtutum decor adiicitur. Vnde ſub figura principis Tyri, Angelo illi, qui cecidit per Ezechielem, dictum eſt: In deliciis Paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum. Nam quid aliud gemmarum & lapidum pretioſorum multitudo, niſi virtutum ornamenta deſignat, quas quia Angelus ille infœlix depoſuit, turpis effectus, ex ſpirituum cæleſtium, qui virtutibus pulchri ſunt, habitatione cecidit? His lapidibus pretioſis iuſti veſtiuntur, ex quibus apud Deum tantum valorem accipiũt, vt vnus eorum mille hominibus iniquis emineat. Melior eſt enim vnus timens Deum, quàm mille filij impij.] Hi quidem viliſſimi ſunt, nec cum vno iuſto conferendi, quibus niſi aliquid iuſtitiæ induant, dum volunt eam aure ſolùm carnis audire, neganda eſt virtutum in Euangelio contenta doctrina. Idque deſignat illa Saluatoris ſententia: Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.] Vocat enim margaritas, documenta virtutum, eo quòd, & magni ſint pretij, & magno decore reſplendeant: quæ in animas ſanctas, quaſi in ſponſas filij Dei lectiſſimas, quadrant, non tamen ante porcos, id eſt, ante iniquos, ſuam iniquitatem volentes ſtatuere, ſunt mittenda. Alia tandem ſimilitudine virtutis pulchritudo intelligitur, qua multiplex color nominatur, qui ſpecioſiſſimam auem, nimirum pauonem, exornat. Nunquid auis diſcolor hæreditas mea mihi, ait Dominus per Ieremiam? Nunquid auis tincta per totum? Venite, congregamini omnes beſtiæ terræ, properate ad deuorãdum.] Auem diſcolorem tinctamque per totum, inquit Hieronymus, iuxta litteram, pauum vocat: Tantam, inquit, habuit pulchritudinem Iſrael, & tantis fuit Hieruſalem diſtincta virtutibus, vt nihil eſſet bonorum, quod non cerneretur in ea.] Pulcherrimæ igitur ſunt virtutes, quarum præſentia ita animæ ſpeciem exornat, vt Deo ipſam acceptiſſimam faciat: cuius abſentia ſic fœdat, vt ipſe indignatus, dæmonibus ad deuorandum tradat, & animam virtute ſpoliatam à ſe repellat.

Ezech. 28.13. *Eccl.16.3.* *Matth.7.6.* *Ierem. 12.9.* *Hieron. Lib. 3. in Ierem. ad c.12.*

Parum diximus, dum virtutem pulcherrimam appellauimus, quia quod in rebus creatis pulchrum eſt, aliquo accidente à ſe diſtincto, pulchrum redditur, quod poteſt à pulchro aut re aut cogitatione ſeparari. Quare cogitare poſſemus, virtutem ita eſſe pulchram, vt valeat à ſua pulchritudine ſaltem cogitatione ſecerni. Non autem ita eſt, quia cùm natura virtutis rationi & legi diuinæ conſentiat, & ad ſolas actiones rationi & voluntati Dei conſentaneas impellat, nemo vnquam poterit eam à ſua pulchritudine ac decore diuellere. Virtutis enim natura, virtutis pulchritudo eſt, & ſicut ipſa nunquam virtus eſſe deſinit, ita nunquam ſuam formam ac ſplendorem amittit. Non ergo iam vocemus virtutem pulchram, ſed animæ iuſtæ pulchritudinem. Virtus quippe ab anima vitiorum fœditatem & turpitudinem reiicit, & animam formans & afficiens, pulchram & ſpecioſam efficit. Ad quod bene ait Auguſtinus: Quid eſt aliud iuſtitia, cùm in nobis eſt, vel quælibet virtus, qua rectè ſapienterque viuitur, quàm interioris hominis pulchritudo? Etiam ſecundùm hanc pulchritudinem magis quàm ſecundùm corpus facti ſumus ad imaginem Dei. Vnde nobis dicitur: Nolite conformari huic ſæculo, ſed renouamini [in nouitate] mentis veſtræ, ad probandum vos, [quæ ſit voluntas Dei,] quod bonum, & beneplacitum, & perfectum. Si ergo non in mole, neque in diſtantibus per loca ſua partibus, ſicut corpora, ſiue cernuntur, ſiue cogitantur: ſed in virtute intelligibili qualis eſt iuſtitia, mentem dicimus ſeu nouimus, ſeu volumus, pulchram, & ſecundùm hanc pulchritudinem reformamur ad imaginem Dei: profectò ipſius Dei, qui reformauit, & reformat ad imaginem ſuam, non aliqua mole corporea ſuſcipienda eſt pulchritudo, eòque iuſtorum mentibus credendus eſt incomparabiliter pulchrior, quo eſt incomparabiliter iuſtior.] Sic ille. Et aduerte iam aliam virtutis maximam dignitatem, quòd ſimilis eſt pulchritudini Dei. Nam ſicut hæc non in aliquibus lineamentis corporis, ſed in ipſa diuina natura eſt, vel (vt melius loquar) ipſamet natura diuina, & à corpore ſecreta eſt: ita & illa animæ pulchritudo non à corpore pendet, quod marceſcit, & tandem interit, ſed in illa potiori parte noſtri ſpiritali & immortali reſidet. Illa Dei pulchritudo eſt ſua iuſtitia, & ideo hominibus & Angelis eſt incõparabiliter pulchrior, quia ſine vlla comparatione iuſtior. Et ſimiliter hæc pulchritudo animæ noſtræ, eſt noſtra virtus, & noſtra iuſtitia, & ideo quo magis diuinam virtutem imitamur, eo pulchriores exiſtimus. Audi ſponſum, ſponſam, id eſt iuſtam animam, de hac pulchritudine ac decore laudantem: Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora, ſicut Ieruſalem.] Quare pulchra? An per naturam, quia natura animæ pulchra eſt, quoniam facta ad imaginem Dei, in qua, niſi eam peccatũ originale turpaſſet, quidam naturalis ſplendor & nitor effulgeret? Et quare ſuauis? An per gratiam, vt putat Ambroſius, quia hæc quaſi condit animam, vt guſtui Dei ſapiat, & eius voces & poſtulationes aptat, vt eas ſponſus & ſodales ſponſi libenter auſcultent? Et quare decora? An per virtutes, quæ animam, vt in conclaue dulciſſimi ſponſi ingrediatur, decenter exornant? Ita prorſus. Hæc ſunt ſpecioſiſſima ornamenta animæ, quæ eius deformitatem, à peccatis progredientem, non tantùm abſcondunt, ſed delent, & ſimul cum gratia, earum matre, (nam de iuſtorum virtutibus, gratia formatis, ſermo eſt) dignam faciunt, vt ab eo, qui ſpecioſior eſt ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luci comparatus, inuenitur pulchrior, de ſui imitatione laudetur.

Auguſt. epiſt.112. ad cõſen. *Rom. 12. 2.* *Cant.6.3.* *Sap.7.10.*

His pulcherrimis ornamentis circumdata anima, ſplendidis veſtibus nequaquam indiget, vt ſe formoſam ac decoram oſtentet: quia ob ſolas virtutes admirationi erit aſpicientibus eam, licèt corpus viliſſimis pannis oblitum geſtet. Meritóque Gregorius Nazianzenus ad quandam fœminam ſcribens, ait: Non aurum, nobilibus gemmis immixtum, mulieribus ornamentum affert, nec regia facies, turpiter iucundis coloribus tincta pernicioſáque alia facie obducta. Purpureæ porro, & aureæ, eximiæque, & ſplendidæ veſtes, his demum conueniunt, quibus nullus vitæ ſplendor, nullum virtutis decus ſuppetit. At tibi pudicitia curæ ſit, pulchritudóque etiam clauſis oculis, admiranda. Mores autem præclarámque famam, optimum certiſſimúmque florem exiſtima.] Et fortaſſis ob hanc cauſam, viri perfecti veſtes corporis anguſtas & laceras amant, quia pulcherrimas virtutes induti, veſtes corporis non honori ſed oneri, non ſplendori ſed pudori futuras exiſtimant. Qui enim ſplendidiſſimis veſtibus ornatus incedit, rudioribus amiciti recuſat; quod ſi omnino non poſſit, at eas admittit, quæ pretioſarum veſtium ſplendori non obſint. Ita iuſtus virtutibus decoratus, quia ſine

Nazian. ad Olympiadem.

amict.i

amictu corporis exire non decet, illum accipit, qui corpus ita contegat, vt modeſtię & honeſtati non officiat. Et qui geſtat honoris inſignia, dedecoris indicia ſimul geſtare erubeſcit. Sic iuſtum, virtutibus inſignitum, pudet, exquiſitam curam veſtium carnis habere, quarum neceſſitatem ignominia peccati & tranſgreſſionis inuexit. Sed quid mirum, ſi anima virtutibus ornata, tanquam verè pulchra, ex veſtibus decorem non emendicet, quæ nec ex ipſo corpore, quod viuificat, debet exquirere? Eſto enim, quòd corpus viri iuſti deforme ſit, & imbecillum, verberibus liuidum, ſqualore confectum, & mille plagis & vulneribus oneratum; at ſola pulchritudo animæ, à virtutibus veniens, eum intuentes mirè delectat. Proferamus in medium, Auguſtinum, qui huic atteſtetur veritati: Si nulla, inquit, eſt pulchritudo iuſtitiæ, vnde amatur iuſtus ſenex? Quid affert in corpore quod oculos delectet? Curua membra, frontem rugatam, caput canis albatum, imbecillitatem vndique querelis plenam. Sed fortè quia tuos oculos non delectat ſenex iſte decrepitus, aures tuas delectat. Quibus vocibus? Quo cantu? Etſi fortè adoleſcens bene cantauit, omnia cum ætate defecerunt. An fortè ſonus verborum eius delectat aures tuas, qui verba vix plenè enunciat, lapſis dentibus? Tamen ſi iuſtus eſt, ſi alienum non concupiſcit, ſi de ſuo quod habet, erogat indigentibus, ſi bene monet, & rectum ſapit, ſi integre credit, ſi paratus eſt pro fide veritatis, etiam ipſa confracta membra impendere, multi enim martyres etiam ſenes: vnde illum amamus? Quid in eo bonum videmus oculis carnis? Nihil. Quædam ergo eſt pulchritudo iuſtitiæ, quam videmus oculis cordis, & amamus, & exardeſcimus; quam multum dilexerunt homines in ipſis martyribus, cùm eorum membra beſtiæ laniarent. Nonne cùm ſanguis fœdaret omnia, cùm morſibus belluinis viſcera funderentur, non habebant oculi, niſi quod horrerent? Quid ibi erat quod amaretur, niſi quia erat in illa fœditate dilaniatorum membrorum integra pulchritudo iuſtitiæ?] Hactenus ille. Fœlix ergo eſt hæc pulchritudo animæ, quam ei vera virtus affert; ſiquidem ex rebus externis non pendet, & ſine nitore veſtium, ſine auro, & gemmis, lapidibúſque pretioſis, immò & ſine ipſa pulchritudine corporis, adeò conſpicua eſt, vt oculis eam aſpicientium placeat, affectus ad ſe trahat, & intellectus in admirationem inducat. Fœlix planè virtutis pulchritudo, quæ poſſeſſorem ſuum non perdit, ſed lucratur; non decipit, ſed docet: non in ſuperbiam erigit, ſed per itinera modeſtiæ & humilitatis dirigit. Fœlix tandem pulchritudo, quæ ſe intuentes non ad libidinem mouet, non ad impura & praua deſideria illicit, ſed compunctionem, ſed ſerenitatem mentis, ſed deſideria puritatis immittit.

Aug. ad Pſal. 64.

Huius internæ pulchritudinis à virtute manantis, non minùs proprium eſt, quàm pulchritudinis corporis, ad ſui amorem excitare, immò multo magis, quia iſta corporalis homines deliciis carnis deditos capit, illa verò amorem Dei, & Angelorum, ac beatorum omnium, ac iuſtorum in hac mortalitate viuentium ſibi conciliat. Quia enim æterna eſt, & ſupra omne tempus ſe effert, ideo corda temporalia ſubiicit, & mentes æternas ad dilectionem inuitat. Deus ſanè animam virtutibus ornatam, & pulchram, ac decoram appellat, necnon & ob hanc pulchritudinem, ſuo amore dignam eſſe notificat. Cui dicit in Canticis: Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in deliciis!] Pulchra, decore virtutis, inquit Ambroſius; ſuauis, iucunditate gratiæ, remiſſione vitiorum, quam nulla vexat amaritudo peccati. Eo autem ipſo quòd virtutibus pulchra eſt, chariſſima nuncupatur, quia ab eo, qui loquitur, nimirum à ſponſo, ob virtutum decorem amplexibus amoris aſtringitur. Chara eſt Deo anima ex creatione, quia nihil ille odio habet eorum quæ fecit: charior eſt in regeneratione, qua maculam originalem deponit, & veſtem gratiæ nuptialem induit: ſed chariſſima in omnium virtutum perfectione, qua tum ſeipſam puriorem, tum gratiam ipſam ſplendidiorem efficit. Chariſſima profectò eſt, quæ fulget interiùs omnium virtutum merito, & micat exteriùs totius perfectionis exemplo. Si autem anima ob pulchritudinem adeò impensè à Deo diligitur, quidni ab amicis ſponſi, ſcilicet ab Angelis & ſanctis, diligatur? Non mirum id: & ob hanc cauſam iuxta interpretationem Bernardi, ſponſæ, id eſt animæ virtutibus & perfectione pulchræ dictum eſt: Recti diligunt te.] Qui namque rectorum nomine potiùs intelligentur, quàm ſancti Angeli & homines in cælo reſidentes, quos nec minima imperfectio fœdat, nec minima obliuio rectiſſimæ intentionis curuat? Hi profectò, qui omnino recti ſunt, animam virtute pulchram diligunt, quia eam ſibi ſimilem, prout in hac miſeriarum valle fieri poteſt, eſſe conſpiciunt. Huius vocem & cantum, velut concentum pulcherrimæ cantatricis, libenter excipiunt. Nam & illi dicit ſponſus: Quæ habitas in hortis, amici auſcultant; fac me audire vocem tuam.] Anima virtutibus deſtituta non habitat in hortis, ſed in ſepulchris, quia animæ peccatorum habitant in corporibus, iniquitati ſubiectis, quæ ſunt ſepulchra vitiorum: Anima verò, virtute pollens, non in ſepulchris, ſed in hortis habitat, quia proprium corpus, vt viridarium amœnum & mundum, ne in ipſum ſerpentes peccatorum ingrediantur, circunſpectionis vallo circumdat. Hanc Deus audit, & amici, ſcilicet beati omnes, auſcultant; quia ille votis eius annuit, & hi, vt annuat, pulchritudine animæ inuitati, procurant. Quòd verò iuſti, in hac vita poſiti, animam virtute ornatam, amore proſequantur, apertè docet Chryſoſtomus, ſic ſcribens: Quid facit amorem corporum? Corporis luculentia & formoſitas. Itaque & animas faciamus pulchras & luculentas, & erimus inter nos mutuum amatores. Simus pulchri & boni, & ita ſemper habebimus amatores.] Verè ita eſt, illi ab omnibus diliguntur, qui fulgentes virtutibus omnibus, ope, aut doctrina, aut exemplo proſunt, & nulli nec in minimo officiunt. Illi diliguntur, qui non ad vanitatem, ſed ad Dei gloriam, ſe virtute pulchros & admirabiles exhibent. Patet ergo, virtutem eſſe pulcherrimam, quæ ita oculis omnium placet, & affectus illigat; eſſéque ipſiſſimam animæ noſtræ pulchritudinem, ſiquidem eam pulchram facit & mundam. Ac proinde, qui corporis formam non inſuauem nec turpem, habere volumus, virtutem, ſcilicet pulchritudinem animæ, primò ac præcipuè habere curemus.

Cant. 7. 6.
Amb. ibi.
Cant. 1. 3.
Bern. ſer. 24. in Cant.
Cant. 8. 13.
Chryſ. in Acta. hõ. 40.

Virtutes omnes eſſe neceſſarias.

CAPVT VI.

SATIS validè ex his, quæ hactenus dicta ſunt, mens iuſti ad virtutum amorem inuitatur, & ad laborandum pro adeptione earum, accenditur. Nam ſi bonum per ſe eſt ama-

bile, & voluntatem hominis ad amorem trahit, & ad ſui poſſeſſionem allicit, quanto magis bonum maximum ex rebus creatis, & quod honeſtiſſimum, & vtiliſſimum, & deliciis pleniſſimum eſt, ad ſui amorem alliciet? Sed fortè dicat aliquis, ſuis imperfectionibus delectatus; bona eſt virtus, fateor, quin & pulchra eſt, decora facie, & grata conſpectui. At mihi non eſt neceſſaria, & in rebus ad animam pertinentibus, pro ſolis bonis neceſſariis elaboro. Verbum hoc non erit viri ſpiritualis, ſed carnalis hominis, qui non ſapit ea quæ ſunt ſpiritus Dei; cui reſpondendum non eſſet, quia, vt ſæpe diximus, non carnales homines, ſed viros ſpirituales & perfectionis amatores alloquimur. Quia verò omnibus debitores ſumus, vt ſi fortè aliquis tepidus in has noſtras lucubrationes inciderit, ei virtutes ſummè neceſſarias eſſe demonſtremus: Quid tu igitur, ô tepide, tibi neceſſarium putas? An id, ſine quo ſalutem æternam nunquam aſſequeris? Sed ianua æternæ ſalutis pauperibus, non diuitiarum terrenarum, ſed virtutum occluditur. An ſine fide ſaluaberis [ſine qua impoſſibile eſt placere Deo?] An ſine ſpe, cuius abſentia eſt infidelitatis aliqua nota? vnde Paulus infideles vocat homines, qui ſpem non habent? An ſine charitate, qua [qui non diligit, manet in morte?] An ſine humilitate, dicente Domino: Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum?] An ſine aliis infuſis virtutibus, quæ nunquam à latere charitatis diſcedunt? Ergo ſi hæ virtutes æternam ſalutem afferunt, & earum abſentia eandem ſalutem impedit, manifeſtum eſt, virtutes non vtcumque bonas eſſe, ſed & tibi & omnibus neceſſarias exiſtere. Homo ille rex, qui fecit nuptias filio ſuo, videns inter vocatos ad nuptias hominem non veſtitum veſte nuptiali, acriter illum increpuit, & in tenebras exteriores, vbi eſt fletus & ſtridor dentium,] illum mittendum eſſe decreuit. Quo nullus alius ſignatus eſt, niſi ille qui vocatus ad fidem, gratiæ ac virtutum indumento caret. Quare Ambroſius agens de eo, qui ſine bona vita natalem diem celebrat Saluatoris, hæc ait: Dum vult officioſus eſſe, incurioſus exiſtit: ſicut ille in Euangelio, qui in cœtu ſanctorum initiatus, ad nuptias venire auſus eſt, veſtem non habens nuptialem. Et cùm alius niteret iuſtitia, alius luceret fide, alius caſtitate fulgeret, ille ſolus conſcientiæ fœditate pollutus, cunctis ſplendentibus, deformi horrore ſordebat. Et quanto plus ſimul diſcumbentium beatorum candebat ſanctitas, tanto magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minùs diſplicuiſſe forſitan, ſi in conſortium iuſtorum minimè ſe dediſſet.] Nec ſolùm Ambroſius & multi ex patribus, veſtem nuptialem ex virtutibus contextam eſſe docent, ſed Paulus etiam apertè indicat, dicens: Induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis.] Quid enim aliud eſt induere nouum hominem, id eſt, conformitatem vitæ & conuerſationis Chriſti ſectari, niſi iuſtitia & ſanctitate veſtiri? Iuſtitia verò non pro aliqua ſpeciali virtute, ſed pro cumulo omnium virtutum accipitur, cuius gratia quis non iam ſimularè, ſed verè ſanctus & perfectus appellatur. Et alio loco: Induite vos ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam.] Quid eſt, rogo, induite vos, niſi, virtutibus circumdate & operite vos? Nihil in vobis appa-

Hebr. 11. 6. — *1. Theſſal. 4. 12.* — *1. Ioan. 3. 14.* — *Matt. 18. 7.* — *Matt. 22. 13.* — *Ambr. ſer. 14. de natali Domini.* — *Epheſ. 4. 24.* — *Coloſſ. 3. 12.*

reat, quod non virtutum actiones oleat? Et quid eſt, induite vos ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti? niſi, ſtatum veſtrum conſiderate, ac dignitatem aduertite; & ſi indignum putatis, ſponſam regis ac planè reginam, ignominioſè nudam, aut vilibus pannis opertam incedere, quanto indignius erit, ſi cùm animæ veſtræ, electæ ad connubium Dei, ad ſanctitatem vocatæ, & ad cœleſte regnum electæ, vitiorum pannis ſordeatis, & virtutum nuditatem ametis?

Planè Chriſtus, lectiſſimus animarum ſponſus, animam gratia & virtutibus nudam, ad nuptiarum menſam & ad regale cubiculum appropinquare non ſuſtinet. Nam & virgines illæ, quæ ad delicias regis Aſſueri ex centum viginti ſeptem prouinciis lectæ ſunt] myrrhino vngebantur, & aliis pigmentis & aromatibus vtebantur, ingredientéſque ad regem, quicquid poſtulaſſent ad ornatum pertinens, accipiebant, & vt eis placuerat, compoſitæ de triclinio fœminarum ad regis cubiculum tranſibant.] Quanto magis ſponſæ Chriſti, animæ ſanctæ, quæ non ad ſpurcitias carnis, ſed ad puriſſimas ſpiritus delicias vocatæ ſunt, debent myrrhino amaræ compunctionis inungi, & pigmentis bonorum operum, ac aromatibus cæleſtium deſideriorum vti, nec non & ex diuitiis æterni regis, nempe ex virtutibus eius ornari, & charitate, humilitate, ac reliquorum bonorum habituum varietate compoſitæ, ad cubiculum Chriſti tranſire? Quemadmodum exteriùs ſe componit, inquit Laurentius Iuſtinianus, quæ mortali vult placere ſponſo, & cunctas corporis abſtergit ſordes: ita qui cæleſtem amat ſponſum, ſpirituales ſui ſpiritus diluet fœditates. Nempe qui carnaliter viuit, terrena cōcupiſcit ornamenta, vt humanis ſplendeat oculis; generoſus verò Chriſti miles virtutes acquirit, vt diuinis redimitus conſpiciatur obtutibus.] Ne audeas, ô anima, ſine omni hinc emigrare ſplendore virtutum: nam ſine illo ianuam ſponſi non apertam, ſed clauſam & obſeratam inuenies. Illæ enim virgines fatuæ, quæ in aduentu ſponſi oleo caruerunt; rogantes & obſecrantes, vt ſibi aperiretur ianua, auditæ non ſunt. Immò dictum eſt illis: Amen dico vobis, neſcio vos.] Quonam oleo iſtæ caruerunt, niſi oleo virtutum, quod eſt bonum opus, ex charitate ac virtute procedens? Nam, vt inquit Hilarius, oleum, boni operis eſt fructus. Quia autem iſto oleo caruerunt, repulſæ ſunt, & fatuæ appellatæ ſunt. Verè enim fatui ſunt omnes homines, ait Chryſoſtomus, qui ſolùm exiſtimant, ſibi poſſe ſufficere ad ſalutem, quia credunt in Chriſtum, & Chriſtiani dicuntur, & non feſtinant, ſemetipſos bonis operibus commendare.] Nec etiam, ô anima, tibi de caſtigatione corporis blandiaris, quæ ad modicum eſt vtilis, niſi temetipſam ornamentis virtutum exornes. Reprehenſione namque dignus eſſet homo, qui ſeruum ſuum ob peccata puniret, & ſeipſum ob ſimilia peccata palparet: aut qui ſeruum indueret, ſe verò nudum relinqueret. Ita & tu reprehenſione digna iudicaberis, ſi peccata tua in corpore punias, & in te vitia, peccatorum ſeminaria, foueas: ſi corpus aſpera exercitatione veſtias, & teipſam virtutum ſplendore non induas. Quantumcumque te crucies, quantumcumque te domes, non ſui copiam tibi faciet Chriſtus, niſi inuenerit virtutibus adornatam. Nec grata erit Deo carnis caſtigatio, niſi ad internam puritatem referatur, & niſi tu fueris per virtutum adeptionem proprio reſtituta decori: Vnde Baſilius ſapienter monet, corporis caſtigationem viribus corporis adaptan-

Eſther. 2. 12. — *Iuſt. lib. de diſci. monaſ. c. 8.* — *Matt. 25. 12.* — *Hilar. cã. 27. in Matt.* — *Chryſoſt. in imperf. hom. 52.*

Baſil. conſt. monaſt. c. 5. dam eſſe, virtutum verò exercitationem in primis eſſe ſequendam. Reddam eius verba: Quamobrem ita amplectenda à nobis continentia eſt, vt eam cum viribus corporis cõmetiamur. Quæ autem ſolo animo cernuntur virtutes, eæ omnes omnibus promiſcuè æqualiter ſeruandæ proponuntur: velut manſuetudo, morum facilitas, ſummiſſio animi, ſiue humilitas, bonitas, amor in fratres, innocentia, ſtudium veritatis, miſericordia, lenitas, humanitas. Has enim peculiares animi eſſe virtutes dicimus, quando ad eas parandas colendáſve animo, corpus nihil plus affert, quàm quod ipſi quædam (vt ita dicam) veluti curia eſt, in qua huiuſcemodi res deliberantur.] Hæc ille. Virtutum ergo adeptio, ſine vlla comparatione, magis quàm corporis caſtigatio, neceſſaria eſt, quia ab illa non pauci, nempe ægroti, ſenes, & imbecilles eximuntur, à labore autem parandæ ſibi virtutis, nec ſenex, nec ægrotus, nec infirmus, nec vllus alius liberatur.

Meritò autem dicimus, virtutem ad animæ ſalutem eſſe neceſſariam, ſine qua, in omni ſua latitudine accepta, nec præcepta ad ſalutem neceſſaria implentur, nec vitia ſaluti contraria eliminantur, nec homines ingreſſum in regnum adipiſcuntur. Hæc enim quia fidem continet, notionem noſtri vltimi finis affert: quia ſpem, ad eundem finem obtinendum aſpirat: quia charitatem, amicos Dei efficit: quia prudentiam, labores noſtros in debitum ſcopum dirigit: quia iuſtitiam, neminem lædit: quia fortitudinem, impedimentis ſalutis obſiſtit: quia temperantiam, effrænes motus paſſionum regit. *Gen. 33. 3.* Hæc eſt tunica illa polymita, quam verus Iſrael, Chriſtus, fecit Ioſeph, id eſt, Iuſto, in magnæ erga eum dilectionis indicium. Virtus eſt veſtis talaris, quæ vniuerſa membra hominis tegit, omnes vires mentis ornat, & vſque ad talos, id eſt, vſque ad minima quæque corporis moderanda & componenda protenditur. Eſt quoque veſtis polymita, nimirum ex multis filis coloribúſque contexta, quia quamlibet vim animæ, quamlibet ſenſuum auditatem, congruentibus actionibus afficit, & apta ſibi pulchritudine veſtit. Sine hac veſte Ioſeph, Ioſeph non erit, id eſt, iuſtus, iuſtus non periiſtet, nec ſanitatem mentis habebit, nec filius Dei, nec amicus agnoſcetur. *Ephræ. de recordatione mortis.* Quapropter nihil, vt inquit Ephræm, eſt in hac vita virtute præſtantius, ſiquidem homines efficit amicos Dei. Aurum in conſpectu ipſius tanquam arena eſt perexigua, & quaſi lutum reputabitur argentum illi comparatum. Morbus hanc non tabefacit, & ægritudo hanc non obſcurat. Et quæ omnibus formidabilis eſt mors, ab his, qui virtutem conſectantur, deſpicitur.] *Ezech. 37. 2. Luc. 2. 51.* Virtus eſt myſtica aqua illa, quæ oſtenſa fuit Ezechieli, redundans à latere dextro, id eſt, à Chriſto, qui dictus eſt dextera & brachium Dei, cuius miniſterio totus homo ad ſui emundationem operitur, & ſine illa aridus & immundus perſeuerat. Hæc aqua primò venit vſque ad talos, quia infima quæque hominis exterioris componit: deinde accedit ad genua, quia mentem aduersùs inſultus aduerſariorum roborat: poſtea pertingit ad renes, quia deſideria & affectiones moderatur: tandem tantæ eſt altitudinis, vt non poſſit pertranſiri, quia cor ſpiritualis viri, cognitione & amore rerum cœleſtium & ſupernarum abſorbet. *Orig. hõ. 17. in numer.* Nec immeritò per aquam iſtam virtus dicitur adumbrata; quoniam, authore Origene, doctrinam Euangelij ſignificat, quæ iure optimo appellari poteſt doctrina virtutum, nam in hoc tota occupata eſt, vt Chriſtum, virtutum authorem, & virtutes prædicet, & peccata vitiáque condemnet. Eſt etiam virtus panis noſter, quo in hac vita ſuſtentamur, & paſcimur. Quem Dominus Eccleſiæ promiſit dicens: *Pſal. 131. 15.* Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius ſaturabo panibus.] Pauperes enim ſunt humiles, qui virtutem eſuriunt, & ſe vacuos bonorum ſpiritualium cogitant, & hos Dominus ſuauiſſimo virtutum pane ſuſtentat. Hunc etiam panem Angeli, docendo & exhortando, adminiſtrant iuſto, quibus videtur loquutus Iſaias, dum ait: *Iſa. 21. 14.* Qui habitatis terram Auſtri, cum panibus occurrite fugienti.] Angeli profectò Auſtrum habitant: quia in perpetuo calore immenſæ charitatis commorantur. Fugiens autem eſt iuſtus, qui peccata fugit, & omnia ſæculi mala euadere concupiſcit. Huic panes Angeli, id eſt, virtutes offerunt, quia virtutis pulchritudinem & eius exercendi rationem oſtendunt: Quia verò panis hîc nobis, non ſolùm pars refectionis, ſed tota refectio eſt, imò & tota iuſti viri ſubſtantia atque protectio, ideo aduerſarius noſter eum deuorare molitur. Quare Ieremias ait: *Ierem. 5. 17.* Et comedet ſegetes tuas & panem tuum, deuorabit filios tuos & filias tuas: comedet gregem tuum & armenta tua: comedet vineam tuam & ficum tuam, & conteret vrbes munitas tuas.] Seges, virtus inchoata: panis, virtus perfecta: filij & filiæ, virtutum actiones: greges & armenta, virtutum præmia: ficus & vinea, virtutum cauſa datæ conſolationes: vrbes munitæ, ad virtutes ſectandas prædicata conſilia. Hæc omnia aduerſarius comedit, & deſtruit, cùm in aliquod graue peccatum hominem deiicit, & quicquid fuerat lucratus, abſumit. Si igitur [initium neceſſariæ rei vitæ hominis, aqua & panis,] *Eccl. 29. 28.* quàm neceſſaria erit animæ virtus, quæ eam, vt aqua, mundat, & recreat, & vt panis, cibat, atque ſuſtentat?

Verè neceſſaria maximè nobis eſt virtus, quia non ſolùm vt panis, reficit, non ſolùm vt aqua, ſitim deſideriorum noſtrorum extinguit, ſed & vt pædagogus, erudit nos, quomodo debeamus ſine querela apud homines conuerſari, & Dei in omnibus voluntatem implere. Qua ſine querela inter fratres conuerſamur, virtus eſt perpetua quædam laus Dei, qua eum actione laudamus, & videntes opera noſtra, ad eius laudes permouemus. Qua verò Dei voluntatem implemus, virtus eſt quaſi miniſter Dei, qui nos docet eius voluntatem facere, vel ſicut miles quidam fortis à Deo miſſus, qui nos ad ea trahit, quæ ſummi imperatoris placito ſeu mandato conſentiunt. Sed gratum erit hoc ore Auguſtini percipere. Ille ſic ait: *Aug. tract. 8. in 1. Ioan.* Qui Deum laudat lingua, non ſemper poteſt: qui moribus Deum laudat, ſemper poteſt. Opera miſericordiæ, affectus charitatis, ſanctitas pietatis, incorruptio caſtitatis, modeſtia ſobrietatis, ſemper hæc tenenda ſunt: quia intus ſunt omnes iſtæ virtutes, quas nominaui. Quis autem ſufficit omnes nominare? Quaſi exercitus eſt imperatoris, qui ſedet intus in mente tua. Quo modo enim imperator per exercitum ſuum agit quod ei placet: ſic Dominus Ieſus Chriſtus incipiens habitare in interiori homine noſtro, id eſt, in mente per fidem, vtitur iſtis virtutibus quaſi miniſtris ſuis. Et per has virtutes, quæ videri oculis non poſſunt, & tamen quando nominantur, laudantur; non autem laudarentur, niſi amaren-

tur,

A tur; non amarentur, niſi viderentur; & ſi vtique non amarentur, niſi viderentur, alio oculo videntur, id eſt, interiori cordis aſpectu: per has virtutes inuiſibiles, mouentur membra viſibiliter. Pedes ad ambulandum. Sed quò? Quò mouerit bona voluntas, quæ militat bona imperatori. Manus ad operandum. Sed quid? Quod iuſſerit charitas, quæ inſpirata eſt intus à Spiritu ſancto. Membra ergo videntur, cùm mouentur: qui iubet intus, non videtur. Et quis intus iubeat, propè ipſe ſolus nouit, qui iubet: & ille intus cui iubetur.] Hactenus ille. Tu igitur, ô vir iuſte, animam tuam arcam eſſe cogita, potentia Dei factam, & Chriſti merito ac paſſione refectam, quæ inter aquas diluuij, hoc eſt, inter tentationes & aduerſitates ſæculi huius, huc illùcque fluctuat, do- B nec ſiccentur aquæ, & in terram ſolidam, in terram viuentium, & in portum ſalutis appellat. Ne autem vndarum vi, & impulſu turbinum periclitetur, iuſti Noë laborem aſſume, & Domini præceptum

[Gen. 6. 14.] exequere, quo dictum eſt: Arcam bitumine linies intrinſecus & extrinſecus.] Bitumeo intrinſecus liniens arcam, eſt virtus interior, quam voluntas ſine externo opere concupiſcit, & deſiderijs actionibúſque internis promouet. Bitumen verò exteriùs liniens, eſt virtus externa, quæ iam actione ſe prodit, & proximis videntibus & audientibus, exempla rectæ conuerſationis præbet. Hoc duplici bitumine arca ſpiritualis lita atque protecta, in medijs tentationum fluctibus nauigabit ſecura. Vel, ſi mauis, animam, arcam fœderis conſidera eſſe, in C qua gemma pretioſiſſima aut potiùs verum manna,

[Iſa.49.8.] id eſt Chriſtus, cuſtoditur: cui dixit Pater per Iſaiam: Dedi te in fœdus populi, vt ſuſcitares terram, & poſſideres ciuitates diſſipatas.] Quid autem præ-

[Exod.25. 11.] cepit Dominus arcam iſtam exornanti? Certè, Deaurabis eam auro mundiſſimo intus, & foris.] Aurum, quo deauranda eſt arca, virtutem ſignificat, quia virtus, ſicut aurum, ſplendet, & multum valet, & alijs donis ſupereminet. Deaurabis arcam intus, ſi erga Deum charitatem habeas: optimum enim aurum, charitas, aurum ignitum, probatum, quo locuples fies. Deaurabis foris, ſi ex charitate exteriùs erga proximos, & erga teipſum reliquarum virtutum actiones expleas. Nam bonum aurum virtutes reliquæ, ſine quibus nec aurum D charitatis inuenitur, nec theſaurus mentis perfectus habetur. In arca cordis ſic deaurata, Deus vrnam, manna, & virgam Aaronis quæ fronduerat, & tabulas legis abſcondit, quia filium ſuum per gratiam habitare in nobis facit, & ſceptro poteſtatis ſuæ omnia noſtra regit, & legem ſuam non iam in lapidibus mortuis, ſed in actionibus ſanctæ conuerſationis ſcribit. Si autem opus nobis eſt Chriſtum in nobis habere, ex eius præſcripto dirigi, & vitam ſecundùm eius legem efformare, diſcamus, virtutem eſſe maximè neceſſariam, qua & Dei habitaculum efficimur, & hæc tria, quæ dicta ſunt, ſine vlla dubitatione conſequimur.

E

Nullam Virtutem eſſe prætermittendam.

CAPVT VII.

VIRTVTES, quæ multæ ſunt (vt poſtea dicemus) non ſunt in eodem gradu A neceſſariæ; quædam enim ad ipſam ſubſtantiam ſalutis animæ pertinent, vt Fides, Spes, Charitas; quædam ad huius ſalutis permanentiam ita conferunt, vt ſine illis ſtare non poſſit, vt Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia in aliquo perfectionis gradu, qui ſub præceptum cadat: aliæ verò ſalutis ſpiritualis decori deſeruiunt, vt minores quædam virtutes, aut gradus maiores illarum priorum, quæ per modum conſilij proponuntur. Tamen licèt hoc verum ſit, nulla debet eſſe virtus, quamuis exigua, quam ſpiritualis vir obtinere non curet. Nam ſicut diuites huius ſæculi, nullum genus opum aut diuitiarum reſpuunt, ſed omnia habere curant, quædam quidem ad B neceſſitatem, quædam autem ad commoditatem, quædam verò ad ſplendorem & decorem; ita iuſtus, qui theſauros ſpirituales congregat, nullam virtutem, quantumuis exigua videatur, reiiciat, neque contemnat. Quæuis illarum ipſum ditiorem faciet, merita augebit, præmium æternum cumulabit, de eo conſequendo ſecuriorem reddet. Nulla igitur virtus, quoad fieri poſſit, parui ducenda eſt, ex cuius contemptu maximum damnum prouenire poteſt, & ex cuius obtentione non exigua pars profectus noſtri dependet. Hoc autem quanti momenti ſit, ex duplici capite poſſumus declarare, tum ex parte finis, quem per vitam ſpiritualem intendimus, tum ex ipſis virtutibus, quas ſtudio & labore comparamus. Eſt finis noſtri laboris, domum in corde noſtro, regi C ſæculorum extruere, & templum magnificum Deo deorum ædificare. Si ab hoc opere ceſſemus, queritur Dominus, & quod ante vocationem noſtram non dixit, nunc dicit: Quare non ædificaſtis mihi domum cedrinam? Et de hoc templo ait Paulus, ad Epheſios ſcribens: Superædificati eſtis ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide, Chriſto Ieſu: in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in ſpiritu.] Fundamentum itaque huius ædificationis, Chriſtus eſt, aut fides Chriſti, ab Apoſtolis Prophetiſque prædicata: & quia habitatio, quam ædificamus, cœleſtis eſt, ideo fundamentum eius non in terra, ſed in cœ- [2. Reg.7. 7.] [Epheſ.2. 21.]

D lo eſt. Solum autem, in quod hoc cæleſte fundamentum iacitur, & per fidem & gratiam ponitur, eſt cor noſtrum aut mens noſtra, in qua per Chriſtum ſtabilita non per virtutem humanam, ſed per virtutem Spiritus ſancti, creſcit domus Dei, quouſque in fine ſanctæ & perſeuerantis vitæ conſummetur, & perficiatur. Iſtud autem eſſe viri ſpiritualis officium, in corde ſuo domum Domino ædificare, optimè docuit Hugo Victorinus in hunc modum: Nemo dicat non poſſum ædificare domum Domino: non ſufficit tantis impendiis tenuis paupertas mea, cui & ipſe locus deeſt exuli, & peregrino, & in terra aliena degenti. Hoc opus eſt regum: hoc multorum eſt opus populorum. Ego verò quomodo ædifi- [Hugo. lib. 4. de arca mora. c.1.]

E cabo domum Domino? Cur ſic cogites homo? Non hoc exigit à te Deus tuus. Non dicit tibi vt fundum emas alienum ad amplificanda atria ſua. Cor tuum inhabitare vult: hoc amplifica, hoc dilata: dilata, inquam, quia magnus eſt Dominus, & neſcit in hoc loco anguſto habitare. Dilata ergo cor tuum, vt capere poſſis, quem capere non poteſt mundus. Dilata cor tuum, vt habere merearis hoſpitem Deum; & non (ſicut conſuetudo eſt inter homines) vnius noctis hoſpitem,

ſed æternum habitatorem. Dilata ergo cor tuum. Quòd ſi tu in dilatando deficis, ipſe tibi dilatabit: cui ille aliquando dilatatus ab eo, dixit: Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.] *Pſal.118. 32.* Et de impenſa quid dicam? Non neceſſe eſt maria tranſire, & ignotas exquirere regiones ad comparandos lapides pretioſos, & marmora electa, nec cedros excelſas inciſas, de libano per alta maria manibus conductis aduehere, aut neſcio quot numeroſa artificum millia congregare, qui & theſauros regum attenuare poſſent. Nihil horum à te poſtulatur, in te & de te fabricabis domum Domino Deo tuo. Ipſe artifex eris, cor tuum, locus; cogitationes tuæ, materia.] Hæc ille. Qui & poſtea fatetur domum hanc *Cap. 2.* ex virtutibus eſſe ædificandam. Cùm enim domum ſpiritualem, arcæ Noë comparaſſet, ſubdit: Similiter nos de hoc profundo, de hac conualle lacrymarum per quædam incrementa virtutum, quaſi per quoſdam gradus in corde noſtro diſpoſitos, aſcendentes paulatim, in vnum colligimur, quouſque ad illam ſimplicem vnitatem, & veram ſimplicitatem, æternámque ſtabilitatem, quæ apud Deum eſt, pertingamus.

Domus ergo hæc Dei in corde noſtro ædificatur, & non ex alia materia, quàm ex multiplici virtute conſtruitur. Virtutes verò, non incongruè, aut cum lapidibus, aut cum parietibus, aut cum partibus ædificij conferuntur. Sunt lapides pulchri & expoliti, quia ex vna virtute alteri adiecta, & ex alia priori ſuperimpoſita domus iſta paulatim vſque ad conſummationem coaleſcit. Sunt parietes ſtabiles & erecti, qui inter ſe connexi ac concatenati, firmitudinem domui tribuunt. Sunt partes ædificij, quia virtus quælibet eſt inſtar cænaculi aut conclauis optimi, in quo pro diuerſitate occurrentium occaſionum excipimur, & in eo liberi à caſu & periculo conquieſcimus. Domus autem non ex vno aliquo lapide, ſed ex multis, immò ex omnibus iuxta magnitudinem ædificij neceſſariis componitur: non ex vno pariete, ſed ex multis, qui ſtructuram compleant, extruitur: non ex vno, aut altero atrio, aut cænaculo, ſed ex omnibus illis, quæ in idea artificis expreſſa ſunt, ædificatur. Igitur hæc domus Dei, quæ ampliſſima & perfectiſſima eſſe debet, non vnam aut alteram virtutem, ſed omnes prorſus virtutes, ſine quibus pulchra omnino & perfecta non erit, ad ſuam perfectionem requirit. Egregiè ſanè hanc ſimilitudinem perſequitur Dorotheus, inſignis vitæ ſpiritualis magiſter, cuius verba, quæ noſtram doctrinam confirment, non præterimus. *Doroth. doctrina 14.* Sic ille ait: At quo pacto ædificatur animæ domus? Poſſumus à materiali rei huius diligentiam perdiſcere. Opus primùm ei eſt, qui voluerit domum condere, vndique illam præmunire, & à quatuor partibus attollere ædificium, nec vnius tantùm partis habere curam, cæteras verò negligere, quandoquidem nihil proficit, ſed & laborem, & ſumptum, atque omnia denique perdit. Id ipſum eſt in anima, cuius nullam partem debet homo neglectui habere: ſed æqualiter & aptè eam erigere. Et hoc eſt quod aiebat ſenior ille venerabilis Ioannes Abbas: Libet mihi hominem ab vnaquaque virtute, pauxillum quid decerpere, & non (vt plurimi faciunt) vni ſemper virtuti inſiſtere, cæteras negligere. Hi enim cùm in ea ipſa virtute, cui inſiſtunt, principatum fortaſſe teneant, nec ab oppoſito & contrario vllo ipſius virtutis oppugnentur, à reliquis tamen paſſionibus ſubducuntur, & oppugnantur, nullâque illis cura deinceps eſt, ſed exiſtimant ſeſe magnum quippiam tenere. Hi ſimiles

A mihi videntur eius, qui cùm parietem ædificare voluerit, & attollere quantum quiuerit, ad ipſius altitudinem tantùm proſpectum habet, & magnum aliquid extruxiſſe ſe credit, non proſpicit autem, quòd quiuis ventus, etiam modicus, ſpirauerit, illum poteſt ad terram deiicere. Non enim catenam habet & coniunctionem aliorum parietum. Neque enim poteſt quis ſibi tectum facere in vno pariete.] Hactenus Dorotheus. Et profectò in eos, qui aliquas virtutes habere negligunt, non malè quadrat illa increpatio Domini per Aggæum Prophetam: Nunquid tempus vobis eſt, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta?] *Aggæi.1. 4.* Quia magnam curam impendunt in hoc, vt ex rebus terrenis nihil omnino illis deſit, vtque nihil habeant minùs commodum: domum verò Dei, imperfectam &

B ſemifactam, in cordibus ſuis habere contemnunt. Quæ quaſi deſerta relinquitur, ſi non (pro humana poſſibilitate, quam gratia Dei ſemper iuuat) vſque ad conſummationem perficiatur. Cellam, ô frater, ſine foribus, aut ſine feneſtra lignea, aut ſine vtenſilibus non habebis, immò nec paruum foramen, per quod videaris, vel ventus perflet, ſuſtinebis: & domum Dei, quem in corde tuo habitatorem excepiſti, ex defectu aliquarum virtutum ruinoſam & pene dirutam eſſe permittes? Si hoc non eſt teipſum Deo præferre, at eſt, parum de tua ſalute ſpirituali curare.

Sed & virtutes ipſæ, nos ad nullam earum prætermittendam, aſtringunt, quoniam non ſolùm

C Philoſophis, verùm & Patribus atteſtantibus, connexæ & concatenatæ ſunt inter ſe, ita vt vna deficiente, aliæ non leue detrimentum ſubeant. Id autem quonam modo ſit, & quibus rationibus ſubnitatur, videndum eſt, ne huius veritatis ignoratio nos ſegnes & incurioſos in adeptione virtutum efficiat. Virtutum quædam ſunt infuſæ (vt poſtea dicemus) quæ Deo donante & infundente, in mentibus noſtris habentur; quædam acquiſitæ, quæ proprio hominis labore & induſtria parantur. Virtutes infuſæ ita charitati annexæ ſunt, vt ſimul cum illa à Deo nobis proueniant, & ſimul cum illa perdantur, nec ad momentum (duabus Fide & Spe exceptis) ſine illa perdurent. *D.Thom. 12.q.65. art.2.* Sicut enim anima vires naturales habet, quibus ad intelligendum,

D & volendum, & ad alias actiones exercendas, procedit: ita charitas, quæ vita eſt animæ noſtræ, cuius & gratiæ præſentia ſpiritualiter viuimus, vires ſecum habet, nempe virtutes morales infuſas, actione ſimiles, & fine diſſimiles acquiſitis, quibus per modum imperantis & mouentis, in actiones ſtudioſas vitæ ſpirituali neceſſarias incumbit. Quare non aliter quàm anima recedente, potentiæ eius abeunt, charitate pereunte hæ omnes virtutes ab ea procedentes, depereunt. Virtutes acquiſitæ cum charitate etiam concatenatæ ſunt, *D.Thom. ſuprà & q.71.art. 4.* non quia ſine illa non maneant, aut veræ virtutes eſſe deſinant, quæ ſine charitate in propria obiecta ferri poſſunt, ſed quia ſine hac præſtantiſſima virtute non ſunt virtutes perfectæ, aut (ſi ita loqui licet) non ſunt virtutes Chriſtianæ, quæ

E in Deum, finem ſummè dilectum, tendant, quæ Chriſti virtutes imitentur, & vitam promereantur æternam. Hæ quoque acquiſitæ virtutes connexæ ſunt cum prudentia perfecta, nam hæc in quaque virtute mediocritatem eligit, & modum operandi rationémque præſcribit. *D.Tho. 12.q.65. art.1. Ariſt. 6. Ethicor. c. vlt.* Neceſſarióque qui hanc habuerit, virtutibus aliis carere non poterit. At ſi quis integra perfectáque prudentia non polleat, bene poterit ſubſtantiam alicuius virtutis

habere,

habere, licèt alia virtute careat, vt nunc dicemus. Sed an ipſæ virtutes morales non iam in aliquo alio, vt in charitate vel in prudentia, ſed inter ſe ipſas connexæ ſint, magna inter Theologos concertatio eſt, quam alienam ab hac tractatione putamus, cuius non eſt Philoſophicas ſubtilitates diſquirere, & ideo ſolum quod noſtro propoſito ſeruiat, in medium proferemus. Putamus ergo, has virtutes ſecundùm ſuam naturam non eſſe connexas, quaſi natura vnius ab alterius natura dependeat, aut quaſi vnus non poſſit, vna harum virtutum prætermiſſa, aliam acquirere. Occurrit enim ſæpe materia vnius virtutis ſine alia, vt materia abſtinentiæ, ſine materia eleemoſynæ aut miſericordiæ, & materia caſtitatis ſine materia manſuetudinis aut clementiæ. Quamobrem bene poterit quis in illa materia caſtitatis ſe exercere, & nihil de clementia curare, atque adeò ſine clementia caſtitatem acquirere. Ipſaque experientia compertum eſt, quoſdam in vna virtute eminere, cui ſtuduerunt: aliam verò rarò occurrentem quaſi omnino neſcire. Et ſicut actiones ipſæ ſtudioſæ ſeorſum, & quædam ſine aliis exercentur: ita & habitus ſiue virtutes, quæ per illas gignuntur, quod ad naturam ſuam attinet, adinuicem ſeparantur. Niſi dicamus vnius virtutis actibus omnes virtutes acquiri, quod conſonum rationi non eſt. Nam ſi illi actus, omnes virtutes gignerent, bonitatem etiam & merita, & laudes omnium virtutum haberent: ſi autem non habent, nec omnes virtutes gignunt, ſed tantùm propriam illam, circa cuius materiam verſantur, cuiúſque finem reſpiciunt. Ergo ſi rerum naturam inſpiciamus, bene poteſt vna moralis & acquiſita virtus, ſine alia reperiri. In quam ſententiam Caſſianus, referens memorabile dictum Antonij Abbatis, hæc ait: Alius enim ſcientiæ floribus exornatur, alter diſcretionis ratione robuſtiùs communitur, alter patientiæ grauitate fundatur, alius humilitatis, alius continentiæ virtute præfertur, alius ſimplicitatis gratia decoratur. Hic magnanimitate, ille miſericordiæ, iſte vigiliarum, hic taciturnitatis, ille laboris ſtudio cæteros ſupereminet. Et idcirco monachum, ſpiritualia mella condere cupientem, velut apem prudentiſſimam, debere vnamquamque virtutem ab his, qui eam familiariùs poſſident, deflorare, & in ſui pectoris vaſe diligenter recondere; nec, quid minus aliquis habeat, diſcutere, ſed hoc tantùm quid virtutis debeat contemplari, ſtudioſéque decerpere. Et Leo Papa, vnam virtutem ſine alia eſſe poſſe, pro certo videtur ſupponere Ille ſic inquit: Quamuis quis fidelis ſit, & caſtus, & ſobrius, & aliis moribus ornatus inſignibus, miſericors tamen ſi non eſt, miſericordiam non meretur.] Et Hieronymus: Qui vnam habuerit, omnes videtur habere virtutes, participatione non proprietate.

Caſſia. lib. 4. de virtut. c. 4.

Leo. ſer. 5. de collectis.

Hiero. 1. contra Pelagian.

Licèt autem hæc ita ſint, quòd vna virtus ſecundùm naturam ſuam ſine alia ſubſiſtat, tamen multis aliis rationibus, quaſi extra venientibus, omnes ſunt inter ſe connexæ virtutes, vt propterea neceſſe ſit ei qui ſtudioſus & perfectus eſſe velit, nullam earum prætermittere. Primò enim participatione quadam, vt dixit Hieronymus, ſunt ipſæ connexæ: Nam in quolibet virtutis actu eſt ordo rectus medij ad finem, qui pertinet ad prudentiam: eſt rectitudo & æqualitas cum regula operandi, quæ pertinet ad iuſtitiam: eſt firmitas animi in operando, quæ pertinet ad fortitudinem: & eſt moderatio, quæ ſpectat ad temperantiam. Et de hac connexione dixit Gregorius: Vt ſicut quibuſdam viſum eſt, de primis quatuor virtutibus loquar, prudentia, temperantia,

Gregor. 22. mor. c. 1.

A fortitudine, atque iuſtitia, tãto perfectæ ſunt ſingulæ, quanto viciſſim ſibimet coniunctæ. Diſiunctæ autem perfectæ eſſe nequaquam poſſunt: quia nec prudentia vera eſt, quæ iuſta, temperans, & fortis non eſt: nec perfecta temperantia, quæ fortis, iuſta, & prudens non eſt: nec fortitudo integra, quæ prudens, temperans, & iuſta non eſt: nec vera iuſtitia, quæ prudens, fortis, & temperans non eſt. Auguſtinus quoque eundem modum connexionis, licèt obſcuriùs, inſinuat: Virtutes, inquit, quæ ſunt in animo humano, quamuis alio & alio modo ſingulæ intelligantur, nullo modo tamen ſeparantur ab inuicem, vt, quicunque fuerint æquales, verbi gratia in fortitudine, æquales ſint & prudentia, & temperantia, & iuſtitia. Si enim dixeris, æquales eſſe iſtos B fortitudine, ſed illum præſtare prudentia, ſequitur vt huius fortitudo minùs prudens ſit, ac per hoc nec fortitudines æquales ſunt, quando eſt illius fortitudo prudentior.] Quod verò hi patres de quatuor virtutibus præcipuis aſſerunt, ſuo modo poſſumus dicere de reliquis, quæ ſunt illis annexæ. Quælibet enim aliquid alterius participat, ſi in aliquo ſaltem gradu perfectionis conſideretur, ſine quo nonnihil pulchritudinis illi videtur deficere.

Aug. 6. de Trinit. c. 4. to. 3.

Deinde virtutes omnes ſunt connexæ perfectione, quia vna ſine alia non eſt vndequaque perfecta. Sicut enim ex pluribus pulchris partibus corporis componitur vna hominis pulchritudo, ita vt ſi aliqua pars pulchra, & optimè diſpoſita in ſuo loco deficiat, non ſit pulchritudo perfecta; ſic vna perfectio C moralis animæ ex omnibus virtutibus conſtat, quarum ſi aliqua deſit, perfecta perfectio (vt ita dicam) & abſoluta non erit. Et quemadmodum, ſi quis haberet vnum oculum pulchrum & ſplendidum, alium verò deformem & cæcum; ille primus oculus non eſſet omnino pulcher atque perfectus, cuius pulchritudo non ſolùm conſiſtit in hoc, quòd ipſe pulcher ſit, ſed in hoc etiam, quòd conformis & proportionatus alteri ſit: Eodem modo vna virtus vt caſtitas non eſt ſine patientia omnino perfecta, quia eius perfectio non ſolùm eſt in hoc, quòd concupiſcentiam frænet, ſed in hoc, quòd ſine ira, & indignatione, & ſine nimia & abſorbente triſtitia tentationes inſurgentes ſuſtineat, & vincat. Et hanc connexionem virtutum tangit Gregorius his verD bis: Vnaquæque virtus tanto minor eſt, quanto deſunt cæteræ. Nam ſæpe quoſdam pudicos quidem vidiſſe nos contigit, ſed non humiles: quoſdam verò quaſi humiles, ſed non miſericordes: quoſdam quaſi miſericordes, ſed nequaquam iuſtos: quoſdam verò quaſi iuſtos, ſed in ſe potiùs quàm in Domino confidentes. Et certum eſt, quia nec caſtitas in eius corde vera eſt, cui humilitas deeſt, quippe quia ſuperbia, ſe intrinſecus corrumpente, fornicatur, ſi ſemetipſum diligens, à diuino recedit amore. Nec humilitas vera eſt, cui miſericordia iuncta non eſt: nec debet humilitas dici, quæ ad compaſſionem fraternæ miſeriæ neſcit inclinari. Nec miſericordia vera eſt, quæ à rectitudine iuſtitiæ exiſtit aliena, quia, quæ poteſt per iniuſtitiam pollui, neſcit pro E culdubio ſibimet ipſi miſereri. Nec iuſtitia vera eſt: quæ fiduciam ſuam non in conditore omnium, ſed in ſe fortaſſe aut in rebus conditis ponit: quia dum à creatore ſpem ſubtrahit, ipſe ſibi principalis iuſtitiæ ordinem peruertit. Vna itaque virtus ſine aliis, aut omnino nulla eſt, aut imperfecta.] Hæc ille.

Gregor. ſuprà.

Tandem virtutes connexæ ſunt indigentia mutui ſubſidij: quia profectò vna virtus, quæ ab alia auxilium non recipit, manifeſto diſcrimini ſubiacet. Hoc aperta exempla demonſtrant. Da enim homi-

nem caſtum, ſed non humilem: in hoc vacillabit caſtitas, ſi occaſionibus ignominiæ & vilipenſionis exponatur. Da humilem, ſed non caſtum: in hoc nutabit humilitas, ſi ſuperbia & dominatio deliciis & voluptatibus circumdetur. Sed da hominem manſuetum, & non liberalem: in eo peribit manſuetudo, ſi per iniuriam opes ſurripias. Da liberalem, ſed non manſuetum: ceſſabit largitas erga te, etiam cùm oportuerit erogare, ſi illum occaſione iræ & vindictæ contingas. Idem prorſus in aliis virtutibus conſiderare poteris, quarum vna alterius ope deſtituta, corruit, & hæc illius auxilio priuata, labaſcit. Omnes igitur virtutes, vt alio loco dixit Gregorius, in conſpectu conditoris ſui, vicaria ope ſe ſubleuant: & quia vna virtus ſine alia vel nulla eſt omnino vel minima, neceſſe eſt vt viciſſim ſua coniunctione fulciantur. Si enim vel caſtitatem humilitas deſerat, vel humilitatem caſtitas relinquat, apud authorem humilitatis & mundiciæ prodeſſe quid præualet, vel ſuperba caſtitas, vel humilitas inquinata?] Ac proinde meritò virtutes omnes, filiis ac filiabus patientis Iob ſignificatæ ſunt, non ſolùm quia ex labore & patientia generantur, ſed quia, vt etiam idem ſanctus Pater meditatus eſt, valde quælibet virtus deſtituitur, ſi non vna alij, virtus virtuti ſuffragetur. Ad cuius rei figuram in diuina ſcriptura aliquatenus exprimendam, dictum eſt ad Moyſem in Exodo: Sume tibi aromata, ſtactem, & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum, facieſque thymiama.] Quid enim thymiama niſi vitam ſpiritualem ſignat, cuius ſacrificium in altari cordis oblatum, & igne diuini amoris incenſum, acceptatur à Domino in odorem ſuauitatis? At hoc thymiama non ex vna aliqua re odorifera, ſed ex pluribus, id eſt, ex omnibus virtutibus conflatur, & ſi aliqua deficiat, nequaquam numerus eorum quibus componendum eſt thymiama, completur. Non redolebit vita ſpiritualis ſuauiter, ſi aliqua ei virtus neceſſaria deſit, ſi eam teterus odor alicuius vitij contaminet. Non erit tuta, ſi ei aliqua ex parte facilè hoſtis acceſſerit. Accedet autem, ſi aliqua virtus illi defuerit. Nam qui quacumque virtute caret, locum aduerſario, per quem ingrediatur, relinquit. Et ſicut qui cum alio decertat, ſi aliquod membrum corporis habeat nullis armis protectum, in illo ab hoſte ferietur, & fortaſſis ex accepto vulnere vita priuabitur: ita animus, ſi partem animæ habeat non debita ſibi virtute munitam, in illa peccati vulnus, quod gratiæ vitam eripiat, accipiet. Iahel, vt Siſaram interficeret, quæſiuit in capite vulneri locum, locum, inquam, quem non galea protegeret, quem clauus ſine vllo impedimento perforaret. Hanc induſtriam ad perdendas animas diabolus non ignorat, ſed ſi videat concupiſcibilem honeſtate munitam, iraſcibilem verò manſuetudine vacuam, non multum curat concupiſcentiæ occaſiones ingerere, quas amor honeſtatis eludet, ſed nititur, nos ad iracundiam & indignationem, ex leuiſſimis etiam cauſis prouocare. Quærit in anima vulneri locum: quare qui timet vulnus accipere, & vi tentationis deiici, nullum locum non virtute armatum, hoſti omnia attentè conſideranti, relinquat.

Greg. 21. mor. c. 8 — *Iob. 1.* — *Gregor. 1. mor. c. 16.* — *Exod. 30. 34.* — *Iudic. 5.*

Nulla igitur virtus prætermittenda eſt, nulla quaſi non neceſſaria paruiducenda; ſiquidem minimæ etiam virtutis abſentia, poteſt eſſe magnorum defectuum occaſio. Negotiator gemmas pretioſas quærens, fulgentiſſimas & pretioſiſſimas diligit, minùs verò lucidas, minùſve pretioſas non ſpernit, quia ſcit, tam iſtas, quàm illas vtiles eſſe ad ſuarum opum augmentum. Et virtutes gemmæ ſunt, quibus non

A ſolus animus ſed & corpus ipſum ornatur: margaritæ ſunt adeò pretioſæ, vt ad eas nobis comparandas filius Dei ſanguinem ſuum in pretium impenderit. Simus ergo prudentes negotiatores, qui omnes poſſidere ad animæ ornatum cupiamus, nullamque non neceſſariam, non adiicientem nobis decorem, cogitemus. Prudens paterfamiliâs, qui domum habet magnam & familiam multam nimis, varia congregat in horrea ſua, ciborum genera, quibus tum ſibi, tum filiis, tum famulis, tum iumentis neceſſaria ſubminiſtret. Neque enim omnibus idem cibus congruit, nec diues erit ille & ſibi ſufficiens, ſi habeat ſimilam pro filiis, & panem cibarium pro famulis, careat verò paleis & hordeo pro iumentis. Iam, ô iuſte, ex hac ſimilitudine te

B ipſum agnoſce. Paterfamiliâs es, cui cura filiorum, ſeruorum, & iumentorum ſuſtentandorum incumbit. Memoria, intellectus, & voluntas, ſunt quaſi filij, quoniam vires ſpirituales cùm ſint, animæ naturam ſpiritualem imitantur. Senſus interni & affectus cordis ſunt quaſi ſerui, qui imperio rationis obediunt. Senſus externi & membra ſunt quaſi iumenta, quæ ſi bene regantur, ad iter in cœleſtem patriam conficiendum nos iuuant. Omnium iſtorum alimenta ſunt diuerſarum virtutum actiones. Nam memoria paſcitur conſideratione, intellectus prudentia & fide, voluntas, iuſtitia & Dei & proximorum amore. Senſus interni paſcuntur tranquillitate, affectus temperantia & fortitudine: ſenſus externi, modeſtia; membra corporis, externa vir-

C tutum omnium exercitatione. Pro ſuſtentanda hac copioſa familia, ſtude omnia genera virtutum recondere: nullámque, licèt minima videatur, prætermittas, quia cibus eſt alicuius famuli aut iumenti, ſine quo famem non modicam ſuſtinebit, & te crudelitatis accuſabit, qui alios reficiens, ipſum ſine debito cibo manere permittis. Miles ſe totum armat, & nullum armorum genus, ad ſui tutamen neceſſarium, prætermittit, omnes autem virtutes neceſſariæ ſunt, ne in pugna aduersùs dæmones illidamur. Vt enim dixit Bernardus: Quatuor ſunt arma, quibus principaliter communimur: Prudens & humilis intelligentia, quæ eſt quaſi galea, & caput operit: mediocris & parca temperantia, quæ eſt lorica, & pectus tegit: perſeuerans & patiens conſtantia, quæ eſt quaſi ſcutum, & dexteram munit:

D tribuitur æquitatis iuſtitia, quæ eſt gladius vtrobique incidens ad diuiſionem animæ & ſpiritus: Si ergo temerarium eſſet, ſine galea, aut ſine lorica, aut ſine ſcuto, & gladio, hoſtem optimè armatum aggredi, nonne ſtultum erit, ſine aliqua virtute, quæ munimentum noſtrum eſt, te aduersùs aduerſarios noſtræ ſalutis pugnare? Ita ſanè. Quare omnis virtus excolenda eſt, ne inſipientiæ ab omnibus arguamur, & à Ieſu Chriſti, virtutum magiſtri, imitatione ſeparemur. Ille enim dixit Ioanni, cùm petiit ab eo baptizari: Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.] Qui omnem iuſtitiam impleuit, nullam prætermiſit: Iuſtitia enim om-

E nis, nihil aliud eſt quàm virtutum omnium operatio, omniúmque mandatorum cuſtodia. Sicut ergo ille verus præceptor & dux noſter, nullam virtutem exercere prætermiſit, earum quæ ipſum decebant, & nullam imperfectionem inuoluunt; ſic & nos diſcipuli eius facti, nulli virtuti ſtudere prætermittamus, vt pro noſtro modulo poſſimus dicere, quòd per gratiam Dei, prout nobis datum fuit, omnem iuſtitiam impleuimus.

Bern. in ſententiis. — *Matth. 15.*

Concluſio

Concluſio dictorum; & de inſtrumentis aſſequendæ Virtutis eſſe tractandum.

CAPVT VIII.

VENERANDAM virtutis faciem vtcunque deteximus; quàm honeſta, quàm vtilis, quàm deliciis affluens ſit, vidimus: eius incomparabilem pulchritudinem & decorem aſpeximus: & quàm neceſſaria ſit nobis, adeò vt ex qualibet eius parte non modicum profectus noſtri dependeat, conſiderauimus. Quid ſupereſt, niſi vt illam pretioſam gemmam quæramus, quam & honeſtam, & proficuam, & decoram, & pulchram, & ſummè neceſſariam eſſe fatemur? Sæpe nos, ô magnam cæcitatem! in ſuum amorem turpia traxerunt; iam ſancta, & pura, & honeſta nos trahant. Sæpe noxia, & animo triſtia, & fœda, falſa nos ſpecie boni deceperunt; iam proficua, & læta, & pulchra pelliciant. Sæpe vana & prorſus inania dileximus; iam vera, & ſolida, & neceſſaria diligamus. Ne ſimus ad noſtram perniciem, quàm ad noſtram ſalutem promptiores; &, ſi illa magnam vitæ partem occupauit, hæc ſaltem modicum illius, quod reſiduum eſt, occupet. Hoc prudentia dictat, iuſtitia exigit, & commoditas propria requirit, vt bona malis, maiora minoribus, & vera vanis præferantur. Si autem in rationem, in legem, in æquitatem, & in noſmetipſos iniurioſi fuimus, ſiquidem opportunitas ſuppetit, malè geſtum emendemus. Ad hoc vita iſta nobis à benigniſſimo omnium bonorum datore conceditur, qui nos emendatos & meliora ſapientes inuenire cupit, quoniam, cùm non delectetur in perditione viuorum, nequaquam cauſas perdendi nos, ſed occaſiones impertiendæ ſalutis quærit. Statim *Geneſ. 2. 7.* enim atque formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, ei in vno illo mandato non edendi de ligno ſcientiæ boni & mali, præcipuarum virtutum præceptum impoſuit. Annon ibi præceptum prudentiæ, qua medium à Deo ordinatum ad ſalutem eligeretur? Annon ibi præceptum iuſtitiæ, qua voluntati Domini ſeruus ſubderetur? Annon ibi præceptum fortitudinis, qua diabolo contraria ſuggerenti reſiſteretur? Annon ibi præceptum temperantiæ, qua pomum vetitum non guſtaretur? Quin & illo ipſo creationis exordio præcepta Fidei, Spei, & Charitatis, lata ſunt, vt intelligeret homo, ſe ad virtutes capeſſendas eſſe conditum, & ad conſequendam beatitudinem per obſeruantiam mandatorum creatum. Tempus ergo in vitiis, in vanitatibus, & in prophanis curis impenſum, à virtute ſuffuratum eſt. Quid faciet homo, niſi mores ſuos emendare, & in eo, quod vitæ reſtat tranſeundum, ſe totum virtuti tradens, damnum illi & ſibi ipſi illatum reſarcire? *Eccl. 8. 16.* Non ſpondeas, inquit Eccleſiaſticus, ſuper virtutem tuam: quòd ſi ſpoponderis, quaſi reſtituens cogita.] Primam partem huius præcepti cuſtodiuimus, quia nihil Deo ſupra vires nobis datas polliciti ſumus. Licèt enim virtus ſupra vires naturæ ſit, non tamen ſupra vires gratiæ, qua ſine vlla intermiſſione fulcimur. Secundùm vires noſtras ſpopondimus, nec hactenus ſponſioni ſtetimus, quid nunc inſtat, niſi vt de reſtitutione cogitemus? Verum quidem eſt, quòd futuro tempore, operibus virtutis debito, præteritum in ſegnitie & tepore conſumptum, ad plenum non reſtituemus, ſed in terrena

A republica, ſi non ſolùm iuſta, ſed etiam benigna & miſericors ſit, debitor liber exit, qui licèt non quod debet, at quod poteſt, reſtituit. Non eſt autem virtus natura parcior, & ea quæ homini humanitatem tribuit, non eſt humanitate ſeuerior. Quare placabitur tibi, ô homo, quamuis ei tempus elapſum, quia iam non tuæ ſubiacet poteſtati, non reddas, ſi futurum tempus, quod eſt in tua manu, reſtituas. Ab hoc momento dic cum Dauide: Nunc cœpi;] & incipe *Pſal. 76. 11.* dies tuos dare virtuti, quos non perditos, ſicut eos, quos dediſti ſæculo, ſed in ſinu ſeruatricis tuæ ad meritorum cumulum cuſtoditos reperies. Dies namque conſumptus in virtutis obſequio, non labitur, quia eius breuitas rectè impenſa in æternitatem commutatur. Lario quidem ſolis huius viſibilis ſuper terram B tranſit; templum verò ſanctitatis, quod ex virtutibus, tanquam ex politis lapidibus, in cordibus noſtris extruimus, nunquam euaneſcit. Eſt enim illo Iſraëlitarum templo longè fælicius, quia illud, licèt fortiſſimum & optimè ædificatum, hoſtium rabies ſolo æquauit: de quo prædixit Dominus: *Matth. 24. 2.* iſtud verò ſpirituale templum, ſi velimus nos, licèt hoſtes fremant, & omnes vires ſuas in illud exerant, in perpetuum cum ſua gloria & ſplendore perſiſtet.

Illud verò ab hoc opere deterrere nos poſſet, quòd lapides virtutum ad tantam molem ædificandam, vbi ſint inueniendi, non nouimus, nec artem templa fabricandi didicimus. Et temerarium eſſet, ſine materia, ſine ſumptibus, & ſine artis peritia, in opus verè magnum & admirandum incumbere. Sed C hæc non tam ab opere retrahunt, quàm ad opus mouent, quia omnia neceſſaria in promptu ſunt nobis, ne ab hac ædificatione ceſſemus. Locus enim, in quo domum iſtam ædificamus, non eſt aliud quàm cor noſtrum. Nam & Dominus id apertè ſignificat, dicens de homine ſe diligente, ſuóſque ſermones cuſtodiente; Ad eum veniemus, & manſionem apud *Ioan. 14. 23.* eum faciemus.] Atque alio loco: Ego ſapientia habito in cõſilio, & eruditis interſum cogitationibus.] *Prouer. 8. 12.* Quid enim eſt, habito in cõſilio, niſi habito in corde iuſti, vbi ſana & recta conſilia excogitantur, vt ea excitem atque promoueam? Si ergo Dominus in corde iuſtorum habitat, & in domo, ex virtutibus ædificata, habitat, manifeſtum eſt, quia domus hæc non alio loco, quàm in corde iuſtorũ extruitur. Materia verò, D ſcilicet virtutes, ex quibus domus ſpiritalis fabricãda eſt, non longè eſt à nobis, adeò vt poſſimus dicere, quòd lapidicina apud nos eſt, ex qua huiuſmodi lapides eruuntur. Virtutum enim exercendarum occaſionem, ex proſperis, ex aduerſis, ex bonis, ex iniquis, ex vitiis quibus affligimur, ex peccatis quæ patramus, & ex propenſionibus cordis noſtri, ſi bene aduertimus, facilè elicimus. Ex proſperis illi virtutis occaſionem accipiãt, quibus dictum eſt: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.] *Luca 16. 9.* Ex aduerſis illi virtutis occaſionẽ ſumunt, in quibus impletur Dauidis ſententia: Cùm occideret eos, quærebant eum, & *Pſal. 77. 34.* reuertebantur: & diluculo veniebãt ad eum.] Et iterum: Clamauerunt ad Dominũ, cùm tribularentur, *Pſal. 106. 6.* E & de neceſſitatibus eorũ eripuit eos.] Ex bonis, & iuſtis, illi qui Apoſtoli vocẽ audiunt, dicentis: Quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem.] *Hebr. 13. 7.* Ex iniquis, illi qui probè norunt, quia [inimici hominis,] ſi mali ſint, [domeſtici eius.] *Matth. 10. 36.* Ex vitiis virtutum occaſionem accipimus, cùm voluptatem quam in vitiis quærimus, potiùs in virtutis actionibus inuenimus. Ad quod pulcherrimè Auguſtinus ait: *Aug. lib. de vera religione c. 52. to. 1.* Quid eſt vnde homo cõmoneri nõ poſſit ad virtutes capeſſendas, quãdo de ipſis vitiis poteſt? Quid enim

appetit curioſitas, niſi cognitionem, quæ certa eſſe non poteſt, niſi rerum æternarum & eodem modo ſe ſemper habentium? Quid appetit ſuperbia, niſi potētiam, quæ refertur ad agendi facilitatem, quam non inuenit, niſi anima perfecta, & Deo ſubdita, & ad eius regnum ſumma charitate conuerſa? Quid appetit voluptas corporis, niſi quietem, quæ non eſt, niſi vbi nulla eſt indigentia & nulla corruptio?] Sic ille. At peccata ipſa, occaſiones eſſe virtutis, illa verba Pauli declarant: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.] Item & illa: Gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente:] quoniam videlicet ex peccatis, anſam pœnitentiæ, maioris humilitatis, charitatiſque captauit. Propenſiones autem cordis, quantam materiam virtutis ſubminiſtrant? Videmus certè, iuſtos in bonum ſuis propenſionibus vti, & amore cognitionis incenſos, ſalutaribus lucubrationibus fideles inſtruere; mites & benignos miſericordiæ operibus ſtudere, quietos & placidos ad quietem contemplationis & opus diuini amoris excitari. Non ergo longè ſunt lapides pro hac Dei domo fabricanda, immò propè ſunt in corde, & in ore, & in manibus noſtris, ſi tantùm velimus operari, & omnem ſegnitiem ac torporem excutere.

Ad Rom. 8. 28. *Luc. 15. 10.*

Sed de ſumptibus & impenſis faciendis, non eſt cur plus nimio ſolicitemur, cùm ea Chriſtus Saluator noſter ex immenſis ſuis theſauris obtulerit. Certè quidem ſanctus Dauid, filio Salomoni ædificandi templi curam imponens, dixit illi: Ecce ego in paupertate mea præparaui impenſas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris verò & ferri non eſt pondus: vincitur enim numerus magnitudine: ligna, & lapides præparaui ad vniuerſa impendia. Sic & Chriſtus in paupertate ſua, id eſt, in tempore mortalitatis ſuæ, immenſas diuitias præparauit, & efficaciſſima gratiæ auxilia collegit, quæ nobis ædificationi huius ſpiritualis templi deſeruiant. In talentis auri, auxilia ad charitatem, & in talentis argenti, auxilia ad cognitionem veritatis habendam agnoſce. Nec mireris, ſi argentum auro copia ſit maius, quia magis cognoſcimus, quàm diligimus, & ſæpe cognitio peruenit, quò nullus aut modicus amor accedit. In ære, auxilia ad promendas diuinas laudes, & in ferro, gratiam ad reſiſtendum tentationibus & vincendum intellige. Et meritò æris & ferri nec aſſignatur pondus nec numerus, quia ſemper debemus diabolo pugnanti reſiſtere, & adiutorem noſtrum ſine fine laudare. In lapidibus autem & lignis, virtutum moralium habitus, & actiones conſidera, quæ optimè inter ſe diſpoſita, domum iſtam ſpiritualem conſtituunt. Si Deus impenſas facit, & [operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate,] quis poterit de paupertate ad ædificandum querulari? Nec tandem ædificandi imperitia nos excuſat: quoniam, qui hoc onus extruendi ſibi domum impoſuit, artifex eſt peritiſſimus, & quos vult artifices facit. Ipſe Noë arcam fabricare docuit, & opus nunquam à mortalibus viſum, per manus eius effecit. Ipſe Moyſi exemplar, ad cuius ſimilitudinem tabernaculum fabricaret, oſtendit. Ipſe Beſeleel ad mirabilia opera, quæ ad cultum Domini neceſſaria erant, erudiuit. Ipſe ad molem illam ſtupendam templi Hieroſolymitani extruendam, Salomonem illuſtrauit. Quin & Paulum hanc eandem artem optimè docuit, qui [ſecundùm gratiam Dei, quæ data eſt ſibi, vt ſapiens architectus fundamentum poſuit, vt fideles ſuperædificent.] Et nemo doctus eſt, qui ab eo non didicit, & nullus ab eo illuſtratus, qui imperitus remanſerit. Si ita ſe res habet, nulla ſupereſt excuſationis vmbra, quæ nos ab hoc vtiliſſimo labore eximat, & in otio & væcordia detineat. Non debet homo, inquit Hugo, ſuam imperitiam aut infirmitatem conſiderans, deſperare, ſed eum potiùs, qui ſecum operari dignatur, attendere. Deus enim eſt virtus & ſapientia: & non poteſt aliquis aut eum virtute deficere, aut cum ſapientia ignorare: maximè cùm idem ipſe ſit, qui & nobis operantibus bonum cooperatur: & non operantibus, vt velimus, & poſſimus bonum operari, largitur. Dei quippe opus in nobis nobiſcum eſt: & noſtrum opus in nobis ab ipſo eſt. Eius opus in nobis nobiſcum eſt, noſtrum adiutorium, & noſtrum opus in nobis ab Ipſo eſt & ipſius donum.] Hæc ille.

1. Paral. 21. 14. *Philippen. 2. 15* *Geneſ.* *Exodi.* *3. Reg.* *1. Corin. 3. 10.* *Hugo. lib. 4. de arca mor. c. 1.*

Omnes quidem iuſti & ſancti viri in hoc opus incubuerunt, vt domum ſpiritualem in cordibus ſuis Domino exædificarent, & virtutes omnes, quibus ipſa ædificatur, acquirerent. In præmium huius laboris & gratiam ſine meritis acceptam amplificarunt, & ſecundùm menſuram bonorum operum beatam vitam obtinuerunt. Ædificata enim domo Domini audiuit Salomon Dominum dicentem ſibi: Sanctificaui domum hanc, quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi, cunctis diebus.] Ita ſi extruxerimus hanc domum ſpiritualem, quam virtutes, vt lapides viui & politi, componunt, Dominum nos ſanctificantem, & in nobis habitantem, non leuibus indiciis cognoſcemus. Qui & ſua prouidentia nos reget, & ſuo amore fouebit, donec ad æternam patriam nos efferat, & præmia ineffabilia retribuat. Qui autem deſidiæ ſe dederit, & pro virtutibus in corde ſuo vitia congeſſerit, quanam ratione præmia iuſtorum & laborantium accipiet? Vnde Baſilius optimè: Quomodo verò nobis, cùm pluris faciamus vitam voluptariam, quàm eam quæ fit ex præſcripto, vitæ illam beatitudinem, & conſortium ſanctorum, ac lætitiam, qua vnà cum angelis in conſpectu Chriſti exultabimus, proponere, atque polliceri poſſumus? Eiuſcemodi cogitationes non ſunt profectò ſanæ mentis. Quomodo vnà cum Iob ero, qui ne minimā quidem afflictionē grato animo toleraui? Quomodo cum Dauide, qui patienter inimicum non pertuli? Quomodo cum Daniele, qui Deo perpetua continentia & oratione, laboris plena, non ſupplicaui? Quomodo cum Angelis? cùm veſtigia eorum non ſim ſequutus? Quis eſt ex his qui præmia certaminū proponunt, adeò nullius iudicij, vt eum qui ne certauit quidem, æquali corona dignum iudicet cum eo qui palmam maxima cum laude tulit? Quis imperator eos, qui in prælio ne comparuerunt quidem, ex æquo cum eis ad ſpolia vocabit, qui hoſtes fuderant? Hæc & multa alia Baſilius, ex quibus apertè perſpicitur, quanti nobis referat in virtutibus congregandis laborare, vt accipiamus fœlicitatis coronam. Deus enim qui miſericors eſt, & ex miſericordia nos vocat, iuſtus etiam eſt, qui ad ſe vocatos, & ſemel in ſuam gratiam admiſſos, ex miſericordia ſimul & iuſtitia præmiare diſponit. Quòd ſi otioſi, & deſides, & ſuam ſalutem negligentes, præmio digni non ſunt, & iuſtitiæ lex eos mercede vacuos manere decernit, oportet vt nos omnem deſidiam, & negligentiam abiiciamus, noſtrámque ſalutem diligenter curemus, ne cum eo, qui talentum abſcondit, pauperes & inglorij relinquamur. Benefac Domine, ait ſanctus Dauid, bonis & rectis corde. Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operātibus iniquitatem.] Illis itaque Dominus benefacit, illis benignum ſe præbet, erga illos magnificè & liberaliter ſe habet, qui bono & recto ſunt

3. Reg. 9. 3. *Baſil. orat. 3. de pœnit.* *Pſal. 124 4. 5.*

corde:

A corde:cor autem bonum ſola virtute redditur,& rectum ſola iuſtitia & Dei gratia,à qua omnis iuſtitia & omnis virtus manat, exiſtimatur. Quare qui gratia,& iuſtitia,& virtute carent,benignitatem & mercedem à Domino, niſi reſipiſcant, & bonitatem virtutis induant,nequaquam expectent. Iſtis qui noua debita peccatorum contrahunt,qui nouis ſe obligationibus iniquitatum inuoluunt, qui obliquitates conſcientiæ ſectantur, ſedes cum reprobis, qui iniquitatem ſunt operati, parata eſt. Eorum pœnam
Aug. ib. ſentient, quorum facta imitati ſunt,vt inquit Auguſtinus, quorum præſentes lætitias amauerunt, & futura ſupplicia non crediderunt.Pax profectò,& merces, & beatitudo non ſuper iſtos, ſed ſuper Iſrael. Nam illi qui Deum viuâ fide credunt, & in omni lo-
B coipſum præſentem intuentur,& præcepta eius, qui vbique præſens eſt,præterire erubeſcunt, vtque oculis eius placeant, multiplici virtute ſe induunt, & in eo quod ſemel cœperunt, vſque ad finem perſeuerant,pace illa fruentur, quam Dominus benefaciens & benignè ſe gerens, bonis & rectis corde parauit in æternis ſedibus ſuis.

Nunc ergo ad hanc domum Domini fabricandam,ad virtutum lapides effodiendos, & ad ſtudioſa opera ex præſcripto diuinæ legis præſtanda,quid nobis faciendum eſt?Certè,vt exiſtimo,inſtrumenta apta quærere, quibus hoc grande opus, quod iam per abiectionem mali inchoatum eſt, perſequi ac conſummare poſſimus. Neque enim ſemel contigit, vt quis locum aptiſſimum ad domum ædificandam ha-
C beat, & materiam copioſam, & abundantem pecuniam,& artificem peritiſſimum;& tamen quia neceſſariis inſtrumentis caret, nunquam domum ædificatam videat. Aduerſarius noſter inſtrumenta quæſiuit, quibus à nobis virtutem eriperet. De quo dictum
Abacuc. 1.15. eſt: Totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua,& congregauit in rete ſuum.] Vſuſque eſt
Gen. 3.1. doloſa interrogatione, pro hamo, qua dixit: Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis de omni ligno Paradiſi?]Et leuitatem mulieris expertus eſt. Deinde vſus eſt ablatione timoris,pro ſagena, dicens:
Ibid. n. 5. Nequaquam moriemini:] & falſa promiſſione,pro rete: Nam aperientur, inquit, oculi veſtri,& eritis ſicut dij.] Quia verò negotium illi ſucceſſit ad votum, eadem arte inſtrumenta parandi ad fines præ-

A poſteros aſſequendos,ſuos ſectatores inſtruxit. Quare dictum eſt in lamentatione aſſumpta ſuper Ty-
Ezech. 27.27. rum: Diuitiæ tuæ,& theſauri tui, & multiplex inſtrumentum tuum,& cætera quæ ſequuntur, cadent in corde maris in die ruinæ tuæ.] Nos autem vel ex hoſte noſtro diſcamus, quomodo ſint inſtrumenta apta paranda ad virtutes aſſequendas. Nam ſi quibuſdam inſtrumentis virtutes ipſæ à nobis tolluntur,quæ ſunt tentationes & artes diaboli,quibus nos ignorantes ſpoliat, contrariis inſtrumentis recuperandæ ſunt, quibus humana induſtria diuinæ gratiæ auxilio ſuffulta, virtutes de manu eius deprædantis eripiat. Sanè recenſitis multis, variiſque rebus ad vſum tabernaculi, & ad cultum diuinum præparatis,
Exodi 38.21. ſubdit ſcriptura: Hæc ſunt inſtrumenta taberna-
B culi teſtimonij, quæ enumerata ſunt iuxta præceptum Moyſi:] vt iuſtus intelligat Dei tabernaculum, quod in intimo cordis erigitur, & diuinum cultum, quo Deus virtutum actibus adoratur, inſtrumentis nonnullis indigere, ſine quibus nec tabernaculum erit ſufficienter inſtructum, nec virtutum actiones optimè præſtabuntur. Beatiſſimus autem Patriar-
Bened. in reg. c. 4. cha Benedictus in ſua regula, inſtrumenta virtutum appellauit ipſas virtutum actiones, quibus & à malo auertimur, & bonum facimus, & diuina mandata complemus. Et quidem ſapienter: quoniam bona opera ſunt inſtrumenta, quibus ad perfectionem aſcendimus, & ad beatitudinem peruenimus. At hoc loco magis preſsè inſtrumenti nomen accipimus. Vocamus enim inſtrumenta, virtutum adminicula
C quædam,quæ ad virtutum actiones præſtandas,& ad habitus earum inſerendos iuuant.Sicut enim ars carpentarij apta inſtrumenta habet, vt dolabram, aſciam,& ſerram,& alia ſimilia,quibus ligna ſcindit,& dolat, & ſuum artificium conflat:ita & hæc ars aſſequendæ virtutis, ſua habet inſtrumenta, non humana induſtria ſed diuina inſpiratione reperta, quibus virtus ipſa conquiritur. Hæc inſtrumenta nunc nos explicare volumus,vt qui artem virtutum adipiſcendarum ſcribimus, rationem eas acquirendi monſtremus. Faxit Deus,vt in re vtiliſſima,& à paucis methodo & ordine explicata, ita procedamus, vt & legentes, viam virtutis facilem & ſuauem inueniant, & mens noſtra, quæ hæc ex benignitate Domini meditatur,nequaquam ieiuna & vacua perſiſtat.

PARS SECVNDA

De Inſtrumentis aſſequendæ Virtutis, pertinentibus ad intellectum.

VIRTVTES humanis actibus generantur: quod ſi non nimis preſsè, ſed aliquantulum latè intelligatur, omnibus virtutibus conuenire, certum eſt. Nam virtutes, *D.Tho. 12 q 63. art. 2.* *quæ dicuntur acquiſitæ,actibus humanis generari nemo dubitat: ſi enim actiones vitiorum vitia procreant, & homines vitioſos faciunt,cur actiones virtutum non virtutes procreabunt,& homines ſtudioſos & virtutum poſſeſſores efficient? Virtutes verò, quæ vocantur infuſæ, licèt à Deo miſericorditer homini donentur, tamen mens viri adulti, ad eas recipiendas humanis actibus,ex gratia & libero arbitrio procedentibus,aliquo modo diſponitur,& illis acceptis actibus ab eiſdem virtutibus manantibus, earum augmentum meretur. Quare*

IN VNI

in vniuerſum verum eſt, virtutes omnes in homine adulto ab humanis actionibus pendere, eiſque aut à principio efficienter gigni, aut meritoriè ad promerendum adiuuari. Actio autem humana, eſt actio hominis, vt homo eſt, qui cùm homo ratione & libero arbitrio ſit, apertum eſt eam actionem humanam dici, quæ propter finem aliquem cognitum ab operante ex deliberatione promanet. Atque adeò in actione humana ſtudioſa & rationi conſentanea (de hac enim nunc loquimur) tria ſunt conſideranda. Alterum eſt, quòd intellectus eam cognoſcat, & eliciendam eſſe ſtatuat. Alterum, quòd voluntas eam acceptet, & præſtare velit. Tertium, ſi ſit exterior, quòd externis viribus exerceatur. Hinc oritur, vt triplicia ſint Inſtrumenta aſſequendæ virtutis: quædam, quæ intellectum in virtute erudiunt: alia, quæ voluntatem ad virtutis amorem mouent: alia, quæ operi ſtudioſo præſtando ſunt adiumento. Inſtrumenta virtutis ad intellectum pertinentia ſunt tria: Cognitio Virtutis, appretiatio, & poſtulatio, de quibus in hac ſecunda tractatione differendum eſt.

De Primo Inſtrumento, nempe de cognitione Virtutis: eámque eſſe cognitu difficilem.

CAPVT I.

COGNITIO alicuius rei, ſi ea bona ſit, & bona eſſe cognoſcatur, ianua eſt ad eius amorem & deſiderium, quia nihil à voluntate deſideratur, aut diligitur, niſi prius cognoſcatur. Amor autem & deſiderium, initium eſt adeptionis rei, quam amamus; nemo enim apprehendere, & poſſidere curat, quod non deſiderat, neque amat. Quamobrem vt aliquid liberè apprehendatur, neceſſe eſt hominem prius in illud B deſiderio ferri, & ad deſiderium per cognitionem intrare. Hinc Dauid vt principes terræ ad Chriſti obſequium & amorem impellat, prius eos ad cognitionem vocat, quia videlicet non poterunt illum diligere, nec illi ſubiici, quem ignorant: Et nunc, inquit, reges intelligite; erudimini, qui iudicatis terram.] *Pſal. 2. 10.* Ponite rudem atque rebellem mentem, & ignorantiam ac cæcitatem deſerite: intelligite autem bonitatem immenſam & poteſtatem inſuperabilem Saluatoris. Tunc non ſine fructu audietis quod ſequitur: *ib. n. 11.* Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.] Facile enim erit ei, quem Dominum magnum cognouiſtis, cum timore ſeruire; & eum quem ſummè bonum & amabilem intellexiſtis, non ſine debita adoratione & amore diligere. Et alio loco C idem Propheta inquit: *Pſal. 24. 11.* Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas requirentibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius.] Id eſt: Qui ſcrutantur legem Domini, qui eius opera inueſtigant atque cognoſcunt, hi demum experiuntur, quàm ſint miſericordiæ & iuſtitiæ plena, & ob id ea, ceu optimè conſtituta, diligent. Ad idem alludit Salomon, cùm ait: *Prou. 8. 8.* Recti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis prauum quid, neque peruerſum: recti ſunt intelligentibus, & æqui inuenientibus ſcientiam.] Ac ſi diceret ſapientia: Cognoſcite præcepta mea, & mandata mea intellectu apprehendite: & tunc recta & ſuauia iudicantes, facile vos in eorum cuſtodiam induceris. Et Auguſtinus orat Deum agnoſcere, vt eum valeat D amare. *Aug. Soliloq. c. 1. To. 9.* Lumen æternum, ait, illoſtra ſuper animam meam, vt te intelligat, cognoſcat, & diligat. Ob hoc enim non te diligit Domine, ſi non diligit, quia non te cognoſcit: & te ideo non cognoſcit, quia non intelligit: & iccirco non intelligit, quia lumen tuum non comprehendit.] Si ergo ſcopus noſtri laboris poſt A deteſtationem delictorum noſtrorum, & poſt pugnam aduersùs vitia, & poſt mortificationem paſſionum, eſt virtutem aſſequi, liquidum eſt, primum inſtrumentum huius laboris eſſe, virtutem agnoſcere. Vt ſcilicet cognitio virtutis in amorem virtutis tráſeat, & amor deſiderium inferat, & deſiderium ad opus prouocet, & opus aut virtutem gignat, aut eam per modũ meriti (in eo qui debitè & prout opus eſt, operatur) à Domino accipiat. Ac proinde, qui vult virtutem aliquam, vt exempli gratia, humilitatem vel obedientiam adipiſci, conetur prius eius naturam cognoſcere, proprietates percipere, actiones proprias eius & germanas addiſcere, quas cognitas in exercitationem producat. Idque eſſe neceſſarium & primum in hac arte ſtudioſè viuendi, omnis experientia B proclamat. Quis enim vnquam artem pictoris aut ſtatuarij optimè exercuit, antequam eius artis rationem agnouerit, antequam functiones eius diſciplinæ didicerit, & quo modo deducendæ ſint lineæ, & miſcendi ac infundendi colores, & imagines efformãdæ, calluerit? Ita prorſus ſtudioſè operari neſciet, & virtutibus animam decorare ignorabit, qui virtutum naturam ac ſubſtantiam neſcierit, ipſiúſque actiones rectiſſimas ignorauerit. Neque obſtat quòd multi idiotæ & rudes homines, pauca de virtute norunt, & multa operantur, virtutem ignorant, quam habent, & quam nec mens calet, nec lingua profert, vita inculpatiſſima manifeſtat. Hoc inquam non obſtat, quoniam re vera iſti, licèt quoad manifeſtationem naturæ virtutis, ſint elingues, non tamen ſunt C cognitionis eius expertes. Immò ſublimiùs ſentiunt de virtute quàm nos, qui multa de illa in ore geſtamus, & in conuerſatione parum aut nihil eius habemus. Huius autem indicium eſt, quòd cùm aliqua de virtute legunt, quæ antea nunquam legerant, neque audierant, ſe priùs ita ſenſiſſe, & exiſtimaſſe animaduertunt. Atque adeò omnem operationem virtutis cognitio eius præcedat, neceſſe eſt; & qui volunt eam, qua adhuc carent, actione tenere, debent hoc ſtudium ab actu cognitionis incipere.

Et quidem primo aſpectu virtutis notio facilis eſſe videtur. Facillimum enim eſt, lucem agnoſcere, quæ ſponte ſe oculis ingerit, & eam à caligine & obſcuritate diſtinguere. Promptum eſt, vitam intelligere, quæ motibus, & actionibus, & ſenſibus ſe prodit, D & eam à morte diſcernere. Neque videtur difficile, veritatem à manifeſto mendacio ſeparare. Virtus verò lux eſt, & vita, & veritas, cùm vitium ſit tenebra, & mors, & mendacium: quare facile erit, quod vnumquodque ſit, intellectu animaduertere. Ad cuius confirmationem Proſper hæc, ait: Quæ-

Proſper. lib. 3. de vita con temp. c.1. ritis quantum à veris virtutibus virturum ſimilitudi- A
nes diſtent? Noo dico quantum à medicamento venenum: quia medicamentum ita corpus aliquoties ſanat, vt id defeodere à mortis neceſſitate non valeat. Et veoenum non auferri facit vitam corpori, quaſi auferenda non eſſet, niſi fuiſſet acceptum: ſed accelerat corporis mortem, quod erat aliquanto diutiùs fortè victurum. Sed planè dico à veris virtutibus tantum ſimilitudioes diſtare virtutum, quantum diſtat à veritate mendacium: quia & ſimilitudo virtutis, quæ videtor virtus eſſe, cùm virtus non ſit, nihil eſt aliud, quàm mendacium, & ideo non eſt virtus diceoda ſed vitium. Et vera virtus eſt veritas, cui qui amanter adhæſerit, à peccati morte reſuſcitatus, mori vltrà non poterit, niſi cùm ab ea depravata voluntate receſſerit. Sicut è contrario virtutis ſimulatio, B
quæ eſt, vt dixi, mendacium veritati contrarium, aoimam ſeparat à Deo vita ſua non interituram, ſed in ſupplicio, quæ eſt illius mors, pœnaliter ſine fine victuram.] Sic ille. At ex alia parte, ſi rem intimiùs conſideremus, & ſi verba Proſperi attendamus, ex ipſis compertum erit, virtutis notionem admodum eſſe difficilem, ac proinde eam eſſe magna attentione conſiderandam. Licèt enim virtus ſit veritas, vitium verò mendacium, tamen aliqua mendacia, probabiliora veris, & aliqua dubia, credibiliora rebus certis, quæ ſe pro veris & certis venditant, & veri ac certi operimento ſe veſtiunt. Et eo ipſo quòd vitium vocatur ſimilitudo virtutis, apparet quàm difficile erit, veritatem virtutis agnoſcere, & eius ſimilitudinem & imaginem, quæ ad decipiendum venit, repellere ac C
reprobare. Vitrum viride, e minus poſitum, ob ſimilitudinem ſmaragdum videtur, & vitrum rubrum pro pyropo ab ignorantibus accipitur: & ſic vitium, quia aliquando colorem virtutis induit, pro ipſa virtute, niſi bene examinetur, in hoſpitium mentis habitator excipitur. Irenæ.præfat.s.hæref. Cùm commixtum fuerit æramentum argento, inquit Irenæus, quis facilè poterit, rudis cùm ſit, hoc probare?] Sic quia ſæpe mixta ſunt vitia virtutibus, & in eadem actione quidpiam inuenitur, quod virtutis eſt, & aliud quid, quod à vitio ſubdolè adulteratum eſt, quis ſine magna conſideratione, ac ſioe luce Dei, poterit vnum ab alio diſtioguere? Liceat ergo nobis ad hanc rem ſimilitudinem quandam Origenis accommodare: Origen. Hom.1.in Lucam. vt ſicut in lege veteri erant Prophetæ, qui vera prædicebant; & pſeudoprophetæ, qui falſa nuntiabant, & ſicut nunc in lege gratiæ ſunt doctores, qui populo vera proponunt: & D
hæretici qui cerebri à diabolo decepti deliramenta diuendunt: ita intelligamus eſſe virtutes veras & virtutes falſas, quæ vitia vera cùm ſint, eo difficiliùs cognoſcuntur, quo diſſimulantiùs virtutum veſtibus occultantur.

Multa igitur ſunt, quæ notionem virtutis reddunt difficilem: Nam virtus intus in animo reſidet, quam nec oculi carnales vident, neque aures audiunt, nec ſenſus alij percipiunt. Et licèt aliquæ virtutis externæ actiones ſenſibus pateant, tamen pulcherrimum & pretioſiſſimum eius, quod in intimo puriſſimæ intentionis latet, nullo modo ad plenitudinem manifeſtant. Ea quoque, quibus non aſſueuimus, obſcura & difficilia nobis ſunt, & ob ruditatem & negligen- E
tiam noſtram, ſenſibilia habemus ſatis familiaria, ſpiritualia verò raro, & quaſi aliud agentes, à longè ſalutamus. Accedit ad hoc vitiorum doloſitas, quæ ſe, vt cœpimus dicere, virtutes ſimulant, vt ignorantes decipiant. Iudic 12. Ephratæi, in libro Iudicum, ſe Galaaditas ſimulabant, vt mortem effugerent: ſic in corde noſtro, ſuperfluitas vocatur neceſſitas: profuſio, largitas: ambitio, magnanimitas; & vitium, virtus fingitur, ne

A inter virtutis cupidos funditus pereat. Et ſicut Iudæi [miſerunt ad Dominum inſidiatores, qui ſe iuſtos ſimularent, vt caperent eum in ſermone:] ſic dæmo- Luca 20. 20.
nes mittunt ad membra Chriſti, vitia ſub operimento virtutis, vt nimirum iuſtos capiant, & in carcerem impietatis coniiciant. Venena, inquit Hieronymus, Hieron. epiſt.7. ad Lat. c.4. non dantur, niſi melle circumlita, & vitia non decipiunt, niſi ſub ſpecie, vmbráque virtutum. Et Gregorius Prælatum admonens, fuſiùs id explicat in hunc modum: Greg.2.p. Paſtor. c. 9. Scire rector debet, quòd plerumque vitia, virtutes ſe eſſe mentiuntur: Nam ſæpe ſub parcimoniæ oomine ſe tenacia palliat, contráque ſe effuſio ſub appellatione largitatis occultat. Sæpe inordinata remiſſio, pietas creditur, & effrænata ira, ſpiritalis zeli virtus æſtimatur. Sæpe præcipitata
B actio, velocitatis efficacia; atque agendi tarditas, grauitatis conſilium putatur. Vnde neceſſe eſt, vt rector animarum, virtutes ac vitia vigilanti cura diſcernat, ne aut cor tenacia occupet, & parcum ſe videri in diſpenſationibus exultet, aut cùm effuſè quid impenditur, largum ſe quaſi miſerando glorietur: aut remittendo quod ferire debuit, ad æterna ſupplicia ſubditos pertrahat, aut immaniter feriendo quod delinquitur, ipſe grauiùs delinquat: aut hoc quod agi rectè ac grauiter potuit, immaturè præueniens leuiget, aut bonæ actionis meritum differendo, ad deteriora permutet.] Hæc Gregorius. Si autem inimicos viſibiles, cùm ſe amicos ſimulant, vix cognoſcimus, & permultos dies ab ipſis decipimur: quid mirum ſi inimicos inuiſibiles & calidiſſimos difficilè cognoſcamus? C

Ad hoc ipſum pertinet, quòd ſæpe ſunt prorſus ſimiles exteriùs actiones virtutum atque vitiorum, & interiùs latet intentio, quæ illas inter ſe diſcernat. Et quia, vt dixit Ieremias, prauum eſt cor omnium & inſcrutabile,] multoties ipſe homo operans, ſuum cor Ierem. 17.9.
ignorat, & dum ex bona intentione operari ſe credit, præpoſtera intentio in latebris ſedens, actionem hominis turpat & vitiat. Fitque plerumque, vt vitium in ſe validum & robuſtum ſentiat, qui ſe virtutem auxiſſe putabat. Exemplo ſit hoc manifeſtum. Si corpus tuum ex deteſtatione peccatorum, & ex deſiderio imitationis Chriſti duriter tractes, actio virtutis eſt; ſi ex deſiderio laudis humanæ caſtiges, actio vitij eſt. Sed ô quoties intentio te fefellit! O quoties caſtigationi corporis, vt ex virtute vitium fieret, ſe laudis humanæ deſiderium inſeruit! O quoties cùm
D ſolus es, & à conſpectibus hominum ſequeſtratus, auſteritatem deponis, ex quo, niſi cæcutias, facilè poteris cognoſcere, te in multis operibus humanam laudem voluiſſe piſcari! Eſt qui faciat eleemoſynam Matt.16.
ex pietatis affectu, & eſt qui faciat ex humanæ laudis deſiderio, vt videatur ab hominibus: eſt qui orat ex religione, vt Deum colat, & qui ex hypocriſi, vt deuotus appareat. Ecce duas eleemoſynas & duas orationes externa ſpecie ſimiles, quarum alteram virtus genuit, alteram verò vitium parturiuit. Quis non intelligat, facilè eum qui virtutem inſequitur, poſſe decipi, & in ſcopulos vitiorum illidi? Petrus ſanè Chryſologus Petr. Chryſol. tantam aliquando inter fraternam charitatem, & ambitionem, aſpexit ſimilitudinem, vt hanc
E illius ſimiam vocare non dubitauerit: Ambitio, inquit, eſt quædam ſimia charitatis; Charitas enim patiens eſt pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis: charitas benigna eſt pauperibus, ambitio diuitibus. Charitas omnia ſuffert pro veritate, ambitio pro vanitate: vtraque omnia credit, omnia ſperat, ſed longè diſſimili modo.] Ex hac autem actionum ſimilitudine externa ortum habet, vt vitiis implicati, ſe ſtudioſos & virtutis amatores videri velint. Et, vt ait

Proſper:

Proſp. lib. 3. de vita contempl. c. 1.

A Proſper: Superbus vult ſe credi conſtantem; prodigus, liberalem; auarus, diligentem; temerarius, fortem; inhumanus, parcum; guloſus, humanum; ignauus, quietum; timidus, cautum. Impudentia, fiduciæ ſibi nomen adſcribit: procacitas appellationem libertatis oſtendit: eloquentiam fingit verboſitas, & curioſitatis malum ſub ſtudij ſpiritualis colore delitescit.] Sic ille. Habemus autem ad hoc appoſitiſſimum ſacrarum ſcripturarum exemplum: Abſalom

2. Reg. 15. 2.

enim ſtans iuxta introitum portæ] ciuitatis, litigantes ad iudicium venientes, ſéque ſalutantes reſalutabat, & oſculabatur eos: auditiſque eorum negotiis exclamabat: Videntur mihi ſermones veſtri boni & iuſti; ſed non eſt, qui vos audiat, conſtitutus à rege.] Quis hîc principis affabilitatem & amorem iuſtitiæ non miretur? Quis non eum virtutis amatorem putaret,

B quem in tanta maieſtate benignitas in pauperes afficiebat, & amor iuſtitiæ ad compaſſionem excitabat? At iſtæ exteriores actiones, quæ videbantur affabilitatis & æquitatis partus, re vera non erant niſi iniuſtitiæ & ambitionis effectus. Et appetitus dominandi, & voluntas regnum à iuſto poſſeſſore quin & à patre rapiendi, ſermones iſtos affabiles, & iuſtitiæ expreſſiuos ex ore ſuperbiſſimi adoleſcentis extorſit.

ibid. n. 6.

Denique faciebat hoc omni Iſrael venienti ad iudicium, & ſolicitabat corda filiorum Iſrael.] Vide quàm ſoleant eſſe virtutum & vitiorum actiones ſimiles, quas non aliquod externum ſignum ſeparat, ſed ſola voluntas interna diſtinguit.

C Hæc autem vitia, quæ virtutes apparent, & cùm excidium animæ ſint, quaſi animæ munimentum ſe ingerunt, ſoliciciori cura fugienda ſunt, quàm illa, quæ palam & ſine vllo fuco virtutes impugnant. Hoſtis enim manifeſtus faciliùs cadit, quàm occultus, & qui ex inſidiis emergit. Vitium autem ſuam teterram faciem oſtentans, hoſtis eſt manifeſtus, quem ſpiritualis vir cum indignatione repellit: ſed vitium virtutis operimento velatum, niſi attentus ſit animus, non eludetur, ſed eludet. Pernicioſiora, inquit Caſſianus,

Caſſi. col. 4. c. 20.

& à remedio longinquiora ſunt vitia, quæ ſub ſpecie virtutum & imagine ſpiritualium rerum videntur emergere, quàm illa, quæ ex aperto pro carnali voluptate gignuntur. Hæc enim velut palam expoſiti, ac manifeſti languores, & arguuntur cominus, & ſanantur: illa verò, dum ſub prætextu virtutum teguntur,

D incurata perdurant, & deceptos quoſque pericloſiùs faciunt ac deſperatiùs ægrotare.] Ex his manifeſtum eſt, cognitionem virtutis eſſe difficilem, maximùmque animæ detrimentum eſſe, ſi vitium eſſe virtutem cogitemus, & illud pro iſta ſumamus. Quare hæc ſit prima cura volentis in virtute proficere, eam clarè apertéque cognoſcere, & diligentiſſima diſquiſitione à vitiis ſeparare. Cui labori non leuem profectò mercedem promittit Dominus,

Ierem. 15. 19.

per Ieremiam dicens: Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.] Nihil enim eſt vitio vilius, nihil virtute pretioſius. Qui igitur hæc ſeparauerit, & vitium odio, virtutem verò amore dignam

E prædicauerit, is ſe ori Domini ſimilé faciet. Nam ſicut Dominus ore ſuo iuſtos approbat, & iniquos reprobat, ita & hic virtutem à vitio diſcernens, bonum laudat, viniúmque condemnat. Quòd ſi in otio virtutis, primum inſtrumentum acquirendæ virtutis eſt, noſtri inſtituti putamus, breuem aliquam ſingularum virtutum cognitionem tradere, qua lector, quid quæque virtus ſit, & quas actiones habeat, patenter intelligat. Et hoc ipſum eſt, modum ac rationem huius inſtrumenti exercendi tradere, virtutum naturas breuiter dilucidéque tractare.

A *De multiplici Virtute Theologica, & Morali, infuſa, & acquiſita: Ac de variis ipſarum gradibus.*

CAPVT II.

MVLTIPLEX eſt apud Theologos partitio virtutis, à noſtro inſtituto prorſus aliena, ideóque à nobis omittenda; & duplex tantùm, quæ ad hoc opus attinet, explicanda. Eſt ergo prima partitio virtutis, qua diuiditur in Theologicam & Moralem. Virtus Theologica eſt, quæ (vt ſcholæ more loquamur) Deum habet pro immediato obiecto.

B Vel eſt illa, quæ primò & per ſe reſpicit Deum, &, ſi alia reſpicit, eſt tantùm in ordine ad Deum, & quatenus induunt aliquam (vt ita dicam) rationem Dei. Talis, exempli gratia, eſt Fides, quæ credit Deum ipſum primò atque immediatè, & credit Deo dicenti: &, ſi alia credit, eſt quia reuelata à Deo, & in ordine ad cognoſcendum Deum, & ſeruiendum Deo. Virtus Moralis eſt, cuius obiectum eſt aliquid creatum, ad honeſtam vitam traducendam pertinens. Vt iuſtitia verſatur circa ius, quod vnicuique tribuendum eſt; religio circa cultum Dei, & ſic de reliquis.

Virtutes Theologicæ ſunt tres, Fides, Spes, Charitas. Fides reſpicit Deum, vt veracem: ſpes reſpicit Deum, vt beatitudinem à nobis obtinendam: charitas reſpicit Deum, tanquam ſummum bonum propter

C ſe diligibile. De his inquit Apoſtolus: Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.] Et Auguſtinus: Tria hæc ſunt, quibus & ſcientia omnis & prophetia militat; fides, ſpes, charitas.] Et Bernardus: Sed ſciendum eſt, quòd quædam ſummæ virtutes ſunt, ſpes, fides, charitas. Nam à quibus habentur, vtique veraciter habentur. Et tandem Gregorius tribus filiabus Iob putat has virtutes fuiſſe ſignatas. Sic enim ait: Septem filij nobis naſcuntur, cùm per conceptionem bonæ cogitationis, Sancti Spiritus ſeptem in nobis virtutes oriuntur. Hanc namque internam prolem Propheta dinumerat, cùm ſpiritus mentem fœcundat, dicens: Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini,

1. Cor. 13. 13.
Aug. 2. de doct. chriſt. ca. 37.
Bern. de ordine vitæ.
Greg. 1. mor. c. 18.
Iſaia 11. 2. 3.

D ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis; ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.] Cùm ergo per aduentum Spiritus ſancti, ſapientia, intellectus, conſilium, fortitudo, ſcientia, pietas, ac timor Domini in animo vnicuique noſtrum gignitur: quaſi manſura poſteritas in mente propagatur, quæ ſupernæ noſtræ nobilitatis genus eo ad vitam longiùs ſeruat, quo amori æternitatis ſociat. Sed habent in nobis ſeptem filij, tres procul dubio ſorores ſuas, quia quidquid virile hi virtutum ſenſus faciunt, ſpei, fidei, charitatíque coniungunt.] Sic ille.

Virtutes Morales præcipuæ ſunt quatuor; Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia. Hæ vocantur

E cardinales, id eſt, principales: quoniam inter omnes virtutes, ad humanam vitæ honeſtatem pertinentes, præcipuum locum habent: ſuntque velut cardines, in quibus honeſtas omnis noſtra reuoluitur. Has ſcriptura ſacra fœtus vocat diuinæ ſapientiæ: Sobrietatem, inquit, & prudentiam docet, & iuſtitiam & virtutem, id eſt, fortitudinem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. Et ſecundùm Gregorium, in quatuor angulis domus ſancti Iob, & in quatuor fluuiis Paradiſi, figuratæ ſunt. In quatuor, inquit, angulis domus iſta conſiſtit: quia nimirum ſolidum mentis noſtræ ædificium, prudentia, tempe-

Sapien. 8. 7.
Greg. 2. mor. c. 27.

rantia, fortitudo, iuſtitia ſuſtinet. In quatuor ergo angulis domus iſta ſubſiſtit, quia in his quatuor virtutibus tota boni operis ſtructura conſurgit. Vnde & quatuor Paradiſi flumina terram irrigant; quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni deſideriorum carnalium æſtu temperatur.] Ad idem pertinet quod ait Ambroſius, has eaſdem virtutes quatuor capitibus ſiue initiis horum fluuiorum deſignati. *Ambr. li. de parad. c. 3.* Ex hac, inquit, anima, quæ culta eſt, non ex ea quæ inculta, fons iſte procedit, vt irriget Paradiſum, hoc eſt quædam diuerſarum fruteta virtutum, quarum ſunt quatuor initia, in quæ ſapientia iſta diuiditur. Quæ ſunt quatuor initia virtutum, niſi vnum prudentiæ, aliud temperantiæ, tertium fortitudinis, quartum iuſtitiæ? Quæ etiam ſapientes huius mundi ex noſtris aſſumpta, in ſuorum ſcripta librorum tranſtulerunt.] Hæc ille. Qui & poſtea latiſſimè & eloquentiſſimè qualitates illorum quatuor fluminum ad virtutes applicat, & quæ quoque ſignificetur, aptè deſignat. Lyranus etiam per illa quatuor deambulatoria inter columnas cedrinas, quæ fecit Salomon in domo ſaltus Libani, *3. Reg. 7. 2.* eaſdem quatuor virtutes per tropologiam ſignatas eſſe autumat: in his enim verus Salomon, Chriſtus, deambulat, & apud iuſtas animas lætitiam captat. Illuminatiſſimus tandem Ioannes Rubrochius quatuor altaris cornibus, & quatuor coloribus Tentorij, quod erat in Tabernaculo fœderis, dicit quatuor has virtutes ſignificari. *Rusbro. com. in taber. fœderis c. 7.* De primo ſic ait: Iſthæc cornua quatuor, haud abſurdè quatuor deſignant virtutes cardinales, vt pote quòd vnitati noſtræ ſingularem quendam conferunt ornatum ac decorem, dum per eas, & foris virtutum actionibus incumbimus, eædémque introrſum nos, ceu cardines, mouent, & robur ac firmitatem præſtant inſuperabilem, vbi per eas intro nos recipimus, ac poſſidemus cordis vnitatem. De ſecundo verò ſic ait: *Ibid. c. 5.* In introitu verò atrij, id eſt, vitæ virtutibus deditæ, ſeu virtutum ſtudioſæ, tentorium hoc, vel cortina viginti cubitorum in longitudine, & quinque in altitudine, ex hyacintho fuit, & purpura, coccóq; bis tincto, & byſſo retorta opere plumarij: vbi cùm ſint quatuor colorum genera, quatuor nobis referunt virtutes principales, in quibus moralis omnis conſiſtit exercitatio. Per hyacinthum, cuius eſt color inſtar violæ, ſeu cœli ſereni, diſcretionis ſeu moderationis virtutem accipimus: quæ vim exornat rationalem, edocétque diſtinctè in omnibus hominem, vti ea aut agenda ſint aut omittenda. Per purpuram, quę eſt coloris rubri, concharum ſanguine tincta, fortitudinis eſt expreſſa virtus in vi iraſcibili, vt pote quæ proprium naturæ extinguit ac ſuperat ſanguinem, dum ſeſe exercet homo, non pro naturæ appetitione, vt affectu, vel propenſione, ſed rationis, ſeu diſcretionis, ac moderationis ſuaſu, conſilióque: in qua obluctatione mores eius proprio illius ſanguine tinguntur, & exornantur. Coccus autem bis tinctus, qui itidem eſt coloris rubicundi, ex vermiculorum ſanguine confecti, condolentiæ, ſeu compaſſionis, ac commiſerationis virtutem ſignificat, quam geminam ſeu duplicem eſſe oportet, eo quòd vim implere habeat concupiſcibilem, quo vnuſquiſlibet ex vera condolentia & ſui ipſius miſereat & cuiuſlibet cæterorum, ſitque, ac præſtet tũ aliis quidquid poteſt, & ratio dictat; tum etiam ſibi ipſi in eodẽ amoris gradu. Sic planè æquum eſſet, noſtra nos ex commiſeratione ſeu compaſſione diſpertire, ſeu diſſecare, atque conterere, ſeu lacerare corda, ac proprio inficere & tingere cruore, id eſt, vſque adeò & nobis ipſis & proximis virtutes & vitam cupere, atque ardenter optare, ac deſiderare rectè inſtitutam, ac bene compoſitam, ac ordinatam, vt vbi diuerſum ſeu cõtrarium perciperemus, ipſe adeò ſanguis noſter non alteraretur modò, ſed etiã imminueretur. Deniq; byſſus retorta, quæ eſt inſtar niuis, candidi nitidíq; coloris, ſynceram ac minimè fictam deſignat innocẽtiam, id eſt, internam cordis puritatem, & externam ſenſuum, cunctarúmque actionum, vel operum munditiem atq; candorem.] Hactenus ille.

Secunda partitio virtutis eſt, qua eam diſtribuimus in virtutem infuſam & virtutem acquiſitam. Virtus infuſa eſt, quę cùm ſit ſupra naturam noſtram, per actus noſtros non efficitur, ſed ex Dei dono & per eius infuſionem habetur. Virtus verò acquiſita eſt, quæ cùm reſpiciat finem conſentaneum humanæ rationi, & nihil amplius, ſtudioſis actibus à nobis elicitis generatur. Hanc ſolùm cognouerunt Philoſophi, illam verò, quæ propria eſt fidelium, Theologi à Deo docti & illuminati tradiderunt.

Virtutes infuſæ præcipuæ ſunt tres illæ, quas Theologicas diximus, qui nos Deo, non ſolùm vt authori naturæ, ſed vt rerum ſupernaturalium authori coniungunt. Sunt etiam omnes virtutes morales, quas Deus, vltra habitus virtutum moralium acquiſitos, nobis donat, vt pediſſequas charitatis, quibus anima decenter ornatur, & ad omnia munia ſpiritualis vitæ habilis redditur. Vnde in iuſtis qui ſe in virtutibus exercuerunt, duplex eſt virtus iuſtitiæ, altera infuſa, altera acquiſita; & quod de iuſtitia dicimus, de aliis omnibus virtutibus moralibus dictum intelligamus. Has autem virtutes morales infuſas, præter acquiſitas, eſſe admittendas, Theologi ex ſcripturis & patribus veriſimiliter colligunt. Paulus enim Galatis ſcribens, de Deo ait: Qui tribuit vobis ſpiritum, & operatur virtutes in vobis:] *Galat. 3. 5.* quod licèt de virtutibus miraculorum dictum ſit, non incongruè de moralibus virtutibus intelligitur. Et ad Coloſſenſes: Non ceſſamus orare pro vobis, vt ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei in omni virtute.] *Coloſſ. 1. 9.10.11.* Et in libro Sapientiæ: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.] *Sapien. 7. 11.* Hæc & alia ſimilia, non ineptè ad virtutes infuſas accommodata ſunt. Ad idem adducitur Ambroſius, qui ait: *Ambr. 6. exam. ca. 7.* Tibi ergo attende, & teipſum ſcito, hoc eſt, non quales lacertos habeas, non quantam corporis fortitudinem, non quantas poſſeſſiones, quantam potentiam, ſed qualem animam ac mentem, vnde omnia conſilia proficiſcuntur, ad quam operum tuorum fructus refertur. Illa eſt enim plena ſapientiæ, plena pietatis atque iuſtitiæ, quoniam omnis virtus à Deo eſt. Cui dicit Deus: Ecce ego Ieruſalem pinxi muros tuos. illa anima à Deo pingitur, quæ habet in ſe virtutum gratiam renitentem, ſplendorémque pietatis. Illa anima bene picta eſt, in qua elucet diuinæ operationis effigies. Illa anima bene picta eſt, in qua eſt ſplendor gloriæ, & paternæ imago ſubſtantiæ. Hieronymus quoq; dum præfatur ad lamentationes Ieremiæ, ait: *Hier. præfat. in Threnos.* Hæc lamentatio, quam nos deflemus, tanto illa durior & amarior eſſe probatur, quanto veriùs cuncta hæc & euidentiùs in fideli anima, quàm intra illius templi parietes erãt. Hoc ſanctius multo fuit, quod in ea erat templum. Non enim auri & argenti metallo, ſed virtutibus animi radiabat. Habebat enim arcam intra ſe & duo Cherubim, id eſt, fidẽ Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ſitam. Sed nunc nihil eorũ apparet. Ablata ſunt hæc cuncta, nudata eſt domus Dei omnibus ornamentis ſuis, cunctiſque quæ diuinitus conſequuta fuerat, ſpoliata muneribus. Et Gregorius inquit de Spiritu ſancto: *Gregor. Hom. 1. in Ezechiel.* In ſanctorũ cordibus iuxta quaſdam virtutes ſemper permanet, iuxta quaſdam verò receſſurus venit, & venturus recedit. His teſtimoniis

ac præcipuè vnanimi ſcholaſticorum Theologorum conſenſu & ratione, quam ſtatim dicemus, ſtabilitur virtutum moralium infuſarum authoritas.

Virtutes acquiſitæ ſunt quatuor iam dictæ, quas cardinales vocauimus, & aliæ quas infrà vt eis annexas referemus, quatenus actionibus noſtris acquiruntur. Diſtinctionem autem virtutum infuſarum & acquiſitarum, vt iuſtitiæ infuſæ, & acquiſitæ, & ſimul rationem, virtutes infuſas ſtatuentem, accipe, quæ ea Thoma Aquinate maniſeſtè colligitur. Nam fidelis homo ciuis eſt duarum ciuitatum, & ad duas reſpublicas pertinet, nimirum ad humanam ciuitatem, quatenus eſt homo rationis capax, qui recta ratione regitur, & ad ciuitatem cœleſtem, quatenus eſt pars Eccleſiæ, ciuis ſanctorum, & domeſticus Dei, qui diuinis legibus gubernatur. Ob duos ergo fines præcipuos poteſt quamlibet actionem virtutis præſtare: aut propter finem reipublicæ humanæ, qui non eſt alius quàm conformitas ad rationis regulam, & virtutis honeſtas: aut propter finem reipublicæ ſpiritualis, ordinatæ ad ſupernaturalem fœlicitatem, qui eſt conformitas ad leges ſupernaturales, & diuinas, & honeſtas, quæ elucet in facienda voluntate Dei. Actiones autem, quæ diuerſos fines reſpiciunt, diuerſæ ſunt ſecundum naturam ſuam, & finibus ſuis proportionatæ, & conuenientes ſibi habitus depoſcentes, ea quibus oriantur. Vnde cùm abſtinere à cibis, quod eſt temperantiæ: aut pericula tolerare, quod eſt fortitudinis: aut ius vnicuique tribuere, quod eſt iuſtitiæ: aut medium in omnibus quærere, quod eſt prudentiæ: fieri poſſit, vt conueniens vitæ rationali, vel vt conueniens vitæ ſpirituali: vt ordinatum ad honeſtatem virtutis, vel vt ad fœlicitatem æternam aſſequendam: infertur, duas eſſe actiones abſtinentiæ, aut cuiuſcumque moralis virtutis, ſimiles quidem ſubſtantia, ſed diſſimiles fine, duóque principia depoſcere, quorum alterum operatur propter humanam honeſtatem, & conſtituit virtutem acquiſitam, quam actus noſtræ naturæ congruentes generabunt: alterum verò operatur propter honeſtatem ſupra naturam, & conſtituit virtutem infuſam, quam non induſtria noſtra gignit, ſed Deus in nobis ſine nobis infundit. Hæc ſatis ſunt ad declarandum in generali naturam virtutum infuſarum & acquiſitarum, quæ eaſdem habent actiones, ſi ſubſtantiam actuum conſideremus, diſtinctos tamen fines, quorum cauſa magnum inter ſe diſcrimen admittunt. Nec iſta cognoſcere, ſpirituali viro eſt inutile, immò maximè neceſſarium, tum vt naturas virtutum intelligat, tum vt in operibus ſtudioſis præſtantiſſimum finem quærat, & ſic amplius in omni perfectione proficiat. Alias autem ſubtilitates, ad generationem virtutum pertinentes, meritò reticemus, quia ad honeſtam & ſpiritualem vitam traducendam, & ad ipſas virtutes comparandas, minimè neceſſarias reputamus.

D.Tho. 1.2.q.63. art.4.

Iam ad gradus virtutis explicandos veniendum eſt; Et quidem virtus generaliter ſumpta, quatuor gradibus comprehenditur. Primus eſt, quo operibus ſtudioſis inſiſtimus propter virtutis pulchritudinem & honeſtatem. Et hoc gradu continentur omnes virtutes morales acquiſitæ, quibus antiqui Philoſophi ſtuduerunt. Secundus eſt, quo operamur bonum propter Deum, finem noſtrum ſupernaturaliter cognitum. Atque in iſto gradu ſunt omnes virtutes morales infuſæ, quæ in præſtantiorem finem tendunt, & ſunt propriæ fidelium & iuſtorum, quibus lux ſupernaturalis affulſit. Tertius eſt, quo operamur bonum, non ſolùm propter Deum, ſed etiam circa Deum, quem actibus virtutis attingimus. Ad hunc autem gradum pertinēt virtutes Theologicæ, quibus Deum & ſupernaturalia credimus: Deum æternáque ſperamus: Deum, & nos, ac proximos, propter Deum ipſum, diligimus. Quartus eſt, quo officia virtutis obimus, non tantùm propter Deum, ſed modo quodam diuino, quem iuſti & maximè perfecti nonnunquam experiuntur. Et ad hunc gradum ſpectant omnes virtutes infuſæ, tam Theologicæ quàm morales, vt ſeptem ſpiritus ſancti donis adiutæ, de quibus donis alio loco, nempe dum de contemplatione, Deo votis noſtris annuente, agemus, vberiùs diſputabimus.

Hi ſunt gradus, quibus omnis virtus comprehenditur. At in quacumque virtute ſpeciali gradus aſſignare difficillimum eſt: quod agnouit & teſtatus eſt Gregorius, ſic ſcribens: Hos autem virtutum gradus, non magni laboris eſt, prendere, cùm ab vna ad alteram tranſitur. Sed ſubtiliſſima diſputatione res indiget, cùm mens penſare nititur in vna eadémque virtute, quibus profectus ſui gradibus eleuetur. Vt enim prima elementa virtutum, fidem ſcilicet & ſapientiam, loquar, obtineri ſingula perfectè nequeunt, niſi ad hæc diſtinctis ordinatiſque modis, quaſi quibuſdam gradibus, aſcendamus. Ipſa enim fides, quæ ad bona alia capeſſenda nos imbuit, plerumque in exordiis ſuis, & nutat, & ſolida eſt, & iam certiſſimè habetur; & tamen de eius fiducia adhuc ſub dubitatione trepidatur. Pars namque eius priùs accipitur, vt in nobis poſtmodum perfectè compleatur. Si enim certo gradu in credentis mente non proficeret, requiſitus in Euangelio pater ſanandi pueri, non dixiſſet: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.] Adhuc ergo aſcendebat ad fidem, quam iam perceperat, qui vno eodémque tempore clamabat, ſe & iam credere, & adhuc ex incredulitate dubitare. Hinc eſt etiam quod Redemptori noſtro à diſcipulis dicitur: Auge nobis fidem:] vt quæ iam accepta per initium fuerat, quaſi per augmenta graduum ad perfectionem veniret. Ipſa quoque ſapientia, quæ eſſe bonorum operum ſolet magiſtra, anhelanti menti per incrementa tribuitur: vt ad eam procul dubio magni moderaminis gradibus aſcendatur.

At licèt hoc ita ſit, quòd non eſt facile in vnaquaque virtute gradus inuenire: Sed tentabimus, aliorum veſtigiis inhærentes, tribus modis gradus cuiuſque virtutis aſſignare. Primus modus conſideratur ex incremento perfectionis, quod bonus actus poteſt ſuſcipere, & ſic tres ſunt gradus in qualibet virtute. Primus eſt, cùm actiones virtutis, verbi gratia, manſuetudinis, tempore tranquillitatis vtcumque præſtamus. Secundus eſt, vt cùm tentationibus & moleſtiis impediri, eas toleramus, & fortiter reſiſtentes in cœpta virtute perſiſtimus. Tertius eſt, cùm tentationis & laboris tempore, non ſolùm perſeuerantèr, ſed etiam delectabiliter virtutis actiones exercemus.

Secundus modus conſideratur ex variis ſtatibus vitæ ſpiritualis & gradibus ſpiritualium virorum. Secundùm quam conſiderationem tres ſunt etiam gradus cuiuſque virtutis. Primus eſt, initium virtutis, quod reperitur in incipientibus. Et in hoc gradu virtus cum difficultate operatur, aliquando ſaltem in leuibus à contrario proſternitur, & magis actibus exterioribus, quàm interioribus paſcitur. Secundus eſt profectus virtutis, & reſidet in proficientibus. In quo gradu virtus faciliùs procedit, vehemen-

tiùs,

A tiùs & frequentiùs reſiſtit, & ex exterioribus ad interiora conſurgit. Tertius eſt, perfectio virtutis: qui pertinet ad perfectos. Atque in iſto gradu, virtus ſine vlla difficultate, ſaltem intrinſeca, à vitiis, aut paſſionibus inordinatis procedente operatur, nunquam (ſi ſtatum perfectionis inſpiciamus) aut leuiſſimè vincitur, & cum ſumma tranquillitate & voluptate actibus ſtudioſis diſtinetur.

Tertius modus, ad eoſdem ſtatut vel ad partes vitæ ſpiritualis, poteſt referri. Et ſic quatuor ſuos gradus cuiuſlibet virtutis, ſecundùm quos virtutes dicuntur politicæ, purgatoriæ, purgati animi, & exemplares. Quorum tres priori, in virtutibus hominum poſſunt inueniri, quartus verò ad Deum pertinet, omnium virtutum authorem. Oportet enim, vt inquit Auguſtinus, quòd anima aliquid ſequatur, ad

Aug. lib. de moribus Eccl. c. 6. To. 1.

B hoc vt ei poſſit virtus innaſci: & hoc Deus eſt, quem ſi ſequimur, bene viuimus. Vnde prouenit, vt in Deo ſint exemplaria humanarum virtutum, & hæc exemplaria, virtutes exemplares ſunt appellata. Hanc virtutum, ſeu graduum cuiuſcumque virtutis partitionem, Plotinus Philoſophus Platonicus ex doctrina Platonis latiſſimè diſſeruit, & Macrobius elegantiſſimè in compendium redegit: & Diuus Thomas Aquinas ſubtiliſſimè & veriſſimè declarauit. Sed iucundum erit, hos virtutis gradus verbis Macrobij explicatos audire. Ille ſic ait: Quatuor ſunt quaternarum genera virtutum. Ex his primæ politicæ vocantur, ſecundæ purgatoriæ, tertiæ animi iam purgati, quartæ exemplares. Et ſunt politicæ, hominis, quia ſociale animal eſt. His boni viri reipublicæ conſuluot, vrbes tuentur: his parentes venerantur; liberos

Ploti. Enneade 1. lib. 2. ar. c. 3. Macrob. li. in ſomnium Scipion. c. 8. D. Tho. 12. q. 61. art 5.

C amant, proximos diligunt: his ciuium ſalutem gubernant: his ſocios circumſpecta prouidentia protegunt, iuſta liberalitate deuinciunt: *hiſque ſui memores alios fecêre merendo.* Et eſt politicæ prudentiæ, ad rationis normam, quæ cogitat, quæque agit, vniuerſa dirigere, ac nihil præter rectum velle vel facere, humaniſque actibus, tanquam diuinis arbitris, prouidere. Prudentiæ inſunt ratio, intellectus, circumſpectio, prouidentia, docilitas, cautio. Fortitudinis eſt, animum ſupra periculi metum agere, nihilque, niſi turpia, timere: tolerare fortiter vel aduerſa vel proſpera. Fortitudo præſtat magnanimitatem, fiduciam, ſecuritatem, magnificentiam, conſtantiam, tolerantiam, firmitatem. Temperantiæ, nihil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere,

D ſub iugum rationis cupiditatem domare. Temperantiam ſequuntur, modeſtia, verecundia, abſtinentia, caſtitas, honeſtas, moderatio, parcitas, ſobrietas, pudicitia. Iuſtitiæ, ſeruare vnicuique quod ſuum eſt. De iuſtitia veniunt, innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas. His virtutibus, vir bonus primùm ſui, atque inde reipublicæ, rector efficitur, iuſtè ac prouidè gubernans humana, diuina non deſerens. Secundæ, quas purgatorias vocant, hominis ſunt, qui diuini capax eſt, ſolùmque animum eius expediunt, qui decreuit ſe à corporis cõtagione purgare; & quadam humanorum fuga ſolis ſe inſerere diuinis.

E Hæ ſunt otioſorum (id eſt contemplatiuorum) qui à rerum publicarum actibus ſe ſequeſtrant. Quod, quando non inſtat neceſſitas, vitioſum non eſt.

Aug. 19. de ciuit. c. 19.

Otium enim ſanctum quærit charitas veritatis, inquit Auguſtinus, negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis.] Harum quid ſingulæ velint, ſuperiùs expreſſimus, cùm de virtutibus philoſophantium diceremus, quas ſolas quidam exiſtimauerunt eſſe virtutes. Tertiæ ſunt purgati iam defæcatique animi, & ab omni mundi huius aſpergi-

A ne preſsè puréque detersi. Illic prudentiæ eſt, diuina non quaſi in electione præferre, ſed ſola noſſe: & hæc, tanquam nihil ſit aliud, intueri. Temperantiæ, terrenas cupiditates non reprimere, ſed penitus obliuiſci, (quoad inordinatos ſcilicet motus.) Fortitudinis, paſſiones ignorare, non vincere, vt neſciat iraſci, cupiat nihil. Iuſtitiæ, ita cum ſuperna & diuina mente ſociari, vt ſeruet perpetuum cum ea fœdus, imitando. Quartæ, exemplares ſunt, quæ in ipſa diuina mente conſiſtunt, quam diximus νοῦν vocari: à quarum exemplo reliquæ omnes per ordinem defluunt. Nam ſi rerum aliarum, multo magis virtutum ideas eſſe in mente, credendum eſt. Illic prudentia eſt, mens ipſa diuina: Temperantia, quòd in ſe perpetua inten-

B tione conuerſa eſt: Fortitudo; quòd ſemper idem eſt, nec aliquando mutatur: Iuſtitia, quòd perenni lege à ſempiterna operis ſui continuatione non flectitur. Hæc ſunt quaternarum quatuor genera virtutum, quæ præter cætera, maximam in paſſionibus habent differentiam ſui. Paſſiones autem (vt ſcimus) vocantur, quod homines metuunt, cupiuntque, dolent, gaudéntque. Has primæ molliunt, ſecundæ, quoad vitioſitatem, auferunt, tertiæ obliuiſcuntur, in quartis nefas eſt nominari. Hæc omnia Macrobius, præter paucula quædam verba, quæ ad eius expoſitionem ipſius dictis inſerta, & virgulis concluſa, à nobis adiecta ſunt. Quæ conſultò retulimus, vt quid Philoſophia de virtutum perfectione aſſequuta fuerit, & legamus, & admiremur. Nec in ſola admiratione ſi-

C ſtendum eſt, ſed ex tota mente lætandum, quòd, quam illi Philoſophi perfectionem mente conceperunt, nunquam tamen habuerunt, in noſtris, non dico philoſophis aut ſapientibus, ſed in rudibus & idiotis, qui perfectionem ſitiunt, habeamus. Sonet Chriſtus in dictis huius ſapientis, adde illis gloriam Dei, ex virtute quæſitam, & nihil aliud de ſublimitate virtutis, quàm quod ipſe dixit ex ore Auguſtini, aut Bernardi, aut Caſſiani, poteris ſperare. Quare adducor ad credendum cum Ambroſio, quòd ſicut ſapientes huius mundi notionem quatuor cardinalium virtutum ex noſtris acceperunt, ita & gradus earum, & has virtutes purgati animi, nõ ex aliis quàm ex fideliũ ſcriptis vſurparunt.

Ambr. li. de parad. c. 3.

Habemus ergo iam ſeptem virtutes, tres Theologicas, fidem, ſpem, charitatem; & quatuor mo-

D rales, Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam. His annectuntur aliqua dona Dei & omnes aliæ virtutes, quæ vocantur partes aut comites earum, quia aliqua ratione ipſarum vim & naturam participant. Quare Gregorius poſtquam dixit per quatuor angulos domus ſancti Iob, quatuor cardinales virtutes fuiſſe ſignatas, ſubdit: Intra hos quatuor domus angulos, filij conuiuantur, quia intra arcana mentis, quæ principaliter his quatuor virtutibus ad ſummæ rectitudinis culmen erigitur, virtutes cæteræ, quaſi quædam cordis ſoboles ſe inuicem paſcunt.] Nunc igitur omnium virtutum naturas explicemus, & ad hæc ſep-

Greg. 2. mor. c. 4. 27.

E tem virtutum capita ſiue principia referamus. In qua tractatione ita procedendum erit, vt ad hoc primum inſtrumentum aſſequendæ virtutis, quod in eius cognitione poſitum eſt. ſcribendum, non nos laudatores virtutum, quod prolixum eſſet, ſed tantùm expoſitores exhibeamus. In vnaquaque autem virtute, quatuor non longè à more ſcholaſtico, proponenda ſunt. Primò, quid ipſa virtus ſit. Secundò, quæ incitamenta ad eam quærendam nos moueant. Tertiò, quas illa virtus actiones

A habeat. Quartò, quo modo erit poſtulanda. Definitio virtutis erit vtilis ad cognitionem: incitamentum triplex ad meditationem: actio multiplex ad exercitationem, & poſtulatio ad orationem. Sic in hoc primo inſtrumento habebimus, non tantùm quo virtutem cognoſcamus, ſed quo ad illam incitemur, & quo à virtutum datore deuotè & humiliter poſtulemus. Aliquando etiam, ſi Deus dederit, quàm copioſa ſeges hîc ad mentalem orationem lateat, demonſtrabimus. Illud tantùm hîc animaduertendum eſt, nos in diſpoſitione virtutum tantillum à Theologorum doctrina receſſiſſe. Nam illi fidei, vt dona quædam, & effectus illius, timorem ſeruilē & purificationem cordis annectunt; nos meditationem, contemplationem, contemptum ſæculi, & cordis purificationem
B attexuimus, quoniam niſi res fidei ruminentur, & conſiderentur, nec ad timorem ex noſtra culpa incitant, nec ad contemptum terrenorum ac cordis purificationem inuitant. Illi fiduciam ſub fortitudine ponunt, nos ſpei eam adiunximus; quoniam ex eo quòd à Deo ſummum bonum, ſcilicet vitam æternam, ſperamus, oriri videtur, vt in aliis minoribus rebus confidentes ſimus. Illi vindicationem, partem iuſtitiæ faciunt; nos prætermiſimus; quia non ſolùm quod bonum eſt, ſed quod perfectum, oculis legentium offerre contendimus, & licèt aliquando bonum ſit; de iniuria accepta, non ex affectu iuſtitiæ, ſed ad proprium malum propulſandum vindictam petere, melius tamen eſt, præcipuè in ſpiritualibus viris ſuſtinere, ignoſcere omnino, & diſſimulare. Præterea ali-
C quam vnam virtutem in varias partes diſtinximus, & plures, ſecundùm veram Theologiam natura diſtinctas, vt iuſtitiam diſtributiuam, commutatiuam, & legalem, in vnam contraximus. Id nullo modo ſtudio contradicendi factum eſt, qui nec in minimis volumus à præſtantiſſimis Theologis diſſentire; ſed quia hîc non tam ſpeculationem, quàm opus quærimus, & ad doctrinam ſanctè viuendi tradendam, quædam fuerunt preſſiùs, quædam latiùs, quædam tantiſper immutato ordine declaranda.

De Virtute Fidei.

D
CAPVT III.

FIDES, prima eſt Virtutum Theologicarum, non dignitate, ſed infuſione, quia intellectum afficit, cuius actus voluntatis actionem præcedit: & quia fundamentum eſt reliquarum virtutum ianuáque ſpiritualium bonorum, nam priùs Deo credimus, quàm ipſum amemus, & per legis obſeruantiam eius iuſſis obſequamur. Huic meritò quatuor dona ſeu effectus adiungimus, nempe meditationem, contemplationem, contemptum ſæculi, & cordis puritatem: Nam qui credit, intelligentiam cupit creditorum, & hoc deſiderium intelligētiæ ad in-
E quiſitionem mouet, in qua eſt meditatio. Inquiſitio pia veritatem inuenit, in eáque cum exultatione quieſcit, & hæc eſt contemplatio. Veritas inuenta docet quàm vilis ſit mundus, & eius deſpicientiam generat, in qua eſt contemptus ſæculi. Deſpicientia autem ſæculi ad inhæſionem vocat, qua inhæremus Deo, & in hac conſiſtit puritas cordis. De his ergo agendum eſt.

De Fide. §. *I.*

FIdes, eſt virtus intellectus Theologica, qua aſſentimur myſteriis reuelatis propter authoritatem reuelantis Dei. Quam definiuit Paulus dicens: Eſt ſperandarum rerum ſubſtantia, argumentum non apparentium.] Ac ſi diceret: Fides eſt fundamentum & quaſi baſis eorum, quæ à Deo ſperamus, & certitudo ac conuictio intellectus, qua certiſſimè his, quæ viſa non ſunt, adhæremus. *Hebr. 11. 1.*

Incitamenta ad fidem ſunt. I. Eccleſia Catholica, ſponſa Dei, in Chriſto, tanquam in fundamento, fundata, columna veritatis, quæ nec fallere poteſt, quia fidelis eſt, nec falli, quia à Deo docta & gubernata eſt. Hæc, cui Chriſtus ſemper aſſiſtit: Nam & ego, inquit, vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi.] Hæc à qua Spiritus ſanctus nec ad momentum vnquam diſcedit: qui poſtquam venit, docuit eam omnem veritatem. Hæc, ſumma ſcientia illuminata, ſacris libris locupletata, traditionibus Apoſtolicis, conſiliis, & decretis Summorum Pontificum ditata, tanti ponderis eſt apud quemq; ſapientem, vt infallibiliter teneat, à Deo dicta eſſe, quæ ipſa, tanquam Dei dicta, proponit, à quibus omnem falſitatem abeſſe, certiſſimè intelligit. *Matth. vlt. 20.* *Ioan. 14*

II. Multitudo earum ratiocinationum, quæ res fidei euidenter credibiles faciunt. Cuiuſmodi ſunt: Prædictiones Prophetarum; teſtimonium Martyrum; multitudo miraculorum; atteſtatio aduerſariorum aut infidelium: puritas legis Euangelicæ: mirabilis eius cum ratione concordia: omnium myſteriorum huius legis ſumma conſenſio: mundi conuerſio: ratio fidei propagandæ per Apoſtolos ignobiles, idiotas, inermes: vis fidei in afficiendis, & mutandis animis: ſanctitas & ſapientia eorum, qui fidem tradiderunt: vita illibata eorum, qui eam recipientes, ſe eius præſcriptis accommodarunt: ſtabilitas Eccleſiæ inter perſequutiones: clades eorum, qui eam oppugnarunt, & antiquitas ſacrorum librorum. His admirata mens hominis dicit: Quoniam teſtimonia tua Domine credibilia facta ſunt nimis:] quibus licèt non viſis aſſentiri, ſumma ſapientia eſt, & reluctari, damnabilis imprudentia. *Pſal. 92. 7.*

III. Neceſſitas fidei, [ſine qua, vt inquit Paulus, impoſſibile eſt placere Deo.] Et eius dignitas, quam habet à Chriſto, Filio Dei, tanto antè tempore prænuntiato, & tam miris ſapientiæ, ſanctitatis, & poteſtatis donis inſignito, qui res fidei docuit à rebus ſublimiſſimis, quas tradit, à mutatione animorum, quam efficit. *Hebr. 11. 7.*

Actiones fidei ſunt. I. Summittere mentem hominis cum magna ſimplicitate & humilitate, Deo per Eccleſiam, per ſcripturam, per traditiones, per concilia, & per Pontificum decreta, loquenti.

II. Aſſentiri articulis fidei tum ad diuinitatem, tum ad humanitatem pertinentibus, & cæteris reuelatis à Deo, propter authoritatem ipſius Dei.

III. Conſiderare Deum, in ſacramentis & in cæremoniis Eccleſiæ, animas ſanctificantem, & dona ſpiritualia inuiſibiliter operantem.

IV. Confiteri res à Deo reuelatas, inſtante omnium miſeriarum atque etiam mortis periculo, in conſpectu regum, fidem oppugnantium, & non confundi.

V. Aperire res fidei per exhibitionem doctrinæ, vt alij rudiores eas teneant.

VI. Fugere hæreticos, vt peſtes animarum, vt hoſtes æternæ ſalutis, vt filios diaboli.

VII. Auerſari omnem doctrinam minùs ſynceram, minùs puram, minùs ſanctorum, & Eccleſiæ ſenſui conformem.

Poſtulatio Fidei. Domine Ieſu Chriſte, fidei author & conſummator, qui nos ad gremium ſanctæ

Eccleſiæ,ſponſæ tuæ, & matris noſtræ, ſpretis multis millibus hominum infidelium euocaſti, & ad puſillum gregem, cui, complacuit Patri, dare regnum cœleſte, pertinere feciſti: auge in nobis fidem à te ſemel infuſam, & ſine vlla intermiſſione ſeruatam, & vitam fidei aptam, ſcilicet ſanctam & tui imitatricem, concede, vt aliquando tandem fidei conſummationem, nempe gloriæ claritatem, aſſequamur. Amen.

De Meditatione. §. II.

Meditatio, eſt rerum fidei attenta & humilis inueſtigatio, vt eius præſidio ad bonum amplectendum & malum fugiendum moueamur. Adiungitur fidei iuxta illud Pauli: *Hebr. 11. 3.* Fide intelligimus aptata ſæcula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent. Id eſt, fides mouet ad intelligendum, omnia tranſitoria condita eſſe per verbum Dei, & ex informibus, facta eſſe formata, & pulchritudine decorata.

Incitamenta ad meditationem ſunt. I. Meditationis ingens neceſſitas. Nam ſicut cibus ſtomacho ingeſtus, non tamen digeſtus, non reficit, nec roborat hominem, ſed magis ſaluti officit: ita myſteria fidei credita, & quaſi in intellectum tranſmiſſa, non tamen per meditationem digeſta, parum vitæ mutationi proficiunt. Hinc multi fideles, & pauci, qui ſecundum leges fidei, ſuam vitam inſtituant. Hinc inter bonos pauci ſpirituales, & inter ſpirituales rari perfecti, quia credita non euoluunt, & fide accepta, non ruminant, vt illa in ſuos mores vitámque tranſfundant.

II. Meditatio, comes eſt orationis fideliſſima, cui feruorem petendi & fiduciam impetrandi ſubminiſtrat. Et, vt inquit Bernardus: *Bern. ſer. 1. de S. Andrea.* Ad ſummitatem ſcalæ, id eſt, ad faſtigium perfectionis, duobus pedibus, meditatione & oratione conſcendimus. Meditatio ſiquidem docet, quid deſit; oratio ne deſit, obtinet: illa viam oſtendit, iſta deducit. Meditatione denique agnoſcimus imminentia nobis pericula, oratione euadimus.

III. Meditatione carentibus exprobrat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, dicens: Adhuc vos ſine intellectu eſtis? Illi namque abſque intellectu ſunt, qui res quidem fidei audiunt, ſed quia eas non meditantur, nec conſiderant, nunquam ad ſuæ vitæ emendationem intelligunt.

Actiones meditationis ſunt. I. Rem meditandam, in certa puncta ac quaſi membra diſtinctam, ex ore magiſtri ſpiritualis, vel ex libro ad id parato, vel ex ipſis ſacris ſcripturis, accipere.

II. Paulo ante horam, ad meditandum deſtinatam, hæc eadem materiæ conſiderandæ capita in memoriam reuocare, & breui iteratione præuenire.

III. Vnumquodque eorum membrorum intentè & quietè, ex cauſis, & effectis, vel ex aliquibus circumſtantiis inueſtigare & inquirere.

IV. Veritatem, diſquiſitione inuentam quemque ad ſeipſum, id eſt, ad animæ vtilitatem, applicare.

V. Ex ea veritate, iuxta qualitatem materiæ meditatæ, vel odium mali alicuius, vel amorem boni, vel pium alium affectum elicere.

VI. Colloquiis cum Domino habitis, & ignitis ſuſpiriis, ac ardentiſſimis deſideriis, ab eo mali illius diſceſſum, ſeu boni aduentum, implorare, & abundātiſſimam gratiæ menſuram ad morum emendationem depoſcere.

Poſtulatio meditationis. Domine Ieſu Chriſte magiſter bone, qui animas ad te venientes ſapientiſſimè erudis, & ex ſapida cognitione ad ſanctitatis amorem & experimentum provehis; illumina oculos mentis meæ, & vires cordis mei in vnum collige, vt legis tuæ myſteria, dulciora ſuper mel & fauum, ore intellectus guſtem, & deuorem, ac ventre voluntatis excepta, in meam conuerſationem moréſque transformem. Reuela Domine Deus *Pſal. 118. 18.* meus oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua;]vt illa conſiderata me afficiant, & meditata me moueant, & ad tui amorem, & vitæ mutationem me alliciant.

De Contemplatione. §. III.

Contemplatio, eſt ſimplex intuitio veritatis, quæ ab amore inchoat, & ad Deum diligendum, & ſæculum deſpiciendum inclinat. Adiungitur fidei, quoniam contemplatio Chriſtiana eſt de rebus à fide traditis: ſecundùm illud Pauli: *2. Cor. 4. 18.* Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur:] Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna. Fides etiam contemplatione, quæ actus eſt ſapientiæ, roboratur, & ad deſpiciendum mundum erigitur. Quare de Moyſe dicitur, quòd fide grandis factus, prætulit theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti, quia aſpiciebat in remunerationem.

Incitamenta contemplationis ſunt. I. Pulchritudo Dei, & Chriſti, & rerum æternarum, quæ oculo contemplationis videmus. Si enim magnæ voluptatis eſt, videre ſolem, lunam, & ſtellas, & reliqua ſenſui ſubiecta, quæ oculis corporeis cernuntur; quanto delectabilius erit, Deum & cœleſtia contemplari?

II. Inducere nos debet, inquit Albertus, *Albert. de virt. cap. 73.* ſuauitas, quæ in contemplatione percipitur; admirabilis perfectio, quæ ibi addiſcitur: principium omnis beatitudinis, quod ibi reperitur. Fons enim omnis beatitudinis, ſummus Deus, ibi cognoſcitur; & quod verè cognoſcitur, hoc amatur; & quod verè amatur, hoc deſideratur, & pro eo obtinendo laboratur; & pro quo ſtudioſè laboratur, hoc tandem acquiritur; cúmque acquiſitum fuerit, cum delectatione interminabili poſſidetur.

III. Exemplum Chriſti Saluatoris noſtri, qui, vt notauit Gregorius, *Greg. 6. mor. c. 25* noctes inſomnes ducebat, in eíſque orationi Dei, id eſt, altiſſimæ cōtemplationis, operam dabat. Exemplum item Apoſtolorum, quorum conuerſatio, teſte Paulo, in cœlis erat, nec ſolicitudine omnium Eccleſiarum impediebantur: exemplum tandem omnium ſanctorum, qui ita contemplationi addicti fuerunt, vt hanc ſuam hæreditatem, ac præcipuā poſſeſſionem eſſe, ipſo opere teſtarentur.

Actiones contemplationis ſunt: I. Relictis omnibus exterioribus, intellectu & affectu, ac ſepoſitis cunctis diſcurſibus & ratiocinationibus, in ſimplici Dei notione quieſcere. Quam, quia actio quædam vniformis eſt, comparat Dionyſius *Dion. ca. 4. de diui. nom. p. 1.* motui circulari, propter ipſius motus vniformitatem.

II. Ex cognitione rerum exteriorum aut ſenſibilium, ad notitiam intelligibilium, & præcipuè ipſius Dei, peruenire, ibíque ſine diſcurſu ſilere. Quæ quia procedit de vno in aliud, comparatur motui recto, quo corpus mouetur à loco deorſum in locum ſurſum, vel è contrà.

III. Ex vna re cognita, vt ex toto, aut ex contrario, ad alterius cognitionem, vt ad notionem partis, vel alterius contrarij, ratiocinando peruenire,

A ibique intellectu quieſcere. Quæ comparatur motui obliquo. Et ſecundùm diuerſa, quæ cognoſcuntur, ex aliis diuerſi motus obliqui contemplationis aſſignantur, vt videre eſt in Ricardo, libro primo de contemplatione. *Ricard. lib. 1. de contempl. c.5.*

IV. Ex parte materiæ contemplatæ, multæ actiones contemplationis aſſignantur. 1. verſatur circa diuinam maieſtatem eiúſque attributa. 2. circa Chriſti Saluatoris vitam & mortem. 3. circa beneficia diuina. 4. circa nobilitatem patriæ cœleſtis. 5. circa ſanctorum & totius Eccleſiæ virtutes & dona. 6. circa eſſentiam & proprietates rerum creatarum. 7. circa noſmetipſos, & ſi quæ ſunt alia, quæ ad hæc capita non referantur, de quibus ſuo loco pleniùs dicetur.

B Poſtulatio contemplationis. Domine Ieſu Chriſte, Deus & homo, qui qua Deus, ipſa pulchritudo es, & qua homo, in quem deſiderant Angeli proſpicere, *1.Petri.* & ſpecioſus forma præ filiis hominum, *Pſal.144* perfice fidem, à te nobis infuſam, dono ſapientiæ tuæ, & quatenus nobis expedit, donum contemplationis attribue, vt dum te ſummum bonum noſtrum & ſummum pulchrum eſſe cognoſcimus, te ardentiſſimè amemus, & noſmetipſos ac omnia viſibilia contemnamus. Amen.

De Contemptu ſæculi. §. IV.

CONtemptus ſæculi, eſt abrenuntiatio tum exterior, quæ fit opere, tum interior, quæ fit voluntate, omnium viſibilium, propter amorem Dei. Adiungitur fidei, iuxta illud: Sancti per fidem deuicerunt regna.] *Hebr.11. 33.* Et rurſus: Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum fides noſtra.]

C Incitamenta ad contemptum ſæculi, ſunt 1. Amor ſæculi & amor Dei, termini contrarij ſunt; quod ſignificant illa verba Iacobi Apoſtoli. *Iacobi 4. 4.* Amicitia huius mundi, inimica eſt Dei.] Quicumque ego voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur.] Quare ſicut qui vult locum ſuperum tenere, debet neceſſariò infimum locum relinquere; ita qui cupit ad Dei amorem aſcendere, debet per contemptum ſæculi ab eius amore ſeparari. Non poteſt quis ſimul eſſe in luce, & in tenebris, nec ſimul frigore rigere, & calore magno ad omnem laborem ſolui. Non ergo poterimus amore ſæculi, qui ſicut frigus eſt, ab omnibus bonis operibus impediri, & amore Dei, qui calor eſt, ad virtutum actiones incitari.

D II. Sæculum ignorantiſſimum eſt, quod bonos deiicit, malos exaltat: bona fucata diligit, vera contemnit. Immundiſſimum eſt, quod omnia peccata continet, & pro bonis geſtis defendit. Infideliſſimum eſt, quod dilectoribus ſuis, & pro ſe laborantibus, curas & angores in hac vita, & in alia damnationem impertit: non igitur meretur diligi, ſed animosè contemni.

III. Incitat exemplum Chriſti Ieſu, qui paupertatem & vitæ aſperitatem amauit, regnum temporale fugit, & in omni humilitate manere, fallaci rerum mundanarum gloriæ prætulit.

E Actiones contemptùs ſæculi ſunt: I. Diuitias ſpernere, &, ſi à Deo ſpeciali vocatione inuitemur, actione relinquere.

II. Dignitates, tum ſæculares, tum Eccleſiaſticas fugere: &, ſi ad eas admittendas à ſuperioribus compellamur, non ex ambitione, ſed ex deſiderio obediendi, & diuinam voluntatem implendi, ſuſcipere.

III. Honoribus & pompis ſæculi valedicere, & ab eis tota contentione mentis abſcondi.

IV. Voluptates & corporis ac ſenſuum delicias pro nihilo ducere, & tanquam res homine indignas auerſari.

V. Propinquos & amicos, ſi animæ profectum impediant, promptè deſerere.

VI. Mores ſæculares, & quicquid vanitatem ſapit, promptè deponere.

VII. Cuncta viſibilia deſpicere, & nec minis, nec terroribus, nec ſuaſionibus, nec laudibus, nec præmiis ad nimium eorum amorem inclinari. Imitantes Paulum, cui omnia viluerunt. Dicebat enim: Omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.] *Phil.3.8.*

Poſtulatio contemptus ſæculi. Domine Ieſu Chriſte, qui es theſaurus inexhauſtus & infinitus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, abſconditi, quíque me ad te cognoſcendum, amandum, & diligendum creaſti, miſerere, obſecro, mei, & vincula amoris ſæculi rumpe, & catenas concupiſcentiarum, quibus illigor, tua immenſa poteſtate diſſolue, vt te bonum vnicum meum ſitiam, & ob ementita bona, nunquam à te, omnium bonorum authore, diſcedam. Amen.

De Puritate cordis. §. V.

PVritas cordis, eſt cogitationum, affectionum, ſermonum, operúmque mundiria. Adiungitur fidei, quoniam impuritas in hoc conſiſtit, vt Thomas ait, quòd res aliqua vilioribus immiſcetur. *D. Tho. 22.q.7. ar.2.* Per fidem autem anima cum Deo inhæreat, ſicut per iuſtitiæ principium fit, vt à rebus terrenis ſeparetur, vnde & quòd pura ab earum contagione ſubſiſtat. Et ideo ait Petrus in Actis: Fide purificans corda eorum:] *Actor.15. 9.* & Paulus: Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem,] &c. *1.Cor.7. 14.*

Incitamenta ad puritatem cordis ſunt. I. Munditia corporis & veſtimentorum, homini eam curanti, eſt iucunda, & ſalutaris, & aliis cum eo conuerſantibus exiſtit gratiſſima, ergo multo magis munditia cordis. Hæc enim morſus & increpationes conſcientiæ tollit, quæ internam iucunditatem auferunt: peccata reiicit, quæ animæ ſanitatem tollunt, & Deum ac Angelos ad animæ puræ amorem inuitat.

II. Puritas cordis oculos aperit mentis, vt Deum contemplari poſſit. Nam beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.] *Matth.5. 8.* Et ſicut ſol nubibus non impeditus, hæc inferiora illuminat, & calore fouet: ita ſol iuſtitię, Chriſtus, animam per cordis puritatem ab affectibus mundam ſapientia illuſtrat, & calore diuini amoris viuificat.

III. Mouet exemplum Chriſti, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. *1.Petri.* Quíque dicitur candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis illius.

Actiones puritatis cordis ſunt: I. amorem rerum viſibilium, vt honorum, diuitiarum, voluptatum, deponere.

II. Affectum nimium erga ſeipſum, & erga vitam hanc, & ſalutem temporalem, abiicere.

III. Cogitationem à malis & vanis apprehenſionibus emundare.

IV. Immunem ſe à peccatis, tum grauibus, tum leuibus, cuſtodire.

V. Mente Deo & cœleſtibus inhærere.

Poſtulatio puritatis cordis. Domine Ieſu Chriſte, exemplar puritatis, & fons vniuerſæ munditiæ, cuius ſanguis emundat nos ab omni peccato; impuritatem noſtram, qua terrenis cupiditatibus

A immucemur, & tibi diſplicemus, expelle, oóſque eogitanone, affectu, & operatione purifica, vt tibi intellectu, affectu, & imitatione inhærentes, qui noſtra munditia es, & terreni hominis imaginem depooentes, cæleſti pulchritudine decoremur. Amen.

De Virtute Spei.

CAPVT IV.

SPes immediatè ſequitur Fidem: nam ea, quæ fide credimus, nempe poſſe nos ad æternam beatitudinem peruenire, diuinúmque auxilinm nobis ad hoc paratum
B eſſe, per hanc virtutem ſperamus, & Dei beneficio finem noſtrum nos aliquando aſſequuturos eſſe confidimus. Spei autem adiungenda eſt fiducia & timor. Fiducia quidem, quoniam æquum eſt, nos à Deo minora expectare, qui ſperamus maiora & potiora. Timor verò, quia licèt Deus paratiſſimus ſit, hominibus beatitudinem dare, ipſi tamen, qoi per peccata Deo deeſſe poſſunt, debent iuſtè timere, ne ob culpam ſuam non mereantur accipere.

De Spe. §. I.

SPes, eſt virtus Theologica, reſidens in voluntate,
C qua firmiter ex gratia Dei meritiſque præcedentibus ſperamus beatitudinem æternam. Vnde Paulus ait:
Ad Tit. 1. 2. In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur Deus, ante tempora ſæcularia.] Eſt autem de rebus creditis, ſiue non viſis: ſpes enim quæ videtur, oon eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? Non tamen ſe exteodit ad omnia credita,
Aug. Enchiridio. 1. 8. quia, vt inquit Auguſtinus, fide credimus bona, & mala, præterita, præſentia, & futura, ſpe verò ſolùm ſperamus bona futura. Inſuper fides rerum eſt noſtrarum & alienarum, at ſpes ſolùm noſtrarum, vel ratione charitatis, qua iungimur aliis, ad nos quodam modo pertinentium.

Incitameota ad ſpem ſunt: I. Spei præſentiſſimū Dei auxilium, quo à malis liberemur, & in bonis
Pſal. 90. 14. protegamur, promiſſum eſt. Quoniam in me ſperauit, liberabo eum; protegam eum, quoniam
D cognouit nomen meum.] Et: in te ſperauerunt Pa-
Pſal. 21. 4. tres noſtri, ſperauerunt & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: In te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.]
Eccli. 2. 11. Et reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino, &
Bern. ſer. 15. in Pſal. 90. confuſus eſt] Et Bernardus: Quemcumque locum calcauerit pes veſter, veſter erit; pes veſter, vrique ſpes veſtra eſt, & quantumcumque illa proceſſerit, obtinebit, ſi tam in Deum tota figatur, vt firma ſit, & non titubet.

II. Spes eſt huius vitæ beatitudo, ex eo enim iuſti, beati ſunt, quoniam ius habent ad beatitudinem, & eam poſt hanc miſeram vitam, obuenturam ſperant.
Pſal. 39. 5. Ideo ſanctus Dauid: Beatus vir cuius eſt nomen Domini, ſpes eius.]
E Et Auguſtinus:
Aug. lib. 19. de ciuit. c. 4. 4. Sicut ſpe ſalui, ita & ſpe beati facti ſumus: & ſicut ſalutem, ita & beatitudinem, non iam tenemus præſentem, ſed ſperamus futuram.

Ioan. 16. 33. III. Illa verba Domioi ſpem excitant: Confidite, ego vici mundum.] Peruerſum enim iſtud ſæculum, quo nomine omne genus peccatorum comprehendimus, noſtrum iter ad æternitatem retardat, ac adeptionem beatitudinis impedit. Si autem Chriſtus illud vicit, & ſub pedibus noſtris ligatum proA
ſtratúmque ſuppoſuit, non eſt cur (hoſte iam victo) de victoria deſperemus, immò eſt, cur de immenſa Domini pietate ſalutem nos adepturos confidamus.

Actiones ſpei ſunt: I. Sperare animæ beatitudinem: oempe quòd ſtatuto tempore, cùm hanc vitam deſeremus, purgatis imperfectionibus, noſtris, videbimus Deum, ſicuti eſt, oculis animæ, lumine gloriæ illuminatis, & diligemus eum amore perfectiſſimo & inceſſabili, & fruemur eo, delectatione puriſſima & interminabili, & in æternum poſſidebimus.

II. Expectare beatitudinem corporis. Nimirum quòd corpus hoc corruptibile, poſtquam ceciderit, B
reſurget iocorruptibile, & immortale, impaſſibilitate, claritate, agilitate, & ſubtilitate veſtitum, & nunquam his donis, hácque pulchritudine, & maieſtate priuabitur.

III. Sperare manſionem perpetuam in illa ciuitate cæleſti, non manu facta, quam habemus in cœlis; Beatæ Virginis, omnium ſanctorum, & Angelorum, qua fruemur, viſionem, & cum illis beatiſſimis ſpiritibus iucundiſſimam ſocietatem.

IV. Sperare à Domino media ad hanc fœlicitatem conſequendam. Nempe. 1. remiſſionem peccatorum. 2. extinctionem vitiorum. 3. mortificationem paſſionum, 4. adeptionem virtutum. 5. victoriam tentationum. 6. intimam cum Deo familiaritatem. Hæc nnqnam in ea menſura ſperaoda ſunt, C
quatenus neceſſaria erunt ad gradum beatitudinis obtinendum, ad quem Deus nus prædeſtinauit.

V. Sperare adiutorium ſanctorum & Angelorum, qui tum orationibus, tum gratiarum impetratione nos iuuabunt ad hoc, vt beatitudinem conſequamur.

VI. Sperare vniuerſa hæc, non ex propriis meritis, ſed ex immenſa bonitate Dei, & ex meritis Chriſti Ieſu, quæ vt caput noſtrum, oobis, membris ſuis, liberaliſſimè donauit.

VII. Ob hanc largiſſimam tantorum honorum ſpem, falſa mundi bona contemnere, & inenarrabili lætitia perfundi.

VIII. Viriliter reſiſtere malis, & conſortari in bonis, & ardua quæque vitæ ſpiritualis aggredi pro D
pter amorem beatitudinis.

IX. Hæc omnia, quæ diximus, ſperare, danda eſſe proximis à Deo prædeſtinatis, & nobis cum charitate coniunctis.

Poſtulatio Spei. Domine Ieſu Chriſte [expectatio *Ierem. 14. 8.*
Iſrael, & Saluator eius in tempore tribulationis,] qui de cælo deſcendiſti, vt nos in cælum eueheres, & mortem acerbiſſimam pertuliſti, vt nobis peccato mortuis, nunc vitam gratiæ, & poſtea vitam gloriæ donares: obſecramus te per incomprehenſam bonitatem tuam, vt ſpem bonorum æternorum, quæ dilectis tuis paraſti, in nobis augeas, & nos, qui æterna ſperamus, temporalia aſpernari coocedas. Atuen.

De Fiducia. §. II.

E
FIducia eſt expectatio firma, quòd Dominus in omnibus neceſſitatibus, tum temporalibus, tum ſpiritualibus, nos iuuabit, & in tribulationibus non derelinquet. Qua ſeipſum roborabat ſanctus Da- *Pſal. 26. 1. 2. 3.*
uid, cùm dicebat: Dominus illuminatio mea & ſalus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo? Si conſiſtant aduerſùs me caſtra: oon timebit cor meum. Si exurgat aduerſùm me prælium: in hoc ego ſperabo.]

Incitamenta ad Fiduciam ſunt: I. Animo expendere, quanta Deus benigniſſimus pro omnibus fecit, quos ex nihilo extractos conſeruat, gubernat, ſuſtentat, & bonis viſibilibus & inuiſibilibus ditat. Quàm miſericors & dulcis fuit in iuſtis ſuis à tribulatione liberandis. *Dan. 14.* Vt cùm Danielem de lacu leonum: *Gen. 27.* Ioſephum de ciſterna & de carcere: *Gen. 7.* Noë de diluuio, *Dan. 3.* & tres pueros Hebræos de camino ignis ardentis eripuit. *2. Petr. 2. 9.* Non mutauit Deus, ô homo, ingenium ſuum, ſed nouit nunc, ſicut & antea, vt ait Petrus, pios eripere de tentationibus. *Tobia 3. 21.* Pro certo ergo habe, quòd vita tua, ſi in probatione fuerit, coronabitur, & ſi in tribulatione fuerit, liberabitur:] Vide imaginem Dei, id eſt, Chriſtum Ieſum in cruce pendentem, & ille *Ioan. 14* (quo viſo Patrem videmus) te ad confidentiam animabit. Quis enim non raperetur ad ſpem, ait *Bern.* Bernardus, & ad impetrandi fiduciam, ſi attenderet in cruce Chriſti corporis diſpoſitionem? Vide caput inclinatum ad oſculandum, brachia extenta ad amplexandum, manus perforatas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, totius corporis extenſionem ad ſe totum impendendum.

II. Fiducia maximè glorificamus Deum, quoniam vno confidentiæ actu eum benigniſſimum prouiſorem noſtrum, & omnium malorum depulſorem confitemur. Vnde actus iſte mirum in modum nos roborat, & inuincibiles facit ad ſuſtinendos pro virtute labores. *Iſa. 40. 71.* Nam qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, vt aquilæ, current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.] Eſt etiam fiducia magni meriti: & ideo Paulus *Hebr. 10. 35.* ait: Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.] Et ipſa tandem impetrat à Deo quicquid illi non eſt indignum dare, & nobis expediens accipere. *Matt. 17. 20.* Idque ſignificant verba illa Domini: Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, diceretis monti huic, tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.] Quo loco de fide Chriſtiana loquitur, quam tamen fiducia comitatur. Quia nimirum credimus, Deum omnia poſſe, & de ſua bonitate confidimus, nobis auxilium eſſe præſtandum.

III. Excitat fiduciam puritas cordis, quæ cùm nos ſimiles Deo faciat, & cor filiorũ immittat, etiam *1. Ioan. 3. 21. 22.* fiduciam filiorum attribuit. Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo.] Et de innocente Suſanna dicitur: *Daniel. 13. 35.* Erat cor eius fiduciam habens in Domino.] Bona etiam opera à cordis puritate manantia fiduciam præſtant. *Tobia 4. 12.* Vnde Tobias: Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna *1. ad Tim. 7. 13* omnibus facientibus eam.] Et Paulus: Qui bene miniſtrauerint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Actiones fiduciæ ſunt: I. Deum in omnibus laboribus, neceſſitatibus, & tribulationibus nobis aſtantem & benigniſſimè iuuantem aduertere. Sicut Stephanus, qui cùm lapidaretur à Iudæis, exclamauit: *Actor. 7. 55.* Ecce video cælos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei,] vt ſcilicet illi ſuppetias afferret.

II. Dominum, dum indigemus, vt adiutorem rogare, & eius auxilium & ſanctorum expoſcere.

III. Pro certo habere, orationes noſtras, ſi iuſtum & expediens poſtulent, à Domino miſericorditer exaudiri.

IV. Si Dominus auxilium dare diſtulerit, non *Pſal.* deſperare, iuxta illud: Viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.]

V. In euentibus contrariis, qui videntur noſtris bonis deſideriis obſtare, nullo modo confidentiam deponere.

VI. Vitæ puritate nos paratos ad diuinas inſpirationes, quibus fiducia creatur, exhibere.

Poſtulatio Fiduciæ. Domine Ieſu Chriſte, qui factus es refugium noſtrum, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione; *Pſal. 9.* miſerere imbecillitatis cordis noſtri, cuncta ex ſua paupertate æſtimantis, & ſua minima capacitate metientis, ipſúmque fiducia dilata, & ſpe incomprehenſibilis tuæ miſericordiæ robora; vt ad te in omni neceſſitate, tanquam ad patrem, accurrat: in gremio tuo omnes moleſtias curáſque reiiciat, & non ſecundùm vilitatem ſuam, ſed ſecundùm largitatem tuam & diuitias tuas, ampla remedia omnium miſeriarum expectet. Amen.

De Timore. §. III.

TImor eſt fuga peccati, ne quis incurrat in temporalem aut æternam pœnam, ne perdat gloriam, & ne labatur in ſui creatoris offenſam. Iſte dicitur timor Domini. Quoniam Deum, & vltorem, & peccatorum vindicem timemus, & in eius indignationem incidere formidamus. De quo Dauid ait: Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. *Pſal. 33. 12.*] Non inquam docebo vos ſcientiam ſæcularem, quæ ſine timore inflat, ſed timorem Domini, qui ſine ſcientia ſaluat.

Incitamenta ad timorem ſunt: I. Opera iuſtitiæ Dei. Si enim Angelis peccantibus Deus non pepercit, (vt Petrus in ſua Canonica ait,) ſed rudentibus *2. Petr. 2. 4.* inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reſeruari.] Si primos parentes ob eſum pomi ex Paradyſo deiecit, vt vniuerſam eorum poſteritatem ad vitam deſtinatam morte damnauit. Si tempore Noë omne genus humanum, & omnem animam viuentem aquis eluuionis immerſit. Si ciuitatis Sodomorum & Gomorrhæorum terribili igne conſumpſit. Si innumerabiles peccatores, nunc vnum, nunc alium, vt ex hiſtoriis conſtat, ſubita morte ſuſtulit, & ad eruditionem noſtram acerbiſſimas pœnas, quas in inferno patiuntur, aliquibus patefecit: Quid expectant miſeri peccatores, qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum, ſi Dei mandata prætierint?

II. Vtilitas ipſius ſancti timoris. Eſt namque timor, initium ſapientiæ, vt ait ſanctus Dauid: Initium ſapientiæ, timor Domini. *Pſal. 110. 10.*] Et Climacus ait: Vt ſolis radius, domum per foramen ingreſſus, cuncta quæ in ea ſunt, illuminat; ita timor Domini, ſi fuerit in anima, cuncta ei peccata etiam minutiſſima oſtendit. Eſt etiam exordium iuſtitiæ, & expulſor peccati, iuxta illud: Timor Domini expellit peccatum: *Eccli. 1. 27* nam qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.] Et Beda ait: Difficilè iuſtitia ſine timore cuſtoditur, quo iuſtus Deum quanto ardentiùs diligit, tanto ſolertiùs offendere cauet. Et alio loco idem Eccleſiaſticus ait: Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua. *Eccli. 25. 13.*] Eſt decor & pulchritudo omnium virtutum. Quàm magnus, inquit idem Sapiens, qui inuenit ſapientiam & ſcientiam, ſed non eſt ſuper timentem Dominum. Timor Dei ſuper omnia ſe ſuperponit. *Iob 31. 23.* Beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Dei: qui tenet illum, cui aſſimilabitur?] Eſt tandem timor, gemma ſanctorum pretioſiſſima. Vnde Iob: Semper, quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum, & pon-

dus eius

dus eius terre non potui.] Et Dauid ſanctos adhortans ait: Timete Dominum omnes ſancti eius:quoniam nihil deeſt timentibus eum.]

Pſal.

III. Incitat ad timorem paſſio Chriſti: Magnum quippe malum eſt peccatum, ac proinde maximè timendum, cui tam grauis & difficilis parata eſt medicina. Ad quod optimè Laurentius Iuſtinianus ait: Ex qualitate remedij facilè cognoſcitur vehementia langoris. Conſpui namque Chriſtus voluit, vt nos lauaret, velari voluit, vt velamen culpæ & ignorantiæ à cordibus noſtris auferret: in capite percuti, vt caput noſtrum, ſcilicet Adam, ſanitati reſtitueret: colaphis cædi, & verbis derideri, vt nos labiis & operibus ipſum laudaremus: demũ occidi iubetur, vt vulneribus noſtris pretioſo ſanguinis ipſius balſamo medeatur. Fuſus eſt cruor medici, & factus eſt medicamentum frenetici. Agnoſcamus igitur, quàm grauia ſint noſtra vulnera, pro quibus neceſſe fuit, Dominum Ieſum vulnerari.

Iuſti. in li. de vita ...ac. de timore. c. 4.

Actiones timoris ſunt: I. Intellectum ad Dei ſeueritatem & iuſtitiam conſiderandam, & ad grauitatem peccatorum cognoſcendam, acuere.

II. Vitæ anteactæ, ad euadendam pœnam, & vitandam Dei offenſam, pœnitere, ac pro ea debitè ſatisfacere.

III. Omnia peccata non ſolùm grauia, verùm & leuia & imperfectiones (pro poſſe) fugere: iuxta illud: Qui timet Deum nihil negligit: & membra, & ſenſus, & linguam ab omni actu illicito cohibere.

Eccl. 7.

IV. Aduersùs tentationes confortari: Nam timenti Dominum non occurrent mala;] & vt pœnam ac Dei offenſam euadamus, inſultus dæmonis, virtutum exercitatione & auxilij poſtulatione, proterere.

Eccli. 33. 1.

V. Solicitè diuina mandata, ne Domino diſpliceamus, cuſtodire, & Dei placita, hominum voluntatibus anteponere.

VI. Deo, per intimam & veriſſimam reuerentiam, tanquam vniuerſali Domino, ſe ſummittere.

VII. Noſtrum nihilum contemplari, facilitatem cadendi & gratiam perdendi cognoſcere, & infra omnes homines, & in profundum vilitatis nos per propriam cognitionem deiicere.

Poſtulatio timoris. Domine Ieſu Chriſte, ſuper quem [requieuit ſpiritus Domini,] Patris tui, & cuius animam ſpiritus filialis timoris repleuit, quo etiam corda ſeruorum tuorum abundantiſſimè reples, & per timorem ad amoris vehementiam, & perfectionem intromittis: excita in cordibus noſtris timorem caſtum, timorem ſolicitum, timorem ſanctum tuum, quo omnia tibi diſplicentia fugiamus, omnia tibi placentia aggrediamur, te diligentiſſimè reuereamur, & à cura bene operandi, & noſtram ſalutem promouendi, nunquam ceſſemus. Amen.

Iſa. 11. 2.

De virtute Charitatis.

CAPVT V.

CHARITAS, poſtrema virtutum Theologicarum, non tantùm illarum, verùm & omnium virtutum perfectiſſima eſt, ipſarùmque forma, & finis, & mentis noſtræ eſſentialis perfectio. Eſt forma earum; ſic enim eam vocat Ambroſius, quoniam illis vitam, & motum in vitam æternam impertit. Eſt finis; quoniam omnes virtutum actiones in hoc rendunt, vt Deo charitate iungamur. Eſt perfectio noſtra; quia, vt alio loco diximus, ipſa nos Deo, vltimo fini, copulat, membra Chriſti viuentia facit, & aliis Eccleſiæ membris, nempe proximis noſtris, annectit. Hanc, ſi eius effectus, & virtutes annexas inſpiciamus, in ſeptem partes aptè diſtribuemus. Cuiuſmodi ſunt: Amor Dei, Amor proximi, Zelus, Gaudium, Pax, Miſericordia, & Beneficentia; quorum naturas & actiones nunc pergimus explicare.

Ambr. lib. ... in Luc.

De Charitate erga Deum. §. I.

CHaritas ad Deum eſt virtus, qua ipſum non ob timorem pœnæ, nec ob ſpem præmij, ſed propter ſeipſum ob ſuámque bonitatem diligimus. In quo ſenſu intelligenda eſt deſcriptio Auguſtini: Charitas eſt virtus coniungens nos Deo, qua ipſum diligimus: diligimus, inquam, propter ſeipſum.] Nam vt ipſe alio loco ait: ille certiſſimè atque veriſſimè inuictus homo eſt, qui cohæret Deo, non vt ab eo aliquid boni extrà mereatur, ſed cui nihil aliud quàm ipſum inhærere Deo, bonum eſt.

Aug. lib. 6. de mor. Eccl. c. 11. Idem lib. de vera relig. c. 43.

Incitamenta ad charitatem Dei ſunt: I. Ipſe Deus. Nam fomes ignis dilectionis, bonum eſt, Deus autem eſt ſummum bonum & omne bonum. Quare dum Moſi polliceretur copiam ſui, dixit ei: Ego oſtendam tibi omne bonum.] Ipſe eſt bonum memoriæ, quoniam eius ſumma tranquillitas: ipſe eſt bonum intellectus, quoniam vniuerſa veritas: ipſe bonum voluntatis, quoniam omnis eius ſatietas. Si bonum tuum, ô homo, reputas vitam, [in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.] Si bonum tuum ſalutem exiſtimas, Dominus illuminatio tua & ſalus tua,] qui factus eſt tibi in ſalutem: ipſe honor tuus, ipſe diuitiæ, & nihil eſt dulce, nihil delectabile, nihil appetibile, quod non in eo abundè poſſideas. Amorem tuum in variis, diuerſiſque bonis partitum & diſperſum habebas, iam ad vnum bonum, quod omne bonum eſt, totum amorem collige, & nihil niſi Deum, aut propter Deum, amare conſtitue.

Exod. 33. 19.

Actor. 17. 28. Pſal. 126. Pſal. 117.

II. Beneficia Dei; Hæc autem ſunt innumerabilia. Quod enim vniuerſo continetur, ſiue viſibile, ſiue inuiſibile, beneficium eſt tibi, ô homo, à Domino prærogatum. Terra beneficium eſt, quod te reficiat, atque ſuſtineat. Aqua beneficium eſt, quod te mundet, atque refrigeret. Aër beneficium tuum eſt, quod te inſpiratione & aſpiratione conſeruet. Ignis beneficium eſt, quod te foueat, & illuminet. Angeli, cæli, ſol, luna, & ſtellæ, beneficia ſunt, quæ te cuſtodiant, & ſalutem tum animæ tum corporis adminiſtrent. Sancti beneficia ſunt, qui te vita, & interceſſione doceant, & protegant. Iuſti beneficia ſunt, qui te exemplo & doctina ad virtutem erudiant. Mali beneficia ſunt, qui tuam patientiam ad cumulum meritorum exerceant. Tu ipſe beneficium es tibimetipſi donatũ, immò multiplex beneficium. Nam quòd es, quòd viuis, quòd ſentis, quòd te moues, quòd intelligis, quòd diligis, quòd operaris, ex Dei benignitate ſine vllo merito recipis. Denique gratia & dona omnia, gratuita beneficia tua ſunt, quibus te Dominus cingit. Gloria beneficium eſt, quam tibi Dominus præparauit. Beata Virgo, beneficium tuum eſt, quam in matrem & protectricem tibi conceſſit Chriſtus Dei Filius: beneficium tuum eſt, quem in Saluatorem, in magiſtrum, in patrem eſt elargitus. Et ipſe Deus, beneficium tuum eſt, quem nunc in omnibus adiutorem habes, & poſtea in æternum poſſidebis. Si inter tot beneficia Dei amore non ardes, grandine eris durior, & niue frigi-

dior,

dior, & ipſis lapidibus inſenſibilior.

III. Præſtantia ipſius charitatis, quam Hugo de ſancto Victore hac egregia oratione deſcribit: Charitas omnem animi langorem ſanat. Charitas vitiorum omnium radices extirpat. Charitas omnium virtutum origo eſt. Charitas mentem illuminat, conſcientiam mundat, animam lætificat, Deum demonſtrat. Animam, in qua charitas habitat, ſuperbia non inflat; inuidia non deuaſtat, ira non diſſipat, triſtitia mala non vexat, auaritia non excæcat, gula non inflammat, luxuria non inquinat, ſemper munda eſt, ſemper caſta eſt, ſemper quieta, ſemper læta, ſemper pacifica, ſemper benigna, ſemper modeſta. In aduerſis ſecura, in proſperis temperata, mundum contemnens, Deum diligens, omnium bona amando ſua faciens, ſua omnibus libenter impertiens, non timens inopiam, non magnopere expetens abundantiam.] Hæc omnia ille & optimè. *Hugo. lib. de laud. charit.*

Actiones charitatis erga Deum ſunt: I. Affectu copulari, & coniungi Deo, tanquam ſummo bono, quocum aliquo modo idem ſumus.

II. Velle Deo omnia bona ſua, vt ſapientiam, bonitatem, potentiam, pulchritudinem, & reliqua attributa, non ob aliam cauſſam, niſi quia bona ipſius ſunt.

III. Gaudere impensè de perfectionibus Dei, quòd ſcilicet ipſe eas omnes poſſideat, quòd ab omnibus Angelis adoretur, quòd ab vniuerſis ſanctis beatis honoretur, quòd à iuſtis & toto mundo, ſine vlla intermiſſione, ſeruiatur.

IV. Deſiderare, quòd omnis creatura illum adoret, illique ſeruiat: quòd infideles ad fidem, & peccatores ad bonam frugem, ſolùm ob eius gloriam, conuertantur.

V. Dolere de omnibus peccatis, tum propriis, tum alienis, non ob aliud, niſi quia ſunt iniuriæ Dei.

VI. Proponere & apud ſe ſtatuere, omnia fideliter mandata cuſtodire, iuxta illud: Qui diligit me, mandata mea ſeruabit.]

VII. Proponere & ſtatuere, ob gloriam Dei ſe conſiliis Euangelicis imbuere, & diuinis inſtinctibus accommodare.

VIII. Lætari de omni eo, quod Deo placet, ſiue proſperum, ſiue aduerſum ſit, ſiue dulce, ſiue amarum.

IX. Triſtari de omni eo, quod Deo diſplicet, & ſuis iuſſis contradicit.

X. Poſtulare inſtanter charitatem, & omnia ei aduerſantia reſpuere.

Poſtulatio charitatis erga Deum: Domine Ieſu Chriſte, qui es verus & ſummus amator Patris, quique amorem tuum erga eum toti mundo perſpectum eſſe voluiſti, & perfectiſſima mandatorum ſuorum exhibitione demonſtraſti: inſere pectoribus noſtris ardentiſſimum tui amoris affectum, quo cumulati tibi ſemper placere, te in omnibus quærere, & te ſuſpirare diſcamus. Eia Domine diligamus te toto corde, tota anima, ac tota mente noſtra, & in his tuæ charitatis actionibus nos iugiter exerceamus. Incipiamus hîc te, & Patrem, ac Spiritum ſanctum diligere, quem vnum Deum in æternum diligemus, quo iuxta menſuram amoris in æternum perfruemur, & quo poſſeſſo noſtram fœlicitatem comparabimus. Amen. *Ioan. 14. 31.*

De Charitate erga Proximum. §. II.

Charitas erga proximum, eſt virtus, qua omnes proximos, tum amicos, tum inimicos, diligimus propter Deum. Diligere autem eos propter Deum, nihil aliud eſt, quàm amare illos, quatenus participant in ſe aliquid Dei, & amare illos, vt in Deo ſunt, & vt bona gratiæ & gloriæ adipiſcantur: & tandem amare illos, quia Deus vult, & præcipit, vt eos amore proſequamur. Hac charitate erga proximum, charitas erga Deum completur, atque perficitur. Vnde Ioannes ait: Si diligamus inuicem, charitas Dei in nobis perfecta eſt.] Immò & charitas Dei ſine charitate erga proximum ficta & vana eſt, dicente eodem Apoſtolo: Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.] *1. Ioan. 4. 20.*

Incitamenta ad charitatem erga proximum ſunt: I. Proximorum conditio, quia nimirum omnes homines fratres ſumus. Fratres quidem natura, quia ab eiſdem parentibus, Adam & Eua, generati; fratres & vocatione, quoniam ad adoptionem filiorum Dei, & Eccleſiæ vocati; omnes ad fidem, & ad gratiam inuitamur; diciturque nobis: Et patrem nolite vocare ſuper terram, vnus eſt enim Pater veſter, qui in cælis eſt.] Omnes ſumus vnius corporis membra, vt Paulus ait: Multi vnum corpus ſumus in Chriſto.] Et ſicut anima non viuificat membra niſi ſibi inuicem copulata; ita Spiritus ſanctus non viuificat homines odiis ſeparatos, ſed per charitatem vnitos. *Matth. 23. 9.* *1. Cor. 10. 17.*

II. Præcepti dilectionis neceſſitas, vtilitas, leuitas, atque ſuauitas. Eſt enim impletio huius præcepti maximè neceſſaria, qua omnia alia præcepta continentur, iuxta illud: Plenitudo legis eſt dilectio;] adeò vt qui hoc præceptum tranſgreditur, alia quoque vel illorum aliquod tranſgredi conuincatur. Eſt admodum vtilis, quoniam proximorum dilectione bona eorum noſtra facimus, & ad id quod per nos non valemus attingere, ope charorum adiuuamur. Eſt admodum leuis & facilis, quæ, vt inquit Laurentius Iuſtinianus, ab omnibus poteſt impleri, à paupere, & à diuite, ab infirmo, & à ſano. Non eſt neceſſe oues aut boues emere, aut vltra mare nauigare, vt hoc impleatur præceptum. De quo in Deuteronomio dicitur: Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, ſed iuxta te eſt in ore tuo, & corde tuo vt facias illud.] Eſt denique ſuauiſſima huius mandati cuſtodia; nam id præcipit, ad quod ipſa natura inclinamus, id præcipit, quod nobis ab aliis præſtari indigemus, id præcipit, quo maximè ad inuicem conſolamur. Quare in Eccleſiaſtico legimus: In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo, & hominibus; concordia fratrum, amor proximorum, & vir & mulier bene ſibi conſentientes.] *Deut. 30. 11.* *Eccli. 25. 1. 2.*

III. Efficaciſſimum aliorum exemplum; Deus quippe omnes homines ac ſe diligit, quos immenſis beneficiis fouet, & ſic dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.] Chriſtus diligit, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.] Angeli diligunt, quorum ſinguli ſingulos homines ſingulari beneuolentia cuſtodiunt. Iuſti diligunt, qui ſi ſecundùm præſcriptum legis Dei viuunt, pro fratribus animas fundunt. Mirum erit, ſi fratrem ab omnibus dilectum, tu ſolus non diligas, & ab eius conuictu abhorreas. *Ioan. 3. 16.* *Apoc. 1. 5.*

Actiones charitatis erga proximum ſunt: I. Affici erga omnes homines, vt ſunt capaces beatitudinis in Deo & propter Deum.

II. Velle illis omnia vera bona, nempe iuſtificationis donum, gratiam, virtutes, & omnem profectum, & gloriam.

III. Velle proximis eatenus bona corporis, ſalutem, proſperitatem, diuitias, & honorem, quatenus illis ad verum bonum, ſcilicet ad aſſequen-

dam beatitudinem conferunt.

IV. Lætari de profectu ſpirituali proximorum, de fœlicitate temporali,& de his, quæ fœliciter illis eueniunt.

V. Dolere de malis eorum, tum ſpiritualibus, tum temporalibus.

VI. Cupere, ſi datum nobis eſſet, malis eorum conueniens remedium afferre.

VII. Neminem temerè iudicare,nec contemnere, immò cuiuſuis proximi acta in meliorem partem interpretari, & eum iuxta perſonæ qualitatem magni ducere.

VIII. Nemini obloqui, ſed proximum laudare, eius defectus benignè excuſare,aut modeſtè diſſimulare,& ab eorum oculis, qui remedium afferre non poſſunt,abſcondere.

IX. Omnes proximos(prout poſſibile fuerit)iuuare verbo,opere,& exemplo.

X. Inimicos diligere, benefacere his, qui oderunt nos, orare pro perſequentibus & calumniantibus nos, & paratos eſſe, vitam pro eorum ſalute profundere.

Poſtulatio charitatis erga proximum:Domine Ieſu Chriſte, amator hominum ardentiſſime,qui te in exemplum fraternæ charitatis nobis dediſti,dicens:
Ioan. 15. 12. Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem, ſic vt ego dilexi vos.] Inſere pectoribus noſtris ſanctiſſimum tuæ dilectionis affectum, vt ex amore erga te, amor erga fratres noſtros ſe dilatet, & quos tu diligis, ipſe non reſpuat. Diligamus nos inuicem, Deus meus, & mutuò onera noſtra portemus, vt legem tuam ſanctiſſimam impleamus. Amor iſte, præcordia noſtra poſſideat, & manus noſtræ in opera ſe dilectionis extendant: quo & tuam erga nos dilectionem imitemur, & diſcipuli tui mutua dilectione ab omnibus, qui nos viderint, agnoſcamur. Amen.

De zelo honoris Dei & ſalutis animarum. §. III.

ZElus, eſt intenſus iuſti veri amatoris affectus, quo diligentiſſimè quærit honorem Dei, proximorúmque ſalutem, & quicquid his duobus opponitur, fortiter conſtantérque repellit. Hac præſtantiſſima virtute efferbuit Elias, cùm ob honorem Dei prophetas Baal in publicum certamen vocauit, ſacrificium(quod ipſi non potuerunt)igne de cœlo cadente ſuccendit,& eos veluti Domini hoſtes interfecit. Quare dixit:
3. Reg. 19. 14. Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael,altaria tua deſtruxerunt,prophetas tuos occiderunt gladio,derelictus ſum ego ſolus,& quærunt animam meam,vt auferant eam.]

Incitamenta ad iuſtum zelum ſunt: I. Miniſtri Dei ſumus,nobis munus diſſeminandi Euangelij demandatum eſt,nobis diuitiæ Domini,ſcilicet gratiæ, & dona, in ſacramentis recondita, commiſſa ſunt; nobis fratrum animæ commendatæ ſunt. Nemo eſt, qui onus iſtud quadamtenus non ſubeat,dicente Eccleſiaſtico:
Eccli. 17. 12. Et mandauit illis vnicuique de proximo ſuo.] Si ergo miniſtri principum huius ſæculi, tanta ſolicitudine occupantur in muneribus reipublicæ quæ ſibi obtigerunt, obeundis, & in theſauris regum amplificandis; quo zelo nobis incumbendum eſt in gloriam Dei quærendam, & animas à dæmone liberandas?

II. Nihil eſt Deo ſalute animarum gratius, nihil eſt ſuo honore & gloria ſublimius, illam ipſe Dominus impensè curat,
1. ad Tim. 2. 4. [qui vult omnes homines ſaluos
A fieri,& ad agnitionem veritatis venire,]& ait: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat.] Ezech. 18. 23.
Hanc ſibi ipſi reſeruat, nulliq; ſe daturū eſſe profitetur,dicens: Gloriam meam alteri non dabo.]Hæc autem tam magna,tam ſublimia,tam Deo grata,non ſunt perfunctoriè quærenda, ſed cum eximia ſolicitudine procuranda.

III. Mouet præcipuè exemplum Domini noſtri Ieſu Chriſti, de quo ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ Pſal. 68. 10.
comedit me,] quique tanto feruore honorem Patris ſitiuit, & conuerſionem peccatorum ac ſalutem omnium animarum curauit, vt pro his duobus non dubitauerit,ſingula membra ad ſingularem pœnam offerre, & vitam infiniti valoris ad mortem peccati deſtruendam exponere. Eum ſequuti ſunt Apoſtoli,
B & Apoſtolici viri,quorum quiſque cum Paulo potuit dicere: Ego autem libentiſſimè impendam,& ſu- 2. Cor. 12. 15.
perimpendar ipſe pro animabus veſtris.] Et rurſus: 1. Cor. 15. 31.
Quotidie morior, id eſt, pericula mortis ſuſtineo, propter veſtram gloriam, fratres.] Nec decet,ea quæ ſancti tanto ardore quæſierunt, nos tepidè, & quaſi nihil agentes,procurare.

Actiones Zeli ſunt: I. Meditatione eorum,quæ proſint, confeſſionum auditione, prædicatione, doctrina, & conſiliis pro ſalute animarum laborare.

II. Deſideria, orationes, lacrymas, ieiunia, vigilias,& alia bona opera pro animabus offerre.

III. Tantum induſtriæ in promouendo honore Dei collocare,& in ſalute animarum,quantum ſuffe-
C runt vires noſtræ,diuina gratia roboratæ,& talentis à Deo donatis adiutæ.

IV. Pauperes diuitibus,ignobiles nobilibus,idiotas ſapientibus,ſi maius Dei obſequium ſperatur, in noſtris miniſteriis præponere.

V. Ea, quæ ſolum laborem habent, muneribus, Prælationibus, & officiis honorificis, ſi magis Deo grata, & proximis vtilia ſunt, libenter præferre.

VI. Rationis reddendæ pro hac re frequenter meminiſſe, & omnem negligentiam ac pœnam,ad eam caſtigandam deſtinatam, ſi ſegniores fuerimus, vehementer timere.

VII. Omnia commoda,& ſalutem,& propriam
D vitam temporalem in præparatione animi, immò & ipſo opere,ſi ita neceſſarium fuerit,pro gloria Dei & bono animarum effundere.

VIII. Propriam ſalutem & animi profectum, impenſiùs quàm alterius curare, & illud(ex quo profectus aliorum pendet)cuique miniſterio præponere.

IX. Exemplo ſanctæ conuerſationis omnes iuuare,& plus opere in eo,quàm in verbis,& laboribus externis,inſumere.

X. Pro hoc exemplo, & ædificatione fratrum aliqua commoda, etiam corpuſculo neceſſaria, quæ ſine magno ſalutis diſpendio omitti poſſunt, relinquere.

E XI. Alacriter pro Dei gloria,& animabus lucrandis laborare, & ex hac alacritate fecundè & perſeueranter ad labores ferendos proſilire.

XII. Si laboribus noſtris ſperatus fructus non reſpondeat, dolere,& mœrere,& non ſine luctu filios, id eſt, fructum laborum noſtrorum, à Domino poſtulare.

Poſtulatio zeli:Domine Ieſu Chriſte, zelator animarum noſtrarum ardentiſſime, qui ad oſtendendum zelum tuum, quo vehementiſſimè noſtram ſalutem ſitiebas, dixiſti: Baptiſmo habeo baptizari; Luc. 12. 50.
& quomodo coarctor vſque dum perficiatur?] Ex-

A cita in nobis zelum amoris tui,ſalutiſque fratrum noſtrorum, quo ſuccenſi,pro his nulli labori parcamus, diligenter & fructuoſè nos occupemus, & ſi oportuerit, vitam noſtram pro te, qui pro nobis mortuus es,vicem rependentes,profundamus.Amen.

De Gaudio. §. *IV.*

GAudium, eſt affectus voluntatis, quo lætamur & exultamus de præſentia Dei in nobis per gratiam, & de infinitis perfectionibus,quæ in Deo ſunt, & de bonis, quæ ad gloriam Dei nobis & proximis noſtris collata noſcuntur. Ad quem affectum nos hortatur Paulus, cùm ait: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.] Duplex gaudium nobis imperatur: Alterum de bonis Dei, alterum de bonis nobis à Deo prærogatis; & vtrunque in Domino habendum eſt,quia non debemus in nobis,ſed in Domino gloriari.

Philipp. 4.4.

B Incitamenta ad gaudium ſpirituale ſunt: I. Conſideratio bonorum præteritorum, præſentium & futurorum. Præteritorum quidem, nimirum, quòd à Domino dilecti ſumus, quòd ex nihilo creati, quòd ad vitam æternam conditi. Præſentium verò, quia à Deo gubernamur, à malis protegimur, ad bona iuuamur, & (vt confidimus) diuinam gratiam, nos iuſtificantem, & Deo ſimiles facientem, habemus.. Futurorum tandem, quòd per Dei miſericordiam, & merita Ieſu Chriſti, Filij eius ex hac miſera lacrymarum valle fœliciter emigrabimus, & in anima & in corpore gloria veſtiemur: Gaudete, inquit Dominus, & exultate,quoniam merces veſtra copioſa eſt.] Et rurſus: Gaudete autem quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in libro vitæ.] Hæc tam magna & incomprehenſibilia bona ſunt, vt debeant in cordibus noſtris ingentem lætitiam excitare, & omnem de rebus humanis immoderatam triſtitiam conſopire.

Matth. 5. 12. Luce 10. 110.

C II. Conatus in acquirendis quinque donis, à Bonauentura numeratis, ex quibus verum gaudium exoritur. 1. Spiritualis mentis puritas.Nam generoſus animus exultanter quieſcit in lectulo conſcientiæ mundo: de quo gloriatur in Canticis, dicens: Lectulus noſter floridus.] 2. Spiritualis animæ ſanitas vitia repellens. Dulcedo enim animæ,ſanitas oſſium,] id eſt, vitium eius, dum à vitiis perpurgantur. 3. Spiritualis libertas, quæ nos per feruorem ad bonum expedit. Nam & ſic feruor à Spiritu ſancto eſt, quia [vbi Spiritus Domini, ibi libertas,] qui eſt ſpiritus gaudij & conſolationis. 4. Spiritualis tranquillitas ex eo quòd quis nihil huius mundi appetit, & cum Paulo mundum ſibi crucifigit. 5. Spiritualis conformitas cum diuina voluntate, qua quis [iactat cogitatum ſuum in Domino,vt ipſe eum enutriat.]

Bonau. in dicta ſalut. Hom. 8. c. 1.
Cant. 1. 16.
Prou. 16. 24.
2. Cor. 3. 18.
Pſal. 54. 23.

D III. Spes ſatietatis noſtræ, iuxta illud, Spe gaudentes.] Triplex enim eſt pars animæ noſtræ, rationalis, concupiſcibilis, & iraſcibilis. Satiabit enim noſtrum rationale Dominus, vt inquit Bernardus, luce ſapientiæ, cùm aperientur oculi noſtri, non ad pœnam,ſed ad præmium,& [videbimus eum ſicuti eſt.] Satiabit concupiſcibile noſtrum fonte iuſtitiæ: nam ſcriptum eſt: Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.] Satiabit iraſcibile noſtrum tranquillitate,& lætitia, cùm ſcilicet [replebimur Domine in bonis domus tuæ,quia ſanctum eſt templum tuum,mirabile in æquitate.]

Rom. 12. 12.
Bern ſer. 4. omn. ſanctorū.
1. Ioan. 3. 2.
Matth. 5. 6.
Pſal. 64. 5.

E Actiones gaudij ſunt: I. Lætari de aſſiſtentia Dei, qua eſt in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam; ſed præcipuè de aſſiſtentia eius in Eccleſia Catholica, cui præſidet tanquam rex reipublicæ ſuæ,nec eam aut errare, aut preſſuris ſubrui permittit.

II. Lætari de vnione mirabili Verbi Dei ad naturam humanam, qua Deus factus eſt homo, & homo factus eſt Deus, & de ſeſſione carnis noſtræ ad dexteram Dei Patris,vbi ab omni creatura colitur,& ab Angelis adoratur.

III. Lætari de reali ac vera præſentia Chriſti in Eccleſia per Euchariſtiæ ſacramentum, ſecundùm promiſſionem ſuam, qua dixit: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.]

Matth. vlt. 20.

IV. Gaudere de inſpiratione Spiritus ſancti, qua mouemur ad exiſtimandum,quòd peccata noſtra per vſum rectum ſacramentorum remiſſa ſunt nobis.

V. Gaudere de præſentia Dei in nobis, & de eo quòd per gratiam, quæ nos facit Deo gratos, ſumus filij Dei & hæredes regni.

VI. Gaudere de promiſſa nobis beatitudine,& de ſpe,quòd aliquando eam ſumus adepturi.

VII. Exultare de omnibus bonis & perfectionibus Dei,tanquam de bonis dilectiſſimi Patris noſtri,qui nos fecit,& immenſa dilectione in filios adoptauit.

VIII. Exultare de bonis proximorum,tanquam de bonis fratrum noſtrorum, quos diligimus ſicut nos ipſos.

IX. Ad cauſam veri gaudij conari,ſcilicet ad conſcientiæ puritatem in omnibus cogitationibus, deſideriis, verbis,& factis,ad Chriſti imitationem, & ad perfectam cum diuinis moribus conformitatem.

Poſtulatio gaudij: Domine Ieſu Chriſte, lætitia mentium, exultatio cordium,gaudium vniuerſæ terræ, qui ſeruos tuos gaudere vis,& ſæpe in mediis tribulationibus lætitia perfundis, & ad ineffabile gaudium inuitas, aperi nobis hanc abundātiſſimam ſegetem gaudiorum, & quanta ſit in nobis ex te & ex donis tuis cauſa lætitiæ. oculis noſtris oſtende, vt it. mala & peccata noſtra lugeamus, quòd à vero gaudio de miſerationibus tuis nullo tempore ſeparemur. Tranquilla, amantiſſime Deus noſter, conſcientiam noſtram vitæ puritate,conuerſationis feruore,& reliquis muneribus tuis,vt apta ſit gaudium verum de te concipere,& in te iugiter delectari. Amen.

De Pace. §. *V.*

PAx eſt voluntatis affectus,quo ſubiicimur Deo,& in eo quod bonum eſt, conſentimus hominibus, & voluntates ac appetitiones noſtras in vno virtutis deſiderio coniungimus. Pace ergo ſubiicimur Deo; de qua Paulus: Iuſtificati per fidem, pacem habemus ad Deum.]Et concordamus hominibus: quare idem Paulus ait: Cum omnibus hominibus pacem habentes.] Ac tandem conſentimus nobis metipſis. Ideóque dixit Dionyſius, Pacem eſſe omnium vnitiuam & conſenſus operatiuam. Hic affectus cùm nos ipſos pacat,vocatur pax. Vnde Auguſtinus ait,quòd pax eſt tranquillitas ordinis: cùm verò aliis nos conſenſione iungit,vocatur concordia;quod vt explicet, idem ait, pax hominum eſt ordinata concordia.

Rom. 5. 1. Rom. 12. 18.
Dionyſ. c. 11. de diuinis nomin.
Aug. 19. de ciuit. Dei. c. 13.

Incitamenta ad pacem ſunt: I. Pacis nobilitas, & ſuauitas, quam optimè deſcribit Laurentius Iuſtinianus in hunc modum:Magnum pacis eſt bonum. Eſt namque pax ſecuritas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis,vinculum amoris,conſortium charitatis. Hæc ſimulationes tollit, bella compeſcit, iras comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis eſt placida, neſcit extolli,neſcit inflari:hác qui accipit,teneat,

Laur. Iuſti. in ligno vitæ titulo de patiētia. c. 1.

qui

qui perdidit,exquirat,quoniam qui in ea non erit, à Deo alienus efficitur. Nec ad hæreditatem Domini poterit peruenire, qui bonum pacis non ſtuduerit poſſidere. A

II. Sicut ſacrificium acceptiſſimum Domino eſt, ſpiritus contribulatus, ita & ſpiritus pacatus. Illud non deſpicit,in iſto verò eius ſpiritus abundè requieſcit: illud libenter recipit, iſtud exultanter admittit. Quia ſpiritus contribulatus meretur veniam, pacatus autem imperat gloriæ coronam. Vnde Cyprianus ait: Sacrificium Deo maius eſt pax noſtra,& fraterna concordia, & de vnitate Patris, & Filij,& Spiritus ſancti plebs adunata. Neque enim in ſacrificiis, quæ Abel & Cain primi obtulerunt, munera eorum Deus,ſed corda intuebatur, vt ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus & iuſtus, dum Deo ſacrificat, innocenter docuit & cæteros quando ad altare munus offerunt, ſic venire cum Dei timore, cum ſimplici corde, cum lege iuſtitiæ, cum concordiæ pace. Meritò ille,dum in ſacrificio Dei talis eſt, ipſe poſtmodum ſacrificium Deo factus eſt,vt martyrium primus oſtendens, initiaret ſanguinis ſui gloria dominicam paſſionem,qui & iuſtitiam Domini habuerat & pacem. Tales denique à Domino coronantur, tales in die iudicij cum Domino vindicabuntur. B

Cypri. de orat. Dominica.

III. Si nihil maius, nihilque vtilius homini eſſe poteſt,quàm Deum habitatorem habere, & eius miſericordia ab omnibus malis defendi,hæc duo hominibus pacificis promiſſa ſunt. Nam & in pace factus eſt locus eius.] Et Paulus ait: Pacem habete,& Deus pacis erit vobiſcum.] Et verè ille Deum à ſe repellit, qui conſultò à ſuis fratribus diſſidet,& minimè cum diuina voluntate conſentit. C

Pſal. 75. 3. 2. Cor. 13. 11.

Actiones pacis ſunt: I. Diuinis præceptis ſe ſubiicere; iuſſa & inſpirationes Dei ſequi, & proprium arbitrium ſecundùm beneplacitum diuinum inflectere.

II. In proſperis & in aduerſis,Dei voluntati conſentire, & nec ſenſu nec voluntate ab eius voluntate diſcedere.

III. Peccata, quæ ſunt ſeminaria diſcordiæ inter Deum & hominem,fugere, & pro poſſe ſanctiſſimis Chriſti moribus aſſimilari.

IV. Idem cum omnibus ſapere,idem dicere,id eſt, in his, quæ decent, & bona ſunt, eundem ſenſum, (quoad eius fieri poterit) idem iudicium habere, & de rebus non aliter quàm prudentes loqui. D

V. Fratribus,quibuſcum viuimus,conformari in cibo,potu,& ſomno,in veſtibus,moribus, & operibus, quæ nec legi Dei, nec arreptæ profeſſioni repugnant.

VI. Ita ſanctè & circunſpectè viuere, vt nullus de nobis querelam habeat, nullus iuſtam ex noſtris dictis aut factis,cauſam perturbationis accipiat.

VII. Carnem legi Dei repugnantem, & bella cientem,ſpiritui ſubiicere.

VIII. Senſus,vſus membrorum,& interiora,atque exteriora opera ex vſu rationis diſponere.

IX. Cogitationes,affectiones,voluntates,& intentiones ſecundùm præſcriptum virtutis moderari. E

X. Noſmetipſos diſcutere,& conſiderare,& aliorum dicta aut facta, quæ ad nos non pertinent, tanquam inutilia & noxia,relinquere.

XI. Radices omnis perturbationis, ſcilicet propriam voluntatem,ſpiritum libertatis,& placendi deſiderium,euellere.

XII. Zizania, quæ ſine damno tritici eradicari non poſſunt, patienter vſque ad tempus meſſionis tolerare.

XIII. Bona,nullo præcepto, nulláve lege debita,pro vitando fratrum ſcandalo, vſque ad tempus intermittere.

XIV. Animi noſtri tranquillitatem, ex aliorum dictis aut factis nequaquam pendentem habere.

Poſtulatio Pacis: Domine Ieſu Chriſte, dulcis & vera[pax noſtra, qui feciſti vtraque vnum,]& pacem euangelizaſti his, qui longè,& iis,qui propè ſunt, rebellia & inquieta corda noſtra dono charitatis pacifica,vt dum omnes ſecundùm te, ex te, & propter te diligimus, cum omnibus pacem habeamus. Da nobis,ô Rex pacifice,pacem cum Patre tuo,ac Deo noſtro, per veram ad ſuam voluntatem ſubiectionem: Da pacem cum bonis per ſanctæ conuerſationis conformitatem: Da pacem cum malis per iniuriarum & afflictionum tolerantiam: Da pacem cum nobiſmet ipſis per voluntatum & appetituum concordiam in bono, vt ex iſta pace, tibi gratiſſima,ad æternam pacem tranſeamus. Amen.

Epheſ. 2. 14.

De Miſericordia. §. VI.

Miſericordia eſt virtus,qua dolemus & triſtamur de miſeria proximi, quam, ſi commodè poſſumus,à fratre depellimus,& ei per auxilium ſpirituale aut temporale ſubuenimus. Breuiùs definiuit Auguſtinus: Eſt, inquit, alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſſio: qua vtique ſi poſſumus, ſubuenire compellimur. Et Baſilius: Miſericordia enim affectio eſt erga eos,qui immeritò & indignis modis affliguntur, ab illis procedens, qui compaſſione afficiuntur. In hac virtute eminuit ſanctus Iob,qui de ſe ait: Quia ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.]

Aug. 29. de Ciuit. Dei c. 5. Baſil. in Pſal. 114. Iob. 31. 18.

Incitamenta ad miſericordiam ſunt: I. Miſericordia in alios maximè nos Dei filios oſtendimus, & eius perfectionem imitamur, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Quare dictum eſt nobis à Domino: Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter cæleſtis miſericors eſt.] Quod ergo primi parentes ad ſuam & ſuorum filiorum damnationem voluerunt, nempe inſipienter dij fieri, id nos ad ſalutem noſtram miſericordia conſequimur,quia dij,largiendo,& ſubueniendo miſeriis aliorum,per imitationem efficimur.

II. Miſericordia noſtris neceſſitatibus ſubuenimus, & dum aliis nonnihil tribuimus,nobiſmetipſis abundanter elargimur.Beati enim miſericordes,quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.] O fœlicem commutationem! Tu miſeriam alterius repellis per miſericordiam humanam, qua, quia parua eſt,forraſſe non ex toto indigenti ſubuenis; & promereris miſericordiam diuinam,qua,quoniam infinita eſt,nulla re poteris egere. Cuius rei aſſertor eſt Salomon dicens: Qui dat pauperi, non indigebit; qui deſpicit deprecantem,ſuſtinebit penuriam.] Oſtendens(inquit Cyprianus) miſericordes atque operantes egere non poſſe, magis parcos & ſteriles ad inopiam poſtmodum deuenire.Bene itaque dicitur,quòd fœneratur domino, qui miſeretur pauperi, quoniam quod largitus fuerit,cum lucro recipiet.

Matth. 5. 7. Prou. 28. 27. Cypri. de opere, & eleemo. y.

III. Non ſolùm per miſericordiam aliis impenſam tibi ipſi in hac vita conſulis, ſed etiam in æterna vita æternam fœlicitatem conquiris. Nam opera miſericordiæ ſunt leges, quarum obſeruatione fœlicitas iuſtis danda reſpondet:dicente Domino: Venite benedicti Patris mei,poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.] Eſuriui enim,& dediſtis mihi manducare:Sitiui,&dediſtis mihi bibere:Hoſpes erã, & collegiſtis me:nudus,& cooperuiſtis me:infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me.]

Matt. 25. 34. 35. 36.

Iacob. 2, 13. Qui autem miſericordiam non habuerit, nec miſericordiam aſſequetur; quia iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui oon fecit miſericordiam.]

Actiones miſericordiæ ſunt: I. Ignorantes docere, Hæreticos à deliriis ſuis, Ethnicos à cæcitatibus ſuis eripere; & rudes ac idiotas in rebus fidei ac morum erudire.

II. Peccantes opportunè, amanter, efficaciter, verbo per ſe, & per alios, prout prudentia dictauerit, & magis exemplo corrigere.

III. Dubio aliquo hærentes, & quid facto opus ſit in rebus & negotiis occurrentibus neſcientes, conſilio iuuare.

IV. Mœſtos, & afflictos, & tentationibus aut aduerſitatibus preſſos conſolari.

V. Iniurias patienter ferre, imò magis de malo ac peccato iniuriantis, quàm de propria iniuria dolere.

VI. Offenſas promptè remittere, & nec per nos, nec per alios, nec verbo, nec opere, nec deſiderio vindictam aſſumere.

VII. Pro perſequentibus nos, pro amicis, & inimicis, pro viuis, & præcipuè pro defunctis orare: & animabus in Purgatorio exiſtentibus, non tantùm orationibus, ſed ieiuniis, corporeis aſperitatibus, & eleemoſynis ſubuenire.

VIII. Eſurientibus cibum conuenientẽ tribuere.

IX. Sitientibus potum porrigere.

X. Hoſpites, aduenas, & peregrinos liberali hoſpitio recipere.

XI. Pauperum nuditatem veſtibus operire.

XII. Infirmos & carcere detentos viſitare.

XIII. Captiuos de manu Turcarum aut aliorum hoſtium, dato pretio, redimere.

XIV. Defunctis iuſta facere, & Eccleſiaſtico officio ſepulturæ eorum aſſiſtere, & dum opus fuerit, eorum corpora terræ religiosè mandare.

XV. Hæc omnia aut aliqua eorum, ſi opere non valuerimus præſtare, at deſiderio & mentis affectu perficere.

Poſtulatio miſericordiæ: Domine Ieſu Chriſte, omnium miſericordiarum pater, qui generis humani miſerias per crucem, & paſſionem tuam à nobis mirabiliter elongaſti, & dicens: Diſcite quid eſt, miſericordiã volo, & non ſacrificium,] miſerationis opera ſacrificiis prætuliſti; fac nos miſerorum miſereri, & per miſericordiæ opera eorum miſeriis & neceſſitatibus ſubuenire, vt in miſeriis noſtris, quæ multæ ſunt, te miſericordem benignúmque patrem, & earum amabilem depulſorem inueniamus. Amen.

De Beneficentia. §. VII.

Beneficentia eſt bonus affectus voluntatis, operi coniunctus, quo propter Deum in omnes, quos poſſumus, beneficia conferimus. Hanc charitatis actionem præſtitit ſemper Saluator noſter; de quo ſcribitur: Quòd pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo. (Act. 10, 30.) Hæc etiam alio nomine vocatur benignitas, quæ breuiter definitur, Bonorum feracitas.

Incitamenta ad Beneficentiam ſunt: I. Quòd fraterna charitas, abſque operibus beneficentiæ ſatis nulla aut exigua eſt, ſi ea preſtare nõ valeamus: Rémq; per ſe vtiliſſimam, nempe charitatem in fratres, noſtra culpa inutilem facimus. Iuxta illud Iacobi: (Iacob. 2. 15.) Si autem frater & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis, illis: Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini, non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?]

II. Beneficentiæ opera ſunt hoſtiæ Deo acceptiſſimæ, quas ſibi in lege gratiæ mactari præcepit, illiſque non aliam mercedem quàm ipſum Deum omnium bonorum fontem, acquirimus. Vnde Paulus: (Hebr. 13. 16.) Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus.]

III. Omnia creata, tum viſibilia, tum inuiſibilia, nos ad beneficentiam inuitant. Nihil enim eſt in rerum natura ex quo aliquod beneficium non accipiamus. Quædam quippe in nos conferunt beneficia refectionis, quædam voluptatis, quædam eruditionis, quædam correctionis. Valde autem reprehenſibile eſt, quemquam inter tot res beneficas non eſſe beneficum, & tot tantáque recipientem nihil dare, neque ſe proximis ſuis vtilem & benignum præbere. Operemur ergo bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.

Actiones beneficentiæ ſunt: I. Beneficia temporalia & ſpiritualia doctrinæ, conſilij, & exempli, pro facultate omnibus domeſticis, & externis, cognitis & incognitis elargiri.

II. Hæc eadem cùm à nobis petuntur, ſtatim ſine vlla mora libenter atque hilariter dare.

III. Cùm nihil à nobis poſtulatur, ſi proximo vtilia erunt obſequia noſtra, vel ad oſtenſionem amoris neceſſaria, ea gratanter ingerere.

IV. Ignorantes, & nihil de nobis cogitantes, cùm Deo gratum fore putatur, operibus pietatis afficere.

V. In gratiam & vtilitatem temporalem aliorum, aliquam incommoditatem ſuſtinere, & pro ſalute eorum ſpirituali etiam vitam temporalem periculo exponere.

VI. Pro beneficiis exhibitis ab homine nihil laudis, nihil gratitudinis, nihil compenſationis expectare, ſed præmium bonorum operum Dei approbationem habere.

VII. Ita tandem dare, quomodo vellemus accipere.

Poſtulatio beneficentiæ: Domine Ieſu Chriſte, ſol iuſtitiæ pulcherrime, qui omnes illuminas, omnes foues, omnes (quod ad te attinet) tuo aſpectu viuificas, de cuius tempore prædictum eſt: (Iſa. 35. 5.) Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum:] Da nobis inter alia innumera, quæ à tua benignitate recipimus, benignitatis affectum, & profuſum in proximis beneficiorum effectum, vt dum noſtra cura eis benefica voluntate partimur, & tibi ſimiles ſimus, & maiora dona de tua largitate recipiamus. Amen.

De Virtute Prudentiæ.

CAPVT VI.

Sicvt fides inter virtutes Theologicas, ita & Prudentia inter virtutes morales primum locum obtinet. Afficit enim intellectum, cuius actio (vt diximus) voluntatem præcedit, & vniuerſas hominis vires dirigit. Prudentia autem multas ac varias habet ſpecies, partes, & comites, quas Theologi, præſertim ſanctus Thomas, latiſſimè proſequuntur. (D. Thom. à q. 47. vſq; ad.) Nam ſi ſpecies eius conſideremus; altera eſt prudentia, qua quis regit ſeipſum: altera, qua regit multitudinem. Hæc verò adhoc eſt multiplex: Nam quędam dicitur œconomica, quæ gubernat domum: alia dicitur militaris, quæ gubernat exercitum: alia regnatiua, quæ gubernat regnum aut rempublicam: & alia politica, qua ſubditi ſeipſos rectè diſponunt, circa bonum regni cõmune. Si verò partes,

A prudentiam conſtituentes, & quaſi integrantes, inſpiciamus, multæ ſunt: nempe memoria, qua recordamur præteritorum: intelligentia ſiue cognitio præſentium: docilitas, qua ductu alterius erudimur: ſolertia, qua occulta bene coniectamur: ratio, qua ex vnius notione in alterius notionem deuenimus: prouidentia, qua media ad finem conſequendum aptè præuenimus: circunſpectio, qua rei circunſtantias animaduertimus: & cautio, qua periculis & impedimentis obſtamus. Si tamen comites prudentiæ inueſtigemus, iſtæ ſunt tres: Bona conſultatio: rectum iudicium ſecundùm rationes communes; & rectum iudicium præter legem communem, cùm negotij qualitas ordinarias regulas in ſui diſpoſitione non patitur. Hæc omnia rectè & accommodatè ad Theologicam tractationem dicta ſunt. Nos verò, qui B virtutum naturas in ordine ad ſpiritualem vitam breuiſſimè delibamus, in quinque tantùm partes hanc virtutem diſtribuimus; nempe in prudentiam, diſcretionem, docilitatem, ſolicitudinem, & circunſpectionem, quas qui aſſequutus fuerit, non in infimo gradu lucem ad ſpiritualiter viuendum habebit.

De Prudentia. §. I.

PRudentia eſt virtus intellectus practici, qua, propoſito nobis fine virtutis, media ad illum conſequendum per conſultationem inquirimus, & per iudicium inuenimus, & per præceptum efficax executioni mandamus. Bernardus ex Auguſtino breuiùs C eam definiuit dicens: Eſt cognitio rerum appetendarum & fugiendarum. Et ipſe Auguſtinus alio loco ait: Prudentia eſt amor, ea quibus adiuuatur in Deum, ſagaciter eligens. vocat autem eam amorem, non quia amor ſit, ſed quia ad amorem bonorum, quibus ad virtutem iuuamur, impellit.

Bern. ſer. de vilico. Aug. lib. 1. de lib. arbitrio. c.13. lib. de mor. Eccleſiæ. c.15.

Incitamenta ad Prudentiam ſunt: I. Virtutes aliæ ſine prudentia, non tantùm decorem & pulchritudinem perdunt, ſed etiam ex ſtatu virtutum in vitia dilabuntur. Niſi enim prudenter ſe habeant, vel à regula ſua exorbitant, vel deficiunt, & ideo vitium per exceſſum vel per defectum fiunt. Vnde Bernardus: Tolle hanc, & virtus vitium erit. Ipsáque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiúmque naturæ. Et Gregorius ait: Niſi virtutes D reliquæ, ſapientiæ epulis repletæ, quæ operantur, prudenter agant, virtutes eſſe nequaquam poſſunt.

Bern. ſer. 49. in Cant. Greg. 2. mor. c.33.

II. Homo ſine prudentia, in periculo caſus manifeſtè verſatur, quia, cui lux iſta præſtantiſſima intellectus deficit; cæcus eſt: neceſſarióque aut in loco inuio & periculoſo ſecurus ambulabit, & ſe præcipitem aget, aut in loco tuto & plano timebit, & præ timore iter perfectionis non arripiet. Optimè Laurentius Iuſtinianus ait: Non poteſt quis à malo fugere, & ſe in bono conſeruare, niſi in cunctis, quæ agit, præſit prudentia; per quam diſcernendo cunctas ſingulásque valeat moderari voluntates: ne opinio verſipellis fallat; ne decipiat ſermo verſutus, ne quod E malum eſt, bonum; ne quod bonum eſt, malum eſſe credatur.

Iuſt. in ligno vitæ de prud. c.3.

III. Regnum cælorum, id eſt, Eccleſia, decem virginibus comparatur; quarum [quinque erant fatuæ, & quinque prudentes.] Harum ſalus prudentiæ tribuitur, quia nimirum acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus, nam conſiderãtes fidem ſolam lampade ſignificatam ad ſaluté non ſufficere, oleum, id eſt, bona opera (vt interpretantur Hilarius & Hieronymus) habere voluerunt. Illatum verò damnatio ex ſtultitia oppoſita prudentiæ proceſſit; quia ſola fi- A de contentę oleum bonorum operũ contempſerunt. Magna ergo & ſummè neceſſaria eſt virtus prudentiæ, quæ virgines ſeruat, & à damnatione liberat, quatenus media à Deo ad ſalutem inſtituta, opere tenenda eſſe efficaciter dictat.

Matt. 25. 1.

Hilar. & Hier. ibi.

Actiones Prudentiæ ſunt: I. Finem totius vitæ, ſcilicet beneplacitum Dei & aſſequutionem beatitudinis, attentè reſpicere, & in quocumque ſpeciali negotio proprium etiam virtutis finem intueri.

II. De medijs ad finem conſequendum per diuinas leges conſultare, pro luce ad intelligendam diuinam voluntatem orare, diligenti etiam meditatione & conſilio aliorum vti, ac quemquenon multum ſibi ipſi fidere.

III. De his, quæ in conſultationem allata ſunt, B iudicare; & inutilia ab vtilibus, & mala à bonis, conſiderato ſtatu noſtro ac vocatione, necnon & virium menſura, ſecernere.

IV. Ea, quæ meliora ſunt, & fini, ad quem tendimus, congruentiora, præeligere.

V. Voluntatem, & cæteras animi vires ad ea, quæ electione acceptata ſunt, operi exequenda efficaciter per impetum inflectere. Vir enim ſapiens, fortis eſt; & vir doctus, robuſtus & validus, qui non ſolùm rectè iudicat, & eligit, ſed bona efficaciter perficit.

Prou. 24.

Poſtulatio prudentiæ: Domine Ieſu Chriſte, magiſter bone, qui ſectatores tuos ad ſinceram prudentiam & prudentem ſinceritatem hortatus es, monens eos, vt eſſent prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ; da nobis ſedium tuarum aſſiſtricem C ſapientiam, quæ nobiſcum ſit, & nobiſcum laboret, vt te finem, ac ſcopum omnium laborum noſtrorum habeamus, vt ita eos per prudentiam ſpiritus moderemur, vt & tibi placeant, & in omni virtute ac ſanctitate promoueant, tibíque nos tandem fœlicitatis aſſequutione coniungant. Amen.

De Diſcretione. §. II.

DIſcretio eſt ſpiritualis prudentia, qua in his, quæ ad interiora ſpiritus pertinẽt, vera à falſis, bona à malis, meliora à minoribus bonis diſcernimus; & his repudiatis, illa quæ magis cõferunt, acceptamus. Hãc Albertus manifeſtè à prudentia diſtinguit, non aliter D (vt puto) quàm partem à parte. Nã prudentia videtur ad moderandas actiones externas virtutũ moralium pertinere: Diſcretio verò intima ſpiritus penetrare.

Alber. de virt. c.8. & 34.

Incitamenta ad diſcretionem ſunt: I. Quòd ſicut Deus ſapientia ſua in huius orbis fabrica res inter ſe diſtinxit, & aptis in locis collocauit, vt mundus perfectus exiſteret: vnde facta luce diuiſit lucem à tenebris, & aquas ab aquis, aquámque inferiùs iacentem, quam appellauit maria, à terra ſegregauit:] ita iuſtus diſcretione ſibi immiſſa diuinitus, inter cogitationes & affectiones diſcrimen conſtituit, vt quibuſdam admiſſis, quibuſdam repudiatis, & ſingulis in ſuo loco diſpoſitis, vitam ſuam Deo placitam & perfectam efficiat.

Gen. 1. 4.

E II. Diſcretio eſt oculus mentis, de quo ait Dominus: Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.] Ea qui caret, cæcus eſt, & in mille incommoda & errores impingit, eam qui habet, non tantùm videt, ſed inter bonum, melius, & optimũ in vnaquaque re aptè ſapientérque diſcernit. Egregiè id explicauit Bonauentura, dicens: [Diſcretionis altus gradus eſt, ſecundùm ordinem Dei vti donis temporalibus: altior, ſecundùm ordinẽ Dei vti donis naturalibus in corpore & in anima: altiſſimus, vti ſecundùm ordinem Dei donis gratuitis in anima. Item. Altus gradus eſt, ſeruare præcepta ſcripturæ: altior, ſeruare conſilia ſcripturæ:

Matth. 6. 22.

Bonau. li. de gradib. virt. c.16.

altiſſimus, ſeruare doctrinam Ieſu Chriſti. Item, Altus gradus eſt, regere ſe ſecundùm exempla ſanctorum: altior, ſecundùm exempla Chriſti: altiſſimus, ſecundùm mores Dei. Item Altus gradus eſt, cogitare varia beneficia Dei: altior, de beneficiis collatis gratias agere: altiſſimus, laudare diuinam naturam & bonitatem, quæ coegit dantibus Item, Altus gradus eſt, in omnibus cautum eſſe coram ſecularibus, ne ſcandalizentur: altior, cautum eſſe coram religioſis, vt ædificentur: altiſſimus, coram Deo iudice cautum eſſe, ne offendatur.

Caſſian. col. 2. c. 6. III. Multiplex perfectio diſcretionis, quam Caſſianus pulchre depingit his verbis: Hæc eſt diſcretio, quæ non ſolùm lucerna corporis, ſed etiam ſol ab Apoſtolo nuncupatur. Secundùm illud: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.] Hæc etiam vitæ *Prou. 11. ſec. 70.* noſtræ gubernatio dicitur, ſecundùm illud: Quibus non eſt gubernatio, caduot vt folia.] Hæc conſilium rectiſſimè nominatur, ſine quo nihil agere omnino, *Pſal. 103.* ſcripturę authoritate permittitur, ita vt ne ipſum quidem ſpirituale vinum, quod lætificat cor hominis, ſine ipſius ſiuamur moderatione percipere: ſecundùm illud: Cum conſilio omnia fac, cum conſilio vinum bibe.] Et iterum: Sicut ciuitas muris diruta & non circumdata, ſic eſt vir, qui non cum conſilio aliquid agit.] Cuius priuatio quàm pernicioſa ſit monacho, teſtimonij huius exemplum figuratè declarat, dirutæ eum ac ſine muris comparans ciuitati. In hac ſapientia, in hac intellectus, ſenſúſque conſiſtit, ſine quibus nec interior noſtra ædificari domus, nec ſpirituales poterunt diuinæ congregari: ſecundùm *Prou. 24. 70.* illud: Cum ſapientia ædificatur domus, & cum intellectu iterum erigitur, cum ſenſu implentur cellaria omnibus diuitiis pretioſis & bonis.] Hæc, inquam, eſt ſolidus cibus, qui niſi à perfectis tantùm ac robu- *Hebr. 5. 14.* ſtis ſumi non poteſt: ſecundùm illud: Perfectorum autem eſt ſolidus cibus eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali.] Quæ in tantum vtilis nobis ac neceſſaria comprobatur, vt etiam verbo Dei eiúſque virtutibus co- *Hebr. 4. 12.* aptetur: ſecundùm illud: Viuus eſt enim Dei ſermo & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, & medullarum, & diſcretor cogitationum, & diſcretionum cordis;] quibus manifeſtiſſimè declaratur, nullam ſine diſcretionis grana poſſe vel perfici, vel ſtare virtutem.

Actiones diſcretionis ſunt. I. Diſcernere inter malum, peius & peſſimum, vt ſecundùm ſuam malitiam reiiciantur, & inter bonum, melius, & optimum, vt ſecundùm ſuam bonitatem amentur.

II. Aduertere, quam reuerentiam debeamus ſuperiori, quam compaſſionem inferiori, quam ſocietatem æquali. Item, qualiter nos debeamus habere ad viuos; qualiter ad vita functos, quomodo erga prædeceſſores, & quomodo erga ſucceſſores: qualiter ad amicos, qui diligendi ſunt in Deo, qualiter ad inimicos, qui etiam diligendi ſunt propter Deum.

III. Conſiderare, quæ refectio ſit danda corpori, & qualis, & quanta, in cibo, potu, & ſomno, & indumento, & in omni corporali exercitatione; necnon quæ, qualis, & quanta concedenda ſit animæ in oratione, in lacrymis; in laude diuina, & in omni ſtudio pietatis.

IV. Diſtinguere tempora laborandi, & quieſcendi; loquendi, & tacendi: dandi, & accipiendi, & in omnibus debitas circunſtantias obſeruare.

V. Ordinare cogitationes, ne extra Deum vagentur. Affectus mentis, ne nimis in creaturis occupentur; voluntates, ne à Deo ſeparentur: intentiones, A ne impuritati miſceantur. Et ſuſpiciones ac iudicia in meliorem partem conuertere, & verba ac facta in bonum finem dirigere.

VI. Inter creatorem ac creaturam diſcrimen ſtatuere, & illum propter ſeipſum diligendum eſſe cognoſcere: Hanc verò aut propter Deum diligendam, aut ſi nos à dilectione eius diuellat, ex toto comtemnendam iudicare.

VII. Vel tandem, ſecundùm Ricardum Victo- *Ricar. ad Pſal. 143.* ctorinum, actiones diſcretionis ſunt: I. Iudicatio, quæ cuncta in iudicium adducit, & ſegregans bona à malis, per illicita nos effluere non permittit. 2. Deliberatio, quæ nihil inconſultè agit, & nos à ſuperuacuis reſtringit. 3. Diſpoſitio, quæ cuncta ordinatè B operatur, & nihil confuſum relinquit. 4. Diſpenſatio, quæ ſuperuenienti occaſioni cedit, & humanæ infirmitati condeſcendit. 5. Moderatio, quæ modum cuſtodit in omnibus, & menſuram non excedit. De his quinque diſcretionis partibus interpretatur illud Dauidis: Benedictus Dominus Deus meus, *Pſal. 143. 1.* qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.] Manus duæ, iuſtitia & miſericordia ſunt, quas Dominus ad prælium docet, cùm aduersùs omnem iniuſtitiam & cordis duritiam nos inſtruit. Quinque autem digiti ſunt quinque actus diſcretionis, quos ad bellum erudit, cùm per illos omne peccatum debellare nos facit. Diiudicatio eſt velut pollex; nam ſicut pollex omnibus aliis poſitione reſpondet; ſic diiudicatio aliis actibus materiam acceptandam vel reſpuendam ſubminiſtrat. Deliberatio eſt C velut index, quæ quid faciendum ſit, indicat & oſtendit. Diſpoſitio eſt velut medius digitus, qui in medio eſt, & altior eſt cæteris, & ita diſpoſitio, quaſi gubernatrix, omnia agenda diſponit, ordinat, & moderatur. Diſpenſatio eſt velut medicus, qui infirmitati ſe accommodat, & quæ rectè diſpoſita ſunt, quia ex occaſione emergente non rectè ſuccedunt, prudenter mutat. Moderatio eſt vt minimus digitus ſeu auricularis, nam ille aures mentis ad obaudiendum mandatis purgat, qui in omnibus quæ agit, dignas moderationis metas obſeruat.

Poſtulatio diſcretionis: Domine Ieſu Chriſte, qui non vt homines, vides in facie, ſed vt Deus intueris cor, & opera noſtra, diſcretionis ſale condita, licèt externa ſpecie parua ſint, approbas, & hoc ſale va- D cua, licèt magna videantur, vt vilia & inutilia contemnis, intelligentias noſtras ſpiritu diſcretionis nobilita, vt vera à falſis & bona à malis diſcernendo, in operibúſque & deſideriis noſtris menſuram virtutis tenendo, vita noſtra tibi placeat, & quotidie ad gloriam tuam in melius proficiat. Amen.

De Docilitate. §. III.

Docilitas eſt applicatio mentis ſolicita, frequens, & ſummiſſa ad documenta maiorum, non negligens ea propter ignauiam, nec contemnens pro- *D. Tho. 2. 2. q. 49. art. 3. ad 2.* pter ſuperbiã. Sic colligitur ex Thoma Aquinate deſcriptio docilitatis, cui alia deſcriptio Cypriani aſtipu- *Cyprian. ad Pōpei. c. epiſt. Stephani.* latur, qua docilem definit. Ait enim: Docilis eſt ille, E qui eſt ad diſcendi patientiam lenis & mitis.]

Incitamenta ad docilitatem ſunt: I. Exempla ſanctiſſimorum hominum, qui alios in conſilium aduocare, eos libenter audire, & ipſorum ſententiam magis quàm propriam ſequi maluerunt. De quo ſic Baſilius ait: Quanta verò vtilitas ex conſilio al- *Baſil orat. 21. de ſolicit.* terius percipiatur, vel maximè patet in Moſe, qui quantumuis omni Ægyptiorum ſapientia inſtructus eſſet, & licèt cum Deo de facie in faciem, vti amicus cum amico, ſermonem & conſilia conferret,

tamen

tamen ſoceri ſui Iother conſilium eſt ſequutus, in conſtituendis centurionibus, decurionibus, ac tribunis, qui præeſſent, ac iudicarent populum. Sic Dauid conſilio Chuſis vſus, hoſtilis animi conſilia Achitophel euertit, diſpulitque. Profectò diuina quædam res eſt, conſilium: eſt namque animi coniunctio, charitatis fructus, mentis demiſſæ demonſtratio.

II. Ea, quæ prudentiæ & diſcretioni ſubſunt, quaſi infinita ſunt, nec vllus, quamuis ſapientiſſimus, ad omnia per ſe cognoſcenda & diſcernenda poteſt ſufficere: Ergo omnibus docilitas neceſſaria eſt, vt alij alios libenter audiant, & eorum ſententias, ſi propriis definitionibus præſtent, actione compleant, & ſe proprio iudicio non regant. Quare non huic aut illi, ſed omnibus dicitur: *Prouer. 3. 7.* Ne ſis ſapiens apud temetipſum: Ne innitaris prudentiæ tuæ:] Si dilexeris audire, ſapiens eris.] *Eccl. 6. 34.* Et Bernardus non aliquem monens de medio populo, ſed ipſum ſummum Pontificem, ait: *Bern. lib. 5. de conſid. c. 4.* Diligenter proinde, omne quod faciendum erit, tracta apud te, & cum his, qui te diligunt. Tracta ante factum, quia poſt factum ſera retractatio eſt. Sapientis conſilium eſt: Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis.]

III. Facilem autem reddit docilitatis exercitationem, conſiderare, qui qualéſque ſint in conſultores eligendi. Neque enim omnes in conſilium vocandi ſunt, nec omnes, conſilia nobis ingerentes, audiendi, ſed illi, quibus magna proteruia eſt reluctari, quia ſapientia & rerum experientia præſtant: & inſignis ſapientiæ indicium eſt illis obedire. *3. Reg. 12. 13.* Roboam relicto ſeniorum conſilio, iuuenibus inſipientibus obſequutus eſt, ideo populus meritò ab illo defecit. Non hoc dicimus, ſed vt ſenioribus, ſapientioribus, & Deo magis propinquis, recta conſulentibus pareamus. Quæramus ergo conſiliarium; *Ambr. 2. offici. c. 17.* qui (vt inquit Ambroſius) nihil nebuloſum habeat, nihil fallax, nihil fabuloſum, nihil ſimulatum, quod vitam eius ac mores refellat, nihil improbum ac maleuolum, quod auertat conſulentes. Hunc autem gratum erit audire, huius dictis iucundum erit acquieſcere, periculoſum autem, eius monita præterire.

Actiones docilitatis ſunt: 1. Spirituali magiſtro, qui nos regit, totam conſcientiam, & cunctos receſſus mentis noſtræ, verè, ſyncerè, & fideliter patefacere.

II. Faciles & paratos ad eum audiendum, & ipſius monitiones excipiendas nos exhibere.

III. In omnibus, præſertim alicuius momenti, quantum prudentia permiſerit, pro conſilio ad eum recurrere.

IV. Quæ præceperit, aut ſuaſerit, in quo peccatum non appareat, reuerenter excipere, & proprio iudicio abnegato diligenter executioni mandare.

V. Quod minus prudentiæ & diſcretionis habemus, habita ad eum obedientia ſupplere.

VI. Vbi aptus conſiliarius defuerit, optimum conſilium à Deo per ardentem orationem exquirere.

Poſtulatio docilitatis: Domine Ieſu Chriſte, qui *Iacob.* per os Apoſtoli tui Iacobi, ſapientiam à te donatam ſuadibilem appellaſti, & homines non per Angelos, ſed per alios homines gubernari voluiſti; quíque *Actor.* Paulum Apoſtolum tuum vas electionis ad Ananiam pro accipienda doctrina veritatis deſtinaſti: da nobis quæſumus, [ne prudentes ſimus apud nosmetipſos,] *Roman. 12. 16.* ſed noſtrum nihilum agnoſcentes, te per ſuperiores ac magiſtros noſtros ad nos loqui intelligamus, & ipſis conſcientiam noſtram ſyncerè aperientes, eorum monitis & conſiliis nos dociles ac morigeros præbeamus. Amen.

De ſolicitudine. §. IV.

Solicitudo eſt celeritas mentis in rectè exequendis virtutum operibus, quæ per prudentiam ac diſcretionem apta obſequio Dei & noſtro profectui, iudicata ſunt. Quam Petrus copulauit prudentiæ dicens: Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus.] *1. Petri. 4. 7.* Ex quo conſtat, ſolicitudinem alio nomine vocari vigilantiam, quoniam ſoporem mentis, id eſt, noxiam quietem, & incuriam in bene operando, repellit. Vocatur etiam feruor ſpiritus: quoniam ſicut aqua feruens huc illúcque mouetur, & præ calore muſcas & animalcula immunda intra ollam intrare non patitur: ita animus vigilans atque ſolicitus, nunquam in noxia quiete eſt, ſed diligenter curat, impedimenta bonarum actionum expellere; & eas ſine vlla, quantum poteſt, imperfectione præſtare.

Incitamenta ad ſolicitudinem ſunt: 1. Tepiditatis & negligentiæ ſtatus: in ſpirituali verò quodammodo peior eſt ſtatu carnali, quia faciliùs quis & frequentiùs ſolet à peccato ad gratiam reſurgere, quàm ad feruorem à tepore tranſire. Cuius rei Caſſianus eſt manifeſtus aſſertor, ita ſcribens: *Caſſia. col. 4. c. 19.* Frequenter enim vidimus de frigidis atque carnalibus, id eſt, de ſæcularibus atque paganis, ad ſpiritualem perueniſſe feruorem; de tepidis atque animalibus omnino non vidimus. Quos etiam per prophetam, ita legimus, Dominum deteſtari, vt ſpiritualibus viris atque doctoribus præcipiatur, vt ab eis monendis docendiſque diſcedant, & nequaquam veluti in ſterili, atque infructuoſa terra, noxiíſque ſentibus occupata, ſemen verbi ſalutaris expendant, ſed vt contemnentes eam, nouam potiùs excolant terram, id eſt, erga paganos, ac ſæculares omnem doctrinæ culturam, ac verbi transferant ſalutaris inſtantiam: quod ita legitur: Hæc dicit Dominus viro Iuda & habitatoribus Ieruſalem, Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.] *Ierem. 4. 3.*

II. Magna ſolicitudine mundani homines, fallaces diuitias quærunt, impuras voluptates inquirunt, & inanes honores aucupantur, nihílque quod ſuis deſideriis conducibile exiſtimant, infectum prætermittunt. Nos ergo tanto ſolicitiores eſſe oportet, quanto non vana, ſed vera ſperamus; non impura, ſed ſancta, ſed perfecta, ſed Deo placita concupiſcimus. Ne dicatur de nobis, quòd filij huius ſæculi prudentiores & vigilantiores filiis lucis in generatione ſua ſunt. Immò potiùs pareamus voci Domini dicentis: Vigilate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.]

III. Non deſidibus & otioſis, ſed ſolicitis, & feruidis, & vigilantibus, diuitiæ & præmia promiſſa ſunt. Vnde optimè dixit Baſilius: *Baſil.* Quis, quæſo, vnquam, qui ſementis tempore domi deſederit otioſus, aut etiam dormiens, vbi poſtea meſſis aduenit, ſinum ſuum manipulis impleuit? Quis ex vinea, quam ipſe non plantauit, vuas vnquam collegit? Illorum enim ſunt fructus, quorum & labores, ſicut coronæ præmiáque illorum, qui victores euaſerint. *Luca 12.* Quis enim eum, qui ne in certamen quidem cum aduerſario deſcendit, corona vnquam duxit eſſe inſigniendum? Cùm ad eam promerendam, non victoria modò ſed legitimus in certando conflictus requiratur, vt eſt apud Apoſtolum: quod quidem nihil aliud eſt, quàm, vt eorum quæ obſer-

uanda deſcripta ſunt, nihil omnino quicquam prætermittatur, ac ſingula ita fiant, vt à præſcripto nihil diſcedant. Beatus enim, inquit, ſeruus ille, quem cùm venerit dominus, inuenerit non ſimpliciter quiduis facientem, ſed ſic facientem. Et ſi rectè quidem obtuleris, non rectè autem diuiſeris, peccaſti.

Actiones ſolicitudinis ſunt: I. Bonis operibus, vt rectè & religiosè peragantur, debitam mentis attentionem ac neceſſarium conatum adhibere.

II. In cura perficiendorum bonorum operum, vigilantia, quam ponere conſueuimus in rebus huius mundi, non vinci: ſed ſic vt exhibuimus membra noſtra ſeruire iniquitati ad iniquitatem; ita eadem exhibeamus ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.

III. Eadem bona opera tempore congruo præſtare, & nec ob negligentiam, aut nimiam rerum temporalium curam, in importunum tempus differre, nec ob deſiderium ſe ab onere bonorum operum exoluendi, ipſa præuenire.

IV. Omnia impedimenta, tum externa occupationum, tum interna ſæcularium cogitationum, curarum, & imperfectionum, quæ bonorum operum pulchritudinem, tranquillitatem, & perfectionem inficiunt, conſtanter & animosè dimouere.

V. Tantam diligentiam ſingulis bonis operibus apponere, quaſi tota ſalus ex vnoquoque penderet.

VI. Quodcumque bonum opus tanta cura ac diligentia præſtare, ac ſi eſſet poſtremum, quod in tota vita ſumus facturi, & ac ſi ſtatim eſſemus morituri.

Poſtulatio ſolicitudinis: Domine Ieſu Chriſte, Paſtor vigilantiſſime, qui exultaſti vt gigas ad currendam noſtræ redemptionis viam, & egreſſionem tuam à ſummo cœlo, & reditum tuum vſque ad ſummum eius propter Adam & poſterorum eius ſalutem, celerrimè peregiſti: præcinge nos ſancti feruoris virtute, & pone immaculatam ab omni ſegnitie viam vitæ & conuerſationis noſtræ. Perfice ſolicitudine à te immiſſa pedes, hoc eſt, affectus noſtros, tanquam ceruorum, & nos ſuper excelſa & inacceſſibilia virtutis ſtatue, vt tibi ſummo Regi in terris poſiti, ſicut in cœlis Angeli ſeruiunt, ſolicitè & vigilanter ſeruiamus. Amen.

Pſal. 17. 33.

De Circunſpectione. §. V.

CIrcunſpectio eſt attentio mentis ſedula ad ea quæ circunſtant bonum opus, quod aggredimur, vt rectè & ſecundùm præſcriptum virtutis fiat; & ad ea quæ inſurgunt, & ſeſe obiiciunt, impedimenta, ne quod prudenter incipimus, ſiniſtrè ſuccedat. Et hæc pars circunſpectionis, quæ mentem præmunit aduersùs inſurgentia & imminentia mala, vocatur cautio; de qua Paulus: Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, vt ſapientes.] De circunſpectione autem Eccleſiaſticus ait: Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circunſpectionem Dei:] vt ſcilicet ex ea diſcat quomodo ſe in omnibus circunſpectè habere debeat.

Epheſ. 5. 15. *Eccl. 14. 22.*

Incitamenta ad circunſpectionem ſunt, I. Malitia diaboli, qui, vt Petrus ait, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.] Et licèt libenter malis & impuris hominibus veſcatur, tamen bonos præcipuè ac puros deuorare & deglutire nititur. Pulchrè enim Gregorius ait: Sed an-

1. Petri. 5.8. *Greg. 33. mor. c. 18.*

A tiquus hoſtis hoc pro magno non habet, quòd ſub iure ſuæ tyrannidis terrena quærentes tenet: Propheta quippe atteſtante cognouimus, quia eſca eius electa. Nec enim mirum deputat, ſi eos abſorbeat, quos ſuperbia erigit, auaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia anguſtat, ira inflammat, diſcordia ſeparat, inuidia exulcerat, luxuria inquinans necat. Abſorbebit ergo fluuium, & non mirabitur, quia pro magno non æſtimat, cùm eos deuorat, qui per ipſa ſuæ vitæ ſtudia deorſum currunt, ſed illos magnopere rapere nititur, quos deſpectis terrenis ſtudiis iungi iam cæleſtibus contemplatur.] Cùm ergo iuſti tam antiquum & implacabilem hoſtem habeant, mirum erit, ſi ſecuri dormiant, & non circunſpecti, & cauti aduersùs illum ſe diligenter accingant.

Abacuc. 1.

B II. Omnia ſunt plena periculis, & non ſolùm in vitio, ſed in ipſa virtute diſcrimen eſt, quare neceſſarius eſt diſcretionis oculus, qui pericula ſpiritualia præuideat, & ſolers cautionis gubernator, qui latrunculos, nos infeſtare & deprædari volentes, ſemel cognitos arceat, & theſaurum virtutis integrum intactúmque cuſtodiat. Meritò quidem ſeruus ille laudatur, quem cùm venerit dominus, inuenerit vigilantem, adeò vt dignus ſit ſuper bona domini conſtitui. Ille autem vigilat, qui circunſpectus eſt, vt prouideat bona, & cautus, vt tota mentis contentione fugiat, & vitet mala.

III. Dominus mittens diſcipulos ad prædicandum, ait illis: Ecce ego mitto vos ſicut oues

C in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.] Dominus quidem mittit, & ex hac parte ſatis ſecuri ſunt, at ex parte luporum, inter quos mittuntur, non poſſunt non eſſe obnoxij diſcrimini. Sint ergo ſimplices ſicut columbæ, vt ſimpliciter iuſſa impleant, & in Domino mittente confidant, ſed ſint prudentes ſicut ſerpentes, vt inter lupos, & vitia, & occaſiones cadendi, ſibi caueant. Serpentis prudentia circunſpecta & callida eſt: Nam ſerpens, vt inter alios inquit Baſilius, ſi quid periculi incurrere viderit, caput ante omnia cuſtodit: ſic & nos, quia pericula vndique circunſtare videmus, vt caput, id eſt, vitam animæ conſeruemus, ab omnibus, quæ eam aut deſtruere aut minuere poſſunt, diligenter caueamus.

Math. 10.16. *Baſil. hom. in prin. prouerb.*

D Actiones circunſpectionis ſunt: I. Circa finem, vt in omnibus, quæ agimus, bonum diuini obſequij finem intendamus, ad illúmque vehementer afficiamur, quo difficultates eum aſſequendi ſuperare poſſimus.

II. Circa media: vt in eorum electione, & multo magis in executione, paſſionem, præcipitationem, & obſtinationem fugiamus. Nam paſſio cæcat, præcipitatio deiicit, & obſtinatio in propria ſententia, ſalutari conſilio ianuam occludit.

III. Circunſpectio extrema fugit, quia virtutem quærit, quæ medium locum obtinet.

IV. An ea quæ eligit ſint proportionata fini obſequij Dei, & virtutis aſſequendæ, aut proximo proficiendi, diligenter inquirit. Erunt autem proportio-

E nata, ſi bona, quia pro nullo fine bono malum faciendum eſt, ſi ſtatui operantis conuenientia, ſi vtilitatem aliquam ad conſequendum finem allatura iudicetur.

V. Circunſpectio in dubiis, ſi conſilium quærit, omnes quidem audit, ſed ſententiam pauciorum, id eſt, prudentiorum & optimorum admittit.

VI. Feſtinat lentè, & nec ſtatim, quid ſit faciendum, ſed maturè poſt attentam conſiderationem, decernit: nec ante tempus opportunum ad executionem procedit.

VII. Ita

A

VII. Ita eſt matura, vt non ſit nimis tarda, nec tempus loquendi aut faciendi, quod oportet, labi ſinit ob nimium errandi timorem.

VIII. Circunſpectio ad ea quæ cogitat, quæ loquitur, & quæ agit, vigilanter attendit ne in ſubſtantia operis, aut in modo deficiat. Scit etiam, nec omnia vera dicenda eſſe, nec omnia tacenda. Seruat optimè conſilium ſapientis: *Eccl.3.1.* Omnia tempus habent,]& tempus tacendi, & tempus loquendi: & magis ad taciturnitatẽ, quàm ad loquacitatem inclinat.

IX. Non omnibus fidit, nec arcana ſua paſſim reuelat, cuſtodiens illud Salomonis: *Prouer. 29. 11.* Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus, ſapiens differt, & reſeruat in poſterum.]

B

X. Procul odoratur bellum, & pericula ventura præuidet, & ſi poteſt illa fugit, ſin minùs orationibus, & ſanctis conſiderationibus, & aliis mediis ſe præmunit, & ante langorem adhibet medicinam, & ante iudicium interrogat ſe ipſam. *Eccl. 18. 20.*

XI. Nequaquam omni ſpiritui credit, ſed probat ſpiritus an ex Deo ſint. Aduerſariorum tentationes intelligit, & ad eas propulſandas conuenientia remedia adhibet, & ſe non in pace, ſed in belli procinctu ſtare cognoſcit.

XII. Circunſpectio vbi timendum eſt timet, & vbi formidinis nihil eſt, confidenter incedit, & non omnia bona, ſed ſtatui & vocationi conuenientia præſumit.

XIII. Opiniones vulgi contemnit, dicta & ſubſannationes tepidorum pro nihilo ducit, & ſolum Dei beneplacitum, conſcientiæ atteſtationem, & bonorum approbationem inquirit.

C

XIV. Nec omnia credit, nec omnia diſcredit, nec omnia affirmat, nec omnia negat, nec omnia iuſtificat, nec omnia damnat, nec ob ſanctitatem vnius omnes approbat, nec ob peccatum alterius vniuerſos condemnat, ſed quæcumque ſe offerunt, ex præſcripto rationis iudicat.

XV. In æſtimatione rerum externa ſpecie non fallitur, ſed oculis mentis, vt verum eruat, intima penetrare conatur. Scit enim, lignum vile aliquando auri colore ſplendere, & fel ſub melle ac ſpinas ſub roſis latitare, & lupos conuerſatione veſtimentis ouium coopertos inueniri.

D

XVI. Tandem circunſpectio non eſt facilis in credendo, quod eſt ſignum leuitatis; nec in concedendo, nam eſt cauſa pœnitudinis; nec in iudicando, quoniam eſt ſeminarium erroris; nec in promittendo, quia eſt ſpecies quædam ſeruitutis; nec in conuerſando, quia eſt occaſio contemptus; nec in iraſcendo, nam eſt inſaniæ apertum indicium.

Poſtulatio circunſpectionis: Domine Ieſu Chriſte, Agne innocentiſſime, & amator hominum ſapientiſſime, qui tanta in terris circunſpectione vixiſti, vt inter hoſtes tuos poſitus, dicere potueris: *Ioan. 8. 46.* Quis ex vobis arguet me de peccato? Hácque tam libera innocentiæ atteſtatione neminem ad te reprehendendum, quia nihil omnino reprehenſione dignum habes, prouocaſti: Da nobis, oramus ſupplices, circunſpectam & cautam conuerſationem, vt peccata vitemus, & in omnibus, quæ aggreſſi fuerimus, bonum tui odorem ſpargamus. Amen.

E

De Virtute Iuſtitiæ.

CAPVT VII.

IVSTITIA, præſtantiſſima virtus, quæ homines à mutuis iniuriis auertit, ciuitates erigit & cuſtodit, regna florere & eminere facit, & vniuerſum orbem in pace conſtituit, non vna tantùm virtus eſt, ſpecie atoma (vt more ſcholarum loquamur) ſed in multas ac varias ſpecies, ac quaſi partes diſtributa. Cùm enim iuſtitia vnicuique debitum reddat, ſecundùm diuerſitates debitorum, quæ pendimus, & difficultates exoluendi, diuerſas iuſtitias aut vnius iuſtitiæ partes aſſignare compellimur. Certè quidem iuſtitiæ quatuor ſunt ſpecies: nempe legalis, æquitas, diſtributiua, & commutatiua. Iuſtitia legalis eſt, quæ reſpicit iuſtum, & æquum reipublicæ, aut bono communi conducibile, quæ tam eſt in principibus & Prælatis prout iuſta decernunt, & gubernationi ſe applicant, quàm in ſubditis, prout ſe iuſto propter commune bonum accommodant. Æquitas ſiue epiekeia eſt, quæ perficit iuſtitiã legalem, quatenus in abſentia legiſlatorum & Prælatorum interpretatur leges in extraordinariis euentibus, non ſecundùm verba legum, ſed ſecundùm mentem legiſlatoris. Iuſtitia diſtributiua eſt, qua diſtribuuntur bona communia inter perſonas reipublicæ aut communitatis, ſeruata proportione bonorum ad merita. Commutatiua eſt, qua particulares ciues mutuò in commutationibus & contractibus æquitatem cuſtodiunt. Et de his nihil amplius eſt dicendum, quia ad ſpiritus doctrinam non pertinent, niſi quòd eas omnes ſub communi nomine iuſtitiæ comprehendimus. At partes iuſtitiæ, nempe illæ virtutes, quæ nos ad alterum ordinant, & quodammodo debitum reddunt, multæ ſunt: Nempe religio, pœnitentia, pietas, obſeruantia, obedientia, gratitudo, veritas, ſimplicitas, amicitia, liberalitas. De quibus ſingulis agamus oportet.

De Iuſtitia. §. I.

IVſtitia, vt ex Auguſtino & Gregorio Niceno colligitur, eſt virtus voluntatis, tribuens vnicuique quod ſuum eſt. Vel vt Laurentius Iuſtinianus ait: Eſt, quæ ſuum cuique tribuens, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem cuſtodiat æquitatem. Vel iuſtitia eſt virtus, qua cuique ſecundùm debitum benefacimus, neminem lædimus, congregationis ſtatũ ſeruamus, & nos ſine querela apud Deũ & homines cuſtodimus. *Aug. 19. de ciuit. Dei.c.21. Nicenus. c. 4. de beatitudinibus. Iuſtin. de caſto connubio.c. 13.*

Incitamenta ad iuſtitiam ſunt: I. Natura ipſa, quæ corpus rectum & in cælum erectum homini dedit, vt ex ipſo corpore mentem, in eo reſidentem, iuſtitiæ & rectitudinis admoneret. Leges etiam iuſtitiæ in ipſo humano corde conſcripſit, iuxta illud Pauli: *Rom. 2. 14. 15.* Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt; eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis;] vt videlicet nulla poſſet eſſe excuſatio iuſtitiæ ſeruandæ, quam in mente geſtamus, & ſine vllo labore, ſine ſtudio, aut induſtria, nobiſcum natam eius notitiam habemus.

II. Iuſtitia voluntatem Dei implemus: *Michea. 6. 8.* Nam indicabo tibi, ô homo (inquit Micheas) quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te; vtique facere iudicium & iuſtitiam, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Domino tuo.] Hac immortalitatem acquiremus. Iuſtitia enim, vt ait Sapiens, *Sapien.1. 15.* eſt perpetua & immortalis;] iniuſtitia verò mortis eſt acquiſitio.] Hac veram ſaturitatem comparamus. *Matth.5. 6.* Beati namque ſunt, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.] Hàc denique lætitia & exultatione complemur: iuxta illud Pſalmi: *Pſal. 67. 4.* Iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.]

III. Dominus, cui placere cupimus, amator eſt iuſtitiæ. *Pſal. 10. 8.* Nam iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit

Pſal.145.9. *2.Timot.4.6.* æquitatem vidit vultus eios.] De eo etiam ſcriptum eſt: Quia Dominus diligit iuſtos.]Et Paulus: In reliquo, ait, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.]Atque adeò,qui ſe à iuſtitia alienum facit,gemmam pretioſam & à Deo maximè dilectam odio habet, qui nec à Domino diligetur, nec beatitudinis corona donabitur.

Actiones Iuſtitiæ ſunt: 1. In ſuperioribus & Prælatis, zelare pro legibus, iuſta præcipere, ad rectam gubernationem ſe applicare, delicta punire, bona geſta præmio ſaltem laudis cumulare, ſubditorum vtilitates ſuis emolumentis præponere;omnibus communes eſſe, & in nullius perſonam affectu nimiæ dilectionis inclinari.

II. In ſubditis; Legibus & præceptis obedire; ad alios conciues & confratres concordiam ſeruare, neminem prauis exemplis lædere;commune bonum propriis commodis atque vtilitatibus præferre.

III. In diſtributoribus: Proportionem bonorum ad neceſſitatem & dignitatem perſonarum, in quas diſtribuuntur,ſeruare: vt,verbi gratia,ciborum, & veſtimentorum, & cellarum: à dignitatibus indignos arcere,inter dignos, præſertim in officiis Eccleſiarum & religionum, digniores eligere, & omnem prenſationem & ambitionem deteſtari.

IV. In his, quibus bona diſtribuuntur:Sibi neceſſariis contentos eſſe:nihil vltra neceſſitatem,præcipuè cum penuria aliorum,admittere:dum non vocantur,nec eliguntur,ſe ad dignitates non ingerere: dum vocantur,humiliter parere,& ſuæ electioni pertinaciter non obſiſtere.

V. In omnibus: Nemini damnum afferre verbo,facto,vel ſigno,vel conſilio in rebus, in corpore, in honore, nunquam de proximo malum ſuſpicari, nunquam de ipſo detrahere, nec contumeliam aut aliam iniuriam inferre, nec bonum eius peruertere, vel diminoere, aut à bono impediri.

VI. Item bene de proximo ſentire, facta eius in melius interpretari, illum honore debito afficere, apud alios excuſare & defendere, & quoad poterimus, eum in bono promouere.

VII. In imbecillibus & infirmis: Ad communia ſtatuta ſeruanda ſe ipſos animare: cùm non poſſunt à Prælato humiliter diſpenſationem petere, & ſi longè abſit, & aperta ſit neceſſitas, per epicheiam cum timore Domini legem ac ſtatutum interpretari.

Poſtulatio ioſtitiæ: Domine Ieſu Chriſte,qui non ſolùm iuſtus, ſed & auctor iuſtitiæ & ipſamet iuſtitia in ſcriptura vocaris, & poſtremum actum erga mortales in nouiſſimo die, ex inexhauſto theſauro virtutum tuarum à virtute iuſtitiæ proferes,dum malis pœnam ſuorum criminum & iuſtis gloriam ſuis meritis paratam decernes: da nobis Domini iuſti iuſtos ſeruos eſſe, iuſtitiam in omnibus diligere,ſecundùm iuſtitiæ præſcriptum viuere, & nunquam ab eius viis rectiſſimis declinare. Fac nos, ô amator hominum ardentiſſime,incedentes in mandatis tuis ſine querela, vt in magno iudicij die, iuxta illud: *Sapien.5.1.* Stabunt iuſti in magna conſtantia,]confidenter miſericordiam à te expectemus, & iuxta ſpem noſtram effectum miſericordiæ tuæ, ſcilicet tuam, quæ nos ſatiet, viſionem recipiamus. Amen.

De Religione. §. *II.*

Religio eſt virtus, qua Deo, tanquam omnium creatori & domino, debitum cultum & honorem exhibemus, idque ipſum nomen ſonat. Siue

A enim dicatur à religendo, aut à frequenti electione eorum, quæ ſpectant ad cultum diuinum, vt Iſidorus ait:ſiue à religendo ipſum Deum, quem per peccatum abieceramus,vt ait Auguſtinus:ſiue à religando nos Deo,vt putat Lactantius Firmianus:ſiue à relegendo vel retractando, quæ ſunt honoris Dei, vt cenſet Tullius: Hæc omnia nihil aliud quàm diuinum cultum & venerationem ſignificant. *Iſidor.10.etym.c.17.* *Aug.10.de ciu.c.24.* *Lactan.4.diuin.inſt.c.28.* *Cicero.lib.2.de nat.Deorum.*

Incitamenta ad religionem ſunt: 1. Quòd ex ſeptem cauſis conflatur, quibus maximè ad Dei cultum & venerationem aſtringimur. Prima eſt excellentia diuinæ maieſtatis. Ipſe enim ſolus eſt, vt ait Iob,cui creaturæ omnes comparatæ non ſunt.]Quare hoc nomen ſibi vendicat, dicens; Ego ſum qui ſum: ſic dices filiis Iſrael. Qui eſt miſit me ad vos.] *Iob.23.13.* *Exod.3.14.*

B Ipſe eſt ſolus bonus:Nam ſumma veritas dixit: Nemo bonus niſi ſolus Deus.] Ipſe eſt ſolus potens, de quo Paulus: Qui eſt beatus, & ſolus potens, rex regum,& Dominus dominantium,qui ſolus habet immortalitatem,& lucem habitat inacceſſibilē.]Quòd ſi dignioribus & maioribus cultus debetur, honor debitus erit illi,qui ſolus habet excellentiam omnem & maieſtatem:à quo quicquid boni & dignitatis habent vniuerſæ creaturæ, participant. Secunda cauſa eſt qualitas noſtræ conditionis. Nos namque Dei ſumus,ſecundùm illud: Omnes animæ meæ ſunt: ſicut anima patris,ita anima filij mea eſt:] & omnia, quæ ſub cælo ſunt, mea ſunt.] Quid autem æquius quàm vt homo ſuum creatorem veneretur,& in eius cultu ſuam omnem vitam inſumat? Tertia præſtantia *Matth.19.* *1.Timot.6.15.* *Ezechiel.18.4.* *Iob.41.2.*

C noſtri finis,qui ipſe Deus eſt. Vnde ait Ioannes: Quia ipſe eſt primus, & nouiſſimus, principium, & finis. Nos autem creati ad Deum colendum, amandum,& ſanctis obſequiis quærendum, dum eum non colimus,noſtro fine fruſtramur. Quarta, Dei præceptū, qui nulli alteri niſi ſibi ipſi latriæ cultum,& honorem exhiberi præcepit. Quis autem eius mandatum de re tam debita diligenter non ſeruet,ne tanti Domini & tam benefici indignationem mereretur? Quinta, emptio:Nam [empti ſumus à Deo pretio magno,]nempe ſanguine Filij ſui,qui dedit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis: Graue autem delictum erit,ſi ſeruus tanti emptus ſuo hero non ſeruiat, & cultum ad quem emptus eſt, emptori ſuo diligenter exhibeat. Sexta eſt,præmium, *Apocal.1.& 22.* *Exodi.20.3.* *1.Corint.6.20.*

D quod nobis Deum colentibus promiſſum eſt. Domini enim vox eſt: Quicumque glorificauerit me,glorificabo eum;qui autem cōtemnunt me, erunt ignobiles.]Et rurſum: Omnis, qui confitebitur me coram hominibus,confitebor & ego eum coram Patre meo,qui in cælis eſt.] Septima denique baptiſmi ſuſceptio. Qui enim baptizati ſumus,Chriſtum induimus,] vt quemadmodum ille totam vitam in Dei cultum & obſequiom impendit:ita & nos illi iuncti & incorporati, cultum Dei & honorem noſtra vita & conuerſatione quæramus. *1.Reg.2.30.* *Matth.10.32.* *Galat.3.27.*

II. Religio virtus eſt omnium virtutom moralium præſtantiſſima; quoniam poſt virtutes Theologicas, proximè Deo accedit, à quo virtutes perfectionem habent,& in eius cultu & adoratione verſa-

E tur. Eſtque hæc virtus ſanctitas vera, prout ſanctitas aliquam ſpecialem virtutem ſignificat, quoniam religionis actibus firmiter adhæremus Deo, & eius numini conſecramur, & in dies puriores & immaculatiores reddimur. Idque indicant verba Iacobi Apoſtoli: Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt: Viſitare pupillos,& viduas,in tribulatione eorum,& immaculatū ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. Quo loco tum ſubſtantia, tum effectus religionis exprimitur. Subſtantia eius eſt cultus Dei, qui

paulatim

Digitized by Google

paulatim mentem Deo iungit, & à ſæculo auocat, & peccatis ac ſæculi curis obſiſtendo (quod ad ſe attinet) immaculatam reddit. Effectus autem religionis ſunt quæcumque charitatis opera, quibus homo, dum à cultu Dei vacat, occupatur, ne ſæcularibus negotiis inquinetur.

D. Tho. 22. q. 80. art. 1. ad 1.

III. Functiones religionis ſunt præſtantiſſimæ, & ſummopere expetendæ: Si enim in temporali republica adhærere regi, & eius aſpectu & alloquio frui, & cum eo familiariter conuerſari, omnibus aliis officiis & muneribus iure præfertur, quidni in Eccleſia, quæ eſt regnum Dei, ipſi Deo adhærere, eum colere, & honorare, & quaſi eius aſpectu frui, omnibus externis muneribus præferatur?

Actiones Religionis ſunt: I. Honor Dei, qui conſiſtit in hoc, quòd talem de illo concipiamus æſtimationem, tam altè & excellenter de illo ſentiamus, & tam profundè nos illi ſubmittamus, quàm decet creaturam de ſuo creatore ſentire; & quàm debitum eſt, viliſſimum vermiculum infinitæ maieſtati ſubmitti. Et hæc præcipua religionis actio, à qua reliquæ debent prodire, & ad quam excitandam & augendam debent ordinari.

II. Deuotio, id eſt, promptitudo mentis, in omnibus his, quæ ad diuinum obſequium, & cultum pertinent, quæ ſolet ex meditatione diuinorum præcipuè attributorum generari, & lætitiam ſpiritualem afficere.

III. Oratio, id eſt, petitio decentium à Deo, ſiue eleuatio mentis in Deum, qua etiam religioſè ſanctos inuocamus, & oramus, vt eorum precibus & meritis apud Dominum adiuuemur.

IV. Adoratio, qua coram Deo, tum mente, tum corpore proſternimur tanquam coram maieſtate ſuprema, à qua omne bonum habemus. Item qua Beatam Virginem, & Angelos, & Beatos adoramus, quatenus in illis maieſtas diuina reſplendet. Illa prima vocatur latria, qua profitemur Deum omnium auctorem, ſoli Deo impendenda. Hæc dulia, quæ ſanctos reſpicit, vt aliquid diuinæ excellentiæ participant.

V. Sacrificium, quo Deo, tum corpus, & ſanguinem Filij ſui, in ſacramento Euchariſtiæ exiſtentis, tum mentem, & vires omnes noſtras, & corpus, & membra ſingula, tanquam creatori noſtro & principio noſtræ beatificationis, offerimus.

VI. Adminiſtratio, & ſuſceptio ſacramentorum, quibus Deum eſſe gratiæ auctorem & noſtrarum mentium ſanctificatorem profitemur.

VII. Exhibitio oblationum, primitiarum, & decimarum, quibus miniſtros altaris ſuſtentamus, & nos eorum miniſteriis indigere teſtamur, & Deum in illis, tanquam in adminiſtris ſuis, honore proſequimur.

VIII. Votum, quo Deo in ſtatu religioſo, à ſede Apoſtolica approbato, paupertatem, caſtitatem, & obedientiam promittimus, vel alia opera bona ſupererogationis vouemus, & conuenienti tempore reddimus.

IX. Iuramentum, quo inſtante neceſſitate (quæ non frequenter occurrit) cum magna reuerentia Deum, tanquam infallibilem veritatem, in teſtem alicuius veritatis adducimus.

X. Adiuratio ſiue obſecratio, qua Deum per ſuam infinitam bonitatem, & per perfectiones ſuas, & per merita Filij ſui, necnon per Beatæ Virginis, & ſanctorum merita, & preces, obſecramus, & vt nobis aliquod bonum, ad ſuam gloriam ordinatum, concedat, inſtanter petimus.

XI. Laus Dei, qua eum pro ſua infinita perfectione, & pro mirabilibus operibus ſuis, hymnis, pſalmis, canticiſque ſpiritualibus, ore laudamus, & cantu, ac muſicis inſtrumentis tanquam ſummo regi, vt nos ad reuerentiam & feruorem excitemus, cultum & venerationem offerimus.

XII. Gratitudo, qua Domino pro acceptis beneficiis & pro aduerſis & proſperis gratias agimus, & pro beneficiis, quæ proximis noſtris impendit, affectum gratiarum actionis exhibemus.

XIII. Actus demum reliquarum virtutum, tum Theologicarum, tum Moralium, quos poteſt religio in diuinum honorem referre, & ad dandum ei cultum aſſumere.

Poſtulatio Religionis. Domine Ieſu Chriſte, Deus creator & ſanctificator noſter, à cuius larga miſericordia quicquid eſt ſupra nihil, accepimus, & donis tum naturalibus tum ſupernaturalibus ditamur, miſerere humilitatis noſtræ, & ne deſpicias nos, immò potiùs miſericorditer adiuua, vt te in omnibus adorare, honorare, & laudare cupiamus. Da nobis Domine hanc præſtantiſſimam virtutem, qua cultum qualem qualem ex creaturis tuis ſuſcipis, vt qui nullo indiges, noſtram indigentiam profiteri facias, & dum eam cultui, tibi Deo noſtro, & principio omnis boni noſtri, impenſo, teſtamur, amplioribus quotidie donis cumulemur. Amen.

De Pœnitentia. §. III.

Pœnitentia eſt virtus, qua peccata noſtra, vt ſunt Dei offenſæ, deteſtamur, & ad eorum expiationem & ſatisfactionem venire contendimus. Vel, vt ait Bernardus: Pœnitentia eſt ſine temporis intermiſſione de peccatis dolere: ſic plangere commiſſa, vt non committantur plangenda.

Bern. in medit. c. 4.

Incitamenta ad pœnitentiam ſunt: I. Si peccato mortui ſumus, hoc vno remedio, ſcilicet pœnitentia, ad vitam reuocamur. Vnde Cyprianus ait: Cùm ſcriptum ſit: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum,] vtique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuò ad vitam redire.] Quòd ſi imminentis mortis corporalis periculo, tanta ſolitudine remedia ad vitandam mortem paramus, ſpirituali animæ morte in interioribus noſtris graſſante, quanta diligentia æquum eſt in remedium, nempe in pœnitentiam, incumbamus, vt huiuſcemodi mortem propulſemus: Certè Dominus dixit: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.] Qua ſententia docet, neminem, qui grauiter deliquit, ſine pœnitentia poſſe à ſpirituali animæ morte reſurgere, nec æternam mortem euitare.

Cypr. lib. 4. ep. 2. Sapien. 1. 13.

Luca 13.

II. Grauitas peccati in Deum, ſummum bonum, admiſſi, & peccatoris inaudita procacitas, qui audet tantam offendere maieſtatem, & in tanti Domini indignationem incurrere. Huius autem mali poſt baptiſmum nullum aliud remedium niſi pœnitentia ſupereſt, qua & Deum iratum placamus, & nos à peccati macula eluimus, & ab æterna pœna liberamur. Quare Ambroſius ad virginem lapſam ait: Pœnitentia ergo non verbis agenda eſt, ſed actu. Hæc autem ſic agitur: ſi tibi ante oculos ponas de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum ſit, & ſi te iam credas prope ipſas poſitam tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & ſtridor dentium ſine fine. Cùm hæc certa fide, ſicut eſt, animo conceperis, quia neceſſe eſt præuaricatricem animam tartareis pœnis & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium conſtitutum poſt baptiſmum, quàm pœnitentiæ ſolatium, quantamuis afflictionem, quan

Ambr. ad virg. lapſam c. 8.

timuis

tumuis laborem & indecorem ſubire eſto contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans & mente retractans, proprij facti tu ipſa iudex eſto crudelior.

III. Chriſti vita ſanctiſſima nos ad pœnitentiam accendit: nam ille ad noſtrorum peccatorum deletionem, tam dura & acerba pertulit, vt nos illa maxima mala eſſe cognoſcentes, inconſolabiliter lugeamus. De hoc incitamento Bernardus hæc ait: Age pœnitentiam. Hoc tibi prædicat ſtabulum iſtud, hoc præſepe clamat, hoc lacrymæ & vagitus euangelizant. Plorat quippe Chriſtus, & non ſicut cæteri ſolent. In aliis ſenſus, in Chriſto præualebat affectus: patiuntur illi, non agunt, nec ipſius adhuc vſum voluntatis habentes. Illi ex paſſione lugent: Chriſtus ex compaſſione. Illi iugum graue, quod eſt ſuper filios Adæ: Chriſtus filiorum Adæ peccata deplorat, & certè pro quibus nunc lacrymas fundit, poſtea fundet & ſanguinem. Fratres, lacrymæ Chriſti & pudorem pariunt & dolorem.] Hæc ille.

Bern. ſer. 3. de Natiuit. Domini.

Actiones pœnitentiæ ſunt: I. Peccatum graue deteſtari, & leue abominari; illud, vt mortem animæ, iſtud, vt morbum animæ, & vtrumque, quia in ſuo genere eſt offenſa Dei, & diſplicet Deo, peccatum ſcilicet lethale, vt Dei maieſtatem planè inhonorans, & in homine gratiam & charitatem deſtruens. Veniale verò, vt diuinæ legi non conſonum, & ad gratiæ & charitatis deſtructionem diſponens.

II. De peccatis magnis ac paruis dolere, non quidem quoniam eorum admiſſione pœnam aut infamiam incurrimus, ſed quia ſummam maieſtatem offendimus.

III. Noſtram negligentiam deteſtari & deflere, qua multa bona, quæ facere poteramus, omiſimus, & abundantem Dei gratiam nobis oblatam & frequentes eius inſpirationes neglexismus.

IV. Propoſitum firmū & ſtabile, nunquam grauiter peccandi concipere, immò & voluntatem nunquam ſcientes & volentes venialiter peccandi procurare. Adeò vt cum diuina gratia prius eligamus, omnes ægritudines corporis, & omnem infamiam, & contumeliam ſuſtinere, & vniuerſas martyrum paſſiones, & ipſam mortem pati, & pœnis purgatorij, ac inferni nos ſubiicere, quàm ex propoſito in aliquod peccatum conſentire.

V. Peccata ſacerdoti confiteri: mortalia quidem omnia ex præcepto diuino, quoad ſpecies ſuas, & numerum, & circunſtantias, mutantes ſpeciem: venialia verò ex conſilio, quatenus noſtram cognitionem non effugiunt.

VI. Hanc peccatorum confeſſionem debito modo facere. Nam confeſſio debet eſſet integra, vt crimina omnia pandamus: pura, vt non coacti, non timore ſeruili perculſi, ſed libenter & propter Deum illa aperiamus: diſcreta, vt non ſolùm externa peccata, ſed etiam omiſſiones, internas cogitationes, praua deſideria, moroſas affectiones, diſtortas intentiones, iudicia temeraria, vanas ſuſpiciones, mala exempla, & ſcandala aliorum dicamus: fidelis, vt omnia hæc taliter ſacerdoti patefacere geſtiamus, qualiter grauia & multiplicia ſunt in conſpectu Dei.

VII. Pro peccatis ſatisfacere orationibus, ieiuniis, eleemoſynis, & aliis corporis afflictionibus, & ſenſuum ac appetituum mortificatione, & triſtitia, ac interna compunctione.

VIII. Pœnam pro peccatis aſſumptam culpæ commenſurare, vt ſecundùm grauitatem culpæ ſit grauitas pœnæ, ſecundùm delectationem culpæ ſit amaritudo pœnę; ſecundùm diuturnitatem & multiplicitatem culpæ, ſit diuturnitas & multiplicitas pœnæ, iuxta illud: Facite fructus dignos pœnitentiæ.]

Luca 3. 8.

IX. Pœnam etiam, tanquam peccati medicinam, aptam cuilibet peccato, ſi poſſumus, exercere; ita vt pro ſuperbia ſatisfaciat humilitas; pro auaritia largitas, pro inuidia charitas, pro impudicitia corporalis aſperitas; & ſic de reliquis.

X. Actio eſt, vt qui illicita commiſimus, ſæpe à licitis & conceſſis abſtineamus, & nos indignos remiſſionibus innocentium putemus. Hæc ferè omnia Albertus.

Alber. in paradiſ. animæ c. 39. 40. 41.

Poſtulatio Pœnitentiæ: Domine Ieſu Chriſte, legiſlator maxime, qui legem Euangelicam illis verbis prædicare cœpiſti: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum:] excita nos ab imo peccatorum noſtrorum voce virtutis tuæ, & animas noſtras ſedentes in tenebris, & hærentes in vmbra mortis, tuæ miſericordiæ luce perfunde, vt malitiam peccati, acerbitatem pœnę commeritæ, pretioſitatem gratiæ, & multiplicis virtutis amiſſæ, & magnitudinem tuæ maieſtatis offenſæ recogitemus, ac criminum delictorúmque noſtrorum exorbitantiam deteſtantes, de illis, ſuper omnia mala quæ euenire nobis poſſent, & ſine vlla intermiſſione doleamus. Miſce, ô Domine miſerator & miſericors, doloris amaritudinem dulcedine ſpei, de tua benignitate conceptæ, vt nec dolor immoderatè nos deprimat, nec ſpes præſumptuosè nos erigat, ſed inter deſperationem & præſumptionem incedentes, ad tuam nunc gratiam, & poſt hanc vitam ad tuam gloriam venire concedas. Amen.

Matth. 4. 17.

De Pietate. §. IV.

Pietas, vt ex Tullio colligitur, eſt virtus, qua patriæ, parentibus, fratribus, & aliis ſanguine coniunctis, cultum & officium tribuimus. Nomine cultus honorem & reuerétiam, nomine verò officij, obſequium, ſubuentionem, & defenſionem intelligimus. Quæ virtus non in parentibus carnalibus ſe continet, ſed ad ſpirituales parentes, qui nos in Chriſto genuerunt, ſe extendit: immò erga illos pulchrius elucet. Qui etiam ex pietate filiis ſuis ſpiritualibus conſulunt, & eorum profectum prouehunt, & bonam exiſtimationem tuentur.

Tullius.

Incitamenta ad Pietatem ſunt: I. Præcepti de pietate erga parentes obſeruatio, magno præmio, non ſolùm in alia vita, ſed & in iſta cumulata eſt. Hoc namque præceptum in Exodo ſic profertur: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.] Et in Deuteronomio. Honora patrem tuum & matrem tuam, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo viuas tēpore, & bene ſit tibi in terra.] Quod ſicut in filiis pietate florentibus vidimus eſſe completum: ita & nouimus filios impios erga parentes magnis calamitatibus fuiſſe mulctatos, & ſubita aut infœlici morte fuiſſe præreptos.

Exodi 20. 2.

Deut. 5. 16.

II. A beſtiis, & pecudibus, rationis expertibus, ad pietatis officia mouemur. Hæ enim erga parentes ac filios ſuos aliquam habent pietatis imaginem, Adeò vt quibus natura denegauit rationem, inquit Chryſoſtomus, non denegauerit pietatem. Eſt autem prorſus à dignitate noſtræ conditionis alienum, ſi beſtias agri noſtris moribus non ſuperemus, & ab illis pietatis officio vincamur.

Chryſoſt. hom. de Abſalom. To. 1.

III. Chriſtus Dominus, in crucem actus, & à ſanctiſſima parente ſua pietatis beneficio indigens, illuſtriſſimum nobis pietatis dedit exemplum. Ille enim, qui & matrem habebat, & filium, nempe totum genus humanum, Eccleſia à ſe fundata conten-

rum, diſceſſurus ab illis ſecundùm præſentiam viſibilem & corporalem, & iturus ad Patrem, quaſi ſui oblitus, & matris ac filij memor, vtrique ſolatium & officium ex ſingulari pietate reliquit. Nam dixit matri: Mulier ecce filius tuus; & diſcipulo aſtanti, ecce mater tua.] Priora verba ſic exponit Laurentius Iuſtinianus: Diſcipulum verò, quem diligo, præ cæteris tibi commendo in filium, vt quemadmodum comes, ita & integerrimæ virginitatis tuæ ſit cuſtos. Obtemperabit tibi vt filius, & tu de illo ſicut de me qualicumque frueris ſolatio. Dormiuit cum patribus ſuis Ioſeph ſponſus tuus nutritius mihi; Aſcendam & ego ad Patrem, hoſtibus triumphatis. Quamobrem diſcipulus amborum in te ſupplebit vices. Poſteriora verò ſic: Præclarum etiam ſcio in hac commendatione diſcipuli latere myſterium. Ipſe namque typum gerit Eccleſiæ, quæ eſt immaculata & virgo. Hanc in perſona diſcipuli tibi relinquo. Tu illam, tanquam me dilige, exhortationibus robora, confirma conſiliis, exemplis erudi. Poſſet equidem in hoc ſæculi naufragoſo diſcrimine abſque gubernatore perire. Multæ aduersùs illam procelloſæ tempeſtates, perſecutiones acerrimæ, hæreſes diuerſæ concitandæ ſunt. In fide adhuc debilis eſt, minùs fundata virtutibus, & inſueta pugnæ facillimè ſuccumbet, aut hoſtibus terga vertet, ſi duce priuatã ſeſe ſenſerit. Ex meo ignominioſo aut repentino exitu ſcio quòd turbanda eſt. Tuis informationibus erigetur, tua protectione ſolidabitur, atque ex præſentia tua deperditas, ſi quæ fuerint, recuperabit vires. Volo igitur vt illam de cætero in filiam habeas, illam tuis orationibus protegas, atque virtutibus auctam ad me perducas.] Quis iam non videat, quanta ſit virtus pietatis, cuius actionem ſaluator mundi è cruce pendens tam præclara actione commendauit, & tanta auiditate compleuit?

Ioan. 19. 26. Iuſtin. de triũphali Chriſti agone c. 18.

Actiones Pietatis ſunt: I. Parentes noſtros, parentes agnoſcere, in debita exiſtimatione habere, & eorum ſortem, etiam ſi abiecta fuerit & vilis, non erubeſcere.

II. Parentes noſtros verbis & externis venerationis ſignis honorare, & ab omni eo, quod iuſtè eos contriſtare poſſit, abſtinere.

III. Si indigeant, ſubſidia illis temporalia præſtare, eos à quocumque periculo imminente defendere, & in occurrentibus neceſſitatibus ſubuenire.

IV. A parentibus allata incommoda, illata conuitia, & admiſſa vitia ſenectutis patienter tolerare, & quæ illis poſſunt verecundiam ingerere, ſicut fecerunt duo filij Noë, qui patrem minùs honeſtè dormientem operuerunt, prudenter obtegere. Has omnes pietatis actiones docuit Eccleſiaſticus his verbis: Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius, & ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in virtute tua. Eleemoſyna enim patris non erit in obliuione.]

Gen. 9. Eccl. 3. 14.

V. Hæc omnia officia ſuo modo filiis, fratribus, & aliis conſanguineis data occaſione præſtare.

VI. Patriam, quæ nos genuit, & aluit, pro noſtra facultate tueri, in omnibus (prout datum nobis fuerit) nobilitare, & ad viam virtutis adducere.

VII. Patriam, parentes, fratres, & conſanguineos, ſi aduersùs Dei legem nos impellant, aut à via perfectionis retrahant, pro nihilo habere, & quos aduerſarios in via Dei patimur, vt inquit Gregorius, omnino neſcire. Hoc enim pietatis ſummum opus, quo, pro ſtrictiori pietate in Deum, minorem in ſanguine iunctos deſerimus, mandauit Dominus illis verbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem ſuam, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus.]

Gregor. hom. 17. in Euãg. Luca 14. 26.

Poſtulatio Pietatis: Domine Ieſu Chriſte, qui inter alia tuæ perfectionis elogia, pius ab Apoſtolo & Euangeliſta tuo nominari voluiſti, cùm ſcripſit: Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum, quia ſolus pius es?] da nobis viſcera pietatis, vt patres & conſanguineos noſtros, quos dum iuſta præcipiunt, proximos nouimus, diligamus; & quos dum iniuſta volunt, aduerſarios experimur, odiendo & fugiendo neſciamus. Amen.

Apoc. 15. 9.

De Obſeruantia. §. V.

Obſeruantia, vt ex Auguſtino colligitur, eſt virtus, qua maiores ætate, aut dignitate, aut ſapientia, aut excellenti virtute, debito honore dignamur, aut officiis indulgemus. Maiores ætate ſunt ſenes; dignitate Principes & Prælati: ſapientia doctiores & bonarum litterarum ſtudiis fœliciores: virtute, qui inter alios puritate, & vitæ ſanctimonia, & ſanctis pro Dei gloria, & animarum ſalute ſuſtentatis laboribus, ampliùs elucent.

Aug. lib. 83. q. 9. 31.

Incitamenta ad obſeruantiam ſunt: I. Virtus hæc, Spiritus ſancti voce præcepta eſt: Coram cano capite conſurge, inquit, & honora perſonam ſenis, & time Dominum Deum tuum.] Et: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non enim eſt poteſtas niſi à Deo.] Et: Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.] Qui autem his vocibus reſiſtit, manifeſtum eſt quia Dei ordinationi reſiſtit.

Leuit. 19. 32. Rom. 13. 1. 1. Tim. 5. 17.

II. Omnis reipublicæ, & omnis congregationis bene gubernatæ, hæc ſumma cura eſt, vt inæqualitas ſit honorum & locorum, & vt maioribus ac ſenioribus à cœtu iuniorum deferãtur. Quis autem ſua inuerecundia & procacitate audeat tot ſapientiſſimorum hominum, qui reſpublicas & congregationes fundarunt, & gubernarunt, iudicio & ſententiæ contra ire? Certè quidem Bernardus hæc ait: Data eſt hæc pueris & adoleſcentibus humilitatis, & reuerentiæ forma, vt in medio ſeniorum taceant, vt audiant, interrogent, & diſcant. Et Baſilius: Coram natu maiore, quàm tu, caue ne aſſidere feſtines, quòd ſi vt id facias, iubeare, nolito tu in pari cum illo ſella ſedere, ſed cùm huc illúcque diligenter oculis circumſpexeris, operam ſedulò da, vt ſellam tibi humiliorem aliquam inuenias; vt ob iſtam animi tui humilem ſubmiſſionem gloria te afficiat Deus.

Bern. ſer. in Dominica infra Octa. Epiphan. Baſil. ſer. de abdicat. rerũ.

III. Qui obſeruantiæ obliuiſcuntur, ſunt homines ſtulti & ſuperbi, quos Dominus in hac vita duplici modo caſtigat. Primò quidem, vt quia maioribus & ſenioribus non obtemperant, mille erroribus implicentur: Secundò verò, vt maiores ætate aut dignitate facti, à minoribus contemnantur.

Actiones Obſeruantiæ ſunt: I. Maiorum & ſeniorum conuenientem interiùs exiſtimationem habere, eóſque animo ex interna reuerentia ſuſpicere.

II. Venientibus illis aſſurgere, caput aperire aut inclinare, honoratiorem locum ad ſedendum concedere, in deambulando dextrum illis locum dare, & nulla ſigna reuerentiæ conſueta pro more patriæ aut congregationis prætermittere.

III. Coram illis tacere, aut ſi loquendum ſit, non docendo, ſed interrogando & diſcendo loqui: quòd ſi docendum coram illis ſit, non illos vt diſcipulos, ſed vt iudices eorum quæ docemus, reſpicere.

IV. Eorum dicta, ſapientiæ plena, modeſtè celebrare, illorum ſententias venerari, & no-

ſtris

ſtris ſubrilitatibus anteferre.

V. Si ab illorum ſententia in ſpeculatiuis aut practicis diſcedendum ſit, ob manifeſtam in contrarium rationem, non niſi reuerenter, & quaſi compulſi, & cum dolore diſſentire.

VI. Eos, ſi deliquerint, nequaquam duriter increpare, ſed iuxta conſilium Pauli, [vt patres obſecrare,] & amicabiliter admonere. *1. Tim. 5. 1.*

VII. Iuuenum procaciſſimorum, qui maiores ſubſannant, & de illis detrahunt, ſtultitiam compeſcere, & nequaquam eorum errorem ſine debita increpatione præterire.

Poſtulatio obſeruantiæ: Domine Ieſu Chriſte, qui Verbum Patris cùm ſis, homo tamen factus, matri Mariæ & nutricio Ioſeph mirabiliter detuliſti, & Sacerdotes illius antiquæ legis, & Doctores, ac Scribas ſemper honore affeciſti, & honorari mandaſti: fac nos, quæſumus, imitatores tui, vt maioribus noſtris ſemper non ex adulatione, ſed ex obſeruantia deferamus, eóſque pro dignitate ſua in te, & propter te obſeruantiſſimè veneremur.

De Obedientia. §. *VI.*

OBedientia eſt virtus, qua exequimur iuſſa & præcepta maiorum, quia præcepta ſunt. Quam quadrupliciter Bonauentura deſcribit: Obedientia, inquit, eſt voluntas faciendi præceptum vel mandatum ſuperiorum: Vel obtemperatio, ſecundùm regulam ſacræ ſcripturæ, maioribus quibuſcumque debita. Vel eſt ſpontaneum, & rationabile propriæ voluntatis ſacrificium. Vel eſt pio ſtudio propriæ voluntatis abnegatio. *Bonauen. To. 1. in centiloquio 3. p. ſect. 44.*

Incitamenta ad obedientiam ſunt: I. Omnes creaturæ nos obedientiam docent, quæ ſine vlla contradictione & cum ſumma perfectione creatori obediunt. De quibus dicitur: Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi, præceptum poſuit, & non præteribit.] Et: Quoniam venti & mare obediunt ei.] Vnde dicunt homini, ex innocentia in peccatum lapſo, vt contemplatur Laurentius Iuſtinianus: Si vis eſſe quod fuiſti, diſce famulari creatori, vti facere conſpicis nos. *Pſalm. 148. 6.* *Iuſtin. in ligno vitæ de obed. c. 2.*

II. Angeli nos ad obedientiam prouocant: Nam de illis inquit Paulus: Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.] Et Dauid: Qui facis Angelos tuos, ſpiritus, & miniſtros tuos, ignem vrentem:] Quare ſi ſpiritus cœleſtes imitari geſtimus, neceſſe eſt vt miniſtri ſeu nuntij Dei ſimus (hoc enim ſignificat nomen Angelus) & obedientiæ efficacitate ignis naturam præferamus. *Hebr. 1. 14.* *Pſalm. 103. 4.*

III. Chriſtus Saluator noſter ad obedientiam nos accendit: Qui factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis;] quique obedientibus ſibi in Prælatis à ſe conſtitutis æternam ſalutem promittit: Nam cùm eſſet Filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt, obedientiam, & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ.] *Phil. 2. 8.* *Hebr. 5. 9.*

Actiones Obedientiæ ſunt: I. Exequi quod iuſſum eſt à Prælatis, ſi manifeſtè malum non ſit, velociter, viriliter, humiliter, & indeſinenter.

II. Aduersùs affectus noſtros, & cordis inclinationes obtemperare, ſicut fecit Abraham, dum decreuit filium ſuum (natura repugnante) Deo in holocauſtum offerre.

III. Voluntatem noſtram abnegare, & libenter ac hilariter iuſſa aggredi, ac liberum mentis arbitrium voluntati præcipientis ſubiicere.

IV. Iudicium ac ſenſum noſtrum cohibere, & adhibitis rationibus, quæ præceptum ſuperioris conuenienseſſe probent, noſtram ſententiam illius ſententiæ ſubmittere.

V. Si duriter, ſi ſtultè, ſi verbis contumelioſis, ſi abſque ſpe alicuius gratitudinis, ad res arduas ac difficiles faciendas mittamur, libenter parere.

VI. Non tantùm ſuperiorum bonorum, ſed etiam malorum, dummodo mala non iubeant, præcepta diligenter implere. Iuxta illud Petri: Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.] *1. Petr. 2. 18.*

VII. Sine vlla excuſatione iuſſa facere, & nec verbo, nec ſcripto (licèt id prohibitum non ſit) quicquam proponere; ſed iuxta illud: Audi Iſraël, & tace quod iuſtum fuerit, ad executionem prouehere.

VIII. Etiam ſi ſuperior nihil iubeat, eius ſe voluntati accommodare, & indicia ſuæ voluntatis exequi.

IX. Indifferentem ſe ad omnia præbere, & quantum eſt ex ſe, nihil de ſe ordinare, nihílque niſi quod ſuperior voluerit, concupiſcere.

X. Cum maiore auiditate in difficilium atque ignobilium munerum, quàm in eorum, ad quæ natura prona eſt, & quæ apud homines ſplendent, occupationem incumbere.

Poſtulatio Obedientiæ: Domine Ieſu Chriſte, cuius ſanctiſſima vita perpetua obedientia fuit, qui ex obedientia natus, & ex obedientia paſſus, & mortuus fuiſti, & omnem conuerſationem tuam obedientiæ pulchritudine decoraſti: Fac nos, quæſumus, veros obedientiæ amatores, & proprij iudicij ac voluntatis contemptores, vt obedientia eos ſaluet, & in cœlum euehat, quos inobedientia damnauit. Amen.

De hac præſtantiſſima virtute ex profeſſo dicemus inferiùs. *lib. 10. 3. per totam.*

De Gratitudine. §. *VII.*

GRatitudo eſt virtus, qua beneficia, à proximis accepta, cognoſcimus, laudamus, & data opportunitate, nec negata poſſibilitate, remunerare decernimus. Hæc comparata ad beneficia Dei non diſtinguitur à religione; & ideo inter actiones religionis retulimus gratias agere Deo pro donis acceptis, & accipiendis ab eo. Et de hac ad Deum gratitudine fuſiùs poſtea ſumus acturi.

Incitamenta ad Gratitudinem ſunt: I. Ingratitudo eſt peccatum, etiam apud homines abominabile, quo homines viles & abiecti notantur, & ex illo, tanquam ex ſigno aperto vilitatis, ab omnibus cognoſcuntur. Habet quoque peſſimam originem, nempe proprium amorem, animæ nimiùm dominantem. Vnde Apoſtolus cùm dixiſſet: Erunt homines ſe ipſos amantes,] addit, [ingrati, ſceleſti.] A Deo denique punitur grauiſſimè. Quod ſignificat Salomon dicens: Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.] *2. ad Tim. 3. 2.* *Prou. 17. 13.*

II. Gratitudo ad maiora beneficia recipienda animum parat, omnes enim volunt ſemina ſuorum bonorum bonæ terræ mandare, id eſt, homini grato committere. Et Laurentius Iuſtinianus ait: Nullum officium referenda gratia magis neceſſarium, quia maiora meretur ſuſcipere, qui collata bona de corde non probatur delere. Quare & propter priuatam vtilitatem, quæ (vt Chryſoſtomus ait) in gratitudine eſt maxima, debetemus hanc virtutem ſectati. *Iuſtin. de ligno vitæ & orat. c. 7.* *Chryſoſt. hom. 72. ad populum.*

III. Gratitudo ad homines, etiam apud Deum in pretio eſt: vult enim ipſe, vt ei grati ſimus, & hominibus etiam, per quos nobis beneficia confert, animi

gratitudinem habeamus. Vult quidem ille, vt homines in dignitate conſtitutos. quorum miniſterio nos gubernat, honoremus, & honorem illis exhibitum aut negatum, ſibi dari aut negari profitetur, dicens: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.] Et etiam iubet, vt eis quorum liberalitate nobis beneficia confert, gratitudinis affectu repenſemus.
Eccl. 29. 9. Quamobrem in Ecclesiaſtico recenſens abominabilia peccata fœneratoris, vnum eorum eſt, quòd [pro honore & beneficio, reddet contumeliam.]

Actiones gratitudinis ſunt: I. Beneficium non negare, non diſſimulare, nō obliuiſci, ſed illud agnoſcere, illud magnificare, & in memoria habere.

II. Beneficium & benefactorem laudare, & ſuſpicere, & coram aliis, quid in nos boni contulerit, cùm opportunum fuerit exiſtimatum, publicare.

B

III. Erga benefactorem affectum amoris & æſtimationis beneficij concipere, & eidem beneficiorum datori gratias agere.

IV. Beneficium honore & reuerentia erga benefactorem, & non ſolùm æqualibus, verùm & maioribus beneficiis, ſi potuerimus, repenſare.

V. Sine vlla ſpe alterius beneficij recipiendi, gratos & beneficos in benefactores exiſtere.

Poſtulatio gratitudinis: Domine Ieſu Chriſte, qui quantum tibi ingratitudo diſpliceret, illa querimonia de leproſis à te curatis, nec ad gratias referendas
Luce 17. 18. redeuntibus, oſtendiſti: verba enim tua ſunt: Nonne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? Non eſt qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena:] da nobis, rogamus ſupplices, gratitudinis erga noſtros benefactores affectum, quos ita in nos beneficos agnoſcamus, & veneremur, vt præcipuè te omnium bonorum fontem ardentiſſimè diligamus. Amen.

C

De Veritate. §. VIII.

VEritas ſiue veracitas, eſt virtus, qua verbis, aut ſignis, & quando & quomodo oportet, manifeſtamus res, ad nos aut ad alios pertinentes, prout in ſe ſunt. Non ſufficit ad virtutem veritatis, vt verum dicamus, ſed neceſſe eſt, vt verum debitis circunſtantiis veſtitum dicamus. Nec enim omnia vera dicenda ſunt, ſed aliqua, quæ damnum afferre poſſunt, omnino reticenda; alia verò, quæ nunc non proderunt, conuenienti tempori reſeruanda. Al-
Alber. in paradiſo animæ c. 18. bertus aliter definit, dicens: Veritas eſt quando verè concordant mens, & lingua, & opera, vt quod ſentit quis in corde, hoc profert ore, & perficit opere.

D

Incitamenta ad veritatem ſunt: I. Tam chara Deo eſt veritas, vt Deus veritatis voluerit ab
Pſal. 30. 6. omnibus appellari. Redemiſti me Domine, inquit Dauid, Deus veritatis.] Et de Chriſto Ioan-
Ioan. 1. 14. nes: Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre: plenum gratiæ & veritatis. Et de Spiritu
Ioan. 15. 26. Sancto: Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.] Fi-
Matth. lius etiam Dei Chriſtus Ieſus in hoc natus eſt, & ad hoc venit in mundum, vt teſtimonium perhiberet veritati, quam qui non amauerit, non poteſt non toti Trinitati aduerſari.

E

II. Mendaces à conuictu humano repelluntur, & infames habentur, neque ſunt qui illis fidem adhibeant, quos ſemel nouerunt fuiſſe mentitos. E contrà verò veritas amabilis & honorabilis eſt, quæ in confeſſione quoque propriorum delictorum apud iudices beneuolentiam nobis conciliat, & hominum veracium honore nobilitat.

III. Nihil eſt, vt inquit Gregorius, ad defendendum puritate tutius, nihil ad dicendum veritate facilius. Nam dum quis falſitatem ſuam tueri conatur, duro cor labore fatigatur. Hinc namque ſcriptum eſt: Labor labiorum ſuorum operiet eos.] Qui enim nunc implet, tunc operiet, quia cuius nunc animum per blandam inquietudinem exerit, tunc per aſperam retributionem premit. Hinc per Ieremiam dicitur: Docuerunt linguas ſuas loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt.] Acſi apertè diceretur: Qui amici veritatis eſſe potuerunt ſine labore, vt peccent, laborant, cúmque viuere ſimpliciter renuunt, laboribus exigunt, vt moriantur. Greg. 3 p. Paſtor. ad mon. 12. Pſal. 139. 10. Ierem. 9. 5.

Actiones Veritatis ſunt: I. Mendacium & ſimulationem ore fugere, & corde deteſtari.

II. Quando, & quomodo, & vbi oportet, verum dicere.

III. Verum etiamſi mens noſtra doleat, & repugnet, ſi id neceſſarium & Deo placitum ſit, non reticere.

IV. Nunquam verum obtegere aut palliare, nec pro fauore alicuius, nec pro vtilitate propria, nec pro aliquo detrimento vitando, ſi illud dicere teneamur.

V. Ambiguitates verborum & ambages in conuerſatione vitare, & res prout ſunt, ſimpliciter ore proferre.

VI. Myſteria cœleſtia aptis ad excipiendum patefacere; ab impuris verò & indignis abſcondere, ſecundùm illud: Nolite date ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.]

VII. Promiſſa ſeruare, niſi iuſta cauſa non ſeruandi, aut in melius mutandi, intercedat. Hac enim poſita ad veritatem pertinet à promiſſis abſtinere, iuxta illud Iſidori: In malis promiſſis reſcinde fidem, & in turpi voto muta decretum.

Poſtulatio veritatis: Domine Ieſu Chriſte, qui veritas es; nam Ioannes Apoſtolus tuus ait: Spiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas,] cuiuſque pulchritudo in omni veritate creata, tanquam in imagine, lucet: fac nos per miſericordiam tuam omnis mendacij hoſtes & veritatis amatores, vt eam debito tempore & modo proferentes, in ipſa te, increatam veritatem quæramus. Amen. 1. Ioan. 5. 6.

De Simplicitate. §. IX.

SImplicitas, eſt virtus, qua quis hypocriſim, duplicitatem, & multiplicitatem vitat: ſeu qua exteriùs talem ſe verbis & factis exhibet, qualis interiùs eſt, & qua ab omni aſtutia, & dolo, & fraude, & non neceſſaria actionum multitudine, alienus eſt. Bernardus ſic deſcribit ſimplicitatem: Eſt perfectè ad Deum conuerſa voluntas, vnam petens à Domino, hanc requirens, non ambiens multiplicari in ſæculo: vel eſt in conuerſatione vera humilitas, ſcilicet virtutis magis conſcientiam amplectens, quàm famam, cùm non refugit vir ſimplex videri ſtultus in ſæculo, cùm ſit ſapiens in Deo. Bern. in epiſt. ad frat. de mon. Dei.

Incitamenta ad ſimplicitatem ſunt: I. Ad vitæ ſimplicitatem induci, quòd qui alij quàm ſint, ſe eſſe ſimulant, & cùm ſint mali aut imperfecti, boni & perfecti per hypocriſim videri volunt, in nouiſſimo die magnam ſuſtinebunt erubeſcentiam, & apud omnes homines & Angelos, de ſtulta ſimulatione, & deteſtabili ſuperbia, & hypocriſi, qua alios decipere curabat, arguentur. Ad quod optimè inquit Baſilius: Qui externa quadam ſimulatione & per fucum gloriam aucupabantur ab hominibus, poſt occultorum Baſil. ad c. 1. Iſaiæ.

A manifeſtationem, cùm fuerint omnia nuda & aperta, nec iam vlla in obſcuro delituerit creatura, præbebunt tunc tales deformiſſimum ſpectaculum, euaneſcente, quæ nunc circa eos verſatur, fallaci impoſtura, ita vt per ſe meritò comparentur quercui.] Hæc ille. Dicuntur autem ſimiles quercui, quia hæc arbor detractis foliis præ cæteris deformiſſima apparet.

II. Ad ſimplicitatem operum inducit, quòd duplex opere, qui ſcilicet vult bonis ſimul & malis operibus vacare, Deo eſt abominabilis. E contrà verò ſimplex, id eſt, qui bona ſolùm opera ſectatur, adeò Deo charus eſt, vt illum non in quancumque amicitiam, ſed planè in intimam familiaritatem admittat. Quod perſpicuè fatetur Salomon in Prouerbiis dicens: B Quia abominatio Domini omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius.] Quem locum interpretans Gregorius, inquit: Cum ſimplicibus ſermocinari dicitur, quia de ſupernis myſteriis, illorum mentes radio ſuæ viſitationis illuminat, quos nulla vmbra duplicitatis obſcurat.

Prou. 3. 32. *Gregor. 3. Paſtor. admon. 12.*

III. Ad ſimplicitatem intentionum monet, quòd Dominus vult ſeruos ſuos paucis, id eſt, neceſſariis, occupari, & in illis vnum tantùm, id eſt, ſuam gloriam intendere. Quare Martham erga multa occupatam reprehendit, dicens: Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima, porro vnum eſt neceſſarium.] Hoc vnum quærendum eſt, quia eſt ſummum bonum, in quo continentur omnia bona æterna & immenſa. Ad hoc autem bonum inueniendum, non eſt neceſſarium per multa, id eſt, per inutilia, vagari, ſed tantùm vtilibus ſeu neceſſariis intendere. C

Luca 10. 41. 42.

Actiones ſimplicitatis ſunt: I. Quales omnes ſumus, tales nos verbis & factis exhibere, nec ſanctitatem aut perfectionem, quam non habemus, effingere.

II. Spirituali magiſtro omnia interiora, tum bona, tum mala, ſine vllo fuco, vt dirigamur, aperire.

III. Si de rebus ſpiritualibus, quas nondum experti ſumus, loquendum ſit, ſyncerè (ne ſupra quàm ſumus, habeamur,) noſtrum defectum, & nullam, aut modicam experientiam fateri.

IV. Bonis tantùm operibus vacare, nec mala illis admiſcere: nullius facta peruertere, nullius bona deprauare, nullius dona diminuere, neminem lædere, & omnibus velle proficere.

D V. De Domino ac de ſeruis eius in bonitate ſentire, & ſicut exteriùs bona omnibus cupere profitemur; ita bona illis interiùs deſiderare & concupiſcere.

VI. Operum inutilium multiplicitatem vitare, & bona opera in vnam ſimplicem placendi Deo intentionem colligere.

Poſtulatio ſimplicitatis: Domine Ieſu Chriſte ſimplicium, & humilium amator, qui dixiſti: Sinite paruulos,] id eſt, ſimplices & puros more infantium, [venite ad me, talium eſt enim regnum cælorum:] fac nos per bonitatem tuam prudentia ſenes, & ſimplicitate & vitæ munditia paruulos, vt regnum tuum in cælis poſitum, quod ſolos incoinquinatos recipit, libenter excipiat. Amen. E

Matth. 19. 14.

De Amicitia. §. X.

AMicitia, eſt mutua duorum beneuolentia, in virtute fundata, & bonorum communicationi coniuncta. Vel, vt Bernardus ait: Vera amicitia eſt, quæ nihil ex rebus amici quærit, niſi ſolam beneuolentiam, ſcilicet vt gratis amet amantem ſe. A Amicitiæ pars eſt affabilitas, ſiue comitas, qua quis, vt Thomas Aquinas ait, conuenienter ſe habet ad alios homines in communi conuerſatione, tum in dictis, tum in factis. Eſt, inquam, virtus, qua homo decenter, comiter, & ſuauiter ſe habet cum illis, quibuſcum viuit & conuerſatur. Itaque amicitiam virtuti ſubnixam, virtutem ponimus; amicitiam verò in bonis temporalibus, aut naturalibus, ac in ſanguinis coniunctione fundatam, tanquam rem indifferentem, à ratione virtutis reiicimus.

Bern. ſer. 9. ad Sororem. *D. Tho. 22. q. 114. ar. 2.*

Incitamenta ad amicitiam ſunt: I. Amicitia ſpiritualis, Chriſti & Apoſtolorum exemplo probata eſt. Ille enim dixit Apoſtolis ſuis: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.] Paulus etiam quoſB dam in epiſtola ad Romanos vocat dilectos, ſiue dilectiſſimos ſibi. Item alios, ad quos ſcribit, vocat chariſſimos. Et rurſus: Itaque fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum & corona mea, ſic ſtate in Domino chariſſimi.] Quæ omnia magnam amicitiam ſonant comitem charitatis & manantem ex fonte virtutis. Alij quoque Apoſtoli, vt ex illorum geſtis conſtat, ſocios habuerunt, quibuſcum amicabiliſſimè conuerſatunt. Non eſt ergo contrarium vitæ Apoſtolicæ & deſiderio perfectionis, amicos fideles habere, quorum ope ad cæleſtia promouearis.

Ioan. 15. 15. *Rom. 16.* *Philip. 4. 1.*

II. Amicitia eſt imago quædam patriæ cæleſtis, in qua Angeli mutuò ſe diligunt, & dulciſſimè ac ſuauiſſimè conuerſantur. Vnde ChryC ſoſtomus de cælo eam deſcendiſſe autumat: Spiritualis amicitia, inquit, omnes reliquas excellit, tanquam regina, dominium ſuorum habens, ſplendido habitu conſpicua: nihil enim hîc terrenum eſt vnde iſta naſcatur, quemadmodum in aliis: non enim ex conſuetudine naſcitur, non ex beneficentia, non ex natura, non ex tempore, ſed è ſupernis deſcendit & ex ipſo cælo.

Chryſoſt. hom. 1. in epiſt. ad Coloſſen.

III. Amicitia ſpiritualis, vtiliſſima eſt ſimul & ſuauiſſima: vtiliſſima quidem; quoniam ab amico fideli habemus in dubietate conſilium, in afflictione refrigerium, in mœſtitia ſolatium. Ipſe nobis, in neceſſitate temporalis poſitis, ſubuenit, & in ſpirituali indigentia ac moleſtia ſuccurrit. Quare Eccleſiaſticus: Amicus fidelis, protectio fortis; qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, D & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis; & qui metuunt Dominum, inuenient illum.] Eſt etiam hæc amicitia ſuauiſſima, quoniam maximè cognata naturæ hominis, qui eſt animal ſocietatem amans, quem mutuus amor & beneuolentia delectat. Amicitia, inquit Ambroſius, eſt ſolatium vitæ huius, vt habeas cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui committas ſecretum pectoris, vt colloces tibi fidelem virum, qui in proſperis gratuletur tibi, in triſtibus compatiatur, in perſecutionibus adhortetur.

Eccl. 6. 14. 15. 16. *Amb. lib. 3. officior. ca. 16.*

Actiones amicitiæ ſunt: I. Amicos perfectos E eligere, ex quorum conuerſatione ſpirituali profectum accipiamus: vel ſtudioſos, quibus in Domino prodeſſe poſſimus.

II. Amicos non propter aliquam commoditatem, nec propter voluptatem, etiam honeſtam, ex eorum ſuaui & diſcreta conuerſatione prouenientem, amare, ſed propter virtutes in eis elucentes diligere.

III. Cum amicis, quando & quomodo oportet, de

rebus

rebus ſpiritualibus conuerſari,& ne alij offendantur, aut ſcandalizentur, debitam in conuerſando menſuram tenere.

IV. Amicis,ſi capaces ſunt, arcana noſtra communicare, & ab illis conſilium & directionem exquirere.

V. Amicorum defectus patienter ferre,nonnunquam diſſimulare,& ſi ſpes emendationis affulgeat, blandè corrigere.

VI. Tempore aduerſitatis amicos maximè complecti; tempore proſperitatis adgaudere illis & congratulari, &,ſi excedant, bonis conſiliis immoderatam eorum lætitiam reprimere.

VII. Nihil ab amicis turpe, nihil iniuſtum, nihil minùs honeſtum, minúſue perfectum depoſcere, ſed ſola honeſta, ſancta, & vtique conuenientia efflagitare.

VIII. In omnibus,data nobis facultate,amicos iuuare, & ab eis libenter, cùm obtulerint, in noſtris neceſſitatibus adiutorium accipere.

IX. Idem velle,idem nolle,& ſi aliquando iudicia diſſenſerint,nunquam voluntate diiungi.

X. In abſentia ſe mutuò defendere, bonam ad-inuicem exiſtimationem tueri, non tamen in hac defenſione metas veritatis & regulas prudentiæ præterire.

XI. In communi conuerſatione cum illis decorum ſeruare,& omnem leuitatem & ſcurrilitatem reiicere.

XII. Ita amicitiam temperare,vt ſenſim ad immoderantiam non veniat, & dum alios offendit, & nos in vanam amicorum memoriam diſtrahit, profectui mentis officiat.

Poſtulatio amicitiæ: Domine Ieſu Chriſte, qui nos vt ex inimicis amicos faceres,& æterno Patri tuo reconciliares, è cœlis ad terram deſcendiſti, & non ſemel ad mutuum amorem & beneuolentiam adhortatus es; inſere pectoribus noſtris ſpiritualem amicitiam;charitatis filiam, & iuſtitiæ comitem fideliſſimam;vt qui vitam noſtram tibi deuouimus, affabiliter & amicè inter nos conuiuentes, ſpiritu & virtute proficiamus. Amen.

De Liberalitate. §. *XI.*

Liberalitas, eſt virtus, qua homo immoderatum amorem pecuniarum & aliorum bonorum ſuorum moderatur, eáque alacriter in propriam ac proximorum vtilitatem, atque in his quæ honoris Dei ſunt,aliis elargitur. Alio nomine hæc virtus dicitur largitas, quoniam non ad præciſam neceſſitatem & miſeriam ſubleuandã,ſed ad vtilitatem ingerendam, res temporales largiùs & affluentiùs inſumuntur.

Incitamenta ad liberalitatem ſunt: I. Ipſe Deus, cuius nos imagines ſumus, & virtutes ac perfectiones imitari cupimus.Ipſe enim eſt, qui dat omnibus affluenter,& non improperat: Quíque,vt inquit Albertus,tam continuè dat omnibus ſua dona temporalia & ſpiritualia, etiam non petentibus, & ſuper omnia, carnem & ſanguinem dilectiſſimi Filij ſui. Nec ſufficit ei, dona ſua dare ſimpliciter, niſi etiam ſeipſum immenſum det in ſingulis donis.Commendat largitatẽ ſuam, quòd nulli negat dona ſua, quantumcumque ſibi aduerſetur, immò pluries in nocte & in die dona ſua elargitur cuilibet, quamquam à quoquam offendatur. Approbat in hoc largitatem ſuam, quòd quandocumque inuenit opportunitatem aliquam in recipiente, ſtatim ab effluxione ſpiritualium donorum nequaquam ſe poteſt continere, licèt ex ſapientia diuina prænoſcat, quòd recipiens

Albert. in parad.animæ ca. 17.

A illa dona, in proximo debet amittere, vel ea continuò deturpare,vel ipſum per eadem impugnare.

II. Nos diſpenſatores bonorum ſumus, non domini: bona, quæ diſtribuimus, non noſtra ſunt, ſed aliena. Iuſtum eſt autem, ſi diſpenſator largiter iuxta voluntatem Domini bona diſpenſet, & facile, ſi bona aliena, de quorum diſpenſatione præmium accepturus eſt, non auarè, non ſtrictè, ſed affluenter in proximos eroget. Eóque,& diuitibus, Væ, inquit Baſilius, quia cùm præualeant ſubleuare inopiam pauperum, indultatum ſibi opum potentia non ſint vſi,ad quod acceperunt eas.

Baſil. ad c.1.Iſaiæ.

III. Diuitiæ, & bona temporalia ſunt talenta, nobis à Domino commendata, quæ ad ſalutem & laudem abundanter diſtribuimus; ad

B damnationem verò & vituperium auarè retinemus. De quo Gregorius ſic ait: Nullus namque eſt, qui veraciter dicat: Talentum minimè accepi, non eſt vnde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipſum reputabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque accepit intelligentiam prædicationis, miniſterium debet ex talento. Alius terrenam ſubſtantiam accepit, erogationem talenti debet ex rebus. Alius nec internorum intelligentiam, nec rerum affluentiam accepit, ſed tamen didicit artem, qua paſcitur; ipſa ars ei in talenti acceptionem reputatur. Alius nihil horum aſſequutus eſt, ſed tamen fortaſſe familiaritatis locum apud diuitem meruit, talentum profectò familiaritatis

Gregor. hom.9 in Euang.

C accepit. Si ergo nihil ei pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur. Habens ergo intellectum, curet omnino ne taceat. Habens rerum affluentiam, vigilet, ne à miſericordiæ largitate torpeſcat. Habens artem, qua regitur, magnopere ſtudeat, vt vſum atque vtilitatem illius cum proximo partiatur. Habens loquendi locum apud diuitem, damnationem pro retento talento timeat, ſi cùm valet, non apud eum pro pauperibus intercedit. Talentum quippe ab vnoquoque noſtrum venturus iudex exigit, quantum dedit.

Actiones liberalitatis ſunt: I. Pecunias & alia bona temporalia, in propriam neceſſitatem, in

D proximorum vtilitatem, & in Dei honorem libenter inſumere.

II. Quæ nobis pro Chriſto pauperibus ad vſum conceſſa ſunt, ſine tædio aliis commodare, & libris ac aliis ſimilibus fratrum vtilitatibus inſeruire.

III. Bona altiora,nempe doctrinam, conſilium, & exemplum,diſpertire, & talentis, quæ nobis conceſſa ſunt,aliis prodeſſe.

IV. Aures audiendis confeſſionibus,os prædicandæ Euangelicæ doctrinæ,manus infirmiorum adiutorio,& reliquas vires proximorum vtilitatibus applicare.

V. Inuitis,abſentibus,& ignorantibus ſubſidia bonorum temporalium dare, vt fecit ſanctus Nico-

E laus Epiſcopus,dotans filias nobilis & inopis: & adiumenta orationum elargiri.

VI. Temporis ſpatia bono proximorum offerre, & à noſtris commodis vaniſque occupationibus præripere.

VII. Diem illum in quo aut actione aut oratione non fuimus vtiles proximis, & Eccleſiæ Dei malè inſumptum reputare, ac de noſtra ignauia triſtitiam accipere.

VIII. Nec ita temporalia dare, vt prodigè & inſipienter inſumantur: nec ita talentis ſpiritualibus

prodeſſe, vt mentis noſtræ virtutes ac profectus attenuentur.

Poſtulatio liberalitatis: Domine Ieſu Chriſte, qui es potentiſſimus Rea, ſummè magnificus & liberalis in dando, nam cùm vno gemitu aut vna gutta ſanguinis nos redimere potuiſſes, innumerabilibus tamen gemiobus & lacrymis nos redemiſti, & infinitis meritis ac totius ſanguinis tui effuſione à peccato liberaſti: doce nos, quæſumus, in tuo obſeqmo largos eſſe, & erga fratres noſtros liberales, vt in hac vita largitatis tuæ donis cumulemur, & in futura largam eaimiæ gloriæ benedictionem accipiamus. Amen.

De Virtute Fortitudinis.

CAPVT VIII.

VIRTVS Fortitudinis appetitum iraſcibilem moderatur, ſicut prudeotia intellectum in moralibus perficit, & iuſtitia voluntatem in ordine ad alios rectam efficit. Ei autem ſeptem aliæ virtutes annectuntur, quæ paſſiones iraſcibiles cohibent. Hæ autem ſunt: Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, Longanimitas, Perſeuerantia, Conſtantia, Securitas: Quæ omnes, ſicut ipſa Fortitudo, ita appetitum iraſcibilem afficiunt, vt etiam voluntatem exornent, in qua ſunt præcipui earum actus. De his igitur nuoc ſuo ordine agendum eſt.

De Fortitudine. §. *I.*

FOrtitodo, eſt virtus moralis, voluntatem ac appetitum iraſcibilem afficiens, qua homo erga acerba & terribilia rectè ſe habet, ita vt neque prauè timendo, in malum cadat, neque temerè audendo, ab officio rationi conſentaneo deſciſcat. Vel breuiùs: Eſt virtus animi, qua labores mortiſque pericola conſtanter ſuſcipiuntur, & perferuntur. Cuius duo ſunt generalia officia, in actiones, quæ ſtatim dicentur, diſtincta. Alterum eſt & præcipuum, labores & pericula ſuſtinere ac pati. Alterum verò, eadem pericula & labores, cùm oportet, adire & aggredi.

Incitamenta ad Fortitudinem ſunt: I. Fortitudo inter alia comparatur à Bonauentura radici arboris: Nam ſicut radia in arbore ſuſtinet truncum, frondes, & flores, fructus, & folia; ita Fortitudo ſuſtinet omnes alias virtutes, & earum actiones, & merita. Quamobrem, qui non vult iſta perdere, & periculo direptionis exponere, debet per fortitudinem contra hoſtes armari: Fratres mihi dilecti, inquit Paulus, eſtote ſtabiles & immobiles, abundantes in omni opere Domini ſemper.] Ac ſi diceret: ſi per fortitudinem, ſtabilitatem & immobilitatem non habeatis in bono, nequaquam poteritis bonis operibus abundare.

1. Cor. 15. 58.

II. Hæc virtus in iofirmo homine tanti pretij eſt, vt Deus ipſe velit noſtra fortitudo nuncupari. Ipſe enim auctor eſt noſtræ fortitudinis, qui dum nos inuictos facit & aduersùs animæ hoſtes inſuperabiles, maximè glorificatur in nobis. Sed hæc animi fortitudo, ait Proſper, ab illo eſt nobis, cui cum Propheta cantamus: Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.] Fortitudo noſtra eſt, quia ita nos contra omnia vitia inuicta protectione corroborat, vt animum noſtrum nec blanda diſſoluant, nec aduerſa deiiciant.

Proſp. lib. de vita contem. c. 20.

A Et tunc laus noſtra Dominus fit, ſi non nos de muneribus Dei, ſed diuina io oobis cupiamus munera prædicari.

III. Hac virtute, bona quæ nondum adepti ſumus, aſſequimur, & dona iam parta ſeruamus. Nam & ardua ac difficilia audet, vt ſpirituales diuitias augeat; & dura ac moleſta ſuſtinet, vt comparatas aſſeruet. Hæc non [timet eos, qui occidunt corpus,] iuxta mandatum Domini, & [timet Dominum, qui animam poteſt in gehennam mittere.] Et dum eum, qui dignus eſt timeri, timet, & reliqua, vt imbecillia, contemnit, ſalutem ſuo poſſeſſori conquirit.

Matth. 10. 28.

Actiones fortitudinis ſunt: I. Pericula mortis, & ipſam mortem iam irruentem, ea quacumque cauſa proueniat, ſine deiectione animi ſuſtinere. Et præ-B cipuè illam, quæ cauſa fidei infligitur, & martyrium eſt, animosè ſuſcipere.

II. Quælibet alia pericula euentuum moleſtorum, acerborom, & terribilium, quæ in hac vita accidunt, maximè propter defenſionem cuiuſque virtutis, tolerare.

III. Mentem confortare in aduerſis quibuſcumque, oe terreatur, & io proſperis, ne mulceatur, & à rectu virtutis tramite ad dexteram vel ad ſioiſtram deuiet.

IV. Roborare animum, vt ſemper exerceatur in bonis, licèt multa impedimenta operibus bonis obſiſtant, & ne vnquam vincatur in malis.

V. Tentatiooes & inſultus dæmonis ferre, & reiicere, ac propter illa à præceptis diuinis & conſiliis C Euangelicis nequaquam dimoueri.

VI. Ardua quæque & difficilia, ad comparandam perfectam virtutem, aggredi, & in Deo nos adiuuante confidere.

VII. Mentis tranquillitatem in aduerſis conſeruare, & in mediis moleſtiis ac tribulationibus, lætitia & iucunditate perfundi; ſecundùm illud Pauli: Superabundo gaudio in omoi tribulatiooe noſtra.]

VIII. Pericula & moleſtias, quæ omnino vires noſtras excedunt, ſine anxietate vitare, & nos, ſi abſque ignominia potuerimus, ab illis in opportunioꝛem commoditatem cuſtodire.

Poſtulatio Fortitudinis: Domine Ieſu Chriſte, Leo fortiſſime de tribu Iuda, qui de ſinu Patris exiiſti, vincens peccata noſtra, vt vinceres mortem, D & infernum diſſipares: corrobora mentes noſtras virtute fortitudinis, vt propter te aduerſa & moleſta animosè ſuſtineamus, & ardua ac difficilia, propter tuam gloriam & laudem, aggrediamur. Pelle, ò Domine, rogamus ſupplices, à cordibus noſtris noxiam timiditatem, qua ſolemus non timenda timere, & omnem intimiditatem, qua conſueuimus ea quæ timenda eſſent, non trepidare. Temerariam etiam audaciam comprime, qua aliquid ſupra vires à te conceſſas adorimur, vt in medio huius virtutis poſiti, ſecundùm quod tibi placet, in ſtudioſis operibus ſtrenuè & fortiter nos geramus. Amen.

E *De Magnanimitate.* §. *II.*

MAgnanimitas, eſt virtus, qua magna opera & eximio honore digniſſima propter finem virtutis aggredimur, ipſum verò honorem nobis denegatum non ambimus, & oblatum contemnimus. Ita quidem magni Eccleſiæ doctores, Thomas & Bonauentura, huius virtutis naturam expoſuerunt, & ea parte Philoſophi definitionem correxerunt. Qui fidei luce carens, & ſui oblitus, (nam alio loco verè

D. Tho. 22. q. 129 art. 3. ad 5. Bonau in brum. Eccleſ. 10. t. opuſc. Ariſt.

docuit

docuit honorem propter ſeipſum non eſſe quærendum) plus amori honoris tribuit, quàm Chriſtiana veritas patitur, & quàm ipſe honor (qui virtutem ſequitur, ſicut delectatio ſumptionem cibi) mereatur.

Incitamenta ad Magnanimitatem ſunt: I. Magnitudo Dei, cuius nos ſeruos profitemur & filios, ac imitatores eſſe cupimus. Ipſe enim magnus eſt: Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis.] Et, Magnus amor eius, quo filiũ ſuum nobis in redemptorem dedit, & ſpiritum ſuum cordibus noſtris immiſit. Et, Magna virtus eius, quia fecit nobis magna, qui potens eſt.] Et magnum donum eius: Nam redemit de interitu vitam noſtram, & coronat nos in miſericordia & miſerationibus,] & complacuit ei parare nobis regnum. Ita vt poſſimus ſingulis momentis dicere: Quòd magna eſt miſericordia eius ſuper nos.] Quis ergo non videat, huius magni regis famulos, amicos, & filios magnos eſſe debere, qui que magna pro ipſo audeant, & omnem ſæculi honorem, qui, vt ait Auguſtinus, nullius eſt ponderis fumus, animosè contemnant?

Pſal. 47. 1. Ioan. 3. Luca 1. 49. Pſalm. 102. 4. Pſal. 85. 13. Aug. 5. de ciuit. c. 17.

II. Magnis operibus magna præmia promiſſa ſunt. Nam qui mnâ, quam acceperat, lucratus eſt quinque mnas, præficitur quinque ciuitatibus; qui verò decem mnas acquiſiuit, laudatur vehementer, & cumulatiſſimum præmium recipit. Audi enim: Euge bone ſerue, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſuper decem ciuitates.] Magna ergo promiſit, inquit Gregorius, qui magna præcipiendo docuit, vt magnitudo muneris ad fortitudinem incitaret laboris.

Luca 19. 17. Greg. lib. 3. in 1. Reg. ad c. 17.

III. Magnarum actionum ſectatoribus, non tantùm in alia vita Dominus magna præmia decernit, ſed etiam in hac vita miris donis augere ſolet. Huiuſmodi ſunt: Mentis puritas, diuinarum conſolationum affluentia, in rebus arduis inuicta fiducia, in morte ſecuritas, citus ad cœlum tranſitus; nullus aut modicus ad purgatorij flammas acceſſus. Egregiè profectò Gregorius ait: Magnum eſt ſoli Domino ſeruire, videlicet inſtanter bona agere, bonis actibus reproba non miſcere: ſed hoc quàm maximum, in huius vitæ tranſitu poteſtatem cruentorum ſpirituum non incurrere. Nullas in via horribilitates cernere, contrarietates obiectionum nullas inuenire, æternas pœnas euadere, liberatoris noſtri præſidia ſentire, momentaneam ſæculi lucem perdere, ſed repentè ineffabilem claritatem æternitatis inuenire.] Hæc ille.

Greg. 5.

Actiones Magnanimitatis ſunt: I. In omni mortificationis genere atque virtutis, non mediocribus contentos eſſe; ſed cum Dei gratia ad ſupremum gradum anhelare, & quoad fieri poſſit, maximas & excellentiſſimas actiones præſtare.

II. Homines etiam ſuprema dignitate fulgentes, & eorum magnificas promiſſiones, & minas terribiles, ſi ad aliquid virtuti contrarium compellant, animosè contemnere.

III. Impedimentis, & obſtaculis non frangi, quæ ſe præſtantiſſimis actionibus virtutis opponunt, ſed ea fortiter ſuperare.

IV. Poſt magnam cum Deo familiaritatem adeptam, ad maiorem aſpirare, & poſt eximia opera, in eius obſequium præſtita, adhuc maiora moliri.

V. Difficultatibus & moleſtiis, quæ in his magnis operibus oriri ſolent, non mœrere, non angi, ſed lætari, atque gaudere.

VI. Pro his omnibus ſolum Dei obſequium ac gloriam expectare, & verum honorem, ſcilicet æternum, in patria decernendum, concupiſcere.

VII. Dignitates & mundi honores, ſi non offerantur, non appetere; ſi offerantur, aſpernari: & minùs voluntarij, ſolùm pro Dei gloria & merito obedientiæ ſuſcipere, & ſub illis, tanquam ſub pondere, gemere, & libentiſſimè eos aliis dimittere.

VIII. Honores, ac munera, noſtris meritis minora, præ ambitione non aſpernari, ſed illa cum magna modeſtia adminiſtrare, & quaſi noſtra maiori dignitate honore afficere.

IX. Non ſolùm puſillanimitatem, quæ viribus, à Deo nobis datis, congrua non audet, ſed etiam præſumptionem, ambitionem, & inanem gloriam fugere.

X. His ex parte continentur viginti indicia notanda viri magnanimi, quæ Ariſtoteles numerauit, & bene interpretata, non parum vtilitatis viro ſpirituali poſſunt afferre. Vir enim magnanimus. 1. Spectato officio aut dignitate magna, quam quærit, ſe propter illam, qua Deum repræſentat, dignum magno honore iudicat. 2. Modicè magnis honoribus, & à magnis viris oblatis, delectatur, paruóſque contemnit. 3. In proſperis & aduerſis moderatum ſe exhibet. 4. Magnanimi etiam eſt, parua pericula paruis relinquere, magnis verò pro Dei gloria ſe exponere, & ſi opus fuerit vitæ non parcere. 5. Acceptum beneficium ab homine maioribus beneficiis compenſare. 6. Neminem ex mortalibus, niſi ob res magnas, rogare. 7. Libenter aliis adiumento eſſe. 8. Cum principibus & opulentis, ſi ita gloria Dei exigat, præſtare ſe magnum & excelſum; cum mediocribus & infimis, moderatum. 9. Non ſe locis honorationibus aut dignitatibus ingerere. 10. Cunctari in his, quæ aggreditur, & non multa, ſed magna facere. 11. Apertè vitia odiſſe, & virtutem amare. 12. Palam & liberè, quæ dicenda, & agenda ſunt, dicere & agere. 13. Vulgi hominibus ſententiam ſuam & rationem gubernandi non prodere. 14. Alterius nutu, niſi ſuperiori, non poſſe viuere. 15. Quia nihil ei magnum eſt, non facile admirari. 16. Iniuriarum non meminiſſe. 17. Aliorum nimium laudatorem, aut vituperatorem non eſſe. 18. In moleſtiis querulum non ſe præbere. 19. Malle res honeſtas quàm vtiles poſſidere. 20. Habet denique magnanimus vocem grauem, motum tardum, orationem ſedatam, & quia paucis ſtudet, non feſtinat, & quia nihil magnum æſtimat, nunquam vehementer contendit.

Ariſt. 4. Ethic. c. 3.

Poſtulatio Magnanimitatis: Domine Ieſu Chriſte, rex magne, qui pro nobis puſillis magna & incomprehenſibilia feciſti, & ſæculi honores calcaſti: fac nos, obſecramus intentè, magnorum operum amatores, & terrenorum honorum & dignitatum contemptores; vt & magna opera & magna in tuo regno præmia nos efferant, & magnorum honorum ſecularium contemptus nos in veriſſimum ſanctorum honorem inducat. Amen.

De Securitate. §. III.

SEcuritas eſt virtus, qua pacatè & tranquillè magna opera virtutis aggredimur, & timorem anxietatemque errandi, præpoſterè agendi, & non aſſequendi finem, cohibemus. Quæ, vt Diuus Thomas ait, pars eſt magnanimitatis, quia cùm magnanimus ea quæ aggreditur, non ſibi impara reputet, merito in operibus ſuis ſecurus eſt, & de diuina miſericordia ſibi fauente confidit.

D. Tho. 2. 2. q. 129 ar. 7.

Incitamenta ad Securitatem ſunt. I. Concurſus Dei, qui omnes res naturales in ſuis functionibus mirabiliter iuuat. Qui & ipſis peccatoribus in ſuarum quoque legum tranſgreſſione auxilia ad operandum generalia non denegat, ne naturali ordini in rebus ſtatuto deficiat. Quanto ergo magis ſuos iuſtos iuuabit, pro eius obſequio laborantes, & eos ab emergentibus impedimentis vinci non ſinet?

II. Bona conſcientia, quæ iuſtum Dei gloriam quærentem mirabiliter roborat, & ſpe exitus boni confortat. Vnde Iob: Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris, defoſſus ſecurus dormies.] Et Salomon: Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit.] Et Bernardus: Nihil in hac vita ſecurius, nihil iucundius poſſidetur bona conſcientia. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa tamen ſemper erit ſecura.

Iob.11. 14.18. Prou.28. 1. Bern lib. de conſiderat pro pe finem.

III. Solicitudo rectè præſtandi omnia, quæ ad nos pertinent, vt in his quæ agimus, proſperum finem aſſequamur. Qui enim quod ad ſe pertinet, facit, non imprudenter quod à Deo iuuabitur, de infinita eius miſericordia confidit. Et hoc inſinuat Cyprianus, ita ſcribens: Dei eſt, inquam, Dei omne quod poſſumus; inde viuimus, inde pollemus, inde ſumpto & concepto vigore, hîc adhuc poſiti futurorum indicia prænoſcimus. Sit tantùm timor innocentiæ cuſtos, vt quod in mentes noſtras indulgentiæ cœleſtis allapſu clementer Dominus influxit, in animi oblectantis hoſpitio iuſta operatione teneatur, nec accepta ſecuritas indiligentiam pariat, & vetus denuò hoſtis obrepat.

Cypr lib. 2. ep. 2 ad Donatū.

Actiones Securitatis ſunt: I. Promptè, & alacriter, & cum ſpe boni exitus, actiones præclaras & difficultatem præ ſe ferentes aggredi.

II. Timorem, anxietatemque, ex non legitima cauſa obortam, abiicere.

III. Quietè & ſine vlla perturbatione, dum in Domino, & non in nobis fiduciam collocamus, opera bona præſtare.

Poſtulatio Securitatis: Domine Ieſu Chriſte, triumphator potentiſſime, qui omnino ſecurus de victoria peccati & mortis exiſtens, ante paſſionem tuam, acclamationem victoris libenter ſuſcepiſti, & Hieroſolymam ante conflictum cum morte, tanquam mortis & peccati victor, intraſti: concede, quæſumus, nobis famulis tuis, ita tuam erga nos amabilem prouidentiam & abundantiſſimum auxilium agnoſcere, vt ſimus in bello tentationum tua protectione tuti, & in magnorum operum exercitatione tuo adiutorio ſecuri. Amen.

De Magnificentia. §. IV.

MAgnificentia eſt virtus, qua ob Dei honorem, in magnis & vtiliſſimis operibus magnos ſumptus facimus, & ingentem vim pecuniæ profundimus. Quod innuit Auguſtinus dicens: Eſt rerum magnarum, & excelſarum, cum ampla quadam & ſplendida propoſitione, cogitatio atque adminiſtratio. Et apertiùs Baſilius: Qui magnificas, inquit, de Deo cogitationes habent, ſublimes item de rerum creatione rationes ſpeculantur, huc etiam quatenus potuerunt incubuêre, vt bonitatem diuinæ prouidentiæ qualicumque intelligentia conſequerentur, ad hoc in faciendo ſumptu minimè illiberales aut ſordidi, & in alleuanda fratrum neceſſitate munifici; ij demum ſunt magnifici, in quibus vox Domini ſibi elegit domicilium.

Aug. lib. 83. qq. q. 31. Baſ. hom. in Pſal. 28.

Incitamenta ad Magnificentiam ſunt: I. Deus pro nobis redimendis magnos ſumptus fecit, qui non auro vel argento, ſed ſanguine ſui Filij, in infinitum pretioſiore, nos in libertatem aſſeruit. Scientes, inquit Petrus Apoſtolus, quòd non corruptibilibus, auro vel argento, redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati.] Quid ergo multum, ſi nos propter illum ex bonis ſuis, quæ recepimus, magnos ſumptus faciamus?

1. Petr. 1. 18. 19.

II. Deus etiam hominem magnificum fecit. Nam magnificauit Dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes.] Et Gregorius ait: Deus hominem magnificat, quia largitate rationis ditat, quia infuſione gratiæ viſitat, quia honore collatæ virtutis exaltat, quibus anima maximè reficitur, quia magno animo & rationali nihil eſt magnum, nec ſatiat eum niſi ſolus Deus, qui eſt immenſus. Debet ergo qui magnificus eſt, opera magnificentiæ præſtare.

Pſalm. 124. 3. Greg. 8. mor.

III. Quanto pro Deo plura & maiora inſumimus, tanto ditiores efficimur, quia pro temporalibus ferè nullius valoris ſpiritualia immenſi pretij recipimus. Hoc autem adeò verum eſt, vt Paulus de his, qui præcipuum opus magnificentiæ faciunt, & omnia pro Chriſto dimittunt, dicat: Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.] Et Dominus: Centuplum accipient, & vitam æternam poſſidebunt.]

2. Cor. 6. 10. Matt. 19. 29.

Actiones Magnificentiæ ſunt: I. In operibus magnis & ſplendidis, vt in ædificandis Eccleſiis, monaſteriis, collegiis, & in aliis ædificiis ſæcularibus, ad ſplendorem reipublicæ pertinentibus, magnos ſumptus auri, argenti, gemmarum, & pecuniarum facere.

II. Affectum immoderatum erga has magnas opes, qui earum profuſionem impedit, moderari.

III. Magnis ſumptibus, id eſt, dimiſſione omnium rerum, gemmam perfectionis coëmere.

IV. Nos ipſos, qui omnes ſumptus externos ſuperamus, in veræ virtutis adeptionem, & in magnorum propter Deum operum molitionem, inſumere.

Poſtulatio Magnificentiæ: Domine Ieſu Chriſte, qui es [magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia,] quique in conuiuio corporis & ſanguinis tui magnificentiſſimus appatuiſti, dum te ipſum, infiniti valoris theſaurum, ad nos cibandos & potandos donaſti: effunde ſuper nos ſpiritum, diuitiarum contemptorem, vt ſicut te inſpirante omnia volumus dimittere, ita parati ſimus, ſi omnes mundi gazas nunc haberemus, propter tuum amorem erogare. Amen.

Exodi 15. 11.

De Patientia. §. V.

PAtientia eſt virtus, qua mala huius ſæculi æquo animo ſuſtinemus, ita vt propter illa, nec interiùs immoderatè turbemur, aut triſtemur, nec exteriùs aliquid minùs honeſtum minúſue decorum admittamus. Mala huius vitæ, quæ patientia ſuſtinet, ſunt mortes parentum, filiorum, cognatorum, amicorum: morbi, exilia, damna, iniuriæ, contumeliæ, & cætera huiuſmodi, quæ poſſunt accidere. Patientis igitur eſt, in his euentibus triſtitiam, mœrorem, & afflictionem moderari, ita vt menſuram rationis non excedat, nec ad aliquid illicitum ad depulſionem malorum inducat. Eſt etiam, verba, & geſtus, & alias externas actiones, triſtitiæ indices, ita regere, vt nihil in eis, niſi quod decorum eſt & virili animo dignum,

eluceat.

Aug. li. de Patien. c.

eluceat. His intelligitur definitio Auguſtini: Patientia hominis eſt, qua mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deſeramus, per quæ ad meliora perueniamus. Illa etiam Laurentij Iuſtiniani: Patientia eſt virtus, contumeliarum & omnis aduerſitatis impetus æquanimiter portans; vel eſt, aliena mala, id eſt, ab aliis illata, æquanimiter perpeti, & contra eum, qui irrogat, nullo animi dolore moueri.

Iuſtin. in ligno vitæ de Pat.

Incitamenta ad Patientiam ſunt: I. Sine patientia, vitam cæleſtem, quam ſperamus & optamus, habere non poſſumus. Quoniam impoſſibile eſt, nos in hoc exilio, tot malis & miſeriis referto, multis illorum ſæpe non impeti, quibus niſi patientia reſiſtamus, facient nos aut à bono diſcedere, aut in malum peccatûmque prolabi. Hoc autem ſignificant illa verba Domini: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras,] quia nequaquam animæ vitam poſſidebimus, niſi patientia fulgeamus. Atque item illa: Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: Et beati eſtis cùm maledixerint vobis homines,] & cætera.

Matth. 5. 10. 11.

II. Patientia ipſius Dei, qui tantam ingratitudinem & peccatorum noſtrorum colluuionem ſuſtinet, qua nos propter bonum noſtrum, mœrores & ærumnas ſuſtinere docet. Si Dominus, inquit Cyprianus, nobis pater & Deus eſt, ſectemur patientiam Domini pariter & patris. Quia & ſeruos oportet eſſe obſequentes, & filios non decet eſſe degeneres. Qualis verò in Deo & quanta patientia, quòd in contumeliam ſuæ maieſtatis, & honoris, inſtituta ab hominibus prophana templa, & terrena figmenta, & ſacra ſacrilega patientiſſimè ſuſtinens, ſuper bonos & malos æqualiter facit diem naſci, & lumen ſolis oboriri? Et cùm imbribus terras rigat, nemo à beneficiis eius excluditur, [quominus iuſtis ſimul & iniuſtis indiſcretas pluuias largiatur? Et poſt multa commemorata beneficia, hæc ſubiicit. Et cum crebris, immò continuis exacerbetur offenſis Deus, indignationem ſuam temperat, & præſtitutum ſemel retributionis diem patienter expectat.] Hæc ille. Inducit etiam exemplum Chriſti Saluatoris noſtri, cuius tota vita, patientia fuit. Qui in ingreſſu in hunc mundum, in progreſſu per hunc mundum, in egreſſu de hoc mundo, innumera mala ſuſtinuit, & aduerſa patientiſſimè tolerauit. Æquum eſt autem, vt nos, qui eius membra ſumus, pati & ſuſtinere, glorioſiſſimum cogitemus. Pulchre ſponſa, inquit Bernardus, conuertit ſibi ad gloriam, quod ei pro opprobrio ab æmulis intorquetur, non modò formoſam ſed & nigram eſſe ſe glorians. Non enim erubeſcit nigredinem, quam nouit præceſſiſſe, & in ſponſo, cui ſimilari, quantæ etiam gloriæ eſt? Nihil ſibi glorioſius proinde putat, quàm Chriſti opprobrium portare. Vnde vox illa prorſus exultationis & ſalutis: Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri, Ieſu Chriſti.] Grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus non eſt. Nigredo eſt, ſed formoſa, & ſimilitudo Domini. Vade ad ſanctum Iſaiam, & deſcribet tibi qualem eum in ſpiritu viderit. Quem namque alium dicit [virum doloris, & ſcientem infirmitatem;] & quia [non erat ei ſpecies, neque decor?] Inducit tandem ſanctorum exemplum: Nam ſicut eorum caput oportuit per paſſionum tolerantiam intrare in gloriam ſuam; ita neceſſarium fuit, vt ipſi in gloriam eâdem via ingrederentur. Et nos ſi cupimus eorum ſocij eſſe, per eandem viam debemus intrare.

Cyprian. lib. de bono patiẽtiæ.

Bern. ſer. 25. in Cãt. prope finem.

Ad Galat. 6. 14.

Iſa. 53. 3.

Ibid. n. 2.

III. Præmium patientiæ eximium eſt: Nam & A in hac vita patientia nos perficit, iuxta illud: Virtus in infirmitate perficitur; & in alia vita eximia remuneratione coronat. Idque ſignificant illa verba Iob: Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum.] Quia nimirum, vt inquit Gregorius, inde mens ad ſumma euolat, vnde caro in infimis duriùs laborat. Quanta autem ſint patientiæ bona, Tertullianus in hunc modum exponit: Patientia fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem inſtruit, pœnitentiam expectat, exomologeſim, id eſt, confeſſionem, aſſignat, carnem regit, ſpiritum ſeruat, linguam frænat, manum continet, tentationes inculcat, ſcandala pellit, martyria conſummat.

Iob. 5. 7. Gregor. 6. mor. c. 5.

Tertul. de patiẽtia.

Actiones patientiæ ſunt: I. Damna fortunæ & B ſubſtantiæ mundialis æquanimiter ferre.

II. Iniurias, irriſiones, probra, contumelias, detractiones, & infamias æquo animo ſuſtinere.

III. Dolores, ægritudines, corporis imbecillitatem, atque ipſam mortem, ſine impatientiæ nota tolerare.

IV. Hæc omnia ſufferre ſine murmuratione, ſine lamentationibus, & querimoniis, ſine immoderata & nimia triſtitia.

V. Suprà dicta mala non ſolùm ſine triſtitia nimia ſuſtinere, ſed etiam ſe ad gaudium inducere, quia pro gloria Dei aliquid tolerat, & planè cum gaudio & exultatione pati, ſicut Apoſtoli: Qui ibant gaudentes à conſpectu concilij, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.]

Actor. 5. 41.

C VI. Ferre hæc mala, aut quia ea noſtræ culpæ commeruerunt, aut etiam ſine culpa, quæ ab hoſtibus & inimicis dimanarunt.

VII. Ferre hæc mala propter bona opera, quibus aliis adiumento fuimus, qui in nos beneuolos, ſe maleuolos & ingratos præſtant, ſecundùm illud: Si benefacientes ſuſtinetis, hæc eſt gratia.] Atque iterum: Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ.]

Pſal. 34. 13.

VIII. Suſtinere mala, non tantùm à malis, ſed etiam à bonis, & ab his, qui bono zelo, non tamen ſecundùm ſcientiam, nos perſequuntur, & qui dum de nobis detrahunt, aut famam dilacerant, & rebus ſpoliant, arbitrantur ſe obſequium præſtare D Deo.

1. Petr. 2. 20.

IX. Non nos excuſate, ſed in mediis malis quietos ſilere, ſicut fecit Dominus, qui à Pilato interrogatus, [nihil reſpondit,] & apud Herodem prudentiſſimè tacuit.

Mat. 27. 14.

X. Mala hæc concupiſcere, & ex deſiderio imitationis Chriſti peroptare. In cuius perſona ſcriptum eſt: Improperium expectauit cor meum & miſeriam.]

Pſal. 68. 21.

Poſtulatio Patientiæ: Domine Ieſu Chriſte, qui in diebus mortalitatis tuæ, nos ſemper bona agere & mala tolerare docuiſti: ſpiritum noſtrum virtute patientiæ robora, vt mala à malis & à bonis, ſine vlla etiam occaſione à nobis data, propter te æquanimiter E toleremus, & vt ob eorum depulſionem, nec vllo peccato fœdemur, nec à virtutis ſequela vllo modo deſiſtamus. Amen.

De Longanimitate. §. VI.

Longanimitas, eſt virtus, qua per longum tempus moleſtias corporis & mentis ariditates ſuſtinemus, & malorum remedium, ac fœlicitatis aduentum, diu dilata, æquo animo, ac firma ſpe à Domino ſperamus. Quæ pars eſt patientiæ, & in hoc ab ea differt, quòd patientia, mala quidem tolerat, longa-

nimitas verò quod difficilius eſt, facit; nam per diuturnum tempus mala ſuſtinet, & conſolationem per multos dies, menſes, & annos dilatam expectat.

Incitamenta ad longanimitatem ſunt: I. Bonum, quod malorum perpeſſione ſperamus, maximum eſt. Ab eo etiam illud expectamus rerum omnium conditore, qui potentiſſimus eſt ad donandum, & celerrimus ac præſentiſſimus ad auxilium ferendum. Differt autem aliquandu, quia remedij dilatationem ipſius gloria, & noſtrum maius bonum expoſcit. Non ergo æquum eſt, vt maxima bona, quaſi nullius momenti eſſent, breui labore velimus accipere, & ante tempus, Dei gloriæ & noſtræ vtilitati conueniens, illa optemus comparare. Quamobrem vnuſquiſque illud Dauidis ſibi dictum exiſtimet: Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.] *Pſal. 26. 2.*

II. Saluator noſter, longiſſimo tempore nos morantes, & eius iuſſis obedire detrectantes, expectat: & ſi poſt conuerſionem noſtram ab illo fugiamus, vel ſegniter nos geramus, noſtram ingratitudinem, ſegnitiem, ac ſtultitiam, mirabili longanimitate ſupportat. Quare vilis homuncio & inutilis ſeruus Dominum ſuum non expectabit? Quare à ſapientiſſimo magiſtro longo tempore aduerſa tolerare non diſcet? Quare fideliſſimo patri omnia proſpicienti & leuamen afferre cupienti non fidet? Gemina dulcedo ſuauitatis, inquit Bernardus, exuberat in pectore Domini Ieſu, longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas. De primu legimus: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?] De ſecundu verò: Quacumque hora ingemuerit peccator, peccatum tunc remittetur ei. Si ille nos expectat, expectemus viciſſim illum & nos, quia veniens veniet, & non tardabit, & lacrymas noſtrorum oculorum abſterget. *Ber. ſer 9 in Cant.* *Rom. 2. 4.* *Ezech. 18. 21.*

III. Indocit longanimitatis laus, quam Laurentius Iuſtinianus hac luculenta oratione contexuit: Longanimitas eſt amica virtutum, gratiæ aduocatrix, religioſitatis domicilium, fidei ſpeculum, teſtimonium ſanctitatis, ornamentum Catholicæ veritatis, Dei imitatrix, interemptrix vitiorum, tentationum medicamentum, perſecutrix dæmonum, & ſpiritualis lancea, inimicorum arma transfigens. Hæc Chriſti militibus neceſſaria eſſe probatur. Tolle longanimitatem bellatori, & illico timore comprehenſus, terga aduerſariis dabit. Si hac operari quiſquam caruerit, intermiſſo opere repentè deficiet. Sanctorum longanimitatem aduerte, tu, qui puſillanimitate purgatis: eorum in tribulatione conſtantiam ſi diligenter attendas, efficieris patiens, & in diuinæ gratiæ expectatione robuſtus. Ipſos imitare, quos diligis, vt ad illorum gloriam pertingere queas, virtute præuia fœlicitatis eorum conſequêris faſtigium. *Iuſt li de interiori conflictu, c. 11.*

Actiones longanimitatis ſunt: I. Perſecutiones, iniurias, moleſtias corporis, & cætera huiuſmodi longo tempore, immò vſque ad mortem, ſi oportuerit, ſine vlla impatientiæ nota tolerare.

II. Mentis ariditates, conſolationum diuinarum ſubtractiones, & Deum ſe abſcondentem, & quaſi in medijs fluctibus, quibus ſubmergimur, dormientem, ſuſtinere.

III. Propter hæc & alia terribilia, quæ viri ſpirituales interdum experiuntur, quibus à Domino probantur, nunquam in rebus exterioribus conſolationem quærere, nunquam à ſtudio ſanctæ orationis ſeparari, nunquam in cura virtutis intepeſcere.

IV. Illam in quacumq; gratiæ ſubtractione mentem induere, quam habebat ſanctus Iob, quando dicebat: Etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo, veruntamen vias meas in conſpectu eius arguam, & ipſe erit Saluator meus.] *Iob. 13. 15.*

Poſtulatio longanimitatis: Domine Ieſu Chriſte, cuius hoc eſt pulchrum tuæ longanimitatis elogium: Miſerator & miſericors Dominus, longanimis, & multum miſericors, quíque nos innumeris miſerationibus imples, & duritiam noſtram vſque ad ſenectam & ſenium expectas: quæſumus, anguſtum cor noſtrum dilata, & longanimitatis virtute magnifica, vt ſemper labores & moleſtias pro te ſuſtinentes, & nullam in hoc exilio mercedem conſolationis poſtulantes, nos æternitatis cognitores eſſe monſtremus, & bonorum æternorum amatores oſtendamus. Amen.

De Perſeuerantia. §. *VII.*

PErſeuerantia eſt virtus, qua ex ipſo affectu continuandi bonum in bonis operibus vſque ad finem perſiſtimus, & moleſtiam, ex rei laborioſæ diuturnitate prouenientem, ſuperamus. Seu eſt, vt inquit Albertus, in bonis operibus frequens exercitatio, continuum ſtudium ad perfectionem, ſpiritualium gratiarum & virtutum diligentiſſima vſque ad mortem obſeruatio. Aut breuiùs cum Auguſtino: Eſt in ratione bene conſiderata ſtabilis & perpetua permanſio. Donum autem perſeuerantiæ longè diſtat ab hac virtute, quod in iuſtitiæ & gratiæ vſque ad mortem continuatione conſiſtit. Hoc donum vniuerſorum quidem donorum maximum ſub merita noſtra non cadit, & nemo illud vſque ad extremum vitæ terminum plenum habet, de quo nunc nihil intendimus diſputare. *Alber. in paradiſ. animæ. c. 42.* *Aug. lib. 83. qq. q. 31.*

Incitamenta ad Perſeuerantiam ſunt: I. Sine perſeuerantia omnis labor in aliqua virtute ſuſceptus debita mercede vacuatur. Et ſicut vanum eſt, oculum ſine præſidio lucis ad videndum aperire; ita ſtultum eſt, ſine perſeuerantia præmium laborum expectare. Ideóque non perſeuerantes ſtulti vocati ſunt. Sic ſtulti eſtis, ait Paulus, vt cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini. Et Sapiens: Stultus, vt luna, mutatur.] Et Dominus inſtabiles vocat arundines vento agitatas, quia ex motu ſuorum operum nullum fructum ſolidum accipiunt. *Eccli. 27. 12.* *Matt. 11. 7.*

II. Perſeuerantia quod petit impetrat. Vnde in illa parabola petentis ab amico tres panes, ait Dominus: Si perſeuerauerit pulſans, dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens, eo quòd amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.] Perſeuerantia quoque præmium æternum meretur. Nam & ipſe auctor huius præmij ait: Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.] *Luca 11. 8.* *Apoc. 2. 10.*

III. Inducit pulcherrima perſeuerantiæ laus ſcripta à Bernardo, qui ſic habet: Et nunc quid reſtat, chariſſimi, niſi vt admoneamini de perſeuerantia, quæ ſolam meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorſus abſque perſeuerantia nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor conſequitur. Vigor virium, virtutum conſummatio eſt, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror eſt patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum ſanctitatis. Tolle perſeuerantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Saul cùm eſſet paruulus in oculis *Ber. epiſt. 129.*

ſuis,

A ſuis, rex eſt ſuper Iſrael conſtitutus, non perſeuerans
in humilitate, & regnum amiſit & vitam. Si caute-
la Samſon, ſi Salomonis deuotio perſeuerantiam re-
tinuiſſent, nec is profectò priuaretur ſapientia, nec il-
le viribus. Hoc ſummæ honeſtatis inſigne, hanc to-
tius probitatis vnicam fidámque cuſtodem, cuſtodiri
à vobis firmiter hortor & precor.

Actiones perſeuerantiæ ſunt: I. Laborem virtu-
tis ex temporis diuturnitate prouenientem tolerare
& vincere.

II. Non obſtante eo labore, virtutis opera con-
tinuare, & in eo, quod ſemel cœperimus, ſtabiles per-
manere.

III. Nec amore vitæ, nec timore mortis, nec mi-
Dan. 13. nis, nec promiſſionibus, quod fecit Suſanna, à recti- B
tudine ſeparari.

Poſtulatio Perſeuerantiæ: Domine Ieſu Chriſte
Ioan. 13. 1. amator noſter perſeuerantiſſime, qui [cùm ſemper di-
lexiſſes tuos, in finem dilexiſti eos,] & in cruce pen-
Ioan. 19. 30. dens & dicens, [conſummatum eſt,] illuſtriſſimum
nobis exemplum perſeuerantiæ dediſti, fac nos in eo,
quod ob tuum obſequium cœpimus, ſtabiles, & in
omni virtute perſeuerantes, vt cum Apoſtolo tuo
2. Tim. 4. 7. poſſimus dicere: Fidem ſeruauimus;] & cum exem-
plo patientiæ Iob, quia [donec deficiamus, ab inno-
Iob. 27. 5. centia noſtra non recedemus.] Nam ſi nos fidem vſ-
que ad finem tibi ſeruauerimus, abſque dubio à te,
Luc. 6. 38 remuneratore fideliſſimo, [menſuram bonam, &
confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem] recipie-
mus. Quam da nobis, rogamus ſupplices, per tuam
infinitam bonitatem. Amen. C

De Conſtantia. §. *VIII.*

CONſtantia, eſt virtus, qua quæcumque impedi-
menta virtutis, vel ex ipſa humani cordis mobi-
litate, vel ex cauſis extrinſecis prouenientia, ſupera-
mus, & in bono ſtabiliter permanemus. In hoc er-
go à Perſeuerantia diſtinguitur, quòd hæc difficul-
tati ex longitudine temporis dimananti reſiſtit, illa
verò reliqua extrinſeca impedimenta & humani in-
genij inſtabilitatem reſpicit. Iſtámque eſſe conſtan-
Ambr. 2. Offic. 28. tiæ naturam, ſatis indicat Ambroſius illis verbis: Gra-
tia præparandus eſt animus, exercenda mens, ſtabi-
lienda ad conſtantiam, vt nullis perturbari animus
poſſit terroribus, nullis frangi moleſtiis, nullis ſuppli- D
ciis cedere.

Incitamenta ad conſtantiam ſunt: I. Conſtantia
ſanctorum martyrum, qui tormentis acerbiſſimis in-
terrogati, & timore mortis adacti, vt fidem deſere-
rent, ſemper immobiles perſtiterunt, & nunquam
verum Deum abnegarunt. Item conſtantia omnium
ſanctorum, qui inter magnas difficultates nunquam
à deſiderio perfectionis auulſi ſunt. Nos igitur, qui
non vſque ad ſanguinis effuſionem reſtitimus, neque
vſque ad mediocritatem profecimus, vtique debe-
mus eorum exemplis accendi, & ob nulla impedi-
menta à virtutis inquiſitione ceſſare.

II. Per conſtantiam protoparentis noſtri, erra-
tum corrigimus, & famam amiſſam vtcumque reſar-
cimus. Ille enim quia in veritate non ſtetit, & ver- E
bis vxoris emollitus eſt, ſeipſum & nos perdidit. Hoc
autem immane facinus deteſtamur, & damnum no-
bis illatum reparamus, cùm in gratia, nobis per Ieſum
Chriſtum Saluatorem noſtrum reſtituta, perſiſtimus,
& impedimenta vniuerſa virtuti reluctantia proſter-
nimus.

III. Bonum amittimus, à quo per inconſtantiam
reſilimus, & ad virtutem capeſſendam neceſſe eſt vſ-
que ad finem perſiſtere, nec ſufficit eius ſtudium in-

A choare. Quòd ſi cordis inſtabilitas nos ad id, quod
cœpimus, deſerendum ſolicitet, aut quæuis impedi-
menta inſuperabilem eſſe difficultatem oſtendant, Marc. 16. 4.
expendamus animo, Deum, cuius potentiæ nulla eſt
menſura, noſtrum auxiliatorem eſſe, qui & impedi-
menta nobis, non aliter quàm lapidem ſepulchri,
ſanctis mulieribus tollet, & omnem difficultatem
ſuperabit. Vnde ipſe ait per Iſaiam: Ne timeas, Iſa. 41. 10.
quia ego tecum ſum, ne declines: quia ego Deus tuus
confortaui te, & auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepit te
dextera iuſti mei.]

Actiones Conſtantiæ ſunt: I. Statum per-
fectionis, quem ſemel arripuimus, nunquam mu-
tare.

B II. Modum orandi, & nos cohibendi, & in
virtutibus proficiendi, quem à maioribus didicimus,
niſi manifeſtè à Deo ad alium vocemur, ſemper te-
nere.

III. In loco aut miniſterio, in quo nos obe-
dientia poſuerit, ſine vlla inquietudine requie-
ſcere.

IV. Superfluos diſcurſus, & ſæcularium non ne-
ceſſarias viſitationes, & à noſtro inſtituto aliena ne-
gotia, fugere.

V. Cogitationes & deſideria, in vno, ſcilicet in
Deo, quem vt finem quærimus, fixas habere.

VI. Ab his, quæ Deo placent, ob nullam obor-
tam difficultatem ceſſare.

VII. In deſiderio proficiendi & virtutem augen-
C di, nunquam intepeſcere.

Poſtulatio Conſtantiæ; Domine Ieſu Chriſte, qui
ab hoſtibus veritatis in crucem actus, & ad deſcen-
dendum inuitatus, deſcendere noluiſti, vt noſtram
redemptionem perficeres, & ad conſtantiam anima-
res: fac nos, oramus intentè, tuæ inuictæ conſtantiæ
imitatores veriſſimos, vt à cruce, quam pro te ſemel
portare cœpimus, nunquam per ignauiam deſiſta-
mus. Amen.

De Virtute Temperantiæ.

CAPVT IX.

D POSTREMA ex virtutibus morali-
bus eſt Temperantia, quæ ad cohiben-
dum appetitum concupiſcibilem da-
ta eſt; in eóque appetitu reſidet; licèt
ſecundùm aliquos, non inferioris no-
tæ Theologos, in voluntate quoque reſideat. Putant
enim omnes, virtutes, ad Fortitudinem & Tempe-
rantiam pertinentes, ex duplici habitu coaleſcere,
quorum alter afficit appetitum, alter verò volunta-
tem. Sed quia hoc nō eſt noſtri inſtituti definire, nec
aſſerimus, nec negamus. Temperantiæ, multæ ſunt,
tum ſpecies, tum potentiales partes, ſeu virtutes an-
nexæ, quæ hominem temperatum reddunt, nempe
Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas, Virginitas, Pudici-
tia, Maceratio, Manſuetudo, Clementia, Modeſtia,
E Humilitas, Paupertas, Taciturnitas, Studioſitas. De
quibus ſigillatim tractandum.

De Temperantia. §. *I.*

TEmperantia, eſt virtus moralis, cuius præſidio
cohibemus paſſiones appetitus concupiſcibilis,
quæ verſantur circa delectabilia ſenſuum, præcipuè
guſtus & tactus, ad quorum duorum ſenſuum fun-
ctiones, aliorum ſenſuum actus ordinantur. Alio

Digitized by Google

Iuſtin. in ligno vita de cō. tinen. c. 1.

modo ſub nomine continentiæ definit eam pulchrè A Laurentius Iuſtinianus: Eſt, inquit, amor Deo ſeſe integrum incorruptúmque ſeruans: vel eſt, nihil appetere pœnitendum, in nullo moderationis legem excedere, & ſub iugo rationis cupiditatem domare. Contractiùs Auguſtinus ait: Temperantia eſt affectio coercens & cohibens appetitum ab iis rebus, quæ turpiter appetuntur.

Incitamenta ad Temperantiam ſunt: I. Hæc virtus innocentiæ & ſanctitatis vectigal fuit, quam voluit Deus in Paradiſo voluptatis ſibi à parentibus noſtris exolui. Tandiu innocentiam tenuerunt, quandiu Temperantiā perſoluerunt: hoc verò moderationis tributo denegato, in miſerum peccati ſtatum prolapſi ſunt. Vnde Ambroſius: Temperantia

Ambr. li. de Iacob. c. 2.

eſt, quæ reſecat cupiditates.] Hanc primis homini- B bus tenendam mandauit Deus, dicens: De fructu

Gen. 2.

autem ligni, quod eſt in Paradiſo, non edetis, neque tangetis illud, ne moriamini. Et quia non eſt retenta, ideo transgreſſores virtutis egregiæ, Paradiſi exules facti ſunt, & immortalitatis exortes.

II. In hac vita exules & peregrini ſumus, qui [non

Hebr. 13. 14.

habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus;] æquum ergo eſt, vt res huius vitæ non ad luxum & voluptatem, ſed ad vſum & neceſſitatem accipiamus. Qua ratione Petrus Apoſtolus nos ad Temperantiam hortatur, ſic ſcribens: Chariſſimi,

1 Petr. 2. 11.

obſecro vos, tanquam aduenas & peregrinos, abſtinete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſùs animam.]

III. Temperantiæ virtute ſimiles Angelis efficimur, C à brutis & irrationabilibus diſcedimus, & ad euolandum in cœlum alis contemplationis præparamur. Quis enim addubitet illum Angelis ſimilem fieri, cuius caro quantum poſſibile eſt, à ſenſibilibus elongatur? Et illum à brutis maximè diſcedere, cuius corpus beſtiales motus, & animalium rationis expertium voluptates abominatur? Eúmque tandem ad contemplationem parari, qui terrenæ cupiditatis viſco non tenetur? Talis erat Ioannes Baptiſta, cuius vita fuit Temperantiæ mirum exemplum. Ideo vocatus eſt Angelus: Ecce mitto Angelum meum,

Malach. 3. 1.

& præparabit viam ante faciem meam.] Quo nihil Deo ſimilius, nihil à brutis beſtiíſque diſtantius, nihil ad Dei contemplationem aptius inuenitur. D

Actiones Temperantiæ ſunt; I. In rebus, quæ ad corporis voluptates pertinent, omnem honeſtatem & morum decorem amplecti.

II. Omnem turpitudinem per honeſtam verecundiam timere, & de his quæ mentis munditiæ repugnant, erubeſcere.

III. In voluptatibus corporis aſſumendis, pro menſura non aliud quàm neceſſitatem habere. Ad quod Auguſtinus ait: Habet vir temperans in rebus huius vitæ regulam, vtroque teſtamento firmatam, vt earum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vitæ huius atque officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt, vſurpet.

Aug. lib. de moribus Eccleſiæ, c. 21.

Poſtulatio Temperantiæ: Domine Ieſu Chriſte, E candor lucis æternæ, qui non ſolùm ob corporis pulchritudinem, ſed & ob animæ puritatem, dictus es [ſpecioſus forma præ filiis hominum,] illuſtra men-

Pſal. 44. 3.

tem noſtram, & corpus noſtrum, Temperantiæ claritate, vt ſimiles tui effecti, meritò fratres tui, quos in tantam dignitatem extuliſti, & filij Dei nominemur & ſimus. Amen.

De Abſtinentia. §. II.

ABſtinentia, eſt virtus, qua voluptatem, in vſu ciborum ſitam, refrænamus, & debitum mo- A dum in eorum ſumptione conſtituimus. De qua Baſilius ſub alio nomine ait: Continentiam autem

Baſil. in reg. 16 fuſius diſput.

appellamus, non ſi quis ſe à cibo penitus abſtineat; quando hoc violenta quædam vitæ diſſolutio eſt: ſed eam, quam tollendæ contumaciæ corporis cauſa, pietatis ergô, de induſtria ſequimur rerum voluptatem titillantium abſtinentiam. Eſt itaque duplex huius virtutis pars; altera, quæ in alimentis neceſſaria ſumit: altera, quæ ſine notando ſalutis detrimento pro virtutis amore ex neceſſario alimento aliquid demit.

Incitamenta ad Abſtinentiam ſunt: I. Chriſtus Dominus abſtinentiam perpetuò coluit, parciſſimis cibis vtens, & [quadraginta diebus & quadra-

Matth. 4. 2.

ginta noctibus ieiunauit,] & abſtinentiæ præceptum B tulit, dicens: Ne grauentur corda veſtra in crapu-

Luc. 21. 34.

la & ebrietate.] Sanctos etiam omnes ad abſtinentiam ſectandam occultis mentis inſtinctibus hortatus eſt: qui dum ciborum corporalium delicias contempſerunt, ſe mirificè ad delicias ſpiritus præpararunt.

II. Abſtinentia orationi copulata, multa & magna dona à benignitate Domini ſolet impetrare, vt paſſim ex diuinis Scripturis conſtat. Dumque corpori ſuperflua denegamus, ad orationis ſtudium, atque adeò ad cœleſtia dona ſuſcipienda, capaciores efficimur. Egregiè namque dixit Cyprianus: Sed

Cyprian. lib. 4. epiſt. 6.

& de victu parco & ſobrio potu, diuinis dignationibus admonemur, ſcilicet ne vigore cæleſti ſublime iam pectus illecebra ſæcularis eneruet, vel ne largio- C ribus epulis mens grauata, minùs ad preces orationis euigilet.

III. Magni momenti eſt ad tenendam abſtinen-

Iuſt. lib. de diſcipl. monaſt. 20.

tiam illa conſideratio, quam Laurentius Iuſtinianus latè proſequitur: Quanti ſcilicet antea diuites, & poſtmodum ad mendicitatem delapſi fame tabeſcunt: quanti ægroti vtriuſque ſexus ex defectu neceſſarij alimenti pereunt: quanti innocentes & conſpicuæ vitæ viri, in graui aut extrema neceſſitate degunt, in quorum conſpectu, ciborum ſuperfluitate & lautitia diſtendi, vix poteſt à nota crudelitatis excuſari.

Actiones Abſtinentiæ ſunt: I. Cibos ab Eccleſia vetitos, pro tempore, quo prohibentur, non ſu- D mere.

II. Ieiunia Eccleſiaſtica exactè ſeruare, ex propria regula aut inſtituto ordinata cuſtodire: & ex conſilio aliqua non præcepta ſuſcipere.

III. Hora conſueta ſecundùm morem regionis aut congregationis, in qua viuimus, manducare.

IV. Cibos lautiores ac pretioſiores, quàm neceſſitas & ſtatus ferat, auerſari.

V. Communes cibos, non exquiſitè præparatos, ſed vtcumque oblatos, libenter comedere.

VI. Quantitatem ciborum, ſaluti corporis neceſſariam, & ſaluti animæ non officientem, tantùm accipere.

VII. Ante comeſtionem, cogitationes de cibis E penitus abſcindere, & in ipſa comeſtione æſtum & nimiam auiditatem cohibere.

VIII. Ex quantitate, & qualitate, & numero eſculentorum, ea omnia ſubtrahere, quæ ſaluti carnis non noceant, & mentis puritati deſeruiant. Hoc enim

2. Petr. 1. 6.

eſt quod inquit Petrus: Miniſtrate in ſcientia abſtinentiam:] ita ſcilicet abſtinentiam cuſtodite, vt menſuram diſcretionis minimè poſthabeatis.

Poſtulatio Abſtinentiæ: Domine Ieſu Chriſte, qui cùm ſis Deus noſter, cibus etiam noſter in ſacro-

Digitized by Google

A ſancto Euchariſtiæ myſterio fieri dignatus es:accende in nobis tui ardentiſſimum deſiderium, & carnis viles concupiſcentias eneruа, vt eam frugaliter reficientes, & vt tabernaculum tuum virtute abſtinentiæ mundantes, per puritatem eius, qua à vitiis abſtinet, & per mundiciam mentis, qua corporis delicias ſpernit, ad frequentiorem panis cæleſtis receptionem diſponamur. Amen.

De Sobrietate. §. III.

SObrietas, eſt virtus, qua affectum & vſum potionis, præcipuè inebriare valentis, moderamur. Quam virtutem Theologi, qui ſemper preſsè loquuntur, ad vinum & reliqua, quæ inebriare poſſunt, B reſtringunt; at ex vſu patrum ad omnem potum extenditur, immò & cum Abſtinentia confunditur; iuxta illud: Sobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo.]

Ad Tit. 2. 12.

Incitamenta ad ſobrietatem ſunt: I. Mala ebrietatis, in quibus exponẽdis multi ſunt Patres, Baſilius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Bernardus, & alij. Scriptura etiam acerrimè in ebrioſos inuehitur. Ab bis omnibus meritò ſuperſedemus, quoniam non ad ſæculares populi, ſed ad viros ſpirituales religionum ſcribimus. Qui illam Pauli ſententiam ſibi commendatam exiſtiment: Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere, propter ſtomachum & frequentes tuas infirmitates.] Quo oſtendit iuſtum & religioſum virum, ad multos annos aquæ potu recreatum, ingraueſcente ætate, modico vino debere C eſſe contentum.

Baſil. hõ. 14. in ebrietatẽ. Chryſ hõ. 1. de Lazaro, to. 2. Aug. ſer. 231. & 232. de tempore. Bern. ſer. 25. ad ſor. Eccl. 19. Eccl. 31. 1. Tim. 5. 23.

II. In prophanis hominibus damnatur ebrietas, quia potioris partis eorum, ſcilicet rationis, vſum tollit. In ſeruis autem Chriſti, immoderatus potus licèt vſum rationis non tollat, tamen rationem obnubilat: & curioſitas exquiſitè bibendi minuit curam rectè viuendi. Per ſobrietatem ergo cohibenda eſt, ne dum in potù delicias quærimus, ſæcularium more, animæ veriſſimam voluptatem, quæ à morum puritate pendet, amittamus.

III. Iuſtis dictum eſt in Canticis canticorum: Bibite amici, & inebriamini chariſſimi:] qui ſine dubio ad ſobriam & ſapientiæ plenam ebrietatem ſpiritus inuitantur. Gregorius enim ait: Chriſti deſiderio ſe affligunt ieiuniis, afficiunt lacrymis, exercent D meditationibus diuinis, ſola quæ ſunt æterna, cogitant, contemplationibus vacant, ad hoc laborantes, vt ea quæ retrò ſunt, obliuiſcentes, in anteriora magis ac magis ſe extendant. Quid profectò iſti, quid aliud agunt, niſi bibentes inebriantur?] At qui ad ebrietatem ſpiritus vocatus eſt, oportet, vt corpore ſobrius ſit, & ab his, quæ ſpiritum hebetent, diligenter ſeipſum abducat.

Cant. 5. 1.
Greg. ibi.

Actiones ſobrietatis ſunt: I. Potum vini, aut alterius rei inebriantis, ſic aſſumere, vt nullo modo vſum mentis obtenebret.

II. Ita ab huiuſmodi potu temperare, vt corpus quidem ad functiones virtutis roboret, non tamen impuros motus excitet, nec ad minùs decentia conſortet.

E III. Delicias in potu non quærere, ſed communi vino, vel aqua ſecundùm morem regionis, & iuxta ſtatum, quem habemus, contentus nos eſſe.

IV. Deſiderium, quo ad potum inhiamus, comprimere, & ſicut nec in cibo, ita neque in potu mentem effundere.

V. Aliquando ex deſiderio virtutis à potu neceſſario abſtinere, & aliquam ſitim, corporis ſaluti non officientem, pati.

A Poſtulatio ſobrietatis: Domine Ieſu Chriſte, fons aquæ viuæ, & vena puriſſima vini, virgines germinantis, qui patibulo appenſus propter nos, magnam ſitim es paſſus, & viuum aſpidum, id eſt, maleuolorum hominum, tibi oblatum es auerſatus, extingue in nobis, quæſumus, per ſobrietatis deſiderium, bibendi immoderatum appetitum, & tolle nimium potionis vſum, vt dum propter te corporis delicias refugimus, delicias ſpiritus ſitiamus. Amen.

De Caſtitate. §. IV.

CAſtitas, eſt virtus, qua ab impuris carnis voluptatibus abſtinemus, cuius principium eſt continentia: Eius autem munus eſt, vehementi carnis B concupiſcentiæ reſiſtere, & ab omni illicitu membrorum vſu, etiamſi caro reclamet, temperare. Aliter poteſt Caſtitas definiri, quòd ſit virtus, qua corpus à carnalis concupiſcentiæ pollutione cuſtoditur, & mens ab omni impura concupiſcentia, munda ſeruatur.

Incitamenta ad Caſtitatem ſunt: I. Caſtitas honor eſt corporis noſtri, quo à viliſſima functione beſtiarum educitur, & in quandam ſimilitudinem beatorum ſpirituum euehitur. Idque apertè indicat Paulus, ſic ad Theſſalonicenſes ſcribens: Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum.] C Vides, inquit Caſſianus, quibus eam laudibus proſequatur: honorem vaſis, id eſt, corporis noſtri, & ſanctificationem appellans eam. Igitur è contrario, qui in paſſione deſiderij eſt, in ignominia & immundicia conſiſtit, & alienus à ſanctificatione verſatur.

1. Theſſalo. 4. 3.
Caſſian lib. 5. de inſtitut. c. 15.

II. Caſtitas honor eſt etiam animæ noſtræ, nam hæc, quæ ſpiritus eſt, ex corpore caſto tanquam ex illuſtriori & digniori tabernaculo dignitatem decerpit. Et quæ per incontinentiam in terra, immò in cœno habitat, per Caſtitatem habitationem ſuam figit in cœlo. Vnde Ambroſius ait: Si ibi eſt patria, vbi genitale domicilium; in cœlo profectò eſt patria caſtitatis. Itaque hîc aduena, ibi incola eſt.

Ambr. 1. de virginibus.

III. Caſtitati eximium in cœlis præmium pro-D miſſum eſt. De quo Gregorius hæc ait: Admonendi ſunt, peccata carnis ignorantes, vt inceſſanter præmia ſuſpiciant, & libenter proculdubio tentationum, quas tolerant, labores calcabunt. Si enim attendatur fœlicitas, quæ ſine tranſitu attingitur, leue fit, quod tranſeundo laboratur. Audiant quod per Prophetam dicitur: Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ volui, & fœdus meum tenuerint: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus.] Eunuchi quippe ſunt, qui compreſſis motibus carnis, affectum in ſe praui operis abſcindunt. Quo autem apud patrem loco habeantur, oſtenditur; quia in domo patris, videlicet æterna manſione, etiam filiis præferuntur.

Greg. 3. p. Paſtor. ad monit. 29
Iſa. 56. 4.

E Actiones Caſtitatis ſunt: I. Omnem illicitum congreſſum carnis refutare: licitum verò, qui matrimonio iunctis eſt conceſſus, admittere. Et hic eſt infimus gradus Caſtitatis.

II. Ab omni opere carnis, tum illicito, tum etiam licito, penitus abſtinere.

III. Deſideria inſurgentia carnalis voluptatis elidere, & eis omnino conſenſum denegare.

IV. In cogitationibus carnis non immorari, ſed ſtatim atque ſe ingerere cœperint, vt pru

nam

nam accenſam, repellere.

V. Turpes motus corporis validè comprimere, & aſpectum aut tactum eorum, quæ nos poſſint ad opus nefarium prouocare, vel pruritum carnis excitare, fortiter cohibere.

VI. Ita cogitationem noſtram ſanctis meditationibus ex deſiderio caſtitatis occupare, & corpus abſtinentia & aſperitatibus domare, vt in vigilia hæc paſſio pro huius vitæ fragilitate nos deſerat, & in ſomno immundæ illuſiones relinquant.

Poſtulatio Caſtitatis: Domine Ieſu Chriſte, qui, vt ſponſa in Canticis ait: [paſceris inter lilia, & inter animas caſtas inhabitas,] &, vt ſeruus tuus Gregorius interpretatur, earum caſtitate delectaris: tolle à nobis deſideria carnis immunda, & minùs puras cogitationes repelle: indue animas noſtras ſtola pulcherrima caſtitatis, & corpora noſtra mundiciæ virore nobilita, vt ex corpore & animo noſtro, in nobiſmet ipſis magnificum ſpiritui ſancto habitaculum extruamus. Amen.

Cant. 2. 16.

De Virginitate. §. V.

VIrginitas, eſt virtus, qua quis, nunquam corruptus, firmiter ſtatuit, carnis ſuæ integritatem perpetuò ſeruare, & ab impura voluptate corporis abſtinere. Vel eſt, vt Ambroſius ait: expers contagionis integritas. Vel, vt Auguſtinus: In carne corruptibili perpetuæ incorruptionis meditatio. Meditatio autem ſignificat propoſitum, multam curam & conſiderationem ad ſui cuſtodiam requirens.

Amb. lib. de virgini. Aug. lib. de virginit. c. 13.

Incitamenta ad Virginitatem ſunt: I. Virginibus hoc donum conceſſum eſt, vt à Chriſti latere nunquam diſcedant, ſed ipſum ſemper cingant & comitentur. Vidi, inquit Ioannes, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.] Et poſtea: Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum quocumque ierit.] Chriſtus apparet agnus, non leo; quia animæ virgines ſunt agnæ, & ipſe eſt ſponſus agnarum. Apparet ſtans quaſi præcinctus ad adiuuandum, quia virginitas, donum Dei eſt, quod non viribus noſtris, ſed præſidio agni cuſtodimus. Nam & in libro Sapientiæ legimus: Et vt ſciui, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire, cuius eſſet hoc donum; adij Dominum, & deprecatus ſum illum.] Apparet in monte, aut ſupra montem, quia virginitas ſupra naturam eſt, quam qui colunt, puriori cœlo gaudent, & humilia atque abiecta relinquunt. Agnum ergo virgines cingunt, quia ob vitæ puritatem illum imitantur, & cum illo conuerſantur. Et quocumque ierit, ipſum ſequuntur; quoniam in hac vita poſt ipſum præeuntem currunt, & in futura vita iuxta ipſum in honorabiliſſimo loco manebunt.

Apoc. 14. 1. ibid. n. 4. Sap. 8. 21.

II. Virginitas homines ſimiles Angelis facit, immò & quodāmodo maiores reddit. Ad quod optimè Chryſoſtomus ait: Virginitas eſt bonum, id ego quoque fateor. At qui nuptiis etiā melior, & iſtud tibi aſſentior, ac ſi libet, illud adiungam, tanto nuptiis eam præſtare, quanto cœlum terræ, quanto hominibus Angeli antecellunt, ac, ſi quid prætetea audendum eſt, etiam magis. Nam ſi neque nubunt Angeli, nec vxorem ducunt, non etiam carne & ſanguine coagmētati ſunt, in terris præterea non commorantur: non cupiditatum aut libidinum perturbationibus ſunt obnoxij, non cibi indigent aut potus, non ſunt eiuſmodi, vt eos dulcis ſonus aut cantus mollire, aut præclara ſpecies poſſit allicere: nulla denique eius generis illecebra capiuntur; ſed quemadmodum cælum, ſummo meridis, nullis perturbatum nubibus, purum & lucidum apparet; ſic Angelorum natura nullis commota perturbationibus, neceſſariò clara permanet & illuſtris. At humanum genus, cùm natura beatis illis mentibus inferius ſit, omni vi ſtudióque contendit, vt quoad eius fieri poteſt, illas aſſequatur. Quomodo? non nubunt Angeli, neque vxorem ducunt: at neque etiam virgo. Aſſiſtentes illi ſemper ad Deum, eidem inſeruiunt, & iſtud ipſum virgo.

Chryſoſt. libr. de virginit. cap. 11.

III. Per virginitatem anima Dei ſimilis aut deiformis efficitur. Incorruptio enim, vt in libro Sapientiæ dicitur, facit eſſe proximum Deo.] & Baſilius ait: Magnum re vera quiddam ac præclarum, virginitas eſt, quæ hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit. Certè quidem Gregorius Nazianzenus Deum, virginem & coniugij expertem appellat. Quin & in Pſalmo pro eo, quod nos habemus: Apprehendite diſciplinam.] alij legunt: Adorate puritatem, id eſt, Deum, qui puriſſimus eſt. Quid autem puritati increatæ ſimilius in nobis eſſe poteſt, quàm ipſa puritas creata, qua corpore & mente virgines, animæ puriſſimæ exiſtunt?

Sapien. 6. 20. Baſil. de virginit. Nazian. Pſal. 2. 12.

Actiones Virginitatis ſunt: I. Corporis incorruptionem, cum qua naſcimur, ſponte conſeruandam eligere, atque firmiter ſtatuere, per totam vitam ab delectatione carnis abſtinere.

II. Non ſolùm corpus, ſed multo magis animam, ab omni cogitationis & deſiderij carnalis pollutione ſeruare.

III. Carnis & mentis integritatem vniuerſis dignitatibus anteponere: ſicut fecit Beata Virgo, quæ ad matris Dei dignitatem inuitata, reſpondit: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?]

Luce 1. 34.

IV. Omnes occaſiones fuſcandæ integritatis vitare.

V. Perſonas ſuſpectas prudenter cauere, quæ poſſunt gemmam virginitatis eripere. Cuilibet autem mulieri ſuſpectus ſit quilibet vir, licèt ſanctus habeatur; & cuilibet viro quæuis mulier, licèt ſancta & perfecta reputetur.

VI. Media ad virginitatem ex affectu eius aſſumere: cuiuſmodi ſunt ſecundùm Albertum, victus parcitas, cultus vilitas, corporis incommoditas, & fugere locum & tempus, impudicitiæ opportunum.

Albert. in paradiſo animæ c. 6.

VII. Ad finem virginitatis, nempe ad diuinam contemplationem, & ad intimam cum Domino familiaritatem, diligenter properare.

Poſtulatio Virginitatis: Domine Ieſu Chriſte, virgo puriſſime, & virginis filius, & virginum ſponſus, & virginitatis anteſignanus: da his, qui incorruptionem ſui corporis ſeruauerunt, modeſtè de ſe ſentire, & impensè virginitatem amare: his verò, qui eam perdiderunt, incorruptionis defectum humilitate ſupplere; vt puritas animæ & corporis, tibi in illis humilitate ſit grata, & caro in his flore incorruptionis orbata, ſit per pœnitentiam & humilitatem accepta. Amen.

De Pudicitia. §. VI.

PVdicitia à pudore dicta, eſt virtus, qua aſpectum, os, & manus continemus, ne in aliquid indecens minúſue honeſtum tendant, quod mundiciæ caſtitatis officiat. Eſt ergo pars quædam Caſtitatis, quæ ab indiciis & actibus præuiis venereorum auocat, quales ſunt aſpectus impudici, oſcula, & tactus, vt Diuus Thomas ait.

D. Tho. 22. q. 151. ar. 4.

Incitamenta ad Pudicitiam ſunt: I. In ea non

parum honoris ſitum eſt: nam impudici (quia eorum inuerecundia omnibus conſpicua eſt) multo magis, quàm inhoneſti, infames habentur. Ideóque homines alicuius dignitatis & numinis, licèt in occulto luxuriæ habenas laxent, tamen in publico ſigna ſuæ immunditiæ interioris occultant, quia digni honore & reuerentia haberi volunt. Ad quod non parum facit, quod de Magno Alexandro narrat Baſilius, qui, inquit, Darij filias captiuas, admirabili forma & decore conſpicuo, nec etiam videre dignatus eſt: turpe eſſe exiſtimans, victores his, quas ipſi ſuperaſſent, gentibus ſuccumbere.

Baſil. lib. 24 de legen. lib. gent.

II. Angeli, & ſancti, & Deus, & nos ipſi nos in obſcuro deliteſcentes videmus, quare æquum eſt, vt tam puros oculos, ac nos ipſos, Deo conſecratos, reuereamur. De quo egregiè loquitur idem Baſilius in hunc modum: Et ſi enim adſit nemo, ipſa tamen virgo adeſt, debétque præ omnibus ſeipſam revereri. Neque enim, quæ reuereretur cæteros, ſeipſam reuerentia indignam iudicabit: verùm (vt diximus) ſeipſam primùm conſcientiámque ſuam reuerebitur, etiam ſi valde ſit ſola, deinde aſtantem ſibi cuſtodem Angelum. Angeli enim eorum ſemper vident, inquit, faciem Patris veſtri, qui in cælis eſt.] Nec verò conuenit, vt Angeli eius, cui credita eſt cura ac cuſtodia ſalutis noſtræ, faciem aſpernetur homo, atque inprimis virgo, quæ hunc ipſum veluti caſtitatis ſuæ paranymphum cuſtodémque habet. Præ cunctis autem ipſum ſponſum ſuum reuerebitur, ſibi vbique aſſiſtèrem, ipſiúſque Patrem & ſponſum ſanctum. Quid per ſingula pergam? Ipſas Angelorum infinitas multitudines, & vnà ſanctorum patrum beatiſſimos ſpiritus. Nullus enim ex his eſt, qui non ſingula vbique conſideret. Etſi enim oculis carnis minimè conſpicui ſunt; incorporeis tamen obtutibus ad agnitionem complectuntur omnia & comprehendunt. Et hac ergo ratione ſi latere virgo plures quærit, longè hos magis, qui tanti ac tales ſunt, quàm homines, revereri meritò debebit. Et quia multitudinis pauescit obtutus; hos autem vitare impoſſibile eſt, qui ſunt infinita multitudo, nihil vnquam indecens faciet, aut à propoſito ſuo alienum.

Baſil. lib. de virginit.

III. Laus notanda Pudicitiæ à Cypriano deſcripta, qui ſic habet: Pudicitia eſt honor corporum, ornamentum morum, ſanctitas ſexuum, vinculum pudoris, fons Caſtitatis, pax domus, concordiæ caput. Hæc nos commendat Domino, connectit Chriſto: hæc expugnat omnia de membris illicita deſideriorum prælia, pacem noſtris corporibus inducit: Beata ipſa, & beatos efficiens; apud quoſcumque habitare dignatur.

Actiones Pudicitiæ ſunt: I. Aſpectum fœminarum & adoleſcentium, qui aliquam turpem cogitationem excitare poſſit, euitare.

II. Verbum minùs honeſtum, neque vnquam proferre, neque patienter audire.

III. Tactum cuiuſque perſonæ, non ſolùm inhoneſtum, verùm & nihil indecentiæ habentem, ſi valde neceſſarius non ſit, penitus euitare.

IV. Quiſque ſeipſum erubeſcere, & nec manu corpus proprium attrectare, nec ſemetipſum nudum aſpicere.

V. Ita modeſtè & circunſpectè in cella, & ſine arbitris degere, ac ſi oculi nos omnium hominum viderent.

Poſtulatio Pudicitiæ: Domine Ieſu Chriſte, qui ſancto animarum pudore delectaris, & in ſponſis

A tuis omnem pudicitiam & honeſtatem exquiris: da nobis, te ſemper præſentem cogitare, & omnia exteriora ac interiora noſtra te intuentem agnoſcere; vt ab omni eo motu & actu, qui tuæ ſanctitati inimicus eſſe poterit, diligenter abſtineamus. Amen.

De Caſtitate & his duabus eius partibus inferiùs latiùs agemus.

Lib. 10. par. 2. per totam.

De Maceratione. §. VII.

Maceratio eſt virtus, qua corpus noſtrum ieiuniis, vigiliis, ciliciis, diſciplinis, abſtinentia cibi & potus, ſtationibus, genuflexionibus, humicubationibus, & aliis huiuſmodi ſponte caſtigamus, vt caſtitatem diligentiùs cuſtodiamus, & Chriſto pro nobis crucifixo conformemur.

B

Incitamenta ad Macerationem ſunt: I. Caſtigatio corporis pro peccatis præteritis ſatisfacit, vt ſecundùm menſuram delicti, ſit & plagarum modus. Carnem ſpiritui ſubiicit, iuxta illud Pauli: Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo. Et à Deo cæleſtia dona, præſertim donum Caſtitatis extorquet. Caro enim noſtra, doloribus afflicta & caſtigata, impuras voluptates dediſcit, & liberam ſinit animam, vt cæleſtes voluptates ſuſpiret.

II. Qui carnem ſuam molliter tractat, facilè ad vetita & noxia declinat. Sanctus enim Dauid ait: Non ſedi cum conſilio vanitatis, & cum iniqua agentibus non introibo. Odiui Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.] Ille autem ſedit cum conſilio vanitatis, qui de indulgendo ſuo corpori cogitat, vt Richardus Victorinus ait, ex quo facile eſt, ad conſilium iniquitatis peruenire, congregationem iniquorum amare, & cum ipſis ad captandas prohibitas voluptates ſedere.

C

Pſal. 25. 5.

Richard. ibid.

III. Maceratio corporis aditum ad diuinas conſolationes parat; carnis autem oblectatio mentem ſpirituali dulcedine priuat. Vnde idem Richardus ait: Hanc veræ ſuauitatis ſatietatem ſentire non poſſunt, qui exterioribus deliciis affluunt. Non enim inuenitur huiuſmodi ſuauitas in terra ſuauiter viuentium: nec ſapere poteſt ſapor huiuſmodi inter tot oblectamenta deliciarum, & tam varia condimenta ciborum. Edent, inquit, pauperes, & ſaturabuntur,] pauperes inquit, non diuites.] Hæc ille.

Idem ad Pſal. 4.

D

Pſal 21. 27.

Actiones Macerationis ſunt. I. Carni ſuperflua denegare, & ſola neceſſaria in victu & indumento concedere.

II. His, quæ ſuprà retulimus, exterioribus aſperitatibus carnem affligere.

III. Ægritudines & reliquas corporis moleſtias, accidentes ex hoc fine macerandi carnem, æquanimiter ferre.

IV. In omnibus, quæ ad corpus pertinent, ita nos habere, vt caro ſpiritui ſeruiat, & nunquam propter ſolam oblectationem quicquam accipiat.

E

Poſtulatio Macerationis: Domine Ieſu Chriſte, quem in mundum venientem, gelu, frigora, & niues excipiunt; quem apud nos manentem, fames, ſitis, & huius vitæ moleſtiæ comitantur, quem hinc emigrantem, flagella, ſpinæ, crux, & claui circumſepiunt: tolle à nobis nimium amorem noſtri, & deſiderium nos caſtigandi, & macerandi benignus attribue, vt dum nos ipſos in hac vita ſalutari odio proſequimur,

in vitam æternam noſtras animas cuſtodiamus. Amen.

De Manſuetudine. §. VIII.

MAnſuetudo, eſt virtus, qua iram aduerſùs eos, qui nos iniuria afficiunt, comprimimus, & moderamur. Vel eſt, vt quædam gloſſa ait, dulcedo animi, quam non vincit amaritudo. *Gloſ. Matt. 5.* Vel, vt definit Albertus, eſt cùm propter illatas iniurias, mens nequaquam exacerbatur, nec amaritudo cordis exteriùs indicatur, ſed eſt quis quaſi [homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.] *Alber. c. 19. Pſal. 37. 15.*

Incitamenta ad Manſuetudinem ſunt: I. Exemplum Dei, qui infinitis hominum peccatis prouocatus non irritatur, & ſolitis beneficiis nos cumulare non ceſſat. Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.] *Matt. 5. 45.* Manſuetudo etiam Chriſti, [qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur,] *1. Petr. 2. 23.* & innumerabilibus iniuriis & contumeliis affectus, mentis tranquillitatem nec ad momentum deponebat.

II. Qui nos graui iniuria percutit, animam ſuam peccati vulnere interficit; & coram hominibus, vt inquit Chryſoſtomus, dedecore & infamia ſe afficit, & multorum aduersùs ſeipſum aperit ora, nobiſque maiores texit coronas, & multos patientiæ noſtræ ac magnanimitatis conſtituit præcones.] *Chryſ. hõ. 62. in Matth.* Magis ergo eſt commiſeratione dignus quàm ira. Et quidem, ſi ille reprobus eſt, ſatis habet miſeriarum, neque oportet illum alia vltione mulctari. Si autem à Deo electus, ſeipſum aliquando corriget, & iniuriæ illatæ pœnitebit. Iniquum eſt autem, ad modicum illi non parcere, quem amicum per totam æternitatem ſumus habituri.

III. Multa nobis bona ex mititate proueniunt. Nam & eum, qui nos iniuria affecit, manſuetudine vincimus, ſecundùm illud: Vince in bono malum.] Et remiſſionem peccatorum promeremur. Dominus enim ait: Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cæleſtis peccata veſtra.] *Matth. 6. 14.* Et cæleſtis patriæ ciues pronuntiamur: Beati quippe mites, quoniam ipſi poſſidebunt viuentium terram.] *Matth. 5. 4.* Et tranquillitatem mentis acquirimus: Manſueti namque hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.] *Pſal. 36. 11.* Et beneuolentiam apud homines comparamus: Vnde Eccleſiaſticus: Fili, in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper gloriam hominum diligeris:] *Eccl. 3. 19.* id eſt, gloriam, & amorem apud homines conſequeris. Et tandem ianuam cordis noſtri veritati intelligendæ aperimus: Quare Iacobus ait: In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum.] *Iacob. 1. 21.* Et Auguſtinus: Opus eſt miteſcere, nec contradicere diuinæ ſcripturæ. *Aug. 2. de doctrina Chriſt. c. 7.*

Actiones Manſuetudinis ſunt: I. In iniuriis & contumeliis, aduersùs nos iactatis, ſilere, & in nullam externam iræ ſignificationem erumpere.

II. Iram interiùs cohibere, & dictis conſiderationibus, aut aliis ſimilibus, vel aliis mediis aptis frænare.

III. Cor noſtrum ad ſerenitatem & tranquillitatem inducere: & tandem ipſum inter iniurias pacare.

IV. Iniuria afficientibus nos, vultus ſerenitate, blandis verbis, & molli ſermone reſpondere.

V. Iniuriantibus beneficia libenter impertire, pro eis orare, & ex animo illis parcere.

VI. Iniurias obliuiſci.

Poſtulatio Manſuetudinis: Domine Ieſu Chriſte, Agne manſuetiſſime, qui coram tondente, immò & occidente te, obmutuiſti, & te manſuetudinis magiſtrum feciſti, dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde:] *Matt. 11. 31.* perfice cor noſtrum virtute manſuetudinis, & voluntatem noſtram in mediis iniuriis, & contumeliis dulci commiſerationis affectu perfunde, vt dum iniurias remittimus, & pro malis bona reddimus, tuæ ſcholæ ſectatores efficiamur. Amen.

De Clementia. §. IX.

CLementia, eſt virtus, qua ad moderatè puniendum miteſcimus, & pœnas delinquentibus infligendas moderamur. Vel eſt, vt Auguſtinus ex Tullio ait: per quam animi temerè in odium alicuius illecti concitatíque, comitate retinentur. *Aug. li. 3. qq. q. 31. Cicer. 2. de inuẽ. tute.* Vel eſt, vt ait Seneca, temperantia animi in poteſtate vlciſcendi: vel lenitas ſuperioris aduersùs inferiorem in conſtituẽdis pœnis. *Sen. lib. 2. de clemẽ. c. 3.* Vel denique moderatio, aliquid ex merita & debita pœna remittens. Quæ virtus licèt præcipuè reſideat in principibus & Prælatis, quorum eſt, delicta punire: tamen minùs principaliter eſt in ſubditis, quatenus volunt, eadem delicta clementer & leniter à ſuperioribus caſtigari.

Incitamenta ad Clementiam ſunt: I. Clementia Dei, qui in hac vita inſignia hominum flagitia minoribus ſatis caſtigationibus punit. De quo dicitur: Parcis omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.] *Sap. 11. 27.* In alia autem vita ſicvt præmio afficit vltra condignum bonos; ita punit citra condignum malos, quia poſſet in illos iure acriùs animaduertere, & ipſos acerbioribus pœnis ſine vlla crudelitatis nota caſtigare.

II. Clementia Chriſti Saluatoris, qui mulierem in adulterio deprehenſam benigniſſimè liberauit, & ex proprio peccato compunctam, eius compunctionem pro ſatisfactione accipiens, ſine vlla læſione abire præcepit. Cuius pietatem & clementiam cogitantes, inquit Cyprianus, non acerbi adeò, nec duri, nec in fouendis fratribus inhumani eſſe debemus, ſed dolere cum dolentibus, & cum flentibus flere, & eos quantum poſſumus, auxilio & ſolatio noſtræ dilectionis erigere: nec adeò immites & pertinaces ad eorum pœnitentiam retundendam, nec iterum ſoluti & faciles ad communicationem temerè laxandam. *Cypr. lib. 4. epiſt. 2. ad Antonianum.*

III. Inducit conſideratio fragilitatis humanæ, quia frater, ignorantia fortè aut paſſionis vi oppreſſus, peccauit; & propriæ imbecillitatis cognitio, quoniam ego in ſimili occaſione ab hoſte tentatus, & diuina gratia deſtitutus, fœdiùs deliquiſſem. Hæc etiam virtus maximè erga Prælatum beneuolentiam ſubditorum conciliat. Quare Salomon: Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem, & clementia roboratur thronus eius.] *Prou. 20. 28.*

Actiones Clementiæ ſunt: I. Pœnas, à delinquentibus debitas, moderatè remittere.

II. Defectus aliquos, non nimis graues, vt grauiores caueantur, & ne ſubditi proterui fiant, aliquando diſſimulare.

III. Seueritate vti in homines malignos & procaces, qui aliter in officio contineri non poſſunt. In eos etiam, qui lædunt bonum commune. Nam dum in membra ſæuimus, in totum corpus clementes ſumus. Eſt autem ſeueritas, inflexibilis animi rigor, nihil de ſtatuta aut merita pœna remittens.

Poſtulatio Clementiæ: Domine Ieſu Chriſte, qui miſericors & clemens diceris, & quod in re eſt, magis eligis, miſereri, quàm iraſci, fac nos, peccatores & delinquentes fratres noſtros agnoſcere, vt dum eorum delicta ad ſeueritatem excitaur, propria natura noſtra, tua gratia decorata, mentem, in vltionem inhiantem, ad clementiam & miſerationem infirmorum inflectat. Amen.

De Humilitate. §. X.

HVmilitas, eſt virtus, qua homo ex intima cognitione maieſtatis diuinæ, & reuerentia ad Deum, atque ex veriſſima notitia ſui, affectum reprimit excellentiæ ſibi non debitæ, ab aliis deſpici appetit, & (quod ad ſe pertinet) in infimo ſe loco conſtituit. Deſcriptio hæc colligitur ex Thoma Aquinate. Sed aliam breuiorem & ſatis pulchram aſſignat Bernardus, dicens: Humilitas eſt virtus, qua quis veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit. Ponitur autem Humilitas, Modeſtiæ pars, quæ virtus quædam eſt generalis, cuius officium eſt, moderari appetitiones & delectationes mitiores his, quæ in cibis, & potibus, & venereis, & iræ effrænatione conſiſtunt. Reprimit enim Modeſtia appetitum excellentiæ, & ſic eſt Humilitas; appetitum habendi, & ſic eſt Paupertas: appetitum ſciendi, & ſic eſt ſtudioſitas: appetitum loquendi, & ſic eſt Taciturnitas: & motus externos ac corporis cultum, & ſic nomen Modeſtiæ retinet.

D.Thom. 22.q.161. art.6. Bern. lib. de gradib. humilitatis.

Incitamenta ad Humilitatem ſunt: I. Cognitio Dei & ſui. Qui enim diuinam Maieſtatem contemplatur, cui in libro Sapientiæ dicimus: Quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram.] Qui etiam ſeipſum intuetur: quia puluis eſt, & in puluerem conuertendus:] & quia antea nihil fuit, nunc cumulus miſeriarum eſt, & poſtea tabes & putredo erit. Qui ſeriò animaduertit, quàm ignarus ſit, quàm inſtabilis, quàm ad malum pronus, quàm ad bonum infirmus, quantis peccatis obnoxius, quàm infimis rebus addictus, quantis miſeriis ſubiectus, quàm in eſſe, in poſſe, & in operari, ex ſe nihil habens, & à Deo pendens; cæcus profectò erit & ſtultus, ſi altum ſapiat, ſi propriam excellentiam quærat, ſi non ſe apud ſeipſum & apud alios quoſque deſpiciat.

Sap. 11. 23. Gen. 3. 19.

II. Admirabile exemplum Ieſu Chriſti, qui cùm eſſet Filius Dei, exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, & ſe non magiſtrum patrandorum miraculorum, ſed præceptorem humilitatis exhibuit. Quique ſua infinita dona cognoſcens, ſe ea non à ſe, ſed à Patre habere cognouit, & ſeipſum, tanquam nihil ex ſe habentem, inexplicabili quadam humilitate deſpexit, & doctrinam ſuam à Patre datam eſſe profeſſus eſt, dicens: Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me.] Humiles parentes, infimum ſemper locum elegit, & ab omni faſtu, & arrogantia, & hominum plauſu, & mundiali dignitate fugit. Hunc ergo, in præſepe iacentem, & in cruce morientem, & factum [nouiſſimum virorum,] vt dixit Iſaias, Deus Pater nobis in magiſtrum vitæ propoſuit, vt ex ipſo diſceremus nos ipſos interiùs humiliare, & exteriùs deiicere, & infimum locum appetere. Nunc in ciuitate Dei, inquit Auguſtinus, & ciuitati Dei, in hoc ſæculo peregrinanti, maximè commendatur Humilitas, & in eius rege, qui eſt Chriſtus, maximè prædicatur, contrariùmque huic virtuti elationis vitium, in eius aduerſario, qui eſt diabolus, maximè dominari, ſacris litteris edocetur.] Hanc nos virtutem propriam Chriſtianorum, & à Chriſto, Capite noſtro, verbis & exemplis commendatam amplectamur, vt eius membra, capiti conſentientia, iudicemur.

Iſa.53.3. Aug. 14. de ciuit. c.3.

III. Humilitas eſt fundamentum virtutum, veritas vitæ, Pax animæ, deſpectio terrenorum, quam qui poſſederit, beatus erit, & Deus illum exaltabit, & in magnam gloriam attollet. De quibus poſtea.

Actiones Humilitatis ſunt: I. Seipſum agnoſcere, & omnia dona, tum naturalia, tum ſupernaturalia, aliena eſſe, nempe Dei, veriſſimè profiteri, & ſe ex ſe nihil boni habere, ſine vlla fictione cogitare.

II. Seipſum deſpicere, & quoad ea, quæ quiſque ex ſe habet, ſeipſum vilipendere, & in quaque re, etiam minima, penitus de ſeipſo diffidere.

III. Seipſum reputare receptis Dei donis indignum, & ad noua recipienda ineptum: Talémque ſe poteſt quiſque æſtimare, ſine vlla falſitate, quia re vera talis eſt ſecundùm ea quæ ex ſe habet.

IV. Non cupere ab aliis magni æſtimari, honorari, vel laudari, & omnem honorem & laudem in Deum ſuum auctorem reiicere.

V. Deſiderare, quantum in ipſo eſt, contemni, & vilis haberi, niſi aliud perſonæ dignitas, officij qualitas, proximorum ædificatio, & diuina gloria requireret.

VI. Proprios defectus libenter detegere, & ingenitam vilitatem declarare, niſi fratrum ædificatio & voluntas Dei aliud faciendum eſſe ſuaderet.

VII. Dolere, quòd magnifiar & honoretur, niſi ob gloriam Dei, ratione officij aut dignitatis quam gerit, & omnem gloriam, auctoritatem, aut honorem, quem vitare non decet, in Deum referre.

VIII. Cenſere ſe omnibus viliorem, ſecundùm ea quæ ex ſeipſo habet, & in aliis diuina dona conſiderare.

IX. Subiicere ſe Deo, tanquam mancipium domino, vel tanquam teſta figulo, vt de ſe, ad ſuum beneplacitum, in hac & in alia vita diſponat.

X. Subiicere ſe hominibus propter Deum, præcipuè ſuperioribus, ſineréque ſe ſine vlla difficultate gubernari.

XI. In externis functionibus, quantum eſt in ſe, abiectiora complecti, vt latus ſiniſtrum in congreſſibus, locum infimum in conſeſſibus, officia minùs honorata, detritiores veſtes, pauperiorem ſupellectilem, incommodiorem cellam, ſimpliciores ſocios, & cætera huiuſmodi. Hæc in affectu; nam in opere debet ſe accommodare muneri ac dignitati, quam gerit.

XII. Seipſum tandem in conſpectu Dei & hominum, canem mortuum & fœtentem reputare, quem omnes fugiant, omnes vel conſpectum eius exhorreant.

Poſtulatio Humilitatis: Domine Ieſu Chriſte, qui Filius Dei exiſtens, caro pro nobis factus es, & teipſum vermem, & non hominem, & opprobrium hominum, & abiectionem plebis appellaſti, & ad humilitatis exemplum, inter duos latrones mortem ſubire voluiſti: da nobis, rogamus ſupplices, veriſſimam tuæ Maieſtatis ac noſtræ vilitatis cognitionem, & vt nos ex corde vilipendamus, & contemptui haberi concupiſcamus, benignè concede, quo humiles & tui ſimiles facti, ad conſortium humilium, qui in cælis glorioſiſſimè regnant, euolemus. Amen.

De hac præſtantiſſima virtute agendum eſt toto

libro ſequenti:eam verò hîc breuiter delineauimus, vt ordinem virturum diſceremus.

De Paupertate. §. XI.

PAupertas,eſt virtus, qua moderamur appetitum poſſidendi res temporales,& ſolis neceſſariis ſecundùm rationem ſtatus contenti ſumus. Paupertatem verò Euangelicam Laurentius Iuſtinianus ita deſcribit: Eſt cum ſpirituali intentione, voluntaria abdicatio temporalium:eſt etiam quædam manuductrix in via, quæ ducit ad cælum:vnctio athletica, & exercitatio magna & mirabilis. Eſt quoque portus tranquillitatis, nutrix confidentiæ, quietis fundamentum, orationis adiutorium, peregrinationis exhortatio,& perfectionis porta,ſine qua nemo coram Deo in ſpiritu diu perdurare poterit. Albertus verò ſic: Paupertas eſt, omnia propter Deum ſponte & libenter dimittere, nihil præter ſolam neceſſitatem poſſidere, eadem neceſſitate ſe indignum ſentire, & etiam ipſa neceſſitate quandoque propter Deum carere.

Iuſtin. in ligno vitæ de Pauper. c. 1. *Alber. in li. de vir. c. 5.*

Incitamenta ad Paupertatem ſunt: I. Sua relinquentibus propter Chriſtum, promittit Dominus ipſe centuplum in hac vita, id eſt,ſine ſolicitudinum punctionibus, rerum neceſſariarum abundantiam, adeò vt ſint [tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes;]& poſt hanc vitam, poſſeſſionem regni cælorum. O quanta beatitudo, inquit Hieronymus, pro paruis magna recipere, æterna pro breuibus, pro morituris ſemper viuentia, & habere Dominum debitorem.

Matt. 19. 29. *2. Cor. 6. 10.* *Hieron. epiſt. 150. ad Hedib. q. 1.*

II. Paupertas mentem noſtram multis curis & ſolicitudinibus liberat, quæ & ipſam pungunt, & lacerant, & iter in perfectionem atque in regnum impediunt. Egregia profectò eſt ad hoc propoſitũ Laurentij Iuſtiniani ſententia: Paupertas, inquit, hominem reddit expeditum. In hac enim vita peregrinamur, & quotidie ad patriam tendimus. Sicut namque ridiculum eſt, peregre proficiſcentem ſe onerare lapidibus, ita quoque properantem ad mortem, cumulare diuitias. Quare quiſquis es, qui expeditè cupis pertingere ad perfectionem in hac vita, & ad cæleſtem poſt hanc, abiice à te diuitiarum onera, & amplectere voluntariam paupertatem, remoue à te vincula cupiditatum, abiice anxietates & tædia, quæ temporalibus animos inquietant. Si habes, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus:]ſi non habes,grandi onere liberatus es. Qui enim deſpicit temporalia, ad currendam cæleſtem patriam expeditus eſt.]

Iuſt. ſuprà c. 2. *Matt. 19. 21.*

III. Inducit etiam paupertas Saluatoris, qui [cùm eſſet diues, propter nos egenus factus eſt, vt eius inopia nos diuites eſſemus.]Qui ſibi, ac diſcipulis ſpicas ad manducandum confricantibus, panem habere noluit. Qui ante crucem nudus & omnibus ſpoliatus permanſit. Qui in cruce ſitiens hauſtum aquæ non habuit, nec lapidem, nec aſſerem, in quo moriens caput venerandum inclinaret. Nos autem membra eius volumus affluere, & nec minimæ rei neceſſitatem ſuſtinere.

2. Cor. 8. 9. *Matt. 12. 1.* *Ioan. 19.*

Actiones Paupertatis ſunt: I. Omnia ſuperflua perſonæ & ſtatui dimittere, & in veros pauperes diſtribuere.

II. Dominio rerum temporalium, propter Chriſtum, renuntiare,& nihil omnino tanquam proprium poſſidere.

III. Quemque ſolis ad frugalem victum, & anguſtum tegumentum, quæ ad vitam ducendam ſunt neceſſaria, contentum eſſe.

A IV. Seipſum rebus etiam neceſſariis indignum reputare.

V. Si neceſſaria defuerint, patienter, æquanimiter, hilariter ferre.

VI. Pro neceſſariis non immoderatè ſolicitari, ſed omnem ſolicitudinem in eum, cui eſt de nobis cura, proiicere.

VII. Superflua non petere, & vltro oblata minimè recipere,&, ſi neceſſaria petenda ſint, more pauperum, non tanquam debita, ſed veluti ex eleemoſyna danda, humiliter poſtulare.

Poſtulatio Paupertatis: Domine Ieſu Chriſte, omnium Domine, cuius [eſt terra & plenitudo eius,] qui pro nobis tam mirificam paupertatem in mundo ſectatus es, vt diceres, & verè diceres: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet:] B tolle à nobis per ſummam bonitatem tuam diuitiarum & rerum non neceſſariarum amorem: fac etiam nos neceſſaria ſine ſolicitudine quærere, & animis noſtris pulcherrimam virtutem Paupertatis ſponde, vt qui propter te pauperem quidem in hac vita, ſed pulchram & ſatis amabilem ſponſam eligimus, in alia vita non tantùm pulchram, ſed & diuitem habeamus. Amen.

Pſal. 23. 1. *Matt. 8. 20.*

De hac præſtantiſſima virtute latè dicemus inferiùs.

Lib. 5. 1. per tot.

De Studioſitate. §. XII.

C STudioſitas eſt virtus, qua immoderatum appetitum ſciendi comprimimus, & animum in diſcendis neceſſariis incurioſum & negligentem, ad moderatum ſtudium ſcientiarum accendimus. Ad quam hortatur Salomon in Prouerbiis: Stude, inquit, ſapientiæ, fili mi, & lætifica cor meum, vt poſſis exprobranti reſpondere ſermonem.]

Prou. 27. 11.

Incitamenta ad Studioſitatem ſunt: I. Ex ea parte, qua retundit immoderatum appetitum ſciendi, hortatur ad eam ſcriptura in multis locis. Nam ad hoc faciunt illa: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.] Multos ſupplantauit ſuſpicio illorum] (id eſt exiſtimatio, qua putabant ſe intelligere, quæ ignorabant) [& in vanitate detinuit ſenſus eorum.] Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.] Non plus ſapere, quàm oportet.] Et D alia ſimilia.

Eccli. 3. 22. *Ibid. n. 26.* *Prou. 25. 27.* *Rom. 12. 3.*

II. Ex eâ verò parte qua excitat ad neceſſaria diſcenda, inducit ad Studioſitatem ſcientiarum, tum nobilitas, tum vtilitas. Nobilitas quidem: quia nihil eſt poſt virtutem homine dignius ſtudio litterarum, quod intellectum, præſtantiſſimam potentiam perficit, & voluntatem ad odium mali, & boni amorem accendit. Vtilitas verò quoniam in diſcendo optimè tempus collocat, ſeipſum in virtute erudit, ad alios inſtruendos aptum reddit, & vitia, præcipuè carnis, extinguit. Vnde Hieronymus: Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitium non amabis.

Hieron. epiſt. 4. ad Ruſt. c. 5.

III. Inducit ſtultitia negligentiam, quam optimè pingit, & irridet Anſelmus, ſic ſcribens: Sunt autem E quidam ſacrarũ ſcripturarum ignari, & dum aliquid de eis, quod poſſent ad ædificationem ſui retinere, audiunt, contemnendo dicunt: Ad quid iſtud tantillum tenebo? Non ex re tam parua ſapiens ero. Cur ergo mihi laborem imponam? Dimittam, quieſcam, viuam vt potero, quia fruſtra ſapientiæ ampliùs ſtudebo, non enim omnes peribunt, qui ſapientes non ſunt. Hæc & his ſimilia piger & inſipiens ſibimet proponit, nec percipit, quia antiquus hoſtis ad

Anſel. li. de ſimili. c. 154.

interitum eius talia ſibi ſuggerit, quatenus in omni vita ſua nulli intendat vtilitati, ſed in negligentia & torpore ſemper viuat & pereat. Amplius quoque ſatis, inquit, ſunt ſapientes in mundo, ſatis ſcriptores, ſatis qui habent peritiam artium, non eſt opus, vt ego me diſcendo fatigem. Præterea pueritiam iam exiui, iam ſenectuti appropinquo, nec iam poſſem ad magnum ſcientiæ fructum venire, ſi modò inciperem laborare. Sic ſecum piger tractat, & in ſui corporis deſidia perſeuerat.

Actiones Studioſitatis ſunt: I. Nolle noxia, prohibita, curioſa, & inutilia ſcire, & ſolam rerum cognitionem noſtro ſtatui & ſorti conuenientem appetere.

II. Scientiam rebus ad ſalutem neceſſarijs, aut veræ virtuti nequaquam præponere. Sed eam in ſuo gradu, id eſt, poſt virtutem, & res ad ſalutem neceſſarias, diligere.

III. Rebus vtilibus ſtudere ea diligentia qua oportet; eo fine, quo oportet; illis locis, temporibus, & inſtrumentis, aut adminiculis, quibus oportet.

IV. Appetitum ſciendi vtilia, dormiturientem, aut etiam labantem, & pæne morientem accendere.

V. Non ſolum intellectum, ſed etiam ſenſus, tum internos, tum externos, à rerum inutilium aut noxiarum perceptione, ſolius curioſitatis prætextu amata, reprimere.

Poſtulatio ſtudioſitatis: Domine Ieſu Chriſte, Sapientia Patris: de quo ſcriptum eſt: Quia proficiebas ſapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines,] non ex eo quòd ſapientia creſceres, ſed quòd in dies maiora ſapientiæ indicia demonſtrares: concede nobis, oramus intentè, ſtudioſitatis virtutem, qua hinc curioſitatem, hinc negligentiam repellentes, quicquid noſtræ cognitioni noxium aut inutile eſt, contemnamus, & noſtro ſtatui proficua, & ad ſalutem noſtram & proximorum pertinentia, diligenter inueſtigare & ſcire curemus. Amen.

De Taciturnitate. §. XIII.

TAciturnitas, eſt virtus, qua linguam moderamur, & immoderatum loquendi appetitum cohibemus: ne os illicita aut inutilia proferat; & ne vera & vtilia, ſine debito modo, aut extra conueniens tempus, edicat. Vel eſt, iuxta Albertum, moderari linguam, non ſolùm à verbis illicitis, vt ſunt detractiones, mendacia, periuria, impudica, leuia, iracunda, nociua, maledica, otioſa, & ſimilia; ſed etiam ab vtilibus, & licitis (intellige quando non oportet ea dicere) ſecundùm illud: Obmutui, humiliatus ſum, & ſilui à bonis.

Alber. in Paradyſ. c.31. *Pſal. 38. 3.*

Incitamenta ad Taciturnitatem ſunt: I. Mirabile Chriſti Saluatoris ſilentium, qui per triginta annos tacuit, & tribus tantùm annis loquutus eſt. Loquebatur autem vera, vtilia, cœleſtia, neceſſaria, quæ intellecta, homines ad ſalutem inducerent; & cuſtodita, ad ſalutem perducerent. Poſtea in paſſione ſua, coram Pontificibus ſiluit, & non niſi adiuratus (tunc enim loqui oportebat) quis ipſe eſſet, patefecit. Coram Herode tacuit, adeò vt ſtultus fuerit reputatus. Coram Pilato nec verbum ad ſuam innocentiam declarandam proferre voluit: ita vt miraretur Præſes vehementer.

II. Silentium Beatæ Virginis; quæ, vt ait Ambroſius, erat loquendi parcior, & in Euangelio mirabilis eius taciturnitas indicatur (nam & myſteria in corde conferebat, exteriùs tacebat) & vnum aut

Luca. 2. 19.

alterum eius verbum, & illud Sapientiæ plenum, ſcribitur.

III. Inducit duplex ſententia Alberti & Bernardi, notanda. Ille ſic ait: Silentium cor diſtractum componit, conſcientiæ ſerenitatem inducit, & ad recipiendam gratiam diuinam habilem mentem facit. Vbi autem non eſt taciturnitas, ibi homo de facili ab aduerſario ſuperatur: Iuxta illud: Sicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ſic vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.] Vbi enim non eſt moderatio linguæ, ibi non eſt perfectio, iuxta illud: Qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir.] Et non aliud dicit Gloſſa: Vbi eſt cuſtodia linguæ, ibi eſt beatitudo: ſecundùm illud: Beatus homo, qui non eſt lapſus in verbo.] Qui enim cuſtodit os ſuum, cuſtodit & animam ſuam. Hic verò ſic ait: Pythagoras legem dedit Silentij diſcipulis ſuis, vt tacentes per quinquennium, loqui diſcerent: Et tu non vis tacere, cui virtus ſilentij propria eſt? Quid opus eſt vt properes periculum ſuſcipere loquendo, cùm tacendo poſſis eſſe tutior? Quàm plures vidi loquendo incidiſſe in peccatũ, vix quenquam tacendo. Ideóque tacere noſſe, quàm loqui, difficilius eſt. Scio pleroſque loqui cùm tacere neſciant. Rarum eſt, tacere quenquam, cùm ſibi loqui nihil proſit. Sapiens ergo nouit tacere. Alliga, moneo, ſermonem tuum, ne luxuriet, ne laſciuiat, & in multiloquio peccata ſibi colligat. Sit reſtrictior & ripis ipſius coerceatur. Citò lutum colligit amnis exundans. Sit tibi grauitas in inceſſu, in ſermone pōdus, atque in verbis modus.] Hæc illi.

Albert. ſuprà. *Prouer. 25.28.* *Iacobi. 3. 2.* *Eccli. 14. 1.*

Actiones Taciturnitatis ſunt. I. Nihil illicitum, nihil nobis minùs decens, aut proximis noxium, aut Deo inuiſum, ore proferre.

II. Nihil inutile otioſúmue loqui.

III. Bona extra tempus, & locum, & ſine debitis circunſtantiis, nolle dicere.

IV. Ad ſpiritus vtilitatem captandam, & ad colligendum & roborandum animum, certis temporibus ab vſu docendi & monendi ceſſare.

V. Non ſolùm externam linguam cohibere, ſed & interiorem cogitationem ab ſtrepitu phantaſiarum & verborum abducere.

VI. Nihil ad oſtentationem, ſed ſolùm ad Dei gloriam, & proximorum ſalutem, vel noſtram neceſſitatem, dicere, aut cogitatione voluere.

Poſtulatio Taciturnitatis: Domine Ieſu Chriſte, ſapientia Patris, in cuius labijs gratia ſpiritus ſancti diffuſa eſt, qua & nihil minùs congruum tuæ diuinæ perſonæ protuliſti, & omnia ad ſalutem hominum neceſſaria ſapiētiſſimè prædicaſti: tange labia noſtra calculo taciturnitatis ignito, & linguam noſtram virtute ſilentij purifica, vt & neceſſaria & vtilia ſuo tempore proferat, & quicquid inutile aut inane eſt, à noſtra mente & labijs abſcedat. Amen.

De Modeſtia. §. XIIII.

MOdeſtia, eſt virtus, quæ externos motus & geſtus temperat corporis; quæ ludis & iocis rationis moderationem adhibet, & quæ cultui, & apparatui perſonæ debitum modum imponit. Quæ, vt inquit Auguſtinus, dicta eſt à modo, ſicut à temperie temperantia. Vbi autem modus eſt atque temperies, nec plus eſt quicquam, nec minus. Hæc autem in moralibus non videtur à maturitate diſtingui, vt inſinuat Albertus. Vel eſt Maturitatis fructus; nam ex interna mentis grauitate actiones externæ modum rationi conſentaneum accipiunt.

Aug. lib. de vita beata. c. *Alber. c. 29.*

A Incitamenta ad Modeſtiam ſunt: 1. Conſideratio diuinæ præſentiæ. Nam coram Domino, & ſummo Domino vniuerſorum, nihil minùs decens, minúſue conueniens, aut agendum, aut dicendum eſt, quod poſſit tantam maieſtatem offendere. Et hac ratione vſus eſt Paulus ad hanc virtutem ſuadendam, dicens: (Phil. 4. 5.) Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus enim propè eſt.] Si ille, qui omnium eſt Dominus, prope nos eſt, immò intra nos eſt, & vniuerſarum eſt noſtrarum cogitationum & operationum inſpector, non debemus ad aliquid manum aut cogitationem extendere, quod ipſe ſua ſententia condemnet.

II. In verbis & actionibus ſeruata Modeſtia, mirum in modum mentis profectui & puritati deſeruit: B Sicut & immodeſtia ſine vllo dubio eidem menti magnum detrimentum infert. Nam corpus & anima, cùm io vnam ſint perſonam colligata, mutuò ſuas affectiones qualitatéſque communicant. Et anima lætitia geſtiens, corpus ipſum pene emortuum exſuſcitat, & corpus graui morbo oppreſſum animam opprimit, & ſola corporalia curare & cogitare compellit. Vnde fit vt corpus, per immodeſtiam effuſum, animam diſtrahat, & Modeſtia cohibitum, animam quoque colligat atque componat. Meritóq; ex motibus externis de interioribus motibus iudicamus, quòd interiora communiter exteriora ſequantur, hæcque certiſſima ſint interiorum indicia. Vnde Eccleſiaſticus ait: (Eccl. 19. 26.) Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus.]

C II. Modeſtia magnum momentum habet ad proximorum ædificationem curandam. Ipſi namque qui ſolùm videot in facie, exterioribus ad vitia vel virtutes permouentur: ex illiſque, quæ obijciuntur oculis, de homine bonam aut præpoſteram opinionem accipiunt. Habitus mentis, inquit Ambroſius, (Ambr. 1. offic. c. 18.) in corporis ſtatu cernitur: hinc homo cordis noſtri abſconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior: aut contrà grauior, & conſtantior, & purior, & maturior æſtimatur: Itaque vox quædam eſt animi, corporis motus.

Actiones Modeſtiæ ſunt: I. Caput huc illuc leuiter oon mouere, ſed cùm opus eſt, grauiter & maturè conuertere; ſi verò opus non ſit, rectum tenere, & in anteriorem partem tantillum inflectere, oon tamen ad latus dextrum nec ſiniſtrum inclinare.

D II. Oculos non vagos nec immoderatè eleuatos, ſed parum demiſſos habere, & cùm oportuerit, non toruè, ſed benignè; non ſuperbè, ſed humiliter; non inhoneſtè, ſed caſtè & pudicè ad aſpiciendum leuare; & inter loquendum cum aliis, non io vultus eorum, ſed ſub oculos, aut etiam ſub mentum aſpectum defigere.

III. Rugas in fronte, ſed multo magis in naſo, euitare, & ſerenitatem mentis faciei ſerenitate & moderata hilaritate præferre.

IV. Labia nec nimis compreſſa, nec nimiùm diducta, tempore ſilentij tenere: cùm verò loquendum eſt, verba ipſa, ac rationem loquendi, modúmque penſare.

E V. Veſtibus mundis & religioſè compoſitis amiciri.

VI. Manus mundas, ſi veſtes non ſuſtineant, decenter quietas, & pallio opertas, aut aliquantulum manicis contectas ob circunſpectionem ſeruare.

VII. Nec nimis lentè, nec nimis feſtinanter incedere, niſi neceſſitas vrgeat; & tunc quantum fieri poterit, decoris non obliuiſci.

A VIII. Omnes geſtus ac motus, ita vt apud omnes ædificationem pariant, temperare, & ſecundùm præſcriptum ordinis, neminem ſolum ſed fratri aſſociatum incedere. Hæc ferè omnia docuit nos Beatus Pater noſter Ignatius: eo pluris æſtimanda, quo à ſapientiſſimo vitæ ſpiritualis magiſtro profecta.

IX. Si ludis ac iocis, aoimi remittendi gratia, vtendum eſt, illi ſiot rari, perſonæ, ſtatui, & dignitati ludentis congruentes, & omni iniuria, obſcœnitate, illiberalitate, & petulantia vacantes. Ludos autem & iocos moderari, pertinet ad quandam virtutem, Modeſtiæ partem, quam vocant Eutrapeliam, quæ in ludis & iocis decorum ſeruat.

X. In veſtibus etiam modeſtia ſeruanda eſt, non ſolùm quia debent eſſe decẽter mundæ (vt diximus) B ſed etiam, quia non debent eſſe nimis delicatæ aut molles; non debent eſſe curioſæ, vel nitidæ, vel peregrino modo efformatæ, & à oostro ſtatu abhorrentes, quæ aliquam ambitionem, aut animi mollitiem, aut alium affectum miovs ordinatum oleant.

XI. Idem omnino ſeruandum eſt in ſupellectili, in bibliotheca, in apparatu menſæ, & cellularum, & in aliis ſimilibus, quæ omnia talia ſint, vt nec nos io varias curas diſtrahant, nec mentem minùs ordinata affectione polluant, nec fratres noſtros ſcandalo aut nota minoris ædificationis lædant.

Poſtulatio Modeſtiæ: Domine Ieſu Chriſte, cui tanta inerat Modeſtiæ pulchritudo, vt Apoſtolus (2. Cor. 10. 1.) tuus nos [per modeſtiam, & manſuetudinem] tuam C ad virtutem hortatus ſit: voces, motus, & geſtus noſtros virtute Moderationis exorna, & ab eis quicquid minùs decens eſt, remoue, vt in his externis mundicia hominis interioris eluceat: & dum interiùs & exteriùs compoſiti eſſe nitimur, tuas laudes in cordibus nobiſcum conuerſantium excitare quęramus. Amen.

De Indiciis adeptæ Virtutis.

CAPVT X.

EXPLICATA Virtutum natura, nunc de indiciis virtutis, à iuſto viro adeptæ, agendum eſt: nec id fuit in omnibus virtutibus ſigillatim explicandum, quoniam cognitis indiciis omnium virtu- D tum generalibus, facile erit ſingularum indicia cognoſcere, & generalia ad ſpeciales virtutes applicare.

Plura ergo ſunt indicia in anima iuſta genitæ in ea & obtentæ virtutis. Primum eſt: Si vitia virtuti oppoſita ſentiat extincta, aut victa, aut magna ex parte compreſſa. Signum Humilitatis eſt; ſi in te amor immoderatus, propriæ excellentiæ non regnet. Signum Obedientiæ: ſi in rebus arduis & difficilibus voluntas propria non te dilaniet. Signum Manſuetudinis, ſi in mediis iniuriis vitium indignatiooe te ad vindictam accipiendam non pertrahat. Et ſic de reliquis. Sicut enim frigus in manu nonniſi à calore cooſumitur, aut minuitur: ita vitium non E niſi à ſuo contrario, nempe à virtute, deſtruitur, aut eneruatur. Confirmat autem hoc dictum Auguſtini, (Aug.) quod ad omnes virtutes poteſt extendi: Augmentum charitatis eſt dimioono cupiditatis; & perfecta charitas, nulla cupiditas. Sic omoino augmentũ humilitatis eſt diminutio ſuperbiæ, & perfecta humilitas, nulla ſuperbia: Et augmentum paupertatis, diminutio auaritiæ: & perfecta paupertas, nulla auaritia: atque eadem ratio ſit de aliis.

Quiſque

Quiſque ergo ex priſtino ſtatu animæ ſuæ nouum poteſt aduertere; & ſiquidem in ſe contrarias rerum opiniones perſenſerit, quia nunc ſanctè & prudenter iudicat, antea verè imprudenter iudicabat: ſi furorem vitiorum cohibitum eſſe cognouerit; ſciat ſe non in vacuum cucurriſſe, nec infructuosè pro virtutibus laboraſſe.

Secundum indicium eſt: Si quis paſſiones & affectiones ſuas videat moderatas: nam cùm virtus ſit affectionum moderatrix, iuxta ordinem illis impoſitum, erit maior aut minor acquiſitarum perfectio virtutum. Nunquam tamen virtus, quantumuis magna, paſſiones in hac vita penitus tollit, ſed frænat & comprimit. Vnde Gregorius ait: Quiſquis veram Philoſophiam nititur tenere, neceſſe eſt, vt inter vtraque (id eſt, inter inſenſibilitatem & immoderationem paſſionis,) gradiatur. Non eſt enim pondus veræ virtutis, inſenſibilitas cordis: quia & valde inſana per ſtuporem membra ſunt, quæ & inciſa ſentire dolorem nequaquam poſſunt. Rurſus virtutis cuſtodiam deſerit, qui dolorē verberum, vltrà quàm neceſſe eſt, ſentit. Et Auguſtinus quanta ſemper circunſpectione aduersùs affectiones cordis pugnādum ſit, his verbis declarat: Aliquando concitatiùs, aliquādo remiſſiùs, nō tamen deſinit caro concupiſcere aduersùs ſpiritū, & ſpiritus aduersùs carnem, vt non ea, quæ volumus, faciamus, omnem malam concupiſcentiam conſumēdo, ſed eam nobis, quantum diuinitus adiuti poſſumus, non ei conſentiendo, ſubdamus, vigiliis continuis excubantes, ne opinio veriſimilis fallat; ne decipiat ſermo verſutus; ne ſe tenebræ alicuius erroris offundant: ne quod bonum eſt, malum, aut quod malum eſt, bonum eſſe credatur: ne ab iis, quæ agenda ſunt, metus reuocet; ne in ea, quæ agenda non ſunt, cupido præcipitet; ne ſuper iracundiam ſol occidat; ne inimicitiæ prouocent ad retributionem mali pro malo; ne abſorbeat inhoneſta vel immoderata triſtitia: ne impartiendorum beneficiorum ingerat mens ingrata torporem; ne maledicis rumoribus bona conſcientia fatigetur; ne temeraria de alio ſuſpicio noſtra decipiat; ne aliena de nobis falſa nos frangat; [ne regnet peccatum in noſtro mortali corpore,] ad obediendum deſideriis eius: ne membra noſtra exhibeantur iniquitatis arma peccato; ne oculus ſequatur concupiſcentiam; ne vindicandi cupiditas vincat; ne in eo, quod malè delectat, vel viſio vel cogitatio remoretur; ne improbum aut indecens verbum libenter audiatur; ne fiat, quod non licet, etiamſi libet; ne in hoc bello, laborum periculorúmque pleniſſimo, vel de viribus noſtris ſperetur facienda victoria, vel viribus noſtris facta tribuatur, ſed eius gratiæ, de quo ait Apoſtolus: Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.] Hæc ille. Si quando verò aſpexerimus in viris ſanctiſſimis aliquem paſſionis motum, non omnino virtute compreſſum, immò aliquando vſque ad vehementiſſimam concitationem adauctum; ſciamus, id vna ex tribus cauſis euenire potuiſſe. Aut quia maxima paſſionis occaſio virtutem ſubiecit: aut quia Deus, ad humilitatem noſtram, & virtutis exercitationem, eam affectionem manere, & nos infeſtare permiſit: aut quia ſecundùm præſentem ſtatum, motus ille paſſionis non eſt immoderatus, & qui ab vna virtute cohiberetur, ab alia tunc quoad omnem illam intenſionem imperatur. Manſuetudo, verbi gratia, triſtitias ex iniuriis illatis prouenientes frænat. Sed quid ſi vir ſanctus videns, Deum magna iniuria affectum, & ab hæreticis aut falſis Chriſtianis pro nihilo habitum, maxima triſtitia afficiatur? Quid ſi ira & indignatione aduersùs illos exardeſcat? Quid ſi Dei iniuriam, aut ſeueriſſimè puniat, ſi poſſit: aut ſi non poſſit, punire deſideret? Nunquid hunc manſuetudinem depoſuiſſe putabis? Certè non depoſuit: ſed quam triſtitiam, ſi oporteret, manſuetudo frænaret, zelus honoris Dei, & charitas aduersùs eum, & in proximos miſericordia ſuccendit. Id illuſtris ſacræ ſcripturæ confirmet hiſtoria: Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra.] Sed audi memorabile factum huius viri mitiſſimi. Cùm agnouiſſet peccatum populi, qui vitulum adorauerat, & in Deum iniurioſus extiterat, ſtans in porta caſtrorum, ait: Si quis eſt Domini, iungatur mihi.] Congregatis verò ſibi omnibus filiis Leui dixit: Ponat vir gladium ſuper femus ſuum: ite, & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Feceruntque filij Leui iuxta ſermonem Moyſi, cecidéruntque in die illa quaſi viginti tria millia hominum.] Vſque ad tantam ſtragem vir mitiſſimus omnium exarſit? Ita ſanè: Quia vna virtus aliquando affectum ſibi ſubiectum ligare & cohibere deſinit; & tunc ſuæ naturæ relictus, alij virtuti eo indigenti ſubſeruit. Et hinc multæ actiones virorum perfectorum intelligentur, quæ primo aſpectu videntur à paſſione immoderatà & virtute vacua prodire, cùm tamen à vitio non prodeant, ſed à virtute, ea ſeueritate aut efficacia indigente, procedant.

Greg. 2. mor. c. 11. — *Aug. 22. de ciuit. c. 23.* — *Rom. 6. 12.* — *1. Corint. 15. 57.* — *Numer. 12. 3.* — *Exodi 32. 26.* — *ibid. nu. 27. 28.*

Tertium indicium eſt facilitas atque voluptas in bene operando, ſecundùm illam virtutem, quam quis in ſe inueſtigare contendit. Nam ſicut qui citharam facillimè pulſat, ſeruata ſemper chordarum harmonia, procul dubio artem muſicæ acquiſitam habet: ita qui ſe facilè & delectabiliter deiicit, & abſcondit, & abiectè de ſe ſentit, virtutem humilitatis acquiſiuit. Hæc enim facilitas in humilitatis actionibus, non poteſt niſi ex virtute humilitatis oriri. Virtus enim eſt ſicut vis motiua, quæ, quò ire volumus, nos velociter portat. Eſt ſicut pondus, quo ſine contradictione in bonum ferimur. Eſt ſicut pennæ, quibus ad ſpiritualia & cœleſtia ſubleuamur. Huic facilitati quam virtus tribuit, aſtipulatur quotidianum experimentum iuſtorum, qui poſtquam pluſquam mediocriter profecerunt, multo faciliùs & ſuauiùs officia virtutis obeunt, quàm ante conuerſionem ſuam opera carnis præſtiterant. Nec tantùm potuit in eis vitioſa conſuetudo & corrupta natura, quantum nunc poteſt gratia & virtus adepta. Ac proinde meritò admiratur Bernardus dulcedinem & ſuauitatem virtutis, de ea ſub nomine diuini oneris loquens in hunc modum: Libet admirari quàm leue ſit onus veritatis. Num verè leue eſt, quod portantem non grauat, ſed leuat? Quid eo leuius onere, quod non ſolùm non onerat, ſed & portat omnem, cui portandum imponitur? Hoc onus potuit vterum grauidare virgineum, grauare non potuit. Hoc onus ipſa quibus ſe præbuit ſuſtentandum, ſenis Simeonis brachia ſuſtentabat. Hoc etiam Paulum in graui, licèt & corruptibili, corpore poſitum rapiebat vſque ad tertium cœlum. Quæro in rebus, ſi quid fortè huic exoneranti oneri ſimile inueniamus: occurrit mihi de pennis auium, quod vtcumque coaptem, quæ quodam videlicet ſingulari modo & corpulentiorem reddunt ſubſtantiam & agiliorem. Mirum opus naturæ. Vnde groſſeſcit materia, inde ſarcina leuigatur, & quantum creſcit in maſſa, tantùm decreſcit in pondere. Hoc planè in pennis Chriſti oneris exprimit ſimilitudinem, quòd & ipſæ ferunt, à quibus feruntur. Quid & de quadriga dicam? Hæc nimirum admota iumento ſarcina, quæ ab ipſo moueri non

Bern. epiſt. 72. ad Rainaldum.

poterat, auget quidem, ſed portabiliorem facit. Onus oneri additur, & minùs onerat. Sic & oneri grauiſſimo legis accedens quadriga Euangelij, & auxit perfectionem, & difficultatem minuit. *Pſal. 147. 15.* Velociter, ait, currit ſermo eius.] Sermo vtique antè notus in Iudæa tantùm, nec ſe præ ſui quidem grauedine valens vltrà extendere: quippe qui & ipſius Moyſi manus, ſuo pondere prægrauatas, demitteret, leuigatus per gratiam, & rotis Euangelicis ſuperpoſitus, velociter in omnem terram exiuit, & in fines orbis terræ celerrimè peruolauit. Si ergo gratia & virtus ſic onerat vt non premat mentem, ſed leuiget, virtutem habet, qui ſe ad eius opera, non moroſum, ſed agilem & expeditum ſentit.

Quartum indicium eſt, deſiderium vehemens in virtute creſcendi. Virtus enim ſedem in eo poſuit, in cuius ſinum ſui deſiderium & ſitim immittit. Qui ſanè non ita auidè eam deſideraſſet, niſi aliquem virtutis hauſtum accepiſſet. Terrena per experientiam cognita, ad ſui contemptum & ad nauſeam prouocant; at cœleſtia guſtata, vehementiorem ſui amorem & ardentius deſiderium excitant. Iam ergo humilitatem, aut obedientiam, aut quamuis aliam virtutem guſtauit, quem ſitis ſe deiiciendi, & obediendi, & exercendi alias virtutes, accendit. *Pſal. 10. 17.* Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, inquit ſanctus Dauid, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.] Non dicit, exaudiet, aut exaudit, ſed exaudiuit Dominus, quoniam ſæpe antequam deſideremus, virtutem deſideratam impertiuit: & ex ea iam habita & poſſeſſa deſiderium emanat. Nec huic contrarium eſt, quòd deſiderium non eſt boni præſentis, ſed futuri, quia mens iuſti virtutem, quam iam habet, ſed nondum in ſe cognouit, cupit: aut non tam gradum, quem habet, & agnoſcit, ſed quem nondum eſt adepta, concupiſcit. Sicut enim, qui nunquam mel guſtauit, nec, an tam dulcis cibus ſit, ſciuit, illud nullo modo deſiderat; at ſi ſemel comedat mel, iam guſtata eius dulcedine, iterum guſtare appetit, & illud ardenter efflagitat: ita, qui nunquam dulcedinem, verbi gratia, obedientiæ percepit, non mirum, ſi alterius voluntate & imperio regi non appetat: at qui expertus eſt obedientiæ ſecuritatem, aut alterius virtutis dulcedinem, ſtatim in ſe intimius eam poſſidẽdi deſiderium aduertit. Eſt ergo deſiderium virtutis, adeptæ virtutis indicium, quæ dum adeſt animæ, non eam premit & onerat, nec ad ſui odium prouocat, ſed potiùs, quia valde amabilis eſt, ardentiſſimos ſui amores & deſideriorum affectus exſuſcitat.

Quintum tandem indicium virtutis eſt conformitas vitæ hominis iuſti ad vitam Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ad dicta, facta, & exempla ſanctorum. Chriſtus enim datus eſt nobis à Patre in magiſtrum, ac præceptorem omnis virtutis. Vnde in monte, in quo transfiguratus eſt, vox Patris intonuit: *Matth. 17. 5.* Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.] Ipſe eſt rectitudo & regula, cui ſi conformemur, recti, à quo ſi diſſentiamus, curui ſumus & obliqui. Quare in Canticis, vbi nos legimus: *Cant. 1. 3.* Recti diligunt te:] Septuaginta habent: Rectitudo dilexit te.] Et illi tres patres apud Theodoretum, *Theodor. in Cant. c. 1.* rectitudinis nomine Chriſtum intelligunt, qui, vt eſt veritas, aiunt, ſic etiam eſt rectitudo. Eſt etiam perpendiculum, quod extenditur ſuper Ieruſalem,] vt eſt apud Zachariam Prophetam, *Zach. 1. 16.* quo animæ obliquitas, aut rectitudo examinatur atque perpenditur. Sancti verò imitatores ſunt Chriſti, qui non à longè, ſicut tepidi & imperfecti, ſed è vicino ipſum ſequuntur. Quod Paulus teſtatur, dicens: *1 Corint. 11. 1.* Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.] Et Eccleſia profitetur,

A eos filiis ſuis ſtatis diebus in exemplum vitæ proponens. Si ergo homo vitam ſuam agnouerit, ſi rectitudini, ſcilicet Chriſto & perfectis imaginibus eius, nimirum ſanctis perfectiſque conformem, inde non imprudenter colliget, ſe iam eſſe virtutibus Chriſti & Sanctorum excultum. Qui domum aliquam aut palatium regium ædificat, totius ædificij ante oculos ſuos ac ſingularium partium habet exemplar, ad quod reſpiciens, ab eóque nunquam actione diſcedens, domum conſtruet vndiquaque perfectam. Chriſtus autem exemplar eſt perfectiſſimum totius ſanctitatis, quæ in omnium conſiſtit coagmentatione virtutum, & ſancti ſunt quaſi partes huius exemplaris, qui aliquam Chriſti virtutem præcipuè imitantes, exhibent ſe illius, quam excoluerunt, virtutis

B ideas. Iuſtus itaque ſemper oculos in exemplar virtutum intendens, & ſecundùm illud vitam inſtituens, virtutis in ſe ædificationem perficiet. Hoc autem indicium agnoſcendæ virtutis certiſſimum eſſe, Bernardus & Caſſianus manifeſtè fatentur. Ille de virtutibus Chriſti ſic ait: *Bern. ſer. 4. de Aduentu.* Sint, ſi dormire volumus inter medios cleros (id eſt, duos aduentus) pennæ noſtræ deargentatæ: vt illam ſcilicet virtutum formam teneamus, quam verbo & exemplo commendauit Chriſtus, præſens in carne. In argento ſiquidem non incongruè intelligitur humanitas eius, ſicut in auro, diuinitas. Omnis itaque virtus noſtra tam longè eſt à vera virtute, quàm longè eſt ab ea forma: & omnis penna noſtra ad nihilum valet, ſi non fuerit deargentata. Hic verò de virtutibus Sanctorum ſic: *Caſſian. coll. 1. c. 30.* Imi-

C tantur opera quædam, externa ſpecie bona numiſmata veri regis, quia videntur ad præſens plena pietatis, ſed non ſunt à legitimis monetariis, id eſt, probatis & catholicis patribus, figurata, nec de carnali ac publica collationis eorum prodeunt officina, ſed furtim fraude dæmonum fabricata, non ſine detrimento imperitis quibuſque & ignorantibus ingeruntur.] His ergo indiciis examinare quis poterit, an virtutem ſit adeptus nec ne, & ad quem eius gradum perfectionémque conſcenderit. Et ſiquidem ex carentia eorum ſe virtute vacuum deprehenderit; lugeat, & humilietur, & pro eius obtentione laboret. Si autem aliquam in ſe virtutem agnouerit, Deum eius auctorem ſciat, & pro ea gratias agat, & non ſtatim à labore ceſſet, & ſe in cœnum teporis deiiciat. Quod enim

D virtutis & puritatis habet, comparatione eius, quod non habet, eſt quaſi in comparatione cœleſtis globi, gutta quædam roris exigua. Stultum eſt autem, ex tanta exiguitate per ſuperbiam inflari, & non magis in profectum virtutis, laboris aſſiduitate contendere.

De Secundo Inſtrumento ad aſſequendam virtutem, nempe de appretiatione eius.

CAPVT XI.

E OMNIA, quæ hactenus dicta ſunt, ad primum inſtrumentum aſſequendę virtutis pertinent, ſcilicet ad cognitionem virtutis, quod non potuimus breuiùs enodare: nunc ad reliqua contractiori ſermone exponenda tranſeamus. Secundum ergo inſtrumentum eſt æſtimatio & appretiatio virtutis; vt nempe iuſtus ſuper omnia creata, virtutem, & mentis ſuæ puritatem, & ornatum æſtimare, & maximi reputare ſtudeat. Ad hoc autem conferent tum incitamenta, ſingulis virtutibus appoſita: tum ea, quæ ſuprà

de virtutis honeſtate, vtilitate, voluptate, pulchritudine, & neceſſitate ſunt dicta. Quæ attentè meditata hanc virtutis æſtimationem, quam optamus, procul dubio gignent. Sed præter hæc, nunc aliquas conſiderationes adiicio, quibus profundè perpenſis, quilibet ſpiritualis vitæ cultor magnam erga virtutem, tum reuerentiam, tum æſtimationem concipiet.

Prima Conſideratio: Virtutes hominem Deo ſimilem faciunt, & ſui conditoris imitatorem. Cùm enim Deum audimus, ſtatim mente concipimus Dominum quendam, omnium rerum creatorem, ſapientiſſimum, iuſtiſſimum, miſericordiſſimum, patientiſſimum, puriſſimum, benigniſſimum, omniúmque aliarum perfectionum pleniſſimum. Virtutes autem hæc eadem homini tribuunt; nam faciunt eum prudentem, iuſtum, miſericordem, temperatum, fortem, mitem, aliíſque ſimilibus perfectionibus imbuunt, quibus pulchra quædam Dei ſimilitudo, & perfectionum eius imitatio conſpicitur. Quamobrem Ioannes nos charitate, & virtutibus, ab ea manantibus, filios Dei fieri, id eſt, ſimiles illi, profitetur, dicens: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.] Nam illi, qui per fidem Chriſtum in cordibus ſuis excipiunt, hoc magno dono cumulati ſunt, vt charitate & virtutibus aduenientibus, Dei filij & Deo ſimiles efficiantur. Ipſeque Dominus nos ad charitatem, beneficentiam, & reliquas virtutes hortatur, quia eis conſequemur, [vt ſimus filij Patris noſtri, qui in cœlis eſt.] Vt, inquam, per gratiam, & virtutes effecti Deo ſimiles, & naturæ diuinæ conſortes, hæredes ſimus regni cœlorum. Egregiè ſanè Gregorius Niſſenus explicat, qua ratione ſimiles Deo virtutum poſſeſſione reddemur: Sicut formas hominum, inquit, per colores quoſdam, pictores in tabulis transferunt, tinctutas proprias congruáſque miſcentes, ita vt primæuæ formæ decor in ſimilitudinem diligentiſſima mutatione tranſmigret: ſic intelligo noſtræ ſubſtantiæ formatorem, velut quibuſdam virtutum coloribus miram pulchritudinem ſuæ imagini contuliſſe, in nobis exprimentem proprium principatum. Sunt autem multiplices & multiformes colores huius imaginis, quibus veræ formæ ſimilitudo depingitur, non ceruſſa & purpuriſſo, nec horum mixta cum altero qualitas, nec alicuius nigredinis ſuperductio, cilia oculóſque ſublinit, & per aliquod temperamentum depreſſa & concaua, aſſimilatur character; vel quæcumque ſimilia pictorum manus artificis compoſuere ſolertia: ſed pro iſtis adeſt puritas, impaſſibilitas, beatitudo, malíque totius auerſio, & quæcumque generis iſtius exiſtunt, per quæ in hominibus imprimitur ſimilitudo diuina. Talibus floribus mirabilis conditor imaginem propriam, id eſt, naturam noſtræ conditionis ornauit. Et ad idem optimè Auguſtinus ait: Similitudo Dei in vobis, in moribus cernenda eſt; vt ſicut Deus, qui hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creauit, charitas eſt, & bonus, & iuſtus, & patiens, & mitis, ac miſericors, & cætera virtutum ſacra inſignia, quæ de Deo leguntur: ita homo creatus eſt, vt haberet charitatem, vt bonus eſſet, & iuſtus, & patiens, ac mitis, mundus, ac miſericors foret. Quas virtutes quanto plus quiſque habet in ſeipſo, tanto propinquior eſt Deo, & maiorem ſui conditoris gerit ſimilitudinem. Si verò, quod abſit, aliquis per deuia vitiorum, & diuortia criminum, ab hac nobiliſſima ſui conditoris ſimilitudine degenerans, oberret: tunc fiet de eo, quod ſcriptum eſt: Homo cùm in honore eſſet, non intellexit.] Hæc illi. Si ergo res pretioſiſſima eſt, hominem eſſe Deo ſimilem, quanti æſtimanda à nobis eſt virtus, cuius participatione hanc ſimilitudinem creatoris induimus, & filij eius ſanctiſſimi, patris mores præferentes, appellamur? Sæpe homo cupit videri, quod non eſt; & cùm ſit ignarus, aut ignobilis, aut vitiis ſordidus, vult ſapiens, nobilis, & virtutibus ornatus apparere. Cupiat igitur virtutum omnium poſſeſſionem, qua non externa tantùm ſpecie, aut per hypocriſim, ſed re vera erit & apparebit ſapiens, & illuſtris, & mundus, quia erit ſimilis Deo, & filius Dei. Sed profectò quanta res ſit, hominem ſimilem eſſe Deo, non poteſt plenè in hac vita cognoſci: Chariſſimi, inquit Ioannes Apoſtolus, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus.] Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt.] Nunc, inquam, gratiæ & virtutum adeptione ſumus filij Dei: quid maius, quid dignius, aut pretioſius, quàm nos eſſe filios Dei? Si autem id nondum apparet, ſi id in hac vita noſtram certam notitiam fugit, nec ob ſuam magnitudinem nunc poteſt agnoſci, ſcimus quòd aliquando tandem id nobis patebit, & de tam eximiæ dignitatis adeptione lætabimur. Cùm verò hoc apparuerit, videbimus nos ſimiles Deo, quod ex eo maximè cognoſcetur, quia videbimus eum ſicuti eſt. Lux enim, & pulchritudo, & claritas, non poteſt niſi à luce, & pulchritudine, & claritate cognoſci. Si ergo Deum intuebimur, eius vtique ſimilitudinem participabimus, & ſicut vt ipſe (quo nihil eſt maius) lucidi, & decori, & illuſtres, & planè dij participatione erimus.

Ioan. 1. 12.

Matth. 5. 44.

Niſſen. de creat. hominis c. 5

Auguſt. tract. de creat. primi hominis To. 9.

Pſal. 48. 13.

1. Ioan. 3. 2.

Secunda conſideratio: Virtutibus vitæ ſpiritualis ſtatum habemus, & noſtro muneri ſatisfacimus. Hoc quanti momenti ſit, hac ſimilitudine perſpicuum erit. Senatores reipublicæ duo habent ad ſuam dignitatem pertinentia: Alterum continet externa dignitatis ſenatoriæ inſignia, vt togatam veſtem & virgam, quam in manu geſtant, & ſi quæ ſunt alia, quibus à populo iudices cognoſcantur & habeantur: Alterum verò eſt, in quo huius dignitatis ſubſtantia conſiſtit, & ſine quo rectè adminiſtrari non valet: illud autem eſt, quòd à rege gubernandi rempublicam & iudicandi poteſtatem acceperint; & peritiam legum neceſſariam, ac rectitudinem ad hoc munus obeundum, propria induſtria conquiſierint. Illud primum aliquid quidem eſt, ſed parum eſt. Adeò vt ſi quis abſque poteſtate à rege accepta, illa ſenatorum inſignia geſtauerit, dignus ſit, quòd vt mimus aut ſycophanta ab omnibus rideatur. Iſtud autem ſecundum maximi pretij eſt, quoniam hominem facit ſenatorem, & iudicem, & in dignitate & Prælatione conſtituit. Vnde ſi poteſtatem & peritiam neceſſariam habens, caſu aliquo ſignis externis caruerit, non ob id ſenatoriam dignitatem aut meritum magni honoris amiſit. Ita prorſus in illis, qui ſpiritualem vitam profitentur, eadem duo ſunt conſideranda, nempe & huius vitæ ſigna & indicia, atque eiuſdem vitæ natura & ſubſtantia. In ſignis continentur religioſus habitus, cæremoniæ, aſperitates, ieiunia, & ſi quæ ſunt alia, quæ vt folia huius vitæ fructus operiunt & protegunt. Subſtantia verò non eſt alia, quàm multiplex virtus, ex qua coaleſcit decor ſpiritualis conuerſationis. Subſtantia huius vitæ eſt charitas, eſt humilitas, eſt paupertas, eſt caſtitas, eſt obedientia, eſt manſuetudo, eſt denique id omne, quod nos bonos facit, & ad mentis puritatem conducit. Adeò vt ſi hæc adſint, licèt illa ex legitima cauſa deſint, quia nimirum inter hæreticos ſanctæ Philoſophiæ habitum geſtare non poſſumus, aut inter ſæculares ordinis cæremonias & proſtrationes intermittimus; aut præ inualetudine ieiunare, & aliis aſperitatibus inſiſtere non valemus, non ob id ſpiritualis vita à nobis abſcedat. Sed ſi virtutes deſint, licèt illa externa nos cingant, ſpiritua-

lem

lem vitam deſerimus, & in religioſa etiam profeſſione ad vitam ſæcularem & carnalem dilabimur. Immò & ex eo maximè reprehenſibiles erimus, quia non iam ſemel aut iterum mendacium proferimus, ſed ſemper tota noſtra vita & conuerſatione mentimur. Quod namque pernicioſius mendacium excogitare poſſumus, quàm illud, quo veſte & ſignis externis nos ſpirituales viros dicimus, cùm tamen moribus quàm longiſſimè à vita ſpiritali diſtemus? Væ peccatori, inquit Eccleſiaſticus, terram ingredienti duabus viis.] Et quiſnam veriùs ingreditur duabus viis, quàm ille, qui nititur, duobus dominis, Deo, externis indiciis, & mundo, moribus & actione ſeruire? Hic ſanè ſicut prophetæ Baal, [claudicat in duas partes;] & contra præceptum Domini: Non indueris veſtimento, quod ex lana linóque contextum eſt:] intus malitia, exteriùs virtutis oſtenſione ſe veſtit. Et ſecundùm ſpiritum illud quoque mandatum tranſgreditur: Non ſeres vineam tuam altero ſemine, ne & ſementis, quam ſeuiſti, & quæ naſcuntur ex vinea, pariter ſanctificentur.] Semina namque diuerſa ſunt, profeſſio ſpiritualis & vita carnalis, & dum hanc illi admiſcemus, aliquid immundum, nempe quod carnale eſt, quaſi Domino conſecramus. Similis eſt, qui ita viuit, Simoni illi Cyrenæo, qui (vt ſcitè dixit Gregorius) crucem portat, ſed nequaquam moritur; quia omnis hypocrita, corpus quidem per abſtinentiam afficit, ſed tamen per amorem gloriæ mundo viuit. Ita hic, qui ſigna ſpiritualis vitæ præfert, ſubſtantiam verò eius nempe virtutem, deponit, crucem quidem exteriùs portat, quia corpus illis exterioribus ſignis, quaſi cruci, affigit, ſed mortem iuſtorum, qua mundo moriatur, ſubire detrectat. Si ergo virtus eſt vitæ noſtræ ſubſtantia, qua ſanctè viuimus, & ſine qua, aut manifeſtè, aut occultè, mali ſumus: quanti æſtimanda eſt, quàm magni facienda, niſi fortè velimus profanis hominibus, qui apud omnes peruersè viuunt, annumerari, aut (quod ex parte peius eſt) cum ſimulatoribus & hypocritis poni?

Eccl. 2. 14. — *3. Reg. 18. 21.* — *Deut. 22. 11.* — *Deuter. 22. 9.* — *Greg. 8. mor. cap. 26.*

Tertia conſideratio. Virtutes ſunt, quas Deus, quas Angeli, quas ſancti, quas etiam peccatores, & peruerſi homines magno in pretio habent: mirum autem erit ſi ſpiritualis vitæ cultor eas magni non reputet, & pretioſiſſimas æſtimet. Ita ſanè natura comparatum eſt, vt ea æſtimemus, quæ omnes ſine vlla contradictione ſuſpiciunt, & quæ à nemine vidimus fuiſſe contempta. Quin & ſæpe humanæ opinionis mutatio, & noua alicuius rei, quæ antea vilis habebatur, æſtimatio, facit nos, vt manibus & pedibus in eius æſtimationem eamus, quam antea ex corde contempſimus. Hoc Hiſpania noſtra quotidie experitur, cui in tanta ſæculi huius fœlicitate poſitæ, inter alias miſerias hæc, non ſine riſu aliarum nationum, dominatur, quòd ſingulis ætatibus, quin & in vna ætate, variis indumentorum & pileorum generibus, ab aliis gentibus per imitationem mutuatis, vtitur. Fitque, vt quæ multis dominatur gentibus, omnium earum in hac parte ſeruiat erroribus, & magnum ſibi videatur aſſumpſiſſe cultus veſtitúſque ſplendorem, ſi nullam reſpuat aliorum hominum vanitatem. Demus ergo, in Hiſpaniam aliquem ex nobilibus Galliæ aut Angliæ veniſſe, pro more ſuæ gentis veſtimentis indutum, quæ maximè ab vſu Hiſpaniæ diſſentiant: primùm non ſine tædio & riſu à noſtris conſpicitur, & inſueta forma veſtimenti contemnitur. Deinde aſſuetudine videndi, minùs diſplicet; poſt aliquot dies placet. Iam aulici noſtri regis, qui in hoc ſunt vaniſſimis vaniores, peregrinum cultum imitantur, & more Gallorum aut Anglorum pileati vel induti progrediuntur. Quis non videat poſt nonnullos menſes, quibus vanitas iſta in gentem noſtram ſe diffudit, veſtimentum illud maximè placere, in magno pretio haberi, & qui illud non geſtet, pene rubore ſuffundi? Id poteſt vanitas, cur idem non poterit veritas? Talem æſtimationem vaniſſimorum hominum vſus inuexit, qui auorum ſuorum grauitatem & parcitatem abiecerunt, qua fuere omnibus gentibus formidabiles; cur eandem regis regum, & omnium aulicorum ſuorum vſus non inferat, & veſtibus curiæ cœleſtis æſtimationem non præbeat? Deus ipſe, ô homo, virtutibus tanquam veſtimentis induitur, quæ licèt alterius rationis à noſtris ſint, tamen virtutes, id eſt, Dei perfectiones eſſe non deſinunt. Veſtimentum eius, inquit Daniel, candidum quaſi nix;] Quod, auctore Theodoreto, ſignificat inculpatam ſanctámque diuinam naturam. Neque enim ille, qui incorporeus eſt, ſerico, aut auro, aut aliis corporalibus veſtimentis induitur; ſed indumenta eius ſunt puritas, ſanctitas, miſericordia, iuſtitia, & perfectiones reliquæ, quæ licèt diuerſis appellationibus nominentur, à ſua diuina natura non differunt. Angeli etiam Dei virtutibus induuntur. Nam & in ſuæ conditionis exordio, fide, ſpe, charitate, obedientia, & aliis virtutum actionibus meruerunt, quam nunc poſſident, beatitudinem. His virtutibus aut aliis perfectioribus, quæ in locum earum ſucceſſerunt, adhuc in cœleſtibus ſedibus exornantur, Et ideo candidi, ſplendidi, alati iuuenes nobis apparent, vt in his conditionibus corporalibus, quæ in incorpoream naturam non cadunt, eorum puritatem, ſapientiam, obedientiam, fortitudinem, & virtutes reliquas agnoſcamus. Splendidiſſimo namque habitu ornati conſpiciuntur, non quòd tunicis operiuntur & palliis, inquit Ambroſius, ſed cùm ſit in illis natiuitatis ſuæ nuda ſubſtantia, veſtiti videntur eſſe, quòd ſancti ſunt.] At ſancti Beati de nullo alio veſtimento, niſi de virtute multiplici gloriantur. Quare de Eccleſia ad cœnam Agni vocata, & cum Domino in cœlis regnante, in Apocalypſi dictum eſt: Et datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido.] Ne autem ambigeremus quid hac veſte ſignaretur, addit: Byſſinum enim iuſtificationes ſunt ſanctorũ. Virtutes ergo, ac bona opera in terris facta, Sanctos in cœlis circundant: & qui in terris plus huius ſupellectilis abundat, illic gloriæ eſt abundantior & ditior. Egregiéque Auguſtinus inquit: Non tunicas inſpecturi ſumus in regno cœlorum, ſed veſtis cuiuſcumque fulgor iuſtitiæ deputabitur. De iuſtis autem, qui adhuc in Eccleſia militant, potiùs tacendum eſſet, quia certum eſt, quòd virtutibus tanquam indumentis fulgere contendunt. His dicitur, vt induant Dominum Ieſum Chriſtum,] id eſt, vt eius ſe virtutibus operiant. Et vt induant viſcera miſericordiæ,] & aliarum virtutum, quas Paulus enumerat. Sapiens, ait pulchrè Ambroſius, nunquam inanis eſt, ſemper in ſe habens amictum prudentiæ, qui poteſt dicere: Iuſtitiam induebam, & veſtiebam iudicium,] ſicut dixit Iob. Namque hæc mentis ſunt interna velamina, quæ nemo alius poſſit auferre, niſi cùm aliquem ſua culpa deſpoliat. Denique ſic deſpoliatus Adam, nudus inuentus eſt. At verò Ioſeph veſtimento exteriore reiecto, nudus non erat, qui ſalua habebat indumenta virtutis.] Iniqui tandem has veſtes non habent, ſed illæ tam glorioſæ ſunt, vt ſæpe eas ſe habere & geſtare mentiantur. Conantur enim oſtendere in imagine, vt ait Gregorius, quod non habent in veritate.] Si ergo Sanctorum, & Sancti ſanctorum veſtes ſunt virtutes, non quidem ex peregrino regno aſcitæ, ſed reipublicæ cœleſtis & Eccleſiæ propriæ: Si has veſtes

Dan. 7. 9. — *Theodor. orat. 7. in Daniel.* — *Amb. ser. 10. de Angel.* — *Aug. in Pſal. 51.* — *Rom. 13. 14.* — *Coloſſ. 3. 12.* — *Ambr. 2. de Iacob. c. 5.* — *Iob. 29. 14.* — *Gregor. 5. mor. c. 4.*

magnates regni cœlorũ & Eccleſiæ proceres geſtant, & magni æſtimant; æquum profectò eſt, vt nos eas æſtimemus, & his honoris inſignibus amiciri geſtiamus.

A

Quarta conſideratio. Virtus eſt, qua in hac vita paſcamur, & conſcientiæ morſus ſedamus, eiúſque poſſeſſione vitam quietam tranquillámque ducimus. Sicut cibus corporeus, carnem, ita humilitas, & charitas, & quæuis alia virtus mentem reficit & recreat. Nullúſque animam habet robuſtam, &, vt oportet, bene refectam, niſi his pretioſis alimentis paſcatur: *Pſal. 101. 5.* Percuſſus ſum, inquit Sanctus Dauid, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.] Percutitur quidem homo peccatorum vulneribus & plagis, aret autem imbecillitate. Quare? niſi quia non edit panem ſuum? Quis eſt panis eius niſi virtus? Nam præcepta de virtutibus data ſunt. Panis verò iſte, quem ſanctus Propheta commemorat, panis eſt præcepti, vt Auguſtinus interpretatur: *Aug. ib.* vnde virtutis panis eſt, cuius defectus, vulnera & infirmitatem attulit. Sine hoc pane, in hac vita famem patimur, & in futura præ fame deficiemus. Quare Eccleſiaſticus ait: *Eccl. 14. 17.* Ante obitum tuum operare iuſtitiam: quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum.] Ac ſi dicat, cibus meritorum hinc deferendus eſt, quo ibi paſcamur, cùm pro meritis æternam gloriam recipiemus. Optimus ſanè cibus, qui in æternitate nos coronat, ſed de hoc ſtatim, & in hac vita abundè ſuſtentat. Atque adeò Ambroſius explicans illud Prouerbiorum: *Prou. 23. 1.* Quando ſederis, vt comedas cum principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam,] ſapienter ait: *Ambr. 1 off. c. 31.* Illud conuiuium Salomonis, non de cibis, ſed de operibus eſt bonis. Quo enim meliùs epulantur animi quàm bonis factis? Aut quid aliud tam facilè poteſt iuſtorum implere mentes, quàm boni operis conſcientia? Cui autem iucundior cibus, quàm facere voluntatem Dei? Quem cibum ſibi ſolùm abundare Dominus memorauit, ſicut ſcriptum eſt in Euangelio: *Ioan. 4. 34.* Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt.] Hoc mirabili cibo, ſtomachi, id eſt, conſcientiæ, ardorem & deſiderium compeſcimus, quæ nullo alio niſi virtutibus ſatiatur, & quodcunque aliud intuleris, graui ipſa dolore torquetur. Diuitiæ mordent illam, honores inquietant, voluptates luctui & triſtitiis immergunt: virtus verò illam exhilarat, & indicibili quadam ratione tranquillat. Adeò vt ſola virtute, & bonitate ipſa fœlix ſit, licèt omnia alia aduersè ſuccedant. Et hoc teſtatur Bernardus, dicens: *Bern lib. de interiore domo, cap. 22.* Bona conſcientia ſecura erit, cùm corpus morietur: ſecura, cùm anima Deo præſentabitur: ſecura, cùm vtrumque in die iudicij ante tribunal terrificum iuſti iudicis ſtatuetur. Futuræ beatitudinis non eſt vtilius remedium, nec certius teſtimonium bona conſcientia: cùm mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, tranſeat, nunquam marceſcit bona conſcientia. Subiiciatur corpus in pœna, in ieiuniis maceretur, verberibus lanietur, equuleo diſtendatur, gladio trucidetur, crucis ſupplicio affigatur, & ſecura erit conſcientia.] Hanc conſcientiæ bonitatem non aliud, quàm ſancta opera & virtutes faciunt; illæ ergo ſunt, quæ conſcientiæ quietem afferunt; illæ, quæ vt optimi cibi ipſi ſatisfaciunt, ne in nos tanquam in crudeles clamet, & querimoniis infeſtet. Si nobis pretioſa videtur interna quies, pretioſa videatur & virtus, quæ mentem pacat, immò & Dominum ad in illa quieſcendum inuitat. Poſtquam enim hominem ad imaginem ſuam condidit, & ſimilitudine ſua, ſcilicet gratia & multiplici virtute, veſtiuit, requieuit ab omni opere, quod patrarat. Et teſtatus eſt, ſe non requieſcere niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ad verba ſua. Hic autem non eſt alius, niſi qui turbationem vitiorum abiecit, & pacem virtutum acquiſiuit.

B

C

D

E

Quinta conſideratio: Virtutes ſunt, quæ iuſtos, ex hac vita emigrantes, comitantur, & eos in cœleſti patria coronant. Reliqua omnia, diuitias, honores, voluptates, cognatos, amicos, in tranſitu mortis volentes nolentéſue dimittimus, aut potiùs ipſa nos deſerunt, nec nobiſcum abire volunt. Solæ virtutes ac virtutum actiones, vt ſodales fideliſſimæ, nos in hac longa profectione ſequuntur. Et vox de cœlo dicit Ioanni: *Apoc. 14. 13.* Opera enim illorum ſequuntur illos.] Sequuntur quidem vt diuitiæ noſtræ, quas ſolas nobiſcum deferre datum eſt, cùm tamen temporales diuitiæ in hac vita remaneant. Sequuntur vt famuli, quibus vndique ſtipamur, vt more illuſtrium virorum in cœlum intremus. Sequuntur vt trophæa, ſeu vt ſpolia lectiſſima, quæ ex multiplici victoria, de hoſtibus obtenta, parauimus. Sequuntur vt amici & familiares Dei, qui ante illum audent os aperire, mercedem petere, & nos de ſeruata fidelitate laudare. Opera illorum ſequuntur illos, inquit Bernardus: *Bern ſer. 2. omn. ſanct.* Ad quid ſequuntur, niſi vt laudent eus in portis? Ad quid ſequuntur, niſi vt multiplicentur a fructu eorum, & accipientes de fructu manuum ſuarum, ſagmentur vituli, quos ex prophetico teſtimonio, cùm reædificabuntur muri Ieruſalem, ſuper altare Domini nouimus imponendos?] Animam etiam virtutibus, ac bonis operibus conſtipari, dum ex hac mortalitate in vitam immortalem egreditur, Canticum canticorum declarat: Ibi enim ſiue de Eccleſia, ſiue de qualibet iuſta anima dicitur: *Cant. 3. 6.* Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?] *Cant. 8. 5.* Aſcendit anima de deſerto, deliciis, hoc eſt, virtutibus, affluens, innixa ſuper dilectum ſuum, quia virtute Domini virtutes congregat, & è terris ad cœleſtia ſe eleuat. Aſcendit quaſi ex puluеribus pigmentorum compoſita, quia non tantùm virtutes congregat, ſed & eas ſolicita diſcuſſione, ne aliquid ſe vitioſum immiſceat, diligenter examinat. *Greg. ib.* Pigmenta quippe facimus, inquit Gregorius, quando virtutes congregamus in corde. Quando verò ipſas noſtras virtutes, per ſingula quæque opera diligentius retractamus, ne quid in operibus noſtris incultum remaneat, ne inter virtutes vitium lateat, tunc procul dubio vnguenta virtutum quaſi in puluerem tundimus, vt eo mundiora ſint opera noſtra, quo ſubtiliùs ea ab omni ſubreptione vitiorum diſcernere non ceſſamus.] Virtutes ergo in aliam vitam euntes, nos cingunt, & præmio ac corona nobilitant. Tantum enim quiſque in cœleſti ſede mercedis accipiet, quantum in terra in virtutibus congregandis, & ſanctis operibus faciendis, laborauerit. *Aug. 22. de ciuit.* Denique præmium virtutis, inquit Auguſtinus, erit ipſe, qui virtutem dedit, eique ſeipſum, quo melius & maius nihil poteſt eſſe, promiſit. Et Hieronymus: *Hier.* Vnuſquiſque pro operibus ſuis mercedem accipiet, nec poſſunt in die iudicij aliorum virtutes aliorum vitia ſubleuare.] Quanti ergo valoris ſunt veræ virtutes, & ſtudioſæ ex eis prouenientes actiones, quæ non vt falſa bona in tempore neceſſitatis nos deſerunt, ſed tunc fideliter nos iuuant, nos circundant, & in poſſeſſionem æternæ hæreditatis inuehunt? *Baſ. epiſt. 42. ad Maximum.* Verè virtus, vt inquit Baſilius, eſt pretioſa poſſeſſio, ad quam obtinendam nulli ſumptui, labori nulli parcendum eſt.] Quòd ſi huius ſæculi bona aliquando in magno pretio habuimus, nunc vera bona, ſcilicet virtutes, vt pretioſiſſimas opes, cupiamus.

His conſiderationibus & aliis ſimilibus poteris te,

ò ſpiritualis vir, ad magnam æſtimationem virtutis mouere. Enitendúmque tibi eſt, vt eam ſuper omnes res creatas maximi facias. Et ſicut aliqui ſæculares homines, in tantum honorem ſuum æſtimant, & ſunt boni nominis cupidi, vt propter illud opes profundere, & vitam ipſam dilapidare non timeant: Ita debes virtutem appretiare & diligere, vt propter eam omnia viſibilia poſt habeas, & in omnibus, quæ aggreſſus fueris, nihil aliud niſi virtutem, & mentis puritatem, &, quod in idem recidet, Dei beneplacitum, & gratiſſimam voluntatem exquiras. Hæc ſemel de virtute concepta æſtimatio faciet, vt diligenter aliis inſtrumentis ad eam aſſequendam vtans, & omnia, quæ ad illam comparandam fuerint neceſſaria, nonniſi facilia & leuia exiſtimes.

De Tertio Inſtrumento, nempe de Poſtulatione Virtutis.

CAPVT XII.

VNVM ex præcipuis mediis, ſiue inſtrumentis acquirendorum donorum, eſt poſtulatio, ſiue petitio, qua ab auctore donorum ea ſuppliciter poſtulamus. Quod enim nec debitum nobis eſt, neque in ſola noſtra poteſtate poſitum, non ex iuſtitia, ſed ex gratia; non ex propria tantùm induſtria, ſed ex aliorum auxilio conquirimus. Virtus autem donum Dei eſt, tum acquiſita, tum infuſa, quoniam illa Deo inſpirante, & deſiderium ingerente, & ad opus iuuante, acquiritur: & hæc eo liberaliter donante & infundente poſſidetur. Sequitur ergo, vt ad virtutem obtinendam humilis poſtulatio & intenta oratio ſit neceſſaria, qua ad Dominum virtutum clamemus, & ei non armis, ſed deſideriis, ſed gemitibus, ſed precibus importunis vtilem nobis vim inferamus. Ipſe non ſemel in ſcripturis ſanctis vocatur virtus noſtra: Vt: Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine ſpes mea à iuuentute mea.] Et: Fortitudo mea & laus mea, Dominus; & factus eſt mihi in ſalutem.] Et: Intende in adiutorium meum, Domine, virtus ſalutis meæ, obumbraſti ſuper caput meum in die belli.] Et multa alia ſimilia. Id, vt intelligamus ab eo, vt ab auctore, omnem eſſe virtutem, eo datore à nobis poſſideri, & eo adiutore ſeruari. Hanc veritatem intuens Richardus de Sancto Victore, poſitis omnibus neceſſariis ad virtutem acquirendam, illis, tanquam rem, ex qua omnium aliorum efficacia dimanat, poſtulationem adiicit. Septem, inquit, in cuiuſcumque virtutis executione obſeruare debemus. Primum illud, quod ad os pertinet, anteacta mala damnare, & accuſare. Secundum, quod ad oculos pertinet, quid agendum ſit, diligenter inueſtigare, & per inueſtigationem cognoſcere. Tertium, quod ad obauditionē pertinet, inuento cōſilio, conſentiendo acquieſcere, & obtemperare velle. Quartum, quod quaſi varium ſit, agendo bono inſidiatrix mala cautè deprehendere, & prudenter diſcernere. Quintum, quod etiam quaſi ad manus ſpectat, deliberatum bonum opere explere. Sextum, quaſi quadam promotione pedum, ex bono incœpto ſemper ad meliora tendere. Sed quia ad nullum horum per noſmet ipſos ſufficientes ſumus, ad omnia hæc diuinum auxilium implorare debemus.] Ecce omnia ex oratione ſiue poſtulatione dependent: quia omnis noſter conatus ad virtutes capeſſendas irritus eſt & inanis, niſi Domini auxilio roboretur, & humana imbecillitas ope cœleſti fulciatur. Dominus eſt, qui occaſiones peccandi ſubmouet, in quibus poſiti, non ad virtutes quærendas, ſed ad vitia curreremus. Quod cognoſcens Dauid, ait: Niſi quia Dominus adiuuit me, paulo minùs habitaſſet in inferno anima mea. Si dicebam: Motus eſt pes meus:] & iam tentationi ſuccumbere, & fune peccati illaqueari incipiebam, [miſericordia tua Domine adiuuabat me.] Dominus eſt, qui bonam voluntatem ſtudioſè operandi, & virtutes acquirendi, aut ad eas nos diſponendi tribuit: & conſiderata ab ipſo duritie noſtra congrua vocatione cor pulſat, cui cum magna efficacitate & non ſine magna libertate reſpondeat. Factus enim eſt Dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.] Adiutor quidem in tribulatione, quia à tentatione & cadendi occaſione nos liberat: & in opportunitatibus, quia mentem ad praua currentem retrahit, & immiſſa bona voluntate ſanat. Noſtrum eſt velle, inquit egregiè Auguſtinus, id eſt, nos volumus, & liberè in bonum conſentimus, ſed voluntas ipſa & admonetur, vt ſurgat: & ſanatur, vt valeat: & dilatatur, vt capiat: & impletur, vt habeat.] Dominus eſt, qui occaſiones adminiſtrat ſtudioſè agendi & virtutes comparandi, ſine quibus, etiamſi adſit bona voluntas, haudquaquam virtutibus ſtudemus. Doctos inter ignaros cōſtituit, vt eos doceant: diuites cum pauperibus collocat, vt illis ſubueniant: innocentes inter malos ponit, vt patientiam exerceant. Sæpéque maximam voluntatem benefaciendi tribuit, & facultatem operandi denegat, vt homo eum boni operis auctorem agnoſcat. Vnde & Paulus Romanis ſcribens, ait: Sæpe propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum vſq; adhuc.] Dominus tandem nobis operantibus cooperatur, & perſeuerantiam in bono cœpto elargitur. Et Apoſtoli prædicant vbique Domino cooperante.] Et operatur in nobis non ſolùm velle, ſed & perficere.] Et elegit nos, vt eamus, & fructum afferamus, & fructus noſter maneat, hoc eſt, perſeueret, atque ſubſiſtat. Si his omnibus modis virtus eſt donum Dei, manifeſtum eſt, eam vt habeamus, à Domino eſſe magnis conatibus poſtulandam. Donum quippe tam grande, non petentibus, & non cupientibus denegabit, qui pulſare præcepit, & poſtulare mandauit. Nam non quærens, non petens, non pulſans, indignus prorſus eſt, pretioſiſſimum donum accipere.

Trifariàm autem poſſumus hoc inſtrumento poſtulationis vti. Primò quidem, ſi omnes virtutes ſimul, aut generaliter, ſigillatim eas enumerando, ab omnium virtutum auctore poſtulemus. Dum enim illum meditamur, Patrem eſſe noſtrum, & vniuerſalem omnium neceſſitatum prouiſorem, vna eadémque precatione totum cor noſtrum in conſpectu eius effundimus, vniuerſa deſideria pandimus, & quicquid vitæ ſpirituali neceſſarium eſt, cum ingenti fiducia depoſcimus. Hic modus poſtulandi valde vtilis eſt, & formam orationis, qua amator virtutis vti poterit, inferiùs agentes de præparatione ad Miſſæ ſacrificium, in medium proferemus. Interim tamen vſurpare poſſumus eam orandi formulam, quam aſſumebat Dauid, dicens: Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me; quia mandatis tuis credidi.] Quandiu viuitur in hoc mundo, ait Auguſtinus, proficientium eſt hæc cantatio. Et alio loco inquit: Videtis itaque fratres, quo orandi compendio, & qua paucitate verborum, perfectionem viuendi venerabilis Propheta quærebat. Breuiſſimo namque ſermone concluſit, quotquot ſpiritualium habet multitudo virtutum: Si ergo ille Prophetarum præcipuus doceri ſe à Deo ſanctiores vias tantopere precabatur, quid

Psal. 70. 5.
Psa. 117. 14.
Psa. 139. 8.
Richar. lib. 1. de erudit. inter. hom. c. 39.
Psal. 93. 17. 18.
Ps. 9. 10.
Aug. lib. de bono viduit. c. 17.
Roma. 1. 13.
Marci. 16. 20.
Philip. 2. 13.
Hoc eod. lib. p. 5. c. 6.
Psa. 118. 66.
Aug. ibi. lib. 50. hom. ho. 3. To. 10.

tur,quid facere nos oportet,qui & tardi,ſenſus infirmitate torpemus,& noxia remiſſioris vitæ conſuetudine deprauamur? Nos,inquam, magis orare debemus,dicentes: Bonitatem,& diſciplinam,& ſcientiam doce nos Domine, quatenus in nobis bonitas maliciam vincat, vitia ac voluptates diſciplina caſtiget,& ignorantiæ cæcitatem ſcientia veritatis illuminet.] Sic ille. Hæc ergo verba affectibus protelata, cunctas virtutes expoſcūt. Nam bonitas charitatem, ſpem,& iuſtitiam petit; quibus boni ſumus,& bonum ſperamus, & nos aliis beneficos exhibemus. Diſciplina fortitudinem & temperantiam poſtulat, quibus nos cohibemus atque comprimimus. Scientia,quæ ad intellectum pertinet,fidem,& prudentiam efflagitat, quibus credenda & agenda cognoſcimus.

Secundò poſſumus virtutes ſpecialiter & ſeorſum poſtulare; ita ſcilicet, vt in hoc orationis tempore, aut in hac die, humilitatem, & in ſequenti orationis tempore, aut in ſequenti die, obedientiam, & ſic deinceps alias virtutes petamus: vel vna hebdomada, aut menſe, aut anno, vnam eandémque virtutem inſtantiſſimè poſtulemus. Hic autem petendi modus longè vtilior eſt, quoniã dum aliquid ſpecialius petitur, & deſiderium noſtrum ad vnum conſtringitur, voluntatis affectus vehementiùs inflammatur. Hic verò ardor affectus, & deſiderij,eſt clamor validus, qui Dominum quaſi dormientem (quia nos in tepore dormimus) exſuſcitat, & ad dandum nobis quod petimus, ſurgere & properare compellit. Sæpe etiam tam grata eſt apud illum intenta, & humilis vnius virtutis poſtulatio, vt non ſolam illam, quam petiuimus, ſed alias etiam, quas non petieramus, largiatur. Salomon enim petiuit à Domino cor docile, quo poſſet florentiſſimum regnum gubernare, & audit:
3.Reg.3. 9. Ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos; ſed & quæ non poſtulaſti, dedi tibi.] Ita cùm aliquid gratum Domino ab ipſo petimus, ille, qui merita ſupplicum excedit & vota, quod non petiuimus, & nobis neceſſarium eſt ad vitam ſpiritualem ducendam, largiri dignatur. Virtutes ergo in ſpeciali petierunt Apoſtoli, quando dixerunt: Adauge nobis fidem.]
Lucæ 17 5. Et iterum: Domine doce nos orare, ſicut docuit
Lucæ 11. 1. Ioannes diſcipulos ſuos.] Et Paulus: Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti,
Epheſ. 3. 14.16. 17. vt det vobis ſecundùm diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per ſpiritum eius in interiorem hominem. Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris: in charitate radicati & fundati.] Quibus verbis conſtantiam, fidem & charitatem Epheſiis poſtulauit. Húncque precandi modum putat Gregorius, adumbratum eſſe in illo facto Iob,
Iob. 1. 5. qui filiis ſuis conſulens, [offerebat holocauſta pro ſingulis.] Holocauſtum, inquit, per ſingulos filios offerimus, cùm pro vnaquaque virtute Domino hoſtiam noſtræ precis immolamus: Ne ſapientia eleuet: ne intellectus, dum ſubtiliter currit, aberret: ne conſilium, dum ſe multiplicat, confundat: ne fortitudo, dum fiduciam præbet, præcipitet: ne ſcientia, dum nouit, & non diligit, inflet: ne pietas, dum ſe extra rectitudinem inclinat, intorqueat: ne timor, dum plus iuſto trepidat, in deſperationis foueam mergat. Cùm ergo pro vnaquaque virtute, vt pura eſſe debeat, preces Domino fundimus, quid aliud quàm iuxta filiorum numerum, holocauſtum per ſingulos exhibemus? Hactenus ille. Ac tandem ſancta mater Eccleſia hanc orandi rationem præſcribit, dum pro charitate obtinenda, pro caſtitate, pro patientia, & pro humilitate ſpeciales

Greg. 1. mor. cap. 9.

A orationes fundit. Ad eámque iuuare poterunt poſtulationes ſuprà ſingulis virtutibus affixæ, quæ non tam voce prolatæ, quàm affectu & deſiderio fuſæ, à Domino quod petimus,impetrabunt.

Sed tertius modus poſtulandi eſt vtiliſſimus, cùm ſcilicet nos ad deſiderium ſpecialis virtutis, attenta conſideratione alicuius incitamenti, ex ſuprà dictis mouemus; & ſic calefacti & accenſi, actiones illius virtutis interiùs, voluntatis aut intellectus actibus ad praxim adducimus, & ſimul illas ardentiſſimè poſtulamus. Hunc ſalubertimum petendi modum docuit nos ille homo, qui filium ſuum à dæmone ſurdo & muto liberari cupiebat. Cùm enim audiſſet à Domino: Si potes credere,omnia poſſibilia ſunt credenti;]ſic cum lacrymis effatus eſt:
B Credo Domine;adiuua incredulitatem meam.]Credo Domine, exercitatio fidei eſt:adiuua incredulitatem meã, poſtulatio fidei eſt. Docuit & ſanctus Iob, Marci. 9. 24.
quando dicebat: Et qui cœpit ipſe me conterat, ſoluat manum ſuam,& ſuccidat me.] Illa prima verba actionem virtutis ſonant, quia virtutis eſt vitiorum contritionem approbare;ſequentia verò orationem continent,quia oratio eſt, vitij perfectam contritionem exquirere.Sic itaque debemus pro modulo noſtro ex gratia nobis data virtutis actiones exercere, & ad producendos actus interiores conari, ſimúlque quod nobis de illa virtute deeſt,à Domino, benigniſſimo donatore virtutum,expoſcere. Praxis huius poſtulationis,ad tractationem de oratione pertinet,vbi,ſi Dominus vitam & opportunitatem ſcribendi dederit, eam ſumus fuſiùs explicaturi. Iob.6 9.
C Interim tamen, vt lector huius ad aſſequendam virtutem inſtrumenti præſtantiam & vtilitatem intelligat, illud in vna virtute exercere breuiter gratum habemus; & ex prima virtute, nempe ex fide, paradigma ſumamus. Vult igitur aliquis ad augmentum fidei ſe diſponere, & perfectionem eius à Domino obtinere? primùm aliquod incitamentum ad fidem attentè conſideret: Meditetur verbi gratia, quòd ea, quæ fides tradit,eſſe à Deo dicta Eccleſia docet.Ponderet quæ congregatio ſit Eccleſia, quàm ſancta moribus, quàm illuminata doctoribus, quàm illuſtris martyribus, quàm inſtructa miraculis, quàm diues voluminibus ſacris, quàm præclara ex certiſſima Pontificum, qui poſt Chriſtum & vice Chriſti
D eam gubernant, ſucceſſione. Videat quàm ſtultum eſſet tali ac tantæ congregationi non aſſentiri, & quæ à Domino accepit, non vt Dei dicta ſuſcipere. His mens in fidei poſſeſſione exultat, & eam perfectiùs obtinere deſiderat. Tunc ore tacens, & intellectu cum Deo loquens, & ardentiſſima voluntatis deſideria producens, actus fidei, prout in tractatione huius virtutis ſuprà ordinatè ſunt poſiti, exerceat,& his,aut aliis verbis ſimilibus,aut diſſimilibus, quæ tamen ſuum deſiderium exprimant, ad Dominum dicat.

Domine Deus meus, lux puriſſima, veritas ſumma, ſapientia infinita, ego puluis & cinis, quia tu me audire dignaris, loquar ad te, vt tua immenſa beneficia collaudem, & noua nunc, ad
E tuam gloriam meúmque profectum, accipiam. Quas grates tibi referam, ô ardentiſſime amator hominum, quia me ad fidem vocaſti, & relictis innumerabilibus hominum millibus, me Eccleſiæ, ancillæ tuæ, & matris meæ optimæ filium & membrum eſſe feciſti? Potui ego inter hæreticos, inter Iudæos, inter idololatras naſci; potui hac fulgentiſſima fidei luce carere: potui infidelium deliriis & falſitatibus obrui: potui te ſummam veritatem & æternã non agnoſcere. Tu autem, Domine, ob

ſolam bonitatem tuam miſertus es mei, & effundens ſuper me abundantiam magnarum miſerationum tuarum, à miſera cæcitate liberaſti, & in Eccleſia tua natum, & à parentibus fidelibus genitum, & in deliciis veritatis educatum, lumine fidei circumdediſti. Certè, Domine, ego ad gratias agendas pro hoc incomprehenſibili beneficio ſum ineptiſſimus; quas tamen poſſum, ex totis præcordiis meis tibi refero, & omnes creaturas ad te laudandum & magnificandum inuito. Et nunc, ô Deus meus, & creator meus, hoc fidei dono de tua liberalitate ſuſcepto, volo maieſtati tuæ obſequium præſtare, & meum intellectum ſubiicere, quia dona tua otioſa & inutilia manere non ſuſtines. Qui donum dediſti, in hac hora bonum eius vſum tibi placitum, & ex gratia manantem attribue. 1. Meum igitur intellectum tibi, per Eccleſiam loquenti, & per ſanctas ſcripturas, quas tradiderunt diuinitus inſpirati homines, & per Concilia, & traditiones, & Pontificum decreta loquenti, ſubmitto: & te certiſſimam veritatem, ab omni falſitate prorſus alienam, audire geſto. Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus; fac vt audiam, & vt ſanctæ Eccleſiæ, in qua ſine dubio loqueris, ſincerus & humilis diſcipulus fiam. Tu verba vitæ æternæ habes, & eloquia tua dulciora ſuper mel & fauum: vtinam ego illa attentè, ſubmiſsè, & libenter auſcultem! 2. Certiſſimè credo, Domine, te eſſe vnum Deum: deorúmque multitudinem, vt ipſi rationi naturali contrariam, irrideo, ſubſanno, atque deteſtor. Credo te eſſe Patrem ingenitum, Filium vnigenitum, & Spiritum ſanctum procedentem, vnam & indiuiduam Trinitatem, omnium creatricem, Angelorum & hominum ſeruatricem, & prædeſtinatorum ex vtraque natura, tam Angelica, quàm humana, glorificatricem. Credo, Verbum ac Filium tuum, in vtero Virginis Spiritus ſancti operatione fuiſſe conceptum, verum Deum, & verum hominem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Credo certiſſimè, eundem Filium tuum, ex Virgine non ſolùm ante fœlicem partum, ſed & in ipſo & poſt ipſum manente natum, ſub Pontio Pilato paſſum pro ſalute noſtra, verè mortuum, & in ſepulchro conditum, & tertia die per reſurrectionem in vitam immortalem eductum. Credo aſcendiſſe in cœlum, ſediſſéque, ac ſedere ad dexteram tuam; indéque ad generale iudicium venturum, omnibuſque, pro meritis aut demeritis, præmium æternum, aut pœnam æternam daturum. Credo item, in terris eſſe ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, congregationem fidelium à te gubernatam, eámque per totum orbem diffuſam, non eſſe aliam, niſi eam, quam ſeruus tuus Pontifex Romanus gubernat. Credo etiam ſanctorum, id eſt, fidelium, in orationibus, in bonis operibus, & in mutuo auxilio communicationem, carnis item reſurrectionem, & quòd in carne mea, ſi fidelis tibi fuero, atque te (vt ſpero) faciente, in gratia deceſſero, oculis mentis videbo te, Deum ſaluatorem meum, & oculis corporis videbo Filium tuum, Redemptorem noſtrũ, vt in perpetuas æternitates te fruar. Hæc omnia & reliquas res fidei, ô Domine, certiſſimè credo, & libentiſſimè illis aſſentior, da obſecro, vt quotidie firmiùs credam, & humiliùs illis aſſentiar, & in hac fide vſque ad mortem permaneam, & poſtremo halitu in iſta confeſſione perfungar. 3. Aſpicio te, ô Pater ſanctiſſime, fidei oculis in ſacramentis mirabiliter operantem; in Baptiſmo animas lauantem: in Confirmatione roborantem: in pœnitentia iuſtificantem: in Euchariſtia reficientem; in extrema vnctione ad pugnam vngentem; in ordine miniſtros initiantem, & in coniugio tuæ Eccleſiæ filios prouidentem, & in aliis cæremoniis, & ritibus Eccleſiæ noſtram ſalutem operantem. Aperi obſecro oculos fidei meæ, eóſque magis ac magis illumina, vt hæc ſigna à te inſtituta non arido corde ſuſcipiam, ſed te in illis reuerear, & effectus inuiſibiles, quos operaris, admirer, & reuerenter intuear. 4. Hanc autem fidem coram te Pater miſericordiarum, & coram omni cœleſti curia, ex toto corde confiteor, eam meæ fidei ac confeſſionis teſtem aduoco, & paratus ſum ex benignitate tua, ore coram omnibus hominibus confiteri, & apud hoſtes fidei tuæ eam conſtanter, vt veriſſimam, & viam ſalutis vnicam, atque certiſſimam prædicare. Hanc tu, Domine, confeſſionem accepta, & me ad eam ſæpius iterandam excita, & in mortis quoque periculo ad fidem confitendam robora, & præparationem animi ad ſubeundam mortem pro veritate tribue, vt ſi perſecutio defuerit, at robur & fortitudo ad eam ſuſtinendam non deſit. 5. Nec ſolùm hanc fidem confiteor, & confiteri volo, ſed & pro conditione mea res fidei tradere, cùm oportuerit, & rudes ac tuæ veritatis ignaros, per me & per alios, docere conſtituo. Concede obſecro, Domine Deus, vt ita exequar, & qui à tua largitate lumen accepi, fratres meos ſine lumine manere non patiar. 6. Hæreticos, ô Deus amantiſſime, vehementer deteſtor, & eorum conſortium, niſi ad quærendam ipſorum conuerſionem, odio habeo, eóſque vt peſtes animæ, vt hoſtes tuos, & filios diaboli, auerſati ſtatuo. Semper, Domine, me ab illis elonga, eorum conatus euerte, & Eccleſiam tuam ab eorum peruerſitate & cæcitate cuſtodi. 7. Doctrinam illam, quam mater Eccleſia damnat, conſtanter damno; quam ſuſpectam habet, reſpuò; & quam minùs ſinceram iudicat, nullo modo ſuſcipio. Libera animam meam, ô magiſter veriſſime, ab omni falſitate, nunquam verba ſpecioſa me lactent, quibus mendacium ſe contegit, ſed veritas tua me ſemper erudiat. Auge in me fidem, adiuua imbecillitatem meam, & vniuerſas huius virtutis actiones ſanctè, feruidè, & ſtudioſè me exercere concede, vt ex fide ad viſionem tranſeam, & quod nunc certiſſimè & firmiſſimè credo, aliquando tandem aſpiciam. Amen.

Hæc eſt oratio pro virtute fidei, & eodem modo formanda eſt aliarum virtutum exercitatio & poſtulatio, quam ſigillatim ex qualibet virtute non facimus, tum quia ſatis prolixum eſſet; tum præcipuè, quia non ex verbis compoſitis, ſed ex ardore mentis ignitas poſtulationes pendere nouimus. Si autem vna meditationis hora ad vnam virtutem exercendam & poſtulandam non ſuffecerit, præmiſſa in ſequenti die alterius incitamenti meditatione, poterunt reliquæ actiones, quæ ſuperſunt, exerceri internis affectibus, & à Domino poſtulari. Sed non facilè explicari poterit, quanta ſit huius poſtulationis vtilitas ad virtutes obtinendas: ſolùm dicimus id ex opere atque experimento eſſe petendum, & cùm homo ſe mirabiliter adiutum & in virtutibus promotum agnouerit, tunc tandem huius inſtrumenti efficacitatem intelliget.

Qui verò ex aliqua coniectura didicerit, ſe in omnibus aut in aliqua virtute proficere, Deum illius doni auctorem noſcat, & pro eo immenſas illi gratias agat. Dicat cum ſancto Dauide: Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes Pſ. 102. 2.
retributiones eius.] Hæc enim dona illuſtriſſima

nulla

nulla vnquam debent obliuione deleri, nulla ingratitudinis ſignificatione extenuari. Quia verè dignus eſt, beneficium, & tantum beneficium, amittere, qui ingratus exiſtens oculos & affectum in cœlum non tollit, & Deum virtutis donatorem eſſe non clamat, & illum tanquam in ſe beneficentiſſimum extollere & prædicare non curat. Hoc etiam deſiderium agendi Deo gratias, eundem Prophetam ſolicitabat, quando alio loco dicebat: Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem.] Hanc enim eſſe gratiarum actionem, Baſilius docet, ſic ſcribens: Vt decor animæ accedat, & efficaciter perfectiua eorum, quæ neceſſaria ſunt, potentia, diuina eſt opus gratia. Vt igitur ſuprà dixit: Quoniam vita in voluntate eius: ſic nunc Deum in reddendis gratiis exaltat, dicens: In voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem. Pulcher quidem eram ſecundùm naturam, debilis autem factus ob peccatum, per inſidias ſerpentis admiſſum, perij. Pulchritudini ergo meæ, quam ex te in prima creatione accepi, addidiſti virtutem eorum, quæ me addecent, effectiuam. Pulchra namque eſt omnis

Pſal. 29. 8.

Baſil. ad eundem Pſal.

A anima, quæ in ſymmetria propriarum virtutum conſpicitur.] Sic ille. Gratiæ itaque Deo propter virtutem habitam agendæ ſunt, ne eam amittere permittamur. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.] Ingratus eſt, qui non habet, & à quo auferetur, quod habet. Nam ſi interroges: Quomodo non habet, ſi habet? Reſpondebit tibi Auguſtinus: Non habens habet, qui neſcit vnde habet. Tollit enim Deus rem ſuam, & remanet illi iniquitas ſua.] Iſta gratiarum actione & virtutem iam adeptam ſeruamus, & nouis augmentis à Domino acceptis promouemus. Qui ergo virtutes conatur agnoſcere, & earum, actionis gratia, indagare naturas; qui curat, eas in magno pretio habere, & vt res pretioſas à Domino poſtulare;

B qui non obliuiſcitur pro quocumque profectu gratias agere, is, ad virtutes adipiſcendas, ex parte intellectus inſtrumenta parauit, quas, ſi ſequentia adiiciat, à Domino certè recipiet.

Lucæ 19. 26.

Aug. ſer. 3. de ſanct. To. 10.

PARS TERTIA

De Inſtrumentis aſſequendæ Virtutis, pertinentibus ad Voluntatem.

POST tria inſtrumenta, iuuantia intellectum ad acquirendam Virtutem, ſequuntur ea, quæ voluntatem ſeu affectum ad eundem finem corroborant; quæ, quia propiùs ad actiones virtutum accedunt, maiori ſolicitudine ſunt executioni mandanda. Virtus quippe non tam in intellectu, quàm in affectu eſt, non ſolùm quia præcipuæ virtutes ſunt partis effectiuæ perfectiones, ſed etiam quia ipſæ virtutes, ad intellectum pertinentes, in ſua bonitate & merito, maximè ab affectu dependent. Qui ſi rectus non ſit, & in Deum pura intentione directus, neceſſe eſt, vt actiones intellectualium virtutum aut perdat, aut fuſcet. Certum eſt enim, Prudentiæ actum, ad præpoſterum finem per voluntatem ordinatum, deſtrui, & ex prudentia in aſtutiam verti; actum verò fidei, vt confeſſionem eius minùs ſincera intentione prolatam magna ex parte fuſcari. Auidè igitur, & libenter excipienda ſunt inſtrumenta voluntatis, quibus in virtutum acquiſitione deſudat, quæ ſub quinario numero comprehendimus. Sunt autem illa, Diffidentia ſui, Deſiderium virtutis, Intentio in finem virtutis dirigenda, robur animi in difficultatibus vincendis, & particularis cura in vitiis contrariis eliminandis. Et hæc quinque inſtrumenta, tertius iſte tractatus explicabit.

Quartum Inſtrumentum ad aſſequendam Virtutem, Diffidentia ſui.

CAPVT I.

POSTQVAM Iuſtus cognitioni virtutis ſtuduit, eámque pretioſiſſimam eſſe conſpexit; opera voluntatis ab humilitate in-

C cipiat, & in cognitione proprij nihili, atque in diffidentia ſui ipſius ſolicitè ſe & diligenter exerceat. Quia virtus Chriſtiana (vt diximus) eſt donum Dei, & opus diuinæ gratiæ, non partus corruptæ naturæ, & ideo non à ſolis naturæ viribus ſperandum eſt, ſed in Dei ſpeciali auxilio, quod nobis præſto erit, omnimodis confidendum. Eſt autem diffidentia ſui, affectus ille ſubmiſſus, quo quis ſuam imbecillitatem callens, & ad

malum pronitatem intelligens, prorſus ineptum ad virtutem ſuis viribus acquirendam ſe ſentit, & in hoc labore vtiliſſimo non de ſeipſo, ſed de diuina bonitate eum adiuuante præſumit. Scit enim ſcriptum eſſe: *Ierem. 17.5.* Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum:] & cùm ſe hominem videat, & carnem mollem & corruptioni obnoxiam aſpiciat, ſtultum putat & maledictione dignum, ſicut re vera eſt, à Deo per ſuperbiam recedere, & in ſemetipſo confidere. *Pſ. 145. 3.4.* Legit etiam in ſancto Dauide: Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.] Se autem, licèt principem, id eſt, iuſtum & Deo gratum, eſſe conijciet, tamen cùm etiam filium Adæ peccatoris agnoſcat, cuius ſpiritus poſt tranſgreſſionem, in vilia & terrena contendit, & ſæpe cogitationes ac conatus noſtros fruſtratos reliquit, indignum exiſtimat, fragilitati principis terreni, & non ſummæ potentiæ, & fortitudini inſuperabili cœleſtis regis inniti. E contrà verò ſcit, ab eodem Propheta fuiſſe cantatum: *Pſal. 117. 8.* Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine: bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus.] Et iterum: *Pſal. 2. 13.* Beati omnes, qui confidunt in eo.] Ob idque in Deo fiduciam collocans, & à ſe depellens, bonum malo præfert, & beatitudinem, in Domino ſperantibus promiſſam, ſibi aliquando venturam arbitratur. *Sapien. 3. 9.* Sanè qui confidunt in illo, intelligent veritatem:] ita autem intelligent, vt eam ab ipſo Domino dandam intelligant, & vt pauperes, ab eo qui diues eſt in miſericordia, ipſam ſupplici corde depoſcant. *Eccl. 32. 28.* Et cùm certum ſit, quia, Qui confidit in illo, non minorabitur,] & quòd [non eſt confuſio *Daniel 3.40.* confidentibus in te, Domine:] ſi confundi, ac minui nolumus, non eſt cur ab alio, quàm à te, ô Deus meus, præſtantiſſimum virtutis donum expectemus; & ad confuſionem noſtram nobiſmetipſis fidamus.

Sed videamus, quibus vir iuſtus hanc ſibi diffidentiam ſalutarem parabit. Commune quidem omnium miſeriarum remedium, nempe oratio, non eſt prætermittendum, qua ſcilicet quis à Domino petat illuminari oculos cordis ſui, vt propriam imbecillitatem, & nunquam bene cognitam impotentiam ad bonum per ſe, & ſine diuino auxilio operandum, peruideat. Hæc enim cognitio propriæ imbecillitatis, & hæc diffidentia ſui, donum etiam Dei eſt, & magnum donum, quia fundamentum aliorum donorum, quod debet, ſicut reliqua dona, à Domino poſtulari. Donum hoc non nouerunt antiqui Philoſophi, ignorarunt & multi ex Iſraelitico populo, & non pauci quoque nunc in lege gratiæ hanc gratiam ignorant. Quia verò eam ignorant, non petunt; quia non petunt, non obtinent; quia non obtinent, ſibi ipſis fidentes bonum quærunt: quia ſibi fidentes quærunt bonum, prorſus ſine fructu laborant. Philoſophos illos antiquos in hac parte ſugillat Paulus: *Rom. 1. 21.* Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis.] Noluerunt, inquam, animaduertere veſcientes, Deum eſſe ſapientiæ eorum & reliquorum donorum auctorem, ſedque per inanem & falſam cogitationem tribuerunt, quod non à ſe, ſed à Deo largitore conceperant. Et quid inde ſequutum eſt? Et obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. In obſcuritatem mentiſque caliginem lapſi, & ex ſapientibus in ſtultos conuerſi, ſcientiam à Deo acceptam, & non illi per gratiarum actionem attributam perdiderunt, & ad vitia impuriſſima ac nefandiſſima declinarunt. Iſraelitas verò idem Apoſtolus increpat, dicens: *Rom. 9. 31.* Iſraël verò ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit.] Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. Id eſt, vt ibidem inquit Anſelmus: *Anſelm.* Quia non ſperauit in Deum, non illam petiuit à Deo, non credidit in eum, qui iuſtificat impium. Sed quaſi iuſtitiam per ſemetipſum operans, non in ſe credens operari Deum, ideo non eſt iuſtitiam aſſequutus. Quam ſine Deo, gratia ſua auxiliante, nemo aſſequi poteſt, quia ipſe eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate. Eos tandem, qui nunc quadam occulta ſuperbia ſibimetipſis adeptionem virtutis arrogant, quàm ſine fructu laborent, & poſt multos labores quàm miſerabiliter cadant, docet pulchrè Ambroſius, *Ambroſ.* in hunc modum ſcribens: Multi enim ſeruientes Deo, & in lege eius die ac nocte meditantes, crucifixerunt carnem ſuam cum deſideriis & concupiſcentiis, omniúmque illecebrarum incentiua domuerunt, non damnis victi, non perſecutionibus fracti, non proſperitatibus deprauati; mundum iſtum nec dilexere obſequentem, nec timuere terrentem. Tantam itaque firmitatem, & tam ſublime propoſitum, qua impugnatione diabolus poſſet adoriri, niſi vt quibus non poterat perſuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem, & inde nouiſſima inſtrueretur tentatio, vnde nocuit prima deceptio? Non itaque deſidioſis, & tepidis, neque inertibus, & incultis, ſed magis quibuſdam animis ſedulis, & bonorum actuum probitate luculentis, per gloriam irrepſit humanam: & quos impulſione non mouit, elatione deiecit. Quantò enim clariores erant meritis, tanto eos aptiores ſuis inuenit inſidiis. In Paradiſo namque Eccleſiæ conſtitutos, & virtutum deliciis abundantes, ad confidentiam liberi incitauit arbitrij, vt profectus ſuos in ſe conſtituerent, & ad arborem propriæ voluntatis manum præſumptionis extenderent.] Hæc ille. Qui & duas in his verbis cauſas, iſtorum caſus, adiungit, amorem vanæ laudis & confidentiam ſui. Non enim minus obeſt virtuti, hominem in ſe ipſo confidere, quàm ex bonis actionibus gloriam captare. Immò multo magis: nam amor laudis ex vitio inanis gloriæ, confidentia verò ſui ex elatione procedit, quæ radix eſt inanis gloriæ; difficilius autem eſt, radicem euellere, quàm ramum abſcindere; & laborioſius, intimam cauſam mali, quàm effectum extra ſe oſtentantem euertere. Ne igitur ita ſine fructu laboremus, orandus eſt Dominus, vt nos apud nos ipſos ſiſtat, & propriam noſtram fragilitatem detegat, ne mens noſtra, ſuperbia & elatione cæca, in ſemetipſa confidat.

Hanc etiam diffidentiam generat veritas ipſa, qua ſcilicet cognoſcimus, virtutem eſſe donum Dei, ad quam obtinendam non ſufficit hominis deſudantis induſtria. Verum eſt quidem, neceſſarium eſſe noſtrum conatum, vt virtutem habeamus, quæ non deſidibus & oſcitantibus, ſed ſolicitis & laborantibus eſt promiſſa. At ſolus ipſe ſine diuina gratia & ope non ſufficit, quæ in omnibus

ſed

ſed præcipuè in negotio virtutis prima eſt, & conatum hominis excitat, & promouet, & vſque ad optatum finem perducit. Quid enim prodeſſet conatus pueri, in lubrico poſiti, ad onus ſupra vires ferendum, niſi à potentiore iuuetur, à quo etiam, ne cadat, teneatur? Ita nihil proficiet labor & conatus hominis, quem omnia deorſum trahunt, & in peccatum impellunt, niſi à Deo, potentiore, ſua gratia liberetur, & in concepto deſiderio iuuetur. Hoc autem ab homine probè cognoſci, & per humilitatem in affectum transfundi, adeò eſt neceſſarium; vt Caſſianus ex ſententia probatiſſimorum ſeniorum dicat, neminem poſſe ad virtutem peruenire, ſi hanc ſalutatem ſcientiam ignorauerit: Aiunt, inquit, non poſſe ad purum quempiam carnalibus vitiis emundari, niſi vniuerſum laborem ſuum atque conatum, ad tantæ perfectionis finem intellexerit non poſſe ſufficere, nec eam niſi Dei miſeratione & adiutorio comprehendi, non tam tradentis inſtitutione, quàm affectu atque virtute; & experimentis propriis eruditus agnoſcat. Ad capeſſenda namque tam magnifica, támque præcelſa puritatis & integritatis præmia, quantuſlibet ieiuniorum, vigiliarum, lectionis, & ſolitudinis, ac remotionis labor fuerit impenſus, condignus eſſe non poterit, qui hæc induſtriæ ſuæ merito vel laboris obtineat. Nunquam enim diuinum munus labor proprius humanáue compenſabit induſtria, niſi deſiderati diuina fuerit miſeratione conceſſum.] Hæc ille. Qui (vt manifeſtum eſt) non de ieiuna quadam & ſpeculatrice cognitione loquitur, quam omnes, ne fidem amittamus, habere tenemur; ſed de ea notitia, quæ in affectum tranſit, & hanc gratiæ neceſſitatem, & propriam hominis ineptitudinem, quaſi per experientiam ſentit. Hic affectus proprium nihilum, quaſi manu contrectans, eſt diffidentia ſui, quem habens, valde diſpoſitus eſt ad virtutem capeſſendam. Quia ſicut Deus ſuperbis reſiſtit, elatóſque contemnit; ita humilium votis annuit, & in ſuo adiutorio confidentes iuuat. Fitque quoddam mirabile, vt homo ſuæ imbecillitatis notione, non puſillanimis ad id quod cupit, ſed potens fiat. Nam & in rebus humanis oppoſitum euenit, vt propriæ impotentiæ cognitio hominem deprimat, & omnem eius conatum impediat: at in rebus cœleſtibus hæc ſancta depreſſio nos eleuat, & mira quadam ratione corroborat. Et qui ſibi ipſi non fidit, hac diffidentia fit ad obtinendam virtutem potens & perfectione ſublimis. Impleturque verbum Domini: Poſui adiutorium in potente: & exaltaui electum de plebe mea.] Nam adiutorium eius, hominem ſuæ imbecillitatis conſcium, potentem facit, & ſeipſum deiicientem extollit. Seu ponit Dominus adiutorium in potente, in eo ſcilicet, qui humilitate, & veriſſima ſuæ fragilitatis confeſſione fit potens, vt diuinum adiutorium recipiat, & electorum exaltationem participet. Superbus enim & arrogans, ſibi ipſi confidens, quaſi non eſt potens Dei auxilium recipere, quia ſeipſo plenus, non habet vbi dona cœleſtia recondat; nec dignus eſt iuuari, qui ſuperbia turgidus, putat ſe auxilio non indigere. Hæc itaque veritas, non in ſolo intellectu cuſtodienda eſt, ſed ad guſtum & affectum diffundenda, quæ guſtata faciat nos ad Dominum pro auxilio clamare, & proprium nihilum confiteri. Dicamúſque: Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.] Quia vires noſtræ inſufficientes ſunt ad tantum opus, non iam dicam peragendum, verùm & inchoandum: Manda ô Domine virtuti tuæ, id eſt, potentiæ tuæ & brachio tuo, vt hoc opus inchoet, & iube etiam eidem potentiæ tuæ, vt quod cœperis, & operatus fueris, ipſa confirmet. Sit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos,] qui ad bonum opus, & ad virtutem quærendam, intellectum erudiat, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, dum voluntatem confortas, & opus manuum noſtrarum dirige, dum potentiam exequentem, & in ſtudioſa opera incumbentem adiuuas. Vel, vt vult Auguſtinus; ſplendor tuus Domine nos illuſtret, vt quid faciendum ſit cognoſcamus; & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, vt non ea pro rerum terrenarum mercede faciamus: & opus manuum noſtrarum dirige, vt ſcilicet omnia vnum ſint opus, & in omnibus vnam tui dilectionem & amorem quæramus. Hoc eſt enim opus Dei, vt credamus in eum, quem miſit ille] ea nempe fide, quæ per dilectionem operatur. Et tunc [à templo tuo in Ieruſalem,] nempe in Eccleſia ſancta, tibi in gratiarum actionem] offerent] electi & [reges munera.] Iam vides quomodo veritas ad diffidentiam inuitet, quæ ita humanam induſtriam poſcit, vt diuinam gratiam in hoc opere potiorem agnoſcat, ideóque os ad loquendum aperit, affectum ad deſiderandum & clamandum inflammat.

Caſſian. lib. 12. de ſpiritu ſuperbiæ. cap. 13. — *Pſal. 88. 20.* — *Pſal. 67. 29.* — *Pſal. 89. 17.* — *Aug. ib.* — *Ioan. 6. 29.* — *Pſal. 67. 30.*

Aſpiciamus ergo virtutes, vt dona Dei ſupra nos poſita, quæ manus noſtræ, niſi ab ipſo euehamur, apprehendere & comparare non poſſunt. Aſpiciamus eas, vt reconditam Chriſti doctrinam, quam nemo niſi illo docente & ſuggerente percipiet. Quid enim mihi ad veram virtutem proderunt Philoſophorum verba, qui aut fictam virtutem tantùm habuerunt, aut ſi veram, eam in genere vitæ moralis veram & ſatis exilem, non verò meritoriam, & ad fœlicitatem æternam conducibilem, compararunt? Nam ſi propter mundanum honorem virtutibus ſtudebant, vt multi eorum fecerunt, quis non ſtatim intelligat, futiles & vmbratiles fuiſſe eorum virtutes, & à veritate virtutis quàm alieniſſimas, quas præpoſteri finis malitia vitiabat? Si verò honeſtate virtutis illecti, virtutes propter honeſtatem in eis elucentem quærebant, ſicut pauculos eorum feciſſe coniectura eſt: quis etiam non videat, has virtutes, quas ſine aliquo ſuperno auxilio, actioni, quam eliciebant, commenſurato, habere non poterant, in genere quidem moralis Philoſophiæ veras fuiſſe, ſed quia ad Deum non referebantur, nec per Chriſtum & in Chriſto, qui principium eſt gratiæ & meriti, operabantur, nihil prorſus ad vitam æternam promerendam adiuuiſſe? Ac proinde meritò patres eas in omni euentu falſas virtutes & ſuperbas appellant, quas non propriæ vilitatis cognitio, & Dei gratia Chriſto ſubnixa proferebat, ſed falſa quædam propriæ facultatis exiſtimatio, & natura auxilij ſibi dati ad operandum ignara procreabat. De his dictum eſt in Salomone: Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in vrbem pergere.] Quæ enim maior afflictio, & qui labor inutilior, quàm per totam vitam philoſophicè viuere, & ad quandam vmbram virtutis conari, per iſtum verò laborem in vrbem, id eſt, in cœleſtem patriam non peruenire? Ad quam illi profectò nunquam peruenerunt, quia nunquam in atrium eius, nempe in Eccleſiam, per quam ſolam ad patriam patet acceſſus, ingreſſi ſunt. Lege Platonem, inquit Hieronymus, eundem locum exponens: Ariſtotelis euolue verſutias: Zenonem & Carneadem diligentiùs intuere: & probabis, verum eſſe quod dicitur: Labor ſtultorum affliget eos:] veritatem illi quidem omni ſtudio quæſierunt: ſed quia non habuerunt ducem, & præuium itineris, & humanis ſenſibus rati

Eccl. 10. 15. — *Hier. ib.*

ſunt ſe comprehendere poſſe ſapientiam, ad ciuitatem minimè peruenerunt. De qua in Pſalmo dicitur: Domine in ciuitate tua imaginem ipſorum diſſipabis.] Hæc ille. Audi etiam quid Auguſtinus de his virtutibus dicat, etiamſi honeſtas in illis quæratur: Licèt à quibuſdam tunc veræ & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cùm ad ſeipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ ac ſuperbæ ſunt, & ideo non virtutes, ſed vitia iudicanda ſunt. Sicut enim non eſt à carne, ſed ſuper carnem, quod carnem facit viuere: ſic non eſt ab homine, ſed ſuper hominē, quod hominē facit beatè viuere.] Non ergo eſt vera virtus, quæ ad meritū proſit ſine gratia Dei, nō eſt vera virtus ſine Chriſti ſequela, ad quā cùm homo impotēs ſit, debet ita ſeipſum ad munera virtutū animare, vt nō in ſeipſo, ſed in Chriſto eius adiutore confidat, ſine cuius auxilio nec primum initium virtutis attinget: Quare Bernardus optimè huius mundi ſapientes irridet, dicens: Quid vobis eum virtutibus, qui Dei virtutem, Chriſtum, ignoratis? Vbinam, quæſo, vera prudentia, niſi in Chriſti doctrina? Vnde vera iuſtitia, niſi de Chriſti miſericordia? Vbi vera temperantia, niſi in Chriſti vita? Vbi vera fortitudo, niſi in Chriſti paſſione? Soli ergo, qui eius doctrina imbuti ſunt, prudentes dicendi ſunt: ſoli iuſti, qui de eius miſericordia veniam peccatorum conſequuti ſunt: Soli temperantes, qui eius vitam imitari ſtudent: Soli fortes, qui eius patientiæ documenta fortiter in aduerſis tenent. Incaſſum proinde quis laborat in acquiſitione virtutum, ſi aliunde ſperandas putat, quàm à Domino virtutum, cuius doctrina, ſeminarium prudentiæ; cuius miſericordia, opus iuſtitiæ; cuius vita, ſpeculum temperantiæ; cuius mors, inſigne eſt fortitudinis.] Hæc ille.

Pſal. 72. 20.

Aug. 19. de ciuit. c. 25.

Bern. ſer. 22. in Cant.

Hic itaque ſit primus conatus voluntatis, quo pro virtute laboret, magnam de ſe ipſa diffidentiam concipere, & in Domino certiſſimā ſpem acquiendæ virtutis & boni exitus, conſtituere. Cognoſcat homo, ſe mille impedimentis eſſe cinctum, mille funibus & catenis compeditum, quominus poſſit iter virtutis arripere. Annon impedimenta ſunt, corporis neceſſitates, quæ magnam partem temporis ſibi vendicant, & dum homo ad cœleſtia anhelat, in terram redire, immò luto iumenti compellūt? Ita ſanè: vnde Dauid clamat ad Dominum: Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.] Et vt oſtendat hæc neceſſitatum impedimenta à Domino ſolo poſſe tolli, alio loco ei hoc opus aſcribit: Quoniam reſpexiſti, inquit, humilitatem meam, ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam.] An non ſunt impedimenta, paſſiones, quæ nos vel nolentes ad ſenſibilia trahunt, & multis quotidie imperfectionibus & peccatis inficiunt? Solus hoc dubitabit, qui filius Adæ non eſt, qui paſſiones non habet, qui ſibi fomitem & procliuitatem ad malum dominari non ſentit. Si autem nullus eſt homo, ſicut nullus eſt, qui primum illum hominem, Deo rebellem, genitorem non habeat, nullus etiam erit, qui in ſe ipſo hanc difficultatem conſeruandæ animæ puritatis non aduertat. Iſti ſunt funes, iſtæ catenæ, de quibus ſanctus quoque Propheta conquerebatur: Nam funes, inquit, peccatorum circumplexi ſunt me: & legem tuam non ſum oblitus.] Si enim funium nomine non iam inſidias ab iniquis paratas, quàm propenſiones ad malum, ex primis illis peccatoribus, ſcilicet ex protoparentibus relictas, intelligamus, quis ambigat, magnam laudem eſſe, Deique beneficio partam, legem Dei non obliuiſci eum, quem tales funes & catenæ conſtringunt? Quoties nos legem diuinam prætermittimus, dum his

Pſal. 24. 17.

Pſal. 30. 8.

Pſal. 118. 61.

funibus ad malum trahebamur? Quoties dum conabamur diſſoluere, tenebamus nos induſſolubiliori nodo ligatos, & maiori difficultate conſtrictos? De his vinculis videtur loquutus Ambroſius, cùm ait: Iſti ſunt funes, quibus trahuntur peccata, vt fune longo, & vt loro iugi vitulæ iniquitatis. Vitula enim indomita plus ſe iactat, & excutit, cùm tenetur, acrè acquieſcit imperio, nec ſtringitur vinculo, ſed magis, cùm loro retrahitur, exaſperatur. Itaque nec coacta ſe ſubiicit: nec tamen libera vinculorum eſt. Sicut ergo trahit vitula lorum iugi, quæ etſi non tenetur è proximo, tenetur tamen, nec ſe explicat, & abſoluit: ita trahit vnus quiſque peccator indomitis moribus iniquitates, qui putat ſe liberum, quia non eſt iugo ſubditus, ſubiectuſque iudicio, & neſcit quòd non ſit exutus, ſed magis, vt illa vitula, & ipſe ſe implicat ſuorum nexibus peccatorum. Hi ſunt ergo funes delictorum noſtrorum, quibus inuoluimur, & ligamur, quemadmodum funi & vincula delictorum. Et ideo Saluator, qui habet in poteſtate peccatum dimittere, dicit iis qui ſunt in vinculis: Exite. Vtinam & mihi dicat: Exi de vinculis tuis, exi de nexibus peccatorum tuorum, ſolue funes erroris tui, quibus circundatus & ligatus es.] Hæc ille. Opus eſt ergo Dei, quòd ab affectibus expediamur, & vt virtutibus moderemur. Sæpe enim volui humilitatem, exempli gratia, ſectari, & in ſuperbiam incidi: ſæpe deſideraui, & in medus deſiderus, neſcio quomodo, oppoſitum eius quod optauerat, feci: ſæpe propoſui, & apud me ſtatui, me ipſum conculcare, & mundi gloriam conte mnere, & quaſi nihil ſtatuerim, me ſuper capita aliorū poſui, & poſt auram popularem cucurri. Iam ambulabam humilitatis vias, & ſtatim ſedi: aliquando currebam, & dum minùs ſperandum eſſet, luto me ambitionis immerſi: dum leuabar, alliſus ſum, dum aſcendebam, corrui, & cùm me magis mundare volebam, magis fœdus apparui. Poſt multos à conuerſione mea annos nihil profeci, & laborem meum fructu vacuum vidi, & aliquod vel paruum augmentum virtutis concupitæ non ſenſi. Infœlix ergo homo, quando tandem meum nihilum videbo? quando meam fragilitatem agnoſcam? quando de me ipſo diffidam? Tu ergo Domine, ſis ſpes mea, tu fiducia mea, vt tandem per te conſequar, quod in me confidens, & baculo arundineo innitens, obtinere non potui.

Amb. ad Pſal. ſer. 8.

Quintum inſtrumentum, ingens deſiderium Virtutis.

CAPVT II.

SI in aſſequendis virtutibus ita de nobis diffideremus, vt in nullo confideremus, extingueretur virtutis deſiderium, quia impoſſibilis iudicaretur eius adeptio, & nemo rem deſiderat, quam ſibi inacceſſibilem iudicat. Sed quoniam quo veriùs de noſtris viribus deſperamus, eo perfectiùs de Domini benignitate confidimus: hinc prouenit, vt humilis hæc & ſancta diffidentia, deſiderium virtutis accendat, & non deſiderium ipſius, ſed omnem torporem, & omnem deſperationem extinguat. Poſt diffidentiam ergo, qua vir iuſtus de ſua fragilitate deſperat, magnum quoddam virtutis, quam quærit, deſiderium comparare ſtudeat, quod eum, & ad ſuperandas difficultates, in virtutis itinere repertas, reddat alacrem, & ad eam accipiendam capacem. Deſideria enim nos capaces virtutis efficere, & ad eam obtinendam diſponere, manifeſtum eſt, cùm

dicat

Pſal. 80. 11. A dicat Dominus: Ego ſum Dominus Deus tuus,qui eduxi te de terra Ægypti;dilata os tuum, & implebo illud.] Tanta res eſt, os noſtrum implere,vt eam ſperantem neceſſe ſit diuinæ potentiæ meminiſſe. Recordare, ô homo, ait Dominus, quia ego te de duriſſima ſeruitute Ægyptiorum eduxi,de obſcuritate antiquarum tuarum iniquitatum extraxi,& in hac luce, quam modò experiris,reſpirare feci. Si hæc tam eximia, tam facultatem tuam excedentia præſtiti,etiam potens ero, os tuum dilatatum implere.Aperi igitur illud, vt alimentis ſuauiſſimis impleam. Quod autem, & quale eſt hoc os, quod, vt impleamur & ſatiemur, aperire debemus? Ex qualitate apertionis, & alimenti percipiendi, id facilè colligimus. Dilata Aug. ibid. os tuum, inquit Auguſtinus,confitendo, amando;& B adimplebo illud, quoniam apud me eſt fons vitæ. Non os corporis, ſed os cordis confeſſione, ſiue laude & amore aperitur:non os corporis, ſed cordis vita impletur, ex fonte vitæ manante: nam ori corporis cibos mortuos ingerimus,& ſi quid viuens comedendum eſt, priùs occidimus, vt comedamus.Os verò cordis non eſt aliud, quàm deſiderium cordis, quare iſtud aperiendum eſt, vt vita, ſcilicet virtute, qua ſpiritualiter viuimus,qua ad vitam æternam tendimus, impleamur. Eſt os nobis intus,ait alio loco Auguſt. Pſal. 137. idem ſanctus pater Auguſtinus, ibi rogamus. Et, ſi hoſpitium,vel domum Deo præparauimus,ibi loquimur, ibi exaudimur. Et Ambroſius affectum Ambr. ad Pſal. 118. ſer. 17. voluntatis, os animæ vocat, quo validè ad Dominum clamamus, & ſpiritum gratiæ eius attrahimus. C Sicut ergo cùm os corporis aperimus, illud capax facimus alimenti ſuſcipiendi,& quo magis aperimus, neceſſarij cibi plus accipimus: ita cùm deſiderium, & affectum magis ac magis ad virtutem dilatamus, & vehementiùs eam concupiſcimus, citiùs à Domino,& pleniùs, ac perfectiùs obtinemus. Scriptum eſt enim: Pſal. 10. 17. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.] Qui autem ſunt pauperes, niſi humiles, & ſibi ipſis minimè præſidentes? Sed horum Dominus deſiderium exaudit, cùm eos bonis concupitis replet.

Virtus profectò, eſt gemma pretioſa, vel potiùs theſaurus incomparabilis, quem à Domino non accipimus, niſi priùs paratum ſit, vbi illud recondamus. Nam de timentibus Dominum dictum eſt: Eccl. 2. 20. Qui timent Dominum, præparabunt corda ſua,& in D conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas.] Parant illi corda ſua, dum ea bonorum Domini faciunt capacia: & ſanctificant animas ſuas, dum vitiis, quæ eas replebant, & ingreſſum virtutum impediebant, ac peccatis euacuant. Tunc verò animæ vitiis euacuantur, cùm deſideria ſæcularia ac noxia reiiciunt; & tunc corda boni fiunt capacia, cùm in bonis deſideriis exercentur. Ergo bonorum ac virtutum deſideria ſunt, quibus timentes Dominum corda ſua præparant, vt opes ac theſauros virtutis recondant. Hæc bona deſideria ſunt animarum ſinus, in quibus Iob. 23. 12. virtutes concupitas recipiunt. Iob ſuum ſinum habebat, qui dicebat: Et in ſinu meo abſcondi verba oris eius.] In ſinu autem verba Domini abſcondere, E eſt,ſanctis deſideriis mandata eius implere. Quæ deſideria, faciente Domino,opus ſubſequitur,cùm non ſolùm corde & deſiderio, ſed etiam in opere lex diuina cuſtoditur: Quod iuſtus ſæpe in ſua conuerſatione experitur, de quo dictum eſt à Dauide: In Pſal. 1. 2. lege Domini voluntas eius:] vtique deſiderium eius, & concupiſcentia eius, & quia quæ cupimus,facilè cogitamus. Et in lege eius meditabitur die ac nocte.] Ibid. n. 3. Quid autem inde ſequutum eſt? Certè: Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.]Vide quomodo fructus deſiderium ſequatur, & quomodo opus noſtrum ſinum repleat, & qua ratione ſinus deſiderij nos boni deſiderati capaces efficiat. Pulchrè Auguſtinus hæc omnia docet, qui ſic ait: Tota vita Chriſtiani boni, ſanctum deſiderium Aug. in 1. Ioan. tract. 4 a l c. 3. eſt.Quod autem deſideras,nondum vides:ſed deſiderādo,capax efficeris,vt cùm venerit,quod videas,implearis.Sicut enim ſi velis implere aliquem ſinum,& noſti quàm magnū eſt quod dabitur,extendis ſinum vel ſacci,vel vtris,vel alicuius rei, noſti quantū miſſurus es;& ſi vides,quia anguſtus eſt ſinus,extendendo, facis capaciorem: ſic Deus differendo, extendit deſiderium, deſiderando,extendit animum,extendendo,facit capaciorem. Deſideremus ergo fratres,quia implendi ſumus. Videte Paulum extendentem ſinum, vt poſſit capere quod venturum eſt. Ait: Non Philipp. 3. 12. 13. quia iam acceperim, aut iam perfectus ſim. Fratres ego me non arbitror apprehendiſſe.] Quid ergo agis in hac vita, ſi nondum apprehendiſti? Vnum autem, quæ retrò oblitus, in ea, quæ antè ſunt extentus, ſecundùm Ibi l. n. 14 intentionem ſequor ad palmam ſupernæ vocationis.] Extentum ſe dixit: & ſecundùm intentionem ſequi ſe dixit. Minorem ſe ſentiebat ad capiendum quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Hæc eſt vita noſtra,vt deſiderando exerceamur.]Sic ille. Iam liquet,quomodo nos deſideria capaces virtutis efficiant, quia ſunt tanquam ſinus, in quorum latitudine virtus abſconditur. Et qui non habet ſinum, non mirum, ſi virtutem nunquam acquirat,quam acquiſitam ſine ſinu,id eſt, ſine deſiderio, non magni reputaret, nec ad ſecuritatem eius, ne ſcilicet à furibus & dæmonibus rapiatur, haberet vbi reconderet. Menſuram Luc. 6. 38. bonam,& confertam, ait Saluator, dabunt in ſinum veſtrum:] videlicet oſtendens eam mercedem æternam nobis dandam eſſe, quæ omnino noſtrum deſiderium expleat. Si autem deſiderium mercedem præmij antecedit, merita etiam virtutum antecedat, neceſſe eſt, quia cùm hæc ſint velut illius præmij ſemina, in eadem terra debet ſeminari, in eodem ſinu recondi. Quare ſi gloria eſt ſurrectura in terra ſitiente, id eſt, in corde concupiſcente, & quod deſiderio illius fruendæ ardeat, oportet vt in eodem corde virtus aſſurgat. Animaduerte, cui terræ Dominus aquam ſuæ gratiæ ad fructificandum promittat. Effundam, inquit, aquas ſuper ſitientem,& fluenta ſuper Iſa. 44. 3. aridam: effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum,& benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam.] Et germinabunt inter herbas, quaſi ſalices iuxta præterfluentes aquas.] Vis aquas gratiarum, vt ſemina ſpiritualis doctrinæ iacta fructificent? Sitim habe. Vis ſpiritum & benedictionem Domini,qua arbores ſatæ creſcant, & promoueantur? Deſiderium concipe: Vis inſtar ſalicum, quæ multum creſcunt, germinare? Magnam & ardentem virtutis concupiſcentiam oſtende. Quoniam in terra cœnoſa, & luto deſideriorum ſæcularium plena, ſtatuit Dominus guttas ſui roris non ſpargere, & benedictionem ad fructus virtutis ferendos haud quaquam concedere. Si quis ſitit, ait, veniat ad me,& bibat.] Si non Ioan. 7. 37. ſitis,non venies, & ſi ad fontem vitæ non acceſſeris, & ex magno deſiderio tuam ſitim non aperueris, & aquam gratiæ non poſtulaueris, vtique ex fonte non bibes. Eſurientes & ſitientes, anima eorum in ipſis Pſal. 106. 5. 6. defecit. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eripuit eos.]Sitientes clamant: clamantes liberantur. Si virtutem non ſitis, nunquam tuam tribulationem & miſeriam ſenties: ſi eam non ſentias, nunquam ex corde

clamabis, ſed quaſi ſubſannando poſtulabis: ſi non clamaueris, nunquam à vitiis diſſolueris: ſi ab eis ſolutus non fueris, nec virtutem acquires. Ergo deſiderium capacitatem affert, & aditum aperit, vt virtutem poſſis acquirere.

Non ſolum autem deſiderium virtutis nos capaces eius facit, verùm etiam difficilia quæque occurrentia, & adeptioni eius obſiſtentia, vincit, & ea facilè vitari poſſe decernit. Et dum anima quaſi præ deſiderio virtutis deficit, robuſtiores vires ad eam inſequendam, & ſibi vendicandam ſentit. Vnde Ambroſius ait: Iſta defectio, id eſt, iſtud magnum deſiderium, quo in nobis præ expectationis impatientia deficimus, imminutionem quidem fragilitatis, ſed aſſumptionem virtutis operatur.] Quæ, rogo, non audent deſideria impura luxurioſorum, quas moleſtias non ſuſtinent, quæ non ſubeunt pericula, vt pulchritudine cupita potiantur? Sed non ſunt, nec debent eſſe minora deſideria iuſtorum, quibus ad omnem virtutem & ſanctitatem inhiant. Quare ergo non credemus, ea ad moleſtias, ad pericula, & ad labores, pro virtute ſuſtinendos, animare? Præſertim quòd ad illa turpia ſola impellit caro; ad iſta pulchra ſpiritus gratiæ potentior mouet: ab illis conſcientia & timor gehennæ retrahit; ab iſtis ſolus impotens ſibilus aduerſarij deterret. Athalia ex deſiderio regnandi interfecit filios alienos: Abraham verò ex deſiderio obediendi promptiſſima voluntate ad filium ſuum vnigenitum & dilectiſſimum, & à quo poſteritatem expectabat, occidendum exiuit. Deſiderium filiorum ad hoc Rachelem adducit, vt quaſi muliebrem verecundiam deponat, & marito dicat: Da mihi liberos, alioquin moriar.] Deſiderium remiſſionis peccatorum ita Magdalenam poſſidet, vt omni muliebri timore depoſito, non apud maritum, ſed in conſpectu Phariſæi ſuperbi hominis & multorum diſcumbentium, magnam confuſionem & erubeſcentiam ſuſtineat. Auari, & raptores multa ex deſiderio diuitiarum ſunt aggreſſi pericula, & multas, vt diuites eſſent, difficultates ſuperarunt. At innumerabiles iuſti, ex perfectionis deſiderio maximas opes & ampliſſimas dignitates abiecerunt. Potentius igitur eſt virtutum quàm vitiorum deſiderium, & licèt iſtud multa difficilia audeat; at illud ad res ſublimiores & difficiliores aggrediendas inſtigat. Optimè dixit Chryſoſtomus: Quando quis ſauciatur charitatis deſiderio, nihil difficile ſpectat: ſed id, quod fuerit plenum periculis & multa miſeria, leuiter fert, ad vnum hoc videns, quomodo ſuo potiatur voto & deſiderio. Et alio loco idem Beatus Pater pulchrè ait: Nihil eſt quod non ſuperet amor cum deſiderio. Cùm autem & Dei ſit deſiderium, omnium eſt altiſſimum: & neque ignis, neque ferrum, neque paupertas: non infirmitas, non mors, neque aliud quid huiuſmodi graue videbitur talem amorem poſſidenti: ſed omnia deridens, ad cælum volabit, & illic morantibus nihil ſe geret indigniùs, aliud intuens nihil, non cælum, non terram, non mare, ſed ad vnam tantùm pulchritudinem intentus illius gloriæ: & nec eum præſentis vitæ triſtia humiliabunt, nec extollere, & inflare ſuauia poterunt, & voluptatem habentia.] Hæc ille. Ex quibus conſtat, magnam eſſe deſiderij vim, præſertim ſi ſit boni ad ipſum bonum conſequendum. Quia nihil inuenimus, quod ab eius adeptione nos retrahit, ſi omnia impedimenta, faciente id boni deſiderio, reputamus facilia. Meritóque deſiderium comparauimus oleo, quod iugum putrefacit, ne oneret: & robori mentis, quod pondus difficultatis alleuiet.

Ambr. in Pſal. 118. ſer.

4. Reg. 11. 1.

Gen. 22. 3.

Gen. 30. 1.

Chryſ. hõ. 55. in Geneſ.

Idem hõ. 64. ad Populũ Antiochenũ.

Tanta ergo cùm ſit bonorum deſideriorum, tum vtilitas, tum efficacitas, neceſſe eſt vt ad virtutem conſequendam virtutis deſideriis vtamur. Cupiamus eam, vt nobis ſui copiam faciat, & ne tanquam ab indignis aufugiat. Æquiſſima illa eſt, quæ nemini, ſaltem ſine merito deſiderij, ſe offert: & ſuauiſſima, quæ à ſe deſiderantibus non diſcedit. Virtus colenda eſt, inquit Lactantius, non imago virtutis; & colenda eſt non ſacrificio aliquo, aut thure, aut precatione ſolenni, ſed voluntate ſola atque propoſito. Nam quid eſt aliud colere virtutem, niſi eam comprehendere animo & tenere? Quod vnuſquiſque ſimul ac cœpit velle, conſequitur:] O magna virtutis largitas, quæ ſolos nolentes auerſatur, volentibus autem eam ſe vltrò donat, & rem omnium creatarum pretioſiſſimam, non auro, non argento, ſed ſola voluntate mercamur! Quia velle, & concupiſcere virtutem, aliqua virtus eſt, & dum magis roboratur virtutis concupiſcentia, magis ipſa virtus roboratur & creſcit. Quis non ſolo vitæ temporalis aut ſalutis deſiderio vitam & ſalutem emeret? Quis non ſola opum ac dignitatum concupiſcẽtia opes & dignitates compararet? Sed virtus, ô homo, deſideriis emitur, & quia hoc ipſum quod eſt deſiderare virtutem, pars eſt virtutis, deſideriis poſſidetur. Non in his tua deſideria occupes, quæ adepta contriſtant, & amplexata te amplectentem inquietant. Huiuſmodi ſunt omnia viſibilia, quæ vilia cùm ſint, & ad ſolum vſum conceſſa, non ſunt anxiè deſideranda, ſed ad ſolam neceſſitatem, & vt media ad virtutem aſſumenda. In his verò, quæ ſatiant, quæ delectant, quæ implent, tua deſideria conſtitues. Hæc autem ſunt veræ virtutes & ſolidæ, quia cùm illarum miniſterio Deus ad nos veniat, corda noſtra, aliquid magnum, quo impleantur, ſitientia, tranquillant. De vera quippe ſapientia, qua omnis virtus continetur, ſapiens ait: Generoſitatem illius glorificat,] id eſt, clariſſimam & præſtantiſſimam eſſe manifeſtat, contubernium habens Dei: quòd ſcilicet cum Deo iniuit ſocietatem, vt in eodem corde viri iuſti virtus & Deus pariter commorentur. Iſti duo hoſpites, virtus & Deus, quid mirum, ſi hoſpitium noſtræ mentis impleant, & nullam in eo triſtitiam, aut inquietudinem manere permittant? Sanè quidem id experiebatur idem ſapiens, qui poſtea ait: Propoſui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum: ſciens, quoniam mecum communicabit de bonis, & erit alloquutio cogitationis & tædij mei.] Idem & tu dicas, ô homo: Hanc decreui orationibus, gemitibus, & deſideriis promereri, quoniam gratiæ donis me ditabit, & ſua præſentia cogitationem meam illuminabit, & omne tædium ac moleſtiam ſummouebit. Et ſiquidem deſideria ad ſatietatem tendunt, & pro quiete mentis admittuntur, ſolam virtutem, mentiſque puritatem, & Dei in te habitationem concupiſce; qua habita, nequaquam triſtaberis, ſed finem tuorum deſideriorum conſequeris. Vt enim dixit expertus Auguſtinus: Inter temporalia & æterna hoc intereſt, quòd temporale plus diligitur, antequam habeatur: vileſcit autem, cùm aduenerit, non enim ſatiat animam, cui verax & certa ſedes, æternitas: æternum autem ardentiùs diligitur adeptum, quàm deſideratum, quia nunquam de illo homo tantum æſtimare potuit, quantum poſtea adipiſcens inuenit. Virtus verò cum æternis eſt computanda, quam nobiſcum hinc emigrantes deferemus. Hanc igitur, quæ nunquam vileſcet, ſed in maiori pretio habebitur, cupiamus.

Lactant. lib. 1. diuinar. inſtit. c. 20. poſt med.

Sap. 8. 3.

Ibid. n. 9.

Aug. 1. de doctri. Chriſtia. c. 10. 3.

Nec quocumque virtutis deſiderio debemus eſſe contenti, ſed illo, quod magnum & efficax ſit, & nos pro virtute anxios reddat, & ad eam inquirendam

aſſiduè ſolicitet. Nam res magnę eo ipſo quòd tepidè deſiderantur, contemnuntur: quoniam illo deſidioſo & tepido deſiderio dicamus non eſſe maiores rebus viliſſimis, quæ ſimili deſiderio ſolent à nobis appeti. Econtrà verò, cùm virtutem cupimus vehementer, profitemur eam eſſe digniſſimam, quæ in mente, ad Deum poſſidendum creata, ſine vlla eiuſdem mentis iniuria tantum ſui deſiderium immittat. Virtus per ſe præſtantiſſima eſt; ergo ardentiſſimo deſiderio eſt appetēda, quia res magnæ & eximiæ, nonniſi poſt magnos labores nobis & poſt magna deſideria proueniunt. Et ſi ipſa ad nos ſine hoc præuio deſiderio veniret, rubore ſuffunderemur, & venientem timidè & dolenter exciperemus, eo quòd ad ſponſam tam pulchram, & tam ſublimem excipiendam tepido ſolùm nos deſiderio parauimus. Si enim nobilis ſponſa, cùm primùm ad ſui ſponſi ædes accedit, eum, ſcientem quidem ſuum aduentum, & tamen ſordida veſte circundatum, & in aliis occupatum inueniret, putaret ſe fuiſſe contemptam, & ſuam ſortem deploraret, quòd tam ingrato viro fuerit copulata coniugio: cur non virtus nos ſui contemptores appellet, ſi ad nos veniens, tepido deſiderio, quaſi ſordida veſte, coopertos, & in amore rerum viliſſimarum occupatos inueniat? At ſat ſcio, quia ſponſa prudentiſſima nunquam ſe periculo tantæ irriſionis exponet, nec imparatos inueniet, quia ad imparatos & tepidos nunquam veniet, ſed donec auidè deſideretur, in ſuo ſe domicilio continebit. Quare tepidè virtutem deſiderare, eſt nolle virtutem, & eo ipſo quòd præ deſiderio magno in eius non amorem accendimur, ipſius poſſeſſione & ſuauiſſimo amplexu fruſtramur. Et ea quæ modeſta eſt & iuſta, quæ amatrix noſtra eſt, ſed æquitatis ſeruatrix, ex modeſtia oculis etiam tepidorum ſe offert, & ex iuſtitia ſe abſcondit: ex amore venire geſtit, & ex æquitate diſcedit. Eſto tamen, quòd ipſa noſtræ ſtultitiæ miſereretur, & quaſi amore & miſeratione victa, vellet nobis immerentibus, & non auidè cupientibus, ſui copiam facere, à Deo æquiſſimo iudice detineretur, & ne ad noſtras fores accederet, prohiberetur, ne ſponſam tam puram & nobilem indigni & ſordidi homunciones ſuſciperent. Sciebat hoc ſapiens, qui

Sap. 8. 21. vt hanc veram ſapientiam impetraret, ait: Adij Dominum, & deprecatus ſum illum ex totis præcordijs meis. Qui ſi tantùm ex parte cordis; id eſt, tepido deſiderio poſtulaſſet, & ſe tenuem, remiſſoque amore, virtute indignum faceret, nunquam eam obtineret. Et ipſe Dominus inquit per os Ieremiæ: Erunt

Ierem. 24. 7. mihi in populum, & ego ero eis in Deum, quia reuertentur ad me in toto corde ſuo. Quid eſt reuerti ad Dominum in toto corde, niſi toto deſiderio & conatu virtutem & rectitudinem ſequi, & à peccatis ſeparari? Quicunque tepidè, aut ponit hoc malum deſerit, qui negligenter virtutem inquirit, nunquam meretur comparabit, vt in populo Dei, & inter iuſtos & ſanctos numerari mereatur. Si quæritis, quærite, ait Dominus per Iſaiam; quod eſt, ſi virtutem quæritis, eam non ſegniter, non otioſè, ſed ardenter quærite. Si me deſideratis, non tepidè & negligenter, ſed totum deſiderate. Si me quæritis, vt exponit Hieronymus, ſtudioſius quærite, venite in itinere virtutum. Lex enim dicit: Cùm quæſieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Virtus ergo, in qua, & per quam Deus quæritur, ardentiſſimis deſideriis quærenda eſt; quæ ipſa nullo modo vacua eſſe patietur, ſed ſtatim poſt hæc deſideria ad nos veniet, lacrymas abſterget, conexhilarabit, & nos in ſuorum amatorum dignitate conſtituet. Tunc profe-

Iſa. 21. 12.

Hieronym. lib. 7. in Iſa. ad ...

Deut. 4. 29.

A ctò nullo modo (ſicut res viſibiles) in noſtra æſtimatione vileſcet, ſed apertè videbimus dignam eſſe, quę ardentiſſimis deſideriis appetatur, & magnis laboribus comparetur.

Sed quomodo hæc deſideria ſuccendemus? Primò, humili & ardenti ſupplicatione. Vt enim inquit Ambroſius, non eſt poteſtatis noſtræ deſiderium, ſed gratiæ Dei. Quare ab illo petendum eſt, in cuius eſt poteſtate, illud poſtulantibus erogare. Secundò conſideratione earum perfectionum, quæ ſuprà ſunt de virtute tractata. Nam ſicut hæ magnam virtutis æſtimationem ingerunt; ita etiam deſiderium accendunt. Tertiò, deſideriorum inutilium compreſſione. Mens quippe noſtra, quæ ſemper aliquid diligit, aliquid concupiſcit, & ſine amore & deſiderio

B eſſe non poteſt, ſtatim diligit, & cupit cæleſtia, dum non ſinitur amare & deſiderare terrena. Quartò demum deſideriorum exercitatione, vt ſcilicet ad deſiderandum te adigas, & ad multiplicandos actus deſideriorum impellas. Si aliquem ſplendidis indumentis fulgentem videas, dic, Modeſtia, eſt mea veſtis præclariſſima, cuius comparatione hæc corporalia indumenta ſunt ſordida: ô ſi illius pulchritudine mentem corpúſque circundarem! Si pretioſas menſas intuearis & lauta conuiuia, dic, meum conuiuium & meus cibus eſt abſtinentia, ô ſi illam abundè guſtarem, quàm mihi iſta fercula corporalia vileſcerent! Si amicum ad dignitatem aut Prælationem euectum audias; dic intra teipſum; mea dignitas & mea prælatio, eſt humilitas; ô ſi hanc haberem, qua in con-

C ſpectu Dei & hominum, plus quàm Prælati, & Eccleſiæ proceres in illa ri fulgerem. Si candidum lilium aſpicias, dic, ô lilium pulcherrimum, caſtitas, quando te non iam in ore, ſed in corde & in actione geſtabo, & tuo ſuauiſſimo odore complebor! Si aurum memineris, dicito, ô aurum pretioſiſſimum, charitas, quando me ditabis, quando me Chriſto perfectè copulabis, quando ab omnibus terrenis rebus omnino disiunges? Ex omnibus occaſionem deſiderandi virtutem capta, & tu ad hæc deſideria proferenda & multiplicanda ſolicita. Sic enim ille de quo ſcriptum eſt: Deſiderium animæ eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum; tibi virtutem conceptam dabit, & poſt hanc vitam illi debitam mercedem abundè concedet.

D

Sextum Inſtrumentum, Intentio actualis operandi ex fine Virtutis.

CAPVT III.

I Am ad ipſas Virtutis actiones propius accedimus, in quibus primo loco Intentio voluntatis dirigenda eſt, & finis aptus virtutis actioni præfigendus, vt actio habitum virtutis ingeneret vel efficiat, ſi virtus acquiſita fuerit, vel ſi infuſa, eius augmentum mereatur. Ex

E qua intentione omnis noſter profectus dependet, quia qualem finem nobis propoſuerimus, tales omnino noſtræ actiones euadent: ſi malum, malæ; ſi bonum, bonæ; ſi verò optimum & perfectum, eodem modo perfectæ. Intentio etiam ipſam actionem initiat, nam à fine naturam accipit, & talis erit, qualem finem ſcopúmque reſpexerit. Tribus ergo regulis, quod ad noſtrum inſtitutum ſpectat, omnis vſus huius inſtrumenti completur.

Prima eſt: Nè in virtutum actionibus aliquem præpoſterum finem, vt noſtrum commodum, ne

A

ſtram gloriam apud homines, noſtræ propriæ voluntatis expletionem, vel aliqua ſimilia vilia & abiecta, quæramus. Si enim in id oculus noſtræ intentionis intendat, non ſtudioſi, ſed vitioſi, non humiles aut obedientes, ſed auari, aut inanis gloriæ cupidi noſtris laboribus efficiemur, dicente Domino: *Matt. 6. 23.* Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.] Oculus noſter, intentio noſtra, oculus nequam, intentio mala eſt: quæ malitia ſua, ac tenebris ſuis (nam nequitia eſt caligo & tenebræ) omne actionum illam ſequentium corpus obuoluet. Et alio loco ait: *Luc. 6. 45.* Malus homo de malo theſauro profert malum.] Per malum theſaurum, præpoſteram intentionem denotat, ex qua malum opus prodit, & ipſa hominem habentem eam, malum, id eſt, vitioſum, & corruptis moribus obnoxium oſtendit. Vnde Chryſoſtomus, poſtquam locutus eſt de recta intentione

B

Chryſ. hō. 8. in Gen. in eleemoſyna habenda, hæc addit: Id, quod non ſolùm in eleemoſyna, ſed in vnoquoque bono opere ſpirituali attendendum eſt, vt nihil ad hominum præconia reſpicientes, faciamus, alioquin nulla nobis vtilitas erit, ſiue ieiunamus, ſiue precamur, ſiue miſeremur, ſiue quoduis aliud facimus, niſi propter illum ſolùm fiant, qui nouit & abſcondita, & quæ in profundo mentis ſunt recondita. Nam ſi ab illo præmia expectas, cuius gratia ab alio, qui natura tibi cognatus eſt, laudari & admirari vis? Et quid inquam laudari? Sæpe is non laudat, ſed & inuidet. Sunt enim multi ita malè affecti, vt & ea, quæ bene à nobis fiunt, in contrarium interpretentur. Et Richardus Victorinus ex praua intentione operantes, ſuorum filiorum necatores appellat: Sic ille ait:

C

Richar. de ſtatu interior. hominis. c. 7. Quid enim iuuat bonorum operum prolem gignere, & eam per intentionis deprauationem necare? Et quale (quæſo) erit, ſi liberorum noſtrorum interfectores conſcientia propria nos eſſe conuincit? Alij in ipſo propoſito ex mala intentione opera ſua corrumpunt: alij poſt exercitia virtutum ad oblationem vanæ laudis à priſtina intentione inaneſcunt. Quid illi niſi abortiuos fœtus faciunt? iſti quaſi iam natos, ſeu etiam adultos occidunt: Nonne melius eſt non gignere, quàm abortiuum facere: ſatiſque vtilius prolem non parere, quàm vel dormiendo opprimere, vel ex conſilio necare? Nonne melius eſt, vt vadam abſque liberis, quàm immolare filios meos, & filias meas dæmoniis? Nonne multo fœlicior eſt ſterilis, & quæ non parit, quàm filiorum ſuorum necatores

D

ſine miſericordia, & comeſtores viſcerum hominum, & deuoratores ſanguinis, & auctores parentes animarum inauxiliatarum? Ac tandem Hieronymus, vt innumeros alios omittamus, inquit: *Hieron. lib. 3. in epiſt. ad Galat. ad c. 5.* Vide quantum bonum ſit charitatis. Si ita martyrium fecerimus, vt noſtras velimus ab hominibus reliquias honorari: ſi opinionem vulgi ſectantes, intrepidi ſanguinem fuderimus: & ſubſtantiam noſtram vſque ad mendicitatem propriam dederimus; huic operi non tam præmium, quàm pœna debetur; & perfidiæ magis tormenta ſunt, quàm corona victoriæ.] Sic illi. Nos autem ex illis colligamus, ſtudioſo virtutis non eſſe bona opera ex ſiniſtra intentione facienda; quia ſic & ſuum laborem perdet, & opus ſuum, quod vt filium dilectiſſimum amare debuerat, merito & vita

E

priuabit, & ſemetipſum non dignum præmio, ſed pœna, conſtituet. Quid enim inutilius eo opere, poſt cuius laborem, non aliud quàm auram tranſeuntem demetimus? Quid magis mortuum illa actione, quæ in terram ſterilem, nempe in cor prauum cadens, nec gratiæ cœleſtis humore rigatur, nec influxu bonæ intentionis, ad fructum faciendum fouetur? Quid pœna dignius illa oblatione, quæ vt dæmoni & vanitati immoletur, ex Domini altari, cui erat offerenda, ſurripitur?

Conſideremus itaque à Domino cuncta noſtra opera inſpici, & vniuerſas etiam occultiſſimas intentiones noſtras videri, vt tales illæ ſint, quæ ob rectitudinem ſuam poſſint eius calculo ac atteſtatione probari. Oculi autem eius, inquit Iob, ſunt in viis illius, id eſt, in intentionibus peccatoris.] *Iob. 24. 13.* Aliquando enim via in ſcripturis ſanctis, noſtram intentionem & finem, in quem currimus, & actiones deſtinauimus, ſignat. Et ita accipi videtur in illis verbis Dauidis: Reuela Domino viam tuam, & ipſe faciet.] *Pſal. 36. 5.* Eſt ac ſi dicat: Oſtende Domino quod velis, quid intendas, non vt videat, qui etiam, te abſcondente, manifeſtè videt, ſed vt tuum affectum & deſiderium accendas, & ipſe pia vota complebit. Nihil ſanè efficacius dici poteſt ad intentionem dirigendam, quàm quòd Dominus eam intuetur, vt ſecundùm bonitatem aut nequitiam eius, præmia decernat aut pœnam. Et vt videas quam pœnā peccator ex praua intẽtione ſuſtineat, per oculos, cum Gregorio, *Greg. 17. mor. c. 5.* nō oculos Domini, ſed oculos ipſius peccatoris intellige. Vias ſuas, inquit, peccator intuetur, quia ſola cogitare, ſola cernere nititur, quæ ſibi ad commodum temporale ſuffragentur. Hinc etenim Paulus dicit: *2. Cor. 12. 14.* Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Via namque elati, ſuperbia: via raptoris, auaritia; via eſt lubrici, concupiſcentia carnalis. In viis ergo ſuis iniquus quiſque oculos deprimit, qui ſolis vitiis vt per hæc animo ſatisfaciant, intendit.] Re vera hæc magna pœna eſt, quòd homo ad Deum creatus oculos in vana & inutilia deiiciat. Verè magna pœna, quòd ex ſuo labore non præmij fructum emergere, ſed increpationem conſcientiæ, ſed confuſionem, ſed cinerem vanitatis ſpargi videat. Plantat ille non ſine labore arborem bonæ actionis, ſed ſtatim areſcit, quia non in ſolo fructifero charitatis, ſed in terra ſterili, & arida vanitatis radices mittit. Eſt iſta actio inſtar iunci, de quo inquit Iob: *Iob. 8. 16.* Humectus videtur, antequam veniat ſol: & in ortu ſuo germen eius egredietur.] Scirpus enim ſiue iuncus, ante ſolis ortum humidus apparet, eo autem exoriente ſiccatur: Sic bonum opus, ex vitioſa intentione factum, in nocte huius vitæ, in qua intentiones hominum latent, meriti humorem præfert; adueniente verò ſole iuſtitiæ, quàm ſit indignum mercede, patefcet. Aliæ herbæ priùs naſcuntur, poſtea ſemina ad ſuæ ſpeciei cõſeruationem proferunt: contrà ſcirpus, nam cum flore naſcitur, vt in aduentu ſolis ſimul cum flore ſiccetur. Sic eſt ſtudioſum opus, ad captandam hominum laudem deſtinatum, quod cum flore exoritur, quia cum inani gloria perficitur, vt poſteà nullam mercedem recipiat. Enitatur ergo vir iuſtus, omnem à ſuis bonis operibus præpoſteram intentionem abiicere, tum vt præmia ſemper manſura ſuo tempore metat, tum vt per bona opera ſemper magis ac magis proficiat; & veras virtutes acquirat. Imitetur innocentem Iob, qui de ſe ait: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat: *Iob. 31. 26.* Si vidi ſolem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè.] Sol fulgens, bonum eſt opus aliis manifeſtatum: & luna clarè incedens, ſtudioſa actio, quam laudabilis fama ſubſequitur. Tunc itaque iuſtus, vt colligitur ex Gregorio, *Greg. 2 2. mor. c. 5.* ſolem fulgentem non videt, cùm ad præſumptionis gratiam non attendit; & lunam clarè incedētem non aſpicit, cùm à deſiderio placendi Deo, amor famæ & humanæ gloriæ non diuertit. Sit ſimilis illi, de quo in Pſalmo dictum eſt: *Pſal. 14. 5.* Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram;] qui ſcilicet ex mutuo prohibitum lucrum non accepit. Omnis

enim,

Caſſian. col. 14. c. 17.

enim, ioquit Caſſianus, qui eloquia Dei (& idem eſt de quouis alio ſtudioſo labore) humanæ laudis amo-te diſpenſat, pecuniam ſuam erogat ad vſuram, noo ſolùm oulla pro boc præmia, ſed etiam ſupplicia meriturus. Ob hoe enim pecunias Domini maluit profligare, vt ex eis temporalem conſequeretur ipſe mercedem, non vt Dominus, ſicut ſcriptum eſt, veniens, quod ſuum eſt, receperet cum vſura.] Sic ille.

Matt. 25. 27.

Secunda regula ſit: Mens noſtra in actione ſtudioſa, non tantùm bonum quemlibet finem, ſed proprium, ac germanum illius virtutis, quam cupimus, finem reſpiciat. Id quippe omnino neceſſarium eſſe ad virtutem aſſequendam, docuit manifeſtè Philoſophus, dicens: quòd vt opus ſit alicuius virtutis, vt verbi gratia, iuſtitiæ, neceſſe eſt vt fiat à ſciente, ſiue cognoſcente quid faciat, & propter ipſam honeſtatem iuſtitiæ, alioqui faciet iuſtum, ſed non iuſtè. Et quidem ſi iſtud non requireretur, quilibet io materia alicuius virtutis operans, quemcumque finem reſpiceret, illam virtutem compararet, quod non ita eſſe, ipſa experientia compertum eſt. Eſt quippe aliquis, qui facilem ſe & alacrem ſentit, ad mortem pro fide ſuſtinendam, & difficilem, ac moroſum, immò & planè puſillanimem ad mortem pro alia cauſa tolerandam. In iſto facile eſt animaduertere, fidem vigere, fortitudinem verò languere; quæ in occaſione defendendæ veritatis fide roborata vincit, extra hanc autem occaſionem timori cedit, & vi aduerſitatis oppreſſa, ſuccumbit. Oportet ergo, ſi virtutes diligimus, & earum decore circundari cupimus, vt actiooes ipſarum elicientes, in proprium finem cuiuſque reſpiciamus. Sicut enim via in ciuitatem tendens, nequaquam nos in hortum aut viridarium, longè ab illa poſitum, ducet: ſed via ciuitatis in vrbem, & via horti in hortum nos diriget: ita finis vnius virtutis in ſeipſam nos inferet, non in aliam, quam non cogitauimus, deſtinabit. Facile autem eſt, ex definitionibus virtutum, in ſecunda huius libri tractatione poſitis, finem proprium, ac rationem intimam, & formalem (vt ſcholaſtici vocãt) cuiuſque virtutis agnoſcere, vt propter illam actu operantes, virtute formemur, & caſti, aut manſueti, aut obedientes, iuxta noſtrum deſiderium reddamur. Si vis à Deo fidei augmentum ſuſcipere, credendū eſt, rebus fidei ea expreſſa ratione, quia Deus illas reuelauit, & Eccleſia vt reuelatas proponit, aſſenſum præbe: Si vis ſpei incrementum obtioere, ſpera bona æterna, ex meritis Chriſti tibi à Deo aliquando donanda. Si vis charitatis gradus accipere, dilige Deum propter ſeipſum, & proximum propter Deum. Cupis prudentiam addiſcere? Conſulta de mediis ad tuum finem neceſſariis, & quæ ſint aptiora diiudica, & ea executioni mandare conſtitue, eo fine, vt in omnibus quod eſt rationi conſonum ac medium, attingas. Cupis iuſtitiam? Opera eius exequere, eo fine, vt vnicuique, quod ſuum eſt, tribuas. Deſideras fortitudinem? Aduerſa ſuſtenta, eo fine, vt honeſtatem, quæ in tolerantia conſpicitur aduerſitatum, habeas. Deſideras temperantiam? In cibo, & potu, & reliquis huiuſmodi neceſſarium admitte, vt moderationem ab hac virtute præſcriptam cuſtodias. Sanctæ paupertatis auidus ſuperflua reſecet; neceſſaria more pauperis habeat; ſi defuerint, ſufferat, eo fine, vt honeſtatis paupertatis ſit particeps. Caſtitatis amator, carnis illecebras fugiat, eo fine, vt corporis & mentis puritatem teneat. Obedientiæ ſitibundus præceptis obediat, eo fine, vt Prælato ſe ſubmittat. Hic modus operandi, aut hæc intentio, de qua nunc agimus, expreſsè cuique actui virtutis applicita, illum facit virtutis actum, non quoad materiam tantùm (ſicut qui temperatè manducaret, ne ſaluti corporis officiat, aliter manducaturus, ſi damnum ſalutis non timeret) ſed quoad ſubſtantiam & naturam. Et actus ſic exerciti, virtutes generant, aut à Deo obtinent, & homo breui tempore ſe magnopere immutatum, & ex ſtatu vitioſi ad ſtatum ſtudioſi traductum ſentit.

Arist. 2. Ethic. c. 4

Nazian. orat. in illos, qui ea thedram aſſ ... dicebant.

Gregorius ſanè Nazianzenus, hanc iotentionem neceſſariam eſſe ad virtutes aſſequendas, egregiè declarat in hunc modum: Quiſquis enim rei cuiuſquam gratia virtuti ſtudet, is profectò neutiquam firmas in virtute radices egit. Simul enim atque res ea effluxerit, recti quoque ſtudium deponet: quemadmodum qui quæſtus cauſa nauigat, niſi lucri oecaſio adſit, nauigare deſiſtet. Atqui boοum ipſum propter ſe colit, & amplectitur, quoniam rem fixam & ſtabilem amat, certam quoque & conſtantem erga illud aoimi alacritatem habet; adeò vt diuinum aliquid ſentiens, hic quoque Dei verbis vti poſſit: Ego autem idem ſum, & non mutor.] Hæc ille. Quibus verbis illi conſtantiã in booo & ſtabilitatem attribuit, qui bonum propter ſe colit. Ille autem bonum propter ſe colit, qui virtutem propter ipſius honeſtatem operatur; vnde iſte ſolus ſtabilitatem in bono habet. Stabilitas autem hæc, aut eſt habitus ipſe virtutis, aut aliquid ab ipſo habitu inſeparabile, quo ductum rationis conſtanter ſequimur, bonóque adhæremus.

Sed quia non Philoſophos morales, immò potiùs viros ſpirituales inſtruimus; tertia regula adhibenda eſt: vt ſcilicet non tantùm propter honeſtatem virtutis, verùm etiam propter amorem Dei, vt ei placeamus, ipſiúſq; voluntatem impleamus, virtutem operemur. Pro quo ſciendum eſt, duos eſſe affectus generales, timoré & amorem, ex quibus ſolent iuſti in actiones virtutum incumbere. De his plurima inuenies apud Patres; nos pauca referemus. Dorotheus ex ſententia Baſilij ſic ait: Si enim timore gehennæ benefaciamus, io ſeruili ſtatu ſumus: ſi vt mercedem recipiamus, in mercenarij; ſi bonum ipſius gratia, ad filiorum ſtatum tranſimus. Filius enim non facit patris voluntatem ob timorem, neque vt recipiat mercedem ab illo, ſed volens illi deſeruire, volens ipſum honorare, volens ipſum omoibus obſequi, & morem gerere.

Doroth. Doctr. 14

Et Gregorius, explicans illud Iob: Pater eram pauperum.] Sic ait: Plerumque multa homines pauperibus largiuntur, non quia eoſdem pauperes diligunt, ſed quia ſi minimè tribuant, iram iudicij ſuperni formidant: qui ſi Deum non metuerent, quæ habent, dare noluiſſent. Et quidem in bono opere primus incipientium gradus eſt, vt qui adhuc proximum, ſicut ſe, neſcit diligere, iam tameo, iocipiat iudicia ſuperna formidare. Quia igitur aliud eſt, bonum opus ex præcepto, aliud verò etiam ex affectu facere, ſanctus vir, vt mentem nobis ſuæ operationis inſinuet, dicat: Pater eram pauperum. Non enim patronum ſe, vel proximum, vel adiutorem, ſed patrem fuiſſe teſtatur, quia nimirum magno charitatis officio ſtudium miſericordiæ vertit io affectum naturæ, vt eos quaſi filios cerneret per amorem, quibus quaſi pater præerat per protectionem.

Iob. 29. 16.
Greg. 19 mor. c. 14

Audiamus tandem tertium Patrem, oempe Bernardum, cuius hæc ſunt verba: Quia per dextrum & ſiniſtrum aduerſa ſolent atque proſpera deſignari: videtur mihi hoc loco intelligi poſſe, læuam quidem veri comminationem ſupplicij, dexteram verò regni promiſſionem. Eſt autem cùm mens noſtra formidine pœnæ ſeruiliter premitur: & tunc nequaquam ſub capite, ſed ſuper caput læua eſſe dicenda eſt: nec poteſt ſic affecta anima omnino dicere: Quia

Bern. ſer. 51. in Cant.

læua

Cant. 8. 3. læua eius ſub capite meo.] At verò ſi proficiens ex hoc ſpiritu ſeruitutis tranſierit in quendam ſpontanei obſequij digniorem affectum, quatenus videlicet præmiis potiùs prouocetur, quàm arctetur ſuppliciis: magis autem, ſi amore boni ipſius agatur: tunc indubitanter dicere poterit, quia læua eius ſub capite meo; quippe qui illum ſeruilem metum, qui in ſiniſtra eſt, meliori atque excellentiori habitudine ſuperarit animi, & dignis deſideriis etiam ipſi appropiauerit dexteræ, in qua ſunt omnes promiſſiones: dicente Propheta ad Dominum: Pſal. 15. 10. Delectationes in dextera tua vſque in finem.] Vnde & certa ſpe concepta, cum fiducia loquitur; Cant. 8. 3. Et dextera eius amplexabitur me.] Hæc omnia Bernardus. Qui & poſtea clariùs hoc explicat, adducens illud: Pſal. 67. 15. Si dormiatis inter medios cleros:] dicénſque eſſe locum medium inter timorem, & ſecuritatem, tanquam inter læuam & dexteram, in quo anima magna ſpe concepta ex charitate virtutum actiones operatur. Habemus ergo duos communes affectus, ex quibus poſſumus in opera virtutum prodire; nempe timorem & amorem, quorum ille imperfectior eſt, tanquam proprius ſeruorum, iſte verò velut ad filios pertinens, multo perfectior.

Relinquamus nunc illum priorem, & ex iſto ſecũdo opera virtutum ſingularum præſtare curemus. Ita nimirum, vt cùm actus humilitatis occurrerit, deiiciamus noſmetipſos, non tantùm ob honeſtatem huius virtutis, & quia dignum eſt, nos viliſſimos, & ingratiſſimos ab omnibus conculcari, & peſſundari, ſed etiam quia hanc deiectionem noſtram Deo, cui impensè placere cupimus, gratam & acceptabilem cogitamus. Cùm actus obedientiæ ſe offeret, obediamus prælato, eo quidem fine, vt maiori ſubdamur, non tamen ſolùm ob illum, ſed & ob alium altiorem, quia amatori noſtro Deo id acceptum & gratum erit, cui ſuper omnia placere cupimus: Cùm occaſio mititatis inſtiterit, iniuriam aut contumeliam ſuſtineamus; non ob id tantùm, quia honeſtum eſt, in mediis iniuriis cordis & mentis tranquillitatem ſeruare, ſed quia Deo ſummè amabili placet, nos filium ſuum vnigenitum imitari, & manſuetudinem cuſtodire. Finis autem hic altior amoris Dei, priorem honeſtatis virtutis non ſoluit, ſed implet: non deſtruit, ſed mirum in modum intra propriam illius virtutis naturam perficit. Ad quod confitendum, & ſi nulla ratio ſuppeteret, ipſa ſanè conſcientiæ atteſtatio nos cogeret. Videmus enim quotidie homines ex hoc fine operantes non tantùm eſſe Dei amatores ardentiſſimos, ſed eſſe quoque caſtiſſimos, obedientiſſimos, pauperrimos, humillimos, séque ipſos faciles & pronos inuenire, non ſolùm ad amandum Deum, verùm & ad opera harum virtutum ob earum honeſtatem præſtanda. Quod ita non eſſet, ſi charitatem tantùm auxiſſent, & non reliquas virtutes cumulaſſent. Hi etiam, ſi aliquando contingeret à charitate excidere, non ob id ſtatim difficiles ſe ad opera virtutum moralium inueniunt. Signum eſt ergo, prioribus actibus ex charitate factis virtutes acquiſitas fuiſſe genitas, aut aliquod augmentum conſequutas. Id autem à recta Philoſophia non abhorret: Quia quando vnus finis ab alio dependet, & ab alio perficitur, & completur, poteſt quidem voluntas in illum priorem ſolum ferri, & etiam in illum vt ab alio pendentem, & ab eo perfectionem accipientem, ire. Talis autem eſt honeſtas cuiuſcumque virtutis moralis: adeò vt verum ſit, quòd honeſtum eſt nobis temperatè comedere, quia eſt gratum Deo: & ſi illi non eſſet gratum, nec nobis profectò eſſet honeſtum. Bene ergo poſſumus in honeſtatem abſtinentiæ, & in quæſitionem diuini beneplaciti tendere, ita vt ex hoc fine adiecto honeſtatem abſtinentiæ non amittamus, immò meliùs & perfectiùs conſeruemus. Sic itaque nobis operandum eſt, ſi volumus breui tempore, cum gratia Dei, non parum in virtute proficere. Iſtáque intentio non ſemel in initio diei, ſed in ſingulis virtutum actionibus eſſet producenda; & non tantùm in principio actionis, ſed in decurſu eius, ſi longior eſſet iteranda, vt ſic charitate Dei, & virtutum honeſtate loti, & circundati ſemper incederemus. Quam difficultatem habet, cùm ad opus obedientiæ egrederis, cum magno feruore intra te dicere: Domine, ecce obedio, quia honeſtum eſt, me Prælato, vicem tui gerenti, obedire, & quia tibi gratum iudico me iuſſa facere? Quem laborem habet, ſi contumeliam audias, & teipſum comprimas, mentem in Deum dirigere, dicens: Deus meus, ecce manſuetè contumeliam ſuſtineo, quia ſcio manſuetudinem eſſe honeſtiſſimam, & in tuo conſpectu acceptiſſimam, cui ſummè placere cupio, & ſuper omnia deſidero? Certè nullum. Et quare ſine labore, aut cum modico labore non proficiemus, & in teporem verſi ex frigida quadam aſſuetudine opera noſtra præſtabimus? Magni ergo refert ad virtutes comparandas, ex hac intentione actuali (ſic enim à ſapientibus vocatur) ſemper operari, vt opera noſtra ſint pulchra, & omni ex parte perfecta. Illis namque ſi hæc intentio, propria ſanè fidelium, & Chriſto ſeruientium, deſit, quaſi caput deeſſe videtur, ſine quo minimè cuiuſque rei pulchritudo ſubſiſtit. Sunt etiam velut fructus acerbi, qui necdum ad maturitatem prouecti, ſummo regi offerri non poſſunt. Sunt denique labores minùs fœlices, qui illud, cuius gratia admittendi ſunt, non conſequuntur, vt ſcilicet Dei gratia & ob eius amorem ſuſtineantur.

At ſi actiones Virtutum ex hac præſtantiſſima intentione fiant, ſunt veluti columnæ pulcherrimæ, quibus capitella, & baſes decorem adiiciunt. Actiones ipſæ ſunt columnæ virtutis, honeſtate rectæ, & firmitate robuſtæ. Capitellum ſingularum eſt prima illa intentio, qua in virtutis honeſtatem tendimus, quia ab illa tanquam à capite, & à principio operari incipimus. Baſis verò eſt alia intentio altior & excellentior, qua Deo placere cupimus, & eius ardentiores amatores fieri, quoniam cùm in hac intentione opus figimus, illud quaſi in ſuo fundamento ſolidamus. Adeò vt ſi actu, vel ſaltem virtute bonum opus in Deum non tendat; nullo modo in ſpiritali domo, quam ex meritis ædificamus, ſubſiſtat. Optimè quidem hoc explicat Gregorius, tractans illud Iob: Super quo baſes illius, id eſt, terræ, ſolidatæ ſunt.] Iob. 38. 6. Greg. 28. mor. c. 6. Vbi ſic ſcribit: Baſes quippe vniuſcuiuſque ſunt animæ intentiones ſuæ. Nam ſicut fabrica columnis, columnæ autem baſibus innituntur: ita vita noſtra in virtutibus, virtutes verò in intima intentione ſubſiſtunt. Et quia ſcriptum eſt: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus:] 1. Cor. 3. 11. Tunc baſes in fundamento ſunt, cùm intentiones noſtræ in Chriſto roborantur. Incaſſum verò alta ſuper ſe baſes ædificia erigunt, ſi non ipſæ in fundamento ſolidatæ conſiſtunt: quia nimirum quamlibet ſumma opera inaniter faciunt, ſi intentiones cordium extra æternitatis certitudinem deflectuntur, & vitæ veræ præmia non requirunt: tantóque grauiora ruinæ ſuper ſe damna ædificant, quanto altiora ædificia extra fundamentum portant; quia cùm æternæ

A vitæ præmijs non intendunt, quo plus ſe quaſi in virtutibus erigunt, eo in gloriæ inanis foueam profundiùs cadunt.] Sic ille. Christus itaque, fundamentum eſt bonorum operum, in quo ſanè non collocantur, ſi per intentionem in eum actu vel virtute non tendant. Si verò actu, & expreſsè propter illum fiant; tunc firmiùs & indiſſolubiliùs erecta conſiſtunt. Tunc faciunt nos abundantes & diuites, quia & virtutes perfectiores acquiremus, & abundantiſſima præmia laborum obtinebimus. Erimúſque ex illis, de quibus ſanctus Dauid ait:

Pſal. 72. 10. Ideo conuertetur populus meus hic, & dies pleni inuenientur in eis.] Cùm impij, ait, verbis & factis deliquerint, & in ſuis operibus ſeipſos, ac temporalem proſperitatem quæſierint, tunc populus Dei, iuſti ſcilicet & ſancti, ita ex toto corde ad Deum reuertentur, ita verè ipſi adhærebunt, vt nihil in ſua conuerſatione, niſi eius beneplacitum ac gloriam inquirant. Fiétque ex hoc, vt dies plenos habeant, dies nimirum abundantia meritorum refertos, à quibus nunquam excidant, quæ, labente tempore, nunquam amittant. Et hanc fortaſſis ob cauſam, iuſti viri, dierum pleni mori dicuntur, quia hinc meritorum pleni decedunt.

Gen. 25. 8. De Abraham quippe dictum eſt: Deficiens, mortuus eſt in ſenectute bona, prouectǽque ætatis, & plenus dierum.]

Iob. 42. 16. Et de Iob: Mortuus eſt ſenex, & plenus dierum.] Tam hic quàm ille vſque ad ſatietatem vixerunt, quia merita, ad quæ deſtinati erant, abundantiſſimè bene viuendo ſunt aſſequuti. Qui autem eo modo, quo diximus, in virtutum actiones incubuerit, ſimiliter atque illi plenus dierum morietur, quia poſtquam optimè fuerit vita perfunctus, non erit cur illum ampliùs viuendi deſiderium teneat. Morietur quidem plenus dierum, plenus ſcilicet meritorum, quoniam non partem aliquam modicam, ſed omnes partes vitæ ſuæ (prout in hac vita mortali fieri poteſt) merita abundantiora replebunt. Nam ſi omnia opera in Deum dirigit, & propter eius amorem elicit, omnibus illis mercedem augebit. Loquendo, tacendo, corpuſculum reficiendo, pauſando, & dormiendo merebitur, quia nihil quantumuis vile & abiectum, vacuum eſt merito, quod Dei amore & puriſſima intentione veſtitur.

Pſal. 90. 16. Longitudine dierum, ait Dominus, replebo eum; & oſtendam illi ſalutare meum.] Dies longior dicitur, in quo plurima operamur, ad quæ elaboranda, duo, aut plures dies non videntur ſufficere. Ideo perfectus vir, licèt in florida ætate decedat, longitudine dierum impletur, quia Deum in omnibus quærens, plus quàm ſenes & decrepiti, imperfectionibus ſordentes, operatur. Ingreditur in abundantia ſepulchrum, quia in vita ſua multum laborauit, & largiſſimè meruit, licèt non multos mortalitatis annos acceperit. Bonus enim vno anno plus viuit, quàm centum annis malus: nam hic viuendo diutiùs, maiorem mortem aggregat, cùm tamen ille paucis diebus æternam vitam ſibi comparet. Ingreditur profectò quietem in abundantia, id eſt, in magna bonorum ſpiritualium copia & opulentia: quoniam non poteſt non eſſe diues, cuius diuitias quilibet euentus, ſiue proſperi ſiue aduerſi, quia propter Deum accepti aut tolerati, multiplicant. Et idem erit in hac parte, mori iuſtum plenum annorum, & plenum ſpiritualium diuitiarum, quoniam anni non defuerunt illi, qui paucis annis magnam perfectionem congregauit. Ne ergo in fine vitæ de teipſo conqueraris, & dicas:

Iob. 7. 3. Ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi:] opera tua in Deum dirige, propter eius amorem exequere, quæ menſes tuos impleant, & à nocte huius vitæ tanquam dulcedine amoris illita, laborem depellant. Nam non amore Dei, ſed amore ſæculi aliqua bona facere, vel aliqua aduerſa pati, vacuum eſt & laborioſum.

Greg. 8. mor. c. 5. Mens enim afficitur, inquit Gregorius, & remunerationis præmio non repletur.

Septimum Inſtrumentum, Robur mentis, ad perſiſtendum in quærenda virtute.

CAPVT IV.

MVLTA ſunt, quæ cor humanum abſtrahunt à ſequela virtutis: Inſtabilitas, neceſſitas, difficultas, & oppoſita conſuetudo, cuius falſa dulcedo illud multo tempore in vetitis detinuit, & ad viſibilia & inania pertraxit. Cor hominis inſtabile eſt, omni palea leuius, quod leuis tentationis aut occaſionis ventus rapit, & in varia diſpergit. Aſſiduis & magnis neceſſitatibus ſubiacet, quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & ſua imbecillitate, & dolorum, ac morborum varietate, & multitudine, illam non cœleſtia, ſed terrena, & quæ ipſi corpori adiumento ſint, cogitare compellit. In virtutum operibus non minimam difficultatem inuenit, quarum officium eſt, naturam corruptam caſtigare, comprimere, à rebus dilectis ſegregare, ab ingenita vilitate educere, & ad altiora & inuiſibilia ſuſtollere. Ipſum denique vitioſæ conſuetudines obruunt, & decipiunt, & retardant, ne ad inſueta, & infirmo palato minùs ſuauia tranſeat, ac res ex diuturnitate eas amandi quaſi in naturam verſas deſerat, atque relinquat. Non ergo ſufficiet ad virtutem aliquam obtinendam, eam cognoſcere, æſtimare, deſiderare, & poſtulare, & aliquanto tempore, etiam cum diffidentia ſui, in eius honeſtatem intendere, niſi etiam animus ad ſuperandas has omnes difficultates, robur, firmitatem, & conſtantiam induat. Sciat, nihil eſſe magnum, quod non ſit aliquantulum laborioſum, réſque præſtantes multis ſolere difficultatibus implicari; & quandoquidem virtutem optimam, maximam, ac præſtantiſſimam iudicat, eam ſine labore & difficultate aſſequi non præſumat. Caſta illa Iudith, vt Holofernem vinceret, & victoriam de hoſtibus reportaret, quiddam à Domino inter alia petiuit:

Iudith 9. 14. Da mihi, dicebat, in animo conſtantiam, vt contemnam illum: & virtutem, vt euertam illum.] Nouerat enim, abſque hac diuinitus immiſſa conſtantia, ſuum animum eſſe delicijs ac carnis illecebris deliniendum, & pro ſapore amoris impuri, ab amore populi, & à deſiderio victoriæ ſeparandum. Sic omnino qui victoriam per ſtudium virtutum de vitijs exoptat, eáque in ſemetipſo extinguenda deſiderat, ad hanc primum animi firmitatem aſpiret, ſine qua nec ſciet eas, quibus aſſueuit, delicias contemnere, nec vitia contraria profligare. Hoſtes animæ non tam primos impetus pugnæ, quàm conſtantiam in pu-

A gnando pertimeſcunt : nec ardenti conatui , qui citò tranſeat , ſed ſtabilitati mentis & perſeuerantiæ cedunt. *Iudith. 16.12.* Ipſáque ſancta fœmina ad iuſtorum eruditionem id cecinit , dicens : Horruerunt Perſæ conſtantiam eius , & Medi audaciam eius.] Nam ſi audacia ad aggrediendum , & conſtantia ad non deſiſtendum, ſe copulent , & impetum in vitia faciant, ea per virtutes oppoſitas in fugam vertent , & magnum eis timorem incutient. *Prou. 18. 14.* Spiritus viri , ait Sapiens, ſuſtentat imbecillitatem ſuam ; ſpiritum verò ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere ?] Ac ſi dicat : animi firmitudo ac ſtabilitas eſt , quæ hominem ad capeſſendam virtutem roborat , & ad vitia contraria ſuperanda confortat : quòd ſi minima tentatione oborta , ſtatim iraſcatur,& animum præ triſtitia & puſil- B lanimitate deſpondeat , quis aduersùs illum non irritetur , qui tam facili occaſione à bono deſiſtit ? *Eccli. 34. 12.* Et Eccleſiaſticus ait: Dominus ſolus ſuſtinentibus ſe in via veritatis & iuſtitiæ.] Gloriatur videlicet Dominus , ſe eſſe Dominum virorum robuſtorum , qui in via veritatis & iuſtitiæ perſeuerant , & virtutis impedimentis eos à bono retrahentibus obſiſtunt. Sicut enim homo gaudet , ſi habeat ſeruos fideles, & rex lætatur , ſi milites habeat fortes ac robuſtos , qui nunquam eum in acie deſerant , nec hoſtibus terga vertant : ita Dominus de ſuorum ſeruorum, ac militum conſtantia , & firmitate vehementer exultat.

Primùm ergo aduersùs humanam inſtabilitatem pugnandum eſt, & mens eſt in bono ſtabilienda , C & forti propoſito conſtanter agendi firmanda , ne ex ſua leuitate ac mobilitate à bono diſſiliat. Etſi in malo aliquando pertinaces fuimus , & noſtram inſtabilitatem ad perditionem vicimus; nunc eandem ad ſalutem vincamus, & in bono conſtantes ſtemus. Hoc enim per myſterium in Exodo præcepit nobis Dominus, cùm di- *Exod. 13. 11.* xit : Cúmque introduxerit te Dominus in terram Chananæi , quicquid habueris maſculini ſexus, conſecrabis Domino.] Nam quid eſt aliud in terra Chananæorum , id eſt , inſtabilium, maſculos Domino conſecrare , niſi omnem noſtram conſtantiam in eius obſequio collocare , & fortitudinem virorum in virtutibus congerendis im- *Ambr. li. 1. de Cain c. 10.* pendere ? Chananæi , inquit Ambroſius , mo- D biles & inquieti ſunt. Cùm igitur in eorum terram fueris ingreſſus, quos aduerſus propter leuitatem, inquietudinem , & inſtabilitatem morum, poſſeſſione deiectos , tu teneto conſtantiam. Non te vilis ratio , non leuis ſermo perturbet. Hoc eſt enim Chananæus , mobilis ſermo, affectus inſtabilis , & inquieta contentio. Sed magis tranquillitatem cordis, & animi ſerenitatem placidus ſeruato , vt tanquam in ſalo maris, tutam nauibus ſtationem portu quodam tuæ mentis exhibeas.] Sic ille. De viro quidem iuſto dictum eſt in Ec- *Eccli. 27. 12.* cleſiaſtico : Homo ſanctus in ſapientia manet, ſicut ſol :] de iniquo verò, & tepido additur: Nam ſtultus ſicut luna mutatur.] Ille meritò ſoli com- E paratur, quoniam non ſolùm in meditatione, ſed etiam in operatione ſapientiæ, & in omnis virtutis actione ſemper idem manet, ſemper ſplendidus & pulcher incedit, & nunquam à virtutis ſplendore deſiſtit. Iſte verò lunæ ſimilis dicitur , quia in luce, id eſt, in virtute , mutabilis eſt, & quam priùs acceperat, ex mutabilitate ſua , etiam nulla interueniente occaſione dimittit. Ille nonnunquam tentationum & perſecutionum nubibus impeditur , ne poſſit in alios ſuam lucem diffundere , & eis exemplo prodeſſe , at in ſeipſo ſemper manet lucens & ſplendens, nulláque lucis defectione fuſcatur. Iſte contrà abſque vlla nube , id eſt, abſque vllo impedimento in ſemetipſo virtutis amiſſione obſcurus & teter efficitur. Ille denique ſemper ſuis affectibus dominabitur : *Eccli. 10. 1.* nam principatus ſenſati ſtabilis erit.] Iſte de quo *Prou. 11. 18.* ſcriptum eſt : Impius facit opus inſtabile , ſemper affectibus agitatus ſeruiet, neque in libertate filiorum Dei , quam habere cœperat , permanebit.] Sint itaque iuſti ſicut cœli , qui ſine vlla intermiſſione ordinatis motibus voluantur, & in loco , in quo à Deo poſiti ſunt , torpore ſepoſito moueantur , nunquámque eundem tenorem ſanctæ vitæ relinquant. Nam de illis dictum eſt ad *Iob. 37. 18.* Iob : Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt.] Quare iuſti ſunt cœli ? Quia ſemper ad virtutem mouentur, vel potiùs ex vna virtute ad aliam, & ex iſta ad illam circumuoluuntur. Et quare ſolidiſſimi ? *Greg. 27. mor. c. 14.* Quia, vt inquit Gregorius, ab integritate cœptæ fortitudinis , nulla mutabilitatis rubigine conſumuntur. Quibus, & fortiter contra aduerſa durantibus auctoris voce dicitur : *Luc. 22. 28.* Vos eſtis , qui permanſiſtis mecum in tribulationibus meis.] Nubes ex vaporibus fiunt , frigore & cœleſti virtute denſatis, qui ſi non cogerentur, atque denſeſcerent , nunquam terram irrigarent , nec abundantiam frugum afferrent. Sic & homo , cuius vita vento & vapori comparatur , non poterit abundantem pluuiam virtutis & bonorum operum dare, niſi per conſtantiam comprimatur, & ab aëris inſtabilitate liberetur. Et ad hunc ſenſum etiam myſticè exponit idem ſanctus Pater Gregorius aliud *Iob. 37. 11.* dictum Iob : Subitò aër cogetur in nubes , & ventus tranſiens fugabit eas.] Iuſti enim ante iuſtitiam ſunt quaſi vapores, quos leuis aura tentatio- *Greg. 27. mor. c. 16.* nis fugat : poſt iuſtitiam , ſunt quaſi nubes cœleſti virtute denſatæ , & ad pluuiam bonorum operum dandam congelatæ, quas in cœlum leuatas minimè terrena conturbant. Has ventus tranſiens fugat , quia vita tranſiens à conſpectu eorum , quibus exemplo & doctrina proſunt, occultat. Qui tamen iuſti in hoc à nubibus diſtant, quòd nubes tranſeuntes euaneſcunt, iuſti autem hinc emigrantes, præmium ſtabilitatis ſuæ, æternitatem, recipiunt.

Nec ſolùm eſt contra inſtabilitatem , verùm & contra neceſſitatem decertandum , vt ſi neceſſitas ad corporalia cogitanda , & curanda nos vocat, nunquam à virtute repellat. Sunt enim nonnulli, qui tandiu virtutis ſtudiis vacandum eſſe putant , quandiu nihil emerſerit , quod mentem ad alia cogitanda ſolicitet : ſi autem id inſtet, pia virtutum exercitia intermittenda decernunt. Si corporalis infirmitas aut imbecillitas torqueat , ſi alicuius muneris cura occupet ; ſi rerum neceſſariarum penuria premat; ſi itineris faciendi neceſſitas vrgeat ; immò ſi intermiſſio aliqua ſit ex more humanæ fragilitati concedenda , tunc à rebus ſpiritualibus ceſſant , vel eas tepidiſſimè tenent , & ſua vita ſtudium adipiſcendæ virtutis hominum otioſorum , & nullum impedimentum habentium eſſe profitentur. Cùm tamen qui ad nonnullum , profectum peruenire volunt , debeant omnino quibuſlibet impedimentis obſiſtere , & nunquam à virtutis ſtudio ceſſare. Et ſanè hanc ob cauſam pauci proficimus , & ad aliquam mediocritatem ſpiritualis vitæ peruenimus ; quia nimirum in hu-

iuſmodi occaſionibus à ſtudio virtutis intepeſcimus, & potiùs temporalia quàm ſpiritualia ſectamur. Nam cùm res temporales multæ ſint, & maximam temporis partem præripiant, tempus, quod ex illis ſupereſt, anguſtiſſimum eſt, ſi ſolùm in virtute occupetur, & in eo tantùm hæc præſtantiſſima ars addiſcatur. Robur ergo animi neceſſarium eſt in multiplici hac neceſſitate, vt illi quidem occurrat, ſed propter illam virtutis ſtudia non deſerat, quin potiùs ipſam multiplicem neceſſitatem, materiam, & inſtrumentum virtutis efficiat. Sed quomodo id fiet? Ita quidem: ſi pia virtutis ſtudia, quantum poſſibile fuerit, corporali aut temporali neceſſitate vrgente, non abſcedant. Nam & in ægritudine, niſi ipſa omnino vires abſumat, orationi ſaltem aliquantæ vacandum eſt, & virtutes poſtulandæ, & reliqua, quæ incolumes præſtamus, ſaltem efficaci deſiderio perficienda. In munere autem nobis demandato, non ſolùm pia ſtudia intermittenda non ſunt, ſed maiori ſolicitudine in ea incumbendum, ſine quibus nec ſatisfaciemus muneri, & nos ipſos diſtrahemus. In itinere etiam, & in animi remiſſione, & in cuiuſcumque neceſſitatis prouiſione, ſi viri ſpirituales eſſe debemus, opera quoque ſpiritualia, & conuerſationem, Deo dignam, & virtutis amorem, & exercitia pro temporis commoditate non relinquemus. In hoc ergo robur mentis collocandum eſt, vt iſtæ, & ſimiles aliæ neceſſitates, nequaquam nos obruant, & ab vniuerſarum virtutum ſtudio diuellant. Semper hoc ſtudium negotiis reliquis præferatur, ſemper deſiderium puritatis alia omnia deſideria ſubiiciat, & ea, non ad ſui extinctionem aut remiſſionem, ſed ad augmentum & ardorem aſſumat. Ita faciebat Iob, qui non iam tot neceſſitatibus, ſed tot calamitatibus ab amore virtutis auocatus, dixit: Iuſtificationem
Iob 27.6. meam, quam cœpi tenere, non deſeram.] Multa, inquit, ſunt, quæ in corde meo ſtudium virtutis impugnant; nam hæc extrema paupertas, hæc moleſta carnis infirmitas, hæc ſiniſtra, quam de me amici, & amici reges conceperunt, opinio, curas ingentes cibi, quo ſuſtenter; medicinæ, qua ſaner; rationum, quibus meam innocentiam defendam; & vitæ huius iam euaneſcentis, & à me fugientis, inducit. At ego, qui virtutem ac ſanctitatem chariorem habeo, ab eius arctiſſimo amplexu nunquam diſcedam, priùs reliqua omnia diſperdam, quàm pretioſam iſtam gemmam dimittam. Hic ſanctus vir necdum verba Eccleſia-
Eccli. 6. 27. ſtici legerat: In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conſerua vias illius.] Et tamen ita cor ſuum ad virtutem applicuit, ita omne robur, & omnem fortitudinem ſuam, in ea conſeruanda & augenda collocauit, vt nec tot malis impeditus, vel ad momentum ab eius dilectione & actione ceciderit. Et qui paſſus eſt, cunctis humanis bonis & fœlicitatibus ſpoliari, nunquam in animum induxit, virtutem exuere. Nos verò, qui hæc legimus, qui hæc meditamur, & qui in exemplum aliis dati ſumus, minimo impedimento ſuborto, ſtudium puritatis deſerimus, vt omnibus notum ſit, quòd non pleno corde, ſed ſummis labiis (vt aiunt) virtutem attigimus.

Sed ais: Duplex eſt ergo in virtute difficultas; altera, quòd per ſe difficilis eſt: altera, quòd etiam inter impedimenta ſtudioſè agendi perſeuerantiam requirit? Fateor. Ad vtramque tamen difficultatem ſuperandam vnum mentis ro-

A bur ſufficit, benigniſſimi Dei gratia & fauore ful
citum. Quanti enim viri perfecti virtutem ſtre
nuè colentes, inter grauiſſima impedimenta, qu
iter ſalutis difficilius reddebant, ad ſummam v
que perfectionem aſcenderunt? Sed illi, ſicu
& nos, oſſibus erant & carne compacti, & amo
ri virtutis firmiter adhærentes, neceſſitatum &
impedimentorum ligamenta fregerunt. Idem cer
tiſſimè nobis eueniet, ſi non ſegniter virtutis vian
intrauerimus, ſi firmiter & animosè eam quæ
ſierimus, quia eundem Deum protectorem, at
que illi, & ſimilem gratiam adiutricem habe
mus. Amor eſt, qui robur adiicit, & omnem dif
ficultatem vincit; quia, vt ait Auguſtinus:
Quicquid difficile eſt in præcepto, leue eſt aman
B ti. Nec ob aliud rectè intelligitur dictum: O
nus meum leue eſt, niſi quia dat ſpiritum ſan
ctum, per quem diffunditur charitas in cordi
bus noſtris, vt amando liberaliter faciamus, quo
timendo qui facit, ſeruiliter facit.] Amemus ita
que, vt amore difficultatem virtutis ſuperemus
& ſi nobis aliquantulum difficilis, & oneroſa vi
deatur; animi firmitate, quæ in eius adeption
ponitur, quicquid obſtiterit, vincamus. Si enin
auarus inueniret magnum pondus auri, quo ma
ius eſſet, eo auidiùs caperet, arctiùs aſtringeret
& diligentiùs abſconderet, ne aliquis theſaurun
inuentum præriperet. Et nos auari ſumus, ſi vi
tam ſpiritualem amplectimur, non auri ſed virtu
tis, in qua non vituperabilis, immò maximè lan
C dabilis auaritia eſt. Amplectamur fortiter pon
dus illius, quæ omni eſt argento & auro pretio
ſior, & difficultates ferendi illam ſubiiciamu
ne inter inertes & puſillanimes computemur.
Quaſi lapidis virtus, probatio erit in illis, ait Ec
cleſiaſticus, & non demorabuntur proiicere i
lam.] Erit profectò vera ſapientia, & vera vi
tus inertibus & puſillanimis quaſi lapis, quo v
res hominum olim probabantur, nam ſentient
virtutis pondus, ſtatim aut poſt aliquantulum ten
poris illam abiicient. Quidam eorum tantillu
illam efferunt, vſquequò virtutis initia prægustan
& ſtatim deponunt: alij vſque ad genua vel vſqu
ad pectus eleuant, qui nimirum ad profectur
virtutis veniunt: pauciſſimi autem ſunt, qui ſu
pra caput attollant, & ſe totos virtutis perfectio
ni ſubiiciant. Ex his pauciſſimis eſſe conabimu
D & ita fortiter virtutem aſtringemus, vt nulla ſu
perueniente occaſione, è noſtris manibus exci
dat. Ad quod nos hortatur idem Sapiens, dun
inquit: Iniice pedem tuum in compedes illius, &
in torques illius collum tuum: Subiice hume
rum tuum, & porta illam, & ne acedieris vin
culis eius.] Si virtus, ô iuſte, negatiuis præce
ptis te à malo cohibuerit, & quaſi compedibu
aſtrinxerit, iunge libenter pedes tuos, & compe
dibus teneri permittito, ne ab his dulciſſimis com
pedibus expeditus, non tam liber fugias, quàm i
ſeruitutem miſeram dilabaris. Si à te omnen
otiosè vagandi occaſionem eripuerit, & ac ſi eſ
ſes canis ſuus, correptionis numella ligauerit, ne
E quaquam colli ligamen excutias, quo ad ſalutem
alligaris, & à tua perditione diſcedis. Si hume
ris tuis onera hoc & illud faciendi impoſueris, ne
detrectes onus, quod ſi portaueris, teipſum por
tabit, & non ad ima premet, ſed ad ſedes in cœ
lis paratas euehet. Si tandem manus tuas ne
xibus præceptorum aſtrinxerit, & ab omni mal
continuerit, ne tædio afficiaris, nec te in carce
rem coniectum putes, quia magnam in ea latitud

nem mentis reperies. Ne aliqua difficultate terrearis, ſed cuique inſurgenti impedimento reſiſte, ſic cum vincentibus & perſeuerantibus coronam victoriæ conſequeris.

Poſtremò aduersùs vitioſas conſuetudines fortiter agendum eſt, vt debellatæ, virtutibus cedant, & cor noſtrum melioribus & quietioribus hoſpitibus vacuum relinquant. In quo licèt dolor ſit, non tamen poſſumus ſine aliquo dolore plagis, & vulneribus noſtris per virtutes mederi, & quæ ſuperfluunt, abſcindere. Hunc etiam dolorem, quod illum ſequitur, gaudium repenſat, immò & præ magnitudine ſua priorem dolorem abſorbet. Gaudium enim maximum eſt, quòd pro vitioſis affectionibus ſtudioſæ naſcuntur, quæ non pungunt, ſed mentem exhilarant. Gaudium quoque eſt, quòd pars noſtra inferior, virtute moderata, malos mores dediſcit, prauam libertatem deſerit, & rationis imperio obedire aſſueſcit. Fitque vt maledictio contra Euam pronuntiata, ipſi in benedictionem conuertatur. Illi ſic dictum eſt: In dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.] Sed hoc in appetitione noſtra benedictio eſt; quia dolet mala abiiciens, vt de bonis gaudeat, & noxiam libertatem deponit, vt obedire rationi diſcat. Veruntamen, inquit Auguſtinus, magnum ſacramentum eſt, huius ſententiæ, ſcilicet quòd nulla abſtinentia fiat à voluntate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem conſuetudo flectatur. Quò cùm peruenerit, quaſi natus eſt filius, id eſt, ad bonum opus paratus eſt affectus per conſuetudinem bonam. Quæ conſuetudo vt naſceretur, cum dolore reluctatum eſt conſuetudini malæ. Et poſt pauca. Et quare dictum eſt: Et erit tibi conuerſio ad virum tuum, & ipſe tui dominabitur:] niſi quia illa pars animæ, quæ carnalibus gaudiis tenetur, cùm aliquam malam conſuetudinem volens vincere, paſſa fuerit difficultatem ac dolorem, atque ita pepererit conſuetudinem bonam, cautiùs iam & diligentiùs rationi obtemperat, tanquam viro, & ipſis quaſi erudita doloribus, conuertitur ad rationem, & libenter ſeruit iubenti, ne iterum in aliquam pernicioſam conſuetudinem defluat.] Sic ille. Si ergo aduersùs prauam conſuetudinem roboremur, à via illa declinamus, quæ ducit ad mortem, & eam ingredimur, quæ feſtinat ad vitam. In qua ſi aliquantulum perſeueremus, eam non iam difficilem & triſtem, ſed facilem & lætam experiemur. Quod ſanè ſatis ſupérque ſufficeret ad prauæ conſuetudini reluctandum. De quo egregiè Hieronymus hæc ait: Vide quanta inter has vias ſeparatio ſit quantúmque diſcrimen. Illa ad mortem hæc tendit ad vitam. Illa celebratur, ac teritur à multis; hæc vix inuenitur à paucis. Illa enim vitiis per conſuetudinem quaſi decliuior, ac mollior, & velut quibuſdam amœna floribus voluptatum, facilè ad ſe rapit commeantium multitudinem; hæc verò inſueto calle virtutum triſtior, atque horridior ab his tantùm eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi eſt, quàm vtilitas manſionis. Aſperam enim nobis, & inſuauem virtutum viam, nimia facit vitiorum conſuetudo: quæ ſi in partem alteram transferatur, inuenietur, ſicut ſcriptura dicit: Semita iuſtitiæ leuis.] Hactenus ille. Quamuis ergo praua conſuetudo inualuerit, non eſt de eius victoria deſperandum, cui Dominus perſeuerantiam in ſtudioſis operibus, & virtutum actibus in remedium adhibuit. Ipſe, vt dicitur in libro Sapientiæ, creauit vt eſſent omnia: & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum.] Quòd ſi nos fecit, vt eſſemus, abſque dubio conuenientia remedia contulit, ne per peccata pereamus. Si ita nos condidit, vt poſt languorem poſſimus ad animæ ſanitatem redire, nequaquam de eius potentia, aut de remedij efficacitate deſperemus. Remedium autem eſt robur animi & firmitas mentis, qua aduersùs oborta impedimenta pugnamus: illa tandem deiiciemus, & nos in omnis virtutis ac puritatis poſſeſſione collocabimus.

Gen. 3. 16. — *Aug. lib. 2. de Gen. cont. Manich. c. 19. tom. 1.* — *Hieron. epiſt. ad Celantiã. to. 1.* — *Sap. 1. 14.*

Octauum Inſtrumentum, Cura particularis, in vitio cuique virtuti contrario eliminando.

CAPVT V.

Hoc poſtremum inſtrumentum adipiſcendæ virtutis, ex his quæ ad voluntatem pertinent, magni momenti eſt, adeò vt ſolum ipſum conſueuerit ſpirituales animas ad perfectiſſimam puritatem prouehere, & ideo latiùs pertractandum. Beatus Pater noſter Ignatius in aureo illo libello exercitiorum, qui tantas de diabolo victorias peperit, & tam copioſos fructus in horrea Eccleſiæ congeſſit, duo examina nos edocuit, quorum alterum vocauit generale, alterum particulare. Generale examen eſt; quo quotidie culpas noſtras defectúſque diſcutimus, & cum firmo propoſito emendationis lugemus. Particulare verò examen eſt, quo aduersùs aliquod vitium particulare pugnamus, oppoſitum illi virtuti, quam aſſequi concupiſcimus. Nomen quidem nouum, res tamen vetus, & ſatis ab antiquis cognita, & maximi momenti exiſtimata. Hoc examen particulare, nos curam particularem ſeu ſpecialem appellauimus, vt pro his, qui hunc libellum non viderunt, communiori & clariori nomine vteremur. Neque abhorret hæc appellatio ab ea, quam Sanctus Pater noſter vſurpauit, quoniam hoc nobiliſſimum, & nunquam ſatis laudatum exercitium, & curam & examen continet, & alia nonnulla ex quibus componitur, quæ ſigillatim exponemus. Dicendum eſt igitur, quid ſit hoc examen, à quibus cognitum & exploratum, quanta ſit eius neceſſitas & vtilitas, quæ partes & fructus, & ad quæ moderanda & componenda ſe extendat, vt ſic pro noſtro modulo, eius dignitati fiat ſatis.

Examen particulare eſt pugna, ſeu congreſſio cum aliquo ſpeciali vitio, ex propoſito, cura, examinatione, & collatione compacta, cuius fructus eſt, vitium illud eliminare, & oppoſitam virtutem acquirere. Hac deſcriptione præſtantiſſimum hoc addiſcendarum virtutum, & extinguendorum vitiorum inſtrumentum expreſſimus: quæ ſigillatim explicanda eſt, vt vtiliſſimæ exercitationis, qua nouimus innumerabiles admodum profeciſſe, vis & quidditas innoteſcat. Examen particulare eſt pugna: quia ſicut pugna viſibilis vnius cum altero, eſt conatus virium corporalium, quo pugnans nititur hoſtem ſibi reſiſtentem deiicere atque proſternere. ita in hac ſpiritali exercitatione, amator perfectionis omnem ſuæ mentis conatum applicat, vt poſſit pro amore virtutis vitium ſibi moleſtius ſuperare. Hæc pugna ex parte hominis iuſta eſt: quod enim de Chriſto dicitur in Apocalypſi: Cum iuſtitia iudicat, & pugnat:]

Ignat. li. exercit. Hebdom. 1. — *Apoc. 19. 11.*

A id eſt, nulli iniuſtum bellum infert, de eius mem-
bris in hac parte dici poteſt, quòd aduersùs ſingula
vitia cum iuſtitia pugnant, vt mentes ſuas à diutiſ-
ſima eorum ſeruitute liberent, & ad iuſtitiæ & pu-
ritatis libertatem aſſurgant. Eſt autem ex parte
vitiorum iniuſta, quoniam vitia contra voluntatem
naturalis Domini, ſcilicet Dei, alienum caſtrum, id
eſt, mentem hominis, occupant, & in ea ſibi ſub-
denda & inficienda perſeuerant. Nec putandum
eſt, hanc non eſſe verè & propriè pugnam, quia
nullus exterius apparet, qui nos adoriatur, & no-
biſcum luctetur: nam licèt exteriùs omnia in pace
ſint poſita, tamen interiùs eſt bellum, intra ſunt
hoſtes, quorum deſiderium eſt, non opes perituras,
ſed gratiam, ſed virtutes, ſed bona omnia ſpiritua-
Amb. lib. 2. de Dauid. c. lia diripere. Et, vt dixit Ambroſius: grauior eſt pu- B
gna eius, qui intus, quàm illius qui foris dimicat. Vi-
tia, quæ oculis non videmus, ſatis verò interiùs graſ-
ſantia ſentimus, aduersùs nos pugnant, & nos ad-
uersùs illa pugnamus: & locus pugnæ non mon-
tes, non campi, non valles huius mundi, ſed cor
noſtrum eſt. In eo conflictus eſt belli, adeò pro-
lixus, vt vſque ad mortem non ceſſet: adeò pericu-
loſus, vt difficile ſit non aliquando vulnerari: adeo
anceps, & dubius, vt niſi adeſſet adiutorium gratiæ
Dei, non poſſet homo ſpem aliquam victoriæ con-
Aug. ad Pſal. 99. tom. 8. cipere. Pugnamus quotidie, inquit Auguſtinus, in
vno corde noſtro. Vnus homo in corde ſuo cum
turba luctatur. Suggerit auaritia, ſuggerit libido,
ſuggerit voracitas, ſuggerit lætitia popularis. Omnia
ſuggerunt ius, ab omnibus ſe continet, omnibus C
reſpondet, & ab omnibus auerſatur, difficile eſt, vt
non ab aliquo feriatur. Vbi ergo ſecuritas? Hic nuſ-
quam, in iſta vita nuſquam niſi in ſola ſpe promiſ-
ſorum Dei.] Ab hac pugna, ad quam iuſtus voca-
tur, & prouocatur, nunquam debet in ſuo corde de-
Pſal. 100. 8. ſiſtere, ſed illum imitari, qui dicebat: In matuti-
no interficiebam omnes peccatores terræ.] Matuti-
num tempus, id eſt, opportuniſſimam diei horam
eligat, qua poſſit aduersùs vitia ſua dimicare, eá-
que compunctione & propoſito emendationis de-
lere. Vel matutinum, primam vitij alicuius oſten-
ſionem deſignat, quia ſtatim ac ſe oſtentat, & no-
ſtram pacem turbare aggreditur, hac eſt ſalutari pu-
Iuſt. lib. de ſpirituali animæ interitu ante finem. gna diſſipandum. In matutino, ait Laurentius Iu-
ſtinianus, videlicet in primo internarum ſugge-
ſtionum congreſſu, ac corporalium voluptatum im- D
pulſu, de cordis mei thalamo, qui Domini ciuitas
eſſe perhibetur, cunctorum vitiorum propelle-
bam inſultus. Hæc ſanè ſpiritualis eſt pugna. Hæc,
inquam, eſt violentia ſalutaris, quam ſibi ipſi iu-
ſtus quiſque indicit, vt animam ſuam in pace poſ-
ſideat, virtutum margaritis fulgeat, perfectio-
nis alta conſcendat, atque poſt conſummatos pro
Chriſto labores, Beatorum ſpirituum cœtibus inſe-
ratur.]

Particulare tamen examen non quæuis eſt pugna
contra vitia, ſed illa, quam non aduersùs omnia vi-
tia in generali, ſed aduersùs vnum aliquod, quod
magis nos infeſtat, & virtutem capitalem impugnat,
ſpeciale ſuſcipimus. Quia enim (vt poſtea dicemus) E
difficile eſt & minùs vtile, aduersus omnia vitia in
generali dimicare, & ad omnem ſimul aſpirare vir-
tutem, per partes in hoc opus incumbimus, & vnum
aliquod vitium excindere, vnámque ſpecialem vir-
tutem comparare geſtimus: & iſta acquiſita, aliud vi-
tium deſtruere, & aliam virtutem obtinere conten-
dimus, & tandem vniuerſam perfectionem hoc mo-
do aſſequi conamur. Habemus autem de hoc dupli-
ci modo præliandi, imagines in ſcriptura pulcherri-

A mas. Iam enim populus Dei aduersùs acies hoſtium
ſuorum pugnat; iam vnus aliquis fortis cum vno tan-
tùm, ex pluribus, hoſte decertat. Sic vir iuſtus,
nunc contra omnia vitia ſe exerit; nunc verò, quia
minùs potens eſt ad omnia, mutato conſilio cum
vno tantùm præliatur, vt hoc bellum prudentiùs
gerat, & hoſtibus vno poſt alium occiſis, virtutes
etiam non vno (vt aiunt) impetu (quod fieri non
poteſt) ſed ſucceſſu temporis paulatimque conqui-
rat. In hiſtoria Regum, quatuor, quæ huius ſpecia-
lis pugnæ aduersùs vnum vitium figuræ ſunt, bella
narrantur, ex quibus duo tantùm referemus. Alte-
rum eſt; [in quo Adeodatus,] cognatus Dauidis, in- *2. Reg. 21. 19.*
terfecit alterum [Goliath Gethæum, cuius haſtile *Vide Abulen. ibi. q. 39.*
haſtæ erat liciatorium texentium.] Quem namque
B iſte Adeodatus refert niſi virum iuſtum, cuius omnia
bona, Dei dona ſunt, quæ non ex proprijs viribus,
ſed ex ſuperno auxilio potuit accipere? Et meritò
cognatus veri Dauidis Chriſti dicitur, cui non car-
ne & ſanguine, ſed gratiæ ſpiritu copulatur. Qui
& filius ſaltus, & polymitarius, & Bethlehemites
vocatus eſt, quoniam iuſtus, ſi non ſemper corpo-
re, at ſemper corde in ſyluis & in ſolitudine, à curis
mundanorum ſequeſtratus, habitat: & ex varijs vir-
tutibus tanquam ex molibus filis polymita ſibi, id eſt,
pulchra ſanctitatis indumenta facit, & à domo pa-
nis, qua iuſtus eſt, nempe ab Eccleſia, originem du-
cit. Is Goliath fratrem illius, aut ſimilem illi, quem
Dauid occiderat, interfecit, quia vnum vitium, il-
lud nimirum ex quo aliæ ſuæ imperfectiones pen-
C dent, ſingulari hoc certamine proſtrauit atque de-
uicit. Hæc pugna ſatis quidem pulchrè hanc ſpiri-
tualem, & ſpecialem pugnam cum aliquo vitio, vir-
tutem, quam optamus, impediente, deſignat. At
alterum bellum eo aptiùs ad noſtrum bellum deli-
neandum adducitur, quòd aliam qualitatem huius
noſtri certaminis, quam poſtea ex profeſſo tracta-
bimus, valde neceſſariam illuſtrat. Illud autem eſt,
in quo Ionatham, filius fratris Dauid, [virum excel- *2. Reg. 21. 20.*
ſum, ſenos in manibus & pedibus digitos haben-
tem,] gladio percuſſit. Si enim ſenis digitis, vt non-
nulli volunt, ſex quæ ſunt in conſummatione pecca-
ti deſignantur: nempe cogitatio, deſiderium, lo-
quutio, operatio, conſuetudo, & gloriatio de pec-
cato, quid aliud erit ſenos huius gigantis digitos
commemorare, niſi rationem pugnandi aduersùs
aliquod vitium aperire? Ea autem eſt, quòd cùm vi-
D tium multas partes habet, hac ſpeciali pugna, vt ef-
ficacior ſit, non aduersùs omnes ſimul pugnan-
dum, ſed quælibet ſeorſum ad certamen vocanda,
vt vitium, quod ſimul eradicare non poſſumus, ſal-
tem per partes exciſſum intereat. Iſtius igitur ſpi-
ritualis pugnæ hoc proprium eſt, quòd vnum ali-
quod ſpeciale vitium adoritur, & vnam ſpecialem
virtutem expugnare, & in hominis poſſeſſionem
vendicare molitur, vt vires noſtræ, quæ paucæ ſunt,
in vnum coactæ, & non in varia, & multa vitia ex-
pugnanda diſperſæ, faciliùs poſſint hoſtes perfectio-
nis paulatim deſtruere, & ad eius faſtigium ordina-
tis greſſibus conuolare.

E Iam tamen æſtuas deſiderio ſciẽdi, in quo ſalutaris
hæc contra aliquod ſpeciale vitiũ pugna conſiſtat? In
illis quidem quatuor ſuprà commemoratis, nẽpe in
propoſito, cura, examinatione, & collatione, poſita
eſt, quæ qui ſtrenuè præſtiterit, & gratiæ Dei innixus
exercuerit, abſq; dubio & vitiũ deiiciet, & virtutem
oppoſitam poſſidebit. Hæc quatuor poſtea latiùs
pertractanda, nunc breuiter exponamus. Propoſi-
tum hoc ſignificat, vt cùm manè, è lecto ſurgis, ô vir
Dei, & ipſi Domino genuflexus gratias agis, pro quie-

to ſomno, & pro alia luce tibi vitæ conceſſa, & pro innumerabilibus periculis carnis & mentis, à quibus te in præterita nocte liberauit, firmiter quaſi in gratiarum actionem ſtatuas, eo die vſq; ad horam meridianæ refectionis, te aduersùs vitiũ quod impugnare vis, vt aduersùs vitiũ ſcurrilitatis, aut detractionis, aut tepiditatis, pugnaturũ, nullũmq; in ea materia nec minimum defectum admiſſurum. Iſtúdque idem propoſitum paulo ante prandium firmiter repetas in examinatione tunc facienda, de qua ſtatim dicam, & vſque ad tempus dormiendi, eodem vitio aut culpa nequaquam fœdari decernas. Item vt ſequenti die, & ſic deinceps idem facias, toto tempore, quo vitium illud impugnare conſtituis, & virtutem illi oppoſitam cõparare. Huícque propoſito fortè accommodari poteſt illud dictum Salomonis: Cogitaui in corde meo, abſtrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientiam. Quid enim eſt, cogitaui, niſi firmiter ſtatui à vino temperare, vt ſapientiam addiſcerem? Quis autem credat, potentiſſimum, & digniſſimum regem, ac ditiſſimum, ſemel tantùm propoſuiſſe, & non multories in die idem propoſitum iteraſſe, quo poſſet occaſiones innumeras voluptatis, omni hora ſe ingerentes euincere? Cura eſt, vt toto illo tempore, quod eſt à facto propoſito vſque ad horam examinationis faciendæ, eiuſdem propoſiti non obliuiſcaris, ſed illud implere, & actione præſtare, & à vitio vel defectu illo abſtinere cures. Breue enim tempus eſt, à manè vſque ad prandium, in quo facilè te ipſum corriges; & breue à prandio vſque ad cœnam: & ſi his breuiſſimis morulis aſſueſcas te emendare, ſuauiter te ad bonum decipies, & per longum tempus à vitio temperabis, & tandem illud aſtrues, & virtutem illi aduerſam in mentis tuæ receſſibus inſeres. De hac cura intellige illud Sapientis: Cura ergo diſciplinæ, dilectio eſt; & dilectio, cuſtodia legum illius eſt cuſtoditio autem legum, conſummatio incorruptionis eſt.] Cura, inquit, id eſt, ſolicitudo ac diligentia acquirendi virtutem, ſignum eſt dilectionis illius: dilectio autem cauſa eſt cuſtodiæ præceptorum, quæ de illa virtute ſunt lata: cuſtodia verò huiuſmodi præceptorum perfecta eſt virtutis acquiſitio, ac totius perfectionis conſummatio; à qua totum iſtud inſtrumentum nomen accepit, eſt; vt bis in die, ſemel ante prandium, & ſemel poſt cœnam, antequam cubitum eas, in ipſo tempore generalis examinis (de quo poſtea dicemus) conſcientiam tuam attentè diſcutias, an illud propoſitum tuum cuſtodieris, diligenter aduertas: ſi cuſtodiſti, Deum auctorem agnoſcas, eíque gratias agas: ſin minùs, amariſſimè defleas, te ipſum reprehendas, & accuſes, de admiſſis defectibus doleas, & de cætero te propoſito tuo ſtare conſtituas. Ad hánceque examinationem extendere poſſumus illud Pauli: Spiritualis iudicat omnia.] Nam & vir ille, qui ſpiritu Dei agitur, diſcernit, & diſcutit omnia, quæ in dictis ſuis & factis inuenerit, vt à ſe ipſo iudicatus, & ob præpoſterè facta reprehenſus, à nemine iudicetur. Qui enim ita viuit, vt frequẽter ſua dicta & facta diſcutiat, ipſe ſuimet iudex factus, his ſuperior euadit, quib⁹ nulla eſt propriæ emẽdationis & diſcuſſionis ſolicitudo; & quia ſuperior ab inferioribus non iudicatur, ab illis iudicari non poteſt. Collatio tandem deſignat, vt ſi meridiana examinatione aliquos in te defectus deprehenderis aduersùs illud propoſitum tuum, eos in charta, vel libello ad id parato, punctis, aut lineis, aut breui numero notes; & ſimiliter in nocturna examinatione idem omnino facias; & numerum defectuum vnius examinationis cum numero alterius conferas; & ſimiliter defectus vnius diei ſequentis,

Eccleſ.2. 3. — *Sapien 6. 19.* — *Hoc eodẽ lib.p.5.* — *1. Corin. 2.15.*

A & defectus præcedentis: necnon & culpas huius hebdomadæ, & defectus præteritæ, inter ſe compares, vt ſtatum mentis tuæ videas, & an aliquantulùm proficias, vel potiùs deficias, manifeſtè cognoſcas. Hanc diligentem, & (vt ita dicam) minutam inſpectionem ſui, quicquid ſit de notatione in ſcriptis, docuit pulcherrimè Leo Papa, cuius hæc ſunt verba notanda: Omnia, quæ animi puritatem & ſpeculum mentis obnubilant, abſtergenda ſedulò, & quadam elimatione radenda ſunt. Scrutetur quiſque conſcientiam ſuam, ſéque ante ſe ſtatuat proprij cenſura iudicij. Videat, ſi in ſecreto cordis ſui illam, quam Chriſtus dat, inuenit pacem; ſi deſiderium ſpiritus nulla concupiſcentia carnis impugnat, ſi humilia non ſpernit, ſi alta non appetit, ſi iniquo non B delectatur lucro, ſi immoderato rerum ſuarum non gaudet augmento, ſi denique aliа fœlicitate non vritur, aut inimici miſeria non lætatur, & cùm harum perturbationum nihil in ſe fortè reperit, ſincero diſquirat examine, qualium cogitationum ſpecie frequentetur: & vtrùm nullis vanitatum imaginibus acquieſcat, vel quàm citò animum ab iis, quæ noxiè blandiuntur, abducat.] Hactenus ille.

Leo.ſer.3. quadrageſ.

Hæc eſt natura huius inſtrumenti, quod curam particularem aut examen particulare vocamus: hæc generalis praxis, qua illo nobis vtendum eſt multis prætermiſſis, quæ ad ſpecialem eius expoſitionem pertinent, & inferiùs ſunt explicãda. Cuius examinis incredibilis eſt efficacia ad id aſſequendum, quod nunc tractamus, ſcilicet ad eliminanda vitia & vir- C tutes inſerendas. Quod probè cognoſcere, tanti momenti reputauimus, vt non perfunctoriè nec curſim, ſed ex profeſſo, & latè ad animarum vtilitatem enucleare velimus.

De Particularis curæ, ſiue examinis, auctoritate.

CAPVT VII.

PARTICVLARE Examen, diximus nomen eſſe nouum, rem tamen veterem: & de nouitate nominis nemo ambiget, quod ad hãc rem applicatum, nec in doctoribus Eccleſiaſticis, D neque in ſcriptoribus externis inueniet: ſed an hæc res antiqua ſit, volumus nunc inueſtigare. Licèt enim ad auctoritatem ei conciliandam, ſententia Beatiſſimi Patris noſtri ſufficiat, qui non ſolùm ſanctiſſimus, ſed & illuminatiſſimus ad erudiendas animas in via ſpiritus extitit, & hoc inſtrumentum vincendorum vitiorum & aſſequendarum virtutum docuit, & vſque ad fœlicem mortem ab eius diligentiſſimo ſtudio non deſtitit: tamen non oberit, hanc eius doctrinam antiquorum dictis & exemplis confirmare, vt omnibus innoteſcat, Dei ſpiritum ſemper eadem docuiſſe, & ſpiritualibus viris certiſſimam & efficaciſſimam viam ad proficiendum demonſtraſſe. Huius curæ, vel examinis, ſeu pugnæ E (his enim nominibus hoc inſtrumẽtum vocauimus) non alium quàm Chriſtum Saluatorem noſtrum auctorem eſſe fatemur: nam (ſi accidentia iſtius inſtrumenti ſemoueamus, & ſolam eius ſubſtantiam ſpectemus) ipſe aliquando in ſua conuerſatione eius formam ac rationem expreſſit. Ille quidem nullum vitium habuit, nec habere potuit; & eius anima ab inſtante creationis ſuæ omnibus in ſummo gradu virtutibus abundauit, nullam de nouo virtutem acquiſiuit: quin & robur habuit, vt ſimul vno impetu

vniuerſa in nobis vitia, & omnes aduerſarios ſuos, & omnem infernum contereret. Elegit tamen in deſerto, in quo pugnas ſpiritualium virorum delineabat,vitia vnum poſt aliud vincere, & virtutes,vnam poſt aliam exercere, vt ex eo iuſti non tantùm ſubſtantiam ſuorum bellorum, ſed & bellandi modum addiſcerent. Primò de gula tentatur, vt Auguſtinus & Gregorius annotarunt, vt ſecundus, & cœleſtis *Gregor. hom. 15. in Euág.* Adam in remedium primi & terreſtris Adæ, eadem bella gulæ, inanis gloriæ & auaritiæ ſuſtineret, & quæ iſtum vicerunt, ipſe vinceret: audiuítque à diabolo: *Matth. 4.3.* Dic vt lapides iſti panes fiant.] A gula autem tentatus, gulam ſuperauit, & abſtinentiæ virtutem exercuit, magnum ieiunium quadraginta dierum adhuc protelans. Deinde inanis gloriæ telis *ibid.n.6.* impetitur,illis verbis: Mitte te deorſum;] & tunc inanem gloriam irriſit, & virtutem humilitatis in actum proferens, ab aucupatione vani honoris abſtinuit. Demum illum aduerſarius cupiditate diuitiarum aggreditur: *n.9.* Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me:] & pro patris amore ac reuerentia ſordidam cupiditatem abiecit, & paupertatem,viſibilium opum contemptricem, eſt amplexus. Quænam fuit cauſa Domino horum ſpecialium bellorum? Ea profectò, vt nos diſceremus pugnare, & vnum vitium poſt aliud ad pugnam acceſſere,& vnam virtutem poſt aliam exquirere. *Ambr.li. de Helia. c.1.* Ille antea eſt præliatus, inquit Ambroſius, vt vinceret: non quòd ipſe egeret certamine, ſed vt nobis formam bellandi antè præſcriberet, & poſtea daret gratiam triumphandi.] Formam ipſe ac rationem pugnandi præſcripſit,non tantùm in eo,quòd vitia nos impugnantia detexit; & modum reſiſtendi, ac ſanctarum ſcripturarum ad obſiſtendum dæmoni vſum aperuit,ſed in hoc etiam,quòd bellum hoc quaſi per partes ſuſcipiendum eſſe monſtrauit.

Huius autem rationis pugnandi, & virtutes acquirendi ordinem,à Domino in ſua tentatione patefactum in tempore veteris legis, quando omnia ad figuram Eccleſiæ, & eruditionem noſtram contingebant,adumbratum eſſe comperimus. Nam iter illud ab Ægypto vſque ad terram promiſſionis,in quadraginta duas manſiones diuiſum eſt, vt ex libro Exodi & Numerorum conſtat;quo hæc ars præſtantiſſima proficiendi ſignatur. *Iſidor.* Per has enim manſiones, vt ait Iſidorus, currit Hebræus, qui de terra feſtinat tranſire ad cœlum, & Ægypto huius ſæculi derelicta, terram promiſſionis ingreditur.] Iſtæ quidem manſiones varios gradus profectus animæ variáſque virtutes ſignificant. Et ſicut in qualibet manſione populus per aliquod tempus quieſcebat, & poſt quietem ad aliam ex iſta tranſibat: ita & nobis in adeptione cuiuſque virtutis pauſandum eſt, & per aliquod tempus cum oppoſito vitio ſingulariter decertandum, & virtutis illius actibus inſiſtendum, vt ex iſta ad aliam virtutem tranſitus fiat. Si ille populus voluiſſet ſine vlla intermiſſione & ordine totum illud ſatis longum iter conficere, & ſe voluntati Domini, eum ducentis, oppoſuiſſet, poſt paucos dies præ laſſitudine à labore ambulandi ceſſaſſet. Sic omnino euenit his, qui abſque ordine & modo viam ſpiritus ambulare conſtituunt; quia citiſſimè fatigantur,& omnia ſimul apprehendentes, nihil aſtringunt. Clariùs autem in ipſa expugnatione terræ promiſſæ, & gentium eam habitantium deletione,hic modus proficiendi figuratus eſt.Sic quippe dixit Dominus ad populum ſuum: *Exod.23. 27.29.* Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum,ad quem ingredieris;cunctorúmque inimicorum tuorum coram te terga vertam.Non

A eiiciam eos à facie tua anno vno, ne terra in ſolitudinem redigatur,& creſcant contra te beſtiæ. Paulatim expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis, & poſſideas terram.] Et alio loco Moyſes ait: Ipſe *Deut. 7. 22.* Dominus conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim atque per partes.] Quæ verba de modo, quo pugnandum eſt contra vitia, intelligenda eſſe ſupra ex Caſſiano didicimus. *Caſſian. coll.5.ca. 14.* Si autem vitia paulatim extinguenda ſunt, etiam virtutes,vna poſt aliam ſunt inſerendæ,quia non aliter illa recedunt à nobis, niſi in locum illorum fuerint iſtæ ſuffectæ. Ad quod confirmandum egregiè venerabilis Beda ait: *Beda qq. in Deut. cap.16. To.8.* Quòd verò iſtarum pernicioſarum gentium regiones ſalubriter poſſidere præcipimur, ita intelligitur. Habet

B enim vnumquodque vitium in corde noſtro propriam ſtationem: ſed ſi cum ſpiritalibus populis, id eſt,virtutibus contra ſe dimicantibus fuerint vitia ſuperata,locum, quem ſibi in corde noſtro concupiſcentiæ, vel fornicationis ſpiritus retinebat, deinde caſtitas obtinebit:quem furor ceperat,patientia vindicabit. Quem triſtitia morte operante occupauerat, incipiat excludere fortitudo ſalutaris, & plena gaudij lætitia poſſidebit. Quem acedia vaſtabat, incipit excolere fortitudo. Quem ſuperbia conculcabat, incipit excolere humilitas. Et ita ſingulis vitiis expulſis,eorum loca, id eſt, effectus contrarios poſſidebunt filij Iſraël, id eſt, animæ videntes Deum.] Dominus itaque expellit hoſtes noſtros paulatim atque per partes, & eiicit eos à facie noſtra, non anno

C vno, ſed multis annis, ſiue temporibus, non ſolùm quia ſucceſſu temporis ipſe nos perficit,ſed quia vult vt prudenter nos cooperemur noſtro profectui, & nunc ex profeſſo vnam virtutem, nunc aliam addiſcamus: nunc vnum vitium, nunc aliud ſingulariter diſſipemus. Quare vnicuique iuſto aptiſſimè conuenit illud ſapientiæ, quod ad litteram dictum eſt de Iacob: Cuſtodiuit illum ab inimicis,& à ſeductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi, vt *Sapient. 10.12.* vinceret, & ſciret, quoniam omnium potentior eſt ſapientia.] Nam quinam,rogo, ſunt hominis inimici, qui ſeductores,niſi vitia eius, quæ oſtenſione voluptatis, aut rerum viſibilium ipſum decipiunt, & in eius mortem excidiúmque conſpirant? Ab his ergo profugum iræ fratris ſui,id eſt,iuſtum ab operibus,& conſuetudinibus veteris hominis fugientem Domi-

D nus mirè cuſtodit & tutat. Sed quomodo cuſtodit? Offerens quidem illi certamen forte,vt quemadmodum Iacob cum vno Angelo,& ita ipſe cum vna tantùm virtute luctetur, quam non ictibus, non vulneribus; ſed precibus,ſed deſideriis, ſed gemitibus,ſed aſſidua exercitatione ſuperare decernat. O certamen forte, quo homo virtutem inſuperabilem vincit; ideo tamen vincit,quia ipſa vult vinci, & à luctante & laborante poſſideri! O certamen forte,quo iuſtus cum vna virtute decertans, neſcio quo pacto,omnes poſſidet,quia dum hanc exercet,ad omnes ſe facilem ſentit! O certamen forte,quo dum vni tantùm vitio per vnam virtutem bellum indicit, vniuerſis vitiis timorem incutit,& omnia territa à ſe propellit! Verè cognoſcit, quòd omnibus hominibus potentior eſt

E ſapientia. Nam homo fortis & validus, ſi vnum ex ſuis hoſtibus viſibilibus vincit, non ſtatim omnes vincit,ſed poteſt tanto faciliùs,quanto eſt magis fatigatus,ab alio hoſte ſuperari. At iuſtus experitur in ſe fortitudinem diuinæ ſapientiæ,quoniam dum ea adiutus vni vitio ex profeſſo ſe opponit, & vnam virtutem ſingulariter quærit,omnia vitia occulta quadam, & nunquam ſatis bene verbis explicata ratione proſternit.

Eſt itaque hoc virtutis aſſequendæ inſtrumen-

A tum, à Domino per figuras, & imagines, & poſtea ſuo exemplo demonſtratum. Non quia ipſe de nouo aliquam virtutē acquiſierit (vt iam diximus) ſed quia in pugnis ſuis modum nobis ac rationem certandi præſcripſit. Hic autem modus pugnandi contra vitia, & virtutes acquirendi, patres antiquos non latuit.
ſuprà lib. 6 p.2.c.2. remedio 8. Caſſianus enim, quem ſuprà retulimus, illum manifeſtè docuit: qui & ea ratione validiſſima ad eius vſum nos mouet, quòd dum vnum ſingulare vitium proſternimus, ad alia vincenda efficimur robuſtiores. *Caſſian. col 5. cap. 14.* Eius verba ſunt: Quia & mens triumphorum proceſſu redditur fortior, & infirmior pugna ſuccedens promptiorem ei prouentum faciet præliorum, vt fieri ſolet ab his, qui coram regibus mundi huius omnigenis congredi beſtiis præmiorum B contemplatione conſueuerunt. Hi, inquam, feras quaſcumque fortiores robore, vel feritatis rabie conſpexerint diriores, aduersùs eas primæ congreſſionis certamen arripiunt, quibus extinctis, reliquas, quæ minùs terribiles minúſque vehementes ſunt, exitu faciliore proſternunt. Ita & vitiis ſemper robuſtioribus ſuperatis atque infirmioribus ſuccedentibus, parabitur nobis abſque vllo diſcrimine perfecta victoria.] Hæc ille. Ioannes etiam Climacus in illa ſua ſcala cæleſti, gradu de Caſtitate, idem inſtrumentum diſertis verbis explicuit. Is, ait, qui ſe vno quodam vitio ampliùs vrgeri conſpicit, contra ipſum & ſolum ante omnia ſeipſum armet, & maximè ſi hoſtis inteſtinus ſit. Niſi enim iſte profligatus fuerit, nihil nobis reliquos viciſſe proderit. Cùm verò Ægyptium hunc C nos quoque percuſſerimus omnino, Deum in humilitatis rubo intuebimur.] *Chryſoſt. hom 18. ad popul. Antioch. To.5.* Chryſoſtomus verò aduersùs iuramenta ſcribens, non tantùm hanc curam, ſiue particulare examen docet, ſed & modum faciendi docet, & oculis ipſis ſpectandum proponit. Sic enim ait: Si verò poſt hæc dicas, quòd eſt difficile conſuetudinem non fallere, vehementer quoque ſtudentes, hoc fateor quidem & ego. Veruntamen & illud cum hoc pariter dico, quòd ſicut eſt facile decipi, ſic & facile corrigi. Si namque domi multos tibi cuſtodes conſtituas, putà ſeruum, vxorem, amicos, ab omnibus facilè compulſus atque coactus, à mala recedes conſuetudine. Et, ſi decem tantùm diebus id obſeruaueris, non iam ampliùs reliquo D tempore indigebis, ſed cum fiducia totum erit tibi repoſitum, pulcherrimæ conſuetudinis firmitate viciſſim radicatum. Cùm igitur hoc corrigere cœperis, ſiue ſemel, ſiue ſecundo, ſiue tertio, ſiue vigeſimo legem tranſcenderis, ne deſperes, ſed iterum ſurge, & ſtudium tuum reſume, & omnino victor eris. Quin & Baſilius eiuſdem inſtrumenti eſt ad ſuperandum vitium, & aſſequendam virtutem, aſſertor, cuius hæc eſt oratio. *Baſi. reg. 6. fuſius diſp.* Non mediocri autem hoc eget contentione, vt conſuetudinem ſuam aliquis peruincat. Conſuetudo enim vetuſtate firmata, naturæ vim ſolet nanciſci, & contractas ex ſuperioribus peccatis labes, oratione aſſidua & perpetua, Dei decretorum conſeruatione abſtergere poterimus. Eam autem nullo modo licebit euincere, ſi multa hinc inde habeamus, quibus temerè huc illúcque animus noſter E diſtrahatur, & vitæ huius negotiis implicetur.] Iam vides à Patribus iſtis curam hanc particularem, atque peruigilem, vnum vitium proſternendi, & in aliquo defectu ſe emendandi, fuiſſe manifeſtè conſcriptam & vtiliſſimam reputatam. Nam & validum armorum genus eſt, ad vnum aliquem ex animæ hoſtibus ſuperandum, etiam ſi per multum tempus nos ſuo dominatui ſubiecerit: quo victo ad alia ſubigenda redditi ſumus animoſiores. Nam ſicut vnum lucrum ſpem alterius maioris generat, & concepta ſpes

A ad maiores opes negotiationi exponendas roborat: ita vna victoria parens eſt maioris fiduciæ, qua aduersùs vitia remanentia conſurgimus. Ille verò Deus fidelis & verax, qui non ſpernit ſperantes in ſe, non patietur nos pro defectuum noſtrorum victoria, & pro virtutum aſſequutione perſeueranter laborare, & ſine fructu deſiderato permanere. Vnde ſicut qui in longinquam regionem eſt peregrinaturus, & per multas ciuitates, & oppida, vſque ad finem itineris tranſiturus, vt faciliùs & efficaciùs viam peragat, in proximam vrbem ſibi tantùm veniendum eſſe conſtituit, & cùm ad eam peruenerit, aliam ſubſequentem ſibi vt finem proponit, & poſtea aliam & aliam, donec omnes abſoluat: ita qui vult arcem perfectionis tenere, debet priùs in vnius vitij impugnatio- B nem, & vnius virtutis aſſequutionem oculos mentis intendere; & póſtea ſuo ordine in aliam & aliam, donec omnes virtutes obtineat, & ad puritatem mentis perueniat. Vnam enim, aut aliam virtutem acquirere, & vnum aut aliud vitium euertere, pugnare eſt: omnes autem virtutes acquiſiuiſſe, & omnia vitia deſtruxiſſe, vincere eſt. Quare Auguſtinus ait: Bene vincere hoc eſt, vniuerſas machinas diabolicas vincere. *Aug. ſer. 2. de S. Vincētio.* Illecebras dum miniſtrat, vincitur per continentiam: pœnas & tormenta infligit, vincitur per patientiam: errorem ſuggerit, vincitur per ſapientiam. Ad extremum cùm omnia eius victa fuerint, ſuggerit animæ ſuperbiam, inquiens: Euge, euge: quantum potuiſti certare? Quis tibi comparatur? Quàm bene viciſti? *Pſal. 39. 15.16.* Reſpondeat illi anima ſancta: Con- C fundantur, & revereantur, qui dicunt mihi Euge, euge.] Quando ergo vincit, niſi quando dicit: *Pſal. 33. 3.* In Domino laudabitur anima mea; audiant manſueti, & lætentur?] Hæc ille.

Iam an ſint alij, qui huius inſtrumenti meminerint, inueſtigare proſequamur. Eius meminit Dionyſius Richelius, qui quodam loco ſic inquit: *Dion. li. de vita viduar. 10.* Quicumque autem cupit Deo placere atque proficere, contra illa vitia, ad quæ ex naturali diſpoſitione, aut praua conſuetudine pronior eſt, debet ſpecialiùs, fortiùs ardentiúſque pugnare: Deum pro adiutorio iugiter vocando. Et alio loco ſic ait: *Idem li. de rem. tentat. ar.27.* Inſuper iuxta præhabita diabolus vnumquemque ex ea parte magis impugnat, in qua minùs inuentus eſt armatus, D hoc eſt, de vitiis illis, ad quæ ex complexione, vſu, ſocietate, aut occaſione eſt pronior: idcirco requirit prudentia, vt vnuſquiſque volens ſaluari, illis virtutibus ſe potiſſimè ſtudeat præmunire, armare, confortare, perficere, ad quarum contraria vitia procliuiorem ſe inuenit. Hinc cholerici ad iracundiam proni, ſpecialiſſimè debent niti ad manſuetudinis incrementum, atque ad plenam totius iræ & impatientiæ extirpationem. Sanguinei ad carnalitatis refrænationem: Melancholici ad inuidiam & rancorem procliues, ad charitatis & pietatis ſynceritatem: Phlegmatici triſtes ad ſpiritalē lætitiam. Ac tandem Thomas à Campis, vir piiſſimus, huius particularis curæ mentionem fecit, dicens: *Thom. à Camp. li. 1. de imitat. Chriſti. c. 11.* Si omni anno vnum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficeremur. Sed E modò contrarium ſæpe ſentimus, vt meliores & puriores in initio conuerſionis nos fuiſſe inueniamus: quàm poſt multos annos profeſſionis.] Quid enim aliud eſt ſingulis annis vnum vitium excindere, niſi per aliquod tempus pro eius impugnatione, & pro virtutis contrariæ acquiſitione ſpecialiter laborare? Si ita in curando mentis profectu nos haberemus, abſque dubio breui tempore euaderemus perfecti. Nam vno vitio planè exciſſo, & vna virtute perfectè plantata, reliqua vitia remitterentur, & reliquæ virtutes roborarentur, & facilè iuſtus victis omnibus

ſuis

ſuis hoſtibus, & virtutibus conquiſitis, ad perfectionem aſcenderet. Et alio loco clariùs ait: Conemur quantum poſſumus, adhuc leuiter deficiemus & in multis. Semper tamen aliquid certi proponendum eſt, contrà illa præcipuè, quæ ampliùs nos impediunt.] Vt ſcilicet illa maiora noſtri profectus impedimenta diſſipemus. *ib. c. 19.*

Eſt denique hic modus proficiendi tam patens ac manifeſtus, vt gentiles Philoſophi, ſola naturali ratione ducti, illum ad emendationem animæ vtiliſſimum eſſe cognouerint. Ex his duo tantùm ſubiiciam. Alter ſit Seneca, qui ita ſcribit: Omnes ſenſus perducendi ſunt ad firmitatem. Natura patientes ſunt, ſi animus illos deſinat corrumpere, qui quotidie ad rationem reddendam vocandus eſt. Faciebat hoc Sextius: vt conſummato die, cùm ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum, Quod hodie malum tuum ſanaſti? Cui vitio obſtitiſti? Qua parte melior es? Deſinet ira, & erit moderatior, quæ ſciet ſibi quotidie ad iudicem eſſe veniendum. Quid ergo pulchrius hac conſuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur, quàm tranquillus, altus, ac liber, cùm aut laudatus eſt animus, aut admonitus, & ſpeculator ſui, cenſórque ſecretus cognoſcet de moribus ſuis? Vtor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico. Cùm ſublatum è conſpectu lumen eſt, & conticuit vxor, moris iam mei conſcia, totum diem mecum ſcrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipſe abſcondo, nihil tranſeo: quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cùm poſſum dicere; Vide ne iſtud ampliùs facias, tunc tibi ignoſco? In illa diſputatione pugnaciùs locutus es. Noli poſtea congredi cum imperitis. Nolunt diſcere, qui nunquam didicerunt, illum liberiùs admonuiſti, quàm debeas, itaque non emendaſti, ſed offendiſti. De cætero vide, non tantùm an verum ſit, quod dicis, ſed an ille cui dicitur, veri patiens ſit.] Hæc Seneca. Alter ſit Galenus, cuius ſenſum non poſſumus ad verbum ſcribere, quod latiùs ſe diffundat: ſed in ſumma hæc dicit: Qui vult iram frænare, & prauas concupiſcentias cohibere, cùm ſurgit è lecto, diligenter inſpiciat quid acturus ſit, quantique referat, non ſeruire affectibus, ſed in omnibus ratione & conſilio vti, itaque apud ſemetipſum toto die conuerſari ſtatuat. Veſpertinis horis, antequam cubitum eat, eadem repetat, ſéque diſcutiat, videátque num more canum ſe auidiſſimè cibis impleuerit, & quemadmodum illi, qui ardentiſſima febre æſtuant, frigidam potionem exhauſerit, aut potiùs, vt decet virum grauem, & cultu ac reuerentia dignum ſe geſſerit. Præſtabit hoc ſæpius quàm matutinis & veſpertinis horis agere. Et ego, inquit, olim monita hæc, quæ quaſi Pythagora auctore circumferebantur, conſueui primum quidem legere bis ſingulis diebus, pòſt verò etiam ore pronuntiare. Non deſpondeat animum, licèt ſe iam ſenem videat; nam ſenes, corporis inualetudinem incurrentes, nequaquam de acquirenda ſanitate deſperant, ſed quicquid poſſunt, faciunt, vt ſe ad priſtinam incolumitatem, vel ad aliquem gradum eius reſtituant: ſic prorſus in quacumque ætate, non eſt de animi ſalute deſperandum, nec quia omnino nos emendare non poſſimus, emendationis ſaltem aliquantulum abiiciendum. Nec quia aliquis non poſſit ad ſummam virtutem peruenire, debet ab eius ſtudio ceſſare, quia licèt non ſummum ſit, at magni pretij eſt quidquid virtutis, & moderationis acceperit. Etenim ſi antequam exiſteremus, fuiſſet in noſtra poteſtate conuenire illum, qui prouidebat, vt naſceremur, & primò quidem orantibus nobis, vt corpus ſtrenuiſſimum generoſiſſimúmque ab illo liceret accipere, ille denegaſſet, tum profectò precati eſſemus, vt ſecundo ſaltem gradu, aut tertio, aut etiam quarto, proximum primo bonæ habitudinis corpus nobis concederet. Itaque ſi Herculis non potuiſſemus, at Achillis accipere præclarum quiddam, nobis viſum eſſet; quòd ſi non huius, at Aiacis, at Diomedis, at Agamemnonis, at Patrocli: ſin ne horum quidem, at ſaltem aliorum quorumpiam Heroum præſtantium. Eadem, vt arbitror, ratione, ſi quis ſupremam nequeat animi excellentiam obtinere, at ſaltem poſt ſupremos illos ſapientes, in ſecundis, aut tertiis, aut etiam quartis ſe haberi non recuſet. Hoc autem, quod dico, non eiuſmodi eſt, vt fieri non poſſit, ſi modò quis exercere ſeipſum velit, & longiori tempore, aſſidua exercitatione periculum facere. Amicum quærat hominem prudentem, veridicum, integræque vitæ, qui ipſum de ſuis defectibus admoneat, quem vitia increpantem placidè & libenter audiat, vt liberiùs deinceps quoſque defectus obiicere fructuosè, & increpare confidat. Concludit tandem, quendam amicum patria Gortinenſem alloquens: Tu, ſi ita feceris, quamuis non multo fias melior, at ſatis fuerit, anno vno in melius ſaltem paululo eſſe prouectum. Nam ſi perges conſtanter reſiſtere affectui, iracundiámque mitigare, tum altero anno te multo euidentiùs profeciſſe animaduertes. Quòd ſi in eo diutiùs perſeueraueris, vt tibi ipſi prouideas, longè propiùs tertio, & poſt hunc quarto, atque item quinto ad honeſtius grauiúſque vitæ genus acceſſiſſe te ſenties. Hæc omnia Galenus in variis locis illius libelli de dignoſcendis curandíſque animi morbis. Tanta eſt enim veritatis lux, vt etiam longè à Deo poſitis ſplendeat, & eos minimè ſui ieiunos eſſe ſuſtineat. Ideo autem auctor iſte non audet ſic laboranti omnimodam emendationem promittere, quia gratiam neſciens, & naturæ humanæ in ſe & in aliis imbecillitatem conſiderans, difficillimum putauit, ſi non impoſſibile, tantam hominis infirmitatem erigere, & tam peſſimos affectus emendare. Nos verò, qui Domini beneficio gratiam cognoſcimus, & auxilij diuini naturam iuuantis robur experimur, quam in multis iuſtis, oculis vidimus, & manibus contrectauimus, ſtrenuè laboranti perfectã emendationẽ pollicemur. Scimus enim, qòd ſi potens fuit Adam ad perdendum potentior eſt Chriſtus ad ſaluandum: & quia, [vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia,] vt facilè illos perficeret, quos delictum à perfectione deiectos in barathrum vitiorum exturbauit.

Senec. li. 3. de ira. c. 36.

Galen. de curan. animi morbis c. 3. 4. 5. 6.

De Particularis curæ ſiue examinis neceſſitate.

CAPVT VII.

NON eſt ergo res noua, particularis hæc cura, ſiue conſcientiæ ſpecialis examinatio, quam Saluator noſter ſub imagine ſuorum præliorum expreſſit, quam ſacræ litteræ docuerunt, multi Eccleſiæ Patres tradiderunt, & Gentiles Philoſophi non ignorarunt. Adeò vt de illa, cui nomen nouum & minùs vſitatum indidimus, dicere illud Salomonis poſſimus: Nihil ſub ſole nouum, nec valet quiſquam dicere: Ecce hoc recens eſt: iam enim præceſſit in ſeculis, quæ fuerunt ante nos.] Nunc huius inſtrumenti ingens neceſſitas aperienda eſt ad vitioſas affecti

fectiones cohibendas & virtutes inſerendas, ex cuius inſpectione maior ſolicitudo eius exercitationis accedet. Hanc quidem ſpecialem pugnam, qua aduersùs vnum aliquod vitium pugnamus, & vnam aliquam virtutem obtinere nitimur, admodum neceſſariam eſſe, vires ipſæ noſtræ ſatis manifeſtè perſuadent. Habemus namque vires ſatis infirmas, aut potiùs adeò infirmi mente & imbecilles ſumus, vt vix infirmis hoſtibus reſiſtamus. Vitia verò, quæ nos oppugnant, numero ſunt multa, & viribus nimis fortia atque robuſta. Melius eſt ergo atque prudentius, ſingula ſeorſum aggredi (nam quodque per ſe ſumptum, minoris eſt fortitudinis) quàm aduersùs omnia vna congreſſione pugnare. Nonne ſi vnus homo ægrotus eſſet cum multis militibus ſanis & validis pugnaturus, magis eligeret, vnum poſt alium inuadere, quàm omnes ſimul ſibi reſiſtentes adoriri? Et tu, ô homo, mente æger es, vitia verò, quæ te perdere moliuntur, valida ſunt, quare aduersùs omnia vno impetu pugnas, & non magis ad ſingulare certamen vocas, & vnum poſt aliud debellas? Annon pars es, & quaſi membrum humani generis? Sed vide quid de eo dicat Auguſtinus: Ægrotat genus humanum, non morbis corporis, ſed peccatis. Iacet toto terrarum orbe ab oriente vſque in occidentem grandis ægrotus. Annon in teipſo has ægritudines ſentis, de quibus idem ſanctus Pater alio loco ait: Nihil infirmius anima noſtra, poſita in mediis tentationibus ſæculi, in mediis gemitibus & parturitionibus moleſtiarum: nihil ea infirmius, donec hæreat ſodalitati cœleſti, & ſit in templo Dei, vnde iam non cadat.] Annon multa intra temetipſum aduertis, quæ pro vitiis militant, & aduersùs bona deſideria decertãt? Quãta ſunt, quæ te à cœpto reuocant? quanta à vitæ ſublimitate detorquent? quanta virtutis iter impediunt? Quàm numeroſa turba phantaſmatum perſtrepit? quàm copioſi populi ſuggeſtionum clamant, & te à virtutis amore retardant? Iam verò quanta ſunt vitia, quorum hoc vnum munus eſt, hominem mille artibus perdere, & virtutum excidium meditari? Quàm armata, quibus affectus ipſi humani ſunt arma, nam propriis nos affectibus feriunt? Quàm robuſta, quæ inueterata conſuetudine delinquendi ſupra noſtros conatus inualeſcunt? Neceſſe eſt ergo tibi infirmo, & aduersùs numeroſum exercitum pugnanti, eum per partes aggredi, vnum hoſtem poſt alium impetere, & non ſimul omnes velle deſtruere. Et erunt reliquiæ Iacob, id eſt, iuſti, inquit Micheas, in medio populorum multorum, quaſi ros à Domino, & quaſi ſtillæ ſuper herbam, quæ non expectat virum, & non præſtolatur filios hominum.] Nunc ſi per multos populos, multitudinem vitiorum intelligamus, quæ in mentem noſtram graſſantur, & omnia bona deuaſtant, quid erit, iuſtos eſſe inſtar roris, & inſtar ſtillarum, terram irrigantium? niſi quòd ſicut ros, & ſtillæ paulatim in terram cadunt, & ſucceſſu temporis eam herbis & floribus veſtiunt, & ſterilitatem ac ariditatem pellunt: ita iuſti ſucceſſu temporis ſe ab ariditate vitiorum liberant, & nunc vni virtuti, nunc alij ſtudentes, tandem omni virtute ſe circumdant? Et erunt reliquiæ Iacob iiſdem, ſcilicet iuſti in medio populorum, in vitiis nempe, à quibus impugnantur, quaſi leo in iumentis ſyluarum, & quaſi catulus leonis in gregibus pecorum, qui cùm tranſierit, & conculcauerit, & ceperit, non eſt, qui eruat.] Vt quemadmodum leo gregem ouium inuadens, hodie vnam rapit, & deuorat, & cras aliam, & conſequenter, niſi impediatur, reliquas, donec omnes occidat: ita qui famem ſuæ ſalutis &

Aug. ſer. 39. de verb. Dom. To.10.

Idem ad Pſ. 122. To.8.

Michea 5.7.

Ibi.n. 8.

perfectionis habet, nũc vnũ vitiũ diſſipat, nũc aliud: nunc vnam virtutem ſectatur, nunc aliam; quouſque vitia vniuerſa deſtruat, & virtutum cibo ſuæ fami ſatisfaciat.

Petit itaque hanc particularem curam infirmitas virium noſtrarum, quæ ſimul in omni bonorum genere operari non valet, petit etiam ipſa natura vitiorum atque virtutum. Vitia enim ſunt conſuetudines malæ, affixæ intellectui, aut voluntati, aut appetitui, multis actionibus: & virtutes ſunt conſuetudines bonæ, affigendæ eiſdem potentiis multis bonis operibus. Nullus autem ſine diligenti & particulari cura ſe continendi, prauam conſuetudinem ablegabit, nec ſine magna ſolicitudine bonam conſuetudinem induet. Conſuetudo ab Auguſtino dicitur ſecunda, & quaſi affabricata natura. Quis autem poterit vnam naturam exuere, & aliam omnino contrariam induere, niſi in hoc ſolicitam curam conſtituat? Tractat optimè idem Auguſtinus, quomodo ſit vincenda praua conſuetudo, explanans illud Iacobi: Ante omnia, fratres, nolite iurare.] Quod enim dicit de iurandi conſuetudine, ad quamcumque aliam vitioſam poteſt extendi. Quid eſt, inquit, ante omnia? Præ cæteris cautus eſto, plus ad hoc intentus eſto, quàm ad alia. Maior conſuetudo maiorem intentionem flagitat, non rei leuis conſuetudo. Si de manu aliquid faceres, faciliùs manui tuæ imperares, ne faceret: ſi pedibus aliquò eundum eſſet, pigritia retardante, excitares te, vt ſurgeres, & ires: lingua facilitatem habet motus, in vdo poſita eſt, facilè in lubrico labitur. Quanto illa citiùs & faciliùs mouetur, tanto tu aduersùs illam fixus eſto. Domabis, ſi vigilabis: vigilabis, ſi timebis: timebis, ſi Chriſtianum te eſſe cogitaueris. Similiter ex Hieronymo diſcimus, quomodo ſit bona conſuetudo quærenda. In omnibus, inquit, mundi ſtudiis, profectu non ſatiantur homines, in virtute tantùm cœpiſſe ſufficiet? Feruentiſſimi in terrenis, frigidiſſimi in cœleſtibus ſumus, & ſummam in rebus paruis cohibemus alacritatem, ad maiora torpeſcimus; conſiderare pudet, quantus ſit feruor in ſæculo, qua cura ſingula quæque ſtudia hominum quotidie ad perfectiora nitantur: litterarum ardor nulla prorſus ætate extinguitur, immò, vt ſæcularis auctoris vtar ſententia, ipſa magis ætate inflammatur: diuitiarum amor inſatiabilis eſt, expleri neſcit honorum cupido, celerem habituræ res finem ſine fine quæruntur, nos diuinam ſapientiam, cœleſtes diuitias, immortales honores, pigra quadam diſſimulatione negligimus, & ſpirituales diuitias, aut ne attingimus quidem, aut ſi leuiter deguſtauerimus, continuò nos putamus eſſe ſatiatos: aliter nos diuina ſapientia ad ſuas inuitat epulas. Qui edit me, inquit, adhuc eſuriet, & qui me bibit, adhuc ſitiet,] nullus vnquam talibus expletur epulis, nec aliquando patitur de ſatietate faſtidium: tanto vnuſquiſque capacior, tanto auidior erit, quanto inde plus hauſerit. Dominus in Euangelio: Beati, ait, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.] Vult enim nos eſurire hîc ſemper, ac ſitire iuſtitiam, vt in futuro iuſtitiæ retributione ſatiemur: conſideranda vis ipſa verborum eſt, & ita nobis deſideranda eſt iuſtitia, vt in fame vel in ſiti cibus deſideratur ac potus.] Hæc ille. Tantus conatus, tanta ſolicitudo neceſſaria eſt ad quodlibet vitium deſtruendum, & ad quamlibet virtutem aſſequendam. Non ergo oportet, confusè & quaſi in generali hoc opus aſſumere, ſed ſigillatim & ſpecialiter ad euerſionem cuiuſuis vitij, & procreationem cuiuſque virtutis aſpirare. Oportet enim vt in curanda ſalute

Aug. lib. 6. Muſica cap. To.1.

Iacobi 5 12.

Aug. ſer. de verb. Apoſt. c. 11.

Hier. in epiſt. 1. ad Demetriadem, To. 9.

Eccl. 24. 29.

Matth. 5.6.

& per

& perfectione noſtra, medicum animæ morbis medentem imitemur, qui de ſe ait: Ecce eiicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor.] Ipſe, vt interpretatur hunc locum Auguſtinus, prima die dæmonia eiicit, cùm homines per fidem à variis ſuperſtitionibus liberat. Secunda die virtutes perficit, cùm eoſdem homines in obſeruatione mandatorum promouet. Tertia die conſummatur, quia in membris ad perfectionem Angelicam peruenit. Si ille, qui omnipotens eſt, & vno temporis momento poteſt ſummam ſanctitatem inducere, paulatim & per interualla temporum iudicat eſſe faciendam; quid nos, qui non tam infirmi, quàm ipſa infirmitas ſumus, omnem virtutem ſimul addiſcere volumus, & temerario auſu, quæ ordinem petunt, ſine vllo ordine lucrari præſumimus? Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec debet homo infirmus, quaſi moræ impatiens, ſimul omnia aggredi, quæ viri perfecti ſolent paulatim & per partes addiſcere.

Luc. 13. 32.

Aug. lib. 1. de conſens. Euāgel. c. 75.

Hinc autem colligitur tertia cauſa huius neceſſitatis, particularis curæ in vno aliquo vitiu extinguendo, & vna aliqua virtute acquirenda collocandæ. poſſet quippe aliquis dicere, Verum quidem eſt, quòd vires hominis ſunt exiguæ, & ſatis anguſtis limitibus circunſcriptæ: verum etiam eſt, quòd vitia & virtutes, tanquam malæ aut bonæ conſuetudines, non poſſunt niſi ſpeciali cura, & iteratione multorum actuum, aut euelli, aut plantari. At cùm hoc opus non tam ſit induſtriæ noſtræ, quàm gratiæ Dei, cuius potentiæ nullus eſt finis, non videtur hæc regula, quæ in artibus humanis vtilis inuenitur, in virtutum adeptione ſeruanda. Immò ſicut natura adiumento medicinæ ſucceſſu temporis morbos pellit, & ſanitatem reſtituit, Deus verò vnico temporis momento vtrumque facit, & ægritudinibus depulſis miraculosè ſanitatem impertit: ita humana induſtria ſeorſum quamlibet artem & ſcientiam addiſcat, donec omnes teneat: at gratia, quam infinita Dei poteſtas mouet, vno momento nos ad omne genus virtutis prouehat, & omnem ſimul perfectionem efficiat. Hæc perſuaſio inanis eſt, & potiùs oppoſitum eſt ex diuinæ prouidentiæ ſuauitate inferendum. Licèt enim Deus poſſit repentè hominem in magnam ſanctitatem extollere, quod & aliquando fecit, vt quando Magdalenæ peccata remiſit, & latroni in cruce pepercit, & Paulum ad ſe conuertit; tamen non decet vt ſemper id faciat, & naturæ noſtræ, ex vno ad aliud procedentis, conditionem mutet. Eſt Deus naturæ amator & conditor, quam non vult ſine occaſione alicuius neceſſitatis inuertere, & à debito modo propriæ operationis extrahere. Sed ſicut rex iudicis à ſe conſtituti auctoritatem tuetur, & ſententiam ab ipſo latam confirmat, niſi aut iniqua iudicetur, aut neceſſitas eam immutandi ac relaxandi conſtringat: ita Dominus naturæ à ſe factæ leges illibatas eſſe decernit, niſi in ſpeciali euentu inſtans neceſſitas contrarium expoſcat. Hæc autem eſt noſtræ naturæ lex, vt paulatim proficiat, vt ſpecialem curam & diligentiam ad quodque magni momenti negotium applicet, & vt eo ad finem perducto, vel ſaltem ex initiis extracto, ita vt per ſe creſcere poſſit, aliud ſimile promouendum ſuſcipiat. Ergo non decuit, vt Deus ſemper hanc legem immutaret, ſed potius ſecundùm eam ſuam gratiam impertiens, nos per diuerſos gradus ad perfectionem proueheret. Non igitur gratia, & prouidentia Dei erga iuſtos, eos à ſpeciali proficiendi cura eximit, ſed potiùs ea cura conſtringit, vt quia naturæ eorum ſe accommodat, debeant ipſi per gradus proficere, & nunc omnem

A conatum, & curam mentis ad vnam virtutem, nunc ad aliam applicare. Nam & de Dei ſapientia dictum eſt: Attingit à fine vſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuauiter.] Fortitudo eius in hoc eſt, quòd ſuam voluntatem certiſſimè impleat, & finem intentum obtineat: ſuauitas verò in hoc quòd noſtram libertatem non lædit, nec naturæ conditionem inuertat. Et Iob de ipſo Domino ait: Ipſe enim fines mundi intuetur, & omnia quæ ſub cœlo ſunt, reſpicit.] Intuetur, inquam, & reſpicit omnia ſingulari quadam obſeruatione & circunſpectione, vt rerum ordinem intueatur, & ſine læſione naturæ earum finem à ſe deſtinatum attingat. Ideóque dicitur communiter: Gratia non deſtruit naturam, ſed perficit; quia quod natura per

B ſe non poteſt, gratia facit, vt poſſit: ſic tamen, vt ſicut natura eſſe non deſinit per hoc, quòd à gratia præueniatur & adiuuetur; ſic nec modum operandi ſibi congruum deſerat, nec ordinatum in virtutibus progreſſum omittat.

Siue ergo naturæ noſtræ vires, ſiue diuinæ gratiæ adiutorium ſpectemus, ſiue vitiorum & virtutum conditionem inſpiciamus, neceſſaria eſt particularis erga quamlibet virtutem cura, vt oppoſito vitio deſtructo, eam mens noſtra conquirat. Dum enim intellectus per aliquod tempus, vnum ſemper fugiendum proponit, & vnum ſectandum eſſe decernit, dum vnum tantùm vituperat, & vnum oppoſitum laudat; efficaciſſimè voluntatem ad illud declinandum & iſtud amplectendum inclinat. Et dum vnum

C ſemper amandum ingeritur, importunitate victa, id ipſum, quod amandum proponitur, amore & deſiderio amplexatur. Quantáque ſit efficacitas vnum intelligendi & voluntati proponendi, perſpicitur ex illo, quod de impio dictum eſt: Noluit intelligere, vt bene ageret.] Aduertens namque quòd via certiſſima ad bonum faciendum eſt, bonum oculis internis videre, hos oculos clauſit, ne eum ad bonum faciendum impellerent. E contrà verò iuſtus vnum videt, vnum clamat, vnum ſibi faciendum inculcat, vt illud bonum agat, & illo executioni mandato aliud bonum faciendum aſſumat. Voluntas etiam ſi multa ab ea ſimul exigantur, quaſi impoſſibilitatem prætexit, & tepidè ea aggreditur, veluti de tantorum adimpletione deſperans: at ſi vnum tantùm

D ab illa petas, illud, tanquam poſſibile, & facile, & ſuas vires non ſuperans, præſtare non renuit. Et dum iſtud diligenter exequitur, & nullum in ſpeciali materia defectum patrare nititur, quodammodo ab omnibus liberatur. Quemadmodum enim ſi virgo pulcherrima, & munditiæ cupidiſſima, conclaue ingrediatur, in quo aliquid immundum & putidum eſſe coniectat, diligentiſſimè eius tactum vitat, ne ſe aut ſua indumenta contaminet: dum autem hoc vitat, & quaſi in eo ſolo vitando curam ſuam collocat omnia etiam alia fugit, in quibus ſimilem aut maiorem eſſe immunditiam aduertit, & illa vna, & ſpecialis cura in omnibus fecit cautionem: ita omnino anima iuſta, dum ſpecialiſſimè defectus, verbi gratia ſuperbiæ aut arrogantiæ vitat, & oculos aperit, vt hos

E defectus videat, & declinet, reliquos etiam ſimiles aut maiores facilè reſpicit, & ipſis ſe infici pertimeſcit. Si verò nullum in ſpeciali vitaret, & nullum peculiariter inſpiceret, dum omnes ſimul defectus, & vniuerſa vitia vitare conſtituit, ad tanta ſe minùs habilem ſentiret. Vnum namque ex obſtaculis perfectionis eſt infirmitas voluntatis. Quare Bernardus inquit: Sed heu me, quot obſtacula ſeparant, quot prohibent impedimenta? Obiicit ſeſe malitia media, obiicit infirmitas, obiicit concupiſcentia, &

ignorantia noſtra. Sicut ergo aliis impedimentis depellendis congrua remedia quærimus; ita & infirmitati proprium remedium adhibeamus, neceſſe eſt. Illud autem non eſt aliud quàm hæc particularis proficiendi cura, ad vnam virtutem & vnum vitium applicata. Medici enim hominibus, ſtomachum infirmum, & nimis frigidum habenobus, præcipiunt vt ſæpe comedant, & in qualibet vice modicum ingerant, quod modicus ille calor coquere & digerere valeat. Stomachus autem aoimæ, eſt eius voluntas, qui poſt caſum Adæ, in omnibus filiis eius manſit peccato infirmus & ſegnitie frigidus. Sæpe igitur comedat, & ſemper quod comedit, modicum quid, quod ſuum calorem non obruat, aſſumat. Sæpe comedere, eſt pro breui tempore aliquid ſibi faciendum vel vitandum ſtatuere, & ſpatio illo temporis elapſu, aliud faciendum, vel vitandum accipere, quouſque omnia facienda, vel vitanda percurrat. Parum verò comedere, eſt vnum virtutis actum traiicere, vel vnum ſpecialem defectum conſumere, nec velle omnes ſimul deuorare. Si verò ars medicinæ hoc documentum adeò neceſſarium eſſe cenſet, vt ex eo dicat hominis ſalutem vitamque pendere: ars ſpiritus non minori exaggeratione in rebus animæ ipſum neceſſarium eſſe præſcribit. Quia ſi paulatim, & per partes virtutem in mores noſtros transfundendam accipimus, ea tanquam cibo aptiſſimo mirificè ſuſteotamur: ſi autem omnem virtutem ſimul amplectimur, tanto cibo onerati & oppreſſi, detrimentum puſillanimitatis & deſperationis ſuſtinemus.

De Particularis curæ, ſiue examinis multiplici vtilitate.

CAPVT VIII.

EXPOSITA huius inſtrumenti neceſſitate ad adipiſcendas virtutes, nunc eius vtilitates & fructus aperiamus: vt dum eo vtimur, de illorum perceptione gaudeamus, ipſóſque decerpere & obtinere curemus. Hi fructus multi ſunt & ſuauiſſimi: quorum primus eſt, intima quædam propriæ imbecillitatis infirmitatíſque cognitio, & bonitatis ac miſericordiæ diuinæ notitia. Duæ iſtæ cognitiones Dei & noſtri pretioſiſſimæ ſunt, ſicut duæ oppoſitæ ignorantiæ perniciosiſſimæ. De vtriſque hæc ait Bernardus: Cæterùm, ſi nos ignorantia Dei tenet, quomodo ſperamus in eum, quem ignoramus? Si noſtri, quomodo humiles erimus, putantes nos aliquid eſſe, cùm nihil ſimus? Scimus autem, nec ſuperbis, nec deſperatis partem eſſe, vel ſocietatem in ſorte Sanctorum. Intuete ergo nunc mecum, quanta cura, & ſolicitudine ambas iſtas repellere à nobis ignorantias debeamus, quarum omnis peccati altera initium parit, altera conſummationem: ſicut duarum è regione notitiarum, initium ſapientiæ vna, perfectionem altera gignit; illa timorem Domini, iſta charitatem.] Sed quonam pacto iſta duplex cognitio ex particulari examine prodit? Ita quidem. Statuiſti apud te hodie, cùm è lecto ſurgebas, & ſtatuiſti firmiſſimè, aliquem ſpecialem defectum vitare, aut aliquem actum virtutis oppoſitum exercere. Hora pomeridiana, cùm te examinas, inuenis te bis, aut ter, aut pluries in eum defectum fuiſſe lapſum, ac virtutis actum in oblatis occaſionibus à te fuiſſe contemptum. Quanta infirmitas! Quàm puerilis inſtabilitas! Te ipſum reprehendis, & acriter increpas, defectus luges, omiſſiones defles, & iterum vſque ad noctem ſtatuis te diligentiſſimè cuſtodire. In noctis examine te iterum cecidiſſe, & fortè grauiùs comperis, & non ſteriſſe verbis tuis cernis. Quàm ridenda leuitas & contemnenda mobilitas! Iterum teipſum incuſas, iterum luges, & veniam petis: iterum ſtatuis, & ſequenti die iterum cadis, & poſt aliquot dies vix aliquam emendationem reperis. Quàm deteſtanda tepiditas & caſtiganda procacitas! Si puerum ter, aut quater furatum eſſe deprehendas, furunculum eſſe pronuntias, & ſi poſtea eum emendatum audias, ac miracula facientem, vix credis, & nunquam opinionem conceptam deponis. Te autem non ter aut quater, ſed millies deprehendiſti ſuperbia tumidum, aut ira ſuccenſum, aut inani gloria diſtentum, aut alia ſimili vilitate fœdatum, quomodo non te cognoſces, ac viliſſimum reputabis, & poſt longam emendationem, necdum abiectiſſimam tui cognitionem depones? Fatetur planè Auguſtinus ſe hoc modo in ſui cognitionem veniſſe. Ait enim: Credebam enim me fortè aliquid, cùm nihil eſſem. Dixi, ſapiens efficiar, & ſtultus factus ſum. Cogitabam me eſſe prudentem, & deceptus ſum. Et video nunc, quia donum tuum eſt, ſine quo nihil poſſumus facere; quia niſi tu, Domine, cuſtodieris ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Sic docuiſti me, vt cognoſcerem me, quia dereliquiſti me; & probaſti me, non propter te, quo cognoſceres me, ſed propter me, vt cognoſcerem me. Nam vt dixi Domine, credebam me aliquid fore ex me, exiſtimabam me ſufficere per me, nec percipiebam, quoniam tu regebas me, donec aliquantulum te elongaſti à me, & cecidi ſtatim in me, & vidi, & cognoui, quoniam tu regebas me, & quòd cecidi, fuit ex me, & quòd ſurrexi, fuit ex te.] Sic ille. Hac ergo ratione homo ſe examinans, & frequenter proponens, cognoſcit ſeipſum: cognoſcit & Deum. Nam quanta eſt Dei bonitas, quàm ineffabilis miſericordia, quàm infinita lenitas & benignitas, quæ ſeruum ita deficientem ſuſtinet, quæ tam ordinariè peccantem patienter expectat, quæ tam innumerabiles caſus diſſimulat? Quàm mirabilis apparet Dominus ei, qui pro tantis defectibus, & delictis, & negligentiis, & boni omiſſionibus, non iram, non indignationem, non pœnas recipit, ſed noua dona, ac ſi diligenter ſeruiſſet, noua beneficia, & cœleſtes conſolationes ſuſcipit? Quid iſte dicet, niſi quod idem Auguſtinus, præ amore liquefactus, dicebat? Gratia tua ſemper, Domine, & miſericordia præuenerunt me.] De multis namque &, magnis periculis ſæpe liberaſti me, liberator meus: quando erraui, ad viam reduxiſti me: quando ignoraui, docuiſti me: quando peccaui, corripuiſti me: quando fui triſtis, conſolatus es me: quando deſperaui, confortaſti me: quando cecidi, erexiſti me: quando ſteti, tenuiſti me: quando iui, deduxiſti me: quando veni, ſuſcepiſti me: quando dormiui, cuſtodiuiſti me: quando clamaui, exaudiſti me.

Bern. ſer. 7. in Cant.

Aug. in ſoliloq. 15. T. 9.

Ibidem c. 15.

Alter fructus eſt veriſſima & profundiſſima cordis humilitas. Expertus enim homo, quàm nihil poſſit, quàm ſæpe cadat, quàm difficulter ſua propoſita cuſtodiat, quantum à Deo pendeat, quàm verè omnia bona, etiam minima, ab ipſo procedant; incipit ſeipſum contemnere, & in infimo loco collocare, & quæuis abiecta & contumelioſa, veluti contumelia digniſſimus, ſuſtinere. Si maiores illum aliis poſtponant; ſi ad munera maiora non euehant; ſi ad infima quæque applicent; ſi fratres ipſum nec laudent, nec ament, nec honorent, non ex indignatione miratur, ſed potiùs libenter hæc ſuſtinet, quia propriis miſeriis inſpiciendis aſſuetus, ſe digniſſimum

omni

omni vilipenſione fatetur. Omnia mala & aduerſa, quæ Eccleſiæ accidunt, ſuorum peccatorum cauſa venire cogitat, quia homo ingratiſſimus, & inſtabiliſſimus, & tantis modis à recto deficiens, dignus eſt tot malis & aduerſitatibus caſtigari. Quin & ſibi vſurpat illa verba Dauidis: *[2. Reg. 24. 17.]* Ego ſum qui peccaui, ego iniquè egi: iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt? Vertatur, obſecro, manus tua contra me.] Siue ergo homo cadat, ſiue non cadat: ſiue à ſuo propoſito deficiat, ſiue non deficiat, ſemper materiam propriæ deiectionis & vilipenſionis habet. Si enim cadat, ſe ob peccata & caſus deſpicit, quibus à propoſito deuiauit: ſi verò non cadat, ex aliis caſibus ſibi nunc diuinum auxilium, quod efficaciter iuuit, præſto fuiſſe cognoſcens, ob ipſa, quæ non ſibi ſed Deo tribuit, bona geſta contemnit. Alios magni reputat, quia non eorum defectus, ſed virtutes conſiderat; & è contrà proprios defectus ſemper excutiens, ſeipſum bonorum cõſortio ſentit indignum. Magnus quidem Albertus, hunc eſſe fructum examinis, & huius aſſiduæ cognitionis propriorum defectuum, manifeſtè pronuntiat. Ita ille ſcribit: *[Alber. li. de adhærēdo Deo ca. 14.]* Semper ergo præ oculis tuis habeas mala tua, & inidoneitatem tuam, & cognoſce te, vt humilieris, & tanquam peripſema indigniſſimum, viliſſimum, abiectiſſimúmque ab omnibus haberi non refugias, propter grauiſſima peccata & maxima mala tua. Qua de re reputa te inter alios, vt ſcoriam inter aurum, zizaniam inter triticum, paleam inter grana, lupum inter oues, Sathan inter filios Dei. Sed neque velis reuereri ab aliis, aliiſque præferri, immò potiùs toto corde & ſpiritu fuge virus huius peſtilentiæ, venenum laudis, reputationem iactantiæ & oſtentationis, ne videlicet iuxta prophetam laudetur peccator in deſideriis animæ ſuæ.] Sic ille. Qui autem nunquam ſe coram ſe ipſis ſtatuunt, nec in rebus particularibus, quas toto conatu aggrediuntur, ſuam imbecillitatem aduertunt, facilè in ſui æſtimatione decipiuntur, & putant falsò ſe aliquid poſſe, quia minimè cum aliquo hoſte in arenam deſcenderunt, nec propriam inſtabilitatem & infirmitatem experti ſunt. Alios in grauiſſimis occaſionibus deficientes damnant, & durè admodum aduersùs illos inſurgunt, & ſe illis à talibus occaſionibus liberos in quibus turpiùs cecidiſſent, anteponunt, quia ad propriam cognitionem cæci, ſuos frequentiſſimos caſus in rebus leuioribus, quorum ſe illis occaſiones offerunt, non reſpiciunt. Magnum ergo momentum habet ad veram humilitatem obtinendam, hæc ſpecialis cura ſe in aliquo emendandi, qua homo ſuam imbecillitatem quaſi manu tangit, & dum vincit, non ſibi, ſed Deo victoriam aſcribit. Is efficitur Deo gratus, ſi eius beneficio ſit in aliquo ſtatu, à ſæculi occaſionibus elongato, ſecurus. Nam ſi hîc, inquit, vbi tantæ ſunt occaſiones proficiendi, vbi tanta, quæ me ad res cœleſtes impellant, vbi tam pauca, quæ à Deo retrahant, ſic frequenter & in rebus minimis cado, quid mihi accidiſſet, & quàm enormiter cecidiſſem, ſi in ſæculo poſitus, aut in tali & tali occaſione conſtitutus, me diabolus de magno aliquo peccato tentaſſet? Verè: Niſi quia Dominus adiuuit me, paulo minùs habitaſſet in inferno anima mea.] *[Pſal. 93. 17.]* Niſi tu Domine, miſericorditer iuuiſſes me, niſi me ab Vr Chaldæorum eduxiſſes, & à peccandi occaſionibus liberaſſes, graui peccato deuictus, à te vtique defeciſſem. Nam quomodo ab vnguibus diri leonis, ſi irruiſſet, manerem illæſus, qui morſu culicis fui in tentationem impulſus?

Tertius fructus, eſt celeriùs menti adueniens optata puritas. Videtur quidem qui hac ratione virtutes adipiſcitur, ambages in vita ſpirituali quærere, & viam inire longiſſimam, at re vera non viam longam, ſed compendium ingreditur. Ille enim per ambages vagaretur, qui volens domum ædificare, ſimul & fundamenta iacere, & erigere parietes, & tecto parietes necdum factos operire intenderet, quia poſt multum laborem, non ædificaret domum, ſed ridiculè tempus inſumeret. E contra verò ille viam compendiariam in domus extructione tenet, qui priùs rudera & terram mobilem egerit, & poſtea ſuper firmam petram fundamenta iacit, & deinde parietes cœnaculorum & cubiculorum erigit, & tandem tectum ſuperimponit: quia poſt aliquod tempus inſumptum, domum, in qua ad multos annos habitet, ædificatam reperit. Nos autem ſuprà oſtendimus, ſpiritualiter viuere, nihil aliud eſſe, quàm domum ampliſſimam ſanctitatis Deo in noſtris cordibus ædificare. Compendium ergo erit, non omnia ſimul velle conſtruere, ſed paulatim & per partes in hanc ædificationem incumbere. Aduerte nunc, quàm citus ſit per hoc compendium ad perfectionem aduentus. Dum enim ex profeſſo vnum defectum fugis, ſæpe quotidie illam, quam Paulus vocat [circumciſionem cordis in ſpiritu,] *[Rom. 2. 29.]* ſcilicet mortificationem interiorem, exerces. Hæc in vna materia, toties in opus aſſumpta, cor domat, & purgat, & ad alias ſimiles abnegationes parat, & vniuerſos affectus mortificat. Nam ſicut ablata aqua, qua herbæ rigantur, ſtatim flacceſcunt atque ſiccantur: ſic abnegata in hoc & in illo propria voluntate, quæ affectus rigat, omnes illi paulatim areſcunt. Dum vni virtuti ſtudes, vniuerſis ſtudes, quoniam (vt ſuprà oſtendimus) connexæ ſunt, & quaſi annuli vnius catenæ, inter ſe inuicem colligatæ. Vnde ſicut cùm vnum accipis annulum catenæ, omnes trahis: ita dum vnam humilitatem, vnam obedientiam acquiris, quodammodo omnes acquiris. Qua enim ratione obedies, niſi te humilies, & aliis ſubmittas: niſi in difficilibus, quæ tibi ſunt iniuncta, patientiam habeas: niſi prudenter obediendi impedimenta ſubmoueas; niſi te à facienda propria voluntate contineas? Hac pia cura occupatus, cùm te ipſum colligis, & orationi aut meditationi vacas, illius defectus vitandi, aut virtutis acquirendæ deſideria ſentis; & dum poſtea illa executioni mandas, diſcis, Deo inſpiranti obedire, & ad alios inſtinctus recipiendos, & ad gratiam ad illa exequenda neceſſariam te diſponis. His autem omnibus generatur animæ puritas, & perfectio procreatur, & mens tua vni inſiſtens, in omnibus proficit, & ad perfectionem magis ac magis augendam, diuinum auxilium promeretur. Primus humani generis parens vnum Domini præceptum fregit, *[Gen. 3.]* & ex illa tranſgreſſione rebellionem aduersùs omnia, & difficultatem omnis legis ſeruandæ conquiſiuit. E contrà Abraham in vno, nempe in immolando filio, ſe ſubiecit, *[Gen. 22.]* & in omnibus eſt benedictus & copioſiſſima poſteritate ditatus. Ita ſi in vno, aduersùs quod bellamus, vitio, aut defectu vincimur, comparatione aliorum puſillanimes efficimur: ſi verò in illo deſtruendo, Domino obedimus, & in noſtro immoderato affectu mactando, benedictionem ad maiora conſequimur. Puer Dauid vnum tantùm occidit Philiſtæum; videntes autẽ Philiſtiim quòd mortuus eſſet fortiſſimus eorũ, *[1. Reg. 17. 5.]* fugerunt.] Sic prorſus dum præcipuum noſtrum vitium aut defectum deſtruimus, omnes alios defectus quaſi in fugam ſe dare compellimus, & quia alij iam territi ſunt, in vno, quem ſuperauimus, reliquos

quodammodo ſuperamus. Quid dicit de Abraham ſcriptura? Circumciſus eſt Abraham, & Iſmael filius eius. Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quàm emptitij, & alienigenæ pariter circumciſi ſunt.] Minores multam habent cum maiori cognationem, vt eius viam exemplúmque ſequantur. Dum ergo ſpeciali cura præcipuum noſtrum affectum circumcidimus, non mirum, ſi reliquos vel ex naturali propenſione habitos quaſi dominatos, vel ex vitioſa conſuetudine genitos, quaſi pretio emptos, vel ex alieno ſtatu ob noſtram ſuperbiam aſſumptos, quaſi alienigenas, pariter reſecamus. Vna ergo hæc cura, quæ non ſine ordine domum Dei extruit, & vni vitio obſiſtens, omnia comprimit, breui tempore ad animæ puritatem perueniet.

Geneſ. 17. 26.

Sequitur quartus fructus, ille autem eſt interna mentis pax; quem fructum hoc ſimili patefacimus. Sit paterfamiliâs, cui cura ſuſtentandorum filiorum & ſeruorum incumbat. Is, ſi vir ſit prudens, & congregandarum diuitiarum non nimis cupidus, & videat ſe honeſto officio, & ſuæ conditioni congruo, poſſe ſuam ſubſtantiam augere, & filiis familiæque conſulere, lætus & ſecurus quieſcit: ſi verò nihil lucretur, ſi nullum ſubſtantiæ augmentum faciat, ſed potiùs quæ habet, paulatim conſumat, & ad extremam mendicitatem properet, meritò triſtis inquietúſque perſiſtit. Ita vir iuſtus, qui ſpecialem alicuius virtutis adipiſcendæ curam habet, in dies videt maiorem ſuorum motuum emendationem, & aliquem ſingulis noctibus colligit nouum virtutis profectum, & hanc virtutem augens, omnia in bono creſcere, & ad diuinam familiaritatem ſe vocatum eſſe perſpicit, & ideo magnam concipit tranquillitatem & pacem: ſi verò nullius rei ſpecialis emendandæ aut promouendæ curam habeat, ſed quaſi in incertum currat, & quaſi aerem verberans, in vita ſpirituali procedat, quia nullum aut modicum ſpiritus profectum ſentit, non immeritò turbatur, & ex ſuæ paupertatis conſideratione torquetur. Eſt vir ſpiritualis & iuſtus, inſtar horologij affabrè facti, cuius totus ordo, & (vt ita dicam) tota pax, ex rotis bene diſpoſitis, & ex ponderibus, ſuæ magnitudini vel paruitati accommodatis, pendet. Rotæ huius myſtici horologij ſunt diuerſa ſtudia, & exercitia orandi, meditandi, legendi, & cæterorum ad ſpiritualem vitam pertinentium, quæ omnia debent prudenter & ordinatè diſponi. At pondus eſt hæc particularis cura proficiendi, & in aliquo ſe emendandi, quod non ad terram, ſed ad cœlum trahens, rotas, id eſt, omnia alia ſtudia, ordinatè mouet, & totum hominem pacatum reddit: Congruè autem hæc particularis proficiendi cura, horologij ponderibus comparatur, quoniam ſicut hæc debent magnitudini horologij conuenire: ita & cura debet profectui iuſti hominis eſſe conueniens. Paruus enim ſpiritu & incipiens, in re magna, & quæ alias ſibi non cognitas præſupponat, curam non collocet, quia ordinem aliorum ſtudiorum turbabit: & magnus, id eſt, perfectus ſiue proficiens, in rebus minimis hanc ſuam curam non ponat: quia minima cura, velut modicum pondus, maiora ſtudia & occupationes inuertet. Sed de hoc poſtea dicemus. Eſt etiam hæc particularis cura, vt bellum ſtrenuè & prudenter geſtum, quod modò vnum hoſtem, nimirum vnum vitium expugnans: modò vnam vrbem, nempe vnam virtutem, acquirens, & ſic deinceps procedens, tandem finem habet, lætiſſimam pacem, propter quam belli labores & fatigationes ſuſcipimus. Et in ipſa b olli proſequutione non minima inuenitur pax, quia mens in hoc quieſcit, quòd hoſtes paulatim vinci, & cauſas turbationis expelli, ac ſubmoueri videt. Cum diſpoſitione, ait ſapiens, initur bellum: & erit ſalus, vbi multa conſilia.] Prudenter nimirum & ordinatè debet iniri bellum, & nunc iſti hoſtes; nunc illi ex ſpiritualis patris conſilio proterendi; vt ſalus, quæ bellum ſequitur, & ad quam bellum dirigitur, nempe pax veniat cordíſque tranquillitas. Nam ſi abſque prudentia, & ordine omnes hoſtes aggrediamur, & cùm vix ad vnum ſatis ſimus, omnes ſimul perimere aut fugare nitamur, non tam victores, quàm victi, & pondere laboris oppreſſi permanebimus.

Prou. 24. 6.

Poſtremus denique fructus, atque vtilitas, ſit cumulatiſſimum præmium, quod pro hac prudenti ac ſpeciali cura repoſitum manet. Si enim perſeueremus vſque ad mortem in hoc ſtudio, nunc hoc vitium, nunc aliud vincendi: nunc hanc virtutem, nunc aliam in corde plantandi, pro tam continuo labore copioſam mercedem recipiemus, & ſi quid boni infectum fuerit, ſicut ſine dubio erit, iuxta efficacem voluntatem, qua illud perfeciſſe cupimus, præmium quoque reportabimus. Nam Dominus, qui largiſſimus eſt in præmiando, non ſolùm opus mercede afficit, ſed & bene agendi voluntatem. Vincat annos animus, & infrigeſcente corpore, ferueat proficiendi deſiderium, artubúſque fatiſcentibus duret incolumis propoſiti vigor, & ſpiritum promptum non retrahat à feruore imbecillitas carnis infirmæ, vt quod hîc perfectionis defuerit, nobis efficaciter volentibus, nec, quia morte præuenimur, potentibus, in alia vita non deficiat. Hoc argumentum præclarè ſanè tractat in quadam epiſtola Bernardus, cuius verba notatu digniſſima licèt aliquantulum longiora, in medium adducam. Sed dicet aliquis, ait, quid ſi morte præuentus fuerit homo, necdum videlicet ſpirituali ædificio conſummato? Perfectus quippe non habet, quo proficiat. Et qui proficit, eo ipſo quo proficit, perfectus non eſſe conuincitur? Eſt quod ſecuri de illo plana fide reſpondeamus. Dicimus nempe: Conſummatus in breui expleuit tempora multa.] Bene multa, quia & vniuerſa complectitur. Quomodo enim non expleuit omnia tempora, qui tranſit ad æternitatem? Quanta ſanè tempora non longæuitate, ſed longanimitate: hoc eſt, non annorum ſerie vel dierum numero, ſed mentis deuotione, & inextinguibili ſemper proficiendi deſiderio percurrere potuit, tanta tibi in meritis non immeritò vendicauit. Retinet quippe virtute, quod amiſit in tempore. Porro vera virtus finem neſcit, tempore non clauditur. Vnde & illud: Charitas nunquam excidit.] Et item: Patientia pauperum non peribit in finem.] Et: Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi.] Nunquam iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe; nunquam dicit; ſatis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititq; iuſtitiam, ita vt ſi ſemper viueret, ſemper quantum in ſe eſt, iuſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annũ, vel ad tempus inſtar mercenarij, ſed in æternum diuino ſe mancipat famulatui. Audi deniq; vocem iuſti: In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti me.] Et rurſum: Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum.] Non igitur ad tẽpus. Proinde iuſtitia eius manet, non aliquanto tempore, ſed in ſæculum ſæculi. Sempiterna itaq; iuſti eſuries, ſempiternam meretur refectionem. Et licèt in breui conſummetur pro tempore; iudicatur tamen expleſſe tempora multa pro virtutis perpetuitate. Quo denique pacto temporis

Bern. epiſt. 253. ad Garinum. *Sapien. 4. 13.* *1. Cor. 13. 8.* *Pſ. 9. 19.* *Pſal. 18. 10.* *Pſal. 118. 93.* *Ib. v. 112.*

A breuitas bonorum præiudicet perpetuæ deuotioni,
quæ pertinacem reproborum malitiam excuſare non
ſufficit? Ob hoc enim procul dubio, inflexibilis &
obſtinatæ mentis punitur æternaliter malum, licèt
temporaliter perpetratum: quia quod breui fuit
tempore, vel opere longum eſſe conſtat in pertinaci
voluntate: ita vt ſi nunquam moreretur, nunquam
velle peccare deſineret: immò ſemper viuere vellet,
vt ſemper peccare poſſet. Proinde poteſt, & de iſto
per contrarium itidem dici: Conſummatus in breui,
expleuit tempora multa, quòd meritò multorũ, im-
mò omnium temporum receperit vicem, qui nullo
tempore voluerit mutare intentionem. Itaque inde-
feſſum proficiendi ſtudium, & iugis conatus ad per-
fectionem, perfectio reputatur.] Huc vſque Bernar-
B dus. Magna profectò eſt hæc exultationis occaſio,
quòd nempe ſi pro facultate laborauerimus, & vt
homines prudentes, nunc iſta nunc illa emendare
curantes, ad finem vſque perſeuerauerimus, ſi quid
necdum emendatum fuerit, præmio efficacis vo-
luntatis, qua illud etiam perfeciſſemus, ſi per tem-
pus licuiſſet, nequaquam priuabimur. At ſi nihil
ſpeciale curamus, ſi nullum progreſſum ſpecialem
virtutis aggredimur, ſed omnia ſimul virtutis mu-
nera inefficaci quadam voluntate complectimur,
mirum erit, ſi aliquis ſequatur profectus. Qui verò
parum profecerit, nunquam perfectorum merce-
dem recipiet. Eſt igitur vtiliſſima hæc ſpecialis virtu-
tum exercitatio, quia & oculos aperit, vt noſtram in-
C firmitatem ac Dei benignitatem videamus: cor
deprimit, vt de nobis humiliter ſentiamus: com-
pendioſè perficit, vt mentis puritatem & pacem
aſſequamur, & index eſt efficacis voluntatis, qua
proficere intendimus, quia ſemper nos in aliquo
emendat, vt iuxta menſuram huius voluntatis, quam
ex gratia concepimus, & quantum fuit poſſibile,
opere parturiuimus, æterno præmio lætemur. Amen.

De initio particularis examinis; nempe de propoſito emendationis.

CAPVT IX.

MONSTRATVM eſt, hoc inſtrumẽtum
ad capeſſendas virtutes eſſe vtiliſſi-
mum, nunc (quia ad vſum eſt inuen-
tum) eius vſum explicemus. Qua-
D tuor autẽ diximus eſſe partes, ex qui-
bus conflatur, ſcilicet propoſitum, curam, diſcuſſio-
nem, & collationem, quæ nunc ſigillatim exponen-
nẽda ſunt, vt virtutis cupidus facilè poſſit eas actio-
ne complere. Prima pars & velut initium totius
huius negotij eſt emendationis propoſitum. Debet
igitur qui vult progreſſum in virtute facere, ſuos de-
fectus, ſuaſque ſpirituales miſerias ſatis habere per-
ſpectas, inſpiceréque à quo vitio vehementiùs im-
E pugnetur, à qua virtute magis elongetur, quis defe-
ctus, ſit velut dux & anteſignanus aliorum, à quo
velut à radice omnes alij dependeant, & contra
hunc defectum ſpecialiſſima cura, & ardentiſſimo
conatu per aliquot hebdomadas vel menſes, quouſ-
que illum vincat, & deſtruat, pugnare conſtituat.
Hanc verò pugnam à propoſito emendationis ſin-
gulis diebus repetendo, inchoabit. Ita ſcilicet vt
manè cùm ſurgit è lecto, firmiter ſe in illo de-
fectu vſque ad horam examinis, ante vel poſt
prandium faciendi, emendare proponat: idém-

A que propoſitum in ipſo examine repetat, & vſque
ad ſequens examen ad noctem faciendum, ſimi-
liter ſe emendare conſtituat; & ſingulis poſtea die-
bus eandem propoſiti iterandi rationem habeat.
Quod autem de propoſito emendandi defectum
dicimus, de propoſito etiam exercendi virtutem,
actibus internis & externis, intelligendum eſt, cùm
victo defectu iam quis vltrà progreditur, & ad vir-
tutem oppoſitam exercitatione quærendam cona-
tur. Id quod dictum eſt, claritatis maioris gratia
quaſi ipſo vſu pandamus. Agnoſcis, te eſſe ſuper-
bum, veráque humilitatis virtute carere; & ſuper-
biam diuino auxilio vincere, ac humilitatem à Deo
obtinere conſtituis: Tunc incipis veſtigare, quæ pec-
cata aduersùs humilitatem admittas. Inuenis in
B multis te ex ſuperbia delinquere; in hoc præcipuè,
quòd te, & tua in conſpectu aliorum ſtultiſſimè
laudas, & fratres tuos, ac eorum dicta & facta ſtul-
tiùs extenuas. Iam aduersùs hunc particularem
defectum, per aliquot dies, vel hebdomadas ſpe-
cialiter pugnaturus, cùm è lectu ſurgis, pedibus
Domini prouolutus, his aut ſimilibus verbis, non
ore, ſed corde prolatis, emendationem proponito.
Domine Ieſu Chriſte, humilitatis magiſter, & humi-
lium amator, ego vermis ſuperbiſſimus, & ob ſuper-
biam tuo amore indigniſſimus, cupio ex totis præ-
cordiis meis aduersùs ſuperbiam pugnare, & à te
pretioſam gemmam humilitatis obtinere. Et quia
in hoc vitio, & aduersùs hanc virtutem præcipuè
C ſtultiſſima mei laudatione & aliorum vituperatione
delinquo: coram te firmiſſimè ſtatuo, atque pro-
pono, vſque ad meridianam refectionem hodie me
& mea prorſus non laudare, nec alios, aut eorum fa-
cta, vel dicta vilipendère. Tu Domine, ſine cuius
gratia nihil boni poſſum, me præueni, adiuua, ro-
bora, atque conforta, vt ſicut nunc deſidero, ita fa-
ciam, & hoc meum propoſitum impleam. Simili-
ter in hora examinis meridiani facies, & gratijs Deo
actis, ſi propoſitum impleuiſti, aut ſi in aliquem de-
fectum cecidiſti, intimo dolore concepto, & venia
humiliter poſtulata, idem propoſitum repetes: &
ſequentibus diebus vſque ad emendationem eo-
dem modo procedes. Hoc verò defectu eliminato,
alium humilitati repugnantem, & poſtea alium
D & ſic deinceps aſſumes. Victis autem defectibus
ſtatues, te in aliquo actu humilitatis interiùs aut
exteriùs exercere, ſingulis diebus per aliquot vi-
ces, & cùm ſe occaſio talis actus obtulerit, & poſt
hunc in alio & ſic de reliquis, quouſque te agilem
ad opera humilitatis inuenias. Defectus autem ad-
uersùs quamlibet virtutem & actus eius, tum ex his,
quæ de vitiis & virtutibus ſuperiùs dicta ſunt, tum
ex his, quæ in fine huius tractationis dicemus, intel-
liges. *lib. 6. 2. p. per totũ & hoc in 2. p. à c. 3. vſque ad 9*

Hoc propoſitum in aliquo ſe ſpecialiter emen-
dandi, non fuit antiquis incognitum, quod certè gra-
tum fuit in Plutarcho repeniſſe. Hic enim contra
iram ſcribens, ſic ait: Commendabam & illa, vt *Plut. de non iraſcendo, ad finem.*
non inelegantia, neque indocta in precibus vota,
E vt annum Venere temperemus & vino, temperan-
tia Deum colentes; vt aliás per ſtatum tempus ab-
ſiſtamus mendacio, nobis ipſis attendentes, vt &
in iocis, & in ſeriis ſimus omnibus veraces. Hinc
accommodaui his animum meum, quaſi non mi-
nùs ſit pium, vt feſtos dies primùm ab ira tran-
quillus, aliquot quaſi ſiccos & abſtemius tranſige-
rem, tanquam ferias agerem ſobrietatis, & mel-
le libamina facerem: inde menſem poſt duos me-
ditando paulatim tempore progrediebar, promo-
uens tolerantiam, omnibúſque vnguiculis incum-

bens, & cuſtodiens cum laude placidum me ipſum & ſedatum, mundúmque à verbis impuris, & rebus tetris, & ab omni animi perturbatione; quæ exiguæ gratia voluptatis & ſordidæ; æſtus ingentes, & pœnitentiam ſecum trahit fœdiſſimam.] Sic ille. Qui licèt longius tempus quàm nos ad quamlibet emendationem habendam ſibi præſcribat; melius tamen & fructuoſius erit, modicum tempus, vt vnius, aut dimidiæ diei tibi præſcribere, quia facilius erit, per breuem moram, quàm per multum tempus à vitio temperare. Et hæc tam frequens propoſiti repetitio in bono firmat animum, & iuuat, vt alacriùs contra vitium aut defectum aſſurgat. Propoſitum autem ſpiritualiter viuendi per partes eſſe diuidendum, & non omnia ſimul eſſe amplectenda officia virtutis, manifeſtè docet Ambroſius, in hunc modum ſcribens: Cuius modi igitur ſit propoſitum viri ſancti, hoc euidentiùs loco exponitur. Primùm enim memor eſſe debet promiſſorum cœleſtium, ſecundùm quæ viuentibus merces ſtatuta debetur. Deinde aliud propoſitum viri ſancti eſt, vt etiam ſi in periculis, & aduerſis poſitus ſit: ſpe tamen quam hauſit ex ſerie ſcripturarum, ſe debeat conſolari. Tertium propoſitum, vt etſi impios & ſacrilegos videat, & ſuperbos iniquè agentes, abundare diuitiis in hoc ſæculo: non quaſi incredulus declinet à lege, ſed in eius ſemitis perſeueret, & fugiat ſuperborum contagia. Contaminat enim omnis immundus, immundus autem ſuperbus, de quo ſcriptum eſt: Immundus ante Deum omnis tumidi cordis. Quartum propoſitum viri, vt memor ſit iudiciorum cœleſtium, ſicut Dauid aſſerit, qui dicebat: Memor fui iudiciorum tuorum, quæ à ſæculo ſunt.] Sic Ambroſius. Hinc perſpicitur eſſe quoddam propoſitum bonum commune, quo omne bonum aggredi, & in eo perſeuerare ſtatuimus: aliud verò ſpeciale, quo aliquod ſpeciale bonum facere, & aliquod particulare malum vitare decernimus. De illo intelligitur quod in Actis Apoſtolorum ſcriptum eſt: Barnabas cùm peruenisset, & vidiſſet gratiam Dei, gauiſus eſt, & hortabatur omnes in propoſito cordis permanere in Domino.] Monebat, inquam, eos, vt in ea bona, quam conceperant, voluntate tenendi fidem & ſeruiendi Domino, ſine vlla inſtabilitate perſiſterent. De iſto verò eſt illud Danielis: Propoſuit Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de vino potus eius.] Item & illud Sapientis, qui de ſapientia ait: Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius.] Hic enim aliquod ſpeciale bonum, nempe amorem ſapientiæ & contemplationis: ille verò ſtudium abſtinentiæ conſtituit. Iſtud ſpeciale propoſitum ſæpe repetitum (vt diximus) quo aliquem particularem defectum vitare, & aliquam ſpecialem virtutem exercere decernimus, eſt huius inſtrumenti initium.

Ambr. ad Pſal. 118. ſer. 7.

Actor. 11. 23.

Daniel. 1. 8.

Sapien. 7. 10.

Sed huic ſpeciali propoſito aliqua debent adiungi, vt non in ſola voluntate maneat, ſed in opus & vitæ conuerſationem exeat. Horum primum, eſt firmitas: vt ſcilicet firmiſſimè & ardentiſſimè ſtatuamus, defectum illum ſpecialem fugere, vel actum illum virtutis in omni occaſione præſtare. Secundum propoſitum noſtrum, inquit Thomas à Campis, curſus profectus noſtri, & multa diligentia opus eſt bene proficere volenti. Quia ſi fortiter proponens ſæpe deficit; quid ille, qui raró aut minùs fixè aliquid proponit?] Animaduerte tu, qui hæc legis, ſi aliquando cibum ſaluti corporis aduerſum manducaſti, quàm firmiter ſtatuiſti de cætero ab illo abſtinere, ita vt poſthac nunquam illum comederit. Vide ſi aliquam rem tuo honori aut commoditati conuenientem iudicas, quàm verè & ſtabiliter decernas apud te, quòd illam omnibus modis es adepturus. Ita igitur ſtatue, vitium fugere, quod animæ nocuit, & virtutem pretioſiſſimam illi oppoſitam ſectari. Nam tepidum propoſitum, aut ſtatim obliuioni trades, aut ſi eius memineris, ob præſentem difficultatem mutabis, & pro nihilo duces. Vult, & non vult piger, ait Salomon, anima autem operantium impinguabitur.] Vult manè, quando proponit, non vult poſtea, quando difficultatem ſentit. Vult ab occaſione frangendi propoſitum elongatus, non vult occaſione tranſgrediendi circundatus. Vult, cùm futurum præmium cogitat: non vult, cùm præſentem laborem conſiderat. Rectè pigri vocabulo denotatur, inquit Beda, qui vult regnare cum Domino, & non pati pro eo: delectant præmia, cùm pollicentur: deterrent certamina, cùm iubentur. De quo Iacobus ait: Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.] Et filius Sirach: Væ peccatori terram ingredienti duabus viis!] Meritò hæc de illo dicuntur, qui tepidè proponit, nam quaſi duas habet animas duáſque voluntates, quarum vna bonum, quod pulchrum eſt, & apparet, amplectitur: altera idem bonum, quia ſicut roſa ſpinis, ita difficultatibus cingitur, deteſtatur. Duas etiam vias & contrarias ingreditur, quarum vna, quæ eſt in propoſito, ad perfectionem tendit: & altera, quæ eſt in opere, à perfectione ſe auertit. Propoſitum autem erit firmum & vehemens, ſi quis magnum virtutis, quam adipiſci ſtudet, deſiderium concipiat, quod deſiderium firmitatem in propoſitis parit, & media ad rem concupitam aſſequendam neceſſaria quærit, inuenit, & actione implet. Si ad illam virtutem habendam, orationem, meditationem, ſpiritualem lectionem, Sanctorum, quos inuocat, adiutorium, & corporis aſperitates diriget: quæ omnia illud conceptum propoſitum, dum auxilium à Deo impetrant, & voluntatem ſuadent, & emolliunt, mirificè intendunt; & roborant. Si denique tempore eliciendi propoſiti omnem ſegnitiem & torporem pellat, & ſe ad fortiter ſtatuendum, & ad victoriam de ſe ipſo in obortis difficultatibus obtinendam incline. Sic conueniet illi, quod de fortiſſimis Saul & Ionatha cecinit ſanctus Dauid: A ſanguine interfectorum, ab adipe fortium, ſagitta Ionathæ nunquam rediit retrorſum, & gladius Saul non eſt reuerſus inanis.] Quia propoſitum virtutis ita firmiter factum, velut ſagitta, vitia à viro iuſto interficienda confodiet; & quaſi gladius, adipem eorum, id eſt, robur & vires, excindet. At ſi tepidè noſtram emendationem propoſuerimus, dicetur de nobis illud Pſalmi: Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli.] Et poſtea: Et auerterunt ſe, & non ſeruauerunt pactum: quemadmodum patres eorum conuerſi ſunt in arcum prauum.] Arcum enim intendimus, & ſagittam miſimus, & pactum cum Deo fecimus, cùm bonum aliquod ſtatuimus. A Deo verò auertimur, & ad viſibilia dimiſſa conuertimur, & pactum non cuſtodimus, cùm poſtea ea, quæ ſtatuimus, non ſeruamus. Item & illud Oſeæ ad nos applicabitur: Reuerſi ſunt vt eſſent abſque iugo; facti ſunt quaſi arcus doloſus.] Abſque iugo enim efficimur, cùm propoſitum boni, cui vt iugo Domini colla ſubiecimus, per tráſgreſſionem abiicimus: & quaſi arcus doloſus reddimur, cùm vnum opere facimus, & alio ſagittā propoſiti collineamus. Non deſit itaque propoſitu firmitas, quæ nos ſtare verbis faciat, & ad id,

Thom. à Camp. lib. 1. de imitat. Chriſti, c. 19.

Prouer. 13. 4.

Beda ibid.

Iacob. 1. 8.

Eccl. 2. 14.

1. Reg. 1. 22.

Pſal. 77. 9. & 57.

Oſea 7. 16.

quod ſtatuimus,implendum inducat.

Aliud adiunctum propoſito debet eſſe, fidelitas; vt ſcilicet in ſtatuendo,Deo fideles ſimus,& ei,quod ſuum eſt, tribuamus. Fideles erimus, ſi proponamus, nos bonum eſſe facturos, non in noſtris viribus,ſed in gratiæ diuinæ auxilio confiſi. Multi manè bonum proponunt, & hoc, aut illud ſe opere completuros eſſe decernunt, & quia proponunt ſine Domino, & in ſua cura & diligentia confidunt, oblata occaſione agendi deficiunt. Permittit id iuſtè Dominus, vt ſe ipſos agnoſcant, vt humilitatem diſcant, vt ad eum pro auxilio recurrant, & non ſibi ipſis, quaſi aliquid ſine Deo potentibus, fidant. *Pſal. 48. 7.* Hi ſunt, qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur. Qui videntes ſe aliquando viciſſe, & aliquem ſpiritus profectum comparaſſe, ſuperbia quadam abſcondita cogitant, aut ita ſe habent, ac ſi cogitarent, ſe iam ad bona poſſe ſufficere. Sed hos frater non redimit, redimet homo? Hos, inquam, Chriſtus,eorum humana natura, & amore frater, qui non dedignatur eos vocare fratres, ab imbecillitate & caſu iuſtè non liberat, etiamſi potentiſſimus ſit omnium liberator, vt in minoribus cadentes, malum ſuperbiæ maius euadant: Quomodo ipſi homunciones vtiliſſimi poterunt etiam poſt firmum propoſitum boni, ſe à malo, quod timent, continere? Neceſſe eſt ergo, ſi volunt non cadere, vt ita proponant, quaſi nihil per ſe poſſint, ſed toti à Deo, ſicut & in conceptione boni,ita & in actione dependeant. *Philip. 1. 6.* Confidens hoc ipſum, inquit Paulus, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu.] Ipſe Apoſtolus fiduciam de initio, & progreſſu, & fine noſtræ conuerſionis in Deo collocans, docet nos, eandem fiduciam in eo collocare, vt in eius gratia propoſitum noſtrum ſtabilientes, ab ea ita roboretur, vt fructum bonæ operationis emittat. Diſcamus itaque ex Auguſtino, noſtram magnam infirmitatem agnoſcere, & à Deo toti pendentes, quod rectum & bonum eſt, ſtatuere. Ille ſic ait: *Aug. in ſoliloq. c. 14.* Propter hoc oramus te Domine, ne permittas dominari,quod non feciſti,huic creaturæ tuæ,quam feciſti. Si enim doles de perditione: quid te prohibet, Domine qui omnia potes, ne ſemper læteris de noſtra ſaluatione? Si vis, potes me ſaluare. Ego autem,etſi vellem, non poſſem. Magna eſt multitudo miſeriarum mearum mecum. Velle quippe mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Velle quod bonum eſt non poſſum,niſi tu velis; nec quod volo poſſum,niſi tua potentia me confortet.Et quod poſſum, aliquando nolo,niſi tua voluntas fiat, ſicut in cælo, & in terra. Et quod volo, & poſſum ignoro, niſi tua ſapientia me illuſtret. Et ſi etiam ſciam, quandoque volens,quandoque valens, imperfecta & vacua tranſit ſapientia mea, niſi adiuuet vera ſapientia tua. In tua autem voluntate cuncta ſunt poſita,& non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ. Domine,vniuerſorum principatum tenens omnis carnis; & quæcumque vis, facis in cœlo, & in terra, in mari,& in omnibus abyſſis. In nobis igitur fiat voluntas tua, ſuper quibus inuocatum eſt nomen tuum.] Hæc ille. Iſto modo elicienda ſunt à nobis emendationis propoſita,omnem fiduciam in eo,qui eliſos erigit,& infirmos confortat,ponentibus, & ab eo bonum exitum ſperantibus. Ita ſint firma, vt firmitatem eorum,non à noſtris viribus, ſed ab auxilio Domini, nos præueniente, adiuuante,& ſubſequente quæramus. Sic fiet vt ille, cuius potenti brachio ſubnitimur, nos ad agendum bonum adiuuet, qui ad ſtatuendum adiuuit. Et cùm ceciderimus, & propoſito nó ſteterimus,id propriæ culpæ & miſeriæ tribuemus: cùm verò propoſitum ſeruauerimus, non per inanem gloriam erigemur, ſed Dei miſericordiæ deputabimus. Hæc autem erit tempore examinationis noſtra cantatio: *Pſal. 123. 1. 2. 3. 4.* Niſi quia Dominus erat in nobis,dicat nunc Iſraël;Niſi quia Dominus erat in nobis.Cùm exurgerent homines in nos,fortè viuos deglutiſſent nos. Cùm iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos.] Nam ſi Dominus tantiſper ſe abſcondiſſet,& nos nobis reliquiſſet, vi tentationis oppreſſi nihil aliud quàm cadere feciſſemus, & ab eo quod ſtatuimus, elongati. Agamus illi gratias de noſtra victoria, & hæc gratitudo aliam victoriam merebitur, illéque, qui humiles reſpicit, & non ſibi bonum tribuentes extollit, faciet, vt deinceps victores de noſtris defectibus exiſtamus.

Tertius comes huius noſtri propoſiti,ſit longanimitas, qua per conueniens tempus in eo manendum eſt,nempe vſque ad vitij deletionem & oppoſitæ virtutis adeptionem. Pugnam aduerſùs vnum vitium incipere,& ante victoriam deſiſtere, eſt non aliud quàm ſine fructu laborare, aut ex eo quod vtiliſſimum eſſe ſolet, exiguam vtilitatem decerpere. Nam ſi rex bellum aduerſùm Chriſtianæ fidei hoſtes indiceret, & ante ipſorum expugnationem eis fœderaretur, non eos vinceret, ſed faceret audaciores. Ita omnino,ſi ante obtentam de aliquo defectu victoriam,ab eius inſectatione ceſſemus, ab eo poſtea vehementiùs impugnabimur. Vulpeculæ ab olitore comprehenſæ ſe mortuas fingunt, ne occidantur; ita defectus,quem validè inſequimur,à proprio amore edoctus,mortuus fingitur, vt dum ab eius impugnatione deſiſtimus,viuus relinquatur. David timens mortem ſibi à ſeruis regis Achis inferendam, *1. Reg. 21. 13.* [immutauit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum: & impingebat in oſtia portæ,defluebántque ſaliuæ eius in barbam.] His omnibus hominum amentium ſignis ſe amentem fingebat, vt mortem effugeret.Sic paſſio immoderata, aut culpa nobis infeſta, ſe nullius momenti eſſe ſimulat, vt curam noſtram, qua aduerſùs illam pugnabamus, effugiens,robuſtior,& moleſtior euadat. Aptiùs autem figurant hæc habitatores Gabaon, *Ioſue 9. 4.* qui indumenta vetera, & calceamenta diſciſſa,omniáque lacera præferentes, quaſi homines in longiſſima terra habitantes,& nullius æſtimationis, magis verò compaſſionis digni,pacem & libertatem efflagitabant.Ita defectus noſtri iam quaſi à longè tantùm clamant,& ſe laſſos, & fatigatos, & nullius momenti demonſtrant,vt in nobis habitare ſinantur. Ne pactum ineamus cum eis, nec viuos eos relinquamus, quia non ſeruient nobis, ſicut Gabaonitæ ſeruierunt, ſed nos potiùs in miſeram ſeruitutem inducent. Pugnaſti, ô frater, aduerſùs vitium illud, quod eſt omnium miſeriarum tuarum initium, exarmaſti illud, & vires eius dimicando fregiſti? Nunc facile erit, hoſtem omnino delere. Ne, quæſo, à bello ceſſes, donec funditus illum extinguas, & affectum tuum bene moderatum ſentias: quia ſi vitium viuum reliqueris, iterum ſe armabit, & vires reſumet, & poſt paucos dies,ac ſi nihil laboraſſes, te inuadet, & fortaſſis euertet. Ex altiſſimo puteo amphoram aqua plenam pene hauſiſti? Ne illam è manibus labi ſinas, priùs quàm bibas, & tuam ſitim extinguas: quia ſi in hoc minùs diligens fueris, poſt multum laborem vacuus & ſitibundus permanebis. Quid enim aliud eſt, virum iuſtum ſe in aliquo vincere, niſi ex puteo cordis ſui aquam dulciſſimam profectus

haurire? At ſi ante plenam tui defectus victoriam aliò te conuerteris, & rem ſemifactam deſiueris, aquam ptnfectus, quam omnino non extraxiſti, non bibes, ex tuóque labore nullum aut paruum reſtigetium accipies. Dicit tibi Dominus, quod Eliſeus ad Ioas regem Iſrael: Percute iaculo terram.] Quòd ſi vt ille rex tribus tantùm vicibus terram percuſſeris, irabitur tibi Dominus, dicétque ad te: Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem. Si, inquam, in pugna perſeueraſſes, & maiorem tibi vim intuliſſes, vitium tibi imperans ſubiogaſſes: at quia ante tempus ceſſaſti, ipſum proteruum, & nunquam bene victum, immo & ſemper contumax ſenties.

4. Reg. 13. 19.

His tribus comitibus, firmitate, qua ſtabiliter & feruenter bonum ſtatuamus; & fidelitate, qua non in nobis, ſed in Deo confidamus, & lnnganimitate, qoa in cœpto perſeueremus, prnpoſitnm noſtrum efficaciter vſqne ad emendationem vitij & virtntis adeptionem procedet. Simus itaque ſicut ſtrenuiſſimus dux, qui firmiſſimè decreuit aut hoſtes vincere, aut in prælij conflictu perire. Qui licèt hodie vincatur, ſtatim milites ſuos diſperſos colligit, & iterum exercitum cogit, hnſtem quærit, & cum eo animosè congreditur. Et ſi multnties enentum belli ſentiat aduerſum, nunqoam ceſſat, qunuſque aut vincat, aut pereat. Sic & nos licèt ſæpe in defectum impingamus, licèt ſine numero pnſternamur, nequaquam à pugna ceſſemus, ſed ac ſi nunquam victi fuiſſemus, ad bellum animosè & perſeueranter reuertamur, qnia ſic facientes, abſque dobio non peribimus, ſed vincemus. Quæ nos renocant à prnpnſito noſtro, inquit Bernardus, duo ſnnt: Rubnr incœpti operis & deſperatio exequendæ virtutis. Aduersùs hos dnos hoſtes, qui propoſitum eneruant, pugnandum eſt; aduersùs primnm ſancta libertate, qua ſoli Deo placere ſtudeamus, & opiniones hominnm pro nihiln habeamus: Aduersùs ſecundum firmiſſima ſpe, qoòd Deus nos pognantes vſque ad victoriam iuuabit. Vt autem hi comites propoſito noſtro non deſint, ſemper vtilia ſtatuenda ſunt, & quæ vires à Dominn conceſſas nnn ſuperent. Si enim inutile ſtatnerimus, & qood ad finem virtutis acquirendæ non conferat, neceſſe eſt à propoſito ceſſare: ſi verò vltra vires nos onerauerimus, impoſſibilitas aot difficultas nimia compellet à propoſito reſilire. Sit igitur propoſitum diſcretum, quod nnus vitij ſuperandi & virtutis aſſequendæ quaſi per partes diuidat, vt à labore prudenter aſſumpto mens non deſiſtat. Vnde Richardus Victorinus bene ait: Multi ſæpe molta proponunt, minimè tamen faciunt, quia quàm facilè aliquid ſtatuunt, tam facilè turſum ſtatuta reiiciunt. Primò itaqoe obſeruandum nobis eſt, vt vtilia ſtatuamus. Secundò autem vt ſtatuta firmiter teneamus. Attende quàm firmiter ſtatuit quod optimns ille deliberatnt optimom eſſe perpendit. Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Andiſti de voti inſtitutinne? Audi & de voti executione. Vota mea reddam in conſpectu omnis populi eius.] Sanctus Dauid iuramenta, & vota ſua firmiter cnſtodiebat, quia nefas eſſet promiſſis non ſtare, & quaſi furtum ſacrilegum, quod Domino oblatum erat, iuramenti aut vnti fractione ſurripere. At tu, vir Dei, non ſolùm vota tua (de quo aliàs), ſed & propoſita tua, non minnri diligentia cuſtodias. Licèt enim hæc tranſgredi, crimen non ſit, at ab inconſtantiæ & leuitatis nnta excuſari non poteſt. Et hîc tibi dncumenta præſcribimus non tantùm quibus in peccata non cadas, ſed quibus in virtute proficias. Quem verò profectum, quod virtutis incrementum expectabis, dnm ſtatuis bonum facere, & nnn facis, ſi virtus actione creſcit, & propnſitum, quod actio nnn ſequitur, ſnlùm ex infirmitate voluntatis, ſe efficacitatis expers oſtendit? Dum inſtinctum Dei excipis, & actione præſtare conſtituis, quaſi verbum Dei audis: dum autem poſtea non exequeris, te verbo Domini non obedire profiteris. Quid autem dicit Iacobus Apoſtolus? Eſtote factores verbi, & non anditnres tantùm fallentes voſmetipſos.] Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo: conſiderauit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.] Cnnſideras vultum tuum in ſpeculo, quando in moribus & conuerſatione Chriſti te inſpicis, & animæ tuæ maculas aduertens, eas delere & emendare proponis. Sed ſtatim obliuiſceris, & compunctinnem abiicis, cùm propoſitum tuum, cuius executione emendari debueras, non exequeris. Quid profuit te ipſum inſpexiſſe? Certè nihil, niſi vt maiorem pœnam ſis habiturus, quia vidiſti quod facto opus erat, & præ magna negligentia tua facere non curaſti. Vt ergo propoſitum tuum ſit ad meritum & profectum tuum, in bnnn, quod ſtatuendo cœpiſti, procede, & illud actione præſtare non omittas.

Bern. in ſentent.

Rich. lib. 2. de erudit. inter. hom. c. 5.

Iacobi 1. 22, 23.

De Progreſſu particularis examinis, nempe de cura interdiu habenda.

CAPVT X.

FACTO manè firmn emendationis propoſito alicuius defectus ſpecialis (vt dictum eſt) qui virtutem concupitam oppugnat, vel exercitationis eiuſdem virtutis, quam mens iuſta deſiderat, ſequitur cura ſemper habenda eiuſdem virtutis exercendæ vel defectus declinandi. Hæc verò cura, ô perfectinnis amatnr, nihil aliud eſt, quàm vt per totum diem, moderatam & diſcretam illius tui propoſiti memoriam habeas, & oblata occaſione in eius executionem diligenter incumbas. Meditare nunc ſtrenuum militem, cui à rege commiſſum eſt, vt contra potentiſſimum aduerſariũ deſcendat ad ſingulare certamẽ, ex cuius victoria tnta ſalus ſuorũ, & aduerſariorũ fuga, excidiúmq; depẽdeat: Is quas cogitationes animo volnet? Quod in ſe deſiderium vincendi, quem ardorem ſuſcitabit? Quanta ſnlicitudine armis ſe pnteget? Quàm attentus ad pugnam ibit? Qnàm animoſus certamen incipiet? Quanta indignatinne & fortitudine hoſtem aggredietur, ex cuius interitu ſuam & ſuorum vitam ſuſpenſam eſſe cognouit? Conſidera etiam negotiatnrem, vxorem, filios, & familiam habentem, qoibus ex ſuo labore miniſtraturus eſt cibum, quàm diligens è lecto ſurgat ante diluculum, vt ſe ad laborandum accingat? Et quàm ſeuerè ſibi imperet, ne aliquam lucrandi occaſionem prætermittat? Et ex iſtis, quam tibi indicimus curam addiſce. Nam ſi vitinm aliquod oppugnare decreuiſti, miles es, cui Dominus ſupremus rex omnis vincendi infenſiſſimom ſibi hoſtem impnſuit: ſi verò virtutem oppoſitam aſſequi propnſuiſti, negotiator es, cui lucrandi cœleſtes diuitias munus iniunxit. Ne ergo prouinciæ tibi demandatæ obliuiſcaris, ſed tales interdiu cogitationes aſſume: talia deſideria habe, tanta in omnibus diligentia procede, quæ te ad victoriam vel ad lucrum exſuſcitent. Snlicitat nos anxia

cura temporalium, adeò vt cogitatio, & deſiderium propulſandi mala corporis & quærēdi bona, omnem noſtram mentem & cunctas vires abſorbeat: ſolicitet & cura perfectionis, ac profectus noſtri, & eo ipſo quòd vtilior eſt, alias ſolicitudines obruat. Illam quidem nimiam ſolicitudinem tanquã noxiam
Matth.6. 34.
Dominus vetuit: Nolite, inquit, ſoliciti eſſe in craſtinum: Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi:] qua ſententia moderatam temporalium curam, quæ præſentia & propinqua reſpiciat, non taxat, ſed illam immoderatam, quæ ad nimium diſtantia ſe extēdit, & fortaſſis nunquam futura, condemnat. At ſolicitudinem bonorum ſpiritualium tanquam proficuam ore Pauli ſine vlla limitatione præcepit. Hic
Rom.12. 11.
enim Apoſtolus ait: Solicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes.] Ita ſitis de veſtra ſalute ſoliciti, vt in executione eorum, quæ ad ipſam pertinent, nullã habeatis pigritiã: ita ſpiritu feruentes; vt quod implere non potueritis, piè & auidè deſideretis: ita ſitis Domino ſeruientes, vt ad eius obſequium in nullo deficiatis. Sed hæc eſt noſtra oſcitantia atque fatuitas, quòd illa bona, quæ moderatè & propter aliud appetenda ſunt, auidiſſimè & quaſi propter ſe ipſa eſſent, cõcupiſcimus. Hæc verò, quæ ſolicitiſſimè ſunt quærenda, aut omnino relinquimus, aut tepidè curamus. Mutemus itaque ex vno in aliud curas noſtras, eáſque in hoc ponamus, vt iuxta id quod ſemel ſtatutum eſt, vitam noſtram emendemus.

Sed quàm diligens debeat eſſe iſta cura, qua propoſitum noſtrum implendum eſt, Salomon in Prouerbiis ſub imagine fideiuſſoris adumbrat. Hunc
Prou. 6. 1.2.3.
enim ſic alloquitur: Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus. Fac ergo quod dico fili mi, & temet ipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui.] Primis illis verbis naturam ſancti propoſiti videtur exprimere, cuius notione vult, iuſtum ad eius diligentem impletionem incitare. Quidnam eſt propoſitum, quo aliquod bonum conueniens nobis iudicamus, & faciēdum eſſe decernimus? Eſt ſponſio quædam, qua liberum arbitrium ſtatuens ſiue proponens, pro homine amico ſuo, cuius eſt facultas intellectum & voluntatem includens, fide iubet, & quòd hic ſtatuta, & decreta faciet, certa ratione promittit. Optimè autem vocatur ſponſio ſiue fideiuſſio, quia quemadmodum ſi principalis debitor non ſoluat, ſponſor ad ſoluendum adigitur: ita ſi homo ſtatuta non impleat, libera eius voluntas quaſi in defectum hominis increpatione mulctatur. Et quid eſt propoſitum? Eſt deditio, qua voluntas quaſi in ſignum ſeruitutis manum defigit, & extraneo ſe ſubiicit. Nonne Chriſtus extraneus vocari po-
Pſal.68. 9.
teſt, qui de ſe ait: Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ?] Planè extraneus hominibus, quia iſti de terra, ille de cœlo: iſti peccatores, ille ſanctus: iſti ſuperbi, iracundi, & iniuſti; ille humilis, manſuetus, & iuſtus exiſtit. Sed huic voluntas, dum aliquid proponit, ſe tradit, & ſe ad illud faciendũ aſtringit. Et quid amplius eſt propoſitum? Eſt laqueus quidam verborum, quo homo ſeipſum illaqueat, & ſaltem ſub pœna inconſtantiæ & leuitatis ad exequendum ſe obligat. Nec quia laqueus verborum dictus eſt, propterea eſt habendus contemptui, quoniã ſicut verba ſæpe multo magis quàm verbera feriũt: ita multo fortiùs quàm funes conſtringunt. Iſtos enim robur corporis aut gladius expedit, verba verò, quibus aliquid pollicemur, aut ſtatuimus, ſola impletio eorum infringit.

Denique: Aperi os tuum, inquit idem Salomon, & decerne quod iuſtum eſt: & iudica inopem & pauperem.] Prou. 31 9.
Ac ſi diceret, poſtquam ſtatueris, atque decreueris, quid faciendum ſit ad liberationem egenorum & pauperum, opere comple, & libera eos: alioqui à delicto immunis non eris. Quòd ſi quis hanc ſententiam ſibi accommodare voluerit, & ſe ipſum pauperem cogitare, animaduertat, quòd ne in inconſtantiæ & leuitatis notam cadat, debet quæ ſemel ad ſui liberationem & perfectionem decreuit, implere. Si ergo, ô homo, aliquid ſtatuiſti, ſi apud extraneum manus defixiſti, ſi illaqueatus es verbis oris tui, te ipſum libera, quia incidiſti in manus proximi tui. Apertè, quem antea extraneum vocauit, nunc proximũ tuum vocat, quia dũ te emendare, & culpas pellere, & virtuti ſtudere ſtatuis, iã Chriſto, à quo per culpam & virtutis abſentiã longè es, quodam modo propinquus efficeris. Eris autē omnino proximus, cùm ex propoſito ad opus tranſiens, eius virtutis imitationem indueris. Ipſe quidē eſt proximus, qui
Aug. 20. de ciuit. ca. 20.
cùm ſit in forma Dei, Deus noſter, vt inquit Auguſtinus, formã ſerui accipiens, eſſe dignatus eſt etiam proximus noſter. Ipſe eſt ille proximus, qui, vt di-
Deut. 19.6. Greg. 10. mor. c. 5.
citur in Deuteronomio, homicidæ ad vnam ex tribus ciuitatibus confugienti parcit, quia licèt peccauerimus, nobiſcum benignè aget, quos, vt inquit Gregorius, fides, ſpes, & charitas in pœnitentiæ lamentis abſconderint. Igitur te ipſum libera, quia incidiſti in manus huius proximi, quando nos pœnitentes ad miſericordiam excipit. Et ideo dixit Dauid, cui optio pœnæ ob peccatum numerationis populi data eſt: Melius eſt vt incidam in manus Domini (multæ
2. Re. 24. 14.
enim miſericordiæ eius ſunt) quàm in manus hominũ. At terribile eſt incidere in manus eius, cùm nos delinquentes ad iram & vindictam exquirit: Quia horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.]
Hebr. 10. 31.
Quem caſum caſta Suſanna ſapienter timens, ad illos laſciuos ſenes ait: Melius eſt mihi abſque ope incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu
Dan. 13. 21.
Domini.] Quis autem non videat, quòd ſi culpam non fugias, & eam præſertim, à qua paulo antè te fugiturum promiſeras, incidis in manus huius proximi, vt de te vltionem aſſumat? Quòd ſi culpa fuerit leuis, non ob id non debes timere, quia leues culpas, præſertim non ex infirmitate, ſed ex oſcitantia exortas, ſolet hic proximus ad vtilitatem ſuorum non leui ariditate & deſolatione mulctare.

Iam audio te dicentem: Quomodo igitur poſt emiſſum emendationis propoſitum, me de manu huius proximi liberabo? Non certè alia ratione, quàm ſi diligenter cures, tuum propoſitum ac decretum implere. Hanc curã ſolicitam præſcribit Sapiens, vt huius liberationis remedium, in verbis, quæ ſtatim ſubiungit: Diſcurre, inquit, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis,
Prou. 6.3.
nec dormitent palpebræ tuæ.] Hæc dicta ſunt illi, qui propoſuit, illi qui pro amico fideiuſſit. Diximus autem ſponſorem fuiſſe, liberum arbitrium, ad quod pertinet de agendis vel omittendis per intellectum iudicare, & per voluntatem proponere. Huic ergo incumbit diſcurrere, & feſtinare, & amicum ſuſcitare, & omnem ſomnum & torporem excutere. Voluntas ergo tua, ô homo, de ſua ſponſione ſolicita, moueat intellectum, vt pro facienda debiti ſolutione diſcurrat. Diſcurris, ſi internis mentis oculis diſcrimina cadendi, & à propoſito deficiendi perluſtres. Diſcurris, ſi ea, quæ te poſſunt ad emendationem allicere, attentè conſideres. Diſcurris, ſi media ad vitandum peccatum & eliciendas virtutis actiones inquiras. Diſcurris, ſi in diuerſas

A partes cutras,& omuia dona,quæ habes,in auxilium
adſeras, & in curandam victoriam impendas. Filij
In Iudith.4. 3. Iſrael,Holofernis pauore cooterriti,miſcruorin om-
nem Samariam per circuitum vſque Iericho, & præ-
occupauerunt omnes vertices montium, & muris
circundederunt vicos ſuos, & congregauerunt fru-
menta in præparationem pugnæ. Sic & tu ſi hoſtem
illum,id eſt,vitium illud,aduersùs quod pugnas,per-
timeſcas, præueni occaſiones deficiendi, collige vi-
res tuas,& aduoca virtutes,quas Deo auctore habes,
Dion. de remed. te. tat. ar. 27 quibus hoſtem illum à te repellas. Quomodu id
fiat,ex Diooyſiu Richelio accipe: Dum quis air,de
carnali voluptate ac vitiis carnis tentatur, repugnet
fides,dicendo: Noti acquieſcas, quoniã ſi cooſeu-
tis,damnatiouem mereris. Spes quuque reſiſtat, di-
B cens: quia per talia perdo regnum cælorum, quod
præſtolor. Similiter charitas reluctetur,ac dicat: Ma-
lo Deum & amicitiam eius habere, quàm vana &
fœda. Timor etiam retrahat, diceos: Abhorreo
Dei offeuſam, vereor eius diſtrictum iudicium. Sic
& fortitudo opponat ſe: Noli,iuquiens, vilibus vi-
tiis iſtis ſuccumbere. Caſtitas item renitatur, dicát-
que Puritatem amplector, turpitudinem talem de-
teſtor. Patientia verò impugoatiooẽ diabolicam, &
carnalem æquanimiter patiatur ita, ne tentatus ex
aſſiduitate vel diuturnitate tentatiotis tædio obrua-
tur, ant fatigatus ſuccumbat. Sic & manſuetu-
do in omni conflictu tentationis iram deuiter, ne
ratio per iracundiam perturbata, à neceſſariis
cooſiderationibus & ordinato impediatur proceſ-
C ſu, ad quam oeceſſariam eſſe prudentiam coo-
ſtat.] Sic ille. Atque eadem ratione pugnaudum
eſt contra qooſque etiam minores defectus. Si ex
omuibus, quæ habes, ita te adiuuas, ſi vndique
te cingis, vndique te munis, ne in aliquid contra
propoſitum cadas, vtiliſſimè ad tui emendationem
diſcurris.

Deiude feſtinandum eſt tibi, vt ab eo malo,
quod pertimeſcis, fugias,& io illam virtutem,quam
concupiſcis, peruenias. At feſtinas,ſi inſtinctus Do-
mini te interiùs moneotis, vt declines ab occaſio-
nibus delinquendi, libenter excipias. Feſtinas, ſi
interdiu occaſioues virtutem exercendi auidè ca-
ptes. Feſtinas, ſi nihil eorum, quæ ad fugiendum
illum defectum particularem, & virtutem acqui-
rendam conferunt,ex iocuria prætermittas. Miſe-
D *Eccli. 18. 14.* retur Dominus, inquit Eccleſiaſticus, excipientis
doctriuam miſerationis, & qui feſtinat iu iudiciis
eius.] Si itaque inſpirationem Domini, ex ſua miſe-
ratione profectam exceperis, ſi ad eam opere com-
plendam feſtinaueris,apud eum miſericordiam cou-
ſequeris. Nemo ocioſus, uemo ſegois in domo Dei
manere permittitor:adeò vt ipſa ſponſa, id eſt, per-
fecta anima,poſt multos ſuſteutatos pro Chriſto la-
bores ad feſtinationem inuitetur. Audit illa ſpon-
Cant. 2. 10. ſum dicentem: Surge, propera amica mea, co-
lumba mea, formoſa mea, & veni.] Quia dignum
Greg. ibi. eſt, inquit Gregorius, vt quicumque ad amorem
Chriſti properat, carnis torporem, quantum poteſt,
abiiciat, & ſe ad æterna conſequenda celeriter ac-
E cingat. Si anima ſancta feſtinat, ac properat, cui
pro adepta perfectione aliqua requies concedi po-
terat, quaoto magis tu, ô ſerue piger, qui hactenus
nihil laboraſti, debes ad tuam emendationem fe-
ſtinare, præſertim cùm ſcias, te peccaſſe, & igoo-
2. Petr. 3. 11. res te iam veniam promeruiſſe? Quales oportet
vos eſſe, inquit Petrus, in ſanctis conuerſationibus
& pietatibus, expectantes,& properaotes io aduen-
tum diei Domini?] Certè qui adueotum Domini ex-
pectas,& in eo reſpicere cum iuſtis, & leuare caput

A deſideras, quia appropioquat redemptio tua,debe-
res ſanctè conuerſari in te,& ad alios piè agere,& in
omoibus cum magno feruore properare,ne tuo de-
ſiderio fruſtreris. Feſtina igitur teipſum emendare,
feſtina ſtudio virtutis inſiſtere, & ſi aliquando ceci-
dens,feſtina ſtatim per dolorem & compunctionem
aſſurgere.

Et qoid amplius? Suſcita amicum tuum; cura vo-
luotatis tuæ teipſum excitet, & de redditione debi-
ti, & impletione propoſiti ſolicitum faciat, & quia
ſolus ſoluendo eſſe nou poteris,ad potentiores ami-
cos pro adiutorio conuertere. Inuoca Saluatorem
tuum, ipſe enim, qui eſt extraneus tibi, quia per
peccatum ab eo diſceſſiſti, ipſe qui eſt proximus ti-
bi, quia eo inuitante & trahente, iterum ad ipſum
B veniſti, eſt etiam amicus & adiutor tuus. Inuoca
matrem huius proximi tui, quæ à proximis ſui filij
ooo eſt aliena, vt tibi ad implendum propoſitum &
ſoluendum filio ſuo,ſedula adiutrix aſſiſtat. Inooca
amicos & commenſales eius, in cuius manus incidi-
ſti, vt tibi,ſi defeceris, veniam impetreut,ſi bene geſ-
ſeris, gratias pro te agant, & pro te ſemper iodicem
interpellent. Nam & illi, qui obtulerunt Domi-
oo paralyticum iacentem io lecto, & ſummiſerunt
eum cum lecto per tegulas ante Ieſum, cùm eſſent
mortales homines, & fortaſſis non admodum per-
fecti, ægroto ſanitatem impetrarunt. Quorum fi-
dem & piam meotem intuitus Duminus, dixit pa-
ralytico: Homo remittuutur tibi peccata tua;] & *Luc. 5. 20*
tandem illum,ſicut à peccato eripuit, ita à corporali
C ægritudine liberauit. Quauto magis Angeli & ſan-
cti, in patria degeutes, & ad familiariſſimam cum
Deo amicitiam prouecti, multo efficaciùs tibi cœle-
ſte adiutorium obtioebunt, vt de cætero non cadas,
& de antea admiſſis indulgentiam recipias? Suſcita
itaque amicum tuum & Saluatorem tuum: qui, vt *Greg. 11. regiſt. in-
ait Gregorius, ipſe ſibi teſtis eſt, quia inuocantibus dict. 11. c.
miſereri deſiderat, qui mouet, vt inuocetur. Soſcita 2.*
matrem Saluatoris tui, oeque enim dubium, vt ver-
bis Auguſtini vtar, quæ meruit pro liberandis offer- *Aug. ſer.
re pretium, poſſe plus omnibus liberatis impendere 35. de
ſuffragium. Suſcita denique amicos creditoris, qui ſanct. to.
cùm illi ſint gratiſſimi, facient, vt tibi talentum, id 10.*
eſt,abundans gratia,concedatur,qua poſſis pro præ-
teritis ſatisfacere, & nouam gratiam promereri. In
his ita vigila,vt toto die oon des ſomnum oculis tuis,
D nec dormiteot palpebræ tuæ. Poſtquam enim ſemel
ſtatuiſti,teipſum ab hoc vitio vel defectu emendare,
vel hoie ſtudioſæ actioni ſolicitiùs inhærere, non li-
cet quaſi in vtramque aurem per obliuionem pro-
poſiti & negligeotiam,dormire.

Duo tandem alia ad hanc curam & vigilantiam
pertinent, quæ Sapiens eodem loco nequaquam
præteriuit. Eruere, inquit, quaſi damula de manu, *Prou. 6. 5.*
& quaſi auis de manu aucupis.] Damula, animal
imbecille & timidum, ſemel à venatoribus capta,
oon moratur, ſed ſtatim toto niſu conatur è mani-
bus eorum elabi, & ſe ſalutari fuga præcipere. Ita &
tu,ſi aliquando contra propoſitum tuum in commiſ-
ſionis vel omiſſionis culpam cecideris,ne in luto hæ-
E reas, ue in oegligentia perſiſtas, ſed è veſtigio aſſur-
gere & liberari contendas. Neque enim putius eſt
lutum culpæ vel negligentiæ, quàm lutum terræ, vt
ab iſto ſtatim poſt caſum reſilieodum ſit, & in illo
commorandum. Ita autem temet ipſum liberabis,ſi
mox atque culpam commiſeris, eam recognoſcas,
de illa doleas, atque compungaris, propoſitum re-
uoues, interiùs ad Dominum conuerſus,ſupplicitet
veniam efflagites (quod & in quocuoque loco, &
coram arbitris fieri poteſt, ſine eo quòd ipſi iutelli-

gant)

A gant)& aut gemitu, aut tunſione pectoris, aut breui precatiuncula, aut alijs modis, quos non oportet ſcribere, & feruor ſpiritus, ac deſideriũ proficiẽdi facilè aduertit, tuam negligentiam caſtiges. Sic irridebis aduerſarios tuos, qui te ad caſum impulerunt, *Pſal. 69. 4.* dicéſque ad eos: Auertantur retrorſum, & erubeſcant, qui volunt mihi mala. Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi euge, euge.] Qui ſi lætati ſunt in caſu tuo, & manibus præ exultatione plauſerunt, in reſurrectione tua, qua à culpa ſurgis, triſtabuntur. Dicéntque, ſuam ignominiam præuidentes, qua illos per conceptum nouum feruorem *1. Reg. 4. 7.* peſſundabis, quod dixerunt Philiſtæi: Venit Deus in caſtra, & pugnat pro iſto, quem antea proſtrauimus. Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri B & nudiuſtertius: Væ nobis.] Tu verò è contrario lætaberis, quia per compunctionem & deiectionem ſui, manus venatorum ſtatim effugiſti, & ex caſu ad maiorem circunſpectionem maiúſque peccati odium euolaſti.

Eruere etiam ſicut auis de manu aucupis. Auis manum aucupis aut laqueum effugiens, in ſublime volat, ne in manus alterius hoſtis aut in alium laqueum cadat. Quo alia qualitas huius ſolicitudinis in emendatione noſtra collocandæ oſtenſa eſt, vt ſcilicet ita de hoc ſpeciali defectu nos emendare curemus, vt tamen per negligentiam in alia vitia non cadamus. Hæc enim cura licentiam in hac ſpeciali materia delinquendi comprimens, eo ipſo quòd voluntatem frænat, & appetitum cohibet, facilè ſe C ad alios defectus vitandos extendit. Sit ergo noſtra cura ad vitandam hanc culpam ſpecialem maior, ſed non ſit ad vitandas alias remiſſa & ſegnis, *Pſal. 118. 128.* vt cum ſancto Dauide cantare poſſimus: Ad omnia mandata tua dirigebar: omnẽ viam iniquitatis odio habui.] Ille namque omnem viam iniquitatis deteſtatur, cuius mens, nec hac culpa, quam ſpecialiter vitare vult, nec alijs (quantum poteſt) inficitur. *Ambr. ad Pſal. 118. ſerm. 16.* Quam doctrinam luculenter tractat Ambroſius in eundem locum, dicens: Niſi omnem viam iniquitatis oderis, non potes in omnibus præceptis Dei corrigi. Poteſt enim fieri, vt aliquis ſe temperet à crudelitatis horrore: lubrico tamen deceptus amore meretricis, & ſemitas incontinentiæ iuuenilis ingreſſus, impreſſum ſemel non queat reuocare veſtigium. Multos enim vitia blandiora decipiunt, è contrà auertit à ſe plurimos triſtis & nimiùm ſeuera D crudelitas. Sed iuuentus ad amorem liberior, ad lapſum incautior, ad infirmitatem fragilior, ad correctionem durior eſt. Alius ſe reſtrinxit à luxu, ſed auaritiæ cupiditate raptatur. Plerumque enim peccata huiuſmodi ſunt, vt ſi alterum declines, incurras alterum: & naturæ vſus adiuuat infirmitatem. Odis tu luxuriam quaſi frugi, ſed frugalitatis ſtudio habendi cupiditas frequenter irrepit. Auaritiæ ipſi rapina eſt ſubdita. Et quanto tolerabilius eſt, propria profundere, quàm aliena diripere? Sunt, qui metuentes, aliquid proprio minuere de cenſu, etiam in opibus ſumptum negent, & miſericordiam detrimentum putent. Sunt, qui degenerem vitantes ignobilitatem, flabro ſæcularis ambitionis agiten- E tur, & ſicut quaſſatæ arundines, huc atque illuc ferantur incerti. Sunt etiam, qui dum maiorum ſuorum ſtatum ſequuntur, veluti digna conuerſatione contenti, ne errores quidem patrios exiſtiment declinandos, vt fide mutandam perfidiam non arbitrentur, cùm in melius mutare propoſitum non leuitas, ſed virtus, nec culpa, ſed gratia ſit. Alios Circenſibus ludis, atque theatralibus ſolicitatus voluptatibus, aut cæteris vanitatibus occupatus,

A Eccleſiam non frequentat, alium turis quieta delectant, eáque cauſa ad Eccleſiam rarus acceſſus eſt. Itaque diuerſo vſu in eundem deuotionis errorem vterque concurrit. Sed qui omnem viam iniquitatis odit, ad vniuerſa corrigitur & emendatur.] Hæc ille. Cuius verba, ſi ad alia vitia alióſque defectus minores applicentur, videbimus, illum curam iſtam particularis examinis deſcripſiſſe, qua ita vnum vitium timemus, vt tamen alia fugere non obliuiſcamur. Hieronymus autem ſe dedit in huius rei manifeſtum exemplum. Nam de ſeipſo ait, quòd ita elationem præcipuè fugiebat, vt tamen omnia alia vitia ſolicitè declinaret. Eius verba ſunt: Quamuis *Hieron. epiſt. 32. ad Abrgaum.* mihi multorum ſim conſcius peccatorum, & quotidie in oratione flexis genibus loquar. Delicta iu- B uentutis meæ & ignorantias meas ne memineris; tamen ſciens ſcriptum eſſe ab Apoſtolo: Ne inflatus ſuperbia incidat in iudicium diaboli. Et in alio loco ſcriptum: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam; nihil ita à pueritia conatus ſum vitare, quàm tumentem animum & ceruicem erectam, Dei contra ſe odium prouocantem. Noui enim magiſtrum, & Dominum, & Deum meum in carnis humilitate dixiſſe: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.] Et antè per os Dauid ceciniſſe: Memento, Domine, Dauid, & omnis manſuetudinis eius. Et in alio loco legimus: Ante gloriam humiliabitur cor viri, & ante ruinam eleuatur.] Ecce ergo curam & ſolicitudinem, qua in via ſpiritus progrediendum eſt. Si enim vt vnum C defectum fugias, vnámque virtutem acquiras, teipſum & omnia diligenter circunſpicias: ſi occaſiones deficiendi pertimeſcas, ſi cæleſte adiutorium ad mentis tutamen implores; ſi attentus ſis in omnibus, ne tuum propoſitum frangas: ſi lapſus, ſtatim aduertis, & per internam compunctionem & propoſiti innouationem aſſurgis; ſi tandem ita teipſum in hoc particulari emendas, vt alijs defectibus habenas non laxes, ſed te quantum potueris, ab omni lapſu contineas, iam ſolicitè curam adhibuiſti, qua ſine vlla dubitatione breui tempore, multum proficies. Quia ſicut à gratia Dei hæc diligens cura emendationis prouenit; ita ab ea fructus, quem cupimus, nempe magnus, & breui tempore adeptus, profectus mentis proueniet.

D

De diſcuſſione conſcientiæ, bis quotidie facienda.

CAPVT XI.

CHRISTVS, Saluator noſter, qui nunc nos ad vitã ſpiritualem vocat, ad emendationem inuitat, & ad ſancta propoſita facienda per ſuam gratiam, cor noſtrum inflectit, in fine vitæ cuiuſque rationem exacturus, & actiones ac cogitationes diſcuſſurus adueniet. Ideo Petrus de illo ait: Quia ipſe eſt, qui *Act. 10. 42.* cõſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum,] E id eſt, vt interpretatus eſt Auguſtinus, iuſtorum & *Aug. in Enchirid. c. 52.* iniquorum. Et hic met idea de ſeipſo teſtatus eſt: *Matt. 26. 64.* Veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, id eſt, cum tanta maieſtate, vt eum in melioribus Dei bonis locatum agnoſcaris, & venientem in nubibus cæli.] *Sophon. 1. 12.* Et per Sophoniam: Et erit in tempore illo, ſcrutabor Ieruſalem in lucernis.] Non tantum Sodomam, ſed & Ieroſolymam ſcrutabitur in lucernis,

quia non tantùm opera iniquorum damnabit, ſed & iuſtorum actiones expendet, vt puniat, & reprehendat quicquid in illis minùs rectum, & minùs putum inuenerit. Immò & his præcipuè admonebuntur lucernæ, vt hac ſimilitudine diuini iudicij erga illos ſubtilitas exprimatur, quia exquiſitiori, & minutiori ſcrutinio occultiores defectus indigebunt. Puto, hoc loco, Prophetam, inquit Bernardus, Hieruſalem nomine deſignaſſe illos qui in hoc ſæculo vitam ducunt religioſam, mores ſupernæ illius Hieruſalem conuerſatione honeſta & ordinata pro viribus imitantes, & non velutì hi, qui de Babylone ſunt, vitam in perturbatione vitiorum ſcelerúmque confuſione vaſtantes. Denique illorum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium, & non egent ſcrutinio ſed ſupplicio. Mea autem (qui videor monachus & Hieroſolymita) peccata certè occulta ſunt, nomine & habitu monachi adumbrata. Et idcirco neceſſe erit, ſubtili ea inueſtigare diſcuſſione, & quaſi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi.] Sic ille. Illos autem Dominus examinabit, qui ſeipſos non examinauerint: illos iudicabit, qui ſeipſos non iudicauerint, & qui non in ſemetipſis mala admiſſa puniuerint. Quare operæpretium eſt, vt nos ipſos ſcrutemur, & pro culpis caſtigemus, vt diſtrictiſſimi iudicis ſententiam fugiamus. Ac proinde meritò ſibi conſulens idem ſanctus Pater Bernardus, addit: Iudicabo proinde mala mea, iudicabo & bona. Mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lacrymis, punire ieiuniis, cæteriſque ſanctæ laboribus diſciplinæ. In bonis de me humiliter ſentiam, & iuxta præceptum Domini, ſeruum me inutilem reputabo, qui quod facere debui, tantùm feci. Dabo operam, nec lolia pro granis, nec paleas cum granis offerre. Scrutabor ergo vias meas & ſtudia mea, quò is qui ſcrutaturus eſt Hieruſalem in lucernis, nil inſcrutatum in me ſiue indiſcuſſum inueniat. Neque enim iudicaturus eſt bis in id ipſum. Quis mihi det ita ad liquidum proſequi, & perſequi vniuerſa delicta mea, vt in nullo oporteat vereri oculos capreæ, in nullo ad lumen contingat erubeſcere lucernarum.] Hæc Bernardus. Nos igitur, qui iam per ſpeciale emendationis propoſitum, quaſi ſpecialem quandam legem nobis indiximus, & per curam aſſiduam ad ſtatutum tempus cuſtodiuimus, diſcutiamus, & iudicemus nos ipſos, ne à Domino iudicemur. Aut potiùs ipſe, qui poſtmodum in ſolio diſtrictiſſimæ æquitatis homines iudicabit, nos nunc in abdito ſuæ miſericordiæ iudicet. Homo veniat ante illum, in intimo cordis ſui tanquam reus, & conſcientia propria accuſatrix aſſiſtat; & ſic hoc iudicium tranſigatur, vt Deus ob ſuas miſerationes erga hominem glorioſus appareat, & homo non in furore, immò neque in ira, ſed in miſericordia correptus, de cætero magis cautus & magis emendatus exiſtat. Quo pacto hæc diſcuſſio & examinatio fieri debeat, quæ tertia pars eſt particularis examinis, dicendum eſt nunc, vt in ea pro his quæ geſſimus, Deum laudemus, & nos ipſos caſtigemus, & ex ipſa optatum fructum decerpamus.

Bern. ſer. 55. in Cant.

Diſcuſſio hæc conſcientiæ, qua inquiramus an propoſitum illud, manè conceptum, emendandi ſpecialem defectum, vel exercendi particularem virtutem, cuſtodierimus, bis quotidie fiat; ſemel ante vel poſt prandium, & ſemel ante cubitum. His enim duobus temporibus cõſcientia generaliter de omnibus examinãda eſt (vt poſtea dicemus) vnde æquum eſt, vt eiſdem temporis interuallis, de ſingulari illo propoſito cuſtodito vel non cuſtodito; à vito iuſto

Hoc eod. lib. 5. p. c.

A diſcutiatur. Examinis meridiani meminit Bonauentura, ſic ſcribens: Cùm pulſatur campanella ad menſam, vel ad condendum, ſtes in ſilentio, & examina teipſum, quomodo in oratione, vel lectione, vel in ſeruitiis laboraſti, vt præparatas eleemoſynas poſſis ſecura conſcientia manducare: nam peccatores ibi eleemoſynas largiuntur, non vt loquaris de partibus vel de guerris, vel maneas otioſus, ſed vt pro eis inceſſanter ad Dominum fundas preces: quòd ſi te inueneris otioſum ſteriſſe, aut dixiſſe illicita, timeas cum dolore cordis, ſciens quòd de eleemoſynis acceptis oportebit te reddere rationem villicationis tuæ; & vſque ad ſecundam pulſationem, cogita ſupradicta, ſemper pro benefactoribus exorando. Veſpertini verò mentionem fecit Doro-B theus, qui hæc ait: Affirmauerunt Patres communi ſententia, poſſidere eum timorem Dei, qui mortis crebrò & gehennæ reminiſcitur, quíque veſperè à ſeipſo rationem exigit, quemadmodum die ambulauerit; manè ſimiliter quo pacto noctem tranſegerit.] Nec frequentior, quàm par eſt, aut nimia videatur, hæc duplex in qualibet die conſcientiæ diſcuſſio, quia ſancti, qui oculos mentis habent diuina luce perfuſos, non bis in die, ſed qualibet hora in ſeipſis, quod examinent, & corrigant; quod emendent, & reprehendant, inueniunt. Beatus certè Pater Noſter Ignatius, vt auctor eius vitæ teſtatur, ſingulis horis ſeipſum colligebat, & quid cogitaſſet, quid egiſſet, quid omiſiſſet, examinabat. Quod documentum eſſe Petri C Apoſtoli, ſcribit Clemens Papa in illis verbis: Inſtruebat, actus ſuæ vitæ omni hora cuſtodire, & in omni loco Deum reſpicere, & cætera. Et Caſſianus appoſitiſſimo ſimili, quid ſancti tam frequenter in ſeipſis emendent, exponit, cuius ſententiam notatu digniſſimam non grauabor in medium afferre. Ille ſic ait: Velut ſi in aliquam magnam domum, multis inſtrumentis, vaſculis, ſarcinis impeditam, vnum integra viſuum acie perſpicacem; alterum, cui oculorum lumen obtuderit lippitudo, pariter ponamus ingreſſos, nonne cùm ille, cui ad videnda omnia hebes obſiſtit obtutus, nihil illic aliud eſſe æſtimet, niſi armaria, lectos, ſcamna, præſepia, & quicquid non tam oculis ſpeculantis, quàm manibus palpantis occurrerit; è contrà hic, qui clariſſimo luminum ſyde-D re etiam occulta rimatus eſt, multa illic minutiſſima, & quæ vix poſſint etiam numero cõprehendi, ineſſe pronunciet, quæ ſi aliquando in vnum cumulum congregentur, paucorum, quæ ille palpauerat, magnitudinem numeroſitate compenſent, aut etiam forraſſe tranſcendant? Ita igitur ſancti, atque vt ita dicam, videntes, quibus ſummum perfectionis eſt ſtudium, etiam illa, quò velut tenebroſus animi noſtri non intuetur aſpectus, in ſemetipſis ſagaciter deprehendunt, acerriméque condemnant, vſque adeò, vt qui, ſicut noſtræ videtur incuriæ, ne tenuis quidem peccati næuo candorem conſcientiæ fuſcauerunt, multis ſibi maculis videantur aſperſi, ſi, non dicam vanæ cogitationis improbitas, in atria mentis irrepſerit, ſed vel pſalmi, qui dicendus eſt, recor-E datio orationis tempore intentionem ſupplicantis auerterit.] Hæc Caſſianus. Cùm ergo ſancti viri tam magnam lucem diuinitus immiſſam habeant, & tam lynceis oculis ſuam imbecillitatem expendant, non mirum, ſi bis quotidie in ſe multa corrigenda peruideant. Quòd ſi in cæteris rebus neceſſaria eſt hæc frequens & exquiſita diſcuſſio, quanto magis in ea, quam maiori diligentia, aut repellendam à nobis, ſi mala ſit; aut ſi bona, ſuſcipiendam arripimus? Certè pictor imaginem Chriſti, aut alicuius ſancti in ta-

Bona. in reg. nouit.

Doroth. doctrina. 4.

Clemens epiſt. 1.

Caſſian. col. 23. 7.

bella

bella delineans, millies eam inſpicit, & nunc ex hac, nunc ex illa parte perluſtrat: iam quædam expungit, iam quædam abradit, iam lineas aliter ducit, iam illuſtrioribus coloribus tingit, & vix tandem poſt multam & frequentem inſpectionem, aliquid elaborat, quod ſuo deſiderio ſatisfaciat. Et nos cùm particulari examine humilitatem, aut obedientiam, aut aliam quampiam virtutem addiſcimus, eandem virtutem in tabella cordis noſtri effigiare curamus. Quare multum erit, ſi ſaltem bis in die noſtrum opus inſpiciamus, & an bene an malè ſuccedat, examinemus.

Quis autem modus in hac diſcuſſione tenendus? Hunc quiſque ex his, quæ nunc dicemus, intelliget. Nam primò, quoniam cognitio propria, donum Dei eſt; ille, qui ſeipſum examinat, gratiam à Deo humiliter petat, qua ſciat conſcientiæ receſſus excutere, cogitationes, deſideria, verba, & actiones expendere, & quod à ſe peccatum fuerit, agnoſcere, & emendare. Hæc ſanè cognitio magis ex humili oratione, qua aperiuntur oculi noſtri, quàm ex longa aut ſubtili inueſtigatione dependet. Vnde Gregorius, cùm illud Iob: Mittebat ad filios ſuos, & ſanctificabat illos:] myſticè interpretatus eſſet, de diſcuſſione propriarum actionum, qua quis ſeipſum inſpicit, ne bona æſtimet, quæ mala ſunt, aut ne bona ſufficientia putet, ſi perfecta non ſunt; hæc addit: Sed hos virtutum ſenſus, meliùs preces quàm diſcuſſiones inueniunt; nam ea, quæ perſcrutari in nobiſmetipſis pleniùs nitimur, ſæpe veriùs orando, quàm inueſtigando penetramus. Cùm enim mens per quandam compunctionis machinam ad alta ſuſtollitur, omne quod ei de ſeipſa occurrerit, ſub ſeipſa diiudicando certiùs contemplatur.] Hæc ille.

Iob. 1. 5. Gregor. 1. mor. c. 28.

Poſtulata gratia, ſingulas diei horas ab ea qua è lecto ſurrexit, vel ab hora præcedentis examinis vſque ad horam præſentem, non minùs breuiter, quàm attentè percurrat; videátque an propoſitum ſuum cuſtodierit, defectúmque vitauerit, necnon & virtutem exercuerit: an potiùs è contrà in aliquo à ſuo ſtatuto defecerit, virtutiſque actiones eliciendas omiſerit. Si nullum defectum vel commiſſionis vel omiſſionis admiſerit, id haudquaquam ſibi tribuat, ſed Deum illius doni auctorem agnoſcat, pro eo ex animo gratias agat, & gratiam aliam ad perſeuerandum expoſcat: Diſce, inquit Bernardus, in referendo gratiam, non eſſe tardus aut ſegnis; diſce ad ſingula dona gratias agere. Diligenter conſidera, quæ tibi apponuntur, vt nulla videlicet dona Dei debita gratiarum actione fruſtrentur, non grandia, non mediocria, non puſilla. Denique iubemur colligere fragmenta, ne pereant, id eſt, nec minima beneficia obliuiſci. Nunquid non perit, quod donatur ingrato?] Et ſi manè gratia fuit, à propoſito non excidere, etiam gratia erit veſperi in eo perſeuerare. Humiliter ergo cuique de ſeipſo ſentiendum eſt, & quanto magis ſe cuſtodierit, enixiùs gratia ab omnium conditore poſcenda, qua poſſit in cœpto perſiſtere. Si autem inſpector ſui in aliquo aduerſum propoſitum, vel per commiſſionem, vel per omiſſionem ſe feciſſe deprehenderit, de caſu ſuo doleat, & de tanta imbecillitate, ac de non ſeruata fidelitate humiliter erubeſcat. Pudeat illum, quia tam citò à bona voluntate defecit; & multo magis, ſi non iam ex infirmitate, ſed ex inuerecundia & oſcitantia deliquit. Odio habeat defectum aut caſum ſuum, licèt leuem, quo ſe inſtabilem & Deo minùs reuerentem demonſtrauit. Mercator, qui aliquam opum ſuarum iacturam fecit, tanto magis inſtatur & dolet, quanto maior eſt illi habendi cupiditas. Si verò te perfectionis ſolicitat deſiderium, cur non ex hoc caſu triſtaberis, quo in culpam aliquam incurriſti, Domino diſplicuiſti, & profectus aliquem gradum, quem locrari poteras, dilapidaſti? Hæc culpæ deteſtatio iſtéque dolor, non aliter quàm lima quædam, noſtra ſuperflua terit, & ſicut aqua munda nos abluit, & quaſi collyrium, oculos mentis ad cognoſcendos occultiores defectus, magis perſpicaces reddit. Quod profectò Gregorius docet, & ſimul pulcherrimis verbis, quomodo quis ſeipſum reprehendere & diſcutere debeat, exprimit. Scribens enim in illud Iob: Confabulabor cum amaritudine animæ meæ:] ſic ait: Pauore diuini iudicij afflicti, dum quædam malè geſta plangimus, ipſa vi noſtræ amaritudinis ad diſcutiendos nos vigilantiùs excitati, alia in nobis etiam, quæ ampliùs defleamus, inuenimus. Nam ſæpe quod torpentes latuit, flentibus ſubtiliùs innoteſcit, & afflicta mens certiùs inuenit malum, quod fecerat, & neſciebat, eique rixa ſua veriùs aperit, quantum à veritatis pace declinauit, quia reatum ſuum, cuius ſecura non meminit, tunc in ſe commota deprehendit. Succreſcens quippe amaritudo pœnitentiæ, verecundam cordi importunè ingerit illicita, quæ commiſit, districtum contra hæc iudicem oſtendit, ſuppliciorum minas incutit, pauore animam ferit, pudore confundit, motus illicitos increpat, quietem noxiæ ſecuritatis turbat, quæ ei conditor bona contulit, quæ ipſe bonis illius mala reſpondit, enumerat, quòd mirè ab eo conditus, quòd gratuitò nutritus, quòd rationis ſubſtantia in conditione ditatus eſt, quòd conditoris gratia vocatus, quòd ſequi ipſe & vocatus noluit, quòd vocantis miſericordia nec ſurdum hunc renitentémque deſpexit, quòd illuminatus donis, quòd ſua ſponte prauis actibus, etiam poſt dona, cæcatus eſt, quòd à cæcitatis ſuæ erroribus paternæ ſolicitudinis flagellis expiatus, quòd à flagellorum doloribus ad ſalutis gaudia miſericordiæ medicaméto reductus eſt, quòd quibuſdam culpis, etſi non grauibus, ſubditus, peccare tamen, & inter flagella, non deſinit, quòd peccatorem ſuum ſuperna gratia nec contempta dereliquit. Cùm igitur afflictam mentem modò per replicationem donorum Dei, modò per improperia actionis ſuæ tanta ſeueritate increpat, habet in corde iuſtorum amaritudo animæ linguam ſuam, quæ tanto eis ſubtiliùs loquitur; quanto & interiùs auditur. Vnde & nequaquam dicitur: Fabulabor in amaritudine animæ meæ; ſed confabulabor cum amaritudine animæ meæ, quia vis doloris, quæ peccata ſingula reputans, torpentem animum ad lamenta excitat, quaſi ad eum verba confabulationis format, in quibus ſemetipſum correctus inueniat, & ad ſui iam cuſtodiam ſolicitior exurgat.] Hactenus Gregorius. Et quidem dum ita nos Deo comparamus, & beneficia eius cum noſtris culpis conferimus, illiúſque erga nos curam, & beneuolentiam, noſtrámque erga illum obliuionem, & ingratitudinem recognamus, vehemens dolor malè geſtorum ſuſcitatur, & homo rubore ſuffuſus, ſalutari pœnitentia mordetur. Sic ergo amator perfectionis de admiſſis aduersùs ſuum propoſitum doleat, ſic ſeipſum increpet, & opprobriis ac contumeliis in ſeipſum aſſurgat, tempúſq; examinationi conceſſum, non tam in recordatione defectuum, qui facilè de tam breui tempore, ac eſt à manè vſque ad meridiem, ad memoriam veniunt, quàm in affectibus doloris & compunctionis impendat.

Bern. ſer. 51. in Cant.

Iob. 7. 10. Gregor. 8. mor. c. 12.

Poſt hanc negligentiæ deteſtationem doloréque conceptum, veniam ſuorum delictorum humi-

liter

Ruth. 3. 4. liter petat. Dicat Domino illud, quod Ruth dixit ad Booz: Expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es.] Tu Domine, qui cùm ſis Deus meus, per aſſumptionem carnis, factus es propinquus meus, miſerere afflictæ animæ meæ, quæ iam dolet & gemit, & flet, quia tuam benignitatem offendit. Dele per miſericordiam tuam maculas eius, & quod per infirmitatem carnis, quam geſtat, imprudenter admiſit, clementer abſterge.

Ibid. n. 14. Dormiat ad pedes huius propinqui ſui vſque ad noctis abſceſſum: Id eſt, in dolore, & gemitu, & oratione perſeueret, quouſque conſcientiam pacatam, & ex viſitatione Domini aliquantulùm exhilaratam ſentiat, & non ineptè de obtenta venia præſumat. Poſt hanc orationem ac gemitum, propoſitum renouet, & vſque ad tempus ſequentis examinis, culpa in hac ſpeciali materia ſe vacaturum proponat. Vtiliſſimum erit ad vſum, quem ſtatim dicemus, libellum paratum habere, in quo quiſque defectus ſuos lineis aut numeris notet. Ad quod faciendum, & reuerenter ſuſcipiendum, illius magni præceptoris vitæ ſpiritualis, ſcilicet Beati Patris noſtri Ignatij, ſufficiat auctoritas. Ipſe enim ſenex, ac grandæuus, & tantis donis à Deo cumulatus, tantáque ſanctitate veſtitus, hunc libellum, in quo ſuos defectus annotabat exiguos, virtutibus noſtris puriores, moriens quaſi in teſtamento reliquit. Ad cuius caput ab iis eſt, qui ei decumbenti aſſiſtebant, inuentus, vt viri ſpirituales diſcant, quanto feruore, quantáque cura ſit animæ emendatio exquirenda, quanta ſimplicitate tractanda. Nec deeſt nobis in hac re minutula aliquod antiquitatis exemplum. Hæc enim

Climac. grad. 4. de obedientia. apud Climacum legimus: Eum verò, qui parandæ fratribus refectioni præerat, cùm curioſiùs inquirerem, hoc facere animaduerti. Ad cuius latus cùm appenſum cingulo breuem libellum conſpicerem, didici eum quotidie cogitationes ſuas in eo notare, háſque omnes nuntiare paſtori ſolitum. Non ſolùm autem illum, ſed & alios quàm plures id facere ibidem proſpexi. Erat enim, vt comperi, patris ſancti mandatum. Et infrà ad finem eiuſdem tractatus de obedientia, ad eundem morem alludens, ait: Optimus ille trapezita eſt, qui quotidie veſpere lucrum ac detrimentũ omnino computat. Quod ſcire manifeſtiùs non poteſt, niſi horis ſingulis in tabulis omnia denotet. Nam cùm calculi ſingulis horis ponuntur, totius diei ratio poſtmodum clariùs agnoſcitur.] Et hi quidem, defectus ac cogitationes ſuas in libello notabant, vt Prælato nuntiarent, nos verò non tam vt alteri renuntiemus, quàm vt noſtri profectus (ad modum ſtatim dicendum) aliquam rationem habeamus. Vſus autem huius libelli vtilitatibus prædictis non caret, & nullius incommodi prætextu poteſt omitti. Nam in eo ſpirituales viri, quorum eſt hoc examine ſeipſos expolire, nonniſi minimos defectus exarant, quia Dei beneficio maioribus carent, &, ſi maiores exararent, non eos litteris, ſed lineis aut numeris notant, vnde ſi libellus excideret, & in manus maleuoli cuiuſpiam veniret, nihil prorſus de vita alterius poſſet intelligere, niſi quòd eſt ſpiritalis vir, ſuæ conſcientiæ exquiſitam curam habens, cuius defectus ac negligentias leues, in eo libello ad fletum & emendationem earum notare ſit ſolitus. In quo nullam maleuolus inueniet materiam ridendi, ſed de ſua oſcitantia erubeſcendi, qui maiora peccata non ſolùm non notat, ſed nec condigna pœnitentia diluere curat.

Infr. p. 5. c. Hoc autem particulare examen & illud generale, de quo poſtea dicemus, eſt ſpirituale capitulum, ſiue locus correctionis, in quo meliùs & efficaciùs vir iu-

A ſtus corrigitur. Illud capitulum eſt rarius, iſtud frequentius: in illo interdum accuſator ex odio aut paſſione ad accuſandum fratrem incitatur; in iſto conſcientia accuſatrix ſemper ex Dei amore, & perfectionis deſiderio ad accuſandum mouetur. In illo ex parte accuſati ſolet interuenire iuſta, aut iniuſta excuſatio; in iſto ſolùm humilis & deuota confeſſio. In illo præſes aliquando ita aut indiſcreto zelo feruet; in iſto Chriſtus, apud quem rei flentes procumbimus, nunquam per aliquam vel minimam notam indignationis excedit. In illo corriguntur defectus publici, in iſto occultiſſimi, & nulli, niſi Deo, & homini, qui admiſit, cogniti, emendantur, atque delentur. Illud tandem congregationes religioſæ teneant, apud quas eius viget vſus ſatis vtilis,

B & bonæ gubernationi conueniens; iſtud autem ſpiritualis vir intra ſeipſum toto corde ſuſcipiat. Quod profectò ſi ab omnibus religioſis bene, vt par eſt, fiat, illud exterius cum magna pace tranſigetur, & ſatis pauca & leuia inueniet, quæ corrigat. Qui præeſt huic ſpirituali capitulo, Chriſtus eſt, ad cuius pedes compuncti humiléſque procumbimus, vt veniam de noſtris negligentiis impetremus. Cuius benignitatem & lenitatem ſemel experti, dicimus præ deſiderio emendandi ab eo illud Dauidis: Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit Pſal. 140. 5. me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.] Malumus enim ab hoc Iuſto & Sancto ſanctorum corripi, quàm ab adulatoribus & his, qui minimè nos intus & in cute cognoſcunt, deliniri.

C Accuſator non eſt frater, qui fortaſſis nos non amat, aut non multum amat, ſed propria conſcientia, quæ vt ſeipſam, nos diligit, & noſtram increpationem non minùs quàm ſuam audire recuſat. Quæ cùm nos probè cognoſcat, eius accuſationi optimè congruit illud Salomonis: Melius eſt à ſapiente corripi, Eccl. 6. 7. quàm ſtultorum adulatione decipi.] Quid enim referet, ſi nos amici exteriùs defendant, ſi propria conſcientia, quæ opera, & cogitationes, & intentiones nouit, aliquid horũ interiùs accuſet? Adſtantes non ſunt homines, qui aliquando rident, aliquando deſpiciunt, aliquando indignantur, ſed Angeli, qui pro nobis orant, & noſtri compatiuntur, & miſerentur. Illi interdum ita nos vrgent, vt è cœtu illorum egreſſi, quaſi ab aliquo periculo liberati dicamus cum Eccleſiaſtico ad Dominum: Et Eccl. 51. 3.

D in conſpectu aſtantiũ factus es mihi adiutor.] Nam ita ſtabant, vt contra ſtarent, & improperij verbis impeterent. Iſti nos defendunt, & protegunt, adeò vt iuſto, ſacrificium ſpiritus contribulati pro ſuis erratis immolanti, conuenire poſſit illud eiuſdem Eccleſiaſtici: Et circa illum corona fratrum, (id eſt, Eccli. 50. 13. 14. ſanctorum Angelorum, qui licèt dignitate & naturæ excellentia ſint patres; at affectu amoris ſunt fratres,) quaſi plantatio cedri in monte Libani, ſic circa illum ſteterunt quaſi rami palmæ, & omnes filij Aaron in gloria ſua.] Hi, inquam, Angeli, qui viro iuſto ſe accuſanti inuiſibiliter aſſiſtunt, non deſpiciunt illum, nec irrident, ſed ſicut cedri, arbores fortes & proceræ protegunt, & quaſi palmæ ſigna victoriæ ad victoriam de ſeipſo reportandam accedũt.

E Locus tandem huius ſpiritualis capituli eſt proprium cor, in quo ſicut in arca teſtamenti Dominus virgam, & legis tabulas, & vas mannæ recondit, id eſt, ſeueritatem ad corrigendum ſignatam in virga, & diſcretionem ad diſcernendum adumbratam in tabulis, & dulcedinem ex ſpe veniæ obtinendæ ſignificatam, in illo pane cœli conſtituit. In hoc igitur ſpirituali capitulo nos bis in die corrigamus, & citò ſpiritu proficiemus.

De Poſtrema parte particularis examinis, nimirum de Collatione.

CAPVT XII.

POSTREMAM Partem huius particularis examinis, Collationem nominauimus; diximúſq; eam in hoc conſiſtere, vt quis defectus in ſecunda ſui diſcuſſione repertos cum defectibus primæ diſcuſſionis conferat, & culpas vnius diei, culpis diei præcedentis comparet, & vnam hebdomadam reſpectu alterius, quæ præceſſit, inſpiciat, vt an emendetur, & ſpiritu proficiat;an non emendetur, & ſic deficiat,(quia non progredi in via ſpiritus, regredi eſt,) planè cognoſcat. Hæc collatio non eſt nouum inuentum: nam illam expreſſis verbis docet Bernardus in ſpeculo monachorum, ſic ſcribens:

Bern. in ſpeculo monachorum. Comparanda eſt dies inſtans diei præteritæ,vt ex earum collatione ſuum deprehēdere poſſit monachus vel profectum vel defectum. Et alio loco ait: *In meditationibus.c.5.* Integritatis tuæ curioſus explorator vitam tuam in quotidiana diſcuſſione examina. Attende diligenter quantum proficias,vel quantum deficias, qualis ſis in moribus, & qualis in affectibus, quàm ſimilis ſis Deo, Redemptori & Saluatori noſtro,vel quàm diſſimilis,quàm propè, vel quàm longè, non locorum interuallis,ſed morum affectibus.Eandem præſcribit *Doroth. doct.10. ad finem.* Dorotheus in hunc modum: Diſcat vnuſquiſque vbi ſit,aut in quo libro ſcriptus.Debemus enim non ſolùm nos per dies ſingulos diſcutere,ſed per quælibet tempora,per menſes,per hebdomadas: ac nobis ipſis dicere: Prima hebdomada huiuſcemodi paſſione affectus es; nunc quomodo habet? Item per tempus quodque anno tranſacto victus es, & ſuperatus ab hac paſſione,nunc quomodo habes? Et ita per quælibet diligenter inſpicere, ſi quid à nobis abſcindimus ex illis, an in eiſdem voluimur, vel in deteriora delapſi ſumus. Baſilius tandem eiuſdem col- *Baſil.ſer. de abdicat.rerū. ad finem.* lationis non eſt oblitus: ſic enim ait: Quæ ſingulis diebus feceris opera, ea veſperi tecum ipſe commemora,& cum iis quæ feceris pridie,conferto;ſtudioſeque operam dato, vt melior in dies magis ac magis exiſtas.]Hæc illi.

Multiplex autem eſt huius collationis vtilitas. Vna eſt illa, quam dixit Dorotheus, vt cognoſcat homo, vbi ſit, & in quo libro ſit ſcriptus. Nam ſi hac hebdomada nihil omnino profecit,& eūdem culparum numerum in illo vitio,quod emendare vult,atque in hebdomada præcedenti commiſit,ſcriptus erit in libro tepidorum; qui tota die ocioſi manent, & nihil omnino in ſuæ animæ vinea laborant,cùm tamē ſint ad laborandum conducti. Horum increpatio conti- *Ierem. 48.11.* netur illis verbis Ieremiæ: Fertilis eſt Moab ab adoleſcentia ſua, & requieuit in fæcibus ſuis:nec tranſfuſus eſt de vaſe in vas, & in tranſmigrationem non abiit;iccirco permanſit guſtus eius in eo,& odor eius non eſt immutatus.]Moab interpretatur de patre,& ſignat illum, qui imitatur primum parentem carnis ſuæ:& ſicut iſte præceptum à Domino ei impoſitum; ita & ipſe promiſſum, aut propoſitum Domini gratia factum tranſgreditur. Hic fertilis eſt,id eſt,diues ab adoleſcentia ſua,quia ipſo tepore mentis & ſegnitie ſpiritus,qua laborare,& aliquid lucrari non curat, videtur de ſeipſo ſentire,quod ille Epiſcopus Laodi- *Apoc. 3. 17.* ceæ,cuius hæc erat vox: Diues ſum,& locupletatus, & nullius egeo.]Huius manifeſtū indicium eſt, quia requieſcit in imperfectionibus ſuis.Nam ſi ſe non diuitem meritorum putaret,ſed pauperem,& egenum,

A atque imperfectum aduerteret, niteretur vtique penuriam virtutum per imperfectionum abiectionem deponere. Semper hæret in eodem luto,& à miſera imperfectionum ſeruitute ad aliquā ſuorum morum non trāſit emendationem. Quare ſicut muſtū,quod non transfunditur de vaſe in vas,eundem ſemper guſtum & odorem tenet:ita & tepido, vitam & cōuerſationem non mutāti in melius,eædem culpæ & imperfectiones adhærent.Si autem ſeipſum examinās, & vnum tempus cum alio cōferens, in ſequenti die, verbi gratia,vel in ſequenti hebdomada,non iā eundem numerum culparum atque in præcedenti, ſed maiorem inueniat,erit ſcriptus in libro ſtultorum,& ſuam ſubſtantiam dilapidantium:nam cùm aliquid profeciſſe,aut ſaltem quod iam habebat ſeruaſſe de-
B buiſſet,nec profecit,nec ſtetit,ſed in peius eſt lapſus, & infœliciter factus eſt ſeipſo deterior.Et erit ex illis, quibus in Apocalypſi dictum eſt: Qui nocet,noceat adhuc:& qui in ſordibus eſt,ſordeſcat adhuc.] Quis *Apoc. 22. 11.* enim ambigat,illū qui quotidie magis deficit,& plus delinquit in inferendo ſibi maiori nocumēto, atque in ſordibus aggregandis perſiſtere? Terribilis eſt autem iſta Domini comminatio, vt ſicut ludimagiſtri ſolent dicere pueris confabulantibus aut ocioſè ſedētibus: Nolite legere,nolite ſcribere,vt ipſi flagellum timentes legant, & ſcribant: ita Dominus torpentibus dicit,quemadmodū meditatus eſt Ambroſius:Qui nocet,noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, *Amb.ibi. Ibid. n. 12.* ſordeſcat adhuc:Quia ecce venio citò,& merces mea mecum eſt reddere vnicuique ſecundùm opera ſua.
C Nam ſicut in me ipſo habeo, quo iuſtos ſatiē,& beatos faciam,ita alterius manu non indigeo,vt ampliùs nocentes,& ſordentes condignis pœnis afficiam. At ſi iuſtus hanc collationem ſuæ vitæ faciens,ſe emendatum videat, & aut omnino non cecidiſſe,aut minùs cecidiſſe reperiat, ſcriptus erit in libro tendentium in cælum,quia eo magis ad vitam accedit, quo magis à culpa & à morte diſcedit. Tunc annumera- *Exod.12. 41.* bitur exercitui Domini, qui poſt longam captiuitatem,[eadē die,]quæ dies eſt feruoris & gratiæ,[egreſſus eſt de terra Ægypti.] Mores enim emendare, & aliquid perfectionis cōſequi,quaſi ex Ægypto egredi eſt, & à pluribus culpis ad pauciores tranſire, eſt in virtute proficere. Nam profectus noſter in hoc conſiſtit, inquit Bernardus, vt nunquam arbitremur nos *Bern. ſer. 3. de Purificat.* apprehendiſſe, ſed ſemper extendamur ad anterio-
D ra, inceſſanter conemur in melius, vt imperfectum noſtrum diuinæ miſericordiæ obtutibus iugiter exponamus.].

Altera eſt vtilitas, ſi fortè altera dici poteſt, illa, quam tetigit ſuperiori loco idem Bernardus,quia ex hac collatione vnius diei cum alio, vel vnius longioris temporis cum alio, iuſtus vir ſuum profectum aut defectum intelligit. Augmentum enim animæ, ſiue ſpiritalis eius profectus, licèt in ſeipſo inuiſibilis ſit,ſicut & ipſa anima; tamen ex affectibus poteſt agnoſci. Et ſicut boni & mali ex operibus cognoſcuntur, iuxta illud: A fructibus eorum cognoſcetis eos; ita ex eiſdem operibus, bonitas aut nequitia intus latens deprehenditur. Eadem autem eſt via
E profectus interni ac defectus agnoſcendi, vt ille dicatur proficere, qui ſolicitiùs culpas, & negligentias vitat:ille verò deficere,qui tepidiùs & negligentiùs ſe per aliquam culpam deformat. Atque adeò, qui facta duarum dierum,aut hebdomadarū collatione, minùs in ſequenti tempore in illud vitium,quod impugnat,lapſus eſt, aut ſolicitiùs in virtutem, quam ſectatur, incubuit, abſque dubio profecit: qui verò turpiùs aut frequētiùs in vitium impegit,aut tardiùs vel negligentiùs virtuti ſtuduit, ſine vlla excuſatione

defecit. Et ſimiliter qui in eodem ſtatu ſe inuenit, torpentibus ac deficientibus eſt annumerandus; quia non diſſimulandus defectus eſt, quo tempore quis ambulare in via ſpiritus debuiſſet, nec vnum paſſum ambulaſſe.

Ex hac autem cognitione triplicem anima elicit affectum ſanè vtiliſſimum. Vel enim ex collatione duorum temporum intelligit ſe defeciſſe, aut parum aliquid profeciſſe, aut pluſquam mediocriter ambulaſſe. Si defecit, triſtatur, & triſtatur ad ſalutem, ea triſtitia, quæ ſecundùm Deum eſt. Luget, & queritur, quia tempus ad ſalutem animæ ſibi conceſſum turpiter & imprudenter amiſit. Luget, quia viator cùm ſit, nihil viæ ſibi ambulandum confecit: luget, quia ne cogatur per mortem ceſſare, priuſquam virtutem acquirat, pertimeſcit. Seipſum ad proficiendum vrget illa admirabili exhortatione Ambroſij, qui ſic ait: In via es, ô homo, ambula, vt peruenias; ne & nox in via te occupet, ne conſumatur dies vitæ, antequam progreſſum virtutis acceleres. Viator es vitæ huius, omnia tranſeunt, omnia poſt te fiunt. Omnia in hac vita cernis, & tráſis. Vidiſti amœnitatem arborum, viriditatem herbarum, puritatem fontium, & quodcumque huiuſmodi, quo delectantur oculi. Iuuit ſpectare, delectauit parumper attendere. Dum attendis, pertranſiſti. Iterum dum ambulas, incidiſti ſcopuloſum & confragoſum iter, concaua rupium, prærupta montium, denſa ſyluarum. Tædiaſti parum, iterum tranſiſti. Talis hæc vita eſt, cuius nec proſpera permanent, nec aduerſa diuturna ſunt. Ergo quaſi in via locatum, neque ſecunda extollant, neque aduerſa frangant, nec plauſibilia remorentur, nec mœſta detineant. Feſtina ſemper ad finem, feſtina vt peruenias.] Si autem ſe examinans profecit, ſed parum profecit, ſeipſum increpat, & reprehendit, quia tam lentis paſſibus nunquam ad finem virtutis alicuius perueniet. Audit iuſtus quaſi Angelum Domini, ſanctam inſpirationem dicentem ſibi: Surge, & comede, grandis enim tibi reſtat via.] Surge, inquam, per aſſumptionem noui feruoris, comede, & nouis conſiderationibus ac feruentibus deſideriis, quaſi nouis cibis, teipſum ad velociùs ambulandum corrobora, quoniam tanta lentitudine ambulans, in via ſpiritus, quæ ſatis longa eſt: parum aut ferè nihil procedes. Si tandem ex collatione diuerſorum temporum quis deprehendat ſe non mediocrem progreſſum feciſſe, Deum ſibi adeſſe adiutorem intelligit, illi pro accepto tantæ emendationis beneficio gratias agit, & ſeipſum ad maiorem profectum acquirendum accendit. Experitur ſanè viam perfectionis non eſſe difficilem, quia ſi tam paucis diebus tantam in ſe mutationem aduertit, tantùm ſe vicit, quid, ſi perſeueret, niſi magnos in virtute ac omni puritate progreſſus ſperet? Ita quidem apud ſe cogitat: At nunc non vident lucem: ſubitò aër cogetur in nubes, & ventus tranſiens fugabit eas. Ab Aquilone aurum venit, & ad Deum formidoloſa laudatio.] Id eſt; Paulo antè in caligine & obſcuritate verſabar, cùm huius imperfectionis nubes me opprimebat, in tantum vt ſerenitatem mentis pene accipere deſperarem. Nunc autem ſpiritu diuino afflante, nubes ita breui tempore diſiecta eſt, & ab Aquilone, nempe à mortificationis frigore, quo me ipſum compreſſi, ſubitò inſtar auri ſplendens ſerenitas venit: & tam inſperata tranquillitas mentem meam lætificauit. Quid fiet, ſi in feruore & emendationis cura perſiſto, niſi quòd breui tempore portum concupitæ virtutis ingrediar? Tunc non ſine ingenti reuerentia & tremore, Deo laudes concinam, qui tam mirabilia in me operatus eſt, & de eo in dies ſublimiora dona confidam. Benedictio quidem Domini in mercedem iuſti feſtinat, & in hora veloci proceſſus illius fructificat.] Quòd ſi me ipſum ad capeſſendam virtutem animauero, non tardabit Deus quàm celeriter eam ad mentem demittere, & me, qua cupio, poſſeſſione ditare.

Ambr. in Pſal. 1. verſu. 1. — *3. Reg. 19. 7.* — *Iob. 37. 21.22.* — *Eccl. 11. 24.*

Ecce ergo plurimas huius collationis vtilitates. Prima, quòd illius præſidio qualis apud Dominum ſis, non ineptè coniectas. Secunda, quòd tuæ mentis ſtatum agnoſcis. Tertia, quòd ſi non proficias, triſtaris ad ſalutem, & erubeſcis. Quarta, quòd ſi parum proficias, temetipſum reprehendis. Quinta, quòd ſi non mediocrem in te emendationem aduertas, ea fiducia, quæ Deo ſubnititur, de perfectionis adeptione confidis. Vt verò hæ omnes vtilitates ſuum complementum habeant, duo tibi facienda ſunt. Alterum eſt, vt ſi ex vſu huius præſtantiſſimi inſtrumenti profectum non ſentias, huius rei cauſas initiáque diſquiras: patri ſpirituali teipſum aperias, rationem procedendi cum eo conferas, cauſas à te repertas huius tepiditatis edicas, ac ordinem ab illo præſcriptum inuiolabiliter teneas. Sæpe enim fructus huius exercitij differtur, vt homo ſe humiliet, & quod per ſeipſum non adipiſcitur, directione alterius hominis, nempe magiſtri ſpiritualis, acquirat. Principium diſciplinæ humilitas eſt, inquit Hugo; & nihil addiſcit inflata ſuperbia, qua quis vult ſine alterius hominis adiutorio ad virtutis faſtigium euolare. Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam, & qui euitat diſcere, incidet in mala.] Non omnes, qui altas ædificant domos, ruinam quærunt, ſed illi, qui ſine firmo fundamento, & ſine debita coniunctione lapidum, magnam molem conantur extruere. Sic qui ſine humilitate, qua ſe magiſtro ſpirituali docenti ſubiiciant, volunt altiſſimam perfectionem adipiſci, ſolent non minimos caſus experiri. Alterum documentum eſt, vt ſi ex prædicto vſu particularis examinis, iuxta deſiderium tuum, magnum percipias fructum, cauſas etiam huius profectus aduertas, & rationem, qua proceſſiſti, conſideres, vt in poſterum eandem obſerues. Nam eædem cauſæ eoſdem parturiunt effectus, & ſi hodie hunc modum viuendi tenens, aliquid boni lucratus es, ab eo cras non diſcedens, ſimile quid ſine dubio lucraberis. Hæc autem eſt magna prudentiæ pars, qua homo ex præteritis futura æſtimat, & ex bonis, quæ iam quaſi manu tetigit, ad alia ſimilia acquirenda ſe munit.

Hugo in lib. 1. de Inſtitut. — *Prou. 17. 16.*

De quibus fieri debeat particulare examen.

CAPVT XIII.

MATERIA circa quam examen particulare verſari debeat, ex ſuprà dictis ſatis perſpicua eſt; quia omne vitiũ, omnis defectus, omnis paſſionũ, aut ſenſuum, aut virium animæ immortificatio, & omnis virtus eius materia eſt. Diuerſo tamen modo hæc in examen cadunt: mala enim examini ſubduntur, vt euellantur; paſſiones, & ſenſus, & vires animæ, vt ab eis, quod vitioſum eſt, eradicetur: virtutes, vt de nouo acquirantur, aut iam acquiſitæ ad debitum perueniant augmentum. Quod ex parte ſignificatum eſt in illo miniſterio dato à Domino, Ieremiæ: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes,

Ierem. 1. 10.

diſſipes, & ædifices, & plantes.] Quod enim prædicatori verbi Dei, idem audientibus doctrinam cœleſtem iniungitur, vt nimirum non ſine ordine in deſtructionem malorum, & bonorum plantationem incumbant. *Eccl. 3. 2.* Nam eſt tempus plantandi, & tempus euellendi, quod plantatum eſt. Et eſt tempus occidendi, & tempus ſanandi, & tempus deſtruendi, & tempus ædificandi.] Nec parum intereſt, cuique tempori ſuum opus aſſignare, & nequaquam quæ tempora diſtincta poſcunt, ſine vlla diſtinctione confundere. Hæc quidem pro aſſignatione materiæ ſufficerent, niſi deſiderium ſatisfaciendi rerum ſpiritualium minùs peritis, nos cogeret ad magis particularia deſcendere. Aliqua ergo conſideranda ſunt, quæ prudenti electioni materiæ examinandæ deſeruient.

Illud autem primum ſit & præcipuum: vt quiſque ſibi perſuadeat, quòd in corde ſuo aliquod vitium principale regnat, quod velut rex eſt aliorum vitiorum, & origo omnium ſuorum defectuum, & vniuerſæ cæcitatis mentis & tepiditatis initium. In quibuſdam ſuperbia, in aliis inanis gloria, in aliis ira principatum obtinet: in aliis aut propria voluntas, aut iudicij proteruitas, aut deſiderium ſeipſos regendi dominatur; in aliis amor propriorum commodorum, aut gula, aut impugnatio carnis, aut aliud ſimile vitium imperitat. Aduersùs ergo hunc regem aliorum vitiorum, & anteſignanum ſpiritualium malorum, ante omnia armis particularis examinis pugnandum eſt, & pro contraria virtute ſtrenuè laborandum, donec quies emendationis adueniat. Ciuitas Hieroſolyma ex vna parte, qua hoſtium incurſioni faciliùs patebat, muro fortiſſimo cingebatur, quem propterea Eſdras *2. Eſdra. 12. 37.* vocauit murum latiſſimum. Sic vera Hieroſolyma, nempe fidelis anima, ex ea parte, qua per aliquod vitium robuſtiùs imbecillior eſt, hoc examine, tanquam fortiſſimo muro latiſſimóque, ſe cingat, donec in ſe optatam emendationem ſentiat. Hæc autem emendatio in hoc poſita cenſeatur, vt amator virtutis vitium illud omnino deſtruat, vel ſaltem adeò eneruet, atque confringat, vt adhuc ad plenam victoriam illius conueniens, exiſtimetur aliud vitium cognatum oppugnare, & ad ſtudium alterius virtutis tranſire. Qui hoc principali vitio diſſimulato, alia per particulare examen impugnat, ſimilis erit illi, qui ramuſculum cædit, & radicem arboris ſatis in terra radicatam relinquit. Vel certè comparabitur Sauli, qui contra *1. Reg. 15. 9.* præceptum Domini pepercit Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & vniuerſis, quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea: quicquid verò vile fuit & reprobum, demoliti ſunt. Sic parcit præcipuò vitio ſuo, & his, quæ magis diligit, & ampliùs eum in extremam indigentiam coniiciunt: & quæ parum officiunt, & fortè diſſimulari poſſent, magna diligentia diſperdit. Rex Syriæ pugnaturus *3. Reg. 22. 31.* contra populum Dei, dixit ad ſuos: Non pugnabitis contra maiorem & minorem quempiam, niſi contra regem Iſrael ſolùm:] prudenter aduertens, victo rege aduerſario, omnes alios hoſtes ſuos fugæ ſe daturos. Salutem ex inimicis accipiamus, húncque regem imitemur. Non ſit nobis curę, niſi pugnare contra ducem imperfectionum noſtrarum, & contra illud vitium, quod nos magis infeſtat; & oppoſitam virtutem acquirere; nam hoc vitio proſtrato, facilis erit de minoribus hoſtibus deſiderata victoria.

Si qui verò à nullo ſpeciali vitio acerrimè impugnari ſe ſentiunt, ſed multis imperfectionibus & vitiis, quorum nullum nimis immoderatè ſupra alia ſe erigit, propriam mentem ſubiectam aſpiciunt; quaſi ſpiritualis vitæ methodum obſeruantes, vt ad maiora procedant, in particulari examine, à minoribus & ordine prioribus hanc pugnam incipiant. Tres eſſe ſpiritualium virorum ſtatus, ſæpe iam diximus; quidam enim ſunt incipientes, quidam proficientes, quidam pro huius vitæ poſſibilitate perfecti. Incipientes ergo, primò particularem curam, ſeu particulare examen ad præambula vitæ ſpiritualis, nempe ad modeſtiam & ſilentium, applicent, & motus ſui corporis linguámque componant. Deinde ea, quæ ſunt propria incipientium, præſidio eiuſdem examinis diſcant. Applicent illud primo loco poſt duo dicta præambula ad hoc, vt nullum veniale peccatum ex profeſſo & cum plena aduertentia faciant. Deinde vt ſingulos ſenſus, præſertim vt viſum & auditum comprimant. Poſtea vt ſingulas paſſiones cohibeant, & poſt illas, vt cogitationi modum imponant, & ſi quid aliud mortificandum occurrerit, non prætermittant. His per examen emendatis, ex incipientibus proficientes fiunt; & tunc propria proficientium ad examen vocent. Hæc autem ſunt, vt per huiuſmodi examen diſcant, ſingulas actiones actuali intentione ad Deum dirigere, vt aſſueſcant regulas ſeu ſtatuta proprij ſtatus diligenter obſeruare; vt præcipuas virtutes & magis ad vitam ſpiritualem neceſſarias, quales ſunt humilitas, paupertas, caſtitas, obedientia, manſuetudo, patientia, abſtinentia, & alias ſimiles, vnam poſt aliam, conentur acquirere. Quibus mediocriter ſaltem obtentis, iam ab ſtatu proficientium ad dignitatem perfectorum accedunt, ad quos pertinet, particulari examine ſuas actiones expolire, & pulcherrimè ſingulas præſtare: item ad perfectionem fraternæ charitatis, & amoris Dei, & ad continuam eius præſentiam anhelare, & minimos quoſque defectus abſtergere. Sic paulatim vitam ſpiritualem addiſcendam eſſe, ac ex minoribus ad maiora progrediendum, manifeſtè docet Baſilius, interpretans illud Pſalmi: Sed in lege Domini voluntas eius;] *Baſil. hõ. ad Pſal. 1.* vbi ſic ait: Sapienter itaque, & ſolerti conſilio ad nos virtutem introducere cupiens, fugam vitiorum, initium fecit bonorum. Si enim ſtatim ea quæ ſunt perfecta, tibi propoſuiſſet, ad ea fortè obeunda fuiſſes cunctatior. Nunc verò ad faciliora captu te aſſuefacit, vt ad ea, quæ ſequuntur, animo ſis præſentiore. Ego quippe pietatis exercitationem, ſcalæ, à Iacob viſæ, rectè comparauerim, cuius pars terram attingebat, pars altera ipſi ſupereminens in cælum vſque porrigebatur. Ex quo eos admonere opus eſt, qui ad virtutem inſtituuntur, primùm, vt primis admoueant gradibus veſtigium, & inde paulatim aſcendendo, progrediendóque ad comprehenſibilem humanæ naturæ altitudinem, ſenſim ac paulatim promouentes perueniant. His conſentientia ſcribit Gregorius, explicans illum locum Danielis: Audiui vocem verborum eius, *Dan. 10. 9.* & audiens iacebam conſternatus ſuper faciem meam.] Vbi ſic ait: *Greg. 22. mor. c. 14.* Verba Dei in terra iacentes audimus, cùm in peccatis poſiti, terrenæ pollutioni coniuncti, ſanctorum voce ſpiritalia præcepta cognoſcimus. Ad quæ præcepta quaſi ſuper genua, & ſuper manuum noſtrarum articulos erigimur, quia à terrenis contagiis recedentes, quaſi iam ab infimis ventrem leuamus. Sicut enim totus terræ inhæret, qui conſternatus iacet; ita qui in genibus, & manuum ſuarum

articulis incuruatur, inchoante profectu, ex ma-
gna iam parte à terra ſuſpenditur. Ad extremum
verò voce Dominica erecti quidem, ſed tremen-
tes aſſiſtimus, cùm à terrenis deſideriis perfectè
ſubleuati, verba Dei, quo plenius cognoſcimus,
plus timemus. Adhuc enim quaſi in terra iacet,
qui ad cœleſtia erigi terrenorum deſideriis negli-
git. Quaſi ſubleuatus autem adhuc manibus &
genibus incumbit, qui quædam iam contagia de-
ſerit, ſed quibuſdam adhuc terrenis operibus non
contradicit. Iam verò ad verba Dei erectus aſſi-
ſtit, qui perfectè mentem ad ſublimia erigit, & per
immunda deſideria incuruari contemnit. Bene au-
tem trementem ſe ſtetiſſe indicat, quia examen
ſubtilitatis internæ, quo plus ad illud perficitur,
ampliùs formidatur. Vbi aptè diuina voce ſub-
iungitur: Noli metuere; quia cùm plus ipſi, quod
timeamus, agnoſcimus, plus nobis de Deo per in-
ternam gratiam infunditur, quod amemus: qua-
tenus contemptus noſter paulisper tranſeat in ti-
morem, & timor tranſeat in charitatem, vt quia
quætenti nos Deo per contemptum reſtitimus, per
timorem fugimus, & contemptu quandoque, &
timore poſtpoſito, ſolo ei amore iungamur. Pau-
liſper enim etiam timorem eius diſcimus, cuius
ſolius dilectioni inhæremus. Appoſitis igitur qua-
ſi quibuſdam gradibus profectus noſtri, mentis pe-
dem priùs per timorem in imu ponimus, & poſt-
modum per charitatem ad alta amore leuamus, vt
ab eo quo quiſque tumet, reprimatur, vt timeat;
& ab eo, quod iam metuit, ſubleuetur, vt præ-
ſumat.] Hactenus Gregorius. Sit itaque ratio-
nabile obſequium noſtrum, id eſt, humanis viri-
bus commenſuratum: & quia ſimul ad multa ca-
pienda non valemus; vnum poſt aliud, vitæ ſpi-
rituali ſtudendo, diſcamus. Quia & gratia etiam,
quæ naturæ præſidio eſt, ita illam adiuuat, vt
modum eius, ac ſe expoliendi rationem non ex-
cludat.

Nec ſolùm vnum vitium poſt aliud, & vnam
virtutem poſt aliam, debemus in examen addu-
cere, ſed etiam in vnoquoque vitio ad vnum ex-
ceſſum eius, & in quaque virtute ad vnum actum
eius, ſeorſum examen apponere. Vnum enim vi-
tium & vna virtus, vaſta res eſt, & in multas actio-
nes externas, internáſque diuiſa, & non ita per-
fectè cura noſtra particularis, aut tot mala, quæ
ſub vno vitio comprehenduntur, deſtruet, aut tot
bona, quæ ſub vna virtute continentur, acquiret.
Et certè iam cura particularis quaſi in generalem
tranſiet, ſi non ad vnum ſpeciale, ſed ad plures
ſe actiones extendit. Quomodo autem res exa-
mini ſubiectæ, ſint per partes diuidendæ, vt pau-
latim, ſi malæ ſint, emendentur, ſi mediæ, mo-
derentur, & ſi bonæ, acquirantur; ea ſuprà dictis
ſatis poteſt eſſe perſpectum. Ideo enim ſuprà, li-
bro primo huius voluminis tam exquiſitè & minu-
tatim cuiuſque vitij exceſſus expreſſimus; & libro
ſecundo ſenſuum, & paſſionum, & linguæ, & alia-
rum virium animæ defectus expoſuimus; & hoc li-
bro tertio ſingulas virtutum actiones declarauimus,
vt ex his partes cuiuſcumque vitij diſſipandi, & cu-
iuſque virtutis aſſequendæ diſceremus. Inde igi-
tur materia examinis petenda eſt, & ſi quis velit,
exempli gratia, ſuperbiam vincere, quæ de gradi-
bus, vel actionibus ſuperbiæ dicta ſunt, legat, &
per aliquot dies, vel hebdomadas vnum actum, &

A poſtea ſimiliter per totidem, aut plures, aut pau-
ciores dies, prout opus fuerit, alium, & ſic dein-
ceps alios, quaſi nouos malæ arboris ramos euel-
lat. Si velit ſuos oculos cohibere, quæ de morti-
ficatione viſus diximus, euoluat, & ſimiliter fa-
ciat. Si velit humilitatem diſcere, actiones iam
expoſitas humilitatis percurrat, & eundem ordi-
nem teneat. Pictores quidem ex tabula, quam
formare volunt, nunc vnam maculam, nunc aliam
radunt; nunc vnam lineam, nunc aliam ſecundùm
artis præſcriptum ducunt; nunc vnum colorem,
nunc alium infundunt. Sic ſpiritualis vir, qui in
proprio corde imaginem Chriſti depingit; nunc ab
eo vnum vitium paulatim auferat, nunc vnam paſ-
ſionem ſecundùm ſuas partes moderetur, nunc
B vnam virtutem acquirat. Chryſoſtomus profectò
huius documenti aſſertor eſt. Sic enim quodam
loco ſcribit: Aggrediamur virtutem cùm tempus
habemus, diſtribuamus virtutes nobis, ſicut ſibi
diſtribuunt agriculturam agricolæ: in hoc menſe
vincamus detractiones, iniurias, iracundiam, in-
iuſtitiam, & dicamus: Hodie ab hoc nos vitio
corrigamus, in illo autem menſe patientiam noſ-
ipſos doceamus, & in alio aliam virtutem: & cùm
hanc virtutem in habitu perceperimus, ad aliam
tranſeamus, ſicut ſolent diſcipuli, qui, quæ acqui-
ſierunt, cuſtodiunt, quæ verò necdum didicerunt,
diſcendo acquirunt. Diſcamus etiam nos poſt iſtam
virtutem, & veniamus ad contemptum pecunia-
rum. Ac primò abſtrahamus manus à cupiditate
C ampliora habendi, & tunc faciamus eleemoſynam.
Non omnia paſſim confundamus, & eiſdem mani-
bus & rapiamus, & eiſdem iterum miſereamur. Poſt
hanc etiam virtutem ad aliam tranſeamus, & ab il-
la ad aliam.] Hæc igitur eſt huius octaui inſtrumen-
ti natura, ad vitia extirpanda & virtutes inſerendas,
quo qui diligenter & perſeueranter vſus fuerit, aſpi-
rante Dei gratia in vita ſpiritali magnos breui tem-
pore progreſſus faciet, & ingentes theſauros virtu-
tum comparabit. Nam vnum cùm ſit, quaſi omnia
alia inſtrumenta mouet, & nullum otioſum præ-
termittit. Hoc eſt quaſi ſtimulus, qui intellectum
ad conſiderandum excitat, & voluntatem ad vo-
lendum inflammat, manúſque ad operationem diſ-
ſoluit, vt omnia, quæ in nobis ſunt, virtutis diſci-
plinæ ſeruiant, & eam in domum mentis introdu-
D cant. Hoc eſt velut pædagogus, qui animum, dum
viuimus, puſillum docet, & regit, de bonis laudat,
& de malis ſeuerè reprehendit. Quo pædagogo de-
ſtituti non minùs quàm pueri indiſcretè procedi-
mus, & nihil, quod nos in virtute promoueat, ad-
diſcimus. Hoc denique velut nubes, quæ paulatim
pluuiam ſtillans, terram penetrat, atque fœcundat.
Sic prorſus hæc particularis cura, aut particulare
examen, quaſi ſalutari pluuia omnium virtutum
grauidum, non ſimul omnes virtutes emittit: ſic
enim animum noſtrum non aliter quàm eluuione
conſumeret; ſed guttatim bonum pluens, & doctri-
nam virtutis infundens, eum feracem multorum
meritorum reddit, & vt adiutorium virtutis effica-
E ciſſimum ad magnam mentis puritatem perdu-
cit. Quam vtinam aliquando tandem
ad Dei gloriam, & animæ noſtræ
ſalutem, & Eccleſiæ ſanctæ
profectum acquira-
mus. Amen.

PARS

PARS QVARTA

De Inſtrumentis aſſequendæ Virtutis, in actione poſitis.

CVM Habitus Virtutum ſint propter earundem virtutum actiones, & ad hoc illi à Deo infundantur, vel à nobis acquirantur, non vt otioſi in viribus noſtris reſideant, ſed vt data opportunitate in opus exeant, manifeſtum eſt, quoniam præcipua aſſequendæ virtutis inſtrumenta, non tam intellectu ac voluntate, quàm actione complentur. Et ſi aliquando functio intellectus & voluntatis, maximè ad virtutem adipiſcendam ſubſeruit (ſicut re vera ſubſeruit) non id habet quatenus cognitio aut affectio eſt, ſed quatenus eſt interior virtutis actio, meliùs ſæpe virtutem generans (vt inferiùs dicemus) quàm opus exterius. Hoc ita eſſe, vniuerſa ſacra Scriptura clamat, quæ non tam ad intelligendum & deſiderandum, quàm ad bene operandum nos vocat. Et quaſi opera ſint ad vitam æternam aſſequendam præcipua, quidam ad ſalutem animæ promerendam inuitati dixerunt ad Dominum: Quid faciemus, vt operemur Ioan. 6. 28. *opera Dei, vt ſcilicet diuina mandata cuſtodiamus?] Paulus quoque Philippenſes monet: Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini, Deus eſt enim, qui operatur in vobis &* Philip. 2. 12. *velle, & perficere.] Non ad ſola deſideria virtutum, ſed ad opera eos prouocat, & non ad quæque opera, ſed ad ea, quæ timor & tremor, id eſt, cor humile, & ſibi ipſi diffidens, in Deo autem confidens, elicit, prudenter inſtimulat. Deúmque operari in nobis velle & perficere, docet, non ſolùm vt eum omnis boni auctorem prædicemus, ſed vt etiam velle, id eſt, affectus voluntatis, propter perficere, nempe propter opera, eſſe cognoſcamus. Inſtrumenta igitur acquirendarum virtutum, ad opus pertinentia, quatuor eſſe videntur, quæ viros religioſos, & ſpirituales mirum in modum ad omnem perfectionem iuuant. Hæc autem ſunt: Actionum cuiuſque virtutis diligens & aſſidua exercitatio; nulla occaſionis exercendæ virtutis prætermiſſio; vitæ regularis ſequela; & inuiolabilis regulæ ſeu inſtituti cuſtodia; de quibus in hac quarta tractatione agendum eſt.*

Nonum Inſtrumentum ad Virtutem, Aſſidua operum cuiuſque virtutis exercitatio.

CAPVT I.

PRÆCIPVA Cauſa exigui profectus in his, qui vitam ſpiritualem profitentur, non defectus cognitionis aut deſiderij, ſed defectus exercitationis eſſe ſolet. Illos enim aut quotidiana ſpiritualium librorum lectio, aut aſſidua Prælatorum exhortatio ſatis inſtruit, & pulchritudo virtutis illis oblata, non parum deſiderium eius accendit: ſed difficultas moderandi paſſiones, actionibus virtutis adiuncta, ab illis ceſſare facit, & illis prætermiſſis, mens cum ingenii ſui profectus detrimento ad alia, ſi non noxia, at
Iſa. 11. 9. inutilia, diuertit. De tempore aduentus Chriſti & legis gratiæ dictum eſt in Iſaia: Quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes:] quia nimirum corda terrena, Dei & mandatorum eius cognitione non aliter oppleta ſunt, quàm arenæ, in profundo maris delireſcentes, aquarum multitudine immenſa celantur. Quaſi nullum, aut ſanè pauciſſimos, & inepriſſimos iam in Eccleſia reperies, qui non tantùm vnum agnoſcant Deum, quod natura ipſa clamat, verùm & perſonarum Trinitatem, & Filij Dei incarnationem, & reliquos fidei articulos non calleant, & quid malum, quid bonum ſit, non facili negotio diſcernant. Quòd ſi iam non homines de media plebe, ſed alios politiores & ſelectiores interroges, tam aptè de virtute ac rebus diuinis diſſerent, vt ſcientiam Domini, terram replentem & operientem ignorare non poſſis. Impletum ſine dubio eſt, quod ſcripſit Ieremias: Et non docebit vltrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Ierem. 31. 34.
Dominum: omnes enim cognoſcent me à minimo eorum, vſque ad maximum, ait Dominus.] Omnes, inquam, agnoſcũt Dominum; quoniam voce Euangelij ſunt ſufficienter inſtructi, & doctorum prædicatorúmque ſermonibus eruditi. Si verò omnes pene fideles ſufficienti Dei ac virtutis notione fruuntur, quanto magis vitæ ſpiritualis ſectatores ſcientia ſpiritualium rerum abundabunt? Lucerna eminus poſitos luce perfundens, cominus poſitos, & quaſi

Ioan. 1. 9. adhærentes ſibi efficaciùs illuminat: Sic Chriſtus lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,] ſpirituales viros ſibi vitæ imitatione propiores multo clariùs & efficaciùs illuſtrat. Et quemadmodum Ægyptus ſatis Nili inũdatione fœcunda, partem quandam habebat omnium fertiliſſimam, nempe terram Geſſen, quam Patriarcha Ioſeph patri & fratribus, habitandam conceſſit: Miſitque, qui diceret ad Iacob patrem ſuum: Deſcende ad me, ne moreris, & habitabis in terra Geſ-
Gen. 45. 9. ſen: eriſque iuxta me tu & filij tui, & filij filiorum tuorum, oues tuæ, & armenta tua, & vniuerſa, quæ poſſides; ibíque te paſcam.] Sic verus Ioſeph, Chriſtus, vniuerſum mundum, Ægyptu ſignatum, aqua fluminis magni, nimirum Euangelij, rigauit, & veritatis doctrina circumdedit, at terram Geſſen, quam Beda interpretatur terram compluram, id eſt, virorum ſpiritualium ſtatum, maiori cognitionis abundantia ditauit. Ad hunc ſtatum hortatur ille fratres ſuos, vt deſcendant, eos ſcilicet, quos non iam vt ſeruos tantùm aut amicos, ſed ceu fratres diligit; quia vt illum profiteantur, neceſſe eſt elationem deponere, & mentis humilitatem, rerúmque terrenarum deſpicientiam ſectari. In ſæculo ex culpa hominum aliquando ſunt tenebræ, quia ſeipſos infatuant, & lucem Dei, illis abundanter oblatam, caligine curarum obrutam & obſcuratam tenent: at in ſtatu noſtro, iux-
Exod. 10. 23. ta illud, quod dicitur in Exodo: vbicumque habitabant filij Iſrael, lux erat,] abundantia cognitionis diuinæ non deficit. In hoc ſtatu tanta eſt ſcientiæ copia cognitioniſque abundantia, vt quiſque eorum, qui eum colunt, meritò dicat: Do-
Pſal. 22. minus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit.] Paſcuæ enim locum, vt ait Ba-
Baſil. ibi ſilius, ſacram diuinorum oraculorum doctrinam vo-
Ierem. 3. 15. cat. Cui ſenſui aſtipulatur Dominus per Ieremiam, dicens: Dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.] Paſcimur itaque ſcientia & cognitione Dei, & in hac parte tam aſſiduè à Domino per ſe & per alios inſtruimur, vt reliquis hominibus, qui non tam vitæ ſpirituali, quam rebus temporalibus adhæreſcunt, in immenſum prælati ſimus. Quod quidem deberet timorem incutere, ſi iuxta cognitionem nobis datam non viuamus. Ait enim Petrus Apoſtolus de his, qui
2. Petr. 2. 21. ſciunt, & non faciunt: Melius erat illis non cognouiſſe viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.]

Nec longè abſunt ab ſpiritualibus viris deſideria virtutis, quæ quotidie rerum diuinarum meditatione, & aſſidua lectione, & ſacræ doctrinæ à prælatis propoſitæ auditione ſuccedunt. Virtus namque illorum oculis ſemper obiecta, cùm ſit admirabilis, & fulgentiſſimo ſplendore decora, non poteſt non in eorum mentibus igniculos deſideriorum ingerere. In qualibet republica ea magni æſtimantur, & auidiùs deſiderantur, quæ homines nobiles & potentes faciunt, & pro rebus pretioſis habentur. In cœtu autem iuſtorum nullæ aliæ diuitiæ, nulla poteſtas,
Sap. 7. 9. nec nobilitas, niſi virtus agnoſcitur. In cuius comparatione omne aurum arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.] Et quidem meritò, quoniam argentum immodica ſui concupiſcentia, non aliter quàm lutum animam fœdat; & aurum, ſi ad fœlicitatem mercandam comparetur, non pretioſius eſt, quàm exiguus arenæ puluiculus. Virtus autem, quamuis parua & minùs perfecta, initium eſt magnarum opum, quæ

A aucta & ad perfectionem neceſſariam prouecta, ſe poſſidentem nunc magnificat, & poſt mortalitatem gloria multiplicat. Ea quoque ab hominibus appetuntur, quæ licèt premant, & onerent, ſimul cum onere honorem inuehunt. Virtus verò vel ex co eſt omni honore ſæculari deſiderabilior, quòd ita maximo honore afficit, vt iuſtum eam habentem potiùs leuet, quàm oneret. Ideóque deſideratur vt penna, quæ ita auem ornat, vt etiam in alia loca ſuſtollat. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, *Pſal. 54. 7.*
inquit ſanctus Dauid, & volabo, & requieſcam?] Ab iniquis & peccatoribus vult diſcedere, & ideo pennas columbæ cupit, & alas, quæ aui honori ſunt, & pro vehiculo illi ſeruiunt, exquirit. Pennæ coruorum, quibus coruus ab arca diſceſſit, &
B nunquam ad eam eſt reuerſus, vitia: pennæ autem columbæ, quibus nimirum ab arca, id eſt, à quiete mentis per ſanctam actionem egreditur, vt ad eam iterum reuertatur, virtutes ſunt: Pennæ *Pſal. 67. 14.*
columbæ deargentatæ:] quia ſi hæ pennæ, vt pu- *Aug. ibi.*
tat Auguſtinus, duo ſunt præcepta charitatis, in quibus tota lex pendet & Prophetæ, quid melius quàm omnes virtutes ſignificant, quarum actibus duo hæc præcipua mandata dilectionis implemus? Ob has pennas iuſti vocantur in Pſalmo volucres *Pſal. 148. 10.*
pennatæ, quibus ad excelſa ſubleuantur. De illiſque dicitur in Prouerbiis: Fruſtra iacitur rete ante ocu- *Prou. 1. 17.*
los pennatorum.] Id eſt, ante oculos electorum, qui, vt ait Beda, pennas habent ſpei, & charitatis, cæterarúmque virtutum, quibus & cæleſtia, dum vi-
C uunt, deſiderant, vt ad hæc poſt mortem mereantur pertingere.] Si ergo virtus & theſaurus eſt, & honor, & dignitas, quid mirum, ſi iuſtus eam appetat, & ſuper omnia deſiderabilia concupiſcat? Hæc auis non aëris, ſed cæli, ſuas alas deſiderat, quarum ſubſidio terrena fugiat, & è manibus aduerſariorum euadat.

Etſi autem virtutem probè ſciamus, & appetamus, ſæpiſſime virtutis pauperes, & vacui ſumus, quoniam ad eam aſſequendam non ſufficit notio, nec deſiderium, niſi aſſidua & diligens exercitatio eiuſdem accedat. Aliud eſt, multas diuitias ſcire, in- *Bern. ſer.*
quit Bernardus, aliud poſſidere: nec notitia diuitem facit, ſed poſſeſſio. Sic hominem iuſtum non facit notio, ſed poſſeſſio iuſtitiæ. Et Baſilius cùm viam ad *Baſil. reg. breu. ad interrogat. 198.*
D humilitatem, humilitatis actus eſſe docuiſſet, ſubdit ſtatim: Vix enim hoc modo per aſſiduam meditationem ad habitum humilitatis poterit peruenire, vt in artibus fieri conſueuit. Porro idem modus aſſequendi nihilominus etiam eſt in quacumque alia virtute.] Quanti ſunt, qui montem illum apud nos, & apud omnes nationes nominatiſſimum, quem fontem argenti ac diuitiarum vocare poſſumus, nouerunt, viderunt, & pedibus ſæpe calcarunt, & tamen pauperrimam vitam ducunt, quia, quas vident, diuitias, non poſſident, & vſum, ac facultatem tam innumerabilis argenti non tenent? Ita ſunt plurimi, qui humilitatem, manſuetudinem, obedientiam, & alias virtutes agnoſcunt, & de naturis earum multa ſubtiliter philoſophãtur, imò eas habere con-
E cupiſcunt: quia tamen ab ipſarum actionibus abſtinent, nunquam ſunt virtutum poſſeſſores. Virtus enim non in notitia ſola, nec in deſiderio, ſed in actione eſt, & ille iuſtus eſt, qui virtutem ac omnem iuſtitiam operatur, non qui intelligentia capit, aut ſermone proloquitur. Quid prodeſſet, ô iuſte, ad famem depellendam, aut ad extinguendam ſitim, ſi varios cibos & lauta conuiuia conſiderares, & puriſſimos aquæ fontes, & generoſa vina animo fingeres? Equidem ſi nec illos cibos manducaueris, ſi

nec illam aquam vinúmque potaueris, ſemper fame & ſiti torquebéris. Ita prorſus virtutem cognoſcere, virtutem concupiſcere, nihil aliud eſt, quàm cibum & potum animæ meditatione apprehendere; virtutem verò actione complere, eſt cibum hunc manducare, & in ſtomachum traiicere, & ſpiritus calore concoquere. Si hæc prætermittas, & ſoli labori deſiderij, & conſiderationis intendas, nunquam robur, & vitam ex virtute prouenientem aſſequeris. Eliæ fugienti Iezabelem, & ad tutiora loca properanti, non dictum eſt: Surge, & cognoſce panem, aut ſurge, & concupiſce: Sed, Surge, & comede, grandis enim tibi reſtat via.] *3. Reg. 19.7.* Idem præceptum omnibus iuſtis imponitur: vt ſi volunt ad montem perfectionis aſcendere, non ſint ſola virtutis cognitione, aut ſolo deſiderio contenti, ſed auidè panem virtutis comedant, id eſt, actionibus eiuſdem inſiſtant.

Anſel. li. de ſimil. c.160. Quippe, ſicut corpus humanum, inquit Anſelmus, ſine frequenti ciborum vſu nequit ſubſiſtere; ſic anima abſque virtutum frequentatione non poteſt viuere. Qui ergo ad affectum bonitatis venire deſiderat, neceſſe eſt, vt cum ſcientia, & voluntate etiam ipſum vſum habeat.] Et ecce cauſam imbecillitatis multorum: Quòd ſi ex hoc pane virtutis comedunt, ſatis parum comedunt, & ratò aut remiſsè actiones virtutis exercent, & ideo vires, & robur perfectorum minimè aſſumunt. Omnes artes, quæ in actione conſiſtunt, non ſola arida notitia, nec ſolo infirmo quodam deſiderio, ſed exercitatione diſcuntur: & ille peritior euadit, qui diligentiùs & perfectiùs artem exercet. Virtus autem licèt non ſit ars, ſed omni arte ac ſcientia ſublimior, tamen in hoc cum arte conſentit, quòd in actione conſiſtit. Iccirco de Chriſti oculis, id eſt, de iuſtis, qui alios viam patriæ cœleſtis docent, ſcriptum eſt in Canticis: [illegible] Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.] Ob mentis puritatem candidiſſimis columbis comparantur, quæ lacti, nimirum gratiæ ſpiritui, merguntur. Fluenta verò iuxta quæ reſident, ipſas virtutes deſignant, quæ ad modum fluminum numquam ſe ſiſtunt, ſed ſemper actionum frequentia quaſi nouæ aquæ acceſſione decurrunt. Et oculi ſponſæ, id eſt, Eccleſiæ, qui eorundem iuſtorum ſunt imagines, nam idem ſunt oculi capitis, & corporis, *Cant. 7. 4.* dicuntur eſſe ſicut piſcinæ in Heſebon:] ſicut enim fontium eſt aquam emittere: ita & virtutum, quæ fontes ſunt bonarum actionum, honeſtas actiones proferre. Si ergo virtus actione generatur, actione prouehitur, actione perficitur, abſurdum eſt, ſola cognitione & ſolo deſiderio eam velle conquirere.

Doroth. doctr. 8. Quis enim hominum, inquit Dorotheus, volens diſciplinam vnam aut artem imbibere, illam ſolo ſermone conſequatur? Facere vtique primùm perſeuerat omni ſtudio, diligentia, deinde iterum facit, delétque: atque ita pedetentim labore multo artem ipſam & diſciplinam apprehendit. Nos verò artem artium ſolo ſermone credamus apprehendere abſque opere? Hoc nequicquam licebit. Et ad idem pulchrè Anſelmus inquit: *Anſel. de ſimil. ca. 133.* Vt ſi quis, qui cithariſta eſſe debuerit, citharam non cognouit, qualiter citharœdus erit? Si etiam inſtrumentum illud non agnouerit, & ſi agnouerit, ſed tangere illud noluerit, qualiter citharœdus erit? Si autem illud agnouerit, & tetigerit, ſed eius vſum habere contempſerit, nunquam propter cognitionem & voluntatem, ſine vſu huius artis peritus erit. Taliter namque licèt quis habeat ſcientiam bene viuendi & voluntatem, nequaquam bonus erit, niſi etiam boni operis vſum tenuerit, iuxta ſuam poſſibilitatem.] Hæc illi.

A

Iter igitur ad virtutem, eius exercitatio eſt, & qui vult aliquam virtutem adipiſci, cognitioni eius, ac deſiderio aſſiduam actuum eius exercitationem adiiciat. Vis, ô homo Dei, humilitatem? Non ergo putes ſatis eſſe ſi eius naturam agnoſcas, ſi eius pulchritudinem cupias, niſi & ipſius actionibus ſtudeas. Abſconde ex deſiderio te ipſum abiiciendi, bona tua, & detege, ſi ædificationi non obſit, defectus tuos. Colloca te in loco infimo, ad miniſterium externa ſpecie abiectum te applica, & quicquid modeſtiam & humilitatem redolet, libenter amplectere, & ſic efficieris humilitatis modeſtiæque poſſeſſor. Vis caſtitatem? Caſtiga corpus, cohibe ſenſus, ama ſeceſſionem à perſonis ſuſpectis, paruulos Babylonis, id eſt, primas luxuriæ cogitationes, & leuiſſimos concupiſcentiæ motus ad petram, Chriſtum, allide, & caſtitatem habebis. Vis obedientiam? Propriam igitur voluntatem obedientiæ inimicam odio habeto, ductum Prælatorum libenter ſequitor, & occupationes tibi à ſuperioribus iniunctas amato.

B

Quamcumque virtutem volueris, propriis eius actibus vel efficiendo, vel obtinendo à Deo, gignes, & iteratione actionum aſſidua ad perfectionem vſque promouebis. Virtus enim quælibet aliquam partem noſtri vitiatam, & à dominio rectæ rationis deficientem, ſuis actibus vincit: qui actus, ſi deſint, nec illam à vitiis eximent, nec hoſtes illos vitæ ſpiritualis ingreſſum impedientes proſternent. Et, vt Ambroſius ſapienter ſcripſit: *Amb. lib. 1. de Cain c.4* Sicut bellator ſine armis eſſe non poteſt, ita nec ſine exercitatione virtus.

C

Nam hæc eſt, quæ pro armis illi eſt: & ſine exercitatione, ſicut miles inermis, à vitiis deiecta & diſſipata ſuccumbet. Ideóque ſæpe in ſcripturis ſacris ad virtutum actiones monemur, quia & ſtudioſæ actiones virtutes nondum quæſitas generant, & genitas in ſuo ſplendore & virore conſeruant. Accedentem, inquit, ad Deum, oportet credere.] *Hebr. 11. 6.* Et: Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.] *Prou. 3. 5.* Et: Diliges Dominum Deum tuum.] *Matth. 22. 38.* Et: Ambulate per vias prudentiæ.] *Prou. 9. 6.* Et: . Facite iudicium, & iuſtitiam, & liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris.] *Ierem. 22. 3.* Et: Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum.] *Pſal. 30. 25.* Et: Sicut in die honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis.] *Rom. 13. 13.* Hæc omnia nihil aliud quàm virtutum exercitationem ſonant, qua ornamenta animæ, id eſt, ipſos virtutis habitus paramus, quibus & vitia

D

Deo inuiſa deſtruimus, & pulchri in conſpectu eius efficimur. Hoc eſt tributum, quod vniuerſorum Domino pendendum eſt, ratione cuius nos ſeruos agnoſcit, & vt familiares ſuos, & ad ſuam domum pertinentes, inſignibus ſuis, nempe virtutibus, amicit. Nec immeritò hoc tributum ex pecunia nobis donata exigit, quia eam vt lucraremur, & cum vſuris reſtitueremus, humanæ induſtriæ, gratia adiutæ, commiſit. Virtus autem quaſi pecunia eſt, quam Deo donante recipimus, vt aſſiduis actionibus quaſi ſolicita negotiatione ad noſtram vtilitatem & eius gloriam augeamus.

Ad hanc autem aſſiduam exercitationem actuum virtutum, non ſolùm deſiderium adipiſcendi eas vſu

E

huius inſtrumenti præcipui, ſed etiam timor diuinæ comminationis poteſt impellere. Dominus enim (quod eſt obſeruatione digniſſimum) non tantùm eos reprobat, qui perperam egerunt, verùm & illos quoque, qui ab actionibus bonis ceſſarunt. æterníſque addicti cruciatibus audient: *Matth. 25. 41.* Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum,] & cætera. Et illi, qui talentum abſcondit,

non quia illud dilapidauit, ſed quia occultuit, dictum eſt: Serue male & piger, nponuit te committere pecuniam meã nummulatiis, & veniens ego recepiſſem vtique quod meum eſt, cum vſura.] Meritò verò ita reprehenditur, qui notitiam diuinorum vno talento ſignatam, ad actionem non contulit, & ex eo quod ſecundùm quod agnouit, operatus non eſt, eam otioſam habuit. Sicut enim pecunia hæc corporalis, inquit auctor imperfecti, ſi ſit in ſacculoincluſa, ipſa eſt ſemper; ſi autem fuerit agitata de manu in manum, vſu ipſo multiplicatur. (vnde vſura dicitur ab vſu:) Sic & fides Chriſti, ſiquidem otioſa teneatur in corde, non ſolùm ipſa manet, quæ fuit, ſed adhuc minoratur in otio, & torpeſcit, & ſegnis efficitur, & paulatim per actus carnales exinanita ad nihilum vadit: ſi autem exercitata fuerit, ſcripturis & loquutionibus aſſiduis ſuſcitata, operibus bonis vtiſicata, non ſolùm dico, multiplicabitur, ſed nunquam deſinet creſcere, donec viuet homo.] Sic ille. Atque adcò ex defectu exercitationis virtus, non ſolùm non creſcit, verùm & paulatim deficit, immoderatis affectibus eam opprimentibus, & ipſius vires illigantibus. At exercitatio aſſidua diligénſque virtutem roborat, & operibus virtutis incumbentem à pœna otioſorum & talentum abſcondentium liberat, & ſtatum ſpiritualium virorum quaſi debitis fructibus exornat. Nam quid, quæſo, eſt ſpiritualis vita, virtutum operibus vacua? Nonne effigies rei viuentis, quæ ſenſus & actiones vitæ refert, & omni ſenſu & actione vacua eſt? Nonne lyra taciturna ad dulces ſonos edendos effecta, & ob negligentiam poſſeſſoris eius omni ſono & harmonia priuata? Nonne nauis nunquam enauigans, & in portu carie tabeſcens? Nonne plumbea lancea, quæ ſpecie quidem externa hoſtibus formidabilis videtur, & perſpicaciùs nota contemnitur? Ita ſanè. Vnde ſi iuſtus cupiat huic vitæ ſuæ veritatem & ſpiritus ſubſtantiam tribuere; ſi velit eius ornamenta, nempe virtutes, procreare, & iam pullulantes prouehere, & vſque ad perfectionem perducere, hæc illi præcipua cura ſit, vt actiones ipſarum proferat, nec ſolis deſideriis animum paſcat. Cognitio ſanè virtutis neceſſaria eſt, ſed ſicut baſis, cui columna virtutis nititur, & vt fundamentum, ſuper quo domus virtutis extruitur. Deſiderium etiam neceſſarium eſt, ſed ſicut aculeus, quo ad virtutem quærendam excitamur, & ſegnes manere ac dormire non ſinimur. At actio ipſa ſtudioſa eſt, velut iter, quo ad virtutem tendimus: Eſt vel or præcipua cauſa ex his, quas nos adhibemus, quæ virtutem procreat, & ſemel procreatam augmentat. Actio, eſt præcipuum aſſequendæ virtutis inſtrumentum, quo ſi non vtamur, omnia alia caſſa, & inefficacia ad virtutem obtinendam manebunt. Nam virtutem comparare, non eſt eam agnoſcere, aut concupiſcere, ſed actione complere.

Ib. n. 27. — Chryſ. in imperf. hom. 53.

Virtutem interiùs & exteriùs exercendam eſſe.

CAPVT II.

SI præcipuum inſtrumentum ad virtutem adipiſcendam eſt eius exercitatio, nunc, quomodo exercenda ſit, inquiramus. Quia non ſufficit alicuius artis diſcipulo, inſtrumenta artis, quam diſcit, ſcire, ſed neceſſe habet modum vtendi eis, & mouendi cognoſcere. Ponamus ergo virtutes propter actionem hominibus datas eſſe, eáſque (vt diximus) ſine actione, ſi adſint, otioſas eſſe, & ſi non adſint, ſine actione non gigni. Quod diſertiſſimè docuit Proſper Rhegienſis, ſic ſcribens: Virtutum quippe munera otioſa eſſe non poſſunt. Quoniam ſicut veritas ait; Omni habenti dabitur, non habenti autem etiam quod habet, auferetur ab eo.] Non igitur ad hoc datur continentia, vt concupiſcentiis non repugnet. Nec ideo cuiquam tribuitur ſapientia & intellectus, vt non [die, ac nocte in Domini lege meditetur.] Quid agit donum dilectionis, ſi beneuolentiæ ſolicitudo non vigilat? Quis fructus eſt patientiæ, ſi non habet fortitudo quod toleret? Aut quomodo in Chriſto piè viuere oſtenditur, qui nulla perſecutione pulſatur? Vel pax, quæ eſt à Deo, & cum Deo, nunquid bene quieta eſt, ſi non diſcordat à mundo? Aut amor Dei poterit ſine diaboli inimicitiis obtineri? Neminem prorſus Dei gratia intentabilem facit. Nec ob hoc cœleſtium armorum præſidio, à dextris & ſiniſtris inſtruitur Chriſtiana militia, vt nullo cum hoſte confligat, cùm laudabilius ſit atque fœlicius, pugnantem non potuiſſe vinci, quàm deſidem non potuiſſe tentari.] Hæc ille. Actiones autem, quibus virtus quælibet generatur, & creſcit, ſunt duplices: alteræ internæ, alteræ externæ; & tam iſtæ, quàm illæ, vel ſunt alienæ, vel propriæ, & in his omnibus neceſſe eſt, vt virorum ſpiritualium deſudet induſtria.

Proſper. lib. 2. de vocat. Gent. ca. 35. — Matth. 25. — Pſal. 1. 2. — 2. Tim. 3.

Hoc eſt viri iuſti & ſpiritualis elogium, quòd in eo omnes neruos ſuæ mentis intendit, vt Chriſti Saluatoris imaginem induat. Scit namque ſcriptum eſſe: Induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis.] Chriſtum autem induere, nihil aliud eſt, quàm opera carnis deponere, iter vitæ ſpiritualis arripere, & vitæ Saluatoris noſtri fieri conformem. Innouatus ſpiritu mentis, inquit Ambroſius, nouum hominem dicitur indutus, qui eſt Chriſtus: Chriſtum enim induitur, qui per fidem renatus in Chriſto, æmulus eſt vitæ, quam tradidit Chriſtus, vt iuxta Deum creatus videatur.] Vita autem Chriſti, ſi attentiùs inſpiciatur, virtutum omnium actionibus, tum internis tum externis, reperietur eſſe contexta, & operibus, quæ vnum poſcunt, & aliud faciunt, videbitur eſſe ditata. Exponamus hæc tria, quæ exquiſitiſſimam nobis ſubminiſtrant ſpiritalis vitæ doctrinam. Saluator noſter Chriſtus ita externis actionibus virtutum incubuit, vt nulla fuerit actio eius, quæ præſtantiſſimè ad virtutem non pertinuerit. Sermonem eius veritas, fidelitas, charitas afficiebat, quodlibet opus eius manſuetudo, humilitas, beneficentia, miſericordia, & virtutes reliquæ decorabant. Aut potiùs virtutes operibus & verbis eius exornabantur, quæ eo ipſo ſunt celſiores, quòd à filio Dei per humanitatem aſſumptam fuerunt executioni mandatæ. Opera eius opera virtutis erant in initio, quia non ex conſuetudine, ſed propter gloriam Dei Patris, & ſalutem hominum, & ad dandum exemplum perfectæ vitæ aſſumebantur. Opera virtutis erant in progreſſu, quoniam ex eadem intentione ſanctiſſima, ſine vlla vilis metalli admixtione continuabantur. Opera virtutis erant in fine, quia prout oportebat, temporis ſpatio perdurabant, & intentum fructum obtinebant. Nihil aſpiciebatur in eo, quod non infinitis modis virtutem edoceret, & ſanctitatem ineffabilem aſpicientium oculis demonſtraret. At interna mentis eius occupatio, non aliud quàm ſapientia, charitas, iuſtitia, puritas, & omnis virtus, ac ſanctitas fuit. Hæc intellectus eius, & voluntatis humanæ opera, externas actiones regebant, & quaſi vita ſouebant, & in

Epheſ. 4. 24. — Ambr.

timmen

immenſum pulchritudine & omni perfectione ſuperabant. Actio enim externa, vt craſſior & corpulentior, non eſt capax tanti decoris atque actio mentis, quæ ſubtilior, & ab omni concretione materiæ defæcata, poteſt eſſe multo perfectior. Vnde cùm Chriſtus per humilitatem exteriùs ſe deiecit, multo ſublimiùs per eandem virtutem interiùs ſe ſubmiſit: cùm per manſuetudinem iniurias ſine clamore & querimoniis accepit, multo manſuetiùs, quàm externa ſpecies præferebat, voluntate ſuſtinuit: cùm per obedientiam ſe in paſſionem & mortem dedit, multo feruentiùs & obedientiùs, quàm oſtendebat paſſio oculis humanis obiecta, ludibria, & verbera, & ipſam necem terribiliſſimam fuit amplexus. Et tandem, cùm aliquam aliam virtutis actionem exteriùs protulit, multo præſtantiùs eam (quia ita natura virium internarum fert) interiùs actu voluntatis exercuit.

Ecce tabernaculum fœderis, exteriùs quidem pulchrum, ſed interiùs pulcherrimum, quod oculis corporis offerebat opera vniuerſarum virtutum admiratione digniſſima, ſed oculis mentis, quæ geſtabat animo, maiora & admirabiliora monſtrabat. Ecce arcam intus & foris deauratam, quam tamen ita aurum ſanctitatis exteriùs texit, vt interiùs in mente multo abundantiùs operiret. Ecce librum ſcriptum

Apoc. 5. 1.
intus, & foris ſignatum ſigillis ſeptem.] Ipſe Chriſtus

Pſal. 138. 15.
liber eſt, de quo canit regius Pſaltes: Et in libro tuo

Iſaiæ 49. 19.
omnes ſcribentur.] Et ipſe de ſe ait per os Iſaiæ: In manibus meis deſcripſi te]. Illud autem, in quo aliquid ſcribitur, ad munus libri ſubeundum deſtinatur. Eſt autem hic liber ſcriptus intus & foris: intus ſcriptus eſt, innumeris omnium virtutum operibus, foris verò, multis earundem virtutum externis actionibus. Multa ſunt in tegumento huius libri, ſcilicet in eius carne, deſcripta, quæ nos viā ſanctitatis edoceāt, ſed multo plura in eius chartis, nimirum in animæ viribus, exarata. Nam & codices apud nos, ſi aliquid exteriùs in operimento ſcriptum continēt, certum eſt, quia interiùs in chartis ex quibus concinnantur, plura & ſubtiliora contineant. Plus dico, ait

Bern. ſer. 1. de Reſurrect.
Bernardus, hunc ſenſum attingens, idem etiam liber eſt, qui non poterat aperiri. Quis enim dignus inueniretur aperire hunc librum? Indignum ſe profitetur & ipſe Baptiſta Ioannes, quo inter natos mulierum maior nemo ſurrexit. Non ſum, inquit, dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius.] Venerat enim ad nos calceata maieſtas, diuinitas incarnata: venerat Dei ſapientia, ſed in libro clauſo vrique & ſignato. Quod ligabat corrigia calceamenti, hoc claudebant ſignacula libri.] Sed prætereundum non eſt, quòd hic liber ſanctiſſimus atque pulcherrimus, & intus ac foris ſcriptus ſignatus dicitur, & quaſi velamine obuolutus, vt neceſſe ſit, illum euolui, ac detegi, vt intus & extra poſſit ab hominibus legi. Quare hoc? Niſi vt intelligamus, Saluatorem noſtrum, ita virtutum omnium opera compleuiſſe, vt voluerit ad tempus propter noſtram eruditionem abſcondi; & nos ſimul cum virtutum, tum externarum tum internarum, doctrina, præſertim ad humilitatem incitare. Eſt enim homo procliuis ad malum; & natura in donis quoque gratiæ ſe ipſam quærit, & ex eis ſæpe non diuinum, ſed ſuum honorem captare concupiſcit. Appareat ergo Chriſtus ſeptem ſigillis obſignatus, & rebus, quæ ipſum apud homines deiiciebant, abſconditus, & homines ex eo diſcant intus & foris ſeipſos multiplici virtute deſcribere, & (quod ad ſe attinet) per humilitatem occultare. Quæ verò fuerint illa ſeptem ſignacula, quibus Chriſti dignitas tegebatur, idem ſanctus Pater Bernardus declarat. Septem quædam arbitror inueniri, inquit, quibus maximè celabatur in carne præ- *Bern. ib.*
ſentia maieſtatis, vt non poſſet aperiri liber, & ſapientia, quæ latebat, agnoſci. Sunt autem, quæ occurrunt interim, matris deſponſatio, qua partus virginis & conceptionis puritas velabatur. Infirmitas etiam corporis, qua nimirum plorans, vagiens, lactens, & dormiens, & cæteris ſubiacens neceſſitatibus carnis: latebat inter hæc virtus diuinitatis. Sic & circunciſionis ſignum ſuſcipiens, peccati remedium, ægritudinis medicinam, qui morbum omnem tollere venerat & peccatum. Et item in Ægyptum fugiens à facie Herodis reguli; nec Dei Filius agnoſci poterat, nec rex cœli. Quid trina illa tentatio inimici, in deſerto, in pinnaculo, ſupra montem? Si Filius Dei, inquit, es, dic vt lapides iſti panes fiant:] Et item: Mitte te deorſum.] Neutrum Chriſtus fecit: *Matth. 4. 3.*
vt ſignaretur liber, vt falleretur aſtutus. Denique eò vſque ſeductus eſt, vt haberet iam pro conſtanti, hominem eſſe purum, & in tantam veſaniam ſuperbia cæca prorumperat, vt non diceret vltrà: ſi Filius Dei es; ſed: Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me.] Sextum eſt, ſignaculum crucis, vbi pependit inter latrones, & cum iniquis deputatus eſt Dominus maieſtatis. Clauſit & ſepultura librum hunc, nec vllum ſignaculum omnino ſic obſtruxit, ſic occultauit magnum pietatis ſacramentum. Sepulto nimirum Domino, ſola reſtare deſperatio videbatur, adeò vt diſcipuli dicerent: Quia nos ſperabamus.] *Lucæ 24. 21.*
Quis non illo fleret in tempore clauſum arctiùs librum, & non eſſe, qui aperiret? Sed ne fleueris vltrà, Ioannes ſancte, etiam tu noli flere, Maria. Procul ſit luctus, triſtitiæ nebula diſſipetur. Lætamini in *Pſal. 31. 11.*
Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.] Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, leo, qui reſurrexit. Poſtremò liber ipſe dignus eſt aperire ſeipſum. Reſurgens nimirum à mortuis, reſurgens autem virtute propria, & poſt tres dies ſicut prædixerat, teſtimonium perhibentibus inimicis, & reſurgens in tanta maieſtate & gloria: indicat manifeſtè quæcumque prædiximus ſignacula, vel operimenta, voluntaria, non neceſſaria, nec conditionis fuiſſe, ſed dignationis.] Hactenus Bernardus.

Hæc, quæ hactenus diximus, ad duo priora pertinent, in vita Chriſti reperta; ſed nunc tertium inquiramus, quomodo ſcilicet vna actione virtutis aliam edocebat, & vno opere ad alia plurima homines excitabat. Id ſanè facilè intelligimus, dum quodlibet Chriſti opus meditamur. Humiliauit ſemetipſum propter nos, & hac humilitate non tantùm humilitatem docet, ſed & nos ad charitatem allicit erga eos, propter quos diuina maieſtas ſe deiecit, & ad miſericordiam inuitat, erga eoſdem, quorum miſerias imbecillitatéſque ſuſcepit: Et ad patientiam, vt contemni ſuſtineamus: & ad obedientiam, vt Dei voluntatem noſtræ in aduerſis & abiectis præferamus: Et ad gratitudinem, vt propter eius immenſam dignationem à gratiarum actione, & eius laude nunquam ceſſemus. Sic deuota anima quamlibet Chriſti actionem in exemplum trahit, & in incrementum aliarum aſſumit. Quia ſicut lumen ſolis (Philoſophia docente) ſubſtantia quidem lumen eſt, virtute tamen eſt calor, & decor, & perfectio inferiorum corporum, quia ſol lumine ſuo ea calefacit, promouet, & ad decorem perducit: ita quælibet virtus Chriſti, exempli gratia, humilitas, ſubſtantia humilitas eſt, poteſtate verò eſt omnis virtus, quia ad omnem virtutem præſtandam inducit. Nec incongruè ob hanc virtutum Chriſti proprietatem, dicemus ipſum fuiſſe grano ſinapis comparatum; quo- *Lucæ 13.*

A niam ſicut hoc granum plus operatur, quàm ex eius puſillitate præſumi poſſet: ita Dominus quamlibet ſuam actionem, etiam minimam, tanta acrimonia & calore ſuccendit, vt ea ex vna virtute ad aliam trahat, & vnico exemplo ſuæ puritatis, quod imitamur, ab omni tentatione nos protegat. Ipſum autem grano ſinapis fuiſſe indicatum, Ambroſius luculentiſſima oratione patefacit, dum in quodam ſermone ſic ſcribit: *Ambroſ. ſer. 2.* Arbitror hoc ipſi Chriſto Domino rectiùs comparari: qui naſcendo in hominem humiliatus, vt granum eſt: aſcendendo ad cœlum, exaltatus, vt arbor eſt. Granum planè Chriſtus eſt, dum patitur; arbor eſt, cùm reſurgit. Granum, inquam, eſt, cùm famem eſuriens ſuſtinet: Arbor eſt, cùm quinque panibus ſaturat quinque millia virorum. Ibi ſterilitatem humana conditione patitur, hîc ſatietatem propria diuinitate largitur. B Granum autem dixerim Dominum, cùm cæditur, contemnitur, increpatur: arborem autem, cùm cæcos illuminat, mortuos reſuſcitat, peccata condonat.] Sic Ambroſius. Hoc ergo granum exteriùs aliquid virtutis præfert, ſed interiùs maiorem virtutem habet. Granum eſt, ſed terræ mandatum, non iam in olus, ſed in arborem magnam aſſurgit. In cuius ramis volucres cœli, id eſt, iuſti, cœleſtia concupiſcentes, habitant, & à fructu eius, non tantùm condimentum ad alios cibos edendos accipiunt, ſed & omni ſe cibo, nempe omnium virtutum exemplo, reficiunt. Meritò ergo Origenes ait: *Origen. hom. 7. in Ezech.* Propoſitus eſt nobis ad imitandum, Chriſtus Ieſus. Illud exemplar firmum eſt, quod qui ſequi cupit, ſecurus ingreditur. C Et Baſilius ſapienter monuit *Baſil. Conſt. mo naſt. c. 2.* cunctas actiones Chriſti non negligenter, nec quaſi per tranſitum, ſed intentiſſimè & profundiſſimè eſſe meditandas, quia quælibet eius actio, & quilibet ſermo, omnis pietatis & virtutis eſt regula; adeò vt ex ſingulari aliquo eius opere rectè perpenſo, ad multa præſtantiſſima virtutis opera moueamur. Et ſicut ille, vnicum Verbum Patris eſt, quo tamen non vnum tantùm, ſed omnia dicuntur, tum viſibilia, tum inuiſibilia: tum facta, tum facienda & poſſibilia: tum creata, tum increata, quia Pater illo Verbo ſuo, ſe, & ipſum Verbum, & Spiritum ſanctum, & quæcumque ſub eius potentiam cadunt, dicit: ita quælibet actio eius vna cùm ſit, ratione tamen perfectionis immenſæ multiplex ad perſuadendum ſuo exemplo, & efficax ad omnem virtutem edocendam inuenitur.

D Si ergo ſpiritualis vir, imitator eſt Chriſti, & ſuæ vitæ conuerſationiſque ſectator, ex Chriſto diſcat, quomodo virtutum actiones exerceat. Sit tabernaculum Dei intus & foris pulchrum, & templum omni ex parte optimè ædificatum. *1. Cor. 6. 16.* Vos enim eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi in populum.] Sit arca intrinſecus & extrinſecus deaurata, illo auro puritatis mundiſſimo, quod numquam ſentiet corruptionem. Sit liber ſcriptus intus & foris, qui ſiue in tegmine, ſiue in chartis conſpectus, habeat vnde aſpicientes & legentes erudiat. Foris ſcriptus erit, ſi omnem ſuam actionem externam ad aliquam virtutem contenderit pertinere. E Tunc autem opus externum eſt opus virtutis, cùm non ex arida quadam conſuetudine, ſed ex electione fit, & in virtutis finem, ac Dei gloriam amorémque dirigitur, cùm debitis circunſtantiis ornatur, cùm ad hoc, quod mentem non diſtrahat, tranquillè profertur. Id quo pacto præſtandum ſit, aliquo exemplo pandamus. Ad aliquod miniſterium animarum, ô vir Dei, vt ad docendum, vel prædicandum, vel ad excipiendam confeſſionem egrederis, ſi illud ex aliqua ſiniſtra intentione, vel ex arida conſuetudine, ſi tepidè & oſcitanter, ſi nimis ſolicitè, & quaſi tuis viribus fidens præſtes, eo miniſterio imperfectiones tuas, non virtutem promouebis. Si verò ob Dei gloriam animarúmque ſalutem, illud opus ſuſcipias, ſi ex proximis tuis, ignorantiam, aut duritiem cordis, aut peccatum amouere quæras, ſi feruidè exequaris, ſi mentis ſerenitatem & Dei præſentiam conſeruare ſtudeas, virtutem illam, cuius eſt illud opus, augebis, & in ea mirum in modum proficies. Idem de aliis operibus ordinariis iudicium facito. Neque enim te ad extraordinaria & numquam audita vocamus, ſed ad ea ſtudioſè & fructuoſè præſtanda, quæ quotidie facis, impellimus. Quæ profectò rectè (vt par eſt) facta, & ex actuali fine virtutis aſſumpta, potentia ſunt, virtutes ad magnam perfectionem prouehere. Si opus namque ex fine alicuius rei terrenæ facias, amorem proprium & virium aliquod pingue facies: Si verò idem opus ex fine virtutis in medium producas, virtutis illius incrementum habebis. Ad quod ſapienter dixit Bernardus: *Bern. ſer. contra vitium ingratitud.* Nec ceſſamus ab operando hoc cibo, etiam cùm terrenis fortè occupamur operibus, aut obedientia dictante, aut fraternæ charitatis intuitu, quoniam diſſimilis nobis intentio eſt, ab his quorum laborem periturum eſſe prædiximus. Diſſimili proinde radici inhærens labor ſimilis non ſimiliter habet perire, quoniam radicatus eſt in ea, quæ numquam periit, æternitate.] Hæc ille. Si verò ex ſola conſuetudine opereris, quaſi colore, aqua miſto, aut albugine oui, virtutem pingis, quam inſurgens tentatio delet, vel aduerſitas decolorat: at ſi opereris ex electione & intentione recta, quaſi colore, quem oleum liquefecit, virtutem delineas, quæ ſic delineata, & menti veluti tabulæ, impreſſa, nulli vento tentationis, aut pluuiæ aduerſitatis cedit. Denique dum operibus bonis oſcitanter, aut imprudenter, aut ex immoderata ſolicitudine ſtudes, quia ſubſtantiam bonam operum inficis, laborem tuum & induſtriam amittis. Veſtis quippe ex optimo panno facta, ſed nec corpori aptata, nec bene conſuta, corpus decenter non tegit, immò geſtantem ludibrio & riſui aliorum exponit; ſic opus virtutis minùs prudenter, minùs feruidè, ac minùs tranquillè aſſumptum, animam habitu virtutis non decorat, ſed magis ineptarum circunſtantiarum imperfectione deformat. Animi tranquillitas, ait Baſilius, *Baſil. in conſt. mo naſt. c. 5.* nihil aliud eſt, quàm virtutum fœcundiſſimus fons. Ergo è contrà turbatio, & inquietudo, & diſtractio, erit vitiorum & imperfectionum origo. Sanctis ergo operibus, & ſanctè factis homo noſter exterior veſtiatur: in motibus eius modeſtia, in conuerſatione circunſpectio, in rerum vſu paupertas, in cura corporis parcitas & aſperitas, in occupatione vtilitas proximorum eluceat. Nihil ſit in eo, quod aſpicientes non ædificet, nihil, quod virtutem non doceat: & ſiquidem externa opera, quaſi verba foris, in libro hoc myſtico ſcripta ſunt, nullum ſit opus, quod Dei gloriam, & bonitatem homini prærogatam non oſtendat. Hanc externorum operum perfectionem & pulchritudinem petit à fidelibus Petrus Apoſtolus: *1. Petr. 2. 12.* Conuerſationem, inquit, veſtram inter gentes habentes bonam; vt in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.] Primùm profectui proprio & virtutum augmento, conuerſatio bona deſeruit: deinde ædificationi proximorum prodeſt, qui licèt alieni à nobis ex conſideratione noſtrorum bonorum operum, & inculpatæ vitæ noſtræ, ex auerſione in amorem mutantur, & ad con-

uerſionem

uerſionem ad Deum diſponuntur, & in die, quo Deus ipſos viſitauerit, & corda eorum ſancta inſpiratione tetigerit, faciliùs diuinam vocem excipiant. Tunc ipſi Deum glorificant, & nos inſtrumenta huius gloriæ reperimur. Quem laborem, remunerator ille largiſſimus, tum in futura vita cumulabit, tum in hac virtutum incrementis afficiet. Cuius rei typus præceſſit in Ioſeph, Patriarcha ſanctiſſimo, [*Gen. 39. 3.*] qui ex optima conuerſatione ab hero cognitus, quòd Dominus eſſet cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigerentur in manu illius; præfecit ipſum domui ſuæ, & vniuerſam ſubſtantiam ſuam eius gubernationi commiſit. Et ecce virum iuſtum in conditione ſeruili conſeruis ſuis prælatum, & poſt liberationem à vinculis principem Ægypti conſtitutum.] Sic ille, qui opera virtutis externa optimè præſtat, dum viuit in hac vita ſeruili, inter alios eminet, & poſtquam ergaſtulum corporis egreſſus eſt, quaſi perfectus vir magnum in cœlis obtinet principatum.

Sed hic myſticus liber, nempe iuſtus, ad Chriſti imitationem intus quoque virtutis operibus ſcribatur. Ibi maiorem animæ pulchritudinem collocatam ſciat. [*Pſal. 44. 14.*] Omnis enim gloria, omnis pulchritudo, omnis ſplendor eius filiæ regis ab intus. Habet quidem illa fimbrias, id eſt, opera exteriora, quæ ſunt tanquam oræ interioris veſtimenti; & circumdata eſt multiplici ſanctarum & vtilium cæremoniarum varietate: at ſuam gloriam, id eſt, pulchritudinem, non tam in his, quàm in interioribus virtutum actionibus ſitam exiſtimat. Scit enim à Gregorio ſcriptum eſſe: Quiſquis exteriora ſua bene diſponit, ſed interiora negligit, in circuitu oculos habet, ſed intus non habet. Sancti verò omnes quia & exteriora ſua circunſpiciunt, vt bona de ſe exempla fratribus præbeant, & interiora ſua vigilanter attendunt, quia ſeſe irreprehenſibiles æterni iudicis obtutibus parant; in circuitu oculos & intus habere perhibentur: magiſque ſe, quo Deo placeant, ſua externa componunt. Comparatione ergo eorum, quæ iuſtus vir intus in mente ſcripta eſſe curet, omnia externa opera, licèt multa ſint & perfecta, pauca & minora exiſtimentur. Virtutes namque præcipuè actionibus internis creſcunt, quæ velut externarum actionum origines & vires animæ, in quibus virtutes reſident, afficientes, efficaciùs eas generant, & augmentant. Hæc ſit præcipua proficientis cura, actiones interiores humilitatis, obedientiæ, manſuetudinis, & reliquarum virtutum, & præſertim diuini amoris iterare, & ſæpiſſime, quoad eius fieri poſſit, repetere. Opera enim externa cùm circa viſibilem materiam verſentur, & ab aliqua interueniente occaſione dependeant, non poſſunt quocumque tempore elici. Immò aliquando per multos dies occaſionem cuiuſdam virtutis exercendæ non inuenies. Inter eos, qui te ſuſtinent, & diligentiſſimis mulcent obſequiis, rarò patientiæ occaſionem captabis: in mediis honoribus, & dignitatibus paucas occaſiones humilitatis habebis: ſi omnia abundent, vix aduertes, in quo exerceatur paupertas. At opus virtutis internum non à materia vel occaſione externa, ſed à ſolà conſideratione intellectus pendens eſt, quam poteſt homo, quotieſcumque voluerit, elicere, & ea præuia ac duce, voluntatis affectus & virtutum actus iterare. Si itaque velit quis, exempli gratia, in humilitatis virtute proficere, externæ deiectioni, ſeu humiliationi ſuę diligenter ſtudeat: ſi occaſiones ſe humiliandi non vltrò ſe offerant, eas quærat, non minori auiditate, quàm ambitioſus honores & dignitates captat. Sed quia non ſemper occurrit occaſio propriæ abiectionis & contemptus, etiam quæſita, actionibus internis eliciendis ſedulò & feruenter inſiſtat. Obiiciat oculis mentis propriam humiliationem; non à ſuo ſtatu alienam, & quæ nunquam erit, ſed illam quę aliquando fortaſſis occurret. Et pulchritudinem, ac meritum humilitatis aduertens, & quàm ſit Deo grata, & à Chriſto dilecta, breui conſideratione expendens, eam voluntate & deſiderio ſuſcipiat. Poſtea alterius humiliationis recordetur, quam elapſis diebus refutauit, & repulit, ſeque ipſum magno merito exuit, & à Chriſti imitatione deſciuit: de hoc ſui profectus detrimento triſtetur, & doleat, & in ſimili occaſione ſe ad ſuum profectum, eam nequaquam prętermiſſurum eſſe conſtituat. Si honore afficiatur, illum honorem interiùs reſpuat, atque contemnat, & eo indignum ſe reputet: ſi deſpiciatur, & in extremo loco ſinatur, id æquum exiſtimet, & libenti animo ferat, & ſic mille alios actus humilitatis interiùs eliciat, quos humilitatem ſitientibus vnctio dictabit; & eodem modo in aliis virtutibus exercendis procedat. Nec adhuc ſit hac exercitatione contentus, ſed illuſtrium deſideriorum & inſignium actuum adiectione magnificet. Humilitatis amator optet, ſi fieri poſſet, ſanctorum omnium experta ludibria: obedientiæ ſectator, ſubditorum omnium labores preſſuráſque deſideret: manſuetudinis cultor, omnium eorum, qui aliquid pro Chriſto paſſi ſunt, concupiſcat iniurias. Dat eleemoſynam pauperi? Dicat ex corde: Si ego poſſem, ô Domine Deus meus, omnium egenorum miſeriis ſubueniſſem. Concionem eſt habiturus? Dicat: Si meæ ſubeſſet poteſtati, non coram paucis hominibus, ſed in conſpectu omnium infidelium tuam, ô Deus, fidem & gloriam annuntiaſſem. Seipſum aliqua corporis afflictione caſtigat? Dicat ex animo: Si corpus meũ poſſet ferre, omnium confeſſorum aſperitates ſuſcepiſſem. Verbum minùs gratum, minúſue reuerenter prolatum, à ſubdito vel à minori audit? Dicat: Et ego, Domine, pro amore tuo, non ſolùm hanc iniuriam leuiſſimam, ſed grauiſſimas etiam contumelias tolerallem. Sic interiùs opportunè, importunè: die ac nocte; in occaſione; & extra occaſionem: ſolus, & aliis aſſociatus, triſtis, & lætus, nunc hanc, nunc illam virtutem exerceat, & in hoc interno labore præcipuam partem ſpiritualis profectus poſitam eſſe ſciat. Nulla ad hos actus; ſicut ad opera externa, opportunitas expectanda eſt; nullum tempus excipiendum, nullus locus incongruus reputandus: Eccleſia, & cella: Oratorium, & lectus: atrium, & triclinium, & quilibet alius locus aptus eſt, vt mens deuota in eo his actibus creſcat, & virtutibus augendis, ac profectui promouendo diligenter intendat. Tantùm diſcretionis, omnium virtutum matris, meminerit, & conſiderata duplici menſura virium, & gratiæ ſibi conceſſæ, iugiter operari non prætermittat.

Hi ſunt ſermones optimi, quibus iuſtus interiùs ſcribitur, qui ſi ſolis externis operibus, licèt bonis, eſſet contentus, quaſi liber exteriùs in operimento exaratus, & in chartis vacuus, inueniretur. Modicam virtutis acceſſionem faciet, qui ſola externa opera exercere decernit: dicente Laurentio Iuſtiniano: Parum operatur, quamuis multa agat, qui non amplius agit affectu, quàm actu.] [*Inſt. li. de diſcipl. & perf. mon. c. 6.*] Et meritò quidem ita dictum eſt, quoniam ſicut humana vita, non tam in externis actionibus, ab anima procedentibus, quales ſunt progreſſio, comeſtio, & ſermocinatio, quàm in actionibus internis intelligendi & volendi conſpicitur: ita ſpiritualis vita, non tam in virtutis functionibus, quæ per corpus fiunt; quàm in his, quæ à mente procedunt, conſideratur. Præcepta, quæ ad actus interiores pertinent, credendi, ſperandi, dili-

gendi,

gendi,potiora ſunt his, quæ pro actibus exterioribus
data ſunt:ex quo facile eſt intelligere, maiorem vim
proficiendi interno labori mentis,quàm externæ oc-
cupationi corporis ineſſe. Mens ergo exteriora vir-
tutis opera non deſerat,ſed cum maiori ſolicitudine
actibus internis inuigilet. Quos omnes Bernardus
non incongruè ad tria capita reuocauit. Interpre-
Cant. 1, 6. tatus enim illud: Indica mihi quem diligit anima
mea,vbi paſcas,vbi cubes in meridie;] addit: & alius
Iob. 10. 2. quidam: Indica (inquit)mihi,cur me ita iudices,]
vbi non ſanè ſententiam cauſatur, ſed ſcrutatur cau-
Pſal. 24. 4. ſam,erudiri flagellis petens,non erui. Item alius pre-
catur, dicens: Vias tuas, Domine, demonſtra mi-
Pſal. 24. 3. hi,& ſemitas tuas edoce me.] Quas dixerit vias vel
ſemitas,manifeſtat alibi: Deduxit me,inquit, ſu-
per ſemitas iuſtitiæ.]Ergo tria iſta,anima curioſa Dei
non ceſſat inquirere,iuſtitiam,& iudicium,& locum
habitationis gloriæ ſponſi, tanquam viam, in qua
ambulet,cautelam,qua ambulet,& ad quam ambu-
let manſionem. De qua manſione ſic habes in Pro-
Pſal. 26. 4. pheta: Vnam petij(inquit)à Domino,hanc requi-
ram, vt inhabitem in domo Domini omnibus die-
Pſal. 25. 8. bus vitæ meæ.] Et iterum: Domine dilexi decorem
domus tuæ,& locum habitationis gloriæ tuæ.]Porro
Pſal. 88. 15. de reliquis duobus: Iuſtitia & iudicium,ait,præpara-
tio ſedis tuæ.]Meritò tria iſta mẽs deuota requirit,vt
pote ſedem Dei & ſedis præparationẽ. Et pulchrè in
ſponſæ prærogatiuam concurrunt pariter omnia ad
conſummationem virtutum, vt de forma iuſtitiæ ſit
formoſa; de iudiciorum notitia cauta; de deſiderio
præſentiæ ſeu gloriæ ſponſi, caſta. Talem prorſus
decet eſſe ſponſam Domini,pulchram, eruditam, &
caſtam.]Hactenus ille.Ex quo apparet,animam ſan-
ctis cogitationibus & meditationibus erudiri, iuſti-
tiæ,id eſt,omnis virtutis,affectibus formoſam fieri:&
deſiderio ac amore cœleſtium emundari. Exteriores
igitur virtutis actiones ſedulò diligentérque ſuſci-
piat,ſed eas internis actibus informet: & cùm illæ ex
neceſſitate ceſſauerint; iſti, qui ſolùm à gratia nobis
aſſiſtente, & ab hominis voluntate pendent, ceſſare
non debent. Sit anima ſicut apis,quæ in alueario ne-
quaquam ocioſa manet, ſed ſuauiſſima mella confi-
cit,intra ſeipſam affectibus,ſiue internis actibus dul-
ciſſimos fauos mellis, id eſt, virtutes ipſas efficiat.
Nam ſenſibus vti,& ſenſibilia percipere,eſt quaſi flo-
res carpere, ex quibus iuſtus vir per intellectum &
affectum mel conficit,dum omnia, quæ videt, quæ
audit,quæ odoratu aut guſtu percipit,& quæ contre-
ctat manibus,in vſum boni ,ad propriam confuſio-
nem,& humilitatem augendam,& ad incrementum
aliarum virtutum,conuertit.

Exercitatio tandem virtutis, præter hæc duo, ter-
tium etiam requirit,vt ſcilicet cuiuſdam virtutis acti-
bus,non tantùm ipſam, à qua procedunt, ſed aliam
quæramus, vt quaſi acceſſione amicorũ, ad id quod
cupimus, conſequendum iuuemur. Rex enim,qui
ſolus non poteſt hoſtem vincere, ſolet alium regem
amicum in auxilium euocare. Ita & vna virtus,quæ
regina eſt, aliam ad vincendum vitium ſibi contra-
rium aduocat,cùm anima ad huius victoriam, non
propriis ſolùm virtutis actibus, ſed alienis quoque,
Doroth. doct. 14. id eſt,alterius virtutis operibus elaborat. Vnam au-
tem virtutem ad alterius adeptionem admodum eſ-
ſe vtilem, Dorotheus ex patrum ſententia docet, ſic
ſcribens: Hoc autem ignorare vos nolo, eum, qui
libenter ægro deſeruiat cum cognitione,releuari mi-
rabiliter ab animi paſſionibus & diaboli impugna-
tionibus. Noui enim fratrem acriter oppugnatum à
fornicationis dæmone, & cùm ægro ex dyſenteriis
deſeruiret, ab hoc bello eſſe liberatum. Et Euagrius

A narrat de ſeniore quodam maximo, quòd diſcipu-
lum ſuum,huiuſcemodi phantaſmatibus nocte op-
pugnatum hac via liberauerit, indicto ſcilicet illi &
ieiunio & ægrotorum cura. Et de re hac interrogatus
reſpondit: Nihil eſſe quod adeò paſſiones huiuſce-
modi extingueret vt miſericordiam.] Hæc ille. Sed
& Petrus Apoſtolus videtur huic doctrinæ fauere. 2. Petri. 1. 5. 6. 7.
Vos autem, inquit, curam omnem ſubinferentes,
miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem
ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſti-
nentia autem patientiam, in patientia autem pieta-
tem,in pietate autem amorem fraternitatis,in amo-
re autem fraternitatis charitatem.] Eſt ac ſi diceret;
Fidei exercitationem aſſumite ad virtutem, id eſt,
fortitudinem acquirendam; quia myſteria fidei effi-
B caciter credita, attentéque conſiderata, mirabiliter
animam roborant ad ſuſtinenda quæque aduerſa
occurrentia. Fortitudinis laborem ad obtinendam
ſcientiam acceptate; quoniam fortiter aduerſa tole-
rantes,& quaſi à lacte ſæculi auulſi, apti eritis de re-
bus agendis illuſtrari. Scientiæ ſtudium in abſtinen-
tiæ augmentum collocate: nam cognitio agendorum
& cauendorum,hominem à nimio cibo & potu ab-
ſtrahit,& à crapulæ & ebrietatis malis auertit. Ab-
ſtinentiæ parcitatem ad patientiæ incrementum ac-
cipite; nam qui ſcit, hunc animalem appetitum re-
frænare, diſcit in rebus aduerſis patientiam habere.
Patientia ſit vobis vſui ad pietatem: nam qui ſine in-
dignatione patitur, ipſa mentis lenitate ad Dei cul-
tum reuerentiámque diſponitur. Pietas amorem
C fraternitatis foueat, quia dum Deo cultum exhibe-
tis,& eius benignitatem admiramini, facilitatem ad
diligendos fratres, & eis benefaciendi deſiderium
experiemini.Ac tandem amore fraterno erga Deum
charitatem prouehite,quia hoc præſtantiſſimum ſui
amoris donum ille beneficis,& amatoribus fratrum
impertit. Vnius ergo virtutis actiones ad aliam aſſe-
quendam iuuant, & impedimenta tollunt, aditúm-
que aperiunt,vt hæc,quam optamus,introeat. Cùm
enim virtutes vniuerſæ,ſorores ſint,non mirum, ſi ſe
mutuò adiuuent,& non ſolùm propriis actibus quæ-
libet,ſed ſororis etiam ſuæ ſtudiis accreſcat. Vidimus
certè, ſumma quadam taciturnitate immoderatum
riſum & motuum leuitatem vinci; charitatis operibus
D donum orationis & contemplationis obtineri; do-
no orationis caſtitatem prouehi; caſtitate,humilita-
tem, & erga Deum gratitudinem comparari. Et ſic
dum vna virtus in auxilium alterius accerſitur, & vt
altera pullulet, exercetur; illa ſuis propriis actibus
creſcit, & mens,pro alia aſſequenda, in ſtudio illius
prioris deſudans, hanc etiam à Domino promere-
tur. Hoc ergo inſtrumentum in hoc poſitum eſt,vt
qui aliquam virtutem obtinere deſiderat, eam exer-
citatione actionum ipſius,tum internarum tum ex-
ternarum diſcat,& aliarum etiam virtutum actiones,
ad eam obtinendam & promerendam,aſſumat.

E *Eas Virtutes à quolibet iuſto exercendas eſſe,*
ad quas vocatur: ac de feruore in exer-
citatione ſeruando.

CAPVT III.

NON Omnes homines iuſtos ad eandem
vocationem fuiſſe vocatos,conſtans Ec-
cleſiæ,& omnium fidelium rectè intel-
ligentium ſententia eſt, quam ex ſpiritu
ſancto per os Pauli loquente ſuſceperunt. In cuius Ephes. 4. 11.
epiſtolis legimus: Et ipſe, ſcilicet Chriſtus, dedit

quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores & Doctores.] Quibuſdam ſcilicet datum eſt miniſterium Apoſtolatus, vt eſſent Eccleſiæ capita, & fidem per totum orbem diſſeminarent, aliis donum prophetandi, vt occulta detegerent, ac futura prædicerent: aliis onus euangelizandi, vt bonum nuntium Chriſti aduentus & legis gratiæ conſcriberent: aliis vt eſſent paſtores & doctores, qui docendo, populos paſcerent, & paſcendo, docerent. Non ſingulis data ſunt omnia miniſteria, ſed ſingulis ſingula: Nam

Eph. 4. 7. vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti:] menſura autem non omnium donorum aggregationem, ſed donorum partitionem deſignat, vt cuique propria quædam vocatio, proprium miniſterium, ac donum obtingat. Et id quidem meritò, quoniam Eccleſia vnum eſt corpus, ex variis partibus membriſque compactum, quorum quodlibet non omnia munera, ſed congruum ſibi munus exercet. Si enim quoduis membrum omnia miniſteria obiret ad vitam ſpiritualem pertinentia, non eſſet corpus ordinatum: &, ſi ſingula membra vnum tantùm miniſterium haberēt, non eſſet corpus perfectum: quare neceſſarium eſt ad ordinem, & perfectionem huius corporis, vt quodque ſuum munus habeat, vt cum aliis non tam munere quàm amore conueniat. Si totum corpus oculus, ait Paulus, vbi

1. Cor. 12. 17. auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem poſuit Deus omnia membra, vnumquodque eorum in corpore ſicut voluit.] Quòd ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Multa, inquam, membra, non ſolùm forma, ſed actione di-

Anſel. ſtincta. Si enim omnes, inquit Anſelmus, eſſent vnius officij vel operis, quomodo impleretur reliqua neceſſitas corporis, cùm conſtet multis officiis opus eſſe ad gubernationem corporis? Nam Eccleſia ſuperni capitis corpus eſt. In qua alius alta vidēdo, oculus: alius tecta operando, manus: alius ad iniuncta diſcurrendo, pes: alius præceptorum vocem intelligendo, auris: alius malorum fœtorem bonorúmque fragrantiam diſcernendo, naris eſt: Qui corporalium more membrorum, dum viciſſim ſibi accepta officia impendunt, vnum de ſemetipſis omnibus corpus reddunt, & cùm diuerſa in charitate peragunt, diuerſum eſſe prohibent, vbi continentur. Si autem vnum quid cuncti agerent, corpus vtique, quod ex multis continetur membris, non eſſent; quia videlicet multipliciter compactum non exiſteret, ſi hoc concors membrorum diuerſitas non teneret.] Hæc ille.

Si autem hæc ſimilitudo corporis aptiſſimè fidelium varia miniſteria patefacit, non minùs varietatem vocationum ipſa Eccleſiæ natura ſubſtantiáque declarat. Nam Eccleſia eſt domus Dei; eſt Palatium ſummi regis, ad cuius ſplendorem & ornatum neceſſarij ſunt multi ſerui, ad diuerſa miniſteria vocati. Quidam in rebus externis, quæ plurimæ ſunt, Deo ſeruiunt, quidam in intima familiaritate cum rege, & in rebus interioribus occupātur: alij ſpiritu robuſtiores, munus vtrumque ſuſcipiunt: & hi omnes ita ſunt actibus & vocatione diſſiti, vt tamen ſint pace & amore coniuncti.

Vniuerſè verò iuſtorum vocationes, quaſdam virtutes habent cōmunes, ſine quibus haud quaquam poſſunt rectè adminiſtrari, alias verò peculiares, quas hæc vocatio & hic ſtatus exigit, ille verò minimè requirit. Immò intra eundē ſtatū, eandémq; vocationē varia ſolent eſſe miniſteria, quorū vnum ab vna virtute, aliud verò ab alia depēdet. Quod per comparationem ad miniſteria reipublicæ facilè intelligetur. Omnia enim exigunt nonnullā prudētiam in agendis, fidelitatem erga maiores, æquitatē erga conciues. At robur corporis, & cor in periculis intrepidum eſt neceſſariū militibus, quæ nihil referet, ſi ſenatoribus iuſtitiam adminiſtrantibus non adſint. Et peritia legum eſt neceſſaria iudicibus, parum autem attinet, quòd milites ſint notionis legum ac ſcientiarum expertes. Et ſic diſcurrens per munera ciuitatis, facilè perſpiciet quædam vni miniſterio eſſe vtilia, quæ alteri prorſus ſunt inutilia. Ita in Eccleſia quædam ſunt virtutes omni vocationi & ſtatui ita neceſſariæ, vt ſine illis rectè geri non poſſit. Nam ſiue quis vitam actiuam, ſiue vitam contemplatiuam, aut mixtā profiteatur; ſiue temporalibus rebus intendat, ſiue doceat, aut confeſſiones excipiat, aut populo verbum Dei proponat, aut aliud quid faciat, non poterit, vt oporteret, ſine humilitate, ſine fraterna charitate, ſine patientia præſtare, & ſine aliis virtutibus ſimilibus, quæ ſunt ſpiritualis vitæ partes, & virum iuſtum conſtituunt, & animam ſanctam exornant. Aliæ verò virtutes ſunt, aut aliæ virtutum actiones, quæ vni ſtatui omnino congruunt, & alij potiùs officiunt. Vocatus enim ad ſolitudinem, iugem lectionem, aſſiduam pſalmodiam, ad multas horas contemplationem exerceat; quòd ſi vellet operibus miſericordiæ vacare, diſcordes componere, carceres viſitare, & alia munera ſimilia actiuorum ſuſcipere, manifeſtè deficeret. E contrà verò ex vocatione curæ animarum addictus, ad ea ſe applicet miniſteria, quæ ad lucrandas animas inſtituta; at ſi curaret, totum tempus in oratione & lectione collocare, quibus ab vtiliſſimis muneribus auocaretur, non profectum aliquem ſed detrimentum incurreret. In his etiam, qui ſtatum colunt, vtramque vitam, actiuam & contemplatiuam continentem, non minimas illuſiones ex huius documenti prætermiſſione animaduertimus. Nam quidam eorum vna ſui ſtatus parte neglecta, aliam nimia & immoderata cura ſuſcipiunt: & ita negotiis & operibus miſericordiæ ſe tradunt, vt tempora lectioni & meditationi deſtinanda ſurripiant. Alij delectantur ita ſtudio lectionis & orationis, vt ferè nihil temporis in miniſteriis animarum impendant. Vtrique errant; quia ita deberent Liam & Rachelem ducere, vt vtrique ſatisfacerent, & pro vnius amore alteram non relinquerent. Quid de aliis dicam, qui ad concionandum vocati non ſunt, ad idque muneris talentum non habent, & quotidie volunt concionari? Vel ad docendum ſunt inidonei, & ingenij claritate & ſubtilitate parum exculti, volunt tamen magiſtri nominari, & alios docere? Quid de aliis, qui naturali prudentia, & ſuauitate, & reliquis ad gubernandum carent, ſed ambitionis ſpecie decepti appetunt imperare, & aliis eminere? Hi omnes ſi in virtutis opera, ad quæ vocantur, incumberent, & aliena à ſua vocatione prætermitterent, maiori mentis tranquillitate & ſanctitate pollerent. Quia Dominus, quos ad aliquod munus vocat, ſpecialiter adiuuat, & vt in eo virtute ſemper creſcant, efficit: quos autem ipſe non vocauit, ſed illi ſe ingeſſerunt, ſpecialibus illis auxiliis deſtitutos dimittit. Ad quod verò miniſterium quiſque vocetur, non ex deſiderio ſenſualitatis, nec ex ambitionis, aut curioſitatis, aut propriæ quietis affectibus, ſed ex obedientiæ ductu, & Prælatorum imperio, ex Eccleſiæ electione non ab electo procurata, & ex diuina inſpiratione, & ex mentis in omni virtute progreſſu cognoſcitur. Si enim obedientia te ad munus ſuſcipiendū moueat, & Prælatus, qui ius habet præcipiendi, in eo te conſtituat, à Domino huiuſmodi munus accipis, Prælatis

manifeſte dicente: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.] Si Eccleſia te, nec procurantem, nec deſiderantem, nec cogitantem, imò nec ſomniantem, quin & timentem & reluctantem aliis præficiat, à Deo ipſo præficeris, qui corda electorum mouet, vt dignum miniſtrum inquirant. Si aſſiduis inſpirationibus ad ſtatum perfectionis, vel ad munus aliquod ſalutis animarum exciteris, in quo non ſit honor, ſed onus; non requies, ſed labor; non delectatio, ſed abnegatio; ſignum eſt te à Deo ad illud munus inuitari. Si denique in his ſpiritus tuus adoleſcat, virtus proficiat, guſtus cœleſtium augeatur: ſi ſentias, quia quotidie efficeris corde humilior, ad obediendum promptior, ad ſuſtinẽdum manſuetior, ad proficiendum largior, ad diligendum & contemplandum purior, bene poteris cogitare, quia à Deo vocatus es, vt munus illud ſubeas; quod non tua voluntate, ſed cœleſti nutu ſuſcepiſti, & in eo virtutis augmenta comparaſti.

Vnuſquiſque ergo, non tantùm virtutes omni ſtatui vocationíque communes, ſed ſuo ſtatui peculiares diligenter exerceat, & earum actionibus ad perfectionem venire contendat. Ita illas amore & opere complectatur, vt iſtas non minori ſolicitudine diligat. Illæ namque ſunt veluti vitæ perfectæ fundamina, ſine quibus non ſtabit: iſtæ veluti ædificationis partes, quæ ſi non adſint, vita perfecta ſuum ſplendorem & decorem nequaquam obtinebit. Illæ ſunt ſicut panes, qui in omni conuiuio apponuntur: iſtæ quaſi alij cibi, qui pro diuerſitate regionum, aut temporum ab hominibus præparantur. Illas actiones oportet præſtare, ſed iſtas non omittere, quoniam tam iſtis, quàm illis, Domini voluntati & imperio ſubiicimur, proximos ædificamus, & mentis noſtræ perfectionem promouemus. Cui ſi aliquid neceſſarium deeſt, profectò perfectio non erit. Quis autem dubitet, ſpirituali conuerſationi noſtræ virtutes, etiam peculiares ſtatus, ad quem vocati ſumus, neceſſarias eſſe, ſine quibus mutila & minùs ſecura perſiſtit? Quin & illæ primæ virtutes omni ſtatui communes, veræ non erunt, ſi ab actionibus peculiarium virtutum, proprio ſtatui debitis, ſeparentur. Neque enim vera obedientia erit, quæ nos ad omnia non expedit, & in rebus noſtræ vocationis nos non facit parere: nec vera patientia, quæ incommoda ex ſtatu emergentia non ſuſtinet: nec vera humilitas, quæ occupationes humiles fugit, & mundi ſplendorem non proterit, & quem ſancti & perfecti viri amplectuntur, timet ſubire contemptum. Virtutes ergo ſtatus peculiaris cuiuſque diligenter ſectandæ ſunt, ſine quarum actionibus in eo ſtatu poſito impoſſibile erit, vitam ſpiritualem perfectam obtingere. Nemo quippe in virtute proficit, qui Deo iubenti non paret, & ſuo Domino vocanti non reſpondet. Quomodo autem ille paret, qui ſtudioſas actiones ſui ſtatus proprias non explet, & dum ad eas à Domino internis inſtinctibus inuitatur, obſurdeſcit? De iſto ſanè ipſe Dominus pronunciare poterit, quod ſcriptum eſt in Iob: Seruum meum vocaui, & non reſpondit: ore proprio deprecabar illum.] Seruum ille ſuum vocat, cùm iuſtum, in aliqua vocatione poſitum, donis ad eam explendam accommodatis cumulat: ſeruus verò non reſpondit, cùm dona illa in actionibus ſuo ſtatui debitis non expendit. Hoc enim eſt quod dixit Gregorius: Vocat nos Deus, cùm muneribus præuenit; reſpondemus verò vocationi eius, cùm dignè iuxta percepta munera deſeruimus.] Ore ſuo deprecatur, cùm per Prælatos, per quos Deus ſolet loqui, & cùm per interiores inſtinctus iuſtum de rebus ipſius ſtatui attinentibus admonet, qui tamen cùm eas ad actionem non elicit, quaſi ſurdus efficitur. Qui tamen audire curaret, ſi iſta peculiaria virtutis opera quanti momenti ſint, ſciret. Hæc namque eo ipſo quòd ad ea vocatus eſt, ſibi ſunt vtilia, & alia licèt fortè meliora aut ſpecioſiora, quia non exiguntur, & opera debita impediunt, ſunt prorſus inutilia. Sed parum eſt dicere, quòd ſunt inutilia, quia etiam ſunt noxia, & à regula diſcretionis aliena. Solitudo enim Anachoritis congruit; at tibi ad animarum lucra vocato nequaquam conuenit. Tibi è re eſt, prædicare opportunè, importunè, arguere, obſecrare, increpare in omni patientia & doctrina, illis verò hoc non eſt congruũ, ſed à turbis ſecedere, & os magis ad pſallendũ, quàm ad prædicãdum aperire. Huic rei non ineptè accommodare poſſumus quod Gregorius ad aliud propoſitum ait: Sæpe aliis officiunt, quæ aliis proſunt. Quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia enutriunt, alia occidunt, & lenis ſibilus equos mitigat, catulus inſtigat. Et medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit, & panis, qui vitam fortium roborat, paruulorum necat.] Eadem omnino ratione quædam opera ſecundùm ſe bona quibuſdam ſunt apta, quia eorum vocationi ſeruiunt; quibuſdam inepta, quia minimè eorum vocationi & ſtatui conueniunt. Duplex igitur, ſi volumus virtute proficere, nos cura ſolicitet, altera, vt virtutum opera, omnibus communia, diligenter exerceamus; altera, vt virtutum opera noſtro ſtatui peculiaria ſectemur. Illæ nos ſtudioſos vitæ Chriſtianæ, iſtæ ſtudioſos profectioris ſtatus, quẽ in vita Chriſtiana ſortiti ſumus, efficient. Et ex vtrarumque virtutum operibus vna vita ſpiritualis perfecta coaleſcet, quam Chriſtus gratiſſimam habebit, & præmio tandem perfectorum afficiet.

Tam hæ virtutes particulares, quàm illæ communes feruidè & diligenter exercendæ ſunt, quia augmẽtum earũdem virtutum his actionibus procuramus, & quia magno vniuerſorũ Domino & creatori ſeruimus. Virtutes autẽ (vt ipſum experimentũ parui profectus noſtri euidenter oſtendit) actibus remiſſis non creſcunt, & ſpirituales viri, qui ad diuinum obſequium, non timore, nec præmio, ſed amore incitantur, non oſcitanter, ſed ſtrenuè ac feruidè illi deſeruiunt. Illa virgo Beatiſſima, omnis ſanctitatis ac virtutis exemplar, abiit in mõtana cum feſtinatione; & quę, adueniente in eam igne Spiritus ſancti, ſplendorem Patris conceperat, ab eo expedita & agilis facta eſt, vt poſſet ad excelſa feſtinare. Chriſtum etiam iuſti ſi non carne, at gratia cõcipient, à quo expediti redduntur, vt poſſint ad perfectionis montem aſcendere, rumpant moras, & torporem excutiant, greſſibúſque ſtudioſorum operum non lentè ſe moueant, ſed celeriter & feſtinanter aſcendant. Ille, quem animo geſtant, nominibus feſtinationis vocatus eſt. Voca nomen eius, inquit, Accelera ſpolia detrahere: Feſtina prædari;] vt & ipſi iuſti ſciant, quia debent celeriter obſequi, & feſtinanter operibus ſalutis inſiſtere. Qui potuit ſpoliare infernum, & nos celerrimè è poteſtate dæmonis poſſidentis eripere, potens eſt etiam, feruorem, & celeritatem ad cooperandum noſtrę ſaluti tribuere. Quid nos detinet, quid nos remoratur, ſi talem adiutorem habemus, cuius poteſtas mouet, voluntas feruorem præcipit, & nomen ipſum eius ad ſolicitudinem in noſtro profectu & feſtinationem inducit? Annon poteſtas eius ſeruos ſuos & iuſtos ſuos celeriter mouet? de quo canit Dauid: Qui facis Angelos tuos, ſpiritus, & miniſtros tuos, ignem vrentem.] Spiritus ſuos, id eſt, ſpirituales

Iob. 19. 16. — *Greg. 4. mor. c. 19* — *Greg. 3. p. paſtoral. cura in prolog.* — *Luca 1.* — *Iſaia 8. 3.* — *Pſal. 103 5.*

viros,

A vicos, Angelos, id eſt, nuntios ſuos facit; quia eos, qui
ſpiritu viuunt, & ſpiritualia ſectantur, ad miniſteria
animarum conuertendarum aſſumit. Et hos ſpiri-
tus ac miniſtros ſuos facit ignem vrentem, quia fa-
cit vt in bonis operibus ſpiritu ferueant, & poſt-
quam in ſeipſis accenſi fuerint, alios quoque eodem
igne charitatis & feruoris abſumant. Exponit Au-
guſtinus quinam ſint iſti Angeli & miniſtri Dei, quo-
rum ope ignis ſpiritualis in cordibus fidelium ac-
Aug. in … cenditur. Quomodo accipimus, inquit, qui facit
Angelos ſuos, ſpiritus, & miniſtros ſuos, ignem fla-
grantem? Spiritus ſpirituales dicit. Bene facit An-
1.Cor.2. gelos ſuos ſpiritales, id eſt, nuntios verbi ſui. Spiri-
15. talis enim omnia iudicat, ipſe autem à nemine iudi-
catur.] Vide ſpiritalem factum Angelum Dei.
1.Cor.3. Non potui, inquit, vobis loqui quaſi ſpiritualibus, B
1. ſed quaſi carnalibus.] De ſpiritali quadam affectio-
ne miſſus eſt ad carnales, tanquam Angelus de cœlo
ad terram. Quomodo dicit: Et miniſtros ſuos, ignem
flagrantem, niſi quomodo dicit, ſpiritu feruentes?
Rom. 12. Sic enim feruens ſpiritu, ignis ardens eſt omnis mi-
11. niſter Dei. Nonne ardebat Stephanus? Quo igne
Act. 7. ardebat? Et quis ille ignis erat quando lapidabatur,
& pro eis, à quibus lapidabatur, rogabat? Cùm au-
dis, ignis eſt miniſter Dei, incenſurum illum putas?
Incendat licet, ſed fœnum tuum, id eſt, carnalia
omnia deſideria tua, vrat miniſter Dei prædicans
1.Cor.4. verbum Dei. Audi illum: Sic nos exiſtimet ho-
1. mo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſterio-
rum Dei.] Quomodo autem ardebat, cùm diceret:
2.Cor.6. Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthij, cor noſtrum C
11. dilatatum eſt.] Ardebat & flagrabat charitate, &
ibat in eos, vt incenderet. Hunc ignem ſe miſſu-
rum Dominus in terram dicebat, cùm ait: Ignem
veni mittere in terram. Quomodo gladium, ſic
ignem. Gladius diuidit affectum carnalem, ignis ab-
ſumit. Totum in verbo Dei intellige, totum in ſpiri-
tu Dei cognoſce.] Hæc ille. Igitur poteſtas Dei eſt,
quæ iuſtos feruore complet, vt & ipſius Dei efficaci-
tatem imitentur, & virtutibus, quæ actionibus fer-
uidis creſcunt, augeantur, & alij eorum doctrina exem-
plóque à malo in bonum mutentur.

Feruorem etiam in ſtudioſis actionibus ſuæ vo-
luntatis oſtenſione præcipit Dominus, qui ad ſpon-
ſam ſuam, nempe ad iuſtam animam, in Canticis ait: D
Cant. 2. Surge, propera amica mea, columba mea, formo-
10. ſa mea, & veni.] Si ſolùm à peccato ſurrexit, & gra-
tiam comparauit, amica quidem erit anima, ſed
profectò columba non erit. Quomodo enim co-
lumba, quæ non per aëra pennis feruoris volat,
ſed ſuper terram lentis tepiditatis greſſibus repit?
Illi ergo volandum eſt, ſeu feruore properandum,
vt columba dici mereatur. Sed ſi tantùm à pecca-
to ſurgat, & per feruorem vtcumque properet,
iam amica & columba erit, ſed formoſa non erit,
niſi etiam in ſancto & diſcreto feruore perſeueret.
Feruor namque perſeuerans, ſicut calor perſeue-
rans, fœditates ſpiritualis liquoris, id eſt, humanæ
conuerſationis, abſumit. Ergo in feruore perſi-
ſtendum eſt, vt anima de pulchritudine adepta E
laudetur. Atque adeò illi mandatum feruoris
indicitur, vt non ſolùm amicæ, id eſt, incipientis
appellationem audiat, ſed columbæ etiam & for-
moſæ, id eſt, proficientis & perfectæ nomen ac-
quirat. Et fortaſſis hoc Dominus myſticè indi-
Iſaiæ 55. care voluit, cùm per Iſaiam clamat: Omnes
1. ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis ar-
gentum, properate: emite abſque argento, & abſ-
que vlla commutatione, vinum & lac.] Nam ſi vi-
num formoſæ, & lac columbæ tribuamus, & in

A vino perfectionem animæ, in lacte verò eiuſdem
profectum meditemur, iam feſtinatione, ſiue fer-
uore, vinum & lac, id eſt, perfectionem & profe-
ctum, obtinerí comperiemus. Sitientes, id eſt,
feruentes, ad aquas veniunt, qui verò frigent, ſeu
algent, aquas gratiarum habere contemnunt. Ar-
gento carentes, id eſt, pauperes & humiles, qui ſe
omni bono vacuos putant, ad emendum prope-
rant, & ſine argento, ac ſine vlla commutatione,
ſed ſolis precibus, & gemitibus, & aſſiduo ſan-
ctarum actionum feruore profectum animarum
& perfectionem comparant. Feſtinemus igitur, Hebr.4.
inquit Paulus, ingredi in illam requiem, vt ne in 11.
idipſum quis incidat incredulitatis exemplum.] Il-
la enim requies verè magna, verè admirabilis,
B & incomprehenſibilis, quæ timentibus Dominum
parata eſt, non hærentibus in luto rerum terre-
narum, ſed celeriter currentibus patet. Et ſimi-
liter atrium eius, nempe huius vitæ perfectio, vni-
ca in hoc tempore animæ requies, non oſcitantes,
ſed feſtinantes & feruidè operantes admittit. Qui
non feſtinat in eam ingredi, in quoddam incidit
incredulitatis exemplum, dum quodammodo ſimi-
lis incredulis & impiis efficitur. Sicut enim antiqui
illi Iſraëlitæ, Deo increduli, & de eius promiſſione
deſperantes, quia breui tempore poſt egreſſum ex
Ægypto ſubſtiterunt; quadraginta annis per deſer-
tum vagati ſunt, & tandem ab ingreſſu in terram
promiſſionis depulſi: ita qui tepidè ſe gerunt in in-
quiſitione veræ requiei, quaſi per deſertum ſuarum
C imperfectionum vagantur, & nunquam ad perfe-
ctionis requiem perueniunt. Hi interdum magna ex
ambitione aggrediuntur, quæ Deo inuiſa ſunt, quo-
niam praua intentione viciata, cùm tamen feruidi in
minimis illi placeant, quia ea ex rectiſſima intentio-
ne & ex feruore præſtant. Egreſſo Eſau in agrum, vt
ad cibandum patrem feram aliquam apprehende-
ret, vocauit Rebecca Iacob, dilectum ſuum, dixitque
illi: Pergens ad gregem, affer mihi duos hædos Gen. 27.
optimos, vt faciam ex eis eſcas patri tuo, quibus li- 9.
benter veſcitur.] Sciens videlicet ſuauitatem cibo-
rum non tam in eorum nouitate, quàm in modo
condiendi & parandi conſiſtere. Et Iacob obediens,
communibus cibis patri placuit, & benedictionem
D præripuit. Sic multi communia, & minima opera tan-
to feruore, & tam pia Deo placendi ſolicitudine fa-
ciunt, vt eius gratiam & benedictionem accipiant,
cùm tamen alij in maioribus laborantes, quia non
ſtrenuè & rectè operantur, benedictionem, quam
optabant, minimè conſequuntur.

Ipſum quoque nomen Domini ad retinendum in
ſanctis actionibus feruorem impellit. Vocatum eſt Lucæ 2.
enim nomen eius Ieſus,] quod Saluatorem vel ſa- 21.
lutem ſignificare cognouimus. Quis autem oſcitan-
ter ac negligenter ſalutem inquirat? Certè ſi corpus
aliqua ægritudine aut dolore tangatur, ſtatim acceſ-
ſimus medicum carnis, & diligentiſſimè eius iuſſa, li-
cèt difficilia, capeſſimus. Venarum noſtrarum ſciſ-
ſionem, ſanguinis emiſſionem, potionum inſuauita-
E tem, emplaſtrorum moleſtiam alacriter ſuſtinemus,
vt ſalutem carnis perditam, & poſt modicum peri-
turam, reſumamus. Sed Chriſtus ſalus eſt mentis, &
eius imitatio, omnium morborum ſpiritualium de-
pulſio: quanto igitur eſſet deſiderio appetēda, quan-
to feruore, & ſolicitudine bonis actibus quæritanda?
Difficile eſt, aſſueta relinquere, & ex imo deſiderio-
rum terrenorum ad virtutum excelſa tranſire, ſed a-
mor erga Deum facit, vt non id cum deſidia, ſed cum
feruore & alacritate præſtemus. Quare Oſeas ait: Oſeæ 2.
Et canet ibi, nempe in ſolitudine, iuxta dies iuuen- 15.

tutis ſuæ,& iuxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Ægypti.] Nam quamuis ſpiritualis anima, in ſolitudine amicorum & rerum, quæ ei placebant,ſua conuerſatione reſideat, quamuis aſcenſionis difficultatem, ex vita diſtracta & libera ad vitam perfectam & Euangelicis conſiliis addictam, ſentiat, tamen ibi ex feruore canet, & nō triſtis, ſed læta iter hoc peraget, & per vias mortificationis duras exultanter incedet. Id quidē meritò, quoniam ſalutem & ſalutem, non iam corporis, ſed ſui ipſius, & ſalutem non aliquando deſituram, ſed ſemper manſuram,inquirit. Paſtores Bethleem audito huius ſalutis aduentu, ad eam cum magna auiditate properant, & ideo digni facti ſunt eam inuenire, videre oculis, brachiis aſtringere, & ſuauiſſimo amore complecti. Venerunt, inquit, feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. Primò feſtinant, deinde inueniunt, quia feſtinandum nobis eſt, & ingenti feruore properandum, vt hanc ſalutem magnam inuenire poſſimus.' Et ideo fortè nonnulli quærentes, inquit Beda, inuenire non merentur, quia deſidioſè Chriſtum requirunt.] Quæſiuit aliquando ſponſa hanc ſalutem tepidè, & minimè inuenit, ſurrexit, deſidiam excuſſit, feruorem concepit, & ſtatim tranſcurſis vigilibus eum quem cupierat, meruit inuenire. In lectulo meo, inquit,per noctes quæſiui,quem diligit anima mea, quæſiui illum,& non inueni.] Quamobrem, ò anima,Deo conſecrata,tuum ſponſum ac tuam ſalutem non inuenis,niſi quia in frigore noctium, & in deſidia lectuli quæris?Si illum in feruore diei,& in itinere ſanctarum actionum quæſiuiſſes, vtique illum poſt non multum temporis inueniſſes. Surgam,ait, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea.]Hæc reſurrectio,qua à torpore ſurgis,hic circuitus, quo per feruorem vniuerſa luſtras,& nullum non lapidem moues, vt profectum inuenias,indicium magni boni eſt. Denique tu ipſa teſtis es, quia, poſtquam occurriſti vigilibus, id eſt, Prælatis,ex quorum ore rationem proficiendi audiſti,& cum quibus tua deſideria contuliſti,ſtatim inueniſti quem diligis.

Lucæ 2. 16. *Beda. ib.* *Cant. 3. 1.* *Cant. 3. 2.*

Neceſſaria eſt ergo intenta ſolicitudo,neceſſarius eſt feruor in virtutum actionibus collocandus, vt ad augmentum earum, & ad optatam ſalutem, in Chriſti perfecta imitatione poſitam,veniamus.Nam & ſapienter dixit Chryſoſtomus: Opus eſt vigilantia dilecti.Nam & miles dormit,non in lecto ſed humi; piſcator non dormiens piſcatur, ſed ſtans aliquando peragit noctem. Agricola omnem exhibet vigilantiam,ne domini vinea lædatur. Et paſtor ſub dio ſtans,noctem conſummat,gregem cuſtodiens,ſicut Iacob dicebat: Fui ardens æſtu per diem,& gelu per noctem,& ſomnus receſſerat ab oculis meis.] Et quæ ipſius vigiliæ ratio? Ne vlla ouis feræ captiua fieret.Si verò tāta de irrationali pecude cura,qualem eſſe decet de rationali anima ſolicitudinem gerentis? animæ,inquam,omnium pretioſiſſima, nec æquiualentem totum pariter orbem habente, quæ ſimul nobiſcum reſurgit, pariterque defenditur, & diuino tribunali ſimul aſſiſtit.] Hæc ille. Curemus igitur diligenter ſalutem animæ noſtræ, & cum magna ſolicitudine eam virtutum donis exornemus: ſciamúſque hoc eſſe inſtrumentum virtutis aſſequendæ præcipuum, eius diligentem aſſiduámque exercitationem, & iuxta virtutum rationes, & regulas humanæ conuerſationis inſtitutionem. Qui vult igitur virtutes acquirere, quæſitas augere, auctas vſque ad perfectionem prouehere, frequenter, quoad fieri poſſit, in actiones earum, tum exte-

Chryſoſt. hom. 12. ad populum Antiochenū. *Gen. 31. 49.*

A riores tum interiores, incumbat. Eas omnibus numeris abſolutas eliciat, feruidè & tranquillè præſtet, ita ſcilicet vt nec immoderatus feruor anxietatem & diſtractionem inferat, nec internæ tranquillitatis cura feruorem imminuat. Ac tandem his actionibus virtutum inhæreat,quæ propriæ ſunt vocationis ſuæ,vt ſic Dei voluntati,has actiones primo loco poſcenti,ſe accommodet, & inueniatur in eo, ad quem vocatus eſt, ſtatu, perfectus.

Decimum Inſtrumentum, nulla occaſionis exercendæ virtutis omiſſio.

B

CAPVT IV.

HOc argumentum de occaſionibus proficiendi captandis, ſuprà à nobis pro neceſſitate materiæ explicatum eſt, ſed quod tunc in quadam generalitate diximus,nunc vt inſtrumentum aſſequendarum virtutum,ſicut re vera eſt,ad eaſdem applicamus. Curæ autem nobis erit, nihil repetere,ſed quanta ſit inſtrumenti huius vtilitas,& quis vſus adhibitis nouis rationibus confirmare. Non ſatis eſt igitur,vtcumque exercere virtutes, vt earum poſſeſſores ſimus,ſed occaſiones nobis oblatæ eliciendi virtutum actus,omittendæ non ſunt,&,ſi non offeran- C tur, auidè quæritandæ. In rebus enim humanis neceſſarium id eſſe, omnibus attentè conſiderantibus compertum eſt. Nam & dux belli, ſi occaſionem hoſtem vincendi poſthabeat, ſolet ab eo vinci, & miles in congreſſu cum alio, niſi tempeſtiuè ſe tueatur, & ictum repellat, occiditur: & mercator ſi tempora emendi vendendíque peruertat, non minimum ſuæ ſubſtantiæ detrimentum experitur. Sic & in rebus ſpiritualibus homo, ſi occaſionem virtutem exercendi prætermittat, quam vult acquirere, aut vulnus vitij contrarij patietur, aut damno profectus amiſſi triſtabitur. Quantum autem ſit damnum,hoc experta fuit ſponſa, quæ, quia ſponſo celeriter non aperuit, eius ſuauiſſimo amplexu manſit orbata. Copiam ingrediendi aliquando fe- D cit dilecto ſuo: Nam peſſulum, ait, oſtij mei aperui dilecto meo,] ſed quia non tempeſtiuè aperuit, & occaſionem admittendi ſponſum perdidit, ipſius etiam aſpectum, alloquium, & amplexum amiſit. Denique ipſa tardè & moroſè aperiente, ille declinauerat, atque tranſierat.] O lamentabile detrimentum, diſceſſiſſe ſponſum, & animam, quia oblata occaſione non vſa eſt, ſolam ac deſolatam fuiſſe relictam! Venit ſponſus ad nos, cùm nos ad opera humilitatis, charitatis, & obedientiæ vocat. Ingreſſum ei negamus, cùm occaſiones harum ac ſimilium virtutum, ab eo datas, negligenter prætermimus. Peſſulum tollimus, cùm importunis inſpirationibus tacti de elapſa occaſione rectè operandi dolemus. Tunc tandem E aduertimus illum ſimul cum occaſione virtutis exercendæ contempta tranſiuiſſe, & ab habitaculo mentis noſtræ, quod ob negligentiam noſtram meritò ille vacuum reliquit, ad alium fratrem ſedulum & ſtrenuum, qui virtutem exercuit, declinaſſe. Quis hanc iacturam non doleat? Quis tantam oſcitantiam non defleat,ob quam meritum gratiæ, & præmium gloriæ videt ereptum? Homines huius ſæculi acerbiſſimè deflent, ſi occaſionem diteſcendi, aut dignitatem quampiam acquirendi, è

Cant. 5. 6.

manibus elabi ſinant, & nos non dolebimus ſi mille occaſiones animas virtutibus ornandi & ditandi perdamus? Hoc indicium ſtultitiæ, & dementiæ eſt. Sapientes namque cùm tempora elapſa conſiderant, & quanta bona perdiderunt, quo tempore ſapientes non erant, euolunt, hanc priſtinam inſipientiam damnant, & de cætero ſe ad reſarcienda damna præterita in occaſionibus proficiendi emergentibus roborant. *Prou. 9. 9.* Da ſapienti occaſionem, ait Salomon, & addetur ei ſapientia. Doce iuſtum, & feſtinabit accipere.] Nam ſapiens occaſiones diſcendi non perdit, ſi autem perdat, ſatis exiguum cognitionis rerum conſequetur: & iuſtus, ſi anſam ſe ampliùs iuſtificandi ſit nactus, eam non omittit; ſi autem omittat, non vſque ad magnum profectum in virtute ſolidabitur. Sapiens ergo proficiẽdi occaſiones arripit, quia in illis ſapientiæ & virtutis augmentum collocatum videt. E contrà ſtultus eiuſmodi occaſiones inuerecundè contemnit, ex quibus alius gloriam, ipſe verò confuſionem decerpit. Et fortè idem Sapiens hoc indicat, dicens: *Eccl. 21. 21. 22.* Tanquam domus exterminata, ſic fatuo ſapientia: & ſcientia inſenſati inenarrabilia verba. Compedes in pedibus ſtulto doctrina, & quaſi vincula manuum ſuper manum dextram.] Nam quæ rogo eſt ſtulti ſapientia, ſcientia & doctrina, niſi oblata occaſio diſcendi, & ſe actione alicuius virtutis ornandi? Si enim fatuus, & inſenſatus, & ſtultus eſt, alia ſapientia præter occaſionem diſcendi, & virtutem augendi caret, qui fatuitatem, & inſenſibilitatem, & ſtultitiam ſapientiæ contrariam habet. Hæc occaſio in eo eſt tanquam domus exterminata, quia eam vt rem deſtructam, & nulli vſui aptam pro nihilo ducit: eſt verbum inenarrabile, quoniam licèt occaſionem videat, tamen quoad praxim quaſi illam non intelligit: eſt quaſi nexus ſuper manum dextram, qua ſolemus operari, quia eo ipſo quòd eam timore, aut tepore conteptus, prætermittit, deinceps ſe magis moroſum, & difficilem, & quaſi vinctum ad bonum opus ſentit.

Occaſiones exercendi virtutes, non dubium quin occaſiones ſint augendi virtutes, & gratiam & ampliorem gloriam comparandi, ſicut occaſiones peccatorum patrandorum, ſunt quaſi ſemina iniquitatum atque acerbiorum pœnarum. Si ergo peccatores occaſionem peccandi, & in intolerabiles pœnas incurrendi non perdunt; quare iuſti occaſiones merendi & augendi fœlicitatem amittunt? De illis in Prouerbus dictum eſt: *Prou. 19. 28.* Os impiorum deuorat iniquitatem.] Quia ſicut famelici impleri cibis deſiderant, & oblatam occaſionem comedendi & ſe ſatiandi nequaquam prætereunt; ita peccatores impuriſſimarum voluptatum auidi, opportunitatem ſe mergendi in eis non prætermittunt. Et tamen hi ſi cum Dei amicitia fidem deſerant, ob momentaneam voluptatem, æternam pœnam ſibi conciliare non ignorant. Sed id de impiis dicitur, de iuſtis dicatur, quia cupiunt iuſtitiam, ſicut ſitibundi fontes aquarum: quam ſeſe per occaſiones offerentem auidiſſimè bibunt. Cuius hauſtu non poſt modicum refrigerium ardorem pœnæ ſicut mali, ſed poſt refrigerium quietæ conſcientiæ nunquam deſitutam lætitiam conſequuntur. Illorum ſolicitudo in peccando malis perpetuis mulctabitur. Nam vt eſt in Pſalmo: *Pſal. 111. 10.* Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit.] *Pſal. 49. 21.* Videbit ſeipſum, cui comminatur Dominus: Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.] *Ierem. 2. 19.* Videbit quàm malum & amarum eſt, reliquiſſe ſe Dominum Deum ſuum, & non eſſe timorem eius apud ſe.] Videbit ſuam in peccando diligentiam iuſtiſſimè caſtigatam, quam dæmones nunquam interrupta in puniendo diligentia repenſauit. Ita autem videbit deformitatem ſuam, iniquitatem ſuam, & acerbitatem pœnæ ſibi irrogatæ, vt non alij niſi ſibimetipſi iraſcatur, & in ſemetipſum indignationis arma conuertet, quia diligenter ſuos cruciatus quæſiuit, & mortis occaſiones captauit. Dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, quoniam tempore pœnitentiæ in peccatis ex acto nihil aliud ſupereſt, niſi abſque emolumento flere, & ſine remedio gloriam amiſſam recuperandi plorare. Sicut enim pluuia nimis ſerotina, & intempeſtiuè cadens è cœlo, nihil prodeſt ſegetibus iam areſactis, & emortuis; ita lacrymæ poſt hanc vitam, id eſt, poſt locum ſalutaris pœnitentiæ, profuſæ nihil proderunt eluendis peccatis in vita commiſſis. Quod in Eſau manifeſtè monſtratum eſt, de quo inquit Paulus: *Hebr. 12. 17.* Quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis requiſiſſet eam.] Denique deſiderium peccatorum peribit; cùm tranſient omnia tanquam vmbra, ait Auguſtinus, *Aug. ad Pſal. 111.* cum fœno areſcente, flos decidet. Verbum autem Domini, quod manet in æternum, ſicut falſorum beatorum vanitate deriſum eſt; ſic eorundem verorum miſerorum perditioni ſuperridebit.] Hæc peccatores ſciunt, non tamen conſiderant, nec recogitant, & ideo præſentem occaſionem iniquitatis amplexantur, licèt videant eam æternæ pœnæ connexam. Quid faciant iuſti in exercendarum virtutum occaſionibus arripiendis, quas æternum præmium ſubſequetur? Horum certè diligentiam in accipiendo opportunitatem abnegandi ſeipſos, & in cura virtutes ſectandi, miſericors Dominus larga benedictione donabit. *Luca 12. 37.* Qui poſt labores eorum [præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.] Quare præcinctus ſeruis ſuis iam gaudentibus, & dominis factis aſtat; niſi vt ab his, qui omnia impedimenta ſui obſequij reiecerunt, omnia etiam impedimenta gaudendi remoueat? Et quare tranſit, & vt diligens architriclinus inter conuiuas huc illucque diſcurrit, niſi vt ſua ſedulitate in lætificando eos, ipſorum in famulando præteritam ſedulitatem ſignificet? Quis ergo amator iuſtitiæ ſinet ſe in ſolicitudine à peccatoribus vinci? Quis eorum ſolertiam in perſpiciendis occaſionibus voluptatum, & in eis arripiendis videat, & occaſiones meritorum & augendarum virtutum non arripiat?

Nec ſolùm peccatores, ſed vniuerſæ quoque creaturæ, imò & rerum creaturarum auctor nos docent virtutum exercendarum occaſiones amplexari. Quid res creatæ? Nonne opportunis temporibus ſine vlla mora quærunt propriæ perfectionis augmenta? Ita ſanè, vt in rebus etiam inanimis apertè perſpicimus. Ignis enim (vt aliquo vtamur exemplo) materiam ſibi proximam ſtatim adurit, & reliqua elementa, ſi poſſunt, nulla interpoſita dilatione, in contraria agunt, & ea mutatione ad ſe trahunt, & in propriam naturam ſubſtantiámque conuertunt. Et hoc propenſione ſemper agendi & mutandi ſeipſa quaſi clamant ad nos, & dicunt nobis ne ocio torpeamus, & in occaſionibus augendi virtutem minimè ab eius augmento ceſſemus. Sed quid animalia commemorem? De quibus ait Ieremias: *Ier. 8. 7.* Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum; turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui; populus autem meus non cognouit iudicium Domini.] Auiculæ, quæ nul-

A lius momenti eſſe videntur, ſua norunt tempora, & ſine intellectu ſciunt quando ad calida feſtinantes loca, rigorem hyemis debeant declinare: & rurſus veris principio ad ſolitas venire regiones: & homo ratione præditus ſuum tempus ignorabit, & occaſiones ſe mutandi, & calorem diuini amoris augendi præteribit? Quis non erubeſcat, ſi in prouectione ſpiritualis boni, negligentior & auiculis inueniatur inferior? Et illæ quidem inſtinctu naturæ ductæ, apta ad mutationes locorum tempora cognoſcentes, ſtatim occaſionem nactæ à rigidis terrarum regionibus, in quibus vita periclitarentur, diſcedunt, & ad loca benigniora ſtatim accedunt: ex quibus homo diſcet, non ſolùm occaſionem boni agendi præuidere, ſed è veſtigio eam ad vſum ſtudioſæ actionis aſſumere. Hanc enim ab animalibus, loca mutantibus, cùm tempus inſtat, nobis datam eſſe doctrinam, ex eo perſpicitur, quòd non tantùm ad noſtrum obſequium, ſed & ad noſtram eruditionem creata ſunt. Ac proinde interroga iumenta, ô homo, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris.] Omnia hæc, ſi eorum naturas, proprietates, & actiones expendas, facient te obſeruata in operando opportunitate, cognoſcere, quia non deberes occaſiones ſtudioſè agendi diſſimulare, & in ocioſitate ac deſidia manere. *Iob.12. 7.*

B

At ſi nolumus ex rebus creatis, tanquam ex ancillis noſtris, occaſionum vſum accipere, ſaltem id ex noſtro, & earum auctore diſcamus. Ipſe, qui [adiutor dicitur in opportunitatibus, in tribulatione,] ſemper opportuno tempore nos adiuuat, & congruis ſpatiis omnia ad nos pertinentia diſponit. Statim ac tempus affuit, quo anima noſtra creanda eſſet, eam ex nihilo condidit, & corpori organis diſpoſito infudit. Poſtquam verò nos fecit, & vſuram nobis huius lucis attribuit, eum experimur ſollicitiſſimum prouiſorem, diligentiſſimum adiutorem, ac cooperatorem fideliſſimum, qui omnia tum naturalia, tum ſupernaturalia pro exigentia cuiuſque agit in nobis, & nunquam à volentibus operari ſe ſubtrahit. Sed illud opus præcipuum, quo genus humanum redemit, & ex inimicitiæ in ſtatum amicitiæ tranſtulit, iuxta diſpoſitionem æternam prouidentiæ ſuæ, quam opportuno tempore & ſine vlla mora perfecit. Prophetæ hoc eſſe Dei ingenium agnoſcentes, vt nunquam congrua ſuorum operum tempora prætermitteret, dum opus optant, tempus iam faciendi operis inſtare commemorant. Domine, opus tuum, inquit Habacuc, in medio annorum, viuifica illud.] Opus, inquam, illud magnum & admirabile reparationis noſtræ, & miſericordiæ tuæ in medio annorum, id eſt, tempore opportuno, præſtabis. Viuificabis illud, vt mortem noſtram deſtruat, & Deus moriens, nos mortuos viuificet. Et Paulus: Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret.] Et Dauid: Tempus faciendi, Domine, diſſipauerunt legem tuam.] Cùm iam homines, inquit, ſe vniuerſis malis dederint, legémque tuam adeò fregerint, vt quaſi diſſipatam eam reliquerint, tempus adueniſſe videtur, in quo aſſumendo carnem, facias quod ipſi deſtruxerant. In hunc ſenſum Ambroſius pulchrè ait: Tempus eſt faciendi, vt ſi ingraueſcente ægritudine alicuius incommodi, curras ad medicum, vt citiùs veniat, ne poſtea ſubuenire non poſſit. Medicus tunc ampliùs deſideratur, cùm grauis incubuerit ægritudo languenti. Ergo cùm videat in Spiritu ſancto Prophe- *Pſal.9. 10.* C D *Habac.3. 2.* *Galat.4. 4.* *Pſal.118. 126.* E *Ambr. ad Pſal. 118 ſer. 16. v. 6.*

A ta præuaricationes populi, luxuriam, delicias, dolos, fraudes, auaritiam, temulentiam, quaſi pro nobis interueniat, currit ad Chriſtum, quem ſolum tantis ſciebat ſubuenire poſſe peccatis, vrget vt veniat, nec patitur fieri moras. Tempus faciendi, inquit, Domine, hoc eſt, vt pro nobis crucem aſcendas, mortem ſubeas. Totus in periculum vltimum mundus vrgetur, veni vt tollas peccata mundi, veniat vita morientibus, veniat reſurrectio iam ſepultis. Factum tuum ſubueniat, quoniam nec præcepta tua prodeſſe potuerunt. In lege præceptum eſt, in Euangelio myſterium. Cæcus omnis populus proprium non videbat auctorem. Claudus erat mundus, & titubante veſtigio fidei, fluctuabat. Non erat qui malagma imponeret, neque oleum, neque alligaturam. Omne patrimonium ſuum in medicis B erogauerat mulier illa Euangelica, ſpeciem habens congregationis humanæ, quæ coibat ex gentibus, cui nec fluentem ſanguinem, & inueteratæ paſſionis lethale profluuium poterant ſæculi huius medici reſtringere. Principis populi poſteritas interierat, & omnes occiderant huius hæredes. Videns hæc Propheta dicit ad Chriſtum: Tempus faciendi, Domine: Non iubendi, inquit, ſed faciendi, quia non legatus, neque nuntius, ſed Dominus ſaluaturus erat populum ſuum.] Hæc ille. Quod autem Dominus in primo opere ac præcipuo obſeruauit, vt illud opportunè faceret, idem omnino in reliquis operibus, ad noſtram ſalutem & eruditionem pertinentibus, cuſtodiuit, vt ſcilicet occaſionem C operandi nequaquam perdiderit. Et fortè id ſignificauit illis verbis dictis ad virginem: Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.] Non dum, inquit, opportunitas adeſt ad patrandum miraculum, quia defectus vini omnibus patens expectandus eſt, vt in me latens diuina virtus appareat. Sed cùm primum tempus opportunum aduenerit, ſine cunctatione adiutor adero, & vt omnes exhilarem, & potem, aquam in vinum conuertam. Sat ſcio, non erubeſcemus creatorem noſtrum in magiſtrum perfectionis accipere. Ergo ſicut ille ſemper occaſiones benefaciendi nobis nactus eſt; ita & nos occaſiones illi ſeruiendi, & nobis benefaciendi nanciſcamur. Quia oportet magiſtri ſuſcipere monita, & imitari exempla, ſi hanc cœleſtem philoſophiam, quam ipſe docuit, optamus D adire. *Ioan.2. 4.*

Tempus huius vitæ nobis conceſſum, valde pretioſum eſt, quoniam occaſionibus meritorum, & ſpiritualis profectus augendi plenum eſt. Quòd ſi ſtultum ducimus, gemmas aut auri glebas perdere, quare ſtultum non erit, ſi tempus multo pretioſius & deſiderabilius perdamus? Quid pretioſius tempore? inquit optimè Laurentius Iuſtinianus? Quid, quæſo, illo fructuoſius? Quid carius? Quid excellentius? Quidue amabilius? Sed, proh dolor! pene ab omnibus nihil habetur vilius, nihil tractatur inutilius, nihil indignius poſſidetur: Nullum temporis momentum præterit, in quo merita non valeant cumulari æterna. Cæ- E tera, quæ habemus in mundo à nobis aliena ſunt, tempus autem propriè noſtrum eſt, ſi tamen illo vtimur ad ſalutem. Illud ſiquidem diuina nobis clementia contulit ad plangendum errata, ad pœnitentiam faciendam, ad promerendam indulgentiam, ad virtutes acquirendas, ad multiplicanda merita, ad vendicandam gratiam, ad inferni ſupplicia euadenda, & ad æternam gloriam conſequendam.] Sic ille. Si ita ſe res habet, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Quiſque verò no- *Iuſt. li. de vita ſol. c.10.*

ſtrum

Galat. 6. ſtrum vnus eſt omnium; qui profectò non operabi- A
10. tur bonum ad omnes, ſi dum aliis opportunè pro-
deſt, ſibi ipſi proficiendi occaſiones omittit. Præ-
miſerat autem idem Paulus: Bonum autem facien-
tes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus,
non deficientes.] Annon volumus congruo tempo-
re æternitatis præmia metere? Sed id non fiet, niſi
congruo tempore ſeminemus. At quis congruo
tempore merita ſeminat? Ille quidem, qui in occa-
ſionibus proficiendi virtutes iam adeptas, & dona
ſuſcepta per ſtudioſas actiones augmentat. Sapiens
Eccl. 7. autem ad idem hortatur, dum ait: Bonum eſt, te
19. ſuſtentare iuſtum, ſed & ab illo ne ſubtrahas ma-
num tuam, quia, qui timet Deum, nihil negligit.]
Eſt, ac ſi dixiſſet, iuſtis & peccatoribus te beneficum B
præbe; ſi non potueris illis benefacere, quod per ſe
melius eſt, ad iſtos beneficentiæ fructus extende; nul-
lam occaſionem augendi merita, ſpernas, non maio-
rem, non minorem, quia timore Dei affectus, nullam
nec minimam occaſionem proficiendi negligit. Hu-
ius rei in Paulo manifeſtiſſimum habemus exem-
plum; qui loquens de Euangelio, quod prædicabat,
2. Tim. 2. ait: In quo, id eſt, propter quod Euangelium diſſe-
9. minandum, laboro vſque ad vincula, quaſi malè
operans, ſed verbum Dei non eſt alligatum.] In car-
cerem, inquit, coniectus ſum, & compedibus, cate-
niſque conſtrictus; at linguam, Dei beneficio, habeo
ſolutam, qua omnibus ad me accedentibus Euange-
lium annuntio, & nullam occaſionem charitatis
exercendæ prætermitto. Habemus & exemplum C
in Ioanne Baptiſta, qui audiens in vinculis opera
Chriſti, ex his rumoribus ad ſe delatis occaſionem
illum manifeſtandi ſtatim arripuit. Miſitque diſci-
Matt. 11. pulos ſuos, vt eum interrogarent: Tu es, qui ven-
2. turus es, an alium expectamus?] Et occaſione huius
interrogationis ipſum agnoſcerent. Habemus &
in Stephano, qui coram Iudæis ad examen addu-
ctus, & nuntiis mortis circumſeptus, [intuens in cæ-
Act. 7. 55. lum, & videns gloriam Dei, & Chriſtum ſtantem à
dextris virtutis Dei,] ſtatim ab eius gloriæ manifeſta-
tione non deſtitit. Hos viros ſanctiſſimos, & alios,
qui eandem viam ingreſſi ſunt, imitemur, & occa-
ſiones aut manifeſtandi gloriam Dei, aut nos ipſos
2. Cor. 6. perficiendi non omittamus: Ecce, ô vir iuſte, tem-
2. pus acceptabile,] in quo ſcilicet Deus ad meritum
actiones ſtudioſas acceptat: [ecce nunc dies ſalutis,] D
in qua nempe multiplex occaſiò operandæ ſalutis
offertur: ne hoc tempus acceptum, & hanc diem
ſalutarem perdas, qua tranſacta, nulla erit dies, quæ
ad augendum meritum concedatur. Iurauit enim
Apoc. 10. Angelus in Apocalypſi per viuentem in ſæcula ſæcu-
7. lorum: Quia tempus non erit amplius.] Ante quam
tempus tibi pereat, & dies æternitatis adueniat, diui-
tias meritorum in omni occaſione benefaciendi
congrega, quas tunc ſine vlla imminutione poſ-
ſideas.

Iſta autem ratione occaſiones proficiendi, & vir-
tutes augendi non perdes. Ora enixè Dominum,
vt oculos mentis tibi, ad cognoſcendas huiuſmodi
occaſiones, aperiat. Plurimæ enim occurrunt, quas
non agnoſcis, quia diſtractus viuis, & ideo ſine fru- E
ctu labi permittis. Roga etiam illum, vt tui ipſius,
in occaſione benefaciendi poſiti, cor ſua vocatione
tangat, & ſicut illi placitum fuerit, ad opus alliciat.
Neque enim homo faciet, niſi Deus incipiat; neque
reſpondebit, ſi Dominus antè non pulſet. Pete
deinceps, ne ſuæ vocationi tua proterua & dura vo-
luntate reſiſtas; quia valde abſurdum eſt, ſi in occa-
ſione meriti poſitus, & ad meritum vocatus & ad-
iutus, tanto bono vacuus maneas. Fidens autem,

A quia Dominus, quod ad ſe pertinet, faciet, tu quod
ad te pertinet, ſtrenuè ac diligenter facies. Mercato-
res igitur imitaberis, qui in introitu ſuæ officinæ ſtãt,
aut ſedent, & omnia attentè perluſtrant. Si quem
videant ad emendum aliquid venientem, ſtatim ob-
uiam ei procedunt, pallium illius apprehendunt,
mercium ſuarum bonitatem exaggerãt, & ad emen-
dum inuitant. Si debitorem tranſeuntem aſpiciaut,
extemplo illum accerſunt, debitum petunt, ſolutio-
nem extorquent, de mora in ſoluendo conqueruu-
tur, & ſaltem ad certum diem nouam ſolutionis pol-
licitationem accipiunt. Si creditor accedat, ſi poſ-
ſunt, abſque vlla cunctatione ſe abſcondunt; ſi non
poſſunt, mille excuſationes prætendunt; neceſſitates
B domus familiæque exponunt, ſupplicationes addũt,
& dilationem expoſcunt. Quòd ſi aliquis ſuſpectus
adſit, à quo vel furtum ſuarum rerum, vel dolum,
vel damnum timeant, quanta cura ſibi cauent, vt
iniuriam propulſent, & detrimentum euadant? Bre-
uiter, nullam occaſionem ſe tuendi & opes augendi
dimittunt. O quàm verum eſt quòd [filij huius ſæ- Luc. 16.
culi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.] 8.
Hos huius ſæculi filios in magiſtros quærendæ vir-
tutis aſſume. Vniuerſa, quæ poſſunt tibi aut da-
mnum aut emolumentum afferre, oculis lynceis
aſpicias: quæ noxia ſunt, conſtanter fugias, quæ vti-
lia, diligenter amplectaris, & nullum aditum ad ma-
lum, nullámque occaſionem boni elabi ſinas. Ma-
lum ſæpe melle dulcedine illitum eſt? Sed & dulce-
dinem ac ſuauitatem refutato. Bonum etiam non
C ſemel felle & amaritudini immerſum eſt? Sed &
amaritudinem & inſuauitatem amplectitor. Hoc
vnum tibi perſuadeas, quia virtutis theſaurus eſt in
omni occaſione quærendus, & vitij perditio repu-
dianda, ſiue in hoc ſtudio ſuauitatem ſentias, ſiue
dolorem triſtitiámque percipias. Vide quia de im-
piis dictum eſt: Diſſipati ſunt, nec compuncti; ten- Pſal. 34.
tauerunt me; ſubſannauerunt me ſubſannatione; 16.
frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.] Quia videlicet
duriſſima caſtigatione perculſi, & calamitatibus gra-
uiſſimis afflicti, tanta pertinacia in malo perdurant,
vt in vlla occaſione à flagitiis perpetrandis non
ceſſent, & quaſi ad irritandum Deum, & ad ei iniu-
rias inferendas nati eſſe videantur. Tu è contrà ſan-
cta perſeuerantia in bono perſiſte, nulla difficultate
D ſuborta à virtute dimouearis. Mutet Deus verba ſua,
& dicat de te: Hic ſeruus meus diſſipatus eſt, nec
compunctus, ſexcentis impedimentis compeditus,
& innumeris afflictionibus oneratus, virtutem ſecta-
ri non ceſſat, & ab eo, quod ſanctum, quod perfe-
ctum eſt, nulla ratione poteſt auelli. Verè honore
affecit me, glorificauit me glorificatione, & frendunt
ſuper aduerſarios ſuos dentibus ſuis. Huic de mea
gloria curanti ſemper intendam, hunc me glorifican-
tem glorificabo, & ſicut ille in omni occaſione mihi
miniſtrat, ita viciſſim & illum in omni occaſione do-
nis cæleſtibus cumulabo.

Undecimum Inſtrumentum, vitæ regularis ſequela.

E

CAPVT V.

QVANTÆ vtilitatis ſit, ad virtutes aſſe-
quendas vitæ regularis ſequela, quam
quiſque vir ſpiritualis profitetur, facilè is
intelliget, qui eam diligenter fuerit ali-
quando ſectatus. Eſt enim hæc vita expultrix vi-

tiorum, genitrix virtutum, & omnis perfectionis amatrix. Vita regularis eſt, quam proprium inſtitutum præſcribit, vocatio probat, carnales & imperfecti aſpernantur, ſpirituales, & perfecti viri ſequuntur. Ea incipientes, ſeipſos emendant; proficientes, ſe ornant; perfecti, ſe in perfectione & omni puritate conſeruant. Omnia huius vitæ opera ornata ſunt alicuius decore virtutis: quoniam ſi bona ſint & ſtudioſa, in ſua bonitate promouet, & ſi media aut indifferentia, per rectam intentionem ad aliquem gradum bonitatis pertrahit. Ita verò hoc inſtrumento vtemur, ſi quæ propria ſunt noſtri ſtatus & vocationis, ſtrenuè præſtemus, & ſi nihil ab eo alienum ſiue diſſonum faciamus. His quaſi duabus alis anima ad perfectionem volat, & ab omni ſe nota vitij & imperfectionis elongat. Nam omnia ab ſpirituali ſtatu, vel vocatione præſcripta virtutis ſunt opera, quare dum illis intendimus, in congregandis virtutibus laboramus. Quæ verò aliena ſunt à noſtra vocatione, licèt aliis bona ſint & vtilia, nobis tamen bona & proficua eſſe non poſſunt: vnde dum illa fugimus, à multiplicium vitiorum, & imperfectionum occaſione diſcedimus. Fitque vt mens noſtra ab occaſione mali ſe ſubtrahens, & bonis inſiſtens, paulatim fiat in omni virtute perfecta.

Huius ergo inſtrumenti altera pars eſt, vt ſpiritualis vir ſe actionibus propriæ vocationis accommodet, aliis fratribus ſe libenter aſſociet, cum orantibus oret, cum laborantibus laboret, cum pauſantibus pauſet, & tanquam membrum, aliis charitate iunctum, conuenientem partem oneris portet. Sciat ad ſe etiã pertinere illam vocem Saluatoris: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnũ cælorum.] Et quamuis ætate magnus ſit, quamuis nobilis, quamuis doctus, & litteratus, à ſuperbia & faſtu ſæculi, ad humilitatem, & ſimplicitatem ſeruorum Chriſti ſe conuertat, & in operibus quibus ipſi occupantur, affabilem ſe illis comitem præbeat. Fiat tum corde, tum abiectis aut non nimis ſpecioſis functionibus paruulus, vt cum paruulis & humilibus iam magnus factus, in cæleſte regnum introeat. Curet à ſe omnem occupationum proprietatem dimouere, quæ illum à communi vita, & communibus actionibus aliorum diſtrahit; ſciátque illas occupationes proprias, à vita communi abhorrentes, fœtus eſſe propriæ voluntatis, quæ pœnam habet: actiones verò regulares & vocationi conformes, quibus alij intendunt, diuinæ eſſe voluntatis fructus, quæ ſibi obedientes præmio afficit. Actiones huiuſmodi non tantùm ocium pellunt, omnium iniquitatum originem, ſed & à diebus ſeruorum Dei, omnem triſtitiam omnéque tædium reiiciunt. Ita namque diſpoſitæ ſunt & ordinatæ inter ſe, vt dies & noctes à bene ſanctéque occupatis fœliciter tranſeant, & eos non triſtes, ſicut dies faciunt in vanitate conſumpti, ſed alacres & plenos fiduciæ relinquant. Omnes ſpirituales viri regularem vitam agentes, in commune orant, in commune pſallunt; ſimul laborant, ſimul quieſcunt, certis horis vigilant, & aliis dormiunt: & hæc laborum occupationúmque varietas tædium remouet; ſancta verò amabiliſque ſocietas, tum pericula, tum triſtitiam auertit. Qui ita viuunt, bene diſpoſiti ſunt ad Deũ, ad proximos, & ad ſeipſos. Ad Deum, quia ſtatutis temporibus eum venerantur, & colunt, & omne tempus in eius obſequium impendunt. Ad proximos, quia illos iuuant, quando & quomodo oportet, & illis exemplum ſanctæ ædificationis præbent. Ad ſeipſos verò, quia prudenter ſe domant, parcè ſe tractant, & indulgentiam non ſibi neceſſariam denegant. Crucem quidem ferunt, ſed leuem, quam non ſolis ſuis humeris, ſed omnium confratrum ſuorum ceruicibus ſentiunt impoſitam. Iter arripiunt, ſed facilè, ad quod emetiendum præeuntes vocant, circumambulantes animant, & ſubſequentes, aut de nouo incipientes excitant. Domum perfectionis ædificant, ſed tot habent huius ædificationis cooperatores, vt non ſit laborioſum, eam aliquando perficere. Breuiter, regularis vita ex ea parte, qua propriis occupatur muneribus, nihil aliud eſt quàm congeries optimarum actionum, & ſeminarium vniuerſarum virtutum. Nam hæc vita nullam actionem iubet, quæ aut ſtudioſa non ſit, aut in ſtudioſum finem ſanctúmque directa: his autem actionibus virtutes nondum genitæ generantur, iam verò genitæ promouentur, & promotæ in perfectionem feruntur. Et ſicut fortem, ac celerem nauem ingreſſus, ſedens, & nihil de itinere cogitans, immò & dormiens, magna conficit leucarum ſpacia; ſic vitam regularem cuſtodiens, & ei ſe in vniuerſis accommodans, licèt nihil de ſuo profectu cogitet, magnum in omni virtute profectum acquirit. Bonorum laborum, ait Sapiens, glorioſus eſt fructus, & quæ non concidat, radix ſapientiæ.] Habent enim illi fructum virtutis, quæ ſuos poſſeſſores facit glorioſos: qui & incorruptibiles ſunt, & nunquam pereunt, quoniam radices ſunt illius beatæ ſapientiæ, qua præmium recipiemus, & cognoſcemus Deum ſicuti eſt. Sanctus Iacob vxores ſuas, & filios, & ſeruos diuitiáſque contemplans, dixit ad ſocerum ſuum: Afflictionem meam, & laborem manuum mearum reſpexit Deus, & arguit te heri.] Sic & iuſtus, qui ſtrenuè laborauit, ſuis aduerſariis inſultat. Deus, ô dæmones, vos arguit, vos reprehendit, & à me repellit; profectus quoque mentis meæ auget, & prouehit, quoniam afflictiones & labores, quos eius cauſa ſuſcepi, acceptos habet, & ad dandam pro eis mercedem reſpicit.

Hanc vitam communem, & proprio ſtatui ac vocationi conuenientem, omnes perfecti viri magna ſunt auiditate ſectati, quibus ſemper cordi fuit, priuatis ſtudiis, licèt piis, communia præponere. Licèt enim ex illis, quando hæc non impediunt, vberem fructum decerpant, tamen in his communibus, & maiorum auctoritate probatis, fructum animaduertunt eſſe maiorem. Et ideo ſpecialia placent, ſed communia illis contra ſenſum imperfectorum magis arrident. Solent namque imperfecti, communium operum vtilitatis ignari, ſpecialia onera, quæ ſponte ſibi imponunt, libentiſſimè portare, à communibus verò ſe ſubtrahere, aut ea non ſine tædio & moleſtia ſuſcipere. Ac more puerorum, illa vt externa ſpecie pulchriora captant; iſta vt ſuo videri minùs ſpecioſa, licèt magis vtilia, non curant. At viri perfecti, qui non ſpecie rerum, ſed ſubſtantia delectantur; qui non hominum plauſum, ſed Dei beneplacitum concupiſcunt, ſemper communia opera ſtudiis ſpecialibus prætulerunt. Hi ergo nobis imitandi ſunt, ſi ſumus aliquando ipſorum ſortem accepturi. Nam proprium iuſtorum eſt, iuſtorum exemplis refici, & perfectorum imitatione formari. Ideóque in Canticis comparantur [duobus hinnulis capreæ gemellis, qui paſcuntur in liliis.] Sunt vbera ſponſæ, quia, vt vbera ab Eccleſia diliguntur. Sunt hinnuli, quia per humilitatem ſe peccatores agnoſcunt, & per contemplationis actus quaſi per ſaltus vniuerſa temporalia pertranſeunt. Sed dicat Gregorius quare paſcuntur in liliis? Quid per lilia, inquit, niſi illorum vita declaratur, qui veraciter dicunt: Chriſti bonus odor ſumus Deo? Electi ergo,

Matt.18. 3. — *Sap.3.15.* — *Gen. 31. 42.* — *Cant.4.* — *Greg.24. mor.c.6.*

A B C D E

vt aſſequi ſumma præualeant, conſpecta, odorifera & candida iuſtorum vita ſatiantur. Iam quidem videre Dominum ſitiunt, iam de eius contemplatione ſatiari charitatis æſtibus inardeſcunt. Sed quia in hac vita poſiti, necdum valent, per præcedentium interim patrum exempla paſcuntur. Vnde & aptè illic tempus de ipſo liliorum paſtu definitur, dum dicitur: Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Tamdiu quippe refici iuſtorum exemplis indigemus, donec præſentis mortalitatis vmbras, æterno die aſpirante, tranſeamus. Cùm enim huius temporalitatis vmbra tranſacta, hac mortalitate fuerit inclinata, quia ipſius diei internum lumen cernimus, nequaquam iam appetimus, vt ad amorem eius per aliorum exempla flagremus. Nunc autem, quia necdum eum intueri poſſumus, ſummopere neceſſe eſt, vt eorum, qui illum perfectè ſequuti ſunt, conſpectis actionibus incitemur. Intueamur ergo quàm pulchra eſt agilitas ſequentium, & videamus quàm turpis ſit hebetudo pigrorum. Statim namque vt beneagentium geſta reſpicimus, noſmetipſos confuſione intima vleiſcente iudicamus: mox verecundia mentem concutit, mox iuſtè ſæuiens, reatus addicit, & vehementer hoc etiam diſplicet, quòd adhuc fortaſſe turpiter liber.] Sic ille. Optimum ſanè eſt huius ſancti Doctoris documentum, & in hac re, quam modò tractamus, omnimodis ſeruandum. Si enim illos inſpiciamus, qui noſtri ſtatus initia cõſecrarunt, & eorum vitam tam ſanctam, támque inſtitutis addictam contemplemur, profectò non valebimus gemitus continere, & à ſingultibus & lacrymis temperare. Quia ipſorum ſtatum, munera, immò & domos ac cellulas occupantes, longè ab eorum conuerſatione diſtamus, & in loco feruidorum, qui nobis bonum nomen, & apud homines ſpiritualium virorum opinionem compararunt, præ ſegnicie & vecordia torpeſcimus. Defuncti ſunt patres optimi, quorum perpetuum ſtudium fuit vitæ regularis exacta obſeruatio, vt ſemper ad maiora ſanctitatis incrementa conſcenderent: viuimus autem filij delicati, & pigri, qui quotidie fictis prætextibus regularem illam obſeruantiam infringimus, & murum illum ſanctæ diſcretionis ariete non neceſſariæ diſpenſationis impetimus, vt in noſtri cordis fœditate creſcamus. Illi in veſtibus paupertatem, in cibis parcimoniam, in omnibus rebus humilitatem dilexerunt, vt mente lucerent; nos è contrà ſplendorem veſtium, lauticiam ciborum, & in omnibus faſtum ac ſuperbiam amamus, vt tenebræ mentis nos obtuant, & lux cælitus immiſſa diſcedat. Illa ergo Pauli verba meditemur, & ad noſtram eruditionem conuertamus: *Hebr. 13. 7.* Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis loquuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum, conuerſationis imitamini fidem.] Præpoſiti noſtri fuerunt aut munere, aut opere, quia vitam noſtram tepidam, ac delicatam ſuo ſancto feruore calcarunt, nobíſque verba vitæ, & ſpiritualem eruditionem, tum ſermone tum exemplo propoſuerunt. Intueamur optimum finem conuerſationis eorum, quoniam eodem vitæ tenore viam ſpiritus cucurrerunt, & feruidè primordia ſpiritualis conuerſationis incipientes, feruidè quoque eandem conſummarunt. Eorúmque fides nobis imitanda eſt, nam verè robur fuit fidei, & abundantia cognitionis cæleſtis, non ad breue tantùm tempus, ſicut imperfecti faciunt, ſed vſque ad extremum halitum in tanta diſciplinæ cuſtodia, & in tanta corporis caſtigatione durare.

Iam altera huius inſtrumenti pars eſt à nobis explicanda, cuius eſt, omnia à noſtra vocatione aliena

A conſtanter fugere, & vniuerſa ſæcularia, & à propoſito perfectionis abſtrahentia reſpuere. Puritas cordis magni momenti res eſt, & virtutum acquiſitio omnem conatum, licèt gratia adiutæ, noſtræ mentis exhaurit, non oportet aliò diuertere, & vires ſpiritui colendo vix ſufficientes cum mundo & inanitate diuidere. Seruus Eliſei, miſſus ad ſuſcitandum filium viduæ, tale à magiſtro & domino ſuo præceptum accepit: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum; & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi.] *4. Reg. 4. 29.* Nos autem ad ſimile negotium mittimur, immò & ad rem maioris momenti deſtinamur, quia ad prouehendam noſtram perfectionem, & ad animas ſuſcitandas eligimur. Et quidem B lumbos accingimus, cùm carnis petulantiam frænamus: baculum tollimus, cùm Domini crucem mortificationis vſu ſuſcipimus: vadimus, cùm per viam virtutum duobus pedibus affectus & operis celeri curſu progredimur. His tribus quartum omnino addendum eſt, nempe vt neminem in via ſalutemus, id eſt, ne alienis à noſtra vocatione diſtrahamur. Sũt enim, qui dicant, Giezi impoſito baculo non ſuſcitaſſe mortuum, quòd occurrentes ſalutaſſet, & verba cum eis contra præceptum ſui magiſtri miſcuiſſet. *Vide Lyranũ ibi* Sed quicquid ſit de hoc, illud tamen apud me certum eſt, quòd multi carnem cohibentes, & ſeipſos abnegantes, & virtutes vtcumque ſectantes, ſeipſos à tepore, & proximos à mala vita non ſuſcitant, quia per negotiorum ſæcularium & profanorum curam C ſibi occurrentes ſalutant. Nauem, quam anchora in portu tenet, ſæpe rupto fune è loco tutiſſimo vis tempeſtatis excutit. Sic animam, timore & amore Domini, quaſi duplici fune, in ſtatu ſpirituali religatam, ab eo cura ſæcularium negotiorum excludit. Et externas ſollicitudines principio moleſtè ſuſtinet, decurſu verò temporis, dum diſtractionibus aſſueſcit, libenter admittit. Beatiſſimus ſanè Papa Gregorius id in ſe deprehendiſſe ſatis apertè manifeſtat: *Greg. Prologo mor. c. 1.* Cùm adhuc, inquit, me cogeret animus præſenti mundo quaſi ſpecie tenus deſeruire, cœperunt multa contra me ex eiuſdem mundi cura ſuccreſcere, vt in eo iam non ſpecie, ſed, quod eſt grauius, mente retinerer.] O quoties nos in nobis, & in alijs idem omnino vidimus: & in primo negotiorum ſæcularium ingreſſu, ea nec audire volumus, poſtea D moleſtiſſimè audimus, deinde non ita moleſtè, & ſucceſſu temporis libenter auſcultamus: poſtmodum lacte noſtro educanda ſuſcipimus, & tandem ſi non alio modo, ſaltem mentis ariditate ad ſæculum redimus. Et vtinam qui ita inſipientes ſunt, vt ſæcularia & ſuo inſtituto aduerſantia tractant, ſola mentis ariditate, qua à Domino caſtigantur, ad ſæculum reuerterentur, quia multi eorum, moribus & vita ad ſæculum, quod deſeruerant, reuertuntur. Venitque ſuper illos ſors infœlix Achan, qui eo quòd furatus eſt aliquid de anathemate Iericho, lapidibus obrutus periit. *Ioſue 7. 25.* Sic iſti negotia mundi furantur, quæ à Domino fuerant viris ſpiritualibus interdicta. Et verè furantur, quoniam aliena, & ſæcularium curæ E demandata, contra Domini voluntatem contrectant. Eáque abſcondunt in terra, contra medium tabernaculi ſui, quia hæc omnia, quæ contra ſuam vocationem vſurpant, ad terrenum finem ordinant, & medium tabernaculi ſui, id eſt, conuerſationis ſuæ relaxationem aſpiciunt. Bene enim quidam doctor dixit, vitam hominis eſſe ſicut nauem in principio, & fine anguſtam, in medio verò latam: quare qui per hæc ſæcularia negotia vitæ diſtinctionem fugiunt, mediũ tabernaculi ſpectare dicuntur. Æquum

autem

autem eſt, vt qui crimini raptoris adhærent, ſimili pœna plectantur, & lapidibus obruti, ac rebus mundi huius implicati, funditus pereant.

His profectò Dominus, ad negotia ſæcularia reuertentibus, mortem ſpiritualem intentat. Et per *Amos. 4. 10.* Amos ait: Miſi in vos mortem in via Ægypti, percuſſi in gladio iuuenes veſtros, vſque ad captiuitatem equorum veſtrorum.] Nam per Ægyptum in arcano ſermone ſæculum indicatum eſſe, apud omnes notum eſt. Mittitur itaque mors in eos, qui terram ſuam, id eſt, ſpiritualem ſtatum, actione deſerunt, & ad ſæcularia & profana tractanda redeunt. Horum iuuenes gladio pereunt, & equi captiuitate mulctantur, cùm vires animæ cutis vanarum rerum à diuinis abſtrahuntur, & vires corporis, quæ ſpiritui deſeruire debuerant, in terrenis rebus occupantur. Sed non tantùm vires corporis horum hominum, verùm & ipſi captiui ſunt, qui alieno regi, nempe mundo, famulantur. In Deuteronomio ſcriptum eſt: Non po- *Deut. 17. 15.* teris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus.] At ipſi non tantùm vnum ſibi regem alterius gentis faciunt, ſed multos, quorum negotia agenda ſuſcipiunt, ſibi reges conſtituunt. Rex enim tibi eſt, ô ſpiritualis vir, cuius ductu viuis, à quo in vitæ ratione gubernaris; & rex alienus tibi eſt, qui, cùm tu ſpiritualiter viuere tenearis, ſæculariter viuens ad ſæcularia pertrahit. Vide ergo quantos reges alienæ gentis tibi facis, cùm totam vitam, quam tuo profectui, & animarum ſaluti conſecrare debueras, nunc in huius, nunc in illius negotiis inſumis. Relinque vana vanis, profana profanis, & in his, quæ ad te nequaquam pertinent, ne patiaris occupari. Et (vt te ab his rettahat grauiſſima Ioannis *Caſſian. lib. 4. de inſtit. c. 36.* Caſſiani ſententia) caue ne quid aliquando eorum *Matt. 24.* reſumas, quæ renuncians abieciſti, & contra Domini interdictum de agro Euangelicæ operationis reuerſus, inueniaris tunica tua, qua te ſpoliaueras, reueſtiri: neque ad humiles terrenáſque mundi huius concupiſcentias, ac ſtudia reuoluaris, & contra Euangelij mandatum, de perfectionis tecto deſcendens tollere aliquid præſumas ex his quæ renunciās abdicaſti. Caue ne parentum, ne affectionis priſtinæ recorderis, & ad curas huius ſæculi, ſolicitudinéſque reuocatus, ſecundùm Saluatoris ſentētiam, [ponens *Luc. 9. 62* manum tuam ſuper aratrum, & aſpiciens retrò, regno cælorum aptus eſſe non poſſis.] Caue ne quando ſuperbiam, quam nunc incipiens, ardore fidei ac pia humilitate calcaſti, cùm cœperis pſalmorum, vel profeſſionis huius quādam notitiam deguſtare, paulatim elatus reſuſcitare mediteris, ac ſecundùm Apo- *Galat. 2. 18.* ſtoli ſententiam; [quæ deſtruxiſti iterum reædificans, præuaricatorem conſtituas] temetipſum, ſed potiùs vt in hac nuditate, quam coram Deo & Angelis eius profeſſus es, ad finem vſque perdures.] Hæc omnia ipſe.

Illud autem ad hoc faciendum maximè conferet, ſi te ad ſpiritualem vitam vocatum, in altiſſima dignitate poſitum eſſe ſcias, & è contrà vniuerſa negotia ſæcularia viliſſima eſſe cognoſcas: ſi illius vitæ ſtudia, progreſſum, ſiue aſcenſum; iſtorum curas, regreſſum, aut potiùs deiectionem exiſtimes: & ſi in rebus humanis nolles ab adepta dignitate cadere, in profectu animæ tuæ noli, rogo, à cura ſpiritualium rerum, quæ ſublimis eſt dignitas, ad curam negotiorum ſæcularium dilabi. Illi ſublimitati, ſeu illi ſublimiſſimæ vitæ ſubde temetipſum, nam illa non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum; hæc verò rerum ſæcularium cura equos, qui faſtui deſeruiunt, id eſt, ambitioſa deſideria, multiplicat, & cogitationum populos in ſæculum reuo-

A cat, vt poſt cogitationes conſenſus eat, & licèt corpus in clauſtro ſe contineat, totum tamen cor ad ſæculum reuertatur. In ſtatu tuo occupationes habes vtiliſſimas pariter & iucundiſſimas, quibus cum ſumma tranquillitate, & mentis luce, in cœlum tendis. Habes ſpiritualem lectionem, ſanctam meditationem, feruidam orationem, ſuauem contemplationem, quæ te paſcant, & inebrient. Habes Euchariſtiæ & confeſſionis adminiſtrationem, ſacræ doctrinæ prædicationem, rudium eruditionem, afflictorum & infirmorum, in carceribus & xenodochiis manentium, conſolationem, quæ te vtilem proximis reddant. Quare hæc omittis, hæc contemnis, & ſæcularia non fugis, quorum cauſa cum B vaniſſimis hominibus, quos ad bonum non trahis, ſed ab illis ad malum traheris, in pœnam malis paratam demergeris? Et nunc quid tibi vis in via Ægy- *Ierem. 2. 18.* pti, vt bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Aſſyriorum, vt bibas aquam fluminis?] Antea enim, cùm ſæcularis eras, quid mirum ſi poſt ſæculum curreres, ſi quæ huius ſæculi ſunt negotia tractares? At nunc religioſus factus, aut ad ſpiritualem vitam conuerſus, at nunc cum ſæculo inimicitias exercens, & deliria ipſius damnans, quid iterum ea probas, quid ad ea reuerteris, quid aqua putida ſæcularium curarum ſatiaris?

Iam ergo nos ad ſpiritualem vitam euocati, ſciamus, quia ex Ægypto egreſſi ſumus, & in quadam myſtica ſolitudine vt viatores manemus, ſeu potiùs C per eam iter facimus, donec ad terram promiſſam, id eſt, ad cæleſtem patriam, veniamus. At in ſolitudine poſiti, ſoli ſimus, ſoli, inquam, non corpore, ſed corde; ſoli, non habitatione, ſed voluntate. Bonorum enim ſocietas, & eorum qui eiuſdem ſunt propoſiti, huic ſolitudini non obeſt, ſi interior homo non ſe Ægypti, id eſt, mundi, rebus immiſceat. De cætero, inquit Bernardus, ſola indicitur tibi men- *Bern. ſer. 40. in Cant.* tis & ſpiritus ſolitudo. Solus es, ſi non communia cogites, ſi nō affectes præſentia, ſi deſpicias, quod multi ſuſpiciunt, ſi faſtidias, quod omnes deſiderant, ſi iurgia deuites, ſi damna non ſentias, ſi non recorderis iniuriarum. Alioquin nec ſi ſolus corpore es, ſolus es. Vidéſne poſſe eſſe te & ſolum, cùm inter multos; & inter multos, cùm ſolus es?] Hæc ille. Hāc amabilem ſolitudinem omnes religioſi profeſſi ſu- D mus, etiam ſi in mediis ciuitatibus habitemus, & inter ſæculares commoremur, & miniſteria apta ad curandas animas, ſiue ex iuſtitia, ſiue ex charitate, & obedientia ſuſcipiamus. Cùm verò ad negotia ſæcularia conuertimur, tunc ad ſæculum redire geſtimus; tunc dicimus cum Iſraelitis: Recordamur *Num. 11. 5.* piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porríque, & cæpe, & allia.] Quem locum tractans Caſſianus, ſic ait: Quæ figura, licèt in illo præceſſerit *Caſſian. col. 3. c. 7.* populo, tamen nunc quoque eam quotidie in noſtro ordine, ac profeſſione videmus impleri. Omnis enim quicumque poſt renuntiationem mundi huius ad antiqua reuertitur ſtudia, & ad priſtina deſideria reuocatur, hæc eadem cum illis opere ac mente pro- E clamar, dicens: Bene mihi erat in Ægypto. Quorum vereor ne tanta ſit inuenienda multitudo, quantas tunc ſub Moſe præuaricantium turbas legimus extitiſſe. Nam cùm ſexcenta ferè millia armatorum de Ægypto dinumerentur egreſſa, ex his non ſunt ampliùs quàm duo tantùm terram repromiſſionis ingreſſi. Vnde feſtinandum eſt nobis, vt à paucis, ac rariſſimis ſumamus exempla virtutum, quia ſecundùm illam, quam diximus, figuram; in Euangelio quoque multi vocati, pauci autem dicuntur electi.]

Hæc

Hæc ille. Nec ſola huius doctoris auctoritas dicit eos reuerti in ſæculum, qui ad eius negotia redeunt, verùm & ſcriptura ipſa clarè ſignificat. Nam Stephanus de eiſdem Iſraelitis loquens in Actis, ait: Moyſi voluerūt obedire patres noſtri, ſed repulerūt, & auerſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis Deos, qui præcedant nos.] Eſt ergo duplex reuerſio in Ægyptum: altera, qua quis reuertitur corpore ſimul & corde; altera, qua reuertitur tantùm corde. Corpore ſimul & corde in ſæculum redeunt Apoſtatæ, qui ſancto habitu religionis relicto, & ſacra profeſſione contempta, Deo moriuntur, vt rebus ſæcularibus & profanis viuant. Corde tantùm redeunt tepidi & ambitioſi, qui habitu, & propria profeſſione retentis, ſæcularia, quæ ſpreuerant, repetunt, & quæ noxia iudicauerant, iterum vt ſibi conducibilia reſumunt. Hi Moyſi, id eſt, Prælati monitis ſalutaribus, quibus ad ſtudia ſpiritualia reuocantur, non acquieſcunt. Huius mundi tenebras luci ſtatus ſui, & inquietudines aulicorum ſuæ quieti præponunt: & quaſi contempto vero Deo, idôla, quæ ſe præcedant, expetunt. Verè enim, ô frater, Deum contemnis, cùm obedientiæ Prælatorum obſiſtis, cùm ſancti ſtatus tui ſynceritatem obſcuras, puritatem fuſcas, & integritatem labefactas; cùm ex fratribus tuis quoſdam ſcandalizas, alios verò ad ruam vitam aulicam, & religioſo indignam, tuis exemplis pertrahis; cùm demum ſæculo, & principibus huius ſæculi diligentiſſimè famularis, & rebus diuinis tepidè & oſcitanter intendis. Et verè ante idola procumbis, cùm ima ſummis, inutilia proficuis, & terrena cœleſtibus præfers. Ac ideo ſi cupis virtutes tui ſtatus proprias acquirere, & vitam religioſam excolere, & in extremo die debitam rationem Deo reddere, hæc inania, & à tuo ſtatu aliena deſere, & vitam regularem, virtutum matrem, diligenter obſerua.

Actor. 7. 40.

Duodecimum Inſtrumentum: Cuſtodia regulæ, & primò quanti momenti ſit ad virtutes habendas.

CAPVT VI.

POSTREMVM ad virtutes acquirendas inſtrumentum, regulæ exactiſſimam cuſtodiam eſſe putamus; cuius præſtantia ad obtentionem omnis virtutis, vt nobis poſſit eſſe perſpecta, tantiſper nos in ſui contemplationem occupatos tenebit. Ordiemur autem hoc argumentum ab eo loco Pauli, à quo Diuus Bonauentura regulæ Seraphici Patris Franciſci expoſitionem incepit: Quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei.] Quibus verbis Apoſtolus regulæ nomine Chriſtianam doctrinam, Galatis à ſe expoſitam & enucleatam, ſignificat. Sed nos cum Doctore illo ſapientiſſimo ad ſpeciales religioſarum familiarum regulas locum iſtum applicamus, & meritò; quoniam in his regulis Chriſti doctrinam perfectiùs expoſitam, quàm ſæcularibus tradi ſoleat, & conſiliorum Euangelicorum exactiſſima obſeruatione, magis (vt ita dicam) expolitam eſſe perſpicimus. Harum regularum ſequela, diligénſque cuſtodia pacem & miſericordiam affert his, qui ex eo quòd per mundi contemptum, & altioris ſtatus profeſſionem Domino conſecrantur, meritò dicuntur Iſrael Dei. Illi enim ſunt Iſraelitæ, non

Galat. 6. 16.

A carne, ſed ſpiritu, non numero, ſed merito; qui ex eo quòd à ſe terrena abdicant, Deum ſubtiliùs, quàm alij communes homines, contemplatione vident; & quia ſæculum, & carnem, & diabolum, ac vno nomine ſeipſos vincunt, cum Deo fortes exiſtunt. Vt autem pateat, quæ ad iſtos pax, & quæ miſericordia ex cuſtodia ac ſequela regularum obueniat, illud intelligamus oportet de actibus virtutū dari, omnémque mandatorum obſeruationem, atque omnem perfectionem continere. Cuius veritatis cognitio, non ex aliqua auctoritate, aut ratione, ſed ex ipſo experimento, & ex ipſarum regularum lectione petenda eſt. Nam quis, rogo, ſanctorum patrum, qui ſtatum religioſum fundarunt, ſcita legat, qui non in eis virtutes vniuerſas, aut mandatas, aut in rebus,

B quæ non ſunt in præcepto conſilio, traditas & perſuaſas aſpiciat? Baſilius in ſuis regulis quid præcipit? Charitatem aduerſùs Deum, amorem erga proximum, timorem Dei, ſeceſſionem à turbis, quietem cogitationis, diſcretionem, rerum temporalium abdicationem, & alia ſimilia multa, quæ in ſuis regulis fuſiùs tractatis non ſine admiratione legimus, non ſine mentis ædificatione veneramur. Auguſtinus in ſua, quam multæ ſanctæ religiones profitentur, regula, quid mandat? Primùm, inquit, propter quod in vnum eſtis congregati, vt vnanimes habitetis in domo; & ſit vobis anima vna & cor vnum in Deo. Cap. 1.
Deinde præcipit humilitatem, orationem, ieiunium, modeſtiam, correctionis admiſſionem, offenſæ condonationem, & alia huius generis, quæ non ſine magna exultatione relegimus. Benedictus in ſua

C regula luculentiſſima, quam etiam plurimæ ex familiis religioſis obſeruant, quid iniungit? Deum, & Cap. 4.
proximum diligere, decalogum cuſtodire, corpus caſtigare, delitias non amplecti, pauperes recreare, nihil amori Chriſti præponere, veritatem ex corde & ore proferre, iniurias ſuſtinere, omnes vitæ actiones expendere, & alia multa, quæ licèt hîc non referamus, ad virtutum perfectionem ſpectare cognoſcimus. Franciſcus, quid à ſuis ſectatoribus obſeruandum eſſe decernit? Totum Euangelium. Nam regula, & vita fratrum minorum hæc eſt, Domini Cap. 1.
noſtri Ieſu Chriſti ſanctum Euangelium obſeruare, viuendo in obedientia ſine proprio, & in caſtitate: & poſtea multa alia ad altiſſimam perfectionem pertinentia illa viua imago Ieſu Chriſti crucifixi latè

D perſequitur. Quid tandem, (vt alios ſanctiſſimos religionum Patres omittam) Ignatius noſter à nobis ſeruandum eſſe præſcripſit? Hæc inter alia: vt propriam perfectionem & proximorum etiam impensè quæreremus: vt parentes, fratres, & cognatos in Chriſto, & propter Chriſtum tantùm diligentes, quod ad res mundi attinet, ſancto odio proſequeremur: vt ab omni faſtu, & huius ſæculi honore, & oſtentatione abhorreremus: vt generalem quandam in omnibus mortificationem profiteremur: vt puriſſimam intentionem in rebus etiam minimis haberemus: vt ſynceriſſimam paupertatem, Angelicam caſtitatem, & promptiſſimam obedientiam ſectaremur: vt iugi ſtudio orationis, ac diuinæ præſentiæ

E exercitatione Deo iungeremur: vt fidem Catholicam inter hæreticos & infideles, nec non & diuinorum mandatorum cuſtodiam inter peccatores ſeminaremus: ac tandem vt Chriſti Ieſu perfecti imitatores in vtraque vita, tam actiuæ quàm contemplatricæ, efficeremur. Hæc omnia, & alia huiuſmodi conſtitutiones noſtræ exigunt, quas quidam attentè legens, ſcopum, ac finem earum his notandis verbis expreſſit. Homines mundo crucifixos, & quibus mundus ipſe ſit crucifixus, vitæ noſtræ ratio nos eſſe

poſtulat:

poſtulat: homines, inquam, nouos, qui ſuis ſe affectibus exuerint, vt Chriſtum induerent, ſibi mortuos, vt iuſtitiæ viuerent. Qui, vt Diuus Paulus ait, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis ſe Dei miniſtros exhibeant. Et per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, per proſpera denique & aduerſa magnis itineribus ad cæleſtem patriam & ipſi contendant, & alios etiam, quacumque poſſunt, ope ſtudióque compellant, maximam Dei gloriam ſemper intuentes. Manifeſtum eſt ergo, cœtuum religioſorum tum inſtitutiones, tum regulas, actus virtutum, ſiue in præcepto poſitos, ſiue conſiliis Euangelicis contentos, præſcribere.

Nec putandum eſt, ineptè ſanctos religionum Patres à Domino præcepta, aut conſilio expoſita, ſuis regulis ſtatutíſque mandaſſe: id enim fecerunt, vt diuinæ vocationi cooperarentur, & humanæ ignorationi conſulerent. Nam præcepta, & conſilia Euangelica magnam latitudinem habent, & intra ſuam obſeruationem mitiùs quoſdam & alios ſeueriùs aſtringunt: Decuítque vt quiſque iuxta vocationem ſuam, ex propoſitis ſibi inſtitutis agnoſceret, quemadmodum ea debeat cuſtodire. Vnius tantùm virtutis exemplo intelligemus, quod dicimus. Præceptum caſtitatis, iuxta exigentiam ſtatus, aliter atque aliter eſt à diuerſis obſeruandum. Coniugatus namque illud obſeruat, ſi propria vxore contentus, tum opere, tum corde, omnibus aliis abſtineat. Religioſus ſolitarius cuſtodit, ſi omnino à deliciis temperet, & ieiuniis, ac vigiliis, cæteríſque caſtitatis inſtrumentis ſe impollutum Deo & illibatum exhibeat. At religioſus inter homines viuens, & animarum curam ex charitate gerens, ad aliquid ampliùs niti debet, vt nimirum Angelicam habeat puritatem. Vt quemadmodum cuſtodes Angeli, qui inter homines carnem geſtantes diſcurrunt, nullo carnis odore tanguntur: ita huiuſmodi religioſi (& idem de ſtatu clericali feratur iudicium) ad tam ſublimem caſtitatem aſpirent, & tam ex corde ſpurcitias carnis exhorreant, vt ſi fieri poſſit, & ſibi à Domino concedatur, nullo, qui vel leue peccatum ſit, cum fœminis cautè & ex neceſſitate conuerſantes, motu tangantur. Si in diuerſis tam diuerſus eſt caſtitatis modus, neceſſe fuit, vt ſingulæ religiones præceptum caſtitatis non promulgarent, ſed exponerent, vt earum profeſſores ad quem caſtitatis gradum iuxta perfectionem ſui ſtatus niti debeant, agnoſcerent. Virtus etiam eſt ſicut pannus ſericus, ex quo multi diuerſarum conditionum ſe veſtiunt. Ex eodem enim ſerico aliter induitur mas, aliter fœmina: aliter adoleſcens, aliter ſenex: Ita prorſus ex humilitate, verbi gratia, aliter ſe ornat, qui à mundi honoribus elongatus degit; aliter qui mundi honoribus, & populi laudibus, & acclamationibus cinctus viuit. Illi ea humilitas ſatis erit, quæ honores non ambiat; iſti omnino ea neceſſaria eſt, quæ ſæculi honores oblatos rideat, & fugiat. Ergo oportuit, in quaque religione regulas & ſtatuta conſcribi, quæ perfectionem humilitatis & reliquarum virtutum, iuxta menſuram propriæ vocationis, explicarent, & quaſi ex virtutis magna latitudine cuique veſtem accommodatam aſſuerent. Omnes religionum Patres, imitatione & vitæ conuerſatione quaſi vnum Chriſtum efficiunt, quem profectò ſequuntur, cùm ſecundùm vocationem ad quam adducti ſunt, in virtutibus ſuos filios inſtituunt. Illc quidem per ſe-

A ipſum non eadem, ſed diuerſa homines docuit; iam in monte documenta perfectionis aperit; iam per condeſcenſionem pro ſanandis infirmis ad inferiora deſcendit. Quod factum hoc non vacaſſe myſterio, egregiè Beda profitetur his verbis: Quòd autem ſubiens in montem Ieſus, ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis, ſed veniente ad eum multitudine deſcendit, atque hanc in inferioribus refecit, quam in inferioribus paulo antè curauerat; nequaquam fruſtra factum credamus; ſed ad ſignificandum myſticè, quia doctrinam, & chariſmata ſua Dominus iuxta recipientium capacitatem diſtribuit, infirmis adhuc mentibus, paruulis ſpiritu ſimpliciora monita committens, & apertiora credens ſacramenta, celſioribus autem quibuſ- *Beda ad Ioan. 6. in illud: Poſt hæc abijt Ieſus.*
B que, & perfectioribus ſenſu ſecretiora ſuæ maieſtatis arcana reſerans, altiora deuotæ conuerſationis itinera ſuggerens, & altiora præmiorum cæleſtium dona promittens. Denique cuidam ſciſcitanti, quid faciens, vitam æternam poſſideret, quaſi inferiùs adhuc poſito communia ſuæ dona largitatis impendit, dicens: Honora patrem tuum & matrem. Cui poſtmodum maiora quærenti, & velut ad montem virtutum aſcendere cupienti: Si vis, inquit, perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me. Cuius diſcretionem moderaminis non per ſe ſolùm Dominus in carne docens exhibuit, verùm nunc quoque per verbi ſui miniſtros exhibere non ceſſat. Vnde iiſdem ſub
C vnius boni ſerui perſona teſtatur, quia dare debeant conſeruis in tempore tritici menſuram, id eſt, pro captu audientium opportunè & menſuratè verbi dapes ſuggerere.] Hæc ille. Sed quod Dominus per ſeipſum fecit, & per prædicatores nunc facit, per religionum etiam Patres, tanquam per eos, qui vitam ipſius delineare curabant, manifeſtè perfecit. Vt ſcilicet alter eorum, vnum genus ſtudioſæ vitæ, alter aliud genus ſeu modum perfectionis arriperet, & illum ſuis ſectatoribus ſequendum proponeret. Quare neceſſe fuit, præcepta, & conſilia Euangelica, vniuſcuiuſque inſtituto accommodata, variis regulis & inſtitutionibus explicare.

Ex his manifeſtum eſt, ſtatutorum obſeruantiam, regulæque cuſtodiam, maximè ad virtutes obtinendas adiuuare. Regulam namque cuſto-
D dire, nihil aliud eſt, quàm paupertatem, caſtitatem, & obedientiam ſectari, humilitatem, patientiam, & manſuetudinem ſequi, contemptum ſæculi, charitatem fraternitatis, amorem erga Deum, & virtutes reliquas exercere, peccata, & ſemina peccatorum, & imperfectionum, quæ regula prohibentur, relinquere. His autem virtutum actibus ipſi virtutum habitus generantur, & promouentur: nec aliud eſſe poteſt, regulam obſeruare, quàm virtutes vniuerſas ad augmentum & perfectionem adducere. Regula quidem eſt norma (ſi eius primam ſignificationem inſpiciamus) qua lineas rectè ducimus, & in deſtinatum punctum
E dirigimus. Inde verò ad præceptiones religioſas hoc nomen tranſlatum eſt: quia vt actiones noſtras velut lineas quaſdam in Deum, finem noſtrum, ducamus, his præceptionibus quaſi regulis, ne exorbitent, attentè metimur. Hæc præcepta, inquit Hugo Victorinus, de regulis Auguſtini loquens, ideo regula appellantur, quia videlicet in eis nobis rectè viuendi norma exprimitur. Regula autem dicitur, eo quòd rectè regat, vel quòd rectè doceat. Et Bonauentura: Regula di- *Hugo. ad reg. Aug. c. 1.* *Bonau. in reg. D. Franciſ. c. 1.*

citur,

citur, eo quòd rectè ducitur; rectum autem eſt, quod non exit ab extremis. Vnde ſi regula actiones religioſi dirigit, & rectas efficit, non dubium, quin eas in alicuius virtutis ratione conſtituat. Quod certè bene perpenſum ac conſideratum, maximè incitare deberet, vt regulas diligentiſſimè cuſtodiamus. Nam vt quid, quæſo, cognatos, amicos, diuitias, honores, voluptates, ſæculum, & ſæcularia omnia, &, quod amplius eſt, propriam voluntatem & nos ipſos reliquimus? Nonne quia intelleximus inter omnia iſta, nos non poſſe rectitudinem actionum ſeruare, & maluimus illis carere, quàm à virtute deficere? Quæ ergo dementia erit, ſanctiſſimas præceptiones frangere, & prudentiſſima ſanctiſſimorum Patrum iuſſa præterire, quibus abiectis rectitudinem, quam omnium rerum dimiſſione quærebamus, abiicimus, & animæ pericula, ac vitiorum monſtra, quæ fugiebamus, retinemus?

B

Qui aliquam artem addiſcit, ſi præceptiones artificum illius artis non ſeruet, nequaquam peritus eius euadit: & qui vitam ſpiritualem,& virtutes, ex quibus coaleſcit, inquirit, à præceptionibus vitæ ſpiritualis exorbitans, & virtutum regulas deſerens, nunquam eas obtinebit. Sunt regulæ veluti catenæ, compedes, & vincula, quæ nos, cùm currebamus ad malum, tenuerunt, & ne in præceps iremus, in ſpirituali ſtatu ligarunt.

Iob.13.27 De quibus accipi poteſt illud Iob: Poſuiſti in neruo pedem meum, & obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti:] Chriſtus enim nos ſeruos ſuos, à ſe per peccata fugientes, non ex neceſſitate, ſed ex amore quæſiuit, & in hunc ſanctiſſimum ſtatum quaſi in carcerem coniecit (ô fœliciſſimum carcerem, & palatiis regum amabiliorem!) & in eo, ne iterum ad vitia & iniquitates reuerteremur, regulis, quaſi compedibus & vinculis, religauit. Ibi vias, id eſt, actiones noſtras obſeruat; & veſtigia pedum, id eſt, affectuum motus & deſideria, conſiderat, vt ſi velimus à carcere exire, & ab his amoris vinculis liberari, per noua gratiæ auxilia nos teneat. Ab his ergo compedibus expediri, non eſt aliud quàm in peccata & defectus labi; in eis verò permanere, eſt vitam ſtudioſam virtutibúſque refertam poſſidere. Licèt enim regula hac ratione neruus ſit, id eſt, præceptum, quod, vt Thomas & Lyra interpretantur, quaſi catena nos ligat, ne in malum curramus: tamen in alia ſignificatione, quæ huic loco non congruit, neruus eſt, quia virtutum actiones præcipit, quæ nos ad honeſtum ſectandum corroborant. Dominus namque per Ezechielem oſſibus aridis promittit, dicens: Et dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum, & viuetis.] Nerui hoc loco virtutes ſignant, vt ex Gregorio colligitur, & ideo meritò pro regulis, virtutes præcipientibus, accipiuntur, quibus nobis ſupernè datis, & mollis caro, benignitatis & modeſtiæ cutis, & ſpiritualis vitæ ſpiritus nobis videtur eſſe conceſſus. Regula ergo eſt neruus; & neruus, vinculum, quod nos à malo tenet; & ſenſus, ac motus ſpiritualis inſtrumentum, quod ad bonum operandum impellit. Quare nunquam à bonitate ac virtute deficiet, qui regulam fortiter diligentérque cuſtodit.

Ezech. 37.6.

Gregor.g. mor.c.29.

C D E

Sunt regulæ, quæ nos vndique cingunt, & muniunt, ne gratiam virtutéſque perdamus. Liceat enim nobis, Iſaiæ locum de Eccleſia pronunciatum,ad ſelectiorem Eccleſiæ partem, id eſt, ad ſtatum religioſum, applicare. Quid ille ait? Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale.] Meritò ſanè in hac vrbe Sion ſtatum religioſum intelligo. Nam ſiue Sion ſpeculam, ſiue aceruum ſignificet, optimè eius notio in religionem quadrat, quæ & locus editus eſt, ex quo videmus mala, & aceruus, in quo multa poſſidemus bona. Eſt ſpecula, quia ex ea, tanquam ex altiſſima profeſſione, ſæculi mala conſpicimus, vt ab eis caueamus: & eſt aceruus bonarum actionum, donorum cæleſtium, & ſanctorum exemplorum, quibus ad ſimilia permouemur. Eſt vrbs fortitudinis noſtræ, quæ à carnis fœditate nos protegit, & à dæmonis illuſionibus, & ſæculi ambitione defendit. Hæc vrbs Saluator eſt, quia eſt imitatio perfecta vitæ Saluatoris, quem profectò indui mus, cùm hunc ſtatum moribus profitemur. Saluator eſt, quia inde ſtatus noſter robur & fortitudinem habet, & ex eius placito totus pendet. Hanc vrbem murus cingit, & murum ipſum antemurale cuſtodit. Murus, eſt lex omnibus data fidelibus, quæ etiam nos obligat, & quodammodo ſtrictiùs obligat, quia æquum eſt, vt in ſublimiori ſtatu poſiti, & ab occaſionibus frangendi eam magis elongati, ipſam perfectiùs impleamus. At antemurale ſunt regulæ, quas qui diligenter implet, tuetur murum præceptorum, & vitam ſeu imitationem in ſe Saluatoris obſeruat. Qui enim opera perfectionis à regulis mandata præſtat, quàm longiſſimè aberit à mandatorum tranſgreſſione. Qui ſua pro Chriſto relinquit, aliena non cupiet, qui minimam cogitationem minùs honeſtam abigit, nefarium deſiderium non admittet: qui propriam voluntatem in magnis & in minimis abnegat, nunquam pro impinguanda propria voluntate, à mandatorum obſeruatione diſcedet. Sunt ergo regulæ bene cuſtoditæ, quæ nos in omni virtute continent, & à vitiis alienos faciunt; quas ſi oſcitanter prætereamus, & hæc minora contemnamus, paulatim forſitan ad mandatorum tranſgreſſionem procedemus. Id namque ſonant verba illa Ieremiæ: Luxítque antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt.] Et ſanè ſi antemurale non luxiſſet, & ſancta ſtatus noſtri regula illigata permanſiſſet, nunquam præceptorum murus ruinæ & excidio appropinquaſſet. Quin & hæc regularum præceptionúmque cuſtodia, alia ratione ad virtutes obtinendas iuuat, quòd facilem reddit viam diuinorum mandatorum. Nonne qui aſſueuit quotidie mille paſſuum iter conficere, facillimè viam quingentorum paſſuum percurret? Nonne qui ad multos annos pane & aqua ſe refecit, ſine vllo labore piſcibus & moderato vino appetitui ſatisfaciet? At qui ſemper ſedet, poſt modicum in itinere deficit: & qui ſemper pinguibus & delicatis veſcitur, minimè piſcibus & pane cibario ſuſtentabitur. Ita ſanè, qui à ſe momentis ſingulis opera perfectionis exigit, qualia ſine vlla dubitatione præſcribunt regulæ, facilè ſibi perſuadebit obſeruantiam mandatorum. Fiétque ſibi facilis virtus præcepta; quia aſſuetus eſt, virtutis gradum ſub conſilio relictum obſeruare. E contrà verò qui in ſæculo adeò eſt delicatus, aut potiùs imperfectus, vt ſola maiora mandata cuſtodiat, & de cætero minimè ad alia altiora ſe adigat, is aliquando à maioribus excidet, & in legis obſer-

Iſa.26.1.

Thren.2.8.

uatione deficiet. In quo ſenſu Beatus Thomas Aquinas illam Saluatoris ſententiam expoſuit : Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum.] Quia difficile eſt, inquit, quòd homo præcepta ſeruet, quibus intratur in regnum, niſi ſequens conſilia, diuitias relinquat. Sunt ergo regulæ quaſi rotæ, quibus expeditiſſimè viam mandatorum peragimus : ſunt quaſi pennæ, quibus ad faſtigium perfectionis euolamus : ſunt quaſi reconditoria, in quibus virtutum theſauros poſſidemus.

Matt. 19. 23. *D. Thom. quodlib. 4. art. 23.*

Alia etiam ratione regulæ virtutum augmento proficiunt, quia nos à multiplici tentatione defendunt. Sunt illæ quaſi clypei, quia eas telis aduerſariorum obiicimus, ne percuſſi aliquo crimine pereamus. Non incongruè ſanè religioſæ vitæ accommodare poſſumus illud Canticorum : Sicut turris Dauid, collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.] His ſponſus Eccleſiam alloquitur. Eccleſiæ autem collum, ſit religioſus ſtatus; quoniam ſicut collum ſolum caput ſupra ſe habet, ſic hic ſtatus ſolum ſtatum capitum, id eſt, Epiſcoporum, ſuperiorem agnoſcit. Hic ſtatus comparatur turri, illi nimirum magnæ & eminenti, quam Rex Dauid in monte Sion, ad hoſtium impetum retundendum, extruxerat : nam & in ſublimitate perfectionis fundatus eſt, & ad proſternendos aduerſarios mentis inuentus. Huius propugnacula, ſunt viri perfecti, qui dum cæteris eminent, ſuum hunc ſtatum exornant, & dum illum à primo feruore labi non ſinunt, ipſum vndiquaque communiunt. Clypei autem ex turri pendentes ſunt regulæ, quia ipſæ ictibus tentationum obiectæ, & per exactam obſeruationem huius ſæculi pompis oppoſitæ, illæſos ſaluóſque cuſtodiunt. Qui itaque his clypeis ad ſuam defenſionem vtitur, & eorum impletione ſe protegit, peccata vitabit, tentationes vincet, & in omni virtute proficiet. At notanda eſt vis diuini ſermonis. Mille clypei, inquit, pendent ex ea, nempe ex religione ipſa : quæ cùm nihil aliud ſit, quàm religioſorum congregatio, liquet, quoniam ex ipſis regularum clypei dependent. Ex nobis ergo pendet, quòd regula vigeat, quòd religioſa diſciplina non pereat, quòd munimenta ſtatus noſtri non cadant. Quare ſi regulas noſtras fregerimus, non ſolùm multiplicis virtutis pauperes erimus, verùm & tanti detrimenti à nobis illati rationem reddemus. Si rex, ô ſerue Dei, arcem ad tutamen regni ædificaret, & vario genere armorum inſtrueret, ſeruus autem eius eandem arcem ſolo æquaret, armáque confringeret, eſſet morte digniſſimus. Vide tu quali pœna plecteris, ſi clypeos huius turris, à Deo extructæ, id eſt, regulas, deſtruas, & turrim ipſam, id eſt, religioſam profeſſionem, quæ ſine exacta obſeruatione ſtare non poteſt, in perditionem adducas. Deus miſerationes ſuas in nos effundens, nos ad vitam religioſam vocauit : quod ex conuerſatione à peccatis aliena, & in ſanctis operibus occupata, quorum Deus auctor eſt, manifeſtè perſpicitur. In hoc autem ſtatu regularum clypeos dedit nobis, quibus ſpiritualem vitam tueremur, & pro vitiis deiiciendis, & virtutibus acquirendis pugnaremus. Non licet ergo nobis hæc arma ſpiritualia poſtmittere, ſine quibus nunquam victoriam comparabimus. Auxilium Domini nobis ad vincendum & proficiendum adeſt, verum eſt, ſed ſi armis ab eo aſſignatis decretiſque pugnemus. Si verò ea arma (quæ non ſunt alia, quàm regulæ) otioſa habuerimus, auxilium efficax, & ſpecialiſſimum aberit, quo abſente victoria & profectus abſcedet.

Cant. 4. 4

Iſta regularum cuſtodia à nobis exigitur, vt omnis virtus in mentibus noſtris augeſcat, ad quam rem aſtruendam, non alium teſtem, quàm cuiuſque conſcientiam adduco. Si enim ſingulos religioſos interrogemus, quanam ratione putant ſe poſſe ad perfectionem aſcendere, ſine vlla hæſitatione fatebuntur, viam perfectionis non aliam ſibi eſſe, quàm regulæ præceptionúmque cuſtodiam. Non igitur vult in omni ſanctitate promoueri, qui non vult in regulæ obſeruatione proficere. In hac vnuſquiſque nullo docente ſuam vitam intuetur, & tanquam in ſpeculo formam animæ ſuæ, aut pulchram, aut turpem contemplatur. Inde que optimo Auguſtinus ſuam regulam, ob id ſpeculum appellauit (quod aliis regulis ſanctarum religionum congruit) quia huic miniſterio deſeruit. Et bene, inquit Hugo, hunc libellum dicit ſpeculum, quia in eo, tanquam in ſpeculo, inſpicere poſſumus, quales ſumus, ſiue pulchri, ſiue fœdi, ſiue iuſti, ſiue iniuſti, vtrùm quiſque noſtrum regulariter viuat, vtrùm proficiat, an deficiat : vtrùm Deo placeat, an diſpliceat.] Quid eſt ſpeculum? Nonne vitrum aut cryſtallus, quod quidem clarum atque diaphanum, ex vna parte ſtamno aut argento factum opacum, faciem hominis è regione poſiti repræſentat? Talis omnino eſt regula. Clara eſt, quia ſine ambagibus, aut obſcuritatibus exponit quid ſit faciendum, quídve vitandum. Diaphana eſt, quia per eam, quaſi per vitrum, qualem alij habeant vitæ puritatem videmus. Et appoſitione alicuius opaca redditur, quia dum reflexione quadam ex vna parte eam obtegimus, & ad nos conuertimus, quales ſumus, apertè perſpicimus. Ibi cognoſcimus maculam proprietatis, defectum puriſſimæ caſtitatis, deformitatem inobedientiæ, & reliqua vitia, quibus facies animæ turpis apparet. Contemplemur vultum interioris hominis noſtri in hoc ſpeculo, & maculas deprehenſas, fletibus, & propoſito emendationis, atque oppoſitis actibus abſtergamus, ſicque in omni virtute mirabiliter proficiemus.

Aug. in reg. cap. vlt. *Hugo ad eundem locum.*

Cuſtodiæ Regulæ pacem eſſe promiſſam.

CAPVT VII.

VRGEAMVS hoc inſtrumentum ad comparandas virtutes præcipuum, & quæ eius vſum perſuadeant, qua etiam ratione ad actionem ſit applicandum, breuiter explicemus. Quicumque hanc regulam ſequuti fuerint, inquit Paulus, pax ſuper illos & miſericordia :] quibus verbis cuſtodientibus regulam, duo, nimirum pacem & miſericordiam promittit. Illi quidem triplicem pacem, quam alio loco commemorauimus, cum Deo, cum proximis, & ſecum ipſis aſſequuntur. Pacem cum Deo habent : illam, cuius meminit Paulus, dicens: Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.] Iuſtitiæ origo non eſt proprium meritum, non opus liberi arbitrij, ſed fides, quam à Deo accipimus, & reuelatis propter eius auctoritatem aſſentimur : iuſtitiæ autem forma eſt gratia Dei, diffuſa in cordibus noſtris, qua Deo ſimiles ſeu Deiformes efficimur : per hanc autem pacem cum Deo

Galat. 6. 16. *Rom. 5. 1.*

conſe

ſequimur ex meritis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia eo ipſo, quòd iuſti ſumus, diuinæ voluntati non reluctamur. Sed huius pacis per gratiam religioſi compotes facti, quam per veram deteſtationem peccatorum, & veram conuerſionem, & mutationem vitæ accepiſſe credimus, ipſam pacem regularum obſeruatione cuſtodiunt. Quas ſi in minoribus tranſgrediantur, ita vt peccata leuia faciant, pacem minuunt; ſi verò in maioribus prætereant, ita vt crimina incurrant, omnino hanc pacem amittunt. Pax ad Deum in quonam poſita eſt? Nonne in hoc, quòd ei tanquam ſupremo Domino ſubdamur, & eius præcepta monitáque ſeruemus? At nihil aliud eſt, regulas noſtræ profeſſionis obſeruare, quàm Deo ſubiici, & ipſius præcepta ac monita implere. Duo enim in religioſo ſtatu præceptionum genera contemplor: alterum, quod præcepta Dei inuoluit; alterum, quod documenta perfectæ obſeruationi legis Dei ſeruientia comprehendit. Ad primum genus pertinent illa, quæ nulla regula religionis non clamat: Paupertatem, quam Deo vouiſti, ſeruabis, caſtum & mundum te cuſtodies, Prælatis aliquid iubentibus obedies, & alia ſimilia. Ad ſecundum genus pertinent illa: Silentium cuſtodies, domo, ſine maioris permiſſu, non exibis; cellam alterius fratris ſine eiuſdem ſuperioris permiſſu non ingredieris. Qui illas primas præceptiones implet, implet præcepta Dei: qui has ſecundas implet, implet monita Dei ſalutaria, quibus nos ad perfectiorem mandatorum obſeruationem præparat, & ad omnem perfectionem obtinendam diſponit. Ergo qui regulæ obſeruator eſt, præceptorum ac monitorum Dei efficitur cuſtos, nec poteſt cum eo bellum gerere, cuius decreuit voluntati ſeruire. Cuſtodi innocentiam, inquit ſanctus Dauid, & vide æquitatem: quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico.] [*Pſal. 36. 39.*] Habe, inquam, innocentiam in corde, & æquitatem in opere: illam Deo in tuis viſceribus ſerua, & hanc hominibus ad Dei gloriam oſtende: & ſic eris vnus ex pacificis, quibus reliquiæ, id eſt, æterna præmia, quæ bonis operibus promittuntur, ſeruata ſunt. Auguſtinus [*Auguſt.*] quoque ait: Qui veram pacem deſiderat, priùs cum Deo habere conſueſcat. Sed dicis: Et quis eſt, qui cum Deo pacem habere non velit? Ille vtique, qui non ſic viuit, quomodo Deus præcipit eſſe viuendum.] Ex his manifeſtum eſt, Regularum tranſgreſſores, & ſui ſtatus euerſores, pacem cum Deo non habere, ſed cum eo bellum gerere, cuius nituntur voluntatibus contraire. Voluntas enim Dei, ſtatum religioſum fundauit, & enim quotidie (quod ad ſe attinet) nouis incrementis ſtabilire non ceſſat. Tepidus autem religioſus vigorem diſciplinæ non ſeruans, eundem ſtatum à Deo fundatum labefactat, & in ſeipſo per tepidam vitam, in aliis verò per prauum exemplum euertit. Hoc autem inteſtinum bellum eſſe inter hominē & Deum, nemo non videt, quo Dominus vnum, nempe ſanctitatis incrementum, promouere nititur, & homo alterum, ſcilicet ſanctitatis excidium, inferre conatur. Amator verò diſciplinæ habet cum Deo pacem, id eſt, voluntatem Deo ſubiectam, & diuinæ voluntati concordem, quia ſtatum ab illo fundatum & ſtabilitum non deſtruit, ſed quantum poteſt, integrum & inuiolatum tenet.

Quælibet res tunc pacem habet, cùm ſuo fini, propter quem eſt creata, coniungitur; vnde & ipſe motus, quo in finem tendit, quia eſt quaſi aſſequutio pacis, vel, iter ad pacem, eam à perturbatione liberat, & placidam facit atque quietam. Eſt itaque iſte motus ad finem, quaſi inchoata pax, & dum ad finem peruenit, & rem in ſuo fine locat, in perfecta pace conſtituit. Paupertas ſpiritus, manſuetudo, & luctus, & cætera huiuſmodi beatitudines dicta ſunt, quoniam ſunt inſignes actus, quibus mens aſſequitur beatitudinem; & ipſam ex ea parte, qua in beatitudinem ferunt, ſuo modo beant, atque tranquillant. Sic omnino ea, quæ hominem in ſuum finem perducunt, pacem & quietem attribuunt. Finis autem noſter Deus eſt, à quo tanquam à principio exiuimus, & in quem ſanctis operibus velut motibus tendimus, & in quo tanquam in loco proprio quieſcimus. Non dubium igitur, quin in ipſo ſit noſtra pax & quies. Quod contemplans Auguſtinus ait: Aſſumat, Domine, aſſumat rogo ſpiritus meus pennas vt aquilæ, & volitet, & non deficiat, volet, & perueniat vſque ad decorem domus tuæ, [*Aug. lib. de Meditatio. c. 37.*] & locum habitationis gloriæ tuæ: vt ibi ſuper menſam refectionis ciuium ſupernorum paſcatur de occultis tuis in loco paſcuæ tuæ, iuxta fluenta pleniſſima requieſcat in te Deus meus cor meum, cor, mare magnum tumens fluctibus. Tu, qui imperaſti ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna, veni & gradere ſuper fluctus cordis mei, vt tranquilla & ſerena fiant omnia mea, quatenus vnum bonum Dominum meum amplectar te, & dulce lumen oculorum meorum contempler te ſine tumultuantium cogitationum cæca caligine. Confugiat, Domine, mens mea ſub vmbra alarum tuarum ab æſtibus cogitationum huius ſæculi, vt in tui refrigerij temperamento abſconſa, lætabunda cantet, & dicat: In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.] [*Pſal. 4. 9.*] His verbis dulciſſimis ſanctus Doctor oſtendit, vbi ſit quies noſtra, quia in Deo eſt, & ſtatim à pace, & requie diſcedimus, cùm ab eo aliquantulum elongamur. Verbum Patris, carne velatum, quid de ſeipſo dicit? Manifeſtaui, inquit, nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo.] [*Ioan. 17. 6.*] De ipſo autem ait Zacharias: [*Zachar. 9. 10.*] Loquetur pacem gentibus: quam nobis loquutus eſt, cùm patrem nobis annuntiauit: vt videamus Deum pacem eſſe ac requiem noſtram, in quo mens tanquam in molliſſimo lecto quieſcit. Et Iſaias ait: Super omnem gloriam protectio.] [*Iſa. 4. 6.*] Id eſt ſuper omnes viros iuſtitiam & pietatem colentes, qui propterea ſunt gloria digniſſimi, erit Deus eos protegens, & veluti pax vera, ipſos ab omni perturbatione defendet. Regularum autem cuſtodia iter in Deum eſt; quis namque ambigat hominem Deo appropinquare, & ad Deum pergere, cùm ſanctiſſimorum virorum ſtatuta ab ipſo Deo data & inſpirata cuſtodit? Hac igitur cuſtodia pacem cum Deo inimus, quia ea ad Deum pacem noſtram imus, & vnum cum eo velle, vnum nolle, ac indiuiduam voluntatem concordiam habemus. Et verò, qui eſt in regulas ſtatus ſui præceptionéſque fidelis, multis verbis ad hoc intelligendum non eget. Sentit enim in ſe mentem Deo ſubditam, & diuinarum iuſſionum cognoſcendarum & implendarum auidam, cui diſcordia cum Deo omnino repugnat. Quis reſiſtit ei, ait Iob, & pacem habuit?] [*Iob. 9. 4.*] Solus igitur ille, qui reluctatur Diuinæ voluntati, in pace non eſt; qui verò Deo in omnibus acquieſcit, Deum ſibi pacificum experitur, & bellum, quandiu ipſi ſubditus manet, cum eo habere non poteſt.

Regularum & diſciplinæ cuſtos, pacem cum Prælatis & cum aliis fratribus habet. Cum Prælatis quidem, quoniam illi dum iuſta præcipiunt, & ſubiectionem exigunt, nos ad pacem cum illis, & cum

Iſa.60.17 omnibus habendam impellunt. Ponam, ait Dominus per Iſaiam, viſitationem tuam pacem,& præpoſitos tuos iuſtitiam.]Faciam,inquam,vt dum præpoſiti tui iuſta iubent,ipſi viſitatores tui in te pacem inquirant. Ad hanc autem pacem habendam iuuamur, cùm regularum, quas illi in primis charas habent,& obſeruari à nobis volunt,& iubent,diligentes obſeruatores exiſtimus. Tunc illi nos vt viſcera ſua diligunt,tunc noſtram conuerſationem laudant, & eo ipſo nos,non ſibi infenſos, ſed amicos habere commonſtrant. *Rom. 13. 4.* Principes, inquit Paulus vt hoc doceat, non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.] Non ſunt illi timori his, qui bonum opus faciunt, ſed his, qui malum operantur. Ideóque qui bonum faciunt, poteſtates, aut poteſtatem, & Prælationem habentes non timent, ſed amant: & viciſſim ab illis redamantur, cuius amoris repenſi ſignum eſt laus; nam quos Prælati non amarent, nequaquam laude, ſed vituperatione afficerent. In hoc autem pacem eſſe, quòd ſubditi ſecundùm præſcriptum regulæ conuerſentur, Dionyſius Richelius non ſiluit. *Dion. lib. 2. de vita, & fine ſolita. ar. vlt.* Ille ſic ait: Porro vti tunc ciuitas pacem habet, cùm ſecundùm gubernatoris voluntatem omnia in ea aguntur: ſic cùm in cœnobio ſecundùm præſidentis directionem rectam ac rationalem fratres diſponuntur, & viuunt, pacem habet cœnobium: & væ illi, qui eam impedit, aufert, aut odit.] Væ illi eſt, quia dum à Prælato diſſentit,& illi recta mandanti reſiſtit,ſibi luctum & miſeriam acquirit, cùm certum ſit, quòd in hoc bello, aut in hac colliſione duorum, quod fragilius eſt, peribit, & quod fortius eſt, illæſum perdurabit. Fortiſſima verò eſt ſancta Prælatorum ſeueritas, diſciplinæ obſeruantiam exigens, & fragiliſſima imperfectorum fatuitas, à diſciplinæ obſeruantia ſe ſubtrahens. Væ indiſciplinato eſt; quia dum Prælatum multiplici ſua imperfectione contriſtat, propriam mentem cæleſtibus gaudiis euacuat. Væ illi eſt, quia dum domum Dei, id eſt, familiam religioſam, turbat, cuncta ſua bona ſpiritualia diſturbat. Audítque à præſide non ab odio incitato, ſed ex zelo commoto: *Ioſue.7. 25.* Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac.] Lapidibúſque imperfectionum innumerabilium obruitur, dignúſque fit,qui contemptui ab omnibus habeatur. De eo quidem dictum videtur illud Eccleſiaſtici: *Eccl. 22. 12.* In lapide luteo lapidatus eſt piger, & omnes loquentur ſuper aſpernationem illius. De ſtercore boum lapidatus eſt piger: & omnis, qui tetigerit eum,excutiet manus.] Cui enim meliùs nomen pigri conuenit, quàm illi, qui ignauia oppreſſus, ſui ſtatus præceptiones non ſeruat? Hic lutoſis lapidibus & ſtercoribus lapidatur, quia ſuis quotidianis imperfectionibus & culpis impetitur. Socij talia videntes, meritò illum deſpiciunt, & ſi quis eum imitatione tetigerit, debet manus excutere, ſi vult in virtute perſiſtere, & à ſorde,quam contraxit,emundari. Vel iſte lapide luteo, & ſtercore lapidatur,vt Bernardus interpretatus eſt, quando à Prælato dura increpatione corrigitur, ſi eâ non à ſua ignauia diſcedat, & ad diſciplinæ obſeruantiam redeat. Hæc ſunt huius ſancti Doctoris verba: *Bern. ſer. 2. D. Petri & Pauli.* Itaque & arguere, & increpare interdum neceſſe eſt: nec ignoro,fimum eſſe verbum increpatorium, verbum improperij, & quod ſi non excuſſit neceſſitas, ipſum quoque minùs deceat proferentem. Sed quid agimus, quòd hoc fimo & ſi aliquos impinguari, ſed alios planè & lapidari & indurari videmus? Hinc namque ſcriptum eſt: De ſtercore boum lapidabi-

A tur piger. Annon impinguatur, qui increpatus benignè accipit, manſueta reſpondet, libenter emendare conatur? Hæc planè ſalubris & fœcunda impinguatio eſt, vt corripiat me iuſtus in miſericordia, & increpet: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Ex ea ſiquidem pinguedine, quam generat oleum peccatoris, abundantiùs pullulant ſpinæ & tribuli, & omnis radix amaritudinis germinat copioſiùs. Itaque qui iuſtorum increpationem, miſericordiam nominat: ſatis indicat quemadmodum ſuſcipienda ſit, quàm benigno animo, quàm deuota mente, quantáque ei gratia ſit habenda. Sic enim accipientibus nobis erit impinguatio ſalubris, non fertilis vitiorum, quemadmodum oleum peccatoris, ſed fructus illius, quem ſecundùm Apoſtolum habemus, in ſanctificationem.

B Quid autem faciamus tibi, ô piger, qui ad hanc miſericordiam irritaris magis, & exaſperaris? Nonne bonum fimum ſparſi in agro tuo? Vnde ergo lapides habet? Sed tu inimice homo: quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam, tu, inquam, inimice homo, hoc feciſti, qui deſidiam tuam non excutere, ſed excuſare pergens, fimum tibi peruertis in lapides, & vnde impinguari debueras, lapidaris.]Hactenus ille. Cum huiuſmodi ergo hominibus ita procacibus, vt voluntati præpoſitorum in multis contradicant, & ita proteruis, vt ad correptionem obdureſcant, ipſi præpoſiti pacem habere non poſſunt: ſoli ergo illi pacem cum Prælatis habent, qui ſe regularum ac diſciplinæ obſeruatores exhibent.

C At pacis cum fratribus Regularum cuſtodia ſeminarium eſt, cùm omnia pacem turbātia & diſcordiam generantia præſcindat. Quid pacem turbat? Rerum temporalium poſſeſſio? Regula poſſeſſionem hanc prohibet, & ſolum vſum moderatum concedit. Turbat impurus amor? Regula hunc penitus neſcit. Turbat propria voluntas? Regula propriam voluntatem alterius imperio ſubiicit. Turbat contentio opinionúmque diuerſitas? Regula idem ſapere, idem dicere, & ab omni contentione abſtinere iubet. Nihil eſt in ſæculo paci & quieti contrarium, quod regula ab ſtatu noſtro non releget. Atque adeò qui illam diligenter ſeruauerit, cum omnibus pacem habebit. Qui confidunt in illo,ait *Sap.3.9.* ſapiens, intelligent veritatem: & fideles in dilectione

D ne acquieſcent illi, quoniam donum & pax eſt electis Dei.] Illi in primis Domino fidere videntur,qui propter illum omnia relinquunt, & cogitatum ſuum in eius miſericordia iactant, ſcientes, quoniam ipſe in ſe ſperantes enutriet. His rebus viſibilibus, & curis huius ſæculi exoneratis datur, vt veritatem intelligant, & cæleſtia contemplentur. Quòd ſi iam ad quietam vitam vocati, & fideles in dilectione inuentis iuſſis & monitis Domini, quæ regula præſcribit, acquieuerint, donum & pacem accipient. Donum quidem, non vnum, ſed multiplex vniuerſarum virtutum, quarum actiones regulæ obſeruatione præſtant. Pacem verò, qua ſine querela cum cœtu aliorum fratrum in omnibus Domini iuſtificationibus

E & mandatis incedant. Sunt regulæ, meo quidem iudicio, ſicut nerui & chordæ, quibus membra corporis connectuntur. Nam quemadmodum cùm nerui ſani ſunt, integríque, & bene diſpoſiti, totum corpus eſt vnum, & membrorum vnione ac pace perfruitur; ſi verò lædantur, aut abſcindantur, corpus ipſum ingentem dolorem percipit, & illam pacem amittit: Ita cùm regulas illæſas ſeruamus, vnum corpus ſumus in Chriſto ſanum, & optimè diſpoſitum, & tanquam membra bene compacta pace frui-

mur:

mur: at ſi eas frangimus, ſtatim contrariis motibus diſſidemus. Iam apparet quàm appoſitè ſuperiùs regulæ vocatæ ſunt vincula: nec enim ſolùm (vt iam diximus) à malis nos retrahunt, verùm & vt membra bene colligata, vt vnum quæramus, in idem tendamus, & eiſdem mediis vtamur, efficiunt. Quibus aptiſſimè accommodari poteſt quod Richardus Victorinus de mandatis ſcripſit, ſiquidem regulæ quædam ſpecialia mandata ſunt. Congrua ſatis, inquit, ſimilitudo vinculorum & mandatorum. Vinculis ſiquidem coarctamur, & mandatis vtique diuinis à noſtris voluntatibus coercemur. Vinculis trahimur; vinculis retinemur; vinculis aſtringimur. Vincula attrahentia, præceptiones; vincula retinentia, prohibitiones: vincula conſtringentia, admonitiones. Præceptio, eſt eorum quæ fieri oportet. Prohibitio, eorum quæ fieri non licet. Admonitio, eorum eſt quæ quidem expedit fieri, cùm tamen ſine culpa poſſint præteriri. Præceptionibus ſanè illuc ſæpe vrgemur, quò boni operis greſſum ſine difficultate non dirigimus. Prohibitionibus autem inde ſæpe retrahimur, quò per deſiderium properamus. Admonitionibus verò cordium noſtrorum hiantia, ſeu etiam fluxa arctiùs alligamus; cùm voluntates noſtras à licitorum etiam vſu ſæpe reſtringimus. Vincula itaque attrahentia ſunt: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut teipſum. Honora patrem tuum, & matrem tuam. Vincula retinentia ſunt: Non occides, non mœchaberis, non furtum facies. Vincula conſtringentia ſunt: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Et illud, quod à Domino de virginitate proponitur, cùm dicitur: Qui poteſt capere, capiat. Vnde & Apoſtolus: De virginibus autem præceptum Domini non habeo, ſed conſilium do.] Sic ille. Cuſtodiamus igitur hæc vincula, ex quibus mutua inter nos pax tota dependet. Audiamúſque Paulum dicentem: Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes inuicem cum charitate, ſolicitì ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ.] Non ex nobis, ſed ex Deo hoc eximium donum accepimus, vt vnum myſticum corpus eſſemus. Cuius caput eſt Chriſtus, vt vnum ſpiritum, & vnam voluntatem quærendi perfectionem, haberemus, vt eiſdem mediis, cœleſtem mercedem obtinere ſperaremus. Simus ergo ſoliciti, hanc vnitatem à Deo iam acceptam ſeruare regularum cuſtodia, quæ eſt vinculum pacis. Nam quandiu ipſa in nobis integra & illæſa permanſerit, hæc mutua pax certè amabilis, nunquam à nobis diſcedet. Si autem hoc pacis vinculum ruperimus, dono huic vnitatis à Domino accepto iniuriam inferemus cum magno noſtro detrimento.

Richar. tract. de ſtat. inter. hi. tract. 1. c. 2.

Epheſ. 4. 1. 2. 3. 4.

Hæc demum regularum obſeruatio noſmetipſos in pace conſtituit: & nullus eſt in amore diſciplinæ religioſæ ſolicitus, qui non in ſinu cordis ſui, donum tranquillitatis excipiat. Conſcientia enim illum inquietat, qui ad illicita diffluit, qui ſibi iniuncta prætenit, quíque ſuo muneri non ſatisfacit: quem verò reperit obſeruantem, & ab eo quod debet non deficientem, non reprehendit, non mordet, ſed in tranquilliſſima pace manere permittit. Regulæ obſeruatoribus promiſſa eſt pax illis verbis: Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea; abſque pauore habitabitis in terra veſtra, dabo pacem in finibus veſtris, dormietis, & non erit, qui exterreat.] An regulæ mandata ſunt Dei, quæ nobis per maiores noſtros, ſanctiſſimi huius ſtatus fundatores, iniunxit? Ita ſanè: quæ qui ſpernit, ipſum etiam Dominum, à quo præpoſiti dati ſunt, aſpernari conuincitur. Si vita noſtra in his ſemitis ambulandis tranſierit, ſi mens noſtra hæc monita cuſtodierit, pauor & timor procul fient à nobis, quoniam malum pœnæ non timet, qui in malum culpæ non incurrit. Pacis etiam obtentione lætabimur, quia dum Deo per voluntatem eius impletionem ſubiicimur, paſſiones nos turbantes compeſcimus, & quaſi vinculis coarctamus. Quod pulchra ſimilitudine Anſelmus expoſuit. Humana, inquit, natura tam facilè per vitia, quàm per planum profunditur aqua. Sic ergo agere debet, qui eam reſtringere appetit, velut qui aquam currentem retinere contendit. Sicut enim ille, qui aquam concludit in ſtagnum, atque coercet: ſic iſte naturam humanam vagam, infra regulam aliquam cohibere debet. Vtque ille procurat, ne qua parte dirumpatur ſtagnum, qua effluat aqua; ita & iuſtum prouidere condecet, ne ſuam in quoquam violet regulam, quo ad peccatum proruat. Sic enim reſtringi carnis appetitus poſſunt, quod eſt quandam facere pacem inter ipſam carnem & ſpiritum, quam quidem pacem nemo meliùs habere poterit, quàm qui diſtrictioni ordinis monaſtici ſemetipſum ſubiugare ſtuduerit.] Sic ille. Adepta autem pace dormiemus, & non erit qui exterreat. Soporabitur, inquam, mens ſuauiſſimo, ac quietiſſimo orationis ſomno, in quo multa accipiet dona cæleſtia, quæ mulceant illam, & nihil, quod inanem timorem incutiat. Immiſit Dominus ſoporem in Adam, & ex latere eius coniugem illi chariſſimam, nempe Euam eduxit; ſic ex iuſto, contemplationis ſomnum dormiente, ſolet Deus, cùm minùs homo putabat, perfectionem extruere, illíque tam ſpecioſam ſponſam in vxorem donare. Ergo qui hanc regulam ſequuti fuerint, pax ſuper illos. Omnem profectò pacem conſecuntur, quia & Deum ſibi pacatum ſentiunt, & homines pacificos habent, & à ſemetipſis per affectuum immortificationem non diſſident. Nec credendum eſt, Angelos inſenſos eſſe illis, quos ſuis monitis obſequentes, & diuinæ voluntati ſubiectos aſpiciunt. Immò diligunt, & fouent illos, quorum vita per diſciplinæ cuſtodiam à mundo ſe elongat, & cæleſtibus appropinquat. Si autem tale bonum eſt pax, quemadmodum ait Auguſtinus, vt in rebus creatis nihil gratioſius ſoleat audiri, nihil delectabilius concupiſci, & nihil vtilius poſſideri, eam per regulæ obſeruantiam & diſciplinæ cuſtodiam quæramus, vt tantum bonum, quod in æternum accepturi ſumus, in præſenti obtinere inchoemus.

Leuit. 26. 3. 6.

Anſel. li. de ſimilit. c. 112.

Gen. 2. 21.

Aug. lib. de ciuit.

Cuſtodiæ Regulæ miſericordiam eſſe prærogatam.

CAPVT VIII.

QVICVMQVE hanc regulã ſequuti fuerint, ait magiſter veritatis, Paulus, pax ſuper illos, & miſericordia. Vidimus quàm eximia pace regularum obſeruatores cumulentur: inquiramus nunc quàm multiplicibus Domini miſericordiis repleantur. Has autem ad compendium redegit Salomon in Prouerbiis, dum ita ſcribit: Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis: Cuſtodi legem

Prou. 3. 1. 21. 23. 24.

A atque conſilium: & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget. Si dormieris, non timebis; quieſces, & ſuauis erit ſomnus tuus.] Filium vocat eum, quem ad diſciplinæ cuſtodiam hortatur, vt in ipſo nomine, honoris ac dignitatis pleniſſimo, fœlicem ſortem intelligat, quam accepturus eſt, ſi ſibi iniuncta ſeruauerit. Quid honorabilius, quid ditius eo qui filius eſt Dei? Cum eo ipſo quandam Deitatis participationem accipiat, & regni cœlorum hæres fiat, dicente Paulo: *Rom. 8. 17.* Si autem filij & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.] Sed hanc dignitatem, háſque opes ampliſſimas ille conſequitur, qui leges ſibi impoſitas ab oculis effluere, & à manibus B labi non ſinit. Nec ſolum nomen hoc, ſed alia quoque nomina honorifica illi congruunt, cùm tamen nullum illorum tranſgreſſoribus diſciplinæ conueniat. Regulæ ac diſciplinæ cuſtos, meritò vocatur ſeruus Dei, quia ſerui eſt, imperata facere, & nihil nec minimum eorum, quæ ſibi præſcripta ſunt, prætetire. Hic verò nihil faciendum omittit, nihil omittendum facit, & omnia vt mandata ſunt, diligenter obſeruat. Cuius illud erit *Act.13. 22.* ipſius ore Domini prolatum elogium: Inueni Dauid, filium Ieſſe, virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.] Planè vir, qui viriliter pro ſanctitate decertat: & vir ſecundum cor Dei, cui ſe in cunctis accommodat, & à Deo volita atque mandata fideliter præſtat. Poteſt & C vocari mercenarius, quia nihil eorum, quæ ſibi impoſita ſunt, prætermittens, indicat apertè quòd *Iob.7.2.* mercedem expectat. Patiens Iob multa mala ſuſtinens comparat ſe [mercenario, qui præſtolatur finem operis ſui:] eidem ſimilis eſt bona imperata faciens, qui licèt nunc menſes habeat præmiu vácuos, & noctes laborioſas enumeret; ſcit tamen, ſi perſeuerer, plenam æternitatem ſibi parari, & dies quietos, & nulla nocte interceptos concedi. Vocatur & amicus, quia legem amicitiæ ſeruat, vt nimirum cum Domino tum voluntate tum actione concordet. Vocatur tandem & filius; nam diuinam ſimilitudinem in mente ſuſcipiens, ſuſcipit etiam Dei monita, audit conſilia, diligit voluntatem. Hæc igitur nomina optimè D in eum quadrant, qui eſt diſciplinæ ac regularum amator: cùm tamen ab ipſarum tranſgreſſore vis horum nominum quàm longiſſimè abſit. Vt enim *Baſil.proœmio in reg. fuſ. diſp.* ſcripſit magnus Baſilius, ſuis regulis latiùs diſputatis præfationem affigens. Qui maiorem præceptorum partem obire neglexerint, hi quo tandem in horum ſe numero reponi volunt? Qui neque Deo, vt parenti, obſequantur, neque vt magna pollicenti obediant, neque vt Domino ſeruiant.] Tranſgreſſori regularum nomen ſerui non competit. Seruus namque timet dominum ſuum: qui verò iuſſa Domini præterit, illum non timet. Dauid enim ait: *Pſal.111. 1.* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis. Et Gregorius: *Gregor.1. mor. c.3.* Deum timere eſt, nulla quæ facienda ſunt bona prætere E tire. Vnde qui bona præterit, & mandata non cuſtodit, ſatis indicat quia timorem ſerui non habet, & ſerui nomine non eſt dignus. Nec vocari poteſt mercenarius, quoniam virtus mercenarij eſt ſpes: qui verò imperata non complet, quibus præmium eſt aſſecuturus, ſe viuam ſpem minimè habere demonſtrat. Nec vocari demum poteſt amicus aut filius. Horum quippe virtus eſt amor: at parum aut nihil amat, qui voluntate, & morum ſimilitudine ab amico & patre diſcordat. Cum filio A ergo Salomon loquitur, cum eo ſcilicet, qui verba Domini corde ſuſcipiens, & opere complens, aptus eſt vt vocetur non ſolùm Dei ſeruus & amicus, verùm & chariſſimus filius.

Ad illum itaque, qui filius eſt, Salomon loquens ait: Ne effluant hæc ab oculis tuis. Si nos ille ſeruos vocaret, fortaſſis diceremus quia iam imperata complemus, quibus ſtatui aut ſeruorum ſorti ſatisfacimus: at dum filios Dei vocat, ad maiora ac perfectiora ſeruanda nos obligat. Filius enim non attendit quid pater velit, an ſcilicet magnum ſit, aut minimum; an præcepto mandatum, an ſimplici voluntate propoſitum: ſed tantùm reſpicit, an illud, quicquid ſit, genitori ſuo placeat, quod ſatis filio eſt, vt illud præſta B re contendat. Si nos vocaret ſeruos, ad obedientiam fortaſſis induceret, non ad ſimilitudinem incitaret; at dum filios compellat, quærendæ ſimilitudinis curam extorquet. Qua verò ratione Dei placitum in omnibus exequemur, & ſanctiſſimi patris perfectam ſimilitudinem induemus, ſi non in magnis, & etiam in minimis nobis præſcripta ſeruamus? Nihil difficile, nihil immoderatum à te, ô religioſe, petitur, cùm audis: Ne effluant hæc ab oculis tuis. Habes patrem, cuius erga te tantus eſt amor, vt dicat per Iſaiam: *Iſa.49.16* Ecce in manibus meis deſcripſi te; muri tui coram oculis meis ſunt.] Qui miſerias tuas in manibus ſuis, non alieno atramento, ſed proprio ſanguine, non calamo, ſed clauis inſculpſit, vt eis congruo tem C pore remedium afferret. Qui ea, quæ ad tuam protectionem ſunt vtilia, ſemper ante oculos habet, vt ea ſemper integra & inuiolata conſeruet. Quid magnum, ſi tu eius mandata ac monita ante oculos habeas, vt pro tanto munere in te collato, aliquo pacto vicem rependas? Ille ait: *Iſa.49.15* Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.] Dic tu viciſſim vt tanto beneficio reſpondeas, & ex parte gratus exiſtas: *Pſal.118. 30.16.* Viam veritatis elegi, iudicia tua non ſum oblitus.] Et: In iuſtificationibus tuis meditabor; non obliuiſcar ſermones tuos.] Mandata hæc pulchra ſunt nimis, & habent ſplendorem immenſum, quo ſeſe intuentes & diligen D tes illuminant. Quia mandatum, inquit Salomon, *Prou.6. 23.* lucerna eſt, & lex, lux; & via vitæ, increpatio diſciplinæ.] Et Dauid: *Pſal.118. 105.* Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.] Oculi autē non alio, quàm lumine, & ſplendore, & decore paſcuntur. Nihil ergo triſtitiæ aut difficultates habet, ſi mandata tam pulchra nunquam è tuis oculis effluāt, neque à mentis conſpectu ſe ſubtrahant. Cuſtodi igitur legem atque conſilium. Si tantùm ſeruus eſſes, dicerem tibi, vt mandata ſeruares; at cùm ſis etiam filius, & ad filiorum dignitatem euectus, dico tibi vt mea quoque conſilia diligenter obſerues. Si interrogaſſes à me: Quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Reſponderem vtique: Serua mandata. At quia cùm religionem ingreſſus es, interrogaſti: E Quid faciendo perfectionem obtinebo? Reſpondeo, vt cuſtodias legem atque conſilium, & tum magna tum parua, à regula præſcripta, compleas: quoniam ſi ad ſalutem ſatis eſt, mandata cuſtodire, ad perfectionem aſſequendam neceſſe eſt conſilia ſeruare. Serua mandata, quia à Deo præcepta ſunt: ſerua & conſilia, quia ab ipſo Deo, dilectiſſimo Patre, conſulta. Serua mandata, quia neceſſaria ſunt ad ſalutem; ſerua & conſilia, quia opportuna ad perfectionem. Serua mandata ne grauiter

delinquas

A delinquas, ſerua & conſilia, ne leuiter cadas, & ex leuioribus in maiora proruas. Cuſtodi legem, atque conſilium, & omnem regulam ſiue præcipiat, ſiue ſolum moneat: ſiue obligare, ſiue ſolum hortari ad meritus intendat, fideliter ſerua, ne in luto multarum imperfectionem hæreas, ſed ad concupitam mentis puritatem aſcendas.

Vt verò legem conſiliáque cuſtodias, auribus non tam carnis, quàm mentis miſerationes excipe, quibus regulæ obſeruatores repleantur. Hæc obſeruatio erit vita animæ tuæ. O magnam miſerationem Dei, & fontem, ac originem aliarum! Quid enim pretioſius, quid amabilius vita Sed quid illuſtrius, quid dignius animæ vita? Quæ ſi in corpore viuens per abſentiam gratiæ ſit mortua, tetriùs olet, quàm corpus B tabidum, & corruptum carnis naribus fœtet. At hæc animæ vita regulæ cuſtodia eſt, quoniam ſi eam in magnis frangas, gratiam perdis; ſi in minoribus prætereas, charitatis feruorem diminuis, & ipſam gratiam periculo amiſſionis exponis. Vita eſt, quæ viuum facit: obſeruatio regulæ, quæ religioſum conſtituit. Neque enim religioſus eſt, qui paternam domum reliquit, qui veſtem mutauit, qui habitum religioſum induit; ſed qui ſæcularia deſeruit, cor emundauit, & diſciplinæ monita cuſtodiuit. Si verò illa exteriora adfuerint, & iſta interiora, & vera opera virtutis abfuerint, erimus quidem habitu religioſi, ſed mente & actione profani. Dicetúrque cuique noſtrum: Nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.] *Apoc. 3. 1.* Mortui ſumus, ſi ea, ad quæ aſtringimur, nō obſeruamus: nomē autem ſimul viuentiū habemus, quia habitū, C & externa ſigna viuentiū præferimus. Sanctus Abbas Ephræm egregia ſanè oratione nos ſugillat. *Ephræm. in adhortat. ad correctionem.* Specie, inquit, & apparētia mundo renunciauimus: re vera autē, quæ mūdi ſunt curamus, nec habemus, quo nos excuſemus. Habitu monachi ſumus, ſed moribus crudeles quidem & inhumani. Habitu humiles, & moribus peſtiferi & ſcelerati: Habitu religioſi, & moribus exitioſi: Habitu amici, & moribus inimici: Habitu gratioſi, moribus odioſi: Habitu exercitatores ſeduli, moribus ignaui athletæ: Habitu ſobrij, moribus prædones: Habitu pudici, animo autem adulteri: Habitu modeſti, moribus & pectore vagabundi: Habitu mites, moribus arrogantes: Habitu conſolatores, moribus contumelioſi: Habitu conſiliarij, moribus obtrectatores: Habitu ſimplices, D moribus difficiles & pernicioſi: Habitu ab inuidia alieni, moribus inuidi & homicidæ: Habitu defenſores ac ſuſceptores, moribus autem proditores. Et vnde, quæſo, accidit nos tales eſſe? Niſi inde, quòd mutuam inter nos dilectionem perfectam non habemus? Niſi quia pura inter nos non ſit concordia? niſi quia in nobis vera humilitas non eſt? niſi quòd præ oculis timorem Dei non conſtituamus?] Hæc ille. Et ſicut has cauſas noſtræ calamitatis reddidit, alias omnes ad tranſgreſſionem regulæ pertinentes poſſet aſſignare, re vera enim tales ſumus, quia habitu, & E cæremoniis religioſis contenti, ſanctiſſimas regulas, virtutum doctrices, prætermus. Cuſtodia ergo regulæ, vita animæ eſt: Quia ſi eam non obſeruauerimus, non cum veris religioſis, ſed cum fictis & hypocritis computabimur. Iam nos ſtruthionis immunda deſignat, de qua ait Iob: Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis Herodij, & accipitris.] *Iob. 39. 13.* Struthio pennas Herodij & accipitris plumis ſimiles habet, ſed volatus altitudinem celeritatémque non habet. Sic malus religioſus, regulæque tranſgreſſor, ſimilem cum bono habitum geſtat, ſed in finem ſtatus ſui, nimirum in perfectionem, nequaquam ſimili conatu feſtinat. Si externa eius conſideres, videtur ad volandum aptus, at per vitæ ignauiam humi repit, & fit

A quotidie ad ſpiritualia magis ineptus. Cui mores hypocritarum conueniunt, de quibus eo loco inquit Gregorius: Ita ſunt nimirum omnes hypocritæ, *Greg. 31 mor. c. 5.* qui dum bonorum vitam ſimulant, imitationem ſanctæ conuerſationis habent, ſed veritatem ſanctæ actionis non habent. Habent quippe volandi pennas per ſpeciem, ſed in terra repunt per actionem, quia alas per figuram ſanctitatis oſtendunt, ſed curarum ſæcularium pondere prægrauati, nullatenus à terra ſubleuantur.] Quis putet hos viuere, quorum non eſt aliqua interna vitæ operatio, ſed ſola externa ſtatus ſpiritualis oſtenſio? Qui derelinquunt oua, id eſt, opera ſua, in terra, nec curant, ſi pes inanis gloriæ ea proterat, aut beſtia agri, nempe diabolus, in ipſa B imperfectiones conijciens, ſuis malis artibus deſtruat. Illi itaque ſpiritaliter viuunt, qui diſciplinam diligunt, imperfectiones abijciunt, & regulam, ad quam ſe ſponte obligarunt, ſtrenuè cuſtodiunt. Vel aliter cuſtodia diſciplinæ eſt vita, id eſt, vigor, & ſanitas animæ, quam qui obſeruant, bene valent: qui verò tranſgrediuntur, ægrotant. Inualetudo enim corporis ex imbecillitate, ex dolore, ex defectu appetitus cibi, & potus, & ex pulſus inæqualitate dignoſcitur. Qui autem regulæ ſunt tranſgreſſores, ipſo vſu cadendi imbecilliores quotidie redduntur, ex diſcreta Prælati correctione, tanquam ex vulnere, dolorem acrem excitante, conqueruntur, nulla fame orationis, aut ſiti diuinarum conſolationum ſollicitantur, & pulſus, vel actiones eorum præter ordinem & C rationem mouentur. Infirmi ſunt ergo non carne, ſed (quod deterius eſt) mente. Diſciplinæ verò, ac regulæ amatores, ex animæ ſuæ firmitudine, ex rerum bonarum deſiderio, ex ſpiritali lætitia, & ex actionum ordine colligunt, ſe animæ ſanitatem ac vigorem comparaſſe.

Hæc eſt prima miſericordia in diſciplinæ amatores collata: ſecunda verò, quæ priorem ſubſequitur, illis verbis exprimitur: Et gratia faucibus tuis.] Eadémque ipſe Salomon luculentioribus antea verbis expreſſerat, dicens: Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.] *Prou. 1. 8.* Verba hæc ad ſtatus religioſi ſectatores propriiſſimè videntur eſſe directa. Habent illi patrem, habent & matrem, non D ſolùm ſecundùm ſpiritum generantes, ſed leges etiam mandatáque ferentes. Pater eſt, illius, quam profitemur, religionis fundator, quem ſemper & meritò patrem vocamus, à quo non carnem putidam, ſed ſpiritum vitæ, Deo gratæ, ſuaueolentem accepimus. Pater hic docuit nos regulam, eámque nobis in legem tradidit, quam ex ore Domini in monte Sinai, in monte vitæ perfectæ, non ſine luce contemplationis, non ſine igne amoris, non ſine ſignis, atque portentis operum mirabilium, à ſe editorum, ceu Moyſes alter audiuit. Mater verò eſt ipſa religio, quā Deus ex fundatoris latere, vel ex eius corde, tā- E quam alteram Euam, eduxit. Hæc nos in vtero tyrocinij geſtauit, & non in doloribus, ſed in lætitia, & exultatione per emiſſionem profeſſionis peperit, & lacte doctrinæ ſpiritualis, aut regulæ exhibitione enutriuit. Excipiamus ergo corde regulæ diſciplinam, à tāto ac tali patre propoſitam, quæ vitæ Chriſtianæ ſumma eſt, perfectioniſque compendium, Ne manibus, & actionibus dimittamus eandem legem matris noſtræ, longè profectò ſuperantem eam, de qua dictum eſt: Verba Lamuelis regis. Viſio, qua erudiuit eum mater ſua.] *Prou. 31 1.* Illa enim lex luxuriam, & ebrietatem, & iniuſtitiam prohibet; hæc autem Angelicam caſtitatem, omnis voluptatis & ſubſtantia

A mundialis contemptum, ac perfectiſſimam obedientiam, ad omnem iuſtitiam incitantem, iubet. Quod eſt autem huius laboris præmium? Illud quidem, vt addatur gratia capiti tuo; ſeu: *Prou. 1. 8.* Et gratia faucibus tuis. Et torques collo tuo.] Gratia, ſeu gratiarum corona, vt Septuaginta verterunt, & torquis, quæ ex auro, & lapidibus pretioſis, gemmíſque texuntur, cœleſtia dona, & præcipuè virtutes omnes deſignât, quibus regulæ ac diſciplinæ amatores decorantur. Qui non tantùm Deo gratiores fiunt, verùm in omni virtute (vniuerſas enim, dum regulam obſeruant, exercent) ſe profeciſſe reperiunt. Pulchra hæc corona virtutum, eſt illa larga Domini benedictio, de qua Eccleſiaſticus ait: *Eccl. 3. 10.* In opere, & ſermone, & omni patientia honora patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in nouiſſimo maneat.] B Opere honorat patrem, qui promptè eius iuſſa complet: ſermone, qui iuſſa nimiæ auſteritatis, aut indiſcretæ grauitatis non damnat: patientia verò, qui labores ex mandatorum obſeruatione emergentes diſſimulat. In hunc ſe larga patris benedictio diffundet, vt quemadmodum ille omnibus virtutibus claruit, ita & obediens filius eodem virtutum cumulo ornatus incedat: Et ſicut ille ob virtutum inſignia fuit in cœlis coronatus, ita & hic ob ſimilem vitam congruo tempore coronetur. Vel gratia capiti & collo adiecta, veriſſimum honorem ſignificat, quo omnes illum proſequuntur, quem iudicant legis ac diſciplinæ amatorem. Nam hæc excellentia verè magna, qua quis virtutis amore & diſciplinæ obſeruantia aliis eminet, C tantam in hominum animos reuerentiam, tantum timorem inducit, vt eos libentiſſimè honorent, & in aliquo lædere vereantur, quos vident per vitæ puritatem Deo eſſe coniunctiores. Nec mirum eſt, ſi homines eos reuereantur, & laudent, quos ſciunt ab omnium conditore laudari, & in virtutum exemplum aliis proponi. Filij Rechab ad bibendum vinum inuitati, reſponderunt Ieremiæ: *Ier. 35. 6.* Non bibemus vinum; quia Ionadab filius Rechab, pater noſter, præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filij veſtri vſque in ſempiternum.] Quid autem Dominus ad Iſraelitas loquens? Certè: Præualuerunt ſermones Ionadab filij Rechab, quos præcepit filiis ſuis, vt non biberent vinum, & non biberunt vſque ad diem D hanc: Ego autem locutus ſum ad vos de manè conſurgens & loquens, & non obediſtis mihi. Quid demum ipſis Rechabitis promittit? Pro eo quòd obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, non deficiet vir de ſtirpe Ionadab, filij Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus. Nunc etiam ſunt filij Ionadab, id eſt, Chriſti; quia ſi Ionadab ſpontaneus dicitur, Chriſtus ad obeundam pro nobis mortem Patri ſe ſponte ſubiecit. Hi autem ſunt iuſti, qui abſtinent à vino propriæ voluntatis, vt ſe diſciplinæ & legi obedientes exhibeant. Iſtos Deus tepidis & imperfectis in exemplum proponit, exprobrátque illis, quòd non bonorum exemplum ſequantur, vt iram fugiant, ſed magis vitam vecordium imitentur, vt in indignatio- E nem incurrant. Eos tandem laudat, ſpe ad præmium erigit, & opera eorum tanquam ſibi gratiſſima in conſpectu ſuo ſemper ſe habiturum eſſe promittit. Hæc ergo eſt gratia, quam regulæ cuſtodes accipiunt, vt virtutum donis repleantur, & magno honore cumulentur.

Nunc tertiam miſericordiam exponamus. Tunc, inquit, ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget: ſi dormieris, non timebis; quieſces, & ſuauis erit ſomnus tuus. Si mandata, inquit, mea ex A oculis tuis non effluxerint, vt ea ſemper mediteris, & è manibus tuis nunquam exciderint, vt ea ſemper exequaris, omnia tibi proſperè euenient. Siue dormias, aut vigiles; ſeu quieſcas, aut aliquid agas; ſiue in via, ſeu in domo conſiſtas, nihil quod te perturbet, nihil quod immoderatè exterreat, nihil quod ad malum lædat, inuenies. Quidam per viam intelligunt diem, & per ſomnum noctem. Vel his duobus proſperitas, & aduerſitas, contemplatio, & actio, vita, & mors intelligenda eſt. Et ſanè hæc omnia diſciplinæ amatoribus in bonum cedunt, & in omnibus ſpiritus profectum & meritorum augmentum reperiunt. Dies eſt illis læta, & nulla ocioſitatis obſcuritate ſubnubila; quia in quadam bonarum actionum perpetuitate tranſigitur, & nox eſt illis tran- B quilla, quia partim lectione & oratione, partim neceſſaria pauſatione occupata, nulla minùs pura cogitatione fœdatur. In proſperitate non tument, quoniam illam à Domini miſeratione venire iudicant: & in aduerſitate non ſupra ordinem rationis timent, quoniam proſperum exitum habituram, Domino, cui ſeruiunt, faciente, coniectant. In contemplatione ſunt alacres, quia ſponſus eos viſitat: in actione robuſti, quia magna ad laborandum gratia confortat. In vita ſunt ſancti, quam ſanctis operibus mundant: in morte ſecuri, quam magnificæ cœleſtis patriæ promiſſiones exornant. *Rom. 8. 28.* Omnia illis cooperantur in bonum,] vt ait Paulus, & ex his, quæ amariora videntur, dulciſſimos fructus meritorum decerpunt. *Aug. epiſt. 116.* Omnia prorſus, inquit Auguſtinus, non ſolùm illa, C quæ appetuntur vt ſuauia, verùm etiam illa, quæ vt moleſta vitantur.] *Matth. 24. 47.* Dominus ſuper omnia bona ſua conſtituet eos,] nec bonum eſt aliquod, à quo non accipiant aut eruditionis, aut conſolationis, aut benignæ correctionis obſequium. Hæc obſeruatio eorum eſt vna ex partibus pietatis, quæ teſte eodem Apoſtolo [*1. Tim. 4. 8.* promiſſionem habet vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.] Futuræ quidem, in qua illi æternis præmiis cumulantur; & præſentis, quia in proſperis, & aduerſis, virtutis augmento perfruuntur. *Ioſue. 15. 19.* Axa, filia Caleb, quæ à patre in hæreditatem, [terram arentem] acceperat, [irriguam] non ſine ſuſpirio petiuit, & [irriguum inferius ac ſuperius] impetrauit. *Origen. hom. 20. in Ioſue.* Quid aliud (teſte Origene) hæc ampla largitio ſignificat, D niſi quòd filij Deo obedientes ab eo accipiunt irriguum ſuperius, id eſt æterna præmia, & irriguum inferius, id eſt, temporalia ſubſidia? His ſubſidiis communiti viam ſuam fiducialiter ambulant, dum in his, quæ aggrediuntur, Deum ſibi adeſſe conſiderant. Pedes ad lapidem non offendunt, quia impedimenta currendi, & decipulas ad aduerſario in via abſconditas, Dei luce detectas, & miſericordia ſublatas eſſe conſpiciunt. In ſomno non trepidant, quin potiùs ſecuri & fidentes, ſanctæ quieti ſe tradunt, quæ poſt exactos labores in mandatis ſeruandis nulla poteſt malæ conſcientiæ increpatione turbari. In omni ergo euentu ſunt fœlices, quia labor eſt illis ad meritum, & quies ad præmium; actio ad vtilitatem, contemplatio ad fortitudinem; proſperi- E tas ad humilitatem, aduerſitas ad ſalutem.

Poſt hanc alia diuina miſeratio ſubſequitur. *Prou. 3. 25.* Ne paueas, inquit, repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum.] Si mandata compleueris, conſiliáque ſeruaueris, cùm homines oborta calamitate grauiſſima, concutientur timore maximo, tu non paue bis, ſed ſecurus exiſtes; & irridebis inſurgentes aduerſùm te potentias impiorum, quia eas priuſquam ad te veniant, à Deo fractas & contritas aduertes. Non quòd Deus iuſtos ſuos, & ſuæ voluntatis amatores, communibus calamitatibus eximat, ſed quia

in com

in communi calamitate poſitos, ſecuros & lætos reddat, & ſicut aurum, in fornace, ſic eos in tribulatione puriores efficiat. Ferunt ergo communem calamitatem iniqui, ferunt & iuſti; ſed illi calamitate fœdantur, iſti exercentur, & puriores ac ſplendidiores euadunt. Quod animaduertens Chryſoſtomus, ſic ait: Sicut aurum, etſi aquis immoretur, propriam præfert ſpeciem, ſiue in cõflatorium ceciderit, ſplendidiùs rurſum apparet: lutum autem, & fœnum ſiue aquis immiſceri accidat, hoc quidem marceſcit, illud verò diſſoluitur; ſiue in ignem ceciderit, hoc quidem frigitur, illud autem comburitur. Sic certè & iuſtus & peccator: ille quidem ſiue remiſſione fruatur, manet ſplendidus, ſicut aurum, aquæ immerſum; ſiue in tentationem ceciderit, ſplendidior fit, ſicut aurum igne examinatum: peccator verò ſiue remiſſionem nanciſcatur, diſſoluitur, & marceſcit, ſicut fœnum & lutum, aquæ immorans; ſiue tentationem ſuſtineat, comburitur, & perditur, ſicut lutum & fœnum ab igne.] Hæc ille. Ac proinde iuſtus aduerſitatibus cinctus, non timet, & impiorum mucronibus circumſeptus, non pauet, quia ſedandam eſſe à Domino tempeſtatem, & in tutiſſimum portum fœliciter appellendum eſſe confidit. Narrat Saluator noſter ſigna illa tremenda, quæ poſtremum eius aduentum ſunt ad monitionem hominum præceſſura. Manifeſtè prædicat ſolis & lunæ defectionem, ſyderum caſus, terræ motus, maris fremitus, & omnium rerum ſublunarium pauendas mutationes, adeò vt homines areſcant præ timore, & expectatione eorum, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. Tunc verò cùm omnes trepidant, cùm vniuerſi ex ſolo auditu tantarum calamitatum tabeſcunt, ad diſcipulos ſuos, & ad voluntatis ſuæ amatores, & mandatorum obſeruatores quid dicit? His autem fieri incipientibus, inquit, reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.] Cùm alij præ triſtitia oculos in terram deiiciunt, vos præ gaudio cœlum aſpicite: cùm alij timent, vos eſtote ſecuri; cùm impij damnationem expectant, vos iuſti mei, exultate in cordibus veſtris, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Cùm plagæ mundi crebreſcunt, inquit Gregorius, hunc locum interpretans, cùm terror iudicij virtutibus commotis oſtenditur, leuate capita, id eſt, exhilarate corda: quia dum finitur mundus, cuius amici non eſtis, propè fit redemptio, quam quæſiſtis.] Tunc profectò iuſti, vt inquit Iſaias, leuabunt vocem ſuam, atque laudabunt; cùm glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari.] Quid enim facient inter mala & tribulationes poſiti, & à ſenſu eorundem malorum earundémque tribulationum erepti, niſi eum laudibus celebrare, quem habent in laboribus conſolatorem? Quare non equorum more hinnient præ lætitia, qui in mediis ærumnis huius ſæculi ita ſe gerunt ac ſi ad amœna paſcua properarent? In mari ſunt, vbi ſæpe eis minas intentat ſæua tempeſtas, ſed hanc Dominus ſedat, imperans ventis & mari, & tranquillitatem affert, vt potentiam impiorum non metuant, ſéque illi ob tam magnum beneficium gratos exhibeant.

Chryſoſt. homil. 4. ad Populum.

Lucæ 21. 28.

Gregor. hom. 1. in Euang.

Iſaias 14. 14.

Poſtremam miſerationem ex his illa verba continent: Dominus erit in latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum, ne capiaris.] Beneficium hoc longè eſt priori excellentius atque ſublimius. Nam duo mala nos cingunt; alterum, quo à viſibilibus perſecutoribus affligimur, alterum, quo ab inuiſibilibus inimicis, id eſt, à dæmonibus nunc apertè, nunc occultè, & ſub ſpecie boni tentamur. Regulæ autem obſeruatores, & diuinæ voluntatis amatores, non tantùm à malis temporalibus proteguntur, verùm & à tentationibus liberantur. Tentatio namque intellectum boni delectabilis oſtenſione allicit, & affectum vetiti amore deuincit: Domini verò protectio hos duos animæ pedes à laqueo liberat, ſi eam ſuis iuſſis obſequentem inueniat. Illuſtrat ille intellectum iuſtorum, qui ſuam voluntatem explere contendunt. Scriptum eſt enim: Intellectus bonus omnibus facientibus eum.] Viuentibus, inquam, iuxta præſcriptum timoris Domini. De quo immediatè dixerat: Initium ſapientiæ timor Domini,] & mandata ſeruantibus dabitur intellectus ſanus, iudicium integrum ac ſyncerum, quo poſſint diaboli verſutias internoſcere, & ſe à laqueo venantium liberare. His, inquit Chryſoſtomus, qui faciunt ſapientiam, & eam factis oſtendunt, bonus eſt intellectus: Intellectus bonus, inquit, quoniam eſt etiam malus intellectus, vt quando dicit: Sapientes ſunt, vt malè faciant, bonum autem facere non nouerunt. Ipſe autem quærit eum intellectum, qui in virtute ſitus eſt.] Purgat etiam iuſtorum affectum; Apoſtolorum enim pedes, eorum nempe, qui ex ſermone Domini mundi erant, ab ipſo Domino loti ſunt, vt ſciamus ſuorum affectus ab illo mundari, & à deſiderio peccatorum, ad quæ alliciebantur, exolui. Ipſe ergo Dominus, firmamentum atque protectio ad latus ſe iuſtorum oſtentat, vt non poſſint in tentationem induci. Vnde Ambroſius: Agnoſcamus quòd etiam iuſti in domo Dei poſiti, & verbo Dei intenti, tentantur quidem ſæcularibus negotiis, & affectionibus, ſed non alienantur à domo Dei, & à cuſtodia præceptorum cœleſtium.] Ad iſtos ergo pertinet, quod in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt: Oculi Domini ſuper timentes eum; protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegmen ardoris, & vmbraculum meridiani: deprecatio offenſionis, & adiutorium caſus, exaltans animam, & humilians oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem.] Ita Dominus eſt in latere iuſtorum, vt ſuos oculos in eorum neceſſitates intendat. Illis eſt protector potens, quia eos defendit à malo; & firmamentum forte, quia ipſos ſtabilit in bono: illis eſt tegmen ab æſtu, cùm à malis corporis protegit: & vmbraculum à meridie, cùm à ſuperbia, ex bonis ſucceſſibus emergente, liberat. Illis eſt depulſor offenſionis, ne ſcilicet in malum cadant: & adiutorium caſus, ne in dolos aduerſariorum impingant. Eorum tandem animas gratia exaltat, eorum mentes ſapientia illuminat, & illis omnia bona per ſanitatem, vitam, & benedictionem ſignata communicat. Hæc omnia diſciplinæ amatoribus promiſſa ſunt, & in ipſa regula aliquid habent, quo ſe à tentationum malo defendant.

Prou. 3. 26.

Pſal. 110. 10.

Ibid.

Chryſoſt. ib. To. 1.

Ierem. 4. 22.

Ioan. 13. 10.

Amb. lib. 2. de Abraham. c. 5.

Eccl. 34. 19. 20.

Ipſæ namque religioſæ regulæ, ex doctrina ſacræ Scripturæ deſumptæ, quãdam occultam vim ex ipſa Scriptura ſacra mutuare videntur, vt ſicut hæc meditata, & iaculo tentationis obiecta, tentationem abiicit; ita & illæ prauæ ſuggeſtioni oppoſitæ, eam potenter repellant. Quoties de ambitione tentatus, ſtatus religioſi humilitatem conſiderans, rubore ſuffuſus es? Et ad illecebras carnis illectus, profeſſionem caſtitatis intuens, ſubitò fuiſti fœditatis horrore perculſus? Quid hoc? Niſi quòd ipſa regula pro muro eſt, quæ vndiquaque nos cingit, & protegit, ne telis aduerſariorum vulneremur, ne ipſorum dolis quaſi vinculis capiamur. Et ſicut puer ſuum pædagogum videns, & eius ſeueritatem ac grauitatem vtcumque cognoſcens, timet aliquid facere, cuius cauſa ab illo reprehendatur, aut etiam virga vel flagello vexetur: ita religioſus oculos coniiciens in regulam, eiúſque integritatem ac puritatem aduertens, aliquid vel modicum veretur admittere, cuius cauſa dignus ſit

ab illa reprehendi,& tranſgreſſor iudicari. His magnis A Domini miſericordiis donati, dum regulam cuſtodimus, & illa, quam diximus, pace ditati, meritò fatebimur,quia pax ſuper nos & miſericordia,& ſuper Iſrael Dei. Et,ſi mundo valediximus, vt pacem quæreremus, & miſericordiam Domini acciperemus, regula profectò nobis ſeruanda eſt, quæ dum virtutes inſerit, pacem affert, & poſt pacem multiplici nunc miſeratione nos cingit,donec ad illam patriam veniamus, in qua pax perfectiſſima omnem etiam minimam inquietudinem tollet, & fœlix miſericordia, & fœlicitas miſericors omnem omnino miſeriam ſubmouebit.

Non tantùm magna, ſed & minima quæque ex regula eſſe ſeruanda.

CAPVT IX.

IN cuiuſuis familiæ religioſæ regula quædam eorum, quæ præcipiuntur, ſunt magna, quædam ſunt parua: alia grauiora, alia leuiora: & quædam omnino minima, quæ licèt non æquali cura ac diligentia, omnia tamen ſunt exquiſitiſſima mentis contentione ſeruanda. Magna magno conatu ſeruanda eſſe, nullus ignorat, quorum tranſgreſſio, grauis eſt, & à Dei C amore ac familiaritate nos ſeparat; quorum obſeruatio vtiliſſima eſt, & magnum nobis profectum importat. At minima cur magna cura cuſtodiemus, cúmque nullius ferè momenti videantur, non eſt cur eorum tranſgreſſio ſit noxia neque obſeruatio proficua? Hiſque præcipuè eorum omiſſio concedatur, qui ſunt iam vitæ religioſæ diuturnitate firmi, & aſſidua omnium virtutum exercitatione robuſti; quoniam ſicut corpora valida, & bene temperata minoribus exceſſibus non læduntur; ita animæ, virtute perfectæ, nec minimorum tranſgreſſione fuſcantur. Quarum pulchritudo tanta eſt, vt à rebus parui momenti non pendeat; quarum diuitiæ tam amplæ, vt hæc minima detrimenta non metuant. Sed re vera minima quæque, à regula propoſita ſunt, niſi penitus deſipiamus, diligenti cura ſeruanda. Hæc enim incipientibus,& imperfectis maximè neceſſaria eſſe, prætacta ſimilitudo demonſtrat. Qui cùm D ſint planè infirmi, & in virtute parum ſtabiles, non poſſunt horum omiſſione non lædi, nec tuti ſine iſtis in arrepta profeſſione perſiſtere. Nam profeſſionem religioſam non ſine ordine diſcimus: ordo verò illud poſtulat, vt priùs faciliora, poſtea difficiliora præſtemus: nunc minora & poſt modum maiora diſcamus. Quomodo autem omiſſis facilioribus ardua ac laborioſiora facies, & minimis ignoratis maiora cognoſces? Domini ſententia eſt, qua principem quendam Iudæorum increpuit: [Si terrena dixi vobis,& non creditis: quomodo ſi dixero vobis cœleſtia credetis?] Quo loco per terrena intellexit baptiſma aquæ, quòd licèt cœleſte ſit, in terra ſuſcipimus; & per cœleſtia, myſteria diuina, à ſenſibus E auulſa, quæ hîc fide credimus,& in patria clarè videbimus. Eadem verò ſententia poteſt & rerum modicarum tranſgreſſores reprehendere, aut ea tantiſper mutata ipſorum oſcitantiam damnare: quòd ſi auditis terrenis, id eſt, his, quæ terreni homines ad vitam religioſam venientes, facilè præſtant, non parent; quomodo auditis cœleſtibus, id eſt, ſublimioribus perfectionis documentis, obedient? At obſeruatio

Ioan. 3. 12.

A minimorum etiam eſt in virtute prouectis neceſſaria, cùm ea ſint velut folia, quæ & arborem ornant, & fructus aſſeruant. Sic minima rectè cuſtodita à viro perfecto, & illius virtutes cuſtodiunt, & miranda pulchritudine veſtiunt. Etenim ille redditur admirabilis, qui magnus exiſtens, minora non deſpicit, & cùm maioribus intendat, nunquam minutiora dediſcit. Aliquando mirati ſumus eximium Theologum, grauiſſimis ſtudiis occupatum, qui inter tyrones artium liberalium poſitus, ita minutias grammaticorum, & puerilitates dialecticorum tractat, ac ſi ante duos dies illas ex profeſſo didiciſſet, & in nullo alio ſuam operam collocaſſet. At multo magis vnum perfectum admiramur ita modica diſciplinæ ſeruantem, vt in eis feruentes nouitios excedat, & non B ſolùm conuerſatione ſua maiora doceat, ſed ſemetipſum vitæ exemplo magiſtrum minimorum exhibeat. Et ſanè ea ſententia Plutarchi inſignis Philoſophi iudicium eſt magnæ virtutis, minora curare, & paruulos quoque defectus timere. Eius verba ſunt: [Non mediocre argumentum eſt, nos in virtute progredi, ſi nullum iam peccatum leue & exiguum putemus, ſed omnia ſtudioſè vitemus, atque obſeruemus. Vt enim qui diuites ſe fore deſperant, paruos ſumptus facere pro nihilo habent, quod nihil magni futurum putant, ſi paruum paruo adiiciatur: ſpes autem propiùs ad finem accedens, ſimul cum diuitiis auget diuitiarum amorem: Ita in virtute, qui non dicit: Quid tum poſtea? modò ſic, aliàs meliùs, ſed ſingulis intentus, vbi vel minimo peccato vitium ſe C inſinuans, venia locum dare videtur, ægrè fert, & indignatur, ſatis oſtendit, ſe purum aliquid ſibi iam comparaſſe, quod inquinari nullo modo velit] Omnibus ergo tam incipientibus quàm prouectis, neceſſarium eſt minimas culpas vitare, & minima nobis iniuncta ſolerter cuſtodire.

Plut. lib. de profe. ctu virt. ſentiēda.

Hoc cùm ita ſit, inueſtigemus aliqua, quæ omnes valeant ad diligentem minimorum cuſtodiam allicere. Ex quibus illud magni momenti eſt, quòd qui modica non cuſtodiunt, in magnum diſcrimen delinquendi & cadendi incidunt. Ponamus modò (quod certum eſt) multa ex regula, & ex ſtatutis religioſorum ad peccatum non obligare, atque adeò ſine vllo peccato, non tamen ſine incurſione pœnæ, ſub qua iubentur, poſſe dimitti. Sed non obid ſunt habenda contemptui, quæ ſæpe alia ratione ad peccatum obligant, & eſto, quòd nulla ratione pecca- D tum in ſe habeant, ad multa peccata, & multa ſcandala animum tranſgredientis præparant. Dici aliqua minora, licèt non à regula ſub interminatione peccati iubeantur, alia ratione peccatum continere, & non me pœnitet: nam ita eſſe, nemo qui attentè conſideret, negare poterit. Cuius rei vnum, aut alterum exemplum ſubiiciamus. Regula ſilentium præcipit, & non obligans ad culpam, ſed ad ſolam pœnam præcipit: at ſilentij prætermiſſio, & verborum otioſorum, & ſuperfluorum prolatio, peccatum eſt, non quidem quia regula vetuit, quæ in hac re ad peccatum obligare noluit, ſed quia talia verba ex ſe illicita ſunt, tanquam debito fine carentia, & quia Dominus ea prohibuit, dicens: [Dico autem vobis, E quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.] Regula contentiones vetat, & tantùm interminans pœnam vetat, at contentio, peccatum eſt, non quia regula vetat, ſed quia contentio rectæ rationi contraria eſt; quam Paulus inter opera carnis enumerat, & alio loco præcipit, vt [nihil per contentionem] fiat. Conſtitutio religionum ferè omnium inuiolabiliter tenet, vt religioſi, non ſoli, ſed aſſociati

Matth. 12. 36.

Galat. 5. 20. Phil. 2. 3.

incedant,

Google

incedant,quæ etiam non inducit peccatum:quis autem non videat religioſum adoleſcentem delinquere,ſi dum ſocium ſine cauſa deſerit, & ſolus incedit, aut ſe periculo alicuius peccati exponeret, aut ſcandalum generaret? Nam qui amat periculum, ait Eccleſiaſticus,in illo peribit:] perit,inquam,non ſolùm quando in ipſum periculum , cui ſe expoſuit, cadit,ſed etiam licèt non cadat , quando temerariè ſe periculo caſus exponit. Et qui fratrem ſcandalizat, atque contriſtat, vt Paulus ait, non ſecundùm charitatem ambulat.] Si ergo indiligentia hæc minora tranſgredi,aliqua ratione peccatum eſt,iam apparet quàm ſolicitè ſint cura ſeruanda, ne in peccatum labamur,& ne ex peccatis minoribus , depoſita verecundia , ad maiora properemus. Certum eſt enim,minora delicta, præſertim inuerecundè commiſſa , ad grauiora aditum aperire : quod & ſuprà à nobis monſtratum eſt , & Chryſoſtomus hac luculentiſſima oratione confirmat. Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo.Solet mihi nonnunquam non tanto ſtudio magna videri peccata eſſe euitanda,quanto parua & vilia ; illa enim vt auerſemur, ipſa natura peccati efficit : hæc autem hac ipſa re, quia parua ſunt, deſides reddunt ; & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionẽ eorum animus generosè inſurgere. Vnde citò ex paruis magna fiunt negligentia noſtra : Hoc ipſum corporibus quoque accidere videbis. Sic in Iuda maximum proditionis malum exortum eſt:niſi enim putaſſet, paruum eſſe, pecuniam inopum ſurripere , in tantam proteruitatem non deueniſſet. Iudæi quoque niſi putaſſent inanis gloriæ delictum minimum eſſe , vſque ad cædem Chriſti lapſi non fuiſſent. Hac via omnia ſcelera fieri videbis. Nemo enim repentè ad extremam improbitatem inſiliit. Habet quippe inſitum quendam anima pudorem atque innatum , quem ſubitò calcare,atque proiicere non poteſt : ſed ſenſim , atque paulatim ex negligentia perit. Hoc pacto etiam idolorum cultus aditum inuenit , cùm vltrà quàm oportet, viui ac defuncti nonnulli honorarentur. Hoc pacto ſimulachra & ſtatuæ adoratæ ſunt. Hoc pacto denique fornicatio & cætera vitia dominantur. Conſideremus autem ſi nimium quidam ac importunè riſit, reprehenſus à quopiam eſt : reſpondet alius,nihil eſſe id mali. Quid enim eſt riſus,aut quid vnquam ex riſu mali ſequetur ? Orta tamen ex immoderato riſu pauliſper ſcurrilitas,à ſcurrilitate turpiloquium , à turpiloquio operatio turpis profecta eſt. Cùm alius proximo malediceret,ac conuitia diceret,reprehenſúſque eſſet,contempſit, dicens nihil eſſe mali huiuſmodi verbis vti : ſed hinc diſſidia & odia nata ſunt,inde inimicitiæ capitales,hinc contumeliæ, à contumeliis porro pulſatio , ac inde cædes plerumque ſecuta eſt.Sic à minimis ad maxima gradatim diabolus ducit.]Hactenus Chryſoſtomus.

Eccl. 3. 27. — *Rom. 14. 15.* — *Chryſoſt. hom. 88. in Matt.*

At demus, hæc minima nulla ratione eſſe peccata,quia neque à regula ſub peccato vetita,neque alio mandato prohibita, neque periculo ſcandali aut caſus expoſita;adhuc ſunt multa cura ſeruanda. Quare?Quia hæc præterire ad imperfectionem,& quandam ſpiritus laxitatem pertinet,qui minorum obſeruatione , ne effluat , quaſi ligamento conſtringitur. Quia in propoſito implendæ diuinæ voluntatis deficimus , & Domini monita ac conſilia calcamus. Quia firmam voluntatem regulam ſeruandi deſerimus,& pollicitationem nos ſtatui religioſo accommodandi præterimus. Quia à ſemita perfectorum elongamur , & vias latas tepidorum & imperfectorum ingredimur. Quia denique aliqua minora ſunt tanti momenti,vt illis reiectis inſipiens homo minùs

A aduertens,à ſe non perfectionem tantùm, ſed & ſalutem abiiciat. Nam ſi ad os putei accedas,fortè cades:& ſi te in ignem conicias,ſine dubio combureris. Sic prorſus ſi minora tollas,poſt quæ diſcrimen peccati latet,forſitan peccato fœdaberis Ingredi cellam alterius fratris abſque ſuperioris permiſſu,peccatum non eſt,licèt apud nos cõſtitutione vetetur. At in hoc quanta eſt peccatorum occaſio?Si enim clam & abſente fratre ingrediaris,fortè aliquid è cella tolles , aut quod non oportebat ſcire , leges:ſi verò de fratris aſſenſu & eo præſente introeas,quanta otioſa dices,quanta detractoria loqueris,quantum temporis ſine fructu elabi ſines , & quomodo malo exemplo tuam imperfectionem videntes lædes ? Similiter cùm domo de licentia ſuperioris egredimur , vetitum eſt nobis aliò ire,quàm ipſe permiſit. At tu ſo-
B cium ineſcas, & domum aliquam ſine facultate ſuperioris ingrederis. Quantum eſt in hoc delinquendi periculum, cùm diabolus ibi laqueum abſcondit, quo te comprehendat,& ſanctiſſimum,quem profiteris,ſtatum traducat? Paſſerculus in arbuſcula ſine timore ſedet,& viſco capitur atque tenetur : ſic ſæpe inſipiens homo,domum quam non decebat,ſecurus ingreditur , & occaſione , quam nec ſomniauerat, quaſi laqueo ligatur. Dicitque non ſine luctu illud Ieremiæ : Quare factus eſt dolor meus perpetuus & plaga mea deſperabilis renuit curari?Facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium.] Quaſnam tu putas eſſe aquas infideles ? Nonne illæ ſunt quæ primo aſpectu , nec digitos pedum operire videntur , ſed tamen profundiſſimæ , & miſerum ho-
C minem obruunt,atque demergunt?Sic ſunt quidam defectus,& quædam virorum ſpiritualium tranſgreſſiones,principio quidem medicatu faciles, tempori verò progreſſu difficiles,quę in dolores perpetuos & plagas deſperabiles tranſeunt , & vix aliquam curationem inueniunt. Neſcitis ,inquit Paulus, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Id autem dicit, quia peccatum vnius quod diſſimulamus,& non arguimus,multos contaminat,& paulatim in totam ſe congregationem diffundit. Sed idem de quibuſdam paruis defectibus poſſumus ſine vlla exaggeratione fateri, quòd in aſſuetudinem verſi,mentem eneruant, & vitam omnem ſpiritualem inquinant, dum maiorum peccatorum ſemina exiſtunt.In bonis profectò modica initia deſpicienda non ſunt, quæ paulatim in magnam abundan-
D tiam excreſcunt. Quod ſignificat illa ſententia Baldad, Iobum ad iuſtitiam adhortantis : In tantum vt ſi priora tua fuerint parua, & nouiſſima tua multiplicentur nimis.] Deus, inquit, ob iuſtitiæ opera, mentem tuam pacatam reddet, & modica virtutum ſemina ita multiplicabit, vt ex incipiente perfectus, & ex paupere diues fias.Et in Zacharia ſcriptum eſt: Quis deſpexit dies paruos?] Ac ſi diceret; nemo debet diuitiarum tenuitatem aſpernari,quia paucis bonis aſſeruatis,bonorum abundantia ſuperueniet. Ita ergo nec ſunt malorum initia contemnenda,quia ex initio mali ad malum progredimur, & ex modico malo ad magnum malum currimus,& ex illo ad cor-
E dis duritiam feſtinamus.Prouerbium eſt non hominis,ſed Dei:Qui ſpernit modica,paulatim decidit.] Si enim curare parua negligimus,ait optimè Gregorius , inſenſibiliter ſeducti, audenter etiam maiora perpetramus. Et alio loco : Qui peccata minima flere ac deuitare negligit,à ſtatu iuſtitiæ. non quidem repentè,ſed partibus totus cadit.] Modica itaque tenenda ſunt,ne poſt paruum relictum,reliqua abeant, & nos pauperes vacuóſque dimittant.

Ierem. 15.18. — *1. Cor. 5. 6.* — *Iob. 8.7.* — *Zach. 4. 10.* — *Eccl. 19. 1.* — *Greg. 10. mor. c. 9. 3 P paſtoral. adm. 4.*

Alia ratio huic proximè accedit, ob quam debe-

mus diligenter parua ſeruare. Quia nimirum dum hæc oſcitanter tranſgredimur,& minimis erratis admittendis aſſueſcimus, timorem grauiorum patrandorum amittimus. Veſtis paulatim atteritur, & qui hodie aliquantulum detritam veſtem geſtare non metuit, cras magis detritam, & poſt paucos dies omnino laceram ſine vllo rubore geſtabit. Sic qui conſcientiam paruis defectibus hodie deterit, poſt non multos dies, maioribus ſine pudore diſcindet. Hæc autem cauſa eſt, quare idem ſanctus Pater Gregorius paruos defectus quodammodo plus quàm

Greg. in Paſtoral. vbi ſuprà. magnos, timendos eſſe decernit. Admonendi ſunt, inquit, qui in minimis frequenter excedunt, vt ſolicitè conſiderent, quia nonnunquam in parua deterius quàm in maiori culpa peccatur. Maior enim quo citiùs, quia ſit culpa, agnoſcitur, eo etiam celeriùs emendatur. Minor verò, dum quaſi nulla creditur, eo peiùs, quò & ſecuriùs in vſu retinetur. Vnde fit plerumque, vt mens aſſueta malis leuibus, nec grauiora perhorreſcat, atque ad quandam auctoritatem nequitiæ per culpas nutrita perueniat, & tanto in maioribus contemnat pertimeſcere, quanto in minimis didicit non timendo peccare.] Dum itaque vis à magnis cauere, noli, vt caueas, parua negli-

Eccl. 11. 34. gere. A ſcintilla enim vna augetur ignis, & ab vno doloſo augetur ſanguis.] Et quis vitæ ſpirituali magis doloſus, quàm paruus defectus, qui maioribus adi-rum aperit? Hic profectò timendus eſt, ne ſangui-

n. 35. nem augeat, id eſt, ne grauiora peccata inferat. Attende, ô iuſte, tibi à peſtifero;] ab eo nempe leui defectu, qui ſolet ad maiora pertrahere: [fabricat enim mala;] & ſicut in ædificatione domus, quaſi ſuper vnum lapidem alterum, ita vnum peccatum ſuper aliud imponit; [ne fortè inducat ſuper te ſubſannationem in perpetuum.] Admitte ad te alienige-

n. 36. nam, nimirum illud opus, quod à tua profeſſione alienum eſt, & ſubuertet te in turbine, ac non ſine moleſtia tua ac turbatione diſperdet, & abalienabit te à tuis propriis,] quia virtutum faciet pauperem, dum facit laxitatis amatorem. Et dum tibi in quibuſdam defectibus condeſcendis, à nomine perfecti

Chryſoſt. hom. 23. in Geneſ. iuſti excides. Hoc enim nomen, iuſtus, inquit Chryſoſtomus, conſueuimus dicere de his, qui omnigenam exercent virtutem. Et poſtea de iuſto Noë loquens: Omnia, inquit, impleuit, quæcumque facere conuenit eum, qui virtutem amplexatur. Hic enim eſt perfectus. Nihil enim intermiſit, in nullo claudicauit. Non tamen hoc bene faciebat, in illo verò peccabat: ſed in omni virtute perfectus erat, qua tunc pollere illum congruebat.]

Sed aliqua ſunt in vita ac profeſſione religioſa ita minima, vt neque ipſa peccata ſint, neque ad aliquod peccatum trahant. Fateor. Sed hæc etiam debent ab omnibus, tum nouitiis, tum prouectis, ac ſenibus ſolicita cura ſeruari. Nam & hæc parua diuinæ voluntati ſunt conſona: quis autem parua deſpiciat, quæ magna Dei & ſancta voluntas probauit, & facienda eſſe præſcripſit? Hæc parua à magnis & perfectis viris noſtri ſtatus fundatoribus ſunt ſapienter inſtituta: & magna eſſet irreuerentia, quæ tanti viri ſanxerunt, aut ſuperbè negligere, aut nulla exiſtente cauſa calcare. Hæc parua ſpirituales viri, mundiciæ auidi diligenter obſeruant; & qui per eorum viam non incedit, nunquam ad magnam animi ſanctitatem perueniet. Ac tandem in his paruis magnum quid ac excellens contemplamur, quòd ſine contemptu prætermiſſa, parum, aut fortaſſis nihil nocent, cuſtodita verò valde proficiunt. Quia rerum minimarum appoſitione magnum meriti pondus acquiritur. De

Baſil. qua re hæc ſapienter dixit Baſilius: Qui enim di-

A ligēter ex vnaquaque re fructum decerpunt, iis, perinde ac magnis fluminibus, multæ omni ex parte acceſſiones fieri conſueuêre. Nam modicum modico apponere, non magis in argenti quàm in cuiuſque alterius ſcientiæ additione, ad amplitudinem valere exiſtimandum eſt.] Et ſanè ſi magna non facimus, & parua deſpicimus, quanam ratione ſpirituales diuitias mentis augebimus? Ne ergo contemnamus ſeruare parua, quotū labore, ſi non perfectorum præmia conſequemur, ſaltem peccatorum ad Deum conuerſorum mercede donabimur. Valeátq; ad hoc ſcita oratio Chryſoſtomi, qui ſic ait:

Vbi aſſurgere ad ordinem ſolis aut lunæ non datur, ne contempſerimus aſtrorum cœtum, donec tantum virtutis de nobis præbuerimus, vt liceat incolere *Chryſoſt. epiſt. 5. ad Theodor. lapſum, n. 5.*

B cœlum. Si non aurum, ſi non pretioſus lapis habebimur, ad argenti modum pertingentes, adhuc permaneamus in fundamento. Id vnum curæ ſit, ne ad eam deflectamus materiam, quam ignis citò corripit: deinde cùm videmus egregia facinora ſuperare captum noſtrum, minora perfeciſſe, nihil pudeat. Reiicere enim parua, vbi magna conſequi non vales, extremæ eſt dementiæ, quam omnibus modis effugiamus. Quemadmodum enim opes corporis accumulantur, cùm amatores illarum ne minimum lucellum negligunt: ſic ſpirituales diuitiæ: Num abſurdum apparet, quòd iudex quoque frigidi poculi mercedem rependit? Atqui nos ſtolidiores, niſi magna benefacta poſſimus, minorum curam omnem abiicimus. Minima qui non deſpicit, accurato ſtudio vel maxima perficiet: qui verò illa faſtidit, ab his inte-

C rim excidet; quod ne contingat, libuit Chriſto pro illis mercedem ampliſſimam certò polliceri.] Hæc ille. Certè pro operibus paruis magna & excelſa præmia ille daturus eſt. Et fortaſſis hoc indicant illa verba Saluatoris: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.] Licèt enim pauca illa, *Matth. 25.21.* auctore Hieronymo, Beda, & Anſelmo, temporalia *Hier. Beda, Anſ. ibid.* ſignificent, quæ comparatione æternorum exigua ſunt, & propter fidelem diſpenſationem illorum bona ſemper duratura mereamur: Etſi etiam ſecundùm alios omnia, quæ agimus, & quæ patimur, ſignentinam vniuerſa hæc ſi cum præmio conferantur, pauciſſima & nullius momenti ſunt, iuxta illud: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad fu- *Rom. 8. 18.* turam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.] At ſi

D Chryſoſtomum ſequamur, qui talenti nomine quicquid facere poſſumus, intelligit: verè etiam parua, & *Chryſoſt. hom. 18. in Matt.* modica pro Chriſti amore ſuſcepta, ſunt in talentis comprehenſa, quæ à nobis nōn omiſſa, Domino grata ſunt, & laudibus ab eo delatis prædicabuntur, & magnis præmiis afficientur. Nec mirum quòd Dominus hæc exilia laudet, & præmiet, qui ſicut eſt ſuperborum contemptor, ita eſt amator humilium: hęc verò parua à viris magnis, & litteratis, & in virtute prouectis ſyncerè præſtari, apertum eſt humilitatis indicium. Superbi, & qui ambulant in magnis, & in mirabilibus ſuper ſe, hæc parua diſciplinæ religioſæ deſpiciant, & ſe fractores diſciplinæ proteſtentur, vt

E à Domino rideantur. At humiles modeſtique religioſi ea ſuſcipiant, & opere compleant, vt ſapientes & Deo grati prædicentur. Sciunt namque illi, & experimento comperiunt, ſe à Domino in minimis, quæ poſtulant, exaudiri, & non ſolùm magna virtutis merita, ſed & puerilia quædam, quæ deſiderant, vt tentatiunculæ abſceſſum, doloris alicuius leuamen, aduentum amici, quo iuuantur, & alia ſimilia concedi. Et vt vicem tam benigno patri rependant, licèt illi iam ſint virtute perfecti; curant in minimis

Dominum exaudire, & voluntatem eius non ſolùm in magnis, verùm & in paruis explere. Petit namque ille à nobis hæc parua, vt ſplendorem ſtatus noſtri ſeruemus, vt tyronibus, & adoleſcentibus exemplo præluceamus, & vt ad magna virtutis faſtigia admittamur, dum his minimis præ humilitate nos indigere profitemur.

Quis modus in Regulæ obſeruatione tenendus.

CAPVT X.

SI hæc, quæ de regulæ cuſtodia dicta ſunt, ſeriò apud nos expendimus, & attenta mente conſideramus, facile erit intelligere, quem modum in regula ſeruanda tenere debeamus. Nam ſi cuſtodia regulæ, ac inſtitutionum religioſarum, nihil aliud eſt, quàm omnium exercitatio virtutum, ſi ea veram mentis pacem omnium bonorum amabiliſſimum aſſequimur, & miſericordiam Dei capaces efficimur, quis non intelligat, regulam, ac inſtitutiones iſtas peruigili eſſe diligentia ſeruandas? Certè extraordinaria cura ac ſolicitudine ſeruandę ſunt, ac ea diligentia, quam ipſæ exigunt, eáq; perfectione, quam ipſæ præſcribunt omnimodis adimplendæ. Nihil eſt in vita religioſa, cuius perfectio, non, regula dictante, monſtretur. Ipſa ducet quomodo orandum ſit, & quomodo in pias ac ſalutares actiones incumbendū: ipſa exponit, quid in rebus ſeriis, & quid in ludicris, ac animi remittendi gratia ſuſceptis agendū: ac tandem præſcribit, quid ſit cum Deo, quid cū proximis, & quid cū nobiſmetipſis obſeruandū. Res tanta non perfunctoriè, non tepidè, non indiligēter impleatur, ſed intentè, feruidè, diligēterque ſeruetur. Ea namq; ex quibus aut ſubſtantia mundialis, aut honos, aut temporalis vita dependet, diligentiſſimè exequimur: quidni ex præſcripto regulæ iuſſa diligenter exequamur? In his enim eſt animæ noſtræ ſubſtantia, quæ non nummis, ſed virtutibus, ſed pace, ſed Dei miſericordia accreſcit: in his verus & ſolidus honor, quem executioni mandata virtus acquirit: in his vita in æternum duratura, quam minimè poſſidebit qui præcepta ſibi impoſita violauerit; qui verò minora fregerit, quæ leuia peccata continent, eam nonniſi per ignem, & cruciatum, & ardorem acquiret.

Sed hunc modum in regula ſeruanda tenendum ſigillatim exponamus, quem in Deuteronomio deſcriptum aſpicio, dum quæ de diuinis præceptis ſcripta ſunt, ad regulæ obſeruationem extendo. Erunt, inquit, verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis, ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, ſcribéſq; ea in limine & oſtiis domus tuæ.] Nihil aliud deſiderari poteſt ad diuinam voluntatē implendam, quàm id, quod ipſa diuina voluntas à nobis exigit, quæ ſi compleuerimus, fideliſſimi erimus diuinorum verborum obſeruatores. Octo autem ſunt, ſi attentè hęc verba penſentur, quæ à viris iuſtis exiguntur, vt Domini ſui iuſſa perficiant, quæ nunc exponemus, vt ipſi iuſti legentes, quę ex ore tanti magiſtri didicerint, actione præſtare contendant. Primum & caput omnium eſt: Erunt que verba, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo. Attendendum eſt quis pręcipiat, & quando præcipiat, vt hæc dum tanquā duo funes validiſſimi nos ad honeſtè viuendū trahāt. Quis præcipit? Deus. Quando præcipit? In die huius vitæ, quæ nobis ad diripiendum cœlorū regnum data eſt. Si magiſtrorum, aut parentum, aut Prælatorum, aut regum monita ſuſcipimus; quanto magis verba illius ſuſcipienda ſunt, qui magiſter eſt ſalutis, qui parens eſt vitæ, qui Dominus eſt vniuerſorum, qui rex eſt cæli & terræ, cuius dicta ſi contemnamus, magiſtri, & patris, & Domini, & regis vniuerſorum dicta contemnimus? Huius verò vitæ dies breuis eſt, & ad expugnandum cœlum fœlicitatémque luctandum; quare neceſſe eſt non morari, neque in re tanti momenti pigreſcere.

Deut. 6. 6.7.8.

Verba ergo Dei, nobis ad perfectionē aſſequendā expoſita, habeamus in corde, id eſt, magna reuerentia ſuſcipiamus, pretioſiſſima exiſtimemus, & magno amore amplecti curemus. Hoc enim eſſe habere aliquid in corde, docet Paulus ad Philippenſes ſcribens: Eo quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis.] Diligo vos, inquit, non verbo & lingua, ſed opere & veritate in corde meo tanquam chariſſima pignora geſto, & vinculorum meorum compaſſione ſocios habere delector. Sit ergo regula in codice, ſit in ore, id non prohibeo, ſed multo magis ſit in corde. Æſtimemus illam, tenerrimè diligamus illam, non onus, ſed honorem; non iugum importabile, ſed libertatem eius cuſtodiam reputemus. Sponſa ſponſo ſuo inter vbera, vbi ſedes eſt cordis, locum dare decernit. Faſciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.] Meditabar nunc (& aliorū ſenſibus non præiudico) ſponſum myrrhæ faſciculo cōparari, quoniā eius voluntas multa à nobis exigit, vnâ regulâ tanquā vno faſciculo comprehēſa, ſenſui quidē carnis amara, ſed mēris affectui ſuauia; quæ à putredine vitiorum liberant. Hic ergo faſciculus inter vbera commoretur, & in præcordiis locum inueniat. Ibi virgines pretioſiora & chariora recondunt; ibi iuſta anima mandata perfectionis abſcondat. Caſtæ virginis vbera inacceſſibilia ſunt, nulli, niſi ſponſo, cui dicitur: Tibi dabo vbera mea, ea manu tangere, aut oculis videre permittitur.] Ibi regula commoretur, vbi alienus non accedat, vbi dæmonis perſuaſio nullam ei iniuriam inferat. Cor a liens curis vacuetur, & ſolicitudinibus huius ſæculi detergatur, vt hanc curam ſummè ſibi neceſſariam aſſumat. Nam vt ægrotus ex graui & periculoſa inualetudine conualeſcat, opus eſt vt medicus ſedulò ac diligenter cauſas morbi diſquirat, & congrua medicamenta applicet: opus etiam eſt vt ipſe ægrotus, non minori ſolicitudine medicamenta accipere, & moleſtias curationis ſuſtinere curet. Quia cura medici cum incuria ægroti parum, aut nihil ad ſanitatem comparandam conferret. Et nos cùm eſſemus in ſæculo, quaſi ægroti deſperati, non carne, ſed (quod grauius eſt) mente, in vitam religioſam, vt in valetudinarium nos recepimus, ne æternam mortem incurreremus. Medicus ægrotationum noſtrarū eſt Chriſtus, qui ſolicita cura ſaluti animarū intendit. Cuius typus fuit ille Samaritanus, qui miſericordia motus eius qui inciderat in latrones, curam illius egit: & ſtabulario, nempe Prælato, curam illius habere præcepit. Vnde Ambroſius: Hic Samaritanus deſcendens quis eſt? Niſi qui deſcendit de cælo Filius hominis, qui eſt in cælo? Hic videns ſemiuiuum, quem nemo poterat antea curare, ſicut illam, quæ fluxu ſanguinis profluens in medicos erogauerat omne patrimonium ſuum, venit ſecus eum, hoc eſt, factus cōpaſſionis noſtræ ſuſceptione vicinus. Et poſt pauca. Curam illius egit, ne æger ea, quę acceperat, nequaquam pręcepta ſeruaret.] Sed pręter curam medici, opus eſt vt & nos medicamēta ab eo propoſita, quę sūt regulę pręcepta ſumamus, & quæ ipſe pręſcripſerit, ſeruare curemus.

Phil. 1. 7.

Cant. 1. 13.

Cant. 1. 7. 12.

Luca 10. 34.

Ambr li. 7. in Lucam ad eundem locum.

Sint ergo, ô religioſe, verba hæc Domini in corde tuo, & ea magna ſolicitudine cuſtodienda ſuſcipito, quia iniuriam illis facis, ſi tanti momenti documentis oſcitanter intendis.

Nec ſolùm hoc: ſed & narrabis ea filiis tuis. Illos eſſe tuos filios intelliges, qui poſt te viam perfectionis ingreſſi, tuum fuerunt inſtitutum amplexi. His non tam verbo, quàm opere regulæ præcepta narrabis; eos vitæ tuæ exemplo quomodo ſint ſeruanda docebis; & quemadmodum à maioribus accepiſti, ipſa pura & illibata poſteris trades. Non fracta, non laxata, non malè interpretata, ſed ſicut à ſanctiſſimo fundatore data & obſeruata ſunt, integra, pura, & ſimpliciter intellecta relinques. Curandúmque tibi eſt, vt religio, & diſciplina nunquam ſeneſcat, ſed ſemper pulchra, robuſta, & tanquam in iuuenili ætate perſiſtat. Ita ſanè, vt nunc poſt multos annos, immò & poſt multas annorum myriadas dicatur de ea, quod ſcriptum eſt in Oſea: Et canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ, & iuxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Ægypti.] Vel (iuxta interpretationes aliorum, quas Hieronymus refert) humiliabitur, vel affligetur, vel obediet ibi, nempe in ſolitudine, ad quam vocata eſt, ſecundùm dies iuuentutis ſuæ. Nempe vt ſicut in exordio fundationis ſuæ, ſtatus noſtri cultores ſeipſos Deo humiliarunt, corporis ac carnis impetus fregerunt, Prælatis paruerunt, & aduerſariis inſultantes, victoriæ carmina decantarunt; ita & poſteri noſtri (quod ad nos attinet, & ſi nos imitentur) eodem modo ac illi priores ſe deiiciant, mortificent, & obediant, & carmina victoriæ decantent. Certè inter rem datam, & rem commodato acceptam hoc diſcriminis intercedit, quòd rem datam nobis tanquam rem noſtram poſſumus deteriorem efficere, deſtruere, peſſundare, & in ſterquilinium proiicere: at rem commodatam, integram, & eo modo ac eam accepimus, commodanti debemus tradere. Regula autem quid eſt? Nonne tanquam veſtis commodata, qua operiamur? Nonne velut enſis commodato acceptus, quo ab hoſtibus defendamur? Non igitur licet nobis eam dilapidare, ſed Deo, qui eam commodauit, in ſucceſſoribus noſtris integram & inuiolatam reſtituere. Sic pecuniam Domino multiplicatam reddemus, quia dum regulam pecunia ſignatam integram poſteris tradimus, non exigua meritorum augmenta, quæ gloriam illi, nobis autem vtilitatem afferant, in theſauros eius recondimus. Sic increpationem illius effugiemus, qui audiuit: Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, vt ego veniens cum vſuris vtique exegiſſem illam?] Nam & regulam inuiolatam reddimus, & cum vſuris meritorum eam Domino conſecramus. Nec illa lege Deuteronomij tuam, ô homo, negligētiam excuſes, qua dictum eſt: Fratri tuo abſq; vſura id quo indiget, commodabis.] Nam Chriſtus frater tuus eſt, Dominus ſupremus, qui ſuis legibus non tenetur, & ſicut temporalia gratis omnino donat; ita ex ſpiritualibus donis vſuras bonarum actionum noſtrarum libenter acceptat. Mos reipublicæ eſt iuſtis legibus approbatus, vt ſponſa in domum ſponſi dotem adducat, eámq; illi tradat, vt toto coniugij tempore ſponſam ſuſtētet, & onera ſtatus ſuſcepti ferat. Sed cùm vinculum cōiugij morte ſponſi diſſoluitur, & tota integra dos ſpōſæ, cuius erat, reſtituitur, quam dotem ſi maritus diſſipauit, aut aliquantulum attenuauit ex bonis ſuis, damnum ſponſæ illatū cogitur reſarcire. Religio autem, ô religioſe vir, & mater & ſponſa tua eſt: mater, quia te genuit; & ſponſa, quia ſe tibi indiſſolubili amore copulauit, & ad procreandos meritorum filios adiunxit. Dos huius nobilis ſponſæ

Oſee 2. 15.

Lucæ 19. 23.

Deut. 23. 20.

A ditiſſima, non eſt alia, quàm regula, quā dum nos in ſuam domum admittit, in manibus tradit, vt eam negotiationi exponētes, id eſt, actione complētes, ſponſam ſuſtētemus, (quæ ſine cuſtodia regulę peribit) & ſtatus noſtri onera ſuſtineamus. Hanc dotem, tu, cùm ex præſenti vita exceſſeris, integram in ſubſidiū ſponſæ intactámque relinquito, ne ſi eam diſſipaueris, & minimè reſarcire volueris, terribilibus ignibus torquearis. Immò & ſit in te tam ardens in amabilem & pulchram ſponſam amor, vt zelo diuinæ glorię & tuę perfectionis incitatus, illi dotem ſuam non ſolùm integram, ſed & auctam & multiplicatam coneris reddere. Id fecit & Salomon in hac re, quæ ad coniugem, filiam Pharaonis, pertinebat, ſeipſo prudentior: qui cùm Gazer ciuitatem igni ſuccenſam acce-

B piſſet in dotem, eam ædificauit, vt ſponſę dotem non dirutam, ſed optimè conſtructam & muris cinctam poſſideret. O facinus rege dignum, quod tu imitaberis, ſi dotem, id eſt, religioſam regulam aliquatenus à tepidis labefactatam reſtaurare, & ad priſtinum nitorem reuocare nitaris. Si meliùs & perfectiùs quàm alij paupertatem, caſtitatem, obedientiam, contemptum ſæculi, & alia ad regularem ſtatum pertinentia ſeruaueris, ciuitatem Gazer (quæ interpretatur præciſſio) ædificas, dotem auges, quæ te à conſortio malorum abſcindit. Poſt mortem tuam lugebit te religio, ſponſa tua, & non ſine lacrymis tui memoriam habebit, quòd fidelem ſponſum, & ſui honoris zelatorem amiſerit. Hoc eſt regulam filiis narrare, eam, ſicut nobis tradita eſt, illibatam relinquere.

3. Reg. 9. 17.

C Hoc autem deſiderium regulam perfectiſſimè obſeruandi ſuccēdes, ſi quod ſequitur exequaris: Et meditaberis in eis, ſedens in domo tua. Meditationē regulæ & non quamcunq;, ſed attentā, ſed ex profeſſo aſſumptam, ſed per multū tempus durantē hæc verba depoſcunt. Quæ longa ſunt, & multum momenti ac multum laboris habent, ſolemus non ſtantes, ſed ſedentes perficere. Regulæ verò obſeruatio res lōga eſt, quam adoleſcentes incipimus, viri perſequimur, & ſenes, atq; in decrepita ætate conſtituti, non prætermittimus. Res etiā operoſa eſt, quæ in nobis quicquid Deo ingratū eſt, reiicit, & affectus noſtros moréſque componit: non ergo curſim & feſtinanter legenda eſt, ſed diligenter & ſeriò meditanda. Hæc legem Dei continet exquiſitiùs quàm ſæcularibus propoſitam, & perfectiùs explicatam, & vſq; ad eorum, quæ in cōſilio ſunt, obſeruationem aſſumptam: quid

D mirum ſi à nobis eius intentiſſima meditatio poſcatur? Huiuſmodi certè meditatio Dei miſericordiam promeretur, quod cognoſcens Dauid ait: Veniant mihi miſerationes tuæ, & viuam: quia lex tua, meditatio mea eſt.] Nec putandum eſt, illum, ob aridam & celerem meditationem legis, diuinam miſerationem popoſciſſe, ſed ob illam, quæ ira ſapienter diuinam voluntatem conſiderat, vt ad eam amplectendā & opere complendā inducat. Ad quod confirmādum pulchrè dixit Auguſtinus: Hæc meditatio niſi eſſet in fide, quæ per dilectionem operatur, nunquam propter eam poſſet ad illam vitam quiſpiam

E peruenire. Hoc dicendū putaui, ne quiſquā, cùm totā legē memorię mandauerit, eámq; crebertima recordatione cantauerit, nō tacens quod præcepit, nec tamē viuēs vt præcepit, arbitretur ſe feciſſe quod legit, quia lex tua, meditatio mea eſt; & hinc ſe adepturum exiſtimet, quod verbis ſuperioribus propter hoc meritū poſtulauit, vbi dictū eſt: Veniāt ſuper me miſerationes tuæ, & viuam.] Hæc meditatio amantis eſt cogitatio, & tantū amantis, vt charitas non frigeſcat huius meditationis ſuæ, quātalibet abundantia cōſtipetur iniquitatis alienę.] Tu ergo, ô iuſte, meditaberis

Pſ. 118. 77.

Aug. 3. ſer. 29.

hanc

hanc legem Dei tui,ſedens in domo tua;id eſt, intra cor tuum quietè manens,& ſuauiter requieſcens, vt eam vſque ad opus præſtandum intelligas. Meditaberis eam vt iudex,qui te coram temetipſo ſtatues,& regulam manu mentis tenens,an eam cuſtodias, an verò trāſgrediaris,expendes.Si te fidelem inueneris, Dei donum agnoſces, & pro eo gratias ages, & perſeuerantiam poſtulabis: ſi autem minùs fidelem, & tranſgreſſorem repereris, culpam cum gemitibus confiteberis,& de cætero te emendare curabis. Meditaberis eam vt ſeruus,qui regulam pro epiſtolis tui domini recepiſti, quibus quid à te exigit patenter oſtendit. Caue ne aliquid faciendum omittas,& ne aliquid vitandum admittas,vt cùm venerit,& pulſauerit, te vigilantem & operantem inueniens, in tabernacula æterna recipiat.Huic meditationi optimè congruit, vt nos ad opera,quæ regula præcipit, præſtanda compellat. Vnde Ambroſius illud regij vatis interpretans: Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis; hæc ait: Pulcherrimus iſte ordo, vt primo meditemur,& eorum præceptorum, quæ diligimus, ſit nobis aſſueta meditatio. Meditatione enim mandatorum cœleſtium operis boni vſus inoleſcit. Nam ſicut meditationi verborum, finis memoria eſt, vt, quæ meditamur verba, teneamus: ſic meditationis præceptorum cœleſtium intentio, vel finis operatio eſt, actúſque directus ad implenda præcepta diuina:quæ niſi quis diligat,implere non poterit, nec ſolùm diligat, ſed etiam nimis diligat. Ideo ptiùs poſuit: Et meditabar in præceptis tuis, quæ dilexi nimis.Et ſubiecit:Et leuaui manus meas ad præcepta tua,quæ dilexi nimis.Poſt meditationē etenim bonum eſt,leuare actus noſtros ad præcepta Dei, atque id facere cum charitate & gaudio,vt non ex neceſſitate ſit bonum noſtrum: non cum mœrore, atque mœſtitia ſed voluntarium, quia ſeruus inuitus facit,amicus voluntarius.]

Pſ.118. 47. *Ambroſ. ſer.6.verſu 7.*

Meritò ergo poſt hanc attentam meditationem, quæ operis initium eſt,ſedula operatio illis verbis:Et ambulans in itinere,à nobis exigitur. Quid enim eſt ambulantes mandata Domini meditari,niſi ea in itinere huius vitæ complere? Sedentes quidem in domo noſtra meditamur,cùm mente agenda & vitanda conſideramus, & vitæ noſtræ acta diſponimus: ambulantes verò meditationi inſiſtimus, cùm greſſus,id eſt,actus noſtros conſideratione dirigimus, & iuxta ea,quæ mente propoſuimus,exercemus.De hac meditatione loquutus videtur Salomon,dicens: Os iuſti meditatur obedientiam; os impiorum abundat malis.]Ille cogitat quomodo obediat,iſti quomodo præceptis reſiſtant,& ſua peccata excuſationibus defendant.Ille meditatione vtitur,non vt curioſè ſciat, non vt ſuperbè alios edoceat,ſed vt bona,quæ meditatus eſt,faciat:iſti meditationi vacant, vt colore aliquo ſuas iniquitates obducant, & ſe intaminatos oſtendant.Ad eandem hortatur ſanctus Dauid: Lingua mea,inquit,meditabitur iuſtitiam tuam,tota die laudem tuā.] Nihil enim eſt aliud tota die iuſtitiam Domini meditari, & à laude Dei nunquam ceſſare, niſi meditata & conſiderata perficere. In quem ſenſum Auguſtinus: Tota die Deum laudare quis durat? Suggero remedium,vnde tota die laudes Deum, ſi vis. Quicquid egens,bene age,& laudaſti Deum. Quando cantas hymnum,laudas Deum.Lingua tua quid agit,niſi laudet conſcientia tua? Et quoties tu ceſſaſti ab hymno cantando, diſcedis, vt reficiatis; noli inebriari,& laudaſti Deum.Diſcedis vt dormias; noli ſurgere ad malè faciendum, & laudaſti Deum. Negotia agis:noli fraudem facere,& laudaſti Deum. Agrum colis:noli litem mouere, & laudaſti Deum.

Prov.15. 28. *Pſal. 34. 28.* *Auguſt.*

A In innocentia operum tuorum præpara te ad laudandum Deum tota die.] Hæc optimè Auguſtinus. Sed Spiritus ſanctus per os Eccleſiaſtici hanc meditationem legis Dei ad opus mouens longioribus verbis, ſed ſimilibus pulcherrimis in hunc modum expreſſit: Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia meditabitur (qui ſcilicet res iuſtitiæ & ſapientiæ conſiderat.) & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei:] quomodo nempe Deus omnia circunſpiciat, & oculis ſuis occulta quæque perluſtret. Beatus vir; qui excogitat dies illius, (ſcilicet ſapientiæ) in corde ſuo, & in abſconditis ſuis, ac in penetralibus cordis, intelligens, vadens poſt illam quaſi inueſtigator, & in viis illius conſiſtens: qui reſpicit per feneſtras illius, & B in ianuis illius audiens.] Hæc omnia adinueſtigationem veritatis & meditationem legis Dei pertinent. Sed audi quem iſta meditatio ſit finem habitura. Beatus vir, qui requieſcit iuxta domum illius:] Et quid eſt iuxta domum ſapientiæ requieſcere,niſi vitam agere, ſapientum vitæ ſimilem, ac præceptis ſapientiæ conformem? Et in parietibus figens palum:] quid autem eſt in parietibus domus ſapientiæ paxillum figere; ex quo tabernaculum nos protegens dependeat, niſi noſtrum refugium ac protectionem, non in fauore hominum; ſed in bonis operibus collocare? Statuet caſulam ſuam ad manus illius, & requieſcent in caſula illius bona per æuum] Et quid eſt caſulam, aut humile taber-

Eccl. 14. 22. *ib.n.23. 24.* *ib.n.25.*

C naculum in manibus ſapientiæ ponere, niſi nos totos eius gubernationi & directioni committere? Qui hæc omnia præſtiterit, ambulánſque in itinere huius vitæ,iuſſa Dei ad rectè agendum meditatus fuerit, in corde ſuo bona cœleſtia per æternitatem poſſidebit.

Qualis verò eſſe debeat iſta regulæ obſeruatio, ſequentia verba demonſtrant: Dormiens, atque conſurgens: hæc, inquam, vigilans & dormiens meditaberis, numquámque ab eorum conſideratione diuelli patieris. Quibus ardens ſtudium bene operandi, & ſecundùm datam nobis regulam viuendi, præſcribitur. Nam quæ vigilantes, mente voluimus, & dormientes ſomniamus, ea ardentiſſimè diligimus, & ſolicitiſſimè in eo-

D rum curam incumbimus. Sic ſic debemus Domini voluntatem implere, quia magnus eſt Dominus, & magna ſemper in nos beneficia congerit, vnde magna cura, & ardenti ſolicitudine eſt à nobis eius mandatum explendum. Quod Chryſoſtomus à nobis exigi autumat in illis verbis Dauidis: Beatus vir qui timet Dominum,in mandatis eius volet nimis;] vbi ita ait: Hoc autem dixit, exigens exactam vitæ inſtitutionem,& animam amore ſapientiæ præditam. Non dixit;Mandata eius faciet,ſed, Volet,aliquid amplius requirens. Quidnam autem hoc eſt? Ea facere cum ſtudio,& animi alacritate: eſſe vehementes eorum amatores: iuſſa eorum perſequi; amare ea non propter mercedem, quæ eſt pro ipſis propoſita, ſed propter eum, qui illa ſtatuit,

E virtutem cum voluptate perſequi, non propter metum gehennæ, nec propter minas ſupplicij, nec propter promiſſionem regni, ſed propter eum, qui leges tulit. Et paulo infra,exponens illud Pauli: Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem: Hæc ait: Qui meretricis itaque amore captus eſt, etiam ſi afficiatur probro & contumelia, etiamſi verberetur, etiamſi ſe turpiter & indecorè gerat, etiamſi expellatur à patria, etiamſi bonis paternis eiiciatur,

Pſ. 111. 1. *Chryſo. 1. in Pſ.111.*

A etiamſi patris beneuolentia priuetur, etiam ſi grauiora patiatur, ea fert iucundè & lubenter, propter amorem impudicum. Quòd ſi illa cum voluptate ſuſcipiunt, quomodo non multo magis Dei præcepta, quæ ſunt ſalutaria, & gloriæ plena, & magnam nobis præbent Philoſophiam, & animam meliorem efficiunt, oportet cum magna voluptate ſuſcipere, & nihil eſſe difficile in eis exiſtimare?] Hoc eſt indicium fidelis animæ, voluptatem ex mandatorum Dei obſeruatione capere, & nihil aliud in rebus omnibus, quàm legis cuſtodiam reſpicere. Quæ ſolicitè cuſtodita, mirum eſt quàm citò hominem mutet, ex carnali ſpiritualem faciat, ex imperfecto perfectum, & ad magnam puritatem prouehat. Splendidum enim cor, ait Eccleſiaſticus, bonum in epulis eſt: epulæ enim illius diligenter *Eccl. 30. 28.*

B fiunt. Splēdidum cor, id eſt, lætum, & gaudio ac exultatione perfuſum, nullum aliud intelligo, niſi cor viri iuſti, quod nullæ triſtitiæ ex morſibus conſcientiæ dimanantes inquietant. Epulæ illius non ſunt aliæ, quàm bona opera, ſibi impoſitæ legi cōformia. Cùm autem hæc diligenter parantur, & ardenter aſſumuntur, bonum eſt cor & iucundum, non infirmitate marcet, ſed ſanctitate pingueſcit. Scito ergo, ô homo, quia cibos corporis nimis ardenter ſumere vitium eſt; cibos verò animæ ardentiſſimè accipere, perfectio eſt. Nam qui auidè, quaſi famem patientes, hunc cibum virtutis comedunt, Deo faciente ſaturantur. Denique [famelici ſaturati ſunt,] qui verò cum faſtidio & nauſea comedunt, modicum emolumentum ex ſua occupatione ſuſcipiunt. *1. Reg. 2. 5.*

C Eſtne amplius, quod in hac regulæ obſeruatione expectari poſſit? Eſt quidem & admodum neceſſarium, ne inſurgentibus impedimentis teneamur. Et ligabis ea, inquit, quaſi ſignum in manu tua: vt nempe præcepta regulæ quaſi ſignum honoris in manu tua deferas, & ſicut mundani honores ſuos, ita & tu obſeruationem voluntatis Dei fortiter apprehendas. Quàm libenter reges ſceptrum regni, & iudices virgam Cenſoriam manu geſtant! quia eximium in populis ex illa honorem reportant. Sic cuſtodiam regulæ honorificam puta, & in manibus ac operibus apud omnes habere, gloria dignum reputa. Quòd ſi à tepidis & dyſcolis ob exactam, & nunquam intermiſſam obſeruationem damneris, ride eos vt inſanos, ſicut rex, aut iudex illos inſanos putaret, qui eum ob ſignum honoris

D aut poteſtatis contemnerent. Aut potiùs compatere illis, quia via ſtulti recta in oculis eius, cùm tamen obliqua ſit, & longè ab æquitate diſcedat. Aulicus, regi familiaris, in eo ſuum honorem conſtituit, quòd à rege diligatur, & ad negotia tractanda vocetur. Vocat eum rex per nuncium ſuum, & ſtatim exilit de accubitu ſuo, & contempto prandio, ſi ad menſam ſedebat; aut medicamento poſthabito, ſi illo fortaſſis indigebat; aut amico inſalutato, ſi cum illo negotia tractabat, diligenter accurrit, vt regi, cui addictus eſt, obſequatur, & in nulla occaſione honore agendi cum rege priuetur. O Chriſte Rex regum, & Domine dominantium, cur in alio, quàm in obſequio tuo honorem noſtrum & gloriam col- *Prou. 12. 15.*

E locamus? Vocas nos ſæpe ad colloquium tuum; vocas ad orationis, vel cuiuſuis exercitationis ſtudium, regulæ decreto præſcriptum; vocas, non vt oneres, ſed vt releues, non vt ſpolies, ſed vt perficias, & dites: nos autem inſani cunctamur, & reſpectu vani hominis, cum quo de rebus vanis loquebamur, tibi obedire negligimus. Ita nos habemus, ac ſi eſſet honor, cum mundanis agere, & ignominia, ad tuum imperium accurrere. Tibi obtemperare erubeſcimus, iuſſa tua diſſimulanter præterire, æquum ducimus, ac ſi infamiæ notam afferret in rebus noſtri ſtatus & profeſſionis occupari. Nec illam vocem tuam pertimeſcimus: Nam qui me erubuerit & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.] Fidelis ille Abraham pater gentium, ex quo carnem accipere voluiſti, audito circumciſionis mandato, ſtatim ipſa die ſeipſum, Iſmaelem filium ſuum, & omnes vernaculos domus ſuæ, vniuerſóſque, quos emerat, & cunctos mares ex omnibus viris domus ſuæ pariter circumcidit. Quia ſignum honoris non erat differendum, nec præceptum tuum, Domine, protelandum. Nos verò è contrà facimus, & tua iuſſa operi mandare differimus, vt minùs fideles & ingrati reperiamur. Ligemus ergo verba Dei quaſi ſignum in manu noſtra, eorum obſeruationē vt rem honore digniſſimā habeamus in opere, quia nihil ita nos exaltat, & magnificat, ac Deo celeriter obedire, & in his, quę nobis iniunxit, nō negligētes, ſed ſolicitos & faciles inueniri. *Luce 9. 26.* *Gen. 17. 23.*

Et quid aliud ad exactam regularum obſeruationem requiritur? Eruntque, ait, & mouebuntur inter oculos tuos. Hîc prudentiæ & diſcretionis admonemur, vt ſcilicet omnia, quæ facturi ſumus, regulis & maiorum inſtitutionibus metiamur. Qui enim obtuſi ſunt viſus, infirmámque habent oculorum aciem, ſpecillis vtuntur, quibus propoſita valeant aſpicere. Nos autem oculos mentis habemus obtuſos, & ad cognoſcendam virtutis doctrinam infirmos, & regulæ, pro conſpicilliis, ſeu vitreis orbiculis, datæ ſunt, quorum adiumento noſcamus quid nobis faciendum ſit, quídue vitandum. Sint ergo ſemper ante oculos noſtros, vt quod lumine regula bonum fuerit iudicatum atque perfectum, necnon ſtatui noſtro conſonum, id admittamus; quod verò malum apparuerit, aut ab ſtatu noſtro alienum, illud conſtanter detrectemus. Qui ocularibus vtuntur, nihil, quod alicuius momenti ſit, ſine huiuſmodi ſpecillis operantur, aut vident: ſic & nos, quibus tanquam ſenſu grandæuis regulæ pro ſpecillis datę ſunt, nihil ſine præuia lege operemur, nihil ſine eius adiumento & conſenſu faciendum ſuſcipiamus. Omnia ergo regula metienda ſunt, omnia ad eius lucem examinanda. Meritóque in illo calamo menſuræ ſignata videtur, quem Ezechiel in manu Angeli, Deo reuelante, conſpexerat, quóque vniuerſas templi partes metiebatur. Quis enim Angelus, niſi vir iuſtus, terreſtris Angelus, Angelus ſapientiæ lumine, obedientiæ promptitudine, vitæ puritate? Hunc profectò Angelum decet ſemper habere in manu menſuram regulæ, qua omnes actiones ſuas expendat, ex quibus propriæ perfectionis templum, in quo Deus habitat, eſt ædificandum. Hac, quæ Scripturæ ſacræ præcepta continet, apertè intelligit, vt verba Gregorij adducamus, quantum in ſpiritali virtute proficit, vel quantum à bonis, quæ præcepta ſunt, longè diſiunctus remanſit; quantum iam aſſurgat ad bona facienda, quantum adhuc in prauis actibus proſtratus iaceat.] Iſta regula, iſta menſura, non ſolùm ante oculos ſit, ſed & inter oculos moueatur, vt inter oculum carnalia ſapientem, & oculum cognoſcentem cœleſtia, diſcernat. Nam & eſt in nobis oculus prudentiæ carnis, qui mundana reſpicit, & omnia ſtatuta religioſa in fauorem carnis interpretatur: & eſt oculus prudentiæ ſpiritus, qui ſolam veritatem & diſciplinæ integritatem tuetur. Sint ergo, & moueantur præcepta regulæ inter hos duos oculos, ita vt aduersùs il- *Ezech. 40. 3.* *Greg. hom. 13. in Ezech. poſt medium.*

lum

lum pugnent, iſtum defendant: illum improbent, iſtum approbent: ab illo cenſuram iudicandi, quid exequendum ſit, adimant, iſti concedant. Vt illud impleamus, quod in Iſaia ſcriptum eſt, & à Paulo paucis immutatis adductum: *Iſaiæ 29. 14. 1. Cor. 1. 19.* Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentium reprobabo.] Sic enim ſecundùm regulam ſimpliciter intellectam viuentes, falſam ſapientiam carnalium hominum, & indoctam prudentiam mundi damnamus: & veræ ſapientiæ Dei ac prudentiæ ſpiritus ſubdimur.

Poſtremo loco, perſeuerantiæ admonemur illis verbis: Scribéſque ea in limine, & oſtiis domus tuæ.] Sed quomodo hîc perſeuerantia ſignificetur, excipe. Verba per aëra feruntur, & ſtatim ac prolata ſunt euaneſcunt: ſenſus verò noſtri, qui litteris ſcribuntur, longo temporis ſpacio perdurant. Adhuc eorum, quæ litteris explicata ſunt, quædam in papyro, ſiue membrana ſcribuntur, quædam lapidibus inciduntur & in dura materia, quæ facilè rumpi, aut deſtrui non poſſit, exarantur, nec dubium eſt, quin hæc longiſſimo tempore perſeuerent. Poſtes autem, ac limina domus lapidea aut lateritia eſſe ſolent, oſtia verò lignea & ferrea: quid ergo erit, mandata Domini in limine & oſtiis ſcribere, niſi in eorum obſeruatione conſtanter vſque ad mortem perdurare? Immò & alia ratione hîc perſeuerantia mandatur. Nam limen & oſtium eſt, quo domum ad habitandum intramus, & domo ad vicos & plateas ciuitatis egredimur, vnde ingreſſum & egreſſum, principium ac finem vitæ deſignat. Quid igitur erit, verba Dei in limine & oſtiis ſcribere, niſi ab eorum obſeruatione conuerſionem noſtram incipere, & eam vſque ad egreſſum ex hac vita protelare? In quo non pauci taxamur, qui poſt aliquot vitæ religioſæ annos elapſos priuilegia & exemptiones quærimus, & iugum obſeruantiæ leue ſine vigenti cauſa derelinquimus. Sed vſque ad finem vitæ perſeuerandum eſſet, & nequaquam à cruce diſcedendum, vt Chriſti imitatores, qui nunquam in animum induxit à cruce deſcendere, ac eius milites pronuntiemur. Certè peccatores ſunt plurimi, qui ad extremum vſque ſpiritum in eodem tenore peccatorum perſeuerant, aut quo magis ad mortem appropinquant, feruentiùs peccant: qui & in lapidibus, & in duriori materia peccata ſua ſcribunt, iuxta illud, quod legimus in Ieremia: *Ier. 17. 1.* Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo, in vngue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum.] Vbi vnguis adamantinus, & cornua ararum lapidearum, cor durum eſt, quod indelebiliter peccata ſuſcipit, nec punitione caſtigatum, nec beneficiis affectum, à peccato diſcedit. Sint ergo iuſti plurimi, qui ſtudioſa opera quaſi ſtylo ferreo in vngue adamantino ſcribant, & lapidibus inſculpant, vt nullis temporis iniuriis deleantur. Sic voluit ſanctus Iob ſermones ſuos, id eſt, innocentiæ & patientiæ opera, in perpetuum ſcribi, vt ſicut ipſe [iuſtificationem, quam cœpit tenere, nunquam deſeruit;] ita eius memoria nullo tempore ab hominibus deſeratur. *Iob. 27. 6.* *Iob. 19. 24.* Quis mihi tribuat, inquit, vt ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det vt exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte, (id eſt, cælo, quo artifices lapides ſcalpunt) ſculpantur in ſilice?] Sanctum deſiderium, & à Deo cordi Iobi immiſſum, ab ipſo Deo impletum eſt, & in ſcriptura ſua, quæ ſupra omnes plumbi laminas & duriſſimas ſilices perdurabit, huius ſancti viri voluit actiones paſſionéſque conſcribi. Ex quo iuſti diſcant quòd ſi in virtutis actionibus perſeuerauerint, adhuc in libro, qui ampliùs duret, quia poſt finem mundi per æternitatem perſtabit, nempe in libro vitæ, conſcribentur. Non igitur, ô homo, ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam: ſic enim omnis peccator probatur in duplici lingua.] *Eccl. 5. 11.* Ne cuiuis occaſioni te accommodes, & nunc moribus ſecularis, nunc religioſus videaris. Ne idioma mutes (quod proprium iniquorum eſt) & nunc veritatem, poſtea verò vanitatẽ collaudes. Sed eſto firmus in via Domini, & in veritate ſenſus tui, & ſcientia, & proſequatur te verbum pacis, & iuſtitiæ.] *ib. n. 12.* Scribe verba Domini in limine, & in oſtiis domus tuæ; & ſicut vitam religioſam arripiens diſtrictam aſſumpſiſti diſciplinæ cenſuram: ita ab ea ad meliorem vitam exiens eandem diſciplinam profiteri non deſinas. Præmium namque, non incipientibus, ſed perſeuerãtibus, promiſſum eſt. Nam & iſta verba ſunt Pauli: *1. Cor. 15. 58.* Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles; abundantes in opere Domini ſemper: ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.] Quod autem apud Deum inane non eſt, abſque dubio plenum miſerationum eſt.

Documenta ergo regulæ, ac profeſſionis noſtræ, ardenter ſunt amanda, fideliter conſeruanda, attentè meditanda, integre ardentérque complenda, pro magno honore habenda, & in regulam vitæ accipienda, & vſque ad finem vitę cuſtodienda. Et vrgeamus noſmetipſos, ne ſi à perfectione exciderimus, perdamus, quæ operati ſumus, ſed potiùs perſeuerantes mercedem plenam accipiamus.

Quæ iuuent ad ſeruandam Regulam.

CAPVT XI.

CVSTODIA regulæ tanti momenti eſt ad virtutes inſerendas, vt neceſſe ſit in re tam vtili adhuc tantiſper immorari, & præter ea quæ dicta ſunt, aliqua documenta, quæ faciliorem hanc obſeruantiam reddant, breui ſermone præſcribere. Res enim magnæ non facili negotio fiunt, niſi aptis mediis prouehantur. Et diſtricta cuſtodia diſciplinæ res magna & operoſa eſt, quam multi diligenter arripiunt, ſed non multi ſine intermiſſione vſque ad finem vitæ ſuſcipiunt. Nunc igitur videamus, & ad numerum nonnulla documenta reuocemus, quæ valeant nos in re tanta iuuare.

I. Regulam profeſſionis tuæ frequenter legas, & quia antea ſæpe tibi perſpecta fuit, non propterea eam euoluere iterum atque iterũ prætermittas. Alicuius artis peritus, ſi eam diligenter exerceat, nunc omnia eius artis inſtrumenta, nunc iſta, nunc illa attentè perluſtrat, ne, cùm opus fuerit ad vſum adducere, ea fracta, aut diruta, aut rubigine obducta reperiat. Et regulæ, inſtrumenta ſunt artis tuæ, quam profiteris, & qua non aurum aut argentum, ſed cœleſtia regna lucraris. Nunc ergo omnes conſidera, nunc iſtas, nunc illas examina, ne tempore neceſſitatis obliuioni datas ad opus tuus minùs aptas inuenias. Nauclerus non ſemel tantùm, ſed ſæpè membranam illam inſpicit, in qua & occulta pericula, & latentes ſcopulos, & curſus nauigationis antea deſcripſerat. Et tu in cœlum enauigas, & regula pro nauticularia, ſeu arte nauigandi tibi conceſſa eſt; ſæpe in eam oculos inijce, vt pericula ſpiritualis vitæ ſcias, &

viam tenendam agnoſcas. Cogita regulam eſſe quaſi archetypum perfectionis; & ſicut ſapiens architectus, illam frequenter euolue, vt iuxta id, quod præcipir, perfectionis templum in intimis cordis ædifices. Si Deus, cùm pium codicem legis, ad omnium vtilitatem ſcriptum, tecum loquitur, vt Auguſtinus ait, quanto magis tecum loquetur, cùm legis, non ad omnes ſcriptam, ſed ad te, & ad tui inſtituti profeſſores ſpecialiter exaratam regulam? Quis Deum ſibi ſpecialiter loquentem non audiat? Quis verba ſapientiæ ſibi propoſita, & ſuæ neceſſitati accommodata, non libenter excipiat? Conſiderabam ego pios libros res ſpitituales cœleſtéſque tractantes, eſſe quaſi epiſtolam regis ad vniuerſos ſuos ſubditos miſſam: regulam verò eſſe velut epiſtolam regis, ad me ſpecialiter deſtinatam, quia quid me facere oporteat, clarè & apertè proponit. Si igitur ſolicitus ſum in legendis litteris communibus, & ad alios datis; cur litteras ad me miſſas non legam? Cur monita ad meam profeſſionem attinentia prætermittam? Hæc legem Dei, quam ſeruaturus ſum, continent, & compunctionem, & ardentiſſima deſideria perfectionis exſuſcitant. Helcias ſacerdos reperit in templo Deuteronomium, hominum illius temporis incuria perditum, quod cùm ex ore Saphan ſcribæ audiſſet rex Iozias, ſcidit veſtimenta ſua, & compunctus ait: Magna ira Domini ſuccenſa eſt contra nos, quia non audierunt patres noſtri verba libri huius, vt facerent omne, quod ſcriptum eſt nobis.] Sic protſus cùm legimus libellum legis, nobis impoſitæ, & quam tepidè illam ſeruauerimus, aduertimus: non veſtimenta, ſed corda ſcindimus, & de vita noſtra imperfecta compungimur. Hæc lectio nos animat, atque confirmat, vt quæ legimus, actioni mandemus. Lectus eſt ſemel tempore Eſdræ, [liber legis Domini diſtinctè & apertè ad intelligendum; & fleuit omnis populus,] ac mulieres alienigenas, quas contra præceptum legis duxerant, proiecerunt, necnon & feſta intermiſſa celebrarunt. Eodem modo liber regulæ, à nobis lectus, nos roborat, & ad prohibita relinquenda & iuſſa complenda confortat. Meritò ergo nobis præceptum eſt, vt regulam frequenter legamus, quia hæc lectio incitamentum eſt meditationis, meditatio verò ſtudioſæ actionis origo.

Aug. ad Pſal. 75.

4. Reg. 22.13.

2. Eſdra 8.8.9.

II. Pro culpis, licèt leuioribus, in obſeruatione regulæ admiſſis teipſum aliquando caſtiga, interdum etiam à Prælato pro his defectibus iniungi tibi pœnitentias pete, & ab ipſo pro ratione ſui officij iniunctas libenter ſuſcipe. Vir impius, ait Salomon, procaciter obfirmat vultum ſuum; qui autem rectus eſt, corrigit viam ſuam.] Quamobrem ſi rectitudinem colis, viam tuam, id eſt, vitam, ac opera tua corrigas, neceſſe eſt. Non ſufficit autem ad correctionem, opera præpoſtera in melius mutare, niſi illa priora deteſtatione deleantur, & debita caſtigatione puniantur. Regibus etiam, id eſt, iuſtis dictum eſt: Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus:] quia ille non tam iraſcitur delinquenti, quàm poſt delictum, correctionis diſciplinam fugienti. Sic homo dum pro tranſgreſſione regulæ ſeipſum corripit, quaſi in nullo regulæ limites excedit. Pulchrè enim dixit Bernardus: Partienda eſt proinde nobis in duo vniuerſa hæc obſeruatio regularis; in præcepta videlicet & remedia. Præceptis inſtituitur vita contra peccatum, remediis reſtituitur poſt peccatum innocentia. Sic ergo vtraque iſta complectitur noſtra profeſſio, vt profeſſus quiſque cùm in aliquo fortè regularium mandatorum deliquerit, ſi ad remedium æquè regulare confugerit, & ſi conuincitur tranſgreſſor mandati, non tamen pacti præuaricator. Solùm itaque cenſuerim fregiſſe votum, violaſſe propoſitum, pactum præuaricaſſe, qui & præceptum contempſerit, & remedium. Nam illum ſanè dico ſecurum, qui etiamſi interdum obedientiæ limitem prætcrit, conſilium non reſpuit pœnitentiæ. Regulares namque terminos, etſi ſæpe deliquerit, non euadit, qui cenſuræ, quæ ex regula eſt, diſciplinam non ſubterfugit. Pars ſiquidem regulæ eſt, regularis correctio, & in ea reperitur non ſolùm bonæ vitæ inſtructio, ſed etiam emendatio prauæ. Inueniuntur in ea & præcepta obedientiæ, & inobedientiæ remedia, vt ne peccando quidem à regula recedatur.] Nec ſufficit, ſi nos ipſos corrigamus niſi etiam & à Prælato corrigi & caſtigari poſtulemus. Nam hominem ſeipſum corrigere, æquitatis eſt, ab alio verò velle corrigi, humilitatis, dum culpam fatetur, & quaſi ſub manu heri humiliatur. Et certè vulnera corporis cupimus ab aliis curari, & pro ſanitate carnis adipiſcenda, ſuſtinemus à chirurgo ſecari, & vri, & non modicis cruciatibus torqueri: quare multum erit ſi pro animæ ſalute tuenda, eadem, aut potiùs mitiora à Prælatis patiamur, & ad eorum arbitrium caſtigemur? Hæc quidem ratio Baſilio efficaciſſima viſa eſt, vt nos ad correctionem admittendam perſuadeat, cuius hæc eſt ſententia grauiſſima: Eorum, quibus medicina fit, partes exiſtimari debent, antiſtitis in ſe animaduerſiones, non ad odium accipere, neque impotentem dominationem exiſtimare curationem eam, quam miſericordia quis adductus, conſulendi cauſa animæ ipſorum ſaluti, ipſis adhibeat. Eſſet enim à decoro abhorrens, ſi cùm qui aduerſa corporis valetudine laborant, ii vſque adeò magnam medicis ſuis fidem habeant, vt eſto, ipſos ſecent, eſto, vrant, eſto, amariſſimis dandis medicamentis medeantur, nihilominus tamen inter benemeritos de ſe illos numerent: nos non itidem quoque aduersùs animarum noſtratum medicos, quandocumque duriore imponenda nobis re aliqua, ſalutem nobis efficiunt; fuerimus animati: cùm Apoſtolus dicat: Et quis eſt, qui me lætificat, niſi, qui contriſtatur ex me?] Hæc profectò ſpontanea correptionis ſuſceptio, indicium animæ ſitientis ſalutem eſt, cùm omnia neceſſaria ad ſalutem admittat. Nam & ſcipſam prout poteſt, per voluntariam caſtigationem curat, & quia minùs ad hoc ſufficiens eſt, curari à medico non detrectat. Eſt quoque ſignum iuſtitiæ, cùm iuſtitia huius vitæ, non ſit nunquam vel leuiter delinquere, ſed à delicto fugere, & illud fletibus & admiſſis correctionibus expiare. De iuſtóque ſcriptum eſt: Aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur:] vt ſciamus in exilio iſto iuſtitiam non eò vſque progredi, vt nunquam peccet, ſed vt nunquam in delictis perſeueret. Hanc autem ſponte ſuſceptam correptionem, eſſe inſigne iuſtitiæ, ſicut & eius odium indicium iniquitatis, docet Gregorius in hunc modum: Sicut recti de quibuſdam, quæ ab eis non rectè geſta ſunt, correptionis vocem, miniſterium charitatis æſtimant: ſic peruerſi contumeliam deriſionis putant. Illi ſe protinus ad obedientiam ſternunt, iſti ad inſaniam ſuæ defenſionis eriguntur. Illi correptionis adiutorium, vitæ ſuæ patrocinium deputant, per quod, dum præſentis vitij culpa corripitur, venturi iudicis ira temperatur. Iſti cùm ſe impeti redargutione conſpiciunt, gladium percuſſionis credunt; quia dum per correptionis vocem culpa detegitur, præſentis gloriæ opinio fœdatur. Hinc quippe in laudem iuſti per Salomonem dicit veritas: Doce iu-

Prou. 21. 29.

Pſ. 2.12.

Bern. lib. de præcep. & diſpen. c. 16

Baſil. reg. fuſiu diſp. 52.

Eccl. 39. 7.

Greg. lib. 10. mor. c. 3.

ſtum, & feſtinabit accipere. Hinc prauorum con-
tumaciam deſpicit, dicens: Qui erudit deriſorem,
ipſe ſibi facit iniuriam.] Non ergo contemptui ha-
beamus hoc iuſtitiæ & puritatis indicium, ſed tum
nos ipſos pro admiſſis tanquam ſeueri propriarum
animarum pædagogi corripiamus: tum quaſi infan-
tes non ætate, ſed innocentia, & lenitate correptio-
nem à Prælatis impoſitam minimè refutemus. Sic
iuſtus Ezechias humiliter & manſuetè correptionem
ſuſcepit. Audita namque calamitate in ſuum re-
gnum progeniémque venturam, ad Iſaiam ita re-
4.Reg.20 19. ſpondit: Bonus ſermo Domini, quem locutus es,
ſit pax, & veritas in diebus meis.]E contrà verò Saul,
imago reprobornm, correptionem admittere no-
luit, quin & in tantam inſaniam lapſus eſt, vt non
ſolùm ſuſtineri à Samuele, ſed & honore affici po-
1.Reg.15. 2.30. ſtulauerit. Porta, ait, quæſo peccatum meum.]Et
poſtea: Sed nunc honora me coram ſenioribus po-
puli, & coram Iſrael.] Tu iſtius procacitatem fuge,
& illius humilitatem amplectere, & correptionem
Prælati, vt debita culparum exoluas, & iuſtior fias, li-
benter admitte.

III. Vniuerſa, quæ à regula, aut mandata, aut ſtatuta
ſunt, magni momenti æſtima, ſiue ipſa magna ſint, ſi-
ue parua, quoniam hæc conſideratio faciet, vt ea ſer-
uare non prætermittas. Si ea magni momenti ſint,
vt ea, quæ ad vota religioſa, & ad præcepta grauia
pertinent, quis non videat eſſe ſeruanda, ſine quo-
rum cuſtodia religioſus minimè ſalutem accipiet? Si
autem parua ſint, eo ipſo turpiùs tranſgrediuntur,
quo faciliùs & ſuauiùs ſeruantur. Quod pulchrè
annotauit Auguſtinus, obedientiam Abrahæ, & ino-
Aug. 14. de ciuit. c.15. ✝ bediẽtiam Adæ adinuicem conferens: Sicut Abra-
hæ, inquit, non immeritò magna obedientia prædi-
catur, quia vt occideret filium res difficillima eſt im-
perata: ita & in Paradiſo tanto maior inobedientia
fuit, quanto id quod præceptum eſt, nullius difficul-
tatis fuit.] Quodammodo ergo, ô religioſe, tanto
magis inobediens es, quanto res iuſſa minor & faci-
lior eſt. Et ſi minima & facilia præteris, neſcio quo-
modo magna cuſtodies. Si ouum ſtomacho inge-
ſtum non digeris, quo pacto bouem decoques? Si
ventum ſonantem times, quomodo gladium ferien-
tem contemnes? Si verbum minùs ſuaue non ſuſti-
nes, quanam ratione grandem contumeliam ſuſti-
nebis? Sic prorſus, ſi non aſſueſcis minora ſeruare,
difficile tibi erit, maiora & grauiora cuſtodire. Om-
nia itaque ad religioſam vitam pertinentia, tum ma-
gna, tum parua, multi momenti ſunt, quia magna
ſecum obligationem afferunt, & pœnam ingentem
inferunt, parua verò pro muro maioribus præceptis
ſunt, atque ipſorum ſecuritati deſeruiunt. Quare ſi
animæ ſalutem cupis, & ad perfectionem anhelas,
magna & parua cuſtodire non ceſſes.

IV. Illos inſpice, illos dilige, illis te aſſocia, quos vide-
ris contemptores ſæculi, ſectatores virtutis, amatores
diſciplinæ. Magna eſt exempli ad perſuadendum ef-
ficacitas, & valida vox vitæ intaminatæ, cuius aſpe-
ctu ad bona, quæ videris, imitanda pertraheris. Et
perfectorum, aut proficientium ſocietas te in ſuum
gremium nõ admittet, ſi ipſorum mores non imitê-
re. Quare dum feruidos, & perfectos amicos, ac fa-
miliares habes, aut tibi eorum vita optima imitanda
eſt, aut ab eorum conſortio declinandum. Hunc
autem eſſe fructum ſocietatis bonorum, docet Ber-
Bern. ser. 60. ad ſororem. nardus ſic ad ſororem ſcribens: Qui ſancto viro
aſſociatus fuerit, ex eius ſocietate accipiet vſum bo-
næ locutionis, & exemplum boni operis, vt accenda-
tur mens eius de die in diem in amore Dei.] Amor
quidem Domini nos ad id, quod ſanctum eſt & per-

A fectum, impellit, & quicquid perfectum eſt manda-
tum à regula, bona actione ac loquutione contine-
tur. Vnde ſi ſocietate bonorum ad hæc præſtanda
permouemur, vtique ad diſciplinæ cuſtodiam inui-
tamur. Sed luculentiùs hoc exponit Ambroſius, cu-
ius hæc ſunt verba notanda. Non ſequamur ille- *Amb. lib. de bono mor. c.9. to.1.*
cebroſa & ſeductoria, ſed ſequamur illud, quod bo-
num eſt, illi adhæreamus, illud imitemur, illius præ-
ſentia, illius communicatio nos meliores faciat, mo-
res noſtros coloret, illius quædam nos ſocietas infor-
met. Qui enim bono adhæret, aſſumit inde quod
bonum eſt, quia ſcriptum eſt: Cum ſancto ſanctus *Pſal. 17. 26.*
eris, & cum peruerſo peruerſus eris, & cum inno-
cente innocens eris.] Aſſiduitate enim atque imi-
B tatione quædam ſimilitudinis imago informatur.
Idcóque addidit: Quoniam tu illuminas lucernam *n 29.*
meam Domine.] Etenim qui appropinquat lumi-
ni, citiùs illuminatur, & plus in eo ſplendor æterni
luminis refulget è proximo.] Exequere igitur illud
Eccleſiaſtici, ſi te Dei timore affectum exiſtimas:
Qui timet Dominum æquè habebit amicitiam bo- *Eccl. 7. 17.*
nam, quoniam ſecundùm illum erit amicus illius.]Et
ſocios atque amicos, Deum timentes, & profeſſio-
nem ſuam ſeruantes inquire, à quibus, cùm à via
exorbitaueris, reuoceris; cùm ſegniter ambulaue-
ris, inciteris; & cùm celeriter progreſſus fueris, eo-
rum exemplo ad perſeuerantiam mouearis. E contrà
verò, ſi à fratribus inordinatis non te ſubtrahas, diffi-
culter in bono inceepto perſiſtes. Sicut enim faci-
C le eſt, rectè ambulare cum bonis; ita difficile & la-
borioſum eſt inter malos aut tepidos, diſciplinam
ſtrictè tenere, & non ad eorum imitationem decli-
nate. Mentóqne populo ſuo mandauit Dominus:
Ne ineas pactum cum hominibus illarum regio- *Exod. 34 15.*
num; ne cùm fornicati fuerint cum diis ſuis, &
adorauerint ſimulachra eorum, vocet te quiſpiam,
vt comedas de immolatis.] Quibus verbis non ſo-
lùm Iſraelitas docuit, ſed & nos atque omnes eru-
diuit, vt ſi in cœpto durare volumus, eorum, qui
alieni ſunt propoſiti & vitæ, amicitias deſeramus.

Sed efficaciſſimum remedium eſt vt obſeruan- V.
tiam regularem iam tandem incipias diligenter cu-
ſtodire, & ſegnicie priſtina relicta, ad ſolitam aſſue-
ſcas curam perfectionis tranſire. Obſeruatio enim
D ac cuſtodia diſciplinæ, non cognitione, ſed exercita-
tione diſcitur, & operum aſſiduitate prouehitur.
Deus nunquam ceſſat te beneficiis afficere, & diui-
tiis cæleſtibus cumulare, cur tu eius iuſſa facere, &
eius voluntati obedire cunctaberis? An neſcis, quia
beneficia recipis, vt tu illis proficias, & talis fias, vt
aliis quoque poſſis proficere? Id certè ex Laurentio
Iuſtiniano poteris diſcere. Diuidit, inquit, ipſe ſpi- *Iuſt. prologo de diſciplin. monaſt. conuerſat.*
ritus dona ſua, non vt lateant, non vt ſine fructu
ſint, ſed vt erogata proximis lucrifaciant poſſiden-
tes. Proinde graui periculo ſe ingerunt, qui Dei
munera ſuſcipientes, nullum ex eis fructum ad Dei
gloriam elicere ſtuduerint. Rationem etenim po-
ſiturus Dominus cum ſeruis ſuis, fidelibus & ſolici-
tis tribuet perennes honores, infidelibus verò & te-
pidis immenſa ſupplicia. Ad hoc namque commu-
E nicat ſua beneficia, vt multiplicentur ad profectum
eorum, quihus donantnr, & non ipſius. Bono-
rum enim mortalium non eget Dominus, cui cun-
cta ad votum ſuppetunt, & voluiſſe perfeciſſe eſt.]
Mater tua, religio ſancta, quæ te, Spiritu ſancto ge-
nerante, concepit, quæ te aluit, & educauit, quæ te à
malis protexit, & in bonis erudiuit, ſermonibus illis
ad diſciplinæ obſeruantiam inuitat, quibus illa ſe-
ptem Machabæorum mater pia poſtremum è filiis
ſuis ad mortem, pro patriis legibus ſuſtinendam, al-

3. Mach. 7.28. lexit: Fili mi, ait, miſerere mei, quæ te nouem menſibus in vtero portaui, & lac triennio dedi, & in ætatem iſtam perduxi. Et poſt pauca: Dignus fratribus tuis, effectus particeps, ſuſcipe mortem; vt in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam.] Mater hæc noſtra, ſicut & illa, miſericordiam à nobis filiis ſuis poſtulat, & labores noſtri cauſa ſuſceptos obiiciens poſtulat; quia noſtram tepiditatem, noſtra detrimenta propriam miſeriam exiſtimat. Ad mortem hortatur, ad illam quidem caſtorum mortem, qua ſæculo & vitiis morimur, vt Deo in perpetuum & iuſtitiæ viuamus. Fratres noſtros imitandos proponit; illos profectò, quos ex cuſtodia diſciplinæ, ex actione virtutis, ex amore perfectionis fœlices iudicamus, & cum Deo regnare coniicimus. Quis matrem & talem matrem non audiat? Quis eius mandatis ſalutaribus non obediat? Quis tales fratres aſſequi, & cum eis ſemper lætari non concupiſcat? Audies igitur, ô frater, hanc matrem tuam, ſi eius monita & hortamenta ſuſpicias: obedies, ſi regulæ te ſolicitum obſeruatorem exhibeas: aſſequeris fratres tuos, qui præceſſerunt te, ſi in virtutis itinere eorum veſtigiis inhæreas. Eorum vita, via virtutis eſt; eorum opera, virtutum fuerunt opera & ſanctitatis exempla. Si cupis arcem virtutis tenere, & virtutum poſſeſſor euadere, ipſorum vitam ſequere, & actus imitari haudquaquam prætermittas. Hoc autem poſtremum, ſed præcipuum inſtrumentum aſſequendæ virtutis eſt, quia, qui ſanctorum vitam fuerit imitatus, ſicut non poterit ſeruus eſſe vitiorum, ita nec ditiſſima poſſeſſione virtutum orbari.

Summa Inſtrumentorum aſſequendæ Virtutis.

CAPVT XII.

DVODECIM inſtrumenta ad virtutes obtinendas inuenimus; quæ, quia latè expoſita ſunt, libuit in fine huius tractationis breuiter ſummatímq; perſtringere, vt labili memoriæ cõſulamus. Primum ergo inſtrumentum aſſequendæ virtutis, eſt cognitio ipſius virtutis; vt ſcilicet vir iuſtus, virtutis auidus, eius naturam, quã poſſidere cupit, agnoſcat, incitamẽta cõſideret, & actus mente comprehẽdat. Secundũ eſt, æſtimatio virtutis, vt nẽpe virtus quanti valoris ſit, ſciat, & eã ſupra omnes diuitias huius ſæ-

A culi, ſupra omnes voluptates, & honores, & ſupra alia dona, quæ hominem ſolũ coram aliis honorabilem faciunt, appretiet. Tertium eſt, poſtulatio virtutis, vt nimirum illam iuſtus à datore virtutum, qui non eſt alius, quàm Deus, feruenter & humiliter poſtulet, à quo omne datum optimum, omnéque donum perfectum deſcendit. Quartum eſt, diffidentia ſui, ac firma ſpes in Deo, ac in præſidiis cæleſtibus collocata, qua quis in hoc negotio adipiſcendarum virtutum, de ſuis viribus omnino diffidat, & in diuina miſericordia atque in eius gratia confidat. Quintum inſtrumentum, ingens deſiderium virtutis, quo virtutem, quam pretioſiſſimam æſtimauimus, & poſſibilem nobis ex diuina gratia cogitauimus, ardenter appetamus, ac magno conatu deſideremus. Sextum eſt, intentio actualis operandi ex fine virtutis, qua nimirum in operibus, tum internis tum exter-

B nis, virtutis quam aſſequi volumus, finem illius proprium reſpiciamus, & actu propter illum operemur. Septimum eſt, Robur mentis ad virtutes quærendas, quo tentationes aduersùs virtutem inſurgentes, & omnia impedimenta nos remorantia, vincamus. Octauum eſt, cura particularis, qua vt viri prudentes, qui vires noſtras anguſtis limitibus cinctas eſſe cognoſcimus, vnum vitium poſt aliud vincere, & vnam virtutem poſt aliam acquirere, & non ſimul omnes obtinere geſtimus. Nonum eſt, exercitatio virtutis, qua virtutis cognitione, & deſideriis nullo pacto contenti, eius actiones tam externas quàm internas frequenter præſtare curemus. Decimum eſt, nullam occaſionem exercendæ virtutis omittere, vt particula bona diei nequaquam nos prætereat, quæ non eſt alia profectò, quàm præſtandæ alicuius bonæ actionis occaſio. Vndecimum

C eſt, regularis vitæ ſequela; ita vt nullo modo à communibus noſtri ſtatus oneribus nos ſubtrahamus, ſed ſimul cum aliis fratribus ea portare, & more ipſorum viuere, glorioſum exiſtimemus. Duodecimum inſtrumentum eſt, cuſtodia regulæ, vt nempe omnium, quæ regula mandat, vniuerſorúmque de quibus monet, ſimus diligentes obſeruatores; & vita noſtra non tam ſit regularis, quàm regula ipſa, in cordibus noſtris ſcripta, atque in actionem deducta. Si his duodecim inſtrumentis, ô iuſte, ſedulò & diligenter vſus fueris, abſque dubio, diuina gratia aſpirante, vniuerſas virtutes aſſequeris.

PARS QVINTA

De Quotidiana exercitatione Virtutis.

VITA Spiritualis, & religioſa, ſi non ob aliud, ob hoc ſaltem diligenda eſſet, & ſummis conatibus amplectenda, quòd ipſa nihil aliud eſt, quàm ſeries quædam bonorum operum, catenáque virtutum. In qua, ſi eius monitis acquieſcimus, & ſecundùm ordinem nobis præſcriptum viuimus, à manè vſque ad veſperam, & à veſpera vſque ad manè, ſanctis virtutum operibus occupamur, & non interruptis paſſibus in perfectionem, & in cæleſtem patriam tendimus. Nam vita hæc omnia quæ à ratione, & Dei lege diſcordant, potenter ablegat, quæcumque bona, quæcumque ſancta, quæcumque perfecta ſunt, vocat: media verò, ſiue indifferentia ita condit, & perficit, vt in bona, & præmio digna conuertat. Sed hæc eſt imbecillitas, aut miſeria noſtra, vt ſæpe mala à vita religioſa ablegata accerſamus, bona amplexata reſutemus, & media non in virtutis actus, ſed in delicta cõmutemus. Quamobrem ſancti Patres, ac vitæ ſpiritualis tractatores, ad ſpecialia, immò & ad minima religioſa opera deſcendentes, quemadmodum facienda eſſent, docuerunt, vt qui ea præſtant, oleum & operam non perdant, verùm eorum exercitatione in virtute proficiant. Horum veſtigiis nos minimi nunc inhærere volumus, & quæ ab eis didicimus, ad hanc rem pertinentia, vel in fratribus noſtris, quibuſcum conuerſamur, aſpeximus, exarare contendimus, vt & nos ipſos, & alios, ſi fortè hæc legerint, excitemus, & tractationem iſtam virtutum abſoluamus. Quæ profectò integra & abſoluta non eſſet, ſi rationem bene ſe gerendi in omnibus, & ſtudioſè agendi, non traderet. In hac autem re ſpirituales viros bipartitos inuenio: quidam enim eorum, alios ſuo feruore metientes, tanta dicunt in communibus diei operibus eſſe ſeruanda, vt robuſti adoleſcentes vix ad illa implenda ſufficiant: alij verò hæc ſub generali doctrina prætereunt, adeò vt parum ad communes actiones pertinens doceant. Nos verò mediam viam tenere cupimus, qua nec virtutum amatores plus nimio oneremus, nec tepidis anſam nihil faciendi, & diſtractè viuendi, concedamus. Illum autem ſenem apud Caſſianum, Caſſian. li.5.c.28. *fœlicem exiſtimo, qui in extremis conſtitutus, & à fratribus interrogatus, quo pacto poſſent facilè ad perfectionem peruenire, reſpondit: Nunquam meam feci voluntatem, nec quemquam docui quod priùs ipſe non feci. Me verò miſerum puto, quia præ negligentia mea multa hîc dicturus ſum, quæ non facio, & multa, quæ malè, & tepidè facio: ſcribo tamen ad aliorum vtilitatem, quia ad ſcribendum cœpti operis perficiendi neceſſitate compellor; & id ſcribo, quod bonum, ac Deo gratum eſſe cognoſco: & licèt miſer & imperfectus, facere concupiſco. Et vt liberiùs & confidentiùs loquar, vitæ rationem ſcribam, quam tyronibus noſtris in Nouitiatu, & ſcholaſticis noſtris in Collegiis inſtillamus, in qua eos vſque ad ſenectam perſeuerare concupiſcimus. Horum autẽ, quæ hac vitæ ratione continentur, quædam quotidie, manè, aut veſperi fiunt; quædam ſingulis hebdomadis, aut ſingulis menſibus, aut ſingulis annis fiunt; quædam ſemper fiunt. Et de his omnibus ordinatè & breuiter agendum eſt.*

Sectio Prima huius partis, De his, quæ mane fiunt.

De Surgendo à ſomno. CAP. I.

PRIMVM opus, quod in die occurrit, eſt lectuli, in quo per noctem quieuimus, derelictio, & mentis ad vigilandum & laborandum applicatio. Et quidem non tantùm ſolem præueni- A mus, ſed & longè ante auroram ſurgimus, vt in illa temporis tranquillitate Deo longioribus ſpatiis ſine vllo impedimento vacemus: Sanctúmque Dauidem imitari geſtimus, de ſe ipſo dicentem: Præueni in maturitate & clamaui, quia in verba tua ſuperſperaui.] Pſal.118. 147.

Præueni,

Præueni, inquir, tempus illud, quo homines ſolent ad operandum aſſurgere, ipſúmque auroræ aduentum anteceſſi, quia illam horam ſatis opportunam ad clamandum,& te Dominum deprecandum, eſſe cognoui;id autem feci quia ad meas miſerias ſubleuandas,deſideriáque complenda, magnam ſpem de tua benignitate concepi. Tu verò, ô vir Dei, cùm ſurgendi è lecto ſignum audieris,ſtatim ſine vlla mora,ſine vlla cunctatione, cum magno feruore & alacritate conſurge. Audi Eccleſiaſticum dicentem: [Hora ſurgendi,] nimirum è lecto, [non te trices: præcurre autem prior in domum tuam,] nempe in domum orationis,fratréſque vniuerſos præcede:[& illic auocare,] vt apud Dominum tuæ conſcientiæ rationem reddas [& illic lude,] illic ſcilicet lætare, ac te ipſum recrea in Domino, ſi nihil quod cõſcientiæ dictamine accuſetur,inuenias.[Surge velociter,] ſic enim ab angelo dictum eſt Petro: &, ſi abſque cunctatione ſurrexeris catenæ tepiditatis & ſegnitiei cadent de manibus tuis. Aſſueſcas oportet dicere in corde tuo cùm campanula ad ſurgendum ſonuerit; Hoc ſignum magni regis eſt: eamus citò, & offeramus ei munera. Et ſicut cùm princeps dato ſigno vocat aliquem, è veſtigio miniſtri accurrunt; vt eius iuſſa perficiant; ſic & tu cùm à Domino cymbali pulſatione vocaris, ſine mora ad eius imperium accurre.

Eccl. 32. 13.

Actor. 12. 7.

Magni momenti eſt hæc propera citáque ſurrectio,ex qua communiter tota ſenſibilis diei deuotio, & diuina viſitatio dependet. Sponſa aperire ſponſo cunctata eſt,& cùm tandem aperuit,minimè illum inuenit.Iam,inquit,[declinauerat,atque tranſierat.] Sic prorſus ſi aliquantulum præ ſocordia moreris, ſponſum qui te vocabat, iam abiiſſe, & te aridum ac tenebris obuolutum reliquiſſe reperies. Signa te ipſum ſtatim venerando crucis ſignaculo, cuius virtute munitus contra diei pericula tum corporalia tum ſpiritualia protegaris. Ad hoc ſanè hortatur Cyrillus non perfectè viuentes tantùm, ſed & vniuerſos Criſtianos: Non pudeat vos, inquit,crucifixum confiteri:ſed in fronte confidenter ſignaculum crucis digitis imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat: in panibus comedendis, & in poculis bibendis,& in egreſſu,ante ſomnum, recumbendo & ſurgendo: eundo & quieſcendo.Magna hæc eſt cuſtodia,quæ propter pauperes gratis datur,ſine labore propter infirmos, cùm à Deo ſit hæc gratia, & timor dæmonum; triumphauit enim de illis hoc ſigno. Oſtenta illis audacter;quando enim viderint crucem, recordantur crucifixi, metuunt enim eum qui contriuit capita draconis.]Huius autem ſanctiſſimi ſigni virtute, ac ſedula diligentia omnem non ſolùm malam,ſed & inanem cogitationem abiice, & ad Deum tuum cor mentémque conuerte, & illum in primo illo diei momento affectu amoris ſtringere ſtude. Æquum eſt vt primitias diei tibi datæ ipſi conſecres, & primum illum tanquam benignum hoſpitem, qui tunc ad te diuertit,in hoſpitiolum tui cordis excipias. In quo aliqui(vt mihi compertum eſt) tanta gratia præueniuntur, vt quaſi naturaliter, cùm ſomnus abſcedit,ſtatim Dei recordentur, & in eum amore ferantur. Meminit iſtius documenti tanquam valde neceſſarij Bonauentura, cuius hæc ſunt verba:Cùm euigilas,ſtatim omnes cogitationes tuas abiice de corde tuo, & ſomnia quæ ſomniaſti in nocte,quibus te diabolus vellet occupare, & primitias cogitationum tuarum offer deo in cogitatione, vel aliqua bona meditatione cum corporis exercitatione vel genuflexione, donec aliquem affectum deuotionis concipias, & cogitationes vanas, quæ tunc maximè infeſtant mentem, à te abiicias, & ex hoc eris ad omne opus deuotior, & expeditior tota die.] Hoc etiam magni ponderis eſt, quoniam ſi vanæ cogitationi, aut curæ(pro illo tempore ſine dubio minimè neceſſariæ) ianuam aperias, illa te inquietum reddet, & minùs aptum ad orandum efficiet. Tuæ voluntatis erit illam admittere, non tamen reiicere,quia poſtquam cordis dominium vendicauerit, difficile ſatis erit,à corde ſeiungere.

Cant. 5. 6.

Cyrill. Hieroſol. catech. 13

Bonau. tract. de interiori homine, p. 1. c. 4.

In aſſumendis veſtibus honeſtè te geras, ſi nudus cubas,ac modeſtiæ memineris,ſicut qui coram Deo, & angelo tuæ cuſtodiæ deputato veſtimentis induetis. Poſt thoracem, ſtatim habitum religioſum, ſeu clericalem,induas, eóque te operias, & ſub illo, ita vt corporis tui aliquam partem non videas, femoralia,tibialia,& calceos aſſumas: indecens namque eſt vt religioſus,more hominis ſæcularis, immodeſtè ſe veſtiat, & vel coram ſe ipſo extra lectum nudus appareat. Antiqui religioſi, vt ex Baſilio & Caſſiano cõſtat,veſtiti dormiebant,& nunc multi religioſi aut ex deuotione idem faciunt. Huius autem præceptionis ratio (vt ego coniecto) non tantùm fuit vt omnem mollitiem & indulgentiam abiicerent, & vt expeditiùs ad orationem ſurgerent, verùm vt nunquam nec aliis nec tibi ipſis ſine habitu religioſo apparerent. Tu ſi ex neceſſitate aut ex deſiderio ſingularitatis fugiendæ apud tuos nudus cubas, ſaltem quod huius ſancti moris ſeruare poteris (quod apud nos in vſu eſt) è veſtigio cùm lectum vis relinquere, religioſum habitum valde quidem amabilem & honorificum cauſa modeſtiæ & honeſtatis aſſumas. Eodem verò tempore quo calceas, & amicis te ipſum, ſanctam Trinitatem reuerenter adorabis, Beatam virginem, Angelum tuæ cuſtodiæ deputatum, ſanctum illius anni patronum (de quo poſtea) & alios ſanctos inuocabis,ac pro obtinendo feruore ad orãdum, & puritate ad celebrandum (ſi ſis Sacerdos) & ſedulitatem ad tuum officium explendum precaberis. Pro his proprias preculas quæ affectum excitent, me monitore tetinebis,quas ſi proprijs verbis factas nõ habeas,ex Lãſpergio,Bloſio,Beata Gertrude, ac Beato patre noſtro Franciſco Borgia, aut ex aliis mutuabis. Tandem aſſumptis veſtibus,& lecto decenter operto,flectes genua coram Domino,& quãto potueris mentis affectu gratias illi ages, quòd tibi noctem quietam & ſomnum pacatum dederit, quòd nouam lucem ad vitam æternam promerendam conceſſerit, & quòd à multis periculis tum mentis tum corporis, & ab illuſionibus dæmonis liberauerit, inſtantérque poſtulabis ab eo gratiam vt peccata vites, vt tuo muneri ſatisfacias, vt in omnibus ſuam ſanctiſſimam voluntatem quæras, atque ei gratus exiſtas. Offeres tuũ corpus & animam, tuas cogitationes, deſideria, verba, & opera, in vnione corporis & animæ,cogitationum,deſideriorum, verborum, & operum Chriſti Ieſu,vt ex illo meritum trahant,& æterno patri ſint grata. Poſtremò,quod ſuprà diximus, propoſitum vitandi defectum particularem, aut te exercendi in particulari virtute, facies, & auxilium ſpeciale ad hoc opus virtutis poſces. Dum ſic à lecto ſurgis,ſtudiosè ſurgis,& (vt manifeſtum eſt)non paucos virtutis actus exerces.

De præparatione ad orationem.

CAPVT II.

Poſtquam è lecto ſurreximus, ad orationem poſt modicum habendam præparamur, memores præcepti Scripturæ: Ante *Eccl. 18. 23.*

orationem

A orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui teotat Deum.] Qui enim imparatus ad orationem accedit, ideo ſimilis eſt ei, qui Deum tentat; quia non tam Deum placat, & ab eo aliquid impetrat, quàm eius indignationem prouocat. Duplex autem eſt præparatio, quæ tunc fieri debet: Altera eſt, vt ſi minùs memoria polleas, ô frater, aut parum in rebus ſpiritualibus exercitatus ſis, ex libello aliquo ad id deſtinato, puncta meditationis, quæ præterita nocte legiſti (vt poſtea dicemus) rerum legas: ne mens ipſo orationis tẽpore ad quærendã materiam diuagetur, & aliquo modo diſtrahatur. Altera verò, illis verbis Abrahę continetur, quibus oraturus ad Dominum, ſuam precationẽ inchoauit: [Loquar Gen. 18. 27. ad Dominum, cùm ſim puluis, & cinis.] In his verbis B tria ſunt, ex quibus optima præparatio ad orationem conſtat. Primum, vt teipſum oraturum cogites, quia es puluis & cinis. Secundum, vt eum conſideres, quem es alloquuturus, quia eſt Dominus Deus tuus. Tertium, vt quæ dicenda ſunt, mediteris. Vnde Chryſoſtomus hæc verba Abrahæ interpretans, ſic ait: Chryſ. hō. 43. in Gē. Ne putes, Domine, me ignorare meipſum, & tranſgredi menſuram, & tanta vti fiducia. Scio enim, quòd terra ſum, & cinis; ſed ſicut hoc ſcio, & manifeſtè ſcio, ita neque illud ignoro, quòd copioſa eſt tuæ miſericordiæ magnitudo, & quòd diues es in bonitate, & quòd vis omnes homines ſaluos facere.] Cogita igitur quis ſis, quia homo viliſſimus, quia peccator ingratiſſimus, quia reuera puluis & cinis, ſtercus & fœtor, & hac cogitatione teipſum humilia. Cogita deinde quem ſis oraturus, C quia Deum ſapientiſſimum, optimum, potentiſſimum, angelicæ naturæ amatorem, humanæ reparatorem, omnium conditorem. Admirare diuinam maieſtatem intimè præſentem, quæ te ante ſe ſuſtinet, dilige immenſam bonitatem, quæ prona eſt te exaudire, & benignè tibi fauere; in ſpem erigere, quòd è conſpectu tanti regis nec vacuus nec deſolatus exibis. Cogita tandem quem boni affectum ſis ex meditatione eliciturus, vt ad eum tuas conſiderationes dirigas, & quid ſis petiturus, vt ita cuſtodias illud Salomonis: Ne temere quid loquaris, Eccl. 5. 1. neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo; Deus enim in cœlo, & tu ſuper terram, idcirco ſint pauci ſermones tui.] Si ille tanto interuallo cunctos homines ſuperat, æquum eſt D vt magno cum tremore illum alloquaris, & quid tibi dicendum ſit, ſatis perſpectum habeas. His ergo aut ſimilibus cogitationibus inanes phantaſias repelles, animum tuum colliges, & te attentum, & humilem & feruidum, & aliis ſanctis affectibus tactum ad orandum reperies.

De oratione.

CAPVT III.

HAc præparatione facta, ſpatio vnius horæ mentali orationi vacamus, & nulli minùs, multi plùs in hoc præſtantiſſimum opus incumbimus, quod dux E eſt itineris noſtri, comes vitæ noſtræ, & ad labores perferendos robur ac fortitudo. O fœlix hora, ô breuis mora omni melle dulcior, omni cibo ac potu ſuauior, in qua anima iam diuina contemplatur, iam Dei & cœleſtium amore ſuccenditur, iam Deum alloquitur, iam eius verbis intùs miro modo auditis emollitur, iam à terrenis intellectu & affectu elongata ſupra ſeipſam, ac ſupra omnes

A res creatas, effertur. Ideo autem hæc prima hora ante lucem diurnam orationi deſtinata eſt, quia caput poſt moderatum ſomnum ad contemplandum eſt aptum, tempus ad gemendum & ſuſpirandum idoneum, & caligo noctis, quæ nondum euanuit, ad luctam cum Deo & ad diuinos amplexus accommodata. Summo manè oramus, quia in Pſalmographo legimus: Manè aſtabo tibi, & videbo; Pſal. 5. 5. quoniam non Deus volens iniquitatem tu es,] quando nihil eſt quod perſtrepat, nihil quod trahat, nihil quod ad aliquid creatum cogitandum alliciat. In hac autem orationis hora aliqua ſunt obſeruanda, vt fructum optatum accipiamus.

Illud in primis, ô frater, vt vitam oratione & alloquutionibus diuinis dignam facias, id eſt, quantum B fieri poſſit, culpis & defectibus liberam, à terrenis affectibus auulſam, & à vanis, & ſæcularibus occupationibus ſequeſtratam. Adoleſcentulus Ioſeph in conſpectum Pharaonis ingreſſurus, primò attonſus eſt, ac veſtibus pulchris indutus.

Propitious, ait Scriptura, ad Regis imperium eductum de carcere Ioſeph totonderunt, ac veſte mutata Gen. 41. 14. obtulerunt ei.] Pueri quoque illi Hebræorum, qui in palatio Regis Babylonis ad obſequia illius eligebantur, non ſolùm indumentis ſplendidis amicti, ſed & multo tempore cibis delicatiſſimis refecti ſũt, vt Regi barbaro aſtarent, & aſpectum aula dignum, cunctis, à quibus viderentur, offerrent. Nam ſcriptum eſt: Et conſtituit eis Rex annonam per ſin- Dan. 1. 5. gulos dies de cibis ſuis, & de vino, vnde bibebat C ipſe, vt enutriti tribus annis, poſtea ſtarent in conſpectu regis.] Si hæc ab illis exiguntur, qui ſunt ad conſpectum regum terrenorum intraturi, quid tu facturus es, qui quotidie regi cœleſti aſſiſtas, vt ei tua deſideria pandas, & viciſſim tanti Dei alloquutionem excipias? Certè non ſatis eſt ab ergaſtulo perditæ vitæ exiſſe, ſed neceſſe eſt omnibus ſplendere virtutibus, velut optimis veſtimentis; & cibos pagi pro alimentis aulæ regiæ, id eſt, affectus terrenos, & curas ſæculares, pro affectibus cœleſtibus, & curis ſpiritualibus, commutaſſe.

Deinde orationem, præcipuum opus diei, & omnibus humanis occupationibus præferendum, ſcias, quod ita diligas, vt neque in ipſis corporis ægritudinibus, niſi illæ moleſtiſſimæ ſint, & penitus faculta- D tem adimant, illud ex toto prætermittas. Si conſueto tempore orationi vacare non potuiſti, & cum reliquis fratribus tuam portionem accipere, primo tempore eam non dimidiatam, non mutilam, ſed integram & nec in minimo decurtatam accipias. Hæc eſt, quæ animam ſuſtentat, & ſaginat; hæc, quæ auxilia gratiæ ad vincendas tentationes, & labores perferendos impetrat; hæc, quæ totius diei actiones dirigit, & perficit; hæc, quæ diuinas ad nos miſerationes adducit. Benedictus Deus, inquit ſanctus Dauid, Pſal. 65. 20. qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.] Quandiu enim non ceſſat oratio noſtra aſcendere ad Deum, non ceſſabit ad nos eius miſericordia deſcendere. Egregiè namque dixit Auguſtinus: Quandiu ergo hîc ſumus, hoc rogemus Aug. ad eundem Pſal. E Deum, vt non à nobis amoueat deprecationem noſtram, & miſericordiam ſuam. id eſt, vt perſeuetanter oremus & perſeuetanter miſereatur. Multi enim langueſcunt in orando, & in nouitate ſuæ conuerſionis feruenter orant, poſtea languidè, poſtea frigidè, poſtea negligenter. Quaſi ſecuri ſiunt: vigilat hoſtis: dormis tu. Ipſe Dominus præcepit in Euangelio: Quia oportet ſemper orare, & non deficere.] Et dat ſimilitudinem de illo iniquo iudice, qui Luc. 18. n. 1. 2. & ſeq. nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur,

quem

Digitized by Google

quem interpellabat illa vidua quotidie, vt audiret eam:& ceſſit tædio, qui non flectebatur miſericordia:]& ait ſibi iudex nequam: Si nec Deum timeo, nec hominem reuereor, vel propter tædium quod mihi quotidie facit hæc vidua, audiam cauſam eius, & vindicabo eam. Et ait Dominus; ſi iudex nequam hoc fecit, pater veſter non vindicabit electos ſuos,qui ad eum clamant die ac nocte?Ita dico vobis, faciet iudicium eorum citò.]Ergo non deficiamus in oratione. Ille quod conceſſurus eſt,& ſi differt,non aufert. Securi de pollicitatione ipſius, non deficiamus orando, & hoc ex beneficio ipſius eſt. Propterea dixit: Benedictus Deus meus, qui non amouit deprecationem meam, & miſericordiam ſuam à me.] Cùm videris non à te amotam deprecationem tuam,ſecurus eſto quia non eſt à te amota miſericordia eius.] Si ergo, vt ex ſententia tanti patris conſtat, ex oratione tua quodam modo erga te diuina miſericordia dependet,pro nulla occupatione, pro nulla cauſa debes eam omittere, nec ab aſſidua Domini interpellatione ceſſare.ſi conuenienti tempore non manducaſti, poſtea manducas: ſi conuenienti tempore non dormiſti; poſtea cùm primùm potes, cubas, quieſcis, & dormis, quia hæc tam neceſſaria ſunt,vt ſine illis vita diu durare non poſſit. Et oratio cibus eſt animæ,ſomnus eſt mentis,qua calorem ſpiritus imminutum, renouat, viréſque reſumit: nunquam ergo neque in domo, nec in villa neque in itinere omittenda eſt, ſed ſi conſueto tempore fieri non potuit, ſaltem alia diei hora eſt omnimodis acceptanda.

Pſal. 65. 20.

Cùm ſignum ad orationem datur, non tunc ad locum orationis vadas, ſed priùs vade, ſignum præueni, & in eo loco cymbalum vocans te ad orationem expecta. Hoc ſanè vt tempus orationi deſtinatum, integrum illi concedas, & nec momentum ſi fieri poſſit,ab eo ſubtrahas. Audiui ego à ſene quodam noſtro integerrimæ vitæ, magnæ veritatis, probatiſſimæque virtutis, ſe in duobus collegiis noſtris adoleſcentem habitaſſe,in quorum altero literis ſtuduit,in altero verò iam factus magiſter, docuit, in quibus tanta erat orationis cura,vt ſi quis ſignum ad orationem in atrio,in horto, in tranſitu,aut in quauis alia parte domus audiret, ibi ceu lapis fixus permaneret, ibique oraret,donec iterum ſigno dato horam iam eſſe finiendi orationem,aduerteret. O conſuetudo laudabilis, & digniſſima(niſi in aliquo loco ſingularitatem oleret)ab omnibus imitari, quæ magnum in illis primis fratribus ſtudium orandi, & ad Deum accurrendi feruorem oſtendit. Tu vt in loco accommodato ores, vbi nec frigidus aër,nec pluuia, nec aliquid aliud inquietet;ante ſignum datum, in Eccleſia,aut in oratorio, aut in loco cellæ teipſum conſtitue, vt te nec minima particula bonæ diei, id eſt, temporis orationis prætereat. Cùm primùm ſignum ad orationem datur, iam Chriſtus adeſt ſuos iuſtos auditurus, vide tu ſi æquum eſt, vt Dominus ipſe te expectet, aut potiùs vt tu ſeruus viliſſimus, quaſi ipſum præuenias, & eum humiliter ac patienter expectes? Elias, religioſorum typus,Domini viſione, & alloquio fruiturus,ſe priùs in ſpelunca collocauit,& aliquo tempore expectauit, vt Dominum tranſeuntem videret. Audito namque quia Dominus eſſet iuxta ſpecum tranſiturus [operuit vultum ſuum pallio,& egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ] vbi ſibilum auræ tenuis,& in eo vocem Domini ſibi loquentis audiret. Docet ille te vt reuerentia & deſiderio Dei motus, illico ad locum orationis aduenias, præſto ſis, & quaſi Dominum ad eundem locum acceſſurum præuenias. Nec quiſquam vetare

2.Reg.19 13.

poteſt,vt ad hunc ſenſum illud trahamus,quod dixit Dominus, Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominũ ſuum,quando reuertatur à nuptiis.] Vt ſicut miniſtri qui dominum ſuum citiſſimè venturum expectant,non in conclaui manent,ſed prope ianuam, vt ibi eum lætanter excipiant; ita & tu in loco orationis ante ſignum poſitus, quaſi ad ianuam aſtes,& Domini pulſantis aduentum lætus expectes. Et neſcio an hoc poſſis ex diſcipulis Domini Saluatoris addiſcere;qui abierunt in Galilæam in montem, vbi conſtituerat illis Ieſus.Primò illi abierunt, quàm Ieſus veniret,vt illum accedentem adorarent. O ſi tu horam orationis ex feruore & amore præuerteres,& quàm lætus Dominus ad tua deſideria complenda feſtinaret!

Luca 12. 36.

Matt.28. 16.

In ipſo autem orationis tempore, vnius dumtaxat te monebo, te apud Dominum duos conuiuas habere valde diuerſos, quibus debes congrua alimenta miniſtrare.Conuiuæ iſti ſunt intellectus tuus & affectus tuus. Intellectus, meditationibus,colloquiis, & quieto ac ſimplici aſpectu Dei paſcitur: affectus, deſideriis ſanctis propoſitis,internis virtutum omniũ actibus, & amore ſaginatur.Illi pauca ſufficiunt;iſte, poſtquam multum deſiderauit,multum dilexit,multis propoſitis,& virtutum actibus ſe refecit,vix ſaturus inuenitur. Ita ergo conuiuium orationis moderare,vt intellectui pauca apponas,qui ſæpe nec conſiderationibus eget, ſed ſimplici quodam intuitu Domini contentus eſt: affectui verò,qui ad ſalutem animæ voracior eſt, multa ac varia fercula ſubminiſtres. Aut ſi mauis, cogita Dominum eſſe conuiuam tuum, cui debes offerre cibos,quibus libenter veſcitur,vt benedicat tibi anima ſua. Hi autem cibi non tam ſunt conſiderationes intellectus,quàm voluntatis affectus. Vnde in Prouerbiis dicit: Præbe, fili,cor tuum mihi,& oculi tui vias meas cuſtodiant.] Quare primo loco cor petit, & poſtea oculorum functionem depoſcit,cùm mentis oculi greſſus cordis natura præcedant?An quia affectus cordis in hoc negotio præſtantior eſt? & quia omnis conſideratio ad cordis motus affectúſque dirigitur? Errares ergo, ſi totam illam horam,aut maiorem partem in conſiderationibus intellectus occupares, & voluntatem ieiunam vacuámque relinqueres. Præbe Domino in tempore illo intellectum tuum,dum eum moderatè,& ad excitandum affectum,in pia meditatione occupas. Sed præbe largiùs & profuſiùs Domino cor tuum, dum illud piis affectibus ſatias. Procul abſcedat diſtractio,tepiditas omnis abeat,& ſomnolentia diſcedat. Aſcendat mens ad cœleſtia, intellectus ſponſum vocet, ſed affectus trahat, alliciat, & amplexetur,vt ex caſtiſſimo eius amplexu fœcundata mens ſuo tempore filium perfectionis pariat,& te in populo Domini,à maledictione ſterilitatis liberatum,benedictum atque honore dignum efficiat.

Prou.23. 26.

De diſcuſſione Orationis.

CAPVT IV.

HOc tempus orationis tanti momenti eſt ad mores noſtros perficiendos, & vitam ſpiritualem agendam, vt ſtatim, præſertim à tyronibus diſcutiendum, & examinandum ſit, non tam vt de erratis doleant(quamuis hic ſit vnus diſcuſſionis fructus) quàm vt meditandi artem atque ordinem diſcant. Ideóque tyronibus ſtatim poſt orationẽ tempus ad hanc diſcuſſionem concedimus, & modum ſe examinandi præ-

ſcribimus, quod tamen tempus ex præſcripto veteranis aſſignatum non eſt, quia cùm hac diſcuſſione egent, extra generale examen (de quo poſtea) ſecundùm patris ſpiritualis iudicium, ipſi ſcient aliquam breuem moram ad illam faciendam ſuſtura-ri. Peracta ergo oratione, orationem examina, & modum huius diſcuſſionis, ex Ricardo Victorino eam expreſsè docente poteris intelligere. Sed ſi per Danielem, inquit, deuotionem oportet intelligere, fortè hoc erit Danielem intra ſemetipſum cogitare: deuotionem noſtram ſemetipſam diſcutere, ſemetipſam examinare, quàm feruens, quàm frequens, quàm ſupplex ſit, apud ſemetipſam inquirere. Apud ſemetipſum cogitat, cùm ſtudij & exercitij ſui qualitatem, modum, & intentionem penſat. Cogitat apud ſemetipſum, dum diligenter inquirit, ſi hoc ipſum quod bene intendit, non de ſuis viribus, ſed de ſola pietate Domini præſumit. Si nondum intellexiſti, adhuc clariùs accipe. Cogita an te ad orationem præparaueris, materiamque meditandam præuenens, & affectum ex meditatione eliciendum præuidens. An dato orandi ſigno ſtatim inceperis, aut ſaltem ſine vlla mora ad locum deſtinatum accurreris. An diſtractus, an vero ſpiritu collectus aſtiteris. An dormituriens aliquantulum, an vigil & erectus ſteteris. Cogita quid fueris meditatus, an intellectui plus nimio habenas diſcurrendi laxaueris: an paruum affectum, an moderatum an ardentem habueris; an tepidè, an verò inſtanter poſtulaueris, an cum debita reuerentia aut potiùs minùs reuerens & humilis apud Dominum fueris; an ſine cauſa infirmitatis aut imbecillitatis ſufficiente ſtans, aut ſedens, & non genuflexus ſteteris, & denique an alium defectum curioſitatis, diffidentiæ, puſillanimitatis, præpoſteræ intentionis, aut ſimilium admiſeris. Si te minimè defeciſſe deprehenderis, Dei beneficium agnoſce, & pro eo gratias age, ſimul & quo modo alia die tibi ſit procedendum, addiſce. Si verò in aliquo defeciſti, non tantùm doleas, ſed & culpæ cauſas inquiras, vt poſt modum culpam vitare, & quo modo tibi ſit defectus emendandus, & rectè procedendum, agnoſcas. Hæc eſt tota huius diſcuſſionis ratio, qua paulatim, aſpirante Dei gratia, ſine defectibus Domino aſtare, & cum ingenti fructu meditari, & orare aſſueſcimus.

Ricar. de ſecunt. conſcientia c. 16.

De officio diuino.

CAPVT V.

Finita oratione, Sacerdotes Primam dicimus, & ſuis temporibus alias canonicas Horas tum diurnas tum nocturnas recitamus; quare de toto diuino officio dicendum eſt nunc, ne eadem ſæpius repetantur. Horæ canonicæ officium Sacerdotum ſunt, & vocantur, vt ipſo nomine ad magnam curam ac diligentiam eis adhibendam impellaris. Vnuſquiſque enim, niſi planè inſipiẽs ſit, & excors, ſuum officium ſtrenuè ac diligenter exequitur, & quo magis neceſſarium & ſublimius eſt, eo diligentiùs exequitur; &, ſi in hoc deficiat, tanquam malus miniſter ac infidelis, ob ſuam inertiam ſocordiámque damnatur. Nullum autem eſt munus in Eccleſia (nam & officium ſacrificium continet) quod aut neceſſitate, aut dignitate hoc Sacerdotum officium ſuperet, aut ei merito ſe coæquet. Horis enim vt decet perſolutis Deum placamus, ad miſericordiam flectimus, Angelorum munus vſurpamus, cæleſtem patriam lætitia perfundimus, dæmones cohibemus. Iuréque optimo, inquit Bernardus: Si autem cum Apoſtolo pſallas ſpiritu, pſallas & mẽte, cognoſces & tu de illius veritate ſermonis, quem dixit Ieſus: Verba, quæ loquutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt.] Et itẽ quem legimus, dicente Sapientia: Spiritus meus ſuper mel dulcis.] Sic delectabitur in craſſitudine anima tua.] Sic holocauſtum tuum pingue fiet.] Sic placabis Regem, ſic placebis Principibus, ſic denique totam tibi curiam beneuolã reddes, & odorati odorem ſuauitatis in cœleſtibus de te quoque dicent: Quæ eſt illa, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?] Si Horas perſoluere officium tuum eſt, & tantæ dignitatis, ac vtilitatis officium, vide quanta diligentia, quanto conatu debeas illi intendere, & vniuerſis reuerentiæ ac deuotionis impedimentis obſiſtere.

Bern. ſ. r. 7. in Cãt.

Eccl. 24 n. 27.

Iſa. 55. n. 2.

Pſal. 19. n. 4.

Cant. 3. n. 6.

Quamlibet igitur Horam congruo tempore ſecundùm Eccleſiæ conſuetudinem recitabis, aut ſaltem ei, quantum fieri poſſit, iuxta morem virorũ ſpiritualium, inter quos viuis, te accõmodabis. Omnia tempus habent,] & quælibet officij Hora ſuum tempus requirit, in quo à Domino tanquam debitũ obſequium exigitur. Si autem domini temporales ægrè ferũt, quòd eorum ſerui celeriter, & ſuis temporibus imperata obſequia non offerant: quanto melius in te vniuerſorum Dominus iraſcetur, ſi ſeruus eius ad munus orandi conſecratus, & huius cauſa cura temporalium vacuus, horam debitam orandi prætereat, & importuno tempore ſua miniſteria exhibeat? Ridiculum eſſet & valde præpoſterum, ſi hora ſurgendi è lecto te ad cubandum nudares, & hora cubandi & quieſcendi, ad laborandum indueres, & veſtibus amicires; ſi velles etiam diebus dormire, & noctibus in foro & in curia negotia tractare. Sed non minùs præpoſterum eſt, quod aliquando non ſine pudore cõſpexi, matutinas Horas, hora ferè prandij recitare, & Primam aut Tertiam ad Solis abſceſſum incipere. Terreat te, ne diuinum officium more iſtorũ tepidorum & negligentium à conuenientibus horis extrahas: terribile exemplum, quod nõ meis, ſed Petri Damiani verbis ſubijcio: Clericus, inquit, Colonienſis Eccleſiæ vadum fluminis tranſibat, & ecce Beatus Seuerinus eiuſdem Eccleſiæ nuper Epiſcopus equi eius habenas apprehendit, eúmque retinens ſiſtit. Cúmque ille in ſtuporem verſus, & grauiter admiratus, cur illic tam clarus & tam celebris famæ vir moraretur, inquireret: Da mihi, ait, manum tuam, & quæ circa me ſunt, non auditu diſce, ſed tactu. Cúmque datam manum fluctibus Epiſcopus impreſſiſſet, tantus eam ardor abſorbuit, vt vndique carnes eius reſolutæ diffluerent, & oſſa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem clericus, Cùm nomen, inquit, tuum in tanta benedictione ſit apud nos, & fama tua conſonis totius Eccleſiæ præconiis celebretur, cur te peſtilens hæc vorago conſtringit, tantóque (proh dolor) incendio cruciaris? Ad quem ſanctus Epiſcopus: Nihil, ait, aliud in me remanſit vltione plectendum præter hoc tantùm: quia dum in aula regia conſtitutus, imperialibus me conſiliis vehementer implicui, canonicæ ſynaxis officia per diſtincta horarum ſpatia non perſolui. Manè quippe ſimul omnia coaceruans, tota die negotiis ingruentibus ſecura libertate vacabam. Ob hanc itaque neglıgẽtiam Horarum, arduris huius fero ſupplicium. Hęc ille.] Et ego hortor, moneóque te, vt non ſolùm congruis tẽporibus recites, ſed cuique etiam Horę temporis ſpatium conueniẽs, & minime anguſtum aſſignes, ne ob temporis breuitatem feſtinare compellaris. Nec

Eccl. 3. n. 1.

P. Dam. li. de Miraculis.

te ea nimietate occupationũ excuſes: vidimus enim, & quotidie videmus, homines ſatis occupatos res & negotia ita diſponere, vt ad ritè perſoluendum hoc penſum nonquam eis tempus commodum quietúmque deficiat. Et, ſi à Deo lucem poſtulaueris, ac in bono exitu negotiorum non tuæ imbecillitati, ſed eius miſericordiæ confiderus, tempus aptum minimè tibi deeſſe monſtrabit, & tranquillitatem in orando concedet.

Locus proprius recitandi Horas, eſt chorus, in quo homines Deo conſecrati ad fundendas publicas preces cõueniunt. Si autem priuatim recitas, locus aptus eſt oratorium, vel cella, vel alia decens pars domus, in qua nihil ſit, quod tanti muneris dignitatẽ & maieſtatem offendat. Licèt enim oratio, quæ ſola mente fit, vbique locorum haberi poſſit: quia ſicut mens ea ſeipſa non addicta loco, ita neque in ſua actione à loco dependet: & licèt vocalis oratio, ſi neceſſitas inſtet, in quocumque loco poſſit fundi, quia tunc neceſſitas locum honeſtat; tamen ſi commodè fieri poſſit, locus quietus, & decens eligẽdus eſt, vbi nihil perſtrepat, nihil ſenſus ad alia vocet, & vbi non peragãtur abiecta miniſteria. Nam oratio vocalis corporalis eſt, ſenſúque perceptibilis, qua Deum exterius alloquimur, & cor noſtrum quaſi hoſtiã mactamus: vnde, ſicut alia ſacra corporalia, locum honeſtum decentémque requirit. Volo viros orare in omni loco, ait Paulus, leuantes puras manus ſine ira, & diſceptatione.] Sed vel de oratione mẽtali intelligit, vt Thomas Aquinas vult: vel non tantùm Hieroſolymis, ſed in aliis locis orãdum eſſe dicit; & ideo locum, Iudæorum tempore, orationi deputatum, excludit: vel in omni loco apto, aut orationi deputato orandum eſſe præſcribit; aut tãdem ad neceſſitatem reſpicit, in qua locus etiam ſpurciſſimus, vt lupanar, in quo orauit Beata Agnes, orationem non turpat. Vnde Baſilius ait: Non locus ſed propoſiti initium requiritur. Ieremias enim in luto erat, & Deum attraxit. Daniel in leonum lacu Deum placauit. Tres pueri in camino Deum promeruêre. Latro non cruce prohibitus, quin paradiſum aſſequutus fuerit: Iob in ſtercore (vt etiam Petrus atque Paulus in carcere) Deum ad miſericordiam prouocauerit. Igitur vbicumque fueris, ora, vel ſi ante iudicem, ora. Cùm autem tu locum habeas, in quo quietè & attentè poſſis orare, ille tibi eligendus eſt, vt locus ipſe ſpiritum colligat, & ad deuotionem inducat.

1. ad Tim. 2. 8.

Baſil.

Ierem. 38.
Dan. 6.
Luca 23.
Iob 3.
Act. 12.

Situs corporis in recitandis horis, cùm in choro recitas, talis ſit, qualis in vſu eſt apud alios, qualémq; Eccleſia præſcribit. Ibi ſis ſine vlla ſingularitatis nota, ſine vllo immodeſtiæ ſigno, ſine vllo indicio leuitatis. At cùm ſolus & ſeorſum precaris, aut genuflexus, ſi vires corporis ferant, aut ſtans, quod ſpiritui Eccleſiæ conformius eſt, aut certè humiliter ſedens, preces horarias fundes. Nam immodeſtè ſedendo precari, aut huc illúcque temere circumcurſando, aut in lecto cubando, ſignum eſt fidei modiciſſimæ, & cordis irreuerentiſſimi, quod neſcit diuinæ maieſtatis præſentiam ponderare. Si ſic te habens non auderes regem aut prælatum alloqui: quomodo ſummum Deum alloqui non erubeſcis? Ad hoc propoſitum Petrus Damiani in illo libello de miraculis, hãc narrat hiſtoriam. Prior quidam fuerat, nomine Ioannes, qui lentis quibuſdam infirmitatibus macilentus videbatur ſemper & gracilis. Hac itaque ſui corporis imbecillitate confiſus, ſæpe iacens in lecto completorium decurrebat. Accidit autẽ vt dæmoniacus quidam non procul abeſſet, qui multa hominum ſecreta, & obſcœnos actus impudens propalaret. Cúmque præfatus Ioannes dæmonem exire præciperet, &

Petr. Damiani ſuprà.

quibuſdam exorciſmi quæſtionibus flagellaret: Tu ne, ait, ille es, qui ſub cotto quotidie completorium inſuſurras? & modò me quaſi ſanctus eiicere, & iuris mei vaſculum de meo vis dominio liberare? Hoc audito, frater erubuit, quia rei veritatẽ etiam per mendacij recognouit authorem. Iam vides diabolum ægroto homini illudentem, quòd cubans completorium recitaſſet. Quanam igitur tui deſpicientia te ridebit, tuáſque orationes ſubſannabit, quia ex ſola ignauia & irreuerentia, aut cubans aut irreuerenter ambulans, aut immodeſtè te gerens, non vnam, ſed omnes horas canonicas recitas? Diſce itaque, ante Deum reuerenter aſtare, & rem magnam debita modeſtia, & corporis diſpoſitione perficere.

Ante initium officij, mentem præuia aliqua oratione vel pia conſideratione recolligas, ſimul ei, qua te ad orationem mentalem diſpoſuiſti, vt deuotiùs hoc munus obeas, & maiori deuotione perficias: de quo hæc ait Bonauentura: Priuſquam incipiatur officium, præuenire ſtudeas ſi potes, vt cor ad aliquam deuotionem ſit adaptatum, quãdo officium inchoatur. Ideo enim tam deſides, & tepidi ſumus in diuino officio, quia antè non ſumus in aliqua deuotione excitati; & ita ſicut intrauimus frigidi, eximus corde diſſoluti. Stude in ipſo initio cogitationes vagas abiicere, & intende his quæ pſalluntur, alioquin tumultus earum via poteris euitare. Sic ille.] Singula verba bene proferes, non truncabis, non diminues, non acceleranter pronuntiabis, ſed integre, diſtinctè, & appoſitè ad intelligendum dices. Ad quod multum valet actualis reuerentia, qua Deum adeſſe contemplaris. Si enim hominem alicuius authoritatis erubeſceres, præcipitanter, & verba truncando, alloqui; quanto magis debes confundi & erubeſcere, ſi infinitam illam maieſtatẽ Dei indebito modo alloquaris? Valet etiam maximè illa conſuetudo, qua te ipſum ad bene pronuntiandas, & ad ſingulas voces integre proferendas cogas. Si enim conatus illius oratoris ad bene proferendum tantùm valuit, vt balbutiem linguæ vicerit, & naturæ vitium emendauerit; quanto magis conatus viri ſpiritualis, diuina gratia adiutus, prauam conſuetudinem, ex incuria & irreuerentia procedentem, vincet? Nec maius erit præmium illius quàm iſtius; nam ille conatu ſuo, & pronuntiatione optima aliis rebus ad eloquentiam pertinentibus adiuncta, viri eloquentiſſimi nomen obtinuit; hic verò non opinionem apud homines, ſed ſerui Dei fideliſſimi gloriam, apud ipſum Deum, & homines, & angelos obtinebit.

Bonau. tract. de 6 alis ſeraph. c. 5.

Non diſtractè, non quaſi aliud agens, ſed attentè precaberis: ita ſcilicet vt ad verba, quæ dicis, vel ad ſenſum eorum, quæ dicis, ſi intelligis, vel ad ipſum cui dicis, nempe ad Deum omnium conditorem, attendas: ſi mihi credis, his tribus attentionibus ſimul iunctis aſſueſces. Vide quàm pie Thomas à Campis tuum ſpiritum ad orandum colligat. Recordare dilecti Domini tui Ieſu in præſepio iacentis, aut in cruce pendentis, aut in cœlo ad dexteram patris, tanquam coram eo aſſiſteres, & cantares. Ipſe ſit in corde tuo, & in labiis tuis ad pronuntiandum apertè & diſtinctè verba Spiritus ſancti, cuius ope & arte diuinum officium ordinatum eſt. Statue Ieſum ad dexteram tuam, & Mariam ad ſiniſtram tuam, & omnes ſanctos in circuitu eorum. Omnes fratres tui ſint tãquam Angeli Dei. Et cum quibus nunc pſallis in terris, ſpera etiam te cantaturũ in cœlis.] Ita collectus, Deum tuum præſentem attende, & ſi intelligis (cura autem vt intelligas, & pſalmorũ expoſitionem addiſcas) tuũ ſpiritũ affectu pſalmi forma; ſi affectus ſit

Thom. à Camp. de diſ. clauſtr. c. 8.

amoris,

amoris, ama; ſi timoris, metue; ſi deſiderij, deſidera; ſi gratitudinis, gratias age; ſi petitionis, poſtula, & cor faciat, quod verba ſignificant. Audi quàm breuiter quàm ſuauiter Auguſtinus hanc vtiliſſimam artem (*Aug. ad Pſal. 30. con. 3.*) pſalmos recitandi docuerit. Et, ſi orat pſalmus, orate; &, ſi gemit, gemite; &, ſi gratulatur, gaudere; &, ſi ſperat, ſperate, &, ſi timet, timete. Omnia enim quæ hîc conſcripta ſunt, ſpeculum noſtrum ſunt.] Si pſalmos ita recitaueris, miram ex hac Eccleſiaſtica oratione vtilitatem perſenties.

Tandem horas dices deuotè, ita ſcilicet vt enitaris accendi amore Dei, & affectibus ſanctis quos prędiximus, tangi, & intellectu & affectu ad ipſum Deũ & ad deſideria rerum cœleſtium extolli. Caue ne ſis ex illis, de quibus dictum eſt: (*Matt. 15. 18.*) Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.] ſed potiùs ex illis, qui orant ſpiritu, orant & mente: pſallũt ſpiritu, nempe voce, quæ in aëre recipitur; pſallunt & mente. Sic in terris, angelorum officium obibis, & affectibus eorum incaleſces, & vitam ſimdem habebis eis, quam ipſi læti & beati ſemper habent in cœlis. Finita hora ſiue officio, conſueta precatione ad honorem Dei, & omnium ſanctorum laudem, & vtilitatem Eccleſiæ, tuum illud opus offeres, & pro negligentiis humiliter veniam petes. Hic eſt modus recitandi diuinum officium, quo dum quid aliud melius non inuenis, vti poteris; cui ſi feruidè & diligenter te accommodaueris, non minùs hac oratione vocali quàm mentali proficies.

De præparatione ad Miſſam.

CAPVT VI.

CONVENIENTI tempore, qui beneficio Domini ad reuerentiſſimam ſacerdotij dignitatem euecti ſumus, ſacrum facimus, & priùs ad illud perficiendum pro noſtra exiguitate diſponimur. In hoc autem, bone Deus, quanta dici poſſent, quæ noſtram tepiditatem accenderent? Sed quia hic non puncta meditandi, nec materiam orandi, ſed modum ſtudioſè viuendi perſcribimus, his omnibus omiſſis, ſolùm capita præuiæ diſpoſitionis attingamus. Hæc quatuor ſunt: vitæ puritas, intentionis rectitudo, deuotionis excitatio, & generalis pro his quæ aliis & nobis neceſſaria ſunt, poſtulatio, quæ ex ipſo Sacerdotis munere eruuntur. Sacerdos enim debet eſſe vita mundiſſimus: in cuius ſignum Diſcipuli antequam in Sacerdotes conſecrarentur, mundi pronunciati ſunt, (*Ioan. 13. 10.*) dicente Domino: Et vos mũdi eſtis.] & antea mundi ampliùs adhuc mũdati ſunt, & pedibus loti: [Nam qui lotus eſt, inquit, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.] Hoc ſanè vt & ipſi & omnes poſteri intelligerent, ſacerdotis munus eximiam quandam poſtulare munditiam. Vmbræ iſtorum, nempe veteris legis ſacerdotibus, dictum eſt in Leuitico: Omnis homo qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filij Iſraël Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino.] Si vmbræ, quæ obſcura & terra eſſe ſolet, munditiæ candor indicitur, quàm meritò inſignis quædam munditia & ſanctitas à ſacerdotibus exigetur? Sacerdos ſit intentione rectiſſimus, & ſacroſanctum ſacrificium ad Dei gloriam ordinatum, non ob aliud, niſi ob Dei gloriam, & ea quæ Dei gloriam concernunt, offeratur. Qui aliter celebrat, dignus eſt ab omnibus deplorari. (*Bonau. tract. de præparatione ad miſſ. c. 8.*) Bonauentura profectò ſic ſacerdotes præpoſtera intentione celebrantes deplorat. Væ, væ, væ, Domine Deus, quanti hodie infœlices ad ſacros ordines accedunt, & diuina myſteria accipiunt, non cœleſtem panem, ſed terrenum quærentes: non ſpiritum, ſed lucrum; non Dei honorem, ſed ſuam ambitionem; non ſalutem animarum, ſed quæſtum pecuniarum; non Chriſto ſeruire mundo corde, & corpore, in ſacris myſteriis, ſed deliciari, ditari, ſuperbire, & luxuriari de patrimonio Chriſti?] Sacerdos ſit deuotione flagrantiſſimus, quia panem cæleſtem offert, amore calidum, & ad pananı accedit igne charitatis accenſam. Volauit ad me, inquit Iſaias, vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua.] (*Iſa. 6. 6.*) Calculus hic Chriſti fuit typus. Hæc demum erat, inquit Cyrillus, Chriſti ſignificatio, & repræſentatio, (*Cyril. Alex. lib. 1. in Iſa. ibi.*) qui propter nos, ac noſtra cauſa ſeipſum in ſacrificium ſpirituale, purum ac impollutũ, obtulit in odorem ſuauis fragrantiæ. At hoc loco calculus carbonem ignitum, vel carbunculum, pretioſam gemmam, ſignificat: Carbo autem lignum eſt omni ex parte, intus & foris igne plenum, & carbunculus gemma naturæ igneæ eſt, qui ad modum ignis fulget, & ſplendet. Sic Chriſtus homo eſt in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, & incitamentum eſt amoris, qui animas illuminat, & calore charitatis inflammat. Quare ſacerdos hunc ignem tangens, & hanc gemmam quotidie in ſinu recondens, neceſſe eſt, vt igne charitatis & deuotionis ardeat, non verò tepiditate rigeſcat. Sacerdos tandem ſit poſtulatione largiſſimus. Nam patri filium offert, filium vnigenitum, filium ſummè dilectum, filium æqualem. Sacrificium offert infiniti valoris, pretium nullis terminis limitibúſve concluſum; hoſtiam ſummè gratam, & oculis diuinis acceptam. Quid multum ſi in tanto munere multa & magna petat, & pro ſe ac pro omnibus, ſe quicquid petierit, impetraturum eſſe confidat?

Prima præparatio, Puritas vitæ. §. I.

PRima ergo præparatio ad celebrandum, & quaſi à longè, eſt puritas vitæ, quia tam ſanctè, tam circumſpectè, tam feruidè victurus es, vt de diuina miſeratione confiſus quotidie celebrare merearis. Ad ſacrificium enim offerendum non pueri, ſed perfectæ ætatis homines admittuntur: & ſolidum ac ſuperſubſtantialem cibum non teneri infantes, ſed viri robuſti percipiunt. Chriſtus autem in hoſtia ſacrificium eſt omnium ſacrificiorum ſanctiſſimum, cibus eſt grandium, & ſolidum ac firmũ alimentum, quod imbecilla pectora bene non capiunt. Non minùs obeſt dignæ ſumptioni eius puerilitas cordis, & infirmitas animæ, ſi eis per curam ſanctè viuendi non obſiſtamus; quàm infirmitas & imbecillitas ſtomachi obeſt cibi ſolidioris ſumptioni. Et hæc eſt cauſa (quod tremens dico) quare multi quotidie celebramus, & poſt multos ſacerdotij annos modica ex hoc incruento ſacrificio, & mirifico ſacramento dona cæleſtia recipimus, quia parum parati vita bona, & conuerſatione ſancta, ad ipſum manibus offerendum, & ore ſuſcipiendum, accedimus. Seminaſtis multum, inquit Aggæus Propheta, & intuliſtis parum; comediſtis, & non eſtis ſatiati; bibiſtis, & non eſtis inebriati; operuiſtis vos, & non eſtis calefacti, & (*Aggæi 1. 6.*) qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.] Reddit autem cauſam inferiùs: Quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinaſtis vnuſquiſque in (*Ibid. n. 9.*) domum ſuam.] An non ſeminauimus multum, cùm

Digitized by Google

ſemen bonum, & granum vitæ in terra cordis noſtri ſeuimus? An non comedimus multum, cùm panem Angelorum, frumentum electorum, cibum ſanctorum, agnum puriſſimum & mundiſſimum manducamus? An non bibimus, quod ad ſatietatem ſufficeret, cùm Chriſti ſanguinem, potum cæleſtem, nectar non falſorum Deorum, ſed amicorum Dei potionem haurimus? Nonne veſtem ſplendidiſſimam laneam humanitatis, & lineam aut byſſinam puritatis induimus? eam nimirum de qua dixit Paulus: Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.] Nonne, non mercedes tantùm, ſed theſauros quoque ſapientiæ & ſcientiæ Dei in ſacculum pectoris noſtri congeſſimus? Quare ergo quaſi nihil fructus colligimus? quare fame & ſiti virtutis perimus, quare vt nudi præ frigore algemus, niſi quia domũ noſtram, domum veteris Adæ, nouis culpis & defectibus quotidie ædificamus, & domum Dei, ſcilicet perfectam animam, ſanctis actionibus ædificare contemnimus? Quare theſaurum theſaurorum in corde recondimus, & pauperes ſumus, niſi quia illum in ſacculum pertuſum, id eſt, in cor diſtractum, & vanis cogitationibus & deſideriis diſciſſum mittimus? Si ergo cupis dignè ad ſanctum altare accedere, & fructum ex corporis Domini ſumptione percipere, ſanctam vitam, & ſacerdote dignam arripe, & quod minus eius habueris, corporis afflictione & cordis compunctione ſupple. Tria enim, vt inquit Hugo Victorinus, ſunt ſacrificiorum genera: Vnum Dominici corporis, alterum contriti cordis, tertium mortificatæ carnis. Oportet igitur præcedere ſacrificium humilitatis in mente, afflictionis in carne, vt habeatur deuotio in Dominici corporis conſecratione.] Cura & tu accedere cum magnâ puritate carnis, vt nihil in te immediata nocte præceſſerit, quod tangere panem mundum impediat; nihil ſit ſordium in facie, aut in manibus, immò neque in veſtibus, quod alienum à conuiuio cœleſtis Regis appareat. Cura etiam accedere cum magna munditia mentis: & quia defectibus quotidianis carere non poteris, eos confeſſio ſacramentalis quotidie, aut ſaltem alternis diebus ſuſcepta detergat. Hac cura bene viuendi, & mundo corde & corpore accedendi, id facies, vt magnum fructum ex quotidiana celebratione colligas, & multum virtute proficias.

Hugo de claustro anima, li. 2. c. 23.

Secunda præparatio, rectitudo intentionis. §. *II.*

EX tribus aliis quæ proximè diſponunt ad celebrandum, primum obtinet locum rectitudo intentionis. Hæc autem non tantùm prohibet, ne propter lucrum, aut propter alium finem ſimilem celebres, verumetiam ne ex ſola quadam arida & inſipida conſuetudine ſacrifices. Accede itaque ad ſacrificium Deo offerendum actu, & non habitu, aut virtute ſolùm aliquem finem excelſum, cœleſtem, ſublimem quærens, & ad aliquid Deo placitum, proximis vtile, tibique proficuum, reſpiciens. Syluam ſanctorum finium, quorum gratia celebrare debeas, Bonauentura Doctor verè ſeraphicus his verbis ſubminiſtrat: Tu autem homo Dei, dirige vota tua, & deſideria ad Deum, & vide quibus affectionibus & deſideriis trahi debeas ad ſacra myſteria celebranda. Primò, te trahet conſcientia, & remorſus delictorum, ſperans per eum, quaſi per hoſtiam obligationis, ab omni peccato purgari. Secundò, tuæ infirmitatis intuitus, & conſideratio, vt eum quaſi medicinam ad te voces, per quam ab omni infirmitate tuearis. Tertiò, preſſura alicuius tribulationis, vt per eum, qui omnia poteſt, ab omni aduerſitate citiùs libereris, & protegaris. Quartò, deſiderio alicuius gratiæ, vel ſpiritualis beneficij impetrandi, vt per eum, cui Pater nihil negare poteſt, obtineas. Quintò, gratiarum actio pro omnibus beneficiis temporalibus & ſpiritualibus tibi & aliis impenſis, cùm nihil habeamus Deo tribuere, pro omnibus, quæ tribuit nobis, aliud, quàm calicem ſalutaris accipere, & ſacrificare hoſtiam laudis, id eſt, Ieſum Chriſtum. Sextò, charitas & compaſſio proximorum, cùm pro ſalute viuorum, & requie defunctorum, nihil efficaciùs interpellet, quàm Chriſti ſanguis effuſus in remiſſionem peccatorum. Septimò, laus, & Dei, & ſanctorum, cùm nihil habeamus, quo poſſimus Deũ & Sanctos pro ſua dignitate laudare, quàm Chriſtum ſacramentaliter Deo patri offerre, & immolare. Octauò, Dei amor, & dilectio, vt eum inuites ad te, ac per inuiſcerationem ſpiritualis refectionis in te ipſo eum delectabiliter amplexeris. Nonò, ſitis, & deſiderium augendæ gratiæ, quia hoc ſacramentum fontem continet gratiarum, & ſanctificationem, & authorem continet ſalutis, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ideo dicitur euchariſtia, id eſt, bona gratia. Cætera verò ſacramenta fluẽta ſunt, & riuuli gratiarum, quibus ſanctificamur. Decimò, ardor & ſuſpirium, quo totis viſceribus virtute huius exceſſiuæ charitatis, & dulciſſimæ refectionis cupias ſanctificari ab omni inquinamẽto carnis, & ſpiritus, & eripi ab omnibus periculis, & tentationibus, ac inſeparabiliter vniri Chriſto Saluatori, & conſeruari in ſuo amore. Vnde inquit Chriſtus: Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, illic ſint mecum, vt ſint vnum, ſicut nos vnum ſumus, ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnũ.] Hos omnes fines ſacrum faciendi, paucis verbis collegit Beatus hic doctor, & pro omnibus ſimul, aut pro aliquo illorum ſeorſum poſſumus celebrare.

Bonau. tract. de præparat. ad Miſſam. c. 8.

Ioan. 17. 22. 24.

Alij verò aut rudioribus conſulentes, aut memoriæ fragilium proſpicientes, ex ſeptem petitionibus orationis Dominicæ, ſeptem fines ad celebrandum eliciunt, quos & per ſeptem dies hebdomadæ diſtinguunt, & cuique diei ſuum finem aſſignãt. Quos ſi imitari volueris, primo die accedes ſerui fidelis affectu, cupiens vt nomen Domini apud omnes ſanctificetur, & ab omnibus nationibus honoretur. Secundo, indues affectum filij, & deſiderabis, vt ad te Dei regnum adueniat, & hæreditas cæleſtis patris obtingat. Tertio, aſſumes affectum ſponſæ, & accedes, vt ſicut in cæleſtibus, ita & in te, atque in omnibus terreſtribus Domini voluntas impleatur. Quarto, te indigentiſſimum cogitabis, & affectu mendici ad offerendum ibis, vt ipſum ſuperſubſtantialem panem dignus edas, & vt panem verbi Dei, nec non & panem cæleſtium auxiliorum ad ſanctè viuendum quotidie percipias. Quintò, te circundabis peccatoris affectu, & peccatis irretitum aſpicies, properabiſque ad celebrandum, vt tuorum peccatorum veniam obtineas. Sextò, conſiderans imbecillitatem tuam, & affectu hominis tactus, qui validiſſimis eſt aduerſariis circundatus, offeras ſacrificium vt à tuis & Dei hoſtibus libereris. Septimò, te pronum ad malum, & ad omne vitiorum genus procliuem ſentiens, ito ad ſacrum faciendum, vt à veris malis, nempe à vitiis & peccatis, & ab huius vitæ miſeriis, ſi ita expedient, eruaris.

Alij ex conſideratione ſeptem verborum Domini, quæ in cruce protulit, intentionem ſuam ordinãt, fineſque celebrandi diſtinguunt. Ipſe dixit: Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt:] illi verò primi & ſummi Sacerdotis imitatione veſtiti accedunt, vt charitate ſe ornent, & tã pro amicis quàm pro inimicis exorent. Ipſe latroni dixit: Amen dico tibi,

Lucæ 23. 34.

hod-

Luc.23. 43. hodie mecum eris in paradiſo.] Et largitate tantæ A
promiſſionis illecti eunt ad celebrandum, vt ſpem
concipiant, & præmium gloriæ ſibi impetrando
conquirant. Ipſe dixit matri: Ecce filius tuus:]
Ioan. 19. 27. diſcipulo verò: Ecce mater tua;] & propria mendi-
citate coacti vadunt ad ſacrificium offerendum, vt
beneficio Domini electorum matrem, ſibi ſpeciali
prouidentia in matrem habeant, & in omnibus in-
digentiis ſuis à tam benigno & pio patre remedium
Ioan. 19. 28. accipiant. Ipſe dixit: Sitio:] quærunt ergo ex tam
ſancti ſacrificij oblatione ardens deſiderium perfe-
Matt.27. 46. ctionis, ſitímque iuſtitiæ. Ipſe clamauit, & ex amo-
re filij dilectiſſimi conqueſtus eſt ſe à patre fuiſſe de-
relictum; quare celebrant vt in anguſtiis, in preſſu-
ris, in tentationibus magnum Dei auxilium ſibi præ-
ſto eſſe cognoſcant. Ipſe ſuam fuit obedientiam B
Ioan. 19. 30. teſtatus, dicens: Conſummatum eſt:] offerunt er-
go ſacrificium, vt per perſeuerantem obedientiam
mandatorum fœliciter curſum peragant, & quietè
Luca 23. 46. conſummentur. Ipſe tandem puriſſimum ſpiritum
in manus Patris commendauit; & vnionem animæ
ad Deum deſiderant, vt mereantur per perfectum
amorem ſuo patri, & Domino, ac ſponſo copu-
lari.

Alij demum ita ſibi proſpiciunt, vt ſimul cor Sacerdote dignum aſſumant: illud ſcilicet quod perſonam publicam decet, qui non minori dilectione curam ſalutis totius mundi, quàm animæ propriæ, ſuſcipiant. Hi ſacra myſteria peragunt, vt ſibi & omnibus de bonis neceſſariis prouideant; & hanc ſuã intentionem hebdomadæ quoque diebus accommodant. Nam primo die hebdomadæ celebrant deprecantes, C primò, vt Deus omnes infideles, & idololatras, ad fidem trahat; ſecundò, vt peccata ſibi ipſis ignoſcat. Secundo die celebrant, primò, vt Deus miſerrimos hæreticos atque ſchiſmaticos ad notitiam veritatis, & ſanam mentem adducat; ſecundò, vt ipſorum paſſiones affectúſque cohibeat. Tertio die incruentum ſacrificium offerunt, poſtulãtes, primò, vt Deus fideles peccato lethali ſordentes conuertat: ſecundò, vt ipſis mentem ab omni amore rerum terrenarum alienam habere concedat. Quarto die ſacrificant, ſupplicantes, primò, vt omnes iuſtos in iuſtitia conſeruet, & ad perfectionem prouehat; ſecundò, vt ipſos vniuerſis virtutibus imbuat. Quinto die ad altare accedunt, petentes, primò, vt Dominus, pa- D rentibus, fratribus, cognatis, & amicis atque inimicis benefaciat; ſecundò, vt ſibi ipſis ſeptem dona ſui ſpiritus tribuat. Sexto die ſacris myſteriis intendunt, primò, Dominum exorantes, vt animabus in purgatorio detentis miſereatur: ſecundò, vt ſibi orationis donum, & efficacem gratiam ad conſequendam perfectionem, dare dignetur. Septimo tandem die ſuppliciter petunt, primò, vt Dominus Eccleſiã ſuam augeat, & protegat; ſecundò, vt ipſos, poſtquam ſtudioſè vixerint, & hinc cum vera pœnitentia deceſſerint, in ſuum regnum admittat.

Tu verò ſiue iſtos imiteris, ſiue aliam viam meliorem ſequaris, id ſaltem cures, vt ex puriſſima intentione & actuali placendi Deo, & te illi per amorem copulandi, ad celebrandum accedas. Miſſæ ergo valorem primò & præcipuè ad illam perſonam aut E perſonas viuentes, aut vita functas, applicabis, pro quibus celebrare teneris: ſed ſecundò, his modis iam dictis aut aliis ſimilibus, omnibus, & tibi ipſi per hoc ſacrificium prodeſſe cupies, & ſic dum in celebrando rectam intentionem habes, mirum in modum mentis puritate proficies.

Tertia præparatio, excitatio deuotionis. §. III.

POſt rectitudinem intentionis, ſequitur excitatio deuotionis. Hæc excitatur attenta meditatione huius ſacri myſterij, cuius tanta vis eſt ad capiendas & illaqueandas amore animas, vt ſaxea ſit illa, vel potiùs ænea, quæ ad tanti ignis præſentiam non liqueſiat. In hoc autem myſterio innumera ſunt, quæ poſſunt meditari, & quidem omnia ad tria capita reuocantur; nempe quis veniat, ad quem veniat, qua cauſa veniat. Vnumquodque autem horum capitum poteſt per ſeptenarium numerum dilatari, vt per hebdomadam, ſpiritualem animam diſtincta ratione diſponat. Quis venit? Chriſtus patri offerendus, & mihi intimè copulandus. Ad quem venit? ad me hominem deſpicabilem, qui nec dignus ſum eius vultui præſentari. Qua cauſa venit? non vt ſibi aliquod bonum quærat, ſed vt mihi, & toti Eccleſiæ, & vniuerſo mundo bona innumerabilia tribuat.

I. Quis venit? Chriſtus Rex, cui acclamatum eſt: Ioan.12. 14.
Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Iſ-
raël.] Cui nihil eſt Regem eſſe hominum, cùm Rex
ſit vniuerſorum. Rex benignus, & manſuetus, qui
venit ad regnandum, non vt ſubditos expilaret, ſed
vt iuſtitiam edoceret, & abundantiſſima redemptio-
ne ſaluaret. Vnde ſcriptum eſt in Zacharia: Ecce Zach 9.9
Rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator.] 2. Ad quẽ
venit? Ad ſubditum ſuum, decem millium talento-
rum debitorem, qui nec obolum habet, vnde inci-
piat debitum tam ingens exoluere. 3. Ad quid ve-
nit? non vt miſerum ſeruum vendat, & omnia eius
accipiat, & filios ipſius ſeruituti ſubiiciat, ſed vt ei
pretium immenſum maius debito Corporis & San-
guinis ſui ad ſoluendum tribuat.

II. Quis venit? Chriſtus Dominus, qui de ſeipſo Ioan.13. 13.
dixit: Vos vocatis me, Magiſter, & Domine, & bene
dicitis, ſum etenim.] Dominus, qui miniſtris ſuis iu-
gum ſuaue, & onus leue ſuæ legis impoſuit, & pro
vnius momenti obſequiis, æternum gloriæ pondus
daturus eſt. 2. Ad quem venit? ad mãcipium ſuum,
qui pluſquam millies legis ſanctiſſimæ vincula fregit,
iugum debitæ ſeruitutis excuſſit, & aduerſario Do-
mini ſui, nimirum peccato, ſe ſubiecit. 3. Ad
quid venit? vt hoc mancipium ſuum in funiculis
Adam, ad ſe trahat, & in vinculis charitatis, ipſúm- Oſee 11 4
que à iugo paſſionum inordinatarum ereptum,
in ſuam ſeruitutem fœliciorem omni imperio re-
ducat.

III. Quis venit? Chriſtus magiſter, qui & Apo-
ſtolis ſuis effatus eſt: Vos autem nolite vocari Rab- Matt.23. 8.
bi; vnus eſt enim magiſter veſter.] Magiſter, non
ſicut illi, qui alligant onera grauia, & importabilia
ſuper humeros hominum, digito autem ſuo nolunt
ea mouere; ſed qui priùs fecit quæ docuit, & in do-
ctrina perfectionis vniuerſos homines, & Angelos
erudiuit. 2. Ad quem venit? ad rudem diſcipulum,
qui nunquam, aut ſerò, ad audiendam doctrinam
virtutum venit, & citò per animi leuitatem ab auditis
diſcedit. 3. Ad quid venit? vt ego imitatione ſequar Cant.8.2
ſponſam, & apprehendam fide, & ducam ſpe in do-
mum mentis meæ: ibi ipſe me docebit vias ſuas, vias
iuſtitiæ, & ego viciſſim illi dabo poculum ex vino
amoris condito, & muſtum ex ſanctis affectionibus
expreſſum malorum granatorum meorum.

IV. Quis venit? Chriſtus amicus, cuius tantus fuit erga homines amor, vt ex inimicis non tantùm ſeruos faceret, quos ſanguinis pretio redemit, ſed in dignitatem amiciſſimorum eueheret. Amicus fidelis, cui nulla eſt cõparatio, & non eſt digna põderatio

auri & argenti, contra bonitatem fidei illius,] qui à nobis deſertus, nunquam nos deſerit, & irritatus iniquitatibus noſtris, nunquam nos contemptui habet. 2. Ad quem venit? ad eum, qui toties eius amicitiam contempſit, eius gratiæ peccatum prætulit, eius familiaritatem pro vaniſſimis colloquiis hominum
Eccl.6.14 commutauit. 3. Ad quid venit? vt ſit [amicus fidelis, protectio fortis, vt dum inuenio illum, inueniam theſaurum;] vt ſuam in me amicitiam augeat, & intimiùs me ſibi per amorem vniat.

V. Quis venit? Chtiſtus ſtater, qui cùm ſit verus Deus, & Dominus hominum, non confunditur
Heb.2.11 fratres eos vocare, dicens: Narrabo nomen tuum fratri-
Pſal. 21. 23. bus meis.] Frater primogenitus, cuius cùm tota eſſet hæreditas, ad eius poſſeſſionem libentiſſimè alios à Patre adoptatos admittit. 2. Ad quem venit? ad me
B
Gen. 4.8. fratrem ipſius fratricidam, qui ceu alter Cain, Abel iuſtum in agro huius mundi peccatis occidi, & eum quaſi temolentum amore, & non vino, acerbiſſima nece mulctaui. 3. Ad quid venit? vt me fratrem, à quo occiſus eſt in vita ſpirituali, quam dederat antea, confetuet, & non profugum ac vagum ſuper terram eſſe dimittat.

Iſa.9.6. VI. Quis venit? Chriſtus Pater, qui dictus eſt, Pater
Iſa.22.21 futuri ſæculi:] & quaſi Pater habitantibus in Ieruſalem, & domui Iudæ:] quoniam omnes filios Eccleſiæ verbo veritatis genuit, & eſſe diuinum ſuo ſimile
Ioan. per gratiam tribuit. Pater qui tenerrimè nos amat, nóſque filiolos vocat, quos iterum atque iterum parturit, donec ipſe formetur in nobis. 2. Ad quem
C
venit? ad me filium prodigum, qui diſſipaui ſubſtantiam meam, & conſumpſi ætatem meam, ſi non viuendo luxurioſè, at viuendo inaniter, & inutiliter.
Luc. 15. 22. & ſeq. 3. Ad quid venit? vt induat me ſtolam primam, & amictu gratiæ circumdet; vt det annulum donorum cœleſtium, ſignum dignitatis in manu mea; vt calceis auxiliorum ſuorum protegat pedes, id eſt, affectus meos; vt ſatiet me vitulo ſaginato, corpore & ſanguine ſuo; à fratre maiore, & à ſuperbis defendat, ſempérque in domo gloriæ ſuæ hæreditatis æternæ poſſeſſorem efficiat.

VII. Quis tandem venit? Chriſtus ſponſus, qui ad
Oſea 2. 19.20. animam ſibi dilectam dicit illud Oſeæ: Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide, & ſcies, quia
D
ego Dominus.] Sponſat ipſe ſibi animam in ſempiternum, quia nunquam vult ab eius connubio recedere; ſponſat in iuſtitia, dum per gratiam iuſtificat: in iudicio, dum ab aduerſariis liberat; in miſericordia, & miſerationibus, dum donis cæleſtibus ditat; & in fide, quia non per opera ſua, ſed per fidem in Chriſtum, & per gratiam in tantam dignitatem admiſſa eſt. 2. Ad quem venit? ad animam meam,
Ierem.2.20 cui bene conuenit illa increpatio ſcripta in Ieremia; In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebatis meretrix.] Collis ſublimis, occaſio ſuperbiendi; lignum frondoſum, incitamentum rebus creatis adhærendi. In his ſemper cecidi, & me
E
ſuperbiæ & impuro amori proſtitui. 3. Ad quid venit? vt ad eum compuncta anima reuertatur, & iterum benigniſſimè in lectum dulciſſimæ familia-
Ierem.3.1 ritatis admittatur. Nam ait; Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.]

His, aut aliis ſimilibus meditationibus, quæ paſſim occurrunt, poteris torporem depellere, & te ad deuotionem excitare. Nec longum tempus ad hoc exiſtimo neceſſarium, quia mens per orationem matutinam calefacta, & per curam diuinæ præſentiæ (de
A
qua poſtea) facilè ſeipſam colligit, & ad celebrandum cum debita deuotione diſponit.

Quarta præparatio, vſus poſtulationis. §. IV.

POſtrema præparatio eſt vſus poſtulationis: nam Sacerdos, qui, vt perſona publica, & nomine Eccleſiæ ſacrificium offert, & Chriſtum in cruce pendentem, & pro omnibus ſeipſum Patri in holocauſtum offerentem repræſentat, debet pro omnibus hominibus, iuxta dictum Pauli: pro Regi- *1.Tim.2. 2.*
bus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, exorare, vt quietam & tranquillam vitam agant, in omni pietate, & caſtitate. Debet etiam ſibi ipſi cuncta neceſſaria & vtilia petere, vt ex merito tanti ſa-
B
crificij, à mendicitate exeat, & veras animæ diuitias ac cœleſtia dona conquirat. Et quidem in ipſo Miſſæ decurſu, atque in ipſo ſacro canone, tempus datur Sacerdoti, in quo ſecretò oret, & ſpeciales perſonas pro ſua deuotione commemoret. Quia verò mora illa ex conſuetudine breuis eſt, vt præſenti populo conſulatur, qui non poteſt diutiùs in Eccleſia teneri, ideo bonum eſt conſilium, & ab ſpiritualibus viris vſitatum, vt ante Miſſam, generalem & longiorem poſtulationem faciant, ad quam ſe in ipſa celebratione myſterij remittant. Et quamuis etiam hæc poſtulatio ſit cuiuſque deuotioni & affectui relinquenda, nec ex compoſitione verborum, ſed ex vnctione Spiritus ſancti dependeat, viſum eſt tamen mihi quandam formulam poſtu-
C
lationis ſubiicere, qua quidam ex noſtris, qui ſeruus Dei eſſe cupiebat, vtebatur, & aut in præterita nocte, aut in ipſo manè ante celebrationem Miſſæ precabatur, vt lector ex ea rationem precandi, & mente ad Deum aſcendendi per poſtulationem, adoerat. Ille ergo non ore, ſed mente, non verbis, ſed affectibus, ſic in conſpectu Dei poſitus ſua deſideria promebat, & pro ſe, ac pro omnibus exorabat: O Trinitas beata, ô Domine Deus meus, ô Pater potentiſſime, ô Fili ſapientiſſime, ô Spiritus ſanctiſſime, ô tres Perſonæ reuera diſtinctæ, ô vna puriſſima ac ſimpliciſſima Deitas, ô Auctor naturæ, ô dator gratiæ, ô prima ac vniuerſalis omnium rerum cauſa, ô vniuerſorum bonorum indeficientiſſimus fons. Hîc ades Domine, non minùs
D
præſens, quàm in cœleſti domicilio inter Angelos commoraris. Adoro te vt Deum meum ex toto corde meo, & ex omnibus viribus meis: atque oro te, vt cunctæ cogitationes meæ, cuncta deſideria, verba, & opera mea tibi ſint grata & accepta, vſque me Sacerdotis officio fungentem, & pro omnibus deprecantem, coram te ſuſtineas, meas orationes exaudias, & illas non ſine fructu tuæ miſerationis expedias. Gratias tibi ago, ô bonorum origo, pro innumeris & maximis beneficiis, quæ ex momento conceptionis meæ vſque in hanc horam de tua benignitate ſuſcepi: pro innumerabilibus, quæ nunc, & in hoc temporis momento à te ſuſcipio: pro infinitis, quæ vſque in finem vitæ meæ, & per totam æternitatem ſum acce-
E
pturus ex theſauris immenſæ bonitatis & largitatis tuæ. Nam & ego, Domine, ſine vlla comparatione minor ſum minimo beneficiorum tuorum: indignus planè, vt mei recordareris, vt me ſuſtineres, vt mihi minimum ex tuis donis tribueres. Specialiter autem gratias tibi ago, Deus, & Pater amantiſſime, ex totis præcordiis meis.

I. Pro infinitis diuitiis, quas in ſacra illa Humanitate vnigeniti Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti collocaſti: & quia eum mihi in patrem, in doctorem, in ducem, ac in redemptorem dediſti.

Google

II. Pro ſingularibus ac innumeris donis, quæ in beatiſſima Virgioe Matre vnigeniti Filij tui depoſuiſti, & quia eam mihi in matrem, in aduocatam, in protectricem donaſti.

III. Pro maximis beneficiis, quibus ſanctos Angelos, omnéſque ſpiritus cœleſtes cumulaſti, necnon & pro illis, quibus hunc Sanctum N. vel Sanctos NN. quos hodie ſolenni ritu celebramus, affeciſti.

IV. Pro ſingulari beneficiorum copia, qua eos reples, quos efficaci gratia per totam Eccleſiam ad perfectionem effers, & ad tuam dulciſſimam familiaritatem admittis.

V. Gratias etiam ago tibi, ô Pater & Deus dilectiſſime, ex toto conatu mentis meæ, pro hac eximia miſericordia tua, qua me è miſeriis ſæculi eripuiſti, & ad hanc ſanctam religionem vocaſti, & tot adiumenta ad tibi perfectè ſeruiendum conceſſiſti.

VI. Pro his tribus votis profeſſionis meæ, quibus me tibi alligaſti, ac conſecratum eſſe voluiſti: quæ tantùm abeſt vt me feciſſe pœniteat, quòd potiùs ea libentiſſimè denouo facio, ac tibi millies & centum millies perpetuam Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam promitto.

VII. Pro talentis & donis tum naturalibus tum ſupernaturalibus mihi datis, vt eis tempus vtiliter & meritoriè collocarem, & ioxta meam vocationem aliis prodeſſem, & ad fœlicitatem ex tûa miſericordia conſequendam me diſponerem.

VIII. Pro hac viciſſitudine conſolationum & deſolatioonum, proſperitatum & aduerſitatum, qua vitam meam mirabiliter texis, vt neque aſſidua aduerſitate decidam, neque aſſiduitate proſperitatis inebrier.

IX. Pro hac ſanctiſſima & ſublimiſſima Sacerdotij dignitate, qua me de puluere terræ erexiſti.

X. Ac tandem pro hodierno vſu eius, quo incruentum hoc ſacrificium tibi patri obtuli, & panem vitæ manducaui, & illum mihi mediis ſpeciebus, in quibus verè lates, panis & vini, conionxi.

Et nunc, Domine, his & aliis innumerabilibus beneficiis tuis animatus alia noua ſuppliciter poſtulo. Panem noſtrum quotidianum ſuperſubſtantialem da mihi hodie: Non eſt bonum ô Deus meus ſumere panem filiorũ, & mittere canibus.] [Matt. 15. 26.27.] Sed licèt hoc ita ſit, tamen aliquando [catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mẽſa dominorum ſuorum.] Quare licèt ego in domo tua quaſi catellus ſim deſpicabilis, comedam tamen hodie beneficio tuo ex hoc pane filiorum tuorum, & ad hoc ſacramentum accipiendum, & ſacrificium tibi offerendum poſſibilitatem & facultatem concede. Da abundantiſſimam gratiam, vt ad hunc filium tuum, ac Dominum & redemptorem meum, tam profundiſſima reuerentia, tam firma fide, tam humili timore, tam feruida charitate accedam, quòd ibi tibi gratus appaream, & omnes in me fructus huius eximij ſacrificij & venerabilis ſacramenti ſuſcipiam.

Et quia tu Domine hoc ſacrificio vis placari, & ex merito & valore eius omnibus bona largiri, nunc munus meum ſacerdotis implens, volo in conſpectu tuo cor meum effundere, & quia filius tuus vnigenitus ad omnia potens eſt, ob merita infinita eius pro omnibus apud te deprecari conſtituo.

Miſerere igitur, ô benigniſſime miſerationum pater, toti mundo, & eum fide ac ſcientia tua reple, & gentes à fide alienas ad veritatis notitiam conuerte. Turcas, Mauros, hæreticos, ſchiſmaticos, idolorum cultores, ac perfidos Iudæos in domum Eccleſiæ tuæ iam tandem obſecro intrare compelle. Non pereant tot imagines tuæ, non ſit in illis vacuus & inanis ſanguis pretioſiſſimus filij tui. Lugeo Domine coram te hos fratres meos alienos à te, & ſi ego poſſem omnium iſtorum intellectibus in te crederem, omnium voluntatibus te diligerem, omnium viribus tibi perpetuò ſeruirem. At nihil poſſum niſi deſiderare, & flere, & deſideria mea coram tanta maieſtate profundere. Miſerere Domine, Eccleſiæ tuæ, auge in ea puritatem fidei, & munditiem ſanctitatis, eámque labore virorum Apoſtolicorum per totum orbem terrarum extende. Reſpice benignis oculis iuſtos ipſius, illos præcipuè, qui ad perfectionem properant, & in eis iuſtitiam ſerua & augmenta; reſpice etiam peccatores crimine graui ſordentes, eos ad te trahe, & à tam miſero ſtatu potenter eripe. Adiuua Domine ſummum Pontificem N. vicarium tuum, caput Eccleſiæ tuæ, paſtorem gregis tuis, da ei vt verbo & exemplo cunctis præluceat, & optimo regimine ad ſalutem dirigat. Intende oculos miſericordiæ tuæ in vniuerſos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Parochos, & in omnes, qui ad clericalem ſtatum pertineot, & ſalutem animarum curant: fac eos ſal terræ, lucem mundi, ciuitates ſupra montem poſitas, & vt eam vitæ puritatem arripiant, quam ſanctiſſima dignitas eorum requirit. Miſerere omnium ſanctarum religionum, & præcipuè huius noſtræ, tribue eis vt ſecundùm ſuam cuiuſque vocationem viuant, & vt prælati exemplo, verbo, & ſollicita cura gubernent, & ſubditi ſæcularibus, & clero ædificationem tribuant, & exactiſſimè paupertatem, caſtitatem, & obedientiam cuſtodiant. Effunde ô Domine Deus meus miſerationes tuas in Regem noſtrum N. ac in omnes Catholicos Reges, necnon & in vniuerſos gubernatores, in nobiles, plebeios, & in omnes eos, qui ad ſtatum ſpectant ſæcularem. Libera eos ab aduerſariis tuis, iunge eos pace tua, dita obſeruantia mandatorum tuorum, vt ſecùdùm quod Chriſtianos decet, viuant, & eam, ad quam creati ſunt, ſalutem æternam obtineant. Ne obliuiſcaris regnorum & principatuum Eccleſiæ tuæ, ſed ea fac potentiora hoſtibus ſuis, exercitibus eorum contra fidei tuæ hoſtes victoriam tribue, & neceſſaria ad vitam iſtam quietè tranſigendam benignus imperti. Affero etiam coram te ô Domine parentes meos, fratres meos, cognatos meos, amicos meos, & omnes eos, qui ſe aut ſua meis orationibus commendarunt, vt eis dones quod voluntati tuæ placitum, & ſaluti eorum profuturum eſſe cognoueris. Offero quoque tibi omnes captiuos, vinctos, ægrotos, tentatos, tribulatos, agonizantes, & in aliqua neceſſitate præſertim extrema, aut graui, conſtitutos, vt ex tua largitate libertatem, ſalutem, victoriam, conſolationem, bonam mortem, & remedium ſuarum neceſſitatum accipiant. Et, vt imiter dilectum filium tuum in cruce pro inimicis orantem; ſupplex, & acclinis oro, ô mitiſſime pater, pro omnibus inimicis meis, quos intimè diligo, vt eis in omnibus benefacias, & pro infamia, qua me læſerunt, honorem eis, pro detractionibus bonam famam, pro odio in me ſanctiſſimum amorem tuum, & pro omnibus malis aduerſùm me irrogatis bona temporalia ſaluti eorum vtilia, & æternam vitam tribuas. Reſpice benignis oculis animas in purgatorio detentas, præſertim N.N. & aliorum, pro quibus orare teneor, da eis Angelorum conſolationem, pœnarum refrigerium, & citò purgatas ad cœleſtes ſedes admitte. Tandem oro Domine pro his prælatis meis N.N. & pro his dilectiſſimis meis N.N. vt eos perfectos facias, ab omnibus grauiter peccandi occaſionibus liberes, & in omni eis neceſſitate ſubuenias.

Iam ô Deus meus, ô refugium meum, neceſſitates

A meas,& miſerias meas narrabo coram te, non vt tu eas ſcias, ſi quidẽ omnia aperta ſunt & manifeſta oculis tuis, ſed vt dum ea apud te cum gemitu & afflictione pronuntio, deſideria tuæ miſerationis accendam in me, & remedia ac dona ex tua benignitate promerear: Peccaui Domine ſuper numerum arenæ maris, multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, & non ſum dignus intueri, nec aſpicere altitudinem cæli præ multitudine iniquitatum mearum: veruntamen propter filium dilectiſſimum in ara crucis immolatum dimitte vniuerſa peccata mea, & munda me omnino ab omnibus delictis meis. Concede mihi veriſſimam contritionem, qua peccata propter te & ex tuo amore deteſter. Fac etiam vt dignos fructus pœnitentiæ faciam, & aſſiduis corporis mei afflictionibus, B nec non lacrymis & gemitibus pœnas pro peccatis debitas reddam.

Da mihi Domine veriſſimam mortificationem mei iudicij, voluntatis, meorum affectuum & ſenſuum, ne iſtis qui ad malum proni ſunt, aliquando deceptus, ab his quæ tibi placent, abducar. Da mihi veriſſimum contemptum omnium terrenorum, & vt nec honores quæram, nec dignitates ambiam, nec diuitias, aut voluptates ſuſpirem, ſed omnem bonorem meum, omnes theſauros meos & delicias meas in te bonorum omnium fonte reſpiciam. Libera me ab omnibus tentationibus & dolis inuiſibilium hoſtium meorum, ab his præcipuè, quæ veniunt ſub ſpecie boni, ne bonum inquirens à vero bono diuellar.

C Concede, Domine Deus meus, vt fides, quam te donante ſuſcepi, ſemper in me ſeruetur, ſemper augeatur. Illumina mentem meam ſupernaturali lumine, vt myſteria diuina cognoſcat, & quæ de te ac de filio tuo credimus, perfectiùs intelligat. Concede firmiſſimam ſpem, qua mei penitus obliuiſcar, & in ſinu prouidentiæ tuæ omnes curas meas collocem, & vitam æternam ac omnia ad eam conſequendam neceſſaria, me conſequuturum de tua benignitate confidam: concede perfectiſſimam charitatem, qua te & omnes proximos meos ardentiſſimè diligam. Da mihi reſignationem veram, & cum tua voluntate concordiam. Exhilara mentem meam præſentia bonitatis tuæ. Paca & tranquilla intima D mea pace tua. Accende me zelo honoris tui, & ſalutis fratrum meorum, & infunde affectum miſericordiæ, quo miſeriis & doloribus proximorum compatiar, & eis ſecundum meam imbecillitatem ſuccurram.

Perfice, ô factor meus, intellectum meum prudentia & diſcretione, vt medium in omnibus teneam. Tribue mihi cor docile ne proteruus in meo ſenſu perſiſtam. Solicita me feruore tuo, vt tibi non oſcitanter, non ſegniter, ſed diligentiſſimè ſeruiam. Et virtute circunſpectionis & attentionis exorna, vt mala animæ meæ, quæ vbique mihi quotidie inſidiantur, caueam, & nihil per incuriam tibi minùs gratum minúſue acceptum efficiam.

Perfice voluntatem meam virtute iuſtitiæ, qua libenter vnicuique quod ſuum eſt, tribuam. Subiice E me tibi religionis virtute, & donum orationis præbe, vt in omnibus tuam laudem quæram; & tibi puriſſimum cultum latriæ, & Angelis ac ſanctis tuis debitam duliæ venerationẽ exhibeam. Da mihi cor ob peccata mea pœnitentia compunctum, erga parentes pium, erga maiores deuotum, erga prælatos ſubiectum, erga benefactores gratum, erga amicos affabile, in factis ſimplex, & in dictis verum. Tale, inquam, vt cor dulciſſimi filij tui imitetur, & tibi ſemper ab eo amabile obſequium deferatur.

A Perfice iraſcibilem meam robore fortitudinis, quatenus in aduerſis, vt decet ſe habeat, & aduerſitatis pondere preſſa, ab eo quod rectum eſt, nunquam exorbitet. Da mihi animum magnanimitate conſpicuum, in rebus obſequij tui ſecuritate lætum, bona ſæculi pro te contemnentem, dolores & acerbitates magnas, & multo tempore durantes ſuſtinentem, & in eo quod bene cœpit, conſtanter perſeuerantem: quia vox eſt Filij tui, quòd non, qui cœperit, & turpiter à cœpto deſtiterit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

Perfice concupiſcibilem meam pulchritudine temperantiæ, qua & omnia turpia fugiam, & honeſta conſecter, & in cura corporis ſolam neceſſitatem reſpiciam. Indue me, Domine, abſtinentia & ſobrie- B tate, quibus in cibo & potu debitam menſuram teneam: caſtitate & pudicitia, quibus corpus meum, templum tuum, mundum & immaculatum in officio contineam; manſuetudine & clementia, quarum miniſterio iram ac omnem indignationem cohibeam. Ne confundas me, ô Deus meus, in hac petitione mea, ſed tribue mihi præſtantiſſimam humilitatis virtutem, qua Chriſti Filij tui & Domini mei verus diſcipulus fiam, & meipſum (ſicut reuera ſum) omnium viliſſimum repute, & omnem huius ſæculi ſplendorem contemnam. Da in actionibus modeſtiam, in ore ſilentium, in vſu rerum paupertatis amorem, & omnis curioſitatis victoriam, vt nihil in me ſit, quod tuæ maieſtati diſpliceat.

Requieſcant ſuper me, Domine, dona Spiritus C ſancti tui, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & repleat me Spiritus timoris tui, vt his donis mobilis à te fiam, & in omni virtute perficiar. Ex aliis verò donis & gratiis, quæ ad ſanctitatem non pertinent, ea mihi ſolùm tribue quæ ad ſalutem animæ meæ, & voluntatem tuam explendam, conducant. Fac etiam, Domine, vt in his miniſteriis occuper, quibus tu glorificeris, & cum æquali gloria tua rogo, vt in humilioribus, & quæ minùs apud homines ſplendeant, me occupatum eſſe velis. Da mihi, vt in donis & talentis de tua manu ſuſceptis, meipſum non quæram, ſed tuam laudem & gloriam, ac Ieſu Chriſti Filij tui exaltationem exquiram. Da mihi per infi- D nitam bonitatem tuam perſeuerantiæ donum, & vt nunquam per crimen aliquod à te ſeparer, ſed vſque ad mortem, & in æternum in tua gratia perſeuerem. Da mihi per immortalitatem tuam, & per ſanctiſſimam mortem Redemptoris mei, bonam mortem, & vt poſt bonam vitam in te moriar morte iuſtorum: Tolle à me nimium amorem huius vitæ, & nimium ac immoderatum timorem mortis: Da vt ita viuam, quòd poſſim dicere cum Apoſtolo tuo, [Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto:] Da intimam lucem Philip.1. 23.
horæ mortis, vt mundi blandientis illecebras fugiam: Da intimum ſaporem æternitatis, vt lætus tranſitoria deſeram: Da veram reſignationem in tua rectiſſima voluntate, vt quando, & quomodo diſpoſueris, hinc abſcedam: Suſcipe ſpiritum meum gratia tua & E charitate veſtitum, vt tibi in æternum adhæreat: Aufer denique à me quidquid me in aſſequutione perfectionis detinet, & potentiſſima adiumenta ad ſanctè viuendum, & fœliciter moriendum, attribue. Hæ ſunt, Deus meus, petitiones meæ: hæc ſunt deſideria mea, quæ impleri cupio, & peto per miſerationes tuas, non ſolum in me, ſed & in omnibus proximis meis, vt ſemper tibi placeamus in hac vita, & in futura tuo aſpectu lætemur. Amen.

Sic iſte ſuam poſtulationem nocte formabat, vt ſe ad Miſſam diei ſequentis diſponeret, in qua dum-

diam horam plus minúſue ordinariè inſumebat. Talis tamen eſt precatio iſta, vt poſſit ad minus temporis ſpatium anguſtari, & ad vnam horam, & longiora noctis ſpatia affectibus & deſideriis crebreſcentibus protrahi. Tu ex his quæ diximus, poteris aliquid ſumere, quo te ad ſacrum faciendum diſponas. Illud autem certò ſcias, ſi his omnibus aſſueſcas, te cum magno fructu, & cum exigua difficultate, aut cum ſumma facilitate ſacrum eſſe facturum. Nam hæc prudenter diſpoſita, parum temporis inſumunt, & multas ſecum occupationes admittunt. Nos enim non religioſos ſolitarios, ſed animarum ſalutem curantes inſtruimus, quos ſcimus his & ſimilibus deuotionis ſtudiis, nec à miniſteriis, nec à literarum ſtudiis impediri, ſed mirum in modum ad vtraque iuuari.

De celebratione Miſſæ.

CAPVT VII.

SIc paratus atque diſpoſitus, conuenienti tempore pro Miſſa celebranda ad ſacrarium accedes: Ibi genuflexus te breuiter præparabis, ſanctam Trinitatem & ſingulas eius perſonas inuocando. Ille, de quo ſuprà diximus, non ore, ſed mente attenta, & deuota, quantum poterat (vt mihi quidam narrauit) hanc præparationem perficiebat: O beata Trinitas Deus meus & Dominus meus, huc ſacrificium corporis & ſanguinis Filij tui celebraturus venio. 1. Confeſſionem ſupremi dominij, quod habes in omnes creaturas, & ſubiectionis omnimodæ, quam habemus ad te. 2. In commemorationem acerbiſſimæ paſſionis & mortis Ieſu Chriſti Filij tui & Domini mei, iuxta illud, quod ipſe præcepit nobis, dicens: Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis. 3. In gratiarum actionem infinitarum diuitiarum ſanctiſſimæ Humanitatis eiuſdem Filij tui, & Redemptoris mei, ac ſingularium donorum, quibus affeciſti beatam Virginem Mariam, omnes Angelos, & Sanctos, præcipuè autem N. cuius hodie ſolennem memoriam facimus.
4. Item in actionem gratiarum omnium beneficiorum, quibus in hoc ſæculo magnificas omnes prædeſtinatos, & me indignum ſeruum tuum afficis.
5. Hoc ſacrificium tibi ſpecialiter offero pro hac perſona viuente, vel defuncta, aut pro hac, aut illa neceſſitate, aut negotio, pro quo celebrare teneor.
6. Itémque ſecundariò offero pro remiſſione omnium meorum peccatorum, vel pro mortificatione mearum paſſionum, vel pro elongatione intellectu & affectu ab omnibus creaturis, vel pro adeptione virtutum, vel pro obtentione ſeptem donorum Spiritus ſancti tui, vel pro dono orationis, & theſauro perfectæ charitatis, vel pro conſequenda gloria tua. Amen.

O Pater potentiſſime, ecce accedo ad celebrandum, ad laudem & gloriam tuam, ad gaudium omnium Angelorum, & Sanctorum, ad remiſſionem noſtrorum peccatorum, ad refrigerium animarum Purgatorij, & ad bonum ſpirituale ac temporale totius Eccleſiæ. Supplex oro per omnipotentiam tuam, ad dignè celebrandum confirma me, ô Fili Dei ſapientiſſime, ecce venio ad celebrandum, vt tu, qui vera vita es, per gratiam viuifices me: tu qui lux es, illumines me: tu qui ignis es, accendas me: tu qui quies es, tranquilles me: tu qui puritas es, purifices me: tu qui lætitia es, lætifices me. Supplex oro
A per ſapientiam tuam, ad dignè celebrandum illumina me. O Spiritus Patris & Filij ſanctiſſime, ecce venio ad celebrandum, vt eximia gratia induas me, & ſeptem donis tuis ornes animam meam. Supplex oro per immenſam charitatem tuam, ad dignè celebrandum inflamma me.

Sic, aut aliter denuò præparatus, & ſpiritu collectus, omnia illa deuotè quantùm potueris, facies, quoad inſpectionem Miſſalis, lotionem manuum, præparationem Hoſtiæ & Calicis, & applicationem ſacrorum indumentorum, quæ mater Eccleſia facienda iubet. In acceptione veſtium, cuiuſque ſignificationem aduertes, de qua multa paſſim apud Eccleſiaſticos authores inuenies, & decenter ornatus, mente deuota, & omnino ab huius mundi rebus
B auulſa, vt vicem Chriſti ſummi & primi Sacerdotis gerens, ad altare reuerenter accedes.

In ipſo Miſſæ decurſu ita ſacra myſteria peragas, vt magnam exteriùs & interiùs reuerentiam obſerues. Æquum enim eſt, vt animæ corporíſque Creator ab vtroque honorem & reuerentiam accipiat. Æquum etiam, vt ſi anima Dei viſione ſatianda eſt, & corpus doribus glorioſis ornandum, iſtud, & illa Deo glorificatori eorum per reuerentiam ſe ſubdant. Quin & Chriſtus, qui primus hoc ſacrificium ſui corporis & ſanguinis obtulit, carne ſimul & mente paſſus eſt, & vtraque portione ſui noſtram ſalutem curauit, vt diſcas tu vtraque parte tui, corpore & animo, illi reuerentiam exhibere. Hæc duo ſunt
C duo æra minuta, quæ oblationibus rerum externarum à ſuperbis cordibus profectis præferuntur, & duo talenta quibus præmia gloriæ corporis & animæ comparantur.

Reuerentiam exteriorem cuſtodies, ſi ſacras cæremonias ab Eccleſia inſtitutas pulchrè, attentè, grauiter, & cum quadam dignitate perficias. Si cùm caput inclinas, ita inclines, vt qui Dei beneuolentiam tibi concilias: ſi cùm genu flectis, ita genu flectas, vt qui Deo te ſubmittis: ſi cùm Hoſtiam & Calicem benedicis, ita ſigna illa ſacra facias, vt qui ſacrificium Deo accepriſſimum benedicis: ſi cùm verba Miſſæ profers, ita diſtinctè & clarè proferas, vt qui Deum ipſum alloqueris: ſi denique ita omnia ibi dicas, & facias, vt dignum eſt voce promi, & actione perfici, quæ Dei Spiritu ſanctam Eccleſiam regente approbata ſunt, & inſtituta. Miniſtri Regum & Principum ſuas habent vrbanitatis & comitatis leges, quas ne-
D fas eſt prætereire: quidni Eccleſia Spiritu veritatis edocta illas cæremonias inſtituat, quibus erga Deum officioſi & vrbani ſimus, & ei comiter & decenter ſeruiamus? Si ergo magni momenti eſſe videtur erga magnates huius ſæculi vrbanè nos habere, & in nulla re quantumuis minima ad reuerentiam eorum ſpectante deficere: quanti momenti erit, ſummum Deum ſignis reuerentiæ ab ipſomet per Eccleſiam inſtitutis abſque vllis defectibus honorare? Quid grauius, quàm ipſi Deo per genuflexiones ſe ſubmittere, & ei per hoc ſignum latriæ cultum exhibere? Quid ſublimius, quàm Hoſtiam & Calicem, in quibus Deus ipſe latet, crucis ſigno benedicere? Quid
E excellentius, quàm Deo, nomine totius Eccleſiæ, vota & orationes offerre? Quid mirabilius, quàm hoſtiam, cui præſens adeſt filius Dei, manibus tangere, & frangere, & huc atque illuc mouere? Hæc qui feſtinanter, & diſtractè, & inconſideratè facit, magnum indicium præbet, quòd lumen fidei nubibus inconſiderationis & diſtractionis obtectum defert. De Eſther ad regem Aſſuerum ingrediête ait Scriptura: *Eſth. 15.10.*
Regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput.] Et tu coram Deo

tuo,

tuo, coram rege omnium regum, & Domino dominantium, reuerentiſſimè genuflexione non corrues, & tantam maieſtatem non metues? Cum quanta attentione & contritione cordis hęc eadem regina pro temporali ſalute Iudæorum exorabat, quando dicebat: *Eſth. 14. 3.* Domine mi, qui rex noſter es ſolus, adiuua me ſolitariam, & cuius præter te non eſt auxiliator alius.] Cum quanta debes tu Dominum deprecari, qui non tantùm omnium fidelium temporalem ſalutem, ſed etiam ſpiritualem, expoſcis? Baptiſta Ioannes non tangebat corpus Domini, ſed capiti eius aquam infundebat, & tamen ſtupens, & tremens clamabat: *Matth. 3.14.* Ego à te debeo baptizari: & tu venis ad me?] Quanto tremore & ſtupore deberes tu hoſtiam ipſum Chriſtum continentem tangere, & tuis manibus contrectare? B Depone igitur puerilem ruborem, turpémque verecundiam; & tam reuerenter & quietè in altari te habe, ac ſi ſolus, & ſine teſtibus te expectantibus eſſes, & ac ſi rem ſummi momenti, ſicut te vera facis, efficeres. Nec mihi curæ eſt admonere te ne in ſacro faciendo ſis moroſus, & populo aſtanti moleſtus. In ea enim ætate viuimus, in qua plus nimio iſtud præceptum obſeruamus, &, ne populo tædio ſimus, cum ſcandalo, & iactura ſpirituali ipſius populi, feſtinanter & indeuotè ſatis myſteria diuina peragimus. At ſi cupis menſuram in opere tantæ maieſtatis tenere debitam, in faciendo ſacro ſemihoram expleas, & permittitur tibi vt tantillum excedas. Hoc enim tempus nec ſacrum audientes admodum occupat, & ſufficiens eſt vt ſancta myſteria ritè ac deuotè, pro vt ab Eccleſia inſtitutum eſt, celebrentur.

C Ad reuerentiam interiorem pertinet quòd cùm celebras, de te ipſo humiliter ſentias, & ſicut viliſſimum & ignorantiſſimum mancipium, ad ſummum regem & ſapientiſſimum principem accedas. Accedis tu paruitas ad magnitudinem, tenebra ad lucem, immunditia ad ſanctitatem, infirmitas ad poteſtatem, creatura ad Deum creatorem tuum. Quanto ergo timore, & tremore, quanta humilitate, & tui contemptu, quanta Domini æſtimatione deberes accedere? Iſraëlitis agnum Paſchalem comedentibus præceptum erat: *Exodi 12.11.* Et comedetis feſtinanter:] Hebræa autem habent: Et comedetis cum extaſi & pauore.] Quia videlicet agnum immaculatum Ieſum Chriſtum, cuius ille typicus, figura fuit, trementes, & quaſi præ reuerentia ſtupentes ſumus in cæleſti hac menſa manducaturi. D Pauet Moſes, quòd Deus illi legem ſcriptam adminiſtrauerit, & cum eo verba miſcuerit: *Deut. 5. 24.* Ecce, ait, oſtendit nobis Dominus Deus noſter maieſtatem & magnitudinem ſuam, vocem eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie quòd loquente Deo cum homine, vixerit homo.] Nos autem non vocem eius audimus, ſed ipſummet Deum intra præcordia recipimus, quidni ad tale factum paueamus? Certè oſtendit tibi Dominus, ô Sacerdos, non tantùm maieſtatem ſuam, ſed & bonitatem ſuam; non magnitudinem ſuam, ſed affabilitatem, & erga te charitatem ſuam. Certè non audis tonitrua, nec vides fulgura, ſed vſurpas vocem eius, cùm eius perſonam referens, dicis; Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus:] & vides benignitatem eius, E cùm fidei oculis eum præſentem intueris: quomodo non extaſi & ſtupore repleberis? Hanc veriſſimam cognitionem tui petit à te Eccleſia, cùm iubet non tantùm ſemel, non tantùm bis, ſed ter, illa verba, Domine non ſum dignus,] & cætera, ante ſacramenti ſumptionem repetere. Ter enim indigni ſumus, quia omnino & omni ex parte Dominum ſumere indigni ſumus. Indigni prorſus, quoniam eum offendimus, eiúſque mandata ſanctiſſima pręterimus. Indigni, quia oſcitanter & negligenter illi ſeruimus. Indigni, quia nunquam plenè & ex toto corde illum diligimus. Indigni, quoniam ſumus terra, limus, ſtercus, & ſi quid eſt peius, & vilius; Ipſe autem eſt Deus potentiſſimus, dominus prudentiſſimus, & redemptor omnium ſanctiſſimus. Poſtquam ergo te ipſum diligentiſſimè præparaueris, & ſolicitiſſimè diſpoſueris, reputa te ſuſceptione tantæ maieſtatis indignum; dicque ad Dominum: *3.Reg. 8. 27.* Ergo ne putandum eſt, quòd verè Deus habitet ſuper terram? Si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui? De omni tua ſolicitudine ad dignè celebrandum diffide, & de ſola Domini te ad hoc munus vocantis gratia confide. Et ſicut corpus Domino genuflexione, & capitis aut corporis inclinatione ſubmittitur; ita mens eidem veriſſima humilitate & compunctione ſubdatur.

Ad hanc autem tum internam, tum externam reuerentiam mouere te poſſunt conſiderationes, quas ſuprà conſcripſimus, & aliæ, quas facilè poteris inuenire. Accedis ad omnium Angelorum & hominum communem patrem; & quis non reuereatur patrem? Accedis ad vniuerſorum dominum: & quis non reuerentia afficiat Dominum? Accedis ad patrem, & dominum, cuius honorem læſiſti, cuius filios fratres tuos non ſemel, ſed ſæpius verbo & exemplo percuſſiſti: quomodo ante illum aſtare non metues? Hac meditatione Hugo Victorinus ſe ad timorem & reuerentiam excitabat: *Hug. l. de clauſtro animæ c. 13.* Accedo, inquit, ad Dominum, cuius percuſſi ſeruum; ad patrem accedo, cuius occidi filium. Percuſſi verbo, occidi exemplo, nec tamen pertimeſco Dominum, nec reuereor patrem.] Accedis ad illum, quem adorant dominationes, ante cuius conſpectum tremunt poteſtates: [ſub quo, vt ait Iob, curuantur, qui portant orbem;] & puriſſima Seraphim, vt ait Iſaias, *Iob 9.13 Iſaiæ 6.* facies ſuas præ confuſione velant, & tu ſine reuerentia & compunctione eum in ſinu tuo, in receptaculo ſcilicet iniquitatum abſcondes? Accedis ad illum, quem Centurio nec dum bene cognoſcens, in domum ſuam excipere non eſt auſus. Et propterea dixit: *Lucæ 7.6* Domine noli vexari, Non enim ſum dignus vt ſub tectum meum intres, propter quod & me ipſum non ſum dignum arbitratus vt venirem ad te.] Ad illum etiã, ad quem Petrus nec dum probè callens, dicebat: *Lucæ 5.8* Exi à me, quia homo peccator ſum Domine.] Et tu te dignum reputabis, qui eum intra te ipſum excipias, ad domúmque impuriſſimam tui cordis pertrahas? Moyſes arcam fabrefecit de lignis imputribilibus, eámque puriſſimo auro contexit, vt in ea tabulas lapideas, in quibus inſculpta erant verba legis, cuſtodiret. Et Salomon ſeptem annis magnificentiſſimum templum extruxit, vt in eo prædictam arcam huius ſacramenti vmbram collocaret. Tu autem audebis, in corde peccatis tabido, ſordibus impuratum affectionum contecto, & nec dum ſemihoræ ſpacio bene diſpoſito, authorem legis, & arcam theſaurorum Dei, ac templum viuum, in quo Deus corporaliter habitat, nempe corpus Chriſti, ſine reuerentia reponere?

Audi, diuina irreuerenter tractantes quàm ſeuerè à Domino puniantur. Oza, quia minori circumſpectione quàm debuit, arcæ teſtamenti vnctionem diſpoſuit, & eam in vnam partem inclinantem (calcitrabant enim boues, eam ſuper plauſtrum deferentes) temerariè tenere voluit, ſubita morte punitus eſt. Iratúſque eſt, inquit Scriptura, indignatione *2.Reg. 6. 7.* Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper te-

meritate;

meritate, qui mortuus eſt ibi iuxta arcam Dei.] Tibi autem non res arcæ ligneæ, & aureæ, ſed corpus & ſanguis Ieſu Chriſti commiſſa ſunt, & diuina myſteria commendata; Vide quomodo ea tractas, & ne ex pane, & potu vitæ, minùs dignè accepto & adminiſtrato, æternam mortem incurras. Nam ſi reus eſt mortis, qui Chriſti imaginem ſacrilegè frangit, atque peſſundat, quanam ratione reus mortis non erit, qui ipſummet Dominum maieſtatis proiicere in pectus iniquitatibus inraminatum non metuit? Heliodorus etiam gazas templi diripiens, quàm duriter caſtigatus eſt? Apparuit namque illi Angelus equo inſidens, qui cum magno impetu Heliodoro priores calces eliſit: & duo alij, qui circumſiſtentes eum, & ex vtraque parte multis plagis flagellantes, monſtrarunt nobis quanta ſint res Deo dicatæ veneratione tractandæ. Si verò opes temporales, quæ ad vſum templi applicatæ ſunt, priuilegio gaudent, ne manibus prophanis tangantur, qua reuerentia tangendum eſt ſacramentum illud ineffabile, quo Deus ipſe veraciter continetur? In hoc cibo, vt Chriſtus ipſe dixit, vt tota Eccleſia veriſſimè confitetur, inuiſibiliter adeſt idem Dominus Ieſus Chriſtus. Huic menſæ, vt inquit Chryſoſtomus, angeli aſſiſtunt, cúmque reuerentia eam circumuallant. Quid verò turpius ac pœna dignius, quàm ſi vbi Chriſtus adeſt, peccator diſtractus aſſiſtat: & vbi angeli tremunt, homuncio omnia præcipitanter & irreuerenter agat? Chriſtus hîc aſſiſtens, Agnus eſt, ſed & Leo eſt. Vidi enim, inquit Ioannes, Agnum ſtantem tanquam occiſum;] & de eodem paulo antè dixerat. Ecce vicit Leo de tribu Iuda.] Agnus, vt dignè accedentes paſcat: Leo, vt inuerecundè & indignè diuina myſteria præſumentes diſcerpat. Non apparet ſicut in monte Sina, inter ignes & fulgura, & tonitrua, quæ terreant, ſed apparet in rubo, & inter ſpinas accidentium, vt nos voce atque inſpiratione ſua ſicut Moyſem ad reuerentiam moueat. Rex ſiue in lecto, ſiue in itinere, ſiue in foro, ſiue in throno ſemper rex eſt, & ab eo, qui illum regem agnoſcit, vbicumque ſit, debet honorari. Tu autem Chriſtum in ſacramento eſſe & agnoſcis, & confiteris. Si igitur eum perſpicuè tibi apparentem, reuerentiſſimè honorares, cur occultè venientem, & ſub cortina præſentem minimè reuerentia dignum agnoſcis? Amor ergo eius te ad amorem alliciat, ſed maieſtas eius ad timorem & reuerentiam impellat, vt his tribus affectibus amoris, timoris, & reuerentiæ decoratus, dignè diuina myſteria tractes, & fructum ex tanti ſacrificij oblatione, & Sacramenti ſumptione percipias.

2. Mach. 3. 25.

Chryſoſt. hom. de his qui cōparuerunt in Eccleſia I.

Apoc. 5. 6

De gratiis agendis poſt Miſſam.

CAPVT VIII.

PERACTO Miſſæ ſacrificio, veſtibúſque ſacris depoſitis, in locum quietum te recipies, vt ibi Domino pro tam ingenti beneficio gratias agas. Abſurdum enim eſt, poſt tam eximium donum acceptum, gratitudinis obliuiſci, & ſtatim ad negotia externa tranſire. In menſa Domini carnem Chriſti manducauimus, & ſanguinem bibimus. Et, ſi poſt prandium ad ſalutem corporis quies à negotiis & laboribus neceſſaria eſt, vt naturalis calor cibum ſubigat, & in ſubſtantiam noſtram conuertat: non minus profectò finito hoc conuiuio quies à negotiis & diſtractionibus eſt neceſſaria, vt ad nos huius Sacramenti vtilitas tranſeat, & in vires noſtras virtutem ſuam robúrque diffundat. Sed quis erit tam ingratus, qui tale ac tantum donum ſine debita gratiarum actione prætereat? Quis tam frigidus, qui cibo, tam dilectione calido, ſuſcepto non caleat? Certè id ſignum eſſet aut ſpiritualis mortis, aut ad mortem diſponentis ſtupiditatis. Poſt communionem, inquit Bonauentura, ſi non ſentis aliquam ſpiritualem refectionem, ſignum eſt ſpiritualis infirmitatis, vel mortis. Ignem poſuiſti in ſinu, & non ſentis calorem; mel in ore, & non ſentis dulcedinem.] Diſcamus ergo ex aliis, qui modica beneficia gratiſſimo animo ſuſceperunt, hoc maximum beneficium magni pendere, & pro eo gratias referre. Booz incitauit Ruth, vt ſpicas à ſeruis ſuis relictas colligeret: Audi filia, dixit ei, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco, ſed iungere puellis meis, & vbi meſſuerint, ſequere: mandaui enim pueris meis, vt nemo moleſtus ſit tibi: ſed etiam ſi ſitieris, vade ad ſarcinulas, & bibe aquas, de quibus & pueri bibunt.] Hoc autem eximium beneficium ô quanta Ruth gratiarum actione rependit? Quæ cadens in faciem ſuam, adorans ſuper terram, dixit ad eum: Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & noſſe me dignareris peregrinam mulierem?] Tu autem, non ab homine diuite, ſed ab ipſo Deo: non ad colligendas ſpicas, ſed ad panem cœleſtem manducandum vocatis; non ad bibendam aquam nullius pretij, ſed ad potandum pretioſum ſanguinem Domini, inuitatus es: quanta igitur humilitate, quanto feruore, quantis dilectionis affectibus deberes pro hoc beneficio gratias referre?

Bonauēt. tract. de præparatione ad Miſſam, c. 14.

Ruth. 2. 8 9.

n. 10.

Eſther ex ancilla in ſponſam potentiſſimi Regis euecta, inuitauit eundem Aſſuerum, à quo fuerat exaltata: qui tanti æſtimauit conuiuium, vt calens vino dixerit illi: Quæ eſt petitio tua, Eſther, vt detur tibi? & quid vis fieri? etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.] Maior ſine vlla comparatione hîc cauſa gratiarum actionis eſt: nam ibi ancilla, hîc Rex inutilem ſeruum inuitat: ibi alimenta terrena, hîc panis cœleſtis miniſtratur: ibi ex conuiuio mors inimici & temporalis ſalus, hîc peccatorum ac vitiorum deſtructio, & ſalus ſpiritualis emergit. Quis ſine vllis meritis ad tam magnificum conuiuium admiſſus, non iam partem cordis ſui, ſed totum cor, & quidquid eſt, & habet, Deo illum inuitanti non offerat, & non obſequia amoris & laudis exhibeat? Quid fecit Dauid cum Miphiboſeth, vt amorem erga Ionatham eius patrem oſtenderet? ſuam gratiam illi promiſit: quæ erant Saül, ei reſtitui præcepit, & ad cibos menſæ regiæ ipſum inuitauit illis verbis: Et tu comedes panem in menſa mea ſemper.] Miphiboſeth verò auditis his verbis, quomodo ſe erga Dauidem habuit? Certè animum gratitudinis plenum induit, nam adorans eum, dixit: Quis ego ſum ſeruus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei?] Vide quid fecit tibi Dominus, quia fecit tibi magna qui potens eſt, quia bonam gratiam dedit tibi, diuitiarum omnium reconditorium contulit, carnem ſuam in cibum, & ſanguinem ſuum in potum prærogauit. Quid ergo tu facies illi? an tantorum beneficiorum in vno Sacramento contentorum immemor eris? an laudis, & gratiarum actionis obliuiſceris? an ex hac menſa ſtatim ad ſæculares & humanas occupationes exibis? Dominus quidem de illis nouem leproſis conqueſtus eſt, quos à lepra ſanauerat, quia ad reddendas debitas gratias non ſunt ex templo reuerſi: Nonne, dixit, decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt?] Id autem meritò, quoniam nihil eſt ingrato animo damnabilius. Quam ex re querimoniam habebit,

Eſth. 7. 3.

1. Reg 9. 7.

n. 8.

Luca 17.

ſi, non breuem, corporalem, & perituram ſalutem, ſed ipſum ſalutis Authorem in cordis tui domum excipiens, nullas, aut tepidas gratias referas, & tanto hoſpite ſolitario, & inſalutato relicto, curas ſtatim huius mundi ſuſcipias?

Iuſtorum ac virorum ſpiritualium eſt, hoc eximium beneficium recognoſcere, & pro eo ſtatim, atque illud recipiunt, immenſas gratias repenſare.
Pſal. 21. 30. Quod vaticinatus eſt ſanctus Dauid, dicens: Manducauerunt omnes pingues terræ, in conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram.] Qui ſunt pingues terræ? Nonne viri iuſti, nonne ſancti atque perfecti, qui in hoc ſæculo veras diuitias poſſident, & cœleſtibus conſolationibus ſaginantur, ac puriſſimis voluptatibus ſpiritus perfruuntur? Qui ſunt etiam, qui deſcendunt in terram? Nonne humiles corde, qui præ contemptu ſui in terram cadunt, & infra vniuerſos mortales ſe dimittunt? Hi primùm manducant, id eſt, corporis & ſanguinis Domini myſteria ſuſcipiunt, & mox laudant Dominum, & pro tanto beneficio in gratiarum actionem adorant. Non decipior (vt credo) dum ſic factum vatem intelligo,
Baſil. ib. quia hunc ſenſum ex Baſilio & Theodoreto collegi. Ille ſic ait: Qui namque comederunt, & ſaturati ſunt, gratias de immortali cibo agentes, eum, qui
Theodor. ibid. hunc ſuppeditauit, tanquam Deum adorant. Pingues verò vocat, ope diuina nutritos. Hic verò ſic ſcribit, non ſolùm eundem ſenſum, verùm & ferè eadem verba repetens: Qui enim comederunt, & impleti ſunt, de immortali cibo gratias agentes, eum, qui hæc ſuppeditauit, vt Deum adorabunt.] Tu ergo, qui hos pingues terræ imitari geſtis, & bonorum ipſorum futurus es particeps, hæc Spiritu Dei iuncta nequaquam disiungas. Manduca, & adora, accipe bonam gratiam, & pro ea exiles ſaltem tuas & impares gratias referre non deſinas. Dic Domino cum eo-
Pſ. 55. 12. dem Propheta: In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi.] Vota tua, Deus meus, & deſideria tua, vel ea, quæ ex hac tua creatura deſideras, non longè ſunt poſita, non difficulter ea comparabo: prona ſunt mihi, & ea intra meipſum habeo, quæ ſunt laudationes & gratiarum actiones, quas pro hoc tanto beneficio rependo: atque vt tuæ huic voluntati ſatisfaciam, volo meum ſpiritum mentémque colligere, & me ad referendas gratias comparare.

Hac igitur cogitatione incitatus, in locum quietum poſt Miſſæ celebrationem ſecede, & ibi per ſemihoram, aut ſaltem per horæ quadrantem in gratiarum actionem incumbe. Et niſi aliquid melius habueris, aut ex illis ſis, qui Spiritu Dei acti meditationum præuentione non indigent, his ſeptem meditationibus vti poteris, quæ ſingulis hebdomadæ diebus aſſignandæ ſunt.

Prima Meditatio.

I. Reſpice Chriſtum Saluatorem tuum in medio cordis tui tanquam Regem potentiſſimum, téque tanquam reum, & multorum peccatorum conſcium, apud illum aſtantem, & veniam ac miſericordiam cupientem.

II. Gratias immẽſas age illi:

1. Quia ad vocem tuam, panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum conuertit, & Sacramento præſens aſſuit, non vt tua peccata puniret, ſed vt quaſi Rex benigniſſimus tibi propitius eſſet.
2. Quia in manibus peccatoris viliſſimi ſeipſum poſuit.
3. Quia tanta benignitate orationes iniquitatibus ſordentis audiuit.
4. Quia os tuum intrauit, & in lingua reſedit.
5. Quia in domuncula imparatiſſima cordis tui habitare conſtituit.

III. Deteſtare coram illo vniuerſa peccata tua, tum quæ in ſæculo, tum quæ in religione patraſti: magnum eorum cauſa dolorem concipe, & indulgentiam humiliter pete.

IV. Dilige eum ex toto corde tuo, ita videlicet, vt deſiderio ac firmo propoſito tuo, nihil illi contrarium velis, nihil quod ad illum actu vel virtute non tendat, diligas, & illum tibi ac omnibus rebus præponas.

V. Tandem pete à Domino ſeptem dona ſimilia illis, quæ beatiſſima Virgo, authore Bonauentura, *Bonau. ...* quotidie à Domino poſtulabat: 1. Auxilium efficax, vt præceptum amoris Dei compleas. 2. Vt proximos tuos, & quidquid ipſe diligit, conſtanter diligas. 3. Vt quidquid ipſe odio habet, veriſſimè & tu odio habeas. 4. Vt humilitate, caſtitate, obedientia, contemptu ſæculi, & vniuerſis virtutibus exorneris. 5. Vt corpus tuum, ac mentem tuam, dignum ſui habitaculum faciat. 6. Vt aliquando tandem poſt hanc mortalitatem, beatam Virginem matrem eius, ipſiúſque humanitatem ſanctiſſimam oculis carnis clarè videas, & oculis mentis ipſius diuinitatem aſpicias, atque poſſideas. 7. Vt in hoc templo, & in omnibus, quæ ſunt in toto terrarum orbe, ab vniuerſis Sacerdotibus & fidelibus dignam venerationem accipiat.

Secunda Meditatio.

I. Reſpice Chriſtum Saluatorem tuum in medio cordis tui tanquam Dominum tuum, qui pretio ſanguinis ſui te redemit, téque ipſum velut ſeruum eius, qui per nouum feruorem ad ipſum vis redire, & illi in omnibus placere concupiſcis.

II. Gratias immẽſas age illi:

1. Quia Sacramento præſens aſſuit, vt tanquam herus cordis tui habitaculum regat, & turbam affectionum tuarum mortificationis dono componat.
2. Quia manibus ſordidiſſimi mancipij ſe tangi permiſit.
3. Quia tanta manſuetudine petitiones ſerui fugientis excepit.
4. Quia os tuum intrauit, & in lingua reſedit.
5. Quia rex regum, quem cœli non capiunt, in anguſto tugurio mancipij ſui manere conſtituit.

III. Deſidera vt ad præſentiam eius, Domini ſcilicet tui, domus cordis tui quieta & tranquilla perſiſtat: Statuéque apud ipſum, te iudicium, voluntatem, affectus, & ſenſus mortificaturum, & quicquid illi diſplicet, reiecturum.

IV. Dilige eum ex tota anima tua. Quod facies, ſi vitam tuam illi ſubmittas, ſi ſolùm ad obſequendum ei illam velis, atque cuſtodias, ſi cogitationes, deſideria, verba, & opera tua ad ipſius beneplacitum dirigas.

V. Poſtulabis ſeptem illa, quæ ſuprà dicta ſunt.

Tertia Meditatio.

I. Reſpice Chriſtum Saluatorem tuum in medio cordis tui tanquam magiſtrum tuum, qui te viam ſalutis docet, & gratiã ad faciendũ, quod docet, impertitur: téq; quaſi diſcipulum eius, qui ob magnã negligentiam tuam nihil aut parum ab eo didiciſti.

1. Quia

II. Gratias immẽſas age illi:

1. Quia Sacramento præſens adfuit, vt tanquam doctor ſapientiſſimus te viam perfectionis doceat, & in agendis atque omittendis erudiat.
2. Quia manibus peruicacis diſcipuli ſe tractandum tradidit.
3. Quia tanta miſericordia petitiones diſcipuli ſcientiam cæleſtem poſtulantis audiuit.
4. Quia os tuum intrauit, & in lingua reſedit.
5. Quia magiſter Angelorum, & hominum, in infima claſſe imperfectiſſimi cordis tui ad te docendum manere conſtituit.

III. Erubeſce coram illo, quia tam alienus es à doctrina eius, tam tyro in imitatione eius. Statue etiam te creata omnia intellectu & affectu deſerturum, & creaturarum amorem inordinatum à teipſo penitus abſciſſurum.

IV. Dilige eum ex tota mente tua. Quod facies, ſi ſpiritum tuum ab omni quod ei diſplicet, mundare conſtituas, ſi virtutibus ornare proponas, ſi memoria, intellectu & voluntate iugiter illi adhæreas, ſi vt ipſe Chriſtus in te habitet, tranquillitatem mentis inſtituas.

V. Petes ſeptem illa, quæ ſuprà dicta ſunt.

Qvarta Meditatio.

I. Reſpice Chriſtum Saluatorem tuum, in medio cordis tui tãquam amicum fideliſſimũ, qui te facturam ſuam, & mãcipium ſuũ, ad ſuam amicitiã & familiaritatem extulit, téque tanquam amicum menſę, aut potiùs mercenarium, qui, cùm conſolationes recipis, illum diligis; cùm ad emendationem flagellaris, in dilectione torpeſcis.

II. Gratias immẽſas age illi:

1. Quia ſacramento præſens adfuit, vt te ſibi factum per gratiam amicum viſitaret, & tecum colloquia ſuper mel & fauum dulcia miſceret.
2. Quia manibus amici parũ fidelis, & tepidiſſimè amantis, ſe & ſua bona commiſit.
3. Quia tam gratis auribus petitiones amici, perſeuerantiam in amicitia poſtulantis auſcultauit.
4. Quia os tuum intrauit, & in lingua tua reſedit.
5. Quia Amicus ditiſſimus in conclaui amici pauperrimi ſemper per gratiam ſuam habitare conſtituit.

III. Pudorem ac dolorem concipe de nuditate tua, qua virtutibus nudatus & ſpoliatus es, ac ſordidis vitiorum pannis contectus. Deſideria virtutum accende, earum præcipuè, quarum magis eges: eas inſtanter pete, & aliquam, pro vt tempus tulerit, actibus internis exerce.

IV. Dilige Dominum Deum tuum ex omnibus viribus tuis. Id autem facies, ſi vires animæ tuæ, necnon & ſenſus ac organa corporis tui, in vnione virium & ſenſuum ipſius illi offeras, & eis ſemper in obſequium ipſius vti conſtituas.

V. Pete ſeptem, quæ ſuprà diximus.

Qvinta Meditatio.

I. Reſpice Chriſtum Saluatorem tuum in medio cordis tui, vt fratrem tuum natu maiorem ac primogenitum in multis fratribus, qui hoſtes patris æterni illi reconciliauit, & ſuos fratres effecit: téque vt fraterculum eius merito minimum, aut potiùs tali nomine prorſus indignum, quia illi es vita & moribus valde diſſimilis.

II. Gratias immẽſas illi age:

1. Quia ſacramento præſens affuit, vt te non inimicum diceret, ſed fratrem agnoſceret, ac tecum paternam hæreditatem diuideret.
2. Quia manibus tuis minimi ſcilicet fratris, ſe tangẽdum dedit, vt dum ad eum accedis, ſuper genua ſua tibi blandiatur, & te prima virtutis elementa docere dignetur.
3. Quia tanta benignitate petitiones fratris moribus diſſimilis, & conuerſationis tepore ipſum tædio afficientis, audiuit.
4. Quia os tuum intrauit, & in lingua reſedit.
5. Quia filius primogenitus patris in cœlo iam regnans, obſcurũ cubiculum fratris in exilio manentis non exhorruit, ſed in eo habitare ſuſtinuit.

III. Te à tam amabiliſſimo fratre elongatum aduerte, & de tua miſeria conquerere, eius intimam familiaritatem per donum orationis ardenter exopta, & inſtanter poſtula, ac omnia ad hoc donum conſequendum neceſſaria tibi præſtanda eſſe propone.

IV. Dilige eum ex omni virtute tua; quod facies, ſi omni conatu te mala aduerſaturum, & bona in præcepto poſita, & conſiliis Euangelicis iniuncta, te perfecturum efficaciter proponas, & fideliter impleas.

V. Petes ſeptem, quæ ſuprà dicta ſunt.

Sexta Meditatio.

I. Reſpice Chriſtum Saluatorem tuum in medio cordis tui. Vt patrem piiſſimum, qui te in cruce, non deliciis, ſed doloribus genuit; téque vt filium prodigum ex longa peregrinatione reuertentem, poſtquam de manu Domini accepta in vitiis dilapidaſti, & miſericordia ipſius indigere cognouiſti.

II. Gratias immẽſas illi age:

1. Quia ſacramento præſens affuit, vt te filium inſanum ex terra ſteriliſſima, nempe ex te ipſo ad illum reuertentem, brachiis dilectionis aſtringeret.
2. Quia manibus filij inobedientiſſimi ſe tangendum & tractandum tradidit.
3. Quia tanta pietate petitiones filij inobedientis ad eum redeuntis ac veniam poſtulantis exaudiuit.
4. Quia os tuum intrauit, & in lingua tua reſedit.
5. Quia pater infinito amore digniſſimus, non ſolùm filium nequam reuertentem in ſuam domum excepit; ſed & in ſterquilinio eius, nempe in pectore tuo, manere voluit.

III. Poſitus coram illo, perfectionem ac ſanctitatem veram ardenter concupiſce & poſce. Vt ſcilicet à peccatis mundus, & omni virtute exornatus, illi intellectu & affectu iugiter adhæreas, & per charitatem perfectam ab illo, & in illo, & per illum viuas.

IV. Dilige eum ex omni fortitudine tua, ita ſcilicet vt propter illum vitam (ſi opus fuerit) & ſalutem corporis, & diuitias, voluptates, & honores deſpicias, & ſine creaturis viuere aſſueſcas.

V. Pete ſeptem vt ſuprà.

SEPTIMA MEDITATIO.

I. Reſpice Chriſtum Saluatorem tuum in medio cordis tui, vt ſponſum dulciſſimum, qui animam tuam, non quia dignam, adamauit, ſed quia voluit, & ſic ſuæ benignitati complacuit: animámque tuam velut ſponſam eius ipſi vinculo ſtatus religioſi copulatam, & infinitis beneficiis & donis ad amandum illectam.

II. Gratias immēſas age illi:
1. Quia ſacramento præſens affuit, vt te ſibi ſpiritualiter iungeret, & amoris caſtiſſimi foueret amplexu.
2. Quia ille qui manibus ſuis omnia portat, tuis manibus ſe tangendum, & ore amoris oſculandum obtulit.
3. Quia orationes inſidæ ſponſæ, eius aſpectum & amplexum poſtulantis, audiuit.
4. Quia os tuum intrauit, & in lingua reſedit.
5. Quia in ſinu tuo tanquam in lecto ſibi deſideratiſſimo ſemper tecum pauſare decreuit.

III. Afficere erga gloriam æternam, & coge te ipſum, vt illam feruenter cupias, & ab hoc ſæculo miſero emigrare deſideres: Dicque illi tanquam ſponſo tuo: Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.]

Cant. 1. 6

IV. Et quia incipiendo à feria ſecunda, hæc eſt dies Dominica, omnes hodie affectus amoris collige. Diligéque Deum tuum, orationem aliquantulum protrahens, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni virtute tua, & ex omni fortitudine tua.

V. Pete ſeptem, vt ſuprà dictum eſt.

Hæc formula alicui commoda viſa eſt ad gratias poſt Miſſam agendas. Tu verò ſiue hoc, ſiue alio modo gratias agere non prætermittas. Eſt enim vitium ingratitudinis peſſimum, etiamſi exigua recepiſſes: ſed poſt tam eximium beneficium ſuſceptum, intolerandum, ac ſi fieri poſſet, peius peſſimo eſſe conſpicitur. Et ideo fortaſſis miſericordias, quas exoptas, non recipis, quia huic tanto dono tam frequenter ſuſcepto ingratus exiſtis. Nam, vt ſapienter ſcripſit Bernardus, multos quoque videmus vſque hodie ſatis importunè petentes, quod ſibi deeſſe cognouerint: ſed paucos admodum nouimus, qui dignas ſuper acceptis beneficiis gratias agere videantur. Nec reprehenſibile, quòd inſtanter petimus, ſed planè petitioni negat effectum, quòd inuenimur ingrati. Et fortè hoc etiam clementia eſſe videtur ingratis negare, quod poſtulant: ne contingat nobis, vt tanto grauiùs de ingratitudine iudicemur, quanto magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur extitiſſe. Ergo miſericordiæ res eſt, in hac parte ſubtrahere miſericordiam: quemadmodum iræ & indignationis, miſericordiam exhibere, eam ſanè, de qua per Prophetam ipſe Pater miſericordiarum loquitur, dicens: Miſereamur impio, & non diſcet facere iuſtitiam.] Simus ergo bone beneficio grati, & nunquam illud ſine ſequenti laudum & amorum exercitio, & gratiarum actione ſumamus, vt fructus tam accepti æterno Patri ſacrificij, & tam ditiſſimi Sacramenti, nos ſimul cum eo percepiſſe lætemur.

Bern. ſer. contra vitium ingratitudinis.

Iſaia 26. 10.

De auditione Miſſæ.

CAPVT IX.

HÆc omnia, quæ de Miſſæ ſacrificio dicta ſunt, ad Sacerdotes pertinent: ſed Religioſi necdum ſacris ordinibus initiati, aut necdum ad dignitatem ſacerdotalem prouecti, quotidie inuiolabiliter Miſſam audiunt, & ſacris myſteriis aſſiſtunt. Tu ſi nondum ſis ad ſacerdotium promotus, ſingulis diebus ex more Miſſam audies, & quidem cum ingenti emolumento, ſi hæc quæ ſubiicimus, obſerues. Vocatus ad miniſtrandum ſacrificio Miſſæ, ne te excuſes, ſed libenter accede: immò ſalua ſemper charitate erga proximum, qui priùs ad hoc officium acceſſit, & obedientia erga Prælatum, qui aliud iubet, teipſum modeſtè ad huiuſmodi miniſterium ingere. Cæteris enim paribus, maius eſt miniſtrantis meritum, quàm ſolùm aſſiſtentis. Nam miniſter ſpecialiùs quàm alij audientes, cooperatur oblationi ſacrificij, & eorum nomine Sacerdoti miniſtrat. Meritóque Bonauentura ad hoc miniſterium hortatur, dicens: Ad Miſſas libenter miniſtra, quia hoc eſt officium Angelorum: ipſi enim Deo ſuo vbique miniſtrant deuotiſſimè. In hoc enim miniſterio multiplex fructus eſt: Primò, boni operis exercitium eſt. Secundò, opus charitatis eſt, & promouens proximum in bono. Tertiò, opus deuotionis eſt, quia Deo appropinquat in oratione. Quartò, opus Angelorum eſt, cum quibus Deo ibi præſenti miniſtras, ſicut & illi. Et ex hoc non ſolùm Sacerdos, cui miniſtras, tunc orat pro te ſpecialiter, ſed & omnes circumſtantes, quorum vices geris, immò tota Eccleſia vbique terrarũ, quia tu geris vices omnium fidelium, qui Deo ſuo de cœlo venienti cum gratiſſima gratiarum actione deberent miniſtrare, ſi poſſent adeſſe.] Si tanta eſt huius miniſterij vtilitas, non eſt cur ob negligentiam, aut indeuotionem, aut falſam exiſtimationem, ab eo te ſubtrahas. Noui namque aliquos in literariis ſtudiis non nihil progreſſos, & ſuſceptioni ordinum proximos, qui erubeſcebant ſuperpellicium induere, & Miſſæ ſacrificio miniſtrare, quorum miſeram vicem, & lugendam immortificationem dolui. Tam cæci enim ſunt, vt alia minora miniſteria, qualia ſunt legere, aut diſputare, ſuſcipiant, & hoc beatorum ſpirituum miniſterium detrectent: quaſi indecentius eſſet, ſeruo Dei Sacerdoti quàm magiſtro lectionem interroganti reſpondere: aut inhonorabilius librum Miſſalem ex vna in aliam partem trãſferre, & vrceolos miniſtrare, quàm fratribus in triclinio ſeruire. Hi proſſus videntur indigni ordinibus, ad quos aſpirant, & ſatis oſtendunt ſe non tam ſcientiis quàm ſuperbiæ ſtuduiſſe, & non ſapientiam, quæ ædificat, ſed loquacitatem, quæ inflat, comparaſſe. Non legerunt fortè quod de beato Thoma Aquinate ſcriptum eſt, qui iam Sacerdos, iam Doctor eximius, iam hominibus in ſummo honore habitus, quotidie poſt Miſſæ celebrationem aliam Miſſam, auſcultabat, cui etiã vt plurimùm ipſe ſeruiebat. Tu iſtos inſipientes non imiteris, ſed libenter Angelis ſacrificio aſſiſtentibus te aſſocia, & illis oblata opportunitate miniſtra. Et, vt Bernardus ait, cùm ad Miſſam ventum fuerit, ſuſcipe inuitantem ad Miſſas priuatas, ac ſi panem Angelorum tibi delapſum de cœlo videres. Si quem amouere volentem intueberis, fuge, ac ſi fame deficienti è fauce buccellam panis auferre conaretur.] Sic ille.

Bonauēt. de inform. nouitie. p. 1. c. 11.

Surius in Martio, in vita eius.

Bern. in quadam doctrina.

Sacroſancto ſacrificio cum magna deuotione,

cum

cum magno feruore, cum magna reuerentia aſſiſte. Aſtas enim illi eidem ſacrificio, quod Chriſtus in ara crucis obtulit Patri. Aſtas illi Domino, ad cuius præſentiam, immò & ad cuius nominis inuocationẽ cœleſtia, terreſtria, & infera genuflectunt. Aſtas inter cœleſtes ſpiritus, qui ad laudandum & honorandum Dominũ cum ingenti exultatione deſcendunt: quidni reuerenter te habeas, & omnia deuotionis & attentionis impedimẽta reiicias? Per manus Sacerdotis tu quoque Domino incruentum ſacrificium offers, & multa à Deo petis tum tẽporalia tum ſpiritualia ſubſidia. Vide an deceat ſummo Regi irreuerenter ſacrificium offerre, & neceſſaria ad vitam præſentem & futuram tepidè poſtulare? Ad hanc autem reuerentiam pertinet, vt eo tempore nihil alienum à Domino cogites, nihil omnino loquaris, non huc illùcque circumſpicias, ſed oculos demiſſos, aut decenter in eo, quod efficitur, fixos habeas, non immodeſtè tuſſias, aut expuas, non indecenter perſtrepas, ſed in omnibus quietè & modeſtè te geras. Ad quod facit, quod Cæſarius Ciſterciensis monachus ſcribit: Beatum ſcilicet Ambroſium plebem ſuam monere ſolitum, vt à tuſſi, & omni inquietudine temperarẽt, ne quoquo modo Sacerdotem verba canonis recitantem, & ſacrificium offerentẽ impedirent. Eſt etiam huius reuerentiæ pars, vt quando genuflectendum eſt, genuflectas; quando ſtandum eſt, tectus & non incliuatus, nec ſedens ſtes: & Eccleſiæ, aut tui ordinis cæremonias ſãctè inſtitutas obſerues.

Cæſarius lib. 9. de miracu-lis, c. 30.

Ad fugiendam verò diſtractionem, & habendam mentis deuotionem, optio tibi datur, vt vnum ex his quæ dicemus, eligas, vel nunc vnum, nunc aliud ad augmentum feruoris aſſumas. In primis enim poteris meditari ea quæ partibus Miſſæ ſignantur, vt in introitu, deſideria antiquorum Patrum in limbo detentorum, Meſſiæ aduentum expectantium. in voce, Kyrie eleiſon, nouies repetita, inuocationem Trinitatis, à qua miſericordiam poſtulamus: in hymno gloriæ, eam, quam Angeli Domino in eius natali cecinerunt, quando hominibus pacem annunciauerunt: & ſic in cæteris, quæ ex libris Eccleſiaſticis, qui nuſquam non habentur, poteris intelligere. Deinde, ſi hoc longum aut prolixum tibi videatur, Miſſam conſideratione tua in quatuor partes diuide: Primam, vſque ad oblationem, in qua confeſſio fit, & preces, ac doctrina Apoſtolica & Euangelica, & Symbolum alta voce recitatur, attentè audi: &, ſi non miniſtras, vbi reſpondendum eſt Sacerdoti, ſubmiſsè reſponde. In ſecunda, ab oblatione panis & vini vſque ad conſecrationem, aduentum Angelorum & quaſi ingreſſum aulicorum cœleſtium, qui venienti Domino ſunt aſtaturi, meditare, & coram magnatibus cœleſtibus puſillus ex terra contremiſce. In tertia, à conſecratione vſque ad tempus proximum communioni, ſacrificium illud tremendum Patri offer, tibi & tuis neceſſaria pete, & cor tuum in conſpectu tui Conditoris effunde. In quarta, à communione vſque ad finem, emundationem ab omni peccato, & virtutum ornatum pete, & deſideria Chriſtum ſuſcipiendi, ſi tibi conceſſum eſſet, accende. Tandem poteris per has quatuor partes aliqua myſteria ex paſſione Domini meditari, & dum Sacerdos ſecretò orat, vocalem aliquam orationem attentè recitare, vel alio modo, prout Deus inſpirauerit, tuam mentem exercere. Id ſolùm, quemcumque modum teneas, nitaris oportet, ne ibi aut irreuerenter diſtractus, aut tepidè indeuotus aſtes, ita vt nullum aut modicum fructum ex Miſſæ auditione decerpas, & ex tam magnifico conuiuio tu ſolus famelicus & ſitibundus decedas.

De Cuſtodia cellæ.

CAPVT X.

AVDITA Miſſa, cui, vt plurimùm poſt matutinam orationem, aſſiſtimus, niſi neceſſitas aut charitas aliud agendum ſuadeat, propera ad cellam tuam, in eáque, prout ſtatim dicemus, bene occupatus mane, & amicam dulciſſimam, aut ſponſam chariſſimam, nunquam ſine cauſa derelinque. Mira ſunt, quæ à ſanctis Patribus de cella dicuntur; ego, vt te ad eius amorem alliciam, vnam aut alteram ſententiam eorum in medium proferam. Bernardus ſic ait: Cœli & cellæ habitatio cognata eſt: quia cœlum & cella adinuicem videntur aliquam habere cognationem nominis, ſic & pietatis. A celando enim cœlum & cella nomen habere videntur: & quod celatur in cœlis, hoc & in cellis: quòd geritur in cœlis, hoc & in cellis. Quidnam eſt hoc? vacare Deo, frui Deo: à cella enim ſæpe in cœlum aſcenditur, vix autem vnquam à cella in infernum deſcenditur. Morieus enim vix aut nunquam aliquis à cella in infernum deſcendit: quia vix vnquam aliquis niſi in cœlo prædeſtinatus, in ea vſque ad mortem perſtitit.] Thomas à Campis multa variis locis in cellæ commendationem ſcripſit, ex quibus vnum tantùm citabo. Bona cellæ, inquit, nequeunt ſufficienter explicari, ſicut nec detrimenta extravagantium. Cuſtos cellæ, cuſtos eſt linguæ, non audit detractiones, non percipit rumores, non videt vanitates, non trahitur ad leuitates. Bonus cellita aut legit, aut orat, aut gemit, aut meditatur, aut ſcribit, aut corrigit libros, aut aliquid aliud boni operatur. Bonus cellita, ciuis eſt cœli, amicus Dei, ſocius Beatorum Angelorum, cognitor ſecretorum, inſpector ſupernorum, victor tentationum, expulſor dæmonum, bellator vitiorum, contemptor mundanorum, neglector curarum, poſſeſſor quietis, obtentor pacis, amator ſcripturarum, ſpeculator veritatis, guſtator puritatis, continuator orationis, collector ſanctæ meditationis, & deſtructor omnis euagationis. Cogita Deum, & te ſolum eſſe in mundo, & habebis magnam requiem in corde tuo. Memento quia Angelus inuenit Mariam in camera orantem, non foris cum hominibus loquentem. Nam qui appetit cœleſtia ſecreta cognoſcere, oportet eum ab hominibus elongari. Sic enim Moyſes fecit, qui relictis hominum turbis, manſit ſolus cum Domino in monte, vt legem Domini ſuſcipere mereretur.] Hæc ille. Sed ſi alios omittam, certè verba Ambroſij luculentiſſima non poſſum præterire: Hic ſanctus Pater ad Sabinum ſcribens, ſic ait: Nunquam enim minùs ſolus ſum quàm cùm ſolus eſſe videor, nec minùs otioſus quàm cùm otioſus. Certè pro arbitrio arceſſo quos volo, atque adiungo mihi quos magis diligo, aut quos aptiores arbitror, nemo interpellat, nemo interpolat. Tunc ergo te magis teneo, & de Scripturis confero, & prolixiorem ſimul ſermonem ſerimus. Sola erat Maria & loquebatur cum angelo. Sola erat quando ſuperuenit in eam Spiritus ſanctus, & virtus Altiſſimi obumbrauit eam. Sola erat, & operata eſt mundi ſalutem, & concepit redemptorem vniuerſorum. Solus erat Petrus, & totum per orbem conſecrandarum gentium cognouit myſteria. Solus erat Adam, & non eſt præuaricatus, quia mens eius adhærebat Deo: poſtquam verò ei mulier adiuncta eſt, non potuit inhærere mandatis cœleſtibus, & ideo ſe abſcondebat, quando Deus deambulabat in paradiſo: & nũc deãbulat in paradiſo Deus, quãdo diuinas ſcripturas

Tho. à Camp. lib. 1. de diſtinct. clauſt. c. 7.

Luca 2.

Exod. 19.

Amb. ad Sabi. epiſ. 91.

Luca 1.

Act. 10. Gen. 2. & 3.

lego. Et quibuſdam interpoſitis addit: Liquet igitur ex his, quia cùm ſoli nos ſumus, tunc nos oſterimus Deo, tunc mentem ei noſtrã aperimus, tunc amictum fraudis exuimus. Solus erat Adam quando in paradiſo conſtitutus eſt, ſolus erat & quando ad imaginẽ Dei factus eſt, ſed non erat ſolus quando de paradiſo eiectus eſt. Solus erat Dominus Ieſus quando mundum redemit. Non enim legatus, neque nuntius, ſed ipſe Dominus ſolus ſaluum fecit populum ſuum: etſi nunquam ſolus eſt ille, in quo pater eſt ſemper; vnde & nos ſoli ſumus, vt Dominus nobiſcum ſit.] Huc vſque Ambroſius.

Gen. 1. & 3.

Si tanta ſunt bona cellæ quæ à patribus iſtis deſcripta ſunt; ſi tanta ſecreti cubiculi emolumenta, inſipientis hominis erit ad vitã ſpiritualem vocati, illud poſthabere, & pro atriis publicis, & pro diſcurſibus non neceſſariis commutare. Hæc autem erga cellam obſeruabis. Eam admitte, & in ea habita, quam tibi prælatus aſſignauerit, & de loco cœnobij vbi poſita ſit, aut de amplitudine, aut claritate, aut alia quauis commoditate eius nequaquã ſoliciteris. Eſt enim quaſi ſepulchrum tuum, in quo, ſæculo mortuus es, vſque ad finem mortalis vitæ, & initium immortalis vitæ manſurus. Mortui autem de ſepulchri qualitate, de eius amplitudine, aut anguſtia non curant. Et poſtquam in cella pulcherrima, & optimè ædificata, per duos menſes habitaueris, ita menti illa pulchritudo veteraſcit, & communis ac deſpicabilis fit, ac ſi omnino non ſubſiſteret. Ad ædificationem quoque fratrum, & ad ſpiritum paupertatis, & ad ſeruandam pacem ſpectat, cellam quamcunque acceptare, & commodis eius non adhærere. In cella tibi aſſignata, non ſuperflua, non pretioſa, non curioſa habeas, ne ex illis ſis à Bernardo ſuggillatis, qui cellas non tam eremiticas quàm aromaticas ſibi conſtruunt; ſed neceſſaria, & vilia, & pauperi accommodata recondas. Sit in ea lectus pauper, ſella humilis, menſa ad libros componendos ſufficiens, nuda & nullis tapetibus ornata, candelabrum vile, libri neceſſarij, imagines crucifixi & Beatæ Virginis decentes, & quæ modicis impenſis habeantur. Vina verò, dulciamina, aut aliæ res comeſtibiles, horologia affabrè facta; icones magni pretij, ſedilium multitudo, & alia huiuſmodi, quæ ſuperfluitatẽ, aut curioſitatẽ aut vanitatem redolent, à cellis ſeruorum Dei penitus relegentur. In hac cella ſic vt pauperẽ & contemptorẽ ſæculi decet, ornata, manere aſſueſcas. Nam vt ſcitè quidam dixit: Cella continuata dulceſcit, & malè cuſtodita tædium generat. Si in principio conuerſionis tuæ eam cuſtodieris, erit poſtea tibi dilecta amica, & gratiſſimum ſolatium. Coge ergo te ipſum, vt in ea maneas, & ſapienti quodam ac ſancto dolo temetipſum decipe. Ad quid nunc ſine neceſſitate cellam deſeram? quid extra illam niſi nouitates, & verba otioſa & detractoria, vel ad minus conſumptionem temporis, vel alia, quæ me diſtrahant, inueniam? Nunc certè in ea manebo, poſt vnam aut duas horas, niſi priùs ab obedientia fuero vocatus, exibo. Nunc profectò voluntati meæ ac leuitati meæ [in hoc nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.] Quantùm enim apud me maneo, & ad vana non exeo, tantum diebus meritorum adiicio. His verbis & aliis ſimilibus tanquam vinculis ſuauiſſimis poteris te intra cellæ ambitum continere. Si hæc nõ ſufficerent, iam te ipſum reprehende, & inſcitiæ tuæ timore conſtringe. Volue animo Dorothæi ſententiam, quam modò ſubiiciam, vt ex illa tuum ſtatum agnoſcas, & quis affectus te ex cella exturbet, peruideas. Alius item cùm ſenem interrogaſſet, inquit, vnde fieret quòd ſibi

Ber. ad fratr. de mõte Dei ad med.

Lib. 1. de imitatione Christi. c. 20.

Io. 29. 18.

Doroth. Doctr. 12. Baſil. de laudibus eremi.

A molestum eſſet in cella ſedere, accepit: Quia nondum proſpexiſti in futuram requiem, vel afflictionẽ: Si enim hæc animo diligẽter inſpicias, & mediteris; etiam ſi cella tua vermes ſcaturiat, vt ad collum vſque immergaris in illis, ſuſtineres vtique abſque moleſtia, & vlla difficultate.

Erit autem tibi facillimũ manere in cella, & ſuauiſſimum tecum commorari, ſi non deſes, & otioſus, & dormituriens in ea reſideas, ſed ſemper vtiliter occuperis. Nunc ergo ora, nunc verò pſalle, & precationes tuas debitè perſolue. Nunc libros ſpirituales ſanctorum geſta, & hiſtorias Eccleſiaſticas lege; nunc quibus incubuiſti literis ſtude, & Theologiam, ſcripturam ſacram, ac præcipuè ſanctos patres euolue, vt ſcientiam comparatam ſerues & prouehas. Nunc B ſcribe, & ſcripta à te corrige: nunc (ſi opus tibi fuerit) ſcripta aliorum tranſcribe, aut in compendium redige. Has ſtudioſas actiones, & alias huiuſmodi ſtatui religioſo congruas, & tuæ neceſſitati accommodatas prudẽter aſſume, nunc intermitte, nunc ad illas redi, & has cum illis intermiſce: ita vitæ pars in cella conſumpta non ſolùm vtilis erit, ſed plena iucunditatis & ſuauitatis exiſtet. Et quia extrema fugienda ſunt, & non ad cellæ quietem tantùm, ſed ad laborẽ & obedientiæ opera vocatus es, ita cellam diligas, vt nimiùm eius tranquillitati non adhæreas, ſed charitate aut obedientia vocante ſine vlla mẽtis contradictione eam dimittas. Id enim faciens ingredieris, & egredieris, & tã in ingreſſu quàm in egreſſu paſcua inuenies. Eriſque ſimilis animalibus illis quæ C ibant, & reuertebantur, & tam in profectione quàm in reuerſione ſplendebis & ardebis in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. Hæc namque, quæ de amore cellæ dicta ſunt, non eo dicuntur, vt ab vtili occupatione, & debito labore te ſubtrahas, ſed ne contempta religioſa vita, poſt huius mundi diſtractiones & inanes curioſitatas abeas.

In cellam ſic cuſtoditam & in vſum ſanctarum occupationum habitatam, quadrant optimè illa illuſtriſſima elogia à Baſilio & Laurentio Iuſtiniano deſcripta, quæ iucundum erit audire. Baſilius ſic ſcribit: O cella ſpiritale prorſus habitaculum. Namque de ſuperbis facis humiles, de guloſis ſobrios, de crudelibus pios, de iracundis mites, de odioſis reddis in diuina charitate feruentes. Tu odioſæ linguæ fræ- D num, tu luxurioſis renibus nitidæ caſtitatis adhibes cingulum; tu facis vt leues quique ad grauitatem redeant, vt iocoſi ſcurrilitatibus parcant, vt vaniloqui & procaces ſe ſub diſtricta ſilentij cenſura caſtigent. Tu ieiuniorum ac vigiliarum nutrix, tu patientiæ & pacis perfectiſſimæ cuſtos, tu puriſſimæ ſimplicitatis magiſtra, ac omnino fraudulentæ duplicitatis ignara. Tu facis vt vagos quoſque Chriſti catena coerceat, vt indiſciplinati moribus à ſua ſe prauitate compeſcant. Tu noſti homines ad perfectionis culmen euehere, atque ad conſummatæ ſanctitatis faſtigium ſublimare. Tu facis, vt homo ſit integer, atque rotundus, ac nulla à ſemetipſo morum inæqualitate diuerſus. Tu etiam facis lapidem quadrum conſtruendæ videlicet cœleſtis Ieruſalem mœnibus aptum, E qui nimirum non ex morum leuitate ſe verſatilem præbeat, ſed fixus ſemper in ſanctæ religionis grauitate conſiſtat. Tu homines à ſemetipſis extraneos reddis, & priùs vaſa vitiorum refloreſcere virtutibus facis. Tu [nigra, ſed formoſa ſicut tabernaculum Cedar, ſicut pellis Salomonis.] Tu lauacrum tonſarum, tu ſicut [piſcina in Heſebon.] Oculi tui ſicut columbæ ſuper riuos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.] Tu namque es ſpeculum animarum, cuius contemplatione ſe

A mens humana perſpicaciter intuens, quod minùs eſt, impleat: quod ſuperfluum, reprimat: quod obliquum eſt, dirigat, quod deforme, componat. Tu nuptialis es thalamus, in quo ſancti ſpiritus annulus tribuitur, & cœleſti ſponſo fœlix anima fœderatur. Recti diligunt te; & qui te fugiunt, veritatis luce priuati, quò greſſus ponere debeant, non agnoſcunt. Hæc quæ diximus, ſunt verba Baſilij. Laurentius verò Iuſtinianus ſic ait: Nemo ad planum narrare ſufficit cellæ præconiã, quanta veniunt bona, quantáque per illam amoueantur incommoda. Eſt namque cella ſponſi reclinatorium, virtutum cuſtos, tranquillitatis portus, additamentum pacis, medela vitiorum, contemplationis locus, tabernaculum fœderis, nuptialis thalamus, hortus irriguus, paradiſus deliciarum, cœli ianua, ſchola ſcientiæ, conſcientiæ cathedra, B magiſtra ſilentij, & ſpiritualis ſcala, vſque ad polorum alta pertingens. In ea ſi quis abſque torpore perſiſtit, fugit lites, neſcit odia, detractioni non vacat, temeraria iudicia minimè facit, abhorret otium, nec veretur mortem. Eia nunc Chriſti milites, qui voſmet Deo vouiſtis, & pro amore cœleſtium eremi vaſtam ſolitudinem atque deſerti antra incolitis, vt ſolitariæ vitæ perfectionem apprehendere valeatis, cellulæ habitationem diligite, illam tenete, illam amplectimini, de ea, niſi vrgente neceſſitate rationabili, ſeu corporis impellente infirmitate, vel fraterna ſuadente charitate, exire nolite. In ea ſint veſtræ ſpirituales deliciæ atque interna ſolatia. Ad ipſam, ſi contingat vos egredi, reuertimini quantocyus, ne detrimentum C aliquod patiamini, moram protelando ad publicum. Reuertimini, inquam, poſt iniunctum completúmque exterioris operis miniſterium, ſiue captatam ſubleuationem fragilitatis humanæ. Equidem ſi labore corpus attenuatum, ſi mens ex importunis fuerit tentationibus fatigata, tribulationibúſque depreſſa, proculdubio in cellulæ ſecreto congruentem reperietis pacem.] Sic Laurentius Iuſtinianus. Si igitur cellam ſine cauſa deſeras, hæc omnia bona perdes; aridus, vanus, & diſtractus eris; ſi extra illam vanis & prophanis intendis. Nunquam (vt credo) vidiſti aliquem virum ſpiritualem ſanctitatis amatorem, qui non eſſet amicus cellæ, publici (in quantum poterat) declinator, ſilentij ſectator. Si tu vltra id quod ſtatus tuus requirit, neceſſitas exigit, diſcurſus amas, per atria domus, immò & per vicos & plateas ambulas, quærens non quem diligit anima tua, ſed quem cupit curioſitas tua, & confabulationibus, & conſa- D lutationibus vanis occuparis, nec vir ſpiritualis efficieris, nec te ſanctitatis amatorem oſtendes. Quia mentis puritas in officina puritatis, nempe in cella, comparatur, & ſpiritus pacatus & quietus, non in foris, neque in negotiis ſæcularibus, ſed in loco rebus ſpiritualibus apto, nempe in cella, conquiritur.

Laurent. Iuſtin. de vita ſolit. c. 12.

De ſtudio literarum.

CAPVT XI.

IN cella otium vitandum omnino eſt, E quia hoſtis eſt vniuerſarum virtutum: nec manſionem in cella monemus, vt in ea deſides & ſegnes, ſed vt bene occupati & magis negotioſi, quàm extra illam maneamus. Non otio, inquit Ambroſius, non ſomno merces paratur. Nullum opus dormientis eſt. Nullus fructus otij, immò magis diſpendium. Otioſus Eſau amiſit primatus benedictionem, quia maluit cibum acquirere, quàm quærere. Laborioſus Iacob apud vtrumque parentem inuenit gratiam.] Si ergo cellam incolimus, vt mercedem promereamur, & fructus colligamus ſemper duraturos, in ea non otio vacandum eſt, ſed honeſtis laboribus inſiſtendum. Opera, quæ cellæ conueniunt, iam ſuprà retulimus, ex quibus vnum, nempe literarum ſtudium, ad hunc locum pertinet: quoniam poſt Miſſam ſummo manè celebratam, cui adoleſcentiores aſſiſtunt, ſtatim, vt literis vacent, in cellam ſe recipiunt. Quin & ad ſacerdotium promoti, niſi ad miniſteria vocentur, aut orationem protelent, aut penſum horarum perſoluant, literis vacant, vt munus ſuum, quod multam rerum cognitionem requirit, ſecurè & fideliter obeant.

Amb. lib. 10. ep. 62.

Tu ergo ad literarum ſtudia vocatus, & ab obedientia in addiſcendis literis occupatus, rectam ſemper intentionem habe, & præſtantiſſimum ſcopum, ad quem ſcientia dirigenda eſt, tuo labori præfige. Non diſcas, vt apud homines ſplendeas, non vt magiſter & bene literatus nomineris, non vt magnus habearis, non vt præcipua pulpita, & inſignes cathedras occupes, non vt ad dignitates tui ordinis, vel prælationes Eccleſiaſticas proueharis: quia hoc ingens vanitas eſt. Non diſcas, vt appetitui ſciendi ſatisfacias, vt noua & ſubtilia ſcias, vt pulcherrimarum rerum cognitione tuum tantùm intellectum repleas: quia hoc inanis curioſitas eſt. Sed diſce, vt Deo placeas, vt eius beneplacito, ac obedientiæ præſcripto te accommodes, vt Deum magis cognoſcendo, ardentiùs eum diligas, & feruentiùs illi ſeruias, vt idoneus miniſter Euangelij fias, & vt animas Chriſti ſanguine redemptas, præcipuè rudiores, & magis doctrinæ indigas, ad illum per bonam vitam ire compellas. Macula in omni panno fœda eſt, ſed in pretioſiſſimo ſerico aut in mundiſſima byſſo fœdior: ſic præpoſtera intentio in omni humano opere mala eſt, ſed in ſtudio literarum nequior & intolerabilior. Quantum ſit periculum eius, qui ad vanitatem ſtudeat, docet ſanctus Iob, dum ait: Panis eius in vtero ipſius vertetur in fel aſpidum intrinſecus: diuitias, quas deuorauit, euomet, & de vétre illius extrahet eas Deus.] Scientia enim panis eſt, quo mentem noſtram reficimus, qui in fel aſpidum conuertitur, cùm ad vanitatem aut ambitionem ordinatur. Eámque literatus euomit, cùm ex inani & arido corde depromens, ſine vlla vtilitate audientium effundit. Et de ventre illius extrahitur, cùm hominis inſipientis labor ſine præmio relinquitur: quia minimè à ſuo conditore probatur. Hunc quidem ſenſum Gregorius indicat, & ſimul pericula literatorum ſuum honorem quærentium declarat, ſic ſcribens: Panis, Scripturæ ſacræ intelligentia non inconuenienter accipitur, quæ mẽtem reficit, eíque boni operis vires præbet, & plerumque hypocrita etiam ſacri eloquij eruditi myſteriis ſtudet: non tamen vt ex eiſdem viuat, ſed vt cæteris hominibus quàm ſit doctus appareat. Panis eius in vtero illius in fel aſpidum intrinſecus vertetur: quia dum de ſacræ legis ſcientia gloriatur, vitæ potum conuertit ſibi in veneni poculum, & reprobus moritur, vnde ad vitã erudire videbatur. Neque hoc autem inconuenienter accipitur, quòd nonnunquam hypocrita, dum doctrinæ verbo ad oſtenſionem ſtudet, diuino iudicio cæcatus, hoc ipſum verbum prauè intelligit, quod malè quærit.

Iob. 20. 14. 15.

Greg. 15. mor. c. 6.

Studia verò literarum non iam ex vanitate, ſed ex ſola curioſitate ſuſcepta, Hugo Victorinus inutilia & noxia vocat, & quis ſit eorum fructus, exponit in hæc verba: Et vt apertiùs adhuc agnoſcas, quàm infructuoſa, immò quàm pernicioſa ſint ſtudia hæc, animos non ſolùm ad cognoſcendam verita-

Hugo l. 1. de vani ta müdi, ad finem.

A tem non illuminant, ſed oe veritatem agnoſcere poſſint, prorſus excæcant. Rapiunt enim cor hominis, & qoodammodo extra ſemetipſum abdocunt, vt dum ad alia, quæ ad rem non pertinent, conſideraoda trahitus, ad circumſpectionem ſui minimè reuertatur.] Si hæc ita ſunt, vt Patres hi aſſerunt, de quorum authoritate non licet dubitare, abſurdum erit ſcientiam ad vanitatem, aut ad curioſitatem, aut ad alium finem viliorem dirigere, & præſtantiſſimum virtutis inſtrumentum, nempe ſcientiam, io excidium virtutis aſſumere. Scientia apud homines vanè lucere viſ? ſed eo ipſo oon lucebis: quia Deus ſe exaltantes deiicit, & ſe oſtentantes ſub modio alicuius magnæ humiliationis conſtituit. Curioſitati, & nimio ſciendi deſiderio vis ſatisfacere? ſed dum ſcite ad ſolam ſcientiam aues, & conſcientiam lædis, & ſapidæ

B ſcientiæ, illi nimirum, quæ afficit & mouet voluntatem, obſiſtis. In ſcieotia ergo nihil aliud niſi Deum quæras, & in acquiſitione, ac vſu eius, ooo ioſipienti muodo, ſed Deo placere concupiſcas.

Studia ex hac rectiſſima intentione ſuſcepta facile erit cum virtote coniungere, & has dnas ſorores, Scientiam & Virtutem ſimul, licèt cura impari, quæritare. Simul tibi quærendæ ſunt, quia ſcientia ſine virtute parum, aut nihil valet: virtus verò in te, qui aliis doctrina profuturus es, ſine ſcieotia manca erit. Sit itaque ſcientia tua & virtutis & ſanctitatis plena, vt magis exemplo quàm verbo prædices; ſit virtus tua ſcieotia referta, vt in oſtenſione viæ virtu-

C tis non erres. Impari tamen cura tibi quærendæ ſunt, qooniam virtutis maior ratio habeoda eſt: quæ cùm finis ſit ſcientiæ, debet in corde tuo ac in cura tua primum ac præcipuum olcum occupare. Quamobrem nunquam propter ſtudia literarum, virtutis actiooes omittes: nunquam oratioois tempus, lectionis ſpiritualis horam, & aliarum rerum ad cultum Dei pertinentium ſpacia decurtabis. Virtutum opera te faciunt ſanctum, ſcientiarum ſtudia te faciunt literatum: &, ſi melius & optabilius eſt, ſanctitate quàm ſcientia pollere, ne dum ſapientiæ ſtudes, ſis tam ioſipiens, vt minora maioribus præferas, & propter viam, terminum viæ, nempe perfectionem amittas. Si poſt multos ſtudiorum annos doctiſſimus euaſiſti, & in virtute ac humilitate non profeciſti: ô quàm parum ſapis! quàm nihil vales! quàm es reprehenſione dignus! qui ætatem tuam cum meretricibus conſumpſiſti, & ſponſam amore digniſſimam

D repudiaſti. Humanas enim ſcientias te à virtute auocantes meretrices voco, & virtutem ſpooſam appel-

Sap.8.10 lo. Infœlix tu, qui hanc repuliſti, propter quam habiturus eras claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores iuoenis: & illas accerſiſti, quæ à virtute ſeiunctæ robur mentis tuæ comedent, & virium tuarum actiones vanitatis infirmitate conſument. Iofœlix tu,

Pſ.35.4. qui noluiſti intelligere vt bene ageres. Iniquitatem meditatus es in cubili tuo, aſtitiſti omni viæ non bonæ, malitiam aotem non odiſti. Annon eſt iniquitatem meditari, Dei opera, non ad veritatem, ſed ad vanitatem addiſcere? An non, aſſiſtere viæ uon bonæ, iter ſcientiæ aliò quàm ad Dei obſequium deflectere? An non, malitiam amplecti, ex ſcientia ſu-

E perbire, & ex eo, quod ad humilitatem datum eſt, in imperfectionibus obdureſcere, & magis qootidie ac magis ioflari? Liquet igitur, inquit Ber-

Bernard. tract. de diligendo Deo. nardus, & abſque ſcientia dignitatem eſſe omnino inutilem, & ſcientiam abſque virtute damnabilem. Ne ergo ex ſcientia damneris, aut miſer, & pauper efficiaris, cura eam cum virtute coniuogere, & ad hoc illam acquirere, vt ſingulis diebos melior fias, & quo doctior efficeris, eo in maiorem ani-

A mæ puritatem euadas.

Si iam annos diſcendi in ſcholis exceſſiſti, vtilia (vt dictum eſt) & tuo ſtatui conſona lege, & addiſce. Si magiſter es, veritatem iuxta dicta Patrum antiquorum diſcipulis expone: Si verò diſcipulus es, in primis magiſtros tuos in magna veneratione habe, eorum doctrinam intellige & ſequere, & nihil aliud, niſi quod ipſi docuerint, aut diſcendum eſſe præſcripſerint, cures diſcere. Ridiculum namque eſſet, ſi velis magiſter eſſe antequam ſis diſcipulus, & tuo arbitratu literis ſtudere, & ab iis ſententiis, quæ tibi à magiſtro proponuotur, deuiare. Diſcipulus à diſcendo deriuatur. Si autem quæ audis, non diſcis, ſed impugnas, ſed deſeris, ſed eis contradicis, & aliam viam in inquiſitione veritatis tibi proponis, quomodo di-

B ſcipulus nomineris? Fructus magiſtri, inquit Ambro-

Ambr. in 1. ad Theſſal. ad c.1. ſius,) diſcipulus eſt obediens:] qui verò magiſtro non paret, qui ab eo, quod docetur, diſſentit, non eſt fructus, ſed contemptio magiſtri. Si magiſtri tui duo aut plures ſint, quod in Theologicis ſemper euenit, & opinionibus ipſi diſſentiant, tu vtramque opinionem reuerenter excipe, vtramque diſce, & priocipia vtrinſque opinionis intellige, ita vt poſſis cùm oportuerit, pro vtraque rationem reddere, & vtramque defeoſare. Scitóqoe ignorantiæ, aut minoris ſcientiæ eſſe, in rebus, quæ non demonſtratione noſcuntur, ſed ſub opinionem cadunt, tam conſtanter vni parti adhærere, vt nihil ſaltem minoris aſſenſus alteri relinquatur. Si eoim ratio vnius ſententiæ proba-

C bilis tantùm eſt, vt in huiuſmodi rebus ambiguis contingit, nequaquam eius vim omnino calles, ſi, ac ſi eſſet demonſtratio, conuinceris. Et quemadmodum, ſi infantulus, funiculo infirmo ligetur, quem ad rumpendum facilem, ipſe frangere non poſſit, non eſt indicium ferreæ catenę, ſed imbecillitatis infantis; ita ſi probabili tantùm ratione ligeris, ita vt nulla via te expedire valeas, id eſt ſignum infirmæ mentis, non euidentis rationis.

Ad ſcholas modeſtus & tacens ibis, non huc illuc circumſpiciendo, nec cum condiſcipulis fabulando. In ſchola modeſtè & decenter ſedens attentus eris ad verba magiſtri, & qnod voce docuerit, aut ſcriptis dictauerit, ita vt ne elabatur, excipies. Si poſt lectioem, ſcrupulum aut dubitationem habueris, non vt cenſor, non vt doctrinæ impugnator, ſed vt ignorans propones, & ſolutionem quæſtionis expectabis. Lectionem cum aliis condiſcipulis diligenter repetes,

D cum illis de rebus à magiſtro auditis conferes, vt plenius intelligas, & ſi opus fuerit (& quidem conuenienti tempore vtiliſſimum eſt) argumentis hinc inde propoſitis veritatem expendes. In diſputationibus efficax, non audax, veritatis auidus explorator, oon contentionis & vociferationis amator exiſtes. Verba inutilia, &, ad id, de quo diſputatio inſtituitur, non attioentia, & multò minùs quæ alterum pungant, aut contemnant, prorſus reiicies. Et breuiter ita te geres, vt te diſputatorem religioſum, veritatis inquiſitorem, & coram Deo & Angelis loqoentem exhibeas. Si alter peccauerit, & verbis minùs modeſtis loquutus fuerit, illum patienter feres. Vt

E enim Auguſtinus ait: Noui fratrē meum, ſed ſi quid

Aug. epiſ. 147. ad Pro. diſputando pro fide ſua, & pro Eccleſiæ charitate dixit fortaſſe feruentiùs quàm tua grauitas vellet audire, non illa contumacia, ſed fiducia nominanda eſt, collatorem & diſputatorem, non aſſertorem & adulatorem ſe eſſe cupiebat. Nam hoc eſt oleum peccatoris, quo propheta non vult impinguari caput. Ita

Pſ.140.5 enim dicit: Emendabit me iuſtus in miſericordia, & arguet me; oleum autem peccatoris oon impinguet caput meum.] Breuiter diſputationem ad eruendam

dumtaxat

Digitized by Google

dumtaxat lucem veritatis admitte.&,vt inquit Paulus [ſtultas quæſtiones, & contentiones, & pugnas deuita; ſunt enim inutiles & vanæ.] Se igitur oſtentante veritate à diſputatione omnimodis ceſſandum eſt, & alij vtiliori pro tunc exercitationi vacandum.

Hæc de diſputatione dicta ſufficiant.Sed inſtante tempore addiſcendi,& literis ſtudendi (quod totum illud eſſe debet ab obedientia vſúque præſcriptum) à Domino, qui Deus ſcientiarum Dominus dicitur, cui, id eſt, à quo præparantur cogitationes noſtræ, gratiam,lucem,& intelligentiam ad diſcendum humiliter poſtulabis. Beatus Thomas Aquinas ante lectionem vel ſcriptionem ſemper orationi ſe dabat. Id quoque à viris ſpiritualibus modò, perpetuo more ſeruatur. Tu eorum veſtigiis inhærens ad ſtudium orationem præmitte. Illud ex obedientia,& deſiderio animabus proficiendi,ſuſceptum Deo gratiſſimum puta, quare in ipſum diligenter incumbes. Quæ à magiſtris acceperis, vel quæ per te didiceris, optimè intelligere & ſcire cura. Id conſequeris, ſi præcipua fundamenta aſſertæ veritatis capias, ſi ad ſua principia referas,ſi iterum atque iterum reperas, donec fixè in memoria hæreant:Si quæ veritati opponuntur,aut opponi poſſunt, aduertas, atque diſſoluas:Si multum mediteris, & parum ſcribas. Tot enim ac tanta,& tam pulchra ſcripta, & typis mandata ſunt,quæ paſſim habentur,& nuſquam non inueniuntur:vt diſcipulis inutile ſit aliqua ſcribere,& tempus in id,quod non erit vſui,conſumere. Lecta, & intellecta, & memoriæ mandata tecum ipſe conferes; aliquando ſi tanta mentis ſynceritate & diuina familiaritate polleas, vt id reuerenter facias, ad Dominum tuum, qui filiolos balbutientes libenter audit, eadem dices, & quaſi eius ſententiam expectabis. Hoc aliquos pios & puros adoleſcentes ex noſtris feciſſe noui, quod non eſt ſanè ridenda ſimplicitas, ſed ſapientiſſima ac veneranda cum Deo familiaritas. Nec ſic hunc modum diſcendi vocarem, niſi illum ab illo magno Eccleſiæ lumine Auguſtino vſurpatum viderem. Ipſe namque ſæpiſſime (vt ex ſuis ſcriptis elicitur) ita veritatem inquirebat, quaſi cum Deo loquens, illum interrogans, & ab eo, precibus quæſtionum ſolutionem extorquēs. Vnde quodam loco temporis naturam veſtigans, ſic ait: Exarſit animus meus noſſe iſtud implicatiſſimum ænigma. Noli claudere Domine Deus meus bone pater,per Chriſtum obſecro, noli claudere deſiderio meo iſta,& vſitata,& abdita,quo minus in ea penetret, & dilucescant, allucescente miſericordia tua, Domine. Quem percontabor de his, & cui fructuoſiùs confitebor imperitiam meam niſi tibi, cui non ſunt moleſta ſtudia mea flammantia vehementer in ſcripturas tuas? Da, quod amo, amo enim, & hoc tu dediſti. Da pater qui verè noſti data bona dare filiis tuis. Da quoniam ſuſcepi cognoſcere te,& labor eſt ante me donec aperias. Per Chriſtum obſecro in nomine eius ſancti ſanctorum, nemo mihi obſtrepat. Et ego credidi, propter quod & loquar. Hæc eſt ſpes mea,ad hanc inhio, vt contempler delectationes Domini. Ecce veteres poſuiſti dies meos, & tranſeunt, & quomodo, neſcio, & dicimus tempus, & tempus; tempora, & tēpora. Quandiu dixit hoc ille,quandiu fecit hoc ille,& quàm longo tempore, illud non vidi. Et duplum temporis habet hæc ſyllaba, ad illam ſimplam breuem. Dicimus hæc, & audimus hæc,& intelligimur,& intelligimus. Manifeſtiſſima, & vſitatiſſima ſunt, & eadem rurſus nimis latent, & noua eſt inuentio eorum. Hæc & multa alia ibi. Si ergo

1. Reg. 2. 3.

Aug 11. confeſſ. c. 12.

A ad hunc modum diſcendi admiſſus fueris,illum non relinquas, & quaſi magnum Dei donum, non ſine gratiarum actione ſuſcipies. Ac tandem,ſi ingenio ac ſubtilitate intelligendi polleas, ſi commilitonibus emineas,ſi omnibus tam maioribus quàm minoribus,ob tuam peritiam placitis moribus adiunctam, placeas,tuæ propriæ vilitatis memineris, & viam humilitatis non deſeras. Si verò hebes fueris ingenio, ineptus eloquio, & omnibus,vel multis condiſcipulorum, iudicio maiorum poſtpoſitus,caue ne triſtitia abſorbearis, ne magnum aliquid & deſiderabile tibi deeſſe exiſtimes, ſed mentis puritate, & morum probitate, & omnimoda reſignatione in diuina voluntate, aliis eminere curato. Quod ſi aſſequaris, nulla ratione aut minor reliquis aut inutilior repu- B taberis.

De cura Miniſteriorum.

CAPVT XII.

SED iam pueritiam ſtudiorum exceſſiſti, iam ad ſacerdotium promotus es, iam ad aliquod munus tuæ religionis vocatus. Hæc eſt vna cauſa & ſanè iuſtiſſima cellam ad tempus relinquendi, exibis ab ea vt tibi iuſſa perficias. Quodcumque igitur tibi munus demandatum ſit,diligenter exequere:ſed ſi ad miniſteria animarum curandarum euectus ſis,ita ſcilicet,vt earum C confeſſiones excipias, vel ad eas conciones habeas, multo ſoliciriùs & diligentiùs in tam præſtantiſſimum munus incumbe. Indiget hodie Eccleſia fidelibus operariis, qui opere aduerſentur illis, qui, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.] Adeo vt in ipſis cœtibus religioſis non paucos reperias,qui ex huiuſmodi miniſteriis proprium honorem & propriam gloriam captent,& ad Chriſti gloriam non reſpiciant. Indiget hoc tempore Chriſtus miniſtris ſtrenuis, debitam ei fidelitatem ſeruantibus,quando innumeri ſunt,qui illi fidelitatem non ſeruant,& dum deliciis ſuis,& opibus,& honoribus conſulunt, rebus animarum incurioſè,feſtinanter,& quaſi aliud agentes,intendunt. Qui dummodo aurum, & argentum, & ſuppellex creſcat,dummodo multis ſer- D uis conſtipentur, & menſa illis quotidie opipara præparetur, licèt animæ pereant, & pauperes fame tabeſcant, & templa detritis ornamentis contecta ſordeant, omnia ſibi ſalua ſuſpicantur. Ego quidem tempora Bernardi non vidi, ſed hæc non ſine mœrore video, in quibus eius verba, quæ vel lapides ipſos ad fletum moueant, ſine dubio completa ſunt.

Philipp. 2. 21.

Et nunc, inquit, quod grauius eſt, ipſi Chriſtum perſequuntur, qui ab eo vtique Chriſtiani dicuntur. Amici tui, Deus, & proximi, aduersùm te appropinquauerunt & ſteterunt. Coniuraſſe videtur vniuerſitas populi Chriſtiani, à minimo vſque ad maximum, à planta pedis vſque ad verticem non eſt ſani- E tas vlla. Egreſſa eſt iniquitas à ſenioribus iudicibus vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum, non eſt iam dicere,vt populus ſic Sacerdos:quia nec ſic populus vt Sacerdos. Heu, heu, Domine Deus! quia ipſi ſunt in perſequutione tua primi,qui videntur in Eccleſia tua primatum diligere, gerere principatum. Arcem Sion occupauerunt, apprehenderunt munitiones, & vniuerſam deinceps libere & poteſtatiuè tradunt incendio ciuitatem. Miſera eorum conuerſatio, plebis tuæ miſerabilis ſubuerſio eſt. Atque vtinam ſola hac parte nocerent: Eſſet

Bern. ſer. 1. in conuerſ. ſancti Pauli.

fortè qui Dominica præmonitus & præmunitus exhortatione, daret operam ipſorum non exempla imitari, ſed obſeruare præcepta, iuxta illud: (Matt. 23. 3.) Quæ dicunt, facite, & ad opera eorum nolite reſpicere.] Nunc autem dati ſunt ſacri gradus in occaſionem turpis lucri, & quæſtum æſtimant pietatem. Copioſiſſimæ ſiquidem pietatis inueniuntur in ſuſcipienda (immò accipienda magis) animarum cura: ſed hæc apud eos cura minor, & de animarum ſalute nouiſſima cogitatio eſt. An verò Saluatori animarum grauior vlla eſſe poterat perſequutio? Iniquè agunt & cæteri contra Chriſtum, multique ſunt noſtris temporibus Antichriſti. Meritò tamen & crudeliorem eam cenſet perſequutionem pro acceptis beneficiis, & grauiorem ſentit pro poteſtate, quam propriis ſuſtinet à miniſtris, licèt alij quoque multi contra proximorum ſalutem multifariè, multiſque modis, & variis occaſionibus agere videantur. Hæc videt Chriſtus, & ſilet: hæc Saluator patitur, & diſſimulat.] Hæc ille.

Si hoc tempore in cura animarum ſaluandarum pigritetis, ſi ab illis quæſitus moroſè exeas, ſi non quæſitus, otio torpeas, aut inutilibus occupationibus vaces, & illas non quæras, parum Chriſtum diligis, & modicam valoris animarum, & pretij ſanguinis Domini pro illis effuſi notionem habes. (Ioan. 4. 28.) Mulier illa Samaritana ſtatim ac Chriſtum nouit, illúmque Meſſiam eſſe didicit, reliquit hydriam ſuam, & ad annunciandum eum cõciuibus ſuis ſollicita properauit. Si necdum tuæ voluntatis hydriam relinquas, qua huius ſæculi conſolationes hauris, & huius ſæculi oneribus implicaris, ſignum eſt te parum ſatis Chriſtum agnoſcere, & modica, qua eius maieſtatem contempleris, luce perfundi. Statum Apoſtolicum profiteris, & de Apoſtolorum, atque Apoſtolicorum virorum imitatione gloriaris, ne cunctando, & animas tepidè & deſidioſè quærendo ab illorum conuerſatione degeneres. (1. Cor. 9. 19.) Illi, cùm liberi eſſent ex omnibus, cum Paulo, omnium ſe ſeruos fecerunt, vt eos lucrifacerent. Ne tu more domini delicati velis tua ad propriam commoditatem diſponere, & poſtea importunis horis & ad id negotij non aptis res animarum tractare. Chriſtus ad hoc bellum fœliciter peragendum adoleſcentulis delicatis non indiget, ſed militibus robuſtis & ſtrenuis, qui animoſè hoſtes adoriantur, & de manibus eorum vi auferant animarum ſpolia. Inſtátque tempus, in quo Eccleſiæ conſilium ſeruorum Benadab Regis Syriæ bonum viſum eſt. Illi enim ſic loquuti ſunt ad dominum ſuum, vt rationem, victoriam reportandi ex Iſraëlitis, inuenirent: Tu ergo verbum hoc fac: Amoue Reges ſingulos ab exercitu ſuo, & pone Principes pro eis, & inſtaura numerum militum, qui ceciderunt de tuis, & equos ſecundùm equos priſtinos, & currus ſecundùm currus, quos antea habuiſti, & pugnabimus contra eos in campeſtribus, & videbis, quòd obtinebimus eos.] Id ipſum nunc Eccleſia molitur. Amouere vult à fortiſſima Eccleſiaſticorum & religioſorum acie Reges delicatulos, qui nolunt ſeruire, ſed ab aliis miniſtrari, & loco illorum Principes, id eſt, viros robuſtiſſimos, zelum animarum habentes, deſiderat conſtituere. Inſtaurare contendit milites, & equos, & currus ſuos, ſecundùm viros Apoſtolicos, qui vita functi ſunt, vt eorum præſidio diabolum vincat, & animas à Chriſto redemptas virtuti ſubdat. Si tu non es miles ſecundùm milites priſtinos, qui fortiter & infatigabiliter dimicabant: ſi non equus, aut currus, ſecundùm equos & currus priſtinos, qui non cùm tu vis, ſed cùm homines volunt, illos in cœlum vehas,

A parum ad hoc bellum gerendum proficies.

Vocatus itaque ad confeſſionem alicuius excipiendam, vel ad conſcientiam illius per bonum conſilium ſedandam, vel ad aliquid ſimile, ſtatim adſis. Ille, ſi moram facias, fortaſſe diſcedet, & vt fatua auicula ſalutarem laqueum à te ponendum declinabit. Hos enim ſalutis laqueos facilè ſæculares declinant, cùm in laqueos mortis proni ſe lubentéſque coniiciant. Si autem aucupium fugiat, & ob tuam negligentiam diſcedat, vt ſeruus piger, & anceps, inſipiens increpaberis. Ab eo, qui te ad animæ ſalutem vocat, nihil omnino petas, nec tibi, nec domui, aut cœnobio, in quo habitas. Nihil magis à miniſtris Euangelij homines auocat, quàm ſi eos non animarum ſuarum, ſed bonorum temporalium ſuorum cupidos experiantur. B Audiant igitur te dicentem, & opere præſtantem quod dixit Paulus: Non quæro veſtra, ſed vos: nec enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis.] (2. Cor. 12. 14.) Venientem, hilari vultu, ſerena facie, verbis blandis, & animam compaſſionis & charitatis affectu tactam oſtendentibus excipe. Sícque licèt in alio ſenſu eiuſdem Pauli conſilium implebis: Ego vos non grauaui, ſed cùm eſſem aſtutus, dolo vos cepi.] (2. Cor. 12. 16.) Sãctus quippe & iuſtus dolus eſt, miniſtrum Euangelij ſe facilem & humanum oſtendere, vt peccator ſine vllo metu vulnus aperiat. Verba ægroti tui, licèt rudia, licèt prolixa, licèt ineptiis plena, ſine vlla moleſtiæ ſignificatione audi. Vide quanta benignitate Deus tuus ineptias tuas & puerilitates audiat. Et ex eo, quomodo fratrem tuum auditurus es, diſce. C O tempus præterit! Non inde triſteris: tempus enim, in quo te abnegas, & fratris ruditati te accommodas, & cum paruulo paruus efficeris, non eſt inutiliter, ſed fructuoſè conſumptum. Peccatorem iam tandem finientem non terreas, ſed propoſita hinc peccatorum fœditate, inde verò Chriſti Saluatoris benignitate, ita illum in ſpem erigas, vt ſimul peccatorum deteſtationem & propoſitum emendationis extorqueas. Illud impenſè cura, non ſolùm vt illum nunc ad iuſtitiam trahas, ſed etiam ad perſeuerantiam, & bonam vitam, & Sacramentorum frequentiam inducas. Neceſſitatibus temporalibus eorum, quos in ſpiritu prouides, aut nunquam, aut rarò prouideas, neque eorum negotia temporalia agenda ſuſcipias. D Caue ne ſint ex illis, quibus dixit Dominus: (Ioan. 6. 26.) Amen, amen, dico vobis, quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis.] Non te pro pane, ſed propter Chriſtum quærant: quia ſi non ſalus animæ, ſed prouiſio corporis illis in hoc negotio curæ ſit, nihil eos in virtute promouebis, & tempus à cura ſpiritualium paulatim ad temporalia traduces. Ad ſaluandas animas oratione & corporis afflictione te para, humilitate ac patientia te muni, zelo diuini honoris affectum accende: & ſic æquali voluntate, quin & maiori feruore pauperibus quàm diuitibus, puſillis quàm magnis, intendes. Et quidem meritò: nam magnis & diuitibus ſaluari volentibus nunquam miniſter Euangelij deerit, puſillis verò (quod ſæpiſſime video) non E ſemel Euangelicus operarius deficit. Si tempus vacet, nec ab aliquo voceris, iuxta illud Domini apud (Rom. 10. 20.) Iſaiam: Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant:] ſic tu ſeruus, vt à te non quærentibus reperiaris, & ſuæ ſalutis oblitis appareas: ita tamen illos quære, vt teipſum non perdas: ita animabus te trade, vt tuæ ſaluti conſulas, & tempus prudenter inter te & alios diuidas.

Fœminis etiam es tuo talento profuturus: nam &

Chriſtus

A Chriſtus illas redemit, & animas habent ad Dei imaginem creatas, & ad beatitudinem conditas: ſed illis non ſine magna cautela & circumſpectione prodeeris. Neceſſaria audies, ſuperflua & minùs pertinentia abſcindes, & breuiter te ab illis expedies. Viſitationes & conſalutationes earum vix tolero, munuſculorum oblationes aut acceptiones deteſtor, atque illud Baſilij documentum ob grauiſſimas rationes ab ipſo allatas omnimodis cuſtodiendum

Baſil. conſt. monaſt. c. 4. exiſtimo: Quocirca, inquit, fugiendæ in primis cum mulieribus nobis congreſſiones ſunt, colloquutionéſque, neque ad eas vnquam accedendum, niſi cùm grauiſſima aliqua ad eas nos neceſſitas impellat, & aliter facere non poſſimus. Atque ipſa etiam vbi nos neceſſitas adegerit, ab ipſis non ſecus atque ab igne

B cauendum eſt, adeò vt quàm citiſſimè nulla mora ab illis nos extricemus. Animaduerte enim quid de

Prou. 6. 27. hac re Sapientia dicat: Abſcondet quis ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta ſua non comburet? Aut ambulabit quiſpiam ſuper carbones ignis, & pedes non comburet? Quòd ſi quis dicat ex aſſiduo ſe cum mulieribus colloquio, congreſſúque, & conuictu non admodum lædi, hic ſine dubio, aut maris naturæ particeps non eſt, & portentum eſt quoddam inſolentiſſimum, & præter omnium opinionem admirabile, & in vtriuſque ſexus (vt ita dicam) confinis poſitum, cuiuſmodi eſſe illos ferunt, qui nati eunuchi ſunt: ſiquidem hoc illis velimus tribuere, quòd nullo modo fœminarum libidine afficiantur,

Eccl. 20. 2. aut moueantur: [Concupiſcentia enim ſpadonis deuirginans iuuenculam,] inquit Sapiens: aut certè ſi

C expers non eſt, cùm totus immerſus libidinibus obruatur, ebriis, aut phrenetide correptis ſimilem ſe eſſe non ſentit, qui grauiſſimis affecti morbis morbum à ſe tamen abeſſe omnem exiſtimant. Verùm, quod ratio non dat, hoc demus nos in diſputatione: poſſe videlicet aliquem exiſtere, qui nullis libidinum aculeis pungatur, aut extimuletur. Verùm, & ſi hoc ipſe non ſentit, quî quæſo, hoc ita eſſe cæteris item facilè poterit perſuadere? Porro quòd quis nulla propoſita vtilitatis ſpe multitudinem ſcandalizet, hoc ei arbitror non vacare periculo. Quanquam ad hanc alia etiam ratio ſpectanda eſt. Quod eſto, vir nullam ipſe in animo ſuo pernicioſę cogitationis noxam conceperit, de muliere certè, quòd ea quoque idem

D faciat, nuſquam nobiſcum controuertet, quòd ipſa videlicet, nullis corporis libidinibus moueatur. Hæc omnia & alia præclarè Baſilius.] Scitè ergo dixit qui-

Pratum Spir. 217. dam ſenex apud Ioannem Euiratum: Filioli, ſal ex aqua eſt, &, ſi appropinquauerit aquæ, continuò ſoluitur & deficit. Et monachus ſimiliter ex muliere eſt: Itaque ſi appropinquat mulieri, ſoluitur & ipſe, atque in id deſinit vbi iam monachus non ſit.

In concionibus non teipſum, ſed Chriſtum & hunc crucifixum prædica, quia duriſſimum iudicium in vanos & loquaces prædicatores fiet. Teipſum prædicas, ſi laudes hominum aucupes, ſi honores & dignitates, & populi plauſus exquiras. Si vana & profana prædices, ſi peccata non arguas, & quæ tacenda eſſent, qualia ſunt curioſa & ad vtilitatem animarum non pertinentia, dicas, & quæ dicenda eſſent

E qualia ſunt, quæ cor compungunt & mouent, ſileas:

Ber. in Cant. ſerm. 41. Si ambitione tactus es, audi Bernardum eos ſeueriſſimè increpantem, qui ex verbo prædicationis laudes humanas venantur. Væ, inquit, qui bene de Deo & ſentire, & loqui acceperunt, ſi quæſtum æſtiment pietatem, ſi conuertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperant erogandum, ſi alta ſapientes, humilibus non conſentiant. Paueant, quod in propheta legitur, dicente

A Domino: Dedi eis aurũ meum, & argentum meum: ipſi autem de auro & argento meo operati ſunt Baal.

Si vana & profana prædices, ſimilis eris illis, de quibus in libro Eſdræ ſcriptum eſt: Sed & in diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas. Et filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & neſciebant loqui Iudaicè, & loquebantur iuxta linguam populi, & populi.] Ducis Azotidam, vel Ammonitidam, vel Moabitidam, cùm fabulis, & poëtis, & ſimilibus ſtudes. Filij tui, id eſt, ſermones tui, partim loquuntur Azoticè, partim Iudaicè, cùm nunc diuina nunc profana reſonant, ita vt in vna eademque concione nunc concionator, nunc ſæcularis orator, nunc vir ſpiritualis, nunc puer in claſſe Rhetoricæ declamans vi- *2. Eſdr. 13. n. 23. 24.*

B dearis. [Et obiurgaui eos, inquit, & maledixi, & cecîdi ex eis viros, & calcaui eos.] digni ſunt hac pœna, *n. 25.*

qui diuinis profana miſcent, & verbum Dei adulterare non timent. Vnde datur intelligi, inquit Proſper, Quòd non ſe debeat Eccleſiæ doctor de accurati ſermonis oſtentatione iactare, ne videatur Eccleſiam Dei non velle ædificare, ſed magis ſe quantæ ſit eruditionis oſtendere. Non igitur in verborum ſplendore, ſed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat; non vocibus delectetur populi acclamantis ſibi, ſed fletibus; nec plauſum à populo ſtudeat expectare, ſed gemitum.] *Proſp. de vit. contemp. ca. 23. lib. 1.*

Si denique peccata non arguas, & quæ dicenda eſſent, ſileas: non tacebit Dominus, ſed arguet te, per Ezechielem, dicens: Væ, quæ conſuunt puluil- *Ezec. 13. 18.*

C los ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas populi mei: & cùm caperent animæ populi mei, viuificabant animas eorum.] Non dicit qui, ſed quæ, eos denotans, qui nihil virile habent in ſermone, ſed more fœminarum mollia & delicata loquuntur. Hi conſuunt puluillos & ponunt ceruicalia ſub cubitis & capitibus auditorum ſuorum, cùm eis non quod proſit, non quod medeatur; ſed quod delectet, proponunt; & ita res diuinas annunciant, ac ſi eſſent ſalutis authores, & ac ſi pro voluntate ſua poſſent animas perdere, vel ſaluare. In te igitur quadrat hoc Væ, quia ita ſacrã Scripturam, & ſanctorum Patrum dicta vſurpas, vt eis robur ſuum auferas, & culpa tua nec mala deſtruas, nec bona

D in cordibus auditorum ædifices, ſed magis dicendo Pax Pax, cùm non ſit pax, eos in deceptionẽ abducis.

Chriſtum autem prædicas, cùm ad prædicationis munus non ſola lectione, ſed attenta meditatione & oratione te paras, cùm filios ſpirituales fletu & lacrymis generas, cùm non tuum honorem, ſed Dei gloriam quæris, cùm peccata increpas, cùm virtutes doces, cùm ad bonum exhortaris, cùm à malo retrahis, cùm in omnibus te tractatorem Euangelij inconfuſibilem exhibes. Chriſtum prædicas, ſi ea habeas, quæ Gregorius à prædicatore veritatis exigit, quem profectò ſic pulchre deſcribit: Sanctæ vniuerſalis Eccleſiæ ſpiritualis quiſque prædicator, in cunctis quæ dicit, ſolerti cura ſe inſpicit, ne in eo, quòd recta prædicat, vitio ſe elationis extollat, ne vi- *Greg. 23. mor. ca. 1.*

E ta à lingua diſcordet: ne pacem, quam in Eccleſia annunciat, in ſe ipſo, dum benedicit, & malè viuit, amittat. Sed ſtudet ſummopere contra maledicos mores aduerſantium, & defendere loquendo, quod viuit, & ornare viuendo, quod dicit. Nec in his omnibus ſuam, ſed authoris gloriam quærit; atque omnem ſapientiæ gratiam, quam, vt loqueretur, accepit, non ſuis ſe æſtimat meritis ſed eorũ interceſſionibus pro quibus loquitur, accepiſſe. Sicque dum ſe infra deiicit, ſuper eſt: quia ſuæ nimirum magis

mercedi

mercedi proficit, eò quòd bona, quæ exercere præualet, alienis meritis reddit. Indignum ſe omoibus iudicar, etiam cùm indigniùs cuoctis viuat. Scit eoim quòd booa, quæ innoteſcunt bominibus, ſine periculo eſſe vix poſſuor. Er quamuis ſapientem ſe eſſe ſentiat, vellet tamen eſſe ſapiens, oon videri, atque hoc ſibi omoi modo, quod loquendo proditur, pertimeſcit, & ſi liceat tacete, appetit, dum eſſe mulris tatius ſilentium cetnit; eóſque ſe fœliciores putat, quos intra ſanctam Eccleſiam locus ioferior pet ſileotium occultat: & tamco vt ſanctam Eccleſiam defeodat, quia ad lòquendum vi chatitatis impellitur, ex oeceſſitate quidem officium locutionis ſuſcipit. Sed ex magno deſiderio otium taciturnitatis quætit, hoe ſeruat voto, illud exetcer mioiſterio.] B Hæc ille. Magnum igitur Dei donum eſt, quempiaro ad ſaluaodas animas vocatum eſſe. Ingeos verò malum eſt tauto dono abuti, & munus tanti momenti, aut negligentet, aot ioalè, aut ex præpoſtero fine tractare. Si hæc quæ dicta ſunt, obſetuaueris, nam alia in poſtremam huius operis partem reſeruamus, tuo muneri ſatisfacies, & innumeris virtutum actionibus cumulaberis.

De Diligentia in obſequiis aliorum fratrum.

CAPVT XIII.

NON omnes ad miniſteria ſpiritualia vocati ſuot, ſed aliqui ad obſequia temporalia in religiooem adducti. Hos ſupetiùs ſatis inſtruximus, cùm de vita actiua ſcriberemus; nunc illis pauca, ſed admodum neceſſaria dicamus. Tu ergo ad ſortem Marthæ vocatus es, vocationem tuam tanquam à Deo profectam, tanquam ſecuriotem, & fortè aptiorem ad perfectionem conſequendam diligito. Non dubites te ad banc ſorteoi ab ipſo Deo fuiſſe vocatum, qui cùm velit corpus religionis perfectum facere, quoſdam ad hæc miniſteria ſpiritualia, quoſdam ad illa temporalia vocar, vr tanquam ex variis & neceſſariis membris vnum integrum corpus cooſtituat. Nec etiam dubites te ſecutiſſimam vitæ ratiooem ſectari, quæ eo ipſo, quòd humilior, eo ſecuriot eſt, minùs periculis cadendi ſubiecta, minùs inanis gloriæ veotis expoſita. Nec D tandem ambigas, quia vitam habes ad aſſequendam perfectionem aptiſſimam; cuius inſtrumenta cùm magis ſint affectus volũtatis quàm intellectus actiooes, ille magis ad perfectiooem diſponitur, qui liberiori & atdeotiori voluntatis affectu in Deum ordinatut. Voluntas autem in religioſis laicis ex ratione ſtatus liberior eſt ad amandum, quam ſubtilitatis intellectus non diſtrahit, & cura rerum magni momẽti annexa Eccleſiaſticis miniſteriis, nec à iugi Chriſti meditatiooe, nec amore diuellit. Obſequia igitur tẽporalia tibi demandata, deuotè, aoiicabiliter, & diligenter exequere: deuotè exequeris, ſi te in huiuſmodi ſeruitiis ipſi Chriſto Saluatori tuo, cuius mẽbra viua foues, famulari conſideres. Nonne vox eius eſt? Amen dico vobis, quandiu feciſtis vni ex his fratribus E meis minimis, mihi feciſtis.] Si tu minimis & humilibus propter Chriſtum obſequeris, non dubium eſt, quio ipſi ad tuum magnum meritum obſequaris. Amicabiliter ſetuies, ſi religioſos eſſe fratres tuos, & ſummi Dei dilectiſſimos filios meditetis. Iucunda eſt corporalis fraternitas, ſed ſpiritualis multò iucũdior; quæ ſi tuo animo inſederit, téqoe non aliorum ſeruum, ſed fratrem (ſicut re vera es) eſſe perſuaſeris, facile tibi erit ipſorum iucunditati conſulere, & in omnibus irreprehenſibiliter & ſuauiter miniſtrare, Tan-

Tom. 1. lib. 1 p. 3.

Matth. 25. 40.

A dem diligẽter famulaberis ſi præmium tibi paratum aſpicias. Nam principum huius mũdi famuli eo maiori diligentia & ſolicitudine famulãtur, quo maiori mercede ſunt cumulandi. Tu verò non mercedem temporalem, ſed æternam; noo aurum aut argentum, ſed Dei ipſius conſpectum & poſſeſſionem expectas. Abſurdum autem erit tam eximium præmiũ ob opera negligenter facta depoſcere, & propter obſequia ex animo triſti, & iracundo, & querulo oblata ſanctorum mercedem expectare. Chriſti munus, ô frater, tibi demandatom eſt, qui de ſe dixit: Ego in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat, & filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.] Noo debes autem dedignari ſeruire fratribus, quorum Dominus omnium ſe miniſtrum vocat, oec eius B munus negligenter obire. Huius meditationis virtute tactus Sanctus Hermãnus, alio oomioe Ioſeph dictus, taota celeritate & voluntate fratribus ſeruiebat, ac ſi rem honorificentiſſimam actione præſtaret, de quo hæc ſcripta ſunt: Tanti ergo Domini ſeruientis ſeruis ſuis formam ſe gerere humilis frater noſter ſeruieos fratribus ſuis ſemper in corde gerebat, vnde tanta ſe ſentit alacritate affici, vt quotieſcumqoe tale fratribus miniſterium exhiberet, non ſe ire, aut currere, ſed potiùs volitare putaret, animi alacritate in corpus ſe effundente.] Hæc author vitæ eius: qoi & ſtatim ſic in fratres ſuperbè vel negligeoter ſeruientes inuehitur. Magna diſtantia beati fratris huius à pleriſque fratribus, qui vel ſuperbia tumidi, vel acedia preſſi, nec ſpirituali eriguntur lætitia, nec humi- C litate inclinantur, vt Deo mioiſtrent in fratribus, & fratribus propter Deum. Diſcant hoc exemplo non ſolùm ſine murmure, verùm etiam humiliter & alacriter fratribus inſeruire, diſcant glorificare Deum & Domioum Ieſum, cuius miniſtrantis formam corpore & animo repræſentant. Hæc igitur ſit forma obſequij tui, Chriſtus Ieſus pro te, pro omoibúſque miniſtrans: hoc exemplar laborum tuorum, vt quietus in tua vocatione viuas, & perfectè munus tuum expleas, & vt ex labore ad requiem, ex obſeqoio ad regnum, & ex humilitate ad gloriam peruenias.

Luca 22. 27. Matth. 20. 28.

Sur in vita eius, c. 7.

De conſcientiæ examine ante prandium.

D

CAPVT XIV.

A Primo ſigno vſque ad ſecundum, quo ad conſuetam refectionem pulſatur, quadrans horæ elabitur ex conſuetudine, in quo, (vt ſuprà ex Bonauentura didicimus) conſcientiæ examini vacandom eſt. Huius verò examinis tum neceſſitatem, tum vtilitates multiplices, ac tandem illud faciendi rationem exponemus paulò pòſt, cùm de examine ante cubitum faciendo ſcribemus. Vtriuſque enim eadem omnino ratio eſt, aut potiùs vnum atque idem examen eſt, bis in die ad maiorem conſcientiæ E puritatem acquirendam repetitum. Nam ſicut linteum eo mundius eſt, quo frequentiùs eluitur: ſic conſcientia eo purior eſt, quo frequentiùs examinatione mundatur: eſt tamen magnum lintei conſcientiæque diſcrimen: linteolum namque quo magis lauatur, magis deteritur: at conſcientia qoo frequentiùs & meliùs aqua examinis compunctionisque mundatur, eò recentior & robuſtior efficitur. Meritò ergo ait prædictus Doctor: Sæpiſſime diſcute teipſũ, & conſidera ſtatum mentis, & corporis, quid deſit, quid proficiat, quid impediat profectũ, & quomodo

Bonauẽt. in regim. nouit. c. 5

Bonauent. de in form. nouit. p. 2. c. 13.

illi

illi obuietur, declinando, vel reſiſtendo, aut regendo, aut tolerando.]

Ne tamen alicui moleſta videatur tam crebra examinum repetitio, addam ſententiæ huius ſancti Doctoris, aliorum Patrum documenta de hac eadem re ab ipſis prolata, vt hanc repetitionem examinum ſemel ex profeſſo ſummè neceſſariam ſciamus, & autem ad id, quod infrà ſumus de examine nocturno dicturi, vtcumque paremus. Dorotheus rerum ſpiritualium magiſter peritiſſimus ſic ait: Docuerunt enim ſæpe nos maiores noſtri, quo pacto purgemus nos ipſos per ſingulos dies, vt ſcilicet ad veſperam perſcrutemur nobiſcum, quomodo tranſactam diem exegerimus, & rurſum manè quomodo noctem: & ſic pœnitentiam agamus apud Deum, vt par eſt, in quo peccaſſe nos deprehenderimus. Sanè cùm admodum delinquamus, peccemúſque, obliuiſcamúrque delicta & peccata noſtra: opus eſſet nobis in horas cura diligenti, & examinatione, quo pacto ſcilicet ambulemus id momenti & temporis, & in quo deliquiſſemus. Deberétque vnuſquiſque noſtrûm à ſeipſo tanquam iudex rationem cuiuſlibet facti extorquere, & dicere: Vt, quid loquutus ſum infœlix, quæ fratrem meum morderent & carperent? Vt quid fratrem aliquid facientem iudicaui? Vt quid Deum contempſi? Vt quid murmuraui, & obloquutus de ipſo ſum? Cur coquum increpaui? Cur pudore illum affeci? Cur ego imprudentiſſimus in meipſo obmurmuraui, quòd cibaria non bene decoxiſſet, artificioſè curaſſet? Dixit mihi ceremoniarium princeps, vel quiuis alius fratrum veſtium, nec ferre potui, aut ſtatim aduersùs illum loquutus ſum verbum. Sic per ſingulos dies agendum nobis eſſet, diſcutiendum & cognoſcendum, quo pacto ambulemus. Debet item quis à ſe exigere, vt noctem tranſierit, ſi videlicet & cum diligentia, & promptitudine ad vigilias ſurrexerit, ſi neglexit reſpondere excubitori, ſi contra ipſum in aliquo obmurmurauit.

Doroth. doct. 11.

Et Dionyſius Richelius monachum inſtruens, ſic ait: Manè inquirat, quemadmodum nocturnum tempus exegerit, qua alacritate diuina perſoluerit: & item qualiter inſtantem diem fructuosè decurrat, ſapienter inſtituat. Denique veſpere contuendum, quomodo dies ipſe defluxit, quid agendorum omiſſum, quid etiam omittendorum commiſſum, quid profecerit, quantumcumque proficere potuerit, ſed neglexit: atque aduenienti ſe nocti præparet. Hoc vtique modo Arſenium vixiſſe agnouimus. Et ſcimus, quia ſi quis ita ſe inſtituens ordinet, ibit continuò de virtute in virtutem, videbítque inſuper Deum Deorum in Sion.

Dion. Richel. li. 1. de vita solit. art. 24.

Bernardus tandem, ſi verba eius aptè conſiderentur, rem hanc vehementiùs exaggerat: ſic enim ſcribit: Scrutemur (iuxta Prophetam) vias noſtras,] & ſtudia noſtra, & in eo ſe quiſque iudicet profeciſſe, non cùm inuenerit quod reprehédat, ſed, cùm quod non inuenerit, reprehendet. Tunc te non fruſtra ſcrutatus es, ſi rurſum opus eſſe ſcrutinio aduertiſti, & toties non te feſellit inquiſitio tua, quoties iterandam putaueris.] Ita igitur & nos cum iſtis Patribus ſentiamus, & conſcientiæ examen manè & veſperi non moleſtum, ſed gratum, non ſuperfluum, ſed omnino neceſſarium putemus.

Bern. ser. 58. in Cant. Trenor. c. 3. 40.

At examinis meridiani (de quo nunc loquimur) acerrimus hoſtis eſt externa occupatio, quæ in illam horam, in qua ſæculares nos adeunt, ſolet incidere. Tu, ne vtilitate huius examinis careas, & præſtantiſſimam exercitationem ſpiritualem prætermittas, occupationem non neceſſariam, aut quæ in aliud tempus differri poſſit, tunc incidentem conſtanter abſcinde: neceſſariam verò, & à qua declinare non poſſis, ita ſuſcipito, vt apud te ſtatuas examen illud non omittere, ſed proxima hora, aut cùm primùm potueris, actitare.

De comeſtione, ſiue prandio.

CAPVT XV.

REFECTIONIS hora (viros ſpirituales alloquor) non paucis, nec leuibus periculis circumuallata eſt, in qua ſolemus cibi voluptate trahi, minùs recta intentione delinquere, ventrem alimentis non neceſſariis onerare, & eo ipſo mentem obtundere. Quare hoc opus ſi quod aliud, magna circumſpectione eget, ne dum corpus ad animæ ſalutem reficimus, animæ decorem & honeſtatem amittamus. Colligam ergo breuiter quæ de hac re viri ſpirituales tradunt, vt tu ea ſedulò attentéque cuſtodiens, ita neceſſitati corporis ſatisfacias, vt ſimul animæ virtutes ac merita promoueas. Dato ſigno, ſtatim nulla interiecta mora ab examine ſurgas, & decenter ac ſine feſtinatione ad triclinium commune procedas. Nunquam enim ſano exiſtenti, & abſque manifeſta neceſſitate ſoli, & extra commune refectorium, tibi comedendum eſt: ſed pars ſanctæ congregationis effectus, non ſegregatus ab aliis, ac ſi tui iuris eſſes, ſed ſimul cum illis, tibi appoſitis cibis vtaris. Semper, inquit Thomas à Campis, ad commune refectorium vadas, quia ibi maior animæ fructus, & purior inde conſcientia cum gratiarum actione prandio facto reſurges. Ibi cum debita menſura, cum maiori diſciplina neceſſitas ſumitur naturæ, & ſuperflua reſecantur. Ibi ſuſurria nullatenus audiuntur, ſed verbum Dei ſine murmure, cum ſilentio pertractatur. Qui autem in priuato libenter comedunt, neceſſitate non cogente, aut diſciplinam fugiunt, aut gula vincuntur.]

Thom. à Camp. li. 1. de diſcipl. clauſt. c. 6.

Dum igitur ad triclinium vadis, cogita an ſis conſueta refectione dignus, an aptus cum ſanctis ad menſam accumbere, qui tot defectus & culpas in examine cognitas admiſiſti, qui tam tepidè & negligenter vixiſti, qui in tot rebus à perfectionis itinere deuiaſti. Intentionem tuam ad Deum dirige, & conſtitue apud teipſum: quia non ad voluptatem, ſed ad neceſſitatem, & vt voluntati Domini te ſubdas, qui voluit homines alimenti indigos facere, & pro eius amore, ac vt vires ad curandam perfectionem habeas, vtque proximis ſeruire poſſis, debes panem & alia apponenda manducare. Ac de hoc aliquam breuem precationem interiùs fundes, qua à Domino gratiam poſtules, vt hac rectiſſima & ſinceriſſima intentione manduces. Sicque illud Pauli mandatum implebis: Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.] Vnde Auguſtinus: Si quod manducas & bibis, ad refectionem corporis ſumis, reparationémque membrorum, gratias agens ei qui tibi præbuit mortali & fragili iſta ſupplementorum ſolatia; & cibus tuus & potus tuus laudat Deum.] Quòd ſi Deum laudat manducatio tua, in laudem ac gloriam Dei manifeſtè recidit.

1. Cor. 10. 30.

Aug. ad Pſal. 46.

Poſtquam ad locum refectioni paratum veneris, ſta in loco tuo, non indecenter inclinatus, non menſæ, aut parieti adhærens, non ingredietes, aut venientes circumſpiciens, ſed demiſſis in terram luminibus, conſuetam benedictionem expectans. Attentè, deuotè, & clara voce aut menſam benedices, ſi tibi incumbat,

cumbat, aut benedicenti respondebis, & nihil quod à te sit dicendum, omittes. Hanc enim fuisse fidelium consuetudinem ab initio naſcentis Eccleſiæ (vt nunc tempora antiquiora taceam) vt menſa & cibi edendi benedicerentur, conſtat ex illa ſententia Philonis, vitam Chriſtianorum deſcribentis: Priuſquam diſcumbant, inquit, ſtantes vna ſerie decori, ſublatiſq; in cœlum manibus, atque oculis; his, quoniam didicerunt cœleſtia; illis, vtpote incorruptis à muneribus, & à quæſtu illicito, precantur vt placeat Deo id conuiuium.] Conſuetudo autem tam antiqua non ſolùm omittenda non eſt (quis enim eam omittat?) ſed magna deuotione, ac mentis feruore continuanda. Finita benedictione, ſedebis in loco tibi conſtituto, & inter comedendum, hæc quæ ſubiiciemus, ſeruabis.

Philo de vit. contemp.

A

Antequam incipias, ea quæ apponuntur, gratis & veluti in eleemoſynam tibi dari cognoſce, & breuiter pro benefactoribus, ac pro his, qui tibi miniſtrant, precare. Oculos modeſtè demiſſos habeas, & nullum, neque etiam à latere, ſtantem aſpicias, niſi fortè, vt, an aliquid ei deſit, aduertas. Chriſtum præſentem habe, & coram illo comede, & ad ſacram lectionem intonantem attende. Sic namque ait Bernardus, cùm comedis, non totus comedas, ſed attendas lectioni, ſi fuerit vbi legatur; ſi verò non legitur, ibidem cogita de Deo, vt vterque homo ſit propria refectione refectus.] Nihil ibi omnino loquaris, & ſi quid alteri petendum ſit (nam pro te nihil poſtulabis) non tam verbo quàm ſigno pateſacias.

B

Bern.

Ex pane, quem coram te appoſitum inuenies, fragmentum primum comedes, & donec illud abſumpſeris, integrum panem ne quidem attinges. Si duo panes coram te ſint, nunquam, vt Bonauentura ait, eligas meliorem, ſi ſanus fueris, ſed duriori aut deteriori te paſcas, vt & in aliquo abneges te, & bono exemplo aſtãtes non fraudes. Cogere ad manducandum ex his, quæ omnibus in commune apponuntur, licèt minùs ſuauia, aut minùs ſalubria tibi videantur, nec cibos ſingulares affectes, & multo minùs tibi dari poſtules. In omnibus, ſed in his præcipuè, noxia eſt ſingularitas, quæ facilè in exemplum trahitur, & religioſa diſciplina paulatim ab imperfectis eneruatur. Nihil tibi appoſitum ſpernas, ſed grato animo ſuſcipe, non indigneris, & multò minùs conqueraris, ſi quidpiam malè paratum ſit, aut ſi aliquid tibi deſit. Puerorum, & viliſſimorum hominum eſt, de cibis conqueri, & de eorum mala præparatione certare. Reputa te indignum beneficiis Dei, & ſat ſcio, quia nunquam de minimis defectibus triſtaberis. Cogita etiam quòd multo meliores te (vt idem ſanctus doctor ait) vilioribus & paucioribus cibis ſunt contenti, qui illud quod abiicis, pro magnis deliciis reputarent. Nunquam totum, quod tibi appoſitum eſt, comedas, ſed aliquid Chriſto relinquas. Reges enim ſemper habent quod comedant, & quod ſeruis dimittant. Et tu ſi Deo ſeruias, rex es, quia ſeruire Deo regnare eſt: quare debes hunc ſanctum honorem habere, vt minus, quàm ſit id quod offertur, tibi ſufficiat. Ne deteriora, ſed meliora Chriſto relinquas; ne ab eo reprobentur, ſicut munus Cain reiectum eſt, quia non de melioribus frugibus oblatum eſt. Ciborum ſuauitates, & eſculentorum condimenta non quæras, appoſita diſſimulanter prætereas, & ſecularibus ventrique indulgentibus relinquas.

C

Bonau. reg. nouit. c. 5.

D

E

Gen. 4. 5.

His omnibus ritè ſeruatis, cùm ex menſa ſurrexeris, ex toto corde tuo gratias Deo age, qui te indignum, tam abundanter & benignè refecit. Pulchre enim dixit Ambroſius: Vtique, tu Chriſtiane, ſi es vtilis, meminiſſe debes, cuius panem comedis, & ei laudem dicere. Dic mihi, num, ſi aliquid de tuo cuicumque largiris, expectas, vt tibi gratias agat, vt benedicat domino, de qua ei humanitas ſit tributa? qui ſi fortè gratias non agit, quem ad modum à te denotatur ingratus? Ita ergo & à nobis expectat, qui nos paſcit Deus, vt pro præſtitis ab eo eſcis, illi gratias referamus, & ſaturati donis ipſius, laudes ei dicamus. Hæc enim beneficiorum eſt retributio diuinorum, vt cùm refecti fuerimus, bene nos confiteamur acceptos. Cæterùm ſi accipientes diuina munera, taciti & immemores fuerimus: tanquam ingrati & indigni eorum ſubminiſtratione fraudabimur, vt Deum quem beneficiis non cognouimus, malis ingruentibus requiramus, & aduerſis ſtimulemur ad rogandum, qui proſperis gratias non egimus ad fruendum.] Hic ille. Ac tandem ad vniuerſa hæc meminiſſe iuuabit illius piæ cõſiderationis, quam Thomas à Campis in hunc modum ſcribit: In menſa recordare Dominicæ cœnæ, quid Chriſtus Dominus egerit & dixerit diſcipulis ſuis. Sit prælatus tuus in medio fratrum tuorum, tanquam verus vicarius Chriſti, reliqui fratres conueſcentes ſicut veri Apoſtoli ſancti. Ordo quippe tuæ profeſſionis ex Apoſtolica vita ſumpſit exordium.] Si hac conſideratione occupati menſæ accubuerimus, facile erit prædicta omnia ſeruare, & religioſorum more non ad luxum ſed ad neceſſitatem, & ad diuinam voluntatem explendam, indigentiæ corporis prouidere.

Amb. ser 42.

A

B

Thom. à Camp. li. 2. de disc. claust. c. 6.

C

De Admittenda aliqua remiſſione poſt prandium.

CAPVT XVI.

OPVSCVLA iſta nõ pro fratribus tantùm, noſtri inſtituti cultoribus, ſed pro omnibus religioſis ſcribimus, & ideo ſtylum, vt omnibus congruat, temperamus. Quod hoc loco dicendum eſt, vt res minima, in qua nonnihil, licèt non fine, tamen medio ab aliis diſſentimus, ita tractetur, vt tam ſocietatis noſtræ viris, quàm aliis religioſis apta documenta tradantur. Poſt confectam ergo corporis refectionem, ſtatim ad cellam vel oratorium ite, vbi talis conſuetudo viget, & vtilibus rebus intendere laudabile eſt. Quis enim neget hoc bonum eſſe, vt refecto corpore religioſus ſilentium teneat, & ad commodum locum, vt ſibi & Deo vacet, ſe recipiat? Ad quod hortatur Thomas à Campis præſentiſſimus religioſorum magiſter in hunc modum:

D

Thom. à Camp. li. 2. de disc. claust. c.

Prandio facto, ori tuo frænum impone, quia tunc promptior eſt homo ad loquendum, & ridendum. Memor ſis pauperis Lazari, ab Angelis in ſinum Abrahæ deportati, quia hic in egeſtate magna, & doloribus vixit. Diues autem diuitiis & ſcurrilitatibus vacans, ſepultus eſt in inferno, nunquam inde exiturus. Diſce formam vitámque Ieſu in omni humilitate & ſimplicitate cordis imitari. Tolle quotidie crucem tuam vincendo tuos defectus, ac tentationibus viriliter reſiſtendo. Nam corpore refecto caro plus tentat, ideo laboribus & ſtudiis eſt refrænanda diuinis.

E

Ex his conſtat, quare ſanctarum religionum fundatores poſt corporis refectionem ſilentium cuſtodiendum eſſe cenſuerint, ne videlicet, roborato corpore appetitus inſoleſcat, & ſpiritus diſtractione at-

tenuarus deficiat: ne etiam dum linguam ſoluimus,
vanis ſennonibus effluamus. Sedit populus mandu- *Exod. 32. 6.*
care & bibere, & ſurrexerunt ludere:] non quidem
ludum bonum,& tolerabilem,ſed illum,quo & Deu
iniuriam,& ſibi excidium attulerũt. Ita multi,ſi poſt
cibum & potum linguam laxent, & animi remiſſio-
nem excipiant,ſolent incaotè non parum offendere,
& diſtractionibus cordis immergi. Et optimè dixit
Gregorius: Pene ſemper epulas loquacitas ſequitur. *Greg 1. moral. c. 5.*
Cúmque venter reficitur, lingua defrænatur. Poſt
prandium ergo diſcedere, & aliorum declinare con-
ſpectum,& taciturnitatis fune cõſtringi, bonum eſt.

At quòd religioſi bini,vel terni, vel quaterni poſt
prandium in cellam alicuius,vel ad angulos domus,
vel ad hortum abeant,& ſeorſum ab aliis colloquan-
tur, & remiſſionem aſſumant,periculoſum eſt. Præ-
ſertim ſi adoleſcentiores ſint, quibus pro ratione
ætatis non admodum eſt fidendum. Hi namque ex
cibo ad lætitiam laxati,& ſine teſte, quem reuerean-
tur, ſermocinationibus occupati, quid mirum ſi ex-
cedant, & quod toto manè ſanctis operibus lucrati
ſunt,per contentionem, aut detractionem, aut ine-
ptam confabulationem amittant? Eſt etiam hæc ſe-
ceſſio ſingularitatis indicium, dum, qui ita in vnum
ad fabellas coeunt, ſe amicitiam habere particula-
rem oſtendunt. Quam Baſilius à cœtibus religioſis, *Baſil. conſt. mona. c. 30.*
vt infeſtiſſimam peſtem his verbis excludit: Ac cha-
ritatem quidem habere inter ſe mutuam fratres de-
bent, non ita tamen vt duo tréſve ſeorſim à cæteris
ſodalitatem inter ſe coeant. Quandoquidem hoc
non charitas eſt, ſed ſeditio, & diuiſio, & eorum,
qui ſic coeunt, improbitatis indicium: Si enim com-
munis decus diſciplinæ charum haberent, qui tales
ſunt,ſine dubio communem æqualémque aduersùs
omnes charitatem tenerent. Si verò ipſi à reliquis ſua
ſponte abſciſſi diſiunctique in cœtu cœtum efficiant,
vitioſa huiuſmodi amicitiæ conciliatio eſt, & diuer-
ſam quandam à communibus inſtitutis rem eſſe
oportet, quæ hos inter ipſos concilier. atque hoc
profectò nihil eſt aliud, quàm contra veterem diſci-
plinæ ſtabilitatem conſtantiámque innouatio.] Ni-
hil profectò aliud addendum eſt, vt hos priuatos
conuenticulos excludamus, cùm ſanctiſſimi huius
doctoris ſententia ſint ſufficienter reprobati.

Quia ergo difficile eſt tantam religioſorum mul-
titudinem continere,& poſt ſumptum cibum ad cel-
las mittere, ad ſilentium adigere, & hos ſingulares
conuentus paucorũ ablegare; ideo Beatus pater no-
ſter Ignatius ſapienter inſtituit, vt poſt conſuetas cor-
porum refectiones, omnes ſimul in locum publicũ,
à quo non ſit abſens Prælatus, nos conferamus; & in
eo ſublatis incommodis, quæ ex ſeceſſiónibus ali-
quorum priuatis oriri ſolent, quietem aliquam, ac re-
miſſionem capiamus. Tempus enim illud, quod ſum-
ptionem cibi ſubſequitur, ad ſerias occupationes eſt
ineptiſſimum: quare meritò remiſſioni aliquantulæ
(quam nullus negabit in vita laborioſa eſſe neceſſa-
riam) concedendum fuit, & ex eo ſimul non parum
commodi, ad promouendam ſpiritualem vitam eli-
ciendum. Dum curas enim & labores parum remit-
timus, alacriores & robuſtiores ad eoſdem labores,
eaſdémque curas reſumendas, euadimus. Augetur
etiam hac mutua colloquutione fraterna charitas,&
ſanctus in Chriſto amor; qui ſicut & mutuis benefi-
ciis, ita & amicabili conuerſatione prouehitur. Eri-
gunt deinde ſeſe ad res cœleſtes deſideria, quia cùm
res ſpirituales illis colloquiis ſæpe tractentur, non
poſſunt non mentes noſtras earundem rerum amo-
re ſuccendere. Nec timendum eſt (mea quidem ſen-
tentia) quòd poſt cibum & potum ſurgamus ludere,

A qui non immoderatis compotationibus ac conui-
uiis inſtitimus,ſed ſobriam ſatis, ac religioſam refe-
ctionem vitæ neceſſariam corporibus noſtris conceſ-
ſimus. Et,ſi aliquis eſſet ita procax, vt aliquid minùs
religioſum præſumeret,adeſt Moſes,id eſt, Prælatus,
vel qui vicem eius gerit, qui immodeſtum arguat,
eiuſque inuerecundiam compeſcat. Cùm itaque iſta
remiſſionis hora prædictas vtilitates afferat, & in-
commoda ex priuatis ſeceſſionibus emergentia præ-
ſcindat, meritò à ſanctis illis Patribus eremi cultori-
bus,qui vitæ rationem aſperrimam ſectabantur, ad-
miſſa eſt. Quod ex Hieronymo ita ſcribente perſpi- *Hier. ep. 22. ad Euthym.*
cuum eſt: Poſt hæc concilium ſoluitur, & vnaquæ-
que decuria cum ſuo parente pergit ad menſam,
B quibus per ſingulas hebdomadas viciſſim miniſtrant.
Nullus in cibo ſtrepitus eſt, nemo comedens loqui-
tur, viuitur pane, leguminibus, & oleribus, quæ ſale
ſolo condiuntur. Vinum tantùm ſenes accipiunt,
quibus & paruulis ſæpe fit prandium, vt aliorum feſ-
ſa ſuſtentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens.
De hinc conſurgunt pariter,& hymno dicto ad præ-
ſepia redeunt, ibi vſque ad veſperam cum ſuis vnuſ-
quiſque loquitur, & dicit: Vidiſtis illum & illum?
Quanta in ipſo ſit gratia? Quantum ſilentiũ? Quàm
moderatus inceſſus? Si infirmum viderint, conſolan-
tur. Si in Dei amore feruentem, cohortantur ad ſtu-
dium.] Hæc ille. Seruant & nunc ex parte Carthu-
ſienſes hanc conſuetudinem, dum in diebus feſtis ad
cœnobiticam vitam magis quàm ad anachoreticam
C declinant, vt clarè indicat Dionyſius Richelius, de *Dionyſius laude de vit. ſolit. art. 2.*
laude vitæ ſolitariæ, ſcribens illis verbis: Diebus feſti-
uis poſt ſumptum in refectorio cibum, tenetur eis
capitulum, & habent poſt nonam ad veſperas vſque
colloquium.] Sed licèt nullus ſuſſet in Eccleſia hu-
ius rei vſus, nos longa experientia docti ſumus, hanc
remiſſionis horam multum commodi ad pacem, &
charitatem,& ad perferendos vitæ ſpiritualis labores,
habere, & magnas incommoditates ex priuatis col-
loquiis emergentes impedire.

Tu itaque, frater, qui hoc noſtrum inſtitutum ſe-
queris, ne leges in hac remiſſione ſeruandas, à Patri-
bus noſtris cuſtoditas, obliniſcaris. Facta poſt mẽſam
debita gratiarum actione, manibúſque ſine vlla fra-
ctione ſilentij lotis, tacens,& te Domino offerens, ac
rectam pro ſequenti opere intentionem concipiens,
D ad locum deſtinatum ibis. Atque in hoc ſenſu illam
Pachomij iuſſionem intelliges: Si egreſſus fueris à *Pachomius in reg. 14.*
cibo, ne loquaris in redeundo, donec ad locũ tuum
perueneris. Ibi modeſtè ſedebis, non in aſtantes re-
clinatus, ſed rectus, non parieti affixus ſcapulis, ſed tã-
tillum ſeparatus, vt aliquid mortificationis ſentias,
aut certè ſi corporis imbecillitas non ferat, decenter
applicitus; ſedebis autem non ſocium quærens, quo-
cum libentiùs loqueris, ſed iuxta illum ſiue ſenẽ, ſiue
iuuenem, ſiue literatum, aut laicum, quẽ ſors ingre-
dientium,& priùs ſedentium obtulerit. Si ſocius è la-
tere ſtans ſenior ſit, aut dignitate maior, aut eum lo-
qui incipientem expecta, aut tacentem, vt minor, in-
terroga. Si æqualis ſit, aut minor, poteris tu ſine im-
modeſtiæ nota colloquium inchoare.

E Memineris quædam in hac remiſſione eſſe omni-
no reticenda, quædã verò dicenda. Reticenda ſunt,
quæ ſtatui religioſo minimè congruunt, nec Dei
aſtantis præſentiæ conueniunt. De nulla igitur re, aut
perſona detrahes, neminem verbo punges, de nulla
re cum alio contendes, rumores & nouitates ædifi-
cationem non afferentes, nequaquam narrabis, non
indecenter ridebis, non, vociferando verba facies,&
breuiter vniuerſos linguæ defectus abſcindes. Di
cenda verò ſunt, quæ minimè ſpiritum lædant,& ali

quantulum naturæ noſtræ recreationi proficiant. Nimis ergo ſeria & grauia tunc omittenda ſunt, aut ſi aliquid ſerium ſe offerat (quod non ſemel ſe offert) amicabiliter iucundéque tractandum. Aliquid ex lectione menſæ, quod magis arriſit, commemorabis, exemplum ædificationis vel antiquum vel modernum in narrationem adduces, aliquis Scripturæ locus quomodo ſit vernacula lingua vertendus, diſputabis, virtutes nunc viuentium, vel Prælatorum, vel ſeniorum, ſi ipſi non audiant, laudabis, & quàm ſint dignæ imitatione, propones, aliquid etiam interdum indifferens in colloquium admittes, atque omnia illa huic tempori apta ſunt, quæ in prima huius operis tractatione collecta reperies. Ita tamen hæc, & alia huiuſmodi in hac hora conferantur, vt nec quaſi concio inſtituatur, nec quaſi diſputatio texatur, ſed quidquid illud fuerit, quod in ſermonem vocatum eſt, hilariter & feſtiuè tractetur. Ita enim natura noſtra oratione, & aſſidua præſentia Dei, & lectione frequenti, & miniſteriorum pondere prægrauata, ſe exonerat, & vires ad reſumendos labores recuperat.

Tom. 1. lib. 5. p. c. 28.

A B

Dato ſigno, ſermonem etiam cœptum abſcindes, & ori tuo ſilentij cuſtodiam impones, & tacens ſimul cum aliis, ad Dominum in Eccleſia ſub ſpeciebus ſacramentalibus præſentem ibis. Hæc enim remiſſionis hora ſpirituales viros, qui toto die à non neceſſariis tacuerunt, & ſtrenuè laborauerunt, excipit. Si autem tu manè & veſperi verba inutilia proferas, & cor tuum in noxiis, aut ſuperfluis effundas, indignum prorſus remiſſione te facies. Ibis ergo ad Eccleſiam tacens, & Dominum quanto potueris feruore conſalutabis: ſi aliquid vel in ſumendo cibo, vel in mutuo colloquio erratum fuerit, de eo dolebis, ac veniam humiliter poſces, ac gratiam ad ſanctè viuendum, & ſtrenuè laborandum, in ſequenti parte diei, quæ ab hac hora incipit, poſtulabis.

C

SECTIO II.

De his quæ veſperi fiunt.

De rebus poſt meridiem agendis.

CAPVT I.

AB hac hora, quæ eſt prima poſt meridiem, incipit ſecunda diei pars, quam dilatato vocabulo veſperam appellamus, in qua occupationibus prædictis intendimus. Nam & horas canonicas ad hoc tempus pertinentes recitamus, & literis ſtudemus, & miniſteria ſpiritualia & temporalia pro qualitate perſonarum obimus, & multi iterum ad noctem mentaliter oramus, & moderatam cœnam, aut refectionem aliquam accipimus, & nonnullam quietem captamus, & omnes antequam cubitum eamus, conſcientiam diſcutimus. Hæc ergo omnia, eodem modo ac dictum eſt, ſunt in opus producenda, niſi quòd tanto puriùs & feruentiùs exequenda ſunt, quanto magis mors appropinquat, ac tempus reddendæ rationis. Ita ergo actiones iſtæ veſperi fiant, vt errata ſimilium actionum, quæ manè factæ ſunt, ſuo feruore & diligentia ſuppleant. Præter iſta autem opera ſunt alia omnibus religioſis communia, quæ nos ordinariè poſt meridiem exequimur, de quibus nunc ad legentium eruditionem ſigillatim tractabimus.

D E

De lectione ſpirituali.

CAPVT II.

LECTIONI ſpirituali quotidie inſiſtendum eſt, vt ea, tamquam inſtrumento præcipuo ad perfectionem obtinendam, noſter ſpiritus prouehatur. Spiritualem autem lectionem vocamus, qua myſticos libros, & ſpirituales tractatus euoluimus, in quibus non ſolam rerum ſpiritualium notitiam, ſed multo magis earum guſtum & affectum quærimus. Hæc nobis ex regula, atque ex perpetua & inuiolabili conſuetudine iniuncta eſt, cui quotidie & communiter poſt meridiem intendimus: & non ſolùm nobis, ſed & omnibus religioſis, ex quibus nos eam didicimus, commendata. Nam & Benedictus in Regula, lectionem ſpiritualem præcipit in hæc verba: Omni tempore ſiue ieiunij, ſiue prandij, mox vt ſurrexerint à cœna, ſedeant omnes in vnum, & legat vnus collationes, vel vitas Patrum, aut certè aliquid, quod ædificet audientes.] Et paucis interpoſitis: Mox accedant ad lectionem collationum, & lectis quatuor aut quinque foliis, vel quantum hora permittit, omnibus in vnum occurrentibus per hanc moram lectionis: ſi quis fortè in aſſignato ſibi commiſſo fuerit occupatus, occurrat.] Magnus quoque Doctor Bonauentura eam commendat ſuis fratribus, qui in ſpeculo diſciplinæ inter alia, ſic ſcribit. De quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ dimittendum eſt, quod fideliùs digeratur, & rurſum reuocatum crebriùs ruminetur, quod propoſito conueniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, vt aliena cogitare non libeat.] Nullus verò erit in cœtibus religioſis (vt credo) qui hos Patres audiens, tempus ad libros ſpirituales legendos, de cætero non ſibi præſcribat.

Reg. B. Benedicti, c. 42.

Bonauent. p. 2. c. 7.

Nec exiſtimandum eſt hanc lectionem aut ſolis imperitis, aut ſolis imperfectis iniungi, immò ſciendum, omnibus ſapientiſſimis quoque & perfectiſſimis aſſumendam proponi. Literati ea indigent, ſi nõ vt noua ſciant, at vt ad ſcita exequenda ſe moueant. Et multa ſterili cognitione ſcimus, quæ lecta voluntatem afficiunt, & ex affectu ea non ſolùm ad ſcientiã, ſed ad actionẽ cognoſcimus. Perfecti etiã lectione egent, quia nunquam adeo perfecti ſunt, vt ampliùs perfici & promoueri non poſſint. Lectio verò maiora perfectionis amplioris deſideria ingerit, & gradus eius altiores oſtendit. Atque vtriſque tam doctis quàm perfectis Salomon lectionis vſum monſtrat, dicens: Audiens ſapiens, ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit.] Quis ſapiens, niſi ſcientiæ peritus? & quis intelligens, qui poſſit gubernacula poſſidere, id eſt gubernatoribus imperare, niſi perfectus? Sed ille ex lectione maiorem ſapientiam; & iſte ad docendos alios ampliorem guſtum ſapientiæ percipiet. Certè Thomas Aquinas ſapiens & perfectus erat, immò & ſapientiſſimorum magiſter egregius, & mirabiliſſimum perfectionis exemplar, de quo tamen hæc ſcripta ſunt: Eſt autem hoc quoque in ſancto viro memorabile, quòd cùm ei eſſet integrum, libenter ſolitus fuerit aliquid in Patrum collationibus lectitare, ne ex rerum ſubtilium ſpeculatione, affectus eius nonnihil tepeſceret, poſſetque ſe rurſus faciliùs ad diuina contemplanda colligere & erigere. Sanctiſſimus autem vir non ſine exemplo lectioni ſpirituali vacabat: Vnde ibidem ſubditur: Et in hoc quidem ſanctum Dominicum ſectatus eſt, quem eius libri lectione conſtat magnopere fuiſſe delectatum, & ad magnam vitæ perfectionem incitatum atque promotum. Quis nunc

Prou. 1. 5.

In vita eius apud Sur. in Martio.

prætextu

prætextu ſcientiæ, aut adeptæ ſanctitatis, à lectione ſpirituali ſe eximat, quam tam ſapiens ac ſanctus vir, ſapientibus ac ſanctis, ſuo exemplo vtiliſſimam eſſe commonſtrat?

Tu ergo quotidie ſaltem per horam vel ſemihoram, lectioni librorum myſticorum & ſpiritualium intende. Illa enim vt magiſtra ſenſum ſacrarum ſcripturarum reuelat: illa vt lucerna, aut ſidus fulgentiſſimum, intellectum illuminat; illa vt nutrix ſpiritu infantulos loqui docet, & ad orationem & meditationem allicit: illa vt ignis, caſtos diuini amoris affectus accendit, illa demum vt pædagogus, cor noſtrũ colligit, & à diſtractionibus & cogitationibus ineptis auertit. Meritò proinde Bonauentura te ad lectionem hortatur, dicens, lege Sanctorum vitam & doctrinam, vt in comparatione eorum ſemper humilieris, & inſtruaris, & accendaris ad deuotionem, & prouoceris ad ſtudium, vt informeris in intellectu ſcripturarum, & illumineris ad fidem: Et ſcias diſcernere verum à falſo, bonum à malo, vitium à virtute, & remedia vitiorum ac tentationum.] Hæc ille.

Bona. tract. de infor. nouit. c. 14.

Ad lectionem autem vtilitet aſſumendam, id imprimis ſeruandum eſt, ne ſingulis diebus libet mutetur, ſed aliquo longo tempore vnus author idemque legatur. Fortuita namque lectio, vt Bonauentura ait, & quaſi caſu reperta, non ædificat, ſed reddit inſtabilem animum. Quomodo autem legẽdum ſit, prius ex verbis Hieronymi, quàm ex meis addiſce. Ille enim ſic ait: Ita ſcripturas ſacras lege, vt ſemper memineris Dei illa verba eſſe, qui legem ſuam non ſolùm ſciri, ſed etiam impleri iubet. Nihil enim prodeſt facienda didiciſſe, & non facere. Optimè vteris lectione diuina, ſi illam tibi adhibeas ſpeculi vice, vt ibi velut ad imaginem ſuam anima reſpiciat, & vel fœda quæque corrigat, & vel pulchra plùs ornet. Lectionem frequenter interrumpat oratio, & animã iugiter adhærentem Deo, grata viciſſitudo ſancti operis accendat. Nunc te igitur ordo inſtruat cœleſtis hiſtoriæ: Nunc ſanctum Dauid oblecter canticum: Nunc Salomonis erudiat ſapientia: Nunc ad timorem Domini increpationes incitent Prophetarum: Nunc Euãgelica & Apoſtolica perfectio te Chriſto in omni morum ſanctitate coniungat. Quæ paranda ſunt, memoriæ penitus inſere; eáque iugi meditatione conſerua. Quæ mutuanda ſunt, frequenter reuolue, vt diuinum hoc ſtudium, & cæleſtis ſchola, & mores ſimul Virginis ornent, & ſenſum, tradántque tibi cũ ſapientia ſanctitatẽ. Vnde Scriptura dicit: Qui quærunt Deum, inueniunt ſapientiam cum iuſtitia. Sit autem ipſa lectio temperata, cui finem conſilium, nõ laſſitudo imponat. Nam, vt immoderata ieiunia, & ardor abſtinentiæ, & enormes immoderatæque vigiliæ, intemperantiæ coarguuntur, ídque nimietate ſui pariunt, vt hæc ipſa poſtea, nec mediocriter quidem fieri poſſint: ita ſtudium lectionis in reprehenſionem intemperans cadit, quódque laudabile eſt in tempore ſuo, fit de nimietate culpabile. Generaliter quidem, ſed breuiter ſtrictímque dicendum eſt; in bonis quoque rebus quidquid modum exceſſerit, vitium eſt.

Bon. In ſpec. p. 2. c. 7.

Hier. epiſtola 1. ad Demetr. to. 9.

Hæc vniuerſa Hieronymus. Quibus nihil addendum ducimus, niſi vt pro rudioribus, eadem verbis craſſioribus repetamus. Spiritualis ergo lectio quotidiana ſit, ita vt ſicut quotidie oramus & meditamur, ita quotidie aliquid pro excitando affectu legamus. Lectionem præcedat oratio breuis, qua gratiam ad intelligendum & fructum decerpendum poſtulemus. Sanctus Ephræm ſic ante lectionem orandum eſſe dicit: Domine Ieſu Chriſte aperi aures & oculos cordis mei, ad audiendum & intelligendum

Ephr. de patient. tom. 1.

A ſermonem tuum, faciendámque voluntatem tuam, Domine: quoniam incola ego ſum in terra. Non abſcondas à me mandata tua, reuela oculos meos, & cõſiderabo mirabilia de lege tua. In te enim ſpes mea Deus meus, vt tu mentem meam illumines. Lectionem interrumpat oratio, qua illud, quod à Domino audimus, bonum eſſe vel malum, à nobis aut faciendum aut vitandum eſſe, quaſi ipſi reſpondentes ſtatuamus. Lectionem finiat oratio, qua & pro doctrina nobis oblata gratias agamus, & quod dictum eſt in illa, præſtare deſideremus. Non quæratur in hac lectione curioſitas, ſed vtilitas, non quod pruriat auribus, ſed quod affectum compungat ac moueat, legatur. Non ad ſolam notitiam, ſed ad opus quod lectum erit,
B ordinetur. Tempore huius lectionis non multa legantur, plura cogitentur, plura deliberentur, & quonam pacto ea fieri oporteat, apud ſe quiſque meditetur. Si ea quæ legeris, fixa in memoria nõ hæſerint, ne nimiùm ſoliciteris, ſola lectio animum reficit, & neſcio quomodo ſine fixa recordatione ſpiritum promouet. Quod Dacrianus monachus aptiſſima ſimilitudine docuit. Non turberis, inquit, ſi bona quæ legis, aut audis, vniuerſa in memoria non retineas. Nam quemadmodum vas quod ſæpius aqua perfunditur, purum permanet, etiamſi aqua effuſa ſtatim effluat: Ita ſi mẽtem beneuolam doctrina ſpiritualis crebrò pertranſierit, quamuis ibi non perſiſtat, ipſam tamen mentem nitidam, Deóque placentem reddit & conſeruat. Vtilitas tua ſingularis nõ in hoc ſita eſt, vt doctrinæ verba memoriæ commẽ-
C des, ſed vt doctrinæ verborúmque effectus in te remaneat, id eſt, vt tu ex doctrina puritatem interiorẽ paratámque voluntatem adimplendi mandata diuina conſequare.] Si hac ratione, quam expoſuimus, ſpirituali lectioni per aliquod tempus quotidie te dederis, mens tua tanquam ſaluberrimis & ſuauiſſimis cibis refecta, & fortis ad operandum bona, & ad reſiſtendum malis, euadet, & non ſemel defectus orationis minùs feruidæ, & diſtractæ ſupplebit.

Dacrian. in ſpeculo monachor. habetur to. 5. Bibliotheca.

De Pſalterio Beatæ Virginis.

CAPVT III.

D TOTAM Eccleſiam, poſt cultum Dei, cultui Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & ipſius Dei matris eſſe dicatam, aut eſſe cultui Dei in Virgine conſecratam, & addictam, ille poterit ignorare, qui Eccleſiam ipſam ignorat. Hæc enim templorum non tam ornata, quàm plena in memoriam Deiparæ dicatorum, ſolennitatibus frequentiſſimis eiuſdem Virginis occupata, eius imaginibus cincta, & precibus ad eandem fuſis intenta, de hoc cultu hyperduliæ (vt vocant) quo Beatam proſequitur Virginem, gloriatur, & ſe ignorari Virginis cultricem & amatricem minimè patitur. Et id quidem meritò, quoniam Dominam noſtram (ſicut re vera eſt) verbi Dei matrem prædi-
E cat, & ſuam Reginam potentiſſimam, ſuam Matrem piiſſimam, & ſuum fideliſſimũ præſidium, ac tutamẽ agnoſcit. Cui meritò dicit eius amator Bernardus: Sileat miſericordiam tuã virgo Beata, ſi quis eſt, qui inuocatã eam in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe; nos quidẽ ſeruuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, ſed in hac potiùs nobis ipſis. Laudamus virginitatẽ, humilitatẽ miramur, ſed miſericordia dulciùs ſapit, miſericordiã amplectimur chariùs, recordamur ſæpius, crebriùs inuocamus. Hæc eſt

Bern. homil. 4. ſuper, Miſſ. eſt.

enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnium impetrauit. Per te ô genitrix beata cœlum repletum, infernus euacuatus eſt, inſtauratæ ruinæ cœleſtis Hieruſalem, expectantibus miſeris vita perdita, data. Sic potentiſſima & piiſſima charitas, & affectu compatiendi, & ſubueniendi abundat effectu, æquè locuples in vtroque.] Sic ille. Si tanta, & tam eximia bona de manu piiſſimæ ac ſanctiſſimæ matris ſingulis momentis ſuſcipimus, quid magnum, ſi omnes fideles eam ex totis præcordiis honoremus?

Inter alias autem preces, quæ pro Virginis, ac Matris noſtræ honore funduntur, illa precatio ſolemnis eſt, & neſcio, an ab aliquo etiam perditiſſimo fideliũ omiſſa, quæ Virginis Roſarium, aut ſertum, aut pſalterium nuncupatur. Roſarium quidem, quoniam ex pluribus angelicis ſalutationibus, tanquã ex ſuaueolentibus roſis componitur: ſertum, quia Virgini ex ardentiſſimo animarum erga eam amore velut diadema regium offertur; pſalterium tandem, quia ſicut pſalterium Dauidis centum & quinquaginta pſalmis conſtat, ita & iſta precatio ex eodem ſalutationum Angelicarum numero, in quindecim denarios, per quindecim orationes Dominicas diſtinctos concinnatur. Quoniam autem commune eſt apud omnes hanc precationem memoriter recitare, vſus inter fideles inolenit, globulos ſiue orbiculos precatorios filo inſerto geſtandi, qui memoriæ fragilitati deſeruiant. Quorum inuentor dignus ſanè laude dicitur, quidam Petrus Eremita homo Gallus: (ſic enim ſcribit Polydorus Virgilius ciuis Ambianenſis,) qui circiter annum milleſimum nonageſimum virtute floruit; & cum Vrbano Secundo Pontifice Maximo egit, vt noſtri ſuſcepto bello Aſiatico Hieroſolymas recuperarent. A tempore autem Dominici, ſanctiſſimi ordinis Prædicatorum parentis, vſus Roſariorum (ſic enim orbiculi illi filo incluſi vocantur) in tantum inualuit, vt nemo pene ſit fidelium, aut ſapiens, aut idiota, aut magnus, vel paruus, aut vir, aut mulier, qui Roſarium ſecum non geſtet, & congruo tempore hanc precationem non recitet.

[*Polyd. Virg. lib. . de inuen. rerum. c. 9.*]

Quòd ſi vniuerſorum fidelium mos eſt, beatam Virginem hac pietatis & dulcedinis referta precatione inuocare, quanto inuiolabiliùs, feruentiùs, & deuotiùs Religioſi eam fundent, qui Mariam omnium religionum matrem ſanctiſſimam eſſe fatentur, & eius venerationi addicti ſunt? Sat ergo ſcio, ô ſerue Dei, te quotidie hac precatione vti, téque innumeros pene modos, à ſanctis viris adinuentos, recitandi pſalterium hoc, non ignorare. Sed vt ego deſiderio meo non deſim, ſanctam Virginem honorandi, à qua ſine vllo dubio vires ad ſcribendum accipio: & vt integritati huius opuſculi ſatisfaciam, in quo de quotidianis operibus religioſi diſſero, communiorem modum recitandi pſalterium, quo ſemper vtor, nonnulla ei adiiciendo, conſcribam.

Pſalterium iſtud in tres quinquagenas ſalutationum Angelicarum, quarum quælibet per quinque denarios, quinque orationibus Dominicis diſtinctos, diſtributa eſt, diuiditur. Et quia quotidie vna tantùm quinquagena ab occupatis recitatur, duobus pſalteriis per hebdomadam à feria ſecunda vſque ad ſabbatum (nam de die Dominica poſtea dicam) tota hæc precatio ritè conficitur. Hæc autem (vt manifeſtum eſt) quindecim denariis conſtat, qui in honorẽ quindecim myſteriorum vitæ, & paſſionis, & reſurrectionis Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri dicendi, & eorum myſteriorum meditationi adiungendi ſunt. Horum quinque ad gaudia Virginis ineffabilia, quinque ad dolores eius acerbiſſimos, & quinque ad gloriam ipſius incomprehenſibilem pertinent. Ad iſta myſteria in fine cuiuſque denarij meditanda, illos exhortamur, qui prolixius ad meditandum tẽpus deſtinatum non habent. Sed tibi, qui longa in contemplatione diuinorum myſteriorum inſumis horarum ſpatia, hoc onus non imponimus, ſed tantùm ad faciendam in fine ſingulorum denariorum myſterij correſpondentis memoriam, & ad aliquem ſanctum affectum concipiendum, aliquídque poſtulandum mouemus. Et iuxta hæc ſic poteris pſalterium Virginis recitare.

Ab illo verſu Pſalmi quinquageſimi, quo Eccleſia Horas canonicas incipit, tuum pſalterium inchoabis, dicéſque: Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.] Labia namque noſtra ad proferendas Virginis laudes ſolus Deus aperit, & ex ore noſtro laudem ſuam: quem, Virginem laudando, laudamus: ipſe eſt qui perficit. Deinde huic verſiculo alium pro Eccleſiæ etiam more ex Pſalmo ſexageſimo nono, Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuandum me feſtina:] ſumptum adiunges. Item per alium verſum ab Angelis decantatum: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, & cætera, Sanctam Trinitatem glorificabis. Ac tandem per Hymnum: Memento ſaluris auctor: cum illis verſiculis, Dignare me, laudare te; Virgo ſacrata: Da mihi virtutem contra hoſtes tuos. Et per vocem, Kyrie eleiſon, ter repetitam, hoc præambulum pſalterij concludes.

[*Pſal. 50. 17.*] [*Pſ. 69. 1.*]

Facto hoc præludio, orationem Dominicam ſemel recitabis. Ab ea enim, quæ ore Domini pronunciata eſt, & omnibus orationibus maior & præſtantior eſt, debes Roſarium ordiri. Poſt illam verò decem ſalutationes Angelicas dices, quibus finitis, verſum illum, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, iterum repetes, & eodem ordine reliquos denarios, aut vnius quinquagenæ, ſi ſolam illam recites, aut totius pſalterij, perficies. Vt autem ſcias quomodo myſteria vitæ Domini commemoranda ſunt, priùs ea percurramus. Quinque prima myſteria ſunt lætitiæ, quæ quinque denariis primæ quinquagenæ, coaptantur. Sunt autem, Annunciatio incarnationis, atque ipſa incarnatio Filij Dei: Viſitatio Elizabethæ, & ſanctificatio Ioannis Baptiſtæ: Natiuitas Saluatoris, Adoratio Magorum, & Inuentio pueri Ieſu duodennis in templo. Quinque media myſteria ſunt triſtitiæ, quæ accommodantur quinque denariis ſecundæ quinquagenæ: ſunt verò hæc: Chriſti oratio, & ſudor ſanguinis in horto: eius flagellatio, coronæ ſpinæ ſuſceptio, crucis baiulatio, & patibulo crucis affixio. Quinque poſtrema myſteria ſunt gloriæ, quæ denariis quinque tertiæ quinquagenæ reſpondent. Sunt autem hæc: Chriſti Saluatoris Reſurrectio, eiuſdem in cœlos Aſcenſio, Spiritus ſancti ad Diſcipulos miſſio, Virginis noſtræ in æternas ſedes aſſumptio, ac tandem ipſi Reginæ omnium Angelorum & hominum facta incorruptibilis ac regiæ coronæ donatio. Cùm ergo orationes Dominicas recitaueris, Chriſtum Ieſum, ſeruato prædicto ordine, myſteria iſta patrantem oculis mentis aſpicies. Vt in prima quinquagena eum carne velatum, Ioannis ſanctificationem operantem, recèns natum à Regibus adoratum, & in Templo diſputantem meditabens. In ſecunda, ipſum Dominum orantem, flagellis liuidum, & ad columnam ligatum, ſpinis coronatum, cruce oneratum, & eidem affixum contemplaberis. In tertia reſurgentem, in cœlum aſcendentem, Spiritum ſuum mittentem, matrem in æternis ſedibus excipientem, eandémque coronantem intueberis. Domino itaque

ſic eon

ſic conſiderato, verba Dominicæ orationis ſic dices, vt affectus voci reſpondeant, & quod vox petit, cor quoque & deſiderium expoſcat. Similiter cùm ſalutationes Angelicas protuleris, Virginem eiſdem myſteriis aſſiſtentem, aut eadem conſiderantem, aut ipſis cooperantem aſpicies: verbáque illa non ſine mentis affectu pronunciabis, immò primis illis verbis, (Aue Maria,) illam reuerenter & deuotè ſalutabis: ſequentibus, (Gratia plena, Dominus tecum,) ipſam ex toto corde laudabis: his verò, quæ ſtatim ponuntur, (Et benedictus fructus ventris tui Ieſus,) te in tui Saluatoris amorem accendes: poſtremis tandem, (Sancta Maria, mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ, Amen:) ſuarum potentiſſimarum orationum ſuffragia & fœlicem ex hac vita diſceſſum petes.

B Nunc ad finem cuiuſque denarij redeamus, in quo aliqua breuis precatio mente ſaltem, aut etiam ore formanda eſt, quæ affectum aliquem gaudij, vel doloris, vel exultationis, iuxta qualitatem myſterij, contineat, quæ aliquid conſonum myſterio petat, & quæ beatam Virginem aliquo nomine ad laudem eius pertinente, compellet. In primo igitur denario vocabis eam fœliciſſimam: nam verè fœlix admodum fuit, quæ in matrem Dei electa fuit: vtque remiſſionem peccatorum impettes, qua filius Dei efficiaris, petes. In ſecundo, vocabis eam benigniſſimam: nam verè bonorum feraciſſima fuit, quæ Ioannem peccato originali ſordentem, vt Verbi inſtrumentum emundauit, & domum illam Zachariæ innumeris bonis repleuit, & ab ea ſpiritum mortificationis, quo C diſponaris ad Dei viſitationes ſuſcipiendas, poſtulabis. In tertio, vocabis eam puriſſimam: nam verè purior fuit Sole, quæ Filium Dei ſine vllo integritatis ſuæ detrimento, & ſine vllo carnis, aut mentis inquinamento peperit, & tranquillitatem animæ tuæ, cõtemptúmque faſtus ſæculi, à Chriſto nato demonſtratum expoſces. In quarto, vocabis eam Altiſſimã: nam verè cœlo fuit excelſior, quæ, vt Dei thronus, Chriſtum Regem à gentibus adoratum brachiis ſuſtinuit, & gratiam ad adorandum Dominum exterius & interiùs in ſpiritu & veritate efflagitabis. In quinto, vocabis eam ſoliciti ſſimam: nam verè ſolicitior fuit Martha: quæ puerum abſentem tantis lacrymis, ac feruore quæſiuit, donec illum inuenit: & donum feruoris, tibi immitti rogabis. D

Si hæc non tibi ſufficiunt, ecce ipſas preculas, quibus, dum commodiores non ſuppetunt, vti poteris.

Poſt primum denarium ſic dices:

Gaudeo & congratulor tibi, ô Virgo Maria, Domina, & mater mea fœliciſſima: quia à Patre in ſponſam electa, à Filio in matrem aſſumpta, quia à Spiritu Sancto in totius Deitatis habitaculum præparata, & ab Angelo ſalutata & laudata es. Oro te, Domina mea, & mater Filij Dei, per myſterium ineffabilis incarnationis eius, quo ex te carnem noſtram induit, & te ſuam matrem effecit, vt impetres mihi remiſſionem peccatorum meorum, & per gratiam ipſius filius efficiar. Amen.

Poſt ſecundum denarium ſic precaberis.

E Gaudeo & congratulor tibi, ô Virgo Maria, Domina mea, & mater mea benigniſſima: quia ſpiritu charitatis acta ad domum cognatæ properaſti, præcurſori ſanctitatem attuliſti, & domum illam cœleſtibus donis repleſti. Oro te, Domina mea, & mater Filij Dei, per opus illud eximiæ charitatis, quo cognatam tuam viſitaſti, & Ioannem ad tantum bonum prouexiſti, vt impetres mihi à Filio tuo, mortificationis donum, quo conuenienter paratus, eius afflatus & inſpirationes excipiam. Amen.

A *Poſt tertium denarium ſic orabis:*

Gaudeo & cõgratulor tibi, ô Virgo Maria, Domina, & mater mea puriſſima: quia Verbũ Patris carne tua tectũ peperiſti, pannis inuoluiſti, in præſepio reclinaſti, & poſt partũ inuiolata permanſiſti. Oro te, Domina mea, & mater Filij Dei, per ſanctiſſimum myſterium natiuitatis ſuæ, vt impetres mihi ab eodem Filio tuo quietam mentem, & faſtum ſæculi aſpernantem, vt me paruulum factum ſuum ſectatorem agnoſcat. Amen.

Poſt quartum denarium ſic petes:

Gaudeo & congratulor tibi, ô Virgo Maria, Domina mea, & mater mea altiſſima: quia ſedes Saluatoris effecta, eum ſuſtentaſti, vt à tribus Regibus adoraretur, & munera, aurum, thus, & myrrham, in ſignũ B ſuæ dignitatis, & Deitatis, & mortalitatis acciperet. Oro te, Domina mea, & mater Filij Dei, per myſteriũ manifeſtationis eius, qua mundo & gentibus ſui notitiam præbuit, vt impetres mihi ab eodem filio tuo ſpiritum rectè adorandi eum interiùs & exteriùs, quo ei me totum in holocauſtum offeram. Amen.

Poſt quintum denarium ſic poſtulabis.

Gaudeo & congratulor tibi, ô Virgo Maria, Domina mea & mater mea ſoliciti ſſima, quia filium tuum duodennem in Templo remanentem ſolicitè quæſiſti, fœliciter inueniſti, & de myſterio diſputationis eius cũ doctoribus, exultaſti. Oro te Domina mea & mater Filij Dei, per gaudium inuentionis eius, vt impetres mihi ab eodem filio tuo, donum feruoris & ſolicitudinis, quo eum quotidie ampliùs & am- C pliùs quæram. Amen.

In ſecunda quinquagena eodem modo procedes, niſi quòd ſicut myſteria diſtincta ſunt, ita etiam & titulos Virginis, & virtutes poſtulandas mutabis. In primo igitur huius ſecundæ quinquagenæ denario, vocabis eam fideliſſimam, quia verè fideliſſima fuit erga Deum, quæ filium ab eo dono ſuſceptum, Patri repetenti ad paſſionem obtulit, & æquanimiter tali ac tanto filio orbata permanſit, petéſque ab ea ſpiritum reſignationis, quo in omnibus tum proſperis tum aduerſis, diuinæ voluntati ſubiiciatis.

In ſecundo denario vocabis eam miſericordiſſimam; verè enim miſericors fuit erga homines, quæ vt homines à miſeria peccati & mortis liberatos videret, commerita ab ipſis flagella, dorſum dilecti filij D ſui dilacerate ſuſtinuit, petéſque ab ea ſpiritum paupertatis, quo omnia ſæculi huius bona contemnas.

In tertio denario vocabis eam prudentiſſimam: nam verè prudentiſſima fuit, quæ in tantis afflictionibus filij ſibi abſque dubio notis ſilere didicit, & vſque ad congruum tempus domi abſcondita ſe continuit, poſtulabíſque ab ea ſpiritum caſtitatis, quo mente & corpore mundus exiſtas.

In quartu denario vocabis eam feruentiſſimam: nam verè feruentiſſima fuit, quæ præſtituto à Deo tempore quietem deſeruit, & filium ad crucem properantem comitatura quæſiuit; petéſque ab ea ſpiritum obedientiæ, quo in omnibus non tuam ſed Dei voluntatem adimpleas.

In quinto denario vocabis eam perſeuerantiſſi- E mam: verè enim perſeuerantiæ plena fuit, quæ filium neque in paſſione, neque in ipſa morte reliquit, petéſque, vt impetret tibi ſpiritum humilitatis, quo te omni humanæ creaturæ ſubmittas. Iam ipſas preculas excipe.

Poſt primum huius ſecundæ quinquagenæ denarium, orabis ſic:

Laudo, & condoleo tibi, ô Virgo Maria Domina, mea, & mater mea fideliſſima, ob eximium dolorem à te conceptum ex anguſtiis in horto, & ſu-

dore ſanguineo vnigeniti filij tui. Oro te Domina mea, & mater Filij Dei, ob promptiſſimam eius voluntatem, qua ſe ad mortem pro nobis obtulit, vt impetres mihi ſpiritum reſignationis, & veriſſimam cum diuina voluntate concordiam, vt in omnibus creatori meo ſubiiciar. Amen.

Poſt ſecundum denarium, ſic:

Laudo, & condoleo tibi ô Virgo Maria Domina mea, & mater mea miſericordiſſima ob maximum dolorem à te conceptum, in nuditate, & flagellis, & liuoribus, & plagis vnigeniti filij tui. Oro te Domina mea & mater filij Dei, ob nuditatem eius, qua nudus, & ligatus ad columnam ſtetit, vt impetres mihi ſpiritum paupertatis, quo omnes mundi diuitias, vniuerſáque commoda pro nihilo ducam. Amen.

Poſt tertium denarium, ſic:

Laudo, & condoleo tibi ô Virgo Maria Domina mea, & mater mea prudentiſſima, ob maximum dolorem à te conceptum ex ſerto illo ſpinarum acerbiſſimo, & alapis, & ſputis, & aliis irriſionibus vnigeniti filij tui. Oro te Domina mea & mater filij Dei, per opprobria, & ignominias ab ipſo ſuſceptas, vt impetres mihi ſpiritum caſtitatis, quo mundus corde & corpore, ab ignominia corporis mei liberer. Amen.

Poſt quartum denarium, ſic:

Laudo, & condoleo tibi ô Virgo Maria Domina mea, & mater mea feruentiſſima, ob dolorem à te conceptum in baiulatione crucis, & laſſitudine, & doloribus vnigeniti filij tui. Oro te Domina mea & mater filij Dei, ob pondus crucis eius, & irriſam innocentiam eius, vt impetres mihi ſpiritum obedientiæ, quo crucem amabilem ſtatus mei libenter poſt ipſum portem. Amen.

Poſt quintum denarium, ſic:

Laudo, & condoleo tibi ô Virgo Maria Domina mea, & mater mea perſeuerantiſſima, ob maximum dolorem à te conceptum in crucifixione, & tormento, & plagis manuum, & pedum, & lateris, & in ſeptem verbis vnigeniti filij tui. Oro te Domina mea, & mater filij Dei, ob tam eximium ab ipſo datum in cruce humilitatis exemplum, vt impetres mihi ſpiritum humilitatis, quo ex corde me deiiciens, eius diſcipulus fiam. Amen.

Similiter in tertia quinquagena procedendum eſt, niſi quòd myſteria vitæ Domini, & tituli Virginis mutandi ſunt.

In primo denario vocabis eam lætiſſimam: verè enim lætiſſima fuit, quæ in reſurrectione filij ſupra omne quod dici aut cogitari poteſt, læta fuit, petéſque, vt impetrando in mente tua fidem adaugeat, quo firmiùs & efficaciùs myſteria reuelata cognoſcas.

In ſecundo denario vocabis eam piiſſimam; verè namque pietate excelluit, quæ abſcedente per aſcenſionem filio, in matrem Eccleſiæ & omnium fidelium protectricem data eſt: poſtulabíſque ab ea virtutem ſpei, qua beatitudinem, & omnia media ad eam conſequendam, exſpectes.

In tertio denario vocabis eam ditiſſimam: nam verè diuitiis abundauit, quæ in immenſum ſupra omnes Apoſtolos & diſcipulos gratiam, & Spiritus ſancti dona ſuſcepit, petéſque ab ea virtutem charitatis, & ſeptem Spiritus ſancti dona, quibus pauper mundo, diues cœlo, & cœleſtibus fias.

In quarto denario vocabis eam ſublimiſſimam: nam verè ſupra omnem cogitationem noſtram ſublimis eſt, quæ ſuper omnes Seraphicos ſpiritus, & ſuper omnem creaturam exaltata eſt, poſtulabíſque ab ea virtutem orationis, qua intellectu & affectu corruptibilia tranſcendens, te cœleſtibus ingeras.

In quinto denario vocabis eam potentiſſimam: verè namque potentiſſima eſt, quæ diademate Reginæ cœli & terræ cumulata, quidquid cupit, aut vult, à Deo ſtatim obtinet, petéſque ab ea ſanctam & fœlicem mortem, qua à mortalitatis vinculis abſolutus, diuino aſpectu perfruaris. Ex his facilè poteris tuas preculas efformare, quas laboris leuandi gratia hoc loco ſubiicio.

Poſt primum denarium huius tertia quinquagena, orabis ſic:

Laudibus effero, & adgaudeo tibi ô Virgo Maria Domina mea, & mater mea lætiſſima, ob glorioſum gaudium à te ſuſceptum in reſurrectione, & impaſſibilitate, & claritate, & omni gloria vnigeniti filij tui. Oro te ô Domina mea, & mater Filij Dei, ob immenſam claritatem eiuſdem Chriſti Domini & Saluatoris mei, vt impetres mihi ſpiritum fidei, & perfectionem eius, vt intimiùs & efficaciùs cœleſtia cognoſcam. Amen.

Poſt ſecundum denarium, ſic:

Laudibus effero, & adgaudeo tibi ô Virgo Maria Domina mea, & mater mea piiſſima, ob ineffabilem exultationem à te ſuſceptam in admirabili aſcenſione, & ſolenni pompa ac ineffabili maieſtate vnigeniti filij tui. Oro te Domina mea, & mater Filij Dei, ob gloriam eius, qua in cœlum aſcendit dona hominibus daturus, vt impetres mihi ſpiritum ſpei & augmentum eius, quo fœlicitatem, & media ad eam conſequendam ſperare, & ad laborandum pro ea, incitari valeam. Amen.

Poſt tertium denarium, ſic:

Laudibus effero & adgaudeo tibi, ô Virgo Maria Domina mea & mater mea ditiſſima, ob incredibilem lætitiam à te ſuſceptam in aduentu Spiritus ſancti, quando in te & Apoſtolos effuſus eſt. Oro te Domina mea & mater Filij Dei, ob immenſam charitatem eius, vt impetres mihi virtutem charitatis, & ſeptem dona Spiritus ſancti, quibus & ipſum ſuper omnia diligam, & proximos ſicut me ipſum diligam, & ab ipſius Dei mei ductu moueri me ſinam. Amen.

Poſt quartum denarium, ſic:

Laudibus effero & adgaudeo tibi, ô Virgo Maria Domina mea, & mater mea ſublimiſſima, ob maximum gaudium à te ſuſceptum in aſſumptione tua, quum corpore & anima ſupra omnes cœleſtes ſpiritus euecta, & ad dexteram Filij collocata es. Oro te Domina mea & mater filij Dei, ob celſitudinem habitationis tuæ, vt impetres mihi à filio tuo ſpiritum orationis, quo mente, terrena deſeram, & ad cœleſtia conſcendam. Amen.

Poſt quintum denarium, ſic:

Laudibus effero & adgaudeo tibi, ô Virgo Maria Domina mea & mater mea potentiſsima, ob incomprehenſibilem lætitiam cordis tui, quando Regina cœli coronata es, & aduocata totius Eccleſiæ facta. Oro te Domina mea & mater filij Dei, ob dignitatem tuam qua miſerias noſtras ſcis, & eis ſubuenire vis & potes, vt impetres mihi bonam & ſanctam mortem, qua ab hoc ſæculo nequam diſcedens, conſpectu Domini cum ſanctis omnibus perfruar. Amen.

Hoc modo vel alio ſimili, quem vnctio Spiritus ſancti, vel alij libelli ſpirituales docuerint, poteris pſalterium Virginis quotidie recitare, cuius quanta ſit vtilitas, quámque copioſus fructus, ex inſigni reuelatione cuidam patri ordinis Carthuſienſis facta, perſpicuè cognoſces; Quam Ioannes Lanſpergius vir deuotus & planè Deo deditus, his verbis enarrat: Cùm Prior quidam Carthuſiæ Treuerenſis, multis *Lanſp. 27. lib. min. oper. in præfat.*

annis

annis hoc exercitium quotidie coluiſſet, ſuffragante illi glorioſa Virgine, ſæpius per diem, præſertim ad horas ſeptem canonicas, in cœlum re vera rapiebatur; vbi inter cætera clariſſimè vidit & audiuit cœleſtes ciues, Ieſum & Mariam ſuper huiuſcemodi articulis ineffabili lætitia & deuotione benedicentes, & dulciſſimis nominibus, Ieſu & Maria, reuerentiam modo ſuprà dicto exhibentes, necnon pro omnibus in eiuſcemodi exercitio ſeſe ipſis cœli ciuibus conformantibus in terris, Deum obſecrantes. Ad hæc, pro ſingulis id genus ſertis roſariis ſingulas coronas mirabili fulgore coruſcantes, & immarceſcibiles illis in cœleſtibus reponi. Plenam inſuper peccatorum remiſſionem, ſingularem quoque gratiam, & benedictionem in præſenti, gloriámque in futura vita pro qualibet corona roſacea, vel Roſario illis à Domino Ieſu per preces beatiſſimæ matris eius diuina authoritate promitti & conferri. Denique maiorem Dei gratiam, & ſalutis theſaurum in eodem latêre exercitio, quàm quiſpiam mortalium poſſit comprehendere, primæ Veritatis teſtimonio illuſtratus cognouit, nobiſque hæc poſt obitum ſuum in ſcriptis reliquit.] Hæc ille. Ex quibus conſtat, precationem iſtam Chriſto Domino, ac Virgini matri eſſe gratiſſimam, quam proinde debemus, viros ſpirituales imitantes, deuotè ac piè frequentare.

De Corona Beatæ Virginis.

CAPVT IV.

PSALTERIVM Virginis matris, à feria ſecunda vſque ad ſabbatum, ſingulis hebdomadis bis recitatur, & qualibet ex prædictis diebus (vt explicatum eſt) tertia eius pars dicitur. Hinc autem conſtat Dominicam diem parte pſalterij huius eſſe vacuam, quam eiuſdem Virginis corona replebit. Eſt autem corona, precatio in honorem eiuſdem Virginis matris, ex tot ſalutationibus Angelicis compacta, quot fuerunt anni vitæ eius. At vita Deiparæ, ſecundùm opinionem quam nunc veriſimilem putamus, ſexaginta tribus annis concluſa fuit: vnde & hæc precatio totidem ſalutationes Angelicas continet, ſeptem orationibus Dominicis per denarios diſtinctas, excepta ſectione vltima, quæ tribus tantùm ſalutationibus continetur. Meritò verò precatio iſta corona vocatur, quoniam regium diadema Virginis ex ineffabilibus meritis vitæ eius fabricatum eſt, quoniam obſequium hoc noſtrum ab eius benignitate, coronæ vice admiſſum eſt; quoniam cuicumque hanc coronam recitanti, ſi per ipſum non ſteterit, ſertum immortalitatis præparatum eſt.

Hanc verò coronam non iam ex myſteriis vitæ Saluatoris, (quod fieri poſſet) nec ex virtutibus Virginis, (quod vtiliſſimum eſſet) ſed ex immenſa, ac multiplici dignitate eius per coronam ſignata, concinnare libet. Ac ſi iuxta ſeptem denarios huius precationis, ſex integros, & vnum inceptum, ſeptem coronas ad illos applicandas beatæ Virginis inueniremus, aliquod fortaſſis illi vel exiguum obſequium offerremus. Sanctæ Deiparæ caput vna corona cinctum eſſe ex duodecim ſtellis compacta nullus ambiget, qui Ioannem in Apocalypſi dicentem legerit: Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.] Quem locum non ſolùm de Eccleſia, ſed & de Maria totius Eccleſiæ matre accipiendum eſſe docent Auguſtinus, Bernar-

Apoc. 12. 1.

Aug. 4. de ſymbolo ad cathechiſ. c. 1.

A dus, & Epiphanius, & plerique alij, quos non oportet recenſere. Ipſa enim eſt ſignum magnum, quod oriens mundo vt aurora puriſſima, aduentum magni Saluatoris, ac Solis iuſtitiæ mundo præmonſtrauit. Ipſa in cœlo apparuit, quoniam ſuper omne terrenum ſe extulit, & vitam ſupra cœleſtem, & Angelicis ſpiritibus admirabilem, ſectata eſt. Circumdata Sole eſt, quoniam, vt Verbum conciperet: eam Deus vndequaque protexit, Pater obumbrauit, Filius clarificauit, Spiritus ſanctus fœcundā effecit. Lunā calcat, quia extaticam vitā faciens, & mutabilitates noſtras non ſentiens, omnes ſucceſſus mundi huius proterit atque conculcat. Corona autē duodecim ſtellis, quaſi duodecim gemmis ornata, eius regiā dignitatem ſignificat, quam mirabilē faciunt duodecim illæ prærogatiuæ, quas Bern. pulchrè deſcripſit: Quis,

Bern. ſer. in eundē lo um Epiph. ſer. d. laudi. B. Mariæ.

B inquit, ſtellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum ſit? Supra hominem eſt coronæ huius rationem exponere, iudicare compoſitionem. Nos tamen pro modulo noſtræ exiguitatis abſtinentes à periculoſo ſcrutinio ſecretorum, nō incongruè forſitan duodecim ſtellas iſtas, duodecim prærogatiuas gratiarum intelligere videamur, quibus Maria ſingulariter adornatur. Siquidem inuenire eſt in Maria prærogatiuas cœli, prærogatiuas carnis, prærogatiuas cordis: & ſi fuerit ternarius iſte per quaternarium multiplicatus; habemus fortè ſtellas duodecim, quibus Reginæ noſtræ diadema præfulget vniuerſis. Mihi ſanè ſingularis rutilat fulgor: Primò quidem, in Mariæ generatione: Secundò, in Angelica vi-

Bern. ſuprà.

C ſitatione: Tertiò, in Spiritus ſuperuentione: Quartò, in Filij Dei inenarrabili conceptione. Sic & in his quoque ſiderum planè irradiat decus: quòd virginitatis primiceria, quòd ſine corruptione fœcunda, quòd ſine grauamine grauida, quòd ſine dolore puerpera. Nihilominus etiam ſpeciali quodam ſplendore in Maria coruſcant manſuetudo pudoris, deuotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis.

Hoc loco vnam tantùm Virginis coronam habemus, &, ſi prærogatiuas numeramus, non ſeptem, ſed duodecim legimus: nos autem aut ſeptem coronas, aut ſeptem prærogatiuas inuenire geſtimus. Forſitan ad eas inueſtigandas aditum ipſe liber Apocalypſis aperiet, ſi conſideremus, quòd Rex & Regina ſimili conſueuerunt corona exornari, & eadem di-

D gnitate fulgere. De Chriſto verò Rege ſcriptum eſt: Et in capite eius diademata multa.] Quòd ſi aduerſarius eius habuit diademata ſeptem: nam alio loco Ioannes dicit: Et viſum eſt aliud ſignum in cœlo, & ecce Draco magnus rufus, habens capita ſeptem, & cornua decē, & in capitibus eius diademata ſeptem.] vide an congruè illa diademata multa Chriſti, ſeptem dicenda ſint. Omiſſis autem ſeptem coronis draconis, quæ ad nos non pertinent, Chriſti regium caput ſeptem diadematibus, ſeu coronis cingitur: quia ſeptem opulentiſſimis regnis imperitat. Primum eſt regnum Angelorum clariſſimorum, cui ſemper ſuam faciem oſtendit. Secundum, regnum Apoſtolorum, & Patriarcharum, & Prophetarum

Apoc. 19. 12.

Apoc. 12. 3.

E potentiſſimum, quo mundum ſibi ſubiicit. Tertium, regnum Martyrum fortiſſimum, quo poteſtatibus aduerſariis reſiſtit. Quartum, regnum Pontificum diligentiſſimum, quo Eccleſiam ſuam regit. Quintum, regnum Doctorum ſapientiſſimum, quo ignorantiæ tenebras pellit. Sextum, regnum Confeſſorum, Monachorum, & Anachoretarum obſeruantiſſimum, quo campos virtutum ad ferendos vitæ æternæ fructus exercet. Septimum, regnum Virginum, Viduarum, & aliarum ſanctarum mundiſſimum,

quo in terra vitam cœleſtem inſtituit.

Si ergo Chriſtus Rex propter ſeptem hæc regna, quibus præſidet, ſeptem habet diademata, quæ ſunt ſuæ regiæ dignitatis inſignia: Maria Regina eiſdem coronis coronabitur, vt beneficio Regis Chriſti, omnibus regnis eius præficiatur. Si enim Aſſuerus
Eſth. 2. 17. Rex, cùm adamauit Eſther, [poſuit diadema regni in capite eius,] nempe totius regni ſui: quanto magis Chriſtus poſuit diademata ſua in capite Mariæ matris ſuæ, quam præ omnibus adamauit, & ſuper omnes res creatas exaltare decreuit? Tu ergo coronam Virginis in honorem huius coronæ multiplicis die Dominico recitabis, & eodem modo ac pſalterium ſuprà dictum, eam inchoabis.

In primo ergo denario coronæ vocabis beatam Virginem Reginam clariſſimam: quia verè clariſſima eſt, quæ tantæ luci eminet, & pro vita cœleſti in hac mortalitate inſtituenda, precaberis.

In ſecundo, vocabis eam potentiſſimam: quia verè potentiſſima eſt, quæ hæreſes & infidelitates interimit: & poſtulabis ab ea, vt verbo & exemplo Eccleſiæ proficias.

In tertio, vocabis eam fortiſſimam: quia pluſquam Martyres vniuerſi ſuſtinuit: orabíſque eam, vt patienter pro Chriſto aduerſa perferas.

In quarto, vocabis eam ſolicitiſſimam: quia cunctarum Eccleſiarum gubernationi intendit: petéſque ab illa, vt ſolicitè in munus tibi demandatum incumbas.

In quinto, vocabis eam ſapientiſſimam: quoniam omnes Eccleſiæ Doctores erudiuit: petéſque, vt ſpiritui orationis & contemplationis inſiſtas.

In ſexto, vocabis eam obſeruantiſſimam: quia has luteas ſedes incolens, in omni ſe virtutum genere diligenter exercuit: poſcéſque ab ea, vt caſtigatione tui corporis fulgeas.

In ſeptimo, vocabis eam mundiſſimam: quia omnem virginũ puritatem poſt ſe reliquit: orabíſque, vt munditiam etiam deſideriorum & cogitationum obtineas. Ex his facile erit ſeptem precationes conficere in hunc modum.

Poſt primum denarium coronæ ſic precaberis:

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, Regina Angelorum clariſſima: congratulor tibi ex totis præcordiis meis, ob diadema regium, quo ſpiritibus cœleſtibus vniuerſis præemines. Oro te, Domina mea, & mater Filij Dei, ob coronam Reginæ Angelorum, vt impetres mihi ab eodem Filio tuo vitam puram, cœleſtem, & à terrenis deſideriis elongatam, vt illi in omnibus meis actibus placere poſſim. Amen.

Poſt ſecundum denarium, ſic:

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, Regina Apoſtolorum, Patriarcharum, & Prophetarum potentiſſima, congratulor tibi ex totis præcordiis meis ob diadema regium, quo omnibus Apoſtolis, Patriarchis, & Prophetis præemines. Oro te, ô Domina mea, & mater Filij Dei, ob coronam Reginæ Apoſtolorum, & Patrum antiquorum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem Filio tuo gratiam abundantem, vt Eccleſiæ verbo & exemplo proficiens, illi in omnibus meis actibus placere poſſim. Amen.

Poſt tertium denarium, ſic:

Saluto, laudo, & glorifico te ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, regina Martyrum fortiſſima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis ob diadema regium, quo martyribus vniuerſis præemines. Oro te Domina mea, & mater filij Dei, ob coronam reginæ Martyrum, qua ornata es, vt impetres mihi

A ab eodem filio tuo donum patientiæ, vt pro eius amore aduerſa perferens, illi in omnibus meis actibus placere poſſim. Amen.

Poſt quartum denarium, ſic:

Saluto, laudo, & glorifico te ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, Regina Pontificum ſolicitiſſima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis ob diadema regium, quo omnibus Pontificibus ſupereminens. Oro te Domina mea, & mater Filij Dei, ob coronam reginæ Pontificum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem filio tuo piam ſolicitudinem in bonis operibus, vt diligenter in res mihi demandatas incumbens, illi in omnibus meis actibus placere poſſim. Amen.

Poſt quintum denarium, ſic:

B Saluto, laudo, & glorifico te ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, regina doctorum ſapientiſſima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis, ob diadema regium, quo omnibus doctoribus præemines. Oro te Domina mea & mater Filij Dei, ob coronam reginæ doctorum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem filio tuo orationis & contemplationis donum, quo cœleſtibus myſteriis ſuperintentus, illi in omnibus meis actibus placere poſſim. Amen.

Poſt ſextum denarium, ſic:

Saluto, laudo, & glorifico te ô Virgo maria mater mea, & Domina mea, regina confeſſorum, monachorum, & anachoretarum obſeruantiſſima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis ob diadema regium, quo omnibus confeſſoribus, monachis, & anachoretis præemines. Oro te Domina mea & mater filij Dei, ob diadema regium Reginæ confeſſorum, &
C aliorum ſanctiſſimorum virorum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem filio tuo donum caſtigandi, & continendi corpus meum, vt illi in omnibus meis actibus placere poſſim. Amen.

Poſt tres ſalutationes ſeptimi denarij, ſic:

Saluto, laudo, & glorifico te ô Virgo Maria Domina mea, & mater mea, regina Virginum, viduarum, & omnium ſanctarum mundiſſima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis, ob diadema regium, quo cunctis Virginibus, viduis, & aliis ſanctis fœminis præemines. Oro te Domina mea & mater filij Dei, ob coronam Reginæ Virginum & omnium Sanctarum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem filio tuo munditiam operum, deſideriorum, &
D cogitationum, vt mundus exiſtens illi in omnibus placere poſſim. Amen.

Sic poteris die Dominica coronam Beatæ Virginis recitare, aut alio modo ſimili, quo vnctio te docebit, & pro certo ſcias, quia benigniſſima Mater omnium fidelium nullo modo hoc vel exile donum contemnet, ſed te pro eo magnis beneficiis ac donis afficiet.

De ſpeciali inuocatione Beatæ Virginis.

CAPVT V.

E QVOTIDIE etiam non ſolùm per orationem vocalem, ſed etiam per aliquod exercitium orationis mentalis cum Beata Virgine agendum eſt. Cui conſueuimus certa aliqua diei hora noſtras miſerias patefacere, & neceſſitates aperire, vt per hanc orationem deſideria noſtra accendentes, & affectum mouentes, ad dona cœleſtia promerenda diſponamur. Beatam Virginem, & omnes Angelos, & Sanctos beatos noſtras orationes, etiam ſola mente ad

eos fuſas, audire, & noſtra deſideria ad eorum auxilium implorandum directa cognoſcere, conſtans omnium Catholicorum ſententia eſt. Siue illa, eadem viſione qua Deũ intuentur, videant, quod veriſimilius eſt, & dictis Patrum conformius, ſiue particularibus reuelationibus ſibi à Deo factis cognoſcant, quod ab hac ſimplici tractatione alienum eſt. Certè Bernardus ſic ait: Et verè quid opus eſt ſcalis tenenti iam ſolium? Creatura cœli illa eſt, præſtò habens per quod potiùs iſta intueatur. Videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum: nec opus habet ex his, quæ facta ſunt, factoris notitiam mendicare. Neque enim vt vel ipſa nouerit, ad ipſa deſcendit, quæ ibi illa videt, vbi longè meliora ſunt quàm in ſeipſis. Et Gregorius quodam loco de Angelis, & alio loco de ſanctis beatis ait:

Bern. ſer. de conſiderat.

Greg. 2. mor. c. 2. & 4. dialo. c. 33. Aug. 4. de gen. ad litt. c. 23.

Quia illic omnes communi claritate Deum conſpiciunt, quid eſt quod ibi neſciant, vbi ſcientem omnia ſciunt? Et Auguſtinus, Multum intereſt inter cognitionem rei cuiuſque in verbo Dei, & cognitionem in natura eius, vt illud meritò ad diem pertineat, id eſt ad notitiam, qua res in Deo videtur; hoc ad veſperam. Hæc illi Patres. Quod & ex ipſa natura ſtatus beatorum colligitur. Illis namque nihil deeſſe poſſe eorum quæ ad fœlicem ſortem ipſorum neceſſaria, à ſapiente iudicabitur: aliquid profectò deficeret, ſi iuxta regem poſiti, preces ipſas orantium ignorarent, vota neſcirent, & eiſdem impertando & ſupplicando pro eis nullum remedium afferent.

Virgo igitur Beata (vt nunc de illa loquamur) noſtras preces audit, noſtras lacrymas videt, noſtra vota & deſideria cognoſcit. Quis ergo non genuflectat ante illam, & quanta potuerit reuerentia illam veneretur, ab eáque non tam verbis quàm affectibus & deſideriis poſtulet ſuarum miſeriarum remedia, ſuarum tentationum victoriam? Tu igitur qui ſanctæ Virginis amore teneris, & erga eam gratitudinis affectu tangeris, in aliqua hora veſperæ aut noctis intra cubiculum mentis tuæ, & clauſo oſtio omnibus terrenis & curis & cogitationibus, ora matrem tuam, & ipſa quæ videt in abſcondito, reddet tibi.

Sic autem eam inuocabis. Primò, ipſam Beatam Virginem, vt decet, magnificis titulis exalta. Voca eam Mariam ſanctiſſimam, puriſſimam, prudentiſſimam. Voca eam Reginam Angelorum, Imperatricem hominum, Dominam omnium creaturarum, Matrem Dei veriſſimam, Matrem peccatorum miſericordiſſimam, & aliis ſimilibus titulis eam inuocando tuorum deſideriorum exauditionem poſtulabis. Deinde tuas illi miſerias, tuam paupertatem, nuditatem, infirmitatem, puſillanimitatem, vulnera, & plagas aperies, & vt ea ad miſerationem aſpiciat, impensè depoſces. Poſtea de ipſius Virginis bonis gaudebis, quòd ſcilicet fuerit in Dei Matrem electa, ab omni peccato etiam originali præſeruata, tot virtutibus, tot donis, & prærogatiuis, tot diuinis reuelationibus, & conſolationibus affecta, & ſuper choros Angelorum exaltata. Tandem ab hac miſericordiæ Matre hæc ſuo ordine petes.

Petes inquam primò, vt impetret tibi à filio ſuo ſingularem affectum deuotionis erga eandem Virginem; vt eam in Dominam & Matrem habeas, vt ipſa te in ſeruum & filium agnoſcat.

Secundò, vt impetret tibi plenam remiſſionem omnium peccatorum, veriſſimam deteſtationem eorum, & dignos in hac vita pœnitentiæ fructus, & vt poſſis dignè ſatisfacere pro eis.

Tertiò, magnum ſpiritum mortificationis, iudicij, & voluntatis, ſenſuum, & paſſionum, elongationem intellectu & affectu ab omnibus creaturis, & victoriam tentationum, à mundo, à diabolo, & à carne prouenientium.

Quartò, augmentum fidei, certam ſpem, perfectam charitatem, veram in Dei voluntate reſignationem, mentis ſerenitatem, & pro receptis à Deo beneficiis gratitudinem.

Quintò, Feruorem in diuinis obſequiis, rectitudinem intentionis, & in omnibus circumſpectionem.

Sextò, Donum orationis, donum habendæ ſemper præſentiæ diuinæ, obedientiam ad ſuperiores, affabilitatem & manſuetudinem ad fratres.

Septimò, Magnanimitatem, patientiam in aduerſis, manſuetudinem in iniuriis, conſtantiam in bonis propoſitis adimplendis.

Octauò, Paupertatem, caſtitatem, humilitatem, atque eius comites inſeparabiles, modeſtiam & ſilentium.

Nonò, Vt talentis tibi à Domino prærogatis, qualia ſunt literæ, ingenium, & cætera huiuſmodi, Domino famuleris, cedántque ſemper in gloriam Dei proximorúmque ſalutem.

Decimò, vt reuerenter, deuotè, & fructuosè ſacrum Miſſæ ſacrificium celebres, vel ad ſacram communionem accedas, vt eo miniſterio occuperis, in quo Domino acceptior ſis futurus, & vt auxilium efficax conſequaris ad bene ſatisfaciendum huic muneri, in quo nunc occupatis.

Vndecimò, Tandem petes perſeuerantiæ donum, fœlicem & ſanctam mortem, & auxilium in tremendo iudicio.

Ex his ergo punctis, aut ex aliis ſimilibus poteris formare orationem tuam ad Virginem, ita vt coram ea ſaltem per aliquam breuem morulam (nam hæc pro ratione affectus, & contrahi & protrahi poterunt) cor tuum effundas, & dona ad ſanctè viuendum neceſſaria, tibi dari depoſcas. Crede mihi, frater, in hoc exercitio magna eſt vtilitas, & ſub hac ſimplicitate verborum ingens latet fructus. Nam benigna mater noſtra occaſiones quærit ditandi nos, & ad magnam virtutem prouehendi. Eſt autem illi magna exercendæ liberalitatis occaſio, ſi quotidie, vt pauperes & egeni, in conſpectu eius appareamus, & miſerias noſtras aperientes, dona fiducialiter poſtulemus.

De inuocatione Angeli cuſtodis, & Sanctorum.

CAPVT VI.

BEATA Virgo Maria Mater noſtra eſt: ſic enim eam audacter appellamus, quia Dominum cruci affixum dicentem Ioanni, Ecce Mater tua,] & in eo omnibus nobis eadem verba proferentem, audiuimus. Angeli autem & ſancti ſunt aduocati noſtri, quorum eſt apud Deum noſtra negotia agere, & noſtram defenſionem patrociniúmque ſuſcipere. Sed inter Angelos, cuſtodis Angeli præcipuè eſt interuenire pro nobis, & inſtar pædagogi nos noſtráque curare. Qui ex dilectione quam erga nos habet, de omnibus nos ipſos docet, à malo retrahit, ad bonum inducit, in proſperitate moderatè deprimit, ne ſuperbiamus, in aduerſitate iuuat, ne deſperemus, viuentes comitatur, morientes tuetur, & ducem ſe ad Deum properantibus præbet. Inter Sanctos verò illi præcipuè nobis opem ferunt, quorum dies feſtos celebramus, quorum auxilium

ſpeciali

ſpecialiter imploramus, & quos ex peculiaribus obſequiis apud Dominum patronos habemus.

Singulis ergo diebus, Angelus cuſtos, & Sancti; quorum eo die Eccleſia natalitia commemorat, & alij patroni à nobis electi, vel ſimul, vel ſeparatim inuocandi ſunt, vt eorum patrociniis adiuti, fœliciùs & breuiùs ad perfectionem properemus. Et per hebdomadam tota curia cœleſtis compellanda eſt, & quaſi per gradus ad noſtrum auxiliū inuitanda, vt auxilio vniuerſorū beatorū indigi, eos omnes aſſiduis precibus nobis propitios faciamus. Dominica ergo die, nouem Angelorū choros: feria ſecunda, Apoſtolorum, Patriarcharum, & Prophetarum cœtus: feria tertia, Martyrum acies: feria quarta, Pontifices: feria quinta, Doctores: feria ſexta, Confeſſores & Anachoretas: ſabbato, Virgines, & Sanctas omnes inuocabis, eiſque ad auxilia ſuæ impetrationis promerenda, obſequium tuæ precationis, & tuorum deſideriorum manifeſtationem offeres. Ad quod te hortatur Bernardus, qui explicans illud: Columba mea, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.] ita ait: Cedit nempe in modum maceriæ mollioris pia maceries deſiderio animæ, cedit puræ contemplationi, cedit crebræ orationi. Denique oratio iuſti penetrat cœlos. Non vtique aëris huius corporei ſpatioſas altitudines veluti quodam remigio alarum ſuarum, inſtar volucris volantis ſcindet, aut quaſi gladius acutus ipſius firmamenti ſolidum celſumque verticem perforabit: ſed ſunt cœli ſancti, viui, rationales, qui enarrant gloriam Dei, qui fauorabili quadam pietate noſtris ſe votis libenter inclinant, & ſinuatis ad tactum noſtræ deuotionis affectibus, in ſua nos recipiunt viſcera, quoties digna ad eos intentione pulſamus. Pulſanti enim aperietur. Licebit itaque vnicuique noſtrûm etiam hoc tempore mortalitatis cauare ſibi, quacumque parte volet, cauernam ſupernæ maceriæ, nunc quidem Patriarchas reuiſere, nunc verò ſalutare Prophetas, nunc ſenatui immiſceri Apoſtolorum, nunc Martyrum inſeri choris, ſed & beatarū virtutum ſtatus & manſiones à minimo Angelo, vſque ad Cherubim & Seraphim tota mentis alacritate percurrendo luſtrare, prout quemque ſua deuotio feret. Apud quos magis efficietur, immittente ſibi ſpiritu prout vult; ſi ſteterit, & pulſauerit, confeſtim aperietur ei, & facta quaſi cauerna in montibus, vel potiùs mentibus ſancti, dum ſe vltro inflectunt ad pietatem, requieſcet vel paululum apud illos.

Cant. 2. *Bern. ſer. 63. in Cant.*

Si autem quæras, quomodo Angeli & Sancti inuocandi ſunt? breuiter dico & oratione aliqua vocali ad hoc inſtituta, vt vox, & corpus noſtrum illis ſe ſubdat, & oratione mentali, vt eiſdem ſpiritus noſter ſe ſubiiciat. Hæc autem oratio eadem erit, quam paulò antè ad Virginem dirigendam eſſe protulimus. Niſi quòd, & Sanctorum titulos mutabis, quos Dei amicos, cœleſtis curiæ Principes, Eccleſiæ columnas, fidelium patres, & aliis ſimilibus nominibus poteris appellare: quæ te ad reuerentiam, ad attentionem, & ad deprecandi feruorem alliciant. Poſtquam verò illos laudaueris, & illis pro ſanctiſſima vita & fœlici morte gratulatus fueris; ſuprà explicatas virtutes & dona poſces, quæ ideo ſummatim præſtricta ſunt: quia non orationes, quæ ex libro legantur, componimus, ſed aditum ad mente ſurgendum in Deum, & ad affectus excitandos, aperimus.

A

De ſalutando frequenter Domino, in Sacramento Euchariſtiæ latente.

CAPVT VII.

QVi Sanctos pro ratione ſtatus ſui, quo ad ſanctitatem properant, & ad conſortium Sanctorum feſtinant, quotidie inuocare aſſueſcunt, quanta potiori ratione ipſum Dominum Sanctorum, non iam ſolùm in cœlo manentem, ſed in terris, & in domo eorum commorantem ſalutabunt? Certè mirabilis eſt dignatio Saluatoris, qua voluit ſub Euchariſtiæ Sacramento in templis noſtris habitare, & non aliter quàm paterfamiliâs in præcipua cella domus, nempe in Eccleſia, quæ quaſi cella magna eſt, quia Prælatus magnus & ſummus rerum moderator in ea manet, ad noſtrum tutamen, & regimen, & conſolationem aſſiſtere. Fidelis eſt ille, qui opere complet, quod dixit: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.] Eſt enim nobiſcum protectione ſua, cùm nos à malis & periculis defendit: eſt & præſentia ſua, dum apud nos ſub ſpecie panis & vini manet, & ſe huius vitæ comitem exhibet. Et, ſi ex eo, quòd Ioſeph Patriarcham Dominus è carcere eripuit, dictum eſt: Deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum:] quanto mirabiliùs nobiſcum in foueam deſcendit, qui non tantùm nos ſua prouidentia protegit, ſed & ſecundùm corpus aſſumptum, in foueis noſtris, & in luteis templis à nobis exædificatis nobiſcum habitare conſtituit?

B *Matth. vlt. 20.* C *Sap. 10. 13. 14.*

Hæc ſanè meditatio tanti ponderis fuit in cordibus multorum Sanctorum, vt Eccleſias, in quibus Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruatur, deuotiſſimè frequentarent, & eas cellas proprias ad iugiter manendum efficerent. Beatus Dominicus ſanctiſſimus ordinis Prædicatorum pater, nullam ferè aliam cellam niſi Eccleſiam habebat. Qui poſtquam copioſis lucris animarum inſtiterat, in Eccleſiam ſe recipiebat, & ibi lectioni, orationi, gemitibus, & ſuſpiriis ſe dabat. Eum ex parte multi alij ex viris ſpiritualibus imitati ſunt, qui vt fideles ſerui, cùm per alias occupationes licet, ad Eccleſiam, vt ad conclaue Domini ſui, tota deuotione confugiunt, & ei genuflexi, aut ſtantes, aut ſi aliter non poſſunt, in humili ſcabello ſedentes aſſiſtunt. Putant namque (& non decipiuntur) in templis ſanctæ Eccleſiæ illud etiam Danielis impleri: Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.] Et ideo præſentia miſcent ſe Angelis, vt quorum vitam imitari geſtiunt, etiam ſocietate lætentur.

Lib. 3. vi 14. c. 12. D *Daniel 7. 10.*

Ergo & tu, qui hoc beneficio præſentiæ Domini frueris, qui eum tuæ propriæ domus habitatorem agnoſcis, in ſignum gratitudinis aliqua tempora quotidie ſignata habeas, in quibus ad Eccleſiam te conferas, & ad eum ſalutandum accurras. Et vt aliquid tibi ſpeciale proponam, poteris Beatum Franciſcum Borgiam imitari, priùs Ducem Gandenſem & Magnatem Hiſpaniæ, poſtea ſeruum Ieſu Chriſti, & tertium noſtræ Societatis Generalem, qui (vt nouitius audiui) ſepties quotidie ſe in Eccleſia Domino præſentabat, & pro ſeptem donis Spiritus ſancti, hanc, quam ſubiungam, orationem fundebat.

E

1. In honorem ſanguinis effuſi in Circunciſione, & petebat donum ſapientiæ, & virtutem caſtitatis.

2. In honorem ſanguinis effuſi

Adorabat igitur ille Dominum, & recitabat ſemel orationē Dominicam, & ſalutationē Angelicā, in honorē ſeptem effuſionum ſanguinis Domini, hoc ordine.

in horto, & petebat donum intellectus, & virtutem abſtinentiæ.

3. In honorem ſanguinis effuſi in columna, & petebat donum ſcientiæ & virtutem charitatis.

4. In honorem ſanguinis effuſi in coronatione ſpinarum, & petebat donum timoris & virtutem humilitatis.

5. In honorem ſanguinis effuſi in fixura manuum, & petebat donum conſilij & virtutem miſericordiæ.

6. In honorem ſanguinis effuſi in fixura pedum, & petebat donum fortitudinis & virtutem perſeuerantiæ.

7. In honorem ſanguinis effuſi ex vulnere lateris, & petebat donum pietatis, & virtutem patientiæ.

Non erit autem moleſtum, nec cuſtodiæ cellæ contrarium ſepties quotidie in Eccleſiam venire, ſi ſcias has Domini viſitationes prudenter diſponere, & in apta totius diei tempora diſtribuere. Nam manè cùm primùm ſurgis è lecto, cùm ad celebrandum aut audiendum ſacrum accedis, cùm manè & veſperi ad aliquod miniſterium vel negotium egrederis, cùm è prandio vel cœna ad cellam redis, facile eſt opportuna tempora ad viſitandum Dominum reperire. Et ſiue hoc pium exercitium ſiue aliud aſſumas, nunquam prætermittas ad tuum Saluatorem accurrere, & te coram illo in Sacramento abſcondito præſentare. Res namque eſt infinitè benignus, & miſerationum Dominus, qui ſe honorantes exaltat, quærentes admittit, & bona poſtulantes à ſe vacuos abire non ſinit.

De conſcientiæ examine ante cubitum, & primò de eius neceſſitate.

CAPVT VIII.

IN his, aut aliis ſimilibus diuini cultus exercitationibus, & in conſuetis literarum ſtudiis, aut animarum miniſteriis, veſpera inſumenda eſt: ad noctem verò diuinum officium perſoluendum, orationi mentali incumbendum, & poſt moderatiſſimam cœnam, & pauſationem aliquam, conſcientiæ diſcuſſio, antequam ad ſomnum nos componamus, diligenter iteranda. Et quia hoc opus (quod ſuprà in hunc locum reiecimus) ad vitam ſpiritualem ſummi momenti eſt, ideo paulo latiùs eius neceſſitatem, multiplices vtilitates, & qualiter faciendum ſit, explicabimus. Eſt igitur examinatio conſcientiæ, ſubtilis exquiſitáque diſcuſſio, qua cogitationes, deſideria, verba, & actiones noſtras expendimus, & mala ac bona à nobis geſta retractamus. Hæc autem diſcuſſio admodum neceſſaria eſt, vt Deo, cui placere cupimus, inuiſi non ſimus. Ipſe enim omnium hominum, ſed præcipuè iuſtorum geſta & cogitata conſiderat, eorum bona approbat, & mala condemnat. His tamen malis, ſcilicet clementer ignoſcit, ſi ea à nobis per examen cognita, & fletu ac compunctione lota eſſe deprehendit. Quid eſt homo, inquit Sanctus Iob, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuū? Viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum.] Quid rogo eſt, hominem à Deo magnificari ac viſitari, niſi donis ac muneribus impleri? Sed quid eſt Deum erga hominem cor ſuum apponere, eùmque probare, niſi an bene ſuis donis vtatur animaduertere, & eius opera moreſque diſcutere? Vnde Gregorius hunc eundem ſenſum attingens, ſic ait: Hominem Deus magnificat, quia largitate rationis ditat, infuſione gratiæ viſitat, honore collatæ virtutis exaltat. Cùmque per ſemetipſum nihil ſit, eſſe tamen eum cognitionis ſuæ participem, benignitatis munere concedit. Sed erga eundem magnificatum hominem cor ſuum Dominus apponit; quia poſt dona iudicium exerit, merita ſubtiliter penſat, vitæ pondera vehementer examinat, & tanto ab eo pòſt diſtrictiùs pœnas exigit, quanto hunc impenſo munere largiùs præuenit.] Hæc autem mala, quæ Dominus in nobis aduertit, eum ad iram prouocant, niſi per compunctionem, & emendationis deſiderium, atque propoſitum à nobis abſcedant. Tunc verò de malè factis compungimur, tunc ea vitare cupimus, atque proponimus, cùm in conſcientiæ diſcuſſione ipſa mala eſſe, & Deo diſplicuiſſe deprehendimus. Nam quæ per ignorantiam, aut infirmitatem, aut etiam malitiam commiſimus, hæc diſcuſſio hocve examen detegit, & ante oculos mentis vt lugeantur & deleantur, ſtatuit. Hunc autem eſſe fructum examinis Ricardus Victorinus in hunc ferè modum exponit. Multa enim tempore compunctionis, & orationis, mala & iniuſta eſſe inuenit, quæ priùs ex animi impetu, & quaſi præcipitanter definiuit, quæ tamen iniuſta eſſe, tunc temporis aduertit, & multa ſæpe ex eodem ſpiritus ſui impetu homo contra conſcientiam ſuam dictat, & tamen eandem animi ſui præcipitationem poſtmodum ſub orationis & deuotionis ſuæ tempore temperat, & ad ſaniorem ſententiam reformat. Debemus itaque ea quæ præcipitanter magis quàm prudenter ſtatuimus, & mala eſſe pertimeſcimus, poſtmodum diligenter diſcutere, & vtrùm iuſta an iniuſta, vtilia an inutilia ſint, ſagaci retractatione perquirere.

Hinc autem manifeſtè colligitur, quòd qui non ſe frequenter examināt, vitam rectam atque perfectam habere via poſſunt. Sicut enim linea nequaquam à rectitudine exorbitare creditur, quando abſque adminiculo regulæ videtur: at ſtatim eius obliquitas detegitur, ſi norma aut regula dirigatur; ita & operum noſtrorum defectus, cognitionem noſtram prætereunt, quandiu examinis regula, ipſa opera non expendunt. Nam & hæc conſcientiæ propriæ diſcuſſio regula eſt, quæ profectò actiones noſtras dirigit, & quid in eis flexuoſum, quid rectum, quid Deo inuiſum, quid gratum, oſtendit. Si ergo artificibus regula neceſſaria eſt, vt opera ſua iuxta præſcriptum artis faciant, & viris ſpiritualibus examinatio operum & cogitationum neceſſaria eſt, vt rectè viuant, & iuxta virtutis præſcriptum ſuam vitam inſtituant: Certè cùm cellam noſtram mundare diſponimus, priùs ſordes & immunditias in vnum cumulum congerimus, vt poſtea extra cellam reiiciamus. Sic & conſcientiæ cubiculum mundandum eſt; & ſicut pœnitentia delicta foras eiicit; ita & examinatio in vnum locum congerit. At ſi per hoc exercitium delicta & defectus noſtros non videamus, & in memoriæ receptaculum ad compūctionem, ad lacrymas, & ad confeſſionem non congregemus, quomodo foras reiiciemus? Aptè profectò quidam conſcientiæ examen humorum commotioni comparauit: vt quemadmodum medicinæ ars priùs beneficio alicuius pharmaci humores commouet, & poſtea per ſequentem potionem pellit: ita & ars ſanctè ſpiritualitérque viuendi, primò per examen peccata mouet, & quaſi à ſua ſede extrahit, & poſtmodum per contritionem & confeſſionem foras eiicit. Hunc eſſe fructum examinis le-

Iob.7.17.18.

Greg. 8. mor. c. 16

Ricard. Vict. li. 1. de erud. inter hom.

temias

Digitized by Google

remias expreſſiſſe videtur, cùm ait: Scrutemur vias
Threnor. 4. 40. noſtras, & quæramus; & reuertamur ad Dominum.]
Quid enim aliud eſt, vias noſtras ſcrutari, niſi mores,
affectus, opera, verba, & cogitationes diſcutere? Quid
eſt hæc quærere, niſi eadem qualia ſunt, an bona an
mala, an perfecta an imperfecta, an Deo grata an in-
uiſa, per examen exquirere? Inde autem quid ſequi-
tur? Certè, vt reuertamur ad Dominum, vt ſcilicet
per veram pœnitentiam eius indignationem pella-
mus, ipſiúſque amicitiam & gratiam impetremus.
Diſcuſſio ergo conſcientiæ ad hoc valet, vt peccata
noſtra deteſtemur, & malè admiſſa lugeamus. Sic
que ſanctus Dauid ſe ad delictorum ſuorum deſtru-
Pſal. 6. 7. ctionem incitabat: Laboraui, inquit, in gemitu
meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: La-
crymis meis ſtratum meum rigabo.] Dixerat priùs:
v. 4. Conuertere Domine, eripe animam meam; ſaluum
me fac propter miſericordiam tuam.] quibus verbis
Dominum deprecatur, vt ſibi priſtinas iniquitates
ignoſcat. Vt autem veniam conſequatur, ait, gemitibus
& ſuſpiriis fatigabo me ipſum, in loco quietis meæ
delicta mea recogitabo, & præcordia mea dolore &
deſolatione complebo. Hæc namque via eſt, ô Do-
mine, vt tuam miſericordiam flectam, & ad parcen-
dum & miſerandum, tuum benignum pectus alli-
ciam.

Iam verò breuiter huius frequentis diſcuſſionis
neceſſitates colligamus. Prima eſt quòd peccata de-
tegit, & lucem ad ea cognoſcenda ac ſapientiam im
pertit. Dum enim nos ipſos inſpicere, & mala à bo-
nis ſeparare aſſueſcimus, à Domino, qui fidelis eſt,
de malis vitandis, & bonis agendis, erudimur. In
Iudicum 6. n. 11. 12. cuius ſignum Gedeon [cùm excuteret atque purga-
ret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, appa-
ruit ei Angelus Domini,] qui eum Domini volunta-
tem docuit, & ducem ad Madianitas vincendos &
profligandos conſtituit. Tunc quidem, ô iuſte, ad
fugiendum Madian frumenta purgas; cùm ad vitan-
dos diaboli laqueos, ſoletti conſideratione vitam
tuam & mores examinas. Huic autem operi inten-
tus nuncium Domini aſpicis, & ab eo dux aduersùs
hoſtes conſtitueris, cùm lucem cœlitus immiſſam ad
mala tua cognoſcenda ſentis, & ex inſpectione eo-
rum ad fletum & ad compunctionem, quibus pec-
cata deſtruuntur, incitaris. Quid eſt frumentum vir-
Gregor. 3. mor. c. 17. ga cædere, inquit Gregorius, niſi rectitudine iudicij
à vitiorum paleis, virtutum grana ſeparare? Qui ergo
iudicio & examine bona ſua opera à prauis vel ope-
ribus, vel affectibus, vel adiacentibus ſeparant, ſe ad
diuinæ lucis irradiationem præparant. Dominus in
extremo die homines iudicaturus, priùs eorum con-
ſcientias diſcutiet, & examine manifeſtabit, vt poſtea
bonis præmia cumulatiſſima, malis autem acerbiſſi-
1. Cor. 4. 5. mas pœnas exoluat. Quare & Paulus ait; Nolite
ante tempus iudicare, quoad vſque veniat Domi-
nus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, &
manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vni-
cuique à Deo.] Tenebrarum, id eſt, peccatorum, de-
tectio, & conſiliorum cordis manifeſtatio, laudem à
Deo decernendam, vel vituperationem præcedit,
quia ipſa natura dictante nullus ante cognitam à iu-
dice cauſam iudicandus eſt, nec bonus aut malus
proclamandus. Et Dominus per os Dauidis ita pec-
Pſal. 49. 21. catorem alloquitur: Exiſtimaſti inique, quòd ero
tui ſimilis, arguam te, & ſtatuam contra faciẽ tuam.]
Multa, inquam, mala & flagitioſa perpetraſti, & ego
ad tempus tacui, & diſſimulaui, & te impunitum di-
miſi. At non in perpetuum tacebo, ſed me contra id
quod tu exiſtimabas, admodum tui diſſimilem oſtẽ-
dabo, cùm flagitia tua puniens, me peccatis tuis non

A oblectari, ſed indignari, patefaciam. Vt verò debitis
te pœnis afficiam, priùs peccata tua tuis oculis con-
ſideranda proponam, priùs vitam tuam ſordidiſſi-
mam penicillo ſapientiæ meæ ante te depingam, vt
te ipſum intelligas, & me iudicem iuſtè punientem
agnoſcas. Idem igitur ordo, ſi errare nolumus, in iu-
dicio à nobis faciendo tenendus eſt, vt ſcilicet ante-
quam nos, vel vt reos ligemus, vel vt innocentes ab-
ſoluamus, geſta & cogitata noſtra ſolerti examina-
tione iudicemus. Optimè profectò Ricardus ait:
Diuinitus arguitur, cùm diuina inſpiratione tactus *Ricar. de ſomno Nabuch. c. 22.*
animus, conſcientiæ propriæ accuſatione confundi-
tur. Et quaſi contra faciem propriam præuaricatrix
anima ſtatuitur, quando in fœditatis ſuæ conſidera-
tione, contra ſemetipſam per increpationem ſæuire
B videtur. Aſſuetudo itaque inſpiciendi nos ipſos, &
quaſi in obſcuro cordis noſtri manendi, cauſa eſt, vt
occulta patefiant, & quæ priùs abſcondebantur, ap-
pareant. Colligat ergo ſe intra ſeipſum perfectionis
amator, conetur ſeipſum agnoſcere, & ſuarum cogi-
tationum & actionum intentionem & qualitates de-
prehendere, & ſibi lucem affuturam ad hanc vtiliſ-
ſimam ſui cognitionem, de diuina bonitate confi-
dat. Cuius ope ſe eſſe quod re vera eſt, iudicabit, &
quantumuis perfectus, veriſſima humilitate deſpi-
ciet, quia nunquam in humano corde deerit, dum
hîc viuimus, quod nos ad humilitatem & ſanctam
compunctionem prouocet, niſi fortè vita noſtra ſe
ſub velo proprij amoris occultet.

C Secunda neceſſitas diſcuſſionis eſt, quòd ſine illa
nemo (vt par eſt) ſuorum erratorum deteſtationem
concipit. Nam quis rogo, ſuam paupertatem, quam
non nouit, vnquam auerſatus eſt? quis, inquam, ob
infamiam, quam penitus neſcit, eſt dolore commo-
tus? Similis autem huic eſt, qui penitus ſuos defectus
& miſerias ignorat, qui profectò nunquam eas luge-
bit, nec cenſura emendationis abiiciet. Quomodo
autem non ignorabit defectus ſuos, qui ſua interiora
non reſpicit, qui ſe non examinat, ſe non diſcutit, &
qui nunquam quod in corde, & quod in manibus
geſtat, aduertit? Diſcuſſio ergo conſcientiæ, initium
ſalutaris doloris eſt, & ſanctæ compunctionis exor-
dium, qua cùm caſus noſtros aſpicimus, ad triſtitiam
& deteſtationem peccatorum incitamur. Poſtquam
enim conuertiſti me, ait Propheta, egi pœnitentiam: *Ier. 31. 19.*
& poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum.]
D Nam licèt nos Deus ad bonam frugem conuertat,
& opus hoc conuerſionis noſtræ ei aſcribendum ſit,
tanquam bonorum vniuerſorum authori, tamen
cùm huius operis cooperatores nos eſſe velit, ipſe in-
cipiens noſtra opera non excludit. Quo autem or-
dine conuertamur, indicat, dicens: Poſtquam oſten- *Ier. 31. 19*
diſti mihi, percuſſi femur meum,] quia prius eſt, cul-
pas noſtras attenta diſcuſſione deprehendere; & po-
ſterius debita pœna caſtigare. Denique, confuſus
ſum, & erubui: quoniam ſuſtinui opprobrium ado-
leſcentiæ meæ.] Ac ſi diceret: Oſtendiſti mihi, Domi-
ne, peccata mea, dum ſcrutabar illa, & ipſorum co-
gnitione tactum puduit me talia patraſſe, & probro-
ſis adoleſcentiæ meæ affectibus ſeruiuiſſe. Vide, quo-
E modo peccatorum cognitio, quæ diſcuſſione obti-
netur, cor noſtrum ad compunctionem & dolorem
impellat. Non videbat ſe patiens Iob, & ideo non
erubeſcebat, immò quaſi penitus innocens de ſua ſe
innocentia iactabat, & de tantis miſeriis ſibi à Domi-
no illatis conquerebatur. At poſtquam ſe ipſum no-
ua quadam & magis intima reuelatione conſpexit,
& ſuam vilitatem agnouit, querimonias ponit, &
vultum pœnitentis aſſumit. Auditu, inquit, auris *Iob. 42. 5.*
audiui te, & quaſi à longè cognoui, nunc autem ocu-

lus meus

lus meus videt te.] Id eſt, tuam ſapientiam, & cauſas meæ percuſſionis & plagarum percepi. Idcirco ipſe me reprehendo, quòd tam audaciter me innocétem dixi, me ſine cauſa pati pronunciaui, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Eodem quidem modo cùm propriam conſcientiam non videmus, nos iuſtos & aliis meliores dicimus: cùm verò eam per examen diſcutimus, tunc miſeros & peccatores iudicamus. *Greg. lib. 35. mor. c. 5.* Et quanto ſe quis minùs videt, inquit Gregorius, tāto ſibi minùs diſplicet: & quanto maioris gratiæ lumen percepit, tanto ampliùs reprehenſibilem ſe eſſe cognoſcit. Cùm enim intrinſecus ſubleuatur per omne quod eſt, ad eam, quam ſuper ſe conſpicit, regulam congruere nititur. Et quia adhuc humana infirmitas præpedit, cernit quia ei ex minima parte diſſentit. Totúmq; illi oneroſum eſt, quod internæ regulæ conueniens non eſt.] Sic ille.

Hanc etiam eſſe conſuetudinem Dei, vt nos per cognitionem peccatorum ad compunctionē & pœnitentiam trahat, regius Propheta non tacuit: *Pſ. 59. 4.* Commouiſti, inquit, terram, & conturbaſti eam; ſana contritiones eius, quia commota eſt.] Interrogat eo loco *Aug. ib.* Auguſtinus, quomodo conturbata eſt terra? Reſpondet autem ſibi ipſi: Conſcientiā peccatorum. Sapiens quidem & vera reſponſio. Cùm enim homo in corde ſuo delicta & peccata inuenit, quæ antea ignorabat, tunc dolore compungitur, triſtitia commouetur, timore turbatur, vt à Domino gratia ſanetur. Ipſe enim pungit, vt mulceat; mouet, vt quietet; turbat, vt turbatum præ compunctione animum à malis, quorum cauſa turbabatur, eripiat. *Pſ. 59. 5. 6.* Denique, [oſtendiſti populo tuo dura, potaſti nos vino compunctionis, dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.] Quia dum nobis, Domine, duritiam noſtram & proteruitatem oſtendis, vino compunctionis reples; & dum compunctione commoues, indicium tribuis, quòd nos à facie arcus, id eſt, à pœnis, quibus ſumus digni, liberabis. Si autem nos non diſcuteremus, nec peccata noſtra videremus, nec contritione commoueremur, ſine qua nunquam erratorum veniam impetrabimus. *Ezech. 3. 14.* Spiritus, ait Ezechiel, leuauit me, & aſſumpſit me, & abij amarus in indignatione ſpiritus mei.] In quemnam locum Spiritus Dei iuſtum efferet? Puto, quia in locum quietis & pacis, vbi & Dei bonitatem, & ſuam imbecillitatē multiplicéſque defectus agnoſcat. Et vndenam eum aſſumit? Exiſtimo, quia à curis terrenis, & à ſæculi ſolicitudinibus, vt vna ſit ei cura, vna ſolicitudo ſeipſum noſcere, ſeipſum à malis purgare. Ibi amaritudine repletur, dum ſe minùs purgatum, minùs feruidum inuenit. Ibi aduerſùs ſemetipſum indignatur, & ex cognitione ſui ad indignationem iuſtam tranſit aduerſùm ſe, & ex dolore & indignatione ad ſpem diuinę miſerationis, ad tranquillitatem mentis, & ad percipiendam cœleſtē conſolationē aſcendit. Nam & ſtatim Propheta ſubdit: Et manus Domini erat mecum, confortans me.] Eos enim manus Domini recreat, & reficit, quos ex cognitione quotidianorum defectuum compunctos & deſolatos reperit.

Maneat igitur, conſcientiæ diſcuſſionem eſſe compunctionis originem, & ſancti mœroris matrem, quo ad conſolationem paramur, & veniam erratorum promeremur. Hanc vtilitatem examinis non ſiluit Chryſoſtomus, qui ad illud faciendum fideles exhortans, ſic ait: Ecce habes codicem, vbi ſcribas quotidianū expenſum. Habeto codicem, conſcientiam tuam, & ſcribe quotidiana peccata. Quando accubueris ſuper ſtratum tuum, & neminem infeſtum pateris; antequam veniat tibi ſomnus, profer in medium conſcientiam tuam, & reminiſcere peccata tua,

A ſi quid in verbo, ſeu in facto, vel cogitatione peccaſti. Hoc enim dicit Propheta: Iraſcimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini. *Pſal 4. 5.*] Per diē non habuiſti tēpus, ſed obſcuriſti iudici tuo; & iniunctum negotiū, & confabulatio amicorū, & domeſtica neceſſitas, & filiorū cura, & vxoris ſolicitudo, & militiæ timor, & cæterarum te mille rerum circumdederunt cauſæ? Quando in lectulum tuum veneris, vt ſopori membra concedas, ad tranquillum portum nemo tibi moleſtus eſt, nemo pulſat: Dicito in corde tuo & animia tua: Expendimus diem, ô anima, quid boni fecimus, & quid mali operati ſumus? Et ſi quid boni feciſti, gratias age Deo: ſi quid mali, de cætero ne facias. Et reminiſcens peccatorum tuorum, effunde lacrymas, & poteris in lectulo tuo poſitus ea delere. Roga Deum

B tuum, & ſic permitte animam tuam ſoporari. Confeſſus peccata tua, facito tibimetipſi rationem, & ora miſericordiam Dei, & inuenies requiem. Quid graue, aut quid moleſtum eſt poſitum, in lecto quotidiana deflere peccata? Cùm reputare tibi cœperis, tanquam in equuleo ſuſpende cogitationes tuas, & vngula timoris Domini radito eas. Propone tibi timorem gehennæ, ſuperducito ei ſecturæ ictum non habentem dolorem. Iudicium facito tibimetipſi terribile, leuiorem præpara confeſſionem cogitatuum tuorum, vt non in futura die ignauior ſis ad perſcrutanda peccata.] Hactenus ille. Vide igitur, quomodo examinatio conſcientiæ compunctionem excitat, & animus compunctus antea culparum ſtimulis perturbatus, ſerenitatem & lætitiam

C inueniat.

Hinc autem oritur tertia diſcuſſionis neceſſitas, quòd ſine illa communiter culparum noſtrarum remiſſionem nequaquam conſequimur. Dixi, cōmuniter: quia aliquando homo peccati cuiuſdam oblitus, illius veniam aſſequitur, dum de aliis dolet, & pœnitentiæ Sacramento ſe ſubiicit: &, ſi illius peccati obliti meminiſſet, etiam illud deteſtaretur. At ſi legem à Deo latam inſpiciamus, illud peccatum ſiue graue, ſiue leue, nobis remittitur, quod vera deteſtatione & odio proſequimur: illud verò deteſtamur, quod à nobis patratū eſſe cognoſcimus, quod in receſſu mentis noſtræ, attenta conſcientiæ diſcuſſione deprehendimus: Maria Magdalena prius ſui cordis fœditatem

D aſpexit, deinde ad pedes Domini fleuit, & ſuas iniquitates doluit, & tandem veniā impetrauit: & verba illa, [dulciora ſuper mel & fauum,] Dimittuntur *Pſal. 18. 11.* tibi peccata tua,] ex ore Domini miſerentis audiuit. *Luc. 7.* De qua Gregorius ait: Quia turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, lauanda ad fontē miſericordiæ cucurrit.] *Gregor. hom. 33. in Euāg.* Si autem maculas ſuas nō aſpexiſſet, abſq; dubio ad balneum miſerationum Domini, quo mundata eſt, non veniſſet. Si ergo, ô iuſte, à quotidianis defectibus mundari cupis, eos per compunctionem deteſtare; ſi deteſtari vis, eos prius per examē cognoſce: quia ſicut nemo bonum, quod neſcit, diligit; ita malum, quod ignorat, odio habet. Moſes miſit manum in ſinum, & *Exod. 4. 6.* protulit eam leproſam: ſic dum manū in ſinū mittimus, & conſcientiā propriā diſcutimus, lepram noſtrarum culparū in lucē proferimus. Retraxit iterum

E in ſinum, & protulit, & iam non lepra candentem, ſed mundam aſpexit: quia dum nos in aſſidua examinatione defectuum exercemur, tandem ab eorum ſorde mundamur. Ille enim, (inquit Humbertus) *Hūbert. lib. 2. de erudit. religioſ. p. 1. c. 3.* quem de mari mundi Dominus ad religionem aſſumpſit, manum in ſinum mittit, quando in corde operationes ſuas diſcutit, in quibus in principio lepram peccati deprehendit, ſed inſpectionem iſtam frequentando, tandē ad puritatē operum peruenit.]

Meritò ergo conſcientiæ diſcuſſionem balneo ſimilem eſſe dixerim, qua cùm maculas noſtras cognoſcimus,& plangimus, Domini miſeratione mundamur. Iam nemo non videt conſcientiæ examen ad mentis puritatem neceſſarium eſſe:quod & peccata noſtra pandit,& ea iam cognita plangit,& dum fletu purgata ſunt,Dominus qui emundationem noſtram impensè vult,benignè remiſſionem impendit.

De examinis multiplici vtilitate.

CAPVT IX.

QVÆ ad vitam ſunt admodum neceſſaria,eſſe etiam ſolent multiplici vtilitate refecta, vt hæc multiplex vtilitas ad illorum aſſiduum vſum impellat. Vnde cùm hæc conſcientiæ examinatio, atque diſcuſſio,tam neceſſaria ſit ad vitam ſpiritualem prouehendam, non poteſt non plurimis fructibus abundare, quos ex ea ſpirituales viri tanquam ex bona arbore quotidie decerpunt. Dum autem hanc rem meditabar, videbatur quidē mihi huius diſcuſſionis neceſſitas magna,& vtilitas manifeſta. Neceſſitas eius eximia eſt,ſiquidem,ſi ad peccata grauia referatur,initium eſt remiſſionis eorum. Nam & peccatores hortamur, vt peccata ſua ſeriò recogitent, & conſcientias ſuas diligenter examinent, quo poſſint iniquitatum ſuarum grauitate perſpecta, verè illas deteſtari,& Sacerdoti,vt ab eo remittantur,per confeſſionem exponere. Si autem ad peccata leuia, & defectus applicetur, etiam eſt remiſſionis eorum exordium, & præſtantiſſimum ad emēdationem remedium.Quia non deteſtamur,nec à nobis repellere curamus,niſi quæ mala, & perfectioni, quam cupimus,aduerſantia eſſe deprehendimus. Vtilitas verò manifeſtiſſima eſt, quam non ſolùm viri ſancti, non ſolùm Chriſtiani homines, ſed & gentiles Philoſophi ductu ipſo naturæ inſtructi præuiderunt. Et, vt nunc Senecam & Plutarchum omittam,certè Pythagoras carminibus elegantiſſimis hanc diſcuſſionem conſcientiæ deſcripſit. Quorum ſenſus eſt, Quemque priuſquam ad ſomnum ſe componat,debere diuinas actiones diſcutere, & in eis tria, nimirum in quo tranſgreſſus ſit,quid fecerit, & quid minùs perfectum reliquerit, obſeruare. Sed ingratum non erit hos verſus à Poëta Latino Latinè redditos, & legere,& admirari.Ille ſic ait: *Pythag.*

Non priùs in dulcem declinat lumina ſomnum,
Omnia quàm longi reputauerit acta diei:
Quà prætergreſſus,quid geſtum in tempore,quid non?
Cur iſti facto decus abſuit,aut ratio illi?
Quid mihi præteritum?cur hæc ſententia ſedit?
Quàm melius mutare fuit?miſeratus egentem,
Cur aliquem fracta perſenſi mente dolorem?
Quid volui,quod nolle bonum foret?Vtile honeſto
Cur malus antetuli?num dicto,aut denique vultu
Perſtrictus quiſquam?Cur me natura magis quàm
Diſciplina trahit?ſic dicta & facta per omnia
Ingrediens,ortúque à veſpere cuncta reuoluens,
Offenſus prauis,dat palmam & præmia rectis.

Quis iam neget vtilitatem huius diſcuſſionis eſſe manifeſtiſſimam,quam vel cæci viderunt,id eſt, Ethnici ſola ratione naturali decorati, tam ſubtiliter explicatunt? Præter ea igitur quæ dicta ſunt,alias huius exercitij vtilitates, & alios ſuauiſſimos fructus aperiamus.

Vtilis eſt conſcientiæ quotidiana diſcuſſio ad vitia deſtruenda;quia dum mens inſpiciendo ſeipſam, ſibi vitia ineſſe cognoſcit,dum ea luget & deteſtatur, ſe ad pugnam accendit,& pugnando eadem,quibus ſubdebatur,vitia proſternit. Neſcio an hunc diſcuſſionis fructū aptè ex regio vate collegerim. Diſciplina tua,inquit,correxit me in finem: & diſciplina tua ipſa me docebit.] Quænam eſt diſciplina atque eruditio Dei? Nonne illa, qua docet animam ſeipſam agnoſcere,& bona ſua ac mala diſcernere? Hæc,inquam,docet me,Domine,quomodo in omnibus me gerere debeā,quomodo potero rectè conuerſari inter homines,& me vſq; ad finem vitæ impollutū cuſtodire.Hac autem diſciplina eruditus, feruenter ad metam perfectionis progredior,quia dilataſti,latóſq; feciſti greſſus meos ſubtus me,& non ſunt infirmata veſtigia mea. Quomodo enim infirmi & imbecilles erunt pedes mei, quos tu ad currendas vias tuas auxilio tuo roboras,& neceſſitatis currēdi notione confortas:Sic ergo notione vitiorum ac hoſtiū meorum, quibus ſubdor,indignatus, & auxilio tuo roboratus, Perſequar inimicos meos,& comprehendam illos,& non conuertar donec deficiant. Confringā illos,nec poterunt ſtare;cadent ſubtus pedes meos.] Si autem priùs eos per diſciplinam non cognouiſſem,vtiq; neque aduersùs illos pugnaſſem,neq; vſq; ad defectionem eorū,eos fuiſſem perſequutus.Nec mirum quòd noſtrorum actuū cogitationúmq; diſcuſſio, ad euertenda vitia valeat,ſiquidē vel ſolum initium eius appetitus inordinatos comprimit, & vitia ipſa infirma reddit & imbecilla. Quod Ricardus Victorinus ſignatum putat in illa mirabili auerſione Iordanis, vt filij Iſraël eius alueū ſicco veſtigio tranſirent.Ingreſſis namque Sacerdotibus Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, ſteterūt aquæ deſcendentes, in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentis apparebant.Quid eſt,Sacerdotes Iordanē ingredi,niſi inueſtigationes noſtras,cordis noſtri profundum intrare? Quid eſt, pedes aquis tingi,niſi ex præcedenti cognitione ſeu inueſtigatione aſſici? Et quid erit,aquas regredi,& alueum ſiccū relinquere, niſi prauas conſuetudines noſtras fugere,& robur quo nos infeſtabant, amittere?Sed iam ipſum doctorem venerabilem audiamus. Debemus,inquit,cordis intima perſcrutando eouſque ſaltem in aquas deſcendere, & animum noſtrum ſuper erroris noſtri conſiderationem in admirationem & ſtuporem cōuertere.Nam hoc ipſum, quod comprehendere poſſumus de ſtultitiis & erroribus noſtris,puto poſſe ſufficere nobis in tantum,vt Iordanis curſus ſeu impetum vltro cohibeat, & nutu ſpontaneo in poſteriora recurrat, priſtinæ conſuetudinis deuia damnans atque deteſtans, morū ſuorum lapſum ſponte coërcens,& in contraria dirigens. Puto quia tunc temporis Propheta ſuper aquas Iordanis intelligentiæ ſuæ arcam leuauerat, cùm generalem, nec de ſuo tantùm, ſed de quolibet corde humano ſententiam proferebat: Vniuerſa vanitas omnis homo viuens.] Videbat quorſum Iordanis fluenta currerent,cùm per increpationē exclamaret:[Vſquequò diligitis vanitatem, & quæritis mendaciū?] Videbat vbi curſum ſuum terminaret, & quòd in mare deficeret,cùm diceret; In imagine pertranſit homo,ſed & fruſtra conturbatur.]Profundè pedes in aqua tinxerat,cùm in hanc admirationis vocem erumperet: Quid enim mihi eſt in cœlo,& à te quid volui ſuper terram?] Puto quòd ad hanc pedum intinctionem, conſiderationíſque admirationem, Iordanis ima deſideriorum deſerens, in ſuperiora redeat, fontémque repetat, in tantum vt dicat: Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum.] Hactenus Ricardus. His myſticis ſimilitudinibus intelligimus quantum valeat diligens ſui, &

Pſ.17.36. *Pſ.34.39* *Ioſ.3.14.* *Ricar.li. de exterminat. mali.p.2. c.4.* *Pſ.38.6.* *Pſal.4.3.* *Pſ.38.7.* *Pſ.72.25*

attenta diſcuſſio, quæ dum noſtra mala deregit, & ad odium eorum mentem transfert, & vitia ipſa, quæ noſtri dominabantur, vincit, atque proſternit.

Vtilis eſt etiam hæc conſcientiæ diſcuſſio ad virtutes inſerendas. Nam ſicut ſtudioſus alicuius artis frequenti inſpectione operis ſui ſeipſum emendat, & ex principiis ſatis exilibus ad magnam tandem perfectionem illius artis peruenit; ſic dum virtutis cultor actiones ſuas quotidie examinat, & hanc vt prauam deſpicit, hanc vt minùs perfectam expolit, hanc vt non conuenienti tempore præſtitam in aliud tempus reiicit, non multis menſibus in magna ſe virtutum perfectione conſtituit. Iſtud autem eſſe præſtantiſſimum medium acquirendarum virtutum, Bonauentura manifeſtè docet, cuius hæc ſunt verba: [*Bona. in ſpecul. p. 2. c. 1.*] Scientiam, quæ ad inſtitutionem rectè & honeſtè viuendi pertinet, multis modis hominem colligere & comparare ſibi oportet, partim ratione, partim doctrina, partim exemplo, partim meditatione ſanctarum Scripturarum, partim aſſidua inſpectione operum & morum ſuorum. Hoc nouiſſimum maximè fortaſſis præ cæteris neceſſarium, vt ſic ſcilicet homo in omnibus operibus ſuis ſit circumſpectus & prouidus, vt quotidiana diſcuſſione cogitationes, loquutiones pariter, & facta ſua apud ſemetipſum examinet. Sapientes ſemper quippe agendo diſcunt, & per exercitium bonorum operum quotidianis profectibus in maiorem virtutis agnitionem excreſcunt. Per experientiam namque eorum, quæ faciũt, ad ea, quæ poſtea agenda fuerint, cautiores fiunt.] Ad hoc ergo à Domino ad quotidianam diſcuſſionem monemur, vt virtutes in nobis prouehi ſentiamus. Vox ſponſi eſt: [*Cant. 6. 10.*] Deſcendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & inſpicerem, ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica.] Deſcendit ille cùm nos deſcendere facit; deſcendimus autem in hortum nucum, cùm intimum noſtri cordis ingredimur, in quo ad ſimilitudinem nucum, virtutum fructus dolore & abnegatione tanquam cortice protectos poſſidemus. Ibi poma, & botros vuæ, & omnium arborum fructus inſpicimus, vt arbores excolentes in ipſorum fructuum perfectione creſcamus. Virtus ergo noſtri cordis inſpectione & diſcuſſione creſcit, & dum ſuperflua putamus & abſcindimus, mens noſtra omnem conatum in bonis promouendis impendit.

Vtilis eſt deinde conſcientiæ diſcuſſio ad quietem animi comparandam, quia ille dum mala luget, & nihil quod mordeat aut perſtrepat, in conſcientia ſua relinquit, neceſſariò pacem & tranquillitatem inducit. Iob pacem cordis ſui habere arbitrabatur, quã do dicebat, Iuſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram, neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.] Quia inquam à corde meo non reprehendor, quod diligenter excuſſi & emundaui, ideo iuſtitiam & ſanctitatem, & ex ea prouenientem animi tranquillitatem nunquam deſeram, nec mentem pacatam dimittam. In hoc eodem ſenſu interpretatur Gregorius illud eiuſdem Iob. Et defoſſus ſecurus dormies, quia qui cor ſuũ diſcuſſione effodiunt, vt illicita à ſe per deteſtationem abiiciant, pacatum ſomnum, id eſt ſecuritatem, acquirunt, Verba ſancti doctoris ſunt: [*Iob 27. 6. Greg. lib. 10. mor. c. 51.*] Vnde ſancti viri animorum ſuorum latebras perſcrutari non deſinunt, ſeſéque ſubtiliter indagantes, terrenarum rerum curas abiiciunt, & effoſſis planè cogitationibus, cùm nullo ſe reatu criminis morderi deprehendunt, velut in ſtrato cordis apud ſe ſecuri requieſcunt. Latere quoque ab huius mundi actibus appetunt, ſemper ſua conſiderant, & cùm loro regiminis minimè conſtringuntur, iudicare, quæ aliena ſunt, recuſant. Defoſſi ergo ſecuri dormiunt, quia dum ſua intima vigilanter penetrant, à laborioſis ſe huius mundi oneribus ſub quietis otio occultant.] Profectò hi, qui ſe diligenter diſcutiunt, & ſua interiora inueſtigant, ſecuri quieſcunt: quoniam nihil, quod ſecuritatem tollat, intus in corde manere permittunt. Sicut enim, qui domum ſuam ante ſomnum ſcrutati ſunt, & nec furem nec hoſtem abſconditum inuenerunt, aut ſi inuenerunt, in malam rem abire fecerunt, quietè dormiunt: ita qui antequam membra ſua ad quietem componant, latebras ſui cordis ſcrutantur, & quidquid in eis vitioſum aut imperfectum inueniunt, lacrymis & compunctione expellere curant, tranquillam noctem, imò & quietam vitam ſibi adquirunt. At è contrà, non ſinitur homo quieſcere ingruente bello: [*Eccl. 8. 8.*] quia dum hoſtes non vincimus & repellimus, neceſſariò eorum impugnatione turbamur.

Præterea vtilis eſt conſcientiæ diſcuſſio ad prudentiam adquirendam. Nam qui ſeipſum inueſtigat, & ſuorum operum tum initia, tum fines, tum circumſtantias ſcrutatur, ſic diſcit, quomodo ſibi deinde viuendum ſit, quæ agenda ſint, & quæ vitanda. Via ſtulti, inquit Sapiens, recta in oculis eius: [*Prou. 12. 15.*] qui autem ſapiens eſt, audit conſilia.] Quare ſtultus? quia conſilia non ſuſcipit, quia ſuæ conſcientiæ monitiones non audit, ſola externa virtutis facie contentus. Sapiens verò non tantùm conſiliis amicorum aurem præbet, ſed etiam à ſeipſo quaſi conſilium requirit, dum à propria conſcientia approbationem ſuarum actionum expoſcit, & ideo ſapiens nominatur. Laurentius ſanè Iuſtinianus hãc eſſe viam aſſequendæ prudentiæ his verbis expoſuit: [*Iuſtinia. in ligno vitæ, tit. de prudent. c. 6.*] Redi igitur per conſiderationem ad cor tuum, quiſquis es, qui ſapientiam & prudentiam cupis adipiſci. Diſcute aſſiduè teipſum, conſidera vnde venis, quò vadis, quomodo viuis, quantum quotidie proficis, quantum deficis, quibus cogitationibus incurſaris, qualibus affectibus frequentiùs tangeris, vel quibus tentationum machinis à maligno ſpiritu magis impugnaris. Quia eo certiùs & citiùs ad culmen prudentiæ proficies, quo ſtatum interioris hominis conſiderando pleniùs cognoſces.] Hæc veriſſima ſunt. Nam prudentia in agendis, agendorum conſideratione, & diſquiſitione gignitur, vnde & prudentia in rebus ſpiritualibus ſpiritus noſtri, & rerum ſpiritualium inſpectione & diſcuſſione retinetur. Hanc autem præſtat conſcientiæ examen, quo mentem noſtram aſſiduè reuoluimus, quid in ea lateat inſpicimus, quæ profectus augmenta fecerimus, vel quæ detrimenta ſuſtinuerimus, aduertimus. His prudentia ſpiritus creſcit, & quiſque ſeipſum, & alios dirigere, & gubernare diſcit. Habemus ex his, conſcientiæ diſcuſſionem eſſe omnium peccatorum & imperfectionum hoſtem, & omnium virtutum, & bonorum ſpiritualium originem: quare, qui in animo habet ad culmen perfectionis aſcendere, aſſiduè debet ſeipſum hac ſpirituali exercitatione purgare.

Quæ ſunt adducenda ad examen.

CAPVT X.

EXPOSITA diſcuſſionis conſcientiæ tum neceſſitate, tum vtilitate, ſequitur vt eius materiam, circa quam verſetur, exponamus:

A mus: quæ ſcilicet, diſcutienda ac examinanda ſunt, & cenſura huius ſpiritualis iudicij corrigenda. Id autem vt notum fiat, viſum eſt hoc conſcientiæ examen, ſagenæ miſſæ in mari, ex omni genere piſcium congreganti, comparare. Mare ſit vita noſtra & conuerſatio noſtra: mare amarum doloribus, angoribus, triſtitiis, peccatis: mare profundum, & inſcrutabile intentionum & affectionum obſcuritate, adeò vt dicat Ieremias: Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile.] Mare tandem inquietum cogitationum & curarum multitudine. Piſces huius maris magni & ſpatioſi, ſunt actiones noſtræ, tum quæ interiùs cogitando, & deſiderando elicimus, tum quæ, exteriùs loquendo, vel faciendo aliquid, operamur. Piſces boni, quos eligimus, actiones bonæ: piſces mali, quos foras mittimus, actiones malæ. Sagena autem (vt cœpimus dicere) examen, ſiue diſcuſſio conſcientiæ eſt, qua actiones noſtras colligimus, & quaſi libere per mare vagantes, in noſtram poteſtatem, vt ſeruemus, vel proiiciamus, adducimus. Examini ergo noſtro omnia noſtra ſubiicienda ſunt bona & mala: bona, vt approbentur; mala autem, vt emendentur & corrigantur. *Iere. 17. 9.*

B

Eſt enim examen velut ſpirituale capitulum, quo anima, vel ratio eius, omnes habitatores domus ſuæ, id eſt, omnes actiones ſuas conuocat, vt perperam admiſſa corrigat. Sicut autem in materiali capitulo omnes religioſi, non ſolùm adoleſcentiores & imperfectiores, ſed etiam ſenes, & grandæui, & perfecti conueniunt: ita ad hoc ſpiritale capitulum omnes actiones noſtræ, tum imperfectæ, tum perfectæ adueniant neceſſe eſt, vt vel increpationem, vel maiorem ſaltem perfectionem accipiant. Hanc ſimilitudinem, & quomodo mala & bona in examen vocanda ſint, Hugo de ſancto Victore eleganter proſequitur: Sicut fratrum multitudo, inquit, vt errata corrigat, ſtatutis horis ad capitulum confluit: ſic mentis ratio cogitationes diuerſas ad ſecretum quandoque conuocat, vt incorrigibiles eiiciat, corripiat inquietas, negligentes emendet, erudiat ſimpliciores, mitiget iracundas, voluptuoſas reſtringat, pigras excitet, conſoletur puſillanimes, doceat indiſcretas. In hoc ſpirituali capitulo, Abbatis locum ratio poſſidet, conſcientia culpas accuſat, peruerſitas excuſat, ſuperbia reatum defendit, innocentia confitetur, humilitas ſeipſam iudicat, arrogantia verò alienos. More peruerſorum fratrum vitia præceptis contradicunt: more verò ſimplicium, virtutes obediunt, ſeipſas tamen quandoque virtutes inuicem accuſant. Accuſat enim miſericordia iuſtitiam, iuſtitia miſericordiam, honeſtas humilitatem, humilitas honeſtatem. Accuſat miſericordia iuſtitiam, quòd manus vſque ad crudelitatem extenderit, quòd iracundiæ verba protulerit, quòd manſuetudinis vultum mutauerit. Iuſtitia verò miſericordiam accuſat, quòd ſeueritatis vultum non induerit, quòd peccatum impunitũ dimiſerit, quòd delinquentem, ſaltem verbis non increpauerit. Accuſat humilitas honeſtatem, quòd excedat mediocritatem, quòd ſequatur ſuperfluitatem, quòd non tantùm vtatur honeſtis, ſed etiam voluptuoſis. Honeſtas verò accuſat humilitatem, quòd nimiam diligat paupertatem, quòd non impendat corpori neceſſitatem, ſed amet nuditatẽ, pannoſitatem, & egeſtatem. Agit enim quandoque miſericordia remiſſiùs, iuſtitia crudeliùs, humilitas parciùs, honeſtas abundantiùs. Nec tamen deſinunt eſſe virtutes, licèt imperfectæ ſint. Dum enim accuſant, quaſi ad ſuſcipiendum diſciplinam, denudantur. Sed quomodo denudantur? Quando per confeſſionem vitiorum occulta declarantur. *Hugo 3. de clauſt. anim. c.6*

C

D

Multa autem ſunt, quæ bonarum actionum examen expoſcunt: ſæpe enim proprio amore id facere decipimur: & quod malum eſt, bonum cogitamus. Accedat ergo iudicium examinis, vt nos à deceptione vindicet, & an opus noſtrum bonum fuerit, an verò malum vel imperfectum, declaret. Qui negligens eſt in diſcutiendis bonis ſuis operibus ac cogitationibus, manifeſtè periculo caſus, & peccati expoſitus eſt, dum pro vtili cogitatione inutilem, & pro bono opere malum admittit. Occiſus eſt ab hoſtibus Isboſeth, quia non oſtiarium, id eſt, virum fortem & ſtrenuum, ſed oſtiariam, nempe fœminam negligentem & dormiturientem, ſuæ cuſtodiæ deputauit. Ex quo intelligimus, ſecundùm Gregorium, menti adhibendum eſſe cuſtodem ſolicitum, ſcilicet magnam ſolicitudinem, quæ introeuntia circumſpiciat. & ne decipiamur, & periclitemur vita, inter bona & mala diſcernat. Meritóque ille, qui in cuſtodia oſtiariæ confidit, Isboſeth, id eſt, vir confuſionis, dictus eſt, quia, vt idem ſanctus Doctor ait: Vir confuſionis eſt, qui forti mentis cuſtodia munitus non eſt: quia dum virtutes ſe agere æſtimat, ſubintrantia vitia neſcientem necant. Cuſtodiat ergo mentem noſtram, non tantùm frequens, ſed & diligens ſolicitáque diſcuſſio, quæ opera virtutis colore recta examinet, & an talia ſint, qualia apparent, aut exiſtimantur, ſapienter diiudicet. *2. Regum 4.* *Greg. 1. moral. c. 15.*

Actiones etiam bonæ à Domino iudicandæ, & examinandæ ſunt: expedit ergo, vt priùs homo illas examinet & corrigat, ne oblationes ſuas bonas putatas, æquus iudex vt indignas ſuo conſpectu deſpiciat. Cùm accepero tempus, inquit, ego iuſtitias iudicabo.] Quem locum exponens Bernardus, iuſtitiarum nomine non iuſtos ipſos, qui à Domino iudicandi ſunt, ſed actiones iuſtas ipſorum intelligit. Quid faciet, inquit, Deus de iniuſtis iudiciis, qui ipſas quoque iuſtitias iudicabit? Et in eodem ſenſu poteſt accipi illud eiuſdem Prophetæ: Sediſti ſuper thronũ, qui iudicas iuſtitiam.] Si iuſtitiam ipſam bonorum operum iudicaturus eſt Dominus, quis erit tam audax, qui priùs opera ſua etiam iuſta non iudicet? Artis pictoriæ diſcipulus opus à ſe factum non ſemel, ſed multoties inſpicit, & emendat, vt quantum potuerit, expolitum & emendatum magiſtro emendãdum offerat. Et nos audebimus, opera bona à Deo examinanda, non emendare, & minùs inſpecta & limata committere? O quàm multi diſcuſſionis extremæ tempore illud Iſaiæ ſunt audituri: Argentum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aqua.] Argentum eloquia ſancta ſignificat. Nam [eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum.] Vinum verò virtutes ſignat. Dabo enim tibi poculum ex vino condito,] ait ſponſa ad ſponſum charitatis, ſcilicet potum omnium virtutum condimentis edulcatum. Dicetur ergo illis: Verba veſtra, quibus res cœleſtes annunciabitis, ſcoria ſunt: quoniam ex non recta intentione prolata ſunt. Virtutes veſtræ imperfectæ & adulteratæ ſunt: quoniam innumeris culpis, & defectibus earum actiones miſtæ ſunt. *Pſal. 74. 3.* *Bern. epiſt. 1. ad Robert.* *Pſal. 9. 5.* *Iſaiæ 1. 22.* *Pſal. 11. 7.* *Cant. 8. 2*

E

Et hæc eſt alia cauſa, ob quam ad bona opera noſtra diſcutienda conſtringimur: quòd ſi ſæpe ea imperfectionibus ſordida elicimus, æquum eſt vt ſæpe conſcientiæ examinatione poliamus. Verè enim, vt ait Iſaias, [facti ſumus vt immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ.] Non quidem quia omnia iuſtorum opera peccata ſint: qui hoc niſi inſaniſſimi hæretici blaterent? qui ex ſemetipſis alios metientes, cùm ſemper iniuſtitia, & deliriis fœteant, omnes peccatis in quocumque opere ſordere exiſtimãt: Sed quoniã ſæpe bona opera *Iſaiæ 64. 6.*

noſtra

noſtra, aut minùs recta intentione, aut ſegnitie, aut aliis circunſtantiis inficimus. Sapientiſſimum ergo erit ea aſſiduè inſpicere, vt per continuam diſcuſſionem nunc hanc actionem, quæ occurrit, & poſtea ſimilem aliam expolientes, & ſic de aliis, tandem aliquam mundam & pulchram ex omni latere præſtare diſcamus. Hoc ſanctorum ſtudium eſt, vt apparet in Iob, cuius hæc eſt vox: Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti.] Quia, inquam, ſcio Domine non ſolùm te opera mala caſtigare, ſed & imperfectiones, ac culpas bonis actionibus adhærentes punire, ideo & omnia opera mea, etiam bona, diſcutio, vt dum imperfectiones in eis fugio, punitionem etiam euadam. In hunc ſenſum Gregorius hæc ſcribit: Quid ergo eſt quòd mira opera faciens, hæc ipſa etiam veretur patiens? cùm dicit: Verebar omnia opera mea,] niſi quòd in ſancti viri actibus verbiſque colligimus, vt ſi placere Deo veraciter cupimus, poſtquam peruerſa ſubigimus, ipſa in nobis etiam bene geſta timeamus; & poſtquam expoſuit quomodo deſidia & fraus ſe operibus ſtudioſis immiſceant; ſubdit: Ipſa igitur bona noſtra quia inſidiantis culpæ euadere gladium nequeunt, niſi ſolicito quotidie timore muniantur, per ſanctum virum nunc certè dicitur, Verebar omnia opera mea:] ac ſi humili confeſſione diceretur, quæ apertè egerim, video, ſed quid in his latenter pertulerim, ignoro; ſæpe enim bona noſtra latrocinanti fraude pereunt, quia rectis ſe noſtris actibus concupiſcentiæ terrenæ ſubiungunt. Sæpe deſidia interueniente deficiunt, quia à feruore, quo cœpta ſunt, frigeſcente amore rabeſcunt. Quia ergo culpæ ſurreptio vel in ipſo virtutis actu vix vincitur, quid ad ſecuritatem ſupereſt, niſi vt ſtudioſè ſemper & in virtute timeatur?

Iob 9.28. *Greg. 9. mor. c. 17.*

Opera autem bona ſic examinata atque diſcuſſa merentur pro noſtra poſſibilitate ante oculos Domini apparere, & eius conſpectui præſentari. Quia poſtquam ab eis per fletum, & compunctionẽ, & emendationis propoſitum maculas negligentiarũ abſterſimus, quid ſupereſt, niſi vt illi ea, cuius gratia facta ſunt, offeramus? Id profectò ſignatũ exiſtimat idem ſanctus Pater Gregorius in compoſitione thymiamatis, de quo in Exodo legimus: Cúmque in tenuiſſimum puluerem vniuerſa contuderis (ex quibus nempe conficitur) pones ex eo coram tabernaculo teſtimonij. In quo loco apparebo tibi.] Hunc namque locum exponens, ſic ait: Curandum itaque eſt, ne bona noſtra pauca ſint, curandum ne indiſcuſſa; ne aut pauca agentes, inueniamur ſteriles; aut indiſcuſſa relinquentes, væcordes. Nec enim vnaquæque verè virtus eſt, ſi mixta aliis virtutibus non eſt.] Et poſt pauca: In tenuiſſimum puluerem aromata vniuerſa conterimus, cùm bona noſtra quaſi in pilo cordis occulta diſcuſſione tundimus, & ſi veraciter bona ſint, ſubtiliter retractamus. Aromata ergo in puluerem redigere, eſt, virtutes recogitando terere, & vſque ad ſubtilitatẽ occulti examinis reuocare. Et notandum quod de eodem puluere dicitur, Pones ex eo coram teſtimonij tabernaculo,] quia tunc nimirum bona noſtra veraciter in conſpectu iudicis placent, cùm hæc mens ſubtiliùs recogitando conterit, & quaſi de aromatibus puluerem reddit, ne groſſum durúmq; ſit bonum, quod agitur, ne ſi hoc arcta retractationis manus non comminuat, odorem de ſe ſubtiliùs non aſpergat. Cùm ergo tantæ vtilitates in diſcuſſione bonarum actionum emergant, profectò diſcutere quotidie, & examinare debemus, ne oleum & operam in earum exercitatione perdamus. Quis enim dubitet ſe magnam bonorum iacturam facere, ſi bona opera, quibus multa præmia lucrari deberet, ita proferat, vt non præmium, ſed pœnam ſibi conquirat? Certum eſt autem in hanc incurrere, qui ex eo quod ſe non diſcutit, malum ſæpe pro bono, aut imperfectum pro perfecto ſumit.

Exod. 30.36.

Si autem bona opera diſcutienda ſunt, multo potiori ratione, mala ſunt omnino limæ examinis ſubiicienda, vt nimirum per conſcientiæ diſcuſſionem, non ſolùm culpas & defectus noſtros videamus, ſed etiam qualitatem & magnitudinem mali quod commiſimus, expectemus. Illud enim probè cognitum ad compunctionem (vt diximus) mouet, & vera cordis contritio ex auxilio gratiæ procedens, diuinam miſericordiam flectit, & remiſſionem adducit. Sanctus Ezechias, vt Dominum propitium haberet, quid dicit? Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.] Per omnes annos vitæ meæ, inquit, rememorabor mala mea, & peccata, quæ feci: & hanc memoriam triſtitia magna & mœrore condiam, & quia tuam maieſtatem offendi, me dolore & afflictione conficiam. Dicam ſanè: Domine ſi ſic viuitur, ſi ſic vitam inſumpturus eram, ſi in talibus, tam fœdis, tam homine indignis perditurus eram vitam ſpiritus & animæ meæ, vt quid me oportuit viuere? & dum hæc dico, & me dolore conficio, & tuam in corde meo reprehenſionem ſentio, ad vitam ex tua miſericordia mihi prærogatam adducor. Video profectò quia in illa pace ſimulata, & noxia, quã cum meis vitiis & peccatis habui, erat abſcondita amaritudo mea amariſſima. Dum verò hoc video, & pro admiſſis doleo, tu Domine, qui non vis mortem peccatoris, ſed vt conuertatur ad te, eripuiſti animam meam ab ſtatu illo miſerrimo peccati, vt non periret, & proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea. Hos omnes fructus ex recogitatione peccatorum ſuorum collegit Ezechias: & nos eoſdem colligimus, quotieſcumque cum vera triſtitia & dolore noſtra peccata diſcutimus & recogitamus. Diſcito igitur, ô frater, tibi præeſſe, vt iam Bernardus te doceat, & vitam ordinare, mores componere, temetipſum iudicare, & temetipſum apud temetipſum accuſare, ſæpe etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Sedeat iudicans, iuſtitia ſtet rea, & temetipſum accuſans conſcientia, nemo te plus diligit, nemo fideliùs iudicabit. Manè præteritæ noctis fac à temetipſo exactionem, & venturæ diei tu tibi indicito canonem. Veſpere præteritæ diei rationem exige, & ſuperuenientis noctis fac indictionem, ſic diſtricto nunquam aliunde laſciuire vacabit.] Sic ille. Cùm ergo omnia, quæ agimus, ex Bernardi ſententia diſcutienda ſint, & illorum ex miſericordia Dei multa ſint bona, & ex fragilitate noſtra non pauca ſint mala, ſequitur vt vniuerſa tam bona quàm mala coram conſcientia apparere debeant, vt nimirum bona ex miſericordia Dei facta, ab eo quod imperfectionis ex miſeria humana contraxerunt, purgentur, & mala ex fragilitate noſtra patrata, per contritionem & debitam pœnam deleantur.

Isai. 38. 15. *Bern. ad fratres de monte Dei.*

Quanam ratione fieri debeat examen.

CAPVT XI.

BEATI, inquit Sanctus Dauid, qui cuſtodiunt iudicium; & faciunt iuſtitiam in omni tempore.] Quo loco Auguſtinus iudicij nomine aliud quid quàm iuſtitiæ

Ps 105.3 *Aug ib.*

A voce intelligi permittit. Ait enim, ſi iudicium & iuſtitia propriè dicantur, aliquid intereſſe non dubito, vt iudicium cuſtodire dicatur, qui rectè iudicat, iuſtitiam verò facere qui rectè agit. Nec abſurdè exiſti-
Pſ.93.15 mo intelligi ſecundum illud: Quoad vſque iuſtitia conuertatur in iudicium.] Iuſtitia igitur ſignificet virtutis opera, quibus rectè viuimus, & iudicium, operum noſtrorum diſcuſſionem, qua geſta noſtra iudicamus. Quare beati erunt illi, qui non ſolùm iuſtitiam, & ſancta opera curant facere, ſed etiam dum ſeipſos diſcutiunt, & Deo bona, ſibíque ipſis mala tribuunt, iudicium nituntur cuſtodire. Beata ciuitas illa vbi iudex non diligit munera, nec ſequitur retributionẽ, ſed iuſtè iudicat; & beata anima illa in qua ratio à Deo illuminata, vniuerſa geſta examinat, &
B nihil malum aut imperfectum impunitum diſſimulat. Si autem examen eſt quoddam ſpirituale iudicium, forma iudicij in eo ſeruanda eſt, vt rectè & vtiliter à nobis fiat. In iudicio verò, in quo quis non tantùm alicuius criminis, verùm etiam & ingratitudinis accuſatur, erga eum quem crimine ſuo læſit, primo loco fit commemoratio beneficij, deinde inquiſitio & probatio criminis, & poſtremò ſententia iudicis, qua reum damnat, & debita pœna caſtigat. Huius generis videtur nobis conſciẽtiæ examen, in quo nos non ſolùm culparum & defectuum, verùm ingratitudinis erga Dominum accuſare debemus, & condigna afflictione punire. Sicut enim nigrum iuxta album magis elucet & tetrius apparet, ita culpæ noſtrę iuxta diuina beneficia poſitæ, clariùs ſe & euiden-
C tiùs oſtendunt. Ad hunc autem diſcuſſionis modum prouocat nos Dominus per Micheam, dicens: Po-
Mich. 6. 3. pule meus, quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi? Reſponde mihi:] Vt commemoratis beneficiis populum ſuum ad cognitionem ingratitudinis & criminum ſuorum trahat, & ad deſideria conuerſionis in-
Hier. ib. ducat. Nos, inquit Hieronymus, qui cœpimus reuelata facie gloriam Domini contemplari, & verè habemus Patrem Abraham, audiamus cùm peccauerimus, aduersùm nos diſputantem Deum, & nos in beneficiorum ſuorum magnitudine arguentem. Id quidem, vt ſcientes peccata noſtra non velimus cum ipſo contendere, ſed illum precibus exorare.

Cùm hæc ita ſint, tempus accommodatum ad examen accipiendum eſt, & ille quadrans ante cu-
D bitum, eſt aptiſſimus, quando iam à labore ceſſamus, & nos ad pauſandum propter Dominum, &
Rich. de condit. inter. hominis c. 35. quieſcendum componimus. Vnde Richardus: Aliud eſt tempus inueſtigandi, quæ ſunt ſupra ſe, atque aliud eſt tempus diſcutiẽdi, quæ ſunt intra ſe. Omnia
Cant. 3.1 enim tempus habent.] Tempus itaque eſt contemplandi magnalia diuina, & eſt tempus conſiderandi infirma noſtra. Iſtud eſt tempus flendi, illud eſt tem-
Pſ. 29. 6. pus ridendi. Nam [& ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.] Cur non ſit tempus ridendi in matutino diuinæ contemplationis, in contemplatione æterni luminis? Cur non ſit tempus flendi in veſpertino horrendæ viſionis, in conſiderandis humanæ conſcientiæ tenebris?] In hoc igitur
E tempore flendi, & conſiderandi tenebras noſtras, quinque facienda ſunt, quæ concurrunt ad forman ſiue modum examinis. Primùm, commemoratio beneficiorum Dei, & humilis ac feruida gratiarum actio. Secundò, poſtulatio gratiæ, vt valeamus culpas noſtras defectúſque cognoſcere & inueſtigare. Tertiò, inquiſitio & diſcuſſio conſcientiæ, qua defectus & culpas omiſſionis & commiſſionis agnoſcamus. Quartò, dolor & deteſtatio peccatorum admiſſorum, ac emendationis propoſitum. Quintò, debita pœnæ & caſtigationis aſſumptio.

Primò ergo examen incipies ab actione gratiarum pro immenſis beneficiis, & donis à liberalitate diuina ſuſceptis. Hæc enim grata beneficiorum commemoratio, & humilis peccatorum confeſſio, & accuſatio coram Domino facta, vehementiùs ad dolorem & compunctionem impellet, & faciliùs miſericordiam impetrabit. Baſilius quidem omnem orationem noſtram à gratiarum actione inchoandam eſſe manifeſtè ait. Eius verba ſunt: Quapropter quan- *Baſ. conſt. mon. c.1.*
documque inſtituis orare, coniugem, liberos, téque adeò ipſum relinquito, à terráque procul abſcedito, cœlúmq; ſuperato, & naturas omnes, tam quæ cerni quàm quæ cerni non poſſunt, relinquito, & ab eius glorificatione exorditor, qui omnia condit.] Et poſt pauca, Dic: Gratias ago tibi, Domine, propter incredibilem clementiam, & in ferendis hominum culpis facilitatem tuam, qui peccantem me quotidie patiẽtia tua ſuſtines, & ad reſipiſcendum omnibus nobis poteſtatem facis. Propter hoc enim taces, & nos ſuſtines, Domine, vt tibi gratias agamus, qui ſalutem generis noſtri modò terrendo, modò leniter exhortando, moderaris, quíq; per Prophetas primò, poſtremò per aduentum Chriſti tui nos viſitaueris. Tu enim finxiſti nos, non autem ipſi nos. Tu es Deus noſter.]

Si autem omnis oratio à gratiarum actione debet incipere, maximè iſta, in qua volumus, & lucem ad noſtri cognitionem petere, & erratorum veniam ac remiſſionem impetrare. Gratiarum autem actio generalis, & ſub vno nomine omnia beneficia diuina complectens, non eſt multũ vtilis: ſpecialis verò, quæ omnia beneficia ſigillatim recenſeat, eſt impoſſibilis. Quis enim vniuerſa Dei beneficia, quæ nullo numero comprehenduntur, numerando recenſeat? Media ergo via tenenda eſt, & beneficia generalia, & aliqua illius diei particularia in gratiarum actionem aduocanda: cuius recordatio nos ad compunctionem habendam diſponat. Et quia breuis eſt hæc gratiarum actio, tempus ad examen deſtinatum nequaquam præcipiet. Dices ergo ſic:

Domine Deus meus,

1. Quia ex æternitate vidiſti & dilexiſti me, & (vt de tua infinita miſericordia ſpero) me ad gloriam tuam efficaciter elegiſti, & per conuenientia media ad eam prædeſtinaſti.
2. Quia per creationem me ex nihilo condidiſti, ad tuam imaginem & ſimilitudinem feciſti, & innumeris donis in anima, & corpore dotaſti.
3. Quia me, & omnia propter me tam longa duratione conſeruas, ſine cuius actuali cõcurſu ſtatim in nihilum iſſemus, nec poſſemus vno momento ſubſiſtere.
4. Quia me, & omnia propter me gubernas & regis, & quæ ad me pertinent, efficaciſſima & ſuauiſſima prouidentia diſponis.
5. Quia me pretioſo vulnerum tuorum ſanguine redemiſti, & per merita, & paſſiones tuas à ſeruitute diaboli liraſti.
6. Quia te mihi in Doctorem, in Medicum, in Patrem, ac in exemplum ſanctæ vitæ dediſti.
7. Quia me cum paucis, reſpectu multorum, ad Eccleſiam tuam, & ad veræ legis Euangelicæ profeſſionem, & ad tui cognitionem, & obſequium vocaſti.
8. Quia cum pauciſſimis ad ſtatum

immenſas gratias tibi ago: A religioſum, & ad hunc amabiliſſimum quem profiteor, miſericorditer adduxiſti.

9. Quia Sacramentis, inſpirationibus, Sanctorum exemplis, ſpiritualibus libris, & aliis plurimis mediis ad bonam vitam adiuuiſti, & adiuuare non ceſſas.

10. Quia ex miſero ſtatu inimici (vt de tua benignitate confido) ad dignitatem amici prouexiſti, & per gratiam gratum facientem iuſtificaſti.

11. Quia me ab innumerabilibus periculis perdendi gratiam, liberaſti, & liberare non deſinis.

12. Quia plurimis donis tum internis, tum externis, tum naturæ, tum B gratiæ ditaſti.

13. Quia mihi (vt ſpero) ab æterno, certum ſecundùm tuam prædeſtinationem gradum gloriæ efficaciter præparaſti.

14. Quia me hodie ad orationem, & tui alloquium admiſiſti, cibo, & potu corporis & ſanguinis tui cibaſti, & in tuo obſequio continuiſti.

15. Quia me aliis infinitis beneficiis es proſequutus, & afficere non ceſſas, & per totam vitam, ac poſtea per totam æternitatem afficies.

Sic facta beneficiorum commemoratione & gratiarum actione, auxilium gratiæ ad te cognoſcendum, inſpiciendum, & diſcutiendum petes. C Prauum enim eſt cor hominis & inſcrutabile. Quis cognoſcet illud?] Et cùm huic interrogationi reſpondeatur: Ego Dominus ſcrutans corda & probans renes.] Ab eo vtique, qui poteſt, petendum eſt, vt cor noſtrum apud nos ſtatuat, dolos eius & ſimulationes pandat, & venam noſtræ propriæ cognitionis aperiat. Hæc autem petitio breuis quoque ſit, vt aliis punctis examinis tempus non deſit. Sic ergo etiam mente & affectu dices: Et to, ô Domine liberaliſſime, bis omnibus beneficiis, nunc (quæſo) aliud adiũge, vt locem è tua ſede ad me mittas, & abundantem gratiam tribuas, qua poſſim mea peccata cognoſcere, & eorum, quæ aduersùm tuam maieſtatem commiſi, ad fletum, & debitam pœnitudinem, recordari. D

Poſt hæc duo, quæ ſunt velut præludia, ad ipſum conſcientiæ examen veniendũ eſt, & examinãda atque inueſtiganda ſunt omnia noſtra, quæ claritatis gratia diſtribuenda ſunt in cogitationes, affectus, ſermones, & opera. Quid in tribus iſtorum, nimirum in affectibus, cogitationibus, & operibus diſcutiendum ſit, Hugo Victorinus in hunc modum edocuit. *Hugo lib. de medit. ante medium.* In affectibus conſiderandum eſt, vt ſint recti, ſinceri, hoc eſt, ad id ad quod debent eſſe, & quomodo debent eſſe. Diligere enim quod non oportet, malum eſt: ſimiliter, diligere verò quomodo non oportet, malum eſt. Itaque bonus affectus eſt, quando eſt ad id ad quod debet, & quomodo debet. *2. Reg. 13.* Amnon ſororem dilexit, & erat affectus ad quod debuit: ſed quia malè dilexit, non quomodo E debuit, igitur affectus eſſe poteſt ad id ad quod debet, & non quomodo debet. Nunquam autem eſſe poteſt quomodo debet, niſi ad id quod debet. In eo ad quod debet, rectus & quomodo debet ſincerus. In cogitationibus cõſiderandum, vt ſint mundæ & ordinatæ. Mundæ ſunt, quando neque de malis affectionibus generantur, neque malas generant affectiones. Ordinatæ ſunt, quando rationaliter, hoc eſt, tẽpore ſuo, adueniunt: tẽpore enim non ſuo, etiam bona cogitare ſine vitio non eſt, vt in lectione, de oratione, & in oratione, de lectione. In operibus conſiderandũ eſt primùm, vt bona intentione fiant. Bona intentio eſt, quæ ſimplex eſt & recta. Simplex, ſine malitia, recta ſine ignorãtia. Quæ enim ſine malitia eſt, zelum habet: ſed quæ cum ignorantia eſt, ſecundùm ſcientiam zelum non habet. Itaque intentionem oportet eſſe & rectam per diſcretionem, & ſimplicem per benignitatem. Secundò, in operibus conſiderandum eſt, vt ex recta intentione inchoata, cum perſeueranti feruore ad finem perducantur, vt nec perſeuerantia torpeat, nec amor tepeſcat.] De verbis nihil dixit, ſed in eis conſiderandum eſt, vt vera ſint, vt nemini noxia, vt ad aliquid neceſſaria, vt conuenienti tempore & loco prolata, vt debito modo dicta. Si in aliquo iſtorum erratum ſit, circa cogitationes: quia minùs mundæ fuerunt, vel minùs ordinatæ: circa affectus, quia minùs recti, vel minùs ſinceri: circa ſermones, quia vel minùs veri, vel minùs neceſſarij: circa opera, quia minùs bona, vel non recta intentione facta: memoria notandum eſt, vt circa illud dolorem concipiamus, & emẽdationis propoſitum procuremus.

Operum verò illa præcipuè examinanda ſunt & diſcutienda, quæ ſecundùm ſtatus religioſi ordinem quotidie occupatos nos tenẽt, in quibus innumerabiles ſolemus imperfectiones admittere. Quas pulchrè quidem Thomas à Campis quodam loco detexit, ita vt non ſit neceſſariũ, niſi eius verba his noſtris ſcriptis inſerere. *Thomas à Camp. lib. 2. de diſcipl. clauſt. cap. 10.* Sic ait examinis formã præſcribens: Ad cauendum ergo deteſtabilem negligentiã in examinatione propriæ conſcientiæ, de omni verbo & opere iudicium tibi hora congruenti ſtatue, & rationem villicationis tuæ à te ipſo exige ſtrictè. Serue male & piger, die qualiter hunc diem expendiſti. Ecce notaui quòd hodie ſuſcitatus, non alacriter ſurrexiſti, pigritaſti in lecto, vix ad vltimum ſignum te erexiſti, & poſt alios tardior veniſti. Non cantaſti fortiter, nec attendiſti diligenter, vana rettactaſti, & præ inopia deuotionis etiam dormitaſti. Acceleraſti ad finem & ad lectum, & hoc mihi valde eſt ſuſpectum, quia ſicut imparatus chorum intraſti, ſic indeuotus exiiſti. Verba multa prompſiſti, paruum fructum retuliſti, tardè etiam ad opus acceſſiſti, accidioſè laboraſti: Loquutus es inutilia, interrogaſti curioſè, iudicaſti ſuſpicioſè, retuliſti ſæpe diſſolutè, detraxiſti, commotus fuiſti corde, & oculis euagatus in choro, in menſa: & modicum ad lecta attendiſti. Sæcularia incautè auſcultaſti, verba Chriſti & Sanctorum dicta malè recitaſti. De cibo & potu cogitaſti, & auidè comediſti. Gauiſus es de melioribus ferculis, deſideraſti amplius, de vilioribus murmuraſti. Non fuiſti patiens in modico defectu, nec contentus à meliori, ſed magis tibi, quàm fratri tibi aſſidenti, id optaſti. Quæſiuiſti te in paruis, & maiora, ſcilicet fidelitatem & charitatem, amiſiſti. Negligenter horas legiſti, ſine deuotione, ſine debita attentione, & ſine diſtincta prolatione verborum. Vide vbi corruiſti, & deſine ſuperbire & gloriari de bonis à Deo perceptis. Semper deplora interioris hominis ſtatum multis paſſionibus implicatum. Scrutare abſcondita cordis tui, ſi ira, ſi inuidia, ſi concupiſcentia, ſi auaritia, ſi impatientia, aut triſtitia te mouit, aut ſuperauit. Nec ſolùm de malis peractis inueſtigandum eſt, ſed etiam de bonis neglectis perquirendum. Si beneficia Dei cum gratiarum actione accepiſti; ſi pro amicis & aduerſariis oraſti; ſi reuerentiam Prælato, & minoribus fratribus dulcedinem charitatis exhibuiſti: ſi infirmis & tentatis compaſſus fui-

ſti: ſi petentibus auxilium, ſi mœrentibus ſolatium impendiſti: ſi denique honorem Dei ſimpliciter & purè quæſiniſti: ſi humanam laudem ſtrenuè vitaſti; ſi propriam voluntatem promptè abnegaſti; ſi te nulli prætuliſti: ſi patienter correctiones accepiſti: ſi pœnitentiam iniunctam, humiliter impleſti: ſi nemini moleſtus fuiſti; ſi læſus clementer indulſiſti: ſi ab iniuriato veniam poſtulaſti; ſi deuotè celebraſti: ſi attentè cantaſti: ſi pertinax non fuiſti: ſi ad humilia opera feſtinaſti: ſi contemptus non contradixiſti: ſi malum pro malo reddere non cogitaſti, ſed in bono malum vincere ſtuduiſti:] Hactenus ille. Quibus ſanè verbis conuerſationem noſtram ante oculos mentis ita conſtituit, vt ex ea ſatis nobis erubeſcendum ſit, qui bona opera, quibus in dies ſanctiores eſſemus futuri, ita fœdemus, vt ex eis non tam merita, quàm imperfectiones, non tam cauſam lætitiæ, quàm mœroris conquiramus.

Ex his faſciculū quotidianarum imperfectionum & culparum tuarum, & aceruum mœrorum & triſtitiarum tibi colliges. Has culpas tuas iuxta Dei beneficia ſuprà commemorata ſtatue; vide quomodo Deo tibi bene facienti reſpondeas, quomodo eius dona compenſes; quàm vilis & ingratus ſis, qui pro beneficiis offenſas, pro donis culpas, pro amore obliuionem negligentiámque retribuas. Luge frater, & lacrymas funde, ſatis enim magnam habes cauſam lugendi, quia nunquam ad examen venis, in quo non culpas, & ingratitudines, & obliuionem tui Domini & Creatoris inuenias. Has offenſas, licèt oculis carnis exiguæ videantur, quanto potueris feruore propter Dei amorem deteſtare, & odio habe, quia fidelis anima Dei bonitatem erga ſe & ſuam ingratitudinem videns, nihil exiguum putat, ſi lucem cœleſtem habeat, quod tantam maieſtatem offendat. Ex hac autem collatione beneficiorum Dei, & tuarum imperfectionum, ita dolorem & deteſtationem peccatorum procrees, vt imminutioni fiduciæ nullum penitus locum relinquas. Immò ex eo ipſo quòd tot imperfectionibus tuam animam ſordere conſpicis, & benigniſſimum Dominum per tot annos tecū diſſimulaſſe, & tibi pluſquam ſeptuagies: ſepties, quin & plus quàm millies ignouiſſe cognoſcis, in ſpem erigere, quòd nunquam te abiiciet, ſed quotieſcumque ad eum veneris, & veniam poſtulaueris, non aliter quàm pater amantiſſimus te benignè recipiet. Dilige illum, quem tam ſuauem, tam dulcem, tam propitium experiris. Gaude quòd in tanta patientia, & tam longanimi ſuſtinentia, qua tuam emendationem expectat, ſuam infinitam bonitatem teſtatam faciat, & naturalem manſuetudinem ac lenitatem omnibus creaturis oſtendat.

Hi autem omnes affectus propoſito firmo emendationis deſeruiant, (hic enim eſt fructus examinis, vt & nos ipſos emendemus) & nunc vnam imperfectionem, nunc aliam procul à nobis abiiciamus. Quod manifeſtè docet Gregorius, exponens illud Iob: Veſtiui me ſicut veſtimento & diademate, iudicio meo.] Iuſtorum iudicia, inquit, rectè diademati comparantur: quia per magni operis gloriam ad retributionis ducuntur coronam. Quæ nimirum iudicia ſecum quotidie introrſus agunt: Quid Deo, quid proximo debeant, ſoleſter aſpiciunt, atque ad agenda bona ſe vehementer accendunt, & de perpetratis malis diſtrictè redarguunt. Vnde bene quoque per Salomonem dicitur: Cogitationes iuſtorum iudicia.] Iſti quippe ab omni ſtrepitu ſæculari ad corda ſua redeunt, ibíque aſcendunt tribunal mentis, atque ante oculos ſe & proximum ſtatuunt, deducunt ad medium regulam teſtamenti, qua dicitur: Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.] Transferunt in ſe perſonam proximi, & ſolicitè attendunt, quid ſibi, ſi ita eſſent, fieri, vel non fieri iuſtè voluiſſent; ſicque diſtricto iure atque iudicio cauſam ſuam, & proximi, iuxta tabulas diuinæ legis in foro cordis examināt. Bene ergo dicitur: Cogitationes iuſtorum iudicia.] Quia ipſe eorum intimus motus cordis quaſi quædam libra eſt iudiciariæ poteſtatis. Quibus peractis quia retributionem inferiùs non requirunt, rectè eorum iudicia diademati comparantur. Diadema quippe in ſuperiori parte corporis ponitur. Iuſtorum ergo iudicium diadema dicitur, qui per hoc non in terrenis & infimis, ſed ſurſum remunerari concupiſcunt.] Hæc ille.

Iob.19. 14. *Prou. 12. 5.* *Matt.7. 12.*

Tandem pro quotidianis defectibus aliquam tibi, quam ſtatim exoluas, pœnitentiam iniunges, vt ſi aliquem tibi dolorem infligeres, aut aliquam preculam recitares. Quando autem culpa aut defectus grauior fuit, non ſufficeret eum cōmuni pœna mulctare, ſed neceſſe erit extraordinaria reprehenſione, & condigna caſtigatione punire. Hæc eſt formula in conſcientiæ diſcuſſione ſeruanda, quam ſi tenueris, non lentis paſſibus in mentis profectum feſtinabis.

Summa doctrinæ examinis.

CAPVT XII.

QVINQVIES (ſi bene memini) in hoc eodem libro, examinis mentionem feci. Nam dixi, orationem ipſam mentalem ſpiritnali dicuſſione examinandam eſſe, & illam curam particularem eradicandi aliquod vitium, vel aliquam virtutem inſerendi, bis quotidie eſſe in examen vocandam, & totam vitam ac cōuerſationem noſtram; bis etiam ſingulis diebus ante prandium, & ante cubitum eſſe ſimiliter diſcutiendam. At moleſtum admodum videtur, viros ſpirituales ad tam crebras ſuæ conſcientiæ diſcuſſiones adigere, quibus neceſſe erit præſtantiores virtutis actiones impediri. Sed imprimis frequens conſcientiæ propriæ mundatio ac purificatio, nemini oneroſa eſſe debet, cùm ſciat, quo frequentiùs & exquiſitiùs ſuam animam mundauerit, ſe in conſpectu Domini puriorem appariturum, maioremque gratiam promeriturum. Cùm ſciat etiam perfectos viros in hoc exercitationis genere fuiſſe nimios (ſi ita dici poſſit) & nō quinquies, aut ſexies, ſed multo frequentiùs ſeipſos diebus ſingulis inſpexiſſe, & examinatione mundaſſe. Si tamen quæ hactenus dicta ſunt, intelligantur, videbimus hanc moleſtiam penitus eſſe ſublatam: cùm duo tantùm tempora examini ante prandium, & ante cubitum ſint aſſignata. Nam illud orationis examen, poſt illud vitæ ſpiritualis tyrocinium, diximus in horam meridiani examinis poſſe reiici, aut ita breuiter debere fieri, vt nullum ferè tempus vſurpet. Duo verò curæ particularis examina in tempora horum duorum, quæ fiunt ante communem refectionem & ante dormitionem, ſimiliter reiicienda ſunt. Poſtquā enim cogitationes, affectus, verba, & actiones inſpexeris, mentis oculos ad illud vitium, quod impugnas, vel ad illam virtutem, quam particulariter exerces, conuertes, & in quo defeciſti, aut bene proceſſiſti, diligenter inſpicies. Atque adeò ſine vlla moleſtia bis in die in hanc exercitationem tam vtilem, diſcutiendi teipſum, incūbes. Atque vt hanc rem ita finiam, ex

hac

hac conſcientiæ diſcuſſione duos colliges fructus. Alterum, vt teipſum ab erratis tuis per veram compunctionem purges, & ad deſiderium emendationis prouoces. Alterum, vt teipſum intus & in cute cognoſcas. Nam ſi non tantùm ramos, ſed radicem, ſcruteris, id eſt, ſi non tantùm imperfectiones tuas ſed origines earum inſpicias, apertè videbis te multis vitiis ſordere, multiſque carere virtutibus, & teipſum non magni reputabis, ſed potiùs ex corde deſpicies.

De Dormitione, ac nocturna quiete.

CAPVT XIII.

Pſal. 4. 9. HORA quieſcendi, quæ conſcientiæ diſcuſſionem ſubſequitur, te ad ſomnum honeſtum, quietum, & religioſum parabis. Ita vt poſſis dicere cum Propheta, In pace in idipſum] id eſt, cum illis ipſis, qui à fructu ſpiritualis frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt, [dormiam & requieſcam.] In hoc igitur opere, vt ſtudioſè & meritoriè fiat, hæc obſeruanda ſunt: Puta ac ſimplici intentione ad ſomnum ibis, vt ſcilicet ita ſtatuenti, & ipſo ordine diſciplinæ religioſè mandanti placeas, & vt vires ad ei ſeruiendum, & pro gloria eius laborandum reſumas. Specialibus orationibus beatiſſimam Virginem Mariam, cuſtodem Angelum, & Sanctum illius mẽſis patronum (de quo poſtea) inuocabis, vt te ab omnibus periculis, tum animæ, tum corporis, liberent, & illibatum atque ab omni Dæmonis illuſione purum cuſtodiant, vt ſequenti die abſque vllo impedimento celebrare, aut communicare valeas, aut ſpiritualibus obſequiis tempus impendere. Quid manè meditandum ſit, aut leges, niſi probè memoriter teneas, aut ſaltem attenta recordatione præuenies. More ſolito omnium Chriſtianorum frontem, os & pectus cruce deuotè ſignabis, & te in lecto ad quieſcendum honeſtè compones. Hanc autem honeſtatem Bonauentura ſic explicat, Honeſtè & compoſitè iaceas in dextro vel ſiniſtro latere, nunquam tamen ſupinus vel aliter inhoneſtus. Nunquam dormias cum manibus in ſinu poſitis, nec cruribus eleuatis, vel diſcoopertis, ſed ſemper teneas tunicam vel induſium inter crura, vt nullus inueniat te inhoneſtè iacentem. Addit Thomas à Campis: Nec crebrò te vertas, ſed quietè & pacificè iaceas, memor Chriſti in cruce pendentis, qui in patibulo, non in molli lecto dormiens, obdormiuit.

Bonauẽt. in regim. nouit. c. 7

Thomas à Camp. lib. 2. de diſcip. clauſt. c. 11.

Poſtquam in lecto cubaueris, Pſalmos, vel orationem aliquam recita, vel quid ſanctum meditare, & quanti momenti ſit gratia & amicitia Dei, tecum ipſe conſidera, quouſque ſomno occupatus quieſcas. Sic te aptum & robuſtum ad repellendas tentationes inuenies, & in ipſo ſomno Diabolo tentanti reſiſtes, & ex ipſa conſuetudine bene agendi ad orationem, & ſancta deſideria incitari te ſenties. De hoc ſic ſcribit Bernardus: Iturus ergo ad ſomnum, ſemper aliquid defer tecum in memoria vel cogitatione, in quo placidè obdormias, quod nonnunquam etiam ſomniare iuuet, quod etiam euigilantem te excipiens, in ſtatum heſternæ intentionis reſtituat. Sic tibi nox ſicut dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in deliciis. Placidè obdormies, in pace quieſces, facilè euigilabis, & ſurgens, facilis, & agilis eris ad redeundum in id vnde non totus diſceſſiſti.

Bern. ad fratres de monte Dei.

At ſi aliqua tentatio, priuſquam dormias, aduerſùs tuam puritatem inſurgat, eo remedio, quod pius & deuotus pater, Thomas à Campis, offert, tentationi te oppones: Si caro titillat, inquit, ſi tetra imago incidit, ſi quæuis alia paſſio mouet, nec quieſcere te ſinit, ad orationem conuertere, ſignum crucis tibi imprime, flagellum, coronam ſpineam, lanceam, ac totam armaturam Crucifixi oppone, ante cuius virtutem non poteſt hoſtis ſtare malignus, nec tentationis illuſio perdurare. Adhibe quoque ignem æternum, ſupplicia ſanctorum Martyrum, Confeſſorum conſtantiam, & Virginum fortia trophæa. Attende lapides Stephani, craticulam Laurentij, fuſtes Marcelli, vngulas Vincentij, vepres & vrticas Benedicti, flammas ſanctæ Agnetis, rotam Catharinæ, acutiſſimas teſtulas Agathæ, bullientes aquas Cæciliæ, lacrymas, amorem, contritionem, & pœnitentiam Mariæ Magdalenæ, dentes beſtiarum, horridos carceres, necnon dura vincula pedum Sanctorum. Sic Deo iuuante, & iſta te cogitante, ignem igne ſuperabis, Diabolum confundes, Sanctos honorabis, in pace Chriſti dormies & requieſces.

Vbi ſupr.

Si hanc fidelitatem erga Dominum ſeruans obdormieris, non ſolùm in vigilia, ſed in ſomno quoque tentatori reſiſtes. Quod experiebatur Auguſtinus, cuius hæc ſunt verba: Domine, memores mãdatorum tuorum etiam in ſomniis reſiſtimus. Ad idque exhortatur Paulus, dicens: Siue vigilemus, ſiue dormiamus, ſimul cum illo viuamus.] Cum Domino enim in dormitione viuere, eſt etiam, cùm per ſomnum noſtri compotes non ſumus, ex præcedenti habitu in vigilia acquiſito honeſtè formari, & ei fideles exiſtere. Nec ſolùm tentationibus reſiſtes, ſed & dormiens orabis, & in ſtudioſas actiones te incumbere cogitabis, vt de ſancto Honorato Epiſcopo ſcribit Hilarius Arelatenſis. Sic enim ad ipſum loquens, ait: Tuis in tantum medullis Chriſtus inſederat, vt interdum, quod expertus loquor, membris tuis placido ſopore deuinctis, illũ etiam in ſomnis officio ſolitu tua lingua reſonaret. Sæpe dormiẽs ſanctiſſiæ exhortationis, ſæpe orationis affectu officioſiſſimo verba fudiſti. Agebatur quippe lectulo corporis requies, mentis in Chriſto. Et quidem prout quique aſſuimus, experti ſumus. Tu verò vnica ſemper omnium requies, quàm alacer ſæpe referebas ſomnia, non aliquid præſagientia, neque aliqua in futurum anxietate ſolicita, ſed in quietis animæ deſideriis excitata, Martyrum ſcilicet, quos ſemper meditatione geſtabas, credo, interdum alludente & prouocante cupiditatem tuam Domino, tanquam excitata in ſidem tuam perſequutione peragebas.] Hæc ille. Enitere ergo, vt talis ſit ſomnus tuus, ſomnus planè iuſtorum, ex quo facilè poſſis ad orationem aſſurgere, & ad vitæ ſpiritualis exercitia repedare.

1. ad Theſſ. 5. 10.

In vita eius, c. 10. Surius, to. 7

SECTIO III.

De his, quæ ſingulis hebdomadis fiunt.

De confeſſione in hebdomada, facienda.

CAPVT I.

OMNIA, quæ hactenus dicta ſunt, ad diſciplinam religioſam vnius eiuſdẽmque diei pertinent, quæ quàm facilè & iucundè & ſine vlla anguſtia à viro ſpirituali præſtentur, illi experti ſunt, qui in cœnobio bene inſtituto, & iuxta regulam gubernato, vitam

ſpiritualem

ſpiritualem colunt. Sicut enim natura tam mirabili ordine interiora hominis, vt cor, iecur, lien, viſcera, inteſtina, & alia ad hoc genus ſpectantia, diſpoſuit, vt exiguo ſpatio comprehendantur, ex quo tamen educta, teſtimonio Medicorum, vix duplo loco continentur: ita gratia tot ac tam varia opera, ac multo plura ſic in vno die religioſè tranſacto ordinat, vt ſine vlla preſſura, aut afflictione cordis, ſpiritualis animus illis intendat. Aliæ verò actiones ſtudioſæ ſunt (vt ſuprà tetigimus) quæ non per diem, ſed per hebdomadam fiunt, de quibus nunc eſt breuiter diſſerendum. Ex religioſis ergo qui Sacerdotes non ſunt, & nec quotidie, nec tertio quoque die ad Sacramentum confeſſionis accedunt, ſingulis hebdomadis ex præſcripto confitentur. His autem duas ſortes confitentium proponimus ante oculos. Alteram, eorum non dico iam, qui fictè confitentur, & ſine debita claritate, & aliis requiſitis, hoc Sacramentum ſuſcipiunt: (nam quis hoc de hominibus Deo dicatis credat?) ſed qui ex quadam arida conſuetudine ad confeſſionem veniunt. Alteram, eorum qui ex amore Dei, ex vero dolore peccatorum, & ex feruenti deſiderio emendationis, huic Sacramento ſe ſubiiciunt. Prioribus illis dicemus, quod de populo Iudæorum

Pſ. 88. 45 in Pſalmis ſcriptum eſt: Deſtruxiſti eum ab emundatione, & ſedem eius in terra colliſiſti.] Lauacro enim illo puriſſimo ſanguinis Chriſti, quo emundari debuerant, propter malum aut ineptum vſum magis fœdantur: & vnde quies animæ naſci ſolet, quia non vt oportet, peccata ſua pandunt, inde inquietudinis tribulos & ſpinas nanciſcuntur. Poſterioribus verò competit quod in alio Pſalmo dicitur:

Pſ. 106. 41. Adiuuit pauperem de inopia, & poſuit ſicut oues, familias.] Quis namque pauper eſt, niſi peccator? & quæ eius inopia, niſi delictum? Dum autem hanc inopiam animo humili & compuncto confitetur, mirum in modum vt diteſcat meritis, adiuuatur. Horum pauperum, qui ex corde inopiam ſuam deteſtantur, familias ponit Dominus, ſicut greges ouium, qui a eos cuſtodit vt gregem ſuum, & bonorum operum prole fœcundat.

Si verò vis numero iſtorum aggregari, hæc in confeſſionis vſu ſeruabis: die & hora cõſueta tuam conſcientiam diligenter examina, & eo modo, quo ſuprà dictum eſt, per cogitationes, deſideria, verba, & opera, quid malè egiſti, & in quo à lege vel regula exorbitaſti, ſolerti meditatione conſidera. Ante iudicium interroga temetipſum, & in conſpectu Dei inuenies propitiationem. Illa autem præcipuè ad confeſſionem ex venialibus collige, (nam de confeſſione venialium loquor) quæ aliquo modo tuam conſcientiam inquietant, & aliquam erubeſcentiam ingenerant. Dorotheus autem ait:

Doroth. doct. 3. in fine. Admonuête autem crebrò maiores noſtri, non debere pati monachum remorderi ſe aliquando à conſcientia ſua, ne vna quidem re minima.] Facto autem examine, culpiſque cognitis, dolor ſanctis conſiderationibus quærendus eſt, & emendationis propoſitum conci-

Lib. 1. huius tomi, p. 1. piendum, de quo ſuprà, quod ſatis eſt, diximus: & ideò omittimus, ne eadem repetamus.

Poſtquam huic parti pœnitentiæ ſatisfeceris, ad cellam ſpiritualis patris, vel ad locum vbi confeſſiones excepturus eſt, ibis. Si alij fratres, licèt minores, aut ætate, aut ſtudiis, aut religionis annis te præuenerint, & priùs acceſſerint, donec illi confiteantur, expectabis. Hoc autem tempore ſtans, aut humiliter ſedens, in libello ſpirituali leges, vel aliquam precationem recitabis, aut mentaliter orabis, vel (quod melius videtur) te ampliùs ad confeſſionem præparabis, & doloris affectu compunges. Data tibi opportunitate ingrediendi ad latus ſpiritualis patris, genuflectes, & inclinato aliquantulum capite, per, Iube Domine benedicere, facultatem inchoandi confeſſionem accipies. Statim generalem confeſſionem facies ab Eccleſia receptam, vſque ad illa verba: Quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere. & tunc peccata tua, tum interiora, tum exteriora, breuiter, ſed clarè, diſtinctè, ſine ambagibus, ſine obſcuritatibus, ſine excuſationibus, vt ea cognoſcis, apud illum dices, & tandem per verba ſequẽtia, mea culpa, & cæt. confeſſionem concludes. Admonitionem, aut increpationem iudicis tui humiliter audies, non aliter ac ſi Chriſtum filium Dei te monentem, aut increpantem audires; illi enim peccata tua pandis, illi te ſubiicis, ab illo monita ſalutis excipis: ſiquidem Sacerdos vicem eius gerit, & ab eo remittendi peccata poteſtatem accepit. Satisfactionem demum tibi impoſitam libenter admittes, &, ſi commodè volueris, ſtatim exolues, & quanta potueris mentis deuotione complebis.

Hæc confeſſio ritè facta remiſſionem peccatorum accipit, & pro admiſſis delictis Deo nobis offenſo ſatisfacit. Scitè enim dixit Thomas à Campis, Debitor

Thom. à Camp. 2. de doctr. el. inſt. c. 9. es omnium, & ad ſoluenda debita peccatorum vix habes vnum integrum nummum. Quis eſt iſte nummus? Confeſſio oris ex vera cõtritione cordis. Hęc eſt illa confeſſio, quam Laurentius Iuſtinianus pulchrè deſcribens, mirabiles effectus habere, & magna ac pretioſa bona nobis tribuere dicit. Ille quidem ſic

Iuſtin. de grad. perfect. c. 3. ait: Verus quippe pœnitens, ex cognitione atque peccati odio conteritur in ſe, erubeſcit pro ſcelere, ſe coram Deo humiliando accuſat, Sacerdotis genibus ſe proſternit, facinora perpetrata promit, modum exprimit, cordis intentionem detegit, tempus conſummati delicti, & numerum confitetur, atque peccatorum ſuorum turpitudinem non abſcondit. Quum enim non homini, ſed Deo, cuius perſonam gerit Sacerdos, ſtare ſe credit, nihil valet occultare, quod fecit, ſciens pro certo quòd nullatenus dignus eſt venia, ſi non deiecto pudore palàm, & pro vt deliquit, peccata ſua euomuerit. Clamat profectò intus ratio, conſcientia vrget, impellit compunctio, per cuſtodem Angelum hortatur gratia, vt purè, ſimpliciter, integrè, apertè, & diſtinctè confiteatur, vt non ſuperuacuè laboret, currat inaniter, & abſque delictorum remiſſione triſtis abſcedat. Nam quemadmodum ficta, & ſcienter celato ſcelere imperfecta oris confeſſio parit in corde mœſtitiam, aufert indulgentiæ ſpem, & confuſionem immittit; ita è contrario humilis, integra, verecunda, & compunctione referta animum replet gaudio, agilitate quadam lætificat confitentem, de Dei bonitate fiduciam præbet, vlteriùs non peccandi deſiderium gignit, orandi accendit affectum, gratiarum ad Deum ingeminat actiones, ſatisfaciendi ſubminiſtrat vires, & ad Euchariſtiæ ſacræ ſumptionem acuit guſtum. Hæc tandem eſt illa confeſſio, quam qui fecit, dum verba Sacerdotis abſoluentis audit, artham diuinę miſericordię, id eſt, firmam ſpem remiſſionis peccatorum ſuſcipit. Hanc tu frater ita exercere cura, vt ob negligentiam tuam eius fructu non careas, & quotidie magis circumſpectus & mundus eam frequentando apud Dominum te ſanguine ſuo lauantem, exiſtas.

De communione ſiue ſumptione Euchariſtiæ. CAPVT II.

SACRAMENTALIS confeſſio ad Euchariſtiæ ſumptionem omnes fideles parat, quam religioſi aſſiduè ſuſcipiũt, ad eamq;

A ex præſcripto, octauo quoque die noſtri fratres accedunt: Huius ſanctiſſimi ſacramenti vſus (in quo Chriſtus redemptor noſter verè præſens adeſt) tanti momenti eſt, vt qui ipſum non ex conſuetudine, ſed ex amore & ex deuotione recipit, maximum habeat vniuerſæ virtutis & perfectionis adiumentum. Sol enim iuſtitiæ in corde ſuſceptus quid faciat niſi illuminare? Fons amoris in mente admiſſus, quid faciet, niſi illam accendere? Vita verò in præcordiis immiſſa, quid efficiet niſi vitam animæ augere, & ad omnem eam perfectionem adducere? Homo negotiando & mercimoniis inſiſtendo multum lucratur, ſed ſi vt hoſpitem in domo ſua regem excipiat, & eius oculis placeat, ſine vlla comparatione ditior efficitur. Poteſt namque illum ſubitò ex abiecta occupatione educere, & inter equites aut etiam inter
B magnates collocare. Sic prorſus, iuſtus non parum iuſtitiam auget, dum diuerſarum virtutum ſtudiis inhæret: at ſi feruentiſſimo amore ſe Chriſto Regi regum in hoſpitium exhibeat, ita poteſt placere ei, vt repentè ad quandam magnam ſanctitatem euehat, & initæ familiaritatis ſuæ eum participem faciat. Hinc animæ ſanctæ licèt in oratione indicibilibus muneribus decorentur, maioribus tamen in Euchariſtiæ ſumptione donantur, quia in oratione, ex riuulo; in Euchariſtia verò, ex fonte bibunt.

Magni tamen refert hoc ſacramento ſanctiſſimo rectè vti: nam qui eo malè vtitur, & graui peccato fœdatus accedit, [iudicium, inquit Paulus, ſibi
1. Cor. 11. manducat, & bibit:] qui verò eo tepidè, & vt ſeruiat
C conſuetudini, vtitur, modicum quid fructus capit: at qui ex magna deuotione hoc ſacramentum accipit, mirabiles in ſe effectus, & manifeſtam in melius, ſuæ vitæ mutationem aduertit. Sed quia noſtri inſtituti tantùm eſt modum debitæ communionis aperire, plurima, quæ hoc loco dici poterant, prætermimus, & id tantùm, quod huius muneris eſt, exponere aggredimur.

Duo ergo ſunt in viris iuſtis & religioſis circa communionem extrema vitanda. Alterum, illorum qui nollent tam frequenter ad Euchariſtiam accedere. Accedunt tamen ne canonem prætereant, ne ab aliis fratribus notentur, & ne à Prælatis puniantur. Alterum verò illorum, qui vellent ſolito frequentiùs communicare, & bis, im-
D mò & ter in hebdomada, & quotidie ſi poſſent, ſacramentum accipere. Horum primi aut ignauia, aut ignorantia laborant, quia aut ſe debitè ad frequentem vſum Euchariſtiæ non præparant, aut bene paratos, ex ſeruili quodam timore ſe minùs dignos exiſtimant. Si huius modici appetitus ignauia & tepiditas cauſa eſt, rebus quæ feruorem accendant, de quibus ſuperiùs multa dicta ſunt, & conſiderationibus magnitudinis myſterij huius, & fru-
Lib. 1. p. 2. ctuum eius, eſt à tepido & ignauo curanda. Quis bonus filius ad benigniſſimum patrem venire nolit? quis frater ad primogenitum fratrem, ex quo totus pendet, refugiat accedere? Quæ ſponſa, ſponſi ſui pulcherrimi libenter non recipiat amplexus? Sed quare iuſtus iuſtificatorem fugiat, & ſanctitatis au-
E ctorem, & remiſſionis peccatorum & vniuerſarum datorem virtutum, hoſpitari renuat? In hoc conuiuio omnis dulcedo animæ, omnis virtutum fructus eſt, vt quiſque ad illud venire non metuat, cuius ſuauitatem & vtilitatem ſola Ambroſij verba nobis exponant: Nec vereatis, inquit, ne in conuiuio Eccle-
Ambr. lib. 1. de Cain. c. 5. ſiæ aut grati odores tibi, aut dulces cibi, aut diuerſi potus, aut conuiuæ nobiles deſint, aut decentes miniſtri. Quid Chriſto nobilius, qui in conuiuio Eccleſiæ & miniſtrat, & miniſtratur ei? Iſtius conuiuæ re-

A cumbentis annecte te lateri, ac te Deo coniunge. Nec faſtidias menſam, quam Chriſtus eligit, dicens: In- *Cãt. 5. 1.*
troiui in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham cum aromatibus meis, manducaui panem meum cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo.] In horto, hoc eſt, in paradiſo, eſt conuiuium Eccleſiæ, vbi erat priùs Adam quàm peccatum committeret. Ibi recumbebat Eua priuſquam culpâ crearet, & pateret. Ibi vindemiabis myrrham, hoc eſt, Chriſti ſepulturam, vt conſepultus cum illo per Baptiſmum in mortem, quemadmodum ille ſurrexit ex mortuis, & tu reſurgas. Ibi manducabis panem, qui confirmat cor hominis, mel guſtabis, quo tuarũ dulceſcat meatus faucium, vinum bibes cum lacte, hoc eſt cum decore & ſinceritate: ſiue quòd
B meri puta ſimplicitas ſit, ſiue quòd immaculata gratia, quæ in remiſſionẽ ſumitur peccatorũ, ſiue quòd paruulos cõſolationis ſuæ lactet vberibus, vt ablactati in deliciis in plenitudinẽ perfectæ ætatis adoleſcãt. Succede ergo in hoc conuiuium. An metuis ne anguſtior domus, & breuis conuiuij locus te comprimat? O Iſraël, quàm magna eſt domus Dei, & ingens *Bar. 3. 24*
locus poſſeſſionis eius! magnus eſt, non habet finem; altus, & immenſus.] Ibi fuerunt gigantes illi, qui ab initio fuerunt ſtatura magna, ſciẽtes prælium. Non hos elegit Deus. Et meritò non elegit, quia prælium, non pacem ſciebant. Et ideo tu pacẽ diſce, vt eligaris à Deo. Sed ne fortè incomptá domus magnitudinẽ putes, & diuerſoria te colũnata delectent: Sapientia ædificauit ſibi domũ, & ſculpſit columnas *Prou. 9. 1.*
C ſeptem.] Ipſe etiã Dominus Ieſus multas manſiones *Ioan. 14.*
apud Patrẽ ſuum eſſe cõmemorat. In hac ergo domo epulaberis animæ cibo potúque mentis, vt poſtea non eſurias, neque ſitias vnquã. Qui enim manducat, manducat vſq; ad ſatietatẽ, & qui bibit, vſque ad ebrietatem bibit. Sed hæc ebrietas pudicitiæ cuſtos eſt. His verbis ſanctiſſimus doctor non minùs eleganter quàm euidenter tractat quanta ſit huius menſæ tum dignitas, tum vtilitas, tum ſuauitas, vt nemo ad eam cum triſtitia, aut moleſtia, aut nauſea recumbat. Quanta dignitas menſæ, quæ non in aula regis terreni, ſed in domo regis cœleſtis inſtruitur, cui Angeli aſſiſtunt, Sancti aſſident, in qua Chriſtus Dei filius miniſtrat, corpus eius manducatur, & ſanguis eius bibitur? Quanta vtilitas in qua peccata
D mundantur, vitia extinguuntur, paſſiones modũ, virtutes augmentum, & dona cœleſtia perfectionẽ acquirũt? Quanta ſuauitas mẽſæ illius, in qua eſt aqua refrigerans, vinũ inebrians, lac reficiens, mel vitam noſtrã edulcans? & cibus ille cœleſtis corpus ipſum confortans, (vt multi experimento cõperiunt) animámque ſuſtentans? Hunc cibũ, ô frater, qui quotidie neceſſarius eſt, ideo quotidianus vocatur, octauo quoq; die tibi oblatum, non moleſtè, non coactè, ſed libenter accipias, ita accipe, vt licèt realis eius ſuſceptio quotidiana non ſit, eius tamen deſiderium perpetuum ſit. Si famem non ſentis, æger ſpiritu es, cura vt conualeſcas, quò, cùm tibi hic panis conceditur, vt famelicus comedas.

Illi verò ſecundi, qui cupiunt frequentiùs, quàm
E alij hoc cibo Angelorũ refici, cauſam huius deſiderij veſtigent. Si cauſa eſt æmulatio, quia alij frequentiùs communicant: & nolunt minùs deuoti & ſpirituales apparere, ſeipſos irrideant, & tanquam ſuperbos contemnant, qui Sacramentum, charitatem & humilitatem prædicans, volunt ad inuidiæ & ſuperbiæ fomentum aſſumere. Si verò cauſa eſt ſenſibilis deuotio: quæ ex corporis Domini manducatione percipitur, ſeipſos mortificent, & ſciant, obedientiã, & vitæ regularis amorẽ ſenſibili deuotioni præferre:

neque

neque in hoc cibo ſenſibilis deuotio, vt finis quærenda eſt, ſed animæ puritas affectanda. At ſi cauſa ſit quædam impatiens ſponſi cupiditas, & violentus quidam amor, in alio quàm in Domino quieſcere neſciens, neque huic eſt omnino credendum, maximè ſi eum ſancta & perfecta vita non approbat, ſi intima cum Deo familiaritas non inflammat, ſi reſignatio non ordinat, & obedientia, qua promptè ſuperiori ſubſit, non gubernat. Sed ſi vitæ puritas, ſi orationis donum, ſi apertus ex communione profectus, ſi fratrum ædificatio, & nullum ingeneratum ſcandalũ ſuaderent, hæc deſideria à Domino promanare, bene poſſit illi, qui huiuſmodi eſt, frequentior vſus huius Sacramenti etiam in communitate concedi, tantùm vt ille ſic viuat, quòd omnibus quantum in ſe fuerit, virtute præluceat, & manibus, id eſt, operibus ſanctis, maius ſibi datum fuiſſe ad ſanctè viuendum iuuamen, oſtendat. Siue autem Sacramentum hoc præſtantiſſimum tempore à regula præſcripto, ſiue frequẽtiùs ex facultate Prælati à religioſo ſuſcipiatur, illud Chryſoſtomi præ oculis habẽdum eſt, vt optata ex hoc cibo proueniat vtilitas. Quos, inquit ille, magis acceptabimus? Eóſne qui ſemel, an eos qui ſæpiùs, an illos qui rarò accipiũt? Neque illos qui ſemel, neque illos qui ſæpiùs, neq; qui rarò, ſed eos qui cum mũda conſcientia, qui cum mundo corde, cũ vita irreprehenſibili.] Neque ergo eos laudo, qui ſemel in menſe, aut octauo quoq; die, prout ſua regula præſcribit, ſumũt: neque eos qui obtẽtu à Prælato facultate frequentiùs accipiunt: ſed eos probo & veneror, qui ita parati & diſpoſiti ad menſam Dei ſedent, vt ex ea maius emolumentũ percipiant.

Chryſoſt. hom.17. ad Heb.

Sed iam de iſto apparatu ad fructuosè communicandum meam paruitatem interrogas? Duplex igitur eſt ad ſumendã Euchariſtiam adhibenda diſpoſitio. Altera quaſi à longè te præparat, & illa non eſt alia, quàm ſancta & ſpiritualis vita, vitiis & diſtractionibus libera, & ab omni eo, quod te inquinare poſſit, aliena. Huius diſpoſitionis meminit Laurentius Iuſtinianus, dicens: Optimum ſuſceptionis remedium, mentis humilitatem fore non dubites. Eo namque ad Euchariſtiam percipiendã eris dignior, quo corde humilior, mente mundior, dilectione feruentior, virtutibus ſolicitior, & vita inuentus fueris ſanctior.] Mundamini, inquit Iſaias, qui fertis vaſa Domini.] Quænam ſunt vaſa Domini, ſecundùm Chryſoſtomũ, niſi corpora noſtra, in quibus Sanctus Sanctorum, ſub panis & vini ſignis inhabitat? Purifica itaque teipſum, recede à negotiis ſæcularibus, egredere ab omni deſidia, & ignauia: polluta, id eſt, opera Deo inuiſa, ne tangas, & ſic ad debitam ſuſceptionem Euchariſtiæ mundaberis. Si quis enim emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorẽ ſanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum.] Sanctificabitur, inquam, & deputabitur huic honori, vt Dominum ſuum dignè ſuſcipiat, & tanquam Dominum ſuum in corde circumferens, ad omne opus bonum præſtandum parabitur. Quid enim boni non poſſit is, qui authorem boni dignè ſuſcepit, & auxiliũm gratiæ eius præſtò habet?

Iuſtin. de triũphali Chriſti agon. ca.4. ad med.

Iſaia 12. 11.

2. Tim.2. 21.

Proximè autem ſic te ad ſacram communionem parabis. Tribus diebus ante diem ſuſcipiendæ Euchariſtiæ, ſolicitiùs te in bonis actibus conſuetis exercebis, ſpecialem aliquam orationem facies, non tam longam, quàm affectus plenam, qua gratiam & deuotionem ad debitè accedendum poſtules, & ad idem aliquam corporis afflictionem ſubibis. De hac diſpoſitione ſic ſcripſit Bonauentura: Quòd ſi in die Dominico proponis communicare, ſtudeas te antè per triduum ad feruorem ſpiritus ordinare, vt

Bonau. in regul. nouit. c.4.

A ſis in ſexta feria præcedenti ab omni cogitatione immunda abſtractus. Semper autem habeas mentales oculos ad Ieſum crucifixum, ſpinis coronatum, aceto & felle potatum, ſputis & contumeliis ſaturatum, à peccatoribus blaſphematum, acerbiſſima morte conſumptum, lancea perforatum, à mortalibus iam ſepultum. Hæc cogita, illa die, ſiue comedas, ſiue bibas, ſiue aliquid aliud facias, vt cogitando Creatorem crucifixum, dolorem in corde habeas, tota die oſtendas triſtitiam in corde & in corpore, dicens cum Apoſtolo: Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.] Sabbato prophana penitus fratrum conſortia declinato, & quietem mentis eligito: dies enim requietionis eſt, & pone B ſtrictum ori tuo ſilentium, vt ſaltem illo die non ſolùm otioſa verba ſuccidas, ſed ipſa neceſſaria vix loquaris. Nam, teſte Ieremia, bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei noſtri: & vſque ad completorium exerceas te aut in lectione, aut in bona meditatione.] Ipſo die communionis diligentiùs ſurges è lecto, feruentiùs actus diuini cultus exercebis, & tempus meditationis in his, quæ te ad amorem, & timorem, & reuerentiam accendant, inſumes. Quidquid cogitaueris, quidquid loquutus fueris, quidquid egeris, hac intentione perficies, vt te magis aptum ad Chriſtum ſuſcipiendum reddas, & vt magis gratus oculis eius appareas. Aduerte, quanta fœminæ diligentia ſe ornant, vt aſpicientibus pulchræ videantur, & quanto ſtudio ſe lauant, comunt, & veſtiunt, intentione praua aut præpoſtera, hunc C ab eis ſuſceptum laborem inficiunt: ſic tu indue teipſum & laua, & corpore ac mente purifica, vt Domino tuo decenter aſſiſtas, & hac rectiſſima intentione tuum laborem emunda.

Gal.6.14.

Thren.3.

Si curam bene ſanctéque viuendi ſuſceperis, ſi tribus te diebus ante communionem diſpoſueris, ſi die illo, oratione, gemitu, corporis afflictatione, & ſanctis deſideriis parau eris, & poſt hæc nullã ſenſibilem deuotionem, ſed potiùs mentis ariditatem ſenſeris, noli triſtari: quia non ob id magno huius Sacramenti fructu carebis. Audi quid de hac re ſcribit Laurentius Iuſtinianus: Nemo autem ſeruorum Dei ab hoc prorſus ſe ſubtrahat Sacramento, quamuis actualis deſit deuotio: nec quiſquam eo priuetur. Diuerſimodè etenim operatur Dei ſapientia in ſibi D famulantibus, effectus gratiarum ſuarum, nulliquè fas eſt iudiciorum Dei arcana rimari, incomprehenſibilia namque ſunt, & intellectui inacceſſibilia humano. Propterea non debet à ſancto Domini conuiuio repelli indeuotus iuſtè viuens, virtuosè conuerſans, humiliter ſe agnoſcens, purè confitens, & reuerenter accedens. Talis quippe inſenſibiliter ac ſpiritualiter hoc Sacramento nutritur & viuit. Nam manna abſcõditum eſt in ſe continens omniũ ſpiritualium abundantiam deliciarum.] Si ergo non conſolationem, ſed Dei gloriam, & mentis profectum quærebas, patiẽter ſuſtine, & reſignato animo, ſi conſolatione careas, dummodo robur aduerſùs tentationes, & formidinem ad bene operandum, & maiorem puritatem percipias.

Laur. de diſcip. & perf. mon. c.19.

E Poſt communionem per horam, aut ſaltem per ſemihoram, ad agendas pro tanto beneficio gratias te colliges. Nam Thomas à Campis non ſolùm defectui diſpoſitionis, ſed etiam gratiarũ actionis exiguitatem noſtri profectus aſcribit. Eius verba: Timendum, quòd multi fructum paruum accipiunt de menſa Chriſti: quia nec antea, nec poſtea ſunt in ſufficiẽti cuſtodia ſui, nec ſatis reuerenter præcogitant, quis eſt, qui venturus eſt, nec poſtea ruminant, quia hodie Sanctus Sanctorum ingreſſus eſt ad eos.

Thom. de vit. ſolit. li.1.c.35.

Qui

Qui autem ſolliciti ſunt præparare interiorē domum ſuam,& occurrere lætātet obuiam Chriſto, ipſi nouerūt quid efficaciæ & ſuauitatis habeat hæc ſacroſancta cōmunio. In hoc agnoſcitur vniuſcuiuſq; deuotio,& amor ad Chriſtū, ſecūdùm quod ingenioſè ſe aptare curauerit ad ſuſceptionē eius.] Chriſtū verum Deum,Regē omnium potentiſſimū,noſtrarum neceſſitatum prouiſorē benigniſſimū, in domo cordis hoſpitem excepimus, & eum ſolum & inſalutatū relinquemus? Venit ipſe, vt petitiones noſtras exaudiat, miſereátque ſubueniat, & nihil ab eo poſtulabimus? Amantiſſimè conclaue mentis noſtræ ingreſſus eſt,& nulla voce gratiarū actionis ei reſpondebimus? Ne in tantam ingratitudinē incurras, & talem proficiendi occaſionem amittas,ſede vt altera Magdalena ad pedes Domini,quem hoſpitem excepiſti.Audi attētè ſermones illius, ſi aliquid te docere dignetur. Alloquere illū, de hoſpitij vilitate & nuditate confundere, de parua & repida diſpoſitione veniā pete, vires tuas,& mēbra, ac talenta tua in eius obſequiū affer; miſerias & neceſſitates pande,virtutes exopta, ad earum adeptionē auxiliū implora, & multiuariis te exerce amoris affectibus. Si ita feceris,non patietur Dominus, vt ſine magno fructu ab eius præſentia diſcedas, immò faciens faciet, & te donorum ſuorum copia replebit.

De auditione verbi Dei.

CAPVT III.

SINGVLIS etiam hebdomadis vniuerſi (vt opinor) religioſi verbum Dei audiunt, & Prælati per ſe, vel per ſubſtitutum, ad perfectionem,exhortantis ſermonē excipiunt.Eſt enim vita religioſa,ſicut & aliorum bonorum, ita & verbi Dei abundans,quo cultores ſuos ſanat atque ſuſtentat,Quibus congratulari poſſumus verbis illis Pauli: Gratias ago Deo meo in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu:quia diuites facti eſtis in illo, in omni verbo,& in omni ſciētia.] Si illi adhuc imperfecti ſūt, à vitiis & imperfectionibus ſanat:ſi perfecti, in omni ſāctitate conſeruat. Nā, vt teſtatur Bernardus, duo operatur verbum Dei, & animas vitioſas ſanat,& bonas admonet. Hoc verbū Dei eſt ille panis ſubcinericius, qui voluebatur aduerſùs caſtra Madian,& tabernaculum vitiorum ſubuertit,& terræ funditus coæquauit. Tuba eſt,inquit Hugo Victorinus,panis eſt,gladius eſt. Tuba eſt, quia auribus inſonat;panis eſt,quia eſurientiū iuſtitiā mentes ſanat; gladius eſt,quia cordiū ſecreta penetrat. Sed videndum eſt, quonā modo religioſi Dei verbum audire debeant, ne in abundantia panis, quaſi panem non habeant,& inter ſuauiſſimas epulas fame pereant.

1. Cor. 1. 4.5. *Bern. ſer. 15. ex par- uis.* *Iud.7.13.* *Hug. ſer. 63 to. 2.*

Si ergo vis, ô iuſte, ex verbi Dei auditione proficere, cum magno deſiderio audiendi & aliquid diſcendi ad exhortationem accede. Tibi namque dicit Salomon:Stude ſapientiæ fili mi,& lætifica cor meū vt poſſis exprobranti reſpondere ſermonem. Audi, inquam,non oſcitanter,ſed diligenter,verba ſapientiæ, vt habeas ad manum doctrinam Spiritus,qua in omni virtute creſcas,& dæmoni te ad peccata trahēti reſpondeas. Et Eccleſiaſticus,Os prudentis,quæritur in Eccleſia, & verba illius cogitabūt in cordibus ſuis.] Sapiētes ſcilicet verba Dei non perfunctoriè & negligenter audient, ſed in cordibus ſuis ea cogitabunt,& ad ſalutem operandum ſollerter expendent. Hoc autem deſiderium ſpirituale excitabis, ſi te doctrina ſpirituali indigere animaduertas. Non enim quia vitā religioſam ſectaris,quæ ſpiritualis doctrinę eſt feraciſſima, ideo huius doctrinæ auditione non

Prou.27. 11. *Eccl.21. 20.*

A eges. Immò ideo tanto maiori ſtudio & attentione audienda eſt,quanto experientia compertum habes ex tam frequenti doctrina negligenter audita,te nullum hactenus, aut exiguum fructū percepiſſe. Quadrátque in hunc locum ſimilitudo Clementis Alexādrini tantiſper immutata; Quòd ſicut piſces, qui in ſalſo & naſcuntur, & nutriūtur, ſalibus tamē ad cōdiendum indigent; ita & religioſi in campo doctrinæ ſpiritualis educati, eadem doctrina opus habent diligēter audita, vt à vitiorū corruptione protegātur.

Clem. Alex. 1. ſtrom.

Prælatum aut alium quemuis eius partes agentem, non aliter quàm Chriſtum loquentem & docētem auſcultes.Ipſe enim eſt, qui per adminiſtros ſuos loquitur, ipſe qui per os eorum verba vitæ cordibus audientium inſtillat. Sanè quod dixit Dominus ad
B Ieremiam,idem omnino ad prælatos & Euangelicos prædicatores dicit.Noli dicere, puer ſum,quoniam ad omnia,quæ mittam te, ibis, & vniuerſa quæcumque mandauero tibi,loqueris.] Et poſtea,[Ecce dedi verba mea in ore tuo.]Si autē hunc, quem audis, Deus miſit, vt te doceret,ſi verba ſua in os eius miſit, ſi quæ mandauit,ille proponit, nō eſt cur ſolum hominem loquentem putes. Nihil autem refert ſi Prælatus, aut alius quiuis ſenex eius vicem gerēs, minùs literatus ſit,aut minùs eloquens, aut minùs in rebus ſpiritualibus exercitatus: nā ſi verba Domini proponit,pari reuerentia audiendus eſt,ac ſi magnis donis & talentis polleret. Nam ſicut in humanis rebus, vt ſimili vtar Chryſoſtomi, quando regum diademate
C coronatus literas mittit,tunc is qui adfert eas, per ſe nullius momenti eſt, ſed humilis quidā ſæpe, neque progenitores numerare ſciens, obſcurus, & ex obſcuris,ſed non ad illū ſpectant, qui literas ſuſcepturi ſunt,ſed propter regis literas,magna reuerentia,& ſilentio eas ſuſcipiunt. Sic etiam auditores non ad dicentem reſpiciunt,neq; ad tenuitatem eius,ſed quia quæ dicit,à Deo affert,ea collecto animo & attento accipiunt.] Hæc ille. Neque etiam refert quòd præfectus cōmunia & omnibus nota proponat. Non enim doctrinam ſpiritus audis, vt noua diſcas, ſed vt ad ea, quæ didiciſti,opere complenda inciteris, & vt de hoc,quod ſcilicet bonum cognouiſti, & nō feciſti,erubeſcas. Nam ſi ſermo Dei non veniſſet ad te, nec loquutus fuiſſet tibi,fortè peccatū non haberes,
D tunc autem excuſationē non habes de peccato tuo.

Ier 1.7. Chryſ. ho. in Geneſ.

Audi igitur verba Chriſti te per Prælatū monentis,non cum tædio & nauſea, ſed attentè & deſideranter, non ex curioſitate, ſed ex deſiderio diſcendi vtilia,aut operandi perfecta. Audi,non vt ſtatim eorum quæ audiſti, obliuiſcaris,ſed vt ea poſtea mediteris.In lege quippe ſcripta,animalia quæ ruminabāt cibum. munda erant; in lege verò noua animæ,quæ verba Dei audita meditantur,& quaſi in propriā ſubſtantiam actione conuertunt, ad magnam munditiam perueniunt. Hunc eſſe illius legis ſpiritum Auguſtinus manifeſtè teſtatus eſt. Verbi auditor,inquit, ſimilis eſſe debet animalibus quæ ab hoc quòd ruminant,munda eſſe dicuntur,vt non pigeat cogitare, quæ in aluo cordis accepit; & cùm audit, ſit ſimilis
E edenti;cùm audita in memoriam reuocat, ſit ſimilis rumināti.] Si ita verbum Dei audieris,profectò beatus eris.Quoniam[beati,qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.]Ad audiendum igitur breui oratione te præpara, qua & loquenti gratiam dicendi, & tibi ac aliis audientibus adiutorium ad proficiendum poſcas.Audi humiliter non vt cenſor,ſed vt rudis diſcipulus,audi attētè, vt quæ audieris, memoria retineas,aut fideliter,vt ceu bona terra ex ſemine tibi commiſſo fructū operis proferas,& ſic ex abūdantia doctrinæ ditiſſimū virtutum cumulū reportabis.

Leu.11.3. *Aug.* *Lucæ 11. 28.*

A

De collatione ſpirituali.

CAPVT IV.

MOs collationum ſpiritualium, quibus media ad vincendam aliquam tẽtationem, vel proſternendum vitium, vel aſſequendam virtutẽ, inquirimus, ac modum inter nos ſtudioſè ſanctéque viuendi conferimus, tam antiqous eſt, vt ab ipſis Sanctis Apoſtolis ſumpſerit approbationis exordium. *Gal. 2. 2.* Paulus enim ad Galatas ſcribens, ſic ait: Aſcendi autem ſecundùm reuelationem, & contuli cum illis (nimirum cum Apoſtolis) Euangelium, quod prædico in gentibus, ne fortè in vanum currerem aut cucurriſſem.] Nõ aſcendit ille ad diſcendum Euangelium, B quod antea ab ipſo Chriſto immediatè didicerat. *Galat. 1. 11. 12.* Vnde præmiſerat: [Notũ enim vobis facio, fratres, Euangelium, quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.] Sed aſcendit conferre Euangeliũ, nam cullatio æqualium eſt, qua de propoſita quæſtione ſinguli exponunt, quid ſentiant, vt dum in eodem ſenſu conueniunt, ſe magis ad bonum ſectandum, & malum fugiendum, accendant. Hæc igitur Pauli & aliorum Apuſtolurum collatio, in eum ſcopum à ductore gentium ordinata eſt, non vt aliquid noui diſceret, ſed ne in vanum curreret, aut cucurriſſet, id eſt, ſine fructu apud homines laboraſſet. Fidelibus enim ſuſpecta eſſet eius doctrina, & meritò, ſi à C doctrina aliorũ Eccleſiæ procerũ diſſentiret. Hinc autem vſus inoleuit inter ſpirituales viros, vt aliquando loco exhortationis collationem inſtituerent, qua vno interrogante, & aliis ad interrogationem reſpondentibus, & Prælato quod ſentiẽdum eſt diſcernente, vniuerſi in bono erudiantur, & ad omnem perfectionem excitentur.

Fuiſſe verò apud illos religioſos antiquos frequẽtiſſimum collationum vſum, ex Ioannis Caſſiani inſignibus collationibus conſtat, quæ non ſolùm facundia illius obſeruantiſſimi Eremitæ mentes legentiũ mirificè delectant & mouent, ſed & omnem ſpiritus doctrinam continent. Formulã collationis inſtruendæ apud eundem Caſſianũ inuenio, quam ad vtilitatem eorum, qui in ſimilibus collationibus ſpiritua- D libus aſſueti non ſunt, non cunctabor ſcribere. Ita ergo ille collationem quandã tempore Beati Antonij habitam narrat: *Caſſ. coll. 2. c. 2.* Memini igitur quondam in annis adhuc pueritiæ conſtitutus, in partibus Thebaidis, vbi Beatus Antonius morabatur, ſeniores ad eũ perfectionis quærendæ gratia conueniſſe. Cúmque à veſpertinis horis vſque ad lucem fuiſſet protracta collatio, circa quæſtionem hanc maximum noctis ſpatium conſumpſiſſe. Nam diutiſſimè quærebatur, Quænam virtus vel obſeruantia monachum poſſit à diaboli laqueis, ac deceptionibus cuſtodire ſemper illæſum, vel certè recto tramite, firmóque greſſu ad perfectionis culmẽ euehere. Cúmque pro captu mẽtis ſuæ proferret vnuſquiſque ſententiam; & alij quidem hoc in ieiuniorum vigiliarúmque ſtudio collo- E carent, quòd his videlicet extenuata mens, ac puritatem cordis & corporis aſſequuta, Deo faciliùs vniretur: alij, in contemptu vniuerſarum rerum, quibus ſi penitus mens nudaretur, tanquam nullis deinceps retinẽtibus laqueis, ad Deum expeditior perueniret: alij, anachoreſim neceſſariam, id eſt remotionem, & eremi ſecreta cenſerent, in qua commanens quis familiariùs interpellare Deum, eíque poſſit peculiariùs inhærere: Nonnulli ſectanda charitatis, id eſt huma- A nitatis, ſtudia definirent, eo quòd his regna cœlorum daturum ſe Dominus in Euangelio, velut ſpecialiùs repromitteret, dicens: *Matt. 25.* Venite benedicti Patris mei, poſſidere paratum vobis regnum à conſtitutione mũdi; eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, & dediſtis mihi bibere.] & cæt. Cúmque in hunc modum diuerſis virtutibus aditum certiorem ad Deum parari poſſe diſcernerent, eſſétque noctis maximum tempus hac inquiſitione conſumptum, intulit demum Beatus Autnnius, Omnia quidem hæc, quæ dixiſtis, neceſſaria ſunt ſitientibus Deum, atque ad eum cupientibus peruenire, ſed his principalem tribuere gratiam, nequaquam nos innumeri multorum caſus & experimenta permittunt. & cæt.

Hæc eſt forma collationis, cui non ſolùm magnus B Antonius adfuit, verùm & illam maximè commendauit. Nam Athanaſius quandam eiuſdem ſanctiſſimi patris exhortationem habitam ad fratres commemorans, *Athan. in vita Anto.* ab his verbis illum exordiũ deſumpſiſſe ait: Ad omnẽ quidem mandatorũ diſciplinam Scripturas poſſe ſufficere, ſed & hoc optimum fore, ſi mutuis inuicem fratres ſermonibus conſolarentur. Et vos ergo, inquit, vt patri referte, quæ noſtis, & ego quæ per longam ætatem conſequutus ſum, quaſi filus indicabo.] Multa alia ſunt in Sanctorum hiſtoria Theodoreti, & in Dorothei doctrinis, & in Palladij Lauſiaca, ex quibus hunc vſum collationum ſpiritualium apud veteres religioſos viguiſſe conſpiciunt. Nec prætereundum eſt, quod de illo ſcribit Baſilius in hunc modum: *Baſil. lib. regu. fuſius diſp. c. 54.* Operæpretium eſt autem ſi ſtatis C interdum quibuſdam temporibus, certíſque locis conceſſus celebretur eorum, qui fratrum conuentibus præſunt, in quibus videlicet, cùm de rebus iis, quæ ſibi præter rationem acciderint, tum de difficilibus etiam ad tractandum naturis, aut moribus, & quomodo in ſingulis moderandis ſe geſſerint, viciſſim inter ſe cõmunicent & conferant: quò videlicet ſi aliquid aliquando minùs rectè ab aliquo factum fuerit, id adhibita locuplete multorum ſententia, maiore cum authoritate, quod in medium adductum eſt, quale ſit iudicetur. Contráque, ſi quid rectè geſtum, multorum ſimiliter teſtimonio comprobetur.] Sic ille. Hic ergo vſus à Sanctis antiquis commendatus, non eſſet à recentioribus deſerẽdus, vt ex eo copioſum fructum, ſicut & illi colligerent. D Si enim ſcientiæ mutua condiſcipulorum collatione diſcuntur, ſi res ad gubernationem, & ad negotia bellica pertinentes, collatione tractantur, cur res ſpiritus & ſalutis noſtræ non conferemus, vt inde quid faciendum & quid fugiendum ſit, auditis aliorum ſententiis, cognoſcamus? *Pro. 11. 14.* Salus, inquit Salomon, vbi multa conſilia.] vel, vt habent Hebræa, in multitudine conſultorum. Multos igitur eiuſdem propoſiti & vocationis audire debemus, vt eorum experientia ad ſalutem nos doceat, & de his quæ ſola induſtria propria conſequi non valet, ipſorum ſermo exhortatorius erudiat.

Si ergo alicubi vſum harum ſpiritualium collationum inueneris, eis adeſſe, & fructum eruditionis percepiſſe non pigeat. Et ſicut ſeniores & principes Iu- *Act. 4. 15.* E dæorum conferebant adinuicem, quomodo Chriſti memoriam delerent, & Apoſtolos perderent: ita & tu cum viris ſpiritualibus confer, quomodo Chriſtũ ſequaris, & Apoſtolos imiteris. Aliquando defectum tuum ſimpliciter pande, & remedium, verbi gratia, ad ariditatem & diſtractionem orationis, quam pateris, ad vincendam iram, ad continendum ſanctis cogitationibus cor, & ad alia huiuſmodi, humiliter quære, & fratres tuos ſuper his, quæ aut repellere aut habere cupis, interroga. Sermo enim dicebatur

ni

2. Regum 10. 18. in veteri prouerbio: Qui interrogant, interrogent in Abela.] & ſic proficiebant. Abela interpretatur locus conſilij. Quis autem locus ad capiendum conſilium aut aptior, aut illuſtrior religioſorum cõſeſſu, in quo ſinguli loquuntur, non tam quæ legerunt, aut audierunt, quàm quæ experimento didicerunt, & oratione à magiſtro veritatis impetrarũt? Ibi ergo non dubites interrogare, vbi ſine fuco veritas diſcitur, vbi ſine reſpectu alicuius perfectè veritas edocetur, vbi aſtus Dæmonis, & miſericordia Dei aptiſſimè propalatur. Si tu interrogatus fueris, habeat caput Eccli. 32. 11. reſponſum tuum:] ſummatim dicas & paucis, ac ſimplicibus verbis tuam ſententiam abſoluas, eáque in medium proferas, non tam quæ legiſti, quàm quæ actione aduersùs vitia pugnando, aut virtutes quærendo comparaſti. Si nec interroges, nec reſpondeas, humiliter cum deſiderio diſcendi loquentes audi, etiamſi indoctiores, aut rudiores, aut planè idiotæ videantur, quoniam ſæpiſſimè diuina[ſapientia aperit os mutorum, & linguas infantium facit diſer- Sap. 10. 21. tas.] Et ab ore iſtorum non ſemel, nec ſine admiratione accipies, quod literatus non protulit: quia volumina aliorum tantùm legit, & perfectè operari hactenus ignorauit.

De retinendis propriæ deſpicientiæ ſignis.
CAPVT V.

SVNT etiam in familiis religioſis introducta quædam humilitatis, & deſpicientiæ propriæ, ac compunctionis exercitia, quibus ſpirituales viri cùm in vnum conueniunt, ſe mutuò ædificant, & ad virtutis deſiderium accendunt, vt ſi dum congregatio ad menſam recumbit, quidam ex religioſis culpas ſuas, quæ nihil offenſionis & multum ædificationis habent, publicè fateantur, ſi proſtrati, aliorum pedes exoſculentur, ſi humi ſedentes, more ſeruorum, & non cum aliis pane veſcantur; vel ſi alia ſimilia faciant, quæ feruor inuenit, humilitas probauit, & victoriæ paſſionum deſiderium introduxit. Harum mortificationum (ſic enim vocantur) vel humiliationum vſus non eſt nouus, immò ex geſtis ipſius magiſtri humilitatis aſ- Ioan. 13. ſumptus. Ipſe namque ſurrexit à menſa, & diſcipulorum ſedentium pedes lauit, loros linteo terſit, & iam à ſe mundatis (vt eſt credibile) oſcula fixit. Quin Luca 7. 38. & Magdalena conuiuium, in quo Dominus epulabatur, ingreſſa, pedes eius oſculata eſt; nec, ſi Domino gratum exiſtimaſſet, aliorum recumbentium pedes oſculari erubeſceret. Plenæ ſunt Sanctorum hiſtoriæ ſimilibus humilitatis exemplis, quibus ſancti viri aliorum pedibus figebant oſcula, & ſe coram aliis peccatores dicebant, & ſe ſtultos & emotæ mentis ſimulabant, aliáque non ad faſtum, ſed ad augmentum meritorum, & ad ædificationem fratrum aſſumebant humilitatis inſignia. Quæ aliquando ſponte, nonnunquam verò iuſſu Prælati exercebantur, vt ex Climaco (vnum enim exemplum proferamus in medium) licet colligere. Climac. de obed. grad. 4. Cùm ad menſam, inquit, aliquando conſediſſemus, ſummus ille magiſter inclinans ſuum ſanctum os ad aurem meam, Vis, inquit, tibi oſtendam in extrema profundáque canitie diuinum ſenſum atque prudentiam? Cúmque id ſummis precibus orarem, aduocat ex proxima menſa, quendam Laurentium nomine, qui quadraginta ferè octo annos in Monaſterio degerat, ſedénſque erat Sacrarij Presbyter. Qui cùm veniſſet, atque Abbati genibus flexis ſtaret, ab illo quidem benedicitur. Sed cùm ſurrexiſſet, nihil illi penitus dixit, ſed ſic ante menſam ſine cibo ſtare permiſit.

A Erat autem tunc prandij initium. Itaque prolixam horam, & fortaſſe duas immobilis ſtetit, adeò vt ipſe quoque erubeſcerem, neque enim in illius faciem intueri præ verecundia poſſem. Erat enim canus totus, octogeſimúmque iam agebat ætatis annum. Manſit autem ſine reſponſo vllo vſque ad refectionis finem. A qua cùm ſurgeremus, mittitur iam à ſancto illo, vt memorato Iſidoro diceret trigeſimi noni Pſalmi initium.] Hæc ille. Qui & ſuprà in eodem gradu, de publica apud fratres manifeſtatione culparum, pluribus diſſerit; vt intelligamus, nihil ad virorum ſpiritualium feruorem nunc in familiis religioſis fuiſſe introductum, quod non authoritate antiquitatis firmetur. Nos autem nolumus nunc eam publicam culparum grauiorum manifeſtationem ſuadere, quam Climacus narrat, ſed ex ea col- B ligimus, quàm vtile & humilitatis plenum ſit, leuiores culpas coram fratribus fateri, & ex ſpiritu compunctionis, nos peccatores & habitu religionis indignos accuſare.

Quare ſi tu, ô vir Dei, eam religionem profitearis, in qua hæc necdum obliuioni tradita ſunt, impensè rogo ne eadem excidere tua negligentia permittas, ſed (quod ad te attinet) integra & inuiolata cuſtodias, & non tam verbo quàm opere alios fratres ea in magno pretio habere doceas. Si iuuenis es, ſæpe in his te exerceas: ſi ſenex & plenus dierum ac meritorum, aliquando eadem præſtare non deſinas. Nam licèt hæc parua ſint, non parum valent, nec C exiguum ex illis fructum colliges. His enim pro quotidianis negligentiis ſatisfacimus, nos humilitatis operibus exornamus, ad feruorem & deuotionem excitamus, & tepidiores, iſta aſpicientes, ad imitationem accendimus. Et beatus ille, qui columbæ ſimplicitatem induit, qui ſe minimis ad proficiendum indigere cogitat, & qui prima illa mortificationis opera à primis illis patribus introducta vitæ ſuæ ſanctitate conſeruat. Iam initia religionis noſtræ elapſa ſunt, fateor: iam inſtant alia tempora, aſſentior: ſed illa tẽpora inſtant, in quibus oportet, ſi zelum Dei habemus, ea ſummis conatibus tenere, quæ à patribus noſtris didicimus, ne ab amore perfectionis excidamus.

Ad hoc mortificationum genus pertinent vilia & abiecta ſeruitia, à quibus nullus bonus religioſus ſe debet eximere. Qualia ſunt, domum euerrere, patellas mundare, fratribus ad menſam ſedentibus miniſtrare, & alia huiuſmodi miniſteria humilitatis obire. Ille enim qui omnium eſt Dominus, dixit: Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor Luca 22. 26. eſt, ſicut miniſtrator.] Nec ſolùm verbo docuit, ſed & exemplo ad id præſtãdum incitauit. [Nam & ego, inquit, in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat.] Baſilius hoc documentum à religioſis eſſe ſeruandum grauiſſimis verbis oſtendit, & vtilitatem eius Baſi. cõſt. mona. c. 24. expoſuit. Ille ſic ait: Atque etiam intelligendum illud eſt, debere pietatis cultorem viliora etiam munera magno cum ſtudio, magnáque cum animi alacritate ſuſcipere, ſcientem nihil minutum eſſe, quod Dei cauſa fiat, ſed grande & ſpirituale, quod cœlum nobis & præmia cœleſtia conciliat. Quamobrem li- E cèt communibus vtilitatibus inſeruientia ſarcinaria ſequi iumenta oporteat, recuſare tamen non debet. Siquidem venire in mentem Apoſtolorum debet, quàm alacriter illi Domino paruerunt, quando illis mandauit, vt ad ſe pullum adducerent; cogitaréque, & illos quoque, quorum cauſa iumentorum curam ſuſcipiat, fratres Domini eſſe, & tributã ipſis beneuolentiã, ſtudiúmq; in ipſum Saluatorẽ redundare, qui dixit: Quatenus feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.] Quòd ſi ſua facit, quę minimorũ Matt. 25 40. ſunt

oculos meos in mótes, vnde veniet anailium mihi.] Qui ſunt iſti montes præcelſi, qui ſunt iſti montes æterni, ſecundùm Auguſtinum, niſi Sancti Dei? In hos ergo mootes oculos mentis intendamus, vt ab eis oobis adiutorium venire precemur. Duo autem præcipuè à Sancto adiutore petenda ſunt; Alterum eſt, vt nobis ad meditationem rerum cœleſtium lucem imperret. Hoc enim nos à Sanctis accipere docuit Chryſoſtomus, ſic ſcribens: Adeamus ergo & nos vnum eorum, quibus cœleſtes portæ commiſſæ ſunt, appellemus, ſupplicemus, pro pecunia promptam voluntatem ſincerùmque affectum exhibeamus. Et, ſi ille mercedem bane acceperit, maou noſtra apprehenſa per omnia circumducet; non iſtam ſupellectilem regiam, ſed ipſum tegem in throno ſedentem, aſtantibus exercitibus exercituùmque ducibus, aſſiſteotibus innomerabilium Angelotum atque Archangelorum millibus; breuiter, nobis omnia diligenter oſtendet, quatenus oobis videre fas eſt. Alterum eſt, vt deſideria & preces noſtras Domino, cui ſemper aſtat, repræſentet. Optimè ad boc propoſitum dixit Ambroſius: Ægri enim, niſi ad eos aliotum precibus medicus fuerit inuitatus, pro ſe rogare non poſſunt. Infirma eſt caro, mens ægra eſt, & peccatorum vinculis impedita, ad medici illius ſedem debile non poteſt explicare veſtigium. Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dari ſunt, Martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare. Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine etiamſi qua babuetunt peccata, lauerunt. Iſti enim ſunt Dei martyres, noſtri præſules, ſpeculatores vitæ, actuúmque noſtrorum. Non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitaris adhibere, quia ipſi infirmitatem corporis etiam cùm vincerent, cognouerunt.] Hæc ille. Licèt autem hæc duo dona præcipua ex ſancti pattoni noſtri impetratione accipiamus, non tamen ſola ea, ab eius larga manu recipimus. Quare quæcumque vel animæ, vel corpori neceſſaria ſunt, ab eo petere, & obtinere curemus. Sciamus, eum eſſe pro illo menſe noſtrum benigniſſimum prouiſorem, cui curæ eſt à malis nos protegere, & in bonis promouere, in omnibúſque nobis oeceſſarus ad illum tanquam ad præſtantiſſimum remedium accurramus.

Aug. ibid.

Chryſoſt. hom. 2. de verbis Iſaiæ.

Ambr. in lib. de viduis 8.

Præter hunc quotidianum & frequentem recurſum, quo à protectore tuo opem expoſcis, alia præſtabis in honorem ipſius deuotionis obſequia. Nam & aliqua, quæ corpus doment, & voluntatem frangant, ſingulis diebus pro eius honore ſuſcipienda ſunt, dies feſtus illius aut ieiunio, aut peculiari abſtinentia præueniendus, & confeſſionis ac communionis ſuſceptione, ſi id fieri poſſit, ſin minùs horum deſiderio & ſingulari puritate celebrandus. Vita eius legenda eſt, & aliquid memoria condendum, quod ad illius imitationem trahatur. Hoc autem eſt Sancti protectoris obſequium præcipuum, ſi illum imiteris, & non ſolùm precibus, ſed vita & cooverſatione ſequaris. Vnde Ambroſius ſuprà, viduam erudiens, ait: Et tu habes proximos, qui Deo pro te ſupplicant: habes Apoſtolos proximos: habes Martyres proximos, ſi ipſa Martyribus deuotionis ſocietate, miſericordiæ quoque muneribus appropinques. Proximus eſt enim, qui miſericordiam facit: fac tu miſericordiam, & eris Petro proxima. Non ſanguinis neceſſitudo, ſed virtutis cognatio facit proximos: quia non in carne ambulamus, ſed in ſpiritu. Ama ergo propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ, vt pro te rogent, & recedant cupiditates tuæ verbo Dei pulſæ. Vt autem hoc Sancti protectoris obſequium plenum ſit atque perfectum, non ſolùm pro nobis, ſed etiam pro Eccleſiæ neceſſitatibus orandum eſt, vt ſicut filij, ita & mater noſtra ex protectore noſtro habeat intereeſſioois auxilia. Optimúmque eſt, præter duodecim Sanctos, qoos pro ſingulis menſibus anni patronos eligimus, vnum quoque pro toto anni decurſu circa illius initium deſignare, cui eodem modo, proportione ſeruata, obſequendum eſt, & eius auxilium implorandum.

Ambr. lib. de viduis.

De emendandis per ſingulos menſes conuerſationis noſtræ defectibus.

CAPVT II.

VTILISSIMVM etiam eſt ad virtutes augendas, & ſpiritualem vitam prouehendam, ſi ſingulis menſibus diem vnum eligas, in quo ab externis occupationibus ſequeſtratus, tibi vaces, & mores atque actus tuos ſolerter inſpicias. Hoc die deuotiùs & prolixiùs orabis, attentiùs & quietiùs Pſalmos recitabis, plus temporis librorum ſpiritualium lectioni tribues. Præcipuè tamen in boc incumbes, vt ſis cenſor tui, & ſeuerus iudex actuum tuorum. Vide igitur, quæ ſupra te ſunt, an purè & feruenter Deum colas, Sanctos venereris, & cœleſtia ſuſpires. Vide quæ infra te ſunt, an corpus domes, ſenſus comprimas, affectúſque cohibeas. Vide quæ circa te ſunt, an ſuperflua reſeces, neceſſaria moderatè accipias, & fratribus exemplo præluceas. Vide tandem quæ intra te ſunt, an puriùs cogites, virtutes augeas, & tranquilliùs viuas. Hoc ſit ſtudium huius diei, vt imperfecta emendentur, perfecta excolantur, & conatus tui ad ſublimiores virtutum actiones excitentur. Aliquando dictum eſt tibi, vt te Solem eſſe conſideres. De eo verò hæc legimus in Salomone: Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur.] Vt myſticus ergo, & ſpiritualis Sol nunqoam Zodiacum, id eſt, inſtitutum tuum, exeas, & per illum diſcurrens, omnes vitæ exemplo illuminare contendas. Iam te per orationis exercitationes, ſupra res corruptioni obnoxias effer. Iam per boneſtas actiones te proximis ſubiice, ſed poſtquam per aliquod tempus laboraueris, ad locum tuum, id eſt, ad quietem propriæ inſpectionis & emendationis reuertere. Dic animæ tuæ ſingulis menſibus: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus beoefecit tibi.] Poſtquam Dominus tibi benefecit, dum te ad bene agendum impulit, & ad rectè operandum adiuuit, conuerte te ad teipſam, ingredere ad intima tua, & ibi robur ad perſeuerandum in bonis operibus impetrabis, & requiem à laboribus, ac tranquillitatem inuenies. Nam ſicut corpus ceſſatione à labore, reficitur; ita animus vacatione & fuga ab occupationibus, roboratur.

Tom. 1. lib. 3.

Eccli. 1. 5

Pſal. 14. 7.

Hunc vacationis diem quidam faciliùs, quidam difficiliùs aſſument. Qui enim nec officiis temporalibus, nec animarum miniſteriis diſtinentur, facillimè poterunt ex conſenſu Prælati, vnum diem, quo ad ſcholas non eunt, ſibi ſuffurari, & ad proprium ordinate profectum. Qui verò operarij Euangelij ſunt, aut domus obſequiis addicti, non ita facilè poſſunt ſe à labore ſubtrahere, & per totum diem ad interiora conuertere, cùm eorum occupatio non à ſua voluntate, ſed ab aliorum neceſſitate dependeat. Hi ergo poterunt diē conſiderare & præuidere, magis in menſe à miniſteriis & occupationibus vacuum, in eo

aliquas horas quietiores deligere, quas in hoc ſanctum exercitium propriæ emendationis curandæ, & captandæ ſpiritualis quietis, impendant. Sed ſi nec per aliquot horas ſibi vacare ſinantur, non ob id noxio mœrore triſtentur, immò tanta cura ſui ipſorum in mediis occupationibus viuant, vt hac ſpirituali quiete per menſem quærenda non indigeant.

SECTIO V.

De his quæ ſingulis annis fiunt.

De die vocationis noſtræ ſingulis annis celebrando.

CAPVT I.

NVnc pauca ſuperſunt, quæ ſunt per ſingulos annos à bono religioſo ſeruanda. Horum primum ſit, vt diem vocationis ſuæ, eum ſcilicet diem fœliciſſimum, quo à ſæculo ereptus eſt, & religioſorum cœtui aggregatus, magna gratitudinis ſignificatione, & tota deuotione concelebret. Mos fuit apud antiquos, natales dies ſuos non ſine lætitiæ notis, & ſine celebritate tranſigere: cuius rei (vt nunc prophanos authores omittamus) teſtis eſt ſacrorum librorum hiſtoria. [*Gen. 40. 20.*] De Pharaone in Geneſi ſic legimus: Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat, qui faciens grande conuiuium pueris ſuis, recordatus eſt inter epulas magiſtri pincernarum & piſtorum principis.] [*2. Machab. 6. 7.*] De Antiocho verò ſic in Machabæis: Ducebantur Iudæi cum amara neceſſitate in die natalis Regis ad ſacrificia.] [*Marc. 6. 21.*] De Herode autem Marcus ſic ait: Cùm dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit, Principibus, & Tribunis, & primis Galilææ.] Hi natalitia celebrarunt, quibus mundo nati ſunt, & ad miſerias & ad mortem ex vulua matris educti: ideóque natalem ſuum aliorum tribulationibus imbuerunt, & funeſta morte fœdarunt. At Eccleſia ſancta, alia natalitia fœliciora celebrat, eorum ſelectiſſimorum virorum, qui piè ſanctéque viuentes, dum ex hac vita mortali decedunt, Deo & cœleſtibus exoriuntur. Quorum natiuitas, quia ad veram & immortalem vitam eſt, non à nobis vitam, aut bona temporalia adimit, ſed bona ſpiritualia, & cœleſtes theſauros illorum, qui Deo naſcuntur, impetratione reſtituit. [*Bern. in vigilia Petri & Pauli.*] Nam, vt Bernardus ait: Sanctorum natalitia nobis, & auxilio, & exemplo, & humilitati ſeruiunt. Auxilio, quia cùm in cœlis magnates & potentes ſint, nihil à ſummo rerum conditore poſtulant, quod non, ad inuocantium eos vtilitatem, conſequantur. Exemplo, quia cùm in terris viſi ſint, & cum hominibus conuerſati, non declinarunt ad dexteram, nec ad ſiniſtram, ſed viam regiam tenuerunt, donec ad illum peruenirent, qui dixit: [*Ioan. 14. 6.*] Ego ſum via, veritas & vita:] vt nobis viam eundi ad ipſum ſua conuerſatione monſtrarent. Humilitati verò, nam hominum paſſibilium, & nobis ſimilium vitam difficilem exiſtimamus, & eos quos fœlices putamus, quamuis diuina gratia poſſimus, tamen ſequi non audemus.

Inter hos duos natalitios dies, illum ſcilicet, quo homines ſæculo & morti naſcuntur, & illum, quo Sancti beatis Spiritibus aggregantur, vocatio religioſa media eſt, qua relicto ſæculo, Deo naſcimur, non vt ſtatim eo perfruamur, ſed vt illi famulemur, ſanctéque viuamus, & poſt ſanctam vitam ipſum poſſidere, eóque perfrui poſſimus. Hæc natiuitas nobis etiam eſt non ſine ingenti lætitia & exultatione celebranda, qua non ad eam lucem editi ſumus, quæ nobis eſt muſciſque communis, ſed ad eam lucem ſanctæ & immaculatæ vitæ procreati, qua Deo nunc viuere perfectè incipiamus, vt poſt huius mortalitatis curſum, perpetuò cum illo regnemus. Et quidem ex quacumque parte vocationem religioſam conſideremus, cauſas inueniemus, quæ nos ad eam lætiſſimè celebrandam inuitent. Si enim illa mors eſt, qua mũdo morimur, & negotia prophana deſerimus, erit profectò illa, de qua ſcriptũ: [*Eccl. 7. 2.*] Melior eſt dies mortis, die natiuitatis:] cùm dies natiuitatis ſit ad miſerias & ad pericula ſalutis introitus: dies autẽ huius mortis, ſit multarũ curarum temporaliũ liberatio, & à peccandi occaſionibus exolutio. Quòd ſi dies natiuitatis, cùm videlicet ad mortem & miſerias naſcimur, lætus nobis eſt, dies quo religionem intramus, lætior atque celebrior eſſe debet, ſiquidem in eo, ſi non omnes, at multas mundi huius miſerias exuimus. Si verò religioſa vocatio, eſt ablactatio quædam, cuius beneficio à delectationum viſibilium vberibus ſeparamur, vt iuſtitiæ panis ſit noſtra refectio, quis non videat eam eſſe quotannis ſolemniter peragendam? Ad cuius myſterium exprimendum, cùm ablactatus eſt Iſaac, [*Gen. 21. 8.*] fecit Abraham pater eius grande conuiuiũ, vt magnitudo celebritatis vtilitatem huius ſpiritualis ablactationis ediceret. In die natalis conuiuium fortè inſtructum eſt, ſed conuiuium paruum, quod nulla memoria dignum cenſeatur, at in die ablactationis, qua à lacte ſæculi ſegregamur, fiat conuiuium magnum, quo eius ingens præſtantia ſignetur. Si demum vocatio ad religioſam vitam, natiuitas eſt, qua curis ſpiritualibus non cruciantibus, ſed mulcentibus, incipimus viuere, ne ſine lætitia & celebratione relinquatur, ne ei [*1. Petr. 2. 9.*] [qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen ſuum] inueniamur ingrati. Leui ſeu Matthæus eodem die vocationis ſuæ fecit Domino [*Luca 5. 29.*] [conuiuium magnum in domo ſua,] vt ex beneficio ſuſcepto oſtenderet ſigna lætitiæ. Et meritò quidem, quoniam ad ſpirituales delicias vocabatur. [*Ambr. lib. 5. in Luc. ad ca. 5.*] Qui enim, vt inquit Ambroſius, domicilio Chriſtum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium paſcitur voluptatum.] Quid nos facturi ſumus, qui cùm ad religionem vocamur, ad Apoſtolicam vitam vocamur, & ſæpe ſanctiſſimarum deliciarum implemur?

Sed quo pacto dies hic ſpiritalis natalis, ſeu religioſæ vocationis, celebrandus eſt? Poſſem te, ô religioſe perfectionis amator, ad deuotiſſimam Virginẽ Gertrudem remittere, [*Gertr. exercitium 2.*] cuius exercitium ſecundum eſt conuerſionis celebratio, & primæ vocationis repetitio. Sed vt breuiter formulam huius celebrationis tibi præſcribam, ſic feſtum diem tuæ vocationis perages. In vigilia illius diei, te ieiunio aut abſtinentia aliqua, & corporis maceratione, & publica aliqua humilitatis & mortificationis oſtenſione diſpones. Ipſo autem die cùm primùm ſurrexeris, tempus meditationis in conſideratione huius tanti beneficij, & in feruentiſſima gratiarum actione, atque in laudibus diuinis inſumes. Nolo vt in hac meditatione aſpicias religionis ingreſſum; vt obſequium Deo factum, ſed vt ingens beneficium, ſicut re vera eſt, de benigniſſimi Domini manu ſuſceptum. Reliquiſti modica, ſuſcepiſti maxima; pro vno parente, multos patres; & pro paucis propinquis, fratres plurimos inueniſti, delicias exiguas, & vmbratiles pro ineffabilibus & ſtabilibus, & voluntatem

A tuam præpoſteram pro Dei voluntate rectiſſima commutaſti. A tumultu ad ſerenitatem, à bello ad pacem, ab Ægypto ad Paradiſum tranſlatus es, & à duris operibus luti & lateris, ad ſtatum filij, ad occupationes honorificentiſſimas, & ad diuinam familiaritatem euocatus. Hæc & alia ſimilia mente voluens, ad laudes Domini liberatoris tui aſſiduè canendas te tota deuotione conuerte. Dícque illi: Eccl. 51. 15. 16. 17. Laudabo nomen tuum aſſiduè, & collaudabo illud in confeſſione, quia exaudita eſt oratio mea. Quia liberaſti me de perditione, & eripuiſti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini.]

Confeſſione præmiſſa, in qua te de ingratitudine erga tantum beneficium, & de annis tepidè in religione impenſis, accuſes, ad gratias agendas miſſam B celebrabis, aut ſi Sacerdos non es, ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum accipies. Et id quidem eo affectu, vt qui nihil proprium habes, quod Domino pro ingenti dono vocationis offeras, ei Filium ſuum vnigenitum, per donationem Patris æterni tuum theſaurum factum, quaſi in compenſationem, tribuas. Sed quia donum quod offers, in immenſum vocationis beneficium acceptum ſuperat, confidenter propter illum noua beneficia poſtulabis, vt ſcilicet Dominus, qui cœpit in te opus ſanctitatis, ipſe perficiat, perſeuerantiam in arrepto ſtatu concedat, & in omni virtute, & præſertim in ſua familiaritate promoueat. Tu autem puſillus es, & penitus inſufficiens ad reddendas pro tanto beneficio debitas gratias: quare orabis Beatam Virginem, omnéſque Sanctos, C præcipuè aduocatos & Patronos tuos, vt pro te Deum laudent, & ſe pro beneficio in te collato gratos exhibeant. Fratres etiam tuos rogabis, vt eo die in gratiarum actionem pro te Miſſas celebrent, & ſi dies feſtus fuerit, ad communionem ſacram accedant, & orationibus ſe tibi in affectu gratitudinis comites præbeant.

Hæc ſunt ſancta, & pura, ac Deo grata conuiuia, hi ludi, & choreæ immaculatæ, quæ hoc vocationis die inſtituendæ ſunt. Feſtiua autem colloquia non deſint, nam ſi (diſciplina religioſa minimè prohibente) loquendum ſit, ea verba in hoc die natalis tui cum fratribus miſceas, quæ gratitudinem ſonent, quę te tuæ vocationis & ſtatus amatorem oſtendant, & quæ diuinam miſericordiam in te collatam prædicent. Crede mihi, frater, quia hæc puſilla non ſunt, D nec ab his, qui aliquid ſe eſſe putant, deſpicienda. Dominus enim qui pro omni beneficio gratias petit, pro hoc ingenti beneficio, ſeu beneficiorum cumulo, maiores gratias requirit. Vide autem tu an gratum animum habeas, ſi hunc diem celeberrimum atque ſanctiſſimum, in quo à ſæculo eductus es, perinde atque alios in vanitatibus perdas, & nulla memoria tanti beneficij facta tranſire permittas. Hunc verò affectum gratitudinis ignoranter paruipendes, qui ab eo qui nullius indiget, ſæpe operibus antefertur. Nam, vt inquit Ambroſius, alius fructum accepti Amb. lib. de offic. c. 32. beneficij, vt aurum auro, argentum argento rependit, alius laborem, alius haud ſcio an etiam locupletiùs, ſolum reſtituit affectum. Quid enim ſi reddendi E nulla facultas ſuppetit? in beneficio reddendo plus animus, quàm cenſus operatur, magiſque præponderat beneuolentia, quàm poſſibilitas referendi muneris.] Si ergo non habes opera, quæ rependas, quia tepidus es & imperfectus, ſaltem affectum gratitudinis, & laudes, & cor ſimplex & humile, parua cum reuerentia audiens offerre non ceſſes. Illud ſufficiat, vt gratus habearis, & faciet vt noua beneficia merearis accipere.

De propria conſcientia Prælato manifeſtanda.

CAPVT II.

SINGVLIS etiam annis ſemel, aut bis, aut pluries, ſi opus fuerit, apud Prælatum te ſtatues, & ſpacium ſeorſum & ſine arbitris colloquendi, poſtulabis. Hoc temporis ſpacio ſincerè, & ſine vllo fuco tuã illi conſcientiam oſtendes. Id autem facies, ſi illi defectus tuos aperias, affectus, & paſſiones, ac propenſiones minùs mortificatas detegas, tẽtationes reueles, virtutes, bona, & mala manifeſtes. Mala quidẽ, non vt à Prælato puniantur, (qui in hoc negocio non munus iudicis, ſed medici peritiſſimi & patris benigniſſimi, obire debet) ſed vt tibi compatiatur, vt tecum miſerias tuas defleat, vt rationem pugnandi, ac remedia adhibendi præſcribat. Bona verò, vt pro illis, tanquã pro bonis ſuis (quia bona ſunt filij ſui) Domino gratias agat, vt prudẽti examinatione, ab eis quod eſt minùs perfectũ, auertat, & vt ſuo conſilio & admonitione promoueat. Vniuerſa tandẽ bona & mala, vt te intus & in cute cognoſcat, vt te gubernare ſciat, vt impedimenta proficiendi remoueat. Rem hãc ſuperiùs attigimus, ſed quia ſummi momẽti eſt ad perfectionem aſſequendã, eam nũc nihil ex dictis repetẽtes, iterum pro huius tractationis neceſſitate confirmabimus. Tom. 1. l. 5. p. 2. c. 12.

Prælati igitur nomine, in ea religione quæ hunc vſum laudabilem & maximè neceſſarium obtinet, ſuperiorem domus, in qua habitamus, vel eum qui toti prouinciæ præeſt, intelligimus. In aliis, vel ipſum vel confeſſarium, vel magiſtrum ſpiritus, quem ſpiritualis vitæ ducem ſequimur, ad hanc rem aptum eſſe decernimus. Nondubium autem quin melius ſit & efficacius quemquã ſe Prælato detegere: quoniam reliqui nos dirigunt, Prælatus verò gubernat, & ſi ille nos neſciat, his forſitan occupabit, quibus ob imbecillitatem noſtram non tantùm perfectionem, ſed & gratiam, & ſalutem æternam amittamus. Putabit forſitan nos timore Dei poſſideri, cùm alieni ab eo ſimus, putabit fortes cùm ſimus infirmi, putabit humiles, caſtos, patientes, cùm tamẽ ab his virtutibus longè diſtemus. Nos autem ſecundùm exiſtimationem ſuam ad onus portandum ſufficientes, ſed ſecundùm veritatem, oneri portando impares, miniſteriis periculoſis exponet, ex quibus ſpirituales & fortes viri merita magna reportant; nobis autem proueniet certa mirabiliſque ruina. Animam verò noſtram occaſionibus perditam Dominus de manu eius non requiret, immò & nos, vt hypocritas, & vulnus celantes & ſanctitatem mentientes, incomparabili pœna mulctabit. Cùm ergo hæc conſcientiæ manifeſtatio ad id ordinetur, vt in via ſpiritus ſine offenſione regamur, veriſſima ſit oportet: ita ſcilicet, vt nec vitia noſtra celemus, nec Dei dona & virtutes abſcondamus, ſed omnia pro vt ſunt, maneant oculis nos gubernantis aperta. Neque enim ex ea quærimus vt boni habeamur, & ſancti reputemur, quod inſignis eſſet hypocriſis, nec vt contemnamur, & viles exiſtimemur, quod in hoc propoſito magna eſſet ignorantia, ſicut ſi quis accerſens medicum, vulnus aut dolorem, quem non habet, ſe habere fingeret; ſed tantùm intendimus, vt ei qui nos regit, ſimus omnino perſpecti. Ille autem nequaquam noſtrum ſtatum agnoſcet, ſi propter ineptam humilitatem, bona celantes, aut mala fingentes, vel propter ſuperbiam mala occultantes, aut bona, quæ non habemus, enuntiantes, mentiti fuerimus.

Oſtendamus nunc quãta ſit huius manifeſtationis conſcientiæ neceſſitas. Corpus quidem non ſeipſum

regit,ſed ab ſpiritu regitur, & in ſuo motu, atque in reliquis ab animo ipſum viuificante dirigitur. Spiritus verò non à ſeipſo,quia ſæpiſſimè ſeipſum decipit, ſed ab ſpiritu Dei regendus eſt, à quo, tanquam à magiſtro peritiſſimo in perfectionem ducatur. Deus autem vt nos regat, omnino vult vt nos ei noſtram conſcientiam aperiamus, non ſanè quia ei occulta ſit,ſed vt dum humiliter nos detegimus, eius remediis & auxiliis ad victoriam noſtrorum affectuum comparandam digni ſimus. Ad quod hortatur quęque noſtrum ſanctus Dauid,dicens: Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.] Detege, inquam, Domino conſcientiam tuam, & ſpem omnem in eo,tanquam in ſapientiſſimo medico, ac benigniſſimo protectore colloca, & ipſe faciet vt ſaneris. Præſtat tamen hunc ſenſum, & ea quæ nos ad hanc manifeſtationem moueant, ex ore Ambroſij ſanctiſſimi Doctoris audire. Bene, ait, reuela, id eſt, aperi, conſcientiam tuam, ne eam ſæculi iſtius grauet vmbra, vel carnis. Prorumpentia ſemina ſi fuerint obumbrata, tenuantur, Soli obiecta pingueſcunt. Quid de ſeminibus loquor? Ipſas arbuſculas, quominus ſe in altum ſubiiciant, vmbra ſylueſtris internecat, & prohibet brachia ramoſa diffundere. Pulchrè autem dixit, Reuela ad Dominum viam tuam:] quia natura hominum prona pecccato, velut quoddam menti noſtræ velamen obducit,ne noſtra Domino peccata fateamur, qui poteſt vulnera noſtra ſanare, vt erubeſcat quis ore proprio poſtulare medicinam, ne coram hominibus ſua prodantur opprobria. Premit igitur ſe intra hominem conſcientia cùm latere non poſſit,& tandiu differt,quoad vulnus efferueat,vt iam non fidei ſalubritate, ſed immedicabili atrocitate vlceris detegatur. Reuela, inquit,ad Dominum viam tuam] id eſt, aperi viam tuam, noli abſcondere. ſicut abſcondebat Cain, qui latêre cupiebat.] Omnis enim qui malè agit, odit lucem.]Reuelabat Dauid viam ſuam, qui ait: Dico ego opera mea Regi.] Aperi ſenſum tuum, vt nihil ſit quod timeas reprehendi. Reuelauit & Paulus, qui præſumpſit dicere: Nihil mihi conſcius ſum.] Deo itaque nos manifeſtare debemus,vt ſpiritus noſter ab eius ſpiritu dirigatur. Sed rogo, quidnam ſit manifeſtari nos Deo, cuius oculis, vt ait Paulus, cuncta nuda ſunt & aperta? Certè illud eſt conſcientiam noſtram,& omnes receſſus illius, Prælato detegere,cuius ore ad nos loquitur Deus, cuius prudentia regit,cuius adiutorio in finem optatum perducit. Ergo ſpiritus noſter, vt à ſpiritu Dei regatur, Prælati ſapientia regendus eſt, & in omnibus ordinandus. Qui enim ductum Prælati refugit, à Dei gubernatione ſe ſubtrahit.

Amb. ib. — *Gen. 4.* — *Ioan. 3. 20.* — *Pſal. 44. 1.* — *1. Cor. 4.* — *Hebr. 4.*

Habes igitur,ô frater, in magiſtro ſpirituali magiſtrum Deum, à quo per illius vocem inſtrueris: & dum huic conſcientiam tuam aperis; dum magiſtrum aut Prælatum interrogas,Deum interrogas, vt eius reſponſione per os ſpiritualis patris enunciata docearis. Sat ſcio, Dæmonis aſtus fugere concupiſcis, & ei qui ſæpe tibi illuſit, illudere. Sed ad hoc ſolus non eris potens, ſpiritualis verò patris adiumento fulcitus, cui fidenter tua arcana commiſiſti, validus & robuſtus exiſtes. Illi profectò, qui conſcientiam ſuam Prælato detexit, Caſſianus & diſcretionem veram, & tentationum victoriam, & Dæmonum conculcationem promittit. Vera,inquit, diſcretio nonniſi vera humilitate conquiritur. Cuius humilitatis hæc erit prima probatio, ſi vniuerſa non ſolùm, quæ agenda ſunt, ſed etiam quæ cogitantur, ſeniorum referuentur examini, vt nihil quis ſuo iudicio credens, illorum per omnia definitionibus ac-

A quieſcat, & quid bonum vel malum debeat iudicare,eorum traditione cognoſcat. Quæ inſtitutio non ſolùm per veram diſcretionis viam iuuenem recto tramite docebit incedere, verumetiam à cunctis fraudibus & inſidiis inimici ſeruabit illæſum. Nullatenus enim decipi poterit quiſque, ſi non ſuo iudicio,ſed maiorum viuat exemplo:nec valebit ignorationi eius callidus hoſtis illudere, qui vniuerſas cogitationes in corde naſcentes pernicioſa verecundia neſcit obtegere, ſed eas maturo examine ſeniorum, vel reprobat,vel admittit. Illico namque vt patefacta fuerit cogitatio maligna,marceſcit,& antequam diſcretionis iudicium proferatur, ſerpens teterrimus velut è tenebroſo ac ſubterraneo ſpecu confeſſionis virtute protractus ad lucem, & traductus quodam-B modo ac dehoneſtatus abſcedit. Tandiu enim ſuggeſtiones eius noxiæ dominantur in nobis, quandiu celantur in corde.] Non itaque victoriam ex tentationibus reportabis, qui tentatorem, id eſt, cogitationem noxiam, foues in corde, & ab oculis interemptoris,nimirum patris ſpiritualis, abſcondis. Nec veram diſcretionem, altiſſimam & difficillimam ſcientiam ſolus & ſine magiſtro, à Deo ad eam tradendam deſtinato, perdiſces. Qui dum te audit, & quid vt bonum amplectendum,quid verò vt malum vitandum ſit,tradit,in rebus ſpiritualibus,& ad ſalutem animæ pertinentibus erudit.

Samuel vocatus à Domino, concurrit ad Heli, & ſecundò ac tertiò vocatus ad eundem feſtinauit, & ſic Deum loquentem & ſe docentem agnouit. Pau-C lus non ex ore Domini, ſed ex ore Ananiæ ſibi loquentis audiuit: Ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi,quid te oporteat facere.] Et iterum ad Apoſtolos proficiſcitur, & eum illis Euangelium confert, [ne in vanum curreret,aut cucurriſſet.] Hæc omnia manifeſtè deſignant, doctrinam ſpiritus ſine magiſtro haberi non poſſe,multiſque erroribus & periculis caſus exponi, qui conſcientiam ſuam ab eo, qui ipſum gubernat, voluerit occultare. Quis ergo, ait idem Ioannes Caſſianus, tam præſumptor & cæcus ſit,qui ſe audeat ſuo iudicio,aut diſcretioni committere, cùm vas electionis indiguiſſe ſe co Apoſtolorum ſuorum collatione teſtetur? Vnde manifeſtiſſimè comprobatur, nulli à Domino viam perfectionis oſtendi, qui habens inde valeat erudiri, doctri-D nam ſeniorum vel inſtituta contempſerit, paruipendens illud eloquium, quod oportet diligentiſſimè cuſtodiri: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: ſeniores tuos, & dicent tibi.] Et ad idem Bernardus ait: O ſapientia ſuauiter verè vniuerſa diſponens.Eum,cui tu loqueris, erudiēdum mittis ad hominem, vt ſocialis vitæ commendetur vtilitas, & edoctus per hominem, diſcat & ipſe ſecundùm datam ſibi gratiam hominibus ſubuenire.Ingredere ciuitatem. Videtis, fratres, non ſine diuino conſilio factum eſſe, vt hanc ciuitatem Domini virtutum ingrederemini, diuinam diſcere voluntatem. Planè qui te ſalubriter terruit,& conuertit cor tuum ad deſiderandam voluntatem ſuam,ipſe tibi dixit: Surge, & ingredere ciuitatem.]Hæc ille.

1. Regum 3. 5. — *Act. 7. 1.* — *Gal. 2. 1.* — *Deut. 32. 7.* — *Bern. ſerm. 1. de conuer. Pauli.*

E Diſces itaque ex magiſtro ſpirituali, cui teipſum detegis, tentationes vincere, diſces in ſpiritualibus negotiis prudenter te gerere, diſces virtutes acquirere,diſces ſalutem animæ comparare. Vnde Caſſianus, poſtquam dixerat, iuniores monachos propriæ voluntatis mortificatione ad perfectionem informari, hæc ſubdit: Ad quod vt facilè valeant peruenire,conſequenter inſtituuntur nullas penitus cogitationes prurientes in corde pernicioſa confuſione celare,ſed confeſtim vt exortæ fuerint, eas ſuo pate-

facere

facere ſeniori, nec ſuper earum iudicio, quidquam ſuæ diſcretioni committere. Sed illud credere malum eſſe, vel bonum, quod diſcuſſerit, ac pronunciauerit ſenioris examen. Itaque fit vt in nullo circumuenire iuuenem callidus inimicus, velut inexpertum ignarúmque, præualeat: nec vlla fraude decipere quem peruidet, non ſua, ſed ſenioris diſcretione muniri, & ſuggeſtiones ſuas, vel ignita iacula quæcunque in cor eius iniecerit, vt ſeniorem celet, nō poſſe ſuaderi. Aliter quippe ſubtiliſſimus diabolus illudere, vel deiicere iuniorem non poterit, niſi cùm eum, ſiue per arrogantiam, ſiue per verecundiam ad cogitationum ſuarum velamen illexerit. Generale namque & euidens iudicium diabolicæ cogitationis eſſe pronunciant, ſi eam ſeniori confundimur aperire.] Sic ille. At illi, qui ſeipſos manifeſtant, ab his dolis aduerſarij liberantur. Quia ſcriptum eſt: [Salus autem vbi multa conſilia.] Nec verò dicit, in multo conſilio, ait Dorotheus, vt quis quemcunque conſultet, ſed eum cuius fidei ſe totum crediderit. Neque, hoc vt taceat, illud loquatur, ſed vt omnia exponat, de omnibus conſultet: huiuſcemodi enim ſalus profectò eſt in multo conſilio.] Eos taxat qui cuilibet ſua arcana reuelant, cùm manifeſtum ſit interiora cordis noſtri ſoli Prælato aperienda eſſe, aut certè viro prudentiſſimo, qui probè ſciat conuenientia medicamina noſtris infirmitatibus adhibere.

A

B

Prou. 11. 14.

Doroth. doctr. 5.

Magni reputat, ô frater, amicum fidelem, cui poſſis tutò in rebus huius ſæculi tui cordis arcana committere, cuius poſſis conſilium ſequi, à quo valeas adiuuari. Res autem animæ potiores ſunt, maioribus difficultatibus patent, pluribus diſcriminibus ſunt expoſitæ: quare ergo fidelem amicum, qui te in illis inſtituat, qui te iuuet, qui te tueatur, non magni reputabis? Quis autem aut fidelior, aut ſapientior, aut ſollicitior Prælato, quem tibi Deus in patrem ac præceptorem præpoſuit? Quare igitur ab illo te abſcondis? Quare, vt alter Adam, conſpectum illius qui te curaturus eſt, fugies? Expende, obſecro, quid Auguſtinus, vel quiſquis alius eſt author libri de amico fideli ſcribat: At quæ fœlicitas, quæ ſecuritas, quæ iucunditas eſt, habere cum quo æquè audeas loqui, vt tibi? cui confiteri non timeas, ſi quid deliqueris? cui non erubeſcas reuelare in ſpiritualibus, ſi quid profeceris? cui cordis tui omnia ſecreta committas, & commendes conſilia? Quid igitur incūdius, quàm ita vnire animum alterius, & vnum efficere de duobus, vt nulla iactantia timeatur, nulla formidetur ſuſpicio, nec correptus alter ab altero doleat, nec laudantem alter alterum adulationis notet vel arguat? Amicus, ait Sapiens, medicamentum eſt vitæ.] Nō enim validior vel efficacior eſt vulneribus noſtris medicina, quàm habere, qui omni incommodo occurrat compatiens, omni commodo occurrat congratulans, vt iunctis ſuis humeris onera ſua inuicem tolerent, & quòd vnuſquiſque propriam leuiùs quàm amici portet iniuriam.] Hæc ille. Non eſt autem impoſſibile, immò maximè neceſſarium, hoc amicitiæ cum Prælato genus inire, nec id aut reuerentiam aut obedientiam imminuet. Si enim Dominum & Creatorem omnium ita reueremur, vt etiam tenerè diligamus: & ſi ei, cui in cunctis ſeruire debemus, amicitia & familiaritate iungimur; cur abſurdum putabimus, Prælatum vt ſuperiorem aſpicere, & vt amicum nos fideliter amantem amare? Illi ergo noſtra vniuerſa ſecreta pandamus, in quo & remedium malorum, & augmentum bonorum, & leuamen moleſtiarum reperiemus. Vt enim inquit Gregorius, plerumque nimis taciti, cùm nonnulla

C

Aug. de amico, c. tom. 4.

D

Eccl. 6. 16.

E

Greg. 7. moral. c. 11.

iniuſta patiuntur, eò in acriorem dolorem prodeunt, quò ea, quæ ſuſtinent, non loquuntur. Nam ſi illatas moleſtias lingua tranquillè diceret, à conſcientia dolor emanaret. Vulnera enim clauſa plus cruciant: quia cùm putredo, quæ intrinſecus feruet, eiicitur, ad ſalutē dolor aperitur.] Huic ſancti Gregorij dicto aſſiduū experimentum atteſtatur; ſæpe enim nos & alios vidimus, cùm ad Prælatum accurrimus, & ei noſtras miſerias aperimus, ſola defectus manifeſtatione ſanatos. Quia diabolus detectus fugit, & culpa humilitate & confeſſione laſſeſcit. Cuius rei illuſtria ſunt apud Climacum, & apud Caſſianum exempla, quæ conſultò prætermus, vt longitudinem fugiamus.

Clim. grad. 4. Caſſ. collat. 2. c. 11.

Si autem adhuc non audes te Prælato ad conſilium & remedium aperire, attende quia & ipſi antiqui Philoſophi ſola naturæ luce ducti id non tam religioſis, ſed & ciuibus ſæcularibus, & hominibus necdum Chriſtianis faciendum præceperunt, & vtile ad virtutis profectum exiſtimarunt. Socrates namque apud Platonem ſic loquitur: Equidem ad defenſionem iuſtitiæ ſuæ, aut parentum, aut amicorum, aut filiorum, aut patriæ iniuſta facientis, nihil vtilitatis afferet nobis Rhetorica, ô Pole, niſi ſi quis contrà accuſare oportere putauerit, maximè quidem ſeipſum, deinde etiam familiares, & alios, prout quiuis ſemper amicus iniuſta fecerit, & non occultare, ſed in propatulum iniuſtè factum producere, vt pœnas det, & ſanus fiat; cogere item, & ſeipſum & alios non præ timore deterreri, ſed fortiter, & velut clauſis oculis exhibere, velut medico, ſecandum & vrendum, ita vt bonum & pulchrum, ac honeſtum perſequatur, & dolorem non conſideret, & ſiquidem iniuſta plagis digna perpetrauit, verberandum ſe exhibeat, ſi vinculis, ligandum; ſi mulcta, mulctandum; ſi exilio, fugandum; ſi morte, necandum; ita vt ipſe primus ſit accuſator, & ſui ipſius, & aliorum familiarium, & non parcat, ſed ad hoc Rhetorica vtatur, quo dum manifeſta fiunt iniuſta facta, à maximo malo iniuſtitiæ liberentur.] Plutarchus verò hæc ſcripta reliquit: Quòd ſi ille qui offendit, caſtigantibus offerat ſe, morbum indicet, & aperiat vitium, nec id clam eſſe gaudeat, contentúſque ſit, ſi ſit rectum; verùm fateatur, rogétque corripientem, & corrigentem: haud leue fuerit id progreſſionis inſigne, vt ſanè dixit Diogenes, Qui ſalutem deſideret, ei quærendum eſſe vel ſedulum amicum, vel flagrantem inimicum, quò increpatione vel curatione animi vitia exuat. Quoad verò oſtendendis ſordibus, aut macula tunicæ, aut lacerato calceamento, gloriaris apud alios, & vana modeſtia cauilla iaciens in temetipſum vt puſillum, aut vt gibboſum, putas agere præclarè: interiores verò animi fœditates, vitæ labes, inuidias, maleuolentias, ſordes, libidines, vt vlcera, contegis & abſcondis, quas nemini attingere, vel aſpicere permittis, dum vereris ne arguare, parum profectus, immò nihil ſortitus fueris. Cæterùm, qui cum his pedem confert, præcipuè, qui ipſe mordere ſe, & inſectari offendentem: ſecundo loco, qui præſtare ſe caſtigante alio tolerantem, & patientem purgari ſe à reprehendentibus, valet & vult; hic verò eſt ei, qui amolitur & execratur prauitatem, proximus. Hi Philoſophi pro virtutis profectu neceſſarium putant vt homo ſe alteri non ad conſilium ſolùm, ſed ad pœnam & grauiſſimam pœnam detegat: & tu moleſtum putabis, non ad pœnam, ſed ad conſilium, ad remedium, & ad leuamen te prælato manifeſtare? aut virtutis profectum non curas, aut gratis & ſine vllo pretio habere deſideras, aut certè infidelibus delicatior es, qui intolerabile putas, quod illi tam

Plato in Gorgia.

Plutar. Tract. Quomodo quis ſentiat ſe in virtute proficere.

A facile eſſe docuerunt, & tam audacter omnibus imperarunt? Et illi quidem dixerunt, ſed non fecerunt: nos autem nouimus non adoleſcentes ſolùm, ſed ſenes doctiſſimos & probatiſſimos, qui non ſine admiranda humilitate hoc documentum obſeruarunt. Quorum tam eximia eſt virtus, tam inſignis animi puritas, qualis eſſe intelligitur in tanta humilitate fundanda.

Hoc tu imitari non erubeſcas, vt conſimilem virtutem conſequaris, nec indignum putes illos conuerſatione ſequi, quorum vitam & mores admiraris. Et, ſi in illis hæc inſignis humilitas audita placet, cur eadem ad te trãſlata, & ad opus redacta, diſplicet? Niſi fortè humilitas & ſapiens defectuum manifeſtatio ad hoc à Deo inſpirata ſit, vt audiatur, & narretur, non verò vt operibus exerceatur. B Audi tandem Climacum *Clim. de obedient. grad. 4.* quibus verbis te ad hanc manifeſtationem impellat. Noli ô fili atque Domino obediens, ſpiritu elationis decipi, neque peccata tua veluti ex perſona alterius magiſtro denunties. Neque enim licet abſque verecundiæ rubore æterna confuſione liberari. Aperi, denuda, detege medico vulnus tuum. Dic, age, noli confundi. Meum vulnus eſt pater, mea plaga, cuius mihi cauſa fuit, non alterius, ſed mea negligentia. Nemo huius author extitit, non homo, non ſpiritus, non corpus, non aliud quidquam niſi deſidia mea. Eſto, dum confiteris, habitu, ſpe, cogitatione, vt condemnatus reus, demiſſis in terram luminibus, atque ſi fieri poteſt magiſtri, aut medici pedes, vt Chriſti pedes, lacrymis riga. Solent nonnunquam dæmones nos vt aut non confiteamur, hortari, aut C certè vt hoc veluti ex alterius perſona faciamus, ſiue vt alios quoſdam peccati noſtri inſimulemus authores. Sicut certum eſt conſuetudo plurimùm valet, vt cuncta ex ea pendent eámque ſequuntur; omnino longè ampliùs ea valebit in bonis, cùm potentiſſimum habeat adiutorem Deum. Noli ô fili, annis plurimis laborãs laſſeſcere, donec in te ipſo beatiſſimam inuenias requiẽ. Quòd ſi te ipſum in initio toto animo ignominiis expoſuiſti, ne indignum putes, adiutori ac magiſtro tuo, tanquam Deo, vultu animóque demiſſo culpas tuas confiteri. Vidi enim reos quoque miſerabili omnino habitu, vehementioriq; confeſſionis & ſupplicationis vi duritiam ac ſeueritatem emolliuiſſe iudicis, illiúſque iracundiam in miſericordiam conuertiſſe. *Matt. 3.* Quocirca Ioannes quoq; Domini præcurſor, antequã Baptiſmi lauacra donaret, D ab accedentibus confeſſionis humilitatẽ requirebat. Non quidem vllo eorũ ipſe indigens, ſed eorũ ſaluti modis omnibus conſulens. Huius ſanctiſſimi viri dictis acquieſcere, & modis omnibus conſcientiæ abdita Prælato reuelare non metuas. Deus ipſe adeſt tuos ſermones audiens, tuam ſummiſſionem approbans, tuam animam virtute humilis manifeſtationis emundans. Ille Prælato non tui contemptum, ſed æſtimationem, non odium, ſed amorem immittit. Et dum tu illi dicis miſerias tuas, dicit Dominus ipſi; *Gal. 6. 1.* Conſiderans te ipſum ne & tu tenteris.] Ipſe etiam tibi dona ſua quorum cauſa angebatis, benignè concedit. Eſt enim apud ipſum valida oratio, & efficax poſtulatio conſcientiæ detectio. E Quódque fletibus, & corporis afflictione, & aſſiduis poſtulationibus, & aliis remediis non viciſti, humili defectus apertione ſuperabis. Videbis profectò Dominum eſſe amatorem humilium, qui humili peccatori confitenti, & vulnus aperienti, remedium adhibet; ſuperbo autem ſuarum culparum diſſimulatori, in ſordibus volutari permittit.

De vitæ ſpiritualis actibus innouandis.

CAPVT III.

INTER motum à natura profectum, & aliqua externa vi contra naturam corpori violenter impreſſum, hoc Philoſophi diſcrimen inuenerunt, quòd ille (vt vel oculis ipſis perſpicitur) in fine celerior ac velocior eſt: iſte verò quo magis protrahitur, eo eſt cunctantior & ſegnior. Si moles magna naturaliter è ſuperis deorſum deſcendat, celeriter moueri inchoat: at quo propiùs ad centrum accedit, eo velociùs vt in eo quieſcat, motũ perficit & cõſummat. Sed ſi lapis violenter ſurſum proiectus feratur, magna celeritate aſcendere incipit, at poſt parum remiſſo impetu ſuo pondere grauatus laſſeſcit. Hinc neceſſitas ſpiritus innouandi nobis non obſcurè pateſcet. Natura enim noſtra per peccatum corrupta in hoc malum certè maximum incurrit, quòd deorſum ire, & ad vilia & abiecta ſæculi huius deſcendere, quaſi naturale illi eſt; ſurſum verò ferri, & ad ſpiritualia & cœleſtia anhelare violentum. Eſt quidem virtus ſecundùm naturam rationalem hominis, vt Thomas *D. Thom. 12. q. 71. a. 1.* Aquinas non minùs verè quàm ſubtiliter diſputat; & vitium ac peccatum, contra naturam; quia verò per originalem culpam primi parentis appetitus à ratione defecit, & iugum eius excuſſit, & rationem quaſi ſua importunitate & immoderantia ſubiecit: hinc ortum habet vt homo, cui appetitus dominatur, virtutem tanquam inſulſam horreat, & in vitia ac peccata veluti in alimenta ſuauia propendeat. Inclinatus ergo & propenſus ad malum, quo nequior eſt, eo vehementiùs & effrenatiùs in malum tendit; & ex parte appetitus auerſus à vero bono, quo diutiùs in illud fertur, eo tardiùs & tepidiùs ire ſe ſentit. Quid itaque faciet ſpiritualis vir, vt ſemper proficiat, vt ſemper non lentis paſſibus in perfectionem eat? Illud quidem quod iaculator, vt ſagittam per multa terrarum ſpatia proiiciat. Vt quemadmodum iſte primùm ſagittam quanto poteſt impetu verſus locum à ſe deſtinatum iacit, & iam deficientem & in terram cadentem, iterum leuat, & proiicit, & ſic multoties impetus impreſſionem multiplicans, ad finem ſui itineris ludens & ſemetipſum oblectans, mittit; ſic iuſtus ad perfectionem contendens, in initio conuerſionis ſuæ mentem ſuam magno feruore quaſi impreſſo impetu ad deſtinatam puritatem iaculatur, & poſt aliquot menſes tepefactam, nouo feruore concepto, verſus eandem puritatem impellit, & ſic per tempora feruorem innouans, ad magnam perfectionem peruenit.

Huius vitæ mortalis proprium eſt vt omnia ſeneſcant, & ſenſim ad interitum eant: nulliſque aduerſum nos emergentibus incommodis, ſola temporis lapſione ad ſenectutem tendimus, & ad mortẽ properamus. De ipſis cœlis incorruptibilibus dixit ſanctus Dauid: Opera, Domine, manuũ tuarũ ſunt cœli, *Pſ. 101. 26. 27.* ipſi peribũt (quia à præſenti ſtatu mutabũtur) tu autẽ permanes, & omnes ſicut veſtimentũ veteraſcẽt. Et ſicut opertoriũ mutabis eos.] Si autẽ cœli quaſi ſeneſcẽt, quia mutatione & innouatione indigebũt, quãto magis corruptibilia ad vetuſtatẽ feſtinabũt? vel ſi per cœlos, vt Auguſt. myſticè vult intelligi, Sanctos intel- *Aug. ib.* ligamus, illi certè nõ tãtùm quãtùm ad corpus, quod inſtar veſtis atteritur, ſed etiam quantũ ad ſpiritualem animæ vitam, quaſi ad ſenectam & vetuſtatem eunt, quia nonnullam qualitatẽ corruptibilem mutuãtes, ad tepiditatem ſegnitiémq; proficiſcuntur, & mundi curis facientibus, ab illo primo quo inchoarunt feruore deficiunt: donec impleatur illius Pſalmi poſtre-

ma præ

Pſ. 101. 29. ma prædictio: Filij ſeruorum tuorum habitabunt,] id eſt,in cœleſti patria ad deſtinatam menſuram ſanctitatis prouecti, ſtabiles & immutabiles permanebunt,[& ſemen eorum in ſæculum dirigetur.] Habitabimus ſanè in illa domo Dei, ſi filij ſeruorum, id eſt, Apoſtolorum, imitatione fuerimus. Habitabimus,ſi ſemina noſtra,id eſt opera noſtra,innouauerimus,quæ nos ad regnum præcedant,& domum præ-

Aug. ib. parent.Noli ergo eſſe ſterilis,ait Auguſtinus:ſi vis habitare:præmitte fœtus quos ſequaris, præmittendo, non ferendo. Filij tui te deducant ad terram promiſſionis,terram viuentium,non morientium.Cùm hîc viuis in hac peregrinatione,illi antecedant,ſuſcipiant te propter refectionem carnalem. Filius Ioſeph anteceſſit Iacob in Ægyptum, & ait patri ſuo & fratribus ſuis,Ego præueni præparare vobis eſcas. Præcedant ergo filij tui, præcedant opera tua; quales filios præmiſeris,talis & ſequeris.] Hac itaque conditione mortalium nos Eccleſiaſticus ad iuſtitiam prouocat:

Eccl. 14. 16. Da,& accipe,inquit,& iuſtifica animam tuam.]Quis prohibet ſi ita interpretemur: Accepiſti à Deo auxilium vt bene operareris?Da igitur illi bona opera, & cooperare gratiæ ſuſceptæ vt iterum nouam accipias, & ſic ad veram iuſtitiam & ſanctitatem peruenias. Ante obitum tuum operare iuſtitiam, quia non eſt apud inferos,id eſt,in ſepulchro,& poſt mortem, inuenire iuſtitiæ & bonorum operum cibum. At ſi irrepſerit laſſitudo,& vigor intepuerit,te ipſum iterum excita, & ad fortiter & ſtrenuè operandum coge.

Eccl. 14. 21. Quia[omne opus electum,id eſt,feruidè factũ iuſtificabitur,& qui operatur illud, honorabitur in illo.]

Hanc deſideriorum & bonorum operum innouationem viri iuſti & ſpiritualis ſalutis cupidi ſem-

2. Cor. 16 per vtiliſſimam putauerunt. Vnde Paulus de ſe ac de iuſtis loquens,ait:Propter quod non deficimus, ſed licèt is qui foris eſt,noſter homo,corrumpatur,tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem.] Quia ſpem,ait,reſurrectionis habemus,propterea non deficimus,ſed licèt caro noſtra laboribus afflicta per ſingulos dies veteraſcat, ſpiritus verò quotidie nititur iuueneſcere,ad maiorémq; ſplendorem & feruorem

Anſ. ib. venire.Qui,vt inquit Anſelmus,renouatur quotidie proficiens in ſanctitate, dum transfert amorẽ à temporalibus ad æterna, à viſibilibus ad intelligibilia, à carnalibus ad ſpiritualia,& ab iſtis cupiditatem frænare vel munire, atque illorum ſe charitate alligare diligenter inſiſtit.] Hanc autem innouationem eſſe bonorum cœleſtium à nobis deſideratorũ exordium

Pſ. 102. 5. regius Vates nõ obſcurè ſignificat: Benedic,ait,anima mea Dominum, qui replet in bonis deſiderium tuum,renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.]Tunc ſcilicet ô anima immenſis bonis repleberis, cùm inſtar aquilæ renouaberis. Sed quæ eſt iſta aquilæ renoua-

Hier. ad Draſidiũ Tom. 4. tio?Hieronymus certè de aquila hæc ſcribit: Aquila quando ſenuerit,grauãtur ipſius pẽnæ & oculi,quæritque fontem,& erigit pennas, & colligit in ſe calorem,& ſic oculi eius ſanãtur,& in fontẽ ſe ter mergit, & ita ad iuuentutem redit.] Auguſtinus verò ſic:Di-

Aug. in pſ. c. 2. citur aquila,cùm ſenectute corporis preſſa fuerit,immoderatione roſtri creſcentis cibum capere non poſſe.Pars enim roſtri eius ſuperior, quæ ſupra partẽ inferiorem aduncatur,cùm præ ſenecta immoderatiùs creuerit,longitudo eius incrementi,non eam ſinit os aperire, vt ſit aliquod receptaculi interuallum inter inferiorem partem, & vncum ſuperiorem.Niſi enim aliquod interuallum pateat,non habet morſus,quaſi forcipem, vnde velut tondeat quod transmittat in fauces. Creſcente itaque ſuperiori parte & nimis aduncata, non poterit os aperire, & aliquid capere. Hoc facit vetuſtas.Prægrauatur languore ſenectutis,

A & inopia comedendi langueſcit nimis, vtraque re, ætate & egeſtate accedente. Itaque modo quodam naturali in menſura reparãdæ quaſi iuuentutis aquila dicitur collidere & percutere ad petrã ipſum quaſi labium ſuum ſuperius,quo nimis creſcente edendi aditus clauditur,atque ita conterendo illud ad petram excutit, & caret prioris roſtri onere,quo cibus impediebatur. Accedit ad cibum, & omnia reparantur, exit poſt ſenectutem tanquam iuuenis aquila, Redit vigor omnium membrorũ, nitor plumarum, gubernacula pennarum, volat excelſa ſicut antè, fit in ea quædam reſurrectio.] Hæc eſt ergo ſpiritualis renouatio, ſi te ô anima aquis compunctionis immergas,ſi nouum feruoris calorem concipias,ſi vete-

B res pennas,id eſt,contractam ex occupationibus vetuſtatem,pellas;ſi roſtrum,nempe ea quæ te à ſumendo cibo orationis impediunt, conſtanter abiicias. Tunc deſideria perfectionis ſopita ſe erigent, tunc quod cupiebas, quod poſtulabas, pro quo lugebas, & gemebas,à Domino conſequeris. Tunc canes cum ſancto Iob:Gloria mea ſemper innouabitur,& arcus meus in manu mea inſtaurabitur.]Nam ſi gloria,honorem ac dignitatem,& arcus,fortitudinem & robur Iob. 29. 20. ſignificant: certè dignitatem auges & fortitudinem prouehis,aut hæc à Domino aucta experiris,cùm feruorem & deuotionem augere contendis.

Vniuerſa quæ in hac mortali vita eſſe habent,aliquando innouantur, ne pereant; & quæ non innouantur,quantumuis diuturna ſint,tandem intereunt.

C Regna innouantur,& ideo Samuel ad Populum ait: 1. Reg. 11 14. Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum.] Ciuitates reædificantur:quare Ionathas habitaturus in Ieruſalem, cœpit ædificare, & innouare ciuitatem.Templa inſtaurantur,nam & Iſraëlitæ poſt 3. Eſd. 5. 44. captiuitatem venerunt [innouare,& ſuſcitare templum in loco ſuo.Amicitiæ reſarciuntur: vnde & Io- 1. Mach. 12. 1. nathas[miſit viros Romam,ſtatuere & renouare cum eis amicitiam.] immò & ipſe homo poſt peccatum è Paradiſo eiectus eſt,ne ſe eſu ligni renouans,etiam quoad corpus in perpetuum viueret.Denique[miſit Gen. 3. 22. & 23. illum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis,]& antea præmiſerat, nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam,& ſumat etiam de ligno vitæ & comedat,& viuat in æternum. Qui ergo vult perfectè viuere ad

D conſtituta tempora, ſeipſum renouet. Innouet regnum ſuum, quo ſuper cor ſuum & affectus eius regnat. Reædificet ciuitatem animæ ſuæ,& quod ex virtutibus lapſum per incuriam eſt,erigat. Inſtauret templum ſpiritus ſui, in quo habitat Deus, & Sanctorum deſideriorum acceſſione extruat. Amicitiam ad Deum aliquantulum tepefactam, actibus orationis accendat. Mittat per imitationem Chriſti manum ſuam ad lignum vitæ, vt poſtmodum fœliciter, & nunc in hac vita viuat,vt ſanctum decet virum, & contractas ex humana conuerſatione imperfectiones relinquat. Si inueterauit inter inimicos ſuos, id Pſal. 6. 8. eſt,inter immoderatos affectus, & aſſiduas imperfectiones ſuas,vt iuueneſcat, & renouetur, ab eis toto conatu diſcedat. Hoc enim eſſe ad iuuentutem, aut ad ſapientem infantiam, redire, docet Petrus Apo-

E ſtolus,dum ait: Deponentes omnem malitiam, & 1. Petr. 2. omnem dolũ, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones: ſicut modò geniti infantes, rationabiles, ſine dolo, lac concupiſcite.] An non ſapiens infantia eſt, quæ non quodcunque lac, licèt palato ſuaue,ſed lac rationabile, lac ſine dolo, lac, quo creſcat in ſalutem æternam, concupiſcit? Sed hanc profectò induit, qui peccata & imperfectiones deponit,& quod melius & perfectius eſt, virtutis aſſumit.

Iam

Iam igitur audi, ô religioſe, quando & quomodo te renouabis. Omne tempus huius vitæ,tempus innouationis eſt,quod ad hoc nobis conceſſum eſt ; vt vetuſtatem hominis terreni deſeramus, & nouum hominem Chriſtum ſequentes in nouitate vitæ ambulemus.Sed quia hoc loco de ſpeciali quadam innouatione loquimur, qua aliquantulum repefacti ad priſtinum feruorem redimus, ea frequenter aſſumenda eſt, quia frequenter cadimus, & non multis diebus in deſideriis perfectionis intepeſcimus. Et quidem Thomas à Campis author piiſſimus circa præcipuas Sanctorum ſolennitates huic innouationi inſiſtendum præcipit. Circa principalia feſta, inquit, renouanda ſunt bona exercitia, & Sanctorum ſuffragia feruentiùs imploranda. De feſto in feſtum proponere debemus, quaſi tunc de ſæculo migraturi ſimus,& ad æternum feſtum peruenturi.] Sed vt aliquid faciliùs dicamus, ter, aut bis, aut ſaltem ſemel, deberes ſingulis annis te innouare,& quaſi noua indumenta virtutis induere. Si enim per ſingulos annos hyeme & vere indumenta corporis mutas, & ea pro temporis neceſſitate innouari vis, cur non etiam veſtimenta animæ reſarcies & in melius innouata mutabis?

Thom. à Camp.li. 1.de contemp.mũdi c.19.

In quibus autem poſita ſit renouatio, Bernardus in hunc modum docuit: In his tribus interior renouatio conſiſtit; rectitudine ſcilicet intentionis, puritate affectionis, recordatione bonæ operationis, per quam ſibi bene cõſcia memoria eniteſcit.] Sed libet eam ad captum noſtrum accommodatiùs explicare. Ad ſpiritus igitur renouationem hæc facies: Aliquot dies ad rem hanc faciendam tanquam ad magni momenti negotium aſſumes, in quibus licèt ab ordinariis occupationibus non te ſubtrahas, tamen ſolicitiùs te in ſolitis deuotionis officiis exercebis, & quæ ad te pertinent,accuratiùs tecum ages. His diebus attentè vitam tuam diſcuties, mores inſpicies, conuerſationem euolues, religioſorum votorum ac propoſitorum tuorum à te rationem exiges, & an conſtans in eis fueris,an ſecus; an ritè ſeruaueris, an verò tranſgreſſus in aliquo fueris, tecum expendes. Poſtea ad Prælatum, vel patrem ſpiritualem, accurres,illique te ipſum aperies, conſcientiámque manifeſtabis, & vulnera deteges, vt conſilio & oratione, & aliis mediis tibi opem afferat. Ideo enim cõſcientiæ manifeſtatio huic innouationi præmiſſa eſt, vt eam ad hoc tempus pertinere intelligas. Deinde peccata tua, ac defectus, quos deprehenderis, in vnum colliges, & ſi ita conſuetum fuerit, vel tibi libuerit, confeſſione generali, aut ſaltem amariſſima contritione,& fletibus dilues. Nam, vt inquit Ambroſius, rectè renouatur, qui de tenebris peccatorum in lucem virtutum mutatur,& gratiam,vt qui tetra priùs colluuione ſordebat, ſupra niuem albenti nimis fulgore reſplendeat.] Si in ſeruandis votis religioſis minùs fidelis fueris,ſi bonis propoſitis minùs conſtans, de hoc vehementer erubeſces. Si enim Eſau (vt inquit magnus Ephræm) ab his quæ cum damno ſuo pepigerat, recedere noluit, quomodo tu pauca quæ pro ſalute tua feciſti, rumpere audebis? Si Herodes, quæ in ſuam promiſerat perniciem, ſeruauit, & tu à fœderibus,quæ æternæ vitæ graria pepigiſti,teſilies?] Item ac ſi tunc primùm votis te obſtrinxiſſes, aut propoſita feciſſes,ea ſic deinceps, fideliter, conſtanter & feruidè ſeruare conſtitue. Vide quanto feruore, quanta deuotione iter vitæ ſpiritualis cœpiſti, & nunc huius innouationis tuæ tempore teipſum vincere cura, & maiori ſolicitudine ac vigilantia proficere.His actis aliquo ſolemni die,qui in illud tempus incidat, ac ſi tunc profeſſionem religioſam feciſſes,

Bern. tract. de gra.& li. arbitr.ad finem.

Amb.lib. de interpell. Dauid.

Ephr.

eam apud Dominum, quem præſentem conſideras, etiam vocaliter repetes,quæ ſtatuiſti vitare ac facere, iterum ſtatues,& quaſi de nouo te ad perpetuum obſequium Domino conſecrabis.Eo die immenſas gratias illi ages, quòd te ad vitam religioſam vocauit, quòd te ſibi votis religioſis ac profeſſione ligauit, quòd tot annis tuam ingratitudinem negligentiámque ſuſtinuit. Ora eum vt ampliùs te expectet, vt gratiam ad incipiendum & ſanctè conuerſandum tribuat,& vt cœpta perficiat. Hæc eſt formula ſpiritualis renouationis ſingulis annis bis aut ſemel facienda, quam ad praxim redactam, & ignitis aſpirationibus ac feruentiſſimis precationibus diſpoſitam, in ſecundo exercitio, quod vocatur ſpiritualis deſponſationis, & in tertio, quod vocatur profeſſionis animæ erga Deum, Beatæ Gertrudis, inuenies. Quanta autem ſit huius innouationis vtilitas, non eſt noſtrum explicare, vtere ea, & tu ipſe fructum experieris.

De ſeceſſione ab occupationibus, ſingulis annis facienda.

CAPVT IV.

NON ſufficiunt hæc omnia, quæ diximus, fragilitati noſtræ, vt ſe ſemper à ſegnitie & multiplici imperfectione contineat. Quare per ſingulos annos ad octo vel plures dies omnino vacandum eſt, & ſpiritu quieſcendum, ac penitus ab omni externa occupatione ceſſandum, vt mente caleſcamus, & à torpore liberemur. Iſtud profectò ſalubertimum documentum non ex alio quàm ex Euangelio ipſo & Sanctorum exemplo didicimus. Cùm enim conueniſſent Apoſtoli ad Ieſum, vt renunciarent ei, quæ (ipſo mittente)egerant & docuerant, dixit illis: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum:] non ſolùm vt corporis vires reſumerent, ſed multo magis vt ſpiritum reficerent, & ſe ad primum feruorem,ex occupatione languentem,reuocarent. Hunc ſenſum indicat Theophylactus,ita ſcribens: Apoſtoli poſtquam prædicauerunt, congregantur apud Ieſum, vt & nos diſcamus, ſi quando in miniſterium mittamur,ne nos totos ab eo qui mittit, abripiamus, ſed illum ſciamus, caput, & ad illum redeamus, annunciemúſque ei omnia,quæ vel docuimus vel fecimus.Neque enim ſatis eſt,ſi doceamus, niſi & fecerimus. Quieſcere autem facit Chriſtus diſcipulos, vt ſciant Prælati laborantes in verbo & doctrina, dignos quibus detur ſua quies, & non ſemper intendant laboribus.] Et ſanè optimo iure Dominus Apoſtolos ad ſeceſſum inuitauit,vt tam illis quàm nobis conſuleret. Illis quidem,nam cùm nondum eſſent perfecti,& humanis affectibus ſubiacerent,erant per ſilentium & quietem, & contemplationis ſtudium, ab ea quæ ſe miniſteriis animatum immiſcet, diſtractione curandi. Nobis verò,vt ex Apoſtolis, ex miniſtrorum ſcilicet Euangelij magiſtris diſceremus, quomodo oporteat nos animarum ſaluti vacare, & ad tempus nos ad ſilentium recipere,& ad reficiendas animæ vires in iugi contemplationis exercitatione quieſcere. Si enim ſemper effundimus, & nunquam,aut parum infundimus,meritò timendum eſt, ne pauperes & vacui maneamus. Id eſt, ſi ſemper mens curis animarum & ſalutis aliorum, negotiis diſtenditur, & parum vires ſpirituales auget, vt oneri portando ſufficiat, formidare debet ne aliquando onere preſſa ſuccumbat. Ergo præter communia

Marci 6. 31.

Theophyl. ibid.

orationis & deuotionis opera, quibus nos quotidie à diſtractione & tepiditate ſeruamus, per aliquod tempus omnino quieti ſpiritus, & orationi prolixæ, & colloquiis diuinis vacandum eſt, vt inde magnum robur trahamus, quo nos in ſpiritu deuotionis, & in perfectionis deſiderio ſeruemus.

Id etiam nos docuerunt ſanctorum virorum in ſalutem animarum incumbentium exempla. Quorũ hiſtorias ac geſta ſi euoluamus, manifeſtè videbimus eos frequenter à turbis, & occupationibus ſeceſſiſſe, vt ex quiete & conſortio Domini aſſiduo, vires ad vtiliter laborandum, & in vita perfecta perſeuerandum acciperent. Vnum profectò aut alterum in medium producam. De Beato Franciſco ad ſalutem animarum vocato hæc ſcribit verus eius filius Bonauentura: *Bonauēt. in vita. c.10.* Vir autem Dei ſolitarius remanens, & pacatus, nemora replebat gemitibus, loca ſpargebat lacrymis, pectora manu tundebat, & quaſi occultius ſecretarium nactus, confabulabatur cum Domino ſuo. Ibi reſpondebat iudici, ibi ſupplicabat patri, ibi colloquebatur amico. Ibi quoque fratribus ipſum piè obſeruantibus aliquoties auditus eſt clamoſis gemitibus apud diuinam pro peccatoribus interpellare clementiam, deplorare etiam alta voce, quaſi coram ſe poſitam Dominicam paſſionem. Ibi viſus eſt nocte orans manibus ad modum crucis protenſis, toto corpore ſubleuatus à terra, & nubecula quadam fulgente circumdatus, vt illuſtrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus perluſtratio teſtis eſſet. Ibi etiam, ſicut certis eſt comprobatum indiciis, incerta ſibi, & occulta diuinæ ſapientiæ pandebantur, quamuis illa non vulgaret exteriùs, niſi quantum Chriſti vrgebat charitas, & proximorum vtilitas exigebat. Dicebat enim; Leui mercede rem impreciabilem contingit amitti; & illum qui dedit, ad non dandum iterum facilè prouocari. De Hugone verò Linconienſi Epiſcopo hoc inuenimus ſcriptum: *In eius vita. c. 13.* Singulis annis vt minimum ſemel æſtiuis vacationibus ad monaſterium ſuum Vvictamienſe ſeſe conferre ſolebat. Ibi verò tanquam in meſſe fertili, menti ſuæ de ſpiritualibus prouidit frugibus, quas vbertim illic ipſe ſecuerat. Erant tunc illic viri valde ſpectabiles, in vita ſtrenui, in contemplatione ſublimes, iique blandimenta ei nulla, tanquam vltra alios Epiſcopos aliquid haberet ſanctitatis, apponebant, ſed potiùs admonebant, vt videret quantum adhuc abeſſet à conuerſatione Patrum antiquorum. Tanta autem humilitate in omnibus ſe illis conformabat, vt præter ſolum annulum nil geſtaret, vnde quòd eſſet Epiſcopus, poſſet animaduerti. Ac tandem de Laurentio Dublinenſi Epiſcopo hæc leguntur: *Sur. in eius vita. c.17.* In ea autem concauitate quam Sanctus Coenginus ſuis manibus effeciſſe dicitur: Beatus Laurentius perſæpe latitans contemplatiuis deliciis illic deuotus perfruebatur, de corpore ſuo minimè ſolicitus, ſed tamen in multa neceſſitate, ei deeſſe nolens, ter tantùm in hebdomada panem & aquam, interdum etiam olus ei præbebat: tanquam alter Moſes contemplationis diuinæ ſuauitate refectus. Ibi ergo morans per quadragenas, hominum non admittebat frequentiam, niſi iam dicti Abbatis nepotis ſui, qui ei cibum, qualem diximus, ſubminiſtrabat, ad eùmque cauſas & negotia populi, & ad populum ſancti ſacerdotis reſponſa atque conſilia referebat. Erat autem acceſſus ad eum per ſcalam, cuius ima pars in aqua figebatur, ſuperior tenebatur ad rupem.] Hoc itaque fuit ſanctorum virorum ingenium, partim ad vtilitatem fratrum curandam exire, partim ad propriam ſalutem curandam, in cubiculum internæ conuerſationis intrare: nunc conſortia aliorum admittere, nunc verò per aliquod tempus ab occupationibus & turbis ſecedere, & ſoli Deo, ac ſi nihil in mundo eſſet, intellectu & affectu inhærere. Et hoc quidem imitatione ſequi debemus, ſi ſimilem feruorem & diligentiam in diuino obſequio tenere optamus.

Tu verò, ô religioſe, qui perfectionis deſiderio ardes, & virtutum amore teneris, aliquando ſingulis annis te ab omni externa occupatione ſequeſtra, vt tibi & Deo intendas, vt vias tuas conſideres, vt in eo, qui finis tuus eſt, amplexu quieſcas. *Eccl.1.7.* Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant:] ad eum & tu, à quo gratiam ad diſcurrendum accepiſti, per nonnullam ſeceſſionem à negotiis & curis, reuertere, vt iterum ſine tuo damno fluere poſſis, & agros animarum rigare. Nullatenus dubitare poteris, quia aſſidua occupatione etiam bona, & vtili ſpiritu fatigaris, & in boni amore laſſeſcis; pone itaque illam aliquando, & te ſolicitudine aliorum exonera, vt quieſcas, viréſque reſumas. Danda eſt remiſſio animis, inquit Seneca, meliores acrioréſque requieti ſurgent. *Sene. de tranquil. lit. vita. c.15.* Vt fertilibus agris non eſt imperandum, citò enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas; ita animorum impetus aſſiduus labor frangit. Vires recipient paulum reſoluti & remiſſi. Naſcitur ex aſſiduitate laborum animorum hebetatio & languor. Et ad idem Gregorius ait: Ex ſtudio namque arcus diſtenditur, vt in ſuo tempore cum vtilitate tendatur. Qui ſi otium relaxationis non accipit, feriendi virtutem ipſo vſu tenſionis perdit. Sic aliquando in exercitatione virtus cùm per diſcretionem prætermittitur, reſeruatur; vt tanto pòſt vitia valenter feriat, quanto à percuſſione interim prudenter ceſſat.] Clauis versùs vnam partem mota, ſeram claudit; ad aliam verò partem voluta, aperit; ſic mens exterioribus intendens, ea diſponit atque cuſtodit, ſed ad Deum & interiora conuerſa, ianuam aperit diuinæ miſerationis, vt per eam theſauros donorum cœleſtium educat. Niſi versùs hanc partem te moueris, & niſi à Deo quod tribuas acceperis, nequaquam habebis quod tribuas. Quare ſapienter dixit Bernardus: *Bern. ad fratr. de monte Dei.* Otioſum non eſt vacare Deo, immò omnium negotiorum negotium, quoniam ex hoc otio vires proueniunt ad negotium, & qui ſcit prudenter ad tempus quieſcere, ſciet poſtea ſtrenuè & vtiliter laborare. Deus ipſe te ad captandam quietem ſpiritus, quaſi ſuo inuitauit exemplo. De eo enim dictum eſt: *Gen.2.2.* Compleuítque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requieuit die ſeptimo ab omni opere quod patrarat. Si ergo ſeptem diebus, vel non paucis menſibus operatus es, & ſalutem aliorum quæſiuiſti, iam Sabbatum, id eſt, tempus aliquod quieti deſtinatum, libenter excipe, in quo dum ab externo opere ceſſas, virtutes reſtaures, & ſpiritum præ onere deficientem reficias. Legem poſuit Dominus aquis, ne tranſirent fines ſuos.] *Prou.8.29.* Et tu legem pone occupationibus tuis, & modum curis tuis, ne inſtar aquarum irruentium te obruant, & ab ſtabilitate perfectionis abducant.

Ex hac ergo ſpirituali quiete, in qua teipſum inſpexiſti, deſideria ſopita excitaſti, propoſita confirmaſti, cum Deo, ceu alter Iacob, ad accipiendam benedictionem pugnaſti: exibis vt Moſes facie ſplendida ex conſortio Domini, & anima roborata, vt poſſis ſine tui detrimento aliis prodeſſe, immò & cum virtutum augmento animas generare, & Deo theſauros ſaluandorum acquirere.

SECTIO VI.

De his quæ ſemper fieri debent.

HVc vſque quid ſingulis diebus hebdomadis, menſibus, & annis fieri debeat, expoſuimus; nunc quid ſemper fieri oporteat, breuiter exponamus. Et quidem ſemper peccata & vitia fugienda ſunt, ſemper virtutes ſectandæ, ſemper bonis operibus inſiſtẽdum, & aduerſùs diabolũ, & eius dolos, decipulaſque pugnandum. Atque in quocunque tempore ita circumſpectè viuendũ eſt, ita cautè & ſapienter conuerſandum, vt quãtum fragilitas noſtra permiſerit, in nullo nec cogitatione, nec verbo, nec actione peccemus, & per aliquod bonum, quod nos occupet, ad perfectionem curramus. Hic eſt intellectus illius præcepti. Diliges Dominum Deum tuum ex toto
Matt. 22. 37. corde tuo,] ab Auguſtino ſignatus: ſic enim ſcribit
Aug. lib. de doctr. Chriſtia. c. 22. quodam loco: Cùm ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ noſtræ partem dereliquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, vt alia re velit frui, ſed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit.] Sed quia generalis doctrina minùs vtilis eſt, ſi in ſua latitudine ſe contineat, & non ad particularia deſcendat, aliqua ſpecialia dicenda ſunt, quæ ſemper, ô vir Dei, præ oculis habeas, eáque diligenter præſtare contendas. Meminens autem te eſſe Deo, & Prælatis, & congregationi, in qua viuis, & proximis, & tibi ipſi debitorem: quibus ſi ſemper quod ſuum eſt, dederis, iuſtus vocaberis, & iuſtitiæ partes exequeris.

De præſentia Dei.

CAPVT I.

ERGA Deum igitur ac Dominum tuum hæc ſeptem, quæ ſequuntur, obſeruabis. Audi
Iere. 23. 24. illum dicentem: Nunquid non cœlum & terram ego impleo?] ipſúmque tuarum cogitationum & deſideriorum teſtem, & tuorum verborum & operum inſpectorem aſpicito. Ipſe te vndequaque circumdat, & ac ſi in profundo maris eſſes, ſurſum & deorſum, antè & retrò, ad dexteram & ad ſiniſtram ſua Deitate continet, & intra teipſum ille potens Dominus ac ſapiens iudex deliteſcit. Hæc ergo cogitatio, quòd Deus præſens adeſt, quòd omnia tua interiora ac exteriora perluſtrat, nunquam te deſerat, & ita tuam vitam ordines, conuerſationem inſtituas, moréſque componas, vt pro humana fragilitate te à Deo aſpici non erubeſcas. In initio cuiuſque operis Deo illud offeras, in progreſſu illum intuearis, in fine ipſi placere, & eius gratia finire conſtituas. Et ſi hoc donum fueris aſſequutus, vt in otio, & in negotio, ſolus, & aliis aſſociatus, ſcias Dominum aſtantem contemplari, citiùs quàm putas ad magnum virtutum augmentum peruenies.

De charitate erga Deum.

CAPVT II.

DILIGE Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua: quia hoc eſt maximum & primum mandatum. Diligе eum corde, omnes cogitationes & deſideria tua vniuerſa in eum dirigens. Dilige opere, mandata eius, & conſilia cuſtodiens. Dilige eum vnicè, voluntatem tuam ab omnibus rebus creatis auertens. Dilige eum diligenter, omnia, quæ ad eius obſequium pertinent, ſedulò perficiens. Dilige eum purè, in nullo temetipſum quærens. Dilige eum liberè, quæcumque eius amori opponuntur, conſtanter abiiciens. Dilige eum gratis, ex amore eius nullum emolumentum, niſi eius beneplacitum, exigens. Dilige eum fortiter, propter eum mala patiens. Dilige perſeueranter, nunquam te ab eius obſequio & deſiderio diuellens. Hæc præſtabis, ſi eum vt ſummum bonum, vt ipſam bonitatem, ac vt fontem omnium donorum contemplеris. Si etiam hunc amorem quotidie intentis precibus poſtulaueris: ſi mundum te, quantum hæc mortalitas fert, & purum ab omni labe cuſtodieris.

De timore Dei.

CAPVT III.

TIMA Dominum Deum tuum, quia Dominus tuus eſt, & quia ipſe dixit: Si ego Dominus, vbi eſt timor meus?] Time illum, quia neſcis an odio, an amore dignus ſis. Time illum, quia poſtquam occiderit corpus, poteſt animam mittere in gehennam. Time illum, quia incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius, & neſcis quid de te futurum ſit. Time, non vt ſeruus emptitius, ob pœnam, ſed vt filius cariſſimus & fideliſſimus, ne incurras diuinam offenſam. Time, ne ab illo ſepareris, in quo omne bonum eſt, & à quo ſeparatus omne malum & omnem miſeriam tibi acceſſes. Time magna peccata, quia à Deo ſeparant, & time quoque leuia peccata, & minimas imperfectiones, quia grauioribus offenſis ianuam aperiunt. Time tandem Dominum, quia timor eius initium eſt omnium bonorum. Nam ſcriptum eſt: Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum.] Inquirentes autem eum per caſtum & ſanctum timorem, non deficient omni bono. Ex hoc timore intima reuerentia procedit, qua diſces adorare eum, vt decet, in ſpiritu & veritate.

De zelo honoris Dei.

CAPVT IV.

IGNASCE zelo honoris Dei tui, qui zelus cor tuum comedat, animam tuam mœrore conſumat. Animaduerte, quia ipſe Dominus eſt ſponſus tuus, quem hæretici contemnunt, Iudæi ſubſannant, idololatræ & infideles ignorant. Eum peccatores innumeris iniuriis afficiunt, plurimi iuſti ei tepidè & oſcitanter inſeruiunt, & perfecti nonnunquam aliquid faciunt, quo coram eo minùs reuerenter aſſiſtunt. An tu, qui hæc vides, non laborabis pro auertenda iniuria, & curando honore ſponſi tui, & pro tantis iniuriis eius nónne intimum dolorem admines? Hæc igitur ſit ſolicitudo tua, gloriam Dei ſemper quærere, animarum ſalutem ſecundùm vocationem tuam, & gratiam tibi datam curare, eas orationibus, ſacrificiis, bonis exemplis, ac ſanctis laboribus iuuare, & diuinam gloriam promouere. Obliuiſcere boni temporalis tui, & quietis tuæ, honorem tuum contẽnas, & difficultati occurrẽti non parcas, vt Domini honorẽ gloriámque promoueas.

De

De laude Dei.

CAPVT V.

SEMPER lauda Dominum Deum tuom, quia non ſolùm dignus eſt laudari, ſed & maior eſt omni laude. Lauda illum opete, lauda & ote. Optima eſt operis & vitæ laudatio, vt ſicut cœli pulchritudine & claritate ſua enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius, tot linguis, quot ſtellis annunciat firmamentum: ita & tu vitæ ſanctitate, & morum integritate, Dominum tuum laudes, & alios qui te viderint, ad laudandum Dominum, & benignitatem eius magnificandam inuites. Sic luceat lux vitæ tuæ, & ſplendor conuerſationis tuæ, coram homioibus, vt videntes opeta tua bona, glorificent patrem tuom, qui in cœlis eſt. Lauda illum & ote, ita ſcilicet vt laus eius ſemper in corde tuo inchoët, & iugitet in ote reſonet. Et ſicut beata Cæcilia ſemper Euangelium Chriſti gerebat in pectote, & nunquã à colloquiis diuinis & oratione vacabat: ita & tu ſemper Chriſti myſteria, & Dei tui attributa, & mirabiles perfectiones animo voluas, & ons laudibus efferas. Vniuerſæ res creatæ illum laudant, & opera eius mirabilia prædicant: tu vnus ex creaturis Dei ne otio torpeas, ne ab eius laudibus ceſſes.

De gratitudine erga Deum.

CAPVT VI.

GRATIAS Deo continuò age, & ſemper in gratiarum actione mane. Æquum enim eſſet, vt qui omnibus momentis beneficia recipis, omnibus etiam, ſi fieri poſſet, pro eis immenſas gratias reſponderes. Non eſt momentum, in quo non accipias à Deo eſſe, vitam, ſenſum & intelligentiam, & omnia alia bona tum naturalia, tũ ſupernaturalia, quæ in te ſunt. Si ergo quando ab aliquo homine actu beneficium recipis, ſtatim illi gratias agis: ingratus eris Deo, ſi ſemper innumerabilia beneficia recipis, & non ſemper ſaltem deſiderio illi gratiarum actione reſpondes. Gratias ages igitur pro rebus proſperis, quia tibi ad ſolatium datę ſunt; & pro aduerſis, quia ad correctionem, & augmentum coronæ tuæ ordinatæ ſont. Gratias ages pro donis ſpiritualibus, quia animam ditant; & pro temporalibus, quia corpus, animæ habitaculum, ſeruant. Gratias ages pro his, quæ tibi dantur, quia ad te pertinent, & pro his quæ proximis tribuuntur, quoniam ad fratres tuos, quibus charitate iunctus es, pertinere noſcuntur. Semper cor tuum eructet verbum bonum gratiarum actionis, ſemper os tuum in quocumque ſucceſſu Deo gratias reſonet, vt dum pro continuis beneficiis gratias agis, te ad potiora recipienda diſponas.

De Reſignatione in voluntate Dei.

CAPVT VII.

RELINQVE in manibus Dei tui tua, & te: committe & offer Deo te, & reſigna te plenè in manibus eius, vt de te ac de rebus tuis faciat, vt placitum fuerit in oculis ſuis. Dic ſæpe voce: Fiat voluntas tua.] Et non mea voluntas, ſed tua fiat; ſed multo magis beneplacitum Domini tua amplectere voluntate. Nam ſæpe ore dicimus, Fiat voluntas tua,] & propoſito ac deſiderio voluntati Domini reluctamur. nos verbo offerimus,

A & opere retinemus; ſermone donamus, & actione Deo ſua volenti accipere, ſtultè reſiſtimus. Tu non ſic, ſed ſcito quia tu non tuus, ſed Dei es; tua non tua, ſed Dei ſunt; ne ergo aliena Domino repugnãre contrectes, quia furti in die examinis argueris. Eſto coram Domino vt tabula penitus munda, in qua poſſit ipſe quidquid voluerit depingere. Eſto vt lutum in manu figuli, vt te formet aut frangat, vt efformatum aut in ſublimi loco, aut in imo conſtituat. Reſpice tua, vitam, ſalutem, honorem, conſolationem, & reliqua quæ poſſederis, non vt propria, ſed vt commodata, & eſto paratus ea reddere ei, qui liberaliter commodauit. Ipſe diligit te in infinitum, plus quàm tu te. Debes ergo te in manu eius reſignare, & paratum offerre, vt in tempore, & æternitate, quidquid voluerit, efficiat.
B

De amore Prælatorum.

CAPVT VIII.

HÆC, quæ dicta ſunt, erga Deum: at erga Prælatos, ſeptem etiam obſeruabis. Primò, dilige illos in quibus multas diligendi rationes inuenies. Ipſi enim gerunt in terris vicem Dei, à quo omnis poteſtas & dominatio deſcendit, referúntque nobis Chriſtum Ieſum, quem in ipſis debes aſpicere. Ipſi ſunt patres, duces, paſtores, magiſtri, conſiliarij, & nullus ferè eſt, quem diligas, cuius mu-
C nus non in Prælatis inuenias. Sunt patres, qui nos paterno amore diligunt: Duces, qui verbo & exemplo in cœlum ducunt: paſtores, qui doctrina paſcunt: magiſtri, qui ignorantiam noſtram remouent: & conſiliarij, qui in dubiis ſaniora proponunt. Ipſi ſunt vigiles, qui vigilant ſuper nos, quaſi rationem pro animabus noſtris reddituri. Ipſi ſunt œconomi, qui alimenta, ac veſtimenta, & cætera neceſſaria cum magna charitatis ſignificatione miniſtrant, & non ſine magna ſolicitudine quærunt, vt miniſtrent. Ipſi denique ſunt capita noſtra, & nos quaſi membra, à quibus periculoſum eſt odio diſiungi, aut minima auerſione ſeparari. Si hæc in Prælatis conſideres, facilè magno amore eos amplecteris. Si verò (quod Deus à ſanctis congregationibus auertat) Prælatum
D improbum ſortitus fueris, in quem hæ proprietates non quadrent, non propterea eſt à dilectione ceſſandum, quia eo ipſo quòd Prælatus eſt, vicem Chriſti gerit, cuius authoritas in malo Prælato non deficit. Et ſatis eſt vt diligatur, quòd Chriſtum ſummè dilectum repræſentet.

De Reuerentia erga Prælatos.

CAPVT IX.

SEMPER Prælatos veneraberis, & magno honore ac reuerentia proſequeris. Debetur namque reuerentia Prælationi, eo ipſo
E quòd dignitatem habet ſuper alios, & participatio quædam eſt diuinæ poteſtatis, quam ille in quoſdam contulit, vt contineant multitudines, & ad populorum aut congregationum vtilitatem gubernẽt. Hanc autem reuerentiam interiùs exteriùſque præſtabis. Interiùs quidem, ſi Prælatus maiores agnoſcas, ſi dignos honore iudices, ſi eis te animo ac voluntate ſubmittas. Exteriùs verò, ſi illis conſueta ſigna reuerentiæ ac ſubiectionis exhibeas, ſi aperto capite, demiſſis oculis, damiſſa voce, & paucis verbis illos allo-

quatis, ſi coram illis nihil friuolum, aut leuitatem præſentes dicas aut facias, ſi abſentes honorificè nomines. Etſi quidē nobiles ſæculares nunquam iudices aut ſenatores ſuos niſi reuerenter nominant, & ad proprium ſuum honorem pertinere iudicant, eos magnificare, & coram illis reuerentes ſe gerere. Quanto magis religioſus putare debet ad ſuū honorem ſpectare, ſi Prælatos ſuos veneretur, quos Chriſti loco habet, & in quibus ipſum Chriſtum agnoſcit?

De obedientia ad Prælatos.

CAPVT X.

SEMPER Prælatis obedias, & non ſolùm opere, ſed & voluntate, ac iudicio illis te ſubiicias, quoties nihil Dei præceptis contrarium iniungunt. Obedientia ites eſt ſecurum in cœlum, quam qui negligit, aut minùs diligentes ſuſcipit, ipſe ſe decipit. Cura vt omnia, quæ ſecens non tantùm communia, verùm & ſpecialia quoque virtutis obſequia, Prælatus ſciat, probet, & facienda præſcribat. Sic tineam propriæ voluntatis excuties, ſic operibus tuis non mediocrem decorem adiicies, ſic mille aduerſarij decipulas & dolos euades. Quidquid Prælatus, aut expreſsè non dictauit, aut ſi ſciret, gratum non haberet, tanquam germen propriæ voluntatis ſuſpectum habe. Iam alienus es, eius ſcilicet, qui factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter te crucifixus eſt. Ipſe te per Prælatos regit, & vult, in his quæ ipſi præceperint, aut gratum habuerint, à te ipſo ſecutiri. Non tibi cedet in bonum, ſi teipſum regas, & ab eius voluntate per ſuperiores demonſtrata diſiungas.

De oratione pro Prælatis.

CAPVT XI.

PRÆLATOS non tantùm opere per obedientiam, ſed etiam oratione iuuabis. Nam quis non pro ſuo capite aſſiduè oret, præcipuè ſi illud videat in magno diſcrimine conſtitutum? Prælati autem capita noſtra ſunt, quæ non ſolùm coronæ ſpineæ curarum cingunt, ſeu & non modica reddendæ rationis pro animabus noſtris pericula circumſepiunt. Ora ergo Dominum pro illis, vt vitam, & ſalutem corporis habeant, oneráque gubernationis ſuſtineant: vt lux cœleſtis ipſis affulgeat, qua in omnibus Dei voluntatem intelligant: vt ſuauitatem & efficacitatem accipiant, quibus optimè ſubditos ſibi commiſſos regant. Nam hoc eſt præceptum Pauli, cùm ait: Obſecro primùm orationes fieri pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt.] *1. Timot. 2.1.2.*

De ſuſtinentia Prælatorum.

CAPVT XII.

POTEST euenire vt tibi Prælatus immiſericors, aut ſaltem durus, & inſuauis obtingat, qui ſubditorum infirmitatibus compati neſciat, qui defectus corrigere in lenitate ſpiritus nolit, & qui erga eos qui ſibi commiſſi ſunt, non cor patris, ſed ſeueri iudicis induat. Aliquando enim ſuperiorum electores errant, aut Prælatio animum

A mutat, aut natura aliquorum ferrea, licèt auxilio gratiæ & virtutis adiuta, nunquam ſe ex toto ad debitam lenitatem, (quæ Prælatis eſt maximè neceſſaria) reuocat. Hunc ergo Prælatum tu, ô vir Dei, patienter ſuſtinebis, & tua patientia eius duritiem vinces, vt magnum ex ſuſtinentia illius, qui te ſuſtinere debuit, lucrum reportes. Conſidera quid mundani in curiis principum commorantes ferant, quomodo ſe pro temporali emolumento ingenio domini ſuperbi & inſani, & nunquam ſibi neque in minimo imperantis, accommodant. Et pro amore regni cœleſtis tu tantillum ſaltem patere, & nonnullam ſuauitatem Prælati tui æquanimiter ſuſtine. Forſitan tepiditas tua tanta eſt, vt non patre, ſed trierarcho indigeas, & ſi Prælatum pium, & diſcretum haberes, in

B amore virtutis, non creſceres. Cor itaque eorum quibus potueris modis ad amorem huiuſmodi Prælati coge, téque ipſum ad orandum pro illo, & multo magis ad bene ſemper loquendum de illo, compelle. Et te moſigerum præbeas, & prompta obedientia & aſſiduis obſequiis ad lenitatem incitabis, ſicque ex ingenio eius ferreo, tu virtutem ferream, id eſt fortem, & mala tolerare ſcientem, conſequeris.

De diſſimulandis defectibus Prælatorum.

CAPVT XIII.

NON detegas defectus Prælati, neque illos exaggeres, ſed potius eos benignè &

C prudentes diſſimula, vt apud Dominum veniam & miſericordiam tuorum erratorum conſequaris. Prælatus, homo eſt, non Angelus: non igitur facias miraculum aut portento ſimile, ſi aliquos in ſe defectus necdum emendauerit. Ipſe patienter ſuſtinet plurimos defectus omnium ſubditorum, quid multum ſi omnes illi pauculos defectus Prælati ſuſtineant? Et ſi patris, qui te carnaliter genuit, culpas ac defectus celas, cur non potiori ratione patris ſpiritualis defectus abſcondes? Adi ergo Eccleſiaſticum ſuper hac re teipſum admonentem: In omni opere & ſermone, & patientia honora, (id eſt, ſuſtine,) patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in nouiſſimo ma- *Eccl. 3.9.*

D neat.] Et ſurſus: Ne glorieris in contumelia patris tui, non enim eſt tibi gloria, eius confuſio; gloria enim hominis ex honore patris ſui, & dedecus filij pater ſine honore.] *Ibid. n. 12.13.*

De non iudicandis Prælatis.

CAPVT XIV.

PRÆLATOS tuos & ipſorum acta non iudices, ſiquidem rationes, quibus ad aliquid agendum, aut præcipiendum, aut prohibendum mouentur, non agnoſcis. Crede mihi, fratres, non cogitationes Prælati cogita-

E tiones tuæ, nec viæ illius viæ tuæ. Immò non ſemel ſicut exaltantur cœli à terra, ita exaltantur cogitationes eius à cogitationibus tuis, & viæ eius à viis tuis. In teipſum & tua commoda cogitas, ille diſciplinam religioſam promouere cogitat: tu tantùm terrena curas, ille verò te à terra euellere ac ſeparare, & in cœlum inuehere curat. Ideò videtur tibi ſcrupuloſus & durus exactor, quia à te exigit ſpiritualem vitam & diſciplinæ cuſtodiam, tanquam ille qui pro te & omnibus ſubiectis ſuis eſt Deo rationem red-

dinitus. Munus iudicandi, munus Dei eſt, munus A eſt maiorum, quibus ille facultatem gubernandi commiſit: ſi tu nec Deus es, nec Prælato tuo præpoſitus es, quomodo audes illum iudicare, & falcem in alienam meſſem mittere? Teipſum potiùs iudica & reprehende, quod ſalubertimum eſt, & à iudiciis aliorum, præſertim maiorum, abſtine, quod frangere periculoſiſſimum eſt.

De affectu filij erga religionem.

CAPVT XV.

HÆc erga Prælatos: at erga religionem ſeptem quoque cuſtodies. B Religioſam familiam, ad quam à Domino vocatus es, vt piiſſimam matrem diligas. Id ſanè virtus gratitudinis exigit, & profectus tuus, ac ipſius religionis conſeruatio requirit. Deo te ad vitam religioſam vocanti, & in ea te cuſtodienti, gratus exiſtas neceſſe eſt, ne vt ingratus (quod abominabile & peſſimum eſt vitium,) aut tanto dono ſpolieris, aut illo ſine ſpiritus emolumento fruaris. Gratus autem eris, ſi hoc eximium beneficium agnoſcas, & in magno pretio habeas. Habebis autem, ſi religionem tuam eſſe matrem aſpicias, quæ te in vtero tyrocinij concepit, in profeſſione parturiuit, lacte doctrinæ nutriuit, pane virtutum refecit, in ſtatu honoris conſtituit, & æternam hæreditatem præparauit. C Sic etiam minim in modum proficies, quia dilectio & affectus iſte faciet, vt religioſam diſciplinam non moleſtam, ſed gratam, non grauem, ſed ſuauem exiſtimes, eíque te diligenter accommodes. Sic tandem religio per te ſuum decorem & ſplendorem non perdet: nam & filij affectus à te poſtulabit, vt puritan ſtatus tui conſulas, & nihil regulæ contrarium admittas. Ne putes autem (vt quidam ſtultè cogitant) huoc filij affectum exigere, vt tuam religiooem immoderatè laodes, vt eam inſipienter aliis præferas, vt in publicis conſeſſibus ad primas ſedes aſpires. Hæc ridicula ſunt, quæ ſtulti faciunt. Sed id exigit affectus filij, vt in omni loco booum exemplum præbeas, vt tui ſtatus circumſpectionem neceſſariam cuſtodias, & per humilitatem omoibus te ſubmittas. D

De cuſtodia Regulæ.

CAPVT XVI.

HVnc ergo affectum filij habebis, ſi ſex alia, quæ ſubiungam, obſeruaueris. Eſto igitur cuſtos regulæ & inſtituti tui, quoniam iſta te cuſtodient, & matrem tuam venerabilem, ſcilicet Sanctam religionem, indicibili exultatione afficient. Mater gaudet, ſi filios ſuos valere, & opibus abundare, & apud aliquem Principem in hoaorabiliſſimo loco haberi ſciat. Regulæ autem cuſtodia ſalus eſt animæ, diuitiæ E cuſtodientis, & familiaritatem parat apud Deum obſeruantibus illam. Matrem ergo lætitia perfundis, cùm regulam, ac maiorum ſcita cuſtodis. Hæc obſeruantia te perfectum faciet, te filium honorabilem religioois, & dilectum conſtituet, te fratribus amabilem, & Dæmonibus terribilem, & Angelis ſimilem reddet. Quia ſicut illorum gloria eſt Deo parere, ita & tu gloriam exiſtimabis, Deo in his quæ per religioſum inſtitutum ſtatuit, obedire.

De bono nomine religionis quærendo.

CAPVT XVII.

BONVM religionis nomen tibi quærendum eſt, vt qui tot ab ea beoeficia recipis, ſaltem in hoc eidem proficuus exiſtas. Ita autem boc bonum nomen, bonámque opinionem in cordibus aliorum ſeres: ſi oihil, præſertim coram ſæcularibus, indecens indecorúmque facias, vel loquaris. Si cum illis agas quantum neceſſitas, aot prudens charitas poſtulauerit, & nihil ampliùs. Si eis quæ domi fiunt, nequaquam detexeris, præcipuè ſi minimum quid (vt fieri poſſet) diſcordiæ, aut minoris ſubmiſſionis contigiſſet. Si eos intra clauſtra cœnobij, aut multo minùs intra cellam non admiſeris. Si te libenter ſemper vixiſſe, & adhuc viuere ſub diſciplina religioſa, prononciaueris. Si erga Domioum, qui te vocauit, animum gratum oſtenderis. Ac tandem ſi ſæculares in te (quantum fieri poſſit) virum ſpiritualem & religioſom videant, & nunquam hominem, id eſt, te affectibus ſeruientem, aſpiciant. Hæc generaliter ſunt, quæ apud alios bonum oomen religionis gignunt & ſeruant.

De onere religioſæ diſciplinæ ferendo.

CAPVT XVIII.

RELIGIOSA diſciplina feruidis ſuauis & dulcis eſt ſuper mel & fauũ, ſed tepidis ſolet eſſe amara & onerosa. Noo quia ipſa per ſe aliquid moleſtiæ contineat, ſed quòd animus ægrotus palatum cordis prauis affectibus infectum habeat. Tu ſi aliquando tentatione pulſatus moleſtiam in cuſtodieoda diſciplina ſenſeris, eam à te abiicere ac remouere curato: ſicque animam tuam ad diſciplinam ſeruandam & onus ferendum, incitabis. Nemo in republica eſt, qui non moleſtiam aliquam patiatur: pauper mendicitate premitur, diues ſpinis diuitiarum compungitur, ignobiles, vectigalibus & tributis, nobiles bellorum periculis, & duris Principum obſequiis onerantur. Qui aliquid cupiunt, (& quis eſt io ſæculo, qui vana non cupiat?) ex deſideratorum abſentia dolorem ſentiunt. Nullum eſt munus in hac vita, quod moleſtiam annexam non habeat. & quo maius eſt, eo duriori labori ſubiicitur. Si ergo homines propter bona peritura tot moleſtias & afflictiones ſuſtinent: ſatis delicatus eris tu, ſi propter regnum cœlorum paruam moleſtiam tuo ſtatui adiunctam non feras. Æquanimiter igitur eam ſuſtineto, & pro ea fugienda nunquam diſciplinam deſeras: quia quanto magis laboraueris, tanto in cœlo maiori præmio perfrueris. Et diſciplina ipſo vſu dulceſcit, & omnis moleſtiæ expers efficitur: qui verò ſe non vincit, & propter modicam difficultatem, obſeruantiam fugit, maiori quotidie moleſtia triſtatur.

De religioſis functionibus ritè præſtandis.

CAPVT XIX.

EA, quæ ad religioſam vitam pertinent, eiuſmodi ſunt oratio, pſalmodia, lectio, meditatio, Miſſæ celebratio aut auditio, Sacra-

A mentorum vſus, conſcientiæ examinatio, & alia huiuſmodi, rectè diligentérque præſtabis. Nam his bene præſtitis, virtutes auges, feruorem prouehis, peccata multa leuia declinas, & quotidie melior ac purior efficeris. His verò malè & oſcitanter factis, in dies tepiditatem foues, & ſtatum animæ ſpiritualem (vt experimento compertum eſt) nihil promoues. Operibus iſtis, ô frater, Deo ipſi famularis, qui Rex magnus eſt ac Dominus potens, non decet verò ſeruum, qui æternam mercedem à tanto Rege pro ſuis obſequiis ſperat, illi tepidè oſcitantérque ſeruire. Mater tua religio Sancta in veris & ſtrenuis filiis ſuis religioſa opera diligenter præſtat, ne ſocordia & negligentia tua illam labores filiorum Domino offerentem, aliquo rubore ſuffundas. Pudet enim
B illam imperfecta opera offerre, & fructus putridos Domino conſecrare.

De bono exemplo fratribus dando.

CAPVT XX.

OMNIBVS tum externis tum domeſticis bonum exemplum præbere curato, & ſanctitatis odorem ſpargere, vt bonus Chriſti odor factus in omni loco eum, non ſolùm tuo, ſed omnium ore collaudes. Illum enim ore etiam & corde eorum laudas, quos vitæ tuæ puritate ad laudandum inuitas. Hoc autem aſſequeris, ſi in bonis operibus, quæ oſtenderis, & in circumſpectione,
C quam ſeruaueris, non tuam, ſed Domini laudem gloriámque quæſieris. Nihil igitur apud alios facias, ex quo ſcandalum aut offenſionem accipiant; nihil, ex quo anſam liberiùs viuendi captent; nihil, ex quo aliquid contra inſtitutum, aut communem viuendi vſum introducant. Conſidera te membrum eſſe totius religionis, & ſicut vnum membrum nonnihil incommodi patitur propter bonum totius, ita & tu diſce aliqua incommoda diſſimulare, in cibo, in potu, in veſte, in cella, & aliis ſimilibus, & aliquid penuriæ & moleſtiæ pati, vt ſanctam religionem, ſicut eam inueniſti, diſcretæ ſeueritatis amatricem, & abſtinentiæ & paupertatis cultricem relinquas.

D

De rebus temporalibus curandis.

CAPVT XXI.

RES temporales, vt veſtes, libros, & ſimilia, nullas habebis proprias: quia hoc paupertati à te Deo promiſſæ repugnat. Ad vſum verò tibi à religione conceſſas, non vt proprias (ſiquidem earum dominium non habes) ſed vt alienas, (vt verè ſunt) & mutuò datas accipies. Sicut enim re tibi commodata ab aliquo, & ad vſum pro tempore determinato conceſſa, ita vteris, vt quàm minimum detrimentum accipiat, quo eam poſſis illæſam reſtituere: ita & res cœnobij, quæ ad vſum tibi datæ ſunt, diligenter & curioſè tractabis, vt multo tem-
E pore durent, & ſi ad aliorum vſum deuenerint, ſine horrore illis vti poſſint. Id paupertas, quam profeſſus es, expetit, immò & religioſa vrbanitas poſcit. Qui enim res ſibi ad vſum datas incurioſè atterit, & turpat, & inſumit, pauper non eſt, & qui aliorum, qui eaſdem res poſtea ad vſum vendicabunt, nullam rationem habet, ſatis inurbanus & inciuilis eſt.

De cogitando Deo in fratribus.

CAPVT XXII.

HIS ſeptem erga religionem in qua viuimus, ſeruandis, breuiter expoſitis, iam ad quartum ſeptenarium eorum, quæ erga fratres ſeruanda ſunt, accedamus. Ac primò in fratribus tuis non tam hominem quàm Deum aſpicere & cogitare curato. Deus namque in omnibus rebus, ſed præcipuè in creatura rationali ac intellectuali, per eſſentiam, præſentiam, & potentiam inhabitat: quare æquum eſt vt in cunctis rebus, ſed præcipuè in hominibus, Deum inſpiciamus. Sicut ergo cùm regem ſcis ſub cortina latere, non multum de cortina curas, ſed regem latentem, téque contuentem conſideras: ita cùm fratrem vides aut alloqueris, non tam eius aſpectum oculis carnis, quàm Deum in eo habitantem mentis oculis intuearis. Hoc aſſequi magnum Dei donum eſt, quo nec erga iuuentutem & pulchritudinem perſonarum afficieris, neque à ſenibus, & decrepitis, & ægrotis abhorrebis, & miram animi puritatem comparabis. Et fiet paulatim in te quidam ſublimis ſpiritus orationis, ac diuinæ familiaritatis, quo in Deum ſemper affectu eas, & inter homines ſolùm viuas. Et nos ſcimus, quia multo facilius eſt hoc ſcribere, quàm actione præſtare, ſed potens eſt Deus noſtris piis conatibus pro ſua voluntate fauere.

De dilectione fratrum.

CAPVT XXIII.

RECORDARE præceptum Domini eſſe, Diliges proximum tuum ſiue fratrem tuum ſicut teipſum.] Quod præceptum illi maximo dilectionis Dei mandato ſimile dictum eſt, quoniam & dilectionem præcipit, & Dei cauſa habendam præcipit, & ſua amplitudine omnia mandata comprehendit. Cùm ſcriptum ſit, [qui diligit proximum, legem impleuit.] Diliges ergo vero & puro amore fratres tuos, & diliges non propter lucrum, non propter aliquid creatum, ſed propter Deum tuum. Hoc autem præſtabis, ſi fratres tuos in corde tuo non contempſeris, ſi non temerè iudicaueris, ſi eis non oblocutus fueris, ſi nec verbo nec opere malum intuleris, ſi pro tua poſſibilitate iuuaueris.
Denique ſi illud impleueris; Quod ab alio oderis *Iob 4.16.*
fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.] Et, Pro *Luc 6.31*
vt vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.] Neque erit hæc dilectio tibi difficilis, ſi in fratre Deũ fueris contemplatus, ſi eum à Deo diligi ac in magno pretio haberi cognoueris, ſi fratrem, id eſt, Dei filium ac matris Eccleſiæ, & ad gloriam deſtinatum, & tibi vtilem eſſe putaueris.

De affabilitate erga fratres.

CAPVT XXIV.

CONGREGATIONI pauperum ait Ec- *Eccli 4.7*
cleſiaſticus, affabilem te facito: videtur autẽ tecum loqui cùm propter Chriſtum te pauperum religioſorum congregationi ſociaueris. His quibuſcum viuis quantum charitas & diſciplina religioſa

A ligioſa ferunt, te accommodabis, eos comiter alloquêris, rebus licitis & honeſtis à te poſtulatis libenter acquieſces, & nihil in te aut ruſticum aut inurbanum, aut durum, aut quod iure eos offendat, reperient. Vita religioſa, vita ſanctiſſima eſt, pariter & iucundiſſima, atque ex ea parte qua ſanctitatem amat, honeſtatem vitæ, & morum quærit, ex ea verò qua iucunditatem habet, ab omni vitio inſuauitatis & ruſticitatis abhorret. Memento igitur illius verbi, Eccleſiaſtici, qui alio loco ait: Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos; & lingua eucharis in bono homine abundat.] Itáque loquaris, ita inter alios conuerſeris, vt omnes te diligant, & tuum conſortium non refugiant. *Eccli.6.5.*

B

De honore fratrum.

CAPVT XXV.

Honore inuicem præuenientes,] inquit Paulus: fratres ergo tuos honore præueni, & reuerentia proſequere. Hominis ſuperbi eſt, ſigna honoris ab aliis expectare, & illos ad honorem deferendum paratos non magis præuenire. Humilitatem tuam in honorando alios, & non in honorem aucupando, monſtrabis. Prælatos vt prælatos honore afficies, æquales vt æquales; minores vt minores, & nullus ad te ſine honore appropinquabit, aut à te ſine honore tranſibit. Quin & Deum in omnibus habitantem honorabis, & non vt honorens, ſed vt illi placeas, & vt ſuas imagines veneratione proſequaris, fratribus ſigna honoris exhibebis.

C

De defectibus fratrum ferendis.

CAPVT XXVI.

Præceptum etiam eſt Pauli: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.] Maiora autem onera noſtra ſunt noſtri defectus, quibus aliis nonnunquam quaſi intolerabiles reddimur. Defectus igitur, & agreſtes mores aliquorum fratrum ferendi ſunt, vt legem charitatis impleamus. Atque ideo tu, ô religioſe, tuorum fratrum defectus patienter ſuſtine, & quod in eis aut exemplo, aut oratione aut leniſſimo verbo (ſi prudentia dictauerit eſſe dicendum) emendare non potueris, Deo emendandum corrigendúmque committe. Sat ſcio te multos in tua conuerſatione defectus videre, quos vis omnino ab aliis patienter ſupportari. Idem itaque tu facias neceſſe eſt, ne velis, diuerſo pondere ac diuerſa menſura, (quod abominabile eſt) tua atque aliena metiri. Suſtine vt ſuſtenteris, diſſimula aliorum leues defectus, vt tui magni diſſimulentur; tace, vt tuæ miſeriæ taceantur. Abſurdum namque eſt cupere ab omnibus ſuſtineri, & nec leuiculas aliorum culpas velle portare.

D

De ope fratribus exhibenda.

CAPVT XXVII.

Ac vt fratribus tuis ſis vtilis, eóſque pro amore Dei tua induſtria & viribus adiuues. Iuua orationibus, pro illis diuinam miſericordiam implorans, iuua Sanctis deſideriis fructum laborum ipſorum ſiue corporalium, ſiue ſpiritualium, apud Dominum cupiens; iuua ſermonibus cùm id prudentia dictauerit, attenta perſonarum qualitate ad fructuosè laborandum exhortans: iuua tandem operibus, te ipſum ſedulò occupans, & omne otium fugiens, & exemplo non ad otiandum, ſed ad laborandum impellens. Cùm id diſciplina religioſa tulerit, & munus tibi demandatum poſſibilitatem non negauerit, eis, in officiis humilibus laborantibus, libenter aſſocia, manus ad aliquid eorum quæ aguntur, admoue, te illa miniſteria non horrere, neque vt ſeruilia contemnere, ipſa actione teſtare. Magnæ ædificationis eſt in cœnobio, cùm ſeniores & literati, immò & prælati ipſi interdũ ad humilia ſeruitia ſe demittunt. Sic enim minores libentiùs illis ſeruitiis intendunt, iucundiùs ſeruiunt, & manifeſtè vident ſe non contemni ab his, qui in ſpiritu humilitatis dignum iudicant minores actione iuuare. Nulla igitur ratione ab his te miniſteriis excuſes, ſed ſi vnus ex minoribus es, & ex adoleſcentioribus, minora non te ſpuas; ſi verò maior es, aliquando Chriſtum ſequens, pro bono exemplo minora ſuſcipias.

De circumſpectione in conuictu fratrum.

CAPVT XXVIII.

C Quamuis inter bonos degas, oportet vt circumſpectè te geras, & licèt omnes iuxta Domini præceptum, diligas, neceſſe eſt, ſi vis proficere, vt non omnes ad familiaritatem admittas. Si qui inter bonos ſunt mali, aut certè diſcoli, imperfecti, detractores, tepidi, & libertatis amatores, tu eos non aliter quàm peſtes fugies. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam,] & qui imperfectis & diſcolis ſociatus fuerit, multas imperfectiones nõ effugiet. Si qui verò fuerint feruidi atque perfecti, hos ſectare, horum familiaritatem exquire, vt eorum exemplo & communicatione proficias. Qui enim timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam ſecundùm illum erit amicus illius.] Prudenter ergo tibi fugiendi ſunt imperfecti, & ſectandi perfecti, ne familiarium vitiis fœdens, & imperfectionibus eorum polluaris. Cum nullo quantumuis bono nimiam familiaritatem ineas, quæ ſine dubio tempus inſumit, cor diſtrahit, & alios ſcientes offendit, ſed debita moderatione ſemper condita ſit amicitia tua. *Eccli.13.1.* *Eccli.6.17.*

D

De amore ſecreti, & commoratione in cella.

CAPVT XXIX.

E Tandem ſeptem alia circa te ipſum intentè cuſtodies. Fuge publicum quantum vocationis & ſtatus tui qualitas tulerit, ama ſecretum, eſto aſſiduus habitator, & diligens cuſtos cellæ tuæ, quam habitationem, atque cuſtodiam, mille conſolationibus, & mille bonorum operum fructibus tibi perſoluet. Egredere libenter ab ea cùm obedientia iuſſerit; læte, cùm charitas exegerit; æquanimiter, cùm neceſſitas poſtulauerit. Si verò nihil horum trium te corpore à cella ſeiunxerit, tu corpore & mente in ea manebis, & ibi rebus vtilibus occupaberis. Ora, pſalle, lege, ſcribe, & aliquid

proficuum operare. Erit tibi cella ſeminarium quietis, locus pacis, radix omnigenæ perfectionis. In ea, ſcientia creſcit, virtus augetur, multiplex imperfectio ſenſuum, linguæ, & cogitationum, vitatur. Qui autem cellam cuſtodire neſciuit, viam ſpiritus ignorauit.

De cura modeſtiæ.

CAPVT XXX.

IN omnibus actionibus tuis modeſtiæ memor eſto, & ita te geras vt non minùs tibi quàm aliis te aſpicientibus conſulas. Modeſtia non tantùm virtus eſt, verùm & omnium virtutum ornamentum & veſtis, ſine qua minùs decores apparent. Illa eſt quæ apud homines quoque æſtimationem conciliat: quoniam ex occurſu faciei, & ex his quæ exteriùs vident, ſolent noſtra interiora metiri. Et ſicut internæ ſerenitatis eſt index, ita ſolet illam inter turbationis occaſiones ſeruare. Tu igitur tum in ſerenitate vultus, tum in maturitate inceſſus, tum in moderatione omnium externarum actionum, modeſtum te exhibe, ita vt hæc exteriora internam tranquillitatem monſtrent, omnes ædificent & Chriſti ipſius imaginem nonnullam exhibeant, cuius tam inſignis & mirabilis fuit modeſtia, vt per eam voluerit Paulus Corinthios obteſtari. 2. Cor. 10 1.

De contemptu ſui.

CAPVT XXXI.

DISCE te ipſum diſcutere, te ipſum iudicare, téque increpare, atque contemnere. Vtilior ſcientia eſt ſcire ſe ipſum inſpicere, quàm ſpacia terrarum & amplitudinem cœli cognoſcere. O quoties hæc ſcientia hominem decepit, vt cùm nihil ſit, ſe aliquid eſſe putaret: ſcientia autem cognitionis ſui ſemper iniecit ſana & vtilia conſilia, & ad humilem ſui deſpicientiam adegit. Auerte igitur oculos tuos ab his, quæ in te bona & excelſa conſpexeris, quia aliena ſunt, nimirum Dei, qui ea tibi gratis & ſine tuo merito attribuit, & ſolùm ea cogites vt pro acceptis gratias referas. Ea verò ſubinde conſidera, quæ in te abiecta & deſpicabilia deprehenderis, quoniam hæc tua ſunt & à natura corrupta profecta, & propter illa te ipſum ſingulis momentis (ſi fieri poſſit) arguere & aſpernari non deſinas. Ea verba in ore tuo ſonent, quæ corde conceptam tui ipſius deſpicientiam exponant. Eadem ab aliis audire deſidera, & os peccatoris ineptè laudantis non impinguet caput tuum. Fuge hominum plauſus, fuge linguas adulantium, fuge ſæculum, & eos libenter auſculta, qui ſincerè veritatem aperiunt, & quod reprehenſione dignum viderint, reprehendunt: ſi te ipſum ita contempleris, & tui contemptores amaueris, Deus te vt pupillam oculi ſui diliget, & magnis donis ac chariſmatibus exornabit: ſanctum enim odium quo homo ſe ipſum odit, Deus ſuo amore abundè repenſat, & in corde eius qui ipſum odio proſequitur, ſéque ipſum deſpicit, igne charitatis accendit.

De Generali ſui abnegatione.

CAPVT XXXII.

QVI vult venire poſt me, ait æterna veritas, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.] Hæc vox, (ſemetipſum) non aliquam partem hominis, ſed totum hominem abnegandum eſſe deſignat. Tu itaque qui Chriſtum ſequi, eiúſque veſtigiis inhærere vis, generalem tui ipſius abnegationem ſuſcipito. Mortifica ſenſus tuos tum internos tum externos, impera appetitibus tuis, cohibe iudicium & voluntatem tuam, nihil ſit in te quod non mortificatio comprimat, & non caſtiget abnegationis cenſura. Præcipuè tamen curam habe cohibendæ duplicis linguæ corporis & animæ. Linguam corporis cohibe, ne noxia, ne ſæcularia, ne inutilia loquaris. Linguam animæ, id eſt, cogitationem, cohibe, ne inania, ne impura, ne infructuoſa cogites. Si has duas beſtias, linguam carnis & cogitationem, domueris, mirabiliter te ad diuinam familiaritatem diſpones. Nam Deus illos alloqui dignatur, quos viderit à verbis inanibus abſtinere, & ſuam cogitationem ad vnum, quantum valuerint, ſcilicet ad ipſum Deum, reuocare.

De Caſtigatione corporis.

CAPVT XXXIII.

CASTIGA corpus tuum, & hunc ſeruum ſemper rebellem flagellis aſperitatum cæde, ne ſpiritum deprimat, & ad alicuius mali conſenſum adducat. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; ne igitur eum deiiciat, concupiſcat ex aduerſo ſpiritus aduerſus carnem, eámque ſibi ſubiuget, & immodicas vires ieiuniis, vigiliis, & aliis afflictationibus auferat, ne in detrimentum virtutis inſoleſcat. Beſtiæ non rationibus nec argumentis perſuaſæ, ſed virga percuſſæ, homini parent. Caro autem beſtia eſt, quam nunquam ſola conſideratione, ſine debita caſtigatione, domueris. Curam etiam aſſiduæ mortificationis & abnegationis tui, afflictione carnis oſtende. Quia inualetudo corporis, quæ in pallore faciei, & imbecillitate non apparet, aut nulla eſſet, aut ſatis modica. Et mortificatio interior, quæ (niſi impoſſibilitas obſtet) ad corporis caſtigationem non procedit, quòd ficta ſit & ridicula, magnum ex ſe indicium præbet.

De Tranquillitate cordis.

CAPVT XXXIV.

MAGNA cura ac diligentia tranquillitati tui cordis ſtude, nihilque te feciſſe exiſtimato, niſi ab eo omnem inquietudinem ac perturbationem depuleris. Ne te proprij defectus inquietent, ſed ſtatim atque in aliquam culpam incideris, eam ex amore Domini deteſtare, & ad pacem reuertitor, & te tuáque omnia Chriſto cõmitte. Ne te aduerſa perturbent, ſed ea citò tranſitura cogita, & non ſine Domini voluntate ac prouidentia venire conſidera. Cordis tranquillitas ex ipſius cordis puritate dependet. Nam culpæ licèt leues cor lacerant, affectus inordinati diſcruciant. Negotia prophana, & ſæ-

cularia diſcerpunt,& reliqua à noſtra vocatione aliena mentem inficiunt. Si ergo vis cor pacatum & tranquillum poſſidere, culpas etiam leuiſſimas vita, & quas non vitaueris, ſtatim per contritioné abiice, affectus tuos moderare, negotia ſæcularia fuge,& ab omni eo, quod à tua vocatione alienum eſt, diligenter te ſubtrahe. Hæc cordis tranquillitatem pariunt, & nos ad Deum in intimo mentis noſtræ excipiendum, manifeſtè diſponunt.

De Diſcretione.

CAPVT XXXV.

IN his quæ hactenus dicta ſunt,& in cæteris omnibus, diſcretione opus eſt, qua tempora,& loca, teipſum,& perſonas, quibuſcum agis, ſtatum tuum & modum conuer- A ſandi, & alia ſimilia conſideres, & ſecundùm quod ratio, & virtus hîc & nunc dictat, ita in his quæ occurrunt te habeas. Multa ſunt quæ Deo diſplicent, fratres turbant, & tibi non proſunt, quia non ſunt diſcretionis ſale condita: eadem verò ſi diſcretè fierent, magnum apud Deum & homines ſplendorem haberent: diſcretionem quam non habes, ſuppleat obedientia, ſuppleat oratio ac recurſus ad Deum, ſuppleat tandem ſeniorum & prudentium conſiliũ. Qui enim in dubiis ad Deum recurrerit, & conſilio ſapientium, ac obedientiæ ſubmiſerit, non errabit. Si hæc ad Deum, ad Prælatos, ad religioſam familiam, ad fratres & ad te ipſum obſeruaueris, mirum in modum in virtute proficies.

ORATIO

PRO ADEPTIONE VIRTVTVM.

D*OMINE Deus virtutum, cuius eſt totum quod eſt optimum, qui ſeruos tuos inſignibus domus tuæ, nempe virtutibus fulgere præcipis, & deſiderium in eorum cordibus tantæ pulchritudinis immittis, accende quæſumus in nobis vniuerſarum virtutum deſideria flammigera, & ad eas precibus & gemitibus poſtulandas impelle, vt paruitas noſtra à te benigno largitore, qui vis rogari, has veras opes,& nunquam interituras, obtineat. Doce nos, Domine virtutum, naturam, ne pro virtutibus vitia quæramus. Excita earum amorem, vt non vilia & abiecta, ſed cœleſtia dona, & te eorum authorem diligamus. Conforta brachium noſtrum auxilio gratiæ tuæ, vt perfectionis vrbem ſanctis operibus expugnantes, virtutum poſſeſſores ſimus. Sit vita noſtra, vita iuſtorum digna, qua te die noctuque, & omni tempore ſuſpirantes, te ipſum, qui beatitudo ac gloria noſtra es, fœliciter conſequamur. Amen.*

DE

Digitized by Google

DE FVNDAMENTO VIRTVTVM, SIVE DE HVMILITATE, LIBER QVARTVS.

PROOEMIVM.

SANCTÆ Humilitatis, omnium Virtutum matris, cunctorum donorum cœleſtium originis, & æternæ ſalutis ianuæ, tractationem aggredimur; & cùm vniuerſas virtutes vno volumine clauſerimus, ſeorſum ei tractatum, & longum tractatū in quatuor partes diſtinctum dedicamus, vt quæ reliquis virtutibus pro muro & tutamine eſt, in his lucubrationibus noſtris, quibus viris ſpiritualibus prodeſſe cupimus, illuſtriorē habeat principatum. Nec id virtutum cœtus probro dabit, quas dum humilitatem latiùs exponimus, & quaſi in hoc magis honoramus, honore proſequimur. Omnis chriſtiana virtus humilitatē diligit, humilitate creſcente, creſcit, & ſublata de medio humilitate, euaneſcit: quare quicquid honoris, quicquid amoris, quicquid laboris humilitati tribuitur, id omne à quacumque virtute ſibi datum reputatur. Fides humilitatem diligit, quæ Chriſtum, Filium ſummi Dei, humilem proponit, & in viro iuſto contemptū ſui originem exaltationis eſſe decernit. Spes humilitatem amplectitur, quia per ſcalam humilitatis ad faſtigium regni cœleſtis ſe venturā eſſe confidit. Charitas humilitati amoris nexibus fœderatur, quoniam cùm ipſa, vt inquit Paulus, [non inflatur, & non ſit ambitioſa,] ab hac pulcherrima filia ſua, ſibiq; chariſſima limites moderationis acquirit. Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia, & aliæ virtutes ſub his comprehenſæ Humilitati iunguntur; nec Prudentia erit prudens, niſi ad ſuum finem conſequendum, humilitatem eligat: nec Iuſtitia iuſta, niſi ad tribuēdum maioribus, quod eis debetur, humilitatem aſſumat: nec robuſta Fortitudo, niſi motibus ſuperbiæ reſiſtat: nec Temperantia moderata, niſi effrænatum appetitū honoris cohibeat. Si ergo vniuerſæ virtutes humilitatem impensè amant, eius honorem ac gloriam, non quidem alienam, ſed propriam iudicabunt; quia amor bono rei amatæ non inuidet, ſed ei potiùs, ex eo quod illud habet, vehementer adgaudet. Non ſolus autem amor, ſed & lucrum aut commodum, virtutes ad honorandam humilitatem inducit, cuius prouectio, aliarum eſt virtutum augmentum, & cuius imminutio, earundem eſt detrimentum atque diſpendium. Hoc indicant illa verba Gregorij: Quia origo virtutis humilitas eſt, illa in nobis virtus veraciter pullulat, à qua nimirum ſi abſcindatur, areſcit, quia viuificantem ſe in infimis humorē charitatis perdit.] Humilitas enim eſt velut vas, ac donorum receptaculum, quod dum latius & capacius fit, plura, & maiora dona capit: dum verò anguſtius efficitur, paucioribus, & minoribus donis impletur. Quare dona cœleſtia, quibus vniuerſas virtutes intelligimus, non ſolùm cupiunt, vt vas humilitatis ſolidum ſit & firmum, quod poſſit tentationibus reſiſtere, & quod in illud inicitur abſque diſcrimine effuſionis ſeruare: verùm & vt ſit amplū & admodum capax, quod poſſit multa, & magna, & pretioſa continere. Dum ergo vas humilitatis amplificamus, fuſiúſque explicamus, virtutum reliquarum amplitudini dignitatique conſulimus: quæ tanto perfectiores & pulchriores erunt, quanto humilitas in maiorem celſitudinem ac perfectionem aſſurgit.

[margin: 1. Cor. 13. 5.] [margin: Greg. 27. Mor.]

A B

Nec putandum eſt, opus iſtud minùs conuenienter fuiſſe diſpoſitum, ex eo quòd quaſdam virtutes fuſiùs tractat, alias verò breuiùs explicat, ſummatímque perſtringit. Nam & hoc tum virtutum ipſarum naturæ conſonum eſt; tum operis huius neceſſitas exigit; tum ſcriptoris exiguitas imbecillitáſque requirit. Virtutū enim quædam eſt finis cæterarum, & forma, atque ſubſtantia; quædam eſt radix & fundamentum, quo ſublato reliquæ virtutes corruunt; aliæ ſunt velut fontes, ex quibus virtutes oriuntur; aliæ denique ſunt ſicut riuuli ex fontibus emanātes, vel ſicut politi & pretioſi lapides, ex quibus vitæ ſpiritualis ſtructura conſtruitur. Alia autem ratio habenda eſt ſubſtantiæ rei, alia partium eius; alia finis, alia mediorum; alia fontis, alia riuuli, nec rerū tanta diſtantia æqualē admittat diſputationis menſuram. Charitas eſt virtutum forma, & ſpiritualis vitæ ſubſtantia, ſine qua opera noſtra, nec grata Deo ſunt, nec æterno præmio digna, Paulo dicente: Si diſtribuero in cibos pauperum, omnes facultates meas; & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.] Ideo huic virtuti præſtantiſſimæ, & aliarum reginæ ac vitæ, primum huius operis tomum conſecrauimus; eámque perfectionem, ac ſanctitatem eſſe definiuimus. Humilitas (vt poſtea dicemus) eſt radix, eſt baſis, eſt fundamentum reliquarum virtutum, in qua ipſæ fundantur, & à qua firmitatem & ſtabilitatem habent. Meritóque Eccleſiaſticus ait: Humiliare Deo, & expecta manus eius;] quia ſcilicet ſi nos ei per humilitatem ſubmittimus, auxilium potentiæ eius ad

C

[margin: 1. Cor. 13. 3.] [margin: Eccli. 13 9.]

A adipiſcendas & ſeruandas virtutes comparamus. Hāc autem ob cauſſam notabilē huius operis partē, nēpe totum hūc librū, humilitati tribuimus, ſciētes, quòd ſi viros ſpirituales ad humilitatis amorem & ſtudium allexerimus, in eorum cordibus fundamentum iacimus, quo facilè poſſint ad faſtigiū perfectionis aſcēdere. Paupertas, Caſtitas, & Obedientia, ſunt quaſi fontes originéſque Virtutum, quatenus omnium vitiorum materias, diuitias, voluptates, & propriā voluntatē abſcindunt: ſunt quaſi lapidicinæ, ex quibus virtutes omnes extrahuntur, vt ſpirituale Dei templū in mentibus noſtris aſſurgat. Factus eſt enim Dominus refugium pauperi,] vt ex mendicitate diuitias eruat virtutum. Et in Iudith: Caſtitas virtuti coniungitur,] quia omnis virtus, quæ amatrix mundiciæ eſt, ab ipſa mundicia in ſuo decore & ſplendore ſeruatur. Et: Vir obediens loquetur victoriam.] quam de omnibus vitiis reportat, vt dum per obedientiam vniuerſa vitia proſternit, per eandem omnium virtutum poſſeſſor exiſtat. Meritò ergo tres iſtæ virtutes magnam etiam huius operis partem occupant, & totum ſequentem librum, qui poſtremus eſt tomi huius, ſibi tanquam proprium vendicant. Reliquæ tandem virtutes, ſunt quaſi pretioſi lapides à prædictis lapicidinis educti, & humilitati quaſi fundamento ſubnixi, quibus vtcumque ſatisfecimus, dum earum naturas & actus expreſſimus, & inſtrumenta ad eas obtinendas expoſuimus. Et ſanè ſi charitatem, à nobis ſuprà delineatam, poſſederimus, ſi humilitatem nunc deſcribendam quæſierimus, & tria religioſa vota ſeruauerimus, certum eſt, nobis virtutes reliquas non deeſſe, quas triplex virtus religioſa gignit, humilitas protegit, & charitas, amorem Dei & proximi complectens, perficit.

Pſal. 9. 10. Iud. 16. 26. Prou. 21. 28.

Diſpoſitioni etiam huius operis commodum fuit, vt quarundam virtutum naturam fuſiùs, aliarum verò preſſiùs tractaremus, in quo ſpiritualis vitæ perfectionem inquirimus, & formam huius artis ſeruiendi Deo, potiùs quàm materiam, circa quam, verſatur hæc ars, (quæ materia continet omnium Virtutum & miniſteriorum ſyluam) explicare decreuimus. Charitas autem, vt ſuprà diximus, forma eſt religioſæ vitæ: humilitas verò, paupertas, caſtitas, & obedientia ad eandem formam pertinent, quatenus ſtatus à falſa mundi gloria ſeiunctus, & ab amore diuitiarum, & voluptatum, & propriæ voluntatis ſeparatus, ſine his virtutibus aut eſſe, aut concipi nequit. Meritò ergo hæc ex profeſſo explicantur, reliqua verò virtutum opera ea tantùm ratione, qua his præcipuis virtutibus, aut proximè, aut quaſi à longè deſeruiunt, à nobis exponenda ſuſcipiuntur. In hoc etiam legentium commoditati proſpicimus. Vt ſi breues in hoc opere eſſe non poſſumus, ſaltem nimiam prolixitatem fugiamus. Quam profectò vix euitare potuiſſemus, ſi longiorem cuiuſque virtutis tractatum ſcribendum aggrederemur. Non affectamus breuitatem, quia non tam docere, quàm ſuadere & incitare curamus, id autem, ſi animus ſit parum ad virtutem propenſus, non ſolent facere rationes paucæ & breui ſermone comprehenſæ. Aliquando vtendum eſt & illis (vt ita dicam) concionibus, inquit Seneca, vbi qui dubitat impellendus eſt. Vbi verò non hoc agendum eſt, vt velit diſcere, ſed vt diſcat, ad hæc ſubmiſſiora verba veniendum eſt. Faciliùs intrant, ſed hærent: nec enim multis opus eſt, ſed efficacibus. Seminis modo ſpargenda ſunt: quod, quamuis ſit exiguum, cùm occupauit idoneum locum, vires ſuas explicat, & ex minimo in maximos actus diffunditur. Idem facit ratio: non latè paret, ſi aſpicias, in opere creſcit. Pauca ſunt quæ dicuntur, ſed ſi illa animus benè exceperit, conualeſcunt, & ſurgunt. Eadem eſt, inquam, præceptorum cōditio, quæ ſeminū. Multum efficiunt, & ſi anguſta ſunt, tantùm, vt dixi, idonea mens rapiat illa, & in ſe trahat. Multa inuicem & ipſa generabit, & plus reddet, quàm acceperit.] Formidamus autem prolixitatem, ne dum virtutē ſuadere cupimus, ſola voluminū amplitudine lectores terreamus. Nos itaque, qui non tantùm docere virtutem, ſed ad eam impellere volumus, non immeritò fuſiùs loquimur, & pluribus in vnaquaque re rationibus vtimur. Placétque nobis ſcita cuiuſdam Poëtæ ſententia;

Seneca li. 5. epiſt. 35.

Illud, quod medium eſt, atque inter vtrumque probatur. (Horat.)

Satis ergo erit nobis, ad vtilitatem religioſorum religioſas virtutes ſcribere, quarum ſtudio religioſi efficiuntur, & quarum tractatione, quod optamus, nempe fratrum noſtrorum vtilitatē, aſſequimur. Horum enim vtilitas, non in auro, non in argento, non in deliciis, aut honoribus eſt poſita, ſed in veris & ſolidis virtutibus collocata. Nos enim, vt verbis Ambroſij vtar, nihil omnino, niſi quod deceat, & honeſtum ſit, futurorum magis, quàm præſentium metimur formula. Nihilque vtile, niſi quod ad vitæ illius æternæ proſit gratiam, definimus: non quod ad delectationem præſentis, neque aliqua commoda in facultatibus, & copiis opum conſtituimus; ſed incommoda hæc putamus, ſi non reiiciantur, eáque oneri magis cùm ſint, æſtimari, quàm diſpendio cùm erogantur. Et infrà: Vtilitatem autem non pecuniarij lucri æſtimatione ſubducimus, ſed acquiſitione pietatis, ſicut Apoſtolus ait: Pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ præſentis & futuræ.] Hanc itaque vtilitatem veriſſimam ex noſtro labore captabimus, ſi lectorem ad humilitatem, & votorum ſuorum cuſtodiam impulerimus, quamuis nullius alterius virtutis nunc ex profeſſo mentionem faciamus.

Ambr. li. 1. de off. c. 4. 6. 1. Tim. 4. 8.

Licèt autem hæc, quæ diximus, non eſſent ſatis ad hunc modum ſcribendi tenendum; at ſcriptoris exiguitas per ſe profectò ſufficeret. Neque enim nos tales ſumus, vt exponendarum omnium Virtutum onus ſubire valeamus: quare metientes vires noſtras, tantùm quatuor virtutes, magis nobis familiares, tractandas ſuſcipimus. Vocamus autem eas magis familiares, quoniam ad Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam ſtatus religioſi à teneris annis ſuſcepti obligatione compellimur: ad Humilitatem verò ipſa talentorum inopia, & vilitate noſtræ conditionis inducimur. Prudentiæ ergo eſt, ſequi conſilium Pauli dicentis: Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundùm menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus.] Non inquam vltra menſuram, & ſine debito limite ſcribere audebimus, ſed iuxta vires nobis diuinitus datas, alios ſtylo & ſcriptione iuuare curabimus. Nobiſque illud Tobiæ ſeruandum eſt: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.] Et quia exiguum ſatis notitiæ rerum ſpiritualium nobis conceſſum eſt, non ob id eſt omnino tacendum, & à labore ceſſandum, ſed potiùs ex hoc exiguo exiguum ſaltem noſtris fratribus ingerendum. Hæc namque eſt incomprehenſibilis miſeratio noſtri Dei, vt dum exiguum ex recta intentione impertimur, [præmium bonum,] id eſt, non exiguum, ſed magnum, ſed ineffabile, ſed tale quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, [in diem neceſſitatis theſaurizemus.] Et ego quidem exiſtimo, ſeruum, qui ex amore domini ſui curaret ei domum ampliſſimam ædificare, nec poſſet, non parum amoris & fidelitatis præferre, ſi

2. Cor. 10. 13. Tob. 4. 9. Tobiæ 4. 10.

eidem

eidem Domino locum aptiſſimum ad ædificandum oſtenderet, & tres lapicidinas pretioſiſſimas ad extrahendos lapides commonſtraret. Si verè, & ex animo, ô lector, domum pulcherrimam perfectionis extruere decreuiſti, me ſeruum tuum minimum eſſe profiteor, qui non ſolùm dignus ſoluere corrigiam calceamenti tui, quoniam nunquam ad tantam fœlicitatem ſum prouectus, vt hanc voluntatem ſtrenuam perficiendi me ipſum comparauerim. Sed nunquid, quia in tota hac ædificatione te iuuare non poſſum, ideo tacebo, ideo otioſus permanebo, ideo à labore omnino ceſſabo? Non ſanè. Sed quod poſſum, faciam; & vt me ſeruum tuum fidelem reputes, locum huic domui ædificandæ aptum, nempe cor humile & tres lapidicinas, ſcilicet Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam, oſtendam. Si tu autem operi inſtiteris, & domum perfectionis ex virtutibus extruxeris, in ea ſat ſcio, per orationis donum, quod tertius huius operis tomus expoſiturus eſt, diues meritorum & lætus requieſces.

Nunc ergo Humilitatis virtus ante alias tres virtutes enodanda eſt, vt quæ alias ſuſtinet & defendit, primo loco proponatur. In cuius tractatione, dum alios alloquor, me ipſum præcipuè tanquam huius doctrinæ indigentiorem inſtituo. Loquar itaque (vt Laurentius Iuſtinianus ait) non minùs mihi ipſi, quàm cæteris. Scio enim, & palam teſtificor, me ſalubri indigere admonitione, atque efficaci habere opus medicamine; eius videlicet, de qua fari inſtituo, humilitatis virtutis, quoniam ſuperbiæ morbo laborare me fateor. Aperiam igitur os meum, vt illud impleat ipſe, qui docet hominem ſcientiam, & præſtat intellectum poſcen- *Iuſtin. in prolego. de Humili.*

A tibus ſe. Ipſum quippe volo habere præceptorem meum, ſermonum meorum inſtitutorem, correctorem ignorantiæ meæ, meæque linguæ diſertorem, quatenus quæcumque in hoc opere ex illa proceſſerint, ſint prolata rectè, ſale condita, veritati innixa, & virtutum diſciplina contexta. Sine ipſa, qui alios conatur inſtruere, prorſus à ſemetipſo decipitur, nec ſibi, nec aliis prodeſſe valet, cùm ſapiętia careat, quæ de ſurſum eſt & à ſolo Deo donatur; dicente Apoſtolo Iacobo: Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.] Tu ergo, Domine, qui ad te accedentes non repellis, qui cæcos illuminas, qui ignorātes erudis, qui torpentes exſuſcitas, & gelu rigentes inflammas; ne deſpicias me tibi ſoli fidentem (cuius tu ipſe B teſtis es) & tuum auxilium non ſemel ac bis, ſed plus quàm millies implorantem. Doce me humilitatem diligere, humilitati ſtudere, & ad obtentionem profundæ humilitatis peruenire; vt de Humilitate digna ſentiens, digna loquar: & quod conatus fuero deſiderare, & actione præſtare, aliis faciendum proponam. Hucuſque in hoc opere, in quo pro te laboro [iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo; & (vt de tua immenſa benignitate confido) veritatem tuam & ſalutare tuum dixi. Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam à conſilio multo. Tu ergo, Domine, ne longè facias miſerationes tuas à me:] ſed perfice quod cœpiſti: & ſicut huic tractationi de Virtutibus initium, pro tua benignitate dare dignatus es: ita & fœlicem exitum, per interceſ- C ſionem Beatæ Virginis Mariæ, & per mirabilem eius humilitatem, dare non differas, vt ſitientium perfectionem expectationi ſatisfaciam, & aliquem fructum in eis ex meo labore decerpam. *Iacob. 1. 5.* *Pſal. 39. 11. 12.*

PARS PRIMA

Huius libri de præconio humilitatis.

ECCLESIÆ, Matris noſtræ, myſticæ Hieroſolymæ, non ſolùm ſingulæ partes in diuinis ſcripturis, ſed etiam fundamenta laudantur. In quorum laudem Regius vates cecinit: Fundamenta eius in montibus ſanctis.] Et Ioannes in ſua reuelatione ait: Fundamenta muri eius omni lapide pretioſo ornata.] Verè fundamenta Eccleſiæ, vel populi Dei in montibus ſanctis, hoc eſt, in Apoſtolis & Prophetis iacta ſunt; quia prima fidei ſemina, vt ex eis ad omnes poſteros propagarentur, ipſis commiſſa ſunt. Quare Paulus ad poſteros Apoſtolorū, & Prophetarum loquēs, ait: Sed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide, Chriſto Ieſu.] Verè fundamenta muri eius omni lapide pretioſo ornata, id eſt, vt interpretatur Anſelmus, omni virtutum genere decorata: vel, vt vult Ambroſius, eorum, quos ad fidem traxerunt meritis, & laboribus circumſepta. In hac ciuitate, quæ eſt Eccleſia, & in fundamentis eius, Deus ſanctitatem fundauit, & omnium virtutum perfectionem extruxit: immò ideo Eccleſia ciuitas Dei eſt, quia in ea ſanctitas locata eſt. Hanc ſanctitatem, vt domum quandam pulcherrimam, vel vt ciuitatem munitiſſimam, meditati ſumus, in qua & fundamentum eſt, cui nitatur, & reliquæ optimæ vrbis partes, ex quibus conſtituitur. Nunc ergo ſcripturæ ſanctæ ductum ſequentes, volumus in hoc priori tractatu perfectionis fun- *Pſ. 86. 1.* *Apoc. 21. 19.* *Epheſ. 2. 20.* *Anſel. ibid* *Ambr. ibid.*

damentum, nempe humilitatem, laudare, & eius præſtantiã & neceſſitatem exponere, vt ſi lapides viui domus Dei, nempe Eccleſiæ, eſſe volumus, & nunquam reiici, aut reprobari cupimus, ab hac præſtantiſſima virtute noſtram ſalutem & perfectionem inchoemus. Iam rudera peccatorum & vitiorum egeſta ſunt: iam cor noſtrum, area ad hoc ædificium deſtinata, per mortificationem mundatum eſt: iam ſunt duodecim inſtrumenta ad hoc opus comparata: iam quomodo quotidie in opus incumbendum eſt, nouimus, nihil ſupereſt, niſi vt à fundamento perfectionis incipiamus, & auditis eius laudibus, quanam ratione ſit iaciendum, aperiamus.

Duplicem eſſe Humilitatem cognitionis & affectionis, ac de vtraque tractandum.

CAPVT I.

QVI titulum huic capiti præfixum legerit, forſitan nos ignorantiæ inſimulabit, quòd Humilitatem intellectui tribuamus. Cùm enim humilitas (vt ſuprà diximus) pars temperantiæ ſit, & hæc virtus appetitum concupiſcibilem moderetur, & ad affectum pertineat; non apparet, qua veritate humilitatis virtus intellectum poſſit afficere. Sed is ſciat nos in hoc modo loquendi Patres Eccleſiæ fuiſſe ſectatos, qui humilitatem intellectus & affectus nominant, atque inter vtramque diſcrimen conſtituunt. Id autem meritò: quoniam licèt humilitas affectus ſit, quo quis ſibi ipſi vileſcit, & ab aliis vilis haberi, aut non ſupra id, quod eſt, æſtimari concupiſcit: tamen ita à notione vilitatis propriæ dependet, vt non poſſit quis humilitatem habere, & in ſui cognitione cæcutire, aut ſupra id, quod eſt, ſeipſum æſtimare. Si homo putet ſe debitorem pecuniæ, quam re vera non debet, & hac perſuaſione deceptus, pecuniam alteri ſoluat, iuſtus eſt. Si cogitet imminere mortis periculum, quod nullo modo imminet, & reſiſtat diſcrimini, ac timorem excutiat, fortis eſt. Si verò ſimili coniectura ductus, exiſtimet hanc cibi, & potus quantitatem ſibi eſſe neceſſariam, quæ tamen non eſt neceſſaria dum eam ſumit, temperatus aut abſtinens eſt. At ſi putet ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, & hac cogitatione ductus ſeipſum erigat, & aliis inſipiens præferat, humilis non eſt. Quare Thomas Aquinas pulchrè per aliquid intellectus & aliquid affectus, humilitatem deſcripſit. Eſt, inquit, cùm aliquis conſiderans ſuum defectum, tenet ſe in infimis ſecundùm ſuum modum. Sumpſit autem ex Bernardo, aſſerente, humilitatem eſſe virtutem, qua quis veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit. Et Richardus de ſancto Victore triplicem humilitatem notans, nullam illarum ſine ſui cognitione patefecit. Eſt, inquit, humilitas, quædam deuota: quædam voluntaria: quædam coacta. Coacta eſt, quando homo peccata, infirmitatem, ac imperfectionem ſuã ante oculos ſibi reuocans quaſi inuitam mentem, & bona ſua ante oculos magis habentem, deminteſcere facit, & ſibi vileſcere. In his etſi coacta eſt, tamen perficitur, vt hanc mens aliquatenus conſequatur. Si tamen per negligentiam ceſſet cogendi magiſterium: ſtatim ab ea dilabetur, & ad priſtinam ſuperbiam ſine remiſſione deducetur. In aliquibus verò nec cogi poteſt, mente ſemper ſurſum ad alta & conſueta tendente: nec eſt aliquid, quod mentem per humilitatis infima deprimere & ſubmittere valeat. Alta eſt enim ſuperbis

D. Thom. 2.2.q.161 ar.1.ad 2. Bern. lib. de gradibus humilitatis. Richar. in Cant. c. 24.

A humilitas; & ſi ad eam aliquando conſcendere conentur, illicò relabuntur. Ad quam ideo non conſcendunt, quia infirmo deſiderio ad hanc tendunt. Volunt enim, & non volunt, ſicut Salomon de pigro dicit: Vult, & non vult piger.] Voluntaria eſt humilitas, cùm ex rationis ductu homo videt, quàm infirmus ſit & peccator; & quod (iuxta Iob) non ſit ei auxilium in ſe: & huic rationi conſentit voluntas; & hoc iudicium diligit, & deſpectus eſſe eligit: quia ſic noſſe eſſe ſic expedire nouit. Lubens itaque humiliatur; quia illuſtratus per gratiam, humilitatem, ſicut & alia bona, iam amat. Non autem eſt coacta hæc humilitas, quia excuſſo iam tepore, & debilitatis vitiorum paſſionibus, ad hanc libertatem ſpiritus peruenit anima, vt

B bonum eam delectet, eique ſapiat. Eſt item alia ſublimior humilitas, quæ non coacta; non rationis ductu tracta, nec ſolùm voluntaria; ſed feruens & deuota eſt. Hanc habet perfecta anima, quæ tanto eſt humilior, quanto fuerit deuotior: & quantum creſcit in ſpiritu aut cognitione, tantum proficit in humilitate. Vera enim gratia non extollit, ſed humiliat: quia hominem ſibi pleniùs demonſtrat, & ſublimitatem eius intelligens, videt quàm exiguum ſit, quod de ea capere potuerit.

Prou. 13. 4. Iob.

Habemus itaque duas Humilitates, alteram cognitionis, alteram affectionis. Cùm enim humilis, vt Iſidorus ait, ſit quaſi homo accliuis, qui ſe in-

C tellectu deiicit, eſt humilis cognitione; qui verò ſe voluntate deſpicit, eſt humilis affectione. Humilitas cognitionis, eſt virtus, qua noſtram vilitatem agnoſcimus: Humilitas affectionis, qua ex cognitione noſtræ vilitatis nos ipſos contemnimus. Illa eſt, qua homo ſuum nihilum ſcit atque fatetur: iſta, qua affectu & voluntate deprimitur. De illa dicitur; Vbi eſt humilitas, ibi eſt ſapientia:] quia ad humilitatem pertinet, vt de nobis modeſtè ſentiamus. Et rurſus illud: Intra lutum, & calca, ſubigens tene laterem:] quoniam dum attenta meditatione lutum noſtrum ingredimur, nos ipſos per deſpicientiam noſtri calcamus, & non aliud quàm laterem, id eſt, terram & cinerem, nos habere profitemur. De iſta

D verò dictum eſt: Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.] Et rurſus illud: Eſt, qui ſe nimium ſubmittit, à multa humilitate.] Illa denique, vt Thomas ait, eſt ſicut regula appetitus, qua homo cognoſcit, quouſque poſſit tutò progredi; hæc verò eſt vt ipſa humilitatis ſubſtantia, qua homo aſſueſcit ſeipſum in imo, ſibi debito, continere. Quia ergo cognitio ſui ipſius ad humilitatem pertinet, ſicut radix aut regula, ideo humilitas vocatur, & virtus hæc in humilitatem intellectus & affectus diuiſa eſt. Quam diſtributionem ex Laurentio Iuſtiniano, & Bernardo collegimus. Ille breuiùs, ſic ait: Nam alia

Iſidor. l. 10. Prou. 11. 2. Nahum 3. 14. Pſal. 130. 1. Eccl. 19. 24. D. Thom. 2.2. q.161 art.2. Iuſt. in gno vitæ tract. de humilit. c. 5.

eſt

A eſt humilitas, quam parit veritas nobis, & non habet calorem: alia eſt humilitas, quam charitas inflammat, & informat. Hæc quidem in affectu, illa in cognitione conſiſtit. Hic verò copioſiùs in hunc modum: Eſt humilitas, quam nobis veritas parit, & non habet calorem: & eſt humilitas, quam charitas format, & inflammat. Atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione conſiſtit. Etenim tu ſi temetipſum intus ad lumen veritatis, & ſine diſſimulatione inſpicias, & ſine palpatione diiudices, non dubito quin humilieris & tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamuis necdum fortaſſe id eſſe patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, ſed de opere interim veritatis, & minimè adhuc de amoris infuſione. Nam ſi

Bern. in Cant. ſer. 42.

B veritas ipſius, quæ te tibi veraciter atque ſalubriter demonſtrauit, ſicut ſplendore illuminatus, ita affectus amore fuiſſes: voluiſſes proculdubio, quod in te eſt, eandem de te omnes tenere ſententiam, quam ipſam apud te veritatem habere cognoſcis. Sanè quod in te eſt dixerim, quoniam plerumque non expedit innoteſcere omnibus omnia, quæ noſcimus de nobis, atque ipſa veritatis charitate, & charitatis veritate vetamur, palam fieri velle, quod noceat agnoſcenti. Alioquin ſi priuato amore tui tentus, detines pariter intra te iudicium veritatis inclusum, cui dubium eſt, minùs te veritatem diligere, cui proprium præfers vel commodum vel honorem? Vides igitur, non eſſe id ipſum hominem de ſeipſo, non altum iam ſapere, veritatis lumine

C redargutum, & humilibus ſponte conſentire, munere charitatis adiutum. Illud enim neceſſitatis eſt, hoc voluntatis. Semetipſum exinaniuit, inquit, formam ſerui accipiens, & formam humilitatis tradens.] Ipſe ſe exinaniuit, ipſe ſe humiliauit, non neceſſitate iudicij, ſed noſtri charitate. Poterat nimirum vilem ſe & contemptibilem demonſtrare, ſed planè non reputare, quoniam ſciebat ſeipſum. Voluntate proinde humilis fuit & non iudicio, qui talem ſe obtulit, qualem eſſe neſciuit: magis autem placuit minimum reputari, qui ſe ſummum non ignorabat. Denique ait: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.] Dixit cordis affectu, id eſt, voluntate. Itaque neceſſitatem excludit, qui voluntatem confeſſus eſt. Non enim quomodo ego vel tu inuenimus nos in veritate dignos dedecore & contemptu, dignos omni extremitate &

Philipp. 2. 7.

Matt. 11. 29.

D inferioritate, dignos etiam ſupplicijs, dignos plagis: non, inquam, ita & ille: quæ tamen omnia expertus eſt, quia voluit, tanquam humilis corde. Humilis videlicet illa humilitate, quam cordis ſuaſit affectio, non quam extorſit diſcuſſio veritatis. Propterea dixi hanc voluntariæ humilitatis ſpeciem, non redargutione veritatis, ſed charitatis intra nos infuſione creari: quia cordis eſt, quia affectionis, quia voluntatis.] Hactenus Bernardus. Huius duplicis humilitatis nos tractationem inſtituimus, quoniam prima humilitas cognitionis admodum imperfecta eſt ſine ſecunda, immò quoddam genus iniuſtitiæ continet, dum quis ſupra dignitatem & meritum, quo ſe carere cognoſcit, vult ab alijs hono-

E rari, & quaſi debitum alijs honorem ſurripere. Secunda verò humilitas affectionis abſque prima omnino haberi non poteſt: cùm nemo valeat ſeipſum deſpicere, & in infimo loco (quod ad ſe attinet) continere, niſi ſuum nihilum ac ſuam vilitatem agnoſcat. Vtraque autem iuncta, mirabilis virtus eſt, potentiſſiméque animam perficit, & ad omnia bona diſponit. Vtriuſque ergo humilitatis natura exquiſitiùs inueſtiganda eſt, vt ex ea ad alia expo-

A nenda tranſitum faciamus.

Humilitas ergo cognitionis, ſiue cognitio ſui, eſt iudicium illud intelligentiæ noſtræ, quo homo non ſe exiſtimat ſupra id eſſe, quod eſt. Vel eſt ſyncera illa & diuinitus immiſſa notitia, qua profundè intelligimus, nos ex nobis ipſis nihil eſſe, nihil poſſe, nihil niſi peccatum facere, & omnia bona, in nobis exiſtentia, Deo veriſſima confeſſione tribuimus, & ab eo accepta referimus. Vel denique cognitio ſui eſt ſapientia illa prudentibus & literatis huius ſæculi abſcondita; paruulis verò & veris ſapientibus, ſcilicet iuſtis, reuelata, qua ſe ex ſemet ipſis nihil aliud niſi mortem & infirmitatem, & indigentiam, & infamiam, & penitus nihil eſſe cognoſcunt, & profitentur: & omnia

B bona, quæ in ſe vident, aut naturalia, aut ſupra naturam, aliena eſſe, nempe Dei, & ab eo prouenire intuitu quodam ſuaui & grato conſpiciunt. Hæc eſt vera illa ſapientia, qua iuſtus ex notione vilitatis ſuæ ad notitiam ſuæ gloriæ, & vitæ, ſuíque conditoris aſcendit. De qua in præclaris ſuis epiſtolis dixit Magnus Antonius: Quiſquis cognouerit dedecus ſuum, hic demum requiret & electam gloriam ſuam, & quicumque cognouerit propriam mortem, iſte iterum cognoſcet etiam ſuam æternam vitam. Et poſtea: Quia quicumque cognouerit ſemet ipſum, cognoſcet diſpenſationem proprij conditoris, vel quæcumque facit in proprijs creaturis. Quia tamen res iſta meliùs exemplis, quàm verbis intelligitur: audi, ô lector, quid ſanctiſſimus Ephræm de ſe ſentiat, & quid à ſemet ipſo ſe habere cognoſcat, vt

Anton. epiſt. 2. & 6. habetur to. 1. Biblio.

C ex illo quid de te ſentire debeas, poſſis addiſcere. Ita ergo ait: Quod me tandem dedecus & rubor occupabit, quando me condemnatum viderint, qui nunc me irreprehenſibilem dictitant? Spirituali relicto opere, paſſionibus obediui. Doceri nolo, & docere alios volo: ſubeſſe recuſo, & ſubiugare cæteros cupio: laboribus grauari renuo, & alijs imponere eos deſidero. Operari nolo, & exactorem ac monitorem operis agere volo. Honorare alios nolo, & honorari gaudeo. Improperia ab alijs ferre non poſſum, & tamen improperare, & malè dicere geſtio. Contemni nolo, & alios pro nihilo habere ac ſpernere volo. Aliorũ ſuperbiam ferre non placet, & tamẽ ſuperbire in alios delectat. Redargui detrecto, & reprehendere amo. Miſereri aliorum nolo, & tamen miſerationes aliunde requiro. Increpari non vulo, & increpare, & obiurgare alios volo. Condemnari recuſo, &

Ephræm tom. 1. in reprehenſione ſui ipſius.

D damnare alios ſtudeo. Iniuriam mihi fieri nolo, & iniuria alios afficere volo. Obtrectari mihi non fero, & alijs obloqui cupio. Audire alios non lubet, & tamen audiri opto. Celebrare alios nolo, & celebrari ac prædicari volo. Antecellere alios mihi non fero, & ſuperare contendo. In admonendo ſapiens, ſed non in agendo. Quæ facere oporteret dico, & quæ nec dicere fas eſſet, facio.] Hæc ille. Cùm hoc pacto, immò & peiùs, ac viliùs de te ſenſeris, cùm hæc omnia, & quicquid minus & fœdius eſt, tibi ineſſe cognoueris, & in te ex te ipſo omne peccatum, & omnem (vt aiunt) nihilitatem deprehenderis, tunc per experientiam ſcies, quid ſit humilitas cognitionis, ſiue cogni-

E tio ſui; à qua profectò, qui de ea loquimur, ſæpe longè diſtamus; quoniam nunquam nos verè, & ex animo reprehendimus, vt ex increpatione noſtra ad noſtrarum miſeriarum inueſtigationem veniamus.

Humilitas autem affectionis eſt virtus illa, qua ex intima cognitione maieſtatis Dei, & reuerentia erga eum, atque ex veriſſima notitia vilitatis, & nihilitatis noſtræ nos ipſos vilipendimus, deſpici volumus, & in extremo loco, infráque pedes omnium nos conſtituimus. Hoc ſonant verba illa

Gregor.

Gregorij: Humilitas vera eſt, qua quis de ſe parua æſtimat, & bona alterius ſine inuidia & liuore commendat. Et illa Baſilij: Humilitas quidem ea eſt, cùm quis cæteros omnes ſeipſo ſuperiores exiſtimat, ex præſcripto Apoſtoli. Et illa Dionyſij Richelij: Humilitas eſt virtus, qua mens creata ex attenta conſideratione ſui ipſius, ac proprij Creatoris, ſeipſam paruipendit, ac deſpicit. Et illa tandem aliorum. Humilitas eſt, iniuriam non poſſe facere, & factam poſſe tolerare. Et cùm omnia fecerimus, dicamus, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Eſt, ô homo, humilitas, abyſſus quædam annihilationis tui; eſt à te tui ipſius euacuatio; eſt mortuum elationis perfecta cohibitio, & ſpirituum inſurgentium cita depreſſio. Humilitas eſt odium tui ipſius ſanctum; eſt exultatio de tua paruitate concepta; eſt deſiderium ingens, quo ignorari propter Deum, deſpici, inhonorari, increpari, & impeti perſecutionibus ac probris deſideres. Eſt tandem humilitas omnium bonorum, & dignitatum contemptio, & fuga propter imitationem Chriſti Ieſu, & obſequiorum ac miniſteriorum abiectorum aſſumptio. Audi ſanctum Abbatem Iſaiam, quibuſnam verbis humilitatem deſcribat, aut quos eius effectus & ſigna, vnde dignoſcatur, inueniat. Quid eſt humilitas, inquit? Humilitas eſt, cùm quis ſe peccatotem exiſtimat, & nihil boni facere in conſpectu Dei. Humilitatis exercet officia, qui ſilentium colit, qui ſibi ipſi non placet vlla in re, qui non eſt contentioſus, qui ſe ſubiicit omnibus, qui oculos humi defixos tenet, qui mortem aſſiduè meditatur, qui à mendacio cauet, & à nugis & ſermonibus abhorret inutilibus, qui maioribus non aduerſatur, qui ſententiam ſuam minimè defendit, qui æquo animo fert contumeliam, qui otium fugit, qui labores libenter ſubit, qui neminem irritat. Da igitur operam, frater, vt hæc poſſideas, ne anima tua domicilium fiat omnium perturbationum, & vitam tranſigas ſemper infructuoſam. Hæc ſunt verba illius viri ſanctiſſimi. Lætare igitur, ô frater, quòd ab omnibus cognoſcaris; quòd propter defectus tuos contemnaris; quòd obſcurus & inglorius relinquaris. Exulta quòd alij fulgeant, & tu ignoreris; quòd alij aſcendant, & tu cadas; quòd aliorum ſententia magni æſtimetur, tua verò rideatur, & nunc tandem vim humilitatis intelliges, & ſplendorem, ac pacem huius præſtantiſſimæ virtutis deprehendes.

Baſil.

Dion. in director. vita nobil. ar. 4.

Iſaias Abbas orat. 20. to. 1. Bibliothec.

Hæc ergo humilitas affectionis naſcitur ex humilitate cognitionis, ſiue ex cognitione ſui. Hæc verò ortum habet tanquam ex principio & radice, vt Thomas Aquinas ait, ex cognitione maieſtatis Dei, ex veriſſimáque erga Deum reuerentia. Quia ex eo quòd maieſtatem Dei cognoſcimus, & eam profundè reueremur, naſcitur, vt nos, & noſtra omnia quaſi nihilum reputemus, & nos ipſos contemnamus. Vnde Ioannes Rusbrochius per hanc reuerentiam, humilitatem definit, dicens: Humilitas eſt animi demiſſio, id eſt, interna quædam & profunda cordis & animi coram celſiſſima Dei maieſtate inclinatio atque ſubmiſſio; quam quidem & iuſtitia imperat, & cor diuino præditum amore, vrgente charitate, omittere non poteſt. Et alio loco, poſtquam expoſuit quid ſit timor Dei, hæc addit: Naſcitur autem ex hoc amabili timore vera humilitas, & minimè ficta ſui in ima abiectio, dum quis Dei conſiderat & attendit magnitudinem, & ſuam ipſius paruitatem; Dei ſapientiam, & ſuam ignorantiam; Dei diuitias, ac liberalitatem, & ſuam inopiam, & indigentiam. Humilitas iſta ſemper hominem ſeſe parui pendere, & abiicere facit coram Deo; itémque demittere ſe, ne dum ſubtus ſuperiores & æquales, verùm etiam inferiores, ita vt quatenus recta dictat ratio, omnibus opis eius indigis humiliter ſeruiat: cibo etiam ac potu pro naturæ viribus contentus ſit: habitu quoque, ſiue cultu corporis, ita vt ſtatus eius exigit, atque decet, humilitatem præferat, vt nemo iure poſſit reprehendere, & vt denique in ſua conuerſatione foris & intus, coram Deo & cunctis hominibus, humilis ſit.

D. Thom. 2. 2. q. 161 ar. 6.

Rusbrochi. lib. de præcipuis virtut. c. 1.

Idem lib. de regno Deum amantium c. 14.

Ecce duplicem humilitatem, cuius inter virtutes Morales hoc magnum elogium eſt, quòd eſt virtus propria Chriſtianorum, quam Chriſtiana doctrina aſſecuta eſt, nunquam tamen eam inflata Philoſophia cognouit. In Platone, in Ariſtotele, in aliiſque antiquis Philoſophis multa de Prudentia, multa de Iuſtitia, multa de Fortitudine, & Temperantia leges; at de Humilitate nec verbum vnum inuenies. Immò in doctrina, & ſtudio harum virtutum ſuperbi erant & arrogantes, quoniam doctrinam ſubtilitati ingenij ſui, & ſtudium non Deo, ſed propriis viribus tribuebant, cuius rei vel vnum tantùm ponamus exemplum. Diogenes enim ille, tam ab antiquis ſapientibus celebratus, tam inſignis gloriæ mundi contemptor, à Platone conuictus eſt, quòd mundi gloriam propter honorem deſpiceret, & propter gloriam inanem calcaret: de quo hæc ſcribit Laërtius: Calcans ipſius, id eſt, Platonis aliquando ſtratum, præſentibus Dionyſij amicis, quos ille inuitarat, dixit: Calco Platonis inane ſtudium: ad quem Plato; Quanto, inquit, ô Diogenes, faſtu tumes, dum ſuperbiam te calcare putas! Alij Diogenem hoc dixiſſe ferunt; Calco Platonis faſtum; illúmque reſpondiſſe; At faſtu alio Diogenes? Attende qualis fuerit huius ſapientis humilitas, qui faſtum mundi alio faſtu deſpiciebat, & gloriam ex gloriæ & laudis amore calcabat. Nec fuit maior aliorum Philoſophorum ſubmiſſio, qui ſuarum virium amore decepti, illis bona ſua & labores tribuerunt, & gratiæ virtutem penitus ignorarunt. Nos igitur Dei beneficio, Chriſti diſcipuli, virtutem Chriſtianam commendemus, & licèt poſtea ſigillatim vtramque eius partem, ad cognitionem & affectionem pertinentem, diuerſis tractatibus exponemus; nunc verò quia vtriuſque vna neceſſitas & vna præſtantia eſt, vtramque eadem tractationis ſerie laudamus.

Laërtius de vita Philoſopho. li. 1.

Humilitatem eſſe fundamentum omnium Virtutum.

CAPVT II.

COGNITA humilitatis natura, ad eius magnalia vtcumque prælibanda tranſeamus, quæ nos ad illius amorem & ſtudium accendant, & difficultatem, ſi quæ in ipſius actionibus occurrerit, ſuperent, atque ſubuertant. Sed vnde incipiemus huius magnæ virtutis præconia? A quonam elogio illius vtilitates multiplices inchoabimus? Certè ab eo quod præcipuum, aut vnum ex præcipuis eſt: quia humilitas vniuerſarum eſt virtutum fundamentum & baſis, in qua totius ſpiritualis vitæ ſtructura fundatur. At dum humilitatem ſeipſam ſemper deprimentem extollimus, timendum valde eſt, ne in virtures reliquas, ac præſertim in Fidem, immò & in ipſammet humilitatem iniurioſi reperiamur. Quoddã enim genus iniuriæ eſt, titulos honorificos, minimè tamen debitos,

alicui

alicui tribuere, vt ſi communem equitem, apud nos Hiſpanos, excellentiſſimum appellares, qui titulus vix magnatibus conceditur; aut magnatem quempiam maieſtatis nomine, quod ſolis datur ſupremis regibus, inſignires. Nam hæc honorificentiſſima compellatio indigno oblata, potiùs ad irriſionem eius, quàm ad honoris delationem dari præſumitur. Eſſe autem virtutum omnium fundamentum, titulus eſt cuiuſdam reginæ virtutum, nempe Fidei virtutis Theologiæ: dum ergo humilitatem vocamus fundamentum virtutum, tantum abeſt, quòd eam honoremus, vt magis dedecore & iniuria afficiamus. Quod minùs cum hac virtute faciendum eſt, quæ cùm modeſtiſſima ſit, ſic nominata forſitan pudore ſuffunditur, quia omnem altitudinem deteſtatur. Certè quidem Fidei competere eſſe fundamentum virtutum, ex Paulo apertè colligitur, qui ait: Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum:] vt ſicut ſubſtantiæ rei, reliqua, quæ communi nomine vocamus accidentia, innituntur; ita in fide omnia ſpiritualia dona intelligantur eſſe fundata. Ab hoc ſcripturarum fonte haurientes ſancti Doctores, Fidei, nomen fundamenti, aut baſis, aut prioris aſcribunt. Nam Ambroſius ait: Doceris ſerie ſcripturarum, Fidem eſſe radicem virtutum omnium. Auguſtinus verò: Fides eſt prima, quæ ſubiugat animam Deo. Et Proſper: Fides bonæ voluntatis & iuſtæ actionis eſt genitrix. Pulchra autem ſimilitudine vſus eſt Lactantius, vt hàc rem exponeret, qui de Cimone quodam loquens, ob virtutes laudatiſſimo, hæc ſubdit, vt fidem aſtruat, & ſine ea, tanquam ſine fundamento, omnia bona animæ perire demonſtret. Omnis iuſtitia eius, inquit, ſimilis eſt humano corpori, caput non habenti; in quo tametſi membra omnia & locis ſuis conſtent, & figura, & habitudine, tamen quoniam deeſt id, quod eſt omnium principale, & vita & omni ſenſu caret. Itaque membra illa formam tantummodo membrorum habent, vſum non habent, tam ſcilicet quàm caput ſine corpore; cui ſimilis eſt, qui cùm Deum non ignoret, viuit iniuſtè. Id enim ſolum habet, quod eſt ſummum, ſed fruſtra, quoniam virtutibus, tanquam membris, eget. Itaque vt ſit viuum ac ſenſibile corpus, & agnitio Dei neceſſaria eſt, quaſi caput, & omnes virtutes quaſi corpus: ita fiet homo perfectus ac viuus. Sed tamen ſumma omnis in capite eſt, quod quamuis conſtare non poteſt ſine omnibus, ſine quibuſdam tamen poteſt. Quin & Beatus Dorotheus palam ait, Fidem debere fundamento domus, & humilitatem bitumini, quo iunguntur lapides, comparari. Primum, inquit, iacienda ſunt fundamenta, quæ Fides eſt; Sine fide enim (vt ait Apoſtolus) impoſſibile eſt placere Deo.] Conſtruat deinde ſuper fundamentum ædificium excellentiſſimum. Intercidit obedientia? Adiiciat lapidem primum obedientiæ. Contingit ita, vel commotio vlla fratris in ſe? Apponat alterum patientiæ lapidem. Intercurrit continentia? Tertium addat continétiæ lapidem. Et ſic à quacumque virtute, quæ occurrerit, ſumendus eſt lapis, & ædificio ipſi apponendus. Et poſt pauca. Debet etiam qui extruit, aut ædificat, lapidem cum bitumine adiicere. Si enim lapidem lapidi abſque bitumine & calce ſuperimponat, excutiuntur lapides, & ruit domus. Bitumen, Humilitas eſt (eſt enim terra, quæ pedibus omnium atteritur) omnis igitur virtus abſque humilitate non reputatur virtus à patribus. Omnium enim fuit vna ſententia, Ita impoſſibile eſt ſaluari animam abſque humilitate, vt nauim ſine clauis ædificari. Quicquid igitur boni quiſque egerit, id agat cum

Hebr. 11. 1.

Ambr. 1. de Cain c. 9.
Aug. lib de agone Chriſti c. 13.
Proſper. 1. de vocat. gen. c. 8.

Doroth.

Hebr. 11. 6.

A humilitate, vt per humilitatem conſeruetur quod factum fuerit.] Hæc ille. Vnius domus vnum tantùm eſt fundamentum. Si ergo Fides eſt fundamentum ſpiritualis domus, quam in cordibus noſtris, ex virtutibus, tanquam ex lapidibus politis, extruimus, profectò fundamentum non erit humilitas, quæ ita fidei ſubnititur, vt ſine illa ſtare non poſſit. Nam quæ, rogo, humilitas erit, quæ Deum omnium bonorum auctorem ignorat, & quæ nec imbecillitatem hominis, nec gratiæ virtutem, & neceſſitatem agnoſcit?

Sed certum ſit, Humilitatem, omnium fundamentum eſſe virtutum, licèt diuerſa ratione, quàm Fidem; in eámque omnem ſpiritualis vitæ ædificationem incumbere: Fides quidem fundamentum

B virtutum eſt: fatemur. Quia, vt Thomas Aquinas optimè ait, in actionibus noſtris cognitio & amor finis præcedunt. Vnde priores ſunt virtutes Theologicæ, quæ finem attingunt, ſcilicet Deum, auctorem beatitudinis, quàm virtutes Morales, quæ ad media tendunt, quibus conſequimur finem. Inter virtutes autem Theologicas præcedit Fides, quæ ad intellectum pertinet, quoniam prius eſt, finem agnoſcere, quàm finem ſperare aut amare. Alia autem ratione humilitas eſt virtutum fundamentum, etiam Fidei: Quoniam nemo per Fidem Deum agnoſcet, niſi priùs per humilitatem, ſuperbiam ex corde depulerit, & ſe dictis Dei docentis & proponentis Eccleſiæ ſubiecerit. Nemo etiam aliarum virtutum diues fiet, qui

C eas non à viribus ſuis, ſed à patre luminum venire ignorauerit, & qui non dona eſſe Dei affectu ipſo perceperit. Veſtis illa ſacerdotibus, iuſſu Domini facta, habebat deorſum, atque in extrema parte ſui, iuxta pedes ſacerdotis, mala punica, tintinnabula aurea, & malogranata, vt hoc, quod dicimus, myſticè ſignaretur. Nam in tintinnabulis aureis fulgentiſſimam charitatem, in malis punicis verò & in malogranatis cæteras virtutes contemplor. Hæc igitur iuxta pedes ſint, ac ſi pedibus niterentur, quoniam vana erunt & inſuauia, nec Deo placita, niſi humilitati extrema parte corporis ſignatæ nitantur.

Multa verò in humilitate reperimus, quorum gratia eam virtutum fundamentum eſſe dicamus. Nam

D in ædificatione domus priùs de fundamento, quàm de cæteris partibus cogitamus: priùs illud ſubſternimus, & poſtea parietes in altum erigimus. Ita prorſus in vitæ ſpiritualis fabrica principio de humilitate curandum eſt, & de eius adeptione cogitandum, vt moles ædificij ſpiritualis ſecura conſiſtat. Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, inquit Auguſtinus, de fundamento priùs cogita humilitatis. Et quantam quiſque vult & diſponit ſuperimponere molem ædificij, quanto erit maius ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cùm conſtruitur, in ſuperna conſurgit. Qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celſitudinem humiliatur, & faſtigium poſt humiliationem erigitur. Et ad finem ſermonis ait: Sed

E quia magnum faſtigium eſt, de fundamento cogita. Quo, inquis, fundamento? Diſce ab illo, quoniam mitis eſt, & humilis corde. Hoc in te fode fundamentum humilitatis, & peruenies ad faſtigium charitatis. Chriſtus certè Saluator noſter ab humilitate vitam mortalem noſtri cauſſa ſuſceptâ orſus eſt. Cùm enim in formâ Dei eſſet, & ſe æqualem eſſe Deo, non rapinam arbitraretur, exinaniuit tamen ſemetipſum, formam ſerui accipiens,] vt nos ex illo

D. Thom. 22. q. 4. ar. 7.

Exodi 39. 24.

Aug. lib. 1. de verbis Domini ſer. 10.

Phil. 2. 6.

diſceremus ſpiritualem vitam à depulſione ſuperbiæ
exordium, & ab amore & ſtudio humilitatis inchoa-
re. Nam inane eſſet, plenúmque periculi, in itinere
cæleſtis patriæ ducem deſerere, & non eius, qui no-
bis in magiſtrum ac præceptorem datus eſt, præce-
ptum verbo & exemplo datum ſuſcipere. Hoc au-
Cypria. de natiuit. Chriſti.
tem ſonant illa verba Cypriani: Hic eſt primus
religionis introitus, ſicut in mundum primus Chri-
ſti ingreſſus: vt quicumque piè vult viuere, humili-
ter de ſe ſentiat, neque ſupra ſe in mirabilibus ambu-
lare præſumat. Fundamentum ſanctitatis ſemper
fuit humilitas, nec in cœlo ſtare potuit ſuperba ſu-
blimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mun-
dum noſter paruulus attulit, & à cunabulis nos ſibi
conformes fieri volens, teneri voluit in vita, quod
1. Corint. 3. 11.
B exhibuit in perſona.] Hæc ille. Fundamentum
ergo aliud nemo poteſt ponere præter id, quod po-
ſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus;] & ab alia virtu-
te niſi ab illa, à qua ipſe Dominus exorſus eſt, nullus
inchoare præſumat, quia ille, qui ſe fundamentum
fecit, & ita ſe deiecit, vt nos illi niteremur, humilita-
tem nobis primo loco imitandam propoſuit, &
hanc, tanquam virtutum initium, nobis ſuo exem-
plo monſtrauit.

Eſt etiam fundamentum pars ædificij firmiſſima,
ex prægrandibus lapidibus calcéque compacta, ita
vt ſine ruinæ periculo parietes, & tecta, ac reliqua
omnia ſuſtentet. Id verò quàm verè, quàm propriè,
quàm perfectè in humilitatem quadret, qui aliquem
C hauſtum humilitatis habent, rectè (vt opinor) intel-
ligent. Lapides prægrandes ſunt, cognitio ſui, & de-
ſpicientia ſui, per multos gradus actionéſque diſtin-
cti, de quibus infrà ſumus acturi. Calx hos lapides
iungens, eſt ſuauitas quædam humilis, & modeſtæ
animæ, quà omnes humilitatis gradus in corde ſuo
copulans, de ſuo nihilo, ac de magnitudine Dei mi-
ro modo dulceſcit. Firmitas autem & ſtabilitas hu-
militatis eſt admirabilis, quia nulli creato nititur,
ſed in ſolo Deo, humilium ſuſceptore, omnem ſpem
ſuam collocat, à quo vſque ad faſtigium perfectionis
ſublimatur. Audi humilem, & attende cui nitatur.
Philipp. 4.13.
Omnia, inquit, poſſum in eo, qui me confortat.] In
me nihil omnino valeo: in illo ad omnia facienda &
perferenda ſufficio. Audi alium humilem, & con-
Michea 7.7.
templare cui fidat. Ego autem, inquit, ad Domi-
num aſpiciam, expectabo Deum ſaluatorem meum,
D audiet me Deus meus.] Non in alium, inquam, men-
tis oculos intendam, non alteri fidam: in eo ſpem
meam collocabo, quem ſolum liberatorem agnoſco:
ipſe meas preces audiet, vtque mihi optimum fuerit,
vniuerſa diſponet. Quia ergo humilitas penitus de
ſe ipſa diffidit, & in Deo ſolo confidit, qui non de-
relinquit ſperantes in ſe, ideo eſt virtus maximè ſta-
bilis, & immenſam quandam firmitatem habens. Ac
Bern. lib. 5. de conſiderat. c. 14.
proinde Bernardus ſapienter ait: Virtutum bo-
num quoddam, ac ſtabile fundamentum, humilitas.
Nempe ſi nutet, illa virtutum aggregatio nonniſi
Epiſt.
ruina eſt. Et alio loco: Fode in te fundamentum
humilitatis, & peruenies ad faſtigium charitatis. Vis
capere celſitudinem Dei? Cape priùs humilitatem
E Chriſti. Sola eſt virtus humilitatis, reparatio læſæ
charitatis.] Nihil ampliùs dici poteſt aut cogitari, ad
commendandam huius fundamenti firmitudinem.
Quid ſublimius charitate, quæ animam non iam cæ-
leſtem, non iam angelicam, ſed planè filiam Dei fa-
cit, & in Dei amicitiam & familiaritatem extollit?
Quid (vt ita dicam) grauius charitate, quæ Dei hu-
meris poſita, eum ad terram vſque depreſſit, & ad hu-
manitatem noſtram aſſumendam adegit? Sed tota
hæc ſublimitas, totum hoc pondus humilitati niti-

A tur, & ſuper illam abſque diſcrimine caſus erigitur.
O fundamentum ſtabile & firmum quod tantam
altitudinem ſuſtinet, quod tam eximium pondus
nec perdit, nec opprimit!

Fundamentum denique ſua ſtabilitate ac firmita-
te omnes partes ædificij ſuſtentat, quo nutante aut
deficiente, tota lapidum, & lignorum ſtructura de-
ſtruitur. In quo humilitatis virtus, cæteris virtutibus
comparata, à fundamento non differt. Quam ſi ſu-
ſtuleris, Fides periclitabitur, ſpes minuetur, charitas
deſtruetur, Prudentia excæcabitur, Iuſtitia decipie-
tur, Fortitudo infirma, ac Temperantia immodera-
ta reddetur. Hæc, ſi opus eſſet, non verbis, ſed ſuper-
borum geſtis facile eſſet oſtendere. Quanti ob ſuper-
biam errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus
B multis? Aſpice, rogo, miſerrima Angliæ ac Germa-
niæ regna, hæreſibus oppleta, erroribus, & dolis ſpi-
rituum malignorum populata. Ingredere ſpiritu cor-
da filiorum, Eccleſiæ rebellium, hæreticorum ſcili-
cet, qui venerabilem matrem, ac veritatis columnam
deſeruerunt, & Lutherum, Caluinum, & alia ſimi-
lia monſtra turpiſſima ſanctiſſimis Apoſtolis ac Do-
ctoribus anteponunt, & videbis ex vna ſanctæ humi-
litatis abſentia, & ex ſuperbiæ præſentia, tanta mala
fuiſſe progenita, tanta deliria abſurdiſſima generata.
Quanti ob ſuperbiam & fiduciam propriam deſpe-
rauerunt? nam poſt multos conatus aliqua bona ſibi
impoſſibilia putauerunt, dum ipſis ob ſuperbiam
gratia efficax denegatur. Tolle à prudentibus humi-
C litatem, & videbis quàm imprudenter ſe iactant,
quàm inſipienter & arroganter ſe laudant, & aliis ſe
maiores, doctiores, & ad munera aptiores exiſti-
mant. Tolle eam à iudicibus, & data occaſione aſcē-
dendi ad maiorem dignitatem, vt aſcendant, iuſti-
tiam ſubuertent, & non iuri, ſed regis adulationi de-
ſeruient. Tolle à ducibus belli, & vt de hoſtibus
triumphent, non iam ſtratagematibus in bello per-
miſſis, ſed ignominioſis dolis vtentur, & non tam
bellicam fortitudinem, quàm gloriam inanem ſtabi-
lire curabunt. Tolle à viris ſpiritualibus, & religio-
ſis, & ne notentur à ſæcularibus, aut ne minùs vr-
bani aut graues habeantur in cibo, & potu, & in cul-
tu veſtium, & cellæ, ac vtenſilium, tanta ſuperflua
admittent, vt manifeſtum ſit eos à ſuis cordibus ab-
ſtinentiam & modeſtiam omnem relegaſſe. Ante *Prouer. 18. 12.*
ergo quàm conteratur, exaltatur cor hominis; &
ante quàm glorificetur, humiliatur.] Annon contri-
D tio humani cordis eſt virtutum deſtructio? Sed hanc
infert eiuſdem cordis ſuperba exaltatio. Nonne eius
gloria, virtutum & cæleſtium donorum adeptio? Sed
& hanc præcedit humilitas eiuſdem cordis ſapienſ-
que deiectio. Atque adeò veriſſimum eſt dictum
illud Gregorij: Quia enim origo virtutis, humilitas *Greg. 17. mor. c. 17.*
eſt, illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in ra-
dice propria, id eſt, humilitate perdurat. A qua ni-
mirum, ſi abſcinditur, areſcit: quia viuificantem ſe in
intimis humorem charitatis perdit.] Certè areſcit
virtus quælibet ſi à radice humilitatis euellatur. Nec
poteſt mens iuſti à dignitate virtutis ad miſeram ſer-
uiturem vitiorum cadere, niſi priùs in ſe aliquo mo-
E do deſtruat fundamina humilitatis. Quare etiam
Salomon dixit: Contritionem præcedit ſuperbia, *Prouer. 16. 18.*
& ante ruinam exaltatur ſpiritus.] Quia niſi homo
reuerentiam & ſubiectionem ad Deum deſereret, &
erecto collo aduerſùs eum, & mandata eius ſuperbi-
ret, nunquam in gratiæ diſſipationem & peccatorum
ruinam incideret. Manet igitur, humilitatem funda-
mentum eſſe virtutum, quæ in hoc ſpirituali ædificio
prima eſt, quæ omnes virtutes, vt parietes huius
domus, & charitatem ipſam vt tectum culménque

ſuſtentat, & ad tantam molem ſuſtinendam debitam firmitudinem habet. Quamobrem, ô triſte, ſi cupis in corde tuo, atque in mente tua Deo domum ſanctitatis erigere, ab imo humilitatis incipe, quia quicquid ſine illa ædificaueris, ſubitò corruet, & labor tuus fructu vacuus permanebit. Audi Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, veritatem hanc manifeſtè prædicantem. Et qui ſpiritualem fabricam ædificare, Chriſto adiuuante, cœpiſtis fundamentum veræ religionis ſupra petram humilitatis collocare debetis. Quælibet enim fabrica, quamuis ſublimis & ampla ſit, ſi firmum non habuerit fundamentum, citò delabitur in ruinam. Sic eſt, fratres dilectiſſimi, & constructio ſpiritualis. Quælibet bona quis habeat, ſi veræ humilitatis fundamentum habere noluerit, firmiter ſtare non poterit. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, (ſicut dixit Apoſtolus) præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Dominus.] Duo enim ædificia, & duæ ciuitates à mundi initio conſtruuntur: vnam ædificat Chriſtus; alteram diabolus: vnam ædificat humilis; aliam ſuperbus: vna humiliatur, vt firmiter ſurgat: alia erigitur, vt infœliciter cadat. In fabrica Chriſti, qui ædificantur de imis, leuantur ad ſumma: in fabrica verò diaboli, de ſummis ad ima præcipitantur.] Sic ille. Fidem igitur pro fundamento quidem habe (neque enim volumus ab ea ſuam prærogatiuam auferre) & eam vt caput, ac vitæ ſpiritualis initium omnibus antepone, cuius habitus ſi in te permanſerit, magna ſpes elucet à peccatis reſurgendi, licèt ea grauiſſima atque enormiſſima extitiſſent; at ſi diſceſſerit, donec iterum ad eam redeas, non eſt vnde Dei gratiam iterum & iuſtitiam reſumas. Eam, inquam, ſalutis fundamentum agnoſce, ſed & humilitatem etiam fundamentum reputa, quatenus mentem tuam Deo & Eccleſiæ ſubdit, vt te in diſciplinam eius dedas, & animum puſillorum in Chriſto, quibus paratum eſt regnum cœlorum, facit vt non reſpuas, neque contemnas.

Cæſar. hom. 13.

Cor. 3. 11.

Chriſtum Seruatorem noſtrum eſſe Humilitatis Magiſtrum.

CAPVT III.

FILIVS Dei, carne noſtra tectus, ac humana natura velatus, ad hoc venit in mundum, vt nos ab omni peccato liberaret, & omnem honeſtatem virtutémque doceret. Ideóque inſpirante Deo, ac Patre eius, ab hominibus abſolutè, & ſine aliquo addito præceptor vocatus eſt, vt ipſum nomen aſtrueret eum ad hoc nobiſcum fuiſſe conuerſatum, vt non hanc, aut illam virtutem nobis traderet, ſed vniuerſarum virtutum doctrinam inſtillaret. Eandémque nuncupationem illi ſacræ paginæ vtriuſque fœderis indiderũt, vt eum vniuerſæ diſciplinæ Chriſtianæ doctorem eſſe monſtrarent. Iſaias enim ait: Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.] Teſtem & ocularem Chriſtum vocat, qui Deum viderit: Ducem, quia ſaluandos præit, & in æternas manſiones ducit: & præceptorem, quia eos omnem iuſtitiam efficaciter docet. Et ipſe Dominus ad Ioannem effatus eſt de ſe: Sine modo, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiã;] omnes, inquam, virtutis actiones, vt homines ex totius perfectionis magiſtro, non vnam tantùm, aut aliam, ſed cunctas addiſcant. Per Moyſem quoque ſcriptum eſt: Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, &

Iſaia 55. 4.

Matth. 3. 15.

A cuſtodiat in via, & introducam in locum, quem paraui.] Nam & iſte Angelus, id eſt, nuntius miſſus à Patre, ſecundùm Cyprianum, non eſt alius quàm Chriſtus, qui venit nota facere nobis quæcumque audiuit à Patre ſuo. Cui concinit Auguſtinus dicens: Qui ergo dixit, nomen meum eſt in illo Ieſu, ipſe eſt verus Ieſus, rector, & ductor populi in hæreditatem vitæ æternæ. Ob hanc autem cauſam Dominus via vocatus eſt; quia dum eius monitis acquieſcimus, & exempla virtutum ſequimur, in cœlum euolamus. Ego, ait ipſe, ſum via.] Dauid quoque de eo ad Patrem loquens: Vt cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum.] Quid times? inquit Auguſtinus, ipſum Dominum loquentem introducens. Per me ambulas, ad me ambulas,
B in me requieſcis. Quid ergo ait, cognoſcamus in terra viam tuam, niſi, cognoſcamus in terra Chriſtum tuum? Ipſe itaque, qui non pars viæ, ſed tota via: qui non pars veritatis aut vitæ, ſed tota veritas, aut vita eſt; non alicuius partis perfectionis aut virtutis, ſed totius virtutis ac perfectionis magiſter eſt. Verè enim Dominus ſolus Dux populi ſui eſt, & non eſt cum eo Deus alienus. Oporteret autem alium ducem cœleſtis itineris quærere, ſi vnum tantùm genus virtutis ipſe nos doceret, & non omnes ad perfectionem neceſſarias oſtenderet.

Cypr. 2. ad Quirin. c. 1.

Aug. 16. contra Fauſt. c. 19.

Ioan. 14. 6.

Pſal. 66. 3.

Aug. ib

Deuter. 32. 12.

Et ſi verò hoc ita ſit, aliquid magnum & excellens dicimus, cùm Chriſtum humilitatis magiſtrum vocamus. Quod ſanè ipſiuſmet Domini aſſertio fateri compellit. Nam & ille ſpeciali quadam ratione ſe
C præceptorem humilitatis exhibuit, cùm ita loquutus eſt: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde,] Et cùm iterum dato in lotione pedum diſcipulorum inſigni humilitatis exemplo, dixit: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.] Quare ergo Chriſtus omnium virtutum Magiſter, ſpeciali ratione humilitatis eſt Magiſter? Quia ab ipſo momento incarnationis ſuæ, vſque ad extremum halitum vitæ ſuæ, perpetuò humilitatem docuit, quia eam illuſtriſſimis exemplis & apertiſſimis verbis prædicauit; quia ad hoc venit in mundum, vt opus eximiæ humilitatis exerceret: quia omne, quod ipſe eſt, & quod per merita ſua hominibus lucratus eſt, humilibus corde promiſit. Vt autem hoc intelligas, ô lector, apud te cogita, doctorem aliquem
D magnum, ac omnium ſcientiarum peritiſſimum, ex longinquis regionibus ad ſcholas alicuius academiæ veniſſe, qui ſe, & magiſtrum Theologiæ nominet, & Theologiam perpetuò doceat, licèt aliquando oblata occaſione alias quoque ſcientias exponat, qui habitu & geſtu, & (quod magis eſt) vitâ ſe Theologiæ magiſtrum, nempe humilem, cautum, & mundi contemptorem, ac legis diuinæ obſeruatorem oſtendat, qui demum vniuerſa, quæ poſſidet, diſcentibus à ſe Theologiam, promittat. Quis ambiget hunc ſpeciáli ratione eſſe Theologiæ præceptorem, licèt alias etiam ſcientias profiteatur, & doceat? Sed quid ſi alias ſcientias doceret, vt Theologiæ intextas, vt ei ſeruientes, vt ad eius perfectionẽ & abſolutiſſimam cognitionem adiuuantes? certè iam nullus eſſet ambigendi locus, quin ipſe Theologiæ magiſter eſſet
E præcipua ratione nominãdus. At quid denique eſſet, ſi hic doctor ita Theologiam traderet, vt qui eam ab eo non diſceret, nihil omnino aliarum ſcientiarum ab eo poſſet diſcere? An iam dubitares ei nomen Theologi aut magiſtri Theologiæ concedere, & hoc titulo tanquam præcipuo eum exornare? Non, vt opinor. Sed hæc omnia in Chriſtum quadrant, propter quæ ſpeciali ratione magiſter humilitatis dici debeat, licèt alias etiam virtutes edoceat.

Matth. 11. 29.

Ioan. 13. 15.

Chriſtus igitur humilitatis Magiſter appellati voluit. Et quod eſt nomen magiſtri humilitatis? Certè ſi attentè hoc contemplemur, multiplex nomen Chriſto Seruatori noſtro inditum eſt, quod ipſum Magiſtrum fuiſſe humilitatis aſtruat. Interrogas, quod ſit nomen magiſtri humilitatis? In primis Ieſus, Salus, aut Saluator. Quomodo autem id ſit, accipe. Quid dicit Auguſtinus? Quid, ait, magnum fuit regi ſæculorum, regem fieri hominum? Dicamus & nos: Quid magnum fuit ſaluti Angelorum ſaluatorem fieri peccatorum? Si ergo Chriſto nomen humilitatis eſt regem hominum & ſalutem Angelorum dici; multo meliùs nomen humilitatis erit ſaluatorem fœtidiſſimorum peccatorum nominari. Nonne inſignis humilitas eſſet, ſi rex potentiſſimus ſe redemptorem temporalem viliſſimi mancipij diceret, & eius redimendi gratia in terras infidelium iret? Sit ergo ineffabilis humilitas Chriſti, quòd ſe redemptorem humani generis vocauit, mancipij deſpectiſſimi, & vt eum redimeret, in mundum deſcendit. Deſcendit ille primò & præcipuè ad redimendum nos ab originali peccato, quemadmodum Angelicus doctor ait; adeò vt ſi ſolum eſſet originale peccatum, & nullum actuale, dignaretur ipſe ad illud delendum venire; & ſi peccatum per originem traductum non eſſet, & actualia peccata eſſent, præcipuè ſi eſſent pauca, vero ſimilius eſt, quòd pro illis delẽdis non eſſet decens, vt ſanguinẽ funderet. Vnde Ioannes Baptiſta Chriſtũ redemptorem appellãs, dixit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatũ mundi,] quo nomine Beda atteſtatore originale peccatum intelligit. Peccatum autem hoc in primo parente noſtro ſuperbiæ fuit. Sapiens enim ait: Initium omnis peccati ſuperbia.] Initium autem omnis peccati originale peccatum fuit, dicente Paulo: Per vnum hominem, id eſt, per peccatum vnius hominis, peccatum in hunc mundum introiuit. Quare Chriſtus primò & præcipuè in mundum venit, vt peccatum ſuperbiæ deleret, & vt ſe ſaluatorem hominis, à ſuperbiæ veneno, in quod inciderat, faceret. Ergo Saluatoris nomen, ad ſuperbiam comparatum, numen eſt humilitatis: quomodo enim nos ille à ſuperbia niſi humilitatem docendo, & ſe humiliando, liberaret? Sed pergis inquirere quodnam aliud nomen Chriſti ſit nomen magiſtri humilitatis? Infans & puer. Inuenietis, ait, infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Et poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumciderent puer.] Si nomina infantis, & pueri nomina alicuius magiſtri ſunt, non alterius profectò, quàm magiſtri humilitatis ſunt. Nam quid, quæſo, aliud puer quàm humilitatem docebit, cuius paruitas, cuius ſimplicitas humilitatem prædicat? & in exemplum humilitatis proponitur, Domino proclamante: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.] Paruuli, inquit Chryſoſtomus, non inuidere, nec alienam expectare gloriam, nec primatus deſiderare dignitatem nouerunt, ſed maximam hanc virtutem poſſident, puram dico ſimplicitatem & humilitatem. Et paulo pòſt: Paruuli, nec ſi contumelientur, aut verberentur, afficiuntur odio: nec ſi laudantur, aut honorantur, vlla commouentur arrogantia. Aues audire alia nomina Saluatoris tui, quæ ipſum magiſtrum humilitatis eſſe deſignent? ipſe Filius Dei ſe filium hominis appellat, propter naturam humanam ſuſceptam. De quo in Daniele ſcriptum eſt: Et ecce in nubibus cœli quaſi Filius hominis veniebat.] Et ipſe de ſe ait: Filius hominis non habet vbi caput reclinet.] Hoc nomen ſummæ abiectionis eſt. Nam ſi adoleſcens aliquis, filius regis ditiſſimi, ac potentiſſimi, & ancillæ deſpectiſſimæ, atque pauperrimæ, nomen patris ſupprimeret, & ſe ſeruæ filium appellaret, quis non videat hoc ad eius deiectionem pertinere? O Chriſte Ieſu, ô verè Fili Dei, ô vniuerſarum rerum Domine, filium hominis te vocas, ad quid? Niſi vt naturam humanam tibi chariſſimam oſtenderes, & vt in tantæ dignationis ac deiectionis nomine te magiſtrum humilitatis demonſtrares? Denique ais per os Dauidis: Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.] Et dum te minorem hominibus vocas, & non iam filium hominis, ſed opprobrium hominum appellas, magiſtri humilitatis nomina tibi gratiſſima eſſe demonſtras.

Auguſt. tract. ſi. in Ioan.
D. Th. 3. p. q. 1. ar. 4.
Ioan. 1. 29.
Beda. ib.
Eccl. 10. 15.
Roman. 5. 12.
Luca 2. 12. 21.
Matth. 18 3.
Chryſoſt. hom 59. in Matt.
Pſal. 21. 7.

Nomen autem hoc Magiſtri humilitatis, Dominus noſter Ieſus Chriſtus opere ipſo confirmauit: nam humilitatem exemplo & verbis continuò docuit. Exemplo quidem, quoniam nullum fuit opus in vita eius, quod non ad humilitatem pertineat, quod non humilitatem redoleat. Lege quatuor Euangelia ab initio vſque ad finem, & inuenies tot exempla humilitatis, quot verba: parum dixi: Inuenies in qualibet actione Domini multa ac varia humilitatis exempla. Quod Baſilius ſapienter animaduertens, ait: Vniuerſam namque Domini diſpenſationem ad humilitatem nos inſtruere deprehẽdimus. Cùm infans eſſet, mox in ſpelunca, nec lecto, ſed præſepi componitur. Deinde in domicilio fabri & matris pauperculæ enutritur, ſubditus matri & illius ſponſo. Docetur audiens, quorum non egebat: interrogans verò, & interrogando admirabilem declarabat ſapientiam. Subditur Ioanni, & Baptiſmum ſuſcipit à ſeruo Dominus. Nemini aduerſariorum reſiſtit, neque inenarrabilem ſuam poteſtatẽ in quemquam vibrat, ſed quaſi potentioribus cedit, & poteſtati temporariæ potentiam, quam ille habebat, permittit. Principibus ſacerdotum in forma rei ſiſtitur, ad præſidem ducitur, & iudicium illius ſuſtinet. Et cùm poſſet calumniatores ſuos arguere, ſilentio tolerat illorum calumnias. Conſpuitur à ſeruis ac viliſſimis pueris. Morti traditur, eique hominum iudicio turpiſſimæ. Ita hominem omnia ab ipſa natiuitate ad mortem vſque exercuerunt. Et ad idem Auguſtinus inquit: Tanta eſt humanæ humilitatis vtilitas, vt eam ſuo commendaret exemplo etiam diuina ſublimitas, quia homo ſuperbus in æternum periret, niſi illum Deus humilis inueniret. Venit enim Filius hominis quærere; & ſaluum facere quod perierat. Perierat autem, ſuperbiam deceptoris ſecutus, ergo humilitatem redemptoris ſequatur inuentus.] Hæc Auguſtinus. Hæc omnia de datis à Chriſto innumerabilibus humilitatis exemplis dicta ſint. At ſi verba eius meditemur, nullum eſt eorum (ita planè ſentio) quod non humilitatis virtutem doceat. Sed aliquando docuit manſuetudinem? Tunc humilitatem docuit. Sed non ſemel docuit abſtinentiam? Tunc humilitatem docuit. Sed ſæpiſſime docuit charitatem? Tunc humilitatem docuit. Sed ad alias virtutes eſt exhortatus? In illis omnibus nos de via humilitatis erudiuit. Si Hieronymus vir ſapientiſſimus eximius Eccleſiæ doctor, & iam ſenex, & grauiſſimis ſtudiis occupatus, trimulam virgunculam (vt ipſe in quadam epiſtola pollicetur) prima litterarum elementa proferre docuiſſet; nonne ipſum litteras docere, eſſet humilitatem docere, quia vera & efficax doctrina humilitatis eſſet, quòd vir tantus ad hæc infima docenda ſe demitteret? Ita ſanè cùm Filius Dei, & ſupremus Dominus Angelorum & hominum, os ſuum aperuit, vt nos viliſſimos & ignorantiſſimos de virtutibus erudiret, ſimul quamlibet virtutem

Baſil. hom. 22. de Humilit.
Auguſt.

docens

A docens, humilitatem docuit, dum ad docenda vitæ ſpiritualis elementa propter nos ſe deiecit.

Hinc autem conſtat, Chriſtum ſemper ea hominum oculis obieciſſe, quæ magiſtrum ac præceptorem humilitatis decebant. In ſumma paupertate & abiectione natus & educatus eſt: vſque ad trigeſimum ætatis annum ſilentium & ſeceſſionem coluit: munus prædicationis à baptiſmate, ab opere ſcilicet eximiæ humilitatis incœpit: pœnitentiam & appropinquationem regni cœlorum, ſine faſtu, ſine apparatu, non in locis honoratiſſimis, ſed in vicis, in plateis, in littore maris, in domibus hominum priuatorum, & quotieſcumque occaſio ſe obtulit, prædicauit: regnum ſibi oblatum & vanos honores recuſauit: paruulos, mendicos, & ignaros ad Apoſtolatum vocauit: B hominibus abiectis, & nulla dignitate fulgentibus, animæ & corporis ſanitatem impertiuit: miracula & transfigurationis gloriam ſilentio tegi & abſcondi præcepit: in victu, & veſtibus, & reliquis huiuſmodi, quæ homo quilibet de media plebe poſſideret, aſſumpſit: modicas ſuperbiæ ſcintillas à cordibus Diſcipulorum reſultantes ſtatim extinxit: nihil vehementiùs quàm ambitionem & elationem increpuit: genus mortis omnium ignominioſiſſimum, nẽpe ſupplicium crucis elegit: nulla pompa ſepultus eſt: poſt reſurrectionem ſuam pauperibus apparuit: humiles fratres vocauit: puſillos, more boni paſtoris, quæſiuit. Hos ſuæ aſcenſionis teſtes, & euangelicæ legis ſeminatores eſſe voluit, & ad dexteram Patris ſedens, in humiles C oculos ſuæ miſericordiæ conuicit. Nam excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.] Nihil ergo, ô Domine, de te ſcimus, nihil de te cogitamus, quod non ſit humilitatis præceptore dignum, quod non te magiſtrum humilitatis prædicet, quod non te amatorem humilitatis eſſe declaret. Immò audio te dicentem per os Auguſtini ſerui tui, & magni Doctoris Eccleſiæ tuæ: Diſcite à me non mundum fabricare; non cuncta viſibilia & inuiſibilia creare; non in ipſo mundo mirabilia facere, & mortuos ſuſcitare, ſed quoniam mitis ſum & humilis corde.] Humilitatem quidem in intimo cordis habebas, quia eam tenerrimè diligebas, quia eam non coactè, ſed ſpontaneè D & lubenter admittebas, quia ei cor tuum voluntatémque tuam veluti dedicaueras. At qui eras humilis corde, non tantùm humilitatem præferebas in corde, ſed ea cunctas tuas actiones condiebas, & in omni occaſione monſtrabas. Id ſanè vt vita eſſet muneri humilitatem docendi ſimilis, & prædicatæ doctrinæ conformis. Hanc virtutem, ô lector, ingerit Chriſtus in cordibus omnium iuſtorum ſuorum, & in externis operibus eorum lucere facit. Sempérque quo iuſtiores ſunt, eo ſunt modeſtiores; & quo magis puritate proficiunt, eo magis creſcunt humilitate. Quia enim Chriſtus & E iuſti ſunt caput & corpus, oportuit vt tam in illo, quàm in iſtis humilitatis doctrina luceret, vt dum nos imperfecti hunc humilitatis præceptorem ſiue in ſe ipſo, ſiue in membris inſpicimus, huius celſæ virtutis deſideriis imbuamur.

Pſal. 137. 6.

Aug. ſer. 10. de verbis Domini. c. 1.

His etiam, qui humilitatem ex Chriſto diſcunt, diuitiæ Chriſti promiſſæ ſunt. Diuitiæ non fallaces, ſed veræ; non breues, ſed perpetuæ; non huius ſæculi fortunis expoſitæ, ſed prouidentia Domini ab omni caſu, & periculo cuſtoditæ. Id ſignificant illa verba: Qui ſe humiliat, exaltabitur,] quibus humilium gloria & altitudo inferiùs exponenda continetur. Illa item prima beatitudo: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.] Quem locum ferè omnes Patres antiqui de humilitate intellexerunt. Auguſtinus quidem ſic hunc locum interpretatus eſt. Legimus ſcriptum de appetitione rerum temporalium: Omnia vanitas, & præſumptio ſpiritus. Præſumptio autem ſpiritus audaciam & ſuperbiam ſignificat. Vulgò etiam magnos ſpiritus ſuperbi habere dicuntur: & rectè, quandoquidem ſpiritus etiam ventus vocatur. Vnde ſcriptum eſt: Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum.] Quis verò neſciat ſuperbos inflatos dici, tanquam vento diſtentos? Vnde eſt etiam illud Apoſtoli: Scientia inflat, charitas verò ædificat.] Quapropter rectè hîc intelliguntur pauperes ſpiritu, humiles & timentes Deum, id eſt, non habentes inflatum ſpiritum. Nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem; ſiquidem peruentura eſt ad ſummam ſapientiam. Initium autem ſapientiæ timor Domini.] Quoniam & è contrario; [Initium omnis peccati ſuperbia] ſcribitur. Superbi ergo appetant & diligant regna terrarum. Beati autem pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Eundem ſenſum tenens Leo Papa, ſic ait: De quibus pauperibus veritas loqueretur, fortè eſſet ambiguum, ſic dicens: Beati pauperes; nihil adderet de intelligenda pauperum qualitate, & ſufficere videretur ad promerendum regnum cœlorum ea ſola inopia, quam multi graui & dura neceſſitate patiuntur. Sed cùm dicit: Beati pauperes ſpiritu, oſtendit, eis regnum cœlorum tribuendum, quos humilitas commendat, animorum magis, quàm indigentia facultatum. Dubitari autem non poteſt, quòd humilitatis iſtius bonum, faciliùs pauperes, quàm diuites aſſequantur, dum & illis in tenuitate amica eſt manſuetudo, & iſtis in diuitiis familiaris elatio. Veruntamen in pleriſque diuitibus inuenitur hic animus, qui abundantia ſua non ad tumorem ſuperbiæ, ſed ad opera benignitatis vtatur, idque pro lucris maximis numeret, quod ad releuandam miſeriam alieni laboris impenderit. Omni generi atque ordini hominum datur in hac virtute conſortium, quia poſſunt propoſito eſſe pares, impares ſenſu. Nec intereſt quantum ſint in facultate terrena diſſimiles, qui in ſpiritualibus bonis inueniuntur æquales. Beata igitur illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit, ſed cœleſtibus bonis diteſcere concupiſcit. Tertium adducamus Chryſoſtomum, & reliquos, ne longiores ſimus, prætermittamus, cuius hæc eſt oratio: Pauper ſpiritu eſt humilis corde, id eſt, pauperem ſpiritum habens, qui non magna ſapit de ſe. Sicut ex diuerſo, diues ſpiritus, intelligitur magna de ſe ſapiens, & ſuperbus, qui non implet mandatum Chriſti, dicentis. Niſi conuerſi facti fueritis ſicut puer iſte, non intrabitis in regnum cœlorum. Qui enim iam conuerſus factus eſt ſicut puer, ille eſt & pauper ſpiritu. Et qui pauper eſt ſpiritu, ille conuerſus, factus eſt ſicut puer. Et ſecundùm teſtimonium quidem Chriſti & Apoſtoli [plenitudo legis dilectio eſt,] tamen nutrix dilectionis, humilitas eſt, & totius mali odij mater, ſuperbia. Ergo totius boni initium humilitas eſt, & totius mali ſuperbia. Denique & perditionis initium à ſuperbia cœpit per diabolum; initiúmque ſalutis ab humilitate per Chriſtum: propterea conuenienter & omnium beatitudinum humilitatem fecit initium. Et quare non

Matth. 23. 12.

Mat. 5. 3.

Aug. lib. 1. de ſermone Domini in mõte. c. 1. to. 4.

Pſal. 148. 8.

1. Corint. 8. 1.

Pſal. 110. 10.

Eccl. 10. 15.

S. Leo Pa. homil. in feſto omnium SS.

Chryſoſt. Homil. 9. in Matt.

Roman. 13. 10.

Section letters in the right column margin: A, B, C, D, E.

manifeſtè

manifeſtè dixit, Beati humiles ſpiritu? Ego huic potui tantummodo rationis inuenire colorem, vt non ſolùm humiles oſtendat, ſed etiam indigentes humiles, qui ſic ſunt humiles, vt ſemper adiutorium Dei ſint mendicantes.] Hactenus illi. Humilitatis ergo Magiſter Chriſtus diuitias ſuas humilibus promiſit, & humilitatem diſcentibus prærogauit, quia videlicet cupit promiſſione tantæ mercedis, qua humiles ditat, humilitatis præceptor agnoſci. Ideóque primo loco humilibus æternum præmium pollicitus eſt, & deinde mitibus, & lugentibus, & eſurientibus, & ſitientibus iuſtitiam, & miſericordibus, & mundis corde, & pacificis, & perſecutionem ſuſtinentibus eandem mercedem ſub aliis nominibus obtulit, vt intelligeremus, humilitatem aliarum virtutum eſſe radicem, quam qui perfectè adeptus eſt, reliquorum inſignium operum mercede non caruit. Non erit quis mitis & reddens bonum pro malo, niſi fuerit humilis, qui ſe pœna dignum reputet. Non lugebit pro bonis abſentibus, niſi humilitate ſe carere bonis agnouerit. Non eſuriet, nec ſitiet iuſtitiam, qui ſuperbia elatus exiſtimauerit ſe implere omnem iuſtitiam. Non erit miſericors, niſi veriſſima cognitione ſui ſe miſeriis ſubiacere putauerit. Non erit mundo corde, qui elatione & arrogantia ſorduerit. Nec pacificus, qui non ſe aliis modeſtè ſubiecerit. Nec tandem erit patiens, qui per humilitatem motus excuſantes & regentes, peccata ſua non tota mentis contentione compreſſerit. Si itaque humilitas aliarum virtutum mater eſt, in qua continentur tanquam in ſemine, iure optimo diuitiis Domini & gloria exaltationis accreſcit. Conſtátque, Chriſtum humilitatis magiſtrum in tantum cupere, vt ab eo hanc ſcientiam diſcamus, quòd pro labore, quem in adeptione eius impendimus, non multum reputet regnum nobis cœlorum polliceri, & æternis opibus cumulare.

Vniuerſæ quoque virtutes ita à Domino traditæ ſunt quaſi humilitate intextæ, & in eius perfectionem aſſumptæ. Meditemur, rogo, quomodo Chriſtus alias virtutes docuit, & in eis nos humilitatis admonitos manifeſtè comperiemus. Manifeſtauit ſe hominibus, cùm primùm natus eſt, quod opus fuit ſummæ charitatis; ſed manifeſtauit ſe paſtoribus, & nuncios ſuos contempta mundi ſuperbia, pauperibus miſit, quod eſt humilitatis inſigne. Vocatus Ieſus, quod eſt opus veritatis, quid enim verius, quàm illum ſalutem vocare, qui mundi ſalus eſt, & præter illum nulla ſupereſt ſalus? Sed ibi non defuit circumciſionis humilitas, quaſi ſublimitatem nominis condiens, & illud non ex faſtu, ſed ex neceſſitate aſſumptum aperiens. Adoratur à regibus puer: ô quanta magnanimitas! quòd filius (vt putabatur) pauperis fabri à regibus adoretur: ſed adoratur in ſtabulo; adoratur, non in throno, ſed in Virginis gremio, vt in tanta magnanimitate non deeſſet humilitas. Apparet inter Doctores, & inter ſapientes duodenis Doctor, qui in tam tenera ætate, homines & Angelos ſapientia præcellebat, hoc opus ſapientiæ eſt: ſed apparet audiens, apparet interrogans, quod in tam ſapiente Doctore, & omnia ſciente opus eſt humilitatis. Poſt munus verò prædicationis aſſumptum, docet orare, docet & humiliari, & orantem, ſe peccatorem & infimum agnoſcere. Docet, inquam, illum dicere: Dimitte nobis debita noſtra: & ne nos inducas in tentationem.] Docet confidere, & docet humiliari. Nolite, inquit, timere puſillus grex. Ne timeatis, ſed ne (vt veſtra fiducia ſit mihi grata) veſtræ puſillitatis obliuiſcamini. Docet non iudicare, non damnare, & docet humiliari. Nolite, inquit, iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.] Ac ſi diceret: Ne ſuperbiatis. Habetis vnde iudicemini: habetis quare condemnemini; ne igitur vos iudicium temerarium feratis; ne alios ſine cauſſa & ſine poteſtate damnetis: ſi aliter feceritis, in damnationem cadetis. Docet dimittere, docet dare, docet & humiliari. Dimittite, & dimittemini; date, & dabitur vobis.] Vos peccatores eſtis, vos mendici eſtis. Dimittite ergo iniurias, vt remiſſionem peccatorum impetretis: date eleemoſynam paruam bonorum temporalium, vt eleemoſynam magnam ſalutis animæ recipiatis. Docet prædicare; docet, dæmones ex obſeſſis corporibus pellere; docet & humiliari. Quare exultantibus diſcipulis quia dæmonia illis ſubiicerentur, nonnihil in eorum cordibus elationis inſurgentis compeſcuit. Videbam, inquit, Sathanam quaſi fulgur de cœlo cadentem.] Id eſt, ne ob rectè geſta, & ob victos dæmones efferamini, quia Sathan ob elationem de cœlo cecidit, & locum gloriæ ſublimem, ad quem ſine ſuperbia admitteretur, per ſuperbiam amiſit. Breuiter, nullum eſt opus Saluatoris, in quo non humilitas luceat: nullum verbum, nullave doctrina, aut palam explicata, aut parabolis tecta, in qua non humilitas ſplendeat: nullum miraculum, quod non humilitas condiat: nulla paſſio, à qua humilitas inueniatur aliena. Omnem perfectionis doctrinam humilitate contexuit, vt ſuperbiam Adæ cunctis operibus veteris hominis inſertam deſtrueret, & nos ad ſtudium humilitatis incitaret. Quin & in tota ſacra ſcriptura (ſi attentè conſideremus) ſe Dominus ſuperborum hoſtem & humilium amatorem oſtendit. Iam illos deprimit, iſtos exaltat: iam illos abiicit, & repellit, iſtos verò nexibus ſui amoris aſtringit, quia virus ſuperbiæ, quod totam humanam naturam peruagabatur, non potuit à cordibus hominum remediis minoribus ablegari.

Ac tandem prima diſciplinæ Chriſtianæ elementa humilitate continentur, quam primo loco oportet addiſcere, vt alias partes huius ſacræ ſcientiæ diſcamus. Et qui aliquo ſaltem gradu non fuerit humilis, non ſolùm non poterit ad perfectionem aſcendere, verùm nec ad initia virtutis accedere, nec ſalutem obtinere. Oſtende mihi ſuperbum iuſtum, ſuperbum ſanctum, ſuperbum Deo gratum, & ego confitebor tibi, quòd ſpiritualis doctrina ab humilitate non pendet. At ſi hunc non mihi oſtenderis (& certus ſum, quòd nunquam oſtendes) mihi perſuaſum habebo, Chriſtum humilitatis magiſtrum ita humilitatem docere, vt ſine illa virtutes alias non doceat, & neminem ad perfectionis faſtigium adducat. Si ergo ipſe ſe Magiſtrum humilitatis vocat, tu diſcipulus humilitatis voceris. Si ille perpetuò verbis & exemplis humilitatem docuit, tu eam, in quocumque ſis perfectionis gradu, ſemper addiſces. Si ille in tota vita ſua, humilitatis ſe profeſſorem exhibuit, tu viciſſim te modeſtiæ amatorem exhibebis. Promiſit ille humilibus diuitias ſuas, tu eas humilitate conquires. Quicquid docuit, humilitate condiuit, vt tu ſuſpectum habeas, quod non humilitatis cenſura probauerit. Humilitas ergo doctrina Chriſti eſt, quam omnino oportet addiſcere, vt eius diſcipulus habearis. Via cœli eſt non ardua, ſed facilis, quam ſi non ingreſſus

Marginal references: *Matth.* 6. — *Lucæ* 6. 37. — *Lucæ* 6. 38. — *Lucæ* 10. 18.

fueris, nunquam ad ſtatum beatitudinis optatum peruenies. O quàm verè, quàm ſapienter hanc viam Bernardus tibi proponit. Quid, inquit, tu inflaris, ô homo? Quid extolleris ſine cauſſa? Quid alta ſapis, & oculi tui omne ſublime vident, quod tibi non cedet in bonum? Sublimis quidem Dominus: ſed non ita proponitur tibi. Laudabilis magnitudo illius, non etiam imitabilis. Eleuata eſt magnificentia illius, & non poteris ad eam, nec, ſi te ruperis, apprehendes. Accedit, inquit, homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Excelſus ſiquidem Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Humiliare, & apprehendiſti. Hæc planè lex pietatis: & propter hanc legem ſuſtinui te Domine. Si fortè ſublimitatis eſſet via propoſita, & illic iter, quo oſtenderetur ſalutare Dei, quanta facerent homines, vt exaltarentur? Quàm crudeliter inuicem ſternerent, inuicem conculcarent? Quàm impudenter reperent, manibúſque, & pedibus conarentur in altum, vt imponerent ſe ſe homines ſuper capita aliena? Et certè, qui contendit ſupergredi proximos, multas inueniet difficultates, multos habebit æmulos, multos patietur contradictores, aſcendentes equidem ex aduerſo. Nihil verò facilius eſt volenti, quàm humiliare ſemet ipſum. Hoc verbum eſt, dilectiſſimi, quod omnino nos reddit inexcuſabiles: vt ne tenue quidem nobis velamen prætendere liceat.] Hactenus ille. Fugiat itaque à cordibus noſtris elatio, fugiat hoſtis humilitatis ambitio: & ſiquidem ſcholam Chriſti, nempe religioſam profeſſionem frequentamus, in doctrina Chriſti addiſcenda, quæ humilitas eſt, tota mens noſtra verſetur. Non recedamus ab ea præſtantiſſima viuendi ratione, quam ſemel mundum deſerendo ſuſcepimus. Ab ea autem profectò recedimus, ſi, ſtudio humilitatis reiecto, ſemina ſuperborum deſideriorum, à protoparente relicta, in cordibus noſtris ſeruamus. Nihil enim præſtat humilitatis amictus, & externa humilitatis oſtenſio, ſi deſit humilitatis ſubſtantia, quam in ſola Chriſti ſequela, & in ſuſcipienda eius doctrina, humilitatis virtute contenta, poſitam eſſe nequaquam ambigimus.

Bern. ſer. 1. de ieiunio in capite.

Humilitatem eſſe ſummam totius diſciplinæ Chriſtianæ.

CAPVT IV.

EX iis, quæ in præcedenti capite dicta ſunt, quæſtio ſtatim magnæ difficultatis emergit; quare Saluator noſter, qui vniuerſas virtutes docturus aduenerat, potiùs Magiſter humilitatis, quàm miſericordiæ, aut fortitudinis, aut aliarum virtutum voluerit appellari. Huius enim ratio eſſe non poteſt humilitatis præſtantia, quia ſi virtutum naturam ſpectemus, aliæ (vniuerſa Theologia clamante) inueniuntur præſtantiores. Certè quidem præſtantior eſt Fides, mentem noſtram Dei verbis & diuinæ reuelationi ſubmittens. Excellentior eſt Spes, æternam beatitudinem, & apta inſtrumenta ad eius aſſecutionem expectans. Sublimior eſt Charitas, Deum propter ſe ipſum, & proximum propter Deum, amoris actione complectens. Quid, quòd & Prudentia, & Iuſtitia, & Fortitudo Temperantiæ præferuntur, cuius partem in ſuperioribus,

Lib. 3. p. 1. c.

A humilitatem fecimus: neque ipſam reliquis temperantiæ partibus anteponere audemus? Quid igitur habet humilitas, propter quod debuit tam inſigni prærogatiua fulgere, vt Chriſtus Magiſter humilitatis in ſcriptura vocetur, & hoc nomen externa ſpecie humile, aut certè non nimis celſum tantæ maieſtati deferatur? Euoluamus ſcripturas ſacras an ſit aliquid, quod huic implexæ quæſtioni ſatisfaciat. Sæpe legimus filios minores natu maioribus fuiſſe prælatos. Dominus Abel Caino prætulit, & hoc reiecto, illum, ſecundùm ſententiam communem ſcholæ, initium Eccleſiæ conſtituit. Ephraim minor ætate Manaſſi maiori præfertur, & ac ſi eſſet maior priùs quàm primogenitus nominatur. Et ſcriptum eſt:

Docet Aug. 15. de ciuit. c. 1. & ad Pſal. 142

B Faciat tibi Deus ſicut Ephraim, & ſicut Manaſſe. Conſtituítque Iacob Ephraim ante Manaſſe.] Quin & Iacob minor Eſau maiori ſaltem in acceptione bonorum temporalium prælatus eſt. Legimúſque in Malachia: Dilexi Iacob, Eſau autem odio habui.] Idem quoque in filiis Iſai factum eſſe ſcimus. Adductis namque filiis maioribus in conſpectu Samuëlis, audit: Non elegit Dominus ex iſtis:] vocato verò paruulo, qui paſcebat oues, hic ex imperio Domini eſt in regem electus. Si ergo non ſemel, non bis, ſed ſæpius Dominus filios minores elegit, & maioribus antepoſuit: quid mirum ſi inter virtutes ſelectiſſimas filias gratiæ, humilitatem quaſi natu minorem, ad hoc quòd ſua doctrina ſit, & vocetur, eligat, & in hac dignitate cæteris præferat? Et

Geneſ. 48. 20.

Malachiæ 1. 2.

1. Reg. 16. 10.

C ſanè ſi cauſſam, quare illi minores fratres maioribus prępoſiti ſint, inquiramus; non aliam, quàm diuinam voluntatem ita ſtatuentem inueniemus. Quod in filiis Iſaac Apoſtolus Paulus manifeſtè teſtatus eſt, dicens: Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Quia maior ſeruiet minori.] At in hac humilitatis prælatione aliqua fortè cauſſa eſt ex parte humilitatis ipſius, quare Chriſti doctrina vocetur, ex qua eius maxima dignitas elucebit.

Rom. 9. 11.

Chriſtus omnis iuſtitiæ ac ſanctitatis præceptor dici debuit, quare (vt iam notauimus) abſolutè & ſine aliquo addito præceptor aut magiſter dictus eſt. Præceptor, dixit Petrus, per

Luca 5. 5

D totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.] Nihil vtique ſine te cepimus, quia nihil omnino boni ſine tua gratia, aut ſine tuo auxilio mouente præſtare poſſumus. In verbo autem tuo laxabimus rete, vt induſtria noſtra, quæ ſine verbo tuo nihil apprehendit, in verbo tuo capiat meritorum multitudinem copioſam. Et decem illi leproſi: Ieſu præceptor miſerere noſtri:] tu ſolus verus es præceptor, qui potes omnem miſeriam falſitatis depellere, & ab omnibus malis docendo & iuuando liberare. Et alius quidam dixit: Magiſter, ſequar te quocumque ieris.] Nam tu ductor ad omnem virtutem es, & nunquam in locum ſalutis ibo, ſi greſſus meos à tua imitatione ſeparauero. Vocatus eſt

Luca 17. 13.

Matth. 8. 19.

E etiam Dominus iuſtitiæ magiſter, quoniam iuſtitia generalis eſt virtus omnem virtutem continens, à qua, qui rectè viuunt, & mandata cuſtodiunt, iuſtorum denominationem accipiunt. Dedítque nobis æternus Pater Filium ſuum, doctorem iuſtitiæ,] à quo non hanc aut illam tantùm virtutem, ſed omnem prorſus virtutem diſcamus, & quidquid nobis ad ſalutem neceſſarium eſt ipſo præceptore comparemus. Quo loco Septuaginta verterunt, Dedit vobis eſcas aut alimenta iuſtitiæ; quia in Chriſto & per

Ioel. 2. 23.

Chriſtum,

Chriſtum, non vnum, aut alterum cibum,ſed omnem prorſus eſcam virtutum habemus,quibus mens noſtra nutrienda & ſaginanda eſt.

Vocatur ergo Chriſtus,humilitatis magiſter,quoniam humilitas omnem virtutem,& omnem animæ noſtræ puritatem comprehendit. Vnde in eo quòd magiſter humilitatis dicitur, non dubium quin vniuerſalis doctor, aut vniuerſarum virtutum præceptor appelletur. Omnes arboris rami, cunctíque fructus radice continentur, quam qui poſſidet, qui rigat, qui debita cultura promouet, ſtipitis ramorum,foliorum,& fructuum gaudet augmento. Humilitas verò(vt diximus)omnium virtutum eſt radix, radix ſancta, Deóque grata,quid mirum ſi eam habens omnem etiam aliarum virtutum cumulum obtineat? Quia itaque humilitas radix omnium virtutũ eſt, ideo omnis victoria Saluatoris humilitati tributa eſt,& ipſa humilitas totius vitæ Chriſtianæ vocata eſt ſumma. Id ſanè teſtatus eſt Leo Papa,cùm in hunc modũ ſcribit: Tota enim victoria Saluatoris, quæ & diabolũ ſuperauit & mundum, humilitate eſt cõcepta,humilitate eſt confecta. Diſpoſitos dies ſub perſecutione inchoauit, & ſub perſecutione finiuit, nec puero tolerãtia paſſionis,nec paſſuro defuit mãſuetudo puerilis:quia vnigenitus Dei ſub vna maieſtatis ſuæ inclinatione ſuſcepit,vt & homo vellet naſci,& ab hominibus poſſet occidi. Si igitur omnipotens Deus cauſſam noſtram nimis malam, humanitatis priuilegio bonam fecit, & ideo deſtruxit mortem, & mortis auctorem, quia omnia, quæ perſecutores intulêre,non renuit,ſed obediens patri crudelitates ſæuientium mitiſſima lenitate tolerauit,quantum nos humiles, quantum oportet eſſe patientes, qui ſi quid laboris incidimus, nunquam niſi noſtro merito ſuſtinemus? Quis enim gloriabitur,caſtum ſe habere cor,aut mundum ſe eſſe à peccato?]Et dicente Beato Ioanne: Si dixerimus quia peccatum non habemus,ipſi nos ſeducimus,& veritas in nobis non eſt.] Quis inuenietur ita immunis à culpa, vt in eo non habeat,vel iuſtitia quod arguat; vel miſericordía,quod remittat? Vnde tota (dilectiſſimi) Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina,non in abundantia verbi, non in aſtutia diſputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ,ſed in vera,& voluntaria humilitate conſiſtit,quam Dominus Ieſus ab vtero matris vſque ad ſupplicium Crucis prò omni fortitudine & elegit, & docuit. Et Auguſtinus humilitate nos manus Deo dare, eáque omnem virtutem contineri, manifeſtè docet. Cùm enim dixiſſet,ad Dioſcorum ſcribens, omnium Philoſophorum ceruices Chriſto oportere ſubmitti,hæc ſubdit: Huic te,mi Dioſcore,vt tota pietate ſubdas velim,nec aliam tibi ad capeſſendam, & obtinendam veritatem viam munias, quàm quæ munita eſt ab illo,qui greſſuum noſtrorum tanquam Deus videt infirmitatem. Ea eſt autem prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares hoc dicerem, non quòd alia non ſint præcepta, quæ dicantur, ſed niſi humilitas omnia, quæ benefacimus & præceſſerit, & comitetur,& conſequuta fuerit,& propoſita, quam intueamur;& appoſita, cui adhæreamus; & impoſita, qua reprimamur. Et poſt pauca: Itaque ſicut Rhetor ille nobiliſſimus cùm interrogatus eſſet, quid ei primùm videretur in eloquentiæ præceptis obſeruate oportere.Pronunciationem dicitur reſpondiſſe:cùm quæreretur quid ſecundò, eandem pronunciationem: quid tertiò, nihil aliud quàm pronunciationem dixiſſe. Si interrogares & quoties interrogares de præceptis Chriſtianæ religionis, nihil me aliud reſpondere niſi humilitatem libeter, etſi fortè alia dicere neceſſitas cogeret.] Hæc Auguſtinus. Iam itaque elucet, humilitatem ſummam eſſe religionis Chriſtianæ, quæ in Chriſto de hoſtibus humanæ ſalutis victoriam reportauit, quæ nos elatos ſanauit, Deóque ſubiecit, quæ quaſi primas partes in diuinis præceptis continet, quatenus mens humilians, & ſubmittens ſe Deo,ſibi iniuncta diligenter impleuit. Meritóque Chriſtus humilitatis præceptor dictus eſt, quia omnem, vt idem Auguſtinus alio loco inquit, per humilitatem oſtendit impleri iuſtitiam, quando dixit:Sine modò;ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.] O fœlix, ô ſuauis, ô omnino ſuſcipienda completio iuſtitiæ! Quia dum te Deo ſubiicis,& propter Deum aliis ceruicem ſubmittis,nihilque tanquam aliorum ſeruus aduerſùs eorum vtilitatem moliris, iuſtitiæ præcepta breui compendio cuſtodis.

Leo ſer. 7. Epiph. — *Prou. 20. 9.* — *1. Ioan. 1. 8.* — *Auguſt. epiſt. 56.* — *Demoſth.* — *Aug. ſer. 63. de verbis Domini. Matth. 3. 15.*

Hanc virtutem cùm poſſidemus, & ſecundùm eam viuimus, ab eo,quod Deo diſplicet, ſeparamur. Et fortaſſis hoc eſt elogium Tobiæ ab humilitate profectum: Cúmque eſſet iunior omnibus in tribu Nephthali,nihil tamẽ puerile geſſit in opere.] An non poſſumus ita interpretari:iunior erat,id eſt, humilior? Certè poſſumus,ſi Ambroſium dicentem audiamus,quia ſpecialis ſingulis iuſtis ſuppetit prærogatiua dicendi: Iuuenis ſum & deſpectus;] ſi humilis corde ſit, ſi mitis, atque manſuetus. Quia humilior erat omnibus ſanctus Tobias, ideo nihil puerile geſſit in opere,nihil laſciuum,nihil minùs pudicum,nihil minùs graue commiſit. Commiſiſſet autem, ſi à moribus ſuis modeſtiam & humilitatem ablegaſſet.Hæc eſt enim, quæ amatores ſuos ab vniuerſis vitiis protegit; ſicut è contrà ſuperbia ſe ſequentes innumeris malis immergit.Idque ſignificant illa verba Gregorij: Sicut virtus humilitatis omne vitium eneruat;ſic arrogantia roborat.] Quia nimirum ſicut initium,& quaſi compendium omnis peccati,ſuperbia; ita & humilitas eſt omnium virtutum exordium. Creationem ſanè,qua Deus omnia tum viſibilia,tum inuiſibilia condidit,nihil omnino præceſſit,nec fuit aliqua materia præiacens,ex qua Deus naturale opus effecerit. Ita & recreationem,aut hominis reſtaurationem, vel eius ad gratiam exaltationem,nihilum humilitatis præcedat neceſſe eſt:vt ſcilicet quis ſe nihil eſſe cognoſcat, & vires ſuas tanquam omnino ad iuſtificationis opus inſufficientes ſpernat. Cunctis diebus ſuis, inquit Iob, impius ſuperbit;]iuſtus autem, vt iuſtus fiat, & ab impietate liberetur,ſuperbiam tandem deſeret,& ad humilitatem tanquam ad initium iuſtitiæ redibit. Solent electi,inquit Gregorius,in quibuſdam ſuis cogitationibus atque actibus ſuperbire. Sed qui electi ſunt, cunctis ſuis diebus ſuperbire non poſſunt;quia priùs quàm vitam finiant, ad humilitatis metum ab elatione corda commutant.] Attende quomodo humilitas omnis iuſtitiæ & virtutis eſt radix, ad quam iuſtus (ſi fortè per ſuperbiam aliquando elatus eſt) debet remeare,vt ex ea quaſi ex primo gradu ad iuſtitiam aſcendat. Quod profectò huius virtutis magiſter Chriſtus in ſe ipſo voluit quodammodo demonſtrare, cùm de illo Paulus dicat: Quòd autem aſcendit,quid eſt,niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcẽdit ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia.] Ille,inquam,qui in infinitum ſublimis eſt, cùm nihil ſe celſius haberet,niſi priùs deſcendiſſet,& ſe per humilitatem deieciſſet,non poſſet aſcendere. Deſcendit igitur cùm carnem aſſumpſit, cùm ſe hominem fecit, cùm miſerias noſtras præter ignorantiam & malitiam accepit, & ſic humiliatus aſcendit ſuper

Tobiæ 1. 5. — *Ambroſ. ſerm. 18. verſu 5. Pſal. 118. 14.* — *Greg. 8. mor. c. 30* — *Iob. 15. 20* — *Greg. 12. mor. c. 29.* — *Epheſ. 4. 9. 10.*

omnium

A omnium beatorum ſpirituum ordines, vt donis ſuis omnia repleret. Idem ſit iter membrorum & capitis, & ſicut hoe deſcendit, quò non ex iuſtitia debuit, ſed quò charitas illud impulit, vt nos ſecum ad cœleſtia deferret; ita & nos quò debemus ex iuſtitia, ſcilicet ad noſtram deſpicientiam, deſcendamus, vt nos altitudo gratiæ, & diuinæ familiaritatis excipiat. *Geneſ. 24.64.* Rebecca, conſpecto Iſaac pedite,] qui egreſſus fuerat ad meditandum in agro, ſtatim [deſcendit de camelo,] & animal, cui inſidebat, reliquit. Et tu, ô anima mea, videns ſponſum tuum deſcendiſſe in agrum huius mundi, vt cogitaret ſuper te cogitationes pacis, & meditaretur ſalutem tuam, de camelo ſuperbiæ deſcende, & vniuerſos labores tuos ex veriſſima humilitate contemne. Niſi enim ab hoc deſcenſu B vitam ſpiritualem incœperis, nunquam poteris veras virtutes acquirere, & cum humillimo Domino coniugium inire.

Illo, qui ſublimis eſt deitate, naturam noſtram induit, vt eſſet bumilitate mirabilis, & ſponſis ſuis, animabus ſanctis, præberet humilitatis exemplum. Conuerſationem omnem ſuam bumilitate concluſit, & in vita atque in morte hanc virtutem adamauit, vt intelligant illæ, ſe de ſuperbiſſimis hoſtibus obtinuiſſe victoriam, & venam ſanctitatis inueniſſe, cùm itinera ſuæ deſpitientiæ conficiunt. Non fuit ille contentus bumilitatem coluiſſe, ſed & humilitas ipſa factus eſt, vt ſicut ipſe eſt perfectionis ſumma; ita & humilitas ſit etiam virtutis perfectioniſque compendium. *1. Ioan. 4.16.* Deus charitas eſt] (vt inquit Ioannes) ſed inquite, an Chriſtus dici poſſit humilitas? C Deus quidem eſt charitas increata, quoniam perfectiones ſuæ non ſunt ab eius natura diſtinctæ: & ſicut ipſe ſua iuſtitia & ſua miſericordia eſt; ita etiam & ſua charitas eſt. At Chriſtus alia ratione humilitas dici poteſt; quia nimirum obſequium humile eſt nobis impenſum. Si rex potentiſſimus egenis ſeruiat, & ipſis ad menſam ſedentibus, cibum miniſtret eis, illud obſequium humilitatem vocamus, & dicimus, ô quãta eſt huius regis humilitas. Quòd ſi obſequiũ illud à rege non diſtingueretur, ſed ipſe rex eſſet famulus & famulatus, obſequens & obſequium, iam ipſe rex verè diceretur humilitas, quia non tantùm opus humilitatis præſtat, ſed & eſt ipſum per actionẽ bumilitatis datum obſequium. O Chriſte Saluator D mundi, ô Rex regum, & Domine dominantium, nun tantùm miniſtraſti nobis, ſed & miniſterium atque obſequium noſtrum factus es; tu es qui miniſtras panem, & es ipſe panis: tu qui offers pro nobis ſacrificium Patri, & es ipſum ſacrificium oblatum Patri. Si obſequium noſtrum factus es, quid multum ſi te non tantùm humilem, ſed & humilitatem appellemus? Hanc dignationem tuam admiratus Dauid ad Patrem tuum ait: *Pſal. 8.6.* Minuiſti eum paulo minùs ab Angelis.] Quaſi æqualis factus es Angelis quando miniſtrabas nobis, ſed minor factus es Angelis, quando panis, & ſacrificium voluiſti fieri pro nobis. Sed iucundum erit ex ore Bernardi hanc commendatio- E nem humilitatis audire. *Bern. ſer. 1. de S. Michaële.* Sic planè, inquit, ſic decet, vt vincat & humilitate, qui ſublimitate vincebat, ſitque tanto minor Angelis, quanto inferiori ſeſe miniſterio mancipauit: qui tanto excellentior eſt, quanto differentius nomen hæreditauit. Sed quæras fortaſſe, in quo minoratus videatur ab Angelis, cùm miniſtrare venit, quandoquidem (vt ſuprà meminimus) in miniſterium mittuntur & illi? In eo vtique, quòd non modò miniſtrauit, ſed miniſtratus eſt, eràtque vnus & idem qui miniſtrabat, & qui miniſtrabatur. Meritò proinde ſponſa in Canticis Canticorum: *Cantic. 2.8.* Ecce (inquit) venit is ſaliens in montibus, tranſiliens colles.] Miniſtrans enim ſalit inter Angelos, ſed & ipſos tranſilit miniſtratus. Miniſtrant enim Angeli, ſed de alieno, offerentes Deo bona opera, non ſua, ſed noſtra, ac nobis eius gratiam referentes. Vnde & ſcriptura dicens: *Apocal. 8.4.* Quoniam aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini de manu Angeli;] ſolicitè præmiſit data ei fuiſſe incenſa multa. Noſtros enim ſudores, non ſuos; noſtras non ſuas lacrymas offerunt Deo: nobis quoque eius munera referunt, & non ſua. Non ſic miniſter ille ſublimior cunctis, ſed humilior vniuerſis, qui ſemet ipſum obtulit ſacrificium laudis, qui Patri offerens animam ſuam, nobis miniſtrat vſque hodie carnem ſuam.] Hactenus ille. Si igitur Chriſtus ſacrificium pro nobis obla- B tum eſt, ſi panis noſter eſt, ſi tota vita eius fuit quaſi quoddam humilitatis obſequium: non ambigamus humilitate vitam Chriſtianam contineri, quam dum corde & opere cuſtodimus, nequaquam à Chriſti imitatione diſtamus.

Ex eo demum cognoſci poteſt, humilitatem eſſe veluti quandam virtutum & diſciplinæ Chriſtianæ ſummam, quod eſt pro omnibus noſtris defectibus quaſi generale remedium. Humilis, quia ſeipſum deſpicit, de ſe magna, & inania, & riſu digna non cogitat, nec laudari aut honorari deſiderat. Humilis, quia alios maiores putat, nunquam eos deſpicit, nec irridet, nec temerariè iudicat. Humilis, quia in corde ſuo omnium vitiorum, & imperfectionum ſemina eſſe fatetur, minimè de C inſurgentium tentationum moleſtia turbatur. Humilis, quia omnia bona à Deo venire nouit, virtutes non ſibi arrogat: quia fragilitatem ſuam non ignorat, occaſiones peccati declinat: quia ſuam paupertatem perſpectam habet, occaſiones etiam minimas proficiendi non deſerit. Humilis amator eſt mortificationis, vt ſe ab imperfectionum labe purificet: amator eſt orationis, vt ab vniuerſorum bonorum auctore dona gratiæ ad perfectè viuendum impetret. Humilis tandem corruptibilia & viſibilia deſpicit; cœleſtia & inuiſibilia diligit, & quia perfectionem ſibi deeſſe autumat, magno feruore ſemper ad eam venire contendit. Vna itaque humilitas talis eſt, vt multas in animam iuſti virtutes inuehat, & ad multa D bona præſtanda, & multa mala cauenda ſufficiat. Et ſicut charitate totam Dei legem implemus; ita quodammodo humilitate omnem quoque legem cuſtodimus. Quia nemo à lege deuiat, niſi ſuperbiat, iuxta illud: *Eccl. 10. 14. 15.* Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit eum, receſſit cor eius:] vt ſicut primus homo à Deo per ſuperbiam receſſit: ita ſciamus neminem à Deo *Vide D. Th. 2.2. q. 162. ar. 2.* per peccatum ſeparari, niſi in quandam generalem ſuperbiam incidat, & ſe ipſum actionis, qua peccat, finem conſtituat. Nullus etiam legem implet, niſi ſe Deo, cuius mandatis paret, humili- E tate ſubiiciat. Quod fortaſſis indicauit Dauid ita canens: *Pſ. 118. 153.* Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non ſum oblitus.] Conſidera, inquam, ô Domine, quia humilis ſum, quia legem humilitatis, qua tibi in omnibus ſubderer, oblitus non ſum, & à malis imminentibus libera me. Humilitatem pro afflictione poſitam multi exiſtimant. Non abnuo. Sed Ambroſius, & Auguſtinus humilitatis nomine, virtutem humilitatis, & lege Dei, legem humilitatis intelligunt. De voce humilitatis hæc Ambroſius ait: *Ambr. ad Pſal. 115. ſer. 20.* Fortaſſe dicat aliquis, gloriatur de ſe Propheta, & ſi gloriatur, gloriatur in infirmitatibus ſuis, in quibus & Apoſtolus gloriatur,

2. Corin. 12. 9. dicens: Gloriabor in infirmitatibus meis.] Alius in diuitiis, alius in titulis nobilitatis ac proſapiæ ſuæ; alius in adminiſtrationibus, & honoribus gloriatur, iuſtus in humilitate gloriatur. Bona enim gloria, Chriſto eſſe ſubiectum. Vt ſcias autem, quia iactare non ſe cupiat, ſed Domini in ſe gratiam prouocare, alibi idem Propheta ait: Vide humilitatem meam & laborem meum. Ergo quaſi is, qui humiliauerit cor ſuum: quaſi is, qui plurimum laborauerit, ibi ſibi dimitti peccata deſiderat: hîc erui ſe precatur. De lege verò, hæc Auguſtinus: *Aug. ib. concione 30.* Hoc loco nullam Dei legem conuenientiùs intelligimus, niſi qua immobiliter fixum eſt, vt omnis, qui ſe exaltat humilietur; & *Luc. 14. 11.* omnis, qui ſe humiliat exaltetur.] Superbus ergo malis, vt humilietur, innectitur: humilis à malis, vt exaltetur, eripitur.] Hæc illi.

Si ergo legem Dei humilitate complemus; ſi dum humiliamur Deo, peccata vitamus; ſi dum nos deiicimus, & Deo fidimus, robur ad capeſſendam perfectionem obtinemus, verè humilitas eſt diſciplinæ Chriſtianæ ſumma, quam qui tenuerit in conuerſatione ſua, breui compendio omnem virtutem colet, & dum ſe magis magiſque deiecerit, ad maiorem mentis puritatem veniet. *Iob. 5. 11.* Deus eſt enim (vt ait Iob) [qui ponit humiles in ſublime;] qui eos nimirum, quos humilitate deprimit, ad faſtigium ſanctitatis extollit. Hi ſanè dum ſe humiliant, in ſublimitate ponuntur, quia omnia terrena pedibus proterunt, de quibus optimè inquit Gregorius: *Greg. 7. mor. c. 9.* In ſublimi quippe humiles ponuntur, quia cùm ſe ex humilitate ſubſternunt, altæ mentis iudicio cuncta temporalia tranſeunt, cúmque ſe indignos in omnibus æſtimant, rectæ cogitationis examine huius mundi gloriam tranſcendentes calcant. Videamus humilem Paulum, cùm diſcipulis dicit: *1. Corint. 1. 27.* Non enim noſmetipſos [prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum] Dominum noſtrum, nos autem ſeruos veſtros per Chriſtum. Videamus hunc humilem in ſublimi iam poſitum dicentem: *1. Corint. 6. 3.* An neſcitis, quia Angelos iudicabimus?] Et ruſum: *Epheſ. 2. 6.* Conreſuſcitauit, & conſedere nos fecit in cœleſtibus.] Fortaſſe hunc exteriùs tunc catena religabat, mente tamen in ſublimibus poſitus fuerat, quia iam per ſpei ſuæ certitudinem in cœleſtibus ſedebat.] Iam nihil ſupereſt niſi vt humilitatem, ſummam virtutum eſſe dicamus, quæ terrena deſpicit, cœleſtia appetit, & præmia æterna fidenter expectat. Hanc viam, ô iuſte, tu diligenter ingredere, quia ſi aliò diuerteris, & humilitatem depoſueris, nunquam virtutes, humilitati ſubnixas, conſequeris.

Homines fieri Humilitate Deo gratiſſimos, Angeliſque ſimillimos.

CAPVT V.

MERITO Deus humiles diligit, quos humilitate ſibi ſubiecit, & Angelicis ſpiritibus ſimillimos fecit. Quanti autem eos diligat, quámque gratos habeat, vates Regius cecinit, & propter hoc reges terræ non ſine ſtupore maximo ad reddendas Deo grates inuitauit: *Pſal. 137. 4.* Confiteantur tibi, Domine, ait, omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.] Laudibus te attollant, ô Deus meus, omnes iuſti, omnes reges terræ, qui verè in terra regnant, quoniam ſe ipſos regunt, & vt poſtea in cœlo regnent, omnia bona terræ ſub pedibus ponunt. Et quidem iuſtè hos reges ad tuas laudes proferendas inuito: quoniam ſi non eſt ſpecioſa laus in ore peccatorum, erit vtique ſpecioſa, & grata

A tibi in ore iuſtorum. Hi autem, quos nunc reges nomino, iuſti ſunt, quia audierunt verba oris tui, & ea non ſolùm auditu, ſed opere complexi ſunt. Hi cantent in viis Domini; canant, inquam, occultiſſimas rationes prouidentiæ eius: ſiue canant ſtupenda, ac nullis humanis ſenſibus comprehenſa opera eius; nec timeant in laude modum excedere, quoniam magna eſt gloria Domini, & adeò magna, vt nunquam poſſit vel ab vlla creatura, vel ab omnibus ſimul pro dignitate laudari. Inter alias autem Dei vias, ac mirabiles ſuæ prouidentiæ rationes: inter alia Dei admiranda opera, hanc præcipuè nunc reges terræ canant, quòd excelſus cùm ſit Dominus, humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. O opus Dei admirandum! ô opus omni laude digniſſimum, quòd ipſe excelſus

B humilia reſpiciat! Nam & magni magnos diligunt, & ſupremi ſæculi principes alios ſimiles, nempe nobiliſſimos & illuſtriſſimos, ſuo amore dignos ducunt. Non verò ſic Deus noſter, qui in altis habitat: *Pſal. 112. 5.* & cùm immenſus & excelſus natura ſit, humilia reſpicit in cœlo & in terra.] Quid ergo eſt humiles à Deo propè reſpici, & ſuperbos ac elatos à longè cognoſci, niſi quòd illos oculis miſericordiæ videt, vt impensè diligat; iſtos autem oculis indignationis reſpicit, vt ob ſuperbiam, qua fœtent, odio habeat, & à ſe tanquam indignos repellat? Vnde egregiè Proſper ait: *Proſper ad Pſal. 137.* Sub oculis Domini eſt humilis & elatus: ſed humilem, quia placet, proximus videt: ſuperbum, quia diſplicet, longinquus agnoſcit. Et alio loco vbe-

C riùs inquit: *ad Pſal. 112.* Meritò cœlum intelliguntur, qui habitantur à Domino: qui cùm ſint ſancti, atque ideo excelſi, iidem tamen ſunt humiles, neque aliunde, niſi de humilitate ſublimes. In altis itaque Dominus habitat; id eſt, in ſanctis, & ſpiritualibus, atque cœleſtibus. Et humilia reſpicit, id eſt, ipſos Sanctos, nunquam in ſe, ſed ſemper in Domino gloriantes: delectatur enim altitudine humilium, & humilitate celſorum, in cœlo & in terra: hoc eſt, quorũ conuerſatio in cœlis eſt, licèt mortali ſint carne circumdati.] Reſpectus itaque humilium, quo à Domino reſpiciuntur vt cœli ſui, vt ipſa humilitate ſublimes, reſpectus eſt benignitatis & amoris; reſpicit enim eos vt ipſius honoris auidos, vtque humilitate decoros, & ad eos diligendos trahitur, quia cùm eos iuſtos & ſui ſimiles fecerit, eximio quodam ipſos amore dignatur.

D Humilibus nihil aliud curæ eſt, niſi honor Dei; nam illum honore afficiunt, dum eidem omne bonum tribuentes, ſe ipſos, conatúſque ſuos, apertiſſima compulſi veritate, contemnunt. Illos autem, qui Deum honorant, ipſe gratiſſimos habet, eíſque abundantiſſimam gratiam impertit. Qua ratione Eccleſiaſticus ad humilitatem hortatur, dicens: *Eccli. 3. 20.* Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.] Nihil eſt pretioſius, nihil deſiderabilius, quàm apud Deum inuenire gratiam, & eius amorem ac beneuolentiam promereri. Si hanc igitur tibi conciliare cupis, quãto maior fueris, tanto magis te abiice, tanto modeſtiùs de te cogita, tanto veriùs aliis te ſubmitte, vt hũc theſaurum

E gratiæ Dei poſſidere merearis. Si autem cauſſam aues cognoſcere, ob quam Deus humiles gratos habeat, ea eſt, quia cùm ipſe ſit potentiſſimus & honore digniſſimus, ſoli humiles eum honore proſequũtur, ſuperbi verò eius honori, quantũ in ipſis eſt, detrahũt. Si ergo humiles Deũ honore proſequũtur, & ſe ipſos deſpicabiles oſtendũt, vt Dei gloria apud omnes magis magiſque reſplẽdeat, quid mirũ, ſi ab eo diligãtur, cuius ſolum honorem exoptant? Illi ſanctis Angelis quotidie ſimiles fiunt, qui cùm apoſtaticis ſpiritibus,

tibi

ſibi non debitam Dei ſimilitudinem affectantibus, fortiter dimicarunt. Ioannes enim Sanctorum Angelorum fidelitatem enarrans, hæc ait: Factum eſt prælium magnum in cælo, Michaël, & Angeli eius prælíabantur cum dracone: & draco pugnabat, & Angeli eius: & non valuerunt, nec locus inuentus eſt eorum ampliùs in cælo.] Nemo prohibere poteſt, vt locum hunc, non de prælio futuro in Eccleſia tempore Antichriſti, ſed de prælio facto in ipſo cælo Empyreo inter Angelos bonos & malos, nunc cum ſcholas ſectantibus intelligamus. Nam cùm Lucifer, & eius ſequaces per ſuperbiam aduersùs Deum exigerentur, à Michaële, & Angelis ſanctis, atque humilibus è cælo deturbati ſunt, & in tartareas pœnas deiecti. Ibi in perpetuas æternitates ſuæ ſuperbiæ pœnas luunt, & Angeli ſancti ſuæ humilitatis ac fidelitatis præmia recipiunt: honorante Deo eos, qui ſe honore affecerunt; & impensè diligente, ac præmiis cumulatiſſimis proſequente illos, qui pro amore ſuo cum ſuperbis ſpiritibus decertarunt. Similis huic eſt quotidiana humilium victoria, qui vita, & moribus in atriis cœli, nempe in Eccleſia, ſemper clamant: Quis ſicut Deus? Et ſuperbos honorem non debitum ambientes, & ſibi, non Deo gloriam quærentes, veræ humilitatis exemplo condemnant. Quiſque eorum non dicit cum ſuperbo Lucifero: In cœlum conſcendam:] ſed quod ad me attinet, in infimo loco ſedebo. Non dicit: [Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis:] ſed cum humili publicano timens, & tremens, & genuflexus, & veniam de peccatis poſtulans, in poſtremo angulo templi ſubſiſtam. Non dicit: [Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo,] ſed in hoc, quòd pro me ſeruus factus eſt, & in vili præſepio collocatus, eum imitari contendam. Quòd ſi humiles, ſanctos Angelos vita & conuerſatione ſequuntur, æquum eſt vt Deo nimis grati acceptíque putentur; vt ille, qui non eſt acceptor perſonarum, ſimilia obſequia ſimili amore gratificet, & ſimilibus præmiis afficiat. Humilitate Angeli Deum ad ſe traxerunt, qui poſt reportatam ab eis de ſuperbo hoſte victoriam, illos in vitam beatam admiſit, & ſe ipſum eorum mercedem ac poſſeſſionem fecit: & eadem virtute iuſti Deum ad ſe trahunt, & ſuorum cordium habitatorē agnoſcūt. Dicat Rupertus Abbas qua virtute Maria Virgo Verbum Dei ad ſe pertraxit; Exponens enim illud Canticorum: Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum,] ita ſcribit: Olim in Eua malo ſuperbiæ fœtore offenſus, & ob hoc ab humano genere auerſus fuerat: nunc autem delectatus bono odore, nardo humilitatis meæ, ſic ad genus humanum conuerſus eſt. Propterea nardum meam dico humilitatem meam, quia ſicut nardus herba aromatica, paruo quidem frutice, vel parua ſpica nequaquam ſe in altum ſubrigit, ſed comoſa, atque odoratiſſima flore optimi odoris, atque radicula ſuaui, multis vſibus probatur vtilis: ſic humilitas mea, ſuo quidem arbitrio, vel iudicio, parua res eſt, nimiúmque exilis, ſed iudicio regis pretioſior eſt cunctis operibus legis, in quibus homines iuſti ſibi videntur atque magnifici: ipſúmque regem, & Patrem eius, Deum, ſanctum quoque Spiritum vnicè delectat velut ſuauis odor, qualis quantúſque de nullo vnquam vſque ad ipſum ſpirauit, vel ſpirare potuit ſacrificio. O amici hoc ego experta ſum. Humilitatem meam de illo accubitu ſuo ſenſit, & reſpexit, & valde delectatus eſt, & placuit ſibi, quòd in iſto ſexu tantam humilitatem inuenit: in iſto (inquam) ſexu, à quo initium ſuperbiæ, generi humano ſuperueniens, totam maſſam corrupit.] Sic ille. Quod in anima omnium humillima factum eſt, in omnibus animabus humilibus ſuo modulo fieri certum eſt, nempe quòd regem regum ad ſe humilitate trahant, & inuitent, ac vera charitate poſſideant. Si autem Dominus humilitate delectatur, tanquam ea virtute, quæ ei honorem defert, & gloriam Deo debitam ſibi non rapit: ſi humilitate ad manendum in hominibus inuitatur, & allicitur; non dubium quin humiles gratiſſimos habeat, & vt veros Chriſti filij ſui imitatores, & Angelis ſimiles diligat.

Apocal. 12.7.

Vide D. Tho. 1. p. q. 63. ar. 8.

Iſaiæ 14. 13.14.

Cantic. 1.11. Rupert. lib. 1 in Cantic. cap.

Quis ambigat formæ pulchritudinem eſſe dilectionis illicium & incitamentum amoris? Sed animæ, quæ humilitate in Deum gloriam & honorem intorquent, eadem virtute pulchræ & decoræ ſunt, vt inde appareat, quantam apud illum gratiam inueniant. Quid enim pulchrius homine, præſertim litterato, & magnis virtutibus, ac Dei donis prædito, humiliter de ſe ipſo ſentiente, & omnem faſtum, omnémque ab aliis profectam laudem aſpernante? Certè hunc Deus diligit, quem dilectiſſimo Filio ſuo magno & humili ſimilem videt: Angeli amant, quia eum non hominē, terrena ſed cœleſtia ſapientem, & ſibi humilitate iunctum eſſe fatentur: homines verò ſuſpiciunt, & admirantur, & quem ſuperbia tumidum non ſuſtinerent, humilitate fulgentem ſibi prælatum eſſe gaudent. Humilitas itaque, Dei, & Angelorum, & hominum oculos capiens & illiciens, pulchritudo animæ eſt, quæ in anima, priùs criminibus fœdata, magna creditur, ſed in ea, quæ innocentiam ſanctitatémque ſeruauit, maxima & planè mirabilis inuenitur. Huic in Canticis dictum eſt: Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulchra es.] Bis pulchra dicitur, & non ocioſè, primò quidem propter conſeruatam puritatem; ſecundò verò propter retentam humilitatem. Quia licèt humilitas ſit ſemper animæ pulchritudo; tamen puritati vitæ, & donorum ſiue naturalium, ſiue ſupernaturalium copiæ adiuncta creſcit, & mirabilem ſplendorem acquirit. Vtrumque ex melliflui Doctoris verbis accepimus: Decor, inquit, animæ, humilitas eſt. Non à me ipſo hoc dico, cùm Propheta prior dixerit: Aſperges me hyſſopo, & mundabor, humili herba, & pectoris purgatiua, humilitatem ſignificans. Hac ſe poſt grauem lapſum rex & Propheta lauari confidit, & ſic niueū quendam innocentiæ recuperare candorem. Verùm in eo, qui grauiter peccauit, etſi amanda, non tamen admiranda humilitas. At ſi quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem iungit; nonne tibi videtur geminum animæ poſſidere decorem? Sancta Maria ſanctimoniam non amiſit, & humilitate non caruit: & ideo concupiuit rex decorem eius, quia humilitatem innocentiæ ſociauit. Denique [reſpexit, inquit, humilitatem ancillæ ſuæ.] Ergo beati, qui cuſtodiunt veſtimenta ſua munda, videlicet ſimplicitatis & innocentiæ; ſi tamen & decorem induere humilitatis adiiciant.] Hæc ille. Meritò ergo dicemus eximiam virtutem humilitatē, veſtitam eſſe ſicut aurum emblemate perornatum, quod etſi per ſe pulchrum ſit, tamen colore illo viuido & ſplendido expolitum pulchrius & pretioſius efficitur. Atque adeò ſi humilitas ſiue in pœnitente, ſiue in innocente pulchritudo eſſe probatur, non poteſt Deus amator pulchritudinis eos reiicere, aut inuiſos habere, quos virtus hæc ſuo decore exornauerit: quin potiùs illos vt ſibi gratiſſimos fouet, & protegit, ac dilectionis ſuæ ſtringit amplexibus. Vnde Iſaias ait: Quia hæc dicit excelſus, & ſublimis habitans æternitatem, & ſanctum nomen eius in excelſo, & in ſancto habitans, & cum contrito &

Cantic. 1.14.

Bern. ſer. 45. in Cantic.

Lucæ 1. 48.

Iſaiæ 57. 15.

humili ſpiritu.] Excelſus profectò cùm ſit Deus, habitat in corde excelſo (vt exponit Hieronymus) & ſanctus in ſancto. *Hieron. ibid.* At quod eſt cor excelſum, quod ſanctum? Nullum aliud niſi cor contritum & humile, quod compunctione abiecta peccatorum deſerit, & humilitate ſe terrenis euacuans ad cæleſtia dona capienda diſponit. Denique venit ille vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum. His humilibus & contritis vitam ſuæ ſimilem, nimirum gratiæ vitam impertit, & in viuificatis ſibi complacet, eóſque dilectiſſimos habet, quos humilitate ſuæ voluntati ſubiectiſſimos reperit.

Accedat & alia cauſſa, propter quam humilitas animas iuſtas Deo gratiſſimas faciat, quia ſcilicet ſine illa reliqua obſequia, licèt magna, licèt difficilia, licèt pretioſa, Deo placere non poſſunt. Et quidem hoc proprium charitatis virtutum genitricis eſſe videtur; de qua dixit Paulus: *1. Cor. 13. 1.* Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.] Et poſtea: Si habuero prophetiam, & fidem, & eleemoſynarum largitatem, & martyrij fortitudinē, ſine charitate nihil ſum, & nihil mihi prodeſt.] Sed ſi attentè conſideremus, idem elogiū humilitati conuenire videbimus. Quod non auderem dicere niſi Proſper, Regienſis Epiſcopus, & perpetuus Auguſtini ſectator, non antea dixiſſet. Ille ad Demetriadem virginem ſcribens, & remedia aduerſùs ſpiritum ſuperbiæ perſcribens, ſic ait: *Proſper. epiſt. ad Demetria. ad finem.* Hunc autem corruptiſſimum peſtilentiæ ipſius flatum ſpiritus veræ humilitatis, & veræ charitatis excludit. In nullo enim hæ virtutes ab inuicem diuiduntur, & ambarum tam indiſcreta connexio eſt, vt qui in vna earum conſtituitur, ſimul vtraque potiatur. Sicut enim pars charitatis eſt humilitas; ita pars humilitatis eſt charitas. Et ſi illa recolamus, quæ ſine bono charitatis infructuoſa eſſe Apoſtolus definiuit; inueniemus eadem ſimilem habere charitatem, ſi eis humilitas vera defuerit. Quem enim fructū habebit, aut cum inflatione ſcientia, aut cum humana gloria fides, aut cum iactantia largitas, aut cum elatione martyrium? Vnde quia in deſtructionem ſuperbiæ & humilitas tendit & charitas; de vtraque habeatur dictum quicquid de vna eſt diſputatum. Et ad idem Cæſarius ait: *Cæſar. epiſt. Homil. 18.* Iterum atque iterum rogo, & admoneo vos fratres, vt obedientiam, humilitatem, atque charitatem, non ſolùm ſenioribus & coæqualibus, ſed etiam iunioribus exhibere iugiter ſtudeatis: quia quælibet bona ſeruus Dei habere cōtéderit, omnia infœliciter perdet, ſi in illo humilitas & charitas non fuerit.] Non ergo placet Deo, quòd ſuperbia fœdauerit, & quòd humilitatis iura reliquerit. Eſt enim humilitas quaſi virtutum condimentum, ſine quo inſulſæ, & eſui aptæ minimè reputantur: & Deus menſæ ſuæ apponi non patitur cibum, cui ſapor humilitatis non fuerit adiunctus. Spernet ille labores tuos, corporis afflictationes, & mentis curas, & conatus pro nihilo ducet, ſi humilitate poſthabita, laborans & ſudans ſuperbia tumueris. Vbi fuerit ſuperbia, inquit Salomon, ibi erit & contumelia: *Prou. 11. 2.* vbi autem humilitas, ibi & ſapientia.] Nam ſi ſuperbiæ tumor opera tua fuerit comitatus, non ſine ignominia illorum, & tua à Domino repellentur. Si autem humilitate cinxeris, & modeſtia decoraueris, ſeruus fidelis, & ſapiens reputatus cum illis libenter admitteris. Eſt humilitas ſanctus quidā & neceſſarius virtutum fucus, quo ſi earū actiones non fuerint illitæ, minùs gratæ oculis bonorum apparent. Sæpe vidi concionē eloquentiſſimam, & actionem litterariā ſubtiliſſimam, & alia huiuſmodi ob humilitatis abſentiam fuiſſe refutata, & non ſine riſu contempta. Fucus enim iſte non ob vanitatē, ſed ob veritatem adiectus, ideo opera noſtra placere facit, quia eorū imperfectiones abſcondit. Nullàque eſt in noſtris operibus culpa, quá humilitas non venia dignam reddat: nullus defectus, quem ſua comitate non ſuppleat. Eſt tandem humilitas ſi non vita operum, hoc enim charitati competit; at ſanitas operum, ſine qua putrida ſunt in ſe ipſis, & aſpicientibus faſtidioſa. Nam ſi tinea bonorum operū ſuperbia eſt, ſanitas eorundem operum, humilitas erit: Tinea (vt annotauit Gregorius) dānum facit, & ſonitū non facit: *Greg. 5 mor. c. 18* ita ſuperbia dum intus in corde latet, ſine eo quòd ab hominibus videatur, bonorū noſtrorum interiora corrodit. At humilitas dum hanc tineā ſuperbiæ tollit, opus bonū in ſua integritate conſeruat. Ecce ergo quare humilitas gratiſſima Deo ſit; quia dum iuſtorum opera perficit, & eos decoros reddit, & Deo honorem defert, ipſos Angelis ſimillimos facit, quorum ſemper fuit Deum honore proſequi, perfectè operari, & pulchritudine ac decore veſtiri. Deteſtor ego ſuperbiam Iacob, ait Dominus, & domos eius odi.] *Amos 6. 8.* Deteſtatur namque ipſe ſuperbiam & elationem filiorum Iacob Patriarchæ ſanctiſſimi, qui humilitate auctus eſt, & celeberrimo nomine Iſraelis honoratus: quē patrem humilē, vt Deo placiti eſſent, imitari debuiſſent. Si hāc Dominus ſuperbiā deteſtatur, & odit, humilitatē Iacob in ſpiritualibus eius filiis diliget, & ipſos propter illam maximè gratos habebit. Quare hanc virtutem pulcherrimam ſemper deſidera, & quia donum magnum Dei eſt, ſemper poſtula, & ſine vlla intermiſſione opere cōple, vt gratus Deo (quod certè ſummum eſt maximè deſiderabile) eſſe merearis.

Deum in iuſtis ſuis Humilitatem maximè curare.

CAPVT IV.

DIFFICILE eſt homini, Dei voluntatem agnoſcere, & tantam rectitudinem, tantámque ſublimitatem anguſta inueſtigatione contingere. Quis enim adiuuit ſpiritum Domini? *Iſa. 40. 13. 14.* vt ait Iſaias, aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi? cum quo iniit conſilium, & inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum, ſcientiam, & viam prudentiæ oſtendit illi?] Certè nullus. Quòd ſi Domini poteſtas à nullo adiuta eſt, ſi eius iudicia à nullo comprehenſa; ſi ipſius ſcientia, ac agendi ratio à nomine cognita, quid mirum, ſi voluntas eius, huic ſcientiæ ac poteſtati conformis omnino nos lateat? Viæ Domini à Paulo inueſtigabiles vocatæ ſunt, *Rom. 11. 33.* id eſt, nulla humana ratione veſtigabiles, nullo hominum ſenſu comprehenſibiles. Vias autem Domini, iudicia eius, ac voluntates eius eſſe intelligimus, de quibus in Pſalmo dictum eſt: *Pſal. 24. 10.* Quoniam vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.] Miſericordia eius imperuestigabilis eſt, quia extenditur ad delenda vniuerſorum indulgentiam poſtulantium crimina: & veritas eius eſt incomprehenſibilis, quia ſine vllo fine caſtigat impœnitentium, & non ſe emendantium delicta. Vtrumque mirabile & humanum captum excedens, quòd iuſtiſſimus Deus velit magna peccata viliſſimorum hominum, vtcumque ea deteſtantium, remittere: & miſericordiſſimus Pater in animum inducat, peccata per breue tempus durantia, quia dolore pur-

Digitized by Google

gata non ſunt, in perpetuas æternitates punire. Quod autem de his Dei voluntatibus dictum eſt (quæ comparatæ ad effectus plures appellantur, cùm tamen in ipſo Deo, qua omnia vult, voluntas ſit vna) de aliis etiam dici poteſt, quòd ſcientiam noſtram & inueſtigationem effugiunt Sed vnum eſt, in quo Deus voluntatem ſuam nobis manifeſtam ac perſpectam eſſe voluit; in eo ſcilicet quod nobis faciendum eſt aut vitandum, vt ei, tanquam Domino ac Creatori noſtro, placeamus. Omnia enim præcepta & vniuerſa conſilia voluntatem Dei continent, quæ apertè, & ſine vllis ambagibus patefaciunt, quid ab hominibus Deus fieri aut non fieri velit. Quare vox Pauli eſt ab ipſo Deo ad loquendum moti: Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra. Et: In omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu in omnibus vobis.] Et Petrus ait: Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, quia ſic eſt voluntas Dei.] Ac tandem Dauid: Notas fecit vias ſuas Moyſi: filiis Iſraël voluntates ſuas.] Et in hoc miſerator, & miſericors Dominus, longanimis, & multum miſericors, quòd voluntates ſuas nobis notas facit, etſi ſecundùm eas non viuamus, & leges eius prætereamus, patienter ſuſtinet. Eſt itaque voluntas Dei hominibus occulta & manifeſta: occulta quidem de ſe; manifeſta verò, quia ipſe eam nobis aperuit: occulta in conſiliis ſuis; manifeſta in operibus noſtris, quoniam qui iudicia ſua vt à nobis in veneratione habeantur, abſcondit, quid à nobis fieri velit, ne erremus, & decipiamur, benignè patefacit.

1. Theſſal. 4. 3. c. 5. 18. *1. Petri 2. 13.* *Pſ. 102. 7.*

Inter has autem Dei voluntates nobis expoſitas ac patefactas, vna eſt miris modis declarata, qua ab omnibus iuſtis ſubmiſſionem & humilitatem expoſcit. Nam ipſa cura, & zelo continendi eos in humilitatis officio euidenter oſtendit, ſe impensè, pluſquam cogitari poſſit, in ipſis humilitatem amare. Ea quidem ampliùs amamus, quæ diligentiùs curamus, & ſolicitiùs cuſtodimus. Deus verò, qui humilitatem iuſtorum diligentiſſimè curat, & ſolicitiſſimè ſeruat, ſatis ſe eam magna dilectione amare demonſtrat. Vt autem exponam, quanta cura Deus noſter in nobis humilitatem gignat, & generatam prouehat atque cuſtodiat, libet verbis Auguſtini vti, quibus ipſe docet, quantis modis impij ad pœnitentiam vocentur. Ita ergo ſcribit: Vocat Deus vndique ad correctionem, vocat vndique ad pœnitentiam. Vocat beneficiis creaturæ; vocat impertiendo tempus viuendi; vocat per lectorem; vocat per tractatorem; vocat per intimam cogitationem; vocat per flagellum correptionis; vocat per miſericordiam conſolationis.] Prorſus his omnibus modis nos Deus ad humilitatem incitare curat: prorſus his omnibus rationibus nos ad humilitatem vocat, vt nobis certum ſit, maximè curæ illi eſſe, vt humiles ſimus, & de nobis modeſtè ſentiamus.

Aug. ad Pſ. 102.

Beneficiorum mole nos ad humilitatem pertrahit, quia ſimul cum illis lucem ad cognoſcendam noſtram maximam indignitatem immittit. Beneficiorum enim Dei, ac beneficiorum regis terreni hoc magnum inuenimus diſcrimen, quòd iſta in ſuperbiam eleuant, illa ad humilitatem inclinant. Vide Aman ex beneficiis regis Aſſueri in incredibilem ſuperbiam elatum. Rex Aſſuerus, inquit ſcriptura, exaltauit Aman, filium Amadathi, qui erat de ſtirpe Agag] hominem inquam alienigenam, ex vili proſapia natum Amalecitam, aut Macedonem, in quibus ferè ſemper accidit, vt ex dignitate ſuperbiant. Et hinc quid ſequutum eſt? Certè vt ægerrimè ferret, & valde iraſceretur, eo quòd Mardochæus Iudæus non flecteret illi genu, nec ipſum adoraret, timens ne contra ius, & fas diuinum honorem in hominem mortalem transferret. Quanta verò fuerit huius ſuperbiſſimi hominis, tum indignatio, tum elatio, ex eo cognoſcitur, quòd pro nihilo ducens in vnum Mardochæum mittere manus ſuas, ſtatuit apud ſe omnem nationem Iudæorum in vltionem negatæ adorationis perdere, atque delere. Sed vide nunc Paulum ex beneficiis Dei in virtutem humilitatis erectum: Gratias, inquit, ago ei, qui me confortauit, Chriſto Ieſu, Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimauit, ponens in miniſterio: qui priùs blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus.] Non mihi, aut viribus meis, ſed Deo meo accepta bona tribuo. Ille, cùm eſſem infirmus, & egenis, atque infirmis elementis ſeruiens, roborauit mentem meam fide & charitate, per merita Chriſti Ieſu. Cùm eſſem infidelis, per gratiam ſuam fidelem me eſſe præuidit; & cùm eſſem abiectus, & vilis, me in dignitate Apoſtolatus, & in prædicationis miniſterio conſtituit. Hæc, inquam, accepi, non ob merita mea, ſed ob benignitatem ac beneplacitum eius, qui elegit me. Cùm enim priùs fuerim blaſphemus, & malè de Chriſto loquens, & perſecutor Sanctorum eius, & contumelioſus in myſterium gratiæ ſuæ, non potui ex me tantorum bonorum particeps fieri. Ita Deus iuſtos conceſſis bonis humiliat, vt humiliter de ſe ſentientes, maiorum donorum capaces efficiat. Et ſanè ſi Dominus ex beneficiis gratias quærit, etiam humilitatem exquirit; quia licèt gratiarum actio ſit opus gratitudinis, non tamen poteſt ſeparari ab affectu humilitatis. Quamobrem Auguſtinus gratiarum actionem definiens, ait: Deo gratias agere, eſt ſentire, omnia bona à Deo data eſſe, & pro eis ipſum laudare. Et alio loco: Agnoſce te à Deo habere, & ex te nihil habere, vt nec ſuperbus ſis, nec ingratus. Deus itaque nos ſæpe beneficiis onerat, vt ſancta humilitate deprimat, & depreſſos ad faſtigia maiorum donorum attollat. Ad quod propoſitum pulchra eſt ſimilitudo Dorothæi: Vt arbores, ait, cùm multo fructu onuſtæ fuerint, inclinant ramos, & eos plerumque frangunt. Qui autem ramus nullum habet fructum attollitur in altum, & rectus aſſurgit: Si autem (vt à multis expertum eſt) lapis appendatur, inclinetúrque, ne rectus aſſurgat, illico poma parit: Sic anima noſtra, ſi humilietur, ſtatim fructus edit, quantóque plures fructus attulerit, tantò magis humiliatur. Nam viri ſancti, quanto ad Deum propiùs acceſſerint: tanto ſe iniquiores agnoſcunt.] Attende quàm verum ſit, quòd Deus te beneficiis ad humilitatem trahat, & quo pacto ex exaltatione tua, animi ſubmiſſionem, ſine qua omnis exaltatio periculoſa eſt, elicere curat. Nam & beneficia in homines confert, vt glorificetur in eis. Quam verò gloriã illi conferes, ſi humilitate poſtpoſita, dona eius tua merita exiſtimes, & tibi per ſuperbiam aſcribas?

Eſther 3. 1. *1. Timot. 1. 12.* *Aug in epiſtolã ad Rom. In Pſal. 85.* *Doroth. doct. 2.*

Ipſa quoque vitæ longæuitate Deus nos ad humilitatem inducit. Sicut enim adoleſcentia experimento caret, ita & matura ætas, ac multò magis ſenectus eſt experientiæ parés atque magiſtra. Ideóque Deus, miſericordia motus, ſolet aliquando iuſtorum vitam protrahere, vt ſuam infirmitatem quaſi manibus tractent, & ex infirmitatis ſuæ cognitione ad ſui deſpicientiam veniant, & ex hac deſpicientia ac humilitate ad dona, quæ in adoleſcentia non ſunt conſecuti, conſcendant. O quàm ſæpe multis annis nititur homo in ſummo virtutis ſe ponere, & in imo ſe reperit, conatur per orationis ſtudium, & contemplationis exercitium familiaris eſſe Deo,

& ab eo, quod optat, excluditur; dicitque non ſine
Iſaia 38. 12. dolore: Dum adhuc orditer, ſuccidit me:] donec experientia propriæ imbecillitatis doctus, incipit ſe ipſum deſpicere, & de ſuis conatibus deſperare. Tūc ſine conatu, ſine labore quod diu optauerat, accipit, & cœleſtium donorum, à quibus ſuperbus exclusum ſe viderat, humilis factus ſe poſſeſſorem videt. Hic profectò diu fortaſſe vixit, vt ſcientiam humilitatis annorum diuturnitate diſceret, & per eam quaſi per ianuam ad obtentionem magnæ virtutis intraret. In quo verum eſt, quòd Deus eum vitæ longitudine ad humilitatem vocauit, & per experimentum humanæ infirmitatis bonorum deſideratorum diuitem fecit. Dicat ille, gratias pro tanto beneficio
Iob. 10. 12. agens Domino: Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.] Vitæ quippe protelatio illi tribuita eſt; & miſericordia, qua ſe ipſum agnoſceret, prærogata, vt benigna Dei prouidentia eum ab ſpiritu ſuperbiæ cuſtodiens, & liberans, copia cœleſtium donorum imbueret. Vel ſpiritus eius eſt à prouida Dei viſitatione cuſtoditus, cùm in ipſa attributione donorum Deus in homine ſpiritum humilitatis & propriæ notitiæ cuſtodit.
Greg. 9. mor. c. 19. Nam ſi dona præſtat, vt verbis Gregorij vtar, ſed hunc ſpiritum continuè reſtaurando non ſubleuat, citiùs bonum perditur, quod non à largiente cuſtoditur. Et fortè huc trahi poteſt illa eruditio vi
Iob. 33. 16. rorum, de qua idem ſanctus Iob ait: Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina.] Vt auertat hominem ab his, quæ fecit, & liberet eum à ſuperbia. Priùs enim Dominus quos diligit viros, aut ætate, aut ſaltem ſenſu, & maturitate facit, & tunc in quieto orationis ſomno erudit eos, & inſtruit ſui ipſorum notitia ac humilitatis diſciplina, vt & mala ab illis priùs geſta corrigat, & à ſuperbia, quæ ſolet naſci ex bonis, eripiat. Profectò idem Beatus Pater Gregorius diſciplinæ nomine compunctionem, nos ad humilitatem, & modeſtiam, ac ad ſubmiſſionem trahentem, intelligit. Cuius cauſſas
Greg 23. mor. c. 13. edicens, ſic ait: Quattuor ſunt qualitates, quibus iuſti viri anima in compunctione vehementer afficitur. Cùm aut malorum ſuorum reminiſcitur, conſiderans vbi fuit, aut iudiciorum Dei ſententiam metuens, ſecum quærens, cogitat vbi erit, aut cùm mala vitæ præſentis ſolerter attendens, mœrens conſiderat vbi eſt: aut cùm bona ſupernæ patriæ contemplatur, quæ quia nondum adipiſcitur, lugens conſpicit vbi non eſt.] His conſiderationibus Deus viros erudit, & in humilitate ſtabilit, vt vita ipſa naturalis illis ad humilitatem ſeruiat, qua parati ampliora dona recipiant.

His etiam, quæ legimus, & quæ audimus, faciente Deo, ad humilitatem vocamur. Nihilque eſt non ſolùm viſu, aut audita, verùm & aliis viribus mentis perceptum, quod non humilitatem prædicet, noſtrámque vilitatem annuntiet. Quid legis, ô homo, quid audis? An geſta Saluatoris tui? Sed nihil eſt in eis, quod non à te humilitatem extorqueat. Nam
Ioan 9. 15. ille [in hoc iudicium, & in hunc mundum venit, vt qui non vident videant; & qui vident cæci fiant.] Vt nimirum hi, qui ſui ipſorum & Dei notitiam non habebant, ea fruerentur, & qui per ſuperbiam putabant ſe videre, & medicum cæcitatis reſpuebant, magis ac magis excæcarentur. Quid audis? An inſignia Sanctorum opera? Sed illis ad humilitatem incitans. Nam ſi cum Sanctis te conferas, quaſi minimus pulex coram gigantibus apparebis. Dicéſque quod locuti ſunt filij Iſraël, non ſicut illi vano timo
Numer. 13. 34. re, ſed veriſſima humilitate commotus: Vidi viros de genere giganteo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur.] Quid audis, & legis? An ſceleſtiſſima impiorum facinora? Sed illis non minùs quàm ſtudioſis Sanctorum operibus ad humilitatem impelleris. Quia nihil mali ab impiis geſtum eſt, quod tu per conſenſum, aut per opus non feciſſes, ſi te gratia tui Saluatoris deſeruiſſet. Quid tandem legis? An naturæ opera, an gratiæ beneficia, an gloriæ iuſtis ſeruata præmia? Sed hæc omnia te ad humilitatem prouocant, quia naturæ bonis abuſus es ſæpe; quia gratiæ dona millies dilapidaſti; quia te indignum æterna vita feciſti. Deus ergo curat, vt vniuerſa, quæ legis, & audis, aut alio ſenſu percipis, te ad humilitatem & tui deſpicientiam inſtigent. Sapientérque Baſilius animaduertit, ita nos à Deo fuiſſe formatos, vt quicquid circumſpexerimus, nos ad humilitatem trahat, & propriæ vilitatis admoneat. Quo demum tempore, inquit, tui obliuiſci poteris? Tui tunc obliuiſcere, cùm te è terra ſubmoueris. *Baſil. hom. 11. examer.* Quòd ſi te è terra ne momento quidem ſubducis (coaluiſti enim terræ, & concreuiſti, ſuper terram ingrederis, acquieſcis terræ, téque in ea oblectas, delitigas pro terra, quicquid denique facias, ſit id magnum, aut certè perexiguum, id omne in terra facis) nimirum è vicino habes, quod te tuæ commonefaciat humilitatis. Vnicuipiam es iniurius, & incandeſcis? vnde tibi ira hæc impotens? Ignominia te aſperſit aliquis? Non ſuſtinuiſti audire: ignobilis. Dicto hoc ocyùs acriore ira efferbuiſti? Quàm quæ audiſti, atrociora contendis regerere? Demitte oculos, & conquieuit indignatio. Inſpecta humo fac tecum reputes, me, qui è terra factus ſum, dixit ignobilem: minùs obiecit quàm ipſe ſum. Neque enim exprobrauit terram, è qua ſumptus ſum, ſed hominem, qui me genuit. Vnus quiuis homo animatus, quanto eſt terra præſtantior, quæ proculcatur pedibus? In eam mihi antiquam matrem, nempe terram, intendo oculos, quo fit, vt non iam contumeliæ loco habere debeam, quòd à ſeruo ſim prognatus. Honoris enim eſt, quòd factus ſum hac anima inſignis & cohoneſtatus, exiſtimat autem iſſe atroci affeciſſe me contumelia, neſcius quanto per eam plus mihi conciliauerit honoris. Meæ enim conſcius naturæ, quis ſim, probè noui, ſimul & vnde ſim. Ad eam conſiderationis formulam, ſi factos nos eſſe de terra meminerimus: humilis hæc, & deiecta de nobis cogitatio nullo vnquam tempore ſinet iræ impetum plus æquo excitari. Rationem itaque mam adimuer, & auxilietur terra ipſa nuſquam non præſens, téque primigeniæ originis commonefaciens. Ad neſcio quam vilem concupiſcentiam ſi continget excurrere te; fac ſubeat mentem tuæ hunc emigrationis articulus. Horam tui corporis in terram reſoluendi, ſi ad mentem aduocaueris; mox ea ſedabitur eiuſmodi maleſuada & vaſanens concupiſcentia. Terra es, & in terram abibis. Cogites, volum, membra hæc tua, quæ nunc velut ſubſultant, ardore accenſa libidinis, poſt aliquantum defutura eſſe, ipſis nimirum diſſolutis membris, & in terram reſolutis. Fac naturæ memineris, & ecce omnis illa ad improbitatem ſectandam affectio peſſum ibit. Ingis hæc cogitatio ſalutare quoddam amuletum eſt aduerſus quodcumque peccatum.] Hactenus Baſilius. Et ſicut hæc noſtra terrena ſubſtantia nos humiliat & deiicit: ita quæcumque alia ad intimam conſiderationem adducta, humilitatem noſtrique contemptum parturiunt. Nam ſi illa maiora ſunt, vt ſunt Angeli, vel homines ſanctitate, aut literis, aut alia re quapiam eminentiores, ſatis nos deprimunt; ſi verò minora ſunt, dum illis abuſi ſumus, aut comparatione illorum inflati ſumus, etiam nos vſque ad pro-

fundum

fundum deiiciunt. Si enim inſania eſſet, ſi ex eo quòd culicem natura ſuperas, ſuperbires; cur non inſania ſit, ſi ex eo efferaris, quòd alium hominem honoribus aut aliis donis excellas, quæ omnia ſunt ſatis exigua? Vocat ergo nos Deus ad humilitatem per lectorem, vocat per tractatorem, quia vniuerſa, quæ audimus, quæ legimus, quæ tractamus, ſunt humilitatis incitamenta, & humanæ vilitatis indicia.

Sed quid dicam de intimis cogitationibus à Deo immiſſis, quibus nos ad mentem humilem aduocare curat? Equidem puto eas tantas eſſe, & tam manifeſtas, vt nullus, quantumuis ignarus, eas valeat ignorare. Verè, ô homo (vt nunc in alio ſenſu verba Michææ vſurpẽ) [humiliatio tua in medio tui,] (Michæa 6.14.) quia tu corde tuo non rarò, ſed frequentiſſimè, non B aliquo vitæ tempore, ſed ſemper verba Dei audis, quæ te ſtatuant ante faciem tuam, & tuam vilitatem aperiant. Si te Deus per immiſſam cogitationem de peccatis reprehendat, habes vnde mirum in modum humilieris. Nam quid, quæſo, magis humiliet, quàm vox ſummi regis, ſeruum ſuum nequam vocantis, malum & pigrum vociferantis, & vltionis de eo accipiendæ memoriam facientis? Increpas (Nahum 1.4.) ille mare, & exſiccat illud, & omnia flumina ad deſertum adducit;] quia dum nos ob peccata reprehendis, quaſi præ timore areſcimus, & ab omni timore & propria reputatione deficimus. A fortitudine manus tuæ, inquit Dauid, ego defeci in (Pſal. 38. 12.) increpationibus: propter iniquitatem corripuiſti hominem. Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam C eius.] Cùm me variis doloribus & perſecutionibus affligis, ac duris increpationibus propter iniquitates meas corripis, & reprehendis, quidni deficiam, & te iratum conſiderans, præ timore, & meæ vilitatis cognitione tabeſcam? Et ſanctus Ieremias ait: (Thren. 3. 20.) Memoria memor ero imbecillitatis, ſcilicet meæ, & peccatorum, ac miſeriarum mearum, & cùm à Domino huiuſmodi cogitationes accepero, tabeſcet in me humiliabitúrque anima mea.] Si verò Deus ſuorum te beneficiorum commonefaciat, quàm efficaciter hæc cogitatio ad humilitatem adiget, dum te peccatis beneficia rependiſſe, & donis ingratitudine reſpondiſſe cognoueris? Quidni dicas, dum te vides cœleſtibus donis prorſus indignum, quod dixit Iacob: Domine, minor ſum cunctis miſeratio- D (Gen. 32. 10.) nibus tuis, & veritate tua, quam expleuiſti cum ſeruo ſuo.] Verè minor, id eſt, indignus: quoniam ſi ob peccata mea indignationem tuam, ac acerbiſſimas pœnas ſum commeritus, quomodo vel minima gratia, aut exiguo beneficio dignus exiſtam? Si tandem Deus te de agendis & omittendis admoneat (nam ad hæc tria cogitationes à Deo immiſſas reuocare libet) quàm copioſa ſeges humilitatis ſe offert. Intelligis namque te agenda ſæpe prætermiſiſſe, & non agenda ſæpius perpetraſſe. Sentis te ad bona facienda ignauum & tardum, ad vetita diligentem & pronum. Experiris te virtutis opera auerſantem, vitia peccatáque diligentem. Væ qui (Iſa. 45. 9.) contradicit fictori ſuo, teſta de ſamiis terræ.] Væ tibi teſta viliſſima, lutum fragiliſſimum, qui voluntati E Domini reluctaris, & ad oppoſitum eius, quod præcipit, ſæpe manus extendis. Væ tibi, ſi non humilitate veſtiaris, quia nihil ſapienter cogitabis, quod non te deiiciat, & tibi præceptum humilitatis indicat.

Cui verò hæc non ſufficiunt, Deus eum flagellis, & tribulationibus, & malis humiliat, vt ſi non miſeratio, at tribulatio à nequitia ſuperbiæ liberet, & tribuat intellectum auditui. Intelligebat hoc Iu-A dith, quæ cum populo Dei in tribulatione conſtituta, vt à vaſtatione liberetur, remedium humilitatis aſſumit. Humiliemus, inquit, illi animas noſtras, & (Iudith 8. 16.) in ſpiritu conſtituti humiliatu, ſeruientes illi, dicamus flentes Domino, vt ſecundùm voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum.] Intelligebátque Eliu apud Iob, qui (Iob. 33. 25.) inter alia de viro iuſto à Deo percuſſo inquit: Conſumpta eſt caro eius à ſuppliciis, reuertatur ad dies adoleſcentiæ ſuæ.] Vt ſcilicet qui proſperitate ſuperbierat, & ab humilitate ſtatus innocentiæ diſceſſerat, doloribus eruditus, ad florem illius ſpiritualis adoleſcentiæ, in qua Deo ſubdebatur, redeat. Multiplici autem flagello iuſti ad humilitatem reuocantur. Nam aliquando doloribus, angoribus, ægritudinibus, perſecutionibus, & aliis aduerſitatibus atterit eos Deus, B vt humiliter de ſe ſentiant, & ſuam imbecillitatem aduertant. Ob hanc cauſam Agar afflicta à Sara eſt, & fugæ, ac quaſi exilij incõmoditates experta. Quare monetur ab Angelo: Reuertere ad dominam (Gen. 16. 9.) tuam, & humiliare ſub manu illius:] vt ſcilicet humilitatis itinere ſecura domum tuam repetas, & ab heræ percuſſionibus libereris. Et Salomon ait: Ante- (Prou. 18. 12.) quam cõteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur.] Ac ſi diceretur, contritus & afflictus eſt homo, quia ſeipſum per ſuperbiam extulit, vnde vt à malis liberetur, & ad antiquam proſperitatem redeat, neceſſe eſt vt ſeipſum humiliet. Ad hoc autem referre poſſumus quod Auguſtinus ait, minimas creaturas, hominique moleſtas, à Deo fuiſſe conditas, vt ipſius hominis ſuperbiam repri- C merent. Nam propter ſuperbiam, inquit, inſtituit (Aug. tra. 1. in Ioã.) Deus iſtam creaturam minimam & abiectiſſimam, vt ipſa nos torqueret: vt, cùm ſuperbus fuerit homo, & ſe iactauerit aduerſùs Deum: & cùm ſit mortalis, mortalem terruerit, & cùm homo ſit, proximum hominem nõ agnouerit, cùm ſe erexerit, pulicibus ſubdatur. Quid eſt quòd te inflas humana ſuperbia? Homo tibi dixit conuicium, & tumuiſti, & iratus es: pulicibus reſiſte, vt dormias. Cognoſce qui ſis. Nam vt noueritis, fratres, propter ſuperbiam noſtrã domandam, creata iſta, quæ moleſta nobis eſſent: populum Pharaonis ſuperbum potuit Deus domare de vrſis, de leonibus, de ſerpentibus. Muſcas & ranas illis im- (Exod. 8. 6.) miſit, vt rebus viliſſimis ſuperbia domaretur.

Illi verò, quibus temporalis afflictio ad humilita- D tem non ſufficit, ſolent diuino flagello puniri, dum quibuſdam defectibus ſubiacere ſinuntur, quos maximè cupiunt euitare. Vt ſcilicet videntes ſe leui tentatione victos, & modica culpa, quã horrebant, proſtratos, ſciant ſe virtute puſillos eſſe, & à nimia ſui præſumptione recedant. Huius rei teſtis omni exceptione maior ſit Beatus Gregorius; qui Diaconum ſuum alloquens, ſic ait: Magna eſt, Petre, omnipotentis Dei (Greg. 3. dialog. c. 14.) diſpenſatio, & plerumque contingit, vt quibus maiora dona præſtat, quædam minora non tribuat, vt ſemper eorum animus habeat vnde ſeipſe reprehendat, quatenus dum appetunt perfecti eſſe, nec poſſunt, & laborant in hoc, quod non acceperunt, nec tamen elaborando præualent, in his, quæ accepta habent, ſe minimè extollant; ſed diſcant, quia ex ſeipſis maiora bona non habent, qui in ſemetipſis vincere E parua vitia atque extrema non poſſunt. Hinc eſt enim quòd perducto Dominus ad terram repromiſſionis populo, cunctos fortes, atque præpotentes aduerſarios eius extinguens, Philiſtæos atque Chananæos diutiùs reſeruauit, vt ſicut ſcriptum eſt: In eis (Iud. 3. 4.) experiretur Iſraël,] quia nonnunquam, vt dictum eſt, eis etiam, quibus magna dona tribuit, parua quædam reprehenſibilia relinquit, vt ſemper habeant contra quod bellum gerant, & deuictis magnis ho-

ſtibus, mentem noo erigant, quando eos adhuc aduerſarij etiam minimi fatigant. Fit itaque vt miro modo vna, eadémque mens & virtute polleat, & ex infirmitate laſſeſcat, quatenus & ex parte conſtructa ſit, & ex patte ſe cooſpiciat eſſe deſtructam: vt per bonum, quod quærit, & habere non valet, illud ſeruet humiliter, quod habet.] Hæc Gregorius. Et in eandem ſententiam Bernardus putat concupiſcentiam in nobis eſſe relictam in ſuperbiæ remedium, & leuia delicta permiſſa. Eius verba ſunt:

Bernar. Sicut de concupiſcentia diximus, quòd licèt damnationem abſtulerit, quia iuxta Apoſtolum, nulla damnatio eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Tamen ad humiliandum nos ipſam adhuc patitur viuere in nobis, & grauiter affligere nos, vt ſentiamus quid nobis gratia præſtet, & ſemper ad illius auxilium recurramus. Sic & de minoribus iſtis peccatis pia diſpenſatione nobiſcum agitur, vt non penitus auferantur, ſed in illis nos erudiat Deus, vt cùm minima cauere non poſſumus, certi ſimus, quòd non noſtris viribus maiora ſuperemus, ſempérque timorati, & omnino ſoliciti ſimus, quomodo eius gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter neceſſariam eſſe ſentimus.

Si verò quis nec per afflictiones, nec per leuium defectuum permiſſionem ad humilitatem trahatur, iam ſinitur in apertam iniquitatem cadere, vt manifeſtum peccatum abſconditam ſuperbiam detegat, & homo, qui cecidit, humilitatem, qua carebat, habere contendat. Audiamus aliquos ex patribus de hac re loquentes. Laurentius Iuſtinianus inquit:

Iuſtin. in ligno vitæ, tractatu de humilit. c. 6. Fatendum igitur eſt, ſuperbis vtile eſſe cadere in aliquod apertum & manifeſtum peccatum: vnde per humiliantem infirmitatem ſibi diſpliceant, qui antea ſibi placebant, dum ſtarent. Salubriùs enim Petrus ſe infirmum conſpiciens, humiliauit ſe, quando fleuit: quàm ſibi applauſit, quando præſumpſit. Hoc

Pſal. 82. 17. proteſtatur Pſalmus, dicens: Imple facies eorum ignominiâ, & quærent te Domine.] Oportet namq; humiliter ſentire de ſe nitentem ad ſuperiora & altiora: ne dum ſupra ſe attollitur, cadat ad ſe, niſi in ſe firmiter per veram humilitatem fuerit ſolidatus. Et quia niſi humilitatis merito maxima minimè obtinentur; propterea, qui prouehendus eſt, correptione humiliatus, humilitatem meretur. Gregorius verò

Greg. 32. mor. c. 11. ſic ait: Nonnulli enim per accepta dona virtutum, per impenſam gratiam bonorum operum, in ſuperbiæ vitium cadunt, ſed tamen quò ceciderint, non cognoſcunt. Proinde contra eos hoſtis antiquus, quia iam interiùs dominatur, etiam exteriùs ſæuire permittitur: vt qui in cogitatione elati ſunt, per carnis luxuriam proſternantur. Scimus autem quia aliquando minus eſt in corporis corruptionem cadere, quàm cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare: ſed cùm minùs turpis ſuperbia creditur, minùs vitatur. Luxuriam verò eo magis erubeſcunt homines, quo ſimul omnes turpem nouerunt. Vnde fit plerumque, vt nonnulli per ſuperbiam in luxuriam corruentes, ex aperto caſu malum culpæ latentis erubeſcant, & tunc etiam maiora corrigunt, cùm proſtrati in minimis, grauiùs confunduntur. Reos enim ſe inter minora conſpiciunt, qui ſe liberos inter grauiora crediderunt. Pia ergo Domini diſpenſatione laxatus nonnunquam Behemoth iſte, de culpa ad culpam trahit, & dum plus percutit, inde eum, quem ceperat, amittit: atque vnde viciſſe cernitur, inde ſuperatur. Conſiderare libet intra munitum gratiæ ſignum, quanto Deus fauore miſericordiæ nos continet. Ecce qui de virtute ſe extollit, per vitium ad humilitatem redit: qui verò acceptis virtutibus extollitur, non gladio, ſed (vt ita dixerim) medicamẽto vulneratur. Quid eſt enim virtus, niſi medicamentum? Et quid eſt vitium niſi vulnus? Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit ille de vulnere medicamentum: vt qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos namque virtutum dona retorquemus in vſum vitiorum: ille vitiorum illecebras aſſumit in artem virtutum, & ſalutis ſtatum percutit, vt ſeruet: vt qui humilitatem currentes fugimus, ei ſaltem cadentes hæreamus.

1. Reg. 3. 11. Hoc igitur eſt terribile [verbum factum in Iſraël, quod quicumque audierit, tinniẽt ambæ aures eius,] vt qui ſuaui medicamine, qualis eſt afflictio, qualis etiam fortè eſt leuis defectus, ad humilitatem non inducitur, acerbiſſimo hoc remedio curetur. Tãtum enim bonum eſt, humilitas, & tam impensè eam Dominus in nobis deſiderat, vt etiam iniuriarum ſuarum permiſſione (quæ ſumma mala noſtra ſunt) homines in via humilitatis erudiat. Hoc eſt illud medicamen, de quo Baſilius ait: Atque illud etiam ſcire

Baſil. reg. breu. 81. conuenit, peccata religioſorum virorum plerumque etiam euenire ex conſilio Dei, ad ipſorum vtilitatem. Cùm videlicet Deus eos labi interdum permittat, ad ſanandam aliquam animi eorum elationem,

Matt. 26. quæ præceſſerit, cuiuſmodi eſt, quod Petro dictum eſt, & in ipſo etiam contigit.] Medicamen (quod vix credibile eſt) vtile ſuperbis hominibus; quia licèt malum ſit illis, cadere, bonum tamen & vtile eſt, per medicinam quoque acerbam & amaram, à peccato ſuperbiæ liberari. Vnde Auguſtinus ait: Et ideo audeo

Aug. lib. 14. de ciuit. Dei. dicere ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertum manifeſtúmque peccatum, vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus ſibi diſplicuit, quãdo fleuit, quàm ſibi placuit, quan-

Pſal. 82. 17. do præſumpſit.] Hoc dicit & ſacer Pſalmus: Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum, Domine;] id eſt, vt tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui ſibi placuerant, quærendo ſuum.] Hæc Auguſtinus. Ex quo conſtat, non ſolos peccatores, ob ſuperbiam & elationem, à Deo deſeri, vt in grauiſſima peccata labantur, ſed iuſtos etiam eadem ſeueriſſima, ſi per ſuperbiam efferantur, pœnâ mulctari. De illis inquit Paulus: Propter quod, id eſt,

Rom. 1. 24. propterea quòd cùm Deum cognouiſſent, non glorificauerunt eum, nec ei gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis,] & cætera, quæ

Galat. 6. 1. ſequuntur. His autem inquit idem Apoſtolus: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.] Viros ſpirituales, id eſt, Dei cognitione & amore pollentes, vitámque ſpiritualem ſectantes alloquitur. Illis verò quid dicit? Sanè vt cùm fratrem cecidiſſe deprehenderint, cùm ad eum corrigendum acceſſerint, ne propriæ infirmitatis obliuiſcantur. Sciant ſe potuiſſe in idem crimen incidere, & hac cogitatione correcti, iram temperent, & delinquentem non ſine lenitate & miſericordia corripiant. Si aliter fecerint, fortaſſis tentabuntur, & in tentationem inducentur, vt ſuperbiam in contemptu fratris admiſſam ſimile, aut maius peccatum puniat, permittente Deo, vt qui ſe grauiter peccaſſe per ſuperbiam quaſi ignorabat, in graue, & ignominioſum peccatũ cadat. O acerbiſſimum humilitatis habẽdæ remedium! quàm apertè manifeſtas, Deũ in nobis maximè humilitatem optare, cuius cauſſa bona ſupernaturalia gratiæ & charitatis in iuſtis perire ſinit, & vt humilientur, ex amicis ſuis ſeruos diaboli, & mancipia impuriſſimorum affe-

ctuum

ctuum fieri permittit. Quis non timebit te, ô rex gentium? Quis iam non intelliget, tuam voluntatem, noſtram eſſe humilitatem?

Alia tandem via eſt multo deſiderabilior atque fœlicior, qua Deus homines ad humilitatem incitare curat; ea autem eſt infuſio intimæ conſolationis. Nam pius ille Dominus, qui animas ſanctas conſolatur in ſecreto orationis, non vt eas perdat, ſed vt magis magiſque ſanctificet, ita immiſſa luce ſuam benignitatem, & hominis indignitatem oſtendit, vt homo quo ampliùs recipit, veriùs ſe humiliet, & diuinis illuſtrationibus indignum exiſtimet. Quod quidem fuit Iſaiæ ore nunciatum: Omnis, ait, vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur.] Ille ſcilicet, qui infimus eſt & paruulus, beneficio Dei, & gratiæ, ac donorum infuſione exaltatus, mons magnus virtute fiet. Hic autem mons factus abundantia diuinæ conſolationis, dum humilitate creuerit, ex accepta conſolatione in maiorem perfectionem aſſurget. Nam cùm feceris mirabilia, Domine, vt ait idem Propheta, non ſuſtinebimus; à facie tua montes defluxerunt.] Quænam ſunt iſta mirabilia, niſi quòd tu Deus deorum, Domine, ad nos puſillos, & nullius pretij deſcendas, quòd ad nos in abdito cordis loquaris, quòd delicias tuas eſſe nobiſcum reputes; quòd nos deſiderio humanæ conſolationis vacuos, vix credibilibus, ab his, qui experti non ſunt, conſolationibus repleas: Cùm hæc feceris, quis ſuſtinebit? Quis Quantumuis mons, Quantumuis ſanctus, atque perfectus, non liquefiet? Quis non præ humilitate, quis non præ ſui abiectione deficiet? Si de ſorſum ſuper nos lapis, aut ſagitta veniat, quaſi naturaliter contrahimur, & cadimus in terram, & ſic abſque læſione nos manſuros putamus. Ita cùm radius, aut fulmen diuinæ conſolationis de ſupernis ad nos deſcendit, erudiente nos Deo, humilitate deprimimur, vt ſine periculo tā ineffabili dono perfruamur. De hac humilitate Bonauentura illud Eccleſiaſtici interpretatur: Tripliciter ſol exurens mōtes, radios igneos exufflans, & refulgens, radiis ſuis obcæcat oculos.] Spiritus enim diuinus, vel eius cōſolatio exurit montes tripliciter, quia memoriā ſanctis cogitationibus replet; illuminat intellectum, & inflammat voluntatem. Claritate autem ſua obcæcat oculos: nam aucta in nobis luce cœleſti, quę quàm parum ſciamus, & ſimus, aperit, omnis antea concepta præſumptio laſſeſcit. Cùm ergo prope Dominum nos eſſe cognoſcimus, cùm eius præſentia conſolamur, tum Babylon ſuperbiæ cadit, & omnis elatio & arrogantia diſcedit. Tunc Angelus diuini inſtinctus ad nos venit, & piſcinam cordis noſtri mouet, vt ab omni timore ſanemur. Tunc vnus de Seraphim volans ad nos, calcolo amoris Dei non ſolam linguam, ſed & cor tangit, vt dum exteriùs verba humilis confeſſionis proferimus, interiùs de nobis ipſis humiliter ſentiamus. Et certum eſt apud Patres, ac conſtitutum, conſolationem, aut illuſtrationem, quæ ſuſcipientem non humiliat, ſed in ſuperbiam erigit, non à Deo, ſed à malo ſpiritu proficiſci. Eámque non veram, ſed falſam conſolationem eſſe, quam ad intentum noſtrum nouit diabolus ſimulare, & veræ conſolationis quaſi obducto colore contegere. Si itaque tot modis nititur Deus iuſtos ſuos ad humilitatem pertrahere, & tam admirandis ac variis itineribus ad ſui ipſorum cognitionem adducere; quis non intelligat hanc virtutem eſſe Deo amabiliſſimam, nobiſque apprimè neceſſariam, ſine qua nec bene cœleſtibus donis, nec vitæ diuturnitate vtimur: nec quæ rectè cogitamus, quæ legimus, aut audimus, probè intelligimus, nec flagellis, aut conſolationibus ad ſalutem erudimur?

Iſaiæ 40. 4. — *Iſaiæ 64. 3.* — *Eccl. 43. 4.*

Quòd Humilitas, eſt magna ſapientia.

CAPVT VII.

HIs, quæ dicta ſunt, lectis & animo comprehenſis, ſtatim quæſtio humanum intellectum pulſat, quare Deus tam auidè in nobis humilitatem quærat, & virtutem hanc quaſi præ omnibus aliis ſitiat? Quare ille, qui excelſus eſt, & ſublimis, à nobis non celſitudinem mentis, ſed abiectionem, non ſublimitatem, ſed humilitatem exquirit. Huius rei non vnam tantùm, ſed multas cauſſas, dum eam inueſtigamus, inuenimus. Ac prima ſit, humilitatem, magnam eſſe ſapientiam, quæ homines à cæcitate & caligine ignorationis abſtrahat, & in clariſſima quadam luce conſtituat. Chriſti Saluatoris noſtri munus præcipuum fuit, homines ſapientes facere, ab erroribus eripere, & viam illos veritatis edocere. Nam ille, qui verbum Patris eſt, quid in cordibus noſtris niſi verba veritatis infundet? Ille, qui ſapientia eſt Dei omnipotentis, quid nobis niſi ſapientiam inſtillabit, & ad viam prudentiæ arripiendam inducet? Audi Iſrael mandata vitæ:] & quis erit huius laboris fructus? Auribus percipe, vt ſcias prudentiam.] Ipſe Chriſtus, eſt [vita noſtra,] vt ait Paulus, cuius mandata hoc habent, vt homines de itineribus prudentiæ ac ſapientiæ erudiant. Iuxta illud, quod de teſtimoniis ipſius Domini ſcriptum eſt: Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.] Et iterum: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.] Meritóque idem ſanctus Propheta munus iuſti autumat conſiderare, & loqui ſapientiam. Os iuſti, inquit, meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex Dei eius in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus eius.] Ita profectò eſt. Nam ſi os interius iuſti, id eſt, mens eius fuerit ſapientiam meditata; ſi verba iuſta, & diuinæ voluntati conformia ipſe fuerit eloquutus: Si amorem ſuum in lege Domini collocauerit, & amorem terrenorum repulent, tunc in via, quam in cœlum tendens conficit, non cadet, nec eum aſtus aduerſarij decipiet. Quid amplius? Ioannes præcurſor Domini eius aduentum præceſſit, [vt conuerteret corda patrū in filios,] id eſt, mores ſanctorum patrum ad iniquos filios transferret, [& incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam.] Ex quo habemus iuſtorum prudentiam, ſiue ſapientiam, homines perfectos facere, & ad imitationem Sanctorum adducere. Quæ cùm ita ſint, Chriſtus, qui [in hoc natus eſt, & in hoc venit in mundum, vt teſtimonium perhiberet veritati,] hoc à nobis exigit, vt veritatem ab ipſo traditam teneamus, & veram ſapientiam ab ipſo reuelatam addiſcamus, & repellentes ſtultitiam ac cæcitatem, in conſpectu eius ſapientes ſimus. Quia ergo humilitas, ſapientia eſt, & hæc ipſa ſapientia quam Chriſtus docturus advenit, ideo in nobis tam ſolicitè humilitatem curat, ſine qua doctrinæ ſuæ vacui manemus, & legis ſuæ transgreſſores efficimur.

Baruch. 3.9. — *Coloſſ. 3. 4.* — *Pſal. 18. 8.9.* — *Pſ. 36.30.* — *Lucæ 1. 17.* — *Io. 18 37.*

Humilitatem autem eſſe ſapientiam, inde profectò colligitur, quòd ſi ſuperbia ſtultitia eſt, abſque vlla ambiguitate humilitas illi oppoſita ſapientia eſt. Quis autem ignoret, aut ſi attentè conſideret, non planè videat, ſuperbiam neque latum vnguem à ſtultitia & ſtoliditate diſtare? Stultus ſe ipſum, & eos quibuſcum conuerſatur, ignorat; & ſuperbus nec

A ſe ipſum, nec alios agnoſcit. Non quidem agnoſcit ſe ipſum; nam de quodam ſuperbo ait Dominus: *em 48.* Ego ſcio iactantiam eius, & quòd non ſit iuxta eam virtus eius, nec iuxta quod poterat, conata ſit facere.] Quod verò de ſuperbo Moab dictum eſt, omnibus ſuperbis conuenire certum eſt. Quantum autem ſuperbus alios ignorat, qui dum ſe ipſum cæteris præfert, & Deum quodam modo impotentem, qui nullum ipſo ſuperbo maiorem creare potuit, & alios ſe maiores & meliores, in omnibus minores efficit? Stultus inepta cogitat, & non ratione, ſed ſenſu ad concupiſcendum fertur. Similiter ſuperbus non niſi deliria, & ridicula de ſe ipſo conſiderat, eóſque ſibi optat honores, quos non recta ratio, & adepta virtus illi, ſed falſa perſuaſio propriæ exiſtimationis aſcribit. B Quid cogitabat de ſe Pharao rex Ægypti? *zechiel. 9. 3.* Illud ſanè, quod ſcriptum eſt in Ezechiele: Meus eſt fluuius, & ego feci memet ipſum.] Quid autem Nabuchodonoſor rex Babylonis? Illud certè Danielis: *Danie. 4. 9.* Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?] O egregias ſuperborum cogitationes! Quas ſtultiſſimas eſſe, & non hominum, ſed brutorum Dominus inflicta pœna declarauit, ſiquidem maxillis illius, ſicut equo, aut mulo frænum iniecit, & iſtum inſtar bouis fœnum manducare præcepit. Stultus verba effundit inſipientiæ pleniſſima, quibus alios maledicens, & infamia aſpergens, ſe verò ipſum arroganter iactans, riſum ſibi, & contemptum, ac pœnam conciliat. C De quo Salomon *Prouer. 14. 3.* inquit, In ore ſtulti, virga ſuperbiæ,] quia ſermone ſuo dignus efficitur, vt impoſitis plagis liuidus, & deſolatus relinquatur:, cùm tamen labia ſapientium, quæ modeſtè loquuntur, eos à pœna & malo cuſtodiant. Si in ore ſtulti eſt virga ſuperbiæ, in ore ſuperbi quid erit niſi virga ſtultitiæ, vt ſtultus ex verbis ſuperbus putetur, & ſuperbus ex lingua ſtultus inueniatur? Chryſoſtomus multa congerit ſuperborum verba, quibus ſuam ſtultitiam manifeſtant. *Iſaia. 10. 14.* Vnus eorum dixit: Inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum: & ſicut colliguntur oua, quæ derelicta ſunt; ſic vniuerſam terram ego congregaui, & non fuit, qui moueret pennam, *Iſaia. 14. 13.* & aperiret os, & gannirer.] Alius dixit: In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meũ.] D *Daniel. 3. 15.* Et alius: Quis eſt Deus, qui eripiat vos de manu mea?] Rurſus & alius: Quis eſt Dominus, vt audiam *Exodi. 5. 2.* vocem eius; & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.] Hæc ſunt verba ſtultorum, ſcilicet ſuperborum, vt nemo ambigat, ſuperbos & ſtultos vocibus & loquela nullo modo diſtare. At opera vtrorumque ſimilia omnino ſunt. Sicut enim ſtulti multa temerariè audent, ad quæ vires & talenta non habent: & videbis ſtultum de media plebe ſumptum, qui vult populum regere, aut omnino ignatum, qui in frequentiſſimo populo libentiſſimè incipit concionari: ſic ſuperbi multa aggrediuntur ſibi impoſſibilia; quoniam nec vires propriæ, nec gratia illis ad operandum data, ſed falſa, quam de ſe habent, exiſtimatio eſt agendorum menſura. E Cùm ergo ſuperbi ſint ſtulti, ſuperbia ipſa quoddam genus ſtultitiæ eſt, valde pertimeſcendum, de quo ſapienter *Chryſoſt. hom. 20. ad Rom.* dixit Chryſoſtomus: Quemadmodum corpus, commenſurata complexione amiſſa, intemperatúmque factum, quibuſuis paſſionibus eſt obnoxium: ita & animus poſteaquam prudentiam humilitatémque perdiderit, habitum quendam nactus diuerſum, infirmus, tumidus, temerarius, ac ſtultus redditur, ſéque ipſum deinceps ignorat: quomodo quæ ſupra ſe ſunt, cognoſcet? Quemadmodum enim qui phreneſi la-

A borat, cùm ſeipſum non agnoſcat, neque quæ ante pedes ſunt, nouit. Et oculus cùm ipſe cæcus eſt, omnia reliqua membra in tenebris ſunt: ita & cum arrogantia ſe habet. Vnde & iis, qui natura ſtulti ſunt, miſeriores ſunt arrogantes. Æquè ſiquidem riſum mouent, atque æqua cum illis moleſtia laborant. Sed licèt exorbitent, non aliter quàm illi, eorum tamen nemo miſeretur, quemadmodum illorum. Pariter deſipiunt cum illis, veniam tamen, quemadmodum illi, non merentur, ſed ſolùm exoſi ſunt.] Hæc ille. Alia verò eſt maior huius ſtultitiæ miſeria, multo grauior & infœlicior, quòd ſuperbi ſtultorum pœna digniſſimi, ab hominibus ſæpe nec reprehenduntur, nec caſtigantur, immò potiùs laudibus efferuntur, vt grauiùs & acerbiùs in futura B vita damnentur. Homines enim, ſuperborum metu perculſi, & linguæ eorum ictu perterriti, tutius ſibi putant eos, licèt fictè laudare, quàm indignationi ac morſibus eorum exponi. Vidi impios ſe- *Eccl. 8. 10.* pultos,] ait Salomon, id eſt, vitiis obrutos, aut non vita, ſed morte, & ſepulchri fœtore dignos, qui etiam dum adhuc viuerent, in loco ſancto erant, & tali loco digni cenſebantur, & laudabantur in ciuitate quaſi iuſtorum operum; ſed & hoc vanitas eſt. O quàm inanis vanitas, quam iam propter vſum videndi non admiramur, quòd impij in loco ſancto conſtituantur, non quia digni, ſed quia ſuperbi, & quia procaciùs honores ambiunt, ſéque in functiones humilibus & ſanctis debitas ingerunt! O C quanta Eccleſiæ calamitas, quòd mali omnium calculo contemptibiles, fictè ob metum à plurimis honorentur! Permittit iſta Deus iuſtus & ſapiens, tum ob alias cauſas prouidentiæ ſuæ nobis occultas; tum vt ſuperbi ipſi ampliùs contemptum ſentiant, & abiectionem miſeri ſtatus ſui, quo puniendi ſunt, grauiùs & intolerabiliùs ferant.

Iam manifeſtum eſt, humilitatem huic ſtultitiæ ex diametro oppoſitam eſſe ſapientiam, qua Dei maieſtatem & ſublimitatem agnoſcimus, noſtram verò vilitatem, & infirmitatem aſpicimus; qua alios omnes ſaltem ex eo, quod à Deo habent, nobis præponimus, & ex eo ad minus, quod ex nobis habemus, nos vniuerſis ſubmittimus, qua de rebus noſtris modeſtè loquimur, & aliorum dicta & facta, ſi digna ſint laude, laudamus, ſin minus, ſilentio contegi- D mus: qua denique noſtras vires metimur, & quid auxilij nobis tribuatur, diſcernimus, ne ſupra captum noſtrum aliquid præſumamus. Hæc eſt illa vera fidelium ſapientia, de qua Salomon ait: Vbi erit ſu- *Prou. 11. 2.* perbia, ibi erit & contumelia: vbi autem eſt humilitas, ibi & ſapientia.] Vel vt Hebræa habent. Venit ſuperbia, & venit contumelia: & cum humilibus ſapientia.] Superbiæ comes eſt ignominia & contumelia, quia ſuperbus mirabilia ſupra ſuum captum aggreditur, & dum eis non valet ſatisfacere, ab aliis temeritatis ſtultitiæque damnatur. Incipit turrim ædificare, id eſt, rem magnam aliquam efficere, ſumptibus neceſſariis minimè cõputatis, & cùm eam perficere nequeat, omnes, qui vident, illudunt ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non E potuit conſummare. Humilitatem verò comitatur ſapientia, quoniam humilis à Deo ſapientia donatur, vt in omnibus prudenter ſe gerat, & viribus Dei, non propriis fidens, quod aggreſſus eſt, fœliciter perficiat. Illi, tanquam rerum cœleſtium cognitione digniſſimo, reuelat Deus myſteria Euangelij ſui. Quod Christo materia fuit paternæ laudis, cùm dixit: Confiteor, id eſt, gratias ago, *Matth. 11. 25. 26.* & laudibus extollo te, Pater, Domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc myſteria regni cœle-

ſtis

ſtis à ſapientibus, & prudentibus,] ab his, qui ſuperbe ſe de ſapientia, & prudentia ſæculari iactabant, [& reuelaſti ea paruulis,] iis nempe, qui humilitate, & ſui deſpicientia ſunt paruuli. Ita laudo te, ô Pater, immò & ita ſit, ô amantiſſime [Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te,] & iuſtè placitum, vt ſuperbi ſapientiæ, ſibi falsò arrogatæ, per ignorantiam ac cæcitatem pœnas darent, humiles verò in præmium humilitatis ſuæ, qua ſeipſos deſpiciunt, myſteriorum cœleſtium cognitionem obtinerent. Illos Dominus à ſua conuerſatione repellit, & à vera luce, & ſapientia elongati, ſemper deſipiunt: iſtos in intimam familiaritatem admittit, & ſuorum arcanorum cuſtodes facit, ideóque ſemper ſapiunt. Vtrumque

Prou. 3. 31. B Salomon pulchra oppoſitione coniunxit: Ne æmuleris, inquit, hominem iniuſtum, nec imiteris vias eius: quia abominatio Domini eſt omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius.] Expende tu, ô lector, an ſit aliquis iniuſtior & iniquior ſuperbo, qui non iam hominum diuitias diripit, ſed gloriam & honorem Deo debitum ſuffuratur. Hunc ergo Dominus abominatur, eius conuerſationem execrabilem habet, ab eo ſua ſenſa abſcondit, & in tetra quadam caligine manere permittit. Simplices verò, quos ab humilibus non diſcerno, familiariſſimos habet, ſua eis ſecreta reuelat, & à tali magiſtro ex profeſſo docti, quid ni ſapientiſſimi & illuminatiſſimi efficiantur?

C Hi ſunt profectò minimi illi, qui teſtimonio ſapientis, vniuerſis huius mundi ſapientibus præferuntur.

Prou. 30. 24. 25. 26. 27. De quibus ait: Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus. Formicæ, populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi: lepuſculus, plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum: regem locuſta non habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas: ſtellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.] Hunc locum venerabilis Preſbyter, Beda, de iuſtis intelligit, qui ob humilitatem puſilli vocati ſunt.

Beda ibi. Vnde ſuam ſic interpretationem orditur: Minores videntur in terra ſemper iuſti, quàm reprobi, id eſt, humiliores, & huic mundo abiectiores: ſed tamen ſapientiores ſunt ſapientibus mundi, in eo

D quòd æterna & cœleſtia bona ſapiunt, ac pro his appetendis, quæ illi non norunt, aduerſa quæque ſæculi fortiter pati deſiderant.] Iuſti ergo ob humilitatem, aut veri humiles, & deſpecti in oculis ſuis quatuor animalibus comparantur, quæ ſapientiæ imagine alia animalia præcellunt. Et meritò quidem, quoniam animalia hæc proprietatibus ſuis humilium qualitates exprimunt. Formicæ puſillæ ſunt corpore, magnæ viribus, quæ onera duplo maiora ſe portant, populúſque infirmus vocantur, quoniam ad maiora animalia collatæ imbecilles eſſe videntur. Hæ latebras amant, & nonniſi ad aliquid neceſſarium exeunt. In æſtate cibaria parant, & in cellis promptuariis à ſe factis recondunt.

E Morſu ſecant, ne renaſcantur: madefacta ſereno cœlo, ne putreſcant, in medium proferunt: noctibus diebúſque laborant, & mutuò ſe iuuant, vt vicaria ope ditiores euadant. O magnam ſapientiam puſillorum animalculorum, quam humilis non à formicis, ſed à Deo ipſo humilium præceptore hauſit! Ille externa ſpecie paruus eſt, nec enim reſiſtit malo; immò [ſi quis

Matth. 5. 39. percutit illum in dexteram maxillam, præbet ei & aliam] cui ab hominibus laudari non placet, ſed virtute magnus, qui in Deo confiſus, ardua ac difficilia, ſi ad ea vocetur, abſque vlla trepidatione præſumit. Libenter abſconſus manet, ſed ſi gloria Dei ac proximorum vtilitas poſtulet, in publicum prodire, & inter magnos huius mundi loqui non metuit. Dum vita comes fuerit, quæ ſibi pro æſtate conceditur, dum ſe pauperem putat, merita parat, quibus in hyeme mortis diteſcat. A meritis ſuis omnia ſuperflua, & vanæ oſtentationi ſeruientia reſecat, ne germen inanis gloriæ pullulaſcat. Si opera, quæ fecit, aliquas imperfectiones habeant, conſumendas iuſtitiæ Soli præſentat. Semper laborat, quia nunquam ſe ſatis perfectum exiſtimat. Et iuuari ab aliis non refugit, quia in rectè factis nullum ſibi honorem inquirit. Annon videtur tibi iſte ſapientior mundi ſapientibus, cui tanta congregandorum meritorum acceſſit induſtria?

At ampliores ſapientiæ diuitias congregauit, quas lepores, vel cuniculi, vel erinacij deſignant. Hæc enim animalia ſuam (docente natura) infirmitatem agnoſcunt, & ideo in tutiſſimas petrarum cauernas ſe recipiunt, vt ſe à fortioribus tueantur. Hos quoque imitatur humilis, verè lepuſculus plebs inualida, qui proprias iniurias non vlciſcitur, nec mundi ſolicitudinibus oneratur. At collocat in petra cubile ſuum. Nonne Chriſtus petra? Et quidem firma ſatis & tuta, aduersùs quam omnes inferi poteſtates præualere non poſſunt. Humilis hanc petram inhabitat, in ea nidum ſuum collocat, vt quas, ceu ſedula formica, diuitias congeſſit, ab aduerſariis eas volentibus deprædari defendat. Cuiuſdam humilis vox eſt: Dominus petra mea, & robur *2. Reg. 22. 2. 3.* meum, & ſaluator meus. Dominus fortis meus, ſperabo in eum: ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ: eleuator meus, & refugium meum, ſaluator meus, de iniquitate liberabis me.] Qui *Pſal. 30. 3. 4.* & alio loco ait: Eſto mihi in Deum protectorem: & in domum refugij, vt ſaluum me facias. Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.] Hæc eadem humilis quiſque proclamat: Mihi fugienti, tu Domine, petra es, in qua conſiſto; mihi trepidanti arx munitiſſima es, cuius protectionis muris cingor, atque defendor: mihi opem imploranti liberator es, cuius inuicta potentia ab vnguibus leonum, me perſequentium, eripior. Si infirmus ſum & impotens, nihil curo, quia tu fortis meus es: ſi ſolitarius relinquor, nihil refert, quia tu ſpes mea es: ſi hoſtes ignita tela in me iaculentur, alacer ſum & ſecurus, quia tu ſcutum meum es: ſi in me facto impetu irruant, eos facilè in fugam conuerto, quoniam tu, vice gladij & lanceæ, in manu mea es. Nec ſolùm ab hoſtibus, verùm & (quod magis eſt) ab innumeris peccatis, & iniquitatibus meis, & à pœnis commeritis me liberabis, quoniam tu es aſylum ſanctiſſimū, à quo nec cum piaculo me aliquis poteſt auellere; tu latibulum meum, in quo nemo me inueniet; tu ſaluator meus, cuius merita, mihi à te ad ſatisfaciendum prærogata, nullus valebit præripere. Eſto igitur mihi, quod tu naturaliter es. Eſto, inquam, mihi protector arcens à me mala; eſto vmbraculum, aut domus refugij, ſeruans bona, vt quaſi dux viæ deducas me in ſemita mandatorum tuorum, & quaſi paſtor bonus, qui animam poſuiſti pro ouibus tuis, paſcas me. Profectò humilis ſapientiæ, & lucis diuinæ plenus eſt, qui non contentus quæſitis opibus animæ ſuæ, talem locum habitandum elegit, in quo ſe, & eas integras, illæſáſque ſeruaret.

Eſt etiam aliud ſapientiæ eius, & bumilitatis inſigne, quia noo coactus, ſed ſpontaneus ſeruat in congregatione coucordiam. Idq́ue tertium animal, nempe locuſta, delineat, quæ cùm nec tegé, nec ducem habeat, turmatim tameo ad cibum quærendum egreditur, & ordinem exercitus ſine vlla petturbatione ſectatur. Talis eſt bumilium congregatio, quorum quilibet, cùm ſe ſibimetipſi ſufficientem non reputet, aliorum fratrum iuuamen poſcit, & eis charitatis vinculo vniri contendit. Eſt quaſi regem non babeat, quia non timore Prælati, ſed amore fratrum, & ootitia ſuæ neceſſitatis edoctus, pacem cum aliis tenet, & ab omni diſcordia & ſingularitate diſcedit. Per turmas humiles egrediuntur, quoniam licèt in ſtudiis ſpiritualibus æquales non ſint, ſed vnus magis, alius mious dono dioinæ ſamiliaritatis B emineat, tamen in labore corporis, & externa obſeruantiæ diſciplina nemo ſe ſubtrahit, ſed vniuerſi ac ſi æquales meritis eſſent, ſocialiter viuunt. At quid quòd locuſtæ fruges abſumunt, agrorum ſegetes populantut, & famem ae peſtem inducunt? Ita & hi puſilli (aſſertore Beda) infatigabili inſtantia conſueuerunt Chriſto militare, & malè pullulantia germina carnalium voluptatũ abſumere. Hæ ſunt fruges peſſimæ, quas terta cordis noſtri mille occaſionibus decurrentibus irrigata profert, quæ ſi à ſenſibus & appetitibus ſubnabaotut, famé quidem ſentiunt, ſed cui donorum ſpititualium abundantia ſuccedit. Nec mirum quòd inſeſta animalia humiles ſignent, quæ, ſecundùm Gtegotium, præceptorem ipſum humilium, ſcilicet Chriſtum ſignificant. C

Pſal. 108. 3. Greg. 32. mor. c. 12. Exponens enim illud Dauidis: Sicut vmbra ablatus ſum, & excuſſus ſum ſicut locuſtæ,] ſic ait: Teneri à perſecutotibus vſque ad mortem pertulit, ſed ſicut locuſta excuſſus eſt, quia ab eorum manibus ſaltu ſubitæ reſurrectionis euolauit. Quin & ipſi iuſti, qui humiles ſunt, locuſtarũ oomine ſignati ſunt, Aug. ad Pſal. 105. expoſit. 2. dicente Auguſtino, quòd excuſſi ſunt, id eſt, fugati à perſecutoribus, quorum vel multitudinem ſignificare voluit nomine locuſtarum, vel qoòd tranſierunt de loco in locum. Sunt igitur humiles ſicut locuſtæ, in hoc quòd ſunt animalia munda, in hoc, quòd à rebus terrenis ad deſideria cœleſtia ſaliunt, in hoc quòd non timore ſuperioris alicuius oppreſſi, ſed propriæ imbecillitatis cognitione incitati, non ſoliuagi, ſed aliis aggregati procedunt.

D Poſtrema tandem pars ſapientiæ humilium eſt, quòd vbi verus ſit honor, intelligit, vbi ſolida ſit gloria, cognoſcit, pto hac laborat, & ſucatum ementitúmque honorem huius mundi contemnit. Haoc ſignificat quartum animal, de quo dicitur: Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis. Stellio namque, quod eſt genus quoddam reptilis, lacertæ ſimile, tergo quaſi ſtellis quibuſdam depictum, quid niſi humilem ſignificat, quòd præ humilitate in infimo loco ſedet, ſed virtutibus ſuis quaſi ſtellulis quibuſdam ſpleodet? Hic ergo licèt parum valeat, licèt nihil ſapiat, illud tamen didicit mundum ridere, ſuos honores, & dignitates fugere, ac ſummum hooorem (ſicut verè eſt) Dei amicitiam & familiaritatem E reputare. Pro hac aſſequenda manibus nititur, & ſummis conatibus, ac deſideriis hunc verum hooorem, hanc veram gloriam obtinere conatur. Humiles ergo ſtellione ſignificari docet Beda in hunc modum: Beda. Illorum ſtellio ſignificat humilitatem, qui cùm ſint iuxta naturam tardi ingenio, ſolertia tamen induſtriæ ſuæ, vel ad diuinarum notitiam ſcripturarum, vel ad virtutum gratiam, quibus ingreſſum regni cœleſtis merentur, attingunt. Plerumque enim aues, quas ad volandum penna ſubleuat, in inferio-

A ribus reſident. Et ſtellio, qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus, regis ædificium tenet. Quia nimirum ſæpe ingenioſi quique, dum per negligentiam torpent, in prauis actibus remanent: & ſimplices, quos ingenij penna non adiuuat, ad obtinenda æterni regni mœnia virtus operationis leuat.] Hæc ille. Conſtat ex his, humilitatem veram eſſe ſapientiam, ſiquidem docet, opes cœleſtes lucrari, in habitatione tutiſſima, nimirum io Dei protectione, reſidere, fraternitatem diligere, & verum honorem à falſo diſcernere. Humiles profectò ſunt minimi terræ, quia nolunt in terra magni eſſe, vt magnitudinem habeant in cœlis; ſed ſunt ſapientiores ſapientibus, quia illud ſciunt virtutis ſummum, & ad illud aſpirant, quod vani ſapientes ignorant.

B Humilitas denique non tantùm vera ſapientia eſt, ſed & Chriſti ſapientia eſt, quam ipſe (vt iam diximus) in mundum veoiens, ſuos fideles edocuit. Hanc nullus alius niſi ille, qui Deus verus eſt, ſuperbos homines docere valuit; hanc qoi diſcit, mentis cæcitatem, & animi lãguores depooit. Vnde Auguſtinus hanc Chriſti ſapientiam admirans, ſic ait: Aug. lib. de virg. c. 35. &. 6. Video te, buoe Ieſu, oculis fidei, quos aperuiſti mihi, tanquam in concione generis humani clamantem & dicentem: Venite ad me, & diſcite à me. Quid obſecro te, per quem facta ſunt omnia, Fili Dei, & idem qui factus es inter omnia filius hominis? Quid vt diſcamus à te, venimus ad te? Quoniam ſum mitis, inquit, & humilis corde. Huccine redacti ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi in te, vt hoc C pro magno diſcamus à te, quoniam mitis es & humilis corde? Itáne magnum eſt eſſe paruulum, vt niſi à te, qui tam magnus es, fieret, diſci omnino non poſſet? Ita planè. Non enim aliter inuenitur requies animæ, niſi inquieto digeſto tumore, quo magna ſibi erat, quando tibi ſana non erat. Audiant te, & veniant ad te, & mites atque humiles eſſe diſcaot à te, qui miſericordiam & veniatem tuam requirunt, tibi viuendo, non ſibi. Audiat hoc homo laborans & oneratus, qui ſarcina premitur, vt oculos ad cœlum leuare noo audeat, percutiens pectus ille peccator, & propinquans de longinquo. Audiat Centurio, non dignus vt eius tectum ſubintres. Audiat Zachæus maior publicanorum quadruplum reſtituens lucra damnabilium peccatorum. Audiat mulier in D ciuitate peccatrix, tanto lacrymoſior pedibus tuis, quanto fuerat aliena veſtigiis tuis. Audiant meretrices & publicani, qui Scribas & Phariſæos præcedunt in regnum cœlorum. Audiat omne genus ægrotorum, cum quibus tibi pro crimine ſunt obiecta conuiuia, videlicet quaſi à ſanis ſibi, ſed non tibi, qui te medicum non requirebant, cùm tu non veneris vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Omnes hi cùm conuertuntur ad te, facilè miteſcunt, & humiliãtur coram te, memores iniquiſſimæ vitæ ſuæ, & indulgentiſſimæ miſericordiæ tuæ, quia vbi abundauit peccatum, ſuperabundat & gratia. His verbis Auguſtinus primùm omnes generaliter ad hanc ſcientiam humilitatis addiſcendam vocauit, ſed ſolos hucuſque peccatores ſigillatim ex- E preſſit. Non quia illi ſoli, & non iuſti, qui ſemper ſtudioſè vixerunt, virtute humilitatis indigeant, ſed quia hi alia ratione ad humilitatem incitandi ſunt, & propoſita ante oculos eorum alia veritate vocandi. Illi humilitatem diſcunt, quia peccauerunt; hi quia à Deo præuenti ſunt, ne in peccata grauia deciderent. Illi ſe deiiciunt, quia gratiam repulerunt; iſti, quia ſine gratia ſtare, & ſanctè conuerſari non poſſent. Illi humiliter de ſe ſentiunt, quia patrarunt multa mala; iſti, quia ſine adiutore Deo non valuiſſent præ-

ſtare

Digitized by Google

ſtare bona. Illi vt humilitatem diſcant mittuntur ad conuerſos peccatores; iſti verò mittuntur ad ſaluatorem peccatorum. Quare idem ſanctus Pater pro iuſtis ad Chriſtum loquens, hæc ſubdit: His inclama, hi te audiant, quoniam tu mitis es & humilis corde. Hi quanto magni ſunt, tanto humiliant ſe in omnibus, vt coram te inueniant gratiam. Iuſti ſunt: ſed nunquid ſicut tu iuſtificans impium? Caſti ſunt: ſed eos in peccatis matres eorum in vteris aluerunt. Sancti ſunt: ſed tu etiam Sanctus Sanctorum. Virgines ſunt: ſed nati etiam ex virginibus non ſunt. Et ſpiritu & carne integri ſunt: ſed Verbum, caro factum, non ſunt. Et tamen diſcant non ab eis, quibus peccata dimittis, ſed à te ipſo, Agno Dei, qui tollis peccata mundi, quoniam mitis es & humilis corde. Non ego te, anima piè pudica, quæ appetitum carnalem nec vſque ad conceſſum coniugium relaxaſti; quæ diſceſſurum corpus nec ſucceſſori propagando indulſiſti; quæ fluitantia membra terrena in cœli conſuetudinem ſuſpendiſti: nec ego te vt diſcas humilitatem ad publicanos & peccatores mitto, qui tamen in regnum cœlorum præcedunt ſuperbos, non te ad hos mitto. Indigni ſunt enim, qui ab immunditiæ voragine liberati ſunt, vt ad eos imitandos mittatur illibata virginitas: ad regem cœli te mitto, ad eum per quem creati ſunt homines, & qui creatus eſt inter homines propter homines, ad ſpecioſum forma præ filiis hominum, & contemptum à filiis hominum pro filiis hominum: ad eum, qui dominans Angelis immortalibus, non dedignatus eſt ſeruire mortalibus.] Hactenus ille. Omnibus ergo ſapientia hæc neceſſaria eſt peccatoribus & iuſtis: peccatoribus, vt ſuperbia depoſita, veſtem ſui conditoris & redemptoris induant: iuſtis verò, ne ſuperbiendo, veſtem iuſtitiæ deſerant, & innocentiam, quam à principio acceperunt, amittant. Si ergo, ô homo, peccator es, hanc ſapientiam humilitatis diſce, vt à cæcitate peccatorum, te Chriſto ſubiiciendo, libereris. Si verò iuſtus es, & iam hanc ſcientiam didiciſti, ne eam, obſecro, dediſcas, vt in iuſtitia proueharis. Quo enim magis humilitas creſcit, eò magis omnis virtus, omniſque puritas animæ augmentum capit. Nam dum te ipſum agnoſcis, ad Dei cognitionem te ampliùs præparas; dum Dei cognitionem auges, eius amorem promoues; dum amor prouehitur, cura obſequendi Deo, & bonis operibus ei placendi ſolidatur.

Ibid. c. 37.

Humilitatem eſſe receptaculum omnium bonorum.

CAPVT VIII.

ALTERAM iam cauſſam inueſtigemus, quare Deus tantopere in nobis humilitatem exoptet. Ea autem eſt, quia humilitas mirabili ratione mentem ad bonum præparat, & ad recipienda cœleſtia & ſpiritualia dona diſponit. Deus eſt perennis fons omnis boni, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere; cui nihil amabilius eſt quàm dare, effundere, & ſe ac omnia ſua largiri mortalibus. [Dat ille omnibus affluenter,] hoc eſt, liberaliter, copioſè, abundanter, [& non improperat,] nec exprobrat nobis beneficia ſua, vt aliquod ex mendicitate noſtra donum extorqueat. Dat naturalia bona, vitam, ſanitatem, opes, honores, voluptates. Dat bona moralia, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam, & reliqua, quæ vitam noſtram ſecundùm rationem inſtituunt. Dat bona ſupernaturalia: nam gratiam & gloriam dabit Dominus, illuſtrationes, inſtinctus, conſolationes, & alia huius generis, quæ nos faciunt fœlicitatis æternæ participes. Dat & ſe ipſum, quo ſatiemur; dat ſuum Spiritum, quo viuamus; dat & Filium, quo ditemur, de quo pulchrè Thomas Aquinas cecinit:

Iacob. 1. 5.

Se naſcens dedit ſocium,
Conueſcens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

D. Thom. opuſ.

Et quia quaſi ſuum munus eſt dare, & communicare ſe ipſum & ſua, quod infinitæ eſt bonitatis; ideò comparatur igni & ſoli, vt ſicut ignis ſemper calefacit, ſemper vrit, & omnes ſuas vires exerit, vt ad vſtibilia actione perueniat, eáque in ſe ipſum conuertat: & ſicut ſol ſemper illuminat, ſemper inferiora fouet, & nihil eſt tam occultum, tam in viſceribus terræ reconditum, cui non ſuæ virtutis influxum impertiat: ita & Deus noſter, verè ignis conſumens, & iuſtitiæ ſol, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & fouet illum, & cumulat donis ſuis, & ſi quam in corde inueniat rimulam, per eam ſtatim intrare contendit. Non quærit occaſiones recedendi ab amicis ſuis, ſed quærit illas (ſit per infinita ſæcula benedictus) vt ad inimicos & hoſtes accedat, ſibi amicos faciat, & innumeris bonis repleat. Non eſt ille, vt ait Ambroſius, auarus munerum, nec beneficij parcus, nec gratiæ anguſtus, & frugi; ſed opulentæ largitatis, quos redimit à peccato, auget in præmio. Atque vt Philo, Iudæorum diſertiſſimus, ſcripſit, ſolus ille habet perfectam & omnimodam largitatem. Nam qui inter homines aliis dona largiuntur, ſaltem ab iis, quos beneficiis affecerunt, laudem aut honorem expectant, idcóque non tam datores, quàm venditores ſunt appellandi. At Deus non venditor eſt, æquum pretium rebus ſuis ſtatuens, ſed donator omnium, nullam permutationem cupiens. Non ipſe indiget, nec quiſquam natus poteſt accepta rependere. Eſt ergo hæc quaſi propenſio quædam, aut potiùs natura Dei, qua ſummè pronus eſt ad donandum, & ad largiendum bona, & effundendum propenſus. Quod & illa Eſdræ verba ſignificant: Nonne ego vos rogaui, vt pater filios, & vt mater filias, & vt nutrix paruulos ſuos, vt eſſetis mihi in populum, & ego vobis in Deum, & vos mihi in filios, & ego vobis in patrem? Ita vos collegi vt gallina pullos ſuos ſub alas ſuas. Modò autem quid faciam vobis?] Prorſus ille nos rogat, ipſe obſecrat, vt ſe, & ſua accipiamus, quibus diuites & fœlices ſimus: & hæc eſt illi eximia voluptas, ſine vlla ſpe retributionis dona pretioſa largiri.

Ambroſ. lib. 2. de Apologia Dauid.

Philo lib. de Cherubim.

4. Eſdræ 1. 28.

Cùm verò Deus largus ſit in donando, non prodigus, in creatura, quam donis afficit, aliquam aptitudinem ad recipiendum aliquámque capacitatem requirit, ne bona ſua ab inidoneis accepta, infructuoſa perſiſtant. Res ipſæ naturales poteſtatem aut aptitudinem habent, vt motiones ſibi congruas, & proprietates, perfectionéſque recipiant:

ibique quaſi in apta ſede ac domicilio manentes, finem conſequuntur, ad quem deſtinantur, & congruas ſibi actiones eliciunt. Quin & comparatione earum perfectionum, quæ naturam excedunt, & ob id ſupernaturales ſunt, & dicuntur, capacitatem habent, quam Theologi obedientialem vocant, vt poſſint Deo ſubdi, ad dignitatem ſupra naturam efferri, & ſupernis donis ornari. Deus ergo, qui cupidus eſt donandi, & communicandi bona ſua, in hominibus capacitatem recipiendi, & velut ſinus, vbi dona ſibi data recondant, inquirit; quæ ſi deſint, quaſi neceſſitate compulſus à largiendo abſtinet, ne munera ſua quodammodo prodigè & nimis profusè eroget. Volebat quidem Dominus, cùm in terris conuerſatus eſt, & ſummè cupiebat homines à ſuis ægritudinibus liberare; cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis vocem, claudis greſſum, & mortuis vitam reſtituere, ac frequentiſſima patrare miracula; tum vt fons ſalutis, & vitæ ſalutem, & vitam manaret, tum vt ſigna ſuæ diuinitatis oſtenderet, quibus homines ad credendum traherentur. At ingreſſus patriam ſuam, nempe Nazareth, & in ſuis conciuibus non capacitatem accipiendi hæc beneficia, ſed incredulitatem inueniens, ſe ipſum à miraculis faciendis continet, & nonniſi pauca, & illa, comparatione aliorum, quæ fecerat, exigua edit. Quare Marcus ait: Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit.] Adiiciénſque cauſſam, quare non poterat, id eſt, non expediebat vt faceret, ſubdit: Et mirabatur propter incredulitatem eorum.] Incredulitas, id eſt, incapacitas recipiendi cauſſa erat, vt ille, qui plurima & magna date volebat, pauca & exigua conferret. Quoniam enim (inquit Nazianzenus) ad morborum depulſiones, vtrumque accidere neceſſe eſt, vt & ægroti fidem, & medici vim, facultatémque medendi afferant, idcirco alterum, deficiente altero, minimè contingebat.

Marci 6. 5.

Nazian. orat. 4. Theologia.

Si hæc ita ſunt, Deus in iuſtis ſuis, quos magno amore proſequitur, ad capacitatem accipiendi reſpicit, receptacula, & ſinus, vbi ſua bona illis largienda cuſtodiant, maximè concupiſcit. Humilitas autem capacitas eſt, quæ dona diuina recipit, ipſa vna receptaculum eſt, quod cœleſtes opes recondit. Prorſus magna, & immenſa capacitas, & ſuo modo æqualis potentiæ Dei, quia quantum poteſt ipſe Sanctis dare, tantum & humilitas poteſt accipere. Itaque non inſulsè dici poteſt, Deum & verum humilem omnipotentes eſſe, illum in dando, iſtum verò in recipiendo. Vniuerſa dona, quæ ſecundùm potentiam ordinatam Dei, Chriſto data ſunt, humilitas ſanctæ animæ eius hauſit. Vnde Dauid ait: Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis; gloria, & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.] Quia, inquam, ô Pater, Filium minuiſti, & per indumentum humanæ naturæ, minorem Angelis feciſti, ideo coronaſti. Si enim Filius Dei non ſe vſque ad aſſumptionem noſtræ naturæ deieciſſet, nunquam hominem, quem non aſſumpſerat, ſuper opera manuum Dei conſtituiſſet, neque ſuper Angelos exaltaſſet. Quod Paulus profitetur, dicens: Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria, & honore coronatum:] vt ſcilicet quem paſſio, & mors depreſſerant, gloria, & honor in præmium humilitatis extulerint. Omnia etiam dona ac cunctæ prærogatiuæ, quæ in Beatam Virginem collatæ ſunt, vna humilitas eius abſumpſit. Quia reſpexit, inquit, humilitatem ancillæ

Pſal. 8. 6.

Hebr. ca. 2. 9.

Lucæ 1. 48.

A ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna, qui potens eſt.] Tu dicis, ô Virgo Beata, reſpexiſſe Deum vilitatem & paruitatem tuam, & propterea in te miracula edidiſſe, & apud omnes gentes, in omnibúſque ſæculis laudabilem reddidiſſe. Ego autem dico, reſpexiſſe Deum virtutem maximam humilitatis tuæ; quia nunquam tibi tot tantáque donaſſet, licèt parua natura & conditione eſſes, niſi etiam humilis extitiſſes. Reſpexit ille quidem paruitatem tuam, téque ad matris Filij ſui dignitatem extulit, ſpiritibúſque Angelicis prætulit, vt Virgunculæ paruitatem in tanta altitudine & dignitate conſtituens, ſuam largitatem hominibus & Angelis demonſtraret. Sed hanc dignitatem miſit in ſinum humilitatis

B tuæ, quia niſi te priùs humillimam effeciſſet, non vtique tantorum bonorum copia cumulaſſet. De donis tandem Sanctorum & Angelorum quid dicendum eſt, niſi quòd receptaculum eorum humilitas fuit? Priùs enim Dominus eos humilitate præparat, & poſtea virtutibus, conſolationibus, illuſtrationibus, & aliis donis exornat. Pro menſura humilitatis erit & donorum modus, & qui ſe veriùs ſynceriúſque deiecerit, ad maiorem gradum perfectionis aſcendet: Culmus ſtans, inquit Oſeas, non eſt in eo germen, non faciet farinam: quod *Oſeæ 8. 7.* etſi fecerit, alieni comedent eam.] Vel (vt alij tranſtulerunt) ſeges ſtans non germinabit, nec reddet farinam: quam ſi fortè reddiderit, alieni deuorabunt eam.] Culmi ac ſegetis nomine homo

C intelligendus eſt. Qui ſi per ſuperbiam ſuíque reputationem ſteterit, fructum non faciet, nec dona de manu liberalis datoris recipiet. Si verò donum aliquod acceperit, eo per inanem gloriam abutens, oculis hoſtium ſuorum diripiendum exponet. Culmus autem quaſi iacens, & per humilitatem ad terram pronus, is germen habet, & farinam facit, & quod meritorum lucratus fuerit, ab hoſtibus ſalutis defendet. Ergo humilitas, quæ hoc loco vocatur virtutis inſigne, mentem noſtram ad dona Dei capienda dilatat: nam ita virtutum & donorum eſt index, vt priùs ad ea recipienda diſponat. Sicut enim pulchrum ſemen eſt ſignum magni fructus futuri, & ſimul eſt cauſſa illius, ita iuſti viri humilitas ſignum eſt, quòd in donis Dei non medio-

D crem progreſſum fecit, & repoſitorium latiſſimum quòd dona recepit. Et quemadmodum (Philoſophia docente) aliquid in natura vacuum eſſe non poteſt; & ſi locus aëris aëre vacuaretur, ipſum cœlum (ſi quid propinquius non eſſet) ad illum replendum deſcenderet: ſic & anima per humilitatem ſui reputatione vacua, & à terrenis aliena, cœleſtibus donis impletur, & (vel ipſa neſciente) pulchritudine ſanctitatis ornatur.

At aliqua dona ſigillatim conſideremus, & maniſeſtè patefiet ad ea hominem humilitate parari. Initium vniuerſorum donorum eſt reſpectus Dei, quo

E animam benignè reſpicit, vt ei peccata dimittat, & ſuis donis exornet. Ab ipſo verò Domino diſcamus, quem miſericordiæ aſpectu dignetur. Ad quem, inquit, reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum *Iſaiæ 66. 2.* ſpiritu, & trementem ſermones meos?] Super iſtum itaque oculi miſerationum Domini poſiti ſunt; quia, vt eodem loco ſcripſit Hieronymus: Quicunque *Hieronym. ibid.* humilis eſt, & quietus, & tremens ſermones Dei, ipſum reſpicit Dominus: & de ipſo dictum intelligi poteſt, quod ſub terræ nomine prophetatur: Terra *Pſal. 75. 9.* tremuit, & quieuit, cùm reſurgeret ad iudicium Deus.] In iſto, nempe in humili, tanquam in domicilio ſibi chariſſimo requieſcit, de quo paulò antè dixe-

Iſaiæ 66. 1. tat: Cœlum ſedes mea: terra autem ſcabellum pedum meorum.] Quod eſt hoc cœlum? Quis hic locus requietionis Dei? Eſt profectò pauperculus, eſt contritus ſpiritu, eſt tremens & pauens ad iudicia Dei. In hoc Deus libenter habitat: terram autem, id eſt, corda terrena pedibus furoris indignationiſque conculcat. Sed cùm humilitas ſit magnum donum Dei, reſpicit ille primò hominem, vt humilem ex ſuperbo faciat, & deinde humilem & pauperculum factum reſpicit, vt ſui domum & templum efficiat. De illo primo aſpectu dictum eſt in Pſalmis: Qui
Pſ. 103. 32. reſpicit terram, & facit eam tremere; qui tangit montes, & fumigant.] Dic tu, Auguſtine, Doctor egregie, quænam eſt iſta terra, quæ tremit ad aſpectum Dei, quinam iſti montes, qui fumigant ad tactum Dei?
A B
Aug. ad Pſ. 103. O terra, inquit, exultabas de bonitate tua, tibi tribuebas vires opulentiæ tuæ: ecce reſpicit Dominus, & facit te tremere. Reſpiciat te, & faciat te tremere; melior eſt tremor humilitatis, quàm confidentia ſuperbiæ. Et infrà: Montes ſuperbi erant, iactabant ſe, non eos tetigerat Deus; tangit illos, & fumigabunt. Quid eſt fumigare montes? Precem Domino reddere. Ecce magni montes ſuperbi, montes ingentes, non rogabant Dominum; ſe rogari volebant, & ſuperiorem non rogabant. Quis enim potens, & tumidus, & ſuperbus in terra, qui dignetur humiliter rogare Deum? De impiis loquor, non de Cedris Libani, quas plantauit Dominus. Impius quilibet, & infœlix anima rogare Deum neſcit, & vult ſe rogari ab hominibus. Mons eſt, opus eſt vt tangat illum Deus, & fumiget: quando cœperit fumigare, dabit Deo precem, tanquam ſacrificium cordis fumigat ad Deum, deinde tundit pectus. Incipit & flere, quia & fumus excutit lacrymas.] De ſecundo verò aſpectu, quo humilem reſpicit, idem Dauid alio loco ait:
Pſal. 30. 8. Quoniam reſpexiſti humilitatem meam, ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam: nec concluſiſti me in manibus inimici, ſtatuiſti in loco ſpacioſo pedes meos.] An parum eſt ab imminentibus periculis delictorum ſeruari? An parum eſt ab hoſtibus immaniſſimis liberari? An vilis pretij eſt, in loco ſpacioſo, in quo liberè vagari poſſis, & ingredi, atque egredi, id eſt, in latitudine cordis conſtitui? Sed hæc conceduntur ex reſpectu Dei, pauperculo & humili, qui ſe ipſum deſpicit, & ſe nihil eſſe cognoſcit.

Poſtquam verò Deus animam iam factam humilem reſpicit, eam occultis inſpirationibus tangit, & de faciendis ac omittendis erudit. Ad hanc autem diuinarum inſpirationum abundantiam humilitas aditum parat. Vnde Richardus Victorinus poſtquam nonnulla dixerat de multiplici diuinarum inſpirationum gratia, hæc ſubdit:
Richard. in Cant. c.7. Quòd autem hanc ante omnia mereatur humilitas, frequenti experientia didicit anima: multiplicéſque, & occultos humilitatis modos, ſiue motus intelligit. Nec ambigit, quòd toties gratum Deo ſacrificium offert, & gratiam ſibi cumulat, quoties ſe propter Deum deprimit & humiliat. Vt ergo abundantiùs hanc conſequatur, humilitatis veſtigia tam in cogitatione, quàm in opere ſectatur. In mente ſuo iudicio ſe deprimit; & foris ſe propter Deum hominibus ſubiicit, & poſtponit. Abiectionem eligit; contemptibilem ſe facit, vt ſit pretioſa apud Deum. Humiliat ſe, vt exaltetur: gaudet opprobriis; pro contumelia enim ſe receptuam à Deo nouit gratiam; pro conuicio benedictionem. Intellexit hoc Dauid, qui maledicente ſibi Semei, magis hunc pati voluit, quàm per militem ſuum vindicari; pro maledictione illa bonum ſibi à Domino reddi perſentiens. Sic humilibus Deus dat gratiam, ſuperbis verò reſiſtit.] Hæc ille. Nec mirum eſt, quòd Deus cum humilibus ſermones conferat, quia ſi ipſe aliquos homines ad ſuum eſt colloquium admiſſurus, non alios profectò, quàm humiles debuit ad benigna, & miſerationum plena colloquia vocare. Deus enim vult audiri; vult hominem ſua voce & admonitione proficere; vult mentem ad ea, quæ iubet, & ſuadet, inducere. Humiles autem ſunt, qui vocem Dei reuerenter audiunt, ſuperbi verò eius dicta repellunt. Hi, loquente Domino, non audierunt, *Ierem. 7. 24.* nec inclinauerunt aurem ſuam; ſed abierunt in voluntatibus, & in prauitate cordis ſui mali.] De quibus ipſe conqueritur per Iſaiam: Vocaui, & non *Iſaiæ 65. 12.* reſpondiſtis: locutus ſum, & non audiſtis: & faciebatis malum in oculis meis.] At illi nihil iucundius habent, quàm Dei vocem excipere, & ſecundùm illam actiones ſuas conuerſationémque formare. Dicúntque cum Dauide: Audiam quid loquatur in *Pſal. 84. 9.* me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam. Et ſuper Sanctos ſuos, & in eos, qui conuertuntur ad cor.] Audiemus, inquam, quid dicat nobis Dominus, vt illud actione præſtemus. Scimus namque illum electis ſuis, & corda ſua ad eius imitationem applicantibus, non aliud quàm pacem loqui, id eſt, ea, quæ ad pacem huius vitæ conferunt, & paci æternæ vitæ ſeruiunt, inſtillare. Si humiles Dei inſtinctus aure cordis excipiunt, & quæ ſibi præcipiuntur, faciunt; quid mirum, ſi Deus (contemptis ſuperbis) illos de agendis & vitandis erudiat? Eſt igitur humilitas, quæ mentem, quam afficit, ad Dei verba excipienda parat, vt ea capiens, ſe ipſam ſecundùm audita perficiat.
C

Sicut autem radix ſpiritualium bonorum, eſt inſtinctus Dei, auribus mentis auditus; ita & compunctio, qua defectus noſtros deteſtamur. Humilitas verò huius compunctionis eſt mater: compunctionem generat, compunctionem promouet, & mentem ad compunctionem efficaciter præparat. Ipſa quippe defectus & culpas videt, quas ſuperbia inſipiens ignorat; culparum grauitatem intelligit, & ideo ad compunctionem & earum deteſtationem permouet. Superbus erat Saul, qui ob id peccatum ſuum non agnouit, nec compunctione deleuit: immò increpatione Samuelis, qua reprehenſus eſt, ex eo quòd munus ſacerdotis vſurpauit, vana excuſatione reſpondit, dixítque: Neceſſitate compulſus, obtuli *1. Reg. 13. 12.* holocauſtum.] Humilis erat Dauid, qui & ob id ad
D
primam Prophetæ vocem, peccatum ſuum confeſſus eſt, & illa voce pudoris & doloris plena: Peccaui Domino,] ſuum fuit crimen deteſtatus. *2. Reg. 12. 13.* Iure optimo Gregorius humilitatem vocat locum ac domicilium iuſtorum, quoniam ſicut homo in abdito domus ſuæ de malis, quæ fecit, compungitur, iuxta illud: Et in cubilibus veſtris compungimini:] ita *Pſal. 4. 5.* & in humilitate, quaſi in cubili pacatiſſimo, ſua mala deteſtatur. Verba ſancti Doctoris ſunt: Ita namque malorum locus eſt ſuperbia, ſicut eſt contrà *Gregor. 3. mor. c. 13.* humilitas locus bonorum. De quo loco per Salomonem dicitur: Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris.] Ac *Eccleſ. 10. 4.* ſi apertè dicat: Si tentatoris ſpiritum contra te in aliquo præualere conſideras, humilitatem pœnitentiæ non derelinquas. Qui quia locum noſtrum
E
humilitatem pœnitentiæ dixerit, verbis ſequentibus oſtendit dicens: Quia curatio ceſſare faciet peccata maxima. Quid enim eſt aliud humilitas lamenti, niſi medicina peccati?] Compunctionis ſanè aqua, non aqua terreſtris, ſed aqua cœleſtis eſt; non de venis terræ, ſed de ſupernis emanat: quam, facillimum erit, ad loca inferiora, id eſt, ad corda humilia deriuare. Vnde ſe per veram

humilitatem deiiciat, qui hanc cœleſtem aquam
compunctionis exoptat. Iſtúdque eſſe præcipuum
compunctionis inſtrumentum, hominem ſcilicet ſe
ipſum humiliare & deiicere, pulchrè docuit Richar-
dus de ſancto Victore illum Pſalmi verſum inter-
Pſal.118. 36. pretans: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei,
Richard. ad Pſal. 118. quia non cuſtodierunt legem tuam.] Sciendum
eſt, inquit, quòd aqua, quæ in locis ſublimibus ori-
tur, facilè iuxta deducẽtis votum ad humiliora quæ-
que loca irriganda deriuatur. Quæ autem in imo de-
fluit, ad eminentiora infundenda non aſſurgit. Sic
nimirum deſideriorum vena, quæ in infimis labitur,
ad ſublimia appetenda non attollitur: & qui nonniſi
terrena appetit; cœleſtia ſuſpirare neſcit. Plus adhuc
dico: cui hoc ſufficit tantùm ne pereat, quando pro
verbo otioſo vel cogitatu ſuperfluo gemens plorat?
Vis & tu ad Prophetæ ſimilitudinem aquam hanc
ſalubrem deducere? Memineris ſublimia concupi-
ſcere: memineris nihilominus de te humilia ſentire,
& tunc facile erit de deſideriorum tuorum collibus
ad deiectionis tuæ vallem compunctionis fluenta
decurrere.] Hoc etiam videtur attigiſſe vates regius,
Pſal. 24. 18. cùm alio Pſalmo cecinit: Vide humilitatem meam,
& laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea.]
Ambroſ ad Pſal. 118. ſer. 20. v. 1. Aug.ib. Nam & Ambroſius, & Auguſtinus, non tam pro af-
flictione, quàm pro virtute hoc loco nomen humili-
tatis accipiunt. Hic enim ſic ait: Vide humilitatem
meam, qua nunquam me iactantia iuſtitiæ ab vnita-
te abrumpo, & laborem meum quo indiſciplinatos
mihi commixtos ſuffero.] Eſt ergo, ac ſi Propheta
diceret; Si humilis ſum, non vtique me de iuſtitia ia-
cto, immò me peccatorem agnoſco. Si verò nõ igno-
ro peccatorum meorum fœditatem, ea vtique com-
punctione deteſtor, & vt veniam impetrem, mole-
ſtias indiſciplinatorum non ſine labore ſupporto.
Dimitte igitur peccata mea, tu, qui pollicitus es,
quòd in quacumque hora ingemuerit peccator,
eum ad veniam & miſericordiam recipies.

Eſt itaque humilitas receptaculum compunctio-
nis, qua euadimus mala, & receptaculum vniuerſa-
rum virtutum, quibus bona præſtamus. Ille enim ſo-
lus virtutes ſecum congregat, qui humiliter de ſe
ſentiens, & non ſibi bonum attribuens, & pauperta-
tem ſuam aduertens, ſtrenuè pro omni virtute labo-
rat. Nec mirum eſt quòd vniuerſas virtutes inferat, &
conſeruet illa virtus, quæ à Bernardo vocatur virtutis
conſummatio, & quaſi totius vitæ noſtræ perfectio.
Bern. in Cantica. ſer.48. Iuſtus, inquit, germinabit ſicut lilium. Quis iuſtus
niſi humilis? Denique cùm ſe manibus Baptiſtæ ſer-
ui Dominus inclinaret, & ille expaueſceret maieſta-
Matth. 3. 15. tem: Sine, inquit, ſic enim decet nos implere om-
nem iuſtitiam.] conſummationem profectò iuſtitiæ
in humilitatis perfectione conſtituens. Iuſtus ergo
humilis, iuſtus conuallis eſt. Et ſi humiles inuenti
fuerimus, germinabimus & nos ſicut lilium, & flore-
bimus in æternum ante Dominum. An non verè vel
tunc maximè ſe lilium conuallium comprobabit,
Ad Phil. 3.21. cùm reformabit corpus humilitatis noſtræ configu-
ratũ corpori claritatis ſuæ? Non ait corpus noſtrum,
ſed corpus humilitatis noſtræ: vt huius lilij miro, &
ſempiterno candore ſolos ſignificet humiles illuſtrã-
dos.] Si huiuſmodi eſt humilitatis cauſſa, qui humili-
tate magis ac magis creſcit, ampliùs proficit. Lapis il-
Daniel. 2. 35. le à Daniele prædictus Chriſtum deſignans cecidit
paruus, & factus eſt mons magnus, & impleuit vni-
uerſam terram. Sic & membrum Chriſti, ſi paruum
cadat, id eſt, ſi ſe ipſum per humilitatem demittat,
magnum à Domino mentis puritate fiet, & hoſtes
Epheſ. 4. 10. virtutis ſubuertet. De illo dictum eſt: Qui deſcen-
dit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt im-
A pleret omnia.] Neceſſe eſt igitur, eius membra de-
ſcendere, vt ad virtutem aſcendant, & eius muneri-
bus impleantur. Meritò ergo dixit idem ſanctus Pa-
ter Bernardus. Inſipiens eſt, & inſanus quicumque *Bern ſer. quomodo voluntas noſtra diuinæ ſubdatur.*
in aliis vitæ meritis, quicumque in alia religione ſeu
ſapientia, niſi in ſola humilitate confidit. Apud Do-
minum, fratres, ius habere non poſſumus, quoniam
in multis offendimus omnes: ſed nec fallere eum, ipſe
enim nouit abſcondita cordis, quanto magis opera
manifeſta? Vtique nec reſiſtere viribus, quoniam
omnipotens eſt. Quid ergo reſtat niſi ad humilitatis
remedia tota mente confugere, & quicquid de aliis
minus habemus, de ea ſupplere?] Hæc ille. Qui ita-
que cœpit opus ſalutis noſtræ, ipſe nos veram, & per-
fectam humilitatem doceat, & mediis, quæ ipſe no-
B uit (dummodo in peccatum labi non ſinat) in hanc
virtutem, quæ ianua eſt cæterarum, inducat. Dicat
vnuſquiſque cum ſancto Iob, & non ſine magno de-
ſiderio dicat: Qui cœpit, ipſe me conterat, ſoluat *Iob.6. 9.*
manum ſuam, & ſuccidat me.] Ipſe nimirum Deus,
qui cœpit me quaſi humilitate conterere, opus ſuum
hoc perficiat, & penitus mentem elatam conterat.
Qui cœpit me à terrenis auellere, & à deſideriis am-
bitioſis abſtrahere, ſoluat manum ſuam, & penitus
ab eis ſuccidat me, ne per ſuperbiam præceptis illius
contradicam, cui debeo obedientia & humilitate
ſubmitti. Nec longè ſanè abhorret ab hoc ſenſu
Gregorius, qui eundem locum explanans, ſic ait:
Plerumque vitiorum contritionem in nobis Domi- *Gregor. mor. lib. 7.*
C nus agere inchoat, ſed cùm mens ex ipſo exordio
profectus extollitur, cúmque ſe iam quaſi de virtuti-
bus erigit, ſæuienti contra ſe aditum pandit, qui cor-
dis intima penetrans, omne quod in ea de ſtudio
bonæ inchoationis inuenerit, confringit: tantóque ſe
vehementiùs in eius confractione exhibet, quanto
& grauiùs, quia vel ad modicum fuerat proiectus,
dolet. Vnde & teſte Euangelio, voce veritatis, ad ne- *Matth. 12.*
glectam domum conſcientiæ ſpiritus immundus, qui
ſolus exiit, cum ſpiritibus ſeptem redit. Ne ergo poſt
diuinæ correptionis exordia antiquus hoſtis ſurri-
piat, atque ad virtutum confractionem trahat, ſan-
ctus vir congruè exorat, dicens: Qui cœpit, ipſe me
conterat. Ac ſi apertè dicat: Hoc, quod in me exorſus
eſt, perficere feriendo non deſinat, ne deſertum me
aduerſario ad contritionem trahat. Vnde & aptè ſub-
ditur: Soluat manũ ſuam, & ſuccidat me. Sæpe nam-
que fiducia longæ proſperitatis inflati, in quodam
D ſtatu elationis erigimur. Cúmque nos extolli condi-
tor conſpicit, ſed amorem ſuum erga nos per ver-
bera non exercet, quaſi ad ferienda noſtra vitia ma-
num ligatam tenet. Annon affectus ſui manum liga-
uerat, quum peccanti populo dicebat: Iam non ira-
ſcar tibi: & zelus meus receſſit à te? Soluere ergo ma-
num ſuam dicitur, cùm exercet affectum. Rectè au-
tem ſubiungitur: Et ſuccidat me. Cùm enim ſecuros
nos, ac de virtutum affluentia elatos, repentinus vel
flagelli dolor, vel infirmitatis tentatio percutit, proti-
nus ab ſtatus ſui vertice mentis noſtræ elatio ſuccisa
cadit, vt de ſemet ipſa nihil audeat, ſed infirmitatis
ſuæ ictu proſtrata, manum leuantis quærat.] Hacte-
E nus ille.

Tu igitur, ô homo Dei, qui mentem Deo conſe-
cratam ad eius dona capienda parare ſtudes, humili-
tatis in primis curam habeto, quæ & te dignum Dei
conſpectu faciat, & ad audiendas diuinas inſpiratio-
nes emolliat, & peccatorum deteſtatione compun-
gat, & vniuerſis virtutibus repleat. Hæc locus dono-
rum cœleſtium eſt; quia ex quo mentem ſui æſtima-
tione, & ambitionis, atque inanis gloriæ deſideriis
euacuat, deſideria & munera cœleſtia præſtat.

Humilitatem eſſe fontem exaltationis.

CAPVT IX.

TERTIAM tandem ſubiiciamus cauſſam, propter quam tam in votis eſt Domino, vt humiles ſimus, & omnem ſuperbiam & arrogantiam auerſemur. Hæc igitur eſt, quia aduentus Filij Dei, & omnis ab eo aſſumptus labor, poſt æterni Patris gloriam ad noſtram eſt dignitatem exaltationémque ordinatus. Exaltatio verò noſtra adeò ab humilitate pendet, vt humilitas eius fons eſſe ac origo videatur. Venit Filius Dei vt nos ab ergaſtulo peccati, à captiuitate dæmonis, & à miſera ſeruitute vitiorum eriperet. Venit vt nos filios Dei, hæredes regni cœleſtis, & æquales Angelis faceret. Venit vt ex cogitationibus, & deſideriis terrenis ad conſilia, & deſideria cœleſtia, atque ex operibus luti, & lateris ad opera æterna beatitudine digna transferret. In hoc apparuit Filius Dei, ait Ioannes Apoſtolus, vt diſſoluat opera diaboli.] Hic eſt omnis fructus] paſſionis, & mortis eius (quemadmodum Cyrillus & Hieronymus interpretantur) vt auferatur peccatum. Apparuit gratia eius, vt abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo.] In propria venit, dare poteſtatem his, qui receperunt eum, filios Dei fieri, vt eſſent hæredes Dei, cohæredes autem ipſius,] vt ab Angelis audirent: Non domini veſtri, ſed conſerui veſtri ſumus.] Deſcendit denique, vt [quæ ſurſum ſunt, quæreremus, quæ ſurſum ſunt, ſaperemus, non quæ ſuper terram :]atque vt propter laborem noſtrum acciperemus ſinguli ſingulos denarios, id eſt, vnum viſionis Dei præmium ſine fine duraturum. O magna, & pluſquam dici poteſt, ſtupenda ſublimitas, hominem per peccatum Dei inimicum, eius per gratiam amicum, & filium fieri; terram viliſſimam in cœlum inuehi; cor carneum ad Dei poſſeſſionem & conſpectum oculis mentis extolli; & gehenna dignum, cœleſti beatitudine perfrui, & ab Angelicis ſpiritibus honorari! Non ob aliam cauſſam, inquit Auguſtinus, apparet, Dominum Ieſum Chriſtum in carnem veniſſe, ac forma ſerui accepta factum obedientem vſque ad mortem crucis, niſi vt hac diſpenſatione miſericordiſſimæ gratiæ, omnes, quibus tanquam membris in ſuo corpore conſtitutis caput eſt, ad capeſſendum regnum cœlorum viuificaret, ſaluos faceret, liberaret, redimeret, & illuminaret : qui priùs erant in peccatorum morte, languoribus, ſeruitute, captiuitate, & in tenebris conſtituti, ſub poteſtate diaboli principis peccatorum, ac ſic fieret mediator Dei, & hominum, per quem poſt inimicitias impietatis noſtræ illius gratiæ pace finitas, reconciliaremur Deo in æternam vitam, ab æterna morte, quæ talibus impendebat erepti.] Sic Auguſtinus. Hæc igitur eſt vera & magna exaltatio hominis, quòd à curis terrenis extrahatur, quòd à peccatis & vitiis liberetur, quòd Dei ſimilitudinem indutus, eius Filius, Chriſtíque frater, & regni cœleſtis non ſolùm ciuis, ſed & princeps nominetur. Quam veriſſimam dignitatem & magnitudinem id certè conſequitur, vt cæteri homines iuſtum ſuſpiciant, honore ac laude dignum exiſtiment, & in ſuo corde ſemper, ſignis verò externis, cùm opus fuerit, ei primas partes deferant, & quaſi principem ſibi conſtituant.

1. *Ioan.* 3. 8.
Iſaia 27. 9.
Ad Titum 2. 11.
Ioan. 1. 12.
Roman. 8. 17.
Apocal. 22. 9.
Coloſſ. 3. 1.
Matth. 20. 9.
Aug. lib. 1. *de merit. & remiſſ. peccat. c.* 26. *to.* 7.

Nunc videndum eſt, an humilitas, huius exaltationis ſit cauſſa. Quod ita eſſe, facilè perſuadebimus, ſi quod de capite noſtro dictum eſt, attentè legamus. Idem enim ſentiendum eſt de corpore,

A quod præceſſit in capite, & eadem via caput, & membra conſcendunt, nec diuerſo itinere debent dux & milites, aut dominus & ſerui eum conſtipantes, incedere. Chriſtus autem caput noſtrum, herus, & dux noſter per viam humilitatis exaltatus eſt, & ad gloriam ſui corporis, adque manifeſtationem ſui nominis ſublimatus. Vox Pauli hoc dicit, per quem cùm Spiritus ſanctus loquutus ſit, aliquid falſum affirmare non potuit. Quid dicit de eo Paulus? Humiliauit ſemet ipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.] *Philipp.* 2. 8. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Quem, ô Paule, exaltauit Deus? Hominem illum Dei Filium, qui humiliatus eſt, ita vt qui in natura aſ-

B ſumpta humiliatus eſt, in eadem ſuperexaltationem (hoc enim ſonat dictio Græca) id eſt maximam & inſignem exaltationem acciperet. Quæ verò fuit eius exaltatio? Quòd à mortuis excitatus eſt; quòd immortalitate donatus; quòd gloriam, & claritatem, & maieſtatem indutus, quòd ad dexteram Patris euectus. Et quod nomen illi datum ſuper omne nomen? Quòd vocetur Ieſus, id eſt, mundi totius ſalus, & hoc eius nomen toto orbe celebretur; quòd ab omnibus Pater, & princeps, & initium ſalutis habeatur : & non ſit aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat eos ſaluos fieri, niſi nomen, quo ipſe Filius Dei creditur, adoratur, & colitur. Sed perge, Paule, & expone nobis illud: Propter quod. Quam, inquam, ob cauſam Pater

C extulit Chriſtum, & nomen illi dedit, cui omne genu cœleſtium, terreſtrium, & inferorum flecteretur? An quia humiliauit ſe? Sed ſi ita eſt, iam habemus, quod quærimus, caput ſcilicet noſtrum humilitate aſcendiſſe. An quia factus fuit obediens vſque ad mortem? Sed quomodo potuiſſet obedire, qui non fuiſſet humilis, aut quomodo poteſt obedientia, quæ ſpontanea ſubiectio eſt, ab humilitate ſeiungi? Quanã ratione poteſt, qui cùm immortalis eſſet, infirmitatẽ mortalitatis voluntariè ſuſcepit, ſine eximia humilitate cogitari? An quia obediuit vſque ad mortem crucis (quod amplius eſt) vſque ad ſuſtinendam nempe mortem turpiſſimam, probroſiſſimam, & moleſtiſſimam, de qua dictum eſt in libro Sapientiæ : Morte turpiſſima condemnemus eum?] *Sapien.* 2. 20.

D Sed quo pacto abiectiſſimam ipſe mortem ſuſtinuiſſet, ſi non etiam ſupra omne captum noſtrum ſuam maieſtatem humiliaſſet? Ergo humilitas fuit illius exaltationis cauſſa; humilitas Chriſtum ſublimauit, humilitas extulit, humilitas non ſolùm nobis amabilem, ſed & honorabilem fecit. Quid, & quantum humilitas mereatur, Paulus oſtendit, ſcripſit Ambroſius, vt magis hanc appeteremus calcata iactantia. Et Auguſtinus: Vt mediator Dei & hominum, Chriſtus Ieſus reſurrectione clarificaretur, vel glorificaretur, priùs humiliatus eſt in paſſione. Non enim à mortuis reſurrexiſſet, ſi mortuus non fuiſſet. Humilitas claritatis eſt meritum: claritas humilitatis eſt præmium. Et Anſelmus: Ipſe ſe tantùm humiliauit, vt vltrà non poſſet: pro-

Ambroſ. ad Philip. 2.
Auguſt. tract. 105. *in Ioan. to.* 9.
Anſel. ib.

E pter quod & Deus exaltauit illum, vt vltrà non poſſet.] Tu, ô homo, qui Chriſti membrum eſſe cupis, qui eum imitari geſtis, qui eius ſectator nuncuparis, ſi aliam viam exaltationis inueniſti, eam conſtanter ingredere. Nam Sancti Dei vera, & viua huius capitis membra, nullam aliam viam exaltationis niſi humilitatem ingreſſi ſunt, quia eorum caput, atque magiſter nullam aliam huc vſque monſtrauit. Si autem nullus niſi Chriſtus potuit viam exaltationis docere: Quoniam nemo aſcendit in *Ioann.* 3. 13.

A

cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo;] vide ne humilitatem deſerens pro via exaltationis iter confuſionis ingrediaris.

Sicut in capite Chriſto nulla apparet exaltationis via, niſi humilitas; ita & membris eius nulla alia via relicta eſt, qua ad maximam altitudinem prouehantur. Illis propterea mandatum eſt, ne elationis gratia primos accubitus in cœnis eligerent, & quod tanti momenti eſt, hac mirabili ſententia concluſum:

Lucæ 18. 14. Omnis, qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.] Nunc ſenſum Ambroſij prætereo, qui opus illud, quo homo ſe exaltat, in bonam partem ſumit, dicens: *Ambroſ. ad Pſal. 38.* Ego arbitror, hanc ſententiam ſic poſſe intelligi, quia qui ſe exaltat, nouit ſe humiliare, & qui ſe humiliare nouit, etiam exaltare ſe nouit. Denique Paulus oſtendit, dicens: Ego autem didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio humiliari, ſcio & abundare.] Hunc itaque ſenſum prætermitto (licèt non à laude humilitatis diſſideat) & communiorem ac literæ conformiorem perſequor. Quid eſt: Qui ſe humiliat exaltabitur? Qui modeſtè de ſe ſenſerit, qui ſe ipſum ſpreuerit, qui ex humilitatis amore ſe in infimo loco collocauerit, ad inſignem gloriam & dignitatem aſſumetur. Et quid eſt: Qui ſe exaltat, humiliabitur? Qui ſe per ſuperbiam extulerit, & aliis per vanam cogitationem elatus præpoſuerit, in ſempiternam ignominiam, & infamiam deiicietur. Exponat mater arcana filij, & ea, quæ Verbum peperit, Verbi aperiat intellectum. *Lucæ 1. 52.* Depoſuit, inquit, potentes de ſede, & exaltauit humiles. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.] Quoſnam potentes Deus è throno ac poteſtate regnandi deiecit? Nonne ſuperbos, qui mundi huius dignitate decepti, exiſtimant ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſint? Et quos humiles extulit? Nonne illos, qui dum honorem fugiunt, honoribus comprehenduntur, & ad bonum ſuum & totius mundi (nam bonum mundi eſt, quòd humiles imperent) ad ſupremas interdum dignitates vocantur? Quos eſurientes implet bonis? Annon illos, qui ſe virtutis vacuos eſſe putantes iugiter eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam? Et quos diuites dimittit inanes? Annon eos, qui dicunt, quia diuites ſumus, & nullius egemus; & ideo miſeri & miſerabiles relinquuntur? Superbia ergo deiicit, humilitas verò exaltat: illa ignominia afficit, iſta nobilitat. *Prouer. 29. 23.* Superbum, inquit Salomon, ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.] Non quidem illa humilitas, quæ virtus eſt, ſed illa, quæ ignominia & contemptio eſt. Superbia enim hominis humiliabit eum, deturbabit eum, inglorium & contemptibilem faciet. At humilem ſpiritu, id eſt, virtute humilitatis præditum, in ſuum hoſpitium excipiet gloria, eum Dominus Angelis inſeret, & illuſtrem ac glorioſum efficiet. Sunt enim ſuperbia & humilitas quaſi duæ lances, quarum ſi ſuperbia aſcendat, & creſcat, homo deſcendit: ſi verò humilitas deſcendat, & ſe deprimat, homo in magnam dignitatem aſcendit. Hanc eandem ſententiam aliis verbis in dictis Eliphaz Themanitis inuenies. *Iob. 22. 29.* Qui humiliatus, inquit, fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos, ipſe ſaluabitur.] Humiliatus nimirum à ſe ipſo, vel ſi ab alio æquanimiter deiectionem ſuſtentans, exaltationis faſtigium aſcendit: & ſi oculos præ humilitate demiſerit, infimúmque locum, vbi ſe conſtituat, aſpexerit, in præmium, non quemque honorem, ſed illum magnum, & nunquam defiturum æternæ ſalutis accipiet. Hanc enim oculorum demiſſionem pro ſigno humilitatis poni, docet Gregorius, ſic ſcribens: *Greg. 16. mor. c. 10.* Qui inclinauerit oculos ſuos, ipſe ſaluabitur: quia quantum per membrorum miniſterium deprehendi poteſt, prima ſuperbiæ oſtenſio eſſe in oculis ſolet. Hinc enim ſcriptum eſt: Et oculos ſuperborum humiliabis. Hinc de ipſo ſuperbientium capite dicitur: Omne ſublime videt. Hinc de illa, quæ ei per fidelitatem adhæſit, ſcriptum eſt: *Pſal. 17.* Generatio, cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius in altum ſurrectæ. Oculos ergo inclinare, eſt nullum, reſpiciendo, deſpicere, ſed ſe minorem, atque imparem cunctis, quos aſpicit, æſtimare. Saluabitur itaque qui oculos inclinat, quia qui falſum ſuperbiæ verticem deſerit, veritatis altitudinem aſcendit.] Ex his autem conſtat eandem eſſe viam exaltationis capitis & membrorum: neque aliquem

B

poſſe veram altitudinem adipiſci, qui non priùs ſe per humilitatem deiecerit.

Hanc verò eſſe legem latam à Deo, vt qui ſe humiliauerit exaltetur, & qui ſe exaltauerit deiiciatur, illuſtriſſima docent ſcripturarum exempla. Quorum, quia plurima ſunt, tria tantùm referemus. Ponamus nunc ante oculos conſiderationis noſtræ populum, & populum; Angelum, & Angelum; hominem, & hominem; populum, inquam, ſuperbum, & populum humilem: Angelum elatum, & Angelum ſubiectum: hominem arrogantem, & hominem de ſe modeſtè ſentientem, & hæc ita eſſe manifeſtè reperiemus. Populus Iudæorum ſuperbus fuit, qui de ſanctis parentibus, de lege ſibi data, de promiſſionibus Dei, & de conceſſa ſibi diuinorum

C

cognitione inſipienter gloriabatur. Cuius iactantiam repreſſit Dominus: *Lucæ 3. 8.* Ne cœperitis, inquit, dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.] Populus gentium humilis fuit ſignatus, vt ait Ambroſius, in illo Zachæo publicanorum principe, qui ſtatura puſillus erat: *Ambroſ. lib. 8. in Lucam.* & in Chananæa, quæ amara increpatione repulſa, confeſſa eſt ſe veluti canem indignam pane filiorum eſſe, illis verbis: *Matth. 15. 27.* Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.] Ille autem populus ob ſuperbiam reiectus eſt, & ad extremam calamitatem redactus: iſte verò dilectus, & in ſumma filiorum Dei dignitate conſtitutus. Cecinitque id Sanctus Dauid: *Pſal. 17. 28.* Quoniam populum,

D

ait, humilem ſaluum facies: & oculos ſuperborum humiliabis.] Populum, inquam, nationum, ſuas iniquitates agnoſcentem, ac de ſe non præſumentem, ab iniquitate ſaluabis; & populum Iudæorum, qui de cognitione ſuperbiebat, in ſumma quadam cæcitate relinques. Et Auguſtinus de Chananæa loquẽs idem affirmat, hoc modo ſcribens: *Auguſt. ſer. 74. de temp. c. 7. & 8.* Videte, fratres, quemadmodum in hac muliere, quæ Chananæa erat, id eſt, quæ de gentibus veniebat, & typum, hoc eſt, figuram Eccleſiæ gerebat, maximè humilitas commendata eſt. Etenim gens Iudæa vt ab Euangelio repelleretur, ſuperbia inflata eſt, quòd legem accipere meruiſſet, quòd de ipſa gente Patriarchæ proceſſerint, Prophetæ extiterint, Moyſes Dei ſeruus miracula magna, quæ audiuimus in Pſalmo, *Pſal. 77.* in Ægypto fe-

E

cerit, per mare rubrum aquis recedentibus populum duxerit, legem acceperit, quam ipſi populo dederit. Erat vnde extolleretur gẽs Iudæa, & per ipſam ſuperbiam factum eſt, vt Chriſto nollet humiliari auctori humilitatis, repreſſori tumoris, medico Deo, qui propter hoc, cùm Deus eſſet, homo factus eſt, vt ſe homo hominem cognoſceret.] Et poſt pauca: Ergo propter hoc ille populus non acceſſit, id eſt, propter ſuperbiam: & dicti ſunt ex arbore oleæ, hoc eſt, de illo populo, à Patriarchis creato, fracti

rami

rami naturales, id eſt Iudæi, meritò ſteriles ſpiritu ſuperbiæ, & in illa olea inſertus eſt oleaſter. Oleaſter populus ex gentibus. *Rom. 11.* Sic dicit Apoſtolus, quòd oleaſter inſertus ſit in olea, rami autem naturales fracti ſunt. Illi fracti propter ſuperbiam; inſertus oleaſter propter humilitatem. Hanc humilitatem oſtendit mulier, dicens: Ita Domine: canis ſum, micas deſidero.] Sic ille. Et cùm populus gentiũ humilitate placuerit, meritò Paulus monet illum, vt ſe in humilitate contineat, ne, ſi ad ſuperbiam deflexerit, deſeratur. *Rom. 11. 20.* Tu, inquit, fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè, nec tibi parcat.] Iam in iſtis populis prædictam legem videmus impleri, qua ſuperbus repulſus eſt, humilis verò Domini teſtimonio probatus.

B

Nunc meditare Angelum, & Angelum, nempe Luciferum, & Michaëlem. Ille ſuperbiendo diuinam, in quo non erat illi datum, ſimilitudiné concupiuit, vt nimirum naturalem beatitudinem non ex gratia (vt ait Thomas Aquinas) ſed ex proprijs viribus obtineret. *D. Thom. 1. p. q. 63. ar. 3. in corpore.* Et hoc ſignificauit illa verba: Aſcendam in cœlum, ſimilis ero Altiſſimo.] Hic humiliando ſe ipſum alterius ſuperbiam deteſtatus eſt, & à Deo omne bonum habere geſtiuit. Cuius humilitatis indicium fuit nomen illi impoſitum; Michaël namque interpretatum eſt: Quis ſicut Deus? quaſi Deum ſibi, & omnibus prælatum eſſe voluerit. Ille ergo ob ſuperbiam deiectus eſt, cui inſultat Iſaias: *Iſa. 14. 15.* Veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci.] Hic verò humilitatis cauſa non ſolùm

C

æterna beatitudine, verùm & principatu Eccleſiæ donatus. Nam & à quodam Angelo, qui Danielem alloquebatur, dictus eſt princeps ſynagogæ: Nemo, inquit, eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michaël princeps veſter: *Dan. 10. 21.*] reiecta verò ſynagoga tutor, ac defenſor eſt Eccleſiæ conſtitutus. Ideóque vocatur in eodem Propheta, *Dan. 12. 1.* [princeps magnus;] & æquum erat, vt præcipuo cœleſtium ſpirituum principi committeretur ſponſa Dei, quæ eſt Eccleſia. Vnde conſtat humilitatis legem non ſolùm in terra, verùm etiam in cœlo vigere, & Angelos ipſos, ac ſuprema Seraphim ad eius obſeruantiam obligari.

Tandem conſidera duos ſingulares homines, & illos ſupremos reges, vt videas, quia licèt non ſubijciantur humanis legibus, huius verò legis obſeruatione handquaquam eximuntur. Alter fuit Saul ob munus ſacerdotale præſumptum reprobatus: alter

D

Dauid, quia coram arca Domini more hominum communium, præ homilitate ſaltauit, in regno, quod iam acceperat, ſtabilitus. Huius miram humilitatem, & propter illam, miram quoque ſublimitatem deſcribit pulchrè Gregorius, in hæc verba: *Greg. 27. mor. c. 27.* Intueri libet, quanta virtutum munera Dauid perceperat, atque in his omnibus quàm forti ſe humilitate ſeruabat. Quem enim non extolleret ora leonum frangere, vrſorum brachia diſſipare, deſpectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula iungi; timendum cunctis vno lapide Goliam ſternere, à rege propoſita extinctis allophylis numeroſa præputia reportare, promiſſum tandem regnum percipere: cunctúmque Iſraëliticum populum

E

ſine vlla contradictione poſſidere? Et tamen cùm arcam Dei in Hieruſalem reuocat, quaſi oblitus prælatum ſe omnibus admixtus populis ante arcam ſaltat. Et quia coram arca ſaltare, vt creditur, vulgi mos fuerat, rex ſe in diuino obſequio per ſaltum rotat. Ecce quem Dominus cunctis ſingulariter prætulit, ſeſe ſub Domino, & exæquando minimis, & abiecta exhibendo, contemnit. Non poteſtas regni ad

A

memoriam reducitur: non ſubiectorum oculis ſaltando vileſcere metuit: non ſe honore prælatum cæteris, ante eius arcam, qui honorem dederat, recognoſcit. Coram Deo egit vilia, vel extrema, vt illa ex humilitate ſolidaret, quæ coram hominibus geſſerat fortia. Quid de eius factis ab alijs ſentiatur, ignoro. Ego Dauid plus ſaltantem ſtupeo, quàm pugnantem. Pugnando quippe hoſtes ſubdidit, ſaltando autem coram Domino ſemetipſum vicit. Quem Michol, filia Saul, adhuc ex tumore regij generis inſana, cùm humiliatum deſpiceret, dicens: Quàm glorioſus fuit hodie rex Iſraël, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris; *2. Reg 6. 20.*] protinus audiuit: Viuit Dominus; quia ludam ante Dominum, qui elegit

B

me potiùs quàm patrem tuum.] Ac paulò pòſt ait: Et ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum, eróq; humilis in oculis meis. Ac ſi apertè dicat; vileſcere coram hominibus appeto, quia ſeruare me coram Domino ingenuum per humilitatem quæro.] Hactenus Gregorius. Nemo igitur poterit in dubitationem reuocare, à Domino humiles extolli, ſuperbos verò deprimi; ſiquidem in cœlo, & in terra; in Angelis, & hominibus reperit humiles ſublimatos, elatos verò in ſummam vilitatem adductos.

Immò quia homo eſt mutationi ſubiectus, ſolet Dominus eundem hominem pro diuerſis temporibus, ac pro diuerſa, quam in eo reperit, qualitate, nunc ſublimare humilem, nunc ſuperbum deturbare. Vidimus Saulem ob ſuperbiam deiectum? Sed

C

idem aliquando, cùm nimirum humilis erat, fuit ob humilitatem ſublimatus. Cui dixit Samuel: *1. Reg. 15. 17.* Nonne cùm paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es? Vnxítque te Dominus in regem ſuper Iſraël.] Vidimus Dauidem ob humilitatem exaltatum, de quo ſcriptum eſt: *Pſal. 77. 70. 71.* Elegit Dauid ſeruum ſuum: & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum, Paſcere Iacob ſeruum ſuum.] Sed idem aliquando fuit ob ſuperbiam grauiter caſtigatus: cùm nimirum populum numerauit, & inaniter ſibi in regno complacuit. Ac generaliter Deus humiles exaltat, & ſibi ipſis diffidentes præclara dignitate nobilitat. Amos ſuam paruitatem agnoſcens, ait: *Amos 7. 14.* Non ſum Propheta, & non ſum filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros.] Vox humilitatis plena, voce, & re nobiliſſima cumulata eſt. Nam & tulit me Dominus, *Ibi. v. 15*

D

inquit, cùm ſequerer gregẽ, & dixit Dominus ad me: Vade Propheta ad populum meum Iſraël.] Ad munus quoque Apoſtolatus, quo nullum eſt in Eccleſia ſublimius, paruuli deſpecti, & humiles electi ſunt. Videte vocationem veſtram, fratres, ait Paulus, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, *1. Cor. 1. 26.* non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mũdi, elegit Deus, vt confundat ſapientes; & infuma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & cõtemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.] Iámque impletum eſt quod dictum eſt in Iob: Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis; morientur, & non in ſapientia.] *Iob. 4. 21*

E

Impij, inquam, breuiter ſuccidentur, & breui mora ſuccisi, non breui tempore, ſed in æternum peribunt. Reliqui verò, ſcilicet iuſti & humiles, qui illorum actibus non conſentiont; qui vita & conuerſatione illis non annumerantur, auferentur ſanè ab hoc impiorum, & ſuperborum caſu, & calamitate, & in magnam gloriam prouehentur. Mors quidem naturalis illis adueniet ſicut & cæteris, at nunquam excidet eorum ſapientia. Ita interpretatus eſt hunc

Greg. 5. mor. c. 29 locum Gregorius: Quos alios reliquos, niſi huius mundi deſpectos accipimus? Quos dum præſens ſæculum ad nullius gloriæ vſum eligit, quaſi minimos indignóſque derelinquit. Sed mundi reliquos auferre Dominus dicitur, quia deſpectos huius ſæculi eligere dignatur. Paulo atteſtante, qui ait: Non multi ſapientes ſecundùm carnem, & cætera. Proſequitur autem hanc veritatem Beatus Pater, quadam veteris paginæ imagine, demõſtrátque illam, ſic ſcribens: Quod bene in libris Regum Ægyptio puero, in via laſſeſcente, ſignatur, quem Amalechita ægrotum in itinere deſerit. Dauid verò inuenit, cibo reficit, ducem ſui itineris facit. Amalechitam perſequitur, epulantem reperit, & funditus extinguit. Quid eſt enim, quòd Ægyptius Amalechitæ puer in itinere laſſatur, niſi quòd amator præſentis ſæculi, peccati ſui nigredine opertus, ſæpe ab eodem ſæculo infirmus deſpectúſque relinquitur, vt cum eo currere nequaquam valear, ſed fractus aduerſitate torpeſcat? Sed hunc Dauid inuenit, quia Redemptor noſter veraciter in manu fortis, nonnunquam quos deſpectos à mundi gloria reperit, in ſuum amorem conuertit. Cibo paſcit, quia verbi ſcientia reficit. Ducem itineris eligit, quia ſuum etiam prædicatorem facit. Et qui Amalechitam ſequi noluit, dux Dauid efficitur, quia is, quem indignum mundus deſeruit, non ſolùm conuerſus in ſuam mentem Dominum recipit, ſed prædicando hunc etiam vſque ad aliena corda perducit. Quo videlicet duce Dauid conuiuantem Amalechitam inuenit, & extinguit, quia ipſis prædicantibus Chriſtus mundi lætitiam deſtruit, quos mundus habere comites deſpexit.] Huc vſque ille.

Iuſtè autem, & ſapienter Dominus humiles, ſéque ipſos deſpicientes exaltat. Homo enim per ſuperbiam cecidit, ergo per humilitatem reſurgat neceſſe eſt, vt peſtilens illa ægritudo, à primis parentibus ad nos emanans, contrario medicamento curetur. *Marci 9. 34.* Si quis vult primus eſſe, ait ipſe ſanctitatis magiſter, erit omnium nouiſſimus.] Ac ſi dixiſſet: Parentes veſtri ſecundùm carnem, ô mei diſcipuli, à quibus naturæ originem trahitis, volentes eſſe primi, & Dei ſimilitudinem non debitam cupientes, nouiſſimi, ac omnium miſerrimi facti ſunt. Vos itaque nouiſſimum è contrario locum eligite, & per veram humilitatem vos deſpicabiles reputate, vt ad primum locum, à quo illi ceciderant, aſcendatis. *Cypr. de zelo & liuore.* Amputauit profectò ille, vt inquit ſanctus Martyr, & egregius doctor Cyprianus, omnem æmulationem reſponſo ſuo, omnem cauſſam, & materiam mordacis inuidiæ eruit, & abſcidit. Diſcipulo Chriſti zelare non licet, non licet inuidere. Exaltationis apud nos non poteſt eſſe contentio: de humilitate ad ſumma creſcimus, didicimus vnde placeamus. Deus, veritas eſt; *1. Ioan. 5. 7.* nam & Ioannes ait: Spiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas.] Quamobrem & diliget veraces, & odio habebit mendaces. Superbi verò, mendaces ſunt & ſtulti, qui cùm nihil ſint, ſe aliquid eſſe putant, & ab hominibus magni videri volunt, quidni odio habeantur? At humiles ſunt veraces, qui ſentiunt ſe de ſe nihil eſſe, qui ſeipſos deſpiciunt, & ab aliis deſpici cupiunt; vnde & æquum eſt, vt à Domino diligantur. Et quidem quos Dominus diligit, extollit, & eius diligere efferre hominem, & ditare eſt. *Malach. 1. 2. 3.* Dilexi vos,] ait per Malachiam. Et interrogatus: In quo dilexiſti nos?] Reſpondit: Nonne frater erat Eſau Iacob, & dilexi Iacob, Eſau autem odio habui? Et poſui montes eius in ſolitudinem, & hæreditatem eius in dracones deſerti.] Hûc, inquam, ſuperbum repuli, & ideo poſſeſſionem eius dieci, & ad nihilum redegi. Illum verò humilem, A & manſuetum, & domi habitantem dilexi, & propterea eum, eiúſque poſteritatem extuli, & tranquillè in terra ſua habitare feci. Summa ergo veritas, veraces, id eſt, humiles, diligens, eos ad magnam dignitatem & gloriam promouebit.

Humiles milites Chriſti ſunt, eiúſque vexillum, nempe crucis abiectionem ſequuntur. Nam ipſe dux, & ſignifer noſter cruce quaſi vexillo oneratus nobis ad imitandum propoſitus eſt, dicente Paulo: Prædicamus Chriſtum, & hunc crucifixum.] *1. Cor. 1. 23.* Diabolus verò dux eſt ſuperborum, qui princeps eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ. *Iob. 41. 25.* Iſte igitur ſuperbos ſecum deferet in ignem æternum, qui paratus eſt ei & ſequacibus eius. Chriſtus autem humiles in gloriam adducet paratam illis ab origine mundi. Quibus ſolis dandam eſſe docent illa Domini verba ad diſcipulo- B rum aures perlata: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.] *Matt. 18. 3.* Deus ſanè rex eſt, & rex magnus: Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnes Deos.] *Pſal. 94. 2.* Rex miſericors: Et miſerationes eius ſuper omnia opera eius.] Fons eſt omnis bonitatis, & [omnium donorum, quæ deſcendunt à Patre luminum.] *Iacobi 1. 17.* Sed rex magnificus paruulos amat, quos exaltet; Dominus miſericors humiles diligit, in quibus ſuam miſericordiam oſtendat. Fons perennis valles quærit, in quas aquas ſalutares effundat. Humiles autem ſunt paruuli, qui modica de ſe ſentiunt, & omnibus ſe ſubiiciunt. Quid mirum, ſi à rege magnificentiſſimo extollantur? Humiles ſunt C miſeri, & ſua miſeria fœlices, quia ea diuinam miſericordiam ad ſe vocant. Quid mirum, ſi cœleſtibus miſerationibus repleantur? Humiles ſunt valles. Quorum meminit ſanctus Dauid, ita canens: Qui emittis fontes in conuallibus; inter medium montium, id eſt, ſuperborum, pertranſibunt aquæ.] *Pſal. 103. 10.* Quid mirum, ſi aqua diuinæ gratiæ rigentur? Profectò veriſſimum eſt quod dictum eſt à Domino per Ezechielem: *Ezech. 17. 24.* Et ſcient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliaui lignum ſublime, & exaltaui lignum humile: & ſiccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum. Ego Dominus locutus ſum, & feci.] De quodam humili, & quodam ſuperbo locutus eſt Dominus; ſiue de Sedechia & Iechonia, vt quidam volunt. Quorum ille proſperitate elatus, à D Nabuchodonoſore captus eſt, & oculis ac vita priuatus: hic poſt multam afflictionem fuit ab Euilmerodacho ad ſolium dignitatis ſubuectus. Siue (vt alij putant) de duobus populis ſuprà adductis Iudæorum & Gentium; quorum ille ob ſuperbiam periit, iſte ex humilitate complacuit. Cui dicitur in Iſaia: *Iſa. 56. 3.* Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus: Dabo ei locum,] & cætera. At nos de quocumque ſuperbo & humili intelligamus. Audi ergo, ô ſuperbe. Si lignum ſublime es, ſi teipſum ignoras, ſi tuam ſcientiam, tua talenta magni reputas, ſi alios deſpicis, téque illis præponis, Deus te deiiciet, Deus te areſaciet, vt eos, quos deſpexiſti, ſupra te habeas, & fructus æternæ vitæ non feras. Audi & tu, ô vir humilis. Si fueris tanquam li- E gnum humile, ſi teipſum agnoueris, ſi te nihili reputaueris, ſi alios ſuſpexeris, Deus te efferet, Deus te frondibus & fructibus veſtiet, vt & fructifices in domo Dei, & ab omnibus lauderis, & honore dignus habearis. Et ſtat inconcuſſa veritas à nobis propoſita, quòd humilitas eſt exaltationis fons, quam qui habuerit, tandem tandem extolletur à Domino, licèt ad tempus deſpectus eſſe videatur.

Quòd

Quòd Humilitas, eſt virtus Magnorum.

CAPVT X.

OB dictas cauſſas humilitas gratiſſima Deo in nobis eſt, & ob eaſdem à quoquam ſapiente intimis conatibus ſuſcipienda, cui nihil magis gratum eſſe debet, quàm Deo ſuo conditori placere, & ſe ad cœleſtia dona capienda, & ad veram altitudinem præparare. Nunc ex alio capite ſit nobis amabilis, quòd ea appetitui nobis à natura inſito pleniſſimè ſatisfacimus. Omnibus enim hominibus ineſt à natura ipſa eximia quædam ad magnitudinem inclinatio, & ad eminentiam ſuper alios dominationémque propenſio. Atque idem rerum auctor, qui ſeuit in mentibus noſtris appetitum conſeruationis, ſeuit & deſiderium augmenti, vt non ſolùm per diuturnū tempus ſimus, verùm & in omni bono, tum naturali, tum viribus noſtris quæſito, creſcamus. Hoc autem ita eſſe, oſtendunt innumera ſtudia hominum, oſtendunt ambitiones & prenſationes ſuperborum, oſtendunt contentiones, & bella principum huius ſæculi, oſtendunt denique cogitationes, & deſideria, & opera, ab ipſa natura profecta, quæ in hoc aut palam, aut abſconditè tendunt, vt augmentum boni, atque adeò aliquam magnitudinem acquiramus, vel aliquod malum, ac proinde aliquam paruitatem, & vilitatem refutemus. Sciebat diabolus, iſtud eſſe hominis deſiderium, non ſtudio quæſitum, ſed cum ipſa hominis natura procreatum (quod certè per ſe bonum eſt, ſi non ad vetita, & rationi contraria deflectat) & ideo obiectione magnitudinis fœminam ineſcauit. *Gen. 3. 5.* Cui pomum offerens, & ad guſtandum alliciens, dixit: Eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.] Mulier verò vt audiuit ab aduerſario, *Chryſ. hō. 16. in Gen.* quemadmodum ſcribit Chryſoſtomus, quòd ideo eſum hunc prohibuiſſet Deus, quia ſciret oculos noſtros apertos futuros, & nos ſicut Deos fore, ſcientes bonum & malum, diuinitatis ſpe inflata, magna quædam ſecum concipiebat.] Periit illa, periit & ſponſus eius, pater noſter Adam, periuimus & nos, quia hic appetitus magnitudinis exorbitauit, & non ſe intra limites rationis continuit. Superbiæ fuit illud deſiderium, quoniam in excellentiam homini vetitam tetendit, & magnitudinem non debitam inquiſiuit. Eſt autem hoc malum humilitatis oppoſitione ſanandum, quæ non erit difficilis, nec noſtro appetitui contraria, ſi oſtenderimus, humilitatem eſſe veram magnitudinem, quæ homines magnos faciat, & ad altitudinis faſtigium adducat.

Humilitas virtus eſt Magnorum, aut (ſi ita vis vt dicamus) eſt magnatum Eccleſiæ, quoniam eſt virtus perfectorum: & illi, omnium etiam inſipientium iudicio, ſunt magni, & virtute, donis, & dignitate præcelſi. Liceat nobis ad hoc explicandum veriſſimam quandam, ſed neſcio an ab alio aſſertam, humilitatis diſtinctionem inuehere. Sicut enim duæ ſunt partes eius virtutis, quæ appetitum venereorum comprimit: altera vocatur continentia, quæ non ſine difficultate, & pugna venereis reluctatur: altera vocatur caſtitas, quæ ſuauiter, & cum exigua, aut nulla contradictione mētis, & corporis mundiciem amplectitur. Sic omnino duplex eſt pars humilitatis; altera, quæ non ſine triſtitia, nec ſine motibus ſuperbiæ inſurgentibus, appetitum immoderatum propriæ excellentiæ comprimit: altera, quæ cum incredibili hilaritate, & pace hunc appetitum regit, & A infimum locum eligit. Illam primam humilitatis partem habent ſaltem in aliquo gradu omnes iuſti, licèt imperfecti: hanc poſteriorem habent ſoli perfecti. Eſt ergo perfecta humilitas, magnorum virtus, id eſt, perfectorum, quæ eos vt vera magnitudo magnos & admirandos efficit. Fur, qui in votis habet theſaurum alicuius ſurripere, intenſè ſcrutatur quo loco ſit reconditus, ne ſi in alio loco quærat, vacuus, & cum ſui laboris diſpendio diſcedat. Superbia autem volens humilitatem diripere, eam in viris perfectis adoritur; ſignum igitur eſt eam in viris ſanctis habere manſionem. Vnde quaſi axioma inter viros ſpirituales eſt, quòd ſuperbia inſidiatur perfectis. Et Dominus ſanctum Iob per tot flagella, per tot pugnas, & poſt tam illuſtres de hoſte victo- B rias, ad incredibilem ſanctitatem euectum, hortatur, vt ſibi conſulat, & modeſtè de ſe ſentiat, ne aſtu diaboli ex contemplatione triumphi humilitatem amittat. Accinge, inquit, ſicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & reſponde mihi.] *Iob 38. 3.* Vir appellatur, qui nimirum vias Domini fortibus & nō diſſolutis greſſibus ſequitur. Ei autem præcipitur, vt lumbos accingat, id eſt, vt ſuperbiæ motus poſt tot virtutum inſignia ſibi inſidiantes cohibeat. Cùm beatum Iob, inquit Gregorius, *Greg. 28 mor. c. 4.* tanta præditum caſtitate nouerimus, cur ei poſt tot flagella dicitur: Accinge ſicut vir lumbos tuos, id eſt, ſicut fortis reſtringe luxuriam: niſi quia alia eſt luxuria carnis, qua caſtitatem corrumpimus; alia verò luxuria cordis eſt, qua de caſtitate gloriamur? Dicitur ergo ei: Accinge ſicut C vir lumbos tuos, vt qui priùs luxuriam corruptionis vicerat, nunc luxuriam reſtringat elationis; ne de patientia, vel caſtitate ſuperbiens, tanto peius intus ante Dei oculos luxurioſus exiſteret, quanto magis ante oculos hominum & patiens & caſtus apparet.] Hæc ille. Cùm ergo aliquem humillimum videris, eum reputa magnum, quia illum debes exiſtimare perfectum. Has enim diuitias humilitatis perfectæ non quicunque, ſed ſoli reges poſſident: illi ſcilicet, qui poſt importunas cum vitiis, & immoderatis affectibus pugnas virtutem magnam, & planè regiam comparant. E contrà verò ſuperbi viles ſunt, puſilli, & deſpicabiles; quibus quia vera magnitudo deficit, ideo ineptus tumor, & quædam ridicula ſimulatio placet. Hos nullus metuit, nullus reueretur, D quorum magnitudinem ſimulatam, & quaſi in pariete depictam videt. Verum autem humilem omnes ſuſpiciunt, quia licèt exteriùs paruitatem præferat; intus tamen potentem magnitudinem geſtat. Quare de humillimo humilium capite, Chriſto Ieſu, ait Iſaias: Quieſcite ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt, quoniā excelſus reputatus eſt ipſe.] *Iſa. 2. 22.* Cauete, inquam, vobis, & ne peccatis veſtris ad iram prouocetis hominem illum, qui licèt verus homo ſit, & perinde atque alij homines, halitum in naribus habeat, tamen per diuinitatem abſconditam altiſſimus eſt, in cuius indignationem incurrere terribile eſt.

Profectò humiles in oculis Domini, atque in ocu- E lis hominum magni ſunt. In conſpectu quidem Domini, quoniam ille magnos fecit, & magnos habet, quibus vnigeniti Filij ſui, qui exemplar humilitatis fuit, ſimilitudinem impertiuit. Illos Deus exaltat, atque magnificat, quos non dona ſua ſuffurantes, ſed verè dona Dei eſſe confitentes, ei pro illis gratias agentes conſiderat. Hoc ſciebat Samuel, qui ita *1. Reg. 15. 17.* locutus eſt ad Saul: Nonne cùm paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es; vnxitque te Dominus in regem ſuper Iſraël?] Mira quidem ſententia: homo cùm paruulus, id eſt, humilis

eſt

eſt in oculis ſuis, in oculis Domini magnus efficitur, & cùm in ſuis oculis magnus eſt, tunc vilis factus teſtimonio Domini reprobatur. Saul humilis ad regnum eligitur, & Saul ſuperbus, & ex temporali potentia ſe iam paruulum non agnoſcens, è regno deiicitur. Quis non videat humiles à Deo magnos fieri, & magnos haberi; ſuperbos verò viliſſimos ac abiectiſſimos reputari? Nec mirum erit, quòd magni in conſpectu Domini, in oculis quoque hominum magni ſint: nec quòd homines ſuſpiciant, & venerentur, quos Deus attollere, & exaltare dignatur. Illi ergo (faciente Deo, & pulchritudine humilitatis exigente) humiles magnos reputant, & vt magnitudine, ac ſublimitate præditos eximio honore proſequuntur. De quo hæc pulchrè ſcripſit Ambro-

Amb. ad Pſa. 118. ſerm. 20.

B ſius: Hæc humilitas, virtutum omnium caput eſt, quæ totum, velut quoddam noſtrorum actuum fouet corpus. Quamuis infirmus aliquis ſit, pauper, ignobilis, tamen ſi non ſe extollat, & præferat, ipſa ſe humilitate commendat. Si aliquis prædiues, & nobilis, idem ſi nobilitatem generis & diuitias ſuas iactet, inſolentia ſibi vilis eſt. Sit aliquis facundus & fortis, qui tumore facundiæ, ac virtutis elatus, plurimum ſibi arroget: nonne ei propter verecundiam, & inſipiens plerumque & inualidus antefertur? Denique Phariſæus in Euangelio, cùm abſtinens, & parcus eſſet alieni, liberalis ſui, non refugus ieiunij, vt ipſe dicebat, tamen propter iactantiam, etiam illa, quæ habere poterat, amiſit. Nihil ei tot genera

C virtutum vno vitio decolorata prodeſſe potuerunt. Publicanus, qui nihil enumerare poterat, quod poſſet probare, propter humilitatem tamen iuſtificatus magis, quàm ille Phariſæus deſcendit è templo, ſecundùm quod ſcriptum eſt in Propheta: Quia humiles ſpiritu ſaluabit.] Nemo damnabit, quos Deus ſeruat; nemo vituperabit, quos Deus ipſe excuſat; nemo viles reputabit, quos Deus ob humilitatem ſibi gratos reddit, iuſtitia afficit, & ſuperbis ſe iactantibus anteponit. Ergo & humiles apud homines etiam magni ſunt, quia quos diuina poteſtas decreuit magnificare, non poteſt imbecillitas humana deſpicere.

Pſ. 33. 19.

Humiles, magni ſunt, quoniam in omni bene gubernata republica magnum ducitur id, per quod ad dignitatem & principatus celſitudinem peruenitur:

D & magni ſunt illi, qui in aliquo munere poſiti, ex illo ad ſplendidam dignitatem ſolent aſcendere. Magnitudo eſt, ſi ſis præfectus vrbis, quia ex præfecto poteris fieri ſenator: magnitudo eſt quòd ſis ſenator, quia ex ſenatoribus præſes ſupremi conſilij, aut etiam prorex efficimur. Ergo in domo Dei humilitas magnitudo eſt, & humiles magni ſunt, qui iam quaſi in quodam gradu ſanctitatis poſiti propter illum digni maioribus donis habentur, & in ſuprema dignitate diuinæ familiaritatis collocantur. Hi ſunt magni, quos Deus non ſpernit, quia magnitudinem in eis participatam ex ſua magnitudine poſuit. De quibus dictum eſt in Iob: Deus potentes non abiicit, cùm & ipſe ſit potens. Sed non ſaluat impios, & iudiciū pauperibus tribuit.] Si enim potentes hu-

Iob. 36. 5.

E miles ſunt, ſi ſpiritu pauperes, ſi quamuis dignitate, ac poteſtate fulgeant, ſunt in ſua exiſtimatione puſilli, Deus non abominatur eos, non deſpicit illos, immò diligit, in magno pretio habet, eiſque libentiſſimè opem defert. At impios, id eſt ſuperbos, de ſua poteſtate præſumentes, non ſaluat, ſed extremo ſupplicio plectendos reſeruat. Meritò verò Deus potentes humiles diligit, quoniam eos ſimiles Filio ſuo, potentiæ & humilitatis pleniſſimo, reperit. Meritò eos diligit, quia rara, & vix inuenta amabilia ſunt, &

A rarum eſt, potentem, & in dignitate ſublimi poſitum, humilem inuenire. Quàm mirabile id ſit, docet in hunc modum Gregorius: Mirum valde eſt cùm in cordibus ſublimium regnat humilitas morum. Vnde penſandum eſt, quia potentes quique, cùm humiliter ſapiunt, culmen extraneæ, & quaſi longè poſitæ virtutis attingunt: & rectè hac virtute Dominum quantocyùs placant, quia illud ei ſacrificium humiliter offerunt, quod potentes inuenire vix poſſunt. Subtiliſſima namque ars viuendi, eſt culmen tenere, gloriam premere, eſſe quidem in potentia, ſed potentem ſe eſſe neſcire: ad largiēda bona potentem ſe cognoſcere, ad rependenda noxia omne, quod potenter valet, ignorare. Rectè itaque de talibus dicitur: Deus potentes non abiicit, cùm & ipſe ſit po-

Greg. 26. mor. c. 19.

B tens. Deum quippe imitari deſiderat, qui faſtigium potentiæ alienis intentus vtilitatibus, & non ſuis laudibus elatus adminiſtrat, qui prælatus cęteris prodeſſe appetit, non præeſſe. Tumoris namque elatio, non ordo poteſtatis in crimine eſt. Potentiam Deus tribuit, elationem verò potentiæ malitia noſtrę mentis inuenit. Tollamus ergo, quod de noſtro contulimus, & bona ſunt, quæ Deo largiente poſſidemus.] Hæc ille. Sed ſi diuites, & potentes ob humilitatem grati Deo ſunt, certè eorum theſauri, ipſorúmque potentia non tam in diuitiis, atque potentia, quàm in humilitate conſiſtit, quæ illis apud ſummum omnium rerum conditorem gratiam peperit, & familiaritatem conciliauit. Ergo quicumque humiles,

C licèt ſecundùm leges huius ſæculi pauperes ſint & abiecti, magni re vera, & potentes exiſtimandi ſunt, quorum ſola vita & ſancta conuerſatio Deo nobiles & diuites, & potentes commendat.

Et verè ita eſt; quis enim humiles non magnos & potentes iudicet, ſiquidem mente excelſa, & altis cogitationibus & deſideriis præditi ſunt? Equidem iudico magnos non tam metiendos eſſe diuitiis, aut temporali poteſtate, quàm magnanimitate, & ſtudiis præcelſis, ac deſiderio virtutis. Humiles autem in tanta modeſtia, in tanta rerum temporaliū parcitate, mirum eſt quanta magnanimitate polleant, & ad quàm ardua & ſublimia contendant. Magnū eſt, quæ magnates huius ſæculi magna exiſtimant, parua æſtimare, & vt vilia, & nullius pretij contemnere. Sed hæc contēnunt humiles, qui honores, &

D dignitates huius temporis prorſus indignas iudicãt, in quibus amor noſtræ mentis collocetur. Magnū eſt, vultum potentum non vereri, minas eorum, & indignationem non timere, & quicquid poſſunt facere, pro nihilo ducere. Id faciunt humiles, quia cùm nihil à potentibus expectent, & Deum protectorē ſentiant, illos, qui ſolùm poſſunt occidere corpus, non timent. Magnum eſt, intimam Dei amicitiam percupere, & ad imitationem Angelorum aſpirare. Id aggrediuntur humiles, qui ob id temporalia aſpernantur, vt æterna & cœleſtia percipiant. Sunt ergo illi magni, qui dum magnitudinem creatam reiiciunt, quodam modo magnitudine increata veſtiuntur, & verè diuinas proprietates participant. Humiles ſe ex ſe ipſis inſipientes putant, & diuina

E ſapientia reguntur: ſe imperfectos & peccatores exiſtimant, at cœleſti bonitate decorantur: ſe impotentes cogitant, ſed Dei potentia fulciuntur, vt ardua & difficilia, immò & mirabilia aggrediantur, & non cœpta, aut ſemiſacta, ſed perfecta relinquant. Se temporalibus diuitiis & honoribus exuunt, aut ſi actione non poſſunt, ea affectu deſerunt, & eo ipſo æternis donis, & perfecta ſubiectione ad Deum, quæ ſumma eſt dignitas, induuntur. Dumque omnem huius ſæculi altitudinem deſerunt, nequaquam eam

perdunt,

Digitized by Google

perdunt, ſed pro alia ſublimitate ſine vlla comparatione maiori commutant. Eſſe autem ſummam altitudinem ac ſublimitatem, ſubiici Deo, Auguſtinus docet his verbis: Bonum eſt enim ſurſum habere cor: non tamen ad ſe ipſum, quod eſt ſuperbiæ, ſed ad Dominum, quod eſt obedientiæ, quæ niſi humilium non poteſt eſſe. Eſt igitur aliquid humilitatis miro modo, quod ſurſum faciat cor, & eſt aliquid elationis quod deorſum faciat cor. Hoc quidem quaſi contrarium videtur, vt elatio ſit deorſum, & humilitas ſurſum. Sed pia humilitas facit ſubditum ſuperiori, nihil eſt autem ſuperius Deo, & ideo exaltat humilitas, quæ facit ſubditum Deo. Elatio autem, quæ in vitio eſt, eo ipſo, quo reſpuit ſubiectionem, & cadit ab illo, quo non eſt quicquam ſuperius, & ex hoc erit inferius, & fit quod ſcriptum eſt: Deieciſti eos, dum extollerentur.] Non enim ait, cùm elati fuiſſent, vt priùs extollerentur, & poſtea deiicerentur; ſed, cùm extollerentur, tunc deiecti ſunt. Ipſum quippe extolli, iam deiici eſt.] Quia ergo humiles planè ac perfectè Deo ſubiecti ſunt, ideo magni & ſublimes ſunt. Si enim ſublimitas eſt, in regno terreno regi immediatè ſubiici, & nullũ alium ſuperiorem niſi regem agnoſcere, quàm maior ſublimitas erit, nec regibus huius ſæculi ſubiici, ſed ſolùm Deum regem omnium regum ſuperiorem habere? Hanc ſublimitatem, & altitudinem conſecuti ſunt humiles: non quia non ſubſint prælatis, & ſuperioribus ſuis, aut quia non præceptis, & legibus teneantur, quis hoc niſi inſanus dicat; ſed quia in prælatis, & regibus Dei imaginem contemplantur, & in illis Deo obediunt, & illi ſe ſubiiciũt. Legunt illi in Paulo: Obedite non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes ſicut Domino, & non hominibus.] Legunt & complent, & in hominibus Deo ſeruiunt; quòd ſi homines aliquid contra Deum præcipiant, quia vident Deum non iubere, ſua ſublimitate vtuntur, & hominibus peccatum præcipientibus ſeruire contemnunt.

Aug. 14 de Ciuitat. c. 13.

Pſal. 72. 18.

Epheſ. 6. 6.

Aptè igitur ſponſa, cùm de humilitate laudatur, filia principis vocata eſt, quaſi nobiliſſima, & nulli alij niſi regi ſubiecta. Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis!] O filia principis, ô anima verè humilis, ô filia regis Chriſti, ô cunctis prælata, & ſoli Deo tuo amatori ſubiecta, quàm pulchra es in greſſibus tuis, quàm ſpecioſa in inceſſu tuo, quàm formoſa in pedibus, quos calceamenta pretioſa, gemmis diſtincta & ornata circundant. Pedes tui affectus ſunt humilitatis, quia ſicut pedes terram tangunt, ſic & affectus iſti ſub omnium pedes te demittunt. Inceſſus tuus exterior, humiliatio tua eſt, quia in perfectionẽ, & mentis puritatem tui ipſius deiectione progrederis. Calceamẽta tua, Dei Angelorúmque protectio, qua fit, vt te deiiciendo, in puſillanimitatem non tranſeas: qua fit, vt aggrediendo magna, in ſuperbiam non deflectas. Sed greſſus tui pulchri ſunt, quia dũ ex corde te humilias, ſponſum pulcherrimum imitaris, & ei, qui incomparabilis pulchritudo eſt, ſimilis efficeris. Tu illum laudans, à capite laudationem ordiris. Nam verbum tuum eſt, ô ſponſa: Caput eius aurum optimum, &c.] & ad baſes aureas, nempe ad pedes eius deſcendis, vt eius charitatem prædices, qua magnitudinem diuinitatis ſuæ, propter nos ad carnis humilitatem depreſſit. Ille verò tuam laudem attexens non à capite, ſed à pedibus inchoat. Vox enim illius eſt: Quàm pulchri ſunt greſſus tui; vt viam ad magnitudinem demonſtraret, &

Cantic. 7. 1.

Cantic. 5. 11.

A hanc aliam non eſſe, niſi humilitatem, omnibus audientibus aperiret. Cupis, ô filia principis, vt dicatur tibi: Caput tuum vt Carmelus; & comæ capitis tui ſicut purpura regis vincta canalibus?] Vis, inquam, vt caput tuum ſolus ſit Chriſtus, & nulli alteri tanquam verè principi, & reginæ niſi Chriſto ſubdaris? Enitere igitur, vt pedes tui pulchri ſint; & vt inceſſus tuus decore humilitatis effulgeat. Caput Eccleſiæ, ô anima Eccleſiæ filia, hoc loco Chriſtũ ſignificat. Vnde Gregorius ait: Caput Eccleſiæ Chriſtus, qui bene vt Carmelus dicitur, quia ipſe per paſſionẽ, quã ſuſtinuit, ad gloriã Patris eſt exaltatus. De quo ſcriptum eſt: Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montiũ: in Carmelo quippe Elias orans obtinuit pluuiam, &
B nos in Carmelo orantes, pluuiam impetramus, quãdo in Chriſtum credentes, Chriſtum deſideramus, & à Patre irrigationem gratiæ ſuſcipimus, quam rogamus.] Si itaque humilis fueris, Chriſtum vtique caput habebis, quoniã ſicut diabolus, vt inquit Iob, eſt princeps ſuper omnes filios ſuperbiæ; ita Chriſtus humilibus ac ſimplicibus principatur. Cupis etiam vt comæ capitis tui, quæ non ſolùm capiti, ſed & toti corpori ornamento ſunt, ſimiles ſint purpuræ regis vinctæ canalibus, vt inquam Sancti, qui à Chriſto, tanquam à capite, pendent, ſua protectione, & interceſſione te ad modum purpuræ indumenti regalis cingant, & ornent? Sint ergo pulchri greſſus humilitatis tuæ, quia humilitas, quæ Chriſto te ſubiicit, Sanctorum etiam amorem & interceſſionem
C promeretur. Sunt illi inſtar purpuræ quam cuiuſdam conchilij puniceus color infundit; quam, ſi vincta ſit, & ligata tincturæ canalibus, ipſa tinctura pretioſiorem & ſplendidiorem reddit. Nam & Chriſti imitatione tinguntur, & quaſi eius ſanguine rubricantur: quòque diutiùs illi adhærent, eo ſunt adepta virtute pulchriores. Si ergo illi te ornant, & cingunt, non poteris non Chriſtum induere; & filia Principis, id eſt, magna & nobilis apparere. Atque ita intelliges, humilitatem magnorum eſſe virtutem, quæ cor hominis magnũm facit, quæ in oculis Domini, & in conſpectu hominum animam magnam reddit, & iam eam veniſſe ad perfectionem oſtendit.

Canti. 7. 5.

Greg. ibi.

Iob.

D

Quòd Humilitas non deiicit animum, ſed mirificè roborat, ad aggredienda difficilia.

CAPVT XI.

SI Magnorum eſt, difficilia aggredi, & magna ac mirabilia præſtare, non erit alicui mirum, ſi dicamus humiles (quos magnos eſſe conuicimus) rerum eſſe magnarum, ac mirabilium patratores, ipſáque humilitate, ad ea facienda roborari. Quæ veritas multis rationibus, aut longo verborũ circuitu non indiget,
E ſed ſola oculorum apertione manifeſtè conſpicitur. Aperi oculos tu, qui hæc legis, aſpice Eccleſiæ magnalia, huiuſque ſponſæ Chriſti mirabilia, & apertè videbis, vniuerſa hæc non à ſuperbis, ſed ab humilibus fuiſſe patrata, & ad felicem finem adducta. Redemptio humani generis, & eius à captiuitate dæmonis liberatio, opus ob ſuam eximiam magnitudinem vocatum (ſicut verè eſt) opus Dei. Nam in Abacuc legimus: Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud.] Et in Iſaia: Vt faciat opus

Abacuc 3. 2.
Iſa. 28. 21.

ſuum,]

ſuum,] id eſt, redemptionem noſtram, alienum opus eius, quo aliena à diuina maieſtate ſuſcepit, pro illo primo opere faciendo ſupportauit. Sed hoc opus eſt Chriſti humilis, & capitis cunctorum humilium, qui licèt præ humilitate eſſet quaſi tenerrimus ligni vermiculus, tamen potentia pallio humilitatis tecta interfecit, non quidem octingentos, ſed omnes hoſtes noſtros impetu vno, & totum infernum tremefecit. Deſtructio idololatriæ, dæmonis cultus ſublatio, & totius mundi conuerſio, opus magnum & eximiũ eſt. Sed hoc opus ab Apoſtolis humilibus, & deſpectis perfectum eſt. Nam quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat fortia, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.] Opus etiam fuit admirabile, fidei noſtræ comprobatio, & aduersùs omnes principes huius ſæculi, qui eam perſequebantur, veritatis oſtẽſio. Hoc opus Martyres humiles & manſueti perfecerunt, & vtriuſque ſexus homines, & in illis virgines tenerrimæ, & annis ac ſpiritu paruulæ conſũmarunt. Quorum Martyrum tum victoriam, tùm præmia ſanctus Dauid decantans, ait: Adiuua nos Deus, ſalutaris noſter. Ne fortè dicant in gentibus: Vbi eſt Deus eorum,] téque erga nos obliuionis, & crudelitatis inſimulent. Immò innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris, nobíſque aſpicientibus, vltio ſanguinis ſeruorum tuorum, qui effuſus eſt; introeátque in conſpectu tuo gemitus cõpeditorum; eorum nimirum, qui pro te in carceres, ac vincula coniecti, tuum præſidium implorant. Ita fiet, Domine, nam iuxta magnitudinem poteſtatis tuæ nos filios mortificatorum, id eſt, Apoſtolorum, in conſimilem mortem deſtinatos, in tuum peculium vendicabis, & vicinis noſtris communione naturæ, ſed animo hoſtibus reddes ſeptuplũ, quod meruerunt, & in pœnam opprobrij in te iactati, quòd ſcilicet nos deſerueras, æternam damnationem retribues. Nos autem, populus tuus, & oues humiles paſcuæ tuæ, noſtræ mortis commemoratione confitebimur tibi, atque laudabimus per ſequentia ſæcula, & ex vna generatione in aliam annunciabimus laudem tuam. Hoc eſt opus Martyrum. Sed quid vniuerſa Eccleſiæ magnalia numeramus? Profectò Pontifices humiles eam gubernarunt, ſuperbi contriſtarunt; Doctores humiles verbo, & editis voluminibus docuerunt; literati verò ſuperbi erroribus illam decipere tentauerunt, & zizaniam in medio tritici ſeminare curarunt. Nihílque eſt magnum aut eximium, quod Deus non humilibus inſtrumentis effecerit: nihílque peſtilens & exitioſum, quod non diabolus hominibus ſuperbis præſtare tentauerit.

2.Reg.23. 8. *1. Cor.1. 27.* *Pſ.78. 9.*

Hæc autem poteſtas humilium ad opera mirabilia præſtanda non leuibus nititur fundamentis, ſed altis, ac profundis eſt fixa radicibus. Quid enim non poterunt, quid non fœliciter ad finem illi perducent, quos Dominus protegit, & ſolicitiſſima quadã prouidentia ab omni malo defendit? Humiles verò ſunt diuina ſemper miſeratione protecti. Cuſtodiens paruulos Dominus, ait ſanctus Dauid, humiliatus ſum, & liberauit me.] Noui, ô Domine, quia tu es paruulorum, ac humilium cuſtos: eos à malis imminentibus eripis, eos in bonis adiuuas, & à pudore, & ignominia eorum, qui incipiunt, & non perficiunt, liberas. Ideo humilitatem, cordíſque ſimplicitatem ſectatus ſum, vt te in cunctis periculis liberatorem, & in bonis actibus adiutorem experiar. Humilitatem verò eſſe, quæ hanc Domini protectionem promereatur, ſiue quæ nos ac noſtra vndiquaque cuſtodiat, ſcitè adumbratum eſt in Deuteronomio, vbi hęc de ædificatione nouæ domus inueniuntur ſcripta

Pſ.114.5.

A Cùm ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur ſanguis in domo tua, & ſis reus labente alio, & in præceps ruente. In quem locum ita philoſophatur Beatus Dorothæus, dum virtutum adeptionem ædificationi domus comparauit. Poſt tectum quoque circum coronã opus eſt. Eſt enim in lege Præceptum: Si ædificaueritis vobis domum, circum coronam illi apponite, ne cadant paruuli veſtri ab alto. Corona hæc, humilitas eſt; ea enim (vt dixi) coronat, & ſeruat virtutes omnes, & omnis virtutis perfectio eget humilitate. Sanctorum namque omnium profectus, acceſſus eſt ad humilitatem. Et (vt ſæpe dixi) quo quiſque magis Deo adhæſerit, eo ſe magis peccatorem agnoſcet, & intelliget. Qui ſunt autem paruuli, de quibus lex ait: Ne cadant paruuli à domo? Paruuli, cogitationes ſunt in B anima noſtra conceptæ, quæ ſunt per humilitatem cuſtodiendæ, ne ab ipſa domo corruant, & hanc dicimus perfectionem eſſe virtutum omnium.] Hæc ille. Eſt itaque humilitas, quæ cogitationes noſtras, id eſt, ea, quæ cogitauimus, & facere decreuimus, defendit, atque cuſtodit. Nam ſi abſque humilitate aliquid ſtatuamus, & quaſi nobis ipſis fidentes facere præſumamus, aut nunquam incipimus (auxilio Dei nos deſerente, vt concipiamus ſanam mentem) aut poſt paulum per incõſtantiam deſerimus, vel ſi aliquando perfecerimus, dirutum poſt paulũ ac diſſipatum videmus. Apertéque cognoſcimus humilitatem eſſe murum, ſiue coronam, domũ vitæ noſtræ cingentem, quæ prohibet ne opera noſtra ca- C dant, & ne noſtri conatus euaneſcant. Dicebat Idumæa ſibi ipſi confidens: Deſtructi ſumus, ſed reuertentes ædificabimus, quæ deſtructa ſunt.] At dixit Dominus, ſuperbos irridẽs: Iſti ædificabunt, & ego deſtruam, & vocabuntur termini impietatis, & populus, cui iratus eſt Dominus vſque in æternum.] Iſta eſt ſuperborum pœna, quorum Deus opera deſtruit, & conatus euertit, cùm tamen opera humiliũ promoueat, & ad perfectionem adducat. Nam cùm ipſe ſit, qui incipit in illis opus bonum, ipſe perficit vſque in diem Chriſti Ieſu, vſque in illum ſcilicet diem, quo ſuorum operum mercedẽ accipient.

Deut.22. 8. *Doroth. doct.14.* *Mal.1.4.*

Non ſolùm ergo humiles à Domino protegũtur, & ab ignominia inſtabilium, qui incipiunt, & non perficiunt, eripiuntur, ſed etiam mirabiliter adiuuantur, vt cœpta perficiant. E contrà verò ſuperbi mille obſtaculis ſe ſentiunt obſtringi, ne quæ aggre- D diuntur, ad finem vſque perducant. Vtrumque expreſſit manifeſtè Salomon in Prouerbiis dicens: Ipſe, ſcilicet Dominus, deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam.] Quem locum adducens Iacobus Apoſtolus, citánſque ſecundùm verſionem ſeptuaginta virorum, ſic ait: Propter quod dicit, nimirum ſcriptura, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.] Vnde iidem ſunt ſuperbi, qui & illuſores; iidémque humiles, qui & manſueti. Illis itaque reſiſtit Deus, illos deludit, his autem ſuam gratiam cõcedit. Quare ſuperbi illuſores? Quare? Quia ex animi ſuperbia bene monentes rident, & veluti inſipientes, & inania conſulentes, contemnunt. Quia ſibi quod alienum eſt, arrogant, nempe Dei, & ex be- E ne geſtis gloriam apud homines captant. Et quare humiles manſueti? Quare? Quia verba Dei cum tremore ſuſcipiunt, & quia longanimiter, & patienter eius adiutorium expectant. Illos deludit Deus, quia eorum curas, & ſolicitudines ad aliquid peragendum inanes eſſe manifeſtat, & riſui, ac ſannis inſpicientium exponit. Illis reſiſtit, & ipſos impedimentis circundat, & viam illorum ſepit ſpinis, ne aliquid vtile ac memoria dignũ faciant, & ne eorum opera

Prouer.3. 34. *Iacobi 4. 5.*

tempore

tempore diuturno ſubſiſtant, ſed vt fumus euaneſcant. O quàm copiosè ſanctus Dauid hanc Domini gloriam, ac ſuperborum imbecillitatem decantat. Pſal. 72. 18. Veruntamen propter dolos poſuiſti eis,] vt decipiantur,dediſti eis temporalia bona,] deieciſti eos à deſiderio ſuo, dum alleuarentur,] dum conarentur ſe erigere, & egregiis facinoribus ſe magnos, ac potentes declarare. Quomodo facti ſunt in deſolationem,ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam. Velut ſomnium ſurgentium, Domine, in ciuitate tua] in Eccleſia tua[imaginem ipſorum,] id eſt, geſta, quibus memoriam, & nomen apud homines quærunt, [ad nihilum rediges.]At manſuetis, & humilibus Deus dat gratiam. Quam gratiam? Gratiam ad concipiendum, gratiam ad parturiendum, gratiam ad educandum, gratiam ad collocandum in ſtatu filios, quos in lucem ediderant. Accipiunt humiles gratiam ad concipienda bona opera, & à Deo quaſi generante docentur,quomodo ea debeant efficere. Dicitque eorum quilibet: Pſal. 70. 17. Deus, docuiſti me à iuuentute mea, & vſque nunc pronunciabo mirabilia tua.] Habent gratiam ad pariendum, & ad incipiendum exteriùs, quod mente conceperunt. Pſal. 70. 22. Nam & ego, inquit, confitebor tibi in vaſis pſalmi,] quod mente concepi,adhibitis muſicis inſtrumentis voce promam : immò & operibus meis,quæ apud te non minùs ſuauiter quàm muſica inſtrumenta ſonant, tuam laudem, quæ meliùs operibus, quàm verbis exhibetur, edicam. Data eſt illis gratia ad educandum, id eſt, ad progrediendum in bono opere. Pſal. 70. 15. Os meum, inquit idem humilis, annunciabit iuſtitiam tuam :] ac in ſeruandis promiſſis fidelitatem, qua iuuas ſperantes in te,& quia ſemper eam experior,non aliquo vitæ meæ momento, quæ inſtar vnius diei eſt, annunciabo magnalia tua, ſed tota die ſalutare tuum. Data eſt tandem illis gratia ad perficiendum; quare & idem ipſe humilis certus Pſal. 70. 17. 18. quod accipiet, deprecatur : Et vſque in ſenectam, & ſenium, Deus, ne derelinquas me : donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura eſt :] quouſque, inquam, quod cœpi peragam, & tuam gloriam notam hominibus faciam. Iuuantur itaque humiles potenti auxilio Dei, vt quod aggreſſi fuerint, mirabiliter finiant.

Hinc oritur humilium robur,& mirabilis audacia ad aggredienda ardua & difficilia, quia Deum ſibi adiutorem ſentiunt, & ſua omnia oculis benignis aſpicere, & prouidentia ſpeciali gubernare cognoſcunt. Mens namque baculo arundineo nixa, quantumuis ſe ipſam roboret, caſum timet,& puſillanimis facta, ac difficultatibus preſſa, ab eo, quod cœperat,retrocedit. At mens forti protectione munita, & baculo,qui frangi non poſſit,ſuſtentata, nihil metuit, & magnanima effecta, quantumuis difficultates & obſtacula inſurgant, in cœpto, donec finem videat,perſiſtit. Superbi autem ſibi metipſis nituntur,qui licèt ſe potentes cogitent, cor tamen, quod fidele eſt, imbecillitatem maximam ſub velamine ſuperbiæ latere perſentit; ideo oborta qualibet difficultate, cadunt, & timore perterriti, à cœpto diſcedunt. E contrà humiles non in ſe ipſis, ſed in Deo ſolo confidunt, ipſum omnipotentem eſſe ſciunt, ipſum amabilem protectorem experiuntur, quare alacriter & fidenter in eo, quod aggreſſi ſunt perſeuerant, & difficultates,ac impedimenta emergentia conculcant. Quid timeret ſanctus Ezechiel, Ezech. 3. 8. cùm audiebat dicentem Dominum: Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Vt adamantem,& vt ſilicem dedi faciem tuam, ne timeas eos.] Sed hæc verba, & ſimilia à Domino immiſſa audit ſæpe humilis in corde ſuo. Tu imbecillus es, ſed ego te fortem faciam : tu ignarus,ſed ego te in doctorem aliorum proponam, tua inſipientia, & infirmitate ſapientes huius mundi confundam, & potentes vincam. Quid hac promiſſione roboratus non faciet? Quam difficultatem non ſuperabit? Pauper quaſi naturaliter parcus eſt, & obolum, quem fortè ſolum poſſidet, non vellet inſumere : ſed ſi ſibi ad diſpenſandum ampla regis patrimonia committantur, quàm liberaliter argentum effundet,quàm profusè aurum in pauperes erogabit? Homo inualidus atque infimus nec cum puero irato decertare audebit, at à robuſtiſſimis militibus adiutus atque circumdatus,audacter cum gigante pugnabit. Claudus ſuis pedibus, nec quartam leucæ partem ambulare poterit, ſed velociſſimè equo inſidens, aut curru vectus magna etiam terrarum ſpatia peragrare valebit. Sic prorſus humilis pauper eſt, & ſua paupertas eſt ſatis ſibi nota : infirmus eſt, qui nec culicem vincet; claudus, & mille catenis impeditus, ne opus alicuius momenti, aut difficultatis poſſit attingere. At non ſuas, ſed Dei opes, diuitiáſque diſpenſat, & abundantiſſima eius auxilia ſibi prærogata diſtribuit : non ſuis, ſed Dei viribus pugnat : non carnis pedibus ambulat, ſed Angelorum humeris ſuſtinetur, quid mirum, ſi magna audeat; ſi in arduis, & difficilibus nunquam deſiſtat. Immò mirum eſſet, ſi puſillanimitate ligaretur, & non ad magna ſe extenderet, qui manifeſtè nouit ſibi nihil deeſſe ad magna patranda; non quia talentum ad magnum opus ex ſe habeat, ſed quòd beneficio Dei humilium adiutoris quaſi mutuò ſibi datum intelligat. Qui ſæpiſſimè expertus eſt, humiles, quorum eſt ſimilis, mirabilia prò Dei honore feciſſe, & nullam non difficultatem ſuperaſſe. Qui apertè ſcit ad incredibilem Dei gloriam pertinere, ſi humilis quiſque magna operetur, quoniam cùm vires alienas eſſe, & ſibi à Deo datas agnoſcat, à ſe geſta non ſibi tribuit, ſed Deo in ipſo, & per ipſum operanti non minùs humiliter, quàm veraciter aſcribit. Reges quidem huius ſæculi ſtrenuos, & fortes, ac bono ingenio, & acri iudicio famulos quærunt, quibus ſua negotia committant, quoniam illis robur, & vires ad negotia peragenda dare non poſſunt. At Dominus, qui virium, & omnis creatæ poteſtatis eſt auctor, [non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri Pſ. 146. 10. beneplacitum erit ei. Sed beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum; & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius.] Eſt ac ſi dicat : Non fortes eligit Deus, & armis inſtructos, vt hoſtes ſuos deiiciat, & perimat,ſed humiles,& ſibi ipſis non fidentes vocat, vt quiſque opus magnum videns, non brachium hominis,ſed Dei potentiam ibi operatam eſſe animaduertat.

Mirabilis eſt profectò hæc potentia humilitatis ad difficilia aggredienda, & magna patranda; quia virtus illa, quæ primo aſpectu videbatur à magnis, & arduis retrahere, ad res arduas & difficiles aggrediendas inuitat. Dauid ex notitia ignorantiæ ſuæ ſanctam quandam audaciam ad cognitionem diuinorum myſteriorum aſſumit. Quoniam non cognoui literaturam, inquit, introibo in poten- Pſal. 70. 17. tias Domini : Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.] Quid dicis ſancte Rex? Quid effaris ſapiens Propheta? An quia ignarus es, & diſciplinis ſcholarum vacuus, ideo arcana cœleſtia cognoſces? Immò & ob id non cognoſces. Nam & nos multis annis, & indefeſſo ſtudio in diſciplinas

A Philoſuphorum incumbimus, & eis quaſi ancillis diſponimur, vt tandem bene parati ea, quæ Dei ſunt, attingamus. Scimus etiam, innumerabiles huius tempeſtatis hæreticos à via veritatis erraſſe, quia poſtquam neſcio quas quisquilias vanæ eloquentiæ deuorarunt, auſi ſunt in abdita diuinorum irrumpere, & abſque Philoſophiæ, & ſcholaſticæ doctrinæ notione myſteria ſcripturæ tractare. Et quomodo tu dicis: Quia ignarus ſum, diuina cognoſcam, quia idiota ſum, myſteria vix ſapientibus nota peruadam? Verum dico, inquit, quia non à me, ſed à Spiritu Domini doctus & incitatus dico. Quoniam humilis ſum, quoniam me ignarum ſcio, ideo ingrediar, ideo conſequar, ideo voluntatem Domini flectam, vt me ſua opera magnifica doceat, vt meum os ad narrandam ſuam iuſtitiam, & B fidelitatem aperiat: quia ille humiles erudit, ſuperbos autem & inflatos excæcat. Moſes ducatum populi Iſraëlitici detrectauit, & tamen viſionem Domini concupiit.

Exod. 33. 13.

Si inueni gratiam, ait, in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam.] Quid eſt hoc, magne Moſes? Deum videre, ipſum alloqui, & cum illo conuerſari audes, & hominibus imperare non audes? Quodnam maius eſt, an homines gubernare, an Deum, cuius aſpectus omni viuenti negatus eſt, facie ad faciem in vita mortali conſpicere? Ego, inquit, hominibus imperitare non metuo, Pharaoni reſiſtere, & popolum ab eius dura ſeruitute liberare non timeo, ſed tanquam humilitate C donatus, honorem fugio, & auram popularem extimeſco. At à Domino ad populum regendum adactus, tantum abeſt vt robur mentis ad gubernationem non habeam, quod potiùs maiora & ſublimiora, ſed humilitati minimè contraria procuro. Gedeon etiam de ſe ipſo humiliter ſentiens, ducis nomen & munus ſubire noluit. Vnde Angelo dicenti ſibi:

Iudic. 6. 14. 15. 16.

Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſraël de manu Madian: ſcito quòd miſerim te:] Reſpondit: Obſecro mi Domine, in quo liberabo Iſraël; ecce familia mea infima eſt in Manaſſe.] At poſtquam audiuit: Ego ero tecum,] & diuini adiutorij ſignum accepit, quid non fecit, quas ſtrages in hoſtes non exercuit, in quo non Madianitas ſuperauit? Eſt quod humilitas magna poteſt, & homini impoſſibilia audet, quia manum Domini, cui omnia poſſibilia ſunt, adiuuantem perſentit. Eſt quod humiles dicunt:

Pſal. 19. 8.

D Hi, ſcilicet ſuperbi, in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus. Illi obligati ſunt,] ſua nempe ſuperbia ligati, ſuáque temeritate compediti, & ceciderunt: nos autem] humilitate [ſurreximus,] & ad magna [erecti ſumus.]

Humilitas ergo non tollit robur, ſed auget ad magna facienda, quia Dominus humilibus vires & fortitudinem ad laborandum addit; illis ſcilicet, qui non in ſe, ſed in ipſo Domino gloriantur, eúmque auctorem bonorum omnium confitentur. Quare Auguſtinus optimè, & ſapienter iuſtorum exaltationem humilitati eorum tribuit.

Aug. lib. de ſalutar. documen. c. 31. tom. 4.

Humilis autem, inquit, vltimum ſe iudicat, & blando vultu terram E intuens coram Deo eminens apparet, & cùm omnia fecerit, dicit, ſeruus inutilis ſum, & ſe nihil feciſſe teſtatur. Et Deus diuulgat opera ipſius, & profert in medium, mirificátque facta ipſius, & exaltat, & clarum facit eum, & in tempore precum ſuarum, quod poſtulat, impetrare poteſt apud Deum. Hæc, & his ſimilia ſola humilitas obtinet apud Deum, quia ipſa eſt ſeſſio, & delectabile cubile Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ait: Super quem requieſcam, niſi ſuper humilem & quietum?] Hæc A ille. Tu ergo, ô iuſte, qui ad res magnas & ſublimes aſpiras; qui cupis non in infimis, ſed in ſupremis occupari; & labores mirabiles adoriri; humilitatem in primis habere curato, qua ad hæc facienda & præſtanda fulciaris; ſi humilis es, nunquam inanes honores ambibis, nunquam negotiis ſupra facultatem tuam, ad quæ non vocaris, te ingeres. At Dominus tui recordabitur, ipſe (ſi ita expedierit) te vocabit; ipſe te è loco obſcuro extrahet, & quamuis renitentem in loco ſublimi conſtituet. Cùm autem te humilem, id eſt, inſtrumentum aptiſſimum ad ſuam gloriam quærendam inuenerit, pro te magna operabitur, bonos lætificabit, & ſuperbos confundet, qui aſpicient humilem ad magni momenti actiones electum, & ſe propter elationem B contemptos atque relictos.

Omnibus, ad perfectionem anhelantibus, Humilitatem eſſe ſectandam.

CAPVT XII.

C QVI domum aliquam extruere, ac ædificare diſponunt, primò fundamenta iaciunt, & de expenſis ad ædificationem neceſſariis cogitant, ſcientes, quòd ſine fundamento periculosè ædificij moles erigitur, & ſine expenſis non ſine aſpicientium riſu cœptum opus omittitur. Humilitas autem (vt diximus) eſt vitæ ſpiritualis, ac totius perfectionis fundamentum; eſt theſaurus ditiſſimus, quo continentur abundantiſſima Dei auxilia humilibus prærogata, quibus domum cordis ſuperbia dirutam, ac ſolo æquatam in priſtinum ſplendorem innocentiæ reſtituamus. Ergo in vanum laborat, qui ſine ſolicita humilitatis cura hanc domum ædificat. Nam vel nihil virtutis & ſanctitatis acquiret, vel ſi quid acquiſierit, manifeſtiſſimæ & citiſſimæ ruinæ exponet, & tanquam expenſis, & ſumptibus vacuus à labore ceſſabit. Humilitas non minùs animæ noſtræ neceſſaria eſt quàm corpori veſtis & cibus, ſine quibus temporis iniurias depellere, & vitam ſuſtentare non poteſt. D Magnus Ephræm inquit:

Ephrem de vita ſpirituali ad monac. c. 64.

Sicut corpus, ſiue calori, ſiue frigori obnoxium ſit, veſtimento indiget; ita & anima perpetuo humilitatis indumento habitúque opus habet. Humilitas igitur indumentum eſt animæ, quæ in æſtu proſperitatis nos protegit, & in frigore aduerſitatis defendit. Sine illa nec iactantiam, aut inanem gloriam virtutes deprædantem fugimus, nec ab ira & appetitu vindictæ liberamur. Quis in mediis laudibus, & proſperitatibus huius vitæ abſque humilitate non inflatur? Quis in perſecutionibus, & iniuriis ſine humilitate non ita inflammatur, non puſillanimitate contrahitur, non impatientia diſcerpitur? Certè nullus. Quare conE ſtat, humilitatem eſſe veſtem pulcherrimam, quæ huiuſmodi iniurias vitiorum propulſat, & animam fouet, & ornat. O pulchram & ſplendidam veſtem! quam Chriſtus pulcher ſponſus induit, quando Eccleſiam vxorem ducturus, & cum ea nuptias celebraturus aduenit. Si enim ad ſolennitatem nuptiarum regis, ſplendidiſſimæ illi veſtes præparantur; qualis erit ſplendor, qualis pulchritudo eius veſtis, quæ non regi terreno ad thalamum procedenti parata eſt, ſed ad vſum regis cœleſtis inuenta? De eo canit

Propheta

Digitized by Google

Pſ. 18. 5. Propheta rex: In ſole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.] Quid eſt in ſole? In propatulo, in magna claritate, in apertiſſima manifeſtatione tentorium conſtituit, dum myſterium incarnationis ſuæ hominibus patefecit. Et quod eius tabernaculum? Corpus ex genere Adami illius hominis terreni ſuſceptum, vt ſecundus hic homo illum primum hominem cœleſtem efficeret, non vt ipſe terrenus permaneret. Et quis thalamus, vnde exiuit? Vterus virginalis, ex quo hic nouus & increatus ſol ad ſalutem generis humani proceſſit. Inde autem proceſſit, ceu ſponſus gemmis pretioſiſſimis adornatus, & nuptialibus veſtimentis indutus. Quæ autem ſunt hæc veſtimenta? Infantia, imbecillitas, nuditas, paupertas. Quæ ſunt iſta veſtimenta? Totius deiectionis, & propriæ deſpicientiæ demonſtratio, totiúſque humilitatis, intus in ſanctiſſima anima latentis, oſtenſio. Quæ ſunt iſta veſtimenta? Viles panniculi, quibus carnem eius tenerrimam mater virgo contexit. *Lucæ 2. 7.* Et pannis, inquit, eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio.] Nuptialis igitur veſtis regis regum, ac Filij Dei humilitas fuit, hanc ſibi circumdedit, vt in mundum ad connubium celebrandum cum Eccleſia procederet. Vnde hæc veſtis erit ſplendore illuſtris, pulchritudine mirabilis, & pretio ac valore incomparabilis.

Nobiles verò, qui in regia habitant, qui regem circumſepiunt, qui eum ad nuptias euntem aſſectantur, ſimiles veſtes ſibi parant, vt regi ipſi ſimiles, & aſpicientibus ſe gratos exhibeant. Et ideo omnes Sancti, & viri perfecti hanc humilitatis veſtem ſibi comparare curarunt, ſine qua nec Dominum ſuum comitari, nec ad nuptias eius auderent accedere. Quid reſtat, niſi vt nos, qui ad nuptias Chriſti pertinere, & eius ſimilitudinem habere geſtimus, humilitatem induamus? Hæc veſtis ſignum Saluatoris in Chriſto fuit: nam & paſtoribus dictum eſt ab Angelis: *Lucæ 2. 12.* Inuenietis infantem pannis inuolutum:] nobis autem eadem data eſt in ſignum ſalutis. Qua qui caruerit ſaltem in aliquo gradu proculdubio ſigno electionis carebit. Verè enim Bernardus hunc eundem ſponſum alloquens, ait: *Bern. ſer. 1. in Natali Domini.* In ſignum poſiti ſunt panni tui, Domine Ieſu, ſed in ſignum cui à multis vſque hodie contradicitur. Multi quippe vocati, ſed non multi electi, & ideo nec ſignati.] Primus ille homo, qui nos perdidit, veſtibus pelliceis indutus eſt, veſtibus animalium mortuorum, quæ more nobilium huius ſæculi delicias, & diuitias, & faſtum oſtentant. Has quærant, has ament, & his induantur, qui illum primum hominem ſequi, & imitari non verentur. At ſecundus homo pauperculis, & deſpicabilibus pannis obuoluitur. Et Zacharias ait: *Zachar. 3. 3.* Ieſus ſacerdos, nempe ille magnus, qui Chriſtum ſignabat, erat indutus veſtibus ſordidis,] ſuæ profectò paſſionis & humilitatis indicibus. Has autem inquirant, has diligant, & mundi honoribus anteponant, qui mundo valedixerunt, vt Chriſti vitam & conuerſationem ſequerentur. Iacob veſtes fratris maioris Eſau furatus eſt, vel ad tempus mutuatus, *Gen. 27. 17.* vt frater appareret, & benedictionem, ac hæreditatem fratris acciperet. Hac arte, quod in votis habebat eſt conſecutus. Denique vt ſenſit Iſaac veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.] Eadem arte nos vti oportet,

A ſi Chriſti habere benedictionem optamus. Induamus nos veſtibus eius valde bonis (neque enim niſi admodum bonæ, & pulchræ eſſe poſſunt veſtes illius, qui eſt ſummè pulcher, & bonus) circumdemus nos indumentis humilitatis, quorum odor Angelos, & homines recreat, & ſic benedictionem eius conſequemur. Sentiet ipſe veſtimentorum Chriſti fragrantiam, & modeſtiæ, humilitatíſque ſuauitatem, & nos talibus veſtimentis coopertos ſua benedictione dignabitur. Dabit nobis de rore cœli, & de pinguedine terræ, vt ſcilicet in cœlo inter humiles Angelos exaltemur, & in terra apud homines laude (quam non quærimus) & bono nomine, ac virorum iuſtorum opinione repleamur. Dabit abundantiam frumenti B & vini, vt ſcilicet virtutum fructibus, qui frumento ſignantur, & cœleſti conſolatione, cuius vinum eſt typus, ſatiemur.

Eſt igitur humilitas, iuſtorum veſtis, eſt etiam cibus, cibus incipientium, qui ſui deſpicientia, & propriæ vilitatis notitia paſcuntur: cibus proficientium, qui honorum & dignitatum conculcatione proficiunt: cibus perfectorum, qui tunc mirificè ſuam puritatem augent, cùm omnes etiam minimos ſibi præponunt. Cibus eſt humilitas, quæ famem pellit, quia ad multitudinem bonorum operum, quibus ſatiamur, impellit. Humiles enim quo ſe pauperiores putant, eò ampliùs in bonorum operum ſtudio laborant. Cibus eſt, qui ſuſtentat, & reficit, quoniam, qui ſe humiliant, robur accipiunt, quo in vita ſpirituali C laborant. Cibus eſt, qui recreat, quia guſtantibus ſui ipſorum deiectionem ſuauis dulcíſque ſentitur, licèt à non guſtantibus ſatis inſuauis & amara videatur. Hunc cibum Saluator noſter ſibi aſſumpſit, de quo ſcriptum eſt in Iſaia: Butyrum, & mel comedet, vt *Iſaiæ 7. 15.* ſciat reprobare malum, & eligere bonum.] Cùm incarnationis Verbi fit mentio, cùm natalis paruuli ex virgine nati fit commemoratio, tunc eius cibus non caſu oblatus, ſed ab ipſa ſapientia Patris electus, mel & butyrum aſſeritur. Quo cibo eius humilitatē eximiam iudico fuiſſe ſignātam. Quid ergo butyri & mellis ad humilitatem? Multum per omnem modū. Quid butyrum niſi pinguedo lactis: & quid humilitas niſi pinguedo vniuerſæ virtutis, quæ dum attenta meditatione exprimitur, mens ſuarum virtutum D imperfectionem videns, ad humilitatem incitatur? Quid mel niſi opus apum, ſuauitas ciborum, ac purgatio cruditatum? Et quid humilitas, niſi ſtudium iuſtorum, condimentum bonorum operum, & propriç æſtimationis expulſio? Hanc ipſi ex floribus faciunt, id eſt, ex exercitatione cuiuſque virtutis eliciunt. Hac vniuerſa ſua opera condiunt; hac non ſolùm ex malis, quæ faciunt, ſed etiam ex bonis, dum eorum imperfectiones conſiderant, ſe ipſos deiiciunt, atque compungunt. In natali ergo ſuo, quin & in omni vita ſua (nam & in natali expreſſit, quod in vita præſumpſit) Chriſtus mel, & butyrum comedit, quia humi- E litatis ſtudia aſſumpſit, & nobis non vtcumque, ſed magnis conatibus demonſtrauit. Hanc eius humilitatem graphicè Bernardus deſcribit in hunc modū. Primus Adam pelliceis veſtitur tunicis, pannis ſecundus obuoluitur. Non eſt tale iudicium mundi. *Bern. ſer. 3. de Natali Domini.* Aut iſte fallitur, aut mundus errat. Sed diuinam falli impoſſibile eſt ſapientiam. Meritò proinde & carnis prudentia (mors ſiquidem & ipſa) inimica eſt Deo; & ſæculi quoque prudentia ſtultitia nominatur. *1. Cor. 3.* Quid enim? Chriſtus vtique, qui non fallitur, elegit quod carni moleſtius eſt. Id ergo melius, id vilius, id potiùs eligendum, & quiſquis aliud doceat, vel ſuadeat, ab eo tanquam à ſeductore

cauendum. Iam verò etiam nocte voluit naſci. Vbi ſunt qui tam impudenter oſtentare geſtiunt ſemetipſos? Chriſtus elegit, quod ſalubrius iudicat, vos eligitis, quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus? Cuius iudicium iuſtius? Cuius ſententia ſanior? Denique tacet Chriſtus, non ſe extollit, non magnificat, non prædicat, & ecce annunciat eum Angelus, laudat multitudo cœleſtis exercitus. Et tu ergo, qui Chriſtum ſequeris, inuentum abſconde theſaurum. Ama neſciri, laudet te os alienum, ſileat tuum. Adhuc autem in ſtabulo naſcitur Chriſtus, & in præ-
Pſal. 49. 12. ſepio reclinatur. Et nonne ipſe eſt, qui dicit: Meus eſt orbis terræ, & plenitudo eius?] Quid ergo ſtabulum elegit? Planè vt reprobet gloriam mundi, damnet ſæculi vanitatem. Nec dum loquitur lingua, & quæcunque de eo ſunt, clamant, prædicant, euangelizant. Ipſa quoque infantilia membra non ſilent. In omnibus mundi iudicium arguitur, ſubuertitur, confutatur. Quis enim hominum, ſi daretur optio, non magis eligeret robuſtum corpus, & ætatem intelligibilem, quàm infantilem? O ſapientia, quæ de occultis traheris, ô verè incarnata & velata ſapientia! Et tamen, fratres, ipſe eſt promiſſus
Iſaiæ 7. 15. olim per Iſaiam paruulus [ſciens reprobare malum, & eligere bonum.] Malum ergo, voluptas corporis; bonum verò, afflictio eſt. Siquidem & hanc eligit, & illam reprobat puer ſapiens, Verbum in-
Ioan. 1. 14. fans. Verbum enim caro factum eſt,] caro infirma, caro infantilis, caro tenera, caro impotens omnis operis, omnis laboris impatiens. Hactenus ille. Si ergo humilitas, eſt cibus noſter & veſtis, omni cura à nobis ſectanda eſt, nam ſine illa, fame peribimus, & nudi in conſpectu diuinæ maieſtatis apparebimus. Adam nudus, & à Domino ad iudicium vocatus, ſe præ magnitudine doloris abſcondit: & nos hac veſte ſpoliati, quæ comes eſt charitatis, audebimus Domino aſtare, & ſententiam non damnationis, ſed abſolutionis expoſcere? Nemo erit tam perfrictæ frontis, vt talia audeat; quòd ſi fuerit, non miſerationem, ſed indignationem Domini, quandiu in ſuperbia perſeuerauerit, promerebitur.

Sed aliud eſt quod nos ad hunc humilitatis cibum, & ad hoc propriæ deſpicientiæ veſtimentum quærendum inuitat. Id ſcilicet, quod ſibi corporis pretioſi, & veſtes pulchræ magno pretio, atque adeò non facilè coëmuntur. Humilitas autem licèt tam ſalubris & pulchra ſit, facillimè comparatur. Habemus enim multa vilia, multa probroſa, multa ignominioſa, quorum non tam traditione, quàm conſideratione ad humilitatem adigimur. Nam quis, quæſo, ſuam originem, ſuum ſtatum, & ſuum finem conſideret, qui non ſe ſentiat ad humilitatem & ſui contemptum incitari? Quòd ſi facile eſt, hæc meditari, quæ in proſpectu ſunt noſtro, & quæ nunquam è nobis abiicimus, facile etiam erit ad humilitatis ſtudium permoueri. Dauid rex ſapiens, & à
Pſ. 118. 141. Deo dilectus aiebat: Adoleſcentulus ſum ego & contemptus, iuſtificationes tuas non ſum oblitus.] Séque ipſum non ſemel pauperem & mendicum appellat. Et quis difficile exiſtimabit humiliter de ſe concipere, & ſe ipſum vilem, & nullius pretij reputare? Non illum efferebat potentia regalis, non ſapientia extollebat, non dona accepta dementabant; & nos infirmitate ſuperbiemus, inſipientia gloriabimur, & ipſa mendicitate tumidi & elati incedemus? Hoc ſi attentè inſpiciatur, apparet difficile, facile verò in tantis miſeriis humiliari. Nec dum quod ſuperbia in paupertate nos facit ridiculos & viles; & humilitas in ſublimitate honorabiles, & magnos reddit, & facile eſt eam virtutem amplecti,

A cuius honor comes eſt. Vnde Gregorius omnia, quæ hactenus dicta ſunt, quaſi in compendium redigens, & ſuperborum vilitatem, humiliúmque ſublimitatem exponens, ita ait: Aliter admonendi ſunt humiles, atque aliter elati. Illis inſinuandum eſt quàm ſit vera excellentia, quam ſperando tenent, iſtis verò intimandum eſt quàm ſit nulla temporalis gloria, quam & amplectentes non tenent. Audiant humiles quàm ſint æterna, quæ appetunt, quàm tranſitoria, quæ contemnunt. Audiant elati quàm ſint tranſitoria, quæ ambiunt, quàm æterna, quæ perdunt. Audiant humiles ex magiſtra voce veritatis: Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur.] Audiant elati: Omnis, qui ſe exaltat humiliabitur.] Audiant humiles: Gloriam præcedit humilitas.] Audiant elati:
B Ante ruinam exaltatur ſpiritus.] Audiant humiles: Ad quem autem reſpiciam, niſi ad humilem, & quietum, & trementem ſermones meos? Audiant elati: Quid ſuperbis terra & cinis? Audiant humiles: Deus humilia reſpicit. Audiant elati: Et alta à longè cognoſcit. Audiant humiles: Quia Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Audiant elati: Quia initium omnis peccati ſuperbia eſt. Audiant humiles: Quia Redemptor noſter humiliauit ſemetipſum, factus obediens Patri vſque ad mortem. Audiant elati, quod de eorum capite ſcriptum eſt: Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Occaſio igitur perditionis noſtræ, facta eſt ſuperbia diaboli; & argumentum redemptionis noſtræ inuenta eſt humi-
C litas Dei. Hoſtis enim noſter inter omnia conditus voluit videri ſuper omnia elatus, Redemptor autem noſter magnus manens ſuper omnia, fieri inter omnia dignatus eſt paruulus. Dicatur ergo humilibus, quia dum ſe deiiciunt, ad Dei ſimilitudinem aſcendunt. Dicatur autem elatis, quia dum ſe erigunt, in apoſtatæ Angeli imitatione cadunt. Quid itaque elatione deiectius, quæ dum ſupra ſe tenditur, ab altitudine veræ celſitudinis elongatur? Quid autem humilitate ſublimius, quæ dùm ſe in ima deprimit, auctori ſuo manenti ſuper ſumma coniungitur?] Hactenus ille. Si ergo humiles honorantur, facile eſt homini ad honorem procliui ei ſtudere, eiúſque amplexum præoptare. Vnde & hic cibus, ſine quo non viuimus, & hæc veſtis, ſine qua nudi & contemptibiles apparemus, paruo pretio emitur, & ſuauiter pro illa laboratur.

D Tu, ô iuſte, qui vitæ ſpiritualis cultores, qui perfectionis amator, & vniuerſarum virtutum diligens, auidúſque ſectator, humilitatis iter magno animo ingredere, ſine qua nec vitam ſpiritualem addiſces, nec ad perfectionem peruenies, nec virtutes poſſidebis. Humilitas eſt fundamentum omnium virtutum, quam oportet in imo cordis iacere, vt ſecurè ſtructura ſanctiſſimorum Dei donorum aſſurgat. Ipſa eſt cuſtos, protectrixque virtutum, quia virtus citò euaneſcit, quam non humilitatis cura cuſtodit. Et ſicut Gregorius ait: Qui ſine humilitate virtutes cógregat, quaſi in ventũ puluerem portat. Ipſa eſt quaſi finis faſtigiúmque virtutum, quia perfectus quiſque ab humilitate incœpit, & in perfecta chari-
E tate nunquam humilitatẽ deſeruit, & charitas quanto illum perfectiùs Deo iungit, tanto veriùs propter Deum hominibus ſubiicit. Humilitatis diſciplinam Chriſtus edocuit, quæ tam mirabilis & illuſtris eſt, vt ab alio, quàm à Filio Dei tradi nó potuerit. Denique tanta eſt humanæ humilitatis vtilitas (auctore Auguſtino) vt eam ſuo commendaret exemplo etiam diuina ſublimitas: quia homo ſuperbus in æternum periret, niſi illum Deus humilis inueniret. Venit enim Filius hominis quærere, & ſaluum facere,

Gregor. 3. p. Paſtor. admonit. 8.
Lucæ 18. 14.
Prouer. 15. 33. c. 16. 8.
Gregor.
Auguſt. tract. 55. in Ioann. to. 9.

quod

quod petierat. Petietat autem ſuperbiam deceptoris ſecutus, ergo humilitatem redemptoris ſequatur inuentos.] Qui hanc ſcientiam didicerit, totius vitæ Chriſtianæ ſummã compatauit, quia non poteſt homini ex toto ſubiici, nec Deo perfectè ſubmitti, qui legem non impleuerit, & ſe ab omni (quo erigitur contra Deum) peccato ſubtraxerit. Ea quoque & gratus Deo, & Angelis amabilis, & hominibus honorabilis iuſtus efficitur, quia non poteſt à Deo ille non diligi, qoi ſermones eius obſeruat; nec poſſunt Angeli, & homines, abſque iniuria, non hoootare, & amore proſequi illum, quem ipſe omniũ creator & Dominus amat. Humilitatem Deus io ſuis quærit, mille artibus ad eam mouet, & iam muoenbus, iam verberibus huius gemmæ amorẽ ſuadet. Humilitas ſapientia eſt; nam quid neſcit, qui & ſe ipſum omnium creaturarum compendium, & A Deum earum auctorem agnoſcit? Vas eſt, vniuerſa Dei dona recondens, quoniam in eo Deus dona ſua collocat, à qoo ſuperbia non eripiet. Fons eſt ſummæ dignitatis: nam ille qui mortificat, & viuificat, qui pauperem facit & ditat; qui humiliat, & ſubleuat, priùs per humilitatem deprimit, quem ad magnam ſanctitatem exaltare decreuit. Humilitas tandem eſt virtus magnatum, & nobilium regni Dei, & in eo quiſque, quo maior eſt, & excellentior, eo inuenitur humilior. Ipsáque humilitate maiora ac difficiliora præſumit, & fæliciter complet, quia Deo ipſi, & non ſibi fidit. Tu ergo, Domine, per infinitam bonitatem tuam, & ſanctiſſimam humilitatem tuam, hanc virtutẽ inſere, & perfice in nobis, vt tibi ſemper placeamus, & in te omnium bonorum auctore, & non in nobis glotiemur. Amen.

PARS SECVNDA

De Humilitate cognitionis, ſiue de cognitione ſui.

DVAS ſuprà humilitates ex Bernardo diſtinximus; alteram cognitionis, alteram affectionis: illa initium humilitatis eſt, iſta res ipſa; illa radix, iſta ſubſtantia. Sicut enim volentibus turrim ædificare, primò curæ eſt altam foſſam aperire, & mobilem terram egerere, quouſque ad petram viuam & firmam perueniant, & ſuper eam fundamenta iaciunt, quæ domum turrimue ſuſtineant: ita & nos, qui cupimus pulchram turrim perfectionis erigere, priùs (ſi ſapientes architecti ſumus) profundam foſſam aperiemus, & petram ſtabilem inquiremus, ſupra quam humilitatis fundamenta iaciamus. Foſſa autem, fundamentum humilitatis excipiens, eſt cognitio, ſiue notitia ſui, & meritò foſſa, quæ vſque ad profundum cordis humani penetrat, & ipſum nihilum humanæ conditionis reuelat. Hoc nihilum, ô res mirabilis & oculis ſuperborum abſcondita, petra viua: lapis fortis & ſtabilis eſt, potens templum perfectionis ſuſtinere, & vniuerſas partes tantæ molis à ruina vindicare. Quod licèt nihilum ſit, atque adeò omni ſtabilitate, immò & omni eſſe carens; tamen luce diuinitus data à nobis cognitum, ita omnem vanam confidentiam depellit, & ita nos Deo niti, & fidere facit, vt eius dona ex quibus perfectio conſtat, capere, & ſine elationis periculo ſuſtinere poſſimus. Appendit Deus terram ſuper nihilum,] vt eſt in Iob, id eſt, eam ſuper Iob.26.7. *ſuam ſtabilitatem fundans, quaſi nihilo ipſi inniti fecit. Sic etiam poſſumus audire, & dicere quòd fundauit Deus ſanctitatem ſuper nihilum, quia priùs debet homo ſuam vilitatem & nihileitatem agnoſcere, & poſtea ex ea ad Dei imitationem, & ſanctitatis participationem euolare. Quia ergo cognitio ſui, non aliter quàm foſſa, fundamentum, præcedit humilitatis ſubſtantiam, ideo ea priùs in tentationem vocanda eſt, vt nos ipſos cognoſcentes, & abyſſum miſeriarum nos eſſe ſcientes, faciliùs & veriùs humilitatem concipiamus.*

Cognitionem ſui ipſius eſſe difficilem, & quid ipſa ſit.

CAPVT I.

CELEBRIS illa ſententia: Noſce te ipſum; ab antiquis Philoſophis (vt putatur) inuenta, ab omnibus ſectatoribus rectæ & ſanæ ndci retenta, & à viris ſanctis ac perfectis ope- B re completa, executioni mandata, vnicuique mortalium ſui ipſius notitiam præcipit, & illum oon aliena, non ſua tantùm, ſed ſemetipſum inſpicere, & inueſtigare monet. Quæ notitia, ſiue cognitio ſui, cùm ſit quaſi primus vitæ ſpiritualis ingreſſus, & humilitatis exordium, ſoletti meditatione inquirenda eſt, & non ſolùm ioquirenda, verùm & tota mentis contentione ſectanda, vt ex illa tanquam ex primo interioris domus introitu ad

Libro hoc p.1.c.1.

A alias eius partes tranſeamus. Cognitio ergo ſui eſt (vt iam ſuprà cœpimus dicere) ſcientia illa omnium vtiliſſima, ab ſpiritu Dei tradita, qua homo ad mouendum affectum ſuum, ſe ipſum quoad naturalia & moralia cognoſcit, & quid ex ſe habeat, quid verò ex Deo poſſideat, attenta mentis conſideratione diſcernit. Hanc ſcientiam, qua homo ſine diſputationibus, ſine argumentis, ſe ipſum non ad loquendum, ſed ad ſe ipſum vilipendendum agnouit, omnium ſcientiarum eſſe vtiliſſimam, ex vtilitatibus eius, quas infrà proferemus, perſpicuum erit, & ex Auguſtini ac Bernardi ſententia lector eliciet. Auguſtinus enim ſic ait: Scientiam terreſtrium cœleſtiúmque rerum magni æſtimare ſolet genus humanum, in quo profectò meliores ſunt, qui huic ſcientiæ præponunt B noſſe ſemet ipſos: laudabiliórque eſt animus, cui nota eſt vel infirmitas ſua, quàm qui ea non reſpecta vias ſyderum ſcrutatur, etiam cogniturus, aut qui iam cognitas tenet, ignorans ipſe qua via ingrediatur ad ſalutem ac firmitatem ſuam. Qui verò iam euigilauit in Deum, ſpiritus ſancti calore excitatus, atque in eius amore coram ſe viluit, ad eúmque intrare volens, nec valens, eóque ſibi lucente attendit in ſe, inuenítque ſe, ſuámque ægritudinem illius mundiciæ contemperari non poſſe cognouit, flere dulce habet, eúmque deprecari, vt etiam atque etiam miſereatur, donec exuat totam miſeriam, & precari cum fiducia, iam accepto gratuito pignore ſalutis, per eius vnicum ſaluatorem hominis & illuminatorem. Hũc C ita agentem & dolentem [ſcientia] non [inflat, quia charitas ædificat] præpoſuit enim ſcientiam ſcientiæ, præpoſuit ſcire infirmitatem ſuam, magis quàm ſcire mundi mœnia, fundamenta terrarum, & faſtigia cœlorum: & hanc apponendo ſcientiam appoſuit dolorem. Dolorem peregrinationis ſuæ ex deſiderio patriæ ſuæ, & conditoris eius beati Dei ſui.] Bernardus verò ſic: Noueris licèt omnia myſteria, noueris lata terræ, alta cœli, profunda maris: ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento; ruinam, non ſtructuram, faciens. Quicquid extruxeris extra te, erit inſtar congeſti pulueris ventis obnoxium. Non ergo ſapiens, qui ſibi non eſt. Sapiens ſibi, ſapiens erit, & bibet de fonte putei ſui primus ipſe.] Hæc illi. Ecce cauſſas, quare ſcientia hæc vtiliſſima eſt, quia homo D eius ſtudio ſibi ipſi vileſcit: quia ægritudines ſitas intus animam cruciantes & depaſcentes agnoſcit; quia ſalutares gemitus & intentas deprecationes auget; quia elationem deprimens, humilitatem promouet: quia patriæ cœleſtis deſiderium ingerit; quia hominem ſapientem aliis, ſibi ipſi (quod optabilius eſt) ſapientem efficit: & aquas ſalutares aliis ſubminiſtrans, ne ipſe præ ſiti pereat, primus bibit.

Aug. 4 de Trinit. in proœmio. *1. Cor. 8. 1* *Eccleſ. 1. 18.* *Bern. 2. de conſider. c. 3.*

Huius autem diſciplinæ ſpiritum ſanctum auctorem eſſe diximus, cuius vocem qui nõ intus loquentem audiuit, nunquam ſe fructuosè & perfectè cognouit. Mentióque Bonauentura notitiam ſui ſecundo ſpiritus ſancti dono, ſcilicet dono intellectus, aſcribit. Hoc donum, inquit, facit nos penetrare velamina, ſiue tenebras mentis noſtræ, donec ad notitiam propriam perueniamus, & imaginem ſanctæ E Trinitatis nobis concreatam cognoſcamus, cùm Dominus dicat: Regnum Dei intra vos eſt,] id eſt, in imagine ſua. Spiritus ipſe Dei eſt, qui primus hanc ſententiam protulit: Noſce te ipſum. Licèt enim ſapientes huius ſæculi, ſacrorum librorum ignari, dictum hoc celebre atque mirabile, Apollini aut Pythagoræ, aut alij ex ſapientibus antiquis tribuerint, certum tamen ſit, illud ab ſpiritu ſancto fuiſſe prolatum. Nam quid eſt illud, quod ſtatim poſt peccatum dictum eſt homini: Puluis es, & in puluerem

Bonauen. tract. de ſeptem donis dono. 6. c. 3. To. 1. *Luca. 17. 20.*

A reuerteris,] niſi: Noſce te ipſum? Quid eſt illud Dauidis: Sciant gentes, quoniam homines ſunt,] niſi: Noſcant ſe ipſas? Quid illud Iſaiæ: Væ, qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamiis terræ. Nunquid dicit lutum figulo ſuo: Quid facis?] niſi: Noſce te ipſum? Quid tandem illa? Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea domus Iſrael.] Quid ſuperbis terra & cinis?] niſi: Noſce te ipſum. Profectò Ambroſius ſcientiam hanc notitiæ ſui in Deuteronomio ſecundùm verſionem ſeptuaginta virorum, atque in Canticis canticorum legit. Sic enim ait: In lege ſcriptum eſt: Attende tibi ne fiat verbum abſconditum in corde tuo.] Tibi, inquit, attende, non vtique dicit pecuniæ tuæ, non poſſeſſionibus tuis, B non viribus corporis, ſed animo tuo, ac menti tuæ, vnde omnia conſilia, facta, cogitationéſque manant. Tibi ergo attende, ibi, vbi potiorem eſſe te noſti. Noſce te ipſum, quod Apollini Pythio aſſignant gentiles viri, quaſi ipſe auctor fuerit huius ſententiæ, cùm de noſtro vſurpatum ad ſua transferant, & longè antetior Moyſes fuerit, qui ſcripſit librum Deuteronomij, quàm Philoſophi, qui iſta finxerunt. Vnde & Salomon oraculum diuinum ſecutus, ſcripſit in Canticis Canticorum: Niſi ſcias te decoram inter mulieres. Hoc eſt, niſi cognoſcas te mortalem, rationalem, & citò tua peccata fatearis, citò dicas iniquitates tuas, vt iuſtificeris; niſi conuertaris, & prior accuſes delicta tua: venit dies mortis, & iam nullum conuerſionis remedium eſt; præueneris dum cogitas. C Accende facem tuam priuſquam ſponſi tibi claudatur ianua, qui expectare diu non ſolet negligentes. Niſi ſcias te, inquit, decoram inter mulieres, & dicas: Fuſca ſum, ſed decora: Fuſca ſum, quia peccaui, ſed decora quia diligor, quia genus ſum Abrahæ, electũ genus, dilectum Deo; nihil tibi proderit Patrum gratia. Potens eſt enim Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.] Et alibi in Euangelio legiſti: Quia [Abrahæ filiam ligauit diabolus] nequitiæ ſuæ vinculis, quam ſoluit Dominus die ſabbati. Niſi ergo ſcias te, nihil tibi proderit.] Hæc Ambroſius. Ex cuius dictis conſtat, hanc ſententiam: Noſce te ipſum, à Domino in ſcripturis ſanctis fuiſſe profectam, falſoque ſæculi Philoſophos eius ſibi inuentionem arrogaſſe. Qui eam quidem à noſtris mutuatam ſuis D ſcriptis inſeruerunt, nunquam tamen veram, ac vilem ſui notionem compararunt. Quibus ſicut Dei auctoris ſupernaturalium rerum, & gratiæ eius cognitio defuit; ita & propria notitia, quæ humilitatem pareret, & quæ ad Deum pro adiutorio ad fælicitatẽ æternam conſequendam recurreret, ab eis longè fuit. Dignitas enim conditionis humanæ non cognoſcitur, niſi Deus, ad cuius viſionem homo creatus eſt, cognoſcatur. Et vilitas hominis latet, niſi à quanta dignitate poſſit cadere, & niſi miſeria perdentis Deum, comperta ſit. Eſt homo ſine gratia Dei, omni creatura imbecillior; eſt cum gratia, omni creatura potentior; quomodo ergo, qui gratiam ignorarunt, ſeipſos homines cognoſcere valuerunt? Nec ſolùm cognitio ſui ipſius quoad mores, ſed etiam quoad naturam ipſam, ſcientia Dei eſt; quo- E niam humana natura originali peccato, ſi non penitus destructa, at vulnerata permanſit. Vnde qui peccatum per originem transfuſum neſcierunt, non poterant naturæ propriæ cauſas infirmitatis agnoſcere, & quid naturæ, quid vitio tribuendum eſſet, aptè ſapientérque diſtinguere.

Geneſ. 3. 19. *Pſ. 9. 21.* *Iſa. 45. 9.* *Ieremia. 18. 15.* *Eccleſ. 9. 10.* *Ambroſ. ad Pſal. 118. ſer. 2.* *Cantic. 1. 7.* *Iſaia. 43. 26.* *Matth. 3. 9.* *Luca. 13. 16.*

Deus itaque auctor eſt huius vtiliſſimæ ſcientiæ, qua homo ſe ipſum agnoſcit. Qua non ad ſpeculationem tantùm, ſed multo magis ad componendam propriam vitam, & corrigẽdos mores, animam ſuam

& corpus

& corpus intelligit. Vires ſuas inſpicit, & an vitiis, an virtutibus afficiantur, diſcernit: paſſiones & affectus expendit, vt quod minùs ordinatum ſit, mortificationis cenſura caſtiget: actiones aduertit, & malas ac inutiles ſibi aſſignat; bonas & ſanctas auctori omnium bonorum tribuit. Denique omnia interiora, & exteriora ſua, quid ſint, à quo ſint, & propter quid ſint, attenta conſideratione perluſtrat, & luce veritatis examinat. Cognitio ſui eſt, quæ hominem ſtatuit apud ſe ipſum, vt quis, & qualis, & quantus ſit, videat, & ab eo, qui ipſum corrigere & perficere poteſt, emendationem & perfectioné exquirat. Eſt, quæ à peccato cohibet, peccantem compungit, timorem Dei ingerit, odium peccati parit, & vniuerſa vitia deteſtatur. Eſt, quæ cogitationum vanitatem, deſideriorum inutilitatem, verborum redundantiam, operum multiplices imperfectiones oculis mentis videt, & rationi emendanda offert.

Humilitas, poſita cognitione ſui, facillima eſt, (quis enim ſuam immenſam vilitatem agnoſcens, non ſe deſpiciat?) at ipſa cognitio ſui eſt valde difficilis. Facies aliorum videmus, noſtram non videmus: &, ſi aliquando in ſpeculo eam viderimus, poſt paululum noſtræ deformitatis non recordamur: ita facile eſt, aliorum vitia cognoſcere, mores reprehendere, actiones iudicare, difficile verò noſtras trutina diſcretionis appendere; quòd ſi nos ipſos interdum luce diſcretionis inſpicimus, poſt non multum temporis propriæ vilitatis obliuiſcimur. Sua quemque latent vincula, inquit ſanctus Ephræm, & laqueos ſibi paratos ignorat, ebriorum inſtar, qui vino perfuſi, nec ſe vinciri ſentiunt, neque obiectos ſibi laqueos præ ebrietate vident. Et Baſilius obedientiæ neceſſitatem exponens, ex eo probat præfecto obediendum eſſe, quòd quiſque difficultet ſe ipſum agnoſcat, ac proinde non vt oportet, ſibi ipſi medeatur. Nouit, inquit, qui modò intelligens moderator eſt, vniuſcuiuſque mores, & affectus, & animi motus diligenter exquirere, & ad hæc accommodatum etiam in ſingulis remedium adhibere. Quocirca nullo modo eſt eius ſtatutis aduerſandum, ſed illud firmiſſimum tenendum, rem omnium eſſe difficillimam, ſe ipſum cognoſcere, & curare, propterea quòd naturaliter ſe ipſum quiſque amat, & quilibet, propterea quòd in ſe ipſos propenſi ſunt, in veritatis iudicio fallantur: porrò ab alio cognoſci, curaríque facile eſt: cùm iis, qui cæteros iudicant, ad diſcernendam veritatem nequaquam obſtet amor ſui ipſorum.] Hæc Baſilius. Sed gratum erit, Richardum Victorinum audire, & ex ore eius quantis nos mediis Deus ad noſtri cognitionem adducat, ediſcere, quæ proculdubio non ponerentur, niſi difficile eſſet homini hac ſui notitiâ cumulari. Ille ſic inquit: O quotiens neceſſe eſt loca mutare! quàm ſæpe caſtra figere! quot tentationes tolerare! omnia probare! quod bonum eſt, tenere! abſtinere ab omni ſpecie mala! O quotiens neceſſe eſt ire & reuerti, & quæ retro ſunt, obliuiſci, & in anteriora extendi: & item poſt tergum redeundo capere experientiam ſui: & per proprium defectum, propriam infirmitatem edoceri! O quotiens neceſſe eſt, tot errorum deuia, tot ambiguitatum opaca, tot vitiorum monſtra incidere, perluſtrare, aſpicere, antequam quis extrema eremi teneat, & ad humilitatis vltima perueniat, & ad ſummum ſui contemptum perfectè attingat! O quotiens neceſſe eſt ad Dei miſericordiam confugere, & inter tot pericula deprehenſum, diuinam miſericordiam quærere, & gratiam impetrare! O quàm ſtupenda magnalia: ô quàm iucunda miracula, ô quàm admiranda beneficia in tot diuinis reuelationibus, in tantis viſitationibus, in talibus conſolationibus experiuntur, mirantur, venerantur. Quos eremi vaſtitas, & propriæ infirmitatis magnitudo docuit, nil de ſua virtute confidere, ſed totum de Dei pietate præſumere: iactare in Domino curam ſuam, & ponere in Domino Deo ſpem ſuam. Ibi experiri licet in cœleſtis cibi dulcedine, quàm magna multitudo dulcedinis, quam abſcondit Deus diligentibus ſe: guſtare, & videre quàm ſuauis eſt Dominus: & quàm bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde. Ibi, qui aſcendunt in montem Domini, & appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius, probantes & profitentes quàm magna virtus eius: & ſapientiæ eius non eſt numerus. Nouit itaque hoc quicumque in illa terra deſerta, & inaquoſa ſic in ſancto apparuit ei, vt videret virtutem ſuam, & gloriam: illius ſententiæ experimentum capiens: quàm magnus Dominus, & laudabilis nimis; & magnitudinis eius non eſt finis. Sed quis enumerare ſufficiat, quàm innumera huiuſmodi alternantium viciſſitudinum, nunc deſolationum, nunc conſolationum experiri oporteat, quàm multa humanæ infirmitatis iudicia, quàm multa diuinæ pietatis argumenta eremi habitatoribus, Deíque cultoribus videre contingat, antequam eremi extrema attingant, perfectæque humilitatis metas apprehendant; antequam Iordanis vnda venientibus cedat, curſúmque retorquens in fontem redeat, humanúſque animus ſua ſpernens, ſeſeque contemnens totus in Deo tranſeat, & in illum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, per deſiderium currat, & ad Deum fontem viuum totum amoris ſui impetum retorqueat.] Hactenus Richardus.

Si ergo tanta Deus operatur in nobis, vt poſt tot viciſſitudines, poſt tot dona, poſt tot flagella, nos ipſos agnoſcamus, & per cognitionem noſtri ad humilitatem veniamus, non eſt facile, hanc ſcientiam addiſcere, & inter multa impedimenta, quencumque veram ſui notitiam acquirere. Proprius amor, nubes tetra, & caliginoſa, inter oculos mentis noſtræ, & nos ipſos, poſita eſt; hanc ſalutarem notitiam impediens. Tumultus rerum externarum, & multitudo neceſſitatum, & cupiditatum, perſtrepit, ne mens noſtra hanc doctrinam audiat. Ea, quæ nos circundant, & ornant, ſcientiæ, diuitiæ, dignitates, contegunt miſeriam humanam, ne ſuam vilitatem aduertat. Et ſicut ſi ſterquilinium auro, & gemmis, & ſerico operias, non eſt facile eius indignitatem videre; ita dum te ſcientia, & virtute, & donis multis tectum conſideras, quæ non abeunt, & redeunt, ſed ſemper in te immota, aut aucta perſeuerant, non eſt facile, te ipſum ab illis ſecernere, & quàm pauper, quàm nudus, quàm ignobilis, quàm inſipiens, & planè cæcus ſis, probè intelligere. Si itaque hæc diſciplina cognitionis propriæ ex vna parte tam neceſſaria eſt, vt ſine illa virtus perfecta haberi non poſſit, ex alia tam difficilis, vt à paucis obtineatur, & propriis viribus non acquiratur, quid ſupereſt niſi vt eam à Domino poſtulemus, & ab eo, qui magiſter hominum fieri voluit, magna cordis contentione petamus? Dicat quiſque noſtrum illi cum ſancto Dauide: Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus: Præualui aduersùs eum.] Nam certè quaſi in morte dormit, qui initium cognoſcendorum, ſcilicet ſe ipſum non agnoſcit. Et periculo caſus exponitur, qui per notitiam ſui dæmoni mala ſuggerenti non reluctatur. Orationi verò adiiciamus laborem, illud Salomonis audien-

Ephræm de morbo linguæ.

Baſil. ex. Conſt. monaſt. c. 13.

Richard. tract. 1. de extermin. mali. c. 13.

Pſal. 12. 4.

Prouer. 20.13. tes: Noli diligere ſomnum, ne te egeſtas oppri-
mat; aperi oculos tuos, & ſaturare panibus.] Qui enim ſe ipſos ignorant, egeſtate premuntur; nam putantes aliena eſſe ſua, nihil, quo ditentur, acquirunt: qui verò ſe ſciunt, & ſuam paupertatem aduertant, labori intendunt, ac fructu ſui laboris cum exultatione ſaturantur.

Quæ bona ex ſui cognitione exoriantur.

CAPVT II.

QVAM neceſſaria ſit homini hæc ſui ipſius notitia, ex maximis bonis, quæ ab illa oriuntur, poteſt agnoſci, quorũ nonnulla hoc loco tractanda ſunt, vt deſiderium huius ſcientiæ nobiliſſimæ excitent, & nos ad incumbendum in eam, & pro illa laborandum inflamment. Quam, ſi admodum neceſſaria non eſſet, nunquam Deus tantis modis à nobis exquireret, nunquam tam ſolicitè ad eius nos ſtudium incitaret. Naturæ humanæ manifeſtat originem, peccata, & caſus detegit, imbecillitatem ad agendum bonum, & inſtabilitatem in eo quod cœptum eſt, aperit, & multitudinem miſeriarum noſtrarum ſæpe ob oculos ponit, ne nos ignoremus, & noſtram vilitatem neſciamus. Sæpe (quod mirum eſt) quaſi reſiſtit bonis deſideriis noſtris, & magnos in virtute, & præſertim in contemplatione veritatis progreſſus impedit, ne ob magnam ſuperbiam, & cæcitatem noſtram, exaltationem ruina ſubſequatur. Dominus apud Iob de productione terræ loquens inquit: Quis poſuit menſuram eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam?] Quis, inquam, ait, niſi ego in ampliſſima, ſed certa, ac menſurata magnitudine orbem terræ feci? Quis, niſi ego terræ partes ad lineam directionis exegi, & certo limite, ac terminata quantitate concluſi? Sed in hac terra aliam terram, cor videlicet humanum, intueor, poſt magnos conatus in quibuſdam donis à ſe deſideratis exiguum, & poſt deſideria non nimis accenſa, in donis minùs ardenter quæſitis magnum, vt dona, dona eſſe, & non propriam induſtriam inſpiciat. Concludit ipſum Deus nonnunquam anguſtis quibuſdam virtutis terminis, & poſt multos labores pauperem derelinquit, vt hanc ſalutarem ſcientiam propriæ cognitionis acquirat. Meditatus eſt id Gregorius hunc eundem locum explanans, vbi ſic ait, Nonnunquam clandeſtina elatio etiam ſolicitis cordibus ſurrepere ſolet; vt bonorum cogitatio licèt ſubtilis ſit, ac preſſa, cùm valde in virtutibus creſcit, oblita infirmitatis propriæ, nequam ad memoriam reuocet quid in vitiis fuerit. Vnde & omnipotens Deus quia augeri infirmitatem etiam de remediis ſalutis conſpicit: menſuram ipſis noſtris profectibus imponit, vt habeamus quædam virtutum bona, quæ nunquam quæſiuimus: & quæramus quædam, nec tamen habere valeamus; quatenus mens noſtra dum hæc non poteſt habere, quæ appetit; & illa ſe intelligat de ſe metipſa non habere, quæ habet: & per ea, quæ adſunt, conſiderentur illa, quæ deſunt: & per ea, quæ vtiliter deſunt, ſeruentur humiliter bona quæ adſunt.] Sic ille. Magna profectò res eſt, quam Deus in nobis tam caro pretio mercatur, vt etiam exiguitate profectus noſtri velit ad humanæ imbecillitatis notitiam excitare. [Et ſummopere nobis expedit hãc ſcientiam addiſcere, ob cuius abſentiam ſæpe multis bonis concupitis priuamur, diuina familiaritate vacuamur, & pauperes & nudi derelinquimur. Deus enim, qui ſummè bonus eſt, & nunquam mala, niſi propter aliquod bonum, permittit, iudicat melius, nos in ſterquilinio tepiditatis, & in cœno imperfectionum relinquere, quàm in ſublimi perfectionis poſitos, ob elationem ex defectu propriæ notitiæ conceptam, bono, quod receperamus, vacuare. Sed iam ſigillatim exponamus, quàm magna commoda ſui cognitio pariat, & ad quantam ſublimitatem animam ſemet ipſam cognoſcentem & deſpicientem adducat.

Qui ſe ipſum cognoſcit, iam quendam gradum aſcendit, vt perueniat ad cognitionem Dei. Imago namque rei, quam repræſentat, cognitionem infert, & cauſſa per effectum ſuum patet, & fluuius ad fontem ducit. Eſt autem homo, imago Dei, eſt effectus illius inter res corporeas præcipuus, eſt riuulus ab illo perenni fonte bonitatis emanans. Ac ideo vnuſquiſque per notitiam ſui mirificè ad Dei contemplationem & notitiam paratur. Sacerdos ad ſancta ſanctorum intrabat per exteriorem baſilicam, quæ appellabatur ſancta: Sic iuſtus ad ſacroſanctum myſterium cognitionis Dei non ſine medio accedet, ſed per ſui notitiam penetrabit. Ad tertium cœlũ aſcendendum eſt per ſecundum, & ad ſecundũ per primum; primũ cœlum ſit cognitio ſui, ſecundum, cognitio aliorum operum Dei, tertium, cognitio creatoris. Nemo audeat in hoc ſecretum irrumpere, niſi priùs ſe ipſum agnoſcat, & in hoc primo cognitionis gradu pedem figat. Gradus, inquit Bernardus, ad notitiam Dei, eſt cognitio tui, & ex imagine ſua, quæ in te renouabitur, ipſe videbitur.] Prorſus gradus nunquam tranſiliendus, ſed omnino noſtri conſideratione aſcendendus. Deus enim in illa æternitate videbitur ſicuti eſt, a in hac mortalitate videndus eſt in ænigmate, ſiue in imagine: à qua qui oculos auertit, ab eo tollit qui ita nunc abſconditus eſt, vt in ſola imagine videatur. Et fortaſſis hoc petit ab ſponſa, dum ait: Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.] Ne, inquit, me irreuerenter aſpicias, ne in me ſine velamine nunc oculos intendas, quia mei contemplationem à te ſubtrahit hic temerarius aſpectus. Sed potiùs oculos ad te ipſam conuerte, temet ipſam agnoſce, & ſic non auolabo, non fugiam, & in te, atque ex te meam vtcumque maieſtatem intelliges. Hunc ſenſum attingit Ambroſius, dum hunc locum euoluens, ſic ait: Noli contra me intendere deuotione nimia, ac fide poſſibilitatem naturæ, & conditionis propriæ ſupergreſſa, quia lucem inacceſſibilem intueri, eſt graue. Auerte oculos tuos à me, eo quòd plenitudinem diuinitatis eius, & ſplendorem veri luminis ſuſtinere non poteris.] Quid animæ vtile erit, vt lumen inacceſſibile contempletur, niſi vt medio velamine, id eſt, media cognitione ſui ipſius ad videndum tantum lumen aſſurgat? Nam quanto pleniùs ſe cognouerit, tanto perfectiùs, & ſubliniùs Deum intelliget.

In hac autem notitia ſui, ac notitia Dei, quid habet homo, niſi quoddam initium ſalutis, quæ ab illuminatione mentis ſumit exordium? Iſaias certè Chriſti ſaluatoris aduentum prædicens, & fructus eius enarrans, hoc eos ordine numerauit. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum, quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine.] Veniet, inquit, mundi ſaluator,

[Marginal notes: Iob. 38. 5. — Greg. 28. mor. c. 6. — Bern. ſer. 16. in Cant. — Cãt. 6. — Amb. lib. de Iſaac. c. 7. — Iſaia. 35. 5.]

erumpent in Eccleſia aquæ gratiarum, & in ea, quæ erat inſtar ſolitudinis, fluet largiter vnda baptiſmatis. Tunc hoc ordine homines ad iuſtitiam aduenièt. Primò aperientur oculi eorum, qui per incredulitatem, aut ignorantiam cæci erant, vt ſe ipſos, ac Deum agnoſcăt. Deinde aures eorundem, qui per duritiam cordis ſurdi erant, patebunt, vt diuinorum mandatorum ſenſum excipiant. Poſtea iidem ob peccata claudi, & vitiorum nexibus compediti, per Chriſti gratiă diſſoluentur, & iam ſani facti, ſubſilient. Tandem qui in cœleſtem patriam, ac in perfectionem tendere non curabant, & ideo neceſſitatem auxilij diuini neſciebant, eam clariſſimè perſpicientes ad auxilium hoc poſtulandum ora laxabunt. Quare, rogo, priùs aperiuntur cæcorum oculi, niſi quia hoc

B

Roman. c. 10. 14.

negotium ſalutis noſtræ notitia noſtri, ac Dei debet præcedere? Sed quid quod Paulus ſcripſit: Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?] Vbi functionem auditus priorem facit, & actum videndi poſtponit. Sed conſideranda eſt ſacrarum literarum altitudo. Nam iuſtificatio noſtra priùs à doctore proponitur, & poſtea ab homine excipitur. Priùs ergo homo audit, quid ſibi faciendum ſit, cùm verò ad opus accedit, priùs ſe ipſum videat, Deúmque cognoſcat, & deinceps ad alia iuſtitiæ munia procedat. Eſt itaque notitia ſui quoddam ſalutis exordium: & ſicut aurora indicium eſt aduenientis ſolis, qui plantas omnes viuificat, auiculas ad canendum excitat, & homines ad ſuas functiones vocat: ita hoc diluculum, aut hoc lucis initium, quo homo ſe ipſum agnoſcit, ſignum eſt, iam prope nos eſſe iuſtitiæ ſolem, qui tenebras pellat, & vitam nobis ac vitæ opus attribuat.

C

Ex hoc gradu cognoſcens homo ſe ipſum, aſcendit ad timorem & amorem Dei. Nam qui ſe ipſum neſcit, & quàm magnis peccatorum debitis prematur, ignorat, nullo creditoris ſui rigidè ſatis ſua poſcentis debita, timore tăgetur. Similiter, qui ſe ipſum neſcit, Deum neſciat neceſſe eſt; & cùm nonniſi cognita diligamus, nunquam, quandiu Deum ignorat, eius amore donabitur. Quare notitia ſui eſt velut ianua, per quam homo ad hos duos affectus præſtătiſſimos poſſidendos timoris, & amoris ingreditur.

Bern. ſer. 37. in Cã.

Noueris te, inquit Bernardus, vt Deum timeas: noueris & ipſum, vt æquè ipſum diligas. In altero initiaris ad ſapientiam, in altero conſummaris; quia initium ſapientiæ timor Domini eſt, & plenitudo legis, eſt charitas.] Hæ duæ notitiæ ſui & Dei, ſunt illi duo pulcherrimi ſponſæ oculi, quorŭ vno ſponſus cor ſibi fatetur eſſe ſurreptŭ.

D

Canti. 4. 9.

Vulneraſti, inquit, cor meum, ſoror mea ſponſa, in vno oculorŭ tuorum, & in vno crine colli tui.] Vel, vt Septuaginta tranſtulerunt, cor mihi vno tuorum oculorum ſurripuiſti, id eſt, vehementer me ad amorem prouocaſti. Sed quo oculo, ô anima, putas ſponſum fuiſſe vulneratum, quo oculo putas cor eius fuiſſe ſurreptum? An oculo notitiæ tui, quo dum te cognoſcis, te deſpicis, & dum te deſpicis, eius miſerationes promereris? An oculo notitiæ ipſius, quia dum illum agnoſcis, eum diligis, & dum diligis, eum ad diligendum impellis? Puto ſanè, quia vtroque oculo vulneras cor

E

ſponſi Dei, & ipſum ad te allicis, ſed dictum eſt, in vno oculorum tuorum, quia quilibet oculus per ſe potens eſt ſponſi amorem accendere. Vulneras enim cor eius, dum illum amanter intelligis, quia amor erga eum ad incitădum amorem præcipuum locum habet. Et vulneras cor eius, dum te contemptim agnoſcis, quia humilitas ad promerendum amorem, non infimum locum obtinet. Denique vulneraſti cor meum, inquit, in vno crine colli tui. Quis iſte

A

Ruper. li 3. in Cãt.

crinis, niſi humilitas, ex ſui notione progenita? Quid vno crine gracilius, inquit Rupertus, & quid humilitate ſubtilius? Quid crine flexibilius, & quid humilitate confractius? Crinis vnus vix comparet, humilitas vix conſentit, vt inter homines computetur.] Priùs verò Deum ad tui amorem allicies humili cognitione tui, quàm alta cognitione Dei, quia hoc ordo rectus expoſtulat, vt priùs priora quæras, & ex infimo gradu ad altiorem aſcendas. Hæc alta, ac profunda cognitio Dei non ſolet dari niſi propria peccata lugentibus; nemo autem propria peccata lugebit, niſi ea ipſa, ac ſe qui perpetrauit, agnouerit.

Pſal. 67. 23.

Dixit Dominus: Ex Baſan conuertam, conuertam in profundum maris.] Baſan interpretatur, confuſio & ignominia; maris verò profunditate compunctionis magnitudo ſignatur. Ex notitia igitur ignominiæ tuæ Deus compunctionem extrahet, & compunctione oculos illuminabit: & ad Dei cognitionem attollet.

Nec ſolùm cognitor ſui ipſius, horum duorum particeps eſt præſtantiſſimorum affectuum, verùm & alios duos fructus magni momenti lucratur, ſine quibus Dei timorem & amorem non poſſidebit, quod ſcilicet à corde ſuo elationem, ſuperbiámque reuellit, & ad veram humilitatem ſe diſponit. Omnis elatio, omníſque ſuperbia oritur ex ignorantia, aut ex inconſideratione ſui. Quis enim vel leuiter ſe cognoſcens, & proprias miſerias inſpiciens, & ſaniem, ac putorem cordis ſui tangens, audebit efferri, aut ita inſaniet, vt commodum ſibi putet ſuperbire?

Iob. 2. 7.

Iob percuſſus vlcere peſſimo, à plăta pedis vſque ad verticem eius, teſta ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio.] Et mirum valdè eſſet, ſi improba lepra contectus, ſe ſanum ac validum æſtimaret, & non eam ad remedium raderet, ſed ad augmentum peſtiferi morbi contegeret. Ita mirabile eſſet, ſi quis dum in ſterquilinio ſuæ vilitatis ſederet, & lepram ſuorum peccatorum edacem attrectaret, ſe ipſum vt ſanum & ſanctum ſupra alios efferret. Hunc autem eſſe nucleum, ac ſpiritum huius literæ, Gregorius patenter oſtendit, qui de teſta ſancti Iob ſic philoſophatus eſt.

Grego. 3. mor. c. 17.

Penſabat vir ſanctus, vnde ſumptŭ fuerat, quod geſtabat, & fragmento vaſis fictilis confractum vas fictile radebat. Quo facto patenter oſtenditur, corpus ſuum quomodo ſibi ſanum ſubdidit, quod & percuſſum ſic deſpiciens curauit: quam ille molliciè ſanè ſuæ carni cóceſſit, qui non veſtè, non digitos, ſed teſtam etiă vulneribus admouit. Teſta ergo radebat ſaniem: vt ſemet ipſum & fragmento conſiderans, etiam de exterſione vulneris ſumeret curam mentis. De ſterquilinio verò ſic. Quia verò ſæpe per ea, quæ circa corpus ſunt, animus inflatur: & per hoc, quod erga nos agitur, fragilitas noſtri corporis ab oculis cordis amouetur (ſicut nonnulli ſæculares cùm temporalibus dignitatibus fulciuntur, dum locis altioribus præſident, dum multorum obſequia ſibi ſuppetere ad votum vident: fragilitatem ſuam intueri negligunt & vas fictile, quod geſtant, quàm ſit velociter conterendum, obliuiſcentes, omnino non attendunt) beatus Iob vt conſiderationem ſuæ fragilitatis etiam ex circumſtantibus traheret, & ante oculos ſuos vim ſuæ deſpectionis augeret, non qualibet in terrâ, quæ penè vbique munda reperitur, ſed in ſterquilinio ſediſſe perhibetur. In ſterquilinio ponebat corpus, vt ex terra aſſumpta, quæ eſſet carnis ſubſtantia bene proficiens perpenderet animus. In ſterquilinio ponebat corpus, vt etiam ex loci fœtore caperet, quod feſtinè corpus ad fœtorem rediret.] Sede itaque, ô homo, in ſterquilinio miſeriæ tuæ; accipe manu non carnis, ſed mentis teſtam fragili-

tatis tuæ, & putorem ſuperbiæ à corde rades, om-
némque arrogantiam præſumptionémque repelles.
Tunccum ſancto Dauide, non in te, ſed in Domino
Pſ.130.1. gloriaberis, dicéſque: Domine non eſt exaltatum
cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambu-
laui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.]
Quia ſcilicet meas miſerias expendi, meam vilita-
tem conſideraui, me ipſum agnoui, ideo cor humili-
tate depreſſi, & in humilitatis ſignum oculos in ter-
ram demiſi. Nunquam me ad altiora ſupra datam
facultatem extendi, neque vltra meam capacitatem
difficiliora præſumpſi; quia iſte humilis propriæ im-
becillitatis aſpectus ſuperbiam procul abiicit, &
vtiles intra metas meæ paruitatis me continet.

Si autem notitia ſui ſuperbiā diſſipat, conſequens
eſt, vt humilitatem gignat: nam dum elatio abiicitur,
loco illius affectus ſapiens, & ſanus humilitatis in-
greditur. Nec poteſt homo ſe ipſum agnoſcere, vili-
térque de ſe ſentire, quin ſe ipſum (quod humilitatis
eſt) verè & ex corde deſpiciat. Ac proinde meritò
Bernard. ſer. 37. in Cant. Bernardus quodam loco ait. Ergo tenetis memoria,
quòd teneam aſſenſum veſtrum, neminem abſque
ſui cognitione ſaluari: de qua nimirum mater ſalutis
Idem in illud: Omnis, qui ſe exaltat, &c. humilitas oritur. Et rurſus alio loco vberiùs: Puto
quia inuenimus etiam quomodo humiliat homo ſe
ipſum. Dico autem vt adhæreat humilianti ſe veri-
tati: nec diſſimulet, ſed cooperetur ei deuoto pietatis
affectu. Proinde cauebo deinceps, quàm ſolicitè po-
tero, duritiam cordis ſentiam, & plangam dolorem
meum; ne ſi fortè inſenſibile fuerit, ſit etiam inſana-
bile vulnus meum. Ego vir videns paupertatem
meam, in virga indignationis eius, ne veniat anima
Ieremia 5.3. 51.9. mea in conſortio eorum, de quibus veritas ait: Per-
cuſſi eos, & non doluerunt.] Et item; Curauimus
Babylonem, & non eſt ſanata.] Grauis curatio, hu-
miliatio hæc; ſed grauior morbus ſuperbia eſt, quæ
vtinam ſic curetur, vt ſanetur hac cura. Conſentiam
itaq; aduerſario meo, acquieſcam iudici meo, cedam
denique vrgenti aculeo, ne bis pungat.] Sic ille.
Quando itaque à Domino propriæ vilitatis notitia
donamur, tunc ad humilitatem, & noſtri deſpicien-
Pſ. 118. 75. tiam mouemur. Cognoui, Domine, inquit Dauid,
quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliaſti
me.] Iudicia tua, rationes prouidentiæ tuæ occultæ
eſſe poſſunt, & abſconditæ ab oculis hominum, ſed
iniuſtæ eſſe non poſſunt. Non poteſt ab æquitate
(quæ tu ipſe es) niſi rectitudo & æquitas exoriri. Ve-
ritate ipſa me deiicis, & ad humilitatem trahis, quia
dum me ipſum agnoſco, dum abyſſum meæ impo-
tentiæ conſidero, ſtatim (te donante, & iudicia tua
exercente) me ipſum ex humilitate deſpicio. Drach-
ma periit, inquit Hieronymus, ſed inuenitur in ſter-
core.] Quam putabis drachmam, niſi humilitatem?
Quod putabis ſtercus, niſi propriam vilitatem? Hu-
militatē ergo inuenies, ſi tuam vilitatem agnoueris.

At homo ex cognitione ſui, amore Dei timoréque
ditatus, & humilitate cumulatus, quàm Deo charus
(qui humiles ſui amatores diligit) quámque pretio-
ſus exiſtet? Certè Sancti hac ſui cognitione, qua ad
ſui contemptum, Dei autem amorem incitabantur,
locum ad diuinam familiaritatem obtinendam, &
miſericordiam impetrandam, inuenerunt. Hinc illa
vox Abrahæ: Loquar ad Dominum, cùm ſim puluis,
Geneſ.18. 27. & cinis.] Hinc illa Dauidis: Memento, quia puluis
Pſal.102. 14. ſumus: homo ſicut fœnum dies eius.] Hinc illa Iobi:
Iob.10.9. Memento quæſo, quòd ſicut lutum feceris me, & in
puluerem deduces me.] Ad quid, ô viri Dei, apud
Dominum luti & pulueris memoriam facitis? Ad
quid veſtram paruitatem inducitis? Quid luto, &
cœleſtibus donis, vt illius commemoratione, iſta

A conſequamini? Magna quidem luti & diuinarum
miſerationum cognatio eſt: quia miſericordia miſe-
riam reſpicit, & ſumma miſericordia ſummam miſe-
riam, cui ſubueniat, expoſcit. Quid ergo viri iſti po-
tuerunt Deo ad miſerationes eius impetrandas effi-
cacius obiicere, quàm fœnum, & lutum, & cinerem,
&, vno nomine, miſeriā propriam confiteri? O ma-
gnam ſapiētiam ſe ipſum inſpicere, atque cognoſcere!
Quæ ita Dei ingenium (vt ſic dicam) penetrare no-
uit, & eius benignitatem ad dandū allicere. O quàm
aptè ſe ipſos ignorantes iumentis comparantur, quo-
rum inter animalia terreſtria notiſſima ſtoliditas eſt!
Verè homo cùm in honore eſſet, non intellexit.] *Pſ.48.13.*
Quid non intellexit? An cœlum? An terram? An An-
gelos? An homines reliquos? Sanè non intellexit ſe
B ipſum, & ideo [comparatus eſt iumentis inſipien-
tibus, & ſimilis factus eſt illis.] Si enim alia ignora-
ret, obtuſum viſum haberet; at dum ſe ipſum, proxi-
mum ſibi, non videt, omni viſu caret, cæcus eſt, &
planè inſipiens, ac meritò iumentis inſipientibus
comparatus. Anima itaque ſui notitiam habens, ac-
ceſſum habet ad Deum, vt ipſum alloquatur, & mi-
ſerationibus eius ac donis multiplicetur. Eo enim
ipſo quòd ſibi vileſcit, eam Deus, tamquam rem pre-
tioſam ſibíque gratam, aſpicit. In quo ſenſu accepit
Gregorius illud Iob: Omne pretioſum vidit oculus *Iob.28. 10.*
eius;] oculus ſcilicet Dei. Vnde ait: Sciendum ma- *Greg. 18. mor.c.10.*
gnopere eſt, quia tanto vnaquæque anima fit pretio-
ſior ante oculos Dei, quanto præ amore veritatis de-
ſpectior fuerit ante oculos ſuos. Hinc ad Saul di-
C citur: Nonne cùm paruulus eſſes in oculis tuis, caput *1.Reg.15. 17.*
te conſtitui in tribubus Iſraël?] Ac ſi apertè diceret:
Magnus mihi fuiſti, quia deſpectus tibi; ſed nunc
quia magnus tibi es, factus es deſpectus mihi. Vnde
& per Prophetam dicitur: Væ, qui ſapientes eſtis in *Iſaia 5. 21.*
oculis veſtris, & coram vobis metipſis prudentes.]
Tanto fit quiſque vilior Deo, quanto pretioſior ſibi:
tanto pretioſior Deo, quāto propter eum vilior ſibi,
quia [humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.] *Pſ.137.6.*
Hic ſit ergo, ô iuſte, conatus tuus te ipſum agnoſcere;
hæc ſcientia tua, tui ipſius ac Dei, notitiam habere.
Iſta enim notitia eruditus peccata vitabis, pericula
fugies, te ipſum increpabis, & paruitatem ac imbe-
cillitatem tuam, virtutum ac bonarum actionum
ſtudio ſuffulcies. Quamobrem Laurentius Iuſtinia-
D nus doctrinam notitiæ ſui concludens, ait: Hæc *Iuſtinia. libr. de Humilit. cap. 2. in fine.*
profectò ſe agnoſcentium in veritate eſt diſciplina
optima, ſe videlicet condemnare, ſe peccatores in-
telligere, ſe cæcos, ſe infirmos, ſéque ad omne malum
procliuos exiſtere, abſque vlla dubitatione ſentire.
Hinc timent caſum, præuaricationem metuunt, exi-
gua, quantum valent, delicta deuitant, indiſciplina-
torum hominum conſortia fugiunt, ſuperborum
colloquia obaudiunt, atque amatorum ſæculi deſi-
deria vana eſſe non dubitant. Vnde ſic in cunctis ſe
cautè cuſtodiunt, ac ſi eſſent quotidie morituri. Cla-
ret igitur ex his quàm operatoria, quámque ad ſalu-
tem ſit neceſſaria cognitio ſui, quæ præſtat lumen
ad cognoſcenda huius peregrinationis pericula, &
ſpirituales mundi iſtius laqueos calcandos, quos
E procuidubio percipere ac ignorare conuincitur, qui
ignorat ſe. Quamobrem beatum eſſe dixerim, qui
de ſe non qualencumque ſed veram cognitionem
habere meruerit.] Nihil amplius ad ſui notitiam
amplectendam exigi poteſt, quàm vt homo ſciat
ſe hac cognitione beatum eſſe, quia ad beatitu-
dinem ſibi aditum parat, & eius ab-
ſentia (vt nunc dicemus) ſe
miſerum & infœlicem
reperiri.

Quæ mala ex propriæ cognitionis defectu prouemant.

CAPVT III.

INGENS profectò eſt miſeria hominis, & cæcitas eius aſſiduis gemitibus deploranda; qui cùm ſatis pronus ſit ad cognoſcenda alia à ſe, valde negligens & incurioſus eſt, dum vertit aliquando oculos vt intueatur ſe. Philoſophorum ſententia eſt: Omnis homo ſuapte natura appetit ſcire; hac verò naturali propenſione ad ſua & aliena cognoſcenda, incredibili feruore ducitus; ſed ad ſeipſum cognoſcendum non niſi raro, & validiſſimis ſtimulis percuſſus, incitatus. Inquirit ille ſatis auidè naturas elementorum, qualitates metallorum, proprietates arborum, virtutes herbarum. Scrutatur dies antiquos, & annos æternos in mente habet, & nihil eſt in natura, nihil ſupra naturam, nihil in latebris proximorum, quod non audacter inueſtiget: ſe tamen ipſum præterit, & id, quod præcipuè ad ſe pertinet, nempe ſeipſum agnoſcere, & ſcrutari, contẽnit. Phariſæi illi ſuperbia tumidi, & falſa exiſtimatione proprij amoris inflati, Ioãnem Baptiſtam interrogarunt: Tu quis es? Et, Elias es tu? Propheta es tu?] Ioan. 1. 20. Hi verò tam curioſi alterius ſtatus, & conditionis interrogatores, nunquam ſeipſos interrogarunt: Nos quinam, & quales ſumus? Quibus vitiis ſordemus? Qua intentione iuſtum interrogamus? Ita vnuſquiſque diſputat ſuper lignis [à cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete:] 3. Reg. 4. 33. & diſſerit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus, ſe autem ipſum incognitum prætermittit. Scitè Baſilius mentem oculis corporeis comparauit; vt quemadmodum illi omnia viſibilia vident, ſeipſos non vident; ſic & mens omnia inquirit, & vniuerſa ad vnum adducit, ſe autem ipſam videre negligit, & propriam miſeriam inueſtigare non curat. Verba eius ſunt: Baſil. hõ. 9. Exam. Reuera difficillimum eſſe omnium videtur ſeipſum agnoſcere. Non ſolus enim oculus, ea quæ ſunt foris, conſpiciens, in ſeipſum cernendum haud vtitur facultate videndi, ſed ipſa mens etiam noſtra peracutè perſpiciens alienos errores, tarda eſt, & cunctantior ad proprios ſuos cognoſcendos defectus.] Sic ille. Malum hoc ex peccato primi parentis traxit originem; quo, ad imaginem & ſimilitudinem Dei creati, tantum bonum quodammodo depoſuimus, & ei diſſimiles facti ſumus. Deus namque primò ſeipſum agnoſcit, verbum ſui (quod eſt ipſe Filius Dei) ſiue imaginem format, immò & omnia alia intra ſeipſum videt, atque intelligit. Homo è contrà alia à ſe inquirit, alia perluſtrat, & ſui ipſius penitus obliuiſcitur. Aut ſi aliquando ſe conſiderat, non ſe in ſemetipſo, ſed in aliis intuetur, ſe cum aliis confert, & proprio amore excæcatus ſe illis præferre non erubeſcit. Ego, ait, ſum illo nobilior, & illo fortior, & illo ſapientior. Ego non feciſſem, quod ille alius fecit; non cecidiſſem vt ille cecidit; maiori ſollicitudine à peccato cauiſſem. Hæ ſunt cogitationes hominis cùm ad ſeipſum oculos vertit, ſua bona iactare, mala contegere, aliorum verò mala verſare, & bona præterire, vt decipiat ſeipſum, & cæteris anteponat. Quare ſiue alios, ſiue ſeipſum inſpiciat, nunquam ſe cognoſcit, quia non notitiam propriæ vilitatis, ſed alienæ in aliis, aut in ſe bonitatis exiſtentis, inquirit. De omnique homine dicere poſſumus, quod de quodam hæretico, nimirum de Petro Abailardo, Bernardus ſcripſit: Bernard. epiſt 193. Nihil neſcit omnium, quæ in cœlo, & quæ in terra ſunt, præter ſeipſum. Vnuſquiſque eorum, quæ prorſus aliena ſunt, rationem reddit, ſui verò ipſius rationem reddere neſcit. Improbo Cain vitiò datum eſt, quod fratris ſui notitiam non habuit, aut ſe non habere ſimulauit. Nam interrogatus à Domino: Gen. 4. 9. Vbi eſt frater tuus, reſpondit: Neſcio. Num cuſtos fratris mei ſum ego?] Quanto magis vnicuique probro dabitur, ſi iam non fratrem, ſed ſeipſum neſciat, & in quanta miſeria ſit poſitus non aduertat?

Hanc obliuionem noſtri conemur vincere, hanc ignorantiam nitamur ſuperare, & curemus noſipſos agnoſcere. Quòd ſi bona ex notitia ſui prouenientia (quæ ſuprà commemorauimus) Supr. c. 2. ad hanc curam extorquendam non ſufficiunt; ſaltẽ mala ex abſentia huius notitiæ manantia nos moueant. Miſer quidem eſt, & inter infœlices computandus, qui ſeipſum ignorat. Summa enim fœlicitas eſt adhærere Deo, nam [mihi adhærere Deo bonum eſt] Pſal. 72. 28 & ſumma infœlicitas ab eo auelli, ac ſeparari. Iſtúdque eſt ſummum malum reproborum, quibus dicturus eſt Dominus: Matt. 25. 41. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.] Hoc autem malo percutitur ille, qui non ſeipſum agnouerit. Nam ſponſæ domum ac lectum ſponſi quærenti dictum eſt: Cant. 1. 7. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum.] Domum, inquit, habitationis meæ, & lectum quietis meæ, ô ſponſa, cupis agnoſcere, mecum optas quieſcere, & mecum commorari? Sed neceſſe eſt vt priùs apud te maneas, vtque priùs in lectulo tuæ conſcientiæ quieſcas, téque ipſam ſcruteris, & te indignam meo conſortio fatearis. Nam ſi non priùs teipſam, & tuam indignitatem agnoſcas, ad meum lectum admitti non poteris. Abibis potiùs poſt affectus tuos, ſequeris ſenſus tuos, & non ad quietem lectuli mei, ſed ad inquietudinem tuorum deſideriorum, quibus vſque ad verticem fœdaberis, ſine dubio peruenies. Gratum tamen erit audire Bernardum, hunc locum interpretantem. Bern. ſer. 35. in Cant. Cant. 1. 7. Dura, inquit, & aſpera increpatio, quod dicit, [egredere.] Hoc quippe verbum ſerui audire ſolent à valde iraſcentibus, & indignantibus dominis: vel ancillæ à dominâbus ſuis, cùm grauiter illas offenderint: Exi hinc, exi à me, egredere à conſpectu meo, & à domo iſta. Hoc ergo verbo aſpero, & amaro ſatis, nimiúmque increpatorio, vtitur modò ſponſus contra dilectam, ſub conditione tamen ſi ſeipſam ignorauerit. Nil quippe validius efficaciúſve ad deterrendum potuit in eam intendere, quàm vt egredi minaretur. Quod & tu aduertere potes, ſi bene attendas, vnde quò egredi iubeatur. Vnde enim quò putas, niſi de ſpiritu ad carnem, de bonis animi ad ſæcularia deſideria, de interna requie mentis ad mundi ſtrepitum, & inquietudinem curarum exteriorum? In quibus omnibus non eſt niſi labor, & dolor, atque afflictio ſpiritus.] Et poſt pauca. Terribilis proinde, & nimis formidoloſa comminatio: [Egredere, & paſce hœdos tuos.] n. 8. Quod eſt, indignam te noueris illa tua familiari & ſuaui rerum contemplatione cœleſtium, intelligibilium, diuinarum. Quamobrem egredere de ſanctuario meo, corde tuo, vbi ſecretos ſacróſque veritatis ac ſapientiæ ſenſus dulciter haurire ſolebas: & magis, tanquam vna de ſæcularibus, paſcendis & oblectandis tuæ carnis ſenſibus intricare. Hœdos quippe (qui peccatum ſignificant & in iudicio collocandi ſunt à ſiniſtris) dicit vagos, & petulantes corporis ſenſus, per quos peccatum, tanquam [mors per feneſtras] intrauit ad animam.

A Cui & bene congruit quod ſequitur in ſcriptura: [Iuxta tabernacula paſtorũ.] Non enim ſupra, ſicut agni, ſed iuxta tabernacula paſtorum bœdi paſcuntur. Paſtores ſiquidem, qui veri paſtores ſunt, licèt tabernacula habeant de terra, & in terra, corpora videlicet ſua, his diebus, quibus nũc militant, non tamen de terra, ſed de cœleſtibus paſcuis greges dominicos paſcere conſueuerunt: neque enim ſuam eis, ſed Domini prædicant voluntatem. At hœdi (qui ſunt corporis ſenſus) cœleſtia non requirunt, ſed iuxta tabernacula paſtorum, in omnibus videlicet bonis ſenſibilibus huius mundi (quæ eſt regio corporum) ſumunt, vnde ſua deſideria non tam ſatiant, quàm irritant. [Hactenus Bernardus. Licèt igitur verba ſint diſſimilia, tamen ſenſus eſt ſimilis: Diſcedite à me: B Et [Egredere, & abi;] niſi quòd prima illa ſententia reprobis dicta, abſoluta eſt: ſecunda verò iuſtis inculcata, à conditione pendens, ſi proprietatem reproborum induerint, & ſui ipſorum notitiam abiecerint. Illâ mali in infernum mittuntur, in cuius pœnas multitudine ſuorum peccatorum incurrerant. Hac verò boni poſt concupiſcentias ſuas ire permittuntur, ſi ſe non norint: ex quibus ad grauia peccata, & ex illis ad ſimiles pœnas peruenient. O infœlicem ſtatum ignorantium ſe ipſos, ſiquidem à Domino repelluntur, qui omnium vera eſt fœlicitas, & cum impiis numerantur.

Hanc terrificam vocem [Egredere, & abi,] intellexit optimè Petrus, cùm audiens Dominum dicentem: *Ioan. 6. 69.* Numquid & vos vultis abire?] Reſpondit: C Domine ad quẽ ibimus? Verba vitæ æternæ habes.] Tu vita; in mortem ibimus, ſi à te diſcedimus. Tu ſalus; in ægrotationem ibimus, ſi à te ſeparamur. Tu omne bonum; ſi te relinquimus, in abyſſum omnium malorum proficiſcemur. In illam arcam non admiſſi, quam Noe ad ſeruandam humani generis vitam fabrefecit, omnes ſine remedio perierunt; & à te, qui vera es arca Teſtamenti, repulſi, abſque remedio peribunt. Quò à te ibimus, Domine? Tu paſtor, & nos oues: quò autem ibunt oues à caulis paſtoris eiectæ, niſi vbi eas lupus dilaniet? Tu dux, & nos milites imbecilles; quò verò ibunt milites ſine duce, niſi vbi eos hoſtis interimat? Tu pater, & nos filij; ſed quò ibit filius à genitoris domo proturbatus, niſi vbi ſuam ſubſtantiam dilapidet, & nec porcorum ſiliquis famem exatiet? Intellexit & parricida Cain, quàm terribilis eſſet huius fulminis ictus, qui eiectus à Domino, ita de ſua infœlicitate querebatur: *Geneſ. 4. 14.* D Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra. Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.] Pellis me, inquit, à ſolo natali meo, vel in odium ac deteſtationẽ mortalium eiicis: quod quidem eſſet tolerabile, niſi aliam pœnam grauiorem adiiceres, quòd me à te repellis, & faciem tuæ protectionis abſcondis, quid niſi mala omnia, & ipſam mortem malorum poſtremum expectem? Impius hic ſeptem crimina (vt ait Chryſoſtomus) *Chryſoſt. hom. 19. in Geneſ.* immania commiſerat. Primùm, inuidet damnum allaturus. Secundò, fratrem ſuum occidere deſtinat. Tertiò, fraudes conſuit. Quartò, cædem opere implet. Quintò, fratrem occidit. Sextò, primus mortem E operatus eſt. Septimò, Deo mentitus eſt. Horum autem criminum vna pœna eſt: [Egredere, & abi] quæ ea omnia, immò & vniuerſa hominũ peccata, abundè caſtigat. Hac verò pœna ſeueriſſima ſe ignorantes, & hanc ignorantiam vincere nolentes, perpetuò puniti ſunt. Superbus Nabuchodonoſor non nouit *Dan. 4. 28.* ſe, ſibi, & non Deo ſuam dignitatem & ſuas opes aſcripſit: à Deo deſeritur, & in ſignum huius eiectionis, humana facie, & omnibus bonis exuitur. Neſciuit ſe

A Adam, & à Deo repulſus eſt, & quouſque ad ſe rediret, in magnas miſerias calamitatéſque relictus. Ignorauit ſe Lucifer, & à Deo in abyſſum inferni præcipitatur. Quis non timebit te, ô Rex gentium, quis ſe ipſum ad deſpicientiam, & te ad amorem non agnoſcet, ſiquidem hanc geminam ignorantiam tam ſeueriſſima pœna caſtigas? Quis ſi illa bona non diligit, at tam erit temerarius, vt hác terribilem pœnam non metuat? Iuſta quidem, & apta tanto peccato, vt qui lucem deſerit, & ignorantiam amplexatur, exilio à vera & ſumma luce caſtigetur.

Ex hoc autem ſummo malo, quo ſe ipſum ignorãs percellitur, quæ mala non exorientur? Profectò neſcius ſui ipſius non cognoſcet Deum ſicut oportet. Nam conſtans eſt Philoſophorum ſententia, quòd B proximâ virtute ſi cauſſa non attingat, remotâ non attinget. Si autem, ô homo, te ipſum, tibi vtique propinquiſſimum, non intelligis, quomodo Deum à te in infinitum natura diſtantem agnoſces? Non eſt hæc ratiocinatio contemptui habenda, cùm ſimilis ſit illi, qua vſus eſt Ioannes Apoſtolus: Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non *1. Ioan. 4. 20.* videt, quomodo poteſt diligere?] Si tu te ipſum, quem oculis corporeis cernis, non intelligis, quomodo Deum, quem non cernis, intelliges? Par enim eſt intellectus voluntatiſque conditio, vt faciliora faciliùs, difficiliora difficiliùs aut ille percipiat, aut iſta diligat. Caret etiam ignorans ſui, æternæ ſalutis exordio. Qui mala ſua neſciens, & quanta iniquitas ſit, viliſſimam creaturã in Deum inſurgere non agno- C ſcens, nec peccata deteſtabitur, nec Deum placare conabitur, nec in eius gratiam redire contendet. Scito, & vide, ait Dominus exercituum, quia malum, *Ierem. 2. 19.* & amarum eſt reliquiſſe te Dominũ Deum tuum.] Scito, & vide malum hoc, vt illud deteſteris, vt deteſtatione peccati ex gratia habita peccatum deleas, & vt Deum tibi concilies. Si autem neſcis, ſi autem ignoras, peccata non abiicies, & ob ignorantiam ignoraberis. Neſciens quoque ſe ipſum, nec timore Dei, nec amore donabitur. Non timebit Deum, quia dum ſe ignorat, quanta mala pœnæ, quámque tremendam vltionem de manu Dei, ob peccata venire ſoleant, ignorat. Non diliget Deum, quoniam dum ſui notitiam non habet, nec maieſtatis Dei, nec beneficiorum eius, propter quæ eſt diligendus, notitiam habebit. Ei autem, quem non diligit, proculdubio non obediet. Vnde egregiè Bernardus: *Bern. ſer. de obedientia, patiẽtia, & ſapientia.* D Vidéſne quàm ſit vtile homini ſcire ſe hominem, vt proinde ſit paratus ad mãdatorum obedientiam, & tolerantiam flagellorum, ac deinceps ſtudeat, vt qui nec laborem interim poteſt effugere, nec dolorem, ſic ſaltem laboret, & doleat, vt hæc ſibi in cibos tranſeant ſalutares?] Quomodo hic, qui mandata præterit, ſuperbiam effugiet, quæ in viſceribus cuiuſcumque criminis latet? Quomodo humilitatem dicet, quæ in agro propriæ notitiæ naſcitur, & in corde ignorantis ſe ipſum nunquam exoritur? Quomodo gratus erit Deo humilium amatori, qui diſciplinam ſalutis, & ſemitas humilitatis non nouit? *Philo lib. de ſomnis.* Eſt ergo, inquit Philo, Iudæorum diſertiſſimus, principium inuiſibilis ſapientiæ, non obliuiſci ſui ipſius, & E habere ſemper præ oculis ſuas origines. Sic enim ſuperbia, vitium cum primis exoſum Deo, poteſt elui. Quis enim cogitans ſe aquam, & cinerem, iam inde à creationis ſuæ primordiis inflabitur, & criſtas tollet per arrogantiam? Ideo ſacrificaturos etiã ad hunc modum aſpergi legiſlator iubet, neminem cenſens dignum his muniis, qui ſibi non ſit notus antea, & ignoret vilitatem hominis, quam ex elemẽtis, è quibus conſtat, coniectando intellexiſſe debuerat.] No-

tum eſt

A eſt ergo, eum, qui ſeipſum non nouit, non poſſe ſuperbiæ maculam eluere, nec poſſe veſtem Deo ſatis inuiſam primi parentis exuere, ac ideo nec poſſe apud Deum niſi viliſſimũ & abiectiſſimum reputari.

Ne ergo, ô homo, tempus in hoc impendas vt aliena cognoſcas, ne totam vitam præripiat meditatio elementorum, & cœlorum, conſideratio naturalium cauſſarum, ſed partem ſaltem illius in hoc colloca, vt illum cognoſcas, propter quem alia facta ſunt. Nec etiam ad te peruenıens ſcruteris tua, ſed potiùs (quod vtiliſſimum eſt) enitere vt ſcruteris te. Noli conſiderare, nec ádmirari opes tuas, ingenium tuum, ſcientiam tuam, virtutes tuas, quæ omnia aliunde tibi venerunt, ſed hæc omnia conſideratione præteriens, & tegumentum ſtercoris auferens, cura intelligere te. B Si te intelligas, ex quadam parte te ipſum præ humilitate deſpicies; ex alia verò, ad reformandam in te Dei imaginem magni reputabis, & non in infimo loco conſtitues. Ad quod pulchra ſunt illa verba Baſilij: *Baſil. hō. 10. exam.* At ne vnus vſpiam competitur, qui ſtudium ſuum in hoc collocet, ſe vt nouerit. Naturæ enim procliuitate prægeſtimus noſſe cœlum quid ſit, quàm quid nos ipſi. Ne tu itaque contemnito quod in te admirabile lucet. Tuo quidem arbitratu parui es, & exilis momenti: at magnum quid eſſe te deprehendes, ſi primæ tuæ conditionis iniueris rationem. Ob hoc eminentis ſapientiæ vir ille Dauid, quòd probè noſſet ad exactam iudicij librilem ſe appendere, & diſcutere, ait: *Pſal. 138. 6.* Mirabilis facta eſt ſcientia, ſiue cognitio tua ex me.] C Artis enim tuæ ſolertiam, Deus, quæ in me conſpicitur, ſimul atque ſum oculis animi contemplatus, nimirum quanta ſapientia corpus ipſe meum compegeris, ex iſtius qualiſcumque opificij perpenſa apud me conſideratione, opificem te eſſe eximium agnoui, & prorſus admirabilem. Sic Baſilius.] Vides hic, ô homo, quodammodo cæci nati iteratum miraculum. Nam quomodo, ſi meminiſti, Dominus illi viſum reſtituit? *Ioan. 9. 6.* Fecit, inquit Ioannes, lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei: Vade, & laua in natatoria Siloë.] O ſtupendum miraculum! Abiit cæcus ab ipſo ortu ſuo, lauit, & ſtatim vidit. Quid ſputum, niſi lucem verbi Dei; quid terra, niſi humanæ conditionis vilitatem; quid lutum ex ſputo & terra factum, D niſi cognitionem noſtri ſignificat, quam Domini beneficio adipiſcimur? Hoc lutum illini: Dominus ſuper oculos cæci, cùm homini ſuimet notitiam immittit. Eodem autem viſum reſtituit; quia dum homini hæc ſui notitia conceditur, ex hoc luto mirificè ad veram ſapientiam, & ad Dei notitiam effertur. *Pſal. 138. 6.* Mirabilis, inquit, facta eſt ſcientia tua ex me;] tiam dum me ipſum agnoſco, ex hac notitia mei, ad tui, ô Deus meus, notionem, ſiue contemplationem, aſſurgo. Lutum autem in Siloë, quod miſſus interpretatur, lauo, quia in te, Domine, qui miſſus fuiſti ad redimẽdum nos, maculas meæ humilitatis abſtergo. Hanc ergo notitiam habere curabo, vt ex me ipſo alia à me fructuosè cognoſcam, & te Deum meum ad amorem tui, & vitæ meæ emendationem intelligam.

Quanam ratione homo ſeipſum agnoſcet.

CAPVT IV.

EST ergo res ſummi momenti notitia ſui, qua à tot tantiſque malis liberamur, & tot tantáque bona conquirimus. Quare viri ſancti, qui non minori ſollicitudine vera A bona cupiunt, quàm falſa bona contemnunt, ſolliciti ſunt vt hoc bonum cognitionis ſui habeant, atque poſſideant. Et licèt apud homines ſapientiſſimi cogitentur, ſe tamen ipſos ſapientes non iudicant, niſi cognitioni aliarum rerum ſui notitiam tanquam vtiliorem adiciant. Scit vnuſquiſque eorum, ſe eſſe myſticum illud animal, de quo ab Ezechiele dictum eſt: *Ezech. 10. 14 15* Ipſum eſt animal, quod videram iuxta fluuium Chobar, cui quadruplices vultus, quadruplicéſque oculi inerant.] Vnde ſubdit: [Quatuor facies habebat vnum,] ſcilicet vnumquodque animal. [Facies vna facies Cherub;] id eſt, bouis, nam cherub ſignificat, agens currum: [& facies ſecunda facies hominis: & in tertio,] nimirum aſpectu eiuſdem animalis [facies B leonis, & in quarto facies aquilæ:] quibus indicatum eſt debere iuſtum omnia quidem cognoſcere, ſi potuerit; at inter alia ſe nequaquam ignorare. Sed ô mira atque recondita facierum quadruplicium commemoratio! Facies vna, id eſt prima, facies Cherub, vel facies bouis, qui in terram aſpiciens, vt eam aratro proſcindat, indicat, ô iuſte, cognitionem tui. Primo namque debes teipſum aſpicere, & aratro mortificationis euoluere, vt alia à te valeas vtiliter intelligere. Secunda facies hominis, proximi notitiam deſignat, quem, ſi priùs tuas miſerias deprehenderis, ſcies humaniter aſpicere, & non ad contemptum, ſed ad benignitatem & ad miſericordiam contemplari. Tertia facies leonis, ad notionem huius ſæculi impuri refer- C tur, quod leoninis oculis, id eſt atrocibus, aſpiciendum eſt, ne ſuauiter conſpectum ad ſuum te amorem alliciat. Quartà facie aquilæ, Dei notitia ſignata eſt, quem, poſtquam te cognoueris, poſtquam proximo compaſſionem, & mundo odium tribueris, oculo puræ contemplationis intelliges. Sciunt ergo ſpirituales viri ſe hoc myſtico animali depingi, ideóque primo loco ſui notitiam exoptant, vt alia poſtea non ad oſtentationem, ſed ad animæ profectum intelligant. Et aptè quidem hanc notitiam ſui facie cherub audiunt eſſe ſignatam, quæ plenitudo ſcientiæ interpretatur. Quia ſummam ſapientiam adepti ſunt, ſi ſeipſos penitus agnoſcant, ex qua tanquam ex baſi cognitionis, per alias res quaſi per quoſdam gradus ad Deum D cognoſcendum aſcendant. Volo proinde, animam, ait Bernardus, *Bern. ſer. 36. in Cant.* primò omnium ſcire ſeipſam, quòd id poſtulet ratio & vtilitatis, & ordinis. Et ordinis quidem, quoniam quod nos ſumus, primum eſt nobis: vtilitatis verò, quia talis ſcientia non inflat, ſed humiliat, & eſt quædam præparatio ad ædificandum.] Quid autem putas ædificandum eſſe? Non aliud certè quàm virtutes ipſas, quæ humilitati ſuperpoſitæ te ad Dei contemplationem habendam diſponent.

Nec ſolùm vnâ ex quatuor faciebus animal illud ſui notitiam, quam iuſtus habere debet, ſed & ipſo motu deſignat. *Ezech. 1. 12.* Vnumquodque, inquit, eorum animalium coram facie ſua ambulabat.] Quid enim eſt coram facie ambulare, niſi quenquam ſe ſibimetipſi præſentem habere? In quo iuſti (auctore Gre- E gorio) ab impiis ſecernuntur, quòd illi coram facie ſua ambulant, quia ſeipſos agnoſcunt: iſti verò coram facie ſua non ambulant, quia ſeipſos neſciunt. Eius verba ſunt: *Greg. hō. 4. in Ezechielem.* Omnis etenim iuſtus, qui vitã ſuam ſollicitus aſpicit, & diligẽter conſiderat quantũ quotidie in bonis creſcat, aut fortaſſe quantũ à bonis decreſcat, iſte quia ſe ante ſe ponit, corã ſe ambulat, quippe qui vigilãter videt vtrùm ſurgat, an defluat. Quiſquis verò vitę ſuę cuſtodiã negligit, diſcutere quę agit,

A quæ loquitur, quæ cogitat, aut deſpicit, aut neſcit, coram ſe iſte non ambulat; quia qualis ſit in ſuis moribus, vel actibus ignorat. Nec ſibimetipſi præſens eſt, qui ſemetipſum quotidie exquirere atque cognoſcere ſollicitus non eſt. Ille autem veraciter ſe ante ſe ponit, ſibique in præſenti eſt, qui ſe in ſuis actibus tanquam alium attendit.] Et poſt pauca. Peruerſi autem, ſicut paulo antè iam diximus, coram facie ſua non ambulant, quia ea, quæ agunt, nunquam conſiderant, ad intentum tendunt, in prauis actibus exultant. De quibus ſcriptum eſt: Qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.] Sæpe verò iuſtus, qui eos conſpicit, deflet: ſed ipſi phreneticorum more plangunt, & rident. Alij indigentibus de rebus proprijs multa largiuntur, ſed cùm occaſionis tempus inuenerint, indigentes opprimunt, eóſque, quibus voluerior rapinis, deuaſtant. **B** Ponunt ante oculos cogitationis ſuæ bona, quæ faciunt, & nonponunt peſſima, quæ committunt. Hi videlicet coram facie ſua non ambulant, quia ſi ſibimetipſis præſentes eſſent, cuncta ſubtiliter, quæ agunt, viderent, qualiter bona opera malis actibus perdant, agnoſcerent, ſicut ſcriptum eſt: Et qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.] De pertuſo quippe ſacculo aliunde exit, quod aliunde mittitur, quia indiſcretæ mentes mercedem, quæ ex bono opere acquiritur, non aſpiciunt, quo ex malo opere perdatur. Huc vſque ille.] Si nos itaque **C** iuſtis annumerari cupimus, iuſtorum more coram facie noſtra ambulemus. Animus ſollicitus puritatis ſuæ, ſemper ſibi præſens ſit, ſeipſum conſideret, ſeipſum inſpiciat, vt valeat ſuæ ſaluti proſpicere. Sicut enim medicus priùs ægroti qualitatem, & conditionem naturalem attendit, vt eius morbis medeatur: ita animus medicus ſui, debet ſeipſum attendere, ſuas propenſiones & motus agnoſcere, vt valeat ſe apto medicamento curare. Nec ſapiens ſui ipſius medicus eſt, qui ad medelam ſui non priùs attentè cogitat quid ipſe eſt.

Prou. 2. 14.

Agg. 1. 6.

Si ergo tam vtilis eſt hæc ſcientia noſcendi ſeipſum, támque propria iuſtorum, quonam modo quibúſque medijs homo ſeipſum agnoſcet? Accipe reſponſum. Duobus, oratione & conſideratione: oratione, vt à Domino hanc ſui notitiam **D** petat: conſideratione, vt ſeipſum, quis & qualis ſit, diligenter expendat. Oratio neceſſaria eſt, quoniam hæc notitia ſui (vt iam diximus) donum eſt Dei: dona verò non quaſi ex iuſtitia à donante extorquemus, ſed humili & intenta precatione ex miſericordia poſtulamus. Et, ſi omnis ſapientia à Domino Deo eſt, hæc ſapientia propriæ notitiæ, omnium ſcientiarum vtiliſſima, ab alio quàm à Deo eſſe non poteſt. Si ergo illam cupimus, oculos ad Dominum leuemus, & ſtantes ante oſtium miſerationis ſuæ, ſine vlla intermiſſione pulſemus. Sol tenebras diſicit; falſitatem, veritatis ſplendor; errores, ſubſtantiæ rei intuitus pellit. Ad iuſtitiæ itaque ſolem, ad primámque & ſummam veritatem recurrendum eſt, vt offuſam caliginem **E** propriæ cognitioni obſiſtentem auferat, & radium lucis ſuæ, quo eos inſpiciamus, immittat. Orabat ſanctus Iob pro hac notitia ſui, quando ita aiebat ad Dominum: Quantas habeo iniquitates, & peccata? Scelera mea & delicta mea oſtende mihi.] Multa, & grauia patior, ô Domine, & tot calamitatibus afflictus intereo. Aperi igitur me mihi, & quid in me lateat, quod tuam maieſtatem prouocet ad indignationem, oſtende. Homo ſum, humani à me nihil alienum puto. Scio

Iob. 13. 23.

A homines ſæpe iniquitates admittere, quibus lædunt proximos; aut peccata, quibus ſuam naturam dedecore afficientes, ſeipſos occidunt: aut ſcelera, quorum malitiâ quaſi ex profeſſo in tuam maieſtatem inſurgunt: aut delicta: nam quæ facere debuerant, omittunt. Quid horum ego feci, vt ſic me punias, vt ſic me multiplici amaritudine & dolore conſumas? Obuerſentur ante oculos meos exceſſus mei; pateat tam mihi ingratitudo mea, vt mala mea iuſta deteſtatione reijciens, tuam miſerationem, ac tantorum malorum depulſionem promerear. Si autem nihil fortaſſis horum admiſi, innocentiámque ſeruaui, [cur ita faciem tuam abſcondis,] cur ita mihi indignaris, & opere, ac vltione terribili, [arbitraris me **B** inimicum tuum?] Ecce quomodo ſanctus hic vir ſui cognitionem poſtulabat? ſicque & nobis petenda eſt, vt in hac diſciplina proficiamus, & ad Dei notitiam euolemus. Neque enim incongruè dixit quidam doctor, montem, in quo Chriſtus transfiguratus apparuit, eſſe homini cognitionem ſui, quia ſi iſte ſeipſum agnoſcat, séque deſpiciat, ſaluator, vt eum releuet, illi ſuam gloriam reuelat. Qui verò præit, & ducit Apoſtolos ad cliuum montis huius, non eſt alius quàm ipſe ſaluator, quia niſi ipſe nos doceat, & noſtram vtilitatem aperiat, nunquam nobis plenè innoteſcet. Ac proinde orandus eſt, vt ad montem nos ducat, & lucem ad hanc ſcientiam ſalutarem capeſſendam ipſe con-**C**cedat.

n. 14.

Conſideratio etiam conditionis propriæ ac propriæ miſeriæ nobis opus eſt, vt nos ipſos cognoſcamus. Aliarum enim rerum notitiam attenta earum meditatione conquirimus, & ille meliùs eam aſſequitur, qui attentius naturam & qualitates rerum cognoſcendarum perſcrutatur. In hoc autem ſimilis eſt cognitioni aliarum rerum noſtra cognitio, quòd vt habeatur, altam & intentam meditationem requirit. Docet autem optimè Hugo Victorinus, quid homo de ſeipſo meditari debeat, vt aliqua ex parte ſeipſum agnoſcat. A te, inquit, incipiat cogitatio tua, & in te finiatur: nec fruſtra in alia diſtendaris, te neglectu. Præter ſalutem tuam nihil cogites: quoniam in acquiſitione ſalutis tuæ nemo eſt tibi germanior, nemo propin-**D**quior teipſo. Si verò aliud cogitationi tuæ ſe offerat, quod non quoquomodo ad tuam ipſius ſalutem pertineat; illico deſpice, & expue: vt ſemper te poſſis inſpicere, & de cognitione tui, venire ad cognitionem Dei. Agnoſcere ſe debet homo, ad quæ bona ſit naturaliter promptior, vel ad quæ mala procliuior: quibus ſtudijs debeat vehementiùs inſiſtere, contra quæ mala debeat inſtantiùs vigilare: quibus exercitijs valeat meliùs promoueri: quibus vitijs valeat faciliùs corrumpi, quibus culpis ſubiaceat; vel quibus meritis emineat, & quid pro his pœnæ vel præmij expectare debeat: quantum quotidie proficiat, vel deficiat: cum quanta animi induſtria ſatagat præterita mala flere, præſentia declinare, futura **E** præuenire: cum quanta animi conſtantia ſtudeat reparare bona amiſſa, cuſtodire & multiplicare poſſeſſa. O quàm neceſſaria diſcuſſio, & quàm miranda ſpeculatio, tot animi virtutes, tot eius exercitationes, tot eius ſtudia vel merita præ oculis habere, & huiuſcemodi contemplationi diutiùs inhærere! Suſpende ergo animum tuum, ab inferiorum amore; ne fortè de ſublimibus eiectus, & de loco voluptatis à propria concupiſcentia abſtractus, & illectus, poſt concu-

Hugo. 3. de anima. c. 43.

piſcentias

A pſcentias tuas eat, & vagus fiat, & profugus ſuper terram. Denique ſi cupis implere Dominicum præceptum: Omni cuſtodia ſerua cor tuum.] Neſcit enim quid de ſpiritu angelico, quid de ſpiritu diuino ſentire debeat, qui ſuum priùs non cogitat. Nihil rectè exiſtimat, qui ſeipſum igoorat. Neſcit quàm ſub pedibus ſuis omnis mundana gloria ſubiaceat, qui conditionis ſuæ indignitatem non penſat. Hactenus ille.] Et quidem ex his iam habebit homo aliqua, quæ de ſeipſo cognoſcat. Sed ad plenam ſui notitiam, oporter vt non tantùm mores ſuos, ſed & naturam conſideret. Nam mores noſtri per ſe ſumpti, ſatis noſtræ paruitatis & imbecillitatis nos admonent, ſed naturæ adiuncti, multo efficaciùs ad propriam cogoitionem & deſpicientiam inducent. B Quid enim miſerius, quàm naturam infirmam, vitiis, quibus impotentior ſit, ſubiacere, & virtutibus, quarum præſidio aliquantulum roboratur, non affici? Quid calamitoſius, quàm hominem rerum temporalium onere preſſum temporalia diligere, & rerum cœleſtium amore à multis malis exoneratum eas nō appetere? Quid magis riſu, aut potiùs fletu, dignum, quàm creaturam, ſtatu ac conditione paruulá, ſuam exiguitatem, pro poſſe, contegere, & ſublimitatem, quam non habet, oſtentare? Duo igitur de homine inquirenda ſunt; alterum, quis & qualis ſit in natura: alterum, quis & qualis io moribus inueniatur.

Prou. 4. 23.

Duobus autem modis poſſumus naturam & mores hominis inueſtigare; primo quidem abſolutè (vt aiont) & in ſe: ſecundo verò, per comparationem ad C alia. Hæc ſecunda conſideratio longa ſatis eſt, & non admodum difficilis, ſi modom huius inueſtigationis manifeſtemus. Qui io hoc conſtitutus eſt, vt conſiderata aliarum rerum perfectione multiplici, inquiramus quantum aut omnino, aut ex parte aliqua hominis perfectionem excellat. Conferat ſe homo cum Deo, & ſi aliquid vilius nihilo excogitare, aut fingere poterit, eo ſe viliorem & abiectiorem reperiet. Eſt namque hominis ad Deum prorſus infinita diſtantia. Ille, inſipiens; hic infinita ſapientia: ille, iniquitatibus plenus; hic, infinita bonitas, & immenſa ſanctitudo: ille, ſupra quàm cogitari queat, impotens: hic, infinitè potens: ille, vanitas, quia vniuerſa vanitas omnis homo viuens; hic, prima & ſumma veritas: ille ipſum non eſſe, quoniam de ſe nihil eſt; hic, ipſum eſſe, & plenitudo omnis entitatis & perfectionis, qui de ſe ab æterno & in æternum eſt. Et hunc tu, ô Domine, D ſuſtines, hunc expectas, illius flagitia diſſimulas, ſupra quem [multum valere tibi ſoli ſupererat ſemper, & virtuti brachij tui quis reſiſtet? Quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram.]

Sap. 11. 22. 23.

Conferat ſe deinde homo cum angelis, & ſe viliſſimum & abiectiſſimum inueniet. Angelus eſt incorporeus, & ſpiritus, natura puriſſimus; homo corporeus, aut (ſi mauis) ſpiritus imperfectus carni merſus. Ille immortalis, iſte mortalis. Ille, corporibus multis, quibus aliquando veſtitur, ad obſequium vtens; iſte, vnum corpus, quod partē ſui geſtat ad onus importabile vſque ad mortem ferens. Ille, habitator cœli, E hic terræ: ille, vno impetu, & velociùs quàm in ictu oculi, mundum peragrans; iſte, tardis paſſibus, & non ſine laſſitudine & neceſſitate vectoris, itineris tantillum conficiens. Ille; ſapientiſſimus ſimplici quodam intuitu, & ſimilitudinibus rerum ab ipſa creatione habitis, omnia naturalia & vniuerſa ex ſupernaturalibus ſibi reuelata cognoſcens; iſte rudiſſimus cum diſcurſu, & magno labore, & ſpeciebus per ſenſus ac- A quiſitis vix aliquas veritates intelligens. Ille, voluntate rectiſſimus, nihil vile, nihil terrenum diligens; iſte, voluntate volubilis, rebus impuris & terrenis inhærens. Ille, creatus in gratia per breues morulas immenſam beatitudinem meruit, iſte, poſt lapſum primi hominis generatus in culpa, poſt multos annos, & non ſine magnis periculis ex gratia fœlicitatem acquirit, & ſæpe per culpam & oſcitantiam in æternum amittit. Ille, naturaliter in bono, quod ſemel voluit, perſtat ſtabilis; hic, omni aura leuior, & palea inſtabilior, bonum millies deſerit, millies repetit, & nunquam in eodem propoſito & voluntate perſiſtit. Ille tandem diues eſt ſapientia, diues poteſtate, diues rectitudine, qui apud Deum, locum amici familiariſſimi, & iudicis, ac gubernatoris ſuæ B domus obtinet; hic omnibus bonis indigus reus eſt, & multorum peccatorum ſibi conſcius ab illo tanquam à cuſtode, à pædagogo, à iudice pendet. Quis non apud angelum ſe deiiciat, quem Ioannes Euangeliſta, & Apoſtolus Domini, poſt tam illuſtres reuelationes acceptas, & poſt tantam lucem diuinæ maieſtatis habitam adorare voluit, niſi ab ipſo angelo fuiſſet prohibitus? Et poſtquam audiſſem, inquit, & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc oſtendebat.] Prohibitus eſt autem illis verbis: [Vide ne feceris.] Vel; ne aliquod ſignum adorationis Deo debitæ daretur illi (vt Auguſtinus & Thomas Aquinas indicant) vel, ne ante ſe procumbentem aſpiceret illum, qui licèt natura minor, tamen erat æqualis in gratia.

Apoc. 22. 8. 9.

Aug. qq. in Gen. q. 61 & lib. 20. cont. Fauſt. c. 21.

D. Thom. 22. q. 84. ar. 1. ad 1.

C Ac ſi conferat ſe homo non iam cum angelis beatis, ſed etiam cum ipſis dæmonibus, in multis, his impuris & miſeris creaturis ſupponitur. Si enim naturas rerum ſpectes, certum eſt, dæmonem naturâ eſſe homine ſuperiorem, ſiquidem per culpam, nec naturam angeli perdidit, nec vires naturales intelligentiæ, voluntatis, aut poteſtatis amiſit. Si verò mores intuearis, ſæpe homo eſt ipſo dæmone infœlicior atque miſerior. Nonne infœlicior diabolo, qui ſeruit diabolo, & mancipium eſt diaboli? Et quidem: quoniam in ſtatu infœlicitatis, nihil infœlicius quàm miſero & infœlici ſeruire. Nonne infœlicior dæmone, qui cùm poſſit eius damnationem euadere, vltro ſe in damnationem ingerit? Et ſanè, quoniam magna miſeria eſt miſeriam contra voluntatem pati, ſed maxima miſeria eſt miſeriam volūtariè complecti. Nonne infœlicior dæmone, qui D pluribus modis peccandi in Deum ſuum creatorem inſurgit? Sed talis eſt homo, nam licèt omnia peccata poſſint eſſe in dæmonibus ſecundùm reatum, & ſecundùm deſiderium, non tamen ſecundùm actum: qui cùm corpore careant, peccatis luxoriæ & gulæ fœdari non poſſunt, nec etiam peccatis auaritiæ aut accidiæ infici, quia nec opes noſtras, ſibi nec neceſſarias, nec vtiles, cupiunt, & in his quæ agunt, laborem ex corpore prouenientem non ſentiunt. At homo præter peccata merè ſpiritualia ſuperbiæ, & inuidiæ, & iræ, quorum actus ſunt in dæmonibus, luxuria & gula ſordidatur, & auaritia atque accidia inficitur, vt quanto maior eſt in eo peccatorum copia, maior etiam quodam-E modo ſit ipſius calamitas atque miſeria. Ac tandem homo ſi à Deo deſeratur, nocentior eſt dæmone. Idque ſonant illa verba Chryſoſtomi: Homo malus, peior eſt quàm ipſe diabolus. Diabolus enim ſi videat iuſtum, non eſt auſus ad eum accedere; homo autem malus quamuis hominem ſanctum viderit, non ſolùm illum non timet, ſed adhuc magis contemnit. Non enim diabolus homini præſtat virtutem, ſed homo diabolo. Arma enim diaboli eſt malus homo.

Vide D. Thom. 1. p. q. 63. ar. 2. in corpore.

Chryſ. in imperfecto hom. 24.

Sicut enim homo ſine armis non poteſt aliquid facere contra hoſtem, ſic diabolus etiam ſine homine non valet aliquid contra ſanctos. Sic ille.] Nec poteris, ô homo, te excuſare, & dæmoni præferre, ex eo quòd nunquam in has & ſimiles iniquitates incurreris. Aliud enim eſt quod ex gratia & beneficio Dei te protegentis habes; aliud verò quod ex natura tua à protoparente infecta poſſides. Ex parte enim naturæ in qua regnat fomes peccati, & ardor malæ concupiſcentiæ, ad hæc & maiora flagitia propenſus es, quibus ipſos dæmones imitaris, & aliquando malitia præcellis. Si verò Deus per gratiam ſuam his te malis exemit, & virum bonum & ſtudioſum effecit, non eſt cur in te ipſo glorieris. Da igitur gloriam Deo, & te ex te dæmonis imitatorem, ex Dei verò gratia, Chriſti membrum agnoſce.

Nec ſolùm ex comparatione ad res ſuperiores, verùm & ad res ſe inferiores homo ſui cognitionem, & materiam humilitatis eliciet. Nam ſi ſui & brutorum animalium collationem faciat, neceſſe eſt vt in multis primatum eis tribuat. A nonnullis animantibus aliquibus virtutibus naturæ ſuperatur. Nam, vt

Aug. 8, de ciuit. c. 15.

Auguſtinus ait: Multæ beſtiæ vincunt nos homines acrimonia ſenſuum, & motu facillimo, atque celerrimo, & valentia virium, annoſiſſima firmitate corporum. Quis hominum videndo æquabitur aquilis & vulturibus? Quis odorando, canibus? Quis velocitate leporibus, ceruis, omnibúſque auibus? Quis multum valendo, leonibus & elephantis? Quis diu viuendo, ſerpentibus, qui etiam depoſita tunica ſenectutem deponere, atq; ad iuuentã redire perhibentur? Sic ille.] Sed ſi generaliter animalia conſideremus, illa ex vtero matris veſtita naſcuntur, homo nudus: illa, ad ſui defenſionem, & ad hoſtes propellendos armata; hic, inermis, & periculis magnis ac multis expoſitus. illa, naturaliter notitia ciborum, & medicamentorũ ſibi neceſſariorum, instructa; hic, tam ignarus, vt paruulus fame pereat, niſi vberibus illum nutrix admoueat, & adultus ſæpe noxia, & mortem afferentia, pro vtilibus & vitam ſeruantibus ſumat: illa, aut illorum plurima, vitam ſatis diuturnam habẽtia, ducentorum aut trecẽtorum annorum, vt Philoſophus, de elephantibus & ceruis aſſeuerat; hic, per breue tempus, & plenus malis, perdurat: illa denique, tanquam robuſtiora & ditiora, paucis egent; hic verò, tãquam infirmus & pauper, multis indiget. Sed ſi imaginem reipublicæ in quorundam animalium congregationibus aduertamus, manifeſtè videbimus eas noſtrarum rerum publicarum eſſe magiſtras. Quis enim non miretur ordinem apum, ſolicitudinem formicarum, ad quas ſapiens pigros mittit, vt ſapientiam diſcant; & locuſtarum agmina, ſine vllo rege, aut duce, ita compoſita, vt ab imperatore expertiſſimo inſtructa videantur? Quando reſpublicæ noſtræ tam indiruptum ordinem, tam indefeſſum laborem, tam ſeueram otioſorum punitionem cuſtodierunt? Quando ſcita ſua, & leges à maioribus latas, tam ſine vlla trãſgreſſione ſeruarunt? Perſpectis quoque in animalibus vitiorum ac virtutum vmbris, reperiemus, animalia vitiis ab hominibus vinci; è contrà verò homines ab animalibus, virtutibus ſuperari. Eſt enim homo ſæpe leone crudelior, tigride audacior, mulo inſolentior, equo inanior, lupo rapacior, lepore timidior, vulpe verſutior, aſino ſtolidior, hœdo fœdior atque ſalacior. Rem exaggero ſi non Chryſoſtomum mea dicta confirmantem adduxero. Exponens enim

Matt. 10. 17. Chryſ. hõ. 24. in Matt. in imperfect.

illud: Attendite vobis ab hominibus,] ſic ait: Ita dixit, attendite vobis ab hominibus quaſi à quibuſdam peſſimis malis, & ſuper omnia mala malis. Nam ſi nõ quaſi homines accuſans dixiſſet, ſufficeret illi dicere, attendite vobis, tradent enim vos. Nunc autem addidit, attendite vobis ab hominibus: oſtendere volens, quia præ omnibus malis homo eſt peſſimũ malum, Nam ſi beſtiis comparare volueris eum, peiorem inuenies eum. Beſtia enim, quamuis ſit crudelis, tamen quia eſt irrationabilis, declinabitur ab homine crudelitas eius. Homo autem crudelis cùm ſit, & rationabilis, non facilè euadetur crudelitas eius. Si comparaueris hominem ſerpenti, peiorem inuenies hominem; quoniam ſerpens etſi maliciam habet, tamen hominis timorem habet. Ideo ſi quem abſconsè potuerit, mordet: ſi autem non potuerit, fugit. Homo autem & maliciam habet ſerpentis, & timorem non habet, ſicut ſerpens. Ideo quamuis non habet tempus, latet ſicut ſerpens, ſi autem inuenerit, irruit ſicut beſtia. Adhuc autem anguis, ſi quidem irritata non fuerit, in ſilentio tranſit. Homo autem & non irritatus inſanit, & magis ſuper illos inſanit, à quibus non fuerit irritatus. Hæc ille.] Quod autem dictum eſt de vitiorum imagine in animalibus reperta, dici poteſt & de vmbra virtutum, quòd ſcilicet nunquam, aut rarò virtutes veræ noſtræ, virtutes illorum fictas aſſequuntur. Prudentia animalium in cauendis malis atque periculis, & in quærendis bonis, & ad ſuſtentandam & ſeruandam vitam neceſſariis, eſt admirabilis, & nullis defectibus ſubiacens, cùm tamen noſtra incerta ſit, & ſæpe nos fallat, atq; decipiat. Iuſtitia eminent, & nobis ſe præferunt, quia nihil proprium poſſident, & ſine aliorum iniuria ſunt paucis, & ad vitam neceſſariis, contenta. Fortitudine excellunt, quæ ſine vlla timiditate ſe ab aduerſariis tuẽtur, & multa eorum nos fugãt, & nobis timorem incutiunt. Temperantia ſuperant, ſiquidem ad ſolam neceſſitatem comedunt cibos à natura ſibi paratos, non vt nos qui ad voluptatem ſæpe delicias manducamus, ſaluti corporis officientes, & coquorum arte diſpoſitas: & ſolo prolis generandæ appetitu, certis temporibus, & moderatè, mas & fœmina in vnum cõueniunt. Quid de eorum pace dicam, cùm nunquam animalia cum aliis ſui generis bellum gerant? Quid de fidelitate, qua equi, & canes nos rubore ſuffundunt? Quid de gratitudine, qua exigua beneficia, multo meliùs quàm nos ingentia, recompenſant? Si liceret nobis in his enarrandis expaciari, longum ſatis tractatum cuderemus. Legat, qui volet Origenem, Baſilium, & Ambroſium, in his libris, quos ſuper Geneſim ediderunt, & Philoſophos de rerum naturis diſputantes, & mirabilia, quæ ipſum humilient, inueniet.

Res tandem inanimæ in multis hominem longè poſt ſe relinquunt. Cœli ſuperant eum magnitudine, perpetuitate, loco, lumine, ordine, pulchritudine. Elementa, excellunt agendi efficacitate, reſiſtendi poteſtate, contrarij ſibi proximi ſuſtinentia, & obſequij nobis exhibiti vtilitate. Miſta, tum imperfecta tum perfecta eminent decore, duratione, contrariarum qualitatum, quæ ea deſtruant, vacuitate. Quid enim cãdidius niue, ſimplicius pruina, illuſtrius grãdine? Quid fortius ferro, durabilius argento, incorruptibilius auro? Quid lapidibus pretioſis purius, aut gemmis illibatius, quas nulla inſolens qualitas fuſcat? Arbores, & plantæ, quæ cum animantibus computantur, præſtant multiplici virtute languores curandi, frondibus, floribus, fructibus, quarum ſemina non ſunt viſui fœda, nec cogitationi horribilia; quarum generatio eſt pura; quarum augmentum & conſeruatio ſine aliorum iniuria.

Homo igitur ſeipſum ad humilitatem, facta ſui ad res creatas collatione cognoſcat, & in quo ſuperetur, peruideat, & in quo erudiatur, aduertat. Quem quidem modum cognoſcendi, à diuinis ſcripturis acceptimus.

Prou 6. 6.7.8. cepimus. Id enim ſonant illa verba: Vade ad formi- A
cam, ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapien-
tiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præcepto-
rem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, &
Hiere. 8. 7. congregat in meſſe quod comedat.] Et illa: Miluus
in cœlo cognouit tempus ſuum: turtur, & hirundo,
& ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: popu
lus autem meus non cognouit iudicium Domini.]
Luca. 12. 13. Et rurſus illa: Conſiderate lilia quomodo creſcunt,
non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Sa-
lomon in omni gloria ſua veſtiebatur ſicut vnum ex
24. iſtis.] Et paulo antè: Conſiderate coruos, quia non
ſeminant, neque metunt; quibus non eſt cellarium,
Hebr. 6. 7.6. neque horreum, & Deus paſcit illos.] Et iterum illa:
Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, &
generans herbam opportunam illis, à quibus colitur: B
accipit benedictionem à Deo: proferens autem ſpi-
nas ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima;
cuius conſummatio in combuſtionem.] Et ſic ſunt
alia ſexcenta. Hæc cognitio noſtri per comparatio-
nem ad alia ſiue animata, ſiue inanimata, vtiliſſima
eſt, ſed longè vtilior ea, quæ ſeipſum in ſpecie aut ab-
ſolutè cognoſcit. Ad quam notitiam habendam con-
ſiderandum eſt tria eſſe in homine, naturam, poten-
tiam, & actionem, quæ magnopere eius inquiſitioni
ſeu perſcrutationi deſeruiunt. Quæ cùm non ſint
perpetua, ſed temporalia, ad tria tempora, præteri-
tum, præſens, & futurum referenda ſunt. Quodlibet
igitur horum trium ſub his tribus temporibus conſi-
deratum, tres interrogationes excitat; atque adeo
nouem erunt interrogationes, quibus ſi verè reſpon- C
deamus, noſtri cognitionem ſatis manifeſtam elicie-
mus. Inquirat ergo quiſque apud ſemetipſum quid
fuerit homo? Quid ſit homo? Quid futurus ſit ho-
mo? Ac deinde quid potuerit homo? Quid nunc
poſſit homo? Quid poſthac poterit homo? Ac tan-
dem, quid fecerit homo? Quid nunc faciat homo?
Quid in futurum facturus ſit homo? Si homo no-
uem veritates ſub his interrogationibus latentes in-
uenerit; ſatis habebit ad manum vnde ſe cognoſcat,
& vnde ſe apud Deum hominéſque deiiciat.

Quid fuit Homo.

CAPVT V.

QVI aliquem laudare, aut vituperare ag-
grediontur, ab eius progenitoribus filum D
orationis incipiũt, vt vel illorum nobili-
tatem & geſta præclara illi tanquam ger-
mini optimæ radicis tribuant, vel ob ipſorum flagitia
ſempiternã ignominiæ notam inurant. Licèt autem
nos nec hominẽ laudatione proſequi, nec vitupera-
tione afficere, ſed ſyncerã veritatẽ propalare veli-
mus, viã hanc ab aliis tritam ingredimur, vt cõditio-
nis noſtræ notitiam aſſequamur. A quaſi parentibus
ergo, & auis, & proauis hominis incipiat oratio; qui,
& quales illi fuerint omnibus innoteſcat, videátq; il-
le, & iudicet an ex hac parte aliquam habeat mate-
riam gloriandi. In parentibus ac progenitoribus fuit
homo tanquam in illis, à quibus naturam accepit, at
in ſeipſo eſt; & quia prius eſt fuiſſe, quàm eſſe, expen- E
damus ſeriò quid fuerit, vt poſtea videamus quid ſit,
Conſtat autem homo corpore corruptibili, & ani-
mo corruptionis experte; ex quibus velut ex duabus
partibus coagmentatur. Et certum eſt, cauſſam effe-
ctricem vtriuſque partis, perinde atq; omnium alia-
rum rerum tum viſibilium tum inuiſibilium, eſſe
Pſal. 99. 3. Deum, qui hominem, vt ipſi ſeruiret, ipſóque fruere-
tur, efformauit, & ad ſui imaginem fecit. Scitote, in-

A quit Pſaltes, quoniam Dominus ipſe eſt Deus: ipſe
fecit nos, & non ipſi nos.] Et ſanctus Iob: Vocabis Iob 14. 15.
me, & ego reſpondebo tibi: operi manuum tuarum
porriges dexterã.] Poſtquam ex hac vita deceſſero, &
multis ſæculis in ſepulchro iacuero, & animus meus
à corpore ſeparatus in loco à te præparato ſubſtiterit,
tandem adueniente reſurrectionis die, vocabis me 1. Theſſ. 4. 15.
[in iuſſu & voce archangeli, & in tuba Dei,] & ego
libentiſſimè tuæ voci parebo, atque vt tibi aſtem, re-
ſurgam. Libenter, inquam, obediam, quoniam vox
non erit ad damnationem (vt ſpero) ſed ad ſalu-
tem, méque, qui opus ſum manuum tuarum, ſingula-
ri amore proteges, & quaſi data dextera ad eum ſub-
leuandum, cui caſus imminebat, ab æterna pœna
impiis præparata defendes. Eſt igitur homo opus
B Dei, quemadmodum & reliqua creata omnia, licèt
ad finem altiorem, quàm res rationis expertes, & ad
æqualem cum angelis ordinatus, vt ſcilicet Deum
ſuum agnoſcat, eum diligat, ei obediat, & viſionem
ac poſſeſſionem eius in præmiũ ſui laboris obtineat.
Ex quo profectò non modicam anſam habet homo
ſuæ iniquitatis cognoſcendæ, & humilitatis captan-
dæ, qui inter vniuerſas res creatas ſuo creatori ſolus
ingratus eſt, qui cognitionem eius, quem inanimata
ſentiunt, perdidit, & opera manuum ſuarum pro diis
coluit, qui amorem ſuum, ſpreto ſummo bono, in fi-
ctis bonis collocauit, qui Domino ſuo obedire con-
tempſit, & tandem hæreditatem illam æternam, &
optimam, ſibi paratam amiſit. Sed de hoc aliàs. Nunc
verò omiſſa effectrice cauſſa, ad id, ex quo factus eſt
C homo, oculos cõuertamus, & quid fuerit reperiemus.

Homo, quoad corpus, ex viliſſima quadam mate-
ria factus eſt, quam ob honeſtum pudorem nomina-
re non licet. Eam generali nomine omnibus initiis
ex parte materiæ communi ſemen appellamus, &
ad maiorem expreſſionem humanum ſemen dici-
mus. Hoc nomine ad hanc rem explicandam vſus eſt
Salomon: Decem menſium tempore coagulatus ſum Sap. 7. 2.
in ſanguine, ex ſemine hominis, & delectamento
ſomni conueniente.] Sanguis maternum ſemen ſi-
gnificat, quod ſubrubicundum eſſe dicitur, cùm pa-
ternum ſit albius atque candidius. Vtrumque autem
non ſine impura delectatione deciditur, quæ proin-
de ſomno comparatur, quia & rationem ligat, &
pro eo ſpacio temporis generantes ſimiles belluis fa-
cit, & inſtar ſomni citò perficitur, & euaneſcit. Iſtam
materiam Bernardus ita deſcripſit. Quid ſum ego? Bern. in
D Homo de humore liquido. Fui enim in momento me itat,
conceptionis de humano ſemine conceptus: deinde c. 2.
ſpuma illa coagulata, modicum creſcendo caro facta
eſt.] Et quamuis non deceat in re tam fœtida diutiùs
conſideratione immorari, ſed potiùs ab ea citò tranſ-
ire; tamen parcendum eſt rãtiſper rubori, & hoc cœ-
num paululum mouendum, etſi fœteat, vt homo na-
tale ſolum ſuum, ac egregia initia cognoſcat. Mate-
riæ huic multis nominibus arborum & plantarum
ſemina præferuntur. Primò, quòd hæc munda ſunt,
& ſine vllo horrore in ſinum mittuntur, oculis viden-
tur, & manibus atteruntur: illa verò materia adeò im-
pura eſt, & fœtida, vt nec manu tangi, nec oculis ſine
rubore aſpici poſſit. Secundò. Arborum ſemina pu-
E riſſima quadam emanatione procedunt; ſed materia
hæc emanat nõ ſine pruritu carnis, feruore libidinis,
& fœtore luxuriæ. Ideo conceptio hominis tenebras
amat, & tanquam res obſcœna, & quæ genitori igno-
miniæ eſt, lucẽ fugit, & aliorũ etiam familiariſſimorũ
aſpectũ exhorret. Tertiò, ſemina arborũ, atq; etiam
animaliũ nullo peccato, nullàque iniquitate inficiũ-
tur: at hæc materia, eiúsve emanatio, ſæpiſſime aliquo
peccato, ſaltem leui, fœdatur, quod parẽtes ex nimia

ſed ſelecta vndequaque optima, ex pura materia puriſſimum excolaſſe accuratè, quod maximè ad hoc opus aptum erat. Conſoletur & nos Auguſtinus, aſſerens, quatuor litteris nominis Adam, quatuor terræ partes contineri, Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem, quaſi primus homo ex quatuor pugillis terræ ſumptus à quatuor mundi partibus fuiſſet compoſitus. Quod clariùs docuit Cyprianus, qui poſtquam dixiſſet, nomina Hebraica eo conſilio fuiſſe indita, vt proprietates hominum, quibus imponebantur, deſignarent: hæc addit: Ex ipſo protoplaſto probamus veritatem. Nomen accepit à Deo Adam. Hebraicum Adam in Latino interpretatur, terra caro facta, eo quòd ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno comprehendit, ſicut ſcriptum eſt: Palmo menſus ſum cœlum, & pugno comprehendi terram, & finxi hominem ex omni limo terræ, ad imaginem Dei feci illum. Oportuit illum ex bis quatuor cardinibus orbis terræ nomen in ſe portare Adam. Sed ô quàm exigua, & à longè petita conſolatio? Quid enim refert ſi homo ex terra munda fuerit effectus, cùm ex eo terra vilis eſſe non deſinat? Certè ſi ſuperfluum eſt (vt dicebat ſanctus Hilarion) mundiciam in cilicio quærere, multo delicatius eſt eam in luto, in cœno, & in ſtercore quæritare. Quid etiam prodeſt ſi ex pugnis terræ à quatuor orbis partibus ſumptis fuerit compactus, cùm ex hoc ſolùm habeamus, quòd ex quatuor lateribus (vt aiunt) nulla nobilitate inſignitur, ſed vndiquaque conſpectus humillimo genere natus reputatur? Fiat, fiat ex quatuor pugnis terræ à quatuor plagis orbis acceptis, vt in toto vniuerſo cunctæ creaturæ notionem vilitatis hominis habeant, & nullo loco, licèt homo velit, & conetur, ſuam vilitatem abſcondat.

Auguſt. tract. 9. in Ioan. — *Cyprian.* — *Iſaiæ 40.*

Iam ex avo ad proauum hominis aſcendamus, non efficientia, ſed ordine, quia ſcilicet tertio gradu ſeparatur à genito, & ideo, vt minùs impropriè loquamur, quaſi proauum appellemus. Cœnum ergo illud, ſiue lutum, à quo humo ſumpſit exordium, ex quo factum eſt? Profectò ex nihilo factum eſt. Cœlum enim, & elementa, atque adeo terra, & aqua, ex quibus lutum factum eſt, ex nihilo facta ſunt. In principio, ait ſcriptura, creauit Deus cœlum, & terram.] Creare autem, ſi vox preſtiùs accipiatur, eſt rem totam, ſiue ex nihilo, producere. Et quamuis verbum, quo ſacra Scriptura vtitur, latiorem ſignificationem habeat; tamen certum eſt, cœlum & terram ex nihilo fuiſſe creata, neque enim productionem cunctorum aliquid præceſſit, ex quo aut cœlum, aut terra, aut quicquam aliud fieret. Vnde illa ſeptem Machabæorum mater fortiſſima vnum eorum ad mortem pro patriis legibus ſuſtinendam exhortans, dixit, Peto, nate, vt aſpicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus. Hoc autem initium eſt animæ noſtræ, corporíque commune: nam animam non ex ſe ipſo, vt aliqui hæretici impiè & ſtultè finxerunt, ſed ex nihilo in lucem eduxit. Aliter tamen corpus, quàm anima hominis ex nihilo facta ſunt. Anima quippe nullo interiecto medio, corpus verò ex nihilo mediis aliis erupit. Corpus factum eſt ex ſemine, ſemen ex cœno, cœnum ex nihilo: & animus non ex ſemine, neque ex cœno, quia materiæ expers eſt, & immortalis, ſed à Deo extructus ex nihilo. At nunc perſcrutemur quid ſit hoc nihilum. Sed certè inanis erit perſcrutatio noſtra, quia nihil, nullum eſſe, nullámque naturam habet, ſed eſt defectus, aut (vt propriùs loquamur) negatio omnis eſſentiæ, & naturæ, quare neque intelligi quidem poteſt. Quia cùm intellectus ſolùm verſetur circa id quod habet eſſe, vt viſus circa colorem, & lucem; auditus, circa ſonum, & vocem: non poteſt capere & intelligere id quod non eſt. Si verò interroges; Quare dicimus, hoc nihil eſt, & eſſe addimus ei, quod non eſt, neque eſſe poteſt? Auguſtinus hanc quæſtionem excitauit, & ſoluit. Sic ille ait: cùm dicimus, nihil, nomen inſubſtantiale nominamus; cùm verò addimus, eſt, rem ſignificamus. Cur ergo nomen inſubſtantiale, id eſt, nihil, tamquam verè aliquid ſit, dicimus, addendo, eſt? Omne enim, quod dicimus, eſt, eſſe aliquid æſtimamus. Tamen cùm aliquoties dicimus, nihil eſt, pro conſuetudine locutionis addimus, eſt, ad nihil cùm nomen tantùm ſit nihil, & non res. Hoc itaque nomen, nihil, nullam rem ſignificat: atque adeo ſi tu, ô homo, factus es ex nihilo, factus es ex nulla re, & fuiſti nulla res. Quid ergo fuiſti, ô homo? An lignum? Sed minùs quàm lignum. An lapis? Sed minùs quàm lapis. An puluis? Sed minùs quàm puluis. An ſtercus? Sed minùs quàm ſtercus. An vmbra? Sed minùs quàm vmbra; quia illa priuatio eſt lucis in ſubiecto apto lucem recipere. At te in prima creatione nullum ſubiectum præceſſit; fuiſti igitur quod nec amari, nec æſtimari, nec intelligi, nec concipi poteſt, ſcilicet nulla res. Fuiſti quaſi in quadam abyſſo æternæ obſcuritatis, in qua nulla lux; in lacu ſummæ miſeriæ, in quo nullum leuamen; in profundo infœlicitatis, aut (quod eſt amplius) non fœlicitatis, à quo tamen te potentiſſima Dei manus extraxit, & totum hoc eſſe, quod habes, ſine eo quòd aliquid eius præceſſiſſet, attribuit.

Geneſ. 1. 1. — *2. Mach. 7. 28.* — *Auguſt. l. Hypognoſ. c. 5.*

O igitur inſignis humanæ elationis proſapia, ô illuſtris generis humani nobilitas, ô clariſſimi progenitores hominis ſtercus, cœnum, & nihil! Et ſuperbiet terra, & cinis, & efferetur ſtercus, & eleuabitur cœnum, & inflabitur nihil. Et non ſufficient indumenta purpurea, & ſerica, & aurea, & gemmis contexta, ad inuoluendum ſtercus? Et non ſatis erũt tot genera pretioſorum ciborum, & tot eſculenta, & pigmenta ad ſatiandum cœnum? Et non ſufficient tot dignitates, tot honores, tot plauſus, & laudationes, ad implendum nihilum? O nihil, nihil, quantum Deo diſplices, cùm inflaris; quàm dignum es in nihilum redigi, cùm eleuaris; quàm infamia & riſu dignum quando poſt auram popularem curris, & honore affici concupiſcis. O ſtercus, quid de primatu contendis? Quid de alienis donis tibi mutuò datis gloriaris? Quid amas primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & vocari ab hominibus Rabbi? O cœnum quid ea, quæ apud alios ſplendeant, quæris? Quid tanta ſollicitudine præeſſe appetis? Quid videri maior concupiſcis? O nihil, quid tibi & laudi? quid nihilo, & honori? Quid nulli rei, & magni nominis deſiderio? An non poterit ſtercus ſine honore putreſcere, & cœnum ſine laude ſordere, & nihil ſine fama, & gloria perdurare? Sæpe hanc tuam originem, ſanè dedecoris & ignominiæ plenam, in memoriam reuoca; numquam committas, vt huius primæ vilitatis tuæ obliuiſcaris, qua ſuborta ex quacumque cauſſa admirationi reſpondebis. Corporis doloribus ægritudinibúſque vexaris, & ad tumulum iam feſtinare videris? Cogita apud te met ipſum: ſum lutum; & quid mirum ſi ad lutum properet caro mea, vt lutum luto cohæreat? Angoribus & triſtitiis animi pulſaris, & timoribus vndiquaque circumdaris? Dic: ſum lutum, quid ni lutum his miſeriis conculcetur, & ab omnibus deſpici vereatur? Tentationes te cingunt, & ad malum; quod numquam fortè expertus es, nec vmquam cu-

Matth. 23. 7.

gitaſti, pertinaciter inducunt? Eandem vocem inculca: Sum lutum, & cœnum fœtidum: fœtor verò fœtorem diligit, & ab omni puritate & mundicia mentis abhorret. Sic Iob omnem admirationem ex ſuis miſeriis exortam excludebat. Comparatus ſum, inquit, luto, & aſſimilatus ſum fauillæ, & cineri.] Quid mirum, inquam, ſi tantis conſumar doloribus, ſi tantis morbis conficiar, ſi tam deſperatis triſtitiis & afflictionibus conterar, cùm ſim lutum fœculentum, cùm ſim fauilla leuiſſima, & cinis aduſtus, cui deeſt facultas, vt alicui malo reſiſtat? Lutum fit ex puluere & aqua, vtroque manente: fauilla & cinis, ex ligno & igne, vtroque deficiente. Sum ergo lutum, in quo propenſio ad terram regnat, & aqueus prauæ concupiſcentiæ humor exundat. Sum fauilla & cinis, à quo ſi meæ naturæ relinquar, omnis fructus bonorum operum abfuit, & omnis ſpiritualis calor, & rerum cœleſtium deſiderium amórque defecit. Bene profectò ſanctus Ephræm meam conditionem deſcripſit, dicens: Quid eſt homo? Nihil. Quid homo? Cinis, ac puluis. Quid homo? Somnium. Quid homo? Vmbra.] Eſt quippe homo nihil, quia ex nihilo ſumptus eſt. Eſt vermis, quia ex putredine factus eſt. Eſt cinis, quia facillimè diſpergitur. Eſt puluis, quia in lutum commutatur. Eſt ſomnium, quia non ſubſiſtit, ſed citò euaneſcit. Eſt vmbra, quia in momento pertranſit. Sed ſatis ſit nunc dixiſſe quid homo fuerit, quia fuit ſtercus, & lutum, & nihil: iam verò quid ſit, explicare pergamus.

Iob. 30. 19.

Ephræm, ſerm. in eos, qui in Chriſto dormierunt. Ioan. 3.

Quid eſt Homo.

CAPVT VI.

SOLENT aliqui in terrena republica ex initiis exiguis ad magnas dignitates prouehi, & ob virtutis meritum, aut ob res præclarè geſtas, celebre nomen, glorioſam famam, & ingentes diuitias comparare. Inquiramus ergo num homini ita contigerit, vt ex ſtercore, & luto, & nihilo factus, aliquam nobiliſſimam naturam, & ab omni miſeria & labe alienam ſortitus ſit? Et quidem ſanctus Dauid, ſatis euidenter oſtendit, hominem eſſe conditione viliſſimum, adeo vt contemplans eum à Domino dilectum, in admirationem rapiatur. Alloquens ille Dominum, ſic ait: Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum?] Mira res, & magnum excitans ſtuporem, quòd tu Deus ſupremus omnium rerum gubernator, & Dominus, memor ſis hominis ſceleſtiſſimi peccatoris, eúmque ad te trahas; & quòd non obliuiſcaris iuſti, etiam ſi ſanctus ſit, & perfectus; immo innumeris & pretioſis eum beneficiis multiplices. Quoniam tam hic quàm ille, ſic ſunt exigui & viles natura & conditione ſua; & hic, comparatione tui, tam meritis ſuis paruus, & ille tam omnibus donis indignus; vt mirum ſit valde, ſi in eos velis eximia beneficia conferre, & tantæ vilitatis recordari. Iuſta eſt, & digna ſapientis hæc Dauidis admiratio: qui enim vilitatem hominis ex vna parte, & ex alia immenſam Dei maieſtatem & gloriam attentè fuerit contemplatus, non poterit non horrore perfundi, cùm videat hanc maieſtatem de tanta exiguitate ſollicitam, & hanc exiguitatem diuinæ maieſtatis beneficio ad tanta bona ſublimatam. Quanta enim ſit exiguitas, & vilitas hominis, non multis verbis Seneca in hunc fere modum expreſſit: Quid eſt homo? Quodlibet quaſſum vas, & quodlibet fragile iactatu; non tempeſtate magna, vt diſſiperis, eſt opus. Vbicumque arietaueris, ſolueris. Quid eſt homo? Imbecillum corpus, & fragile, nudum, ſuapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum: cùm bene lacertos exercuit, cuiuſlibet feræ pabulum, cuiuſlibet victima, ex infirmis fluidíſque contextum, & lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, æſtus, & laboris impatiens, ipſo rurſus ſitu & otio iturum in tabem, alimenta metuens ſua, quorum modum inopia rumpit. Anxiæ ſolicitæque tutelæ, precarij ſpiritus, & malè inhærentis, qua parum repentinum audier, ex improuiſo ſonus auribus grauis excutit. Soli ſemper ſibi nutrimentum vitioſum, & inutile. Miramur in hoc mortem vnius, qua ſingulis opus eſt. Numquid enim, vt concidat, res magni momenti eſt? Odor ille, ſapórque, & laſſitudo, & vigilia, & humor, & cibus, & ſine quibus viuere non poteſt, mortifera ſunt. Quocumque ſe mouet, infirmitatis ſuæ ſtatim conſcium, non omne cœlum ferens, aquarum nouitatibus, flatúque non familiaris auræ, & tenuiſſimis cauſſis, atque offenſionibus morbidum, putre, caſſum, à fletu vitam auſpicatum. Cæterùm quantos tumultus hoc tam contemptum animal mouet: in quantas cogitationes oblitum conditionis ſuæ venit?] Hæc ille. Ad quantam verò homo dignitatem ſublimetur, poſtea dicemus, & interim ille perſpiciet, qui intellexerit, hominem ad Dei vnionem deſtinatum, ad poſſeſſionem cœleſtium bonorum creatum, & ad intimam cum Deo familiaritatem admiſſum. Sed nunc relinquantur hæc ſublimia hominis, quæ ſanè non minùs quàm abiecta & humilia ipſum humiliant, & ad hæc craſſiora, quæ apertiori modo ad humilitatem conferunt, noſtra ſe conuertat oratio. Vt ergo miſeria hominis ſit nobis vtcumque perſpecta, illud in primis aduertamus, hominem ex corpore & ſpiritu, ex carne & anima eſſe compoſitum, & ex natura viſibili, quæ belluis communis eſt, atque ex natura inuiſibili cœleſtibus ſpiritibus proxima coagmentatum. In vtraque verò natura quàm plurimis eſt miſeriis neceſſitatibuſque ſubiectus, quarum aliquas neceſſe erit explicare.

Pſal. 8. 5.

Seneca. lib. de cõſolat. ad Martiam

Homo igitur ſecundùm inferiorem partem ſui caro eſt, quem Dominus Deus ex puluere procreauit. Nonne, inquit ſanctus Iob, ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle, & carnibus veſtiſti me; oſſibus & neruis compegiſti me.] Accepit Deus puluerem, & aqua ſubegit, ac mulſit, vel tractabilem & fluidum fecit. Deinde ad modum caſei lutum illud ex puluere & aqua concretum preſſit, & quaſi coagulauit, & forma humana veſtiuit. Ac tandem illud in pellem, carnem humanam neruóſque conuertit. Non ſimpliciter terram accepit, ait Chryſoſtomus, ſed puluerem, & tenuiſſimum, vt quis dixerit, de terra. Et hunc puluerem terræ ſuo præcepto in corporis naturam vertit. Nam ſicut ſubſtantiam terræ, cùm non eſſet, produxit: ita & nunc, cùm vellet, puluerem terræ in corpus vertit. Hic exclamare iuuat pulchrum illud Beati Dauid dictum: Quis loquetur potentias Domini, & auditas faciet laudes eius?] Quia de puluere tale animal produxit, & tanto honore venuſtauit, tantíſque beneficiis ſtatim ab initio proſequutus eſt, monſtrans per omnia ſuam miſericordiam?] Similis autem eſt huic primæ formationi ex

Iob. 10. 10.

Chryſoſt. hom. 13. in Geneſ.

Pſ. 105. 2.

luto

luto factæ, cuiuſque corporis humani formatio. Semen enim fœmineum quaſi lac ſubigitur, & ſemen virile, quoad aliquam ſaltem partem, vicem gerens coaguli, naturali virtute cum reliqua materia denſatur, & in carnem, pellem, oſſaque cõuertitur. De hac formatione ſic ſcribit Auguſtinus. Dicitur conceptio humani corporis ſic procedere, & perfici, vt primis ſex diebus quaſi lactis habeat ſimilitudinem; ſequentibus nouem diebus conuertatur in ſanguinem; deinde duodecim diebus ſolidetur: reliquis decem & octo diebus formetur, vſque ad perfecta lineamenta omnium membrorum; & hinc reliquo tempore vſque ad tempus partus magnitudine augeatur.] Iam autem homo nuper conceptus in ipſo matris vtero incipit miſerias incomparabiles experiri. Concipitur in olido carcere; generatur in tetro & caliginoſo ergaſtulo, nempe in ventre matris, in eóque nouem menſibus clauſus & compeditus tenetur. Membranæ illæ, quibus obuoluitur, quæ ſecundæ, vel ſecundinæ dicuntur, quòd naſcentem infantem ſequantur, illi pro cippo ſunt: pro compedibus verò ipſa diſpoſitio naturæ, nam ad modum glomiculi, ſiue orbiculi, in vtero manet: ac pro catenis ipſa imbecillitas infantilis, quæ eum moueri vix ſinit. Illud ergaſtulum numquam radiũ vel minimum lucis vidit, numquã vocẽ conſolatoris audiuit, nec aliquod leuamẽ ad ferẽdas illas anguſtias accepit, ſed ſemper in perpetua caligine & horrore permanſit. Offertur miſero infanti in illo carcere alimentũ, vt viuat; ſed quod alimentum? Quàm immũdum, quàm olidum, quàm ab omni ſapore alienũ? Huiuſmodi alimentum eſt ſanguis mẽſtruus fœminæ, quẽ ſuprà ex Innocentio deſcripſimus, & hîc iterum ad confuſionem noſtram eadem ex Plinio repetimus. Sed nihil facilè reperitur, inquit, mulierum profluuio magis monſtrificum; areſcunt ſuperuentu muſta, ſterileſcunt tactæ fruges, moriuntur inſita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum, quibus inſedêre, decidunt. Speculorum fulgor ipſo aſpectu hebetatur, acies ferri præſtringitur, eboriſque nitor: aluei apum emoriuntur; æs etiam atque ferrum rubigo protinus corripit, odórque dirus aëra. Et in rabiem aguntur guſtato eo canes, atque inſanabili veneno morſus infigitur.] Hoc cibo reges & principes in vtero matris aluntur, & quibus tanta & tam exquiſita pretioſorum ciborum copia non ſufficit, hac peſte à morte ſeruantur. Ibi omnes parui & magni; nobiles & ignobiles, anguſtia conſtringimur, tugurioli illius ſordidi paruitate coarctamur, innumeris periculis, ac vitæ diſcriminibus cingimur, &, ſi viuentes, at ſæpe ſignis infœlicitatis noſtræ notati in lucem prodimus. Quidam enim (vt ait Innocentius) tam deformes & prodigioſi naſcuntur, vt non homines, ſed abominationes potiùs videantur, quibus fortè meliùs fuiſſet prouiſum, ſi numquam prodiiſſent ad viſum: quoniam vt monſtra monſtrantur, & oſtenduntur oſtentui: plerique verò diminuti membris, & ſenſibus corrupti naſcuntur, amicorum triſtitia, parentum infamia, verecundia propinquorum. Quid hoc particulariter dicerem de quibuſdam, cùm generaliter omnes ſine ſcientia, ſine verbo, ſine virtute naſcamur? Flebiles, debiles, imbecilles, parum à brutis diſtantes, immò multo minus in multis habentes. Nam vt illa orta ſunt, ſtatim gradiuntur; nos autem non ſolùm erecti pedibus non incedimus, verùm etiam curuatis manibus non reptamus.

Aug. lib. 83 qq. q. 56. To. 4.

Plin. lib. 7. c. 14.

Innoc. lib. 1. de contemptu mundi c. 5.

Sed adhuc miſeriæ calamitatéſque natiuitatis noſtræ ſunt minutiùs indagandæ. Naſcimur non ſine iniuria matrum noſtrarum, quas timore concutimus, dolore ingenti cruciamus, & corporis fractione di-

A ſcerpimus. De vipera à quibuſdam memoriæ proditum eſt à fœtu ſuo in ipſo partu perrumpi, & ob vitam nequiſſimis filiis datam ab eiſdem morte puniri. Alij id negant, & falſum putant, quòd à vipera catulos recèns natos ore expoliri deprehenderint. At ſi illud verum eſt, nos matribus noſtris paulo minùs nocui ſumus, qui eas, ſi non interficimus, ſaltem periculo mortis exponimus. Si verò hoc poſtremum à veritate non deuiat, nocentiores inuenimur, quia matres immenſis doloribus perurgemus. Fœminæ peccatum dolore partus mulctatum eſt: cui dixit Dominus: In dolore paries filios:] quæ lex tam exactè ſeruatur, vt omnes (vna Virgine excepta, quia virgo concepit, & peperit) eum magno dolore pariant, & multæ earum præ doloris magnitudine pereant. B Rachel ob difficultatem partus periclitari cœpit, & in ipſa effuſione fœtus vitam finiuit. Vxor Phinees in ipſo partu vitam cum morte commutauit. Et quotidie mortes fœminarum videmus, quæ ſimul vitam peragunt, & infantes effundunt. Nec mirum, quia non eſt dolor ſicut parturientis, cui voluptas in conceptione data, non ſine ſenſu multiplicari doloris aufertur. Nos autem in tanta calamitate nati, & tantis doloribus circumſepti, quid mirum ſi à ploratu & lacrymis vitam inchoemus, & ad quantas miſerias nati ſumus, ſtatim, ipſa natura docente, fateamur? Hoc autem eſſe primum opus infantis ex vtero matris in hanc lucem egreſſi, aſſerit apertè liber Sapientiæ, aut potentiſſimus rex Salomon, qui introducitur C loquens, & docens: Et ego natus, inquit, accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.] A qua lege vagituum atque ploratus non magnum eſt ſi Salomon non fuerit exemptus, cùm filius ipſe Dei puer factus, & ex Virgine natus, non fuerit in hac lacrymarum valle liberatus. De quo Fortunatus Preſbyter cecinit:

Hieron. epiſt. ad Preſidiũ. Plin. lib. 10. c. 62. Philoſtr. li. de vita Apollonij.

Geneſ. 3. 16.

Gen. 35. 17. 1. Reg. 4. 20.

Sapien. 7. 3.

Vagit infans inter arcta
Conditus præſepia.

Debuit enim per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret. Et qui ad noſtras miſerias ſuſcipiendas & leniendas naſcebatur, æquum erat vt in ipſo vitæ mortalis exordio, vagitus & lamenta noſtra experiretur. Nam qui per omnia, vel in omnibus (ſi ignoD rantiam & culpam excludas) hominibus aſſimilatus eſt, ſine dubio ſimilem in mundum introitum, & ſimiles vagitus & ploratus accepit, & qui pro nobis iam grandis factus, fatigari & mori voluit, in infantiâ eiulare & flere non erubuit. Hos autem vagitus ploratúſque naſcentium eſſe calamitatum futurarum præſagia, falſus eſt Tertullianus, ſic ſcribens: Mentior, ſi non ſtatim infans, vt vitam vagitu ſalutauit, hoc ipſum ſe teſtatur ſenſiſſe, atque intellexiſſe, quòd natus eſt, omnes ſimul ibidem dedicans ſenſus, & luce viſum, & ſono auditum, & humore E guſtũm, & aëre odoratum, & terrâ tactum. Ita prima illa vox de primis ſenſuum vocibus, & de primis intellectuum pulſibus cogitur. Plus eſt quòd de proſpectu lacrymabilis vitæ quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur, quòd etiam præſciens habenda ſit ab ingreſſu natiuitatis, nedum intelligens. Hæc ille.] Errat quidem ille dum ſentit infantes intellectus vſu pollere, qui vſus robuſtiorem ætatem, & ſenſuum nonnullam perfectionem expectat, à quorum miniſterio dependet. Sed in hoc verus eſt, quòd putet, vagitus & ploratus infantium, futura vitæ mala, & aduerſa portendere. Idque quidam ex Latinis Poëtis agnouit, in hunc modum canens:

Hebræo. 2. 17.

Tertull. lib. de Anima. c. 19.

Tum

Lucret. lib. 5.

Tum porro puer, vt ſæuis proiectus ab vndis
Nauita, nudus humi iacet infans, indigus omni
Vitali auxilio, cùm primùm in luminis oras
Nixibus ex aluo matris natura profundit,
Vagitúque locum lugubri complet, vt æquum eſt,
Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum.

Duplex ergo inſtat in ipſo ortu noſtro futurarum calamitatum indicium. Alterum, quòd inter immenſos dolores matris, & triſtes timores patris, ex compari diſcrimine prouenientes, naſcimur. Alterum, quòd eiulatu & fletu ab ipſa natura datis, & ab ipſa aëris intemperie, & habitationis nouitate exortis, quæ nos aduerſa maneant, portendimus.

Contemplare nunc infantem iam natum, & ex aluo matris effuſum, & multa videbis, quæ te pudore ſuffundant. Apparet ille nudus, cùm alia animalia veſtimentis ſibi congruis, nimirum pellibus, induta naſcantur. *Iob. 1. 21.* Hanc ſuam nuditatem Iob deplorabat. Nudus, inquit, egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.] Hanc Paulus ad memoriam reducebat: *1. ad Timot. 6. 7.* Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium quòd nec auferre quid poſſumus. Apparet inermis, cùm & bruta armis fulcita in lucem prodeant, & vbi robur habeant an in cornibus, an in vnguibus, an in calcibus, an in ore, inſtinctu naturæ docta perſentiant. Vnde iuuencus vix anguſtias alui deſeruit, & needum cornibus erumpentibus, capite aſtantem adoritur; & pullus equi ſe ferientem calcibus inſectatur. At homini vagitus pro armis dati ſunt, quos emittens, ſuam infirmitatem omni proprio tutamine deſtitutam oſtendit. Apparet greſſibus & motibus conuenientibus deſtitutus. Alia quippe animalia recèns nata ſtatim ambulant, & poſt paululum ſubſiliunt, matrem ſequuntur, & neceſſarium alimentum inquirunt. Homo verò nec progredi poteſt, nec cibum quærere, nec ori manum admouere, ſed à matre, vel nutrice, debet à ſordibus ablui; panniculis, ne frigore, aut alia temporis iniuria offendatur, inuolui; lac ori ingeſtum ſugere, & in omnibus adiuuari. Homo in matris vtero multis periculis circumdatus fuit (quare & plurimi priuſquam ad ortum veniant, ad occaſum accedunt,) at ſtatim ac natus eſt, magnam turbam periculorum, dolorum, & infirmitatum experiri incipit. Pericula ex hoſtibus, & ex amicis, ac propinquis ea oriuntur: ea illis, quia odio proſequuntur; ea iſtis verò, quia moderatè amare neſciunt. Pericula ex cœlo, ex terra, ex mari, & ex omnibus rebus creatis prodeunt, omnia namque ſunt nocua naſcentibus, & cœlum fulminibus, terra inſolitis motibus, & ſterilitate ſua, mare tempeſtatibus ſæuis, aër contagiis ex noxio vapore contractis, & reliqua innumerabilibus modis homini aduerſantur, in eiúſque necem agmine facto conſpirare videntur. Pericula ex his ſæpe, quæ ad vitam ſeruandam accipiuntur, emergunt. Multi in cibo veneficia, in potu venena, in medicamine mortem ex alicuius malitia ſumpſerunt. Multi ciborum dulcedine victi, & potuum ſuauitate ſuperati morbos grauiſſimos contraxerunt. Multi dum cautè viuunt, & ſe ab omni nocumento cuſtodiunt, ea ipſa nimia ſolicitudine in amentiam inciderunt, & vnde nimis ſcioli eſſe volebant, inde alios ad riſum prouocarunt. Dolores verò ex caſibus, ex incurſibus, & ictibus, ex plagis, ex vulneribus, ex multiplici corporis læſione, & oſſium confractione proueniunt, adeo vt nemo ſit, qui non poſſit dici vir dolorum, ſciens vulnera, &

A noſcens multiplicem cauſſam mœroris. Ipſa corporis ſtructura, & miſera coagmentatio multorum eſt dolorum origo, dum humorum fluxiones nunc oculos, nunc pectus, nunc ſcapulas, aut alias corporis partes inuadunt, & multiplici cruciatu ſuſtinentem inuoluunt.

Quid nunc de ægritudinibus dicam, quæ tot à medicis agnoſcuntur, quot ſunt dies vnius anni ſolaris, præter eas (& fortè ſunt innumerabiles) quas ab ipſis medicæ artis peritis neceſſe eſt ignorari? Tot ſunt iam cognitæ, atque compertæ, vt nulla illuceſcat dies, in qua homo manifeſto pœnæ malo non torqueatur. Et eſſet quidem tolerabile ſi homo ſingulis diebus ſingulis tantùm morbis impeteretur, at id miſerrimum & moleſtiſſimum eſt, quòd
B ſæpe eadem die & hora, multis infirmitatibus cruciatur. Sed quid refert morbos humani corporis commemorare, cùm tota vita hominis, etiam ſani & robuſti, non aliud ſit quàm indirupta quædam & continens ægrotatio? Pulchre id docuit Auguſtinus. *Aug. ad Pſ. 102.* Quis enim, inquit, non ægrotat in hac vita? Quis non languorem longum trahit? Naſci hîc in corpore mortali, incipere ægrotare eſt. Quotidianis medicamentis fulciuntur indigentiæ noſtræ: quotidiana medicamenta, refectiones indigentiarum ſunt. Fames nonne te occideret, niſi medicamentum apponeres? Sitis non te perimeret, niſi eam tu bibendo non penitus extingueres, ſed differres? Reditura eſt enim ſitis paululum temperata. Temperamus ergo iſtis fomentis ærumnam ægri-
C tudinis noſtræ. Stando laſſatus eras ſedendo reficeris. Ipſum ſedere medicina eſt laſſitudinis. In ipſa medicina rurſus laſſaris, diu ſedere non poteris. Quicquid enim eſt vbi fatigationi ſuccurritur, alia fatigatio inchoatur. Hæc ille.] Aliud etiam eſt huius aſſiduæ infirmitatis indicium, nempe fœtor, & pædor ex humano corpore ſemper erumpens; ſed hanc infamiæ notam non meis, ſed Innocentij verbis liber explicare. *Innocent. lib. 1. c. 7.* O vilis, inquit, conditionis humanæ indignitas! O indigna vilitatis humanæ conditio! Herbas & arbores inueſtiga; illæ de ſe producunt flores, & frondes, & fructus; & tu de te lendes, & pediculos, & lumbriculos. Illæ de ſe fundunt oleum, & vinum, & balſamum; & tu de te ſputum, vrinam, & ſtercus. Illæ de ſe
D ſpirant ſuauitatem odoris. *Luc. 6. 43.* Qualis eſt arbor, talis eſt fructus. Non enim poteſt arbor mala fructus bonos facere. Quid enim homo ſecundùm formam, niſi quædam arbor inuerſa? Cuius radices ſunt crines, truncus eſt caput cum collo, cuius ſtipes eſt pectus cum aluo, rami ſunt vlnæ cum tibiis; frondes ſunt digiti cum articulis. *Iob. 13. 25.* Hoc eſt [folium, quod à vento rapitur,] & ſtipula, quæ à ſole ſiccatur. Sic ille.] Putrida igitur arbor eſt, quæ tales flores, frondes, & fructus profert, quæ tam tetrum & olidum liquorem effundit.

Omnia, quæ hactenus dicta ſunt, ad corpus pertinent. ſed nunc animam contemplemur, & quid ipſa ſit, & quæ iuncta carni patiatur, & totus homo ſuſtineat, inſpiciamus. Creatur illa à Deo, ſed in
E mortali & corruptibili corpore, quod informat, & in ipſo momento creationis, peccato per originem traducto fœdatur. Primus enim homo in gratia & amicitia Dei creatus, & iuſtitia originali ditatus, quam pro ſe & poſteris vniuerſis acceperat, ſi in ea permanſiſſet, filios ſui ſimiles, gratos ſcilicet Deo, & iuſtitia cumulatos generaſſet. At peccauit ille, & gratiam ac iuſtitiam, ſibi & poſteris perdidit. Vnde illi gratia & iuſtitia priuati concipiuntur. Hæc verò priuatio gratiæ, & rectitudinis debitæ, illis pec-

catum eſt, quod, licèt non voluntate propria, at voluntate parentum, in quibus tamquam in initiis etiam acceptarunt. Nam ſi procurator, aut ciuitatis alicuius præpoſitus negotiis, apud comitia regni vectigal admittat, tota ciuitas vectigali ſubiicitur: ſic prorſus quia primus parens noſter à Deo diſceſſit, & tributum peccato pependit, ideo & nos à Deo auerſos, peccatis ſordidos, & iniquitatis tributo ſubiectos genuit. Flebat hanc hominis infœlicem ſortem ſanctus Dauid, quando dicebat: *Pſal. 50. 7.* Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum; & in peccatis concepit me mater mea.] Nam hîc vnum originale peccatum vocat iniquitates, atque peccata: quod licèt vnum ſit in quolibet puero, tamen omnium ſequentium peccatorum, cunctarúmque iniquitatum ſeminarium exiſtit. *Pſal. 57. 4.* Et alio loco ait: Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, loquuti ſunt falſa.] Ab ipſa, inquam, vulua peccatores naſcimur, quia in vulua peccatores concipimur. Ab ipſo vtero erramus, quia in ipſo vtero impij & infidi gignimur: falſa loquimur: quoniam ſi iniquitatem proferimus, cùm ipſa fallax ſit, falſa loquimur; ſi verò iuſtitiam edicimus, falſa etiam loquimur, quia aliud eſt quod ore profertur, aliud autem quod cordis receſſibus occultatur. Ex hac infecta radice ô quanta mala ſæpe pullulare non ceſſant! *Plutar.* Nam, vt ſcripſit Plutarchus, Si tua ipſius inteſtina aperueris, varium profectò, & multis refertum vitiis penuarium reperies, theſaurúmque, vt Democritus ait, non foris illabentium ſed quaſi natiuis & indigenis præditorum fontibus, quos effundit exundans & larga perturbationibus malitia. *Geneſ. 8. 21.* Senſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.] Inſcius, & ignorantiæ plenus naſcitur homo, & vix poſt multos annos, & multos labores, aliquali rerum notione decoratur. Senſibilia, & rationi, ac virtuti contraria ardenter appetit: intelligibilia, & cœleſtia, & virtuti conſona exhorret. Abiecta ſtudia diuitias cumulandi, honores inanes aucupandi, & voluptates expetiendi, ſectarur, & ſublimes occupationes Deum contemplandi, & amandi, virtutéſque exercendi, pertimeſcit. Inſpicito vicos & plateas ciuitatis; percurrito fora; domos maiorum minorúmque, & palatia regum aduertito, & ſi aliqua luce perfundaris, videbis & audies, tot inania, tot futilia, tot inutilia, tot ſtulta, & hominum ingenio indigna, vt in admirationem rapiaris, & vix aliquid ſtabile & fixum inuenies. *Pſal. 38. 6.* Verè [vniuerſa vanitas omnis homo viuens,] quia ſi ſibi relinquatur, non tantùm de eſſe, quod habet, in non eſſe tendit, ſed in omne id, quod inutile ac noxium eſt, ſua volubilitate deſcendit.

Ex hac autem ſtudiorum vanitate, & rerum labentium immoderata cupiditate; quid ſequitur? Id ſanè, vt tota vita hominis, angorum, mœrorum, & inquietudinum plena ſit; & vix omnis eius voluptas vnius momenti eſt ſi cum aſſidua afflictione conferatur. *Iob.29.4. 5.* Hoc ſcio à principio, inquit Iob, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quòd laus impiorum breuis ſit; & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.] Quare laus, id eſt, exultatio & lætitia, impiorum breuis, & gaudium momentaneum vocatur, quod ſolet per aliquot dies, aut menſes perdurare? Non ſolùm profectò quia mille anni ante oculos Do-

A mini tamquam dies heſterna, quæ præteriit, verumetiam, quia ſi gaudia noſtra triſtitiis comparentur, non aliter quàm guttula vini in magnum aquæ dolium iniecta, calamitatibus pœníſque merguntur. Scitè Seneca miſerias vitæ humanæ conſiderans, temperatè iudicat eſſe lugendum, ne fortè nobis lacrymæ ad omnia, quæ occurrunt, flenda deficiant. Lacrymis noſtris, *Seneca l. de conſol. ad Polyb. cap.23.* inquit, ni ratio finem fecerit, fortuna non faciet. Omnes agedum mortales circumſpice. Larga vbique flendi, & aſſidua materia. Alium ad quotidianum opus laborioſa egeſtas vocat. Alium ambitio numquam quieta ſollicitat. Alius diuitias, quas optauerat, metuit, & voto laborat

B ſuo. Alium ſollicitudo, alium labor torquet, alium, ſemper veſtibulum obſidens, turba. Hic habere ſe dolet liberos, hic perdidiſſe. Lacrymæ nobis deerunt, antequam cauſſæ dolendi. Non vides qualem nobis vitam rerum natura promiſerit, quæ primum naſcentium hominum fletum eſſe voluit? Hoc principio edimur, huic omnis ſequentium annorum ordo conſentit. Sic vitam agimus; ideóque moderatè id fieri debet à nobis, quod ſæpe faciendum eſt: & reſpicientes quantum à tergo rerum triſtium immineat, ſi non finire lacrymas, at certè reſeruare debemus. Nulli parcendum eſt rei, magis quàm huic, cuius tam frequens vſus eſt. Sic ille.] Omnia igitur doloribus & angoribus plena ſunt; diuitiis

C nondum habitis, dolor debetur, quia abſentes ſunt; habitis, quoniam non ſine moleſta cura ſeruantur; amiſſis, quoniam quæ diligebamus, non ſine dolore deſeruntur. Honores & dignitates triſtitiis & afflictionibus merſa ſunt: ſi præſentia, quia nimiis occupationibus miſeram animam obruunt: ſi abſentia, quia mentem ſuperbia diſtentam, & eius, quod cupiebat, vacuam ſine vlla miſeratione diſrumpunt. Quid de voluptatibus dicam, quæ dum non præſtò ſunt, deſiderio; & dum præſto ſunt, faſtidio, & morſibus conſcientiæ diſcruciant? Cuſtodiat itaque homo lacrymas ſuas, & eas non ſine menſura profundat, vt habeat vnde ſuis malis aliqua ratione medeatur. Nam hæc vita hominis tam calami-

D toſa eſt, vt non alio ſuauiori remedio quàm aſſidua lacrymatione poſſit ſibi ipſi leuamentum miniſtrare.

Hinc iam facilè intelligitur deſcriptio hominis ore ſancti Iobi prolata: *Iob.14.1. 2.* Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem ſtatu permanet.] Attende, ô homo, tuam originem, ex qua prodiiſti. Mulier eſt. Quid mulier? Abyſſus imbecillitatis: nam vt ſummam puſillanimitatem quorundam oſtenderet Iere-

E mias, dixit: *Ier.51.30* Deuoratum eſt robur eorum, facti ſunt quaſi mulieres.] Quid mulier? Mare ſtultitiæ, & inſipientiæ: *1. Tim.2. 14.* [mulier enim ſeducta, velut ſtulta, & amens in præuaricatione fuit.] Quid mulier? Totius malitiæ & iniquitatis inuentrix; quam Zacharias in medio amphoræ ſedentem quaſi digito oſtendens, ait: *Zach. 5. 8.* Hæc eſt impietas;] id eſt, omnium impietatum & malorum origo. Attende vitam, qua frueris. Breuis eſt. An non breuis, quam anni metiuntur, menſes continent, dies abbreuiant, horæ ac momenta decurtant? *Sapien. 5. 9.10. 11.* An non breuis, cuius [omnia tranſierunt, tamquam vmbra, & tamquam nun-

cius

cius percurrens, & tamquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam: cuius, cùm præterierit, non eſt veſtigium inuenire: neque ſemitam carinæ illius in fluctibus: aut tamquam auis, quæ tranſuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, ſed tamùm ſonitus alarum verberans leuem ventum, & ſcindens per vim itineris aërem: commotis alis tranſuolauit, & poſt hoc nullum ſignum inuenitur itineris illius: aut tamquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aër continuò in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius?] An non tandem breuis, quæ finem habet, quo appropinquante omnes elapſi anni aſpiciuntur, ac ſi numquam fuiſſent? Attende in hac vita breui quàm longis ac multiplicibus miſeriis afficeris. Miſeriæ à corpore profluunt, miſeriæ ex intimo mentis inſurgunt; miſeriæ à loco, à tempore, à propinquis, ab amicis, ab extraneis, ab inimicis, & ab omnibus rebus creatis proueniunt. Omnia nos pungunt, vniuerſa dilacerant, & nihil eſt tam charum, quod aut abſentia, aut infortuniis ſuis, aut timore amiſſionis non vulneret. Optimè Bernardus hunc eundem locum interpretans, ſic ait: Quàm verum verbum hoc ſit, non nos verba docuere, ſed verbera. Homo (inquit) natus de muliere:] nihil abiectius: & ne fortè ex ipſa ſibi voluptate corporeorum ſenſuum, quam de ſenſibilibus hauriat, blandiatur; in ipſo ſtatim introitu de exitu quoque terribiliter admonetur, cùm dicitur; [breui viuens tempore.] At ne ſpatiolum illud, quod inter ingreſſum & egreſſum relinquitur, ſibi liberum putet, [repletur, ait, multis miſeriis.] Multis & multiplicibus (inquam) miſeriis corporis, miſeriis cordis, miſeriis cùm dormit, miſeriis dum vigilat, miſeriis quaqua verſum ſe vertat.] Hæc ille.

Bern. ſer. in feria 4. hebdo. ſanctæ. Iob. 14. 2

At aliquid eſt in homine, quod non ad miſeriam, ſed ad fœlicitatem videtur pertinere. Illud autem eſt corporis robur, carnis pulchritudo, adoleſcentiæ decor, ſenſuum oblectatio, diuitiarum poſſeſſio, ſapientiæ ſplendor, honorum gloria, & ſi quid aliud eſt, cuius amor nos in hac vita teneat, cuius obtentio delectet. Sed hoc, quicquid illud ſit, ſimul cum homine quaſi flos egreditur, & conteritur. Quid fragilius flore? Quid magis labile, ac momentaneum, qui ſtatim ac erumpit, flacceſcit, ac defloreſcit, & cadit, etiamſi nec aër decutiat, nec forceps excidat, nec manus decerpat? Flores apparuerunt in terra noſtra, ait ſponſa, tempus putationis aduenit,] quia è veſtigio, ac egrediuntur, carpendi ſunt, ne ſi aliqua intercedat mora, marceſcant. Talia ſunt omnia, quæ in vita hominis reperiuntur glorioſa, & ſplendida. Nunc lucent apud alios, & aliquantulum perſtrepunt, & poſt modicum euaneſcunt. Sed hanc hominis gloriam non cuique flori, ſed flori fœni Iacobus Apoſtolus ſimilem fecit. Quoniam diues, inquit, ſicut flos fœni tranſibit.] In quo hominis fragilitatem adhuc magis expreſſam inuenio: Omnis enim flos fragilis eſt, ſed flos fœni, ſicut & ipſum fœnum, fragiliſſimus eſt, & viliſſimus, qui cum genitore ſuo ad pabulum brutorum aſſumitur. Eſt igitur gloria hominis ſicut flos fœni, quia in momento pertranſit, & quandiu durat, debet haberi contemptui. Hancque

Canti. 2. 12.

Iacob. 1. 10.

vilitatem gloriæ ſenſibilis, quam homo tam ardenter amare conſueuit, ſcriptura ſæpiſſime fœni appellatione deſcribit. Omnis caro fœnum, ait Iſaias, & omnis gloria eius quaſi flos agri.] Et Dauid: Homo ſicut fœnum dies eius, tamquam flos agri ſic efflorebit.] Ac rurſus Ieremias: Et cadet morticinum hominum quaſi ſtercus ſuper faciem regionis, & quaſi fœnum poſt tergum metentis.] Quare homo flos? Quia citò pertranſit. Quare fœnum? Quia omnis decor eius apud veros ſapientiæ cultores vileſcit. Quare flos fœni? Quoniam ac ſi eſſet vilis beſtiarum eſca, aut natura pugnante, aut opibus abeuntibus, aut hoſtibus inſurgentibus, euaneſcit. Viret enim, inquit ſapienter Ambroſius, gloria hominis in carne quaſi fœnum, & quæ putatur eſſe ſublimis. exigua quaſi herba eſt, præmatura vt flos, caduca quaſi fœnum: germinat vitæ viriditatem in ſpecie, non in fructus ſoliditatem, hilarioris vitæ quaſi flos prætendens iucunditatem, breuiori ſpatio occaſura ſuper herba fœni, quod priùs quàm euellatur, areſcit. Quæ enim firmitudo in carne, quæ ſalubritas poteſt eſſe diuturna? Hodie videas adoleſcentem validum, pubeſcentis ætatis virtute florentem, grata ſpecie, ſuaui colore: craſtina die tibi facie & ore mutatus occurrit: & qui pridie tibi lautiſſimus de decore formæ viſus eſt Gratia; altero die miſerandus apparet ægritudinis alicuius infirmitate reſolutus. Pleroſque aut labor frangit, aut inopia macerat, aut cruditas vexat, aut vina corrumpunt, aut ſenectus debilitat, aut euiratos deliciæ reddunt, luxuria decolorat. Nonne verum eſt, quia aruit fœnum, & flos decidit? Alius ab auis atauiſque nobilis, & maiorum honeſtatus infulis, proſapiæ veteris clarus inſignibus, amicis abundans, ſtipatus clientibus, & vtrumque latus tectus, ſecum producens maximam ac reducem familiam, repentè aliqua accidentis periculi mole turbatus deſtituitur ab omnibus, à ſodalibus derelinquitur, impugnatur à proximis. Ecce verum eſt, quia ſicut fœnum vita hominis priuſquam euellatur, areſcit. Et etiam, qui dudum vbertate affluens copiarum, libertatis fama per ora volitans ſingulorum, clarus honoribus, præeminens poteſtatibus, tribunalibus celſus, ſolio ſublimis, beatus populis æſtimatus, dum præconum clamore deducitur; ſubita rerum conuerſione in eum carcerem rapitur, quò alios ipſe detruſerat, & inter reos ſuos imminentis pœnæ deflet ærumnam. Quanta pridie caterua plaudentium, & inuidioſa fauentis populi frequens domum pompa deduxit, & nox vna glorioſæ illum ſplendorem deductionis aboleuit, ac repentinus lateris dolor, effuſis gaudiis luctuoſam grauis ſucceſſionem mœroris admiſcuit? Huiuſmodi eſt igitur gloria hominis, vt flos fœni. Qui etiam defertur, nihil operibus adiungit, in qua nullus fructus acquiritur, & cùm amittitur, euaneſcit, omnem ſcenam hominis, & quam deſuper obumbrat, repentè deſtituens, & quam intus animabat. Hactenus Ambroſius.] O ergo egregiam hominis gloriam, ob quam tam difficilia & moleſta ſuſtinet, quam tantis ſolicitudinibus, & periculis corporis, & animæ diſcriminibus mercatur, cuius hæc eſt miſeranda

Iſaia 40. 6.

Pſ. 102. 15.

Ier. 9. 22.

Ambr. 3. Hexam. c. 7.

condi

conditio, quòd ſicut flos, & fœnum, ſimul atque incipit viuere, incipit interire.

Iob.14.2. Sed quid eſt, [Et fugit velut vmbra, & numquam in eodem ſtatu permanet? niſi quòd hæc gloria caduca hominis fallax eſt, & quò maior, eò inſtabilior. Vmbra fallax eſt, quæ oculis inſipientium aliquid eſſe videtur, cùm nihil omnino ſit, niſi maioris lucis abſentia. Hanc nec oculus videt, quia non vmbram, ſed modicam lucem videt; non auris audit; non odoratus percipit; non guſtus capit; non manus apprehendit. Sic eſt homo, & omnis gloria eius, quæ nullam ſoliditatem, nullam ſtabilitatem habet, ſed ſemper de vno in aliud ſe mouet, & tandem in mortem, & ſempiternam obliuionem decidit. Idque ſonant illa verba Chryſoſtomi:

Chryſoſt. Quid efferris animo, cùm ſis homo, cognatus terræ, eiuſdem ſubſtantiæ cum cinere, tum natura, tum animo, tum actionum delectu? Hodie diues, cras pauper: hodie ſanus, cras ægrotus: hodie gaudes, cras doles: hodie iuuenis, cras ſenex. Num quid in rebus humanis conſiſtit, ac non potiùs amnium præterfluentium curſum imitantur omnia, ſimulátque apparuerunt citiùs nos quàm vmbra relinquunt? Quid igitur criſtas erigis homo, fumus, & vanitas?

Pſ.143.4. [Homo enim vanitati ſimilis factus eſt, veluti fumus dies eius.] Exaruit gramen, & flos decidit. Hæc dico, non vt ſubſtantiam deiiciam, ſed vt arrogantiam refrænem.] Sed miſerabilius eſt aliud, quod vmbræ nomine denotatur; nimirum, quòd dum maior eſt homo, aut ætate, aut dignitate, aut honoris altitudine, eo eſt interitui propinquior. Creſcunt vmbræ ad veſperam, & longiores ac productiores fiunt, non metuas illas inſipiens infantule, quia vmbræ ſunt, & per noctis præſentiam occumbent. Creſcit honor, augetur dignitas, ſplendor mundanus prouehitur, irride hæc, niſi velis, ô homo, infantium more deludi, quia vmbræ maiores ſunt, & eo ipſo quòd maiores, in ictu oculi conſumentur.

Pſ. 101. 12. [Dies mei, inquit Dauid, ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui.] Idem & tu dicito de vita tua, & de vita cuiuſque, etiam ſi princeps ſit potentiſſimus, quia vt vmbra nimiùm protracta, declinat, & ad nihilum properat, & vt vile fœnum, & flos agri, non aliud quàm celerem caſum expectat. Eſt igitur homo caro, eſt ſpiritus ignarus, & cæcus, eſt compoſitum quoddam ex corpore, & animo innumeris miſeriis, & calamitatibus, & ignorantiis, & peccatis ſubiectum; eſt flos, & fœnum, eſt vmbra; in quo, ſi quæ ex ſe habet conſideremus, omnia inſtabilia, omnia fallacia, omnia miſera, & tumultuoſa reperiemus. Exeat itaque ex ſe, & tranſeat in Deum, illíque tota mente cohæreat, vt ex propinquitate ad illum, qui eſt, & qui Beatus eſt, honorem acquirat.

Quid erit Homo.

CAPVT VII.

Contemplati ſumus initium, & progreſſum hominis; initium vile, progreſſum miſerabilem; nunc eius finem, ſi forte præfata detrimenta reſarciat, inquiramus. Solet enim contingere, vt abiecta & triſtia principia ſublimes & læti fines emendent, & vt ſtatus adueniens prioris conditionis calamitates aboleat, & ſequens fœlicitas acerbitatem præteritorum caſuum amabilem reddat. Ioſeph caſtiſſimus à carcere ad imperium elatus, & à paupertate ad diuitias, ad amplam domum, ad nobile coniugium, & ad turbam ſeruulorum, à quibus obſequium accipiebat, euectus, natum ſibi filium Manaſſem vocauit, & lætæ obliuionis ei nomen impoſuit, dicens: Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei.] Gen. 41. 51. An & nos poſt pædorem huius mundialis carceris aliquem exitum lætitiæ plenum expectamus, quo tantæ miſeriæ ſoluantur, & tot tantæque triſtitiæ vaſtentur? O exitum terribilem, ô finem horroris plenum, quem natura mortalis expectat! Hic finis non eſt alius quàm formidabilis mors, qua omnia noſtra læta & triſtia finem aſpiciunt. Sed priuſquam quid in morte erimus, aperiamus, totius noſtræ vitæ, ac eorum omnium, quæ dicta ſunt, ſapiens Philoſophus quaſi coronidem faciat, & ea in breuem ſummam, quò aptiùs teneantur, colligat. Sic ille ait: In regnum fortunæ, & quidem durum atque inuictum, peruenimus, illius arbitrio digna atque indigna paſſuri: corporibus noſtris impotenter, contumelioſè, crudeliter abutetur: alios ignibus peruret: alios nudos mari iactabit, & luctatos cum fluctibus, ne in arenam quidem, aut littus explodet, ſed in alicuius ventrem immenſæ belluæ detrudet. Alios morborum variis generibus emaceratos diu inter vitam mortémque detinebit, vt varia, & libidinoſa, mancipiorúmque ſuorum negligens domina, & pœnis, & muneribus errabit. Quid opus eſt partes deflere? Tota vita flebilis eſt. Vrgebunt noua incommoda, priuſquam veteribus ſatisfeceris.] Seneca lib. de cōſolat. ad Marcia. c. 10. His miſeriis & calamitatibus circumſepti, hiſque periculis expoſiti, ſi non præmatura morte ſuccindamur, omnes vitæ noſtræ ætates decurrimus. Infantia tota in nutrimentis corporis agitur, & in ſolidanda carne conſumitur. Pueritia ludis, & ſubſaltationibus, & motibus præter omnem modum & ordinem delectatur. Adoleſcentia (ſi non gratia Dei præueniente, & carnem frænante, dometur) cogitationibus impuris decipitur, & luxuriæ deſideriis ſordeſcit. Iuuentus immenſas ſollicitudines, honores, & dignitates aſſequendi ſuſtinet, & nimios labores rem familiarem augendi, & liberos ac familiam gubernandi volens aut nolens ſuſcipit. Huic ætati, quæ viriles etiam annos complectitur, inſidiatur ſenectus referta triſtitiis, plena doloribus, & miris afflictionibus, amaritudinibúſque ſubiecta. Tunc oculi caligant, aures grauiter audiunt, ſenſus reliqui immoderatiùs ſuis obiectis affecti langueſcunt. Tunc capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes & robore & numero minuuntur, cutis areſcit, halitus inſuauiter olet, pectus ſuffocatur, tuſſis cachinnat, genua tremunt, pedes tument, & triſtem animam hæc turba malorum grauiter premit. Verè cùm homines ſibi optant ſenectutem, non aliud optant, inquit Auguſtinus, niſi longã infirmitatem. Aug. lib. de catechizan. rudibus. Nam ſi quis ad ſenectutem proceſſerit, vt ait Innocetius, ſtatim cor eius affligitur, & caput concutitur, Innocen. lib. 1. c. 9. languet ſpiritus, & fœtet anhelitus, facies rugatur,

& ſtatura curuatur, & caligaor oculi, & vacillaot articuli; oares effluuor, & crines defluunt; tremit tactus, & deperit actus; dentes putreſcuot, & aures ſurdeſcunt. Senex facilè prouocatur, difficilè renocatur, citò credit, & tardè diſcredit: tenax, & cupidus: triſtis, & querulus: velox ad loqoendum, & tardus ad audiendum: laudat antiqoos, ſpernit modernos: vituperat præſens, commendat præteritum, ſuſpirat, & anxiatur, torpet, & infirmator.] Inter has moleſtias & angores, homo, eatremom malorum, ſcilicer mortem, expectat. Et licèt tanta mala patiatur, tamen ad augmentum miſeriæ ab his eiſdem malis, oe in aliud maius incidat, ſeparari detrectat.

Sed quantumuis ſit homini formidabilis mors, quantumois enitatur importuniſſimæ inimicæ ſagittas effugere, ſine vllo remedio ab ea victus proſtratuſque ſuccumbet. Quid autem eris, ô homo, cùm mors tibi fuerit dominata, aut iam tibi cœperit dominari, non verbis meis, ſed alicuius ſermonibus, qui iam morti manus dedit, ab ipſáque fuit victus, iotelliges. Eccleſiaſticus mortouin quendam introducit loqoentem, ac te communis bominoin ſortis admooentem. Memor eſto, inquit, iudicij mei, ſic enim erit & tuum, mihi heri, & tibi hodie.] O, inquam, homo, qui adhuc vitam agis; qoi vitali actione moueris; qui lucis huius vſura perfrueris; qui tam es huius ſæculi negotiis immerſus, & futuræ calamitatis oblitus, inanes quæſo & noaias curas depooito, & cooditionis meæ horribilis recordationem admittito, qoia mihi & tibi vna eſt communiſque conditio, niſi quòd me heſterno die, te verò hodie comprehendet. [Memor eſto iudicij mei,] id eſt, ſententiæ à Deo ſeuero iudice aduersùm me prolatæ, quam iam eius voluntas, cui nemo poteſt reſiſtere, in me executioni mandauit, quia eadem certiſſimè aduersùm te prolata eſt, niſi quòd vel vt emenderis, vel ob negligentiam tuam acriùs puniaris, ad tempus breue differtur. Recordare obſecro ad bonum tuum, miſeræ ſortis, cui me communis oatura ſubiecit, quia non alia tibi quàm mihi ſors parata eſt, ſed eidem te fragilis caio ſubiiciet. Mortalis es ſicut & ego, igitur morieris. Luteum vas es; ſicut & homines reliqui, igitur & confringeris. Viator es, qoi quemadmodum & omnia caduca, ad finem tendis; ergo taodem mortis vmbrâ occupaberis. Ne longam & proliaam ætatem tibi promittas, nam mors mihi accidit heri; tibi verò hodie, quamuis ſis imparatus, adueniet. Eſt magna domina, quæ vniuerſis mortalibus dominatur, & ideo expectari vult, & paratos mortales ac diſpoſitos ad iter faciendum eſſe cupit, ipſa verò nullom expectat, ſed deſtinato tempore ſine vlla mora ad egrediendum vocat. Hoc autem tempus non longè diſtat, ſed hodie eſt, quia ſicut hodierna dies citiſſimè tranſiet, etſi longinquum videatur. Sed nunc audi iudicium meum, audi ſigillatim ſortem, ac conditionem meam, vt ex ea tuam valeas coniectare.

Eccli. 38. 23.

Ego quidem mortem certiſſimam, & incertiſſimam babui: certiſſimam, qoia poſt peccatum irrefragabiliter morti fui adiudicatus: incertiſſimam, quia ſemper anceps fui quonam tempore eram moriturus, & coinam generi mortis eram ex diuina ordinatione ſubiectus. Taleoi to mortem certiſſimam atqoe incertiſſimam tibi inſidiaoteoi aduertito. Certiſſima illa eſt, quoniam non ſolùm Adæ, ſed omnibus quoque poſteris eius dictum eſt à Domino. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es.] Et veriſſimæ ſunt illæ ſcripturæ ſenteotiæ: Scio quia morti trades me, vbi conſtituta eſt domus omni viueoti.] Et: Quis eſt homo, qui viuet, & noo videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferi?] Et: Omnes morimur, & quaſi aquæ delabimur in terram, quæ noo reuertuntur.] Et: A muliere factum eſt initium peccati, & per illam omoes morimur.] Reges, ac principes ſæculi mortis lege non ſunt exempti, ac depoſito diademate, relictiſque diuitiis, & aliis regiis inſignibus, linteo funebri amicti hinc emigrare compelluntur. Omoes Sancti, & (quod amplius eſt) ipſa Virgo Deipara ſine peccato concepta, & ipſe Sanctus Sanctorum, ac Filius Dei mortem ſubierunt: & hic, quia voluit, alij verò omnes, quia ita oatura ſtatutum eſt, vitam iſtam cum morte commutarunt. Quis ergo te ab hac communi lege moriendi eximet? Quis in hac vita perpetuò ſeruabit? Quis vltra breue tempus inducias tibi concedet? An mors præ ſeoectute (quia ab exordio mundi regnare cœpit) obliuioſa erit, aut fortè dum alios inſequitur, te eius pallidum ac triſtem vultum declinantem pertranſibit? Nequaquam. Caput enim canis aſperſum, corporis imbecillitas, dolores, morbi, humorum pugna, & ipſa carnis oſſiúmqoe coagmentatio, nuncij ſunt mortis, ab ipſa ad te miſſi, qui manifeſtè profitentur, mortem tui recordari, & iam iam inſtare, ac ad te feſtinanter veoire. Certiſſimum igitur eſt, venturam mortem, at quàm incertum eſt tempus aduentus eius. Quidam in ipſo ventre matris, alij ſtatim atque in lucem editi ſunt, vitam finiunt. Multi in infantia, multi in pueritia, plurimi in adoleſcentia, aut virili ætate mortem obeunt, & pauci comparatione prædictorum ad ſenectam perueniunt. Certúmque eſt adoleſcentem etiam robuſtum, ac validum, citò mori poſſe, ſenem verò diu viuere non poſſe. Nec ſolùm tempus moriendi, ac hora hinc emigrandi incertiſſima eſt, ſed & ipſum genus mortis abſconditum, ac penitus oculis noſtræ mentis occultum. Quidam enim hinc decedunt longiſſimo morbo conſompti: quidam breui, ſed acerba ægritudine pulſati: non pauci ſubita & inopioata morte prærepti. Ne nos, inquit Ephræm Syrus, in hodiernom vel craſtinum diem impura relaxet cogitatio: quoniam multi, dum multa ſecum ſtatuerent, ad craſtinum non peruenerunt: at ſubitò rapti ſunt, ſicut paſſerculi ab accipitre, & velut agni à lupo, & quaſi captiuus à latrone, nec loqui prorſus valentes, nec teſtamentum condere, neque vocem vllam edere. Alij enim veſperi cubitum ſaoi coocedentes, ad mane non peruenerunt. Alij ad menſam accumbentes exſpirarunt. Alij inter ambulandum & ludendum repentè ſunt mortui. Alij in baloeo morientes, idem lauacrum pro epitaphio ac ſepultura habuerunt. Alij verò, dum nuptias celebrarent, in ipſo thalamo nuptiali ſubitò atque inopioatè abrepti ſunt, & eadem ſibi veſtimenta pro nuptiis pa-

Geneſ. 3. 19.
Iob. 30. 23.
Pſal. 88. 49.
1. Reg. 14. 14.
Eccle. 25. 33.
Ephræm ſer. de his, qui in Domino dormierunt. to. 3.

A ratunt, atque pro funere: ſucceſſerúntque in locum tibicinum lamentantes, & in locum ſaltantium atque tripudiantium, lugentes atque plorantes.] Hæc ille. Meritò igitur mors comparatur furi. *Matth. 24.43.* Illud autem ſcitote, ait Dominus, quoniam ſi ſciret paterfamilias qua hora fur venturus eſſet, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam.] Eſt, inquam, ſimilitudo admodum apta; quia ſicut fur horam ſibi commodiſſimam, patri verò familias incommodiſſimam ad furandum captat: ita mors quaſi nos ſuæ terribilitatis oblitos, & imparatos, & multa diſponentes, & molientes expectat.

Memor itaque eſto iudicij mei, quia ſic erit & tuum: ſi fortè non fui ſubita morte ſublatus, B at acerba, & grauis infirmitas prænuncia mortis me corripuit, & moleſtiſſima caſtigatione vexauit. Sic & tu niſi repentè ad iudicium voceris, amara & dura ægrotatione pulſaberis. Iam te febris abſumet, iam immanis torquebit dolor, iam cordis immiſericors anguſtia concludet, ſuauis cibus pro felle, & appetibilis potus pro abſinthio erit, & cuncta, quæ leuamen afferre poſſent, abſcedent. Sanguinem venarum tuarum pro ſalute dabis, & eo effuſo, & quaſi in pretium admiſſo, ac ſi eſſet pretium viliſſimum, contemnetur, & ſalus optata non dabitur. Amariſſimas potiones quaſi ſanitatis prænunçias, non ſine nauſea & ſtomachi labore ſuſcipies, & C incolumitas, ac ſi tibi illuderet, non ſubſequetur; vnguenta renibus, cataplaſmata iecori, & ſpleni, & diuerſa malagmata aliis partibus admouebis, & importuna ægrotatio non fugiet. Sed quid aio, non fugiet? in dies inualeſcet, & magis ac magis tuæ carni dominabitur, donec medici penitus de tua ſalute deſperent. Tunc non cibus, non medicamina, ſed linteamina ad cadauer inuoluendum parantur, & neceſſaria pro more ad funus peragendum quæruntur. Adſunt è veſtigio ſatellites mortis; nam hebeſcentes oculi contabeſcunt, pectus palpitat, raucum guttur anhelat, dentes nigreſcunt, palleſcunt ora, & membra cuncta rigeſcunt. Inter hæc autem & alia magni doloris & horroris indicia anima tremebunda è corpore egreditur, & ab indiuiduo ſocio volens nolens ſeparatur. Hæc ſeparatio mors D eſt, quæ vt ſuprema domina aſſignat duos hos ſocios, incredibili amore deuinctos, corpus ſcilicet & ſpiritum, domicilio ſuo. Illud terræ mandat, iſtum verò, ſecundùm merita ſua, aut bona aut mala, conuenienti loco commendat. Illud omnibus mundi huius rebus, parentibus, fratribus, cognatis, amicis, opibus, deliciis, honoribus ſpoliat; iſtum, malis operibus onuſtum, aut bonis actibus adornatum, ad tribunal Iudicis manifeſtat. *1. Reg. 15. 32.* [Siccine ſeparat amara mors?] Sic profectò ſeparat, & corpus ab omnibus, quæ poſſidebat, & animam à corpore ſegregat.

Pſal. 48. 18. [Homo enim cùm interierit, non ſumet omnia; neque deſcendet cum eo gloria eius.] Et [diues E *Iob. 27. 19.* cùm dormierit,] ſcilicet cùm mortem obierit, [nihil ſecum auferet,] ex his, quæ in mundo poſſidebat: aperiet] anima [oculos ſuos] è corpore iam egreſſa, ſe ipſam attentè conſiderabit, & fœlicitatis huius ſæculi [nihil inueniet.] Sicut aqua de cœlo cadens, hominémque in agro repetiens, ſic vita functum aſſequetur, ac comprehendet inopia, & opprimet eum cumulus tribulationum quaſi ſæua tempeſtas. [Tollet eum

A ventus vrens] diuinæ indignationis, [& velut turbo rapiet eum de loco ſuo.] Et mittet ſuper eum] miſeriarum & calamitatum procellam, [illíque non parcet,] & ſine vllo emolumento infœlix homo manus eius, ſcilicet Dei, [fugiens, fugiet.] Stringet ſuper eum manus ſuas, & ſibilabit ſuper illum, intuens ſepulchri locum eius.] Hæc à Iobo de diuitibus impiis dicta ſunt, quæ quodammodo cunctis hominibus competunt, quatenus ſcilicet omnibus terrenis ſpoliantur in morte, & in locum horroris & caliginis, nempe in ſepulchrum, retruduntur.

Nunc ergo, ô homo, poſt mortem (inquit quiſpiam vita functus) attende quid eris, & ſi me B aſpexeris, ex me ipſo tuam ſortem addiſces. Memor eſto iudicij mei, quia ſic erit & tuum. Meditare ſeriò, in me quid eris in corpore, & quid eris in animo, & ſat ſcio te ipſum copioſè lugebis. Quid eris in corpore? Cadauer. Quid eſt cadauer? Corpus, quod antea fuit animalis, vita priuatum. Quid eſt cadauer hominis? Corpus hominis ab anima ſeparatum, ſine ſenſu, ſine voce, ſine motu, ſine pulchritudine: corpus plenum fœtoris, frater putredinis, initium cineris, deſtinatum in cibum vermium. Audi, ô homo, quid poſthac eris. Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in *Pſal. 145. 2. 3.* terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Nolite, inquam, confidere in C principibus: in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus;] quoniam egredietur animus à corporibus eorum, & reuertentur in terram, de qua ſumpti ſunt, & tunc conſilia eorum irrita erunt. Quòd ſi principes huius ſæculi ſoluentur in terram, an tu homuncio viliſſime in nobiliorem materiam diſſolueris? Audi quid eris. Auertente *Pſal. 103. 29.* te faciem turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.] Et quidem ſi animalia vniuerſa, cùm Deus manum ſubtraxerit, illíſque cibum dare deſierit, præ turbatione tabeſcent, ac tandem in puluerem reſoluta deficient; quid de homine ſentiendum eſt, cuius eadem eſt cibi neceſſitas, cuius eſt corporis eadem materia, niſi quòd in puluerem deſinet, & in lutum ſe conuertet? Nam & [ecce nunc *Iob. 7. 21.* in puluere dormiam, inquit Iob, & ſi manè me quæſieris, non ſubſiſtam.] Attende quid eris.

D Quaſi putredo, ait idem, conſumendus ſum: & *Iob. 13. 18.* quaſi veſtimentum, quod comeditur à tinea.] Res namque ſum putrida, & interitui obnoxia, atque adeò non poſt multum temporis in viliſſimam materiam corruptus redibo, & inſtar attriti veſtimenti, quod à minimo animalculo, tinea ſcilicet, deuoratur, præ imbecillitate conſumar. Sed dicito mihi, ô ſancte Iob, in quam materiam deſines, in quam nam ſubſtantiam reuerteris? Si ſuſtinuero, inquit, infernus domus *Iob. 17. 13.* mea eſt, & in tenebris ſtraui lectulum meum. Putredini dixi, pater meus es; mater mea, & ſoror mea vermibus.] Nihil aliud iam expectare libet, quàm domum ſepulchri mei, in E qua tenebris & caligine obſitâ ſtraui (in quo vſque ad diem reſurrectionis quieſcam,) lectulum meum. Ibi autem non de nobilitate gloriabor, non parentum meorum ſtemmata commemorabo, ſed putredo factus, & cibus vermium effectus, putredinem patrem agnoſcam: nam ex putri materia coagulatus ſum: & vermes eo affectu, quo filij diligunt matres ſuas, & fratres ſorores ſuas, amore complectar: quoniam inter illos quaſi inter fratres,

& cognatos, vſque ad orbis immutationem permanebo. Hîc exclamat meritò Auguſtinus dicens: Et quàm turpis pater, & quàm vilis mater, quàm abominabilis ſoror! Conceptus de fœtore per ardorem libidinis putrefacto, cuius tamen cadaueri quaſi funebres vermes aſſiſtunt. Viuus produxit fæcem, & iam mortuus producet fœtorem, & putredinem. Viuus amicum hominem impugnauit, mortuus vermes plurimos impinguabit. Quid ergo fœdius humano corpore, quid horribilius corpore mortuo? Cuius gratiſſimus erat amplexus in vita, moleſtus etiam erit eius aſpectus in morte. Quid ergo proſunt diuitiæ, quid epulæ, quid deliciæ? Non liberabunt à morte, non defendent, non eripient à fœtore. Qui quondam ſedebat in throno glorioſus, modò latet deſpectus poſt mortem in tumulo. Qui ſtabat ornatus in aula, modò ſedet immundus in tumba. Qui veſcebatur deliciis in cœnaculo, modò conſumitur à vermibus in ſepulchro.] Omnes ergo mortales poſt mortem erunt putredo, & fœtor, & vermis, puluis, & cinis. [Homo enim putredo, & filius hominis vermis.] Hæc ſors homines cunctos expectat, à qua nec nobilitas, nec diuitiæ, nec poteſtas eximunt, nec acumen ingenij, nec literæ, nec alia quæuis, quæ in hoc mundo æſtimantur, excipiunt. Hîc ex accidentibus magna conſpicitur mortalium diuerſitas, quia eos aut maiorum claritas, aut propria facinora, aut conquiſitæ diuitiæ diſcernunt; in tumulo autem omnes erunt puluis, & cinis; nec eſt aliquid, quod hos aliis præferat, aut regem à mancipio diſtinguat. Circunſpice eos, inquit Proſper Rhegienſis Epiſcopus, qui ante te ſimilibus ſplendoribus fulsêre. Vbi ſunt, quos ambiebant ciuium potentatus? Vbi inſuperabiles Imperatores? Vbi qui conuentus diſponebant, & feſta? Vbi equorum ſplendidi inuectores? Exercituum duces? Satrapæ, Tyranni? Non omnia puluis? Non omnia fauillæ? Non in paucis oſſibus eorum vitæ memoria eſt? Reſpice ſepulchra, & vide quis ſeruus, quis dominus, quis pauper, quis diues? Diſcerne, ſi potes, vinctum à rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Memor itaque naturæ, non extollaris aliquando. Memor autem eris, ſi te ipſum reſpexeris. Hæc igitur ſors, hæc conditio ſanè miſera omnes homines manet, vt quoad corpora conuertantur in cineres. Vnde qui modò vilis, & fragilis caro es, cinis, & puluis eris, nullâque alia maiori dignitate fulgebis.

Aug.

Iob. 25. 6.

Proſper lib. ſent. ſententia vlt.

Eſt autem alia corporis mortui calamitas maxima, quòd omnes illud horrent, & à ſe abiicere, & procul ablegare contendunt. Sponſus ſponſam chariſſimam atque pulcherrimam; parentes, filium; & filius, parentes; amici, amicum, quàm primùm poſſunt, domo pellunt, & vt eius ignominiam ac infamiam vtcumque contegant, in ſepulchro condunt, ac terra cooperiunt. Meritóque corpus mortuum infame eſt, quoniam ad nihil, niſi ad hoc vt putrefiat, & vermes ex ſe genitos paſcat, vtile eſt. Ideoque de quodam potentiſſimo rege dicit Iſaias: Tu autem proiectus es de ſepulchro tuo quaſi ſtirps inutilis pollutus, & obuolutus cum his, qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad profundum laci, quaſi cadauer putridum.] Verè ſtirps inutilis corpus humanum ab anima ſeparatum, quod nulla vis naturæ poteſt ad vitam reducere, neque à fœtore & corruptione liberare. Vnde Iob ait: Lignum habet ſpem: ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami eius pullulant. Si ſenuerit in terra radix eius, &

Iſaia 14. 19.

Iob. 14. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

A in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quaſi cùm primùm plantatum eſt. Homo verò cùm mortuus fuerit, & nudatus, atque conſumptus, vbi, quæſo, eſt? Quomodo ſi recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus areſcat: ſic homo, cùm dormierit, non reſurget, donec atteratur cœlum, non euigilabit, nec conſurget de ſomno ſuo.] Ergo homo mortuus quoad hoc vilior & abiectior eſt ligno: nam hoclicèt conuulſum, licèt præciſum, licèt diuturnitate inueteratum, ſi iterum inſeratur, & aqua rigetur, iuueneſcit, rediuiuúmque reſurgit. At homo nulla naturæ virtute poteſt ad vitam redire, nec ad priſtinam conditionem reuocari. Et quidem mare nunc fluit, B & aliquam terræ partem deſerit; nunc verò refluit, & eandem quaſi perditam citò recuperat. Similiter torrens, ſi nunc æſtate ſiccetur, poſt paulum facta acceſſione aquarum exundat. At homo nunquam vitam mortalem recuperabit, quam ſemel amiſit: nunquam ad poſſeſſa priùs bona reuocabitur, ſed in puluerem verſus cuſtodietur. Ad vitam verò immortalem aliquando reſurget, quando Deus in extremo die cœlos immutabit, & maiori ſplendore conueſtiet. Liquet enim, inquit Gregorius, quia non reſurget, ſcilicet donec atteratur cœlum: quia niſi mundi huius finis aduenerit humanum genus à ſomno mortis ad vitam non euigilabit. Non ergo quia omnino non reſurgat ſed quia ante contritionem cœli, humanum genus C minimè reſurgat, inſinuat.] Erit ergo homo quoad corpus, & quoad hanc vitam iſtius mundi attinet abiectiſſimus, qui in puluerem & fœtorem conuertetur, & nulla naturali facultate ad meliorem ſortem reuocabitur.

Gregor.

Hæc, ô homo, eris in corpore, ſed quid eris in animo? Animus quidem noſter immortalis eſt, non cum corpore corrumpitur, non in cineres vertitur, qui naturam ſpiritualem, & ab omni corruptione alienam ſortitus eſt, ſed tamen omnibus bonis, quæ in hoc mundo diligebat, exuitur. Non eum cognati delectant, non famuli circunſtant, non opes iuuant, non dignitates ſpectabilem faciunt, non reliqua viſibilia, ſicut cùm corpori erat iunctus, ſuffulciunt. Incipit regionem quandam ſibi prorſus incognitam ingredi, D cum numquam viſis, & incognitis penitus conuerſari. Hi non adulabuntur illi, non perperam facta diſſimulabunt, non bene geſta inaniter, & ad gloriam vanam captandam laudabunt, ſed in omnibus veritatem profitebuntur. Aſtabit animus ante tribunal diſtricti & ſeueri Iudicis, qui cùm ſapientiſſimus ſit, non poterit falli; cùm rectiſſimus, non poterit muneribus corrumpi; cùm potentiſſimus, non poterit minis terreri, nec ad damnationem bonorum, aut liberationem malorum adduci. Coram hoc Iudice anima à corpore ſeparata, de cogitationibus, de deſideriis, de verbis, de operibus, de omiſſionibus, de aliorum peccatis, quæ quoquomodo ad ipſam pertinent, examinabitur, & iuxta meritum ſuum, aut pœna aut præmio afficietur. Vniuerſa tunc tempo- E ris animam deſerent, & ſolam derelinquent. Nam nec corpus ei aderit, quod in ſepulchro putreſcit; nec amici, aut cognati, qui poſt paucas horas aut dies defunctum obliuioni tradunt; nec res temporales, quæ iam aliis poſſeſſoribus ſeruiunt. Aſſiſtent autem ei Angeli, ſi fortè animam liberare poſſint: aſſiſtent & dæmones, vt eam, ſi conceſſum illis fuerit, ad ſe trahant. Aſtabit propria conſcientia

accuſans

accuſans quicquid non antè rectè geſtum fuerit. Sed ita adhærebunt opera in hac vita facta, vt nulla ratione ab anima diuelli patiantur. Hanc horam ſeparationis animæ à corpore optimè deſcribit magnus Pater Ephræm in hunc modum: Beatus quicumque in hora illa emigrationis, quando cum timore atque dolore anima ſeparabitur à corpore, fiduciam repererit. Venturi enim ſunt Angeli, qui animam à corpore iam ſeparatam accipiant, ſiſtántque ante tribunal immortalis ac tremendi iudicis. Magnus nos timor inuadit, ô fratres, in hora mortis, quando cum tremore atque dolore ſeparanda erit anima à corpore. Siquidem in hora illa diſceſſus præſtabuntur animæ ſua, quæ geſſerit opera, diurna, atque nocturna, ſiue bona, ſiue etiam mala. Impellentibus iam eam Angelis, vt exeat à corpore, illa reſpiciens ad ſua opera, egredi pertimeſcet: peccatoris verò anima cum timore è corpore recedet, & tremebunda abibit ſtatuenda ad tribunal immortalis iudicis. Cùm autem iam emigrare cogetur è corpore, contuebitúrque ſua opera, tunc cum timore dictura eſt ipſis: Concedite mihi vnius adhuc horæ ſpacium, donec egrediar. At cuncta eius opera ſimul vna voce reſpondebunt, dicéntque ei: Tu nos feciſti, tua opera ſumus, tecum vnà ad Deum ibimus. Sic ille.] Ecce ergo, ô homo, quid eris: in corpore puluis, in anima reus; in corpore cinis; in anima iudicandus: in corpore putredo, & vermis; in anima ex tuis operibus, aut pœnis, aut præmiis afficiendus. Et vt breuiter omnia dicta tibi proponam, & quid fueris, quid ſis, & quid eris, ad tuam confuſionem inculcem, audi verba Hugonis Victorini, quæ huic argumento finem imponunt. Attende, inquit, Homo, quid fuiſti ante ortum, & quid es ab ortu vſque ad occaſum: atque quid eris poſt hanc vitam. Profectò fuiſti, quod nihil erat, poſtea de vili materia factus, & viliſſimo panno inuolutus, menſtruali ſanguine in vtero materno fuiſti nutritus: & tunica tua fuit pellis ſecundina. Sic indutus & ornatus progreſſus es ad nos: nec memor es quàm ſit vilis origo tui. Forma, fauor populi, feruor iuuenilis, opéſque ſubripuêre tibi noſcere quid ſit homo. Nihil aliud eſt homo, quàm ſperma fœtidum, ſaccus ſtercorum, cibus vermium.

Ephram tom 1. Titulus Beatitudines alia.

Hugo de anima.

Poſt hominem vermis, poſt vermem fœtor & horror.

Sic in non hominem vertetur omnis homo. Cur ergo ſuperbis homo? Attende quòd fuiſti vile ſemen, & ſanguis coagulatus in vtero: deinde miſeriis huius vitæ expoſitus; poſtea vermis, & cibus vermium futurus in tumulo. Quid ſuperbis puluis, & cinis: cuius conceptus, culpa; naſci, miſeria; viuere, pœna; mori, anguſtia? Vnde ſuperbit homo, cuius conceptio, culpa; naſci, pœna; labor, vita: neceſſe, mori?

Quid potuit Homo.

CAPVT VIII.

MOs eſt ſatis antiquus principum huius ſæculi homines exaltare abiectos & viles, & ad magnam potentiam & dignitatem prouehere, vt & manifeſta ſigna ſui erga eos eximij amoris oſtendant, & vt ſuam poteſtatem in huiuſmodi exaltatione, magnificentiámque declarent. Cùm enim proprium ſit amoris ſua bona in amatum effundere, & conſonum ſit magnitudini, ſe ipſam magnis & admirandis operibus aperire, fit, vt cùm hæc duo in ſinum regis concurrant, eum ardentiſſimè ad amplificandum & efferendum amicum inflamment. Magnificentia magna facere debet, ſi poteſt, & vera magnificentia eſt: amor amico quanta poteſt bona impertitur, ſi verus amor eſt. Quid ergo dabit illi magnificentiæ & poteſtati iunctus, niſi tot & tanta, quæ & amicum regis ſpectabiliſſimum faciant, & ſupra alios aulicus ac magnates extollant? Huic rei nullum eſt regnum etiam barbarum, quod non fidem faciat, & nullus (vt credo) fuit rex, quamuis præ immanitate hominis naturam exuerit, qui non hunc morem operibus teſtatus ſit. Vt verò nunc hominum hiſtorias relinquamus, non pauca in diuinis monumentis huiuſce rei inueniemus exempla. Dauid rex ſex & triginta viros habuit ſibi magno amore coniunctus, qui (vt dicitur in Paralipomenon) [adiuuerunt eum, vt rex fieret ſuper omnem Iſraël.] Horum autem fortiſſimus, & fortè amiciſſimus fuit [Geſbaan filius Acbamoni princeps inter triginta, qui leuauit haſtam ſuam ſuper trecentos, vulneratus vna vice,] & Chriſti perfectiſſimos amicos ſignat. De Euilmerodach ſcriptum eſt: Factum eſt in anno trigeſimo ſeptimo tranſmigrationis Ioachim regis Iuda, menſe duodecimo, vigeſima ſeptima die menſis: ſubleuauit Euilmerodach rex Babylonis anno, quo regnare cœperat, caput Ioachim regis Iuda de carcere. Et locutus eſt ei benignè, & poſuit thronum eius ſuper thronum regum, qui erant cum eo in Babylone.] His regum familiariſſimis amicis adiungendus eſt Aman. Nam [rex Aſſuerus exaltauit Aman filium Amadathi, & poſuit ſolium eius ſuper omnes principes, quos habebat. Cunctíque ſerui regis, qui in foribus palatij verſabantur, flectebant genua, & adorabant Aman; ſic enim præceperat eis Imperator.] Ad eos quoque pertinet Nehemias pincerna Artaxerxis regis, qui tantùm apud illum valuit, vt auditis precibus huius, quem admodum diligebat, Hieroſolymas euerſas ædificari imperaret. Ac tandem amiciſſimus regis Darij Medi fuit Daniel, quem antea à regibus Babyloniæ propter admirabilem ſapientiam ad ſummos honores euectum, ipſe amplius honore affecit; & vnum de tribus primis principibus, qui toti eius imperio præerant, conſtituit. Qui licèt ex tribus quoad imperium, & poteſtatem eſſet vnus, tamen in conciliando ſibi amore regis, eò vſque progreſſus eſt, vt eſſet vnicus, & omnibus emineret. Nam & Daniel ſuperabat omnes principes, & ſatrapas, quia Spiritus Dei amplior erat in illo. Porro rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum,] quo magis ipſe labore ac moleſtia vacaret. Hæc autem regum conſuetudo, ſi eam per ſe accipiamus, & à vitiis & immoderatis eorum affectibus ſeparemus, bona eſt, & omni peccato ac imperfectione caret. Cur enim ſi communibus reipublicæ hominibus fidelem amicum habere concedimus, regi denegabimus, qui pro exigentia maioris oneris ſuis humeris impoſiti magis conſilio amici fidelis indiget? Ille profectò, qui opum eſt ditior, & poteſtatis ac muneris abundantior, leuaminis & adiutorij eſt indigentior: habeat igitur aliquem, quocum ſuas ſolicitudines partiatur, & à quo in negotiis regni iuuetur. Hunc verò æquum eſt honorare, & aliis tum opibus tum dignitate præponere, vt qui regi ipſi vtilior eſt, & reipublicæ fructuoſior, aliis omnibus dignis, in his quæ decent, præferatur.

1. Paral. 11. 10.

num. 11.

4. Reg. 25. 27. 28.

Eſther 3. 1. 2.

2. Eſdra 2. 6.

Daniel. 6. 3. 4.

Et quidem hæc ita in regnis terrenis geruntur, à quibus non abhorret Dei omnium regis ſuprema

ſunt, quæ eum in omni actu, & ſuæ dignitatis oſtenſione, circumdarent. In hoc ditiſſimo ac pretioſiſſimo virtutum cumulo poſita eſt illa ſimilitudo Dei, ad quam homo factus aſſeritur. Fa-
Geneſ. 1. 26. ciamus hominem (verba ſunt Dei) ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.] Qui in hominis creatione plurali numero locutus eſt, vt Trinitatis ſanctiſſimæ arcanum denotaret, & hominem ad cognoſcendam & confitendam Perſonarum Trinitatem, eſſentiæque diuinæ vnitatem, creatum oſtenderet. Imago Dei in homine, in ipſa natura hominis ſpirituali, quoad animam, & intellectus, ac liberi arbitrij capaci; ſimilitudo verò in cunctarum virtutum poſſeſſione conſiſtebat, vt Auguſtinus, & plerique
Aug lib. c. Adimantum. c. 5. ex Patribus ſunt interpretati: ex quibus vnum aut alterum audiamus. Chryſoſtomus ſic ait: Sicut imaginem dixit ob principatus rationem; ita & ſimili-
Chryſoſt. hom. 9. in Geneſ. tudinem, vt pro viribus humanis ſimiles fiamus Deo, manſuetudine (inquam) & lenitate, & virtutibus Deo ſimiles efficiamur. Quod & Chriſtus dicit:
Matth. 6. Similes eſtote Patri veſtro, qui eſt in cœlis.] Et Am-
Ambroſ. lib. de Paradiſo. c. 3. broſius: Nunc verò de ſimilitudine aliqua intellige, quæ minoribus cernenda eſt, vt ſicut Deus creator, qui hominem ad ſimilitudinem ſuam creauit, eſt charitas, eſt bonus, & iuſtus, patiens, atque mitis, mundus, & miſericors, & cætera virtutum ſanctarum inſignia, quæ de eo leguntur: ita homo creatus eſt, vt charitatem haberet, & bonus eſſet, & iuſtus, vt patiens atque mitis, mundus & miſericors foret. Quas virtutes quanto plus quiſque in ſeipſo habet, tanto propiùs eſt Deo, & maiorem ſui conditoris gerit ſimilitudinem. Si verò (quod abſit) aliquis per deuia vitiorum, & diuortia criminum, ab hac nobiliſſima ſui conditoris ſimilitudine degener oberrat, tunc fiet de eo, quod ſcriptum eſt: Et
Pſal. 48. 3. homo cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.] Quis maior honor potuit homini eſſe, quàm vt ad ſui factoris ſimilitudinem conderetur, & iiſdem virtutum veſtimentis ornaretur, quibus & conditor? De quo legitur: Dominus regnauit, decorem indutus eſt,] id eſt, omnium virtutum ſplendore, & totius bonitatis decore ornatus. Et tandem Bernardus ait: Ad imaginem nempe, & ſimilitudinem Dei factus eſt homo: in imagine arbitrij libertatem, virtutes habens in ſimilitudine. Et ſimilitudo quidem periit, veruntamen in imagine pertranſit homo. Imago ſiquidem in gehenna ipſa vri poterit, non exuri: ardere, ſed non deleri. Hæc ergo non ſcinditur, ſed ſorte prouenit. Et quocumque perueniat anima, ſimul & ipſa erit; nam ſimilitudo non ſic, ſed aut manet in bono: aut ſi peccauerit anima, mutatur miſerabiliter, iumentis inſipientibus ſimilata. Hæc illi.] Homo itaqoe ſimilis Deo factus eſt, quia veſtimentis eius, nempe virtutibus, ornatus
Gen. 27. 15. eſt. Nam ſi veſtes Eſau valde bonæ, & pelliculæ hœdorum Iacob circundatæ manibus, ſimilem eum fratri primogenito reddiderunt, quid magnum ſi Dei noſtri virtutes non iam corpori hominis, ſed menti circundatæ, ipſum Deo ſimilem reddant? Erat ille ſimilis Deo, quia erat ſapiens, iuſtus, miſericors, purus perinde ac Deus ea diligebat quæ placita erant Deo, & quæ Deo erant iniuſſa, refutabat.

Datus eſt quoqoe bomini gladius Dei, datus & balteus, vt ad quantam ſit admiſſus familiaritatem magis innoteſcat. Quis gladius Dei? Nonne verbum ſuum? De quo Paulus: Et gladium ſpiritus,
Ruper. lib. 4. in Exod. c. 23. quod eſt verbum Dei.] Et quis balteus Dei? Nonne fortitudo diuinitatis eius? vt inqoit Rupertus Abbas,
A per quam commoueri non poteſt. Habuit igitur primus homo gladium Dei, quia plenam ac perfectam notitiam voluntatis eius, ac præceptorum, accepit. Habuit & balteum; quia poteſtatem ad ſibi ſubdenda animalia, & ad feras loco dominij ſui regendas obtinuit. Et vtinam gladium non ſolùm habuiſſet, ſed etiam tenuiſſet, ne nos filios ſuos in tantas calamitates deturbaſſet. Nam inter hæc duo magnum eſſe diſcrimen Gregorius proteſtatur, dum myſterium fortium Salomonis, lectulum eius ambientium, & gladios ſuper femur tenentium, expo-
nit. Salomon, inquit, non ait: Omnes habentes gla- *Greg. 19. mor. c. 28.*
dios, ſed tenentes, quia videlicet verbum Dei non eſt mirabile ſolummodo ſcire, ſed facere. Habet
B quippe, ſed non tenet gladiom, qui diuinum quidem eloquium nouit, ſed ſecundùm illud viuere negligit. Et doctus eſſe ad bella iam noo valet, qui ſpiritalem, quem habet, gladium minimè exercet.] Sed hæc peruerſa voluntas primi hominis, qua gladium manibus tenere noluit, non tollit, nec minuit miſericordiam Dei, qui & gladium illi dedit, & habere fecit, & balteo ſuo illum præcinxit, vt ex beſtiis immanibus, quibus dominabatur, quæque illi ad nutum parebant, diſceret, quomodo Deo ſe ſubiicere debuiſſet. Habuit ille gladium, quia notione omnium rerum naturalium, & earum ſupernaturalium, quæ ad rectè viuendum, & filios inſtituendos neceſſariæ erant, ditatus eſt. Habuit & balteum, quia vt dominus animalibus imperitabat, cuius im-
C perium illa non refugiebant, & plantis atque inanimatis ſine vllo impedimento vtebatur, in ſuúmque vſum accipiebat. Erat igitur homo valde gratioſus Deo, multumque apud ipſum valebat, quam ad tantam extulerat dignitatem, vt ſocius cœleſtium eſſet, dominúſque terreſtrium, & omnia quaſi ſuo arbitratu contineret.

Iſtáne propriæ deſpicientiæ ſeruiunt? An hæc tam eximia hominis dona humilitati aſſequendæ proficiunt? Ita quidem. Nam ſi conſideres quid homo in tanta dignitate conſtitutus potuit, omnis creaturæ imbecillitatem admiraberis. Fac nunc regem (vt hæc intelligas) amorem ſuum in bomioe viliſſimo collocaſſe, eúmque ducem ac magnatem feciſſe, & immenſis opibus cumulatum totius regni conſti-
D tuiſſe rectorem. Si homo hic ad tam magnam dignitatem ſublimatus, talis conditionis eſſet, vt niſi à rege ipſo moueretur, nec videre, nec loqui, nec ambulare, nec aliam quamuis actionem præſtare poſſet, nonne eſſet deſpicabilis, nonne dignus, qui ſe ipſum deiiceret, & alij omnes illum quaſi nihilum reputarent? Hæc, & nihil amplius homo ille primus potuit in natura integra conſtitutus, diuinis & multiplicibus donis circumſeptus, & tanta maieſtate ac ſplendore decoratus. Dicant nunc Theologi quid primus homo in ſtatu innocentiæ, ac integræ naturæ potuit?
Potuit, aiunt, per ſua naturalia cognoſcere, & velle, & *D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 1. & deinceps.*
operari omoe bonum naturæ, & rationi proportionatum cum ſolo auxilio generali Dei. Et ſioe illo? Non potuit. Potuit præcepta legis naturalis explere, & tentationes aduerſus hæc præcepta inſurgentes
E vincere cum eodem auxilio. Et ſine illo? Non potuit. Potuit diligere Deum ſuper omnia dilectione natorali, & in hac dilectione, ac præceptorum naturalium obſeruatione perſeuerare, ſi eodem generali auxilio iuuaretur. Et ſi non iuuaretur? Non potuit. Potuit cum ſupernaturali gratiæ auxilio Deum ex charitate diligere, & reliqua præcepta ſupernaturalia ſeruare, & ſe perpetuò in Dei amicitia & familiaritate continere. Et ſine illo? Non potuit. Itaque cum ali-

quo diuino auxilio, & quaſi alienis manibus omnia potuit, ſine illo verò, & propriis tantùm manibus nihil omnino potuit. Quid eſt autem hoc auxilium tam generale quàm ſpeciale, ex quorum altero ſaltem pendere illius primi hominis actiones aſtruximus? eius enim cognitio maximè eius imbecillitatem declarat. Nunc verò de ſolis bonis operibus tum moralibus, tũ ſupernaturalibus loquimur; nam de actionibus ſecundùm eſſe naturæ, quod habent, ſtatim capite ſequenti dicemus. Auxilium generale ad rectè ſecundùm rationem viuendum, & ad mandata legis naturalis ſeruanda, & ad tentationes contra eandẽ legem vincendas, huiuſmodi eſt, vt Deus per ſecundas cauſſas ad effectum congruas excitet intellectum, vt efficaciter iudicet hîc, & nunc rectè eſſe agendum, & hoc opus vt eleemoſynæ aut obedientiæ eſſe præſtandum. Vt etiam roboret volũtatem ad hoc, quòd efficaciter velit, opus illud per potentiam executricem præſtare. Vt tandem ipſam potentiam, quæ opus exequitur, vt linguam orantem, aut manum ſcribentem, aut eleemoſynam porrigentem Deus, vt prima & præcipua cauſſa, moueat, & ad illam non minùs, ſed magis quàm homo ipſe, concurrat. Quod etiam habet in excitatione intellectus, & actione voluntatis; nam Deus ad ipſas meliùs, & perfectiùs quàm homo concurrit; ſecundùm illud Iſaiæ: Omnia opera noſtra operatus es nobis.] Auxilium verò ſupernaturale, & ſpeciale (vt omnia auxilia tam per modum habitus, quàm per modum actionis comprehendamus) hoc eſt: Quòd Deus ſupra omne debitum infudit in homine gratiam ſanantẽ, & virtutes omnes ſupernaturalis ordinis, ac dona ſancti Spiritus ſui. Quòd hæc omnia conſeruauit dona, ſine cuius conſeruatione (ſicut & natura ipſa) nec ad momentum poſſent permanere. Quòd cum his donis cooperatus eſt, ſicut cum potentiis naturalibus, ita vt fuerit actionum horum donorum præcipuus & primus effector. Quòd denique auxilio, aut concurſu ſupernaturali, & omnino non debito, ſed miſericorditer elargito, intellectum ad proponendum opus ſupernaturale excitauerit, voluntatem ad illud amplectendum roborauerit, & accenderit, ac potentiam externam (ſi actus ad eam pertineat, qualis eſt confeſſio fidei corã tyranno) mouerit, & adiuuerit. Poterat enim primus homo verè dicere in his ſupernaturalibus actibus, quod nos quotidie dicimus: Non quòd ſufficiens ſim cogitare aliquid ex me, quaſi ex me, ſed ſufficientia mea ex Deo eſt.] Et: [Deus operatur in me velle, & perficere, pro bona volũtate.] Et: [Non ego, ſed gratia Dei mecũ.]

Iſaia 26. 12.

1. Corin. 3.5. Philip. 2. 13. 1. Corint. 15.10.

Hanc verò auxilij diuini neceſſitatem, quæ inerat etiam primo homini, ſignificauit, atque expreſſit Auguſtinus optimo ſimili: Sicut in hac carne viuere ſine adiumentis alimentorum, in poteſtate non eſt: non autem in ea viuere in poteſtate eſt, quod faciunt, qui ſe ipſos necant: ita bene viuere ſine adiutorio Dei, etiam in paradiſo non erat in poteſtate; erat autem in poteſtate malè viuere, ſed beatitudine non permanſura, & pœna iuſtiſſima ſecutura.] Et alio loco: Sicut oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adiutus non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectiſſimè iuſtificatus, niſi æterna luce iuſtitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non poteſt viuere. Sanat ergo Deus non ſolùm vt deleat, quod peccauimus, ſed vt præſtet etiam ne peccemus.] In operibus quidem naturæ & moris ille primus homo pendebat à Deo eo modo, quo diximus, ex eo ipſo, quòd erat opus Dei. Omnia enim Dei opera, ſiue magna, ſiue parua, ſiue inuiſibilia, ſiue viſibilia, hoc habẽt, quòd à Deo factore ſuo omni modo pẽdent. Quid eſt omni modo pẽdent? Quòd eorũ ſubſtantia à Dei potentia, & (vt ita ſcholatũ more loquamur) ab eius actuali influxu pendet, vt ſit: & ab eo etiam pendet vt conſeruetur, & duret: & ab eo pendet, vt mediis facultatibus ab ipſo Deo datis operetur, & agat. Sicut enim lux ſolis nec ad momentum eſſe, nec conſeruari, nec illuminare poteſt, niſi à ſole ſuſpenſa, quo non influente in ipſam ſtatim deſtruitur: ita creatura nec ad momentum eſſe poteſt, aut durare, aut aliquid operari, niſi à Deo influente ſeruetur, iuuetur, & in eſſe teneatur. Quam dependentiam creaturæ à Deo ex parte indicauit Iſaias, dum ait: Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera?] & multa alia, quæ ſequuntur. Et Paulus: Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula.] Ex ipſo namque ſunt omnia tanquam ex efficiente, quia ea non ex aliqua præexiſtente materia, ſed ex nihilo condidit. Et per ipſum, tanquam per exemplar, ad cuius aliqualem imitationem ea creauit. Et in ipſo, tanquam in fine, in quo ſolo quieſcunt, & ſuam perfectionem accipiunt. Et in Actis Apoſtolorum legimus: In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.] Ab ipſo eſſentiam, & non ſolam eſſentiam, atque ſubſtantiam, ſed & vitam, ac permanentiam vitæ; & non ſolùm ſubſtantiam, & vitam, ſed & motum, ac operationem omnem accipimus. Nec veritas hęc Ethnicos Poëtas latuit, quorum vnus, nempe Aratus, quem ipſe Paulus in medium protulit, ita cecinit:

Aug. 14. de ciuit. c.17.

Libr. de natura, & grat. c. 26.

Iſaia 40. 12.

Roman. 11.36.

Actor. 17. 28.

Ab Ioue principium Muſæ, Iouis omnia plena,
Quem reticere nefas, Ioue cuncta vtuntur, ab ipſo
Nos ſumus: ille fouet, cunctis vireſque miniſtrat.

Arat. in Phæno.

In operibus autem gratiæ non tantùm hac communicatione, ſed & alia ſpeciali iam explicata homo ille primus à Deo auctore gratiæ pendebat, ex eo quòd opera illa talis conditionis ſunt, vt omnem hominis naturam ſuperent; quare homo non erat ſufficiens ad illas, niſi ſpeciali auxilio, & ſupernaturali (vt eſſet operibus conſentaneum) ad illa præſtanda extolleretur. Sicut enim corpus graue, & in centrum terræ propenſum, aliqua leuitate ſibi non debita, & alis pernicibus ad volandum egeret: ita homo ad opera illa excelſa, & ſupra omnem naturam ſuam, auxiliis non debitis, ac gratuitò conceſſis, debuit adiuuari.

Vide nunc quàm parum potuit ille primus homo, licèt Deo magnis & multis donis, ac intima familiaritate coniunctus. Et quàm verum eſt, quòd omnis creaturarum potentia veriſſima quædam impotentia eſt. Meritò Paulus Deum ſolum potentem appellat, & quaſi ab omnibus, quæ Deus non ſunt, poteſtatem excludit. Loquens de poſtremo Chriſti ſaluatoris aduentu, ita ait: Quem ſuis temporibus oſtendet beatus, & ſolus potens, rex regum, & dominus dominantiũ. Quia videlicet ipſe ſolus habet potentiam à ſe; reges verò ſæculi, quamuis potentiſſimi videantur, cum illo etiam primo totius orbis rege, qui vniuerſis creaturis viſibilibus imperauit, à ſe impotentiam, & imbecillitatem habent, & quod potuerunt, aut poſſunt, Deo poteſtatem donante, & opera eorum faciente, perfecerunt, aut modò perficiunt. Iam ergo intelligis, ô homo, qui tuæ potentiæ gradus venaris, quid potuiſti, quia videlicet à te, etiam in illo primo homine omnium hominum patre, & ſatore nihil potuiſti.. Quare non habes vnde de potentia glorieris, nec potes tibi aliquod bonum tuorum progenitorum tribuere, quod

1. Timot. 6.15.

illos

A quod illos à Deo accepiſſe certiſſimum eſt. Magna fuit profectò fragilitas hominis,& vix credibilis eius infirmitas,qui tot auxilijs fulciendus eſt, vt in actiones prodeat, & vires ſuas in aliquem vſum extendat. Conferatur ille cum infantulo recèns nato, qui indiget à nutrice portari, pannis obuolui, lacte refici, & in omnibus adiuuari. Conferatur cum aſcia, aut ſerra, aut alio quouis inſtrumento ex his, quæ artifices inuenerunt, quod nullum omnino opus præſtare poteſt,niſi ab artifice moueatur. Verum eſt in hoc magnum eſſe diſcrimen, quia inſtrumentum non ſeipſum mouet, ſed ab operante mouetur; homo verò ſeipſum mouet. At ita ſe mouet, vt niſi Deus illum iuuet, & ad motum illum ipſe concurrat, omnino homo ſe mouere non poſſit.
Sapien. 2. 23. B [Creauit Deus hominem inexterminabilem,] quemadmodum in libro Sapientiæ ſcriptum eſt, vt ſcilicet nec mori poſſet, ſi vellet, nec gratiæ donum amittere. Sed ſicut potuit à ſeipſo gratiæ iacturam facere, & in mortem incurrere; ita non potuit, niſi Deo excitante, & ſibi cooperante, gratiam acceptam ſeruare, aut ea vti, aut ſe à vulnere mortis eripere. Ita ergo noſcat ſeipſum, vt ſibi impotentiam, & fragilitatem, & malum, & mortem tribuat, Deo verò potentiam, & robur, & bonam actionem, & vitam aſcribat.

Quid poteſt Homo?

C A P V T IX.

C CVM nobilis aliquis, qui erat amicus regi,ob proditionem, aut aliud læſæ maieſtatis crimen ab eius amore cadit, & in odium & indignationem incurrit, cuncta, quæ regiæ amicitiæ gratia adeptus fuerat, ſtatim amittit. Opes ab eo dilabuntur, honores euaneſcunt, amici fugiunt, & dignitas, atque poteſtas alijs imperitandi,ſubtrahitur. Qui in palatio habitabat, incipit tetrum carcerem occupare: qui per plateas,& vias publicas,& compita vrbis glorioſus, & aulicis conſtipatus incedebat, catenis & compedibus oneratus,in ergaſtulo tenetur, ſolúſque relinquitur:qui falſis aſſentatorum laudibus paſcebatur, D non ſine magno mœrore,irriſionibus, increpationibus,& contumelijs impletur. Huius rei, quæ quotidie in palatijs regum aſpicitur,vnum tantum ex ſcripturis adducamus exemplum. Quanta eſſet poteſtas Aman, quàm ingentes opes eius, ex ipſius ore abſque dubio in hac parte verum dicentis accepimus.
Eſther 5. 11. [Qui conuocatis amicis ſuis,& Zare vxore ſua, expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum, filiorúmque turbam,& quanta eum gloria ſuper omnes principes,& ſeruos ſuos rex eleuaſſet.] Sed cùm rex Aſſuerus amorem mutauit in odium,& beneuolentiam in iram indignationémque conuertit, quid de hoc magnate, quem omnes non ſolùm ſuſpiciebant, ſed & adorabant, ſcriptum eſt? Illud certè,
Eſth. 7. 8. E quòd rubore perfuſus,& confuſione ac timore coopertus, immò & velata facie, in ſignum damnationis,eiectus eſt à conſpectu regis, & in furca ſuſpenſus. Impletúmque eſt illud Salomonis:
Prou. 16. 14. [Indignatio regis nuncij mortis.] Et illud:
Prou. 20. 2. [Sicut rugitus leonis, ita & terror regis; qui prouocat eum, peccat in animam ſuam.] Non ſolùm autem apud huius ſæculi reges, ſed apud æternum cœli regem hic mos puniendi amicos infideles inualuit. Si enim iuſtum eſt, ſicut re vera eſt, in nequitiam ac peruerſam audaciam iniquorum animaduertere, hæc iuſtitia cùm in curiis regum iniuſtorum inueniatur, non poteſt curiæ regis cœleſtis, & iuſtitiæ auctoris deeſſe, à quo omnis æquitas creata tamquam à fonte dimanat.
Eccle. 12. 4. Ille, vt eſt in Eccleſiaſtico, impiis, & peccatoribus reddet vindictam,cuſtodiens eos in diem vindictæ:] & nullus pro peccato,quod in Deum admiſit, à pœna immunis erit, quantumuis antea amicus Deo, & familiaris extiterit. Immò ſi iuſtus auerterit ſe à
Ezechiel. 18. 24. iuſtitia ſua,ait ipſe Dominus per Ezechielem, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur,] & perinde atque alius quilibet ab amicitia Dei proturbatus ſuarum iniquitatum pœnas exoluet.

B Homo igitur amicus Dei,& ex bonitate, ac amore eius ad tantam altitudinem ſublimatus, legem regis ſui præuaricatus eſt, in crimen læſæ diuinæ maieſtatis incidit, & indignationem odiúmque tanti Imperatoris incurrit. Quàm ergo infamis, quàm pauper & nudus, quàm ſine honore, ſine dignitate, & ſine poteſtate permanſit? Id iam alibi expoſuimus. Nunc ſolùm dicendum eſt, hominem poſt Adæ peccatum hoc ſtatu præuaricationis teneri, qui vocatur ſtatus lapſæ naturæ, & poteſt etiam vocari ſtatus diuinæ familiaritatis amiſſæ, & eius indignationis incurſæ. Et quamuis ad diuinam gratiam euehatur, & per baptiſmum, peccatum originale deletum ſit, ac per condignam pœnitentiam peccatum actuale dimiſſum, ſine propria voluntate contractum; tamen pœnalitates lapſæ naturæ, & fomes C peccati, ſiue procliuitas ad peccandum, & multiplices miſeriæ ex illa prima defectione profectæ, non ſunt ab illo ſubtractæ. Si igitur in illa ætate aurea, & in illo fœlici innocentiæ ſtatu, & in illa ſanitate & integritate, in qua conditus fuit, tam parum potuit, aut ſine Deo tam nihil potuit; in hoc ſtatu infirmitatis, & inualetudinis, in hac ætate ferrea, in hoc corpore mortis innumerabilibus impedimentis circumſepto, quid poterit? Sanè quia homo res creata à Deo eſt, ſine eo nunc, ſicut & antea, nihil omnino poteſt: & quia infirmus eſt in bonis moralibus, & ſupernaturalibus præſtandis, maioribus Dei auxilijs indiget,vt aliquid poſſit. Quæ vt intelligamus,omnes actiones hominis percurrere oportebit, & breuiter quid nunc poſſit, & quomodo D poſſit, attingere. Hæc namque diſquiſitio validiſſima eſt, vt homo ſeipſum agnoſcat, & omnem ſuperbiam ac præſumptionem abſumat. Vniuerſæ autem actiones hominis ad tria genera, tréſve claſſes, à Theologis reuocantur. Quædam enim ſunt actiones eius naturales, vt ambulare, ſenſibus & ratione vti, corpus cibo & potu reficere. Quædam ſunt actiones morales, ad virtutes & vitam ordinatam pertinentes, vt Deum colere, in aduerſis fortiter agere,erga proximos iuſtè ſe gerere. Quædam ſunt actiones ſupernaturales, vt in Deum credere, æternam vitam ſperare,Deum ex charitate diligere.

Actiones naturales homo præſtare non poteſt ſine auxilio generali Dei, qui vt cauſſa prima, atque præcipua, eas per creaturas ſuas, ex parte quaſi per E inſtrumenta, & ex parte quaſi per ſecundas cauſſas ſibi ſubiectas,à ſeque non tantùm in eſſe, & in permanentia,verùm & in operatione pendentes, elicit. Res namque creatæ quodammodo ſunt inſtrumenta Dei, quatenus nihil poſſunt agere,niſi ab ipſo moueantur,& ad agendum applicentur:alia verò ratione ſunt præcipuæ cauſſæ, licèt ſecundæ, quatenus in ſe virtutes habent à Deo tributas (vt ignis habet in ſe calorem ad calefaciendum) quibus naturales actiones ſibi proportionatas eliciant. Faciunt igitur

res

tes creatæ aliquid, ſed Deus id ipſum præcipuè facit: operantur illæ, ſed Deo operante per illas. Atque adeò, ſi loqueris, ſi ambulas, ſi brachium moues, huius actionis Deus præcipua cauſſa eſt: quam niſi Deus per te, & tecum faceret, tu numquam effeciſſes. Quare ſcriptura diuina creaturarum actiones Deo ſæpe tribuit, quia ab illo multò meliùs & veriùs quàm à creaturis ipſis proficiſcuntur. Dauid ait: Et intonuit de cœlo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam; grando, & carbones ignis. Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.] Et alio loco: Deus maieſtatis intonuit, vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani.] Et Iob ait: Manus tuæ fecerūt me, & plaſmauerūt me totum in circuitu; pelle, & carnibus veſtiſti me, oſſibus, & neruis cōpegiſti me.] Et apud Iſaiā inquit Dominus ad Sēnacherib: Ponam circulū in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducā te in viam, per quam veniſti.] Omnia opera hæc, ſi bene inſpiciantur, à rebus creatis prodeunt; quoniam verò à Deo quoque tamquam à prima cauſſa fiunt, meritò illi tribuuntur. In quam veritatem conſpirant etiam ſanctorum Patrum verba, Pelagium oppoſitum blaterantem impugnantia. Auguſtinus ait: Quomodo negare poterimus Deum etiam nunc operari cuncta, quæ fiunt, cùm Dominus dicat: Pater meus vſque modò operatur?] Et alio loco: Deus omnipotens, & omnitenens, incommutabili æternitate, veritate, voluntate ſemper idem, non per tempus, nec per locum motus, mouet per tempus creaturam ſpiritalem, mouet etiam per tempus & locum creaturam corporalem, vt eo motu naturas, quas intrinſecùs ſubſtituit, etiam extrinſecùs adminiſtret. Hieronymus in Pelagium inſurgens ait: Audite ſacrilegum, ſi voluero curuare digitum, mouere manum, ſedere, ſtare, ambulare, ſemper mihi auxilium Dei neceſſarium erit. Audi ingrate, immò ſacrilege, Apoſtolum prædicantem: [Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue quid aliud facitis, omnia in nomine Domini facite.] Chryſoſtomus ait: Quocirca diuinæ ſcripturæ veſtigia ſequamur, neque ſeramus eos qui aduerſa temerè blaterant. Etiamſi homines terram operentur, & iumentorum auxilio fruantur, & magna ſit cœli temperies, & omnia alia concurrant, niſi nutus Domini accedat, omnia alia fruſtra & in vanum fierent, & nihil proficeret omnis labor, & deſudatio, niſi manus Domini ſupernè adiuuaret, & perfectionem his quæ fiunt, tribueret.] Sic Patres loquuntur. Idque adeò verum eſt, vt actiones etiam peccatorum, ſine Deo concurrente fieri non poſſint. In quolibet enim peccato duo, Theologi rectè conſiderant: & actionem, vt percuſſionem illam, qua aliquis ira percitus hoſtem occidit, & deformitatem, aut priuationem rectitudinis adiunctam actioni. Actio igitur illa, quia eſt bonum quoddam naturæ, à Deo eſt; deformitas verò, à ſola mala voluntate eſt. Et ideo Anſelmus ait: Facit Deus omnia, quæ iuſta, vel iniuſta voluntate fiunt, id eſt, bona opera, & mala. In bonis quidem facit quòd ſunt, & quòd bona ſunt; in malis verò facit quòd ſunt, ſed non quòd mala ſunt. Et huius latè rationem reddit, quia malitia nihil eſt, niſi carentia bonitatis, quæ nec ab eo fieri poteſt, nec illi imputari, qui ſummè bonus eſt. Peccat quidem homo, cùm furatur, aut inimicum percutit, quia facit quod verirum eſt, & rationi, ac legi Dei aduerſum eſt; non tamen peccat Deus, dum hominem in hac actione adiuuat, & cum eo eam elicit, quia id exigit natura rerum, vt volente creatura libera aliquid facere, ei concurſus primæ cauſſæ non deſit, ſine quo libero arbitrio ſuo vti non poſſet. Quia ergo omnis operatio, res creata eſt, & omnis res creata, neque ad momentum, ſine Dei influxu eſſe non poſſit, hinc fit, vt omnes operationes à Deo ſint, ſine cuius influxu nec per primum inſtans poſſent exiſtere. Hinc iam cognoſcis, ô homo, in actionibus naturalibus quid poſſis, cùm ſcias, quia ſine Deo te iuuante, tecùmque operante, nihil poſſis. Intelligis etiam nequitiam tuam, quòd cùm peccas (& ſæpe peccas) hoc adiutorio Dei, atque hoc beneficio ſuo abuteris, vt ipſum offendas, & ſanctiſſimas eius leges inuerecundè prætereas.

Pſal. 17. 14.15. *Pſal. 28.* *Iob.10.8. 11.* *Iſaiæ 37. 29.* *Auguſti. epiſt.146. l.2. cod.5.17. l. de Geneſi ad lit. c.26.* *Hierony. epiſt. ad Cteſiphō.* *1.Cor.10 31.* *Chryſoſt. hom.5 in Geneſ.* *Anſel.*

Audi nunc quid in actionibus moralibus bonis poſſis. In hoc conſentiunt celebriores Theologi, poſſe hominem lapſum, cum ſolo illo auxilio Dei generali, aut naturæ conſono, quod ad opera naturalia neceſſarium eſſe diximus, aliquod verum naturale cognoſcere, aliquódque bonum morale præſtare, ſaltem ſi nullam habeat difficultatem: at non poſſe hominem omnia vera naturalia intelligere, nec omnem legem naturalem opera moraliter bona præcipientem implere, nec opera inſigniora, ac difficilia agere, nec tentationes alicuius momenti & difficultatis vincere abſque auxilio gratiæ Dei, quod quidem nec naturæ humanæ, neque huic perſonæ debitum eſt, ſed miſericorditer & ſupra omne debitum prærogatum. Quin & addunt, quod veriſſimum eſt, non poſſe hominem in hoc ſtatu lapſæ naturæ, cum hoc ſpeciali auxilio omnem legem naturalem per aliquod notabile tempus implere, niſi adſit ei gratia ſanans, quæ eum iuſtum, & Dei amicum efficiat. Hæc omnia doctores latiſſimè probant, à quibus ſuperſedemus, quia à noſtro inſtituto aliena putamus, ſolùm vt veritates iſtæ intelligantur, pro qualibet earum breuiſſimè aliquid attingemus. Sanè homo per peccatum ægrotus eſt, ægrotus autem aliquid, præſertim facile, & non laborioſum, per ſe facere poteſt; at omnia, quæ ſanus faceret, omnino præſtare non poteſt. Si itaque homo poſt lapſum Adæ aliquod verum poteſt ſine gratia cognoſcere, cognoſcat. Hoc enim ſonant illa verba Pauli: Cùm gentes, quæ legem, ſcilicet ſcriptam, non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, einſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis,] ac naturaliter ab eis cognitum. Et illa Proſperi aduerſùs collatorem: Quis ambigat, hanc ſapientiam humano generi ad temporalis vitæ vtilitatem ex naturæ à Deo conditæ ſupereſſe reliquiis? Si enim nec ad iſta terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata eſſet, ſed extincta natura. Similiter ſi poteſt homo poſt lapſum aliquod bonum morale facere, faciat: nam hoc ſignificant quædam verba Domini dicta ad Ezechielem, quibus Dominus militibus regis Babylonis pro bello iuſto fideliter peracto mercedem promittit. Fili hominis, Nabuchodonoſor rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſùs Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt, & merces non eſt reddita ei, nec exercitui eius de Tyro pro ſeruitute, qua ſeruiuit mihi aduerſùs eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonozor regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet ſpolia eius, & erit merces exercitui illius.] Et Chryſoſtomus inquit: Non poteſt malus omnino malus eſſe, ſed euenit vt aliquid habeat boni: neque bonus eſſe omnino bonus, ſed nonnulla ſolet habere pecca-

Roma. 2. 14.15. *Proſp. aduerſ. collat. c.22.* *Ezec.29. 18.19.* *Chr hom. 67. ad popul.*

ta.

ta. Cùm itaque malus proſperis vtitur rebus, ad capitis ſui perniciem vtitur; vt enim illorum paucorum bonorum retributionem hîc capiens, illic deinde puniatur, hac de cauſſa recipit.] Hæc ille. Itaque poſſit homo non ſolùm in natura lapſa, ſed & ipſe in graue peccatum lapſus bonum aliquod morale ſine auxilio gratiæ præſtare, quia non ſemper peccatum eius malum, ſed natura eius bona influit in opus, vt quando diligit amicos, vel filios. Et quia huic operi poteſt aliquem bonum finem apponere, ſi nimirum eos diligat, quia filij aut propinqui ſunt. Et quia cùm natura noſtra bona, per peccatum infirma quidem, & impedita ſit, non tamen extincta, aliquod bonum ſibi conſonum, & facile poterit agere, quod infirmas vires & impeditas non excedat. Sed ex hoc non tollitur maxima cauſſa humilitatis, & deſpicientiæ propriæ, quoniam nec hæc minima poteſt homo facere ſine generali auxilio, & actuali concurſu Dei. Et quoniam tanta eſt noſtra ad operandum bonum imbecillitas, vt non defuerint magnæ auctoritatis Theologi, qui nec hæc minima ab homine ſine ſpeciali auxilio fieri concedant. Itaque hæc res tam modica non poſſidetur pacificè ab homine, ſed ſub lite eſt.

At poſſit hæc homo. Sed certè, vt omnes Catholici fatentur, in hoc ſtatu omnia vera naturalia, immò neque multa, ſine admiatione falſitatis, ſuis viribus, & abſque auxilio ſpeciali Dei non poteſt agnoſcere. Tot enim ſunt neceſſitates naturæ, quæ mentem ab inquiſitione veritatis abſtrahunt; tot paſſiones inordinatæ, quæ iudicium peruertunt; tot ignorantiæ, quæ intellectum excæcant, vt non poſſint hæc ad vera omnia, aut multa cognoſcenda, niſi auxilio imbecillitati noſtræ addito, ſuperari. Quare Dauid ſapienter poſtulauit: (*Pſal. 118. 73*) Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.] Et auctor libri Sapientiæ: (*Sap. 9. 4.*) Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam.] Quia videlicet ſine ſapientia, & intellectu à Deo nobis immiſſo, ſæpe in notione veritatis errabimus, & tenebras pro luce ſumemus. Non enim poteſt homo ſine ſpeciali auxilio gratiæ Dei omnia præcepta virtutum moralium, & omnem legem naturalem, quoad ſubſtantiam operum, per aliquod notabile tempus ſeruare. Vnde Dominus ait per Ezechielem: (*Ezec. 36.*) Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.] Et Paulus inquit: (*Rom. 8. 3 4.*) Quod impoſſibile erat legi, in quo] nempe impoſſibili ipſa lex [infirmabatur per carnem] id eſt, infirma erat in nobis, nec poterat impleri propter noſtræ infirmitatem carnis: [Deus] poſſibile fecit [Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato] id eſt, de ſacrificio ſanguinis, & mortis Filij ſui pro peccatis ſuſceptæ [damnauit peccatum, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.] Et Auguſtinus: (*Aug. lib. 2. de pecc. merit. c. 3.*) Iuſtitiæ præcepta omni ex parte implere non poſſumus, niſi adiuuemur à Deo. Hoc profectò veriſſimè dictum eſt: quoniam natura per peccatum à Deo auerſa, ad ſeque inordinatè conuerſa, & ad malum inclinata, non poteſt in bonum ferri, niſi à Deo vincente prauam ad malum propenſionem ad bonum dirigatur.

Non ſolùm impoſſibilis eſt homini totius legis moralis cuſtodia abſque auxilio ſpeciali Dei, verumetiam nec poteſt ſine huiuſmodi auxilio quædam opera ſingularia inſigniora præſtare, quæ notabilem habeant adiunctam difficultatem. Qualia ſunt, iniuriam remittere, continentiam ſeruare, & præcipuè naturali amore Deum ſuper omnia diligere. Hæc enim opera comparantur homini lapſo, ſicut pugna, aut curſus comparatur ægroto; quare ſicut ægrotus & lecto præ imbecillitate decumbens non poteſt omnino pugnare, nec currere: ita & homo poſt lapſum in peccatum, non poterit ſine ſpeciali aliquo auxilio Dei, roborante hæc opera, difficiliora præſtare. Ac proinde optimè dixit Zozimus Papa: (*Zozim. epiſt. 1. ad Gall. c. 9.*) Quod tempus interuenit, quo eius non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cauſſiſque, cogitationibus, motibus, adiutor & protector orandus eſt. Superbum eſt enim, vt quicquam ſibi humana natura præſumat. Et Sapiens ait: (*Sap. 8. 21.*) Vt ſciui, quoniam aliter non poſſem eſſe continens,] id eſt, non poſſem bonum mihi datum tenere, & eo bene vti, [niſi Deus det; adij Dominum, & deprecatus ſum illum ex totis præcordiis meis.]

Non poteſt ſimiliter homo, ſine auxilio ſpeciali Dei, tentationes vincere, & hoſtes ad peccata inſtigantes ſuperare. Ideo, vt auxilij indigi petimus: (*Matth. 6. 13.*) Ne nos inducas in tentationem.] Et ſanctus Dauid poſtulabat: (*Pſ. 26. 9.*) Adiutor meus eſto, ne derelinquas me.] Atque alio loco: (*Pſ. 117. 13.*) Impulſus, euerſus ſum, vt caderem; & Dominus ſuſcepit me.] Et rurſus alibi fatetur: (*Pſ. 17. 30.*) Quoniam in te eripiar à tentatione.] Cyprianus quoque ait: (*Cypr. ſer. 7. in oratione Dominica.*) Quando rogamus ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis noſtræ, dum ſic rogamus: ne quis ſe inſolenter extollat, ne quis ſibi ſuperbè atque arroganter aliquid aſſumat.] Et Ambroſius: (*Ambr. ad Pſal. 43.*) Quis eſt tam fortis, vt nequaquam in tentationem moueatur, niſi Dominus ei adiutor aſſiſtat?] Hanc autem veritatem ſatis experientia nos docet. Sumus enim, comparati ad hoſtes noſtros, diabolum, mundum, & carnem, non ſecus ac teneri infantes, ſcientia & viribus deſtituti, quos quiſque facillimè decipit, & proterit, niſi validiori manu protegantur.

Nec tantùm auxilium gratiæ ſufficit per modum excitantis & adiuuantis, vt legem naturalem impleamus, peccatáque vitemus, ſed & gratia ſanans, & nos Deo gratos faciens, neceſſaria eſt, ſine qua ad multum tempus haudquaquam peccata vitabimus. Id ſanè indicant illa verba Ieremiæ: (*Thre. 1. 8*) Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt,] vt ſcilicet præceps ex vno peccato in aliud ruat, & non ſe in occaſione à peccato contineat. Homo quidem ſine gratia ſanante ſubiectus Deo non eſt; nam cùm ſit graui peccato obſtrictus, ſuum finem in creatura conſtituit. Sine hac autem ſubiectione non poterit ſe continere, quin vincula præceptorum, oblata ſibi occaſione, confringat. Egregiéque dixit Chryſoſtomus: (*Chryſ. in imperf. hom. 37.*) Sicut nauis fracto gubernaculo illuc ducitur, vbi tempeſtas voluerit: ſic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito, per peccatum agit, quod non vult. Et niſi Deus valida manu miſericordiæ ſuæ ſoluerit eum, vſque ad mortem in peccatorum ſuorum vinculis permanebit.

Si autem hæc valida auxilia neceſſaria ſunt homini ad legem naturalem implendam, quis dubitet validiora auxilia, & planè ſupernaturalia opus illi eſſe, ad opera ſupernaturalia, & vitæ æternæ meritoria præſtanda? Id profectò certum, ac conſtitutum eſt. Incipiunt hæc bona à cogitatione? Sed quid de cogitatione ait Paulus? (*2. Cor. 3. 5*) Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.] Progrediuntur per voluntatem? Sed Deus eſt, qui operatur (*Phil. 2. 13*) in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.]

Perficiuntur in opere? Sed ſine me nihil poteſtis facere.] Et, qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet.] De cogitatione inquit Auguſtinus: Non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum, & noſtræ cogitationes.] In poteſtate ergo cuius, niſi in poteſtate Dei? De voluntate Nazianzenus: Ipſum etiam rectè velle diuino auxilio indiget. Immò, vt rectiùs loquar, propoſitum quoque ipſum, atque electio eorum, quæ recta, & cum officio coniuncta ſunt, diuinum quoddam beneficium eſt, atque à Dei benignitate manans. [De opere Cyprianus: Dei eſt omne, quod poſſumus: inde viuimus, inde pollemus.] Et alio loco: In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil eſt.] Si infidelis eſt crediturus, fides donum Dei eſt. Nemo, inquit, poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.] Venire autem ad Chriſtum, eſſe in Chriſtum credere, apertè docent, quæ ſtatim ſequũtur. Sunt quidam ex vobis, qui non credunt, ſed propterea dixi vobis, quia nemo poteſt ad me venire, niſi datum ei fuerit à Patre meo.] Si fidelis ad gratiam, & iuſtitiam eſt venturus, Deus eſt, qui ad gratiam nos præparat. Quid enim habes, intellige, boni, vt ait Paulus, quod non accepiſti?] Et ideo clamamus ad Dominum: Conuerte nos Deus ſalutaris noſter.] Et, Conuerte nos Domine, & conuertemur.] Et Apoſtolus etiam ait: Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?] Si iuſtus, & amicus Dei, eſt pietatis ac iuſtitiæ opera facturus, Deus eſt, qui non tantùm conſeruatione gratiæ, & donorum iam conceſſorum, ſed & nouis atque actualibus auxiliis, quibus illum excitat, & adiuuat, ac mouet, hæc opera per iuſtum facit. Nam, [manda Deus virtuti tuæ, inquit Dauid, confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.] Et Gregorius ait: Nos præuenit vt velimus; & volentes ſubſequitur, ne inaniter velimus. Et Bernardus: Conatus noſtri & caſſi ſunt, ſi non adiuuentur, & nulli, ſi non excitentur. Et tandem ſi quis eſt perſeueraturus, perſeuerantia omnino ex Dei dono & auxilio dependet. [Niſi enim quia Dominus adiuuit me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea. Si dicebam motus eſt pes meus, miſericordia tua, Domine, adiuuabat me.] Et niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.] Quem locum exponens Ambroſius, elegantiſſimè hæc omnia complectitur. Nec mirum, inquit, ſi homo ædificare non poteſt, qui non poteſt cuſtodire. [Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, in vanum laborauerunt, qui cuſtodiunt eam.] Hæc de quodam Pſalmo. Audeo tamen etiam ego dicere, quòd homo viam non poſſit adoriri, niſi Dominum habeat præuiantem. Vnde ſcriptum eſt: Poſt Dominum Deum tuum ambulabis: Et [à Domino diriguntur viæ viri.] Denique ille perfectior, qui intelligeret ſe ſine Domino ambulare non poſſe: Vias, inquit, tuas edoce me.] Et infrà: Vides quia vbique Domini virtus ſtudiis cooperatur humanis; vt nemo poſſit ædificare ſine Domino; nemo cuſtodire ſine Domino; nemo quicquam incipere ſine Domino. Sic ille.]

Ioan. 15. Philipp. 1. Aug. lib. de bono perſeuerantia. Nazianzen. orat. in illud: Cùm conſummaſſet Ieſus, &c. Cyprian. lib. 2. epiſt. & 3. ad Quir. 4. Ioan. 6. 44. 1. Cor. 4. Pſa. 84. 5. Thren. 5. 21. Roma. 11. Pſal. 67. 29. Greg. ho. in Ezechiel. Bernard. de grat. & li. arb. Pſal. 93. 17. Pſal. 126. 1. Ambroſ. Pſal. 126. Prou. 20. 24. Pſ. 24. 4.

Hæc cùm ita ſint, iam vides, ô homo, quid potes; quia ſcilicet ſine Deo nihil omnino potes: & cum eo auxiliante atque mouente id potes, & nihil amplius, quàm quod ipſe in te voluerit poſſe. Ex quo diſces primò, in omnibus malis vitandis, ac bonis agendis; in omnibúſque tum magnis, tum minimis, ad Deum pro auxilio recurrere. Secundò, Deum omnium bonorum operum factorem, & te cunctorum peccatorum, quæ feceris, auctorem confiteri. Tertiò, bona non tibi, ſed illi veriſſima gratiarum actione tribuere, & gloriam ac honorem in illum referre. Quartò, tibi ipſi diffidere, & in illo tamquam in primo ac præcipuo bonorum fonte omnem ſpem ac fiduciam collocare. Hæc eſt vera ſapientia, quæ humilitatem procreat, elationem calcat, & nos quotidie ad maiora donorum augmenta recipienda parat. Hæc eſt, quæ mentem ad gratitudinem excitat. De qua conſideranda ſunt hæc verba Chryſoſtomi. Pro his omnibus Deo gratias agamus, & in eum, qui nos tantis proſequutus eſt beneficiis, gratitudinem exhibeamus. Nec enim graue quippiam, aut moleſtum à nobis expoſcit, niſi tantùm vt tot tantáque confiteamur beneficia: & ſibi pro his gratiarum actiones referamus, non quòd huius indigeat ipſe (nullius enim indiget) ſed vt bonorum largitorem nos conciliare doceamur: & ne ſimus ingrati, ſed beneficiis, & tanta dignam cura virtutem præſtemus. Sic enim illum in maiorem circa nos alliciemus prouidentiam. Itaque rogo ne torpeamus, ſed quiſque noſtrûm, ſi fieri poteſt, per ſingulos dies intra ſe computet non tantùm communia beneficia, verùm & propriè ſibi collata: non promulgata, & omnibus manifeſta, ſed etiam peculiaria, multóſque latentia. Sic enim continuam gratiarum actionem Domino poterit exhibere. Hoc maximum eſt ſacrificium, hæc oblatio perfecta. Hoc fiduciæ nobis fiet occaſio. Et qualiter dicam: qui iugiter enim hæc in mente ſua reuoluit, & propriam quidem diſcit vilitatem, ineffabilem verò, nimiámque Dei miſericordiam diligenter cogitat, & quomodo non peccatorum noſtrorum merita, ſed propriam reſpiciens bonitatem, noſtra diſponit, cogitatione contrahitur, conteritur corde, omnem faſtum, & arrogantiam corripit, modeſtè ſe gerere docet, præſentis vitæ gloriam deſpicere, omnia deridere viſibilia, futura bona ſperare, vitámque fine carentem, nec vllum habentem terminum. Sic ille.] Hæc vera ac diligens gratiarum actio, fructus eſt cognitionis impotentiæ hominis: quia æquum eſt, vt qui nihil ex ſe poteſt, illum veneretur, illum amore complectatur, atque illi gratias agat, cuius beneficio omnia poteſt.

Chr. ho. 73 ad populum.

Quid poterit Homo.

CAPVT X.

HOMO ex anima corporéque compoſitus, & ex ſpiritu & carne coagmentatus, ita vtriuſque commodis vtitur, incommodíſque ſubiicitur, vt multa commoda ex anima corpus habeat, & multa damna anima ex corpore incommodáque ſuſtineat. Corpus habet ex anima vitam, ſenſum, motum, & pulchritudinem, cuius ope à corruptione ſeruatur, & integrum, ac in cœlum erectum cuſtoditur. Illa eſt veluti ſal terræ corporis noſtri, quod non ex aqua, ignéque compoſitum, ſed ex nihilo ad Dei imaginem, ſimilitudinémque creatum, corpus ipſum in ſua viriditate, & decore conſeruat. Eſt veluti murus, & antemurale, quia corpus ab hoſtibus irruentibus, ab iis ſcilicet, quæ permanſioni eius inſidiantur, mirabili firmitate tuetur. Eſt quaſi gubernator regens cymbam noſtræ carnis, ne ſcopulis, & ſyrtibus huius mortalitatis illiſa diſpereat. At anima, quæ non incommoda habet ex corpore, à quo velut in ergaſtulo incluſa tenetur, & membris eius quaſi compedibus prægrauatur? Eſt animæ corpus pro nebula, quæ illam cœleſtia clarè videre non ſinit. Eſt ei pro illecebra,

A quæ ad malum & vetitum pertrahit. Eſt ei pro catena, quæ affectuum pennis vix ad ſublimia volare permittit. Corpus, inquit Sapiens, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.] Corpus corruptibile eſt, & ideo ſpiritui incorruptibili oneri eſt. Corpus ſingulis momentis corrumpitur, & ad non eſſe velociſſimis pennis temporis volat, licèt ſanum & integrum eſſe videatur. Hanc ob cauſſam animam grauat, redditque velut craſſam, & oneroſam, quæ terrena cogitet, terrena diligat, & quæ ſoluta à corpore Deum cuperet, creata viliſſima concupiſcat. Eſt corpus, terrenum domicilium, ex luto ſcilicet fabricatum, quod animam incluſam tenens, intellectum eius, plurimis licèt curis diſtentum, ſuo pondere premit, ne vnius tantùm, nimirum adhæſionis ad Deum, cogitationem curámque ſuſcipiat. Eſt mancipium animæ, quod dum illi inſeruit, quaſi per dolum eandem ſibi ſubdit, & hanc ſeruitutem miſeræ animæ ſpontaneam ac iucundam reddit. De quo ſcitè dixit Bernardus: Et quidem peccato factū eſt, vt corpus quod corrūpitur, aggrauet animam, ſed amore, non mole. Nam quòd ſurgere anima per ſe iam non poteſt, quæ per ſe cadere potuit, voluntas in cauſſa eſt, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioſo amore langueſcens & iacens, amorem pariter iuſtitiæ non admittit. Ita neſcio quo prauo & miro modo ipſa ſibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit, vt nec neceſſitas, cùm voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem; nec voluntas, cùm ſit illecta, excludere neceſſitatem. Eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria. Eſt fauorabilis vis quædam premendo blandiens, & blandiendo premens: vnde ſe ſe rea voluntas, vbi ſemel peccatoc conſenſerit, nec excutere iam per ſe, nec excuſare tamen vllatenus de ratione queat. Inde querula illa vox veluti gementis ſub onere neceſſitatis huius: Domine, inquit, vim patior, reſponde pro me.] Sed rurſus ſciens quòd non iuſtè cauſſaretur aduerſus Dominum, cùm voluntas ſua ipſius potiùs in cauſſa foret, attende quid ſecutus intulerit: [Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cùm ipſe fecerim?] Premebatur iugo, non alio tamen quàm voluntariæ cuiuſdam ſeruitutis: & erat pro ſeruitute quidem miſerabilis, ſed pro voluntate inexcuſabilis. Voluntas enim eſt, quæ ſe, cùm eſſet libera, ſeruam facit peccati, peccato aſſentiendo: Voluntas nihilominus eſt, quæ ſe ſub peccato tenet, voluntariè ſeruiendo. Hactenus Bernardus.

Sap. 9. *Bernard.* *Iſaiæ 38.* *15.*

Corpus eſt certè pondus animam deprimens, de quo Eccleſiaſticus ait: Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.] O iugum graue, ô moleſtum onus, corpus originali macula infectum, quod inſidet ceruicibus omnium filiorum Adæ, à primo die, quo lucis huius vſum accipiunt, vſque ad diem, quo vitæ mortali valedicunt! Immo & hoc iugum miſeram animam ab ipſo ſuæ creationis momento incipit premere, & à cæleſtibus auocare. Ab hoc iugo occupatio magna, cura moleſta, & ſolicitudo multiplex oritur, qua anima dum ſe vult in vnum colligere, ad varia & inania diſtrahitur. Cogitationes, inquit, eorum, id eſt, hominum, cruciantes animam, multæ ſunt, & timores cordis eam affligentes innumeri. Iam rerum expectandarum amore falluntur; iam timore diei finitionis, id eſt, mortis, lacerantur, & in nullo quietem aut leuamen inueniunt. Ab hoc onere nullus eximitur: nam à reſidente ſuper ſedem glorioſam vſque ad humiliatum in terra & cinere; ab eo, qui vtitur hyacintho, & portat coronam, vſque ad eum, qui operitur lino crudo, ac breuiter à maximo vſque ad minimum, nemo eſt, qui non angores & moleſtias corporis portet. Non eſſet autem intolerabile corporis neceſſitates ſuſtinere, ac moleſtias eius pati, ſi animam non ad malum pertraheret. Sed hæc eſt magna & intoleranda miſeria, quòd infelicem animam prauis affectionibus illigat, & multiplicibus peccatis fœdat. Ipſa enim decepta lubens acquieſcit corpori noxia poſcenti, cùm deberet illius improbis poſtulationibus reluctari. B Cui malo per totam iſtam vitam ſubiicitur, niſi Chriſti Saluatoris beneficio liberetur. Vnde Ambroſius ait: Anima ſexum non habet; ſed ideo fortaſſe nomen fœminæ accepit, quòd eam violentior æſtus corporis angit. Ipſa autem impetus carnis amore ſui, molli quadam & blanda ratione demulcet. Ergo orationibus & obſecrationibus Dominum imitari debemus, vt quaſi bonus auſter afflare dignetur, verbíque nobis auram cæleſtem aſpiret, quæ fructiferas arbores non turbare vento graui, ſed leni ſpiramine, flatúque molli conſueuit agitare. Vnde ſcriptum eſt: Poſuit me currus Aminadab: eo quòd anima noſtra coniungitur corpori, velut quidam C equorum frementium currus rectorem ſui quærat aurigam. Aminadab enim pater Naaſon fuit, ſicut in Numeris legitur; qui erat princeps populi Iudæ; cuius figura refertur ad Chriſtum, qui verus populi princeps animam iuſti velut currum agitator aſcendens verbi habenis gubernat, ne violentorum equorum furore in abrupta rapiatur. Sunt enim quatuor equi, quatuor affectiones: amor, ira, cupiditas, timor, quibus furentibus cùm cœperit agi, nequaquam ſe ipſa cognoſcit. Corruptibile enim corpus animam grauat, & támquam irrationabilium animalium curſus inuitam rapit, voluentibus curis velut quodam impetu prouentem, donec memoratæ corporis paſſiones verbi virtute miteſcant. Hæc ille.] Habet itaque anima ex corpore angores, & triſtitias, quibus pre- D mitur, habet & virtutis impedimenta, quibus ad malum impellitur, & ab amicitia ſui conditoris auocatur. Nec modica ſapientia eſt, aut à moleſtiis his per quandam inuictam tolerantiam fugere, vel ſuaſionibus carnis per caſtum timorem Domini minimè conſentire. Licèt enim nullus poſſit in hac mortalitate corpus deponere, poteſt tamen aſpirante gratia Dei, eius moleſtias in patientiæ materiam conuertere, & ſuaſiones ad malum, vt prauum conſilium, aſpernari. Et hac ratione quaſi gladio hoſtis noſtri eum iugulamus, & nos ipſos non ſolùm illæſos, ſed & ſpoliis auctos & opibus cumulatos cuſtodi- E mus.

Ambroſ. lib. 3. de Virginib.

Licèt autem corpus ſemper hoc modo ſe erga animam gerat, ſed tunc præcipuè illi impedimento eſt, cùm ad ſenectam vergit, & ad tempus mortis accedit. Licèt enim tunc in iuſtis, innocentiæque cultoribus, minùs animam ad malum pertrahat, tamen tanta eſt imbecillitas eius, vt ex hac parte efficaciùs atque potentiùs à conſuetis bonis abducat. Obſtat actioni, quia infirmum eſt; impedit orationem, quoniam doloribus plenum eſt. Et quia recta actione, & pura contemplatione Dominum confitemur, Sanctus Dauid,

vt poſſit ſine obſtaculo his duobus inſiſtere, petit à moleſtiis corporis liberari. Educ, ait, de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iuſti, donec retribuas mihi.] *Pſ. 141. 8.* Nomine cuſtodiæ ſpeluncam intelligit, in qua Saulis indignationem declinans latebat: Sed & altiori ſenſu corpus ſuum cuſtodiam appellauit. Quare cuſtodia? Quia in eo, vt theſaurus in agro, anima cuſtoditur, donec ab eo, qui theſaurum poſuit in vaſe fictili, dum miſericorditer appropinquat, inueniatur. Et quare carcer? Quia moleſtiis corporis illigata tenetur, quouſque effractis mortalibus ianuis ad eum tendat, cuius gratia creata eſt. Vtrumque tetigit Auguſtinus eundem locum euoluens. *Aug. ibid.* Si de corpore, inquit, educat Deus, quando voluerit, poſſet dici & corpus noſtrum carcer, non quia carcer eſt, quod fecit Deus, ſed quia pœnale & mortale. Duo enim conſideranda ſunt in noſtro corpore; figmentum Dei, & pœna meriti. Tota iſta forma, ſtatus, inceſſus, membra ordinata, ſenſuum diſpoſitiones, videre, audire, olfacere, guſtare, contingere, omnis hæc compago, & fabricæ diſtinctio, non potuit fieri niſi à Deo, qui omnia operatus eſt cæleſtia, terreſtria, ſumma, & ima, viſibilia, & inuiſibilia. Quid ergo ibi pœnale noſtrum? Quòd corruptibilis caro, quòd fragilis, quòd mortalis, quòd indigens; hoc non erit in præmio. Non enim corpus non erit, cùm corpus reſurget. Sed quid ibi non erit? Corruptio. Corruptibile enim hoc induet incorruptionem. Ergo ſi caro tibi caro eſt, non corpus eſt carcer tuus, ſed corruptio corporis tui. Corpus enim tuum fecit Deus bonum, quia bonum eſt: Corruptionem intulit iuſtus, quia iudex eſt. Illud habes de beneficio; iſtud habes de ſupplicio. Hoc ergo fortè dixit: Educ de carcere animam meam; educ de corruptione animam meam.] Liberari itaque vult à corruptibili corpore, vt ſine obſtaculo poſſit Dominum confiteri, vt valeat puras ad eum leuare manus, & ſine admixtione curæ rerum huius ſæculi, quas hîc poſiti penitus ablegare non poſſumus, in eius ſe laudationes extendere. Ad hoc dicit ſe à ſanctis & iuſtis exſpectari, qui cùm videant laudes ſuas non eſſe ſatis, vt Dei maieſtatem exaltent, vndique iuſtis animabus annuunt, à quibus poſſint ad Deum prædicandum & benedicendum adiuuari. Corpus ergo cùm iam ægritudinibus fractum eſt, ſenióque confectum, ita animam ſuo pondere premit, vt difficulter ſua munera obeat, & in primo ſe feruore contineat.

Nunc, ô homo, ſi in iuuentute, aut virili ætate, ſucciſus non fueris, cogita ſeriò grauem ætatem, & ſenectutem ingreſſus quid poteris. Corpus multorum bonorum hoſtis erit, corpus in multis rebus ad ſalutem & perfectionem animæ conducibilibus, impoſſibilitatem prætendet, & ſanctis conatibus vehementer obſiſtet. Et ſicut ſeruus, qui in heri ſui domo conſenuit, manducare quidem vult, & quieſcere, & labores pro domino ſuo ſuſceptos nouit magnis exaggerationibus enarrare, laborare verò deinceps, & aliqua re occupari renuit; ita corpus, quaſi ſeruus ſenex, aut quaſi miles emeritus, priora geſta narrat, ad quietem & indulgentiam aſpirat, & ampliùs laborare non curat. Non reſpicit infælix quàm parum anima profecerit, quàm oſcitantes affectus compreſſerit, quàm nihil virtutis acquiſierit: quàm longè à perfectione diſtat, & in qua ſalebra vitiorum hæret, ſed neceſſitatibus ſuis intentum, ſolùm nihil amplius agere, aut pati concupiſcit. Monet Paulus vt conſolemur fratres, collaborando ſcilicet illis [& tanto magis, quanto viderimus appropinquantem mortis diem.] Corpus verò hanc monitionem non recipiet, nec conſolabitur animam, nec collaborabit ſociæ, ſed licèt videat diem extremum appropinquantem, ſolam quietem & vacationem à labore reſpiciet. Anima orare cupiet: & corpus dicet: Non, ſed ceſſandum eſt, quoniam capitis dolorem ſentio. Illa ad lectionem ſe applicabit: iſtud verò dicet: Non, ſed nugis & vanis confabulationibus vacandum eſt; quoniam oculi præ imbecillitate caligant, & nec ocularibus video. Illa mortis horrorem, iudicij rigorem, gehennæ terrorem meditari geſtiet: Illud dicet: Non, ſed effundamus nos, & nouitates audiamus, quoniam cordis preſſura fatigor. Anima vult vigilare, corpus dormire: illa laborare, hoc otiari: illa ad aliquem profectum feſtinare, hoc ſuis commodis ſeruire. Nunc ô homo, quando vires ſuppetūt; cùm corpus, diſciplinam religioſam, vigilias ac labores ſuſtinere valet, parum poteſt; poſtea in ſenecta moleſtiis corporis prægrauatus quid poteris? Ægritudines & imbecillitas ipſa ſenilis modicum temporis piis exercitationibus relinquent, & multis diebus totum ferè tempus, ſibi ſurripient. Quòd ſi non fueris in virtute progreſſus, nec res animæ tuæ ordinatas habueris, dices non ſine pudore & fletu: Præciſa eſt velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, ſuccidit me: de mane vſque ad veſperam finies me.] *Iſaie 38. 12.* Quemadmodum enim textor ſubitò telam abrumpit, ne ſe vltra protendat: ita & tu cùm telam vitæ ſpiritualis ordiebaris, cogente neceſſitate corporis ſuccideris, ne poſſis vltra procedere, aut ſaltem vt parum poſſis de profectu lucrari. Veriſſimum eſt, ô frater, quod dixit Seneca: Meliora prætereuolant, deteriora ſequuntur. Quemadmodum ex amphora primum quod eſt ſynceriſſimū effluit, grauiſſimum, quod turbidum, ſubſidet: *Senec. ep. 1. 8.* Sic in ætate noſtra quod eſt optimū, primū eſt, id exhauriri in aliis potiùs patimur, vt fæcem nobis reſeruemus.] O quàm verum hoc. Sed ſi nunc in robore ætatis omnia turbida ſunt, an putas, quia in periodis puriora erunt? Si modò cùm omnia iuuant, & corpus ad laborandum & ſuſtinendum aptum eſt, tepidè viuis; an in imbecillitate ſenectæ feruenter te geres? Quid de te ſperare poteris, niſi quòd futurus ſis ſenex obſtinatus, qualem deſcribens Hugo, hæc inter alia ait: Inter abuſiones huius ſæculi, ſola maior eſt ſenis obſtinatio, qui morti proximus, mortis aduentum non exhorret: *Hug. li. 1. de clauſtro animæ, c. 21.* qui quaſi ad oſtium mundi huius poſitus, foris ſpectat, nec tamen vitæ præſentis attendit egreſſum, nec ingreſſum futuræ conſiderat: audit nuncios mortis, & credere non vult eis.] Ad finem verò illius abuſionis enumeratis multis defectibus huius ſenis, concludit: His igitur plagis affligitur obſtinatio ſenis, qui carnalibus delectatur, loquacitate gaudet, importunus & grauis omnibus, more pecorum pronus ad vitia, iracundia tumens, ad iniurias manifeſtus, ad omnia mobilis, luce veritatis carens, & ideo ſeipſum palpans. Hæc ille.] Time itaque ne qui nunc in ſterquilinio ignauiæ ſedes, & parum aut nihil animæ tuæ virtutes promoues, ad maiorem ætatem prouectus, non ſolùm in eodem cœno hæreas, verumetiam & nihil omnino agas, & alios, ac ſi aliquid eſſes, ex elatione deſpicias.

Si poſtea in futuro tempore parum aut nihil poteris, quid ſupereſt, ô homo, niſi vt nunc in præſenti tempore, quod tibi ad emendationem datum eſt, quando ſcilicet aliquid potes, & tot diuinis auxiliis fulciris, & corpore ipſo robuſto iuuaris, tuam ſalutem opereris? Hortemur igitur te

breuiter

breuiter, ſed potenter, doctrinâ Salomonis, immo ſpiritus Dei, per Salomonem ſcriptâ, qua commoditas ſanctè viuendi nunc oblata, & multiplex incommodum ſenectutis tibi proponitur. Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.] Deteſtanda eſt, obliuio eius qui te ex nihilo condidit, qui nunc te ſuſtentat, & ſeruat, qui tanta in te beneficia confert, & tua mala diſſimulat. Memor eſto eius, vt diligas eum, & fideliter ſeruias ei, ne ad iracundiam ex tua ingratitudine prouocatus, te priùs deſertorem deſerat, & ſine auxiliis efficacibus derelinquat. Hæc autem facies in florida ætate, vt pulchritudo & robur eius te ad quærendam pulchram virtutem alliciat: ſisque ex illis Beatis, qui portauerunt iugum Domini ab adoleſcentia ſua. Nunc cùm vires ſuppetunt, in hanc occupationem ſalutarem incumbe, antequam veniat tempus ſenectæ, quod eſt tempus magnæ afflictionis ob ſenectutis incommoda, & antequam accedant ad te anni tædiorum & moleſtiarum pleni, in quibus à rigore diſciplinæ ceſſare cogaris. Memor itaque creatoris, & tui ipſius, eſto; illius, vt inſtinctus audias, mandatáque cuſtodias: tui verò, ne propriæ ſalutis & perfectionis oblitus bona ſemper duratura perdas. Hæc te cura ſolicitet, antequam ſenectus te occupet, antequam tenebreſcat tibi Sol, & Lumen, & Luna, & ſtellæ, quæ caligantibus oculis videre non poteris, nec ſplendore eorum, quo ad lucem ſpiritualem contemplandam incireris, perfrui: ante etiam quàm reuertantur nubes poſt pluuiam, & vix vna infirmitate, aut calamitate ſopita, aliam iamiam immminentem aſpicias. Eo tempore commouebuntur cuſtodes domus, id eſt ſenſus corporis tui, qui ad cuſtodiam dati ſunt, vt nimirum per illos tibi caueas à noxiis, & ſalutaria admittas: commouebuntur autem, quia præ defectu virium hebetati ſuo malè officio fungentur. Nutabunt etiam viri fortiſſimi, id eſt, tibiæ, & crura, & oſſa vniuerſa, quæ pondus corporis ob debilitatem ferre non poterunt. Tunc otioſæ erunt molentes in minuto numero; nam omnes dentes primores, ſerrati maxillares, & genuini iam numero facti pauciores, abſcedente fame & appetitu comedendi, quaſi otio torpebunt. Tenebreſcent quoque videntes per foramina, ſcilicet oculi; nam dum deficit potentiæ viſiuæ acies, vix ad aliquid videndum ſufficient. O miſera ætas, in qua claudentur oſtia, tu intellige labia, in platea, id eſt, in plano faciei ſita, quæ ex debilitate vocem minùs aptè formabunt, & os, cuius vnum opus eſt cibum molere, atque conterere, non validam vocem, ſicut antea, ſed exilem atque ſubmiſſam proferet. Somnus fugit à ſene, quo membra laſſa quieſcunt, & ſi aliquando ſoporatur, ita leuiter dormit, vt ad cuiuſuis auiculæ cantum ſomnus eius abrumpatur. Grauantur eius aures, nec iam eas ſuauis cantilena delectat. E ſuperis aliquid mali ſibi euenire autumat, & ideo excelſa formidat: & trementi veſtigio ambulans etiam in planiſſima via, non aliter quàm in ſummo diſcrimine trepidat: Florebit amygdalus, quia caput incaneſcet: impinguabitur locuſta, dum venter ſuperfluis humoribus diſtendetur, & diſſipabitur capparis, cùm ardore concupiſcentiæ extincto, immo & omni appetitu rerum huius mundi compreſſo, in nullo iam vſque ad mortem delectabitur. Tandem ibis, ô homo, in domum æternitatis tuæ, in locum ſepulturæ, vbi ad diem vſque reſurrectionis quieſces, & plangentibus conſtipaberis. Rumpetur funiculus argenteus candidæ vitæ tuæ, & recurret vita aurea animæ tuæ in eum, à quo deſcenderat. Corpus autem non aliter quàm hydria ſuper fontem, aut rota ſuper ciſternam, confringetur, & nulli vſui, niſi famelicis vermibus, conſumendum deputabitur. Reuertetur ſanè puluis in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus redibit ad Deum, qui dedit illum. *Si* hæc ita erunt, & citò erunt, vſquequò piger dormies? Quando conſurges de ſomno tuo? Vſquequò tibi illudes, & te ipſum decipies, & in futurum tempus emendationem protelabis? Poſteà cunctis rebus obſiſtentibus, nihil poteris; rumpe igitur moras, & nunc ad feruorem te ipſum excita, & viam perfectionis arripe, quando, Deo auxiliante, non parum vales.

Quid fecit homo.

CAPVT XI.

HOMO, non natura nec poteſtate commendatur, ſed actione, dignus præmio aut pœna cenſetur. Naturam bonam non ipſe ſibi elegit, ſed Deo donante percepit: defectus ex peccato originali profectos, licèt primorum parentum voluntate, in quibus ipſe erat, admiſit, tamen propria ſua voluntate non voluit: poteſtatem ad aliquid faciendum, aut per naturam, aut per Dei gratiam obtinuit. Quare ſicut non laudatur ex eo quòd robuſtus natus eſt, nec vituperatur, quia cæcus, aut ſurdus ex aliquo morbo ſit factus, ita nec ex eo quòd naturam habeat luteam, aut facultatem puſillam, vituperabilis redditur. At actiones ex libero arbitrio manantes, hominem aut laudatione aut probro dignum efficiunt. Vnuſquiſque, ait Paulus, propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuũ laborem.] 1. Cor. 3. 8. Et gloria, honor, & pax omni operanti bonum.] Rom. 2. 10. Et qui parcè ſeminat, parcè & metet.] 2. Cor. 9. 6. Eccleſiaſticus quoque de vtriuſque operibus ait: Omne opus corruptibile, id eſt, malitia putridum, in fine deficiet: & qui illud operatur, ibit cum illo. Eccli. 14. 20. Et omne opus electum, id eſt ſtudioſum, & bonum, iuſtificabitur, iuſtum ſcilicet declarabitur: &, qui operatur illud, honorabitur in illo.] Et iterum Paulus: Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.] Galat. 6. 8. Defectus à natura ipſa prognatos quaſi inuoluntarij & inuiti ſuſtinemus. Nihil autem eorum, quæ inuiti ſubimus, inquit Baſilius, laudabile eſt, vnde Baſil. in Pſal. 114. nec vituperabile eſſe poteſt. Et bona à natura donata quaſi aliena ſunt, quæ nobis etiam nolentibus aut durant aut fugiunt: opera verò propria ſunt cuiuſcunque noſtrum, quæ ex electione facimus, & iam facta, aut libere per odium deteſtamur, aut per complacentiam retinemus. Scimus verò, vt ait Gregorius Niſſenus, quòd nulla vera ſit laus, quæ eorum, qui laudantur, propria non ſit. N. ſſen. de vita Grego. Thaumat. Iam ergo relinquamus prædicta, quid homo fuerit, quid ſit, & quid erit? Item, quid potuerit, quid poſſit, & quid in futurum poterit? quæ non ex propria, ſed ex aliena voluntate dependent; & actiones eius operáque conſideremus, ſi fortè aliquod habeat opus à ſe profectum in quo poſſit gloriari.

Inueſtigandum eſt autem primò quid homo

Quemadmodum ergo amens furore amentiæ percitus ſe ipſum pugnis ferit, & vnguibus ſuas carnes dilacerat: ita homo per peccatum quaſi amens effectus, animam ſuam corpuſque percuſſit, & naturalium bonorum integritatem ſplendorémque detraxit.

A

Quid adhuc fecit homo? Diuitias amiſit. Illum ditauit Deus, cùm regem conſtituit ſuper orbem vniuerſum, cùm dominum cunctorum animalium fecit, cùm omnibus viſibilibus rebus præpoſuit. Sed audiamus ex ore Lactantij hoc dominium hominis ſuper omnia, & quam ob cauſſam illi fuerit attributũ. Fecit, inquit, ergo Deus mundũ propter hominẽ. Hoc qui non videt, non multùm diſtat à pecude. Quis cælum ſuſpicit niſi homo? Quis ſolem? Quis aſtra? Quis opera Dei miratur, niſi homo? Quis colit terram? Quis ex ea fructum capit? Quis nauigat mare? Quis piſces, quis volatilia, quis quadrupedes habet in poteſtate, niſi homo? Cuncta igitur propter hominem Deus fecit: quia vſui hominum cuncta ceſsêre. Rectè ergo viderunt Philoſophi: ſed illud, quod ſequitur, non viderunt, quòd ipſum hominẽ propter ſe fecerit. Erat enim conſequens & neceſſarium, & pium: vt cùm hominis cauſſa tantam operam molitus ſit, cùm tantum illi honoris, tantum illi poteſtatis tribuerit, vt dominetur mundo; homo agnoſceret Dominum tantorum beneficiorum auctorem, qui fecit mundum propter ipſum, & ei cultum, & honorem debitum redderet.] Hoc ergo dominium perdidit homo, cùm à Deo deſciuit, & ſe ipſum ac nos ad miſeram & extremam paupertatem redegit. Nam poſtquam peccauit, non more regis, ſed coloni viliſſimi, terram coluit, & vomere duriciẽ eius ſubegit, vt vitæ huic mortali conſuleret. Animalia ſibi inimica ſenſit, & ab ipſis, aut in ſe, aut in poſteris vulnera morſuſque ſuſtinuit. Cæteræ res illum tamquam Dei hoſtem auerſatæ ſunt, eique quaſi inuitæ ſeruierunt, adeo vt indiguerint in hoc ſuo labore conſolari. Hoc quippe indicant illa verba Pauli: Vanitati creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.] Ambroſius certè, & Chryſoſtomus, hunc locum non tantùm de homine, ſed de omnibus aliis viſibilibus creaturis interpretati ſunt. Vanitati igitur omnis creatura ſubiicitur, quoniam vanum eſt, quod ſuum finem non aſſequitur, & creaturæ ex parte ſuo fine fruſtrantur. Factæ fuerunt, vt ſeruirent amico Dei, & quia homo à Deo receſſit, famulantur inimico. Nolentes ſubiiciuntur, quoniam vellent, ſi optio illis daretur, potiùs peccatorem, ac Dei hoſtem perimere, quàm ei aliquod obſequium deferre. At ſeruiunt homini, propter imperium illius ſummi Dei, qui ſubdidit illas, cuius imperium nec audent, nec poſſunt detrectare. Haudquaquam autem ſeruiunt ſine ſpe: veniet enim tempus cùm homo liberatus à corruptione peccati, & translatus in dignitatem filij Dei, ipſas creaturas liberabit; quia iam non inuitæ hoſtibus Dei, ſed libenter filiis eius, hæredibúſque, deſeruient.

Lact. epitom. diuinar. institu. cap. 10.

B

C

Roman. 8.21.22.

Ambroſ. ibid. Chryſoſt. homil.

D

E

Homo igitur, cuius culpa omnes creaturæ ab ipſo defecerunt, ſe ipſum pauperem fecit. Propter eius peccatum [poſuit Deus flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim, Terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea.] Propter peccatum, inquam, exſiccauit flumina, obturauit fontes, & terram fertilem inſtar ſalinarum infrugiferam fecit, vt homo, panis & aquæ, quibus omnia ad corpus neceſſaria ſignantur, penuriam & indigentiam ſentiret. Quòd ſi pauperes, laboribus, & ærumnis, & ſudore vultus ſui panem ex terra à ſe ſeminata colligunt, & aquam pro viribus ſuis, ceruicibus impoſitam vehunt; in idem malum incidit rex iſte orbis ad mendicitatem redactus, qui fame impellente compulſus eſt terram in ſudore vultus ſui colere, & aquam, ſi non pecunia, at labore comparare. Hæc demum primi noſtri hominis paupertas, fuit paupertate Iob ſine vlla comparatione infelicior; quoniam hæc ab illa proceſſit: hanc naturalis neceſſitas, illam culpa intulit: hæc in ipſo Iob ſe continuit, illa ad poſteros omnes Adæ manauit: hæc, probroſa non fuit, quia ad probationem data: illa, ignominiæ plena, quia ad puniendam culpæ grauitatem immiſſa. Beato Iobo ſine cauſſa inſultabant reges, & Tobiæ vitam parentes & cognati abſque eius demeritis irridebant: at Adamum mendicitate percuſſum angeli & creaturæ omnes meritò ſubſannabant, quoniam illi miſeriæ non eum naturæ neceſſitas ſubdidit, ſed iniquitas ſponte admiſſa, ſubiecit.

Pſal. 106. 33.34.

Tobiæ 2. 15.

Et quid amplius fecit homo? gratiam perdidit gemmam illam pretioſiſſimam amiſit, amicitiam cum Deo, felicitatis ſemen, à ſe reiecit. Magnum fortaſſe fuit bonum pro quo tantum pretium impendit? Nequaquam; ſed pro pomo vno, immo & pro buccella ex vno pomo guſtanda, gratiam, obtulit virtutes, ſpiritus ſancti dona, & ius ad cæleſte regnum, offerre non timuit. O fornicator, ô profane pluſquam Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primitiua ſua, tu autem non pro vna eſca, ſed pro eſu vnius pomi primogenium tuum non terrenum, ſed cæleſte commutaſti. Ille fornicator, quia contra voluntatem patris plures vxores idôlis ſeruientes accepit: tu fornicator in ſeptuplum, quia reluctante Dei voluntate, pluribus ſuperbiæ, gulæ, & inobedientiæ, nequitiis adhæſiſti. Ille profanus, quia ius primogenituræ, quo ſacerdotium, res ſacra, continebatur, vendidit: tu multis partibus magis profanus, qui ſacerdotalem & regiam æternæ patriæ dignitatem, gratis & ſine vllo pretio dilapidaſti. At fortè parens noſter magna deceptione deceptus eſt, & falſis promiſſionibus ineſcatus? Non: ſed malitiosè in barathrum tanti mali coniectus. Adam, inquit Paulus, non eſt ſeductus.] Non ignorantia deliquit non paſſione pelliciente mandatum fregit, ſed malitia ſuadente peccauit. Viſum illi fuit vtile, pro vno pomo, & pro auiditate dominandi, iactui aleæ tantam bonorum copiam exponere. Luſit, aleam iecit, & omnem ſuam pecuniam perdidit, ſeque in lacum peccati deiecit.

Hebræ. 12.16.

1. Timot. 2.14.

Pergis inquirere, quid fecit homo? ſua merita diſſipauit. Modico illo innocentiæ tempore quas non diuitias acquiſiuit? In Deum magno feruore credidit, cæleſtem beatitudinem, & media ad illam conſequendam ſperauit. Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente dilexit, eius mandatis obedire propoſuit, creatorem ſuum profundè adorauit, res Eccleſiæ futuras raptus in extaſem contemplatus eſt; proximum, ſcilicet Euam, amauit, ex præcepto Domini coniugium iniuit, coniux factus virginitatem in pretio habuit, munus ſuum gubernandi mundum, incepit, nomina animalibus indidit, & plurimas alias virtutum actiones elicuit. Vniuerſa merita hæc vno illo Adæ peccato fuerunt mortificata, &, niſi Deus illum erexiſſet, manſiſſent omnino deſtructa. Et quemadmodũ mercator, qui in naui oneraria omnes ſuas opes recondidit, ſi in-

ſurgat ſæua tempeſtas, qua nauis hinc inde iactata fluctibus obruatur, omnia, quæ multis annis magno labore quæſierat, vno momento perdit: ita primus ille parens noſter, ſuaſione coniugis, quaſi dira tempeſtate iactatus, ſua merita perdidit, & nudus ad diuinæ miſerationis littus exiuit. In eo impletum eſt, quod de quolibet imitatore ipſius ſcripſit Amos: Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtine-
Amos 2. 14.15.16. bit virtutem ſuam, & robuſtus non ſaluabit animam ſuam. Et tenens arcum non ſtabit, & velox pedibus ſuis non ſaluabitur, & aſcenſor equi non ſaluabit animam ſuam, & robuſtus corde inter fortes nudus fugiet in illa die.] Velox erat Adam, quem non affectus immoderati grauabant; fortis, quem iuſtitia roborabat; aſcenſor equi, qui corpus ſuum ſine difficultate regebat, optimis indumentis indutus, quem virtus multiplex operiebat. Hic autem in illa die peccati ſui miſerabiliter cecidit, & nudus ac omnibus bonis ſpoliatus aufugit.

Fecitne aliquid amplius homo? Et quidem. Nam animam ſuam occidit, quæ licèt quo ad naturam immortalis ſit, tamen tunc Deo moritur, cùm ab eius amicitia ſeparatur. Ingens malum eſt vitam iſtam mortalem profundere, quanto maius malum vitam æternam peccato perdidiſſe, & animam morte culpæ iugulaſſe? Illam vitam nemo volens amittit, hanc primus parens ſciens & volens contempſit, vtque in ſe morti locum daret, imprudens amiſit. At ſi ſe ſolum occidiſſet, non eſſet fortè mirabile; ſed & ſe ipſum, & nos ſuos filios occidit. Sicut in Adam, inquit Paulus, omnes moriuntur, ita & in
1. Corinth. 15. 22. Chriſto omnes viuificabuntur.] Vt quemadmodum Chriſtus eſt initiũ vitæ ſpiritualis; ita Adam initium mortis ſpiritualis omnium hominum agnoſcatur. Quàm atrox, & ignominiæ plenum fuit illud facinus, quo mulier Hebræa tempore famis proprium
4. Reg. 6. 29. filium interfecit, & coxit, & ſibi, ac alteri mulieri comedendum appoſuit? Sed ignominioſius fuit peccatum Adæ, qui non tempore famis, ſed ſummæ abundantiæ, non vnum tantùm filium, ſed omnes ex eo naſcituros occidit, & ex eis non alteri homini, ſed diabolo infeſtiſſimo hoſti, quaſi conuiuium fecit, dum eos ipſius dominationi ſubdidit. Crude-
Pſal 105. 37.38. les illi, qui immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis. Et effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan.] Sed crudelior iſte, quoniam non corpus, ſed animam ſuam, & filiorum ſuorum, diabolo per peccatum tradidit, & à Deo tam procaci iniquitate receſſit.

Quid mirum ſi poſt emnim opus hominis numeremus, quod in Dei offenſam incurrit? Qui enim tanta mala fecit, quidni Deum ad iram & indignationem prouocet? Hoc autem extremum, & ingens eſſe malum, certum eſt. Nã ſicut ex miſericordia Dei omnia bona hominis prodeunt; ita ex ira Dei tamquam ex ea quæ iuſtè peccata punit, omnia hominis aduerſa procedunt. Iraſcitur ille, non quia paſſione moueatur, qui eſt impatibilis, ſed quia ad modum irati pœ-
Ambroſ. in Pſal. 37. verſu 1. nas pro peccatis infligit. Non Deus paſſioni patet, inquit Ambroſius, vt iraſcatur, cùm ſit impaſſibilis, ſed quia vindicat, videtur iraſci. Nobis hoc videtur, quia ipſi cum commotione vindicare conſueuimus.] Si ergo homo Domini indignationem meruit, non magnum eſt, quòd tam multas pœnas, & calamitates nobis filiis ſuis quaſi ex teſtamento reliquerit. Hæc eſt hereditas noſtra, quã ab illo accepimus, cui cedere, licèt velimus, non ſinimur, & ideo tantis quotidie malis cruciamur. Vide nunc, ô homo, opera patris tui, ſed vide potiùs quid in illo feciſti. Deum offendere, animam perdere, mortem æternam lucrari. Deus feſtinanter in te innumera bona contulit; tu feſtinanter ea perdidiſti: ille magna liberalitate ædificauit, tu incredibili prodigalitate deſtruxiſti: ille te ad ſuam familiaritatem extulit, tu ex illa ſine vllo metu cecidiſti. Vade nunc, & de tuis parentibus gloriare, & pro eorum rectè factis ad elationem aſcende, vt à Deo magis elongeris. Accedet homo ad cor
Pſal. 63. 7. altum, inquit, Dauid, & exaltabitur Deus.] Accede tu ad cor altum, aſſume cor ſuperbum, vt Deus exaltetur, vt à te fugiat, tuóſque conatus irrideat. Quòd ſi hoc noxium eſſe iudicas (& tune ſapienter iudicas) te ipſum non tantùm nunc ſed ſemper peccatorem agnoſce, qui in illo primo parente tuo iniqua geſſiſti, & omnia mala, quæ pateris, es ipſe commeritus.

Quid facit homo?

CAPVT XII.

SI filij horum parentum ſumus, qui hæc, quæ ſunt dicta, fecerunt, & ira aduerſus Dominum & eius legem inſurrexerunt, quo nomine vocati poſſumus, & quo nobilitatis titulo inſigniri? An non aptiſſimè ad nos dicentur illa verba
Luc. 3. 7. Ioannis Baptiſtæ, quibus turbas compellebat: Genimina viperarum quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?] Immo & illa Domini Saluatoris, quæ in
Matth. 23.33. idem recidunt: Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?] Filius viperæ vipera eſt, & filius ſerpentis, ſerpens. Si filij ſerpentis ſumus, id eſt, peccatoris, quoad eſſe naturale attinet: ſi filij viperæ, id eſt peccatricis, qui in nos virus peccati vomuerunt, an à peccato immunes erimus? An opera noſtra, quæ facimus, non ſimilia erunt operibus, quæ illi fecerunt? Ergo ex operibus illorum poſſumus actionum noſtrarum qualitates venari. Opera autẽ parentũ noſtrorũ, poſt lapſum, duplici genere continentur: quædam erant naturalia, quibus mortalitati ſeruiebant, & vitam hanc calamitoſam vtcumque ſeruabant. De his dicitur in Ge-
Geneſ. 4. 2. neſi: Fuit Abel paſtor ouium, & Cain agricola.] Si enim filij parentum ſuorum munera officiáque ſuſcipiunt, non aliud eſſet officium Adæ quàm terram colere, oues paſcere, & terrenis hiſce functionibus occupari. Alia erant moralia, quorum altera bona erant, altera mala. De bonis illud Eccleſiaſtici intel-
Eccli. 17. 7. 8. ligitur: Poſuit oculum ſuum Deus ſuper corda illorum,] id eſt, proximorum parentum, [oſtendere illis magnalia operum ſuorum, vt nomen ſanctificationis collaudent: & gloriari in mirabilibus illius, vt magnalia enarrent operum eius;] & alia, quæ ibi ſequuntur. De malis verò dicitur in Geneſi, quòd protoparens noſter poſt primum illud ſuperbiæ & inobedientiæ peccatum, abſcondit ſe à facie Domi-
Geneſ. 3. 8. & 12. ni, & excuſauit ſe, ac peccatum ſuum in Euam reiecit. Et quamuis verum ſit, toto vitæ ſuæ tempore nullum aliud lethale peccatum præter illud primum commiſiſſe, ſed apud Theologos conſtitutum eſt leuia multa perpetraſſe. Ad hæc eadem genera poſſumus vniuerſas actiones noſtras reuocare, & in eis multa inueniemus, quæ noſtram vtilitatem oſtendunt.

Si opera naturalia ſpectemus: quid facit homo niſi mutabilitati & corruptibilitati ſeruire? Certè ſi non tota, at maior vitæ pars in his abiectis operibus occupatur, vt corpus iſtud corruptibile aliquo ſaltem breui tempore ab omnimoda corruptione, quæ in tempus mortis eſt aſſeruata, vindicetur. Iam manducamus, iam bibimus, iam dormimus,

iam

Digitized by Google

iam laboramus, vt labore panem quæramus, iam præ imbecillitate quieſcimus. Et tale corpus habemus, vt non vno actionum genere, ſed diuerſarum actionum viciſſitudinibus exercendum ſit, vt ab interitu liberetur. De quo egregiè ſcripſit Gregorius: Eſurire, ſitire, laſſeſcere, vincula corruptionis ſunt, quæ ſcilicet ſolui nequeunt, niſi cùm in illam immortalitatis gloriam noſtra mortalitas permutatur. Replemus etenim refectionibus corpus, ne extenuatum deficiat: extenuamus abſtinentia, ne nos repletum premat. Vegetamus hoc motibus, ne ſitu immobilitatis intereat. Sed citiùs hoc collocando ſiſtimus, ne ipſa ſua vegetatione ſuccumbat. Adiumentis hoc veſtium tegimus, ne frigus interimat: & quæſita adiumenta proiicimus, ne calor exurat. Tot igitur aduerſitatibus occurrentes, quid agimus niſi corruptibilitati ſeruimus, vt ſaltem multiplicitas impenſi obſequij corpus ſuſtineat, quod anxietas infirmæ mutabilitatis grauat? Vnde bene per Paulum dicitur: Vanitati enim ſubiecta eſt creatura non volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberatur à ſeruitute corruptionis, in libertatē gloriæ filiorum Dei.] Vanitati quippe creatura non volens ſubditur, quia homo, qui ingenitæ conſtantiæ ſtatum volens deſeruit, preſſus iuſtè mortalitatis pondere, nolens mutabilitatis ſuæ corruptioni ſeruit.] Ita Gregorius; qui in alio ſenſu accipit vocem creaturæ, ab eo, quem ſuprà attigimus, dum in omni creatura hominem intelligit. Ex quo aliam miſerandi hominis afflictionem elicio. Quòd nimirum ipſe omnium creaturarum mutabilitati ſubiicitur. Aliæ namque res paucis viciſſitudinibus egent, paucíſque rebus indigent, vt ſuum eſſe conſeruent. Solus miſer homo ac ſi eſſet omnis creatura, omnium creaturarum neceſſitatibus & mutationibus ſubiectus eſt, vt illis quaſi fulcimentis adiutus ab interitu liberetur.

Greg. 4. mor. c. 30.

Rom. 8. 21.

Occaſione autem neceſſitatis huius, quàm magnis curis, & quàm intolerandis laboribus genus humanum implicetur, quis poterit explicare? Innocentius, toto libro ſecundo, ex tribus, quos de contemptu mundi conſcripſit, vberrimè hoc argumentum explicuit. Qui curas hominum tribus illis à Ioanne Apoſtolo numeratis aſſerit contineri: Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.] Tria, inquit Innocētius, maximè ſolent homines affectare, opes, voluptates, honores. De opibus praua, de voluptatibus turpia, de honoribus vana procedunt. Opes generant cupiditatem, concupiſcentiam & auaritiam. Voluptates pariunt gulam & luxuriam. Honores nutriunt ſuperbiam. Ex his igitur tribus fontibus quantæ inquietudines & perplexitates emanant! Qui opes congregare geſtiunt, mercimoniis inſiſtunt: terrarum peragrant longiſſima ſpatia, marium tranſeunt immenſitatem, vt aurum argentúmque poſſideant. Et ſi verum eſt (quod ſine dubio verum eſt) dictum ſummæ veritatis: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum:] hi cor ſuum à Deo auertunt, & in terræ vilitate recondunt, vbi ſuum habent theſaurum, & ſuas opes occultare conſtituunt. Alij ſortis infælicioris (ſecundùm hominem loquor) artibus mechanicis occupantur, & ex ſudore & labore ſuo extrahunt, quo corpus ipſum reficiant. Et horum aliqui abiectione officiorum ſuorum ſatis caſtigantur; alij verò præ magnitudine laboris, qualis eſt verbi gratia, in eruendis metallis, in dolandis lapidibus, & in aliis huius generis, pæne deficiunt. Nonnulli ex alieno labore diuitias poſſident, & puſillorum ſanguinem bibūt, eorúmq; macie pingueſcūt. Hi ſunt, quos inſipiens mundus nobiles & illuſtres appellat, quorum ſumma eſt infælicitas, niſi ſubiectis ſuis moderata onera imponant, & niſi ea, quæ corradunt, in vtilitatem ipſorum ſubditorum impendant. Qui voluptatum ſunt amatores, vitam agunt vitæ beſtiarum aſſimilem. Iam ciborum nimietate turgeſcunt, iam potus ſatietate deſipiunt, iam venereorum immunditia polluuntur. Non erubeſcunt hi à beſtiis immanibus moderatione vinci, & boneſtate ſuperari. Nam illæ ad neceſſitatem comedunt, & bibunt, & ſtatis temporibus vrgente natura ipſa miſcentur. Homo verò ſæpe non neceſſitati in his, ſed voluptati & effrænatis deſideriis inſeruit. Qui tandem honores & dignitates aſſequi concupiſcunt, innumera mala & moleſta ſuſtinent, vt re amata potiantur. Sed gratum erit, Innocentium, horum vitam deſcribentem, audire.

1. Ioan. 2. 16.
Innoc. lib. 2. c. 1.

Matth. 6. 21.

Ambitioſus autem, inquit, ſemper eſt pauidus, ſemper attentus quid dicat, vel faciat, quod in oculis hominum valeat diſplicere. Humilitatem ſimulat, honeſtatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem oſtendit, ſubſequitur, & obſequitur, cunctos honorat, vniuerſis inclinat, frequentat curias, viſitat optimates, aſſurgit, & amplexatur, applaudit, & adulatur: bene nouit illud poëticum:

Innocen. libr. 2. c. 26. & 27.

Et ſi nullus erit puluis, tamen excutit illum. Promptus & feruidus, vbi placere cognouit; remiſſus & tepidus vbi putauerit diſplicere. Improbat mala: deteſtatur iniqua: alia cum aliis probat & improbat, vt iudicetur idoneus, vt reputetur acceptus, vt laudetur ab hominibus, vt à ſingulis approbetur. Et ecce grauem intra ſe ſuſtinet pugnam, difficilémque conflictum, dum iniquitas pulſat animum, & ambitio continet manum, & quod illa ſuggerit faciendum, hæc fieri non permittit. Colludunt tamen ad inuicem mater, & filia; iniquitas, & ambitio: nam mater in aperto ſubſiſtit, & filia in occulto non reſiſtit. Hæc enim vendicat ſibi publicum, illa ſecretum. Ambitioſus ergo libenter agit de principatu, quem ambit, & dicit: O quando principabitur ille, qui ſeuerus ſit in iuſtitia, pius in miſericordia, qui non declinet amore, vel odio, qui non corrumpatur prece, vel pretio, qui credat fidelibus, & acquieſcat ſupplicibus, qui ſit humilis & benignus, largus & manſuetus, conſtans, ſapiens, patiens, & aſtutus. Si forſan hac arte non proficit, recurrit ad aliam, aduocat Simonem, & accedit ad Giezi: per hunc ab illo nititur emere; quod per ſe non præualet obtinere: ſupplicat, & promittit, offert, & tribuit, proh pudor! gratiam, quam gratis adipiſci nequit. Nec deſiſtit adhuc, ſed inſtat, & inuadit violenter honorem, & impudenter atripit dignitatem, amicorum ſuffragio, præſidio propinquorum: tantóque dominationis inflammatur ardore, tanta libidine præſidendi, vt nec ſchiſma abhorreat, ſcandalum non formidet. Sed Giezi lepra percuſſit; & Simō periit cum pecunia; Chore autem cum complicibus, ignis abſumpſit; & Dathā & Abiron terra viuos abſorbuit. Nullus itaque ſibi honorem aſſumat, niſi qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Hactenus Doctor iſte.]

Ex operationibus autem, quas naturales vocauimus, ſenſim ad peccata deflectimus. Nec mirum, quoniam humana imbecillitas non paucas his operibus culpas immiſcet. Sed peccata, atque iniquitates hominum multiplices, quis valeat exprimere? Diſcurrat mens tua ô lector, per orbem vniuerſum diſcurrat, & ingemiſcet. Quàm magnam mundi partem occupant idololatræ? Et quid faciunt hi, qui idólis ſeruiunt? Res viliſſimas, & ad obſequium ipſorū creatas, deos putant, ab illis tamquam à diis

pendent, eiſque diuinos honores impendunt. Ab hoc autem peccato poſt odium Dei maximo, quæ non turpia & obſcœna, quæ non impia & abſurda, quæ non iniuſta & flagitioſa naſcuntur? Nullum ſanè peccatum eſt, quo (vt oculis vidimus) miſeri iſti homines non fœdentur; ſi tamen homines dici poſſunt, qui ſolam humanam effigiem habere videntur, & in reliquis belluas rationis expertes imitantur. *Rom. 1. 29.* Eos dicit Paulus repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia. Alium mundi tractum, & ſatis ſpatioſum, tenent Turcæ & Mahumetani. Et hi, quid faciunt? Hominem ſpurciſſimum & ſtultiſſimum, magnum Dei vatem putant, legem ab eo latam (ſi tamen lex dici poteſt ridiculum quoddam delirium plurimis inſaniis refertum) obſeruant, omni turpitudini fræna laxant, & nihil aliud, niſi ea, quæ ventrem diſtendunt, & ea, quę ſub ventre ſunt, cogitant. *Pſ. 43. 25.* Qui poſſunt dicere: Humiliata eſt in puluere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter.] Et vtinam dicerent, & miſericordiam poſtularent: ſed nihil eſt magis alienum ab eis, quàm ſuam cæcitatem agnoſcere. Magnas & nobiles orbis prouincias hæreſis funeſta deuaſtat. Et in his hæretici quid faciunt? Catholicam Eccleſiam matrem ſanctiſſimam, & veneratione digniſſimam perſequuntur, ſummi Pontificis Chriſti Vicarij, qui Epiſcopus Romanus eſt, iugum excutiunt: de Deo, ac de Chriſto filio eius peruerſa ſentiunt. *Pſal. 2. 2.* Aſtiterunt enim reges terræ eorum, & principes conuenerunt in vnum aduerſùs Dominum, & aduerſùs Chriſtum eius.] Sacramentis aduerſantur; ſacras ceremonias irrident; Deo ſacratos cœtus Religioſorum & Virginũ ſpernunt; ſcripturas ſacras corrumpũt, ſanctorũ Patrum codices ſubſannant, dicta eorum ex profeſſo perperam interpretantur, & ſapientiſſimis ac ſanctiſſimis viris, & à Deo afflatis, Lutherum & Caluinum, & alias ſimiles peſtes, anteponunt. His omnibus miſcentur Iudæi homines perfidi, incredibili cæcitate percuſſi, à Deo derelicti, quorum magna & multa peccata magis in dies iuſtam Domini indignationem accendunt. Ideo verò reliquis nationibus mixti ſunt, quoniam prædictum eſt per Oſeam, *Oſeæ 3. 4.* Quia dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine Teraphim.] Nunc Eccleſiam conſideremus. Et in ea quid faciunt mali? Hi ſunt de quibus inquit Paulus: *Ad Tit. 1. 16.* confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, cùm ſint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.] Fidem habẽt, facta non habent: Deo dicenti credunt, & eius dictis vita non acquieſcunt: ſacramenta & res ſacras profanè ſuſcipiunt. Et hi quot ſunt numero? Certè reſpondere poſſumus illud Eccleſiaſtis: *Eccl. 1. 15.* Stultorum infinitus eſt numerus.] Mali enim, proh dolor, multi ſunt in Eccleſia, quos, vt corrigantur, pia mater non reiicit. Hi omnes mala faciunt, & peccatorum tela in cælum intorquent.

Iam ad bonos & iuſtos accedamus. Horum multi imperfecti ſunt, pauci perfecti. Illi multi quid faciunt? Eſto quòd à peccatis lethalibus abſtineant, ſed quàm multa admittunt venialia? Quàm ſunt cogitatione inſtabiles, deſideriis abiecti, verbis fatui, operibus tepidi? Certè ſi numerum peccatorum leuium, quæ vno die imperfectus quiſque facit, ſciremus, ingenti admiratione ac terrore commoueremur. Et iſti pauci quid faciunt? Non ſunt omnino à

A leuibus peccatis immunes; qui dicunt quotidie, & verè dicunt: Dimitte nobis debita noſtra.] In his etiam reperit Deus aliquid, quod reprehendat, quod puniat, & quod lima tribulationis expoliat. Vnus iſtorum audiendus eſt, & quidẽ perfectiſsimus atque ſanctiſſimus. Is ſit Bernardus, dicátque nobis quid de ſua anima ſentiat, quid de ſuis iuſtitiis excogitet, & in quo ſuam cõſolationem inueniat. *Bern. ſer. 5. in Dedicat. Eccleſiæ.* Quid modò neceſſe eſt, inquit, ſingulas eius, id eſt, animæ, miſerias numerare, quàm ſit onerata peccatis, obfuſa tenebris, irretita illecebris, pruriẽs cõcupiſcentiis, obnoxia paſſionibus, impleta illuſionibus, prona ſẽper ad malum, in vitiũ omne procliuis, poſtremò totius B cõfuſionis & ignominiæ impleta? Mirũ ſi ipſæ quoque iuſtitiæ noſtræ omnes ad lumen veritatis inſpectæ, velut pannus menſtruatæ non inueniuntur: iniuſtitiæ deinceps quales reputabuntur?] Si lumen, quod in nobis eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quãtæ erunt?] *Matth. 6. 23.* Facile eſt cuique noſtrum, ſi ſua meliùs vniuerſa, & ſine diſsimulatione veſtiget, & iudicet ſine acceptione perſonæ, atteſtari per omnia, Apoſtolicæ veritati, & libere proclamare: Qui ſe putat aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.] *Gal. 6. 3.* Quid eſt homo, quia magnificas eum (ait fidelis, & deuota confeſsio) aut apponis erga eum cor tuum?] *Iob. 7. 17.* Quid? Sine C dubio vanitati ſimilis factus eſt homo, ad nihilum redactus eſt homo, nihil eſt homo. Quomodo tamẽ penitus nihil eſt, quem magnificat Deus? Quomodo nihil, erga quem appoſitum eſt cor diuinum? Reſpiremus, fratres, & ſi nihil ſumus in cordibus noſtris, fortè in corde Dei poteſt aliud latere de nobis. O pater miſericordiarum, ô pater miſerorum, quid apponis erga eos cor tuum? Scio, ſcio:] Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.] *Matth. 6. 21.* Quomodo ergo nihil ſumus, ſi theſaurus tuus ſumus? Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt ante te, & tamquam nihilum & inane reputabuntur. Si quidem ante te, ſed non ſic intra te. Sic in iudicio veritatis tuæ, ſed non ſic in affectu pietatis tuæ. Nimirum vocas ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt. Et non ſunt ergo, quia quæ D non ſunt, vocas: & ſunt, quia vocas. Licèt enim non ſint quantum ad ſe, apud te tamen ſunt vtique iuxta Apoſtolum, non ex operibus iuſtitiæ, ſed ex vocãte. Sic nimirum, ſic conſolaris in tua pietate, quem in veritate tua humiliaſti, vt magnificè dilatetur in tuis, qui meritò anguſtiatur in viſceribus ſuis. Siquidem [vniuerſæ viæ tuæ miſericordia & veritas requirentibus teſtamentum tuum, & teſtimonia tua.] *Pſal. 24. 10.* Teſtamentum vtique pietatis, & teſtimonia veritatis. Lege homo, in corde tuo, lege intra te ipſum de te ipſo teſtimonia veritatis, etiam hac communi luce iudicabis te indignum. Lege in corde Dei teſtamentum, quod firmatum eſt in ſanguine mediatoris, & inuenies quàm longè aliud ſpe poſsidere, quàm re tenere, E videris. Quid eſt, inquit, homo quia magnificas eum? *Iob. 7. 17.* Magnus vtique: Sed in illo, ſiquidem magnificatus eſt ab illo. Aut quomodo non magnus apud illum, cui tam magna cura eſt de eo? Ipſi enim cura eſt de nobis] ait Apoſtolus Petrus. *1. Petr. 5. 7.* Et propheta: Ego autem mendicus ſum, & pauper, Dominus ſollicitus eſt mei.] *Pſ. 39. 18.* Planè artificioſa connexio vtriuſque conſiderationis, quia velut vno momento deſcendens pariter & aſcendens, & ſe pauperem & mendicum, & Deum pro ſe ſollicitum vidit. Angelicum eſt iſtud aſcendere & deſcendere ſimul. Videbitis, ait, Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis. Hactenus ille.]

Hæc igitur faciunt homines, hæ ſunt actiones eorum, aut viles, aut malæ, aut planè imperfectæ, aut ſaltem non pro dignitate perfectæ. Nullus eſt locus,

nulla

nulla ciuitas, nulla domus, nullum cubiculum in quo ſint homines, à quo non aliquod peccatum aut graue, aut leue, frequenter prodeat, aut aliquod opus minùs perfectum & purum aſcendat. Et eſt hîc quoddam admirandum luctuoſúmque certamen inter Deum & homines. Nam nullum eſt momentum, in quo Deus non innumera, & pæne infinita beneficia in homines conferat, & in quo homines non innumeris peccatis multiplici beneficio reſpondeant. Ille bona, nos mala: ille dona, nos offenſas & iniurias congerimus. Quid ſuperbis, ô homo, quid ſuperbis? Ex genere eorum es, qui ſemper Deo iniurias irrogant. Conſilium ipſorum non longè eſt à te. Gen. 49. 6. Nec dicis cum Iacob: In conſilium eorũ non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea:] Immo eos imitaris, cum illis perperam agis, & multum aut parum tuum creatorem offendis. Ingemiſce itaque cum quodam peccatore, & confitere Domino: 1. Reg. 14. 18. Iuſtior tu es, Domine, quàm ego. Tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.] Et hac ſinceriſſima, & veriſſima confeſſione inſtructus, ſemper coram Domino erubeſce, & omnem ſuperbiam & arrogantiam execrare. Quid enim ſuperbiat puluis, & cinis, ſemper mala aut imperfecta faciens, & numquam ad cordis mundiciam, quam exoptat, perueniens?

Quid facturus eſt Homo?

CAPVT. XIII.

OPera hominum futura, ex præteritis & præſentibus facilè coniectabimur. Salomon enim ſe ipſum interrogans, ſibíque reſpondens, ſic ait: Eccl. 1. 9. Quid eſt quod fuit? Ipſum, quod futurum eſt. Quid eſt, quod factum eſt? Ipſum, quod faciendum eſt. Itaque præterita, præſentia, atque futura ſibi ipſis reſpondent, & natura in rebus neceſſariis, & voluntas in hominibus libero arbitrio conſtantibus ad idem pronæ ſimiles ſemper fructus parient, ſimiles effectus elicient. Heri ortus eſt ſol, hodie oritur, & cras abſque dubio exorietur quoq;. Superioribus annis arbores hyemis tempore floribus & foliis nudatæ ſunt: & æſtate ſua interim indumenta atque ornamenta ſumpſerunt; ergo & hoc anno ac ſequentibus, pro temporis diuerſitate, foliis nudabuntur, ac folia reſument. Semper miſer hic mundus peccatores & iniquos protulit; atque eoſdem vſque ad ſui conſummationem proferet. Singulorum quoque hominum frequenter eadem ſolet eſſe forma viuendi, & qui per gratiam Dei ſuos ſenſus non cohibent, ſibíque non imperant, eiſdem ſemper iniquitatibus implicantur. Qui ſuperbus aut iracundus aut laſciuus cœpit, ætatum ſucceſſione non mutatur, ſed ſui ſimilis inuenitur. Et prouerbiũ eſt. Pro. 22. 6. Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.] Et ſecundùm quod ſe in adoleſcentia geſſerit, ſic in virili ætate, & vſque ad ſenectam permanebit. Quidam ſcitè dixit:

Quòd noua teſta bibit, inueterata ſapit:

& quod mali adoleſcens diſcit, niſi per gratiam Dei mutetur, vir, aut ſenex factus, non dediſcit. Non igitur negamus homines natura flexibiles, temporis ſucceſſu poſſe mutari, ſed quod generaliter fieri conſueuit, aſſerimus. Atque hunc eſſe huius Prouerbij ſenſum venerabilis Beda docet, ſic ſcribens: Beda. ibi. Conſtat pleroſq; in ſenectute, Domino donante, maturari à vitiis, quæ adoleſcentes habuerant; & è contrà nonnullos, illo ſe deſerente, deſerere circa ſenium virtutes, quibus ab adoleſcẽtia videbantur illuſtrari. A Sed quia multo ſæpius quiſque mores, quibus ab adoleſcentia imbutus eſt, in reliquum vitæ tempus exequi conſueuit, prouerbium eſſe dicit, quia quod adoleſcens quiſque cœperit, in ſenecta non mutauerit, non tamen ipſum ſemper ita euenire confirmat. Sic ille.] Non ſolùm autem mores hominum iidem ſuccedentibus temporibus perſeuerant, ſed & in deterius prolabũtur. Nam ſicut in morbis corporalibus ſæpe euenit, vt qui incipit ægrotare, ſemper deteriùs ſe habeat, quouſque natura vi ægritudinis victa morti cedat: ita qui prauos mores imbuunt, ſæpiſſime illos multiplicium peccatorum iteratione promouent, donec cordis duritiæ ſuccumbant.

His ita ſe habentibus, iam intelligis, ô homo, quid B facturus ſit homo. Nam vel hanc interrogationem intelligis de omni homine, vel de te ipſo. Si de omni homine, facient homines quod huc vſque fecerunt. Hactenus maior pars hominũ fuit peccatis addicta, & iniquitatibus irretita, in eodem verò infœlici ſtatu vſque ad finem ſæculi perſeuerabunt, immo & refrigeſcente magis quotidie charitate, iniquitates augebunt. Cœpit peccatum in Adam, & in tantum creuit vſque ad Noe, vt decreuerit Deus carnem peccatis corruptam delere, & totum genus humanum aquis obruere. Pullulauit peccatum in Chan filio Noe, & ita auctum ac multiplicatum eſt, vſque ad Abraham, vt debuerit Deus, quaſi relictis innumeris gentibus dominationis ſuæ idolis ſeruiẽtibus, C ad vnam gentem ex Abrahamo progenitam, quam lege ſcripta continere ſtatuerat, ſe recipere. Reliquis nationibus in peccatis manentibus, cœpit hæc gens à Deo electa multiplicari, & ſimul peccatis & abominationibus, præſertim Ægyptiorum, augeri, vt neceſſarium fuerit, eam, ne penitus cultum veri Dei relinqueret, ab Ægyptiorum conſortio educere, & in terrã Abrahæ promiſſam inuehere, ibíque extinctis paulatim idololatris, ſeparatam à nationibus continere. Populus iſte, in quo veri Dei cultus notitiáque permanſerat, terram hanc ſibi datam ingreſſus, ſatis fuit vſque ad Salomonem flagitiis opertus, vt operæ pretium ſit exiſtimatum, eum diuerſis gentibus ad tempus in ſeruitutem tradi, & tandem magnificen- D tiſſimi templi ſtructura, & multiplicibus Dei cultibus, occupari. Ab hoc tempore Salomonis vſque ad annos Oſeæ regis Iſrael, & Sedechiæ regis Iuda, magna facta eſt in populo Hebræorum, iniquitatum acceſſio, vnde voluit Deus ad puniendam hanc gentem, decem tribus regni Iſrael ſeruas & captiuas dare Salmanaſar regi Aſsyriorum, qui eas in terram ſuam tranſtulit, & paulo pòſt duas tribus regni Iuda, Nabuchodonoſor regi Chaldæorũ ſubiicere, qui eas in Babyloniam aſportauit. Gens illa decem tribuum numquam ad ciuitates ſuas redire permiſſa eſt, duæ autem tribus regni Iſrael poſt annos ſeptuaginta (mitiùs Deo cum illis agente, & populum illum ſuo cultui deditum conſeruante) ſunt in terram natiuitatis tranſlatæ. Ibi nequaquam meliores effectæ, vſq; E ad aduentum Saluatoris peccata peccatis addiderunt, & quo tempore tam ipſi Iudæi quàm vniuerſi totius orbis populi erant ſummis peccatis impliciti, venit Chriſtus filius Dei, peccatorum mortiſque deſtructor, vt mundo admodũ periclitanti, & quaſi in extremis malitiæ conſtituto, opem afferret, & à tãta caligine liberaret. Fundauit Eccleſiam Chriſtus Dominus noſter, & eam ex Iudæis ac gentibus congregauit, quæ principio primitias ſpiritus & ſanctitatis accepit. At poſtea, procedente tempore, ac multis gentibus in Eccleſiã ingreſſis, in amore Dei, ac obſeruantia mandatorum tepuit, & multos filios ſuſtinuit, ac ſuſtinet, fide quidem ſibi iunctos, ſed vita, &

moribus ab omni virtute ſeparatos, qui quod intellectu credunt, conuerſatione condemnant. Similis erit futurus Eccleſiæ ſtatus vſque ad nouiſſima tempora, & ſemper mali bonos numero vincent, & bellum perfectioni ac perfectis indicent. Et quo magis mundus ad finem tendet, magis delirabit, & maiora flagitia perpetrabit, adeo vt dicat Dominus: *Luca. 18.* [Verùm tamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?] Tanta erit hominum cæcitas, tanta iniquitatum multitudo, vt vix quos ſaluet, inueniat. Quid ergo dicemus de congregatione hominum, niſi quod de Ieroſolyma dictum eſt in libris Eſdræ: *Eſdra. 19.* Quoniam ciuitas illa à diebus antiquis aduerſus regem, (intellige Deum) rebellat, & ſeditiones, & prælia concitantur in ea. Hoc itaque genus humanum faciet, peccata peccatis addere, & in malitia, & iniquitate multiplici perdurare. Et, ſi non haberemus aliquos iuſtos & ſanctos viros, qui Deum placant, & manum eius extentam tenent, iam *a. 1. 9.* [quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.] Dico autem aliquos, quoniam licèt plurimi iuſti & ſancti per omnes ætates extiterint, & nunc actu ſint in Eccleſia Dei, & vſque ad finem mundi ſint futuri, tamen pauci admodum ſunt, ſi cum multitudine impiorum comparentur, qui vniuerſum orbem coluerunt, & colunt, variis ſectis addicti, & multiplicium peccatorum colluuione fœdati.

Hæc homines facient. Si autem interroges quid tu ſis facturus? Ego neſcio quis tu ſis, qui hæc legis, & ita neſcio quid facies. Si peccator es, qui in his ſcriptis meis, non compunctionem, ſed curioſitatem quæris, quaſi nos curioſa ſcribamus, fortè ad finem vſque vitæ in tuis peccatis perſiſtes, & ſine debita contritione morieris; & ita damnaberis. Habéſque vnde te maximè deſpicias, cùm nunc inimicus ſis Dei, & poſtea eris torris inferni in ignem æternum coniectus. Fortè vitam mutabis, & te ad meliorem frugem conuertes, vitámque æternam conſequeris. Nec deeſt tibi in hac ſorte magnæ humilitatis occaſio, quia non tua virtute, ſed miſeratione Domini, te ab inferno, quem prometitus fueras, eruentis, ad tãtum bonum peruenies. Si autem iuſtus es, etiam ignoro quid facies. Forſitan viam Dei deſeres, & iterum ad flagitia redibis. Et quid miſerius quàm poſt guſtatam Domini ſuauitatem, amaritudinem peccati repetere, & ollas carnium Ægypti ſuſpirare? Si imperfectus es, fortè vſque ad finem vitæ, imperfectiones diliges, & numquam progreſſum aliquem in virtute facies. Quid autem infelicius, quàm ſemper imperfectionum fæce ſordere, & tantis auxiliis numquam aliquem feruorem concipere? Si autem perfectus es, qui non dedignaris doctrinam pro tyronibus elaboratam euoluere, fortè à perfectione decides; nam & aliqui perfecti à ſumma vitæ puritate ad ſummam turpitudinem prolapſi ſunt. In hoc autem periculo poſitus, cur non formidabis? Cur non ſuperbiam timebis, quæ præcipua cauſſa ruinæ perfectorum eſſe conſueuit? Sed ſi numquam es caſurus, & ſemper ad maiorem perfectionem, & ſanctitatem venturus, adhuc habes vnde te deiicias. Quia in quantalibet ſanctitate poſitus, quandiu hæc vita durat, aliqua leuia peccata committes. Neſcio autem an aliud efficacius humilitatis & deſpicientiæ propriæ incitamentum eſſe poſſit. Quòd idololatræ, & infideles Deum offendant, quid mirum, cùm ſuum creatorem ignorent? Si peccatores eius mandatis aduerſentur, quid mirum, cùm lucem fidei habeant peccatis obrutam, & quaſi ex defectu charitatis extinctam? Si imperfecti in imperfectiones cadant, quid mirum, cùm infirmi ſint, & parum in virtute profecerint? At quòd tu cadas tantis auxiliis fulcitus, tantis donis cumulatus, ad tam inſignem ac intimam familiaritatem admiſſus, tantis conſolationibus paſtus, ad tantam perfectionem charitatis euectus, hoc mirabile eſt, immo & miſerabile, quod deberet te in abyſſum humilitatis deiicere, & ad inconſolabilem luctum excitare. Quodammodo de te dicere poteſt Dominus: *Pſal. 40. 10.* [Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.] Tu homo pacis Dei, quia illi arctiſſima amicitia coniunctus. Tu, in quo ille ſperauit, quia ad magna & puriſſima obſequia vocatus. Tu, qui edebas panes Domini, quoniam diuinis conſolationibus reficiebatis, & iiſdem adhuc reficeris. Et ſemper adhuc cadis, vel leuiter, & vſque ad finé vitæ delinques, & vix per vnum diem ab aliqua moleſtia Domino irroganda abſtinebis. Cur te non deſpicis, & viliſſimum, ac luce ſolis indigniſſimum eſſe fateris?

Itaque ignoro quid tu facies. At dicam tibi, quod me frequenter magna triſtitia & mœrore afficit, & quod valde formido me eſſe facturum. Ex quo ad Deum conuerſus ſum, tepidè vixi, tepidiùs nunc viuo, & ideo vereor ne tepidiſſimè vitam finiam. Conuerſatio mea à teneris annis profeſſione religioſa fuit, ſed opere religioſa non fuit, aut vix tali nomine poteſt honorari; & timeo ne qualis nunc ſum, & à mea conuerſione fui, talis in die mortis inueniar. Dicam autem tibi qualis hactenus fuerim, non meis, ſed Bernardi verbis, adeo enim in mei cognitione cæcus ſum, vt qui aliis conſilia ingero, & rationem ſe cognoſcendi præſcribo, me ipſum, & meam tepidiſſimam vitam detegere, & explicare proprio ſermone vix ſciam. Ille ergo nomine tepidi religioſi ſe ipſum accuſans, hæc ait, vel potiùs nunc ego eadem de me dico, quia veriſſimè in me omnia hæc mala inueniri profiteor. *Bern. de interiori dom. c. 35.* Deo igitur iubente, ad cor meum redij, & inde excluſis omnibus præter Dominum Deum, & me ipſum, totam vitam meam diſcuſſi, tanto diligentiùs, quanto familiariùs: & vt verum fatear, nihil aliud ibi inueni, niſi locum horroris, & vaſtæ ſolitudinis: conſcientiam videlicet diu neglectam, omnino incultam, ſpinis & tribulis obſitam, & omni horrore plenam. Nullum enim inuenio vitium, à quo non traxerim aliquod contagium. Turbauit me ira, lacerauit me inuidia, inflauit ſuperbia, inde contraxi mentis inconſtantiam, oris ſcurrilitatem, opprobria proximorum, ſcelera detractionum, linguæ effrænationem. Seniorum meorum imperia non ſeruaui, ſed iudicaui: de meis negligẽtiis obiurgatus, aut rebellis fui, aut murmuraui, præferri me melioribus impudenter affectaui, ſimplicitatem ſpiritualium fratrum irridenter exagitaui, meas ſententias procaciter iactaui, obſequia delata faſtidiui, negata quæſiui, iuniores meos elatus deſpexi. Non obſeruaui in obſequio reuerentiam, in ſermone modeſtiam, in motibus diſciplinam. Habui in intentione pertinaciam, in corde duritiam, in ſermocinatione iactantiam. In humilitate fui fallax, in odio pertinax, in iocatione mordax. Subiectionis impatiens, potentiæ ſectator, ad opus bonum piger, ad vnitatem ferus, ad obſequium durus, ad loquendum, quæ neſciebam, promptus, ad ſupplantandum paratus, fraternæ ſocietati inhumanus. Temerarius in iudicando, clamoſus in loquendo, faſtidioſus in audiendo, præſumptuoſus in docendo, effrænatus deformiter in cachinnando, oneroſus amicis, infeſtus quietis, ingratus beneficiis, inflatus obſequiis, & imperioſus ſubiectis. Sæpe iactaui me feciſſe, quod non feceram; vidiſſe, quod non videram; dixiſſe,

quod

quod non dixerã;non vidiſſe,& audiiſſe, quod videram, & audieram; & ita ex omni parte ſum reus. Reus in ſæculo, reus in clauſtro, ſed ibi per ignorantiam, hîc per negligentiam, & vtrumque me terret. Verumtamen multo ampliùs terret me, quòd in monaſterio ante conſpectum Dei deteriorem me inuenio. Collocauit me Deus in loco voluptatis, in domo vbertatis, in paradiſo deliciarum; ego verò miſer & miſerabilis, inter menſas epulantium fame pereo; iuxta fontem ſitio; ante ignem algeo, & ad neutrum manus extendere volo, tam piger ſum, & deſidioſus. Ita tempus amitto, quod Deus mihi ſua pietate indulſerat, ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam. Quaſi quoddam monſtrum inter filios Dei ſto, habitum monachi, non conuerſationem habens. In magna corona, & ampla cuculla, ſalua mihi omnia exiſtimo. Tamquam arbor ſterilis terram occupo, & velut iumentum vile, plus conſumo quàm proficio. Altiorem alterius locum teneo, & nullius officium ſuppleo: ſed ſum ſicut truncus ſine frondibus, & fructibus. Alij me paſcunt de laboribus manuum ſuarum, ſicut præbendarium ſuum: Ego autem tamquam pauper, & miſer, nec clericum, nec laicum gero. Cantare namque, & legere nequeo, laborare neſcio, ſed ſum opprobrium hominum, pecore vilior, cadauere peior.

Tolerabiliùs enim canis putridus fœtet hominibus, quàm anima peccatrix Deo. Idcirco tædet me viuere, viuere erubeſco, quia parum proficio. Mori timeo, quoniam non ſum paratus. Malo tamẽ mori, & miſericordiæ Dei me committere, & commendare [quia benignus & miſericors eſt] quàm & mala mea conuerſatione alicui ſcandalum facere. [Tota namque die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me:] cùm video me ſomnolentum ad vigilias, tardum ad horas canonicas, & pigrum ad opera manuum. Alios autem video tam ſtrenuè & deuotè diuinis intereſſe laudibus: alios verò ita reuerenter & alacriter coram Deo aſſiſtere, & eum laudare: ego autem compungi ad lacrymas nequeo, tanta eſt duritia cordis mei. Cantare non libet, orare non delectat, meditationes ſanctas non inuenio: tanta eſt ſterilitas animæ meæ, & deuotionis inopia, quam patior. Heu mihi, omnes in circuitu meo viſitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Nam alium quidem intueor ſingularis abſtinentię, alium admirandæ patientiæ, alium ſummæ humilitatis & manſuetudinis alium multæ miſericordiæ, & pietatis: illum in contemplatione frequenter excedere, hunc pulſare & penetrare cœlos orationis inſtantia; alióſque in aliis præeminere virtutibus. Omnes conſidero & proſpicio feruentes, omnes deuotos, omnes in Chriſto vnanimes, omnes donis cœleſtibus & gratia affluentes, tamquam re vera ſpirituales homines, quos Deus viſitat, & in quibus habitat. In me verò nihil horum inuenio: quoniam declinauit Dominus in ira à ſeruo ſuo. Inde eſt, quòd cùm alij vigilant, ego dormio; quando alij cantant in monaſterio, ego huc & illuc diſcurro: quando alij in aliquo ſecreto loco ſe furãtur à colloquiis hominum, vt ibi loquantur cum rege angelorum, ego quæro colloquia hominum: cùm alij vacant lectionibus, ego fabulis & verbis otioſis: quando alij diſcutiunt & diiudicant ſe metipſos, ego iudico alios. Aliis placet communis vita, communis diſciplina, & commune ſtudium, & mihi placent anguli, & diuerticula. Sic, ſic, ex quo peccare potui, numquam à peccatis & malis operibus ceſſaui, peccatis peccata ſemper accumulaui, & peccata, quæ

Ioel. 2. 13. Pſal. 43. 16.

A aliquando operibus implere non potui, malis voluntatibus & malis deſideriis numquam perficere ceſſaui.]

Talis igitur fui à die conuerſionis meæ ad hunc vſque diem, in quo hæc mœrens exaro. Væ autem mihi, ſi non me emendauero, ſi in his malis, & multis aliis (quæ ſupprimere malui) perſeuerauero, & ſi vſque ad mortem tepidus & imperfectus fuero. Si autem talis fui & talis, aut peior permanſurus ſum, quid ſuperbio? Et quamuis Deo donante in aliquid melius mutandus ſim, cur non me ipſum deiicio? cùm certò ſciam quòd perſeuerantia in malo, aut mutatio in peius à me ſit; mutatio verò in melius, ſi B mihi acciderit, non à me, ſed à Deo, mei miſerente, futura ſit? In omnibus itaque ô Domine Deus meus, me vilem agnoſco, me omni bono indignum inuenio. Et occaſionibus humilitatis, & propriæ deſpicientiæ circumdor. Ex nihilo factus ſum; cinis & puluis ſum; putredo & ſanies, & cibus vermium, futurus ſum. Nihil ex me ſolo potui, nihil nunc, niſi te iuuante, & faciente, poſſum. Nihil in poſterum, ſi me deſerueris, potero. Dona magna & ineffabilia, à te mihi donata, perdidi, quotidie pecco, & dona tua deſtruo, & non meliorem in ſequens tempus me futurum eſſe, pertimeſco. Aperi ergo, Deus, oculos C mentis meæ, vt hæc, quæ ſcripſi, & veriſſima eſſe comperi, verè de me cognoſcam: Et me propter has miſerias meas abiectiſſimum, & vt canem fœtidiſſimum, eſſe ſciam. Da mihi notitiam perſpicuam mei ipſius, vt ex notitia mea, ad tui cognitionem aſcendam, cuius [ſcientia mirabilis facta eſt ex me:] & vt ex notitia mei, & tui, magnam & ſolidam à tua benignitate humilitatem acquiram.

Pſ. 138. 6.

D

Quo pacto Homo ſe ipſum aſpiciet; & quis fructus Cognitionis ſui.

CAPVT. XIV.

HÆc ſunt elogia hominis, hæc magnalia eius, hæ laudes, ex quibus poteſt ſe ipſum extollere; immò hæ ſũt miſeriæ & vilitates eius, quarum cauſâ debet, niſi deſipiat, ſe ipſum deprimere. Nunc videndum eſt qualiter his meditationibus formatus ſe ipſum aſpiciet, & quos fructus ex ſui conſideratione decerpet. Aſpiciat ſe homo (& eſt ſimilitudo Ignatij Patris noſtri Beatiſſimi) tamquam vlcus, vel apoſtema fœdiſſimum, ex quo tanta ſanies peccatorum, tantáq; E lues flagitiorum & iniquitatum effluxit. Aſpiciat ſe vt creaturam valde deformem, & indignam Dei oculis præſentari, quia ſe ipſam peccatorum turpitudine deformauit, & gratiæ decorem amiſit. Aſpiciat ſe homo velut canem mortuum, aut ſicut cadauer fœtidiſſimum, naribus mentis admotum, cuius tetrum odorem & intolerabilem nequaquam ſuſtineret, niſi ex concepta ſpe diuinæ miſerationis reſpiraret. Hunc eſſe conceptum ſpiritualis & illuminati hominis, quem de ſe ipſo debet facere, docet Vincentius Ferrarienſis, cuius hæc eſt ſententia notanda: Homo ſentiat de ſe ipſo, ſicut de vno corpore mortuo, pleno vermibus, & quod homines dedignantur videre, & intueri, immo claudunt nares propter eius peſſimum odorem, & fœtorem, & auertunt facies, vt non videant talem & tantam

Lib. Exercit. med. 2.

Vincent. de vita ſpirit. c. 12.

abomina-

abominationem. Sic oportet chariſſime facere ſemper mihi,& tibi; ſed plus mihi, quia tota vita mea fœtida eſt, totus fœtidus ſum, & corpus meum, & anima mea, & omnia, quæ intra me ſunt, fæce, & putredine peccatorum & iniquitatum fœtidiſſima, & abominabiliſſima ſunt, &, quod deterius eſt, quotidie hunc fœtorem in me ſentio recentiùs & ampliùs renouari. Et debet talem fœtorem de ſe ipſa ſentire fidelis anima, cum maxima verecundia coram Deo, ſicut coram illo, qui omnia videt, & ſicut ſi eſſet coram diſtrictu iudice: & dolere maximè de offenſa Dei, & perditione gratiæ, in qua erat quando redempta fuit pretioſiſſimo Chriſti ſanguine, & abluta per baptiſmum. Et ſicut ſibi, & Deo fœtere ſe credit, & ſentit; ſic etiam credat, & ſentiat, quòd non ſolùm coram angelis, & ſanctis animabus, ſed etiam coram omnibus hominibus viuentibus, ſit abominabilis; & quòd facta, & dicta ſua non ſolùm homines videre, & audire dedignantur, ſed quòd nares ſuas claudant, & auertant facies ſuas, ne ipſum videant, & tamquam fœtidum cadauer de medio eorum expellant, & ſit ab eis alienatus, & proiectus, ſicut pluſquam leproſus, vſque dum veniat, & reueniat ad ſe ipſum.

Ita ergo homo de ſe ſentiat, ita ſe ipſum aſpiciat, talémque ſemper ſe eſſe cognoſcat. Nec iſta peccatoribus tantùm, aut minùs perfectis dicimus; verumetiam perfectiſſimis, & ſanctiſſimis intimamus. Quibus hæc vilis æſtimatio ſui, tanto facilior eſt, quanto meliùs intelligunt omnia bona ex Deo eſſe, & hominem ex ſe ipſo nullum bonum poſſidere. Vnde & Dominus, Iob virum ſanctum, & variis tentationibus probatum, & fidelem inuentum, ad hanc ſui notitiam, ſenſu altiori & abſtruſiori vocat, cùm ad illum ait: Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi ſi habes intelligentiam.] Cogita, inquit, vbi eras antequam in te virtutis fundamenta iecissem, & antequam in virtute ſolidaſſem, vt ob mea dona gratias agas, & ne de alienis ſuperbias. Poſito itaque, inquit Gregorius, propriæ formidinis fundamento, cùm virtutum fabrica in altum ducitur, neceſſe eſt vt vnuſquiſque proficiens, vires ſuas cautè metiatur, vt cùm diuina conſtructione magnus eſſe iam cœperit, ſemet ipſum reſpiciat ſine ceſſatione quod fuit; quatenus attendens humiliter quod per meritum inuentus eſt, nequaquam ſibi arroget quod per gratiam factus eſt. Vnde & nunc beatus Iob per ſupernam vocem ad ſe metipſum reducitur; & ne de virtutibus gloriari audeat, de anteacta vita memoratur, eíque dicitur: [Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ?] Ac ſi iuſtificato peccatori apertè Veritas dicat: Virtutes à me acceptas tibi non tribuas, noli contra me de meo munere extolli. Recole vbi te inueni, quando meo timore prima in te fundamenta virtutum poſui. Recole vbi te inueni, quando meo te timore ſolidaui. Vt ergo ego in te non deſtruam, quod conſtruxi, ipſe non ceſſes cõſiderare quod reperi. Quem enim Veritas niſi aut in flagitiis, aut in exceſſibus inuenit? Hæc ille.] Inuenit planè Deus iuſtos (quando eos iuſtos fecit) peccato ſordentes, & inſtar illorum ſeptuaginta ſeniorum Iſrael, quorum Propheta meminit, monſtra vitiorum adorantes. Fodit Ezechiel iuſſu Domini, templi parietem & ingreſſus per oſtium à ſe apertum aſpexit: Et ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuerſa idola domus Iſrael, depicta erant in pariete in circuitu per totum.] Hæc eadem quiſque noſtrum in ſe vidiſſe teſtabitur, ſi cor ſuum antequam à Deo ad iuſtitiam vocaretur, aſpiciat. Nos enim ſumus templa Dei, per baptiſmum diuino numini conſecrata, ſed per peccatum profanata, & delubra idolorum effecta: Si iræ & appetitui vindictæ ſubiacuiſti, ſerpentem adoraſti; ſi luxuriæ ſeruiſti, equum obſcœnum, & inhiantem ad fœminam, veneratus es: ſi auaritiæ te dediſti, ante lupum voracem procubuiſti. Hæc, & ſimilia monſtra, in te, ô homo, depicta erãt, quæ Deus miſericordia motus deleuit, vt ſuam imaginem reformaret. Canitque Dauid: Velut ſomnium ſurgentium, Domine, in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.] Nos ciuitas tua ſumus, ô Deus meus, ciuitas antea ſolitaria, nunc, ſi ad iuſtitiam rediuimus, beneficio tuo plena populo: antea quaſi vidua, nunc deſponſata tibi, & facta domina gentium: antea ſub tributo, nunc eorum, quibus tributa pendebat, princeps effecta eſt. Et quare princeps, niſi quia tu Domine, non ſolùm ſubſtantiam, verùm & imaginem illorum vitiorum, quæ dominabantur ei, ad nihilum redegiſti, & non aliter, quàm leue ſomnium eorum qui expergiſcuntur, ablegaſti? In perfectis enim viris ſæpe & peccata deſtruis, & memoriam peccatorum præteritorum expellis, vt ad te confidentiùs accedant. Ipſi verò non ſemel ad ſe ipſos redeunt, & quales priùs fuerint aduertunt, vt hac conſideratione ſui, ſibi ipſis nullum bonũ aſcribãt, & à bonis Dei ſua mala diſcernãt.

Omnes ergo tam mali quàm boni, tam imperfecti quàm perfecti, ſe ipſos ante ſe ſtatuant, & numquam propriæ mendicitatis & miſeriæ obliuiſcantur. Si mali & peccatores ſunt, ſe ipſos agnoſcant, vt peccatum fugiant, & à miſero ſtatu exeant: Si iuſti ſunt, ſe ipſos agnoſcant, vt iuſtitiam non deponant. Si mali ſunt, ſciant ſe eſſe cæcos & ægrotos, Déoque, & omnibus ciuibus curiæ cæleſtis, ingratos. Peccatum enim, vt ait Petrus Chryſologus, eſt naturæ noſtræ, quod fumus eſt oculis, quod febris corpori, quod dulciſſimis fontibus amara ſalſedo. Oculi lux, & ſplendor naturalis per fumi conturbatur & obſcuratur iniuriam. Febris, corpus natura vegetum & agile, vi ſua facit iners & imbecillum. Salſugo, fontis ſuauitatem cunctis reddit acceſſione ſua ingratam. Si boni ſunt, ſciant bonitatem ſibi fuiſſe à Deo datam; ſciant ſe fuiſſe malis aſſimiles; dictique Pauli recordentur. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.] Ac tandem ſi homines ſunt, ſiue boni, ſiue mali, ſciant ſe quaſi vmbras eſſe terrum exilium, quas ventus res illas mouens, facillimè diſtrahit. Nouerint ſe eſſe quaſi ebriorum inſomnia, quæ digeſto vino euaneſcunt, & nihil poſt ſe relinquunt. Reputent ſe quaſi ſpolia temporis, fortunæ ludos, inconſtantiæ imagines, trutinas calamitatum. Tempus namque illos de medio auſert; ſucceſſus varij huc & illuc iactant, mutabilitati ſubſunt, & innumeris miſeriis onerantur. Quibus miſeriis? Certè omnibus illis, quarum eſt capax creata natura. Homo enim intellectu & libero arbitrio iunctus eſt angelis. Sed ex hac parte ſubeſt cogitationum inſtabilitati, conſiliorum vanitati, ſtudiorum mutabilitati, errorum cæcitati, & voluntatum prauitati. Senſu iunctus eſt animalibus? Sed ſic ſubiicitur viſus caligini, auditus ſurditati, adoratus fœtori, guſtus amaricationi, tactus dolori. Vita copulatus eſt vegetabilibus? Sed hac ratione decretionem patitur, marcori & tabefactioni, & interitui ſubditur. Eſſe conuenit cum inanimatis? Sic autem ſuſtinet iniurias cœli, elemẽtorum mutationes, ac rerum corruptibilium caſus: atque adeò eſt omnium calamitatum mi-

Iob 38.4. — *Greg. 27. mor. c. 6.* — *Ezech. 8. 9.* — *Pſal. 72. 20.* — *Chryſologus ſer. 111.* — *Eph. 5. 8.*

A ſetiarúmque compendium. Sciat tandem homo ſe eſſe cunctis naturæ malis expoſitom, & poſſibilitati peccandi ſubiectom. Sciat ſe peccatorem fuiſſe, peccatorem eſſe,& peccatorem futurum eſſe;quia quantalibet ſanctitate polleat, oumquam vſque ad mortem leuibus ſaltem peccatis abſtinebit. Et id de ſe ſentiat,quod æquum eſt de viliſſimo ac ingratiſſimo peccatore ſentire, & talem ſe reputet, qualis debet miſeriarum cumulus ab omnibus reputari.

Expectas,ô homo, fructus huius cognitionis tui. Suprà illos expreſſimus, & hîc breuiter ad memoriæ adiumentum inculcamus. Ac primus ſit,quòd niſi te ipſum agnoſcas,ad duritiem cordis,& impœnitentiam properas, de quo audi loquentem Bernardum. Fuge homo præſumptionem, ne gaudeat de te inimicus tuus. Nempe in his maximè vitiis gaudet, in ſeipſo expertus quàm difficilè poſſis ab hac tanta voragine reſpirare. Nolo autem ignorare vos,fratres, quonam modo deſcendatur, immò cadatur in illos. *Bern. ſer. 11. in Pſ. Qui habitat.*

B Primus enim, vt interim occurrit, gradus deſcenſionis huius, diſſimulatio eſt propriæ infirmitatis,iniquitatis,inutilitatis,dum ſibi parceos, ſibi blandiens, ſibi perſuadens homo aliquid ſe eſſe,cùm nihil ſit,iam ipſe ſe ſeducit. Secundus gradus ignorantia ſui. Vbi enim in primo gradu inutilia ſibi conſuetit perizomata filiurum, quid ſupereſt, niſi vt vulnera recta non videat,præſertim cùm ad hoc ſolùm texuetit,ne videret? Ex hoc tandem fit, vt etiam alio reuelante, vulneta non eſſe contendat,conuerſus in verba malitiæ,ad excuſandas excuſationes in peccatis. Atqoe iſ quidem tertius gradus eſt admodum vicinus, immò continuus,præſumptioni. Quid enim mali iam

A actitare vereatur,qui præſumit & defenſare? Cæterùm difficilè hic hærebit in tenebris, & lubrico; præſertim cùm nun deſit etiam Angelus Domini malus perſequens, & impellens. Itaque quartus gradus, vel quartum potiùs præcipitium, contemptus: vt,quemadmodum ſcriptura dicit; Impius cùm venerit in profundum malorum, contemnit.] Ex hoc,& deinceps magis ac magis ſuper eum vrget puteus os ſuum, dum videlicet eiuſmodi animam contemptus tradit impœnitentiæ; impœnitentia obſtinatione firmatur. Hoc eſt iam peccatum, quod [neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittitur.] Quia cor durum, & induratum, nec timet Deum, nec hominem reueretur. Hactenus ſanctiſſimus Bernardus.] Reliquos tamen huius cœleſtis ſcientiæ fructus nos breoiter percurramus. Secundus eſt: Si te,ô homo, non agnoſcis; nec Deom agnoſces, quia in hac mortalitate poſitus, non poteris Deum niſi in ſuis effectis,& in ſua imagine contemplari. *Prou. 18. 3.* *Matt. 12. 32.*

B Tertius eſt: Si te non agnoſcis, nec Deo appropinquabis,quia initium accedendi ad Deum, eſt notitia Dei; initium autem notitiæ Dei in homine, eſt notitia ſui. Quartus eſt,quòd cognitio ſui timorem Dei generat,& ad eius reuerentiam præparat. Tu ergò,ô homo Dei,qui vitæ ſpiritalis fundamentum iacere in corde tuo cupis, & ſcalam gradúſque humilitatis ſuperare contendis, te ipſum inſpice, atque cognoſce, vt ex notitia tui, vt ex imo huius ſcalæ ad ſummitatem aſcendas. Ibi proculdubio Deum reperies te præ amore amplexantem,& ad cœlum ſereoum,hoc eſt, ad perfectionem,admittentem.

PARS TERTIA

De Humilitate Affectionis: ſiue de Gradibus Humilitatis.

POST Humilitatem Cognitionis,humilitas Affectionis tractanda eſt,quæ ad illam primam comparatur, vt domus ad fundamentum, vt arbor ad radicem, & vt ipſa rei ſubſtantia ad principium,à quo progreditur. Huius autem humilitatis, ſuprà tum naturam tum præſtantiam expreſſimus,& ſolùm ſupereſt,vt in hac tertia tractatione eius gradus explicemus. Gradus verò alicuius virtutis,alia & alia ratione à Doctoribus ſcholaſticis,& à viris ſpiritualibus aſſignantur. Nam illi cùm naturas rerum inueſtigent, in ipſo habitu virtutis gradus ponunt;at hi cùm animas ad bene agendum hortentur,in virtutis operibus gradus conſtituunt. Illi gradus virtutis vocant ampliores perfectiones,aut maiora augmenta virtutis,vt,quia calor ignis perfectior eſt in ſe,licèt non actu calefaciat,quàm calor manus meæ, dicitur plures gradus habere;ita quia humilitas ſancti Franciſci perfectior eſt,& (vt ita dicam) immobilior, quàm virtus alterius Sancti minoris,dicitur pluribus gradibus conſtare. At hi virtutis gradus vocant diuerſas actiones eiuſdem virtutis. Sicut enim graduum ſcalæ vnus altior eſt alio, & præſupponit alium,& accedit propiùs ad finem ſcalæ,in quo iam non eſt vltrà progredi,ſed quieſcere: ita actionum eiuſdem virtutis vna eſt perfectior alia,& difficilior,illámque ſupponit, & magis ad perfectionem virtutis accedit. Hoc igitur modo nos gradus humilitatis inquirimus; quæ tractatio vtiliſſima eſt; quoniam non ſolùm intellectum docet, ſed affectum ad operandum, & ſe deiiciendum,mouet,& paulatim hominem huius virtutis auidum ad perfectionem humilitatis prouehit. Da,ô Domine Deus,vt legamus,& afficiamur; vt ſciamus, & operemur; quia ad ſalutem operari oportet,& ſolum ſcire non ſufficit.

Humilitatis Gradus multis modis à Patribus aſſignari; & qua ratione à nobis tractandi.

CAPVT I.

SAncti Doctores Eccleſiæ, diuerſa ratione gradus humilitatis aſſignant, & quamuis diſſentire videantur, à vero non deuiant. Quoniam aut verbis ſolùm diſcrepant, aut ſi in reipſa diſcrimen eſt, quos gradus vnus minutatim poſuit, alius generaliter comprehendit. Nunc ergo recenſeamus, quibus modis Patres humilitatis gradus diſtinguant, vt ab eis humilitatis ſemitas addiſcamus, quóſque gradus, quáſve actiones humilitatis nos ex illis collegerimus, vt eas, ſi non conuenientiùs, at accommodatiùs ad noſtram exiguitatem, & ad incipientium captum pertractemus. Hi namque, quo doctrina ſpecialiùs & minutiùs exponitur, eo eam faciliùs capiunt, & ſuauiùs in opus producunt.

Proſper Aquitanus duos gradus humilitatis expoſuit; alterum, quo proximis tamquam melioribus bona pendimus: alterum, quo mala illata æquanimiter ſuſtinemus. Sed præſtat hos gradus eiuſdem ſancti Doctoris verbis audire. Prima, inquit, humilitatis ratio in communis vitæ verſatur officiis, quibus & diuina clementia conciliatur, & ſocietas humana connectitur. Multùm enim ad roborandum dilectionem valet, cùm ſecundùm doctrinam Apoſtolicam [inuicem ſe homines honore præueniunt.] Et alteri alterum ſuperiorem exiſtimantes, amant ſeruire ſubiecti, & neſciunt tumere prælati; cùm & pauper diuitem non ſibi dubitat anteferre, & diues pauperem ſibi gaudet æquare: cùm & ſublimes non ſuperbiunt de claritate proſapiæ, & pauperes non extolluntur de communione naturæ: cùm denique non plus tribuitur magnis opibus, quam bonis moribus, nec maior ducitur phalerata iniquorum potentia, quàm rectorum inhonora iuſtitia. Ab hoc æquo & modeſto iure concordiæ, in quo nullum eſt de gradu ſuperiore certamen, nec fœlicitas aut inflat propria, aut vrit aliena, pulchrè & mirabiliter à pleriſque proficiſcitur ad illam humilitatis fortitudinem, quæ & ſe extra omnem conſtituit dignitatem, & mauult apta eſſe iniuriis accipiendis, quàm idonea repellendis, vt impleatur quod ait Dominus: Qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicumque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo, & alia duo.] Illud quoque Apoſtolus docet, dicens: Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?] Tales enim multùm ad imitationem ipſius Domini noſtri, & Saluatoris accedunt; qui cùm diues eſſet, pauper factus eſt,] & cùm malediceretur, non maledicebat, & percutienti ſe non comminabatur.]

Proſper epiſt. ad Demetr. — *Rom. 12. 10.* — *Matth. 5. 40. 41.* — *1. Cor. 6. 7.* — *1. Petri 2. 23.* — *2. Cor. 8. 9.*

Diadochus Epiſcopus ſanctiſſimus duos alios gradus humilitatis ponit: alterū, quem generat vis alicuius aduerſitatis illata: alterum, quem procreat abundantia lucis & deuotionis immiſſa. Volumus autem eius verba, quæ magnam etiam habent eruditionem, exſcribere. Res eſt difficilis, inquit, ad comparandum, humilitas: quo enim maior eſt, eo eſt vſus eius laborioſior; duobus verò modis ab iis comparatur, qui ſunt cognitionis ſanctæ participes; cùm enim in ſtudio pietatis certat, in medio ſpiritualis experientiæ eſt, tunc aut propter imbecillitatem corporis, aut propter eos, qui virtuti ſtudioſis ſummè maleuoli ſunt, aut propter prauas cogitationes modeſtiùs ac ſummiſſiùs quodammodo de ſe ſentit. Cùm verò mens à ſancta gratia in multo ſenſu & in plenitudine illuſtratur, tūc anima veluti naturalem habet humilitatem: facta enim plenior, & quaſi pinguior, per diuinam gratiam, non poteſt ampliùs tumore cupiditatis gloriæ efferri, quamuis perpetuò mandata Dei perficiat, quin potiùs inferiorem ſe omnibus ducit, propter ſummiſſionis ſuæ, & diuinæ modeſtiæ communionem: eſt autem illa quidem humilitas vt plurimùm in dolore, & mœſtitia; hæc verò in lætitia cum pudore quodam prudentiſſimo. Quocirca illa quidem iis, qui in medio certamine ſunt, aduenit: hæc verò iis mittitur, qui perfectioni appropinquant, ob hanc cauſſam illi quidem ſæpenumero ſecundæ res huius vitæ exprobrant; altera verò tametſi quis omnia regna mundi ei afferat, neque ſtupet, neque admiratur, neque prorſus vehementia iacula peccati ſentit. Tota namque ſpiritualis facta, honores & glorias ad corpus pertinentes neſcit. Opus igitur omnino eſt, vt qui ſtudium certandi ſuſcipit, cùm per illam tranſierit, ad hanc veniat; niſi enim gratia doloribus ad erudiendum illatis, non cogendo, ſed periclitatione probando noſtram liberam voluntatem per illam priorem præmolliat, numquam nobiſcum amplitudinem huius communicabit.

Diado. de perf. c. 95

Strabus Fuldenſis in gloſſa tres ponit gradus per comparationem ad maiores, æquales, & minores, in hunc modum: Præterea perfecta humilitas tres habet gradus. Primus eſt, ſubdere ſe maiori, & ſe non præferre æquali, qui eſt ſufficiens. Secundus eſt, ſubdere ſe æquali, nec præferre ſe minori, & hic dicitur abundans. Tertius gradus eſt, ſubeſſe minori, in quo eſt omnis iuſtitia.

Strab. in gloſ. Matth. 3.

Bonauentura egregius Eccleſiæ Doctor, eundem numerum graduum humilitatis tenens, tres alios inuenit. Primus eſt, vt homo quod eſt, id eſt, vilem, infirmum, inopem bonis, vitioſum, peccatorem, & ſi quos alios defectus habet, agnoſcat, & ſciat. Et non mentiatur ſe ſibi eſſe maiorem quacumque dignitate fulgeat, & non eleuet ſe ſupra ſe quaſi in ventum, vel ſuper alios, inſolenter, nec vanas hominum laudes quærat, vel honores. Et ſi aliquando delectat eum aliquod iſtorum, ſemetipſum redarguat, & caſtiget, quaſi deceptum, & in quo veritas non ſit: iuxta illud Pſalmi: Filij hominum vſquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?] Secundus gradus poteſt dici, cùm ſemetipſum cognoſcens homo, non ſolùm ſpernit ſe pro vilitate ſua, ſed etiam ſperni ab aliis patienter accipit. Immò quia veritatem amat, & ſe priuato amore non diligit contra veritatem, etiam deſiderat ab aliis reputari talis, qualem ſe reputat, vilem ſcilicet, & vitioſum, & ignobilem, & qualem in veritate cognoſcit, in quantum credit agnoſcenti non obeſſe. Tertius gradus eſt, quando etiam in magnis virtutibus, & donis, & honoribus, homo non extollitur in aliquo, nihil ſibi ex hoc blanditur, totum in illum refundens, & integrum reſtituens, à quo fluit omne bonum. Talis fuit humilitas Mariæ, quæ Mater Dei electa ſe ancillam nominauit. Talis humilitas Chriſti, qui cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit. Talis & humilitas Angelorum & Sanctorum in gloria, qui cùm ſint pleni ſummo bono, & ſummo honore ſublimati, nullum habent ſuperbiæ mo-

Bonau. 6. proceſ. Relig. c. 22. — *Pſal. 4. 3.*

tum,

tum, ſed ſunt in ſe humiliores. Sic ille multis omiſſis.

Iuſtin. li. de humil. c. 7.

Laurentius Iuſtinianus numerum graduum humilitatis auget: ſex enim conſtituit. Primus eſt, ſi homo ſe peccatorem & contemptu dignum agnoſcat. Secundus, ſi affectu vilia de ſe ſentiat. Tertius, ſi ſua peccata, prout oportet, detegat. Quartus, ſi mala, quæ de ſe dici, credi appetat. Quintus, ſi deſpici, & iniuria affici velit. Sextus, ſi opprobria eſuriat, & conuitia atque iniurias ſitiat, & in perſecutionibus glorietur; iuxta illud: Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.]

Gal. 6. 14

Anſ. li. de ſimil. à c. 100. vſque ad 108.

Anſelmus ſeptem gradus humilitatis latè proſequitur, quos ita ſummatim colligimus. Primus eſt, Cognitio ſui; vt ſcilicet vnuſquiſque ſe aliis inferiorem exiſtimet. Secundus, eſt dolor, vt quis nimirum de ſuis peccatis doleat, & erubeſcat. Tertius, eſt confeſſio, qua peccator delicta, de quibus dolet, ſyncerè confiteri ſtudet. Quartus, eſt perſuaſio; vt nempe qui confitetur ea, quæ per confeſſionem publicat, iis, quibus annunciat, non ficta ſed vera eſſe perſuadeat. Quintus, eſt conſenſio, vt qualis quiſque eſt & dolet ſe eſſe, & confitetur, & ſuadet, talem ſe velit ab aliis haberi, & iudicari. Sextus eſt, ſuſtinentia, vt cùm alicui iniuria fit, eam æquanimiter ſuſcipiat. Septimus, eſt amor; quando nempe humilis non tantùm iniurias patienter ſuſtinet, ſed iniuria afficientem, verè & ex corde diligit. Hic profectò ad culmen humilitatis aſcendit, & veniam ſuorum errarorum promeretur, quia Deo non iam timore tantùm, ſed amore ſe ſubiicit.

Bened. in reg. c. 7.

Sanctus Patriarcha Benedictus humilitatis gradus vſque ad duodecim protrahit, quos Trithemius, vir apprimè eruditus, quem vix tandem in his extremis regionibus poſiti ad manus habuimus, his carminibus comprehendit.

Trith. ad reg. ad c. 7.

Iuſtorum graduum primus timet omnipotentem.
Illecebris carnis ſubmitti frana ſecundus.
Tertius Abbati ſupponit ſe reuerenter.
Conuitijs ſpretis, quartus patienter obedit.
Abbati reſerat quintus penetralia cordis.
Vilis, & indignus conſtat ſe iudice, ſextus.
Cunctis ſe credit fore ſeptimus inferiorem.
Scit nihil octauus, niſi quod fert regula cella.
Non loquitur nonus, dum non interrogat alter.
Proſcribit riſum decimus, damnatque cachinnum.
Vndecimus loquitur rationis paucula verba.
Spectet humum ſemper duodenus vertice flexo.

Cardinalis Ioannes de Turre Cremata tribus verſibus breuiùs concluſit, qui ſic ſe habent:

Qui timet, & nil vult, parens, patiénſque fatetur;
Contemnit, præfert alios, nil ſingulus audet.
Abſque loqui, riſúque grauis, ſtat pronus vbique.

Ber. li. de gradibus humil. D. Thom. 2. 2. q. 161. art. 6.

Hos eoſdem humilitatis gradus Bernardus digna Benedicti proles explicans, totidem gradus ſuperbiæ luculenter tractat. Et Thomas Aquinas ſufficientiæ eorum ſubtilem rationem ponit. Eóſque nos in poſtrema huius tractationis parte ex profeſſo declarabimus.

Lib. 3. p. 2. c. 9. §. 10.

Nos ſuprà duodecim actiones humilitatis hinc inde collegimus, quas nunc huius præſtantiſſimæ virtutis gradus appellare decreuimus. Nec immeritò, quoniam virtutis cuiuſque gradus (prout hîc loquimur) ex propriis eius actionibus deſumendi ſunt, quarum vna aliam præſupponat, & aliqua difficultate aut perfectione excedat. Id autem in his actionibus humilitatis facilè reperiemus. Licèt enim aliquæ illarum ad conuerſationem externam pertinere videantur; tamen vt ex affectu interiori procedunt, quo ſe iuſtus deſpicit, & vilipendit, nonnihil perfectionis & pulchritudinis præcedentibus actionibus addunt, atque adeo, non incommodè nomen graduum humilitatis ſibi vendicarunt. Omiſſa ergo prima actione iam expoſita, quæ ad humilitatem cognitionis attinet, & alia quaſi in duas diuiſa, duodecim gradus humilitatis facimus, & ſunt, qui ſequuntur. Primus gradus humilitatis eſt, ſeipſum deſpicere, vilémque reputare. Secundus. In rebus tum magnis, tum minimis de ſeipſo ſuiſque viribus penitus diffidere. Tertius. Se reputare receptis donis indignum, & ad noua accipienda ineptum. Quartus. Iudicare ſeipſum omnibus minorem, atque viliorem. Quintus. Nolle ab aliis magni æſtimari, honorari, vel laudari: & omnem laudem, ac honorem in Deum reiicere. Sextus. Deſiderare ab aliis contemni, & vilis haberi. Septimus. Dolore affici, ſi magni fiat, laudetur, & honoretur ab aliquo. Octauus. Propriam vilitatem ac defectus libėter detegere. Nonus. Subiicere ſe Deo, tamquam ſeruus domino, vel ſicut lutum figulo. Decimus Subiicere ſe hominibus propter Deū, ſuperioribus, æqualibus, & minoribus. Vndecimus. In externis functionibus libenter abiectiora complecti. Duodecimus. Seipſum in cõſpectu Dei, & hominum, vt canem mortuum, & fœtentem aſpicere. Hæc eſt ſapientia humilitatis, quam mundus non nouit, quam vt ſtultitiam irridet, cuius amatores deteſtatur; eam tamen Deus probat, Angeli venerantur, & omnes veri ſapientes ſuſpiciunt. O ſapientia verà à Chriſto Saluatore hominum prædicata, quàm pauci te cognoſcũt, quàm pauciores te diligunt, & quàm pauciſſimi etiá in his, qui ſe ſpirituales iactant, te aſſequuntur. Hanc nos ſapiētiam ſapientibus huius ſæculi abſconditam explicemus, & quàm vera ſit, quàm iuſta, & quàm digna magnarum mentium, vt datum nobis fuerit, aperiamus. Sed ne memoria excidant hi ſpirituales aphoriſmi animæ ſuprà quàm credi poteſt, ſalutares, libet ante latam eorum expoſitionem his noſtris ſcriptis nonnulla carmina inſerere, quibus vnus ex noſtris adoleſcentibus illos expoſuit.

Mentis opes Humilis, quicumque requirere certat,
His poterit gradibus carpere tutus iter. 1.

Efficit vt verè ſe ſe putet vndique vilem, 2.
Primus: & abiectum ſe reputare docet.
Rebus in exiguis, magniſque, ſecundus adumbrat. 3.
Vt ſibi diffidat, viribúſque ſuis.
Tertius indignum donis monet eſſe receptis, 4.
Ad nouaque appoſitum ſuſcipienda minùs.
Quilibet in quarto minor omnibus optet haberi: 5.
Omnibus ex animo vilior eſſe velit.
Quintus honorari renuit: tibi munera laudum 6.
Cùm capis, in magnum ſunt referenda Deum.
Firma gradu properas veſtigia ponere ſexto? 7.
Contemni cupies, ſub pedibúſque teri.
Laudibus afficeris? Patiere doloribus inſtet 8.
Septimus: & quoties te quis honore beat.
Erudit octauus culpas reſerare libenter, 9.
Et data naturæ vilia dona ſuæ.
Subditur vtque lutum figulo, ceu ſubditur vnus 10.
Seruus hero: Domino ſic ſubigendus eris.
Præſulis imperio, decimus, reliquiſque ſubactum 11.
Se, Dominum propter, ſemper adeſſe monet.
Diſcis in vndecimo officiis, quibus vteris extrà, 12.
Sumere quæ reliquis inferiora putas.
Biſſenus conſpectu hominum, paritérque Tonantis,
Fœtentem veluti, ſe docet eſſe, canem.

Iam igitur quid de his gradibus meditati ſimus, ordinem ipſorum tenentes, oportet exponamus.

A

De Primo Gradu Humilitatis, qui eſt ſe ipſum deſpicere.

CAPVT II.

HI humilitatis gradus, quos breuiter numerauimus, & nunc tractandos declarandóſque ſuſcipimus, ſcalam ſalutis conficiunt à terra ad cœlum vſque protenſam, quam non alij niſi angeli, id eſt, viri ſpirituales, & cœleſtes aſcendunt. Huius culmen, ſi tu, ô vir Dei, tenere concupiſcis, ordinatè aſcenſum inchoato, & in primo eius gradu
B tui affectus pedem figito. Eris in primo gradu, ſi te ipſum ex corde deſpexeris, ſi tua omnia viliſſima reputaueris, ſi quicquid ex te habes, nihili feceris, & veriſſima deſpicientia contempſeris. Scientia hæc ſapientiæ, immo (vt verè loquar) ſtultitiæ huius ſæculi, contraria eſt; nam mundus docet ſuos ſe ipſos magni facere, & magnos ac dignos bonis reputare: Chriſtus è contrà docet ſuos, ſe ipſos deſpicere, & puſillos ac omni bono indignos habere. Vter eorum punctum veritatis attingat, facillimè intelligitur: Mundus totus cæcus eſt, [cuius ſapientia ſtultitia eſt apud Deum.] Chriſtus ſapientia Patris eſt, [in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.] Ille ergo dum nos docet, magni æſtimare nos ipſos, decipit; hic ve-
C rò dum præcipit deſpicere noſmet ipſos, ad id, quod ſalutare eſt, inducit. Nec ſcientia hæc deſpicientiæ ſui ipſius cuipiam difficilis videri debet, quia facillimum eſt vilia & deſpicabilia contemnere, & cuius pronum eſt ſe deſpicabilem inuenire. Duo ſunt in te, ô homo, alterum, quod ex te habes; alterum, quod ex Dei liberalitate recipis: non præcipitur tibi vt Dei beneficia tibi collata contemnas, ſed vt ex eo, quod à te habes, te ipſum deſpicias. Si te ipſum nudum aſpexeris, & id, quod ex te habes, animaduerteris, facilè te aliis multa Dei dona habentibus ſubmittes. Et hæc ſubtilitas huius ſcientiæ, quam Anſelmus in hunc modum aperuit. Verùm, quia nonnunquam ideo extollimur, quia nos aliis non rectè comparamus: videndum eſt nobis, quo id modo facere debeamus. Si enim nos aliis volumus comparare, ea tantùm debemus con-
D ſiderare, quæ à nobis ſunt in nobis, non à Deo quaſi præſtita nobis. Sic namque agit, qui de bonis à Deo ſibi præſtitis ſuper alium extollitur, velut qui veſtibus alienis indutus gloriatur. Non ergo hæc aliorum bonis comparare debemus: ſed mala tantùm noſtra, quæ à nobis ſunt, & in nobis habemus: quod ſi fecerimus, mala videlicet noſtra bonis aliorum vt conferamus, nos inferiores eſſe cæteris omnibus nobis ipſis videbimur. Quod contrà, quia ſuperbi faciunt, etiam ſi ſint omnibus deteriores, cunctis tamen ſe iudicant eſſe meliores: ſua enim bona tantùm attendentes, aliorum malis comparant, quorum mala nullatenus conſiderare deberent. Sic ille.] Si autem tu velis bona tua bonis
E aliorum comparare, & te bonis Dei circumdatum, alteri bonis etiam Dei ornato præferre; tribus fortaſſe modis erras. Primò, quia bona tua, ac ſi eſſent maiora, bonis alterius anteponis, & fortè ſunt multo minora. Secundò, quia bona, quæ habes, gratis, & cum multis demeritis recepiſti: & alter, aut bona, quæ potuit mereri, meruit, aut illis, quæ recepit, non tam indignum ſe fecit. Tertiò, quoniam tu bonis Dei malè vteris; frater verò tuus bonis acceptis, non

1. Cor. 3. 19.
Coloſſ. 2. 3.
Anſelm. lib. de ſimilit. c. 109.

ad vanitatem, vt tu, ſed ad veritatem, & ad gloriam Dei, & ſine imperfectionibus vtitur. Si hæc negare non poteris, meritò te ipſum adhuc Dei donis affectum contemnes, & reliquis verè ſubiicies.

Hunc contemptum & vilipenſionem tui non verbis, ſed affectu concipies. Sunt etenim multi, qui verbis ſe accuſant, & ore ſe deiiciunt, corde verò ſe ipſos magni pendunt, illáque accuſatione ſui non contemptum, ſed laudem, & honorem captare volunt. Similes ſunt illi, de quo Eccleſiaſticus ait: Et qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo.] Nam fictè ſuas culpas propalant, vt ex illa confeſſione ſpecie externa humili apud alios nomen humilium, & opinionem virorum ſpiritualium obtineant. Id autem ita eſſe, nullo negotio cognoſces. Si enim eadem de illis dicas, quæ ipſi de ſe fatentur, aut te aſſenſum præbere dictis eorum oſtendas; triſtitia & indignatione tabeſcunt. Non ergo ex illa externa contemptione ſui deſpici volebant, ſed honorari exaltaríque affectabant. Horum fictorum humilium ingenium pulchre deſcribit Gregorius hac fere ratione. Peccatores eſſe plerumque confitentur, etiam qui ſe peccaſſe non credunt. Nam ſæpe contingit, vt paſſim ſe homines, iniquos eſſe fateantur, ſed cùm peccata ſua veraciter aliis arguentibus audiunt, defendunt ſe ſummopere, atque innocentes videri conantur. Vnuſquiſque ergo cùm talis eſt, ſi deliquiſſe ſe dicit, verè non dicit: quippe qui peccatorem ſe non ex cordis intimo, ſed verbo tenus aſſerit. Quia enim ſcriptum eſt: Iuſtus in principio accuſator eſt ſui:] iſte de confeſſione peccati ornati voluit, non humiliari: per accuſationem ſuam humilis appetiit videri, non eſſe. Nam ſi confitendo peccatum, eſſe humilis veraciter appeteret, de perpetratione peccati arguentes ſe alios non impugnaret. Sic Gregorius.] Et ad idem optimè Bernardus ait: Appetere autem de humilitate laudem, humilitatis eſt non virtus ſed ſubuerſio. Verus humilis, vilis vult reputari, non humilis prædicari. Gaudet contemptu ſui, hoc ſolo ſanè ſuperbus, quòd laudes contemnit. Quid peruerſius, quidve indignius, quàm vt humilitatis cuſtos confeſſio, ſuperbiæ militet; & inde velis videri melior, vnde videris deterior? Mirabile iactantiæ genus, vt non poſſis putari ſanctus, ſi non appareas ſceleratus.] Optimè ergo concludit Ambroſius: Multi habent humilitatis ſpeciem, ſed virtutem non habent: multi eam foris prætendunt, & intus impugnant.

Eccli. 19. 23.
Greg. 24. mor. c. 6.
Prou. 18. 17.
Bern. ſer. 16. ſuper Cant.
Ambroſ. lib. 9. epiſtol. 44.

Vnus ex iſtis erat monachus ille apud Caſſianum, qui cùm multa de ſe apud alios fratres mala dixiſſet, & Serapionem, probatiſſimum monachum, quaſi ſuis dictis annuentem, ſibíque otioſitatem ſuccenſentem, conſideraſſet, adeo contriſtatus eſt, vt mœrorem ſuum ne vultu quidem diſſimulare potuerit. Eum autem Serapion lepida hac oratione fictæ humilitatis ſuæ admonuit: Hactenus, ô fili, cunctis te facinorum ponderibus onerabas, non metuens ne confeſſione tam atrocium criminum, notam exiſtimationis incurreres; quid, quæſo, nunc eſt, quòd ad ſimplicem admonitiunculam noſtram, quæ tamen in ſe non modò nullum opprobrium, ſed etiam ædificationis habuit, ac dilectionis affectum, tanta te video indignatione permotum, vt eam ne vultu quidem occulere, aut frontis ſerenitate diſſimulare potueris? An fortaſſe illam, dum te humiliabas, expectabas à noſtro ore ſententiam: Iuſtus accuſator ſui eſt in primordio ſermonis?] Non ergo fictè, ſed verè deſpiciamus nos ipſos, dignóſque omni iniuria & contumelia putemus. Sic ſe humiliabat ſanctus Iob, cuius hæc erat ex

Caſſian. col. 18. c. 11.
Prouerb. 18. 17. ſec. 70.

corde

Iob. 33. 27. corde facta accuſatio ſui. Peccaui, & verè deliqui,& vt eram dignus non recepi.] Sic & Dauid. *Pſ. 50.4.* Quoniam iniquitatem,inquit, meam ego cognoſco,& peccatum meum contra me eſt ſemper.] Sic *1. ad Timot.1.13* & Paulus: Qui prius,ait, blaſphemus fui, & perſecutor,& contumelioſus.] Sic ſe tandem deiiciunt humiles corde,qui non verbis tantùm,ſed affectu ſe contemptibiles iudicant,& cùm opus eſt,ſeipſos accuſant, & non vt laudentur, ſed vt viles credantur, verbis & ſermone condemnant.

A Sed hæc vera deſpicientia ſui non tantùm peccatoribus,verùm & iuſtis quoque:non ſolùm imperfectis,ſed & perfectis & ſanctis indicitur.Qui profectò ad ſanctitatem non niſi per humilitatem peruenerunt, neque illam ſine iſta ſeruabunt. Deſpiciat ſe peccator, quia peccator eſt; deſpiciat ſe iuſtus, B quia peccator non eſt. Quomodo quia peccator non eſt? Quia videlicet non à ſe habet quòd peccator non ſit,& ideo peccator non eſt, quoniam Dei beneficio & miſericordia iuſtus factus eſt. Ille ſe contemnat, quia bonum gratiæ non habet; hic ſe contemnat, quia donum gratiæ non à ſe habet. Ille ſe ſpernat, quia Dei amicitiam perdidit: iſte ſe ſpernat,quia eam,ſi à Deo non teneretur,perdidiſſet.Similiter imperfectus ſe deiiciat, quia multis & viliſſimis imperfectionibus ſcatet: & perfectus quoque ſe nihili reputet,quia non viribus ſuis, ſed virtute Dei imperfectiones ſuperauit. Iuſtum eſt ſi imperfectus ſe deſpiciat, quia multa habet vnde deſpici & C conculcari mereatur. Et pulchrum valde ac admirandum eſt,ſi perfectus & ſanctus ſe deſpiciat, quoniam luce diuina perfuſus, ſub donis Dei, & ſub diuitiis alienis ſuam paupertatem & vilitatem, intuetur. Et æquo iure hanc humilitatem admirandam dicimus, *Bernard. ſer.13. in Cant.* quam Bernardus admiratur, dicens: Magna, & rara virtus profectò eſt, vt magna licèt operantem, magnum te neſcias, & manifeſtam omnibus tuam te ſolum latere ſanctitatem. Mirabilem te apparere; & contemptibilem reputare, hoc ego ipſis virtutibus mirabilius iudico. Fidelis te vera famulus es, ſi de multa gloria Domini tui, etſi non exeunte ex te, tamen tranſeunte per te, nil tuis ma- *Iſaia 33. 15.* nibus adhærere contingat Tunc iuxta Prophetam [proiicis auaritiam ex calumnia, & excutis ma- *Matth.5. 16.* nus tuas ab omni munere.] Tunc iuxta mandatum Domini, [lux tua lucet coram hominibus] ad glorificandum non te, ſed [patrem, qui in cæ- *Phi.2.21.* D lis eſt.] Sed & imitator Pauli, fideliúmque prædicatorum,non prædicantium ſemetipſos, æquè nec tu, [quæ tua ſunt quæris, ſed quæ Ieſu Chriſti.] *Matt.25. 23.* Quamobrem audies & tu: Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.] Ioſeph, cùm domum, & omnia bona Ægyptij domini ſui ſibi credita ſciret, dominam non ignorauit exceptam, & ob hoc non ac- *Gen.39.9* quieuit contingere. Non eſt, inquit, ex omnibus bonis domini mei, quod non in mea poteſtate ſit, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es,] *1.Cor.11. 7.* Mulierem nouerat gloriam eſſe viri,]& iniquum ſibi iudicauit vice contraria inglorium facere eum, E qui ſe fecerat glorioſum. Hæc, & multa alia Bernardus.] Nos verò id tantùm aduciamus, Deo non minùs charam eſſe gloriam ſuam, nec minùs dilecta dona ſua, quàm eſt vxor viro. Sollicitus proinde eſſe debet perfectus vir, ne ſibi hæc dona attoget, nève Deo debitam gloriam ſurripiat. Id autem aſſequetur, ſi ad quantamlibet ſanctitatem euectus, ſeipſum deſpexerit, & omnia bona, quæ in ſe aſpicit,aliena;mala verò,propria reputauerit.

At cùm humilitas non ſit irrationabilis, quibuſnam rationibus hominem,ſiue peccatorem, ſiue iuſtum, inducet, vt ſeipſum ex corde deſpiciat? Tribus quidem, vt mihi videtur, veritate, prauitate,vtilitate. Veritas eſt, quæ ſuperiori tractatu expoſita eſt. Quid nimirum homo ſit,quid poſſit,& quid faciat:quam ſi profundè fuerit meditatus, mirum eſſet ſi non ſeipſum aſpernetur. Quid es, ô homo? Nonne fœtida caro? Nonne puluis, & cinis, & lutum? Nonne nihil, quia ex nihilo produſti? Vade nunc,& lutum ac nihilum honore proſequere.Quid potes,ô homo? Nonne ad omnia impotens es, niſi Deus tibi potentiam tribuat, niſi vires ſeruet, niſi te ipſum actu ad agendum moueat? Vade nunc,& impotentiam venerare. Quid facis,ô homo? Nonne perinde es ac calamus, aut ſerra, quæ ſeipſam omnino non mouet, & nihil penitus ageres, niſi te Deus ad operandum aſſumeret? Vade igitur nunc, & relicto præcipuo agente, calamo, aut penicillo reuerentiam exhibe. Quòd ſi ſtultum putas, lutum, & impotentiam, & inſtrumenta artium honorare, ſtultitiæ quoque plenum putabis, non te ipſum verè, & ex corde deſpicere. Omnia, quæ habes, mutuata ſunt, non licet ea, ac ſi perfectus dominus eſſes,tua reputare, & ex eorum poſſeſſione ſuperbire. Aliena ſunt, quæ poſt modicum repetentur:vnde cogitandum potiùs eſſet, quomodo redditionis tempore reſtituantur. Talenta ſunt ad negotiandum data, & in hora mortis cum emolumento & vſurâ poſcenda, quæ dementia erit ob onus reddendæ rationis efferri, & ex beneficiis gratis acceptis in vitium elationis incidere? Quæ tibi data ſunt, licèt comparata tuæ paruitati, ſint magna, tamen ſi ea cum donis aliorum metiaris, ſunt ſatis exigua.Nec inficiari poteris quòd ingenij ſubtilitate, iudicij maturitate, ſcientiarum notitia, virtutum ſanctitatiſque præſtantia, & aliis Dei donis ab aliis in immenſum ſuperaris. Ridiculum autem eſſet, ſi illis modeſtè de ſe ſentientibus, & ſe in infimo loco collocantibus, tu ex minoribus donis intumeſceres, & te illis ſola animi elatione præferres. Cogita demum, quia vt inquit Eliu apud Iob,[maior eſt Deus homine,]intérque illum & omnes angelos,& homi- *Iob. 33. 15.* nes infinitam eſſe diſtantiam. Si verò ille vniuerſa infinitè ſuperat, in cuius conſpectu ſunt quaſi non eſſent,cur audes ante oculos illius aliquid magnum de te cogitare, & non potiùs neceſſarium ducis te ipſum deſpicere? Hæc multiplex veritas animo attentè perpenſa, tanti ponderis eſt, vt meditantem ſatis deprimat, & ad ſui deſpicientiam inducat.

Prauitas eſt, vt tuam prauitatem, obliquitatem, & iniquitatem mediteris. Audis te innumera peccata commiſiſſe, & fateris. Audis te nunc in multis delinquere, & aſſentiris. Dicitur tibi, quia in futurum vſque ad terminum vitæ à peccatis non eris immunis, & annuis, ac forte parum times. Quid igitur malorum ſcaturigo ſuperbis? Vniuerſa cunctorum hominum flagitia quodammodo tua ſunt, quia niſi Deus te ſeruaſſet, in ea cadere potuiſſes. Cuius conſiderationis virtute perculſus quidam probatiſſimus ſenex, cùm peccatum alicuius audiret,non ſine gemitu dicebat:Ille hodie,ego cras. Non quia ſe peccaturum in craſtinum ſtatueret, ſed quòd propriam fragilitatem agnoſcens, ſimile delictum formidaret. Alter cæcus, aut monoculus, aut claudus, aut amens natus eſt, ſimilis eius tu ex vtero matris egredi potuiſti: ita ſimiliter: alter aut infidelis, aut homicida, aut aliis enormibus criminibus ſordet; eiſdem & tu, niſi Dei gratia *Aug l. 1. Solil.c.14* protegereris, potuiſti ſordidari. Et vt Auguſtinus

ait : Scito, Domine, quòd nullum peccatum eſt
quod vmquam fecerit homo, quod non poſſit face-
re alter homo, ſi creator deſit, à quo factus eſt ho-
mo.] Si ergo tuæ prauitatis memor ſis, & ad peccan-
di, quæ in te eſt, poſſibilitatem attendis, ſatis (vt
opinor) te ipſum ſpernes. Facilè quoque fratrum pec-
Dorot. Doctrina 9. cantium miſereberis. Vt enim bene dixit Dorotheus:
Humilitatis proprium eſt ſe ipſum ſemper vilipen-
dere, & proximo compari.

Vtilitas inſuper eſt, quòd ſi te ex humilitate de-
ſpexeris, Deus te honore afficiet, & magni reputabit.
Hoc enim ſignificant illa verba : Qui ſe humiliat,
Luc. 14. 11. exaltabitur.] Item & illa, Sede in nouiſſimo loco,
vt veniens, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice aſcen-
n. 10. de ſuperius.] Humilis ille Centurio ſe indignum
eſſe ingreſſu Domini in domum ſuam, confeſſus eſt,
Matt. 8. 8. Domine, inquit, non ſum dignus vt intres ſub te-
ctum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur
puer meus.] Mercedem recepit ſtatim humilis, &
vera confeſſio. A Domino homo iſte de fide lau-
n. 10. datur, Iſraëlitiſque præfertur : Amen dico vobis,
non inueni tantam fidem in Iſraël.] Quin & ſalu-
tem pueri, quam optauerat, impetrauit. [Sanatus
n. 13. enim eſt puer in illa hora.] O fides Chriſtia-
Ambroſ. ſer. 89. na, inquit D. Ambroſius, quæ cum humilitate to-
tum impetrare conſueuiſti! Ecce religioſus Centu-
rio ad capiendam ſalutem dignior fit, dum ſe profi-
tetur indignum, & dum ædes ſuas iniurioſas putat,
magis eas honorificas fecit, & gratas. Magnæ enim
& perfectæ fidei vir, qui intelligeret Chriſtum cœ-
lorum eſſe Dominum, dum verebatur ne hoſpitij
ſui eum anguſta non acciperent. Ergo contradicen-
te Centurione non pergit ad domum Dominus.
Non pergit Dominus, ſed pergit medicina Domi-
ni: non viſitat ægrum Saluator, ſed viſitat ſanitas
Saluatoris. Hæc ille.] Quid melius eſt, ab homine
inſipientiſſimo, & qui falli poteſt, laudari; aut à
Chriſto Domino, qui eſt ſapientia Patris, & falli
omnino non poteſt, commendari? Si hoc melius &
optabilius eſt, ne tu, qui inſipiens es, te ipſum æſti-
mes, vt à Chriſto magni reputeris: ne te ipſum lau-
des, vt ab ipſo lauderis. Nam hoc præmium humi-
litatis, & deſpicientiæ propriæ eſt, verum honorem,
& exaltationem, promereri. Deſiderio ergo huius
veri honoris, te ipſum contemne, & conſideratione
tuæ improbitatis deprime, & virtute veritatis à vitio
ſuperbiæ cuſtodi.

Poſtremò illud ſciendum eſt, quòd huic deſpicien-
tiæ ſui ipſius non contradicit, ſi homo propter glo-
riam Dei, & vtilitatem proximorum, interdum ſe
ipſum laudet, & ob rectè facta magnificet. In hoc
enim non ſe ipſum magni reputat, immo ſe ipſum
deſpiciens in ſe Dei mirabilia laudat. Sic ſanctus
Iob longam, cùm opus fuit, de ſe ipſo laudationem
contexuit, cuius memoriam faciens Gregorius, hæc
ait : Forte hæc lectoris animus forſitan quærat, cur
ſanctus Iob ſuas tam ſubtiliter virtutes enumeret:
Iob. à c. 29. vſque ad 31. Sanctorum quippe virorum eſt, bona, quæ fece-
rint, occultare, ne contingat eos lapſum elationis
incurrere. Vnde per ſemet ipſam veritas dicit: At-
Greg. 19. mor. c. 14 tendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram homini-
Matth. 6. 1. bus, vt videamini ab eis.] Hinc eſt etiam, quòd
duos cæcos iuxta viam ſedentes illuminans, præ-
Matth. 9. 30. 31. cepit, dicens : Videte ne quis ſciat. De quibus
illico ſcriptum eſt : Abeuntes diffamauerunt il-
lum per totam terram illam.] Sed quærendum no-
bis eſt, quid ſit hoc, quòd ipſe omnipotens, cui
hoc eſt velle, quod poſſe; & taceri virtutes ſuas vo-
luit, & tamen ab iis, qui illuminati ſunt, quaſi inui-
tus indicatur? Niſi quòd ſeruis ſuis ſe ſequentibus,

A exemplum dedit, vt ipſi quidem occultare virtutes
ſuas deſiderent, & tamen vt alij eorum exemplo
proficiant, prodantur inuiti, & facta quidem ſua
occultando, ſe ipſos cuſtodiant: ſed dum produn-
tur inuiti, bona ad proximos ſuos exempla tranſmit-
tant. Occultentur ergo ſtudio, neceſſitate publicen-
tur, & eorum occultatio ſit cuſtodia propria, eorúm-
que publicatio ſit vtilitas aliena. Rurſum, quia ſcri-
ptum eſt : Neque accendunt lucernam, & po- *Matth. 5. 15. 16.*
nunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt lu-
ceat omnibus, qui in domo ſunt: Sic luceat lux veſtra
coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, &
glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.] Ali-
quando ſancti viri, & coram hominibus compel-
B luntur bona facere, aut eadem hominibus ſua facta
narrare, ſed ad eum finem omnia referentes, vt non
ipſi eiſdem operibus, ſed Pater eorum, qui in cœlis
eſt, debeat glorificari. Dum enim ſancta prædicant,
ipſa prædicatio eorum fortaſſe deſpicitur, quorum
vita neſcitur.]

Hæc Gregorius. Sic & Paulus, vt ex nouo teſta-
mento aliud proferam exemplum: latè ſe ipſum pro
Eccleſiæ vtilitate laudauit. Sed meritò Ambroſius
admiratur humilitatem laudationis iſtius, qua Apo-
ſtolus apertè monſtrauit, ſe non ſe ipſum, ſed diui-
nam liberalitatem extollere. Hæc ſunt verba Am-
broſij. Ante annos quatuordecim reuelatum ſibi di- *Ambroſ. in Pſal. 36.*
cit, & tamen reuelationem tamdiu tenuit, & re-
preſſit: nec dixiſſet, niſi vtile nobis iudicaſſet, vt dice-
C ret : Ne nos reuelationibus extolleremur. Si enim in
tanta gratia nō eſt gloriatus Paulus, nec nos gloriari
oportet. Iuuenis ipſe non gloriatus eſt, ſenex gloria-
retur? Deinde raptum ſe vſque ad tertium cælum
negare non potuit: & tamen vtrùm in corpore, an
extra corpus raptus eſſet, ſe ignorare teſtatus eſt. Non
ergo de ſcientia, ſed de ignorantia gloriatur, & Dei
circa ſe gratiam prædicat. Quod ſcientiæ eſt, negat:
quod charitatis eſt, confitetur. [Scientia enim inflat, *1. Cor. 8. 1.*
charitas verò ædificat.] Iterum, raptum eiuſmodi
hominem dixit; quemadmodum raptus eſſet, vtrùm
in corpore, an extra corpus, incertum ſibi eſſe me-
morauit. Vide ſtateram ſapientiæ. Conſtituit vnum
in Chriſto; & in ſe alterum, qui ait, neſcio: Quod
alienum eſt, attollit; quod ſuum, humiliat. Et audi-
D uit, inquit, verba ineffabilia: non dixit: audiui; ſed
quòd alter audierit, non negauit. Verecundè itaque
teſtem ſe maluit ſignificare, quàm vatem, & refugit
videri cœleſtium arbiter ſecretorum. Teſtimonium
enim dicere, veritatis eſt: meritum elationis non re-
fugere, gloriantis. Ideóque ait, Pro huiuſmodi *1. Cor. 3. 5.*
gloriabor, pro me autem non gloriabor.] Hactenus
ille. Rarò igitur inſtat neceſſitas, vt te ipſum laudes,
& dona tibi conceſſa manifeſtes. Sed dum id aut Dei
gloria exigit, aut vtilitas proximorum requirit, te lau-
dans non aduerſaris humilitati, nec deſpicientiæ tui
ipſius, dummodo non tuam, ſed Dei laudem quæras,
& in ipſo modo laudationis modeſtè te geras, & ma-
gis te ipſum vituperare quàm laudare concupiſcas.

E

De Secundo Gradu Humilitatis, qui eſt: Sibi ipſi diffidere.

CAPVT III.

AB hoc primo humilitatis gradu facile
eſt, opitulante diuina gratia, ad ſecundum
aſcendere. Hic autem gradus eſt, vt homo,

qui

qui ſeipſum deſpicit, & ſuas vires nullas eſſe putat, ſibi ipſi penitus in magnis minimiſque diffidat. Quemadmodum enim mendicus, qui nihil omnino poſſidet, ſéque mendicum eſſe probè nouit, habet tamen amicum diuitem & liberalem, à quo ſemper ſubſidium neceſſitatis accepit; de ſe ipſo cibum ac veſtem habere deſperat, at ex beneficentia amici ſibi dati hæc neceſſaria ſperat: ita humilis, qui ſe nihil eſſe & poſſe cognoſcit, & Deum fideliſſimum adiutorem expertus eſt, in rebus agendis ſibi ipſi diffidit, ſed proſperum rerum euentum de Domino fideliſſimo adiutore confidit. Ideo diffidentia hæc non eſt initium puſillanimitatis, ſed magnanimitatis origo, quia quod homo per ſe præſtare non valet, Dei gratia fultus, ac eius beneficio perficiet. Ita autem hanc diffidentiam aſſequemur, ſi eam à Domino poſtulare diſcamus. Nec enim ad eam comparandam (ſicut nec ad reliquos humilitatis gradus habendos, nec ad aliquod bonum obtinendum, quod ſemel in hac materia dictum ſit) rationes conſiderationéſque ſufficiunt, niſi bonum quod cupimus, à Domino fuerit prærogatum. Nam ſicut affectum timoris ſolæ rationes non frænant, immo euenit vt ratione videamus nihil tunc eſſe timendum, & tamen contra omnem rationem appetitu trepidemus: Ita nec confidentiam propriam rationes cohibent; ſed cognoſcentes nobis ipſis non eſſe fidendum, occulta quadam ſuperbia de nobis ipſis confidimus, & aliquid aut paruum, aut magnum, quaſi à nobis ipſis facturos eſſe præſumimus. Ac proinde conatibus noſtris, aſſecutioni huius ſancti affectus impenſis, accedat oratio, qua à Domino affectum diffidentiæ propriæ poſtulemus, & ab eo hunc humilitatis gradum doceamur. Iſtúdque eſſe præcipuum remedium diffidentiæ propriæ, & puræ vitæ, quæ illam ſubſequitur, aſſequendæ, optimè Richardus Victorinus expoſuit, affirmans, iuſtum ſæpe cadere, & nunquam optata ad plenum obtinere, quouſque ſibi ipſi diffidens, in Deo ſpem ſuam collocet, & ad illum pro bonis concupitis recurrat. Verba eius ſunt, quæ ſequuntur. *Richar. ad Pſal. 84.* Data igitur lege, & accepta, incipit velle proficere; ſed non datur poſſe adimplere. Ita vt cum Apoſtolo proclamare poſſit, [velle adiacet mihi, proficere autem non inuenio.] *Rom. 7. 18.* Superba etenim adhuc mens, quia omnia præſumit, de ſua potiùs induſtria, quàm de Dei gratia, deſerente Deo, ſibi ſæpius relinquitur, vt infirmitatem ſuam experimento edoceatur. Incipit itaque, ſatagit, laceſſit, deficit. Sed nec ſic quidem ſtatim à ſua præſumptione reprimitur: & à propria confidentia niſi poſt multa experimenta non reuocatur. Reſumit iterum vires, & renouatur: ſibi iraſcitur; ſibi indignatur: increpat, caſtigat, nunc de negligentia, nunc de imprudentia ſeipſam accuſat. Vlciſcitur ſeipſam: de ſeipſa inuehitur in ſeipſam. Vigiliæ itaque extenduntur. Ieiunia itaque continuantur. Affligitur corpus frigore & nuditate: caro atteritur labore ex verbere. Mactantur itaque multiplices hoſtiæ, in ara tamen exteriori: necdum mentio ſaltem fit de ara interiori. In tanta ergo afflictione dum requies nulla datur, dum nec modus nec menſura ſeruatur, corpus iam deficit, animus laſſeſcit, & tandem vix aliquando, cùm ſe videt corpore deficere, & corde tabeſcere, in ſe reuertitur, & illius Apoſtoli recordatur: *Rom. 9. 16.* Neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.] Abiecta itaque ſpe omni de propria confidentia, tota ad Deum conuertitur, & hauſto priùs igne de exteriori ara, in ſancta ſanctorum currit, non fine tamen vituli ſanguine. Mactato namque

A vitulo ſuperbiæ, & tota prioris arrogantiæ præſumptione abiecta, iam deſperans de ſe, ſperare incipit de Domini adiutorio: & poſt multiplices (vt diximus) hoſtias in exteriori ara oblatas, in ara iam interiori offerre Domino conſueſcit, gemitus, ſuſpiria, preces, & lacrymas. Hæc ille.] Orandus eſt igitur Deus, vt nos hunc ſanctum ac caſtum propriæ diffidentiæ affectum doceat, nam ab illo ſunt dona quæ deſideramus, poſtulanda, vt ea tandem ex illius benignitate capiamus.

Et quidem oratio aptiſſima eſt ad hunc gradum humilitatis aſcendendum, ſed non ſola; debet enim iuſtus ſeipſum contra præſumptionem veritate munire. Quanam veritate? Ea ſanè, qua & initium bonorum operum, & progreſſum, & finem eorum, à B Deo eſſe cognoſcat. Non ille extollit eos, qui de ſua virtute præſumunt, ſed eos, qui ſibi ipſis diffidentes in Dei gratia & adiutorio confidunt. *Pſal. 146. 10. 11.* Non in fortitudine equi voluntatem habebit, inquit David, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius.] Iſtud adiutorium eſt, ſine quo nec bona initium habent, nec cœpta prouehuntur, nec prouecta finem accipiunt; quod Dorotheus pulchra ſimilitudine ſeminum & ſegetum patefecit, in hunc modum ſcribens: *Doroth. doctrin. 12.* Agricola enim quantumcumque elaborauerit, purgans villam, excolens, & ſeminans; niſi tamen Deus deſuper pluuiam dederit, otioſum ſemper ſemen erit, & ſterile, & quicquid egerit, vanum. Ita nos facere C debemus, vt ſcilicet cùm boni quippiam egerimus, illud terra occultemus per humilitatem; iaciamus inde coram Domino infirmitatem noſtram, orantes enim, vt faueat, & reſpiciat in opus noſtrum, ne otioſum ſit & vacuum. Plerumque etiam cùm ſemen ex pluuia cœperit erumpere, niſi denuò pro tempore imber adueniat, exiccatur germen, & perit: egent enim pari modo & ſemen, & germen, pluuia, dum ſcilicet excreuerit, & magis magiſque firmatum fuerit. Sed neque etiam poſt hæc ſecutus eſſe quis poteſt. Sæpe enim etiam cùm excreuerit, & ariſtam fecerit, ſuperuenit vel bruchus, vel grando, vel aliud quippiam huiuſcemodi, quod fructum perimat, & perdat. Idem fit nonnunquam in anima. Quare cùm illam expurgauerit aliquis à multis, quæ prædi- D xi, vitiis, & erexerit ſtudioſiſſimè ad virtutes omnes, tunc proſpectum atque oculos ſuos dirigat omnino in miſericordiam & patrocinium Dei, ne illam derelinquat, & pereat. Nam, vt diximus de ſemine, quod etiam cùm germinauerit, & excreuerit, ac fructum fecerit, niſi rurſum per excreſcentiam pluuia aduenerit, exiccatur, & perit: ita & de homine dici poteſt, à quo ſi Deus, per momentum, protectionem & patrocinium ſuum abſtulerit, ac reliquerit eum, perit omnino, & euaneſcit. Et ad idem Caſſianus, vt liberi arbitrij noſtri ſine gratia Dei inſufficientiam exponat, quædam verba Pſalmiſtæ ſapienter adaptat. *Caſſian. col. 3. c. 15.* Non, inquit, liberum arbitrium, ſed [Dominus ſoluit compeditos.] Non noſtra virtus, ſed [Dominus erigit eliſos.] Non lectionis induſtria, ſed [Dominus illu- E minat cæcos,] vel, Dominus ſapientes facit cæcos. *Pſal. 145. 8. 9.* Non noſtra cautio, ſed [Dominus cuſtodit aduenas.] *Pſal. 144. 14.* Non noſtra fortitudo, ſed [Dominus alleuat, ſiue ſuffulcit, omnes qui corruunt.] Hæc autem dicimus, non vt ſtudium noſtrum, vel laborem, atque induſtriam, quaſi inaniter & ſuperfluo impendendam, vacuemus; ſed vt nouerimus, nos ſine auxilio Dei nec adiuti poſſe, nec efficaces noſtros eſſe conatus ad capeſſendum tam immane præmium puritatis, niſi nobis adiutorio Dei & miſericordia fuerit con-

Prou. 21. 31. tributum. Equus enim paratur in diem belli, à Domino autem eſt adiutorium: quia non eſt in for- *1. Reg. 8. ſec. 70.* titudine poteos vir.] Oportet igitur nos ſemper cum *Pſal. 117. 14.* Beato Dauid canere: Fortitudo mea, & laudatio mea.] non liberum arbitrium, ſed [Dominus; & factus eſt mihi in ſalutem.] Sic Caſſianus. Dum hæc attentè perpeodimus, & vires noſtras minùs ſufficientes ad bonum agendum, auxilium verò gratiæ Dei potens eſſe perſpicimus, incipimus ſanè tineam propriæ confideotiæ, quæ conatus ooſtros rodit, abiicere, & ſalutari diffidentia noſtram voluotatem imbuere, atque ardentiſſimis poſtulationibus ad boni adeptiooem inflammare.

Sed nemo eſt, qui hanc imbecillitatem propriam ad res agendas, non experimento peruideat. Sæpe bona non taotùm magna, ſed minima, ac oullius difficultatis, aggredimur, & poſt paulum deſerimus, & quaſi aliquo onere preſſi ſuccumbimus, niſi efficaci Dei auxilio roboremur. Ideo ait Salomon: Qui *Prou. 28. 25. 26.* ſperat in Domino ſanabitur. Qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt:] quia nimirum quam optauerat ſanitatem, licèt cominus poſitam, non adipiſcetur eam. Sæpe non in Domino, ſed in hominibus confidimus, & ab eis, quorum auxilium implorauimus, miſeriores diſcedimus. Auditque populus Iudæorum apud Ieremiam: *Ierem. 2. 37.* Nam & ab iſta, id eſt, ab Ægypto, egredieris, & manus tuæ erunt ſuper caput tuum, quoniam obtriuit Dominus cõfidentiam tuam, & oihil habebis proſperum in ea.] Sæpe in diuitiis, & in theſauris aut ooſtris, aut amicorum, ſperamus, & in tempore neceſſitatis eludimur. [Qui] enim [confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum,] ſtulti à Dauide pronunciantur. *Pſal. 48. 7. 8.* [Hos frater] etiam ditiſſimus [non redimit,] id eſt, redimere non poterit, quanto minùs redimet quilibet alius homo non adeo ſanguine & amore coniunctus? Certè non afferet aliquid Deo ex omnibus diuitiis ſuis, quo à morte, vel labore, amicum eripiat. Non ſemel ſpem ooſtram in donis naturæ, ac in talentis collocamus, & ſine vllo timore, & ſine reſpectu ad Deum, aliquid faciendum aſſumimus; in ipſo verò opere, quaſi talento caruiſſemus ſemper, turpiter erubeſcimus. Inſultatque Propheta nobis illis verbis, quibus Niniuem ſuperbam ciuitatem irriſit. Hæc eſt ciuitas glorioſa habitans in con- *Sophonia. 2. 15.* fidentia; quæ dicebat in corde ſuo: Ego ſum, & extra me non eſt alia amplius; quomodo facta eſt in deſertum?] Prorſus talis eſt anima ſibi ipſi præfidens. Et velut ciuitas ſuis diuitiis exultans, & læta, quaſi à ſeipſa tantùm penderet, nihil omnino metuens, ſéque omnibus aliis præferens. Sed cùm minùs putabat, ſe deſertam reperit, id eſt, ſe illis donis ſuis quaſi ſpoliatam & priuatam inuenit. Ac tandem multoties, quod adiutorium noſtrum putauimus, vt diſcamus hanc ſalutarem diffidentiam, obſtaculum conatuum noſtrorum eſſe perſpeximus. Adam *Geneſ. 2. 20.* Euam vxorem in adiutorium accepit. [Non eoim inueniebatur Adæ adiutor ſimilis eius:] & eduxit Dominus mulierem ex latere ipſius, quæ primum illum generis humani parentem adiuuaret. Adam lætus erat conſorte ſua, gaudio plenus adiutorio ſuo, à coniuge iuuamen ſperauit; & ruinam atque excidium ſibi, & omnibus poſteris, accepit. Sapienter quidem notauit Ambroſius quemquam ex hoc facto ad diffidentiam propriam incitari. *Amb. lib. de Parad. c. 4.* Deinde contuendum eſt, inquit, quia nemo debet ſibi facilè præſumere. Nam ecce illa, quæ in adiumentum facta eſt viro, præſidio viri indiget, *Epheſ. 5. 23.* [quia vir caput eſt mulieris.] Ille autem, quia adiumentum vxoris habiturum ſe eſſe credebat, lapſus eſt propter vxorem.]

A Hæc cùm ita ſint, de nobis ac de rebus creatis, eſt penitus diffidendum, niſi quateous ſunt inſtrumenta Dei, quibus vult nos vel corporaliter vel ſpiritualiter adiuuari, & in Deo ſolo, tanquam in præcipua bonorum cauſſa, ooſtrum eſt omne præſidium collocandum.

Qui ergo ſeipſos deſpiciunt, & ſuam infirmitatem quaſi manibus attrectant, in hoc ſecundo humilitatis gradu, quo ſibi diffidant, & in Deo confidant, ſeipſos conſtituere ſatagant. Sic profectò à malo liberabuntur; ſicut ille, qui dicebat: *Pſal. 25. 1.* Et in Domino ſperans non infirmabor.] Non infirmabatur Dauid coram hoſtibus ſuis, quoniam ſpes concepta de adiutorio Domini, cauſſa erat, ne hoſtes ſibi præualerent. Nec infirmabitur ille, qui in Deo B fideliter ſperauerit. Sic etiam iuſti bona conſequentur: quia [ſperantes in Domino miſericordia circun- *Pſal. 31. 10.* dabit,] & cumulatiſſimè omnibus bonis afficiet. Et Iſaias ait: *Iſa. 30. 15.* Si reuertamini, & quieſcatis, ſalui eritis: in ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra.] Si, inquam, ſeparemini à prauis voluntatibus veſtris, ſi quieſcatis in Domino Deo veſtro, ſalutem, quam cupitis, aſſequemini. Silentium, id eſt, tranquillitas animi, & ſpes in Deo poſita, erit vobis pro fortitudine, qua & malis reſiſtatis, & bona coocupita comparetis. De hac diffidentia ſui, ac fiducia in Domino collocata, gloriabatur Iob, cùm inter alia dicebat: *Iob. 31. 24.* Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea, Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpi- C na.] Aurum, allegoricè Gregorius ad ſubtilitatem *Greg. 22. mor. c. 1.* ingenij, & obrizum, ad humanæ mentis dona refert. Vnde eſt ac ſi ſanctus vir dixiſſet: Nec quæ veraciter intellexi, meo ingenio tribui; nec menti propriæ, ſi qua egiſſe me bona contigit, hæc principaliter deputaui. Hanc exercebat Paulus, qui nec res minores à ſe, ſed à Deo diſpooendas affirmat. Quare ad Philippenſes ait: *Philipp. 2. 24.* Confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos citò.] An tanta res eſt, ô Paule, Philippos venire, & illius ciues inuiſere, vt neceſſarium ſit rem hanc fiducia promereri, & à Domino eam ſperare? Non ſit magna res; at certum eſt in rebus magnis & paruis Domini auxilium ſperandum eſſe, ſine quo oec poſſumus magna nec parua præſtare. Hic denique affectus diffidentiæ propriæ, ac confidentiæ in Deo, ſuperius inſtrumen- D tum virtutum acquirendarum factus eſt, quoniam eo & impedimenta virtutis minuimus, & tentationes vincimus, & robuſti ad ſtudioſas actiones efficimur. An non affectus hic impedimenta tollit, cuius memor ſapiens, ad Dominum loquens, ait: *Sap. 16. 24.* Creatura tibi factori deſeruieos exardeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos, & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt?] An non tentationes vincit, & operibus virtutis inſtillit? Et quidem. Nam diffidentiâ propriâ hoſtes fugamus, & fiducia in Deo, enſe, id eſt, multiplici virtutis inſtrumento, pugnamus. Quare Richardus Victorinus de iuſtis loquens, qui in ſeptuaginta fortibus Salomonis ſignabantur, hæc ait: Qui tantummodo hoc cõflictu fortes fiunt, *Richar. in Cant. c. 21.* quantum ad decertandum cum hoſte, non in ſe, ſed E in Deo confidunt. Cum inimico enim humani generis nullus ex æquo decertare poſſet, comparatis ipſi eum viribus, cuius tanta eſt fortitudo, vt nulla virtus humana ei comparari poſſit; quapropter tot nocendi artes, quas habet, nemo cognoſcere ſufficit. Diuina ergo virtute cum eo congrediendum eſt, quam propriæ meretur infirmitatis cognitio, & humilitas, quæ ſola (vt in vitis Patrum legitur) hos laqueos euadere poteſt. Sic Ionathas hoſtium multitudine vallatus, dum ſe reſiſtere non poſſe cogno-

ſcit,

ſcit, ad diuinum auxilium confugit,& victor extitit. Sic Inſaphat in ſimili periculn pnſitus, cùm ſe infirmum coram ſe profiteretur, tntum ſe ad inuncandum Deum conuertit, & cnntra hnſtes conualuit. Qunrum vterque humilitate, & nratione magis triumphauit, quàm virtute.] Iſti diffideotia ſui, & otatinne triumpharunt, & nobis eiſdem armis pognandum eſt, ſi volumus de hoſtibus victoriam comparare,& ad virtutum faſtigium peruenire.

Cùm itaque aliqund malum fugimus, cùm aliquod bnoum aggredimur, cùm in bono perſeuerare ſtatuimus, en affectu inchoemus, en affectu pnſequamur, vt de nobis ipſis tanquam de viliſſimis ioſtrumentis penitus deſperemus. Sed hæc pars nos poſillanimes faciet, & ad deſperationem inducet, B niſi illi alteram huius gradus partem, ſcilicet ſpem in Domino, ac fiduciam, adiiciamus: aggrediamúrque bnna, dicentes cum Dauide: *Pſal. 90. 9.* Quoniam tu es, Dnmine, ſpes mea.] Et reſpnndebit ſecurus,& alacer ſpiritus noſter: Altiſſimum pnſuiſti refugiũ tuum.] Planè altiſſimum hne refugium eſt, ad quod ſuperandum, aut infirmandum, creata non poſſunt accedere. Illud refugium ſpes noſtra ſit; &, vt verbis Bernardi finiam: *Bern. ſer. 19. in Pſ. Qui habitat.* Quicquid igitur agendum ſit, quicquid declinandum, quicquid tnleraodum, quicquid oprandnm, tu es, Domine, ſpes mea. Hæc vna mihi omnium promiſſionum cauſſa, hæc tota ratin meæ expectatinnis. Prætendat alter meritum, ſuſtinere ſe iactet pondus diei, & æſtus, ieiuoare bis in Sabbatn dicat, poſtremò nnn eſſe ſicut cæteros hnminum, C glorietur: [mihi autem adhærere Deo, bonum eſt, *Pſal. 72. 28.* ponere in Deo men ſpem meam.] Speret in aliis alij, fortè hic io ſcientia litterarum, hic in aſtutia ſæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat: [propter te omnia detrimeota feci, & vt ſtercnra arbitror,] *Philipp. 3. 8.* quoniam tu es, Domine, *Pſa. 70. 5.* ſpes mea.] Speret, qui vult in incerto diuitiarum, egn verò ne ipſa quidem, niſi abs te, victui neceſſaria ſpern, oimirum verbo tuo confidens, in qun abieci nmnia. *Matth. 6. 33.* Quærite primum regnum Dei,& iuſtitiam eius, & nmnia adiicientur vnbis.] Nempe [tibi derelictus eſt pauper, orphann tu eris adiutor.] *Pſal. 9. 14. vel, 35.* Si mihi præmia prnmittuntur, per te nbtinenda ſperabo. Si inſurgant aduerſus me prælia, ſi ſæuiat mundus, ſi fremat malignus; ſi ipſa carn aduersùm ſpiritum concupiſcat; io te ego ſperabo. Fratres, hnc ſapere, ex fide viuere D eſt, nec alius ex ſententia dicere poteſt: Quoniam tu es, Domine, ſpes mea,] *Pſa. 70. 5.* niſi cui iotus ſit perſuaſum à ſpiritu, vt (quemadmndum mnnet Propheta) iactec cngitatum ſuum in Dnminn, ſciens quòd enutriendus ſit ab eo. Iuxta illud quoque Petri Apoſtoli: *1. Petr. 5. 7.* Omnem ſnlicitudinem veſtram proiicientes in eum; ipſi enim cura eſt de vobis.] Vt quid enim, ſi hęc ſapimus, vt quid cunctamur abiicere ſpes miſeras, vanas, inutiles, ſeductorias, & huic vni tam ſolidæ, tam perſectæ, tam beatæ ſpei, tnta deuotinne animi, toto feruore ſpiritus inhærere? Si quid illi impoſſibile, ſi quid vel difficile eſt, quære aliud, in qun ſperes. Sed verbo omnia poteſt. Quid facilius dictu? Attamen huiuſmodi dictum intelligas volo. Si decreuerit ſaluare nns, cnntinuò liberabimur: ſi viuificare E placuerit, vita in volnntate eius eſt: ſi præmia æterna largiri, licet ei, qund vult, facere. An verò de facilitate iam non dubitas, ſed ipſa nbi eſt ſuſpecta vnluntas? Planè & vnluntatis teſtimonia credibilia facta ſunt nimis. Maiorem hac dilectinnem nemn habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Denique quando in ſe ſperanti deſit illa maieſtas, quantam ſtudioſe mnnet in ſe ſperari? Planè non derelinquit ſperantes in ſe. [Adiuuabit eos, ait, & eruet eos à pecca- A tntibus, & ſaluabit ens.] Quare? Quibus meritis? Audi quod ſequitur: Quia ſperauerunt in en.] *Pſal. 36. 40.* Hactenus Bernardus. Hæc ſunt commnda certè magna huius gradus humilitatis, quòd à malis eripimur, & ſalutem conſequimur, & per hunc gradum etiam à Den dnnante, in qun ſperamus, ad alios ſequentes aſcendimus.

De Tertio Gradu Humilitatis, qui eſt, ſe reputare diuinis donis indignum.

CAPVT IV.

B VAs immundum atque confractum, prorſus inutile eſt, vt in id pretioſus aliquis liquor mittatur, quia ſua immunditia illum inficiet, & per rimulas effuſum perdet. Humilis autem, qui ſua peccata conſiderans, ſeipſum vt vas immundum reſpicit, & ideo ſe deſpicit, atque de ſe nihil magnum, aut hnnnre dignum, ſperat, Dei dnnis ſe putat iodignum. Quæ iam accepit, cum timore, & quaſi cum rubore, poſſidet, cautè & diligenter exercet, ſibi ex illorum vſu nullum hnnorem, nullámve laudem dari permittit. Quæ nnndum accepit, ſi ad veram ſolidámque virtutem non pertineant, non cupit, quia ſe illa indignè & negligenter tractaturum timet. Scit, quia cùm augentur dona, quemadmndum ait Gregorius, *Greg. hom. 9. in Euang.* rationes etiam creſcunt dnnorum; & iden dona nō appetit, quia tempore reddendæ rationis, qualiter ſatisfacturus ſit, neſcit. C Legit in Eccleſiaſtico: *Eccl. 21. 17.* Cor fatui, quaſi vas cnnfractum, & nmnem ſapientiam non tenebit.] Séque cùm vas cnnfractum putet, quod per varias cogitationes, & per varia deſideria, quaſi per rimas perefluat; pretioſum liquorem ſapientiæ, aut aliorum donnrum appetere ad effundendum, & malè vtendum, non audet. Hunc autem affectum, à vera ac perfecta humilitate proficiſci, docet Magnus Albertus, *Alber. li. de virtut. c. 2.* in hæc verba: Argumentum veræ humilitatis eſt, cùm in tantum ſe homo deiicit, quòd omni gratia ſe indignum ſentit, nec audet etiam aliquam gratiam appetere, &, ſi præterea à Den ſuper ipſum abſque ſuo deſiderio effluxerit, cum timore percipit. Immo laudabilius iudicat carere Dei gratia (intellige tu gratis data, & quæ ad ſalutem animæ non ſit neceſſaria) D quàm habere gratiam Dei, quam toties diuerſis mndis demeruit, quam toties diuerſimodè deturpauit, qua nunquam ſecundùm nrdinationem Dei fruebatur.] Hic autem humilitatis gradus hnminem facit quietum, non tamen inertem. Facit illum quietum; quoniam, ſicut vilis agricola, cui nulla ſuppetit ingenuitas, nullæ diuitiæ, nulla potentiæ aut dignitatis inſignia, regnum poſſidere non appetit, ſed in ſuo nrdine lætus manet: ita verus humilis, qui ſeipſum minimum reputat, & ſe carere aptitudine ad eximias actinnes exiſtimat, dona, quæ ſunt harum functionum principia, non curat. Non tamen facit inertem, quia cùm aliquod dnnum Dei adeſſe ſibi ſentit, illud ad opus & ad exercitationem dari cognnſcit; quare vires & neruos, vt eo bene vtatur, exerit. E Saul cùm innncens eſſet inſtar pueri vnius anni, indignum ſe regno putauit: at accepta regia poteſtate, ita ſe geſſit, vt [cecinerit buccina in nmni terra, & audierit vniuerſus Iſraël] huiuſcemodi famam, quòd Philiſtæos percuſſent, & omnes vires eorum nerubíque contriuerit. *1. Reg. 13. 3. 4.* Hic in ſua innocentia poſitus fuit humilium imago, qui extra dignitates poſiti, ſe illis prorſus iodignos iudicant, & ita ſe abſcondunt, vt nihil magnum ab illis expectetur: at vnluntate Domini in dignitate

conſtituti,

conſtituti, mirum eſt quantùm placeant, quàm prudẽter ſe gerant, & quàm ſuperbos poſt ſe relinquant.

Sed hunc humilitatis tertium gradum à quo diſcemus? Diſcamus à Moyſe, qui vocatus à Domino ad ducatum populi ſui, ſe humiliter excuſauit, nec ſolùm excuſauit, verùm & ad non ſubeundum onus gubernationis, ſuam indignitatem appoſuit. *Exod. 3. 11.* Quis ſum ego, inquit, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto?] Et poſtea: *Exod 4. 10. 13.* Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius.] Et rurſus: Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es.] Ter ſe indignum prædicat, id eſt, omni ex parte ſe indignum prælatione iudicat. *Ruper. li. 1. in Exod. c. 13.* Bonum quidem & imitatione dignum, humilitatis exemplum eſt, inquit Rupertus Abbas, Deo vocanti ad tantum támque glorioſum miniſterium, dicere: Quis ego ſum?] vt pro conſcientia, vel æſtimatione ipſius, ſubaudiatur, nullus. *Bern. de ordine vitæ longè poſt principium.* Et Bernardus: Moyſes, quod poterat per gratiam, excuſabat per verecundiam. Tutius enim eſt diſcere, quàm docere; tacere, quàm loqui. At iſte, qui ſe excuſauit, qui ſe indignum protulit, accepto imperij dono, quàm ſapienter, quàm fortiter illud obiuit! Quàm mitis erga bonos, quàm terribilis erga malos extitit! quàm fideliter & perſeueranter Domino, qui ipſum vocauerat, atque elegerat, deſeruiuit! Diſcamus & à Ieremia, qui ad munus propherandi inuitatus, ignorantiam prætendit, & ſe tanto munere indignum confeſſus eſt. *Ierem. 1. 6.* A, a, a, dixit, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.] Pueritiam obiicit, & timorem, & defectum ſanctæ libertatis ad onus ſuſcipiẽdum obtendit, exiſtimans æquum non eſſe ſi puer elinguis loquatur, & ſi timore correptus ad increpandum vocetur. *Nazian. orat. 41. in Paſcha.* Aſpiciebat ille, vt Gregorius Nazianzenus annotauit, propriam imbecillitatem, & eam diuinis iuſſis oppoſuit, non vt contradiceret factori ſuo, nec vt obedientiæ ſe ſubduceret, ſed vt ſe illo dono indignum oſtenderet. Diſcamus tandem & à Ioanne Baptiſta, cuius hoc fuit de Chriſto teſtimonium: *Ioan. 1, 27.* Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt; cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.] Ille, inquit, cuius ego ſum præcurſor, adeo mihi prælatus eſt, vt nec dignus ſim in infimis miniſteriis illi famulari, nec minora myſteria eius incarnationis edicere. Ab his magnis viris, & verè magnis, quia humilibus, capiat ſpiritualis vir huius gradus humilitatis exempla: ſícque maioribus donis dignus erit, dum ſe minoribus indignum putauerit. Prælationem ſuper alios non perdet, ſi ſe ad eam minùs aptum ſenſerit, quin eo ipſo (ſi oportuerit) eum Deus aliis præponet, & aptum (quod magis eſt) ad munus hoc venerabile efficiet. Gratiam prædicandi non amittet, ſi ſe ab ea indignitatis prætextu ſubtraxerit: Immo ab ipſo augebit eam, quo non propria, ſed prælati ac Domini voluntate, prædicationis labori ſe ſubiecerit. A familiaritate Domini, & contemplatione myſteriorum eius, non erit alienus, ſi ſatis ſibi inter mediocres actiuos eſſe cognouerit; quin potiùs ſi ad Dominum accurrerit, & quod in ſe eſt, fecerit, ob hanc humilitatem donum contemplationis accipiet. Et dum præ modeſtia non audet corrigiam calceamenti contingere, & cum timore & tremore myſteria humanitatis euoluit, ad cellam vinariam vocabitur, & ad oſculum oris, id eſt, ad notitiam diuinitatis, & ad caſtiſſimos amoris amplexus.

Quia verò hæc cognitio indignitatis propriæ, & hic ſanctus humilitatis affectus, quo quis ſe indignum donis reputat, eſt quaſi ſcala ad eadem dona percipienda, ideo Dominus, qui ordinis amator eſt; priùs iuſtos ſuos ad hunc affectum aſſequendum adiuuat, & poſteà eos ſuis donis multiplicat. Vult, ſanctum Iob ad magnam gloriam; ad duplicatas opes efferre, & priùs illum multis tribulationibus atterit, & difficillimis percunctationibus deprimit, vt ad dona recipienda indignitatis ſuæ ſenſu ſe præparet. *Iob. 38. 2. 3.* Quis eſt iſte,] dixit illi, [inuoluens ſententias] réſque veriſſimas proferens [ſermonibus imperitis? Accinge ſicut vir lumbos tuos,] quaſi mecum ſis in arenam deſcenſurus, [interrogabo te] de his quæ in proſpectu tuo ſunt, & apparebit an ſcias reſpondere mihi. His verbis Dominus ſuam interrogationem eſt orſus, qua modum loquendi Iobi liberiorem compeſcuit. Eum longa oratione ſua non iam ad ſuam innocentiam prædicandam, ſed ad timorem traxit, & ad profundiſſimum humilitatis affectum. *Iob. 42. 3.* Nam inſipienter, inquit, locutus ſum, & quæ vltra modum excederent ſcientiam meam.] Tunc humiliatum Deus laudat, mœrentem erigit, depreſſum exaltat, quia vas capax exaltationis, eſt cognitio & affectus propriæ indignitatis. Hanc ergo ob cauſſam, auctore Gregorio, tantis Iob interrogationibus perculſus eſt, vt humilitate periculum elationis euaderet, quæ facilè ex tanta innocentia ſuboriri poterat, & ſe ad capienda ampliora dona diſponeret. *Greg. 28. mor. c. 1.* Quid, inquit, peius plerumque anima, quam conſcia virtus interficit? Quæ illam dum conſideratione ſua inflat, à plenitudine veritatis euacuat; & dum ſe ad percipienda præmia ſufficere ſuggerit, eam à meliorationis intentione diſtendit. Iuſtus igitur Iob ante flagella extitit, ſed iuſtior poſt flagella permanſit, & laudatus antea Dei voce, poſtmodum creuit ex verbere. Profectò velut tuba ductilis ex percuſſione producta in laudem Dei tanto altiùs eleuatus eſt, quanto maiori eſt caſtigatione percuſſus. Sed humiliandus erat iſte, qui proſtratus vlceribus, ſic virtutibus ſtabat. Humiliandus erat, ne tam robuſtiſſimum pectus elationis tela confoderent, quod conſtabat certè, quia & illata vulnera non viciſſent. Sic Gregorius.] Intelligunt ergo iſti ſe hoc humilitatis affectu donorum Dei fieri capaces. Intelligebátque Paulus, dum ait: *2. Cor. 12. 9.* Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.] Non coactè, inquam, tribulationes perfero, non ægro animo infirmum, ac bonis indignum, me eſſe profiteor, ſed potiùs libens, & lætus, in mea puſillitate glorior, vt me virtus, ac potentia Chriſti, validum & ſanum efficiat.

Euenit ſanè aliquando vt iuſtus, ſecreta quadam cogitatione, aliquid ſe eſſe putet, vt tanquam miles veteranus, aut ſeruus, qui multis annis famulatus eſt, præmia maiora poſtulet, & ad ea, quæ ſuum captum excedunt, anhelet; & tunc minora recipit, vt ad ſe redeat, ſuámque indignitatem aduertat. Confirmat hoc Bernardus, ſponſæ, & Moſis, atque Apoſtolorum, primas ſedes poſtulantium, exemplo. *Bern. ſer. 34. in Cant.* Olim, inquit, ſanctus Moyſes, quoniam multum præſumebat de gratia, & familiaritate, quam inuenerat apud Deum, aſpirabat ad quandam viſionem magnam, ita vt diceret Deo: *Gen. 33. 13. 18.* Si inueni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi teipſum. Accepit autem pro ea viſionem longè inferiorem, ex qua tamen ad ipſam, quam volebat, poſſet aliquando peruenire. Filij quoque Zebedæi in ſimplicitate cordis ſui ambulantes, magnum aliquid & ipſi auſi ſunt: ſed ad gradum nihilominus ſunt reducti, per quem fuerat aſcendendum, Ita & modò ſponſa, quoniam rem grandem poſtulare videtur, reprimitur ſanè auſteriori reſponſione, ſed planè vtili, & fideli. Oportet namque humiliter ſentire de ſe, nitentem ad altiora, ne dum ſupra ſe attollitur,

cadat

cadat à ſe, niſi in ſe firmiter per veram humilitatem fuerit ſolidatus. Et quia niſi humilitatis merito maxima minimè obtinentur; propterea, qui prouehendus eſt, correptione humiliatur, humilitate meretur. Tu ergo, cùm te humiliari videris, habeto id ſignum in bonum, omnino argumentum gratiæ propinquantis. Nam ſicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur. Sic ille.] Nec ſolùm, quæ poſtulabamus negantur, vt indignitas noſtra nobis perſpecta ſit, ſed aliquando etiam gratia conceſſa ſubtrahitur. Eſt, qui antea recta cogitabat, & multa de diuinis rebus ſumma cum facilitate meditabatur, quibus tanquam optimis alimentis affectus pingueſceret. Subitò verò illa ſanctarum cogitationum copia diſceſſit, & vix reperit animus aliquid quo ſe paſcat, ſuámque mutabilitatem colligat. Eſt alius, qui feruidis deſideriis abundabat, & ſanctis ac caſtis in Deum ferebatur affectibus: at repentè affectus illi laſſeſcunt, & mens tali irrigatione priuata, incipit exareſcere. Eſt alius, qui bene loquendi gratiam acceperat, ſanctiſque ſermonibus proximos erudiebat, & viam cœli monſtrabat, & cùm minùs ſperaretur, bene loquendi gratia ab eo tollitur, & ſterilis ſermonum efficitur. Alius denique in orationibus diligens, in corporis caſtigationibus animoſus, & in bonis operibus erat aſſiduus: poſt non multum verò temporis tepore correptus in magnam bonorum operum paupertatem incurrit. Huius mutationis cauſſam ex Richardi Victorini ſcriptis edisce. Ad hoc, inquit, electis gratia diuina aliquando ſubtrahitur, vt vnuſquiſque intelligat quid ſit de ſe ipſo. Ad hoc autem datur, vel reparatur, vt intelligat quid ſit de munere diuino. In vno eruditur ad contemptum ſui, in altero ad amorem Dei. Ex vno proficit ad humilitatem, ex altero promouetur ad charitatem.] Hæc ille, qui & ad hoc propoſitum illud Pſalmi myſticè interpretatur. In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.] Salices enim arbores ſunt infructiferæ, folia, & non fructus, habentes. In illis quaſi organa noſtra ſuſpendimus, quando ſubtracta à nobis gratiâ, à ſancta cogitatione, aut deſiderio, aut ſermone, aut actione ceſſamus. Qui ergo hanc gratiam non perdere cupit, ſe ea indignum exiſtimet: nam cognitio, & ſenſus propriæ indignitatis, eſt ſtabilimentum virtutis.

Richard. in Pſal. 136.

Pſ. 136. 2.

Hunc autem gradum humilitatis comparabimus, ſi non ex donis, quæ à Deo accepimus, ſed ex nobis met ipſis nos æſtimauerimus. Si enim viliſſimum & pauperrimum homuncionem rex nullo expectato merito pretioſis ſuis veſtimentis indueret, ille homo aliena veſtimenta tanquam propria conſiderans, forte ſe dignum honore regio reputaret; at non ſua eſſe, ſed precariò data animaduertens, potiùs de tam ſplendido, & ſuæ indignitatis minùs conueniente amictu erubeſceret: Ita homo cùm bona, quæ habet dona, Dei eſſe cognoſcit, ad illud tempus data, quo Deus ea ſeruare voluerit, nequaquam in ſuperbiam, & inanem gloriam erigitur, ſed potiùs in ſancto timore, & in maiori affectu ſuæ indignitatis radicatur. Audit Dominum dicentem: Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.] Et hæc audiens non de elatione, ſed de reddenda ratione cogitat, & dum non plenè acceptis ſatisfacit, quotidie ſe magis indignum donis acceptis putat. Quia ſi œconomus ſubſtantiam domini ſui minùs fideliter tractans, munus meretur amittere, & ſuæ infidelitatis pœnas dare: qua pœna dignum ſe reputabit homo, qui multa Dei dona gratis accepit, & aut otioſa tenuit, aut non bonam eorum rationem reddit? Iuſtus ergo donis Dei cumulatus ſemper ſe illis indignum aſpiciat. Dicátque cum ſancto Iob. Si lætatus ſum ſuper multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea, hæc faciat mihi Deus, & hæc addat.] Non lætetur inaniter de diuitiis, quas ad negotiandum accepit, ſed potiùs cura eum aliquid lucrandi ſollicitet. Non efferatur de his, quæ reperit, licèt multa ſint, & pretioſa, ſed tempus iam iam inſtare, quo ea ſint reſtituenda, animaduertat. Stultus namque eſt debitor, vt Gregorius ait, qui gaudens pecunias mutuas accepit, & tempus, quo reddere debeat, non attendit. Moderatur autem lætitiam accipiendi, quando ſolerti prouidentia etiam conſtitutum tempus reddendi cogitatur.] Vinum ergo donorum Dei non bibamus purum, ſed aqua dilutum, ne ſua fortitudine noſtram mentem inebriet. Purum bibimus, ſi quid nobis datum ſit, quámque diuites illo theſauro efficiamur, ſolùm attendimus. Mixtum verò bibimus, cùm donum illud alienum eſſe, nempe Dei, & cum vſuris reddendum meditamur. Potus hic non dementat oculos mentis noſtræ, ſed potiùs roborat, vt ſe donis indignam, & alienis bonis oneratam videat, & non ſe ex alieno magni pendat.

Luca 12. 48.

Iob. 31. 25.

Greg. 22. mor. c. 3.

Conferet demum ad hunc gradum aſcendendum, ſi quiſque ſuam magnam ingratitudinem agnoſcat. Ingratus enim indignus eſt, cui noua beneficia conferantur, & dignus, vt in eum iam collata negentur. Ingratus autem maximè eſt, qui accepta beneficia in otio continet, aut donis ſibi datis abutitur. At quis eſt, qui in ſe ſigna multa huius ingratitudinis non inueniat? Pœna, & afflictio ad noſtram emendationem inflicta, beneficium Dei eſt, quo filios ſibi dilectos corripit, atque caſtigat, & à malis admiſſis auertit. Sæpe autem huiuſmodi pœnis non emendamur, indignique efficimur, vt flagello filiorum caſtigemur. Quadrátque in nos illud Ieremiæ: Percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti.] Bona quoque tam naturæ quàm gratiæ, ſunt Dei beneficia maxima, & quibus ipſe vult ſibi gloriam, & nobis vtilitatem decerpere. Nos verò vt terra ſterilis, ſerò aut nunquam fructus ferimus. Dictúmque de nobis videtur illud Dauidis: Mutuabitur peccator, & non ſoluet:] quia Dei dona quaſi mutuò accipimus, & ea otio conſumentes, aut negligenter tractantes, nunquam perſoluimus. Accepimus à Domino, vt ſimus, & vt homines ſimus, accepimus corporis formam, ſanitatem, & robur, membrorúmque integritatem. Accepimus mentem, qua poſſumus capere veritatem, & verum à falſo, iuſtúmque ab iniuſto diſcernere, & bonum diligere, & appetere, illique inhærere. Accepimus multiplicia bona, quæ ipſum corpus ac mentem exornant. Hæc mutuò accepimus, & nunquam bene reddimus, quia nunquam ex toto nos Domino conſecramus, immo multoties reddimus mala pro bonis, dum noſtrum benefactorem irritamus, eiúſque iuſtiſſima mandata tranſgredimur. Si ergo ingrati ſumus Deo, ergo beneficiis & donis eius indigni. Et profectò non multum erit, ſi nos omni dono, omníque beneficio indignos reputemus, & tanquam hi, qui debita malè ſoluimus, noua dona accipere timeamus.

Ieremiæ 5. 3.

Pſal. 36. 21.

De quarto Gradu Humilitatis, qui eſt ſe omnium minimum æſtimare.

CAPVT V.

A MVLTA ſunt in vita ſpirituali, quæ non expertis videntur maximè difficilia, & quæ poſſunt ſermone dici, non tamen actione compleri. Vnum autem iſtorum eſt, quod hic gradus humilitatis poſcit, vt quis ſe omnium minimum ac viliſſimum exiſtimet. Bone Deus, quanam ratione poteſt homo ſanctus, & maximis Dei donis coopertus, id de ſe ſentire, ſéque minimum æſtimare? An humilis B cæcus eſt, qui ſe ipſum non videat? An ſtultus, qui ſuas opes ignoret? An ingratus, qui non Dei beneficia ſibi data cognoſcat? Quomodo ergo poterit in tantum ſemet ipſum deſpicere, vt meritis ſe minimum omnium putet, & infideles, & fures, & homicidas, ſe meliores & ſanctiores exiſtimet? Sanè aut humilitas inſcitia ridenda eſt, aut humilis omnium minimus non eſt: quod ſi non eſt, quo pacto ad virtutem pertinet ſe ipſum fallere, & bona magna, quæ habet, quaſi nihilum reputare? Quæramus nunc de ſanctiſſimo Ioanne Euangeliſta, an humilis fuerit, necne? Profectò ille, qui ſanctiſſimus fuit, etiam fuit & humillimus, quoniam ſicut numquam reperta eſt vera ſanctitas ſine vera humilitate; ita neque maxima ſanctitas, ſine maxima humilitate. Sed C videamus an potuerit ille ſe omnium hominum abiectiſſimum reputare? An ille, qui toto vitæ tempore nullum lethale crimen patrauit, & pauca leuia peccata commiſit, potuit ſe viliorem putare ſceleratiſſimis & flagitioſiſſimis hominibus, qui quotidie grauiſſimis & innumeris criminibus ſordidantur? An ille, qui primitias Spiritus ac gratiæ, & donorum incomparabilem copiam accepit, potuit ſe pauperiorem exiſtimare illis hominibus, qui nullum donum ſupernaturale ſanctitatis acceperunt? An ille, qui tanta diuinorum cognitione eminuit, vt Verbum æterni Patris intonaret, potuit ſe ignorātiorem putare illis, qui nullam ſunt peritiam rerum diuinarum aut humanarum adepti? Certè D non potuit, niſi aut ſe ipſum decipiendo, aut bona, quæ acceperat, obliuioni tradendo, aut aliorum mala (quod iniquitas eſt) meliora, quàm ſua bona, putando. Quid poſtulas à nobis, humilitas, quid nos anguſtas & opprimis, quid à nobis vt dura nouerca impoſſibilia requiris? Ego quidem à teneris annis in literarum ſtudium incubui; ſcientias Philoſophicas, & Theologicas didici, & eaſdem publicè docui. Si peteres vt me indoctiorem ac minorem omnibus Philoſophis, ac Theologis putarem, etiam diſcipulis meis, fortè aſſequerens. At quomodo poſſum me indoctiorem putare Æthiopibus, aut Peruanis inſipientiſſimis, quos video vix fidei elementa memoriter addiſcere, & vt pſittacos pronunciare? Quid eſt hoc, quod dicis, & quod ſæpe auribus meis inſuſurras: Si non te minimum omnium E reputaueris, non eris humilis?

Humilitas hæc, non eſt res intellectus, ſed appetitus, & voluntatis, quare non intellectus errorem, aut cæcitatem, ſed voluntas depreſſionem ſurſum tendentis efflagitat. Nec vult vt ignoremus nos ipſos, ſed ne ſupra meritum efferamur. Humiles igitur cognoſcunt dona Dei ſibi conceſſa. Vnde & Paulus ait: Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.] Et poſtea: 1. Cor. 2. 12.

A Quis cognouit ſenſum Domini, qui inſtruat eum? Nos autem ſenſum Chriſti habemus.] Et in Apocalypſi ſcriptum eſt: Vincenti dabo calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.] Atque adeò ſancti, & humiles optimè ſciunt dona Dei, quibus aliis præſtant: ſciunt ſe habere ſapientiam Chriſti, quam non habent hæretici, nec infideles, nec qui regulis huius ſæculi cuncta metiuntur: ſciunt ſibi datum eſſe calculum candidum imitationis Chriſti, ac nomen nouum, vt filij Dei ſint, & nominentur, in quo illos ſuperant, qui vitia ac peccata ſequuntur, & filij diaboli nominantur. Scire poteſt verus humilis, ſe eſſe alio doctiorem, ſe eſſe alio ſanctiorem, ſe naturalibus talentis, aut ſupernaturalibus B donis, inter alios eminere, quibus cum degit, aut in re aliqua aliis præſtare. Sed hanc ſcientiam, aut ſuorum bonorum notitiam ita temperat, vt modeſtiæ non officiat. Nam ſcit, omnia bona tum naturalia, tum ſupernaturalia, quæ habet, ſe à Deo habere, & gratis, ac ſine meritis, accepiſſe. Scit, illa omnia mutuò data, aliena eſſe, à ſéque poſſe ſubtrahi. Scit, innumerabiles eſſe, qui ipſum ſcientia, & doctrina, & virtute, ac ſanctitate, & donis naturæ ſuperent. Scit, ab illis, quos quibuſdam donis excellit, aliis multis donis ſuperari. Scit, illos gratos pro donis acceptis, Deo eſſe, ſe verò ingratum. Scit, alios donis Dei bene vti, ſe verò non ſemel abuti. Ignorat aliorum peccata, nouit ſua. Reſpicit C denique quod à ſe habet, & cùm ſe ex ſe ipſo nihil eſſe cognoſcat, affectu humilitatis ductus ſe ſub pedibus aliorum collocat, & ac ſi minimus omnium eſſet, ita deprimitur. Hic erat affectus Pauli dicentis: Ego autem ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.] Alio loco ait: Nihil minus feci ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli.] Et rurſus: Miniſtri Chriſti ſunt: (vt minùs ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.] Et iterum: Abundantiùs omnibus laboraui.] Se Apoſtolum agnoſcebat aliis (præterquam Petro) poteſtate æqualē, laboribus pro Eccleſia ſuſceptis, & afflictio- D nibus ſuperiorem. Et minimum ſe æſtimabat, quia omnia illa dona à gratia Dei, non à ſe ipſo, manare ſciebat. Quamobrem, cùm dixiſſet: [Abundantiùs omnibus laboraui;] adiecit, [non ego, ſed gratia Dei mecum.] Et cùm dixiſſet; [Nihil minus feci à magnis Apoſtolis;] ſubiunxit; [Tametſi nihil ſum.] Illud, quo ſe Apoſtolum aliis æqualem prædicat, ad cognitionem veritatis: illud verò, quo ſe minimum, aut nihil eſſe affirmat, ad depreſſionem pertinet affectionis. Video, inquit, ex me ipſo me nihil eſſe: video, omnia, quæ habeo, non propria, ſed aliena, id eſt, Dei eſſe; ideo me contemno, & me minimum voco, & aliis omnibus inferiorem, ac planè nihil exiſtimo.

1. Cor. 2. 16. Apoc. 2. 17. 1. Cor. 15. 9. 2. Cor. 12. 11. 2. Cor. 11. 23. 1. Cor. 15. 10.

Alia etiam ratione verus humilis ſe minimum E omnium reputat, quia prudenter poteſt cogitare, quòd ſi dona & beneficia ſibi à Deo data, aliis concederentur, meliùs & abundantiùs illis reſpondiſſent. Audit Dominum exclamantem: Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.] His auditis cōpungitur, ſtupet, & contremiſcit, dicitque ſibi: Væ tibi miſer, quia ſi infidelibus, & magnis peccatoribus data eſſent beneficia, quæ data ſunt tibi, forſitan feruentiùs & fideliùs Domino Matt. 11. 21.

A ſeruiuiſſent. Quare ergo te non ſub pedibus omnium pones, qui tepidiſſimè & negligentiſſimè acceptis beneficiis reſpondes? Hac via Beatiſſimus Patriarcha Franciſcus ſe omnium minimum reputabat. Cùm enim quidam ex ſuis fratribus, in extaſim raptus, vidiſſet ſedem digniſſimam illi in cœlo paratam, quæſiuiſsétque poſtea ab eo, quid de ſeipſo ſentiret: humilis Chriſti ſeruus (vt refert Bonauentura) *Bonau. in vit. a eius c. 6.* reſpondit: Videor mihi maximus peccatorum. Cui cùm frater diceret ex aduerſo, quòd hoc non poſſet ſana conſcientia dicere, nec ſentire; ſubiunxit: Si quantumcumque ſceleratum hominem tanta fuiſſet Chriſtus miſericordia proſecutus, arbitror ſanè, quòd multò quàm ego gratior eſſet.] Hæc etiam erat humilitas Beatæ Gertrudis, *Lib. 1 inſinuat. de uin. piet. c. 5.* de qua hæc ſcripta reperimus. Quoſcumque enim homines vidit, ſibi præferebat, eóſque meliores ſe iudicabat. Atque ideo dum illis Dei dona communicaret, putabat illos ſola cogitatione, innocentia, conuerſationéque munda plus mereri, Deóque inde laudes accreſcere maiores, quàm ipſa omnibus exercitiis ſuis, cunctiſque corporis viribus potuiſſet. Idque fieri arbitrabatur per ſuam indignitatem, vilitatem, ac negligentiam. Ea res, hoc eſt, humilis ſui cognitio, profundiſſimáque humiliatio ipſam vrgebat, quare Dei dona aliis manifeſtabat, videlicet quia in ſe (vt putabat) eſſent otioſa, manifeſtata verò aliis, ſaltem fructum, & Deo laudem operantur: præſertim, cùm, vt dixi, crederet, propter ſe dumtaxat nihil, verùm propter aliorum ſalutem omnia ſe recepiſſe. Hæc ibi.] Non itaque pugnant quòd homo dona ſibi à Deo data cognoſcat, & quòd ſeipſum deſpiciat, ac minimum omnium reputet, quia dona illa non ſibi arrogat, ſed gratis ſibi quaſi mutuò data conſiderat. Neſcit an fideliter (vt debet) illis donis vtatur, dubitat an inani gloria vſque ad conſenſum *Ier. 17. 9.* fœderur: nam [prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile:] ignorat an alius meliùs dona ſibi data collocaret, & veroſimiliter præſumit, quòd multi eum fidelitate & ſtrenuitate præcellerent, his incitatus, ſecuriùs & ſapientiùs putat, ſi ſe omnibus poſtponat, quàm ſi alicui fortè in occulto meliori ſe præferat.

Philip. 2. 2. 3. Ad hunc humilitatis gradum hortatur Paulus, ad Philippenſes ſcribens: Implete, inquit, gaudium meum, vt idem ſapiatis;] & poſt pauca, [in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes.] Nam ſi alium ego ſuperiorem arbitror, me minorem reputo, & ſi alius me ſuperiorem iudicat, ſe minorem arbitratur. *Anſel.* Quo loco optimè hunc gradum animaduertit Anſelmus, ita ſcribens: Hoc proprium ſpecimen electorum eſſe ſolet, quòd de ſe ſemper infra quàm ſint, ſentiunt. Ideo nunc ſubditur, vt ſint arbitrantes alij alios (ſibi inuicē ſuperiores:) nam quia iniquus quiſque inferiorem ſe omnem, quem cogitat, putat; è diuerſo iuſtus ſtudeat, vt ſuperiorē quemlibet proximum attendat. Ac ne dum ſe aliis alter humiliat, humiliatio iret alteri in elationem: vtramque partem monuit Apoſtolus, dicens: [Superiores ſibi inuicem arbitrantes,] vt cogitationibus cordis & ego illum mihi præferam, & viciſſim ille me ſibi; vt cùm ab vtraque parte cor inferiùs premitur, nequaquam ex impenſo honore infletur. Nec ita debemus hoc æſtimare, vt nos exiſtimemus, ſed nos exiſtimare fingamus, ſed verè exiſtimemus poſſe eſſe aliquid occultum in aliquo, quo nobis ſuperior ſit, etiam ſi bonum noſtrum, quo illo videmur ſuperiores eſſe, non ſit occultum.] Ad quod etiam facit dictum illud veriſſimum humillimi Franciſci: Vnuſquiſque tantus eſt, quantus eſt coram Deo: nec ex opinione hominum, qui ſæpe falluntur, ſed ex iudicio Dei æſtimanda eſt cuiuſque magnitudo. Quis autem nouit qualis ſit ſua, & alterius cauſſa corā Deo? Quis nouit an amore, an odio dignus ſit, qualitérque Deus ipſum, aut alium aſpiciat? Quis ſcit an alius ſit lapſus coram Deo, & ipſe ſit erectus, cùm vno momento poſſint hominum ſtatus mutari, poſsítque qui ſtabat cadere, & qui iacebat, ad magnam gratiam reſurgere? Si iſta ignoramus, ex quibus tota noſtra magnitudo dependet, meritò nos omnium minimos reputamus, & in loco infimo conſtituimus. *Rom. 12. 10.* Meritò alio loco monet Paulus: Honore inuicem præuenientes;] nam honorem ſuperiori tribuimus, & honorem verum illi impendimus, quem verè & ex animo maiorem exiſtimamus. Vnde ſi nos B inuicem maiores arbitramur, non erit difficile nos inuicem honoribus præuenire, & externa atque interna reuerentia mutuò afficere. Ad idem quoque pertinere videtur, quod idem Apoſtolus alio loco ait: Idipſum inuicem ſentientes, non alta ſapientes, *Rom. 12. 16.* ſed humilibus conſentientes.] Veſtrum ſenſum, ait, prout fieri poteſt, ſemper alterius iudicio conformate: ne tumeatis, nec ſuperbiatis, ſed humilium ac minimorum voluntati acquieſcite. Hoc profectò, ô homo, eſt te minorem minimo exiſtimare, cui conſentis, cuius iudicio te ſubmittis. Quòd ſi non tibi ſolùm, ſed omnibus hoc documentum propoſitum eſt, vniuerſi ex ſententia Pauli debent ſe ipſos minimos reputare, & affectum cordis ſui infra alios deprimere.

C Magna verò eſt huius gradus humilitatis ſecuritas; quia eo iuſtus, ab iniuſtitia ſe liberat, qua poſſet aliis, quibus ſe præfert, officere. Si enim frater virtute & meritis maior me eſt, iniurioſus ſum in illum, ſi non ipſi in corde meo potiorem locum defero, & ſi non illum maiorem ac meliorem reputo. Eſto autem quòd omnibus in rebus ſim maior illo, nullum eſt periculum, ſi ei tamquam meliori me ſubmittam. In elatione eſt grande periculum, quia, dum efferor, poſſum alienum honorem, & alteri debitum ſurripere. In humiliatione grande eſt meritum, licèt alium excedam, quia aſſueſco ex eo, quod meum eſt, proximum honorare. *Bern. ſer. 37. in Cant.* Duo hæc Bernardus optimè in hunc modum declarauit. Si in quonam ſtatu vnumquemque noſtrûm habeat Deus, liquidò cognoſceremus, nec ſupra ſanè, nec infra ſecedere deberemus, veritati in omnibus acquieſcentes. *2. Reg 22. 12.* D Nunc autem quia conſilium hoc [poſuit tenebras latibulum] ſuum, & ſermo abſconditus eſt à nobis; ita vt nemo ſciat ſi dignus ſit amore, vel odio, tutius tutiúſque profectò, iuxta ipſius veritatis conſilium, nouiſſimum nobis locum eligimus, *Luca 14* de quo poſtmodum cum honore ſuperiùs educamur; quàm præſumimus altiorem, vnde cedere mox oporteat cum rubore. Non eſt ergo periculum, quantumcumque te humilies, quantumcumque reputes minorem, quàm ſis, hoc eſt, quàm te veritas habeat. Eſt autem grande malum horrendúmq; periculum, ſi vel modicè plus vero te extollas, ſi vel vni videlicet in tua cogitatione te præferas, quē fortè parem tibi veritas iudicat, aut E etiam ſuperiorē. Quemadmodū enim ſi per oſtium tranſeas, cuius ſuperliminare (ad intelligentiam loquar) nimiùm baſſum ſit, non nocet quantumcumque te inclinaueris, nocet autem ſi vel tranſuerſi digiti ſpatij, plus quàm oſtij patitur menſura, erexeris, ita vt impingas, & capite quaſſato colliſdaris; ſic in anima non eſt planè timenda quantalibet humiliatio; horrenda autem nimiúmque pauenda vel minima temere præſumpta erectio. Quamobrem noli te, homo, comparare maioribus, noli

A minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid ſcis enim, ô homo, ſi vnus ille, quem fortè omnium viliſſimum atque miſerrimum reputas, cuius vitam ſceleratiſſimam ac ſingulariter fœdiſſimam horres, & propterea illum putas ſpernendum, non modò præ te (qui fortè iam ſobriè, & iuſtè, & piè viuere te confidis) ſed etiam præ cæteris omnibus ſceleratis tanquam omnium ſceleratiſſimum: Quid ſcis, inquam, ſi melior & te, & illis mutatione dexteræ Excelſi, in ſe quidem futurus ſit, in Deo verò iam ſit? Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipſum ſaltem inter nouiſſimos eligere locum nos voluit; ſed [recumbe, inquit, in nouiſſimo loco:] vt ſolus videlicet omnium nouiſſimus ſedeas, téque nemini, non dico præponas, ſed ne comparare præſumas. Hactenus ille.] B Illud ergo, quod dictum eſt à Domino: Recumbe in nouiſſimo loco,] non tantùm de externis actibus accipiendum eſt, quaſi ſemper nouiſſimus locus ſit à nobis tenendus, quod ſæpe perſonæ, aut muneris, quod gerimus, dignitas vetat, ſed de interno affectu intelligendum, vt ſcilicet homo, deſiderio & minima æſtimatione ſui, in infimo ſe loco conſtituat. Itaque idem eſt huius mandati ſenſus, atque illius: Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.] Sicut enim non ſemper decet percutienti nos in vnam maxillam, alteram actu feriendam conuertere, quod nonnunquam hypocriſi tribueretur, & proximum iratum ad maiorem indignationem prouocaret: at ſemper decet, & opus perfectionis eſt, quemque paratum eſſe ad aliam alapam ſuſtinendam: C ita non cuique licet in nouiſſimo loco ſedere, vt prælato, vel principi, at ſemper conuenit, affectu & minima æſtimatione ſui infimũ locum aſſumere. Illud primum, vt ſcilicet exteriùs ad nouiſſimũ locum in cõſeſſibus eas, etiam Philoſophi monuerunt. Nã & Tullius dixit: Rectè præcipere videntur, qui monent, vt quãto ſuperiores ſumus, tanto nos ſubmiſſiùs geramus. At hoc ſecundum, vt ſcilicet te nouiſſimum putes, & infimum ſentias, Chriſtus ſolus docuit, & eius diſcipuli, Sancti ſcilicet omnes docuerunt, & non tantùm verbis, ſed moribus, & vita monſtrarunt.

Matth. 5. 39.

Cicer. 1. offi. 2.

Hunc profectò humilitatis gradum habuit Dauid, cùm Sauli impio, & Sanctorũ perſecutori ſe ſubmiſit. Quem perſequeris, dixit, rex Iſraël? Quẽ perſequeris? Canem mortuũ perſequeris, & pulicẽ vnũ.] Tu rex, D ego ſeruus: tu potens, ego canis mortuus: tu magnus, ego pulex. Ipſa magnitudo tua, ac puſillitas mea te moueãt, vt ab infirmi perſecutione deſiſtas. Et certè, vt ait Gregorius, ſanctus Dauid iam vnctus in regem fuerat, iam exorante Samuele, & cornu ſuper ſe oleũ fundente, didicerat, quòd eum diuina gratia, Saul reprobato, ad regni gubernacula poſſidẽda ſeruabat, & tamen perſequenti aduerſario mẽte humili ſe ſubſternebat, cui diuino iudicio prælatũ ſe eſſe nouerat. Illi itaque ſe humiliter poſtponebat, cui per electionis gratiam incomparabiliter ſe nouerat eſſe meliorẽ. Ex hoc bene colligit ſanctus Doctor: Diſcant ergo quomodo humiliari proximis debeant, qui adhuc quo loco apud Deũ habeãtur, neſciũt: ſi ſic ſe electi, E etiam illis humiliãt, quibus iam ſe per interna iudicia antepoſitos deprehendunt.] Didicerunt multi Sãcti Eccleſiæ hunc mirabilem humilitatis affectum, qui adeò ſe ſubmittebãt, vt calamitates reipublicæ ſuorũ peccatorum cauſſà venire putarẽt. Et cùm eſſent vitæ ſanctitate conſpicui, adeò ſibi per hunc affectũ reddebantur abſconditi, vt nullũ in terris inuenirẽt præter ſe ipſos, cuius peccatis tam duram Domini caſtigationem tribuerent. Legũt in ſanctis ſcripturis, quia

1. Reg. 24. 15.

Greg. 24. mor. c. 17.

A ſolet Dominus vnius peccatum in aliis eiuſdem congregationis punire. Sic propter peccatum elationis Dauid quo numerauit populum, mortui ſunt ſpacio trium dierum à Dan vſque ad Berſabee ſeptuaginta millia virorum. Peccatum quoque vnius Achan, fuga trium millium pugnatorũ, & morte triginta ſex hominum mulctatũ eſt, qui à viris vrbis Hai, quam expugnare venerant, partim victi, partim occiſi ſunt. Et in Exodo ſcriptum eſt: Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.] Putãt ergo iuſti, dum oculos à ſuis meritis magnis auertunt, & beneficia eximia Dei, quibus non perfectè reſpondent, attentè conſiderant, quia propter ingratitudinem ſuam, in alios de congrega- B tione, aut republica, Domini indignatio deſæuit. Quis hanc humilitatem non miretur? Quis ad conſiderationem huius affectus non obſtupeſcat? Quis non expertus intelligat, quonam modo ille, qui magnus eſt meritis, & qui ſua merita, & virtutem non ignorat, poteſt ſe ipſum ita deſpicere, vt flagitioſis hominibus ſe ſubmittat? At hæc vitæ ſunt ſpiritualis arcana, & huius ſacræ ſcientiæ ſecreta, quæ peritiſſimis, id eſt, viris perfectis, reuelantur, non tantùm vt ea loqui ſciant, ſed vt vitæ conuerſatione compleãt.

2. Reg. 24. 15.

Ioſue 7. 5.

Exodi c. 20. 5.

At quibus ad hunc gradum humilitatis aſſequendum iuuabimur? Primò quidem, ſi nos cum maioribus ac melioribus conferamus, ac comparatione illorum, nos (ſicut re vera ſumus) puſillos, ac imperfe- C ctos eſſe putemus. Dum enim quiſque ſe minorem exiſtimat, ad illum ſalutarem affectum, quo ſe minimum reputat, aditum parat. Solitarius equus, ait Climacus, nonnumquam currere videtur, at ſi gregi ſocietur, tunc ſuam agnoſcit tarditatem.] Ne te ſolitarium aſpicias, ſed Sanctis, qui velociſſimè in cœlum currunt, circumuallatum, ſic tuam tarditatem agnoſces, ſic de tuis laboribus erubeſces, ſic te, ſi non minimum, at minorem reputabis, & ex hoc tanquam ex initio ad illud, vt te minimum ſentias, progreſſum facies. Pauper diuitibus circumſeptus, pauperior ſibi videtur; & literatus, magiſtris ſapientiſſimis aſſociatus, quantum ſibi ad perfectam ſapientiam deſit, agnoſcit. Sic iuſtus dum ſe viris ſanctiſſimis Dominico, Franciſco, Ignatio, & aliis ſimilibus comparat, ſuum omnem profectum quaſi nihilum reputat. Deinde iuuat, ſi virtutum ſublimita- D tem, ac perfectionem mediteris, à qua te quàm longiſſimè diſtare conſpicies, & ſic de te ſubmiſſiùs ſentire aſſueſces. Sic quidam ſtrenuus frater (auctore eodem Climaco) hanc ſui deſpicientiam comparabat, de quo hæc ſcribit. Cuidam fortiſſimo Athletæ Chriſti, qui ad hanc beatiſſimam virtutem feſtinabat, impuri dæmones laudem in corde ſubſeminabant. At ille diuina inſpiratione malignorũ ſpirituum nequitiam pio, & religioſo compendio vincere aggreditur. Deſcribit in cellulæ pariete altiſſimarum virtutum appellationes, putà perfectæ charitatis, angelicæ humilitatis, mũdiſſimæ orationis, incorruptibilis caſtitatis, & huiuſcemodi virtutum reliquarum. Cùm ergo illum cogitationes extollere cœpiſſent, E dicebat illis: Eamus ad arguentẽ, adueniẽſq; relegebat appellationes illas, ſibiq; ipſi clamabat: Cùm has omnes poſſederis, tunc ſcies quàm lõgè adhuc à Deo ſis. Cum enim eas poſſederis, [ſeruus eris inutilis, feciſti enim, quod facere debuiſti.] Præterea confert maximè ad hunc gradum acquirendum, oculos à propriis meritis & virtutibus auertere, niſi cùm aliud affectus gratitudinis poſtulat, & in peccatis ac defectibus figere. Nam homo, qui ſæpe ſua mala conſiderat, eum certè affectum generabit,

Climac. grad. 25.

Climac. ibid.

Luca 17. 10.

quem

quem hæc conſideratio ſolet parturire, vt ſe puſillum & imperfectum, & cæteris viliorem reputet, qui tanta in ſe mala cognoſcit. Hunc monet Gregorius, vt interdum bona ſua neſciat, ne propera notitia eorum per ſuperbiam eleuetur. Bona, inquit, noſtra & ignorare ſapienter, & ſcire aliquando vtiliter debemus. Ignoranda quidem ſunt, ne infirmis nobis elationem præbeant; ſed à perfectioribus ſcienda ſunt, vt per deuotionem creſcant.] Tandem conducit omnia beneficia Dei, vt debita noſtra, ſicut re vera ſunt, aſpicere. Nam ſi quo plus habemus bonorum, eo ampliùs debitores ſumus, meritò quò meliores ſumus, eò ſubmiſſiùs de nobis ſentimus, & omnibus tanquam pluribus debitis onerati, ſubmittimur. Quiſquis tibi, ô Domine, inquit Auguſtinus, enumerat vera merita ſua, quid tibi enumerat, niſi munera tua? Et venerandus vir Ioannes Ruſbrochius ait, eum, qui nunquam peccauit, aut minùs peccauit, maiorem cauſſam humilitatis habere, quàm illum, qui magna peccata commiſit: quia videlicet maiorum bonorum debitor eſt; quare debet ſe quaſi maioribus obligationibus aſtrictum, magis ſubmittere. Eſt, inquit, & alia præclarior humilitatis cauſſa, quam ignorare non debemus. Intemerata namque Dei genitrix, glorioſa ſemper Virgo Maria, cùm ab omni peccato ſit præſeruata, maiorem ſe humiliandi cauſſam habet, quàm beatiſſima Maria Magdalena, quæ ſic diuina bonitate à peccatis liberata, ſicut Virgo glorioſa ab ipſis præſeruata fuit. Maius autem beneficium eſt, à vulneribus illæſum ſeruare, quàm inflicta curare vulnera. Itémque præclarius eſt, & maiori dignum gratiarum actione, ſeruari à peccatis, quàm de admiſſis conſequi veniam. Quanto autem cumulatiora ſunt in nos beneficia Dei, tanto & nos illi cum humilitate ac reuerentia gratias abundantiores agere ſumus adſtricti. Non ſolùm de peccatis nobis miſericorditer indultis, ſed multò magis de iis quoque, in quæ incidere poteramus, niſi ſua nos bonitate ipſe cuſtodiſſet; & non tantùm de beneficiis iam collatis, ſed de omnibus quoque bonis illis, quæ collaturus erat, niſi noſtra hoc malitia præpediſſet. Vnde ſi quis ſolerter aduertere velit, ex ipſis quoque virtutibus à Deo collatis, & ex Dei bonitate, quæ à profundiori ipſum ruina præſeruauit, maiorem, præclariorémque humilitatis rationem, quàm ex hoc, quòd lapſus à Deo veniam meruit, & indulgentiam habet, inuenítque. Hæc ille.] Omnia ergo ſiue proſpera, ſiue aduerſa, ſiue bona, ſiue mala, nos ad hunc gradum humilitatis inſtigant: omnia nos ad hoc mittunt, vt nos minimos eſſe putemus. Quoniam puſillus eſt, qui ſemper peccatis & imperfectionibus vincitur; necnon & puſillus eſt, qui non ex ſe, ſed ex dono gratiæ, & ex beneficiis quotidie ſuſceptis, à maioribus malis ſeruatur. Minimus denique eſt, qui ex ſe nihil habet, & quicquid habet, gratis ab alio recepit; & beneficiis, quæ recipit, nunquam cumulatè reſpondet.

Greg. lib. 4 in 1. Reg. ad c. 10.

Auguſt.

Rusbrochius libel. de quibuſdã præcipuis virt. ca. 10.

De quinto Gradu Humilitatis, qui eſt: Nolle ab hominibus honorari, &c.

CAPVT VI.

QVi ſe ipſum viliſſimum ac minimum omnium exiſtimat, quod quarto humilitatis gradu eſt conſecutus, facilè ad quintum adueniet, vt ſcilicet ab hominibus magni æſtimari, honorari, aut laudari non velit. Honor enim, & laus A magnis ac præclaris viris debita eſt, qui perfectiſſima virtute eminent, qui egregiis operibus vacant, ſuáque auctoritate alios quaſi humeris ſuſtinent. Quæ autem dementia eſſet, ſi homo proprio iudicio ſuo minimus omnium, ac nullius pretij exiſtimatus, ſibi eos honores, eáſque laudes cuperet, quas non conuerſatio iners, ſed vita immaculata, & vtiliſſimis ac præſtantiſſimis operibus occupata depoſcit? Fugam honoris, ac laudis humanæ, in hoc quinto humilitatis gradu poſitam, ab ipſo Magiſtro humilitatis accepimus, qui ad homines veniens, ſtatum pauperem, ſecundùm mundi gloriam, & vitam nullis caducis honoribus ſplendidam, ſed deſpicabilem ac obſcurã, elegit. Potuit ille quidem ex hominibus ditiſſimis, & qui tunc in mundo regnarent, naſci: potuit, regnum B Iſraëliticum temporale, aut certè Pontificiam dignitatem obtinere, & exequi: potuit, regum & Principũ more, viris nobiliſſimis & regali ſatellitio conſtipari. Potuit, ſed noluit, & hæc omnia mundi magna contempſit, paupertatem autem, & infimum locum, & ignobilium ſocietatẽ amauit, vt ſectatores ſuos tantæ humilitatis exemplo ad contemnendos honores, & fugiendas laudes adduceret. Semel, poſt ſatiatã turbam quaſi quinque millium hominũ, ſine paruulis ac mulieribus, in deſerto, tanto perculſæ miraculo gentes illæ ipſum regem acclamare voluerũt. Ipſe autem quid fecit? Cùm cognouiſſet, inquit Euangeliſta, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.] Noluit tẽporaliter regnare, & imperare hominibus, ſed C miniſtrare illis, vt ſuperbiam illorum retunderet, qui de obtento honore ac mundi dignitate lætantur, & non parum mœrent, cùm in ordinem redigũtur. Qui profectò tam cæci eſſe ſolent, vt ſibi perſuadeant, ſe ad imperandum ac gubernandum fuiſſe natos, tempúſque terere, quod non in ampliſſimo munere gerendo poſuerint. Sed Chriſtus, ô ſuperbe, aptus erat ad gubernandum, & ad munera reipublicæ Chriſtianæ gerenda, nec à potioribus redemptionis noſtræ muneribus imperio temporali diſtraheretur, & tamen noluit illud admittere, vt diſceres, tuam cæcitatem & elationem agnoſcere, & te ab honorũ deſiderio ſubtrahere. Quare Gregorius bene ait: Sed quia idcirco in carne apparuit, vt non ſolùm nos per paſſionem redimeret; verumetiam per conuerſationem D doceret, exemplũ ſe ſequentibus præbens, rex fieri noluit: ad crucis verò patibulum ſponte peruenit. Oblatam gloriam culminis fugit; pœnam probroſæ mortis appetiit: vt membra eius videlicet diſcerent, mũdi fauores fugere; terrores minimè timere; pro veritate, aduerſa diligere; proſpera, formidãdo declinare; quia & iſta ſæpe per tumorem cor inquinant, & illa per dolorem purgant. In iſtis ſe animus erigit; in illis autem, etiam quando ſe erexerat, ſternit. In iſtis homo ſui obliuiſcitur; in illis verò ad ſui memoriam, nolens etiam coactúſque reuocatur. In iſtis ſæpe & antè acta bona depereunt; in illis autem lon- E gi quoq; temporis admiſſa terguntur. Nam plerumque aduerſitatis magiſterio, ſub diſciplina cor premitur, quod ſi ad regiminis culmen eruperit, in elatione protinus vſu gloriæ permutatur. Sic ille.] Iterum à quonam laudatus eſt, ſic eum interrogante: Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo?] Statim autem laudationem reiecit. [Quid me dicis bonum? Nemo bonus niſi ſolus Deus.] Qua ſententia bonitatem naturalem, ac per eſſentiam (vt vocant) ſoli Deo tribuit, ac ſibi non vt homini (ſic enim erat bonus participatione) ſed vt Deo conuenire mõſtrauit. Hoc verò facto, ô homo, tuã quoque leuitatem reprehendit, qui paſſim inanes laudes aucu-

Ioan. 6. 15.

Gregor. 1. p. Paſtor. c. 3

Lucæ 18. 18

pas, & ex his etiam, quæ non habes, ab hominibus efferri & prædicari curas. In quo quàm ſis inanis, oſtendis, qui vento paſceris, & mendaciſſimo hominum plauſu te implere & ſatiare præſumis.

Hanc eandem viam omnes Sancti ac Deo dediti homines ingreſſi ſunt, qui nec honores ambierunt, nec ab hominibus laudari curarunt. Lege ipſorum egregia facinota, ac hiſtorias de illorum vita ſcriptas euolue, & contemptum honoris ac laudis vanæ, in quo eminuerunt, admirabere. Quidam eorum, virtutes eximias, quibus prædıti erant, abſconderunt: alij, mirabilia, quæ patrabant, immo & ſtupenda miracula à Deo per ipſos facta, prout ſibi fuit poſſibile, tacuerunt: alij, à ciuitatibus, & regionibus, in quibus laudabantur, & honore afficiebantur, fugerunt: alij, delatos honores, & ampliſſimas dignitates recuſarunt. Erat vitæ illorum dux; Saluator noſter Chriſtus, quem non verbo tantùm, ſed multò magis opere & veritate imitati geſtiebant; & ideo quod ipſe reſpuit, abiecerunt; & quod ipſe voluit, nempe contemptum honoris & laudis, amplexi ſunt. Nec ſe nimis coëgerunt, vt honores ſpernerent; quoniam ſe indignos honore putantes, facilè hanc mentem induebant, vt ſibi non debita refutarent.

Quamuis autem humiles, laude & honore affici nolint, ex eo quòd ſe putent bono laudis & honoris indignos, tamen multa in honore humano reperiunt, propter quæ contemnendus ſit, & ab homine ſapiente, nihili reputandus. Honos namque, & laus ab hominibus delata, inanis eſt, nullâque veritate aut ſtabilitate deſiderabilis. Honos iſte non in honorato, ſed in honorante eſt, nam eſt ſententia de honorato concepta. Hæc autem ſæpiſſime non veritati, ſed vanæ exiſtimationi nititur, & impuris honorantis affectibus roboratur. Si enim iſte prædas & rapinas in pretio habeat, eos honore proſequitur, quos videt corpore robuſtos, neruis prævalidos, & audacia ad diripiendum intrepidos. Si delicias amet, & carnis voluptates, laudat diuites, & rerum temporalium poſſeſſores, tanquam eos, qui pecunia, cui obediunt omnia, poſſunt, quæ delectent, mercari. Si curioſitate paſcatur, illos honore afficit, quos literatos, & ſciolos, & loquaces nouit. Si ſuperbia & ambitione tumeat, honorat publicis muneribus, & dignitate fulgentes. Quid dicam? Ipſi virtutis amatores ſæpe ſuſpiciunt magis, & honorant, non iuſtiores & ſanctiores, ſed quos vident eſſe magis ſuo ingenio & naturæ conformes. Ac tandem hic honos, iſtáque laus ab hominibus delata, non nos meliores facit, ſed in nobis bonitatem, ob quam honoremur, ſupponit. Qua ſi careamus, eo ipſo, quòd honoramur, contemptibiliores efficimur. Eſt enim indignum honorare, non aliud, quàm honore hiſtrionem, regis perſonam agentem, afficere. Non ergo honos, aut laus appetenda eſt, ſed vera laudis & honoris cauſſa. Quæ profectò non eſt alia quàm vera virtus, & conſcientia immaculata, & hominis Deo fideliter ſeruientis vita non ficta. Vnde Auguſtinus ad quendam hæreticum verba faciens, ait: Senti de Auguſtino quicquid libet, ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſet. Et ad alium: Si autem non aurem ſolam percutit iracundia criminantis, veruntamen conſcientiam mordet veritas criminis, quid mihi prodeſt, ſi me continuis laudibus totus mundus attollat? Ita nec malam conſcientiam ſanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat conuitiantis opprobrium.] Didicit hunc contemptum laudis humanæ Auguſtinus à Paulo dicente: Mihi autẽ pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.]

Auguſt. lib. com. ſecũdi. c. 20.6. Idem lib. con.

Cor. 4.

Quis nam eſt, Paule, humanus dies? An naturalis lux, & ratio, quæ immenſa Dei opera vult ſuæ capacitatis anguſtia concludere? An humanus intellectus, qui ſine luce Dei fallitur, & occulta nequit aſpicere? An dies huius vitæ, in quo homines, vt ſibi videtur, res excuſant, aut damnant, quo vſque veniat dies Domini, qui non pro vanis hominum opinionibus, ſed pro meritis omnia diiudicet? Hos omnes dies, ac vniuerſa humana iudicia, pro minimo habet Paulus, & laudes, aut vituperationes ab hominibus prouenientes, pro nihilo ducit; quia ſcit, mentis virtutem, & conſcientiæ munditiem, non eſſe in ſignis honore afficientis, nec in ore laudantis, ſed in aſſidua bonorum operum exercitatione iuſtè viuentis.

Nec ſolùm laudes humanæ inanes ſunt, verùm & ſunt adeò exiguæ, & anguſtæ, vt hac ſola ratione eſſent aſpernandæ. Nam breues terræ limites non tranſcendunt, & in vno regno, aut vna Prouincia à paucis deferuntur: & laude digni ab his paucis non ſemper, ſed ad modicum tempus laudãtur. Noui ego quendam, ad cuius conciones magna hominũ turba confluebat, qui eo die, quo ad populũ eximio plauſu verba fecerat, poſt tertiam noctis horam, quando homines ſe ſomno dare cõſueuerunt, ita ſecũ cogitabat: Erit ne aliquis nunc in tota vrbe, qui mei ſermonis recordetur? Certè nullus. Si ita eſt, quòd iam mei recordatio apud omnes iſtos ceſſauit, vanum erit, ex tãto labore tam breuem laudem quærere, & etiam ad veram laudem, quæ ex Deo eſt, & nunquam deſituram, non tota mentis contentione feſtinare. Sed has anguſtias honorum, & laudum humanarum, gratum erit ex ore ipſius ſapientiæ, quam Boëtius Seuerinus loquentem inducit, audire. At illa, inquit, atqui hoc vnum eſt, quod præſtantes quidem natura mẽtes, ſed nondum ad extremam manũ virtutum perfectione perductas, allicere poſſit, gloriæ ſcilicet cupido, & optimorum in rempublicam fama meritorum. Quæ quàm ſit exilis, & totius ponderis vacua, ſic conſidera: omnem terræ ambitum (ſicut aſtrologis demonſtrationibus accepiſti) ad cœli ſpacium, puncti cõſtat obtinere rationem, id eſt, vt ſi ad cœleſtis globi magnitudinem conferatur, nihil ſpacij prorſus habere iudicetur. Huius igitur tam exiguæ in mundo regionis, quarta ferè portio eſt (ſicut Ptolomæo probante didiciſti) quæ à nobis cognitis animantibus incolatur. Huic quartæ, ſi quantum maria paludéſque premunt, quantúmque ſiti vaſta regio diſtenditur, cogitatione ſubtraxeris, vix anguſtiſſima inhabitandi hominibus area relinquetur. In hoc igitur minimo puncti quodam puncto circumſepti, atque concluſi, de peruulganda fama, de proferendo nomine cogitatis? At quid habet amplum magnificúmque gloria tam anguſtis exiguíſq; limitibus arctata? Adde quòd hoc ipſum breuis habitaculi ſeptum plures incolunt nationes, lingua, moribus, totius vitæ ratione diſtantes, ad quas cùm difficultate itinerum, tum loquendi diuerſitate, tum commercij inſolentiâ, non modò fama hominum ſingulorum, ſed ne vrbium quidẽ peruenire queat. Ætate deniq; Marci Tullij (ſicut ipſe quodam loco ſignificat) nondum Caucaſum montẽ Romanæ reipublicæ fama tranſcẽderat, & erat tũc adulta, Parthis etiam, cæteriſque id locorũ gentibus formidoloſa. Vidéſne igitur quàm ſit anguſta, quàm cõpreſſa gloria, quam dilatare ac propagare laboratis? An vbi Romani nominis tranſire fama nequit, Romani hominis gloria progredietur? Quid quòd diuerſarum gentium mores inter ſe, atque inſtituta diſcordãt, vt quod apud alios laude, apud alios ſupplicio dignum iudicetur? Quo fit, vt ſi quem famæ prædicatio delectet, huic in plurimos populos nomen

Boët. lib. 2. de con. ſol. proſ. 7.

A proferre nullo modo conducat. Erit igitur peruagata inter ſuos gloria quiſque contentus, & intra vnius gentis terminos præclara famæ immortalitas coarctabitur. Sed quàm multos clariſſimos ſuis temporibus viros, ſcriptorum inops deleuit obliuio? Quanquam quid ipſa ſcripta proficiunt, quæ cum ſuis auctoribus premit longior atque obſcura vetuſtas? Vos verò immortalitatem vobis propagare videmini, cùm futuri famam temporis cogitatis. Quod ſi ad æternitatis infinita ſpacia pertrahes, quid habea, quod de nominis tui diuturnitate læteris? Vnius etenim mora momenti, ſi decem millibus conferatur annis, quoniam vtrumque ſpacium definitum eſt, minimam licet, habet tamen aliquam proportionem. At hic ipſe numerus annorum, eiuſque quantumlibet multiplex ad interminabilem diuturnitatem, ne comparari quidem poteſt. Etenim finitis ad ſe inuicem fuerit quædam, infiniti verò, atque finiti nulla vnquam poterit eſſe collatio. Ita fit, vt quanticumque prolixi temporis fama, ſi cum inexhauſta æternitate cogitetur, non parua ſed planè nulla eſſe videatur. Vos autem niſi ad populares auras inanéſque rumores rectè facere neſcitis, & relicta cõſcientiæ virtutiſque præſtantia, de alienis præmia ſermunculis poſtulatis. Hactenus ille.] Cuius verba, ſi attentè conſiderentur, ſatis euidenter aperiunt quantæ ſint humanorum honorum, ac laudum anguſtiæ; quorum cumulus in cor humanum iniectus, non magis, quàm guttula aquæ, capacitatem maris, implebit. Eſto ergo quòd mundi honos verus ſit; quia tamen exiguus eſt, à magnis animis, quales ſunt animi humilium, debet deſpici: quia nunquam magnanimus exigua & vilia magni reputabit. Eſt autem humilis ſemper magnanimus, qui ſeipſum & omnia exigua deſpicit, & in ſolo Deo veræ magnitudinis, quam ſemper appetit, auctore confidit.

Eſt etiam res infamis & ignominiæ plena, honorem, ac laudem propter ſeipſam, aucupari. Quod quidem ipſimet ſuperbi & ambitioſi manifeſtant. Hi enim voce nunquam ſuis prenſationibus honorem huius ſæculi tanquam finem præfigunt, ſed aut bonum reipublicæ, aut cuſtodiam diſciplinæ, aut occupationem talenti commiſſi ſibi, aut alios honeſtos fines ſe deſiderare prætendunt. Si autem dignum exiſtimaſſent, ad honorem, aut laudem, tanquam ad finem reſpicere, hoc fateri non erubeſcerent. Diſcipuli ſanè Domini cùm de prælatione & honoribus diſputaſſent, rubore ſuffuſi ſunt, quòd id Dominus cognouiſſet. *Marc. 9. 32.* Interrogabat eos, inquit Marcus, quid in via tractabatis? At illi tacebant: ſi quidem in via inter ſe diſputauerant, quis eorum maior eſſet?] Quare tacuerunt? niſi quia rem probroſam putarunt, de primatu contendiſſe, & ad prælationem aſpiraſſe? Et in hoc ſenſu ego illud Ioannis Climaci dictum intelligo: *Climac. gradu. 21* Cenodoxia, id eſt, inanis gloria, pro honore miniſtrauit ignominiam, ſuis enim diſcipulis irata, confuſionem illis maximam indixit.] Quomodo ex inani gloria confuſio & ignominia generatur? Ita quidem, quòd vanæ laudis, & honoris mundani cupidi, ſæpe illa faciunt, ex quibus ſuum ſuperbum deſiderium detegitur, ob quod ab aliis tanquam elati & ambitioſi damnantur. E contrà verò, qui has hominum laudationes plauſúſque contemnunt, omnes in ſui admirationem rapiunt. Sicut illa genere nobiliſſima, ſed ſanctitate multo nobilior & illuſtrior, Paula, de qua ait Hieronymus: *Hieron.* quòd fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quę virtutem, quaſi vmbra, ſequitur, & appetitores ſui deſerens, appetit contemptores.] Meritò profectò laus ſectatores ſuos fugit quaſi laudis & honoris indignos. Nam indignus eſt laude, qui laudem propter ipſam appetit, & non finem operum ſuorum in beneplacito Dei, atque in vera virtute, conſtituit. Hunc omnes deteſtantur, tanquam ordinis ſubuerſorem, qui virtutum functiones in ipſam vanitatem intorquet; qui in ancillam ſponſæ ſuæ (nam virtus ſponſa eſt viri iuſti, & laus virtutis ancilla) oculos impudicos inicit: & qui, quod ſibi quaſi in additamentum datur, optimam eſſe ſubſtantiam, propter quam virtus quærenda ſit, dicit. Si vis ergo, ô iuſte, verè laudari, & honore affici, ab hac infamia te libera, quòd velis laudes honoréſque conquirere. Hæc namque voluntas malam de te in cordibus aliorum opinionem generat, quòd ſuperbia tumeas, & velis non B tam ſtudioſus eſſe, quàm apparere, & non de veritate, ſed de virtutis oſtenſione laudari. Potiùs ex humilitatis affectu à laudibus humanis abſconde te ipſum, & in infimo loco conſtitue, vt inde ad celſiorem exalteris. Ne glorioſus appareas coram rege,] *Prou. 25. 6. 7.* nec tuam coram illo ſummo rege, qui omnibus præſidet, & vniuerſa intuetur, aut ſapientiam, aut virtutem oſtentes: [& in loco magnatorum ne ſteteris,] nec eorum honorem, aut dignitatem habere procures. [Melius eſt enim, vt dicatur tibi, Aſcende huc, quàm vt humilieris coram principe.] Humiliaberis autem, ſi honorem tibi non debitum aut appetere aut captare præſumpſeris.

Aliud quoque reperimus mundanorum honorum laudúmque periculum, quòd dum honores ac C laudes, quaſi præmia ſanctarum actionum, exquirimus, æternum præmium illis deſtinatum poſthabemus. Et ſicut diuiti epuloni dictum eſt: Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua:] *Luca 16. 25.* ita his, qui honores quæſierunt, dicetur: Iam præmia veſtrorum operum recepiſtis, non eſt cur aliud accipiendum expectetis. Et ſanè alio loco honos, & laus humana à vanis hominibus expetita, merces eleemoſynarum, & bonorum operum, à Domino vocata eſt. [Amen dico vobis, ait, receperunt mercedem ſuam:] *Matth. 6. 2. 5. 5.* non quidem quia inanis laus condignum ſit præmium bonarum actionum: ſed quia iſtæ ob vilem finem factæ, viles & malæ redduntur, & maius præmium non merentur. Miſera eſt ergo illorum conditio, qui ex ſuis laboribus honorem quærunt, quoniam vili præmio ſibi ſatisfieri concupiſcunt. D Qui enim pro virtute, quam agit, ait Gregorius; humanos fauores deſiderat, rem *Gregor. 8. moral. 28.* magni meriti vili pretio venalem portat. Et vnde cæli regnum mereri potuit, inde nummum tranſitorij ſermonis quærit.] O nummum deſpicabilem, & nec reſpectu hominis dignum, quem ſi contempſiſſes, ex tuis laboribus theſaurum cæleſtem reportaſſes. Sed quia aſpernari non audes, & quaſi dignam mercedem tuarum operationum aſſumis, eris inſtar ſcirpi, de quo inquit Iob: *Iob. 8. 16.* Humectus videtur antequam veniat ſol, & in ortu ſuo germen eius egreditur.] Virebis enim, & florebis in conſpectu hominum, antequam ſol iuſtitiæ Chriſtus ad iudicandum adueniat, & in ipſo ortu operum tuorum, germina E eorum, nempe hominum laudes, & acclamationes, habebis. [Super aceruum petrarum radices *n. 17.* eius denſabuntur, & inter lapides commorabitur.] Cogitationes tuas, quæ ſunt veluti radices operum, ad aceruum petrarum mittes, quia ex hominibus fatuis & ſterilibus, qui in petris ſignantur, humorem vanarum laudum ſuges, & in æſtimatione, quam apud eos obtineas, morari concupiſces. [Si abſorbuerit eum de loco ſuo, negabit eum, *n. 18.*

& dicet; Non noui te.] Cùm Deus te à viuis ſubtraxerit, nequaquam te ſeruum agnoſcet; dicétque, quod fatuis virginibus dixit: Amen dico vobis, neſcio vos.] Quia opera licèt ex genere bona, accepta non habet, quæ præpoſtera intentio captandæ laudis humanæ à ſua bonitate deiecit. Eſt ergo vanus honor ex ſanctâ conuerſatione quæſitus, qui nos cæleſtibus præmiis euacuat, & theſaurum illum, quem in æterna patria ſperamus, pro inani fauore & momentaneo commutat.

Matt. 25. 12.

His & aliis rationibus ſolent viri iuſti ſeipſos ad contemnendum honorem adducere. Et præcipua cauſſa huius contemptus eſt, quia ſeipſos honore ac laude indignos exiſtimant. Ad hunc ſanctum affectum deſpiciendi honoris ſe adigunt, quia pro comperto habent, eos, qui verè & ex animo iter ſpiritus ingrediuntur, ſemper mundi honores, & hominum
B laudes fuiſſe aſpernatos. Et ſicut pauci ſunt, qui ſe totos Deo conſecrant, non iam religioſa profeſſione, ſed vita: ita pauci ſunt, qui ad hunc gradum humilitatis perueniant. Nam, experientia teſte, ait Laurentius Iuſtinianus, pauci reperiuntur numero in comparatione cæterorum, qui ſaltem naturali exagitati impulſu, præeſſe potiùs non ambiant, quàm ſubeſſe; laudari magis appetant, quàm deſpici, atq; plus concupiſcant ab hominibus boni exiſtimari, quàm mali.] Hos paucos tu, ô amaror humilitatis, imitaberis, & appetitum laudis honoríſque frænabis. Si quid habueris, cui laus & honos debeatur, illud, ſi potueris, prudenter abſcondes. Periculoſum eſt, talentum
C ad laborandum abſcondere, & in ſudario ligare: at valde tutum eſt, cauſſas accipiendi honoris & laudis occulere, & quemque ſe ab occaſionibus elationis ſubtrahere. Moſes ſciens faciem ſuã radios lucis emittere ex conſortio Domini, [poſuit velamen ſuper eã,] vt ſplẽdoris radios temperaret, & illud donum quaſi abſcõditum poſſideret. Sic vir humilis dona ſibi conceſſa, humilitatis velo cooperit, ne dum ſunt ſibi honoris & laudis cauſſæ, ſint etiam occaſiones ruinæ. Tege & tu ſplendorem tuum, occulta bona tua, ne ea fures, ſiue fauores humani, deprædentur. Si Deo placitum fuerit, ipſe te manifeſtabit, ipſe te è latebris extrahet, & ſuper candelabrum ponet. Si autem ipſe non dixerit: [Aſcende ſuperiùs;] caue ne aſcendas, ne honores & laudationes inquiras, quia eas fortaſſis diabolus tibi ſuppeditabit, vt pereas. Hoc ingenium humilium eſt ſe abſcondere, & ex ſola voluntate Do-
D mini, ipſos manifeſtantis, & ad honores euehentis, velle honorari. Quare Gerſon optimè ait: Verè humilis eſt, qui ex vera ſui cognitione ſibi vileſcit. Hic ſe diuinis gratiis indignum computat, hic laudes horret, proprias veluti inſidiatrices, tollere volentes ipſum in altum, vt lapſu grauiore ruat. Propterea deiicit ſe iugiter in terram ſuæ fragilitatis, prout de Anteo Gigante fingit fabula, cui ex caſu ſuo in terram vires augebantur, ſed in ſublime leuatus ab Hercule ſtrangulatus eſt. Hic ſe in omnem creaturam Dei peccaſſe fatetur, in cælum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt. Nullam ergo flagellationem ab eis reiicit, nullam læſionem, iniuriam nullam. Hic
E denique iudicia Dei magna, & occulta [velut tumentes ſuper ſe fluctus] expaueſcit.] Iam in his verbis audiuiſti radicem huius gradus, quem in aſcenſu humilitatis conſtituimus. Licèt enim ad deſpiciendos honores, & laudes, prædictis rationibus moueri poſſimus, tamen verus humilis fauores humanos contemnit, & reiicit, quia indignum illis ſe eſſe cognoſcit. Cogitat ſe peccaſſe, cogitat, iniuriis, quibus Deum offendit, omnes etiam creaturas læſiſſe: cogitat, incõprehenſibilia eſſe iudicia Dei, qui non ſemel con-

Iuſti. lib. de Humilit. c. 1.

Exod. 34. 33.

Luc. 14. 10.

Gerſon. ſer. in cœna Domini. co. 2.

Iob. 37. 23.

A ſueuit nonnulla bona facta reproborum temporali proſperitate præmiare, & eos à regno perpetuo reiicere. Rectum ergo putat, qui humilis eſt, honorem ſibi non debitum non appetere, &, vt æternum in cælis honorem habeat, temporalem honorem & inanem laudem deſpicere.

De Sexto gradu Humilitatis, qui eſt deſiderare ab aliis contemni, & vilis haberi.

CAPVT VII.

MAGNVM & rarum eſt, honores non cupere, & laudes non appetere; ſed multo maius atque ſublimius, oppoſitum honorum & laudum, ſcilicet deſpicientias & vituperationes, optare. A quinto illo gradu ad hunc ſextum aſcendendum eſt; nec difficile erit tibi, ſi velut aquam bibiſti iniquitatem, & aliquam notitiam tuæ fœditatis habes, pœnam etiam iniquitati debitam, nempe contemptum ac vilipenſionem, potare. Redemptor certè tuus hanc aquam contemptuum & iniuriarum, pro te potauit, & nimiùm deſiderauit, vt te ad huiuſmodi deſiderium alliceret. De eo quippe ſcriptum eſt: Ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes. Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis.] Ille quidem, ait, præ abundantia humilitatis, de ſeipſo ſubmiſsè ſentiet, & tanquam homo peccatis oneratus (& oneratus illis erit, ſed alienis, non propriis) nec oculos in cælum attollet, immò in terram ſe proſternet paratum ab omnibus conculcari. Id autem faciet, ſperans quòd ſuo tempore exaltandus ſit, & ad Patris dexteram collocandus. Non ſibi ſufficiens videbitur, contumelias & opprobria ſuſtinere, ſed præ deſiderio contemptus, maxillas vltro percutientibus offeret, & tanquam maximam iniuriarum appetentiam habens, ad menſam eorum accumbens, ſe opprobriis & deſpectibus ſatiabit. Et ipſe Dominus per Iſaiam ait: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.] Sponte, inquit, immo & libenter meipſum ad opprobria ſuſtinenda diſpoſui. Non me ſubtraxi, non me abſcondi, ſed præ deſiderio contemptus me increpantibus & conſpuentibus obtuli. Ab illo ergo hanc appetẽtiam vilipenſionum diſcamus, nam opprobrium non modicum eſt, nos, diſcipulos eius qui opprobria dilexit, opprobria fugere, & contumelias deteſtari. Vnde Cyprianus hunc locum adducens ait: Et quiſquam per ipſum nunc, atque in ipſo viuens, extollere ſe audet, & ſuperbire, immemor & factorum, quæ ille geſſit, & mandatorum, quæ nobis vel per ſe, vel per Apoſtolos ſuos tradidit? Quòd ſi non eſt maior domino ſuo ſeruus, qui Dominum ſequuntur, humiles, & quieti, & taciturni veſtigia eius imitentur.] Deſiderauit igitur Magiſter noſter Chriſtus deſpici, atque contemni, & hoc deſiderium oſtendit, cùm non ſine triumpho, & lætitiæ ſignis ciuitatem, in qua paſſurus erat, intrauit. Oſtendit & illis verbis: Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur?] Baptiſmum appellat mortem, cruciatus, alapas, ſputa, contumelias, contemptus, iniurias: quia hæc omnia aduerſa & horribilia illi præ amoris magnitudine inſtar balnei erant, in quo ad fomentum mergeretur. Arctabatur cor eius ſanctiſſimum, & anguſtabatur contemptionum & iniuriarum deſiderio, vt nos ad hæc deſideranda concitaret, quorum præſidio nobis æterna gloria proueniat. Tanta Domini dignatio eſt, inquit Beda, vt infundendæ

Thren. 3. 29.

Iſa. 50. 6.

Cypr. lib. 1. epiſt. 7. ad Rogatian.

Luca 12. 50.

Beda ibi.

nobis

nobis deuotionis,& conſummandæ perfectionis in nobis,& maturandæ pro nobis,ſtudium paſſionis ſibi ineſſe teſtetur. Qui cùm in ſe nihil habuerit, quod doleret,noſtris tamen angebatur ſiue coarctabatur ærumnis: & ſub tempore paſſionis,mœſtitiam prætendebat, quam non ex metu mortis ſuæ, ſed ex mora noſtræ redemptionis aſſumpſerat.]Si ille angebatur,vt pro nobis ludibria ſuſtineret; quàm rationi conſentaneum eſt,vt nos deſiderio contemptus anguſtemur,vt per illum tanquam per humilitatis gradum perfectiſſimũ,cœleſtes honores conſequamur?

Fortaſſis cogitabis hanc humilitatem adeo perfectam, vt irriſiones & contumelias concupiſcat,eſſe humilitatem hominis Dei, quam purus homo deſiderare quidem poteſt, ſed habere omnino non poteſt.Falleris prorſus, ſi iſta cogitas; nam & ſancti homines gratia Dei adiuti,ita appetitũ honoris & laudis vicerunt,vt eam perfectè conſequerentur.Eſſet præter inſtitutum noſtrum id exemplis comprobare.Sed ſi tu verſatus fueris in legendis Eccleſiaſticis hiſtoriis, ſtatim memoriæ occurret magna turba ſanctiſſimorum virorum,qui dignitates oblatas contempſerunt, & iam habitas conſtanter repudiarunt, vt contemptum honori præponerent,& in humili ſtatu deliteſcerent.Alij,ſpiritu Dei acti,aliqua geſta omniũ oculis obiecerunt,non quidem mala,ſed primo aſpectu inepta , & hominibus ſapientiæ ſtudioſis indigna, quibus ſibi ſtultorum & vilium nomen acquirerent. Hoc autẽ,nõ puſillanimitatis ſed magnanimitatis eſt opus.Sunt enim humiles, mente ſublimi & excelſa, qui iſta caduca,& communibus hominibus admirabilia , contemnunt , & ſola cœleſtia concupiſcunt. Quis ambigat huius gradus humilitatis participem fuiſſe Paulum, qui dicebat: Complaceo mihi in infirmitatibus meis,in cõtumeliis, in neceſſitatibus,in perſecutionibus,in anguſtiis pro Chriſto.]Gaudium namque & exultatio,rei eſt præſentis , antea concupitæ,& multis votis deſideratæ.Si ergo Paulus in perſecutionibus & contumeliis præſentibus exultabat; abſque dubio cùm abſentes erant, appetebat , & pro amore Chriſti eis ſubeſſe deſiderabat. Quis etiam neget,reliquos Apoſtolos eodẽ gradu fuiſſe potitos? Qui ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliã pati.] Eadem enim ratione conficitur,eos,contumelias, irriſiones,& ludibria cupiuiſſe, quorum præſentia lætabantur.Hos viri perfecti ſequuti ſunt,qui cõtumeliarum ac deſpectionũ deſiderio aliqua ſibi reprehẽſione digna eſſe finxerunt. Quorũ memoriam faciẽs Ioannes Climacus,hæc inquit:Si hic tandem finis, & ratio, & modus eſt ſupremæ ſuperbiæ, virtutes, quæ nõ adſint,gloriæ cauſsâ ſimulare, id profectò erit altiſſimæ humilitatis argumentum;culpas,quæ itidem non adſint, in quibuſdam rebus,vtilitatis cauſſa, vel gratia,confingere.Quod fecit,qui panem & caſeum ſumpſit in manibus,abiectionis ſuæ gratia.Et ſanctus ille,qui veſte reiecta,abſque vlla paſſione,quippe caſtiſſimus,ciuitatẽ circuiuit nudus. Non metuent huiuſmodi iam,neque curabũt hominũ offenſam,cùm iam per orationem , virtutem eam conſecuti ſunt,vt omnes inuiſibiliter ædificent, cũctiſque ſatisfaciant. Qui prius curat,ſecundo iſto ſe carere ſignificat. Vbi enim Dominus nos audire paratus eſt, ibi omnia facere tutò valemus;præſtat enim cõtriſtare homines, quàm Deum. Gaudet quippe Deus,cùm nos conterendæ vaniſſimæ elationis cauſsâ promptè videt ad ignominias currere. Parat autem huiuſmodi certamina ſuperna peregrinatio.Magnorum enim re vera eſt pati,ſuis eſſe ludibrio. Non te ea,quæ dicta ſunt, perturbent.Nemo vmquam repentè vno ſimul paſſu ſcalæ gradus omnes conſcendere potuit. In hoc cognoſcẽt nos Dei eſſe diſcipulos, non quia nobis dæmonia obtemperant,ſed quia nomina noſtra in humilitatis cœlo conſcripta ſunt. Hæc ille.] Non licet quidem humilitatis aſſequendæ gratia mentiri , neque per mendacium , aut falſitatem, aliquid reprehenſione dignum nobis ineſſe confingere. At ex deſiderio contemptus, defectus proprios aperire, aut quod nobis probro dari poteſt,ſine vllo peccato ſimulare,fecerunt illi viri ſanctiſſimi , qui non minori cura irriſiones pro Chriſto, quàm mundani, honores,amplexi ſunt. Faciunt & nunc aliqui eodem humilitatis deſiderio ſuccenſi. Nam & nos necdum ſenes ſumus , & in hoc genere mirabilia inter noſtros vidimus, dum voluerunt illorum antiquorum feruorem æmulari.

2. Cor. 12. 10.

Actor. 5. 41.

Climac. gradu 25.

Eſt verò hoc deſiderium contemptus , virtutum operimentum optimum,quo pulchræ cuſtodiuntur, & mundæ. Puluis enim inanis gloriæ adeo viſcoſus eſt,vt facilè præcordiis adhæreat, & virtutes inficiat, quem vix poteris ſcopula multiplicis conſiderationis excutere.Quod ergo erit ſecurum aduerſus hunc puluerem remedium,niſi cura te ne ſupra veſtes animæ noſtræ cadat,id eſt,ne ad virtutes accedat ? Non accedet autem,ſi nos deſiderio propriæ vilipenſionis tegamus , & honorem noſtrum propter Chriſtum contemni ac vilipendi putemus. Cor namque adeo ſpirituale,& ſerium,vt ſui contemptum cupiat,gloria vana non titillat, & opertum hoc propriæ humiliationis deſiderio puluis viliſſimus laudis humanæ nõ fœdat. Præceptum eſt à Domino , vt tabernaculum pellibus tegeretur, ne ex imbribus, & ex puluere,& aliis ſimilibus,aliquam immunditiam contraheret. Facies,inquit,& operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis , & ſuper hoc rurſum aliud operimentum de ianthinis pellibus.] Tribus operimentis tabernaculum tectum eſt,ſagis nempe cilicinis , de quibus ſuprà dictum erat. Facies & ſaga cilicina vndecim ad operiendum tectum tabernaculi:]de pellibus rubris , & pellibus ianthinis.] Sed quod eſt myſticum tabernaculum,niſi mens viri iuſti , virtutibus & donis cœleſtibus exornata , in qua Deus ipſe habitare , & reſponſa dare cognoſcitur? Hoc ad cuſtodiam tribus operimentis tegatur:Primũ ſit cilicinum,quod corporis caſtigationem ſignificat, & dum corpus domat,mentem ſeruat.Secundum ſit ex pellibus arietum rubris,quod affectuum mortificationem indicat, & dum cordis motus inordinatos comprimit,mentem à peccato cuſtodit. Tertium ſit ex pellibus hiacinthinis, id eſt coloris cœleſtis ; hoc autem deſiderium contemptionis & deſpicientiæ deſignat:nam qui illud habet, quaſi à terra diſceſſit, & ſe cœleſtibus ſpiritibus iunxit. Huius autem deſiderij præſidio ſe à prouenientibus ex laude humana immunditiis abſcondit. Nam licèt honores & laudes nolis, ſi hoc deſiderio contemptus careas, cùm offeruntur,gratè ſuſcipies,& earum tactu fœdaberis. Neceſſe eſt ergo, oppoſitum honorum & laudum, ſcilicet inhonorationem & vituperia,cupere,ne laudes oblatæ cor tuum per complacentiam tangant, illúdque contagione ſui tactus inficiant. Neglecto quippe hoc deſiderio , non difficulter diabolus per honoris & laudis cupiditatem,non tantùm iuſtorum virtutes fœdabit,ſed etiam in præcipitium impellet. De quibus Proſper loquens, ait : Tantam itaque firmitatem,& tam ſublime propoſitum qua impugnatione diabolus poſſet adoriri, niſi vt quibus non põterat perſuadere vitiorum amorẽ,immitteret laudis cupiditatem;& inde nouiſſima inſtrueretur tentatio, vnde nocuit prima deceptio?Nõ itaque deſidioſis &

Exodi. 26. 14.

n. 7.

Proſper epiſt. ad Demetria.

tepidis, neque inertibus & incultis, ſed magis quibuſdam animis ſedulis, & bonorum actuũ probitate luculentis, per gloriam irrepſit humanam: & quos impulſione non mouit, elatione deiecit. Quanto enim clariores erant meritis, tanto eos aptiores ſuis inuenit inſidiis. Hæc ille.] Quomodo igitur iſti ſe ab huiuſmodi inſidiis liberabunt, niſi ſpernendo, quod diabolus obiicit, & oppoſitum optando eius quod ipſe proponit?

Ex hoc etiam honoris laudíſque contemptu, & ex ludibriorum, pro Chriſti amore, deſiderio, naſcitur ſancta libertas, qua verus humilis, nec timet loqui quæ oportet, nec quæ neceſſaria aut vtilia ſunt, operari. Nam qui ſunt illi, quos notat Iſaias? Speculatores eius, inquit, cæci omnes, neſcierunt vniuerſi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia.] Nonne hi ſunt, qui neſciunt humanos honores & populorum laudes contemnere? Speculatores ſunt, ſed cæci, qui putant ſe aliquid inſequi, nihil tamen niſi ventum & auram tranſeuntem apprehendunt. Duces, ſed ignari, qui pro veritate vanitatem diligunt, & pro ſubſtantia vmbram complectuntur. Canes, ſed muti, qui non audent arguere, obſecrare, increpare in omni patientia & doctrina, ne ab aliquo, quem iuſta increpatione læſerunt, aliquid ſibi bonæ opinionis detrahatur. Prorſus hi vident vana, & amant ſomnia, quia oculos ſuos intendunt in rerum ſæcularium gloriam inanem, quæ ſimilis eſt ſomnio, & phantaſiis dormientium. Hanc amant, vt tempus inutiliter terant, &, quod maius eſt, ſalutem ſuam perdant. Qui etiam ſunt illi, qui detractionum, aut perſecutionum cauſsâ ſanctam conuerſationem arreptam deſerunt, & ad priſtinas leuitates dilabuntur, niſi, qui amore honoris & laudis tenentur? Quibus ſi contemptus honorum, & deſiderium propriæ vilipenſionis arriſiſſet, numquam pro inepto cuiuſdam verbulo, virtutis ſe ſectatores negaſſent. Petrus, timore mortis, aut cruciatuum, Chriſtum negauit: ſed heu multi hodie ipſum negant, aut palam ei ſeruire non audent, ne ab inſanis hominibus irrideantur. Audiunt Chriſtum dicentem: Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt.] Sed ita victi ſunt honoris ac laudis deſiderio, vt malint, negantes ſe eſſe ſeruos Chriſti, à Chriſto apud Patrem negari, quàm hominum contemptum incurrere. Cum tamen ſi homines illos irrideant, nihil illis mali obueniat: ſi autem Chriſtus eos non agnoſcat, ad ſummam redigantur miſeriam. Nam, vt ait Chryſoſtomus: Si tu negaueris Chriſtum coram hominibus, denegans Chriſtum, illi nocere non potes: ſi autem te negauerit Chriſtus coram Deo, denegat, qui perdere poteſt in igne æterno.] Nihil ergo efficacius ad loquendum libere, quando id exigit gloria Dei, & ad ſanctè viuendum, licèt inter impios habitemus, qui nos ob virtutis actus irrideant, quàm honorem contemnere, laudes humanas conculcare, & vt dignos opprobrij & contumeliæ, hæc vero deſiderio pro Dei amore percupere.

Iſaia 56. 10.

Matth. 10.33.

Chryſho. ho. 5. in Matth.

Illud, tu, opprobrium, ô ſerue Dei, illum contemptum metue, quẽ ſanctus Dauid formidabat, cùm canebat: Aufer à me opprobriũ, & contemptũ, quia teſtimonia tua exquiſiui.] Hoc enim eſt opprobriũ maledictionis æternæ, quod ſuperbis paratũ eſt; de quo antea dixerat: Increpaſti ſuperbos: maledicti, qui declinãt à mãdatis tuis.] Ab initio, inquit, ſuperbos odio habuiſti: ſuperbum Luciferũ cum complicibus ſuis è cælo eiectum æternis ſuppliciis deſtinaſti, primũ parentẽ altiora ſe appetentẽ de paradiſo truſum multis

Pſ.118. 22.

v. 21.

A ærumnis confeciſti, & elatos animos ſemper maledictione mulctaſti. Amoue igitur à me huiuſmodi maledictionẽ peſſimã opprobrij, & contẽptus plenã, ſiquidẽ ego non ſuperbiui, nõ me aduersùs tuam voluntatẽ erexi, ſed mãdata tua ſeruaui. Hoc itaque opprobriũ, hunc contemptũ extimeſce: opprobria verò & contemptus hominũ concupiſce, ſciẽs quia quem homines ſtultè reprobãt, hunc Deus probare cõſueuit. Quod enim, inquit Ambroſius, in hoc mundo contẽptui, hoc pretioſum eſt apud Deũ. Deniq; humilitas in hoc mũdo contẽnitur, ſed Dei iudicio comprobatur. Etſi publicanus ſe humiliauerit, exaltatur. Audi quę pro nihilo nõ habeat Deus. Quicũq; ſanctus eſt, qui ſine macula viuit, veritatẽ cuſtodit, non appetiuit proximũ ſuũ, ad nihilũ deductus eſt in cõſpectu B eius malignus; omnia, quæ malitiæ ſunt, reprobauit: hic talis deuotione humilitatis à Deo comprobatur. Superbi autẽ, velut Phariſæus, arrogantia ſua pro nihilo ab illo æſtimantur. Hæc ille.] Si autem hunc verſiculum non de contemptu maledictionis æternæ, ſed de huius vitæ opprobriis ab hominibus illatis intelligas, ſcito, viros iuſtos, non propter ſe, ſed propter inferentes, hæc opprobria contemptúſq; timere. Nouerunt enim illi inimicos ſuos diligere, & ne ipſi inimici delinquant, volunt opprobriorum & contemptuum emolumẽto carere, quaſi in malum hoſtium ſuorum non cederent, animo libenti pro humilitatis deſiderio ſuſciperent. Et hunc ſenſum indicat Auguſtinus, ſic ſcribens: Chriſti corpus iſta cùm dicit, numquid ab impiis & ſuperbis audire opprobrium C atque contemptum, vllam deputat pœnam, cùm potiùs inde perueniat ad coronam? Cur ergo quaſi graue aliquid aut intolerabile à ſe poſcit auferri, niſi quia, vt dixi, orat pro ipſis inimicis ſuis, quibus eſſe proſpicit noxium, obiicere ſanctum nomen Chriſti, tamquam opprobrium Chriſtianis, & eius à Iudæis irriſam crucem, totámq; humilitatis Chriſtianæ medicinam, qua ſola tumor ille ſanatur, quo inflari cecidimus, & iacentes ampliùs intumuimus, eâdem ſuperbia permanente, & creſcente, contemnere? Dicat itaque corpus Chriſti (iam enim diligere diſcit inimicos ſuos) dicat Domino Deo ſuo, [aufer à me opprobrium, & contemptum, quia martyria tua exquiſiui,] id eſt, opprobrium, quod ideò audio; & contemptum, quo ideò contemnor; quia martyria tua exqui-D ſiui; aufer à me. Inimici enim mei, quos à me præcipis diligi, qui magis magíſque moriuntur, & pereunt, cùm martyria tua contemnunt; & criminãtur, in me profectò reuiuiſcent, & inuenientur, ſi martyria tua venerentur in me. Sic Auguſtinus.] Ne igitur opprobriũ ab hominibus prouenięs, quod ſancti cupiunt, deſpicias: ne contemptũ, quem illi amãt, pro amore Chriſti contemnas, ſed potiùs ſummis votis amplectere. Scitóque, contemptum iſtũ præſentiſſimum eſſe humilitatis aſſequendæ remedium. Vt enim dixit Dorotheus: Contẽptus duos modos habet, vnũ à corde, alterum ab hominibus. Maior autẽ, qui eſt ab hominibus, quàm qui eſt à corde. Neque adeò laborare nos facit, qui à corde eſt, vt qui ab hominibus; cor enim ad hoc admodũ patitur. Currere autẽ ſua ſpõte E ad vilia exercitia, nullius profectus eſt, quin potiùs inanis gloria. Sed cùm tibi vile aliquid præcipitur, neque tu cõtradicis, ſed iuſſa facis cum omni mãſuetudine & obediẽtia, tunc fit hoc ad profectũ: & hoc eſt contemptum ſui ipſius habere. Deſidera cõtemni, & pro nihilo haberi, quia iuſtũ eſt vt pulnis & cinis cõtemnaris. Deſidera contemni, vt Chriſto capiti, qui factus eſt opprobrium vicinis ſuis, & timor notis ſuis, ſimilis efficiaris. Deſidera contemni, vt ſecurè virtutibus exorneris. Deſidera contemni, ne ob

Ambr. in Pſal. 118 ſer. 3. v. 22.

Aug. ibi. concione 9.

Pſal. 118. 18.

Dor. doct. 21.

appe

A appetitum honoris, à bono & æquo retraharis. Deſidera tandem contemni, vt tuo contemptu, quem in hac vita ſuſtinueris, æterna gloria coroneris.

De ſeptimo gradu Humilitatis; qui eſt, ex accepto honore, aut laude, dolore affici.

CAPVT VIII.

SOLENT humiles, honorem, laudémque ab hominibus delatam, contemnere, deſpicientiam ac vilipenſionem ſui concupiſcere; honores verò non poſſunt effugere, neque ad gloriam confuſionis pro Chriſto ſuſtentatæ peruenire. B Illi quidem crucifixi ſunt mundo, ſed mundus non eſt crucifixus ipſis, qui illos fugientes inſequitur, delitescentes quaſi digito monſtrat, & in imo iacere volentes, ad faſtigium dignitatis efferre conatur. Hinc iam ad alium gradum humilitatis efferuntur: nam qui ſui contemptũ deſiderabant, videntes ſe ab omni contemptu alieniſſimos, & laudibus, honoribus, & dignitate præfulgidos, ſuam vicem dolent, & ſtatum illum oculis inſipientium fœlicem, ſed re vera periculoſum, timent. Superbiæ namque & inſipientiæ indicium eſſe, dignitates aut ambire, aut concupiſcere, Salomon in Prouerbiis expreſſit. Prou. 27. 18. Stultus, inquit, plaudit manibus, cùm ſpoponderit pro amico ſuo.] Quem locum intelligendum eſſe de his, C qui dignitatem, ac curam aliorum ſuſcipiunt, docet Beda ib. venerabilis Beda, ſic ſcribens: Stultus eſt, qui cùm animam fratris ſuſcipit regendam, de ſuis gloriatur actibus, & non potiùs ei humili compaſſione, quicquid poteſt auxilij ſalutaris impendit. Hoc ergo eſt ſtultorum & ſapiétium, ſeu ſuperborum humiliúmque diſcrimen, quòd illi ſponſione à ſe pro ſubditis facta, quando dignitatem admittunt, lætitia geſtiũt, & quaſi præ exultatione manus complodunt. Hi verò cùm ſe fideiuſſores ſubditorum conſiderant, pro quibus ſunt rationem reddituri, non modico dolore afficiuntur. Ex quo apparet noſtrorum temporum miſeranda fatuitas, in quo electis ad aliquam dignitatem congratulamur, & exploſis condolemus. Cùm tamen æquum eſſet contrà facere. Nam ad dignitatem euectis, propter onus & periculum, quod ſubeunt, condolendum eſſet, & reiectis, tamquam à pe- D riculo & debito liberis gratulandum. Certè cùm Actor. 1. Mathias ad Apoſtolatum electus eſt, & Ioſeph, ſeu Barſabas iuſtus, prætermiſſus, non legimus illum gratulationem aliquam à fidelibus, aut iſtum ſignum doloris audiuiſſe. Illa autem electio, ſi quæ alia gratulationem non modicam exigere videbatur, qua in locum Iudæ ſuffectus, non hominum ſuffragiis, ſed Dei iudicio ac voluntate, fuit iuſto prælatus. Sed neque huic ita electo fuit gratulandum, quoniam ad onus electus, quoniam cura animarum onuſtus, quoniam ex natura oneris mille periculis caſus expoſitus. Ipſe Iudas, in cuius locum ſucceſſit Mathias, ab ipſo Chriſto electus fuit, & tamen ſua cul- E pa, non tantùm dignitatem perdidit, ſed & vitam æternam amiſit. Saul quoque à Domino rex factus 1. Reg. 10. 1. eſt. Audiuit enim Samuelem dicentem ſibi: Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum eius.] Sed quia muneri ſibi commiſſo defuit, etiam fuit à Domino reprobatus. Si verò nec electis à Domino, propter pericula, quæ cum dignitate ſubeunt, gratulandum fuit, quanto minùs illis eſt miſeris collætandum, qui honores cupiunt, di-

A gnitates ambiunt, & vt imperent, ſeipſos diſcrimini propriæ ſalutis ſubmittunt?

Longè itaque abeſt à veris humilibus, honoris ac dignitatum deſiderium, aut gaudium de honorifico gradu ſuſcepto; quem triſti vultu intuentur, & non ſine ſenſu doloris admittunt. Meritò autem dixi, ſine ſenſu doloris, quoniã multi hodie cùm honorantur, aut cùm ad dignitatẽ euehuntur, dolorẽ & triſtitiam ſimulant, pauci verò ſunt, qui eam mẽte concipiant. Eſt enim ambitio adeò animis ſapientium inuiſa, vt hi, qui dignitatem totis deſideriis cupierunt, & dato etiam pretio coëmerũt, vtile ſibi putent dolorem de accepto munere fingere, ne propter ambitionem ſapientibus ſint & ipſi cõtemptui. Ex aduerſo verò humiles, ſæpe ne apud homines humiliũ & Sanctorum B opinionem ſibi concilient, ſenſum doloris, quem de oblata ſibi dignitate concipiunt, prudenter abſcondunt. Malunt enim duplici dolore angi; altero, quo munus ſibi inuiſum obeunt; altero, quo priorẽ dolorem ſupprimunt, quàm ab hominibus ob deſpicientiam muneris honorari. Sed ſæpe mœrorem ſuũ diſſimulare non poſſunt, quia vix ſufficientes ad ſaluandas animas proprias, ad curandam aliarum ſalutem præcepto coguntur. Legunt illi in Apoſtolo: 1. Timoth. 3. 2. Qui Epiſcopatum deſiderat, bonũ opus deſiderat. Oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe;] & quia ſe nequaquam irreprehẽſibiles ſentiunt, meritò munus, quod vitam immaculatã poſcit, effugiunt. Intellexerunt illi optimè ſenſum Apoſtoli, qui eo verbo non ad deſiderium muneris prouocat, ſed ad vitam C ab omni labe purã, & ad labores, & mortis ſuſtinentiam inuitat. Sic profectò Gregorius magnus ſanctitate, & mirabilis humilitate, hunc locũ eſt interpretatus. Greg. Paſtor. 1. p. c. 8. Fauet, inquit, ex deſiderio, & terret ex præcepto, ac ſi apertè dicat: laudo quod quæritis, ſed priùs diſcite quid quæratis; ne dũ vos metipſos metiri negligitis: tanto fœdior veſtra reprehẽſibilitas appareat, quanto & à cunctis cõſpici in honoris arce feſtinatis. Magnus enim regendi artifex fauoribus impellit, terroribus retrahit, vt auditores ſuos, & de ſcripto irreprehenſibilitatis culmine reſtinguat, à ſuperbia; & officium laudando, quod quæritur, cõponat ad vitam: Quamuis notãdum, quòd illo in tempore hoc dicitur, quo, quiſquis plebibus præerat, primus ad martyrij tormenta ducebatur. Tunc ergo laudabile fuit Epiſcopatum quærere; quando, per hunc quendam D dubium nõ erat ad ſupplicia grauiora peruenire. Vnde ipſum quoque Epiſcopatus officium boni operis expreſſione definitur, cùm dicitur: Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonũ opus deſiderat.] Ipſe ergo ſibi teſtis eſt, quia Epiſcopatum non appetit, qui non per hunc, boni operis miniſteriũ, ſed honoris gloriã quærit. Hæc ille.] Meritò ergo erubeſcunt humiles, cùm ad ſublimia vocantur, cùm in candelabro dignitatis ponũtur, quia ipſa admiſſione dignitatis ſe immaculatos & irreprehenſibiles, & perfectos profitentur. Et quæ maior cauſſa doloris, quàm ſi verè humilis ſeipſum ſanctũ fateatur, & nõ iam ore (quod minus eſt) laudet, ſed ipſa ſe actione commendet? Meritò Zara Gen. 38. 28. ligatam coccino manum retraxit, & quaſi ſe præ ru- E bore vinculi ſplendidioris abſcondit, quia viri humiles, accepto ſplendido dignitatis amictu, præ dolore & triſtitia quaſi manum retrahunt; & dum ſe abſcondere volunt, quaſi aliis locum priorem ac digniorem relinquunt.

Humilium ſanè virorum eſt, locum ſublimem cum dolore ſuſcipere, eúmque, modò licitè poſſint, detrectare. Quod pulchrè delineatum eſt in illa parabola Ioathan, filij Gedeon, qua ciues Sichẽ, ingratitudinis & infidelitatis admonuit. Ierunt, inquit, ligna, vt vn- Iud. 9. 8.

gerent ſuper ſe regem; dixerúntque oliuæ: Impera
nobis.]Non ipſa venit, non principatũ ambiuit, non
ſe aptam ad gubernandum prædicauit. Sed magis ſe
io ſuo loco cootinuit; donec ab aliis arboribus io-
uitata eſt ad regnum, & ad imperandum inducta:
ſed nec ſic precantibus, & impellentibus acquie-
uit; immò oblatum ſplendidum munus reiecit, di-
n.9. cens: Numquid poſſum deſerere pinguedinem
meam, qua & dij vtuntur, & homines, & venire, vt
inter ligna promouear? Oliua iuſtos humiles ſi-
gnat, gratia deuotionis vnctos, & in diuinorũ con-
templatione ſuſpenſos, quorũ ſuauis ſpiritus & Deo
cultui eſt, & hominibus fructui. Hanc illi nolũt de-
ſerere, propter imperium; quia vel experientia, vel
aliorum relatione didicerunt, quàm difficile ſit, in-
ter curas ac ſollicitudines huius vitæ deuotionis
n. 10. gratiam ſeruare. [Dixerúntque ligna ad arborem fi-
cum: Veni, & ſuper nos regnum accipe.] Ficulnea
quoque ad regnum inuitata eſt, quæ illorum iuſtu-
rum humilium eſt typus, qui in actiua vita poſiti,
bonorum operum ſunt feraces, & nolunt propter
dignitatis aſſumptionem, cui multi ſæpe ſe defectus
admiſcent, ſuauitatem ſuorum laborum amittere.
n. 11. Ideóque ficus nomine eorum dicit: [Numquid poſ-
ſum deſerere dulcedinem meam, fructúſque ſuauiſ-
ſimos, & ire, vt inter cætera ligna promouear?] Ac
ſi diceret: Non eſt æquum, vt ego lubens ſuauitatem
actionum mearum pro aculeis curarum relinquam,
& cùm securè viuam, me periculis, quæ ex prælatio-
n.12. ne naſcuntur, exponam. [Locuta igitur ſunt ligna
ad vitem: Veni, impera nobis.] Quæ & regimẽ quo-
que ſubire etiam inuitata contempſit. Nam & vitis,
eorum humilium eſt typus, qui charitate Dei, &
proximi inebriati, animas ſaluare contendunt. Hi
autem opus charitatis amant, ſed onus obligationis
iuſtitiæ, & dignitatem, cui opus ſolet adiungi, ſubire
detrectant. Quorum vitis vocem aſſumens, ait:
n.13. [Numquid poſſum deſerere vinũ meum, quod læ-
tificat Deum, & homines, & inter ligna cætera pro-
moueri?] Zelus, inquam, meus, quo Deo placeo, &
fratribus proſum, non tam vilis pretij eſt, vt ſit pro
munere publico relinquendus, quod terrenis occu-
pationibus noctes diéſque terit, & vtilioribus fun-
ctionibus vacare non ſinit. Si ergo hi nolunt rege-
re, quis imperitabit? Si hi habenas imperij non acci-
piunt manibus, quis gubernabit? Certè hi guberna-
bunt: & væ congregationi, cui iſti non præſunt. Sed
gubernabunt iuſſi, regcor tracti, imperitabunt Dei
voluntate, & maiorum præcepto compulſi. Super-
bus autem non ſic; ſed iſte leui ſigno vocatus, ſta-
tim lætus adeſt, vt dignitatem rapiat, quòd ſi non
vocetur, ipſe ſe ingerit. Hic eſt rhamnus, qui audito
n. 14. hoc verbo; [impera nobis,] ſine vllo timore, immò
n. 15. & ſine pudore reſpondit: [Si verè me vobis regem
conſtituitis, venite, & ſub vmbra mea requieſcite: ſi
autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, &
deuoret cedros Libani.] Rhamnus genus eſt rubi
primùm molle, deinde aculeis, & ſpinis pungenti-
bus obſitum, quod vento agitatum (ſi Ioſephu fides
habenda eſt) ex ſe ignem emittit. O pulchra hominis
ſuperbi & arrogantis imago! Vide ſuperbi ementi-
tam benignitatem. Si verè me regem conſtituitis,
quando ita vultis, venite, ego enim vos protegam
vmbra mea, & ab omni malo defendam. Sed vide
veram crudelitatem. Si non vultis, egrediatur ignis
de me, & deuoret præcipuos ex vobis. Ergo hic cõ-
tra aliorum volũtatem ſeipſum intrudit. Si non vul-
tis, inquit, me vocare, me inuitare, me eligere, ego
me ingero, & per fas & nefas munus honorificum
inuado, & in eo poſitus, meis malis exemplis, & ver-

A bis iracundis, & duro ac iniuſto imperio, ceu rham-
nus, animas veſtras cruento. Superborum igitur eſt,
bonores & dignitates appetere, & de illorũ aſſecu-
tione gaudere: humiliũ verò, hæc eadem reiicere, &
cùm non poſſunt, de onere humeris accepto triſtari.

Habent quidem humiles ſapientiam, habent peri-
tiam literarum, habent non modicam dexteritatem
in negotiis gerendis; habent & cor magnum, vt poſ-
ſint aliis præeſſe, & populos ac gentes gubernare.
Hæc habent, & ſe habere cognoſcunt; neque enim
humilitas inſipiens eſt, aut ſtulta (quemadmodũ iam
diximus) quæ dona cœlitùs ſibi data non agnoſcat.
Et tamen nec honorari, nec aliis præfici appetũt, &,
ſi præficiantur, munus & prælationem cum dolore
ſubeunt, quoniam ſciunt, talenta naturalia nihil ad
B præfecturam rectè obeundã prodeſſe, niſi auxilium
Dei, & eius voluntas, acceſſerit. Sæpe magni, & ocu-
lis omnium ad gubernandum aptiſſimi, à Domino
reiecti ſunt: & paruuli, de quibus nihil eximium
ſperabatur, electi. Mittitur Samuel ad vngendum
in regem vnum ex filiis Iſai. Videns autem Eliab
adoleſcentem robuſtum, & facie decorũ, & primo
aſpectu ad imperium aptiſſimum, interrogat: [Num 1.Reg.16
coram Domino eſt Chriſtus eius? Et Dominus ad 7.
eum: Ne reſpicias vultum eius, nec altitudinẽ ſtatu-
ræ eius, quoniã abieci eum, nec iuxta intuitũ homi-
nis ego iudico: homo enim videt ea quæ parent; Do-
minus autem intuetur cor.] Hic, & alij ſimiles con-
tempti ſunt: paruulus verò, & quaſi relegatus ad pa-
ſcendas oues, & pro nihilo habitus, ſuffragiis totius
C cœleſtis curiæ, ad regnandum eligitur, & quem ho-
mines contẽnebant, Deus approbat; & quos illi pro-
babant, reprobat. Quis hæc audiens, licèt doctus ſit,
licèt prudens, licèt magnanimus, licèt omnibus do-
nis ad regimen ornatus, ad nomen prælationis non
contremiſcat, dum an ab hominibus tantùm eliga-
tur, & an à Deo ſua electio improbetur, ignorat?
Humilis profectò timebit, & formidabit: ſtultus ve-
rò, atq; ſuperbus, licèt vitiis ſcateat, licèt prauis mo-
ribus corrumpatur, prælationẽ ſubire non metuet.
Hunc, & eius ſimiles miratur Bernardus exponẽs il- Bernard.
lud Canticorum: Poſuerunt me cuſtodẽ in vineis.] Cant. 1.5.
Miror, ait, audaciã plurimorũ, quos videmos de ſuis
vineis nũ colligere niſi ſpinas, & tribulos, vineis ta-
men dominicis etiam ſe ingerere non vereri. Fures
D ſunt, & latrones, non cuſtodes, neq; cultores. Qui
ſtatim quid de ſua prelatione ſentiat, & quo mœrore
vetus humilis aliis præſit, ſic explicat. Hoc illis. Væ
autem mihi etiã nunc à periculo vineæ meæ: immò
magis nunc quando pluribus intentus, minùs circa
vnam diligens, minúſque ſolicitus fieri cogor. Nec
ſepem circumdare, nec torcolar fodere in ea licet.
Heu deſtructa eſt maceria eius, & vindemiant eam
omnes, qui prætergrediuntur viã. Patet expoſita tri-
ſtitiæ, iracundiæ, atque impatientiæ peruia. Demo-
liuntur eam ſedulæ quædã vulpeculæ inſtantiũ ne-
ceſſitatũ. Irrumpunt vndiq; anxietates, ſuſpiciones,
ſolicitudines. Turbæ diſcordiarũ, cauſſarũ moleſtiæ
rarã horã deſunt. Non eſt prohibendi facultas, non
copia declinandi, ſed nec orandi ſpatiũ. Quo imbre
E lacrymarũ perfundere ſufficiã [ſterilitatem animæ Pſ. 34.13
meæ?] Vineæ meæ volui dicere, ſed de pſalmo ſic
incidit, propter vſum, & ſenſus idẽ eſt. Nec piget er-
roris, qui admonet ſimilitudinis, quia non de vinea
ſermo eſt, ſed de anima. Ergo anima cogitetur, cùm
vinea legitur. Siquidẽ ſub huius ſpecie, & nomine
illius ſterilitas deploratur. Quibus ergo lacrymis
rigabo ſterilitatẽ vineæ meæ? Omnes palmites eius
arueſcũt præ inopia. Iacent ſine fructu, eo quòd non
habeant humorem. Ieſu bone, quos faſciculos ſar-

mento

A mentorum ex eis in tuo quotidie ſacrificio vſtio contriti cordis mei, te teſte, abſumit? Sit obſecro ſacrificium tibi, ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatũ Deus ne deſpicias.] Hactenus ille vir ſanctiſſimus, & humillimus, qui (vt mihi quidẽ videtur) pateuter expreſſit quo affectu viri humiles dignitatũ oneri ſe ſubiiciant. Suſcipiunt eas maiorũ auctoritate cõpulſi, incipiunt aliis præeſſe cũ dolore, proſequuntur cum timore, & quaſi qui importabile onus deponunt, prælationẽ cũ gaudio & exultatione relinquũt. *Pſal. 50.*

Nec immeritò dignitatem ac prælationem onus vocámus, quam ſcriptura ſancta hoc nomine declarauit. Iob quippe de Deo loquens, ait: Deus, cuius iræ nemo reſiſtere poteſt, & ſub quo curuantur qui portant orbem.] Qui enim ſunt, qui orbem ſuſtinẽt, B niſi reges, & principes, & prælati, quorũ eſt, ſubditos ſuos quaſi humeris ſuſtinere, vel potiùs ſemper brachiis manibúſque portare, ne in malum ruant, & Dei amicitiam dilapideot? Hi curuantur, & ſubiiciunt ſe Deo, cuius iræ nemo reſiſtit, vt ſciant ſe iudici ſeueriſſimo rationem redditoros de onere ſibi commiſſo, & de animabus fratrum in cuſtodiam acceptis. O magnum onus, quod tamen multi ſtulti non metuunt, quia ſplendore dignitatis obcæcati, onus eſſe neſciũt! O multiplex onus, quod ex multis hominibus prælato ſubiectis confectũ eſt! Quorũ aliquis vix ſe ipſum portare valet; miſer verò prælatus omnes ſimul debet pro officij ſui obligatione portare. Quare Gregorius ait: Tantorum quippe pondera vnuſquiſque ſuſtinere compellitur, quantis in hoc mũdo principatur. C Vnde & terræ princeps non incongruè Græco eloquio Baſileus dicitur. Laos enim populus interpretatur. Baſileus igitur baſis Laon vocatur, quod Latinâ videlicet linguâ, baſis populi dicitur: quia videlicet ipſe ſuper ſe populum ſuſtinet, qui totius illius poteſtatis pondere fixus regit. Quo enim ſubiectorum ſuorum onera tolerat, eo quaſi ſuperpoſitam columnam baſis portat.] *Iob. 9. 13.* *Gregor. 9. mor. c. 10*

Eſt ergo prælatio, pondus, quod non ſine magno periculo ſuſtinetur: nam dum aliis ſuſtinẽdis, & portandis intendis, ſæpe te ipſum & tuam conſcientiam curare deſinis. Vnde alij proficiunt, tu deficis: vnde alij impinguantur, marces: & vnde illi ad perfectionẽ aſcendunt, tu ſæpe ad imperfectiones, & lapſus, & peccata deſcendis. Cur ergo de tam periculoſo pondere non dolebis? Sanè humiles, tanquam veri ſa- D pientes, pondus fugiunt, ſi poſſunt, &, ſi non poſſunt, cum mœrore & dolore ſuſcipiunt. Cõſiderat humilis, inquit Laurentius Iuſtinianus, quòd quanto quiſque in ſuperiori conſtitutus eſt loco, tanto in maiori verſatur periculo, & quanto ſplendoris honore celſior quiſque eſt, tanto (ſi delinquat) peccator maior eſt. Fuerunt namque non pauci, qui in humili conſtituti gradu, ſe ipſos optimè nouerunt gubernare, in laboribus, in vigiliis, in abſtinentiis; qui quandiu licuit ipſis eſſe priuatis, & nihil aliud curare, quàm propria, humiles erant, & Deo placebant, atque inde non modica Philoſophiæ incrementa rapiebant: at vbi faſtigium dignitatis aſſecuti fuêre, & in publico prodierunt, ac multorum imperitias emendare neceſſe E fuit: aliqui inter exordia tantum ſufferre põdus non potuerunt officij, & ſe ſubtraxerunt: qui verò tolerare coacti ſunt, perdentes conſcientiam, & humilitatem priorem, ſibi intulerunt magna diſpendia, & nihil aliis profuerunt. Hæc intelligentes humiles omnem dignitatis altitudinem abhorrent, ne diſperdant in pelago, quod magno cum labore adepti ſunt. Hactenus ille.] Si ergo humiles iſta cognoſcunt, & ſic ſæpiſſime euẽniſſe aliis deprehendunt: quid mirum, ſi dum ſalutem ſuam amant, de impoſi- *Iuſtin.*

A ta ſibi dignitate dolorem mœrorẽmque concipiant? Sciunt quia Dominus aliquando [immutat cor principum populi terræ, & decipit eos, vt fruſtra incedant per inuium. Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce: & errare eos faciet quaſi ebrios.] Permittit, inquam, vt affectus illorum in praua & vetita feratur, & intellectus ipſorum prauis conſiliis decipiatur, & vt iter per inuia vitiorum faciant, numquámque ad optatum finem perueniant. Permittit etiam, vt in media luce ſapientiſſimorum conſiliatorum, inordinatis ſuis affectibus raptati, errent, & quaſi ebrij, quæ pueri facilè aſſequuntur, ignorent. Sciunt etiam, quia contra iudices, & prælatos [ſtabit ſpiritus virtutis, & tãquam turbo venti diuidet eos.] Stabit ſcilicet ſpiritus indignationis Dei, vt eorum B acta iudicet, & propter munus malè occupatum, & peiùs adminiſtratum, quaſi ventilabro in varia deſideria diſpertiat. Sciunt denique, quia non ſemel Dominus [ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint, iudices terræ velut inane fecit:] quando ſcilicet, eos quorum eſt pro ſibi tradita poteſtate, aliorum vitas ſcrutari, & lites contentionéſque componere, quaſi in nihilum redigit, & conatus eorum inanes atque inutiles reddit. [Et id quidem, quoniam neque plantatus ab eo, neque ſatus, neque radicatus in terra truncus eorum.] Si enim ipſe Dominus eos plantaſſet, atque ſeuiſſet, & in dignitate conſtituiſſet, vtique (ſi per eos non ſtaret) adiuuiſſet, vt labores ipſorum vtiles eſſent, neque in vacuum atque inane caderent. Meritò itaque ab humilibus honores ac dignitates, C tanquam periculorum plenæ, reſpuuntur, quas ſi ſubire contingit, non ſine dolore & mœrore tanto oneri, cui vires ſuas impares iudicant, ſeſe ſubmittũt. *Iob. 12. 24.* *Sap. 5. 24.* *Iſaia 40. 23.*

Vt autem tu, ô vir Dei, hunc gradum humilitatis aſcendas, à priori incipe, & diſce velle contemni, & à corde tuo deſiderium honoris & imperij reuellere. Si enim imperium concupiueris, abſque dubio eo oblato non dolebis, ſed de eius obtentione lætaberis. Hoc ingens malum eſt, quod nimium tibi fortè noxium erit, ac ſi vtile eſſet percupere. Sed aliud malum, & quidem maius, tibi imminet, quòd ſi prælationem concupiueris, ex deſiderio ad opus ambiendi peruenies, & ſic in illa mala incides, quæ Baſilius grauiſſimis verbis, ambitioſis ineſſe animaduertit. Ille ſic ait: Cæterùm clerum, aut inter fra- D tres principatum nullo modo appetere monachus debet. Siquidem diabolica iſta peſtis eſt, & libidinis dominandi labes, quæ res inſigne eſt primæ illius diaboli prauitatis indicium. Etenim ex hac ille quoque imperandi libidine præceps inſigni illo ſuperbiæ lapſu corruit; & ſine dubio, qui in huius vitij poteſtate eſt, is eodem planè cum diabolo, malo laborat. Qui autem ab eo captiui tenentur, eos inuidos, contentioſos, inſimulatores, impudentes, calumniatores, aſſentatores, humiles, vbi non conuenit, illiberales, glorioſos, ſexcentis denique aliis huiuſcemodi morbis refertos exiſtere neceſſe eſt. Etenim qui eſt huiuſmodi, is idoneis inuidet, & palam traducit. Quin etiã ſæpenumero cũm illorum etiam interitum exoptabit, quò videlicet, ſublatis de me- E dio qui tales ſunt in deferendis muneribus neceſſariò ſuffragia ad ipſum deueniant. Atque ex hoc etiã aliud ſequetur, quòd iis, penes quos illa deferendi poteſtas erit, adulabitur, atque ita multa illiberaliter ac ſeruiliter aget: aduerſùs inferiores verò, ſi aduerſentur, ſuperbè ac præſidenter ſe geret. Itaque dolos conſuens machinabitur, perturbationeſq; innumerabiles ac ſuſpiciones ſibi acceſſet, à ſeq; animi tranquillitatem fugabit, & Deus pacis expelletur, vtpote cui locus in eo non ſit, vbi acquieſcat. Cognito *Baſ. cõſt. mon. c. 10*

igitur

igitur nos detrimento, à ratione abhorrentem iſtiuſmodi cupiditatem fugiamus. Sic Baſilius.] Iſta omnia ambitioſorum flagitia in hoc ſancto Doctore legimus; ſed hac noſtra ætate propriis oculis in hominibus ambitioſis ſæpe perſpeximus. Qui dignitatem adepti, ita ſe gerunt, vt non obſcurum ſit, eos non ad Dei gloriam aſpexiſſe, ſed ſua commoda procuraſſe. Opes pauperum, in aulæis, in lectis eburneis, in lecticis, in rhedis, in conuiuiis, in potationibus, in deliciis, & in ditandis conſanguineis inſumunt. Magnatibus iniuſta poſcentibus non audent obſiſtere, quorum ope, & falſis de ipſorum vita exaggerationibus, putant ſe aut in dignitate adepta durare, aut aliam pinguiorem obtinere. Peccata, & flagitia ſubditorum diſſimulant, virtutes non plantant, vitam populorum emendare non curant. Denique munus habent ducum, qui homines dirigant, & leonum, qui aduerſùs peccata rugiant, cor autem leporum timidorum, qui qualibet oborta difficultate, turpiter fugiunt, & pauperes conculcari permittunt. Verum enim eſt, quia [regnantibus impiis ruinæ hominum.] Has laruas, has pelles deauratas, has vmbras dignitatum fuge, tu ô homo Dei, ſi valueris; ſin minùs dolenter admitte, non vt tumeas, ſed vt Deo, atque prælatis obedias, in eiſque laborem & curam pro Dei gloria ſuſcipias; ſplendorem verò, honores, & hominum laudationes cum vera humilitate ſpernas.

Prouerb. 28.12.

De octauo Gradu Humilitatis, qui eſt, propriam vilitatem, & defectus libenter detegere.

CAPVT IX.

Similis eſt ſuperbiæ, deſcenſio; & humilitatis, aſcenſio. In deſcenſu verò ſuperbiæ, quem in primo patente animaduertimus, primum fuit, diuinam dignitatem appetere, poſtea verò culpā admiſſam celare, & turpem nuditatē obtegere. Appetiit ille rem pulchram oculis eius propoſitam: Eritis ſicut dij:] & poſtmodum ſuam aduertens nuditatē foliis ſe ficus operuit, & audiens vocem Domini ipſum vocantis, ſe ab oculis eius, qui omnia intuetur, abſcondit. Oppoſitus huic eſt humilitatis aſcenſus: nam primò iuſtus humilis dignitatem, & honorem, ac laudem fugit: & poſtea vt efficaciter fugiat, defectus ſuos, ac imbecillitatem, vt ab aliis contemnatur, detegit, & quicquid eum poteſt deſpicabilem facere, minimè abſcondit. Duplex eſt manifeſtatio culparum, aut defectuum propriorum: altera, qua quis prælato ſuas miſerias manifeſtat: altera, qua fratribus, prout prudentia dictat, & ædificatio non refugit, aliquos ſuos quiſque defectus reuelat. De illa prima (annuente Domino) infrà in quinto gradu ſancti Benedicti dicemus, nunc verò hanc ſecundam hoc loco tractamus.

Geneſ. 3.

Infrà p. 4.c.5.

Quemadmodum enim ſuperbi & elati, ſi quid habeant, quod eos, apud alios, magnos & honorabiles faciat, paſſim & ſine vllo delectu effundunt, defectus verò & vilitates abſcondunt: ita è contrà, humiles & modeſti bona ſua naturalia, & dona ſupernaturalia prudenter celant, at defectus, ſiue ad naturam, ſiue ad mores pertinentes, cùm ædificatio non reluctatur, dicere non extimeſcunt. Nam cùm veriſſimum ſit, quia ex abundantia cordis os loquitur, cùm ipſi de ſe parua & vilia cogitent, ſéque puſillos & abiectos exiſtiment, vilia ſolùm & abiecta de ſe libenter produnt. Iſtud certè diſcrimen ſuperbi & humilis aſſignat Proſper, in hunc modum ſcribens: Superbi cupiunt, in ſe, quod non faciunt, prædicari: humiles refugiunt, quicquid boni operantur, agnoſci. Illi, vitia ſua à ſe alienando, peruerſitatem ſuæ voluntatis excuſant, & bona ſua ſuis viribus deputando, ſemetipſos turpiter iactant: iſti, ſi qua peccata commiſerint, voluntariè confitendo, ſemetipſos accuſant, & omnia bona ſua diuino muneri deputando, Deum iugiter laudant.] Nec mihi obiicias carmina Dionyſij Catonis Poëtæ Chriſtiani:

Proſper lib. 3. de vita contemplatiua. c. 3.

Nec te collaudes, nec te culpaueris ipſe,
Hoc faciunt ſtulti, quos gloria vexat inanis.

Hæc, inquam, non obſtant, quæ ad communes homines, communem virtutis gradum habentes, dicta ſunt: qui neſciunt ſe, niſi ad captandam gloriam inanem, aut laudibus extollere, aut vituperationibus ſimulatis impetere. At ſicut excellens humilitas, inſtante neceſſitate honoris Dei, ſe ipſam ſine vllo vitio, immo cum magni meriti obtentione, collaudat: ita ad contemptum ſui coram aliis ſine vlla ſimulatione vituperat, & non vanam laudem, ſed veram ſui deſpicientiam deſiderat. Hæc igitur ſalutaris atque humilis propriæ miſeriæ detectio Ionæ Prophetæ ſaluti fuit. Interrogatus enim à nautis ſæua illa tempeſtate iactatis quis nam eſſet, ſe Hebræum, ac ſeruum veri Dei eſſe dixit, turpémque fugam ſuam, & inobedientiam indicauit. Quod ex reſponſione eorū fit manifeſtum, qua dixerunt: Quid hoc feciſti? [cognouerunt enim viri, quòd à facie Domini fugeret, quia indicauerat eis.] Hæc autem peccati pia humiliſq; confeſſio quāta illi bona attulit? Primò eum, quem antea ignorabant penitus, ac vilem putabant, ſuſpexerunt vt ſeruum Dei; deinde, dilexerunt eum, nam audito remedio euaſionis ſuæ, vt ſcilicet eum in mare mitterent, præ reuerentia & amore, quo eum iam proſequebantur, proiicere noluerunt, ſed remigabant valdè, vt ſe illúmque liberarent. Hanc nautarum reuerentiam erga Ionam Hieronymus indicauit, qui eos ſic loquentes introducit: Propter te dicis ventos, fluctus, mare, gurgites concitatos: expoſuiſti cauſſam morbi, indica ſanitatis. Ex eo quòd contra nos ſurgit mare, intelligimus iram eſſe ſuſceptionis tuæ. Si culpa eſt quòd ſuſcepimus, quid facere poſſumus ne Dominus iraſcatur? Quid faciemus tibi? Hoc eſt, interficiemus te? ſed cultor es Domini. Seruabimus? ſed Deum fugis. Noſtrum eſt præbere manus, quid fieri iubeas: tuum eſt imperare, quo facto quieſcat mare, quod nunc creatoris iram ſuo tumore teſtatur.] Tandem voluntate Dei cognita, quòd eum in mare mitterent, magno timore, & ingenti dolore perculſi de ſubmerſione illius, eiecerunt eum, clamātes, atque dicentes: Quæſumus, Domine, ne pereamus in anima viri iſtius, & ne des ſuper nos ſanguinem innocentem, quia tu, Domine, ſicut voluiſti, feciſti.] Dominus quoque placatus eſt, qui inobedientia ac duritie Prophetæ iratus, humili tamen detectione peccati eius delinitus, imperauit piſci, & euomuit Ionam in aridam.

Ionæ 1. 10.

Hieron.

n. 14.

Ionæ 2. 11.

Hæc eadem ſuos defectus propalantibus accidūt. Nam qui antea ignorabantur, iuſti & humiles agnoſcuntur; qui priùs negligebantur, diliguntur: & dum eos ſui contemptores videmus, libenter in cōſiliarios & magiſtros accipimus. Ipſi verò, qui ita ſe manifeſtant, virtutem ad pugnandū aduerſùs defectus ſuos, immo & (faciente Domino, ac vires immittente) integrā ſalutē accipiunt. Sicut enim culpæ excuſatio atque defenſio, eius geminatio eſt: ita eius manifeſtatio eam imminuit atque extenuat. Vnde vox eſt iuſti: Sit nox illa ſolitaria, nec laude digna.] Solitariam nāque noctem culpæ relinquimus, cùm eam nequaquam verbis procacibus excuſamus: eam verò alteri ſociamus, cùm inepta excuſatione defendimus.

Iob. 3. 7.

Vnde

Greg. 4. mor. c. 19. Vnde Gregorius ait: Sunt nonnulli, qui non ſolùm nequaquam deflent, quod faciunt, ſed etiam laudare & defendere non deſiſtunt. Et nimirum dum defenditur culpa, geminatur. Contra quod rectè per quendam dicitur: Peccaſti, non adijcias iterum.] Peccatum quippe peccato adijcit, Eccl. 21. 1. qui malè geſta, etiam defendit, & noctem illam ſolitariam non relinquit, qui culpæ ſuæ tenebris etiam patrocinia defenſionis adiungit. Hinc eſt quòd primus homo de erroris ſui nocte requiſitus, eandem noctem eſſe ſolitariam noluit, quia dum requiſitione ad pœnitentiam vocaretur, ei adminicula excuſationis adiunxit: dicens, Mulier, quã dediſti mihi ſociam, dedit mihi de Ligno, & comedi:] Gen. 3. 12. ſcilicet exceſſus ſui vitium in auctorem latenter intorquens: ac ſi diceret: Tu occaſionem delinquendi præbuiſti, qui mulierem dediſti. Hinc eſt quòd huius erroris ramus in humano genere ex illa nunc vſque radice protrahitur, vt quod malè agitur, adhuc etiam defendatur. Dicatur ergo: Sit nox illa ſolitaria, nec laude digna.] Ac ſi apertè exoret, dicens: Culpa, quam fecimus, ſola remaneat, ne dum laudatur & defenditur, in conſpectu noſtri iudicis multipliciùs adſtringat. Peccare quidem non debuimus, ſed vtinam alia non iungentes, vel, ea quæ fecimus, ſola deſeramus. Hæc ille.] Si ſola non defenſio culpæ, eam minuit; quanto magis pia & humilis accuſatio tenuabit? Quia ergo humiles, multis ſe defectibus multiſque imperfectionibus ſcatere ſentiunt, ideo coram fratribus (ſeruato prudentiæ moderamine, & ædificatione retenta) detegere ad ſalutem non metuunt. Se viles, ſe abiectos, tepidos, ſuperbos, & cæcos vocant, vt ad opem ſibi afferendam, diuinam miſericordiam, verba accuſationis ipſorum audientem, inflectant.

Job. 3. 7.

Et quidem apud Bernardum habemus illuſtriſſimum huius gradus humilitatis exemplum. Qui ad fratres concionem habens, magiſtri quaſi perſonam depoſuit, & quaſi munus accuſatoris ſuſcipiens, in hunc modum defectus, quos ſibi ineſſe putabat, manifeſtauit. Sanè, inquit, hoc ego legens, referenſque oculos in me, & intuens diligenter, inuenio me peſte ipſa infectum, quam in Angelo Dominus in tantum exhorruit, quatenus propterea declinaret ab eo, cùm omnes in circuitu eius montes, ſiue de angelis, ſiue de hominibus, viſitationis ſuæ gratia dignaretur: & pauens tremènſque aio ad me metipſum: Si ſic actum eſt cum angelo, quid de me fiet, terra & cinere? Ille in cælo intumuit, ego in ſterquilinio. Quis non tolerabiliorem in diuite ſuperbiam, quàm in paupere, dicat? Væ mihi: ſi tam durè in potente illo animaduerſum eſt pro eo quòd eleuatum eſt cor illius, nec ei profuit quòd cognata potentibus ſuperbia eſſe cognoſcitur, quid de me exigendum, & miſero & ſuperbo? Denique iam luo pœnas, iam acerbiſſimè vapulo. Non ſine cauſſa ſanè ab heri & nudius tertius inuaſit me languor iſte animi, & mentis hebetudo, inſolita quædam inertia ſpiritus. Currebam bene: ſed ecce lapis offenſionis in via: impegi, & corrui: Superbia inuenta eſt in me, & Dominus declinauit in ira à ſeruo ſuo. Hinc iſta ſterilitas animæ meæ, & deuotionis inopia; quam patior. Quomodo ita exaruit cor meum [coagulatum eſt ſicut lac,] factum eſt ſicut terra ſine aqua?] Nec compungi ad lacrymas queo: tanta eſt duritia cordis. Non ſapit Pſalmus, non legere libet, non orare delectat: meditationes ſolitas non inuenio. Vbi illa inebriatio ſpiritus? vbi mentis ſerenitas, & pax, & gaudium in ſpiritu ſancto? Inde ad opus manuum piger, ad vigilias ſomnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax linguæ & gulæ indulgentior, ſegnior obtuſiórque ad prædicationem. Heu omnes montes in circuitu meo viſitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Nam collis num ſum ex his quos tranſilit Dominus ſponſus. Nam alium quidem intueor ſingularis abſtinentiæ, alium verò patientiæ admirandæ, alium autem ſummæ humilitatis & manſuetudinis: alium multæ miſericordiæ & pietatis; illum in contemplatione frequenter excedere, hunc pulſare & penetrare cælos orationum inſtantià, aliosq; alijs præeminere virtutibus. Hos, inquam, cõſidero omnes feruentes, omnes deuotos, omnes in Chriſto vnanimes, omnes donis cæleſtibus & gratia affluentes, tamquam ſpiritualis re vera montes, qui à Domino viſitantur, & ſponſum in ſe ſalientem frequenter recipiunt. Ego autem, qui horum in me inuenio nihil, quid me aliud putem, quàm vnum de montibus Gelboë, quem præterit in ira & indignatione ſua ille cæterorum omnium benigniſſimus viſitator? Filioli, hæc cogitatio tollit extollentiam oculorum, conciliat gratiam, ſponſi ſaltibus præparat.] His autem dictis ad ſimilem confeſſionem diſcipulos ſuos prouocat, ita ſubiungens: Hæc ego in me transfiguraui propter vos, vt & vos ita faciatis. Imitatores mei eſtote. Quod non de exercitio dico modò virtutum, aut morum diſciplina, aut gloria ſanctitatis (nec enim de huiuſmodi quicquam mihi temerè arrogauerim imitatione dignum) ſed volo vos non parcere vobis, ſed accuſare vos metipſos, quoties fortè in vobis vel ad modicum tepere gratiam, virtutem langueſcere deprehenditis, ſicut & ego pro huiuſmodi meme ipſum accuſo. Hoc facere hominis eſt, qui curioſus circumſpector eſt ſui, & ſcrutator viarum ſuarum, ac ſtudiorum, atque in omnibus ſemper ſuſpectum habet arrogantiæ vitiũ, ne ſubrepat. Hac vſque ille.] Eſt ergo iuſtorum ſtudium, accuſare ſe ipſos, & defectus, ac culpas ſuas perſpectas alijs facere, quo & aduerſus elationis & arrogantiæ vitia ſe muniunt, & oppoſitæ virtuti humilitatis intendunt. Sic humilitas ſanctam quandam libertatem acquirit, & defectus naturæ, in quibus nulla intercedit culpa, ab alijs videri non erubeſcit; & repoſita puerili erubeſcentia diminuit. Sic defectus morum odit quidem, & propter eos ſe contemptibilem putat, non tamen propterea inuerecundè excuſat, quia contemni & vilis haberi deſiderat.

Bern. ſer. 54. in Cant.

Pſ. 118. 70.

Fortaſſis autem de hac defectuum & culparum apertione illud Eccleſiaſtici poteſt intelligi: Confiteberis viuens, viuus, & ſanus confiteberis, & laudabis Deum, & glorificaberis in miſerationibus illius.] Viuentem enim, id eſt, iuſtum, & non peccato mortuum, ad confeſſionem ſuorum peccatorum hortatur: & non ſolùm viuentem ſed & viuum, & ſanum: & Græca habent: [Sanum corde,] eum ſcilicet monet; qui iam ex corde morbos vitiorum depulerit, & virtutes acquiſierit. Tu itaque, qui viuens Deo es, qui cor purũ habere cupis, & ex magna parte iam habes, ne confundaris aperire coram fratribus defectus & culpas tuas, nam & ſic Deum laudas, & quia te miſerum ſuſtinet, laudabilem prædicas. Gloriaberis etiam in miſerationibus eius, quas ob humilem culparum detectionem accipies. Quoniam ille ſe cum mendacio excuſantes damnat, ſe humiliter confitentes glorificat. Ac tandem dùm te ipſum accuſas, humilis inuenieris, quia (vt ſcitè dixit Gregorius) ille eſt verè humilis in

Eccli. 17. 27.

Greg. 26. mor. c. 2.

A bonis, qui non eſt defenſor in malis.
Hæc igitur accuſatio ſui, qua quis defectus ſuos
pandit, & cauſſas turbationum, aut aliarum mole-
ſtiarum, quæ inter fratres eueniunt, in ſe ipſum
intorquet, initium eſt pacis: nã dum fratrem excuſo,
meq; ipsũ accuſo, eius iram mitigo, eius animũ le-
nio, & ad pacẽ & tranquillitatẽ reuoco. Eſt etiã ia-
nua magni profectus & acceſſus ad Deum: nam
ille amator veritatis, illos amplectitur, & donis
ſuis implet, quos ſuperbiæ & vanarum excuſatio-
num vacuos inuenit. Quare Beatus Dorotheus,
enarrato quorumdã fratrũ iurgio, hanc cenſet cau-
ſam imperfectionum, & obdurationis, quòd quiſ-
que ſe ipſum excuſet, & alium impudenter accuſet.
B Hinc fit, inquit, quòd numquam proficimus, num-
quam procedimus, conterentes omne vitæ noſtræ
tempus, computreſcimus in cogitationibus no-
ſtris, belloque inteſtino nos inuicem laceſſimus.
Vnuſquiſque etenim noſtrum ſe iuſtum facit, la-
biturque quiuis ad quæcumque ſine cura, ſine cu-
ſtodia vlla ſui ipſius. Extorquet vnuſquiſque præ-
cepta à proximo. Hinc fit, vt neque ad bonum
conſueſcamus. Cùm enim paululum excanduerimus
Doroth. doctrin. 7. mus ira, omnia ex proximo volumus extorquere.
Accuſamúſque eum illico, & dicimus ſic age-
re eum debuiſſe, inclamamúſque quare ita non
egerit. At cur non magis ipſi nobis imperamus?
C Cur non accuſamus nos ipſos potiùs vt deſides &
negligentes in rebus noſtris? Vbinam ſenior ille,
qui interrogatus quam potiſſimam viam ad Deum
inueniſſet, reſpondit: Hanc præ omnibus, vt ho-
mo ſeipſum in cunctis ſemper accuſet? Laudata eſt
ſententia, ab interrogante magis magiſque confir-
mata. Dixit & Abbas Paſtor, virtutes omnes cum
gemitu domum ad virtutem vnam commigraſſe,
& hominem extra hanc fruſtra eniti, & laborare:
Interrogatúſque quænam illa eſſet, hæc ait, Vt
ſe ipſum homo accuſet.] Mirabilis ſanè eſt & num-
quam ſatis laudata Abbatis Paſtoris illa ſententia:
Nullam putat virtutem extra domum propriæ ac-
cuſationis exiſtere. Quare hæc? Certè ideo, quia
excuſans ſe ipſum, & culpas ac defectus inanibus
D excuſationibus contegens, humilitatis virtute ca-
ret. Extra domum verò humilitatis, nolunt a-
liæ virtutes commorari. Vel etiam, quia pauci
admodum ſunt, qui aliquos defectus aduerſus o-
mnes virtutes, nunc contra hanc nunc contra il-
lam non admittant. Si autem defectum aut culpam,
exempli gratia, aduerſus manſuetudinem, admiſ-
ſam excuſes, & his excuſationibus aſſueſcas, quis
non videat te manſuetudinem lædere, & quaſi
à te ipſo relegare? Meritò ergo virtutes vniuerſæ
ad domum humilis accuſationis commigrarunt,
quia ſi illa deſit, cùm deficimus, & nos non ac-
cuſamus, ſed potiùs excuſamus defectus noſtros,
quaſi bellum virtutibus cunctis indicimus.
E Cùm hæc ita ſe habeant, meritò ſanctus Da-
uid ſuos defectus aperiebat, vt ſic proficeret, &
diuinam miſericordiam imploraret. Iam ſe in ini-
quitatibus conceptum, & in peccatis natum vo-
cat; Iam egenum, pauperem, mendicum, par-
uulum, & contemptibilem nominat: iam vermem
viliſſimum & opprobrium hominum, & plebis
abiectionem appellat, vt verba cordis ſenſui con-
gruerent, & ſermones animo humili conueni-
rent. Nec ſolùm hoc, verùm & omnem tergi-
uerſationem, ac peccatorum ſuorum futilem ex-
Pſ. 140. 4. cuſationem auerſatur, dicens: Non declines cor
meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes

A in peccatis.] Licèt humilitatis, ô Domine, ait,
ſtudioſiſſimus eſſem, licèt iam ex affectu à te da-
to deſpici voluiſſem, tamen radix peccati à paren-
tibus primis relicta, & numquam euulſa, me ad
regenda & abſcondenda peccata vehementer in-
clinat. Cùm ergo peccauero, (& quis eſt qui non
peccet?) cor meum ad coloranda peccata, & præ-
textus excuſationis quærendos, inclinari non ſinas.
Hæc enim ſunt verba malitiæ, quæ & à fomite pec-
cati procedunt, & ad defendenda peccata ten-
dunt, & ipſa per ſe bonitatis vacua ſunt, & hu-
militatis virtuti contraria: Sufficiat peccaſſe, nec
adeò inuerecundus ſim, vt excuſans peccatum
B meum, quaſi pæniteat ſemel tantùm deliquiſſe:
Ne potiùs velim inueniri [cum hominibus ope- *num. 5.*
rantibus iniquitatem,] quorum eſt ſemper pecca-
ta peccatis addere, & quæ admittunt, in aliud re-
iicere, ac procaciter excuſare. Qui dicunt (quos
quidam etiam ethnicus riſit) non ego ambitioſus *Seneca l. 6. epiſt. 51.*
ſum, ſed nemo Romæ poteſt aliter viuere. Non
ego ſumptuoſus ſum, ſed vrbs ipſa magnas im-
penſas exigit: Non eſt meum vitium, quòd ira-
cundus ſum, adoleſcentia hoc facit. Certè non
communicabo cum electis eorum. Non, inquam,
operibus me ab illis electis & probatis immiſce-
bo, immo ſi quid peccauerim, libenter accuſa-
bo, libenter confitebor, tum vt me humilitatis
C profeſſorem faciam, tum vt culpas meas non au-
geam, tum vt ex accuſatione ad compunctionem
promotus, earum apud Dominum veniam pro-
merear. Humiles igitur hunc induant Dauidis af-
fectum: defectus ſuos (niſi ædificatio ac diſcretio
propter bonum aliorum aliud ſuaſerit) libenter
aperiant; imbecillitates pandant, ineptitudines ma-
nifeſtent, non ſit illis curæ ſi deſpiciantur, immo
ſit illis curæ deſpici atque contemni, vt per contem-
ptum ad humilitatis gloriam, & Chriſti imitatio-
nem perueniant. Qui (vt ait Auguſtinus) contemptus *Aug. ad Pſ. 125.*
eſt inter nos à nobis, & poſtea nobiſcum: & do-
cuit nos contemni, quia contemptus eſt: docuit to-
lerare, quia tolerauit: docuit pati, quia paſſus eſt.]
O glorioſa deſpicientia, qua id conſequimur, vt
D Chriſtum ſequamur, & vbi ipſe eſt, tandem ali-
quando ſimus.

De Nono gradu Humilitatis, qui eſt, Se Deo omnino ſubiicere.

CAPVT X.

HVMILIS, qui ex vna parte ſe ipſum de-
ſpicit, ſibique diffidit, ſeque reputat ad
quaſque functiones ineptum, & diuinis
donis indignum, quique conſtanter vult
ab aliis vilis haberi, & aſſuetus eſt ſe ipſum accuſare:
E ex alia verò parte ſe videt non deſpectum, immo
aliquando magni habitum, cæleſtibus donis op-
pletum, ad magnas functiones aſſumptum, & à
Deo planè dilectum, & in pretio reputatum: quid
faciet, niſi coram diuina maieſtate, quæ eum non
contemnit, ſed amat, ſed honorat, de ſe humili-
mè ſentire, ſeque mitis affectibus inclinare? Eſt ita-
que nonus humilitatis gradus, quo iuſtus cor filij
& fiduciam dilecti non amittens, ſe coram Domi-
no vt inutiliſſimum ac viliſſimum mancipium re-
ſpicit, & non aliter quàm lutum figulo, ſe in
omnibus diuinæ voluntati ſubmittit. Se æſtimat vi-

A humilis ſeruum inutilem, & ad omnia quæcumque Deus voluerit, ſe offert paratū atq; præcinctū, & magnū ducit, ſi in aliquo miniſterio occupetur, ſi vel ad abiectū ſeruitiū admittatur. Deus illum ad aliquam dignitatem, vel ad magnam functionem vocet? Tunc miratur vehementer, quòd relictis aliis fratribus ſuis (quos meliores putat, & aptiores) ipſum elegerit, & ſuper candelabrum poſuerit, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Et eo fidentiùs lucet, quo lucem, quam habet, non ſuam, ſed alienam, & à Deo mutuatam agnoſcit. Deus illum in aliquo humili obſequio conſtituat, in eóque per multos annos detineat? Non conqueritur, non triſtatur, quin neque ad illud ſe habilem ſentit, ſupráque ſua merita, & ſuam capacitatem eſſe fatetur. B Deus quaſi illius obliuiſcatur, & cùm omnium domos viſitet, quaſi ipſum pertranſeat, & veluti in quodam angulo inglorium, deſpectum, & ab omnibus oblitum relinquat? Patienter ſuffert, immo & gratanter ſuſtinet, & pro meritis, ſeu pro ineptitudine ſua recepiſſe ſe putat. Hæc apud ſe cogitat: lutum ſum, & cœnum fœtidum, & ita me coram Deo collocabo, quemadmodum argilla illa rubra, ex qua primus parens meus formatus eſt, vt ſi ex me voluerit hominem facere, id eſt, ad actiones homine dignas euehere, euehat: ſi verò ei placitum fuerit, in mea vilitate me relinquere, non reſiſtam. In eum oculos mei cordis intendam, & paratus exſpectabo quid de me fieri velit, nec ſermonibus eius, aut inſtinctibus contradicam. Hæc eſt huius gradus humilitatis ſubſtantia, longè facilior dicto quàm facto; quam multi ſe habere putant, & in tempore tribulationis, & oblata occaſio- C ne, longè ſe eſſe ab iſta vera ſubiectione conſpiciunt. Non miremur ſi Deus ianuam ſuæ familiaritatis non aperit, ſi poſtulata negat, ſi minimè optata concedit, quia numquam ad illum cor reſignatum & ſubiectum deferentes ingredimur; numquam cor humile illi præſentamus, ſed nos ipſos, & excellentiam noſtram in omnibus tum ſpiritualibus tum temporalibus quærimus.

Hunc præſtantiſſimum humilitatis gradum optabat Dauid, quando ſecum ipſe loquens, ita canebat: Pſ. 61. 1. Nonne ſubiecta erit Deo anima mea? Ab ipſo enim ſalutare meum.] Rem ſanè, inquit, exopto difficilem, quam perfectè quilibet iuſti non obtinent, ſed illi, qui ſunt humilitate & charitate perfecti. Hæc autem res eſt, vt Deum expectet anima mea, vt ad eum ſileat, vt penitus ſe illi committat, vt ſit illi Domino ſuo omni ex parte ſubiecta. Res difficilis, ſed debita: quid enim magis debitum, D quàm vt maioribus minora ſubdantur? Si autem Deus, vt ait Iob, maior eſt homine, & in infinitum Iob. 33. 12. præſtantior atque excellentior, ac vniuerſalis eius Dominus, debitum eſt, vt ei ſe homo plenè ſubmittat. Res difficilis, ſed iuſta. Nam iuſtum eſt, vt qui ſuis inferioribus vult præeſſe, ſuperioribus deferat, eiſque ſe per omnia ſubiiciat. At ego volo præeſſe minoribus, quibus poteſtate aut dominio præponor: iuſtitia ergo exigit, vt illi ſubſim, quem me, & omnibus ſuperiorem eſſe cognoſco. Res difficilis, ſed plena vtilitatis, & ideo homini infirmo & lapſo difficilis, ſed integro & ſano admodum fa- E cilis. Et quare facilis? Quoniam ab ipſo, cui ſubeſſe debeo, ſalutare meum. Si non ſubſim, diſperdor: ſi ſubſim, ſaluor. Si me ſubiectioni eximo, in miſeriam & calamitatem incido: ſi me ſubiicio Deo, ab illo ſalutem & incolumitatem, & gloriam reporto. Nonne ſubiectus ero Deo vt ſaluer? Nonne vetitam libertatem fugiam, ne cum illa condemner? Subde te Deo, ô anima mea (vt verbis Auguſtini tecum agam) adora; proſterne te: confitere illi, qui fecit; quoniam nemo recreat, niſi qui creat: nemo reficit, niſi qui fecit. Confitere, à Deo te habere quidquid boni habes; à te, quicquid mali; ne in bonis tuis illum accuſes, te excuſes. Ipſa eſt vera confeſſio. Ille, qui in tantis bonis præuenit te, venturus eſt ad te, & inſpecturus dona ſua, & mala tua: quomodo enim bono eius vſa fueris, inſpicit te. Ergo quia in omnibus iſtis bonis præuenit te, vide in quo tu præuenias faciem venturi. Hæc ille.] *Aug. ſer. 10. de verbis Apoſtoli.* Præuenies autem ſecundùm meum conſilium, ſi te ei ad omnia & per omnia ſubmiſeris. Nam vt in rebus naturalibus cauſſa agens, nihil aliud ex parte patientis requirit, niſi materiam ſibi ſubiectam, & ad recipiendum paratam: & ſtatim ac lignum eſt ſiccum, nullo negotio ab igne conſumitur: ita & in his quæ ad mores pertinent, ſimul ac Deus animam ſibi ſubiectam repetit, mirabiles mutationes in ea facit, & per ſimilitudinem puritatis eam in ſe transformat atque conuertit.

Id verò, quod ſanctus vates, & vir ſecundùm cor Dei ſibi optauit, nobis alio loco quærendum eſſe conſulit. Vnde ait: Subditus eſto Domino, *Pſ. 36. 6.* & ora eum.] Expone, inquit, aſſiduis precibus coram Domino inſtitutum vitæ tuæ; commenda illi rerum tuarum ſtatum, tamquam ei, qui potens eſt omnia ad tuum profectū reuocare: & ille, qui non ſpernit ſperantes in ſe prout oportet, cuncta diſponet. Ipſe iuſtitiam tuam, qua iuſtum te faciet, ad gloriam ſuam conuenienti tempore hominibus & angelis manifeſtabit, & rectè inſtitutam vitæ rationem, non aliter quàm meridiem, claram efficiet. Si hæc ita futura ſunt, ſubde te Domino, & ſub potenti manu eius te ipſum humilia. Sic autem ſubditus & humiliatus, ac per omnia reſignatus, in oratione perſeuera, vt ſubiectio & oratio te ad deſiderata recipienda diſponant. Hanc autem ſubiectionem, ad quam nos hortatur ſanctus Propheta, eſſe ſubiectionem humilitatis, ſicut & illam qua dixit: Nonne Deo ſubiecta erit anima mea, ſatis indicat Ambroſius, ſic in eundem pſalmum ſcribens: Omnis homo *Ambr. ſ. ad Pſal. 36.* ſe Deo ſubiiciat. Non enim vnum, ſed omnes docet, vt ſubiiciant cor ſuum, ſubiiciant animam ſuam, ſubiiciant carnem ſuam; quo ſit Deus omnia, & in omnibus. Subiectus ergo eſt, qui plenus eſt gratiæ, & ſuſcipit iugum Chriſti, & mandata Domini ſtrenuè & incunctanter exequitur. Sine ſubiectione autem, qui ſe fruſtra extollit, ſenſu propriæ carnis inflatus, inſolens deuotionis, & piæ declinans obſeruantiam ſeruitutis, quam ipſo iure naturæ auctori debemus æterno. Poſtremò, qui ſine peccato eſt, ſubiectus eſt Chriſto, quoniam redemptus à Domino eſt.] Subditus ergo eſto Domino, ô vir Dei, cui ſtellæ ipſæ quaſi ancillæ ſubiiciuntur. Ipſo enim præcipiente dederunt lumen in *Baruch. 3. 34.* cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt, Adſumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.] Ipſæ in ſtationibus ſuis lucent, ſi creator illis præceperit, & abſcondunt lumen ſuum, ſi ille mandauerit. Si ab eo vocentur, non voce, ſed opere ſtatim adſunt, & cum lætitia & iucunditate, in eo quod ſibi iniunctum fuerit, ſeruiunt ei. Subditus eſto illi, cui & angeli vni- *Tob. 12. 15.* uerſi ſubduntur, cui ſeptem illi præcipui aſtant, quorum vnus ad Tobiam ait, Ego ſum Raphael angelus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominū.] Et iure optimo hoc putat iſte angelus magnū dignitatis

elogium, ſe, & reliquos creatori ita eſſe ſubiectos, ita ad omnia paratos, vt in nullo repugnent obedire ei. Tu, qui vitam angelorum æmularis, qui inter illos te ſemper victurum eſſe confidis, qui ceu ſtellæ cæli, immo pluſquam ſtellæ, in felici illa patria lucebis, quid aliud conaris, niſi hanc ſubiectionem comparare? Hanc tua natura requirit, ad ſubiectionem creata; ad hoc enim conditus es, vt tuo conditori ſubdaris. Et quod amplius eſt, in hac ſubiectione ſtat fælicitas tua. [1.Cor.15.28.] Quare Paulus de Chriſto ait: Cùm autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus.] Nunc enim quibuſdam membris repugnantibus voluntati Dei, vt inquit Anſelmus, [Anſel. ibid.] videtur caput non eſſe ſubiectum. Cùm autem omnia membra fuerint Deo, tam carne quàm ſpiritu deuotè ſubiecta, tunc ipſe filius, qui caput eorum eſt, manifeſtè cognoſcetur in omnibus Deo ſubiectus.

Hoc itaque eſt ſummũ bonum noſtrũ, Deo plenè ſubiici, &, vt decet creaturam, penitus ſuo creatori ſubmitti. Cùm ei perfectè fuerimus ſubiecti, tunc illud ſummum bonum conſequemur, quod ſperamus, quod ſuſpiramus, vt ſit Deus omnia in omnibus. Vt ipſe ſcilicet ſit finis deſideriorum noſtrorum, vt iam nihil vltra deſideremus, ſed in eo & per eum omne deſiderabile, vitam, ſalutem, copiam, honorem, pacem, & gloriam habeamus. Huius ſubiectionis perfectiſſimæ eſt iſte gradus humilitatis initium, quo ſine vlla repugnantia Deo ſubdimur, & noſtræ commoditatis & vtilitatis obliti, ab eo moueri & duci, & in omnibus regi ac gubernari concupiſcimus. Præſtantiſſima quidem eſt iſta ſubiectio, à qua nec filius ipſe naturalis eximitur. Ideo in ſcriptura ſecundùm humanitatem ſeruus vocatus eſt, vt qui ad ſeruiendum nati ſumus, libenter nos creatori ſubiiciamus. [Iſaiæ 42.1.] Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium gentibus proferet.] Et: [Philipp. 2.7.] Humiliauit ſemetipſum, formam ſerui accipiens.] Et: [Pſ. 115.16.] Ego ſeruus tuus (quem locum de Chriſto Athanaſius intelligit) & filius ancillæ tuæ.] Et: Adducam ſeruum meum orientem. Et: [Ezechiel. 34.23.] Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum ſeruum meum Dauid.] Ne te hæſitabundũ reddat, homo, inquit Baſilius, [Baſil. epiſt. 141.] quòd Deus ſubiectus nominatur. Vt enim te ſubiectum reddat, ipſe ſe ſe ſubiicit, & vt ad virtutem te excitet, ſubiectum ſe nominat.] Quare igitur ille, qui ſecundùm diuinam naturam filius eſt naturalis & coæqualis Patri, ſecundùm humanam ſeruus vocatus eſt, niſi quia plenè Patri ſubiectus, quia voluntati eius addictus, quia ei per omnia, & in omnibus reſignatus, nihil aliud volebat niſi Patris voluntatem implere? Nobis autem membris eius, quid aliud cordi eſſe debet, niſi hanc regalem ſubiectionem toto mentis conatu conquirere? Et verè regalis ſubiectio, quæ regibus præcepta eſt. Nam & illis dicitur in Pſalmo; [Pſal. 2.11.] Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.] Et in eo reges ſunt, ſi à Deo ſe regi ſinant, & ſecundùm eius voluntatem populos ſibi commiſſos regant. Verè regalis ſubiectio nos à miſera ſeruitute propriæ voluntatis extrahens, & in mirabili libertate conſtituens. Qui enim non ita ſubiectus eſt Deo, mirum eſt quot quantiſque curis euentuum futurorum diſcerpitur, mirum quàm multis timoribus cruciatur, quanta triſtitia & angore aduenienti aduerſitati reſiſtit, quanta anxietate media ad euadendum inquirit. Durum autem eſt illi contra infixum ſtimulum calcitrare, & Deo per tribulationem immiſſam ſubiectionem poſcenti reſiſtere. At qui hoc cor Deo ſubditum geſtat, & ſe ac omnia ſua Deo committit, inexplicabile eſt quanta tranquillitate fruatur. Is nihil terrenum timet, quia diuinam prouidentiam ipſum regentem animaduertit: nihil caducum ſperat, quia nihil extra Deum, ſuum deſiderium implebit. Omnem autem euentum grataner ſuſcipit, quia non tam à conditione naturali, non tam ab hominibus, quàm à Deo, cui ſubditus eſt, & à cuius regimine eximi non vult, aduenire nouit.

Is quoque magna audet petere, & pretioſa poſtulare, quoniam ex hac ſubiectione didicit, non ad honorem, aut commodum ſuum, ſed ad gloriam Dei petere. Idque ſecundùm Richardum Victorinum indicauit regius vates, cùm magna rogans, ſe non filium, ſed ſeruum ac ſubditum nominauit. Faciem tuam, inquit, illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas.] [Pſ. 118.135.] Quid inquam (ait ille) Dauid, te ſeruum vocas? ſeruum nominas? [Richard. ibid.] Numquid hoc ſeruis datur obtinere, quod vix amici merentur accipere? Verè, inquit, ſcio quod amo, quia diligo Dominum meum: recordor nihilominus, quòd Dominus dixit ad me: [Filius meus es tu:] nolo tamen dicere amicum ſuum; nolo me vocare filium ſuum. Qui enim abſque meritis vult magna petere, meminerit ſaltem ſe multùm deiicere: & nunc verè me fateor ſeruũ eius, non tantùm iure cõditionis, nec ſolùm debito neceſſitatis, ſed etiam propoſito voluntatis. Nam alios ſeruos efficit ipſa eorum natiuitas, alios ſeruituti addicit belli neceſſitas; alios obſequio ſubiicit humilitatis magiſtra charitas. Seruiam, ſeruiam igitur creatori meo iure conditionis; obſequar regi meo ex reuerentia maieſtatis; ſubiciar Saluatori meo, debito charitatis. Quantum apud eum poſſit voluntaria ſeruitus, intelligo: & idcirco magna petens, humilitatis meæ obſequium humiliter recolo. Sic ille.] Hanc itaque ſpem obtinendi magna ſubiectio in illo peperit, & in nobis quoque pariet, ſi eam habere ſtuduerimus. Si mens noſtra ſubiecta fuerit Deo, ſubiicietur illi caro, iam non vt fera ad imperium rationis recalcitrans, ſed vt ſoror eius conatus in bonum adiuuans. Subiicietur illi mundus, qui facilè proſternitur, ab eo qui per veram humilitatem Dei prouidentiæ committitur. Subiicietur illi diabolus, qui non poteſt aliquem deiicere, niſi conatus fuerit eum ab hac ſubiectione ſeparare. Ac tandem, vt ait Iſidorus, [Iſido. 1. ſenten. c.] tunc rectè ſubiiciuntur nobis omnia, quæ ſub nobis ſunt, ſi nos ſubiicimur ei, à quo nobis illa ſubiecta ſunt.] Cogitaui, Domine, vias meas, [Pſ. 118.59.] vias meas antiquas, quibus aut poſt peccata currebam, aut meam voluntatem explebam, aut poſtea in bonis & rectis ad mea commoda feſtinabam. Cogitaui eas, & de mea ſtultitia erubeſcens, conuerti pedes meos in teſtimonia. Affectus meos ad tuam voluntatem conuerti, & tibi ſemper ſubeſſe conſtitui. Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata.] [Pſ. 118.60.] Paratus, inquam, ad omnia quæcumque præceperis, & tibi plenè ſubiectus, emergentibus impedimẽtis nõ turbor, ſed pacatè tua mãdata cuſtodio. Cùm enim me ipſum nõ quæſiui, ſed tuam voluntatẽ implere cupiam, nec afflictionibus nec detractionibus nec terroribus quatior, nec à via perfectionis dimoueor, quia tibi ſubeſſe, quod ſolum quærebam, inuenio.

* * *

De Decimo gradu humilitatis, qui eſt: Subiicere ſe omnibus propter Deum.

CAPVT. XI.

PRædicta ad Deum ſubiectio, ita ſolet in humilibus creſcere, vt ex amore Dei, & humilitatis deſiderio, velint, omnibus hominibus, non tantùm maioribus, verùm & æqualibus & minoribus, eſſe ſubiecti. Volunt autem id efficaciter, & licèt munere ſint maiores, & dignitate præcellant, rationes tamen quærunt, & inueniunt, quibus ſuis etiam ſeruis & mancipiis ſubiiciantur. Cùm ſint ſapientiſſimi, difficultates ac dubitationes ſuas cum minùs illuminatis conferunt, & eos libenter & animo diſcendi audiunt. Cùm ſint prudentiſſimi, imperitorum conſilia non reſpuunt, & cùm ſunt vtilia, ſuſcipiunt. Miniſtratur illis à ſeruis ſuis; & ipſi aliquando valde familiariter illis miniſtrant, à quibus obſequia ex iure recipiunt. Ita inter homines conuerſantur, vt cùm maiores ſint, ſua comitate & modeſtia ſe aſſocient minoribus, & ipſorum animos in ſui amorem deſideriúmque conuertant. Ad hunc gradum pertinet mirabilis illa Chriſti actio, qua inter diſcipulos ſuos formam miniſtrantis induebat. Nam quis maior eſt, inquit, qui recumbit, an qui miniſtrat? *Luc.22.27.* Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.] Ille rex, & Pontifex Maximus, & verus Filius Dei, rudioribus diſcipulis obſequebatur, & ad menſam recumbens, illis more ſerui miniſtrabat, & ad exemplum humilium maior ſe minoribus ſubmittebat. Ego autē credo, quòd non ſolùm in hac poſtrema cœna, ſed & in omnibus, diſcipulorum collegio manducante, ipſe illis, vt miniſter, inſeruiuit. Nec ſolùm diſcipulis, ſed & aliis bonis & malis ſe ſubmiſit. Bonis quidem, vt cùm de ipſo ait *Luc.2.51.* Lucas: Et deſcendit cum eis,] nimirum cum matre Maria, & nutritio Ioſeph, [& venit Nazareth, & erat ſubditus illis.] Malis verò, quia & permiſit ſe ab *Matth.4.5.* ſpiritu nequam aſſumi in ſanctam ciuitatem, & ſtatui ſupra pinnaculum templi: & permiſit quoque ſe à ſatellitibus diaboli irreuerenter tractari, & à iudice in iudicem, & à prætorio in caluariæ locum ad necem duci. Ex hoc enim probat Gregorius, non fuiſſe indignum Chriſto, quòd ſe ſineret à diabolo in montem duci, qui permiſit, ad redemptionem noſtram à membris diaboli crudeliter tractari. *Gregor. homil.16. in euangel.* Iniquorum omnium caput, ait, diabolus eſt, & huius capitis membra ſunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus? An non diaboli membra Iudæi perſequentes, & milites crucifigentes Chriſtum fuerunt? Quid ergo mirum ſi ſe ab illo permiſit in montem duci, qui ſe pertulit etiam à membris illius crucifigi?] *Chryſoſt. hom.5. in Matth.* Et Chryſoſtomus: Quando audis dicentem, ductus à diabolo, nihil cogites de potentia diaboli, quia potuit ducere Chriſtum: ſed de patientia Chriſti mirare, quia ſuſtinuit vt à diabolo duceretur. Ergo, in ſequente Domino non infirmitas, ſed patientia eſt; in ducente autem diabolo, non virtus, ſed ſuperbia eſt.] Hæc igitur omnia ſubiectionem Saluatoris noſtri notant, propter quam voluit ab Iſaia [nouiſſimus virorum] dici: voluit enim omni hominum generi ſe ſubiicere, vt ab eius exemplo tam maioribus quàm minoribus ſubmitti diſcamus.

Ab hoc autem capite ac magiſtro vniuerſæ virtutis accepit diſcipulus eius primus Petrus verba illa quibus hunc etiam humilitatis gradum indicauit:

A Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis.] *1.Petri.2.13.* Quid hoc loco ſignificat humana creatura? An ordinationem humanam; ſiue poteſtatem hominibus inſidentem? An prælatos ipſos ac præſides, qui quòd ab hominibus creentur, humana creatura vocantur? An vocat humanam creaturam quoſcumque præfectos, licèt ad præfecturam minùs apti iudicentur? Et ſenſus ſit, quicumque ſit ille, qui reliquis præponatur, licèt ſcientia, aut virtute, aut reliquis talentis inferior; eo ipſo quod prælatione maior eſt, ſubiectionem exigit, obedientiámque requirit. Si ergo ob ſolam excellentiam poteſtatis, quidam homines ſe B aliis ſubmittunt, quidni etiam ſe ſubmittant ob eminentiam virtutis? Humiles autem, reliquos omnes ſaltem virtute & meritis ſe maiores exiſtimant: quid ergo mirum, ſi eiſdem data opportunitate ſubdantur? Subiecti igitur ſunt latiori quodam ſenſu omni creaturæ propter Deum, quia non tantùm regibus, & principibus & aliis ſuperioribus ab humana ordinatione creatis obediunt, ſed & quibuſcumque aliis, licèt inferioribus poteſtate, præpoſitis tamen ſibi virtute, ſubduntur. Hæc enim ſubiectio, qua etiam minoribus propter Deum ſubiicimur, tanti meriti eſt, vt propter eam, & hominibus in admirationem ſimus, & à Deo magnis donis efferamur. Meritóque Eſau maior natu loco benedictionis accepit, C quòd fratri minori ſeruiret, quia inſignis humilitas eſt, quemquam ſe minoribus ſubiugare. Dixerat ille ad patrem: Num vnam benedictionem tantùm habes, Pater? Mihi quoque, obſecro, vt benedicas. *Geneſ.27.38.39.* Cúmque eiulatu magno fleret, motus Iſaac, dixit ad eum, vtique benedicens ei: In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua. Viues in gladio, & fratri tuo ſeruies.] Benedictio itaque humilitatis, eſt ſeruire minori, & ſubdi inferiori. Quare Ambroſius optimè, Hæc igitur ſeruitus, ait, Dei donum eſt. *Ambr. lib. de paradi. c.14.* Denique inter benedictiones numeratur huius ſeruitutis obſequium: nam & Iſaac in loco benedictionis eam dedit Eſau filio ſuo, vt ſeruiret fratri ſuo. Denique benedictionem ille poſcebat, etſi vnam ſibi cognouiſſet eſſe præreptam, tamen aliam D poſtulabat, dicens: [Numquid vna benedictio tibi eſt, Pater?] Per hanc igitur ſeruitutem, ille qui per gulam primitias ſuas antè vendiderat, & ſtudio venationis agreſtis gratiam benedictionis amiſerat, credidit ſe ipſo futurum eſſe meliorem ſi typum Chriſti veneraretur in fratre. Hæc ille.] Optimè autem hæc humilitatis actio iuſti benedictionibus annumeratur: nam quæ maior benedictio illi poteſt obtingere, quàm quòd Chriſti æterni regis, & Saluatoris ſui imitator exiſtat? In hoc verò ipſius imitator eſt, cùm ille pro nobis minoribus in ſua ſe mortalitate ſubiecerit. Cui vicem rependit homo, cùm altitudinem, quam habet, tantiſper deponens, minoribus pro amore Chriſti ſe ſubdit,

E Benedictio vera & magna eſt, qua maledictioni ſuperbiæ reluctamur: Idque præcipuè facimus cùm cunctis etiam inferioribus nos ſubmittimus. Quare Bonauentura actus humilitatis enumerans, & hunc gradum, quem nunc tractamus, tertium eius actum faciēs, putat eo nos perfectiſſimè ſuperbiæ reluctari. Tertius, inquit, actus eſt velle ſubeſſe omnibus ſcilicet ſuperioribus, paribus, & inferioribus, & ſic opponitur ſuperbiæ ſtrictè ſumptæ, quæ eſt amor propriæ excellentiæ.] *Bonau. 1. p. centiloquij, ſect. 18. to. 1.* Maledictio itaque ſuperbiæ, eſt, propriam excellentiam ſupra modum quæritare, & omnibus ſe præferre. Benedictio verò humilitatis, proprium contemptum diligere, & omnibus ſe ſub-

mittere. Eſt implere illud Domini mandatum: Quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.] Nam vera altitudo ſubiectione quærēda eſt: illúmque Dominus præfert aliis, quem reperit non ſe præferentem, ſed omnibus ſe humiliantem. Ideo ſancti, vt Chriſtum imitarentur, illuſtriſſima nobis reliquerunt huius humilitatis exempla. Martinus, vt ait Sulpitius, Sacramentis militaribus iuſſu patris implicatus, vno tantùm ſeruo comite contentus eſt, cui tamen verſa vice dominus ſeruiebat, adeo vt plerumque ei & calceamenta ipſe detraheret, & ipſe detergeret; cibum vnà caperent, hic ſæpius miniſtraret. Pachomius in quodam cænobio, cùm aſſideret operi ſtorearum quæ texebantur, ſic huius humilitatis formam præbuit. Veniens enim puer, qui erat deputâtus miniſterio hebdomadæ, videt eum operantem, & dicit ei? Noli ſic vertere texta, vt rectè opereris. Abbas Theodorus rexit alio modo: Is verò ſurgens, dicit ei: Doce me, quomodo, ô fili; & cùm didiciſſet, ſedit rurſus cum magna alacritate in hoc reprimens ſpiritum arrogantiæ. Franciſcus fratri comiti ſuo, cum quo iter agebat, ſolitus erat ſemper promittere obedientiam, & ſeruare. Hæc & alia ſimilia in ſanctorum antiquorum geſtis, legimus, & non pauca huius generis nunc in viris ſpiritualibus videmus, qui, vt ſuperbiam comprimant, & ſpiritum elationis ſubuertant, occaſiones quærunt, & inueniunt, quibus tum interiùs tum exteriùs ſe ſuis ſubiectis humilient. Habent enim cordi infixum illud Pauli dictum: Per charitatem ſpiritus ſeruire inuicem.] Et qui in libertatem Chriſti vocati ſunt, hanc libertatem non aſſumunt ad perficienda deſideria carnis, vt vnus aduerſus alium ſuperbiat, ſed ad augendam virtutem mentis, vt minor maiori per obedientiam ſeruiat, & maior minori per humilitatem ſe ſubmittat.

Matth. 20. 26.

Seuer. Sulpit. in eius vita cap. 1.

Surius in Maio.

Bon. in eius vita cap. 6.

Hæc Sancta ſubiectio ad omnes, vera & intima eſt adoratio, qua viri Deo conſecrati Deum adorant, quia ad pedes Domini ſe ſubmittunt. Qui nāque ſunt pedes Domini, niſi infima Eccleſiæ mēbra, quorum comparatione nos maiores ratione alicuius dignitatis exiſtimus? Ad hos autem pedes prouoluimur, cùm eos interiori mentis affectu, & externo aliquo ſigno, quaſi ſuperiores putamus. Et in hoc ſenſu interpretatur Richardus Victorinus illum Pſalmi cuiuſdam verſum: Afferte Domino gloriam, & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio ſancto eius.] Nam hunc locum myſticè de religioſis exponens, ſic ait: Superiùs offerte hoſtiam præcipimur: hîc intus adorare iubemur. Priùs, ne intremus vacui; ſecundò, ne ſtemus otioſi. Ne intretis vacui, afferte Domino gloriam nomini eius. Ne ſitis intus otioſi, adorate Dominum in atrio ſancto eius. Quid eſt adorare, niſi totum corpus noſtrum ad pedes proſternere, & ſummum noſtrum ad eius ima inclinare? Vult ergo Propheta non ſolùm ſuperioribus membris Domini (hoc eſt prælatis) vos ſubiici, ſed vſque ad nouiſſima eius membra vos ſponte humiliari. [Subiecti eſtote modò omni humanæ creaturæ propter Deum.] & abſque dubio adoraſtis Dominum. Itaque cum hoſtiis intrate: ingreſſi adorate. Arripite arctam viam, intrate anguſtam portam; in habitu religionis, in voto profeſſionis: manere in domo diſciplinæ: tenere inſtituta regulæ. Si enim intra clauſtralem diſciplinam vos coarctaſtis, in atrium Domini abſque dubio intraſtis. Si verò votum profeſſio- [A] nis faciris; ſi inſtituta regulæ ſeruatis, hoſtias Domino admodum gratas obtuliſtis. Si enim in clauſtro viuentes, per omnia humiliter obediſtis omnibus, verè adoraſtis Dominum in atrio ſancto eius. Hæc ille.] Nec paruipendenda eſt iſta adoratio Domini, qua propter amorem eius ad pedes ipſius cadimus, nam ex ea ad ſuperiora leuamur. Illi quippe, qui in nouiſſimo loco, ex humilitate ſedit, dictum eſt ab eo, qui illum inuitauerat: Amice aſcende ſuperiùs.] Sic prorſus cùm nos coram minoribus interiùs exteriuſque deiicimus, & quaſi minores profitemur, eo ipſo in corde eorum, & in corde Chriſti (quod eſt optabilius) aſcendimus. In corde quidem Chriſti, nam eos ſuæ dilectionis brachiis amplectitur, quos ita auidos ſuæ imitationis [B] reperit, vt propter eā minoribus ſe quoque ſubmittant. In corde verò hominum quoniam maximè eos admirantur, atque ſuſpiciunt, in quibus ita vident ſuperbiam Adæ fuiſſe proſtratam, vt non ſolùm primatum non appetant, verùm & ſubeſſe omnibus concupiſcant. Quantæ admirationis ſit hoc apud homines, in quadam hiſtoria Beati Gregorij perſpicimus, quam narrat Ioannes Moſcus Euiratus. Inducit enim quendam Abbatem, nomine Ioannem, ſic loquentem: Perreximus ad Abbatem Ioannem Perſam: narrauitque nobis de Magno Gregorio, Beatiſſimo Romanæ vrbis Epiſcopo, dicens: Cùm iuiſſem primæ Romam vt ſecundò adorarem ad ſepulchrum ſanctorum Apoſtolorum, Petri & Pauli, ſtarémque die quadam in medio ciuitatis, audio Papam Gregorium per locum illum tranſiturum. Cogitaui itaque adorare illum. Cùm autem prope me eſſet Papa, viderétque me progredi, vt adorarem illum (loquor Deo teſte, fratres) [C] primus ipſe proſtauit ſe humi coram me, neque antè ſurrexit, quàm me primò ſurrexiſſe cerneret. Et cum multa humilitate ſalutans me, manu ſua mihi tria nummiſmata tradidit, iubens mihi dari quæcumque erant neceſſaria. Glorificaui itaque Deum, quòd tantam illi contulerat humilitatem, & miſericordiam, & charitatem ad omnes.] Non miramur quòd hic ſanctus Pontifex præfuerit Eccleſiæ, quòd gubernauerit principes, quòd omnes fideles ſibi ſubiecerit, & ſuis ac Dei præceptis aſtrinxerit: miramur autem quia vni monacho puſillo ſe ſubdiderit. Quare hoc? niſi quia hæc humilitas iuſtum admirabilem facit, & dum puſillis ſubiicit, in æſtimatione hominum, magnis etiam & honoraris illum præponit.

Pſ. 28. 2.

1. Petr. 2. 13.

Luc. 14. 10.

In Prat. Spirit. c. 151.

Sed licèt hic humilitatis gradus omnibus fidelibus congruat, præcipuè tamen illis conuenit, qui pro amore Chriſti humilis, ſe ipſos & omnia mundi plauſibilia reliquerunt. Minimi enim omni- [D] bus libenter ſe ſubiiciunt, quia eo ipſo quòd minimi ſunt, aut tales ſe reputant, neminem non maiorem iudicant, & ideo neminem ſibi non præferunt. Hi verò ſunt Eccleſiæ minimi, qui omnem altitudinem huius ſæculi poſthabent, vt veram altitudinem in cælis obtineant. Nam quid, quæſo, homines in hoc ſæculo magnos facit? Nonne honor! Nonne dignitas? Nonne diuitiæ, atque poteſtas? At hi huius ſe magnitudinis alienos fecerunt, vt magnitudinis Chriſti aliquando participes fierent. De his maximè dicetur à Domino in die nouiſſimo: Amen dico vobis, quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.] Quod ego non dicerē, niſi Auguſtinus antè dixiſſet. Exponens enim eadē verba ſic ait: Minimi ergo qui ſunt Chriſti? Hi illi ſunt, qui omnia ſua dimiſerunt, & ſecuti ſunt eum, & quicquid habuerunt, pauperi-

Auguſt. ſer. 35. de verbis Domini. c. 1.

bus

bus diſtribuerunt, vt Deo ſine ſæculi compede expediti ſeruirent, & ab oneribus mundi liberatos, velut pennatos, ſurſum humeros tollerent. Hi ſunt minimi. Quare minimi? Quia humiles, quia non elati, non ſuperbi. Appende minimos iſtos, & graue pondus inuenies.] O quantum pondus meritorum hi habent, quàm multas & magnas diuitias recondunt, quàm ſunt firmi & ſtabiles, qui cùm ſint ſupra mundum, mundi ventis non agitantur, nec turbinibus impelluntur. Habent hi graue pondus, ſi pro ratione ſui ſtatus ſint minimi. Sunt autem minimi ſi ſunt veri humiles. Sunt verò veri humiles, ſi (quod in ſe eſt) nulli ſe præferant, immo omnibus ſe ſupponant. Statui ergo iſtorum maximè congruit hic humilitatis gradus, quo quis omnibus etiam minoribus ſe ſubmittit. Enimvero quòd ſæcularis non tam perfectam humilitatem habeat, quòd non omnibus ſe demittat, videtur tolerabile, quia ſtatus, & ſors, & locus in quo degit, non eſt tantæ lucis particeps, vt hanc doctrinam intelligat. At tu, qui vitam religioſam profeſſus es, quia in ea regione vitam agis in qua tam ſplendida lux eſt perfectæ doctrinæ, qui mundi opiniones abieciſti, qui ad obtinendam cœli magnitudinem minimum te feciſti, quomodo audes te aliis præferre, honorabiliores ſedes appetere, & pro ſublimiori loco cum aliis decertare? Si minimus omnium es, omnibus te ſubmitte: ſi autem non vis omnibus te ſubiicere, nomen minimi derelinque. Nec enim decet homines fallere, & nomen ac profeſſionem operibus contrariam profiteri.

De Vndecimo gradu Humilitatis, qui eſt, ex functionibus externis abiectiora complecti.

CAPVT. XII.

DVobus modis quis humiles & abiectas functiones amplectitur; primò, quia ſentiens in ſe elationem animi, & immoderatum excellentiæ appetitum, vult illum externa humiliatione comprimere: Secundò, quia ex animo humili, & contemptore ſui, viliſſimis optat obſequiis occupari. Illud ad media aſſequendæ humilitatis pertinet, iſtud verò gradum ordine vndecimum humilitatis conſtituit. Aliud enim eſt ſtudioſè operari, vt vitium, à quo impugnaris, expugnes; aliud autē operari, vt habitu virtutis, qui expugnando vitium, eſt acquiſitus, vtaris. Illud difficile eſt, iſtud facile: illud laborioſum, iſtud ſuaue: illud eſt cum hoſte pugnare, iſtud obtentâ victoriâ gaudere: illud denique eſt virtutem comparare, iſtud, ex virtute iam habita promptè actiones eiuſdem virtutis elicere. Solent quippe ſancti viri, perfectiſſima humilitate nō tam affecti quàm poſſeſſi, ſic humilium actionum amore capi; ſic eas curioſè & diligenter aſſumere, vt ad illas ſolas nati videantur. Et ſicut de aquila dicit Iob, quia [vbi fuerit cadauer, ſtatim adeſt:] ita hi, vbi fuerit aliquod abiectum obſequium, ſtatim adſunt, & illud libentèr aſſumunt. Quid ſublimius aquila? Sed quid abiectius & fœdius cadauere? At aquila cadauera quærit, quorum carnibus ſibi & pullis ſuis cibum adminiſtret. Quid etiam ſublimius humili, qui omnia ſplendida & ſpecioſa, quæ homines amant, ſub pedibus collocat? Sed quid vilius ſeruitiis humilibus, quibus exercendis ſunt mancipia deputata? At humilis verus ad hæc inhiat, vt ſuis deſideriis ſatisfaciat, & per humiliores gradus ad ſublimiores perfectionis aſcendat. Quòd ſi aquila illa, vt Gregorius eſt meditatus, Chriſtum myſticè ſignificat, ille quidem, vbi inuenit cadauer, ſtatim adfuit, quoniam pro noſtra eruditione ad humillima obſequia ſe demiſit. A duodecimo anno vſque ad trigeſimum, cùm vitam occultam geſſit in terris, æſtimo quia non parum temporis in obſequiis humilibus inſumebat. Æſtimat & doctor egregius Bonauentura, in quo neſcio an magis ſynceriſſimam pietatem, quàm profundiſſimam ſcientiam admirer. De Saluatore enim noſtro in decurſu huius ætatis conſtituto, hæc ſcribit: Compatere Domino Ieſu, quia ipſe matrem adiuuabat, & fideliter laborabat, in his quæ poterat. Venit enim (at ipſe ait) miniſtrare, & non miniſtrari.] Nonne ergo in ponenda menſula, cubilibus aptandis, & aliis ſecretioribus domus, eam adiuuabat? Intuere ergo eum bene humilia obſequia per domum facientem.] Sic ille. Exiſtimo etiam à Domino tempore prædicationis ſuæ huiuſmodi obſequia non fuiſſe relicta, quod mihi illa verba ipſius: Venit filius hominis non miniſtrari, ſed miniſtrare,] apertè ſignificant. Nam quamuis illa præcipuè ad ſpiritualia miniſteria referātur, quibus Dominus hominum animas iuuit; ſed de obſequiis quoque corporalibus intelligenda ſunt, quibus corpora ſubleuauit. Neque vnquam ipſe opera externa humilitatis omiſit, qui venit homines edocere, quorum eſt, non tam animi ſenſa occulta introſpicere, quàm ea, quæ oculis corporalibus patent, ſpectare.

Greger.

Bon. lib. medit. c. 15.

Matt. 20. 28.

At in egreſſu ex hoc mundo ad Patrem illuſtriſſimum, præbuit horum operum humilium exemplum, & non ſine conſtanti obteſtatione, quòd illud opus præſtabat, vt nos ad actionum humilium imitationem incitaret. Quid ille fecit? [Surgit à cœna,] inquit ſacer Euangeliſta, [& ponit veſtimenta ſua, & cùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.] Animaduerte in vno facinore quanta ſint humilitatis ſtudia. Surrexit à cœna, aliis in ſua ſede & quiete manentibus, vt ipſe ſolus laborem ſubiret. Poſuit ſummam veſtem, ſiue pallium, vt more ſeruorum, in vno tantùm indumēto, non admodum longo, nec laxo, opus illud vel ipſis angelis admirandum præſtaret. Præcinxit ſe linteo, non tantùm vt tunicam, quam non depoſuit, contineret; vel vt diſcipulorum pedes detergeret, ſed vt ſeruorum quoque formam (qui apud aliquas nationes linteo cincti miniſtrant) ſicut & miniſterium aſſumeret. Miſit aquam in peluim, nec ab aliquo iuuari voluit, vt ſe in illa actione ſolum ſeruum oſtenderet, & omnium labores atque moleſtias ſolus ipſe portaret. Ac tandem cœpit lauare pedes diſcipulorum, & à Petro, Eccleſiæ capite, exordium capiens, & in Iuda proditore humillimum miniſterium perficiens, in his actionibus perſeuerantiam, à ſuis ſectatoribus tenendam, expoſuit. Voluit ergo Dominus, hoc ſtupendo humilitatis exemplo, nos ad functionum humilium exercitationem hortari: &, quod voluit, obtinuit: nam ſpirituales viri, hac mirabili actione perculſi, & ſequenti adhortatione præmoniti, libentiſſimè in humiles actiones incumbunt. Vnde Auguſtinus ſic ait. Hoc eſt, Beate Petre, quod neſciebas, quando fieri non ſinebas. Hoc tibi poſtea ſciendum promittit, quando vt ſineres, terruit te magiſter tuus, & Dominus tuus, lauans pedes tuos. Didicimus, fratres, ho-

Ioan. 13. 4 5.

Iob. 39. 30.

Auguſt. tract. 58. in Ioannem.

A militatem ab excelſo: faciamus inuicem humiles, quod humiliter fecit excelſus. Magna eſt hæc commendatio humilitatis, & faciunt ſibi hoc inuicem fratres, etiam opere ipſo viſibili, cùm ſe inuicem hoſpitio recipiunt: eſt enim apud pleroſque conſuetudo huius humilitatis vſque ad factum quod cernatur expreſſa. Vnde Apoſtolus cùm viduam bene meritam commendaret: Si hoſpitio, inquit, recepit, ſi ſanctorum pedes lauit.] Et apud ſanctos, vbicumq; hæc conſuetudo non eſt, quod manu non faciunt, corde faciunt, ſi in illorum numero ſunt, quibus dicitur in hymno Beatorum trium virorum: Benedicite ſancti & humiles corde, Domino.] Multo autem eſt melius, & ſine controuerſia verius, vt etiam manibus fiat; nec dedignetur quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianos. Cùm enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipſo vel excitatur, vel, ſi iam inerat, confirmatur ipſius humilitatis affectus. Sic ille.] Iam ergo ſancti viri, ex Chriſto didicerunt, humiles has actiones diligere, eáſque dum abeſt opportunitas, affectu complecti, dum verò adeſt, etiam opere ipſo complere.

1. Tim. 5. 10.

Dan. 3. 87

B

Id autem maximè hunc gradum humilitatis commendat, quòd Chriſtus Dominus, iam mortalitatem exutus, has eaſdem humilium actiones quodāmodo per ſe ipſum exercuit. Anima enim eius ſanctiſſima, carnis vinculis exoluta, deſcenſum in infimum mundi locum, nempe in infernum, non exhorruit, & vinctorum ibi detentorum catenas fregit, compedéſq; comminuit. Tu quoque,] ait Zacharias, ad ipſum loquens, [in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.] Et per Oſeam ipſe ait: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero, inferne.] Et per Eccleſiaſticum: Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciā omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.] Et quidem huius ſæculi reges iubent vinctos è carceribus educi, à vinculis ſolui, & ab ergaſtulis liberari: ipſi verò nec ad carcerum loca inferiora deſcendūt, nec catenas aut compedes diſſoluunt, ſed ſeruis ea facienda relinquunt. Rex Chriſtus non ita, ſed ipſe ad infima terræ loca penetrauit, ipſe vincula fregit, ipſe captiuos ab ergaſtulis eduxit. Ille eſt (vt loquit Auguſtinus) qui tenebrarum & mortis principem colligauit, legiones illius perturbauit, portarum inferni vectes ferreos confregit, omnes iuſtos, qui originali peccato adſtricti tenebātur, abſoluit, captiuos in libertatem priſtinam reuocauit; peccatorum tenebris obcæcatos ſplendida luce perfudit.] Hæc ille; qui & priùs dixerat, Chriſtum quidem mortis mortem, inferni verò morſum extitiſſe, quia in electis ſuis mortem omnino peremit, ab inferno verò partem, iuſtos ſcilicet, qui ibi tenebantur, abſtraxit. Saluator ergo noſter, in vtroque ſtatu, tam mortalitatis quàm immortalitatis, operum humilium huius generis quod tractamus, dedit exemplum. Mortalis miniſtrauit diſcipulis, & ac ſi eſſet eorum ſeruus, cibos in menſa diuiſit. Immortalis quoque eiſdem eſt obſequutus; nam cùm manifeſtauit ſe ad mare Tiberiadis, deſcendentibus è naui diſcipulis, [viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem,] quos cibos ad refectionem diſcipulorum ipſe parauerat. In quo certè opere aliquid memoria dignum ſumus meditati. Nam ſi Dominus (vt putat Chryſoſtomus) prunas, & piſcem, & panem ex nihilo creauit, opus Dei proprium, nempe creationem, & opus ſeruis relictum, nimirum ciborum præparationem, in vnam actionem coniunxit; vt diſcamus non eſſe indignum Deo exempla nobis humilitatis exhibere,

C

Zach. 9. 11.

Oſea. 13. 14.

Eccl. 24. 45.

D

Aug. ſer. 37. de tēpore.

E

Ioan. 21. 9.

Chryſoſt. hom. 86. in Ioan.

A neque alienum eſſe à magnis & ſapientibus viris, has aliquando humiles functiones libenter amplecti, & ad puſillorum exemplum vtilitatémque præſtare.

Vult ergo omnino Dominus, exemplo ſuo multipliciter exhibito, humilitatem docere, & qui ſæpe ad profectum animæ noſtræ nos humiliat, diligit vt nos ipſos humiliemus, & obtētam iam humilitatem propriis operibus augeamus. Quare Bernardus explicans illud: Qui ſe humiliat exaltabitur:] ait: Ita ne parum eſt, Domine, quòd in veritate humiliaſti nos, quia adhuc exigis, vt apponat homo humiliare ſe ipſum?] Et intrà: Quantos videmus humiliatos, ſed

Luc. 18. 14.

Bernard. ſer. in eadē verba.

B non humiles: percuſſos, ſed non dolentes: curatos quidem à Domino, ſed nec ipſa curatione ſanatos? Hi ſunt, qui ſub ſentibus eſſe delicias computant, diſſimulantes peccata, quæ actitant; lubricum in quo titubant: tenebras, quibus caligant; laqueos, inter quos ambulant; Locum afflictionis, quem inhabitāt; corpus mortis, quod geſtant; iugum graue, quod tolerant; grauiorem conſcientiam, quam occultāt; grauiſſimam ſententiam, quam expectant.] Quia ergo ad humilitatem obtinendam, non ſatis eſt ſi ab alio humiliemur, niſi etiam humiliationem acceptemus, aut potiùs humiliemus nos ipſos, ideo voluntatis

C Domini eſt, vt ſponte, humilitatis actiones ſumamus. In his autem non infimum locum habent humiles functiones, quibus nos puſillos profitemur, & aliis, quaſi maioribus, nos ſubmittimus. Quod adeo verum eſt, vt Ambroſius dicat, in his humilitatis ſecreta conſiſtere. Cognoſce, inquit, myſterium ipſum humilitatis conſiſtere in miniſterio. Ait enim: Si ego laui pedes, Dominus & magiſter, quanto magis vos debetis lauare pedes inuicem vobis? Cùm enim ipſe auctor ſalutis, per obedientiam nos redemerit, quanto magis nos ſeruuli eius, humilitatis & obedientiæ exhibere debemus obſequium? Sic ille.] Iſtas igitur actiones, humilitatis indices, Chriſti Domini noſtri voluntate probatas, & exemplo monſtratas, debemus magna deuotione ſuſcipere, & op-

Ambr. de his. qui myſteriis initiātur. c. 6.

Ioan. 13.

D portunitatem ad eas præſtandas captare. O quàm ſæpe nos ſpecioſis actionibus vltro ingerimus, &, ſi ad eas inuitemur, affectu gaudemus: ſi verò relinquamur, triſtitia tabeſcimus. Cur ſimiliter non appetimus ad actiones humiles inuitari? Cur ad auctoritatem ſpectare ducimus, obligatione eas præſtandi & exercendi carere? Certè ideo quia ſuperbi ſumus, quia oculos tantùm carnis habemus: quia humilium functionum merita ignoramus: quia præmia illis parata non agnoſcimus. In aula regia honorificum eſt imperare; in Dei aula, ſeruire. Ideóque fortaſſis paſtor Eccleſiæ ſeruum ſeruorum Dei ſe nominat, non ſolùm videlicet, quia titulum humilitatis amat, ſed quia ſeruire membris Chriſti honori-

E ficentiſſimum putat. Omnes quippe nobiliſſimis titulis inſigniri appetunt, & principem, qui ſimul comes eſt, & marchio, & dux, & rex, numquam ducem, aut comitem, ſed regem appellabis, ne, ſi aliter feceris, tamquam ſtolidus ridearis. Paſtor autem Eccleſiæ, qui rex eſt, & Pontifex ſummus, ſeruum ſe vocat, vt præſtantiſſimam rem eſſe ſeruire propter Chriſtum oſtendat.

Non eſt quidem cur has functiones humiles auerſemur, quas iuſti ante datum à Saluatore humilitatis exemplum, promptiſſimè exercuerūt. An non Abraham, angelis, quos iuuenes peregrinos exiſtimabat, miniſtrauit? An non pedes eorū lauit? Menſas, & cibos appoſuit, & coram illis comedentibus, vt abiectus ſeruus ſtetit? Ita ſanè. Afferam, inquit, pauxillū aquæ, & lauate pedes veſtros, & requieſcite

Geneſ. 18. 4. & 8.

ſub arbore.]Et poſtea: Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & poſuit coram eis; ipſe verò, ſtabat iuxta eos ſub arbore.] Seruat ſemper in bonis, inquit Auguſtinus, tenorem ſui perfectá iuſtitia. Offert peregrinis hoſpitium, qui non habet tectum, & cum ſit omni domicilio viduatus, domiciliũ quale neceſſitas procurabat, exhibuit tranſeuntibus. Et licèt illa minora fuerint, quæ offerebantur, locorùm anguſtiis magnitudinem dederat fides, quæ contemni non meruit à Deo. Diſcite, fratres, à beato Abraham hoſpites libenter accipere, pedes eorum cum humilitate & pietate lauare. Lauate (inquit) ſanctorum peregrinantium pedes, ne fortè in illis remaneat puluis, quem ad iudicium veſtrum poſſint de pedibus ſuis excutere. Et Chryſoſtomus: Sic per ſemet ipſum omnia facit, & apponit. Et neq; dignum ſemet ipſum cenſuit, qui conſideret eis, ſed, illis comedentibus, adſtabat ipſe ſub arbore. O magnitudinem hoſpitalitatis, ô humilitatis excellentiã, ô mentem oppidò piam! Adſtabat centenarius comedentibus illis. Mihi videtur tunc præ gaudio alacritatéque multa, imbecillitate ſua factus ſuperior, & robur quoddam accepiſſe. Sæpe enim conſueuit alacritas animæ, ſi quando roborata fuerit, vincere corporis imbecillitatem. Aſtitit igitur Patriarcha quaſi famulus, ſummum honorem ſuum exiſtimans, quòd præſentibus miniſtraret, & ſolaretur itineris eorum laborem. Hæc ille. Sanctus itaque Patriarcha famulorum obſequia iuuenibus deferenda humilitatis ergô ſuſcepit. Et qui tam magna copia famulorũ abundabat, vt cum vernaculis ſuis trecentis decem & octo hoſtes inſequeretur, noluit per aliquem illorum, ſed per ſe ipſum iam ſenem, atque grandæuum, ſeruire iuuenibus, & humilitatis actiones tamquam opera verè eximia ſibi ipſi demandare.

Aug. ſer. 70. de tempore.

Chryſoſt. hom. 41. in Geneſ.

Gen. 14. 14.

Nec ſolus hic pater credentium fidelis, in veteri lege exemplum dedit humilitatis nobis credẽtibus, ſed alij quoque ſimilia exempla præbuerunt. Nam & Gedeon, angelum, quem virum eſſe putabat, conuiuio excepit, & per ſe ipſum illi miniſtrauit. Coxit ille hœdum, inquit ſcriptura, & de farinæ modio azymos panes, carnéſque ponens in caniſtro, & ius carnium mittens in ollam, tulit omnia ſub quercu, & obtulit ei.] Et Abigail ad coniugium Dauidis inuitata, ſe in ancillam obtulit. Ecce, inquit, famula tua ſit in ancillam vt lauet pedes ſeruorum Domini mei.] Si quo tẽpore non erat via humilitatis à Chriſto Saluatore noſtro detrita, tanti momẽti hæc opera humilia putabantur, vt præſtantes viri ea non erubeſcerent, & nobiles fœminæ ſe ad humile miniſterium offerrent, quanto magis nunc, Chriſto Dei Filio præeunte, debemus ea libenter aſſumere, & ad vſum humilitatis præſtare? Eccleſiæ dictum eſt in Iſaia: Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi:] quoniam filiis Eccleſiæ iuſti miniſtrant, & non ſolùm eam bonorum operum exemplis tamquam muris cingunt, verùm & minis humilitatis obſequiis fouere non deſinunt. Pretioſúmque putant ſeruire filiis illius, qui Deum ſunt viſuri, & cum eo in æternũ regnaturi. Iam ergo, ô tu, qui humilitatis amore captus, eius gradus aſcendere conatus es, hunc nequaquam prætereas, ſed in eo quoque te conſtanter exerceas. Si ſtatu paruus es, paruum parua decent: ſi magnus, in magno parua hæc multùm alios ædificant, & mirum in modum ſplendent. Non credas te humilitatem obtinuiſſe, ſi abſque cauſſa hæc parua refugias, quia vera humilitas numquam in mirabilibus ambulauit, ſed modica ſemper & abiecta dilexit. Hæc virtus hominem in ſuis oculis abiectum facit; hæc omnes maiores

Iudicum. 6. 19.

1. Reg. 25. 41.

Iſaiæ 60. 10.

A & meliores agnoſcit, &, vt maioribus, promtè & ex animo illis inſeruit. Si tu ab aliis tibi miniſtrari vis, non miniſtrare, ſi operibus ſolùm magnis & ſpecioſis intendere, aut te magnum reputas, aut quæ tuam paruitatem non decent, affectas. Si magnum te reputas, cùm nihil ſis, humilis non es: ſi verò paruum te eſſe ſentiens, magna & tuas vires excedentia cupis, ſtultus es. Stultitia autem, humilitatis eſt inimica: vnde qui ſtultus agnoſceris, ab humilitate alienum te eſſe conuinceris. Quamobrem quocumque te vertas, ad humilitatis opera incitaris, & ad amorem humilium miniſteriorum impelleris. Quæ patres antiqui non horruerunt, quæ Chriſtus Dei Filius amauit; quæ viri ſancti, & eius imitatores exemplis vitæ ſuæ amanda & exercenda eſſe monſtrarunt. Non licet humilibus viam humilitatis deſerere; non licet, B quæ humiles amant, reſpuere, & propria huius ſanctæ virtutis opera, cùm ea exercere commodè poſſis, auerſari.

De Duodecimo gradu Humilitatis, qui eſt; Se omnino inutilem reputare.

CAPVT XIII.

CONSCENSIS his vndecim humilitatis gradibus, ſolet iuſtus ad duodecimum ac poſtremum peruenire, in quo, licèt ſit puritate conſpicuus, & omnium copiâ C virtutum ornatus, nec non & magnis Dei donis tum ſupernaturalibus tum naturalibus præditus, non aliter coram Deo & hominibus de ſe ſentit, quàm ſi eſſet canis mortuus & fœtidus, de ſe ad omnia prorſus inutilis. Gradus hic vt ſupremus, ac perfectiſſimus, & in culmine ſcalæ humilitatis poſitus, longè à præcedentibus differt. Nam qui illa aſſequitur, quaſi virtute præcedentis conſiderationis compulſus, ſemetipſum deſpicit, ſibi ipſi diffidit, ſe donis diuinis indignum æſtimat; ſe minimum reputat; laudari non appetit: deſpici concupiſcit, de oblato honore dolet; libenter ſuos defectus detegit: Deo & hominibus ſe ſubiicit, & humilibus functionibus gratanter intendit: at qui in hoc gradu conſtituitur, quaſi ex habitu & ſine vlla meditatione præuia, hæc omnia com- D plet, & prorſus inutilem & nullius momenti, ceu ſtirps ſterilis, aut canis mortuus, eſſe ſe ſentit. Hic iuſtus (vt nonnulli loquuntur) fundum ſuæ nihileitatis ingreditur, & quaſi abundantiâ propriæ vilitatis obruitur, & à ſua inutilitate ineptitudinéque diſcedens, perfectè non in ſe, ſed in Domino gloriatur. Hic, ſi ita loqui licet, non ſolùm intellectu credit, ſed veluti manu tangit neceſſitatem gratiæ Dei, & ſtultitiam eorum, qui ſine diuino auxilio aliquid ſe facere poſſe præſumunt, non tam rationibus euincit, quàm propriis experimentis doctus execratur. Nullum in eo inanis gloria locum reperit, quia apertè conſpicit omnem gloriam ſoli Deo, & non homini deberi. Gaudétque de manu Domini illam humilitatem accepiſſe, quæ ſibi nihil, Deo verò omne bo- E num aſcribit. Quam à Proſpero Rhegienſi legit ſcriptam, in ſuo tamen corde Dei digito inuenit exaratam. Ille ſic ait: Refutata igitur ſuperborum impia vanitate, quibus in peccatum etiam illa, quæ in eis videntur laudanda, vertuntur; nos illã humilitatem, cui virtus, & gloria Dei eſt, eligamus; ſcientes, Prophetam Dauid ceciniſſe de ſanctis: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exul-

Proſper. epiſt. ad Demetriadem.

Pſal. 88. 17. 18.

A tabunt tota die, & in tua iuſtitia exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es.] Qui & alibi pulſimè confitetur Dominum in ſanctis ſuis eſſe laudandum, dicens: *Pſ.67.36.* Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Deus Iſrael ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ.] *Ier.9.23.24.* Hinc etiam Ieremias concordat, & dicit: Hæc dicit Dominus. Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitiis ſuis; ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, intelligere, & ſcire, quia ego ſum Dominus.] Ipſe verò intellectus, & ſcire, vnde habeantur, pandũt Prouerbia Salomonis, & dicunt: *Prou.2.6.* Quoniam Dominus dat ſapientiam, & à facie eius ſcientia, & intellectus.] Vnde in Eccleſiaſte, libro ipſius, legimus quòd & corda, & opera iuſtorum in manu Dei ſint, & tantùm in ſtudiis ſuis proficiant, quantũ eos B ille prouexerit. *Eccleſ.8.17.* Quantumcumque, inquit, laborauerit homo, & quærat, non inueniet. Et quodcumque dilexit ſapiẽs, vt ſciat, non poteſt inuenire, quia vniuerſum hoc vidit cor meum: quia iuſti, & ſapientes, & operationes eorum in manu Dei. Tale eſt, quod Apoſtolus prædicat, dicens: Omne verbum bonum, & omne opus ſanctum, donũ eſt ſpiritus ſancti, ſiue [quòd nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. *1.Cor.12.3.* Et nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto.] Sic Proſper.] Hæc ergo gratiæ neceſſitas non tam intellectus quàm ſenſus; hæc vilitatis noſtræ, & diuinæ potentiæ (ſi ita fas eſſet dicere) contrectatio, hoc humanæ nihileitatis experimentum, quo homo in ſe ipſo penitus deficit, de ſe ipſo omnino diffidit, quicquid boni in ſe reperit, tamquam C alienum à ſe, Deo ſynceriſſimè tribuit, & non magis de ſe ſperat, quàm de palmite à vite ſeparato, de ligno à terra euulſo, de corpore vita priuato: eſt perfectiſſimus humilitatis gradus, quem qui tenuerit, abſque dubio poteſt dici vir humilitate perfectus. Iſte iniurioſum putabit ſibi primas ſedes appetere, quia ſe cognoſcit non ſede, ſed ſterquilinio dignum: abſurdum, honorem cupere, aut laudem aucupari, quia ſe videt vas eſſe dedecoris, & ſedem vituperij, à quo iſta tollere & illa concedere, eſſet ordinem rerum inuertere, & dignitatem, aut laudem, aut honorem ſibi delata indignè tractare.

Hos ſibi met ipſis inutiles, Deus vtiles efficit, & quia non defectionem cogitant, nec ſibi bona aſcri- D bunt, quæ per ipſos fiunt, ad admirabilium rerum patrationem aſſumit: impletúrque illud Dauidis: *Pſal.41.8* Abyſſus abyſſum inuocat in voce cataractarum tuarum.] Duæ abyſſi; altera inuocans; altera inuocata: vna trahens precibus, & gemitibus; altera, attracta. Quænã abyſſus inuocans? Non alia profectò quàm ipſe homo; in quo ſequor intellectũ Aug. ita ſcribẽtis: *Aug.ibid.* Quæ ergo abyſſus quæ inuocat abyſſum? Si profunditas eſt abyſſus, putamus non cor hominis abyſſus eſt? Quid enim eſt profundius hac abyſſo? Loqui homines poſſunt, videri poſſunt per operationem membrorum, audiri in ſermone: ſed cuius cogitatio penetratur? Cuius cor inſpicitur? Quid intus gerat, quid intus poſſit, quid intus agat, quid intus diſponat, quid intus velit, quid intus nolit, quis compre- E hendet? Puto non abſurdè intelligi abyſſum, hominem, de quo alibi dictum eſt: *Pſ.63.7.* Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.] Et quænam abyſſus inuocata? Non alia ſanè, quàm ipſe Deus. In quo habeo etiam, quem ſequar, nempe Beatum Drogonem Hoſtienſem Epiſcopum, qui ſic ait, exponens illud Geneſis: *Gen.1.2. Drog. ſer. de paſſione. Tom. 2. Biblioth.* Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.] Talis eſt anima mea (Deus meus) talis, eſt anima mea: terra eſt inanis, & vacua, inuiſibilis & incompoſita, & [tenebræ ſuper faciem abyſſi.] Veruntamen

A ait: Et [abyſſus dedit vocem ſuam:] *Habac.3 10.* & abyſſus inferior & obſcura, inuocat abyſſum, inferiorem te, qui *Pſ.41.8.* exuperas omnem ſenſum. Inuocat te, Domine, abyſſus mentis meæ, vt etiam de me nouam terram, & nouum cœlũ crees. Hoc inuocat Dauid, & nos cum Dauid inuocamus: *Pſal. 50 12.* Cor mundum crea in me, Deus; & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.] Iam aliquid ſe factum eſſe ſciebat: ſed noua creatura nouum cœlum & terram fieri ſe poſcebat.] Abyſſus itaque inuocans, eſt humana miſeria: abyſſus verò inuocata, diuina miſericordia. Vnde cùm homo plenè ſuam miſeriam intelligit, & quaſi manu affectus contrectat, tunc non veluti ſecundùm exteriorem ſpeciem, ſed in veritate inuocat Deum [qui prope eſt omnibus inuocãtibus eum in veritate] *Pſal.144.18.* & tamquam B ille, qui Deum ſibi aſſiſtentem & iuuantem habet, magna patrat. Fitque res mira, & omnibus inſpicientibus ſtupenda, vt inutilis vtiliſſima faciat, & qui ſe canem mortuum putabat, virtute agendi, leones fortiſſimos vincat. Melior eſt canis viuus, dixit Salomon, leone mortuo.] *Eccl.9.4.* Id non eſt mirum, quia cùm omnium bonorum vita initium ſit, dum hæc adeſt cani, & deeſt Leoni, illum facit pretioſiorem iſto, & vtiliorem. At mirum eſt, & verè opus Dei, quòd melior ſit canis mortuus leone viuo. Ita ſcilicet vt verus humilis, qui ſe canem mortuum, & prorſus inutilem putat, hac exiſtimatione non in puſillanimitatem cadat, ſed magna ac mirabilia opera faciat: ſuperbus verò, qui ſe de fortitudine iactat, animi puſillitate preſſus, nihil eximium moliatur, & ſi aggreſſus fue- C rit, id nequaquam perficiat.

Qui ad hunc gradum humilitatis accedunt, illud bonum aſſequuntur, vt ſciant Deum perfectiſſimè vereri, & ante eum cum affectu debitæ venerationis aſtare. Cùm enim abyſſum ſuæ vilitatis planè cognoſcant, cognoſcunt etiam maximè abyſſum maieſtatis, & magnitudinis Dei, & ideo illum perfectiſſimè venerãtur, & profundiſſima humilitate ac reuerentia illi in omnibus obſequuntur. Hi ſunt illa beata Seraphim, apud Iſaiam, præ timore ac reuerentia *Iſaia.6.2.* alis ſuis caput & pedes tegentia, quaſi non audeant Dominum intueri, nec tepiditatem ſuorũ affectuum ad Dei cõſpectum, & præſentiam adducere. Hi ſunt illæ columnæ firmæ, & ſtabiles, de quibus ſanctus D Iob ait: *Iob. 26 11.* Columnæ cœli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius.] Nam ſi cœli nomine hoc loco Eccleſia intelligitur, quid columnæ cœli, niſi iuſtos humiles deſignabunt, qui ad Eccleſiæ ornatum, & ad ſuſtentaculum dati ſunt? Illi Eccleſiam ornant: non eſt enim ornamẽtum pretioſius, aut pulchrius, quàm vir perfectus, modeſtia & humilitate veſtitus. Eccleſiam etiam ſuſtinent, quoniam qui ſibi ipſis diffidũt, & nullum bonum ſibi tribuunt, merentur potentiſſimo Dei auxilio muniri. Hi ergo, qui columnæ ſunt huius cœli, præ intima reuerentia tremunt in conſpectu eius, à quo ſe diligi & iuuari ſentiunt: quia licèt amor tremorem non affert; at cognitio propriæ indignitatis timorem inducit. Quòd ſi aliquando illis Dominus vultum ſeueriorem oſtendat; tunc pa- *Apoc. 4.10.* E uent, tunc ita ſe deiiciunt, & accuſant, ita ſe dignos omni pœna & caſtigatione fatentur, vt iterum conſolari mereantur. Hos coniector in illis ſenioribus Apocalypſeos fuiſſe ſignificatos: de quibus Ioannes ait: Procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum.] Meritò quidem perfectè humiles ſenioribus ſignati ſunt; quoniam ſi in ſenibus eſt ſapientia, & grauitas, & maturitas, has virtutes parit humilitas. Hæc enim ſectatores ſuos facit ſapientes, cùm ſciant bonorum

ſoutem agnoſcere, & Deo tanquam auctori bonorum, quicquid habent boni, tribuere. Facit & gratos, cùm non leuiter ab eo, quod ſemel cœperint, moueantur. Facit & maturos, cùm omnes cogitationes ab elatione dimoueant, & effectus à vanitate reſtringant. Horum ſeniorum non tam ætate quàm moribus, eſt adorare Deum perfectè, & ante illum, corpore & corde procumbere. Nam & coronas ſuas ſciunt mittere ante thronum Dei, quia nouerunt, merita ſua, quibus coronantur, non ſibi, ſed Deo datori gratiæ, ac meritorum, aſcribere.

Sciunt etiam veri ac perfecti humiles, grati eſſe Deo, quia nihil in ſe bonum inueniunt, quod non diuinum eſſe beneficium ſciant. Ipſum verò beneficium acceptum, & cognitū, ad gratitudinis motum, inclinat. Reuerentia (vt diximus) ex notione humanæ indignitatis, & diuinæ magnitudinis, naſcitur, at gratitudo ex notitia humanæ imbecillitatis, & diuinæ potentiæ, & miſericordiæ, in omnibus adiuuantis, exoritur. Quare Ioannes hanc gratitudinem reuerentiæ adiunxit, dum in eo loco Apocalypſeos ita proſequitur: Et dicebant,] ſcilicet illi ſeniores: [Dignus es, Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.

Apoc. 4. 11.

Primum beneficium, quod accipit homo à Deo, creatio eſt, primum, inquam, operis executione. Secūdum verò eſt, conſeruatio, qua res creata, ne in ſuum nihilum abeat, ſuſtinetur. Qui autem pro his generaliſſimis & primis beneficiis gratias agunt; qui propter hæc, gloriam Deo & honorem deferunt, ac eius fortitudinem prædicant, an ingrati aliis beneficiis exiſtent? Nullo modo. Immo ideo humiles ab ipſo beneficio creationis, quo eſſe accipiunt, gratiarum actionem ordiuntur, vt Deum omnium ſuorum bonorum fateantur auctorem. Immolant illi Deo [ſacrificium laudis] quod non ore tantùm, ſed multo magis corde perficitur: nec dicunt vt multi, verba illa, quæ gratiarum actionem ſonant, & ſibi bona, propter quæ gratias agunt, attribuūt. Sed potiùs Deo, quicquid boni operantur, aſcribunt, & ideo vox laudis & gratiarum actionis in ore ipſorum reſonat.

Pſ 49. 23.

Norunt quoque perfecti humiles, quòd quo in maiori dignitate conſtituuntur, magiſque honorantur, atque laudantur, eo ſe magis magiſque debent deſpicere. Neque enim dignitatem illam ſuam, ſed alienam putant, & honoribus ac laudibus ſe prorſus indignos exiſtimant. Vnde in dignitate poſiti, de famulis & de apparatu ad dignitatem neceſſario confunduntur, & de honoribus ſibi exhibitis erubeſcūt. Nonne faber lignarius, niſi planè ſtultus eſſet, rubore ſuffunderetur, ſi regiis indumentis ornatus, & magnatibus ac nobiliſſimis viris conſtipatus, cogeretur incedere? Ita vir humilis, quia ſimul eſt ſapiens, & ſuā vilitatem non ignorat, interiùs cōfunditur, & compungitur, quando ab hominibus honoratur. Eſt autem hic humilium pudor admirabilis, quia non eos puſillo animo facit, ſed potius in quadam animi magnitudine & ſecuritate conſtituit. Vident namque ſibi honorem, Deo ordinante, & volente, deferri, ideóque illum tamquam de manu Domini ſecuri recipiunt. Occaſionibus quoque illis, quibus imperfecti ſolent cadere, ipſi creſcunt, quia inde ſe humiliāt, atque deiiciunt, vnde illi ſuperbiunt. Iumentum profectò erat illud, quod imaginem Iſidis geſtabat, & de honoribus idolo delatis, quaſi ſibi darentur, ſuperbiebat. Cui ſcitè dictum fuit: Non tibi, ſed religioni. Quidàmque cecinit:

Alciat. 7.

A

Aſt aſinus tantum præſtari credit honorem
Sibi, & intumeſcit, admodum ſuperbiens.
Donec eum flagris compeſcens, dixit agaſo:
Non es Deus tu, Aſelle, ſed deum vehis.

At vir ſapiens, ſi idem ſimulachrum geſtaret, nullo modo ſuperbiret. Eodem prorſus modo cæcus eſt, qui ſibi ipſi fidit, qui ſe non agnoſcit, qui ob dignitatem, quam à Deo accepit, aut ob honores & laudes inflatur; humilis verò tamquam verus ſapiens, quo magis donis & laudibus effertur, eo magis præ humilitate deprimitur. Ac proinde meritò Gregorius, prælatis, & aliis in dignitate conſtitutis, iubet, vt non tam ad adiectam dignitatem, quàm ad naturæ æqualitatem attendant.

B

Gregor. 22. mor. cap. 10.

Potentibus, inquit, viris magna eſt virtus humilitatis, conſiderata æqualitas conditionis. Omnes namque homines natura æquales ſumus, ſed acceſſit diſpēſatorio ordine, vt quibuſdam prælati videamur. Si igitur hoc à mente deprimimus, quod temporaliter acceſſit, inuenimus citiùs quod naturaliter ſumus. Plerumque enim ſe animo accepta poteſtas obiicit, eúmque tumidis cogitationibus fallit. Manu ergo humillimæ conſiderationis deprimendus eſt tumor elationis. Si enim apud ſemet ipſum mens deſcendit de vertice culminis, citiùs planiciem inuenit naturalis æqualitatis. Nam, vt præfati ſumus,

C

omnes homines natura æquales genuit, ſed variante meritorum ordine, alios aliis diſpenſatio occulta poſtponit. Ipſa autem diuerſitas, quæ acceſſit ex vitio, rectè eſt diuinis iudiciis ordinata, vt quia omnis homo iter vitæ æquè non graditur, alter ab altero regatur. Sancti autem viri cùm præſunt, non in ſe, poteſtatem ordinis, ſed æqualitatem conditionis attendunt: nec præeſſe gaudent hominibus, ſed prodeſſe. Sciunt enim, quòd antiqui Patres noſtri, non tam reges hominum, quàm paſtores pecorum fuiſſe memorantur. Et cùm Noe Dominus, filiiſque eius diceret: Creſcite, & multiplicamini & implete terram,] ſubdit: Et terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ.] Non enim ait: Sit ſuper homines, qui futuri ſunt, ſed, ſit ſuper cuncta animalia

Geneſ. 9. 2.

D

terræ. Homo quippe animalibus irrationalibus, non autem cæteris hominibus naturà prælatus eſt: & idcirco ei dicitur, vt ab animalibus, & non ab homine timeatur: quia cōtra naturam ſuperbire eſt, ab æquali velle timeri. Hactenus Gregorius.]

Tandem nouerunt perfecti humiles, neminem quantumuis peccatorem deſpicere: quia ſe & reliquos ex eadem maſſa factos, ex eodem patre genitos, & ad eadem mala propenſos, non ignorant. Ideóque caſus aliorum communi imbecillitati deputant, cuius ſunt ipſi participes, & perſeuerantiam ſuam non ſibi, ſed diuinæ gratiæ tribuunt. Vidēntq; manifeſtè fieri potuiſſe, vt ſortes commutarentur, ita vt ipſi ex propria imbecillitate caderent, & alij ex

E

auxilio diuinæ gratiæ ſtarent. Sic induunt viſcera miſericordiæ cum infirmis, & peccatoribus, & illis ex corde compatiuntur, à quorum imbecillitate ſe non alienos arbitrantur. Hi ergo ſunt gradus ſanctæ humilitatis, quorum quattuor primi ad incipientes: quatuor medij ad proficientes, quatuor poſtremi ad perfectos in hac cœleſti virtute ſpectant. Qui autem illos omnes aſcenderit, verus humilis eſt, cui Deus humilium amator pro deſpicientia verum honorem, pro abſconſione, laudem; & pro humilitate ab illo perfectè comparata gloriam ſempiternam concedet.

***

PARS QVARTA,

De Effectibus, & Indiciis Humilitatis.

VENERANDVS omnium ſanctarum religionum Patriarcha Benedictus, ac ſpecialiter noſtræ Societatis Pater ſanctiſsimus, in cuius illuſtriſsimo & obſeruantiſſimo cœnobio Beatæ Mariæ montis ſerrati Beatus Pater Ignatius à militia ſæculi ad Chriſti militiam conuolauit, duodecim Humilitatis gradus, licèt alia ratione omni-

Benedictus. in reg. c. 7. *modis ſuſcipienda diſtinxit. Primus eſt, timor Dei, quo quis obliuionem tum peccatorum ſuorum, tum beneficiorum Dei omnino fugiat. Secundus: Propriæ voluntatis ac ineptorum deſideriorum cohibitio. Tertius: Prompta, qua quis implet maioris iuſſa, ſubiectio: Quartus: Pro amore obedientiæ & ſubiectionis, iniuriarum & laborum ſuſtentatio. Quintus: Malorum actuum, & cogitationum aperta confeſſio. Sextus: Propriæ vilitatis & inutilitatis certa cognitio. Septimus: Suæ inferioritatis, quam ad omnes habet, manifeſta perſuaſio. Octauus. Solicita communis regulæ ſtatutorúmque cuſtodia. Nonus: circunſpecta*

D. Tho. 22. q. 161. art. 6. *vſque ad interrogationem taciturnitas. Decimus. Rigida in riſu cohibendo: ſeueritas. Undecimus. Submiſſa ac modeſta locutio. Duodecimus. Externa in omnibus ſubmiſsionis oſtenſio. Hos gradus tractans ſanctus Thomas Aquinas, eorum quoſdam putat ad radicem humilitatis, ſcilicet ad cognitionem ſui, quoſdam ad ipſam humilitatis eſſentiam, quoſdam ad effectus, & ſigna humilitatis pertinere: Quare eos nunc effectus humilitatis vocabimus, non quia gradus non ſint huius virtutis, ſed quia eius ſunt actiones præcipuæ, & vt in nouam tractationem, quam in honorem ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti ſuſcipimus, noua quoque nomina in titulis inuehamus.*

De Caſto Humilium Timore.
CAPVT I.

DVODECIM iſti Humilitatis effectus, ſeu gradus, ſunt veluti duodecim lapides, ex quibus perfectionis fundamentum componitur, in quo omnis ſanctitatis ſtructura fundatur. Suprà enim, cum ſanctis Patribus, humilitatem fundamentum perfectionis ac virtutum, fecimus. Hoc autem fundamentum firmum & ſtabile ex his duodecim lapidibus conſtat, quos qui in imo ſiue profundo ſui cordis ſtrauerit, multum quidem laborabit, vt ſit in omni mentis puritate perfectus. Horũ ergo humilitatis effectuum primus eſt timor Dei, quià radice humilitatis proce-

D.Th, 5. dit. Nam, vt optimè Thomas aiť, radix huius virtutis eſt reuerentia, quam quis habet ad Deum: ex qua naſcitur, vt quis intellectu ſuam vilitatem agnoſcat, & appetitu ſupra proprium meritum in magna non tendat. Ex hac ergo intima reuerentia oritur ſanctus timor Dei, quo quis & Dei offenſam timet, & pœnam quoque propter offenſam infligendam metuit. Oritur quoque omnis ille comitatus ſancti timoris Dei, quem Beatus Benedictus proponit. Nam reuerentia illa pellit omnem obliuionem, facítque

A vt memores ſimus mandatorum eius, quem reueremur, & in ſummo pretio habemus, viq́; præmia propter fidelitatem expectemus, & pœnæ legem tranſgredientibus præparatæ reminiſcamur. Illa nos ab omnibus peccatis vitiiſq; cuſtodit, & cogitationem, linguam, oculos, manus, & pedes, nec non & voluntatem propriam, ac carnis deſideria cohibet, & ab omni malo, ne illi, qui per reuerentiam maximus eſt, in corde noſtro, diſpliceamus, auertit. Illa denique ad diuinam præſentiam omni hora cogitandam, & ad puritatem mentis, quam Deus ſemper intuetur, quærendam, inducit. Pulchrũ eſt igitur hoc primum humilitatis germen, quod mentem Deo ſubiicit, eorum, quæ ad ſanctam conuerſationem iuuãt, ſcilicet præmij & pœnæ, memoriam infert, à fœditate pec-

B catorum remouet, atque Dei omnia continentis præſentiam ob oculos ponit.

Eſt autem humilitas hoc modo in ſua radice conſiderata, non alicuius ſpecialis timoris, ſed omnis ſancti timoris initium. Eſt initium timoris ſeruilis, quoniam humilis ſeruum Dei ſe nominat, & vt ſeruum ſe reſpicit: quare timet, quod ſerui timent, ne ſcilicet à Domino, & hero ſuo, ob culpam pœnæ plectatur. Et verò hoc timore licèt minùs perfecto ad ſublimiſſimum filij affectum

Eccli. 25. 16. ſe præparat. Nam Eccleſiaſticus ait: Timor Do-
mini initium dilectionis eius; fidei autem initium
agglutinandum eſt ei.] Ex his enim duobus, ex ti-
more; quo pœnas pro peccatis inferendas timemus,
& ex fide, qua bene (vt decet) de diuina bonitate
confidimus, credentes dictis eius, naſcitur vt eum
ex toto corde diligamus. Sicut ſcriptum eſt in Pſal-
Pſ. 146. 11. mis: Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes
eum; & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius.]
Complacet nimirum ſibi in iis, & eos quàm gratos
habet, qui & ipſum timent, & verbis eius credentes
æternam mercedem ſperant. Alio quoque loco Da-
Pſ. 110. 10. uid ait: Initium ſapientiæ,] illius nimirum, qua gu-
ſtamus quàm ſuauis eſt Dominus, eúmque diligi-
mus, [eſt timor Domini.] Hic, inquam, ſeruilis ti-
mor, eſt initium ſapientiæ, quia præparat locum ſa-
pientiæ, & ducit ad ſapientiam, licèt non remaneat
cum ea. Sæpe namque initium alicuius dicitur ali-
quid, non quia cum eo maneat, ſed quia vt cauſſa il-
lud inducat. Vt cùm vinum dicitur initium libidinis,
non quia ſit aliquid de libidine, ſed quia ad eam pro-
uocat, & inſtigat. Et Auguſtinus hoc idem aſtruens,
1. Ioan. 4. dum exponit illud Ioannis: [Sed perfecta charitas
Auguſt. tract. 9. in 1. Ioann. foras mittit timorem,] ſic ait: Timor quaſi locum
præparat charitati. Cùm autem cœperit charitas ha-
bitare, pellitur timor, qui ei præparauit locũ. Quan-
tum enim illa creſcit, ille decreſcit; & quantum, illa
fit interior, timor pellitur foras. Maior charitas, mi-
nor timor; minor charitas, maior timor. Si autem nul-
lus timor, non eſt quà intret charitas. Sicut videmus
per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur,
ſeta priùs intrat, ſed niſi exeat non ſuccedit linum: ſic
timor primò occupat mentem, non autem ibi rema-
net timor, quia ideò intrauit, vt introduceret chari-
tatem. Hæc ille.] Qui ergo ſeruus eſt, qui ſeipſum vt
ſeruum malum deſpicit, qui vt mancipium pigrum,
& negligentiæ pleniſſimum ſe reprehendit, meritò
timet pœnam, qua ſe reputat dignum. Non ſuffi-
ceret pœnam ſcire, niſi eam ſibi exiſtimaret immine-
re. Multa quippe mala cognoſcimus, quæ non ti-
memus, quia nobis nunquam ventura putamus.
Humilis verò, quia pœnam cognoſcit, & ſe ea di-
gnum animaduertit, ideo eam imminentem cernit,
& ideo metuit. Ita tamen metuit, vt de venia non
deſperet. Scit enim quòd licèt ex ſe non habeat vn-
de pœnas euadat, habet tamen ex meritis Saluato-
ris, qui illum humilem fecit, vnde fideliter de venia
obtinenda præſumat.

Eſt etiam humilitas initium timoris mercena-
rij, quo non iam in pœnam incurrere, ſed bonis
gloriæ carere metuimus. Hoc enim famulorum
eſt, eorum videlicet, qui ob mercedem ſeruiunt, vt
timeant ex culpa, & negligentia, ſua mercede ac
præmio carere. Humilis quidem ſcit, gloriam, ſi fi-
deliter miniſtrauerit, ſibi eſſe promiſſam: ſe au-
tem ſeruum negligentem vocat, qui in obſequiis
ſuis non ad debitam menſuram ſeruitiis accedat,
quare timet ab obtentione mercedis excludi. Ali-
qua in ſe merita virtutis agnoſcit, quæ, Deo præue-
niente, ac iuuante, in lucem prodiit, ſed an ex men-
te Deo grata, & amica, prolata ſint, neſcit. Et
eſto quòd ex gratia prodierint, tamen tam viliter
de ſe ſentit, vt an ea ſit dilapidaturus, ignoret. Scri-
Matth. 10. 22. ptum eſt autem: Qui perſeuerauerit vſque in fi-
nem, hic ſaluus erit;] an ergo mercedem acceptu-
rus ſit neſcit, qui ſibi (quod ad propriam imbecilli-
tatem attinet) perſeuerantiam non promittit. Vn-
Machar. hom. 43. de Macharius ait: Sicut mercatores inter naui-
gandum, etiam ſi ventum propitium, & mare tran-
quillum nacti ſint, necdum ad portum peruenerint,

A metuunt ne quomodo repentè contrario vento ex-
citato fluctibus æſtuet mare, & nauis periclitetur: ſic
& Chriſtiani, licèt habeant in ſe flantem proſperum
ventum ſancti Spiritus, adhuc tamen formidant, ne
ventus aduerſariæ poteſtatis inſurgat, qui flet, & tem-
peſtatem, fluctúſque moueat animis eorum.] Si au-
tem hæc verba omnibus Chriſtianis conueniunt,
quanto magis veris humilibus, quorum eſt num-
quam ſibi ipſis fidere, & ex hac parte, qua ſeipſos
conſiderant, ad futura pericula trepidare.

Eſt quoque humilitas origo timoris initialis, quo
timemus Deum, non iam ſolùm ne incurramus pœ-
nam, aut ne amittamus gloriam, ſed ne lædamus per-
damúſque iuſtitiam. Quis neget humilem amato-
B rem eſſe iuſtitiæ, cuius in ſe fundamentum iecit, cu-
ius aliquam partem, nempe humilitatem acquiſiuit,
cuius gratia ſuperbiam & arrogantiam damnauit?
Timebit igitur ſuam infirmitatem, aduertens non
tantùm ne peccatis ſuis pœnam acceſſat, aut glo-
riam amandet, verùm & ne iuſtitiam virtutémque
relinquat. Iam hoc tertio timore experitur in ſe,
quod dicit Salomon: Time Deum, & recede à *Prou. 3. 7.*
malo: ſanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio
oſſium tuorum.] Hic enim timor, ex ea parte, qua
amittere iuſtitiam metuit, à malo ipſam deſtruente
recedit. Et dum malum fugit, ſanitatem vmbilici,
nimirum appetitus cohibitionem, & pinguedinem,
ac firmitatem oſſium, id eſt, fortitudinem ad tenta-
tiones ſuperandas, acquirit. Hic eſt vnus ex illis,
C [qui timent Dominum, & cuſtodiunt mandata il- *Eccli. 2. 21.*
lius, & patientiam habebunt vſque ad inſpectionem
illius.] Amor namque virtutis & iuſtitiæ facit illos
mandata ſeruare, & ad inſpectionem ac aduentum
eius reſpicere. Non tamen ſolùm iuſtitiæ deſiderio,
verùm & pœnarum timore à legum ſanctiſſimarum
fractione retrahuntur. Vnde ſubiciunt: Si pœni- *n. 22.*
tentiam non egerimus, incidemus in manus Domi-
ni, & non in manus hominum.] Quia ſcilicet vltio-
nem grauiſſimam experiemur, qua homines impo-
tentes, hoſtes ſuos punire non poſſunt, ſed ſolus Deus
potens eſt tam horrendè caſtigare. Nam horren- *Hebr. 10. 31.*
dum eſt, vt ait Paulus, incidere in manus Dei viuen-
tis, à quibus nemo eſt, qui poſſit euere.]

Eſt denique humilitas initium filialis timoris, cu-
D ius eſt culpam timere, ne patri amantiſſimo Deo diſ-
pliceamus, ne ab ſponſo amantiſſimo ſeparemur, ne
ſummo bono careamus. Timor hic pœnam non re-
ſpicit, præmij nullam rationem habet; ſed ſolam cul-
pam & offenſam, & à Deo ſeparationem horret. Ab
humilitate autem quodammodo naſcitur, quatenus
mens per humilitatem ad habendum hunc gradum
amoris diſponitur. Sicut enim humilis aptus eſt vt
ſuſcipiat charitatem erga Deum: ita & diſpoſitus eſt
vt hunc timorem ſuſcipiat comitem charitatis. Iſtum
autem timorem ſic exponit Auguſtinus, & à timore
ſeruili & mercenario diſtinguit. Et audiuimus, in- *Auguſt. tract. 9 ad 1. I. à c. 4. 18.*
quit, ex vna lingua [timor non eſt in charitate, ſed
perfecta charitas foras mittit timorem.] Audiuimus
ex alia: Timor Domini caſtus permanens in ſæculum
ſæculi. Quid eſt hoc? Quaſi diſſonant? Non. Ex-
E cute aures, intende melodiam. Non ſine cauſſa
hîc addidit, Caſtus; illic non addidit; niſi quia eſt
timor alius, qui dicitur caſtus, eſt autem alius,
qui non dicitur caſtus. Diſcernamus ergo iſtos
duos timores, & intelligemus conſonantiam tibia-
rum. Quomodo intelligimus, vel quomodo diſcer-
nimus? Attendat charitas veſtra. Sunt homines,
qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehen-
nam, ne fortè ardeant cum diabolo in igne æter-
no. Ipſe eſt timor ille, qui introducit charitatem;

ſed ſic venit, vt exeat. Si enim adhuc propter pœnas timeſ Deum, nondum amas quem ſic times. Non bona deſideras, ſed mala caues. Sed ex eo, quòd mala caues, corrigis te, & incipis bona deſiderare. Cùm bona deſiderare cœperis, erit in te timor caſtus. Quis timor caſtus? Ne amittas ipſa bona. Intendite. Aliud eſt, timere Deum, ne mittat te in gehennam cum diabolo; aliud eſt, timere Deum, ne recedat à te. Ille timor, quo times ne in ignem æternum mittaris cum diabolo, non eſt caſtus: non enim venit ex amore Dei, ſed ex timore pœnæ. Cùm autem times Deum, ne deſerat te præſentia eius, amplecteris eum, ipſo frui deſideras. Non poteſt meliùs explanari, quid interſit inter duos iſtos timores, vnum, quem foras mittit charitas; alterum caſtum, qui permanet in ſæculum ſæculi; niſi ponas duas mulieres maritatas, quarum vnam ita conſtituas volentem facere adulterium, delectari nequitia, ſed timere ne damnetur à marito. Timet maritum, ſed quia adhuc amat nequitiam, ideò timet maritum: huic non grata, ſed onerosa eſt mariti præſentia, & ſi fortè viuit nequiter, timet maritum ne veniat. Tales ſunt, qui timent, ne veniat dies iudicij. Fac alteram amare virum, debere illi caſtos amplexus, nulla ſe adulterij immunditia maculare; optat præſentiam viri. Et quomodo diſcernuntur iſti duo timores? Timet illa, timet & illa; interroga, quaſi vnum tibi reſpondent. (Interrogetur illa) Times virum? Timeo. Interroga & illam ſi timeat virum, reſpondet, Timeo. Vna vox eſt, ſed diuerſus animus. Iam ergo interrogentur, quare? Illa dicit: Timeo virum, ne veniat. Illa dicit: Timeo virum ne diſcedat. Illa dicit: Timeo, ne damnet. Illa dicit, Timeo, ne deſerat. Pone hoc in animo Chriſtianorum, & inuenies timorem, quem foras mittit charitas, & alium timorem caſtum permanentem in ſæculum ſæculi. Hactenus ille.]

Iſtum autem filialem timorem humilitate iuuari conſtat ex eo, quòd iidem ſunt effectus eius, ac perfectæ humilitatis. Audi Ephræm caſti timoris effectus explanantem. *[Ephræm de timore diuino. Tom. 1.]* Qui timorem Dei obtinet, ait, huc illùcque non euagatur animo, ſed Dominum ſuum expectat, ne fortè repentè veniat, ipſúmque negligentia torpentem & imparatum offendat, ſeparétque. Qui Deum timet, non eſt expers curæ ac ſollicitudinis; ſemper enim vigil eſt, ac ſobrius. Qui timet Dominum, immodico non eſt deditus ſomno; vigilat enim, & aduentum Domini ſui expectat. Cui timor Dei eſt, in nullo ſe negligentem præbet, ne Dominum ſuum offendat. In quo timor Dei eſt, inertiæ atque deſidię non ſe tradit: ſemper enim ſua diligenter curat, ne condemnetur à Domino. In quo eſt timor Dei, ſemper, quæ Domino ſuo placent, probat, eáque amplectitur, & perficit: vt cùm Dominus eius venerit, in multis ab eo laudetur. Plurimorum enim bonorum cauſſa eſt timor Dei, poſſidentibus illum. [Initium enim ſapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum.] *[Pſ. 110. 10.]* Et ad quem reſpiciam, inquit, niſi ad pauperculum, & māſuetum corde, & trementem ſermones meos? Hæc ſcribit Beatus hic Pater de timore Dei, ſed eadem dici poſſunt de vera humilitate. Humilis enim, catena proprię deſpicientiæ collectus, non euagatur animo in ea quæ ſibi non appetit. Nec curam ſalutis abiicit, cùm ſciat ad rem tantam conſequendam eſſe perneceſſariam. Nec ſomno torporis aut negligentiæ dormit, quia ſibimetipſi etiam vigilanti & laboranti diffidit. Ea, quæ Deo ſunt placita, probat, quia à ſua vilitate ea examinari aut diſcuti, admodum inuerecundum putat. Vnde ſi tam cognata ſunt timor Domini caſtus, & vera mentis humilitas, mirum videri non debet, ſi humilitas timori caſto præbeat initium.

A

Sicut autem humilitas omnem ſanctum timorem infert; ita etiam omnem inordinatum timorem aut moderatur, aut pellit. Eſt in nobis naturalis timor, quo naturaliter timemus mortem, morbum, & dolorem, & alia nocumenta naturæ? Sed hunc moderatur humilitas, quæ corporis vilitatem agnoſcens, non putat propter bonum eius virtutem eſſe deſerendam, aut iuſtitiam extenuandam. Inſurgit timor humanus, quo propter carnis pericula ad patrandum malum prouocamur? At hunc humilitas abiicit, quia propter bonum cineris, & ſtercoris, bonum animæ nobiliſſimæ, & immortalis non deſerit. Inſurgit tandem timor mundanus, quo propter bona temporalia cuſtodienda bonis ſpiritualibus valedicimus? Sed hunc etiam vera humilitas relegat; nam cùm honores, dignitates, & mundi ſpecioſa contemnat, abſurdum putat horum cauſsâ ſpiritualia bona ſibi deſiderabilia relinquere. Nobilis ergo, & præſtans virtus eſt humilitas, quæ immoderatum timorem abiicit, & caſtum ac ſalutarem in iuſtorum humilium animabus progignit.

B

Nos autem, qui humilitati ſtudemus, toto corde quæramus ſanctum timorem Dei: tot enim tantáque ſunt bona eius, vt intentiſſimis ſint conatibus appetenda. Timor Dei reliqua bona complet, & perficit, ſine quo inutilia ſunt & imperfecta. [Quàm magnus, qui inuenit ſapientiam, & ſcientiam! ſed non eſt ſuper timentem Dominum. Timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit. Beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Dei.] *[Eccli. 25. 13. 14. 15.]* Magnus quidem eſt, qui acquiſiuit ſapientiam, qua poſſit alios cœleſtia & diuina docere. Magnus item, qui comparauit ſcientiam, qua poſſit de agendis & omittendis proximos erudire. Sed multò maior eſt, qui Deum timere didicit, & à verbis eius trepidare. Huiuſmodi timor ſapientiæ ac ſcientiæ præſtat, & ſicut operculum vaſis, aut potiùs ſicut caput corporis, vtriuſque complementum exiſtit; quia ſi à timore ſancto, à ſapientia, & ſcientia diſcedant, ſæpe ob amorem terrenorum non audebunt, quæ oportebat, declarare. Hic planè ſuum poſſeſſorem beatum facit, quoniam aut veram iuſtitiam comitem habet, ſi perfectus ſit, aut ſi imperfectus, iuſtitiam ſanctitatémque introducit. [Timor Domini principium eſt ſapientiæ,] *[Prouerb. 1.7.]* non tantùm illius, qua bona cognoſcimus, ſed qua ad bonum cognitum diligendum afficimur. Eſt, inquam, vt Thomas ait, *[D Thom. 2.2 q.19. ar.7.]* timor Domini, vnde vera ſapientia incipit operari. Quæ facit vt recedamus à malo primò timore pœnæ, quod ad timorem ſeruilem pertinet; & poſtea vt nos ſubiiciamus, & teneamur Deum amore iuſtitiæ, & propter ipſum Deum, quod proprium eſt filialis timoris. Timor Dei eſt origo noſtræ ſalutis, cuius eſt nos aut propter pœnam, aut propter offenſam à malo retrahere, & ad bonum incitare. Quare Iſaias ait: *[Iſaiæ 8. 13.14.]* Dominum exercituum ipſum ſanctificate: ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter. Erit vobis in ſanctificationem.] Et Ioſue ad filios Iſraël ita loquutus eſt: *[Ioſue 24. 14.]* Nunc ergo timete Dominum, & ſeruite ei perfecto corde, atque veriſſimo.] Ac ſi diceret: Si timueritis, perfecto corde ſeruietis, & ſalutem conſequemini. Ac Caſſianus ait: *[Caſſian. 4. de inſtit. c.39.]* Principium noſtræ ſalutis, eiuſdémque cuſtodia, timor Domini eſt. Per hunc enim & initium conuerſionis, & vitiorum purgatio, & virtutum cuſtodia, his qui imbuuntur ad viam perfectionis acquiritur. Qui cùm penetrauerit hominis mentem, contemptum ei rerum omnium parit, obliuionem parentum,

C D E

c. 35. tum, mundíque ipſius gignit horrorem. Sic ille.] Qui & ſuprà dixerat crucem noſtram timorem Domini eſſe. Nam ſicut crux ſibi affixum ligatum tenet, ne aliquò eat: ita ſanctus timor iuſtum ad mala atque illicita abire non ſinit.

Timor Domini eſt ianua vitæ perfectæ. Hic enim ſæculum viris ac fæminis ſpoliat, & deſerta ac cœnobia religioſis implet, & facit vitam ab omnibus rebus ſæcularibus abhorrentem amplecti. Ideóque *Eccl. 21. 7.* vox ſapientis eſt: Qui timet Deum, conuertetur ad cor ſuum:] vt ſcilicet ſua peccata recogitet, pro his doleat, & à multis occaſionibus delinquendi, quæ *Eccl. 2. 20.* ſunt in mundo, diſcedat. Et rurſus: Qui timẽt Dominum, præparabunt corda ſua, id eſt, conſecrabunt ſe ad ſeruiendũ Domino, & in conſpectu illius poſiti, & à terrenis elongati, ſanctificabunt animas ſuas. *Bern. ſer. de 2. domis. c. 1.* Ac Bernardus pulchre ait: Connexa ſunt timor, & religio, nec manere poteſt alterũ abſq; altero. Vnde *Actor. 10.* Cornelius vir religioſus, ac timens Deũ, & Simeon *Luc. 2.* iuſtus, ac timoratus. Vnde Salomon: Deũ, inquit, ti- *Eccl. 12. 13.* me, & mandata eius obſerua.] Et licèt multi amore incitentur ad amplectendã vitam perfectã, ſed præceſſit timor, qui amori aditum præparauit, & quaſi ianuã aperuit. Quare & timor Domini vocari poteſt primus lapis ſpiritualis ædificij, quo ſublato vniuerſa ad perfectionẽ ſpectantia corruũt, & peſſum eũt. *Eccl. 27. 4.* Audi an id dicat Eccleſiaſticus: Si non in timore Domini tenueris te inſtãter, citò ſubuertetur domus tua.] Extrues domum conſcientiæ tuę non ſupra firmã petram, ſed ſuper arenam, atq; adeo quacumque *Bern. ſuprà.* tempeſtate irruente corruet, & labor omnis ſolicitudóque peribit. Omne namque virtutum ædificium, inquit Bernardus, illico vergit in præcipitium, ſi huius gratiæ amiſerit præſidium.] Et Paulus *Philipp. 2. 12.* ait: Cum metu, & tremore veſtram ſalutẽ operamini. Nam ſi abſque timore virtutibus acquirendis intendimus, citò per ſuperbiam in præceps cademus.

Poteſt denique vocari timor fons omniũ ſpiritua- *Eccl. 15. 1* lium bonorum: Sapiens enim ait: Qui timet Deum, faciet bona, & qui continens eſt iuſtitię, apprehẽdet illam.] Qui, inquam, in timore Domini fuerit radicatus, is ab ipſo timore ſolicitabitur, ne otioſus, & deſes maneat, ſed iugiter in ſanctas actiones incumbat. Qui autẽ per exercitationem bonorum operum iuſtitiam ac virtutem apprehenderit, is ſapientiam quoque, & Dei ſapidã notitiam, apprehẽdet. Quare timor ad omnia bona, quæ ad actionẽ & contemplationem pertinent, ſuã dominationẽ extendit. Quod *Bern. ſuprà.* & idem ſanctus Pater Bernardus manifeſtè teſtatur, dicens: Prima gratia eſt timor Domini. Qui hãc habet gratiam, omnem odit iniquitatem, iuxta illud *Pſal. 118. 163.* Pſalmiſtæ: Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum.] Et alio loco: Omnem viã iniquitatis odio habui. Scriptũ namque eſt: [Timor Domini odit ma- *Prou. 8. 13. & 3. 7.* lum.] Et itẽ: Time Deũ, & recede à malo. Et de Iob *Iob. 1. 1.* dicitur: Vir timens Deum, & recedens à malo.] Sine hac gratia prima gratiarum, quæ totius religionis exordiũ eſt, nullum bonũ pullulare, vel manare poteſt. Sicut enim ſecuritas, vel deſidia, cauſſa eſt, & mater omniũ delictorũ: ſic timor Domini radix eſt, & cuſtos omniũ bonorum.] Ne igitur tam pretioſa dona perdamus, Deus nobis timẽdus eſt, Ad quem timorẽ, ô humilitatis amator, inducet te, tũ acerbitas pœnarum Deũ non timentibus deſtinata, de qui- *Deut. 32. 23.* bus ait Dominus: Cõgregabo ſuper eos mala (quæ mala? Omnia mala) & ſagittas meas complebo in eis.] Tum immenſitas præmiorũ timẽtibus Deum *Pſal. 30. 20.* præparata. Quàm magna enim multitudo dulcedinis tuę, Domine, quã abſcondiſti timẽtibus te!] Tũ *Iob. 24. 12.* magnitudo diuinæ iuſtitiæ nullũ peccatũ impunitum relinquentis. Quia Deus [multum abire non patitur.] Tũ denique claritas diuinæ ſapientiæ, quæ non ſolùm [videt ea, quæ parent, ſed etiam intuetur cor.] *1. Reg. 16. 7.* Illum metue, qui in æternũ punit, & præmiat. Illum metue, qui nec amore, nec odio, nec minis, nec donis à iuſtitiæ rigore declinat. Illum metue, à cuius oculis nihil, quantumuis ſecretum, vales abſcondere, & cui certum eſt omnia deſideria & cogitationes tuas eſſe manifeſtas, ipſúmque non poſſe aliquod malum probare. In hoc autem timore, tanquam in effectu humilitatis, te huius virtutis amatorem oſtende.

De Sollicita Humilium ſui abnegatione.

CAPVT II.

NVnc ſecundum effectum humilitatis exponamus, quo vir humilis ſuã abnegat voluntatem, & deſideriis ſuis reluctatur, ne- *Suprà li. 2. P. 3. c.* que illa conatur implere. De hac verò abnegatione propriæ volũtatis, & immoderatorũ deſideriorum, multa iam diximus; vnde hoc loco ſolùm quomodo abnegatio oriatur ex humilitate, dicamus. Superbia eſt immoderatus appetitus propriæ excellentiæ, ex quo profectò naſcitur, vt ſuperbi, qui nemini ſubiici patiuntur, ſuam quærant explere voluntatem, & ſua deſideria perficere. Eſt enim magna excellentia, vt quis in his, quæ vult, & cupit, à nullo dependeat; ſed ſit pro ratione voluntas; & ſtatim atque aliquid vult, ſine vlla contradictione illud expleat. Non obſcurè id ex ſuperbi Nabuchodonoſoris hiſtoria colligitur. Hic priùs Dei reuerentiam, & cultum præripere cogitauit, deinde voluit, & concupiuit, & ſtatim ſine vlla mora ad opus perducere conatus eſt. Fecitq; ſtatuã aureã, & cõuocauit ſatrapas, *Dan. 3. 1. 2.* magiſtratus, & iudices, duces, & tyrannos, & præfectos, omnéſq; principes regionum] vt ſtatuæ ſuæ diuinos honores tribuerent. Idẽ quoq; rex vidit ſomniũ, & cùm expergiſceretur, ſuæque phãtaſiæ eſſet oblitus, inſomnij tũ memoriam, tum interpretationem cõcupiuit. Statímq; vocauit ariolos, atq; male- *Dan. 3. 3.* ficos, dixitq; illis: Sermo receſſit à me, niſi indicaueritis mihi ſomniũ, & cõiecturam eius, peribitis & vos, & domus veſtrę publicabuntur.] Superbia huic regi (erat enim admodum ſuperbus) tãtum explendæ propriæ voluntatis deſiderium immiſit; quia propriæ excellẽtiæ appetitus homines facit ſuæ voluntatis amatores, & ſuorum deſideriorum exacto- res diligẽtiſſimos. Cunctis diebus ſuis, inquit Iob, *Iob. 15. 20* impius ſuperbit, & numerus annorum incertus eſt tyrannidis eius. Amorem propriæ voluntatis in ſuperbis reſidentem notat. Nam primo impij ſuperbiũt, ſuam immoderatè excellentiã appetunt, ſuper alios efferũtur, deinde tyrannidem exercent, alióſque ad ſuã voluntatem explendã adigunt, & ad ſua deſideria executioni mandanda licèt ſint ineptiſſima, minis & terroribus venire cõpellunt. Sed oſtendunt ſe nõ minùs ſtultitia quàm ſuperbia delinquere; quia ſtultiſſimum eſt in tam breui atque incerto annorum curriculo iniuſtè agere, alios per violentiam opprimere, & nullam reddendæ rationis recordationem habere. Nec mirum quòd omnis ſuperbus tyrannidẽ exercere dicatur; quoniã qui exteriùs non poteſt alios per vim ad ſuã voluntatem pertrahere, ſaltem interiùs per deſiderium explet. Et, vt dixit in eundẽ locum Gregorius: Nonnunquam alius in re- *Greg. 12. mor. c. 20.* publica, hoc eſt, per acceptam dignitatis potentiam: alius in prouincia, alius in ciuitate, alius in domo propria, & alius per nequitiam, hoc exercet apud ſe in cogitatione ſua.

Sicut ergo propriæ excellentiæ appetitus propriam voluntatem in omnibus perficit: ita propriæ excellentiæ contemptus, hominis propriam voluntatem comprimit, eam nimirum, quæ non eſt Deo prælatiſque communis, & inepta deſideria ſubuertit. Atque adeo humilitas, quæ eſt, omnis propriæ excellentiæ contemptus, immoderatam hominis voluntatem, & inania deſideria cohibet, & alterius voluntatem actione implere concupiſcit. Sic humilitatis magiſter non ſuam, ſed Patris voluntatem implere geſtiuit. Qui ait: *Ioan.5.10* Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatẽ eius qui miſit me.] Et alio loco: *Ioan. 6. 38.* Deſcendi de cælo, non vt faciã voluntatem meã, ſed volũtatem eius qui miſit me.] Filius, inquit *Aug. in Ioã. trac. 20.* Auguſtinus, non quærit voluntatem ſuam, ſed voluntatem eius, qui miſit illum: non meam, non propriam: non meam, non filij hominis: non meam, quæ reſiſtat Deo. Faciunt enim homines voluntatem ſuam, non Dei, quando faciunt quod volunt, non quod iubet Deus. Quando autem ita faciunt, quod volunt, vt tamen ſequantur voluntatem Dei, non faciunt voluntatem ſuam, quamuis quod volunt faciant. Volens fac quod iuberis, atque ita & hoc facies, quod vis, & non voluntatem tuam facies, ſed voluntatem iubentis.]

Sic & præcipua humilitatis diſcipula non ſuam, ſed Dei amplexata eſt voluntatem. Ecce, inquit, *Luc.1.38.* ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.] Audio verbum tuum, ô Angele Dei, quod de Verbo Dei à me concipiendo, ac carne velando, mihi factum eſt. Priùs ſilui, & circunſpectè me habui, vt qualitatem tuæ ſalutationis agnoſcerem. Poſtea quodammodo reſtiti, dum filij Dei conceptionem offerenti, meam virginitatem voto firmatam oppoſui. Sed quia conceptio hæc non adimit, immò auget puritatem, & quia perfectio, ac ſanctitas ſumma, quæ meam perſonam decet, id poſtulat, vt non meam, ſed Patris æterni amplectar voluntatem, fiat mihi ſecundùm verbum tuum, quod Dei voluntatem decretúmque patefacit. Reſpondit Maria, inquit Laurentius Iuſtinianus, quod obtemperanti congruebat, humiliter. *Iuſt. ſer. de Annunciat.* Neque enim propter humilitatis affectum, obedientiam, nec vt obediret alacriter, humilitatis decuit præterire cenſuram. Vtriuſque igitur virtutis conſtituta in medio, demiſſo inquit eloquio: Ecce ancilla Domini;] diuino paratiſſima famulari imperio. Non tenuit gratiam, non contradicit oraculo, non vltra exigit informari de modo. Ecce ſe offert, ſe ſubijcit, ſe proſternit altiſſimo, non filiam, non ſponſam, non facturam, ſed Domini ſe fatetur ancillam. Quamobrem vt ad ſui gloriam, ſuæque dignationis myſterium, ad libitum corpuſculi huius vti valeat inſtrumento, inquit: Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.] (videlicet) prolatum à te. Fiat, inquit, mihi, vt concipiam ſine ſemine, pariam ſine dolore, permaneámq; virgo abſque pudore, ſecundùm verbum illud, per quod Pater [cælum creauit, & terram.] *Gen. 1.1. Ioan.1.4. 12.* Dixítque vt [fieret lux, & facta eſt,] ſecundùm verbum illud dico, quod [in principio apud Deum erat Deus,] per quod facta ſunt omnia, & ſine ipſa nihil.] Hæc ille.

Sic & ſancti ac perfecti omnes, qui eo ipſo quòd perfecti ſunt humiles, non ſuam ſed Domini cupiũt voluntatem implere. Quorum vox eſt, non tantùm ore prolata, ſed deſiderio quoque & actione præſtita: *Matt.26. 42.* Fiat voluntas tua:] non noſtra, inquiunt ſancti, fiat voluntas, ea ſcilicet quam ex noſtra natura corrupta habemus, quæ peruerſa eſt; ſed tua voluntas fiat, quæ recta & ſalutaris nobis eſt. Si autem vis co-

A gnoſcere quam voluntatem Dei in te ores, & optes, audi Cyprianum hanc Dei voluntatẽm elegantiſſimè explicantem. Sic enim ait: *Cypr. de oratione Dominica.* Voluntas autem Dei eſt, quam Chriſtus & fecit, & docuit. Humilitas in conuerſatione, ſtabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iuſtitia, in operibus miſericordia, in moribus diſciplina, iniuriam facere non noſſe, & factam poſſe tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quòd Pater eſt; timere quòd Deus eſt: Chriſto nihil omnino præponere, quia nec nobis quicquam ille præpoſuit; charitati eius inſeparabiliter adhærere; cruci eius fortiter ac fidenter aſſiſtere: quando de eius nomine, & honore certamen eſt, exhibere in ſermone conſtantiam, qua confitemur: in quæſtione fiduciam, qua congredimur: in morte patientiam, qua coronamur: hoc eſt,

B cohæredem Chriſti eſſe velle, hoc eſt, præceptum Dei facere; hoc eſt, voluntatem Patris adimplere. Sic ille.] Humilitas itaque in omnibus hoc facit, vt propriam deſerant, & alterius faciant voluntatem. Quare qui ſuæ ſunt voluntatis amatores, & ſuorum deſideriorum ſectatores nimij, teſtes ſibimetipſis eſſe poſſunt, quòd minimè verã humilitatẽ quæſierint.

Iure autem humiles propriam voluntatem damnant, & fugiunt, quam omnium malorum ſeminarium eſſe ſciunt. Voluntas propria aufert ab anima ſummum bonum, nimirum Deum: qui, atteſtatore Bernardo, non dabit inobedienti copiam ſui, cùm in tantum filius eius voluntatis diuinæ amator fuerit, vt potiùs mori quàm hanc voluntatem

C diuinam præterire voluerit. Hæc ſubtrahit ab homine beneficia Dei. Nam ab eius beneficiis erit extraneus, vt Gregorius attigit, *Greg.* qui eiuſdem præceptis noluerit eſſe ſubiectus. Hæc merita euacuat. Vnde quærentibus Iſraëlitis, quare Dominus ieiunia eorum non aſpexerit, & afflictionem eorum approbationis ſcientia neſcierit, reſponſum eſt illis: Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra:] *Iſa.58.3.* quaſi hæc ieiunia fœdauerit, & ſuſceptam corporis caſtigationem infecerit. Hæc hominem maledictioni ſubijcit: dicitúrque ei in Deuteronomio: *Deut.28. 15.* Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt cuſtodias, & facias omnia mandata eius, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ; & apprehendent te.] Hæc amatorem ſuum à dignitate

D deijcit, ſicut deiecit Saul, cui comminatus eſt Samuel: Pro eo quòd abieciſti ſermonem Domini, *1.Reg.15. 23.* tuam voluntatem ſequendo, abiecit te Dominus ne ſis rex.] Hæc hominem pudore afficit. Confundetur namque Iſraël in voluntate ſua,] inquit Oſeas, *Oſee.10. 6.* ex eo nimirum quòd voluntate Domini prætermiſſa, ſequitur conſilium ſuum: Hæc inimica eſt Deo; odit enim ille quicquid ſuæ voluntati repugnat. Aduerſatur autem voluntati Dei, propria voluntas hominis: ideo enim propria eſt, quia Deo & homini communis non eſt. Hæc contraria eſt perfectioni religioſæ vitæ; quia ſicut dixit Euſebius Emiſſenus: *Euſeb.* Illum diem tantùm te bene vixiſſe puta, in quo voluntatem propriam abnegaſti, & deſideriis tuis reſtitiſti. Hæc tandem hominem dignum morte efficit.

E Quoniam qui ſuperbierit, *Deut.17. 12.* nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino, & decreto iudicis, morietur homo ille.] His ita ſe habẽtibus, meritò Anſelmus propriæ voluntati omnia vitia ſeruire ait. Qui & eam confert cum quadam regina adultera, impias ſoboles procreanre. *Anſel.li. de ſimilit. c.39.* Propria voluntas, inquit, eſt velut quędã adultera regina, quæ ſe cuidã regi adultero cõiunxit, ex quo etiã tres filios habuit. Ex his verò tribus tot alij filij, & nepotes geniti: itáq; multiplicati ſunt,

vt numerari non poſſint. Rex iſte diabolus eſt, cui poſtquam ſe propria voluntas iunxerit, ex illius ſemine, id eſt, peruerſa ſuggeſtione, tria principaliter vitia, ſcilicet delectationem, extollentiam, & curioſitatem concipit, & per quinque corporis ſenſus vel vt ea pariens, emittit. Ex his verò tribus tot alia vitia naſcuntur, ſicque implicantur, vt abſque numero habeantur. Omnia verò ex familia diaboli propriæque voluntatis exiſtunt: & ex ſeipſis quandam admirandam multitudinem reddunt.] Hæc ille, multis omiſſis.

Tu ergo, ô homo Dei, qui humilitatis es cultor, qui non quamcumque iam humilitatem, ſed robuſtam ac perfectam exquiris, in hoc adeptam iam humilitatem exerce, vt propriam voluntatem deſeras, & per abnegationem eius, ad faſtigium illius, quam cupis, perfectæ humilitatis accedas. Concede libellum repudij propriæ voluntati tuæ, quæ fœda, & impura, & adultera eſt, vt diuinæ voluntati ſponſæ puriſſimæ & ſanctiſſimæ coniungaris. Immo, qui iam vitam religioſam ſectandam accepiſti, quæ hoſtis eſt propriæ voluntatis, ne hanc tecum aduehas, cũ qua quietem in ſtatu, quem aſſumpſiſti, habere non poteris. Et non ſolùm quietem non habebis, verùm nec conuerſationem tuo ſtatui conformem: argueriſque furti, qui propriam voluntatem repetis, quam Deo mactandam obtuliſti. Quare Richardus Victorinus per vitulum Libani, ad cuius ſimilitudinem Dominus comminuit cedros Libani, propriam voluntatem intelligens, ſic ait: Væ vobis, qui confiditis in vitulo Samariæ: qui tanto ſtudio ſeruitis voluntati propriæ. In Iudæam veniſtis; vt quid ad Samariam deſcendiſtis propriam voluntatem cuſtodientes, & excuſantes? An neſcitis quia [Iudæi non coutuntur Samaritanis?] Priùs à ſæculo venientes, proprias volontates veſtras confitentes damnabatis; nunc ab illo priore feruore deficientes, proprias voluntates quæritis, cuſtoditis, defenditis. Sic, ſic de Iudæis Samaritani facti eſtis. In Iudæa vitulis propriæ libertatis Domino mactatur, in Samaria pro Deo adoratur. Si in Iudæa es, vitulum in ſacrificio Domini interficis: Si in Samaria es, vitulo tuo omnibus viribus tuis ſeruis. Si carnis curam in deſideriis agis, vitulum tuum de fœno paſcis, quia omnis caro fœnum: & omnis gloria eius quaſi flos fœni. In hoc gloriaris ſi deſideria tua perficis. Non eſt bona gloriatio tua. Nonne multo melius, nonne multo rectius, vt qui gloriatur, in Domino glorietur? An neſcitis quia hæc eſt gloria noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ? Sed mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedẽtis fœnum. Hæc ille.] Iam ergo in ſtatum religioſum admiſſi, & deſiderio humilitatis accenſi, ne ad ſæculum reuertamur, & iterum aditum ſuperbiæ paremus. Ad ſæculum enim reuertitur conuerſatione ſua, qui diuinam voluntatem præterit, & ſuam voluntatem diuinæ aduerſantem adimplet. Superbiæ quoque aditum pandit, qui dum propriam voluntatem amplectitur, eo ipſo ſubiectionis inimicus, & propriæ excellentiæ (quod ſuperbotum eſt) amator efficitur.

Richar. ad Pſal. 28.

Ioh. 4. 9.

At cupis ſcire quomodo propriam voluntatem cohibebis? Sed priùs quàm ad ſuperiora te remittã, idem venerabilis Richardus modum cohibendi voluntatem edoceat. Sed quid fiet, quæſo, inquit, de carnibus huius vituli, quoniam nec ſaltem placere poteſt vitulus Libani, niſi fortè diligenter comminuatur, quemadmodum decet victimam holocauſti? Sed quonam (inquis) modo illum prominui oportet? Hoc te Moyſes, quàm ego, melius docet: Priùs illum iubet per fruſta diuidere, poſtea ſuppoſitum flammis in cinerem redigere. Quomodo, quæſo, illum ſubtiliùs vnquam comminuimus, quàm cùm priùs per fruſta diuiſum, per ignem poſtea in tenuem puluerem redigimus? Vitulus noſter in Libano paſcitur, ſi voluntatem noſtram non niſi in rebus honeſtis ſequimur. Vitulum noſtrum mactamus, cùm obedientiæ amore omnem ſingularitatem abdicamus. Vitulum autem noſtrum ſecare, eſt de præſumpta libertate mentem increpare. Sed hunc vſque ad fruſta diuidit, qui quæque ſingularitatis ſuæ opera diligenter diſtinguit; & ſe in ſingulis de præſumptionis audacia reprehendit. Cum autem nihil ampliùs ſupereſt, niſi vt igne compunctionis, vel flamma diuinæ dilectionis eò vſque concremetur, quouſque omnis huius arrogantiæ voluntas ſopiatur: De huiuſcemodi holocauſto quaſi quidam adhuc cogitationum cinis remanet, qui omnino à noſtra recordatione perire non debet. Quia vtiliter ſatis ſuas quiſque præſumptiones reminiſcitur, quando in earum recordatione conſcientia humiliata cõfunditur.] Hæc omnia Richardus, quæ ſeruiunt cohibendæ voluntati. Sed ex his, quæ ſuprà diximus, ſatis claret quomodo ſit cohibenda propria voluntas. Si nimirum mala, ad quæ ſola noſtra voluntas inhiat, & quibus Dei ac prælatorum voluntas contradicit, grauiter fugiamus. Si opera media non ob commoditatem noſtram, ſed propter Deum actuali intentione faciamus. Si opera bona atque ſtudioſa, non tam vt gloriam adipiſcamur, aut vt in virtute creſcamus, quàm vt Dei beneplacito nos conformemus, ac pro eius gloria exerceamus. Si horum operum, ad inſtinctum Dei, aut vocem prælati, quædam pro aliis facilè committremus. Si bonum commune particulari præferamus. Si magis ſubeſſe, & alieno ductu quàm noſtro conſilio viuere parati ſimus. Si denique non ſtatim atque aliquid volumus, licèt bonum ſit, in illud præcipites feramur, ſed ratione & conſilio examinatum, non ſine animi tranquillitate ſuo tempore & loco executioni mandemus.] Hæc propriam voluntatem fugant, quæ excidium vitæ ſpiritualis eſſe ſolet, & diuinam voluntatem nos docent exequi, qua profectò ſuſtentamur, & paſcimur. Diuina voluntas fuit cibus Chriſti filij Dei. Meus, inquit, cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris.] Cibus enim eſt animarum ſanctarum. Cibus vtique, ait Bernardus, ſed cibus cordis. Quid enim æquè confirmat & corroborat cor humanum, quid ita in omni neceſſitate confortat, & ſuſtentat, vt diuinæ voluntatis executio, velut in quendam animæ ventrem, conſcientiam ſcilicet eius, ingeſta?] Hoc igitur cibo nos reficiamus, &, ſi humiles, aut humilitatis ſectatores ſumus, hunc huius virtutis effectum habere conemur.

Richar. ibid.

Ioa. 4. 34

Bern ſer. 3. in ramis.

De Promptiſſima Humilium ad alios ſubiectione.

CAPVT III.

SEQVITVR tertius humilitatis effectus, nempe ſubiectio, ſiue obedientia, quæ etiam ab ipſa ſubſtantia humilitatis emanat. Nam virtus hæc, quæ appetitum immoderatum propriæ excellentię comprimit, & qua homo ſeipſum ſpernit, & minimum omnium iudicat, illum inducit, vt prælatis libenter obediat, ac præceptis eorum ſe ſubmittat. Paulus ſanè manifeſtè docet, obedientiam

Philipp. 2.8. ab humilitate procedere, dum de redemptore noſtro ait: Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem.] In quonam ſe humiliauit Chriſtus, ô ſancte Apoſtole? In eo quòd obediuit, quòd Patris præceptum de ſuſtinenda morte compleuit. Humilitas eius obedientiam pepetit, ſubiectionem generauit, mandati impoſiti impletionem exquiſiuit. Si enim Dominus non fuiſſet humilis, quod apertè fuit impoſſibile, quod ſibi iuſſum erat, dedignaretur exequi: quia tamen humillimus extitit, ideo obedientiſſimus fuit, & non cuicumque præcepto, ſed acerbiſſimo mortis obeundæ, ſe ſubiecit. Quin & ex humilitate ortum habuit, vt non ſolùm morti, ſed & cæteris laboribus mortalitatis ſe ſubdiderit; vt ſciamus, vnam humilitatem multas ac præclariſſimas obedientias procreare. Egregiè id docuit *Aug. ſer. de S. Laurentio 10.* Auguſtinus, cùm dixit: Humiliauit ſe Chriſtus: habes Chriſtiane quod teneas. Chriſtus factus eſt obediēs. Quid ſuperbis? Quouſque factus eſt obediens Chriſtus? Vſque ad incarnationem Verbi, vſque ad participationem mortalitatis humanæ, vſque ad trinam diaboli tentationem, vſque ad irriſionem populi Iudæorum, vſque ad ſputa & vincula, vſque ad alapas, & flagella; ſi parum eſt, vſque ad mortem. Et ſi adhuc etiam aliquid de genere mortis addendum eſt, mortem autem crucis.] Superbia quidem inobedientiam generat, quod & in primo hominū parente, & in Angelo illo, qui de cælo cecidit, perſpicuum eſt. Ille indebitam excellentiam appetiuit, & propterea pomum vetitum guſtauit, mandatúmque præteriit. Iſte ex accepta perfectione elatus eſt, & propterea noluit Deo ſe ſubiicere, ſed repugnātecreatoris voluntate, in ſolium ſibi non præparatū aſcendere. Quod iſtud ſolium fuerit, non eſt noſtrum nunc inueſtigare. Satis ſit ſcire, vt Bernardus ait: *Bern. tra. de gradib. humil. grad. 1.* Nec Aquilonem corporalem, cùm eſſet ſpiritus, nec ſedem appetiuiſſe materialem, ſed excellentiam aliquam cupiuiſſe, contra id, quod fuerat à diuina prouidentia decretum. Ergo ſi ſuperbia inobedientiam parit, humilitas illi oppoſita ad obedientiam & ſubiectionem inducet. Eliab profectò, frater Dauidis, ex ſuperbia, cuius notam mendaciter in illum inuſſerat, voluit eum fractæ obedientiæ & ſubiectionis arguere. Dixítque ad illum: Quare veniſti, & quare dereliquiſti pauculas oues illas in deſerto? Ego noui ſuperbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia vt videres prælium, deſcendiſti.] Id eſt, cùm ſis ſuperbiſſimus, præceptum Patris prætetiſti, qui te non ad prælia miſit, ſed ad ſeruandas pauculas oues elegit. E contra verò ipſe Dauid ait: Et humiles ſpiritu ſaluabit.] Quòd ſi tantùm qui obediunt mandatis Dei, ſaluandi ſunt, liquet, humilitatem ad obedientiam inclinare, & mandatorum in nobis cuſtodiam expoſcere.

1. Reg. 17. 28.

Psal. 33. 19.

Humilitas igitur obedientiæ genitrix eſt: & humilis, humi repere, & aliorum pedibus conculcari, quanto magis iuſſis eorum regi? appetit; ſui verò iuris eſſe, à nullóque gubernari, haudquaquam cogitare audet. Vnde qui parêre & ſubiici renuit, manifeſtum indicium præbet, quòd Luciferi ſuperbia eſt miſerabiliter vulneratus. Quod Baſilius grauiſſimis *Baſil. reg. 28 fuſ. diſput.* verbis docet in hunc modum: Illud autem antiſtitis imperium detrectare, & verbis aduersùm iuſſa ipſius litigare, magno indicio eſt, eum, qui ſic faciat, multis vitiis laborare, fidei debilitate, ſpei ambiguitate, arrogantia morum, atque ſuperbia. Neque enim alterius dicto audiens vnquam eſſe quis recuſat, niſi priùs ipſum ſibi conſilij auctorē apud ſeipſum deſpexerit: neque, qui ſibi certa fide perſuaſit vera eſſe promiſſa Dei, déque ipſorum ſpe nihil dubitat, etiam ſi

A laborioſa ſint, quę ſibi imperentur, grauatè ad illa vnquam accedet, vt qui certò nouerit [non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad futurā gloriā, quæ reuelabitur in nobis.] Neq; non cui illud perſuaſum eſt, verum eſſe, quòd [qui ſe humiliat, exaltabitur,] ſtudio ſuo, impetrātis ſibi, aliquid expectatione ſuperabit: quippe qui nihil addubitet, [hoc, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtrę, ſupra modū in ſublimitate æternum gloriæ pondus operati.] Hęc ille. Et ſanè ſicut teſtimonio huius magni doctoris, inobediēs, ſuperbia laborare dicitur; ita obediens, humilitate pollere cognoſcitur. Quomodo enim iuſſa alterius implere vellet, niſi perſonā ſerui, cuius eſt obedire, ſibi aſſumendā exiſtimaret? Quo- *Rom. 8. 18.* *Luca 14. 11.* *2. Cor. 4. 17.*

B modo ſuā voluntatem frangeret, & pro alterius voluntate explenda relinqueret, niſi alterius velle ſuis deſideriis anteponeret? Quomodo ſuum ſenſum ac iudiciū alterius iudicio ſubmitteret, niſi iſtius peritiā ſuæ ſcientiæ, ac rerū cognitioni præferret? Hęc autem tria humilitatis ſunt opera. Nam humilis (vt iam diximus) ſe aliorum ſeruum iudicat, ſuam voluntatē non facit, ſuum iudicium fallax eſſe poſſe, ac ideo meliori ſubmittendum, putat. Immo & hîc video obedientię gradus ab humilitatis gradibus exoriri. Humilitas enim incipiens, obedientiam incipientem in executione ſitam procreat. Humilitas proficiens obedientiam proficientem, vſq; ad ſubiectionem voluntatis generat: Atque humilitas perfecta obedientiam perfectam vſq; ad abnegationem proprij ſenſus & iudi-

C cij producit. Eúmq;, quem etiam in difficillimis, & in his, quæ repugnare videntur, viderimus, non ſolùm opere, verùm & voluntate, & iudicio obedire, rectè poſſumus exiſtimare non ſolùm obedientia, ſed & humilitate perfectum.

Hæc fuit perfecta humilitas, & obediētia Abrahæ, cui à Domino impoſitū fuit præceptū difficillimum, vt vnigenitum filium occideret. Tolle, inquit, filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi.] Nonne animaduertis pręcepti difficultatem, cui nō ſolùm promptitudo executionis obſiſteret, ſed & voluntas repugnaret, & intellectus ad talem ſtragem in filio, & vnigenito, & hærede, & ad ſobolem habendam pro- *Gen. 22. 2.*

D miſſo, complendam horreret? At ille nō turbatus eſt animo, ait Chryſoſtomus, non confuſus eſt mente, non cōſilio deſtitutus eſt: in tam graui præcepto non cogitabat, non ratiocinabatur ſecum. Cur hoc? Qui mihi præter omnem expectationem beneficium exhibuit, qui per miſericordiam ſuam emortuam Saræ vuluam generationi idoneam fecit; nunc poſtquam ablactatus eſt, & creuit, & in flore ætatis eſt, occidere, & in holocauſtum offerre præcipit; qui paulo antea dixit: In ipſo vocabitur tibi ſemen;] nunc diuerſa præcipit. Et quomodo implebuntur, quæ ab eo præcepta? Quo pacto enim fieri poteſt, vt radice execta rami pullulent, vel ſucciſa arbore fructus proueniāt, vel fonte areſacto fluuij reddantur?] Nihil horum dixit ille, ſed vt perfectus obediens, eadē nocte, ad exe- *Chryſ. ho. 47. in Geneſ.* *Gen. 21. 12.*

E quendum, quod ipſi imperatum erat, ſurrexit: aſinum ſtrauit, ligna concidit, humeris filij innocentis impoſuit, ignem accendit, gladium accepit, & ad filiū immolandum properauit. Nonne admiraris impigtā, & perfectam, ac mille difficultatibus plenā obedientiā? Sed illa à quonā prouenit? Ab eo ſanè, qui dixit: Loquar ad Dominū meum, cùm ſim puluis, & cinis.] Ab eo videlicet, qui adeo humilis extitit, vt ſe puluerem ac cinerē reputaret: nam ſi ſuperbus eſſet, nunquā ſe ſe mandato tam difficili ſubieciſſet. Humilitate verò, ſe indignū putauit, cui aliquid à Domino licet amarū *Gen. 18. 27.*

præciperetur; ſuam voluntatem veluti abiectam ac vilem conculcauit; ſuum intellectum velut amentem & ſtultum irriſit. Et, vt ait Paulus: Non infirmatus eſt fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, cùm iam fere centum eſſet annorum, & emortuam vuluam Saræ.] In repromiſſione etiam Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo; pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit, potens eſt & facere. Vniuerſa hæc humanæ voluntati repugnantia, & naturali rationi contradicentia; ſine magna humilitate, quæ abiectè de ſe, & altè de Deo, ſentiret, & quæ ſe Deo plenè tamquam in infinitum maiori ſubiiceret, ſtare non poterant.

Rom. 4. 19.

A

Similis huic fuit humilitas & obedientia Ioſeph, ſponſi Mariæ. Audiuerat filium in ea natum ſpiritu ſancto operante, & ſine virili ſemine fuiſſe conceptum, eſſeque potentiſſimum filium Dei. Poſtea verò ei præceptum, externa ſpecie, Chriſti potentiæ & dignitati contrarium, imponitur: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.] Quod mandatum cùm audiſſet, nequaquam paſſus eſt ſcandalum, (quemadmodum ſcripſit idem Beatus Pater Chryſoſtomus) neque dixit; Incerta res eſt, ac prorſus ambigua. Tu paulò antè dicebas: Quia ſaluabit populum ſuum; & nunc ſe ipſum quidem non poteſt de periculis liberare. Aut ſi poteſt, quid opus eſt nobis labore, ac tranſmigratione longinqua? Contraria omnino ſunt facta promiſſis.] Fuit ergo ſanctus vir perfectus obediens, qui circa ſibi præcepta nihil mente perueſtigauit, ſed ſtatim ſimpliciter & piè mandato difficili ſine vlla ſe diſcuſſione ſubiecit. At coniector ipſum priùs humilem extitiſſe. Quis namque neget eum humillimum fuiſſe, cui Deus ſponſam ſuam virginem humillimam commendauit, eique non minori vinculo, quàm matrimonij, coniunxit, vt inter vtroſque eſſet nexus coniugum, amor fratrum, puritas Angelorum? Quis neget humillimum fuiſſe eum, qui fuit caſtiſſimus, & virgo integerrimus, cùm hæ duæ virtutes ita fœderentur, vt illa iſtam cuſtodiat, & vtraque eodem tenore ſuccreſcat? Quis tandem ambigat eum fuiſſe humillimum, qui ſanguine nobiliſſimus, & à regibus ortus, vile officium fabri didicit, ſuarum manuum laboribus, ſe familiámque ſuſtentauit; paupertatémque non horruit? Iſtius perfecta humilitas, perfectam obedientiam peperit, humilitas difficili præcepto ſubdidit, humilitas fecit, vt ſe imparem ad iuſſa diuina perueſtiganda iudicaret: vt ſine vlla contradictione domum, patrium ſolum, cognatóſque desereret, & exul cum ſponſa, & puero, in Ægyptum abiret.

B

Matth. 2. 13.

Chry. ho. 9. in Matth.

C

D

Humiles igitur obedientes ſunt, & quæ humilitas eos ad ſui contemptum & honorum deſpicientiam roborat, eadem & ad ſubiectionem impellit. Hæc ſubiectio, ſiue obedientia, ab eodem ſanctiſſimo Patriarcha Benedicto, in ſua regula nunc primus humilitatis gradus vocatus eſt, nunc tertio loco numeratus, quia & timorem Dei, ac voluntatis mortificationem ſupponit, ſed inter ipſos gradus humilitatis, primum, id eſt, præcipuum locum tenet. Sicque doctiſſimus ille Cardinalis, cui datum eſt, regulam iſtam exponere, hunc locum intellexit. Primum, inquit, hoc loco poſitum, non ordinem dicit, vt primus dicatur, quia ſecundus ſequitur, ſed potiùs magnitudinem, aut excellentiam importat. Veluti cùm à Domino dictum eſt: Primùm quærite regnum Dei:] vt ſit ſenſus: Obedientia eſt præcipuum, quo humilitatis virtus cuſtoditur, fouetur, & roboratur. Nullus quippe per ſe humilitatis gradus ſubſiſtit, ſi

E

Turrecremata ad c. 5. regu.

Luca 12. 31.

obedientiæ viribus fulciri deſit. Nam vera humilitas ipſa eſt, quam obedientia comes non deſerit. Et meritò præcipuum in humilitate ſubiectio eſt, quæ nos in hac vita, & in futura recreat, & animam obedientem in tentatione refrigerat. Trahant obedientes ad ſe illud ſancti Dauidis: Induxiſti nos in laqueum; poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro: impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.] Nam Domino miſericorditer cum illis faciente, inducti ſunt in clauſtra monaſterij, & triplici laqueo votorum religioſorum ligati, ne in malum ſuum à domo Domini ſui, à quo proteguntur, aufugiant. Tribulationibus, id eſt, laboribus religioſæ vitæ onerati ſunt, & ſanctæ conuerſationis occupationibus preſſi, ne otio torpeant, & vitam ad meritum datam, in telis aranearum, id eſt, in operibus inutilibus imprudenter inſumant. Homines, ſcilicet prælatos, capitibus ſuis habent impoſitos, quia illorum imperio & cenſuræ ſubduntur. Et ſicut in capite omnes vires & omnes ſenſus iuncti ſunt: ita hi, qui prælatis capita ſubdunt, omnes illis vires ſuas ſenſúſque ſubiiciunt. Pergant, & adhuc dicant: Tranſiuimus per ignem, & aquam,] omnémque obedientiæ laborem ſumus experti. Sed inde, quid ſequitur? [Et eduxiſti nos in refrigerium.] In refrigerium huius vitæ, quia per obedientiam innumeras inquietudines, & angores, & ſcrupulos declinamus; & in refrigerium alterius vitæ futuræ, quia in præmium obedientiæ æternam libertatem ſuſcipiemus. Si obediens fuero, ô Domine, [introibo in domum tuam in holocauſtis: reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.] Alij ingrediuntur in ſacrificiis, quia aliquid ſui tibi, non ſe totos obtulerunt: ego verò in holocauſtis ingrediar, quia non aliquid mei, ſed omnino me totum tuæ maieſtati conſecraui. Cùm verò ad tuam ſanctiſſimam præſentiam accedam, hæc erit gloriatio mea, quam non de meis viribus, ſed de tuis auxiliis præſumam, quòd ſcilicet vota mea fideliter reddidi, quæ labiis meis ipſe diſtinxi. Qui enim obediens fuerit, non poteſt vlla vota prætergredi, quæ ſibi imperata ſunt, ex eo quòd vota ſeu promiſſa ſunt, nec poterit à ſua profeſſione deuiare.

Pſal. 65. 11.

Pſal. 65. 12.

Pſal. 65. 13. 14.

Iam intelligimus, quanam ratione nos obedientia in refrigerium inducat; nam illa planum facit iter, quo ingrediamur in cælum. Et ſicut duobus pedibus in locum deſtinatum imus; ita his duabus virtutibus, humilitate & obedientia, in cæleſtem patriam properamus. Quin, & quoniam hoc iter, aſcenſus eſt, quo ex tempore ad æternitatem, & ex mortalitate ad immortalitatem aſcendimus, & quoniam velociſſimus eſt; multo meliùs humilitas, & obedientia, non iam duobus pedibus animalium, ſed duabus alis auium comparantur, quibus non tam ambulamus, aut currimus, quàm perniciter volando, ad perfectionem, atque ad eius præmium peruenimus. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus has duas virtutes duabus alis ſimiles eſſe prædicauit. Et ideò oportet, inquit, vt ſanctis moribus compoſiti, multis etiam virtutum pennis prædi[t]i, quaſi ſpirituales columbæ, & bonorum operum margaritis ornati, dicere cum Propheta poſſitis: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?] Quam rem nunc animæ ſanctæ implere poſſunt, ſi humilitatem & obedientiam ſtabili firmitate cuſtodiant: quia quibuſlibet bonis operibus quis fuerit præditus, ſi iſtas duas virtutum alas, id eſt, humilitatem, & obedientiam non habuerit, in altum euolare non poterit. Omnis ergo anima ſancta, cùm volantes miluos, & diabolicos accipitres atque ſpiritales nequitias fugere vel vitare deſiderat: iſtas duas, quas ſuprà diximus,

Cæſ. hom. 32 to. 7. Biblioth.

Pſ. 54. 7.

Malach. 3.2. A riámque peccatorum excoxit. Tu venis ad me quaſi ignis conflaus,& quaſi herba fullonum:] vt ſcilicet igni, id eſt, tribulatione graui, peccata mea conſumat,& herba fullonum, id eſt, percuſsione leniori, minora peccata dimittas. *Ibid. 3.* Sedebis conflans, & emundans argentum, & purgabis filios Leui, & colabis eos quaſi aurum, & quaſi argentum.] Emundabis, inquam, iuſtos tuos ab omni eo, quod eſt ſordidum,& purgabis ab eo quod eſt ſuperfluum. Colabis eos, ignéque amoris & tribulationis liquefacies, vt ſint tibi offerentes ſacrificia in iuſtitia. Audi ergo anima mea quid ignis hic in te faciat, aut cuius gratia Dominus illum immittat, vt omnem tribulationem, omnémque preſſuram quaſi humilis & manſueta ſuſtineas.

B Tribulatio humiliter patientérque ſuſcepta, non aliter quàm ignis illuminat. Docet, inquam, nos quid de nobis, quid de Deo, quid de hominibus, & quid de anteactis operibus ſentire debeamus. De mundo, quia contemptibilis eſt, cùm non aliud habitatoribus ſuis niſi multiplices tribulationes miniſtret. De nobis, quia infirmi ſumus, cùm oborta puſilla tentatione pene à recto deſiſtamus. De Deo, quia miſericors eſt, cùm nos à tribulationibus eruat. De hominibus, quia infideles ſunt, cùm nos in anguſtia relinquant. De anteactis operibus, quòd mala aut imperfecta extiterunt, quæ tantæ pœnæ caſtigant. Hunc tribulationis fructum notauit Iere- *Threno. 3.1.* mias, dicens: Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.] Nam antequam tribu- C bulationis virga percuterer, meas culpas ignorabam, meámque paupertatem earum cauſsâ contractam, minimè cognoſcebam: at tribulationis percuſſio oculos mentis ignoratione clauſos luce propriæ cognitionis aperuit. Salomon quoque ait: *Prouerb. 29. 15.* Virga, atque correptio tribuit ſapientiam.] Omnes enim quandiu hîc viuimus, quaſi paruuli ſumus, & addiſcere pertimeſcimus: verborúmque correptio, &, ſi hæc non ſufficiat, verberum ac tribulationis caſtigatio, adhibenda eſt, vt ſapientiam acquiramus. *Prouerb. 22.15.* Illud quoque eiuſdem ſapientis: Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam;] non tantùm de pueris ætate, ſed & de pueris conuerſatione & moribus, intelligendum eſt, quos tentatio ac tribulatio ab inſipientia liberat. D Nec ſolùm tribulatio cor illuminat; ſed ſicut ignis ceram, ita etiam illud emollit. Ideóque Iob tribu- *Iob. 23. 16.* latus ait: Deus molliuit cor meum, & omnipotens conturbauit me.] Terra quoque poſtrema illa nouiſſimorum temporum afflictione liqueſcet. Cuius teſtis eſt ipſe Dominus, qui ſuum illum aduen- *Pſ. 74. 4.* tum commemorans, ait: Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.] Cùm, inquam, tempus accepero, quod hominibus commodatum dederam,& non tantùm mala, verùm & ipſa bona opera, ipsáſque iuſtitias iudicauero: tunc terra ad præſentiam meam, & ad impulſum tribulationis immiſſæ, cum omnibus ſuis habitatoribus liquefiet. Cùm enim ego fundamenta eius iecerim, columnáſque ſtabilierim, non erit E mihi difficile eam timore ac terrore concutere. Impatientes quidem, ſicut lutum, immiſſâ afflictione durantur, at iuſti,& patienter ferentes eam, ſi quam duritiam cordis ex huius mundi diſtractione contraxerant, afflicti caſtigatique deponunt. Quos ſæpe Dominus tribulat, vt ab eis cor lapideum auferat,& cor carneum, id eſt, blandum & obediens, attribuat.

An non ignis laterem roborat, atque fortificat? Sed ita tribulatio menti eam patienter ferenti for- A titudinem & robur impertit. Propter eáque Dominus non ſemel à ſeruis ſuis conſolationes ſubtrahit, & tribulationibus fert, vt in omni virtute confortet. Gloriamur in tribulationibus, ait Paulus, *Roman. 5. 3.* ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio verò ſpem: ſpes autem non confundit.] Quonam modo tribulatio patientiam operatur? Non aliter quàm ſubminiſtrando patientiæ materiam. Quia ſicut qui habet diuitias, poteſt eas liberaliter erogare: ita qui tribulationibus impetitur, occaſionem habet, vt poſſit æquanimiter ſuſtinere. Et quomodo patientia operatur probationem, niſi animum roborando, vt teſtificationem ſuæ virtutis oſtendat? Et quo pacto probatio operatur ſpem, niſi ipſum animum B erigendo, vt qui propter Deum tribulationes perfert, de ſpe futuræ gloriæ non diffidat? Deus autem neminem in ſe confidentem pudefaciet, ſed quod in ſe eſt, præmium ſperatum retribuet. Si etiam ignis, vincula ſoluit; tribulatio ſimiliter, nexus mundani amoris abrumpit. Tres illi viri, quos Nabuchodonozor rex in fornacem ignis ardentis mitti præceperat, ligati coniecti ſunt, ſed ignis fuerunt virtute ſoluti, qui [ambulabant in medio *Dani. 3. 24.* flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.] Sic deſideriorum terrenorum vinculis colligati, in ignem tribulationis mittuntur, non ſanè vt conſumantur, ſed vt à vinculis huiuſmodi liberentur. Ac, vt ſemel finiam, tribulatio non aliter quàm ignis hominem probat. Quia vaſa figuli probat for- *Eccli. 27. 6.* C nax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Eum quoque purgat. Vnde Dominus per Ioannem ait: *Ioan. 15. 2.* Omnem palmitem ferentem fructum, purgabit, vt fructum plus afferat.] Ac tandem huius ſæculi delicias & voluptates exſiccat: & eſt velut myrrha, quæ à corruptione præſeruat. Meritò ergo Chryſoſtomus tribulationem vtiliſſimam cenſet, cuius multiplices fructus vtilitatéſque recenſens, inter alia ſic ſcribit: Nam & faſtum contrahit, & omnem *Chryſoſt. hom. 66. ad popul. Tom. 5.* excîdit torporem tribulatio, & ad patientiam vngit, & humanarum rerum vtilitatem reuelat, & multam introducit ſapientiam: omnes enim motus ipſi cedunt, inuidia, æmulatio, concupiſcentia, potentiæ pecuniarum, & corporum amor, arrogantia, faſtus, ira, & omne reliquum vitiorum examen. D Et ſi vis rebus ipſis videre, & virum ſeorſum,& totum populum oſtendere tibi poterimus,& in tribulatione poſitos, & in remiſſione, & quantum hinc lucrum, docere, & quatenus illinc torpor. Nam & Hebræorum populus, dum affligebantur quidem, & pellebantur, gemebant, & Deum inuocabant: cùm autem impinguati ſunt, reſilierunt: Niniuitæ rurſum cùm libertate potirentur, ita Deum irritauerunt, vt totam à fundamentis vrbem ſubuertere Deus minatus ſit; poſtquam verò ab illo ſunt humiliati præcone, omnem præſtitêre ſapientiam. Si verò & ſingularem virum vis cernere, cogita Salomonem. Nam & hic dum in curis quidem & perturbatione fuit, de principatu gentis illius conſultans, illa viſione dignus eſt habitus: vt verò nactus E eſt delicias, in ipſum malitiæ barathrum delapſus eſt. Quid verò ipſius pater? quando mirabilis fuit, & glorioſus? Nonne dum in tentationibus fuit? Abſalon verò, quoad fugiebat, nonne modeſtus erat: poſtquam autem rediit, & tyrannus, & parricida factus eſt? Quid autem Iob? Hic quidem clarus erat, & in quiete: clarior autem poſt tribulationem apparuit. Et quid enim opus eſt antiqua & priſca recenſere? Si quis enim noſtra nunc diſcutiat, quantum ſit tribulationis lucrum videbit: nunc enim

pace

pace potientes recidimus, & defluximus, & innumeris impleuimus malis Eccleſiam:cùm verò pellebamur, & modeſtiores, & humaniores eramus, & ſtudioſi magis, & ad has conciones promptiores, & feruentes ad audiendum. Quod enim ignis eſt auro, hoc & animis tribulatio, ſordem abſtergens, faciens mundos, claros reddens, & ſplendidos. Hæc ille.]

Has itaque tribulationum vtilitates ante oculos ſuos humiles habeant, vt ſe ad fortiter tolerandum inducant;ſed præcipua cauſſa ſuſtinentiæ eorum, eſt ipſa humilitas, qua ob defectus ſuos, ſe dignos tribulatione & percuſſione cogitant. Non ſunt illi cæci palpatores ſui ipſorum, qui proprias culpas diſſimulent, & ab oculis aliorum abſcondant; ſed ſapientes examinatores internorum motuum ſuorum, qui ſuas imperfectiones perfectas habeant, & earum cauſſa pati ac flagellari non refugiant. Et quia ſciunt, Deum iuſtum eſſe iudicem, qui peccata puniat, tribulationem aduenientem in peccatorum pœnam illatam ab eo putant, & ideò eam patienter ſuſtentant. Sic Dauid à Semei maledictione pulſatus patienter verba contumeliæ tulit,& à Deo eam venire cognouit. *2.Reg.16 10.* Quid mihi, & vobis eſt filij Saruiæ? Dimittite eum, vt maledicat. Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid; & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit?] Erat ille humilis, & ex humilitate, corde tranquillus, & ex tranquillitate, ſapiens, qui nouit non tam lapidem aſpicere, quàm eum, qui lapidem iecerat, contemplari. Quare in proximum quaſi in lapidem percutientem non iraſcitur, ſed Deo lapidem iuſtè mittenti, animo libenti ſubmittitur. Nos verò ideò aduersùs proximum affligentem iraſcimur, quia ex ſuperbia nos immeritò pati dicimus, & ex cæcitate, quæ à ſuperbia prouenit, illum lædentem, & non Deum caſtigantem ſpectamus. *Doroth. doct.7. in fine.* Et cùm verbum aliquod in nos dictum audimus, inquit Dorotheus, canes imitamur. Hi enim ſi quis in eos lapidem iecerit, iaciente dimiſſo, lapidem mordent. Ita nos, Deo relicto, qui nobis tribulationes huiuſcemodi ad peccatorum noſtrorum purgationem procurat, ad lapidem, hoc eſt, ad proximum currimus, dicentes; Quare hoc mihi locutus eſt? Quare hoc fecit? Cùmque ex his proficere admodum poſſimus, & mereri, negligentia noſtra demeremur.]Simus igitur humiles, quia humilitas nos ad patientiam roborabit, & pro ineffabili præmio ictus culicum, & muſcarum, id eſt, tribulationes huius vitæ, pati docebit.

Ineffabile prorſus eſt præmium, quod ſperamus, & ſatis leue pondus tribulationis, quod ſuſtinemus, *Ber.ſer.1. diuerſis.* Atque de vtroque pulchre Bernardus ait:Hoc nempe erit illud æternum gloriæ pondus, de quo identidem ait Apoſtolus: Momentaneum,inquit,hoc, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.] *2.Cor.4. 17.* Perge ergo murmurare, & dicere: longum eſt, graue eſt, non poſſum tam immania & tam diuturna portare. Apoſtolus momentaneum, & leue perhibet eſſe quod tolerat: & certè necdum à Iudæis quinquies quadragenas vna minùs accepiſti; nec dum nocte ac die in profundo maris fuiſti, necdum plus omnibus laboraſti: poſtremò, necdum vſque ad ſanguinem reſtitiſti. Vide ergo quàm non ſunt condignæ ad gloriam paſſiones. Quod tribulationis eſt, momentaneum eſt, & leue: quod gloriæ, æternum eſt, & pondus etiam ſupra modum in ſublimitate. Quid in incertum tibi dies & annos numeras? Tranſit hora, tranſit & pœna:

A nec accedunt ſibi, ſed cedunt potiùs & ſuccedunt. Non ſic gloria, non ſic remuneratio, non ſic merces ipſa laboris. Neſcit viciſſitudinem, neſcit finem, manet tota ſimul, & manet in æternum. [Cùm dederit (inquit) dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini. *Pſa.126. 2.3.* [Sufficit enim nunc cuique diei malitia ſua,] *Matth.6. 14.* nec laborem ſuum poterit reſeruare ſequenti: ſed omnium merces laborum in vna illa die reddetur, cui altera non ſuccedit. *1.Tim.4. 8.* [Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ (ait Apoſtolus) quam reddet mihi] non in illis, ſed [in illa die iuſtus iudex.] Melior eſt enim dies vna in atriis tuis ſuper millia.] *Pſ.83.11.* Guttatim pœna bibitur, liquando ſumitur, per minutias tranſit: nam in remuneratione torrens eſt voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & flumen pacis. Flumen B planè eſt, ſed quod affluat, non quod fluat, vel effluat. Flumen vocatur, non quod tranſeat, vel pertranſeat, ſed quod abundet. Æternum (inquit) gloriæ pondus. Non enim nobis glorioſa veſtis, non glorioſa domus; ſed ipſa gloria promittitur. Si quid verò illorum, aut ſimilium aliquando dicitur, figura eſt. Nam in veritate, iuſtorum expectatio, non aliquod lætum, ſed ipſa lætitia eſt. Hactenus ſanctus hic Pater.] Pro iſto præmio, atque pro iſta lætitia, humiles non timent ſuſtinere iniurias, pati opprobria, contumelias ferre; quin & cùm aliquid patiuntur, ſe fælices putant, quia pœnâ, quam (vt ipſi putant) pro ſuis peccatis merentur, ſemper manſuram gloriam mercantur. Et C ſicut auri cupidis lætum eſſet, ſi quilibet nummus valore geminaretur: ita & humilibus lætum eſt,quia quilibet eorum labor, quælibet afflictio, valore quaſi gemina eſt. Annon eſſet vnus atque idem nummus quaſi duplus, ſi eodem & debitum ſolueretur, & margaritum pretioſum emeretur? Sed eâdem iniuriâ humilis debitum ſuorum defectuum ſoluit,pro quo ſoluendo eam perfert, & margaritum gloriæ coëmit, quod patientia in tribulationibus exigit. O igitur magna virtus humilitas, quæ ad patientiam mentem paras, ad manſuetudinem lenitatémque diſponis: cui promiſſum eſt, vt nunc per tranquillitatem terram cordis noſtri poſſideamus, & poſt huius vitæ curriculum terram illam viuentium comparemus.

D

De Aperta humilium ſuæ conſcientiæ manifeſtatione.

CAPVT V.

HVmilis, qui didicit iniurias æquanimiter pati, didicit quoque pudorem ac confuſionem ſuſtinere. Quare alius effectus humilitatis ordine quintus eſt,omnia peccata ſiue cogitationis, ſiue loquutionis,ſiue operis,quamuis omnino occulta & abſconſa ſint,prælato manifeſtare, & pro ea, quæ E inde ſequitur,confuſione non tegere. Manifeſtè autem hæc pia apertáque confeſſio ex humilitate procedit. Nam qui ſe infirmum cenſet,facilè adducitur, vt ægrotationes ſuas medico pro remedio aperiat:& qui ſeipſum deſpicit, non grauatè ad hoc mouetur, vt quæ deſpicientiam ſui generant, apud ſuum prælatum pandat. Hinc verò elicitur humilitatis tum neceſſitas tum nobilitas, à qua tam vtilis piæ confeſſionis affectus originem trahat. Cuius nunc aliquos fructus, qui hunc humilitatis effectum

faciliorem

faciliorem reddant, breuiter exponamus. Ac primò ſcire oportet (quod ſuprà tractatum eſt) culparum noſtrarum alias graues, alias leues eſſe poſſe. Graues quidem (quæ ſolent vocari crimina, aut peccata lethalia) ita neceſſariò confitendæ ſunt, vt ſalus æterna illis præcluſa ſit, qui potentes confiteri, eas celare præſumpſerint. Tanta verò eſſe poteſt alicuius ſuperbia, vt has culpas, ne opinionem ſuam apud ſacerdotem eleuet, manifeſtare non audeat, & animam ſuam æternis pœnis ſuſtinendis exponat. Sed abſit à nobis vt tantum malum de humilitatis amatoribus cogitemus, qui communiter in ſimiles culpas non cadunt; &, ſi aliquando ceciderint, ſe ipſos humiliter aperiunt, ac diuinum præceptum confitendi cuſtodiunt. Culpæ verò leues, licèt ex præcepti neceſſitate ſacerdoti aut prælato aperiendæ non ſint, tamen verus humilis, non minùs verè ac ſimpliciter eas detegit, licèt occultiſſimas, licèt ruborem aliquem præferentes, quàm ſi id Dominus præcepto ſanxiſſet. Immo & tentationes & primos ſui cordis motus aperit, quia impensè cupit intus & in cute à prælato cognoſci. Id autem cupit, quia & ad vitam ſpiritualem ſine errore tranſigendam eſſe neceſſarium aduertit: & quia ex hoc nullam confuſionem (quam tamen paratus eſt ſuſtinere) exoriri, ſed gloriam apud prælatum, ſed bonam opinionem, ſed amorem agnoſcit.

Fructus ergo huius manifeſtationis vnde edicere ordiemur? Capiamus initium ab hoc, quòd multò facilius & ſuauius eſt, defectus noſtros & caſus prælato detegere, quàm eos ab oculis eius celare. Nam rogo quid ſit facilius, vulnus ſæuum, aut plagam peſtilentem medico opem allaturo oſtendere, aut eam diſſimulare, & occultam tenere? Certè illud facile eſt, & ſuaue; hoc verò durum atque difficile. Quoniam medicum accerſere & illius oculis corpus exeſum exponere, non modicam conſolationem affert, morbum pellit, ad commiſerationem aſpicientem mouet, & integram ſanitatem efficit. At medicum fugere, & eius iuuamen detrectare, vulnus auget, dolores & cruciatus inuehit, & nonnumquam mortem etiam importare ſolet. At defectus & caſus, & ad malum propenſio, & cætera huiuſmodi, ægrotationes ſunt mentis. Ergo qui ea detegit, conſolationis, & miſerationis, & ſalutis eſt particeps: qui verò abſcondit, omnium iſtorum bonorum eſt expers. Hanc culparum abſconſionem cauſſam eſſe dolorum Oſeas Propheta dixiſſe videtur. Colligata eſt, inquit, iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum eius. Dolores parturientis venient ei: ipſe filius non ſapiens, nunc enim non ſtabit in contritione filiorum.] Quia, inquam, iniquitatem, ne videretur, in corde clauſit, & quaſi colligauit, & in receſſibus ſuis peccatum abſcondit, ideo doloribus angoribúſque cruciabitur. Verè filius inſipiens, qui putat, remedium mali à medico & medicamento recedere. Cum impiis cadet, & fortè de paruo malo in maius malum progreſſus, in virtute, quam cœperat, ſtare non poterit. Vulnera clauſa plus cruciant, inquit Gregorius. Nam cùm putredo, quæ interiùs feruet, eiicitur, ad ſalutem dolor aperitur.] Malus igitur humor abſconditi peccati, ab ſtomacho conſcientiæ eiiciendus eſt, vt quieta & tranquilla remaneat. Quia quamdiu ille intra nos durat, mirum erit, ſi non doloribus obruta, triſtis & à conſolatione vacua perſiſtat. Ideóque vera ſunt verba illa Nili Abbatis: Leuatur anima ægritudine, cùm narratione curum, quæ ſunt moleſta, veluti exinanitur animi ægritudo; non ſecus ac nubes aliqua, à qua diſtillant guttæ pluuiæ, vtpote quòd caligo paulatim expurgatur: ſicut rurſus feritur ſilentio, perinde ac ſi pus aliquod humidum inflammaret, & in vulnere ſaliret, & palpitaret, & neſciret quonam modo poſſet egredi, & exinaniri.] At ſi qualibet vulneris manifeſtatio hoc habet, vt dolorem extenuet; quanto magis illa, quæ medico ſpirituali fit, cuius eſt malagma apponere, & verbis & medicaminibus, & orationibus imminens malum propulſare?

Oſea 13. 12.13.

Gregor in Paſtor. 3. p. admo nit. 15.

Nilus in orat. de interpt. Patrum Sepa. Su. rius in Iannar.

Erit tamen aliquis, qui internam conſolationem contemnat, ſed nullus erit (vt opinor) qui animæ ſuæ ſalutem pro nihilo ducat. Hanc autem ab occultorum defectuum manifeſtatione pendere apud ſpirituales viros certiſſimum eſt. Neque enim homo eſt peritior ad curandos animæ ſuæ morbos, quàm ad fugandas carnis infirmitates, atque paſſiones. Si verò pro his & medico & medicamento eget, & vtriuſque fructum ſine detectione ægrotationis abſconditæ habere non poteſt: quomodo animæ morbis ſine ſpirituali medico, & ſine conuenienti ab ipſo ſignato remedio, opem afferre poterit? Et ille quo pacto remedium dabit, ſi ob tuam profunditatem, frater, malum, quod pateris, neſcit? Nec tu ſufficis tibi ipſi, licèt cognitione rerum ſis ſatis inſtructus, quoniam in his, quæ ad te pertinent, diabolus per inordinatum amorem tibi illudet. Vnde Dorotheus ait: Si autem fueris ſub obedientia alterius, tu nunquam cordi tuo credas; excæcatis enim à priſtinis affectibus. Neque aliquando ſecundùm iudicium, vel ſcientiam tuam te ipſum in aliquo inſtituas, aut conſtituas quippiam apud te abſque maiorum conſultatione, & ſententia: néve exiſtimes, aut putes rationabiliora & iuſtiora eſſe, quæ cogitas, quàm quæ tuus gubernator & rector. Neque cenſor & iudex fias operum & actionum eius; deciperis enim plerumque tua probatione, & dolus diaboli eſt, vt inſidias his ponat, qui ſe ſe in omnibus, cum omni fide, maioribus ſuppoſuerint. Subditus autem eſto in omnibus, & ſic cum pace, & ſine periculo, & errore viam Patrum noſtrorum ibis. Hæc ille.] Tu verò doctrinam tanti Patris ſuſcipe gratus, & non ſolùm languoribus tuis remedia apta conquires, & diaboli tentationes eludes, verùm & mirabilem tranquillitatem conſequêris. Audi dictum Salomonis. Sapiens corde præcepta ſuſcipit: ſtultus cæditur labiis.] Et quandoquidem tibi aliquis radius diuinæ lucis affulſit, expertorum virorum monita corde ſuſcipito, vt ea, cùm opus eſt, poſſis actione complere. Alioquin labiis tuis non aliter quàm flagello percutieris: dum enim te docenti contradicis, & eius præcepta aſpernaris, dignus es, qui acerba caſtigatione plectaris. Vel, ſi aliter vis intelligere: [Stultus cæditur labiis ſuis:] quia dum ea ad manifeſtandas ſuas culpas mouet, ſunt inſtrumenta remedij culparum; dum verò labia comprimit, & quæ aperienda fuerant, tacet, flagella ſunt, quibus cor cæditur, & aſpera inſtrumenta dolorum. Nihil enim ita affligit & cruciat, ac culpæ venenum abſconditum; quod dum non per confeſſionem eiicitur, ſaltem per torſionem conſcientiæ dilatatur.

Doroth. doctrina 17.

Prouerb. 10. 8.

Meritò ergo vitæ ſpiritualis præceptores, quos ſuperiùs ex parte citauimus, hoc documentum magni faciunt, ad conuerſationem noſtram ſine errore moderandam. Qui enim ſe ipſum abſcondit, & defectus ac prauas inclinationes tegit, oſtium diabolo deceptori aperit. Is enim, qui tenebrarum eſt amator, miſeram animam, latebras & cuniculos diligentem, & lucem præceptoris auerſantem, facilè in mille errores conijcit, & multa noxia perſuadet. Quia verò de hoc argumento multa ſuperiùs dicta ſunt, illud mirabilis ſententia Laurentij Iuſtiniani con-

Tom. 1. lib. 5. p. 2. c. 12. & Tom. 2. ſto, lib. 3. c. 5 ſect. 5. c. 2.

cludat,

Digitized by Google

A cludat, qui ſapienter ad ſubiectionem prælato habendam mouet,& neceſſitatem huius manifeſtationis exponit. Eius verba ſunt: Propterea quicumque *Iuſtinia. de diſciplina monaſt. c. 7.* collegialiter viuere decreuit, in ſuo principio propriam abdicet voluntatem, ſéque alicui prudenti, & probato de eadem, quam elegerit, congregatione committat realiter,& abſque eius conſilio & voluntate nil agat. Omne ſuum iudicium & deliberationem in ipſius, cui ſe tradiderit, relinquat arbitrio; vt quod hic approbauerit,& ipſe laudet; & quod condemnauerit, ipſe ſimiliter condemnet. Deum verò in illo loquentem non dubitet, illíque tanquam Chriſto ſubeſſe non abhorreat, quia de ſe confidentem,& propter ſe ſubmittentem, nunquam deſerit Dominus. Qui enim olim per ſubiugale animal,& irrationale, Prophetam docuit, ipſe per rationalem creaturam,& ſibi famulantem inſtruere non dedignabitur puſillum credentem in ſe, dummodo ſimplici ſe proſternat corde. Vbi namque dubia, aut ſimulata agitur obedientia, abeſt profectus ſubiectionis,& diuinæ prouidentiæ guſtus. Quare ſub alterius imperio realiter abneget ſe, qui virtutis guſtu, & cœleſtis patriæ deliciis frui concupiſcit. Non differat ſubeſſe, cùm pro ſe idoneum apud altiſſimum reperit fideiuſſorem. Imprudentiæ etenim notiſſimum eſt teſtimonium, velle quem de ſe Deo reddere rationem, cùm quempiam inueniat pro ſe poſſe ſatisfacere. Et quis mente ſanus,& rationis compos, incedere audebit auro & gemmis onuſtus, per deuia & ſylueſtria loca, atque latronibus repleta, cùm valeat alicui præpotenti, & fideli viro totum hunc etiam tutò commendare theſaurum? Nemo ſine gubernatore pelagus nauigare præſumit; & hoc ſpirituale mare, magnis ſcopulis plenum, procellis & tempeſtatibus agitatum, in quo draco ingens & ſæuus ad illudendum poſitus eſt, confidet Dei ſeruus tranſuadare ſecurus? Naufragio & morti propinquus eſt, qui hoc agere cogitat. Qui militant terrenam militiam, non ſunt ſine duce; & ſolus Chriſti miles erit ſine directore? Incongruum eſt hoc. Vbi namque validior & ſagacior eſt hoſtis, ibi diligentior cuſtodia adhibenda eſt: & vbi pretioſiores theſauri reconditi ſunt, ibi ſolicitiori vigilantia incumbendum eſt, vt ſeruentur. Hæc omnia ſanctus hic Pater: qui & alio *Ibid. c. 6. in fine.* loco breuiùs ait: Non ſibi credat, nec ſe proprio committat arbitrio; ſed ſub præceptoris ſe coërceat diſciplina, ne inimicorum inſidiis capiatur. Innumeri quippe fuêre, qui ab aduerſariis proſtrati, gratiam Domini perdiderunt, præſumpſerunt proprio iudicio, & non ſeniorum conſilio conſenſum præbuêre. Ardua namque cùm ſit via Dei,& inſidiatoribus plena: neceſſe eſt vt in illa deficiat quicumque inexpertus,& abſque duce ipſam peragrare voluerit.

His rationibus veri humiles permouentur, vt omnia ſua delicta etiam leuiſſima, ad remedium eorum, ac directionem vitæ, prælato diligenter aperiant. Aperiunt nudè; cùm ea, quæ commiſerunt, nulla obſcuritate verborum obſcurant. Auguſtinus *Auguſt.* enim dixit: Hoc eſt confiteri, dicere quod habes in corde: ſi aliud habes in corde, & aliud loqueris, non confiteris. Et Salomon ait: *Prouerb. 16.3.* Reuela Domino opera tua:] & quidem Domino reuelas, cùm ei, qui præeſt, & eius locum gerit, ea aperis, vt dirigantur cogitationes tuæ. Aperiunt delicta ſua rectè, ſcilicet ex recta intentione, vt dent gloriam Deo, & in futurum, malum præcaueant,& præteritorum malorum remedium acquirant. Aperiunt ea humiliter, non in alium cauſſam ſui caſus retorquentes, ſicut fecit Adam, qui vt ſe excuſaret, ita effatus eſt: *Geneſ. 3. 12.* Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi;] ſed ſibi met ipſis malum, quod fecerunt, attribuentes. Aperiunt ea fiducialiter, nam cuique eorum dictum eſt: Reuela Domino viam tuam, *Pſal. 36. 5.* & ſpera in eo;] vt ſcilicet & veniam delictorum,& viam iterum non committendi ea, de diuina miſericordia ſe obtenturos eſſe confidant. Aperiunt integrè, quoniam non ſolùm ex grauibus peccatis, quod neceſſarium eſt, ſed etiam ex leuibus, & ex malis propenſionibus ſuis nihil (quantum poſſunt) occultare præſumunt. Aperiunt prudenter, non de ſe ipſis temerariè loquendo, ſed quæ diligenti diſcuſſione in ſe ipſis repererunt, prælato manifeſtando. Aperiunt tandem ſua delicta verè, dum nullum mendacium admiſcent: verecundè, dum ſe ipſos accuſant: modeſtè, dum ea quæ excuſant, ad neceſſitatem B patefaciunt: & iuſtè, dum pro admiſſis ſatisfacere,& ſe ipſos caſtigare diſponunt. Hæc omnia in confeſſione ſuorum delictorum, ſiue grauium, ſiue leuium, humiles intentè cuſtodiunt, qua confeſſione ingreſſum ad Chriſtum Saluatorem inueniunt. Sicut enim poſtquam Ioſeph Patriarcha indignationem aduersùs fratres ſuos indicauit; Iudas, qui interpre- *Gen. 44. 14.* tatur confeſſio, primus ingreſſus eſt ad eum, vt eius iram leniret,& ad miſericordiam prouocaret: ita & vera humilíque confeſſione ſe apud Dominum ſtatuunt, vt veniam erratorum impetrare valeant. Quærentibus filiis Iſraël quis poſt mortem Ioſuë eſſet eos gubernaturus, audierunt: Iudas aſcendet: *Iudicum 1.2.* ecce tradidi terrã in manus eius.] Poſt mortem quo- C que Mathathiæ Iudas Machabæus factus eſt prin- *1. Mach. 2.66.* ceps ad bellandum pro fratribus ſuis. Et multò antea (vt quidam dicunt) Iudas primus ingreſſus eſt mare rubrum, propter quod principatum obtinuit. Quia videlicet vera confeſſio quaſi prima alio ſactus virtutis ducit, diabolum debellat, & regnum cœlorum promeretur.

Parati quidem ſunt humiles, propter hanc vtilitatem multiplicem, ſeipſos purè ac nudè manifeſtare, etiam ſi ex eo magnam confuſionem eſſent ſubituri, & nihil prælato eorum, quæ intra ſe ſentiunt, aut quæ admiſerunt, abſcondere. At inde non confuſionem, non ignominiam, ſed commiſerationem, ſed amorem, ſed gloriam reportant. Excitat in prælato miſericordiam & pietatem humilis ac luctuoſa confeſſio. Inde Ambroſius ait, In iudiciis ſæcula- *Ambroſ. lib. 2. de Cain. c. 9.* ribus, impoſiti equuleo torquentur negantes,& quæ- D dam tangit iudicem miſeratio confitentis. Eſt quædam in peccatis verecundia, & pœnitentiæ portio, crimen fateri, nec deriuare culpam, ſed recognoſcere. Mitigat iudicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium.] Si confeſſio delinquentium vi tormentorum extorta, iudicem ad hominum vix ſibi cognitorum miſericordiam inflectit, quanto magis humilis erratorum manifeſtatio à religioſo facta patrem ſpiritualem ad commiſerationem excitabit? Pater non eſſet, qui in ſimili occaſione, miſericordiæ ac benignitatis viſcera erga filium humilem non indueret. Abſit autem à vitorum ſpiritualium præfecto, quòd pater non ſit, vnde longè ab eo erit, vt erga ſua errata confitentes, eá- E que lugentes, blandus & benignus non ſit. Hæc quoque confeſſio magni amoris cauſſa eſſe ſolet. Ignem enim amoris ſuſcitat amor,& à ſubdito amatur prælatum, cauſſa eſt vt ipſe ſubditus à prælato redametur. Indicium autem magni amoris eſt, ſi quis alteri ſua ſecreta confidat. Indéque Dominus ſuum erga Diſcipulos amorem teſtatum fecit. Vos au- *Ioan. 15. 15.* tem, inquit, dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.] Et [vobis] tan- *Luc. 8. 10.* quam amicis & familiaribus [datum eſt noſſe my-

ſteria

ſteria regni Dei:cæteris autem,in parabolis.] Ergo dum tu ad prælatum accurris, eíque tua ſecreta fidis,tua vulnera detegis,tuas miſerias & infirmitates aperis, manifeſtiſſimo ſigno te illius amatorem & ſuæ peritiæ in curandis animabus veneratorem oſtendis. Excitas ergo illum, vt te amet, vt tuæ ſalutis maximam curam capiat, & vt impensè in tuum profectum incumbat. E contrà verò, ſi tanquam filius Adæ, ab eo qui locum Dei gerit, teipſum abſcondis, præſertim ſi alia via illi tuos defectus ſuboleat, non ad amorem prouocas, ſed ad triſtitiam & mœrorem inclinas. Si verò confeſſio errorum, amoris eſt cauſſa, erit quoque bonæ exiſtimationis origo; naturale enim eſt quæ amamus,magni facere,eiúſque non vulgarem æſtimationem habere.

Non eſt, ô frater, cur erubeſcas tentationes tuas prælato detegere; tentari namque, non iniquorum tantùm, ſed & ſanctorum eſt, quos dæmon aggreditur,vt eorum opes ſpirituales diripiat. Bene ad hoc confirmandum Gregorius ait: [Greg.14. mor.c.7.] Hoſtis noſter adhoc in hac vita poſitos nos, quanto magis ſibi rebellare conſpicit, tanto ampliùs expugnare contendit. Eos enim pulſare negligit, quos quieto iure poſſidere ſe ſentit.Contra nos verò vehementiùs incitatur,quo ex corde noſtro quaſi ex iure propriæ habitationis expellitur. Hoc enim in ſeipſo Dominus ſub quadam diſpenſatione figurauit, qui diabolum non niſi poſt baptiſma ſe tentare permiſit: vt ſignum nobis quoddam futuræ conuerſionis innueret, quòd membra eius poſtquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum inſidias tolerarent.] Pharaon etiam non Iſraëlitas in ſuo regno manentes, & turpiter ſeruientes, ſed fugientes, & iugum excutientes inſequitur. Et venator non vilia iumenta, ſed ceruos venari contendit. Tu verò ſi iam diaboli dominationem excuſſiſti, [Habac.3. 19.] & es ex illis, quorum [poſuit Deus pedes quaſi ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuit te;] quid mirum ſi tentationibus impellaris? Et ais: Patior tentationes fœdiſſimas, & enormiſſimas, quas nullus fortè hominum paſſus eſt. Hæc cogitatio hominis eſt ignorantis, qui non audiuit [Eccl. 1. 10.] illud Salomonis: Nihil ſub ſole nouum. Nec valet quiſquam dicere: Ecce hoc recens eſt.] Nihil pateris, quod alij paſſi non ſint; niſi fortè exiſtimes te ſolum à dæmone fuiſſe cognitum, & cæteros ignoratos. Sed eſto quòd tentatio noua ſit, & hactenus nunquam audita, quidnam tu perdis, ſi aduerſarius tuus nouas inſidias ad te proſternendum excogitet, dummodo eius ſuggeſtionibus aſſenſum non præbeas, & fortiter conſtantérque reſiſtas? Sed nondum acquieſcis, quia non ſolùm tentatus es, ſed manifeſtè in tentationem lapſus, & peccati conſenſu, aut etiam externa actione percuſſus. Quid dicam tibi, ô frater, niſi quia omnes peccatores ſumus, & [[1.Ioh.1.8.] ſi dixerimus quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.] Prælatus, cui teipſum detegis, forſitan turpiùs aliquando cecidit; & ſi non cecidit, ſemina peccatorum ſimilium in ſeipſo deprehendit, & fidelitatem ſuam, quam non cadens cuſtodiuit, non ſibi, ſed gratiæ Dei tenentis, attribuit. Petrus cecidit, & à Chriſto innocentiſſimo benignè ſuſceptus eſt, & venia donatus; cur non infirmus peccatus peccatorem benignè ſuſcipiat? Cur non auctoritate Domini, illi in animi dulcedine peccata dimittat? Humilitatem ſectemur, & hæc facillimè miſerias noſtras manifeſtabit, & has anguſtias euincet, quas elatio, & immoderatus noſtri amor, generat, ne errores noſtros deſeramus, & ab animi plagis ſanemur.

De Veriſſima Humilium propriæ vilitatis electione.

CAPVT VI.

Dvplex eſt in humilibus ſuæ vilitatis notitia: altera interiùs corde habita; altera exteriùs actione præſtita. Illa pertinet ad humilitatẽ cognitionis, de qua multa ſuperiùs diximus; hæc effectus eſt humilitatis affectionis, ac deſpicientiæ ſui, quam nunc enucleabimus. Hunc itaque humilitatis effectum ſic Beatus Benedictus expreſſit. Sextus gradus eſt, ſi omni vilitate, vel extremitate contentus ſit monachus. Vilitas ſpectat ad cibum, potum, veſtem, calceamentum, & lectum: extremitas verò ad locum, gradum, ſtatum tenendum, & opus agendum. Humilis vilitate contentus eſt, quia cibum groſſiorem, potum viliorem, veſtem detritiorem, & lectum duriorem libenter ſuſcipit: & pro amore humilitatis, deliciis & opibus præfert. Eſt etiã in extremitate quietus, quoniã locum infimum in congregatione, gradum minorem, & occupationem abiectiorem, ſæculi huius dignitati præponit. Et quidem hæc humilitatem nondũ habitam generant, vt certum ſit, quòd ab ea iã habita procedant. Ideóque Dorotheus [Doroth.] ait: Aliter diſpoſita eſt enim anima bene habentis, aliter ægrotantis, aliter fameſcentis, aliter ſaturati: aliter item diſponitur anima inſidentis aſino, aliter ſedentis in throno, aliter ſedẽtis in terra, aliter optimis veſtibus induti, aliter, cõtritis & marcidis.] Generatur autẽ hæc in vilioribus animæ quies ex ipſa humilitatis ſubſtantia: nam facilè & cum gaudio abiectiora in omnibus acceptat, qui ſeipſum vilem ac deſpicabilem reputat. Planè humilis, omni vilitate & extremitate contentus eſt: non ſicut aliqui, qui libenter ſuſtinent vilitatem veſtium, atque ciborum, fugiunt verò ab extremitate munerum, & abiectione graduum, ſedium, atque locorum. Hi potiùs hypocritæ, quàm humiles dicendi ſunt: nam vnum, ſcilicet nimium amorem propriæ excellentiæ, corde præferunt; & aliud, ſcilicet humilitatem, foris oſtendunt. Hanc, in eo quod homines vident, amãt, vt ab eis honorentur: intus verò, vbi oculi Dei intuentur, eam odio habent, & auerſantur. Non ſic humilis, qui cùm ſeipſum verè deſpiciat, omnia externa ſuæ vilipenſionis ſigna libenter amplectitur. Sapienter autem Beatus Benedictus aſſeruit, humilem, omni vilitate atque extremitate debere eſſe contentum, quibus verbis affectum humilium ſignauit, non actum. Multi quippe humiles non poſſunt exteriùs vilibus cibis vti, aut abiectioribus veſtimentis indui, corporis infirmitate aliud poſcente, aut ſtatu, & dignitate, repugnante. Similiter non poſſunt extremum locum in conſeſſibus tenere, ſi ſint prælati, nec poſtremum gradum, ſi Deo diſponente, fuerint aliis præpoſiti. At affectu ſuo, maiori altitudine aut commoditate ſe indignos exiſtimant. Mallent, ſi ſibi optio daretur, ſubeſſe, quàm præeſſe: mallent pauperum cibis & veſtimentis vti, quàm corpori indulgere, aut commodioribus operimentis circumdari. Tamen quia Deus aliter diſpoſuit, ſuam voluntatem abnegant, & prouidentiæ ſubiiciunt. Et quidem in altitudine conſtituti, ſignis externis humilitatis non carent. Sed ea exteriora, quæ pro ratione

ſtatus ſuſcipiunt, ita moderantur, vt facilè videas, eos non ſuperbos ſuperflui cultus amatores, ſed veriſſimos ſuæ deſpicientiæ ſectatores exiſtere. Nam cùm in hoc dignitatum ſplendore, qui oculis omnium obiicitur, duo ſint extrema, alterum, quod ad ſuperbiam & faſtum ſæcularem vergit; alterum, quod ad nimiam moderationem inclinat; humiles, quaſi in medio poſiti, potiùs volunt videri ſupra modum moderati, quàm ſuperbiæ & elationis tabe turgidi. In quo nequaquam medium deſerunt, in quo vera virtus dicitur ſita, quia hoc medium ſanctam puſillitatem olet, & penitus ab omni nota ſuperbiæ recedit.

Primò ergo, humiles, ciborum ac poculentorum vilitatem ac parcitatem amant. Pauperes enim, ſi prudentia ac modeſtia polleant, viles cibos ad corpus reficiendum emunt, & ſi quid auri aut argenti habent, in ſuas neceſſitates reſeruantes, non in ſuperfluo apparatu ciborum inſumunt. Humiles autem, ſe meritorum pauperes reputant, & indignos communibus cibis iudicant: quare hos, cùm ſibi offeruntur, pro deliciis computant, vt meritorum ſumptibus parcant. Nam certum eſt, abſtinentiam, & ieiunium, alimentorúmque parcitatem, merita augere: crapulam verò, & exquiſitas ventris delicias, ſpirituales delicias, diuitiáſque cœleſtes exhaurire. Neſcio verò an in hunc humilitatis effectum oculos intenderit Eccleſiaſticus, cùm dixit: Initium vitæ hominis, aqua & panis.] Cùm enim voluerit faſtum & arrogantiam in conuiuiis & potationibus taxare, vitam humanam ad ſuſtentationem paucis contentam eſſe definiuit. Vita, inquit, hominis pane & aqua, id eſt, cibo frugali, & parabili conſeruari poteſt. Vnde humilis, qui in menſa non arrogantiam, ſed corporis refectionem ſpectat, moderatis cibis vtetur, & delicias magnatum ſuperborum aſpernabitur. Superbos, ex lautitia & pretio exquiſito ciborum inanem laudem velle conſequi, ſatis apertè libri Eſther declarat hiſtoria. Fecit quippe Aſſuerus grande conuiuium cunctis principibus, & pueris ſuis.] Et quis finis magni conuiuij? Subiungit ſcriptura: [Vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ.] Hánceque fuiſſe conuiuij cauſſam, manifeſtè Ioſephus ſentit, dicens, regem iſtum epulum inſtruxiſſe, quemadmodum ſcilicet erat regi conſentaneum apparanti diuitiarum ſuarum magnam oſtentationem. Ergo qui omnem oſtentationem irrident, non erunt lauticiarum amici, ſed ea ad corporis ſuſtentationem aſſument, quæ huic fini ſint ſatis. Hæc erunt humilium alimenta, quæ corpori neceſſarias vires addant, non quæ à mente compunctionem inſeparabilem humilitatis comitem ſubtrahant. Certum eſt autem, ſuaues ac delicatos cibos, & pretioſa vina, compunctioni mentis officere. In quam ſententiam Chryſoſtomus ait: Sicut impoſſibile eſt vt ignis inflammetur in aqua: ita impoſſibile eſt compunctionem cordis vigere in deliciis. Contraria enim hæc ſibi ſunt inuicem, & peremptoria. Illa enim mater fletus, hæc mater eſt riſus: illa cor conſtringit, iſta diſſoluit.] Diligant itaque humiles ciborum vilitatem; quærant non alimentorum abundantiam, ſed parcitatem, vt puſilli & pauperes corde, puſilli ſint opere, & nihil extra ſine neceſſitate præſumant, quod humilitati contradicat. Nam ſi neceſſitas aliud poſcat, vtantur remediis neceſſitatis ſuæ, ita tamen delicatiora accipiant, vt de admiſſa indulgentia doleant.

Eccli. 29. 18.

Eſther 1. 3. 4.

Ioſephus.

Chryſ. lib. de compunctione cordis.

Amant etiam humiles vilitatem indumentorum, quæ ad tegendam corporis nuditatem, non ad iactantiam ſibi circumdant. Vnde Caſſianus, veſtem monachi, qui ſanè humilis eſſe debet, deſcribens, ſic ait: Veſtis quoque ſit monachi, quæ corpus contegat tantùm, ac repellat nuditatis verecundiam, & frigoris retundat iniuriam, non quæ ſeminaria vanitatis aut elationis enutriat. Ita eodem Apoſtolo prædicante: Habentes autem alimenta, & operimenta, his contenti ſimus.] Operimenta, inquiens, non veſtimenta, vt in quibuſdam Latinis exemplaribus non propriè continetur, id eſt, quæ corpus operiant tantùm, non quæ amictus gratia blandiantur ita vilia, vt nulla coloris vel habitus nouitate inter cæteros huius propoſiti viros habeantur inſignia: ita à ſtudioſis accurationibus aliena, vt nullis rurſum ſint affectatis per incuriam ſordibus decolora. Poſtremò ſic ab huius mundi ſeparentur ornatu, vt cultui ſeruorum Dei in omnibus communia perſeuerent. Quicquid enim inter famulos Dei præſumitur ab vno, vel paucis, nec Catholicè per omne corpus fraternitatis tenetur, aut ſuperfluum, aut elatum eſt, & propter hoc, noxium iudicandum eſt, magíſque ſpeciem vanitatis quàm virtutis oſtentans.] Expende ſeriò qualia hic doctor religioſorum humilium indumenta deſcribat, quæ ſcilicet ſufficiant nuditatem corporis operire, & temporis iniurias propulſare. Ad hoc autem non ſunt neceſſaria indumenta pretioſa, quæ nobis honorem vulgi reuerentiámque concilient, ſed ſufficit, amicus humilitatis ac modeſtiæ, vilis amictus. Hunc enim humilibus ac ſæculi contemptoribus conuenire docuit Hieronymus, Ruſticum monachum ſic erudiens. Sordes veſtium candidæ mentis indicia ſunt: vilis autem tunica, contemptum ſæculi probat, dumtaxat ne animus tumeat, ne habitus ſermóque diſſentiant.] Ita quidem eſt: vnde Eccleſiaſticus ait: Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo.] Et ſicut immoderatus riſus leuitatẽ animi, & inceſſus pompaticus, arrogantiam mentis deſignant: ita amictus corporis ſplendidior & accuratior, eſt ſuperbæ & elatæ mentis inſigne. Humilitas autem, ſicut & virtutes reliquæ, hoc habet, quòd ſibi relicta ſtatim ſignis externis ſe prodit. Ipſa itaque ad veſtium non ſolùm moderationem, ſed etiã vilitatem inclinat, vt quæ facit nos humiliter & abiectè de nobiſmetipſis ſentire, faciat quoque externam moderationem omni elationi repugnantem ſeruare. Meritóque Baſilius ait: Vt enim qui ſtudioſi gloriæ ſunt, ex amictu etiam veſtimentorum, gloriam ſibi ſoliti ſunt aucupari, nempe qui ex illorũ magnificentia ſplendoréq; ſpectabiles ſe, & in admiratione eſſe cupiant: ſic videlicet, qui ob vitæ humilitatem, in infimum ſeipſum abiecerit, in his quoque, quod omnium infimum eſt, conſectari debet. Sic ille.]

Caſſia. li. 1. c. 3.

1. Tim. 6. 8.

Hierony. epiſt. 10. 1.

Eccli. 19. 27.

Baſil.

Et quæ alia præferunt humiles ſuæ modeſtiæ ac humilitatis indicia? Contenti ſunt omni extremitate locorum, & libentiùs in infimo loco, & poſt omnes fratres, quàm in ſuperiore conſident. In omni congregatione bene fundata (ſi præcipuè homines ad res magni momenti conueniant) ordo ſedium ſeruatur, atque locorũ, ita vt minores recentioréſve ſequantur, & antiquiores maioréſq; præcedãt. Nam & in ſchola illa prima ac perfectiſſima, humilitatis, nẽpe in ſchola Chriſti, ordo dignitatis inter Apoſtolos ſeruatus eſt, vt Gregorius Naziãzenus, & Hieronymus annotarũt, & Simõ Petrus Andreæ maiori, ætate & vocatione præfertur, quia in caput aliorũ electus. Elegit, inquit Lucas, Simonẽ, quẽ cognominauit Petrũ, & Andreã fratrẽ eius;] & ſic nõ ſine ordine fuerũt alij numerati. Qui ergo aliis dignitate eminẽt,

Nazianz. orat. de moder. ser. Hieron. lib. 1. contra Iouinian.

Luc. 6. 14

aut

dream fratrem eius;] & ſic non ſine ordine fuerunt alij numerati. Qui ergo aliis dignitate eminent, aut temporis antiquitate excellunt, nullam faciunt humilitatis iacturam, ſi locum ſuum occupent, ne ordinem ſuæ familiæ peruertant, dummodo ob iactantiam, aut elationem primas ſedes non quærant. *Aug. ſer. 334. de tempore. ...* De qua re hæc Auguſtinus ait: Oportet ergo vt in cógregatione Chriſtianorum præpoſiti plebis eminentiùs ſedeant, vt in ipſa ſede diſtinguantur, & eorùm officium ſatis appareat, non tamen vt inflentur de ſede; ſed vt cogitent ſarcinam, vnde reddituri ſunt rationem. Quis autem nouit, vtrùm hoc ament, aut non ament? Res iſta cordis eſt, iudicem habere non poteſt niſi Deum. Ipſe autem Dominus admonebat ſuos, ne inciderent in tale fermentum, quod alio loco dicit: Cauete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum.] *Matt. 16. 6.* Et cùm putarēt illi propterea hoc eum dicere, quia panes non intulerant; reſpondit eis: Excidit vobis quot millia ſaturati ſunt ex quinque panibus? Tunc intellexerunt, inquit, quia fermentum doctrinam eorum dicebat. Amabant enim illi iſta temporalia: æterna verò nec timebant mala, nec diligebant bona. Hæc ille.] Hoc ergo ſeruandum eſt, cùm ſecundùm præſcriptum ordinis conſidemus: ridiculúmque eſſet, humilitatis prætextu ordinem inuertere, quod non humilitati ſed ſingularitati & imprudentiæ eſſet deputandum. At cùm liberum eſt, locum ac ſedem eligere, ſemper humiles in humiliori loco ſe collocant, vt aliis tanquam honoratioribus deferant. *Luc. 14. 10.* Memores videlicet verbi Domini: Cùm inuitatus fueris, recumbe in nouiſſimo loco:] ad infimum locum aſpiciunt, & nunquam ad ſuperiorem niſi iuſſi & compulſi conſcendunt. Locus infimus tranquilliſſimus eſt, quia pro primis ſedibus vniuerſi decertant, pro humili verò loco nemo contendit. Eſt etiam & fœcundiſſimus; quia ſicut terra in imo fundi poſita, fructuum eſt ferax: ita & locus humilium inferior, virtutum omnium actiones fructificat. Eſt & præclariſſimus, quoniam locus Chriſto regi propinquior, qui & in præſepe apparuit, & in cruce occubuit, & ſemper in terris locum humilem adamauit. O ergo vir humilis, iuxta præſcriptum humilitatis, ſemper nouiſſimus locus tibi ſit cordi, vt à conſortio principis ſuperborum ſis penitus alienus, qui in ſupremo loco, & ſuper aſtra *Iſa. 14. 13.* cæli ſedere concupiuit. Et ſicut gemma pretioſa in diademate regis, vi affixa tenetur; ſi verò eam non affigas, ſtatim in terra voluatur: ita & te ſola obedientia, & Dei voluntas in loco ſublimiori teneat, & hæc dum ceſſauerit, mox humilitatis pondus te in terram deiiciat.

Tandem humiles contenti ſunt omni extremitate munerum ac miniſteriorum. Cùm enim ex ſeipſis indignos & ineptos ad minima miniſteria ſe iudicent, non mirum ſi maiora ac ſublimiora detrectent. Humilitas, mundi altitudinem deſpicit, vt apud Deum amatoribus ſuis veram ac æternam altitudinem impetret: & ideo iuſſa quidem & compulſa aſcendit; ſed ſuæ voluntati relicta, in loco humili manere concupiſcit. Tantóque iucundiùs in abiecto miniſterio manet, quanto ſapientiùs pericula ſublimis dignitatis pertimeſcit. Huius quanta ſint pericula, & quàm magna ſtultitia eorum, *Inſt. de diſcipl. monaſt. c. ...* qui illam appetunt, Laurentius Iuſtinianus ſic docet. Proinde onus graue, & valde formidabile eſſe comprobatur, animarum regimen. Sed heu hodie à multis deſideratur, quæritur, emitur, & abſque timore obtinetur, quia quale ſit, ignoratur. Attendunt huiuſmodi, præſentia, nec futura proſpi- A ciunt. Magni exiſtimant, ſi præponantur cæteris, ſi aliis imperent, ſi honoribus extollantur. Gaudent, iuxta Domini ſententiam, vocari ab hominibus Rabbi, & à ſubditis, vt patres, venerari. Attendunt quid æſtimentur, non quid ſint; nec conſiderant, ipſi elatione tumidi, mente cæcati, intentione corrupti, & moribus perditi, quàm ſit breue ipſorum gaudium, quàm formidabilis ſtatus, quàm fugitiui honores. Nam tanquam ſomnium ſurgentium de ſtratu eſt vita hæc, & omnis illius delectatio ad inſtar puncti. Labitur enim cùm tenetur; amittitur cùm poſſidetur. Nihil in ea ſtabile, nil mundum, nil ſecurum, nihílque æſtimatione dignum. Quo autem dulciùs tenetur, eo duriùs ac B laborioſiùs relinquitur; & quanto quis in ea ſublimior fuerit, tanto maiora ab eodem exigentur. Teſte namque ſcriptura: Iudicium duriſſimum fiet iis, qui præſunt.] *Sap. 6. 6.* Sic ille. Humilis ergo hæc diſcrimina dignitatum animo voluens, & ſuam indignitatem hac vilitate expendens, quaſi ex duplici capite ab appetitu ſtatus ſublimis abigitur. Timet pericula, quia inuenit ſcriptum: Qui amat periculum, in illo peribit,] *Eccl. 3. 27.* & bona animæ non vult voluntate ſua diſcrimini perditionis exponere. Conſtans namque ſapientum virorum ſententia eſt, appetitum, & curam obtinendæ dignitatis, viam ſæpe damnationi recludere. Suam etiam indignitatem pertimeſcit, quam vt infirmam & imbecillem non audet onere mundanæ altitudinis pergrauare. C Vox illius eſt, illa ſancti Dauidis, qua ad Dominum loquebatur: Ad nihilum redactus ſum, & neſciui: *Pſal. 72. 22. 23.* vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.] Humilis ad nihilum ſe redigit, quia ex ſeipſo ſe nihil eſſe ſentit, & quicquid boni, ſiue in mente, ſiue in corpore, in ſe reperit, totum id muneri diuinæ bonitatis adſcribit. Humilis neſcit dona, ſcilicet magna, quibus præditus eſt, quia ne occaſionem ſuperbiendi habeat, ea ab oculis ſuæ conſiderationis abſcondit. Humilis, [vt iumentum factus eſt apud Dominum,] quia ſicut iumenta facta ſunt, non vt imperent, ſed vt ſeruiant; ita ſe ad ſeruiendum, & obediendum comparat, & à ſublimitate imperij declinat. Id ſummam fœlicitatem æſtimat: [Et ego ſemper tecum;] vt ſcilicet ſemper D Deo cognitione, & amore cohæreat. Vult igitur in humili loco conſiſtere, ne curis regiminis in varia diſtractus, ab aſſidua memoria eius, quem diligit, diuellatur.

De Generali Humilium in conſpectu aliorum ſui ipſorum deiectione.

CAPVT VII.

SIMILITER & humiles duobus modis reliquos omnes ſibi præferunt; aut cordis affectu, aut externo ſuæ affectionis ſigno. Illum in- E teriorem affectum, ſuperiùs humilitatis gradum aſſeruimus: iſta verò exteriora deiectionis ſigna effectum humilitatis nunc dicimus. Nam humiles, qui veriſſima ſui cognitione tacti, ſe omnibus viliores æſtimant, id ipſum non ſimulatè, ſed verè lingua pronunciant, & omnium pedibus conculcari appetunt. Humilitas quippe non ſolùm intellectum afficit per propriæ vilitatis notitiam, nec in ſolo affectu ſe continet, verumetiam ad opus actionémve procedit. Quæ cùm virtus ſit,

veritatis amica, & totum hominem veritati ſubiiciat, & id ab homine obtinet, vt ſeipſum corde viliſſimum reputet, & vt ſe opere coram aliis talem exhibeat. Eſt autem inter hanc duplicem cordis & operis deiectionem, magnum quoddam diſcrimen: nam deiectio interior ex parte facilior eſt, ſaltem comparatione multorum, quia ipſa experientia vilitatis noſtræ ad eos ſuſpiciendos impellimur: exterior verò difficilior inuenitur, quia ſæpe, qui ſe minorem reputat, ſuperbia incitante, vult maior & eminentior apparere. Illa licèt in affectu abſoluta ſit, tamen in notitia aliquam interdum limitationem habet; nam aliquibus nos ſupponimus, non ſecundùm dona, quæ à Deo accepimus, ſed ſecundùm quod ex nobis ipſis habere cognoſcimus. At exterior, niſi dignitas prælationis, aut aliquid ſimile obſtet, nullam conditionem admittit, ſed ita nos ante alios proſternere debemus, ac ſi omnino etiam ſecundùm dona Dei ipſis inferiores eſſemus. Hic ergo effectus humilitatis ſuperiori aliquid addit. Poteſt enim quis vilitatem aliquam, & extremitatem amare, ſed in ipſa extremitate ſe aliis fratribus anteponere. Eligit, exempli gratia, quis, viles cibos, abiecta indumenta, inferiorem aliquem locum, aut abiectum miniſterium, non tamen vſque ad extrema ac viliora ſe demittit; immo alios in viliori loco, & ſe in altiori, aut certè non in viliſſimo, eſſe ſuſtinet. At hic ſeptimus effectus, ſiue gradus hominem in infimo loco conſtituit, & ſibi fratres reliquos anteponit. Franciſcus viliſſimo indumento tectus pauperem obuium habuit viliori veſte coopertum, & doluit quòd ille abiectior eſſet, & magis laceram veſtem geſtaret. Id ſanè fuit, viliſſimã (vt ita dicam) vilitatem amare, & non hunc, vel illum, ſed omnes ſine vlla exceptione velle ſibi præferri.

Humilis ſe vermiculum paruulum, ac nullius valoris putat, ad hoc natum, vt ab omnibus conculcetur. Aſſumit enim ſibi vocem capitis ſui: Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.] Eſt quidem vermis, qui ſine ſtrepitu ſuper terram graditur, & domi ac foris tanta moderatione vtitur, vt apud homines magni, aut diuitis, aut nobilis opinionem habere nõ quærat. Eſt vermis, quem in imo iacentem non ſoli prælati, aut litterati, aut ſeniores calcant, ſed (quod in ipſo eſt) etiam pueri & iuniores ſine vllo timore conculcant. Eſt non homo, pro quo Hebræa habent vocem, quæ ſignificat virum egregium, atque præcipuum; quia non ſe cum magnis computat, ſed magnum, & excelſum ſibi putat, ſi ſe pauperculis & abiectis annumeret. Nec mirum quòd tam humiliter de ſe ſentiat, qui inter homines opprobrium eorum, & abiectiſſimum omnium ſe iudicat. Immo mirabile eſſet, ſi ſe aliquid reputaret, videns, caput ſuum, ac Dominum ſuum, propter ſalutẽ ac exemplum hominum, ad tantam abiectionem redactum. Super omnes inimicos meos, ait, factus ſum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis. Qui videbant me foras, fugerunt à me: obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde.] Ille inimicis ſuis factus fuit probroſus, & execrabilis; notis verò, & amicis formidabilis; timebant enim, ne eius cauſsâ in aliquam calamitatem inciderent. Cùm in publicum prodibat, omnes ab eo fugiebant: inimici, ne ab eo, quem deceptorem putabant, deciperentur: & amici, ne cum illo afflictionibus inuoluerentur. Omnium etiam corda illius obliuiſci maluerunt: hoſtes, ne illius, quem auerſabantur, memoriam haberent: & noti, ne miſeriæ eius, quem liberare non poterant, ſe recordatione cruciarent. Si hæc paſſus

Pſal. 21.7

Pſal. 30. 12, 13.

A eſt Chriſtus propter nos, quid non patiatur propter eum humilis Chriſtianus? Cur non gaudeat, ſi etiam abiectis hominibus execrabilis habeatur; ſi ab omnibus rideatur, ſi oblitus & deſpectus, & indignus hominum memoria putetur? Per laborem venitur ad requiem, per bellum ad palmam, & per contemptum venitur ad regnum. Saluator priùs deſcendit, ac ſe infra omnia demiſit, vt ſanctam humanitatem ſuam ſuper omnes orbes cæleſtes efferret. [Quod autem aſcendit, inquit Paulus, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ?] Miles igitur huius Domini priùs per humilitatem deſcendat, vt poſtmodum per gloriam aſcendat. Sedeat in infimo loco, neminem præcedere audeat, vt voluntate Domini in honorabili loco conſideat.

Epheſ. 4. 9.

B Oportet itaque, nos, qui de vita religioſa gloriamur, & humilitatis deſideriis accendimur, omnibus nos ſupponere, & ad viliora miniſteria paratos eſſe. Nihil ſit quantumuis abiectum, cui exequendo voluntas noſtra repugnet. Nam ſi aliquid exhorreſcimus, & alij, tanquam minori, faciendum relinquimus, humiles ex omni parte non ſumus. Illud, quicquid ſit, turbare nos poterit, & accedente ſuperioris decreto, vt illud faciamus, vel quia ita neceſſarium eſt ad gubernationẽ domus, vel quia ad probationem noſtram iniungitur, nos non plenè humiles, ſed minùs habentes reperiet. Experiemúrque, verã pacem cordis in omnimoda humilitate cõſiſtere; atque illum in congregatione beatum eſſe, qui omnibus ſe ſuppoſuit, & à nulla ſe humiliatione ſubduxit. Dixit Abbas Moyſes Abbati Zachariæ:

C Dic mihi, quid faciam? Is autem hæc audiens iactauit ſe pronus in terram ad pedes eius, dicens: Tu me interrogas, Pater? Dixit autem ei ſenex: Crede mihi, fili Zacharia, quòd vidi ſpiritum ſanctum deſcendẽtem in te, & propterea compellor interrogare te. Tunc tollens Zacharias cucullũ ſuum de capite ſuo, miſit eũ ſub pedibus ſuis, & conculcans eum dixit: Niſi ita cõculcatus fuerit homo, non poteſt eſſe monachus. O dignam ſanctiſſimo viro ſententiam! Non eſt perfectus religioſus, qui ab omnibus contemni & cõculcari paratus non fuerit. Humilitas illius infantilis eſt, & tenera, cuius mẽs abiectiora nõ eligit, & qui necdũ ex corde cunctis ſe ſubmittit. Adhuc ſæculũ in illo viuit, qui paratus quidem eſt hæc mediocria humilitatis munia facere; imparatus verò,

D obſequia alia viliora & abiectiora præſtare. Neque enim adhuc ſe viliſſimũ, ac omnium minimum putat, qui aliqua obſequia, ex eo quòd ſũt abiectiora, detrectat. Qui autem cogitatione & affectu ſuo ſub pedibus omniũ ſeipſum nõ collocat, necdum eſt veræ ac perfectæ humilitatis poſſeſſor. Quòd ſi affectus eius ad hoc vſque progreſſus eſt, vt ſeipſũ contẽnat, reliquóſque omnes ſuſpiciat; quomodo poterit aliquod munus, ob id tãtùm quòd vile eſt, atque abiectũ, repellere, & aliis ſe melioribus demandare? Animi ergo nõ verè & perfectè humilis eſſe cõuincitur, qui ex his quæ ſibi imperata ſunt, aliquid, eâ ſolùm ratione, quòd non eſt honorificum, reiicit.

E Igitur in iſto gradu verus humilis primò ſe minimum omnium linguâ profiteatur: deinde opere ſe omnibus ſupponat, & (quod ad ſe pertinet) obſequia viliora eligat. Sed quid eſt humilem linguâ ſe minimum profiteri? An mendacijs dona ſibi conceſſa tegere, & peccata, quæ non fecit, ſibi aſcribere? Nullo modo; cùm humilitas ſit ſoror veritatis, nullóque ſit mẽdacio ſubnixa. Vnde Gregorius exponens verba illa Heliu apud Iob: Iob autẽ ſtultè loquutus eſt, & verba illius non ſonãt diſciplinam;] ſic ait: Innocenter enim Iob ſe aſſeruit flagellatum,

Iob. 34. 35.
Greg. 26. mor. c. 3.

quem

A quem Deus etiam perhibuit fruſtra percuſſum. Quid ergo vox percuſſi ſuperbum ſonuit, quæ à ſententia ferientis nullatenus diſcrepauit? Incautè ſunt humiles, qui ſe mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant. Immo mentiendo ſuperbiunt, quia contra veritatem ſe erigunt, quam relinquunt. Qui enim, neceſſitate cogente, vera de ſe bona loquitur; tanto magis humilitati iungitur, quanto & veritati ſociatur. An Paulus humilis non fuit, quando æmulatione veritatis contra falſos Apoſtolos, tot de ſe diſcipulis fortia geſta narrauit? Qui nimirum veritati inimicus exiſteret, ſi abſcondendo virtutes proprias, prædicatores errorum præualere permiſiſſet.] Paulus certè nulla ſuperbia tumuit, cùm de ſe

B ipſo dixit: In quo (ſcilicet teſtimonio Chriſti confirmando, ac prædicando) poſitus ego prædicator, & Apoſtolus (veritatem dico, non mentior) doctor gentium in fide, & veritate.] Et iterum: Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis.] Quid igitur erit nos omnibus linguâ ac ſermone ſubmittere? Id ſanè, dona à diuinâ miſericordiâ ſuſcepta, cùm neceſſitas, & Dei gloria non inſtat, prudenti ſilentio contegere. Cùm fratribus aperienda ſunt, ea Dei dona eſſe ſine vllis meritis, immo & cum multis demeritis noſtris data nobis, ſimpliciter nunciare. Quod ex nobis eſt, nos nihil eſſe profiteri: ſicut fecit idem Paulus, ad Corinthios ſcribens: Ego, inquit, à vobis debui commendari, nihil enim minus feci ab iis,

C qui ſunt ſupra modum Apoſtoli, tametſi nihil ſum.] Priora dixit, non commendari cupiens, ait Chryſoſtomus (quo pacto enim id faceret, qui præ deſiderium Chriſti cœlum parui penderet) ſed illorum ſalutem appetens.] Suam verò paruitatem ſubinfert, quaſi humanam laudem & exiſtimationem contemnens. Similiter illi ſermone ſunt humiles, & ſe omnibus ſubdunt, qui ex ſe ipſis minùs Deo gratos, ac planè reliquis minores ſe eſſe prædicant. Qui denique cùm aliquid boni de ſe ipſis dicendum eſt, non totum, quod acceperunt, verbis effundunt, ſed quod patefacere neceſſarium non eſt, ſupprimunt, & in hoc cautiſſimè menſuram diſcretionis obſeruant. Humilis Paulus profectò ita ſe geſſit; nam compulſus aliqua mirabilia de ſe ipſo manifeſtare, ita con-

D cluſit: Nam & ſi voluero gloriari, non ero inſipiens: veritatem enim dico: parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me.] Multa de ſe dixerat, & plura fortaſſis, ac mirabiliora reuelare poterat, ſed qui non propriam gloriam, ſed proximorum vtilitatem quærebat, illa dixit, quæ illos inſtruerent, & illa ſuppreſſit, quæ ad inſtructionem illorum minùs neceſſaria putauit. Et vt Gregorius inquit: Habebat adhuc de ſe aliquid dicendum, qui pauit dicere; ſed egit vtrumque doctor egregius, vt & loquendo quæ egerat, diſcipulos inſtrueret, & tacendo ſe ſe intra humilitatis limitem cuſtodiret. Nimis namque eſſet ingratus, ſi de ſe diſcipulis tota reticeret; & fortaſſe nimis incautus, ſi de ſe tota diſcipulis proderet. Sed mira-

E bilitèr, vt dictum eſt, egit vtrumque, vt loquendo erudiret vitam audientium, & tacendo cuſtodiret ſuam. Sic Gregorius.]

Quid demum eſt opere ſe infimum omnium ac viliſſimum reputare? Non quidem maiora & ſublimiora, ac vtiliora munera pertinaciter fugere. Humiles enim (Deo ita diſponente) præficiuntur aliis, & regimen proximorum ſuſcipiunt, qui fortaſſis non eſſent ad dignitates euecti, ſi eas non ſolùm non ambiſſent, nec amaſſent, ſed imprudenter & pertinaci-

A ter repuliſſent. Si iuſti & perfecti viri ſemper ab his muneribus ſe ſubtraherent, quis recturus erat Eccleſiam Dei? Quis in cathedram aſcenſurus, vt puſillos tegeret, & ignorantes erudiret? An ſuperbus? An ambitioſus? An inanem gloriam appetens, & capitibus meliorum inſidere concupiſcens? Id ſæpiſſime non ſine gemitu ac mœrore videmus, & rempublicam, ac congregationes eius peſſum ire, quia ab his perditis hominibus gubernantur, ingemiſcimus. At ſi antea Eccleſiæ tempora reditura eſſent, ſi optimum ſtatum omnia habitura, non hi (qui nec boni ſubditi eſſe didicerunt) ſed iuſti, & humiles, & ſibi non fidentes, habenas tenere, ac alios gubernare deberent. In his ergo non erit humilitas, à reipublicæ oneribus puſillanimiter fugere, & pertinaciter declinare.

B Quare ille verus humilis eſt, & hunc gradum humilitatis tenet, qui ad altum munus non vocatus, hilaris & quietus in infimo loco conſiſtit. Qui ſi aliis etiam ætate, aut labore, aut talentis minoribus ſupponatur, & in ordine relinquatur, puerilibus querimoniis aures fratrum non implet. Qui nihil, quod ſecundùm ſæculum altum eſt, ambit. Qui libentiùs occupationes viliores aſſumit, & illis per totam vitam inhæret, & altiora munera aliis fratribus tanquam melioribus & dignioribus, derelinquit. Qui denique cùm ad onus publicum vocatur, corde illud renuit, & verbis modeſtè ſe excuſat, ſed tandem tandem à ſuperiore compulſus, onus ſibi impoſitum cõfidenter ſuſcipit. Hãcque eſſe in ſimilibus rebus humilitatis regulam pulchrè Auguſtinus edocuit, ſic ad

C Eudoxium ſcribens: Vos autem, fratres, exhortamur in Domino, vt propoſitum veſtrum cuſtodiatis, & vſque in finem perſeueretis: ac ſi quam operam veſtram mater Eccleſia deſiderauerit, nec elatione auida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidiâ reſpuatis, ſed miti corde obtemperetis Deo; cum manſuetudine portantes eum, qui vos regit, qui dirigit mites in iudicio, qui docet manſuetos vias ſuas. Nec veſtrum otium neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini, non inueniretis. Sicut autem inter ignem & aquam tenenda eſt via, vt nec exuratur homo, nec demergatur; ſic inter apicem ſuperbiæ, & voraginem deſidiæ, iter noſtrum temperare debemus, ſicut ſcri-

D ptum eſt: Non declinantes, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Sunt enim, qui dum nimis timẽt, ne quaſi in dexteram rapti extollantur, in ſiniſtram lapſi demerguntur. Et ſunt rurſus, qui dum nimis ſe auferunt à ſiniſtra, ne torpida vacationis mollicie ſorbeantur, ex altera parte iactantiæ faſtu corrupti atque conſumpti, in fauillam fumúmque vaneſcunt. Hæc ille.] Qui ad aliquam dignitatem vocatus, mediam viam ita tenuerit, is hanc, de qua nunc agimus, partem humilitatis non deſerit. Quia ſi ex obedientia aſcendit, ex voluntate tamen ſua ſemper deſcendit; & dum alios gubernat, ſe tamen ſemper minimum reputat; & ita officio eſt maior, vt in corde ſuo ſit omnibus minor.

E *De diligentiſſimâ Humilium omnis ſingularitatis fugâ.*

CAPVT VIII.

HVMILIVM eſt quoque proprium, omnem ſingularitatem deponere, & vitam ac conuerſationem maiorum ſequi; & in victu ac veſtitu, & vtenſilibus & actionibus ſuis mores aliorũ regulâ probatos ſequi, ac vno nomine ſeipſos

1. ad Timo. 2.7.
Galat. 1. 1.
2. Corint. 12.11.
Chryſoſt. hom. 27. in eandẽ epiſt.
2 Corint. 12.6.
Greg. 18. mor. c. 7.
Auguſt. epiſt 81.

D.Thom. 2.2.q.161 art.6. reliquis accommodare. Hunc effectum Thomas Aquinas ad ſigna humilitatis, ſiue ad oſtenſionem eius externam pertinere ait. Ex quo enim quis humilis eſt, non appetit, maior aut melior aliis videri, & vtile ſibi putat, ſi fiat tamquam vnus ex reliquis; quare ea omnia fugit, quorum cauſsâ poſſet ab aliis alicuius eminentiæ notari. Superbia mater eſt ſingularitatis: ideóque Angelus ille, qui cecidit è cœlo, non cum aliis, aut inter alios, ſed ante reliquos ſolus ſedere voluit. Mater quoque filiorum Zebedæi eodem telo ſuperbiæ percuſſa, filiis ſuis ſingulares ſedes appetiit. *Matth. 20.21.* Dic vt ſedeant (hæc ſunt verba eius) vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.] Ac ſi dixiſſet: Præcipe, Domine, vt vnus tantùm ex filiis meis, verbi gratia Iacobus, ad dexteram tuam ſedeat; & alter, ſcilicet Ioannes, ad ſiniſtram conſideat. Et ſicut tu tamquam rex potentiſſimus ſolus in ſublimi throno ſedebis: ita & illi cognati vtique tui cæteris diſcipulis tamquam extraneis præficiantur, & duas ſedes proximas tibi altiores, & eminentiores, ita vt pedibus ſuis capita aliorum tangant, ſemper obtineant.

Propterea Bernardus ſingularitatem quintum ſuperbiæ gradum nominat, & hoc vitio infectum egregiè in hunc modum deſcribit. *Ber.trac. de grad. hum. gradu 5.* Turpe eſt ei, qui ſe ſupra cæteros iactat, ſi non plus cæteris aliquid agat, per quod vltra cæteros appareat. Proinde non ſufficit ei, quòd communis monaſterij regula, vel maiorum cohortantur exempla. Nec tamen melior eſſe ſtudet, ſed videri. Non meliùs viuere, ſed videri viuere geſtit, quatenus dicere poſſit, *Luc. 14. 11.* [Non ſum ſicut cæteri hominum.] Plus ſibi blanditur de vno ieiunio, quod cæteris prandentibus facit, quàm ſi cum cæteris ſeptem dies ieiunauerit. Commódior ſibi videtur vna oratiuncula peculiaris, quàm tota Pſalmodia vnius noctis. Inter prandendum crebrò ſolet oculos iactare per menſas, vt ſi quem minùs comedere viderit, victum ſe doleat, & incipiat id ipſum ſibi crudeliter ſubtrahere, quod neceſſarium victui indulgendum præuiderat: plus gloriæ metuens detrimentum, quàm famis cruciatum. Si quem macriorem, ſi quem pallidiorem proſpexerit, vilem ſe exiſtimat, numquam requieſcit. Et quoniam vultum ipſe ſuum videre non poteſt, qualem ſcilicet ſe intuentibus offert; manus, quas poteſt, & brachia ſpectans, palpat coſtas, humeros attrectat, & lumbos, & ſecundùm quod corporis ſui membra vel minùs, vel ſatis exilia probat, pallorem oris ac colorem diſcernat. Ad omnia denique ſua ſtrenuus, ad communia piger. Vigilat in lecto, dormit in choro: cúmque aliis pſallentibus ad vigilias tota nocte dormiret, poſt vigilias, aliis quieſcentibus, ſolus in oratorio remanet, excreat, & tuſſit, gemitibus ac ſuſpiriis aures foris ſedentium de angulo implet. Cùm autem ex his, quæ ſingulariter, ſed inaniter agit, apud ſimpliciores eius opinio excreuerit, qui profectò opera probant, quæ cernunt, ſed vnde prodeant non diſcernunt, dum miſerum beatificant, in errorem inducunt. Hæc omnia Bernardus.] Et eſt hæc optima ſuperbi ſingularitatem amantis deſcriptio, quam ideo totam retulimus, quia aliquando eam à nonnullis opere obſeruatam intellexi[mus].

Si ergo ſuperbia cauſſa ſingularitatis eſt, è contrà igitur humilitas mater & cauſſa erit amicabilis ſocietatis, qua quis noxiam ſolitudinem auerſetur, eam ſcilicet, quam non deſiderium perfectionis, ſed affectus elationis inducit. Vnde humilis, ad menſam ſedens, non exquiſitiores cibos quærit, ſed quos pro omnibus, frater, qui huic miniſterio præeſt, parauit induſtria. Non alia vina appetit, quàm quæ pro vili

A pretio cæteris fratribus offeruntur. Eam veſtem induit, quam ſimiles ſui fratres geſtare nō erubeſcunt. In ea cella commoratur abiectis rebus inſtructa, in qua quilibet alius commorari non fugeret. Nullis obſequiis cœnobij ſe eximit, nullum ſeruitium licèt vile quaſi ſibi incommodū reiicit; nihil, quod alij ex more faciunt, prætermittit. Singulares abſtinētias & indiſcretas nō amat; corporis caſtigationes, quas alij ſuſtinere non præualent, nō oſtentat; ſi quæ ex conſilio prælati, aut ſpiritualis patris, præter communem conſuetudinem facit, non tuba canit ante ſe, vt omnes illud ſciant, ſed ſilentij ac ſecreti ianuis occludit. Non appetit eſſe admirabilis aliis, ſed curat vnus de cæteris apparere. Ad faciendum quod alij faciunt, & ad religioſam diſciplinam arripiendam, roborat

B illum, licèt corpore minùs valeat, ſpes diuinæ gratiæ, quæ ſicut nec aliis deeſt, nec ſibi deficiet. Atque ſæpe intra ſemetipſum illud ſancti Dauidis: Deus Iſraël, ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuę: benedictus Deus.] *Pſ 67.36* Ego autem vnus de plebe eius ſum, & de populo, quem ipſe ad conſequendam perfectionem elegit. Robur ergo & vires ad eam obtinendam non negabit, &, vt quod alij exequuntur, ego præſtare poſſim, mihi quoque concedet. Deſpero quidē de mea infirmitate, ſed de ipſius fortitudine ſpero, quia eius gloria eſt, ſi infirma & imbecillia cōfirmet. Ad fugiendas verò immoderatas vigilias, & abſtinentias, & quicquid ſpiritualis prudentia damnat, deſiderio tenendæ perfectionis accenditur. Scit

C namq; ſententiā eſſe Salomonis: Subſtantia feſtinata minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.] *Prou. 13. 11.* Quo loco Hebræa habēt: [Subſtātia ex vanitate minuetur,] quia videlicet, eò quòd pro ſtudio inanis gloriç facimus, nihil omnino perfectionis lucramur. At quod manu diſcretionis ex bona intentione colligimus, eo fœliciter virtutem augemus. Non itaque curat vir humilis corporis afflictionibus, indiſcretè & ſupra vires intendere, ne nimio onere preſſus diu perſeuerare non poſſit.

Hic ſanè ita ſingularitatem noxiam odio habens, non tantùm à ſagitta volante in die liber erit, & à negotio perambulāte in tenebris, verùm etiā ab incurſu, & dæmonio meridiano. Nam quod, rogo, eſt dæmonium meridianum, niſi tentatio, quæ ſub ſpecie ſanctitatis maioris ſuperbos decipit, & ad ſingulari-

D tates admittendas accēdit? Hanc dæmonis fraudem humilis ſingularitatis inimicus eludet, quia aut ſanctitatem veram, aut ſpeciem, & nomen ſanctitatis amat. Si nomen ſanctitatis diligeret, eo ipſo humilis non eſſet, quoniam humilis non vult ſanctus prædicari, ſed vilis ac deſpectus reputari. Quamobrem ob adipiſcendum ſanctitatis nomen numquam ad ſingularitates deflectet, nec communia & vſu recepta prætermittet. Si verò ſanctitatis ipſius & perfectionis amator eſt, à via, quā Sancti triuerunt, non recedet, & diuerticula non requiret. Via autem regia perfectionis ea eſt, quam inſtituta Eccleſiæ ſanxerunt, & exempla maiorum probarunt, viriq; perfecti opere tenuerunt. Quam vt ipſe teneat, & vt itinere Sanctorum incedat, non putat ſe ſingularitatibus indigere,

E ſed ſatis illi erit, quæ mandata ſunt, aut conſilio probata, aut certè à conſenſu congregationis minimè reiecta, cōuerſatione cuſtodire. Quòd verò ſingularitatis amator, non verā ſanctitatē, ſed opinionē ſanctitatis apud alios exquirat, ex eo manifeſtè perſpicitur, quòd neque in carnis ſuæ cōmodis, tam cōmodum, quàm ab aliis diſiungi, ac moribus aut actibus diſſidere, cupit. Quare Richardus Victorinus eū, qui huiuſmodi eſt, ſic loquentem introducit: Ecce, inquis (tandem vix animatus verbis, vel exemplis) *Rich. ad Pſal.28.*

facio quod hortaris.Sed ſi promitto corporis mei ſtabilitatem, oportet vtique & tenere communionem: ſed timeo infirmitatem corporis: formido puſillanimitatem cordis.Sum etenim infirmus,& puſillus homo,tener & delicatus,vtpote in terra ſuauiter viuentium educatus, qui mollibus veſtiuntur, & epulantur quotidie ſplendidè. Infirmus omnia faſtidit, paruulus noua ſemper concupiſcit; communionem itaque tenere quomodo potero,qui quod alij habent, ſemper faſtidio; quod alij habere nequeunt, auidè concupiſco?Herbarum radices, & quæque viliſſima pro deliciis ſummis computo: tantummodo cæteri non habeant:quaſlibet regum epulas nauſeo, ſi mecum omnes in communi participant:&,vt quod ſollicitat mentem meam,totum tibi plenius exponam, cor quàm corpus magis deficit, virtute exili, ſenſu exiguo animus tabeſcit.] Hæc ſanè ſunt, quæ ſingularitatis amatorem ſollicitant, ab aliis diſcordare, & viam reliquorum non ingredi. Quòd ſi in commoditatibus corporis diſſimilis aliis videri vult, quanto magis in rebus,quæ ad ſanctitatem referuntur, non tam ſubſtantiam quàm vmbram, & laudem hominum adipiſci curabit? O peſſimum ſuperbiæ germen, cuius totum negotium eſt hominem à bonis & humilibus ſeparare!

Tria ergo ſi religioſus obſeruet,omnem ſingularitatem vitabit. Vnum eorum eſt, vt ea in religione conſtitutus obſeruet,quæ boni & ſpirituales ſocij faciunt,& tepidi,ac dyſcoli obſeruare tenentur. Si verò omnes (quod credibile non eſt) religioſam diſciplinam deſeruiſſent, & à via perfectionis declinaſſent, nullo modo ad ſingularitatem pertinet ab illis vitâ diſcedere, & modum viuendi à regula approbatum mordicus aſſeruare. Illi namque ſingulares ſunt, qui vitam à Sanctis probatam prætermiſerunt, vt ſuis immoderatis affectibus obtemperarent: ego verò ſingularis non ero,qui damnato malorum auſu innumerabilibus viris ſanctiſſimis meæ religionis, qui nunc ſunt,aut antea præceſſerunt, vitâ conſentio. Ideóque Trithemius Abbas hunc gradum humilitatis explanans, ſic ait: Sed diceret aliquis, ex quo monachus nihil facere debet, niſi quod communis regula monaſterij, & maiorum cohortantur exempla, quid tunc de iſtis, qui in monaſteriis diſſolutis & irreformatis degentes, religioſè viuere deſiderant? An inter malos debent eſſe mali, ne ſingularitatis notam incurrant? Reſpondendum eſt, quòd cautè ſic in regulis ſingularitas prohibetur, vt videlicet inter bonos non debeat aliquid nouum extra regulam facere, ne magnus videatur ab hominibus. Dicit enim,quòd monachus nihil debet agere, niſi quod communis monaſterij regula, ſcilicet iſta præſens, vel maiorum, id eſt, ſanctorum, & virtuoſiorum fratrum exempla, cohortantur. Sed in monaſteriis,vbi iſta regula non ſeruatur,quæ tamen ad id inſtituta eſt,vt in irreformatis & diſſolutis locis, vbi nulla eſt diſciplina, ſeruetur, & nulla etiam ibi maiorum relucent exempla, non tenetur quis tales imitari, qui regulam non obſeruant. Sic ille.] Boni itaque,& ſpirituales viri imitandi ſunt,& ab eorum conuerſatione nullatenus recedendum,quicquid tepidi & imperfecti oblatrent, & nos falsò ſingularitatis accuſent.Horum vitam humilis ſequitur,& minimè viam nouam eundi in cœlum inuenire conatur.Scit enim,perfectionis ſemitas,non nunc denuo apertas fuiſſe hominibus, ſed ab initio à Domino fuiſſe monſtratas. Ac proinde ſatius iudicat alios fœliciter ambulantes ſequi,quàm ſtultis ſe ſequentibus ipſe præire.Totum huius negotium regius Propheta deſcripſit. Non ſedi, inquit, cum conſilio vanitatis,& cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui Eccleſiam malignantium,& cum impiis non ſedebo. Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum,Domine.] Ad illud primum, quod eſt non imitari malos,pertinent illi duo priores verſus,quibus iuſtus ait ſe declinare inanium hominum conſortia,impiorũ conuenticula deteſtari, & conciliabulis peruerſorum haudquaquam conſentire. Nam licèt aliquando inter illos (quia aliter fieri nõ poteſt)corpore ſedeat,longè tamen actione & cogitatione diſcordat. Ad iſtud verò,quod eſt ſequi bonos,pertinet quod protinus ſubinfertur; quo iuſtus affirmat, ſe innocentibus conuerſatione adhærere, à quibus,cùm mundi ſint,minimè timet inquinari. Hi docebunt illum,non quidem palatia regum, & fora ad diſtractionem animi frequentare; ſed in cella, vbi Deus inuenitur, iugiter manere,& ſacris locis aſſidere.

Trithem. ad regul. grad. 8.

Pſal. 25. 4.5.6.

Alterum,quod humiles ſollicitè cuſtodiunt, illud eſt,vt maiorum ſuorum ſequantur exempla. Quodlibet inſtitutum, ſuos maiores,ſuos duces, & anteſignanos habet,à quibus (Deo docente) ab initio proceſſit.Verbi gratiâ,Carthuſiani,Brunonem, & ſocios eius; Prædicatores,Dominicum; Minores,Franciſcũ; minimæ Societatis viri,Ignatium, ac viros illos præcipuos, qui ei adhæſerũt, agnoſcunt auctores.Vnuſquiſque igitur, ſi humilis eſt, maiores ſuos ſibi in exemplum datos imitatur, & illorũ vitam, vt exemplar virtutum, amplectitur. Quædam enim ſunt in via ſpirituali communia, vt fides, ſpes, charitas, humilitas, patientia,contemptus ſæculi, & alia ſimilia, in quibus quemlibet ex perfectis poſſumus æmulari: alia verò ſunt ſpecialia huius vel illius ſtatus, aut inſtituti,vt receſſio ab hominibus,aut conuerſatio cum illis,hoc,vel illud abſtinentiæ genus, & alia huiuſmodi,& in his,vt ſingularitatem vitemus,non quoſlibet,ſed maiores tantùm noſtros ſectabimur. Húncque eſſe ſenſum Beati Benedicti, cùm ait: Nihil agat monachus,niſi quod communis monaſterij regula, vel maiorum cohortantur exempla, aſſerit Cardinalis doctiſſimus his verbis.Non videtur mihi in hoc loco,per maiores, intelligi, vt aliqui voluerunt,Patres antiquos heremitas, qui maximæ fuerũt abſtinentiæ,& laboris,in vigiliis, orationibus, & huiuſmodi obſeruantiis religionis: quia imitari tales ſine expreſſo Abbatis conſenſu, fortaſſe pareret turbationem,& ſcandala in congregatione, & varietatem plurimam inter fratres. Sed per maiores, intelligendi videntur maiores ipſius monaſterij,qui non ſolùm doctrina verbi, ſed exemplo ſanctæ conuerſationis ſubditos ſuos exhortantur ad religionis perfectionem.Sic ille.]Sicut ergo aues (vt ſimili Theodoreti vtar) cantu ſuo aues ſolùm generis ſui ad ſe vocant,& trahunt;alias verò diſſimiles nequaquam alliciunt: ita & homines noſtri inſtituti(nõ verò alieni, & quod cum noſtro pugnat, in eo, quod nobis non expedit) ad ſui imitationem nos prouocent.Hi ſunt montes,quorum myſticè Dauid meminit,dum ait: Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis:turbati ſunt omnes inſipientes corde.]Quia dum iſtos aſpicimus, à Domino, de agendis & vitandis erudimur. Vnde Gregorius ait: Qui enim orientem ſolem contemplari non valet,irradiatos montes aſpicit; & quia ſol ortus ſit,deprehendit. Ex æternis ergo montibus nos Deus illuminat,quia per admiratam vitam Patrum præcedentium, radio nos ſuæ claritatis illuſtrat.Ecce in ſtudio deuotionis Dominicæ, & charitatis,accendimur; ſed in hac deuotione atque charitate melius harum nubium contemplatione formamur. Quid enim deuotius Petro? Quid charius

Turrecr. ibid.

Theodor. in vita 2. Iuliani.

Pſ. 75.5

Greg. l. 7 mor. c. 5

Ioanne? Ille per deuotionem fluida maris dorſa calcare non timuit: iſte per amorem in ipſo auctoris noſtri pectore requieuit, & qui ad corporalis cœnæ refectionem venerat, ſpiritale pabulum de ſinu redemptoris ſumpſit.] Ab his montibus Deus nos illuminat, & ſimul inſipientes turbat: qui dum patres noſtros ſequimur, aduerſarij ſalutis ex profectu noſtro turbantur. Illos autem nec turbaremus, nec vinceremus, ſi antiquorum Patrum exempla non ſequeremur.

Poſtrema humilium cura in hac re eſt, vt ſi ex permiſſione regulæ, & ex conſenſu prælati, aut ſpiritualis parentis, aliquid ſupra alios fecerint, vt ſi ampliùs vigilauerint, durioribus abſtinentiis corpus domuerint, aſperiorem intrinſecus veſtem acceperint, id aut in occulto faciant, aut ſaltem tali circunſpectione, vt alios non offendant. Nullo modo ad ſingularitatem pertinet, ſi quis ex deſiderio maioris perfectionis ampliùs quàm alij faciat, ſi tamen conſentiente prælato faciat; &, ſi regula, licèt non iubeat, at permittat; &, ſi modum viuendi contrarium aut diſſonum inſtituto non inuehat. Id enim viri ſancti atque perfecti ſemper in familiis religioſis præſtiterunt, & nunc præſtant, vtráque impetrata audent, quos temerarium & planè ſuperbiſſimum eſſet ſingularitatis notare. Nam regula illud faciendum præſcribit, quod omnes etiam puſilli facilè cuſtodire valeant. Si autem perfecti viri quaſi gigantes ſunt, & fortes ſpiritu; cur non ampliùs quàm puſilli audebunt; cur non onera maiora præſumant? Et ſicut in Eccleſia vltra præcepta, quorum cuſtodiæ ſalus promiſſa eſt, ſunt quoque data conſilia, quæ feruentiores ad maius meritum poſſunt aſſumere: ita in qualibet religioſa familia, vltra ea, quæ ſunt ſtatutis præſcripta, ſunt alia multò perfectiora & ſublimiora, quæ perfectiores valeant obſeruare. At in his agendis diſcretio ſeruanda eſt, ne dum quis ſuo profectui intendit, aliis minoribus ſcandalo ſit. Diſcretionem autem tenebit, qui in his obſeruantiis non communibus ſe (quantum fieri poſſit) occultauerit; qui, ſi ſecretum omnino tenere non valeat, ſaltem, quaſi alios parui pendens aut iudicans, eas obſeruantias non ipſe præſtiterit: qui denique in his ſe pro poſſe communitati iunxerit, & ea externa, quæ alios ſolent offendere, ſigna maioris dilectionis vitauerit. In quo ſanè à multis bonis alioquin viris peccatur, qui neſciunt ſe aliis accommodare, & intra diſcretionis metas ſuum ſpiritum continere. In quorum perſona ſanctus Dauid ſecundùm Richardum, oculos ſuos, id eſt, defectum ſuæ diſcretionis, accuſat, quòd minimè ſapienter ſe geſſerit, nec *Pſa.118.136.* ad hoc neceſſaria ſeruauerit. Exitus aquarum, ait, deduxerunt oculi mei, quia (ipſi nempe oculi) non cuſtodierunt legem tuam.] Verba Richardi ſubiiciam. *Richard. ibid.* Mirum eſt, ſi non miraris cur non maluit dicere, quia non cuſtodiui legem tuam: ſed ſi, ego non cuſtodiui, diceret, voluntatem vtrique culparet; *Pſa.118.163.* & tunc quomodo illud ſtaret, vbi dicitur: [Legem tuam dilexi?] Oculorum itaque culpa increpatur, oculorum ſolummodo culpa defletur. Nam de pedum officio fidenter Domino canit. *num.32.* Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.] *Pſ.87.10.* Sed & pro manibus proteſtatur, dicens: Tota die expandi ad te manus meas.] Sic de aure, & lingua, cæteriſque corporis membris facilè reperies. Soli hîc oculi redarguuntur; pro ſolis hîc oculis lacrymæ funduntur. Nec enim in aliis etiam membris nunquam peccaſſe contendo. Sed quid ſit quod defleat, diligenter attendo. Quid eſt igitur oculorum culpam deflere, niſi quod in diſcretione erraſſet, ge-

A mendo dolere? Tunc oculus peccat, quando diſcretionis iudicium errat. Multi priuatas obſeruantias communibus inſtitutionibus anteponunt: abſtinentiam obedientiæ præferunt, cùm tamen ſcriptum ſit: Melior eſt obedientia, quàm victimæ.] *Eccleſ.4.17.* Cæterorum membrorum nullum hîc reprehendit; oculorum verò culpam non ſine mœrore graui redarguit. Manus non reprehenditur, pro eo fortaſſis, quòd libenter operabatur. Lingua non reprehenditur, idcirco (vt arbitror) quoniam vera loquebatur. Oculum tantummodo culpabat, pro eo fortè quòd in iudicij diſcretione caligabat. Quid enim aliud eſt, oculum offendere, quàm, ex intentione bona, ſed parum diſcreta, in aliquod malum incidere? Hæc ille.] His tribus obſeruatis, vt nimirum quis inſtitu-B to ac vitæ communi ſe bonorum accommodet; vt maiorum ſuorum veſtigiis inhæreat; & vt in maiori obſeruantia diſcretionem non deſerat, omnem ſingularitatem declinabit, & ſe ex hac parte humilitatis amatorem exhibebit.

De diſtrictiſſimo Humilium ſilentio.

CAPVT IX.

OPTIMI ſunt fructus humilitatis, quos hactenus expreſſimus; ſed qui ſequuntur, licèt minoris momenti, non pro-C pterea contemnendi ſunt, cùm & ab eadem virtute procedant, & eorum oppoſita germina à ſuperbia omnium malorum fonte mentem indicent poſſideri. Et ſicut omnes filios alicuius reginæ clariſſimæ, tum maiores tum minores ſubditi magno honore proſequuntur: ita æquum eſt, vt omnes effectus huius virtutis præſtantiſſimæ, quam ſummis votis concupiſcimus, tam maioris quàm minoris meriti, ſpirituales viri venerentur, ac poſſidere nitantur. Multiloquium fugit humilis, quoniam aptiſſimum eſt inſtrumentum, quo ſuperbia ſe ipſam oſtentat. Verbis enim imprudentèr effuſis, ſuperbus ſuas vilitates, ob quas eſſet deſpiciendus, tegit, verbis ſua talenta & ſuos labores iactat, ac verbis ſæpe mendacibus, quæ nec ſomniauit, ſe feciſſe affirmat, & ea, quorum relatione magnus exiſtimari poſſit, ridiculè exaggerat. Eſt quippe tam potens verbum hominis, vt te-D gat, & detegat; efferat, & extenuet, & oppoſita ſæpe conſtituat. Ex ipſo ore procedit maledictio & benedictio.] *Iacobi 3.10.* Ex eodem naſcitur verbum, quo ſuperbè te ipſum excuſas, & proximum inſolenter accuſas: quo malè geſta eleuas, & bene facta prædicas: quo tantillum à te elaboratum auges, & à multis rectè factum tibi ſoli tribuis, & ab aliis ſuos labores ac merita ſuffuraris. Ex arrogantia tua factus es ſicut Eliu apud Iob. Plenus ſum, dicebat ille, ſermonibus, *Iob.32.18.19.* & coarctat me ſpiritus vteri mei. En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit.] Tanta enim ad laudem tuam ſpectantia cogitas, tanta conſideras, vt mens tua anguſtias ſentiat, velut mulier parturiens, niſi quod E concepit effundat. En ſicut muſtum in vtrem vel lagenam iniectum, vndique clauſam eam ſuo feruore diſrumpit: ita quaſi ruptionem cordis times, niſi quæ ad tuam gloriam inanem augendam cogitaſti, loquaris. Omnia ſcis, & nihil eſt, quod ignores; omnia dicis, & in nulla occaſione tacere vales, ſi ſcientiæ opinionem captare poſſis. Videbiſque tuum ingeniū egregiè à Bernardo deſcriptum. De homine namq; iactantiæ ſpiritu pleno hæc ait: Eſurit, & ſitit

Bern. de grad. Humil. grad. 4.

A auditores, quibus ſuas iactet vanitates, quibus omne quod ſentit, effundat: quibus qualis & quantus ſit, innoteſcat. Inuenta autem occaſione loquendi, ſi de litteris ſermo exoritur, vetera proferuntur, & noua, volant ſententiæ, verba reſonant ampulloſa. Præuenit interrogantem, non quærenti reſpondet. Ipſe quærit, ipſe ſoluit, & verba collocutoris imperfecta præſcindit. Cùm autem pulſato ſigno neceſſe eſt interrumpi colloquium: horam longam breue queritur interuallum; quærit licentiam vt ad fabulas reuertatur poſt horam, non vt quempiam ædificet, ſed vt ſcientiam iactet. Ædificare poteſt, ſed non ædificare intendit. Non curat te docere, vel à te doceri ipſe, quod neſcit, ſed vt ſcite ſciatur, quod ſcit. Quòd ſi de religione agitur, ſtatim viſiones & B ſomnia proferuntur. Deinde laudat ieiunia, commendat vigilias, ſuper omnia orationes exaltat. De patientia, de humilitate, & de ſingulis virtutibus pleniſſimè, ſed vaniſſimè diſputat, vt tu ſcilicet, ſi audieris, dicas, quòd [ex abundantia cordis os loquitur:] & [quia bonus homo ex bono theſauro ſuo profert bona.] Si ad ludicra ſermo conuertitur, in his quanto adſuetior, tanto loquacior inuenitur. Dicas, ſi audias, riuum vanitatis, fluuium eſſe ſcurrilitatis os eius, ita vt ſeueros quoque, & graues animos in leuitatem concitet riſus. Sic Bernardus.] Et iſta ſunt arma ſuperbi hominis, & arrogantis, vt qui non habet opera, quibus apud homines valeat, habeat ſaltem verba, quæ luceant.

Luca 6. 45. Matth. 12. 35.

Si autem loquacitas à ſuperbia manat, conſe-C quens eſt, vt diſcreta taciturnitas ab humilitate procedat. Tacet humilis, vt dona de manu Domini accepta ſilentio contegat, & ſeruet, ne quod multi gemitus & multi labores pepererunt, vnum verbum ſtultè prolatum effundat. Etenim [ſacramentum regis abſcondere, bonum eſt:] & ſimiliter vtile eſt nobis ad fugiendam iactantiam theſauri in corde noſtro depoſiti abundantiam occulere. Nam [ſicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu: ita vir, qui non poteſt in loquendo continere ſpiritum ſuum.] Ab vrbe quippe, quæ muris careat, ſæpe aliqui egrediuntur, qui eam hoſtibus produnt. Et ab eo, qui tacere neſcit, non ſemel ſermones exeunt, qui ſpiritum deuotionis exhauriunt, & cordis ariditatem, & mentis obſcuritatem, inuehunt. Qui D verò tacet, facilè conceptam deuotionem cuſtodit.

Tobiæ 12. 7.

Prou. 25. 28.

Iuſt. li. de diſcipl. monaſt. c. 15.

Nam, quemadmodum ignis, ait Laurentius Iuſtinianus, quanto magis in vnum colligitur, tanto ampliùs nutritur, & flammas euaporans, ſurſum impetuoſiùs erumpit: ita & mens cùm diutiùs intra ſe commorata fuerit, & ardentiùs per amoris incendium vrit in ſe, & per deſiderium eleuatur in Deum. Sed ſi tunc verba quædam protulerit, tota ignita, ſapientiæ nectare condita, veritatis ſplendore irradiata, & diuinarum laudum ſuauitate plena erunt.] Silentium proinde opes partas ſeruat, aſſeruatas auget, auctas ad vtiles ſermones congruo tempore proferendos impellit.

Tacet etiam humilis, ne in mala loquacitatis incurrat. Nam humilitas, quæ circunſpecta eſt, ab iis E cauet, in quibus maiora inſpicit decidendi pericula. Nihil eſt autem loquacitate periculoſius, nihil multiloquio inſipientius. Multiloquium namque (vt quidam Patrum dixit) eſt inſipientiæ argumentum, detractionis porta, manuductor ſcurrilitatis, mendacij miniſter, compunctionis reſolutio, acuitatis intelligẽtiæ diſperſio, acediæ cõditor, diſſipatio mentis, frigefactio feruoris, obnubilatio orationis.] Et Hugo Victorinus his addit: Lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahẽdo, attrahit mentiendo, ligat,

Hug. li. 3. de anima c. 30.

& ligari non poteſt. Labilis eſt, & teneri non poteſt, ſed labitur, & fallitur. Labitur vt anguilla, penetrat vt ſagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, mouet rixas, ſeminat diſcordias, vno ictu multos percutit, & interficit; blanda eſt, & ſubdola; lata, & parata ad exaudienda bona, & miſcenda mala. Qui cuſtodit linguam ſuam, cuſtodit animam, quoniam mors & vita in poteſtate linguæ eſt. Sic ille.] De eo, qui loquacitatem non comprimit, ait Dauid: Vir linguoſus non dirigetur in terra: virum iniuſtum mala capient in interitu.] Non proſperabitur, inquam, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, qui ex otioſis ad pernicioſa tranſiens, & alios verbis lædens grauiter, linguæ ſuæ imperare neſcit. Et qui iniuriis & ſannis afficit proximum ſuum, aduerſitatibus corripietur, & condigna iniuſtitiæ ſuæ in extremis pœna mulctabitur. Nec timorem iuſti cuſtodiunt, ex eo quòd noxia & pernicioſa non dicant, niſi etiam minora deuitent, quia facile eſt ex minoribus ad maiora, & ex vanis ad mala tranſire. Qui enim dimittit aquam, caput eſt iurgiorum, & ante quam patiatur contumeliam, iudicium deſerit.] Sicut cùm aliquis, ait Salomon, aquas ſtagno cohibitas aperit, exitumque eis præbet, iurgia ſeminat: quia facile eſt riuulum aperire, non tamen claudere; ex quo magnæ inundationis, atque adeò iurgiorum cauſſa, præſtatur: ita prorſus, qui linguam non refrænat, vt Gregorius, & Beda interpretantur, concordiam diſſipat. Is antequam accipiat contumeliam, iudicium & æquitatem in loquendo deſeruit; quoniam niſi ineptè loquutus fuiſſet, numquam contumeliam ab eo quem læſit, recepiſſet. Bene ergo dixit Sophar apud Iob: Numquid qui multa loquitur, non & audiet: aut vir verboſus iuſtificabitur?] Ac ſi diceret: Non. Nam qui paſſim, & ſine diſcretione multa loquuntur, impatientes ſunt ad audiendum, totúmque temporis ſpacium volunt ſibi ad ſermones effundendos præripere. Et multiloquio dediti, quanto magis pro excuſatione ſuarum culparum blaterant, tanto magis ſeipſos accuſant.

Prou. 21. 23.

Pſ. 139. 12.

Prou. 17. 14.

Gregor. 7 mor. c. 24. Beda. ib.

Iob. 11. 2.

Sed iam perſcrutemur quænam ſit iuſtorum humilium taciturnitas? Certè ab eis non exigitur, vt penitus numquam loquantur. Dedit quippe Deus homini linguam, & loquendi poteſtatem, vt ſenſa ſui cordis aperiret. Optiméque à Philone expoſita eſt multiplex ſermonis vtilitas. Sicut equi, ait, hinnitus eſt proprius, latratus canis, bouis mugitus, rugitus leonis; ſic ſermo hominis. Hic eſt enim propriè munimentum, indumentum, armatura, & ars hominis animalis Deo chariſſimi. Et quemadmodum doloribus, timoribus, aliiſque malis preſſos fauor, ſedulitas, dexteritáſque amicorum ſæpe refouet: ſic non ſæpe, ſed ſemper, grauiſſima onera, quæ in nobis imponit, vel corporis coniuncti neceſſitas, vel externus caſus aliquis ex improuiſo irruens, dimouet præſentiſſimum ſermonis rationiſque remedium, qui ſocius & amicus familiariſſimus à natura nobis eſt non tam additus quàm agglutinatus, vt inuiſibiliter, ſic inſolubiliter, ideò præmonet quid conferat; & ſi quid ſecus accidit, quàm volumus, non vocatus ſuccurrit, præſtans, non alterum tantùm officium, vt adiuuet ſine conſilio, vel conſulat ſine auxilio, ſed vtrumque pariter. Neque enim vires habet ſemiperfectas, ſed omnibus partibus integras. Hæc ille.] Cùm tam eximia ſit ſermonis vtilitas, ſanè loquendi facultas data nobis non eſt, vt eam ſegnem & otioſam habeamus. Eſt ergo taciturnitas humilium in hoc poſita, vt niſi interrogentur, penitus non loquantur. Quæ beati Benedicti ſententia ad iuniores religioſos dicta eſt, comparatione maiorum. Hi enim ſi coram ſnis præ-

Phil. li. de ſomniis.

latis appareant, debent humiliter, modeſtè, & ſubmiſſa voce neceſſaria interrogare, ſi verò nulla inſtet interrogandi aut diſcendi neceſſitas, debent tacere. At cùm minores cum minoribus, ſeu æquales cum æqualibus, aut etiam maiores cum minoribus conuerſantur, non oportet, ad virtutem humilitatis ſeruandam, interrogationem expectare, ſed ſolùm opus eſt, vt quis prudenter loquendi regulas ſeruet.

Nam in loquela, noxia, inepta, & otioſa penitus vitanda ſunt; & generaliter omnia illa vitia linguæ radicitus euellenda, de quibus ſuprà multa iam diximus. Eſt enim lingua mentis inſtrumentum, Dei laudibus promendis deputatum, quod planè ſtultum eſt verborum ſordibus inquinare. Vnde Baſilius: Vitandæ autem omnes omnino facetiæ, & ſcurrilis dicacitas, ſunt. Siquidem fieri ſolet plerumque, vt qui ſe ſe in rebus iſtiuſmodi occupant, ij rectam rationem deſerant: quippe cùm ex eo illud fiat, vt animus ad ridicula diffundatur, & in tacita ſecum cogitatione grauitatis ſeueritatiſque neruos omnes elidat. Quin incidit ſæpenumero, vt iſtiuſmodi contagio ſenſim proſerpens, poſtremò ad verborum turpitudinem, & abſurdam, atque extremam obſcœnitatem delabatur. Ex quo ſanè colligitur, peruigilem & attentam animi excubationem, cum facetiarum diffuſione ſimul cohærere non poſſe.] Non dedecet tamen aliquando ad recreandum animum, ſermonem aliquem de mediis, ſiue indifferentibus, ſine offenſione alicuius, admittere. Quare idem Beatus Pater hæc ſubdit. Cæterùm ſi vſus etiam inciderit aliquando, vt remittendæ aliquantulum triſtitiæ cauſsâ, ſermone ad hilaritatem excitemur: enimuero danda omnino opera eſt, vt ſpirituali lepore referta ſit oratio noſtra & Euangelico ſale condita, vt rectæ, quæ interiùs ſit ſapientiæ, gratum foras odorem aſpiret, dupliciterque auditorem, & animi relaxatione, & intelligentiæ feſtiuitate delectet. Sic ille.] Sed verba hæc, quæ pro animi remiſſione dicuntur, non aliter quàm medicamenta accipienda ſunt. Vt quemadmodum medicamenta in ea menſura ægrotis adhibentur, quæ ſalutem afferat, & ſi huic fini non ſit accommoda, non iam vt menſura medicaminis, ſed vt exitij cauſſa reiicitur: Ita illos de rebus indifferentibus, ô vir Dei, ſermones admitto, quos præſens neceſſitas corporis, & fragilitas capitis popoſcerit, non quos mentis tepiditas ac diſtractio poſtulauerit.

Supr. l. 2. P. 2 c.

Baſi. cõſt. mon. c. 13

Admittenda autem & proferenda ſunt verba, quæ loquentem, ad finem propoſitum iuuent, quæ audientes ædificent, vel certè, quæ ad negotia neceſſaria tractanda conferant, prout ſtatus & conditio cuiuſque petierit. Si verba ad ſpiritualem ipſius loquentis vtilitatem proferantur, fit illud Salomonis: De fructu oris ſui vnuſquiſque replebitur bonis;] quia non ſolùm pro rectè dictis, ſicut & pro rectè factis mercedem accipiet, verùm & affectum ſuum paſcet, & ad omne bonum roborabit. Si verò ad ædificationem aliorum dicantur, euenit illud eiuſdem Sapientis: Vena vitæ os iuſti:] nam ſicvt ex fonte largiſſimæ aquæ ad refrigerium, & munditiam bibentium, & ſe lauantium, emanant: ita ex ore iuſti & humilis, procedunt verba, quæ audientes inſtruant, & ad virtutis ac vitæ æternæ deſiderium accendant. Nec ſolùm bona dicenda ſunt, verùm & debitis circumſtantiis ornata. Ad quod facit illud Gregorij: In omni, quod dicitur, neceſſe eſt, vt cauſſa, tempus, & perſona penſetur: ſi verba ſententiæ veritas roboret; ſi hanc tempus congruum poſtulet; ſi & veritatem ſententiæ, & congruentiam temporis perſonæ qualitas non impugnet. Ille enim laudabiliter ſpicula mittit, qui priùs hoſtem, quem feriat, conſpicit. Malè namque arcus validi cornua ſubigit, qui ſagittam fortiter dirigens ciuem ferit.]

Prou. 12. 14.

Prou. 10. 11.

Grego. 6. mor. c. 18

Sed, vt breuiter orationem ſilentij concludamus, ille (vt mihi quidem videtur) ſciet prudenter loqui, qui priùs ori ſuo vectem taciturnitatis impoſuerit, ac tacere didicerit. Non enim ſine myſterio dixit Eccleſiaſtes: Tempus tacendi, & tempus loquendi.] Quia, vt ait Hugo Victorinus, tempus tacendi, tempus loquendi præcedere debet; quia priùs per ſilentium diſcitur, quod poſtea per verbum tempore loquendi proferatur.] Et Ambroſius rectè putat meliùs à Dauide, quàm à Pythagora traditam eſſe doctrinam ſilentij; quia hic docuit munus naturæ minuere, ille regere. Philoſophus ille docuit ſilere, hic docuit ſilentio facultatem ad bene loquendum acquirere. Ille dixit diſcipulis ſuis; Per quinquennium tacebitis: hic impoſuit oſtium ori ſuo, & dixit: Cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.] Ad hoc vias ſuas cuſtodiuit, non vt numquam loqueretur, ſed ne malè loqueretur; & vt per diſciplinam ſilentij ad bene loquendum perueniret. Silentium igitur humili cuſtodiendum eſt, vt eo diſcat rectè loqui, & vt poſſit impedimenta perfectionis auertere. Non enim mediocriter, vt Bonauentura ait, cooperatur ad perfectionem religioſo homini virtus ſilentij; quia ſicut in multiloquio non deerit peccatum, ſic breuiter & rarò loqui ad hoc valet, vt homo caueat ſibi à peccato. Pro nimia loquela frequenter ſequitur iniuria tam Dei quàm proximi. Sic ex ſilentio nutritur iuſtitia, ex qua velut ex quadam arbore colligitur fructus pacis. Vnde cùm clauſtralibus pax ſit ſummè neceſſaria, valde neceſſarium eſt eis ſilentium, per quod pax eis tam cordis quàm corporis conſeruatur. Propterea Iſaias Propheta virtutem ſilentij conſiderans, ait: Erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium.] Quaſi diceret: Tantæ virtutis eſt ſilentium, quod in homine conſeruat Dei iuſtitiam, & inter proximos pacem nutrit, & cuſtodit.] Hoc inſtrumentum perfectionis, & ſignum internæ humilitatis teneamus, quod nulla difficultate nos premit. Difficile namque eſt rectè loqui, & verba ſapientiæ plena proferre: at facillimum eſt viro humili, ſiue ſapiens, ſiue ignarus ſit, verba non fundere. Sapiens libenter tacet vſque ad tempus, vt ſua verba non inutiliter ſeminet, & vt habeat vnde proximo vtilia depromat. Ignarus quoque libenter tacet, quia melius putat (vt verè eſt) quę neſcit, non dicere, quàm riſui audientium exponi. Vterque autem præbet humilitatis indicium; quoniam in iſto humilitas eſt, ſilentio ſuam imperitiam fateri; & in illo taciturnitate adeptam ſcientiam occulere. Sic vterque hominibus fit amabilis: ille, quia illos vt fratres aſpiciens, eis ſuum defectum aperire non timet: & hic, quia cùm ſciat aſtantes docere, ſimilis illis, qui doctrina indigent, apparere non erubeſcit.

Eccl. 3. 7. Hugo. ſi.

Ambr. 1. offic. 4.

Pſ. 38. 1.

Bonau. de perf. vitæ c. 4.

Prou. 10.

Iſaie 32. 17.

De Moderatiſſimo Humilium riſu.

CAPVT X.

NON ſolùm humiles, ſunt ſilentio & taciturnitate conſpicui, verùm & ſunt riſu moderati, vt dum deuotionis ſpiritum cenſurâ ſilentij continent, riſus immoderantiâ non effundant. Quæ

procul dubio non minùs quàm loquacitas ſolet quieti mentis officere, & donum compunctionis funditus diſſipare. Iam autem ſtatim apparet, quo pacto ab humilitate riſus moderatio naſcatur. Humiles enim, ſunt prudenter verecundi, & in ſuis actibus circumſpecti, caſta autem verecundia, & prouida circumſpectio, riſum cohibet, & vocem ac cachinnos reprimere conſueuit. Ridendi facultas ab ipſa natura nobis conceſſa eſt, qua cùm aliquid nouum nobis gratum, vel aliquid feſtiuum percipimus, ſigna hilaritatis exhibemus. Quare in mediis rebus, ponenda eſt, quibus poſſumus bene vti, vel quas ſolemus in malum vſum aſſumere. Humiles igitur, vt hac facultate ridendi bene vtantur, aliqua documenta modeſtiæ, prudentia docente, cuſtodiunt. In locis enim, ad grauia & ſeria deputatis, omnino non rident, &, ſi aliquid ex aliorum culpa ibi dignum riſu dicatur, aut fiat, magna ſeueritate riſum cohibent. Et meritò; quoniam ſi apud ethnicos (vt teſtatur Ælianus) in academia ridere non licuit, quanto minùs apud nos in Eccleſia, aut in choro, aut in gymnaſio, aut in triclinio, aut in aliis locis, vbi ad ſeria conuenimus, ridere licebit? Certè ibi habenas riſui laxare, aut puerorum eſt, aut hominum perfrictæ frontis, qui neſciunt expendere, quanta illis locis, & congregationi, quæ ibi conuenit, reuerentia debeatur.

Aelia. li. 3. varia hiſt. c. 35.

Deinde cùm grauia, & alicuius momenti negotia in quocumque loco tractantur, abſurdum eſt, riſui licentiam ſe oſtentandi concedere. Cùm certum ſit, ab eo tolli neceſſariam animi grauitatem, & aſtantes, ad impatientiam aut etiam indignationem prouocari. Tempus flendi, & tempus ridendi,] inquit Salomon: nec tempora iſta confundenda ſunt, vt ridere libeat, quando aut flere, aut aliquid ſerium dicere ſeu agere debeamus. Promiſit Dominus Abrahæ filium, in quo benedicendæ eſſent omnes gentes, & riſit Sara hæc audiens, quaſi de euentu promiſſionis addubitans. Riſit occultè, ait ſcriptura, dicens: Poſtquam conſenui, & dominus meus vetulus eſt; voluptati operam dabo?] A Domino autem, ſiue Angelo, qui ipſum referebat, leuitatis reprehenſa eſt. [Quare, inquit, riſit Sara, dicens: Num verò paritura ſum anus? Et cùm illa negaret timore perterrita, iterum reprehenditur. Cui dictum eſt: Non eſt ita, ſed riſiſti.] Quare pia mulier ita anguſtatur, & ad ruborem adigitur, niſi quia in occaſione tam graui attentè quidem audire, ac Deo pro filio promiſſo gratias agere debuit, & omnino ridere non debuit? Nec mirum quòd & ipſe Abraham in ſimili cauſſa iterum riſum habuit, & non fuit à Domino reprehenſus. Nam ſacer textus ait: Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit.] Non, inquam, id mirum; quoniam non ex incredulitate, aut dubietate, ſed ex abundantia fidei riſit: & riſu ſuo, vt teſtatur Ambroſius, Chriſtum Saluatorem ſignificauit ex ſe naſciturum, qui eſt vniuerſa mundi lætitia. Aut fortaſſe & in hoc myſterio, inquit, prophetauit Abraham Dominum Ieſum, quòd per ſuſceptionem Dominici corporis, & reſurrectionem, tanti complenda oraculi foret gratia.] Ille quidem Dominus, qui verus riſus noſter eſt, quia ſemper grauia & maximi momenti negotia egit, multis doctoribus affirmantibus, in tota ſua vita omnino non riſit. Quorum vnus, ſcilicet Chryſoſtomus, explicans illud Pauli: Turpitudo, & vaniloquium, & ſcurrilitas nec nominetur in vobis;] ſic ait, vt in locis ſacris, aut inter ſeria riſum damnet: Cum turpitudine & ſcurrilitatem poſuit, tu autem rides. Vaniloquium quid eſt? Quod nullam habet vtilitatem, vel omnino rides, & effundis faciem tuam, qui monachum profiteris, qui crucifixus es, qui luges, rides. Dic mihi, vbi Chriſtus hoc fecit? Audiſti hoc alicubi? Numquam, ſed contriſtatum quidem ſæpius legiſti. Etenim quando Hieruſalem vidit, lacrymatus eſt: & quando tardiorem intellexit, turbatus eſt: & quando Lazarum ſuſcitaturus erat, plorauit; tu autem rides. Si propter aliorum peccata quis non dolet, accuſatione dignus eſt: qui in ſuis, ſine dolore exiſtit, & ridet, quali venia dignus erit? Tempus eſt luctus, & tribulationis, ſub afflictione & ſeruitute certaminum, & ſub doloribus res agitur, & tu rides? Non intueris quomodo increpata eſt Sara? Non aduertis Chriſtum dicentem: Væ vobis, qui ridetis, quoniam plangetis?] Iſta pſallens per ſingulos dies, quid dicis? Dic mihi, num alicubi dicis, quoniam riſi? Nequaquam. Sed quid? Defeci in gemitu meo. Fortaſſe etiam ſunt aliqui ita diſſoluti, & remiſſi, vt etiam in hac increpatione rideant, quoniam de riſu diſputamus. Etenim talis eſt dementia, talis eſt ſtupor, neque increpationem ſentit. Stat ſacerdos Dei orationem faciens cunctorum, tu autem rides, nihil times; & ille quidem timens, orationem pro te offert, tu autem contemnis, non aduertis ſcripturam dicentem: Væ contemptoribus. Non contremiſcis, non colligis temetipſum? Et in aulam quidem regiam intraturus, & habitu & oculis, & inceſſu, & in cunctis aliis componis, & ornas temetipſum: huc autem ingreſſurus, vbi verè aula eſt regia, & talis, qualis cœleſtis eſt, rides? Hæc dicta ſint cum Chryſoſtomo in reprehenſionem illorum, qui in locis ſacris, aut rebus alioqui grauioribus deputatis, aut inter ſeria negotia non verentur riſui indulgere, qui certè tamquam pueri, vel tamquam ſtulti, eſſent à conſeſſu ſapientum ablegandi.

Eccl. 3. 4. — *Gen. 18. 12.* — *n. 15.* — *Gen. 17. 17.* — *Amb. l. 2. de Abra. c. 11.* — *Epheſ. 5. 3. 4.* — *Chryſoſt. hom. 15. ad Hebr.* — *Luc. 6. 25*

At animi remittendi gratia, licet humilibus ridere, dummodo in riſu menſuram rationis & virtutis obſeruent. Ea autem eſt, vt de re obſcœna, aut minùs honeſta, non rideant, ſed magis erubeſcant, & ſuæ iniuriæ tribuant, ſi coram illis aliquid indecens proferatur. Vt de malo etiam alterius, ac de re illi moleſta riſum non admittant, ſed potiùs cum triſtitia affecto triſtentur. Vt denique moderatè rictum diducant, & cachinnos, ac ſubſultationes euitent. De quo pulchre ait Clemens Alexandrinus: Vrbanè ergo, & lepidè loquendum eſt, non riſus autem mouendus: quin etiam ipſe riſus eſt comprimendus. Nam ipſe quoque ſi quomodo oportet, profeтatur, præ ſe fert decorem, & honeſtatem: ſin aliter prodeat, indicat intemperantiam. Nam, vt ſemel dicam, quæcumque ſunt naturalia hominibus, ea ab illis minimè tollenda ſunt, ſed eis potiùs modus, & conueniens tempus adhibendum eſt. Non enim quoniam homo eſt animal vi ridendi præditum, ideo perpetuò ridendum eſt, quandoquidem nec equus, cuius eſt proprius hinnitus, ſemper hinnit. Tamquam autem animalia ratione prædita, oportet nos temperatè componere, ſtudij noſtri acrimoniam, & nimiùm intenſam vehementiam moderatè remittentes, non autem inconcinnè diſſoluentes. Quæ vultus enim tamquam alicuius inſtrumenti ſit per harmoniam decora remiſſio, appellata eſt ſubriſio. Ita appellata eſt diffuſio, & exhilaratio, & riſus eorum, in quorum vultu reſidet modeſtia. Immoderata autem, & inconcinna vultus diſſolutio, ſi ſit quidem in mulieribus, appellatur riſus immodeſtus, & laſciuus: id eſt autem riſus meretricius: ſi autem in viris, cachinnatio. Eſt autem hic procorum riſus inſolens, & proteruus. Stultus autem in riſu extollit vocem ſuam,] inquit ſcriptura: [Vir autem aſtutus vix ſenſim ſubridebit.] Aſtutum

Clem. Alex. 2. pædag. c. 5. — *Eccl. 21. 23.*

autem

autem nunc dicit prudentem, qui contrario modo quàm ſtultus affectus eſt. Hæc ille.] Riſus itaque in animi remiſſionibus non impetu erumpat, ſed ex rationis imperiō moderatus exeat. Ratio, inquit Auguſtinus, præueniat riſum tuum. Nihil enim fœdius riſu irriſione digniſſimo.] Non irruat in nos vt hoſtis, ſed vt ſeruus ad miniſterium vocetur. Nec nobis imperet, ſed potiùs imperemus illi, & vſque ad limites per virtutem impoſitos illum progredi ſinamus. Eſt enim riſus effuſus, & incontinens, ſignum manifeſtum cordis diſtracti, & inanis. Et ſicut [ex abundantia cordis os loquitur:] ita ex abundantia cordis os ridet. Cótque, vanitatis & ſenſuum ridiculorum plenum, ſe per riſum immoderatum effundit. Da hoc riſu ait Iacobus Apoſtolus: Riſus veſter in luctum conuertetur, & gaudium in mœrorem:] quia poſt inſipientem riſum, & inane gaudium, conſcientia dolet, & intemperantiæ noſtræ nos reprehendit. Dominus quoque ait: Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.] Quis nunc ridet? Ille quidem, qui ſecundùm morem huius ſæculi ridet. Ille, qui virtutis oblitos, & ex iis, quæ nunc accidunt, omnino diſtractus ridet. Ille, qui præſentia cogitans, & futura non proſpiciés, ridet. Hunc fletus & luctus manet; vel duplex luctus; alter, quo ſuam inuerecundiam lugeat; alter, quo meritū modeſtiæ & ſeueritatis perditum defleat.

Aug. li. 1. cont. Academ. 3. diſp. 2. *Matth. 12. 34.* *Iaco. 4. 9.* *Luc. 6. 25.*

Sic autem humilis riſum moderabitur, ſi eum rarò admittat, ſi ſtatum ſuum cogitet, ſi multiplices cauſſas dolendi conſideret. Riſus igitur viri religioſi ſit rarus, de quo Bernardus, & meritò ſuum laudat Malachiam. Riſus eius, inquit, index charitatis, aut prouocans charitatem, rarus tamen & ipſe. Equidem interdum eductus, excuſſus numquam: qui ita nunciaret cordis lætitiam, vt ori gratiam non minueret, ſed augeret. Tam modeſtus, vt leuitatis non poſſet eſſe ſuſpectus; tantillus tamen, vt hilarem vultum ab omni triſtitiæ næuo vel nubilo vendicare ſufficeret. Erit autem riſus rarus, aut minùs frequens, ſi occaſiones ridendi & iocandi vitemus. Ad quod hortatur nos Salomon: Melius eſt, ait, ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij;] in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum ſit. Si meliora, inquit, & vtiliora eligenda ſunt, longè melior eſt domus luctus, vbi exequiæ celebrantur, quàm domus conuiuij, vbi epulæ lautæ & opiparę apponuntur: quare illa eligenda eſt, iſta vitanda. Vel per domum luctus, domum religioſam; & per dumum conuiuij, locum inanium recreationum intelligit, & ſatius eſt in illa manere, quàm iſtam adire. Certè Chryſoſtomus per domum luctus, domum religioſam intellexit. Verè, inquit, domos luctus monaſteria ſunt, vbi cinis, atque cilicium, vbi ſolitudo, vbi riſus nullus, nullus negotiorum ſæcularium ſtrepitus, vbi ieiunia, vbi terrenorum duritia lectulorum: ibi munda ſunt omnia; nullus ibi nidoribus lo. us, abſunt procul ſanguinis riui, perturbationes, curæ, tumultus, tranquillo in portu nauigant, ac veluti luminaria ſunt, ſublimi de loco nauigantibus fulgore ſuo iter aperientes. In littore placidu ſedent, omnes ad quietem ſuam inuitantes, ac pertrahentes, neque naufragium pati ſinentes eos, qui ſe intuentur, non permittunt in tenebris degere eos, qui ſuas aſpiciunt ſedes. Perge itaque ad illos, quære, hoſpitio ſuſcipe, accede, tange ſacros pedes. Longè enim honorabilius eſt, illorum pedes, quàm aliorum caput, attingere. Hæc ille.] Si iſta eſt domus luctus; domus profectò riſus erit, vbi hæc omnia deſunt virtutis inſtrumenta, & nugis, ac ſcurrilitatibus, & verbis otioſis ora laxamus. Melius eſt ergo, & ſecurius, illam quàm iſtam adire. Melior eſt ira riſu:] illa ſcilicet ira, qua corrigitur in homine animus ſui ipſius delinquentis. [Et cor ſapientiū vbi triſtitia eſt, & cor ſtultorum vbi lætitia.] Quis ergo ſapiens occaſiones ridendi & iocandi non vitabit? commoditatem verò fletus compunctioniſque ſuſcipiet?

Bern. in vita Malachiæ. *Eccl. 7. 3.* *Chryſoſt. hom. 14. in 1. ad Timoth.* *Eccl. 7. 4.* *Ibid. 5.*

Fugies quoque, ô religioſe, riſus immoderantiam, ſi ſtatum tuum cogites. Profeſſus es namque ſtatum lamentii & pœnitentiæ: ſtatum, in quu ob peccata tua doleas, terrena faſtidias, cœleſtia ſuſpires, virtutem quæras, mentis puritatem concupiſcas. In hoc autem ſtatu tam graui, tam ſublimi, tam pleno dignitatis, abſurdum eſt, ſi more hominum ocioſorum riſui, & iocis, & ſcurrilitatibus vaces. Humilitatem quæris? Sed illam non in riſu, non in vana & effuſa lætitia, ſed in luctu & triſtitia reperies. Quaſi lugens, & contriſtatus, inquit Dauid, ſic humiliabat.] Sic humiliaberis, ſi quaſi lugens & contriſtatus incedas, non ſi ineptè hilaris, & ſtultè lætus progrediaris. Statum religioſum profiteris? Sed ille crux eſt, in qua cum Paulo crucifixus es mundo: quomodo in cruce ridere & iocari poteris? Certè qui in cruce pendet, vehementi dolore torquetur, & præ dolore ridere non poteſt. Mirum autem erit, ſi tu è cruce vitæ religioſæ pendens, & doloribus pro anteactis peccatis plenus, & deſiderio magno, quod cruciat animum, virtutum accenſus, dignum ducas riſum admittere? Equidem puto, pro illa hora, in qua rides, te à cruce deſcendiſſe, & profeſſiunem religioſam quaſi obliuioni mandaſſe. Sed aduerte, quæſo, quia Dominus tuus, quem ſequeris, à cruce deſcendere noluit, & vſque ad mortem in illa pependit: non erit autem tibi tutum, Domini magiſtrique tui exempla præterire, & mores atque ſtudia imperfectorum ſequi. Status ergo tuus, te ab immoderato riſu auocet, & ſanctæ grauitatis admoneat.

Pſ. 34. 14.

Vitabis denique riſus effrænationem, ſi multiplicem cauſſam inſtantem doloris & mœroris conſideres. Ipſe mundus, in quo habitamus, licèt actione riſum accipiat, rationis momēns riſum damnat. Vnde Auguſtinus: Intelligamus, & diſcernamus iſta duo tempora ſatis vtiliter ũmēdi, & ridendi. Quamdiu enim ſumus in hoc ſæculo, non eſt ridendum, ne poſtea ploremus.] Immò & ipſe riſus ſe damnat: quia immenſa damna religioſo immoderatè ſe effundenti conciliat. Riſus enim, & procacitas (inquit ſanctus Ephræm) monachum deprimit. Dixit quidam ſanctorū de licentia loquens: Licentia véius eſt æſtuās, monachi fructus corrumpens. De riſu autem, iam audi: Riſus beatitudinem luctus exterminat. Riſus non ædificat. Riſus non cuſtodit, immò deperdit, ædificiáque deuaſtat. Riſus ſpiritum ſanctum contriſtat: animæ obeſt, & corpus corrumpit. Riſus virtutes expellit: non meminit mortis, neque ſupplicia cogitat. Aufer à ma riſum, Domine: luctúmq; ac gemitũ mihi concede, quem à me ipſe requiris, Deus.] Pellunt riſum tot cauſſæ lugendi, quæ nos in omni ætate circumdant. Peccatorum amaritudines, & conſcientiæ torſiones needum à nobis abiecimus, timore pœnarum, quæ nos ob peccata in futurum manent, conſtringimus: aduerſitatum anguſtiis, & proſperitatum fallaciis coarctamur. Mors aduolat, iudicium inſtat, infernus infremit, creaturæ, quibus abuſi ſumus, accuſant: quæ oculis circunſpicimus, nos minoris fidelitatis arguunt. Exules ſumus, & peregrini, in valle miſeriarum poſiti, ſpiritalium bonorum indigentia preſſi, ægritudinibus affecti, paſſiunibus compediti, & mille aliis malis circumſepti. Et quomodo ridere, & ſubſultare, & cachinnari libebit? Hæc igitur ridendi cauſſas auertāt, & ſi interdum aliqua occaſio riſus

Aug. ad Pſal. 51. *Ephr. ſer. non eſſe ridendū.*

incideric,

A incideit, quæ, diſcretione dictante, non videatur ablegauda; ſit riſus noſter moderatus, ſit circunſpectione conditus, ſit non in longum tempus protractus, quem (vt humiles, & ſuum exilium lugentes decet) poſt paululum intus animæ compunctio, & extrà ſerena grauitas, & grauis ſerenitas vultus excipiat.

De Circunſpecta Humilium loquela.

CAPVT XI.

HVMILITAS cultores ſuos non elingues, ſed bene loquentes facit, non loquelam penitus vetat, ſed eam moderatur, & regit. Quare poſtquam ab humilibus taciturnitatem petit, & in B eis riſum cohibet, iam loquelam diſcretionis, ſale & modeſtiæ decore conditam expoſcit. Efficit, inquam, vt humiles ſubmiſsè, grauiter, & circunſpectè loquantur; vt non niſi pauca verba, & vtilia, ac rationi conſona proferant, vt ea, quæ ab humili corde digna ſunt progredi, ſolummodo dicant. Quæ autem in ſermone cuſtodienda ſunt, ad duo capita poſſunt referri, quorum alterum ad modum loquendi; alterum, ad res, de quibus loquendum ſit, pertinet.

In modo loquendi iſta ſeptem, quæ ſubiiciam, tibi obſeruanda ſunt. Sermo tuus ſit dulcis, atque ſuauis, qui auditores tuos ad te in Domino diligendum alliciat. De huiuſmodi ſermone dixit Eccleſiaſticus: *Eccl. 6. 5.* C Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.] Et rurſus Salomon: *Prou. 16. 21.* Qui dulcis eſt eloquio, maiora percipiet.] Multi enim verbis dulcore conditis adducti ſunt, vt ſimultates deponerent; alij, vt cœptam amicitiam augerent, alij, vt bonore ſuauiter loquentes afficerent. Sit præterea ſermo honeſtus, ac ſobrius, nulla (vt dictum eſt) immoderatione riſus effuſus, in quo elucet abſcondita cordis ſapientia: nam [vir ſapiens vix tacitè ridebit.] *Eccl. 21. 23.* Sit humilis, ac nulla ſuperbiæ, aut elationis vitioſitate notatus. Ad quod hortata eſt Anna Samuelis mater in ſuo cantico, dicens: *1. Reg. 2. 3.* Nolite multiplicare loqui ſublimia gloriantes: recedant vetera de ore veſtro.] Sublimia enim, & vetera ſunt verba ſuperbiæ, quibus aliqui bona ſua ſibi aſcribunt, & de rectè factis in ſeipſis gloriantur. Sit grauis, & non temerariè dictus, ſed corde præmeditatus; quia [verba prudentium ſtatera ponderabuntur:] *Eccl. 21. 28.* non tantùm ab ipſis, qui quaſi in ſtatera ponderant, quæ proferunt, ſed ab auditoribus: nam rectè prolata magnificant. Sit tardiloquus, & non præcipitanter effuſus. Hoc petût illa verba Salomonis: *Eccl. 5. 1.* Neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo: Deus enim in cælo, & tu ſuper terram. Idcirco ſint pauci ſermones tui.] Non præcipitanter, inquit, loquatis de Deo; quia cùm ipſe cæleſtes ſedes habites, & tu repas ſuper terram, pauca de illo potes cognoſcere. Pauca igitur loquere, quia in multis ſermonibus ſolet ſtultitia inueniri. Sit rationi ſermo conſonus, & verus, vt poſſis dicere: *Prou. 8. 8. 9.* Iuſti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis prauum quid, ne- E que peruerſum: recti ſunt intelligentibus; & æqui inuenientibus ſcientiam.] Id poſtulat Paulus, dicens: *Ephеſ. 4. 25.* Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra.] Sit tandem ſubmiſſus, & nullo clamore notabilis; de Domino namque, quem volumus imitari, ſcriptum eſt: *Iſa. 42. 2.* Non clamabit, nec accipiet perſonam, nec audietur vox eius foris,] vt ab eo non clamare, ſed ſubmiſsè loqui diſcamus.

A Ad modum etiam loquendi pertinent, quæ ex Dionyſio Richelio ſubiiciam. *Richel. li. 1. de vita, & fine ſolitary. ar. 27.* Sunt, inquit, præterea in locutione, quemadmodum in aliarum quoque actibus virtutum, certæ circunſtantiæ conditioneſque tenendæ: nempe qui ſermonem ſuum perfectè diſcretéq; dirigit, & veram loquẽdi formam obſeruat: quandoque (ni fallor) attendit, vt puta quid loquatur, quo tempore, quo loco, cui, & quomodo. Ea equidem, quæ mentẽ cuſtodiunt, feruorem inflammant, gratiam alunt, ſalutique conferunt, loquendo conſiſtunt; quę verò mentẽ euoluunt, corq; intimoratum efficiunt, prorſus vitanda ſunt. Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua. Et beatus Benedictus: *Benedic. Caloſſ. 4. 6.* Verba, inquit, ſcurrilia, atq; in riſum mouẽtia perpetuo anathemate vbique damnamus. Vn- B de Apoſtolus: Sermo, ait, veſter ſemper ſit in gratiâ ſale conditus.] Denique [tempus eſt loquendi, & item tempus tacendi.] *Eccl. 3. 7.* Sed & alia demum loca colloquio, atque ſilentio alia conceſſa cenſentur. Inſuper, cui loquimur, aſpicere par eſt: aptandus eſt enim ſermo capacitati, ſtatui, diſpoſitioni, & profectui audientis. Si quoque corã maioribus ſumus, eſt ſeruanda modeſtia, quemadmodum ſcriptum eſt: *Eccl. 32. 13.* In medio ſeniorũ ne adiicias loqui.] Et rurſus Sapiens: *Prou. 23. 9.* In auribus, inquit, inſipientium ne loquaris, ne fortè deſpiciant doctrinam eloquij tui.] Porro condecens ſonus, geſtúſque compoſitus in locutione ſeruẽtur. Sed ſunt, qui ſe inſtar aquæ effundunt, nec tempus, nec cauſſam expectant; & interdum neque tunc ſilere queunt, cùm ſe vel non audiri, vel non curari C aduertunt, quod contra edocet ſapiens: *Eccl. 11. 8.* Priuſquam audias, ne reſpondeas verbum.] Et denuo: *Ibi. 20. 7.* Sapiens tacebit vſque ad tempus; ſtultus autem, & imprudens non ſeruabit tempus.] Rurſúſque: *Eccl. 32. 6.* Vbi non eſt auditus, non effundas ſermonẽ: qui enim ad loquendum velox eſt, non erit ſapiens.] Eſt autẽ virtus magna, réſque amabilis, vt ſit ſermo dulcis, & homo affabilis. Vnde ſapiens: *Eccl. 18. 16.* Nonne, ait, ardorem refrigerabit ros? Sic & verbum melius, quàm datum.] Etenim, vt Macharius faſſus eſt, verbum manſuetum, atque ſuaue, etiam duros mollificat, conuertit, & corrigit: amarus verò aſpérque ſermo bonos quoq; interdum conturbat. Hactenus ille.] Et his neceſſaria documenta ad rectè loquendum continentur.

In ſubſtantia autem ſermonis, ab humili inſpiciendum eſt, vt ſolùm neceſſaria, aut vtilia, aut animæ ſalubria proferat. Neceſſaria quidem loquenti; quia & ad hoc facultatem ſermocinandi accepit, vt conceptus mentis explicaret, & ſuæ indigentiæ & infirmitati conſuleret. Vtilia verò proximo; nam & ad hoc loquela homini data eſt, vt ea, ſicut & alijs donis ſibi conceſſis poſſit indigentiæ fratris proficere. Salubria denique animæ vtriuſque, vt ſcilicet loquens, ex his quæ dicit, & ſibi meritum & reliquis cenſum ædificationis acquirat.

In hoc autem poſtremo maximè viri humilis virtus ſemper enituit, vt internam modeſtiam ac pietatem ſuis ſermonibus demonſtraret. Mores hominis lingua pandit, inquit Hugo Victorinus, *Hugo. 2. de Anima.* & qualis ſermo oſtenditur, talis animus demonſtratur.] E Sermo ergo humilium talis erit, vt menti inſidẽtem humilitatem ac modeſtiam oſtendat. Ex ſono fidium lyram ad harmoniam non eſſe temperatam agnoſcitur; & ex elatis ſermonibus, cor humilitate affectum non eſſe diſcernitur. Mare, cui dominatur ſæua tempeſtas, ſtrepit, ac fremit, & iam ad abyſſum deprimitur, iam ad cælum eleuatur: & animus elationi ſubiectus, in modũ inquieti maris, ſermonibus quaſi fluctibus ſtrepitum inconcinnum edit, & huc illúcque inordinatè diſpergitur. Corpus ex elemẽtis

compoſitum, motu elementi dominantis mouetur, & homo, quia terrenus eſt, deorſum fertur, flamma verò, quia ignea eſt, ſurſum impellitur. Sic animus tuus ſi ſit humilitati ſubiectus, verbis loca demiſſiora petet, & ſe deiiciet; ſi verò ſit ſuperbiâ diſtentus, verbis ſe prodet, & ſe ſuperiorem ac meliorem fratribus prædicabit. Sicut is, qui fert aromata, ait Ioannes Climacus, etiam ſi nolit, ex odore proditur: ita & qui Dei ſpiritum habet, ex verbis ſuis agnoſcitur.] Hanc doctrinam generalem, ſed veriſſimam, ſpiritui humilitatis accommoda, & videbis quia hunc ſpiritum habens, & hunc ſuauiſſimum odorem perferens, ſi loquatur, illum diſſimulare non poterit. Amor eloquens eſt, ſi de re amata verba faciat, & quaſi ignis ſe verborum ſcintillis oſtentat. Quare & amor humilitatis faciet, vt corde humili digna loquaris, & ſermonibus humilitatis deſideria demonſtres. Vnuſquiſque aptè ſapientérque diſſerit de his; in quibus totam vitam inſumpſit: Sapientes, ſapientiam quam didicerunt, prudenter exponunt, & cuiuſpiam artis profeſſores diſertè verbis illam euoluunt, tractántque fabrilia fabri: quid mirum ſi humilis in verbis ſuis non aliud quàm humilitatem modeſtiámque redoleat? Humilitatis ſanè hoc proprium eſſe, vt linguam moderetur, & ad humilia & diſcreta verba proferenda moueat, docet Laurentius Iuſtinianus in hunc modum. Eris planè tunc humilis, ſi ori tuo cuſtodiam, & cordi adhibueris prudentiam. Eſt autem lingua, membrum paruum, & magna exaltat, de ſe pompaticè loquitur, nunc inania, nunc ſcurrilia profert, & falſa. Illam optimè compeſcit humilitas, quæ ſilentium diligit, fugit mendacia, omnémque abhorret tumorem, atque ſolo contenta teſtimonio cæleſtis gratiæ reſpuit propalare ſecreta. Se etenim prudenter examinat, cordis occulta rimatur, diſcernit ſingula; vniuerſa diiudicat, eóque ſibi ipſi efficitur vilior, quò infirmitatis propriæ cogitando fit clarior. Hinc loquacitati temperantiæ loris legem indicit, ne ipſius occaſione mens effluat, diſſipentur cogitatus, turbetur pax, & interioris domus pacata familia laſciuire cogatur, quæ, moderante prudentia, humilitatis cura cuſtodit. Sic ille.] Vide quomodo linguam compeſcat humilitas, quam potiùs ſilentio quàm verbis addicit, & ſi loquendi facultatem faciat, non ad verba inania & elata, ſed ad ſermones modeſtiæ & diſcretionis plenos laxari permittit.

Climac. gradu. 26

Iuſt. li. de vita ſolitar. c. 14.

Nec ſolùm humiles curant ea verba proferre, quæ humilitatem & modeſtiam redoleant, ſed etiam in vniuerſum nituntur verba ædificationis proferre. Sunt enim illi virtutis diligentiſſimi affectatores, quam & in ſe, & in aliis promouere conantur, ſciúntque, ſpiritalibus colloquiis in ſe & in audientium cordibus mirum in modum promoueri. Duo illi diſcipuli proficiſcentes in Emauntem, auditis verbis Domini Ieſu, dixerunt: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?] Idem prorſus ſemper eſt fructus ſpiritualis colloquij, quod cũ verba Chriſti contineat, & loquenti prodeſt, & cor audientium in amore virtutis accendit. Vnde Abbas Theonas apud Caſſianum, Germano, qui ſeptem antea diebus quæſtionem ad Spiritus profectũ ſpectantẽ propoſuerat, ita reſpondit. Grata namq; eſt huius fœnoris occupatio, quæ maiora, dum ſoluitur, augmẽta conquirit: & non ſolùm percipientẽ ditat, verumetiam nihil imminuit largienti. Duplices ſiquidem congregat quæſtus rerum ſpiritualium diſpenſator. Lucrum enim non ſolùm in illius qui audit, profectu; verumetiam in ſua diſputatione, conſequitur, non minùs ſemetipſum ad deſiderium perfectionis accendens, dum inſtruit auditorem. Quamobrem veſter ardor, meus profectus eſt: veſtra ſolicitudo, mea compunctio eſt. Nam vtique & ipſe nunc mente torperem, nihilque in meo corde de his quæ experitis, retractarem, niſi me veſter feruor atque expectatio ad rerum ſpiritualium recordationem ſuſcitaret quodammodo dormitantem. Quod ſanctus hic Abbas experiebatur, omnes (vt credo) ſunt viri ſpirituales experti; qui dum quaſi nolentes aliquo caſu ad colloquium ſpirituale incundum pertrahuntur, quaſi torpore excuſſo in perfectionis amore flammantur. Ex quo diſcunt iſta colloquia non tantùm audientibus eſſe proficua, ſed & ipſorum loquentium corda in via ſpiritus adiuuari.

Luca 24. 32.

Caſſian. col. 22. c. 5.

Iſtud autem licèt omnibus iuſtis ſit vtile, nobis autem religioſis videtur penitus neceſſarium, qui cùm valedixerimus ſæculo, & pompis eius, ac ſolam vitam ſpiritualem profiteamur, non debemus idioma noſtrum, id eſt, colloquia ſpiritualia, dediſcere, & linguam, quam iam non nouimus, vſurpare. Hiſpanus Hiſpanicè: Gallus Gallicè; & Italus, Italicè loquitur; ſimiliter religioſus religioſè, & ſpiritualis vir ſpiritualiter eloquatur. Vtinam ergo nobis accideret, quod Dauidi latronum principi, ſed iam ad Deum ex corde conuerſo, accidit; qui cùm angelo ſibi peccata dimiſſa eſſe reuelanti non crederet, tali ſilentio in pœnam incredulitatis mulctatus eſt, quo bona ſolùm effari, inepta verò loqui non poſſet. Vtinam etiam nobis eueniret, quod de Machete Abbate narrat Caſſianus in hæc verba: Vidimus ſenem, Machetem nomine, à turbis fratrum eminus commorantem, hanc à Domino gratiam diuturnis precibus impetraſſe, vt quotquot diebus ac noctibus agitaretur collatio ſpiritalis, nunquam ſomni torpore penitus laxaretur. Si quis verò detractionis verbum, ſeu otioſum, tentaſſet inferre, in ſomnum protinus concidebat, nec vſque ad aurem quidem eius pollutionem virus obloquij poterat peruenire.] Si enim ad verba inania proferenda muti, & ad ea audienda dormitientes eſſemus, neque quæ nos ineptè iactamus, aliorum corda, nec quæ alij inaniter dicunt, noſtra corda pollueren. Ita ſanè eſſemus viri perfecti, quia, [qui verbo non offendit, hic perfectus eſt vir;] & humilitatem ac perfectionem, quam cupimus, verbis oſtenderemus, & lingua id ipſum profiteretur, ad quod rigore ſanctæ conuerſationis obligatur.

In Prato ſpirit. c. 143.

Caſſia. li. 5. c. 29.

Iacobi. 3. 2.

De Modeſtiſſimo Humilium inceſſu.

CAPVT XII.

POSTREMVS effectus, ſeu gradus humilitatis, à ſancto Benedicto propoſitus, eſt ſubmiſſus humilium inceſſus, & multiplex deſpicientiæ propriæ ſignum exteriùs exhibitũ, quod à corde ſui contemptore procedat. Multáſque cauſſas inuenit humilis, vt inclinato prudenter capite, ac defixis in terram aſpectibus progrediatur. Quid enim faciat homo aſſidua ſuorum peccatorum recordatione perterritus, iudicij diuini ſeueriſſimi, quod expectat, memoriâ perculſus, & humilium exemplis incitatus, niſi more reorum, & mortem expectantium, incedere, & ad terram oculos inclinare? Publicanus certè cùm ſe peccato-

Luca 18. 13.

rem

rem agnoſceret, [à longè ſtans nolebat nec oculos ad cœlum leuare.] Et Dauid humiliatus eſt, vt vitam à Domino poſtularet. Humiliatus, inquit, ſum vſquequaque: viuifica me ſecundùm verbum tuum.] Qui ergo ſe peccatorem nouit, & veniam ac miſericordiā promereri deſiderat, iſtos in exemplū humilitatis claros imitetur. Hāc externam corporis diſciplinā, & diſpoſitionē humilem in omni loco religioſus obſeruet. In oratorio, ſiue in Eccleſia, in cella, aut in aliis locis cœnobij, in opere, quod præſtat; in via, per quam ambulat; in agro, in quo laborat; in horto, in quo animū pro leuanda imbecillitate remittit, & in quocumque loco ſit humilitatis memor, hanc teneat corporis & cordis diſciplinam, vt nullo ſuperbiæ ſigno notatus incedat. Nam vbique oculi Domini ſuper iuſtos; cuius reuerentia maieſtatis nos ſemper intuentis hæc in nobis ſigna humilitatis exoptat.

Pſa. 118. 107.

In inceſſu ceruix erecta, & alia his quæ diximus, contraria ſigna, ex ſuperbia naſcuntur. Quare Bernardus ait: Si videris monachum, de quo priùs bene confidebas, vbicunque ſtat, ambulat, ſedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures portare ſuſpenſas, è motibus exterioris hominis interiorem immutatum agnoſcas.] Immutatus, inquam, eſt, vt ipſe poſtea latè proſequitur, de bono in malum; & vt externam demiſſionem reliquit, ſic ad curioſitatem primum ſuperbiæ gradum ipſe deflexit. Ex his ineptis corporis motibus Gregorius Nazianzenus vafrum ac ſuperbum Iuliani Apoſtatæ ingenium intellexit, de quo ſic ſcribit. Sed me morum ipſius inconſtantia, atque incredibilis quædam mentis emotio vatem efficiebat: ſiquidem vates ille optimus eſt, qui rectè coniicere nouit. Neque enim mihi boni quicquam ſignificare, atque ominari videbantur ceruix non ſtata, humeri ſubſultantes, & ad æquilibrium ſubinde agitati, oculus inſolens, & vagus, furioſéque intuens; pedes inſtabiles, & titubantes; naſus contumeliam & contemptum ſpirans; vultus lineamenta ridicula idem ſignificantia; riſus petulantes & effrænati; nutus & renutus temerarij; ſermo hærens, ſpiritúque conciſus: interrogationes ſtultæ & præcipites, reſponſiones his nihilo meliores, aliæ in alias inſultantes, nec graues & conſtantes, nec eruditionis ordine progredientes. Quid ſingula deſcribere neceſſe eſt? Talem ante opera conſpicatus ſum, qualem in operibus poſtea cognoui. Quòd ſi quidam ex iis, qui tunc ſimul erant, qui quicquid dixerim, audierunt, nunc mihi præſtò eſſent, haud ægrè teſtarentur. Quibus, vt hæc conſpexi, ſtatim proloquutus ſum: Quale malum Romanorum terra nutrit, præfatus licèt, ac mihi, vt falſus vates eſſem imprecatus.] Ex his ſignis Pater hic ſapientiſſimus Iuliani ſuperbiam, & arrogantiam agnouit, & ex eiſdem, aut aliis ſimilibus quiſque, licèt minùs ſapiens, eius, cum quo conuerſatur, cor ſuperbiā tumidum, & infectum intelligit. Quantum verò hæc ſigna ſuperbiæ Domino diſpliceant, verba illa Iſaiæ apertè demonſtrant. Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.] Hæc enim, quæ aut de fœminis Ieroſolymæ, aut de vrbibus Iudææ ad literam dicta ſunt, de animabus fidelium poſſe accipi, docet Hieronymus, quas Dominus ob hæc ſigna ſuperbiæ in infamiam deiicit, & peccata earum hypocriſi quaſi velo contecta, oculis aliorum exponit.

Bernard. 1. gradu ſuperbiæ.

Naziāz. orat. 2. in Iulian.

Iſaia 3. 16.

Hieron. ibid.

Humilis ergo oppoſita his veſtimenta geſtat, id eſt, diſſimilia ſigna exhibet aſpectibus intuentium; & humilitatem, quam corde poſſidet, in inceſſu, in facie, in voce, & in aliis modeſtiæ indicibus, ad gloriam Dei, & fratrum ædificationem, oſtendit. Memor eſt illius Paulini documenti: Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus:] & hanc gemmam, quæ ex voluntate Domini omnibus debet eſſe perſpecta, nullo prætextu motus abſcondit. Mens enim iuſti in ſe ipſa (dum hîc viuitur) fratribus cognita eſſe non poteſt, at in ſignis & operibus nota eſſe poteſt. Vult ergo Dominus, vt quæ in ſe abſcondita eſt, his ſignis ſe manifeſtet, vt exemplo alios ædificet. Id optimè Ambroſius & rationibus & exemplis confirmat, qui ſic ait: Habitus enim mentis in corporis ſtatu cernitur. Hinc homo cordis noſtri abſconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior: aut contrà grauior, & conſtantior, & purior, & maturior æſtimatur. Itaque vox quædam eſt animi, corporis motus. Meminiſtis, filij, quendam amicum cùm ſedulis ſe videretur commendare officiis, hoc ſolo tamen in clerum à me non receptum, quòd geſtus eius plurimùm dedeceret. Alterum quoque cùm in clero reperiſſem, iubere me, ne vnquam præiret mihi, quia velut quodam inſolentis inceſſus verbere oculos feriret meos. Idque dixi cùm redderetur poſt offenſam muneri. Hoc ſolùm excepi, nec fefellit ſententia. Vterque enim ab Eccleſia receſſit, vt qualis inceſſu prodebatur, talis perfidia animi demonſtraretur. Namque alter Arianæ infeſtationis tempore fidem deſeruit; alter pecuniæ ſtudio, ne iudicium ſubiret, ſacerdotem ſe noſtrum negauit. Lucebat in illorum inceſſu imago leuitatis; ſpecies quędam ſcurrarum percurſantium. Hæc Ambroſius.] Nec mirum ſi alter iſtorum in hæreſim, alter in perfidiam inciderit. Si enim hæc ſigna ſuperbiam indicabant, omnium vitiorum & peccatorum matrem, non multum eſt, quòd ſuperbi ex iniquo ſeminario ad riuulos, & ex parente ad germina iniqua venirent. Horum ſuperbiam ſanctus hic Pater in ſignis immodeſtiæ deprehendit, & abſque dubio reliquorum famulorum, aut comitum ſuorum humilitatem ex oppoſitis modeſtiæ ſignis agnouit, & ideo libenter eos in ſuum conſortium adiunxit. Et quidem nemo eſt tam rudis, aut ignarus, vt ex his exterioribus non interiora coniectet. Bona enim domus, vt idem Ambroſius alio loco ait, in ipſo veſtibulo debet agnoſci; ac primo prætendat ingreſſu, nihil intus latere tenebrarum: vt mens noſtra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus poſita foris luceat.] Ex atrio quidem ſolet agnoſci quanta ſit domatis tum amplitudo, tum pulchritudo; & ex his modeſtiæ ſignis quanta in corde lateat humilitas. Niſi enim fingere velimus, & aſpicientes fallere, &, ſi habitum intus latentem operari ſinamus, ipſe quantus ſit, an magnus, an moderatus, an puſillus, voce, & inceſſu, & corporis diſpoſitione ſe detegit. Ex paruo igne non multę nec magnæ ſcintillæ ſubſultant, neque ex parua humilitate magna ſigna externa ſubmiſſionis procedunt, niſi fortè virtus interna non agat, ſed inane placendi deſiderium ex profeſſo aliud profitens, quàm homo ſit, in opus exeat. Quia tamen hoc quàm longiſſimè abeſt à viris iuſtis, dicamus, illos in his ſignis non gloriam inanem intendere, ſed virtutem humilitatis in eorum cordibus reſidentem, hæc ſigna, quia ita æquum eſt, ad ædificationem fratrum, demonſtrare.

Philipp. 4. 5.

Ambroſ. 1. Offici. c. 18.

Ambroſ. lib. 2. de virginibus.

A Agit humilitas quod ſuum eſt, & quæ mentem ſui met contemptu demittit, corpori etiam modeſtiæ actus, id eſt, ſigna internæ demiſſionis, apponit. Hæc virtus præſtantiſſima charitate formata, animã, quam poſſidet, in Spiritus Dei tẽplum ac habitationem conuertit. *Iſaiæ 66. 2.* Ad quem enim reſpiciam, ait Dominus,] vt ſcilicet in eo requieſcam, [niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?] *2. Paral. 3. 14.* Pro foribus autem templi Dei velum erat appenſum, quod & ea, quæ intus erant, texit, & ea ipſa digna eſſe omni reuerentia demonſtrauit. Hoc velum, ſapientum iudicio, in ſpirituali templo, ſcilicet in mente iuſti, non eſt aliud, quàm multiplex modeſtiæ & caſti pudoris inſigne. Quod ex vna quidẽ parte virtutes interiores abſcondit, ſed ex alia, virum his inſignibus decoratum, humilem ac omni reuerentia *B* dignum eſſe declarat. Nihil ille habet exterius, quo aſpicientium oculis minùs gratus appareat. Illud potius Auguſtini in moribus ſuis obſeruat: *Auguſt. in regula. c. 6.* In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.] Ideóque dignus reuerentia putatur, in quo nihil reprehenſione dignum videtur. *Hugo ib.* Audi quid à nobis Hugo Victorinus in eundem locum regulæ ſcribens exquirat. Sic ergo, inquit, debemus viuere, vt vita concordet cum nomine, & profeſſio teneatur in opere: vt ſi ſanctus ſit ordo, ſancta ſit conuerſatio, & ſicut bene de nobis dicitur, teſtimonio bonæ actionis comprobetur. Tunc enim religioſè viuimus, ſi illicitos motus ſub diſci- *C* plina coërcemus, ſi membra & ſenſus noſtros ſtudeamus reſtringere, vt non poſſint laſciuiæ & leuitati deſeruire: vt aſpectus noſter ſit ſimplex, & humilis, ne fixè aſpiciat oculus, quod illicitè concupiſcat animus: vt noſter auditus ſit purus, & diſcretus, ea, quæ ſuperflua ſunt, & vana, reſpuens; ea, quæ Dei ſunt, gratanter ſuſcipiens: vt ſermo noſter ſit ſale conditus, otioſa & nocua deteſtans, bona & vtilia commendans: vt ſit in corde munditia; in vultu pudicitia; in inceſſu grauitas; ſtatus cum reuerentia; motus cum maturitate; habitus cum religione, quatenus vbique reſplendeat ſanctitas, ſupereminceat honeſtas, ſeruetur humilitas. Hæc ille.] Qui hæc exterius præſtiterit, & oculis ſe aſpicientium obtulerit, non poterit non dignus reuerentia cenſeri. Illum ſanè magni reputabunt, quem modeſtiæ veſtibus ornatum aſpexerint. *Gene. 27. 27.* Iſaac, vt ſenſit Iacob filij ſui ve- *D* ſtimentorum fragrantiam, benedixit ei,] & omnes ſimiliter benedicunt, & bona imprecantur humili, cùm veſtimentorum eius fragrantiam, id eſt, modeſtiam, virtutum odorem, cordis odoratu perſenſerint. *Cant. 4. 11.* Odor veſtimentorum tuorum, inquit ſponſus ſponſam alloquens, ſicut odor thuris,] nam hic bonus modeſtiæ odor, virtutes animæ non ad gloriam hominum capiandam, ſed ad Deum honore afficiendum, in opus prodire demonſtrat. *Gen. 37. 34.* Iacob quoque fleuit, & ingemuit, cùm vidit ſciſſam tunicam Ioſeph filij ſui: ſicque, quiſque zelum Dei habens, triſtitia conficitur, cùm operimentum virtutum, nempe modeſtiam ſciſſam ac contemptam eſſe conſiderat.

E Humiles ergo, in inceſſu, & in reliquis omnibus ſe modeſtiæ & pudoris amatorem exhibeat. Atque huius virtutis regulas, quæ humilitatis eſt caſta progenies, ex iis, quæ ſuperiùs dicta ſunt, ſine vlla difficultate cognoſcet: minutiora verò, ſed non ob id contemptui habenda, ex ore Dorothei in rebus ſpiritualibus peritiſſimi, cuius verba, licèt longiora, ſubiiciemus, addiſcet. *Lib. 3. p. 2. . . c. 5. Doroth. doctrina 24.* Hæc eſt, inquit, modeſta & grata Deo compoſitio. Primùm, non circumferre

A huc & illuc oculos, ſed quæ ante te ſunt, ſolùm intueri, neque vana & otioſa loqui, ſed tantùm neceſſaria. Veſtibus ita modicis vti, quæ ad corporis neceſſitatem ſint; & cibis, qui corpus conſolident, non gulam prouocent. Nihil diſcernere; de omnibus indifferenter deguſtare. Non cibos hos, vt viles reiicere; illos, vt delicatos eligere, ſeque his ad vomitum ingurgitare, maior quacumque virtute diſcretio eſt. Vino ne vtare extra ſymbolum, vel infirmitatis, aut imbecillitatis gratia. Ne interrumpas ſermonem, altero loquente, neque vt rudis & indoctus reſpondeas, ſed vt ſapiens. Stabilis & firmus ſis, & vbicumque locorum fueris, miniſtrum & ſeruum te puta fratrum tuorum. Ne denudaueris, præſente aliquo, vllum membrorum tuorum, neque appropinques corpori *B* alicuius abſque manifeſta & ſumma neceſſitate, aut permittas alium tibi appropinquare, abſque rationabili cauſâ. Fuge præſumptionem tanquam mortem. Sobrius & modeſtus eſto. In ſomno ne longè fiat à te virtus, quæ tibi circumuigilat. Vbi autem cubes, nemo (ſi fieri poteſt) vel ſciat, vel videat. Ne expuas, vel excrees ante aliquem. Quòd ſi te tuſſis inuaſerit ſedentem ad menſam, verte faciem tuam retrorſum, & cum omni modeſtia expue. Comede & bibe, vt decet ſeruos Dei. Ne extendas manum impudenter, vt capias, quod ante fratrem tuum eſt. Si ſederit tecum hoſpes, inuita illum ſemel & iterum ad comedendum. Compoſitæ menſæ aſſideas modeſtè & contractè, non confusè. Nullum membro- *C* rum tuorum enuda, cùm æſtuas, & cales, cùm oſcitas, caue os tuum quiſpiam videat, comprimente autem te ſpiritum tuum, illico pertranſiet. Cùm ingrederis cellam præpoſiti, vel amici, vel diſcipuli tui, caue quippiam curioſus inſpicias earum rerum quæ in illa fuerint. Qui enim in his impudenter ſe habet, mentitur monaſticum habitum, & Chriſtum, qui habitum huiuſcemodi nobis gratificatus eſt. Cum modeſtia, & ſine ſtrepitu aperi, & claude oſtia vel tua, vel amici tui. Ne tumultuariè ingrediaris ad quenquam, ſed priùs exteriùs pulſans, cùm vocatus fueris, ingredere. Hactenus ille.] Cuius dictis nihil addendum eſt, niſi quòd hic humilitatis effectus eſt, quaſi aliorum complementum, quem qui reliquis adiunxerit, & ſe hac moderatione ac pudore exornauerit, erit in humilitate perfectus.

Hi ſunt humilitatis gradus à Beatiſſimo Patriar- cha Benedicto deſcripti, quos ob eius reuerentiam, *D* noſtra expoſitione patefecimus, & noſtris deſideriis complectimur. His autem tranſcurſis, ad eam charitatem perueniemus, quæ nos faciat corde puros, Deo gratos, & in conſpectu Angelorum hominúmque conſpicuos. Vnde ſic ſanctus Pater doctrinam humilitatis concludit. Ergo his omnibus humilitatis gradibus aſcenſis, monachus mox ad charitatem Dei perueniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem: per quam vniuerſa, quæ priùs non ſine formidine obſeruabat, abſque vllo labore velut naturaliter ex conſuetudine incipiet cuſtodire, non iam timore gehennæ, ſed amore Chriſti, & conſuetudine ipſa bona, & delectatione virtutum, quæ Dominus iam in operarium ſuum mundum à vitiis *E* & peccatis, Spiritu ſancto dignabitur demonſtrare.] *Regul. c. 7.* Eiſdémque verbis nos hanc materiam claudimus, vt poſtquam in ſequentibus breuiter media & indicia humilitatis expoſuerimus, per eam, tanquam per ſcalam, ad perfectam charitatem peruenire nitamur.

De Mediis aſſequendæ Humilitatis.

CAPVT XIII.

CVM Humilitas virtus ſit, eadem media generalia, quæ ſuprà pro aſſequendis virtutibus data ſunt, huic etiam virtuti deſeruiunt. Et ex tertio huius voluminis libro petēda ſunt; ne eadem (quod maximè fugimus) ſæpius repetamus. Vnum tantùm hîc medium ſubiiciam, ſine quo diligenter executioni mādato, ſat ſcio, nemo perfectam humilitatem acquiret. Illud autem eſt, ô frater, vt ſi humilitatem cupis, humiliationem, ac tui deiectionem diligas, & in eam non tarò, ſed B frequenter, non incuriosè, aut tepidè, ſed accuratè & diligenter incumbas. Romam venies itinere, quod Romam ducit; & ſimiliter, itinere humilitatis ad humilitatem accedes. Non eſt autem aliud iter humilitatis, niſi humiliatio & deſpicientia tui: vnde ab humilitate fugies, ab eáque diſcedes, ſi te ab humiliatione ſubtraxeris. Audi nunc quanta exaggeratione id ſpirituales magiſtri doceant. Bernardus ſic ait. Humiliatio, via eſt ad humilitatem, ſicut patientia ad pacem, ſicut lectio ad ſcientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam ſi non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem prouehi.] Et Bonauentura. Et quoniam ad humilitatem, inquit, humiliatio via eſt; nun erubeſcant religioſi humilia, nec humilitatis officia facilè reſpuant.] C Ioannes autem Climacus, memorabili exemplo cuiuſdam Abbatis ſanctiſſimi (qui per ſeptem integros annos pro foribus monaſterij cuiuſdam, obedientiæ & humilitatis ergô moratus eſt) aptiſſimè declarauit, quantum ab humiliatione pendeat humilitas. Interrogaui ego eum, inquit, cùm adhuc ſupereſſet, magnum hunc præclarum virum, quam exercitationem mens eius habuiſſet, cùm ad portam moraretur. Neque abſcondit à me, cùm prodeſſe mihi cuperet, memorabilis ille ac dulciſſimus pater. Initio, inquit, hoc exiſtimabam, quòd pro peccatis meis eſſem venditus. Vnde cum amaritudine ſumma, & violentia, & ſanguine prouoluebar omnium pedibus; impleueram vix annum, cùm ſine mœrore iam ac triſtitiâ id faciebam, mercedem à Deo tolerantiæ expectans. D Impleto autem rurſus anno alio, toto affectu cordis indignum me ipſum exiſtimare cœpi, conuerſatione monaſterij, Patrúmque aſpectu, & contubernio, diuinorúmque participatione ſacramentorum: indignum item qui in alicuius faciem intenderem. Quocirca defixis in terra luminibus, nec ab oculis diſcrepante animo, intrantes, atque exeuntes, vt pro me orarent, deprecabar.

Bernard. epiſt. 87. ad Ogerium.

Bonau. in ſpeculo. 1. P. c. 6.

Climac.

Sanctus hic Abbas, & in vniuerſum omnes iuſti, per humiliationis viam humilitatem ſunt aſſequuti. Ideóque Chriſtus Saluator noſter, qui magiſtrum ſe humilitatis & mititatis exhibuit, tantas ignominias & iniurias, tantáſque aduerſitates, dolores, & afflictiones elegit, vt videlicet doceret nos, humilitatem, non aliter quàm noſtri contemptu, & deiectio- E ne: & manſuetudinem, non alio modo quàm aduerſitatum & dolorum perpeſſione cōquiri. Si ergo cupis ad humilitatis celſitudinem peruenire, hæc eſt via, qua ad hanc turiſſimam arcem aſcendes. Humilitatem à Domino omnium bonorum, ſed maximè humilitatis magiſtro, & ſarore, crebris orationibus, & gemitibus, atque ſuſpiriis, nec non & matris Dei, ac humilium, Mariæ omniúmque ſanctorum, impetratione conquires. Deinde deſideria huius virtutis in te

A augere quotidie ac promouere curabis, propoſitâ ante oculos humilitatis pulchritudine, ac multiplicibus bonis huius vitæ, & ineffabilibus præmiis futuræ, quæ in humiles conferuntur. Poſtmodum ſcientiam notitiæ tui probè addiſcere, atque comparare ſtudebis; ita ſcilicet, vt vilitatem tuam, ac infirmitatem bene calleas, & quàm nihil poſſis ſine Deo, tum in actionibus naturalibus, tum in moralibus, tum etiam in ſupernaturalibus, non tam cognoſcas, quàm ſentias, & quaſi manibus tractes. Aſſueſcáſque, te ipſum, vt ſaccum ſtercoris; abyſſum infirmitatis, & fontem peccatorum, ad quæ propenſus es, ac omnis iniquitatis, aſpicere. Non quia naturâ malus ſis, abſit; ſed quia natura tua per originale peccatum corrupta, in peccatum & inobedientiam inclinat. Rurſus aſſiduo B actuum interiorum ſtudio te ipſum quotidie, non ſemel, aut iterum, ſed multoties vilipendes, te minimum omnium cogitabis: reliquos, vt maiores & meliores, ſuſpicies, & te indignum luce & vitâ, & communibus beneficiis, corde fateberis. Tandem humiliationem exteriorem, quantum ſtatus conditio permiſerit, diſcretióque dictauerit, valde familiarem habebis. Dona, & talenta tibi data (ſi oppoſitum neceſſarium non ſit) libenter abſcondes: defectus & ineptitudines aperies: honores & plauſus hominum fugies, omnem extremitatem concupiſces, in abiectis miniſteriis ſponte te ingeres, & fratribus inſeruire, & pedibus eorum prouolui ac conculcari, magnum duces. Ac breuiter omnem deiectionem ac vilipenſionem tui; omnem abſconſionem & obli- C uionem, & omnem contemptum tibi diliges.

Hæc tibi appetenda & ſuſcipienda ſunt, non propter ſeipſa, ſed pro domandâ ſuperbia tua, & pro fine virtutis, quem efficiunt. Si enim medicamenta amariſſima ſuſcipis, vt ſalutem carnis recuperes: quid multum, ſi hæc amara medicamina conſecteris, vt humilitatem & animæ ſalutem conſequaris? His igitur humiliationis propriæ, & vilipenſionis ſtudiis humilitatem, Deo cooperante, obtinebis: ex humilitate ad cumulū aliarum virtutum peruenies: ex aliis virtutibus, ad faſtigium charitatis aſcendes, & ex charitate gloriam humilibus præparatam obtinebis. Quia ſcriptum eſt: Veni, vt darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris, & vocabuntur in ea for- D tes iuſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.] Si humiliatio hæc cinis eſt, & puluis contemptui habendus, ſcito quia miſſus eſt Chriſtus, vt daret gloriæ coronam pro cinere. Si triſtis res eſt abſcondi, & occultari: ille venit, vt daret oleum gaudij, & deuotionis pro luctu. Si abominanda res videtur pedibus aliorum proculcari: ille apparuit, vt daret pallium æternæ laudis pro ſpiritu mœroris. Hi, qui ſic ſuos ſpiritus cohibent, & elationi reſiſtunt, ſunt fortes, & conſtantes in iuſtitia, qui vocantur plantatio Domini, vt ipſum in hac vita ſuis ſanctiſſimis moribus glorificent, & poſtmodum pro rectè geſtis gloriam ſemper duraturam accipiant.

Iſaia 61. 3.

E

De Humilitatis Indiciis.

CAPVT XIV.

INDICTA generalia Virtutum ſuprà deſcripta, ad hanc virtutem applicata, ſunt etiam indicia humilitatis, ex quibus quiſque quantum in humilitate profecerit, deprehendet. Sed Patres aliqua ſigna ſpecialia humilitatis tradunt, quæ ad ple-

nitudinem huius doctrinæ breuiter ac ſuccinctè prælibanda ſunt. Auguſtinus duo ſigna tradit. Nam quodam loco inquit: Quid eſt eſſe humilem? Nolle laudari. Et rurſus: Humilitas in ſcripturis ſancta probatur infantia. Hæc eſt ſancta ſimplicitas, verbis & moribus exhibita. Bernardus, vnum. Magna profectò & rara virtus eſt, ait, vt magna licèt operantem, magnum te neſcias, &, manifeſtam omnibus, tuam te ſolùm latere ſanctitatem.] Chryſoſtomus aliud: Humilis euadit, qui humana contemnit, qui ſuæ conſtitutionis initia conſiderat. Gregorius tria. Primum, ſi bona ſibi data aut non agnoſcat, aut certè aliena eſſe ſciat, & eorum diuulgationem metuat. Secundum, ſi libenter obediat, & aliorum imperio ſe ſubmittat. Tertium, ſi ſe corrigentem patienter audiat, & grato animo correptionem ſubeat.

Auguſt. — *Bern. ſer. 13. in Cant.* — *Chryſoſt. hom. 1. in 1. ad Corinth.* — *Greg. 20. mor. c. 22. & 24.*

Ioannes Caſſianus decem ſigna humilitatis in medium profert, quibus breuiter omnem doctrinam poſtea à ſancto Benedicto traditam mirabili ratione complectitur. Humilitas, inquit, his indiciis comprobatur. Primò, ſi mortificatas in ſe habeat omnes voluntates. Secundò, ſi non ſolùm actuum ſuorum, verumetiam cogitationum, nihil ſuum celauerit ſeniorem. Tertiò, ſi nihil ſuæ diſcretioni, ſed iudicio eius vniuerſa committat, ac monita eius ſitiens libenter auſcultet. Quartò, ſi in omnibus ſeruet obedientiam, manſuetudinem, & patientiæ conſtantiam. Quintò, ſi non ſolùm iniuriam inferat nulli, ſed nec ab alio quidem ſibimet irrogatam doleat, atque triſtetur. Sextò, ſi nihil agat, nihil præſumat, quod non vel communis regula, vel maiorum cohortentur exempla. Septimò, ſi omni vilitate contentus ſit, & ad omnia ſe, quæ ſibi præbentur, velut operarium malum, iudicarit indignum. Octauò, ſi ſemetipſum cunctis inferiorem, non ſuperficie pronunciet labiorum, ſed intimo cordis credat affectu. Nonò, ſi linguam cohibeat, vel non ſit clamoſus in voce. Decimò, ſi non ſit facilis, ac promptus in riſu. Talibus namque indiciis, & his ſimilibus, humilitas vera dignoſcitur.]

Caſſia. li. 4. c. 39.

Chryſoſtomus iterum indicium humilitatis putat, ſi ſe ipſum quiſque cognoſcat. Cognitionémque ſui ab homine habendam quaſi duodecim punctis mirè complectitur. Nam verba faciens de ſancto Dauide, hæc inquit: Attenditis hominem gratia plenum, & ideo non eſſe ingratum? Videtis quomodo agnoſcit ſe quis fuerit, quis eſt, & quid erit? Ibi eſt ergo plenitudo gratiæ, vt ſe in omnibus vnuſquiſque agnoſcat. Primò, quia mortalis eſt. Secundò, quia caſibus vita humana plena eſt. Tertiò, quia tribulationes & dolores in ſæculo inuenit. Quartò, vt ſciat, quia patientia pauperum non peribit in æternum. Quintò, vt notit, quia perſeuerantia perducit ad Deum. Sextò, vt intendat, quia quanto magnus eſt, humiliatus ſi fuerit, & humilitatis vias tenuerit, inueniet gratiam in conſpectu Dei. Septimò, quia nō eſt ſine peccato, nec infans vnius diei natus ſuper terram. Octauò, quia contra inſidias diaboli oportet ſemper orare, & non deficere. Nonò, vt in oratione non captiuemur terrena cogitatione. Decimò, vt in ſpe non deficiamus. Vndecimò, vt contemplemur delectationem Domini, & protectionem ſperemus diuinitatis. Duodecimò, quia non tacebimus trino illo clamore, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, ſine ceſſatione. In his omnibus qui ſe agnoſcit, vt in capite poſuimus, viam tenet humilitatis. Nam omnes Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Eremitæ, in monaſteriis conſtituti, Clerici, & Epiſcopi, has tenuerunt ſemitas, in quibus potuerunt ad Deum peruenire. Hæc ille.]

Chryſoſt. hom. in illud 2. Reg. 7. Quis ſum ego. Tom. 1. ad fin. — *Lucæ 18.*

Trithemius Abbas, vſque ad triginta, hæc humilitatis ſigna protraxit, quæ nunc breuiter pro legentium vtilitate contrahemus. I. Si iuſtus ſe omnibus inferiorem & viliorem agnoſcat. II. Si omni tempore negligentias ſuas coram Deo & hominibus fateatur. III. Si bona opera occultare deſideret, & ſuum profectum abſcondat. IV. Si ſua mala conſideret, & quæ bona alij fecerint, manifeſtet. V. Si aliorum defectus taceat, & cùm ratione officij tenetur, eos in lenitate ſpiritus corrigat. VI. Si ſe ad increpandum non facilem, ſed tardum, non ex puſillanimitate, ſed ex propriæ vilitatis cognitione, reperiat. VII. Si correptiones & emendationes pro culpis & negligentiis libenter ſuſcipiat. VIII. Si correptus culpam non defendat, non neget, non palliet, non excuſet, non murmuret, & accuſatus, ſe ſine cauſâ accuſari non clamet. IX. Si ſit in voce dulcis, mitis, modeſtus, & non clamoſus. X. Si quæ de proximis audit, in meliorem partem interpretetur. XI. Si neminem, quantumuis peccatorem, deſpiciat. XII. Si laudari non appetat, &, cùm laudatur, ingemiſcens erubeſcat. XIII. Si laudes, & fauores in veritate contemnat, & ab his, qui eum laudant, & magni faciunt, ſe ſubtrahat. XIV. Si ex detractionibus, & correptionibus, quas patitur, gaudium concipiat, in diuino amore creſcat, & ſe tanquam reum, ex culpæ conſideratione compungat. XV. Si correptus non recalcitret, nec crimina manifeſtiſſima corripientis obiiciat, ſed ſilentium ſeruet.

Trithe. lib. 2. ſ[…] ad mo[…]nachos. ſerm. 3.

Pergit hîc venerabilis Abbas alia quindecim ſigna Humilitatis edicere. XVI. eſt. Namque humilis cuncta mundi huius ſolatia deſerit, & nullas mortalium amicitias requirit. XVII. Non ſe diſtrahit ad multa, & hominum auxilia ad aſcendendum non exquirens, in ſua mediocritate conſiſtit. XVIII. Tribularis ex corde compatitur, aliorum defectus patienter tolerat, & pro delinquentibus orat. XIX. Nulli Dei beneficia inuidet; dona omnibus imprecatur, & cupit; & de fratrum profectu congaudet. XX. Multitudinem ſuorum peccatorum in cordis contritione in memoriam reuocat, & ſe omni Dei beneficio indignum putat. XXI. Humilis ſuum iudicium, & voluntatem abnegat, & aliorum iudicio & voluntati ſubmittit. XXII. Veſtes nouas, pulchras, pretioſas deſpicit; & indumenta vilia, & ab aliis proiecta ſibi dari concupiſcit. XXIII. Eſt obſequiis aliorum deditus, & ſeruitiis abiectiſſimis domus addictus. XXIV. Viliora miniſteria, quæ alij refugiunt, & abominantur, facere delectatur. XXV. In congregatione ſedem viliorem & poſteriorem quærit, & nec æqualibus, nec inferioribus ſe præfert. XXVI. Humilis, etiam doctus & eruditus, propter Dei amorem, ſuam ſcientiam & peritiam abſcondit. XXVII. Silentium diligit, & ne offendat in ſermone, aut lingua labatur, loqui pauciſſima conſueſcit. XXVIII. Riſum immoderatum, & omnes inordinatos cachinnantium geſtus euitat. XXIX. Dominum timet, & ob timorem eius omne peccatum declinare decernit. XXX. Obedientiæ & ſubiectionis amator efficitur, & in his omnibus, quæ propoſita ſunt, mentis ſtabilitate firmatur.

Hæc ſunt ſanctæ humilitatis indicia à Patribus aſſignata; ex quibus eius tum natura tum pulchritudo cognoſcitur, & facies noſtra rubore ſuffunditur, qui iſta dicimus, iſta ſcribimus, iſta mente volvimus, & quàm longiſſimè à vera humilitate diſtamus. Quæ cùm non in lingua, nec in ieiuna notitia, ſed in appetitione & actione reſideat, non illis ſe commu-

niçat,

nicat, qui de ipſa multa loquuntur, ſed qui ſecundùm præſcriptum illins, mundum, ac ſe ipſus contemnunt, & Chriſti vitam imitantur. Iam ergo receptui canamus, iam tandem taceamus, & quæ aliis ex bona (vt credo) intentione tradidimus, opere præſtare curemus. Hæc virtus eſt, vt Chryſoſtomus inquit, quæ charitatem acquirit, pacem inuenit, & A ſereno corde totum intendit. Si ad charitatis perfectionem aſpiramus, ſi pacem quætimus, ſi totum (& Deus eſt) ex medullis cordis intendimus, viam humilitatis, per quam itur ad Deum, greſſibus velociſſimis ambulemus. Quam præſtet nobis Dominus per infinitas miſerationes ſuas. Amen.

ORATIO
AD POSTVLANDAM HVMILITATEM.

DOMINE *Deus meus, paruulorum ſublimitas, & humilium celſitudo, qui vnigenitum Filium tuum velamento noſtræ carnis indutum in Humilitatis Magiſtrum dediſti: eúmque humilem in mundum ingredi, humilem in mundo conuerſari, & humilem à mundo exire voluiſti: reſpice, obſecro, ad deſideria noſtra, & miſerere gemituum infirmitatis noſtræ, virtutémque Humilitatis nobis tribue, vt eum Redemptorem noſtrum, quem profeſſione ſequimur, conuerſatione imitemur; & tibi, qui gloria noſtra es, eius veſtigiis inhærendo, placeamus. Immitte in corda, quæ creaſti, & ex æternitate dilexiſti, veram, & claram notitiam noſtri, deſideria contemptus, & vilipenſionis excita, ad aſcendendos huius ſcalæ cæleſtis gradus robora, & fructus Humilitatis in manibus noſtris oſtende. Da pacem Domine, da pacem nobis, quam in veriſsima huius ſæculi, & noſtri deſpicientia, & in tui amore collocatam intuemur. In animabus noſtris hoc ſtabiliſsimum fundamentum ſtructuræ ſpiritualis iniieito: vt dum illi (te donante) Virtutum lapides ſuperponimus, & feruentiſsima charitate contegimus, templum in nobis, quod tu, ô Deus meus, ſemper inhabites, extruamus.* AMEN.

FINIS LIBRI QVARTI.

DE TRIPLICI SEMINARIO VIRTVTVM, SIVE DE TRIBVS VIRTVTIBVS RELIGIOSIS, PAVPERTATE, CASTITATE, ET OBEDIENTIA.

LIBER QVINTVS.

PROOEMIVM.

AGANVM, ſtemus promiſſis, & poſtquam fundamentum virtutum, nempe humilitas, iactum eſt, triplex nunc earumdem ſeminarium commõſtretur, vnde perfectionis ſtudioſus, veluti ex triplici lapidicina politos lapides multarum virtutum ad ſui operis molitionem extrahat, vel tanquam ex fontibus riuulos aquarum ſalutarium deducat. Nos enim, in libri præcedentis initio, ſeruulo pauperculo comparauimus, qui domino ſuo, domum ædificare cupienti, locum ædificationi aptum oſtendat, & vbi ſint lapidicinæ, pro lapidibus extrahendis, edicat. Iámque dominis noſtris, id eſt viris iuſtis, perfectionem ſitientibus, locum aptiſſimum, extra quem nullus eſt alius, ad extruendam arcem perfectionis, nimirum humilitatem, quaſi digito demonſtrauimus: nunc eiſdem tria quaſi virtutum ſeminaria pro excidendis his ſpiritualibus lapidibus aperiamus. Hæc autem ſunt tres præcipuæ virtutes, Paupertas, Caſtitas, & Obedientia, quas omnes viri ſpirituales pro ſuo modulo, aut ſui ſtatus conditione ſectantur, ſed præcipuè religioſi, quia ſe voto ad eas cuſtodiendas ubſtringunt, in non mediocri perfectione habere tenentur. His pretioſiſſimis gemmis Chriſtus Pontifex noſter, ac caput, ſeu princeps cunctorum religioſorum effulſit, vt Paulus teſtatus eſt, dicens: *Hebr. 7. 26.* Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus.] Quibus verbis & finem ſtatus noſtri, & præmium eius, & tria ſubſtantialia vota, quibus continetur, adumbrat. Chriſtus Paſtor noſter fuit ſanctus, & exemplar ſanctitatis, &, vt inquit Ambroſius, *Ambroſ. ibid.* in omni bonitate præcipuus. Hic autem eſt finis, cuius cauſa à mundo diſcedimus, vt per veram & omnimodam (quantum poteſt humana fragilitas) imitationem eius, ſancti & perfecti ſimus. Fuit ille innocens, qui nulli, verbo aut opere, iniuriam intulit, qui potuit ſine vlla arrogantia dicere: *Io. 8. 46.* Quis ex vobis arguet me de

A peccato?] & multò meliùs quàm Samuel ſe aduerſariis iudicandum, aut examinandum obiicere. Hic munere gubernatoris perſunctus, dixit ad populum: *1. Reg. 12. 3.* Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrùm bouem cuiuſquam tolerim, aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiuſquam munus accepi, & contemnam illud hodie, reſtituámque vobis.] Quanto meliùs Redemptor noſter id diceret, qui non tantùm à nobis nihil abſtulit, ſed ſua ac ſe ipſum nobis contulit, & cùm diues eſſet, pauper pro nobis factus, nihil poſſidere ſuſtinuit? Ita & nos per cuſtodiam paupertatis innocentes eſſe conemur, vt dum omnia relinquimus, & deſideria

B rerum huius ſæculi à cordibus noſtris abſcindimus, nulli iniuriam inferamus. Fuit ille impollutus tanquam Virgo, & Virginis Filius, & virginum ſponſus, & omnis puritatis hominum & angelorum, fons & origo, qui carnem induit, non quidem vt ſe carnis illecebris inquinaret, ſed vt carnem noſtram mundaret, & caſtam ac puram redderet. Ipſe ſponſus eſt Eccleſiæ, quam ſpiritu ſibi copulans, non ad corruptelam, ſed ad augmentum integritatis adiunxit. Quare huius coniugij ſacri auſpex, vel pronubus, ait: *2. Corin. 11. 2.* Æmulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.] Huic viro noſtro nos impollutos, in-

C taminatóſque ſeruamus, cùm virtutem caſtitatis voto complectimur, & corpus noſtrum ab omni carnis ſorde cuſtodimus. Fuit ille ſegregatus à peccatoribus. A quibus peccatoribus? Ab illis certè primis peccatorum principibus, Adam & Eua, qui per inobedientiam à Deo deſciuerunt, & ſanctiſſima eius præcepta violarunt. Horum hic Dominus peccata damnauit, & perſonas abſoluit. Nam [factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis,] *Philipp. 2. 8.* deleuit chirographum decreti, quod erat contrarium nobis,] *Coloſſ. 2. 14.* & Patri ſuo nos reddidit gratiores.

D Eum autem ſequimur, cùm per obedientiam, quam voto quoque ſumus polliciti, ab illis primis peccatoribus ſeparamur, & tranſgreſſionem omnem eorum quæ iuſſa ſunt nobis, abiicimus. Ille tandem, qui fuit innocens, impollutus, & ſegregatus à peccatoribus, & planè ſanctus ac purus, excelſior cœlis factus eſt, & vniuerſis Sanctis, Angeliſque, in im-

menſum

A mensum præpoſitus; vt ſciamus quòd illi, qui per paupertatem fuerint innocentes, per caſtitatem impolluti, per obedientiam, à peccatoribus ſegregati, & per finem, ad quem hæ virtutes tendunt, nimirum per Charitatem, Sancti, atque perfecti, ad magnam gloriæ celſitudinem in cœlis aſcendent.

Meritò autem his tribus virtutibus inſignitus magnum & copioſum in cœlis præmium expectat: quoniam hæ ſunt aliarum virtutum ſeminaria, & beata ſanctæ perfectionis exordia. Sed quonam pacto ſunt aliarum ſeminaria virtutum? Multis quidem modis. Primò, quoniam impedimenta virtutum remouent, vt Thomas Aquinas ait, &

Thom. 2.2 q. 186 a. 7. cor. pr.

obſtacula perfectionis abſcindunt. Nam quænam

B ſunt omnium virtutum impedimenta, ac perfectionis obſtacula? Nonne illa magna & terribilia, quæ Ioannes Apoſtolus verbis paucisſimis comprehendit:

Ioan. 2. 5.

Quoniam omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ?] At Paupertas tollit concupiſcentiam oculorum, & deſideria opum, ac rerum ſenſibilium, quas oculis videmus, & corde concupiſcimus. Caſtitas tollit concupiſcentiam carnis, & appetitum comprimit voluptatum, in quas caro noſtra, niſi loris continentiæ teneatur, quaſi beſtia indomita fertur. Obedientia remouet ſuperbiam vitæ, & ambitionem dominandi, cùm homo propter Deum prælato ſubiicitur. His autem impedimentis ſublatis, facile eſt omnes virtutes morales,

C quæ aduersùs iſtos hoſtes pugnant, accerſere, & in mentem introducere. Deinde triplex hæc virtus, eſt aliarum initium, quatenus nos huius ſæculi ſolicitudinibus liberat, quæ non ſinunt nos actibus virtutum intendere. Volo vos, inquit

Cor. 7. 2.

Paulus, ſine ſolicitudine eſſe.] Et id cuius rei gratia? Non alierius certè, vt ipſe ſtatim ſubdit, niſi vt ſoliciti ſimus eorum quæ Domini ſunt. Nimia enim rerum huius ſæculi cura abiicienda eſt, vt nos rerum diuinarum cura ſolicitet. His verò ſæculi ſolicitudinibus tres prædictæ virtutes vehementer obſiſtunt. Cura nos rerum exteriorum, & poſſeſſio bonorum temporalium, inquietat? Sed hanc Paupertas potenter abiicit, quoniam non pungent nos, quæ iam pro nihilo

D duximus, & illis renunciantes non poſſidemus. Solicitudo vxoris, & filiorum alendorum turbat? Sed Caſtitas hac perturbatione nos eximit, quia vxorem filióſque non habens, eorum minimè ſuſtentatione turbatur. Diſpoſitio propriarum actionum nos diſtrahit, & à deſiderio virtutis auertit? Sed Obedientia aditum huic diſtractioni præcludit, quoniam non nos, ſed alius, quem in ſuperiorem elegimus, actiones noſtras dirigit, & de eis, ac de nobis vtiliter ſapientérque diſponit. His autem ſolicitudinibus à mandatis, quæ omnem mentem exhauriunt, libera erit, vt poſſit virtutum actibus, ac omni perfectioni vacare.

Tres quoque prædictæ virtutes nos gratiſſimum Deo holocauſtum efficiunt. Holocauſtum

E quippe, illud ſacrificij genus eſt, quo quidquid eſt rei, Deo conſecratur, & totum in honorem diuinæ maieſtatis offertur. At hæ virtutes Deo nos totos, & omnia, quæ habemus, conſecrant, & quaſi igne charitatis inflammant. Quid habet homo? An bona exteriora & temporalia? Hæc Paupertas abiicit, & abiicienda in odorem ſuauitatis abſumit. An corpus, & voluptates eius? Sed hæc virtus Caſtitatis accen-

A dit. An animam, & iudicium, & voluntatem? Sed hæc omnia Obedientia Deo ſubdit. Quare hoc eſt diſcrimen inter iuſtos, qui diuitias, vxorem, ac propriam voluntatem retinent, & iuſtos, qui his omnibus ob amorem vitæ æternæ renunciant, quòd illi ſacrificium tantùm Deo offerunt, hi verò aliquid amplius, nempe holocauſtum, offerre non deſinunt. Idque apertè Gregorius teſtatus eſt, in hunc modum ſcribens:

Gregorius Hom. 20. in Ezechielem.

Sunt quidam, qui adhuc mente in hoc mundo retinentur, & tamen ex poſſeſſis rebus ſubſidia egentibus miniſtrant, oppreſſos defendere feſtinant. Iſti, in bonis quæ faciunt, ſacrificium offerunt: quia, & aliquid de actione ſua Deo immolant, & aliquid ſibimetipſis reſeruant. Et ſunt

B quidam, qui nihil ſibimetipſis reſeruant, ſed ſenſum, linguam, vitam, atque ſubſtantiam, quam perceperunt, omnipotenti Domino immolant. Quid iſti niſi holocauſtum offerunt, immo magis holocauſtum fiunt? Iſraëliticus etenim populus primum ſacrificium in Ægypto obtulit, ſecundum verò in eremo. Qui itaque adhuc mentem habet in ſæculo, ſed boni iam aliquid operatur, Deo ſacrificium obtulit in Ægypto. Qui verò præſens ſæculum deſerit, & agit bona, quæ valet, quaſi Ægypto derelicta, ſacrificium præbet in eremo; quia repulſo ſtrepitu deſideriorum carnalium, mentis ſuæ quiete atque ſolitudine Deo immolat quidquid operatur. Quamuis er-

C go, ſicut dictum eſt, ſacrificium ſit etiam holocauſtum, maius tamen eſt holocauſtum ſacrificio, quia mente, quæ huius mundi delectatione non premitur, totum in omnipotentis Dei ſacrificio incenditur, quod habetur. Hæc ille.] Si itaque iuſtus, mundum relinquens, gratiſſimum Deo holocauſtum efficitur, virtutibus his, quibus mundus, & quidquid eſt in illo, deſeritur, mirificè ad omnes virtutes acquirendas præparatur. Virtutum namque omnium exercitatio nos noſtráque Deo conſecrat, & quaſi holocauſtum pinguiſſimum, in honorem diuini numinis concremat. Si autem hæc, quæ dicta ſunt, attentè fuerimus contemplati, manifeſtè apparebit, virtutes vniuerſas ex hac triplici virtute, quaſi ex triplici fonte, manare. Qui enim per Pau-

D pertatem bona temporalia deſerit, & deſiderium eorum è corde reuellit, eo ipſo illorum gratia nulli proximo iniuriam irrogat, & ideo iuſtus eſt. Qui per Caſtitatem voluptates ſpernit, ſenſus comprimit, & ventri imperat, ne prauos in carne motus excitet, & cogitationes minùs pudicas ingerat, temperans eſt. Qui per Obedientiam ſuam voluntatem, fontem malorum abiicit, & ſuo iudicio non fidit, & prælatis ſibi datis à Deo in rebus agendis credit, prudentiſſimus eſt. Qui demum impedimentis, quæ aduersùs has virtutes inſurgunt, obſiſtit, fortis eſt. Ergo tres iſtæ virtutes ita morales reliquas connexas habent, vt ab illis nequeant ſeparari.

Quid quòd & ad virtutes Theologicas quodam-

E modo ſuam poteſtatem extendunt, non tantùm vt earum ſigna, ſed vt fortiſſima augmenti ipſarum adiumenta? Bona terrena propter cœleſtia bona relinquere, ſignum eſt magnæ fidei; & qui id præſtat, ſine arrogantia, Iacobi Apoſtuli dictum vſurpat: Et ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam.]

Iac. 2. 18.

Carnis voluptates propter delicias futuras animæ, & corpori iam immortalitate donato paratas deſpicere, ſignum eſt magnæ ſpei: dicítque qui eſt huiuſmodi, non tam verbo, quàm opere:

Propter

Pſ. 16. 4. Propter verba labiorum tuorum] vel pacis tuæ, quam ſcilicet nobis promiſiſti (vt interpretatus eſt Auguſtinus) vel propter verba Prophetarum tuorum, quibus nobis æterna pollicitus es, [ego cuſtodiui vias duras.] Voluntatem propriam iudiciũm quepro intelligenda & explenda diuina voluntate, proterere, ſignum eſt magnæ charitatis: nam, qui id facit, ſæpe in corde ſuo illa verba veri amatoris inculcat: *Pſal. 142. 8. 9.* Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu,] Similiter Paupertas bona, mentem diſtrahentia relinquens, eam ad conſiderationem rerum fidei applicat, & ita fidem roborat. Caſtitas corpus in arcto conſtituens, vt anguſtiam ſuam ferre valeat, ſpem confirmat. Obedientia ſolam diuinam voluntatem in iuſſis prælatorum intuens, charitatem inflammat. Si autem magis ſubtiliùs quàm vtiliùs addubites, quanam ratione Paupertas & Caſtitas, quæ partes ſunt, & quaſi filiæ Temperantiæ, & Obedientia, quæ pars eſt Iuſtitiæ, poſſint his virtutibus, à quibus oriuntur, & cæteris omnibus originem dare: Dicam tibi, quia ſæpe mater filiam præeuntem ſequitur, & domina ancillæ veſtigia conſectatur: reginámque non tantùm ancillæ retro comitantur, ſed & duces ac magiſtratus præcedunt. Sic Paupertas, Caſtitas, & Obedientia, Charitatem dominam ac reginam præeunt, & reliquis virtutibus Charitatis ancillis, quaſi viam, qua tutò gratur, oſtendunt.

Vt autem Patres huic ſententiæ aſtipulentur, qua dicimus, Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam, eſſe quaſi ſeminaria virtutum, eis nomina imponunt, & eas titulis inſigniunt, quæ huic prærogatiuæ ipſarum explicandæ deſeruiunt. De Paupertate hæc dicit Ambroſius: *Ambr. ad c. 6. Lucæ.* Ordine prima eſt, & parens quædam, generatióque virtutum: quia qui contempſerit ſæcularia, ipſe merebitur ſempiterna: nec poteſt quiſquam meritũ regni cœleſtis adipiſci, qui mundi cupiditate poſſeſſus, emergendi non habet facultatem. Et Theophylactus: *Theophy. Lucæ. 18.* Præſcripſit ei (ſcilicet adoleſcenti) Dominus Paupertatem caput omnium virtutum. Et Haymo: *Haymo. Matthæi 5.* Et quæ virtus talem inter reliquas beatitudines tenere debet principatum, niſi ſpontanea Paupertas? Ex ipſa enim cæteræ virtutes exordium quoddam & originem ſumunt. Sicut denique ex vna radice arboris, multi rami & folia prodeunt; ſic ex ſpontanea Paupertate, multæ virtutes generantur. Qui enim ſpontaneam amat Paupertatem, erit miſericors per largitatem, & non tenax per auaritiam. Erit conſequenter & mitis, quia diuitias non quærit per iactantiam, qui Paupertatem diligit cum humilitate. Erit & pacificus, quia non erit occaſio rixandi vbi non eſt voluntas acquirendi. Habebit etiam & cordis munditiam, quia ſicut illi qui diuitias diligunt, turbulenti ſunt animo; ita, qui ſpontaneam Paupertatem amant, ſoliciti ſunt, quæ Dei ſunt, quomodo placeant Deo.] Paupertas eſt humilitatis occaſio, quia ſicut diuites de rerum temporalium abundantia ſuperbiunt; ita pauperes ex penuria, quam ſuſtinent, ſe deiiciunt. Eſt Caſtitatis fomentum, quia ſubtrahit nimium cibum, & potum, & mollia veſtimenta, quæ luxuriæ atque impudicitiæ aſſidere noſcuntur. Eſt obedientiæ baſis, quia animus paupertate, & humilitate decoratus, pluris æſtimat ſecurè prælatis obedire, quàm periculosè ſubditis imperare. Denique nulla eſt virtus, quæ paupertati non ſe libenter adiungat, cùm per eam animum expeditũm ad quaſque ſtudioſas actiones exercendas inueniat.

Caſtitatem verò horto comparauit Ambroſius, vt quemadmodum in horto plurimi fructus floréſque naſcuntur; ita in animo Caſtitatis amatore virtutes tamquam fructus ſuauiſſimi generentur. Huius ſancti Doctoris verba ſunt: *Ambr. l. 1. de Virginit. poſt med.* Amat Chriſtus generari in hortis, in quibus eum, Suſanna, dum deambularet, inuenit, mori potiùs quam violari parata. Qui ſint autem horti, ipſe demonſtrat, dicens: *Cant. 4. 12.* Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus:] eo quòd in hortis huiuſmodi impreſſa ſignaculis imagine Dei, ſynceri fontis vnda reſplendeat, ne volutabris ſpiritualium beſtiarum, ſparſo cœna fluenta turbentur. Hinc ille murali ſeptus ſpiritu, pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. Itaque ſicut hortus furibus inacceſſus, vitem redolet, flagrat oleam, roſam renidet, vt in vite religio, in olea pax, in roſa pudor ſacratæ virginitatis inoleſcat. Et de eadem virtute Philo ait: *Philo. de vita contemplatiua.* Temperantiæ tamquam fundamento in anima iacto virtutes cæteras (fideles) ſuperſtruunt. Et Ioſeph caſtiſſimo Patriarchæ nomen augmenti inditum eſt, *Gen. 49. 22.* quòd ex Caſtitate non ſolùm ſit opibus, & poteſtate auctus, vt ait Ephræm, *Ephra. de recta viuẽdi rat. c. 48.* ſed, & multiplici virtute ditatus. Filius accreſcens Ioſeph, dictum eſt ei, filius accreſcens, & decorus aſpectu.] Ille qui fuit corpore quidem pulcher, ſed multo magis Caſtitatis ſplendore decorus, bis filius accreſcens, vel auctus appellatur, *Gen. 49. 22.* quoniam illum Caſtitas vſque ad ſuſtinentiam carceris, & infamiæ, & mille periculorum, amara, ad Ægypti principatum extulit: ecce vnum augmentum: & altero potiori, vſque ad multarum virtutum poſſeſſionem, ſublimauit. Ex amore enim Caſtitatis ad contemptum ſæculi, ad inuictam animi fortitudinem, ad ſuſtinentiam perſecutionum, ad firmam ſpem in Deum, & ad alias virtutes vſque proceſſit, vt notum ſit vniuerſis, hortum Caſtitatis ita in corde iuſti fuiſſe plantatum, vt non tantùm lilia pudoris, & honeſtatis candida ferat, ſed & roſas, & violas, & multiplices flores aliarum virtutum emittat.

De obedientia denique hæc ait Gregorius. *Greg. 31. mor. c. 10.* Sola namque virtus eſt Obedientia, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertáſque cuſtodit. Vnde & primus homo, præceptum, quod ſeruaret, accepit, cui ſe ſi vellet Obediens ſubdere, ad æternam beatitudinem ſine labore perueniret. Et Auguſtinus loquens de ligno ſcientiæ boni & mali: *Aug. li. 6. c. aduerſarium legis, & Pr. cap. 14. Tob. 6.* Hæc digno ſcentia, ait, non eſt beati hominis ſapientia, ſed miſeri experientia; vnde lignum nomen accepit, à cuius cibo eſt homo prohibitus: vt obedientia commendaretur, quæ maxima eſt virtus: &, vt ſic dixerim, omnium origo matérque virtutum, in ea natura, cui ſic datum eſt arbitrium liberæ voluntatis, vt eam tamen neceſſe ſit viuere ſub poteſtate melioris. Hæc, & alia ſimilia, quæ paſſim inueniuntur apud ſacros authores, ſatis indicant tres iſtas virtutes, eſſe quaſi aliarum fontes, ex quibus virtutes reliquæ aliquo modo promanant. Nam donis Paupertatis, Caſtitatis, & ſubiectionis excultus, impedimentis aliarum virtutum ſolutus eſt, & ad earum actus mirum in modum paratus, & quaſi optimis inſtrumentis ad eas adipiſcendas inſtructus. Nunc ergo ad vtilitatem ſpiritualium virorum in his tribus virtutibus exponendis nonnihil laboremus, ex quo & illis fortè aliqua vtilitas, & nobis ſine dubio fructus non contemnendus accreſcet. Illis quidem vtilitas, quoniam ſi tyrones ſint, ſecreta iſtarum virtutum addiſcent; ſi verò iam adoleuerint ſpiritu, memoriæ gratia, quod

iam

iam optimè nouerunt, & opere præſtiterunt, aduerterent. Nobis verò fructus non tantùm quia pro Dei gloria deſudamus, ſed quia cum incipientibus, ex his quæ ſcribimus, aliquid proficiemus. Nam cùm aliud ſit dicere, aut ſcribere, & aliud, quæ ſcripſeris, actione complere, nos quidem hactenus dicere impolito ſtylo nouimus, ſed vtinam, quæ hactenus diximus, & dicemus, in opus proferre diſcamus. Eſt autem in hoc rebus odoriferis aſſimilis natura virtutum, vt quemadmodum manus, ſi ſemel odores attrectauerint, fragrantia eorum imbuuntur; ita & mens, quæ meditandis ſcribendiſque virtutibus aſſiduè vacat, eiſdem paulatim afficitur. Dum ergo meditamur, dum ſcribimus, dum corrigimus, faxit Deus vt virtutibus his aliquantulum exornemur, & de noſtra A tepida vita erubeſcamus. Sed in hac tractatione ita procedendum eſt, ne opus in immenſum creſcat, vt in harum trium virtutum laudibus parciſſimus: in iis verò, quæ ad praxim pertinent, reliquum huius voluminis collocemus: nam legentium mentes, quæ hucuſque in legendo perdurauerint, ſatis affectas video, vt non tam ad virtutes moueri, quàm ad earum gradus cognoſcendos, & perfectionem ſciendam, debeant incitari. Tu Domine qui me inter non pauca, nec modica impedimenta, vſque ad poſtremam huius voluminis partem venire tribuiſti, votis meis benignus aſpira, vt quod ad honorem tuum, & vtilitatem tuorum ſeruorum, cœptum eſt, tuo auxilio compleatur.

PARS PRIMA

De Paupertate.

PAVPERTAS duplex eſt: altera, quam nolentibus, & reluctantibus dura neceſſitas intulit; altera, quam volentibus, & ſponte ſuſcipientibus, deſiderium perfectionis iniecit. Illa non eſt virtus, nec vitium, ſed cum rebus medijs, aut indifferentibus computanda, quæ pro ſuſtinentium qualitate, poteſt in malum, & in bonum trahi. Multis tamen occaſio extitit mali, eo quòd dum neceſſariis egent, non ad tolerantiam, ſed ad impatientem triſtitiam permouentur, & dum volunt diuites fieri, ad rapinas, & fraudes, & proximorum iniurias excitantur. [Prou. 30. 8.] *Vnde Salomon Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, ſed tantum victui meo tribue neceſſaria. Ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Domini.] Hæc autem virtus eſt, & præcipua multis curis nos liberans, quam omnes religioſæ familiæ, vt impedimenta perfectionis remouerent, piè diligentérque ſeruarunt. Neque eumdem illæ paupertatis modum cuſtodiunt, vt Eccleſia, cuius ſunt partes, in hoc etiam varietate veſtita in conſpectu ſummi regis apparet.* [Bonau. in Apolog. Pauperũ reſpõ. 3. p. 1. a. 1.] *Quædam enim, vt Bonauentura annotauit, bona, & poſſeſſiones in communi retinent, vnde earum profeſſores ſuſtententur, licèt nullus eorum aliquid tamquam proprium poſſideat. Huiuſmodique Paupertatis forma in turba diſcipulorum præceſſit, de quibus in actibus Apoſtolorum ſcribitur:* [Actor. 4. 32. & 34. 35.] *Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.] Et paulo pòſt: Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum.] Diuidebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.] Aliæ verò religioſæ familiæ neque in particulari, neque in communi aliquid poſſident, ſed ex fidelium eleemoſynis ſe ſuſtentant. Earúmque Paupertatis exemplar in Apoſtolis præceſſiſſe compertum eſt:* [Matth. 10.9.] *Nam illis dixit Dominus: Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus eſt enim operarius cibo ſuo.] Et verè hæc Paupertas paucorum eſt perfectorum, illorum ſcilicet, qui tam robuſtam virtutem habent, vt poſſint miniſteriis Eccleſiaſticis cum ſui & aliorum vtilitate ſeruire, & ſine notabili diſtractione neceſſaria quæritare.* [D. Tho. 22. q. 188 art. 7. Caiet. ib.] *De quo Sanctus Thomas Aquinas, & Cardinalis Caietanus, multa verè & ſubtiliter diſputant. An verò multitudini congruat, in qua multi eſſent infirmi, & non vſque ad neceſſitatem in perfectione fundati, aliorum iudicio relinquimus. Sed quia nos non quidem religioſas congregationes regere, ſed perſonis earum particularibus prodeſſe cupimus, quibus ſiue in communi religio habeat, ſiue non habeat, eadem debet ineſſe Paupertas, ideo omnibus illis deinceps in hac tractatione indifferenter, & ſine vlla diſtinctione loquemur, & huius ſanctæ virtutis perfectionem illis (Deo fauente) declarabimus.*

Quid ſit Religioſa Paupertas.

CAPVT I.

TRACTATIONEM hanc à definitione Paupertatis ordiamur, quæ dum eius naturam aperuerit, ipſius quoque deſiderium accendet, & præſtantiam explicabit. Paupertas igitur eſt, ob amorem Dei, & deſiderium perfectionis, omnium rerum temporalium abdicatio, opere & voluntate. Idem intelligetur ex quadruplici genere Hominum, quos Haymo Alberſtatenſis [Haymo Matth. 5.] Epiſcopus aptè diſtinxit. Quidam enim ſunt nec pauperes rebus, nec ſpiritu, nimirum diuites ſuperbi, [Pſal. 72.12] de quibus ait Sanctus Dauid: Ecce ipſi peccatores, B & abundantes in ſæculo, obtinuerunt diuitias:] qui facultatibus locupletati, & illis nimiè adhærentes, mẽte ſunt ſuperbi, & ſpiritu turgidi. Alij ſunt Pauperes rebus, ſed non ſpiritu: illi ſcilicet, qui nihil quidem poſſident, ſed multa poſſidere concupiſcunt: & cùm corpore & ventre ſint vacui, deſiderio vero, & voluntate ſunt pleni. Alij ſunt pauperes, non rebus ſed ſpiritu, quorum eſt diuitias re ipſa poſſidere, ſed eis corde non adhærere, nec ſublime ſapere, vt ait Paulus, nec in incerto diuitiarum ſperare. [1. Tim. 6. 17.] Alij denique ſunt pauperes rebus, & ſpiritu, qui nempe opere diuitias propter Deum, & facultates deſeriot, & multo magis affectu cordis abiiciunt. Hi autem ſunt Eccleſiæ religioſi, quãdo hoc egregiũ opus voto cõfirmãt. Eorũmq; virtus vocatur Religioſa Paupertas.

Tria

Digitized by Google

Tria igitur ad veram Paupertatem requiruntur, quorum aliquod ſi deſit, non erit, quam inueſtigamus, noſtro ſtatu digna Paupertas. Primum eſt, vt affectu, volũtate, ac deſiderio, vniuerſa tẽporalia relinquamus, & hoc eſt in Paupertate præcipuum, cuius gratia actione res temporales abiicimus. Hoc ſignificant illa verba Saluatoris: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.] Spiritus

Matth. 5. 3. namque pro voluntate poſitus eſt, ſicut aliis locis ſcripturarum non ſemel. vt: Solicitì ſeruate vnitatem ſpiritus, id eſt, concordiam voluntatũ, in vin-

Epheſ. 4. 3. culo pacis.] Et: Cui ſeruio in ſpiritu meo,] id eſt

Rom. 9 animo, ac voluntate mea. Et: Virgo cogitat, quæ Do-

1. Cor. 7. 34. mini ſunt,] vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu. Sunt B ergo ſpiritu pauperes, ſiue mendici, qui ſponte, ac voluntate, aut res temporales, quas habent, abiiciunt, aut quas non habent, non appetunt, ſed verè, & ex corde, contemnunt. Quique dicunt cum Paulo: Verumtamen exiſtimo omnia detrimẽtum eſ-

Philipp. 8. ſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.] Omnium, inquam, opum, honorum, voluptatum iacturam faciunt libenter propter eminentiſſimam cognitionem Ieſu Chriſti, & propter eius imitationem, vniuerſa hæc temporalia noxia iudicant, & ſtercora viliſſima arbitrantur.

C

Facile autem eſt, hunc affectum, quo omnia relinquimus, in Paupertate eſſe præcipuum, ex Patribus comprobare. Gregorius enim ait: Hac in re, fra-

Homil. 5. in euang. tres chariſſimi, affectum debemus potiùs penſare, quàm cenſum. Multũ reliquit qui ſibi nihil retinuit, multum reliquit, qui quamtumlibet parum, totum deſeruit. Certè nos, & habita, cum amore poſſidemus, & ea quæ minimè habemus, ex deſiderio quærimus. Multum ergo Petrus, & Andreas, dimiſit, quando vterque etiam deſideria habendi dereliquit. Multum dimiſit, qui cum re poſſeſſa etiam concupiſcentiis renuntiauit. A ſequentibus ergo tanta dimiſſa ſunt, quanta à non ſequentibus concupiſci potuerunt.

D

Nemo igitur etiam cùm quoſdam conſpicit multa reliquiſſe, apud ſemetipſum dicat: Imitari mundi huius contemptores volo; ſed quod relinquam, non habeo. Multa, fratres, relinquitis, ſi deſideriis terrenis renunciatis. Exteriora etiam noſtra Domino, quamlibet parua, ſufficiunt: cor namque, & non ſubſtantiam penſat. Nec perpendit quantum in eius ſacrificio, ſed ex quanto proferatur. Et Augu-

Epiſt. 34. ad Paulinum. ſtinus ad Paulinum ſcribens, ſic ait; Piſcatores, vocãte Domino, quòd nauiculas, & retia dimiſerunt, omnia ſe dimiſiſſe, & Dominum ſecutos eſſe, etiam commemorando læ̃tati ſunt. Et reuera omnia contemnit, qui non ſolùm quantũ potuit, ſed etiam quantum voluit, habere contemnit. Sed in eo quod cu-

E

piebatur, oculi Dei teſtes ſunt; in eo quod habebatur, & hominum. Et rurſus alio loco de ſe ipſo ad Hilarium ſcribens, ſic ait: Ego, qui hæc ſcribo, perfectionem, de qua Dominus locutus eſt, quando ait diuiti adoleſcenti: Vade, vende omnia, quæ ha-

Mat. 19. 21. bes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me:] vehementer adamaui, & non meis viribus, ſed gratia ipſius adiuuãte ſic feci. Neq; enim quia diues non fui, ideo minùs mihi imputabitur. Nam neque ipſi Apoſtoli, qui priores hoc fecerunt, diuites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui & illud, quod habet, & quod optat habe-

1. Officio. cap. 30. re, dimittit. Et Ambroſius breuiter: Affectus diuitem collationem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit.

Ideo autem iſte affectus omnia contemnens eſt in paupertate præcipuus; quoniam res temporales per ſe ſumptæ, bonæ ſunt, & eatenus noxiæ perfectioni iudicantur, quatenus animum ab amore cæleſtium diſtrahunt, & cum nimia adhæſione poſſidentur. Quare qui hanc adhæſionem deſerit, & affectum ſuum erga eas moderatur, aut etiam ab eis tollit, aliquo paupertatis præmio non carebit. Ideóque veteres Patriarchæ cùm multis diuitiis affluerent, ſpiritu pauperes dicti ſunt: quia diuitiæ corpus quidem, & amplam eorum familiam protegebant, non tamen nimio amore earum corda fœdabant. Quis enim neget, Abraham cor habuiſſe ab

B immoderato amore rerum temporalium immune: *Gen. 22. 10.*

qui (quod ad ſe attinuit) filium, vt Deo obediret, dilectiſſimum, & ſuæ domus hęredem immolauit? An fortè potuit propter obedientiã Deo ſeruandã filium occidere, & non potuit externas facultates aſpernari? Sicut ergo ſacrificium Abel Deo placuit, ex eo quòd ex deuotiſſima, ac promptiſſima voluntate

proceſſit; ita ſacrificium noſtrum, quo ei facultates *Ibid. 4. 4.*

offerimus, gratum eſt, quia ex ardentiſſimo voluntatis affectu eas à nobis ſeparamus. Vnde affectus iſte qui dimiſſioni rerum valorem ſuum tribuit, meritò ſanè in hoc negotio Paupertatis primum obtinet

C principatum.

Non tamen ſatis eſt religioſæ paupertati ſpiritu & corde temporalia relinquere, niſi ſecundum addamus, vt ſcilicet etiam re ipſa & actione deſerantur: Eſt enim profeſſio religioſa, vt Thomas Aquinas ſci-

rè meditatus eſt, totius virtutis ac perfectionis ſchola, ad quam qui accedit, vt ad perfectam Charitatem perueniat, & Deo ſe intellectu & affectu coniungat, *D. Thom. 22. q. 186. art. 3*

debet ſe ab amore rerum vilium & temporalium diuellere. Hæ autem res difficillimè animo relinquuntur, ſi opere teneantur. Quare oportet eas actu deſerere, vt poſsimus affectum ab illis expedire, & amorem noſtrum à viſco huius ſæculi liberare. Quare Dominus adoleſcentem ad perfectionem inuitans, non tantùm ab eo petiit, vt amorem diuitiarum deponeret, ſed vt actu quoque relinqueret. Si vis, in-

D quit, perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da *Mat. 19. 21.*

pauperibus, & habebis theſaurum in cælo; & veni, ſequere me.] Et Auguſtinus hanc rem tractans ſapienter ſcripſit: Neſcio quomodo cùm ſuperflua *Aug. epiſ. 17. ad Paulinũ.*

& terrena diliguntur, arctiùs, adepta quàm concupita, conſtringunt. Nam vnde triſtis ille diſceſsit, qui conſiliũ vitæ æternæ conſequẽdæ quærebat à Domino, cùm audiſſet vendenda eſſe omnia, & diſtribuenda eſſe pauperibus, & habendum theſaurum in cœlo, ſi vellet eſſe perfectus? Niſi quia magnas, vt Euangelium loquitur, habebat diuitias. Aliud eſt enim nolle incorporare quæ deſunt: aliud, iam

E incorporata diuellere. Illa velut cibi repudiantur: iſta velut membra præſcinduntur. Quanto igitur, & quàm mirabili gaudio noſtris temporibus Chriſtiana charitas conſpicit per Domini euangelium cum lætitia fieri, quod ex ore Domini cum *Hom. 64. in Mat.*

triſtitia diues audiuit? Sic ille.] Et ad idem Chryſoſtomus. Nec vnquam magna voce prædicare ceſſabo, acceſſione pecuniarum cupiditatem habendi magis atque magis in dies adeo inflammari, vt rerum copia creſcente paupertas quoque augeatur. Nam qui maiori deſiderio ardent, egere ſe magis ſentiunt.] Et ſanè licèt temporalia nimiè & immoderatè animo non adhæreſcerent, in religioſo ſtatu, ex eo autem relinquenda ſunt, quoniã eorum adminiſtratio & ſolicitudo conſeruandi & augendi, nõ parũ animũ diſtrahit, & à cæleſtibus auocat. Mens autẽ quæ pro ratione profeſſionis ſuæ debet ri-

giter Deo vacare, non poſſideat ea neceſſe eſt, quibus à cæleſtibus auocatur.

Ille igitur erit affectu & actione pauper, qui, & temporalibus renunciauit, & ea corde atque affectu deſeruit. Nam ſi tantùm opere facultates reliquiſti, & affectũ ab eis non ſeparaſti, ineptè ſatis de arrepto melioris vitæ propoſito ac de Paupertatis profeſſione glorians. Eris namque pauper ſæculi qui diuitias poſſidere non potuit; non pauper Dei; qui à ſe diuitias, quas poſſidere poterat, relegauit. Erit in te paupertas non ſpontanea virtus, ſed dura neceſſitas. Eris religioſi nomine indignus, qui quod ſæculi amatores quærunt, diligis: non qui re vera contemptum ſæculi profiteris. Eliges tibi ſtultè tam diuitiarum quàm paupertatis incommoda, & vtriuſque bonum à te reiicies. Nam incommodum paupertatis eſt indigentia, quam nihil poſſidens abſque dubio ſuſtinebis. incommodum verò bonorum temporalium, eſt affectus immoderatus ad illa: & hunc quoque diuitias diligens, & cupiens, indubiè ſuſcipies. E contrà verò bonum Paupertatis eſt tranquillitas mentis, ſpinas curarum repellentis, quas opes ingenerant: & hanc opes & ſuperflua deſiderans, non habebis. Bonum verò diuitiarum, eſt earum bonus in neceſſitates tuas, & in pauperes, vſus: hunc verò ſine facultatibus actu poſſeſſis obtinere non poteris. Redibis ergo ad mentem ſi duo hæc neceſſaria ad tuam profeſſionem adiunxeris, & in vna Paupertate complectaris: vt ſcilicet temporalia bona actu deſeras, & affectu ac deſiderio relinquas.

His duobus, quorum vnum eſt, bona temporalia actu reliquiſſe, & alterum, affectu depoſuiſſe, tertium adiiciendum eſt, vt nempe hic egregius bonorum temporalium contemptus ob propoſitum melioris vitæ & propter regnum cœlorum, & amorem Dei, à viro iuſto ſuſcipiatur. Nam hic eſt ſcopus, propter quem voluit Deus à nobis temporalia relinqui, vt valeamus expeditiùs ad perfectionem currere, & liberiùs ad cæleſtia properare. Idque indicant illa verba, quæ adoleſcens ad Paupertatem inuitatus audiuit: Veni, ſequere me, & habebis theſaurum in

Matth. 19.21. cælo.] Vende, inquam, tua, & da pauperibus, non quidem alio fine, niſi vt meus fias diſcipulus, vt in meam tranſeas diſciplinam, vt vitam meam pauperem ac diuitiarum contemptricem, imiteris. vt me voluntate & actione ſequaris. Relinque tua, vt quaſi dato pretio omnium eorum, quæ poſſides, theſaurum in cœlo merceris. Non tibi ſpes lucri temporalis illudat, quæ modica, & fallax eſt, ſed ſpes lucri cœleſtis, & æterni, ad temporalia abiicienda pertrahat, quæ vera & ingens eſt ſupra modum. Hunc autem eſſe finem propter quem debeamus paupertatem profiteri, Patres cognouerunt, atque ex Chriſto didicerunt. Macarius Ægyptius ſic ait: Propterea Deus conſulens animæ tuæ, iuſſit omnibus re-

Macar. homil. 11. bus renunciare, vt vel inuitus quæras opes cœleſtes, & habeas ita cor tuum apud Deum: quia ſi volueris reuerti ad poſſeſſiones, nihil ex iis quæ in mundo ſunt, reperies te poſſidere: & ob id (velis, nolis) cogeris mittere ad cæleſtia, vbi ea theſaurizaſti, ac depoſuiſti. vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. In lege itaque præcepit Deus Moſi facere ſerpentem æneum, & hunc exaltatum ad ſummi-

Num. 21. 8. tatem ligni affigere: & quicumque à ſerpentibus percuſſi erant, ſpectantes ſerpentem æneum, ſanabantur. Quod quidem non ſine diſpenſatione fiebat: vt qui terrenis curis, idolorum cultura, voluptatibus Satanæ, & quacumque impietate detinebãtur, hinc ſaltem modo erigerentur aliquatenus ad ſuperiora: & mortui quoad hæc inferiora, oculos attenderent ad ſublimia, & ſurſum ab illis promouerentur ad id quod eſt altiſſimum, & ita paulatim gradientes ad ſublimiorem & ſuperiorem progeniem, cognoſcerent eſſe quendam altiſſimũ ſupra omnem creaturam. Eadem ratione iuſſit te Deus pauperem fieri, & omnibus venditis largiri pauperibus, vt poſtmodum (etiam ſi velis) denuo reperire ſuper terram non poſſis. Itaque incipe ſcrutans cor tuum, diſputare cum cogitationibus tuis, inquiens, cùm nihil poſsideamus ſuper terram, tranſeamus ad cælum vbi theſaurum habemus, & ibi negotiati ſumus.

Antiochus ſic: Qui inops eſt, ſuper terram quidem verſatur, conuerſationem verò iam in cœlis ſibi comparauit. Inopiæ enim merito cum Angelis congreditur familiariter, choro accenſetur iuſto- *Hom. 89. de inopia.* rum. Dum enim hæc auerſatur & repudiat terrena, vel ipſa imaginatione colligit iam & contemplatur cœleſtia. Non vides quanto inter ſe diſsideant diſcrimine, hæc corruptiua dimiſiſſe, & poſſediſſe incorrupta: hæc qualiacumque quæ noſtra non ſunt, reliquiſſe, & illis perfrui quæ parata ſunt diligentibus Deum, quæ oculus non vidit, non auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt? Quiſquis mundi iſtius oſor eſt, & mammonæ, perſpicuum euadit, quia hic mundi opificem diligit. Inferioribus enim tranſmiſsis præſtantiora nihil obſcurè expetit. Generoſæ prorſus, ac Deum ſyncerιter amantis animæ argumentum eſt, nihil mundi poſsidere velle. Qui eiuſmodi eſt, hæres quidem Dei, cohæres autem fit Chriſti. Qui igitur adipiſci vult margaritum illud multo pretioſiſsimum, præſentium bonorum omnium poſſeſsionem à ſe cum gaudio excutiat, vt agrum ſibi comparet, in quo vitæ quidem theſaurum inuenit, eatenus retruſum & reconditum. Tunc enim locum quis nanciſcitur, in quo gratia Dei delitet, cùm temporales haſce diuitias omnes à ſe abiecerit.

Baſilius ſic. Hi ſunt mendici ſpiritu, qui non aliam vllam ob cauſſam ad mendicitatem deuenerunt, quàm ob doctrinam Domini qui dixit: Vade, ven- *Regul. breuior. 205.* de omnia quæ habes, & da pauperibus.] Ac tandem Bernardus ſic: Diligenter attende, quòd Dominus non ſimpliciter pauperes nominat, propter *Luc. 18. 22.* plebeios pauperes neceſsitate miſerabili, non laudabili voluntate. Spero equidem profuturam eis *Sermo in feſto omn. ſanct.* apud diuinæ bonitatis miſericordiam, hanc ipſam afflictionis ſuæ miſeriam: Scio tamen Dominum hoc in loco, non de huiuſmodi fuiſſe locutum, ſed de his, qui poſſunt dicere cum Propheta: Voluntariè ſacrificabo tibi.] Attamen nec voluntaria qui- *Pſ. 53. 8.* dem paupertas omnis laudem habet apud Deum. Nam & Philoſophi omnia ſua reliquiſſe leguntur, vt expediti mundialibus curis ſtudio vanitatis poſſent vacare liberiùs: & nolebant cenſu abundare terreno, vt abundarent magis in ſuo. Hos diſcernit quod dictum eſt, ſpiritu, id eſt, ſpirituali intentione, deſiderio ſpirituali propter ſolum beneplacitum Dei & animarum ſalutem.

Hæc omnia Patres, & multa alia, quæ conſultò prætereo, ex quibus ſatis apertè liquet qualem Paupertati noſtræ finem præfigere debeamus. Neque enim diuitias, & ſæculi facultates abiicimus, quaſi in ſe malas eſſe putemus, ſed quia ex culpa & imbecillitate noſtra, eis ſine immoderata adhæſione, & ſine diſtractione mentis vti non nouimus. Neque eas relinquimus ex inanis gloriæ deſiderio, vt apud homines opinionem contemptorum ſæculi, & nomen magnum aſſequamur. Sicut ille fecit, cuius Euangeliſta Ioannes (vt dicitur) lapides pretioſos, & gemmas commutatas in priſtinam in-

tegritatem

Digitized by Google

integritatem ac valorem reſtituit. Nec tandem eas deſerimus, vt rerum temporalium cura ſoluti, liberiùs ſcientiæ ſæculari ſtudeamus. Hæc fuit quorumdam antiquorum philoſophorum paupertas, quam certè Chriſto credens, & præmium eius aſpiciens, debet in ſuſcepta à ſe mediocritate ſupergredi. Quare huius abiectionis opum ab Ethnicis factæ dum meminit Hieronymus, hac ait: Fecit hoc Crates Thebanus, fecit & Antiſthenes, fecerunt plurimi, quos vitioſiſſimos legimus. Plus debet Chriſti diſcipulus præſtare, quàm mundi philoſophus, gloriæ animal, & popularis auræ, atque rumorum venale mancipium. Tibi nō ſufficit opes contemnere, niſi Chriſtum ſequaris, Chriſtum autem ſequitur, qui peccata dimittit, & virtutū comes eſt.] Cuius ergo rei gratia à nobis ſunt mundi difficultates deſerēdæ? Equidem aſſero, vt poſito rerum terrenarum pondere expediti Chriſtū ſequamur, vt occaſiones peccandi fugiamus, vt curas, & ſæculi ſolicitudines abiiciamus, vt tranquillè rebus diuinis vacemus, vt pro peccatis noſtris nonnihil ſuſtineamus, vt contemptis terrenis cœleſtia ſuſpiremus, & vt theſaurus incomparabilis in æterna patria nobis obtingat. Hic eſt ſcopus Chriſtianę paupertatis, ad quē nuditas, & reliqua quę paupertate continentur, ex noſtra intentione dirigātur.

Epiſt. 26. ad Pamachium.

Hæc igitur paupertas, quæ actu omnia temporalia abiicit, & affectu derelinquit, vt mens liberiùs in Deum tendat, & cœleſtia concupiſcat, eſt paupertas religioſa, ſi tamen non ad tempus ſuſcipiatur, ſed perpetuo voto firmetur. Religio namq; ſtatus Eccleſiæ, eſt in perfectionem tendens, & ab iis quæ perfectionem impediunt, hominem eximens. Status autem vt iure ſtatus nomen & ſubſtantiam teneat, debet eſſe ſtabilis, atque perpetuus, niſi Paupertas, Caſtitas, & Obedientia, ad eum pertinentes, ſub votum cadant. Duobus enim modis poſſumus ad aliquid faciendum ligari, aut præcepto, aut voto. Deus verò non obligauit nos ad actus prædictarum virtutum aliquo ſuæ legis præcepto, vt ſcilicet, nihil omnino poſſideremus, vt ab vxoribus accipiendis abſtineremus, vt ſuperiori à nobis ſponte electo in omnibus ſubderemur, ſed hæc ſub cōſilio reliquit. Ergo votū neceſſariū fuit à nobis emitti, quod nos ad hæc facienda ligaret, atque adeo ipſa tamquam Eccleſiæ ſtatum facientia conſtitueret. Paupertas igitur noſtra debuit eſſe voti obligatione promiſſa. Quæ profectò nulli nos diſcrimini damni corporalis aut ſpiritualis exponit. Quia cùm res temporales libenter dimittimus, non eſt cur propter illas congregandas aliquod peccatum timeamus. Et neceſſaria ad vitam nobis deeſſe non poterunt, cùm propter regnum Dei terrena contemnimus: dicente Domino: Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.] Neque etiam hæc omnimoda rerum abrenuntiatio ſe largitioni eleemoſynarum opponit. Quia perfectius eſt pro Chriſto omnia ſimul tribuere, quàm multis retentis, quædam tantùm paulatim ac per partes erogare. Vnde Hieronymus contra Vigilantium ait: Quod autem aſſeris, eos meliùs facere, qui vtuntur rebus ſuis, & paulatim fructus poſſeſſionum ſuarum pauperibus diuidunt, non à me eis ſed à Deo reſpondebitur: Si vis perfectus eſſe, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me.] Ad eum loquitur, qui vult eſſe perfectus: qui cum Apoſtolis patrem, nauiculam, & rete dimittit. Iſte quem tu laudas, ſecundus & tertius gradus eſt, quem & nos recipimus, dūmodo ſciamus prima ſecundis & tertiis præferenda. Et in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus ſcriptum eſt: Bonum eſt facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare;

Matth. 6.33.

Epiſt. in Vigilātiū fine. to.2.

Matth. 9.21.

Inter opera Aug. c.71. to.8

A melius eſt pro intentione ſequendi Dominum ſimul donare, & abſolutum à ſolicitudine cum Chriſto egere. Maneat ergo religioſam paupertatem eſſe abrenunciationem rerum temporalium re & multo magis animo factam propter deſiderium perfectionis, & regni cœleſtis, quàm votum ſtabiliuit, & voluntas noſtra pollicitatione ligata firmauit.

Quàm ſit Paupertas viro religioſo neceſſaria.

CAPVT II.

EX hac natura Paupertatis ſic à nobis expoſita manifeſtè colligitur, quam viro religioſo eſſe maximè neceſſariam, ſine cuius adminiculo perfectionem, cuius gratia, à mundo diſceſſit, & cœnobium ingreſſus eſt, obtinere non poterit. In ſtatu religioſo initium ac radix eius, ſubſtantia, ac natura ipſius, & adminicula vt hæc eius natura ſubſiſtat, conſideranda ſunt, ſine quibus fictus erit, & quaſi in tabella depictus, non verò verus, & viuus (vt ita dicam) atque aliqua ſtabilitate ſolidatus. Ego enim hunc ſtatum arbori ſimilem iudico, cuius radix non in terra iſta noſtra, ſed in cælo, aut in ſpe firma conſequendi cælum, latet: cuius truncus ex hoc loco conſurgit, & rami virtutum hinc inde ſe conuenienter expandunt, ſuauiſſimis fructibus onerati, cuius frondes & folia fructus protegunt atque defendunt. His omnibus ſimilis eſt beata Paupertas, vt quàm religioſo ſtatui neceſſaria ſit, euidenter appareat.

Ipſa eſt huius ſublimis atque proceræ arboris radix quam ſi euellas, arbor areſcet, & omnino peribit. Decreuerat Dominus, regi ſuperbo, iam caſtigato, & emendato, & humili facto, regnum, quod propter ſuperbiam abſtulerat, reſtituere; vtque ſuum decretum illi patefaceret, oſtendit illi arborem magnam & fortem, inſuper, & vigilem, & ſanctum clamantem, atque dicentem: Succidite arborem, verumtamen germen radicum eius in terra ſinite.] Hoc autem verbum exponens Daniel, dixit: Quod autem præcepit, vt relinqueretur germen radicum eius: regnum tuum, ô rex, tibi manebit, poſtquam cognoueris poteſtatem eſſe cæleſtem.] Si Dominus in vltionem ſuperbiæ tuæ, ô religioſe, aut in pœnam ambitionis tuæ, aut ramum manſuetudinis, aut compaſſionis, aut alterius moralis virtutis abſcindi, vel fructus bonorum operum ad tempus diſpergi permiſerit, modò amor, & cuſtodia Paupertatis maneat, ſpes eſt quòd aliquando, eo miſerente, & te oculis benignis aſpiciente, reſurges: At ſi incipias radicem paupertatis euellere, & vt alter Iudas loculos habere, & ea quæ ſemel Deo obtuliſti, ſine timore rapere & ſuffurari, ſignum eſt maioris mali; ſi citò ad mentem non redieris, ita obdureſces, vt fortè nunquam repareris. Sed vnde conſtat Paupertatem religioſi ſtatus eſſe radicem? Ex eo certè quod Dominus dixit adoleſcenti, qui quomodo vitam æternam poſſideret, rogauit. Si vis, inquit, perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus.] Ac ſi dixiſſet: initium perfectionis inde tibi ſumendum eſt, vt bonis temporalibus valedicas: hæc eſt radix ex qua vſque ad cœlum immo & ſupra cœlum vſque ad ſedem Dei contemplandam caput attolles; ſi verò hæc defuerit, vanum eſt tibi ſtatum adipiſcendæ perfectionis arripere, aut ſubſtantiā huius ſtatus velle tenere. Status hic religioſus quaſi æternus eſt omnium ſpiritualium

Dan. 4. 8.

Dan. 4. 23.

Matth. 19. 21.

bonorum. In eo Fides viget, Spes roboratur, Charitas feruet, Prudentia iubet, Iuſtitia regit, Fortitudo exequitur, Temperantia famulatur. In eo lectio occupat, Meditatio ruminat, Oratio poſcit, Contemplatio ſuſpendit, terreſtria ſugiunt, cæleſtia adueniunt, & ſpiritus humanus ineffabiles theſauros meritorum acquirit. Quæ autem erit quaſi radix huius bonorum faſciculi? Id ex eius oppoſito cognoſcamus. Paulus ait: Radix omnium malorum eſt cupiditas.] Ergo radix omnium bonorum erit ſancta & ſponte admiſſa Paupertas. [Illam appetentes ſæpe errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.] Fidem, inquam, deſeruerunt, ne opes amitterent, & mille labores, & afflictiones ſubierunt, vt eas poſſiderent. Ergo voluntate pauper, expeditus eſt, vt fidem ſeruet, & à multiplici cura & tribulatione ſe eximat.

1. Timot. 6.10.

Eruditè ſanè Guillielmus Pariſienſis paupertatem hanc initium eſſe vitæ religioſæ notauit. Dicimus, inquit, quòd illud nihilum, & vacuum, paupertatis fundamentum eſt, & firmamentum virorum perfectorum. Quemadmodum enim auari & cupidi firmamentum & fundamentum ſuum habent diuitias, ſic viri ſanctitate perfecti paupertatem iſtam. Et hoc eſt, quod legitur in Prouerbiis: Subſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius.] Hoc eſt, quod legitur in Iob: Qui extendit aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum.] Aquilonem vocans Eccleſias de gentibus: quoniam ad Aquilonem maximè erant gentes eo tempore conuertendæ. Eandem vocans & terram cui benedixit Dominus, Aquilonē: Super hoc fundabat vacuum: & hanc terram appendebat ſuper hoc nihilum, quādo fundamentum Chriſtianæ religionis ponebat, dicens: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.] Et expreſſius: Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. Et: Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei.] Et: Nolite portare ſacculum, & peram. Non aliter in eis fundaturus Eccleſiam, hoc eſt, in Apoſtolis, niſi priùs eos ad iſtud nihilum deduxiſſet, & ipſos in eo ſtabiliſſet atque firmaſſet. Denique hoc nihilum fundamentum eſt omnis religionis profeſſionis, & ordinis. Vnde & nullus religionem vnquam intrat niſi in iſto nihilo primo fundatus fuerit, & firmatus, niſi ad illud voto ſe adſtrinxerit, & in illo ſe perpetuò permanſurum promiſerit. Diuites enim, religionem intrantes, quaſi cameli gibboſi, per foramen acus intrant, & ideo gibboſitatem ſacculorum, & marſupiorum temporalium bonorum, priùs deponunt, alioquin non intrant.

Lib. de morib. c. 9.

Prou. 10 15.

Iob.26.7.

Matth. 5 3.

Matth.6. 19.

Luca 6. 20.

Luc. 10. 4.

Et Petrus Damianus, quàm rerum temporalium poſſeſſio religioſum à ſuo ſtatu alienum faciat, & à Chriſto, cui ſe antea dicauerat, poſtea ſeiungat, his grauiſſimis verbis exponit: Quia ad ea, quæ reliquit, terrena quælibet congerenda, reuertitur, ſicut alienus eſt à ſæculo, quo ſe decreuit exuere, ita etiam regno Dei aptus vllo non eſt, quod indubitanter acceptum noluit poſſidere. Fatuus nimirum viator nec eò reuerti poteſt, vnde irreuocabiliter prodiit, & quò ire diſpoſuerat, non peruenit. Enimvero cùm mūdo renūtiamus, proprietatem noſtrā cælum eſſe conſtituimus, & nos illius proprietas conſequenter effecti ſumus, vt illud eſſet portio noſtra, & nos peculiariter hæreditas ſua. Quapropter, ô Monache, vis in tuo loculo recondere Chriſtum? Excute priùs nummum: Neque enim in vno receptaculo congruè ſociantur. Nam ſi vtrumque ſimul incluſeris, alterum ſine altero vacuus poſſeſſor inuenies. Quanto quippe in egenis mundi lucris copioſior fueris, tanto à veris diuitiis ærumnoſiùs inaneſcis. Nummus ergo ſi eſt, in aliena protinus iura concedat, vt vacuam tui pectoris arcam Chriſtus inueniat. Magnus quippe hoſpes in diuerſorij tui quærit anguſta deſcendere, atque idcirco ſolus vult & ſine conſortibus habitare. Cedat, cedat terrena pecunia, vbi theſaurus cæleſtis admittitur. Sic ille.] Si ergo ſtatus noſter poſtulat, vt nec voluntatem noſtram teneamus, quanto magis poſtulabit, vt exteris facultatibus renuntiemus? Si nos facit crucifixos mundo, quonam modo illi, qui & nobis etiam crucifixus eſt, per curam bonorum temporalium poterimus deſeruire? Si mortui ſu-

Epiſt. 11. cap. 4.

B mus ſæculo, quanam ratione poſſumus res eius deſiderare, & quærere & in dominium noſtrum vendicare? Paupertatem ergo, ô religioſe, initium tui ſtatus, ac radicem agnoſce, quam ſi poſthabueris, fortè poteris in cœnobio manere, ſed haud dubiè non valebis profeſſionem tuam integram inuiolatámque ſeruare.

Eſt etiam Paupertas ſtatus religioſi ſubſtantia, ſi non tota, at vna ex partibus præcipuis illius. Nam & via quædam eſt ex Paupertate, Caſtitate, & Obedientia compoſita, qua mundus relinquitur, ad perfectionem Charitatis noxiam cupiditatem deſtruentem acceditur, & ad cœlum expeditiùs properatur. Sicut ergo brachia, aut manus, ad ſubſtantiam humani corporis pertinent, ita & ſancta

C Paupertas ſtatus religioſi portio ſelecta eſt. Si illam deſeras, quaſi à tuo ſtatu brachium, aut meliorem & magis neceſſariam partem abſcindis. Et non immeritò Paupertas brachio ſimilis dicitur, quia non aliter religioſus ſtatus, quàm corpus brachiis, Paupertate roboratur. Iure quoq; poteſt potioribus corporis partibus comparari, quia ſicut quędā ſunt corporis partes adeo neceſſariæ, vt illis præſciſſis vita pereat, nec corpus in eſſe humano ſubſiſtat; ita ſi ab ſtatu noſtro Paupertas tollatur, ille quidem omnino deſtruitur. Quare dixit Innocentius huius nominis tertius, abdicationem proprietatis, non minùs quàm cuſtodiam Caſtitatis, ad ſtatum religioſum pertinere. Hinc ille adoleſcēs, qui tam alacriter viam perfectionis arripere voluit, ab eo retroceſſit, quia dimiſſionem facultatum ſuarum ſibi haud-

C. cum ad monaſter. de ſtatu monach.

D quaquam perſuaſit. Cùm audiſſet autem adoleſcens verbum, abdicationis ſcilicet rerum, abiit triſtis, erat enim habens multas poſſeſſiones. Sic multi ab hoc ſtatu quietiſſimo accipiendo ſe ſubtrahunt, ne à ſe cum dolore rerum temporalium poſſeſſionem abſcindant. Sic etiam nonnulli poſt arreptum ſanctum propoſitum, ſtatum ſuum Deo chariſſimum quem profeſſi ſunt, labefactant, & non ſine magno ſcandalo aliorum corrumpunt, quia Paupertatem violant, ad quam voto ſe ſeruandam obſtrinxerant. Status hic arcta via eſt, aut arctæ vitæ anguſtiſſima ſemita, quia itur in cælum; eſt anguſtæ portæ ianua, aut (ſi mauis) poſticum ſtri-

Matth. 19.22

E ctiſſimum quo intratur in patriam: Quomodo per illud, cura & poſſeſſione rerum temporaliū oneratus ingredieris? Eſt foramē acus per quod camelus tranſire nō poteſt, quomodo tu camelo gibboſior factus, & rebus temporalibus, quæ latum occupant ſpatiū, vndiquaque circumdatus, poteris per hoc foramen pertranſire? Arctiſſimum nos foramen expectat, inquit Bernardus. Si, quem ſequimur, conſequi volumus: per anguſtam contendamus ingredi portam neceſſe eſt. Quid tu cameli gibbum: quid tu pecunioſe proditor loculos tollis? Non ſic impie, non ſic ingredieris. Foramē acus huiuſmodi ſarcinas non admittit.] Et quidē ille de poſtremo foramine

Matth. 19.24.

Ser. ecce nos relinquimus &c.

loqui

loqui videtur, quod in egreſſu ex hac vita ſumus tranſiturus, ſed ſi illud diuites tu ò non tranſeunt, qui licitè poſſunt habere diuitias, quonam pacto tu ſecurus pertranſibis, & in conſpectu Domini comparebis, qui fœdifragus redditus, & pollicitationis violator, res huius ſæculi illicitè poſſediſti, & vt ambulare non poſſes per viam Dei, nec per ianuam perfectionis ingredi, te bonis temporalibus oneraſti?

Eſt itaque Paupertas pars quædam religionis ſubſtantiæ atque naturæ: quam religioſi antiqui ita diligebant, & vitium oppoſitum proprietatis abominabantur, vt neminem aliquid temporale ſibi reſeruantem in ſuum conſortium admitterent. Vnde Caſſianus de eo loquens, qui in monaſterio recipiebatur, hæc ait: *[Lib. 4. c. 3.]* Diligentia ſumma perquiritur, num de priſtinis facultatibus ſuis inhæſerit ei vel vnius nummi contagio. Sciunt enim eũ ſub monaſterij diſciplina diuturnũ eſſe non poſſe, ſed ne humilitatis quidem, aut Obedientiæ apprehenſurum eſſe virtutem, nec illa cœnobij paupertate, ac diſtrictione fore contentum, ſi in conſcientia eius pecuniæ quantulumcumque latuerit: Sed vbi primùm exorta fuerit qualibet occaſione commotio, fiducia ſtipis illius animatum, continuò de monaſterio velut funda rotante fugiturum.] Hæc nos in hoc Patre legimus, & licèt non legeremus, non ſine mœrore ſciremus. Aliquos etenim vidimus poſt ingreſſum religionis ex aliqua cauſſa nondum mundiali ſubſtantia nudatos, tanta ſegnitie ſe gerere, tantis tentationibus impeti, tam miſeris ictibus inſtabilitatis vrgeri, vt tandem victi ad ſæculum reuertantur, in quo dominæ facultates eos iam liberos factos non ſine ingenti damno ipſorum, iterum in ſeruos recipiant. Qui autem ex his perſeuerant, certum eſt mille moleſtias ſuſtinere, quouſque onus bonorum temporalium abiiciant, quo excuſſo ſtatim, non ſine admiratione incipiunt quaſi in magna tranquillitate poſiti reſpirare.

Ex his conſtat quàm ſit Paupertas viro religioſo neceſſaria, ſiquidem eſt vna ex tribus, præcipua pars ſtatus illius, ſine qua aut non poterit in cœnobio perdurare, aut ſaltem non valebit ſuæ obligationi ſatisfacere, neque fidelitatem Deo promiſſam cuſtodire. Hæc eſt, quæ fructus ſtatus noſtri protegit, & ne putreſiant, ab omni malo defendit. Murus reipublicæ ſæcularis quiſnam eſt? Opes, diuitiæ, theſauri, armamentaria, valida manus fortiſſimorum militum & regis, qui imperat cæteris, in gubernando dexteritas, & in bellando potentia. Et murus reipublicæ religioſæ quis erit? Non diuitiæ ſed nuditas, non theſauri, ſed rerum abdicatio, non aliud quid, quàm Deo fidens animoſa Paupertas. Quis hoc dicit? Deus ipſe, qui fallere, aut falli non poteſt. Quis inquit, volens turrim ædificare, non priùs ſedens computat ſumptus, qui neceſſarij ſunt, ſi habeat, ad perficiendum? *[Luc. 14. 28.]*] Quis ex vobis committere bellum aduerſus alium regem, non ſedens priùs cogitat, ſi cum decem millibus poſſit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe? Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Senſus eſt; Quod ædificanti turrim, ſunt expenſæ, & ſumptus; & quod regi pro ſuo regno pugnanti ſunt milites: idem eſt Chriſtum in ſtatu perfectionis ſequenti paupertas. Ille ſumptibus turrim extruit, ille alius militibus hoſtem vincit; hic verò ſe paupertate & rerum nuditate protegit. Qui ditior eſt, breuiùs & faciliùs ædificat; qui potentior eſt, efficaciùs ſe ſuaq; defendit; qui verò pauperior eſt, multo meliùs hoſtes animæ proterit, & turrim perfectionis, vſque ad finem perducit. Ille primus ſi ſumptus habeat, & ille alius ſi potentiſſimum exercituum inſtruat, riſui non patent, & hic ſimiliter, ſi ſit paupertatis amator, & cultor, vitam ſuam ſubſannationibus dæmonum non exponit. Sapienter quidem Auguſtinus ait: Turrim quippe illam ædificare, & contra regem illum dimicare, eſſe diſcipulum Chriſti, eſt. *[Lib. 2. q. q. euang. q. 31.]* Habere autem ſumptus ad perficiendam turrim, & habere fortia decem millia contra viginti millia regis, renunciare eſt omnibus, quæ ſunt eius. Et Venerabilis Beda. Ad illud ædificium, ſcilicet temporale, ſumptus facimus, ſi non habita colligamus: Ad iſtud ſcilicet ſpirituale ſumptus facimus, ſi & habita relinquamus. *[Lib. 4. in Luc. ad eund. loc.]* Ac poſtea: Manifeſtiſſimè Dominus hac concluſione docet quid ſit ædificare turrim, vel cum rege fortiore facere pacem, ſuũ videlicet eſſe diſcipulum. Præparare autem ſumptus ad perficiendam turrim, & mittere legationem ad impetrandam pacem, non eſſe aliud, quam renunciare omnibus, quæ poſſidemus.] Iſtæ itaque ſunt expenſæ, quibus palatium perfectionis ædificamus, iſti exercitus, quibus nos ab hoſtium copiis protegimus, fidelis & inuiolata paupertas. Hæc ditior eſt omnibus opibus huius ſæculi, & omni eius potentia fortior, quia ſecum diuitias Dei nos ſuſtentantes & potentiam defendentem inuoluit. Ego autem mendicus ſum, & pauper; Dominus ſolicitus eſt mei. Adiutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaueris. *[Pſ. 39. 18.]*] Vni paupertati duo promiſit, & ſolicitudinem patris ad ſuſtentandum; quid ditius? & adiutorium potentis ad protegendum, quid robuſtius? Nemo erit (vt opinor) in noſtro ſtatu tam inſipiens, qui has paupertatis expenſas, & hoc adiutorium mendicitatis non in magno pretio habeat, & cunctis huius ſæculi diuitiis, & potentiæ non præferat.

Status religioſus quaſi ſtadium eſt, in quo cum dæmone hoſte teterrimo, & cum ſæculo nequam, & cum fallaci carne luctamur. Opes autem ad luctam aptiſſimæ, non ſunt poſſeſſio rerum temporalium, ſed nuditas. Quare Paulus ait: Omnis autem, qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. *[1. Cor. 9. 25.]*] Agon Eccleſiæ, ſiue locus pugnæ, non alius dicitur conuenientiùs, quàm ſtatus religioſus, in quo non tantùm pro obſeruatione mandatorum decertamus, ſed & multis rebus antea nobis licitis, quia cum conſiliis pugnant, & à perfectione retardant, bellum indicimus. Si in hanc arenam deſcendimus, ſi victoriam reportare cupimus. Si in præmium victorum oculos intendimus, neceſſe eſt, vt ab omnibus rebus huius ſæculi abſtineamus. Si autem omnia etiam intima relinquenda ſunt, & caro domanda (vt poſtea dicemus) ac propria voluntas proterenda; quanto magis res tẽporales abiiciẽdæ ſunt, quæ extrinſecus adiacẽt, & manifeſtè ad onus, & ad vincula nos detinentia, & ad impedimenta craſſiora perfectionis pertinent? Quicumque ad fidei agonem venimus, inquit Gregorius, (& idem multo meliùs iis qui ad perfectionis agonem veniunt, diceret) luctamen contra malignos ſpiritus ſumimus. *[Homil. 32. in Euang.]* Nil autem maligni ſpiritus in hoc mundo proprium poſſident. Nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam ſi veſtitus quiſpiam cum nudo luctatur, citiùs ad terram deiicitur, quia habet vnde teneatur. Quid enim ſunt terrena omnia, niſi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, veſtimenta abiiciat, ne ſuccumbat. Nihil in hoc mundo amando poſſideat, nullas rerum labentium

A delectationes requirat, ne vnde ad votum regitur ad caſum inde teneatur.] Hanc viam Paupertatis omnes ſancti prædeceſſores noſtri, qui ſtatum religionis fundarunt, aut in eo ſe Deo conſecrarunt, ſectati ſunt. Nullos illorum peſtem proprietatis ſibi ineſſe, aut gemmã paupertatis à ſe abeſſe ſuſtinuit. Sciebãt enim illi, ad vitam ſæcularem, & ad ſanctitatem, quæ in illa poteſt haberi, affectus paupertatem ſufficere: at vitæ religioſæ illam ipſam ſine paupertate effectus & operis ſat eſſe non poſſe. Ideo non tantùm vnum æs, ſed duo æra, non aliter quàm ſapiens illa vidua euangelij, in gazophylacium miſerunt, vnum videlicet, quo quidquid actu habebant, comprehenditur; & alterum, quo affectus, omnia relinquens quæ habere poterant, connectur. Sic quiſque eorum ore

Luca 21. 2.

B Domini laudatur, & in hoc negotio paupertatis reliquis ſua non relinquentibus antefertur. Omnes, inquit, ex eo, quod abundabat illis, miſerunt, hæc verò de penuria ſua omnia, quæ habebat, miſit totum victum ſuum.] Planè ſancti monachi, ac religioſi totum victum ſuum obtulerũt Domino, quia nihil penitus reſeruarunt, vnde vitam ſuſtentarent, & ſuis neceſſitatibus prouiderent. In quo tamen non fuerunt temerarij, aut ſui ipſorum occiſores, quos Deus in ſuam domum ſuſcipit, & qui paſcit coruos, & veſtit lilia agri, amatores ſuos ſine victu, & veſtitu, & aliis ad vitam neceſſariis, non derelinquit.

Mar. 12. 44.

Math. 6.

Ideòque, & nos (vt verbis Pauli finiamus) [tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen. Quænam eſt hæc nubes? Eſt profectò Sanctorum

Hebr. 12. 1.

C copioſiſſima multitudo, qui in ſtatu religioſo conſtituti, omnimodæ nuditatis amatores extiterũt. Hæc nubes non ex vaporibus, ſed ex fideliſſimis teſtibus diuinæ bonitatis & prouidentiæ coagulata eſt: quia nullus eorum, aut fame periit, aut frigore deceſſit, licèt nihil omnino poſſiderent. Atque adeo teſtati ſunt Deum ſummè bonum, & ſummè fidelem eſſe, qui tam abundanter ſperãtes in ſe, omnibus bonis etiam, temporalibus, implet. O nubes ſalutaris, & fulgida, quam Chriſtus verus iuſtitiæ ſolè terra in ſublimem regioné vitæ perfectæ extulit, vt terram, de qua ſumpta eſt, id eſt, ſtatum ſæcularem, ſanctiſſimis exemplis, & ſanctiſſima doctrina rigaret. Hanc nubem impoſitam habemus, ſiue (vt Græca exemplaria legunt] circumpoſitam, quia vndique nos cingit, quocumque oculos vertamus. Hinc Benedictus aſſurgit, hinc Bruno occurrit, hinc Dominicus, aut Franciſcus, aut Ignatius, aut alij religionum fundatores, & eorum filij emergunt, mundo pauperes,

D Deo diuites, qui nos ab æſtu terrenarum cupiditatum operiunt, & in tentatione diffidentiæ nos protegunt. Eorum itaque exemplis animati, deponamus omne pondus, omnem nimirum grauedinem humanæ cupiditatis, & quidquid terrenum ac temporale mentem noſtram in infimis deprimit, vt leues effecti ad nubem teſtium, quæ ſupra nos eſt, id eſt, ad ſocietatem ſanctorum, euolemus eiſque hîc inſtitutione, illic verò præmio iungamur. Deponamus etiam circumſtans nos peccatum, multiplex, inquã, illud peccatũ, quod ex deſideriis diuitiarũ, & ex cupiditatibus rerum terrenarũ, non propter malũ

E ipſarũ, quaſi ipſæ malæ eſſent, cùm à Deo bonę cõditæ ſint, ſed propter culpam & fragilitatem noſtram, emergit. Quòd ſi aliqua neceſſitate, quæ nuditatem comitari ſolet, & aliqua incommoditate premamur, non ideo deſiſtendum eſt, immmo per patientiam curramus alacriter, moleſtias ſuſtinentes ad propoſitum nobis certamen, vel ad locum

A certaminis, in quo ſumus cum hoſtibus pugnaturi, & poſt glorioſam victoriam, gloriæ coronam obtenturi. Zachæus turbam deſeruit, & in arborem Sycomorum aſcendit, vt Chriſtum tranſeuntem videre poſſet. Vnus nobis, et illi ſcopus eſt, quin, & noſter multo felicior, quia non Chriſtum mortalem, & tranſeuntem, ſed immortalem, & ad dexteram Patris ſedentem, videre geſtimus. Turba igitur rerum temporalium, quæ nos turbat, & inquietat, relinquenda eſt, & in ſanctam crucem religioſi ſtatus alacriter aſcendendum: vbi Saluatorem nos ad præmia vocantem aliquando videbimus. Si ergo paupertas eſt quaſi radix, atque initium noſtri ſtatus, ſi eſt pars ſubſtantiæ eius,

Luca. 19. 4.

B ſi eſt robur & firmamentum ipſius, ſi eſt agilitas, quæ ad luctam præparat, & arbor alta atque procera, ex qua Chriſtum oculo contemplationis aſpicimus, conſtat, eam eſſe omnino neceſſariam, ſine qua nec veri religioſi eſſe poſſumus, nec (ſi eam grauiter lædimus) ius ad cæleſte regnum habemus.

Quantis Paupertas prærogatiuis emineat.

CAPVT III.

IN republica huius ſæculi nihil eſt diuitiis vtilius, nihil rerum abundantia pretioſius. Si regnum, magnam auri & argenti, & aliarum rerum, quæ in opibus numerantur, copiam habeat, quid quod vtile

C ſit, quod nobile, aut conſpicuum, aut admirabile, non habebit? Ad illud viri litteratiſſimi & ſapientiſſimi aduolant, vt acquiſitam à ſe ſcientiam alios doceant: Si tumor belli ſit, ſtrenuiſſimi duces, & milites fortiſſimi accurrunt, vt vel ex copioſo ſtipendio ſibi dato, vel certè ex ſpoliis ablatis diteſcant: mercatores impigri turmatim accedunt, vt merces ſuas ingenti pretio diuendant. In eo regno nihil deſideratur quod ad neceſſitatem, aut ad voluptatem aut ad ſplendorem, & magnificentiam pertineat. Non iam leges, ſed ipſis oculis impletam videbis illam ſententiam Salomonis: Pecuniæ obediunt omnia,] vel, vt legerunt ſeptuaginta: Argenti vilitati obediunt omnia.] Atque illud cuiuſdam ex poetis:

Eccleſ. 10. 19.

Scilicet vxorem cum dote, fidémque & amicos
Et genus, & formam Regina pecunia donat.

Horat. epiſt. 1.

Nihil eſt tam abſconditum, quod diuitiæ non eruãt, nihil tam carum, quod non emant, nihil tam ſublime atque inacceſſum, quod non obtineant. Si ægro-

D tes, non ſemel diuitus, quibus rara medicamina coëmuntur, ſanitatem corporis aſſequeris, & vitam iſtam mortalem protelabis: Si eſurias, & ſitias, diuitiæ ſuauiſſimos cibos, & pretioſa vina miniſtrant; Si algeas, diuitiæ aptiſſima ad frigus pellendum veſtimenta, & ad ſplendorem & oſtentationem iuuantia tribuent. Si aliqua alia re indigeas, diuitiæ eam ad tuum vſum ex terræ finibus aduocabunt. Ipſæ ſunt huius vitæ firma protectio; ipſæ, quibus regibus & principibus huius ſæculi ad voluntatem eorum obſequimur; ipſæ, quibus tranquillitatem,

E libertatem, & ampliſſimos honores mercamur: ipſæ tandem nonnunquã homines abiectiſſimos nobilibus viris ſimiles faciunt, & ad ſupremum imperium euehunt. Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos & illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, & vinum & oleum, & hæc exaudient Iezrahel.] Quomodo, inquã, ego Iezrahel habitatoribus implebo, & eam ſpectabilẽ & deſiderabilẽ faciã? Nõ aliter qui-

Oſea 2. 21. 22.

dem

dē quā annuendo deſideriis cœlurū, qui pluuiā temporaneam, & ſerotinam effundere cupiunt. Hi à me exauditi, & facultate pluendi, & terram fœcundandi, donati, exaudiēt terram, nam eam rigabant. Terra autem exaudita à cœlo, exaudiet triticum, & vinum, & oleū, quia ſegetes copioſas, & vites, & oleas procreabit. Hæc verò à terra exaudita exaudient. Iezrahel, eámque rerum abundantia complebunt vt bonis cumulata ad omnia ſufficiat. Ideo hæc bona diuitiæ appellantur, quia poſſeſſores ſuos quaſi diuos aut Deos faciunt, vt quemadmodum Deus, & ipſi omnia habeant, & nullo indigeant. Ideo, & vocantur opes, quia ad omnia opem ferant. Ideo facultates, quia ad ea, quæ volueris, aut cogitaueris, facilitatem tribuant. Nec ſolùm naturali neceſſitati deſeruiunt, ſed & interdum virtuti exercendæ proſunt, vt eleemoſynæ, liberalitati, & magnificentiæ: & ſæpiſſime ex hominum culpa ad innumera flagitia perpetranda conducunt. Iure ergo optimo diuitiæ haberi poſſunt, vt generalia quædam hominis inſtrumēta, quibus inſtructus, omnibus ſuis neceſſitatibus prouidet, & malis, aut bonis pro electione ſuæ voluntatis ſeruit.

Sed quid facimus? Nos Paupertatem laudādam ſuſceperamus, at non eam, ſed diuitias, & ſæculi bona hucuſque laudauimus? Verum eſt: ſed id conſultò fecimus, vt ea apparentibus bonis, quæ mundani homines in diuitiis inuenerunt, nos veriſſimas Paupertatis laudes eliceremus. Sic igitur ſtatuimus, paupertatem veras eſſe ſpiritualis vitæ diuitias, quæ vna in ſpiritualem virum cuncta illa confert, quæ temporalibus diuitiis tributa ſunt. Ac primò ſi diuitiæ, eos à quibus habentur, quaſi diuos faciunt, & in temporali regno ea ſententia iuris prudentium quaſi principes reddunt, qui ad omnia, quæ voluerint, facultatem habeant: quis non videat, hæc per quandam attributionem, vel per quoddam genus adulationis de diuitibus huius ſæculi iactari, veriſſimè autem, & propriiſſimè Chriſti pauperibus conuenire? An tu Midam & Crœſum homines opulentiſſimos diuus dices! An mercatores ſuperbos & luxui vacantes, quia pecunias multas habent, diuos & principes nominabis? Sat credo, hos titulos eis concedere non audebis, quia non ſolùm à ſapientibus, ſed & ab ſtultis rideberis. At ego, & tu, & omnes in vniuerſum ſine vllo rubore, aut inſipientia, immo cum magna veritate Petrum, & Paulum, & reliquos Apoſtolos, pauperes, & qui reliquerunt omnia, diuos vocamus, non quia dij ſint, ſed quia beati, & ſancti, & amici Dei, & principes cœli, dicimus. Reliquerunt illi omnia, & nunquā ea repetentes, opes habuerunt immenſas, quia dum erant in hoc ſæculo, Deus, & angeli præſtantiſſimam illis opem tulerunt. Immo ſi ad opes relictas ſaltem animo reuertiſſent, opem hanc ſpecialem in Deo confidentibus aſſignatam amiſiſſent. Contempſerunt vniuerſa, & facultates magnas poſſederunt, quia facilitatem ad mira patranda receperunt. Et quidam eorum cùm nihil haberet, claudo petenti ſibi eleemoſynam, eam dedit, quam omnes diuites huius mundi erogare non poſſent. *Act. 3. 6.* Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, ſurge, & ambula.] Quid hac humilitate ſublimius? inquit Leo Papa. Quid hac paupertate locupletius? non habet præſidia pecuniæ, ſed habet dona naturæ: quem debilem edidit mater ex vtero, ſanum fecit Petrus ex verbo, & qui imaginem Cæſaris in nummo non dedit, imaginem Chriſti in homine reformauit. Huius autem theſauri opibus, non ſolùm ille adiutus eſt, cui greſſus eſt redditus, ſed etiam quinque millia virorum, qui tunc ad ex-

A hortationem Apoſtoli, ob eiuſdem curationis miraculum, crediderunt. Et ille pauper, qui non habebat, quod petenti daret, tantam dedit diuinæ gratiæ largitatem, vt quemadmodum vnum hominem redintegrarat in pedibus, ſic tot millia credentium ſanaret in cordibus, faceréteque eos in Chriſto alacres, quos in Iudaica perfidia inuenerat claudicantes. Sic ille.] Ac denique ſi diui ſunt, qui cuncta poſſident, & nullius indigent, hi ſont illi, de quibus dixit Paulus: *2. Corint. 6. 10.* Sicut egentes, multos autem locupletantes; tāquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.] Quaſi egebant illi, quia nullius rei temporalis dominium habebant, multos autem ditabant, quoniam, quæ ſibi

B à Domino tum ſpiritualia, tum temporalia dabantur, & ſibi, & aliis ſufficiebant. Quaſi nihil retinebāt illi, qui vniuerſa reliquerant: at quibus affatim quæcumque erant neceſſaria, à fidelibus adminiſtrabantur, omnia poſsidebant. In penuria atque indigentia ponitur, quaſi, (vt bene annotauit Anſelmus) quia ſecūdùm leges huius ſæculi pauperes erant: at in poſſeſsione omnium, qua non tantùm ſibi ſufficerent, ſed alios quoque locupletarent; non additur, quaſi, quoniam ſecundùm veritatem, neque illis aliquid deeſt (Deo ipſis benigniſsimè prouidente) nec aliis propter ipſos, nam illorum gratia Deus aliis opem fert, vt habeant vnde ſuis pauperibus neceſſaria ſuppeditent.

Rerum omnium abdicatio, & ſancta ac animoſa paupertas, ſunt copioſæ diuitiæ, quibus Rex noſter Chriſtus, ad gubernandam & fundandam

C Eccleſiam apparuit inſtructus. Qui & pro aula regia vile ſtabulum, & pro throno ſublimi, deſpicabile præſepium elegit; qui fœno pro veſtibus pretioſis, & halitu animalium pro deliciis vſus eſt. Hæ ſunt copiæ validiſſimæ, illæ quidem, quibus in cruce nudus & nec hauſtum aquæ habens, aduerſarios noſtræ ſalutis, infernúmque proſtrauit. Hi ſunt theſauri, quos in vita ſua in vnum collegit, vt regnum ſuum in æternum manſurum ſtatueret. Nam & vulpes foueas habent, inquit, & volucres cœli nidos, filius autem *Matt. 8. 20.* hominis non habet vbi caput reclinet.] Et Eccleſiæ dicitur: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, & *Zach. 9. 9.* ſaluator: ipſe pauper.] Ille paupertate Eccleſiā ſuam ditauit, & in immenſum auxit. Quod illa Pauli verba ſignificant: Chriſtus propter vos egenus factus eſt: *2. Cor. 8. 9.* cùm eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis.]

D Inopia Chriſti nos diuites facit, ergo inopia illius à nobis ſuſcepta, & pro amore eius aſſumpta, theſaurus & diuitiæ, & opes appellari debet: & talis re vera eſt, quia nemo vnquam diues niſi diuitiis extitit. & nullus locuples, qui non opibus abundauit. Has opes Eccleſia in ſuo ortu dilexit, & omnibus theſauris huius ſæculi præpoſuit. Et in actibus Apoſtolorū legimus: Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut *Actor. 4. 34.* domorū erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum.] Quare ante pedes Apoſtolorum, niſi vt oſtenderent (quemadmodum notauit Hieronymus) diui- *Epa. ad Demet. 20.* tias huius ſæculi eſſe calcandas, & ſanctam paupertatem debere pro diuitiis computari? Ita quidem fideles illi paupertatem diligebant, vt non ſolùm facultates ſuas ad pedes Apoſtolorum proiicerent, ſed

E multi etiam eorum voto ſe ad eam ſeruandam obſtringerent. Ideóque ex aliquorum patrum ſententia, quales ſunt Baſilius, Hieronymus, & Nazianzenus, Ananias, & Sapphira, ſubita morte puniti ſunt, quòd partem ſubſtantiæ ſuæ, quam Deo voti emiſſione conſecrauerant, ſurripuiſſent, & admiſſo ſacrilegio pollicitationem ſuam violaſſent. Nec minori affectu nunc, & in omnibus retroactis ætatibus *Baſ. ſer. 1. de inſt. monach. Hier. ep. 150 ad Hed q. 1. Nazian. carm. de Virg.*

ſancta Eccleſia paupertatem complexa eſt, quia licèt pauciores habeat comparatione multitudinis fidelium, qui ſuis rebus renuntient, tamen in his non minorem rerum temporalium contemptum, nec minorem nuditatem eſt inuenire.

Iam autem inde patefiet, paupertatem relinquentibus ſæculum, eſſe ardenter diligendam, quòd in ea omnia bona, & iucunda diuitiarum habeant à malis ipſarum libera, & à periculis, & ſollicitudinibus, quæ diuitiis inſunt, exempta. Paupertas voluntaria propter Chriſtum ſuſcepta, cibum parat, non ſolùm quia ille prouidentiſſimus Dominus: [qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum,] pauperes ſuos ſine vlla, aut cum minima cura ipſorum, reficit, & diuitibus, vt alimẽta illis miniſtrent, præcipit: verùm quia & ipſa paupertas ad modum cibi nos eam profitentes ſatiat, & vt nullius rei terrenæ famem patiamur, efficit. Ipſâ ſpiritualis, ac religioſa vita ſeruatur, & membra eius, ſcilicet virtutes, roborantur, & ad debitum augmentum perueniunt. Paupertas veſtem ſubminiſtrat, & ſatis honorificam, qua homines Deo dicati ipſius Dei expenſis induuntur, tamquam ſerui, & familiares ipſius, & tales eſſe ab omnibus cognoſcuntur. Necnon & domum, & reliqua vitæ neceſſaria præbet, nam illi propter quem pauperes cuncta dimiſerunt, illos in ſuas domos, ſcilicet in cœnobia ſatis pro omnibus ampla, & ſpatioſa & rebus neceſſariis inſtructa habitatores admittit. Et, ſi[melior eſt (vt verè eſt) pugillus cum requie quàm plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi,] quis non videat frugalitatem pauperum Chriſti, regum opibus eſſe præponendam, qua ſine vllo labore aut anxietate, neceſſaria ad victum, & ad veſtitum ſuſcipiunt, vt ab his abiectis curis liberi, Deo, & ſibi, & proximorum vtilitati vacare poſſint? Ea virtus, quæ ita nos ditat, vt nulla re temporali indigeamus, vt nihil ex hoc mũdo quæramus, vt ex his, quæ nobis ad vſum quotidianum offeruntur, aliquid tamquam minùs neceſſarium relinquamus, vt non ſemel ex cellis noſtris aliquid tamquam ſuperfluum reiiciamus, meritò diuitiarum nomine inſignitur, quam, qui (Deo donante) poſſidet, non eſt cur alias diuitias, aut opes concupiſcat.

Pſ.146.9.

Eccl.4.6.

Quia autem pauperes Euangelici hanc gemmam ſplendidiſſimam paupertatis poſſident, diuites iure dicuntur, quaſi magnas diuitias poſſiderent. Eſt quaſi diues, inquit Salomon, cùm nihil habeat, & eſt quaſi pauper cùm in multis diuitiis ſit.] Quiſnam hîc dicitur diues nihil habens, niſi qui vniuerſa propter Dominum relinquens, moderato vſu rerum ſibi à religione adminiſtrato contentus eſt? Et quis pauper in multis diuitiis, niſi qui temporalia multa poſſidet, & tamen ea non audet inſumere, & auaritia poſſeſſus ad plura coaceruanda cogitur aſpirare? Vel ſi malis cum venerabili Beda preſbytero, diues, nihil habens, eſt diues mundi, qui multa quidem poſſidere videtur, ſed cùm Deum non habeat, in die dormitionis ſuæ manus ſuas bonorum vacuas inueniet. Pauper autem innumerabiles diuitias poſſidẽs, eſt pauper Euangelicus, qui cùm Deum ipſum cunctorum bonorum fontem geſtet in corde, bonis indigere non poteſt. Si ergo hic nullo eget, & multas diuitias habet, diues eſt. Verè diues, qui paupertatem ſpiritus habẽs, virtutes veras animæ opes ad ſe tranſtulit poſſidendas. Namque vera & actuoſa fides, vt ait Simon de Caſſia, ſine paupertate non eſt (ſine ea inquam paupertate ſpiritus, quæ rebus terrenis renuntiet diuinæ legi contrariis) quæ magnum fidei teſtimonium perhibet, cùm homines ad ſe trahit.

Pro.13.7.

Beda.lib. 2 in Pro. c.13.

Lib.10.in euan.c.4.

A Ipſa eſt ſpei praxis, cùm propter cœleſtia terrena quæque contemnit. Charitas ſine ipſa non graditur, cùm à viſibilibus hominem auellit vt inuiſibilia capiat: & de Deo ſolùm ditari cupiens, pauperem, in terrenis, ſuum cõſtituit poſſeſſorem. Diues in mundo, pauper de Deo: pauper in mundo, diues de Deo. Nemo diues de diuinis atque terrenis ſimul inclaruit. Ex vno diuitem, ex altero pauperem fieri lex æterna compellit.] Verè diues, quia ſi diuites opibus ſuis pretioſa & magni valoris comparant: ſic ille paupertate ſua pretioſiſſimum pretioſorum comparauit. An eſt aliquid regno cœlorum pretioſius. An aliquid illuſtrius, aut optabilius? Sed Beati pauperes B ſpiritu, ait Dominus, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.] Non tantùm in futurum erit, ſed iam actu eſt. Quoniam ſi tu rem abſentem emas, & pro ea nummos perſoluas, tibi manet, & tua eſt, licèt nondum in domum retuleris; cur regnum cœlorum non erit actu pauperum ſpiritu, qui illud oblatis in pretium omnibus huius mundi rebus ipſum emerũt, & ius ad illud compararunt? Certè iam illorum eſt. Quis autem ditior eo, qui tam amplum, & æternum regnum in ſuum dominium vendicauit? Si autem paupertas ſpiritus & affectus diuitem facit, multo excellentiùs Paupertas ſpiritus, & actus, quæ excel-C lentior, & perfectior eſt, & illam primam comprehendit, diuitẽ & abundantem efficiet. Hinc autem alia nobilitas huius paupertatis elucet, quòd ita paupertas iuſtum diuitem facit, vt etiam, eum faciat regem, cuius diuitiæ maiores & abundantiores eſſe noſcuntur. Nam ſi rex eſt, qui regnum poſſidet, cur pauper ſpiritu non erit rex, qui regnum cæleſte & ſemper duraturum habet? Certè ſponſus reginæ rex eſt, & Beatus Franciſcus dicebat (vt Bonauentura refert) hanc virtutem Paupertatis, eſſe reginam, quia in rege regum, & in regina matre ipſius tam præſtanter effulſit. Sit ergo rex, & diues, vt rex, qui paupertatem ſibi in ſponſam adiunxit.

Matt.5.

in vita.c. 7.

Pauper quidem Euangelicus ditior eſt homine huius mũdi ditiſſimo, quia iſte ſemper eget, ille verò D tanquam omnia habens nihil huius mundi concupiſcit. Luculenter ſatis Ambroſius hoc argumentum proſequitur: ita enim ad Simplicianũ ſcribit: Nonne videtur hic magis diues, hic magis rex, qui ſibi abundabat, ſuas regebat cupiditates, vt nihil alienũ concupiſceret: ille autem egentiſſimus, cui aurum ſuum vile, alienus palmes pretioſiſsimus exiſtimabatur? Sed qua ratione egentiſsimus, cognoſce: Quia diuitiæ iniuſtè congregatæ enomuntur, radix autem iuſtorum manet, & vt palma floret. An non egentior paupere is, qui tamquam vmbra præteriit: Hodie impius exaltatur, cras non erit, nec inuenietur aliquis locus eius. Quid eſt itaque diuitem eſſe, niſi abundare? Quis autem abũdat, qui ſit animo contractior? E Qui autem animo contractior, vtique anguſtior. Quæ igitur in anguſtiis abundantia? Non ergo diues, qui non abundat. Vnde pulchre Dauid: Diuites, inquit, egeerunt, & eſurierunt;] Quoniam cùm haberent ſcripturarum theſauros cœleſtium, egueruntq́, qui non intellexerunt, & eſurierunt, qui nullum ſpiritualis gratiæ guſtarent cibum. Nihil igitur affectu ſapientis ditius, nihil inſipientis egentius. Nam cùm regnum Dei pauperum ſit, quid eſſe locupletius poteſt? Et ideo præclarè Apoſtolus: O altitudo, inquit, diuitiarum ſapiẽtiæ, & ſcientiæ Dei!] Præclarè etiam Dauid, qui in via teſtimoniorum cœleſtium, quaſi in omnibus diuitiis delectabatur. Expreſſè Moyſes, qui ait Nephtalim ſacietas accipientium. Nephtalim, abundantia ſignificatur Latina interpretatione, vel dilatatio. Ibi ergo

Lib.3.ep. 10.

Pſ.33.11.

Rom.11. 33.

Pſal.118.

Deut.33. 23.

abundan

abundantia, vbi ſacietas: vbi autẽ fames cupiditatum, vbi inexplebilis appetentia, ibi vtique paupertas, ſed quia vix vlla rei pecuniariæ, vel mundi huius cupiditas, ſacietatem habet, ideo addidit: [Et replebitur benedictione.] Secundùm hæc Petrus Apoſtolus (*Petr. 3.*) definiuit: [non in auro, & argento, & indumentis fœminarum eſſe ornamentum, ſed in occulto cordis homine, atque abſcondito:] vnde nulla ſe exuat, cultum pietatis, ornatum gratiæ, vitæ æternæ hæreditatem. Hæc omnia Ambroſius, & optimè.] Nam ita manifeſtum eſt ſolum illum diuitem eſſe, qui terrena contemnit, vt id Philoſophi ſola naturali luce exculti cognouerint. Hinc Diogenes, quem inter alios refert, & admiratur Baſilius, (*Hom. 24. ad adoleſcentes.*) ſe Alexandro pene totius orbis domino ditiorem reputauit, quòd hic ad ſtatum ſuum tam ſublimem pluribus indigeret, ipſe verò philoſophus paruo cõtentus viueret. Hinc Socrates dixit ſe non admirari diuitem ſuperbum, & arrogantem, niſi experiretur illum diuitias diſpenſaſſe, & in alio effudiſſe. Hinc Seneca: (*Ep. 10.*) Cui cũ paupertate bene conuenit, diues eſt. Non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Hinc Plutarchus: (*In moral.*) Vt qui veſtes flagellant, corpus non attingunt, ſic qui paupertatem exprobrant hominem non tangũt ſed externa calumniantur. Hinc Epictetus, vt qui geniti ſunt inter Perſas, non deſiderant in Græcia habitare, ita & pauperes, quibus diuitiarum nota eſt natura, non ſtudent diteſcere. Videntur illi legiſſe illud Salomonis: (*Eccl. 5. 9. Prou. 30. 16.*) Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.] Et ignis (auaritiæ) numquam dicit; ſufficit:] & meritùs iudicarunt rebus carere, quæ non ſatiant, & inutilibus deſideriis nuntium remittere.

Iam quid amplius habent diuitiæ, vnde diligendæ videantur? Illæ poſſeſſores ſuos cingunt, & à nonnullis malis huius vitæ tuentur? Sed paupertas multo potentiùs pauperes protegit, aut (vt veriùs dicam) Deo curæ eſt, eos, qui ſibi fiderunt, à malis eripere, & liberare. Iudicabit (inquit Dauid) pauperes populi, (*Pſ. 71. 4.*) & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorẽ.] Nam quos melius populi Dei, vel Eccleſiæ pauperes intelligimus, quàm illos, qui omnia propter Deum dimiſerunt: His Chriſtus iura dabit, hos à ſuis hoſtibus eripiet, coram illis diabolum importunum calumniatorem humiliabit. Diuitiæ quoque diuitibus tribuunt, vt poſſint coram regibus apparere, & magna illis obſequia præſtare. Sed paupertate nos Chriſto gratiſſimũ obſequium impendimus, nam quaſi holocauſto per hanc virtutem illi nos conſecramus. Atque adeo Chryſoſtomus (*Chryſoſt. hom. 11. ad Hebr.*) poſtquã dixit, martyres Deo holocauſtum ſuorum corporum obtuliſſe, addit: Potes tu quoque ſi velis tale offerre ſacrificium. Quid enim ſi igne corpus non combuſſeris? Sed potes alio igne, puta paupertatis voluntariæ, igne afflictionis. Licere enim delicatè lautéque, & ſplendidè vitam agere; laborioſam autem & acerbam vitam eligere, an non eſt oblatio holocauſti: Hæc ille.] Et quidem corporalia holocauſta animalium irrationalium iam dum lege veteri tranſierunt, ſed illis in noua lege holocauſtum nobilius ſucceſſit, quo martyres pro defenſione fidei vſque ad effuſionem ſanguinis decertarunt. Huic autem, aſſertore Bernardo, ſimilis eſt voluntaria paupertas, cui ſimile præmium promiſſum eſt. Veruntamen, ait, quid ſibi vult, quòd eadem promiſſio facta eſt pauperibus, & martyribus, niſi quia verè martyrij genus paupertas voluntaria eſt?] Magnũ certè obſequium iſti pauperes ſæculi, & diuites Eccleſiæ, Deo præſtãt, ſiquidem illi, & holocauſtum offerunt, & quoddam martyrij genus ſuſtinent. Inſuper, & id boni ab hominibus huius ſæculi diuitiis tribuitur (an verum ſit ipſi viderint) quòd curis eos ſuſtentandæ naturæ liberent, quia habent vnde omnia neceſſaria ſibi prouideant, habent & famulos, qui ipſis dormientibus, & ſtertentibus, pro illis laborent, & cibos ac veſtimenta parent: nec animaduertunt quãtis hæc parua commoditas (ſi tamen cõmoditas ſit, aliorum, quos natura fecit æquales, ſudore viuere) incommoditatibus, & curis, & ſollicitudinibus ſit admiſta. Hoc ſanè bonum habet veriſsimè ſancta paupertas: Tu ô diues habes arcam, & crumenam, vnde tua indigentiæ prouideas: Sed ego pauper habeo aſtantem mihi ſpecialem prouidentiam Domini mei, mihi neceſſaria miniſtrantis, & victum, ac veſtitum, & reliqua ſine vlla mea cura, abſque vllis expenſis à me factis, mihi tribuentis. Tibi diuiti mancipia infida, & coactitia, vel certè famuli ſpe lucri neceſſaria parãt: mihi pauperi homines liberi, virtute præſtantes, quorum multi ſunt nobiliores genere, & ſanguine clariores: non ob lucrum, ſed ex puro Dei amore & ex intima beneuolentia me adiuuant, & meæ puſillitati miniſtrant. Pauperes euangelici ſunt ſecundùm altiorẽ (*Matt. 6. 26.*) ſenſum, illa volatilia cœli, quæ cogitationibus, & deſideriis ſemper cœleſtia petunt, & licèt non ſerant, neque metant, pater tamen cœleſtis paſcit illa. Sunt & lilia agri vitæ puritate candida, & virtutibus odorifera, quæ licèt non laborent, neque neant, at nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis; quoniam ille ex amictu rex terrenus agnoſcebatur, vnumquodque verò iſtorum ſpiritualium liliorum Chriſti ſeruus, & imitator agnoſcitur. Et ſicut Deus hominem poſuit in paradiſo voluptatis, & abundantiſſimè de omnibus illi prouidit, vt curis ſolutus cœleſtia contemplaretur: ita & nunc Euangelicos pauperes, vitam religioſam profitentes, in cœnobiis, quaſi in quibuſdam hortis amœniſsimis, collocat, vt curis temporalium exempti, Deum, ac diuina contemplentur.

Tandem mundani aſſerunt, quia, & libertas, & tranquillitas, & honor, ac ingenuitas, diuitias comitari ſolent. Sed quis non videat eos decipi, & toto cœlo aberrare? Quis liberum vocet, quem pecuniæ ſeruitus ligatum tenet? Poſſidere ſe credunt diuites (inquit Cyprianus) (*Cypr. lib. de lapſis.*) qui potiùs poſſidentur: cenſus ſui ſerui, nec ad pecuniam ſuam Domini, ſed magis pecuniæ mancipati.] Quis tranquillum; cui ſpinæ rerũ huius ſæculi inextricabiles curas ingerunt? Quis honoratum, quem, aut cuius parentes, multi furti ac rapinarum arguũt? Quis ingenuum; quem non auorum præclara geſta, ſed præſens auri & argenti copia apud imperitos clarum efficit? At Euangelicus pauper verè liber, & tranquillus, & honoratus, & ingenuus eſt. Liber quidem: quoniam cùm auaritiæ & cupiditati non ſeruiat, non eſt à quo impediatur, quominus virtuti vacare, ac Deum ſequi poſsit. De quo hæc pulchre Lactantius. (*Lact. lib. 7. inſt. c. 1.*) Nemo virtuti ſeruit, niſi qui ſequi poteſt: ſequi autem non facile eſt omnibus: ij poſſunt, quos paupertas, & rerum indigentia exercuit, & capaces virtutis effecit. Nam ſi virtus eſt tolerantia malorum, non capiunt ergo virtutem, qui ſemper in bonis fuerunt; quia mala neque experti ſunt, neque ferre poſſunt, aſſuetudine ac deſiderio bonorum, quæ ſola nouerunt. Eo fit vt pauperes & humiles Deo credãt faciliùs, qui ſunt expediti: quàm diuites, qui ſunt impedimentis plurimis implicati, immo catenati & compediti ſeruiunt ad nutum dominæ cupiditati, quæ illos inextricabilibus vinculis irretiuit: Nec poſſunt in cœlum aſpicere, quoniam mens eorum in terram prona, humíque defixa eſt. Virtutis autẽ via non capit magna onera portantes.

Primus gradus Paupertatis, omnia propter Christum voto emiſſo relinquere.

CAPVT IV.

COGNITA ſanctæ paupertatis tum natura, tum neceſſitate, tum præſtantia, ad eius gradus exponendos accedamus: quos nonnulli ex doctoribus variè numerarunt. Sed nos, qui religioſis hoc opus dicamus, eos gradus in medium proferemus, quos ipſi ordinatè debeant aſcendere. Nam pro ratione ſtatus ſui, & contemptus huius ſeculi, quem profitentur, illis incumbit aliquas actiones huius virtutis arripere, quas paupeies ſpiritu tantùm, quotum eſt, res temporales ſine immoderato affectu poſſidere, non tenentur obſeruare. Primus ergò religioſæ paupertatis gradus eſt, quo homo ad perfectionem, per vitam religioſam vocatus, omnia temporalia, quæ actu habet, aut in poſterum habere poteſt, per votum paupertatis emiſſum relinquit, & nudus poſt Christum nudum ire contendit. Meritò primus gradus, quoniam ab eo vita religioſa ſumit exordium. Qui enim ſua nec dum dimiſit aut necdũ illis dimiſſis votum paupertatis fecit, religioſum ſtatum non habet, nec religioſus poteſt vocari. Vnde & nouitij qui in tyrocinio religionũ probãtur, verè & eſſẽtialiter religioſi non ſunt, quouſque tempore probationis elapſo, votis ſe paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ conſtringant. Quare & ante emiſſionem votorum vel tacitam vel expreſſam, impune poſſunt ad ſæculum redire, & habitũ religioſum deponere, diuitias quærere, vxorem ducere, & pro ſuo arbitratu ſe gubernare. Non tenentur ad cæremonias ordinis, licèt eas, vt aſſueſcant, obſeruent nec obligantur. ea quæ ſunt regulæ, cuſtodire. Quòd ſi nonnullis priuilegiis religioſorum gaudeant, non eſt quia religioſi ſunt, ſed quia cùm ſint in via ad ſtatum religioſum ſuſcipiendum; vult mater Eccleſia illos quaſi donis quibuſdam ad ſtatum, ad quem à Domino vocantur, animare. Et quemadmodum ille, qui ius habet ad regnum, licèt nondum ſit rex, aliqua habet in republica priuilegia, & aliquos honores congruos illi, qui poſt modicum futurus eſt rex, ita æquum eſt vt ille, qui ob aſſumptum habitum, quaſi ius habet vt religioſus ſit, aliquas prærogatiuas habeat conuenientes illi, qui poſt paucos menſes futurus eſt religioſus. Hæc cùm ita ſint, perfectus pauper futurus, & per paupertatem perfectam ad diuitias cœleſtes ſanctis præparatas aſcenſurus, ab hoc gradu initium ſumat, vt omnia ſua, nec obolo reſeruato, dimittat, vt pauperibus tribuat, vt voto omiſſo, ſe Christi ſectatorem profiteatur, ita vt propter illum omnia contemnat. Concipiat animo ardentia perfectionis deſideria; interrogétque dominum & ſaluatorẽ ſuum, quonam
Matt.19.21. modo eam conſequi poterit. Audiet autem ipſum dicentem ſibi: Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me!] Et quandoquidem voluit eſſe perfectus, vendat, & diſtribuat, & dimittat ſua, vt poſſit expeditiùs Christum imitatione ſequi, & ad faſtigium perfectionis, quam in ſponſam concupiuit, peruenire.

Non erit tibi difficile, ô vir fœlix, qui ad religionẽ vocaris, & verè fœlix, ſi vocationi reſponderis, & vitam tua vocatione dignam inſtitueris, non erit tibi difficile, res tuas, licèt totum mundum poſſideas, re-

A linquere: ſi bona paupertatis, & incommoda bonorum temporalium conſideres: Bona paupertatis iam audiſti, cuius beneficio diues eris & beatus, & rebus ad vitam neceſſariis ſine moleſtiis, & anxietatibus, & curis vteris, & in præmium centuplum (de quo poſtea) & vitam æternam recipies. Incommoda autem diuitiarum quis enumeret? Sicut enim arbores vacuas, & fructu carentes, nemo tangit, arbores verò fructibus oneratas quiſque pomis ſpoliat, earúmque ramos diſcindit: Sic pauperi nemo moleſtus eſt; diuites verò, conſanguinei, amici, famuli, & reliqui opibus eorum egentes, mille moleſtiis afficiunt. Saturitas diuitis, id eſt, abundantia diuitiarum, non ſinit eum dormire, nec inter curas & anxietates iu-
B cundam quietem captare. Diuitiæ ſunt ſeminaria Eccl.5.11
diſcordiarum, quarum cauſa etiã inter propinquos & fratres ſolent odia & rixæ ſuboriri. Abraham & Loth ſatis propinqui erant, poſtquam autem ditati ſunt, ſtatim orta ſunt iurgia inter paſtores eorum.] Nec poterat eos capere terra, vt habitarent ſimul (ait Gen.13.6.
ſacer textus) erat quippe ſubſtantia eorum multa, & nequibant habitare communiter.] Facultatum multitudo, inquit Chryſoſtomus, ſtatim cauſa eſt diſceſſus, diuiſionem operatur, concordiam impedit, & cognationis vinculum dirimit.] Diuitiæ ſunt catenæ, & Chryſoſt. hom.33. in Geneſ.
C compedes, quibus diabolus mortales illaqueat; quas authore Bernardo iuſtus per os Dauidis abieciſſe ſe gaudet, cùm canit: Quoniam ipſe, ſcilicet Dominus, liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.] Verba ſancti huius doctoris ſunt. Sed ecce quia iam venatores, & beſtias nouimus; quiſnam ſit laqueus iſte, quærendum eſt. Nolo ego adinuenire ex me, nec dubium aliquod tradere vobis. Oſtendat nobis Apoſtolus laqueum iſtum. ipſe enim venatorum illorum non ignorat cogitationes. Dic nobis, inquam, beate Paule, quis ſit laqueus iſte diaboli, à quo ſe liberatam fidelis anima congratulatur? Qui volunt, inquit, diuites fieri in hoc ſæculo, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli.] Ergóne laqueus diaboli diuitiæ ſunt huius ſæculi? Heu quàm paucos Pſ.90. 3. Bern. ſer. 3. in eundem Pſalmum. 1. Tim. 6. 9.
D inuenimus, qui ab hoc laqueo liberari exultẽt! quàm multos, qui dolent, quod parum ſibi videntur irretiti; & adhuc quantum poſſunt ipſi ſe inuoluere, & intricare laborant! Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis, non habentem vbi caput ſuum reclinaret, filium hominis, exultate, & dicite: Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium.] Confitemini Pſ.90. 3.
illi toto corde, tota anima, tota virtute, & ex ipſis medullis cordis gratias ei agite dicentes: Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium. Sic ille.]

Diuitiæ ſunt onera, quarum curis & ſolicitudinibus oneramur, & opprimimur, & quo quiſque ditior eſt, eo abſque dubio incedit onuſtior. Onus
E autem hoc diuitiarum ideo pertimeſcendum eſſet, quia non tam corpus quàm mentem opprimit, & ſæpe immoderatè dilectum in tartara mergit. Auguſtinus ſanè hac ratione diuitem ad eleemoſynas erogandas impellit; quòd ſi eroget ex parte, ſuum pondus alleuiat. Quid eſt quod dicis, ait, quid eſt quod dicis, ego diues, ille pauper? Sarcinam tuam commemoras, pondus tuum laudas? Et quod grauius eſt, conſtrinxiſti ad te ſarcinam tuam, ideo non potes porrigere manũ. Onera te, liga te: quid te iactas? quid te laudas? Solue vincula tua, minue ſarcinam tuam. Da comiti, & illum adiuuas, & te releuas. Inter has voces tuas laudantes ſarcinam tuam, adhuc Christus petit, & non accipit: & obtendis nomen pietatis crudelibus vocibus, & dicis: Et quid ſeruo filiis meis?] Non diſſidet ab hoc ſenſu Auguſtini Grego- Aug. lib. de diſcip. Christ. c. 8. To. 9.

rius

rius,qui,licèt alia via,diuitias,onera & ſarcinam eſſe, (A) teſtatur.Illud enim Iob: Et pingui ceruice armatus eſt,]de impio diuite intelligit, qui aduerſus Deum quaſi diuitiis armatur, cùm ex rebus temporalibus tumens,atque ſuperbiens, contra præcepta veritatis erigitur.O arma miſeri ponderis plena, quibus iniquus in huius mundi mare ſubmergitur, & peccatis onuſtus in gehennam ducitur! Sed hoc onus cùm onus mentis ſit, hoc peſſimum habet, quòd oculos noſtros obcæcat,& dum terrena nimio affectu conſideramus, cœleſtia videre non poſſumus. Et ſecundùm hunc intellectum idem Beatus pater de diuite peccatore illud,quod ſtatim in Iob ſequitur, pulcherrimè interpretatur. Operuit faciem eius craſſitudo,& de lateribus eius aruina dependet.]Viſus quippe in facie eſt,in qua & prima corporis honorabilior pars eſt. (B) Non ergo ait immeritò, mentis intentio per faciem deſignatur, quam quolibet vertimus,illuc videmus. Faciem ergo craſſitudo operit, quia deſiderata terrenarum rerum abundantia oculos mentis premit,& hoc quod in eis eſſe honorabile debuit, ante Dei oculos fœdat, quia curis multiplicibus aggrauat.Hæc ille.]Qui & ſtatim aruinæ nomine è lateribus impij diuitis dependentis illos intelligit, qui auxilio eius roborati mala patrare non ceſſant.Sed eſto quòd diuitiæ aliquid boni habeant, certè ex eo contemnēdæ eſſent, quia inſtabiles ſunt, & paruo tempore durant.Fecit Deus hederam, quæ Ionam protegeret, & ſtatim parauit vermem aſcenſu diluculi, qui hederam corroderet, atque conſumeret. (C) Sic & diuitiis,quæ diuites ab æſtu defendunt, non vnus ſed multi vermes parati ſunt,à quibus poſt paululum deſtruantur. Si autem aliquantulum durent,ſaltem vermem mortis non poſſunt effugere,in qua diues ſuis bonis exuitur, & ad reddendam rationem vſus eorum ad terribile iudicium euocatur.

Iob. 15. 26.

Greg. lib. 12.mor.c. 11.

Iona.4.6.

Sed ab hoc argumento ſuperſedendum eſt, de quo innumera à ſanctis patribus ſcripta ſunt. Solùm dicamus,res temporales difficillimè ſine nimio erga eas affectu,ac ſine labe auaritiæ,poſſideri. Quæ autem ſint auaritiæ mala, vnus Ambroſius luculenter exponat. (D) Nam quid,inquit,de auaritia dicam,inſatiabili pecuniæ cupiditate, & quadam æris libidine, quæ quo plura abſtulerit, eo magis inopem eſſe ſe credit.?Omnibus inuida,ſibi vilis,in ſummis diuitiis inops,affectu extenuat,quod cenſu abūdat.Nullus rapiendi modus: vbi nulla menſura cupiendi. Sic inflammat animum, ſic igne ſuo paſcit animum, vt hoc ſolo diſtet, quòd illa formarum adultera ſit, iſta terrarum elementa concutit,mare ſulcat, terram effodit, cœlum votis fatigat, nec ſereno grata, nec nubilo,condemnat prouentus annuos, fœtúſq; terrarum arguit.Sed hæc ægritudo eſt animæ,non ſanitas. Denique Eccleſiaſtes dicit: Eſt languor malus, quem vidi ſub ſole,diuitias cuſtodire in malum poſſidentis eas.]Et ſuprà:Qui diligit argentum,non ſatiabitur argento.[nec eſt finis acquiſitionis eorum.] (E) Tu ergo ô homo Dei,qui ad religioſam vitam vocatus,ſi adhuc amore diuitiarum ligatus es,veras diuitias inquire,ſi quæris theſauros, vt inquit idem Beatus pater,accipe inuiſibiles,& occultos, quos in cœli altiſsimis,non quos in terrarum venis,requiras. Eſto pauper ſpiritu,& eris diues qualicumque cēſu, quia non in abundantia diuitiarum vita eſt hominis, ſed in virtute,ac fide. Iſtæ te diuitiæ verum diuitem facient,ſi ſis in Deum diues.] Itaque iſta conſideratio, moleſtiarum, & multiplicis occaſionis peccatorum, quæ in diuitiis eſt, & multorum bonorum, quibus religioſa paupertas abundat,eum,qui ad vitam religioſam vocatur,ſatis incitabit, vt paupertatem, fontem tranquillitatis, & diuitias, curarum fontes, & peccatorum occaſiones contemnat.

Amb.lib. 1.de Cain. c.5.

Eccl.5.12.

Baruch. 3.17.

Sed videndum eſt nunc,quas hic primus paupertatis gradus, quaſi partes contineat. Qui enim vult eum retinere,primò omnia ſua,nulla te quantumuis minima reſeruata, effundat,atque relinquat neceſſe eſt.Nam ſi aliquid ſibi poſſidendum cuſtodierit, religioſam paupertatem,cuius ſubſtantia eſt,vt omnia temporalia relinquātur,nequaquam habebit.Illúdque tantillum, quod ſibi reſeruat poſſidendum,ſatis erit,vt mentis neceſſaria tranquillitate careat,ad vacandum Deo,& ſe manifeſto diſcrimini defectionis exponat. Quare Hieronymus ait:Non partem bonorum tuorum vende,ſed omnia. Et Caſſianus,tria vitia deteſtanda, quibus religioſi aliquando in paupertatem delinquunt,enarrans,tertium eſſe ait,quo quis infœlix partem ſuorum bonorum abijcit,partē relinquit.Sed quia non tantùm hoc tertium, verùm & duo priora aduerſus hunc primum gradum militant,omnia referenda ſunt.Triplex,inquit, eſt huius Valetudinis morbus, qui ab vniuerſis patribus æquali deteſtatione dānatur. Vnus hic,cuius ſuperiùs deſcripſimus labem,qui decipiens miſerabiles quoſque,ea,quæ ne antea quidem, cùm in ſæculo degerent,poſſidebant, congregare perſuadet. Alius,qui hęc,quæ in primordiis ſuæ renuntiationis abiecerāt, poſtea reſumere ac rurſum deſiderare compellit. Tertius,qui initio malo vitioſóque contractus,& ab imperfectione incipiens, eos quos ſemel hoc tepore mentis infecerit, paupertatis ac diffidentiæ timore perterritos,ſpoliare ſe cunctis mundi facultatibus omnino non ſinit:eáſque pecunias, vel ſubſtantias, quas vtique renuntiantes abiicere debuerant,reſeruantes,ad Euangelicā perfectionem numquā peruenire concedit. Quarū trium ruinarū exēpla, in ſcripturis ſanctis etiam inuenimus non leui pœna fuiſſe dānata. Nam Giezi,ea,quæ nec antea quidem poſſederat,volens acquirere, non modò granā prophetiæ non meruit poſſidere, quam per ſucceſsionem velut hæreditariā à ſuo habuit magiſtro ſuſcipere,verumetiam è contrario æterna lepra ſancti Eliſei maledictione perfunditur. Iudas autem volens reſumere pecunias, quas antea Chriſtum ſecutus abiecerat, non ſolùm ad proditionem Domini lapſus, Apoſtolatus perdidit gradum, ſed etiam vitam ipſam communi exitu finire non meruit, eamque violēta morte concluſit. Ananias verò, & Saphira reſeruantes partem quandam ex his,quæ poſſederant, Apoſtolico ore morte mulctantur. Hucuſque ille.] Omnia ergo abiicienda nobis ſunt,ſi hanc virtutem pręſtantiſsimam inchoamus diligere,vt poſsimus & nos dicere cum primis huius ſtatus profeſſoribus: Ecce nos reliquimus omnia,]& vt Deus ipſe incipiat eſſe noſtra ſubſtantia, noſtráque poſſeſsio. Nam cuius rei gratia aliquid nobis cuſtodiemus? An vt noſtris neceſsitatibus prouideamus?Sed hoc indicium apertum eſt puſillanimitatis & diffidētiæ, quaſi ille Dominus, qui nos ad deſertum vocat, non poſsit nos ex ſuis opibus ſuſtentare,niſi aliquid contribuamus, & ad humanam neceſsitatem ſubleuandam adiuuemus. An vt in rebus terrenis occupemur?Sed opus, quod aggreſsi ſumus, perfectionis aſſequendæ tam grande,& ſolicitudinis plenum eſt, vt terrenam occupationem ſibi adiūgi non exigat, ſed totam mentem, & totum tempus requirat. An vt à conſanguineis,& propinquis inquietemur,qui id parum,quod retinemus,extorquere contendant? Sed ſtultum eſt, nos, qui à mundo diſceſsimus, illa retinere,quorum cauſa mille curis aliorum & querimoniis implicamur. Relinquamus ergo omnia,vt Deo fidentes,

Hier. ep. Deme.

Caſſ. li. 7.cap.1.

4.Reg. 5. 26.

Matt.27. 5.

Act. 5.8.

Matt.19. 27.

& à curis

A & à curis, & moleſtiis expediti, Deo & ſaluti noſtræ vacare poſſimus.

Deinde oportet vt paupertatis amator, non tantùm actione, ſed multò magis affectu & voluntate (vt dictum eſt) omnia quæ habebat, abiiciat. Quid enim refert, bona temporalia digito, id eſt, actu externo relinquere, & tota manu, id eſt, affectu voluntatis retentare? Certè qui ſua affectu retinet, licèt opere relinquat, teſtimonio Marci Eremitæ viri ſanctiſſimi, ac Ioannis Caſſiani, Euangelicus pauper non eſt. Ille ſic ait: Nonnulli verò, etiam carentes opibus, affectum auaritiæ fouemus in rebus leuiſſimis, ideóque miſeriores ſumus his, qui multa poſſederunt, quia relictis vniuerſim prauis affectionibus, quaſi Deum lateamus, calliditati voluptatis affectum adiungimus. B Fugientes enim auaritiam, nõ fugimus voluptatem: non recondentes aurum, res viles coaceruamus: magiſtratum, atque imperium repudiamus, gloriam tamen, & honorem eorum, quouis modo veneramur. Reliquimus poſſeſſiones, harum tamen fruitionem non auerſamur. Hic verò de his loquens religioſis, qui monaſteria fundare, & in Abbates præfici cupiunt, hæc inquit. Qui ſi in veritate viam perfectionis inquirerent, hoc potiùs tota virtute perficere niterentur, vt ſcilicet exuti non ſolùm pecuniis, ſed etiam affectionibus priſtinis, & diſtentionibus vniuerſis, ſemetipſos ſingulares, ac nudos, ita ſub ſeniorum imperio collocarent, vt curam non modò aliorum nullam, ſed nec ſui quidem gererent. E contrario autem euenit, vt dum fratribus præeſſe feſtinant, C nunquam ſenioribus ipſi ſubiiciantur, & à ſuperbia inchoantes, dum alios inſtituere cupiunt, nec diſcere ipſi, nec agere ea, quæ ſunt docenda, mereantur. Hæc ille.] Et quidem hæc vera ſunt. Nam ſi temporalia ſolo opere, non vero affectu relinquamus, non tam virtutem paupertatis aſſequimur, quàm miſeram mundanorum quorundam mendicitatem incurrimus. Sicut enim iſtorum miſeria eſt, quòd diuitias non habent, quas corde deſiderant, ita & noſtra miſeria, & ſtultitia erit, ſi quæ opere deſeruimus, corde & affectu cupiamus. Simúlque quaſi duas perſonas induimus virorum & infantium: viri ſumus, qui virili mente concepta res terrenas abiicimus; pueri autem, qui huius mundi vilitatibus, & puerilitatibus adhæreſcimus. D Nec aduertimus quia terrena relinquere, medium eſt, vt ad cor mundum veniamus, ſi autem affectu rebus terrenis adhæreamus, accepta inſipida medicina, ex culpa noſtra minimè optatam ſanitatem aſſequimur. Bene proinde Henricus Harpius, omnia ſola actione relinquere, imperfectiſſimam paupertatem vocat, & homines ſic rebus renunciantes terrenis, pauperes eſſe coram hominibus, non coram Deo, meritò autumat, quoniam teſtam dumtaxat paupertatis habent, nucleum verò, ſcilicet affectum à terrenis auulſum, qui in virtute, & in voto paupertatis præcipuus eſt, habere contemnunt.

Marcus Eremi. in opuſculat. cum ſua anima.

Caſſian. col. 4. c. 20.

Harp. in direct. mortifi- cat. 1.

Hæc autem, quæ quiſque habet, ſi velit religioſam paupertatem ſectari, non debet temerariè effundere, aut perdere, ſed prudenter diſtribuere. Quod Theophylactus à Domino putat fuiſſe mandatum, dum ita E legit: Vende quæ habes, & diſtribue pauperibus.] Habuit, inquit, & diſtribuendi verbum emphaſim quandam, vt cum diiudicatione, & non fortuitò diſpergantur bona.] Et id profectò ita intelligendum eſt. Nam Dominus, qui amator eſt ordinis, & ſapientiæ initium, ac origo beneficentiæ, non vult, diuitias homini datas, inordinatè aut temerariè, aut inutiliter effundi, ſed cum merito dantis, & cum vtilitate accipientis diſtribui.

Theoph. ad c. 18. Lucæ. Matt. 19. 21.

A Sed iſta ſapiens & vtilis bonorum diſtributio id omnino poſtulat, vt bona, quæ relinquimus, pauperibus erogemus. Quod manifeſtè Dominus ipſe, qui ad paupertatem incitauit, iubere non omiſit. Vende, inquit, quæ habes, & da pauperibus.] Atque alio loco: Vendite quæ poſſideris, & date eleemoſynam.] Eleemoſyna autem non diuitibus, ſed indigentibus, & pauperibus debet offerri. In hanc autem ſententiam, tanquam pronunciatam à Domino, Patres ſine vlla hæſitatione conſpirant. Hieronymus quodam loco ait: Non diuitibus, non propinquis, non ad luxuriam, ſed ad neceſſitatem, ſiue ille Sacerdos ſit, ſiue cognatus & affinis, nihil in illo aliud conſideres, quàm paupertatem. Laudent te eſurientium viſcera, nõ ructantium opulenta conuiuia. B Et rurſus alio loco: Non dixit, da filiis, da fratribus, da propinquis: quos etiam ſi haberes, iure iis Dominus præferretur: ſed da pauperibus, immo da Chriſto, qui in pauperibus paſcitur: qui cùm diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt. Et iterũ alio: Cúmque vendideris, da pauperibus, non locupletibus, non ſuperbis, da, quo neceſſitas ſuſtentetur, non augeantur opes. Pars ſacrilegij eſt, rem pauperum dare non pauperibus. Et Baſilius: Equidem ex hoc colligo, qui hac mẽte à ſuis diſcedat, hunc huiuſcemodi curam de parte patrimonij ſui, nullo modo oportere negligere, contráque illud accurare, vt cùm eam omnem diligentiſſimè ſecum abſtulerit, eam veluti rem iam Domino conſecratam ſumma cum religione diſtribuat, vel ipſe per ſe ſi huiuſcemodi muneri C ſcienter adminiſtrando eſſe ipſe par poſſit vel per alios, quos antè maxima adhibita diligentia delegerit, quique certiſſima dederint documenta, poſſe ſe illam fideliter ac prudenter diſtribuere, cùm illud perſuaſum ſit, non vacare periculo, ſiue propinquis ſuis illam relinquat, ſiue in ea diſtribuenda, cuiuſuis, nulla adhibita delectione, opera vſus ſit. At demum Bernardus: Nihil ſibi retineat, nihil ſuis, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat. Sunt enim, qui ſibi retinent aliquid, Dominicæ vocis obliti, qui non ſuam venit facere voluntatem: & in ipſis quoque ſanctorum collegiis proprio, aut deſiderio, aut fortaſſe conſilio importuniùs adhærentes, ſciolos ſeſe faciunt, de ſe ſibi aliquid retinentes: quos penitus D abnegaſſe, & diuinæ prouidentiæ, ac obedientiæ patrum conſiliis quoque ſpiritualium virorum debuerant commiſiſſe. Sunt enim, qui propinquis retinent, & amicis, quod abiiciunt à ſeipſis, pro eorum proſperitate præſenti, inani protſus & ſæculari ſolicitudine æſtuantes. Crudeles planè, qui nequaquam proximos diligant tanquam ſe; crudeles, inquam, vel in ſe, vel in ſuos: imò, quod verius eſt, in vtroſque. Hęc omnia Patres, & multa alia, quę conſultò omittũtur. Iniungitur itaq; paupertatem ſectaturis, vt ſua diſtribuãt pauperibus, vt ſcilicet diuitias, quas dimittũt, bene collocẽt, & vtiliter expendant, dum eas non luxui ſuperborũ diuitum, ſed neceſſitati indigentium ſeruire faciunt. Ac iuxta præceptum Domini, faciũt ſibi [amicos de mãmona iniquitatis, qui recipiant ipſos in æterna tabernacula.] Duplicique ratione (vt alias E nunc omittamus) regnum cœlorum mereantur. Primò, quia ſua reliquerunt: & ſecundò, quia pauperes refecerunt, & amicos, qui eos patriam cœleſtem ingredientes reciperent, compararunt.

Matt. 19. 21. Marc. 10. 21. Luca 12. 33. Hier. ad Demetriad.

q. 1. ad Hedibid.

In conſolat. ad Pãmach.

Baſil. reg. 9. fuſè diſp.

Bern. in illud, Ecce nos reliquimus, &c.

Luca 16. 9.

At fortaſſis aliquis quærat, an aliquando liceat fugientibus ſæculum, ſua bona parentibus, aut fratribus, aut propinquis, aut amicis erogare? Namque ſi Dominus hæc temporalia pauperibus diſtribuenda præcipit, videtur mandati violator, qui ea aliis quàm pauperibus dare præſumpſerit. At nos dicimus,

A quòd ſi propinqui, aut amici, ſunt pauperes, & rebus noſtris ad vitã iuxta decentiã ſui ſtatus trãſigendam indigeant, laudabile eſt illis, non tanquam propinquis ſolùm, ſed tanquam propinquis, aut amicis pauperibus noſtra relinquere. Id enim, & charitas, & prudentia, & aliorũ ædificatio omnino exigit. Charitas quidẽ, cuius ordo in actibus amoris, & beneficentiæ propinquos extraneis præponit. Si autem illi ſint pauperes, licèt nõ ex æquo, non propter coniunctionẽ ſanguinis, aut veterem amicitiã, efficiuntur eleemoſynæ noſtię ſubſidiis indigni, imò potiùs ex eo ipſo ſunt, & ab omnibus iudicantur magis digni. Prudentia verò quia propinquis pauperibus noſtra erogantes, diſcretum ſatis medium ponimus, vt ab eis in ſtatu religioſo quieti relinquamur. B Nam quid aliud debuimus facere, niſi noſtra illis cõcedere, vt de cætero ſibi perſuadeant à nobis iam mundo mortuis, & quaſi ex teſtamento bona noſtra illis legantibus, nihil aliud ſubſidij temporalis poſſe ſperari? Ac demum ædificatio, quòniã ſcandalũ ingeneraret, & crudelitati tribueretur, extraneorũ tãtùm miſereri, & propinquorũ pauperum nullatenus recordari. Nec ad hãc rem confirmandam deſunt ſanctiſſimorũ virorum exẽpla. Nam & magnus Antonius ſæculũ fugiens (narrãte Athanaſio) partem ſuorum bonorum ſorori conceſſit. Et Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, ac ipſe ſanctiſſimus, & Doctor egregius, à mũdo diſcedens portionẽ ſubſtantiæ contulit matri.

Athanaſ. in vita. Surius in Ianuario.

Ambr. 1. officior. c. 30.

Et Ambroſius ſapienter ait. Eſt etiam illa probãda liberalitas, vt proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi C egere cognoſcas. Melius eſt enim, vt ipſe ſubuenias tuis, quibus pudor eſt ab aliis ſumptum depoſcere, aut alicui poſtulare ſubſidiũ neceſſitati, non tamen vt illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes cõferre inopibus. Cauſa enim præſtat non gratia. Neq; enim propterea te Domino dicaſti, vt tuos diuites facias, ſed vt vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miſerationis peccata redimas tua. Putãt ſe paruum poſcere? Pretium tuũ quærunt, vitæ tuæ fructum adimere contẽdunt. Et accuſat quòd eum diuitẽ non feceris, cùm te ille velit æternæ vitæ fraudare mercede. Concinit quoq; Simõ de Caſſia, qui ſic ait: Attamen in renũciatione earum, forma diſtribuendi adlecta eſt, vt nõ parentibus, cõſanguineis, & amicis, ſed pauperibus largiãtur. Sed nec & ipſi propinqui excludũtur, ſi eos paupertas includit, D vt dũtaxat charitas Dei, & proximi paupertas in largitione ſint cauſa. Et Philo Iudæorũ diſertiſſimus illos Marci diſcipulos Alexãdriæ ex Iudaiſmo cõuerſos laudibus effert, quòd à mundo ſecedẽtes ſua bona cognatis donauerint. Huic, inquit, vitæ inſtituto qui ſe addicunt, non ex more, aut rogati id faciunt, ſed amore correpti rerũ cœleſtiũ, & quaſi furore diuino perciti, donec ad cõtemplationem illã deſideratiſſimã perueniant. Deinde præ immortalis vitæ beatæ cupidine, quaſi iã hac mortali defuncti, facultates ſuas relinquunt liberis, aut cognatis, vltro eis poſſeſſione cedendo, atq; etiã ſociis, & amicis, ſi cognati deſint. Oportet enim, vt qui perſpicaces diuitias adeptus eſt, cæcas illas relinquat mẽtibus cæcutientibus. E Anaxagorã & Democritũ celebrãt Græci, quòd præ amore Philoſophię prædia ſua pecori cõpaſcua reliquerint. Probo hos viros contemptores pecuniæ. At quãto præſtantiores, qui non pecoribus ſuas poſſeſſiones depaſcẽdas permiſerunt, ſed impẽderunt ad ſubleuandã egeſtatẽ hominum cognatorum, amicorúmq;, vt egere deſinerẽt? Illud enim inconſideratũ, ne dicam inſanum, factũ fuit virorum Græcis laudatorũ ſapientiæ nomine: hoc verò ſobrium, & magnæ prudẽtiæ. Quid aliud hoſtis faceret exciſis arbuſtis, agróq; vaſtato, redigẽs aduerſarios ad inopiã, quàm quod ſuis cognatis fecit Democritus, vltro illis conſciſcẽs pauperiẽ, nõ tã malo animo, quàm per inconſiderantiã, & alienæ vtilitatis negligentiam? Hi certè multò prudentiores, & magis ſuſpiciendi, vt non minùs philoſophiæ cupidi, ſed prouidi magis, quàm neglígẽtes: quippe, qui ſua donare maluerũt, quàm perdere, quo & ſibi prodeſſent, & aliis, dũ alios opibus iuuãt, ſe philoſophię ſtudio. Sic ille.] Sed in hac re, qui errare nolit, nec immoderato affectu erga propinquos duci, deberet viros ſapientes ſpiritualéſq; conſulere, vt ex eorũ ſentẽtia (qui res libetiùs & prudẽtiùs aſpiciũt) bona ſua taliter in propinquos diſtribuat, vt non luxui aut effrænato deſiderio eorũ, ſed indigẽtię proſpiciat, & ex reliquis bonis pauperibus ex charitate ſubueniat.

Simon de Caſſ. li. 9. c. 46.

Philo lib. de vita contẽplat.

Ea etiã dubitatio alicui etiã negotium faceſſet, an deceat, bona, quæ quiſq; habet in ſæculo, religioni, aut cœnobio tribuere, in quo habitũ religioſum induit. Videtur enim is nõ tam bona tẽporalia deſerere, quàm ſecũ in vitã religioſam adducere. Sed ſi iſta æqua lance libremus, laudabiliſſimum eſſe videbimus, in vſus religionis bona eius, qui religionem ingreditur, erogare. Quoniã & religioſi pauperes sũt, & non quicũque pauperes, ſed iuſti, & Deo conſecrati, & perfectionis ſtatũ tenentes, & ſaluti animarum, aut oratione, aut miniſteriis quoq; Eccleſiaſticis vacãtes. Gratiſſimũ ergo erit Deo hos ſuos pauperes alere, & indigẽtię eorũ ſubuenire. In quo certè ſæculares non parũ errant, putantes malè, aut imprudenter inſumi, quicquid religioſis impẽditur, & nõ ad ipſorum ſumptus, ſæpiſſime vanos & prophanos, erogatur. Clamãt illi cũ imperfectis diſcipulis: Vt quid perditio hæc? poterat enim vnguentũ iſtud venundari, & dari egenis.] Nec animaduertũt quòd egenis religioſis datur, qui ratione ſtatus perfectionis, pauperibus ſæcularibus præſtãt, & Chriſto ipſi, atque ad eius cultum offertur. Neque iſtud eſt diuitias in religionem aduehere, quia donator earum, eas à ſe abdicat, & neque quoad dominium, neque quoad vſum in ſuam vtilitatem aſſumit, ſed ex bonis cœnobij, ſicut & reliqui, neceſſaria humiliter recipit. Sed licèt hoc ita ſit, quòd religioſus cœnobium ingrediẽs, laudabiliter bona ſua religioni concedir, aut ea relinquẽdo voluntati prælati (quod perfectius eſt) vt ipſe, cui omniũ domorũ indigẽtia perſpecta eſt, indigẽtiori applicet, vel (quod eſt imperfectius) ea bona ad huius vel illius domus vſũ applicãdo: tamen religio laudabiliſſimè & prudentiſſimè faceret, ſi nihil omnino ab ingrediẽtibus religioſis acciperet, ſed omnia in pia opera, atque in pauperes alios ingrediẽtes erogaret. Cuius rei cauſas, quas aliquãdo nos experti ſumus, grauiſſimis verbis in hũc ferè modũ Caſſianus exponit. Et idcirco ne vſibus quidẽ cœnobij profuturas ſuſcipere ab eo pecunias acquieſcũt. Primùm ne confidẽtia huius oblationis inflatus, nequaquã ſe pauperibus fratribus æquare dignetur: tũ ne per hanc elationẽ nullatenus ad humilitatem Chriſti deſcendẽs, cùm in diſciplina non poſſit cœnobij perdurare; egreſsúſq; exinde, ea, quæ in principio renũciationis ſuæ ſpiritali feruore ſuccenſus intulerat, tepefactus poſtea non ſine iniuria monaſterij ſacrilego ſpiritu recipere atque exigere moliatur. Quod omnimodis obſeruari debere, multis ſunt experimentis frequenter edocti. Nam per alia minùs cauta monaſteria ſimpliciter quidem ſuſcepti, de eis, quæ intulerant, quæque in Dei opera fuerant diſpenſata, cum ingenti poſt blaſphemia redhibitionem poſcere tentauerunt.] Hæc ergo mouere debent, vt religio prudenter

Marc. 14. 4.

Caſſia. li. 4. de inſtit. c. 4.

guber

gubernata, & humilitatis ac profectus ſuorum religioſorum amore tacta, ſi poſſit, & non multum indigeat, nihil velit à ſuis filiis, dum à mundo diſcedunt, accipere. Atque his expoſitis manet primus hic gradus paupertatis, quem ille fœliciter tenet, qui vniuerſa quæ habet, opere & affectu deſerit, & ſecũdùm decretũ Domini ea pauperibus, his, aut illis, prout dictũ eſt, magna mentis alacritate diſtribuit.

Secundus gradus Paupertatis votum de rerũ abrenunciatione emiſſum implere.

CAPVT V.

POST abiectionem omnium rerum temporalium voto firmatam, qua quis religioſus pauper factus eſt, & ad primum gradum Paupertatis progreſſus, illa ipſius mentem cura ſolicitet, vt quod Deo pollicitus eſt, integre ac fideliter impleat. Ad quod vocat eum Salomonis grauis ac vera ſententia; qua ait: Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio. Sed quodcumque voueris redde: multóque melius non vouere, quàm poſt votũ promiſſa nõ reddere.] *Eccl. 5. 3. 4.* Votum, inquit, Deo nuncupatum placita illi res eſt, adeo vt non tantùm promiſſione de re bona ac iuſta ſibi facta gaudeat, verùm & rem illam voto conſecratam, ſine vlla mora ac celeriter exigat. Si non reddas, iã promiſſio de ſe quidem recta, atq; diſcreta, infidelis & ſtulta facta eſt, & ideo maximè diſplicet ei, qui fidelis eſt in promiſſis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Meliúſque eſſet, ac iuſtius, nihil voto promittere, quàm, quæ ſemel Deo conſecraſti, illi poſtmodum denegare. Liberum ergo fuit nobis bona temporalia relinquere, & paupertatis voto conſtringi. At poſtquam votum emiſimus, non eſt liberum ſed neceſſarium à poſſeſſione rerum temporalium abſtinere. Hic eſt igitur ſecundus noſtræ paupertatis gradus, vt ſi iam votum paupertatis fecimus, ſi ſaluari volumus, & æternam damnationem euadere, votũ factum impleamus. Certum eſt namque voti in re graui fractorem, niſi ad mentẽ redeat, & de voto violato doleat, & in poſterum illud obſeruet, ſine remedio damnari. Is non tantùm peccator, verùm & præuaricator eſt, cui nihil proderit honeſta vita, niſi ei voti facti obſeruantiam adiungat. Meritóque Bernardus ad quendam voti tranſgreſſorem ait: Tu verò quantumlibet modeſtè & honeſtè viuas, ſi caſtè, ſi ſobriè, ſi omnino religioſè te habeas, Deo tamen minùs accepta eſt tua religio, quam deturpat voti præuaricatio.] *Bernar. epiſt. 2. ad Fulcan.* Nunc itaque exponamus, quid ſit iſta voti paupertatis impletio. Dicemus autem, quid ipſa per ſe depoſcat, & quid minima hæc noſtra ſocietas adhuc inuiolabiliter ſeruet, quæ hoc votum, ſicut & alia duo, per gratiam Dei ſine vlla laxitatis admiſſione cuſtodit. Nec curabimus ad ſpecialia deſcendere, quæ fortè in aliis religioſis familiis quoad paupertatis interpretationem, aut admittantur, aut permittantur. Quoniam ſi illa tutò, & ſine vllo, vel ſine graui peccato fiunt, certum eſt ex prælatorũ facultate, ſaltem interpretatiua (vt vocant) fieri, aut ex conſuetudine tali, quæ iam ſtrictæ paupertati derogauit, attentari. Nos autem, qui non euentus ſpeciales, quæ conſciẽtiam attingant, tractamus, ſed perfectionem virtutum tradendam ſuſcipimus, quid religioſa paupertas voto firmata per ſe, ſine vllis diſpenſationibus, aut relaxationibus poſtulet, volumus explicare.

Qui ergo ſtatum religioſum profeſſus eſt, ſeu tria vota ſubſtantialia huius præſtantiſſimæ vocationis amplexus, quorum vno vniuerſis rebus renunciauit terrenis, nihil omnino poteſt tanquam proprium poſſidere. Tunc autem aliquid tanquam proprium poſſidet, quando dominium rei alicuius retinet, aut clam illam habet inſcio prælato, paratus de illa vel per donationem, vel per venditionem, vel alio quouis modo pro ſuo arbitratu, ſine vlla dependentia à voluntate prælati, diſponere. Qui hac ratione aliquid alicuius momenti ſibi reſeruat, manifeſtum crimen in paupertatem admittit, & eſt in ſtatu damnationis. Nam primam fidem, qua omnia Deo conſecrauit, irritam facit: & cùm Deo totum, quod habeat, debeat, non totum, ſed partem tantùm ſoluit. Et ſicut ille, qui debuiſſet regi decem millia talenta, reus eſſet mortis, ſi potens omnia reddere, vnum tantùm perſoluiſſet, reliqua verò denegaſſet: ita omnino religioſus aliquid contra voluntatem prælati ſibi reſeruans, dignus eſt æterna morte, quoniam omnia illa, quę reliquit, quaſi vnius talenti rationem habent; illud verò, quod retinet, in quo poſſidendi propoſitum & voluntatem inuoluit, quaſi nongenta nonaginta nouem talenta ſunt, quæ Deo inuerecundè ſurripuit. Licèt enim illud, quod retinet, multo minus ſit eo, quod reliquit, tamen quia propoſitum nihil poſſidẽdi non obtulit, quod in immenſum omnibus rebus pretioſius eſt, ideo tantillum dicitur perſoluiſſe, & maximam partem debiti denegaſſe. Hoc autem fuit peccatum Ananiæ, & Saphiræ, quod temporali & æterna morte punitum eſt. *Actu. 5. 5.* Licèt enim nos ſuprà ex Caſſiano, & aliis dixerimus fortaſſe coniuges iſtos tantùm venialiter peccaſſe, nec in æternum fuiſſe damnatos, *Suprà li. 1. p. 2. c. 8.* quoniam non ex voto, ſed libere ſuis facultatibus renuntiabant, quod & Origenes, & Auguſtinus indicare videntur; Tamen probabilius eſt eos feciſſe votum paupertatis, ac ob fractionem eius, qua aliqua ſibi reſeruarunt, in mortẽ corporis incurriſſe, & gehennæ cruciatus comparaſſe. Idque ſignificant illa verba: Anania, cur tentauit Satanas cor tuũ mentiri te ſpiritui ſancto?] *Act. 5. 3. 4.* Et poſtea; Non es mentitus hominibus, ſed Deo.] Et inſuper: Quid vtique conuenit vobis tentare ſpiritum Domini?] Nam &, mentiri Deo, & Spiritui Sancto, & promiſſis Deo factis non ſtare: &, tentare ſpiritum Domini, eſt, aduerſùs Spiritum ſanctum, quaſi non eſſet Deus, aut eſſet rerum, quæ geruntur ignarus, fraudem commiſiſſe: Atque hos infœlices votum paupertatis feciſſe ante fraudem iſtam, docuit elegantiſſimè Greg. Nazianz. (vt alios omittam) qui ſic cecinit:

Quis porro pœnam Ananiæ Saphireq́ tremendam
Cùm legit, occultos nummos qui morte luêre;
Non etiam leuiter metuit perfringere vota? *Nazian. precep. ad Virg.*

Similes his ſunt omnino, qui poſt votum paupertatis aliquid ſibi, reluctante aut inſcio prælato, retinẽt, & ſimili abſque dubio pœna afficiẽdi ſunt. Qui licèt in hac vita (Deo cũ illis mitiùs agente) minimè temporali pœna puniãtur, tamen in futura vita tanquam religionis euerſores, & ſanctiſſimi voti violatores, æterna, ſi nõ ſe emẽdauerint, morte plectẽtur.

Et quidem hos Baſilius non quacumque inferni pœna, ſed dãnatione Iudę proditoris, exterret, cuius ſanè veſtigiis inhærent. *Baſil.* Hæc eius ſentẽtia eſt. Proinde perſpicuum eſt, qui talis ſit, eum de præcidenda, & morte afficienda anima ſua, meditari, qui exiguis obolis ſalutem ſuã addicere, ac prodere paratus ſit, & alter Iudas efficiatur, nẽpe, qui à furto exordiatur, & in proditionẽ deſinat: quando vt ille Dominum, ſic iſte veritatis verbum prodit. Quando enim inſtituti noſtri regula hoc habet, nõ licere nobis neq; ab ea ſocietate, ad quã aggregati ſumus, diſiũgi, neque

priuatam vllam pecuniá acquirere, neque denique clancularium quidquam moliri, aut eiuſmodi, quod exempli peruerſitate reliquorū fratrum ſaluti poſſet obeſſe, dum aliquis neglecto Dei timore, & legibus Spiritus ſancti violatis, ſocietatem primùm expilare: (ſocietatis enim expilatio eſt, rei cuiuſcunque, & vndecumque in priuatū vſū ſeuocatio:) deinde defectionem etiam, ac ſeparationē cogitauerit: quî defendi poteſt, hūc nō verbum veritatis prodidiſſe, & alterū Iudam factum eſſe? qui quantū in re ipſa ſit, veritatē prodat? Quocirca omni modo fugiendum nobis eſt, nè priuatim omnino quicquā poſſideamus, prçter ea quç promiſcuè omnibus ſimul cōparantur.

Patres autem antiquos tam atrociter de hac aduersùs votum pecuniæ reſeruatione ſenſiſſe, non ſolùm hæc verba Baſilij, verùm & pœna acerbiſſima, qua in proprietarios vindicabant, manifeſtè declarat. De qua re vnum aut alterum exemplum inducam. Hieronymus hæc narrat: Quid ante non plures annos Nitriæ geſtum ſit, referemus. Quidam ex fratribus parcior magis, quàm auarior, & neſciens, triginta argenteis Dominum venditum, centum ſolidos, quos lino texendo acquiſierat, moriens dereliquit. Initum eſt inter monachos conſilium (nam in eodem loco circiter quinque millia diuiſis cellulis habitabant) quid facto opus eſſet. Alij pauperibus diſtribuendos eſſe dicebant, alij dandos Eccleſiæ, nonnulli parentibus remittendos. Macarius verò, & Pambo, & Iſidorus, & cæteri, quos patres vocant, ſancto in eo loquēte ſpiritu, decreuerunt infodiendos eſſe cum eodem, dicentes: Pecunia tua tecū ſit in perditionē. Nec hoc crudeliter quiſquā putet factum. Tantus cunctos per totam Ægyptum terror inuaſit, vt vnum ſolidum dimiſiſſe ſit criminis.

Hieron. epiſt. 22. ad Euſtochi.

Actor. 8. 20.

Gregorius verò Magnus, totius Eccleſiæ ſanctiſſimus, & ſapientiſſimus paſtor, quiddam ſimile in alium hoc vitio ſordentem fieri præcepit, ne patres illos Nitriæ, nimij rigoris arguamus. Sed præſtat illum loquentem audire. Neque hoc, inquit, ſilendum puto, quod actum in meo monaſterio ante hoc triennium reminiſcor. Quidam namque monachus, Iuſtus nomine, medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi in eodem monaſterio conſtituto ſedulè obſequi, atque in aſſiduis ægritudinibus meis excubare conſueuerat. Hic itaque languore corporis præuentus, ad extremum deductus eſt. Cui in ipſa ſui moleſtia frater germanus, nomine Copioſus, ſeruiebat, qui ipſe quoque nunc in hac vrbe per eandem medicinæ artem temporalis vitæ ſtipendia ſectatur. Sed prædictus Iuſtus cùm iam ſe ad extremum perueniſſe cognouiſſet, eidem Copioſo fratri ſuo, quia occultatos tres aureos haberet, innotuit. Quod nimirum fratribus non potuit celari, ſed ſubtiliter indagantes, atque illius omnia medicamenta perſcrutantes, eoſdem tres aureos inuenerunt abſconſos in medicamine. Quod mox vt mihi nunciatum eſt, tantum malum de fratre, qui nobiſcum communiter vixerit, æquanimiter ferre non valui; quippe quia eiuſdem mei monaſterij ſemper regula fuerat, vt cuncti fratres ita communiter viuerent, quatenus eis ſingulis nulla habere propria liceret. Tunc nimio mœrore percuſſus cogitare cœpi, vel quid ad purgationem morientis facerem, vel quid ad exemplum viuentibus fratribus prouiderem. Pretioſo igitur eiuſdem monaſterij præpoſito ad me accerſito dixi: Vide vt nullus ex fratribus ſe ad eum morientem iungat, nec ſermonem conſolationis ex cuiuſlibet eorum ore percipiat: ſed cùm in morte conſtitutus fratres exquiſierit, ei ſuus carnalis frater dicat: quia propter aureos, quos occultatos ha-

Greg. 4. dialog. c. 55.

A buit, à cunctis fratribus abominatus ſit: vt ſaltem in morte de culpa ſua mentem ipſius amaritudo tranſuerberet, à peccato, quod perpetrauit, purget. Cùm verò mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus nō ponatur, ſed quolibet in ſterquilinio foſſam facite, & in eā corpus eius proiicite: ibiq; ſuper eum tres aureos, quos reliquit, iactate, omnes ſimul clamantes: Pecunia tua tecum ſit in perditionem,] & ſic eum terra operite. In quibus vtriſq; rebus, vnā morienti, alteram verò volui prodeſſe fratribus viuentibus: vt & illum amaritudo mortis à culpa ſolubilem faceret, & iſtos auaritiæ tanta damnatio terreret, atque à culpa prohiberet: quod ita factū eſt.

Actor. 8. 20.

Subiungamus & tertium exemplum, quod in ſermonibus attributis Auguſtino ad fratres in eremo,
B ſic habet: Similiter accidit Ianuario noſtro, qui columna obediētiæ, & paupertatis inter nos eſſe videbatur, cuius perditionē frequenter flere & vlulare debemus: nā ad nos cum lacrymis venit, & paupertatē quandiu viueret, ſeruare promiſit, & tamen vineam & agrum, nobis ignorantibus, in ſæculo poſſidebat. O profeſſio mortifera, ô proditoria promiſſio, ore dicebat, quod corde odiebat. Sanctū credebamus, qui omnibus peior erat. Et ſic annis duodecim & ampliùs Ianuarius noſter, vt vidiſtis, & audiſtis, malè vixit, & malè moritur. Quare, vel quomodo malè vixit, niſi quia, quod ſuū nō erat, ſecretè tenuit? Quomodo etiā malè moritur, niſi quia in fine ſe non cognouit, & obſtinatus in ſuo ſenſu nobis ignorātibus teſtamentū fecit, & filium, quem habe-
C bat, in ſæculo ditauit? O vtinā ſaltem in fine hoc nobis dixiſſet, vt orātibus nobis veniā impetraſſet: Sed nec confeſſus fuit, nec eū feciſſe pœnituit, propterea de meis non eſt, nec dum viueret, erat. Ligare igitur manus cadaueris eius, ponentes in panno ligatos centū & vndecim ſiclos, quos in pariete cellulæ retinebat, flentes, & dicentes: Pecunia tua tecū ſit in perditionem. Nō enim licet nobis ſeruis Dei eā collocare, vel ponere in victu, vel in veſtitu, vel in opere monaſterij, quia pretium damnationis eſt.] In his tribus teſtibus omni exceptione maioribus ſtet omne verbum. Et nobis indubitatū eſſe perſuadeamus, eum, qui poſt votum paupertatis, aliquid notabile, inſcio prælato, retinuerit, ſaluari non poſſe, cùm votum frangat, fratres ſcandalizet, Deum ad indigna-
D tionem prouocet, & ſeipſum nexibus rerum temporalium illaqueet, quibus eum diabolus non compunctum, nec emendatum, ad locum æternorum tormentorum ſacrilegis paratum trahet.

Aug. ſer. 5. ad frat. in erem. to. 10.

Actor. 8. 20.

Audi igitur me, ô religioſe, ô diſcipule Chriſti, vt verbis Bern. te alloquar, audi, inquā, conſiliū meum. Te diabolus quærit auellere, te extrahere de grege Domini, vide ne conſentias ei. Vide ne credas ei. [Mēdax eſt, & pater eius.] Te vult occidere. Te vult mactare. Te vult perdere ſecū in gehennam. Caue te à loculis. Caue te à marſupiis. Foueæ diaboli ſunt. Heu quot in illis perdidit, quot in illis interfecit?]

Ioh. 8. 44.

Et quis alius violator eſt voti? Ille quidem, qui ex cœnobio, aut ex cella alterius fratris, abſque facultate prælati, aut fratris illius, aliquid aufert, vt in
E ſuos vel alterius cuiuſquam vſus inſumat. Et ſi illud, quod abſtulit, minutum quid, & parui momenti fuerit, leuiter peccabit; ſi verò fuerit notabile, & magni momenti, arbitrio prudentis grauiter delinquet. Nam res monaſterij ſiue in communes vſus appoſitæ, ſiue ad vſum alicuius ex fratribus deſtinatæ, alienæ ſunt, quarum nullus particularis religioſus dominium habet. Eas ergo ſine facultate ſurripere, furtum eſt, & contrectatio rei alienæ. Furtum autem (nullo ex Catholicis relu-

Digitized by Google

ctante)ex genere ſuo graue peccatum eſt. Atque adeò debet omnino, qui rem abſtulit, perinde atque alij fures, rem illam reſtituere, & in loco, ex quo rapuerat, collocare. Baſilius ſanè hanc rerum monaſterij vſurpationem (vt ſuprà vidimus) furtum vocat. Hugo autem Victorinus cùm furtum vocaſſet, mitius ſe locutum fuiſſe ait. Hæc eius ſunt verba. Parum dixi : immo certè ſacrilegium, quod peius eſt, quaſi Iudæ ſimilis factus proditori : prodit enim conuentũ totum, cùm rem eius communẽ, & Eccleſiæ de ſinu charitatis ſubtrahit in proprium vſum. At Bonauentura : Genus eſt furti, & plerumque turbationis occaſio, rem fratris vſui deditam, eo, ſi adſit, inſcio, detinere.] Religioſus itaque cœnobiũ, in quo moratur, non domum propriã, cuius ipſe ſit dominus, ſed alienam æſtimet. Se in ea veluti mendicum quendã hoſpitio exceptum eſſe ſciat. Quod ſibi datum fuerit ad vſum, humiliter, & cum gratiarum actione, accipiat. Nihil tamen ſine bona venia prælati, aut illius, qui facultatem poſſit dare, vſurpare præſumat. Nam ſicut & ipſum votum paupertatis, vetat aliquid proprium poſſidere, ita & lex iuſtitiæ, iubet omnino nihil ex rebus monaſterij præripere.

Hugo.

Bonauēt. in ſpecul. p. 1. c. 4.

Similiter voti fractor eſt, qui ex rebus ſibi ad vſum conceſſis, aliquam cuipiam vendit, aut donatione tradit, ita vt domum religioſam illius rei dominio abdicare intendat. Res enim religioſo quaſi commodatæ, & ad ſolum vſum conceduntur. Vnde ſicut ſi ille, cui res aliqua commodata eſt, alteri venderet, aut donaret, manifeſtè furtum admitteret, & iniurioſus eſſet in illum, qui rem ſibi commodauit, ita & religioſus rem ſibi ad vſum tantùm datam vendens, aut donans, furti reus iudicabitur. Is profectò (vt omnes Theologi aiunt) comparatur ad religionem, quam profeſſus eſt, ſicut ſeruus ad dominum ſuum. Quis autem non videat, ſeruum furti reum eſſe, qui veſtem, aut aliud quippiam ab hero ſibi ad vſum datum, vendiderit alteri, vel donauerit? Vnde ſanctus Bonauentura ait : Porro cùm illud proprium eſſe dicatur, de quo diſpenſare licet iuxta propriam voluntatem, omni aſſenſu alio circumſcripto, non pauper, ſed dominus reputandus videtur, qui rem quamcumque aliis diſtribuendo, vt libet, ſine ſuperiorum authoritate diſpenſat. Res ſunt quidem communes, ſed vſus diſpoſitio pertinet ad prælatos, vt per eorum curam ſingulis, iuxta modum, & regulam ſibi à ſanctis Apoſtolis conſtitutam, prout vnicuique opus fuerit, diuidantur. Vſurpatus autem ſine licẽtia rerum vſus, culpabiliter, temerèq; præſumitur, & prorſus illicitè vendicatur.] Ex ſuo igitur genere iſta donatio rerum nobis ad vſum conceſſarum dãnabilis eſt, non minùs quàm illa prior rerũ monaſterij, aut cœnobij (de qua diximus) vſurpatio. Quiq; aut res cõmunes vſurpare, aut ſuo vſui applicatas dare præſumpſerit, ſimilis eſt Racheli ſurripienti idola Laban patris ſui. Nam cùm Laban, tropologicè, mundum iſtum iuſtos inſequentẽ ſignificet, illa anima per ſtatum religioſum Chriſto deſponſata, idola Laban furatur, quæ res huius mundi vſque ad vetitam vſurpationem amore complectitur. Similis etiam eſt vxori Loth, quæ egreſſa de Sodomis, reſpiciens poſt ſe, conuerſa eſt in ſtatuam ſalis. Sic religioſus poſt ſe reſpicit, qui res mundi, quas deſeruit, concupiſcit, & repetit. Statuáque ſalis efficitur, quia velut ſtatua inanimis, & velut res ſterilis, peccatoribus Deo mortuis, & gratia carentibus, comparatur. Denique ſimilis eſt Achan, qui tulit aliquid de anathemate, cuius cauſa iratus eſt Dominus in filios Iſraël, eúſque ab hoſtibus vinci, & trucidari permiſit. Bona quippe temporalia Deo à nobis conſecrata ſunt, & ob eius

Bonauēt. vbi ſup.

Gen. 31. 19.

Gen. 19. 26.

Ioſue 7. 21.

honorem relicta : qui autem aliquid eorum repetit, quia rem ſacram ſurripit, Deum grauiter offendit.

Deinde votum paupertatis violat, qui accipit aliquid à conſanguineis, vel ab aliis, contradicente prælato, aut neſciente, ſi credat eum, ſi ſciret, ægrè laturum, & in talem acceptionem minimè conſenſurum. Ideo Auguſtinus & Benedictus, in ſuis regulis, donationem, & acceptionem alicuius rei ſimili omnino diſtrictione vetuerunt. Ille ſic ait: Conſequens ergo eſt, vt etiam cùm quis ſuis filiis, aut aliqua neceſſitate ad ſe pertinentibus in monaſterio conſtitutis aliquam contulerit veſtem, ſiue quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum, non occultè accipiatur : ſed ſit in poteſtate præpoſiti, vt in rem communem redactum, cui neceſſe fuerit, præbeatur. Quòd ſi aliquis rem ſibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur. Hic verò ſic : Præcipuè hoc vitium radicitus amputandum eſt de monaſterio, ne quis præſumat aliquid dare, aut accipere ſine iuſſione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, ſed nihil omnino. Quippe quibus nec corpora ſua, nec voluntatem licet habere in propria poteſtate: omnia verò neceſſaria à patre monaſterij ſperare, nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiſerit, omniáque ſint omnibus communia, vt ſcriptum eſt, nec quiſquam ſuum aliquid eſſe dicat, vel præſumat. Hæc ille.] Meritò autem acceptor cuiuſque rei, inſcio prælato, proprietariis, & voti fractoribus annumeratur, quoniam rem illam ex ipſo modo accipiendi clanculariò, non monaſterio (vt debuit) ſed ſibi ipſi videtur accipere, vt ſcilicet ipſa non pro arbitrio prælati, ſed pro ſuo libito vtatur, eámve, vt voluerit, inſumat, ſiue diſpenſet. Rem autem ſic accipere, dominium rei quemlibet habere velle euidenter monſtrat, ac manifeſtè paupertati repugnat. In quam ſententiam etiam Bonauentura ait: Quicunque rem aliquam occultè, ſine ſuperiorum aſſenſu, recipit, habet, vel vtitur, à religionis delirat licentia, & quicquid habet, malè habet.] Nemo ergo ea religioſis ſecurus viuat, quia nihil à congregatione accipit, quoniam ſi à conſanguineis, aut aliis accipiat, prælato facultatem denegante, aut minimè conſentiente, apertè fractor eſt voti, grauitérque delinquit, & propter hoc peccatum, niſi reſipiſcat, in perpetuum damnabitur.

Aug. in reg. c. 8.

Bene l. in reg. c. 33.

Bonauēt. in ſpec. part. 1. c. 4.

Quòd ſi damnationi obnoxium eſt, religioſum, contradicente, aut non conſentiente prælato, aliquid notabile in proprios vſus recipere ; quanto damnabilius erit petere, & recipere, & abſcondere, vt poſſit ſuis fratribus, aut conſanguineis erogare? Is non tantùm vitio proprietatis ſordet, ſed & congregationem bonorum illorum vſo defraudat. Non eſt pauper Chriſti, ſed diues ſæculi, qui neceſſariis rebus, ſibi à prælato miniſtratis, minimè contentus, tot ac tanta vult poſſidere, vt ea ſua abundantia conſanguineos poſſit ditare. Licitum quidem erat illi (quemadmodum diximus) ea, quæ habebat in ſæculo, conſanguineis pauperibus relinquere, vt moleſtiis eorum ſolueretur; at iniquum eſt, poſt arreptum religionis ſtatum, ſæcularibus ſe implicare negotiis, & pecunias quærere (quas forſan in ſæculo nunquam habuiſſet) vt ex illis poſſit ſæculo deſeruire, cui mortuus eſt, & ſæcularibus prouidere. Si hoc vitio ſanè peſſimo, ô religioſe, tentaris, audi quibus verbis Iſaac presbyter Antiochenus te tuæ vocationis, & profeſſionis admoneat. Si poſueris animæ tuæ terminum paupertatis, & per gratiam Dei

Iſaac lib. 1. de contẽp. mũd. c. 9.

A fueris à ſolicitudinibus liberatus,& in tua paupertate factus fueris ſupra mundum,caue ne propter amoré pauperum, quæſtum diligas pro eleemoſyna facienda,& ponas animam tuam in turbatione, vt accipias ab alio, vt aliis largiaris, & exiſtimes honorem tuum ſubiectione petitionis rerum nomine aliorum, & excidas à libertate,& nobilitate intentionis tuæ in ſolicitudinem ſæcularium rerum, quia gradus tuus nobilior eſt gradu miſericordium: ſupplico tibi ne ſubiiciaris eleemoſynæ, quæ ſimilis eſt nutrimento puerorum,ſed ſolicitudo perfectionis caput eſt, ſi res habes,ſimul illas diſperge. Quòd ſi non habes, noli habere. Hæc ille.] Caſſianus verò de ſimilibus religioſis ait, eos habitum quidem mutaſſe, ſed nullo modo ſæculares mores exuiſſe. Eius verba ſunt. Denique, quod pudet dicere,ita pleroſque abrenũciaſ- B
Caſſian. collat. 4 c. 20.
ſe conſpicimus,vt nihil amplius immutaſſe de anterioribus vitiis ac moribus comprobentur, niſi ordinem tantummodo,atque habitum ſæcularem. Nam & acquirere pecunias geſtiunt,quas nec antea poſſederunt,vel certè,quas habuerunt, retinere non deſinunt,aut (quod eſt lugubrius) etiam amplificare deſiderant,ſub hoc prætextu, quòd vel famulos ſuos ſemper exinde,vel fratres alere ſe debere iuſtum eſſe contendunt.]Iam ergo manifeſtum eſt, viro religioſo,qui ſaluari vellet, nullo pacto licere, abſque conſenſu prælati, nec ſibi, nec aliis quicquam accipere, eúmque proprietarium eſſe,ſi pro alendis etiam parentibus pecunias conquirat, atque poſſideat. Cui veritati nullo modo diuina de honorandis parentibus obſiſtit authoritas.Quia ſi illi non indigent, per- C uerſum,& ſtultum eſt,quòd religioſus velit illos ampliùs ditare. Si communiter indigent, non deerunt multi in republica,qui ex communibus eleemoſynis illis prouideant:ſi verò extremè aut grauiter egeant, tunc religioſus ex conſenſu & bona venia prælati, quam negare non poterit, illis ſeruata ædificatione, neceſſaria,cum bona conſcientia, & ſine vitio proprietatis,miniſtrabit.

Adeò autem Patres antiqui ab hoc peſſimo vitio abhorruerunt, vt non ſolùm nihil poſſiderent, verùm & aliquid ſuum dicere piaculum reputarent.
c. 33.
Vnde Benedictus in regula: Nec quiſquam ſuum aliquid eſſe dicat,vel præſumat. Et Auguſtinus:
c. 1.
Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia
Caſſian.
communia. Et Caſſianus: Hanc regulam vide- D bamus diſtrictiſſimè hucuſque obſeruari,vt nec verbu quidem audeat quis dicere aliquid ſuum. Magnumque ſit crimen ex ore monachi proceſſiſſe, codicem meum,tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas: próque hoc digna pœnitentia ſatisfacturus,ſi aliquo caſu per ſurreptionem, vel ignorãtiam, huiuſmodi verbum de ore eius effugerit.] Qui autem aliquid ſuum vocaret, aut proprium diceret,non peccaret grauiter, ſi verbo tenus dicat,& animum,rem illam,vt propriam poſſidendi, non habeat. Vt igitur gradum iſtum paupertatis, paucis comprehendamus, ille religioſus eius eſt particeps,qui nihil ex his quæ habebat, in ſæculu reſeruauerit,qui nihil ex rebus cœnobij ſurripuerit, qui nihil ex rebus ſibi ad vſum conceſſis, abſque con- E ſenſu prælati alteri dederit, qui nihil, prælato etiam contradicente,aut minimè conſentiente,pro ſuis,aut aliorum vſibus acceptauerit.Nam ad hæc omnia votum paupertatis obligat.Multa autem minuta, quæ circa hæc axiomata non ſemel occurrunt, ex doctoribus ſcholaſticis petenda ſunt, quia nobis non vacat ad hæc particularia deſcendere.

A
Tertius Gradus Paupertatis ſuperflua reſecare.

CAPVT VI.

IN virtutum gradibus (quod ſemel in hac tractatione de virtutibus religioſis dictum ſit) non reperitur eadem obligationis ratio, quia eorum quidam ſub interminatione grauis peccati præcipiuntur,quidam leuiores ſub leui peccato mandantur, quidam vt oppoſiti imperfectioni ſuadentur,& alij denique vt totam perfectionem virtutis conti- B nentes, oculis iuſtorum obiiciuntur, vt finem ac ſcopum videant,in quem debeant properare.Huius rei exemplum ex paupertatis gradibus, quod nunc tractamus, petendum eſt.Nam res omnes temporales dimittere affectu, & effectu, & Chriſtum in omnimoda virtute ſequi, ad idque voto ſe conſtringere, liberum eſt vnicuique, volenti ſcilicet non in communi vita fidelium ſe continere,ſed ad perfectionem aſcendere. Poſt votum paupertatis emiſſum, nihil omnino poſſidere, nihil inſcio, aut contradicente prælato dare, nihil recipere, obligatorium factum eſt, quod ex genere ſuo in tranſgrediente mortale peccatum inducit. At reliqui gradus, qui ſuperſunt, & notitiam ac conſenſum, vel ſaltem permiſſionem prælati non excludunt, mitiùs ac benigniùs obli- C gant,&,ſi relinquantur, non tam graui vulnere animam viri religioſi cruentant. Hoc autem dictum ſit, vt ita ad perfectionem virtutum incitemus,quòd ſimul à conſcientiis ſcrupulos eximamus, neque inquieremus illos, qui nolunt, & meritò,vanis exaggerationibus ad virtutem,ſed ipſa veritate moueri.

Tertius ergo gradus paupertatis eſt, ſi ad vſum noſtrum in victu, & veſtitu, & reliquis huiuſmodi, ſola neceſſaria ſumamus, & omnia ſuperflua reſecemus. Si autem aliquis religioſus aliquid, vel aliqua ſuperflua prælato ſciente, aut non repugnante, aut permittente haberet, paratus ad imperium eius relinquere, is non peccaret lethaliter, licèt à leui peccato,maiori,vel minori,pro qualitate rei, quam habet,nequeat excuſari. Nam ſi tranſgreſſio obſeruan- D tiarum religioſarum, extra tria vota, in quibuſdam religionibus inducit peccatum leue, & in aliis, quæ ſolùm obligant ad pœnam, etiam infert peccatum veniale,ſi negligentiam,nempe non vulgarem, habeat admixtam,vt Thomas ait; quanto magis tranſ- D. Thom. 2.2. qu. 186. ar. 9. ad 13.
greſſio paupertatis voto firmatæ in hoc, quòd aliquid ſuperfluum ad vſum aſſumatur, non poterit ſine leui peccato fieri? At quid ſuperfluum dicatur, inueſtigandum eſt.Si enim ſuperfluum dicitur illud, ſine quo viuere poſſumus,iam innumerabilibus ſcrupulis peccatorum venialium angemur, & vix erit vnus religioſus inter mille, qui ſaltem venialiter in paupertatem non delinquat,quod certè credendum non eſt,immo ſunt quamplurimi,qui eam perfectiſſimè obſeruent. Non ergo ſuperfluum iudico niſi quod vltra conſuetudinem virorum ſpiritualium, & E timoratæ ac delicatæ conſcientiæ eam religionem profitentium,quis audet admittere. Vnde ſi vltra libros ordinarios, alios pauculos habeas, quibus rarò vtaris,ſi duas imagunculas non pretioſas, nec nimis curioſas, aut duos calamos, aut alia ſimilia retineas, licèt vna imago,aut calamus vnus, aut vnus gladiolus ſine theca calamaria ſufficeret, non credo quia venialiter delinquas:nam & viri ſpirituales, & deſiderio perfectionis tacti,hæc ſine ſcrupulo,aut timore

habere

habere conſueuerunt. At ſi aliquibus rebus pretioſis, aut curioſis vtaris, quas nemo in tuo ſtatu, aut certè ſoli tepidi, & imperfecti, & diſciplinę oſores, ac libertatis amatores admittũt, licèt prælatus aſſentiat, & licèt tu, & illi parati ſitis eas res ad ipſius impetium relinquere, ego nec te, nec illos à peccato excuſo. Quid enim prodeſt prælati conſenſus? quippe qui in hoc, quòd religio detrimentum ſuæ puritatis patiatur, conſentire non potuit; nam poteſtatem non in deſtructionem, ſed in ædificationem accepit. Quid etiam refert in religioſo præparatio animi, ad relinquenda ea quæ inutiliter habet, ſi ea ſuperfluè, ac ſine neceſſitate ac vtilitate retinet? Vt ergo in hac re nemo decipiatur, ſententiam communem omniũ Theologorum, quam doctiſſimus Cardinalis Ioannes à Turrecremata in vnum collegit, non grauabor ſcribere. Quæſiuit ille an prælatus poſſit diſpenſare cum ſubdito, vt habeat vſum alicuius rei ad nutum amouibilis? Reſpondet, prælatum poſſe ex iuſta cauſa ſolùm, & ſtatim ait.

Turrecr. ad reg. c. 34. tract. 94. Sed quid dicatur cauſa rationabilis in hoc caſu? Reſpondetur, quòd duplex poteſt eſſe cauſa diſpenſandi in his; videlicet neceſſitas, & vtilitas. Item, neceſſitas poteſt eſſe duplex ſcilicet priuata, & cõmunis, ſiue publica. Priuata, vt cùm cõceditur in monaſterio paupere, in quo de communi non poſſunt haberi neceſſaria, monacho, vel moniali, vt aliquid habeat ad vſum neceſſitatis ſuæ, cum propoſito tamen reſignãdi, cùm fuerit requiſitus. Communis, vt cùm conceditur alicui officiali communi ad expendendũ in vſus, & neceſſitates aliorũ, vel cùm aliquis dirigitur ad curiam, vel ad alia loca pro negotiis monaſterij peragendis, & ei conceditur pecunia pro expendendo, & aliis neceſſariis: tunc enim pecunia non eſt propria, ſed adminiſtrationi annexa, & nomine monaſterij retinet, & diſpenſat: de quo dicitur extra de ſtatu monachorum, capitulo primo. Qui peculium habet, niſi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta adminiſtratione permiſſum, à communione remoueatur altaris, &c. Vtilitas etiam poteſt eſſe duplex. Scilicet priuata, & communis. Priuata, vt cùm conceditur alicui religioſo liber aliquis, aut orationum, aut alicuius facultatis ad ſtudium proprium, gratia ſcilicet informandi animum in his, quæ pertinent ad ſalutem. Communis, vt cùm conceditur alicui liber, aut cùm quis mittitur ad ſcholas, qui ex ſtudio ſuo creditur aliis poſſe proficere; & illi, commiſſa ſibi adminiſtratione ſuæ perſonæ, Abbas dat pecunias, pro ſuſtentatione ſui in ſcholis, aut prouiſione aliarum neceſſitatum. Sed eſt bene hìc attendendum, vt dicit magiſter Humbertus, quòd licèt huiuſmodi neceſſitates ſint interdum cauſa ſufficiens ad hoc, quòd prælatus concedat vſum aliquarum rerum ſicut dictum eſt: tamen non omnis neceſſitas, aut vtilitas ſufficiunt ad diſpenſandum, niſi ſint valde rationabiles, & manifeſtæ: vt ſunt in neceſſitatibus quotidianis, quæ pertinent ad victum, & veſtitum, & in vtilitatibus, quæ pertinent ad animæ ſalutem. Et eſt cauendum, ne in huiuſmodi facilè diſpenſetur propter multa. Tum propter ſpeciem mali: quandoque enim & ſi ſubſit aliqua cauſa in huiuſmodi diſpenſationibus, tamen ſpecies mali remanet ibi, petens huiuſmodi diſpenſationem. Tum propter ſequelam: trahitur enim diſpenſatio, quæ ſit cum vno ex cauſa bona, de facili ad conſequentiam in altero, in quo non ſubeſt eadem cauſa.] Hæc ille de cauſa diſpenſandi cum ſubdito, vt ad vſum aliquid habeat.

De qualitate verò peccati, tam prælati ſine iuſta cauſa aliquid concedentis, quàm ſubditi facultatem petentis, & eo ſibi conceſſo vtentis, ita loquitur.

A Tertium dubium eſt, dato quòd diſpẽſetur cum aliquo circa vſum incertum alicuius rei (id eſt, quæ ad nutum prælati poteſt auferri) ſed tamen ſine cauſa rationabili. Vtrùm talis excuſetur à vitio proprietatis, ſi habet animum reſignandi cùm fuerit requiſitus? Reſpondetur, vt reſpondet magiſter Humbertus, ſuper regulam Auguſtini, quòd excuſatur à vitio proprietatis, ſed non tamen à peccato tam diſpenſans, quàm recipiens diſpenſationem in hoc. Si quæratur cuiuſmodi peccatum ſit hoc, ex quo non eſt proprietas? Reſpondetur, quòd in diſpẽſante eſt abuſus poteſtatis, quæ data eſt ei non in deſtructionem, ſed in ædificationem. 2. ad Corint. 10. Ipſe autem abutitur ea in deſtructionem. In recipiẽte verò eſt auaritia, cùm teneat aliquid ſine rationabili cauſa: vt puta librũ, veſtem, vel aliquid huiuſmodi, de quo poſſit alius

B proficere tanquã pecuniam in ſudario, quæ dari debuit ad lucrũ. Et ideo diſtrictã de hoc oportebit eum reddere rationem. Hæc eſt ſententia iſtius doctoris, cui profectò religioſus, qui profeſſus eſt religionẽ reformatam, & in primo ſuo feruore perſeuerantem, reluctari non poſſet. Prælati ergo, qui ſine cauſa (vt dictũ eſt) in hoc, quòd ſubditi ſuperflua multa habeant, diſpenſare audent, in periculo ſalutis ſunt, niſi tales diſpenſationes reuocent, & à ſubditis hæc inutilia ſubtrahant, quibus religionẽ relaxant, & alios ſcandalizant. Subditi verò ſecuri nõ ſunt, quia ſuperflua poſſident ei diſpenſationi ſubnixi, quæ illicitè data eſt. Et grauiſſimè peccarent, ſi non tantùm ſuperflua haberent, verùm, & prælatis volentibus hæc reformare, & ad priorem ſtatũ reuocare, reſiſterent. Sed (vt omnia attingamus) in ea religione, quæ iam à multis an-

C nis à primo feruore deflexit, & in voto paupertatis relaxationem admiſit, non eſt hæc res tam ſcrupuloſa, quia ingredientes eam religionem, eam paupertatem vouent, quæ in illa tunc temporis ſeruatur, & non maiorem, aut ſtrictiorem. Verùmtamen quod certa quadam ratione ſcrupulum eximit, ea vſum lugendi auget, cùm videamus familias religioſas in hac re, ſicut in aliis, longè à ſua primæua puritate diſtare.

Poſtquam verò tepidos, & propriæ ſalutis incurioſos ſatis terruimus, ad perfectionis amatores, quorũ gratia hæc ſcribimus, redeamus, & eos ad ſynceritatẽ paupertatis hortemur. Atque illis neceſſariis contẽti, ſuperflua fugiant, & ſiquidem viri ſunt, iocalia puerorum abiiciant. Ancilla bello capta, quæ in lege ve- *Deuter. 21. 12.*

D teri à domino ſuo diligebatur, & in coniugem accipiebatur ab eo, primùm radebat cæſariem, & circumcidebat vngues, vt non ſolùm pulchra, verùm & mũda, & ſine ſuperfluis in lectũ ſponſi honorabilis introiret. Sic & anima ad Chriſti per religioſum ſtatũ admittenda coniugiũ, ſuperflua deponat, vt mũda & expedita ad cœleſtem ſponſum mentis affectibus vadat. Omnibus fidelibus dixit Paulus: Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus,] quãto *1. Timot. 6. 8.* magis iuſtus, qui ſæculo nũtium remiſit, & paupertatem vouit, debet paucis & neceſſariis eſſe contentus? Eius ſcopus eſt theſaurizare ſibi, [theſauros in cœlo, *Matt. 6. 20.* vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur,] vt quid igitur theſauri-

E zat ſibi vilitates in terra, quas nõ ſolùm fures poſſunt iniurioſè ſurripere, ſed & prælatus iuſtè & prudẽter auferre? Multa, & pretioſa, quæ in ſæculo habuit, pro perfectionis amore reliquit, erit nũc vilia, & quæ tũc quidẽ nec aſpicere voluiſſet, tanta auiditate reſumit? Et ſi illa magna, quæ multis ſufficerẽt, eum ſatiare nõ potuerunt, quomodo hæc parua & ridicula eum ſatiare poterunt? Hæc ſuperfluarũ, & inutiliũ rerũ congregatio ſignũ eſt diffidentiæ, & non modica Chriſti iniuria, quaſi ipſe nobis ſatis eſſe non poſſit. Nam, vt

Baſ. conſt. monaſt. c. 1. inquit Baſilius, ſi vbi duo, vel tres congregati ſunt in nomine Chriſti, ibi ipſe in medio illorum eſt; multò certè veriſimiliùs ibi idem eſſe credendus eſt, vbi multò copioſior ac frequentior hominum congregata multitudo fit. Aut igitur neceſſarium nihil nobis deerit, ſi Chriſtus nobiſcū affuerit, ſi quidem neque Iſraëlitis in vaſta illa ſolitudine ipſorum vſui neceſſarium quicquam defuit; aut ſi etiam defuerit, ad probationem noſtram, ſatius eſt inopia laborare, & cum Chriſto eſſe, quàm diſiunctos ab eius ſocietate in rerum vitæ huius omnium affluentia verſari.] Quòd autem hæc nos aliquo modo à Chriſto diſiungant, non dubium eſt. Cor namque his vilitatibus, & ſuperfluitatibus implicatum quanam ratione poterit ad Chriſtum aſſurgere, & ſanctis ei affectibus inhærere? Qua etiam fronte audebit tantum regem ad ſe vocare, ſi hoſpitium, in quo ille ſanctiſſimus hoſpes excipiendus eſt, curis, & amore rerum inutilium eſt fœtidum, & earum poſſeſſione pollutū? Ad quid expectabimus, vt prælatus has res auferat, ſi nos manus habemus, quibus eas animoſè reiicere valeamus? An non eſt melius huiuſmodi minutias Deo ſponte in ſacrificium illi gratum offerre, quàm ex imperio alterius, quaſi inuiti dimittere?

Signum manifeſtum tepidi erga Deum amoris eſt, velle in ſtatu paupertatis ſuperflua recondere, & affectu, quem certè dum in his collocamus, à Deo auellimus, inutilibus inhærere. Vnde Hugo Victorinus ait: *Hugo ad reg. Aug. c. 8.* Si quis Deum perfectè diligeret, ſi carnalibus deſideriis omnino renūtiaret, multa reſecaret ſuperflua, quæ modò tenet quaſi neceſſaria.] Nec Deum, ô frater, minùs erga te liberalem, aut minùs tui amatorem putes, quia vult tibi ſola neceſſaria dari, & omnia ſuperflua auferri: hoc enim potiùs eſt ſui maximi amoris, ac eximiæ liberalitatis indicium. Vult ipſe te ſuperfluis carere, vt amorem tuum à rebus abiectiſſimis ſubtrahas, & in ipſo tamquam in tuo ſummo bono conſtituas. Negat vilia, vt pretioſa donet, & cor vacuum & mundum, vbi ea accipias, in te reperiat. Facit vt hæc terrena nobis laborantibus, & quodammodo eis ſeruientibus ſeruiant, vt ea ad neceſſitatem ſumamus, non ad ſuperfluitatem, & ad vanitatem captemus. Dedit ille nobis omnia, vt Paulus ait, ſed dedit vt cooperarentur in bonum, non vt à bono ſeiungerent. Sed adhuc multa, inquies (verba ſunt Bernardi) *Ber. ſer. 1. de diuerſ.* grauiter inquietant, multa euidentiùs aduerſantur. Et miror quomodo omnia data memores, quibus ferè nulla famulantur ad votum. Seruite nobis videntur aliqua, ſed cum labore noſtro, nec niſi priùs ſeruierimus eis. Iumenta ipſa niſi fuerint à nobis nutrita, niſi domita, niſi fuerint pabulo ſuſtentata, non adiuuant. Terra ipſa, quæ debuerat nobis eſſe germanior, non ſine ſudore vultus noſtri panem nobis miniſtrat, immo, & cùm coluerimus eam, ſpinas, & tribulos germinat nobis. Et cætera omnia denique, ſi diligenter conſideremus, ſeruitium à nobis magis exigunt, quàm exhibent nobis: vt ea interim ſileam, quæ ſunt parata nocere, vt eſt ignis ad exurendum, aqua ad ſubmergendum, feræ ad lacerandum. Et hæc quidem ita ſe habent, ſed tamen non mentitur Apoſtolus, etiam alio loco manifeſtiùs aſſeuerās, *Rom. 8. 28.* ſcire ſe quoniam[diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,] his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti. Veruntamē ſolerter attēde, quòd non ad libitum famulari, ſed cooperari dicit ad bonum. Neque enim ad voluntatem ſeruiunt, ſed ad vtilitatem: non ad voluptatem, ſed ad ſalutem: non ad votum, ſed ad cōmodum noſtrum. Sic ille.] Cùm ergo res ad vtilitatem, & ad neceſſitatem datæ ſunt, terminos nobis impoſitos ſupergredimur, ſi eas ad

A ſuperfluitatē vſq; volumus poſſidere, & earum affectibus intricari. Satius quidē eſt, illa terrena dimittere, in eo quòd obſunt perfectioni noſtræ, vt in eo quod proſunt, & nos iuuant, ſincerè valeamus aſſumere. Linque itaq;, ô frater, idola tua, ſi cultor es Dei, neq; enim decet, eum, qui in deſertum egreſſus eſt, vt verum Deum adoraret, ſecum abominationes Ægypti deferre, & rebus ſuperfluis, quaſi idolis oneratum, ante cōſpectum Diuinæ maieſtatis aſtare. Numquam quietus eris, niſi hæc vana, quæ (vt tu ipſe teſtis es) te compungunt, & inquietant, animoſè relinquas. Crede mihi, ſine tot imagunculis, ſine tot libris curioſis, ſine tot roſariis, ſine tot capſulis, & ſcriniolis, ſine tot linteolis, & quadruplicatis veſtibus, ſine tot eſculentis, & poculentis, ſine tot denique puerilitatibus, lætus viues. Hæc enim quantumcumque multi-
B plicentur, & augeantur, numquam te ſatiabunt; ſi verò verè pauper fueris, vt debes, & voto teneris, Chriſtus te ſatiabit, & plus vna eius conſolatio tibi data, quàm hæc vniuerſa, valebit.

Quartus gradus Paupertatis, neceſſariis immoderatè non inhærere.

CAPVT VII.

ALIQVOS vidimus in prædicto Paupertatis gradu vſquequaque perfectos, qui nihil omnino ſuperfluum apud ſe habere voluerunt, & vel calamum
C vnum, quo carere commodè poſſent, conſtantiſſimè repudiarunt, tanta verò cura, & ſolicitudine rerum neceſſariarum vrgebantur, vt hunc gradum à præcedenti nos ſeparare compellant. Erant illi quidem admodum ſcrupuloſi, vt nihil, quod ſibi non neceſſarium eſſe videretur, retinerent, ſed nec dum didicerant affectum rerum neceſſariarum metiri, & ſpem ſuam in Domino (qui paſcit coruos, quanto magis iuſtos) fiducialiter collocare. Immoderato amore erga cellam, & ſellam, & libros ſuos, erga breuiarium, & diurnum, & erga alia ſimilia feruntur. Cogitant inſtanter quomodo hęc ſeruabunt, quomodo à tinea, vel immunditia, vel ab aliis incōmodis defendent, quomodo ſuo tempore pro melioribus, & politioribus cōmutabunt, & ita his inutilibus curis afficiuntur, vt non minùs illi diſtrahantur neceſſariis, quàm alij ſuperfluis. Quid ſi aliquis ex
D fratribus hæc auferat, aut eis detrimenti tantillum inferat, tam amaris cogitationibus, & tanta ira, & indignatione complentur, ac ſi à fratre illo pater eorum eſſet occiſus. Puerilitas etiam ridicula eò vſque procedit, vt hæc ſibi ad vſum conceſſa abſcondant, ne ab aliquo commodato petantur. Quòd ſi quiſpiam eos hanc aut illam rem habere deprehendat, & ad modicum vſum poſtulet, aut verbis ambiguis (ne dicam mendacibus) ſe protegunt, aut quod ſibi petitur, ſi ſermone occultare non poſſint, procaciter ſe commodaturos negant, aut tanta triſtitia & anxietate commodant, ac ſi vitam ſine illa vili minutia conſeruare non poſſent. Breuiter ſtatum paupertatis elegerunt, vt quieſcerent, & curis rerum terrena-
E rum ſoluti Deo, & propriæ ſaluti vacarent, ſed hoc immoderato erga res ſibi neceſſarias affectu ita poſſeſſi ſunt, vt non minùs, quàm diuites in ſuis opibus curandis occupentur. Diuitibus iuſſum eſt, ne cor ſuum nimio amore diuitiarum inficiant. Nam id ſignificant verba ſancti Dauidis: Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.] *Pſ. 61. 11.* At iſti infœliciores, & ſtultiores, non diuitiis, ſed rebus viliſſimis, & nullius valoris, cor ſuum affigunt, & propter illas, à Deo, & rebus diuinis auocare non metuunt.

Caſſi.col. 4.c.22.

Hos homines pulchre taxat Caſſianus, eorúmque auatitiam, ac prauos affectus ſapienter detegit. Nam illud, inquit, ridiculum qualiter exprimetur, quòd nonnullos poſt illum primæ renunciationis ardorem, quo vel tes familiares, vel opes plurimas, ac militiam ſæculi relinquentes, ſemetipſos ad monaſteria contulerunt, tanto cernimus ſtudio in his, quæ penitus abſcidi non poſſunt, & quæ nequeunt in hoc ordine non haberi, quāuis parua viliaq; ſint, eſſe deuinctos, vt horum cura priſtinarū omniū facultatum ſupeset paſſionem? Quibus profectò non magni proderit, maiores opes ac ſubſtantias contempſiſſe, quia affectus earum, ob quos illæ contemptæ ſunt, in res paruas atque exiguas tranſtulerunt. Nam vitium cupiditatis, & auaritiæ, quod erga ſpecies pretioſas exercere non poſſunt, circa viliores materias retinentes, non abſcidiſſe, ſed commutaſſe ſe probant priſtinam paſſionem. Nam nimia diligentia deuincti erga curam pſiathij, ſportellæ, ſagelli, codicis, mattæ, aliarúmque ſimilium rerum, quamuis viliſſimarum, eadem tamen qua antea libidine detinentur. Quæ etiam tanta æmulatione cuſtodiunt, atque defendunt, vt pro ipſis aduersùs fratrem commoueri, & (quod eſt turpius) etiam litigare non pudeat. In quibus adhuc ægritudine cupiditatis priſtinæ laborantes, hæc eadem, quæ vſus corporis poſſidere monachum, vel neceſſitas cogit, ſecundùm numerum menſurámque communem non ſunt habere contenti, in hoc quoque ſui cordis auaritiam deſignantes, cùm vel ea, quibus vti neceſſe eſt, propenſius ſtudent habere, quàm cæteri, vel excedentes diligentiæ modum peculiariùs ea attentiúſque cuſtodiunt, & ab aliorum contrectatione defendunt, quæ vniuerſis fratribus debent eſſe communia. Quaſi verò differentia tantummodo metallorum, & non ipſa paſſio cupiditatis habeatur in noxa, & pro rebus quidē magnis iraſci nō liceat, pro vilioribus verò hoc ipſum feciſſe ſine culpa ſit, & non idcirco pretioſiores abiecerimus materias, vt faciliùs diſceremus viliora contemnere. Quid enim differt, vtrùm quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas atque magnificas; an erga viliores exerceat ſpecies? niſi quòd in eo reprehenſibilior iudicandus eſt, quòd, qui maxima ſpreuerit, minimis obligetur? Hæc Caſſianus.] Et Marcus eremita cum anima ſua loquens ait: Verùm dices equidem mihi anima chariſſima, Nos aurum in theſaurum non recondere, neque poſſeſſiones habere. Et ego dico tibi, aurum, & poſſeſſiones non nocere, ſed inhærentem affectui abuſum eorum.] Hæc cùm ita ſint, conſtat, ad perfectam paupertatem non ſatis eſſe carere ſuperfluis, niſi etiam in neceſſariis quærendis aut habendis modum teneamus. Inſipientéſque eſſe illos, qui cùm propter animi puritatem maiora reliquerint, cauſa rerum minimarum ac contemptibilium, ad priores redeunt animæ ſordes, & pariter pro paruis atque pro maximis eandem aut ſimilem contrahunt prauitatem.

Marc. eremita in conſult. cum anima ſua.

Qui ergo voluerit ab imperfectionibus iſtorum liberari, non ſolùm ſuperfluorum & inutilium vſum deſerat, verùm & in habendis neceſſariis affectum immoderatum comprimat, & modum debitum teneat. Se hoſpitem in hoc mundo, & cœnobium, in quo habitat, hoſpitium eſſe cognoſcat; & ſicut prudens viator, rebus quidem diuerſorij vtitur, ad eas autem non afficitur, poſt modicum inde tranſiturus: ita & ipſe rebus neceſſariis vtatur, affectum autem eis adhærere non ſinat. Sic fecerunt patres illi, quorum meminit Paulus, qui [iuxta fidem defuncti ſunt, non acceptis repromiſſionibus, cōfitentes quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram.] Abraham

Hebr. 11. 13.

A quidem hoc ſibi nomen impoſuit, qui loquens ad filios: Hæc ait: Aduena, & peregrinus ſum apud vos.] Et Dauid: Aduena ego ſum apud te; & peregrinus ſicut omnes patres mei.] Et ad Iſaac dictum eſt: Quieſce in terra, quam dixero tibi, & peregrinate in ea.] Hi omnes peregrini vocantur, & nos in illis ad peregrinandum inuitamur, vt ſciamus poſſe quidem rebus huius mundi ad neceſſitatem vti, non autem ſecurum eſſe illis affectibus adhærere. Ad id ipſum ſanè hortatur nos Baſilius quodam loco, ſic ſcribens: Sancti autem viri eſt hanc vitam more hoſpitis tranſire, ac ad alteram properare. Ideo & Dauid de ipſa loquitur: [Incola ego ſum, & peregrinus ſicut omnes patres mei.] Incola item fuit Abraham. qui ne terræ quidem veſtigium propriæ poſſedit: ſed B vbi opus ei ſepulchro fuit, id argento mercatus eſt. Ex quo ſanè ſcriptura demonſtrat, quemadmodum in carne viuentem, incolam eſſe oporteat; migrantémq; ex hac vita, in locis propriis requieſcere: quoniam in hac vita alienigenis cohabitat: terram verò corpus in ſepulchro recipientem mercatus eſt. Beatus planè, qui iis, quæ in terra ſunt, non vt propriis ſe addixit, neque iſti ſæculo tamquam naturali ſuæ patriæ acquieuit: quin potiùs grauatur, quòd incolatum hunc caſum nouit eſſe à rebus potioribus, & quaſi proſcriptionis domicilium vitam hanc incolit, perinde atque illi, qui ob quæpiam delicta coguntur iudicum calculis ſolum vertere, relegati in exilium. Rarus inuentus eſt talis, qui præſentibus non vt propriis vacet: diuitiarum vſum fluxum atque fraC gilem ſciat, corporis valetudinem proſperam breui tempore duraturam, poſtremo humanæ gloriæ floridam fœlicitatem, minimè firmā ac ſtabilem eſſe cognuſcat. Hactenus ille] Cuius iudicio rari ſunt, qui res terrenas ſine affectu poſſideant. At (vt ego opinor) eum poſſidentibus eas, id eſt, cum his, qui necdum ſæculo renunciarunt, loquebatur. Nam qui pro obligatione ſui ſtatus, nihil poſſidet, & eò vſque proceſſit, vt reiectis rebus ſuperfluis, neceſſariis duntaxat vti velit, is non putat difficile, ab his paucis quibus ad vitam indiget, ſuum affectum vacuare. Atque adeo multi in noſtro ſtatu inueniuntur, qui res ad vſum neceſſarias ſine immoderantia affectus aſſumant. Experientia enim comperiunt, iucundiorem eſſe rerum temporalium vſum, ſi ab immoderato afD fectu erga eas euellatur. Qui & noſtri corporis imbecillitati prodeſt, & animā curarum aculeis minimè inquietat, & eam ſua imperfectione non fœdat. Iucundius autem eſt fructum rerum ſine his moleſtiis & detrimentis capere, & mente non rebus viliſſimis hærere, ſed in Deo, earum datore, acquieſcere.

Gen. 23. 4. *Pſ. 38. 13.* *Gen. 26. 2.* *Baſil.*

Hos perfectos viros ſponſa referebat, cùm de oculorum pulchritudine ac ſimplicitate laudata eſt. Oculi tui columbarum,] inquit ſponſus ad eam, [abſque eo, quod intrinſecus latet.] Columbarum oculi ſunt admodum lucidi, & innato quodā ſplendore perſpicui; ſunt etiam ſimplices, qui non toruè, aut malitioſè, ſed ſyncerè in res obiectas intendunt. His oculi animæ perfectæ ſunt ſimiles, nam & ſapientia lucent, quia rerum temporalium vilitatem E agnoſcant, & amabili ſynceritate donati ſunt, quia eiſdem rebus tamquam abiectis non hæreant. Et, quemadmodum viator, ſi pontem in via reperiat, eam reſpicit, non vt in illa ſuum habitaculum faciat, ſed vt per illam ſine amnis decurrentis periculo ad ciuitatem perueniat: ita & hæc anima res terrenas reſpicit, non profectò vt in illis amore ſiſtat, ſed vt ad Deum, in quo tamquam in propria manſione pauſaturus ſit, tranſeat. Sanè Richardus Victorinus hunc ſenſum proſequitur. Habet, inquit, talis anima

Cā. 4. 1.

oculos columbarum, quia ſimpliciter intuetur iſta terrena, nec ad hæc deſiderio cupiditatis rapitur, immò modicis contenta eſt: aliena non ambit: non fertur deſiderio ambitionis, vel diuitiarum: vel alicuius delectationis carnalis. Interior mentis ſufficientia placitum aſpectum facit exteriorem: vt circa terrena oculos habeat columbarum, ſicut in cupidis terrenorum appetitus, facit oculos miluorum. Non hanc affligit rerum cura: non vexat amor: non fatigat occupatio; magna quiete & ſecuritate fruitur, dum iſta non quærit, non curat, non concupiſcit. Sicut enim
Iob.7. in Iob legitur. Homo naſcitur ad laborem; auis verò ad volandum.] Quia qui homines ſunt, id eſt, humani; carnales, id eſt, mundanorum deſiderio occupati, laborem habent. Boni verò dum hæc non amant, vel deſiderant, ab horum afflictione euadũt, & auolant. Malis ex cupiditate (quæ eſt radix omnium malorum) labor iſte naſcitur. Boni verò Spiritus ſancti renouatione, & ſubleuatione ad hunc volatum & libertatem naſcuntur.
Iſaia 60. 6. Iſti ſunt, qui vt nubes volant: & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas: quia ad æterna deſiderio ſubleuantur: & ad infima nulla cupiditate feruntur. Hæc ille.] Hoc itaque eſt animam oculos habere columbarum, rebus terrenis affectu non hærere, & earũ vſum ſine nimietate amoris accipere. At id quod ſequitur [abſque eo quod
Greg. ad cant.c.4. intrinſecus latet,] ſecundùm Gregorium, eſt cordis deſiderium purum, illibatum, & in Deo erectum retinere, vt ſic tota pulchra ſit, quæ terrenis non hæret, & cœleſtia concupiſcit: quæ temporalia in tranſitu reſpicit, & in cœleſtibus requieſcit: quæ demum rerum neceſſariarum, quibus pro conditione huius vitæ vtitur, vſum quidem, non amorem admittit.

Vt itaque nos, qui voto paupertatis obligati ſumus, & ad huius virtutis perfectionem aſpiramus, eam tandem conſequi poſſimus, affectum noſtrum à rebus terrenis etiam maximè neceſſariis emundemus.
Cæſarius hom. 23. Vt enim Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus ait: Nihil interdum poſſidere, neceſſitatis eſt; nihil per auaritiam cupere, virtutis. Et ideo hunc ille ſpecialiter modum ponere religioſus debet, vt tantum habeat quantum neceſſitas poſcit. Habendi enim amor, niſi ad integrum reſecetur, ardentior eſt in paruis, & plus torquetur in minimis. Et niſi ex toto corde, & affectu pauper ſis, paupertas ipſa non virtus, ſed miſeria iudicanda eſt. Sic ille.] Vſus rerum admittendus eſt, & cum humilitate, & gratiarum actione ſuſcipiendus: quis enim ſine cibo, ſine potu, ſine veſte, & ſine cella, atque aliis ſimilibus viuere poteſt? at affectus eſt Dei amore ac deſiderio frænandus. Hæc mater noſtra religio benignè miniſtrat: non cum querelis, aut obmurmurationibus, ſed cum affectu gratitudinis accipiantur. Nam ſi fi-
Ioa.6.11. lius ipſe Dei, cuius omnia poſuit pater in manus, pro quinque panibus hordeaceis gratias egit; cur religioſus, cui non panis hordeaceus, ſed triticeus, & interdum ſimilagineus miniſtratur, & non ſimplex eſculentum, & commodum indumentum offertur, ſine gratiarum actione ſuſcipiat? Miniſtrat autem religio hæc, & reliqua neceſſaria ad vſum, non ad amorem: ad adiumentum, non ad impedimentum. Vt ei igitur pareamus, vſus quidem, & iuuamen admittatur, nimius verò affectus ligans, & mentis libertatem impediens, refutetur. Cogitationes noſtræ haudquaquam in his rebus contemptibilibus ponendæ ſunt, ſed in iuſtitia & ſanctitate quam quærimus, collocandæ, cui illæ vt additamẽta tribuentur. Res ſanè temporales, vt alienæ, & nobis commodatæ, diligenter vt durent, & quàm minimùm lædantur, tractan-
Doroth. doct.3. dæ ſunt. Nam iſtud eſt optimum pauperibus Chriſti

A datum documentum Dorothei: Ne quis, inquit, proprijs veſtimentis abutatur: Eſt enim quis, exempli gratia, qui tunicam ſuam queat vnam duas ve hebdòmadas ferre, & abiiciens illam ante id temporis, abluit, & conterit, ita vt cùm per menſes alios quinque, atque ampliùs vtilis eſſe poſſet, crebra lotione eam reddat inutilem. Contra conſcientiam fit hoc. Rurſum extendit quis ad ſolem, vel tunicã, vel opertorium, & negligẽtia & incuria ardere illud permittit, nec eleuat cùm debet, & hoc vtique contra conſcientiam eſt.] Res, inquam, ſolicitè curentur, vt ſeruiant, non tamẽ nimia cura & cordis adhæſione cuſtodiantur, aut pro melioribus commutentur. Nam & hoc reprehendit idem magnus rerũ ſpiritualium magiſter in hæc verba: Cùm contentus eſſe quis poſ- *Idem ib.*
B ſit vnico ceruicali, ſtratũ ampliſſimum quæritat: habens laneum, illud quærit commutare, vt nouum recipiat, vel aliud pulchrius, motus ſuperbia & vanitate. Poteſt item alicui ſatis eſſe culcitra vna, & tapetem quærit, altercatúrque etiam fortè niſi acceperit. Si quis quoque animaduertat fratrem aliquid habere, quo ipſe careat, inuideátque, & murmuret, non eſt hic in via proficiendi.

Res etiam, quæ nobis ad vſum datæ ſunt, vt libri, publicè habeantur, gaudeamúſque ſi ab aliis interdum accipiantur, & cum bona venia noſtra, ab affectu fraternitatis, & amoris, qui omnia hæc facit communia, illis communicentur. Nam de eo quòd aliquis hæc accipiat, triſtari, aſtus eſt diaboli, de quo
C Hugo hæc ait. Et ſæpe aliqui ex paruis & vilibus rebus tanto inardeſcunt deſiderio: vt earum occaſionibus concordiam fratrum ſoleant conturbare. *Hugo ad reg. Aug. c.8.* Quod perſuaſione diabolica fieri dubium non eſt. Callidus enim hoſtis omniũ mores nouit, & qualitates atque eorum affectus diſcernit: & in eo vnumquemq; tentat, in quo ſe magis præualere cognoſcit. Nec curat vtrùm ex magno vel ex paruo decipiat: tantùm vt charitatem fratris corrumpere valeat. Debemus contra hoſtem callidum cauti & vigilantes eſſe: atq; eius laqueos in omni rerum materia præcauere, & omnia terrena, quibus decipere poteſt, animi virtute calcare, vt poſſimus cantare cum Propheta: Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Sic ille.] Has nos aduerſarij tendiculas fugiamus: &, ſi aliquid noſtro vſui applicatum quiſquam fratrum ad momentum acce-
D perit, patienter; immò & gratanter, ferendum eſt: ſi verò id ipſum à nobis poſtulet, libentiſſimè commodemus. Sic illam benedictionem cõſequemur, cuius meminit pſaltes dicens: Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat: diſponet ſermones ſuos in iu- *Pſ.123.7.* dicio, quia in æternũ non cõmouebitur.] Hæc enim verba de paupere Euangelico præcipuè dicta videntur. Nam diues miſeretur, & dono dat, quia habet vnde ſibi, & aliis prouideat, nec eſt opus ſibi vt data repetat. At pauper miſeretur, & commodat, ſiue mutuò dat, quia eo, quod à ſe petitur, indiget, & cùm illud, quod habet, ſuum non ſit, illud donare non poteſt. Hic ergo homo amabilis Deo, & hominibus, ac gratus eſt, quia diuinæ largitatis imitator eſt.] Miſeretur *Pſ.111.1.*
E ille fratris ſui, cùm neceſſitatem eius oculis benignitatis videat, & petitiones eius exaudiat, & ei ſecundùm poſſibilitatem ſuam ſubuenire decernat. Commodat illi quod petit, vel quia mutuò dat ex eo quo ipſe dator indiget, & ſine prælati facultate dare non poteſt, vel quia licèt dono det, ſemper hæc mutui aut commodati ratio intercedit, quòd cum ſpe retributionis æternæ dare diſponit. Et cùm id quod recepturus eſt, nempe præmium æternum, rem datam aut commodatam in infinitum ſuperet, ſine vllo crimine ſanctam quandam vſuram, nullãq; lege vetitã, admit-

tit. Profert ille ſapienter ſermones ſuos,& licèt beneficus ſit in illum,cui ſubuenit, ſe tamen maius beneficium,id eſt,occaſionem miſerendi, ſermone recepiſſe cognoſcit. Ideo numquam à ſpe ſua excidet, ſed quia non ſemel,aut bis,ſed tota die,& quoties ſe *Pſ.36.26* obtulerit occaſio, miſeretur, & commodat, ſemen ipſius,id eſt,multiplex meritum eius dum augetur,in benedictione erit.

Ille ergo religioſus hunc paupertatis gradum aſſecutus eſt, qui ita fuerit neceſſariis contentus, vt eis immoderato affectu non hæreat:qui rerum neceſſariarum ita curã abiiciat: qui ineptas & ſuperfluas earundem rerum cõmutationes fugiat:qui eas, ſi commodè poſſit,fratri petenti non deneget,ſed libenter mutuò concedat:qui denique,ſi abſque eius conſenſu ad tempus tollantur,æquanimiter ferat. Hic gradus magnam ſecum pacem affert,& non paucos,nec leues defectus,ac turbationes abſcindit.

Quintus Gradus Paupertatis, rerum neceſſariarum penuriam pati.

CAPVT VIII.

SATIS rudis (vt mihi quidem videtur) & incipiens erit paupertas, ſi in his gradibus, qui explicati ſunt, ſiſtat: & ad hunc quintum, quem præ manibus habemus, non procedat. Paupertas enim indigentia vocatur, eo quòd pauperem aliquibus indigere faciat.Qui autem ſolùm curat ſuperflua reſecare, & omnibus neceſſariis vult abundare,& nulla re,neque minima indigere,is falsò ſibi nomen pauperis arrogat,& de huius virtutis perfectione ſe iactat.Audeo dicere,neque reges huius ſæculi hoc habent,vt nullo egeant, & ad ſuum ſtatum omnia neceſſaria poſſideant.Neminem illorum videbis,qui nõ à ſubditis tributa exigat, qui non multorum talentorum ſit debitor, qui non, in extraordinariis ſumptibus, quales inſurgente bello fieri ſolent, non ex nobilibus noua auri & argenti adiumenta corradat.Id autem ſæpe facit, non cupiditate theſaurizãdi motus, ſed vera neceſſitate preſſus,& indigentia compulſus.Quòd ſi reges terræ neceſſariis indigent,delicata ſatis,immo & ridicula erit profectò illius religioſi paupertas, qui nullo indigere velit,& omnibus neceſſariis abundare. Qui ſi cibus bene paratus non ſit,aut non abundanter,& ſuo tempore miniſtratus, murmurat:ſi veſtis illi data ſit aliquantulum detrita, conqueritur: ſi in libris, ſi in cellæ ſupellectili aliquid deſit, triſtatur: cuius vox videtur eſſe illa Apollonij Tyanei, qua à diis ſuis petebat: Concedite mihi pauca habere, ſed nullius indigere.Is ſecundùm mundum iſtum ditior erit diuitibus huius ſæculi,nam illi talem paupertatem non auerſarentur, qua nihil illis deficeret,& quidquid in mentem veniſſet, ſtatim haberent.

Paupertas igitur non ſolùm efflagitat,vt ſuperflua & inutilia abiiciamus,vt ſola neceſſaria habeamus,vt his nimio affectu non adhæreamus; verùm & vt aliquando indigere & penuriam pati nouerimus.Cibus pauperum ſemper ſit communis,ab omnibúſque deliciis ſæcularium alienus,& aliquando ſit parcus, qui nos tantillum famis experiri permittat. Veſtis ſit vilis,quam modicis expenſis religio miniſtret,& interdum ſit minùs commoda,quæ in hyeme algere,& in æſtate calorem ſuſtinere faciat. Reliqua ſupellex ſit curta, quæ non ad luxum, & ad deſiderium naturæ corruptæ noſtræ, ſed vix ad neceſſitatem ſufficiat. Quòd ſi nobis omnia abundanter tribuantur, ita vt

A non appareat,in quo indigentiam patiamur,noſtrum erit ea cũ rubore & confuſione ſuſcipere,& nos ipſos tamquã pauperes fictos arguere, & aliqua pro amore paupertatis à nobis ſponte ſubtrahere. Hanc paupertatẽ,quæ indigentiã admittat,in illo ſancto Chriſti collegio,haud dubiè reperiemus. Matthæus enim ait: Abiit Ieſus per ſata ſabbato;diſcipuli autẽ eius *Matth. 12.1.* eſurientes cœperũt vellere ſpicas,& mãducare.]Non erat ſanè nimis abundans illa ſancta domus,cui panis etiam cibarius defuit, & ſpicæ vellendæ fuerunt, & grani manibus permundãdi,vt ad famem depellendam ſufficerent. Huius autem euulſionis ſpicarum cauſam fuiſſe diſcipulorum famẽ,qua premebantur, manifeſtè Dominus patefecit, verbis ſequentibus. [Non legiſtis, inquit, quid fecerit Dauid quãdo eſu- *n. 3.*
B riit,& qui cum eo erant,quando intrauit in domum Dei,& panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere?]Ac ſi diceret,ſicut neceſſitas,& magna eſuries Dauidis, & ſociorum eius, acceptionem, & conſumptionem panum propoſitionũ,licitam fecit: ita & præſens neceſſitas diſcipulorũ meorum euulſionem ſpicarum,atque earum manibus confricationem licitam & ſtudioſam efficit. Hanc paupertatem meritò quidem exaggerat Chryſoſtomus, dum ait: Tu verò abſtinentiam diſcipulorũ mecum admirare: *Chryſoſt. hom. 40. in Matt.* admirare, inquam, quomodo nullã corporis curam, nullum ſtudiũ habeant:ſed ſine præmeditatione aliqua ac præparatione menſam ſibi ſic conſtituunt, vt continua ferè cogantur inedia premi:neque tamen à Chriſto abſcedant:nam niſi malo inediæ nimium vexarentur,numquam certè illud in ſabbato feciſſent.]
C Ille itaque Dominus, [qui dat iumentis eſcam ipſorum,& pullis coruorum inuocantibus eum:] diſci- *Pſ.146.9.* pulorum dilectiſſimorum quaſi obliuiſcebatur,& vel panem hordeaceũ non miniſtrabat, vt diſcerent indigere, & pauperibus Euangelicis formã paupertatis oſtenderent. Qui certè,ſi numquam egeant, ſi numquam famem ex defectu cibi,aut frigus ex attritione indumenti, aut æſtum ex cellæ incommoditate patiantur, vim paupertatis ignorant: quæ non ſecum abundantiam, & rerum affluentiam, ſed indigentiam,ſed penuriam, ſed rerum etiam neceſſariarum carentiam inuoluit.

Paulus etiam Apoſtolatus dignitatem adeptus,diſſimilis eſſe noluit aliis Apoſtolis in affectu paupertatis.
D Ait enim ſe pro Chriſto laboraſſe,& Euangelium *2. Cor.11. 27.* diſſeminaſſe[in labore,& ærumna, in vigiliis multis, in fame,& ſiti,in ieiuniis multis, in frigore, & nuditate.]Hoc namque eſt ſtipẽdium Apoſtolo ſtrenuiſſimo prærogatum à Domino?Hęc curarum vacuitas, vt poſſet ſe totum in miniſterium prædicationis impendere? rerum omnium indigẽtia, qua ad corporis neceſſitates ſubleuandas diſtrahatur? Ita quidẽ,quia non pro mercede terrena, ſed pro cœleſti præmio laborat.Sit illi fames pro cibo,ſitis pro potu, ieiunium pro ſaturitate.Sit illi frigus pro fomento, & nuditas pro glorioſo carnis amictu,quia ſic decet Euãgelicos pauperes vniuerſa terrena vſque ad ſuſtinentiã magnæ indigentiæ cõtemnere,& ſola cœleſtia ſuſpirare. Nec timendũ eſt, quòd fortis animus his neceſſitati-
E bus preſſus à miniſterio verbi auocetur, quia has neceſſitates ſciens, & volens, pro Chriſto elegit, cuius glorioſum aſpectum vt mercedẽ ſolùm expectat, & neceſſaria ad ſuſtentãdam naturã non defutura confidit. Egeat Paulus, & etiam neceſſariis careat, vt his quæ prædicat,teſtimonium ferat.Si enim eum ac prędicatores reliquos viderint homines nihil in hoc mũdo quærere,& alacres inopiã ſuſtinere, propter ſpem futurorum bonorum,& his, quæ ſibi proponuntur, in futura vita euẽturis credent. Vnde Chryſoſtomus *Chryſoſt.*

egregiè ait: Talis eſt luminis virtus, vt non ſolùm luceat, ſed & illuc ducat illos, qui ſequũtur. Cùm enim viderint omnia præſentia nos contemnẽtes, & ad futura præparatos, ante omnem ſermonẽ operibus noſtris credent. Quis enim ita eſt amens, vt videns eum, qui & antè laſciuiebat, & ditabatur, omnia exutum, & ad famem, & inopiam, & durã vitam, ſanguinem, occiſionem, & omnia, quæ videntur periculoſa, præparatum, non manifeſtam accipiat hinc futurorum demonſtrationem? Si autem nos præſentibus implicauerimus, & immiſcuerimus, qualiter poterunt credere, quòd ad poſſeſſionem aliã feſtinemus? Sic ille.] Hæc autem non tantùm illis religioſis congruunt, qui ſalutem animarũ curant: verùm, & cæteris omnibus, licèt ſolitariã vitam agant, quoniã ad illos etiam pertinet, vt teſtes ſint veritatis fidei, & eam aliis prædicent, ſi non verbo, at ſanctæ conuerſationis exemplo. Hæc autem conuerſatio maximè perſuadet, cùm vſque ad ſuſtinentiam indigentiæ, & vſque ad defectum rerum neceſſariarum temporalia contemnit.

Nec Dominus durus eſt in homines, qui à iuſtis ſæculum relinquentibus, talem paupertatem expoſcit: nihil enim ab illis petit, quod non ſibi ipſe priùs acceperit. Nam & eius indigentia magna fuit in infantia, magna in vitæ decurſu, magna in morte ipſa, cui ob dolores irruentes ſolent commoda nonnulla abſque paupertatis iactura concedi. Denique verbũ eius eſt: *Matth. 8.20.* Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis nõ habet vbi caput reclinet.] Neſcio an indigentia vlteriùs progredi poſſit. Cui enim in C terra conſtituto, licèt pauperrimo, licèt ab omnibus derelicto, defuit aliquando lapis, in quo caput ad *Gen. 28. 11.* quietem apponeret? Certè Iacob à domo paterna, & à patria exulans, & fratris indignationem fugiens, in ipſa ſolitudine tulit de lapidibus, qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo dormiuit in eodem loco. At Filius Dei, quanta paupertate noſtri cauſa premeretur expoſuit, dum ſe etiã carere loco, vbi caput reclinaret, edixit. Et nos talem paupertatem ob amorem eius eligemus, vt nullo omnino indigeamus? Et ſtatim atque aliquid defuerit, querulabimur? Et ſtatum pauperum, non ad patiẽdum, ſed ad commodiùs viuendum, aſſumemus? Quis non videat hoc eſſe ſtatu paupertatis abuti, & homines velle decipere, & ſub prætextu paupertatis vitam à moleſtiis alienam quæritare? Eligamus itaque indigentiam, & inopiam, quę ſi- D ne dubio vtilior eſt nobis. Vt enim ait Hugo Victo- *Hugo in reg. c. 5.* rinus, Melius eſt aliquid egeſtatis propter Dominum ſuſtinere, quàm ſuperabundare. Nam egeſtas, quæ propter Dominum eſt, generat humilitatem, quæ eſt initium omniũ bonorum. Abundantia verò parit ſuperbiam; quæ eſt initium omnium malorum. Seruus ergo Dei, vt voluntatem atque appetitum carnis poſſit reprimere, ſemper debet ad minus tẽdere, vt ipſorum alimentorum, & veſtimẽtorum minus velit habere etiam, quã neceſſe ſit. Adiutorem quippe habemus internæ intentionis hunc hominem, quem exteriùs geſtamus: & ſi ipſi inſunt laſciuiæ: ipſi tamen affectus ſuppetunt operationis bonæ. Vnde neceſſe eſt vt interior homo noſter æquus quidem arbiter præ- E ſideat inter ſe, & eum, quem exteriùs geſtauit: quatenus ei homo ſuus exterior, & ſemper ad debitum miniſterium ſeruire ſufficiat, & numquam ſuperbè libera ceruice contradicat.

Vult autem Chriſtus Saluator noſter, vt paupertatem vſque ad defectum rerum neceſſariarum eligamus, non quia durus, aut immitis ſit in nos (vt cœpimus dicere) qui tenerrimè ſuos diligit, ſed qui huius paupertatis miniſterio mira operatur in nobis. Indigentia, & penuria rerum Deus mentem purgat, & ſu- A perflua peccatorum eliminat. Ecce excoxi te, inquit, *Iſaia 48. 10.* ſed non quaſi argẽtum, elegi te in camino paupertatis.] Compunctione excoquit, & peccata delet, & nõ quaſi argentum excoquit, quia non vt digni eramus, afflictione premit, & in camino paupertatis eligit, quia pœnas, quas merebamur, labore paupertatis tollit. *Gregor. hom. 40. in Euãg.* Vnde Gregorius de diuite epulone illo, & Lazaro mendico ſic ſcribit: Si qui eſtis, qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepiſtis, ipſum, vt ita dicam, donum exterius pertimeſcere debetis: ne vobis pro quorundam veſtrorum actuum recompenſatione ſit datum: ne iudex qui hic bona exteriora reſtituit, à retributione boni intimi repellat: ne honor hic, vel diuitiæ, non adiumẽtum virtutis, ſed remuneratio ſint laboris. *Luc. 16. 25.* Ecce enim dum dicitur [recepiſti bona in vita tua:] indicatur & diues iſte boni aliquid habuiſſe, ex quo in hac vita bona receperit. Rurſùmque dum de Lazaro dicitur, quia recepit mala: profectò monſtratur & Lazarus habuiſſe malũ aliquod, quod purgaret. Sed mala Lazari purgauit ignis inopiæ, & bona diuitis remunerauit fœlicitas tranſeuntis vitæ. Illum paupertas afflixit, & terſit, iſtum abundantia remunerauit, & repulit. Quicumque ergo bona in hoc ſæculo habetis, cùm vos bona egiſſe recolitis, valde de ipſis pertimeſcite, ne conceſſa vobis proſperitas eorundem remuneratio ſit bonorum. Et cùm quoſlibet pauperes nõnulla reprehẽſibilia perpetrare conſpicitis, nolite deſpicere, nolite deſperare, quia fortaſſe quos ſuperfluitas tenuiſſimæ prauitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. De vobis omni mo- C do pertimeſcite: quia nonnulla etiam malè acta, proſpera vita ſecuta eſt. De illis verò ſollicitè penſate, quia eorum vitam etiam magiſtra paupertas cruciat, quouſque ad vitæ rectitudinem perducat.] Nemo (vt credo) diffitebitur, quia habet multas culpas, quas purget, multas pœnas, quas ſoluat, dicente Apoſtolo Ioanne: *1. Ioan. 1. 8.* Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.] Has autem, & illas nõ tollet nomen paupertatis, ſed res. Nomẽ vacuum eſt illa paupertas, quæ abundantiam quærit, & nullam indigentiam ſuſtinet. Res verò paupertatis, eſt, inopiam & penuriam rerum, quibus egebamus, amplecti. Hanc diligamus, ſi cupimus à peccatis noſtris paupertatis igne purgari.

Mala quidem tollit iſta paupertas, qua indigẽtiam D & abſentiam aliquarum rerum, quæ opus erant, experimur, nec ſolùm hoc, verùm, & exercitationem, & augmentum, & perfectionem virtutum confert. Inopia hæc voluntariè ſuſcepta virtutes exercet, nam ad rerum deſpicientiam prouocat, humilitatem infert, & patientiam examinat, ſine qua, audeo dicere, nulla virtus ſecura perſiſtit. Nam verba ſunt Ambro- *Ambr. 1. offic.* ſij. Non poteſt quis præmium accipere, niſi legitimè certauerit; nec glorioſa victoria eſt, vbi non fuerint laborioſa certamina.] Qui igitur certamina virtutum patientia non vicerit, non poterit victoria coronari. At, quæ patientia erit, vbi nihil eſt penuriæ, nihil afflictionis, quod ſufferatur? Certè ſi omnia affluunt, & ad votum abundant, non apparet, in quo paupertas, quæ nullo indiget, aut patientia, quæ nihil ſuſti- E net, magnum aliquod præmiũ conſequatur. Virtutes etiam auget iſta paupertas, dum occaſiones vitiorum abſcindit. *Hierony. epiſt. ad Paulin.* Et ideo Crates Thebanus, authore Hieronymo, cùm eſſet ditiſſimus, & Philoſophiæ diſcendæ cauſa Athenas pergeret, magnum auri pondus, quod poſſidebat, abiecit, exiſtimans videlicet ſe non poſſe ſimul diuitias & virtutes poſſidere. Simile autem eſt, diuitias retinere, & abundantiam in omnibus quærere, & omnem indigentiam inſeparabilẽ paupertatis comitem auerſari. Si autem tu poſt arreptum ſanctæ

religionis propoſitū, & poſt abiectas diuitias, abundantiam concupiſcis, & penuriā horres, tibi ipſi ſtatum perfectionis habenti cōtradicis. Nam hic ſtatus nuditatem, aut vacuitatē à terrenis affectibus profitetur, tu verò plenitudinem diligis, & deſiderio, vt nihil tibi omnino deſit, inquiris. Ab hac demum indigentia in ſtatu noſtro virtutum perfectio depēdet. Sæpéque vidimus pauperiores, & voluntate indigentiores, & ſibi ipſis parcè neceſſaria tribuentes, aliis, qui abundantiam quærunt, mentis munditie & virtutum augmento præcellere. Nec mirum, nam illi expeditiores ſunt ad currendam perfectionis viam, hi verò quaſi ſuorum deſideriorum cōpedibus vincti, ne valeant liberè per viam arctā & cliuoſam incedere. Atque adeò iure optimo Vincentius Ferrarienſis perfectionis documenta ab hac paupertate, quæ indigentiam ſuſtinere ſciat, orſus eſt, quia videlicet ipſa curis terrenis liberat, vt vna præcipua cura ſanctè viuendi nos teneat. Oportet, inquit, primitus, vt qui vult ſanctus eſſe, & animabus prodeſſe, omnia terrena contemnat, & velut ſtercora reputet, & ſolùm diſtrictiſſimè ad neceſſitatē de ipſis recipiat: quam neceſſitatem in pauco colligat, ſufferendo etiam quædam incommoda propter paupertatis amorem, ſicut quidam ait: Scio quòd laudabile nō eſt pauperem eſſe, ſed in paupertate paupertatem amare, & paupertatis inopiam propter Chriſtum gaudenter & hilariter ſuſtinere: Et ſtatim ſubdit: Proh dolor! multi de paupertatis ſolo nomine gloriantur. Sed quo pacto? vt eis nihil deſit. Dicunt ſe amicos paupertatis, ſed paupertatis amicos & ſodales fugiunt ſuo poſſe, famem, ſitim, contēptum, deſpectionem. Sic ille.] Ego autem addo, quòd ſatis hi conuincuntur paupertatem non amare. Nam qui amicum diligit, omnia eius diligit, & qui virtutem paupertatis amat, eius actus odiſſe non poteſt.

Vincent. tract. de vita ſpir. c.1.

At quibus ad hunc gradum aſcendendum incitaberis? His, vt opinor. Primò, quòd natura pauciſſimis contenta eſt, & multa neceſſaria petamus, quæ dum ex parte, aut omnino deficiunt, ſine illis nos commodè & lætè victitare comperimus. Secundò, quòd multi ex fratribus noſtris nobiliores, & delicatiores aliqua incōmoda propter Chriſtum ſentiunt, & ſua patientia cœlum mercantur. Vnde erubeſcendū eſſet nobis, ſi nihil incommodi ſuſtineremus, quo augmentum cœleſtis præmij mercaremur. Tertiò, quòd multi in ſæculo etiam poſt magnam abundantiā ad extremam inopiā redacti ſunt, & euentibus cogentibus non ſolùm neceſſariis carent, ſed penè ob defectum cibi, & potus, ad ianuas mortis accedūt. Illi ſine fructu tanta patiuntur, quia non voluntariè, nec propter Deum illis incōmodis ſe ſubiecerunt, quid multum ſi nos propter perfectionē, & regnum cœlorum aliquibus careamus, & nonnihil indigentiæ ſuſtentemus? Quartò, Deus pauperes ſuos, qui propter ipſum egere volunt, bonis ſpiritualibus ditat; & ſecundùm multitudinem incommodorum meorum opes tuæ, Domine, quibus tuos amicos ditas, impleuerunt animam meam. Quintò, dum Chriſtus à te aliqua neceſſaria tolli permittit, ipſe tibi ſe libenter aſſociat, vt tuam indigentiam ſuppleat, iuxta illud Iſaiæ: Dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam breuem, & non faciet auolare à te vltrà doctorem tuum.] Sed dum nec cibum, nec potum, nec reliqua ad ſufficiētiam habes, Chriſti ſocietate, qui melior eſt tibi quàm omnes diuitiæ mundi, perfrueris. Sextò denique: Magna atque ineffabilis conſolatio parata eſt indigentiā aliquā pro Chriſto patientibus. In cuius rei typo dictum eſt diuiti epuloni: Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc verò hic conſolatur, tu verò cruciaris. Nec tota conſolatio in futuram vitam ſeruata eſt, ſed multum refrigerij in vita præſenti indigentiam patientibus datur. Sicut enim tres pueri in fornacem ignis ardentis coniecti, cœleſti cōſolatione repleti ſunt, adeò vt præ lætitia in Dei laudē prorumperent: ita & pauperes Euāgelici in camino paupertatis poſiti, ingentē exultationē cœlitùs demiſſam accipiunt. Quam rem magnificis verbis exponit Chryſoſtomus in hunc modū: Conſideremus nouū quiddā atq; mirabile, hominē in fornace gratias ſuppliciter agentē: hominē in fornace dulci modulatione cantantē: hominē in extrema inopia colligatū, & plurimā tamen Deo gloriam, laudéſque referentem. Illis ſiquidem pueris inueniuntur æquales, quotquot paupertatē cum gratiarū actione patiūtur. Eſt enim terribilior paupertas igne, & ampliùs ferire conſueuit. Verùm vt illos nō adusſit ignis, ſed quoniā gratias Domino retulerūt, etiam vincula eorum continuò diſſoluta ſunt: Sic etiā tibi, ſi paupertatem cum gratiarum actione ſuſtinueris, vincula reſoluuntur, & ignis extinguitur. Si verò non extinguatur, multò maiori miraculo fontis naturam ignis imitabitur, quod in his certè conſpici poteſt, qui iuxta Euangelium philoſophantur, quiq; libentiùs in paupertate, quàm in ſuis opibus diuites, gloriantur. Nam & tunc illi, qui in ardenti fornace conſtiterant, puriſſimo rore fruebantur: & licèt non fuerit ignis extinctus, in medio ſui tamen ſtantes, omnino non attigit. Hactenus ille.] Si autem Deus pauperes non ſolum ſtatu, ſed experimento, qui ſcilicet indigentiam neceſſariorū patiuntur, ita multiplicat, ita protegit, ac conſolatur, æquum eſt, vt qui ſtatu pauperes Euangelici ſumus, experientia quoq; pauperes ſimus, & libenter penuriā & incommoda patiamur.

Iſaiæ 30. 20.

Lucæ 16. 25.

Chryſoſt. homil. 4. in Matt.

Sextus Gradus Paupertatis, in ægritudinibus paucis contentum eſſe.

CAPVT IX.

AD hunc gradum paupertatis ponendum, & illum à præcedente diſtinguendum, nos authoritas Bonau. compellit, qui iſtū gradus huius virtutis enumerās, ab illo priori diſtinguit. Sic enim ait: Altus gradus paupertatis eſt, nolle habere certū hoſpitium, ſicut Chriſto non fuit locus in diuerſorio. Altior, non habere certū victū, & veſtitū tempore ſanitatis. Altiſſimus, nolle habere certū victū & veſtitū tempore infirmitatis. In hoc vltimo gradu fuit Chriſtus, cùm nō habuit vbi caput ſuum reclinaret, nec hauſtū aquæ, nec veſtem, ſed nudus ante crucem ſtetit.] Cogit & maior difficultatis ratio. Nam difficile eſt, cùm quis bene valet, & ſanus, ac robuſtus eſt, indigentiā amare; multò autem difficiliùs, cùm ægrotus eſt, & imbecillus, penuriā atque inopiam amplecti. Cogit denique quotidianū experimentum. Nam vidimus non ſemel viros ſpirituales, & religioſos, tempore bonæ valetudinis ſatis conſtanter à ſeipſis etiam neceſſaria abſtuliſſe, vt propter Dominum aliquā indigentiam paterentur: qui tamen infirmitate probati, neſcierunt nec minimam indigentiam ſine mœrore, & impatientia ſuſtinere. Ac proinde cùm hæc duo ſeiuncta, ſeparatáque inueniantur, non incongruè ad duos paupertatis gradus pertinere dicuntur.

Bonauen. tract. de gradibus virtutū. ca.8. to. 1. opuſc.

In hoc autem gradu certè cum timore & reuerentia loquimur: nā viros ſpirituales, & Deo cōſecratos, in infirmitate & afflictione poſitos nollemus cōſtringere, immo fouere, conſolari, & illis modis omnibus indulgere. Genus quippe crudelitatis eſt, afflictū affligere, & deſolatū anguſtare, de quo conqueſtus eſt aliquando Dauid, dicens ad Dominum: Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem

Pſ. 68. 27

vulnerum meorum addiderunt. Huiúſque crudeli-
tatis illi amici Iob notati ſunt, qui iuſtum virum gra-
uiſſima calamitate percuſſum, ita verbis, & increpa-
tionibus retigerunt, vt coactus fuerit pro ſeipſo cau-
ſam dicere, & ſuam innocentiam propalare. Nec-
non & cognati Tobiæ in eundem ſcopulum impe-
gerunt. Nam ſicut beato Iob inſultabant reges, ita
iſti parentes, & cognati eius, irridebant vitam eius,
Tobiæ 1. 16. dicentes: Vbi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas
& ſepulturas faciebas?] Si autem iniquum eſt,
vnum virum iuſtum perſequi, an æquum erit, & ex-
cuſatione dignum, omnes viros iuſtos, & ſpirituales,
in preſſura conſtitutos, nouis legibus, quas num-
quam nec digito tetigimus, coangustare?

At illud ad hunc gradum ſcribendum nos ani-
mat, quòd nullo modo intendimus, huiuſmodi vi-
ros ægrotantes affligere, quos tenero amore com-
plectimur, & magna reuerentia ſuſpicimus, ſed eos
bene valentes & robuſtos alloquimur, & viam eis
aperimus, qua cum magno merito ſuo, ſi infirmati
fuerint, nonnihil ſeipſos conſtringant. Ad religio-
ſos ergo ſanos, & poſtea infirmos futuros, nobis ſer-
mo eſt, nõ ad prælatos, aut infirmarios eorũ, qui de-
bent eis cum ardentiſſima charitate ad votum mi-
niſtrare, & largiſſimè, quantum religioſa diſciplina
tulerit, neceſſaria præbere. In quo prælati negli-
gentes, & miniſtri proterui, qui ægrotis Deo dile-
ctis debitam commoditatem negant, & eos ad im-
patientiam prouocant, non leuiter peccant, & de ſua
immiſericordia aliquando rationem reddent, & for-
tè commutatis vicibus cùm in ordinem redigentur,
ipſi à prælatis ſuis duriter tractabuntur, &, permitten-
te Deo, ad vindictam puſillorum, non tantùm com-
modis, ſed neceſſariis carebunt. Cuſtodiant ergo
regulam Beati Benedicti, quam omnes familiæ reli-
gioſæ, ſi non eiſdem verbis, at ſubſtantia ſuſcipiunt,
Bened. B. in reg. ca. 36. quæ ita habet. Infirmorum cura ante omnia, & ſuper
omnia, adhibenda eſt: vt ſicut re vera Chriſto, ita eis
Matt. 25. 36. 40. ſeruiatur, quia ipſe dixit: Infirmus fui, & viſita-
ſtis me. Et quod feciſtis vni de his minimis meis,
Hugo ad reg. Aug c. 5. mihi feciſtis.] Meminerint illius ſententiæ Hugo-
nis Victorini, aſſerentis: In hac recreatione fratrum
non debet eſſe acceptio perſonarum: non debet
contemni humillima paupertas in his, quæ poſtu-
lat humana neceſſitas, cùm hoc eis tribuat recens
ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo. Qui
enim miſericors eſt in alium, Deus miſericors eſt in
Matth. 5. 7. illum. Vnde ipſe ait: Beati miſericordes, quo-
niam ipſi miſericordiam conſequentur. Beatus
1. Ioan. 3. 17. quoque Ioannes dicit: Qui viderit fratrem ſuum
neceſſitatem habere, & clauſerit ab eo viſcera ſua:
quomodo charitas Dei manet in eo?] Si ergo chari-
tatem Dei volumus habere, debemus in fratribus no-
ſtris miſericordiæ opera exercere. Quod cùm agi-
mus, proculdubio ei ſeruimus, qui electis ſuis di-
Matth. 25. 35. cturus eſt in iudicio: Infirmus fui, & viſitaſtis me;
eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c. his ſimilia:
Quibus merces inde impenditur, cùm dicitur:
n. 34. Percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origi-
ne mundi. Cùm ergo fratribus noſtris propter Deum
ſeruimus, ipſum regnum cœlorum requirimus. Etſi
opera ſunt tranſitoria: merces tamen manet æter-
na. Sic ille.]

Profectò paupertatem commendamus, cùm præ-
latos, & alios ægrotorum miniſtros ad curam maxi-
mam ægrotis adhibendam allicimus, quoniam (vt
inferiùs dicimus) magna occaſio eneruandæ ſan-
ctæ paupertatis religioſis datur, niſi illis neceſſaria
ſemper, ſed præcipuè in ægritudinibus, miniſtrentur.
Nam ſic aperitur ianua petendi à ſæcularibus non ſo-

A lùm neceſſaria (quod minus malum eſſet) ſed etiam
inutilia & ſuperflua (quod eſt intolerabile) ex quo &
ipſis ſcandalum & contemptus religioſorum genera-
tur, & ipſis petentibus introitus ad deteſtandã pro-
prietatem offertur. Prælati ergo paſtores ſubditorum
vocati ſunt, vt ſecundùm conſuetudinem boni pa-
ſtoris, oues infirmæ & imbecillæ neceſſaria prouideãt.
Ne voce ſummi paſtoris increpentur, dicentis: Quod *Ezechiel 34. 4.*
infirmum fuit, non conſolidaſtis; & quod ægrotum,
non ſanaſtis; quod confractum eſt, non alligaſtis.]
Vocantur & medici, vt ſciant, quia non eſt opus va- *Matt. 9. 12.*
lentibus medicus, ſed malè habentibus, hóſque de-
bent neceſſariis fomentis adiuuare. Ac tandem di-
cuntur matres, vt viſcera matris erga filios ægrotos
induant, & non tam verbis eos, quàm operibus, &
B delatis obſequiis conſolentur. Sicque accipiant
eam benedictionem Eccleſiaſtici: Eſto pupillis mi- *Eccl. 4. 10.*
ſericors vt pater, & pro viro, matri illorum: & eris
tu velut filius Altiſſimi obediens, & miſerebitur tui
magis, quàm mater. Meminerit itaque prælatus, reli-
gioſos, quibus præeſt, reliquiſſe ſua, de quibus ſibi
poterant ſubuenire: reliquiſſe ſuos, à quibus poterant
adiuuari: reliquiſſe ſemetipſos, qui poterant, & iam
non valent, ſuis neceſſitatibus prouidere. Ipſe autem
in locum omnium iſtorum à Domino ſubſtitutus
eſt, ad quem pertinet propinquum, immo & patrem
eſſe ægroti, illi neceſſaria dare, & quaſi ſibi ipſi, ita
& ſubdito miſereri. Chriſtum, cuius vicem gerit,
imitetur, qui erga infirmos & ægros benigniſſimè ſe
geſſit. Non legimus de eo in Euangelio, quòd nu-
C dos veſtierit; hoſpites exceperit; incarceratos viſi-
tauerit; mortuos ſepelierit: at legimus ſæpiſſimè,
quòd ægros curauerit. Et virtus Domini, inquit *Luca 5. 17.*
Lucas, ad ſanandum eos.] Et Matthæus: Circui-
bat ſanans omnem languorem, & omnem infirmi- *Matt. 4. 23.*
tatem in populo.] Et Marcus: Multos ſanabat, *Marci 3. 10.*
ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent, quotquot
habebant plagas.] Et in Actis: Pertranſiit bene- *Actor. 10. 38.*
faciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.
Infirmos benigniſſimè alloquebatur, infirmos ſer-
mone roborabat, manu tangebat, in ſpem erigebat,
& ſalutem deſideratam reſtituebat. Hunc paſto-
rum paſtorem ſequantur prælati, & ita ſuauiter, &
prouidè, & diligenter erga infirmos ſe habeant, vt in
eis ſubditi Chriſti charitatem agnoſcant.

D Quia tamen prælati omnia, quibus infirmi opus
habent, per ſeipſos præſtare non poſſunt, eos infir-
mis curandis præficiant, de quorum induſtria &
charitate confidant. Hi conſiderent, ſe in fratre in-
firmo non tam ipſi, quàm Chriſto ſeruire, cuius erit
hæc vox: Infirmus eram, & viſitaſtis me. Si Chri- *Matth. 25. 36.*
ſtum in lecto decumbentem haberent, quanto amo-
re, & teneritudine, & diligentia illi miniſtrarent?
Sed ipſi profectò in fratre miniſtrant, ipſéque gra-
tum habet quidquid in fratrem ægrum obſequij
confertur. Animaduertant illum fratrem eſſe, quod
quidem nomen magnam beneuolentiam, & ſeduli-
tatem in adiuuando requirit. Ac tandem ma-
gnam mercedem paratam eſſe ei, qui ægrotorum
importunitates tulerit, & eis patienter & manſuetè
E ſeruierit.

Hæc omnia ad leniendum hunc gradum pauper-
tatis dicta ſunt, quem religioſis ægrotis proponimus,
quem etiam non putabunt nimis inſulſum, ſi ſe ſta-
tum pœnitentiæ, & paupertatis arripuiſſe conſpexe-
rint. Aliter ipſi quàm ſæculares, & quàm diuites, ſa-
nitatem ſui corporis curent, quia nec ſæculares ſunt,
nec diuites: & vna, & quidem ingens huius mundi
peruerſio eſt, ſi res vnius ſtatus in alium inuehamus,
& pauperes, more diuitum, expenſas & ſumptus

facere

facere in animum induxerimus. Sed ad particularia deſcendendum eſt. Vir ergo ſpiritualis, & paupertatis amator, cùm ægrotare cœperit, communem medicum, qui reliquis cœnobij religioſis medetur, ex conſenſu prælati accerſat, & alium ſuo arbitratu doctiorem non quærat, & multo minùs turbam medicorum admittat. Abſurdum eſt namque, & valde ridiculum, ſi fratrem meum in valetudinario, vel in proxima cella decumbentem, quin & grauiùs ægrotantem, quia non eſt tam litteratus, aut ſecundùm ſæculum nobilis, aut quia eſt religioſior, & minùs ſæcularibus adulatur, vnus tantùm medicus inuiſat, me autem leuiter ægrotantem duo medici præcipui, aut plures viſitent, acſi ex mea ſalute tota religionis, immo & alicuius regni ſalus penderet. Cùm ægritudo periculoſa eſt, & quaſi euaginatu gladio vitam inuadit, ad prouidentiam, & amorem prælati ſpectat, communi medico totius cœnobij alium peritum adiungere, vt duorum, vel plurium (ſi neceſſe fuerit) induſtriâ ægro ſalus procuretur, at ipſe ægrotus ſi ſpiritum paupertatis habet, taceat oportet, & curam ſuæ ſalutis in prælatum paterna cura ſolicitatum reiiciat. At quacumque infirmitate pulſatum communis medici peritiam ſpernere, & alios non ſine aliorum triſtitia, & ſcandalo aduocare, animi eſt, aut ſuperbi, & ſe ipſum nimiùm amantis, aut paupertatem, quam profeſſus eſt, minimè diligentis. Præceptum eſt Domini apud Bernardum; vide vt curam corporis facias, ſed non in deſideriis, ſic enim expedit infirmitati eius.] Qui autẽ ab initio ægritudinis extraordinariũ medicum vocat, indicium præbet quòd non ad neceſſitatem tantùm, ſed ad inane deſiderium ſuum remedia pellendæ infirmitatis inquirit.

Bern. diſput. inſti cum Deo.

Tempore etiam ægritudinis, religioſus pauper communia medicamenta, & quæ facilè parari poſſunt, & conſueta ſunt, cum gratiarum actione ſuſcipiat, ſingularia, & pretioſa, & apparatu aut inuentu difficilia, non petat, nec exquirat. Si enim pauper ſæculi, hæc non auderet poſcere, cur ſpiritu pauper, propter dominum; & voluntate mendicus, propter regnum cœlorum, ac ſi eſſet homo ditiſſimus, pretioſa, & vix inuenta medicamina audeat poſtulare? Cùm viro cuidam religioſiſſimo, & doctiſſimo, noſtri temporis, remedium quoddam ſatis acerbum ad recuperandam ſanitatem præſcriberetur, cúmque nollet illud admittere, rogantibus ſcitè reſpondit: Non eſt tanto dolore digna ſalus.] Sic ſpiritualis religioſus ægrotás ſibi ipſi dicat; Non eſt tantis ſumptibus, nec tanta diligentia digna pauperis ſalus. Si ſibi quidem pretioſa ex Obedientia miniſtrentur, accipere non recuſet. at ſi non miniſtrentur, tanquam ille, qui paupertatem vouit, ea petere nequaquam in animũ inducat. Huius documenti Baſilium habemos authorẽ. Sic vbi iuſſi ſumus, inquit, in terram, de qua ſumpti eramus, denuo reuerti, & doloriſicæ carni, morti propter peccatum addictę ac propterea huiuſcemodi morbis ſubiectæ aptati ſumus, datum nobis medicinæ remediũ eſt, quo (adhibita tamẽ ea, quam adhiberi par eſt, moderatione) aduersùm ægros vteremur. Neq; enim fortuitò ortæ de terra herbæ ſunt, ad ſingula morborum genera accommodatæ, ſed nimirum ex ſupremi opificis voluntate editæ ſunt. Eo conſilio, vt iis nos ad vtilitatẽ noſtram vti poſſemus. Quocirca ea quidẽ, quæ in radicibus, floribúſve, aut foliis, aut fructibus aut ſuccis, naturalis vis ineſt, aut quodcũque etiam ex metallis, maríve aliquid ad corporis noſtri vſum appoſitum habere inuentum ſit, ea omnia earum rerum inuentioni ſimilia iudicari debent, quibus in cibo potionéque vti conſueuimus. At in quibus exquirendis curioſa quædam & anxia nimis ſolertia, curáque, eſt opus, quæque magnas nobis moleſtias quaſdam concilіant, ac quaſi vitam noſtram in corporis curatione implicatam tenent, ea à Chriſtianis hominibus funditus repudianda ſunt, dandáque nobis ſtudioſè opera eſt, vt huiuſmodi arte (ſi quando res poſtulet) ita vtamur, vt nullo modo omnem ei aut proſperæ, aut aduerſæ valetudinis cauſam aſſignemus, ſed vt ad gloriam Dei, & formulam quandam, qua nos in animorum noſtrorum curatione vti oporteat, ita ſalutaria ab ea corpori noſtro ſubſidia petamus. Sic ille.

Baſilius reg. 55. fuſ. diſp.

Et ſanè hoc nõ erit difficile ei, qui ſe, & ſua diuinæ prouidentiæ commiſerit, quíque ſibi perſuaſerit, Dominum ſæpiſſime rebus communibus, non minùs efficaciter quàm medicaminibus ſingularibus ſanitatẽ corpori præſtitiſſe, aut ſaltem ei, cui non ſuppetunt, omnino non conuenire, vt ſanitatem corporis aſſequatur, de quo egregiè hæc inquit Dorotheus. At dicet fortaſſe aliquis: Quo pacto poſſum non turbari cùm vlla mihi res opus eſt, nec eam accipio? At neq; ex hoc potes quempiã accuſare, vel turbari cum ratione. Nam quicumque re vlla opus habet, nec eam accipit, debet in ſe ipſo dicere: Nouit Chriſtus Dominus quid mihi opus ſit, fiat igitur ipſe mihi huiuſce rei, vel cibi loco. Filij enim Iſraël manducauerũt mãnam in deſerto annos quadraginta. Fuítque ſpecies vnica mannæ, vnicuique facta eſt, vt illã quiuis optabat, & opus habebat. Nam cui acredine & ſalſedine opus erat, amara, & ſalſa facta eſt, cui dulcedine, dulcis, conueniens ad quamlibet commiſtionẽ. Sic igitur cùm alicui opus fuerit ouo, acceperit tantùm oluſcula, dicat ſibi ipſi, ſi mihi ouum expedierit, illud potens eſt Dominus mittere: Vel potentior olera in ouum conuertere, credátque Deo, quoniam hoc ſibi fiet in martyrium. Si quis quoque quiete dignus fuerit, & otio, certus ſit facturum cum eo Deum miſericordiam prout opus fuerit. Quòd ſi quiete indignus fuerit, vel inutile ei quieſcere, ſi nouum conderet cœlum, nouam terram, requiem nunquam conſequeretur. Ex quo fit vt alius præter neceſſitatem ſuam plerumque habeat, alius multis egeat, quoniã Deus miſericors vnicuiq; neceſſaria impertiuit. Cumque alij dederit præter neceſſitatem, hinc oſtendit humanitatis ſuę magnitudinem, docétque vt gratias agat. Cùm autem alteri non præſtat, quod videtur neceſſarium, hac ratione facit, vt oſtendat hæc non adeo neceſſaria eſſe, doceátque pati, & in cũctis ad ſuperiora proſpectum noſtrum intendere. Hactenus Dorotheus.] Ad hoc etiam incitare debet opus ipſum Domini, quo rebus communibus, aut vilibus ſanitatem corporis impertitus eſt. Iſaias ex imperio Domini Ezechiam regem maſſa ficorum curauit. Et ipſe Filius Dei, luto ex ſputo ac terra facto viſum cæco à natiuitate, luménque reſtituit. Quid communius maſſa ficorum? Quid vilius luto? Sed his communibus & abiectis dat Dominus ſanitatem corpori, vt eam à communibus, & conſuetis remediis quæramus, & ſingularia ac inuentu difficilia, aut nimis pretioſa non deſideremus. Et (vt nobis videtur) ad ſuauitatem & prouidentiam Domini pertinebat vim ſanandi corporis in rebus communibus, & paratu facilibus collocare, vt quemadmodum corpus ſanum, communibus alimentis ſuſtentat, ita & corpus ægrum communibus medicamentis reficeret. Atque adeo homini pauperi non ſunt quærenda rara, & pretioſa, vt ſanitatem conſequatur, quæ ſæpe communioribus vtiliora non ſunt, ſed raritas eorum, & pretioſitas facit, vt efficaciora iudicentur. Et eſto quòd efficaciora eſſent ad ſalutem afferendam, cùm corporis ſanitas, vt optimè anno-

4. Reg. 20. 7. Ioan. 9. 6.

Baſil. ſupra.

tauit Baſilius, non tam ex medicaminibus, quàm ex Dei voluntate dependeat, fidendum eſt illi, firmitérque ſperandum, quòd (ſi oportuerit) eis medicaminibus, quibus cæteri religioſi curantur, ſalutem dabit, ſi autem non oportuerit, non tantùm pretioſiſſima medicamenta, verùm nec totus mundus ad dandam ſanitatem ſufficiet.

Eſt etiam aliquid, quod pauper Euangelicus, cùm ægrotat, in cibis ſumendis obſeruet. Nam licèt illi pro conditione ægritudinis delicatiores & ſuauiores eſſe debeant, tamen quantum fieri poſſit, in domibus ſæcularium condiri, aut parari non debent. Idque non erit difficile, ſi prælatus ſui muneris non immemor, ægrotis congrua alimenta & delicata præbeat, atque in cœnobio aptè condiri faciat. Pauper autem ſicut in medicamentis, ita & in alimentis exquiſita non petat, & in indulgentia ſui corporis modum teneat, & quod ſibi datum fuerit, cum humilitate & gratiarum actione ſuſcipiat. Si aliquid petierit, non iubens vt herus, aut dominus aliorum, ſed rogans vt pauper, qui ſtipem expectat, poſtulare aſſueſcat. Si ſibi negatum fuerit, aut quia domi non inuenitur, aut quia non eſt pretium, quo ematur (quod rariſſimè continget) aut quia non eſt conueniens ægritudini, quam patitur, vt ſibi detur, patienter, & ſine vlla iræ aut triſtitiæ ſignificatione ſuſtineat. Pauperes namque ſolent frequenter eleemoſynam petere, & ſubinde repulſam pati, &, ſi prudentes ſint, quia non eſt debita, didicerunt non indignari. Hoc autem multo accuratiùs religioſus faciat neceſſe eſt, qui ſponte ſe paupertati ſubdidit, & indigentiæ ſubiecit, vt in perpetuum apud Dominum cœleſtibus diuitiis afflueret.

Si autem hæc tam ſeuera, ſancta paupertas ab ægrotis exigit, qui lecto decumbunt: quid à valetudinariis exiget, qui ſemper è lecto ſurgunt, & mitioribus malis premuntur? Hi ſi paupertatem amant, & ſororem eius indigentiam, paulò ſeueriùs ſecum agent. Quotidie medicum non aduocent, nec importunè interrogent, ſed ſemel ex eo ſciant quomodo ſuæ fractæ valetudini, vtcumque ſubueniant. Multitudinem medicamentorum non ſumant, quę ſine dubio plus ſaluti nocent, quàm proſunt, ſed facili aliquo remedio imbecillitatem tueantur. Hæc remedia (quod conſilium Bonauenturæ eſt) non in cella omnibus expoſita, ſed occulta habeant, ne alij apprehenſione fallaci ducti, eadem ſibi neceſſaria iudicent, & illis vti incipiant. Quantum fieri poterit, non ſolùm communitatem ſequantur, verùm & communibus cibis aliorum ſe accommodent, aut ſaltem verbis, & operibus, prout fuerit poſſibile, id ſibi gratiſſimum futurum eſſe demonſtrent. Expertum credat, has modicas inualetudines non tam lautitia ciborum, & eſculentorum, quàm diſcreta abſtinentia, & menſura in cibo & potu ſeruata, curari. Ad quod hæc notanda ſunt quæ de Beato Fulgentio in ægritudine conſtituto, ſcripta ſunt: *Surius in Ianuario.* Ille verò contra ſpem omnium, miſericordiæ Dei præuenientis auxilio gubernante, ex infirmitate corporis ampliores vires animi capiebat: & tanto abſtinentior quanto debilior, de ſalute perpetua cogitabat, ſalutem verò corporis arbitrio Domini committebat, hoc pleriſque dicens: Scimus omnes, ex epulis vitam ſolere ſeruari, non ſanitatem poſſe conferri. Nam vt ſanetur infirmitas, ſi explenda videtur gulæ cupiditas; quare infirmantur etiam illi, qui conuiuiis lautioribus quotidie ſaginantur? Tolerabat ergo infirmi-

A tatem patienter; exercebat abſtinentiam ſatis humiliter; Paruum namque putans omne, quod faciebat, de die in diem melior fieri geſtiebat. Hoc propoſitū cordis eius miſerator & miſericors Deus adiutorio ſuperni iuuaminis fulciens, velociter ei corporalem reſtituit ſanitatem. Hæc ibi.] Certè id ipſum ſæpe vidimus, eos nimirum, qui ob fractam valetudinem lautitiis vtuntur, nunquam conualuiſſe; ſi verò ſe ipſos deſpiciant, & regulam communem ſequantur, & magis abſtinentia, quàm remediorum copia ſibi medeantur, meliùs habuiſſe, aut ex toto ſanitatem comparaſſe.

Aliquæ etiam ſunt inualetudines ſpeciali Dei prouidentia immiſſæ, vt hominem ſemper humiliatum teneat, & naturam ferream eius, aut nimis elatam, **B** & ſuperbientem cohibeat: & tunc non medicaminibus, ſed patientia opus eſt, neque ad eas curandas, ars medicinæ ſufficiet. Tunc ergo ſpiritualis vir pro data ſibi inualetudine, aut ægritudine, immenſas gratias agat, quia à Domino filius agnoſcitur, nam [quem diligit, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.] *Hebr. 12. 6.* Et remedia, & medicamenta non requirat. Sic creditur feciſſe Iobum, cuius immites morbos, & ſermones legimus, curationem verò à remediis naturalibus petitam, non audiuimus; vnde de illo inquit Ambroſius: *Ambr. de interpel. Dauid. cap. 2.* Audiebat hæc ſanctus Iob, & quaſi Athleta fortis in ſtercore ſedens, in tantis vibicibus, & ſæui doloribus vulneris totum corpus diris perfuſus vulneribus, **C** myſteria loquebatur, nec acquirendis propriæ remediis ægritudinis, ſed ſacris vacabat ſermonibus.] Idem iudicium eſto, ſi Dominus ob peccata, morbos atque infirmitates immittat: tunc enim potiùs in emēdanda vita, quàm in remediis adhibendis cura ponenda eſt: Neque enim ſemper, inquit Baſilius, *Baſil. ſuprà.* morbi omnes, à natura, aut vitioſa victus ratione, aliiſve quibuſdam ſitis in corpore noſtro cauſis, ad quæ vtilem interdum medicorum artem videmus, ortum ducunt: quandoquidem morbi ſæpenumero veluti quædam peccatorum flagella ſunt, quibus nihil aliud agitur, niſi vt vitam noſtram in melius commutemus. Quem enim, inquit, Dominus diligit, caſtigat, [& ideo multi in vobis infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi: Quòd ſi noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur: dum iudicamur autem à Domino corripimur, vt non cum mundo damnemur.] *1 Corint. 12. 30. 31. 32.* **D** Quamobrem, qui eiuſmodi ſunt, his omiſſis medicorum auxiliis inuectas ſibi acerbitates ferre ſilentio debent, quandocunque ſe peccaſſe animaduerterint: atque illum imitari, qui dixit, Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei:] *Mich. 7. 6.* nec non vitæ ſuæ praua ſtudia emendare, & dignos pœnitentiæ fructus edere, & verborum Domini illorum meminiſſe: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.] *Ioan. 5. c.* Sic ille. Hic igitur paupertatis gradus in hoc poſitus eſt, vt vir religioſus, voti paupertatis memor, licèt ægritudine prematur, vt pauper ſe gerat, & parcè ſibi conſulat, & quæ non niſi diuites habent, minimè exquirat. Si autem hæc ſibi à prælatis miniſtrentur, cum gratiarum **E** actione, & cum ea, quæ pauperem decet, humilitate ſuſcipiat. Leuium autem inualetudinum non multam ſolicitudinem gerat, ſed eas magis contemptu ſui & diſcreta moderatione, quàm medicamētis propulſare contendat. Sciat, vitam ſuam vt vitam mendici deſpicabilis, nullius, aut parui momenti eſſe, quam ſi duobus, aut tribus annis antea morte concluſerit, nihil referre; modò aliis exemplum mortificationis præbeat, aut paupertatis, quam profeſſus eſt, iura rite cuſtodiat.

Septimus

Septimus Gradus Paupertatis: Affectu, & Effectu omnem nuditatem, & incommoditatem exquirere.

CAPVT X.

PER hos ſex gradus paupertatis expoſitos, mens viri iuſti ad ſeptimum, ac poſtremum gradum eos continentem, & omnem huius virtutis perfectionem comprehendentem, aſcendit. Hic autem eſt, cùm quis adeo amore paupertatis capitur, vt omnem nuditatem & incommoditatem ſitiat, & ipſa neceſſitate, & Dei ſola voluntate compulſus, ad temporalia accipienda ſe demittat. Is diuitias & res temporales abiicit, & mille votis (ſi neceſſe fuiſſet) ad eas numquam poſſidendas ſe conſtringeret, quia ipſas, vt moleſtas & oneroſas, exhorret. Poſtquam temporalia ſemel deſeruit; nec primam cogitationem ea repetendi, aut iterum poſſidendi habet, quia affectu ad hæc abiecta affici pertimeſcit. Superflua & inutilia reſpuit; quoniam illis ſe non iuuari, ſed onerari, & ligari animaduertit. Neceſſaria ſine immoderato amore aut deſiderio accipit, quia non rem, ſed vſum eius, & hunc non propter ſeipſum, ſed pro gloria Domini, concupiſcit. Indigentiam, & inopiam diligit, qua ad perfectionem ac deſideria cœleſtia impelli ſe ſentit. In ægritudinibus, & moleſtiis corporis, quod ſibi miniſtratum fuerit, ſine cura corporis ſumit, quoniam diuinæ prouidentiæ fidit. Huic, inquam, omnia facilia ſunt, & prona, quia toto affectu ſe cœleſtibus iunxit, & à rebus terrenis amore diſceſſit. Quemadmodum enim aliquis ex viliſſimo ſtatu ad magnam quandam dignitatem euectus, ſolet nonnumquam de illa ſua vilitate erubeſcere, & non ſine triſtitia ad functiones illius miſeri ſtatus repedare, quas cùm primùm poteſt deſerit, & obtentum ſplendorem gloriámque reſumit: ita qui delicias ſpiritus cœpit experiri, & dignitatem animæ Deo adhærentis agnoſcere, vim ſibi infert, vt eorum quæ corporis ſunt, curam faciat, vt cibum, & potum, & alia vtenſilia reſpiciat, & ad hæc inferiora deſcendat. Illa ergo cœleſtia diligit, iſta contemnit: illa ſuſpirat, iſta horret; pro illis laborat, iſta, quia aliter fieri non poteſt, ſuſtinet: illa, quantum eſt poſſibile, auget; iſta, quantum vires corporis ferunt, imminuit. Hinc in geſtis ſanctorum legis, quoſdam eorum, cùm facilè poſſent neceſſaria ſaltem accipere, famelicos, & ſiti afflictos, & laceros, & ſeminudos ambulaſſe, quia videlicet ſola cœleſtia cupierunt, & hæc terrena, quaſi compulſi, & rubore perfuſi, ad ſuſtentandam vtcumque vitam corporis, acceptarunt. Hinc neceſſe eſt interdum, iſtos, & alios, qui vitam illorum æmulantur, decipere, vt moleſtia carnis oppreſſi, aliquam indulgentiam admittant; & obedientia cogere, vt dimiſſo habitu iam attrito, & diſciſſo, alium, ſi non nouum, at minùs lacerum & decentem induant. Quin & ſi prælati ſunt (quod aliquando vidimus) neceſſe eſt, vt in animum inducant, veſtem nouam accipere, detritam & laceram, cùm in lecto quieſcunt, ab illis de nocte ſuffurari. Iſta, & alia ſimilia, quæ lippis oculis videntur ſtulta, ſunt tamen ſapientiæ & feruoris plena, perfecti pauperes faciunt, quia corpori vix neceſſaria præbere, quàm vel in re minima excedere, malunt. Et ſicut ſi homo durus & immiſericors, neceſſitatem pauperis metiatur, illi ſemper, minùs quàm ſint neceſſaria, miniſtrat; ita hi in ſeipſos benignè duri, & blandè immiſericor-

A des, quia pro bonis cœleſtibus terrena commutant, dum ſibi neceſſaria tribuunt, nec ad neceſſitatem, ſed aliquid minus præbere conſtituunt.

Mirabilis autem non videbitur religioſis iſta paupertas, quam Henricus Suſo à ſæcularibus diuitias poſſidentibus, ad paupertatem verò ſpiritus aſpirantibus, poſtulare non timuit. Nam hæc ſunt eius verba in quodam ſermone. Porro ſpiritus paupertatem integram Deo exhibere poteris, & offerre, *Suſo. ſer. 4.* etiam ſi terrenas poſſideas facultates, ac opes, nec quicquam inde patieris impedimenti, quod ad veram Chriſti imitationem attinet, ſi tantùm tria hæc, quæ ſubiicio, ſeruare curaueris, ſine quorum obſeruatione non eſt vt id te præſtare poſſe arbitreris. Primum eſt, vt ex rebus poſſeſſis non niſi vitæ ne-
B ceſſaria tibi vſurpes, haud ſecus quàm ſi eas oſtiatim emendicaſſes, & quotidie mendicare deberes. Secundum, vt ſi ſcias alium quempiam Dei amicum, & hominem bonum, illis indigere, liberam ei facultatē præbere queas, tam libere eis pro ſua neceſſitate vtendi, ac ſi illius verè propriæ forent: ídque illi non minùs cupias, ac faueas, quàm tibi ipſi. Tertium, vt ſi illarum fortaſſe iacturam facias, ita in animi fundo ac voluntate tranquillus & immotus perſeueres, ac ſi eas numquam habuiſſes.] Si hæc à diuitibus exiguntur, vt ſpiritu pauperes, & Abrahæ, ac cæterorum iuſtorum diuitum imitatores eſſe poſſint, quid à nobis exigendum eſt, qui non tantùm voluntate ſed opere quoque pauperes eſſe volui-
C mus, & non Patriarchas diuites, ſed Chriſtum pro nobis effectum pauperem imitamur? Certè tam parcè & anguſtè nobis viuendum eſſet, ac ſi inter auariſſimos homines ſtipem emendicaremus, neque aliud nobis eſſet quærendum, niſi pro amore Domini, & deſiderio opum cœleſtium, rebus omnibus huius ſęculi renunciare. Ioannes Baptiſta forma huius paupertatis factus, & ſæculum fugientibus, exemplū nuditatis exhibens, veſtem vnicam ex pilis camelorum contexiā induebat. Zona pellicea eam corpori aptabat, humi cubabat, cibos, quorū deſertum ferax eſſet, *Marci 1. 6.* comedebat, ſolā aquā bibebat, & ex mundo ea ſola, ſine quibus eum mūdus non teneret, acceptabat. In hac autē ſumma indigentia, & rerū omniū abiectione, ſumma fruebatur trāquillitate, & cœleſtibus illuſtrationibus abūdabat, quia iuxta rerū temporalium
D contemptū, ſolet eſſe lucis diuinæ ac cœleſtiū donorum augmentū. Habuit nobilis Chriſti præcurſor in lege gratiæ quamplurimos imitatores, habuit, & huc vſq; habet, & vſq; ad finem ſæculi habebit, qui eius exempla veræ & perfectæ nuditatis imitētur: Qui ex cibis & indumētis, & reliquis ad vitam mortalem neceſſariis non ea accipiunt, quibus commodè viuant, ſed ea, quibus vtcumque viuant, quibus homines apud homines appareant. Sicut autem in nuditate, & in contemptu rerum; ita & in animæ conſolationibus, & in cœleſtibus donis præcurſori ſunt ſimiles. Nam Deus vacuum cordium illorum ſuis opibus implet, eo ipſo quòd bona terrena non admittit.

Duplex eſt autem radix huius gradus Paupertatis: Altera, ſancta fiducia, qua iuſtus ſe & ſua in ſinū di-
E uinæ miſericordiæ reiecit: Altera, cōcupiſcentia rerū cœleſtiū, quæ mentē erexit, & in magna quadā altitudine ſublimauit. Fiducia itaque hanc perfectam paupertatem parit. Nam homo ſupra communem modum Deo fidens, rerum temporalium meminiſſe, aut de illis curare erubeſcit. Et ſicut Beata Agatha hac fiducia roborata medicinam corporalem carni ſuæ numquam exhibuit, ſpem ſuam in illo collocans, qui ſolo ſermone reſtaurat vniuerſa; ita & perfecti pauperes, vix ad temporalia reſpiciunt, ab

eo ſolo pendere volentes, quem ſæpiſſime experti ſunt patrem, & in neceſſitatibus fideliſſimum prouiſorem. Habemus autem & nos in Beato Patre noſtro Ignatio illuſtriſſimum huius fiduciæ, & ex ea natæ perfectæ paupertatis exemplum. *Ribaden. l.2. vitæ c. 10.* Cùm enim nauigaturus eſſet in Syriam, vt loca ſancta noſtræ Redemptionis inuiſeret, ab amicis, precibus, ac obiectis timoribus, inductus eſt, vt viatici nomine ſex, aut ſeptem aureos acciperet. His autem acceptis ita propria conſcientia increpatus eſt, quaſi à certiſſima in Deum fiducia, & paupertatis amore deflexiſſet, vt ſtatim tenuem illam ſtipem pauperibus erogaret, & nudus ad loca illa, vbi Chriſtus nuditatem docuit, ire decreuit. Idem eſſe ſolet virorum perfectorum propoſitum, qui cùm audiant dicentem dominum. *Matth.6. 25.* B Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini,] curas ſuas in cæleſtia conferunt, & penitus à rebus corpori neceſſariis auertunt. Sanctus quidem Ephræm eos qui rerum temporalium ſolicitudine diſtrahuntur, fiduciæ tepidioris incuſat. *Ephræm de fide* Proba, inquit, te ipſum, nunquid terrenæ adhuc te curæ detineant, & ſolicitudines variæ de nutriendo & veſtiendo corpore, aliáque adhibenda cura, ac procuranda requie, cùm tui iam iuris eſſe velis, ac tui ipſius curam gerere; de quibus iuſſus es omnino non eſſe ſolicitus. Si enim te credis accepturum æterna illa, & immortalia, omniſque corruptionis expertia bona: Quanto magis fugacia iſta, atque terrena accipies, quæ Deus etiam conceſſit feris, atque volucribus cœli, & hominibus impiis? An non credis Dominum ea tibi largiturum, de quibus ipſe præcepit, dicens: C *Matth.6 n.32.* Nolite ſoliciti eſſe quid edatis, aut bibatis, aut quibus veſtiamini, hæc enim cuncta gentes mundi inquirunt. Nouit enim pater veſter cœleſtis, quòd his omnibus indigeatis.] Et ſubinfert exprobrans hominibus [modicæ fidei:] *n.26.* [Reſpicite volatilia cœli, quoniam neque ſeminant, neque metunt; & pater veſter cœleſtis paſcit ea:] quanto ampliùs vos qui multùm differtis à volucribus? *n.34.* Et turſus nos confirmans ait: [Nolite igitur ſoliciti eſſe in craſtinum.] Si verò adhuc de iſtis laboras, & non credis ſermoni ipſius: noſce rurſus te quoque non credere, quòd bona æterna, quæ ſunt regnum cœlorum, ſis accepturus; & exiſtimas te credere, qui in rebus paruis, ac corruptioni obnoxiis, reperieris incredulus? Hæc ille.] D Cùm itaque viri perfecti magnam de diuina miſericordia fiduciam habeant, non mirum ſi nullam rerum temporalium, quæ corpori ſunt neceſſariæ, curam ſuſcipiant. *Matth.4.* Sciũt quia [non in ſolo pane viuit homo ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei,] quare ſi panis deficiat, aut indumentum deſit, aut aliquid aliud non ſuppetat, minimè querulantur, immo lætitia perfunduntur, quia occaſionem Deo fidendi, & eius prouidentiam experiendi, adeſſe conſpiciunt.

Poſſident etiam hi arrham quandam regni cœleſtis, & æterna, & mentem humanam ſatiantia ſuſpirant, iſtúdque deſiderium æternorum, deſideria terrenorum, immo & memoriam eorum, eliminat. Sicut enim augmentum charitatis cupiditates terrenas imminuit; E ita deſiderium patriæ, & eorum quæ nos ad illam ducunt, concupiſcentiam exilij huius, & eorum, quibus abundat, euacuat. Quod cùm eò vſque proceſſerit, vt totam mentem poſſideat, & in ſtatum perfectum euadat, non ſolùm deſiderium rerum huius ſæculi tollit, verùm & omnia illius moleſta & oneroſa reddit. Conſidera ſanctum Dauidem præ deſiderio diuinæ fruitionis tabeſcentem, hócque ſuum deſiderium in hunc modum explicantem: *Pſ.72.25.* Quid mihi, ô Domine, eſt in cœlo, & à te quid volui A ſuper terram?] Quid, inquam, præter te aut gratum in cœlo, aut iucundum in terra reperiam? Huius autem deſiderij effectum ſtatim explicat, dicens, Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum:] *n. 26.* acſi diceret: Præ deſiderio tui, ô Domine, quem vt hæreditatem meam, ac bonum meum concupiſco, caro mea defecit, & ſpiritus meus elanguit. Caro mea defecit, ne diuitias ſæculi cupiat, & ſpiritus meus elanguit, ne honores & dignitates mundi ſitiat. Qui ſanus eſt, appetentiam cibi, & potus habet, ſi autem cœperit ægrotare, hunc appetitum deponit; & in horrorem cibi & potus incurrit. Cùm malè ſanus eram, & vitam huius ſæculi agebam, bona temporalia, corpus impinguantia, & inanes honores ſpiritum eludentes deſiderabam. Cùm autem cœpi amore languere, amore, ſcilicet Dei, & rerum cœleſtium, bona corporis, & bona animæ, poſt corpus euntis, faſtidiui. *Aug. ib.* Seruas tu mihi in cœlo, ô Domine, diuitias immortales, inquit Auguſtinus, nimirum te ipſum, & ego volui à te in terra, quod habent & impij, quod habent & mali, quod habent & facinoroſi, pecuniam, aurum, & argentum, gemmas, familias, quod habent & ſcelerati multi, quod habent multæ fœminæ turpes, multi viri turpes. Hæc pro magno deſideraui à Deo meo ſupra terram, cùm ſeruet ſe mihi in cœlo Deus meus.] Iniquum eſſet, iſta vilia, & nullius pretij, appetere in terra, cùm tam ſublimia & pretioſa parata ſint nobis in cœlo. Quando ergo viri ſancti radio diuinæ lucis donati iſta inuiſibilia ſibi repoſita in illa patria cognoſcunt, quando illa magno affectu concupiſcunt, adeo in terrenorum appetitu deficiunt, vt ea ad ſolam neceſſitatem, quin & vix ad neceſſitatem, habere ſuſtineant. Liberaliter ſe cœleſtibus donant, auarè autem ſe terrenis impendunt: aut potiùs illa largè & effluenter, iſta arctè & ſtrictè ſibi tribuunt; quoniam non æſtimant poſſibile rebus terrenis affluere, & cœleſtibus abundare.

Myſterium hoc adumbratum eſt in Iacob, poſtquam cum angelo luctatus eſt. Nam deſcripta illa lucta, ſic ait ſcriptura: Ortúſque eſt ei ſtatim ſol poſtquam tranſgreſſus eſt Phanuel: ipſe verò claudicabat pede.] *Gen.32. 31.* Habet homo luctam cum carne, cùm incipit ſeruire Deo, & motibus carnis contradicit. Luctatur cum mundo, & dæmone, cùm in Dei obſequio progreditur, & ſuggeſtiones vtriuſque abiicit. Luctatur tandem cum Deo, cùm in virtute perficitur, & ſuſpiriis ac deſideriis eius amore flammatur. Poſt hanc luctam, poſt tranſitúmque ab eo loco, vbi apparuit ei Angelus, ortus eſt ei ſol, quia ex augmento amoris & deſiderij ſolet lux intelligentiæ creſcere, & quaſi nouus ſol iuſtis mentibus exoriri. Tunc ſpiritualis Iacob, vir nimirum iuſtus, ſolet vno claudicare pede. At quid iſta claudicatio allegoricè deſignet, ex Ambroſio accipe. *Amb. ad Pſal. 43.* Hic eſt homo, inquit, qui luctatus eſt cum Iacob, & femur eius tetigit: quo tactu Patriarchæ neruus obſtupuit: ſignificans, ex eius ſucceſſione, ſecundùm carnem, ſe eſſe venturum, qui ſubneruandus eſſet à populo Iudæorum in ſui corporis paſſione. Sed quis erit ſenſus tropologicus noſtro propoſito accommodatus? Ille quidem, quòd viſitatio diuina, ac immiſſum nobis perfectionis deſiderium, ad res terrenas nos quaſi reddit infirmos, vt eas minimè deſideremus, & vix ad neceſſitatem ſumamus. Iam myſticus Iacob vno pede claudicat, cùm altero expeditus, & robuſtus exiſtat, quia infima deſpiciens, ad ſublimes gradus perfectionis anhelat.

Ex his itaque duabus radicibus gradus perfectiſſimus paupertatis aſſurgit, quo Deo fidentes, & cœleſtia auidè cupiẽtes, omnia temporalia ita contemni-

mus,

mus, vt parciſſimè neceſſaria accipiamos. Hicque gradus videtur à Laurentio Iuſtiniano deſcriptus, cùm de perfecta omnium rerum nuditate hæc ait: Vis inopiæ diuitias addiſcere? non ſubiacet dæmonibus, non aſſiſtit regibus: quia militat Deo, & cum Angelis ipſi cælorum regi famulatur; Non habet horrea, vbi grana reponat: ſed talem abundantiam, vt habere mundum vniuerſum nihil exiſtimet: Non habet, quod theſaurizet in terra, quoniam cuncta, quæ poſſidet, recondit cœlo: Non indiget ſeruis: magis autem ſeruos, poſſeſſiones, & cogitationes, quæ regum corda dilaniant, regnum, aurum, & omnia talia, quemadmodum puerorum ludibria, deridet, & ſicut prætereuns vmbra, cuncta quæ omnibus cara videntur, exiſtimat fore contemptibilia. Quid paupertate tutius? Quid ſecurius? Quid iucundius? Triſtentur omnes, cuncti gemant, formident vniuerſi: hæc ſemper hilaris, ſemper eodem vultu, eodem animo perſeuerat. Bonum cæleſte præſtolatur poſſidere in cœlo; ideo nihil habet quod poſſit amittere in terra. Frequenter euolat ad ſupernam patriam, vbi remuneratorem ſuum eſſe cognoſcit. Talis eſt pulchritudo, tales theſauri: & hæc eſt perfectio, & perfectionis celſitudo huius beatæ paupertatis, qua velut quodam monili ſe ornant quicunque per internam dulcedinem, & cœleſtem contemplationem, Deo adhærere deſiderant; & hanc vti fundamentum ſpiritualis exercitij, & adiutorium exercitationis præcipuum aſſumunt. Nam Deo, mundo corde vacare penitus non poteſt, quiſquis temporalium rerum implicatur amore, & diſtrahitur occupatione. Spiritus eſt Deus, & eos, qui eum adorant, oportet in ſpiritu & veritate adorare: vt vnum cum Deo efficiantur, quod eſt proprium quieſcentium, quorum vota ſurſum tendunt, & quorum exercitatio ſpiritualis eſt. Vnde ab omni affectione, & cura per paupertatem voluntariam omnium temporalium liberi eſſe debent, quatenus Deo liberiùs vacare queant. Hucuſque ille.

Laur. Iuſtin. in ligno vitæ tract. de pauper. c. 4.

Ioan. 4. 24.

Et ſanè hæc eſt perfecta, & beata paupertas, quæ in homine non ex affectu abnegandi ſe ipſum, ſed ex amore & deſiderio rerum cœleſtium procedit, nec locum temporalium amori relinquit. Hanc præfigurauit Noë, qui bibens vinum, inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo. Tranſeamus literam, & Chriſtum in myſterio abſconditum inſpiciamus, qui amore humani generis inebriatus, corporis indumenta proiecit, vt in crucem nudus, & omnibus rebus ſpoliatus aſcenderet. Eiúſque etiam membra non ſolùm viua, ſed perfecta conſideremus (ſunt autem religioſi perfecti) quæ eodem vino amoris occupata, rebus omnibus in tabernaculo religionis ſponte nudantur, vt caput illud pulcherrimum, cuius ſunt membra, imitentur perfectiùs. Hanc enim nuditatem Patriarchæ Noë aliquid boni portendiſſe docet Ambroſius ſic ſcribens: Alia eſt autem denudatio animæ, qua velut quandam ſarcinam corporis abiicit, atque exuit, ſicut ſepulchrum quoddam carnis effugiens: ſepulchrum enim patens eſt guttur huiuſmodi hominum: in quo ſepulchro velut attumulatur anima, delectationibus, & cupiditatum paſſionibus onerata dioecſis. Exuit igitur ſe à congeſtione terrena, & quaſi retia quædam circumfuſa euadit, atque effugit, quæcumque ſe ab omni nudauerit laqueo paſſionum, & omnem illam deformem ſpeciem terrenæ labis auerterit, vt lucem videat decoris æterni.] Bona hæc eſt perfectorum ebrietas, quæ eos à ſemetipſis educit, & in Chriſti ſimilitudinem exire facit, de qua Paulus ait: Et nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed implemini ſpiritu ſancto.] Hoc ſpiritu inebriati nudi exultanter incedunt, quia ſine moleſtia vniuerſa terrena relinquunt. Iam quodammodo ad ſtatum innocentiæ redeunt, in quo vterque parens noſter nudus erat, Adam ſcilicet, & vxor eius, & non erubeſcebant. Nam rebus huius ſæculi ſpoliari tantùm abeſt quòd erubeſcant, vt nuditatem illam pro Chriſto ſuſceptam, eximiam gloriam ducant. Erigit ergo ſe paupertas ſenſim, atque paulatim, & ex paruis initiis ad magnam ſublimitatem procedit, & in altiſſima quadam perfectione deſinit. Incipit homo diuitias parui pendere, & ad eas nunquam poſſidendas ſe voto obligare non timet. Magnum initium eſt hoc, ſed ſatis exiguum, ſi cum faſtigio, quod expoſuimus, conferatur. Deinde votum, quod emiſit, diligenter cuſtodit, & nihil proprium habere præſumit. Poſtea dulcedine paupertatis, quã priùs exiſtimauerat amaram, illectus, non ſolum proprium non poſſidet, verùm vſum rerum inutilium abſcindit. Poſtmodum neceſſariarum rerum affectum nimium cohibet, & moderatè eas aſſumit. Prætereà indigere, & penuriam neceſſariorum ſentire audet, & vmbram etiam abundantiæ fugit. Tandem ſic diſpoſitus, atque paratus, incipit cœleſtia guſtare, & diuinorum amore teneri, & tunc moleſtum putat res terrenas aſpicere, & ſtatuit eas quàm parciſſimè admittere, & ſe quantum infirmitas humana tulerit, à neceſſario quoque rerum vſu denudare. O felix nuditas, qua quodammodo mortalitate vir iuſtus exuitur, & quodam guſtu patriæ cœleſtis decoratur. Nam ſola cœleſtia concupiſcit, & aliquam ſtillam illius, quæ iſti deſtinata eſt, magnitudinis, inuenit, & quæ onerant, & ſigna ſunt corruptionis, parui pendit.

Ambr. lib. de Noë c. 29.

Epheſ. 5. 19.

Geneſ. 2. 25.

Geneſ. 9. 21.

De Præmio Paupertatis, ac primò, de theſauro obtinendo à pauperibus in cœlo.

CAPVT II.

SANCTAE paupertatis profeſſores, vniuerſa temporalia propter Chriſtum dimittentes, & voto ſe ad nihil poſſidendum obligantes, interrogent Dominum an ob hoc opus egregium illos aliquod præmium maneat. Audiant, & dicant cum Apoſtolis: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?] Illa voce, ecce, aliquid magnum, & excelleus, & non ab omnibus factum ſe feciſſe denotent, nam verè tale eſt, quod pro amore Chriſti patrarunt. Nos homines humana contempſimus: nos, qui omnia vnà noſtra vtilitate metimur, vtilia nobis abiicimus: nos pro futuris, quæ nunquam vidimus, & non ita mouent; præſentia, quæ mouent, alliciunt, & manibus attrectabamus, & cum gaudio poſſidebamus, reliquimus: nos puſilli, & anguſto animo, hæc magna, ô Domine & difficilia pro te fecimus: quam ergo mercedem condignam accipiemus? Quod præmium daturus es nobis? Vrgeant Dominum, nec timeant quia moleſti erunt ei, nam qui pro obſequio ſibi impenſo, non habet, quod referat, timet vrgeri; qui autem habet præmium, quod tribuat præſtantius obſequio, & habet voluntatem dandi, vult rogari. Sciſcitentur de præmio, nec pudeat illos lucrum aſpicere, licèt non lucro, ſed puro Dei amore ad omnia relinquenda fuerint impulſi, quia ille Dominus, cuius eſt intueri cor, bene nouit amorem cordis eorum, & puram ac ſyn-

Matth. 19. 27.

ceram intentionem ipſorum, & non, quia ex eo quod ad illos pertinuit, gratis omnia dimiſerunt, ipſe in animum inducit, vt ſine præmio maneant, aut ab inſpectione præmij infiniti valoris abſtineant. Conferant, (quia non alienum à voluntate Dei eſt) opus cum mercede, meritum cum præmio, & laborem cum requie, & apertè videbunt ſe paruo pretio rem infiniti valoris emiſſe, & terrenis cæleſtia comparaſſe. *Hier. ad Pămach.* Verè enim dixit Hieronymus: Parua dimiſimus, & grandia poſſidemus, centuplicato fœnore Chriſti promiſſa redduntur. Et alio loco: *Epiſtola 150. ad Hedi. q. 1.* O quanta beatitudo pro paruis magna recipere, æterna pro breuibus, pro morituris ſemper viuentia, & habere Dominum debitorem. *Gen. 26. 12. 13.* Seuit Iſaac in terra illa, inquit ſcriptura, & inuenit in ipſo anno centuplum, benedixítque ei Dominus. Et locupletatus eſt homo, & ibat proficiens, atque ſuccreſcens, donec magnus vehementer effectus eſt.] Vos autem, qui reliquiſtis omnia, in terra meliori & feraciori ſeuiſtis. Nam relinquere opes propter Chriſtum, ſerere eſt. Seuiſtis, inquam, veſtra in manibus Chriſti, in quibus quinque panes ita multiplicantur, vt quinque millia hominum ſaturare ſufficiant. *Ioan 5.* Seuiſtis in corde Dei, in quo quod de ſe nihil eſt, vita erat, qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Non erit mirum ſi immenſum pluſquam centuplum inueniatis, ſi copioſam benedictionem accipiatis, ſi magni vehementer efficiamini, ſi vltra omnem cogitationem ditemini. Nec quia parua reliquiſtis, ideo pauca vobis expectanda ſunt, nam & agricola parum ſeminat, & ſeminans in terra bona, multum colligit; ſimiliter & vos quia in terra bona & optima ſeminaſtis, parum id, quod habebatis, non parum, ſed multum colligetis. Et licèt modicum ac nullius pene valoris eſſet quod poſſidebatis, non ideo modicum à vobis dimiſſum eſt, ſiquidem reliquiſtis poſſidendi voluntatem. In illo autem modico, cui deſiderium nihil habendi adiunctum eſt, omnia illa dimiſſa ſunt, ad quæ ſe extendere poſſet habendi voluntas. Hæc verò cùm ſint pene infinita, vos pauperes ſpiritu, licèt parum opere reliqueritis, quia parum poſſidebatis, multum tamen reliquiſtis. Quare nunc cum gratiarum actione, & cum vehementi exultatione cordis, præmium vobis præparatum audite.

Triplex præmium Euangelicis pauperibus promiſſum eſt. Horum primum eſt theſaurus in cœlo. Nam & adoleſcenti illi de perfectione interroganti dictum eſt: *Matth. 19.21.* Vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo.] Illi ergo qui fecerunt, quod adoleſcens ille non fecit: qui ſua alacriter vendiderunt, qui pro amore domini pauperibus donauerunt, habituri ſunt in præmium operis ſui theſaurum in cœlo. At quis qualiſque ſit iſte theſaurus, inquiramus. Num iuſti, qui retentis facultatibus ſuis mandata ſeruauerint, non accipient in cœlo theſaurum? Num operarij, qui ad excolendam vineam, id eſt, ad curandam animam ſuam, vt *Theoph. Matth. 20.* Theophylactus voluit, vel, ad faciendam iuſtitiam, & ſeruanda mandata, vt Irenæus & Chryſoſtomus *Iren. lib. 4. c. 70. Chryſoſt. Matth. 20.* interpretantur, vocati ſunt, non ſunt accepturi ſinguli ſingulos denarios? Si ergo omnes prædeſtinati idem ſunt præmium accepturi, quare pauperibus Euangelicis magis quàm alijs intelligemus theſaurum in cœlo fuiſſe promiſſum? *Matth. 20 11.* Omnes quidem iuſti eandem mercedem ſubſtantia, ſcilicet vitam æternam, accipient, denario ſignificatam, quoniam *Irenæ ſuprà.* denarius, vt Irenæus ait, imaginem regis habebat, *Rom. 8. 29.* & iuſti hoc habebunt, vt conformes fiant imagini filij Dei, qui reformauit corpus humilitatis noſtræ *Philipp. 3.21.*

A configuratum corpori claritatis ſuæ. At non eadem mercedis magnitudine donandi ſunt, ſed quidam minorem, quidam autem maiorem gloriam ſecundùm menſuram meritorum ſunt accepturi. Alia *1. Corint. 15.41.* enim claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic erit & reſurrectio mortuorum. Qui ergo propter Chriſtum vniuerſa dimiſerint, tantum gloriæ pondus ſuis operibus mercabuntur, vt comparatione aliorum gloriæ, qui ſolùm mandata ſeruauerint, theſaurus reſpectu monetæ aureæ dici iure mereatur. Fallor, & fallo, ſi non Chriſtus ipſe hunc ſenſum manifeſtè monſtrauit. Nam ſingulis mandata ſeruantibus ſingulos denarios obtulit, conſilium verò paupertatis amplectenti theſaurum promiſit, vt B oſtenderet, quòd quantum anteſtat theſaurus denario, tantum gloria ſeruantis conſilia, cuſtodientis mandata ſolùm mercedi præfertur. Hánceque magnitudinem præmij ſignatam eſſe theſauri nomine Chryſoſtomus profeſſus eſt. Retributionis præſtantiam, inquit, theſaurum appellauit, ſimul & abun- *Chryſoſt. hom. in Matth.* dantiam, & ſtabilitatem, atque incorruptibilitatem præmij, vt fieri poterat, humano verbo ſignificanter exprimens.] Atque adeo, qui fideles in mandatorum cuſtodia inuenti fuerint, ciues erunt illius regni cœleſtis, & vt ciues decet, tam magnificæ ciuitatis amplam hæreditatem poſſidebunt. Sed qui cuſtodiæ mandatorum abrenunciationem vniuerſorum adiecerint, vt illuſtres, & primarij viri, non C quamlibet hæreditatem, ſed illam, quæ digna ſit theſauri & regni nomine, in ſuum dominium vendicabunt. Hi conuerſatione ſunt Chriſto ſimiliores, qui nihil voluit poſſidere; & in tentatione validiores, quia ſciunt indigentiam & inopiam propter Chriſtum pati. Erunt igitur in præmio ac remuneratione beatiores. Æquum enim eſt, vt qui robuſtiùs decertarunt, ampliorem mercedem accipiant.

Sed nonne Charitas eſt cœleſtis præmij menſura, & qui ampliùs ardentiúſque dilexerit, maiorem gloriam habebit? Quomodo ergo nos theſaurum in cœlo, id eſt, maiorem gloriam pauperibus audemus aſcribere? An ſoli nos religioſi magni futuri ſumus in domo Dei, & reliqui omnes erunt minores, D aut ad ſummum mediocres? Et quid erit de martyribus, qui licèt ſua pro Chriſto non dimiſerunt, vitam tamen & ſanguinem pro fidei atteſtatione dilapidarunt? Et quid de Pontificibus, redditus Eccleſiæ copioſiſſimos poſſidentibus, eos tamen largiſſimè pauperibus tribuentibus, & Eccleſiam ſanctiſſimè gubernantibus? Et quid de pulcherrimo virginum choro, non iam opes, quæ minoris momenti ſunt, ſed corpora Chriſto conſecrante, & voluptates carnis medullis infixas reuellente? Ne ſummam cœlicolarum dignitatem ſuperbè nobis arrogemus, & alios quaſi extraneos, & gratis in patriam admiſſos putemus, nam audiemus profectò, quod de ſuperbientibus Iudæis dictum eſt: Dico autem vobis *Matth. 8. 11.12.* quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, in regno E cœlorum: filij autem regni,] qui nimirum celſiorem locum ſibi vendicant, propter ſuperbiam [deiicientur in tenebras exteriores.] Verum quidem eſt, gloriæ magnitudinem charitate metiendam eſſe, eúmque ditiorem futurum in regno Dei, qui ad ſynceriorem & maiorem amorem peruenerit. Verum etiam alia eſſe opera paupertate illuſtriora, vt martyrium, vt virginitas, vt Eccleſiæ gubernatio, cui ex condicto Dei abundantius præmium debeatur. At nos ſtatum ſtatui comparauimus, & abdicationẽ

rerum

rerum & conſiliorum cuſtodiam, cum largitione eleemoſynarum etiam ampliſſimarum, & cum mandatorum tantùm obſeruatione contulimus. Et ſic certum eſt, inter ſtatus Eccleſiæ, excepto Epiſcoporum ſtatu, ſtatum religioſum præſtare, & conſiliorum obſeruantiam mandatis adiectam, cuſtodiæ mãdatorum eminere, & paupertatem Euangelicam omnem bonam diuitiarum adminiſtrationem, & eleemoſynarum largitionem excellere. Qui hæc præſtiterint, magni erunt in cœlo, qui verò pauperes ſpiritu & opere fuerint, maiores exiſtent. Illi in honorabili loco, hi in ſublimiori, & Chriſto proximiori ſedebunt. Illi denarium, hi verò theſaurum accipient. Et verò ſi ſignis & coniecturis tranſigenda res eſt, qui omnia ſua propter Chriſtum dimittunt, initium non obſcurum maioris charitatis præbent, quàm illi, qui bona ſua rectè adminiſtrant, & partem eorum pauperibus erogant. Non ergo iniquum erit, his tanquam magis diligentibus, & opus excellentius facientibus, theſaurum, id eſt, maiorem gloriam, aſſignare, & illis tanquam minùs amantibus, & minùs præſtantibus, denarium, id eſt, minorem gloriam, decernere.

Semper conſueuit Dominus facta hominum ſibi grata incomprehenſibilibus præmiis cumulare, & paruitatem noſtram magnitudine quadam immenſæ liberalitatis excedere. Abraham iuſſu Domini reliquit terram ſuam, non nimis deſiderabilem, & pro ea terram feraciſſimam lacte & melle manantem accepit. *Gen. 13. 15.* Omnem terram, inquit, quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum.] Iterum imperio etiam Domini filium ſuum & immolare decreuit, & pro hoc affectu, iſtáque voluntate, cui tamen opus adiunctum non eſt, tam innumerabilem multitudinem filiorum adeptus eſt, vt ab homine numerari non poſſit. *Gen. 22. 16.* Quia feciſti, inquit, hanc rem; & non pepercisti filio vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris.] Dauid in corde ſuo domum ad cultum Domini ædificare diſpoſuit. Huius autem deſiderij, quæ fuit merces? *2 Reg. 7. 11. 12. 13.* Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis: prædicítque tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus. Et ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, & ſtabiliam thronum eius vſque in ſempiternum.] Iob ſua patienter amiſit, & duplicata recepit. Et quod præmium ſecutum eſt? *Iob. 42. 12.* Dominus benedixit nouiſſimis Iob, magis quàm principio eius, & addidit omnia quæ fuerant Iob duplicia.] Petrus Chriſtum confeſſus eſt, Chriſtus quid dat illi? *Matth. 16. 13.* Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & tibi dabo claues regni cœlorum:] Si tam largus eſt Dominus, & tam magnificus in retribuendis ſibi impenſis obſequiis, quàm liberaliter & ſupra omnem cogitationem noſtram obſequia ſibi exhibita pauperum Euangelicorum exoluet? Reliquerunt illi terram ſuam, & cognationem ſuam; & domum patris ſui, quia multi eorum dum in alias terras, & nationes ab Obedientia mittuntur, quaſi à patria exulant. Et licèt in ea habitent, ita patriæ commodis, & cognatorum ſolatiis, & domus paternæ obſequiis carent, ac ſi poſiti in exteras nationes exularent. Offerunt illi Deo non tantùm voluntate, ſed & opere, & quaſi vnigenitum, & prædilectum filium, cùm iudicium ſuum, optimam partem mentis ſuæ prælato per Obedientiam ſubiiciant. Magnis impenſis bonorum operum in cordibus ſuis Deo domum ædificant, & illi ſe per caſtitatem conſecrant, & in templo à ſe ædificato perpetuas laudationes concinunt. Confitentur vita & conuerſatione ſua, Chriſtum eſſe filium Dei, quem iugiter adorant, poſt quem ſemper ambulant, à quo Deo dignam mercedem expectant. Quàm ergo magnam, quàm ineffabilem mercedem accipient! Certè daturus eſt illis Dominus theſaurum in cœlo, id eſt, tam eximiam gloriam, vt gloriæ communium iuſtorum comparata, cùm hæc vocetur denarius, illa theſaurus dici mereatur. Dicetúrque de quolibet illorum carmen Dauidis: *Pſal. 111. 3.* Gloria, & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.] Nam diues huius ſæculi vmbram gloriæ, & diuitiarum habet, non gloriæ abundantiæque ſubſtantiam, cuius ſitis habendi nunquam expletur; quem multi ob partas diuitias non glorificant, ſed damnant. Et eſto quòd habeat diuitias, ſæpe tamen caret iuſtitia, quia ſuperbus eſt, & per iniuriam à ſe, aut à progenitoribus factam diuitias comparauit. At perfectus pauper cùm ad theſaurum cœleſtem poſſidendum aſcenderit, ingentes, & veras diuitias poſſidebit, gloriam ſolidam ac ſemper duraturam habebit, & iuſtitia & ſanctitas eius, quam tam ampla diuitiarum poſſeſſio non minuet, vſque in æternum perdurabit. Bonum eſt igitur paupertatem diligere, & experimentum paupertatis per indigentiam habere, vt tam amplum theſaurum in cœleſti manſione conſequamur.

De Iudiciaria Poteſtate Pauperibus deleganda.

CAPVT XII.

PAVPERES ſæculi non ſolùm diuitias non poſſident, verùm & huius mundi dignitate & altitudine carent, quoniam hæc quæ alas habet non niſi à diuitibus, & potentibus, & fauores potentum habentibus obtinetur. Aut ſaltem ſi quis pauper ad dignitatem ſæcularem aſcendat, ſtatim quaſi paupertatem exuit, & ſplendorem diuitum, & opes, ac magnam familiam habere incipit. Sic Saul, qui pauper erat, & ceu ſeruus aliquis pauper, aſinas patris quærebat; ſtatim atque ad dignitatem regiam exaltatus eſt, cœpit, agros, & vineas, & oliueta, & diuitias poſſidere, & famulis ac ſatellitibus conſtipari. Sic Dauid de gregibus ouium, ac de poſtfœtantes ſublimatus ad regnum, habuit domum Domini ſui Saul, & vxores domini ſui in ſinu ſuo, & diuitias domus Iſraël, & Iuda, tam ingentémque auri, & argenti, & lapidum pretioſorum copiam filio Salomoni reliquit, vt potuerit templum Deo, quale nunquam tam magnificum erit, ædificare. Eodem modo pauperes Chriſti, quia externa ſpecie aliorum pauperum ſortem habere videntur, non tantùm à diuitiis, verùm & à dignitatibus ſæculi, alieni ſunt. Et quædam portio paupertatis eſt, opes contemnere; altera verò, omnem huius mundi altitudinem aſpernari. Ad æquitatem ergo & largitatem Domini pertinebat, geminam pauperibus parare mercedem, vt nihil ab eis ob amorem ipſius Dei factum ſine ſpeciali præmio ac mercede perſiſteret. Diuitiis propter ſequelam Chriſti, & perfectionem, dimiſſis reſpondent veræ & ſemper manſuræ diuitiæ, ac theſaurus pauperibus cuſtoditus in cœlo. Dignitati verò contemptæ reſpondet alia dignitas celſior atque ſublimior, quam in extremo die generalis diſcuſſionis tenebunt. Magnam enim dignitatem his tanquam Apoſtolorum imitatoribus eſſe paratam non pauca

ſcripturæ

Sap. 3. 7. ſcripturæ loca ſignificant. Nam Folgebunt iuſti, & tamquam ſcintillæ in atundineto diſeurrent, iudicabunt natiooes, & dominabuntur populis.] Et, *Luca 22. 29.* ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam *1. Cor. 6. 2.* in regno meo, ſedeatis ſuper thronos.] Et; an neſcitis, quoniam ſancti de hoe mundo iudicabunt: & ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis?] Hæc merces altitudiur ſæculi contemptæ teſpondens, nunc à nobis explicanda eſt, vt conſtet quàm liberaliter Deus noſter cum ſuis agat, quàmque profusè (ſi ita loqui ſas eſt) eorum labores perſoluat.

Secundum ergo præmium Euangelicis pauperibus deſtinatum eſt nobiliſſima dignitas iudiciariæ poteſtatis. Apoſtoli namque, io perſona eorum, qui reliquerunt omnia, audierunt à Domino. *Matth. 19.28.* Amen dico vobis quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit filius hominis, in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.] Nec mihis aliqui ſuecenſeat quòd ex hoc loco velim iudiciariam] poteſtatem religioſorum elicere, in quo non dixit Saluator noſter, ſedebitis vos, qui reliquiſtis omnia, ſed qui ſecuti eſtis me, vt oſteoderet aliud eſſe omnia dimittere, aliud Chriſtum ſequi, hàncque dignitatem à Domino ſe ſequentibus, non verò omnia relinquentibus, paratam eſſe. Sed numquid religioſi Chriſtum non ſequuntur? An ad ſimilitudinem Apoſtolorum Chriſto non adhærent? An Chriſti mores & virtutes non imitantur? An non omnia relinquunt, eo fine vt Chriſtum ad ſimilitudinem Apoſtolorum ſequantur, & imitentur? In quo, quæſo, Apoſtoli Chriſtum ſecuti ſunt? In hoc ſanè quòd pauperi pauperes adhæſerunt, Virgini Virgines, aut caſti, ſe adiunxerunt: obedientem patri, obedientes & ipſi, ac voluntatem eius facientes, in præceptorem ac ducem eligere minimè dubitarunt. Illis ergo propter dimiſſionem omnium, non ſulam, qualis fuit in quibuſdam philoſophis, ſed Chriſti ſequela & imitatione perfectam, ſedes iudiciaria ſeruata eſt. Illi ſanè cum Apoſtolis & Apoſtolicis viris communes pupulos duodecim tribubus Iſrael deſignatos iudicabunt. Illi Chriſto ſummo iudici aſſiſtent, illi ampliſſimam dignitatem in regeneratione, id eſt in extremo die, iudicuum obtinebunt.

Sed quonam modo iudicabunt? An per comparationem quandam; quia videlicet communium iuſtorum vita conuerſationi illorum comparata, minori præmio digna, & impiorum vita cum ſanctiſſima illorum vita collata, digna æternis cruciatibus apparebit? An quia erunt in iudicio illo tamquam conſiliarij, & aſſeſſores, qui ſimul cum Chriſto iudice ſententiam in alios latam pronuntiabunt, & iuſtam illam eſſe proclamabunt? An quia erunt velut miniſtri ac præcones, qui quid ſummus iudex decreuerit publicè exponant, & coram illa frequentiſſima concione præmia bonorum, & pœnas iniquorum apenant? An demum quia erunt teſtes, qui impios accuſent, ex eo quòd in peccatis perſeuerauerunt & vitam ſuam mutare noluerunt? His omnibus modis tum Apoſtolos, tum Euangelicos pauperes vniuerſis rebus nuntium mittentes, eſſe iudicaturos nihil prohibet exiſtimare. Iudices erunt illi ſecundùm comparationem *Hier. ib. Matt. 12. 42 41.* quamdam authore Hieronymo, quia ſi regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione illius temporis, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis. Et, ſi vin Niniuitæ ſurgent etiam, & condemnabunt generatiooem illam, quia pœnitentiam egeruot in prædicatione Ionæ, quam Iudæi à meliore præceptore edocti facere recuſarunt: Quando magis Spiritu & actione pauperes vita ſua damnabunt eos qui aliena rapuerunt, & propter diuitias perituras iuſtitiam & veritatem repudiarunt? Iudices erunt vt aſſeſſores, quod ſeorit Simon *Sim. de Caſſi. lib. 9. c. 47.* de Caſſia, quia vt in impios ſententiam proferant, & eos digniſſimos gehenna pronuntient, authoritatem accipient. Dicéntqoe cum illo quarto *Apoc. 19. 2.* Angelo Apocalypſeos: Iuſtus es Domine, qui es, & qui eras ſanctus, qoi hæc iudicaſti, quia ſanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem dediſti eis bibere, digoi enim ſunt.] Iudices erunt velut præcones, qui zelo iuſtitiæ Dei incitati, ſententiam iuſtiſſimam ſupremi iudicis pronuntiabunt: Salus, inquient, & gloria, & *Apoc. 19. 1. 2.* virtus Deo noſtro eſt, quia vera, & iuſta iudicia ſunt eius, qui iudicabit de meretrice magoa,] hoc eſt, de iniquorum multitudine, [quæ corrupit terram in proſtitutione ſua.] Iudices eruot, quia teſtes accuſaores eos, qoi nec ad clamores doctrinæ ipſorum, nec ad exempla vitæ reſipiſcere, nec mandata ſeruare voluerunt. Nolite pu- *Ioan. 5. 45.* tare, ait Dominus, quia ego accuſaturus ſim vos apud patrē, eſt qui accuſat vos Moyſes.] Si Moyſes accuſaturus eſt eos, qui doctrinæ ab ipſo traditæ aures minimè accommodarunt, quidni accuſent Euangelici pauperes, illos qui propter diuitias, & ſæculi illecebras, bona cæleſtia perdiderunt, & voces efficaciſſimis exemplis confirmatas contemnere auſi ſunt? Iudiees tandem erunt, quia conſcientiarum occulta, & iudicij diuini æquitatem, & retributionum qualitates manifeſtè cognoſceot, & hanc ſuam notitiam velut ſeotentiam quamdam iudicandis intimabunt, & pandent. Vnde Richardus Victorinus ait, Apoſtoli- *Richard. tract. de iudiciaria poteſt.* cos viros iudicandorum quemlibet iudicare, erit dandæ ſententiæ rationem oculis eorum ingerere. Ecce iudicum dignitatem illis paratam, qui rebus mundi propter Chriſtum renuntiauerint, & in perfectionis itinere, ſe obſequio eius addixerint.

Sed quia hæc dignitas tanta eſt, vt neque in cor hominis caderet, ſi Deus eam pauperibus non promiſiſſet, operæ pretium erit, hunc eſſe ſenſum verborum Chriſti, patrum authoritate fulcire. Habemus enim non paueos eorum, qui hanc iudiciariam poteſtatem Apoſtolis delatam ad illos extendant, quorum tanta fuit fœlicitas, vt in rerum abrenuntiatione & vitæ ſancta conuerſatione, Apoſtolos imitarentur. Incipiamus autem à recentioribus & vſque ad ſummam antiquitatem tractationem producamus, vt conſtet quàm fixis radicibus nitatur iſta ſententia. Antoninus ait, *Ant. 3. p. tit. 16. c. 10. 33. 8.* religioſos perfectos venturos cum Chriſto in fine mundi, non iudicandos, ſed iudicaturos, iuxta *Iob. 36 6.* illud, quod ſcriptum eſt in Iob: Deus noo ſaluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.] Non, inquam, ſaluabit impios, nec ab æterna damnatiune eripiet, immo ſententia pauperum perſectorum ore prulata, inferni carceribus deputabit. Hunc autem Iobi ſenſum ſanctus hic Doctor ex Gregorio deſumpſit. Iudicium, inquit, *Greg. 26. mor. c. 20* pauperibus tribuit, quia quanto huie mundo magna humilitate deſpecti ſunt, tanto tunc acceptis ſedibus maiore culmine poteſtatis excreſcunt.

Saoctus

Bonauen. diſ. 47 q. 1. A Sanctus Bonauentura, & ipſe Doctor egregius, ſic eandem ſententiam affirmat: Iudex in aliquo dicitur duplici ratione. Aut quia ipſius eſt ferre ſententiam, aut quia aſſiſtit ferenti, ſecundùm quod aliqui iudices aſſiſtunt, & quodammodo conſulunt iudici principali. Qui ergo fert ſententiam, ille eſt iudex principalis, & talis eſt ſolus Chriſtus, ſicut patet in Matthæo (*Matt. 25.*): vbi exprimitur quomodo feret ſententiam. Qui autē aſſiſtunt iudici, etiam nomen & dignitatem iudicantis ſortiuntur, & tales ſunt viri perfecti, qui vltra opera neceſſitatis præceptorum, ſupererogauerunt perfectionem conſiliorum; tales autem ſunt Apoſtoli principaliter, tanquam capita, & eorum perfecti imitatores.

D. Thom. in 4. d. 47 q. ar. 2. q. 2. Beatus Thomas Aquinas Eccleſiæ lumen veriſſimum, eidem doctrinæ ſubſcribit; ſic enim ait: Paupertati debetur iudiciaria poteſtas ſpecialiter propter tria. B Primò, ratione congruitatis, quia voluntaria paupertas eſt eorum, qui omnibus quæ mundi ſunt, contemptis, ſoli Chriſto inhærent, & ideo non eſt eis aliquid, quod eorum iudicium à iuſtitia deflectat, vnde idonei ad iudicandum redduntur, quaſi veritatem iuſtitiæ prę omnibus diligentes. Secundò, per modum meriti, quia humilitati reſpondet exaltatio pro merito. Inter omnia autem, quæ hominem in hoc mundo deſpectum faciunt, præcipuum eſt paupertas: vnde & pauperibus excellentia iudiciariæ poteſtatis promittitur, vt ſic, qui ſe propter Chriſtum humiliat, exaltetur. Tertiò, quia paupertas diſponit ad prædictum modum iudicandi.

Anſel. epiſt. 10. C Poſt hunc ſequatur Anſelmus in quadam epiſtola, ſic ſcribens: Ipſe quippe conſulit ad perfectionem nitentibus, vt omnia relinquant, & ſequantur. Ipſe omnia relinquentibus & ſequentibus ſe promittit, quia ſedebunt cum illo in iudicio, iudicantes tribus duodecim Iſraël.

Prodeat nunc Bernardus, ac de hac re dicat nobis quid ſentiat. Illud quidem Pſalmi (*Pſal. 140. 6.*): Abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum,] de pauperibus voluntariis intelligens ſic ſcribit (*Bern. ſer. 8. in Pſal. Qui habitat.*): Abſorpti planè in affectum iuſtitiæ, & petræ ſoliditatem, cui iuncti ſunt imitantes, iuncti, inquit, petræ, quam profectò ſolam vt ſequerentur, cætera omnia reliquerunt. Nempe hoc eſt quod interroganti Petro quidnam accepturi eſſent, petra ipſa reſpondit (*Matt. 19. 28.*): Cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & D vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.] Hæc quoque Propheta pronuncians, ait (*Iſa. 3. 14.*): Dominus ad iudicium veniet cum ſenioribus populi ſui.] Tu ne putes flexibile quippiam inueniendum in iudicibus iunctis petræ? Qui adhæret Deo, Apoſtolus ait (*1. Cor. 6. 17.*), vnus ſpiritus eſt:] qui & petræ iungitur, lapis vnus. Ad quod ſanè Propheta non immeritò ſuſpirans, Mihi, inquit, adhærere Deo bonum eſt.] (*Pſal. 72. 28.*) Ita ergo abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum. O familiaritatis gratiam, ô honoris culmen, ô fiduciæ priuilegium, ô prærogatiuam ſecuritatis perfectæ! Quid enim tam pauendum, quid tam plenum anxietatis, & vehementiſſimæ ſolicitudini excogitari poteſt, quàm iudicandum aſtare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare ſub tam E diſtricto iudice ſententiam? Horrendum eſt (ait Apoſtolus) incidere in manus Dei viuentis.] (*Hebr. 10. 31.*) Iudicemur interim, fratres, & terribilem illam expectationem præſenti ſtudeamus declinare iudicio. Non iudicabit Deus bis in idipſum. Sanè vt quorumdam peccata, ſic & quorumdam ſtudia bona manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium: vt illi quidem non expectantes ſententiam, proprio ſtatim pondere criminum in tartara deiiciantur: iſti verò è regione A paratas ſibi ſedes tota libertate ſpiritus ſine vlla cunctatione conſcendant. Fœlix paupertas voluntaria omnia relinquentium, & ſequentium te Domine Ieſu.

At alio loco idem ſanctus pater Bernardus ſic ſcribit (*Bern. de clara E- co nos re- ligm. &c.*): Pro confuſione veſtra duplici, & rubore pars veſtra laudabitur. Propterea enim in terra ſua duplicia poſſidebunt, & lætitia ſempiterna erit in Chriſto. In exilio vobis afflictio duplex, humilitatis vtique & laboris, ſed conſolamini, & nolite deficere, quoniam in terra veſtra, terra vtique viuentium, duplex vos nihilominus remuneratio manet ſublimitatis, & delectationis. In ſedibus enim quies imperturbata eſt, in iudicio dignitatis eminentia commendatur. Quis verò ſæcularis honor excogitari B poteſt, qui non prorſus in tantæ ſublimitatis comparatione vileſcat? Non vnius ſiquidem ciuitatis aut populi, ſeu regionis vnius, ſed vniuerſitatis iudices habent præſidere cum Chriſto. Nec ſolùm homines, ſed & ipſos angelos iudicabunt, qui parentem ad modicum vaporem præſentis gloriæ dedignantes, & exufflantes, improperium Chriſti vniuerſis præferunt titulis dignitatum. Nolite timere puſillus grex (*Luca 12. 32.*), quoniam complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.] Diffinitum eſt concilium, quod non euacuabitur, propoſitum immutabile perſeuerat. Denique iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.] (*Pſal 109. 4.*) Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos iudicantes.] (*Matt. 19 28.*) C Quid glorioſius? Iudicent nunc, & præiudicent ſuperbiæ filij, cū rege ſuo ſedeant, qui ſibi latera Aquilonis elegit. Exaltentur, & leuentur ſicut cedri Libani. Tranſiuimus, & ecce non erunt. Et poſt pauca. Hæc enim & perfectorum gloria ſingularis, inter ipſos etiam eminere fideles, & cæteris quoque ſaluandis præeminere authoritate iudiciariæ poteſtatis, vt iuxta illud de Pſalmo ſedeant ſupra domum Dauid. Quid iſtud miſeriæ eſt, quòd ad verbum tantæ promiſſionis negligentia humana dormitat? Popule meus, ait Dominus, quid tibi debui facere & non feci?]

Beda ſer. de S. Benedicto. Poſt Bernardum audiamus venerabilem Bedam ſic concionantem: Sciendum namque eſt, omnes, qui ad exemplum Apoſtolorum ſua reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt Chriſtum, D iudices cum eo venturos, ſicut etiam omne mortalium genus eſſe iudicandum. Quia enim duodenario ſæpe numero ſolet in ſcripturis vniuerſitas deſignari, per duodecim ſedes Apoſtolorum, omnium numeroſitas iudicantium; & per duodecim tribus Iſraël, vniuerſitas eorum, qui iudicandi ſunt, oſtenditur.

Greg. 27. mor. c. 20 Accedat nunc Gregorius, & propoſitis quatuor hominum generibus, vnum eorum, qui iudicantur, & pereunt, vt improbi fideles, alterum eorum, qui non iudicantur, & pereūt, vt omnes infideles. Quid de aliis duobus ſentiat, nunc exponat. Ex electorum verò parte alij iudicantur, & regnant, qui vitæ maculas lacrymis tergunt; qui mala præcedentia factis ſequentibus redimentes, quidquid illicitū aliquan- E do fecerunt, ab oculis iudicis eleemoſynarum ſuperductione cooperiunt. Quibus iudex veniens in dextera conſiſtentibus dicit; Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c.] (*Matt. 25 42. n. 34.*) Quibus præmittit dicens: [Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.] Alij autem non iudicantur, & regnant: qui etiam præcepta legis perfectione virtutum tranſcendunt, qui nequaquam hoc ſolum, quod cunctis diuina lex præcipit, implere contenti ſunt, ſed præſtantiori deſi-

derio

derio plus exhibere appetunt. Quibus Dominica voce dicitur: Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſraël.] Et de quibus Propheta ait: Dominus ad iudicium veniet, cum ſenioribus populi ſui.] Et de quibus Salomon, cùm de ſanctæ Eccleſiæ ſponſo loqueretur, intulit dicens: Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ.] Hi itaque in extremo iudicio non iudicantur, & regnant: quia cum authore ſuo etiam iudices veniunt.

Matt. 19. 28. *Iſa. 3. 14.* *Prou. 31. 23.*

Veniat nunc Cyrillus Alexandrinus, & dicat quomodo intelligat illud Iſaiæ, Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam.] Nunc, inquit, id eſt, in hoc ſeculo, occultata eſt gloria Sanctorum, &, ſi faſtum mundi reſpicias, minimi eſſe videntur, qui illuſtrem non habent gloriam. Sed rurſus vbi illuxerit de cœlo Chriſtus, tunc etiam, qui habitus eſt minimus, & pauciſſimus, creſcet in magnam gentem. Præficietur enim populis, & imperitabit multis, vtpote in hac vita confecto curſu laudabili. Quod videre eſt ex his quæ dixit Chriſtus. Nam affatus Apoſtolis, inquit: Cùm Filius hominis ſedebit in throno gloriæ ſuæ, tunc etiam ſedebitis vos in duodecim thronis, iudicantes duodecim tribus Iſraël.]

Iſa. 60. 22. Cyrill. li. 1. in Iſa. ad c. 60. *Matth. 19. 28.*

Auguſtinus Cyrillo paulò vetuſtior, in eandem ſententiam cum aliis Patribus manifeſtè conſpirat. Nam quodam loco ait, non duodecim tantùm, ſed plurimos eſſe cum Chriſto iudicaturos. Eius verba ſunt: Nec quoniam ſuper duodecim ſedes ſeſſuros eſſe ait, duodecim ſolos homines cum ipſo iudicaturos putare debemus. Duodenario quippe numero, vniuerſa quædam ſignificata eſt iudicantium multitudo, propter duas partes numeri ſeptenarij, quo ſignificatur plerumque vniuerſitas. Quæ duæ partes, id eſt, tria & quatuor, altera per alteram multiplicatæ, duodecim faciunt. Nam & quatuor ter, & tria quater duodecim ſunt: & ſi qua alia huius duodenarij numeri, quæ ad hoc valeat, ratio reperitur. Alioquin quoniam in locum Iudæ traditoris Apoſtolum Mathiam legimus ordinatum, Apoſtolus Paulus, qui plus illis omnibus laborauit, vbi ad iudicandum ſedeat, non habebit: qui profectò cum aliis Sanctis ad numerum iudicum ſe pertinere demonſtrat, cùm dicit: Neſcitis quia Angelos iudicabimus.] Alio verò loco, qui ſint iſti multi explicat, dicens. Ambulent itaque perfectionis viam, venditis omnibus ſuis rebus, & miſericorditer erogatis. Sed ſi verè pauperes Chriſti ſunt, & non ſibi, ſed Chriſto colligunt, infirmiora eius membra quare puniunt, antequam ſedes iudiciarias acceperint? Si enim tales erunt, qualibus Dominus dicit, [ſedebitis ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſraël:] & de qualibus Apoſtolus dicit: [Neſcitis quoniam Angelos iudicabitis?] præparent potiùs non criminoſos, ſed religioſos diuites recipere in tabernacula æterna, à quibus amici facti ſunt de mammona iniquitatis.

Aug. 20. de ciuit. c. 20. *1. Cor. 6. Aug. epi. 89. q. 4.*

Hieronymus einſdem veritatis aſſertor eſt, cuius hæc eſt oratio: Seipſum Deo offerre, Chriſtianorum & Apoſtolorum eſt, qui duo cum vidua paupertatis ſuæ in gazophylacium æra mittentes, totum cenſum, quem habuerant, Domino tradiderunt, & merentur audire: [Sedebitis ſuper duodecim ſolia, iudicantes duodecim tribus Iſraël.] Necnon & Gregorius Nazianzenus: nam multis religioſorum laudibus expoſitis, hanc etiam adiungit, quòd ipſorum ſit in extremo die ſedere ſuper thronos.

Hier. epi. 28. *Nazian. orat. 1. in Iulianũ.*

De Origene certum eſt in eandem abiiſſe ſententiam, ſic enim ait: Qui ergo ſecuti ſunt Chriſtum non quædam, ſed omnia relinquentes, [ſedebunt ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſraël.] Et infrà. Quod autem dicit, [ſedebitis & vos ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſraël] dicitur ad Apoſtolos, & ad eos, qui Apoſtolicam imitati ſunt vitam, iudicatores Iſraël, qui generoſiores toto mundo habentur. Si quis ergo reliquerit omnia, & ſecutus fuerit Ieſum, quæ Petro promiſſa ſunt, & ipſe recipiet. Hæc ille.] Qui cùm non doctrinam à ſe inuentam, ſed à maioribus traditam ſcribere videatur, certum apparet, eam ab Apoſtolis proceſſiſſe, ac omnem antiquitatem in huius veritatis aſſenſum conſpiraſſe.

Origenes tract. 9. in Matth.

Hi autem iudices hominum cum Chriſto ſeſſuri non ſunt tot numero, quot prima fronte videntur. Quia non omnes, qui votum paupertatis emiſerunt, iudicaturi ſunt mundum, ſed qui votum emiſſum fideliter impleuerunt. Abſurdum enim eſſet putare, quòd imperfecti religioſi, qui vix in negotio paupertatis abſque graui peccato conuerſati ſunt, aut qui ſub pauperum velamine ſua commoda quæſierunt, & delicatiùs ac abundantiùs, quàm in ſæculo victitarunt, ſint ad iudiciariam poteſtatem admittendi, & cum Apoſtolis & viris Apoſtolicis numerandi. Non emiſſi voti, ſed impletionis eius ratio habebitur in illo die, & non ſtatus perfectionis perfectione vacuus, ſed vita perfecta ſtatum ipſum implens, & ornans ad tantæ dignitatis meritum computabitur. Optiméque Antoninus non omnibus religioſis, ſed religioſis perfectis hanc prærogatiuam iudicandi alios, & Chriſto aſſidendi, ſuprà conceſſit, eodémque ſenſu reliqui Patres intelligendi ſunt. Igitur qui in ſtatu perfecto perfectus non fuit, immò nec mediocriter profecit, immò nec aliquam indigentiam pro Chriſto experiri voluit, & more diuitum lautè & opiparè manducauit, & delicatè in his, quæ ad veſtitum, & cellam, & reliqua attinent, ſe geſſit, iudiciariæ poteſtati valedicat, &, ſi ad eam ſe aſcenſurum cogitauerit, ſeipſum irrideat. Hæc poteſtas illi paupertati promiſſa eſt, quæ ſecum Chriſti ſequelam inuoluit, & vſque ad eius imitationem procedit. Illi autem non ſequuntur, neque imitantur illum (niſi valde à longè ſicut communes fideles) qui in ſtatu paupertatis poſiti, nihil ferè paupertatis niſi nomen habent, aut ſi aliquid habent, inuiti, & queruloſi, & murmurationum pleni habent, & quotieſcumque poſſunt, ab incommodis paupertatis ſe ſubtrahunt. Quomodo ergo ad ſummam dignitatem perfectis & feruidis præparatam aſpirare audebunt? Satis liberaliter cum illis agetur, ſi à dextris cum bonis Chriſtianis conſtituantur, & poſt pœnas de ſua tepiditate datas, iudicati ſaluentur. Neque in hoc ſupra modum nos tepidos ſpiritu & imperfectos deprimimus, quoniam communes fideles, ſi legem ſeruauerint, increpatione digni non ſunt, cùm nihil aliud ſeruandum promiſerint. At nos, qui vltra legem polliciti ſumus conſilia ſeruare, & rebus abrenuntiare terrenis, qua reprehenſione digni erimus, ſi conuerſatione noſtra pares ſolùm aliis fidelibus inueniamur? Certè inter illos locum in iudicio non ſine rubore tenebimus, cùm celſiorem locum ſtatui noſtro paratum potuerimus obtinere, & fratres noſtros, quia feruidè & perfectè vixerunt, inter iudices ſedere videamus.

Pauperes itaque Euangelici cæteros iudicabunt, ſi ad perfectionem aſcenderint, & vitam habuerint, paupertati, quam ſunt profeſſi, conformem. Decet enim, vt humiles exaltentur, iuxta illud:

Qui

Luc. 18. 14. Qui ſe humiliat exaltabitur.] Hi verò ſũt veri humiles, qui ex deſpicientia ſua, rebus terrenis carere volunt, & indigentiam ac penuriã pro Chriſto ſuſtinere magnum ducunt. Decet vt contemnentes temporalia, & non diligentes munera, tãquam mente liberi & expediti ad iudicandum vocentur. Hi autẽ ſunt perfecti viri paupertatẽ amantes, qui vtilitatibus huius ſæculi affectu non adhæſerunt, ſed mente ad res cœleſtes appetendas euolarunt. Decet vt ſapientes examinent ignorãtes, & perfecti imperfectos diſcutiant. Qui verò paupertatem, quam profitentur, ſeruant, & virtutibus magnis ornant, ſapiẽtes ſunt, quibus cœleſtia ſapiunt, & terreſtria deſipiunt. Æquum eſt proinde, vt inter iudices ſedes obtineant, & cum Chriſto ad iudicandum procedant. Hinc autẽ conſtat, iudices in extremo iudicio futuros eſſe pauciores, quã aliquis poterat cogitare. Si verò adhuc multi videntur, quia innumerabilis eſt multitudo religioſorum perfectorum (præſertim ſi alij ſancti eſſent iudicaturi, quod aliqui exiſtimant) qui iſta ſecum cogitat, ſciat ad tantam multitudinem iudicandorum, iudices conuenienti numero eſſe admittendos. Sicut enim in curia regis Hiſpaniæ ſunt quinquaginta ſenatores plus minuſve ad negotia regni tractanda: & hi per ſe ſumpti multi videntur, at non multi ſed ſufficientes ſunt, conſiderato numero, & grauitate negotiorum occurrentium, ac multitudine litigãtium: Ita ad iudicium extremũ regis cœleſtis omnes religioſi perfecti, & ſiqui ſunt alij ex ſanctis, aſſumẽdi ſunt iudices, qui licèt ſint quamplurimi, tamen ad innumerabilem multitudinem iudicandorum, tum fideliũ, tum infidelium, comparati, non tam multi apparebunt. Hoc ergo præmium Euãgelicæ paupertati delatum eſt, quòd pauperes perfecti aliorum ſint iudices. Certè præmium mirabile, atque magnificum, vt vbi reges contremiſcunt, vbi imperatores, & magnates huius ſæculi erubeſcunt, vbi nobiles & diuites, & potẽtes nõ ſine metu ſtãt, expectãtes ſententiã abſolutionis, aut dãnationis ſuæ, pauperes ſecuri & alacres ſedeãt, & aduerſus eos, qui ſe deſpexerũt, ſẽtẽtiã ferãt. Quis non ſtupet ad huius honoris cõſiderationẽ. Quis non admiratur diuinã in pauperes & humiles liberalitatẽ? Quis nõ paupertatẽ arctè fideliterq; cuſtodiat, vt, Deo donãte, ad tãtam dignitatẽ aſcendat?

De cẽtuplo in hac vita, & in futura Pauperibus tribuẽdo.

CAPVT XIII.

Luc 6. 38. QVAM plena veritatis eſt illa Saluatoris ſententia. [Menſuram bonã, & confertã, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt, in ſinũ veſtrũ.] Dat ille pauperibus ſuis menſurã bonam quia nihil ab eis geſtum, aut propter perfectionẽ dimiſſum, ſine iuſto præmio relinquet. Dat menſuram confertã, quia magnitudinẽ præmij ſui, quaſi premet, atq; cõſtringet, vt illud capiat anguſtia cordis humani. Dat menſurã coagitatam, quia præmio præmium, & mercede mercedẽ adauget. Dat menſurã ſupereffluentem, quia multiplex præmium ſuum nõ in anima ſe cõtinet, ſed ad corpus quoq; deſcẽdit. Mẽſura bona pauperibus data & theſaurus illis paratus in cœlo. Quid enim iuſtius quàm quòd illi, qui propter Chriſtũ theſaurum in terra dimiſerunt, theſaurum in cœlo recipiant? Menſura cõferta, eſt iudiciaria poteſtas, qua gentes iudicabũt, quæ profectò quaſi coanguſtanda eſt, & premenda, vt puſilla mens hominis illam capiãt. Menſura coagitata, & ſupereffluens, eſt multiplicatio quaſi eorum bonorum, quæ pauperes dimiſerunt, in futura vita, & in hac vita reddenda. Nam hæc bona coagitantur cùm in immenſum augentur, & ſupereffluunt cùm ab alia vita in hanc deriuantur, & ab anima ad corpus veniunt. Adduxit Dominus religioſos ad terram bonam, & fructuum ſuauiſſimorum feracem, in qua à ſe relicta, aucta, & centuplum multiplicata reperiunt. Hæc eſt conuerſatio religioſa, ad quam illud Dauidis poteſt aptari: Pſal. 161. 11. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.] Verè, Domine, non deduxit me ſpiritus hominis in terram hanc, nam iſte ſibi relictus, potiùs ſolet à tuo obſequio diuellere, & ad ſæcularia trahere. Non deduxit me ſpiritus angeli, qui poteſt quidẽ bonum ſuadere, non tamen perſuadere, nec voluntatem ſine gratia tua ad boni conſenſum inclinare. Sed deduxit me ſpiritus tuus, qui illæſo manente libero arbitrio meo, inſtinctibus & auxilijs ſuis potens eſt corda hominum conuertere quocumq; voluerit. Spiritus autem iſte tuus, ſpiritus ſanctus eſt: nam idẽ propheta ait: Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.] Spiritus vitæ eſt, cùm ſcriptum ſit: Pſal. 50. 13. Spiritus vitæ erat in rotis.] Ezech. 1. 20. Spiritus Domini mei eſt, & [requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.] Iſaia 11. 2. Spiritus veritatis eſt, ſub quo nomine fuit antea promiſſus: [Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.] Ioan. 16. 13. Sed hîc vocetur ſpiritus tuus bonus; quoniã hæc vocatio, hæc deductio mea opus eſt infinitæ bonitatis, omnia alia comprehendens. Spiritus bonus, & ſanctus tuus vocauit me, quia ad ſanctitatem vocauit. Spiritus bonus, & vitæ, excitauit me, quoniã à peccati morte ad gratiæ vitam excitauit me. Spiritus bonus Domini deduxit me, quoniã vt fidelis eſſem ſeruus, adduxit. Spiritus bonus & verus erudiuit me, quoniam ad falſitatem odio habendam, & veritatẽ diligendam erudiuit. Hic ſpiritus tuus bonus, ſanctus, viuus, & verus, eduxit me à terra, in qua eram, ad terram, ad quam nondum perueneram.

Eram ego in hac lacrymarum valle, in terra, de qua ſcriptum eſt: Terra erat inanis, & vacua, vel, vt alius tranſtulit, inuiſibilis, & incompoſita. Non ne inanis, ſiquidem rebus ſuis numquam nos ſatiat? Nõ ne vacua, quandoquidem diſceſſit ab ea bonitas, & veritas? Non ne inuiſibilis, & obſcura fallacijs, dolis & technis? In qua diligimur, ſed propter lucrũ; honoramur exterius, ſed in corde contemnimur; laudamur præſentes, & vituperijs abſentes afficimur. Nonne incompoſita, atq; deformis, peccatorum deformitate, & fuligine: quia [non eſt veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra?] Oſea 4. 1. Nõ ne bonorum vacua eſt illa terra, cuius memoriam faciens Ieremias, ait: Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihili: & cœlos, & non erat lux in eis? Iere. 4. 23. Vidi montes, & ecce mouebantur, & omnes colles conturbati ſunt. Intuitus ſum, & non erat homo, & omne volatile cœli receſſit.] Virtutum vacua eſt, nihil in ea reperitur, quod animo ſatisfaciat: aliorũ rectores orbati luce, & ſapientia ad regendum; & potentes, ſtabilitate & conſtãtia priuati ſunt. Inter multos homines vix vnum inuenimus hominem, qui ſcilicet ratione, & non paſsione ſe gubernet: Inter multos ſapientes vix vnus ſapiens, qui cogitatione ac deſiderio ad cœleſtia ſe efferat. Ab hac miſera terra euocaſti me domine, & deduxiſti me in terram rectam, in ſtatum hunc rectitudinis, ad omnem virtutem exhortantem, omnem viam ſanctitatis docentem. In terram rectam, quæ recta, & ſine vllis ambagibus, tẽdit in cœlum. In terram rectam, quæ tota imitatio quędam eſt iuſtitiæ tuæ, quam homo factus, verbo & exemplo monſtraſti. In terram rectam, quæ omnem obliquitatem vitiorum fugit, omnem curuitatẽ peccatorũ auerſatur, & eorum animorum, de quibus dictũ eſt, [Recti diligunt te,] ferax eſt: In hac autẽ terra Cant. 1. 3.

recta conſtitutũ propter nomen tuũ viuificabis me.
Aug. ad pſal. 142. Quæ enim mea opera, inquit Auguſtinus, ſine tuo
adiutorio computantur? Vnde impetrarẽ dignúſq;
eſſem deduci à ſpiritu tuo in terram rectã? Quæ ope-
ra mea, vel quæ merita mea? niſi quòd propter te-
metipſum, & propter bonitatem tuã deduxiſti me,
vt gratia tua, & iuſtitia tua viuificares me? Deduxiſti
me in terram hanc, vt gratia viuificatum donis tuis
cumulares, & centuplũ pro his, quæ tui cauſa in terra
non recta reliqueram, redderes. Deduxiſti me, vt
menſurã bonam, & confertam, centupli adiectione
in cœlis mihi parata, coagulatam faceres, & ad hanc
vitam redundantem, etiam ſupereffluentem effi-
ceres.

Iam ergo tertium hoc præmium pauperibus pro-
miſſũ explicemus. Promiſſus eſt illis theſaurus; [ven-
de quæ habes,] & habebis theſaurum in cœlo: ecce
primum præmium. Promiſſa eſt illis iudiciaria pote-
ſtas: [ſedebitis ſuper thronos:] ecce ſecundum præ-
mium. Promiſſum eſt illis centuplum eorũ, quæ di-
Matt. 19. 28. miſerant. Nam [omnis, qui reliquerit domum, vel
fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrẽ, aut vxorẽ,
aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplũ
accipiet, & vitam æternã poſſidebit.] O magnificã,
& Deo dignam promiſſionem, ô coagitatam, & ſu-
pereffluentem mẽſuram, qua Dominus accepta per-
ſoluit! O largitatem incõparabilem, qua Deus priùs
temporalia dedit, & poſtea pro tẽporalibus dimiſ-
ſis eadem temporalia centuplicata reſtituit, & æter-
na temporalibus adiicit! Sed iam quod qualéque
ſit hoc centuplum veſtigemus.

Dabitur pauperibus euangelicis centuplum in
patria cæleſti, id eſt, gloria quædã ſingularis, quæ o-
mnes res ab illis dimiſſas, & poſſibiles dimitti, in infi-
nitũ excedat. Dabitur illis Deus ipſe, vt ſit ipſis loco
patris, & matris, & fratrum, & ſororum, & domorũ,
& agrorum, & reliquorum omnium, quæ Dei cauſa
reliquerant. Qui cùm quamlibet harum rerum, &
vniuerſas ſimul iunctas infinitè ſuperet, centuplum,
& infinities quàm centuplum illis confertur. Idq; in-
Rom. 8. 18. dicant illa Pauli verba: Non ſunt cõdignæ paſſiones
huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabi-
tur in nobis.] Et illa, quæ de imaginibus horum paupe-
rum, id eſt, de ſacerdotibus legis veteris ſcripta ſunt.
Ezech. 44. 28. Non erit eis hæreditas] intellige in hoc ſæculo, [ego
hæreditas eorum; & poſſeſſionem non dabitis eis in
Iſrael, ego enim poſſeſſio eorum. Dominus eſt pars
Pſal. 15. 6 hæreditatis eorũ.] Funes ceciderunt illis in præcla-
ris:] etenim hæreditas illorum præclara eſt illis. Cùm
autem Dominus ſit omnium iuſtorum merces, quid
ſingulare habent pauperes Deum poſſidentes, vt cẽ-
tuplum illis attributum dicatur? Certè quòd in eo,
& de eo, ac de omnibus bonis à ſe dimiſſis in infini-
tum gaudebunt. Sentient in eo amorem patris, dile-
ctionem matris, beneuolẽtiam fratrum, teneritudi-
nem ſororum, neceſsitudinem amicorum, & loco di-
uitiarum ab ipſis contemptarum abundantiam o-
mnium bonorũ. Dicéntque, Parua, & nullius valoris
ad breue tempus dimiſimus, & infinita ad æternita-
Hierony. tem nobis donata ſunt. Et hunc ſenſum tangit Hie-
ronymus dicens: Qui carnalia pro Saluatore dimi-
ſerit, ſpiritualia recipiet, quæ comparatione & meri-
to ſui ita erunt, quaſi ſi paruo numero cẽtenarius
numerus comparetur. Hæc eſt menſura coagitata,
quæ ita copiam meritorum excedit, vt exceſſum iſtũ,
nec lingua eloqui, nec mens cogitare ſufficiat.

Eſt etiam menſura ſupereffluens, quia hoc centu-
plum non ſolùm in alia vita paratum pauperibus, ſed
& in hac vita tributum eſt: Nam Marcus ait: Nemo
Marc. 10. 29. eſt, qui reliquerit domos, aut fratres (&c.) propter
me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies
tantum, nunc in tempore hoc.] At quod eſt centu-
plum in hac vita redditum? Primò, eſt ipſe Chriſtus,
quem pauperes poſſident, qui illis eſt inſtar omnium:
& in eo patrem & matrem, & fratres, & ſorores, &
reliqua habent: iuxta illud; Qui fecerit voluntatem
patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, *Matt. 12. 50.*
& mater eſt.] Secundò, ſunt omnia creata, quæ, vt *Rom. 8. 28.*
Paulus ait, Diligentibus Deum] & illis præcipuè, qui
eum tantum diligunt, vt propter eum cuncta reliquerint,
[cooperantur in bonum.] Tertiò, centuplum eſt gau-
dium & ſpiritualis exultatio, quam de paupertate cõ-
cipimus. Plùs enim nos in penuria & indigentia,
quàm diuites in abundantia gaudemus: & plùs nos
panis cibarius, & alimentum inſipidum quàm diuites
ſimila, & cibi ſuaues, delectant. De quo hæc Caſſia- *Caſsian. collat. 24. c. 26.*
nus. Habes ergo iſtam centupli retributionem in
magnitudine meriti, & in diſcretione tam incom-
parabilis qualitatis expreſſam. Neq; enim ſi pro æris,
aut ferri, aut vilioris cuiuſquam metalli certo pon-
dere, tantundem ponderis, ſed auri quiſpiam reddi-
diſſet, non etiam amplius quàm centuplum reſti-
tuiſſe videretur: ita cùm pro contemptu voluptatum
atq; affectuum terrenorum, ſpirituale gaudium, &
pretioſiſsimæ charitatis iocunditas repenſatur, etiam
ſi ipſe ſit numerus, centuplo tamen hæc maior atq;
præclarior eſt. Et Bernardus. Centuplum, inquit,
accipiet, & vitam æternam poſſidebit: illud enim, in *Bern. declamat. ſup. ecce nos reliq. omn.*
via; hæc, in patria eſt. Immo hæc, patria; illud, via.
Illud conſolatio præſentis laboris; hæc, futuræ fœli-
citatis conſummatio eſt. Sic nimirum & operarijs
huius ſæculi ſolet cibus in opere, merces in fine dari.
Sic militãtibus & ſtipendia miniſtrãtur pro neceſſi-
tate laboris, & nouiſſimè donatiuũ maius erogatur
pro quantitate laboris. Sic & filijs Iſraël donec terrã
promiſſionis intrarent, in deſerto mãna non defuit:
& ab Eccleſia poſt quæſitum regni cœleſtis aduentũ,
quotidianus panis petitur in oratione, quam ipſe Sal-
uator inſtituit. Habes hanc duplicem promiſſionem,
& in propheta euidenter expreſſam, vbi ait: Reddet *Sap. 10. 17.*
Deus mercedem laborum ſanctorum ſuorum, & de-
ducet eos in via mirabili:] ipſa eſt enim via teſtimo-
niorũ Domini, in qua propheta alius ſicut in omni-
bus diuitijs delectatum ſe eſſe teſtatur. Et poſt pauca:
An non centuplum habet omnium, qui impletur ſpi-
ritu Sancto, qui Chriſtũ habet in pectore? Niſi quòd
lõgè pluſquam centuplum eſt viſitatio paracleti ſpi-
ritus & præſentia Chriſti. Quàm magna, inquit, mul- *Pſal. 30. 20.*
titudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti ti-
mẽtibus te, perfeciſti eis, qui ſperãt in te.] Vides quo-
modo memoriam abundantiæ ſuauitatis huius eru-
ctet anima ſancta, quomodo exprimere geſtiens ver-
ba multiplicet. Quàm magna, inquit, multitudo. Hoc
ergo centuplum adoptio filiorum eſt, libertas & pri-
mitiæ ſpiritus, deliciæ Charitatis, gloria conſcientiæ,
regnum Dei, quod intra nos eſt. nõ vtiq; eſca, vel po-
tus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in ſpiritu Sancto.
Gaudium, ſanè non modò in ſpe gloriæ, ſed etiam in
tribulationibus. Hic eſt ignis, quem voluit Chriſtus
vehementer accendi. Hæc virtus ex alto, quæ An-
dream fecit amplecti crucem; Laurentium, ridere
carnificem; Stephanum pro lapidantibus flectere
genua ad orationem. Hæc illa pax, quam ſuis reli-
quit Chriſtus, quando dedit & ſuam. Siquidem,
donum & pax eſt electis Dei: pax vtique præſentis,
& donum futuræ. Et Petrus Damianus: Quid eſt
centuplum iſtud niſi conſolationes, viſitationeſque,
& primitiæ Spiritus, qui ſuper mel dulcis eſt, niſi
teſtimoniũ conſcientiæ noſtræ, niſi læta & iucundiſ-
ſima expectatio iuſtorum, niſi memoria abundantiæ

ſuauitatis Dei,.& magna verè multitudo dulcedinis eius;quam nec expertis neceſſe eſt dicere, nec inexpertis vllis verbis exprimere quiſquam poteſt?Quartò,centuplum eſt vitæ ſpiritualis perfectio,quæ pauperibus Euangelicis datur. Nam qui ſua ex deſiderio perfectionis relinquunt,à Deo mirabiliter iuuantur,vt deſideria ſua impleant,& perfectionē, quam optabant,obtineant. Meritò autem perfectio cētuplum appellatur,quoniā minimus perfectionis gradus non centies, ſed quaſi infinities omnes res temporales excedit. Et de hoc centuplo, inquit Grego-*Gregor. hom. 18. in Ezechiel.* rius,Denarius numerus per ſemetipſum multiplicatus in centenarium ſurgit.Vnde rectè per centenariū magna perfectio deſignatur, ſicut de electis dicitur: Omnis, qui relinquit domū, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios,aut agros propter nomen meum, centuplum *Mat. 19. 29.* accipiet,& vitam æternā poſſidebit.]Neque etenim ſanctus quiſq; ideo terrena deſerit, vt hæc poſſidere in hoc mundo multipliciùs poſſit, quia quiſquis terreno ſtudio terrā relinquit, terrā nō relinquit,ſed appetit. Nec qui vnam vxorem deſerit, centum recepturus eſt,ſed per centenarium numerum perfectio deſignatur.Quia quiſquis pro Dei nomine temporalia atque terrena contemnit, & hic perfectionem mentis recipit,vt iam ea non appetat,quæ contemnit,& in ſequenti ſæculo ad æternæ vitæ gloriam peruenit.Centies itaq; recipit, quod dedit,qui perfectionis ſpiritum accipiens, terrenis non indiget, etiam ſi hæc non habeat.

Quintò tandem centuplum rerum, quas dimiſimus,ſunt ipſæmet res pluſquam centuplicatæ, quæ pauperibus tribuuntur. Quod quomodo fiat, pulcherrimè Caſſianus & Euthymius exponunt.Caſſianus ſic ait: Centuplā namque fratrum parentúmue recipiet quantitatem,quiſquis patris vnius, vel matris,ſeu filij, pro Chriſti nomine, charitate contem-*Caſſian. col. 24. c. 26.* pta,omniū, quæ Chriſto deſeruiunt,delectationem ſynceriſſimam tranſit,pro vno ſcilicet tot inueniens patres fratréſque feruentiore ac præſtantiore ſibi affectione deuinctos. Multiplicata etiam domorum atque agrorum poſſeſſione ditabitur, quiſquis vna domo pro Chriſti dilectione reiecta, innumera monaſteriorum habitacula tamquam propria poſſidebit, in quacumque orbis parte velut in ſuæ domus iure ſuccedens. Quomodo enim non centuplum, &,ſi Domini noſtri ſententiæ ſuperadiici aliquid fas eſt, pluſquam centuplum recipit, qui decem vel viginti ſeruorum miniſteria infida & coactitia derelinquens,tot ingenuorum ac nobilium ſpontaneo fulcitur obſequio? Quod ita eſſe etiam veſtris experimētis probare potuiſtis,qui ſingulis patribus, matribúſque ac domibus derelictis,quālibet mundi partem fueritis ingreſſi, patres, matres fratréſq; innumeros,domos quoque & agros ſeruóſque fideliſſimos,abſque vllo ſolicitudinis labore conquiritis,qui vos vt proprios dominos ſummis ſuſcipiunt, amplectuntur,fouent,venerantur officiis.Euthymius verò *Euthym. Mat. 19.* ſic:Sed quomodo variè multiplicatam accipiet quis hanc retributionem] in præſenti ſæculo? Quomodo? ſicut acceperunt Apoſtoli,& Martyres, cæteríque omnes iuſti.Vide enim quòd omnium fidelium domus ſibi habebant apertas:fratres etiā, & ſorores parauerūt,omnes ſanctos, & ſanctas: patres verò omnes iuſtos colentes, ipſorúmque curā habentes ac erga ipſos compaſſionis affectu tactos:nam hæc ſunt propria patris; matres quoque omnes pari modo ſe habentes: vxores verò omnes miniſtrantes, ſubſeruientes, ac curantes eos: hæc ſiquidem vxoris ſunt opera: filios præterea omnes diſcipulos: Ad

A hæc omnes fidelium agros in ſua poteſtate habebant: quódque omnium eſt maximè admirabile, omnia hæc habebant cum perſecutionibus,prout addidit Marcus, hoc eſt, à fidei inimicis perſecutionem ſuſtinentes.Hæc ille.] Arridet autem maximè quod Marcus addidit. Nemo eſt, qui reliquerit domū,aut fratres,& cætera, qui non accipiat centies tantum in tempore hoc cum perſecutionibus,quod ſine præiudicio aliorū intellectuum à patribus ſignatorum, ſic ego intelligerem, vt etiā hoc additamento magnitudinem & veritatem huius centupli Dominus vellet oſtendere.Et ſit ſenſus: Perſecutio,& afflictio, ſolet gaudium & notitiam boni poſſeſſi minuere,& oculum cōſiderationis humanæ,ne ſua æſtimet bona,turbare.At hoc centuplū,
B quod ego daturus ſum, bona propter me dimittentibus,iam verum & ſolidum, & magnum eſt, vt ipſi inter perſecutiones poſiti,ſe centuplum eorum,quæ dimiſerunt,percepiſſe cognoſcant.

O igitur diues,& beata paupertas quæ tantum & tam multiplex præmium expectas! Relinquis viliſſimum obolum in terra(nihil enim habet amplius ad cœleſtia collata omnis terrena ſubſtantia) & recipis theſaurum in cœlo.Das vnum,quod ſi non dediſſes, poſt paululum amiſiſſes;& reſtituuntur tibi centies rantùm quæ numquam amittes. Modico pretio cæleſtia emis, & breui labore æterna lucraris. Euacuaſti cor vt Chriſtus ipſe illud occuparet, & velut rex magnus,& profuſus in dādo illud ſuis donis im-
C pleret. Abieciſti creata,non ita vt ipſis careres, ſed ne vt heræ tibi dominarentur, ſed magis vt ancillæ ſeruirent. Abieciſti non vt de eorum abſentia triſtareris, ſed vt curis & ſolicitudinibus exonerata gauderes. Libellum repudij deſiderio diteſcendi obtuliſti,vt animum perfectum ſponſum duceres,& ſanctitate fruereris. Nuntium remiſiſti vni patri, & innumeri inſurrexerunt affectu paterno tua curantes: vni aut duobus fratribus,& innumerabiles aſtiterūt, qui te fideliſſimorum fratrum affectu diligerent; vni domo,aut agro,& omnia bona temporalia hoc onus ſubierunt,vt tibi in neceſſitatibus prouiderēt.
D Veriſſimè enim ſcripſit Bernardus: Non æſtiment pauperes, quoniam audiunt, veſtrū eſt regnum cœ- *Bern. ſerm. 21. Cant.* lorum,ſe ſola poſſidere cœleſtia, quia ea ſola audiūt in promiſſione,poſſident & terrena, & quidem tāquam nihil habentes, ſed omnia poſſidentes. Non mendicantes vt miſeri, ſed vt domini poſſidentes, eo pro certo magis domini,quo minùs cupidi. Denique fideli homini totus mundus diuitiarum eſt. Totus planè,quia tā aduerſa quàm proſpera ipſius, æquè ſeruiunt ei,& cooperātur in bonum.] Quòd ſi ô paupertas fœlix,tibi è latere nonnihil abiectionis in hac vita adiungitur,non te pudeat,quia in futuro ſæculo honor veriſſimus aſſectabitur.Ibi potētes huius ſæculi, ſtabunt,tu ſedebis;illi pauebunt,tu læta-
E beris;illi abſolutionis,aut damnationis ſententiā expectabūt,tu eam; quaſi aſſiſtrix Domini pronuntiabis. Iudicent illi in hoc mundo, pro ſuo arbitratu omnia diſponant,te tuóſq; cultores irrideant,atq; cōtemnant, quia poſt modicum è manibus eorum flagello poteſtatis erepto, coram te tamquam rei conſtituentur,& non ſuam voluntatem,ſed Domini expletam videbunt,& irriſores ſanctorum ridebuntur. Sat ſcio hæc tibi ſufficiunt,quæ ſapiens es, & oculos ſplendidos habes,quibus futura conſideres, ſed tota dignitas tua nequaquam in futuro ſeruatur, immo & non contēnendus honor in hoc ſæculo tibi cōfertur. Illi enim ipſi,qui ſe de diuitiis iactant,te fœliciorem exiſtimant,tuam ſortem ſecuriorem & tranquilliorem cogitant,& tuis precibus ſe ſuaque com-

licet colligere, poſſidet ille theſaurum in cœlo, quem proceres huius ſæculi magnos rerræ theſauros poſſidentes ita ſuſpiciunt. Iudex eſt ipſe ex his qui cum Chriſto iudicaturi ſunt mundum, quem in extremo die iudices, & potentes mundi, gratum habere procurant. Centuplum datum eſt illi in patria cæleſti, cuius ſaccum deſpicabilem tam frequens populus non ab alio (vt creditur) quàm à Deo motus ita veneratur, & colit. Centuplum quoque nobis videntibus in hoc mundo recepit, qui quod reges & imperatores vix obtinent, vt principum, & epiſcoporum humeris ad ſepulchrum deferantur, ſolo Deo corda prædicatorũ & clariſſimorum virorum tangente; & nulla humana perſuaſione interueniente conſecutus eſt. Sed iam in fine huius hiſtoriæ tum ſæculares, tum religioſos alloquamur, vt ex ea aliquem fructum decerpant. Illi Hieronymum audiant, vitam cuiuſdam pauperis euangelici, nempe Pauli eremitæ, ita laudantem: Libet in fine opuſculi eos interrogare qui ſua patrimonia ignorant, qui domos marmoribus veſtiunt, qui vno filo villarum inſuunt prædia, huic ſeni nudo quid vmquam defuit? Vos gemma bibitis, ille naturæ concauis manibus ſatisfecit. Vos in tunicis aurum texitis, ille ne viliſſimum quidem indumentum habuit mancipij veſtri. Sed è contrario illi quidem pauperculo paradiſus patet, vos auratos gehenna ſuſcipiet, ille veſtem Chriſti, nudus licèt, tamen ſeruauit, vos veſtiti ſericis, indumentum Chriſti perdidiſtis. Franciſcus hic viliſſimo puluere coopertus iacet reſurrecturus in gloriam: vos operoſa ſaxi ſepulcra premunt cũ veſtris opibus arſuros. Parcite, quæſo, vobis parcite: ſaltem diuitiis quas amatis. Cur & mortuos veſtros auratis obuoluitis veſtibus? Cur ambitio inter luctus lacrymáſq; nõ ceſſat? An cadauera diuitũ, niſi in ſerico putreſcere neſciunt?] Religioſi verò, qui vt ſpirituales viri ab alio moneri non indigent, ſe ipſos moneant, & præmia ſibi parata animaduertant. Hæc merces tam ampla, támque magnifica, quæ ex ſancta morte huius fratris elucet, non ſtatui nudo, ſed ſtatui religioſo operibus ſanctis commendato, promiſſa eſt. Si eam appetunt, ſi ad eã peruenire geſtiunt, contemptũ ſæculi, humilitatẽ, ſpiritũ orationis, obedientiã, animarum zelũ, paupertatẽ, & erga Deum charitatem imitentur. Statum perfectionis habere, & ad perfectionem non properare, non præmium, ſed pœnam meretur. Humilitatem, & paupertatem, & elongationem à ſæculo profiteri, & ex alia parte primas ſedes ac dignitates ambire, indigentiam & penuriam, vt peſtem auerſari, & in res ſæculares incumbere, non laudem ſed vituperationem, & infamiam expectat. Merces vitam mercede dignam exigit; præmium, conuerſationem ſanctam quæ mercedi ſit apta, requirit. Relinquamus ergo corde iam ſæculum, quod ſtatu reliquimus; paupertatis experimenta, ſcilicet nuditatem & penuriam rerum, amemus; Obedientiam & humilitatem, & reliquas virtutes quæramus, vt quod cupimus obtineamus, & triplici præmio pauperum coronemur.

Hieron. in vita Pauli eremitæ

De Mediis ad aſſequendam Paupertatem.
CAPVT XIV.

VIR religioſus, & ſuæ ſalutis auidus, qui hæc, quæ diximus, ſecum meditatus eſt, deſiderium ingens (vt opinor) paupertatis ſeruandæ concepit, &, ſi in ea hactenus minùs circumſpectè ſe geſſit, ſanctum pudorem ſuæ negligentiæ & tepiditatis acquiſiuit. Optat iam ipſe ad mentem redire, & pro amore Dei, ac pro tam ineffabili præmio ſibi

A propoſito votum à ſe emiſſum grauiter obſeruare. Cooperemur ergo deſiderius eius, & aliqua media illi proponamus, quibus ipſe cooperabitur gratiæ Dei, & ad paupertatem habendam iuuabitur.

Si ergo vis ô religioſe vir in te ſpiritum paupertatis promouere, rebus tibi ad vſum conceſſis nequaquam vt propriis vtaris. Ille vtitur rebus ac ſi eſſent propriæ, ac ſi dominium earum haberet, qui nimio affectu illas cupit, & poſſidet, qui eas à prælato non vt per modum eleemoſynæ datas, ſed vt debitas accipit; qui ipſas ſine obtenta facultate dat alteri, aut commodat licèt ſint exiguæ: qui tandem ſine vlla cura conuerſationis & diuturnitatis veſtium, & librorum, & ſimilium, in vſum aſſumit. Hunc itaque vſum hominis proprietarij cauebis, ſi res tibi ad
B vſum adminiſtratas, affectu gratitudinis & humilitatis, vt pauperem decet, de manu prælati & miniſtrorum acceperis, ſi abſque facultate ſuperioris, nemini dederis, nec commodaueris; ſi curioſè & diligenter eas ne inſumantur, quantum fieri poſſit, aut deterantur, ſeruaueris. Sed illud præcipuum eſt, ne huiuſmodi res nimio erga eas affectu poſſideantur, ſed cum quadam ſancta libertate, & quaſi cum contemptu ipſarum noſtris vſibus applicentur. Idque monuit Paulus dicens: Fratres, tempus breue eſt, reliquum eſt vt qui habent vxores, tamquam non habentes ſint, & qui flent, tamquam non flentes, & qui gaudent, tamquam non gaudentes, & qui emunt, tamquam non poſſidentes, & qui vtuntur hoc
C mundo, tamquam non vtantur.] Nihil enim eſt vti hoc mundo, ac ſi eo non vteremur, niſi res ipſius ſine immoderato amore, & ſine affectu minùs ordinato præſumere. Quem ſenſum indicauit Auguſtinus ad Bonifacium ſcribens: Ipſe, inquit, Dominus te exaudiet, vt interiores & inuiſibiles hoſtes, id eſt, ipſas cupiditates inuiſibiliter, & ſpiritualiter, vincas, & ſic vtaris hoc mundo tamquam non vtens, vt ex bonis eius bona facias, non malus fias.] Profectò in rebus paupertatis (vt iam monuimus) non tam rerum vſus, quàm affectus erga res conſiderãdus eſt; illéq; eſt paupertate perfectior, qui quam-
D uis pluribus vtatur, ad illas tamen minùs afficitur. Quod ex geſtis magni doctoris Eccleſiæ Gregorij poteſt agnoſci, cuius liberalitatem quidam monachus, eleemoſynáſque cognoſcens, & ſuam paupertatem ſancti Pontificis miſericordiæ præferens, ſeque ad eundem cum illo gradum gloriæ peruenturũ, ingemiſcens, voce diuina eſt vehementer increpitus, dicente ſibi: Quando diuitem non poſſeſſio facit diuitiarum, ſed cupidò, cur audes paupertatem tuam Gregorij diuitiis comparare? qui magis illam cattam, quam habes, quotidie palpando, nullíque conferendo, diligere comprobaris, quàm ille, qui tantas diuitias non amando, ſed contemnendo, cunctíſque liberaliter largiendo, diſpergit? Simile
E exemplum de ſancto Baſilio narratur, & in vtroque perſpicitur, Euangelicam paupertatem non tam in opere quàm in affectu, & rerum temporalium contemptu, conſiſtere. Ita ergo res huius ſæculi habere nitaris, ſicut ſtatua quædam, quæ ſi ab aliquo veſtibus operiatur, veſtes non amat; nec etiam ſenſum triſtitiæ concipit, ſi veſtibus ſpolietur. Sic perfecti pauperes res accipiunt ad vſum, quia aliter fieri non poteſt, tam ſine affectu, & adhæſione ad illas, ac ſi non acciperent; & rebus carent, & indigentiam ſuſtinent; ac ſi rebus non indigerent.

1. Cor. 7. 29.30.31

Aug. epiſt. ad Boniſ.

Ioan. diacon. lib. 2. vita Gregor. c. 60.

Si ad aliquam rem immoderatè te affici ſenſeris, vt ad cellam, ad menſam, ad librum, aut aliquid huiuſmodi, cura te ipſum vincere, & illud (ſi fieri poſsit) omnino relinquere, aut ſi non poſsit, quia pe-

nitus neceſſarium eſt, pro alio ſimili, accepta à prælato facultate, commutare. Sic enim & vſus manet, & affectus immoderatus diſcedit, & animus magnam libertatem & puritatem acquirit. Beatus ſanè Dorotheus vitæ ſpiritualis magiſter egregius, ſic ſanctiſsimum iuuenem Doſitheum diſcipulum in ſpiritu paupertatis exercuit. Nam cùm is ad gladiolum quendam ſentiret ſe affici, idque magiſtro patefaceret, præcepit Dorotheus illi ne vnquam gladiolum illum vel manu contingeret. Sic etiam religioſi commorantes in monaſterio Beati Gregorij, priuſquam eſſet Pontifex., paupertatis ſpiritui conſuluerunt, de quibus poſt enarratum illum euentum Iuſti monachi proprietarij, quem ſuprà retulimus, hæc B ſanctus Doctor ſcribit: *Greg. 4. mor.c. 55.* Sed fratres omnes ex eadem ejus ſententia conturbati cœperunt ſinguli extrema quæque, & vilia, & quæ eis habere regulariter ſemper licuerat, ad medium proferre, vehementérque formidare, ne quid apud eos eſſet, vnde reprehendi potuiſſent. Idem tandem documentum ex dictis Domini facilè poſſumus elicere, dicentis: *Mat. 18. 8.* Si autem manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum & proiice abs te.] Nomine enim manus, & pedis, vt Chryſoſtomus, & Beda, & reliqui doctores interpretantur, amici aut cognati intelligendi ſunt: quos, ſi nobis ſint offendiculo, debemus abiicere. Si autem hi à nobis ſeparandi ſunt, quando nocumentum animæ inferunt, licèt ſint vitæ noſtræ pernеceſſarij, quanto magis minutiæ iſtæ, quarum nobis conceſſus eſt vſus, penitus abſcindendæ, ſi immoderatè affectum ad ſe trahant, & munditiem noſtræ C mentis inficiant?

Superior etiam, ſi mos religioſæ familiæ ferat, debet huic religioſorum deſiderio fauere; & res ad vſum illis conceſſas interdum permutare, tum vt nimium in ſe ipſis erga eas affectum deprehendant, tum vt paupertatem, quam profitentur, & diligunt, actione diſcant, & res non vt proprias ſed vt commodatas retineant. Optimè dixit Auguſtinus: *Aug. lib. de vera relig. cap. 47.* Plerumque aliqua, cùm adſint nobis, putamus quòd non ea diligamus, ſed cùm abeſſe cœperint, inuenimus qui ſimus. Hoc enim ſine amore noſtro aderat, quod ſine dolore diſcedit. Videtur ergo vincere cùm vincatur, qui ſuperando ad id peruenerit, quod cum dolore amiſſurus eſt: is vincit, cùm vinci videatur, quiſquis cedendo ad id peruenit, quod non amittit inuitus. Quem ergo delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber eſſe appetat, & quem regnare delectat, vni omnium regnatori Deo ſubditus hæreat.] Hæc cùm ita ſint, meritò prælati de ſuorum D profectu ſoliciti, debent nonnumquam eis conceſſa tollere, interdum pro aliis commutare, vt ipſi ſic probati, affectus ſuos calleant, & quantum in contemptu rerum viſibilium profecerint, deprehendant. Ita etiam Dorotheus diſcipuli Doſithei profectibus conſulebat. Neque enim ſemel tunicam aut habitum ad vſum illi dedit; quem cùm ipſe, qui mundiſsimus erat, lauiſſet, & conſuiſſet, iterum abſtulit ad vſum alterius fratris, & pro alio horrido & rupto commutauit: quod ſanctus diſcipulus non ſolùm ſapientiſsimè, ſed lætiſsimè tulit. Beatus Pater noſter Ignatius ſpiritum paupertatis E in nobis diligentiſſimè promouit, & nunc vſque ſua interceſsione conſeruat. Licèt enim collegiis noſtris, quæ velut ſeminaria ſunt domorum profeſſarum, nihil etiam in communi poſſidentium, bona in communi aliarum multarum religionum more graues ob cauſas habere permiſerit; tamen priuatim ad magnam paupertatem, & vix quibuſdam, qui à longè ſocietatem aſpiciunt, credibilem nos adegit. Apud nos namque arcam in cella habere, aut cellam claue obſeratam, aut aliud in ea quàm lectum & ſellam & menſam, & candelabrum, & paucos libros, quaſi crimen eſt. Hæc autem vilia, & penitus neceſſaria, iubente prælato, ſæpe adoleſcentiores demutant, vt nulli rei immoderantia affectus adhæreant. Ex vna cella in aliam ſolùm ob hanc cauſſam tranſeunt: ſi in illa libri ſunt ſimiles ſuis quibus indigent, vt Ariſtoteles, & ſumma Diui Thomæ, & alij huiuſmodi, eos ibi relinquunt, & alios alij cellæ deputatos accipiunt, menſam, & ſellam, & lectulum ligneum ſecum non transferunt, & alia ſimilia deſerunt, & quæ alibi erant, ad ſuum vſum accommo-B dant. Et ſicut Laban, malo aut auaro animo, mutauit, vt eſt in libro Geneſeos, mercedem generi ſiue Iacob, decē vicibus: *Geneſ. 31. 41.* ita & prælati noſtri, nō malo ſed prudenti conſilio, mutant res filiorum ſuorum vſibus applicatas, multis vicibus, vt eos paupertatis admoneant, & vſu huius ſanctæ virtutis exerceant. Quin & ego adoleſcentulus vidi in Collegio noſtro Complutenſi, poſt peractum vnum curſum Theologiæ, manuſcripta illius anni à magiſtris dictata prælati iuſſu inter condiſcipulos commutari, vt etiam in hac re tam propria, vt videtur, nihil proprietatis adhæreſceret. Hæc ſcribimus, non vt noſtra iactemus, in quo certè hucuſque ad nimietatem nobis conſulto pepercimus, & deinceps etiam parcemus, ſed vt adoleſcentibus noſtris ad futura tempora paupertatis anteceſſorum ſuorum memoriam relinquamus. Iſta enim nunc apud nos communia C ſunt, & nulli (vt credo) Prouinciæ ſocietatis non peruia: at quis nouit ſi in futurum ſucceſſores noſtri aliquantulum in ſtudio paupertatis intepeſcent, & tunc horum forſitan meminiſſe iuuabit?

In omnibus ita te geras, vt pauperē decet, & paupertatem, quam colis, in vſu rerum exteriorum oſtende. Comede, vt pauperes ſolēt, cibos cōmunes & viles, bibe vinum (ſi propter corporis imbecillitatem ſit neceſſariū) modicum, & bene lymphatum, & in vſum communitatis totius emptum; in cella, ea ſolùm ſine quibus commodè viuere non poſsis, habeas; veſtes detritas, viliores, & commiſſura notatas, & breues diligas, & tandem omnia tua paupertatem redoleant, & te pauperem patefaciant. Quales veſtes religioſi induere debeant, Baſilius grauiſsima hac oratione monſtrauit. *Baſ. reg. fuſ. diſ. 22.* Cùm autem Apoſtolus dicat: Non alta ſapientes, ſed humilibus cōſentientes, exquirat ſe ipſum quiſquis vtríſne magis aſsimilē eſſe Chriſtiano homini conueniat, iiſne, qui habitant in aulis regum, & mollibus veſtiun-D tur, an nuncio, & præconi aduentus Domini, quo in natis mulierum nullus ſurrexit maior? De Ioanne loquor, filio Zachariæ, cuius veſtimentū ex ſetis camelorum erat. Quin & veteres ſancti illi viri circuibant in melotis & pellibus caprinis. Porro ad quem finem vſus is dirigi debeat, docuit nos Apoſtolus vnico verbo, cùm dixit: Habentes victum integumentáque, his contenti ſimus: quippe tamquam ſolo nobis integumento ſit opus, neque iam ampliùs propter varietatem, eámque, quæ ex illa conſequitur, exquiſitam elegantiam, in damnatum luxuriæ vitium (ne quid dicam grauius) incidamus. Si-E quidem hæc poſtea ab inutilibus minimèque neceſſariis artibus in hominum vitam ſunt importatā. *Gen. 3. 21.* Atque etiam perſpicuum eſt, quiſnam primus integumentorum vſus fuerit, qui à Domino ipſo, eo indigentibus eſt datus. Fecit enim illis, inquit, Deus tunicas pelliceas:] quandoquidem ad ea in corpore contegenda, quæ aſpectu ipſo minùs fuerant honeſtatis habitura, ſatis erat, etiam huiuſmodi tunica-

rum

rũ vſus. Sed quoniã in veſtimentis non hoc quæritur tantũmodo ſed illud etiam præterea, vt videlicet per ea frigoris incõmoda depellãtur, neceſſariò ad vtrãque rem accõmodatus eſſe veſtimentorũ vſus deber, vt per ea ſcilicet, & corporis deformes partes obtegantur, & quæ ob cœli inclementiam afferuntur, incommoda propulſentur. Iam quando in his quoque quædam ſunt, quæ ad plures; quædam, quæ ad pauciores vſus aptantur: conſentaneum videtur ea à nobis pluris fieri oportere, quæ ad plures poſſint vſus accommodari, quo videlicet nihil quidquã contra ſuſceptum à nobis ſummæ in victu paupertatis inſtitutum fiat. Neque alia ad forenſem oſtentationem, alia ad domeſticum vſum parta habeamus, atq; ex his ipſis item ad diurnum quædam, quædam ad nocturnum tẽpus diſtributa: ſed eiuſmodi quoddam nobis veſtimenti excogitandum eſt genus, quo ad omnia commodè vti poſſimus: vt videlicet eo amicti, & diurnæ pariter honeſtati, & nocturnæ etiã neceſſitati faciamus ſatis. Ex quo quidem illud continget, & communem omnium noſtrum inter nos in veſtitu ornatum eſſe, & veluti inſignem quãdam ac peculiarem ex ipſo amictu etiam homini Chriſtiano impreſſam notam. Quæ enim ad vnum & eundem finem ſpectant, illa vt plurimùm inter ſe conueniunt. Hactenus ille.] Qui & ſtatim aliam pauperis & humilis habitus vtilitatem detegit, quòd ipſe nos ſanctæ conuerſationis commonefacit, & à rebus noſtro ſtatu indignis auertit. Aliqui tamen eo ſuam in veſtitu vanitatem tuentur, quia ſi ex pretioſiori panno fiat, eſt multo diuturnior, & minùs pecuniæ in habitu, cauſa huius diuturnitatis, inſumitur. Nam quo tempore duo habitus ex viliori panno conſumuntur, vnus ex pretioſiori ſeruatur. Sed hi non aduertunt, primò pretioſioris panni ad viliorem non eſſe tantum diuturnitatis exceſſum. Sed eſto quòd ita ſit, non ſunt facienda mala vt veniant bona; nec decet pauperem religioſum, ceu aulicum ſplendeſcere, vel, vt pinguiſſimæ Eccleſiæ canonicum, veſtibus fulgere pretioſis. Familiáque religioſa parum quid in pretio duplicati habitus vult libenter expendere, modò filij ſui quod ſunt appareant & veſtiti more pauperum & humilium incedant.

Vt tandem ipſa verba quæ loqueris, te in ſpiritu paupertatis prouehant, ſerua quod ſuprà ex Auguſtino & Benedicto notauimus, vt nihil tuum eſſe dicas, ſed proprij nomen abiiciens, & communem appellationem vſurpans, te nihil habere ſemper profitearis. Idque non parum virtuti paupertatis prodeſſe certum eſt, quandoquidem cùm veſtem non meam, ſed noſtram dico, aut eam, qua vtor, appello, me non dominũ veſtis, ſed vſuarium agnoſco: cognitionem autem hanc iteratam affectus ſequitur, & paulatim ſe nihil habere lætatur. De hac autem re pulchre in hunc modum ſcripſit Hugo Victorinus. Non enim debemus aliquid habere proprium, aut quicquam dicere meum, ſed noſtrum: vt dicatur, noſtra cappa, noſtra tunica, noſtra domus, & in cæteris ſimiliter. Omnia enim in communi debemus habere: & omnia cõmuni nomine appellare. Sed in hoc penſandum eſt quãta differentia ſit inter carnales fratres, & ſpirituales. Nam illi quidem, quod commune eſt eis, diuidũt: iſti, quod diuiſum erat, in communi ponũt: ibi quiſque quod ſuum eſt, quærit: iſti, non quæ ſua ſunt, quærunt, ſed quæ Ieſu Chriſti. Plus ergo valet iſta propinquitas, quàm illa: quia illa deficit, iſta creſcit: illa habet diuiſionem, iſta vnitatem: illa tranſit cum ſæculo, iſta permanet cum futuro. Ad hoc enim ſimul modò in iſta domo viuimus, vt poſtmodum in cœleſti regno maneamus. Filij Dei ſumus (ait Apoſtolus) ſed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem, quòd cùm apparuerit, ſimiles ei erimus quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Et Paulus. Non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.] Ergo non debemus habere propria, ſed ſint nobis omnia communia. Partes ſibi faciunt homines in hoc ſæculo. Alius argentum, & aurum: alij domos, & familias; alius nomen grande, potentiam, & gloriam: iſte hoc, alius aliud; diuerſi diuerſo modo. Pars verò piorum eſt ipſe Deus. Et nos ſi volumus habere talem partem, talem hæreditatem, vt eſt Dominus; tales nos oportet exhibere, vt digni ſimus eum poſſidere, & poſſideri ab ipſo. Ergo ſi volumus in hæreditatem poſſidere Deum: nihil debemus habere extra Deum. Nam nimis eſt auarus, cui non ſufficit Deus. Hæc ille.] Si hæc quinque documenta ſeruaueris, non parum in virtute proficies.

Hugo ad reg. c. 3.

1. Ioan. 3.

Heb. 13. 14.

Hæc ad ſubditos dicta ſunt, ſed efficaciſſimum documentum paupertati cuſtodiendæ neceſſarium ad prælatos religionum ſpectat. Vt ſcilicet ſi volunt in cœnobiis paupertatem vigere, & ſpiritum eius in vita religioſa ſeruare, ſubiectis ſuis de neceſſariis cum magna charitate & benignitate prouideant. Miniſtrent illis omnia, quæ opus habent, à corrigia calceamenti, vſque ad filum ſubtegminis, & cuncta ſiue ad victum, ſiue ad veſtitum, ſiue ad medicamenta, ſiue ad libros neceſſaria, vel quæcumque illa ſint, præbere non deſinant, & à ſæcularibus aliquid petere ſeuerè prohibeant. Nam ſi illis neceſſaria non dentur, neceſſe erit, vt facultas petendi à ſæcularibus & cognatis, concedatur, ex quo non minima incommoda proueniunt. Occaſione enim, ea quæ ſibi ſunt opus, conquirendi, per domos cognatorum & amicorum diſcurrunt, & minus ſeruant ſecreti, & ſilentij, ac receſſionis à mundo cẽſuram. Negotiis eorum, à quibus temporalia petunt, implicantur, nec poſſunt ſe excuſare, ne ſubſidio conſueto priuentur. Sæpe coguntur de craſtino cogitare, & non tantùm ad quæ Domini ſunt (quod animabus religioſis Chriſti ſponſis, vt magnum priuilegium conceſſum eſt) ſed etiam ad ea, quæ ſunt mundi, frequenter attendere. Cum neceſſariis ſuperflua quoque petunt, & ne in poſterum illis aliquid deſit, multa, quæ pauperes non decent, & in præſenti non ſunt neceſſaria, recondunt. Nec in familia religioſa proportionalis æqualitas ſeruatur, nec ille plus habet qui plus indiget, ſed qui plures cõſanguineos, aut ditiores habet, aut qui diſtractior eſt, & plures ſibi amicos adſciſcit. Fitque ſuo modo, quod ait Paulus: Vnus quidem eſurit, alius autem ebrius eſt,] hoc eſt, vnus ſuperfluis abundat, alius verò alget, & erubeſcit, nec habet, vbi caput reclinet. Ingrediturque ad fratres quidam modus ſeruitutis ſatis pudendus, vt vnus alteri ſeruiat, & in ferendis ſuffragiis, atque in aliis ſe alteri accommodet; vt quod huic ſuperfuerit, ab ipſo recipiat. His malis adeo ſpiritui paupertatis & reformationi religionis contrariis obſiſtere deberet prouidentia, & zelus prælatorum, vt vitam religioſam illibatam cuſtodirent. Eorúmque omnium vnicum remedium eſt, (quod in noſtra minima ſocietate videmus ſeruari, & in religionibus monachalibus prudentiſſimè fit) vt vnicuique ad victum, ad veſtitum, ad ſtudium, ad iter, & ad reliqua, neceſſaria miniſtrẽtur, & occaſiones diſcurrendi, & domo egrediendi, & petendi à ſæcularibus, omnibus præcludantur. Sic enim, & ipſi religioſi ſuperflua non habebunt, neceſſariis rebus in communi omnibus adminiſtratis contenti, & curis temporalium expediti, Deo & ſibi vacabunt, & maiori cum libertate ad animarum miniſteria procedent, & rectiùs in vitiis carpendis, &

1. Corint. 11. 21.

Digitized by Google

immiſericorditer tractent, & in ſuis ægritudinibus tribulent. Audiant quid dicat Bonauentura: Bonus autem prælatus agnoſcit ſe fratrum ſuorum patrem, non Dominum: & exhibet ſe eis medicum, non tyrannum: nec reputat eos vt iumenta ſua, vel ſeruos emptionis, ſed vt filios hæreditatis ſupernæ conſortes: & facit eis, ſicut vellet ſibi fieri, ſi ſimiliter indigeret. Sed fortes, & ſani non ſentiunt, quod ſentit æger, ideo neſciunt ei compati, ſcient autem poſtea, cùm dolebunt. Sic ille.] Et hæc dicta ſunt nô vt prælatos ad laxitatem incitemus, quam ſanè maximo odio proſequimur, ſed vt ad miſericordiam, & pietatem, & paupertatis amorem moueamus. Quæ ſine dubio in religione tunc viget, cùm ſingulis neceſſaria miniſtrantur, ex quibus poſſint ipſi, aliquid ſponte detrahere, & gratiſſimum Deo mortificationis ſacrificium offerre.

De Paupertate ſectanda.

CAPVT XV.

PAVPERTAS hæc in ſuperioribus à à nobis vtcumque depicta, & oculis virorum iuſtorũ propoſita, fructus eſt vnus ex tribus præcipuis, quos pinguis, & frugifer horrus noſtri ſtatus profert; gemma eſt vna ex tribus pulchrioribus & pretioſioribus, quibus venerabilis religio mater noſtra dilectiſſimas filias ſuas iuſtorũ religioſorum animas ditat, & ornat; via eſt vna ex tribus amœnioribus & ſecurioribus, quas animæ ipſæ conficiunt, vt à caducis ad æterna, à viſibilibus ad inuiſibilia: à terrenis ad cœleſtia conſcendat. Paupertate, à curis & moleſtiis ſæculi liberamur, vt poſſimus in curã ſalutis ſpiritualis incumbere. Paupertate, aduerſus diaboli inſidias munimur, & laqueos diuitiarum ac foueã rerum terrenarum valemus effugere. Paupertate, ſuperbiam ſtatus noſtri peſtem eludimus, & facile eſt nobis tamquam accinctis, & expeditis, ad perfectionis faſtigium properare. Quid nos diuitibus huius ſæculi venerabiles, & dæmonibus formidabiles facit? Nonne Paupertas? Quid religioſos omnium rerum dominos facit, & vt nihil habentes omnia poſſideant? Nonne Paupertas? Quid Deũ potentiſſimè & efficaciſſimè aduocat vt ſpeciali prouidentia illorum curam habeat, ipſiſque prouideat? Nonne ſponte ſuſcepta & voto firmata paupertas? Hæc nos reficit atque ſuſtentat, & quocumque ingrediamur, non importunis vocibus & ſuperbis, ſed Dei inſtinctibus clamat, vt cultoribus ſuis neceſſaria præbeantur. Hæc nos fouet & ornat, ac inſignia ſeruorum Dei, veſtimenta ſcilicet Deo dicata, & fidelibus grata, miniſtrat. Hæc nobis domos amplas & ſpacioſas præparat, & vbique terrarum tamquam ciues nobiliſſimos ſatis commodo hoſpitio excipit, & hinc emigrantes ſedibus cœleſtibus infert. Paupertate diteſcimus, & quo veriùs ſæculi facultates contemnimus, eo ditiores & abundantiores à ſæcularibus æſtimamur. Paupertate protegimur, nemóque eſt, qui à nobis per iniuriam auferat, quod libenter abiecimus, & ab habitaculis noſtris exploſimus. Paupertate, more nobilium ſummo regi Deo magna obſequia præſtamus, quia ei non tantùm quod poſſidebamus, ſed quidquid mundus habet, offerimus. Sacrificiorum nobiliſſimum eſt holocauſtum, quo totum animal in diuinum honorem incenditur, & abdicatione omnium rerum quaſi totus iuſtus domino conſecratur. Si pro Chriſto, quia perſecutor non inſtat, minimè ſanguinem fundit, at facultates, quibus ſanguis ipſe augetur, & quæ non minùs quàm ſanguis ſolet diligi, in vſum pauperum confert. Pauper liber eſt, quia diuitiarum compedes, & vincula fregit; tranquillus eſt, quia ſolicitudinum & perturbationum materiam depoſuit; ingenuus & nobilis eſt, quia ſe Deo familiaritate, & Chriſto filio eius ac ſanctis omnibus ſe imitatione coniunxit.

Aſcendamus ergo gradus huius ſcalæ cœleſtis, per quam Angeli ad nos iuuandos deſcendunt, & angeli, id eſt, viri ſpirituales, atque perfecti in cœlum aſcendunt. Ne nos perterrefaciãt anguſtiæ eius, quia licèt primo aſpectu arcta & anguſta videatur, tamen poſt paululum magnam latitudinẽ habet, & in ſpacia ampliſſima & latiſſima deſinit. Terret nos terrena deſerere? Animet nos cœleſtia conquirere. Retrahit nos nuditatem ſentire? impellat diuinam protectionem & amabiliſſimam patris noſtri, qui in cœlis eſt, prouidentiam experiri. Auocat mundo mori? inſtiget, Deo ſine ſolicitudine viuere, & regnum cœleſte, quod opum dimiſsione mercamur, comparare. Qui nondum auſus eſt ſua vota relinquere, & poſſidẽdi libertatem abiicere, audeat, quia illud facinus aggreditur ſanè egregiũ, & æterna memoria dignũ, ad quod Deum ipſum habet adiutorem. Qui opus hoc fecit, & voto ſe paupertatis obſtrinxit, ſciat ſe verbis oris ſui ligatum eſſe, verba ſua impleat, & nihil proprium poſſidens, & promiſsis ſtans, ſe virum fidelem & ſtrenuum oſtendat. Superflua alacriter reſecet, quoniam noxios & peſtilentes humores ægritudinem animæ afferentes excludet. Neceſſariis immoderatè non hæreat, ne qui cor Deo mundum & intaminatum ſeruare debet, ſordibus illud affectionum terrenarum inficiat. Diſcat, indigentiam, & penuriam rerum corruptibilium ſuſtinere, vt è theſauro miſerationis diuinæ abundantiam ſupernarum conſolationum depromat. Si corpore infirmo, & imbecilli neceſſaria defuerint, pro certo ſciat, diuinam benignitatem non defuturam, quæ rebus communibus pretioſiora ſuppleat, & ſine magnis ſumptibus à paupere poſtulatis, ſi opus fuerit, ſanitatem ſalutémque reſtituat. Ac tandem ſe quantum potuerit terrenis exuat, vt Deus illum tranquillitate veſtiat, & ſanctitatis muneribus induat. Qui huiuſmodi fuerit, non dubitet mercedem paratã eſſe operi ſuo. Nam pro quatuor obolis perituris, non alios ſimiles cum vſura illicitè acceptos, ſed theſaurum incõparabilem in cœlo percipiet: quo ita auctum ac multiplicatum ſe ſentiet, vt nec ſtillã huius theſauri pro toto mũdo perdidiſſe voluiſſet. Pro nonnulla indignitate, quæ in oculis inſipientium, paupertatem comitatur, iudiciariam poteſtatem, & ſedem cum Chriſto æterno iudice ad mũdum iudicandum obtinebit. Ibíque ſtulti euidenter aſpicient quanta ſit dignitas paupertatis, quam Deus facit ſemen tantæ poteſtatis, & gloriæ. Tandem ea quæ pro Domini amore deſeruit, centuplicata illi reſtituentur, & nihil inueniet à ſe relictum, quod non à curis & moleſtiis liberum, & in immenſum multiplicatum reperiat: nam omnia creata illi ad bonum ſeruient, & in illa vita cœleſti, quam nulla mors obnubilat, in æternum gaudebit.

Eia igitur ſacri ſtatus ac religioſi profeſſor, caſtiſſimam paupertatem in ſpõſam aſſume, cuius gratia claritatem habebis ad turbas, & inter nobiles, id eſt, inter ſpirituales viros, non in infimo loco ſedebis. Dilige illã, quæ multorum ac magnorum bonorum origo eſt, ex qua incorruptus manens pulcherrimos liberos ſanctorum operum procreabis, ex quorum educatione nullam moleſtiam, ſed moleſtiarũ leuamen accipies. Hæc eſt, vt Nazianzenus ait, virtutum omnium commodariſſimum inſtrumentum, quam

rum temporalium neceſſariarum interrogat. Stat ille videns patientiam tuam, conſiderãs fiduciam tuam, & metiens, ne neceſſitate opprimaris, vires tuas. Si in neceſſitate poſitus ſuſtinueris, ſi ſponſam, nempe paupertatem, quam fuiſti amplexus, amaueris; ipſe neceſſaria ſuppeditabit, aut ſine neceſſarijs cùm po-
Eccl.31.8. tens ſit, ſuſtentabit, & tranquillitatem, beatitudinis portionem, impertiet. Beatus enim appellatus eſt, [qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecuniæ theſauris,] qui nimirum nec immoderato affectu terrena nomine auri ſignificata ſectatur, nec theſauris, aut rebus huius ſæculi, ſed Deo ſibi prouidenti, & ſui curam gerenti, ſubnititur.

Quidnam aues? nonne Chriſtum ſequi? Nonne expeditus, & alacer ad perfectionem tuam aſſequẽdam, & animas, aut exemplo, aut etiam miniſterio ſaluandas, exiſtere? Sed Chriſtus Dominus pauperes ad ſuam ſequelam eligit, diuites verò, & rebus terrenis adhærentes, dimittit. Quo tempore ipſe mortalis inter mortales motabatur, multi erant reges in ſæculo, multi principes, multi diuites, quos poſſet ad ſe vocare, & ad virtutum obſeruationem, & miniſteria animarum aſſumere. At reiectis illis pauperes inuitauit, egenos vocauit, & in ſuam ſocietatem aſciuit. Hi audierunt ab ipſo: Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.] Audierunt, & obaudierunt,
Matt. 4. 19. & quia nullis tenebantur vinculis diuitiarum, pro miniſterio ſibi commiſſo vſq; ad ſanguinem decertarunt. Quàm ſit enim, inquit Petrus Chryſologus,
Chryſol. virtutibus cognata paupertas, & terrena & cœleſtis comprobat diſciplina. Athleta ad luctam nudus incedit, confligit & cum fluctibus nante nudus. Miles in acie nonniſi expeditus aſtat, & qui tendit ad ad Philoſophiam, totum quod in rebus eſt, antè cõtemnit. Eſt ergo virtutibus cognata paupertas, & , ſi paupertas virtutum parens, & ſocia ſic habetur, ſapere conuenict: quare ad virtutis officium pauperes Deus ſic elegit. Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes germanitas combinata, imo paupertas geminata in Apoſtolorum principes eliguntur. Erant cenſu pauperes, ſed innocentia locupletes, arte viles, ſed vitæ merito pretioſi. Captores piſcium, ſed piſcatores hominum iam decreti. Hæc ille.] Videte vocationem veſtram fratres, ait Paulus, quia non multi
1.Cor.1.26. ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret.] Equidem puto, quia cõcupiſcis eſſe ex his electis Dei. Linque ergo ſapientiam ſæculi, quæ ſolùm ſapit terrena quærere, & cœleſtibus anteponere. Deſere potentiam mundi, quam opes temporales fulciunt, & protegunt. Abiice nobilitatem carnis, quæ ſæpe ex diuinis initium aſſumpſit. Eſto ex pauperibus, quos mundus ignobiles & contemptibiles putat, vt Deus ea, quæ ſũt in te vilia deſtruat, & ad perfectionem, & ex illa ad quandam magnam gloriam promoueat. Munus tuum eſt aſcendere in illam cœleſtem patriam, ad quam cliuoſus ſatis & difficilis patet aſcenſus; abiice onera, vt ſublatis impedimentis poſſis aſcendere. Egregiè nãque ait Bea-
Iſaac hom. 2. tus Iſaac Abbas: Et nos quoque aſcendimus Hieroſolymam. Ideo enim in monaſterium deſcendimus, vt Hieruſalem aſcendamus. Sic nempe, ſic alites vt in aëra ſe ſuſpendant, profundiùs omni corpore ſolo vbi reſident, ſe imprimunt. Hominum quoque, & ferarum eadem eſt ars naturæ, ſiue natura artis, aut potiùs ars naturalis, vt in ſublime ſalire cupientes, humilibus terræ, quaſi toto corpore inſidentes, incuruentur. Arduum eſt quò aſcendere molimur, arctum quò attentamus penetrare: ideo expeditos nos eſſe conuenit, & ſubtiles. In altum enim repere onuſtum, & per anguſta loca, inflatum introire difficile. Non inflare hominem diuitias, nec onerare curas, nec crapulam grauare, diuini eſt miraculi, non humanæ virtutis. Sic ille.] Vult itaque Deus, nos via regia ad perfectionem ducere, & vt per ſemitas patrum noſtrorum ad ſanctitatem & virtutum culmina properemus. Via autem regia religioſis monſtrata, & ſemita perfectionis noſtrorum patrum pedibus trita, ſancta & veneranda paupertas eſt. Hanc ingrediamur, & nec ad dexteram proſperitatum humanarum, nec ad ſiniſtram puſillanimitatis, & diffidentiæ in indigentiis deflectamus, vt in illa cœleſti Hieroſolyma, quam nullus hoſtis vaſtare poteſt, in æternum triumphemus. Amen.

ORATIO,
AD POSTVLANDAM PAVPERTATEM.

LARGISSIME & ditiſſime deus, qui diuitias & bona temporalia ſæculi hominibus conceßiſti, non ſolùm vt illis ad vitam hanc mortalem tuendam vterentur: Sed multo magis vt ex his bonis propter nomen tuum pauperibus diſpenſatis, amicos facerent, qui eos in tabernacula æterna reciperent, & vt omnimoda abiectione ipſorum, qui ad hoc vocati ſunt, tibi ſoli confiderent, & ad perfectionem ſe diſponerent, & tandem ad æternam patriam euolarent: Da nobis, quæſumus, famulis tuis, à te hac præſtantißima vocatione dignatis, paupertatis ſpiritum, quo omnia terrena affectu & opere deſerentes, vocationi tuæ non reluctemur, & nudi Jeſum Chriſtum filium tuũ pro nobis nudũ, & in cruce pendentem, ſequamur. Fac Domine, ſi nondum hoc iter perfectionis cœpimus, vt ad eius exordia capeſſenda, & ad votum paupertatis emittendum animoſiores ſimus. Si autem iam cœpimus, concede, obſecro, vt votum à nobis emiſſum fideliter impleamus, vt ab vſu rerũ ſuperflua reſecemus, vt neceſſaria moderatè & ſine nimio affectu ſumamus, vt indigentiam ſanctæ paupertatis comitem, ſiue ſani, ſiue infirmi, gratanter ſuſtinere ſciamus, & vt à rebus terrenis, & amore ipſarũ quantũ hæc mortalitas tulerit, elõgemur: Eſto tu, Domine Deus, theſaurus noſter in terra & in cœlo: eſto centuplũ noſtrũ in hoc ſæculo, & in futuro: eſto dignitas, & altitudo noſtra ſublimiſſima, qua cumulatè mẽti noſtræ fiat ſatis, & quidquid extra te eſt, aut ſi proſit ad aſcẽdendũ ad te, pro amore tuo ſumat: aut ſi obſit, capta vinculis eiuſdẽ amoris irrideat. Amen.

PARS

Digitized by Google

PARS SECVNDA

De Caſtitate.

CASTITATIS *virtus longè eſt paupertate præſtantior, cùm & Deo nobilius ſacrificium offerat, & appetitum vehementiorem cohibeat. Paupertas conſecrat Deo bona temporalia, & ſæculi facultates, quæ extra hominem manent, & ſine illis viuere poteſt; & ſæpe viuit quietiùs atq; tranquilliùs. Caſtitas verò immolat Deo corpus, partem vtique ipſius hominis poſt animam ſummè dilectam, cuius gratia, & ad cuius obſequium bona temporalia quæruntur: Ideóque Job examini fidelitatis erga Deum, & virtutis expoſitus, primò facultatibus, & filiis nudatus eſt, deinde graui vlcere in carne percuſſus, vt à minori & faciliori tribulatione examen inciperet, & in maiorem & toleratu difficiliorem conſummaret. Eſt etiam appetitus diuitiarum, quem paupertas moderatur, infirmior, quo illa concupiſcimus, quæ extra naturam noſtram eſſe noſcuntur. Optimáq; id Joannes Caſſianus oratione confirmat. Quòd autem, inquit, extra naturam ſit Philargyria, hinc liquidò peruidetur, quia nec originale probatur in nobis habere principium, nec de materia concipitur, quæ pertingit ad animæ, vel carnis participationem, vitæque ſubſtantiam: Nihil enim ad vſum, vel neceſſitatem naturæ communis præter eſcam quotidianam, ac potum, certum eſt peruenire, reliquæ verò vniuerſæ materiæ quantolibet ſtudio, atque amore ſeruentur, alienæ tamen ab humana indigentia, etiam vſu vitæ ipſius approbantur, ideóq; hoc velut extra naturam exiſtens nonniſi tepidos, ac malè fundatos monachos pulſat:] Appetitus autem venereorum, cui Caſtitas obſiſtit, eſt multo potentior, quia ad carnis delectamenta naturaliter inclinamur. Quare & idem Caſſianus ait: Gaſtrimargia, & fornicatio, cùm naturaliter nobis inſint (nam nonnumquam etiam ſine vllo animæ incitamento, ſolius inſtigatione ac pruritu carnis oriuntur) materia tamen vt conſummentur, egent extrinſecus, & ita in effectũ corporali actione perueniunt.] Ea autem virtus, quæ circa nobiliorem materiam verſatur, & affectui potentiori reluctatur, ab omnibus iudicatur perfectior. Meritò ergo paupertatis tractatione præmiſſa ad Caſtitatis naturam, & gradus ſecundo loco exponendos accingimur, vt ſcilicet per abdicationem facultatum ad oblationem mundæ carnis, & per hanc ad ſacrificium mentis præcipuum, quod obedientia perficitur, veniamus. Tu Domine amator puritatis ſtylum noſtrum moderare, vt hanc mundiciam, quam à nobis exquiris, ſermone & opere nitamur amplecti.*

Caſſian. col. 5. c. 8.

Idem. ſup. c. 4.

De Natura religioſæ Caſtitatis.

CAPVT I.

AB ipſa natura Caſtitatis enucleanda, inchoandum nobis eſt, vt eius eximia pulchritudo ſtatim ipſo initio ob oculos poſita ſui amorem & deſiderium exuſciter. Hanc luculentiſſimis verbis Ioannes Climacus in hũc modum expreſſit. Caſtitas eſt incorporeæ naturæ familiaritas. Caſtitas eſt Chriſti iucũdum diuerſorium, terreſtríſque clypeus cordis. Caſtitas exceſſiua naturæ abnegatio, corporiſq; mortalis, atq; corruptibilis reuera ad incorpoream ſpiritualémq; ſubſtantiam contentio. Caſtus ille eſt, qui amore amorẽ excluſit, ignémque igne ſpiritus extinxit. Hæc ille.] Sed Beatus Ephræm Syrus ſic multo vberiùs, & luculentiùs. O caſtitas, cui abominationi ſunt delitiæ, venuſtas corporis, & ornatus veſtium. O caſtitas, dapibus atque epulis, ebrietatiq, inimica. O caſtitas oculorum fræ num, quæ è tenebris ad lucẽ totum corpus transfers. O caſtitas, quæ carnem caſtigas, & in ſeruitutem redigis, ac cœleſtia velociſſimè penetras. O caſtitas mater dilectionis & Angelicæ vitæ ratio. O caſtitas, quæ mundo es corde, ac dulci gutture, hilariq; adſpectu.

Clima. gra. 15.

Ephræm. 26. 1.

A O caſtitas, quæ homines Angelis ſimiles reddis. O caſtiras, quæ Dei amicum ita exalraſti in patria externa, vt & eos, qui emerant ipſum, redimeret. O caſtitas donum Dei, benigniratis, diſciplinæ, cognitionis, atq; ſcientiæ plena. O caſtitas portus trãquillus in ſumma pace ac ſecuritate conſtitutus. O caſtitas, cœleſtis prudentia, & ſancta prædicatio. O caſtitas, quæ cor poſſidentis te lætificas, & animas ad cœleſtia alias adiungis! O caſtitas, quæ ſpiritale gaudium paris, & mœrorem aufers. O caſtitas, quæ malũ odio habes, & bono adhæres. O caſtitas, quæ paſſiones minuis, & animum à perturbationibus liberas.

B O caſtitas, quæ iuſtos illuminas, & diabolo tenebras offundis, celeriq; curſu ad brauium ſupernæ vocationis, in Chriſto contẽdis. O caſtitas, quæ pigritiã depellis, & patientiam affers. O caſtitas onus leue, quod in aquis non ſubmergitur, æternæq; diuitiæ in anima hominis Chriſtum amantis, reconditæ, quas qui poſſederit, in tempore neceſſitatis inueniet. O caſtitas pulchra poſſeſſio, quæ à feris non vaſtatur, & ab igne non comburitur. O caſtitas, quæ in manibus haud pœnitendas contines diuitias, deſidiámque fugas. O caſtitas currus ſpiritalis

A poſſeſſorem ſuum in ſublime euehens! O caſtitas, quæ in manſuetorum, & humilium animis habitas hominéſque diuinos efficis! O caſtitas, quæ roſæ inſtar, in medio animæ, & corporis, flores, vniuerſámque domum odoris fragrantia reples! O caſtitas præcurſor, atque cohabitator Spiritus ſancti! O caſtitas, quæ Deum placas, eiúſque promiſſa perfeis, & apud quoſcumque homines gratiam inuenis! Hanc Sancti cuncti amarunt. Hanc ſanctus Ioannes Euangeliſta amplexus eſt, amplectendóque ſuper pectus Domini gloriæ recumbere meruit. O caſtitas, quæ non à virginibus ſolùm, ſed & ab his, qui ad pœnitentiam conuerſi ſunt, poſſideris, atque excoleris! Hactenus Beatus hic Pater.]

B Vniuerſa hæc, & multa alia bona, repetiuntur in caſtitate, cuius tamen naturam, vt ad religioſos pertinet, nunc ſuccinctè & breuiter exponamus. Caſtitas religioſa eſt virtus illa, qua promptè & delectabiliter non ſolùm corpore, ſed multò magis mente, carnis voluptatibus penitus abſtinemus; & vt mens noſtra liberiùs Deo vacare poſſit, hoc propoſitum perpetuo voto firmamus. Triplicem namque Caſtitatem agnouit omnis antiquitas, vnam coniugalem, vidualem alteram, ac tertiam virginalem. Coniugalis eſt, quæ licito vſu coniugij retento, omnes illicitas & vetitas voluptates reiicit, atque contemnit. Vidualis eſt, quæ poſt expertas coniugij delicias rebus Venereis perpetuò abſtinet; ad quam reducitur illorum caſtitas, qui poſtquam animæ & corporis integritatem illicitè perdiderunt, de cætero ad Dominum ex toto corde conuerſi carnis ſpurcitias refutarunt. C Virginalis eſt, quæ numquam nec licitè, nec illicitè Venereas voluptates experta, corpus, & mentem pura illibatáque conſeruat. De hac triplici caſtitate multa inueniuntur apud Patres: nos vnam, aut alteram eorum ſententiam referemus.

Martial. epiſt. ad Toloſa. c. 9.

Beatus Martialis in quadam epiſtola tertiam caſtitatem ſecundæ, ac ſecundam primæ, antepoſuit. Ita enim ait: Nec ideo tamen prohibemus nubere legitimo connubio, cùm & hoc coniugium honeſtum conceſſum ſit, & conſtitutum à Deo ab initio mundi, in multiplicationem generis humani. Vltra hunc autem gradum homini licitè conceſſum, viduitatem in præmio maiori conſtituit. Sed & tertium excellentem gradum honeſtatis in virginitate demonſtrauit, nobis perfectum, & per omnia ſimilem Angelicæ dignitati. D Ad quem inuitauit nos dicens:

Matth. 11.12.

Non omnes capiunt verbum hoc, ſed qui poteſt capere, capiat.]

Iſidor. Peluſ. epiſt. 391.

Iſidorus Peluſiota virginitatem ſoli, viduitatem lunæ, coniugium ſtellis comparat, his verbis. Soli, eos qui virginitatem amplexi ſunt; lunæ autem, eos qui continentiam; ac denique ſtellis eos, qui honorabile coniugium amplexi ſunt atque conſeruarunt, comparare licet, maximè cùm diuinus Paulus calculum ſuum addat, ac dicat:

1. Cor. 15 41.

Alia gloria ſolis, alia gloria lunæ, alia ſtellarum gloria.]

Aug. de virgin. c. 44. Beda ibid.

Auguſtinus, Beda, & alij triplicem hanc Caſtitatem triplici fructu terræ bonæ ſignificatam volunt. Dictum enim eſt à Domino in parabola ſeminantis.

Matth. 13. 8.

E Alia, ſcilicet grana, aut ſemina, ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum.] Fructus trigeſimus, eſt caſtitas coniugalis mandata ſeruans, & quicquid ſibi conceditur, non reiiciens. Fructus ſexageſimus, eſt caſtitas vidualis præcepta ſupergrediens, & à licito coniugio abſtinens. Fructus centeſimus, eſt caſtitas virginalis numquam carni nec licitas habenas laxans, & mundiciæ plenitudinem poſſidens. Harum trium caſtitatum

A prima ad ſtatum religioſum non ſpectat, de eáque nihil dicimus: ſecunda verò, & tertia noſtro ſtatu comprehenditur. Nam in eo, quidam poſt amiſſam corporis integritatem, pudicitiam ſeruant. Alij verò multò fœliciores numquam amiſſo pudore, nec integritatis flore violato diuinis obſequiis ſe mancipant. Quia tamen huius duplicis caſtitatis iidem ſunt gradus, eadémque inſtrumenta, ſub vno nomine, & eodem diſputationis tenore de vtraque loquendum nobis eſt, exponendúmque modò, quibus hæc caſtitas conſtare debeat, vt caſtitas religioſa ac noſtri ſtatus propria dici poſſit.

B Caſtitas hæc ab eo tempore, quo quis eius cultor efficitur, perpetuam carnis puritatem requirit, eámque ab omni impura voluptate liberam, inuiolatámque cuſtodit. Quæ cùm iam remedium coniugale non quærat, vocatur ſanctitas, ſiue ſanctimonia, vt notauit Guillielmus Pariſienſis: nam totum hominem Deo conſecrat, & à cura corporis auulſum rebus cœleſtibus dedicat.

Guill. li. de vir. c. 15.

Iſtudque nomen non ſemel illi indidit Paulus. Nam quodam loco ait:

1. Theſſ. 4 3.

Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.] Exponit autem ſtatim quæ ſit iſta ſanctificatio: [vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrùm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderij.] Et poſt pauca: Non enim vocauit nos Deus in immundiciam, ſed in ſanctificationem.

n. 7.

Et ad Hebræos ſcribens ait:

Hebr. 12. 14.

Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniā, ſine qua nemo videbit Deum. Quo loco Paulum ſanctimoniæ nomine Caſtitatem C intellexiſſe colligit Caſſianus ex verbis ſequentibus:

Caſſi. lib. 5 c. 6.

Hebr. 12. 16.

Ne quis fornicator, aut prophanus, vt Eſau.] Docet quoque manifeſtè Chryſoſtomus:

Chryſoſt. hom. 36. ad Hebr.

Quid dicit ſanctificationem? Pudicitiam, atque temperantiam coniugalem, ſiue qui expers eſt coniugij caſtus maneat, vel vxorem ducat, ſiue in coniugio conſtitutus non fornicetur, ſed vtatur propria coniuge temperātèr, etenim etiam hoc ſanctificatio eſt. Eſt ergo caſtitas corporis ſanctitas, atque mundicia, quoniam ipſum à corruptione ſeruat, & decore integritatis exornat. Meritóque margarita ſignatur, quia ſicut hæc tota pulchra & munda eſt, & lucis capax, ita Caſtitas corpus pulchrum ac mundum reddit, & hominem caſtum lucis diuinæ accipiendæ capacem efficit. Quæ profectò nec canibus danda eſt, nec ante porcos D mittenda, quia impuris & ſceleſtis hominibus non ſunt eius arcana declaranda. Si enim ea audierint, & iuxta experientiam ſuam, ac iuxta corruptionem carnis ſuæ de illis iudicauerint, conculcabunt ea pedibus ſuis, & conuerſi dirumpent nos. Putabúntque nos impoſſibilia docere, & ad ea, quæ numquam in viris ſanctis vidimus, homines incitare.

Sed non in ſola carnis puritate ſe continet Caſtitas, immo multò magis mentis mundiciam ab omni laſciua cogitatione & impuro deſiderio requirit. Nec caſtus eſſet, qui corporis integritate ſeruata, mentem impuris deſideriis aut cogitationibus inquinaret. Vnde Paulus virginem definiens, ait, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu. Et Chryſoſtomus.

Chryſoſt. hom in illud, Ecce vir erat. to. 1.

E Nec enim ſola Caſtitas corporis ſufficit ad integritatem cordis. Conſiderate inſulſas quinque virgines. Virgines enim erant, ſed caſtum cor non habebant. Et Baſilius.

Baſ. li. de virginit.

Hæc autem profectò non à corporibus ad animas manat, ſed cùm incorporalis animæ propria & præcipua ſit, eius pretioſiſſima integritate corpora quoque incorrupta ſeruantur. Et Gillibertus.

Gilleb. in Cāt. ſer. 8.

Non enim ſola carnis continentia Caſtitas cenſetur, cordis multò magis eſt æſtimanda puritas. Et tandem Caſſianus.

Caſſi. lib. 6. c. 9.

Itaque omni cuſtodia cordis noſtri

ſunt latebræ primitus expiandæ. Quod enim illi (id eſt, agonothetæ) in corporis puritate aſſequi cupiunt, nos debemus etiam in arcanis conſcientiæ poſſidere, in qua Dominus arbiter atque agonotheta, reſidens, pugnam curſus & certaminis noſtri iugiter ſpectat, vt ea, quæ in propatulo horremus admittere, ne intrinſecùs quidem eualeſcere incauta cogitatione patiamur; & in quibus humana cognitione confundimur, ne occulta quidem conniuentia polluamur. Quæ licèt poſſit hominum prætérire notitiam, ſanctorum tamen Angelorum, ipſiúſque omnipotentis Dei ſcientiam, quam nulla ſubterfugiunt ſecreta, latere non poterit. Sic illi.] Caſtitas igitur priùs animam afficit, & mundiciæ amore componit, deinde ex illa in corpus carnémque deſcendit. Et ſicut dux ſolertiſſimus vrbem aliquam expugnaturus primò capiendæ arcis ſolicitatur cura, in qua aduerſarius fortiſſimis militibus cinctus reſidet; ſciens quia eo victo, facillimum erit domos ciuium particularium expugnare: Ita Caſtitas regina ſapientiſſima, arcem hominis ſcilicet mentem, ſibi ſubiicere, & ab omni impuritatis amore mundare contendit, quia in ſuum dominium redacta, laborioſum illi non erit, corpus in officio continere. Mens eſt domina, caro ancilla, & ſi domina reginæ Caſtitati ſeruierit, ancilla illi aſſidens, etiam Caſtitati ſeruiet, & aduerſùs præcepta eius nequaquam præualebit. Fortaſſis donec omnino dometur, obmurmurabit, & de fuga cogitabit, & illicitis motibus aduerſùs præcepta Caſtitatis inſurget. At anima Caſtitatis amore capta, carnem frænabit, eius motus comprimet, & paulatim ad Obedientiam & pacem adducet. E contrà verò, ſi caro fuerit doloribus & morbis emortua, & penè moleſtia imbecillitatis extincta, dum anima caſta non eſt, & propoſito puritatis ornata, nihil homo in hoc negotio ſibi promittat. Nam cùm minùs cogitauerit, equus carnis indomitus vires aſſumens, illum in præceps aget; & vltra rectæ rationis limites inuerecundè proſiliet.

Hinc autem aliud ad ſubſtantiam Caſtitatis neceſſarium colligitur, vt ſcilicet non violenter, non coactè, ſed ſpontaneè, & libenter hominem ab illicita voluptate temperare ſuadeat. Hoc eſt enim continentiæ (quæ quoddam eſt puritatis exordium) & Caſtitatis diſcrimen, quòd illa, authore Thoma

D.Thom. 2.2.q.155 ar.1. corpore. Aquinate, in rationali appetitu ſiue in voluntate eſt, ſenſitiuum appetitum comprimente, Caſtitatis legibus reluctantem. Caſtitas verò non ſolam voluntatem afficit, ſed & appetitum ſubiicit, vt libenter mundiciæ ſubiaceat, & luculentas delicias derelinquat.

Auguſt. libr. de mendacio.c.19. Ideo Auguſtinus pudicitiam corpori, Caſtitatem voluntati adaptat, quaſi Caſtitas voluntate, immo & voluptate ſuſcepta ſit ab homine. Eius verba ſunt. Iſta ſunt, quæ ſanctitatis cauſa ſeruanda ſunt: Pudicitia corporis, Caſtitas, & Veritas doctrinæ. Pudicitiam corporis non conſentiente ac permittente anima, nemo violat. Animi Caſtitas eſt in bona voluntate, & ſyncera dilectione, quæ non corrumpitur, niſi cùm amamus, atque appetimus, quod non amandum, neque appetendum eſſe veritas docet. Et

Hiero. li. 1. in Iouinia.c.7 Hieronymus ſic Dominum loquentem inducit. Alios eunuchos natura facit, alios vis hominum: mihi illi eunuchi placent, quos caſtrauit non neceſſitas, ſed voluntas: libenter illos in meos ſinus recipio, qui ſe caſtrauerunt, propter regnum cœlorum, & ob mei cultum noluerunt eſſe, quod nati ſunt. Ac tandem

Baſilius orat. 8. de temp. Baſilius pulchre ait, hoc idem aſtruens. Caſtum autem dicimus non eum, cuius iam libidinis pleni appetitus, à ſenectute, aut morbo, aut alio quouis caſu exaruerunt, languidique facti ſunt. Nam talis prauitate non caret, ſed operationes eius præpediuntur imbecillitate inſtrumentorum. At temperantia eſt quædam vera ſcientifica potentia perprofundè in anima impreſſa, & quæ veſtigia inhærentia turpium appetituum penitus extinguit, ac delet. Neque eos ob Caſtitatem in cœlum ferre debemus, quorum membra excecta ſunt: nam neque equos ideo extollimus, quòd cornu non petant; ſed quòd calce non feriant: boues verò ſi cornibus non petierint, manſuetudinis ergo charos habemus. Non enim quiſquam ob id, quod efficere non valet, ſed cùm poſſit, nec abutitur tamen potentia ad iniuſtitiam perpetrandam, ſuſpicitur, atque admirationi eſt. Nam temperantia, quæ eſt in ſenecta, non eſt temperantia, verùm libidinis cuiuſdam ac incontinentiæ quædam imbecillitas. Mortuus non coronatur, nemo iuſtus ideo quòd malum perpetrare nequeat.] Caſtitas itaque non coacta, ſed voluntaria eſt, non triſtis ab iis qui illam poſſident, ſed hilaris inuenitur: non ſemper in certamine, & lucta, ſed ſæpe in pace & tranquillitate eſt, quia domito corpore, & appetitu compreſſo, homo caſtus delicias carnis horret, ſpiritu verò delectationes concupiſcit. Id gratia, media aſſuetudine, facit, vt multò iucundiùs & lætiùs vir iuſtus vitam in corporis caſtigatione & deliciarum abiectione tranſigat, quàm intemperans inter delicias, & luxus inſumat. Et virtus hæc, ſicut & reliquæ, hoc bonum habet, vt difficultatem continendi ſuperet, & ſpurcas voluptates pro puritatibus, quæ ſunt in Caſtitate, commutet.

Ex hac autem voluntate, qua quis ſponte Caſtitatem colit, & ex iucunditate, quam in illa reperit, oritur, vt mundiciam corporis, & animæ perpetuo voto confirmet. Nam qui virginem pulchram aſpexit, & in eius amore exarſit, & conſortium appetiuit, non ceſſat quouſque illam ducat vxorem, & perpetuo vinculo ſibi matrimonij coniungat. Sic pulchritudinem ac decorem Caſtitatis aſpiciens, eius amore ſuperatus ſolet ad tantæ reginæ coniugium aſpirare. Votum autem eſt quaſi quoddam hominis Caſtitatíſque coniugium, quo in perpetuum copulantur, & eam vitæ rationem ineunt, qua crimen erit homini non ſolùm ſi vagum fœminæ concubitum diligat, verùm & ſi licitas nuptias (quæ emiſſo voto in religione approbata, nec licitæ, nec validæ erunt) amare præſumat. Hoc autem votum, quo Caſtitatis propoſitum ſtabilitur, atque firmatur, omnino eſt ad Caſtitatem ſtatus religioſi neceſſarium: quia cùm hic ſtatus, iuxta nomen ſuum, ſtabilitatem ac firmitatem habeat, conſequens eſt, vt partes eius etiam ſint ſtabiles & firmæ, quæ minimè à leuitate humana dependeant. Harum autem vna pars eſt Caſtitas omnino neceſſaria (vt ſtatim dicemus) vt mens ex toto diuinis obſequiis mancipetur. Quare non debuit mutabilitati & leuitati humanæ voluntatis relinqui, ſed perpetuo voto ſtabiliri. Et de hac Clemens Alexandrinus videtur locutus, cùm ait: *Clemens li. 3. Stromat.*
Eſt continentia corporis deſpicientia conuenienter pactis conuentis cum Deo initis.] Fuitque cum aliis duobus votis in Nazaræorum conſecratione ſignata, vt Gregorius ait, qui voto ſe ligabant, quemadmodum ex verbis Numerorum colligitur: Vir ſiue mulier cùm fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, & cætera.] Noſtra ergo Caſtitas non ſolùm virtutem Caſtitatis, ac perfectionem eius continet, verùm & votum, quo in puritate mentis & corporis firmemur, comprehendit. Et ob id (quod etiam in Paupertate fecimus, *Greg. 2. mor.c.27 Nu. 6.2.*

& in

Digitized by Google

& in Obedientia faciemus) impletionem voti vnum gradum eius conſtituimus.

Suſcipitur tandem à nobis Caſtitas, & voto ſtabilitur, vt liberiùs intellectu & affectu Deo adhærere, & diuinis vacare poſſimus. Nam cùm ſtatus hic noſter ſit tendentium ad perfectionem, & diuinam familiaritatem ſuſpirantium, propter hunc finé nobis incumbit à venereis abſtinere, quibus vehementiſſimè poſſemus à Diuinis auocari. Húncque eſſe Caſtitatis finem docuit Rabbanus ſic ſcribens: Bonæ ſunt nuptiæ, ſed cauſa filiorum, non concupiſcentiæ fornicationis obtentu: Melior eſt continentia, ſed ſibi non ſufficit ad beatitudinem, ſi pro ſolo amore pudicitiæ retinetur: ſed ſi cum hoc affectu cauſa vacandi Domino eligitur, alioquin diuortium magis coniugij eſſe videbitur, quàm caſtitas. Idem eiſdem verbis ait Gennadius Maſſilienſis Epiſcopus: Et Clemens Alexandrinus, dicens. Quare nec Caſtitas eſt bonum, & ex virtute, niſi fiat propter dilectionem in Deum. Quod adeo verum eſt, vt Ethnici ſcriptores hunc eſſe caſtitatis finem agnouerint. Nam & Naumachius vetuſtus poëta Græcus id ſubiectis carminibus Latinè redditis cecinit.

Rabban. lib. 4. de vniuer. c. 10.

Gennad. li. de Eccleſ. dog. c.66.

Clemens 3. ſtroma.

Pulchrum ſanè eſt, corpus caſtum habere, intactúmque manere
Virginem, & puris ſemper cogitationibus delectari,
Nec onus circa laborioſa ilia geſtantem,
Neque dolores trementem ſuſpirioſos Lucinæ,
Sed permanere quaſi reginam, imbecilliúmque mulierum
Oculum animæ ſplendidum ad eam vitam erigendo,
In qua glorioſæ veræque ſunt nuptiæ, vbi commixta
Diuinis verbis lumine plenas meditationes parit.

Non ergo nuptiis abſtinemus, quaſi eas malas, aut minùs licitas dicamus, ſed vt meliori & perfectiori ſtatu nos Domino conſecremus. Quis enim neget bonorum eſſe diſcrimina, & quoddam eſſe ſimplex bonum, quoddam melius, quoddam optimum, atque perfectum? Coniugium ergo bonum eſt, dicente Domino. Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.] Caſtitas melior eſt, quia non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt ad maiora conſurgere. Virginitas verò optima eſt, cùm Angelorum puritatem æmuletur, qui vxores non ducunt; & vita cœleſtis eius beneficio ad luteas domos, & carnem corruptibilem transferatur. Hæc duplex Caſtitas voto ſtabilita, & propter diuinorum contemplationem & Dei cultum, aſſumpta, argumentum eſt huius tractationis. Quarum qui illam habent, in ſeipſos ſeueriores; qui verò hanc poſſident, humiliores eſſe debent, vt in illis ſancta ſeueritas admiſſas antea delicias corrigat, & in his cauta humilitas mentem acceptę gratiæ admoneat, nec aduerſùs eos, qui aliquando ceciderunt, aut ſtatum minùs perfectum habuerunt, ſe erigat.

Gen. 1. 28

Quàm neceſſaria ſit viro religioſo Caſtitas.

CAPVT II.

CAſtitatis virtutem religioſis eſſe maximè neceſſariam, cõfirmatione non indiget: quia tanta eſt vilitas animę carnalibus voluptatibus deditæ, vt vix queat ſub habitu religioſo cõſiderari. Hanc domeſtici, & externi, ſi aliquid vel tantillum impudicitiæ in ea oleant, contemptui habent,

A

& non aliter quàm peſtem, & exitium religioſæ vitæ omnes prudentes exhorrent. Nec poteſt cœnobium, cui talis peſtis inhæſerit, ab ingenti infamia & ignominia liberari. Si enim aliquis in domo religioſa inueniatur minùs paupertatem amans, & nonnulla ſuperflua in vſum proprium admittens, aut minùs obedientiæ tenax, & in rebus parui momenti, aut ſuam voluntatem faciens, aut ſuo iudicio nimiùm fidens, neſcio quomodo diſſimulamus, & defectus eius excuſatione contegimus. At ſi in eo minùs caſtitatis, aut pudicitiæ deprehendatur, illum vniuerſi vehementer auerſamur, & horremus. Non quidem ex ſuperbia Phariſaica, vt ille impurus, & elatus Phariſæus Magdalenã ad pedes Domini procumbentem irridens, ſed ex zelo ſtatus religioſi, quem ſcimus funditus

B

euertendum, ſi ſinat ſe hac viliſſima & ſpurciſſima colluuione fœdari. Ille mulierem pœnitentem, culpas ſuas lacrymis diluentem, & coram miſericordiſſimo Domino veniam poſtulantem, & numquam ad vomitum reuerſuram, ſpreuit, quod ſummæ nequitiæ & incredibilis ſuperbiæ, & cæcitatis eſt, quaſi ipſe eſſet impeccabilis, & non poſſet à carne ſua vinci, & à concupiſcentia medullitus latitante proſterni. Meritò tantam Phariſæi ſuperbiam deteſtatus eſt Auguſtinus. Ad illius pedes, inquit, ſi talis mulier acceſſiſſet, dicturus erat, quod Iſaias de talibus dicit: Recede à me, noli me tangere, quoniam mundus ſum.] At nos ſi quem religioſum inueniremus, (quod Deus auertat) huic infami peccato ſubiectũ,

Aug. l. 50 homiliar. hom. 23. c. 2.

Iſaiæ 52.

C

imitatores Domini facti, & propriæ imbecillitatis & procliuitatis ad malum admoniti, pœnitentem blandè ſuſciperemus, & illi, ac nobis in illo, cui ex nobis ipſis ſimiles ſumus, condoleremus, & à cœno extrahere niteremur, ne infixus in limo periret. Sed illum dicimus omnes horrere, & deteſtari, qui in miſera impudicitiæ ſeruitute perdurat, & non pœnitentiam, & emendationem vitæ, ſed ſuorum flagitiorum abſconſionem meditatur, & ſtatum ſanctiſſimum, quem profeſſus eſt, ſi non intentione, at opere ipſo maculare, & ſempiterna infamia aſpergere nititur. Omnes enim religioſæ familiæ huic oneri ſunt ex ignorantia ſæcularium obnoxiæ, vt peccatum vnius quodammodo reliquis tribuatur. Et licèt inſignis cæcitas ſit, & ſtultitia, cunctorum vitam vnius infirmitate metiri, tamen iure optimo illius conſortium formidamus, cuius cauſa ſaltem apud

D

imperitum vulgus tam infamis peccati, & ſanctitati noſtri ſtatus contrarij, opinionem licèt falſam, & nullo ſolido fundamento ſubnixam, incurrimus.

Dicendum eſt igitur, quas ob cauſas pulcherrima Caſtitatis virtus ſit ſtatui religioſo maximè neceſſaria. quarum præcipuam Thomas Aquinas ex huiuſmodi ſtatus fine petiuit. Nam ſcopus religioſæ vitæ eſt, ex toto in Deum affectu & intellectu tendere, & ad perfectionem charitatis anhelare. Debet ergo vita hæc, omnia illa conſtanter abiicere, quæ ſunt ex diametro huic ſcopo contraria. Nihil eſt autem, quàm luxuria & impudicitia, aut etiam licita carnalis voluptas à coniugio honeſtata, ſanctitati & diuinæ familiaritati magis aduerſum. Nam hæc vehementiſſima delectatio mentem à

D. Thom. 22. q. 186 art. 4.

E

cœlo elongat, & terrenis inuoluit, & cura rei familiaris, ſine qua vxor, & filij, & familia ſuſtentari non poteſt, animum diſtrahit, & in mille partes diſcindit, ne cœleſtia recogitet. Ergo ſtatus noſter neceſſariò carnis delicias & voluptates aſpernatur, Caſtitatem verò illis aduerſam amplectitur. Certè curam diuinorum, & intentionem tendendi in Deum, voluptatibus minui, atque præpediri, ipſa experientia demonſtrat, & his verbis Auguſtinus affirmat.

[A]uguſt. ſoliloq. c. [..]. tomo Quantum velis licèt vxorem pingere, atque cumulare bonis omnibus, nihil mihi tam fugiendum quàm concubitum, eſſe decreui, nihil eſſe ſentio, quod magis ex arce deiiciat animum virilem, quàm blandimenta fœminea, corporúmque ille cõtactus, ſine quo vxor haberi non poteſt. Itaque ſi ad officium pertinet ſapientis (quod nondum comperi) dare operam liberis, quiſquis rei huius tantùm gratia concumbit, mirandus mihi videri poteſt, at verò imitandus nullo modo, nam tentare hoc periculoſius eſt, quàm poſſe fœlicius. Quamobrem ſatis (vt credo) iuſtè atque vtiliter pro libertate animæ meæ, mihi imperaui non cupere, non quærere, non ducere vxorem.] Paulus etiam iugem orationem ſecum carnales voluptates nequaquam admittere, ad coniugatos loquens, ſic docet: *1. Cor. 7.* Nolite fraudare inuicem, niſi fortè ex conſenſu, ad tempus, vt vacetis orationi.] Quamuis enim munda ſint cõiugia, inquit Ambroſius, *Ambroſ. i.d.* tamen à licitis etiam abſtinendum eſt, vt faciliùs ad effectum deducatur oratio. Iam verò quantum rei familiaris cura mentis trãquillitatem & perfectionis curam impediat, idem Paulus ſcribere non omiſit. *1. Cor. 7. 3.* Qui cum vxore eſt, inquit, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.] Quem locum exponens *Anſel. ib.* Anſelmus hæc ait: Solicitus eſt eorum, quæ ſunt mundi, vt habeat vnde paſcat vxorem, & filios, id eſt, ſtudet multiplicare diuitias, & vineas, agróſque fertiles, & amplos habere, variámque ſupellectilem poſſidere, intendens quomodo per hæc placeat vxori, & diuiſus eſt, id eſt, in multas partes ſollicitudinum miſeriarómque diſtractus: vel diuiſus eſt, quia ſingulariter Domino non ſeruit, ſed partim Domino, partim ſæculo. Ex coniugiis quippe terrenæ ſollicitudines prodeunt, & idcirco vitam cælibem quiſque magis debet eligere, ne propter coniugium cogatur ſollicitudinibus mundanis intentus eſſe. Bonum eſt enim coniugium, ſed mala ſunt, quæ circa illud ex huius mundi cura ſuccreſcunt: & ideo nunc Apoſtolus, cùm ad cælibatus gratiam inſtrueret, non coniugium ſpreuit, ſed curas mundi naſcentes ex coniugio repulit.]

Si religioſa vita licitas coniugio voluptates excludit, quãto magis illicitas voluptates reiiciet? Si carnẽ à cõiunctione ſine peccato admiſſa purificat, quanto iuſtiùs ab ea, quæ ſurdidiſſimo eſt iũcta peccato, mũdabit? Voluptas venerea per ſe ſumpta, grauis & oneroſa eſt, quæ ſpiritum ad cœleſtia volare non ſinit. Cùm verò illi grauiſſimum carnis peccatum adiungitur, actio ponderoſa redditur, vt ſpiritũ ipſum quaſi carnem faciat (& verè carnalem facit) & fœdiſſimis cogitationibus, impuriſſimis deſideriis, & operibus planè beſtialibus mergat. Animus viri Deo conſecrati hoc vitio impuro ſuperatus mirum eſt quàm implacabilibus conſciẽtiæ morſibus torqueatur, quantis timoribus ne lutulentum peccatum ad notitiam aliorum veniat, angatur, quàm innumeris mendaciis, & dolis abſcondatur, quàm ridiculis prætextibus indicium criminis deprehenſum excuſet. Non vita, ſed mors inferni eſt conuerſatio hominis illius, qui huic infami peccato manus dedit. Cogitationẽ Deo debitam pellice occupat: deſiderium in res cœleſtes erigendum, ad cœnum nec nominandum voluptatis deprimit: os diuinis laudibus conſecratum, verbis impudicis polluit: manus in cœlum leuandas ludictis & minùs pudicis ſcribendis voluit: corpus Spiritus ſancti templum maculat, & ſe totum diaboli habitaculum efficit. Mirum eſt, ſi hæc de viro religioſo credi poſſent, at non crederentur, ſed quæ ex hoc vitio, ſi in eum caderet, neceſſariò ſequerentur, non ſine pudore à nobis explicantur. Homo igitur his tempeſtatibus iactatus, his vndis peccatorum merſus, & ſæpe malo ac ſacrilego ſacramentorum vſu pollutus (quia ſtatis temporibus ea ſuſcipere cogitur, & nolens à cœno exire malè malus illis ingeritur) quomodo in perfectionem tendet? Quomodo Deo intellectu & affectu inhærebit? quo pacto ad finem religioſæ vitæ, quam colit, properabit? Properat ille in gehennam, adulteris & impudicis præparatam, & fugit à cœleſti patria, quam non ingrediuntur impudicitia maculati, ſed Caſtitatis luce decori. Caſtitas itaque ad propoſitum nobis perfectionis finem omnino neceſſaria eſt, ſine qua nec perfectionem, nec æternam ſalutem conſequemur. Dicitque nobis Paulus: Has habentes promiſſiones chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamẽto carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.] *2. Cor. 7. 1.* Quaſnam promiſſiones habemus nos? Certè illas amplas atque magnificas, vt ſimus per veram ſanctitatem templa Dei, de quibus paulò antè dixerat: Vos enim eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Dominus: *2. Cor. 6. 16.* quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.] Et quam ſanctificationem perficimus? Illam, quæ in baptiſmo cœpta eſt, & deinceps bonorum operum acceſſione, & mentis adepta puritate, completur. Hanc vt perficiamus, & vſque ad menſuram perfectionis nobis propoſitę accedamus, mundemus nos per pudicitiam, & continentiam carnis ab omni inquinamento carnis, & per Caſtitatem ſpiritus ab omni pollutione ſpiritus; ſine quibus ad ſanctitatem deſtinatam peruenire nequimus.

Nec ſolùm ex fine religioſæ vitæ, verùm ex officio quoq; eius neceſſitas caſtitatis elicitur. Officiũ quippe huius vitæ eſt, veterem hominem exuere, nouum induere, deſideria carnis cohibere, deſideria ſpiritus prouehere, peccata linquere, & mentem ac corpus ab omni corruptione ſeruare. His omnibus Caſtitas diligenter inſiſtit. Caſtitas veterem hominem exuit, quia pruriginem carnis ex veteri homine manentem abiicit. Caſtitas nouum hominem induit, quia ad innocentiæ ſtatum, in quo integritas dominata eſt, ſuos cultores quodammodo reuocat, & Chriſto virginum ſponſo ſimiles facit. Caſtitas deſideria carnis cohibet, quoniam vehementiſſimam carnis paſſionem moderatur, & regit. Caſtitas deſideria ſpiritus promouet, quia carnalia contemnentes, ad ſpiritualia deſideria perducit. Caſtitas peccata linquit, quoniam peccatis infamibus, & fœdiſſimis, & beſtialibus contradicit. Ac tandem illa incontinentię corruptionem eliminat, quæ integritatem & pulchritudinem cœlorum imitatur in terris. De hac incorruptione à Caſtitate donata nobis egregiè dixit Bernardus: *Bernard. epiſt. 42. ad Henricum.* Quid Caſtitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelum denique de homine facit? Differũt quidem inter ſe homo pudicus, & Angelus, ſed fœlicitate, non virtute. Sed etſi illius Caſtitas fœlicior, huius tamen fortior eſſe cognoſcitur. Sola eſt Caſtitas, quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore ſtatum quendam immortalis gloriæ repræſentat. Sola inter nuptiarum ſolemnia morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubunt, neque nubuntur: præbens quodammodo terris, cœleſtis iam illius conuerſationis experientiã. Vas interim fragile, quod portamus, in quo & crebrò periclitamur, tenet Caſtitas, vt monet Apoſtolus, in ſanctificationem, & inſtar odoriferi balſami, quo condita cadauera incorrupta ſeruantur, ſenſus ipſa & actus continet, & conſtringit, ne diſſoluantur otiis, ne corrumpantur deſideriis, ne carnis voluptatibus computreſcant: quemadmodum legitur de

quibuſdam,quia computruerunt vt iumẽta in ſtercore ſuo.Hæc ille.] Sine Caſtitate autem nunquam veteris hominis impuras luxuriæ veſtes abiicies,ſed magis magiſque infamis vitij nexibus intricaberis. Nunquam noui hominis indumentis veſtieris,quæ Deus ex integritate,& byſſo mundiciæ, confecit. Nec deſideria carnis fugies,quæ te vndique ligant; nec ſpiritus deſideria cõcipies,quæ in corde carnali non habitant;nec peccata deſeres,quæ cogitationibus,& deſideriis, & operibus impudicis amplecteris; nec incorruptionem habebis, ſed quotidie miſeriùs corrumperis.Non ergo ſine Caſtitate poteris tuo officio ſatisfacere.

Certum eſt etiam,vitam religioſam propter vitæ puritatem amari. Nam quis vnquã,rogo,ſæculum ex recta intentione reliquit,niſi vt mentis & corporis ſpurcitias abiiceret, & ſe virtutum ſplendore & mundicia decoraret? Hæc autem tam cognata eſt Caſtitati,vt ipſa Caſtitas,puritas & mundicia vocetur:& ſicut Caſtus in vna ſignificatione ſanctus, & purus dicitur,ita Caſtitas (vt diximus) ſanctimonia, & puritas,& mundicia appellatur.Caſtitas peccatis, ſi non maioribus, at immundioribus & ſordidioribus nos liberat: intellectum illuminat,voluntatem lætificat, totam mentem quietat, & ipſam carnem pulchritudine quadam exornat. E contrà verò impudicitia omnia hæc inficit & ſordidat.Vis ne videre intellectum ſapientiſſimum luxuriæ peccatis occæcatum?Quis Salomone ſapientior?De illo autem ait ſcriptura: Rex Salomon adamauit mulieres alienigenas multas.Cúmque iam eſſet ſenex,deprauatum eſt cor eius per mulieres,vt ſequeretur Deos alienos. Et colebat Aſthartem Deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum.Et ædificauit fanum Chamos idolo Moab, & in hunc modum fecit vniuerſis vxoribus ſuis alienigenis.] Ad nullam maiorem cæcitatem rex iſte ore Domini de ſapientia celebratus venire potuit, quàm vt deliramenta gentilium coleret,& qui vero Deo templum ædificauerat, delubra idolis gentium extrueret.Vis audire voluntatem impudicitiæ malo mœrore confectam,& quaſi in rabiem actam?Quis filio regis potentiſſimi,cui nulla deerant,potuit eſſe alacrior,aut lætior? At Ammon filius Dauid impudico Thamar ſororis Abſalon amore poſſeſſus tanta triſtitia oppletus eſt,vt præ mœrore ægrotaret,& quaſi macie attenuaretur per ſingulos dies.Vis etiam conſiderare virum fortiſſimum,ac mentem aduerſariis terribilem,luxuriæ morbo ex arce virili deiectam,& ad muliebres functiones applicatam? Quis Samſone fortior?At meretrix,cui vinculis impuri amoris adhæſerat,dormire eum fecit ſuper genua ſua,& in ſinu ſuo reclinare caput,crines illius raſit,& comam conſecrationis eius abſtulit, ad cuius cuſtodiam vires è ſupernis datas acceperat, & ſic infirmum factum ſannis aduerſariorũ expoſuit. Herculis quoq; ad hanc veritatem aperiendam fabella narratur,qui poſt glorioſiſſimos de hoſtibus triũphos reportatos, laſciuia victus,inter mulierculas ſedẽs tenuiſſima lini fila contorſit.Quem irridens,quidam ita cecinit:

3.Reg.11. 1.4.5.7. — *2.Reg.13. 4.*

Ouid.Heroi.epi.9.

Non pudet Alcide victricem mille laborum
Raſilibus calathis impoſuiſſe manum?
Craſſaq́; robuſto deducis pollice fila,
Æquaq́; formoſæ penſa rependis heræ?
Diceris infœlix ſcuticæ tremefactus habenis
Ante pedes dominæ pertimuiſſe minas.

Quod autem fuerit huius fabellę documentum expoſuit Fulgentius,ſi non Ruſpẽſis epiſcopus,at alius non contemnendus,in hunc modum.Parcite,quæſo, iudices humanis ardoribus:quid enim puerilis,

Fulgent. li.2. Mythol.c.5.

A aut muliebris ſenſus in amore efficiat, ex quo libidinis pugna,Herculea deſudat virtus?Mulieris enim illecebra maior eſt mundo, quia quem mundi magnitudo vincere non potuit,libido compreſſit. Inuaſit ergo virtutem de crimine fœmina,quam mereri nõ potuit de natura.Hercules enim amauit Omphalen,quæ cũ perſuaſit, & colo delicatos eneruare contactus, & laſciuienti pollice fuſi teretem rotare vertiginem,&c. Quibus addit Herculẽ ex nominis interpretatione ſignificare fortitudinis gloriã, quã manifeſtũ eſt libidine ſuperari.Vis tandem corpora hominũ luxuria deformia & exeſa conſpicere? Verte oculos ad illos,eorum facies conſidera,voces auſculta,quibus ingenuè fatentur ex intemperantia in mille morbos incidiſſe, & dolores nouis moleſtiis B & doloribus cumulaſſe?Quid de corporis voluptatibus loquar?inquit Boëtius, quarũ appetentia quidem plena eſt anxietatis, ſatietas verò pœnitentiæ? Quantos illæ morbos, quàm intolerabiles dolores, quaſi quendã fructum nequitiæ,fruentiũ ſolent referre corporibus,quorũ motus quid habeat iucũditatis,ignoro.Triſtes verò eſſe voluptatũ exitus quiſquis reminiſci libidinum ſuarum volet, intelliget.]

Boeti.lib. 3.de conſol.proſ.7.

Hæc ſine dubio ita ſe habent,at vita ſtatus noſtri tota ſpiritalis,& cæleſtis,ad ſuorum cultorum perfectionem,& Dei venerationẽ, & animarum ſalutem inſtituta, perſpicaci eget intellectu,quo ad diuina ſe efferat;alacri & expedita volũtate,qua ſemper in ſuperiora contendat; quieta mente,qua vndiq; aduerſantia circũſpiciat; vegeto corpore,cuius C humeris onera diſciplinæ ſuſtineat. Quæ cùm abſque Caſtitate non poſſideãtur,perſpicuum eſt, ſine hac virtute puriſſima ſtatum noſtrũ ſtare non poſſe. Et quidem prorſus ignoro quonam pacto quis ſine animo Caſto ieiunia ſuſcipiet, vigilias cuſtodiet, corpus aſperitatibus macerabit;quanam ratione ſilentium colet, ſenſus & affectus comprimet,virtutibus omnibus acquirendis inſiſtet; quonam modo orationi & meditationi ſe tradet, in diuino amore, & in puritate proficiet,& animarũ ſaluti aut exemplo,aut etiam doctrina vacabit: Sine his verò vita religioſorum religioſa nõ erit,nec à mundo aliena, nec ſpiritibus Angelicis cognata, vnde & ſine Caſtitate ſuam perdet naturam, atque ſubſtantiam. Vita hæc quid operatur in nobis? Nonne vt ſimus D Dei patris domicilia, Verbi templa, Spiritus ſancti tabernacula?At Dominus non niſi puras mentes inhabitat,non niſi in mundis corporibus cõmoratur, ipſo dicẽte;Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternũ,quia caro eſt,]id eſt, quia carnalis eſt. Ipſe namque ab initio conditionis ſuæ caro fuerat, id eſt,ex carne coagmentatus, atque compoſitus;at quia caſtus,& purus erat,ſpiritũ Domini habitatorẽ acceperat. At poſtquam Caſtus eſſe deſiit,& mulierum pulchritudine delectari cœpit, Deum à ſe honorabilem hoſpitem repulit.Nam in maleuolã animã nõ introibit ſapientia,]nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.]Nõ aliis profectò,quã peccatis ſibi propriis,ſcilicet peccatis carnalibus, quibus inficitur,atq; fœdatur,ne in ſe ſpiritũ ſapientiæ habitatorẽ E recipiat.Deniq; non ſolùm ad hoc ſtatus noſter eſt inſtitutus, vt Dei ſimus habitacula, ſed etiam vt Chriſti in ſacramento latentis ſimus palatia. Eum ſacerdotes quotidie ſuſcipimus; non ſacerdotes,ex regula frequenter excipiũt.Quis autẽ audebit,pollutus,& carnis ſordibus,aut impuris cogitationibus inquinatus, ad ſacram illam Angelorum menſam accedere?Religioſis quidẽ ea dicimus,ſiquidẽ ęqua eſt in illis cauſa,quæ Bern.Epiſcopis & clericis intimauit.Hos ille ſic alloquitur.Certè Dominus dicit in

Gen.6.3. — *Sap.1.4.*

Euangelio ad Epiſcopos, haud dubium in primitiua Eccleſia: Sint lumbi veſtri præcincti:] Caſtitatem approbans non tantùm, ſed etiam imperans. Atteſtatur etiam hanc Spiritus ſanctus in lege: qui nemini niſi mundis, (& præcipuè à mulieribus) panes propoſitionis edere ſinebat. Vnde & Achimelec Dauid regi de his panibus cum militibus ſumere cupienti, non priùs conceſſit, quàm eos mundos eſſe à mulieribus cognouiſſet, dicente Rege Dauid: Si de mulieribus agitur, mundi ſunt pueri ab heri, & nudius tertius.] iam tunc ſignificante Spiritu ſancto, neminem ad menſam Chriſti, ad illúmque panem Angelorum debere accedere niſi purificatum mente & corpore, ne quod gratia diuina fidelibus præparauit ad ſalutem, indignè ſumentibus ad iudicium fiat, & ad condemnationem. Sic ille.] Caſtitas igitur vndique nos ad ſui cuſtodiam & amorem aſtringit, ſiue finem religioſæ vitæ ſpectemus, qui eſt ſanctitas atque perfectio; ſiue officium, nempe abiectionem hominis veteris, & Chriſti imitationem conſideremus: ſiue ad omnes ſtatus huius functiones attẽdamus. Quamobrem & virtus tam omnibus modis neceſſaria nobis diligenda, & opere excolenda eſt, ne ſi ipſa deſit, vita ſtatu religioſo digna deficiat; dicatúrque nobis, quia labiis, & externis ceremoniis Dominum honoramus, corde tamen & conuerſatione contemnimus, & alios, qui ex vita noſtra ſcandalum patiuntur, ad blaſphemandum nomen Domini, qui tales ſeruos habet, immundos ſcilicet & impudicos, impellimus.

1. Reg. 21. 4.

De Multiplici excellentia Caſtitatis.

CAPVT III.

PVRISSIMAM Caſtitatis virtutem non ſolùm à nobis neceſſitas poſtulat, ſed multiplex etiam excellentia commẽdat; quam ſi aggrederemur ſigillatim edicere, tractationem longiſſimam cuderemus. Solùm ergo ne huic tractatulo pars iſta deficiat, duodecim Caſtitatis excellentias breuiter prælibabimus. Et meritò bona eius vſque ad duodenarium numerum protendimus, vt numerus iſte, qui perfectionis dicitur, & fœlix, atque cœleſtis, nos diuitiarum Caſtitatis admoneat, quæ ad ſuam perfectionem progreſſa hominem cæleſtem efficit, & fœlicitatis muneribus replet. Duæ illæ columnæ templi, quarum nomina erant, Iachin & Booz, & à firmitate, vel à fortitudine nomina acceperant, viróſque perfectos indicabant funiculo duodecim cubitorum, vt eſt in Ieremia, vel linea eiuſdem menſuræ cingebantur, quæ linea Caſtitatem mihi ſignificat duodecim prærogatiuis exornatam, viros iuſtos metientem, & eorum robur ac firmitudinem explicantem. Magna enim eorum fortitudo eſt, ſi carnem vincant, & aculeos eius ignitos euertant, & ſe puros corpore mentéque cuſtodiant. Iam ergo ad rem veniamus.

I. Ab ea autem excellentia exordiamur, quòd Caſtitas aliis Eccleſiæ modis viuendi imagine & ſignificatione præfertur. Nam coniugium fructu trigeſimo deſignatur, quem terra bona tulit. Caſtitas verò poſt ſemel expertas carnis delicias, fructu ſexageſimo, & virginitas centeſimo fructu depingitur. Illa prima Caſtitas, & imperfectior medietate coniugiũ excedit, hæc verò ſecunda atq; perfectior duabus medietatibus, & inſuper denario ſupra cõiugiũ excreſcit. Quare? Quia Caſtitas ita præſtãtior eſt coniugio, vt limites humanæ naturæ non videatur excedere. Quid enim faciet homo poſtquam coniugium vxoris morte ſolutum eſt, niſi Caſtitatem excolere? At virginitas, quæ in carne carnem neſcit, & deliciis eius nunquam aſſenſum præbuit, maxima quadam perfectione denario ſignificata, videtur ad naturam Angelicam accedere, & conditionem hominis ſuperare. Iure autem hæc ſorori ſuæ, nempe priori caſtitati, tantæ eminentiæ ſignificatione præponitur, quoniam caſtitas naturæ integritatem amiſſam eſſe ſupponit. Virginitas verò illam integritatem nulla ratione minuit, ſed ſeruat. De qua rectè dixit Sixtus Papa: Quale bonum ſit virginitas, quæſo diligenter aduerte, talem te ſemper eſſe, qualem à primordio Deus hominem fecit, & qualem poſtmodum partus emiſit. Vide quantæ beatitudinis ſit, hoc te perpetuò eſſe, quod factus es, & primæ natiuitatis lineamenta ſeruare.] *Sixtus. 3. lib. de Caſt.* Vtraque itaque Caſtitas ſuo modo naturam exornat, & ſupra communem viuendi modum ſe effert, præmiúmque maius (vt poſtea dicemus) paratum habet. Et ob id fructu cumulatiori ſignata eſt, vt ex imagine rei ſignata, præſtantia monſtretur.

II. Secunda excellentia Caſtitatis eſt quòd hominem, in eo quòd homo eſt, mirificè ornat, & perficit. Homo quatenus homo eſt, vtitur ratione, & intellectum, conſideratione rerum incorporearum exercet. Caſtitas autem intellectum illuſtrat, & ad rectam de rebus habendam cognitionem parat. Nam ſpiritus hominis corpori merſus, & quaſi nebula carnis obuelatus, nequit contemplari cæleſtia, niſi nebula hæc aut penitus auferatur, aut aliquo remedio tenuetur. At Caſtitas licèt corpus non auferat, ipſum tamen ad quoddam genus ſpiritualitatis reuocat, & cœnum impuriſſimarum voluptatum excludens, eius, ne contemplationi obſtet, craſſitiem extenuat. Dominus volens cum Abraham arctiſſimam amicitiam inire, & ad ſuam familiaritatem admittere, eduxit eum de Vr Caldæorũ, ac de terra Chanaan; & de vrbe Haran, eduxítque eum in locum Sichem, & vallem illuſtrem. Ibi autem cœpit ei ſe familiariùs oſtendere, & magnifica polliceri: Et dixit illi: Semini tuo dabo terram hanc.] *Gen. 12. 7.* Vr, ignem; Chanaan, negotiatorem, Haran, deſtructum, vel ſublimem; Sichem, prauorum affectuum ablationem ſignificat. Ab igni igitur luxuriæ egrediendum eſt, de qua dixit Eccleſiaſticus: Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.] *Eccl. 9. 9.* A negotiis ſæcularibus, & ambitione ſæculi exeundum eſt, & in puritatem corporis, & cordis properandum, vt Deum agnoſcamus, & eius fruamur alloquio. Nõne homo impuris voluptatibus deditus, & beſtiis inſipientibus ſimilis factus, nomen ſtulti inſipientiſſque meretur, cùm ab Angelorum commercio, quibus animo ſimilis eſt, ſe elongauerit, & ad belluarum infima ſe deiecerit? Sed non recipit ſtultus verba prudentiæ; niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde eius.] *Prou. 16. 2.* Carnalia voluit, obſcœna cogitatione apprehendit, & ea ſolùm intelligit. Animalis homo non percipit ea, quę ſunt ſpiritus Dei.] *1. Cor. 2. 14.* Animalis eſt, qui anima regitur ſecundùm quod corpus vegetat: mediúſq; interiacet inter ſpiritualẽ & carnalem. Si autem animalis non percipit, multo minùs carnalis cœleſtia percipiet. Ac proinde hoc bonum viro honeſto & caſto ſeruatur, vt mundis oculis, & à fumo fœtidarum cogitationum liberis cæleſtia contempletur. Vnde Gregorius Niſſenus ait: Vitæ huius (id eſt in Caſtitate traductæ) omne ſtudium, atque inſtitutum illud eſt, vt ne voluptatum impetu, animi deprimatur altitudo, neue nos, qui cæleſtia contemplari, noſue ad diuina animo contueri debemus, ad corporis affectiones *Niſſenus. li. de virgin. c. 5.*

delapſi

delapſi cadamus. Quo enim modo animus noſter, qui inferiori huic carnis voluptati mancipatus eſt, atque in humanorum affectuum appetitionem totos incumbit, poteſt cognatum illud lumen, quódue mente ipſa cernitur, vacuo & libero ſenſu aſpicere, cùm is praua quadam atque inerudita anticipatione ad humiles has res & luculentas aciem intendat? Nam vt porcorum oculi, natura in terram conuerſi, mirificarum rerum cœleſtium aſpectum non habent: ſic animos corporis luxu perditus, cùm ad humilia, & ad ea, quæ ſunt pecudom, inclinatus ſit, non cœlum ampliùs, neque reliquarum rerum conuenientiam, & decorem cernere poterit. Quare vt ad voluptatem diuinam illam quidem, & beatam, animus noſter quietus ac liber maximè reſpiciat, ad nullas omnino res caducas & terrenas ſeipſe conuertet, neque earum voluptatum particeps fiet, quæ ad communis vitæ indulgentiam comparatæ ſunt, ſed omnem potiùs amoris vim, à rebus corporis ad eam traducet pulchritudinis contemplationem, quæ & corporis expers eſt, & mente cernitur. Atque ad hanc quidem animi affectionem, ſtudiùmque, eſt corporis inuenta virginitas, vt cùm affectionum, quæ à natura tributæ videntur, obliuionem animo maximè attulerit, in pura diuinæ ſempiternæque voluptatis conſuetudine verſetur: quam cor ſolum, pura, eius qui nos regit, animi integritate adhibita, capere ſolet.

Matth. 5. 8. Beati enim mundo corde, inquit, quoniam ipſi Deum videbunt.] Sic ille. Et *D. Damaſc. lib. 4. fidei c. 25.* Damaſcenus idem confirmat, aſſerens, Deum Iſraelitis caſtitatem imperaſſe, vt eis ſui videndi & audiendi copiam faceret. Ac ſacerdotibus eandem caſtitatis legem impoſuiſſe, vt ad templi abdita ingredi poſſent. Si impura igitur voluptas intelligentiam obſcurat, Caſtitatis virtus illuminabit, vt facilè cœleſtia percipiat. Speculum, ſi mundum, ac purum fuerit, facilè obiectas rerum imagines refert: ita animus ab impuritate deliciarum carnis alienus, optimè res cœleſtes & diuinas intelligit. Et ſicut Patriarcha Ioſeph, in præmium Caſtitatis, interpretatione ſomniorum ditatus eſt; ſic & caſti, diuinorum intelligentia cumulantur, vt candor corporis candori mentis ſeruiat, & pulchritudo Caſtitatis, carnem poſſidens, in meore ſplendorem ſcientiæ poſſideat.

III. Deinde tertia Caſtitatis excellentia eſt, quòd hominis cor à dura ſeruitute liberat, & quaſi in dominio ſui ac poteſtate conſtituit. Nam carnis peccata ſuis illecebris cor illigant, & voluntatem reginam ac dominam vitium animæ vinciunt, & ad impuriſſimum carnis obſequium trahunt. Cuius fouendæ & impinguandæ gratia, nullum eſt peccatum, quod voluntas horreat, nullum periculum, quod extimeſcat. Quare Dauid rex, ſupra ſe, niſi Deum, nullum agnoſcens, & cui infœliciſſimum eſſet cuique regi etiam potentiſſimo obtemperare, non erubuit ob infames corporis voluptates, adulterio, homicidio, & ignominiæ apud ſuum regnum incurſæ ſe ſubiicere. Hunc miſerrimum carnis dominatum Caſtitas excutit, & voluntatem noſtram dominam, carni ancillæ dominari facit. Caſti poſſunt ſibi aſcribere illud Pauli in ſenſu non admodum di-*2. Cor. 10. 3.* uerſo: In carne ambulantes, non ſecundùm carnem militamus.] Licèt enim in carne viuant, licèt eorum anima carni adhuc iuncta ſubſiſtat, non tamen ſub carne regina militant, ſed eam conculcantes vt ancillam, ſpiritus deſideriis obtemperant. Ideo homo carni ſeruiens, ſeruo, licèt à libero naſce-*Galat. 4. 22.* retur, ſignatus eſt. Nam & Abraham duos filios habuit, inquit Paulus, vnum de ancilla, & vnum de libera, quæ ſunt non ſolùm per allegoriam, verùm & per tropologiam dicta. Filius ancillæ Iſmael dictus eſt, figuratque appetitum carnalem, & ſignificat exauditionem Dei, quia anima, cui inſederit, niſi Deus illam clamantem exaudiat, illecebris carnis illaqueata peribit. Hic eſt homo ferus, qui non ratione regitur, ſed ſolitudine, aut receſſu à conſortio hominum non neceſſario, & corporis afflictatione domatur. *Gen. 16. 12.* Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum: quia omni bono deſiderio aduerſatur, & omnes vires internæ in vnum colligendæ ſunt, vt mens eius feritati reluctetur. Filius verò liberæ, vocatus eſt Iſaac, quod interpretatum, denotat riſum, ſignificatque appetitum rerum cœleſtium: qui mentem recreat, & omne gaudium ac lætitiam acceſſit. Indéque ablactationis eius ſit grande conuiuium, *Gen. 21. 8.* quia iuſtus incredibili gaudio perfruitur, cùm iſtud deſideriū quaſi infantiles annos ſupergrediens, ad perfectū opus procedens, vt robuſtus & vegetus demonſtratur. Ille appetitus, ancillæ filius, eſt ſeruus, quia legibus ita ſtatuentibus, partus ventrem ſequitur, vt intelligamus, eos qui carnalibus deſideriis obediunt, ſeruos eſſe, & ſe proprio arbitratu carni ſeruæ viliſſimæ ſubdidiſſe. Iſte verò appetitus, liberæ filius, eſt liber, quia nos carnis dura ſeruitute liberat, & ab onere turpium cogitationum exonerat. Tu qui hæc legis, ſi nondum carnis dominium excuſſiſti, audi imperium caſtæ mulieris: Eiice ancillam, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ:] *Galat. 4. 30 Gen. 21. 10.* Non enim poteris deſiderium perfectionis augere, immo nec cuſtodire, & deſideriis tuæ carnis obtemperare. Adeo autem verum eſt, carnis voluptatem ſeruitutem eſſe, vt communis vſus obtinuerit matrimonium ad conſuetudinem carnis ordinatum coniugij vinculum appellare. Quare Paulus ait: Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit; quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt.] *1. Cor. 7. 39.* Si ſtatum religioſum profeſſus, hæc vincula licita quidem, ſed minùs perfecta, rupiſti, caue ne in tantam miſeriam ob incuriam tuam incidas, vt illicitis nexibus illigeris, & Caſtitatis libertate deſtituaris.

Sequitur quarta excellentia Caſtitatis, quia ipſa eſt, quæ cultores ſuos immenſis diuitiis ac theſauris cumulat. IV. Nunc diuitias has perituras prætereo, quas ſtatus noſter ſpreuit, & ad ſpirituales pertranſeo, licèt certum ſit, illas quoque à Caſtitate donari. Nam & caſtiſſima Iudith quaſi in initium præmij Caſtitatis ſuæ, magnas opes eſt conſecuta. De illáque dicit ſcriptura: Iudith magna facta eſt in Bethulia, & præclarior erat vniuerſæ terræ Iſrael. Erat autem diebus *Iudi. 16. 25. 27.* feſtis procedens cum magna gloria.] Copioſus enim ſeruorum ancillarúmque comitatus, eam præcedens & ſequens, cùm ſingulis annis ſtatuto tempore Ieroſolymam petebat, diuitiarum eius erat inſigne. Illarúmque etiam iudicium erat donum illud magnificum, quod Domino dedicauit: Vniuerſa enim vaſa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopæū, quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius, obtulit in anathema obliuionis.] *Iudi. 16. 23.* Ne ſcilicet ſucceſſu temporis rei geſtæ obliuio ſubreperet, & memoriam tanti miraculi tempus intercideret. Honeſtatem, inquit Ambroſius, ſecuta eſt Iudith, & dum eam ſequitur, vtilitatem inuenit.] *Ambr. 3. offic. c. 13* Et eandem prorſus inueniet, quiſquis honeſtatem ſectatus fuerit, quia proprium eſt impudicitiæ, opes conſumere, quæ meretricibus erogantur, & bona omnia temporalia depaſcere. Tertius fluuius ex his, qui è paradiſo egrediebantur, erat Tigris; &, vt ait Auguſtinus, ſignificat temperantiam, quæ reſiſtit libidini.] *Aug. lib. 2. de Gen. contr. Manich. c. 10* Iuxta hunc autem fluuium vidit Daniel virum vnum veſtitum lineis,

Daniel. 10.5. nempe Caſtitate circumdatum, [& renes eius accincti auro obrizo,] quia videlicet aurum, & reliqua, quæ in opibus computantur, ſolent honeſtatem comitari. Sed relinquamus iſta, & ad ſpirituales diuitias intendamus, quas certum eſt mirum in modum virtute Caſtitatis augeri. Nam Caſtitas, aut tentationibus aſſiduis impugnatur, aut communiter pace & tranquillitate perfruitur. Si impugnetur, quotidie mille triumphos, & victorias de hoſte reportat, & ditiſſima ſpolia, ac immenſas opes, ex victoriis magnis prouenire ſolitas, coaceruat. Si pace fruatur, diligentiſſima cura portas ſenſuum, cogitationéſque cuſtodit, & corpus frequenti afflictione in ſeruitutẽ redigit, ſine quibus, mẽs impugnationibus carere nõ poteſt. Hæc autem tam iugis corporis caſtigatio, deliciarum abiectio, ſenſuúmque cohibitio maximas etiam *Eccli.26. 20.* opes importat. Adeo vt dicat Eccleſiaſticus: Omnis autem ponderatio, non eſt digna continẽtis animæ. Id eſt, nihil eſt in opibus & theſauris huius mundi, quod cum anima caſta & pura valeat comparari: quia non tam abundanter theſauri domos diuitum replent, quàm merita, Caſtitatis corpora, & animas continentium exornãt. Nec imprudenter quiſquam illorum dicet: Venerunt mihi omnia bona pari-*Sap.7.11* ter cum illa:] quoniam, & puritatem mentis, & mundiciam corporis affert, & ſenſibus ordinem, & motibus modum ſecundùm modeſtiam confert.

V. Caſtitas etiam non caret honore maximo, quo ad quintam eius excellentiam pertinet; & quia in præmiis eius honos numerandus eſt, breuiter ab hoc bono nos expediemus. Hanc igitur virtutem vniuerſi venerantur, & nihil magis quàm animam continentem, & carnis voluptatem ſpernentem, ſuſpi-*Sap.3.13.* ciunt. Scriptura ſacra illam beatam prædicat. Quoniam fœlix eſt, inquit, ſterilis, & incoinquinata, quæ neſciuit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum Sanctarum.] In illo poſtremo examine, cùm Deus opera noſtra diſcutiet, hæc fructum maximum ſuæ caſtitatis habebit, & ex eo apud illam frequentiſſimam concionem in maxima admiratione erit, & magnum honorem percipiet. Hæc ad futuram vitam. Sed & in præſenti immenſus ho-*Ruff.lib. 2.Eccleſ. hiſt.c.8.* nos præmium eſt Caſtitatis. Helena enim imperatrix clariſſima, vt refert Ruffinus, virgines, quas Hieroſolymis reperit Deo ſacratas, ad prandium inuitatas, tanta deuotione curauit, vt indignum crederet ſi famularum vterentur officiis, ſed ipſa manibus ſuis habitu ſuccincta cibum appoſuit, poculum porrexit, aquam manibus infudit.]O quàm numquam viſus, nec auditus honos! Regibus nobiles ſeruiant, & viri illuſtres famulentur; at caſtis & puris animabus reges ipſi more ſeruorum obſequium exhibeant. Vt appareat, honorem regium, & imperatorium, qui maximus eſt, non alia ratione, quàm ſeruum debere honori caſtitatis aſſiſtere, húncque opere ipſo ſe maiorem prædicare. Mirum autem non eſt, ſi regina fidelis tanto honore fuerit Caſtitatem proſecuta; cùm apud infideles etiam magnum honorem *Amb.lib. 3.de Virginit.* ſemper habuerit. Certè ipſis gentibus, inquit Ambroſius, inter aras & focos venerabilis ſolet eſſe virginitas; & in quibus nulla meritorum eſt pietas, nulla mentis integritas, in iis tamen carnis virginitas prædicatur.] Quæ autem de virginitate dicta ſunt, ſuo modo Caſtitati conueniunt. Ex parte namque difficilius eſt, poſt ſeruitutem carnis in libertatem aſſurgere, & poſtquam quis voluptatibus victus eſt, voluptates vincere, & poſt inquietudines belli, quibus aſſuetus erat, pacem & puritatem amare. *ap.4.1.* Quare de illa Sapiens ait: O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate:] immortalis eſt enim

A memoria illius, quoniam & apud Deum nota eſt, & apud homines. Tanta eſt huius virtutis dignitas, vt non tam narratione quàm admiratione & exclamatione ſit explicanda. Præſtantiſſima prorſus virtus eſt, non ex ſterilitate, ſed ex puritatis amore, filiis carere, & poſteritatem deſituram non relinquere. Huic maxima claritas, laus, & reuerentia, ac nominis celebritas adiuncta eſt, quam numquam temporis delebit obliuio. Nec enim Deus tantùm eam approbat, & charam habet: verùm & homines vniuerſi, impudici quoque & carnales, illam venerantur. Excelſúmque putant, ſicut reuera eſt, carnis vinculis non teneri, eáque amore puritatis infringere. Meritò igitur Caſtitas cingulo ſignata eſt illis verbis: [ſint lumbi veſtri præcincti.] Quoniam B ſicut baltheus ſignum & ornamentum fuit Romanæ militiæ, quem deponere, dedecus, & exauctoratio eſſet; ita, & cingulum Caſtitatis nos honore afficit, & ipſum deponere, in ſempiternam ignominiam conicit.

Vt autem in Caſtitate nihil poſſit deſiderari, ſexta eius excellentia eſt, quia contra id quod carnales putant, incredibilem ſecum ſuauitatem, & puriſſimam voluptatem, affert. Dulce enim eſt aulico in domo ſua quiete ſibi à rege conceſſa frui, ſed dulcius pro amore regis, & eximio præmio conſequendo, ea quiete ad tempus carere. Ita ſuaue forſitan eſſet viro iuſto licitas coniugij delicias experiri, ſed multo dulcius atque ſuauius, pro amore Chriſti, & deſiderio præmij cœleſtis, eas ad vitam breuiſſimam poſthabere. Deliciæ corporis, ſunt deliciæ carnis, quas belluæ etiam capiunt; at deliciæ C Caſtitatis, ſunt deliciæ ſpiritus, nobis Angeliſque communes. Nec quia eas dicimus delicias Spiritus, putandum eſt carnem nullum illarum habere commercium: immo & caro aſſueta Caſtitati, multo veriùs & fœliciùs de integritate, quàm de corruptione lætatur. Nam voluptas turpitudinis breuis eſt, voluptas verò Caſtitatis perpetua, quam nec corporis dolor intercidit, ſed in dolore ſua integritate & puritate congaudet. Id profectò Caſti hanc virtutem perfectè poſſidentes probè intelligunt: impuri verò & laſciui ſentire non valent. Ad quod propoſitum Caſſianus optimè ait: Vt enim vim lætitiæ huius inexpertus, mente percipere; ita explicare ſermone non valebit expertus; tamquam D ſi quis dulcedinem mellis, ei qui numquam quidquam dulce guſtauerit, velit ſermonibus enarrare, profectò nec ille ſaporis ſuauitatem, quam numquam ore percepit, auribus capiet, nec ille dulcedinem, quam guſtus voluptate cognouit, verbis poterit indicare, ſed propria tantùm agnitione ſuauitatis illectus, neceſſe eſt vt experti ſaporis iucunditatem intra ſemetipſum ſolummodo tacitus admiretur. Ita igitur quiſquis in hunc, quem prædiximus virtutum ſtatum meruerit peruenire, hæc omnia, quæ in ſuis peculiari gratia Dominus operatur, tacita mente perluſtrans, horúmque omnium attonita conſideratione flammatus, cum intimo cordis exclamabit affectu: Mira opera tua, & anima mea nouit nimis.] Hæc ille. Sed Bernardus E breuiùs. Fructus, inquit, Caſtitatis eſt ſuauitas. Et ſanè ita mihi videtur locutus vt dulcedinem Caſtitatis, carnis voluptatibus anteponat. Harum enim fructus eſt tribulatio, cùm Paulus dicat: Tribulationem carnis habebunt huiuſmodi.] At caſtitatis fructus eſt ſuauitas, quia ipſa à carnis tribulatione nos liberat, & mira quadam ſerenitate iucundat. Atque vt Iſaias ait: In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami & iunci.] Nam,

VI. — Caſſi.col. 12.c.13. — Pſ.138. 14. — Bern.ſer. 22. ad ſoror. — 1.Cor.7. 28. — Iſaie. 35. 7.

in cordibus hominum, in quibus latebat immunditia, & turpitudo, omnis continentia ac pudicitia ſuccreſcet. Carnali dicit diabolus: delectare in carne, & dabit tibi qood metuis, moleſtiam, & anxietatem, & conſcientiæ morſus. Caſto verò, & pudico ait Spiritus Dei: Delectare in Domino, & dabit *Pſ. 36.4.* tibi] quod cupis, lætitiam, & iucunditatem, ac [petitiones cordis tui.] Háncque delectationem non tantùm ex aliis virtutibus, ſed etiam ex Caſtitate decerpi Bernardus apertè confirmat. Quis veſtrûm, ait, ad fratres ſuos loquens, qui non ſæpe expertus ſit *Ber. ſer. 4. Quadrageſ.* conſcientiæ bonæ delectationem? Qui non guſtauerit ſaporem Caſtitatis, Humilitatis, Charitatis? Non eſt hæc delectatio potus, neque cibi, aut ſimilis cuiuſlibet rei, delectatio tamen eſt, & maior omnibus illis. Diuina enim eſt, & non carnalis delectatio: & cùm in his delectamur, planè delectamur in Domino.] Præcipua cauſa, ob quã ſpurcitiæ carnis amantur, delectatio eſt. Iam igitur contemnantur, quandoquidem in Caſtitate puriſſima maiores, & veriores, ac puriſſimæ deliciæ ab eius amatoribus inuentæ ſunt; quas ſi impudicus non percipit, caſtus tamen & pudicus attingit.

Adhuc de Excellentia Caſtitatis.

CAPVT IV.

VII. TANTAE numero ſunt excellentiæ Caſtitatis, vt non potuerint vno capite comprehendi, & ideo ſub nouo titulo eas explicare pergamus. Caſtitas pulcherrima virtus eſt, immo tanta eſt eius pulchritudo, vt puritatis & mundiciæ nomen obtinere meruerit. Eũmque mundum, & pulchrũ, & ſplendidum dicamus, qui virtutibus reliquis decorem Caſtitatis adiunxit. Tam magnus eſt huius præſtantiſſimæ virtutis decor, vt Dominum ipſum authorem pulchritudinis ad ſui amorem alliciat. Quaſi admiratur ille animam perpetua continentia veſtitam. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit, inquit, per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & *Cant. 3. 6.* thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?] An non deſertum eo tempore legis ſcriptæ continentia perpetua erat, quam nemo niſi ex ſpeciali præcepto Domini, audebat excolere, cùm ſcriptum eſſet: Maledictus, qui non fecerit ſemen in Iſraël?] Sed per hoc deſertum aſcendens anima caſta, multa habet immenſi decoris inſignia, quæ eius ſponſum admirentur. Aſcendit vt virgula. Quid rectius? Et vt virgula fumi. Quid humilius? Procedit aromatum plena. Quid ornatius? Myrrha mortificationis perfuſa, quid honeſtius? thus orationis redolens, quid ſuauius? Vniuerſum puluerem pigmentarium perfectæ imitationis Chriſti habens, quid locupletius? Hæc ſunt, quæ Caſtitatem ſuffulciunt, atque cuſtodiunt: quia Caſtitas non eſt ſecura, niſi intentionis rectitudine & humilitate fundetur, & aliis virtutibus, & Chriſti exemplis, præſertim verò mortificatione, & oratione cingatur. Virtus illa, quæ ſua pulchritudine oculos ſponſi capit, quid mirum, ſi & oculos ſeruorum eius, nempe Angelorum, & hominum, magna admiratione corripiat? Certè Angelis pulchra eſt anima Caſta, quæ in hoc ruſticorum pago ſplendorem aulicorum cœleſtium æmulatur. Certè & hominibus pulchra eſt, quæ ita ſtatui eorum deliciis carnis fuſco præfertur. Bernardus quidem perpetuam Caſtitatem lilium vocans, huiúſque nominis cauſam aſſignans, eam ad Caſtitatis pulchritudinem refert,

De hac igitur gratia lilij, in quo vitis noſtra floruit, *Bern. de paſſ. Domini. c. 18.* locuturi videamus, vera luce nos illuminante, quare tanta virtus per lilium figuretur. Et manifeſtè quidem occurrit, quia propter candoris munditiam, qua ille flos cæteris floribus eſt prælatus. Hinc ſanè munditia virginalis meritò figuratur typo lilij. Nullus prætereа alius flos vel ipſo proſpectu tantum præ ſe fert gratiæ, quantum hic vnus: quare meritò mundiſſima, & omnibus piis gratioſa virginitas per hunc figuratur florem. Et Beatus Martinus apud Sulpitium, Caſtitatem perpetuam agro ſuaueolentibus *Sulpit. dial. 2. de virtut. Mart. c.7.* floribus conſito ſimilem eſſe affirmauit. Cùm enim vidiſſet pratum ex parte à bobus depaſtum, ex parte à porcis ſuffoſſum, ex parte penitus illæſum, & pulcherrimis floribus decoratum, dixit: Speciem gerit illa pars coniugij, quæ pecore depaſta, etſi non penitus gratiam amiſit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Illa verò, quam porci, pecora immunda, foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit: cæterùm illa portio, quæ nullam ſenſit iniuriam, gloriam Virginitatis oſtendit, herbis fœcunda luxuriat, fœni in ea fructus exuberat, & vltra omnem ſpeciem diſtincta floribus quaſi gemmis micantibus ornata radiat: beata ſpecies, & Deo digna: nihil enim Virginitati eſt comparandum. Hæc ille.] De liliis agri dictum eſt à Domino: Nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, vt vnum ex *Matth. 6. 29.* iſtis.] Si autem lilium vnum pulchritudinem illius regis ſuperat, quanta erit pulchritudo Caſtitatis, quæ tam eximia eſt, vt omni florum & roſarum pulchritudini præponatur? Hoc ſanè nec mens concipere, nec lingua valet explicare.

Nec ſolùm Caſtitatis pulchritudo terræ pulchritudinem ſuperat, verùm & Angelorum pulchritudini ſe coæquat. VIII. Nam de hominibus ad cœleſtia tranſlatis, vbi nuptiarum functio ceſſabit, dictum eſt: In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.] *Matth. 22.n.30.* Quare, inquit Chryſoſtomus: Cùm de ieiunijs, aut eleemoſynis, cæteriſque virtutibus ſpiritualibus locutus fuiſſet, *Chryſoſt. hom. 42 in imperfecto.* nunquam Angelorum ſimilitudinem introduxit, niſi cùm de ſoluto viri & mulieris coitu loqueretur, dicens: Neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cœlo?] Quoniã ſicut omnes actus carnales opera ſunt animalium, præcipuè tamen actus libidinis, opus eſt animalium: ſic & omnes quidem virtutes ſpirituales, res ſunt Angelicæ, præcipuè tamen Caſtitas res eſt Angelica. Per hoc enim ſolum ſingulariter homines Angelis aſſimulantur, & vincitur natura virtutibus. Ideo dicit [neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cœlo.] Sicut enim quando hoc agimus, quod animalia habent nobiſcum commune, animalia eſſe nos profitemur: ſic quando illud agimus, quod eſt extra naturã carnalem, naturam carnis egredimur, & Angelis coæquamur. Et Cyrillus. Omnes autẽ Caſtitatis curſum, Dei gratia curramus, iuuenes & virgi- *Cyrill. Hieroſol. catech. 12.* nes, ſenes cum iunioribus: nõ intemperantiam exercentes, ſed laudantes nomen Domini. Non ignoremus caſtitatis gloriam: Angelica enim eſt corona, & ſupra hominem hæc perfectio: parcamus corporibus quæ lucere debent ſicut ſol. Ne propter paruam voluptatem, tãtum ac tale corpus polluamus. Hæc illi.] Certè tanta eſt Angelicæ naturæ dignitas, tantus ſplendor, vt homo carne circumdatus, eum ſuſtinere non poſſit. Et ideo Ioannes videns Angelum Dei, *Apocal. 1.* cecidit ad pedes eius tanquam mortuus. Quanta ergo erit dignitas Caſtitatis, quæ Angelorum dignitati ſimilis æſtimatur? Hanc non vident carnales homines, & ideo caſtos viros honorare neſciunt: nam

ſi ſplendorem animæ Caſtæ,& ſpurcitias carnis conculcantis aſpicerent, præ reuerentia & timore in conſpectu illius obſtupeſcerent. Hunc certè ſplendorem vidit Climacus, qui dixit, Caſtitatem non tantùm Angelicam eſſe virtutem, ſed Dei quoque ſimilitudinem continere. *Climac. grad. 16.*

IX. Eſt etiam Caſtitas ſimilis cœleſtibus, in ea,]quam menti infert, tranquillitate, & quiete. In hoc namque cœleſtia à terreſtribus diſſident, quòd hæc ſicut mutabilitati, ita & perturbationibus patenr,& quaſi ſæua tempeſtate abrepta huc illúcque iactantur. Illa verò mutationibus rerum terrenarum exempta tranquilla quadam pace fruuntur. At conſuetudo carnalis ſicut res ad terram pertinens, turbationibus & bellis ſubiecta eſt. Caro aduerſus ſpiritum concupiſcit; reluctante voluntate, eiúſque non ſpectato conſenſu impuris motibus inardeſcit; ſenſibus vndique vagatur, cogitationibus obſcœnis vrgetur. Nihil eſt in homine incontinente,quod non bellum ſonet, & defectionem à lege rationis meditetur. His accedunt curæ innumerabiles de impinguando corpore, de inquirendis indumentis laſciuiæ ſeruientibus, de parandis aliis, ſine quibus non erit compari ſatisfactum. Vnde momentanea delectatio inæquali multiplicium anxietatum pretio exſoluitur. Caſtitas è contrà, quæ res cœleſtis eſt, dum corpus continet, dum ſenſus cohibet, dum cogitationem ad bonum ligat, dum modico contenta eſt, quaſi ſereno cœlo perfruitur,& non habet vnde belli æſtibus vrgeatur. Quieta eſt continentiæ vita, inquit Hugo, quam non inquietat vxoris ſuſpicie. non ſollicitant ancillarum ſumptus, nec conturbat filiorum peruerſitas. Quæ mundiciæ gignit florem, puritatis parit fructum, bonæ conſcientiæ profert odorem. Hæc tergit carnis maculas, animam ſyncerat, reſtringit cogitationum fluxus. Si quis autem vxoris non eſt expertus incommoda, experto credat.] An non cœli habitatores in pace ſunt? Sed in cœlo eſt patria Caſtitatis, inquit Ambroſius, hîc aduena eſt, quid mirum ſi ei pacem & tranquillitatem aſcribamus? In cœlo quidem illa habitat, quia non ſolùm concupiſcentias, verùm & curas terrenas deſerit, & ſe quotidie cogitationibus, & deſideriis cœleſtibus infert. In cœlo habitat, in quo ſuum theſaurum recondidit, ſuas opes collocauit; & vbi eſt theſaurus cuiuſque, ibi eſt & cor eius. In cœlo habitat, quoniam licèt corpus in terra habeat, ſpiritum verò à terrenis elongat, qui dum à terra conatur diſcedere, debet in cœleſtibus habitare. Propter hanc autem pacē, qua Caſtitas pollet, lectulo Chriſti ſignata eſt: quia lectulus eſt locus quietis, & pacis.[En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël.] Pacificus hic rex, qui pax noſtra eſt, qui pacem attulit his qui prope & his qui longè ſunt, non dubium quin in lectulo pacifico requieſcat. Lectulus verò eius Caſtitas, aut cor caſtum, & mundum eſt, cùm ipſe inter lilia paſcatur, & in animas ſanctas ſe transferat. Hunc lectulum in virgine elegit, quia in ventre eius virgineo latere voluit, ab eóque ſine læſione incorruptionis exiuit, & non in alio, quàm in gremio virgineo pauſauit. Et eundem lectulum in ſanctis animabus inquirit: quòd ſi impudicitia turpetur, ſtatim cum indignatione diſcedit. Eum autem lectulum ſexaginta fortes ambiant, multæque virtutes cuſtodiant, gladios femori applicent, & exceſſus carnis abſcindant. Ipſæ prælientur, & oculos, linguam, & manus, & cogitationem, & reliqua in officio contineant, vt cor caſtum à ſua quiete & tranquillitate non decidat.

Hugo, li. de nuptiis carna. c. 1. — *Ambr. 1. de virgi.* — *Cantic. 3. 7.*

X. Caſtitatis etiam eſt, homines ſibi deditos à periculis innumeris liberare. Nam ſicut quædam eſt homini innata nobilitas, vt virgines etiam incognitas tueatur, & ſolùm puritatis ſeruandæ gratia ab impuris hominibus eas protegat: ita Deus animas caſtas, quaſi ob decus mundiciæ maiori amore dignas & in magna reuerentia ab Angelis habitas, ob eorum mundiciam ſpeciali protectione defendit. Idcóque Caſtitati magnorum periculorum euaſio tribuitur. Quare Damaſcenus ait: Noë cùm arcam ingrederetur, atque hoc ei munus imponeretur, vt mundi ſemina cuſtodiret, huiuſmodi iuſſum accepit: Ingredere, inquit, tu, & filij tui, & vxores filiorum tuorum.] Quibus verbis eos ab vxoribus diſtraxit, vt Caſtitatis adminiculo pelagus, atque vniuerſum illud mundi naufragium effugerent. At verò compreſſo diluuio: [Egredere, inquit, tu, & vxor tua, & vxores filiorum tuorum.] En rurſus quo pacto propagationis cauſa matrimonium permiſſum ſit. Elias deinde, ille, inquam, ignem ſpirans auriga, ac cœlipeta, an non cœlibatum amplexus eſt, eiúſque virtutem humana conditione præſtantior euectio comprobauit? Quis cœlos clauſit? Quis mortuos ad vitam reuocauit? Quis Iordanem ſcidit? An non Elias? Quid diſcipulus ipſius Eliſeus, an non cùm eiuſdem virtutis ſpeciem edidiſſet, ſpiritus gratiam, quam duplam petiuerat, eſt conſecutus? Quid tres pueri, nonne cùm virginitatem coluiſſent, ignis ardorem ſuperarunt, id videlicet per virginitatem adepti, vt eorum corpora igne confici minimè poſſent? Nam quid de Daniele dicam, cuius corpus virginitate ita obduratum eſt, vt ferarum dentes ei infigi nequiuerint? Hæc Damaſcenus.] Quid quòd ipſa per ſe Caſtitatis virtus à luxuriæ innumeris malis nos liberat, quæ Beatus Cyprianus, conſortium clericorum & mulierum damnans, latè proſequitur. Nec erit moleſtum partem verborum tanti Doctoris audire. Reſpicite quanta mala conuerſatio pluralitatis huius acquirat, quæ non niſi corruptionem ſeminat, pullulat vitia, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, laſciuiam paſcit, petulantiam nutrit, caſus exaltat, ruinas ædificat, naufragiis velificat, perditione gaudet, interitum fouet, cōfuſionem mercatur, theſaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accuſationes inflammat, & cateruatim ſemel in faſcem glomerans numeroſas indagines captionum, per infinita dedecorum, multiplices mortes inuehit in perniciem perditorum. Tot itaque, & tantas ſtrages calamitatis, & peſſimæ conuerſationis nemo proſternit, nemo calcat, nemo funeſtat, niſi ſingularis Caſtitas ſola: quæ munimen inuictum eſt ſanctimoniæ, & expugnatio fortis infamiæ; fortitudinis firmitas, & laſciuiæ petulantis infirmitas; probitatis præſidium, & improbitatis excidium; animæ victoria, & corporis præda: vbertas gloriarum, & ſterilitas criminum; pronuba ſanctitatis, & repudium turpitudinis: ſynceritatis indicium, & abolitio ſcandalorum; exercitium continentiæ, & euacuatio tota luxuriæ; pax ſecura virtutum, & debellatio inquieta bellorum; puritatis culmen, & libidinis carcer; honeſtatis portus, & ignominiæ naufragalis locus.] Et cætera, quæ ſequũtur, non minùs vera, quàm omnibus nota. Ob id ergo ſolum, ſi nihil aliud intercederet, Caſtitas diligenda eſſet, quòd ignominias & infamias, & pericula à nobis arceat, & quaſi in quodam munimine & ſecuritate conſtituit.

Damaſc. lib. 4. fidei ortho. c. 25. — *Geneſ. 7. 6. 18. & 7. 1.* — *n. 8. 16.* — *4. Reg. 2.* — *Dan. 3.* — *Cypr. de ſing. clericorum.*

XI. Ad hoc etiam pertinet quòd Caſtitas ſalus eſt corporis, & longæuitas quædam, ac iucunditas vitæ. Salus quidem corporis, quoniam morbos illos à Caſtis depellit, plurimos numero, & infames qualitate,

quos

A quos luxutia ſecum importat. Hos recenſere noſtrum non eſt. Sed vide tu corpora impudicorum,& audi ſententiam medicorum,& nihil aut inſalubrius, aut peſtilentius incontinentia curpotibus humanis agnoſces. Nam pedum dolores, inquit Chryſoſtomus, capitis vertiginem, ſubitaneas mortes, & cætera, quibus febris, atque languores corpotis comparantur, ex luxuriis atque voluptatibus aiunt generari, & tanquam de fonte noxio riuos ad corpotum læſionem, & ad animotum perturbationem commeare teſtantur. E contrà verò continentium caro, aut ſana eſt, & munda, aut ſi ex aliis cauſis infirma, intimo tamen quodam vigure robotata, vt poſſit imbecillitatem magna ex parte ſuperare, & virtutis actiones exercere. Eſt etiam longæuitas vitæ, cùm Caſtitas humidum radicale, ex quo tota vita dependet,

Chryſoſt. hom. de ieiun. to. 1. in fine.

B durabile faciat, &, prout rei cottuptibili conuenire poteſt, in magna integritate conſeruet. Ac demum eſt ætatis nuſtræ iucunditas: nam dum impuras voluptates reiicit, iuuentuti vigorem, virili ætati tranquillitatem, & ſenectuti venerationem impertit. Phœnix comparem neſcit, & quaſi in præmium integritatis, aut (ſi meliùs loquendum eſt) in ſignum præmij, quod Caſtis promittitur, cùm ſe ipſum ſtaturis temporibus renouet, nunquam ad imbecillitatem, aut ad mortem ſeneſcit. Hoc Caſtitatis bonum in Iudith manifeſtè conſpicitur. Cùm enim poſt mortem mariti in florida ætate, in inſigni pulchritudine, & diuitiis multis eſſet caſtiſſima, & ideo in omnibus famoſiſſima, & timeret Dominum valde, nec

C reperiretur, qui diceret de ea verbum malum, [vixit in domo viri ſui annos centum quinque,] vt tam diuturna ætas eſſet quaſi quoddam Caſtitatis inſigne. Sed quid ſigna quærimus, cùm experimentum teneamus? Certè pugiles vt corporis vires ſeruent, & victoriam reporteut in certamine, à Venere ſe abſtinent. Quod & animaduertit Chryſoſtumus ſic ſcribens: Neque enim inebriari licet certantibus, neque ſcortari, ne vires deficiant, neque circa alia vacare, ſed ab omnibus ſimul abſtinendo ſolummodo ſuis vacant certaminibus.] Quin & apud noſtrates, qui margaritas extrahunt è mari, curæ maximæ eſt Æthiopes huic miniſterio ſeruientes à Venerea voluptate prorſus arcere. Longa enim experientia comperierunt eos poſt coitum, habitum continere non

Iudith 16 28.

Chryſoſt. hom. 23. in 1. ad Corinth.

D poſſe, & in mari demerſos poſt paululum ſuffucari. Propterea quidam ſcitè dixit, hamum margaritarum Caſtitatem eſſe: & verè ita eſt, quoniam Caſtitas veras margaritas, id eſt, virtutes apprehendit. Sed quid moror? Deus profectò vitam hominis ob luxuriam decurtauit, vt ſciamus eam Caſtitate protelari: Non permanebit, ait, Spiritus meus in homine, quia caro eſt,] quia nimirum carnis fœdatus criminibus, & vuluptatibus impuris infectus: [erúntque dies illius centum viginti annorum.] O quanta dierum hominis imminutio! vt illi, qui antea viuebant ſeptingentis, octingentis, & nungentis annis, & eo amplius, iam eorum ætas centum annorum breuitate claudatur. Execratus enim iniuſtitiam

Gen. 6.3.

E priotis ſæculi Deus, inquit Lactantius, ne rurſus longitudo vitæ cauſa eſſet excogitandorum ſcelerum, paulatim per ſingulas progenies diminuit hominis ætatem, atque in centum, & viginti annis metam collocauit.] Libido & immunditia & ex natura ſua, & ex lege Dei vitam hominum abbreuiat. Caſtitas igitur vitam protelabit, & ſalute ac iucunditate complebit. Etli, vt dixit Eccleſiaſticus: Melius eſt corpus validum, quàm cenſus immenſus.] Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis, & non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium: quod ſci-

Lactant. lib. 2. inſti. c. 14.

Eccl. 30. 15.

A licet à corporis ſanitate procedit, & in immenſum, gaudium à diuitiis, aut ab honoribus ortum exuperat. Quid reſtat, niſi vt quis voluptates illicitas, propter ipſam voluptatem ex corporis incolumitate manantem deſerat, & ſaltem propter hunc abiectum finem ſe ipſum contineat?

XII. Poſtremum tandem ſit Caſtitatis elogium, quòd omnia à Deo creata Caſtitatem amant, & aliquam ſimilitudinem, aut odorem eius habere curant. Nulla enim eſt res, quæ non ſua integritate gaudeat, & ſciſſionem ſui, ac corruptionem non ſugiat. Nulla, quæ mundiciam ſui non diligat, & infici ac fœdari non extimeſcat. Nulla, quæ in eo ſtatu, in quo condita eſt, conſeruari non appetat, & ab eo decidere, & in peius labi non horreat. Tanta vis eſt probi-

B tatis, & Caſtitatis, inquit Auguſtinus, vt omnis, vel penè omnis moueatur eius laude humana natura, nec vſque adeò ſic eſt turpitudine vitioſa, vt totum amittat ſenſum honeſtatis.] Vnde ſi homo, qui in hac re ſolet eſſe miſerior, Caſtitatem ipſam, quam ſæpe fugit, laudat, & diligit; nulla profectò eſt creatura, quæ non in eius laudem amorémque conſpiret. O igitur virtus præſtantiſſima Caſtitatis, atque pulcherrima, quæ coniugio humano generi admodum neceſſario, & à Deo ipſo inſtituto præponeris. Tu intellectum illuminas, & ad capiendas ſcientias, & cognoſcenda diuina, & humana diſponenda, diſſoluis. Tu voluntatem à compedibus carnis, & à vinculis voluptatum liberas, & dominam, ac ſui compotem facis. Tu veris diuitiis cul-

Augu. 2. de ciuit. c. 26.

C tores tuos, non ſolùm ſpiritualibus, ſed & temporalibus imples. Tu eos maximo honore ac veneratione proſequeris. Tu miram animo & corpori dulcedinem, ac ſuauitatem attribuis. Ineſt tibi incredibilis pulchritudo, quam tempus edax, aut ætas annoſa nunquam aufert. Ita ſupra res humanas ſedem obtines, vt cœleſtibus ſpiritibus coæqueris. A te tranquillitas mentis, & corporis manat, éſque aduersùs pericula fidele refugium, & tutiſſimum incolumitatis carnis præſidium. Non ergo mirum, ſi te terreſtria diligant, & cœleſtia quaſi in tuo complexu quieſcant. Glorientur & nuptæ, inquit Hieronymus, cùm à virginibus ſint ſecundæ: [Creſcite, ait, & multiplicamini, & replete terram.] Creſcat, & multiplicetur ille, qui impleturus eſt terram. Tuum agmen in

Hierony. epiſt. 22. ad Euſtochium.

Geneſ. 1. 28.

D cœlis eſt. Creſcite, & multiplicamini. Hoc expletur edictum poſt paradiſum, & nuditatem, & ficus folia, auſpicantia pruriginem nuptiarum. Nubat, & nubatur ille, qui in ſudore faciei comedit panem ſuum, cuius terra tribulos, & ſpinas generat, & cuius herba ſentibus ſuffocatur. Meum ſemen centeſima fruge fœcundum eſt. Non omnes capiunt verbum Dei, ſed hi, quibus datum eſt. Alium, eunuchum neceſſitas faciat, me voluntas. Tempus amplexandi, & tempus abſtinendi à complexibus, tempus mittendi lapides, & tempus colligendi. Poſtquam de duritia nationum generati ſunt filij Abrahæ, cœperunt ſancti lapides volui ſuper terram. Pertranſeunt quippe mundi iſtius turbines, & in curru

E Dei, rotarum celeritate voluuntur. Conſuant tunicas, qui inconſutam deſurſum tunicam perdiderunt, quos vagitus delectat infantium, in ipſo lucis exordio fletu lugentium, quòd nati ſunt. Eua in paradiſo virgo fuit; poſt pelliceas tunicas, initium ſumpſit nuptiarum. Tua regio paradiſus eſt. Serua, quod nacta eſt, & dic: Reuertere, anima mea, in requiem tuam. Hæc ille.] Tu igitur, ô puritas mentis, & corporis es, in qua requiem habemus, propter quam coniugium honore dignius exiſtimamus. Nam coniugium honorabile eſt, quia genus humanum mul-

Pſ. 114. 7.

tiplicat,

tiplicat, honorabilius verò, quia virgines procreat, laudabile, quia pro ſuo modulo te Caſtitatem ſeruat, laudabilius, quia eos generat, qui te perfectè cuſtodiant. Bonum, quia ſecundùm præſcriptum Dei mundum à promiſcuo concubitu liberat, melius, quia illorum initium eſt, qui puriſſimos integritatis amplexus affectant. Te ergo Caſtitatem quaſi coniugij finem diligamus, & amplectamur, & medium propter te inſtitutum aliis, qui ſolùm ad terram implendam inhient, aſſignemus.

Primus gradus Caſtitatis, voto omnes carnis voluptates abiicere.

CAPVT V.

[margin: ...hryſoſt. ...m. 21. ... variis ...atth. ...cit. & ... imper- ...cto. ho. 1. ...mbr. li. ... de vi- ...uis. ...onau. de ...radib. ...irtut. c. ...tem. 1. ...ob. 31. 1. ...Cor. 6. 18. ...aſſian. ...olla. 12.]

NVNC ad Caſtitatis gradus explicandos accedamus, quos Patres non eadem ratione numerarunt. Chryſoſtomus enim duorum tantùm mentionem fecit. Primus, inquit, eſt gradus Caſtitatis ſyncera virginitas: ſecundus autem, fidele coniugium. Ambroſius trium illorum graduum meminit, quos ſuprà retulimus. Nam alia, ait, eſt Caſtitas virginalis, alia vidualis, alia coniugalis. Sed has magis Caſtitatis ſpecies, quàm gradus exiſtimamus. Bonauentura ergo aliter hos gradus diſtinguit. Altus, inquit, gradus eſt deteſtari geſtus & tactus impudicos. Altior, deteſtari verba impudica. Adhuc altior, deteſtari voluntatem, vel concupiſcentiam impudicam. Sicut dicit Iob: Pepigi fœdus cum oculis meis.] Et poſtea. Item altus gradus caſtitatis eſt, eſſe caſtum per mundiciam carnis. Altior, per mundiciam mentis, quia per impudicitiam maculatur corpus & anima, vt dicit Apoſtolus: Quodcumque peccatum fecerit homo, &c.] Altiſſimus, per imitationem exempli Caſtitatis Chriſti. Ioannes tandem Caſſianus omnem Caſtitatis perfectionem in ſeptem gradus partéſve diſtinguit. Primus, inquit, pudicitiæ gradus eſt, ne vigilans impugnatione carnali monachus elidatur. Secundus, ne mens illius voluptatis cogitationibus immoretur. Tertius, ne fœmineo vel tenuiter ad concupiſcentiam moueatur aſpectu. Quartus, ne vigilans vel ſimplicem carnis perferat motum. Quintus, ne cùm memoriam generationis humanæ, vel tractatus ratio, vel neceſſitas lectionis ingeſſerit, ſubtiliſſimus mentem voluptariæ actionis perſtringat aſſenſus. Sextus, ne illecebroſis phantaſmatibus fœminarum, vel dormiens illudatur. Septimus, qui pauciſſimorum eſt, & ſpecialiter diuini muneris largitate collatus, vt eò vſque mens noſtra Caſtitatis ipſius puritate formetur, vt etiam ipſo naturali motu carnis emortuo, illum obſcœnum liquorem omnino non perferat. Hæc ille multis omiſſis.] Sed nos ad minorem numerum Caſtitatis latitudinem contrahentes, & partim alio modo iſtos gradus prout ſtatui religioſo conueniunt explicantes, eorum tractationem pro more proſequamur.

Sit igitur primus & infimus Caſtitatis religioſæ gradus, cùm quis ſiue poſt vitam, ſine vllo Venereæ voluptatis experimento tranſactam, ſiue poſt expertas in coniugio, licitè, vel extra coniugium, illicitè, carnis voluptates, de cætero ob deſiderium puritatis, & amorem Dei, ſe caſtiturum huiuſmodi voluptatibus ſtatuit, & ſe voto ad id præſtandum obſtringit. Hinc enim incipit religioſa

A profeſſio, quæ ex triplici Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ voto componitur: & ideo inde debet noſtra, quæ digna ſit religioſo nomine, Caſtitas inchoare. Nam licèt per multos annos Caſtus, aut per totam vitam virgo fueris, ſi tamen nondum te voto ligaueris, & licèt votum habeas, ſi illud denuo in religione approbata nondum emiſeris, tua Caſtitas virtus quidem erit, ſed pars religioſæ vitæ, qua Deo nos totos conſecramus, aut Caſtitas religioſa non erit. Si iam hunc gradum habes Caſtitatis, gaude, quia gratiſſimum Domino animæ & corporis tui holocauſtum obtuliſti: quia Caſtitatem tuam, quam antea cuſtodiebas, Deo gratiorem & acceptiorem per votum effeciſti: quia religioſæ vitæ adiumentis, & multitudine auxiliorum diuinorum,
B quæ religioſis erogantur, eam mirificè roboraſti. Si verò nondum hunc gradum es aſſecutus, quia adhuc in tyrocinio religionis probaris, vel extra in ſæculo manens ad religionem vocaris, multa ſunt, quæ te ad hunc Caſtitatis modum arripiendum impellant. Ex his autem tria tantùm tibi propono, quæ ſecundùm diuerſum ſtatum animæ tuæ tibi proderunt: alterum luxuriæ fœditas; alterum, nuptiarum incommoditas; tertium, huius Caſtitatis vtilitas.

Aliqui enim hoc genus religioſæ Caſtitatis verentur arripere, quia illicitæ voluptatis nexibus implicantur, & in cœno luxuriæ amant volutari. Auguſtinus hoc impedimento tenebatur, ne ad Deum
C ſequendum accederet, vt ipſe in ſuis Confeſſionibus latè proſequitur. Vocabat illum Dominus: Et non erat omnino, inquit, quid reſponderem veritate conuictus, niſi tantùm verba lenta & ſomnolenta: Modò, ecce modò, ſine paulùlum. Sed modò, & modò non habebant modum: & ſine paululum in longum ibat. Fruſtrà condelectabar legi tuæ, ſecundùm interiorem hominem, cùm lex alia in membris meis repugnaret legi mentis meæ, & captiuum me duceret in lege peccati, quæ in membris meis erat. Eodem etiam obſtaculo multi illigantur ne audeant Caſtitati religioſæ ſe dedere, quos obſecro vt fœditatem luxuriæ conſiderent. Luxuria namque licèt non ſit omnium peccatorum grauiſſimum, at eſt omnium peccatorum fœdiſſimum, adeò vt nomen fœditatis obtinuerit.
D Vocatur enim turpitudo, obſcœnitas, ſpurcitia, & ſi quæ ſunt alia nomina, quæ fœditatem ſignificent. Peccatum hoc magis quàm aliud ab hominis dignitate nos elongat, & ad belluarum rationis expertium vilitatem deiicit; & ita rationem obſcurat, vt homo luxuriæ deditus quodammodo ſtolidum iumentum eſſe videatur. Immo & iumento inſipientior, quoniam hoc verbere & fuſte à cibo vetito retrahitur, impudicus verò, nec flagello infamiæ ab impuris mulieris amplexibus auocatur. Atque: Verberauerunt me, ſed non dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi.] Aliis peccatis homo in alios peccat, luxuria in ſe ipſum peccat, & corpus ſuum impuritate dilaniat. Qua ratione Paulus ad vitandam fornicationem hortatur. Fugite, in-
E quit, fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.] Quid eſt, in corpus ſuum peccat? An qui ſe vſque ad ingluuiem cibis & potibus ingurgitant, qui ſe ipſos vulnerant, & ſuffocant, aut alio genere mortis conficiunt, non peccant in corpora ſua? ita ſanè. Sed hi non videntur niſi extra corpus peccare, ſi peccatum hoc cum luxuriæ cõferatur crimine. Tam fœdum enim eſt, & ab hominis dignitate abhorrens meretrici commiſceri, & corpus

[margin: Auguſt. 8. Conf. cap. 5. — Prouerb. 23. 35. — 1. Corint. 6. 18.]

in

in eius ſeruitutem redigere, vt huic miſeræ ſeruituti reliqua in corpus proprium admiſſa peccata non valeant comparari. Templo Dei malum eſt ſi deſtruatur, peius ſi violetur, ſed peſſimum ſi abominatio, atque idolum in illo collocetur. Corpus autem fidelis hominis templum eſt Dei. Nam

1. Cor. 6. 19. & idem Paulus ait: An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti?] Et rurſus:

1. Cor. 3. 16. Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?] Hoc autem corpus impudicitiæ ſubiicere, profectò eſt fornicationis idolo dedicare. Certè manus regis pro magna ignominia duceret, ſi ab eo præcideretur, at ſi manus viliſſimi mancipis fieret, id ſummam calamitatem reputaret. Incontinens autem, qui membrum erat Chriſti, per quodlibet graue peccatum ſe à Chriſto rege abſcindit, & per luxuriam huic malo aliud addit, quod membrum impuræ mulieris efficitur. Quæ non eſt mea cogitatio, ſed Pauli aſſerentis:

1. Cor. 6 15. Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti?] Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit: qui autem adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Si ergo non ſumus noſtri, ſed Dei, incredibilem iniuriam corporibus noſtris irrogamus, dum ea impudicitiæ & luxuriæ ſubiicimus.

Vnde Chryſoſtomus quaſi eos alloquens qui ante baptiſmum fuerunt in carnis peccata prolapſi, & poſtea per gratiam in dignitatem membrorum

Chryſoſt. hom. 18 in 1. ad Corint. Chriſti coaptati, hæc ait: Nam ſi quiſpiam priuatam domum ingreſſus, & illam ignominia afficiens, vltimum dabit ſupplicium, qui regis templum latronum ſpeluncam fecerit, intelligas velim, quot mala perpetietur? His igitur conſideratis, eum qui in nobis habitat reuereare, quippe qui conſolator eſt, & tibi coniunctum, & inhærentem timeas. Chriſtus enim eſt. Numquid tu te membra Chriſti effeciſti? Animaduerte cuius erant, & cuius facta ſunt, & velis te continere. Antea meretricis membra fuerant, & Chriſtus ea proprij corporis membra reddidit. Non ergo eorum ampliùs habes poteſtatem, illi ſeruias, qui te liberauit. Neque enim ſi filiam haberes, & tanta eſſes amentia, vt eam lenoni locares, & meretrix efficeretur; inde regis filius eam conſpectam tam turpi liberaret ſeruitute, & ſibi matrimonio coniungeret, iterum eam in fornicem adducere poſſes, quippe qui ſemel dediſti, ſemel vendidiſti. Huiuſcemodi noſtra eſt cauſa, locauimus carnem noſtram diabolo lenoni grauiſſimo. Quod cùm Chriſtus animaduerteret, eam eripuit, & à ſæua illius tyrannide liberauit. Iam igitur noſtra non eſt, ſed eius, qui eam in libertatem vindicauit. Qua ſi velles tamquam regiâ ſponsâ vti, nemo prohibet: ſin ad priora eam reuocas, ea patietur, quibus digni ſunt hi, qui ita iniuria afficiunt, perpeti.

Huius impuriſſimæ peſtis mala nobis ſumma cura fugienda ſunt, quia luxuria non aliter quàm infeſtiſſimus hoſtis vniuerſa bona noſtra tum exteriora tum interiora deuaſtat. De luxuriæ peccatis Baſilius myſticè Euangelicum prophetam in-

Iſaiæ 1. 7 Baſ. ibid. telligit. Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili.] Verè enim aliena ſunt iſta peccata à nobis, quia appetitus impuri atque beſtiales, miſeram rationem, qua homines ſumus, inuadunt, & voluptatibus belluinis ſubiiciunt. Deuorant illæ regionem noſtram, quia animæ virtutes & dona, corporiſque robur, ac ſanitatem depaſcunt. Deuorant-

A que coram nobis; nam adeò ſtulti ſumus, ſi carnales ſumus, vt noſtræ vaſtationi conſentiamus. At quanto erit ſapientius & fœlicius, ſi nos luxuriæ obſtiterimus? Si fecerimus id, quod Dominus præcepit fieri Amalech, dicens: Non parcas ei, & non con- *1. Reg. 15. 3.*
cupiſcas ex rebus ipſius aliquid; ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum, atque lactentem, bouem, & ouem, camelum, & aſinum.] Gregorius, *Greger.*
ſub typo Amalech, luxuriæ vitium intellexit: quia de tam peſſimo vitio nihil accendi debet in mente, nihil permitti ardere in opere. Viros itaque eius interficimus, ſi motus ſuadentes turpitudinem, qui violenter irruunt in nos, diligenti contentione mactamus. Mulieres occidimus, ſi prauas concupiſcentias, quæ his motibus ſubſternuntur, cohibemus. Paruulos, atque lactentes iugulamus, ſi libi-

B dinis motus in carne inſurgentes, quos mala concupiſcentia impura cogitatione lactat, & in initio, vt recèns nati, non multum negotij faceſſunt, ad petram Chriſtum allidimus. Boui & oui mortem afferimus, ſi conſilijs luxuriæ fraudulentis, quibus dicitur nobis licere quod antiquis patribus permiſſum fuit, & ſimplicibus rationibus, quibus opus nefarium vt naturale ſuggeritur, vehementer obſiſtimus. Ac tandem camelum & aſinum de medio tollimus, ſi cogitationes ſine intellectu, quæ vngulam per diſcretionem non findunt, & manifeſtos carnis lapſus à nobis fortiter amouemus. Hæc omnia latè Gregorius.] Non ergo parcamus huic vitio, ſed ipſum penitus deſtruamus: nam omnium vitiorum ſeminarium & origo eſt. Nec arbitremini, inquit Ambroſius, aduersùs Apo- *Amb lib. de Elia. c. 19.*

C ſtolum dixiſſe, quia ille ait auaritiam radicem eſſe omnium vitiorum: quoniam luxuria ipſius eſt mater auaritiæ. Etenim cùm exhauſerit quis luxuriando proprias facultates, quærit poſtea auara compendia. Ipſa luxuria [eſt ignis vſque ad perditionem deuorans.] Ille ignis, de quo etiam dixit Salomon: Numquid poteſt homo abſcon- *Iob. 31. 12. Prou. 6. 27.*
dere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant?] Caue & tu, ait idem ſanctus pater Ambroſius, ne intra ſinum tuæ mentis ignem libidinis & amoris accendas; ne corporeum veſtimentum illo animi conſumatur incendio, ac perpetuitatem reſurrectionis amittas; vel certè veſtigium tuæ mentis vratur, ſi per libidinum faces tibi putaueris *Amb. lib 2. de Apolo. Dauid.*

D eſſe gradiendum. Nam qui vritur corde, comburitur corpore.

At dices mihi his rationibus perſuaſus, atque conuictus, vitium luxuriæ deteſtor, ſed coniugium licitum & ſanctum, & à Deo ipſo ad mundi conſeruationem inſtitutum, concupiſco. Super hac ſe [præceptum Domini non habeo,] ſicut *1. Cor. 7 25. 26 27.*
ſuper luxuria vitanda, [conſilium autem do] cum Paulo, [tamquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis. Exiſtimo enim hoc bonum eſſe,] ſcilicet cœlibem eſſe [propter inſtantem neceſſitatem,] inſiſtendi temporalibus, quæ coniugatos coarctat, [quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.] Vnde tu ſi [alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem,] ſed tuo debito ſatisfaci-

E to. At [ſi ſolutus es ab vxore, noli quærere vxorem] propter multa incommoda, & tribulationes, quæ nuptias circumſepiunt. De hoc argumento latè & optimè ſcripſit Hugo Victorinus, qui inter alia ſic ait: Non eſt igitur vxor du- *Hugo lib de nuptiis carnali. c. 2.*
cenda ſapienti. Primùm enim ſtudia Philoſophiæ impediri: nec poſſe quemquam libris & vxori pariter inſeruire. Multa ſunt, quæ matronarum vſibus neceſſaria ſunt, pretioſæ veſtes, aurum,

gemmæ, ſumptus, ancillæ, ſupellex varia, lectitiæ: deinde per totas noctes querulæ conqueſtiones: illa ornatior procedit in publicum: hæc honoratur ab omnibus. ego in conuentu fœminarum miſella deſpicior. Cur aſpiciebas vicinam? Quid cum ancilla loquebaris? De foro veniens quid attuliſti? Non amicum habere poſſumus, non ſodalem: alterius amorem vxor ſui odium ſuſpicatur. Si doctiſſimus præceptor in qualibet vrbium fuerit: nec vxorē relinquere, nec cum tali ſarcina illuc ire poſſumus. Pauperem alere difficile eſt: diuitem ferre, tormentum. Adde quòd nulla eſt vxoris electio, ſed qualis aduenerit, talis eſt habenda: ſi iracunda, ſi fatua, ſi deformis, ſi ſuperba, ſi fœtida, quodcumque vitij eſt, poſt nuptias diſcimus. Equus, aſinus, bos, canis, & viliſſima quæque mancipia, veſtes, & lebetes, ſedile ligneum, calix & vrceolus fictilis probantur priùs, & ſic emuntur: ſola vxor non oſtenditur, ne antè diſpliceat, quàm ducatur. Attendenda eſt ergo ſemper eius facies, & pulchritudo laudanda: ne ſi alteram inſpexeris, ſe exiſtimet diſplicere. Vocanda eſt domina, celebrandus natalis eius, iurandum eſt per ſalutem illius, vt ſit ſuperſtes optandum; honoranda eſt nutrix, & gerula, ſeruus paternus, & altricius, & procurator calamiſtratus, & in longam, ſecurámque libidinem exectus ſpado, ſub quibus nominibus adulteria deliteſcunt. Quoſcumque illa dilexerit, ingratis amandi. Si totam ei domum regendam commiſeris, ſeruiendum eſt: ſin aliquid tuo arbitrio reſeruaueris, fidem ſibi haberi non putabit, & in odium vertitur, & iurgia. Et niſi citò conſulueris, parabit venena anus. Aurifices, & auriolos, & inſtitores gemmarum, ſericarúmque veſtium ſi introduxeris, periculum pudicitiæ eſt. Si prohibueris, ſuſpicionis iniuria. Verùm quid prodeſt diligens cuſtodia, cùm vxor impudica ſeruari non poſſit, pudica non debeat? infida enim cuſtos eſt Caſtitatis neceſſitas, & illa verè pudica dicenda eſt, cui licuit peccare, ſed noluit. Sit pulchra, aut deformis vxor, vtrimque vrgetur incommodo, qui eam ducit. Pulchra enim citò adamatur: fœda citò concupiſcit. Difficilè cuſtoditur quod plures amant: moleſtum eſt poſſidere, quod nemo habere dignetur: minore tamen miſeria deformis habetur, quàm formoſa ſeruatur. Nihil tutum eſt, in quo totius populi vota ſuſpirant. Alius forma, alios ingenio, alius facetiis, alius liberalitate ſollicitat: ſicque aliquo tandem modo expugnatur, quod vndique inceſſitur.] Hæc omnia adducit Hugo ex Theophraſti libello de nuptiis, qui & addit, quòd ſi propter diſpenſationem domus, ducatur vxor, meliùs bona diſpenſat ſeruus fidelis, qui quaſi ad nutum domini voluntati paret, quàm vxor, quæ cùm domina rerum videatur, ſæpe marito contradicit. Si propter languoris ſolatia, aſſident homini amici, qui eum ſatis commodè valent conſolari. Si propter fugam ſolitudinis, ſapiens cum Deo loquitur ſi homines deſint, & ideo non minùs ſolos, quàm cùm ſolus fuerit. Nec poſſunt deeſſe homines præſertim boni, & Deo dediti, quibuſcum iucundè conuiuat. Si tandem coniugium ineundum ſit liberorum cauſa, & ne nomen noſtrum intereat, & vt in ſenectute non deſint neceſſaria præſidia: ſciendum eſt, quia multò magis ſunt ſpirituales filij, ſcilicet inſignia virtutis opera, quàm carnales quærendi: & multò veriùs atque fœliciùs nomen noſtrum & memoriam aſſeruant, & in laſſa ſenectute ſubueniunt, atque lætificant. Hi filij (nobis volentibus) numquam intereunt, filij autem carnis, ſi boni ſunt, poſſunt præmori; ſi autem peſſimi, & ad virilem ætatem peruenerint, tardè eis videbimur mori.

His virorum incommoda, quæ à nuptiis, illis adueniunt, deteguntur. Sed è contra Hieronymus moleſtias fœminarum narrat, quæ coniugio colla ſubmittunt. Et hic etiam audiendus eſt, vt manifeſtè pateſcat, ſtatum coniugij ex vtraque parte eſſe moleſtum, multáque habere non ſolùm quæ à Dei obſequio nos auocent, ſed quæ vitam in hoc ſæculo iniucundam & inſuauem efficiant. Ille ſic ait: Idem tu putas eſſe diebus & noctibus vacare orationi, vacare ieiuniis, & ad aduentum mariti expulire faciem, greſſum frangere, ſimulare blanditias? Illa hoc agit vt turpior appareat, & naturæ bonum infuſcet iniuria. Hæc ad ſpeculum pingitur, & in contumeliam artificis conatur pulchrior eſſe, quàm nata eſt. Inde infantes garriunt, familia perſtrepit, liberi ab oſculis & ab ore dependent, computantur ſumptus, impendia præparantur. Hinc cocorum accita manus carnes terit, hinc textricum turba commurmurat, nuntiatur interim vir veniſſe cum ſociis. Illa ad hirundinis modum luſtrat vniuerſa penetralia, ſi thorus rigeat, ſi pauimenta verrerint, ſi ornata ſint pocula, ſi prandium præparatum. Reſponde quæſo inter iſta vbi ſit Dei cogitatio? Et hæ fœlices domus. Cæterùm vbi tympana ſonant, tibia clamitat, lyra garrit, cymbalum concrepat, quis ibi Dei timor? Paraſitus in contumeliis gloriatur, ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ, & tenuitate veſtium nudæ impudicis oculis ingeruntur. His infœlix vxor aut lætatur, & perit, aut offenditur, & maritus in iurgia concitatur. Hinc diſcordia, ſeminarium repudij. Aut ſi aliqua inuenitur domus, in qua iſta non fiant, quæ rara auis eſt, tamen ipſa diſpenſatio domus, liberorum educatio, neceſſitates mariti, correctio ſeruulorum, quam à Dei cogitatione non auocent? Defecerunt, inquit ſcriptura, Saræ muliebria:] poſt quod dicitur ad Abraham: Omnia, quæcumque dicit tibi Sara, audi vocem eius. Quæ non eſt in partus anxietatibus, & dolore: quæ deficientibus menſtrui cruoris officiis, mulier eſſe deſiit à Dei maledictione fit libera: nec eſt ad virum conuerſio eius, ſed è contrario vir ſubiicitur ei, & Domini voce præcipitur: Omnia quæcumque tibi dicit Sara, audi vocem eius.] & ſic incipiunt vacare orationi. Quia quandiu in coniugio debitum ſoluitur, orandi prætermittitur inſtantia. Sic Hieronymus.] Iam ergo in coniugio vndique curæ & moleſtiæ, vndique orandi, & ſpiritu proficiendi impedimenta naſcuntur: nec quiſquam poterit ſimul matrimonium inire, & ab his aut aliis ſimilibus incommodis liberari.

Hier. li. 2. cōtra Heluid. ad finem.

Gen. 18. 11.

Gen. 21. 12.

Sed audio te dicentem adhuc: Si luxuriari non licet, & coniugium inire non expedit, quid faciendum? An omnes cœlibes permanebimus, vt mundus humana propagatione deſtitutus ante præſtitutum tempus finiatur? Quibus tibi verbis reſpondebo, niſi ipſius Domini, dicentis: Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.] Non, inquam, omnes præſtantiam & tranquillitatem Caſtitatis intelligunt, vt interpretatur Epiphanius, ſed qui ex Deo hoc intelligendi donum acceperint. Aut, non omnes ſe continendi, & caſtè viuendi beneficium accipiunt, ſed quos Deus ad tam celſum ſtatum elegerit. Ideo timendum non eſt, vt mundus neceſſaria propagatione careat, & intempeſtiuè eſſe deſinat. At tu qui inſtinctus caſtè viuendi ſentis, qui à Deo ad

Matth. 19. 11.

Epiphan. hær. 66.

A cœlibem vitam vocans, de mundo per generationem conſeruando non cogites. Immo cogita quomodo ad ſtatum altiorem aſcendas, & diuinæ vocationi reſpondeas. Delicijs carnis extra licitum coniugij ſtatum vacare crimen eſt, & crimen infame, quod Deus poſt hanc vitam æterna pœna, & in hac vita, magna ignominia, & multiplici; corporis & animæ anxietate caſtigat. Vxorem ducere moleſtum eſt, & pro modica voluptate maximis triſtitijs homo colla ſubmittit. Quid reſtat niſi vt vitam cœlibem ames, téque ad ſeruandam caſtitatem accingas? Ad hoc autem incitat te locus, in quo es, nempe in valle lacrymarum, ſiue in exilio ad laborandum & pugnandum inuento, in quo non decet de voluptatibus, ſed de galea, & enſe, & alijs ſimilibus cogitare. Tempus, quod viuis; nam vigilia eſt ſolemnitatis æternæ, in qua ieiunare, & à delicijs abſtinere decet; non carnis ſuauitates quærere. Dux, quem ſequeris, Chriſtus ſcilicet puritatis author, & virginitatis amator. B Sancti, quorum conſortium cupis, qui mundos ſe ab omni pollutione ſeruarunt. Vilitas voluptatis, cuius appetentia plena eſt anxietatis, experientia verò faſtidij. Deſtinata illi à Domino pœna; nam qui [ducunt in bonis, & voluptatibus dies ſuos, in puncto ad inferna deſcendunt.] Ac tandem eiuſdem voluptatis vacuitas, quæ numquam ſatiat, numquam hominem quietat, ſed delicti, & pœnæ, ac triſtitiæ ſpina cruentat. Hæc incitamenta voluptatis deſerendæ Laurentius Iuſtinianus latè proſequitur.

Iob. 21. 13.

Iuſt. in ligno vitæ de continentia. c. 3.

C At ſi Caſtitas ſeruanda eſt, certè optimum & ſalubre conſilium eſt vt perpetuo voto firmetur, & in tuto religioſæ vitæ cuſtodiatur. Caro enim noſtra poſt primi parentis tranſgreſſionem procliuis admodum eſt ad voluptatis illecebras, quam vt mens noſtra efficaciùs coerceat, debet voti pollicitatione firmari. Eſt etiam Caſtitas ſicut cæteris virtutibus pulchrior, ita tenerior atque fragilior, quam vt ſpeculum leuis flatus maculat, quam vt florem ſpinulæ mucro confodit. quid autem faciet ſæculi ventis expoſita, & periculis multarum occaſionum circundata, niſi aut deficere, aut deformari? Eſt theſaurus ſimilis illis de quibus Dominus ad Iob: Numquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti?] Et verè D theſaurus niuis, quia plena eſt puritatis, atque munditiæ, qua caſti lætantur; & theſaurus grandinis, quia plena refrigerij, quo concupiſcentiæ minuuntur. Theſaurus autem non debet in loco periculis expoſito poſſideri, ſed in loco tuto, qualis eſt religio, debet abſcondi. Eſt cibus ſuauiſſimus, & manna multiplici dulcedine plenus. Nam, vt inquit Iſidorus, amanda eſt pulchritudo Caſtitatis, cuius deguſtata delectatio, dulcior inuenitur, quàm carnis. Caſtitas enim fructus ſuauitatis eſt, & pulchritudo inuiolata ſanctorum. Talem cibum ne ſæculi amaritudinibus miſceamus, ſed illum condimentis religioſæ vitæ affectum guſtare curemus. Eſt virtus planè cœleſtis, & quaſi aduena, & peregrina E manet in terris. Quare ſanctus Bonauentura ait: Caſtitas eſt virtus origine cœleſtis, hanc ipſi Angeli ſancti ab ipſo Domino omnium virtutum fontali principio primitus didicerunt, & indeclinabiliter ſeruauerunt: & hanc ſummus, & vnus magiſter noſter, qui eſt in cœlis Angelorum magiſter Chriſtus Dominus nobis de cœleſti ſchola ad terram publicè docendo attulit, & matrem glorioſam virginem perfectam primámque poſt ſe huius diſciplinæ magiſtram in cathedram virginalis mundiciæ cæteris

Iob. 38. 22.

Iſid. 2. ſentent. cap. 40.

Bona. de proceſſu religio. c. 37.

A mirandam & imitandam præfecit. Hæc ille.] Quælibet autem res optimè in ſuo naturali loco ſeruatur, & in alieno quaſi violenter detinetur. Caſtitas ergo perfectè cuſtoditur in cœlo. Cœlum autem quaſi extra cælum poſitum (vt ita dicam) aut in terram demiſſum, vita eſt religioſa, quæ cœli puritatem, & tranquillitatem, & occupationem vacandi Deo iugiter imitatur. Ergo in illa Caſtitas cœleſtis virtus optimè cuſtodietur. Atque adeo tu qui Caſtitatis amator es, ad vitam debes religioſam conuolare, & in ea per trium votorum emiſſionem huius primi gradus Caſtitatis particeps effectus, poteris ad altos (Deo tuis initiis fauente) conſcendere.

B

Secundus gradus Caſtitatis, votum abijciendæ carnalis voluptatis implere.

CAPVT VI.

ADEPTO iam hoc primo Caſtitatis religioſæ gradu, quo nos Caſtitatem ſeruaturos promiſimus, ad ſecundum omnimodis aſcendendum eſt, vt votum noſtrum diligenter & fideliter impleamus. Pater cupit habere filios ſibi ſimiles, & dominus ſeruos moribus ſibi conformes. Deus C autem qui & noſter eſt pater, & Dominus, impensè vult vt nos filij eius, & ſerui, quantum puſillitas humana ſuffecerit, ad aliquam eius ſimilitudinem peruenire geſtiamus. At ipſe, vt ait ſanctus Dauid, [fidelis eſt in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.] Et Paulus. Eſt autem Deus verax.] Et rurſus. In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur Deus.] Et, Sine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei.] Atque ipſe Dominus de ſe ait: Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.] Oportet ergo vt nos ſimus in verbis veraces, & in promiſſis ſtabiles, ſi Deo placere, & ei ſimiles inueniri volumus. Iam labiis noſtris votum Caſtitatis diſtinximus; quid ſupereſt, niſi vt omnem D corporis ac mentis mundiciam amemus. Dicamúſque corde, & opere, non tantùm externa voce: Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.] Et, vota mea reddam in conſpectu timentium eum. Ac iterum: Vota mea Domino reddam, coram omni populo eius?] Meritò ergo hæc, quæ in omnia vota quadrant, ad Caſtitatis votum applicamus, quoniam illud in conſpectu omnium iuſtorum, & coram omnibus tanta circunſpectione cuſtodiendum eſt, vt vniuerſis Caſtitas noſtra nota ſit, ipsíque poſſint integritati vitæ noſtræ, cùm oportuerit, atteſtari. Magiſter enim noſter Chriſtus, qui ambitioſus, & vorator, & ſeductor haberi voluit, numquam minùs caſtus dici permiſit. Vt nos diſcamus iniurias, & falſa teſtimonia in E aliis rebus æquanimiter ſuſtinere, in negotio verò Caſtitatis nec minimam occaſionem malè de nobis loquendi, aut ſiniſtre ſentiendi, alijs tribuere. Eſt namque virtus hæc tam delicata, vt ſolo verbo de religioſis imprudenter effuſo, aut ſola mala opinione de aliis concepta lædatur. Et non ſolùm peccatum caſtitati contrarium, ſed & loquela imprudentior, qua quis nobis notam immundorum inurit, ipſam Caſtitatem certa quadam ratione commaculat. Nullum autem vitium ita nos reddit apud

Pſ. 144. 13.
Rom. 3. 4
Tit. 1. 2.
Rom. 11 29.
Matth. 24. 35.

Pſal. 65. 14.
Pſal. 21. 26.
Pſ. 115. 14

ſæculares, aut tam contemptibiles, aut tam inuiſos, quàm ſi hoc, ſtatum noſtrum ſordere conſpiciant. Si enim in aliquo religioſo iracundiam, vel ambitionem, vel auaritiam videant, neſcio quomodo ſuſtineut, & diſſimulant, at ſi impudicitiam non dico videant, ſed vel leuiter coniectentur, eum omnino auerſantur, & ineptum ad remedium aliquod animarum profitentur. Quamobrem, vt ſtatus noſter ſanctiſſimus ex culpa noſtra ſuum ſplendorem apud ſæculares non perdat, & ineptior ad eorum ſalutem curandam non fiat: enitendum eſt vt votum Caſtitatis in conſpectu omnium hominum diligentiſſimè ſeruemus, & nos coram Deo, & hominibus caſtos & circunſpectos exhibeamus.

B Manifeſtum eſt autem apud omnes, quibus Caſtitatis votum impleatur. Ex illo quippe tenentur religioſi, primò à matrimonio contrahendo abſtinere, quod poſt emiſſa tria religioſa vota, prout in qualibet religione conſuetum eſt, nullum omnino erit. Deinde omnem actum externum ac internum caſtitati aduerſum, vt quodlibet opus venereum, turpem contactum, impudicum aſpectum, delectationem moroſam, & turpem cogitationem vitare. Ac tandem quidquid in ſæcularibus extra coniugium eſt quoquomodo peccatum contra Caſtitatem, reiicere. Qui in aliquo horum peccat, non ſolùm contra virtutem Caſtitatis, ſed etiam contra votum peccat, & duplicis criminis, incontinentiæ & ſacrilegij reus eſt. Qui verò ab his omnibus fideliter abſtinuerit, votum implet, & ſecundum gradum Caſtitatis habet, licèt carnem rebellem ſentiat, & importuniſſimis ac grauiſſimis tentationibus vrgeatur. Huic enim gradui non eſt neceſſarium tentationes etiam acres & vehementes non ſentire, ſed tantùm tentationibus non conſentire. Vt enim ille cui à rege arx in cuſtodiam data eſt, fidelis eſt regi, & dignus præmio, ſi eam ab hoſtibus tueatur, licèt ipſi eam vehementer impugnent: ita fidelis eſt Chriſto, & magno præmio dignus, qui licèt multis tentationibus oppugnetur, ſe ipſum illibatum ab omni impuro conſenſu cuſtodit.

Coloſſ. 3. 5. Ad hunc ergo ſecundum Caſtitatis gradum nos hortatus eſt Paulus illis verbis: Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram: fornicationem, immundiciam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam.] Hæc membra corporis peccati rectiſſimè ſuper terram eſſe dicuntur, inquit Caſſianus: Non enim poſſunt hi, qui miniſterio vtuntur eorum, veridicè profiteri: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.] Qui & ſtatim quæ ſint iſta membra peccati, ſiue iſta crimina hoc Caſtitatis gradu vetita, pulcherrimè exponit in hunc modum: Primo itaque loco fornicationem credidit inferendam, quæ carnali commixtione perficitur. Secundum etiam membrum immundiciam nuncupauit, quæ nonnunquam abſque vllo mulieris tactu, vel dormientibus, vel vigilantibus per incuriam incircunſpectæ mentis obrepit: & ideo notatur ac prohibetur in lege, quæ immundos quoſque non ſolùm ſacratum carnium participatione priuauit, verùm etiam ne contactu ſuo ſancta pollucrent, à caſtrorum iuſſit congregatione ſecerni dicens: Anima quæcunque comederit de carnibus ſacrificij ſalutaris (quod eſt Domini) in qua eſt immundicia, peribit coram Domino, & quidquid tetigerit immundus, immundum erit.] In Deuteronomio quoque: Si fuerit, inquit, inter vos homo, qui nocturno pollutus eſt ſomnio, egredietur extra caſtra, & non reuertetur priuſquam ad veſperam lauetur

Philipp. 3. 20.

Caſſian. col. 12. c. 2.

Leuit. 7. 20. 21. ſec. 70.

Deuter. 23. 10.

A aqua, & poſt ſolis occaſum regredietur in caſtra.] Deinde tertium peccati membrum libidinem ponit, quæ in receſſibus animæ coaleſcens accidere cuipiam etiam ſine paſſione corporis poteſt. Libidinem enim ab eo quod libeat dictam eſſe non dubium eſt. Poſt hæc de maioribus peccatis ad minora deſcendens, quartum intulit membrum: Concupiſcentiam malam, quæ non ſolùm ad prædictam impudicitiæ paſſionem, verumetiam ad omnes noxias cupiditates generaliter poteſt referri, quæ corruptæ tantummodo voluntatis eſt ægritudo. de qua Dominus in Euangelio: Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.] Multo enim maius eſt etiam tunc mentis lubricæ deſiderium continere, cùm ei illecebroſi aſpectus offertur occaſio. Quibus manifeſtiſſimè comprobatur, ad perfectionem puritatis caſtimoniam continentiæ corporalis ſolam non poſſe ſufficere, niſi etiam mentis addatur integritas. Poſt quæ omnia nouiſſimum illius corporis membrum: Et auaritiam, inquit: proculdubio oſtendens non ſolùm ab appetitu rerum alienarum animum continendum, verumetiam propria magnanimiter contemnenda. Hæc ille. Matt. 5. 28.

C Eundem gradum Caſtitatis poſtulat idem Beatus Apoſtolus illis verbis, quæ in epiſtola ad Epheſios continentur. Fornicatio, & omnis immundicia, aut auaritia, nec nominetur in vobis.] Tam longè, inquam, eſſe debet à cordibus Chriſtianorum, vt nec eius nomen, nec recordatio ſeſe in cœtibus eorum inſinuet. Vltio enim magna horum criminum fœditatem expectat. Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.] Et rurſus: Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, regnum Dei poſſidebunt.] Itaque ad hunc ſecundum gradum, atque ad impletionem voti, immò & ad cuſtodiam præcepti de Caſtitate propoſiti, non ſufficit actus externos impudicitiæ fugere, ſed neceſſe eſt omnem internum mentis conſenſum vitare. Et ideo in lege non ſolùm ſcriptum eſt, [non mœchaberis] ſed etiam [non concupiſces vxorem proximi tui:] vt perſpicuum eſſet omnibus, non tantùm externum opus, ſed internam quoque concupiſcentiam pariter eſſe damnatam. Quæ concupiſcentia explicatiùs in lege gratiæ prohibita eſt, vt lex perfectior clariùs perfectiora ſanciret, & Filium Dei carne tectum ad corda noſtra in ſacramento demittens eius habitaculum accuratius præpararet. Hinc Gregorius putat innocentem Iobum fœdus cum oculis ſuis pepigiſſe, vt ne cogitaret quidem de Virgine, quia facilimum eſt ex impudico aſpectu in prauam cordis concupiſcentiam labi. Sed præſtat tanti doctoris verba non omittere. Sciebat nimirum, inquit, luxuriam eſſe in corde refrænandam, ſciebat, per Sancti Spiritus donum, quòd Redemptor noſter veniens, legis præcepta tranſcenderet, & ab electis ſuis non ſolùm luxuriam carnis ſed etiam cordis aboleret, dicens: Scriptum eſt: Non adulterabis: ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.] Per Moyſem quippe, luxuria perpetrata; per authorem verò mundiciæ, luxuria cogitata damnatur. Hinc eſt enim quod diſcipulis, primus Eccleſiæ paſtor dicit: Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrij perfectè ſperate in eam

Epheſ. 5. 3.

Epheſ. ib. 5.

1. Cor. 6. 9.

D

Iob. 31. 1

E

Greg. 21. mor. cap. 2.

Matt. 5.

1. Petri. 1. 13.

quæ

quæ offertur vobis,gratiam.] Lumbos enim carnis ſuccingere, eſt hanc etiam à cogitatione reſtringere. Hinc eſt quod Angelus, qui Ioannem alloquitur, zona aurea ſuper mammillas cinctus eſſe perhibetur.Quia enim teſtamenti noui munditia etiam cordis luxuriam frænat, angelus, qui in eo apparuit, in pectore cinctus venit. Quem bene zona aurea ſtringit, quia quiſquis ſupernæ patriæ ciuis eſt, non iam timore ſupplicij, ſed amore charitatis immunditiam deſerit. Malum verò luxuriæ aut cogitatione perpetratur, aut opere. Callidus namque aduerſarius noſter cùm ab effectu operis expellitur, ſecreta polluere cogitationis molitur. *Gen.3.14* Vnde & ſerpenti à Domino dicitur: Pectore, & ventre repes. Serpens videlicet ventre repit, quando hoſtis lubricus per humana membra ſibimet ſubdita vſque ad expletionem operis luxuriam exercet. Serpens autem repit pectore, quando eos, quos in opere luxuriæ non valet,polluit in cogitatione. Hactenus ille.] Conſtat igitur ex his, gradum hunc Caſtitatis omne carnis peccatum abiicere,tam illud quod in externam aliquam actionem prodit, quàm illud,cui mens interiùs ſine vllo teſte conſentit. Eúmque, qui poſt editum votum ſe exteriùs interiúſve polluerit,non ſolùm immundum, ac incontinentem exiſtere, ſed etiam ſacrilegum reputari, quippe qui ſeipſum Deo conſecratum carnis peccato contaminet, & iniuria graui ſui corporis templum afficiat.

Qui ita ſe impollutum ab omni carnis & mentis inquinamento ſeruauerit, illam legis maledictionem non timeat, qua ſterilis & filios non derelinquens percutitur. Nam filios habet non carnis, ſed ſpiritus, quos minimè in perpetuum amittet. Immo in illum cadit larga Domini benedictio: Beatus, qui habet ſemen in Sion, & propinquos in Hieruſalem: quia ad cœleſtem patriam victorias ſuorum præliorum mittit, quæ illum hinc emigrantem excipiant. Cùm vitam religioſam amplectitur, curſus ei in cœlum indicitur:non poterit autem hanc viam celeriter currere, niſi ab omni ſe carnis petulantia *3.Reg.18 46.* contineat. Elias Caſtitatis amator currebat pedes ante Achab curru vectum, & ei vires ad præcurrendum Caſtitas miniſtrabat. Sic & nobis hæc munditia cordis,& corporis, vires ad currendum in Iezrahel,id eſt,in Dei participationem,attribuet. Quin & ille quaſi in præmium puritatis curru igneo ad *Amb.ſer. 87.* æthereani regionem ſubuehitur, Et vt inquit Ambroſius:Angelis ducentibus raptus ad cœlum eſt, & quadriga ignea impoſitus, quaſi in quodam triumpho victor aſcendit. Victor enim extiterat non gentium barbararum,ſed ſæcularium voluptatum. Et ſic victor carnis ſuæ Angelorum manibus ad æternas ſedes ſubleuabitur. Hic eſt ille,quem admiratur ſan- *Pſal.88. 49.* ctus Dauid,dicens: Quis eſt homo,qui viuet,& non videbit mortem:eruet animam ſuam de manu inferi.] Fœlix ſcilicet homo ille eſt,qui in periculoſo bello tentationum impudicitiæ poſitus,ſemper viuit, & numquam gratiam,vitam animæ, nec per opus, nec per cōſenſum perdit.Qui numquā videt mortem in- *Climac. grad. 15.* quinationis carnis ſuæ(ſic enim libuit Climaco hunc locum interpretari), & quamuis aliquando concupiſcentiæ ignibus torreatur: non tamen in eo bona voluntas perſeuerandi, nec diuina gratia deſtruitur. Is eruet animam ſuam de manu inferi:non ſolùm quia præceptum Caſtitatis cum reliquis obſeruans, mortem æternam euadet,ſed etiam quia in vita præſenti moleſtias infimæ partis ſuæ,ſcilicet carnis, effugiet. Hanc etiam ille gloriam habebit, quòd inter importunas ſuaſiones carnis, & paſſionum ſuarum, quibus ad defectionem incitabatur quotidie,nouit, voluntatem Dei, voluptatibus anteponere, & inter occaſiones multiplices immundiciæ ſe mundum & incontaminatum cuſtodire. Nam ſi glorioſum eſt regi obſequentem eſſe in pace,multo tamen glorioſius eſt,inter occaſiones,& ſuaſiones rebellandi contra eum, numquam in animum tale flagitium inducere. Ita pretioſum eſt in natura quadam quieta, & ad malum non nimis procliui, Caſtitatis fidelitatem ſeruare Deo,ſed quodammodo multo pretioſius,inter multiplices & graues tentationes, ab eo quod quis cœpit,non dimoueri.

At quia hoc loco cum illis agimus,qui continentiæ gradum non exceſſerunt, & cum magna quadam violentia,quam inferunt cogitationibus & deſideriis ſuis,gemmam Caſtitatis promiſſę cuſtodiunt, non cunctabor ante remedia Caſtitatis generalia,inferiùs proponenda,vnum,aut alterum verbum ad illos loqui, quibus ad ſuum votum fideliter ſeruandum adiuuentur. Sciant ergo præſentiſſimum illis remedium eſſe, ſi principiis obſtent, & non tantùm initia occaſionum conſtanter præcidant, verùm, & exordiis malarum cogitationum ſe ſe inſinuantium vehementer obſiſtant. Veriſſima enim eſt illa Ambroſij ſententia, quòd vt in ſtipulam ignis exiliens inhæret, ac permanet, donec omne quod corripuit, *Ambr.ad Pſal.7.* abſumat:ita vel exigua ſcintilla peccati, ſi quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendium grande excitat. Et ſicut hi, qui ſe in luto verſant, quo magis voluntantur, eo magis inquinantur; ita qui ſemel ſe luto improbitatis aſperſit, niſi ab eo velociter exiliat, grauius ſibi dedecoris ſui cœnum per ſingulos dies lutulentæ conuerſationis obducit.] Neceſſe eſt ergo hæc prima quaſi ſemina impuritatis euellere, quæ ſi per incuriam animæ radices fixerint, non ſine magna difficultate poterunt eradicari.

Item neceſſe eſt corpus duriter tractare,& diſcreta diſciplina aſperitatis affligere. Nam & ipſum corpus ab anima interrogatum, quomodo; poſſit ſuperari, malarum cogitationum cita repulſione, & ſui diligenti caſtigatione,& obedientia, atque humilitate, reſpondit. Pulchre ſanè hanc rem perſequitur Ioannes Climacus, ſecum ipſe loquens,& ſuum corpus interrogans, eiúſque qualitates inquirens. Qui inter alia ſic ait. Quonam autem more,& mo- *Climac. grad.15. ad finem.* do meum hunc amicum vinciens in morem cæterorum diiudicem,neſcio. Priùs enim quàm illum vinciam ſoluitur, & antequam diiudicem, cum illo in gratiam redeo,& antequā puniā,flector. Quomodo illum vinciam: quē vt amem à natura ſuſcepi? Quomodo ab eo liberabor,cui in ſæculū colligatus ſum? Quomodo mecum etiam ſurgētem deſtruam? Quomodo incorruptibilem oſtendam, qui naturam accepit corruptibilem? Quid illi rationabile dicam, qui per naturam mille rationibus ac perſuaſionibus mentitur? Si enim ipſum ieiunio vinciam, rurſus illi proximum iudicans, trador, ſi & iudicare deſiſtens hunc ſuperem, elatus corde in eundem præcipitor. Eſtque cooperator, & hoſtis adiutor, atque aduerſarius, auxiliator ſimul & inſidiator. Si foueatur, oppugnat: ſi affligatur, debilior fit, laſcinit per quietem, rurſus verbera & flagella non ſuſtinet. Si illum contriſtem, periclitor, ſi foueam, per quem virtutes acquiram, non habeo. Quid ſit circa me ſacramenti: quænam ſit meæ concretionis ratio, quomodo mihi, & amicus ſum, & inimicus, quis videat? quis intelligat? Dic tu, dic mihi, ô coniux mea: ô natura mea: neque enim de te ab alio quàm abs te diſcere curabo,

quomodo ea te vulneratus maneam, quomodo poſſum naturale periculum effugere, quando iam bellum aduerſum te gerere Chriſto pollicitus ſum, quomodo tuam tyrannidem ſuperem, ex quo vim tibi inferre delegi? Illa verò aduerſùs ſeipſam (vt ita dixerim) reſpondens ita dicere videbitur: Non tibi id loquar, quod ipſe non noſti: ſed quod ſimul ambæ cognouimus. Ego in me ipſa dilectione glorior matre. Exterioris quidem incendij genitrix, & cauſa imprimis eſt cura nimia: atque immodica requies. Porro interioris flammæ, motúſque cogitationum ex præcedente requie, actibúſque præteritis occaſio gignitur. Ego cùm iniqua concepero, pario ſcelera, quæ ſimul vt nata fuerint, per deſperationem generant mortem. Si meam tuamque profundam infirmitatem notis, penitus meas vinxiſti manus. Si
B
gulæ concupiſcentiã fregeris: meos obligaſti pedes ne gradi in anteriora poſſint. Si obedientiæ collum ſubmittas, à me disiunctus es. Si poſſideas humilitatem, amputaſti caput meum. Hactenus Climacus.

Tandem Caſtitatis amator, qui adhuc grauibus incentiuis carnis ſe ſentit inquietari, coronam ſibi ob victoriam huius belli paratam ante oculos ſuos frequenter proponat, vt eius conſideratione, & deſiderio tantæ impugnationis, victor exiſtat. Meminerit illius ſimilitudinis Pauli verbis inſertæ:
c. 9. Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.] Quem locum Caſſianus luculentiſſimè ad cuſtodiam Caſtitatis
C
.lib. expoſuit. illius verba ſunt: Illi etenim, qui in agone viſibili ſtudent legitimè decertare, vtendi omnibus eſcis, quas deſiderij libido ſuggeſſerit, non habent facultatem, ſed illis tantùm, quas eorumdem certaminum ſtatuit diſciplina. Et non ſolùm interdictis eſcis, & ebrietate, omníque crapula eos neceſſe eſt abſtinere: verumetiam cunctá inertia, otio, atque deſidia, vt quotidianis exercitiis iugique meditatione virtus eorum poſſit accreſcere. Et ita omni ſolicitudine ac triſtitia, negotiiſque ſæcularibus, affectu etiam & opere coniugali efficiuntur alieni, vt præter exercitium diſciplinæ, nihil aliud nouerint, nec vlli mundiali curæ penitus implicentur: ab eo tantùm, qui certamini præſidet, ſperantes quotidiani victus ſubſtantiam, & coronæ gloriam, con-
D
dignáque præmia victoriæ laude conquirere. Atque in tantum ſe mundos ab omni coitus pollutione cuſtodiunt, vt cùm ſe præparant ad agonum certamina, ne qua forſitan per ſomnum nocturna deluſi fallacia, vires minuant multo tempore conquiſitas, laminis plumbeis renum contegant loca, quo ſcilicet metalli vigore genitalibus membris applicato, obſcœnos humores valeãt inhibere: intelligentes ſe proculdubio eſſe vincendos, nec iam poſſe propoſitum certamen ademptis viribus adimplere, ſi prouiſam pudicitiæ ſoliditatem fallax noxiæ voluptatis imago corruperit.] Si ergo tanta & tam difficilia faciebant illi, vt coronam corruptioni obnoxiam acciperent; quid æquum eſt nos facere, & quanta in-
E
ſtantia animi & corporis Caſtitatem cuſtodire, qui non coronam corruptibilem in terra, ſed incorruptibilem in cœlo ſperamus? Domemus ergo carnem noſtram, cohibeamus ſenſus, & inſultus dæmonis animosè propellamus, quia æternum præmium, non dormientes, & hoſtis ſermones auſcultantes, ſed vim nobis inferentes, in cœleſti patria diripiemus.

A

Tertius gradus Caſtitatis; acribus carnis tentationibus non pulſari.

CAPVT VII.

NIHIL ita hoſtium vires frangit, quàm hominis in reſiſtendo conſtantia: qui ſi non tantùm alacriter perſeueranterque reſtiterit, verùm & arma de manu aduerſariorũ eripuerit, illos à ſuis finibus potenter auertet. Sic Dauid tulit arma aurea, quæ habebant ſerui Adarezer, & tulit ea in Ieruſalem, & ſtatim per- 2. Reg. 8. 7.
cuſſit omne robur eius.] Ita & nos cùm arma hoſtium, quibus aduerſum nos pugnant, auferimus, &
B
exanimes eos reddimus, ac vires ipſorum ſubneruamus. Qui ergo per gratiam Domini conſtanter ſuæ carnis illecebris obſtitit, & aſſiduis corporis afflictationibus quaſi arma ab hoſtibus abſtulit (nam arma luxuriæ, eſt corpus noſtrum malè domitum) & ea in vita religioſa Domino conſecrauit, tertium iam Caſtitatis gradum obtinet, & ad maiorem mentis & corporis mundiciam peruenit. Hic autem eſt cùm quis non ob timorem pœnæ, aut ignominiæ, ſed ob amorem mundiciæ, cuius deliciis aſſueuit, Caſtitatem amplectitur, & non iam aſſiduas & acres tentationes, à vitio inſito prodeuntes, aut à corpore malè domito emanantes, ſed raras, remiſſas, & quaſi à longè incitantes patitur. Hunc gradum ex parte tetigit Auguſtinus, adhuc ante plenam conuerſionem
C
ſuam, qui de ſordibus, & dedecoribus à priſtina conſuetudine obiectis, ita ait: Et audiebam eas iam lon- Auguſt. 8 conf. c. 11.
gè minùs quàm dimidius, non tamquam libere contradicentes eundo in obuiã, ſed velutià dorſo muſſitantes, & diſcedentem quaſi furtim vellicantes, vt reſpicerem: retardabant tamen me cunctãtem abripere, atque excutere ab eis, & tranſilire, quò vocabar, cùm diceret mihi conſuetudo violenta: Putás ne ſine iſtis poteris? Sed iam tepidiſſimè hoc dicebat. Hæc ille.] Facit hoc in homine gratia Dei auferens arma peccato, in quibus confidebat, ſcilicet corpus, ac ſenſus noſtros, & ea abſtinentiæ & mortificationi ſeruire faciens. Cuius gratia regius Pſaltes homines ad admirationem, & Domini laudationem, inuitat dicens: Venite, & videte opera Domini, quæ po- Pſal. 45. 9. 10.
D
ſuit prodigia ſuper terram: auferens bella vſque ad finem terræ. Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni.] Hæc inquam Dei noſtri opera digna ſunt maxima admiratione, & nomen prodigiorum merentur, quòd bella carnis à noſtris cordibus abſtulit, & quàm longiſſimè à nobis ablegauit. Sed quomodo ablegauit? Contriuit arcum, quia corpus noſtrũ, quod inſtar arcus ad oppugnandã Caſtitatem tẽdebatur, multiplici afflictatione extenuauit: Fregit arma, quia membra noſtra, quæ exhibebamus Rom. 6. 13.
[arma iniquitatis peccato] mortificatione cõminuit. Et ſcuta combuſſit, quoniã omnia illa, quibus impudicitia ſe protegebat, igne ſancti feruoris abſumpſit.

In hoc gradu anima licèt pro tentationibus aliquantulum conſopitis gratias agat, & in ſe magnam
E
mutationem à Domino factam non ignoret; tamen ex alia parte deſiderio omnimodæ puritatis accenſa, pro eius obtentione luget, & gemit. Miſer, inquit, Pſ 37. 7.
factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.] Dum ſcilicet impuras cogitationes, & obſcœnos motus carnis adhuc experior, me ipſum adhuc infœlicem iudico, & præ confuſione curuatus & triſtis ingredior. Cauſa autẽ meæ triſtitię eſt, [quoniã lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & nõ eſt ſanitas] mundiciæ [in carne mea.]

Cùm

Cùm aduerſus voluntatem meam hæc immunda in corpore & in cogitatione patior, [afflictus ſum , & humiliatus ſum nimis : rugiebã à gemitu cordis mei. Dixi , Domine, ante te omne deſiderium meum,] quo perfectam puritaté exopto, [& gemitus meus,] quo eam quotidie poſtulo , [à te non eſt abſconditus.] Audit Dominus hos gemitus ſerui ſui , ſed ad bonum eius non exaudit, vt eum hæc patientem à ſuperbia auocet,& ad humilitatem ac ſui deſpicientiam inuitet. Impletúrque illud Pſalmographi:

Pſa.26.7 Vox Domini intercidentis flammam ignis.] Flammam enim ignis libidinis intercidit , cùm partim ad aliquantulam pacem minuit, & partim ad humilitatem perſeuerare permittit. Quem locum de igne

Richar. ibi.10.2. luxuriæ Richardus Victorinus exponens, manifeſtè id docet,ſic ſcribens : Flammam tamen huius ignis Dominus, cùm voluerit, intercidit , cùm placuerit, penitus extinguit. Quòd autem quandoque intercidat vt in parte ardeat & in parte deficiat, hoc ſcriptura manifeſtè oſtendit, cùm dixit: Vox Domini intercidit flammam ignis.] Quòd autem aliquando huius ignis flammam extinguat,alia ſcriptura euidenter declarat, vbi legitur : Angelus autem

Dan.3. 49.50. Domini deſcendit in fornacem,& excuſſit flammam ignis : & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem.] Vidéſne quomodo ibi dicitur excuſſiſſe: hîc permittitur intercidere ? Sed cur hîc, quemadmodum & ibi non extinguitur ? Fortè, quia pueri erant , quibus rogus ille parabatur: ſed fortè pueri non erant , quibus Dauid loquebatur; nondum plenè conuerſi erant, & affecti vt paruuli:ſed erant adhuc in oculis ſuis magni,& erubeſcebant adhuc humiles videri. Sed vt illud, quod in illis,præ elatione tumet,exſiccetur, flamma ignis , in parte aliqua reſeruatur : & iterum ne flamma incendij vſque ad conſenſum prauitatis eos rapiat, & quodammodo quaſi in cinerem redigat,flamma ipſa ex maiori parte abſcinditur, & extinguitur. In parte ergo ardet vtiliter hæc flamma ad cuſtodiam humilitatis : & in parte magna nihilominus ſalubriter extinguitur ad cautelam turpitudinis.Hæc ille.]

Sciendum tamen eſt , tentationes impudicas, quas hic gradus ſecum compatitur , à vitio luxuriæ nondum plenè victo,aut à corpore necdum per abſtinentiam domito, emanare. A vitio quidem,quod Caſtitas infuſa non abſtulit:& acquiſita, quia adhuc imperfecta eſt, omnino ſuperare non potuit. A corpore verò, quod quando non edomatur , & in ſuo robore impinguatum relinquitur, ad impuras volu-

Clima. grad.15. ptates inhiat. Vnde Climacus ait:Nonnulla quidem vitia ex intimis progrediuntur ad corpus , quædam verò contrà per corporis ſenſus ad animam penetrant. Atque hoc vltimum ſæcularibus maximè,primum verò illud eis,qui ſolitariam vitam delegerunt, quòd eis materiæ non adſint , contingere videas. Hæc ille.] Et homo in hoc ſtatu ex ſententia Bernardi,necdum nomen caſti meretur,ſed titulo cõtinen-

Bern.ſer. de verbis ſapien.Sapientia vincit malit. &c. tis debet eſſe contentus.Eius verba ſunt· Nota,aliud eſſe continentem , aliud caſtum. Luxurioſus & caſtus,ſibi repugnant. Luxurioſi eſt,motus ſentire, & motibus conſentire. Caſti eſt, nec motus ſentire, nec motibus conſentire. Continens eſt in medio vtrobique ſumens participium:cum altero commune habens motus ſentire ; cum altero,motibus non conſentire. Iſte exiſtens in medio domus , deorſum luxurioſo ſurſum verò collatus pudico etſi non in mundicia carnis perambulat, tamen in innocentia cordis decantat miſericordiam, & iudicium. Iudicium,quòd motus ſentiat; miſericordiam , quòd motibus non conſentiat. Iſte nolens dimittere

A Angelum magni conſilij incipiente aurora nouæ lucis , ſed petens obnixè benedictionem perſeuerantiæ; etſi non omnino priuari, claudicare tamen meretur altero pede. Qui ſunt duo pedes ? Motus ſentire , & motibus conſentire. Illud eſt naturale, iſtud eſt criminale. Licèt ergo nondum ignorare poſſit prauos motus deſideriorum,ſed adhuc in ipſo vigeat pes iſte , per gratiam tamen ſupernæ benedictionis ita eneruatur pes conſenſus , quatenus etſi ipſe trahat, ipſi tamen inniti non poſſit.Non eſt omnino ſine eo , quia cum repentina cogitatione concurrit multoties quædã delectatio , quæ tamen cùm ſentitur , gemitum magis quàm conſenſum extorquet.] Hucuſque Bernardus.] Vel certè aliter dici poteſt, hunc ex ea parte,qua amore Caſtitatis eius ſe

B legibus accommodat, caſtum eſſe : ex ea verò , qua malis cogitationibus impugnatur,eſſe continentem. Nam virtus eius in procinctu belli poſita,& frequenter ad bellum prouocata , necdum pace,& delectatione, quæ propria ſolet virtus eſſe,perfruitur.

Hæc autem remiſſior impugnatio carnis , quæ in hoc tertio gradu Caſtitatis ſentitur,ex eiſdem cauſis naſcitur , ex quibus illa vehementior ſolet exoriri. Eam enim efficit fœminæ minùs cautus aſpectus, aut vocis eius auditio , aut progreſſionis eius conſideratio. Ac proinde ab his omnibus cauere debet , quantum fieri poſſit , qui vult ab impugnationis moleſtia liberari. Oritur etiam ex cogitatione alicuius rei minùs honeſtæ , etiam cùm ratione ſtudij bona intentione ſuſcipitur. Quare

C ab his conſiderationibus etiam neceſſariis eripiat ſe ipſum,aut citò eas tranſeat,qui pacem ſui, animi & corporis cupit. Ac tandem (vt diximus) emanat ex vitio nondum ſuperato , aut ex fomite, nondum per gratiæ abundantiam compreſſo,aut ex ipſo corpore laſciuiente,& ſuperfluitatis humorum cauſa,ad opus, quo exoneretur , propenſo. Ideóque ſine vlla præuia cogitatione,ſine vlla noua occaſione , & in ſolitudine poſiti à propria carne expetuntur ad certamina Caſtitatis. Qua ratione Cyprianus exhortatur clericos ad fugienda conſortia mulierum, vt ſcilicet,qui à proprio corpore impugnantur, cauſas non aduocent , quibus impugnatio duplicetur. Certè etiam ſoli cuicumque,ait, quotidiani trium- *Cypr. de de ſingularit.Cleri.*

D phi pro Caſtitate non deſunt , quia nunquam deſideriis carnalibus ſpiritum ceſſat infeſtare corpus humanum , quod Apoſtolus affirmat dicens : Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum,ſpiritus autem aduerſus carnem : hæc enim inuicem aduerſantur ſibi , vt non quæcumque vultis, illa faciatis.] Habes nunc carnem tuam , quam ſuperes ſemper : Quid tibi vis alteram velle conducere? Nemo ſuper vnam febrem cupit adhibere priorem , ne incipiat hemitritæo inſanabili laborare , cui nullus valeat medicus ſubuenire. Nec aliquis ſuper onus proprium tollit inſuper alienum , ne oneribus duobus oppreſſus vſque ad inferos demergatur.] Cùm autem ſine noua occaſione impugnationes iſtæ ab ipſa natura proueniunt, quid homini faciendum eſt, niſi cum Ezechia clamare,& dicere : Domine vim patior, reſponde *Galat. 5. 17.* *Iſa 38.14*

E prò me.] Et quidem Dominus vocatus non deerit, ſed poſt tempeſtatem tranquillum faciet, carnis voces, & querimonias compeſcet , & optatam tranquillitatem efficiet.

Tria itaque hoc tertio Caſtitatis gradu continentur. Primum quòd homo eo donatus , vehementiores impugnationes à carne ſua prodeuntes non ſentit. Secundum, quòd ſenſus ſuos præſertim viſum,auditum, & tactum, ne quoquomodo lædatur, comprimit. Tertium , quòd omnem occaſionem

inficiendi ſeipſum diligenter auertit. Eo ipſo quòd tentationes remiſſiores ſunt, in ſpem adipiſcendæ perfectæ Caſtitatis erigitur, & ab eo, qui cœpit inimicos auertere, ſperat quòd aliquando tandem omnimoda victoria donabitur. Quotidie clamat ad Dominum: Manda Deus virtuti tuæ: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: A templo tuo in Ieruſalem, tibi offerent reges munera.] *Pſal. 67. 29.30.* Fac ſcilicet Domine, vt potentia tua mihi adſit, vt victoriam carnis meæ, quam dare mihi cœpiſti, confirmet atque perficiat. Ita fiet vt propter munditiam, quam animæ meæ, & corpori meo, ac templo tuo tribuis, omnes iuſti, qui hanc mutationem in me factam agnouerint, tibi munera laudationis exoluant. Vt verò ſenſus ſuos comprimat, imitatur ſanctum Dauidem, qui [poſuit in Idumæa cuſtodes, ſtatuítque præſidium, & facta eſt vniuerſa Idumæa ſeruiens Dauid.] *2. Reg. 8. 14.* Idumæa enim, quæ terrenam, aut conſanguineam ſignificat, typus eſt carnis noſtræ, quæ è luto fuit compoſita, & ad ſanguinem, nimirum ad peccatum, inclinata. Huius ergo portis, id eſt, ſenſibus, cuſtodia adhibenda eſt, & præſidium circunſpectionis iuxta eam collocandum, ne ingrediantur rerum ſimilitudines, quæ pacem optatam, & ex parte obtentam, interturbent: vt denique occaſiones fugiat, in ſeipſo caſtiſſimi Patriarchæ Ioſeph opus præfert, [qui relicto in manu impuræ mulieris pallio fugit, & egreſſus eſt foras.] *Gen. 39. 12.* Ita namque omnia illa relinquit, atque præcidit, quibus poteſt ad malum trahi, & ad imminutionem puritatis ſuæ ſolicitari. His autem omnibus præſidiis necdum eſt omnino pacatus, ſed interiùs tentationibus quatitur, & exteriùs impuris carnis motibus ſolicitatur, & in ſomnis, phantaſmatibus obſcœnis illuditur. Eam verò hinc conſolationem accipit, quòd cùm iſta nolens perferat, non ad damnationem ſed ad meritum valere exiſtimat. Vnde Bernardus: *Bern. in formula honeſtæ vitæ.* Multa, & dura corporis bella ſuſtinet adoleſcentia, & calore ſanguinis inflammata, vt euadere poſſit, omni indiget cuſtodia. Quanto plura ſunt, quæ impugnant pudicitiam, tanto maiora ſunt præmia: Quia vbi maior labor, ibi merces erit amplior.] Bellorum ergo ſuſtinentia, & impugnationum repulſione præmia meretur, donec maiori pace potitus, ex perfecta ſuæ carnis victoria in ſequentibus gradibus cumulatiorem mercedem promereatur.

Quartus gradus Caſtitatis: in vigilia tentationibus impudicitiæ carere.

CAPVT VIII.

POST ſæuam maris tempeſtatem ſolent fluctus paulatim miteſcere, & poſt hanc quietiorem eorum turbellam, ſolet perfecta tranquillitas aduentare. Ita in animabus iuſtis, quæ ſe feruidè, & ex toto corde conuertunt ad Deum, poſt vehementiſſimas carnis tentationes, aliæ minores, & remiſſiores inſurgunt: iſtis verò abeuntibus, eas ſequitur quaſi pax quædam carnis, & ſpiritus, & læta quædam ac iucunda tranquillitas. Dixi, animas feruidè & ex corde conuerſas ad Deum hanc in ſe mutationem experiri, quoniam quæ tepidè incipiunt, & tepidè progrediuntur, ſemper tentationibus agitantur, donec feruorem ſolicitudinémque in diuino obſequio concipiant. Præcepit Eliſeus Ioas regi Iſraëlis, vt iaculo percuteret terram, *4.Reg.13. 18.19.* qui cùm eam tribus tantùm vicibus percuſſiſſet, iratus eſt vir Dei, eúmque reprehendit, dicens: Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.] Sic multi, quia ſeipſos non ad ſufficientiam abnegant, nec corpora ſua robuſta neceſſaria afflictione caſtigant, ideo nunquam impudicitiæ vitium vſque ad conſumptionem elidunt. Percutiunt illud tribus vicibus, nempe dum caſtitatem vouent; dum, vt votum impleant, ſe à criminibus abſtinent, dum vehementiores tentationes ſuperant: at quia ante tempus à feruida mortificatione, & corporis caſtigatione ceſſarunt, nunquam concupitæ pacis compotes fiunt. Hæc etiam pax ex feruore, & diligentiſſimâ ad Deum conuerſione procedit; quoniam ſi aliqui naturâ ſunt frigidi, aut ad ſpeciei propaginem minùs apti, ac propterea tentationes non ſentiunt; non ob id ſe perfectam obtinuiſſe caſtitatem exiſtimet. Aliud enim eſt, quod natura confert; aliud, quod gratia Dei, & adepta virtus attribuit, nec debemus ex naturalibus, ſed ex liberis, atque ex his, quæ ab electione proueniunt, aut virtutis ſubſtantiam, aut gradus æſtimare. Indicium autem dono Dei datæ caſtitatis eſt, ſi quis in naturâ de ſe ad vitium procliui, & poſt expertas ante conuerſionem impugnationes carnis, amorem in ſe caſtitatis videat, & huiuſmodi impugnationes ex parte vim ſuam remiſiſſe, aut omnino deſiiſſe cognoſcat. Quis enim potuit naturam à tam vehementi paſſione comprimere, & hoſtes hominem inſequentes fugare, niſi ille, qui ſuâ gratiâ, & immiſsâ virtute imbecillitatem noſtram fulcit, atque ſuſtentat? De quo cecinit poſt victoriam de Holoferne ſancta Iudith: *Iudith. 16.3.* Dominus conterens bella, Dominus nomen eſt illi.] Ille profectò tanquam Dominus corpus noſtrum, mancipium ſuum, à carnalibus deſideriis auocat, & ad pacem cum ſpiritu habendam inclinat. Ipſe vt dux potentiſſimus hoſtes puritatis conterit, & inſultus carnis nos perturbantes auertit.

In hac ergo pace ac tranquillitate quartus caſtitatis gradus conſtitutus eſt, cùm quis ſcilicet eò vſque corpus edomuit, & mentem ad cæleſtia extulit, vel in rebus vtilibus iugiter occupauit, vt vigilans, nullas cogitationes impudicas, nullos ſenſualitatis motus, & breuiter, nihil in ſeipſo, quod impudicitiam ſapiat, aduertat. Quem gradum poſt alios delineaſſe mihi videtur ſanctus Dauid, cùm ita de nauigantibus, & ſub typo eorum de tentatis loquitur. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius.] *Pſal. 106. 25.* Permiſit, inquam, ille iuſtos ſuos tentari, & ad probationem eorum, quaſi faciem ſuæ benignitatis abſcondit. Statim autem aſtitit, atque ſurrexit ſpiritus carnalis concupiſcentiæ aduersùs eos, & excitata eſt difficilis ac ſæua tempeſtas. Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos: anima eorũ in malis tabeſcebat. Ecce inſultus acres; ecce impugnationes vehementes, quæ cælos, id eſt, ſupremam noſtri partem, nimirum mentem, adoriuntur, & ad conſenſum rei illicitæ trahere conantur: & ad abyſſum, id eſt, ad infima carnis, deſcendunt, & eam quaſi concupiſcentiæ ignibus inflammant. Qui hæc patiuntur, turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt. Ita enim conſilium præ impugnationis vehementia fugit ab eis, vt vix ſciant, quid faciant, aut quò ſe vertant, ne ſalutem animæ in diſcrimen

A adducant. At Deus adiutor in tribulationibus,& erga ſuos miſericors inſtillat eorum cordibus,quia præſentiſſimum talis mali remedium feruens oratio eſt. *Pſal.106. 13.* [Clamauerunt igitur ad Dominum cùm tribularentur,& de neceſſitatibus eorum eduxit eos.]Sed quomodo eduxit?Ita quidem aliquando,vt ne veſtigium quidem præteritæ impugnationis remaneret. Denique ſtatuit procellam eius (ſcilicet maris carnis noſtræ, & concupiſcentiarum noſtrarum) in auram,& ſiluerunt fluctus eius. Imber abiit,tentatio non iam ad momentum, ſed quaſi in perpetuum receſſit, ménſque eorum libera ad vacandum Deo, & expedita permanſit. Et lætati ſunt quia ſiluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum. Quis nam eſt portus, in quem poſt tentationes carnis fortiter ſuperatas tendimus? B Nonne tranquillitas animæ eſt, vt nullam impugnationem ſuſtineat,& quies corporis, vt nullum prauum motum ſentiat? Sed hunc portum multi iuſtorum tenent poſt grauiſſimas tentationes carnis, vt Dei tabernaculum, non ſolùm mundum, ſed & pacatum exiſtant. Mirantúrque illi, qui animarum ipſorum curam gerunt,vt mirabantur *Daniel.3. 94.* ſatrapæ regis Babylonis, quòd ita ſint mundi & quieti, ac ſi odor ignis concupiſcentiæ nunquam tranſiſſet per eos.

Anima ad hunc gradum caſtitatis prouecta, iam incipit experiri, quia caro (quod ad impuras delectationes attinet) non concupiſcit aduerſus ſpiritum, nec ſpiritus aduerſus carnem, ſed iſta duo ad C ſequelam puritatis magnâ pace fœderantur. Illámque percipit iucunditatem, de qua in pſalmo dicitur: *Pſal.132. 1.* O quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum!] Nam corpus, & ſpiritus fratres, qui antea ſicut Eſau, & Iacob quaſi in vtero *Geneſ.* luctabantur, pacem inter ſe ineunt, & ille maior ætate (quia ante creationem animæ corpus formatur) minori ſeruit, & ſe ſanctis huius deſideriis accommodat. Hic Spiritus eſt locus Dei, in quo ille *Pſal. 75. 1.* libentiſſimè requieſcit. Notus enim in Iudæa Deus; & in Iſraël magnum nomen eius.] Nam cùm Iudæa confeſſio interpretetur, animæ, quæ confeſſioni incumbit, Deus incipit innoteſcere. In Iſraël autem, qui,videns Deum, ſignificat, magnum eſt nomen eius, quoniam videnti Deum contemplationis oculis, magnus & excelſus apparet. At factus eſt in pace *Caſſian. col. 12.c. 11.* locus eius, & habitatio eius in Sion. Non enim in conflictu certaminis, vt ait Caſſianus, neque in col- D luctatione vitiorum locus Deo factus eſt, ſed in caſtimoniæ pace & in cordis tranquillitate perpetuâ. Húncque pacis locum extinctione carnalium paſſionum ſi quis meruerit obtinere, ex hoc quoque proficiens gradu, ac Sion ſpiritualis, id eſt, ſpecula Dei, conſequenter effectus, erit etiam habitatio eius.] Habitatio, inquam, pacifica, & quæ Ieruſalem illam cœleſtem locum indiruptæ pacis repræſentet. Licèt enim Deus corda omnium iuſtorum inhabitet, tamen in illis præcipuâ ratione commoratur, quibus ex perfectâ mortificatione vitiorum, ac præcipuè huius vitij carnalis, aduenit perfecta *Pſ.75.4.* tranquillitas. Et hoc indicant verba ſequentia: Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & E bellum.] Abſtulit, inquam, bellum, & arma bellica, quibus impugnabatur anima, confregit atque comminuit, vt pacata Dei domus & habitatio fieret. Ac tandem animæ hunc gradum caſtitatis obtinenti competit illa benedictio, quæ in Iſaiâ ſcripta *Iſaia. 43. 2.* eſt: Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non combureris,& flamma non ardebit in te.] Impugnatio enim carnalis mari comparata eſt, quòd bona Spiritus obruit, ſi conſentiatur ei; & igni, qui eadem bona conſumit. Sed ab huiuſmodi impugnatione iam libera lætatur, & meritò, ſe gurgites maris ſine diſcrimine tranſiiſſe, & in refrigerium tranquillæ caſtitatis appulſam ignium vortices ſuperaſſe.

Habet tamen hic gradus imperfectiones aliquas adhuc. Nam & ab initiis quibuſdam tentationum, & à leuiſſimis carnis motibus non eſt liber, licèt iſta rarò proueniant;& illuſionibus nocturnis non caret. In hoc autem gradu, & in duobus ſequentibus, quibus omnis completur perfectio caſtitatis, locus eſt tentationibus carnis, etiam vehementiſſimis à dæmone prouenientibus,quod ſemel dicendum eſt,ne dum geſta ſanctorum legimus, de ſuâ perfectiſſimâ caſtitate dubitemus. Sanctiſſimos enim & caſtiſſimos viros, ac virgines puriſſimas aliquando vehementiſſimas carnis tentationes ſuſtinuiſſe certum eſt. Beata virgo Catharina Senenſis has diaboli impugnationes fuit experta, in cuius vitâ per Raymundum Capuanum Theologum præſtantiſſimum, & ordinis Prædicatorum magiſtrum generalem ſcriptâ, & à Laurentio Surio viro ſempiternâ memoriâ digno ordinis Carthuſienſis in compendium redactâ, hæc habentur. *Surius in Aprili.* Vbi ſatis Chriſtus eam communierat, permiſit dæmonibus attentare, ſi quid poſſent obtinere ab illa. Nec illi deſides ſunt ad nocendum. Et primo quidem à rebus Venereis illi ſuggerendis capiunt initium. Immittunt turpes cogitationes caſtiſſimo pectori, adhibent illuſiones,& phantaſmata dormienti, immo etiam corpora ex aëre ſumpta oculis & auribus vigilantis ingerunt, faciúntque multa,quæ ſine horrore dici non queant. Et cætera. Seraphicus Pater Minorum Franciſcus poſt miram ſanctitatem adeptam, & poſt fundatum ordinem eandem tentationem aliquando ſuſtinuit. De quo iſta Bonauentura. Ad inſufflationem illius, *Bonau in vita eius c.5.* cuius halitus prunas ardere facit,grauis ipſum carnis tentatio apprehendit. Quam vt perſenſit Caſtitatis amator, depoſitâ veſte, chordâ cœpit ſe verberare fortiſſimè: Eia, inquiens,frater aſine, ſic te decet manere,ſic ſubire flagellum. Tunica religioni deſeruit, ſanctitatis ſignaculum præfert, furari eam libidinoſo non licet. Et ſtatim narrat quomodo impugnatione durante, ſanctiſſimus Pater ſe in niuem demerſerit,& ſeptem maſſis ex niue factis,vxorem, filios, ac filias, ſeruum, & ancillam ad tentatoris irriſionem, & carnis victoriam appellauerit.

Illuſtriſſimus quoque Patriarcha Benedictus eidem tentationi diaboli fuit, Deo ad eius probationem,& fidelitatis oſtenſionem,ordinante,ſubiectus. Rei geſtæ ſeriem ſic narrat Gregorius. *Greg. 2. dial. c.2.* Quadam verò die dum ſolus eſſet, tentator affuit. Nam nigra,paruáque auis,quæ vulgò merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit,eiúſque vultui importunè inſiſtere, ita vt manu capi poſſet, ſi hanc vir ſanctus tenere voluiſſet. Sed ſigno crucis edito receſſit auis. Tanta autem carnis tentatio, aui eâdem recedente, ſecuta eſt,quantam vir ſanctus nunquam fuerat expertus. Quandam namque aliquando fœminam viderat, quam malignus ſpiritus ante eius mentis oculos reduxit; tantóque igne ſerui Dei animum in ſpecie illius accendit, vt dum in eius pectore amoris flamma vim caperet, etiam pœnè deſerere eremum voluptate victus deliberaret. Tunc ſubitò ſupernâ gratia reſpectus, ad ſemetipſum reuerſus eſt, atque vrticarum & veprium iuxta denſa ſuccreſcere frutecta conſpiciens,exutus indumento nudum ſe in illis ſpinarum aculeis,& vrticarum incendiis proiecit, ibíque diu volutatus toto ex eis corpore vulneratus

exiit,

exiit, & per cutis vulnera eduxit à corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem. Cúmque bene pœnaliter foris arderet, extinxit, quod intus illicitè ardebat. Hæc ille.]

Paulus deinde puriſſimum vas electionis factum ad portandum nomen Domini coram gentibus, & regibus, & filiis Iſraël, eidem impugnationi ſubiacuit. Datus eſt, inquit, mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet.] Hunc ſtimulum carnis veneream tentationem fuiſſe multi ex Patribus affirmarunt. Quorum vnus Gregorius: Certe iam Paulus, ait, tertij cœli culmen aſcenderat, iam paradiſi ſecreta cognouerat, & tamen adhuc carnis bella tolerans gemebat: [Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.] Nec iſte ſenſus à dignitate Apoſtolica aliquid detrahit; quia ſicut non eſt indignum Apoſtolo ab hominibus affligi; ita non eſt indignum à dæmonibus carnis tentationem pati, quam ille aliis etiam locis inſinuat. Mente, inquit, ſeruio legi Dei; carne autem legi peccati.] Et non quod volo bonum hoc facio, ſed quod odi malum hoc ago.] Et infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?]

2. Corint. 12. 7. *Greg. l. 11. mor. c. 12.* *Rom. 7. 23.* *n. 25.* *n. 20.* *n. 24.*

Notiſſima eſt etiam impugnatio carnis, quam Hieronymus in eremo paſſus eſt, & iucundum erit illum narrantem eam auſcultare. Sic ille ait: O quoties ego ipſe in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe deliciis. Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant ſacco membra deformia, & ſqualida cutis ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo, vix oſſa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepiſſe, luxuria ſit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaueram, ſcorpionum tantùm ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſuum iam carne præmortua, ſola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus ad Ieſu iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam. Non depudeſco infidelitatis meæ, quin potiùs plango me non eſſe quod fuerim. Memini me clamantem, diem crebrò iunxiſſe cum nocte, nec priùs à pectoris ceſſaſſe verberibus, quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas. Ipſam quoque cellulam meam quaſi cogitationum mearum conſciam pertimeſcebam. Et mihimet iratus, & rigidus, ſolus deſerta penetrabam. Sicubi concaua vallium, aſpera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum, & vt ipſe mihi teſtis eſt Dominus, poſt multas lacrymas, poſt cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum, & lætus gaudénſque cantabam: Poſt te in odore vnguentorum tuorum curremus.] Si autem hoc ſuſtinent illi, qui exeſo corpore, ſolis cogitationibus oppugnantur; quid patitur puella, quæ deliciis fruitur? Hæc ille.]

Hieron. epiſt. ad Euſtoch. *Cant. 1. 3.*

Non minùs mirabilis eſt Gregorij Nazianzeni tentatio, quam iam ſenex patiebatur, quámque mira humilitate ſuis ſcriptis inſerere: non extimuit.

A

Eúmque audiemus, vt, quibus armis ſe aduerſus illam armauerit, agnoſcamus. Eius verba ſic habent: Caro pernicioſa, multiplicum vitiorum radix, non improbitati tandem tuæ impudentiæque finem impones, non ſpiritui, ac ſenectuti iam canæ, ſtulta miſeráque te ſubmittes? Idque cùm te ſolam Chriſtus (quo tempore rudem illam, & inconditam materiam verbo ſuo exornabat) ſuiſmet manibus effinxerit, ac poſtremo cum diuinitate coniunxerit, vt chariſſimo figmento, grauiſſimis modis à Belia vexato, ſalutem, vitæque beatæ hæreditatem afferret, mortéque ſua ex morte extraheret? Quocirca verere me tandem, ac libidinem iſtam, petulantiámque compeſce, nec in animæ meæ perniciem perpetuo furore debacchare. Alioqui niſi quamprimum apprehenſa Chriſti fimbria peſtiferum improbitatis tuæ profluuium compreſſeris, immortalis Dei manum, diémque illum, qui omnia hominum dicta factáque in vnum collectus eſt, teſtor, fore vt te acerrimè oppugnem,, omníque dolorum genere frangam, atque cadauere imbecilliorem reddam. Huc vſque ille.]

Nazian. aduerſ. carnem.

B

Hæ igitur tentationes, quæ non iam à vitio in medullis abſcondito, neque à corpore malè domito, ſed à diabolo aduersùs iuſtos oppugnante, promanant, cum hoc gradu caſtitatis, immo cum perfectiſſima ſequentium graduum caſtitate pugnant. Sicut enim poteſt dæmon homini fide perfectiſſimo infidelitatis tentationes obiicere: ita poteſt hominem caſtiſſimum venerea voluptate tentare. Permittit id Dominus ad oſtenſionem fortitudinis iuſtorum ſuorum, & ad cuſtodiam humilitatis eorum. Vnde Richardus Victorinus ſic ait: Primò vox illa Domini intercidentis flammam ignis in incipientibus, & nouiter conuerſis, intercidit quicquid inclinare poſſet conſenſum rationis. In proficientibus autem ſæpe aufert illicitam delectationem mentis. In raris autem, & valde perfectis, remouet etiam titillationem carnis. Multi tamen quamuis ad ſummam perfectionem profecerint, ſtimulum carnis ſuæ extinguere non potuerunt, ſed diuina hoc diſpenſatione in eis actum eſt: quam quidem quid vnicuique vtiliùs accidat, latere non poteſt: & in aliis quidem fiebat ad demonſtrationem ſingularis eorum fortitudinis; quia tales erant, qui ſemper pugnare aſſiduè, & triumphare ſufficerent. In aliis autem ad cuſtodiam humilitatis, quando ſingulare aliquod bonum præ cæteris aliis omnibus acceperant.] Et poſt multa in eundem pſalmum vigeſimum octauum egregiè dicta, ait: Per animalia munda, deſideria bona: & per animalia immunda, deſideria mala notari, Deúmque tam ex illis quàm ex iſtis quædam ſubtrahere, quæ perfectionem impediunt; quædam relinquere, quæ perfectioni proficiunt. Et poſtea ſubiungit: Stimulum carnis ſuæ quis vnquam niſi peruerſus non erubuit, & tamen quàm multis contra ſuperbiam adiuuit, & in humilitate cuſtodiuit? Sic, ſic ſæpe ex bonis quibuſdam à melioribus retrahimur, & ex malis quibuſdam, ad optima compellimur. Vnde eſt quòd mundorum animalia innumera diluuio abſorbentur, & immundorum non pauca poſt diluuium reſeruantur. Rectè enim illi affectus ſiue ſint pudendi, ſiue pudici, ſapientiæ diluuio pereunt, qui perfectionis ſtudium impediunt. Rectè

C D E

Richard. ad Pſal. 28.

ſolùm illi ſiue inter pudicos, ſiue inter impudicos deputentur, poſt diluuium reſeruantur, qui in bonum cooperantur. Hæc ille.]

Hic igitur gradus Caſtitatis, ſicut & quilibet alius, tentationes à diabolo procedentes non excludit, ſed eas abiicit, quas aut vitium luxuriæ non bene domitum procreat, aut carnis petulantia progenerat. Sed certum ſit multos ex viris perfectis ab impugnationibus etiam dæmonis liberari: & tunc ſi in hoc quarto gradu reſideant, nullam in vigilia, aut ferè nullam tentationem ſentiunt, nullam carnis ſuæ titillationem perferunt. Et licèt aliquas occaſiones habeant, non quas ipſi vltrò admittant, (nam iſtæ caſtiſſimis etiam officiunt) ſed quas miniſterium animarum, aut quodlibet aliud munus ſecum affert, in eis tamen non ſolùm illæſi, verùm & quieti, & puri, ac ſi abſque occaſione eſſent, perſeuerant. Dicúntque exultantes: Domine, Domine, virtus ſalutis meæ, obumbraſti ſuper caput meum in die belli.] Dies enim belli tota hæc vita eſt, quæ eſt inſtar militiæ ſuper terram: ſed Dominus in hac die virtus ſuorum eſt, quia eos à tentationibus inſurgentibus protegit: & ſcutum eſt, quia ne tentationes accedant, eis ſe opponit, ſuóſque defendit.

Pſal.139. 8.

Quintus gradus Caſtitatis, in ſomno impuris illuſionibus non fœdari.

CAPVT IX.

SOMNVS eſt mortis imago, in quo homo non eſt ſuæ rationis cõpos, & phantaſiis rerum ſeſe in cogitatione miſcentibus, ac ſine imperio rationis cohibente apparentibus, abſurda ſatis & inepta ſolent nobis repræſentari. Hæc autem ex quatuor capitibus exoriuntur (vt nunc Deum aliquid in ſomnio per ſe, vel per Angelum reuelantem omittamus) aut ex ipſa conſtitutione corporis; nam prælia, & rixas bilioſi; ludos, & feſtiua, ſanguinei; aquas, & quæ ad eas pertinent, phlegmatici; & triſtia melancholici ſomniare ſolent. Aut ex his, ad quæ affecti ſumus: aut ex his, quæ in vigilia loquuti ſumus, aut cogitauimus, aut aliquo ſenſu percepimus; vel tãdem ex arte dæmonis, cui aliquãdo, Deo permittente, ſubiicimur. Affectus noſter ad aliqua ſuſcitat inter quieſcendum inſomnia; ideóque ſæpe ſomniamus, quæ diligimus, quæ deſideramus, aut quæ odio proſequimur; quia aſſidua cogitatio, quæ in vigiliâ nos tenuit, & intenta mentis affectio potens eſt rerum earum ſimilitudines, cùm dormimus, obiicere. Et hinc trahitur ſimilitudo illa Iſaiæ: Sicut ſomniat eſuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius, & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt: ſic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra mõtem Sion.] Eſuries enim, quæ appetitus eſt cibi; & ſitis, quæ appetitus eſt potus; imagines eſculentorum & potuũ excitant, quæ dormiẽtes ſomniant ſe conſumere, cùm tamen nihil comedant, & bibant, ſed ſolam vanitatem apprehendant. Locutio etiam, vel præcedens cogitatio, vel ſenſus alicuius perceptio viſa inſomniorum exſuſcitat, quia ſimilitudines earum rerum, quas recens accepimus, tanquam potentiores ſeſe cogitationi dormientis obiiciunt, vt poſſit circa illas operari. Et hinc quidam cecinit:

Iſa.29.8.

Omnia, quæ ſenſu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

Claud. de raptu Proſerp.

Et Eccleſiaſticus: Vana ſpes, & mendaciũ viro ſen-

Eccl.34.1

A ſato: & ſomnia extollunt imprudentes.] Sapiens, inquam, non fidit vanis ſpebus, quæ nihil ſoliditatis continent. E contrà verò ſtultus ſi aliquid vtile ſomniauerit, extollitur, quaſi à Deo ſomnium eſſet immiſſum, cùm tamen Deus nihil illi reuelauerit, ſed vana eius cogitatio, aut ſermocinatio illud ſomnium parturierit. Ac tandem arte dæmonis ſomnia excitantur, qui potens eſt ſimilitudines in memoriâ cuſtoditas tanquam corporeas diſponere, & eas cogitationi aſpiciendas obiicere. Taléq; fuiſſe ſomnium mulieris Pilati, cùm miſit nuncium ad virum ſuum: Nihil tibi, & iuſto illi; multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum;] nonnulli cum Beda exiſtimant. Dæmonéſque (vt propiùs ad rem accedamus) conſueuiſſe impudicis phantaſiis corda iuſtorum

Matt.27.19. *Beda ibi.*

B turbare, docuit Auguſtinus, ſic ſcribens: Ille nefandus aduerſarius, quod non poteſt ſurripere vigilanti, agit vt extorqueat dormienti. Cùm in ipsâ quiete inquietus inſiſtit, demonſtrat imaginem falſam, & torquet concupiſcentiam veram; vt quem non poteſt vigilantem ſuperare certantem, captiuum teneat quieſcentem: quia cùm ſopitos per ſomnia ſenſus deludit, nonnunquam etiam Sanctorum animæ in turpes labuntur aſſenſus. Quæ ſi imputaret altiſſimus, quis viueret caſtus? Nouerunt ergo iſta, qui pugnant. Nouerunt, qui carni, & ſanguini repugnant. Nouerunt adiutricem, & gubernatricem diuini muneris gratiam. Nouerunt deſuper adiuti, hanc pugnam facilè ſuperare. Nouerunt, gratiâ perducente, ad victoriam peruenire. Nouerũt victores

Auguſt.

C palmã cæleſtẽ deſuper expectare. Hęc Auguſtinus.]

Iam ex his intelligitur in quo conſiſtat quintus gradus Caſtitatis. Illum enim poſſidet, qui nõ ſolùm in vigilia nullas carnis impugnationes patitur, verùm & in ſomno nullis impuris phantaſiis illuditur. Nam iſtas in eo corporis conſtitutio ſanguinea, & hilaris, non excitat, quia corpus abſtinentia, & vigiliis, & aliis aſperitatibus edomuit, & aliquantulum imbecillum reddidit. Nec affectio has illuſiones prouocat, quia affectum ſuum à deliciis huius mundi ſubtraxit, & cœleſtibus donis inſeruit. Nec cogitatio, aut loquutio, aut aliquis ſenſus importat; quoniam cogitationem mundiſſimam, ſermonem caſtiſſimum, & ſenſus circunſpectione protectos habet. Licèt autem dæmonis aſtu poſſint huiuſmodi

D illuſiones prouenire abſque impẽdio Caſtitatis; tamen (concedente Domino) diabolus impeditur, ne poſſit luci tantæ puritatis aliquas tenebras impuræ cogitationis offundere. Qui profectò lectulum virginum, & pudicorum, exhorret, & cùm pater immũdiciæ ſit, & turpitudinis, ſanctimoniam extimeſcit, & ad homines tam perfectæ Caſtitatis veretur accedere. Huius gradus meminit Climacus, dicens: Pudicus eſt ille, qui in ſomnis quidem nullum motum, nullámque ſtatus ſui mutationem ſentit. Pudicus eſt ille, qui & in ſomnis quidem perfectam ſemper inſenſibilitatem in corporum ſpecie & varietate poſſedit. Hæc regula huiuſmodi finis eſt perfectæ conſummatæque caſtitatis; vt ita animata, ſicut inanimata, intueamur, atque ita rationabilibus, vt

Climac. grad.15.

E brutis corporibus afficiamur. Meminit & Laurẽtius Iuſtinianus, qui Caſſiani veſtigiis inhærens, ſic ait. Caſtimoniæ gradus eſt, ne illecebroſis phantaſmatibus fœminarum vel dormiẽs illudatur. Licèt enim hanc ludificationem peccato eſſe obnoxiam non ſit credendum; concupiſcentiæ tamen latitantis medullitus indicium eſt. Quam tamen ludificationem diuerſis modis conſtat accidere. Nam ſecundùm illum vſum, quem vigilans, vel exercere, vel cogitare conſueuerat, etiam dormiens vnuſquiſque tẽtatur.

Iuſt. in ligno vitæ de continent. c. 6.

A Hic eſt continentiæ finis, hæc pudicitiæ conſummatio: hic eſt immarceſcibilis fructus ligni vitæ, & aſcenſus primus victoriæ brauium in carne exiſtens, quem qui poſſidet, futuræ incorruptibilitatis beatitudinem vtcumque prælibauit. Sic iſte doctor.]

Pſal. 3.6. Hic poterit iure dicere cum ſancto Dauide: Ego dormiui, & ſoporatus ſum, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.] Vox eſſe poteſt hominis caſtitatem impensè amantis, itáque dicentis: Ego priùs non dormiebam, quia timidè ſemper quieſcebam, timens ne aliquid inuitus paterer, quod meam puritatem inficeret. At nunc tanto munere donatus ſecurè dormio, & fidenter, dum corpuſculi neceſſitas poſcit, ſopori me trado, lætus & expeditus ad Dei obſequium, etiam ad ſacrificium immaculatum offerendum ſurgo, non ex mea virtute, ſed ex B Dei gratia, quia Chriſtus habitans in me, ſua protectione ſuſcepit me.

Eſt igitur ſomnus viri iuſti in hoc gradu Caſtitatis poſiti, quietus, & purus, & ſanctorum operum, & deſideriorum, quæ in vigilia præceſſerunt, cogitatione formatus. Et ſi Deus aliis eius imagines aperiret, quas ſomnians euolvit, non aliquid obſcœnum, aut impurum, ſed omnia munda, & ſapientiæ plena conſpicerent. Habétque ex parte bonum, quod ante peccatum haberet.

Amb. li. 2. de virgin. Quando, vt inquit Ambroſius, dormire non cupiditas, ſed neceſſitas fuit. Et tamen cùm quieſceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in ſomnis aut lecta repetit, aut ſomno interrupta cõtinuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda pronunciat.] Experitur homo illud, C

Cant. 5.2 quod experiebatur ſponſa: Ego dormio, & cor meum vigilat.] Ita enim corpus dormit, vt habeat ſuæ puritatis cuſtodem. Cor meum vigilat; illa virtus, quam, Deo donante, poſt multos gemitus, & poſtulationes accepi; illa, quæ mihi cordi eſt, & non aliter, quàm proprium cor diligo, vigilat ſuper me, & cingit me propter timores nocturnos. Vel cor meum vigilat, Spiritus Domini, quo ceu corde viuificor, & caleſco, vigilat cùm ego dormio, vt in ſomno immunda non patiar, ſed aliquid ſimile eis, quæ in vigilia ſoleo actitare, perficiam.

Amb. lib. 8. epiſt. 60 ad Anſium. Talis eſt virorum caſtiſſimorum dormitio. Nam, vt inquit Ambroſius, Sanctorum ſomnus eſt operarius, ſecundùm quod ſcriptum eſt: Ego dormio, & cor meum vigilat.] Et ſecundùm quod Iacob ſanctus diuina dormiens videbat myſteria, quæ vigilans non D viderat, de cœlo ad terras aërem peruium Sanctis, reſpicientem Dominum, & pollicentem terræ eius poſſeſſionem. Itaque breui ſomno dormiens impetrauit, quod magno labore poſtea acquiſiuit hæreditas eius. Eſt enim Sanctorum ſomnus, feriatus ab omnibus corporis voluptatibus, ab omni animi perturbatione tranquillitatem menti inuehens, placiditatem animæ, tanquam ſoluta nexu corporis ſe ableuet, & Chriſto adhæreat. Sic ille.] Hinc accipit, vt talis ſomnus ſit pacatus, ex Chriſto ſcilicet pacis auctore, cui ſe in vigilia animus adiunxerat.

3. Reg. 4. 24. [Obtinebat Salomon omnem regionem, & habebat pacem ex omni parte in circuitu.] Sic & Caſtitate perfectus omnes vires tam animæ quàm corporis in ſuam poteſtatem redegit, & ideo ſiue vigilans, E ſiue dormiens pace perfruitur.

Hug. 3. de clauſtro animæ, c. 9. Quatuor, ſecundùm Hugonem, ſolent inquietare ſomnum; hoſtis, & ſeruus, vxor, & vicinus, quæ cùm procul ablegentur, quiſque tranquillè quieſcit. Caſtus autem, quem Dominus tanta puritate ditauit, hæc quatuor à ſe conſtanter reiecit. Expulit diabolum hoſtem, cuius ſuaſionibus importunis aurem non præbet. Contempſit mundum ſeruum, quem vilem & con-

A temptibilem eſſe cognouit. Rexit carnem vxorem, & diſcreta abſtinentia ac parcitate ſubiugauit. Dilexit proximum, ſed ſi ſui propoſiti non ſit, ad multam familiaritatem non admittit. Non ergo mirum eſt ſi pacatus dormiat, & illuſionum monſtra non ſentiat.

Huius gradus Caſtitatis aliquos eſſe participes, illos præcipuè, qui virginitatem coluerunt, certum eſt. Quibus Dominus quaſi in partem præmij puritatis & caſti pudoris hoc concedit, vt in hac parte tranquillitate fruātur, & nec in vigilia, nec in ſomno aliqua tentatione turbentur. Illis verò, ſi acceptum donum volunt non perdere, duo facienda ſunt. Alterum eſt, vt ſibi caueant, & vel minimas etiam ſe fœdandi occaſiones auertant. Nam qui ſibi B ipſi fiderit, & in periculo conſtituerit, poſt longam etiam & magnam Caſtitatem agnoſcet quàm fragilis ſit homo ad reſiſtendum dæmoni, & quàm facile ſit vno iactu aleæ immenſas mundiciæ diuitias perdere. Nemo ſuæ Caſtitatis, & ſanctitatis, aut alterius, rationem habeat, nec bono prætextu iuuandi animas, perſonæ ſuſpectæ cõſortium admittat: quia nouit diabolus maris tranquillitatem in tempeſtatem conuertere, & duo nauigia incircunſpectè iuncta mutua colliſione deſtruere.

Cypr. de ſingular. cleric. Pulchre ſanè Cyprianus dæmonis technas dicens, hanc ſimilitudinem eſt proſequutus. Hanc primò, inquit, exhibet lenitatem, vt duas naues oblectet adinuicem conuenire, quas cùm fecerit iunctas, repentinis turbinibus in ſemetipſas elidere poſſit, & frangere. Et C his vtitur blandimentis, vt ſubtractis omnibus iaculis, compeſcẽs aduerſa, ſuggerens proſpera, tamdiu ſopitum ignem ſine vllis flammis occultet, donec duas faculas iungens, ſimul ambas aſcendat, & tamdiu ceſſat ſæuitiæ ſuæ tela ſupponere, donec ſicut peritus venator quos occiſurus eſt, laquei ſui vinculis alliget. At vbi inſolubili catena deuinctos abſtrinxerit, velut laniſta protinus duos gladiatores aduerſus inuicem compellit armari: & ſubinde ſtimulans membra, ſtatim gladios aptat, ſtatim ſuccẽdit inſaniam, & vulnificos amplexus impingens, vtrumque ſimul vno ictu mortificat. Sic explicat, quod antè præſtare videtur, ſic de ſimplici charitate amorem conflat illicitum, ſic per ſanctitatem ſibi inducit interitum, dum contentus eſt cedere: ſic valet fortiùs occupare, & dum ſummiſſus patitur ſe- D metipſum præbere deuinctum, ſic pleniùs deuincere gloriatur. Cuius verſutias Paulus Apoſtolus ſic

2. Cor. 2. 11. intelligit, dicens: Non enim ignoramus, inquit, aſtutias eius. Hactenus ille.] Hunc ſine dubio Caſtitatis gradum Thomas Aquinas acceperat, quẽ Angeli zona Caſtitatis nunquam diſſoluenda præcinxerant. Et tamen poſt hoc donum Dei, vt habetur in eius vita, vſque adeò vitauit fœminarum colloquia, præterquā vbi vel vtilitas, vel neceſſitas aliud poſceret, vt ſolent homines ſibi à ſerpentibus & ſcorpionibus præcauere. Sciebat enim ille tū ſcientia humana, tum illuminatione diuina ſapiẽtiſſimus, carnem licèt iam domitam, ſemper inimicam eſſe Caſtitatis, & ideo ſecuriùs iudicauit fugere, quàm E de ſeipſo, & de obtenta Caſtitate temerariè præſumere. Cùm ergo corpus hoſtis ſit animæ, cuſtodiamus illud præceptum Eccleſiaſtici: Non credas

Eccl. 12. 10. 11. 12. inimico tuo in æternum; ſicut enim æramentum, æruginat nequitia illius: & ſi humiliatus vadat curuus, adijce animum tuum, & cuſtodi te ab illo: non ſtatuas illum penes te, nec ſedeat ad dexterā tuam, ne fortè conuerſus in locum tuum, inquirat cathedram tuam: & in nouiſſimo agnoſcas verba mea, & in ſermonibus meis ſtimuleris.] Non credas,

inquam,

Digitized by Google

A inquam, ò iuſte, ſuaſionibus corporis tui, quia hoſtis tuus eſt. Ne credas ei in initio conuerſionis tuæ, quando apertè forſitan aduerſus caſtitatem inſurgit. Nec etiam credas ei, quamuis magnam perfectionẽ fueris aſſecutus, & ipſum iam domitum aduersùs mundiciam bella non moueat: quia ſicut ferrum, licèt mundum fuerit, facillimè rubiginem contrahit: ita corpus oblata occaſione nullo negotio ad deſideria impura redit. Etſi longâ mediâ, & aſſiduis vigiliis robur amiſerit, ſemper ſuſpectum habe, & cuſtodi te ab illo. Nam ſi ad dexteram tuam vt amicus ſederit, & te ſibi fidentem viderit, dum minùs putaueris, incautum te ab illa caſtitatis ſublimitate deiiciet.

Alterum tibi obſeruandum eſt, vt hunc gradum caſtitatis eximium Dei donum agnoſcas, ſicut re vera eſt, & eius perſeuerentiam aſſiduis à Domino B precibus & deſideriis efflagites. Caſſianus certè hoc eſſe præſentiſſimum, ac vnicum huius tantæ puritatis remedium cuſtodiendæ, manifeſtè proclamauit. Poſtquam enim docuit quàm ardentibus deſideriis eſt puritas hæc appetenda, & quantâ cautela eſt ſomnus ſuis temporibus admittendus, hæc ait: Ita vnuſquiſque quotidie integritatis ſuæ matutinus explorator effectus, & collatâ ſibi purificatione congaudeat, eámque ſe non ſuo ſtudio, nec vigilantia, ſed protectione Domini ſentiat conſequutum; ac tamdiu illius perſeuerantiam ſuo corpori intelligat cohæſuram, quamdiu eam Dominus ſuâ fuerit miſeratione largitus. Qui enim hanc ſtabiliter obtinet fidem, nequaquam ſuperbum ſapiens de ſua virtute confidet, neque ſeductus longis obſcœni liquoris induciis blandiſſima C ſecuritate ſoluetur; ſciens impuriſſimæ colluuionis aſpergine ſe protinus maculãdum, ſi vel paululum quid ab eo protectio diuina diſceſſerit, ac proinde pro perpetuitate eius cum omni contritione & humilitate cordis, indefeſſis eſt orationibus incubandum. Sic ille.] Illam ergo orationem Prophetæ amator caſtitatis iugiter effundat: Cuſtodi me, Domine, vt pupillam oculi: ſub vmbrâ alarum tuarum protege me.] Aliter nos manum, aut pedem, aliter pupillam oculi cuſtodimus. Illa ab ictu alicuius momenti defendimus, ſi verò leuiter impingant, vel manus eis quæ tractat, aut calceus terræ adhæreat, non curamus. At pupillam oculi nec minimo puluiſculo obſcurari permittimus, quia ille videndi aciem impedire ſufficiet. D Quid eſt ergò nos pupilli oculi cuſtodiam poſcere, niſi vt à minima etiam infectione, quæ in ſomnis accidere ſolet, liberemur, optare? Sub vmbra alarum ſoli pulli auium proteguntur, qui cùm ſint ſuis parentibus ſimiles, poſtea nouerunt volare, & à terra periculorum plena diſcedere. Volumus ergo alis Domini protegi, & ſub eius pennis commorari, quaſi cupientes pro dilectiſſimis filiis haberi, & conuerſatione noſtra ipſis Angelis, qui molem carnis non habent, ſimiles effici. Petimus quidem vt [conuerſatio noſtra,] iuxta dictum Apoſtoli, in cælis ſit.] Vt quemadmodum in cœlo nihil erit, quod carnem noſtram maculet: ita & in terra, etiam cùm quieſcimus, nihil accidat, quod carnis mundiciam à nobis elonget. Poſtulamus, vt ſimiles E Angelis efficiamur; & ſiue in vigilia, ſiue in ſomno, eorum contra impuritatis vitium tutamine ac protectione lætemur. Deniq; petimus, vt illud pſalmi in nobis impleatur: Et nox illuminatio mea in deliciis meis.] Mea, inquam, nox, vt dixit Laurentius, (licèt in alio ſenſu) nihil obſcuritatis habet; ſed omnia in luce clareſcũt. Quia tenebræ, ô Domine, nõ

[Caſſian. col. 12. c. 4]

[Pſ. 16. 8.]

[Philip. 3. 20.]

[Pſal. 138. 12.]

A obſcurabuntur à te, nec aliquid in me facient, quod tuis oculis ſit inuiſum; ſed nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Id autem habeo non ex virtute mea, ſed ex munere tuo, Deus meus, quoniam tu ſcilicet ſuſcepiſti renes meos ab impura colluuione mundandos, ſuſcepiſti me de vtero matris meæ.

At dices nos hũc caſtitatis gradum explicaſſe ſicut Tullius perfectum orarotem, aut Plato perfectiſſimam rempublicam, cuius ſimilis nulla vnquam fuit, aptè deſcripſit. Sed quid de hoc ſentiamus, in ſequenti gradu dicemus.

Sextus gradus Caſtitatis: In carne quaſi ſine carne viuere.

B

CAPVT X.

POSTREMVM hunc caſtitatis gradum difficile eſt à præcedenti ſecernere; nihil enim in hac vita optare poteſt humana mortalitas, quàm vt nec in vigilia, neque in ſomno aliquid mundiciæ aduerſum patiatur. At aliquid aliud reſtat nobis deſiderandum in virtute caſtitatis, quod ad gradum eius perfectiſſimum ſpectare videtur. Illud autem eſt, vt nos, qui homines ſumus, Angelicam puritatem imitemur, & in carne corruptibili quoddam incorruptionis genus induamus. Cogitantibus autem nobis quomodo Angelicam puritatem exponeremus, illud occurrit dicendum, eam eſſe fortiſſimam, ab omni impugnatione alieniſſimam, & ab ipſa angelica naturâ tribu- C tam. Eſt fortiſſima, quoniam etiam ſi impugnaretur, nulli omnino tẽtationi cederet. Eſt ab omni impugnatione alieniſſima; quoniam cùm angelus carnẽ nõ habeat, carnis inſultus ſentire nõ poteſt. Eſt à natura tributa; quia angeli cùm ſuapte natura ſint ſpiritus, naturaliter habent, vt in carnis peccata non incurrant. Adeo vt mali angeli, qui in ea incidunt, ſecundùm reatum, numquam tamen peccata carnalia committant ſecundùm actum. Solet igitur Dominus aliquos viros ſanctiſſimos, (quales ſine dubio fuerunt, vt nunc Beatam virginem omittam, duo Ioannes, Baptiſta & Euangeliſta, & alij nonnulli) tanta gratia præuenire, & replere, vt quod angeli per naturam habent, ipſi per gratiam accipiant, vt ſcilicet ſumma ſuauitate, ac ſi id à natura procede- D ret, in omnem honeſtatem, ac puritatem protendant; & carnis fœditatem non aliter quàm mortem naturæ contrariam exhorreant, aut quaſi aliquid amariſſimum pertimeſcant. Qui in occaſionibus, quas ipſi nõ quæſierunt, ſed res huius mũdi pepererunt, vt rupes in medio mari poſitæ, quæ fluctus irrident, inueniantur immobiles. Qui iam nullo modo impugnentur, quoniam concupiſcentia dono gratiæ præuenta non turbat, & dæmon timore perculſus impugnare non audet. Qui corpora humana ita aſpiciunt, vt arbores, aut ligna viridia. Qui cùm opus eſt, tanta libertate ac puritate functionem humanæ generationis cogitant, ac ſi domus fabricam cogitarent. Qui ita aliorum fœditates & caſus audiunt, ac ſi non audirent, neque haberent car- E nem, illius, quem audiunt, carni conformem. Iſti reuera ſunt viri diuini, qui perfectiſſimam caſtitatem adepti, naturam humanam videntur exceſſiſſe, & ad angelicam euolaſſe. Nam vt Caſſianus ait: Quodammodo exire de carne eſt, in corpore commorantem; & vltra naturam eſt, fragili carne circundatum, carnis aculeos non ſentire.

[Caſſ. lib. 6. c. 6.]

Caſſian. col.12.c.7. Hanc fuiſſe caſtitatem Abbatis Sereni idem Caſſianus, caſtitatis gradus enumerans, euidenter affirmat. Qui & alio loco huius ſancti viri caſtitatem deſcribens & modum, quo ad eam peruenerit, aperiens, ſic ait: *Caſſian. col.7.c.1. & 2.* Huic ſupra omnes virtutes, quæ non ſolùm in eius actibus, vel moribus, ſed etiam in ipſo vultu per Dei gratiam refulgebant, ita eſt peculiari beneficio donum caſtitatis infuſum, vt iam ſe ne ipſis quidem naturalibus incetiuis inquietari, vel in ſopore ſentiret. Ad quam tamen præcipuam puritatem quemadmodum gratiâ Dei adminiculante peruenerit, quoniam ſupra humanæ videtur conditionem naturæ, neceſſarium reor primitus explicare. Hic igitur pro cordis atque animæ caſtitate, nocturnis diurniſque precibus, ieiuniis quoque ac vigiliis infatigabiliter inſiſtens, cùm vidiſſet orationum ſuarum obtinuiſſe ſe vota, cunctóſque æſtus in corde ſuo concupiſcentiæ carnalis extinctos, velut ſuauiſſimo guſtu puritatis accenſus, in maiorem ſitim zelo caſtitatis exarſit, & interioribus cœpit ieiuniis atque obſecrationibus incubare, vt mortificatio paſſionis huius ad exteriorem etiam puritatem eatenus perueniret, vt ne ipſo quidem ſimplici ac naturali motu, qui etiam in paruulis atque lactantibus excitatur, vlteriùs pulſaretur, indepti ſcilicet muneris experimento, quod ſe nouerat non laborum merito, ſed Dei gratiâ conſecutum; ardentiùs animatus ad hoc quoque ſimiliter obtinendum, credens multò faciliùs hos ſtimulos carnis radicitus Deum poſſe conuellere, quos etiam humanæ artis induſtria nonnumquam ſolet quibuſdam poculis, vel medicamentis, ſeu ferri ſectione detrahere, quandoquidem illam ſpiritus puritatem, quæ ſublimior eſt, quámque impoſſibile eſt humano labore, vel ſtudio comprehendi, ſuo munere contuliſſet. Cúmque petitioni cœptæ ſupplicatione iugi, ac lacrymis indefeſſis inſiſteret, adueniens ad eum Angelus in viſione nocturnâ, eiúſque velut aperiens ventrem, quandam ignitam carnis ſtrumam de eius viſceribus auellens, atque proiiciens, ſuíſque omnia, vt fuerant, locis inteſtina reſtituens: Ecce, inquit, incentiua tuæ carnis abſciſſa ſunt, & obtinuiſſe te noueris hodiernâ die perpetuam corporis puritatem, quam fideliter popoſciſti. Hactenus ille.]

Climac. grad.15. Eundem etiam gradum ita Ioannes Climacus attigit. Quidam, aiebat, cùm pulchritudinem, atque venuſtatem intueretur corporum, ex ea admonitus, magnificè glorificabat opificem, atque ex ſolo huiuſmodi ſpectaculo in amorem Dei, fontemque lacrymarum, excitatus eſt. Erátque ſtupor ingens, videre, quod alteri fouea ruinæ fuiſſet, id alteri coronarum cauſſam præter naturam fieri. Huiuſmodi verò ſi ſemper hoc ſenſu, atque actione perdurat, ante communem reſurrectionem iam in incorruptionem tranſiit. Eâdem regulâ & in melodiis, & canticis vtemur. Nam ij quidem, qui Deum diligunt, in hilaritatem, diuinamque dilectionem, atque in lacrymas, & ex mundanis, & ex ſpiritualibus canticis excitari ſolent: contrà autem, qui voluptatibus addicti ſunt, vndique ſibi perditionis materiam colligunt. Atque hunc tandem gradum ex diuinâ gratiâ, & non ex naturâ procedere, idem reſtatur in hunc modum: *Climac. ibid.* Alius, qui eſt ex certaminibus; alius verò qui eſt ex humilitate profundâ; alius item, qui ex diuina reuelatione tyrannum vinctum tenet, atq; captiuum, atq; ex his alius quidem Luciferò, alius magnæ fulgentique lunæ; alius verò ſplendidiſſimo ſoli cōparatur. Omnium tamen conuerſatio in cœlis eſt. Ex auroræ quippe candore, lux prodiit; ex luce verò ſolis iubar accenditur. Ita & in his, quos modò memorauimus, intelligendum eſt. Sic ille.]

De Iacob igitur dictum eſt, quòd Angelus tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit.] *Geneſ.32.25.* Quia ſi Deus femur noſtrum ſuâ gratia non tangat, numquam valebimus, de carne victoriam reportare. Hęc itaque, quam deſcripſimus, eſt ſumma perfectio caſtitatis, ex cuius ſublimitate colligitur quantum inter hominē diſtet, & hominem: quātúmque vnus, diuinâ gratia iuuāte, poſſit alterum ſuperare. Quod enim hic impoſſibile iudicauit, qui virtutem ex qualitate aut ſocordia ſua metiri, & æſtimare auſus eſt; alter non ſolùm poſſibile eſſe perſpicit, ſed & ſe re vera illud poſſidere, Dei beneficio, cognoſcit. Facítque Dominus illud mirabile, quod Oſea propheta ante promiſit: Arcum, & gladium, & bellum conteram de terra: & dormire eos faciam fiducialiter.] *Oſ.2.18* Nam neque cominus poſita, neque eminus diſſita, quæ arcu & gladio ſignantur, bellum aduerſus animi puritatem, & corporis munditiam exſuſcitant. Et cùm mens ad ſpiritalem ſomnium, & ad diuina contemplanda ſe colligit, nihil inuenit, quod ſuam requiem interpellet. In illo gradu iam caſtitas non vt aduena, ſed vt ciuis eſt, quam nemo domo pellit, ſi aliquantula diligentia in eius cuſtodia adhibeatur, cui nemo hoſpitium denegat: ſed virtutes reliquæ eam vt ſororem, & in eadem mente iuſti domicilij ius habentem cingunt atque tuentur. Eſt vt elementum in loco ſuo, quod nulla vi in eo manet, ſed naturaliter in illo quieſcit: ita caſtitas in corde, tanto munere donato, nō quidem naturaliter, quia omnis caſtitas, & pręcipuè tam perfecta caſtitas, eximium Dei donum eſt, ſed ſuauiſſimè permanet. Eſt vt manna in arca teſtamenti ex lignis imputribilibus fabrefacta, cui nulli vermes, id eſt, nullæ immundæ cogitationes, & nulla impura deſideria damnum inferunt. Eſt tādem non vt lilium inter ſpinas tentationum, ſed inter flores, & roſas ſanctorum deſideriorum, quæ eam non pungunt, vt abſcedat, ſed comitantur, vt maneat.

Iſta ergo ſunt opera Dei mirabilia, de quibus ſcriptum eſt: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus.] *Pſ.71.18.* Ad tam admirabilem enim hominis mutationem, qua non ſolùm culpis carnis, etiam leuibus, ſed impugnationibus quoque careat, nulla humana accedit induſtria. Benedictum nomē maieſtatis eius in æternum: & replebitur maieſtate eius omnis terra.] *n.19.* Quia nimirum terra cordis humani, quæ ex parte donis eius replebatur, quatenus fugiebat conſenſum; iam ipſius maieſtate repletur, vt penitus declinet & ſenſum. Hæc eſt illa mutatio ab Amos Propheta prædicta, qua Dominus conuertit in mane tenebras. *Amos 5.8.* Nam caliginem illam immundorum deſideriorum præ fœditate, & horrore ſuo, lucem fugientium eliminat, vt quietum & purum mane perfectæ caſtitatis aſſurgat. Quod ſanè auroræ meritò cōparatur; quoniam ſicut hæc in meridianā lucem tendit: ita & hæc puritas, ſi perſeueret, vſq; ad illam integram & omnimodā puritatem, quā in cœlo ſancti habent, ſine dubio procedet. Ac deniq; vir caſtus, qui ad hāc puritatē acceſſit, ſine vlla vi, immo cum incredibili ſuauitate, implet illud, quod Baſilius à virgine poſtulauit. *Baſil. lib. de virgin.* Nulla, inquit, ex parte mœchari conuenit virginem, non lingua, non aure, non oculo, non tactu, non vllo denique ſenſu, multóque minus animo: ſed corpus quidem veluti delubrum quoddam, aut ſponſi thalamum aptiſſimè

A inſtruere, atq; ſeruare; Animam verò in hoc ipſo vt
ſponſam nitidam ac puriſſimam ſponſi amplexibus
iungere: diligenter enim ipſe omnia rimatur & di-
ſcutit; non ea ſolùm quæ mortalibus patent obtu-
tibus, ſed quæ in intimis animæ receſsibus latent;
ipſiúſq; oculos nulla peccatricis conſcientiæ latebra
vmquam effugere poterit.] Hæ ſimilitudines ſpõſæ,
& thalami, & templi Dei, ſi bene conſiderẽtur, ſatis
indicant, quanta ſolicitudine vir caſtus debeat ſuam
mentem, corpúſq; ſeruare, & ad quantam vtriuſque
mundiciam poſſit per Dei gratiam peruenire. Cui ta-
Caſſian. col. 1. c. 11 men mundiciæ (vt Caſſianus vberiùs tractat) non
obſtat accidens in ſomnis carnis commotio ex natu-
rali cauſſa proueniens, quando ſine prurito, & ſine
memoria libidinis, membra ſedantur, & ſecundùm
priorem ſtatum ſe componunt.

B Sed iam ad illud, quod ſuprà promiſimus, redea-
mus, inueſtigemúſq; an hæc caſtitas poſt lapſum pri-
mi parentis ſit homini mortali poſſibilis, an verò eã
oculis iuſtorum deſiderandam proponere, ſit, errorẽ
Stoicorum, & aliquorum antiquorũ monachorum
inuehere, exiſtimantium, poſſe hominem (quod ad
affectus attinet) impaſsibilem eſſe, & omnis affectu,
ac ſenſus aut appetitus ſui contradictione carere.
Hoc enim erroneum eſſe manifeſtũ eſt. eſſet enim,
vt dixit Hieronymus, hominẽ ex homine tollere, &
in corpore conſtitutum velle ſine corpore exiſtere.
Et quidem affectus hi, cùm ſint naturales, quibusbe-
ne & malè vti poſſumus, nõ poteſt ad virtutis per-
C fectionẽ ſpectare eorum expulſio, ſed ipſorũ tantùm
moderatio. Nec contendũ eſt, vt homo, vel Deus, vel
lapis ſit, cùm nec poſſit ad illam ſublimitatẽ omnis
mutationis expertem aſſurgere, nec naturã ſuam pro
lapidea cõmutare. Chriſtus Dominus cùm verã na-
Sup. li. 2. in proœm. turam humanã aſſumpſerit, eius, (vt ſuprà diximus)
affectus non repulit, vt affectus iſtos non eſſe virtuti
contrarios oſtenderet. Et Paulus virtutis exẽplar his
paſſionibus animi abſq; dubio ſubiacuit; de quo hęc
elogia, & hos affectus proprios hominis cõmemorat
Aug. lib. 14. de ciuit. c. 9. Auguſtinus. Illum; inquit, optimũ, & fortiſſimũ virũ
qui in ſuis infirmitatibus gloriatur, vt eum potiſſimũ
D cõmemoremus, qui in Eccleſiam Chriſti, ex gẽtibus
venimus, doctorem gentium in fide & veritate, qui
& plus omnibus ſuis coapoſtolis laborauit, & pluri-
bus epiſtolis populos Dei, non eos tantùm, qui præ-
ſentes ab illo videbantur, verùm etiam illos, qui fu-
turi præuidebantur, inſtruxit: illum, inquam,
virum, Beatum Paulum, athletam Chriſti, doctum
ab illo, vnctum de illo, crucifixum cum illo,
glorioſum in illo, in theatro huius mundi, cui
ſpectaculum factus eſt, & Angelis, & hominibus,
legitimè magno agone certantẽ, & palmam ſupernæ
vocationis in anteriora ſectantẽ, oculis fidei libẽtiſ-
ſimè ſpectant, gaudere cum gaudentibus, flere cum
flentibus, foris habentem pugnas, intus timores, cu-
E pientem diſſolui, & eſſe cum Chriſto: deſiderantem
videre Romanos, vt aliquem fructũ habeat in illis,
ſicut & in cæteris gentibus: æmulantem Corinthios,
& ipſa æmulatione metuentem ne ſeducantur eorũ
mentes à caſtitate, quæ in Chriſto eſt: magnã triſti-
tiam, & continuũ dolorem cordis de Iſraelitis habẽ-
tem, quòd ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volẽtes
conſtituere, iuſtitiæ Dei non eſſent ſubiecti: nec ſolũ
dolorem, verumetiam luctum ſuum denuncian-
tem de quibuſdam, qui antè peccauerũt, & non
egerunt pœnitentiam ſuper immundicia & forni-
cationibus ſuis.]

Vt autem intelligamus, vſum horum affectuum,
non eſſe permiſſionem, ſed naturę integritatem, qua
ad bonum iuuamur, ſcripturæ ſacræ ad rectum affe-
ctuum vſum nos mouent. Vnde ipſe ſanctus Pater *Aug. 5.*
Auguſtinus paulo ſuperiùs, hæc ait: Apud nos autem
iuxta ſcripturas ſacras ſanamque doctrinam, ciues
ſanctæ ciuitatis Dei in huius vitæ peregrinatione ſe-
cundùm Deum viuentes, metuunt cupiuntq; dolẽt
gaudẽtque. Et quia rectus eſt amor eorum, iſtas om-
nes affectiones rectas habent. Metuunt pœnã æter-
nam, cupiunt vitam æternam. Dolent in re, quia ipſi
in ſemet ipſis adhuc ingemiſcunt adoptionem, ex-
pectantes redemptionem corporis ſui. Gaudent in
ſpe, quia fiet ſermo, qui ſcriptus eſt. Abſorpta eſt *1 Cor. 15. 54.*
mors in victoriam.] Item, metuunt peccare, cupiunt
perſeuerare: dolent in peccatis, gaudent in operi- *Matt. 24 12.*
bus bonis. Vt enim metuãt peccare, audiunt: Quo-
niam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas mul-
torum.] Vt cupiant perſeuerare, audiunt quod ſcri-
ptum eſt: Qui perſeuerauerit vſq; in finẽ, hic ſaluus *n. 13.*
erit.] Vt doleant in peccatis, audiunt: Si dixerimus, *1. Ioan. 1. 8.*
quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus,
& veritas in nobis non eſt.] Vt gaudeant in operibus
bonis, audiunt: Hilarem datorẽ diligit Deus.] Item, *2. Cor. 9. 7.*
Sicuti ſe infirmitas eorũ firmitáſq; habuerit, metuũt
tentari; cupiunt tentari: dolent in tẽtationibus, gau-
dẽt in tẽtationibus. Vt enim metuãt tentari, audiũt:
Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos, *Gal. 6. 1.*
qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu mã-
ſuetudinis, intendens te ipſum, ne & tu tenteris.] Vt
autem cupiant tẽtari, audiunt quendam virum for-
tem ciuitatis Dei dicentẽ: Proba me, Domine, & tẽ- *Pſ. 25. 2*
ta me. Vre renes meos, & cor meum.] Vt doleant in
tẽtationibus, vident Petrũ flentem. Vt gaudeant in *Iac. 1. 2.*
tentationibus, audiunt Iacobũ dicentẽ: Omne gau-
dium exiſtimate, fratres mei, cùm in tentationes va-
rias incideritis.] Hæc ille.] Si autem ſecundùm alios
affectus minùs vehementes nõ ſumus impaſſibiles,
multo minùs valebimus appetitum carnis vehemen-
tiorẽ extinguere, ita vt nec minimum eius ſtimulum
ſentiamus. Ac tandẽ illud magis vrget, quòd Hiero- *Hiero.*
nymus hanc doctrinam noſtram de perfectione ca-
ſtitatis, non iam inuolutè cum expulſione aliorũ af-
fectuum, ſed apertè damnat, & inter errores Orige-
nis numerat; ſic dicẽs: Doctrina tua Origenis ramu-
ſculus eſt. In eo enim pſalmo, vbi ſcriptũ eſt: (vt de *Pſa. 15. 7*
cæteris taceam.) Inſuper, & vſq; ad noctem erudie-
runt me renes mei;] aſſerit, virum ſanctum, cùm ad
virtutum venerit ſummitatem, ne in nocte quidem
ea pati, quæ hominum ſunt, nec cogitatione vitio-
rum aliqua titillari.

Abſit tamen à nobis vt aliquid affirmemus,
quod Catholica Eccleſia, & ſancti Doctores filij
eius, aut nunc improbent, aut aliquando impro-
bauerint. Nos igitur affectus humanos non pu-
tamus poſſe extingui, quos naturæ auctor, vt ad
naturæ integritatem, & bonum ſtatum neceſſa-
rios, inſeruit; ſed ſcimus eos poſſe comprimi, &
ad virtutis moderationem adduci. Neque affe-
ctus iſtos contrarios perfectioni ducimus, ſi de-
bitam menſuram admittant, immo eſſe vtiliſſi-
mos ad perfectionem obtinendam.

Nam (ſi Deus dederit) in tertio huius operis
volumine, vbi de ſtudio orationis dicemus, affe-
ctus, ac paſſiones noſtras, amoris & odij, & cæ-
terarum, præcipua eſſe inſtrumenta communica-
tionis cum Deo, non obſcurè monſtrabimus.
Non exiſtimamus, in viris perfectis, concupiſcen-
tiæ fomitem tolli, ſed minui, & cohiberi. Nec paſ-
ſionem carnis extingui prorſus, ſed ligari. Hęc autem
imminutio, aut compreſſio non fit naturæ viribus,
ſed potentiſſimâ gratiæ virtute, quam Deus aliqui-
bus eximiè ſanctis voluit vſque ad incredibilem

pacem tribuere. aliis verò etiam eximiè ſanctis, vt A bellando ad præmium peruenirent, voluit denegare. Quis autem eſt effectus huius abundantiſſimæ gratiæ caſtitatis? An vt fomitem radicitus extirpet? Non, ſed vt quaſi dormientem efficiat. An vt appetitum carnis extinguat? Non, ſed vt tacere faciat, & non ad delicias ſuſpirare. An vt à corpore vim ſatiuam auferat? Non, ſed vt ſeipſum effundere, & communicare non libeat. Et ſicut leo, cui ad dormiendum cibus aliquis datus eſſet, leo quidem eſt dum dormit, & naturalem feritatem leonis habet, ſed ſomno oppreſſus, nemini nocet, & ad nocendum & dilacerandum hominem non exurgit: ſic appetitus carnis in quibuſdam iuſtis, ita ex abundantiâ gratiæ, & ex magnitudine lucis diuinæ obdormiſcit, vt nec ad carnalia ſibi voto caſtitatis vetita tendat, nec carnalia concupiſcat, nec ea quidem oculo imaginationis aſpiciat. B Et hæc dormitio, ſeu (vt meliùs loquar) hæc pax carnalis appetitus, eſt poſtremus caſtitatis gradus, à Caſſiano & Laurentio Iuſtiniano, & aliis, expoſitus, qui affectum quidem & concupiſcentiam non aufert, ſed ſopore quodam ſuauiſſimo quaſi vinctam & religatam tenet. Non facit hominem, cui hoc donum datum eſt, impaſſibilem, ſed vt ſecundùm laſciua deſideria non mouetur. In quo manifeſtè magnum apparet diſcrimen. Sicut enim licèt ego nunc poſſim loqui, non tamen loquor, ſed taceo: ita caſtitate perfectus, bene poteſt prauâ concupiſcentiâ tentari, & impuris cogitationibus inquietari; at ex dono Dei nec tentatur, nec malà cogitatione contingitur. Id autem Hieronymus non damnat, ſed ſententiam illorum, qui putabant, pacem iſtam, ex C ablatione affectuum, & extinctione fomitis, non verò manente fomite, & ſtantibus affectibus, ex diuinæ gratiæ abundantiâ procedere.

Si autem aueas ſcire, an hæc gratia multis detur, vt neque in vigilia, neque in ſomno impura cogitatione, aut illicito motu pulſentur? Exiſtimo, id pauciſſimis poſt multos gemitus, inſtantes orationes, & poſt multa bella luctúſque concedi. Habuit hanc caſtitatem Beata Virgo, licèt altiori modo, in qua peccati fomes penitus fuit extinctus. Habuit, vt diximus, Ioannes Baptiſta, non per extinctionem fomitis ſed modo prædicto. Habuit Ioannes Euangeliſta. Habuit Thomas Aquinas, & habuerunt alij vtriuſque ſexus mirè ſancti, D quibus Deus voluit tantam gratiam donare. Et forταſſis habent nunc aliqui, aut in tota hac perfectione, quam expoſuimus, aut in aliqua paulo minori, prout ſecũdùm menſurã diuinæ gratiæ, & ſecundũ conatũ propriæ induſtriæ, qua gratiæ cooperantur, cuiq; illorũ cõceſſum eſt. Non enim nũc abbreuiata eſt manus Domini, vt ſaluare nõ poſſit. Et ego quidẽ aliqua poſſem ſcribere de viris & fœminis ſpiritualibus huius tẽporis, quorum conſcientias adiuui, in perfectione caſtitatis tam hominibus communibus inſolita, vt pro miraculo haberentur, aut ferè impoſſibilia cenſerentur. Parco autem ne his temporibus tam delicatis quicquam dicatur, in quo lectores magis ſecundùm litteraturam huius ſæculi docti, quàm experientia ſpiritus eruditi, hærere E poſſint. Certum igitur ſit, quòd ſi vires hominis aut ſolas, aut communi tantum gratia fultas inſpiciamus, illud Cypriani in omnibus reperiemus. *Cypria. de circũciſione.* Intra nos pudor iſte aboleri omnino non poteſt, quia non totum hoc membrum, ſed anterior eius portio iuſſa eſt circumcidi. Res ſanè maxima eſt, ſi non egrediatur foras huius contagio corruptelæ,

A & inſaniens beſtia corrupti anhelitus catenis ferreis in vltimis animæ receſſibus alligetur, intuſque fractis dentibus ſe ipſam captiuam maſticet, & corrodat.] Hæc, inquam, communia ſunt; at non deeſt in promptuariis Dei gratia ſingularis, qua dilectiſſimos ſuos pace vndiquaque veſtiat, & puritatis tranquillitate coronet.

At etiam cupies agnoſcere, an in mediis turbis hominum poſſit tam perfecta & tranquilla caſtitas obtineri? Caſſianus enim an id aliquando contingat, videtur dubitare, & ſolitudinem tantùm incolentibus intendit hoc genus caſtitatis tribuere. *Caſſia. li. 6 c. 4.* Eius verba ſunt: Quem ſtatum dicimus difficillimè poſſe inter hominum turbas apprehẽdi: vtrùm verò, & hoc poſſibile ſit, vnuſquiſque non noſtra ſententia expectet agnoſcere, ſed conſcientiæ ſuæ rimetur examine.] Sed ex dictis ſatis conſtat hu- B ius ſolutio quæſtionis. Nam nec duo Ioannes ſanctiſſimi, nec Paulus, nec reliqui Apoſtoli, nec Franciſcus, nec Dominicus, nec Thomas Aquinas, nec multi alij ſancti, quos hanc caſtitatem habuiſſe credimus, ſolitudinem incoluerunt, ſed inter hominum turbas habitarunt. Gratia quoque Domini huius caſtitatis origo non eſt anguſtis circumſcripta limitibus, vt in ſolitudine hanc caſtitatem iſtis dare poſſit, & in ciuitate dare non poſſit. At etiam ſpiritualibus viris pro amore Domini cum hominibus conuerſantibus, & fœminarum ſalutem ſpiritualem curantibus, magis neceſſaria eſt hæc caſtitas, quàm ſolitariis longè ab occaſionibus vitam agentibus. Nec putandum eſt, Dominum Eccleſiæ gubernatorem optimum tranquillæ caſtitatis donum illis minùs indigentibus tribuiſſe, C & iſtis magis egentibus denegaſſe. Metiantur igitur hi conuerſationem cum hominibus, eámque ſolùm admittant, quam iuſta neceſſitas, & prudens charitas, & proprium inſtitutum, ac vocatio, poſtulauerit, corpus ſuum doment, ſenſus comprimant, puritati ſuæ mentis intendant, & aſsiduis precibus pro obtinenda puriſſima caſtitate diuinam miſericordiam pulſent, & ſolitariis non inuideant. Poſſunt enim ipſi, quemadmodum & illi, corporis, & mentis puritatem, quam deſcripſimus, poſſidere. Non debuit profectò Deus vitam Apoſtolicam, & animarum ſaluti vacantium, Apoſtolicorum virorum puritate priuare. Et pronum eſt illi, eos, qui ob proximorum amorem ipſorum conſortia non fugiunt, carnis ſuæ tur- D bellis eximere, vt maiori cum ſpiritus libertate tenebras peccatorum diſpellant, & inter fideles auxilio indigentes luceant. Sunt hi ex iis, qui dicebant: In carne ambulantes, non ſecundùm carnem militamus.] *2. Cor. 10 3.* Et ita in corpore viuunt, vt tamen non ſolùm corpori non ſeruiant, verùm & vt nec eius minimas cogitationes pati ſuſtineãt. Atq; (vt iam huic poſtremo caſtitatis gradui finem imponã) eum poſſediſſe videtur Equitius Abbas, de quo Gregorius hæc ſcribit. *Greg. 1. dial. c. 4.* Qui, nimirũ Equitius, pro ſuæ magnitudine ſanctitatis multorũ in eadem prouincia monaſteriorum pater extitit. Hunc cùm iuuentutis ſuæ tẽpore ſeri certamine carnis incentiua fatigarent, ipſæ ſuæ tentationis anguſtiæ cũ ad orationis ſtudium ſolertiorẽ fecerunt. Cúmq; hac in re ab omnipotenti E Deo remedium continuis precibus quæreret; nocte quadam, aſsiſtente Angelo, eunuchizari ſe vidit, eiuſque viſione apparuit, quod omnem motum ex genitalibus eius membris abſcinderet; atque ex eo tempore ita alienus extitit à tentatione, ac ſi ſexum non haberet in corpore. Qua virtute fretus ex omnipotentis Dei auxilio, vt viris antè præerat,

ita

Google

ita cœpit poſtmodum etiam fœminis præeſſe. Nec tamen diſcipulos ſuos admonere ceſſabat, ne ſe eius exemplo in hac re facilè crederent, & caſum tentarent donum, quod non accepiſſent. Qui huic Abbati donum tam miræ caſtitatis attribuit, potens eſt modo eodem animas ſibi fideles, & gratas, abundanter ditare.

De Præmio Caſtitatis quod habet in cælo.

CAPVT XI.

GRADVS ſcalæ caſtitatis à nobis deſcripti ſunt, nunc quod ſit faſtigium huius ſcalę, quódque præmium mundis corde & corpore ſit propoſitum, tractandum eſt, ne tractationis methodum, quam in his tribus virtutibus aſſũpſimus, deſeramus. Viros caſtos eximium præmium copioſiſſimámq; mercedem habituros in cœlis, præ illis, qui caſtitatem non ſeruauerunt, liber Sapientiæ manifeſtè ſignificat. Fœlix, inquit, eſt ſpado, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitauit aduerſus Deum nequiſſima; dabitur illi fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima.] Spado iſte, aut eunuchus, non illum ſignificat, qui naturæ vitio, aut hominum iniuria talis factus eſt, ſed illum, cuius ardens caſtitatis ſtudium omnem ab ipſius corde impuræ voluptatis concupiſcentiã ablegauit. Sicq; Hieronymus locum iſtum intellexit. Vnde ſenſus eſt, fœlix profectò, térque quatérque beatus eſt vir caſtus, qui nec externo opere impudicitiæ corpus ſuum polluit, nec impurâ cogitatione ſecreta ſui cordis infecit. Et quare beatus? Quia dabitur ei pro fidelitate ſuâ, qua votum Deo nuncupatum impleuit, donum quoddam ſingulare, & ſors non quæcumque, ſed acceptiſſima ac ſublimiſſima in cœleſti patriâ, quæ non eſt aliud quàm magnificentiſſimum templũ Dei. Eunuchi, aut naturæ vitio, aut hominum manibus ſecti, ab ingreſſu templi Domini arcebantur. Nam in Deuteronomio inuenimus ſcriptum: Non intrabit Eunuchus Eccleſiam Domini.] At qui non corpore, ſed corde, & abiectione voluptatum carnalium, ſe caſtrant propter regnum cœlorum, in illam primitiuorum Eccleſiam, quæ in cælis eſt, libẽtiſſimè à Deo & Angelis admittuntur. Sterilitas in lege veteri maledictioni tribuebatur; ideoq; in Deuteronomio pro benedictione promittitur: Non erit apud te ſterilis vtriuſq; ſexus, tam in hominibus, quàm in gregibus tuis.] At ſterilitas hæc ſpontanea carnalium filiorum, quæ fœcunditatem filiorum ſpiritualium infert, non ſolùm benedictio, ſed benedictionum cumulus, nempe fœlicitas, & beatitudo nominatur. Hoc ideo, quia diligẽtibus & amplectentibus eam, ſelectiſſimum præmium in cœlo confertur.

Sapien. 3. 14.

Hierony. ad Iſai. c. 56.

Deuter. 23.1.

Deutero. 7.14.

Ex his magnificum quoddam præmium caſtis paratum habemus; quantum verò ac quale ſit hoc præmium, ſolerter inquiramus. Id ex parte indicauit Dominus per Iſaiam, dicens: Non dicat Eunuchus: ecce ego lignum aridum, Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo meâ, & in muris meis, locum, & nomen melius à filijs, & filiabus, nomẽ ſempiternum dabo eis, quod nõ peribit. Eunuchis iſtis etiam caſtos ſignificari conſtans Patrum ſentẽtia eſt. Nam Hieronymus ſic ait: Hic Eunuchus regno cœlorum vim facit, & violenter diripit illud. Iſte cuſtos eſt ſabbatorum, vt nunquam faciat opera nuptiarum. Iſte elegit, quæ Dominus voluit, vt plus offerat quàm præceptum eſt, vt non indulgentiã Apoſtoli eius, ſed voluntatem conſideret. Iſte tenet fœdus Domini ſempiternum, vt non ad tempus vacet orationi, & iterum ad id ipſum reuertatur; ſed accepturum eſſe ſe nouerit in domo Domini, quę eſt Eccleſia eius, locum optimum. Gregorius verò ſic: Eunuchi quippe ſunt, qui compreſſis motibus carnis, affectum in ſe praui operis abſcindunt. Quo autem apud Patrem loco habeantur, oſtẽditur; quia in domo patris, videlicet æternâ manſione, filiis præferũtur. Audiant, quod per Ioannem dicitur: Hi ſunt, qui cum mulieribus nõ ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, & ſequuntur agnum quocumq; ierit.] Et qui canticum cantant, quod nemo poteſt dicere, niſi illa centũ quadraginta quatuor millia. Singulariter quippe canticũ agno cantare, eſt cũ eo in perpetuũ præ cũctis fidelibus etiã de incorruptione carnis gaudere. Quod tamen electi cęteri canticũ audire poſſunt, licèt dicere nequeant: quia per charitatẽ quidem in illorum celſitudine læti ſunt, quamuis ad eorũ præmia non aſſurgant. At tãdem Auguſtinus ſic ait: De quibus autem ſpadonibus loquitur Deus per Iſaiam Prophetam, quibus ſe dicit daturum in domo ſuâ, & in muro ſuo locum nominatum, meliorem multo quàm filiorum, atq; filiarum, niſi de iis, qui ſe ipſos caſtrant propter regnum cœlorum? Nam illis, quibus ipſum virile membrum debilitatur, vt generare non poſſint, ſicut ſunt eunuchi diuitum, & regum, ſufficit vtique cùm Chriſtiani ſiunt, & Dei præcepta cuſtodiunt, eo tamen propoſito ſunt, vt coniuges, ſi poſſent, haberent, cæteris in domo Dei coniugatis fidelibus adæquari, qui prolem licitè pudicéq; ſuſceptam in Dei timore nutriunt, docentes filios ſuos, vt ponant in Deo ſpem ſuam, non autem accipere meliorem locum, quàm eſt filiorum atq; filiarum. Hi igitur eunuchi, quos alloquitur Dominus, ſunt viri caſti, & præcipuè virgines, qui numquam carnis voluptates experti ſunt.

Iſaiæ 56. 3.4.5.

Hierony. ſuprà.

Greg. 3. P. Paſtoral. c. 29.

Apocal. 14. 14.

Aug. lib. de vera virginitate c. 14. to. 5.

Caſti itaque & virgines ne ſe ligna arida exiſtimẽt, eo quòd homines terram implentes non generent; nam filios habent, id eſt, imitatores plurimos, qui vrbem cœleſtem condant, & ſedes illas angelis ſuperbis vacuas repleant, ſed de hoc ſtatim: nunc in præmium illis in cœlo paratum oculos intendamus. Iſtud præmium non omnibus eunuchis, ſed ſabbata cuſtodientibus, & voluntatem Dei facientibus, & legem eius implentibus promiſſum eſt. Non enim ſufficit caſtitatem ſeruare, aut virginitatem excolere, niſi incorruptioni carnis cuſtodia vniuerſæ legis accedat. Vel illi eunuchi ſabbata cuſtodiunt, qui non ſolùm corpore, ſed multo magis mente, caſtitatem obſeruant. Illi eligunt, quæ Deus vult, qui cordis tranquillitatem curis huius ſæculi præferunt. Illi tenent fœdus Domini, qui à ſanctiſſimis eius mandatis non diſcedunt. Vnde Baſilius ait: Non ergo his, qui caſu aliquo ſimpliciter eunuchi ſunt, huiuſmodi promiſſio fit; ſed qui cuſtodiunt, inquit, ſabbata mea, & eligunt, quæ ego volo. Sabbatum verò non in opere, ſed in operis ceſſatione intelligitur. Vult itaque ſabbatizare virginẽ, vt non virginitatẽ operando cuſtodiat, ſed abſque motu operis integritatem inuiolabilem ſeruet. Quaſi Dei ſimulachrum, inquit, ex animâ & corpore virgo in terrâ formata eſt. Myſticè ergo ſabbatizet, non pedẽ, non manũ, non oculũ, non aliud quodlibet membrorũ, ſed ne animum quidem ad corrumpendã naturalẽ pulchritudinẽ moueat, ſed perſiſtat,

Baſil. li. de virgi.

vt præclara diuinæ maieſtatis effigies ſolida atq; immobilis ad omnem imaginem, ad omnem tactum, ſemper ac iugiter ſtans in petrâ, ne quis ſiue per oculos, ſiue per aures, ſiue per alium quemlibet ſenſum ſubrepens, aut animæ in ditas moueat figuras Dei, aut confuſis primitiuis formis, quas ipſi peſſimè ac licenter inſculpat: ſicq; corruptâ, & obliteratâ animæ ſpecie, corpus iam luteum ac materiale, per illicitos tactus, vbique probris & maculis repleat. Stet igitur immobile, ſtet firmum ac ſolidum ſimulacrũ Domini, perpetuò ſabbatizás, vt neq; ſui ipſius vitio motum vſpiam nutet, aut in ipſo moto, dum fortè turbatur, aliquid naturalium lineamentorum collidat, ac violet, neque ab externâ manu agitatum ſuum florem naturalis decoris amittat. Hæc ille.] Sunt ergo caſti, & virgines, qui putant ſatis actum eſſe ſi B corporis incorruptionem nõ amittant. Sunt alij, qui contenti ſunt, ſi cum incorruptione carnis, mundiciam quoq; mentis teneant, non tamen alia præcepta cuſtodiant. Et his ſolùm dicimus, vt in omnibus fideles ſint Domino, ne caſtitatis præmio fraudentur. At ſunt alij, qui & caſtitatem amplectuntur, & in reliquis etiam ſe Domini voluntati ſubiiciunt. His autem ingens merces hoc loco deſcripta promittitur.

Iob.56.4. Dabo, inquit, in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus.] Qui ſunt filij, & quę ſunt filiæ? Filij ſunt Angeli, in domo æterni Patris à ſuæ conditionis exordio more filiorum habitantes, & eius aſpectu, & bonis perfruentes. C Filiæ ſunt, animæ iuſtæ præcepta quidem ſeruantes, ſed velut infirmæ conſilia non cuſtodientes, & ad altitudinem puritatis non anhelantes. Caſti itaque & virgines, locum habent altiorem, & nomen præſtantius, quàm Angeli, & animæ imperfectiores, in domo, & in muris Domini, quibus nominibus munitiſſima ciuitas in cœlis ædificata ſignificata eſt. Vel in domo, & in muris Domini, id eſt, in occulto, vel in manifeſto habent altiorem locum, & nomen præſtantius, quia vbicunque fuerint, cæteris præferentur. Datur illis locus altior, & eminentior, D qoia glorioſiores de hoſte obtentæ victoriæ, & difficiliora opera, digniorem ſedem exigunt. Angeli, ſine contradictione carnis, incorruptionem poſſidẽt, at homines caſti, non ſine magno certamine, & importunâ luctâ mentis, & carnis, obtinent puritatem. Ergo ſi in hoc ſolùm collatio fiat, cæteraqoe eſſent paria, nõ dubium quin hi eſſent loci dignitate Angelis præferendi. Quamobrẽ à Ioanne prope a-

Apo.14.1. gnũ per reuelationem viſi ſunt. Vidi, inquit, & ecce agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centũ quadraginta quatuor millia, habẽtes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptũ in frõtibus ſuis.] Hos nãq; virgines eſſe textus ſacer ſtatim manifeſtat, dicẽs: Hi

Ibid.v.4. ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt: & ſequuntur agnum quocumq; ierit.] E Attende igitur ampliorem virginum dignitatẽ, & locũ. Alij enim prædeſtinati dicuntur eſſe in mon-

Iſai. 25.6 te Sion. Vnde Iſaias ait: Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc cõuiuium pinguiũ, conuiuium vindemiæ.] Virgines vidẽtur ſupra mõ-

Ephes. 4. tem. Vt ſicut caput virginum [aſcendit ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia;] ita & ipſe cœtus virginũ ſupra montem Sion, aut ſupra cœleſtem globum eſſe dicatur, vt hæc locutio propinquitatem eorum ad agnum, & altiſſimam virginitatis dignitatem, oſtendat. Eſt quoque pars huius loci, & dignitatis, quòd habent nomen agni, & nomen patris eius ſcriptũ in frontibus ſuis. Nam quid, quæſo, eſt, nomen Chriſti, & nomen patris in frontibus geſtare, niſi

A puritate ac mundiciâ, quæ proprietas diuinæ naturæ eſt, ſimiles filio & patri cognoſci? Habent virgines ſpiritum Chriſti, ſpiritum potentem, ſpiritum illum, de quo dicit Iſaias: Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium:] ſpiritum, quem poſtulabat Dauid; Et ſpiritu principali confirma me.] Hoc ſpiritu roborantur, vt carnis delicias ſpernant: hoc inſultus impij, nempe diaboli, in ſe ipſis interficiunt: hoc ſe reges, & principes, ac filios ſummi regis oſtendunt. Hoc autem eſt, nomen eius, & nomen patris eius in fronte præferre. *Iſaia 11. 4.* *Pſal. 50. 14.*

Ad hanc dignitatem denique ſpectat, quòd virgines ſequuntur agnum quocumque ierit. Quare? Quia agnus virginibus delectatur, & à ſuo latere (vt ita dicam) non permittit illos diſcedere. Sunt enim B quaſi dilectiores famuli, qui ſemper & vbique regẽ incedentem circumſepiunt. Vel ſequuntur agnum quocumque ierit; quia ſi ſequi eſt imitari, Chriſtum quocumque ierit, ſequuntur, quia illum in omnibus virtutibus imitantur. Quod non virgines facere non valent, quia poſt ſemel amiſſam virginitatem ad eam redire non præualent. Sed hãc eximiam virginum excellentiam ex Auguſtini verbis intelligamus. *Aug.* Ille ſic ait: Quò ire putamus hunc agnum, quò nemo eum ſequi vel audeat, vel valeat, niſi vos? Quò putamus eum ire? In quos ſaltus, & prata? Vbi credo ſunt grandia gaudia, non gaudia ſæculi huius vana, inſaniæ mendaces, nec gaudia qualia in ipſo regno Dei cæteris C non virginibus erunt, ſed à cæterorum omnium gaudiorum ſorte diſtincta. Gaudium virginum Chriſti, de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum. Gaudia propria virginum Chriſti, non ſunt eadem non virginum, quamuis Chriſti. Nam ſunt aliis alia, ſed nullis talia. Ite in hæc, ſequimini agnum, quia & agni caro vtique virgo. Hoc enim in ſe retinuit auctus, quod matri non abſtulit conceptus, & natus. Meritò eum ſequimini virginitate cordis, & carnis, quocunque ierit. Quid eſt eum ſequi, niſi imitari? [Quia Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens no- *1. Petr. 2. 21.* D bis exemplum, ſicut ait Apoſtolus Petrus, vt ſequamur veſtigia eius] Hunc in eo quiſque ſequitur, in quo imitatur; non in quãtum ille filius Dei eſt vnus per quem facta ſunt omnia: ſed in quantum filius hominis, quæ oportebat in ſe præbuit imitanda, & multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur; virginitas autem carnis nõ omnibus: non enim habent quid faciant, vt virgines ſint, in quibus iam factum eſt, vt virgines non ſint. Sequantur itaque agnum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiſerunt, non quocumque ille ierit, ſed quouſque ipſi potuerint. Poſſunt autem vbique præter cùm in decore virginitatis incedit.] Et poſt pauca. Sed ecce ille agnus graditur itinere virgi- E nali, quomodo poſt eum ibunt, qui hoc amiſerunt, quod nullo modo recipiunt? Vos ergo, vos ite poſt eum virgines eius; vos & illuc ite poſt eum, quia propter hoc bonum vnum quocunque ierit, ſequimini eum; ad quodlibet enim aliud ſanctitatis donum, quo eum ſequantur, hortari poſſumus coniugatos, præter hoc, quod irreparabiliter amiſerunt. Huc vſque ille.] Sancti itaque non virgines ſequuntur agnum quocumque potuerint, quia per iter virginitatis eum ſequi non poſſunt. At ſancti virgines ſequuntur quocumque ierit, quia quodcumque virtutis iter tanquam expediti & exonerati ingredi poſſunt. Annie poſſint ingredi iter martyrij, ſi ad martyrium non venerint? Et quidem, quoniam virgi-

res

tas quoddam martyrij genus eſt. An poſſunt ingredi iter doctrinæ, ſi ad docendum verbo non eligantur? Et ſanè, quoniam perpetua virginitas vox quædam efficax prædicans fidem eſt. Quia nemo virginitatem ritè profiteretur in Eccleſiâ Dei, niſi bona à fide propoſita firmiſſimâ expectatione reſpiceret. Vel tandem ſequuntur agnum quocumque ierit, quoniam vt in libro, Hieronymi titulo, prænotato, ſcribitur, nullus eis locus in illâ cœleſti aulâ clauditur, ſed cuncta eis diuinarum manſionum habitacula reſerantur.] Hic igitur eſt locus, hæc eſt dignitas virginum, cui dignitas cõtinentium proximè accedit. Nam longam caſtitatem ſeruare, & poſt expertas carnis voluptates virginum puritatem æmulari, adeò perfectum eſt, & ſublime, vt meritò, qui hoc faciunt, non caſtos, licèt cum pœnitentiâ, aut in ſtatu coniugali decedentes, præcedant, & locum illis proximum, qui virginitatem ſeruauerunt, obtineant.

Hic eſt locus melior. At quod eſt nomen melius à filiis, & filiabus,] quod virginibus datum eſt? An eſt nomen angeli, quia nimirum reliqui iuſti homines vocantur, ſed virgines iam non homines, ſed angeli appellati ſunt? Certè eos angelos appellari iam diximus. Quod Baſilius etiam affirmat his verbis: *Baſil. lib. de virginitate.* Et hi profectò, qui continentiam ſeruant, Angeli ſunt, qui viuentes in carne corruptibili mortalium vitam illuſtrando tuentur. Sunt autem angeli non ex infimo quouis ordine, ſed certè illuſtriſſimi ac nobiliſſimi. Illi enim carneis nexibus liberi integritatem ſuã in cœlis ſeruant, & loco, & naturâ inuiolabiles, & apud ſummum regem omnium Deum conſtituti. At verò illi in terrâ carnis illecebris, & voluptatibus diu reluctantes, ac diaboli tentamenta perpetuâ exercitatione vincentes, incorruptionem angelicæ puritati parem, virtute præcipuâ ante creatoris oculos cuſtodierunt. Cõſentit & Gregorius Nazianzenus, *Nazian. homil. in Mattha. Cùm conſummaſſet Ieſus.* ſic ſcribens: Videris rei huius præſtantiam, atque ſublimitatem: propemodum enim talis reperitur, vt concipit comprehendíque protſus nequeat. An non enim præſtantius eſt, quàm pro carnis fragilitate, id, quod ex carne creatum ſit, in carnem non gignere? An non planè angelicum, eam, quæ carnis vinculis alligata ſit, non ſecundùm carnem viuere, ſed naturâ excellentionem eſſe? Caro cum mundo deiunxit, ſed ratio ad Deum ſubuexit. Caro depreſſit, ſed ratio extulit, eíque velut pennas addidit. Caro vinculis aſtrinxit, ſed amor ſoluit. Ac tandem Chryſoſtomus, *Chryſoſt. de virgin. c.79.* cuius hæc eſt oratio: Qua te differebant ab angelis Elias, Eliſeus, Ioannes, veræ amatores integritatis: Nullâ re, niſi quòd mortali naturâ conſtabant. Nam de cætero ſi quis diligenter inquirat, hi nihilo aliter affecti reperientur, quàm beati illi ſpiritus, & idipſum, quo inferiore videntur eſſe conditione, in magnâ eſt eorum laude ponendum. Vt enim terrarum incolæ, & ij, qui eſſent mortali naturâ, poſſent ad illam virtutem vi & ſtudio peruenire, vide quanta eos fortitudine, quâtâ vitæ ratione præditos fuiſſe oporteat. Hæc illi.] Nomen hoc certè eſt melius ab eo, quod hominibus aliis datum eſt, qui angeli non ſunt appellati; at non eſt nomen melius à filiis & filiabus, ſi filiorum nomine Angelos intelligimus. Niſi fortè hoc nomen applicatum ad homines melius ſit, quoniam in carne carnis delicias neſcire, mirabile eſt. Sed aliud nomen, vt credo, hoc loco virginibus promittitur, quod Angeli appellationi præfertur. Illud autem, vt nobis quidem videtur, eſt nomen ſponſæ. Nam magnum eſt animam eſſe amicam Dei; maius, eſſe filiam Dei; maximũ verò, eſſe ſponſam Dei. Hoc eſt nomen virginis, quæ ſponſa Chriſti vocata eſt;

A quia prærogatiua puritatis eam fecit tali nomine dignam. De ſummo enim ſacerdote in veteri lege ſcriptum erat. Virginem ducet vxorem.] Ille autem *Leuit. 21. 13.* typus erat Chriſti, qui eccleſiam virginem immaculatam, vt ait Beda, ſibi in ſponſam adiunxit. *Beda.* Hic autem ſummus ſacerdos noſter nõ ſolùm Eccleſiam in ſponſam habet, ſed & adoleſcentulas, id eſt, animas caſtitate integerrimas, in ſponſas admittit. De illóq; in Canticis ſcribitur: Sexaginta ſunt reginæ,]id eſt, *Cant. c. 6.* quæ ſuæ carnis motibus imperant, [& octoginta cõcubinæ:]nimirum vxores ſecundariæ, quæ non tantâ ſtrenuitate puritatem colunt, licèt eam non amittãt: [& adoleſcentularum non eſt numerus,]earum ſcilicet, quæ propoſitum puritatis incœperunt, nõdum tamen ab initiis longè ſunt factæ. At [vna eſt colum-

B ba mea, vna perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa *Greg. ibi.* genitrici ſuæ.] Hæc verò eſt Eccleſia. Quia, vt inquit Gregorius, multi fideles dum in id ipſum intendũt; dum vno deſiderio Chriſti ſe inuicẽ nutriunt; dum habentes cor vnum & animam vnam, in charitate ſe vniunt, ex multis membris vnum corpus efficiunt. Omnéſque in vnitatis ſimplicitate & vnitate viuentes, vna columba exiſtunt.]

Habet igitur ille ſponſam, & ſponſas, ſpõſam præcipuam, & planè reginam ſupremã, nimirum Eccleſiam; & ſponſas minores, non tamen parum dilectas, ſcilicet integerrimas virgines, & eas animas, quæ carnis ſpurcitias ablegarunt. Quarum aliquam v[illegible] tur allocutus Ambroſius, cùm ſic ſcribit: Abſ[illegible] tur decolora mentis velamina, quæ diſplicent ſpo[illegible]

C Diſplicet enim ei, qui veſtem non habuerit nuptialem. Sponſo autem quid poteſt placere, niſi pax animi, puritas cordis, charitas mentis? Bonus ſponſus Dominus Ieſus; hic nouo partu naturam noſtram initiauit, huic deſponſata corruptelis carnis abſoluitur. Non filios mortales requirit, nõ Euæ delectatur doloribus: non virum obnoxium culpę requirit, non hæreditatem condemnati patris. Vidit enim carnis vlcera, quam antea concupiſcebat; aduertit non eſſe pulchritudinem veram, quæ vitiorum habeat deformitatem. Et ideo quid tibi cum tali ſponſo fœmina? Require diligenter, & in omni corpore inuenies cicatricem. Cognoſce alium magis ſponſum, qui circumdatur luce, cuius ſpecies non poteſt interire.

D Hunc tolle in animum tuum, conſecra in templo tuo: tolle in corpore tuo, ſicut ſcriptum eſt: Tollite *1. Cor. 6. 20.* Dominum in corpore veſtro.] Huius thalamos ingredere nouos; huius ſpectato peregrinum decorẽ, hunc indue, hunc vide ad dexteram patris, & gaude quia talem habes ſponſum: hic te veſtiet benedictione, ne qua noceat ſciſſura peccati. Sic ille]Licèt autem virgines hoc ſponſæ nomine dignæ cenſeantur, tamen etiam animæ caſtæ, quamuis aliquando corporis integritatẽ amiſerint, proportione quadam eodem nomine dignæ cenſentur. Sponſus enim Chriſtus, etſi puriſſimus ſit, at non exhorret in ſponſam accipere eam animam, quæ aliquando carnis

E voluptati ſubiacuit; ſi iam, eâ reiectâ, debitam puritatem diligit. *Ierem. 3. 1.* Cui dictum etiam intelligimus illud Ieremiæ: Tu fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.]

Hic igitur locus melior, & hoc nomen præſtantius ſignificant excellentiorem gloriæ gradum, quẽ animæ caſtæ præ non caſtis habebunt in cœlo. Habebũt illæ maiorem gloriam, quam eſſentialem vocant, ſi cætera paria ſint, aut non habeat aliquid coniugatus (vt martyrium, vel quid aliud magnum, & arduum) quod caſtitati præponderet. Quoniam maius obſequium, maius etiam præmium exigit, & triũphum

ampliorem,victoria de hoſtibus glorioſior. Manifeſtum eſt autem,caſtos, ſi cum non caſtis conſerãtur, difficilius & gratius obſequium obtuliſſe, & glorioſiorem victoriam de carne hoſte acerbiſſimo reportaſſe.Scriptum eſt: Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit,tantum date illi tormentum,& luctum.] Ergo quantum quis afflixit ſe,& in triſtitiis fuit,tantum accipiet exultationis,& gaudij.Caſti autẽ magis ſe cohibent, & diligentiùs carnem affligunt; maiori ergo in æternis manſionibus lætitiâ perfruentur. Dabitur etiam animabus caſtis maior gloria, quam in ſcholis vocant accidentalem. Nam virginibus dabitur virginitatis laureola,quæ non eſt aliud quàm ſingulare gaudiũ in animâ ex victoriâ de voluptatibus obtẽtâ,& de carne ſuperata,lux etiam quædam pulcherrima, aut aliud quid ſimile ignotum nobis in corpore virginis, quod illas illuſtres de carne victorias,tamquam ſignum puritatis oſtendat.Caſti autẽ, ſed non virgines,licèt aureolam non obtinebunt,tamen non dubium eſt, quin magno gaudio cumulabuntur propter caſtitatem ſeruatam. Quod tamen ideo nomen aureolæ,aut laureolæ non habet, quia ad illam ſingulariſſimam virginum victoriam non accedit. Aureolæ namque apud Theologos ea præmia accidentalia deſignant, quæ præcipuis victoriis deputãtur.Quales ſunt, quos Virgines,& Martyres, & Doctores,de carne,& mundo,& de diabolo obtinent.Caſti igitur,& continentes,præmium cumulatiſſimum in cœlo recipient, ſed illi præcipuè, qui caſtitatem, aut virginitatem ſuam Deo ſuo perpetuo voto nuncuparunt.Hoc enim votum magnam religionis perfectionem caſtitati adijcit, & mentis caſtæ firmitatem oſtendit, & corpus ac mentem, vt immaculatum holocauſtum,igne amoris accẽſum numini diuinæ maieſtatis offert. Votum caſtitatis eſt quaſi emblema, quod auro caſtitatis impoſitum facit illud pulchrius atque pretioſius. Quare caſtitas firmata voto,ſicut eſt libera caſtitate perfectior, ita eſt in conſpectu Domini gratior,& in aula regis cœleſtis ampliori præmio apparebit ornatior.

De Præmio Caſtitatis quod habet in terra.

CAPVT XII.

CAſtitas multiplex præmium habet in terra;nam carnis mentiſque mundicia,vt ſuprà dictum eſt,intellectui ſeruit, vt terreſtria & cœleſtia cognoſcat: voluntati,vt à voluptatum nexibus libera,in id, quod rectum eſt,ſuos ferat affectus:& corpori,vt vitã longiorem,robuſtiorem,iucundiorémque poſſideat:At vnius tantùm præmij mentionem faciemus, nempe honoris eximij, quo caſtitatem omnis Eccleſia proſequitur.Certum eſt autem,virtutem hanc pulcherrimam,ac præſtantiſſimam ſemper apud Eccleſiæ filios in magno pretio fuiſſe habitam, eique illos primas in omni ætate partes detuliſſe.Quod enim per ſe melius eſt,& rarius,& ſublimius, pretioſius etiam eſt,& maiorem habenti honorem conciliat. Caſtitas verò melior eſt coniugio (abſurdum enim eſſet eam cum luxuriæ immundicia conferre) & rarior, quia comparatione eorum, qui carnis deliciis ſe tradunt, pauci ſunt,qui caſtitatem profiteantur:& ſublimior, quia non reſpicit multiplicationem corruptibilium corporum, ſed virtutis & ſanctitatis augmentum. Ergo pro mẽſura ſuæ dignitatis accipiet apud omnes

A honorem. Meritò autem nonnulli continentium honorem eliciunt ex illo elogio, quod Ioannes in Apocalypſi virginibus tribuit. Iam quippe diximus virgines ſignatos eſſe illis cẽtũ quadraginta quatuor millibus ſtantibus cum agno ſupra montẽ Sion.De illis autem quid ſubiungit? [Et audiui vocẽ de cœlo, *Apocal. 14.2.* tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem tonitrui magni, & vocem, quam audiui,ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.] Vocem virginum ſonitui aquarum impetu decurrentium, & ſonitui tonitrui, & harmoniæ citharæ comparauit,quæ omnia timorem & ſtuporem incutiunt. Vox continentiũ,vita continentium eſt.Nam ſi Moyſes deſiderio clamabat, & audit dicentẽ Do- *Exod.14.15.*
B minum:Quid clamas ad me?] Et Franciſcus tacens, & vicos,ac plateas ciuitatis inambulans, ſolo inceſſu prædicabat,quid mirum ſi caſti vitæ puritate clamẽt, & voluptatum ſopore oppreſſos conuerſatione ſua tamquam voce ad imitandum exſuſcitent?Hæc igitur vox illorum eſt ſicut vox aquarum multarum: nam ſicut flumẽ,quod in hac America Paranam vocamus,& eſt (vt creditur)omnium fluminum totius orbis maximum,impetu aquarum ingẽte, quo aluei ſaxa colliduntur,magnum ſonum edit, qui ad multas leucas auditur:ita & mundiſſimam conuerſationem caſtorum longè poſiti cum ſtupore audiunt, & non ſine magna veneratione ſuſpiciunt.Vis contemplari animam caſtam longè ab hominibus diſſitam? *Iudith.8.5.* Audi ergo quid ſcriptura de ſancta Iudith afferat. Et
C in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur.] Quantum,bone Deus, àb hominum conſortio diſtabat, quæ non ſolùm verbum, ſed nec aſpectum illis concedebat! At huius vita abſcondita,quia munda, ſicut ſonitus aquarum multarum apud abſentes validè reſonabat. *Ibidem. 8.8.* Erat enim in omnibus famoſiſſima,neq; erat, qui loqueretur de illa verbũ malum,] id eſt,verbum,quod eius caſtitatem alicuius vel minimæ labis notaret. Hoc, ſcilicet non dici de illa verbum malum, fecit vitam eius mundiſſimam,verbum bonum quod cum admiratione omnes audirent,& cuius cauſſa illam ſummis honoribus afficerent.

D Eſt etiam vita continentium quaſi vox tonitrui magni. Nam tonitruum ſonus eſt ex nubis ruptione procedens:& ita caſtitas ex nube exijt, quia ex filio Dei ad nos per humanitatem veniente proceſſit. Chriſtus enim eſt nubes illa, de qua Iſaias ait: Ecce *Iſaia.19.1.* Dominus aſcendet ſuper nubem leuem;] ex eo nimirum,quòd verbum humanitatem aſſumpſit. Nubecula hæc humilitate paruula præſtituto tempore apparuit, vt pluuiam gratiarum abundantiſſimam plueret,& in cruce, vulneribus manuum, & pedum, & lateris,rupta cum fragore tonaret.Ex ea nube tonitruum caſtitatis egreſſum eſt; quoniam Chriſtus ex Virgine naſci voluit,mundiciam virginitatis in ſe ipſo conſecrauit,& homines caſtitatem edocuit.Vnde Ambroſius de virginitate loquens: E cœlo,ait,ac- *Ambr.1. de virginibus.*
E cerſiuit, quod imitaretur in terris, nec immeritò viuendi ſibi vſum quæſiuit è cœlo, quæ ſponſum ſibi inuenit in cœlo. Et poſt pauca: Quis neget hanc vitam fluxiſſe de cœlo,quam non facilè inuenimus in terris, niſi poſtquam Deus in hæc terreni corporis membra deſcendit? Et Nazianzenus. Olim cùm lex *Nazian. exhortat. ad virgi.* erat,& vmbræ,ceremoniæq; temporariæ, tum primatum habebant nuptiæ tamquam adhuc infantes: poſtquam verò emigrauit littera, ſubinductuſq; eſt ſpiritus; & Chriſtus cùm proceſſiſſet ex Virgine, in carne paſſus eſt,tunc effulſit caſtimonia.] Eſt itaq; caſtitas ſonitus,ac tonitruum huius nubis,quam qui

audit, timore cõcutitur. Habemus huius rei in Actibus Apoſtolorum clariſſimum teſtimonium. Nam diſputante Paulo de iuſtitia, & caſtitate, & de iudicio futuro, tremefactus Fœlix, reſpondit: Quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno acceſſam te.] Quodnam fuit tonitruum Fœlicem exterrens, niſi ſermo exhortatorius ad caſtitatem? Ille enim qui Druſillam, pulcherrimam mulierem & alteri nuptam, à viro eius ſeparauerat, & per iniuriam obtinuerat, non potuit non ad caſtitatis memoriam & ſtupere, & ad diuini iudicij in libidinoſos parati ſeueritatem trepidare. Quin & illud einſdem ſacri hiſtorici, quod alibi de Apoſtolis ait, ad hoc idem referri poteſt: [Cæterorum autem nemo audebat ſe coniungere illis, ſed magnificabat eos populus. Videbant enim infideles, in Apoſtolis, atque in eius ſectatoribus, candorem puritatis præcipuum, quo exterriti indignos ſe eorum conuerſatione ducebant, atque ipſorum conſortia fugitabant. Voluerunt illos laudare pulchritudine virtutis fidelium illecti, quos amore carnis & ſanguinis vincti non voluerunt imitari. Ad rem etiam facit, quod eligens Dominus [Iacobum Zebedæi; & Ioannem fratrem Iacobi] puriſſimos virgines, [impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt, filij tonitrui.] Quam ob cauſam filij tonitrui appellati ſũt? Certè quia inter Apoſtolos fuerunt ardentiſſimi Euangelij præcones, & quia eorum vita puriſſima, & Angelorum vitæ ſimillima homines ad timorem & admirationem prouocabat.

Actor. 24. 24. *Actor. 5. 13.* *Marci. 3. 17.*

Eſt quoque cœlibũ conuerſatio pura, & ſonitus citharæ à periſſimo citharœdo pulſatæ, qui & aures demulcet, & ipſi citharœdo honorem eximium affert. Sed hæc quaſi per partes dicamus. Quænam eſt cithara? Eſt corpus virginis, ſeu caſti. De qua regius vates ait: Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.] Ad cuius ſonum edendum iuſtos alibi exhortatur, dicens: Confitemini Domino in cithara, in pſalterio decem chordarum pſallite illi.] Et Rupertus: Citharæ, inquit, inſtrumenta laudum, pectora ſunt fidelia, caſtáque corpora, cum plectro linguæ Dei laudes perſonantia.] Et quare cithara? Quia cithara ex multis variiſque chordis cõpoſita, & aptè temperata, ex inferiori parte pulſatur: & corpus ex variis membris ordinatè diſpoſitis coagmentatum, mortificatione diſcreta, quaſi ſonorum & harmonicum redditur. Quid ait Paulus? Sicut exhibuiſtis, inquit, membra veſtra ſeruire iniquitati ad iniquitatem; ita exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.] Ecce chordas citharæ, membra noſtra aptè temperata, quæ dum omnia virtuti ſeruiũt, ſuauiſſimum Deo ſonum edunt. Siccatur enim chorda, inquit Gregorius, vt congruum in cithara cantum edat, quia ſancti viri caſtigant corpus ſuum, vt ſeruituti ſubijciant. Et quis citharœdus? Eſt vir caſtus atque pudicus. Sic enim hoc loco vocat eum Ioannes, & meritò, quoniam vt Deo in oratione laudes canat, & quaſi dulci ſono oblectet, citharam ſui corporis puritate & mortificatione temperat. Et quæ eſt citharizatio? Eſt diligentiſſima caſtitatis cuſtodia. Hæc enim dulciſſimè Deo reſonat, & citharœdo, ſcilicet homini, magnum honorem conciliat. Deo quidem ſuauiter ſonat, quoniam ille, cùm puritas ſumma ſit, nihil gratius habet quàm hominem mundiciam corporis mentiſque ſeruantem, & ex ea ad eius amorem aſſurgentem. Honorem autem coram aliis homini conciliat; quia reliqui eum honore afficiunt, quem naturæ victorem, carnis ſuæ expugnatorem, & Angelorum imitatorem agnoſcunt. Profectò ſi quo homo ſimilior, & propinquior eſt regi, eo,

Pſ. 42. 4. *Pſ. 32. 2.* *Ruper. ad Apocal. c. 5.* *Rom. 6. 19* *Greg. 20. mor. c. 31.*

maiori honore dignus cẽſetur: homo caſtus, & præcipuè virgo, honore digniſſimus cenſendus eſt, qui Deo quàm ſimillimus inuenitur. Deus namque puriſſimus eſt, quem ob eximiam puritatem Gregorius Nazianzenus virginem auſus eſt appellare. Nam inquit:

Prima Trias virgo eſt, ſiquidem patre natus anarcho *Nazian.*
Filius eſt, nec enim pater ortum traxit ab vllo,
Vt pote principium rerum, & vitalis origo,
More nec humano generauit ſanguine natum.

Virgo quidem, non quia corpus in ſua deitate habeat, quod corruptioni ſubiicere potuerit, ſed quia puriſſimus & mundiſsimus eſt, & omnis puritatis initium. Qui ergo perpetuam corporis ac mentis puritatem cuſtodiuit, & in ſua etiam menſura, qui puram caſtitatem ſeruauit, Dei in ſe magnam ſimilitudinem habet. Vnde à Cypriano virginitas appellatur Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini. Et Baſilius: Magnum quiddam eſt virginitas incorruptibili Deo hominem ſimilem faciens. Quis ergo hunc non maximo honore proſequetur? Quis non illum vt dignum eximia reuerentia ſuſpiciet? Certè caſtitas neſcio quam grauitatem homini præbet in facie, & in verbis, & in motibus elucentem, propter quam debet ab omnibus honorari. Idque indicant verba Pauli ad Titũ ſcribentis: In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. Integritas incorruptionem caſtitatis ſignificat, ſecundùm Anſelmum, & alios: poſt eam verò meminit grauitatis, quia caſtitas homines maturos & graues facit, taléſque, vt ipſo aſpectu, & pudicitiæ opinione ſint omnibus honorabiles.

Cypria. lib. de diſcip. & habitu virgin. *Baſil. lib. de virg.* *Ad Tit. 2. 7.* *Anſel. ib.*

Hinc fit, vt qui in Eccleſia caſtitatem profitentur, priuilegiis & honoribus digniſſimi cenſeantur. Et ſicut qui in hoc ſtatu caſtitatem, quam lege tenet, actione non ſeruat, eſt in corde & ore cunctorum fidelium viliſſimus: ita qui illam perfectè cuſtodit, apud vniuerſos exiſtit honorabiliſſimus. Cui multa alia diſſimulantur, ſi in hac re tam delicata, & tam ſupra imbecillitatem humanam, irreprehenſibilis inuenitur. Nec ſolùm in Eccleſia caſtitatis decorem agnoſcente, verùm & apud gẽtes, innumeris obſcœnitatibus deditas, caſtitas in pretio fuit. Tanta enim eſt eius dignitas, vt, natura ipſa poſcente, à ſuis hoſtibus diligatur, & honoretur. Virgines certè apud Romanos, vt Suetonius ait, in theatro digniſſimum locum habebant è regione Prætoris, & magnus honor Auguſtæ tribuebatur, auctore Tacito, ſi inter virgines Veſtales conſideret. Illis datum eſt, inquit Plutarchus, vt viuo patre poſſent teſtamentum condere, & ac ſi eſſent trium liberorum matres, cætera negotia gerere. Si domo exibant, cum faſcibus more gubernatorum deducebantur; ſi caſu in quemquam incidebant, qui ad mortem duceretur, liber ob virginitatis honorem relinquebatur. Si quis occurreret feretro vectus, aut viâ, cedebat, ne tamquam virginis contemptor moreretur. Quid quòd virginitatem quaſi Dei conſiliatricem exiſtimabant, & quid diuinum eam eſſe ducebant? In cuius confirmationem Hieronymus de Sibyllis agens, hæc ait: Varro decem Sibyllas eſſe autumat, quarum inſigne virginitas eſt, & virginitatis præmium diuinatio. Quòd ſi Æolici genere ſermonis Sibylla θεοβούλη appellatur, rectè conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas. Certè Romanus populus quanto honore virgines ſemper habuerit, hinc apparet; quòd Conſules, & Imperatores, & in curribus triumphantes, qui de

Sueto. in Auguſt. c. 44. *Tacit. lib. 4. Annal.* *Plutarch. in Numa.* *Hieron. 1. contra Iouinia.*

ſupera

ſuperatis gentibus trophæa referebant, & omnis dignitatis gradus, eis de viâ cedere ſolitus ſit; nec mirũ hoc de hominibus, cùm Mineruam quoque, & Dianam, virgines deas finxerit error gentilium, & inter duodecim ſigna cœli, quibus mundum volui putãt, virginem collocarint magnâ iniuriâ nuptiarum, vt ne inter Scorpios quidem, & Centauros, & Cancros, & Piſces, & Ægocerotes vxorem maritúmque contruſerint. Hæc Hieronymus paucis omiſſis.] Non potuit profectò deluſa gentilitas, licèt in hoc ſapiens exiſtimanda, ampliùs caſtitatem honore proſequi, quàm vt virgines triumphatori præponeret; damnatum ad mortem, ob virginis occurſum liberaret; virginitatémque quaſi diuinarum ſedium aſſiſtricem, & cœli habitatricem duceret.

Nec ſolùm Romanis, verùm & barbaris gentibus fuit in magno pretio, & honore virginitas. Cuius rei (vt vetera omittam) nouam & illuſtrem proponam hiſtoriam. Nobiliſſimum eſt in hac Americâ regnum Chilenſe, licèt bellicoſorum incolarum robore, & (vt veriùs loquar) iudicij diuini ſeueritate, à noſtris non ſatis edomitum. Huius fuit vrbs vna, nomine Oſornus, ab indigenis cum noſtris bellum gerentibus populata. Viris ergo ac mulieribus Hiſpanis ſe ſe in quoddam propugnaculum recipientibus, Virgines quædam ſanctimoniales Diuæ Claræ in eâdem vrbe commorantes in eo propugnaculo vitæ tuendæ cauſa receptæ ſunt. Cùm autem incredibili fame premerentur, vna earũ, cuius nomen ſcire non potui, ſola extra munitionem egreſſa, vt herbas ad cibum colligeret, à barbaris capta, & in poteſtatem cuiuſdam illorum tradita eſt. Hic acceptam virginem eam vxorem ducere (plures enim illi vxores habent) & violare diſpoſuit. Nam & alij barbari plurimas fœminas Hiſpanicas hoc extremo bello captas, ô Hiſpaniæ dedecus! vxores duxerunt, & ex eis filios ſuſceperunt, & à patriis viuendi moribus auocarunt. Sanctimonialis ergo illa cùm heri ſui animum ex ſignis & verbis agnoſceret, robur virile induens, in hunc fere modum illum eſt alloquuta: Ego virgo ſum vna ex ſponſis Ieſu Chriſti, illi in cœnobio conſecrata, quod & habitus, quem geſto, & hic anulus, quem digito defero, meæ, cum Chriſto diſpenſationis inſigne, apertè demonſtrant. Non licet mihi carnis delicias experiri, nec viro nubere, ac per hoc ſponſo meo filio Dei iniuriam irrogare. Si verò tu me conſtuprare volueris, vide ne aduerſùm te indignationem ſummi Dei prouoces, & auſu temerario pro nouâ vxore mortem merearis. Barbarus, his auditis, obſtupuit, & virginitatem, & filij Dei ſacrum connubium, quod numquam audierat, admiratus, pulchram fœminam, & omni ope humanâ deſtitutam, at diuinâ virtute protectam, attingere noluit. Quid dico attingere noluit? Certè tantâ eam eſt veneratione proſecutus, ac ſi numen aliquod cœleſte oculis vidiſſet, ac ſi ſponſæ Dei (vt illa verè erat) de hoſpitio commodaſſet. Quin & pollicitus eſt numquam ſe illi iniuriam illaturum, neque à quoquam inferri permiſſurum. Adiecítque interrogare quid illi opus eſſet, vt diuino cultui, quantum illa captiuitas ferret, deeſſe non poſſet. Tunc illa animoſior facta, rogauit illum vt ſibi ſcapulare aliquod, & breuiarium ad horas canonicas recitandas quæreret. Illéque ancillæ ſuæ obediens abiit, & inter ſpolia Chriſtianorum ab aliis barbaris aſſeruata, tam inſigne illud monachæ, quàm breuiarium inueniens, attulit, illíque dedit. Hortabatur illam ſubinde vt ſponſi ſui obſequio vacaret, vt propria ſtatus ſui præſtaret, vt Deo ſuo illius ſalutem commendaret, & vt nihil omnino, quod ad miniſteria domus pertineret, attingeret. Si verò aliquando illa vxoribus, aut ancillis barbari ſe admiſcere tentaret, vt cibos pararet, aut pannos elueret, aut quid ſimile faceret; ille penitus non ferebat, ſed & blandè illam increpabat, dicens non decere ſponſam Chriſti talibus miniſteriis occupari, potiùs cunctos debere illi tamquam dominæ, & heræ ſeruire.* Monialis hæc toto anno, & eo ampliùs apud infidelem illum comiter hoſpitata permanſit, donec precum & gemituum eius miſertus Dominus, ſic eam è captiuitate liberare diſpoſuit. Animo barbari hanc cogitationem iniecit, indignum eſſe illum, qui virginem, ac Chriſti ſeruam, domui ſuæ hoſpitem haberet, ac omnino Chriſtianis eſſe reſtituendam. Cùm autem hinc iſtis cogitationibus premeretur, illinc verò timeret mortem ſibi ab aliis barbaris inferendam, ſi fœminam illam ſponte fineret ad propria remeare, quid facit? Domo ſua quaſi aliquid in agro facturus egreditur, & occultè ad munitiunculam militum Chriſtianorum, quæ non longè aberat, proficiſcitur, illis ſuaſurus, vt ad virginem illam quærendam exeant, & verſùs domum ſuam vadant, & ipſo permittente, nullóque modo contradicente, ſecum deferant. Antequam ad propugnaculum veniret, aliquos milites obuios habuit, quibus conſilium ſuum pandit, & opportunitatem rapiendi virginem, ac domus ſuæ locum oſtendit. Cùm autem ex condicto milites illi die ſignato in domum illius barbari pergerent, qui more Chilenſium non in vrbe aliquâ (quas illi non habent) ſed in monte ab aliis nonnihil ſeparatus habitabat, ipſe quaſi hoſtes fugiens cum vxoribus, & filiis, ac ſeruis, feſtinanter diſceſſit, & virginem illam à militibus inueniendam, & deducendam dimiſit. Sic illa ob honorem caſtitatis liberata eſt, & quodammodo ſimul cum virginitate à Domino fœcunditate donata. Nam barbarus ille poſtea decreuit virgini ſe vt ſeruum tradere, & illam ſequi, eiúſque fidem ſuſcipere. Deſiderium autem hoc opus ſequutum eſt: illum namque ad fidem conuerſum, & fidei, ac vitæ tuendæ cauſâ à ſuâ patriâ exulem factum, multi in vrbe ſancti Iacobi Chilenſis, & poſtea in hac curiâ regni Peruenſis viderunt, à quibus rei geſtæ rationem accepi.

Eſt ergo caſtitatis præmium delatus honor, & habita reuerentia illis, qui hanc virtutem ex animo profitentur, quam non ſolùm fide illuminati exhibent, ſed & luce ſupernaturali deſtituti & barbari ſimiles beſtiis, non negant. Tanta enim eſt dignitas caſtitatis, vt ab infidelibus honoretur; tanta pulchritudo, vt à barbaris etiam in magno pretio habeatur.

De Præmio, quod ratione Caſtitatis habet Catholica Eccleſia.

CAPVT XIII.

CONSIDERATE lilia agri, ait Dominus, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent.] Hæc verba *Matt. 6. 28.*
ſecundùm tropologiam de animabus caſtis poſſunt intelligi, quæ meritò cum liliis agri poſſunt conferri. Sicut enim lilia agri colore candidiſſima, & odore ſuauiſſima, non

manu hominum conſita ſunt, vt flores hortenſes, ſed Dei ſolius beneficio creata: ita caſtas animas puritate candidas,& bonâ famâ odoriferas,non induſtria humana facit, ſed gratia diuina producit. Lilium, vt Bonauentura annotauit, habet ſex folia niuei candoris, & ſex grana aurei coloris, quibus ſex propria pudicitiæ corporis,& ſex alia mundiciæ mentis,indicantur.Corpus enim, vt ſit podicum,requirit cibi parcitatem,veſtis aſperitatem,laboris ſtrenuitatem, ſenſuum cuſtodiam, verborum modeſtiam,& occaſionum fugam. Mens verò,vt munda ſit,Deum prudenter,dulciter, & fortiter diligat, & toto corde, quia creator eſt;& totâ animâ, quia redemptor;& totâ mente,quia remunerator,inquirat. Videamus ergo quomodo creſcant hæc lilia agri Eccleſiæ mundiſſima, & quonam pacto multiplicentur iſtæ gemmæ pretioſiſſimæ, & aliud admirabile præmium caſtitati deſtinatum reperiemus. Viuentia omnia corruptibilia generatione multiplicantur,& ſpeciem ſuam nonnulla corruptione ſui à corruptione cuſtodiunt: cœlibes verò licèt corpore ſint corruptioni obnoxij,quia tamen caſtitate angelorum naturam geſtiont imitari, abſque vllo integritatis detrimento ſe ipſos multiplicant,& ab omni ſui ſtatus interitu ſeruant. Nam Deus auxilio gratiæ ſuæ in omni ætate plurimos trahit, qui virginum & caſtorum ſe cœtibus iungant. Quare diuina inſpiratio eſt pro ſemine;aſſenſus hominis, diuino inſtinctui conſentientis pro conceptu;obedientia,quâ inſtinctui paret,pro partu; perſeuerantia,pro partus augmento, quo cœlibes in viros perfectos adueniunt. Eſtque in illis quædam ſimilitudo natiuitatis primi virginis Christi. Vt quemadmodum ille ſine virili ſemine de ſpiritu ſancto conceptus eſt;ſic & hi in ſtatu virginitatis,aut caſtitatis,& ſpiritu ſancto naſcantur, quia huius diuini ſpiritus inſtinctu ad caſtitatem alliciuntur. Quamobrem de hac continentium multiplicatione mirabili,iure optimo intelligi poteſt illud Sapientiæ: O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate!] Naturalis enim generatio ex prurítu carnis, & immoderantiâ concupiſcentiæ,non parum habet fœditatis;ideóque tenebras diligit, & ſe ab oculis aſpicientium abſcondit.At procreatio pudicorum pulchra eſt, & ſplendoris plena,cùm non ex fœtore libidinis, nec corruptione carnis, ſed ex incorruptionis amore procedat.

Bonau. in dieta ſal. tit. 2, c. 4.

Sapien. 4. 1.

Hæc igitur multiplicatio eorum qui caſtitatem corruptæ naturæ ſatis difficilem profitentur, omnibus ſemper admirationi fuit. Vnde Sabelicus de Eſſenis loquens, qui etiam ante aduentum Domini caſtitatem coluerunt, eorum multitudinem admiratus,ait: Multis ætatibus (incredibile dictu) gens æterna fuit, in qua nemo naſceretur. Et Solinus Christi fidem neſciens, eandem gentem ob meritum caſtitatis mirificè laudat, & ſectatorum multitudinem verbis exaggerat: Interiora,inquit,Iudææ,quę occidentem contuentur,Eſſeni tenent,qui præditi memorabili diſciplina, receſſerunt à ritu gentium vniuerſarum,maieſtatis,vt reor,prouidentia ad hunc morem deſtinati. Nullæ ibi fœminæ; venere ſe penitus abdicarunt; pecuniam neſciunt; palmis victitant;nemo ibi naſcitur; nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipſe addictus pudicitiæ eſt,ad quem,plurimi licèt vndique gentium properent,nullus admittitur, niſi quem caſtitatis fides,& Innocentiæ meritum proſequatur. Nam qui reus eſt,vel leuis culpæ,quamuis ſumma ope adipiſci ingreſſum velit,diuinitus ſummouetur.Ita per immenſum ſpatium ſæculorum (incredibile dictu) æterna gens eſt, ceſſantibus puerperiis. Hæc ille.] Si autem hæc de Eſſenis dicuntur, qui non multi admodum erant, quæ dici poſſunt de multitudine virginum, & continentium Christianorum? Profectò tot numero ſunt, & fuerunt in lege gratiæ, vt nullo modo crederemus, niſi partim hiſtoriæ veriſſimæ, & quibus ob dignitatem ſcriptorum aſſenſus negari non poſſit, fidem facerent; partim in præſentibus ſæculis, ipſi oculi vniuerſorum aſpicerent. Innumerabiles virgines, immo & virginum myriades ſponſam Chriſti Eccleſiam condecorant, nullo numero comprehenſæ virorum continentium multitudines in ſolitudinibus viuentium eandem exornant. Copioſiſſimus exercitus militum Chriſti,tum Eccleſiaſticorum,tum religioſorum,in mediis populis,& in mediis occaſionibus laſciuiæ (Deum teſtor) caſtitatem fideliter ſeruant. Quorum multi tanta puritate conſpicui ſunt,& tam incredibilem tranquillitatem in hac parte poſſident, vt non homines inter homines, ſed angeli inter ſpiritus cœleſtes eſſe videantur. Quid quòd hic ſtatus caſtitatis plurimos, quibus multiplicaretur, & creſceret, ex ipſo coniugio non iam per mortem alterius comparis ſoluto, ſed adhuc manente, & vigorem habente, protripuit? Gloriatur enim Eccleſia ſe habuiſſe, & habere adhuc (ſed præſens ſæculum omittamus, & quod ſcimus nunc agi, taceamus) multos clariſſimos viros, & pulcherrimas fœminas, etiam principes, ac reginas, in magnis deliciis educatas; quorum illi, coniuges ſuas non magis quàm ſorores, agnouerunt; iſtæ verò numquam ſe viris ſuis carnis tactu copularunt. Quid quòd non paucorum acceſſione creuit, qui ne pollucrentur, mortem aut ab hoſtibus illatam, aut à naturâ coniugium cupiente allatam oppetiuerunt, &, vt mures Armenici, maluerunt mori, quàm fœdari? Ob caſtitatis enim cuſtodiam ab ethnicis occiſæ ſunt: Agatha, Lucia, Cæcilia, Margarita Antiochena, Barbara, Agnes, Dorothea, Euphemia, Iuliana, Dula, Suſanna, Baſiliſa, Anaſtaſia, Fælicula, Victoria, Valeria, Vrſula, & Sociæ, & multæ aliæ. Ob eiuſdem etiam retinendam puritatem, ægritudini ſuæ per coniugium conſulere noluerunt Iacobus Cardinalis Portugaliæ Princeps; Robertus etiam Cardinalis ex illuſtri familia Nobilium, Caſimirus Caſimiri regis Poloniæ filius, & Michaël Verinus Hiſpaniæ noſtræ clara progenies, mortémque patientiſſimè ſuſtentarunt. Quis ergo ita virgines multitudine auget, ita caſtos numero ſine numero multiplicat niſi Deus? Hanc mirabilem acceſſionem in præmium puritatis continentibus tribuens, & eos tanta gloria ſibi admodum gratos oſtendens? In lege veteri multitudo filiorum præmium virtutis exritit. Nam in Deuteronomio ſcriptum eſt: Si audieris vocem Domini Dei tui, abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu vteri tui, & fructu iumentorum tuorum. [Præmium ergo Caſtitatis videtur eſſe hæc, ſupra quàm dici poſſit, virginum multiplicatio, & continentium acceſſio.

Sabel. lib. 3. c. 6.

Solin. in Polyhiſt. c. 48.

Vide Bozium, to. 1. lib. 12. Signo. 48. c. 6.

Deuter. 28. 10.

Aliud autem eſt in hoc præmio mirabilius,quod non ſemel cum magna cordis exultatione contemplati ſumus. Illud autem eſt, quòd tota Eccleſia (faciente Domino) & omnes ſtatus fidelium ob caſtitatem numero creſcunt, & vnde debuerunt minui, inde videmus augeri. Quis non crederet, nationem aliquam, in qua tam multi homines perpetuò abſtinent à mulieribus, & tam innumeræ fœminæ fugiunt penitus conſortia virorum, non

in Eccle

eſſe numero exiguam, & vix homines ſufficientes ad ſui conſeruationem comprehendere? At contrà in Eccleſia euenit, quæ tam innumeros vtriuſque ſexus homines habens, virginitatem aut continentiam profitentes, omnibus eſt gentibus alterius cuiuſque ſectæ maior, & multitudine mulierum ac virorum copioſior. Sed nos à capite Eccleſiæ ordiamur.

Certè Chriſto Domino Saluatori noſtro, & ipſi virgini, ac omnium virginum Principi promiſſum à Patre eſt, vt innumerabiles filios habiturus eſſet. Id enim apertè ſignificant illa verba dicta Abrahæ: In te benedicentur omnes cognationes terræ.] Et rurſus: Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris:] Et ad Iacob nepotem eius dictum eſt: Erit ſemen tuum quaſi puluis terræ: dilataberis ad orientem, & occidentem, ſeptentrionem, & meridiem. Quod enim eſt hoc ſemen, cui ita benedixit Dominus? Doceat nos Paulus: Abrahæ, inquit, dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius.] Non dicit; & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Huius ergo virginis, & ſancti ſeminis filij tot ſunt numero, vt propter immenſam multitudinem, ſicut arena, & ſicut terræ puluis eſſe dicantur, & propter ſanctitatis pulchritudinem ſtellis cœli comparentur. Domini quoque fœcunditatem expreſſit Daniel, dum ait ſe vidiſſe illum quaſi [lapillum abſciſſum ſine manibus, qui contriuit ſtatuam, & [factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.] Et Habacuc, cuius hoc eſt carmen: Operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra.] Cùm, inquam Dominus ad nos venit ab auſtro, ſiue à ſinu Patris, vbi ſemper eſt meridies, & à monte Pharan monte excelſo; hoc eſt, à ſublimitate claritatis paternæ; tunc manifeſtatio nominis eius in homines vniuerſos, qui ipſi crediderunt, effuſa eſt. Vnde Eccleſiæ propagatio à puritate initium accepit, & non à corruptione, neque à nuptiarum carnalium celebratione prodiuit.

Geneſ.12. 3. *Gen.22. 17.* *Gen. 28. 14.* *Galat. 3. 16.* *Dan. 2. 34.35.* *Habac.3. 3.*

Ipſa etiam Eccleſia virgo eſt integerrima, & immaculata, cui etiam tamquam matri, & tamquam alteri principio filiorum ſcilicet fidelium, multitudo tribuitur. Vox Pauli eſt: Æmulor vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.] Zelotypus, inquit, ſum erga vos, ardentiſſimè vos diligo; ita vt amor meus non iam ſit dicendus amor, ſed zelus. Hic autem zelus non eſt vituperabilis, ſed laude dignus, quia non pro gloria mea, aut commodis meis, ſed pro gloria Chriſti hoc zelo ſuccendor. Deſponſaui enim non quemque veſtrum ſeorſum, ſed coniunctim omnes vos vnam Eccleſiam conſtituentes, vt quaſi vnam virginem caſtam vos illi exhibeatis, & eius ſacro connubio perfruamini. Quo loco Anſelmus ait: Omnis enim Eccleſia virgo eſt in mente. Virginitas enim mentis eſt integra fides, ſolida ſpes, ſyncera charitas. Ergo & Eccleſia imitans Domini ſui matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen & mater, & virgo eſt. Nullo itaque modo virginitatem matris ſuæ naſcendo Chriſtus ademit, qui Eccleſiam ſuam de fornicatione dæmonum redimendo virginem fecit. Nunc deſponſata eſt Eccleſia, & virgo eſt, cùm ſe continet à corruptione ſæculari. Sed tunc nuptura eſt, quando ſponſus eius in claritate veniet, & eam ſecum in regni thalamum perpetuò manſuram introducet. Sic ille.] Eccleſia autem mente virgo, mente etiam, A qua virgo eſt, innumerabiles filios viro ſuo Chriſto ſine vlla corruptione progenerat. Cui dicit Iſaias: Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum; quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.] Huius etiam filij ſunt illi, de quibus Ioannes in Apocalypſi inquit: Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.] Eccleſia quippe non ex vno aliquo populo, aut ex vna aliqua gente congregata eſt, ſed ex omni gente, B & omni natione coaluit, & per totum orbem diffuſa Chriſto filios generare non ceſſat. Hæc eſt illa ſterilis, cui etiam per Iſaiam dictum eſt: Lauda ſterilis, quæ non paris: decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filij deſertæ, magis quàm eius, quæ habet virum.] Hanc enim ſterilem eſſe Eccleſiam in lege gratiæ, manifeſtè Paulus ad Galatas ait. Quæ [ſterilis] dicitur; [& non pariens,] quoniam in lege ſcripta paucos pariebat filios, & nullos ferè ex Gentibus ad Dei veri cognitionem, & adorationem vocabat. Nunc verò habens virum, non illum Moſen, quem habebat Synagoga, ſed Ieſum Chriſtum filium Dei, in immenſum illi filiorum numeroſitate præcellit. Lætatur illa C profectò, & laudat Dominum propter hanc ſibi datam fœcũditatem, ſicut vaticinatus eſt Dauid: Habitare, inquit, facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem.] Sterilis enim iſta Eccleſia eſt, auctore Auguſtino, quam Dominus innumerabilium filiorum copiâ donauit. Qui, vt idem ſanctus Doctor ait, ſemen Abraham, id eſt, prolem Eccleſiæ ſelectam, ſicut ſtellas cœli ſanctitate ſublimi in ſupernis ſedibus collocat, & ſicut arena in ora maris, miſericordem innumerámque multitudinem à ſiniſtris fluctibus, atque amaritudine impia ſegregat. Eccleſia ergo virgo ex ſponſo virgine integra manens, abſque vllo numero filios generat, vt nunc eam repleant, & poſtmodum in cœlis coronam decoris, & D ſertum gloriæ recipiant.

2.Corint. 11.2. *Anſel.ib.* *Iſaia.60. 4.5.* *Apoc.7.9* *Iſaia.54. 1.* *Galat. 4. 26.* *Pſ. 112.9.* *Aug.ibid.*

Quid nos hinc elicimus? Id quidem, quòd ſicut fideles omnes ex Chriſto virgine, & parente optimo, & ex Eccleſia virgine, & matre honorabili prodierunt; ita & nunc caſtitate & virginitate numero augentur, & creſcunt. Eædem namque ſolent eſſe cauſſæ productionis alicuius rei, & eiuſdẽ augmenti. Quare ſi puritas tot filios genuit, puritas etiam auxit, ac multiplicauit.

Sed quonam modo caſtitas filios Eccleſiæ numero auget, cùm potiùs oppoſitum colligi debere videatur, quia illi, qui continentiam colentes, E filios non generant fideles futuros, Eccleſiam eorum numero priuant? Ita ſanè: quòd Deus, vt ipſi continentes numero ſemper augeantur ad cultum ſuum, & vt mirabile præmium ex ſua continentia conquirant, numero ſine numero ſanctam Eccleſiam in omni gente & ætate multiplicat. Cùm enim Eccleſia præceptum coniugalis caſtitatis excepit, vt ſcilicet quiſque fidelis vnam tantùm vxorem, & quæque fæmina vnum tantùm virum haberet; & cùm conſilium perpetuæ continentiæ ac virginitatis audiuit, poſſet dicere, quomodo multiplicabor? Quomodo me ab inimicis tuebor? In ſectis & nationibus gentium vnus quilibet plures vxores ducit; iſtarum rara eſt, quæ viro fidelitatem cuſtodiat: omnes, qui nuptias non celebrant, per illicitum con-

cubitum filios generant; nullus eſt apud eos pudicitiæ reſpectus, nulla caſtitatis memoria, nulla virginitatis notitia. Ergo à gentibus, numero & robore bellico vincar. Me igitur infideles & hæretici, non iam filij, ſed hoſtes proſternent, me vorabunt, me de medio tollent, & Dei veri cultus, & notio peribit? Ne ergo aliquis hæc temerè apud ſe cogitet, hæc dicit Dominus ad Eccleſiam: Noli timere, ſerue meus Iacob, cœtus omnium fidelium, & rectiſſime, quem elegi,] ad ſequendam ſcilicet veritatem doctrinæ, & ſanctitatem vitæ. [Effundam aquas baptiſmi ſuper ſitientem, & fluenta ſpiritus ſancti ſuper aridam. Effundam, inquam, ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam. Et germinabunt inter herbas, quaſi ſalices iuxta præterfluentes aquas.] Quia ſanctæ Eccleſiæ filij, vt Gregorius ſcribit, inter herbas ſicut ſalices germinant, dum inter areſcentem vitam carnalium hominum, & multiplici numeroſitate, & perpetua mentis viriditate perdurant.] Iſte dicet: Domini ego ſum, & ille vocabit in nomine Iacob; & hic ſcribet manu ſua: Domino, ſcilicet, me conſecro; & in nomine Iſrael aſſimilabitur:] id eſt, ſe Chriſto credere, Chriſtúmque imitari fatebitur. His promiſſionibus multitudo filiorum Eccleſiæ ſignatur, qui ad omnia florentiſſimæ reipublicæ neceſſaria peragenda ſufficient. Eandem quoque multitudinem idem Propheta apertioribus verbis vaticinatus eſt, quibus Eccleſiæ ſterilitatem prætendenti reſpondit. Inter alia namque ſic ait: Adhuc dicent in auribus tuis filiis ſterilitatis tuæ: Anguſtus eſt mihi locus, fac ſpacium mihi, vt habitem.] His autem auditis, [dices] tu, ô Eccleſia, [in corde tuo: Quis genuit mihi iſtos? ego ſterilis; & non pariens, transmigrata, & captiua: & iſtos quis enutriuit? Ego deſtituta, & ſola, & iſti vbi erant?] Auſculta, ô Eccleſia, reſponſionem. [Hæc dicit Dominus Deus: Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt.] Promiſſio iſta Dei impleta eſt, habétque Eccleſia, vt Bozius doctè probat, plures ſectatores quàm qualibet alia ſecta, aut falſa religio. Ac meritò ponit Eccleſiæ notam multitudinem ſectatorum ipſius. Concluditque non ſine magno fundamento quartam partem totius orbis eſſe Catholicorum, ſextam tantùm Mahumetanorum, reliquas eorum, qui vel hæretici ſunt, vel alterius ſuperſtitionis. Eccleſia ergo ob multitudinem continentium non deficit, ſed potiùs multiplicatur, & creſcit.

Iſaia.44. 2.

Greg.33. mor.c.5.

Iſaia.44. 5.

Iſaia.49. 20. 21. 22.

Boſi. lib. 20. to.2. c.1. ſigno. 81.

Idem autem, quod de totâ Eccleſiâ diximus, de quolibet Chriſtianorum regno dicendum eſt, quòd ſcilicet multitudo eorum, qui diuino cultui ſe mancipant, & Deo in religioſa vita ſe conſecrant, nullo modo numerum neceſſarium ad florentiſſimam rempublicam conſtituendam, & ad bella gerenda adimit, ſed potiùs eum mirum in modum auget. Idque manifeſtè ſenſit Gregorius ad Mauritium Imperatorem ſcribens, & eum ob legem latam, ne quis miles monachus fieret, reprehendens. Tunc, inquit, magis dominorum exercitus contra hoſtes creſcit, quanto Dei exercitus ad orationem creuerit.] Senſit & Pius II. Pontifex Maximus, cui, cùm miniſter generalis fratrum Minorum triginta millia religioſorum iuuenum ſui ordinis ad expugnandam terram ſanctam offerret, quos ſine iacturâ cultus diuini aſ-

Greg. lib. 2. epiſt. indict. 11. epiſt. 60.

A ſerebat ad bellum extrahi poſſe, prudentiſſimus Eccleſiæ Pater eos admittere noluit, ſciens videlicet res Deo conſecratas non debere ad vſus ſæculares deuolui, & animabus continentiam ſeruantibus, Deóque in cœnobiis vacantibus, regna non languere, ſed roborari. Sed hoc veriſſimum eſſe in noſtro Hiſpaniæ regno videamus, & quod de illo dicemus, de quolibet alio Chriſtiano regno, ſeruatâ proportione, affirmare poſſemus. Hiſpania igitur noſtra copioſiſſimâ multitudine Eccleſiaſticorum floret caſtitatem vouentium, atque ſeruantium. Innumerabilia habet virorum ac fœminarum cœnobia, ac monaſteria, quorum quodlibet multis religioſis repletur, caſtitati militantibus. Inſuper abundat plurimis aliis qui in B ſæculo viuentes cœlibem vitam agunt, & corporis ac mentis caſtitatem cuſtodiunt. An ob id paucos incolas habet? An nomen Hiſpaniæ victricis amiſit? An minus quàm infidelium regna ſecundùm potentiam, & ſplendorem temporalem viret & floret? Nullo modo. Immo ipſa aliis fidelium nationibus eſt admirationi, & infidelium regnis terrori, & toti Eccleſiæ eſt propugnaculum munitiſſimum, fidei integritatem protegens, & Pontificem Romanum caput Eccleſiæ defendens. Eius litteris hæreſes, & deliria infidelium confutantur, bonæ diſciplinæ promouentur, eius opibus omnes nationes ditantur, & cùm tantùm argenti, & auri quotannis effundat, numquam tamen theſauri eius exhauriuntur. Hanc gentem, in qua tot ſunt cælibes, & C continentes, terra illis data capaciſſima, & fertiliſſima capere non potuit, & ideo aliquibus ex ſe emiſſis, Indiam Orientalem, & has partes Occidentales vaſtiſſimas, in quibus ſunt regna Peruuianum, & Mexicanum, expugnauit, & repleuit. Adeò, vt de illâ decantari poſſit, quod de populo Domini à Dauide decantatum eſt: Operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius cedros Dei. Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines.] Ac de eius Principe, quod dixit Iſaias: Dabit in conſpectu eius gentes, & reges obtinebit: Dabit quaſi puluerem gladio eius, ſicut ſtipulam vento raptam arcui eius. Perſequetur eos, tranſibit in pace.] D Nec his contenta paucitatem non timens iſtis extremis annis (vt certa relatione accepimus) ferè quingenta millia hominum ex Mahumetanis propagatorum, qui Chriſtianam legem non ſequebantur, & regno excidium minitabantur, non occidit, ex pietate, vt poſſet, ſed à ſe abiecit, & repulit. Hæc multitudo igitur Hiſpanorum, iſtæ diuitiæ, hæc gloria, (vt ego quidem opinor) præmium eſt in terra datum Hiſpaniæ ob humillimam ſubiectionem, Eccleſiæ Romanæ, & eius Pontifici cuſtoditam, ob fidem diligentiſſimè ſeruatam, ob caſtitatem amatam. Capiti Eccleſiæ ipſa ſe ſubdat, fidem ab omni labe, hæreticos etiam exurendo, defendat, nefanda peccata igne puniat, caſtitatémque tantorum virorum, & fæminarum Deo conſecratam proueh at, atque cuſto- E diat, & ex hac parte excidium non timeat. Timeat ſuperbiam diuitiarum comitem, timeat delicias, & ſuperfluitatem ciborum, atque indumentorum, diuitiarum partus: timeat iniurias neophytorum à Deo ſibi ad doctrinam fidei ſeminandam, & ad tutamen commiſſorum; Hæc metuat, & alia ſimilia formidet, quæ ſolent regna ſubuertere. At de multitudine continentium gaudeat, ob quorum puritatem à Deo diligitur, quorum numero, vt exer-

Pſal. 79. 11.

Iſaia 41. 2.

A citu potentiſſimo defenditur, quorum orationibus roboratur.

Sed vnde ſciemus, multitudinem gentis in regno caſtitate creſcere, & in præmium caſtitatis dari? Illud quidem naturali ratione, iſtud verò non leui coniectura colligitur. Certum eſt enim, apud medicinæ peritos, effrænem luxuriæ libidinem, & vagum concubitum, generationem impedire. Vt enim Petrus Gregorius Toloſanus vir ſatis doctus ait: *Greg. Toloſa. li. 14 de repub. c. 1.* Non conueniunt vagi, & illiciti concubitus ad formandam rempublicam, ſed contrà maximè noxij ſunt, & auertunt generationem. Siquidem, vt dicunt Medici, & Phyſici, ex frequenti coitu fit lubrica vulua, & conceptio impeditur. Et ſi quando naſcantur ex iſtis concubitibus illicitis quidam, exiſtimandum eſt de tali commixtione B meretricum degeneres populos, & ignobiles, & furentes libidine, ferè procreandos, & ad extremum vniuerſam plebem ad deteriora & ignobiliora vergentem; & nouiſſimè nec in bello ſæculari fortem, nec in fide ſtabilem, nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem eſſe venturam. Sic ille.] Id etiam ſignificant verba illa Iacob ad Ruben filium ſuum: *Gen. 49.* Effuſus es ſicut aqua, non creſcas.] Vel, vt Aquila vertit, teſte Procopio: Non eris abundantior. Id eſt, genus tuum minùs multiplicabitur, quàm tribus fratrum tuorum: iuxta illud, quod in Deuteronomio ſcriptum eſt: *Deut. 33.* Viuat Ruben, & non moriatur, & ſit paruus in numero.] Quod iſti contigit, luxurioſis impudicíſque contingit. Effundunt ſe, vt aqua, per luxuriam, atque carnis intemperantiam, & ideo parum numero multiplicantur, & creſcunt. C Gentes ad Septentrionem habitantes caſtiores ſunt; mirum autem eſt quàm ſint multitudine innumerabiles, quámque in illis regionibus ſit copioſus hominum numerus. Gentes verò ad Auſtrum ſunt ſalaciores, & hæ (vt hoc apertè videamus) à Septentrionalibus vincuntur numero. Neque obiicias mihi polygamiam antiquis Patribus in exordio mundi conceſſam, & cauſſam à doctoribus datam, vt ſcilicet plures ex pluribus quàm ex vnâ tantùm vxore viri ſuſciperent. Vnde Auguſtinus: *Aug. li. de conſenſu Euang.* Quare fœminæ non habebant ampliùs vno viro, vir autem plures fœminas? niſi quia plures habere fœminas vnum virum, pertinet ad prolis numeroſitatem: vna autem fœmina non quò plures habet viros, plures poteſt parere filios.] D Hoc, inquam, non obſtat; quia aliud eſt, animo caſto, & prolis generandæ cauſſa, ex permiſſione Dei, ad ſignificandum aliquid pluribus iungi; aliud verò, ex ardore libidinis contra præceptum Domini cum pluribus fornicari. Illud cùm natura erat vegeta, & robuſta, multiplicationi profuit; hoc poſt naturæ imbecillitatem, quæ ſeneſcente mundo, ad ſenium vergit, apertè multiplicationi obeſt, & debitæ educationi; quia proles incerta eſt minùs amabilis, nec poteſt à patribus an ſua ſit dubitantibus, vel alterius fornicarij, ita diligenter educari. Et Dominus, qui ab initio hominum multiplicationem voluit, vnum virum vni vxori iunxit. Atque, vt ait Iſidorus, *Iſidor. 2. officiis. 9.* E quòd non vnus, & multæ, ſed vnus, & vna copulantur, ipſa prima diuinitus facta coniunctio in exemplum eſt. In quod exemplum? In hoc profectò, vt ad multiplicationem humani generis caſtitas coniugalis ſeruaretur, tanquam numero naſcentium proficiens, non tanquam illum impediens. Et hæc quidem de caſtitate coniugali intelligenda ſunt, quæ in debitam generis humani multiplicationem eſt ab auctore naturæ inſtituta.

A At quanam ratione hæc multiplicatio eſt præmium virginitatis ac perfectæ caſtitatis? Nam ſi omnes caſtè & ſecundùm leges matrimonij coniungerentur, videtur futurum multo maius hominum Chriſtianorum augmentum. Ad maiorem hominum multitudinem non ſatis eſt ſi plures naſcantur, ſed ſi ex infantibus natis plures ſeruentur. Nam eſto quòd in vna vrbe quotidie naſcantur octoginta, & in alia ſeptuaginta; ſi in illa moreretur medietas priuſquam ad virilem ætatem peruenerit, in iſta verò ſolùm tertia pars, aut minùs quàm tertia, planum eſt, quia iſta illam interdum numero vinceret, interdum æquaret. In Eccleſia autem fortè pauciores naſcuntur, ex eo quòd non omnes matrimonium ineunt, immò plurimi caſtitatem cuſtodiunt, at plures ex infantibus à morte ſeruantur, vt ex his, quæ B dicta ſunt, manifeſtè colligitur. Neque enim poterat Eccleſia numero quamlibet aliam ſectam falſam vincere, niſi in ea plures ex natis ſeruarentur. Ergo Deus in ea, licèt pauciores naſcantur, plures ſeruat, & faucibus mortis eripit, vt hæc ſponſa Dei ex dono caſtitatis in multis, non ſentiat detrimentum fœcunditatis in aliis. Hoc verò fieri puto in præmium mundiſſimæ caſtitatis. Vt ſicut Abraham filium à quo poſteritatem ſperabat, immolare diſponens, & Deo præcipienti fidens, non eſt filiis minoratus, ſed auctus: ita Eccleſia multos in omni ætate virgines, & caſtos Deo offerens, & paucitatem non metuens, in præmium tantæ fiduciæ, & tantæ puritatis, filiis innumerabilibus repletur. Infidelibúſque conuenit illud Domini per Oſeam: *Oſea. 9. 11.* Si enutrierint filios ſuos, abſque liberis eos faciam in hominibus: ſed & væ C eis cùm receſſero ab eis.] At Chriſto Eccleſiæ ſponſo congruit illud elogium Ioſeph Patriarchæ, quem in typum Saluatoris accepimus: *Gen. 49. 25.* Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli deſuper, benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus vberum, & vuluæ.] Nam & hæc de Chriſto eſſe intelligenda, manifeſtè Ambroſius proteſtatur, dicẽs, vbera, quibus in nobis educatus, & auctus eſt, duo eſſe teſtamenta, è quorum doctrina fidem accepimus. *Ambr. li. de benedict. Patriarch. c. 11.* Omnia, inquit, ſubiecit ei, cæleſtia ſicut benedictionem cæli, & terrena ſicut benedictionem terræ, vt & hominibus & Angelis dominarêtur. Itaque in illo velut contemptibili corpore præualuiſti, inquit, propter benedictionem vberum, & vuluæ. Benedictiones patris tui, & matris vbera, duo teſta- D menta dixit, quorum altero annunciatus eſt, altero demonſtratus. Et bene vbera, quoniam velut quodam nos ſpiritali lacte nutritos educauit, & obtulit Deo filios. Sic ille.] Suſcipienda igitur eſt à nobis, & ſummis votis amplectenda caſtitatis virtus, cuius tam ingens eſt præmium, vt cultores ſuos in cælo magna gloria repleat, & in terra honoribus eximiis excipiat. Cuius tanta eſt fœlicitas, vt dum etiam à complexu licito maritali abſtinet, mirabili modo etiam gentis numeroſitate Eccleſiam multiplicet.

De Medijs ad Caſtitatẽ corpori applicandis.

CAPVT XIV.

E NVNC inſtrumenta ſunt explicanda, quæ vtilia eſſe poſſunt, vt caſtitatis perfectionem, eiúſque præmium obtineamus. Omnis enim virtus, Dei donum eſt, licèt miſericorditer prerogatum, nõ tamen cooperationem noſtrã excludẽs, qua ad ipſum ſuſcipiendũ præparemur, & quaſi hoſpitiũ virtuti, virtute dignũ offeramus. Caſtitas autem

virtus

virtus cùm ſit, & aliis multis obtentu difficilior, non debet ab hac regula communi excipi, nec à labore noſtro Dei gratiæ ſubnixo diſiungi. Alia vitia non multo negotio deponimus, luxuriam verò medullis noſtri corporis inſitam non facilè pellimus, ac refutamus. Quod animaduertens Hieronymus, ait: Auaritia calcatur à pleriſque, & cum marſupio deponitur. Maledicam linguam, indictum emendat ſilentium. Cultus corporis, & habitus, veſtium vnius horæ ſpatio commutantur. Omnia alia peccata extrinſeca ſunt, & quod foris eſt, facilè abiicitur. Sola libido inſita à Deo ob liberorum procreationem, ſi fines ſuos egreſſa fuerit, redundat in vitium, & quadam lege naturæ in coitum geſtit erumpere. Grandis igitur virtutis eſt, & ſolicitæ diligentiæ, (ſuperare quod nata ſis, in carne non carnaliter viuere, tecum pugnare quotidie, & incluſum hoſtem, Argi (vt fabulæ ferũt) centum oculis obſeruare.] Caſtitas itaque labore, & mediis adhibitis acquirenda eſt: quam qui voluerit quaſi non dato pretio, & gratis accipere, ſtatim concupiſcentia victus ab eius amore diſcedet. Eueniet illi ſanè, quod pulchre Ambroſius de illo, qui Caſtitatem ſine mediis adhibitis quærebat, ſcripſit. Intueamur enim, inquit, animo intemperantem aliquem, qui intuitus gratiam caſtitatis, & quodam eius captus decore, ſequendam putet. Deinde pediſſequas eius neſciens, quibus comitata incedit, & ſtipata aduenit, ſobrietatem ſcilicet, modeſtiam, & verecundiam, parcimoniam cibi, fugam laſciuiæ, procacitatis, petulantiæ, cautionem fœmineam, ſolicitam cuſtodiam, ſubitò, aut ebrietatis ſucceſſus calore, aut ipſius carnis æſtu, aut occurſu formæ decentioris, nequaquam ſe teneat, nec legi carnis repugnet. Nonne dicit: Putaui te ſaciliorem, caſtimoniam ſequi: ſupra humeros meos, ſupra vires meas? Rarus, cui iſta iungantur. Vale caſtitas, ſecede de finibus ſenſuum meorum. Recurre citò eò vnde huc veniſti. Non ſuſtineo præſentiam tuam; affligor grauibus quæſtionibus, dum tenendam te arbitror, quam tenere non poſſum. Conuerſus deinde ad aliquem monitorem ſui, qui ſtuduerit in eius mentem inducere aſſuetudinem caſtimoniæ, allegans non arduam fore, nec impoſſibilem, ſed pluribus ſociam, finitimam ſtudioſis, conuenientem voluntariis: Quid eſt hoc, inquit, quod feciſti? Quare non dixiſti mihi, quia vxor tua eſt? Hoc eſt, quæ non perfunctoriè, ſed legitimo teneatur coniugio, maximam ſecum vehat dotem, quæ iuuabat grauia onera matrimonij, & duræ fœnus coniunctionis? Sed dixiſti ſororem, nullis aſtrictam legibus, & naturæ ſociam, non iure aliquo dotalis cenſus ſuperbam, ac potentem. Itaque imprudens onerum eius, copulandam mihi eam & retinendam putaueram. Sed intellexi quod pondus ſit in ea, & ſarcina. Ecce mulierem tuam, id eſt, ecce perſuaſio tua ante te eſt, accipe, & curre. Sic ille.] Iſta euenient illi, qui abſque vllo labore, & ſine prærutis comitibus voluerit ſibi caſtimoniam aſciſcere.

Hier. epi. 10. ad Furiam c. 3.

Ambr. 2. de Abraham. c. 4.

Media itaque adipiſcendæ caſtitatis inueſtigemus, & ex Patribus hanc rem pro dignitate tractantibus colligamus. Sed cùm caſtitatis ſedes ſit animus, domicilium verò animi caſti, & continentis ſit corpus, vtrique medicamina adhibenda ſunt, vt nobis cupientibus ſalus iſta proueniat. Neceſſe eſt enim (aſſerente Ioanne Caſſiano) vt morbo duplici duplex adhibeatur curatio. Nam corpori, ne concupiſcentia in effectum tenter prorumpere, neceſſariò effigies, & materia illiciens ſubtrahenda eſt; & animæ nihilominus, ne eam vel cogitatione concipiat, attentior meditatio ſcripturarum & ſolicitudo peruigil, ac remotio ſolitudinis vtiliter apponenda.] His igitur ita ſe habentibus, primò inſtrumenta caſtitatis, quæ per corpus exercentur, tanquam manifeſtiora; & poſtea, quæ ad animam pertinent, tanquam occultiora, tractabimus.

Caſſian. coll. 5. c. 4.

Si ergo cordi tibi eſt, ô iuſte, votum caſtitatis cuſtodire, & ad eius, quam expoſuimus, perfectionem aſcendere, abſtinentia ciborum tibi neceſſaria eſt; vt ſcilicet corpori ex cibis tum in quantitate, tum in qualitate ſuperflua ſubtrahas, & ſolùm ad viuendum & laborandum ſecundùm vocationem tuam neceſſaria concedas. Ex nimietate namque ciborum luxuriæ materia generatur, & ex eorum exquiſita ſuauitate alterius nocentioris ſuauitatis appetitus accenditur. Tollat homo ab igne materiam, ne ignis ardeat; domet, & comprimat hoſtem, ne victor exurgat; reiiciat minorem voluptatem, vt maiorem contemnere diſcat. Et ſciat, ſine ciborum parcitate non ſolùm in robuſtis & agreſtibus hominibus, ſed etiam in aulicis & delicatis caſtitatem periclitari. Hieronymus, caſtitatis monita Euſtochio præſcribens, eam ad abſtinentiam hortatus eſt, & ſtatim inquit: Quòd ſi volueris reſpondere, te nobili ſtirpe generatam, ſemper in deliciis, ſemper in plumis, non poſſe à vino, & eſculentioribus cibis abſtinere, nec his legibus viuere; diſtrictiùs reſpondebo: Viue ergo lege tua, quæ Dei non potes. Non quòd Deus vniuerſitatis creator, & Dominus, inteſtinorum rugitu, & inanitate ventris, pulmoniſque delectetur ardore, ſed quòd aliter pudicitia tuta eſſe non poſſit. Iob Deo charus, & teſtimonio ipſius immaculatus, & ſimplex; audi quid de diabulo ſuſpicetur: Virtus eius in lumbis, & poteſtas eius in vmbilico.] Honeſtè viſi, mulieriſque genitalia immutatis ſunt appellata nominibus. Vnde & de lumbis Dauid ſuper ſedem eius promittitur eſſe ſeſſurus. Et ſeptuaginta quinque animæ introierunt in Ægyptum, quæ exierunt de femore Iacob. At poſtquam colluctante Domino latitudo femoris eius emarcuit, à liberorum opere ceſſauit. Et qui paſcha facturus eſt, accinctis mortificatiſque lumbis, facere præcipitur. Et ad Iob dicit Deus: Accinge ſicut vir lumbos tuos.] Et Ioannes zona pellicea cingitur. Apoſtoli iubentur accinctis lumbis, Euangelij tenere lucernas. Ad Hieruſalem verò, quæ reſperſa ſanguine in campo inuenitur erroris, in Ezechiele dicitur: Non eſt præciſus vmbilicus tuus.] Omnis igitur aduerſus viros diaboli virtus in lumbis eſt: omnis in vmbilico contra fœminas fortitudo. Sic Hieronymus.] A lumbis itaque hominis libidinis feruor tollitur, dum ſuperfluitas ciborum à ventre ſuauitáſque ſubtrahitur. Et ſicut ſi igni materiam aptam ad combuſtionem adiiceres, & ſimul ignis extinctionem à Domino peteres, miraculum poſtulares: ita Deum tentas, & miracula præter neceſſitatem exquiris, ſi teipſum cibis ingurgitas, & obſecrationibus ad caſtitatẽ anhelas. Non à te poſcimus, vt Caſſianus, quòd ſis duobus tantùm paxamatiis, id eſt, paruis ſex vnciarum panibus, & paruula aquæ menſura contentus. Hæc enim ſolitariis dicebantur noctu diuq; meditantibus, & parum corpore laborantibus, & iam humana imbecillitas ordinariè non ſuſtinet, vt ſolo pane, & aqua viuat. At dicimus, vt ſecundùm vires & labores tuos à cibis tempetes, & quantitatem ac qualitatem ciborum ſolùm ne-

1.

Hier. epi. ad Euſto.

Iob 40. 11.

Iob. 38. 3

Ezech. 16. 4.

Caſſian. col. 12. c. 15.

Hieron. epiſt. ad Euſtoch. A ceſſariam velis. Daniel, ſecundùm Hieronymnm, vir deſideriorum vocatus eſt, quia non comedit panem deſiderabilem. Si ab huiuſmodi pane, id eſt, à deliciis ciborum abſtinueris, eodem titulo ſanè honorifico inſignieris.

Sobrietatem diligito, non enim minùs potus nimietas, quàm cibi, luxuriæ æſtum accendit. Præſertim verò à vino temperandum eſt. Quare Ambroſius viduam alloquens ait: Eſto caſta primùm à vino, vt poſſis eſſe caſta ab adulterio. *Ambr. 1. de viduis.* Et Hieronymus ad quandam viduam ſcribens: *Hier. epi. 10. ad Furiam.* Primùm, ſi tamen ſtomachi firmitas patitur, donec puellares annos tranſeas, aquam in potu ſume, quæ natura frigidiſſima eſt.] *Luc. 1. 15.* Ioannes virgo vinum & ſiceram non bibit adhuc ex vtero matris ſuæ. Et Daniel continentiam diligens *Dan. 1. 12.* petiuit à principe eunuchorum legumina ad veſcendum, & aquam ad bibendum. B Et Paulus: *Epheſ. 5. 18.* Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria:] Domicilium ergo luxuriæ fugiendum eſt ei, qui in domo caſtitatis appetit habitare. Quia tamen omnes non poſſumus præſertim iam ad ſenectam properantes vini potum omnino vitare: at ſaltem documentum Pauli teneamus, ad Timotheum ſcribentis: *1. Tim. 5. 23.* Modico vino vtere propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates. [Vt enim Eccleſiaſticus ait: *Eccl. 31. n. 22. & 32.* Quàm ſufficiens eſt homini erudito vinum exiguum. Et poſtea: Æqua vita hominibus vinum in ſobrietate:] Si bibas illud moderatè, eris ſobrius. Conſideremus verba Chryſoſtomi. *Chryſ. hõ. 81. ad Antiochenos.* C Vinum eſt datum, vt delectemur, non vt dehoneſtemur: vt rideamus, non vt rideamur: vt valeamus, non vt ægrotemus: vt corrigamus corporis valetudinem, non vt animæ proſternamus virtutem. Sic ille.] Certum eſt autem hæc mala non tantùm ex vino vſque ad ebrietatem potato, ſed ex ipſo etiam immoderatè ſumpto prouenire. Nam ille ſeipſum dehoneſtat, & riſui aduerſariorum exponit, qui ob immoderantiam potus in aliquam iacturam Caſtitatis incurrit. Et licèt non eò vſque malum progrediatur; at non paruum malum eſt, ſi ob hanc cauſſam quis mentis tranquillitatem amittat, & tentationibus impugnetur.

III. Senſus, præſertim viſum, auditum, & tactum, cohibeto. Nam hi ſunt internuncij mortis, concupiſcentiæ obiecta illicita deferentes, quibus ad prauum conſenſum allicitur. D Et qui non vult malum aliquod perpetrare, non concupiſcat: qui vult non concupiſcere, non cogitet; qui vult non cogitare, non attrectet, non audiat, non videat. Hinc initium mali deſumitur, & qui initiis obſtat, facilè à progreſſu, & fine impudicitiæ liberatur. Ac proinde pulchre dixit Ambroſius: *Ambr. li. 2. de Abraham. c. 11.* Viſus, & auditus, & odoratus, & guſtus, & tactus, & vocis ipſius quæritur quædam caſtimonia: quia & viſus procacior habet crimen. Et ideo ſcriptum eſt: *Prou. 5. 2.* Noli intendere fallaci mulieri,] neque capiaris oculis, neque attripiaris palpebris. Et in ipſo auditu crimen eſt, ſi ſeducat meretrix, & multo blandimento ſermonis, & laqueis labiorum ſuorum te alliget. Et in ipſo tactu crimen eſt. Ideóque tibi dicitur: Ne multus fueris ad alienam, neque continueris amplexibus non tuam. E Et in voce culpa eſt. Laqueus enim fortiſſimus eſt homini ſua labia, & abducitur à labiis ſui oris. Et mel ipſum noli multum edere, ne vomas. Oportet ergo vt omnium ſenſuum acuta ſit moderatio, ne aut impetus in vitiũ trahat, aut nimietas lædat, aut mora offenſioni ſit. Et idem alio loco ait: *Ambr. li. 2. de Apologia Dauid.* Non adulteraſſet Dauid alieni ius thori, & fœderati pacta coniugij, niſi nudam, & lauantem mulierem de domus ſuæ interioribus vidiſſet. Et ideo bene ſcriptum eſt: *Eccl. 25. 18.* Non incidas in mulieris ſpeciem, A & non concupiſcas mulierem. Ait alibi: Ab omni irreuerenti oculo caue. Nihil de contumacia tua, & virtute præſumas. Etenim [fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoſcetur:] *Eccl. 26. 12.* & ideo cauſſam primò peccati fuge. nemo enim diu fortis eſt. Et Climacus de tactu ait: *Climac. grad. 15.* Fit nonnunquam vt ex ſolo tactu corpus inquinetur. Nihil quippe ſenſu iſto grauius, nihil periculoſius. Admoneat te is, qui matris manui pallium circumdedit, ab iiſque, quæ vel naturalia, vel præter naturam ſunt, à proprio, atque alieno corpore comprime manum. Hæc ille.] Intelligamus ergo à ſenſibus impudicitiæ malum incipere, atque adeo oportere, vt Caſtitatis amator eos tãquam ianuas ſuæ mentis cuſtodiat. B Mundicia enim mentis à circunſpectione externa petenda eſt: & ſicut mens pura ſenſus ſuos in officio continet; ita ſenſus mortificatione cohibiti puritatem mentis efficiunt.

IV. Non ſolùm ſenſus comprimito, ſed & ita actus eorum, & inceſſum tuum, & motus corporis temperato, vt & in te caſtitati proſint, & alios ad amorem caſtitatis alliciant. Nam & fractior inceſſus, & motus leues, ac laſciui, ſolent animam ad leuitatem permouere, & ab amore grauitatis in caſtitate elucentis ſeparare. Enitendum ergo tibi eſt tam perfectam caſtitatem habere, vt non tantùm caſtus ſis corpore, & mente, verùm vt te aſpicientes modeſtia vultus, & inceſſus, & grauitate actionum ad caſtitatem inſtiges. C De quo hæc grauiſſimè Baſilius: *Baſil li. de virginit.* Neque verò vſquam in vicis, & plateis, vbi turpium flagitioſorúmque hominum conflari cœtus conſueuit, ſacra virgo cernetur. Verùm captata congrua proceſſionis hora, talem ſe & habitu, & inceſſu, & toto corporis motu exhibebit, vt qui illi fortè obuij fuerint, ac ſi viuum Dei ſimulachrum aſpicientes, faciem ad reuerentiam, atque ad admirationem ſanctitatis inclinent, honeſtæque virtutis admoniti, mentem pudicam, & ſobriam referant: venerentur, inquam, aſpectum virginis (vt dixi) tanquam diuinæ imagini reuerenter de via cedant. Quemadmodum denique Satyrorum conſpectæ imagines riſum intuentibus mouent; ac ſicuti aliæ mœſtiores effigies cernentium & animum & faciem triſtium imaginationibus confundunt: D & ſicut nihil horum cùm mouetur intuentium faciem in ſuum traducit affectum, ſed quod in immota imagine aſpicitur, in illa immobili forma cernentium animos mouet, atque ad ſui imaginem dirigit: ita & virgo caſtitatis imago, immo ipſius virtutis effigies, etiam conſpecta ſolùm ad Dei conſiderationem humanos mox conuertere ac mouere debet affectus. Feriatur itaque impudicus quiſque animo ex aſpectu virgineo pulcherrimæ caſtitatis admonitus; reminiſcatur quiſque protinus Dei, dum eam cernit effigiem, quæ ſe ad eius perficienda mandata ſemper exercet; atque, vt breuiter dixerim, omnium aſpicientium virginem & affectus, & animus ad virtutis transferatur amorem, omnes ex allocutione eius grauitatem & compunctionem animo referant. Hactenus ille.] Modeſtia itaque inſtrumentum E eſt caſtitatis, & vix aliquem inuenies caſtitate conſpicuum, quem diſcreta grauitas deſeruerit, & moderatio in geſtibus, & in motibus à ſe diſtraxerít. Hæc index eſt caſtitatis, quia impudicus oculus, & incircunſpectus inceſſus; impudici & incircunſpecti cordis eſt nuncius. Eſt etiam medicamentum animæ tentationibus impudicitiæ laborantis; quia dum corpus ad normam rationis componitur, animus etiam ab irrationalibus deſideriis liberatur.

V. Corpus tuum flagris, ciliciis, vigiliis, humicuba-

tionibus,& aliis aſperitatibus caſtigato. Quia caro procatiſſima eſt,& ex indulgentia ad laſciuiam procedit; & ex licita commoditate ad vetitam voluptatem venire contendit. Blandiciis feræ manſueſcunt ſylueſtres,inquit Laurentius Iuſtinianus,caro autem proteruior efficitur. Blanditiæ proinde illi denegentur, ne præceps in impuram voluptatem feratur.

Inſt. de diſciplin. mon.c.4.

Climacus ſanè tentationi irruenti corporis caſtigatione obſiſtendum eſſe,ſic ait.Quo in tempore ſummum nobis adiutorium præſtabit cilicium , & cinis, totiſque noctibus ſtatio immobilis , panis deſiderium , ardens lingua, modicéque irrorata , ſepulchrorum habitatio, &c. Nec tentatio expectanda eſt, vt corpus aſperitatibus affligamus, immò ſemper eſt ſeuerè, duritérque tractandum , ne aduersùs mundiciam inſoleſcat. Quare iure optimo anima caſta ſignatur in turture, quæ tempore viduitatis vitam artipit ab omni indicio voluptatis alienam. Cernere eſt turturem , inquit Bernardus, tempore ſuæ viduitatis, ſanctæ viduitatis opus ſtrenuè atque infatigabiliter exequentem. Videas vbique ſingularem , vbique gementem audias, nec vmquam in viridi ramu reſidentem proſpicies, vt tu ab eâ diſcas voluptatum vitia velut virulenta vitare. Adde quòd in iugis montium, & in ſummitatibus arborum frequenter illi conuerſatio eſt : vt quod vel maximum propoſitum pudicitiæ decet, doceat nos terrena deſpicere, & amare cœleſtia : ex quibus colligitur, quòd vox ſit turturis prædicatio Caſtitatis.] Iam vox turturis audita eſt in terrâ noſtrâ, cùm in vocatione religioſâ ſumus inter alia ad Caſtitatem innitati. Turturem imitemur, & vitam delicias auerſantem inſtituamus. Virginibus enim , & animabus caſtis vt adſit caſtitatis honor, adeſſe etiam debet, vt inquit Prudentius :

Climac. gradu 15.

Bern.ſer. 59. in Cant.

Et raræ,tenuéſque epulæ,& mens ſobria ſemper,
Léxque pudicitiæ vitæ cum fine peracta.

Hanc ob cauſſam Paulus electionis vas corpus affligebat. Nam caſtigo, ait,corpus meum, & in ſeruitutem redigo,] ne ſcilicet carnis petulantiâ impugnatus vel minimæ labi locum tribueret. Quod ſi tantus Apoſtolus caſtigatione corporis ſe indigere putauit , quid nobis faciendum , qui in manifeſto periculo verſamur, & aduerſarios multos, & ad mortem nos expetentes, ſuſtinemus, & minimè ſpiritus primitias accepimus ? Baſilius certè eò vſque corpus contemnendum putat, vt propter amorem pudicitiæ nec aliquam inualetudinem horreamus. Quam ex Philoſophis antiquis nonnulli ad virtutem vtilem cenſuerunt, & conſultò quaſi rem iucundam adamarunt. Verba notanda huius ſancti Patris hæc ſunt. Proinde par eſt,nos totum corpus caſtigare , & quaſi cuiuſdam beſtiæ impetus coërcere , ac tumultus eos, qui in animo excitantur , ratione , veluti flagro quodam, ſedare : nec totis laxatis habenis voluptati , mens negligenda eſt , ne tamquam auriga quidam ab effrænatis equis ſummâ cum violentiâ agitatis, diſtracta feratur ; ſed Pythagoram imitemur, qui cùm didiciſſet quendam ex ſuis ſeſe & exercitatione, & omni genere cibi ſaginare, ac carnoſum reddere, ſic inquit : Non deſinis grauiorem tibi carcerem parare ? Vnde etiam Platonem ferunt, cùm antè animo percepiſſet nocumentum , quod ex corpore proficiſci ſolet, de induſtriâ Academiam elegiſſe , locum Atticæ vel maximè peſtilentem, vt ita præcideret nimis bonam corporis diſpoſitionem , veluti ſuperfluam quandam vitis fertilitatem. Ego verò nimis bonam corporis habitudinem etiam periculoſam eſſe de quodam medico accepi. Itaque iſtud nimium ſtudium , quod in curando corpore ponitur, & ipſi corpori incommodo eſt, & animis impedimento ; vnde profectò manifeſta inſania eſt illi operam dare , ac morem gerere. In ſummâ totum corpus contemnendum eſt ei, qui nolit in voluptatibus ipſius ac ſterquilinio quodam volutari, aut vſque eò ſolummodo ei ſeruiendum, quatenus, vt inquit Plato, miniſtrum ſe nobis ad Philoſophiam præbet : haud diſſimile dicens Paulo, qui monet nos, ne aliquam curam corporis habeamus ad concupiſcentiarum occaſionem. Hactenus ille.] Corpus ergo aliter quàm animus regendum eſt ; hic enim ratione, illud verò flagello domandum. Vires illi prudenter extenuandæ ſunt , non vt functiones virtutum impediat, ſed ne laſciuiat, & aduersùs animæ ſalutem rebellet. Seruum fugitiuum non occidimus (hoc namque crudelitatis opus eſſet) ſed ne fugiat , ferreâ catenâ ligamus. Sic corpus non occidendum eſt , nec indiſcretis afflictionibus conficiendum ; at diſcreta aſperitate ligandum , ne à nobis ad illicita fugiat , & à lege Dei, & rectâ ratione diſcedat.

1. Cor. 9. 27.

Baſ. orat. 8.

Rom. 13.

VI. Tandem ad Inſtrumenta corporis, quibus Caſtitas gignitur , & augetur , pertinet ſeceſſio ab iis , qui propoſito noſtro impedimento eſſe poſſunt; & fuga ab occaſionibus , in quibus poſitus homo rarò ſe continet , & debitam pudicitiam cuſtodit. In fœminâ quaſi omnia illa conuenerunt , quæ omnes fugienda confitemur , vt ex his incommodis eius præſentiſſimum remedium Caſtitatis fugam eſſe diſcamus. Egregiè ſanctus Ephræm mulieris propria depinxit. Quid , inquit, eſt mulier ? Laqueus comptus , & homines in voluptate illiciens , quæ ſplendidâ quidem facie , & excelſo collo oculis annuit, & genis arridet : linguâ verò dulciter canens , voce alios decipit , & ſermone pellicit , veſtes trahens, & pedibus ludens; formâ placens , & corpore fornicationem exercens , factíſque occidens. Multos enim vulneratos , ait Parœmiaſtes, deiecit, & innumerabiles occidit. Quocirca & propter ſpeciem , inquit , mulieris multi perierunt ; & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.] Quid eſt mulier ? Naufragium ſuper terram , fons nequitiæ, theſaurus immunditiæ, & malitiæ, mortifera conuerſatio , atque confabulatio , oculorum pernicies , animarum exitium , cordis ſpiculum , iuuenum perditio , ſceptrum inferni , & concupiſcentia præceps. Quid eſt mulier ? Cauſſa diaboli , requies ſerpentis , diaboli conſolatio, dolor inconſolabilis , caminus ſuccenſus ; eorum qui ſaluantur , offenſio ; malitia incurabilis , diurna confabulatio, hoſpitium laſciuorum , & officina dæmonum. Quid eſt mulier ? Amor flagitioſus, beſtia impudens, incontinentiſſimus impetus, effrænatum os rerum arcanarum , triumphus tenebrarum , dux delictorum , oblectamentorum magiſtra, inſatiabilis concupiſcentia nequitiæ, & æterni ſupplicij conciliatrix. Quid mulier ? Prudentia terrena , viri ſecordia , concumbens incontinentia, excitata cura, vipera veſtita , pugna voluntaria, quotidiana calamitas, procella domus , viri naufragium, immanis bellua, adulterorum diuerſorium, arma diaboli , expetita rabies , exornata mors ; vt non immeritò dictum ſit à Sapiente : Breuis omnis mali-

Ephræm aduersùs improbas mulieres. ca. 1.

Prou. 7. 26.

Eccl. 9. 9

Eccl. 25.

tia ſuper malitiam mulieris. Quòd ſi tu ab huiuſmodi cupis affectione, belluáque refugere; audi quid Parœmiaſtes dicat: Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.] Et, [Non concupiſcat pulchritudinem mulieris cor tuum; ne capiaris nutibus illius: mulier enim viri pretioſam animam capit. Hæc ille.] Cùm hæc omnia pertimeſcenda in vnam mulierem conueniant, meritò ab illa ſecuros nos putabimus, cùm diſſitos viderimus. Flatus enim ille peſtilens (vt ait Cyprianus) qui ſcilicet à muliere progreditur, etiam longè poſitos inficit, hócque certaminis genus fugam potiùs quàm aſſultum requirit. Nec aliquis de tranquillitate, quam ſentit, aut de longa caſtitate confidat. Nam ſtuppa non accenditur, niſi cùm iuxta ignem apponitur, & abſurdum ac præſumptuoſum eſt, quia pace perfrueris, occaſionem belli quæritare. Vnde Auguſtinus ſic ait: Dicet quis: Ego extranearum mulierum familiaritatem habeo, & tamen caſtitatis ornamenta cuſtodio: inter eas habito, & continentiam teneo. Attendatis quàm infœlix & periculoſa ſit præſumptio. Multi enim cùm ſe putabant vincere, victi ſunt. Quid eſt dicere, volo habere, quod vincam, niſi, volo habere, quo peream? Vide ne vnde te putabas habere triumphum, æternum incurras opprobriũ. Inter omnia enim Chriſtianorum pia certamina, ſola dura ſunt prælia caſtitatis, vbi quotidiana pugna, & rara victoria. Grauem caſtitas ſortita eſt inimicum, cui ſemper reſiſtitur, & ſemper timetur. Nemo ergo ſe falſa ſecuritate decipiat, nec de ſuis viribus periculosè præſumat. Dauid in mille paſſionibus preſſus, mulierem nudam vidit, & ſtatim homicidium ſimul fecit, & adulterium. Et cum mulieribus habitantes putant continentiæ obtinere triumphum? Sic Auguſtinus.] Nec ſolus aſpectus, & conuictus mulieris fugiendus eſt, ſed & aſpectus virorum, præſertim adoleſcentium, & ſeceſſio ſecundùm menſuram vocationis cuiuſque diligenda, vt perfectam caſtitatem aſſequamur. Et quidem non multùm à perfectionem ſitientibus petimus, ſiquidem, quod homines ſine fide ob amorem caſtitatis fecerunt, expoſcimus. Multi enim Philoſophorum, vt Hieronymus ait, reliquerunt frequentias vrbium, & hortulos ſuburbanos, vbi ager irriguus, & arborum comæ, & ſuſurrus auium, fontis ſpeculum, riuus immurmurans, & multæ oculorum auriúmque illecebræ, ne per luxum, & abundantiam copiarum animæ fortitudo molleſceret, & eius pudicitia conſtupraretur. Nos maiores vires, nempe gratiæ vires, habemus, & in ſcopum altiorem beatitudinis, & perfectionis intendimus: & innumerabiles duces, qui eadem præſtiterunt, ſequimur, & huius virtutis progreſſus experimur; ad obtinendum ergo faſtigium eius retardantia fugiamus. Hæc fuga non puſillanimitatis eſt, ſed virtutis; non caſus indicium, ſed victoriæ; non apud Deum, & homines infamiam, ſed gloriam nobis comparabit.

Prouerb. 4. 25. Prouerb. 6. 25. 26. Cyprian. de operibus cardinalib. Chriſti. Aug. lib. de honeſtate mulierum. c. 1. tom. 9. Hiero. 2. cõtra Iouini.

De Mediis ad Caſtitatem mente interiùs exercendis.

CAPVT XV.

ANIMVS præcipua ſedes caſtitatis eſt, cui adhibenda ſunt plura, & efficaciora remedia, vt ipſe caſtus exiſtens corpus ad ſe trahat, & pudicitia quaſi veſte circumdet. In his autem inueniendis dili- A gentiſſimi fuerunt animarum medici, ſcilicet Eccleſiæ Doctores, quorum hac de re ſententias collegimus.

I. Oportet ergo ad Caſtitatem, vt animus ſciat, Caſtitatem donum Dei eſſe, neminémque ſine eius gratia caſtum eſſe poſſe. Initium beneficij alicuius eſt auctorem eius agnoſcere; & ab illo, quod cupis, expectare. Huius itaque doni auctor, & dator Deus cognoſcendus eſt, & talis à nobis confitendus; ne dum à viribus noſtris, vel ab alio, qui dare non valet, illud petimus, vacui, & riſui expoſiti maneamus. Huius documenti Caſſianum habemus auctorem, qui in hunc modum ſcribit: Certos tamen eſſe nos conuenit, quòd licèt omnem continentiæ diſtrictionem, famem ac ſitim ſcilicet, vigilias quoque, (Caſſian. col. 12. c. 4.) B & operis iugitatem, atque inceſſabile ſubeamus ſtudium lectionis, perpetuam tamen caſtimoniæ puritatem horum laborum merito contingere nequeamus, niſi in his iugiter deſudantes experientiæ magiſterio doceamur, incorruptionem eius diuinæ gratiæ largitate donari. Ob hoc ſanè ſolummodo ſe vnuſquiſque infatigabiliter in his exercitiis perdurare debere cognoſcat, vt per illorum afflictionem miſericordiam Domini conſequutus, de impugnatione carnis, ac præpotentium dominatione vitiorum diuino mereatur munere liberari, non quòd adepturum ſe per illa confidat iſtam, quam cupit, inuiolatam corporis Caſtitatem. Climacum etiam audiamus, qui ſic ait. Nemo ex his, qui ſe ſtudio Caſtitatis (Climac. gradu 15.) C exercent, ſuis hanc laboribus aut ſua induſtria ſe acquiſiſſe putet. Nam poſſibile non eſt, vt quiſpiam naturam ſuam vincat. Vbi denique natura ſuperata eſt, illic is, qui ſupra naturam eſt, aduenisſe cognoſcitur. Nam ſine vlla controuerſia id, quod deterius eſt, à potentiore deſtruitur.] Hanc notionem ſuæ imbecillitatis, & virtutis diuinæ conſequutus, vim illius verſiculi ſancti Dauidis intelligit: Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear.] (Pſ. 15. 8.) Scit enim, vt viam Caſtitatis ingredi incipiat, ſe à Domino excitari, & inuitari: vt in ea progrediatur, ſe ab eodem communiri: vt faſtigium eius teneat, aut in accepto gradu perſeueret, ſe virtute Domini roborari. Qui ſi exigentibus peccatis noſtris nos in poteſtate concupiſcentiarum cordis noſtri reliquerit, nec in D adepto perſiſtere, neque in cœpto progredi poterit mortalis infirmitas, immo neque hoc puritatis iter inchoare. Excipiamus itaque eiuſdem Prophetæ verba, dicentis: Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.] (Pſal. 24. 15.) Et ibi noſtri cordis fixa ſint lumina, ibi ſpes omnes noſtræ collocatæ, vnde venturum eſt auxilium, quo vincamus.

II. Hanc ſapientiam ſalutarem, qua nouimus Deum eſſe Caſtitatis auctorem, feruens oratio comitetur, qua ab ipſo Domino dare cupiente, mentis & corporis puritatem petamus. Æquum eſt enim, vt orationis aſſiduæ manus à Domino accipiat, quod manus virium noſtrarum ab alio obtinere non valet. Ex illa notitia priori Sapiens ſe ad orationem inci- E tabat. Et vt ſciui, inquit, quoniam aliter non poſſem eſſe continens,] (Sap. 8. 21) id eſt, non poſſem continentiam ſeruare, (vt Auguſtinus, & Proſper interpretati ſunt) (Auguſ. 6. Confeſ. c. 11. Proſp. cõtra collat. c. 16.) [niſi Deus det: adij Dominum, & deprecatus ſum illum ex totis præcordiis meis.] Vide quomodo Patres hoc medicamen ad Caſtitatem habendam aſſignauerint. Origenis verba ſunt: Quidam calumniantur quod Chriſtus ait: Quibus datum eſt, quaſi excuſationem habentes, & volentes quidem eſſe in Caſtitate, non autem præualẽtes. Quibus eſt reſpon- (Origen. trac. 7. in Matth.)

dendum:

dendum: ſiquidem ſimpliciter accipimus, quod dictum eſt, non autem attendimus, quod alibi dicit: Petite, & dabitur vobis. Iſidorus verò ait: A Deo datur continentia. Sed petite, inquit, & accipietis. Tunc autem tribuitur, quando Deus gemitu interno pulſatur. Et Climacus. Exi citò, ſi poſſibile eſt, abſcondere modicum ſecretius; eleua animæ aciem, ſi potes, ſin verò vel exterioribus luminibus in cœlum aſpice. Extende in figuram crucis immobiles manus, vt per ipſam quoque formam, & habitum orantis, Amalech confundas, & ſuperes. Clama ad eum, qui ſaluare te poteſt, non in ſapientia ornatúque verborum, ſed in ſimplicitate atque humilitate ſermonis, ante omnia ita ſemper exordiens, Miſerere mei, quoniam infirmus ſum. Tunc experieris Altiſſimi virtutem, atque inuiſibiliter inuiſibiles per inuiſibile perſequeris auxilium. Qui ſic pugnare aſſuefactus eſt, citò, ac ſolo nutu animi perſequi hoſtes ac fugare poterit. Sic ille.] Frequenter igitur orandus eſt Deus, vt carnem noſtram limoſam emundet, vtque animam noſtram corpori immerſam à deſideriis corporis liberet. Orandus eſt ardenter, & ſuſpiriis ac gemitibus quotidie inuocandus, vt proteruus hoſtis victus cadat, & animus inſtanter pugnans coronam caſtitatis accipiat.

Luc. 11. 9. Iſidor. li. 2. ſent. c. 40. Climac. gradu 15.

III. Literarum ſtudia, præſertim ſacrarum, optima ſunt Caſtitatis inſtrumenta, & iuuenibus valde accommodata; quibus & neceſſaria ſibi, & aliis diſcunt, & ſapientes euadunt, & impudicitiæ cogitationes auertunt. Quapropter Sapiens huius vtilis laboris meminit, vt iuuenem ad Caſtitatem incitaret. Dic Sapientiæ, ſoror mea es: & prudentiam voca amicam tuam, vt cuſtodiat te à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba ſua dulcia facit.] Si pulchritudinis, inquit, amator es, ſi verborum ſuauitate delectaris, oſtendam tibi pulcherrimam ſponſam, cuius amplexibus ſatieris; oſtendam ſororem fideliſſimam, & ſuauiſſimam, cuius alloquio miram percipias ſuauitatem. Sapientia tibi in ſponſam data eſt. Nam quidam tui ſimilis ſum ego, qui & alio loco dixi. Quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.] Erit, inquam, ſponſa tua perpetuo vinculo tibi coniuncta, propter quam habebis claritatem ad turbas, & filios ex ea, ſcilicet veriſſimos rerum ſenſus, accipies. Eſt etiam ſoror tua ex eodem Deo patre progenita. Hanc ergo ſororem voca, & amicam appella, ſeu (vt clariùs loquar) in locum ſponſæ, ſororis, & amicæ habe. Si ita feceris, illa te à concupiſcentia carnis liberabit, & eius dolos ac fallacias, quibus te illaqueare nititur, deteget.

Prouerb. 7. 4. Sapien. 8. 2.

IV. Iuuant etiam ad Caſtitatem deſideria cœleſtia, quorum præſidio in diuina ac ſupernaturalia tendimus, ac eo ipſo terrena, & præſertim carnalia & impura, exhorremus. Et ſicut contrarium contrario pellitur, & frigus calore: ita cogitatio carnalis cogitatione ſpirituali; & deſiderium obſcœnum ſanctis deſideriis ſuperatur. Quod aduertens Caſſianus ait: Aliàs namque non poſſunt deſideria præſentium rerum reprimi, vel auelli, niſi pro iſtis affectibus noxiis, quos cupimus amputari, alij ſalutares fuerint intromiſſi. Nullatenus enim valet viuacitas mentis abſque alicuius deſiderij, vel timoris, gaudij, vel mœroris affectione ſubſiſtere, niſi hæc eadem in bonam partem fuerint immutata. Et idcirco ſi carnales concupiſcentias de cordibus noſtris deſideramus extrudere, ſpiritales earum locis plantemus protinus voluntates, vt his noſter animus ſemper innexus, & habeat, quibus iugiter immoretur, & illecebras præſentium, ac temporalium

Caſſian. col. 12. c. 5.

A reſpuat gaudiorum.] Animus dum his ſanctis cogitationibus, & deſideriis aſſueſcit, ingentes in illis reperit voluptates. Tales profectò, quæ ipſum non pungant, ſed mulceant: tales, quæ poſt diſceſſum non contriſtent, ſed delectent, & ita ſatisfaciant, vt eas à Domino iniici, contrarias verò à malo ſpiritu immitti, apertè cognoſcatur. Etiam ſponte eligit homo cogitationibus immundis carere, vt mundas habeat; & deſideria mala abſcindere, vt bona poſſideat. Sic ſenſim beneficio Domini caſtus efficitur, & ab omni obſcœnitate, tum corpore, tum mente ſeparatur.

V. Confert inſuper plurimum in aliis rebus Dei facere voluntatem. Nam qui eius iuſſis obtemperat, meretur profectò vt iuxta deſiderium ſuum donum B Caſtitatis obtineat. Reges ſeruis fideliter obſequentibus poſtulata concedunt; quid mirum, ſi ſupremus rex regum, cuius eſt miſereri, & parcere, & copiam beneficiorum effundere, hoc donum cupitæ puritatis homini tribuat, ſi eum fidelem, & ſuis præceptis obedientem agnoſcat? Meritò ergo Tertullianus ſic alloquitur virginem: Nupſiſti Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam, illi ſponſaſti maturitatem tuam. Incede ſecundùm ſponſi tui voluntatem. Chriſtus eſt, qui & alienas ſponſas, & maritas velari iubet, vtique multò magis ſuas.] Si in hac re obtegendi caput voluntas Dei à virgine facienda eſt, quanto diligentiùs in rebus maioribus eſt explenda, vt his obſequiis fidelibus gratiam ſeruandæ puritatis mercatur.

Tertul. li. de velād. virg. c. 16.

VI. C Hoc de velandis capitibus mulierum ad circunſpectionem pertinet. Qui autem vult Caſtitatem ſeruare in omnibus, circumſpectionem teneat neceſſe eſt, diligentérque conſideret, vbi pedem ſuum figat, ne per lubricum incedens cadat. Videat Caſtitatis amator quò ingrediatur, vnde egrediatur, cum quibus conuerſetur, quos ſocios habeat, quid audiat, quid videat, quid manibus tractet. Omnia enim ſunt plena periculis, niſi quis prudenter ſe gerat, & vt caſum caueat, ſe vndique circunſpiciat. Bernardus de virginibus hæc dicit, & idem de omnibus Caſtitatem ſeruare volentibus diceret. Solent virgines, quæ verè virgines ſunt, ſemper pauidæ, & nunquam eſſe ſecuræ, & vt caueāt timenda, etiam tuta pertimeſcere; ſcientes ſe in vaſis fictilibus theſaurum portare pretioſum; & nimis arduum eſſe viuere Angelicè inter homines, & in terris more cœleſtium conuerſari, & in carne cœlibem agere vitam.] Nemo de longâ D Caſtitate confidat, nec de animi fortitudine, quâ ſe putat in luctâ victurum; quia robur Spiritus ſancti nobis aderit, ſi cauti vixerimus; ſi autem temerariè nos periculis ingeſſerimus, diſcedet. Vnde Cyprianus inquit: Vnuſquiſque itaque, qui ſecutus eſt, quia necdum tentatur, timeat: quia nihil de illo dicitur, proſpiciat, ne dicatur. Homines ſumus, fragilitatem noſtram carne portamus. Sic iam vndique nos circumſpectâ viuacitate circumdare debemus, & cingere, vt non ſit pars aliqua, quæ vacillet. Accipimus quidem fortitudinem ſpiritalem, per quam ſubſtantiæ noſtræ fragilitas roboretur. Sed ita nobis ſpiritalis fortitudo collata eſt, vt prouidos, non vt præcipites tueatur. Vt illos muniat, qui renunciant importunitatibus deli- E ctorum, non eos, qui ſe magis importunis delictis immergunt. Cuſtos nobis datus eſt ſpiritus; ſed vt contraria declinantibus aſſiſtendo ſubueniat; non vt contraria eligentibus faueat; nec vt voluntarios, & pronos in aduerſa confortet; ſed vt ab aduerſis nitentes ſeparati confirmet. Nam quicumque pernicioſis conatibus audet exercere virtutem, iuuamen non habet Spiritus ſancti, qui neminem vult vltroneum virum fortem ad fraudulentas victorias coar-

Bern. ho. 5. ſuper miſſus eſt. Cyprian. de ſingularit. cleric.

ctari : nec protegit eum, quinimmò ſed deſerit, quem periculis irruentem per illicitos euentus exquirere triumphos agnouerit. Sicut ipſe iam tunc per Salomonem locutus eſt, dicens: Amans periculum, in ipſo peribit.] Nec etiam ſanctitas, & cumulus virtutum adeptus quemquam ſecurum reddit; quia ſancti quoque ſi cautionem deſerant, ſolent à carne ſuâ, quam domuerunt, vinci, & à prauâ concupiſcentiâ ſuperari. Atque ideo idem ſanctus Pater Cyprianus poſt pauca ita proſequitur: Non eſt quòd vobis in hac perſuaſione deceptoriâ blandiamini; vt quia ſpirituales eſtis, velitis inter flagitioſorum armamenta verſari, nec vos inhabiles eſſe pro Clericatus dignitate, quia maiores maioribus conſueuerunt conflictiones occurrere. Acriùs diuitibus, quàm pauperibus inuidetur, & non inopes, ſed locupletes inquietat infeſtatio ſæua latronum. Plus duces, & Principes, quàm milites ab hoſtibus appetuntur in pugnâ: & violentiùs propulſantur ventis & turbinibus culmina quæcumque ſunt altiora. Ideo magis magiſque quò plus cæteris vnuſquiſque poteſt, ſciat eſſe ſibi metuendum, ne in aliquo minoretur. Propter quod Salomon ſic admonet, dicens: Qui gloriatur, inquit, in diuitiis, paupertatem vereatur.] Et ad idem inquit Hieronymus. Vis ſcire ita eſſe vt dicimus, accipe exempla. Samſon leone fortior, & ſaxo durior, qui & vnus, & nudus mille perſecutus eſt armatos, in Dalilæ molleſcit amplexibus. Dauid ſecundùm cor Domini electus, & qui venturum Chriſtum ſancto ſæpe ore cantauerat: poſtquam deambulans ſuper tectum domus ſuæ, Bethſabeæ captus eſt nuditate, adulterio iunxit homicidium. Vbi & illud breuiter attende, quòd nullus ſit, etiam in domo, tutus aſpectus. Quapropter ad Dominum pœnitens loquitur: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.] Rex enim erat, & alium non timebat. Salomon, per quem cecinit ipſa Sapientia, qui diſputauit à Cedro Libani vſque ad hyſſopum, quæ exiit per parietem, receſſit à Domino, quia amator mulierum fuit. Et ne quis ſibi de ſanguinis propinquitate confideret, in illicitum Thamar ſororis Amnon frater exarſit incendium. Piget dicere quot quotidie virgines ruant; quantas de ſuo gremio mater perdat Eccleſia, ſuper quæ ſydera inimicus ſuperbus ponat thronum ſuum; quot petras excauet, & habitet coluber in foraminibus earum. Hactenus ille.] Quòd ſi ſancti homines ceciderunt, & in occaſione impudicitiæ ſe ipſos huius vitij impuritate fœdarunt; quis erit tam ſanctus, aut potiùs tam temerarius, qui carnis ſuæ laqueos non timeat, & in prunis ardentibus alacer & ſecurus incedat? Caſtitas ſanè ex cautione dependet, & ſicut ferè nihil eſt diſcriminis (ſi nomina ſpectemus) inter caſtum, & cautum: ita in rebus nulla reperitur ferè diuerſitas, ſed qui caſtus fuerit, cautus etiam erit; & qui noluerit cautè ſe gerere, malè poterit Caſtitatem ſeruare.

Eccleſ. 3. 27. — Cyprian. ſuprà. — Eccl. 10. 4. — Hieron. epiſt. ad Euſtoch. — Pſ. 50. 6.

VII. Initia impudicitiæ, ſcilicet primas cogitationes ſe ſe inſinuantes expellito. Nam ſi hoſti ingreſſum denegaueris, nunquam te impugnatione proſternet. Ingreſſus autem tentationis eſt impura cogitatio, ex qua ad concupiſcentiam, & ex concupiſcentiâ ad conſenſum, & ex hoc ad opus peruenitur. At qui eò vſque caſtus eſt, vt nec obſcœnum quid cogitet, & ſi quid huiuſmodi ſe ingeſſerit, ſtatim abiiciat, is erit Caſtitate perfectus. Meritò proinde Hieronymus hanc curam expellendi cogitationes malas Virgini Euſtochio in hunc ferè modum commendat. Non ſoluatur faſcia pectoralis, ſed ſtatim vt libido titillauerit ſenſum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem: Dominus auxiliator meus, nõ timebo quid faciat mihi caro.] Cùm paululũ interior homo inter vitia, atque virtutes cœperit fluctuare, dicito: Quare triſtis es, anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quia confitebor illi ſalutare vultus mei, & Deus meus.] Nolo ſinas cogitationem creſcere; nihil in te Babylonicũ, nihil confuſionis adoleſcat. Dum paruus eſt hoſtis, interfice: nequitia, ne zizania creſcant, elidatur in ſemine. Audi Pſalmiſtam dicentem: Filia Babylonis miſera; beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam. Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petrã.] Quia enim impoſſibile eſt in ſenſum hominis non irruere innatũ medullarũ calorẽ; ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœpit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus, & allidit ad petram, petra autem Chriſtus eſt. Hactenus Hieronymus.] Hæc autem cogitationum mundicia tanti momenti eſt, vt propter illam ſenſus externi cohibeantur. Ideo enim Iob [pangit fœdus cum oculis ſuis,] ne ex viſu ad cogitationem tranſeat, & aliquid minùs caſtum cogitatione concipiat. Senſus namque externi, & cogitatio, & cætera, quæ ſequuntur, vt annuli catenæ ſunt, quorum ſi primum prendas, cæteros trahes: & etiam ſi primum tollas, reliquos ſubmouebis. Senſus ergo cohibentur, ne immunda cogitatio moueatur, & ceſſante cogitatione, nec concupiſcentia titillat, nec conſenſus turpat, nec opus inquinat, ſed manet homo vndiquaque munitus, & caſtitate poſſeſſus.

Hiero. ep. ad Euſtoch. — Pſ. 117. 6. — Pſal. 41. 6. — Pſal. 136. 8. 9. — Iob. 31. 1.

VIII. Animus patientiâ continendus eſt, vt à carnis impugnationibus liberemur. Quem ſi iracundia vicerit, etiam caro ſuperauit. Facile eſt hominem ab vno hoſte victum ab alio ſuperueniente calcari, quia primus caſus eum puſillanimem fecit, vt in ſecundo conflictu vix tueri ſe poſſit. Sic impudicitia deiicit, quem impatientia ſubuertit. Impatientia, inquam, illa, quâ quis iniurias ferre noluit, quia tædio affectus carni ſuæ non reſiſtit impura poſcenti: vel illa, qua minimè tentationes tolerare ſuſtinuit; quia qui pugnam ſuſtinere renuit, abſque dubio ab impugnante vincetur. Sapienter itaque Caſſianus ad Caſtitatis mundiciam tenendam iracundiæ victoriam poſtulauit. Sic enim ſcripſit: Quantùm enim quis in lenitate ac patientiâ cordis, tantùm in corporis puritate proficiet: quantóque longiùs iracundiæ propulerit paſſionem, tantò Caſtitatem tenaciùs obtinebit. Non enim æſtus corporis declinabit, niſi, qui animi motus antè compreſſerit. Quod apertiſſimè Saluatoris noſtri ore laudata beatitudo declarat, Beati, inquiens, mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.] Non ergo aliter nos poſſidebimus terram, id eſt, non aliàs ditioni noſtræ rebellis huius corporis terra ſubdetur, niſi mens noſtra priùs fuerit patientiæ lenitate fundata: nec poterit quis aduersùs carnem ſuam inſurgentia libidinis bella comprimere, niſi priùs armis manſuetudinis inſtruatur. Manſueti enim poſſidebunt terram, & inhabitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam.] Hanc, inquam, terram quemadmodum obtinere poſſimus, idem Propheta in Pſalmi ipſius conſequentibus edocet. Expecta Dominum, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate terram.] Conſtat ergo ad poſſeſſionẽ terræ firmiter obtinendã, neminem poſſe conſcendere, niſi illos tãtum, qui per immobilẽ patientiæ lenitatẽ vias Domini duras ac præcepta ſeruãtes, de cœno carnalium paſſionum extrahente eodem fuerint exaltati. Hæc, & multa alia ad hoc propoſitum Caſſianus. Manſueti itaque hæreditabunt terram] corporis ſui, [& delectabuntur in multitudine pacis;] quia dum ſe ad lenitatem compoſuerint, & nec iniuriarum

Caſſian. l. 12. c. 6. — Matth. 5. 4. — Pſal. 36. 11. 29. — Pſal. 36. 11.

perpeſſione,

perpeſſione, nec tentationum infeſtatione turbauerint, ſed immobiles in bello, atque in tranquillitate perſtiterint, numquam ſe ſinent ab hoſte proſterni. Immo ille irriſus atque contemptus, videns, ſe neque vſque ad turbationem animæ poſſe proficere, à conatu tentandi deſiſtet. Tentat enim, vt hominem in cœnum immunditiæ prouoluat, aut ſaltem, vt in inquietudinem ac perturbationem deiiciat: ſi verò nec fœdat, nec commouet; vtilius ſibi putat fugere, quàm ſine commodo ſuo, & caſu noſtro carnis impugnationem protelare.

IX. Sicut autem patientia, ita & humilitas eſt inſtrumentum habendæ caſtitatis. Quoniam qui ſe humiliat, ad celſitudinem caſtitatis exaltatur; & qui ſe per ſuperbiam exaltat (Deo permittente) in vilitatem impudicitiæ ab hoſte deiicitur. Solétque Deus arrogantiam, & elationem animi luxuriâ punire, vt qui ſe iniuſtè reliquis hominibus antepoſuit, belluis quodāmodo irrationabilibus ſupponatur. Eſt enim impudicus beſtiis inferior; quia illæ ad neceſſitatem, & ſpeciei conſeruationem, voluptatem quærunt; hic verò officio naturæ, vt voluptatis ſeruus abutitur. Luxuriam ergò ex ſuperbiâ generari dicit Climacus his verbis: *Climac. grad. 15.* Abrenunciationem quidam doctiſſimi viri pulchre ita definiunt: Aiunt quippe, illam inimicitiam eſſe aduersùs corpus, atque aduersùs gulæ concupiſcentiam inexorabile bellum. In his quidem, qui rudes imbuuntur, lapſus corporis, ex deliciis maximè fieri ſolet: in mediocribus verò etiam ex elatione animi. Porro in his, qui perfectioni proximiores ſunt, ſolummodo ex condemnatione contemptúque ſuperbo proximi. E contrà verò humilitatem eſſe caſtitatis matrem, ipſe poſtea in hunc modum aſſerit. Qui concupiſcentiâ gulæ ac ſatietate, fornicationis ſpiritum vincere vult; is ei ſimilis eſt, qui oleo extinguit incendium. Qui verò ſolâ continentiâ bellum hoc ſedare, vel ſuperare nititur, ei ſimilis eſt, qui vnâ manu natans, pelago liberari contendit. Sit ergo humilitas continentiæ coniuncta, nam ſine illâ prior hæc inutilis agnoſcitur.] Et Caſſianus inquit *Caſſi. col. 4. c. 15.* incentiua carnis docere, vt ſi integritatem cordis perpetuò conſequi delectamur, humilitatis ſtudeamus virtutem iugiter obtinere.] Comprime igitur elationis ſpiritum, & te omnibus tum maioribus, tum æqualibus, tum minoribus ſubiice, vt à Domino, qui huius doni dator eſt, caſtitatis ſpiritum conſequaris.

X. Meditatio deinde mortis multum ad caſtitatem valet. Vt enim dixit Laurentius Iuſtinianus: *Iuſt. in ligno vitæ de continent. c. 2.* Nihil ad edomandum deſideriorum carnalium appetitum tam valet, quàm vt quiſque amore continentiæ ſedulo hoc quod viuum diligit, mortuũ penſet.] Reddit autem rationem Gregorius, ex quo ille deſumpſit. *Greg. 16. mor. c. 31.* Quia conſiderata corruptione carnali, citiùs cognoſcitur, quia cùm illicitè caro concupiſcitur, tabes deſideratur.] Si ergo impudicum conſideres, [dulcedo illius vermes,] *Io. 24. 20.* quia in carne, quæ futura eſt cibus vermium, delicias ſuas collocat, & dum carnem diligit, ad putredinem & tabem anhelat. Atque adeo cùm te hac ſagitta tactum ſenſeris, ſtatim inter alia, quæ meditari poteris, ad memoriam mortis recurre, vt ſicut ex viperâ mortuâ theriaca contra venenum componitur: ita ex carne mortuâ, ſeu ex eius conſideratione aduersùs luxuriæ virus medicamentum efficiatur. Immo & ſi in alio ſenſu accipias mortis meditationem, ipſa eſt præſentiſſimum caſtitatis tuendæ remedium. Nam mortis meditatio, vel imitatio eſt, quæ impugnatores caſtitatis vincit, & eam ab omni labe defendit. Dicat Bernardus quinam ſint hoſtes caſtitatis. *Bern ſer. 3. in Domin. 4. poſt Pentecoſtem.* Fortè, inquit, paruum aliquid reputatis continentiam veſtram, ſed ego non ita.

A Scio enim quos habeat impugnatores, & quantæ illam neceſſe ſit eſſe virtutis, vt poſſit reſiſtere talibus. Primus ſiquidem continentiæ noſtræ hoſtis caro eſt aduersùs ſpiritum concupiſcens. Quàm domeſticus hoſtis, quàm pernicioſa lucta, quàm inteſtinum bellum! Hoſtem hunc crudeliſſimum nec fugere poſſumus (ô anima mea) nec fugare: circumferre illum neceſſe eſt, quoniá alligatus eſt nobis. nam quod periculoſius eſt, & mirabilius, hoſtem noſtrum ipſi cogimur ſuſtentare, perimere eum non licet. Vide ergo quàm ſollicitè te cuſtodire neceſſe ſit ab eâ, quæ dormit in ſinu tuo. Veruntamen non eſt hic ſolus aduerſarius mihi, alium adhuc habeo, qui circumcinxit, & obſedit me vndique, & ſi ignoratis, hoſtis ille eſt præſens ſæculum nequam. Concluſit inimicus vias B meas, & per quinque portas, quinque videlicet corporis ſenſus, iaculis ſuis vulnerat me, & mors intrat per feneſtras meas. Sufficere nimis poterant iſti duo. Sed (heu me) ecce video ventum validum venientem ab Aquilone, à quo panditur omne malum. Et nunc, quid ſupereſt aliud? Domine ſalua nos, perimus.] Ecce enim malleus vniuerſæ terræ. Ecce ſerpens callidior cunctis animantibus. Ecce inimicus ille, quem nec videre poſſum, quanto minùs cauere? [Nec enim eſt colluctatio] ſeruare volentibus (continentiam autem dico, non à ſolâ luxuriâ, ſed à cæteris quoque, ſicut neceſſe eſt, vitiis & peccatis) [aduersùs carnem, & ſanguinem tantùm, ſed aduersùs principes, & poteſtates, aduersùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœ-C leſtibus.] Et quis eſt, qui iacula eorum ignea poſſit extinguere? Parauerunt ſagittas ſuas in pharetrâ, vt ſagittent in obſcuro rectos corde:] ſed & narrauerunt, vt abſconderent laqueos, & dixerunt: Quis videbit nos?] Nunc quidem apertè, & violenter; nunc occultè, & fraudulenter; ſemper autem malitioſè, & crudeliter impugnant, & perſequũtur nos: & ad hæc toleranda, ne dicam ſuperanda, quis idoneus?] Sed his hoſtibus commentatione, aut imitatione mortis obſiſtimus. Si caro blandiatur, & ad ſuas impuras voluptates pertrahat, vt mortuus, ea quæ offert non videas. Si mundus ſuadere conetur, & ad ſequelam voluptariorum allicere, velut mortuus eius ſuaſiones non audias. Si dæmon oblatret, & viam caſtitatis, iuueni aut malè aſſueto impoſſibilem eſſe di-D cat, inſtar mortui ad illius dicta non attendas. Ita mortis meditatione, & imitatione vitam angelorum æmulamur, dum mentis & corporis puritatem cuſtodimus.

Iuuat etiam ad caſtitatem, ſi homo ſe infirmum ſemper in hac parte, & imbecillum exiſtimet. Et quemadmodum ægrotus à minimis cauet, quæ validus nullatenus pertimeſcit: ita & amator puritatis effugit, licèt minima videantur, quæ vel à longè poſſunt aliquam minùs honeſtam cogitationem inuehere. Ad hoc facit, quod Laurentius Iuſtinianus audum media pro tuendâ caſtitate conſcribit. Poſtremò iuuat, inquit, euitatio opportunitatis peccandi, ſcilicet perſonæ, loci, & temporis. Ante ignem namque conſiſtens (etiam ſi frigidus ſit) aliquando diſ-E ſoluitur. Proximus periculo, diu tutus non erit. Per aſſiduitatem citò peccat homo. Sæpe familiaritas implicauit, ſæpe occaſionem peccandi dedit, & quo voluptas non potuit in primordio, aſſiduitas poſtea ſuperauit. Melius denique eſt habere malorum diuortium, quàm conſortium; quia ſicut bona multa habet laudabilis vita, & frequens conuerſatio ſanctorum: ſic plurima mala facietas affert malorum quam quicumque tenuerit, continentiam numquam tenere valebit. Sic ille.] Malorum igitur, & impudi-

corum, aut ſuſpectorum ſocietas perfectis non no-
cuit, quia tantum robur mẽtis habent, vt poſſint eos
ad ſuam imitationem adducere, & minimè ipſorum
malitiâ peruerti. At tu ſi imperfectum & infirmum te
putas, omnes huiuſmodi fugies, qui potiùs te ad ſe
trahent, & ab amore munditiæ diuellent.
XII. Poſtremum tandem inſtrumentum eſt conſilium
Prælati, aut ſpiritualis magiſtri, qui Spiritus ſancti vn-
ctione doctus ſciet iuxta capacitatem, aut neceſſita-
tem tuam remedia conuenientia applicare. Nam im-
pudicitiæ monſtrum non tam violentiâ quàm pru-
dentiâ, & quaſi arte quadam vincendum eſt. Hæc au-
tem in magiſtris ſpiritualibus reſidet, qui Deo & ex-
perientiâ docentibus, ſciunt ingenia ſubiectorum
cognoſcere, & apta illis remedia præſcribere. De quo
Bernardus de prauâ concupiſcentiæ conſuetudine
Bern. ſer. de ſeptẽ donis. loquens, hæc ait: [Eſt autem conſuetudo hæc gra-
uis quædam & pernicioſa catena, ſoluenda vtique
faciliùs quàm rumpenda: vt hîc maximè vulgare il-
lud prouerbium videatur vſurpari, induſtriam vio-
lentiâ potiorem: vt quemadmodum vis vi repellitur,
& feruore ſpiritus feruor extinguatur deſideriorum,
vt maligni artem arte deludas, & conſuetudini conſi-
lium apponas. Alioquin ſi fortè violentiam quæras,
& caſtigationem corporis ſperes conſuetudini præ-
ualere, timendum omnino eſt, ne ſit pernicioſus la-
bor, & priùs ipſa ſubſtantia deficiat, quàm molita
concupiſcentia, præſertim quòd altera quædam na-
tura ſit ipſa conſuetudo. Neceſſarium itaque eſt con-
ſilium vel ab ipſo magni conſilij Angelo miniſtra-
tum, vel ab homine aliquo ſpirituali, qui cogitatio-
nes Satanæ ſpiritualiáque remedia non ignoret. Sub-
trahenda nobis occaſio eſt, & opportunitas fugien-
da peccati. Legimus, fratres, in eremo fornicationis
ſpiritu quempiam impugnatum laudabili prorſus in-
duſtriâ à Patre curatum. Aduocans enim ſenior fra-
trem alterum ſecretò, iuſſit vt eundem laceſſeret in-
iuriis, & prior ipſe quaſi acceptâ ab eo iniuriâ quere-
retur. Anxiabatur ille, & confuſus vehementer, ſic in
breui oblitus eſt priſtinæ tentationis, vt quærenti de
eâ non ſine admiratione plurimâ reſponderet: Papę,
viuere non licet, & fornicari libet? Hactenus ille.]
His igitur octodecim inſtrumentis, Deo auxiliante,
poterimus faſtigium caſtitatis obtinere. Quorum li-
cèt aliqua ſuprà contra luxuriæ vitium diſputantes
attulerimus: hîc autem aliis rationibus, & Patrum, ac
ſcripturæ dictis, vt nihil repeteremus, cõfirmauimus.

De Amore Caſtitatis.
CAPVT XVI.

IAM, tractatione hac de Caſtitate ad fi-
nem properante, nos interim eius amore
& ſtudio flammemur, ſine qua ſtatus no-
ſter deficit, cõuerſatio religioſa perit, & la-
borum pro virtute admiſſorum ſtructura labaſcit.
Galat. 5. 22. Hæc fructus eſt Spiritus ſancti, vt ait Paulus, quam
ille ſpiritus puritatis in nobis procreat, vt mentem
Caſtitate fulgentem, & aliis fructibus abundantem
ſui domicilium efficiat. Hæc nos diuinæ lucis, & ſalu-
taris compunctionis capaces facit, & fortes ad diffi-
3. Reg. 7. 49. ciliores tentationes ſuperandas reddit. Candelabra
templi, ſuper quæ lucernæ ponebantur, erant quaſi
n. 26. lilij flores; & labium lateris quaſi labium calicis, &
n. 24. folium repandi lilij: & ſuper capita columnarum
opus in modum lilij. Quid hoc per myſterium ſi-
gnificat, niſi Caſtitatis elogia? Quòd ipſa ſcilicet
lilio ſignata eſt, quaſi pulcherrimum candelabrum,
in qua lux ſapientiæ cœleſtis fulgere cognoſcitur: &
quaſi mare æneum, in quo compunctionis aqua
ad abluendas ſordes mentis optimè ſeruatur: &
A quaſi ſummitas columnarum fortitudinis, quibus
pondera irruentium tentationum diaboli ſine peri-
culo ſuſtinentur. Hæc eſt quaſi lectulus Salomo- *Cantic.*
nis, in quo Chriſtus verus Rex pacificus libenter
requieſcit, quémque ne inquietetur, ſpinâ peccati
quaſi ſexaginta fortibus ambientibus, prædictis in-
ſtrumentis præmunit. Hæc virtus eſt inter alias ma-
ximè neceſſaria, ne conuerſatio noſtra inuidorum
& maleuolorum hoſtibus pateat. Paulus enim mo-
net, ne cuiquam offenſionem aliquam demus, vt nõ
vituperetur miniſterium noſtrum. [Sed in omnibus, *2. Cor. 6. 4. 6.*
ait, exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in
multâ patiẽtiâ, in tribulationibus, in neceſſitatibus.]
Et poſtea ſubdit: In Caſtitate, in ſcientiâ, in lon-
ganimitate,] quaſi caſtitas prorſus neceſſaria ſit, vt
B apud alios bonum nomen habeamus. Hæc reliquas
virtutes in ſuo decore continet. Eſt enim cingulum
animæ, de quo dictum eſt: [Sint lumbi veſtri præ- *Luc. 12. 35.*
cincti.] vt ſicut ſi cingulum in amictu corporis de-
ſit, veſtes minùs decenter aptantur, & hinc inde tra-
huntur: ita ſi cingulum Caſtitatis depoſuerimus, alia
animæ bona per deuia & immunda raptantur. Hæc
eſt, vt quidam ſub nomine Cypriani ait; quæ mundi- *Lib. de 12. abuſionibus c. 5.*
tiam cuſtodit, auaritiam refrænat, lites deuitat, iram
mitigat, libidinem occupat, cupiditatem temperat,
laſciuiam caſtigat, ebrietatem cauet, verba non mul-
tiplicat, gulæ concupiſcentias purgat, furtum omni-
no damnat. Quid plura? omnia vitia reſtringit, &
omnes virtutes, & quicquid coram Deo, & bonis
hominibus laudabile eſt, nutrit. Ornamentum no-
C bilium eſt, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium,
pulchritudo debilium, proſperitas laborantium, ſola-
men mœrentium, augmentum omnis pulchritudi-
nis, decus religionis, defenſio criminum, multiplica-
tio meritorum, creatoris omnium Dei amicitia.] Nõ
quidem quia caſtitas Dei amicos cõſtituat, quod pro-
priũ eſt gratiæ charitatiſq́; ſed quia ſæpe animã Deo
eſſe amicam, & gratam, vt non leue indicium ſignat.
Caſtitatem voto complexi ſumus: eam igitur non
ſolùm propter iram, ſed & propter conſcientiam te-
neamus. Propter iram quidẽ; quia Deus impudicitiã
in omnibus, ſed præcipuè in his, qui voto ſe illi dica-
rũt, ſeuerè caſtigat. Nam ſacrilegij crimen admittũt,
dum votum violãt, & templũ corporis & mentis ſuæ
Deo dicatum inuerecundè profanant. Propter con-
D ſcientiam verò, quia dũ conſcientia hominis, impudi-
citiæ vitiis maculatur, malum culpę grauiſſimũ omni
malo pœnæ maius incurritur. Etiam quia conſciẽtia
peccatis luxuriæ, in his præcipuè, qui votum Caſtita-
tis emiſerunt, incredibili dolore torquetur. Et multi
ſanè propter timorẽ temporalis pœnæ, aut propter
bonam apud homines opinionẽ ſe continẽt: quanto
magis, qui ſapiunt, ad vitãdas æternas pœnas, & per-
petuam infamiã, debent ſe continere, & Deo nuncu-
pata vota ſeruare? Diligant igitur caſti Caſtitatẽ, quia
amabilis eſt. Hæc ab Ambroſio api meritò cõparatur. *Ambr. li. 1. de virginibus.*
Nã rore paſcitur apis, neſcit concubitus, mella cõpo-
nit. Illi cibus flos eſt, ab illâ ore ſoboles legitur, ore
fauus ſuauiſſimus fabricatur. Sic anima caſta ſermone
diuino eruditur, & dum alienũ corpus fugit, Deo no-
E titiâ & affectu iungitur, & perituras delicias abiiciẽs,
æternæ dulcedinis amore capta tenetur. Diligant illã,
quia mundicia vas eſt, ſcilicet mentis, & corporis no-
ſtri, vt illa cœleſtes conſolationes capiat, & iſtud cor-
pus ipſum Domini venerabiliſſimo ſacramẽto tectũ
recipiat. Nec enim liquor ille conſolationũ cœleſtiũ,
qui ad inſtar vini noui feruet, in vtrem veterẽ, hoc eſt,
in mentẽ impudicitiã corruptam mittendus eſt; nec
margarita pulcherrima dominici corporis, porcis, id
eſt, impuris cordib⁹ offerẽda, & immũdorũ hominũ

affectibus

affectibus conculcanda. Ac denique diligant Caſtitatem, quia Chriſtus tenerrimè eam adamauit, & laudauit: Beata Virgo Dei mater ſummè dilexit, & ſimul cum honorabili maternitate, qua Dei mater effecta eſt, omnino ſeruare voluit: ſancti omnes complexi ſunt. Nullus enim eorum fuit, qui vel caſtitatem perfectam non profeſſus fuerit, vel ſaltem in votis non habuerit, & aliquem eius odorem non ſenſerit. Nam & ipſi ſancti coniugati à caſtitate in ſuo gradu non fuerunt immunes, & quam in ſummo perfectionis gradu, ſtatu repugnante, non coluerunt, affectibus, & deſideriis, & vera notitia dignam omni amore & veneratione putarunt.

Qui nondum tantum bonũ expertus eſt, experiatur, & probet; nam ſub teſta non nimis dura nucleum omni dulcedine dulciorẽ inueniet. Habet & mẽs guſtum ſuum, cui licèt omnis virtus ſit ſuauis, hæc tamen, cùm in aſſuetudinẽ tranſierit, ſuauitate cæteris eminet. Nec corpori amara putãda eſt, quæ amaritudines conſcientiæ ſubmouet, & moleſtias corruptionis auertit. At qui iam caſtitatẽ in ſpõſam accepit, & voti vinculo illi ſe colligauit, gaudeat, quia nobiliſſimã ſponſam ſibi adiũxit. Ipſa enim neceſſaria eſt, vt homo à ſæculo per religioſam vitã elongatus, diuinis rebus intendat. Quomodo enim poterit ex toto, Deo ſeruire, & carnis nexibus contineri: in cœlũ aſſiduis cogitationibus, & deſideriis ire, & ex alia parte in cœno carnaliũ delectationũ volutari? Sine continentia quomodo ſenſus cõprimet, appetitus frænabit, cor in perpetua quadã (vt vita hæc fert) tranquillitate conſtituet? Caſtitas eſt ſponſa ditiſſima, cuius ampla dos fructus centeſimus aut ſexageſimus dicitur, & doti vitæ coniugalis trigeſimo numero cõprehenſæ præfertur. Eſt ſponſa ſplẽdidiſſima, cuius claritas oculos mentis illuminat, vt cæleſtia cõtemplari queat: Ioannes enim virgo caſtiſſimus ob prærogatiuã virginitatis inter reliquos Apoſtolos electus eſt, vt in ſinu Domini recũberet, & ibi cœleſtia videret. Eſt ſponſa nobiliſſima, quæ ſponſum ſuũ ingenuũ facit, & à magna ſeruitute carnis ſuæ, impuræq; voluptatis educit. Domeſtici eius, qui ſcilicet vtcũq; illi ſeruiũt, veſtiti ſunt duplicibus, quia corpore & mẽte, puritate cingũtur; quanto magis ſponſus, qui ſcilicet eſt caſtitate perfectus, donis maioribus abũdabit, & frigora tepiditatis non timebit? Eſt ſpõſa honorabilis, cuius cauſſa amator eius habet claritatẽ ad turbas, quæ caſtũ animum non ſine magna admiratione ſuſpiciunt. Deliciæ huius ſponſæ puriſſimæ ſunt, quæ nec temporis diuturnitate minuuntur, nec ſenio, & corporis imbecillitate pereũt, ſed antiquitate, & experientia creſcunt. Eſt ſponſa pulcherrima, quæ ob id mundicia, decor, & puritas vocata eſt; quia nõ ſolùm in ſe pulchritudinẽ habet, ſed & ſponſo ac amatori ſuo decorẽ impertit. Propter hãc Angelis ſumus tum puritate tũ tranquillitate animi ſimiles, & periculis multis eximimur, corpore robuſti reddimur, & ab omnibus amamur. Sponſa hæc naturalẽ ſuam pulchritudinẽ oculis noſtris obiiciens, nos in ſui amorẽ accendit, voto deuincit, fidelitate ergã ſe habita mundat, atque purificat. Poſtea ſenſim bella remouet, pacẽ affert, & in vigilia atque in ſomno valde puros, & quietos, & ſimiles ciuibus cæleſtibus efficit. Spe ampliſſimæ mercedis exhilarat, & honore eximio ac incorruptibili fæcunditate coronat.

Nemo ergo ex his, qui ad cælibem vitam vocati ſunt, ab huius virtutis perfectione ſe ſeparet; nemo eam ſibi impoſſibilem iudicet, quam gratia non tantũ poſſibilem, ſed & pronam, pro illa laborantibus fecit. Hanc multi viri & fœminæ conſecuti ſunt, carne, vt alij homines, veſtiti, concupiſcentiis impulſi, tẽtationibus incitati. Quis aſſequi eandem virtutem non audeat? Quis tam immenſi theſauri poſſeſſionẽ non ſibi promittat? In caſtitatis itinere Apoſtoli præeunt, Martyrũ acies, Pontificũ, & Doctorum copiæ; confeſſorũ, virginũmq; turbæ præcedunt: illud imbecilles pueri, & teneræ puellæ cõficiunt; quis quãtumuis ſit infirmus & puſillanimis, gratia Dei, quæ volẽtibus adeſt, adiutus, ſequi nõ poterit? Non dixit *Chryſoſt. hom. 32 in Matt. in imperfecto.* Chriſtus, ait Chryſoſtomus, non omnes poſſunt, ſed non omnes capiunt verbum iſtud. Id eſt, omnes quidem capere poſſunt, ſed non tamen omnes capere volunt. Palma propoſita eſt: qui concupiſcit gloriam, non cogitat de labore. Nemo vinceret, ſi omnes periculum pugnæ timerent. Ex eo quòd quidã non poſſunt, & à propoſito continentiæ cadunt, non debemus circa virtutẽ caſtitatis fieri pigriores. Si enim quidam in pugnã cadentes, non exanimant cæteros, ſed dicunt illis ſic datum fuiſſe, rem non applicant pugnæ, ſed homini: quanto magis nos cadentium negligentiæ imputare debemus, non difficultati virginitatis? Quod autem dicit, quibus datum eſt; non hoc ſignificat, quoniã quibuſdam datur, quibuſdam non datur: ſed illud oſtendit, quia niſi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valemus. Quoniam autem volentibus gratia non denegatur, in Euangelio Dominus dicit: Petite, & dabitur vobis.] *Luc. 11.* Gratia ergo, quæ nos ad caſtitatem amplectendam excitauit, & inuitauit, eadem ex excitante comes facta, vt ſeruemus, quod promiſimus, adeſt. Eadem, ſi voluerimus, & ſi media propoſita nunc vnum, nunc alterum tenuerimus, nobis victoriam de carne infeſtiſſimo hoſte pollicetur, & perſeuerantiam vſque ad mortem in cœpta virtute promittit. Quis deſpondebit animum? Quis non in Deo amatore mundorum, & fideliſſimo eorum adiutore, confidet?

Nemo etiam difficultate pugnæ terreatur: non enim tanta eſt in caſtitate difficultas, quantam tepidi & negligentes putant. Magna eſt vis conſuetudinis, ſi eam præcipuè gratia ſuffulciat: & quod principio durum videbatur, poſt non multos dies ſuauiſſimum & facillimum inuenitur. Vnde Auguſtinus in illud Geneſis: In dolore paries filios:] hæc ait: *Gen. 3. Aug. li. de Gene.* Verum eſt ſacramentum huius ſententiæ, quòd nulla abſtinentia ſit à voluptate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem conſuetudo flectatur, quò cùm peruenerit, quaſi natus eſt filius, id eſt, ad bonum opus paratus affectus per conſuetudinem bonam: quæ conſuetudo vt naſceretur, cum dolore reluctandum eſt conſuetudini malæ.] Principio ergo aliquis labor ſentitur in reſiſtendo immoderatis affectibus: at ſi eiſdem ſeuerum vultum oſtenderimus, quaſi timore perculſi erubeſcunt, & nimiùm infeſtare deſiſtunt. Sed eſto in caſtitate difficultas, & labor ſit, quis vmquam ſine labore vicit? Quis ſine aliqua difficultate hoſtem repulit, & victoriæ coronam accepit? Quis ſanctorum (inquit Hieronymus) ſine certamine coronatus eſt? *Hier. ep. ad Euſt.* Abel iuſtus occiditur, Abraham vxorem periclitatur amittere, & ne in immenſum volumen extendam, quære, & inuenies ſingulos aduerſa perpeſſos. Solus in deliciis Salomon fuit, & forſitan ideo corruit. Quem enim diligit Dominus, corripit. Caſtigat autem omnem filium, quem recipit.] *Hebr. 12.* Nonne melius eſt breui tempore dimicare, ferre vallum, arma ſumere, laſſeſcere ſub lorica, & poſtea gaudere victorẽ, quàm impatientia vnius horæ perpetuò ſeruire? Nihil amantibus durum eſt, nullus difficilis cupienti labor eſt. Reſpice quanta Iacob pro Rachel pacta vxore ſuſtinuit. Et [ſeruiuit (inquit Scriptura) Iacob pro Rachel annis ſeptem: & erant in *Gen. 29. 20.*

A

(*n. 31. 40.*) conſpectu eius quaſi dies pauci.] Vnde & ipſe poſtea memorat: [In die vrebar æſtu, & gelu nocte.] Amemus & nos Chriſtum, eiúſque ſemper quæramus amplexus, & facile videbitur, omne difficile; breuia putabimus vniuerſa, quę longa ſunt, & iaculo illius vulnerati per horarum momenta dicemus: (*Pſ. 119. 5.*) Heu me, quia peregrinatio mea prolongata eſt à me!] (*Rom. 8. 18.*) Non ſunt enim condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.] (*Rom. 5. 3. 4. 5.*) Quia tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem, probatio autem ſpem, ſpes autem non confundit.] Hactenus Hieronymos.] Si ergo, ô iuſte, caſtitatis difficultas te terret, oculos in præmium intende: ſuſpice cœlum, triumphum in eo maximum tibi paratum expende, vt eius conſideratione ad pugnam, & victoriæ deſiderium roboreris.

B

(*Hier ſup.*) Qualis erit illa dies (vt eiuſdem Hieronymi verba hanc tractationem perficiant) cùm tibi Maria mater Domini choris occurret comitata virgineis? Cùm poſt rubrum mare, ſubmerſo cum ſuo exercitu Pharaone, tympanum tenens præcinet reſponſuris: (*Exod. 15. 1.*) Cantemus Domino, glorioſe enim honorificatus eſt: equum, & aſcenſorem proiecit in mare?] Tunc Thecla in tuos læta volabit amplexus. Tunc & ipſe ſponſus occurret, & dicet: (*Cant. 2. 10. 11.*) Surge, veni, proxima mea, ſponſa mea, columba mea: quia ecce hyems tranſiuit, & pluuia abiit ſibi. Tunc Angeli mirabuntur, & dicent: Quæ eſt iſta proſpiciens quaſi diluculum; (*Cant. 6. 8. 9.*) ſpecioſa vt luna, electa vt ſol? Videbunt te filiæ, & laudabunt Reginæ, & concubinę prædicabunt. Hinc & alius caſtitatis chorus occurret. Sara cum nuptis veniet, filia Phanuelis Anna cum viduis. Erunt in diuerſis gregibus carnis & ſpiritus matres tuæ. Lætabitur illa, quod genuit; exultabit iſta, quod docuit. Tunc verè ſuper aſinam Dominus aſcendet, & cœleſtem ingredietur Hieruſalem. Tunc paruuli, de quibus in Iſaiâ Saluator effatur: (*Iſai. 8. 18.*) Ecce ego, & pueri, quos mihi dedit Deus,] palmas victoriæ ſubleuantes conſono ore cantabunt: (*Matt. 21. 9.*) [Oſanna in excelſis: Benedictus, qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis.] Tunc centum quadraginta quatuor millia in conſpectu throni, & ſeniorum tenebunt citharas, & cantabunt Canticum nouum: & nemo poterit dicere Canticum illud niſi numerus definitus. (*Apoc. 14. 3. 4.*) [Hi ſunt, qui cum mulieribus ſe non coinquinauerunt, virgines enim permanſerunt. Hi ſunt, qui ſequuntur agnum quocumque vadit.] Hæc ille.] Iſta conſidera, iſta ſæpe animo tuo volue; iſta concupiſce, vt in caſtitatis propoſito confirmeris. Nam ad miniſterium Angelorum, nempe ad iugem orationem vocato, & ad vacandum Deo tuo ex procellis ſæculi extracto, æquum eſt carnis ſpurcitias fugere, & ad Angelorum imitationem aſpirare. Iam caſtitatem perfectè conſecutus lætaberis, ſicut qui lætantur in meſſe: exultabis ſicut exultant victores captâ prædâ, quando diuidunt ſpolia. Dices cum ingenti gaudio: iam hyems tentationum tranſiit, imber moleſtiæ, quam in reſiſtẽdo experiebar, abiit, & apparuerunt in terrâ cordis mei flores tranquillitatis, ad quorum odorem ſuauiſſimum fructus æternæ gloriæ poſt hanc mortalem vitam ſe naſcituros inſinuant.

O R A T I O

AD POSTVLANDAM

CASTITATEM.

DEVS SANCTISSIME, ipſa puritas, atque mundicia, amator Caſtitatis, & fons virginitatis, qui Virginem in ſponſam, & Filij tui Matrem elegiſti, & eam ſuper omnes cœleſtes ſpiritus exaltaſti: quique huius Virginis amplitudine, qua omnibus creaturis ſupereminet, teſtatum facis te impensè puritatem diligere, & Caſtitatis ſectatores amare: concede nobis, oramus ſupplices, per interceſſionem huius Matris noſtræ, mentis & corporis puritatem, vt noſtræ vocationi reſpondentes, & quod ſæpius voto firmauimus, implentes, tibi fideles ſimus, choro virginum, aut continentium aggregemur, & tuis mundiſſimis oculis placeamus. Vre igne Sancti ſpiritus cor noſtrum, Domine, & rore cæleſtis gratiæ corpus noſtrum recrea, vt poſt concupiſcentias non eat, &, ſi impugnatum fuerit, ad te, refugium imbecillium, confugiat. Tolle, benigne Pater, ſi vtile erit nobis, omnem carnis impugnationem, à nobis, & da pacem in finibus noſtris, vt in vigiliâ, & in ſomno nihil quod nos maculet, patiamur. Si autem expedit nobis, vt ab angelo Satanæ adhuc impugnemur; fac tamen, vt nec in re minimâ expugnemur: fac vt ipſis tentationibus in caſtitate, & merito, & gratiâ creſcamus. A M E N.

Digitized by Google

PARS TERTIA DE OBEDIENTIA.

VITAM religioſam holocauſtum eſſe perfectum, quo homo ſeipſum in honorem Dei igne charitatis abſumit, ex his quæ hactenus dicta ſunt, fit manifeſtũ, & nemo, qui huius vitæ aliquam cognitionem habet, in dubium adducit. Ligna ad ſacrificium cremandũ, ſunt opera religioſa ſecundum præſcriptum regulæ ordinatè diſpoſita; ignis, eſt amor ab his operibus frigus ſocordiæ pellens, & ſplendorē ſancti feruoris adiiciens; animal autem offerendũ, eſt ipſe homo, ſimul ſacerdos, & hoſtia, qui & ſeipſum offert, & ſuis operibus, & ſuo amore ſuccenſus aduritur. Paupertate conſecrat Deo bona, quæ habet: Caſtitate immolat corpus, quod poſſidet: Obediētia verò offert mentē, qua holocauſtũ omnino perficit, quia iam nihil extra oblationē omittit. De Obedientia igitur poſtrema ac perfectiſſima parte huius holocauſti nunc agendũ eſt: non quidem de illa generali qua quiſq; homo ipſo naturæ iure aſtrictus eſt principib⁹, & ſuperioribus reipublicæ parere, ſed de illa qua quiſq; vitā religioſam profitens ſponte ſu⁊ eriorē eligit, cuius ductu in omnibus gubernetur atque regatur. Hæc eſt illud holocauſtum, quod gratũ eſſe Domino deſideramus, cùm bellũ aduerſus vitia noſtra, ſcilicet inuiſibiles hoſtes, incipimus. Quorũ propoſitũ laude dignum aſpiciēs Eccleſia mater noſtra, deprecatur nobis bona ore Dauidis inter alia dicens: Memor ſit Dominus omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.] Audit autem ipſe benignus pater tantæ matris deſideria. & cùm ei ex ſyncero corde paupertatem & caſtitatem non promiſſione tantùm ſed actione quoque offerimus, gratũ ſacrificium habet; cùm verò Obedientiam adiungimus, & præpoſitis obedimus, quaſi in holocauſto pinguiſſimo ſibi complacet. Meritò igitur nos, qui in his lucubrationibus rationem ac viam aſcendendi ad montem perfectionis, & nos Deo in modum holocauſti offerendi tradimus, hoc volumen ſuper illud: Declina à malo, & fac bonum, Obedientiæ tractatione concludimus, vt videlicet compertum ſit nobis, ſpiritualem virum, vna obedientia malum omne vitare, & bonum perficere, & ſe perfectiſſimè Deo in holocauſtum offerre. Sed iam committamus vela ventis, & hanc poſtremam partem viæ illius vitæ, quæ in actione conſiſtit, fauentibus ſuperis inchoemus. Tu Domine qui imbecillium in te ſperantium es fidelis adiutor, tempera ſtylum meum, vt de Obedientia digna loquar, & robora multò magis brachium meum, vt Obedientiæ opera ſemper exerceam. AMEN. Pſ. 19.

In quo poſita ſit Obedientiæ ſubſtantia.

CAPVT I.

HOMO ad æternitatem conditus, & ad beatitudinem procreatus, obedientiam in adiutricem accepit, qua ſola poſſet in æternũ viuere, & finem, ad quem deſtinatus fuerat, obtinere. Hinc prima vox Dei, quæ poſt creationem hominis in auribus eius inſonuit, præceptũ fuit, cuius impletionem ad obedientiā pertinere certum eſt. Facto enim homine, & in paradiſo voluptatis collocato, præcepit ei Dominus, dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.] Vno tantùm præcepto, & illo ſatis facili, hominem Deus à ſe creatum obſtrinxit. Vno, ne legum multitudine premeretur; facili, ne mandati difficultatem cauſaretur, & vt ſi peccaret, poſteris omnibus appareret, quanta fuerit iniquitas in peccando, ait Auguſtinus, vbi tanta erat non peccandi facilitas. Mandatum autem homini poſitum eſt rei non per ſe malæ, aut alicui noxiæ, ſed quam ſola lex vetans malam faciebat, vt ille intelligeret ſolam ab eo obedientiam exigi, ſolum vectigal ſubiectionis requiri. Neque enim arbor illa ſcientiæ boni & mali aliquo veneno erat infecta, ac propterea timeretur, vt homo ex eius fructu comedens interiret. Neque etiam alteri homini (qui nondum erat) in poſſeſſionem data fuerat, vt ex ablatione fructus ab Adamo facta aliquid detrimenti ſentiret. Sed eius fructus arboris bonæ, & cum aliis arboribus parenti noſtro traditæ interdictus eſt, quo ſciret non ad neceſſitatem, nec ad conſulendum damno alterius, ſed tantùm ad obedientiæ exhibitionem ſibi huiuſmodi mandatum imponi. Vel ſi ſub hac verborum ſerie obedientiæ declaratrice triplex præceptum latuit, vt putauit Rupertus Abbas, fidei, ſpei, & charitatis, hoc quod dicimus magis enitet. Charitas præcepta eſt illis verbis: Ex omni ligno paradiſi comede.] Nam cur non Deus charitatem ab homine exigat, in hoc, quòd illum à ſe ex nihilo factum tantis muneribus cumulauit? Spes illis: De ligno ſciētiæ boni & mali ne comedas.] Homo enim præceptum audiens, ſperare debuit, vt qui ſibi onus impoſuit, præmium ſuſtentati fideliter oneris, aliquando ſuſtinenti conferret. Fides illis: In quocumque die comederis, morte morieris.] Credere namq; debuit protoparens noſter, verba Dei eſſe veracia, futurumque eſſe, vt ſi ipſe inobediens exiſteret, mortem ſine vllo remedio guſtaret. Quas tres virtutes commutato ordine à nobis requirit Deus, vt ſicut ille cadendo deſcendit, ita & nos à fide ad ſpem, & ab ſpe ad charitatem reſurgamus. Claret, inquam, obedientiam eſſe hominis adiutricem. Nam intellectus eius fidei præcepto conſtringitur, & appetitus ſpei mādato deuincitur, & voluntas lege charitatis ligatur, vt ſciret ſe his ſanctæ obediētiæ vinculis ad beatitudinem obtinendam ſolui, vel tantùm à malo, quod ei impedimento aſſequendæ fœlicitatis eſſe poterat, nō verò à bono virtutis impediri. Ex his autē quæ in ſacro textu ſequuntur, apertè datur intelligi, adiutricem aſſequendæ fœlicitatis obedientiæ eſſe virtutem. Poſt latum enim hoc præceptum, Eua adiutrix Adæ creata eſt, quemadmodum ſeries ipſa narrationis aperit, & Auguſtinus ſentit, vt videlicet in ea adiutorium non ſolùm vitæ politicæ, & procreādæ ſobolis, ſed & ſer-

Gen. 2. 16

Aug. lib. 14. de ciuit. c. 15.

Rupert. 2. de operibus Trinit. c. 3. Gen. 2. 1[illegible]

n. 17.

Aug. 8. ad Geneſ. ad lit. c. 17.

uandæ ſibi impoſitæ legis haberet, quam ipſe cõpari denuntiaret. Poſtea etiam orbis dominus conſtitutus eſt, & ad illum omnia animalia in ſignum ſubiectionis adducta, vt videlicet agnoſceret ſe præceptum obedientiæ percepiſſe, non vt more mancipiorum ſeruiret, ſed vt ſubiiciens ſe per obedientiam Domino, dominus & rex fieret, ac omnibus imperaret.

Sed quare obedientia homini potiùs quàm aliæ virtutes adiutrix data eſt? Ideo profectò, quia obedientia omnis virtus cõtinetur, & omne bonum, quo ad patriam cœleſtem aſcendimus, generatur. Aliæ namque virtutes in vna materia ſe cõtinent, & in illa tantùm ſuas actiones exercent. Prudẽtia media apta ad finem conſequendum inquirit, iuſtitia vnicuique ius ſuum tribuit, obſeruantia reuerẽtiam maioribus, pietas officia parẽtibus impertit. Fortitudo in periculorum ſuſtinentia verſatur, patientia in malis & aduerſis fortis oſtenditur, abſtinentia modum in cibis, ſobrietas in potibus, caſtitas in Venereis, paupertas in contemptu rerum temporalium ponit. Et ſic quæcũque alia virtus quaſi terminum ſuæ iuriſdictionis habet, vltra quem haudquaquam ſuam poteſtatẽ extendit. Ac ideo ſi virtutes non in omni perfectione ſumamus, ſecundùm quam dicuntur eſſe connexæ, aliquem iuſtum & non fortem, aut fortem, & nõ abſtinentem, aut abſtinentem & non ſobrium, aut ſobrium & non caſtum inueniemus. At obedientia in ſua latitudine accepta ceu regina potens omnes materias vniuerſarum virtutum peruagatur. Prudẽſq; ex obedientia prudenter agit, & iuſtus, aut fortis ex obedientia iuſtè aut fortiter ſe habet, & ſobrius aut temperatus, aut caſtus ex obedientia ſobriè, temperatè ac caſtè ſe gerit. Et qui imprudentia aut iniuſtitia aut alio vitio peccat, ideo delinquit, quia præcepta tranſgreditur, ac ideo quia à mandatorum obediẽtia ſeparatur. Meritò proinde quidam ad hanc virtutem illud Prouerbiorum applicuit: *Prou. 31. 29.* Multæ filiæ congregauerũt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas,] quoniam aliæ Dei filiæ, nempe aliæ virtutes in ſua propria cuiuſque materia opes meritorum congregant, obedientia verò opes in omni materia in omníque actione coaceruat. Obedientia concordiam ſeruat in Angelis, vnitatem tribuit Eccleſiis, pacem conſtituit in cœnobiis, tranquillitatem facit in regnis, in rebus publicis & familiis, & quicumque exceſſus, quæcumque exorbitatio à lege in iſtis conſpicitur, ex obediẽtiæ defectu progreditur. Hanc brutis vis naturæ inſeruit, inanimatis præbuit, hac terrenis cęleſtia, & humanis diuina religauit, ſine qua nihil omnino pacatum ordinatúmque conſiſtet. Hac tanquam ſcala firmiſſima fit hominis aſcenſus in cœlum; hac à ſe ipſo diſcedit, ad perfectionem accedit, ac Deo ſe ac cœleſtibus ſpiritibus inſerit. Hæc eſt quadriga qua Elias eſt *4. Reg. 2. 11.* à mortalium cœtu ſublatus, & ad ſuperas ſedes euectus. Hæc paupertatem fouet, caſtitatem perficit, virtutes reliquas vrget, ne ſegnes vacent, & in ſuorum operum labore torpeſcant. Hæc denique eſt, quæ vt fideliſſima comes & ſolertiſſima adiutrix viro iuſto adſtat, vt viam ſalutis currere incipiat, vt in ea progreſſus faciat, & vt fœliciter ad finem optatum ſanctitatis perueniat.

Obedientiam ſtatus religioſus, qui pro poſſe vitam cœleſtem æmulatur, in primis charam habet, & velut matrem reliquorum bonorum, quorũ eſt ferax, illis omnibus anteponit. Cuius rationẽ aſſignat Thomas *D. Thom. opuſ. 18. c. 11.* Aquinas in hunc modum. Inter hæc autẽ tria, quæ ad religionis ſtatum diximus pertinere, præcipuũ eſt obediẽtiæ votum, quod quidẽ multipliciter apparet. Primò quidem, quia per obedientiæ votũ homo Deo propriam voluntatẽ offert: per votum autem conti- A nẽtiæ, offert ei ſacrificiũ de proprio corpore. Per votum verò paupertatis offert de exterioribus rebus. Sicut ergo inter bona hominis corpus præfertur exterioribus rebus, & anima corpori, ita votum continẽtiæ, voto paupertatis pręfertur, votũ autẽ obedientiæ vtrique. Secundò, quia propter propriã voluntatẽ homo & exterioribus rebus vtitur & proprio corpore. Sic igitur qui propriam voluntatẽ dat, totum dediſſe videtur. Vniuerſalius eſt igitur obedientiæ votũ, quàm continentiæ, & paupertatis; & quodammodo includit vtrumq;. Sic ille.] Nec moueat quòd ille de obedientiæ voto, non de ſola obedientiæ virtute loquitur. Votũ enim ad ſtabiliendam virtutẽ eſt, & ob id duobus aliis votis religioſis præfertur, quia de nobilioris virtutis actibus nuncupatur. Alio verò loco B vberiùs hoc idem tractans idem ſanctus Doctor ait, *2. 2. qu. 186. ar. 8.* ideo etiam obedientiã paupertati & caſtitati præponi, quia hæ obedientia continentur præcipiente ne propriũ habeamus, & ne corpus aut mentem impuris actibus, aut cogitationib⁹, aut deſideriis inquinemus. Inſuper quia obedientia ſe ad actiones extendit, religionis fini propinquiores: & ad eas quæ Deum immediatiùs attingunt. Quare obedientia eſt perfectio illa, quæ ſtatum religioſum in ſuo eſſe conſtituit. Nã ſi quis paupertatem & caſtitatem profiteatur, ſeu voto complectatur, ſi obedientiam ſpontaneam voto non ſuſcipiat, ſtatum religioſum non habebit. Hanc itaque virtutem nos religioſi tanquam præcipuã amplectimur, qua ad reliquas virtutes etiã Theologicas exercendas permouemur. Nam credere in Deum, & C ab eo bona æterna ſperare, & illum ſuper omnia diligere, obedientia eſt, quia hæc eo ipſo quòd ſub præceptum cadunt, non poſſunt ab obedientiæ ſplendore ſecerni. Nec ideo inter ſe putamus virtutes eſſe cõfuſas, quia ſicut in actionibus humanis quam vnus facit, alius imperat, & alius conſulit, aut velut rationi conſonam faciendam eſſe decernit: ſic in ſtudioſis operibus, quod charitas elicit, inſtante præcepto diligendi obedientia iubet, & hac ratione ſuam amplitudinem ad actiones vniuerſarum virtutum extendit. Quam ergo virtutem præcipuã in noſtro ſtatu, & velut reginã agnoſcimus, licèt ad finẽ huius voluminis properantes, non minori diligẽtia tractemus, & quid ipſa ſit, priùs à definitione eius incipiẽtes inquiramus.

Variis modis Patres obedientiæ naturam expoſuerunt. D Baſilius ſic: *Baſil. ſer. de inſtit. monach.* Vera perfectáque ſubiectorum aduerſùs moderatorem ordinis obedientia in eo cernitur, ſi quis ex eius conſilio non rebus modò flagitioſis abſtineat, ſed ſi ne ea quidem, quæ laudabilia ſunt, ſine ſententia illius faciat. Thomas Aquinas *D. Th. 2. 2. q. 104. ar. 2. ad 3.* ſic. Obedientia eſt, quæ promptam reddit hominis voluntatem ad implendam voluntatem præcipientis. Albertus magnus ſic. *Albert. in paradiſo animæ c. 3.* Obedientia ad vicarios Chriſti, ſcilicet ad prælatos, eſt, cùm ſubditus quod ſibi maximè contrarium eſt, fideliter & libenter exequitur, nunquam manifeſtans ſigno vel facto, quod ſibi contrarium ſit præceptum. Ioannes *Climac. gradu 4.* Climacus pro ſuo more eam luculentiùs ita deſcribit: Obediẽtia eſt animæ propriæ perfecta abnegatio, per corpus certiùs oſtenſa. Aut fortè verſâ vice: Obedientia eſt E inexaminatus atque indiſcuſſus motus, ſpõtanea mors, vita curioſitate carens, ſecurum periculum, immediata ad Deum excuſatio, metus mortis contemptio, tuta nauigatio, confectum dormiendo iter. Obedientia eſt ſepulchrũ voluntatis, & excitatio humilitatis: nihil reſiſtit, nihil diſcernit, mortuus in bonis, aut in his, quæ videntur mala. Nam qui piè animam ſuam mortificauerit, ſecurus pro omnibus rationem reddet. Obedientia eſt diſcretionis depoſitio inter diuitias diſcretionis. His vtcumque natura obe-

dientiæ

dientiæ virtutis exponitur, ſed nos ad noſtrum propoſitum eam quatenus votum etiam comprehendit, exponamus.

Eſt igitur religioſa obedientia, inferioris ad ſuperiorem propter Deum voluntaria ſubiectio, quam votum ſtabiliuit atque firmauit. Eſt, inquam, ſubiectio, vt ille qui recalcitrando & contradicendo præceptis Dei innocentiam perdidit, ſubiiciendo ſe Deo & homini propter Deum ad priſtinam iuſtitiæ & innocentiæ participationem reuertatur. Eſt ſubiectio, vt per hanc inferior ſuperiori tamquã cœlo colligatus, ab eius imperio, (quod imperium Dei eſt, ſi bona præcipiantur) ſalutarem influxum, quo in bono promoueatur, accipiat. Eſt ſubiectio, vt qui ſuperbiendo cecidit, ſe coram alio non ſuperioris naturæ deiiciendo reſurgat. Atque etiam eſt ſubiectio ſpontanea ſiue voluntaria, quia in exordio ſuo non à natura proceſſit, ſed à propria ſe ſubiicientis voluntate manauit. Quædam enim ſubiectio à natura manat, illa ſcilicet qua effectus cauſæ ſubiicitur, qualémque nos & omnia habent erga Deum, qui cauſa omnium rerũ creatarum exiſtit. Nam, & nunc Domine pater noſter es tu, nos verò lutum: & fictor noſter es tu, & opera manuum tuarum omnes nos.] Et quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus eius, & oues manus eius.] Quid autem æquius aut naturalius, quàm vt effectus, qui totum eſſe à cauſa habet, ab eo etiam motum & actionum directionem accipiat? Hoc etiam modo ſubſunt filij parentibus, à quibus vt notum eſt, eſſe & vitam accipiunt. Immo & ſubſunt fideles omnes Pontifici ſummo & prælatis Eccleſiaſticis: Nam Deus omnium opifex his tamquam vicariis ſuis per Chriſtũ filium ſuum imperandi in ſpiritualibus poteſtatem attribuit. Quæ ex eo quòd diuina eſt, id eſt, à Deo ipſo immediatè procedens, naturalis, hoc eſt, ab ipſa natura dictata & inſtituta eſſe non deſinit. Alia verò ſubiectio à iure gentium, immo & paulo mediatiùs ab ipſa natura prouenit. Eo enim ipſo quòd ſunt reſpublicæ conſtitutæ, capita habẽtes, & ex hominibus tamquã ex partibus compoſitæ, ſequitur, vt ipſa natura dictante ſinguli homines partes ſcilicet ſuo toti ſubſint, & membra capiti obtemperent. Et hac ratione ciues ſubiiciũtur Principi & aliis ſenatoribus atque iudicibus, in quos à republica & principe authoritas gubernãdi deſcendit. Alia tandem eſt ſubiectio à propria alicuius voluntate procedens, qui cùm ſit iuris & arbitrij ſui, poteſt quaſi iure ſuo cedere, & alteri in ſe poteſtatẽ dare. Quo pacto valet vnuſquiſque tradere ſe alteri in ſeruum vel famulum, vel promiſſione aliqua ſe obſequio ac ſeruituti eius addicere. Hæc autem ſubiectio ad religioſam obedientiam pertinet. Ego enim, qui liber & mei iuris eram, volui non coactus ſed libens ad maius meritum, & ad maiorem ſecuritatem æternæ ſalutis, me prælato ſubiicere, & ad hanc ſubiectionem voto ligari atque conſtringi. Dictum eſt autem, ſubiectionem hanc in ſuo exordio à voluntate pendere, quoniam ex quo quiſque libere vitam religioſam profeſſus eſt, & ſe prælato voti pollicitatione ſubiecit, non eſt liberum ſed obligatione debitum alterius ductu viuere, nec prælati iuſſis contraire. Iam hæc ſubiectio quaſi naturalis, & diuina eſt, à Deo per ſummum Pontificem ſtatum religioſam inſtituentem manans, & prælatis eius iubendi authoritatem impertiens. Iam quaſi gentium iure inſtituta eſt. Nam ex eo quòd in Eccleſia ſunt congregationes religioſæ quaſi reſpublicæ quædam ad Dei cultum & vitæ perfectionem ſpecialiùs inſtitutæ, ſequitur vt quiſque religioſus ad religionem vt ad totum, & ad prælatum vt ad caput comparetur. Ac proinde debet ſicut & in cæteris rebus publicis toti ſubeſſe & à capite authoritatem habente gubernari.

Isaia. 64. 8.

Pſ. 94. 7.

Ex hoc autem patet cuius hæc ſubiectio ſit & cui ipſa debeatur. Eſt enim inferioris qui paret & obedit: ex quo proſpicitur obedientiæ pulchritudo & æquitas. nihil enim pulchrius & rectius quàm vt inferiora à ſuperioribus pendeant, & eorum ductu atque imperio regantur. Et ſi [...] eſſet præpoſterum & ſimile monſtro ſi caput hominis reperet, & pedes ſurſum tollerentur, & vellent capiti præeſſe, illúdque dirigere; ita contra naturam & bonos mores eſſet, ſi inferior nollet parere, & à ſuperiore gubernari. Eſt ſuperior qui præcipit, ex quo ſuauitas & diſcretio obedientiæ elucet. Dedit enim Deus nobis viſibilibus, prælatum viſibilem multis annis in cœnobio educatum, notitia legum & iuris noſtri ſufficienter inſtructum, à quo poſſimus prudenter dirigi, cuíque valeamus, ſine ſalutis diſcrimine nos ac noſtra committi. Eſt obiectum huius ſubiectionis ſiue materia circa quam verſatur præceptum impoſitum, cui cùm nos propter Deum ſubiecerimus, nihil Deo contrarium contineat neceſſe eſt. Nam ſi aliquid Deo diſplicens & ſuis iuſſis contrarium contineret, iam non præceptum eſſet, nec nos vllo modo conſtringeret. Quare Gregorius ait: Obedientia non ſeruili metu, ſed charitatis affectu ſeruanda eſt, non timore pœnæ ſed amore iuſtitiæ. Duobus autem modis prælati nos dirigunt: primo, iuſſis atque præceptis; ſecundò, monitis & adhortationibus, & oſtenſione eorum quæ recta ſunt, & propriæ manifeſtatione voluntatis. Ad vtrumque autem ſe obedientia modum extendit, licèt diuerſa ratione. Nam ſi prælatus iubeat & præcepto vrgeat, non obedire iuxta qualitatem præcepti, peccatum erit, graue quidem, ſi præcipiatur res grauis & alicuius momenti; leue verò, ſi iubeatur res leuis & contemptus deſit. At ſi non iubeat, ſed aut hortetur, aut ſuadeat, aut voluntatem ſuam verbis aut nutu oſtendat, non obedire, ſecluſo ſcandalo & contemptu, peccatum non erit; ſed manifeſtè magna imperfectio, & obſeruantiæ defectus, & confuſio ordinis erit. Sicut enim eſſet malus ſeruus, & intolerabilis vxor, & imperfectus Chriſtianus, qui expectarent præceptum Domini, aut mariti, aut Eccleſiæ, & nihil, non ſtrictè præceptum, vellent facere: ita imperfectiſſimus eſſet Religioſus, qui nihil ſine præcepto vellet efficere. Sed de hoc inferiùs ſumus dicturi. Hanc igitur obedientiam quoad leges præcipientes, & quoad mandata prælatorum voto ſtabilimus atque firmamus, vt ſic religioſi, & in ſtatu perfectionis conſtituamur, qui cùm ſtabilitatem habeat, non poteſt noſtræ voluntati relinqui, & pro humana leuitate mutari. Mutaretur autem facilè ſi ſubiectio noſtra ad prælatum ex ſola noſtra voluntate penderet, quia hodie vellemus obedire, & cras noſtri iuris eſſe, & à voto & promiſſione non ſtabilitatem acciperet. Et hæc ſubiectio voto firmata, eſt obedientia religioſa, in qua præcipuus religionis ordo ſplendórque conſiſtit, & ſine qua aut voto aut alio modo ſtabiliter cuſtodita, nullius familiæ religioſæ nulliúſque congregationis poſſet recta gubernatio ſeruari. Vnde Beatiſſimus Pater noſter Ignatius hæc ad huius virtutis commendationem ſcripta reliquit: Nimirum hoc modo prouidentia illa diuina diſponit omnia ſuauiter, infima per media, media per ſumma, ſuos ad fines cuncta perducens. Hinc illa videlicet in Angelis vnius Hierarchiæ ad aliam ſubordinata ſeries; hinc, & cœleſtium, & aliorum omnium, quæ cientur, corporum, certis locis ac ſedibus, inter ſeſe apta

Greg. 12 mor. c.

Ign in ep. obe n. 20.

connexio, quorum conuerſiones ac motus ab vno mouente ſupremo gradatim omnes vſq; ad infimos rite proueniunt. Idem in terris, cùm in omni ciuitate bonis inſtituta legibus, tum verò in Hierarchia Eccleſiaſtica cernitur, cuius omnia mēbra & functiones ab vno generali Chriſti Domini noſtri vicario deriuātur, & quo accuratius hæc diſpoſitio, & collocatio cuſtoditur, eo re[…] eſt gubernatio, & melior: contrà verò huius ordinis negligentia, quàm grauia incommoda multis hominum ſocietatibus importētur, nemo non videt. Hæc ille.] Nec nobis omittēda eſt rationis obedientiæ exquiſita cognitio, quæ in hoc poſtremo ſita eſt, vt iniuncta ea eo quòd præcipiuntur faciamus. Si enim quis præceptis obediat, nō eapreſsè vt obediat, ſed vt virtutis actus eliciat, obedientiam quandam habet generalem legis obſeruatione contentam, & actus virtutis quam exercet, puta temperantiæ, aut iuſtitiæ, aut cuiuſpiam alterius præſtabit. At ſiquis præcepta impleat, expreſsè ea ratione quia à Deo vel ſuperiori præcepta ſunt, tunc actum obediētiæ ſpecialis virtutis eliciet, quia rationem quandam honeſti ſpecialē operi addit, vt ſcilicet fiat, quia ea præcepto debitū eſt. Hæc eſt natura obedientiæ quaſi ſcholaſtico modo tractata, cuius radicem, neceſſitatem, præſtantiam, gradus, præmia, & media nunc iuxta conſuetudinem exponemus, vt huic volumini poſtremam manum imponamus.

Quæ ſit radix Obedientiæ.

CAPVT II.

HÆc obligatio ſuperioribus obediendi, altiores radices habet, quàm cuiquam fortaſſis videatur. Qui enim hanc obligationem ex eo oriri putauerit, quòd votum obedientiæ nuncupauit, debétque ſtare promiſſis: aut ea eo quòd pars eſt cōgregationis, debétq; capiti ſubiacere, veritatem quidem attigit, ſed nondum ad fundamentum ac radicem obedientiæ peruenit. Habet enim hæc virtus fundamentum ſolidiſſimum, & radicem profundiſſimam, quam ſi exquiſierimus, & nobis miram voluptatem obedientibus afferet, & omnem difficultatē ab obediētia depellet. Radix igitur aut cauſa præcipua obedientiæ eſt, quòd prælatus vices Chriſti gerit, quòd in prælato Chriſtus iubet, & dum obedimus, non tam homini quàm Deo ipſi ſubiicimur. O mirā obedientiæ perfectionem! O magnam obedientium fælicitatem, quia Deo in homine parent, & ipſi Chriſto Dei filio cui omnia ſubiecta ſunt, ſe ipſos ſuáq; ſubiiciunt. Et ſicut his qui in miſericordiæ operibus inſtiterunt, dictum eſt, Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis,] ita & obedientibus potiore ratione dicet: Quando obedientiam præſtitiſtis prælatis veſtris, mihi obediſtis. Potiori quidem ratione, quoniam ex magna fide videtur procedere, Deum in prælatis intueri, & quaſi vocem eius ab ore prælati prodeuntem audire.

Matth. 25.40.

Igitur proſequamur hæc tria, vt magnas, quas habemus, obedientiæ cauſas, videamus. Prælatus vices Dei gerit, & loco Dei conſtitutus eſt, vt nobis ſalutaria præcipiat. Salus ac vita noſtra eſt obedire Deo, & eius facere voluntatem, perditio autem noſtra præceptis eius reluctari. Nam & ſcriptū eſt: En propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem & maledictionem: benedictionem, ſi obedieritis mandatis Domini Dei veſtri, quæ ego hodie præcipio vobis: maledictionem, ſi non obedieritis mandatis Domini Dei veſtri, ſed receſſeritis de via, quam ego nunc oſtēdo vobis.] Quia verò Deus inuiſibilis eſt, nos autem viſibiles, nec decebat, vt nobis ſemper inuiſibiliter loqueretur, & ſpecialia mandata ſeruanda proponeret, aliquos homines ſimiles nobis elegit, per quorū os nobis loqueretur, & à quibus quid ipſe vellet, poſſemus addiſcere. Hi autē ſunt principes atque prælati, quibus dixit Chriſtus: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: Qui autē me ſpernit, ſpernit eū qui miſit me.] Et haud dubiè, ſicut qui contemnit Chriſtū, contemnit & patrem, à quo miſſus eſt, ita & qui audit Chriſtū, audit & patrem. Qui igitur audit prælatos, cùm audiat in eis Chriſtū, audit & patrē, & in prælatis, iuſſionibus patris obedit. Hæc namq; verba nō ad diſcipulos tantùm Domini ſed ad omnes prælatos fuiſſe directa, conſtans omniū Catholicorum ſentētia eſt. Idq; manifeſtè docet Clemens Papa primus ad omnes Epiſcopos & presbyteros, & clericos, ſic ſcribens: Veſtrum enim quia legatione Domini fungimini, eſt docere populos: eorum verò eſt, vobis obedire, vt Deo. Si autem vobis Epiſcopis non obedierint omnes presbyteri, diaconi, ac ſubdiaconi, & reliqui clerici, omnéſq; principes, tam maioris ordinis, quàm inferioris, atque reliqui populi, tribus & linguæ, nō obtemperauerint, non ſolùm infames, ſed & extorres à regno Dei, & conſortio fideliū, ac à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ alieni erunt. Nam veſtrum eſt, eos inſtruere, eorum eſt, vobis obedire, vt Deo, cuius legatione fungimini, dicente Domino: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et qui vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eū qui me miſit.] Nihil enim iniuſtius, vel inhoneſtius eſt, quàm filios patribus rebelles, aut clericos, vel laicos doctoribus, ſeu diſcipulos magiſtris inobediētes, vel proteruos exiſtere. Sic ille.] Neq; iniuſtè verba prædicta Domini de omnibus prælatis accipienda ſunt, ſiquidē in illis ſimilis atq; in diſcipulis Domini eſt docendi & iubēdi poteſtas. Illúdq; quod Ezechiel à Domino ſibi reuelatum audiuit; Domus Iſrael nolūt audire te, quia nolunt audire me,] & omnes prælati audiūt: Inobediētes, & proterui nolūt audire vos, quia nolūt audire me. Si enim me vellēt audire, meiſq; iuſſis obtemperare, vtiq; & vos loquentes audirent, & vobis præcipientibus obedirent, quia ego in ipſis tanquam in meis vicariis doceo & iubeo.

Luca 10. 16.

Clemens epiſt. 3.

Luc. 10. 16.

Ezech. 3. 7.

Olim, vt Paulus ait, loquutus eſt Dominus per prophetas, in initio verò Euāgelicæ legis loquutus eſt nobis in filio quē conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula.] Et Ioannes: Vnigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit.] At poſtquam filius Dei aſcendit in cœlum, docet homines per ſuperiores ac prælatos legitimè conſtitutos. Ipſi perſonam Dei, & Chriſti in terris referunt. Quare Baſilius ait: Nihil eſt aliud antiſtes, quàm is qui perſonam Chriſti ſuſtinet, & ſequeſter eſt inter Deum, & homines, eorū qui in ipſius officio ſunt, ſalutē ſacrificans Deo. Atque hoc à Chriſto ipſo docemur, dum Petrum Eccleſiæ ſuæ paſtorem poſt ſe conſtituit. Petre enim, inquit, amas me plus his? paſce oues meas.] Et omnibus deinceps paſtoribus ac magiſtris, eandem tribuit poteſtatem. Cuius quidem rei ſignum eſt, quòd omnes ſimiliter atque ille, & ligent, & ſoluant. Sic ille.] Hoc idem ſignificant multa vtriuſque fœderis verba: vt illa Moyſi ad filios Iſrael: Nec contra nos eſt murmur veſtrū ſed cōtra Dominum.] Et tamen illi non de Domino ſed de Moyſe detraxerant. Sed aduerſùs Dominum obmurmurat, qui prælati à Domino conſtituti, eúmque referentis, famam proſcindit. Et illa Domini ad Samuelem à munere imperandi reiectū: [Non te abiecerūt, ſed me, ne regnarē ſuper eos.] Illi quidem regem petierant, Samueléinq, in ordinē redigere tentauerāt. Dominus antē cōqueritur ſe reiectū quia

Hebr. 1. 1. 2.

Ioan. 1. 18.

Baſil. aſt. mon. c. 23

1. Petri 21. 15.

Exod. 16. 8.

1 Reg. 8. 7.

Deut. 11 26. 27. 28.

Matt. 23. 2. ipſe vice ſui prophetã illũ gubernatorẽ ac ducẽ conſtituerat. Et rurſus illa Saluatoris noſtri: Super cathedram Moyſi ſederũt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumq; dixerint vobis ſeruate & facite: ſecundum verò opera eorũ nolite facere.] Scribę erãt doctores, Phariſæi interdum iudices, & hi licèt iniqui audiendi erant. Quare? Quia ſedebant in cathedra. Quia nimirum poteſtatem habebant iubendi, & legem Domini interpretandi: & iniqua vita prælati authoritatem iubendi non eleuat, & bene ac ſecundùm Dei legẽ imperata non inquinat. *Rom. 13. 1.* Illa quoq; verba Pauli: Non eſt poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.] Ideo itaque prælatis obediendum eſt, quia poteſtas eorum non ab ipſis, ſed à Deo profecta eſt: quia B quæ ſunt poteſtates ſuper alios in mundo, vt legit & *Irenæ. lib. 5. c. 24.* interpretatur Irenæus, à Deo ipſo ordinatæ ſunt; quia etiam qui poteſtatibus reluctatur, nõ tantùm homini ſed Deo quoq; ipſi reluctatur, qui poteſtatẽ inſtituit, & ſeipſum in homine habente poteſtatẽ refert. Nec ſumus in hac parte minùs fœlices Apoſtolis, quia illis Chriſtus per ſeipſum aliquid præcepit, nobis per homines, immo quodãmodo fœliciores. Quid enim magnum eſt, ſi homo Deo immediatè ſibi præcipiẽti obediat? at magnæ fidei indiciũ eſt, hominẽ homini propter Deum humiliter obedire, & in homine abiecto & ſibi ſimili Deum præcipientem agnoſcere. Certè Thomæ Chriſtum reſuſcitatũ videnti, ipſumque Deum eſſe credenti, dixit ipſe Dominus: *Ioan. 20. 29.* Quia vidiſti me Thoma credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt.] Idem omnino ſibi obedientibus C quia immediatè præcipiebat, poſſet dicere. Quia vidiſtis me, obediſtis mihi: beati qui non me viderunt, & in ſuis prælatis mihi obedierunt.

Homo itaque ſub poteſtate conſtitutus, nobis non tantùm imperat, ſed Deus in illo nobis iubet, & nos ad hominẽ mittit, vt ex eo non tantùm hominis, ſed & Dei voluntatẽ cognoſcamus, & nõ tantùm hominis, verùm & Dei imperiũ exequamur. Voluit Dominus Cornelium ad fidem adducere, & mittit ei Angelum, non qui eum de rebus credendis doceat, ſed qui ad Petrum accerſendum, à quo doceatur, inducat. *Actor. 10. 5.* Mitte viros in Ioppen,] dixit illi Angelus, & accerſe Simonem quendam, qui cognominatur Petrus, [hic dicet tibi, quid te oporteat facere.] D Saulum poſtea Paulum in Damaſcum eũtem ad perſequẽdos diſcipulos ipſe Dominus ad ſe trahens noluit per ſe ipſum ſed per hominẽ, ſcilicet per Ananiam de agẽdis *Actor. 9. 7.* erudire. Audità; : Surge & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.] Mittit & hunc *Caſſian. col. 2. c. 15* ad ſeniorẽ, inquit Caſſianus, eũmq; illius potiùs doctrina, quàm ſua cẽſuit inſtitui, ne ſcilicet quod rectè geſtum fuiſſet in Paulo, poſteris malũ præſumptionis præberet exemplum, dum vnuſquiſq; ſibi met perſuaderet, ſimili modo ſe quoque debere Dei ſolius magiſterio atq; doctrina potiùs quàm ſeniorũ inſtitutione formari.] Similiter & ad eunuchũ Candacis reginæ Æthiopũ regrediẽtẽ è Hieroſolymis vbi Dominũ adorauerat, mittitur Philippus, cui dixit Spiri- *Actor. 8. 29.* tus ſanctus: [Accede & adiunge te ad currũ iſtũ,] in E quo nempe Eunuchus iter faciebat legẽs Iſaiam prophetam, vt locum vatis interpretaretur ei, & per hominẽ in diuinis myſteriis inſtrueretur. Ad quid hæc? niſi vt teſtatum ſit omnibus Deum in hominibus loqui, in illis nimirũ, quos ad docendũ & gubernãdum elegit, & generaliter hominibus nõ per ſe ipſum, ſed per homines imperare. Sciebat id optimè ſanctus ille ſenex ab abbate ſuo dura & irreuerẽti obliuione pro- *Climac. gradu 4.* batus, qui cùm à Ioãne Climaco interrogaretur, quid per vnam horam aſtans coram abbate prandente, &

A ſedente cogitaſſet, ita reſpondit: Chriſti imaginem paſtori impoſui, neq; enim ab illo hoc penitus præceptũ exiiſſe, ſed à Deo exiſtimaui. Quare nõ corã mẽſa hominum, ſed coram altari diuino aſtare me putãs orabam. Nullámq; penitus malignam cogitationẽ aduerſùm paſtorẽ admittebam, pro ſyncera in illum fide mea & charitate: dictum eſt enim: Charitas non cogitat malum.] Sic nos non oculos tantùm muſcarum habeamus, quæ ſolùm exteriora reſpiciunt, ſed oculos hominum, qui ſciunt interiora reſpicere, & in nuntio ad ſe miſſo perſonam mittentem, & per alium loquentem, intueri.

Aſſueſcamus ergo homini præcipienti tanquam Chriſto obedire, & radicem obedientiæ attingemus, magnáq; in obediendo tranquillitate donabimur. Si B enim ſeriò meditemur, nos non tam homini quàm Chriſto obedire, magna erit in mente hoc cogitante lætitia; (quis namq; non alacriter obediat Saluatori ſuo?) magnam actione facilitas. Si prælato, ô religioſe, ſolùm vt homini obedias, ſi illum vt hominẽ tantùm conſideres, multis ſuprà quàm dici poteſt, moleſtiis implicaberis. Statim mille argumenta & rationes emergent, quæ illud, quod præcipitur, imprudenter mandatum eſſe conuincant. Statim cogitationes tuæ prælatum aut paſſione motum, aut ira incitatum, aut nimio affectu erga alium victum hæc aut illa præcepiſſe clamabunt. At ſi in eo Chriſtum præcipientem inſpicias, omnia ceſſant, & non ſine ingenti animi tranquillitate illi te ſubmittes. Hanc obediendi rationem ſanctus Bonauentura in tantum *Bonauẽt. de gradib. virt. c. 2. to. 1. opuſc.* C exaggerat, vt obedientiam, qua Chriſto per hominẽ præcipienti paremus, ei qua ipſi Chriſto immediatè præcipienti obediremus certa quadam ratione præponat. Vnde poſtquam dixerat altum gradum obedientię eſſe obedire creatori & redẽptori noſtro, ſubdit: Altior videtur gradus obedientię quodammodo eſſe, cũ obedimus homini in perſona Dei, quaſi obediremus ipſi Deo, quia Deo tenemur obedire propter prædicta, ſed nõ homini tenemur niſi propter Deum. Cùm obedimus (inquam) homini perfecto, & diſcreto, qui omnia cum diſcretione, & deliberatione imperat. Altiſſimus autẽ videtur gradus obediẽtiæ, cùm obedimus homini indiſcreto, & diſcolo, & deſpecto, in perſona Dei, qui multa imperat cũ impetu, D & ſine diſcretione, & deliberatione.] Hæc duplex obedientia, qua homini ſiue perfecto, ſiue imperfecto propter Deũ, & in perſona Dei obedimus, ideo altior priori dicitur, quia (vt iã diximus) & maioris fidei, & maioris promptitudinis eſt indiciũ. Tãtæ profectò, vt vbicũq; & à quocumq; ſignũ diuinæ volũtatis viderimus, ſtatim promptè & alacriter accurramus. Eadem ex cauſa Bernardus obediẽtiã Deo hominique delatã paſſificare nõ metuit. Siue Deus, inquit, ſiue ho- *Bernard. lib. de præcep. & diſpen. c. 12.* mo vicarius Dei mandatũ quodcũq; tradiderit, pari profectò obſequendũ eſt cura, pari reuerẽtia deferẽdũ vbi tamẽ Deo cõtraria nõ pręcipit homo. Et iterũ poſt multa. Quãobrẽ quicquid vice Dei præcipit homo, quod nõ ſit tamẽ certũ diſplicere Deo, haud ſecus omnino accipiendũ eſt, quàm ſi præcipiat Deus. Quid enim intereſt verũ per ſe, an per ſuos miniſtros E ſiue homines, ſiue Angelos, hominibus innoteſcat ſuũ placitũ Deus?] Non alia ratione homini æquè, ac Deo obediendũ eſt, niſi quia Deus in homine præcipit, & quia in homine obedimus Deo. Si enim homini vt homini tãtùm ſubiiceremur, manifeſta eſſet inter obedientiã Deo delatã hominique diſtantiã: nec æquãdi eſſent aut reuerẽtia, aut obſequij prõptitudine illi, qui natura in infinitum diſtant, & longè differentiùs ad nos ipſorum placitum & amor ſpectat.

Hic obediendi modus, quem radicem obedientiæ

nuncupauimus, altiores ipſe, & ſtabiliores radices habet illis, quas huc vſque retulimus. Præſcribit quippe illum Paulus non ſemel ſed ſæpe, vt magni momenti eſſe diſcamus. Ad Epheſios ſcribens ait. *Epheſ. 6. 5.6.* Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto: non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes ſicut Domino, & non hominibus.] Et ad Coloſſenſes. *Col. 3. 23* Quodcunque facitis, ex animo operamini ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes quòd à Domino recipietis retributionem hæreditatis, Domino Chriſto ſeruite.] Chriſto, inquam, in dominis veſtris, quibus obſequium præſtatis, ſeruite. Et ad Theſſalonicenſes, *2. Theſſ. 3 14.* eos qui non obedientes erant verbo ſuo excommunicatione iubet percuti; & hoc ideo vt ſciamus illos qui prælatis non obediunt, Deo ipſi inobedientes eſſe, ac proinde debere grauiſſima caſtigatione mulctari. Meritóque prælatorum vox eſt per Dauidem: *Pſal. 46. 4.* Subiecit Dominus populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris:] quibus ſanè tanquam hominibus alios homines non ſubiiceret, niſi Chriſtum Filium ſuum, cui omnia ſubiecit, non ipſi referrent. Obediamus igitur in ſuperioribus Deo, & hac conſideratione pareamus, & mirum in modum in obedientia proficiemus. Nam obedientia ſic accepta nos ad faciendum id quod iniungitur roborat. Præcipit enim ille, qui non mandatum ſolum, ſed vires ad exequendum mandatum attribuit. Si pueris & balbutientibus & infirmis onus prædicationis imponatur, non timeant. Dicet enim cuique illorum, quod dixit Ieremiæ: *Ier. 1. 7.* Noli dicere, puer ſum, quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis, & vniuerſa quæcunque mandauero tibi, loqueris.] Si puſillanimes ad conuertendas gentes mittat, audient: *Ezech. 3. 8.* Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorũ.] Si difficillima ore prælatorum præcipiat, non ſe excuſent, ſed fidenter clament: *Phil. 4. 13.* Omnia poſſumus in eo qui nos confortat.] Hac obedientia ſemper voluntatem Dei facimus, quo nihil fœlicius, quia in homine Deo ipſi obedimus. Hac de diuina præſentia à nobis conſiderata gaudemus. Hac à Deo regimur, & abſque dubio nihil nobis deficiet, canente Dauide: *Pſ. 22. 1.* Dominus regit me: & nihil mihi deerit.] Hac conſilia noſtra reiicimus, quæ ſæpe incerta, ſæpe vana, ſæpe noxia ſunt, vt ſolum Dei conſilium nobis ſalutare ſequamur.

Ecce rationem quare Deus tam ſeuerè in eos agit, qui de prælatis detrahunt, & tam rigidè inobedientes punit, quia nimirum iniuria prælatis irrogata ſibi irrogatur, & à ſe, cui ſummè debita eſt, obedientia ſubtrahitur. Aarõ, & Maria ſoror eius quia murmurauerunt aduersùs Moyſem, grauiter à Domino reprehenſi ſunt, & mulier, quæ procaciùs peccauerat, lepra percuſſa eſt. *Num. 12 10.* Ecce Maria, inquit ſcriptura, apparuit candens lepra quaſi nix.] Chore, Dathan, & Abiron, & omnes adhærentes eis propterea quòd iniurioſè ſe habuerunt aduersùs Moyſem eũdem, infœliciter perierunt. *Num. 16. 31.* [Diruptáque eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum, deſcenderúntque viui in infernum.] Populus iterum murmurauit contra Moyſem, *Num. 21. 6.* [quamobrem miſit Dominus in eum ignitos ſerpentes,] à quibus partim sũt vulnerati, partim occiſi. Quid habet iſte Moyſes, quòd Dominus tanto zelo ſuccenditur, vt pro eius honore nemini parcat, ſed & fratres eius, & nobiliores populi, & ipſam multitudinem tam magna plaga percutiat? Erat ipſe princeps, ac omnium prælatorum

A imago, quorũ iniurias Deus proprias reputat, & graui ſæpe vltione caſtigat. Quare viri iuſti ſemper prælatorum ſuorum licèt imperfectorũ honorem tuentur, & ſiquid vel leuiſſimum in eos peccauerint, ſtatim ad cor redeunt, & ſeipſos grauiter puniunt. Sic *1. Reg. 24 6.* [Dauid percuſſit cor ſuum, eo quòd abſcidiſſet orã chlamydis Saul,] quia nimirum non debuit mittere manum ſuam in principẽ populi, ac Chriſtũ Domini. Quem locum Nicolaus Primus *Nicol. ep. 1. Habe. 3. to. conciliorum.* ad Michaëlem Imperatorem ſcribens, de prælatis moraliter interpretans, ſic ait. Saulem tamen Dauid ferire metuit, quia piæ ſubditorum mentes ab omni ſe peſte obtrectationis abſtinentes, præpoſitorũ vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiã cùm de imperfectione reprehendunt: qui etſi quãdo pro infirmitate ſeſe abſtinere vix poſ- B ſunt, vt extrema quædã atque exteriora mala præpoſitorum, ſed tamen humiliter loquantur, quaſi oram chlamydis ſilenter incidunt: quia videlicet dum prælatæ dignitati ſaltẽ innoxiè & latenter derogãt, quaſi regis ſuperpoſitã veſtem fœdãt. Sed tamẽ ad ſemetipſos redeunt, ſéque vehementiſſimè vel de tenuiſſima verbi laceratione reprehendũt. Vnde bene & illic ſcriptũ eſt: [Poſt hæc Dauid percuſſit cor ſuum, eò quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saul.] Facta quippe præpoſitorũ, oris gladio ferienda non ſunt, etiam cùm rectè reprehendẽda iudicantur. Si quãdo verò contra eos vel in minimis lingua labitur, neceſſe eſt, vt per afflictionẽ pœnitẽtiæ cor prematur, quatenus ad ſemetipſum redeat: & cùm præpoſitæ poteſtati C deliquerit, eius contra ſe iudicium, à quo ſibi prælata eſt, perhorreſcat. Ideo ergo prælati cum magna reuerentia tractandi ſunt, nec eorũ ſunt mores, aut vita taxanda, quia cùm Dei locũ teneant, eiúſque perſonam referãt, ipſe ſibi iniuriam irrogatam deputat, quam in prælatos factam conſiderat. *Exod. 22 28.* [Diis nõ detrahes, inquit, & principi populi tui nõ maledices.] Deos vocat prælatos, ac principes populi, vt in illis Deum conſideremus, & iniuriam illorum Dei eſſe iniuriam ſciamus.

Ideo etiam inobedientia idololatriæ comparatur, vt eius malitiã in Deum ipſum recidere declaretur. Et Samuel dixit ad Saul: *1. Reg. 15. 23.* Quaſi peccatũ ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.] Hariolandi peccatũ religionis virtuti opponitur, & idololatriæ ſcelus fidei aduerſatur. Quare igitur inobedientia cum his peccatis cõfertur, niſi vt intelligamus eam in Deũ ipſum per prælatos iuben- D tem refundi? Eſt quaſi peccatũ ariolandi, quia Deo in præpoſitis, debitam venerationẽ tollit. Eſt quaſi ſcelus idololatriæ, quia quodãmodo fidei meritũ præripit. Quare Gregorius, & Bernardus *Greg. 35. mor. c. 10 Bern. de ordine vitæ.* hũc locũ eiſdem omnino verbis interpretantes aiunt: Hariolandi peccatum inobedientia dicitur, vt quanta ſit virtus obedientiæ demõſtretur. Ex aduerſo enim meliùs oſtenditur quid de eius laude ſentiatur. Si enim quaſi peccatum hariolandi, eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere, ſola obedientia eſt, quę fidei meritũ poſſidet, ſine qua quiſq; infidelis conuincitur, etſi fidelis eſſe videatur.] Relinquitur itaque, obedientiæ radicẽ eſſe, quòd Deus iubet quicquid E præpoſitus præcipit, modò nihil aduerſum Deo legíque præcipiat. Et qui ſic mãdata prælatorũ acceperit, quaſi à Deo ipſo prodeuntia, is obedientiã ſtabilem & firmam acquiret. Non enim paret, quia ſuperior ſapiens eſt: nam ſic non obediet ignaris & indiſcretis. Non quia nobilis eſt, multi enim ſunt ſecundùm mũdi huius progenitores, ignobiles. Non quia amabilis ingenij eſt, quoniam multi ſunt moroſi ſatis & duri. Sed ſubiicit ſe, quia Deus præcipit: & quia ipſe in quocumque prælato etiã ignaro, & ignobili, &

proteruo præcipit,modò id quod præcipitur, malum non ſit,ideo verus obediens alacriter paret,quia non inſipientiæ aut defectui hominis,ſed poteſtati à Deo mananti,atque ipſi Deo iubenti,ſe ſubiicit.

Quanta ſit religioſo Obedientiæ neceſſitas.

CAPVT III.

QVAELIBET res multis opus habet, vt in ſuo eſſe duret atque ſubſiſtat, non tamen ſunt omnia æquè neceſſaria, ſed quædam magis,quædam minùs, ſecundùm quod ad rei finem appropinquāt. Homini neceſſaria eſt anima, vt viuat, & corporis partes,ne anima à carne diſcedat, ſed inter hæc anima præſtat, ſine qua homo nec eſſe ad momentum valet, immo nec concipi poteſt, & partes corporis non ſunt æqualiter neceſſariæ, nam multò magis pendet vita ex cerebro, & ex corde, quàm ex brachio vel tibia:nam his abſciſſis homo aliquo tempore viuit; ſine capite verò,aut cerebro, aut corde, nec ad momentum viuit. Idem prorſus euenit in rebus ab arte confectis, & in ipſis muneribus, & ſtatibus hominum, quod quibuſdam partibus, aut inſtrumentis,aut ſubſidiis magis quàm aliis indigent,& ſine his ægrè ſtare,ſine aliis verò omnino ſtare non valent. In religioſo autem ſtatu obedientia adeò neceſſaria eſt, vt ea ſubtracta penitus ſtare non valeat. Nam religio eſt congregatio multorum tendentium ad perfectionem peculiaribus inſtitutis & legibus ſub directione vnius capitis ordinata. Tolle obedientiam,ita vt quiſque ſuo arbitrio viuat, & ſuo,prout libet, modo procedat, & auferes certas leges multitudinem continentes, & tolles ordinem, ac ex conſequenti auferes vnitatem ac religionem. Sublata paupertate aliqua vmbra religionis manet, ſi vnuſquiſque ſua commoda ſtatus ſui bono ſubiiciat. Sublata caſtitate aliquod veſtigium religionis perſtat, ſi quiſque in reliquis viuendi ordinem non omittat. At ſi auferas obedientiam & ſubiectionem membrorum ad caput,totum corpus deſtruitur,& in varia ac multa diſcinditur. Thomas Aquinas ex fine religioſi ſtatus obedientiæ neceſſitatem venatur. Hic enim ſtatus eſt diſciplina quædam in perfectionem tendentium: perfectio autem non eſt cunctis facilis cognitu,& ad eam Deus parauit multiplices vias. Illi ergo qui ad eam contendunt,& in virtute inſtituuntur, doctore ac magiſtro indigent,quo de via ſibi apta & à ſuo inſtituto non aliena doceantur,& ſic ad finem ſine offenſione perueniant. Huic ergo magiſtro religioſi ſubdantur neceſſe eſt, quæ ſubiectio fit per obedientiam. Atque adeò remota obedientia certa, ac ſecundùm arreptam vocationem tendendi in perfectionem via,ac ipſe religioſus ſtatus, eſſe ſuū habere non poterit. Cúmque ad omnes artes addiſcendas ſubiectio diſcipuli ad magiſtrum neceſſaria ſit,& ſi ille huic nō obediat, nunquam artem,quam profitetur,addiſcet:ad ſanctitatem, & veram virtutem comparandam tantò magis neceſſaria erit,quantò hæc diſciplina cæteris præſtat, & maioribus difficultatibus eſt expoſita.

D. Thom. 2. 2. qu. 186. ar. 5.

Status religioſus ſine pace & concordia multorū ſtare nō poteſt. Nā pax,vt Auguſtinus ait,eſt tranquillitas ordinis,ordine autē & trāquillitate ſublatis,non manet ſpiritualis hominū congregatio,ſed manifeſta confuſio.Pacem verò obedientia efficit, obedientia

A cuſtodit, quam ſi repellas, pacem quoque reiicies. Pax enim ſubiectionem requirit inferioris ad ſuperiorem,vt ſecundùm iſtius voluntatem ille diſponatur ac pareat. Si ergo abſtuleris obedientiam & ſubiectionem, tolles & pacem. Quapropter Dionyſius Richelius efficaciſſimum medium ad pacem congregationis ſeruandam obedientiam putat, ſic ſcribens. Pax perturbationem excludit. Perturbatio verò rebellio eſt inferioris à ſuperioris recto iuſtóque ordine,& quemadmodum optimum in entibus eſt ordo,ſic peſſimum in ipſis extat turbatio, ideóque obedientia nobis præſertim diſtrictiſſiméque ſeruanda eſt. Qui enim inobediens eſt, pacem amittit, ordinem non tenet,& perturbationem,quæ peſſima eſt, ſuſcitat atque inducit. Porro vti tunc ciuitas pacem

Diony. 2. de vita & ſolit. c. vlt.

B habet, dum ſecundùm gubernatoris voluntatem omnia in ea aguntur; ſic cùm in cœnobio ſecundùm præſidentis directionem rectam ac rationabilem fratres diſponuntur, & viuunt, pacem habet cœnobium: & væ illi,qui eam impedit, aufert, aut odit. Sic ille.] Profectò qui pacem ſui & aliorum in religione tenere cupit, ſit oportet ad ſuperiorem comparatus ſicut pannus in manu ſartoris. Vt quemadmodum ſartor pannum coram ſe poſitum pro ſua voluntate diuidit,& hanc eius partem ad faciendam veſtem applicat,& hanc in aliud tempus ac alijs vſibus ſeruat;rurſus ex particula illius collum,& ex alia fimbriam veſtis efficit; ſic prælatus ex ſubditis ſuis, quoſdam his maioribus miniſteriis,alios verò minoribus

C dedicet. Qui eius imperio non reſtiterit,in pace erit,qui autem iugum excuſſerit obedientiæ,in ſe & in aliis pacem vnitatémque turbabit. An non habet poteſtatem figulus luti,inquit Paulus, ex eadem maſſa facere idem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Vtique habet, & ſua officina plena eſſet diſſenſionis,ſi maſſa luti reſiſteret. Ita poteſtatem habet prælatus ſubditos ſuos tanquam materiam ſibi ſubiectam, his atque illis muneribus occupare; nec pacem habet cœnobium, ſed turbationem & clamores, ſi ipſi reſiſtant. Eſt verò non ſilendum figuli prælatíque diſcrimen:quòd ille quædam vaſa ex eadem maſſa luti à ſe facta miniſteriis contumelioſis applicat,hic verò omnes ſubiectos ſuos muneribus honorabilibus deputat. Nihil enim in ſtatu religioſo eſt,quod non honoris & dignitatis plenum

Roma 21.

D ſit.Tu dices,quia functiones illæ ſpecioſæ quæ apud ſæculares ſplendent, honorabiles ſunt. Ego autem dico,quia & illæ,quæ abiectiores videntur, non minus honoris & aliquid magis quietis & ſecuritatis habent.Non habent minus honoris,qui non ex falſa cæcorum æſtimatione,ſed ex Dei ipſius & ſapientum ſententia penſandus eſt. Hi autem honore digniſſimum putant quod Deo placet,& ob eius amorem humili corde ſuſcipitur. Habent autem magis tranquillitatis & ſecuritatis,cùm certum ſit,loca humiliora minùs periculi habere, minùs ventis inanis gloriæ & tentationum turbinibus agitari. Maneat ergo, pacem congregationis in obedientia conſiſtere, nec quemquam ſuæ aut aliorum paci conſulere,qui iuſſionibus prælatorum reſtiterit, ſubiectio-

E némque turbauerit.

Nunc,vt magis perſpecta ſit hæc obedientiæ neceſſitas, ad finem ſtatus noſtri redeamus. Finis eius eſt,voluntatem Dei facere, ſpiritaliter viuere, perfectionem aſſequi. Hæc autem nemo ſine obedientia obtinebit. Huius rei nos ipſos teſtes eſſe haudquaquam negabimus.Cuius enim rei gratia à ſæculo diſceſſimus, & ad ſtatum religioſum confugimus? Eius ſanè, quòd experimento comperimus, nos inter occaſiones poſitos, & ſine ductore ac magiſtro, non

A poſſe aduerſariorũ dolos effugere, & Dei nos vocãtis voluntatem implere. Nunc verò ductorẽ à Domino conſtitutum ſpernemus? nunc noſtro, & non illius arbitrio viuemus? & ipſius imperiis reſiſtentes, Dei nos voluntati accommodabimus? Nullo modo. Immo qui ſecundùm præſcriptum prælati ſui vixerit, & ea, in quibus nullum manifeſtum eſt peccatum, iuſſa perfecerit, Dei abſque dubio voluntatem facit. Hinc autem Bonauentura obedientiæ neceſſitatem collegit, & quia non confidis, ait, tibi ipſi, vt præſumas te ſcire quid velit Deus, ideo commiſiſti te ſuperiori tuo, vt ipſe te regat, & dediſti ei manus tuas in profeſſione, vt ipſe te in viam Dei inducat, vnde non licet tibi viuere de cætero pro velle tuo, ſed quò ductor tuus ire iubet, & quod ipſe prohibet, cauere de-

Bonau. de interiori homine. c. 2. p. 1.

B bes, quia qui artem aliquam addiſcere cupit, ſui doctoris regulas debet tenere, & proprias adinuentiones relinquere, & infirmus qui adhuc acceſſiones vitiorum patitur, debet ſeruare diætam, quam ei medicus ſuus indicit, ſi citò & bene vult curari. Ita & tu nihil facias, ſiue dicas, quod magiſtrum tuum nolle præſumas.] Non putamus, omnes prælatos, ſapientes aut prudentes eſſe, nec dicimus eos errare non poſſe. Poſſunt enim eo ipſo quòd homines ſunt, & à Deo modo humano gubernare ſinuntur; at ego non erro, ſi in his quæ peccata non ſunt, eorum imperiis obedio. Idque mihi ſignificant illa verba Pauli: Obedire præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.] Illi rationem reddent de his quæ imperant, ad

Hebraeor. 13. 17.

C nos non aliud pertinet, niſi mandatis ipſorum obtemperare, & illis per reuerentiam ſubiacere. Optimámque habemus excuſationem apud Dominum, interrogantem, quare hoc aut illud fecerimus, ſi nobis id à prælato iniunctum fuiſſe, & manifeſtum peccatum non fuiſſe dicamus. O ſumma libertas, inquit Hieronymus (& de obedientia loquitur) qua obtenta vix poſſit homo peccare.] Peccabit enim ſi aliquid manifeſtè malum ex imperio Superioris faciat; at non peccabit, nec Deo diſplicebit, ſi in reliquis obediat. Datus eſt nobis alter Moyſes, nempe prælatus, qui nos non ad terram morientium, ſed ad terram viuentium ducat: eius iuſſis obſequamur, vt terram illam, cœleſtem ſcilicet patriam, habitemus. Olim in Iſraël ſic loquebatur vnuſquiſque vadens

Hierony.

D conſulere Deum: Venite & eamus ad videntem.] Eadem conſuetudo in qualibet familia religioſa bene inſtituta nunc viget, vt qui voluerit Deum conſulere, & eius voluntatem agnoſcere, non ad alium quàm ad videntem vadat. Quis eſt autem videns? Nonne prælatus, cui Dominus pro muneris exigentia maiorem lucem communicat, qui ob experientiam rerum ampliorem, ſcientiam gubernationis habet, & ſæpe quæ ſubditi non vident, ipſe videt? Ad hunc properandum eſt, ipſius monita ſuſcipienda ſunt, actionéque præſtanda, ſi volumus Dei conſilium ac voluntatem agnoſcere, & à perplexitatibus liberari. Eſt non ſemel vir ſpiritualis anceps, ac dubius, quid ſibi in qualibet re faciendum ſit, vt iuxta Domini beneplacitum viuat: an in cibo & potu, &

1. Reg. 9. 9.

E ſomno nimis corpori indulgeat, an è contra virium corporalium ad ſeruiendum Deo minorem rationem habeat, an parum, vel multum temporis ſtudio orationis impendat, an minùs quàm par ſit proximorum vtilitati vacet, aut è contrario ſe ſupra talentum acceptum effundat, & in aliis ſimilibus. Quid is faciet? non aliud quàm ad videntem ire, prælatum conſulere, & eius præſcriptum ſequi, & ſic & ſibi vtile, & Dei voluntatem agnoſcet. Adeò vt ſi prælatus conſulens erret, ipſe obediens non erret, ſed etiam

A errore alterius ducentis, actionem prudentiæ conformem meritúmque reportet. Sic implet mandatum Sapientis: Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.] Tunc quis nõ nititur prudentiæ ſuæ, cùm maioris conſilium audit, eíque ſe ſubdit. Tunc autem fiduciam habet in Domino, cùm per conſilium directoris ſui, notitiam diuinæ voluntatis ſe habiturum eſſe confidit.

Prouerb. 3. 5.

Ex his autem manifeſtum eſt, neminem poſſe ſine obedientia ſpiritualiter viuere. Nam ſumma ſpiritualis vitæ non alia eſt, quàm diuinæ exequutio voluntatis; & idem prorſus eſt ſpiritualiter conuerſari, & diuinam voluntatem ſequi, ſicut ex aduerſo, carnaliter viuere, & propriam voluntatem facere. Nullus autem Dei voluntatem ſequetur, qui relictis præ-

B latorum mandatis propriæ voluntatis deſideriis acquieuerit. Ac ideo iure Baſilius pleniſſimam ſubiectionem ad vitam ſpiritualem requirit. Cùm enim dixiſſet obedientiam inter alia eſſe ad religioſam vitam neceſſariam, de ea hæc ſubdit. Siquidem hoc totius vitæ huius inſtituti caput eſt. Quemadmodum enim Deus, qui omnium pater & eſt, & appellari ſua ſolius vult dignatione, ſummam, à quibus colitur, obedientiam requirit: ſic qui ſpiritualis in hominibus pater eſt, cùm præſcripta ſua ad diuinarum legum exemplum accommodet, perfectiſſimam ipſe quoque obedientiam requirit. Etenim ſi quis ſe alicui artium iſtarum liberalium ac mechanicarum dederit, iſtarum dico, quæ ad transmittendam vitam hanc vtiles ſunt artifici ſuo, quacumque ratione pa-

Baſilius conſt. monaſt. c. 10.

C tendum putat, neque vlla in re præceptis illius aduerſatur, nec verò ab eo, vel ad minimum tempus digreditur, ſed aſſiduè vſque in oculis magiſtri eſt, cibúmque ac potum, & reliquum victum omnem æquo animo, vt ille præſcripſerit, admittit: multò certè credibilius eſt, qui ſe ad pietatis, religioniſque doctrinam percipiendam contulerunt, eos, quòd ſemel ſint perſuaſi, huiuſmodi poſſe ſe ab antiſtite ſuo ſcientiam accipere, fore vt omnibus illi in rebus libentiſſimè obſequantur, ſumméque ac diligentiſſimè obtemperent, neque ab eo, eorum, quæ ſibi imperentur, rationem repoſcant, potiúſque vt imperatum opus perficiant. Hæc Baſilius.] Meritò itaque quidam putarunt de vita ſpirituali, ac de adeptione ſalutis animæ perinde ſentiẽdum eſſe ac de adeptio-

D ne ſanitatis. Vt quemadmodum, vt ſalus corporis proueniat, ad medicum ſpectat vim morbi cognoſcere, ætatem & robur aut imbecillitatem & reliquas qualitates ægri conſiderare, & apta remedia præſcribere. Ad ægrotum verò ſolùm pertinet obedire, & quod ſibi imperatum à medico fuerit, aut agere, aut pati. Ita medici ſpiritualis, ſcilicet prælati, eſt, ſubditorum ingenia agnoſcere, defectus ac virtutes eorum callere, pro eis ieiunare, orare & plangere, mala præuenire, remedia ad progrediendum adhibere, & eos exemplo præire. Ad ſubditos verò vnum tantùm ſpectat, nimirum obedientiam præſtare, & ſinere ſe regi, & à præſcripto ſpiritualis patris in nullo diſcedere. Adoleſcentior ille filius tunc more nobilium viuit, & ſubſtantiam ſuam ſatis amplam ſeruauit,

E quandiu in domo patris manſit, & ab eo gubernari ſe ſiuit: at ſortem mancipiorum induit, & hæreditatem perdidit, cùm à domo paterna diſceſſit. Ita & ſubditus cùm ſpiritualis patris ductum ſequitur, meritis abundat, pauper verò efficitur, cùm eius iuſſionibus reluctatur.

Hac vna virtute omnes alias virtutes exercet, & promouet, quia omnes leges, & cuncta inſtituta & præcepta religioſæ vitæ de virtutum actibus data ſunt; atque adeò qui eis ſe accommodat, virtutum

A ſtudioſus efficitur. Is pauper erit ſpiritu,quia obedientia paupertatem iubet: caſtus erit & humilis, quia obedientia caſtitatem & humilitatem præcipit; mitis erit & contemptor ſæculi,& aliarum virtutum poſſeſſor,quia eas omnes obedientia præſcribit.Hoc ſonant illa verba Auguſtini: Obedientia commendata eſt in præcepto,quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo eſt, omnium cuſtóſque virtutum, quandoquidem ſic facta eſt vt ei ſubditam eſſe ſit vtile, perniciosam autem ſuam, & non eius à quo creata eſt,facere voluntatem.] Nihil boni extra obedientiam fit, quia eo ipſo quòd obedientia non iubeat aliquid, aut moneat, aut ſaltem fieri permittat,à numero actionum ſtudioſarum excluditur.Ipſa verò obedientia eſt per quam religioſi ad artem omnis virtutis accedunt. Quod Ioannes Climacus, de

Aug. 14. de ciuit. c. 12.

Climac. grad. 4.

B religioſis cuiuſdam monaſterij loquens, ſe experimento didiciſſe fatetur, ſic ſcribens: Vidi illic viros quinquaginta fere annos in obedientiæ certamine egiſſe, à quibus cùm addiſcere orarem quam ex labore iſto conſolationem, quem profectum inueniſſent: Alij quidem in abyſſum humilitatis perueniſſe dicebant, per quam bellum omne ſemper excluderent, ac ſuperarent: Alij, ſenſum omnem laboris & doloris in maledictis & contumeliis ſe perfectè exuiſſe dicebant. Vidi alios ex illis æternè memorandis viris,angelico aſpectu,venerandáque canitie, ad profundiſſimam innocentiam ſimplicitatémque ſapientiæ pleniſſimam, ſumma alacritate propoſiti, Deique adiutorio quæſitam, non irrationabilem quandam & inſipidam,vt in ſæculi ſenibus contin-

C git,quales deliros vocare ſolent,perueniſſe; extrinſecus quidem mites totos,blandos, placidos, lætos, nihil fictum, nihil negligens, nihil adulterinum in ſuis verbis, aut moribus habentes, rem quidem quæ in paucis inuenitur: Interiùs verò in anima Deum ipſum ac prælatum infantium in morem ambientes, meritíſque aciem aduerſus Dæmones & vitia audacem firmiſſimámque intendentes.] Hæc ille vidit in variis obedientibus,& nos ſimilia & maiora vidimus in noſtris perfectæ obedientiæ deditis, & certa relatione comperimus, vt ſic conſtet,obedientiam reliquarum virtutum eſſe magiſtram, & qui eam vnam tenuerit,non poſſe ab aliarum ſtudio ſeparari. Vnde meritò Bonauentura ait: Nemo ad perfectionis ſemitam currendam magis expeditus quàm verus

Bonau. in ſpecul. p. 1. c. 4.

D obediens.] Si igitur religioſa vita eſt ſchola virtutum & perfectionis iter, manifeſtum eſt, eam in tantum obedientia indigere, vt ſine hac virtute nec finem ſuum aſſequatur, nec in ſua natura & decore perſeueret.Ac ideo poſſumus contemplari Dominum de religioſis dicere quod de filiis Iſraël: Quis det talem eos habere mentem vt timeant me, & cuſtodiant vniuerſa mandata mea in omni tempore vt bene ſit eis, & filiis eorum in ſempiternum?] Certè hoc conſilium, & hæc mens ſalutaris erit habentibus eam.nam ſi mandatis præpoſitorum, quæ Dei ſunt mandata, ſe ſubiecerint, bona ſibi & poſteris ſuis obtinebunt. Bona ſibi, quoniam per obedientiam veri religioſi, & in omni virtute perfecti fient.

Deut. 5. 29.

E Digníque erunt iuſtorum nomine. Nam mens iuſti meditabitur obedientiam,] quomodo ſcilicet iuſſis maiorum obediat, [os impiorum redundat] inobedientię[malis.] Bona quoque poſteris ſuis,quibus vitam religioſam in ſuo decore & feruore perſeuerantem tradent. Nihil enim ita feruorem primum religioſæ vitæ cuſtodit,ac perfecta obedientia, qua ſinguli ea implere ſatagunt,quæ ſibi à prælatis & maiorum inſtitutis demandantur. Et hæc vita noſtra ſi in aliquibus eam colentibus cecidit, abſque dubio per

Prou. 15. 28.

inobedientiam cecidit,& ſi aliquando ſurrectura eſt per veram obedientiam reſurget.

Quàm multiplex ſit excellentia Obedientiæ.

CAPVT IV.

DEus partes corporis noſtri ita diſpo ſuit, vt magis neceſſarias pulchriores & nobiliores effecerit,& ſimul in eis vtili tatem præſtantiámque coniunxerit. I in capite & in corde hominis nem non videt. Quid in patribus corporis maioris mo menti quàm caput, quod vertex eſt noſter, quo ſedes omnium eſt ſenſuum,quod quaſi princeps re liqua membra gubernat,& regit? Sed quid pulchriu capite, à quo ſicut & nerui initium capiunt fonte ſenſus & motus,ita & omnis pulchritudo deſcendi & quid nobilius capite, in quo omnis perfectio pe alia membra ſparſa ſimul vnita reſidet? Quid etiar magis neceſſarium quàm cor,ex quo vt dixit Sapiẽ vita dependet? Sed quid pulchrius corde, cuius fi gura verſus terram anguſta,& verſus cælum lata, & tantillum in modum orbis effecta, deſignat illu cæli pulchritudinem æmulari, & quaſi totius orbi quem capit, & deſpicit, decore veſtiri? Et quid no bilius corde, cuius calor qualitas nobiliſſima, ce calor ſolis omnia membra corporis fouet, & ſimi cum calore eis vitam impertit? Idem in aliis rebus natura ſiue ab arte inuentis videre licet. Nam in re publica rex eſt nobiliſſimus, in exercitu imperato digniſſimus,in ſchola magiſter præſtantiſſimus,& ſi mul neceſſitate præcellunt. Nec enim regnum ſin rege, nec exercitus ſine imperatore, neque ſchola ſ ne præceptore ſubſiſtit. Quid de artibus & ſtudi hominum dicam, in quibus ita neceſſitas & nobil tas fœderantur, vt in earum inſtrumentis, & effe ctis, (vt quiſque facili diſcurſu reperiet) magis ne ceſſaria illuſtriora exiſtimentur? In religioſa vi idem omnino contemplati ſumus, in qua obedien tia, quæ neceſſitate præſtat, etiam nobilitate & ex cellentia præeminet. Si enim generaliter accipiatu vt quædam omnium mandatorum impletio; qu non videat eam omnium virtutum, quarum actio nes complet,& ad quas inuitat,pulchritudinem (præſtantiam continere? Certè Fides,Spes,Charita Prudentia,Iuſtitia,Fortitudo,Temperantia,& qui quid aliud in veris bonis animæ numeratur, aut ob dientia eſt,aut ſine obedientia non eſt.Quia horu quodlibet eatenus Deo placet, quatenus ab eo p præceptum,aut conſilium iniunctum eſt; & ſi ab e vetitum eſſet,eo ipſo,ſi fieret,diſpliceret. Profect Sanctus Ephræm vni obedienti omnium virtutu exercitationem aſcribit. Qui obediens eſt, inqui omnibus gratus eſt,ab omnibus laudatur,& ab om nibus probatur. Vir obediens citò exaltatur, & cel riter progreſſus magnos efficiet. Vir obediens præ cipientibus non reſiſtit, & iubentibus non aduerſ tur. Reprehenſus non iraſcitur; ad omne opus b num promptiſſimus eſt: ab iracundia non facilè c pitur: ſi reprehendatur, non commouetur, & ſi co tumeliis afficiatur, nequaquam excandeſcit. In cal mitatibus gaudet, & in tribulationibus Deo grati agit. De loco in locum non tranſmigrat,& ex vna i aliam manſionem non ſe transfert: admonitus no perturbatur; ad quem ordinatus eſt locum,in eo m net,& tædio non afficitur. Patrem non deſpicit, fratrem nequaquã ſpernit; monaſticæ vitæ ratione nõ carpit. Recreationes & otia fugit,ac locorũ acti

A que amœnitatis minimè ſectatur: ſed ſecũdùm Apoſtolum, in qua vocatione vocatus èſt, in ea maneat.] Hæc de obediẽtia generaliter dicta accipiẽda ſunt. At ſi obediẽtia ſpecialis virtus, qua prælatis obedimus, in his quæ præcipiũt, aut ordinant, in diſputationẽ vocetur, plurima habet, quæ eã ſupra æſtimationem noſtram nobilitant, quorum aliqua hic afferenda ſunt, vt eluceat, obedientiæ præſtantiam, à neceſſitate non vinci, ſed ei per omnia coæquari.

Sed vnde obedientiæ laudes inchoabimus? Ab eo ſanè, quòd virum obedientem & Chriſto ſimilem & planè beatum facit. Ille factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, & per mortem, obedientiæ opus, reſurrectionem ſui corporis, & aſcenſum in cælum, & exaltationem ſui nominis acquiſiuit. (*Philipp. 2. 8.*) B Similiter verus obediens per obedientiam, qua ſe propter Deum prælato ſubmittit, veram beatitudinem comparat, & ad æternam libertatem aſpirat. Quemobrem ſicut in republica princeps eſt, & dicitur, qui ſuo tempore eſt principatum accepturus: ita & obediens beatus eſt, quia ob meritum obedientiæ magnam eſt fœlicitatem adepturus. Ideo idem Beatus Ephræm virum obedientem, fœlicem & Chriſto ſimilem vocare non metuit. (*Ephra. ſuprà.*) Beatus ait, qui vera & minimè ſimulata præditus eſt obedientia: quoniam hic imitator eſt optimi noſtri præceptoris, qui obediens fuit vſque ad mortem. Verè igitur, qui obedientiæ fruitur poſſeſſione, beatus eſt: quia cùm Domini ſit imitator, etiam cohæres illius efficitur. C Qui obedientiam obtinet, vinculo charitatis cum omnibus coniungitur. Qui obtinet obedientiam, magnam poſſeſſionem obtinet, magnáſque ſibi delicias accumulauit. Sic ille.] Quæ autem eſſe poteſt hæc magna poſſeſſio, quæ hæ magnæ diuitiæ, niſi certa fœlicitatis ſpes, qua obediens in hac vita beatus efficitur?

Et quidem in hoc etiam obedientia ſimilis eſt beatitudini, quòd per eam homo vt holocauſtum perfectiſſimum in honorem diuini nominis conſecratur. Hoc enim vitæ hominum in Eccleſia militantium, & vitæ in patria regnantium videtur eſſe diſcrimen, quòd illa eſt ſimilis ſacrificio, hæc holocauſto. Illa eſt quaſi ſacrificium, quia quantumuis perfecta ſit, aliquid ſui naturæ & neceſſitati tribuit, & id quidquid ſit, quaſi ab holocauſti integritate ſubtrahit. D Hæc verò eſt quaſi holocauſtum, quia ſancti in cæleſti patria ita Deum amant & laudant, vt ſe totos & per totam æternitatẽ in hoc opus amoris & laudis impendant. Idem autem in vita perfectorum obedientium reperitur, qui ſe totos & omne tempus Deo conſecrant, & ideo quandam ſimilitudinem æternæ fœlicitatis obtinent. Si manducant, ex obedientia manducant; ſi dormiunt, ex obedientia dormiunt; ſi quid aliud ad corporis commodum pertinens faciunt, ex obedientia faciunt: & alia non iam media ſed verè bona & perfecta opera multo magis ex obedientia perficiunt. Vnde nihil eſt in illis quod ad ſimilitudinẽ patriæ cæleſtis non in Dei laudem conſecretur. Iſtáque videtur ratio potiſſima, quare in Sacris ſcripturis obedientia victimæ præferatur.] E Numquid, ait, vult Dominus holocauſta & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? Melior eſt obedientia quàm victimæ, & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum.] (*1 Reg. 15. 22.*) Quibuſnam victimis obedientia præfertur? An ſolis inſipientium victimis? de quibus in Eccleſiaſte ſcriptum eſt: Multo melior eſt obedientia quàm ſtultorũ victimæ, qui neſciunt quid faciunt mali.] (*Eccl. 4. 17.*) Non dubium eſt, quin his victimis obedientia præponatur. Nã hæ ab ſtultis pro ſuis peccatis oblatæ Deum

A non placant, quia de peccatis pro quorum expiatione oblationes offerunt, nõ dolent, & in his, quorum remiſſionem poſtulant, perſeuerant. Ignorántque quantũ malum admittãt, dũ ſolis ſacrificiis ſine mandatorũ cuſtodia putãt ſe poſſe ſaluari. At obedientia ſemper Deo placet, & plus ipſa quàm multi labores, & multę operũ oblationes valet. Vera quippe eſt ſententia Auguſtini. (*Auguſt. tract. 11. de obedie. & humil. 109.*) Hæc in nobis ſumma & ſola eſt virtus obedientiæ. Si ieiunaueris diebus ac noctibus, orationémque feceris, ſi in ſacco fueris vel cinere, ſi nihil aliud feceris, niſi quodcumq; præceptum eſt in lege, & tibi viſus fueris quaſi ſapiens, & obediẽs patri non fueris, omnes virtutes perdidiſti. Vna obedientia plus valet quàm omnes virtutes.

B An etiam obedientia melior eſt bonorum victimis & ſacrificiis? Ita ſanè: quoniã oblationis dignitas ex rei oblatæ dignitate etiam penſanda eſt: per obedientiam autem iuſtus ſeipſum totum Deo immolat, cùm tamen per victimas & ſacrificia carnes alienas animalium rationis expertium offerat. Iſque eſt intellectus Gregorij dicentis: (*Greg. 35 mor. c. 10.*) Obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro; per obedientiam verò, voluntas propria mactatur. Tanto igitur quiſq; Deũ citiùs placat, quãto ante eius oculos repreſſa arbitrij ſui ſuperbia gladio præcepti ſe immolat.] Sapiẽter verò ſanctus hic doctor, cùm priùs dixiſſet propriã voluntatẽ obedientia mactari, poſtea ſubiungit; totũ hominẽ Deo virtute ſubiectionis offerri, quia dũ quis voluntatẽ ſuã C reginã virium reliquarũ, & membris omnibus imperantẽ immolat, nihil nõ Deo ſubiectũ & oblatum ſibi reſeruat. Victimarum oblatio ad virtutem religionis pertinet, quæ omnium virtutum moralium eſt pręſtantiſſima, fateor: ſed etiã religioſa obediẽtia voto firmata & ſtudio glorificãdi Deũ, & venerationem ei exhibẽdi aſſumpta, religionis eſt opus. Quæ cùm ex alia parte rẽ potiorẽ victimis offerat, nõ mirum ſi Dominus eã excellentiorem victimis cẽſeat.

Si verò victimarum nomine non iam oblationes animaliũ, quæ in lege veteri offerebantur, ſed virtutum actiones intelligamus, certũ eſt, obedientiã his victimis, id eſt, virtutũ moralium actionibus præſtare. Nam per obedientiam homo non iam res perituras, aut fœdas carnis oblectationes, aut inanes honores & dignitates ſpernit, ſed ſemetipſum, & poteſtatẽ viuendi arbitrio ſuo derelinquit. D Quod certè ſicut præſtantius eſt, & amabilius omnibus aliis bonis, ita virtutũ actibus, quibus alia bona deſerũtur, eſt pręferendum. Scitè quidã dixit: Per obediẽtiam homo nõ minùs deſerit ſpõte, quàm per ſeruitutem amittit inuitè, quia vniuerſa illa deſerit, quæ agere, pati, cõſequi, habere, & retinere, & elargiri poteſt. Seruitus autẽ iure morti coæquatur, atq; adeo qui obedientiã colit, quaſi mortẽ propter Deũ ſuſtinet. Obediẽtia quoq; religioſa ſacrificiũ eſt totius hominis, quod ignis charitatis in Dei honorẽ incẽdit: vnde cùm aliæ virtutes quaſi res hominis offerãt, & ab obediẽtia accipiãt, quòd victimę ſint, cum obedientia in dignitate cõferri nõ poſſunt. Optimè id ſanè docuit Gregorius ſic ſcribens: (*Greg. in 1. reg. ad c. 15.*) Inobedientes autem E dũ tumenti corde maiorũ iuſſa non faciũt, cùm meliorate, quod eis iniungitur, conãtur, ſua opera Deo offerre dum cupiũt, ſemetipſos tollunt. Nã per alias virtutes noſtra ei impendimus, per obediẽtiã noſmetipſos exhibemus. Samuel ergo ſubiungens, ait: Numquid vult Deus holocauſta & victimas, nõ potiùs vt obediatur voci Domini?] (*1. Reg. 15. 22.*) Quid enim ſũt bona electorum hominũ opera, niſi victima & holocauſta? Cùm ergo holocauſta & victimas per legẽ offerri Dominus præcepiſſet, quid eſt, quòd Dominus

Holo-

Digitized by Google

holocauſta & victimas nolle dicitur, velle autem vt ei obediatur, pollicetur: niſi quia quæ præter obedientiam ſiunt, holocauſta, & victimæ non ſunt? quaſi dicat: tunc bona ſunt bona opera, quando à præpoſitorum conſcientia non diſcordant. Si verò hoc ideo dicitur, vt virtus obedientiæ commendetur, liquet quàm ſublime bonum ſit, quod victimis & ſacrificiis excellit. & poſt nonnulla: quia longè altioris meriti eſt, propriam voluntatem alienæ ſemper voluntati ſubiicere, quàm magnis ieiuniis corpus atterere, aut per compunctionem ſe in ſecretiori ſacrificio mactare. Quid eſt enim adeps arietum, niſi pinguis & interna deuotio electoris? Adipem ergo arietum offert, qui in ſtudio ſecretæ conuerſationis deuotæ orationis affectum habet. Melior eſt tamen obedientia quàm victimæ, & quàm offerre adipem arietum. Quia qui perfectè voluntatem ſui præceptoris implere didicit, in cœleſti regno, & abſtinentibus & flentibus excellit.]

Sed alia demum ratione has victimas, id eſt, virtutum actiones, obedientia præcellit, quia hæ quaſi ſacrificia ſunt, obedientia verò eſt holocauſtum, quod nihil non Deo conſecratum relinquit. Paupertas opes immolat, temperantia carnem mactat, at obedientia corpus hominis, & appetitiones eius, & voluntatem & iudicium, & breuiter Deo omnia hominis bona ſubmittit. Quapropter veriſſimè Anſelmus bonum ſæcularem homini comparat, Domino ſuo, fructus cuiuſdam arboris offerenti, religioſum verò non tantùm fructus, ſed & arborē ipſam donanti. Ille dicit; En Domine fructus vitæ meæ tibi trado: hic verò ait: Et ego non tantùm opera, ſed & me ipſum totum tibi committo. Vel dicit, vt verba huius Doctoris in medium proferam. Domine meæ hactenus poteſtatis eram, quódque mihi libebat, bonum malúmve, faciebam. Verùm quia tuus omnino debeo eſſe, tibíque ſoli tantùm bona opera fructificare, me totum tuæ trado poteſtati, vt amodo tibi fructificem. Quod vt melius tibi facere valeam, me vni ex Eccleſiæ tuæ prælatis ſubdam, qui me cuſtodiens ea tantùm opera doceat agere, quæ tibi nouerit magis placere.] Illius ergo meritum quaſi ſacrificium eſt, iſtius verò labor quaſi holocauſtum exiſtit. Cui profectò illud congruit quod Eccleſiaſticus de regio vate ſcripſit: Sicut adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid à filiis Iſraël. Ille ſcilicet ſæcularis, eſt ſicut caro ſacra Deo in hoſtia pacifica oblata, quæ partim in vſum ſacerdotis cedebat, partim ab ipſo offerente cum gratiarum actione comedebatur. At hic, ſcilicet religioſus obediēs, eſt ſicut adeps multò ſacratior, quem totum ignis in Dei honorem abſumebat. Atque adeò obedientis vita verum eſt holocauſtum, & obedientia illum planè beatum facit, quoniam ſimilem beatis ſpiritibus, & toto tempore Deo deditum, & illi conſecratum conſtituit.

Anſel. li. de ſimil. c. 84.

Eccl. 47. a.

Obedientia quoque aliter religioſum beatum facit, nimirum quia operibus minimis aut non multi momenti meritum eximium impertit. Beatum enim dicimus mercatorem, qui paruis rebus magnas opes lucratur: ſed multò beatior obediens, qui minimis operibus ex obedientia factis merita magna conſequitur. Eſt obedientia ſicut ſignum monetæ, quo apud omnes in pretio habetur, & eâ quidquid neceſſarium eſt, etiam ſi pretioſiſſimum ſit, ſine vllo labore coëmitur. Idque ſignificant verba illa Gerſonis magni doctoris. Proptereà cenſeri debeat pro regula generali illud eſſe melius, illud pulchrius, illud nobilius, illud vtilius, delectabilius, & honeſtius, quod eſt obedientiæ proximius, ſit illa res in qua obeditur vilis, abiecta, turpis, inutilis, laborioſa, vana, ſtulta, quantumlibet inhoneſta, ſolo peccato excluſo. Cui concinit Ioannes Thaulerus; cuius hæc eſt oratio: Fœlices monachi ſi in obedientia perſeuerauerint. Quodlibet namque etiam viliſſimum & minimum opus ex vera peractum obedientia, ratione ipſius obedientiæ multò nobilius Deóque longè acceptius eſt, quàm alia omnia quamlibet etiam magna opera ex propria voluntate peracta: nec aliquod in hac vita humili & obedienti corde gratius digniúſque Deo omnipotenti ſacrificium offerri poteſt. Quicunque ſub obedientia viuunt, ſemper alacriter & ſponte obedire, cunctáque alia ſiue venias, vt vocāt, ſiue meditationes, ſiue orationes, ſiue alia quæcūque quolibet nomine cenſeantur, interim poſtponere, miſſaque facere debent: quo fiet, vt ad humilem ſui ipſorum, tam in ſpiritu, quàm natura, abnegationem reſignationémque breui pertingant, & purè Deus in ipſis viuat atque naſcatur, in eundémque ipſi ſine medio ducantur.] Vide quàm mirabilis ſit huius virtutis nobilitas, ſiquidem admiranda quadam conuerſione vilia opera magni valoris facit, & hominē à morbo propriæ voluntatis ſanat, & ex carnali in ſpiritualem conuertit. Nec ſolùm bona opera parui momenti nobilitat, ſed & media ſeu indifferentia, bona & ſtudioſa facit. Vnde Bernardus ait: Media ſunt ambulare, ſedere, loqui, tacere, comedere, ieiunare, vigilare, dormire, & ſi qua ſunt ſimilia, quæ ſi paſtoris licentia fiant, ſummam expectant retributionem. Eſt igitur obedientia certiſſimum internæ virtutis indicium, an ſcilicet bene & ſecundùm Dei voluntatem procedamus, an verò à diabolo ſeducti noſtro proprio iudicio gubernemur. Sic patres illius temporis, vt narrant Theodoretus, & Euagrius, internoſcere voluerunt, an magnus Simeon Stylites, qui in columna vitam agebat, Dei Spiritu duceretur. Miſerunt enim ad illum, qui ex nomine ipſorum ei diceret, vt modum illum peregrinum viuendi relinqueret, & viam à patribus tritam ſequeretur, mandaruntque vt ſi obediret, copiam ei inſiſtendi in columna faceret, ſin minùs eum tanquam illuſum ex columna deiiceret. Putarunt illi patres, & meritò, obedientiam eſſe quaſi lapidem Lydium, quo aurum verum à falſo diſcernitur, quia eâ vera virtus à ficta, & ſpiritus bonus à proprio vel malo ſpiritu ſeparatur. Hac coticula Deus examinauit virtutem Adæ, qua inuentus eſt minùs habens. Hac Abrahæ & aliorum erga ſe fidelitatem expendit; nullàque eſt virtus quantumuis abſcondita, cuius gradus hac non ratione pandatur.

Gerſon Conſiderationes ad religioſos, cōſideratio. 3.

Thaulerus ſer. 1 Dom. 3 poſt Trinit.

Bern ſer de virtu te obedientia.

Theodor Euagrius li. 1. c. 13

Obedientia tantæ dignitatis eſt voti promiſſione firmata, vt etiam ipſi virginitati præferatur, & abdicationem omnium rerum longè poſt ſe relinqitat. Nam de illa Auguſtinus ait: Nemo quantum puto auſus fuerit virginitatem præferre monaſterio. De hac verò Hieronymus: Aurum deponere incipientium eſt, non perfectorum: ſe ipſum offerre Deo, proprium Chriſtianorum eſt, & Apoſtolorum. Obedientiam Deus, ô mira res, quaſi obedientia repenſat: nam ſi quis propter Dominum ſuis ſuperioribus paret, ipſe Dominus orationes ipſius exaudiens, & vota concedens, veluti ipſius qui obediuit, deſideriis obedit. Hac virtute Chriſtus à nobis paſcitur, & quaſi ſuauiſſimo cibo operibus obedientiæ reficitur. Vnde Bernardus exponens illud Canticorum: Qui paſcitur inter lilia, hæc ait: Sermo Dei veritas eſt, & ipſe ſponſus. Noſtis hoc, audite cætera. Is cùm auditur & minimè obeditur illi: vacuus interim & ieiunus remanet quodammodo, omnino triſtis, & querulus, quòd prolatus in vacuum ſit. Si autem obeditum fuerit, nonne tibi verbum videbitur in quandam ex-

Aug lib. de virg. tom. 6. Hieron. epiſt. ad Lucinū.

Cant. 2. Bernard. ſerm. 71. in Cant.

creuiſſe corpulentiam, quia verbo opus acceſſit, vtpote refectum quibuſdam fructibus obedientiæ, iuſtitiæ frugibus? Inde eſt quod in Apocalypſi loquitur: Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum eo, & ipſe mecum.] *Apoc. 3. 20.* Videtur approbari hic ſenſus, & apud Prophetam ſententia Domini, vbi dicit quòd [verbum ſuum non reuertetur ad eum vacuum, ſed proſperabitur,] & faciet [ad quæ miſit illud.] *Eſaia 55. 11.* Non reuertetur, inquit, ad me vacuum vel ieiunum, ſed quaſi proſperè in omnibus agens, ſaturabitur bonis actibus eorum, qui dilectione acquieſcent illi. Denique vſu loquendi ſermo impletus tunc dicitur, cùm fuerit mancipatus effectui, quod videlicet tandiu inanis, & macer, & quodam modo famelicus ſit, donec opere compleatur. Sed audi ipſum quo ſe dicat cibo ali: Meus, inquit, cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei.] *Ioan. 4.* Verbum Verbi eſt apertè indicantis eſſe ſuum cibum factum bonum, ſi tamen inuenerit illud inter lilia, hoc eſt, inter virtutes.] Obedientia quoque, quod magis eſt, iuſtus, Chriſti frater & ſoror, & mater efficitur. Nam & verbum eſt Domini: Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.] *Mar 3.* Frater, quia fideliter à Domino amatur; ſoror, quia tenerrimè diligitur; mater, quoniam obedientis exemplo in animas fratrum Chriſti imitatio transfunditur. Obedientia nos per perſeuerantiam ſolidat. Quare Simon, id eſt, obediens, poſtea Petrus dicitur, quia vnuſquiſque per obedientiam quaſi in omni virtute ſolidatur. Obedientia demum, vt Bonauentura ait, *Bonauēt. dicta 4. ſalut. c. 2* eſt ſchola Saluatoris, & nobile genus martyrij, & palma triumphalis, & ſcala paradiſi, nauis ad cœlum tranſiens, clauis cœlum aperiens. Eſt ſumma in merito, vicina Deo, & proxima cœlo. Eſt ſchola Saluatoris, quia ipſe obedientiam docuit in mundum veniens, in mundo manens, & de mundo tranſiens. Eſt nobile martyrij genus, cùm caput hominis amputet, aut actionum eius, id eſt, propriam voluntatem. Eſt palma, quia de hoſtibus victoriam reportat. Eſt ſcala paradiſi, nam per gradus eius, quos ſtatim numerabimus, iuſtus in cœlum aſcendit. Eſt nauis, quia ſicut qui eſt in naui ſemper ad motum eius procedit, & ſemper ipſe quieſcit: ſic qui eſt in naui obedientiæ, ſemper proficit dormiendo, vigilando, comedendo, abſtinendo, ambulando, quieſcendo, quia inſtar nautæ non mouetur motu proprio, ſed alieno. Eſt clauis paradiſi, quem inobedientia Adam clauſit, & obedientia Saluatoris aperuit. Eſt ſumma in merito, cùm omnia merita noſtra contineat; eſt vicina Deo, cùm Chriſto Filio eius nos ſimiles faciat; eſt proxima cœlo, cùm perfectionem, qua in cœlum aſcendimus, comprehendat. Ex his aliquatenus obedientiæ dignitas elucet, cuius nunc gradus aſſignabimus, vt per eos ad cœleſtem patriam peruenire conemur.

Primus Gradus Obedientiæ, Voto ſe Prælato ſubiicere.

CAPVT V.

Ignatius epiſt. obedient. BEATVS Pater noſter IGNATIVS in aurea illa epiſtola, quam de virtute obedientiæ conſcripſit, tres gradus eius nos docuit, quibus omnis obedientiæ perfectio continetur. Pri- A mus, quo religioſus ſibi iniuncta, opere exequitur: ſecundus, quo cum his quæ prælatus vult, voluntate concordat: tertius, quo proprium iudicium ſuperioris iudicio ſubmittit. Sanctus Bonauentura aliter hos gradus enumerat, & in quinque ternarios amplitudinem obedientiæ diſtribuit. *Bonauēt. de grad. virtut. c. 2.* Sed viſum eſt nobis doctrinam tantorum Patrum minutatim partiri, & ſeptem gradibus diſtinctam, vt meliùs intelligatur, legentibus miniſtrare. Primus itaque obedientiæ religioſæ gradus eſt, velle obedire, & ad vitam ex præſcripto alicuius prælati faciendam in religione approbata, ſe voto conſtringere. Quem gradum omnes religioſi profeſſi habent, & ad eum tyrones tendunt, nec dum ad profeſſionem admiſſi. His autem aliqua dicenda ſunt, quibus alacriter hunc infimum gradū B aſcendant, & obedientiæ votum emittant. Ac illud primum ſit, inobedientiam cauſam noſtræ mortis & calamitatis extitiſſe. Quia enim primus parens generis humani Deo non obediuit, ideo & ſibi & nobis poſteris ſuis mortem mercatus eſt, dicente Domino: In quocunque die comederis ex eo,] nimirum ex ligno tibi vetito, [morte morieris.] *Geneſ. 2. 17.* Vnde Ambroſius: *Ambroſ. li. de paradi. c. 7.* Niſi fallor, mortis cauſa inobedientia fuit, & ideo homo ipſe ſibi mortis eſt cauſa, non habens Deum ſuæ mortis authorem. Neque enim ſi medicus præſcripſerit ægrotanti à quibus videatur cauendum, atque ille ab interdictis non putauerit abſtinendum, cauſa ei mortis eſt medicus, ſed vtique ipſe ſibi mortis reus eſt propriæ. Itaque Deus quaſi C bonus medicus prohibuit ne Adam nocitura guſtaret.] Si ergo per inobediētiam mors intrauit in mundum, nos qui mortē fugimus, & vitam æternā quærimus, meritò obedientiam amplectimur, & ne eam deſerat noſtra volūtas, vinculo voti ſubiectioni tanquam firmæ columnæ ligamur. Eſt namque homo folio leuior & qualibet palea inſtabilior, votum autē pro onere illi eſt, quo naturali inconſtantia minimè rapiatur, nec iterū inobedientiæ mancipetur, & qui ſeipſum regens, & proprium iudicium & voluntatē ſequēs, gratiam perdidit, & à paradiſo exulauit, meritò à ſe ipſo tanquam ab ſtulto rectore diſcedit; & alteri, qui nomine Dei ipſum regat, ſeipſum committit, & iudicium ac voluntatē prælati, ſuis definitionibus ac deſideriis anteponit. Sic iam incipit diuinā vltionem euadere. Nam Deus non ſolùm in futuro ſæcu- D lo æterna pœna punit peccatores, ſed etiā in hac vita permiſſione vt ſuas expleāt voluntates ſine vlla ambiguitate caſtigat. Quod ſanctus Dauid fatetur, dicens in perſona Domini: [& dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.] *Pſal. 80. 13.* Ibunt, inquam, poſt voluntates & conſilia ſua, quæ cùm ſint Dei mandatis contraria, non poſſunt illos niſi in mortem adducere.

Ingens malum eſt propria voluntas, quæ non ſolùm morti primum parentem addixit, ſed nos quoque ſingulis diebus perdit, aut in diſcrimen cadendi conſtituit. Hanc qui ſaluari vult, omnino deteſtatur, ſciens quia per eam non in aliud quàm in perditionem itur. Quod optimè agnoſcens beata Collecta, virgo illuminatiſſima, hæc ſemel ad ſuas ſorores, *In eius vita. c. 7.* E quibus abbatiſſa præerat, dixit. Non credo aliam viam fore latiorem, nec quæ faciliùs ducat in æternam damnationem, quàm ſit propria voluntas: nec aliquam ex oppoſito breuiorem ad vitam ſempiternam, quàm ſponte renuntiare illi.] Quoties hæc bellua immanis (ſic propriam voluntatem voco) nos vulnerauit? quoties nos à gratia excidere, & à Deo ſeparari fecit? quoties in diſcrimen amittendæ æternæ ſalutis adduxit? Hæc eſt illa herba mortifera, ſecundùm Anſelmum, *Anſelm. lib. de ſimil. c. 38.* quam patres noſtri contra

præceptum

A præceptum Domini comederunt, & ex ea primùm leproſi facti, & poſt modum ſecũdùm quod eis Dominus fuerat comminatus, mortui ſunt. Hanc autem nos comedemus, hanc ſine metu vniuerſis noſtris operibus adiungemus, vt cum parentibus noſtris non ſolùm morte corporis, ſed etiam morte animæ pereamus? Quid ſtultius aut pernicioſius poteſt excogitari? Hæc eſt terra inculta & ſentibus plena, de qua ſcriptum eſt per myſterium: [Spinas & tribulos germinabit tibi:] Quàm noxium erit, & inutile in ea ſemen laborum iacere, in qua non poterit ad vitam germinare! Iſtam igitur belluam obedientia domat; ab hac herba vim occidendi, ſcilicet proprietatem, tollit, hanc terram à prauis deſiderijs purgat, & in terram fructiferam cultámque conuertit. Votum autem ipſam obedientiam firmat, & conſtantem ac ſtabilem reddit. Nam ſi B tantùm obedio, quia volo obedire, hoc labile eſt, & cras non obediam, quia voluntatem mutaui, & meum placitũ alterius imperio prætuli. At ſi ex voto neceſſitas obediendi mihi incumbit, hoc, quia licitè retro ire non poſſum, ſtabile eſt. Eſtq; fœlix quædam nèceſſitas, quæ compellit ad meliora, quæ ita ligat, vt libertatem homine dignam non auferat, ſed meritũ merito adiiciat. Ita ligat, vt à nexibus inextricabilibus propriæ voluntatis expediat, & in magna libertate conſtituat. Ita ligat, vt homo ſe ad malum ligatum ſentiat, at ad omne bonũ adiutum aduertat. Ideo enim votum obedientiæ nuncupamus, vt voluntatem Dei per noſtrum prælatum expoſitam facietes, in eo quod bonũ eſt & ſanctum, ſolidemur.

Geneſ. 3.18.

Quid homini in mentem venit, cùm vitæ religioſæ ſe tradit, niſi quòd ſtatum mutat, & ſæculum C relinquit, vt Chriſtum Saluatorem ſequatur? Eius autem vita non aliud fuit quàm perpetua quædam obedientia, adeo firma & ſtabilis, vt nulla ratione potuerit ab æterni patris voluntate ſeparari. Denique calicem paſſionis naturaliter formidans, & ad occurſum mortis mirum in modum, ſecundùm hominem extimeſcens, patriſque qui eum à morte potuit eripere, auxilium implorans, ſemper eius voluntatem vitæ propriæ præpoſuit. Non, inquit, mea voluntas, ſed tua fiat. Tam magnum, inquam, eſt ô pater, tuam facere voluntatem, tuiſque iuſſis obedire, vt potiùs eligam acerbiſſimè mori, quàm vel in minimo tuis decretis contraire. Chriſtum ergo ſequetur, qui eius fuerit obedientiam imitatus. Quia ad hoc ipſe obediuit, vt nos D membra eius obedientiæ ſcientiam addiſceremus. Idque ſignificant illa verba Pauli; Et quidem cùm eſſet filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt, obedientiã.] Id eſt, ille qui omnia ſcit, & quem nihil omnino latet, didicit ex his quæ paſſus eſt, obedientiam in nobis: noſque quantum bonum ſit obedientia, diſcere fecit. Hunc intellectum iſtius loci ſcripſit Bernardus: Et didicit, inquit, ex his quæ paſſus eſt, obedientiam; hoc eſt, obedientiam didicit in ſuo corpore ex his quæ paſſus eſt in capite. Nam illa mors, illa crux, opprobria, ſputa, flagella, quæ omnia caput noſtrum Chriſtus pertranſiit; quid aliud corpori eius, id eſt, nobis, quàm præclara obedientiæ documẽta fuerunt? Chriſtus enim (ait Paulus) [factus eſt obediẽs patri vſq; ad mortem, mortẽ autem crucis.] Qua neceſſitate? Reſpondeat Apoſtolus Pe-E trus: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini, inquit, veſtigia eius,] id eſt vt imitemini obedientiam eius. Ex his ergo quæ paſſus eſt, diſcimus quãta nos qui puri homines ſumus, oporteat pro obedientia perpeti, pro qua is qui & Deus erat, non dubitauit mori.] Hanc obedientiam

Hebræor. 5.8.

Bernard. de gradibus humilit.

1. Petr. 2. 21.

diſcere incipimus, cùm obediẽtię votũ nuncupamus Quid enim aliud eſt nos voto ad parendum adigere niſi in propoſito ſubiectionis ſtabiliri, & noſtrã mutabilitatẽ pollicitationis obligatione firmare? Vt ſicut caput noſtrũ Chriſtus nullo pacto valuit patris volũtatẽ deſerere, ita & nos nec ab ea diſcordare poſſimus ſi peccatum fugere, & fideles Deo eſſe voluerimus.

Obedientiæ voto illud perfectè completur, quod in oratione Dominica ab ipſo Domino poſtulamus: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.] Hanc petitionem ſic interpretatur Auguſtinus: Obediatur pręceptis tuis ſicut ab Angelis, qui ſunt in cœlo: ita ab hominibus qui ſunt in terra. Sed Angeli quomodo obediunt? Ita firmiter, ita ſtabiliter, vt à præcepto ſibi impoſito, ſiue à voluntate ſibi domini declarata deuiare non poſſint. Nec propterea ex neceſſitate libertatem tollente obediunt, quia non eſt niſi imperfectio libertatis poſſe in malum inclinare. Requiritur ergo vt voluntas Dei ita in hominibus ſicut in Angelis fiat, quòd illi ſtabiliter obediant, & aliqua ratione domini voluntatem præterire non valeant. Quæ firmitas licèt aliunde dimanare ſoleat, tamen perfectè admodum à voto prouenit, quo quis ſe ad exequendam Dei voluntatem à prælato declaratam obſtringit. Hoc voto ab illa maledictione liberamur, qua dictum eſt in Iſaia: Sciui enim quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea,] nam obedientia proteruitatem mentis tollit, & collũ noſtrum Dei & maiorum præceptis ſubmittit. Quod meritò hoc voto decoratũ in anima religioſa à Chriſto laudatur. Collum, inquit, tuũ ſicut monilia.] Sic nunc locum expoſuit Orig. Legit ille: [Ceruix tua ſpecioſa facta eſt ſicut redimicula.] & ait: Quã priùs præuaricationis inobedientia turpem fecerat, nunc obedientia illam ſpecioſam fecit & pulchram. Votũ itaq; obedientiæ inſtar monilis eſt, quod collo appenditur, illudq; ſubigit, ſed pectus ipſum exornat. Cor nãq; ſpiritualis viri hoc monili mirum in modũ ornatum, & fidele domino ac iuſtitia perfectum oſtẽditur. Illud autem mirabile eſt, quòd obedientię votum oppoſitos & amabiles effectus collo noſtro cõmunicat, nam illud mollificat & obdurat. Mollificat ſubiectione, qua animam Deo ſubmittit, & obdurat fortitudine, qua imperata licèt difficilia ſuſtinet. Nõne obedientia iugum eſt? Sed iugũ & lorum, vt ait Eccleſiaſticus, curuant collum durum.] Nonne turris fortis eſt? Sed collum obedientis animæ comparatur turri: & in canticis legimus: ſicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cũ propugnaculis.] & collum tuum ſicut turris eburnea.] Eſt turris fortis atque munita, quę expugnari non poteſt: & turris eburnea, quia ex obedientia mandatorum inſignem acquirit puritatem. Et ecce vna obedientia voto ſuſcepta quàm magnorum ſit cauſa bonorum; ſiquidẽ & nos pulchros & dociles facit & fortes. Pulchros, quia deformitatẽ tranſgreſſionis aufert, dociles, quia Deo morigeros reddit, fortes, quia vires ad exequẽdũ quæ nobis fuerint iuſſa, præbet. Efficimur profectò angelis ſimiles, nam ſicut illi ſtabiliter obediunt in cœlo, ita & nos firmiter obedimus in terra.

Iam ergo qui ſerui Dei perfectè eſſe volumus, & ad vitam religioſam vocamur, ſi necdũ fecimus, nos Deo per votũ obediẽtiæ ſubdamus. Auris perforata in antiqua lege ſignũ erat ſeruitutis. Nam in Exodo ſcriptũ eſt: Si dixerit ſeruus, diligo dominũ meũ, & vxorem ac liberos, non egrediar liber; offeret eum Dominus dijs, & applicabitur ad oſtium & poſtes, perforabitque aurem eius ſubula, & erit ei ſeruus in ſæculum.] Hoc dictum altiori ſenſu religioſi viri eſt

Ipſe enim ait: Diligo ego Dominum Deum meum, diligo religioſam vitam, quam in ſponſam accepi, diligo filios, merita ſcilicet,ex tam pulchra ſpōſa ſuſceptos. Malo in perpetuū ſeruus Chriſti eſſe,quàm liber ſæculi. Qui ita locutus fuerit,prælatis eſt offerendus,& auris eius perforanda, & quaſi aperienda, vt per obedientiā maiorū præcepta ſuſcipiat. Adeo namque conditioni ſerui adiuncta eſt ſeruiendi & obediendi obligatio,vt qui hanc non habuerit, ſeruus eſſe nō poſſit.Quæ obligatio ad opus procedēs, nos ſanctos faciet, & ad eum finē quem quærimus, ſcilicet,ad vitæ innocentiam,perducet. In cuius ſignum poſt reſtitutam proſperitatem ſancto Iobo *Iob.42.11.* [venerunt ad eum amici eius, & obtulerunt ei ſinguli ouem vnam, & inaurem auream vnam.] In oue accipe innocentiā,in inaure obedientiam. Quid itaq; erit viro iſti ouem,& inaurem offerre, niſi obedientiam, & innocentiam ſorores eſſe,patefacere? Iſtúdque eſſe myſterium huius loci Gregorius autumat, qui & optimè exponit, quare inauris aurea ſit, & quare vna ouis tantùm & vna inauris ab vnoquoq; *Greg.31. mor. cap. 104.* amicorum offeratur. Eius verba ſunt. Notādum verò eſt,quòd hoc loco cum inaure ouis, cum oue inauris offertur: quia nimirum innocuis mentibus ornamentum ſemper obedientiæ iungitur, Domino teſtante, qui ait: *Ioānis 10* Oues meæ vocē meam audiunt,& ego agnoſco eas,& ſequuntur me.] Beato igitur Iob nemo inaurem ſine oue,nemo ouē ſine inaure obtulit:Quia profectò redemptori ſuo non obedit,qui innocens non eſt, & innocens eſſe non poteſt qui obedire contemnit. Quia verò ipſa obedientia non ſeruili metu, ſed charitatis affectu ſeruanda eſt, non terrore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ, cuncti qui ad conuiuium veniunt, auream inaurem obtuliſſe perhibentur, vt videlicet in ea quæ exhibetur obedientia, charitas fulgeat, quæ virtutes omnes quaſi auri amore cætera metalla tranſcendat.Sed quia nulla eſſe innocētia, nulla eſſe vera obedientia in multiplicibus hæreticorum diuiſionibus poteſt,ad cognitionem fidei venientes offerant ouem,ſed vnam, id eſt tales veniant, qui in vnitate Sanctæ Eccleſię innocui,obedienteſq; perſiſtāt. Vnū quippe diuidi per numeros non poteſt: quia & hoc ipſum vnum quod dicimus,numerus non eſt. Offerant igitur ouem, ſed vnam; offerant inaurem, ſed vnam;id eſt, ad ſanctam Eccleſiam cum innocentia atq; obedientia venientes, eam mentē deferant, quā Sectarum ſchiſmata nō diuidāt.] Hæc ille, cuius doctrina in hoc quod de Eccleſiæ vnitate dicit,ad noſtrum propoſitum contrahi poteſt. Vt nempe vnitas hæc inauris & ouis ad congregationis vnionem referatur. Obedientia quippe non tantùm innocentiæ coniungitur,verùm & ex ea vnitas ſiue concordia congregationis exoritur. Hanc obedientiam quaſi perficimus cùm ei votum obediendi prælatis adiungimus. Túncque vſurpamus nobis vocem capitis noſtri, ſic ad patrem loquentis: [ſacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti *Pſal. 39. 7.* mihi.] Cùm, inquam, cuperem, ô Domine pro immenſis beneficiis tuis in gratiarum actionem tibi gratas oblationes offerre; cúmque viderem ſacrificia & oblationes piorum operum non ſatis ſufficere, tibi decreui me ipſum offerre, & per obedientiæ votum, aures foſſas, apertas, & purgatas immolare, vt ſemper vocem tuam audiam, & quæcumque per prælatos iuſſeris, ſine vlla contradictione perficiam. Ab hoc igitur gradu obedientia religioſa incipit, quæ nimirum hominem religioſum conſtituat, vt voto quis propriam voluntatem prælato ſubiiciat, ſeque

A ipſum totum propter Deum alteri regendum & gubernandum tradat.

Secundus Gradus Obedientiæ, Votum ſubiectionis nuncupatum implere.

CAPVT VI.

EX Hoc primo obedientiæ gradu, qui religioſi nomen indignè non habet, B ad ſecundum aſcendit, vt ſcilicet ſi votum obedientiæ emiſit, votum impleat, & in rebus ſibi præceptis obediat. Is ſine dubio aliquem prælatum habet, & quiſquis ille ſit, ſiue nobilitate præcipuus, ſiue ignobilitate ſordidus; ſiue ignatus, aut ſcientiarum adoptione conſpicuus, ius habet multa ſubditis præcipiendi; & in his quæ poteſt ipſe mandare, debet ſubditus vt votum impleat, & hunc gradum obedientiæ habeat, humiliter obedire. Quòd ſi quis non obediat, præſertim in re graui, iugum ſibi à Deo impoſitum frangit, & contra id quod debet, iuris ſui eſſe contendit. Cùm Samuel iubente *Greg.10. 27.* C Domino vnxiſſet Saulem in regem, [dixerunt filij Belial: Num ſaluare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum.] Sic non ſunt religioſi meritò & vitâ, ſed filij Diaboli, qui prælatum rite electum non audiunt, & illi parere contemnunt. Ille eos ſaluare poterat, & ſalutaribus præceptis inſtituere, & in cœlum dirigere. Quia verò illi non ſe ſubiiciunt, in his ad quæ tenebantur, ſalutem, ſi in malo perſeuerauerint, nequaquam conſequentur.

Horum meritam pœnam Salomon pulchra circumlocutione deſcribit. *Prouer. 30.17.* Oculum, ait, qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, ſuffodiant eum corui de torrentibus,& comedant eum filij aquilæ.] Quiſnam ſubſannat patrem ſuū? Qui turgidus ſuperbia non obedit prælato ſuo?& quis D deſpicit partum, id eſt laborē in pariendo ſiue parturitionem matris ſuæ? Qui vt ſuæ voluntati ſatisfaciat, non obediendo,diſciplinam religioſam ſubuertit. Hic dignus eſt qui in crucem agatur, immo qui in æterna ſupplicia deſtinetur, vbi dæmones peccati nigredine coruis, & rapacitate aquilis ſimiles, oculos eius effodiant, vt ſolem iuſtitiæ non videant, & omnia eius bona carnibus ſimilia diſcerpant. An non fur,ſi rem magni valoris ſurripiat, legibus ita ſtatuentibus, in crucem agitur, ſiue furca ſuſpenditur? Sed fur eſt,& rei magni valoris, ſcilicet voluntatis Deo conſecratæ vſurpator, qui prælatis non obedit. Ideòque Bonauentura ait: *Bonauen. tract. de interiori homine c. 2.* Te prælato dediſti propter Dominum,& propter regnū cœ- E lorum,& iam non es tuus,ſed eius, cui te vendidiſti, & ideo nihil tibi licet agere de te ſine eius voluntate. Ipſe enim eſt Dominus voluntatis tuæ, & contrectatio rei alienæ inuito domino, furtum eſt, fur autem cœlo non appropiat.] Omnibus fidelibus præcipitur vt maioribus obediant: & Petrus, ait: *1.Petr.2. 18.* Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis non tantùm bonis & modeſtis,ſed etiā dyſcolis.] Si verò iſti pœnam ſubeunt, ſi ab obedientia ſe ſubtrahant, quāto maiori pœna erunt digni religioſi, qui non tantùm communi obligatione, ſed etiam ſpeciali voto obedire tenentur? Præcepit Saul ne quis aliquid guſtaret vſque ad veſperam quouſque vlciſceretur de inimicis ſuis. & præcepit inſipienter, vt Ioſephus, & Theodoretus putant, & ſeptuaginta *Ioſeph. li. antiquit. Theod q. 31. in 1. Reg.*

ſua

ſatis inſinuant. At vniuerſus populus ſimpliciter & reuerenter obediuit: ſolus Ionathas præceptum fregit, & periculum mortis incurrit. Audiuítq; à patre: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha:] & mortem quidem ſubiiſſet, niſi enim populus obediens liberaſſet. Sic nõ ſemel communibus fidelibus obedientibus, filius, id eſt religioſus, ſuæ regulæ præcepta tranſgreditur, & propterea niſi ab obedientibus liberetur, dum ad ſui ipſorum imitationem trahitur, mortis pœna mulctatur. Hic itaque ſecundus gradus obedientiæ nõ eſt ſupererogationis, ſed neceſſitatis, à quo in re graui deficere non eſt aliud quàm damnationem promereri. Sed iam quid nos oporteat facere, vt votum obedientiæ impleamus, explicandum eſt. Quod breuiter Thomas Aquinas & Bonauentura explicarunt, eorúmque ſententia ſic colligenda eſt. Voto obedientiæ tenemur ad præcepta regulæ, ad ea ſcilicet, quæ nobis nõ tantùm vt cõſilia, vel vt rectè viuendi documenta, ſed vt expreſſa mandata proponuntur. Hęc fere ſunt in omnibus religioſis familiis, ne quid proprium habeamus, ne aliquid contra caſtitatem admittamus, ne præceptum aliquod Dei aut Eccleſiæ tranſgrediamur, & ſiquid aliud pro religionũ diuerſitate ſub interminatione peccati grauis iniungitur. In quibus à regula deuiare, ex genere graue peccatum eſt, niſi aut materiæ leuitas aut ſubreptio ab enormitate peccati grauis excuſent.

1.Reg.14. 44. — *D.Thom. 2.2.q.186 ar.9. D.Bona. 44.q.2.*

Obligat etiam obediẽtiæ votũ illud exequi, quod prælatus iuxta regulã, ſeu inſtitutũ, non tantùm conſuluerit aut ſuaſerit, ſed manifeſtè præceperit, & ad executionem eius obligare voluerit. Si enim aliquid tantùm ſuadeat, ſi conſulat, ſi moneat, & obligare nõ intẽdat, ſecluſo ſcandalo non erit peccatũ non obedire, licèt imperfectio ſit, niſi cauſa nõ leuis momẽti ſubſit, eius monita detrectare. Cùm enim in prælato ſit authoritas præcipiendi, quę regula mandato iniũgi voluerit, & in ſubdito ſit obligatio parendi, nõ eſt vnde hic non obediens peccato ſe liberet, ſi ille in veritate præcipiat. Et id ſignificant illa verba Deuteronomij: Qui ſuperbierit, nolẽs obedire ſacerdotis imperio, qui eo tẽpore miniſtrat domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael.

Deute.7. 12.

Si verò illud quod ſubdito iniungitur leue ſit, paruique momenti, & tamen non ſolùm ſuadeatur, aut ordinetur, ſed verè præcipiatur, votum obediẽtiæ obligat ad illud exequendum, ſi non ſub peccato graui, at ſub peccato veniali. Quoniam ſi ſuperioris præceptũ inſtet, non facere quod iniungitur, inobedientia eſt. inobediẽtia verò à peccato ſaltẽ leui excuſari nõ poteſt. Non autem erit graue peccatũ, quia materię circa quã delinquitur, paruitas peccati grauitatẽ tollit. Quã rem latè & ſapiẽter Bernardus proſequitur, & inter alia ſic ait: Quamobrem nõ video cur ita omnem inobedientiam & tranſgreſſionẽ, vel minorum quorumlibet mandatorum, exaggerandã putaueritis, vt exclamaretis: Quod ergo iam monacho poterit veniale peccatum eſſe, vel leue, cuius vniuerſæ actioni crimen inſidiatur inobedientiæ? Sed hoc inde videlicet conſtare creditis, quòd prælatorum iuſſionibus tantum tribuendum aſſeritur, quantum ſi diuinitus traderentur. Quaſi verò & ipſa Euangelica præcepta nõ multùm inter ſe diſcrepent, & merito obſeruationis, & tranſgreſſionis periculo. Cæterùm ſicut nõ omnia vnius eſſe cõſtat, vel neceſſitatis, vel vtilitatis, vel dignitatis; ſic nõ vna de omnium tranſgreſſione fertur ſententia; nec paria manent diſcrimina diſpares culpas. Porro nec pari culpa negliguntur, quæ non pari cura præcipiuntur, nec pari proinde pœna puniſitur. Ecce enim Euãgelium, tã flagitium crapulæ, quàm fornicationis turpitudinem damnat. Verùm quis magis non horreat ex duobus malis, turpitudine fœdari, quàm cibo exaturari? Nonne denique veritas in Euangelio ſub nominibus trabis, & feſtucę, graues leueſque diſcernit inobedientiæ culpas? Nunne ipſo diſputante, immo definiente, gradatim nobis diſtinguitur, quæ cuique reatui pœna debeatur, dum alium iudicio, alium conſilio, alium & gehenna reum eſſe proteſtatur? Quænam ergo conſequendi neceſſitas cogit, vt ſi magiſtris diuina detur in ſuis præceptis authoritas, nullum ideo iam monacho leue, aut veniale peccatum inueniri poſſe putetur: & quòd eius vniuerſæ actioni crimen inſidietur inobedientię?] & poſt multa; Traduntur igitur à prælatis interdum minora mandata, quorum tranſgreſſio leuiora ſecundùm regulam parit & peccata, & tamen in Deum nihilominus præuaricatio fit, quoties Abbatis iuſſio præteritur. Siquidem ex ore ipſo Dei non æqualia ſunt promulgata, & ideo non æquali cuncta vigilantia obſeruanda: ſed alia cura exhibenda eſt ei proculdubio quod ipſe perhibet primum & maximum mandatum, alia his quæ alibi diſcernens: Qui ſoluerit, inquit, vnum de his minimis meis mandatis.] Quid ergo? audiuimus ex regula grauiores & leuiores culpas, legimus & in Euangelio maxima minimáque mandata: & mãdatorum tranſgreſſiones vniuerſas dicemus æqualiter maximas? Non eſt igitur neceſſe vt concedam quod dicitis, aut Deo ſcilicet non tribui omne quod ab homine magiſtro accipitur, quod non ſit contra Deum, aut monacho nullum inueniri poſſe leue, ſeu veniale peccatum: quia etſi toties Deo (quod fatendum eſt) inobediens eſſe conuincitur, quoties eius qui pro Deo ſibi præeſt, hominis mandatum, quod quidem iuſtitiæ non repugnet, prætergreditur: ſicut tamen non par cura in executione exigitur: ſic nec par culpa contrahitur ex tranſgreſſione. Etſi quippe vnus eſt qui offenditur, non tamen vnius ponderis quæ iubentur, nec vnius ſubinde diſcriminis iuſſorum eſt omnium cenſenda tranſgreſſio. Hactenus Bernardus.] Sed quando hæc leuia nõ præcipiuntur, non erit peccatum illa ex aliqua cauſa omittere, ſi contemptus deſit, & nullum ſcandalum aut offenſio fratrum ſequatur.

Bern. de præcep.& diſpen. c. 14. — *Matth.5 6.*

Inſuper obligat obedientiæ votum ne quis aut regulæ, aut ſuperiorum mandatis ex contemptu contrauenìat. Debet enim qui obedientiæ votum emiſit, viuere ſecundùm præſcripta regulæ, & maiorum inſtituta, ſuperiorúmque mandata, in quo manifeſtè continetur tanquam initium aliorum, huiuſmodi inſtituta & mandata non aſpernari. Ille autem ex contemptu regulam aut præceptum violat, qui non ex ignorantia, aut ex negligentia, aut ex infirmitate & immoderantia paſſionis, ſed ex malitia iniuncta ſibi tranſgreditur. Aut ille qui eo fine regulam aut præceptum violat, vt oſtendat ſe ea nihili facere.

Iſte autem contemptus in re graui ſemper grauiſſimum peccatum eſt. In re autem leui ſi non contemnatur regula, nec prælatus ipſe, aut poteſtas eius, ſed aut ineruditio & moroſitas prælati, aut certè materia ipſa præcepta, quia leuis eſt, fortè non erit graue peccatum. At ſatis infelix erit ille religioſus, & ab omni deſiderio perfectionis alienus, qui hæc audeat, & vel minima ſibi iniuncta contemnat. Certè Bernardus contemptum à grauis peccati malitia numquam liberat. Sic enim ſcribit: Hęc ergo generalis

regula ſit vniuerſorum quæ per ſe,aut propter ſe,nec bona,nec mala ſunt,aut diuina inſtitutione,aut propria cuiuſque profeſſione fixa non ſunt,vt non iuſſa quidē licitè, vtrùlibet,vel admittātur, vel omittantur,iuſſa verò, ſine culpa nō negligantur, ſine crimine non contemnantur. Vbique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis eſt. Differunt autem quòd neglectus quidem languor inertiæ eſt, contemptus verò ſuperbiæ tumor. Porro contemptus in omni ſpecie mandatorum pari pondere grauis, & communiter damnabilis eſt: neglectus autem in fixis grauior, tolerabilior in mobilibus mandatis. Hæc ille.] Authoritas autem tanti doctoris ſatis eſt vt omnis contemptus etiam in minimis euitetur. &, ſi timoratæ conſcientiæ non eſt, qui leue peccatum ex certa ſcientia aut malitia committit, quantò minùs ille erit, qui audet illud facere, quod etiam in re minima multi doctores non minimum, ſed graue putarunt?

Si prælatus abſque cauſa aliquid præcipiat aut contra regulam,aut ſupra regulam, aut infra regulam & inſtitutum, votum obedientiæ ad parendum non obligat. Hinc etiam Bernardus ait: Prælati iuſſio vel prohibitio nō prætereat terminos profeſſionis,nec vltra extendi poteſt,nec cōtrahi citra. Nihil me prælatus prohibeat horū quæ promiſi,nec plus exigat quā promiſi. Vota mea nec augeat ſine mea voluntate, nec minuat ſine certa neceſſitate.]& quidem cùm prælatus, ſit cuſtos diſciplinæ, non poteſt ſubditū præcepto cogere,vt eam deſerat: & cùm ſubditus ſe voto conſtrinxerit ad obediendū ſecundùm regulam, non poteſt mandato compelli, vt aliquid ſupra regulam reddat. Id autem intelligitur ſine cauſa; nam ſi iuſta & rectæ rationi conſona cauſa ſubſit, poteſt prælatus diſpenſando rigorem inſtituti lenire, & ſubditus debet relaxationem admittere. Poteſt etiā auſteriora quàm regula habeat, mandare, ſiue in pœnam criminis, ſiue vt medium ad ſeruanda vota vel ad vincendam grauē tentationem, ſiue pro communi Eccleſiæ aut congregationis neceſſitate,& ſubditus ſimiliter tenetur obedire. Cùm autē dixerimus religioſum teneri ad obediendum præceptis quę ſunt ſecundùm regulam vel inſtitutum, ſciendum eſt, hinc ſecundùm varia inſtituta diuerſam obediēdi obligationem exoriri.Nam cùm conſtitutio ſocietatis noſtræ habeat, vt obediamus in omnibus,vbi manifeſtè peccatum nō cerneretur, obligatio obediendi in nobis ad omnia ſe extendit, quæ ſuperior voluerit præcipere, modò peccata non ſint. In aliis autem religionibus obligatio parendi ea continebit, quæ regula diſpoſuerit. Quæ ſi dixerit,vt omnes obediant in his quę ſunt ſecundùm regulam, ad nihil aliud poterunt religioſi obligari.Cùm etiam dixerimus, cauſam iuſtam intercedere debere, vt ſuperior aliquid infra aut ſupra regulam poſſit præcipere, intelligendum eſt, in dubio an cauſa ſit iuſta, ſuperiori fauendum eſſe, cùm poſſideat mandandi poteſtatem,& ſubditus ſe abdicauerit per votū propria volūtate.Niſi aliquod graue dānum in perſona, rebus, vel honore ei cui præceptum imponitur, vel alteri timeatur: tunc enim fauendum eſſet ſubdito, niſi de iuſta cauſa præcepti manifeſtè conſtiterit. Similiter ſi dubium eſſet de poteſtate prælati, an ſcilicet eò vſque ſe extendat vt poſſit hæc vel illa præcipere, ſubditus donec vincatur hoc dubium, non tenetur mandatis parere.

At ſi prælatus iuberet peccatum manifeſtum fieri, nullo modo obediendum eſt ei. Nihil enim poteſt ipſe præcipere iuſtè contra præcepta Dei vel Eccleſiæ,vnde nec licet illi in illicitis obtemperare. Vnde Gregorius ait: Sciendum verò eſt,quòd nunquam per obedientiā malum fieri, aliquando verò debet per obedientiam bonum, quod agitur,intermitti. Neque enim mala in paradiſo arbor extitit, quam Dominus homini ne contingeret, interdixit. ſed vt meliùs per obedientiæ meritum homo bene conditus creſceret, dignum fuerat, vt etiam à bono prohiberetur: quatenus tanto veriùs hoc, quod ageret, virtus eſſet, quanto & à bono ceſſans auctori ſuo ſe ſubditum humiliùs exhiberet.] Licèt ergo hoc præceptum prælati bona non mandata à Deo, vel Eccleſia poſſent omitti, at malum nulla ratione debet fieri. Atque adeo hic ſecundus obedientiæ gradus id poſtulat, vt præceptis ſuperiorum noſtrorum obediamus, & nihil eorum, quæ mandata ſunt, ſiue magna ſiue minora, prætereamus. At hæc obedientia, quæ exteriùs mandata implet, ſi nihil aliud habeat, valde imperfecta eſt. Quam vt imperfectam reiicit Paulus, dicens: Obedite per omnia dominis carnalibus,non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis.] Cùm enim ſimplicem obedientiam illi, quæ ad oculum eſt, opponat, apertè hanc,quæ præſentiam prælati intuetur,& ſolum opus exterius præſtat, imperfectam exiſtimat. Quare Anſelmus eundem locum exponens, ait: Non in duplicitate ſeruite dominis, ſed ita vt quod foris in opere oſtenditur, intus in corde habeatis, timentes dominum, qui inſpector eſt cordium, & damnator doloſarum cogitationum.] Talis obedientia quæ exteriùs quidem præcepta implet, interiùs verò repugnat, & animo contradicit, eſt obedientia triremium & remigantium, in eis quos aliquando vidi exteriùs quidem celerrimè iuſſa exequi, verbis tamen & corde gubernatori maledicere. Hos imitantur qui exteriùs obediunt, & interiùs mente obedientiæ contradicunt. Vnde vltra procedendum eſt ei, qui per iter obedientiæ ad perfectionem venire feſtinat.

Greg. 35. mor. c. 10.

C'oloſſen. 3. 22.

Anſelm. ibid.

Bern. 6. c.

3. p. conſt. c. 1. n. 23

Tertius Gradus Obedientiæ, quæque iniuncta, etiam abſque præcepto exequi.

CAPVT VII.

SANCTARVM religionum prælati nec præcipiunt, nec poſſunt, nec debēt ſtrictè præcipere omnia quę à ſubditis fiūt, ſed multa ſine præcepto iniūgunt, & facienda aut omittenda præſcribunt, quæ præterire, modò aliàs peccata non ſint, peccatū non erit, modò ſcandalum fratrum, & contemptus rei iniunctæ aut prælati iniungentis deſit. Quòd non omnia præcipiant, ipſe vſus (vt credo) omnium familiarum religioſarum,oſtendit. Quòd verò nec pręcipere poſſint nec debeant, inde patet, quòd religioſa vita onus eſſet importabile,ſi omnia tum minora tum maiora ſtricto præcepto iniungerentur,ab ea ſuauitas& ſecuritas tolleretur, & tam innumeris præceptis laqueus conſcientiis religioſorum iniiceretur. Hæc ergo ita à ſuperioribus ordinantur, aut præſcribuntur, vt ea facere obedientia magni meriti ſit, ea autem ſine contemptu omittere talis ſit inobedientia (ſi ita vocari poteſt) quæ quia contra præceptum non eſt, non culpam ſed pœnam inferat. Ad hæc autem implenda etiam obedientiæ virtus & perfectio ſe

extendit, quæ conſtans eſt patrum doctorumque ſententia. *D.Tho. 22 q.186 ar.9. ad 2* Nã Thomas Aquinas ait, eorum quæ continentur in regula, quædam eſſe præcepta, quędam verò ordinationes obligantes ad pœnã. & Bonauētura. *Bonau. in ſpecul. 1 p. c. 4.* In duobus erit ſubiectæ probatio voluntatis, ſi videlicet in iniunctis deuotè obediat, & in agendis ſuis ſemper habere authoritatem obedientiæ non omittat. & Trithemius. *Trithe. ad regu. c. 7. grad. 8.* Aliter loquẽdum eſt de obedientia exigenda prælato à ſubdito religioſo, ſecundùm obediẽtiæ perfectionem, atq; aliter ſecundùm neceſſitatis obligationem. Si loquamur de ipſa ſumma perfectione, ſic dicendum eſt, quòd ſicut ait Bernardus, perfecta obedientia finem neſcit, & perfectus obediens non ſolùm in iis quæ mandat, ſed etiam ſuper ea quæ mandat, promptum habet affectum ad ſubiacendum præcepto prælati, deſiderans illum imitari, qui humilians ſeipſum factus eſt obediens vſque ad mortem. Et hæc obedientia ſuperabundans eſt, vt dictum eſt ſuprà capite de obedientia. Si autem loquamur de obedientia ſecundùm neceſſariam obligationem, ſic habet terminum & menſuram iuxta magnitudinem voti emiſſi.] *Bern. de præce. & diſpenſat. c. 9.* Audiamus tamen Bernardũ, quem præfatus doctor citat, hanc rem luculentiſſimè explicantem: Cæterùm ſubiectus huiuſcemodi obedientiam quæ voti finibus cohibetur, nouerit imperfectam. Nam perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur: neque contenta anguſtiis profeſſionis, largiori voluntate fertur in altitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur ſpontanea, vigore liberalis alacriſque animi modũ non conſiderans, in infinitã libertatem extẽditur. Hęc eſt illa, de qua ſignanter Apoſtolus Petrus, *1. Petr. 1. c.* Caſtificantes, inquit, corda veſtra in abundantia charitatis, *1. Tim. 1. a.*] pulchre ipſam per hoc ſequeſtrans, ab illa inerti & ſeruili obedientia quodãmodo, nec charitati prompta, ſed obnoxia neceſſitati. Hæc iuſti illius cui lex poſita non eſt, propria eſt; non quòd vel ille præfectus viuere debeat ſine lege, ſed quia non ſit ſub lege: minimè quippe contentus voto ſuę cuiuſcunque profeſſionis, quam ſuperat animi deuotione. Quamquam nec iſtam regula ipſa tacuerit, vbi monet, ſi fratri impoſſibilia iniunguntur, vt confidens de adiutorio Dei obediat ex charitate. In eadem denique regula tertius humilitatis deſcribitur gradus, vt omni obedientia monachus ſe ſubdat maiori. Dicens quippe, omni non vult nos in obediendo menſura eſſe contentos profeſſionis, non attendere promiſſi debitum, non de pacto ſumere modum, ſed tranſire alacriter etiam votum, & obedire in omnibus.]

Cùm igitur obedientiæ virtus ad non mandata ſe extendat, tertius gradus obedientiæ eſt, cùm quis in omnibus ſuperiori paret, licèt illa non præcipiantur, ſed aut verbis, aut nutibus, aut ſola voluntatis ſignificatione ordinentur, & de hoc gradu dixit Albertus: *Albert. de virtu. c. 3.* Verus obediens numquam præceptum expectat, ſed ſolùm voluntatem prælati ſciens vel credẽs, feruenter exequitur pro præcepto, exemplo Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui voluntas & complacentia patris ſummum præceptum fuit.] Salomon verbis Domini abſque præcepto obediuit. Sciens enim dictum eſſe ab ipſo Domino Dauidi patri ſuo: *2. Reg. 7. 13.* Suſcitabo ſemen tuum,] id eſt, dabo tibi filium; [ipſe ædificabit domum nomini meo;] obtento regno domum illam magnificam ad Domini honorem extruxit. Nutui Domini vt res doceant, res ipſæ ſenſus expertes obtemperant. Nam & Eſdras ſcribit, *4. Eſdr. 6. 48.* quòd [aqua muta & ſine anima, quæ Dei nutu iubebantur, animalia faciebat.] & Iob: *Iob. 26. 11* [Columnæ cœli, id eſt, montes qui

A ita videntur erigi, vt cœlum ſuſtentent, [conti
miſcunt, & pauent ad nutum eius.] Volunta
Domini internæ ſignificationi ſe ſubiecit in prim
Virgo dei-para, quæ cùm purificationis lege n
teneretur, quia virgo & ſine ſeminis ſuſceptio
conceperat, ſciens tamen pergratum eſſe Dom
no, vt legem illam impleret, elapſis diebus ad fe
minarum purgationem deſtinatis, aſcendit in Hi
ruſalem vt filium ſuum ſiſteret Domino, & lege
pro omnibus aliis puerperis non pro ſe latam ol
ſeruaret. Deinde Paulus, qui potens ex Euangel
viuere, ſicut & cæteri Apoſtoli, vt magis ſe Dei v
luntati ſummam perfectionem ab eo exigenti a
commodaret, voluit ſine vllius acceptione ele
B moſynæ euangelizare. Vnde ait; Quis militat ſu
ſtipendiis vnquam?] Si alij poteſtatis veſtræ pa
ticipes ſunt, quare non potiùs nos? Sed non v
ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, n
quod offendiculum demus Euangelio Chriſti.] &
poſtea; Si euangelizauero, non eſt mihi glori
neceſſitas enim mihi incumbit: væ autem mihi e
ſi non euangelizauero.] Quæ eſt ergo merces me
vt euangelium prædicans ſine ſumptu ponam eua
gelium Chriſti.] Ac tandem diſcipulus dilect
Ioannes: Audiens namque Dominum dicente
Petro; ſequere me: Quod ſibi non præcipiebatu
C gratum tamen Domino putabatur, eſt exequu
rus. Quare Petrus videns illum ſequentem, ir
terrogauit; Hic autem quid? Hic diſcipulus ſe
quens, non ad præceptum ſed ad ſignificatione
Chriſti voluntatis ſequens, eos carpit, qui ſemp
volunt ad obediendum præceptis vrgeri.

E contrà perfecti Chriſtum ipſum Saluatore
imitantes, qui ſemper ſe morigerum voluntati pa
tris exhibuit, & Deiparam ac Apoſtolos ſequen
tes, illa faciunt quæcumque ſuperiores iniun
gunt, licèt non aſtringantur præceptis. Hos nos ſe
qui debemus, ſi ad eorum perfectionem aſpira
mus. Si prælati aliquid verbis faciendum iniun
gant, & non præcipiant, ſed magis rogent, & ob
ſecrent, more Pauli dicentis; Obſecro vos, v
D dignè ambuletis;] obediendum illis eſt. Si nuti
bus & ſignis quidpiam operis exequutioni man
dandum oſtendant, obtemperandum eſt. Si etian
ſignis abſtineant, & aliqua ratione nobis eorum vo
luntas innoteſcat, parendum eſt. Non ex obliga
tione, ſed ex amore, non ex debito, ſed ex ſuper
erogatione, quia ita decet vt filij patribus ſe ſubii
ciant, & eis, qui locum Chriſti tenent, veri Chri
ſti amatores obediant. Nec totum hoc (ſi æqui æ
ſtimatores ſimus) ſupererogatio eſt, quia ſati
inordinata eſſet illa communitas, in qua nihil ſi
ne præcepto ſtricto maioris fieret, & nemo ac
eſſet bellua rationis expers, ſine ſtimulo præcepti
& virga pœnæ ad aliquid faciendum ſe moue
E ret.

Hæc igitur obedientia; qua ſimplici voluntat
prælati quiſque ſubiicitur, à Tabenneſiotis mo
nachis accuratiſſimè ſeruabatur, quorum cœno
bij vnius Caſſianus mentionem faciens, ait: Si
quidem in eo pluſquam quinque millia fratrun
ſub vno Abbate reguntur, tantáque obedientia hi
tam prolixus monachorum numerus omni æuo ſe
niori ſubiicitur, quanta non poteſt apud nos vnu
vni vel obedire pro modico tempore vel præeſſe.
Hancque obedientiam videtur Salomon commen
daſſe. Nam, acceptus eſt, inquit, regi miniſter intel
ligens.] Ille ſcilicet qui antequam præceptum reg
audiat, eius voluntatem agnoſcit, & quaſi ta
voluntate formatus, eam prudenter exequitu

Th. 2. 2. 104. ar. 2. cap. 9. ad 2.

Thomas etiam Aquinas doctor veritatis, eam merito obedientiæ præfert, quę mandatũ expectat. Tanto, inquit, videtur obedientia promptior, quanto expreſſum præceptum obediendo præuenit, voluntate ſuperioris intellecta. & poſteà. Obiectum obedientiæ eſt præceptum ſuperioris cuiuſcumque expreſſum, vel interpretatiuum, ſcilicet ſimplex verbum prælati; eius indicans voluntatem, cui obedit promptus obediens.] Obedientia itaq; non ſolùm præceptum reſpicit, ſed ſimplicē prælati voluntatē, cui ſe ſubiicere, cùm ex maiori amore & humilitate & reuerentia procedat, maiora habet ſigna obedientiæ perfectæ.

Ad Tim. 4.

Paulus certè hanc ſimplicem ac promptam obediētiam ab omnibus fidelibus videtur exigere. Admone illos, inquit, ad Titum, principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe. Hortare, inquam, ne tantùm præcepto, ſed etiam ſimplici dicto ſuperiorum obediāt, & parati ſint ad omne bonum, quod illi fieri voluerint. Si autem hoc eſt communium fidelium, quanto magis erit religioſorum, quorũ eſt ſubiectio maior, & obedientia perfectior? Si qui mundo huic præſunt, inquit Baſilius, & ex lege humana illam imperandi poteſtatem habuerunt, iis diuina lex pietatis cultores tātopere voluit eſſe ſubiectos, & quod maius eſt, quorum vita tota nunc erat impietas; quàm magna tandem ei à pietatis cultore præſtanda obedientia eſt, qui à Deo conſtitutus præſes ſit, & imperandi poteſtatē à legibus illius acceperit? & quî defendi poteſt, eũ non Dei ordinationi reſiſtere, qui antiſtiti reſiſtat ſuo? præſertim cũ apertiſſimè Apoſtolus iubeat omnino te parendum eſſe ſpiritualibus præpoſitis? Certè fidelis obediens, vt Bernardus ait, neſcit moras, fugit craſtinũ, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos viſui, aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, totũ ſe colligit, vt imperantis colligat voluntatem. & paulo antea dixerat. In mediis ſubditi eſſe & obedientes debemus ad nutum præpoſitorum, nihil interrogantes propter conſcientiam, quia in his nullum præfixit opus Deus, ſed prælatorũ dereliquit imperio diſponenda.] & Bonauentura. Quinimmo nec bonus obediens verbum expectat, vbi de ſuperioris ſibi conſtiterit voluntate. Illum autem optimũ dixerim obedientiæ gradũ, cùm eo animo opus iniunctũ recipitur, quo & pręcipitur, cùm ex volūtate iubentis pendet intentio exequentis.] Hoc itaq; vera ac perfecta obedientia petit, vt præceptũ maioris non expectemus, ſed voluntati eius pareamus. Nam qui tantùm ad præceptum obtemperat, & in aliis ſui iuris eſſe cupit, vix in paucis ſuam voluntatem franget, & numquam ad veram ſui abnegationem peruenet.

Bern. ſer. de virtute obedientia.

Et quidem hoc ſæpe animaduertimus eſſe religioſi perfecti imperfectique diſcrimen. Quòd hic, prætérquam in rebus maioris momenti, quæ ſolent ſtricto præcepto iuberi, pro ſua voluntate vult omnia diſponere. Fugit maioris aſpectum, ne aliquid ſibi iubeatur: & ſicut fur iudicis aſpectum declinat, ne gēmam quam furatus eſt, auferat, & pro admiſſo facinorē puniat; ita & iſte à prælato ſe ſubtrahit, ne propriam voluntatem, (quam poſtquam ſemel Deo obtulit, iterum furto ablatam habet) depoſcat. At perfectus in omnibus tum maioribus, tum minoribus, vult à prælato dirigi, & ſine præcepto ſola eius voluntatis oſtenſione gubernari. Iſtámque debere eſſe veri religioſi curam docet Baſilius ſic ſcribens: Poteſtatem verò ſui ipſius ne ad punctum quidem temporis habere monachus debet, per quam in priuatis ipſe negotiis ſuis verſetur. Quemadmodum enim abſente artifice inſtrumentum ſua ſponte ipſum non moueretur, neque membrum, vel ad breuiſſimum tempus ab aliquo corpore ſeparari, mouerive poſſet, ſine eius qui intus eſt, opificis, ac totius corporis moderatoris volūtate: ſimiliter quoque neque religionis obſeruanti aliquid agere, exequive ſine Antiſtitis ſui ſententia licet. Sic ille.]

Baſil. conſt. monaſt. c. 28

Hanc Baſilij regulam cuſtodientes, in omnibúſque prælati voluntati ſe accommodantes, multis tentationibus ac periculis ſe liberant, quia prælatus rationem redditurus eſt eorum quæ ipſi geſſerint. Sunt hi ſuis maioribus amabiles, nam eos habent inſtrumenta aptiſſima ad omnia illa exequenda, quæ ad promouēdam diſciplinam, & bonum ordinem domus ſeruādum apta exiſtimauerint. Fiunt etiam fratribus chari, cùm illos videant ſecundùm præſcriptum ordinis (nam hoc prælati ſemper iniungent) & ex regula virtutis ſe gerere. Eorum vita exemplar virtutis eſt, quam non præpoſtera voluntas hominis carnaliter viuentis dirigit, ſed voluntas maiorum, non aliud quàm opera virtutis exigentium regit. Ita ergo in religioſa vita procedamus oportet, vt in omnibus ductum prælati ſequamur, & præceptis cogi, & pœnis compelli non expectemus. Sufficiat nobis eius quoquomodo oſtenſa voluntas, vt noſtrum ſenſum & voluntatem poſthabentes, illa ad bonum incitemur. Sic implebimus mandatum Domini, quod in Deuteronomio ſcriptum eſt [& facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te, iuxta legem eius, ſequeriſq; ſententiam eorũ, nec declinabis ad dexteram, nec ad ſiniſtram. Hoc inquam perfectè implebimus, quia non tam ſecundo gradu obedientiæ contenti, quo nos mandatis tantùm ad quæ tenebamur ſubmittimus, ad tertium aſſurgimus, vt etiam ſimpliciter, & ſine mandato, iniuncta humiliter impleamus.

Deut. 17. 10.

Quartus Gradus Obediētiæ; Quolibet modo nobis iniuncta ritè perficere.

CAPVT VIII.

QVæ in tribus prædictis gradibus dicta ſunt, ad ſubſtantiam operis externi obedientiæ pertinent, vt ſcilicet & ad faciēdam voluntatē Domini per prælatũ explicatam nos per votum conſecremus, & vt quiquid iniunctum fuerit ſiue ſtricto præcepto, ſiue ordinatione ſimplici, faciamus. Nunc quartus hic gradus modum operi obedientiæ præſcribit, vt debito modo & cum neceſſariis circumſtantiis perficiatur. Has autem ſpiritualiter doctores non eadem ratione aut numerant, aut declarant. Nam Gerſon de cōditionibus obedientiæ hæc ſcribit: Oportet vt ipſa obedientia ſit conſtans, ſit vera, ſit hilaris, ſit affectuoſa. Conſtans illorum obediētia non eſt, qui ad ea, quæ ſibi placuerint, tantùm obedire proponunt. Vera illorum obedientia non eſt, qui pro lucro, vel commodo temporali obediunt. Hilaris illorum obediētia non eſt, qui cum murmure, vel reſponſione, nolentes, quæ iubentur, perficiunt. Affectuoſa illorum obedientia non eſt, qui etſi reſpondere non audēt, rancorem tamen & maleuolentiam in pectore verſant.] Humbertus verè hæc: vt obedientia veſtra omnipotenti Deo ſit acceptabilis, ſtudeat quiſq; habere promptam ſine dilatione, deuotam ſine dedignatione, voluntariā ſine contradictione, ſimplicem ſine diſcuſſione, ordinatam ſine deuiatione, iucundam ſine turbatione, ſtrenuam ſine puſillanimitate, vniuerſalem ſine exceptione, perſeuerantem ſin-

Gerſon. tract. de verbis Domini.

Num. 17.

Bern. ſer. de grad. obedien. Iuſtinia. de diſcip. monaſt. c.7.

ceſſatione.] At Bernardus & Laurentius Iuſtinianus (A) ſeptem conditiones obedientiæ requirunt,quas Bernardus præſertim latiſſimè tractat,& qui eas ſtrenuè cuſtodierit, ſatis huic gradui obedientiæ ſatisfaciet. Eáſque nunc nos perſequemur, vt qualiter prælatis obediendum ſit, ex tam ſanctiſſimorum doctorum ore diſcamus.

Quicumque itaque vult hunc quartum ſanctæ obedientiæ gradum aſcendere, enitatur primò obedire libenter. Ille libenter obedit, qui ſui cordis repugnantiam vincit,prælati mandatis repugnantis,& ex animo ac cum bona & prompta voluntate quod ſibi iniunctum eſt perficit. Is verè dicet Domino: *Pſ. 38.8.* Voluntariè ſacrificabo tibi, & cõfitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt:] Nam ſpontaneus ſuorum laborum dator effectus ſe ipſum obedientia præparat, (B) vt Dei laudes exteriùs prædicet,& interiùs ipſius Domini bonitatem collaudet. Hic de prælato dura aut difficilia iubente non detrahit,quia ex prompta voluntate omnia,quæ imperãtur, prona & rationi conſona cenſet. Hic ſe ipſum cogit,vt nihil aliud fieri aut non fieri velit, niſi quod prælatus aut operi mandari, aut omitti, & non fieri præſcripſerit. Hic tandem ſe ipſum vincit,quia propriam voluntatem,cui ineptè ſubiectus eſt,alterius propter Dominum voluntati ſubmittit. Vt enim ait Bernardus: Omnis ætas ab adoleſcentia ſua prona eſt ad malum,& vnuſquiſque voluntatem praui ſui cordis ſectatur. *Bernar. de gradib. obedient.* Ab illa enim prima præuaricationis anguſtia innatus eſt homini amor proprię voluntatis,quæ voluntatem ſui creatoris relinquens, ibi ſubdita eſt (C) ſeruire,vbi voluit dominari. Difficile ergo eſt ſuam relinquere voluntatem, &alterius voluntati deſeruire.]Iſtam difficultatem ſuperat verus obediens, & inde incipit dominari fæliciter, vnde eligit propter dominum prælato ſubiici. Quoniam hac ſubiectione voluntatis ſuæ ac deſideriorum ſuorum dominus efficitur,&regnum cœleſte,vbi in perpetuum dominus & rex erit, ſcriptura proclamante, mercatur. Et ſicut cùm lutum obſequitur figulo, quaſi vilitatem luti definit,quia induſtria figuli illud in vas pulchrũ & dignum pretio conuertit: ita dum voluntariè *Geneſ. 3. 1.* quiſque Deo in ſuis prælatis ſubiicitur, habitaculi Dei pulchritudinem ac decorem lucratur.

(D) Obediat deinde amator obedientiæ ſimpliciter. *Sapien. 2. 1.* Ille ſimpliciter paret, qui videns, illud quod iniungitur,bonum eſſe aut malum non eſſe,ſine vlla diſquiſitione illud perficit.Interrogatio enim huiuſmodi, quare hoc aut illud præcipiat ſuperior, diaboli *Baſil.con. monaſt. c.23.* imitatio eſt dicentis Evæ: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi?] At qui Chriſtum quærit, & ſequitur, ab his interrogationibus curioſis & ſuperfluis abſtinet, ſciens ſcriptũ eſſe: In ſimplicitate cordis quærite illum. Simpliciter veri obedientes mandata prælatorum accipiunt:vt Dominum in ſimplicitate cordis inquirant. Hancque ſimplicitatem Baſilius ab obedientibus exigit, cùm eos ouibus paſtorem ſequentibus, & inſtrumentis (E) inanimis ſimiles debere eſſe dicit. Quemadmodum igitur paſtori ſuo oues obtemperant,& viam quamcumque ille vult ingrediuntur:ſic qui ex Deo pietatis cultores ſunt,moderatoribus ſuis obſequi debẽt, nihil omnino illorum iuſſa curioſiùs perſcrutantes, quando libera ſunt à peccato;contráque,ea ſumma animi alacritate ſummóque ſtudio cõficere. Quemadmodum enim faber, ædificatórve ſingulis artis inſtrumentis pro arbitrio vtitur ſuo, neque vmquam vllum inuentum eſt inſtrumentum,quod ad quemcumque ille vſum voluiſſet, non ſe facilè tractãdum præbuerit,ac moderatoris manui ceſſerit;Itéquoque conuenit verum pietatis cultorem; per inde vt inſtrumentum quoddam vtile opifici ad complendam ſpiritualem fabricam, omnibus in rebus parere, in quibus vt operam ſuam nauet,tectum eſſe antiſtes iudicarit,ne ſi id facere recuſauerit,impedimento ſit, quominus ſpirituale opus compleatur. Et vt inſtrumentum non ſibi ipſi deligit, quod facto vſus ſit ad artem iuuandam; eodem modo pietatis cultorem quoque nequaquam conuenit ipſum eſſe, qui ſibi iudicio ſuo opus deligat,ſed gubernationem ſui, artificis prudentiæ debet conſilióque concedere. Sic ille.] Et quidẽ nos oues eſſe cupimus ex illis,quibus in extremo die dicturus eſt Dominus,[Venite benedicti patris mei;poſſidete paratum vobis regnum.] *Matt.25. 34.* Oues igitur ſimplicitate obedientiæ ſimus, vt tam deſiderabilem vocem in tempore neceſſitatis audiamus. Abſurdum erit namque,præmium ouium expectare eum, qui non ouis ſynceritatem expetiuit,ſed vulpeculæ duplicitatem adamauit. Fideles ſerui eſſe volumus,qui ob Dei miſericordiã, & ſanctæ vitæ merita,ingrediamur in domum domini noſtri,& ſuper omnia bona ſua conſtituamur.Fidelium ergo ſeruorũ fidelitatem habeamus, qui numquam diſquirũt,cur herus hoc aut illud præcipiat,ſed quid prę̨cipiat,vt illud toto conatu complere ſtudeant.Sic & nobis in negotio obedientiæ ſit ſuſpecta omnis cauſarum aut rationum inquiſitio, ſolúmque inquiramus quomodo id,quod nobis iniunctum eſt,gnauiter exequamur.

Addat præterea verus obediens ſuo merito tertiã conditionem,vt ſcilicet obediat hilariter. Nam triſtitia ſubditi intus mente concepta, & extra ſignis oſtenſa,prælatũ ab imperando retrahit, & ad ſubditum in otio & inertia relinquendũ inducit. Ex quo is multa merita perdit,dum triſtitiam vultus prælato quaſi murum obiiciens,ſe ipſum obedientia laboribus indignum efficit. Alios quoque fratres non parum lædit, qui aut ad imitandam duritiem iſtius incitantur, aut ſaltem ad iudicandum & obmurmurandum impelluntur. Certè opus obedientiæ quaſi donum eſt,& ſacrificium acceptiſſimum, quod domino prælatis obſequentes offerimus. Quàm lætanter autem offerendum ſit donum. Paulus ſcripſit dicens;Non ex triſtitia aut ex neceſſitate:hilarem enim *2.Corint. 9 7.* datorem diligit Deus,] Et Eccleſiaſticus: In omni *Eccl. 35. 11.* dato hilarem fac vultũ tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas.] Primitias quidem Deo exultantes ſanctificamus,id eſt, deputamus, & à cæteris frugibus ſegregamus, cùm obedientiæ opera hilariter incipimus:at decimas etiam lętanter cõſecramus, cùm eadem exultatione & gaudio ipſa opera obedientiæ perficimus.Dauidi, qui perſonam coniugatorum ac ſæcularium præferebat, mandatum eſt, vt offerret domino bouem,vnde ait: Offeram tibi boues cum hircis. *Pſ.65.15.* At Abrahæ qui domum ſuam, conſanguineos,patriámque reliquerat, & imaginem religioſorum geſtabat, præceptum eſt vt offerret vaccam triennem, & non ſexum maſculum, ſed fœmineum immolaret. *Gen.26. 8.* Quare?Niſi quia ſæcularibus fortaſſis ſufficiet mandatis fortiter obſequi,at religioſos decet in quibuſlibet rebus iniunctis non tãtùm fortiter, ſed exultanter obedire. Gratum vt exiſtimo) erit nobis legere quàm pulchrè Richardus Victorinus hunc myſticum ſenſum adumbret. *Ricar. tract. de ſacrificio Dauidis. & Abr.* Videamus modò, ait; quid ſibi velit hoc ſacrificium Abrahæ, vel in quo videtur ab illo iam dicto Dauid ſacrificio differre. Quid quæſo eſt quod Dominus à ſummo Patriarcha non bouẽ ſed vaccam quærit? Numquidnam in hoc genere hoſtiarum plus fœminam quàm maſculum diligit?forte ſic eſt. Neque enim à

A tanto amico exigeret, quod minùs ipſe diligeret. Si, myſticè dicta myſtica interpretatione diſcutiantur puto palam fieri, ratum inueniri quod dicitur: Scimus de boue quia iugum portare poteſt, lac autem dare non poteſt. Contingit verò vaccam vtrumque facere, & lac dare, & domini ſui iugum portare. O quale ſacrificium, & obedientiæ iugum humiliter portare, & inter quælibet obedientiæ ardua cordis dulcedinem ſeruare, & nil aliud quàm lacteũ dulcorem per verba diſtillare! Multi cùm dura ſibi præcipiuntur, moleſtum quidem habent, nec tam dulciter quàm fortiter ſuſtinent. Scimus autem quia maſculinus ſexus, quàm fœmininus, fortior eſt: Sed lac tamen dare non poteſt. Bouem itaque facit obedientia fortis: Vaccã verò obedientia dulcis. Bouem B offerre, eſt obedire viriliter: Vaccam offerre, eſt obedire gratanter. Bouem offerimus obediendo conſtanter: vaccam offerimus, obediendo gratulanter. Caro bouina, obedientia robuſta; caro vaccina, obedientia iucunda. Hactenus ille.] Nos certè in hoc filij Abrahæ ſumus, quòd imperio Domini parentes, patriámque reliquimus, & collum obedientiæ ſubiecimus; ac proinde conſequens eſt vt eum in qualitate ſacrificij ſequamur. Offeramus Domino vaccam triennem, obedientiam hilarem. Obediamus hilariter, quia Deo in opere obedientiæ placemus: quia noſtra merita, & præmia per obedientiæ actiones augemus, quia ſi a tribus noſtris iter ſubiectionis perfectæ monſtramus. Nam obedientia, hac triplici C lætitia aucta & decorata, promiſſionem illius terræ promerebitur, nõ lacte & melle corpori manantis, ſed animæ æternam dulcedinem producentis.

Hilaritas quartam obedientiæ perfectionem adducet, vt nimirum iuſtus obediat velociter, & omni mora ſepoſita maioris aliquid iniungentis voluntatem adimpleat. De mandatis domini ſiue per ſe ſiue per prælatos nobis propoſitis, inquit regius Propheta: Pſ.147.4 Qui emittit eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo eius:] ſermo autem velociter currens, velocem vult habere ſequentem. Filiis quoque Iſraël, dum eſus agni præcipitur, feſtinãtia in comeſtione habenda mandatur: Exod.12. Et comedetis, inquit, feſtinanter.] Bern.ſup. Quia videlicet verba illa, ait Bernardus, D quæ per legem dedit, quæ per ſemet ipſum præſens exhibuit, quæ per Eccleſiæ præpoſitos tradenda reliquit, veloci ſunt obedientia conſummanda.] Iacobi.1.19. Sit autem omnis homo, inquit Iacobus Apoſtolus, velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.] Tarditatem ad loquelam retulit, velocitatem autem in opere poſtulauit. Ad quid enim homo diligens erit in audiendo, niſi vt audita compleat diligenter, & velociter mandata perficiat? Obedientiæ velocitas, præmium maximum, & tarditas pœnam habet. Vide præmium in principe publicanorum velociter obediente. Luca,19.5. Audiuit: Zachæe feſtinans deſcẽde, quia hodie in domo tua oportet me manere. Ille feſtinãs deſcendit, & excepit dominum gaudens;] n 9. & iuxta illud quod Dominus intulit. [Salus domui huic facta E eſt;] Gen.4.3. Ambr.lib.2.de Cain c.7. ſalutem animæ in præmium ſuæ properationis accepit. Sed vide pœnam in Cain, cuius munus repulſum eſt, quia in eius oblatione tardauit. Denique: Factum eſt poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Duplex culpa, inquit Ambroſius, vna quòd poſt dies obtulit, altera quòd ex fructibus non ex primis fructibus. Sacrificium autem Ecc.5.3. & celeritate commendatur & gratia. Vnde præceptum eſt; Si voueris votum, non facias moram reddere illud.] Cùm enim moram facis, non reddis votum. Eſt autem poſtulatio bonorum à Deo cum ſoluendi muneris promiſſione. Et ideo cùm impetraueris quod petiſti, ingrati eſt tardare promiſſum. Hæc ille.] Qui & poſtea Abraham vehementer laudat, inf.c.8. quòd velociter Domini mandata complenda ſuſceperit. Prima, inquit, Voti gratia eſt celeritas ſolutionis. Denique Abraham filium ſuum, ad holocauſtum iuſſus offerre, non poſt dies vt Cain obtulit, ſed exurgens mane ſtrauit aſinam ſuam, & adhibuit ſecum duos pueros, & Iſaac filium ſuum, & concidens ligna ad holocauſtum, ſurgens abiit, & venit ad locum quem dixerat ei Deus, die tertia. Primò aduerte immolantis ſtudium maturum atq; feſtinum, vt mora expectationis non eſſet, niſi donec audiretur oraculum. Deinde vt ſterneret aſinam ſuam, obſequium omne ipſe ſuſciperet, & ſacrificio neceſſaria præpararet, duabus quoque fide & ſpe virtutibus comitantibus, hoſtiam ſuam duceret, de poteſtate Dei certus, & de bonitate ſecurus.

Benedict. in reg.c.5. Meritò ergo Sanctus Patriarcha Benedictus hãc feſtinationem obedientiæ mandauit: Primus, ait, humilitatis gradus, obediẽtia ſine mora. & poſtea: Mox vt aliquid imperatum à maiore fuerit, ac ſi diuinitus imperetur, moram pati neſciunt in faciendo. & iterum: Sed hæc ipſa obedientia, tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus, ſi quod iubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè fiat. Meritò etiam Caſſianus antiquos illos monachos de hac celeritate commendat, in qua erant adeo ſtrenui, vt litteram præ ſtudio celeriter accurrendi ſemifactam relinquerent. Caſſia.lib 4.de inſt. c.12. De illis hæc dicit: Itaque conſidentes intra cubilia ſua, & operi ac meditationi pariter intendentes, cùm ſonitum pulſantis oſtiũ, ac diuerſorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos ſcilicet, ſeu ad opus inuitantis; certatim è cubiculis ſuis vnuſquiſque prorumpit; ita vt is, qui opus ſcriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoaſſe litteram, finire non audeat; ſed in eodem puncto quo ad aures eius ſonitus pulſantis aduenerit, ſumma velocitate proſiliens, ne tantum quidem moræ interponat, quantum cœpti apicis conſummet effigiem; ſed imperfectam lineam litteræ derelinquens, non tam operis compendia, lucrave ſectetur, quàm obedientiæ virtutem exequi toto ſtudio, atque æmulatione feſtinet. Quam non ſolùm operi manuum, ſeu lectioni, vel ſilentio & quieti cellæ, verũ etiã cunctis virtutibus ita præferunt, vt huic iudicẽt omnia poſt ponenda; & vniuerſa diſpendia ſubire contenti ſint, dummodo ipſi hoc bonum in nullo violare videantur.] Meritò tandem Siluanus Abbas in vitis patrum apud Euagrium Ponticum Hyperboritam, vel Petronium Bononenſem, illum diſcipulum præ aliis dilexit, nomine Marcum, cuius tanta erat obedientia, vt à magiſtro vocatus, litteram, O, mediam reliquerit, nec eam præ deſiderio promptæ obeditionis impleuerit. Quod factum alij ſeniores, qui Siluanum comitabantur, videntes, dixerunt ei: In veritate quem tu diligis, & nos iam diligimus, quia & Deus eum propter ſuam obedientiam diligit. Nos itaque in exequendis rebus iniunctis quàm diligentiſſimi ſimus, vt per celerem obedientiam Chriſtum Saluatorem inueniamus. Nam tres illi fœlices reges ab ſtella ad Dominum adorandum vocati ſtatim ſine vlla cunctatione accurrerunt: quare illorum vox fuit: Vidimus ſtellam eius, & venimus,] & in præmium ſuæ promptæ obedientiæ Domini conſpectu dignati ſunt. Sic ſi in omnibus promptè celeriterque obedierimus, non iam ad horã, ſed ad æternitatem, Chriſti conſortio & conſpectu perfruemur. Ipſe enim illos magno honore proſequetur, qui ſacrificia ſua, nempe obedientiæ opera, non patientur

per tar

per tarditatem & ſocordiam ab aduerſario delibari.

Inſtantiæ in obedieodo adiungenda eſt conſtauria & fortitudo,vt qui ſcit obedire velociter, diſcat & parere viriliter. Sæpe oamque oon modica difficultas inſurgit,nos io itinere ſubiectiuuis impedieus, & ab impletione mandatorum abducens, quæ fortitudine vincenda eſt, ne obedientiæ meritum excidat. Viriliter agite, & conſorterur cor veſtrum,]ait Sanctus Dauid, [omnes qui ſperatis in Domino.] Nobis ergo, qui præmium oiaximum obedientium ſpetamus, viriliter obediendum eſt, ne illo ob inconſtantiam & puſillaoimitatem priuemut. Tria autem ſunt, quæ nos ſolent ab operibus obedientiæ diuellere; vel ipſa terum ioiunctarum difficultas, quia nimirum res arduæ ſunt, & oaturæ ac ſenſui repugnantes; vel modus præcipieudi, quia prælarus inſuauirer & duritet & ſine opportunitate præcipit: vel alij, qui ſuaſionibus aut perſecutionibus aut minis, tentant nos ab obediendo retrahere. Hæc tria ſuperat fortitudo in agendo, cuius cauſa dicerur de nobis, quòd nouimos viriliter obedire. Si res difficilis fuerit, ſi ſenſui propenſionique repugnans, non ptoptetea omittenda eſt, immo eo libeotiùs executioni mandanda, quo difficultas meritum auget, & ex victoria ſenſus & propenſioois ooſtræ obedientiæ virtus accreſcit. Si eoim in rebus facillimis aut voluntati noſtræ cooſonis obedietimus, qoam mercedem habebimus, cùm & ſeculares, immo & iniqui in rebus quæ ſibi placeot, obediant? At in his quæ exhorremus & valde ſormidamus, obedire veræ eſt humilitatis & ſubiectionis indicium. Saluator noſter obediuit patri in perpeſſione mortis, & in aliis multis quæ oatura illius humana ſanctiſſima & ordinatiſſima vehemeoter extimuit. Sic veri imitatores illius in difficilibus & arduis obediant neceſſe eſt, & in his, quibus caro repugnat, ſe propter amorem obedientiæ ſubiiciant. Se namqoe in his vincere, & voluntatem ad hæc complenda & admittenda fortiter inclinare, obedientiam mirabiliter perficit, & eius meritum ac valorem augmentat. Quare Gregorius ſapienter ait: Sed quia nonnumquam nobis huius mundi proſpeta, nonnumquam verò iubentur aduerſa: ſciendum ſummopere eſt, quòd obedientia aliquando ſi de ſuo aliquid habeat, nulla eſt; aliquandu autem ſi de ſoo aliquid non habeat, minima. Nam cùm huius mundi ſucceſſus præcipitur, cùm locus ſuperior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ ſibi virtutem euacuat, ſi ad hæc etiam ex proprio deſiderio anhelat. Neque enim ſe ſub obedientia dirigit, qui ad accipienda huius vitæ proſpera libidini propriæ ambitionis ſeruit: rurſum cùm mũdi deſpectus præcipitur, cùm probra adipiſci, & contumeliæ iubentur, niſi ex ſe ipſo animus hæc appetat, obedientiæ ſibi meritum minuit: quia ad ea quæ io hac vita deſpecta ſunt, inuitus nolénſqoe deſcendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cùm mentem ad ſuſcipienda probra huius ſæculi, oequaquam ex parte aliqua etiam ſua vota comitantur. Debet ergo obedientia & in aduerſis ex ſuo aliquid habere, & rurſum in proſperis ex ſuo aliquid omnimodo non habere, quatenus & in aduerſis tanto ſit glorioſior, quanto diuino ordioi etiam ex deſiderio iungitur: & in proſperis tanto ſit verior, quanto à præſenti ipſa, quam diuinitus percipit gloria, funditus ex mente ſeparatur.] Sic ille. Et Bernardus ad idem inquit: An tu ibi putas obedientiæ fructum, cùm ſubditus audit obedientiam quam multis expetierat votis, cùm ei præcipitur quod redoleat dignitatem, gaudio, & lætitia fluitet, & potentiæ fulciatur imagine? E contrario autem an tu illi obedieotiæ meritum aſſignas, qoæ cum aduerſitate procedens animum terret audientis, grauis ad audiendum, grauior ad impleodum, ad tenenendum grauiſſima? Non eſt ita. Faciendum eſt vt à proſperitate aoimo ſeparemur, & aduerſitatem aoimo amplectamur, ſi volumus illum ſequi, qui regnum fugit, & ad paſſionem voluntarius venit. Et Sulpicius: Præcipua ibi virtus, ſcilicet in cœnobiis monachorum Orieotalium; & prima eſt obedientia; neque aliter aduenieus ad monaſterium Abbatis ſuſcipitur, qoàm qui tentatus priùs fuerit & probatus, nullum vnquam recuſaturus, quamlibet arduum ac difficile indignùmque toleratu Abbatis imperium. Vincenda eſt ergo difficultas quæ ex ipſa re imperata naſcitur, vt fortitudo in obediendo teneatur.

Pſal. 30. 26.

Greg. 31. mor. c. 10.

Ber. ſupr.

Si verò prælatus duriter & inſulsè præcipiat, ſi omnia reprehendat, ſi nihil benefieri, & io nullo ſuam voluntatem impleri proclamet, non propterea ab obedieotia deſiſtendum eſt, ſcientes quòd oon homini propter hominem obtemperamus, ſed propter Deum cui noſtra voluntas placita eſt, haud dubiè obedimus. Vode Ephræm ait: Si ſub obedientia ſpiritualium patrum conſederis, noo cùm demulceris, & audis verba aſſentationis, apparet fidei tuæ ſtabilitas, ac firmitas: ſed quando contemptus, atque percuſſus ſuſtinoeris; nam etiam fera meritò cùm demulcetur manſueſcit atque miteſcit. Ne itaque erga corripieotem, & inſtituentem te, amarulentior fias, ſi omnium cupis vas electionis euadere. Hæc ille.] Vas profectò electionis fit, qui duritiei prælati uullam rationem habens, & Chriſtum in eo pręcipientem aduertens, tanta alacritate & ſtrenuitate paret, ac ſi prælatus eius obſequia gratiſſima haberet, eumq́ue vt intelligentem & induſtrium diligeret. At ſi nos alij ab opere iniuncto variis modis retrahant, ſi ardoum eſſe hęc aut illa peragere dicant, ſi nobis talia imperari indignum aſſerant, & hæc impugnatio obedientiæ vincenda eſt, ſciendúmque nihil eſſe arduum humilibus, vt ait Leo Papa, nihilque aſperum mitibus, oihilque indignum eſſe viro docto, aut nobili, aut ſene, aut antea multis muneribus honorato, ſi à prælato præcipiatur. Si tribulatio iotonat, inquit Bernardus, ſi perſecutio reſultat, ſi peccatores tibi laqueũ ponũt, ſi maligni tuum iter impediunt, io obedientiæ vias oon deſeras. Sic dic: Paratus ſum & nón ſum turbatus [vt cuſtodiam mandata tua] Cuſtodi mandata prælati, quæ non ſunt aliud quàm mandata Domini: & ſcito præclarũ eſſe illi io omnibus obedire, & perfectam eſſe obedientiam, ac maximi meriti in arduis & difficillimis obtemperare.

Ephrem. de virtu.

Leo Papa ſermone. 5. de Epi

Ber. ſupr.

Pſal. 118. 60.

Iuſtus paret fortiter, obediat & humiliter, ne fortitudo in ſuperbiam tranſeat, & obedientiam fœdans, eius meritum & decorem impediat. Quid eſt obedire humiliter? Humilia ſeruitia ab obedientia impoſita gratáter ſuſcipere; prælationis onera, ſi abſque tranſgreſſione mandati fieri poſſit, prudenter cauere; ſe ipſum merito obedientiæ indignum, & ad quæque opera de ſe ineptum reputare. Humilia obſequia à religioſis obedientibus libenter eſſe admittenda Baſilius in hunc fere modum edocet! Atque etiam intelligendum illud eſt, debere pietatis cultorem viliora etiam munera magno cum ſtudio, magnáque cum animi alacritate ſuſcipere, ſcientem nihil minutum eſſe, quod Dei cauſa fiat, ſed grande & ſpirituale, & eiuſmodi, quod cœlum nobis, & præmia cœleſtia conciliat. Quamobrem licèt communibus vtilitatibus inſeruientia ſarcinaria ſeqoi iu-

Baſilius conſt. monaſt. c. 24.

menta

menta oporteat, recuſare tamen non debet. Siquidem venire in mentem Apoſtolorum debet, quàm alacriter illi Domino paruerunt, quando ipſis mandauit, vt ad ſe pullum adducerent: cogitaréque & illos quoque quorum cauſa iumentorum curam ſuſcipiat, fratres Domini eſſe, & tributam ipſis beneuolentiam ſtudiúmque, in ipſum Saluatorem redundare: qui dixit; Quatenus feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.] Quòd ſi ſua facit; quæ minorum ſunt; ſine dubio multo magis quæ electorum ſunt, ea ſibi vendicabit, modò ne officium cauſam ad licentiam exiſtimet. Quin ſumma potiùs animi attentione munire ſe ipſum debet, vt cùm ſibi tum cæteris, in quoſcumque eum caſus detulerit, pariat vtilitatem. Porro ſi de muneribus iis, quæ abiectiora ſint, aliquid exercendum ſit, ſcire conuenit, Saluatorem quoque ipſum diſcipulis miniſtraſſe, & abiectiora opera facere non recuſaſſe: magnúmque homini eſſe, ſi Dei imitator exiſtat, cùm per hæc quæ humilia ſunt, ad altitudinem illam, quòd illum eſt imitatus, aſcendat. Quamquam quis tam humile auſit quippiam appellare, quod Deus ipſe attingere non recuſauit? Huc vſque Baſilius.] Præclara autem, ac ſpecioſa munera eſſe prudenter detrectanda ſanctiſſimorum Eccleſiæ virorum exemplo didicimus, qui ſe ipſos difficiles in admittendis dignitatibus præbuerunt. Et quia natura noſtra per peccatum ſuperbiæ corrupta ad prælationem ſemper aſpirat, non eſt vitium inobedientiæ ab his, humili ſe excuſatione ſubtrahere, & humilia potiùs velle, quàm celſa ſub prætextu obedientiæ quæritare. Bonum eſt, inquit Origenes, non proſilire ad eas, quæ à Deo ſunt dignitates & principatus, & miniſteria Eccleſiæ, ſed imitari Moyſem, & dicere cum eo: Prouide alium, quem mittas.] Si autem id bonum eſt, certè aliqua inobedientiæ labe maculatum non eſt. Et Bernardus: O peruerſitas, ô abuſio filiorum Adam, quia cùm aſcendere difficillimum ſit, ipſi & leuiter aſcendunt, & difficiliùs deſcendunt, parati ad celſitudines & honores graduum Eccleſiaſticorum ipſis etiam angelicis humeris formidandos.] Quia ergo ad hæc ſuperbè & imprudenter inclinamur, obedientiæ perfectionem non tollit, ſed meritum humilitatis adiicit his ſublimibus repugnare. Debet etiam obediens, vt humilitatem habeat, ſe vt ſuprà dictum eſt, ad omnia ineptum reputare, & indignum merito obedientiæ ſentire, quia ſi magnum exiſtimatur, à rege terreno occupari, quanto maius erit, Deo regi cæleſti ore prælati præcipienti parere? Certè, ſi benè intelligimus, indigni ſumus, quibus opera obedientiæ demandentur, & tantæ virtutis merita tribuantur.

Matt. 25. 40.

Origenes, hom. 6. in Iſaiam.

Bern. ſer. 2. de Aſcenſione.

Poſtrema obedientiæ perfectio eſt vt ſit perſeuerans, & conſtanter ac deſinenter obediamus. Non ſufficit ad ſalutem incipere; non enim ſcriptum eſt: Qui cœperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.] Nec corona curſum incipienti ſed perficienti decernitur. [Nam curſum conſummaui, inquit Paulus, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ:] Sibi autem repoſita non eſſet, ſi curſum tantum inchoaſſet, non autem perfeciſſet. Ideo monet ipſe: Sic currite, vt comprehendatis.] Quia ſicut ille accipit brauium, qui ad metam curſus peruenit, ita & præmium obedientiæ ille percipit, qui vſque ad finem vitæ in obedientia perſiſtit. Ideo Bernardus obedientiam comparat talari tunicæ, quia ſicut hæc ad talos vſque protenditur, ita & illa vſque ad finem vitæ protrahitur. Obedientia, inquit, talaris eſt tunica, quam Ioſeph (quod ſonat, accreſcens, vel, augmentum, id eſt, quilibet perfectus) dono clementioris gratiæ, quæ eſt mater credentium, ſingulariter induit. Quia verò hæc talaris tunica pulcherrima eſt, non tantùm ſignat vt perſeueremus vtcumque, ſed vt cum omnibus prædictis conditionibus in obediendo perſiſtamus. Propterea idem Bernardus alio loco eam comparat nummo, qui niſi integer ſit, & omni ex parte incorruptus benéque ſignatus, à nummulario contemnitur. Sed præter ordinem erit melliflua prætermittere. Sapiens, inquit, nummularius eſt Chriſtus, immo ipſa ſapientia, cui neceſſe habemus reddere hũc obedientiæ nummũ: nec ſuſcipiet eum niſi & integer inueniatur, & ſine aliqua falſitate. Nam ſi diſcurrimus, ſi diiudicamus, & in hoc quidem præcepto non obedimus, ſed in illo; fractus eſt nummus: non ſuſcipiet eum Chriſtus, à quo nimirum tenemur nummi integri debitores. Omnes enim obedientiam ſimpliciter & ſine vlla acceptione promiſimus. Quòd ſi quis obediat quidem, ſed ſimulatoriè & ad oculum, murmuret autem in abſcondito, falſus eſt nummus eius: plumbum habet non argentum, & iniquitas ſedet ſuper talentum plumbi: doloſè agit, ſed in conſpectu Dei, quoniam Deus non irridetur. Vis audire perfectæ obedientiæ formam? Vidit Dominus (ait Euangeliſta) Petrum, & Andream mittentes rete in mare, & ait illis: venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.] Faciam, inquit, de piſcatoribus piſcatores: immo prædicatores. At illi continuò nihil diiudicantes aut hæſitantes, non ſolliciti vnde viuerent, non conſiderantes quonam modo rudes homines, & ſine litteris, prædicatores fieri poſſent, nihil denique interrogantes, ſine vlla mora, relictis retibus, & naui, ſecuti ſunt eum. Agnoſcite fratres quoniam propter vos ſcripta ſunt hæc, propter vos ſingulis annis in Eccleſia recitantur: vt diſcentes verę obedientiæ formam, caſtigetis corda veſtra in obedientia charitatis. Hæc nimirum eſt quæ ſola cõmendat obedientiæ nummum, hoc illius argentum eſt probatum atque purgatum. Hæc Bernardus.] Qui ergo his ſeptem attributis opus obedientiæ perfecerit, verus & per omnia conſummatus obediens cenſebitur. Obediat ille libenter, vt in opere iniuncto lætetur: obediat ſimpliciter, ne ſtultè ſapiens, ſed potiùs ſapienter ignorans exiſtimetur. Obediat hilariter, vt non coactus obediens more ſeruorum, ſed ſpontaneus ſecundùm conſuetudinem filiorum appareat. Obediat velociter, vt citiùs præmium victoriæ teneat. Obediat viriliter, ne difficultate ſuperetur. Obediat humiliter, ne ob ſuperbiam merito obedientiæ priuetur. At tamen in his omnibus perſeueret, vt mercedem perfectis obedientibus paratam conſequatur.

Matt. 24. 13.

2. Timot. 4. 7.

1. Cor. 9. 24.

Ber. ſer. 2. de S. Andrea.

Mat. 4. 18. 19.

Quintus gradus Obedientiæ: Voluntatem ſimul cum opere maiori ſubdere.

CAPVT IX.

GRADVS iſti qui ſequuntur, licèt videantur in conditionibus obedientiæ, comprehenſi, tamen aliquid habent cuius cauſa oporteat eos à quarto etiam

gradu

A gradu diſtingui. Aliud namque eſt imperata libenter facere, aliud verò, voluntatem ſubditi quaſi pnelati voluntate formare. Similiter aliud eſt ſimpliciter parere, aliud verò proprium iudicium ſubditi maioris iudicio ſubmittere. Duo enim illa priora innuunr actum obedientiæ externum, nulla repugnantia voluntatis vitiatum, nulla contradictione proprij iudicij corruptum: duo autem poſteriora non importaut actum externum, ſed functiones internas voluntatis & intellectus, quibus verus obediens imperata complectitur, ſiue ab ipſo, ſiue ab alio extenùs fiant, & iuſſis prælati non reluctatur. Eſt igitur quintus obedientiæ gradus, cùm ſubditus voluntatem prælati

B ſuam facit, ita vt cum eo non tantùm opere, ſed affectu concordet, & idem omnino velit, quod prælatus, idem nolit. Vellet ſubditus, exempli gratia, aliquid facere, ſiue magnum, ſiue paruum, pro facultate & aſſenſu faciendi ad prælatum recurrit. Ipſe negat aſſenſum, atque potiùs oppoſitum eſſe faciendum. Si ſubditus non repugnet, ſi ſtatim abſque vlla contradictione voluntatem ſuam deponat, & voluntatem prælati ſuſcipiat, ſi idem omnino velit fieri quod prælatus, ſi voluntatem eius ſuam efficiat; ſi hoc non in iſta aut illa re facili, ſed in omnibus rebus etiam difficilibus, & ſenſualitati repugnantibus præſtet, & ex habitu ſic ſe habeat, hunc, Deo donante, quintum obedientiæ gradum ac-

C quiſiuit. Religioſâ profeſſione voluntatem noſtram propter Dominum prælato dedimus, ne iterum ad malum noſtrum illam quaſi furto ſurripiamus. Ille autem ſuam voluntatem ſurripit, qui eam à prælati voluntate diuellit, & dum extenùs imperata facit, interiùs imperatis voluntate repugnat. Saluator noſter dixit: Non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me.] Ita dicat & diſcipulus Chriſti: Non

Ioan. 6. 38. veni ad ſtatum religioſum facere voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui vocauit me. Hoc autem ſolo externo opere non implebit, niſi etiam voluntatem ſuam prælati voluntati conformet. Reuera enim eſt propriam voluntatem facere, externum opus quaſi inuitè elicere, & voluntatem re-

D tinere, quam abſque dubio retinet, qui audet voluntati prælati repugnare. Probro ſponſæ datum eſt, quòd noluit tunicam à ſe ad cubandum relictam, gratia excipiendi ſponſum, induere. Nam dixit: Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illâ?] At è contra probro obedienti dabitur, ſi intenderit voluntatem ſuam repetere, quam decreuit pro Domini obſequio relinquere. Idem quippe eſt effectus non reſumendæ tunicæ, & reſumendæ voluntatis. Quare ſponſa imprudenter ſe habuit, nolens tunicam ad ſponſo aperiendum induere. Quia hac negligentia indignam ſe ſponſi amplexibus fecit. Sed ſimiliter qui poſt

Cant. 5. 3.

E obedientiæ votum propriam voluntatem retinet, indignum ſe Dei amplexibus & conſolationibus facit. Non amplexatur ille, nec cœleſtibus conſolationibus replet hominem, cuius opera inuiſa habet. Manifeſtum eſt autem, à Domino illius obſequia repelli, quem viderit propriam voluntatem retinentem. Reiecit ipſe ieiunia & orationes iniquorum; cauſam autem aſſignat dicens: Quia in die ieiunij veſtri, inuenitur voluntas veſtra.] Sic etiam obſequia illorum abijciet, qui propriam voluntatem retinuerint, & actus obedientiæ, ſuæ voluntatis, quam obtulerant, repetitione fœdauerint.

Iſaia. 5. 8.

Miſeri ſanè ſumus & longè à noſtri ſtatus perfectione ſeiuncti, ſi non facere voluntatem prælati, ſed fieri noſtram voluntatem à prælato quæramus. An non miſerum eſt, hominem ſe ipſum ſeducere, & inexpletione voluntatis propriæ ſibi ipſi de merito obedientiæ blandiri? Sed qui propriam voluntatem ſub prætextu obedientiæ diligit, in hanc deflendam miſeriam incurrit. Id enim ſonant verba Bernardi: Porro quiſquis vel apertè, vel occultè ſatagit, vt quod habet in voluntate, hoc ei ſpiritualis pater iniungat, ipſe ſe ſeducit, ſi fortè ſibi quaſi de obedientia blandiatur. Neque enim in ea re ipſe prælato, ſed magis ei prælatus obedit.] An non miſerum eſt in terra Geſên vbi lux eſt, caligine Ægyptiorum inuolui? Sed huiuſmodi ſunt, qui in ſtatu religioſo poſiti adeo cæcutiunt, & tantis tenebris obruuntur, vt non lucernam veritatis, ſed errorem ſuæ voluntatis ſequantur, de quibus idem Bernardus ait. Heu plures habemus Euangelici illius cæci quàm noui Apoſtoli imitatores. Quid vis (ait Dominus ad cæcum illum) vt faciam tibi?] Quanta eſt miſerano tua, Domine, quanta dignatio tua! Siccine Dominus quærit vt ſerui faciat voluntatem? Verè cæcus ille, quia non conſiderauit, non expauit, non exclamauit: Abſit hoc, domine, tu magis dic quid me facere velis. Sic enim decet, ſic omnino dignum eſt, non meam à te, ſed à me tuam quæri. & fieri voluntatum. Videtis fratres, quia verè neceſſaria erat hoc in loco conuerſio. Sic profectò, ſic multorum vſque hodie puſillanimitas & peruerſitas exigit, vt ab eis quæri oporteat, Quid vis vt faciam tibi? non ipſi quærant: Domine quid me vis facere? Conſiderare neceſſe habent miniſtri, & vicarij Chriſti, quid ſibi præcipi velint: non ipſi conſiderant quæ voluntas ſit præceptoris. Non eſt obedientia eorum plena, non in omnibus parati ſunt obſequi, non per omnia ſequi propoſuerunt eum, qui non ſuam, ſed patris venit facere voluntatem. Diſcernunt, & diiudicant eligentes in quibus obediant imperanti, immo in quibus præceptorem ſuum ipſorum obedire neceſſe ſit voluntati. Huiuſmodi itaque etſi tolerari ſe videant & condeſcendi, ac morem geri infirmitati ſuæ, proficiant obſecro, pudeatque ſemper paruulos inueniri; ne quando fortè hoc audiant: Quid debui vobis facere, & non feci? & abutentibus patientia & benignitate prælati, fiat tandem multitudo exhibitæ miſerationis, cumulus iuſtæ damnationis. Sic ille.] Non ſic profectò nobis agendum eſt, ſed ſiquidem ad Dominum conuerſi ſumus, initium ſaltem ac ſubſtantiam perfectæ conuerſionis teneamus. Hæc autem non eſt alia, quàm propriam voluntatem (eam ſcilicet quæ non eſt Deo, & nobis communis) relinquere, & diuinam voluntatem à prælato patefactam amplecti.

Ber. ſer. ad ſtat. in capit.

Luc 18. 41.

Vnde verba ſunt eiuſdem Bernardi paulo ſuperiùs: Hæc planè fratres perfectæ conuerſionis eſt forma. Paratum, inquit, cor meum Deus, paratum cor meum.] Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua:] Domine, quid me vis facere? O verbum breue, ſed plenum, ſed viuum, ſed efficax, ſed dignum omni acceptione. Quàm pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui ſuam ita abiecerint voluntatem, vt ne ipſum quidem cor proprium habeant, vt non quid ipſi, ſed quid Dominus velit omni hora requirant, dicentes ſine intermiſſione; Domine quid me vis facere: & illud Samuelis: Loquere Domine quia audit ſeruus tuus.] Audiamus itaque vocem Domini di-

Pſ. 56. 8. Pſal. 118. 60.

I. Reg. 3. 10.

cenſis

centis nobis, vt perfectè eius voluntatem impleamus: quam proculdubio non implebimus, niſi voluntatem noſtram eius voluntate formemus. Cùm autem eius voluntas per voluntatem prælati non iniuſtam, nobiſque intimatam, innoteſcat, compertum eſt debere nos non ſolùm opere, ſed etiam ipſa voluntate noſtris conſentire prælatis.

Nihil ſanè rigidum, aut durum in hoc à nobis exigitur. Chriſtus enim Deus, & magiſter noſter, dedit ſe propter nos voluntati hoſtium ſuorum. Vnde Lucas de Pilato præſide ait: *Luca.23. 28.* Quòd tradidit eum voluntati eorum.] Et nullatenus ille Dominum maieſtatis hoſtibus tradidiſſet, niſi ipſe Dominus ſe tradi voluiſſet. *Iſaia.53.7* Oblatus enim eſt, quia ipſe voluit:] *Ioan.10. 17.* Et ego, ait, pono animam meam, vt iterum ſumam eam.] Quid ergo multum ſi propter illum nos voluntati prælatorum tradamus, vt in præmium huius facti tam iuſti ſemper cum illo regnemus? Ille ſe tradidit hoſtibus, nos patribus: ille ſe dedit occidendum, nos regendos, & gubernandos, ille ſe dedit vt ad crucem duceretur, nos vt ad perfectionem, quæ nobis eſt in votis, ducamur. Quàm non auarus venditor, immo & liberalis commutator, cui ad votum ſibi repenſatum videtur, ſi pro eo eximio opere, quo ſe ad mortem tradidit, ſeruus ſe ad vitam tradat, & voluntatem ſuam præpoſteram pro meliori voluntate deponat. Sit obediēs ſicut columba: non ſicut illa de qua inquit Oſeas: *Oſea.7. 15.* Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor:] quæ ſuam deceptionem non dolet, & malum ſibi inferri non aduertit. Sed ſicut illa cuius meminit regius pſaltes, quando cantauit: *Pſ.67.14.* Pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri;] quæ nimirum puritate volat, & conſummationem ſuam in auri perfectæ charitatis ſplendore conſummat. Huius cæterarúmque auium iſtud eſt diſcrimen. *Hieron. lib.3. in Oſea ad cap.7.* Quòd aues cæteræ, vt Hieronymus ait, pullos ſuos etiam cum periculo vitæ protegunt, & morſu, vnguibus, hucque & illuc volando defendunt: ſola columba ablatos filios non dolet, non requirit. Qui filij noſtri nonne volūtates, appetitiones, & deſideria noſtra? Si hæc prælatus abſtulerit, ſi voluntatem noſtram fregerit, ſi oppoſitum eius, quod cupiebamus, præceperit, verus obediens non doleat, non requirat. Relinquat deſideria ſua, & iniuncta à prælato pro chariſſimis filiis accipiat. Erit tunc in bonum columba ſeducta, quia licèt videatur decipi, ex eo quòd propriis voluntatibus orbatur, certum eſt eam erudiri, dum pro ſuis ineptis deſideriis Domini voluntatem amplectitur. Dicétque in alio ſenſu non lugens ſed gaudens, illud Ieremiæ: Seduxiſti me, Domine, & ſeductus ſum: fortior me fuiſti, & inualuiſti.] *Ieremia. 20 7.* Mihi autem non in opprobrium, ſed in honorem dabitur, quòd tibi ceſſerim, & meam voluntatem pro tua commutauerim. Hoc, inquam, dicet ouans, & gaudens, quia viam ac rationem inuenit, qua poſſit ad veram animi puritatem feſtinare.

Doroth. doct.1. Vt enim dixit Dorotheus: Si liberari perfectè volumus, & ab hoc ſæculo diſcedere, oderimus in primis voluntatem noſtram, & ſic breui diuino præſidio ad impaſſibilitatem animi (quæ quodam modo in hac vita haberi poteſt) perueniemus. Nihil enim adeo adiuuat hominem ad hoc, quàm ſenſus ſuos odiſſe. Atque ita ſeſe habet hæc ratio ad omnem virtutem, vt ſi viator iter aggreſſus, ſcipione inuento, cui innitatur, iter magis acceleret, & præoccupet viam: ſic enim qui viam hanc

A incedit, ſi propriam voluntatem abſcindat, abſcindit & priſtinas affectiones, quibus præſciſſis fit Dei opere certa quadam ratione impaſſibilis. Sic ille.] Eſt ergo beata deceptio, aut vtilis admodum eruditio ſcire propriam voluntatem relinquere, & voluntatem maiorum ſequi, ciúſque amplexu diuinam voluntatem ibi tectam & inuolutam amplecti.

Ita ſemper ſit religioſus diſpoſitus, ita à ſuis voluntatibus ſegregatus, vt valeat prælato dicere: *Luc.22. 44.* Non mea voluntas ſed tua fiat.] Ita ſe propriis deſideriis ſpoliet, vt poſſit etiam aliam vocem ſui capitis vſurpare: *Pſ.39.9.* In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.] B Nam ſi libri nomine non ſacram ſcripturam, ſed riuulum ex ea deductum, nempe regulam intelligamus, in eius ſumma aut volumine ſcriptum eſt, vt quiſque verus obediens voluntatem Dei prælati mandatis declaratam faciat, & toto corde ac tota voluntate ſe alienæ voluntati ſubmittat. Illi ad benedicendum Dominum inuitati ſunt, qui voluntarij ſe propter illum periculis obtulerunt. Ideóque cecinerunt Debbora & Barac: *Iudic.5. 2.* Qui ſponte obtuliſtis de Iſraël animas veſtras ad periculum, benedicite Domino.] Sponte igitur & voluntariè prælatis obediat, & ſe prudenter, ſi oportuerit, diſcriminibus exponat, qui vult ad laudes Domino canendas, admitti, & victor hoſtium ſuorum exiſtere. C In poteſtate ſua actiones voluntatis ſuæ poſitæ ſunt, volo, & nolo. Dicat deſiderijs & concupiſcentijs ſuis: Nolo; voluntati autem prælati, mandato, aut ſimplici dicto declaratæ: Volo: dicat ex corde non tam verbo quàm affectu, non tam ore quàm opere, & Deo gratiſſimam ac acceptiſſimam obedientiam voluntatis habebit. Ne propriis definitionibus proprijſque deſiderijs adhæreat.

Eſt namque, vt dixit ſcitè Hieronymus, præceptor peſſimus cuiuſque propria præſumptio. D Hoc magiſtro, ô homo, non ad perfectionem, non ad quietem animæ, ſed ad innumeras imperfectiones, & inquietudines, immo & ſi in rebus grauibus eum ſequeris, fortè ad damnationem duceris. Propterea ſic monet Paulus Epheſios: *Eph.4.17* Hoc itaque dico, & teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis ſicut & gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui.] Ne proprium ſenſum, tuámque priuatam voluntatem ſequaris, quia alienaberis à vita Dei, & à cæca concupiſcentia ductus, dum minùs putaueris, in foueam multorum inconuenientium cades. Hoc enim eſt quod dixit Sapiens: *Sap.4.12.* Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitia. E Senſus namque proprius eſt vt faſcinum, quod veritati tenebras offundit, & inſtabilitas concupiſcentiarum noſtrarum, ceu iniquus dux viæ, qui mentem malitiæ expertem decipit, & in id, quod nullatenus confert, inducit. At recta prælati voluntas, ſi ei te obedientem præbeas, ſtabilitatem in bono, & mentis puritatem attribuet. Si hanc admiſeris & pro ea tuas voluntates deſerueris, [leuare poteris faciem tuam abſque macula, vt eſt in Iob, & eris ſtabilis, & non timebis.] *Iob.11.15.* Nihil, inquam, facies, propter quod pudore ſuffundaris, numquam inſtabilis & vagus, in vana & noxia difflues, neque aliquid admittes, cuius cauſa timore impugneris.

Habet autem hic gradus obedientiæ nonnullam latitudinem perfectionis. Nam prius eſt in deferen-

di

dis malis maioribus conſentire prælato: deinde in relinquendis imperfectionibus, & malis minoribus. Poſtea & ipſa bonæ ſecundùm voluntatem prælati diſponendæ ſunt, & iuxta præſcriptum eius facienda, vel dum non ſunt in præcepto, etiam omittenda, vt ſic non cæca voluntas propria nos regat, ſed ſapiens maiorum prudentia, & diſcretio dirigat. Certum enim eſt, in his rebus bonis, aut minuendis aut ex toto dimittendis, ex ordinatione prælati, meritum non minui ſed augeri. Quia Deus, vt ſuprà dictum eſt, gratiorem habet obedientiam quàm victimam. Rurſus prius eſt repugnantiam noſtræ voluntatis vincere, & triſtitiam ex imperio contra noſtrum deſiderium impoſito exortam ſuperare. Poſt iſtud repugnantiam non ſentire; poſtea de voluntate ſuperioris noſtri omnino oppoſita lætari. Poſtea in rebus etiam difficillimis repugnantiam non ſentire, & iniuncto mandato gaudere. Ac tandem ita prælati voluntatem noſtram facere, vt quaſi voluntatem non habeamus, ſed tantùm quod prælatus voluerit, aut noluerit, id conſtanter velimus atque nolimus. Beatiſſimus Patriarcha Franciſcus, exemplo corporis mortui hanc obedientiæ perfectionem expoſuit. Cùm enim quæreretur ab eo, inquit Bonauentura, quis eſſet verus obediens iudicandus, corporis mortui ſimilitudinem pro exemplo poſuit. Tolle, inquit, corpus exanime, & vbi placuerit, pone: videbis non repugnare motum, non murmurare ſitum, non reclamare dimiſſum. Quòd ſi ſtatuatur in cathedra, non alta, ſed ima reſpiciet: ſi collocetur in purpura, pallеſcet. Hic verus eſt obediens, qui cur moueatur, non diiudicat; vbi locetur, non curat; vt tranſmutetur, non inſtat; euectus ad officium, ſolitam tenet humilitatem, plus honoratus, plus reputat ſe indignum. Hæc ibi.] Beatus pater noſter Ignatius hunc verum obedientem baculo comparauit. Vt quemadmodum ſenis baculus vbicunque & in quacumque re eo vti velit, ſine vlla contradictione ei inſeruit; quòd ſi non moueatur, ſe non mouet, & nihil omnino facit: ita hunc obedientiæ gradum conſequutus, quicquid ſibi imperatum eſt, ſumma cum facilitate exequitur, & communia etiam & cōſueta non ſine præſcripto patris ſpiritualis exercet. Ac tandem ſit ſicut cœlum, quod Angelus ipſius gubernationi deputatus ſine vlla difficultate mouet, &, ſi impetum non imprimeret, ſtatim immobile permaneret. Sic, ô religioſe obedientiæ amator, te cœlum mobile, prælatum verò, Angelum mouentem puta; ille te ſine contradictione moueat, ille te dirigat. Si autem ceſſauerit, ne mouearis, id eſt, nihil contra impetum obedientiæ moliri audeas, & ſic incredibili animæ tranquillitate perfrueris.

In vita. c.6.

Sextus gradus Obedientiæ: Intellectum, ſiue iudicium, Prælati ſenſibus conformare.

CAPVT X.

PERFECTA obedientia non ſolam voluntatem prælato ſubiectam, ſed & iudicium hominis obedientis eidem maiori ſubmiſſum requirit, vt ſicut idem, quod ſuperior vult, diligit; ita idem, quod ipſe melius iudicat, conducibilius & vtilius ſentiat, & iudicet. Hic autem eſt ſextus gradus obedientiæ proximè iam ad omnimodam obedientiæ perfectionem accedens, vt nimirum ſubditus intellectum ac iudicium ſuum inclinet ad ſentiendum, quod ſuperior vtilius eſſe iudicat, dummodo nullum ſit in mandato peccatum, & ad hunc aſſenſum habendum rationes ſecum quærat, & inueniat. Licèt enim intellectus naturaliter aſſenſum præbeat his, quæ ſibi apparent omnino veræ, tamen quoties rei euidentia non cogitur, bene poteſt ad vtramuis partem rationes aſſenſum extorquentes inuenire, & voluntatis pondere ad aſſentiendum vel diſſentiendum inclinari. In his itaque verus obediens ſeipſum ſuaſionibus, & quibuſcumque modis poteſt, cogit, vt prælati mandatum æquum, & rectæ gubernationi conſonum iudicet, vt ſic cum illo non tantùm opere, non tantùm voluntate, verùm & iudicio conſentiat. Qui hoc obedientiæ genus non eſt adeptus, necdum plenè eſt in religioſam diſciplinam ingreſſus. Cùm enim duo ſint quaſi pedes animæ, quibus ad cœleſtia properat, intellectus atque voluntas, vno tantùm, ſcilicet voluntate, erit in religione, qua ſcilicet prælato, & obedientiæ ſibi iniunctæ, conſentit, & altero, ſcilicet intellectu, erit in ſæculo, quo à prælato & ab obedientia diſſentit. Et ſicut loco portenti habitus eſt ille Angelus in Apocalypſi, qui poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram: ita inſtar prodigij erit homo ille, qui pede voluntatis vitam religioſam tangit, pede verò iudicij proprij vitam ſæcularem, quæ ſe ipſam regit & ducit, attingit. Eſt autem magnum horum duorum prodigiorum diſcrimen, quòd illud Deus fecit, vt hominibus temporis conſummationem ediceret; hoc verò ſuperbia hominis facit, vt eum multis meritis vacuet, & vitam innumeris imperfectionibus ſcatentem eſſe declaret. Nam tota vita religioſa continens quædam obedientia eſt, vnde tot erunt culpæ, & imperfectiones eius, quot in obedientia culpæ & imperfectiones extiterint. Manifeſtum eſt autem, obedientiæ, cui deeſt intellectus, iudiciíque ſubmiſſio, huius virtutis perfectionem deeſſe, illique innumeras imperfectiones adeſſe.

Has Beatus Pater noſter Ignatius in illa verè aurea epiſtola ſua grauiſſimis hiſce verbis comprehendit: Præterea niſi hæc obedientia iudicij exiſtat fieri non poteſt, vt vel conſenſus voluntatis, vel executio talis ſit, qualem eſſe oportet: natura enim ita comparatum eſt, vt animi noſtri vires, quæ appetitiuæ dicuntur, ſequantur apprehenſiuas: & niſi adhibita vi, voluntas, iudicio repugnante, diu obtemperare non poterit. Quòd ſi fortè quis aliquo temporis ſpatio obediat, per communem illam apprehenſionem, qua cenſetur, perperam etiam præcipienti parendum eſſe, certè id ſtabile ac fixum eſſe non poteſt: atque ita perſeuerantia deficit, vel ſaltem obedientiæ perfectio, quæ in promptè & alacriter obediendo conſiſtit: non enim ibi poteſt eſſe alacritas ac diligentia, vbi eſt animorum ſententiarúmque diſſenſio. Perit etiam exequendi ſtudium, & celeritas, cùm ambigitur, expediat necne, facere quod iubemur: perit illa celebris obedientiæ cæcæ ſimplicitas, cùm apud nos ipſos in quæſtionem vocamus, rectène præcipiatur an ſecus; atque etiam fortaſſe damnamus ſuperiorem, cùm ea mandet, quæ nobis non ita iucunda ſunt: perit humilitas, quoniam etſi ex altera parte pareamus, ex altera tamen noſmetipſos ſuperiori præferimus: pe

rit in rebus arduis fortitudo; perit denique (vt ſummatim complectar) virtutis huius vis omnis ac dignitas. Succedunt autem in eorum locum dolor, moleſtia, tarditas, laſſitudo, obmurmurationes, excuſationes, aliáque vitia non ſanè leuia, quibus obedientiæ pretium, ac meritum prorſus extinguitur. Hactenus noſter Pater. Qui ſtatim ſua dicta veriſſima Bernardi ſententia confirmat, quam integram voluimus ſcribere. Sed iam tibi, inquit, in ipſa obedientiæ via aliqua fortaſſis dura, & aſpera occurrere poſſunt, vt accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licèt ſalubria ſint, minùs tamen ſuauia videantur. Hæc ſi moleſtè cœperis ſuſtinere, ſi diiudicare prælatum, ſi murmurare in corde; etiam ſi exteriùs impleas quod iubetur, non eſt hæc virtus patientiæ, ſed velamentum malitiæ. Neceſſe eſt ergo, vt illuceſcat dies patientiæ, per quam omnia dura & aſpera tacita amplectaris conſcientia: te magis iudicans, & duriùs arguens, cui nimirum diſplicent, quæ ad ſalutem ſunt: & in cogitatione tua ſemper partem magiſtri, quod potes, aduersùs temetipſum iuuans; téque in omnibus accuſare, ipsúmque magis excuſare laborans.] Ecce quomodo Bernardus & incommoda obedientiæ ſine ſubmiſſione iudicij breuiter patefaciat, & naturam huius ſubmiſſionis exponat. Vocat illam obedientiam, quæ prælatum iudicat, & aduersùs imperata obmurmurat, velamentum malitiæ; quia opus externum exhibitum velamen eſt tumentis animi, & ſuperbiæ latentis, qua prælatus damnatur, & reprehenditur. Si enim quis prælatum iudicans, nec opus externum præſtaret, iam eius ſuperbia & audacia qua prælatum condemnat, omnibus innoteſceret. Tegitur autem externa obedientiæ exhibitione, qua contrarius ſenſus iniquè præſumptus minimè ab aliis videtur. Perfectam autem obedientiam vſque ad ſubmiſſionem iudicij procedentem in hoc vices ſuas occupare ait, vt homo ſeipſum audaciæ & inſipientiæ aduersùs prælatum inſurgentem accuſet, prælatum verò præcipientem excuſet: rationéſque inquirat, quibus ſibi imperata, aut quolibet modo iniuncta vehementer arrideant.

Bernard. ſerm. 3. circumciſ.

Obedientia itaque iudicium ſubditi imperiis prælatorum ſubmittens omnimodis tenenda eſt ei, qui voluerit ſeminaria plurimarum imperfectionum effugere, & aliquem guſtum perfectionis accipere. Status enim innocentiæ admiſſione inquiſitionis circa res obedientiæ prorſus euanuit. Cur præcepit vobis Deus, dixit ſerpens ad parentes noſtros, vt non comederetis de omni ligno paradiſi?] O (cur) deteſtabile! O quæſtio, fons, & origo cunctarum humanarum quæſtionum! O hæſitatio excidium pacis, exordium belli, & ſtatus culpæ mater infœlix! Si hoc (cur) Eua non audiſſet, ſi audito peſtilentiæ verbo mox refutaſſet, ſi de diuino præcepto non hæſitaſſet, numquam genus humanum tantam calamitatem incurriſſet. Qui voluerit igitur, (vt fieri poteſt,) ad puritatem illius ſtatus redire, ineptas quæſtiones ſuper mandatis prælatorum relinquat, & ſimplici corde ſibi iniunctis obediat. Iam, homo, per ſtatum culpæ in animalium rationis expertium cæcitatem incidiſti. Quia homo, cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.] Sed iumentum agaſonis iuſſa non diſcutit, rationem itineris non exquirit, ſed virga aut ſtimulo leuiter percuſſus obedit. In hoc tu iumentum imitare, & eius ſimilitudo erit tibi non ſicut antea ad ignominiam, ſed ad gloriam. Cantabíſque cum ſancto Dauide: Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.] Populus ille Iudæorum factus eſt vt iumentum apud Dominum, quemadmodum interpretatus eſt Auguſtinus, quia more pecudis ſola terrena quærebat. At tu non in hoc pecudibus ſimilis eris, quòd terrenis inhæreas, ſed in hoc quòd ſimpliciter, & ſine vlla diſcuſſione eorum, quæ imperantur, maioribus te ſubiicias. Ita eris ſemper cum Domino, id eſt, illi te perfectè quoad voluntatem iudiciúmque ſubiicies. Sic profectò fecit monachus ille, qui primùm in cœnobium ingreſſus, ita ſecum cogitabat: Ego & iumentum vnum ſumus. Hácque ſimplicitate diaboli tentationes euaſit, in pace vixit, & mirum in modum in omni virtute profecit. Certum eſt enim, eum, qui obedientiam examinat, & eorum, quæ iniunguntur, cauſas rationéſque diſquirit, ſibi ipſi diabolum ac aduerſarium eſſe, nam ſe ipſe tentat, & à vera ſimplicitate, & ſæpe à merito impoſiti iuſti laboris alienat. Timeo, inquit Paulus, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutiâ ſuâ, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.] Et ego formido ne aliquorum religioſorum nimia ſolertia, & vana ingenij ſubtilitas, eos ſicut ſerpens decipiat, & ſenſus eorum ſtultitia corrumpat. Senſus enim noſter corrumpitur, cùm ſub prætextu maioris ſcientiæ ad examinandos & iudicandos actus maiorum pertrahitur. Et excidit à ſimplicitate Chriſti, cùm non Chriſti obedientiam ſequitur, ſed Euæ curioſè de mandatis diuinis inquirentis ſuperbiam imitatur.

Gen. 3. 1.

Pſal. 48. 13. & 21

Pſal. 72. 23.

Aug. ib.

2. Corint. 11. 3.

Id ſanè nos deberet ad iudicij obedientiam incitare, quòd qui eam non habet, onus grauiſſimum reputat ſe mandatis aliorum ſubiicere. Quid enim grauius quàm actione præſtare, quæ intellectus iudicat penitus non conuenire, aut quid importabilius quàm illa facere, quæ iudicamus non eſſe facienda, & illi parere, quem contemnimus, ipsúmque decipi, & perperam iubere ſentimus? Porro imperfecti cordis, & infirmæ prorſus voluntatis indicium eſt, inquit Bernardus, ſtatuta ſeniorum ſtudioſiùs diſcutere, hærere ad ſingula, quæ iniunguntur, exigere de quibuſcumque rationem, & malè ſuſpicari de omni præcepto, cuius cauſa latuerit, nec vmquam libenter obedire, niſi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere, ſeu expedire monſtrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata authoritas. Delicata ſatis, immo nimis moleſta eſt huiuſcemodi obedientia. Non planè hæc illa eſt, quæ ex regula traditur, obedientia ſine mora. Diſputare profectò hoc eſt, in actu cordis non in auditu auris obedire. Iſtiuſmodi ergo carnalem animam non modò premi, ſed etiam opprimi pondere præſumptæ perfectionis neceſſe eſt; quia non poteſt portare caro infirma, quod ſolus ſpiritus promptus experitur iugum eſſe ſuaue, & onus leue. Chriſti quippe iugum, & onus eſt, & omnino importabile niſi Chriſti æquè ſpiritui. Hæc ille.] Inde quidem naſcitur, vt quis onus obedientiæ detrectet, & mandatorum ſibi impoſitorum vincula frangat, quia melius exiſtimat non obedire, quàm imprudenter in iniunctis, quamuis mala non appareant, obtemperare. Inde iuſtiſſimæ querimoniæ prælatorum, quibus minimè debita obedientia præſtatur; & ſcandala aliorum fratrum, quibus malum exemplum præbetur. Propterea monet Paulus: Omnia facite ſine murmurationibus, & hæſitationibus, vt ſitis

Bernard. de præcept & diſpen. c. 12.

Philipp. 2. 14.

ſine

ſine querela, & ſimplices filij Dei.] Nihil in con- A
gregatione laudabilius, nihil vtilius, quàm ſine que-
rela conuerſari: quod maximè laudi parẽtibus Ioan-
Luc. 1. 6. nis Baptiſtæ in ſcriptura tributum eſt. Erant, inquit,
iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mã-
datis, & iuſtificationibus Domini, ſine querela.]
Hoc autem conſequetur, qui ſine murmurationibus
& hæſitationibus iuſta compleuerit. Ille ſine mur-
murationibus paret, qui voluntatem ſuam volun-
tati prælati ſubiicit: ille ſine hæſitationibus, qui in-
Iacob. 1. 6. tellectu ſuo prælati iudicio conſentit. Qui hæſitat,
ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & cir-
cumfertur.] Iam vult facere, quod ſibi præcipitur,
ne in inobedientiæ culpam incurrat; iam non vult
facere, quia intellectu ſuo imprudenter, & ſine ra-
tione, mandatum illud, quod iniungitur, iudicat. B
Ecce ſæuam tempeſtatem in corde inobedientis ſu-
ſcitatam, quam ſuperbiæ ventus mandata diſcer-
nentis immiſit. A qua, ô religioſe, nequaquam te
ſubtrahes, niſi iudicium tuum ſubmiſeris, & di-
ſcurſus inanes intellectus tui loris perfectæ obe-
dientiæ ligaueris. Si voluens te exteriùs vincere, &
obedire, dum iudicium contrarium non deponis,
triſtitiam ſuper triſtitiam habebis. Si nolueris pare-
re, vt actio iudicio conſentiat, gladio inobedientiæ
confoſſus cades. Præcepit Moyſes filiis Iſraël ne
Num. 14. 44. tunc in montem aſcenderent. At illi contene-
brati aſcenderunt in verticem montis,] fuerúntque
ab Amalecitis & Chananæis partim trucidati, par-
tim verò in fugam conuerſi. Sic, qui ſuo iudicio
perſuaſus aliquid agere contra obedientiam præ-
ſumpſerit, non ſemel virtutem pro vitio commu-
tabit. C

Is, dum non prælato, ſed ſuo proprio iudicio con-
ſentit, rapinam quodammodo, & ſacrilegium ad-
mittit. Rapinam quidem, quia rem alienam, nempe
iudicium, quod prælato tradiderat, quaſi per vim
rapit; ſacrilegium verò, quia rem Deo conſecratam,
& partem holocauſti de ſe facti auferre non metuit.
Et partem quidẽ meliorem, quoniam exterior ope-
ris executio, & voluntatis conſenſio, viliora ſunt, ſi
cum ſubmiſſione iudicij conferantur. De hac rapina
Iſa. 61. 8. illud Iſaiæ poteſt intelligi: Ego dominus diligens
iudicium, & odio habens rapinam in holocauſto.]
Diligo, inquam, iuſtitiam, qua cuique, quod ſuũ eſt,
tribuitur, & in holocauſto illo, quo quis per religio-
ſam profeſſionem mihi conſecratur, rapinam odio D
habeo. Si autẽ quamque rapinam huius holocauſti
Dominus deteſtatur, quanto magis illam, qua ama-
bilior & præſtantior pars, nimirum iudicium, ſurri-
pitur? Nec mirũ quòd hanc iudicij præſumptionem
in tantum Deus odio habeat, cùm in ſe magnam
quandam peruerſitatem contineat. Annon peruer-
ſum eſſet, ſi manus vltra caput totius corporis, aliud
proprium caput haberet, quod eam contra directio-
nem præcipui capitis moueret atque dirigeret? Sed
talis eſt religioſus, qui vult non iudicio prælati ſed
proprio iudicio gubernari. Domus enim religioſa
quaſi vnum corpus eſt integrum, atque perfectum. E
Huius corporis caput eſt prælatus, ſubditi autem
manibus, & pedibus, ac cæteris membris compa-
rantur. Si ergo tu qui manus es, aut pes huius cor-
poris, proprio iudicio regaris, nonne caput habes,
Prou. 30. 21. quo capiti totius corporis aduerſeris? Iam iudex iu-
dicis tui, & capitis caput efficeris; euenitque illud
Salomonis: Per tria mouetur terra, & quartum
non poteſt ſuſtinere.] Primum autem illorum
trium explicans, ſubdit: Per ſeruum cùm regna-
uerit:] terra tremit, & commouetur ad rem tam
indignam; vel ipſi homines commouentur, & con-

turbantur ad rem tam intolerabilem, vt ſeruus ſci-
licet regnet, & Dominus ſeruo ſubdatur. Eum au-
tem, qui obedire debet, proprium iudicium habere,
ab hoc malo nec latum vnguem ſecernitur; quia
obedientiæ voto ligatus, pro ſeruo, & prælatus pro
domino computatur.

Si ergo volumus ab his malis fugere, & obe-
dientiæ perfectionem adipiſci, iudicium noſtrum
prælati definitionibus ſubiiciamus. Non eſt pretio-
ſus equus, qui fræno ori iniecto non facilè voluitur,
nec ſubditus, qui iudicio proprio impeditus ſupe-
rioris mandato non facilè regitur. Ille ferri rigorem
non ſentiens, & habenas parui pendens, equitem
in præceps agit, & hic ſuum ſenſum ſuperioris de-
finitioni præponens, illum ad triſtitiam mouet, &
ſibi ipſi excidium affert. Diuinatio, ait Salomon, *Prou. 16. 10.*
in labiis regis, in iudicio non errabit os eius.] Quia
videlicet Deus ſpeciali quadam ratione adeſt ma-
ioribus, vt ſi mandata ſua cum diuina lege com-
ponant, in his, quæ præcipiunt, non errent. Qui
igitur horum mandata prætereunt, quæ diuinis
præceptis non aduerſantur, manifeſtè ſeipſos in
laqueum præuaricationis coniiciunt. Pars autem
quodammodo periculi eſt mandata prætergredi,
aut ea minùs prouida & diſcreta iudicare. Huc
enim exordium inobedientiæ eſt, cùm ille, qui
mandatum indiſcretum eſſe iudicat, data occa-
ſione, prætereat atque contemnat. Verus itaque
obediens, qui Deum præcipientem in prælato co-
gnoſcit, rationem eorum quæ imperantur, non
quærat, cauſam non inueſtiget, ſed ſimpliciter
dum peccatum in mandato non cernitur, ſibi in-
iunctis obediat. Imitetur Paulum, ſine vlla diſqui-
ſitione iuſſis Domini obedientem, nullámque ra-
tionem, cur aliquid iubeatur, inueſtigantem.
Nolo, inquit, vos ignorare, fratres, quia ſæpe pro- *Rom. 1. 13.*
poſui venire ad vos, & prohibitus ſum vſque ad- *Chryſoſt. ho.*
huc.] Quo loco Chryſoſtomus ſynceram Pauli *2. ad Ro-*
obedientiam internoſcens, ſic ſcribit: Quòd fue- *man. in*
rit prohibitus, dicit: quamobrem autem, non *eundem*
item; neque enim examinat Domini mandatum, *locum.*
ſed paret tantùm: quamquam par erat hæſitare,
quanam de cauſa vrbem tam ſplendidam, tam
magnam, & ad quam ſeſe totius orbis oculi con-
uerterent, prohiberet Deus, quominus talem ma-
giſtrum, tanto iam tempore aſſequeretur. Si-
quidem quiſquis imperantem dominantémque
vrbem vicerit, is & ſubditos paruo negotio ado-
riatur. At quiſquis regaliore vrbe miſſa ſubditis
ſubigendis inſidias parauerit, idem caput ſe ne-
gligere oſtendit. Sed tamen nihil horum Paulus
curioſè indagat. Quin potiùs incomprehenſibili
prouidentiæ cedit; partim animi ſui moderationem
ſpectatam faciens, partim nos omnes erudiens, à
Deo nunquam exigendam eſſe eorum, quæ facit,
rationem, etiamſi ea multorum animos turbare vi-
deantur. Domini enim ſolius eſt iubere, famulorum
autem parere. Atque hac quidem de cauſa, quòd
prohibitus ſit, dicit: non etiam quare ſit prohibitus.
Neque enim ego id ſcio, inquit: ne me igitur inter-
rogeris, quænam ſit Dei voluntas, aut ſententia. Nam
neque figmentum opifici dicit, quid me ſic finxiſti?
Qua igitur, obſecro, de cauſa id & tu ſcite elaboras?
neſcis illum omnium curam habere? illum ſapien-
tem eſſe? illum nihil fruſtra, nihil temere age-
re? illum te magis amare quàm proprij parentes
ament? illum vehementiſſimè, ac longo quidem in-
teruallo, & patris pietatem, & matris curam ſupe-
rare? Itaque nihil ampliùs peruestiga, néve vlteriùs
progreditor. Hactenus ille.] Quòd ſi aliquis dicat,

rationem mādatorum Dei non eſſe inueſtigandam, cùm errare non poſſit, rationem autem mandatorum hominis eſſe indagandam, quia errare poſſit; is ſciat ſe in hoc nō minimum errorem incurrere. Primò, quoniam nos loquimur de mandatis Dei, in quibus non dubium quin etiam præcipiat Deus. Secundò, quia licèt homo aliis prælatus, ſecundùm prudentiam humanam errare poſſit, & aliquando erret, aliquid præcipiens quod bonæ gubernationi non conueniat, tamen ego non erro, dum ei, cui debeo, in his quæ legi Dei non repugnant, me ipſum ſubiicio. Illique ad pœnam imputabitur, quòd imprudenter imperauit, mihi verò ad meritum, quòd peccato non interueniente, ſimpliciter obediui. Tertiò, quoniam non multum eſt cauſam præceptorum Dei non quærere, cuius voluntas, regula ſanctitatis, & iuſſio ipſa, eſt rectitudo. At cauſam humanæ iuſſionis non quærere, cùm homo decipi poſſit in mandatis ſuis, hoc cùm peccatum manifeſtè non cernitur, ſummæ ſimplicitatis, & humilitatis eſt, & ideo in magno pretio habendum eſt.

Bern. lib. de praecep. c.12.

At eſto dubium ſit, an prælatus peccatum præcipiat, quid faciendum eſt? An ſine vlla diſcuſſione, & rationum indagatione obtemperandum? Ad hoc ſic reſpondet Bernardus. Sed homines, inquis, facilè falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & in præcipienda fallere poſſunt. Sed enim quid hoc refert tua, qui conſcius non es? præſertim cùm teneas de ſcripturis, quia labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore eius requirunt, quia Angelus Domini exercituum eſt? Requirunt, dixerim, legem: non quam vel authentica vlla ſcriptura tradiderit, vel ratio manifeſta probauerit: de huiuſmodi quippe nec præceptor expectandus, nec prohibitor auſcultandus eſt. Sed quod ita latere aut obſcurum eſſe cognoſcitur, vt in dubium venire poſſit, Vtrumnam Deus ſic, aut aliter fortè velit, ſi non de labiis cuſtodientibus ſcientiam, & ex ore angeli Domini exercituum certum reddatur. A quo denique diuina potiùs conſilia requirentur, quàm ab illo cui credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei? Ipſum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ apertè non ſunt contra Deum, audire debemus. Nec ſanè contraria loquimur Sancto Prophetæ Samueli, quaſi nos in hac parte diuinam hominibus tribuentes authoritatem, cùm ille in ſuprà memorato capitulo planè diſcernere inter vtrumque videatur. Siquidem quod nos aſſerimus de dubiis, hoc ille negat de manifeſtis, vt cùm ait: Si peccauerit vir in virum, ſubaudiatur propter Deum, cui apertè contraria homines hominibus frequenter mandare præſumunt. Hæc Bernardus.] Ad idem Guilhelmus Pariſienſis ait: Vbi verò dubitat ſubditus, an id licitum, aut illicitum ſit, quod iubet Prælatus, determinatum eſt, quia debet parere iuſſis prælati. Cauſa autem in hoc eſt, quoniam in huiuſmodi dubiis ad conſilium prælatorum recurrendum eſt, & eidem ſtandum. In hoc enim ſubditis præpoſiti ſunt prælati, vt in eiuſmodi conſulant eiſdem.] Et quidem communis Theologorum ſcholaſticorum ſententia eſt, in dubio an id, quod præcipit ſuperior, licitum ſit vel non, debere ſubditum etiam doctum conſcientiam illam deponere, & mandatis obedire, præſertim ſi ex obedientia, vt iam diximus, nullum vel ipſi ſubdito, vel alteri proximo, nocumentum proueniat. Si autem in dubiis obediendum eſt, quanto magis in rebus manifeſtis, in quibus certum eſt nullum eſſe peccatum, eſt ſine vlla diſenſione parendum? Certè qui in his omnia diſcutit, cuncta diſcernit, falsò ſibi obedientis nomen arrogat, cùm ſimplicitatem indiuiduam perfectæ obedientiæ comitem omnino non habeat. Nec ſolùm in malis omittendis, aut in mediis, ſiue indifferentibus præſtandis, verùm & in bonis faciendis ſine vlla diſquiſitione cauſarum obedias. Vt enim inquit Baſilius: Porro vera perfectáque ſubiectorum aduerſus moderatorem ordinis obedientia in eo cernitur, ſi quis ex eius conſilio non à rebus modò flagitioſis abſtineat, ſed ſi, ne ea quidem quæ laudabilia ſunt, ſine ſententia illius faciat. Nam abſtinentia, & omnis corporis incōmodorum perpeſſio, vtiliter hæc quidem comparata ad aliquid ſunt. At ſi quis propriæ obſequens voluntati ſpretis conſiliis antiſtitis ſui, id facere voluerit, quidquid ipſi collibitum ſit, hîc plus erit, quod faciet mali, quàm quod boni. Qui enim poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & præmium obedientiæ maius debetur, quàm rectè facto cum continentia. Hæc ille.] Qui ſic ſubiectione voluntatis, & intellectus, in omnibus obedierit, parum illi deeſt, vt omnem perfectionem obedientiæ poſſideat; illud autem eſt quod in ſequenti gradu vniuerſorum ſublimiſſimo declarabimus.

5. Reg. 8.

Guilhel. de virtut. c. 12.

Baſil. ſer. 2. de inſtit. monachor.

Septimus Gradus Obedientiæ: cæcâ quadam ſubiectione imperata facere.

CAPVT XI.

POSTREMVS hic obedientiæ gradus non aliter à præcedenti differt quàm caſtitas à continentia. Quemadmodum enim continentia admittit ſecum contradictionem appetitus carnalis in venerea diffluentis, cui virtus animi vehementer obſiſtit; caſtitas verò magna ex parte appetitus bella proſternit, ne in poritatem oblatret: Sic obedientia intellectua ſecum compatitur ſuaſiones aliquas iudicij noſtri aduerſus imperata conſurgentes, quas vera obedientia reiicit, illiſque reſpondet: at obedientia cæca rationes in contrarium non habet, ſed columbina quadam ſimplicitate, iuſſis obedit. Quia tamen hoc cæcitatis nomen obedientiæ attributum quibuſdam rem iſtam minùs circumſpectè cogitantibus hoc noſtro tempore inuiſum fuit, neceſſarium erit priùs illud exponere, & quid obedientia cæca ſit, ne offendat oculos plus nimio fortaſſis humanæ prudentiæ amatores, quam Deus irridet, edicere. Ponendum eſt ergo nihil obedientia cæca perſpicacius, nihil ſapientius. Dionyſius Areopagita doctam quandam ignorantiam laudat, qua de Deo nihil affirmamus, nihil cognoſcimus: quia illa dum ab eo conceptus limitatos rerum creatarum auferimus, ſub docta caligine ipſum illimitatum & infinitum confitemur. Ita & patres ſtatim referendi, cæcam obedientiam miris laudibus extollunt, quia ad noxiam libertatem oculos non habens, ad id, quod oportet, lumen ſapientiæ poſſidet. De primis parentibus ait Scriptura: Erat autem vterque nudus, Adam ſcilicet & vxor eius; & non erubeſcebant.] Illi ergo cæci erant ad erubeſcendum, videntes autem & ſatis perſpicaces oculos habentes, ad ſimpliciter & ſine pudore contuendum. Sed numquid ſapientiores fuerunt, quando aperti ſunt oculi amborum, & cognouerunt ſe eſſe nudos? Nemo puto ſanæ mentis hoc dicet. Ergo quædam poteſt eſſe cæcitas ſiue

Geneſ. 2. 26.

Geneſ. 3. 7.

oculorum

Digitized by Google

A oculorum occluſio, quæ lumini oculorum præſtet, & quædam ignorantia, quæ inanem, & garrulam ſcientiam ſuperet. Aperti ſunt oculi amborũ, inquit Auguſtinus, non ad videndum, nam & antea videbant, ſed ad diſcernendum inter bonum, quod amiſerant, & malum in quod ceciderant. Habet itaque perfecta obedientia, qualis fuit in ſtatu innocentiæ, oculos ad videndum, & cæca erat ad diſcernendum. Habet autem inobedientia oculos ad diſcernendum, & indagandum de neceſſitate præcepti, & cæca eſt ad malum, quod ex tranſgreſſione præcepti naſciturum erat conruendum. Vtraque videns, vtraque cæca: ſed illa ſapienter videns, & circunſpectè cæca ad ſalutem; hæc inſipienter videns, & temerariè cæca ad ſuam perditionem. Non igitur nos terreat perfectæ obedientiæ cæcitas, quia ita cæca eſt, vt magnam ſapientiam non perdat, ita oculis ſtultitiæ clauſa, vt oculos prudentiæ non amittat.

Aug. 14. de Ciuit. c. 17.

B Audi nunc, ô lector, obedientia cæca quàm pulchros oculos habeat, & quàm turpibus oculis careat. Habet illa oculos vt videat; quia ille qui præcipit, prælatus eſt, quia locum Dei tenet, & ab eo iubendi poteſtatem accepit; quia nullum manifeſtum peccatum, nihílque per ſe illicitum iniungit. Hæc videt. At non videt nec curat, an prælatus, multis Dei donis, an paucis præditus ſit, an defectus & infirmitates hominis habeat, an ſanctitate polleat, vel peccatis ſordeat: nec tandem ſcrutatur cur hæc vel illa præcipiat. Hanc obedientiæ rationem B. P. N. Ignatius ductoà maiori ad minus argumento, fidei diuinæ exemplo luculenter expoſuit. Quemadmodum cùm myſterium aliquod fidei nobis proponitur, rationes eius nequaquam diſquirimus, ſed impetu virtutis Theologicæ nobis infuſæ ad credendum & aſſentiendum ferimur, ita cùm aliquid à prælato nobis iniungitur, ſine vlla inueſtigatione rationum vel cauſarum, oportet vt virtute obedientiæ ad exequendum ducamur. In hoc tamen debet eſſe diſcrimen, quòd quia Deus non poteſt dicere niſi verum, nihil aliud expectandum eſt ad credendum, niſi ſcire quòd Deus dicit. At quia homo peccatum iubere poſſet, ideo ad obediendum duo videnda ſunt, & quod prælatus præcipit, & quòd nihil malum manifeſtum præcipiat. At in his, in quibus nullum peccatum eſſe conſtat, perfecta obedientia, magna ſimplicitate, & ſine vlla diſquiſitione rationum, cur hoc aut illud præcipiatur, obtemperat. Vnde hic obedientiæ gradus in hoc poſitus eſt, vt quis audito ſuperioris verbo, perſpectáque aliquo modo eius voluntate, ſapientiſſima ſynceritate ſtatim obediat, & nihil omnino diſquirat. Qui obediendi modus cùm in habitum, aſſuetudinémque tranſierit, & à iudicio obedientis, impugnationem rationum in oppoſitum inſurgẽtium depulerit, perfectiſſimam obedientiam à patribus exemplo doctrináque probatam conſtituit.

Ignat. in epiſt. de obed. n. 18

Huius obedientiæ perfectiſſimum exemplar fuit Abraham: qui iuſſus filium immolare, & filium vnigenitum, ac ſibi chariſſimum, ex quo erat ſecundùm promiſſa Dei poſteritatem ſuſcepturus, ſtatim eadem nocte ſurrexit, & nihil interrogans, nihil inueſtigans, ad filium occidendum properat, vt Dei ſibi loquentis præceptis obediat. Audi quàm pulchre Bernardus hanc obedientiæ Abrahæ tum difficultatem, tum promptitudinem ac ſimplicitatem expendat. O quanta in verbis iſtis amaritudo, quanta à corde patris ſeparatio pietatis? Iubetur namque filium occidere, os ex oſſibus ſuis, & carnem de carne ſuâ: filium magnæ promiſſionis, & extremæ ſenectutis, propriæ mulieris; filium mirabiliter promiſſum, fœliciter natum, educatum innocenter. Et ne quid deeſſet, vt tenerrimum intra paterna viſcera doloris incendium exundaret, addidit, vnigenitum. Sunt namque multi filij, ſed non vnigeniti. Iſte ſic eſt filius, vt & vnigenitus. Iſte vnicus patri, vnigenitus matri, hæreditati reſeruatus. Ne reſpicias ad Iſmael, quia qui in ſeruitute & ex ancilla genitus fuerat, ad libertatem & hæreditatem minimè pertinebat. Quia verò multi ſunt filij, & vnigeniti, ſed non dilecti; ad exaggerandum in corde patris tribulationem, & comprobandam in mente iuſti obedientiam, Dominus ſubiungit [quem diligis.] Vt verò teneritudo patris ex memoria dilecti nominis recrudeſceret, & interior pietas ad dilectæ vocis ſonũ tota ferueret, puer vocatur ex nomine, quod vocatum erat à Domino, priuſquam in vtero conciperetur. Vides quantis tribulationum malleis Abrahæ pietas feriatur, cui præcipitur vt filium tollat, occidat vnigenitum, quem diligit immolet, Iſaac percutiat? Multùm tentatus; multùm probatus; aduſtus eſt multùm: dulcis relatio filij ad patrem, patris ad filium. Hanc dulcedinem, & omnis affectus viciſſitudinem obliuiſcitur. Abraham ſternit aſinum ſuum, ligna componit, ignem accẽdit, exuit gladium. Non à Domino quærit, quare? non murmurat, non conqueritur, non ſaltem vultum doloris oſtendit, ſed omnium quæ præcipiuntur ignarus, in mortem filij pia crudelitate feſtinat. Ideo ſummæ & admirabilis obedientiæ virtus C in Abraham, & ſingularis excellentiæ laudibus prædicanda. Hactenus ille.] Sed quàm accepta fuerit Domino hæc obedientiæ ſimplicitas, ex præmio propter illam Abrahæ dato ſatis elucet. Per memetipſum iuraui, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum: & benedicentur in ſemine tuo omnes tribus terræ, quia obediſti voci meæ.] Tu, vt ſimpliciter obedires, maledictionem orbitatis non timuiſti: ego benedicam tibi. Tu poſteritatem tam deſideratam propter obedientiæ bonum contempſiſti: ego multiplicabo ſemen tuum, vt priùs terram repleat, D atque poſſideat, & poſtea in cœlo vt ſtellæ reſplendeat. Tu maledicta hominum non horruiſti, qui te fortè filiicidam vocarent: ego cauſa ſeminis tui, id eſt Chriſti, non ſolùm tibi, ſed & cunctis hominibus benedicam. Ecce patrem credentium: immo ecce patrem obedientium; vt præmium eius habeas, ipſius ſimplicem obedientiam addiſces.

Gen. 22.

Bern. de grad. obedientia.

Gen. 22. 16.

Samuel etiam datus eſt in huius obedientiæ ſimpliciſſimæ exemplum, qui vocatus à Domino, putanſque ſe ab Heli ſacerdote vocari, intempeſta nocte ter è lecto ſurrexit, ter ad magiſtrum acceſſit, ter ad lectum repedauit, ad iuſſum eius, Domino, quem nondum ſciebat, cuiúſque numquam vocem audierat, fidenter reſpondit, & illam vocem veri obedientis edidit: [Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.] Nec dixit intra ſemetipſum: Hic delirus ſenex iam me vocat, iam ſuæ importunitatis & leuitatis oblitus, à Deo (quem numquam audiui) vocari me putat. Dormiam igitur, & inanium vocum nullam rationem habens vſque ad auroram requieſcam. Hæc, inquam, non cogitauit, ſed obediuit, & in obedientiæ mercedem Dei alloquia, & prophetiæ donum accepit. Puer, inquit Gregorius, humiliter homini ſubiectus, atque obedientiæ ardua arce ſublimatus, dum vocatus acceſſit,

1. Reg. 3. 10. E

Greg. expoſ. l. 2. in caput 3. 1. Regũ.

iuſſus rediit: quid aliud nobis exemplo præbet, niſi altiſſimæ formam obedientiæ? Vera namque obedientia nec propoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit: quia qui omne vitæ ſuæ iudicium maiori ſubdit, in hoc ſolo gaudet, ſi quod ſibi præcipitur, operatur. Neſcit enim iudicare, quiſquis perfectè didicerit obedire: quia hoc tantùm bonum putat, ſi præceptis obediat.] Iam vides, quam Gregorius altiſſimam obedientiam vocat, illam ſcilicet, quę rationem eorum, quæ iubentur, non petit, quæ diſcuſſionem non admittit. Quæ ignorantia aut cæcitate ſua tantum abeſt vt deſipiat, quòd potiùs eatenus ſapiens & perfecta eſt, quatenus rationum, ſeu cauſarum præcepti indagatrix non eſt.

Sed vt ex nouo Teſtamento aliquid adducamus, Paulus huius cæcæ obedientiæ in ſe formam exhibuit. Surgens enim ille vt ad præceptum Domini, qui eum ex equo deiecit, Damaſcum ingrederetur, apertis oculis nihil videbat, & manibus comitum

Actor. 9. 9.

ſuorum debuit in Damaſcum deportari. [Ibi autem erat tribus diebus non videns, & non manducauit neque bibit.] In hac hiſtoria ſanè mirabili formam perfectæ obedientiæ conſpicio, & delineatum verum obedientem agnoſco. Quod in corpore Pauli gerebatur, idem ſuo modo in corde eius Dominus operatus eſt. Surrexit non videns corpore. Surrexit quoque non diſcernens corde, cur ſic à Domino fuerit percuſſus, ſolum præceptum ſibi impoſitum cogitans, & de quærendo Anania, & de ei ſe ſubiiciendo apud ſe agens. Tribus diebus non vidit, vt cadentibus ab oculis eius ſquammis clariùs poſtea lucidiúſque videret. Sic prorſus perfectus obediens, audito prælati iuſſu, ſurgat ad obediendum non videns, id eſt, mandatorum cauſam non diſquirens, & ſe aliorum manibus, qui vtique cæci non ſunt, ſe duci permittens. Tribus diebus nimirum in initio, & in medio, & in fine conuerſionis ſuæ non videat, vt poſt hanc vitam perſpicaciſſimis oculis eximium ſuæ obedientiæ præmium aſpiciat. Cæcitas ad maius lumen habendum non ſemel profecit. Nam &

Gellius lib. 10. c. 17.

Democritum Gellius tradit, luminibus ſe ſponte priuaſſe, vt poſſet liberiùs philoſophari. Et quidem oculorum acies parum philoſophiæ nocet, at mentis temeritas, quæ prælatorum mandata diſquirit, non modicum ſpiritui perfectionis detrimentum affert.

Iſaiæ 50. 10.

Quis ex vobis, ait Iſaias, timens Dominum, audiens vocem ſerui ſui?] Quis, inquam, timorem Domini in corde ſuo libens excepit? Quis vocem Chriſti, qui formam ſerui induit, ad obediendum audiuit? & reſpondet [Qui ambulauit in tenebris, & non eſt lumen ei, ſperet in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum ſuum.] Is certè, qui has ſecuriſſimas tenebras amat, qui lucem humanæ rationis, qua ſibi imperata examinare poterat, habere recuſat, ſperet quòd à Domino dirigetur, ne cadat, & in eo tanquam in veriſſimo adiutore confidat.

Iam quomodo hanc obedientiam cæcam ſcripturæ exemplis illuſtratam Patres tradant, & doceant, videamus. Baſilius, cuius verba ſuprà citauimus, ſeriò monet, ne religioſi eorum quæ ſibi imperantur, aliquam ab antiſtite rationem poſcant. Et

Baſilius conſt. monaſt. c. 20 c. 33.

alio loco. Vt ſunt velut oues, & vt inſtrumenta in anima, quorum illæ omnia ſimplicitate ſinunt ſe duci, & hæc ſine vlla contradictione permittunt ſe moueri. Atque alio loco, quid faciendum ſit, cùm

Reg. fuſ. diſput. c. 28.

aliquid præcipitur, quod vires noſtras ſuperare videatur, ſic tradit: Verùm vbi quis ſemel ſe in reliquum fratrum corpus cooptandum tradiderit, is ſi membrum poſtea ad miniſtrandum aptum iudicatum fuerit, eſto quòd ſibi impoſitum ſit, vires ipſius videatur ſuperare, de iudicij periculo prorſus illum eſſe ſolicitum ſinito, qui ea imperet, quibus vires ſuæ pares eſſe non poſſint; ipſe autem parendo, obediendóque alacritatem pro virili declaret ſtudij ſui vſque ad mortem, memoria aſſiduè Dominum tenens, qui factus fuit obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.

Hieron. epiſt. 3. ad Ruſt.

Hieronymus. Præpoſitum monaſterij timeas, vt dominum diligas, vt parentem, credas ſalutare quidquid ille præceperit, nec de maiorum ſententia iudices, cuius officij eſt obedire, & implere, quæ iuſſa ſunt: dicente Moyſe: Audi Iſraël, & tace.] Nihil autem aliud nos vocamus cæca obedientia parere, niſi de maiorum ſententia minimè iudicare.

Bonauent. trac. octo collat. col. 3 to. 2. opuſc.

Auguſtinus, cuius ſententiam adducit Bonauentura, aliquid dicit, quo cæcam obedientiam commendat. Obedientia, inquit, debet eſſe prompta ſine dilatione, deuota ſine dedignatione, voluntaria ſine contradictione, ſimplex ſine diſcuſſione, perſeuerans ſine ceſſatione, ordinata ſine deuiatione, iucunda ſine turbatione, ſtrenua ſine puſillanimitate, & vniuerſalis ſine exceptione. Qualiter nos audimus noſtros ſuperiores, taliter noſtras exaudit Deus orationes.] Verbum illud, ſimplex ſine diſcuſſione, ab obedientia oculos humanæ prudentiæ tollit, & prudentiam ſpiritus maiorum præcepta non diſcernentem docet.

Caſſian. lib. 4. de inſtitut. c. 20.

Ioannes Caſſianus mirificè hanc perfectionem obedientiæ declarat. nam quodam loco ait: Sicque Monachi Ægyptij vniuerſa complere quæcumque fuerint ab eo præcepta, tanquam à Deo ſint cœlitus edita ſine vlla diſcuſſione feſtinant, vt nonnunquam etiam impoſſibilia ſibimet imperata eadem fide ac deuotione ſuſcipiant, vt tota virtute, ac ſine vlla cordis hæſitatione ea perficere & conſummare nitantur, & nec impoſſibilitatem quidem præcepti pro ſenioris reuerentia metiantur. & alio loco:

eodem libro. c. 41.

Verùm & quartum hoc præ omnibus excole, quod hæc quæ ſuprà diximus tria cômendet, atque ornet, id eſt, vt ſtultum te ſecundùm, Apoſtoli ſententiam, facias, in hoc mundo, vt ſis ſapiens. Nihil ſcilicet diſcernẽs, nihil diiudicans ex his, quæ tibi fuerint imperata; ſed cum omni ſimplicitate ac fide obedientiam ſemper exhibeas, illud tantummodo ſanctum, illud vtile, illud ſapiens eſſe iudicans, quicquid tibi vel lex Dei, vel ſenioris examen indixerit. Tali enim inſtitutione fundatus ſub hac diſciplina poteris durare perpetuò, & de cœnobio nullis tentationibus inimici, nullis factionibus deuolueris. Et alio loco periculum eorum, qui oculos habent vt maiorum inſtituta diiudicent ſic exponit. Quamobrem ſi vos,

1. Cor. 3.

Caſſian. col. 18. c. 3.

quemadmodum credimus, Dei cauſa ad æmulationem noſtræ cognitionis attraxit, omnibus inſtitutis, quibus illic primordia veſtra præuenta ſunt penitus abdicatis, quæcumque Seniores noſtros agere, vel tradere videritis, ſumma humilitate ſectamini. Neque vos moueat, aut ab imitatione diuertat, ac retrahat, etiam ſi vobis ad præſens alicuius rei vel facti ratio, vel cauſa non liqueat; quia eos, qui bene de cunctis, ac ſimpliciter ſentiunt, & vniuerſa quæ à ſenioribus tradi gerive perſpexerint, fideliter imitari magis quàm diſcutere ſtudent, per operis experientiam rerum etiam omnium ſcientia ſubſequetur. Cæterùm nunquam rationem veritatis intrabit, quiſquis à diſcuſſione cœperit erudiri: quia videns eum inimicus ſuo potiùs quàm patrum iudicio confidentem, facilè in id vſque propellit, vt etiam illa, quæ maximè vtilia ac ſaluberrima ſunt, ſuperflua ei videantur, & noxia. Atque ita præſumptioni eius

callidus

calidus hoſtis illudit, vt irrationabilibus diffinitionibus ſuis pertinaciter inhærendo, hoc ſolummodo ſibi ſanctum eſſe perſuadeat, quod tectum atque iuſtiſſimum ſuæ tantùm obſtinationis errore cenſuerit.

Benedictus in reg. cap. 6.8. Benedictus Abbas hanc eandem obedientiæ perfectionem à ſuis monachis poſtulauit, cuius iſta ſunt verba: Si cui fratri aliqua fortè grauia, aut impoſſibilia iniunguntur, ſuſcipiat quidem iubentis imperium cum omni manſuetudine, & obedientia.]

Climacus in epiſtola. Audi nunc quemadmodum Ioannes Climacus eandem obedientiam non tam ſcripſerit, quàm cuſtodierit: in epiſtola enim proœmiali ad alium Ioannem Abbatem ſic ait: Quoniam verò Dei veri Patres noſtri, veraciſque ſcientiæ magiſtri obedientiam diffiniunt in his rebus quæ ſupra vires ſunt, nihil diſcernendo obtemperare præcipientibus, imbecillitatem noſtram piè obliti, ea quæ ſupra nos ſunt, audacter tentare aggreſſi ſumus. In quarto autem gradu ſcalæ ſæpe de hac obedientia loquitur, ſic enim ait: Dominus illuminat cæcos obedientium oculos ad contuendas magiſtri virtutes, ideóque eos excæcat ne defectus videant, contrà verò bonis omnibus infeſtus dæmon facere conatur. & rurſus. Cùm tibi cogitatio ſuggeſſerit, vt prælatum aut iudices aut damnes, ab ea non ſecus quàm à fornicatione diſſilias, nec prorſus huic ſerpenti requiem præſtes, non locum, non initium, non ingreſſum; loquere ad huiuſmodi draconem ac cum his verbis inceſſe: O maligne ſeductor, non ego iudicem meum iudicandum ſuſcepi, ſed idem me: non ego illius, ſed ille me i dux eſto. Et iterum. Securè eis credamus in Domino, qui curam noſtri ſuſceperunt, etiam ſi quædam imperent, quæ contraria, ac ſaluti noſtræ videantur aduerſaria. Tunc enim fidelis ad illos noſtra veluti in fornace humilitas comprobatur. Hoc enim eſt veriſſimæ fidei indicium, ſi contraria quàm ſperabamus aſpicientes præcipientibus abſque vlla hæſitatione obtemperemus. Ex obedientia, vt diximus, humilitas naſcitur, ex humilitate diſcretio, vt à magno quoque Caſſiano in eo ſermone quem de diſcretione conſcripſit, venuſtiſſimè atque altiſſimè diſputatum eſt. Ex diſcretione verò animo clariſſimum lumen infunditur, ex quo etiam præuiſio naſcitur. Quis igitur ad hoc tam præclarum iter obedientiæ non læto animo occurrat, cùm ante ſe tantam bonorum copiam videat? De hac ſingulari virtute cantor ille optimus aiebat: *Pſ.67.11.* Paraſti in dulcedine tua pauperi obedienti Deus,] præſentiam tuam in corde ipſius.

Multa poſſemus latiſſimè ex Patribus adducere, vt hanc obedientiam cæcam confirmaremus, ſed quia partim in ſuperioribus gradibus citata ſunt, breuiter quibuſdam additis concludamus. *Cæſarius hom. 8.* Cæſarius, Arelatenſis Epiſcopus, inquit, Quidquid tibi à ſenioribus fuerit imperatum, accipe tanquam de cœlo ſicut de ore Dei prolatum. Nihil reprehendas, nihil diſcutias, in nullo prorſus murmurare præſumas, totum ſanctum, totum iuſtum, & vtile iudica, quidquid tibi à prælato videris imperari.] Quonam modo hæc implebit, qui non iudicium ſuum in eorum, quæ imperantur, rationis inquiſitione cæcauerit? *Bern. ad fratres de monte Dei.* Bernardus ait. Perfecta obedientia maximè in incipiente eſt indiſcreta; hoc eſt non diſcernere quid, vel quare præcipiatur, ſed ad hoc tantùm niti, vt fideliter & humiliter fiat quod à maiore præcipitur.] Nomine autem indiſcretæ obedientiæ eodem ſenſu vtitur, quo nos nomine obedientiæ cæcæ vſi ſumus, vt iniuncto nobis aliquo bono opere, de rationibus nihil prorſus diſcernamus. Alio autem loco idem ſanctus Pater Bernardus non tantùm rem ſed no-

A men admittit, & obedientiam cæcam appellat. Fœlix, inquit, cæcitas, qua malè quondam illuminati in præuaricatione, tandem in conuerſione oculi ſalubriter excæcantur. Et poſteà. Hæc dico, chariſſimi, quia vereor nequis fortè ſit inter vos, qui ſolo ſe ſomnio præſumat illuminatum eſſe, nec iam æquanimiter patiatur ad manum trahi, ſed ductorem ſe ſe profiteatur aliorum. Cui enim nec dum adminiſtrationis cura iniuncta eſt, cui necdum credita diſpenſatio, cui necdum præceptum vt videat, & prouideat his, qui apertos oculos habentes nihil vident, quid hoc præſumere tentat, niſi quia meditatur inania, & quaſi ſomnia vana ſectatur?] *Ser. de Conuerſione Pauli.*

Anſelmus eiuſdem obedientiæ meminit, cùm propoſitis quatuor obedientiæ generibus, ad quar-

B tum veniens ait: Mala eſt iuſſio, & bona obeditio, vt ſi poma cedrina, vel aliud aliquid, quod ſine periculo haberi non poſſet, quis prælatus ſibi afferri præciperet. Vnde Dauid aquam de ciſterna ſibi afferri præcepit: quæ quia in periculo ſuorum allata eſt, pœnituit præcepti, noluítque eam bibere.] Dicens enim hic doctor bonam eſſe obedientiam, qua ſubditus imprudenter iuſſis paret, ſi tamen nullum intercedat peccatum, dicit intellectum eſſe cæcandum, nihilque à perfecto obediente ſuper imperatis inquirendum. *Anſel. de ſimilitud. c. 167.*

Thomas Aquinas, audi nunc, quid de eadem obedietia dicat. Cùm enim diſputaret an quis poſſet aliquid impoſſibile faciendum eligere, & cùm regulam Benedicti attuliſſet, dicentis, tentandum eſſe ſi quid impoſſibile prælatus iubeat: reſpondet. Hoc ideo di- *D.Thom. 1.2.q.13. ar. 5. ad 3.*

C citur, quia an aliquid ſit poſſibile, ſubditus non debet ſuo iudicio diffinire, ſed in vnoquoque iudicio ſuperioris ſtare.] Quænā maior obedientiæ ſimplicitas, aut (ſi ita loqui liceat) quæ maior cæcitas à ſubdito exigi poteſt, quàm vt, an ſibi poſſibilia præcipiantur, nō videat, ſed ea agere toto niſu contendat?

Bonauentura multis in locis eiuſdem obedientiæ meminit. Quodam loco ſic ait. Nunquam de maiorum ſententia iudicent, quorum officij eſt obedire, & implere quæ iuſſa ſunt. deinde ſi ad profectum volunt obedientiæ peruenire, conſtanti ſecum deliberatione proponant, deuotè ſemper ad omnia obedire. Si quid igitur graue, vel impoſſibile fortè iniungitur, ſuſcipiant quidem cum omni manſuetudine iubentis imperium. Quod ſi omnino ſuarum *Bonauēt. in ſpeculo. p.1.c.4.*

D virium pondus excedat, impoſſibilitatis ſuæ cauſas, ei qui præeſt, patienter, & opportunè inſinuent, non ſuperbiendo, vel contradicendo, vel aliàs leui murmure reſiſtendo. Si adhuc ſuperior in ſua manſerit ſententia, ita ſibi nouerint expedire, & ex charitate de adiutorio Dei confiſi obediant. Alio loco ſic: Quidquid ſuperior eis vel præpoſitus, vel inſtructor iniunxerit, quaſi diuinitus imperatum, ſtatim vt veri obedientiæ filij deuotè adimpleant: quidquid ſtatuerit, immobiliter ſeruent, ſcientérque aliquid tranſgredi ſacrilegium putent. Credant ſalutare, quicquid ille præceperit. Perfecta obedientia eſt in incipiente maximè indiſcreta, id eſt, non diſcernere quid vel quare præcipiatur, ſed tantùm *Part. 2. c.3.*

E ad hoc niti, vt fideliter & humiliter fiat quod à maiore præcipitur. Nouitium prudentem, incipientem, & ſapientem, in cella diu poſſe conſiſtere eſt impoſſibile, & in congregatione durare. Stultus fiat, vt ſit ſapiens. Securè per omnia obeditur, vbi contra Deum nihil præcipitur. Diſcant ergo voluntates proprias frangere, alienóque iudicio & imperio ambulare. Rurſus alio loco. Non enim ſicut moderni nunc, ipſi tunc librabant hoc melius eſſe illo, hoc ſecurius, hoc laudabilius, hoc facilius, ſicut quidam nunc faciunt cauſa fugæ, ſed cuncta, quæ ſciebant *In ſtimulo amor. c. 11.*

A eſſe prælatorum ſuorum beneplacita volũtati, dummodo non eſſent contra Deum, quantumcunque ardua & vilia forent, auiditate maxima adimplebant. Tanta enim in eis vigebat charitas, & obedientiæ promptitudo, vt ad iuſſa implenda nequaquã timerent diſcurrere ſuper aquas, nec etiam formidarent ire ad capiendum leænas, cùm eis erat iniunctum. Et breuiter ad multa alia ardua & difficilia, quæ non ſufficio enarrare, amore & niſu obedientiæ ſe ſimpliciter, alacriter, & viriliter quàm citiùs exponebant. Non enim iudicauit infructuoſum illud eſſe, qui obediens Abbati, cum labore, quaſi importabili, voluit per annum lignum aridum adaquare, & ex hoc apparuit obedientiæ celſitudo, quia quod mortuum fuerat, & aridum per obedientis meritum fecit fructum. Quid ergo de obedientia gloriamur? B Numquid poterimus nos fortaſſe viri Apoſtolici nominari. Timeo quod nec etiam Chriſtiani, ſed potiùs tanquam imitatores Luciferi meritò poſſimus dæmoniaci appellari?

Humbert. in epiſt. de tribus votis. Tandem Humbertus in quadam epiſtola ad fratres ſuos in variis locis illius ſic ait: Vt autem obedientia veſtra omnipotenti Deo ſit acceptabilis, ſtudete habere promptam ſine dilatione, deuotam ſine dedignatione, voluntariam ſine contradictione, ſimplicem ſine diſcuſſione, ordinatam ſine deuiatione, iucundam ſine turbatione, ſtrenuam ſine puſillanimitate, vniuerſalem ſine exceptione, perſeuerantem ſine ceſſatione. Et iterum. Quapropter dilectiſſimi ſitis ſicut aurum ductile, & quaſi virga flexilis, quę recta & curua redditur ad libitum artificis, C ſitis vt rotæ volubiles, quæ ſecundùm impetum ſpiritus mouebantur, ſitis vt iumentum apud Deum, cuius dorſo indifferenter quælibet imponuntur. Et rurſus. Tam ſimplex ſit obedientia veſtra, fratres, & iniuncta ſine diſcuſſione facientes iudicetis de veſtro, nec in minimo vos habere: nam quiſquis intentionem præcipientis iudicat, bellum intrinſecus parat, per hoc enim quòd cauſas mandatorum, quas ignorat, diſcutit, in labyrinthum erroneum ſe ſe ponit. Hæc ibi.] In tractatu autem de eruditione religioſorum manifeſtè ad eandem obedientiam hortatur his verbis: *Lib. 5. parte 2. cap. 16.* Non debet hominem regere in clauſtro proprius ſenſus, qui eum rexit in mundo. Non debet eum habere pro duce, qui in tot foueas eum præcipitauit. D *Deut. 12. 8.* Non facietis ibi quæ nos hîc facimus hodie ſinguli quod ſibi rectum videtur. Proprius ſenſus eſt oculus veteris hominis, oculus inquam caligans, ſicut oculi ſolent in ſenibus caligare. Oculus iſte eſt deſtruendus, ſicut & cætera membra veteris hominis. *Coloſſ. 3. 5.* Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.] Item, proprius ſenſus eſt oculus ſcandalizans, & ideo eruẽdus. *Matt. 5. 29.* Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te.] Sicut equus vidẽs non eſt idoneus circuire ad molam; ſic qui in religione eſt, non eſt aptus volubilitati obediẽtiæ, niſi oculus proprij ſenſus ei erutus fuerit. Proprius ſenſus eſt conſiliarius infidelis: de quo non eſt confidendũ, eo quòd nimis coniunctus eſt carni? *Eccl. 37. 7.* Noli cõſiliari cum ſocero tuo.] Hîc iudex eſt, qui meritò ſuſpectus habetur, eo quòd inordinato amore, vel odio, vel timore peruertatur. E Hæc omnia doctorum dicta manifeſtè hũc gradum obedientiæ cõtinent, quo perfecti viri cæca quadam ſubiectione ſe prælatis ſubmittunt. In qua nihil omnino eſt periculi, quoniam (vt ſæpe dictum eſt) hæc cæcitas cognitionem eius, quod nobis iniungitur, non tollit, videntem nullum peccatum præcipi, ſed inanes diſcurſus ſuper rebus imperatis auertit.

Sapienter autem Patres hoc genus obedientiæ magni faciunt, quoniam ſine eo in congregationibus religioſis vix poterit tranquillitas cuſtodiri. Nam ſi ſubditi diſputent, an bene mandata ſeu ordinata ſunt, quæ iniunguntur, & prælati pro ſe reſpondeant, & verbis ſatisfaciant, ſatis frequens erit inter eos altercatio, &, quæ inde ſolet oriri, ſenſuum verborúmque confuſio. Vult nos Dominus pacificè in caulas cœleſtis patriæ dirigere, de quo ſcriptum eſt: Qui regis Iſraël intende: qui deducis velut ouem Ioſeph.] *Pſ. 79. 1.* Quomodo autẽ velut oues ducemur, ſi ouiũ ſimplicitatẽ deponimus, & vulpecularum in omnibus, quę iniunguntur, aſtutiam & duplicitatem aſſumimus? Longè aberit à cordibus illorum, qui oculos habent ad iudicandos pręlatos amabilis ſpiritualium ouium humilitas. Verè namque qui mandata prælatorum iudicat, & omnium rationem exigit, non ſe ſubditum ſed ſuperiorem exhibet. Cùm prælati ſit eorũ, quæ in domo fiunt, cauſas & rationes inquirere. Is non tam obediet, quàm, quia aliquid iuſtum ſuis rationibus iudicauit, illud proprio arbitratu præſtabit. Hi etiam, qui ad diſcernendas res obedientiæ oculos apertos habent, nec dum ſciunt Chriſti perſonam in prælatis agnoſcere. An ſi Chriſtus ipſe aliquid eis imperaret, auderent rationem exigere? Cur ergo audent cauſam à prælatis exquirere, & eorum mandata iudicare, ſi in illis Chriſtum agnoſcunt? At prælatus, inquis, non eſt Chriſtus? Fateor. Homo enim eſt, & homo fallibilis, qui in multis errare, & decipi poterit. Sed Chriſti perſonam refert, qui in illo, & per illum præcipit, quandiu nullum peccatum præcipitur. Et ſanè, ô vir Dei, ſi te totum immediatè Chriſto regẽdum traderes, abſque dubio te certiſſimè in æternas ſedes dirigeret. Potens eſt autem per Eccleſiæ prælatos idem facere, quod nullo medio interiecto per ſe ipſe præſtaret. Si ergo illis te ipſum totum, tuáque committas, & ſimpliciter propter Dominum illis obedias, & nihil prorſus de ratione eorum, quæ imperantur, inquiras, bene poteris credere, quia per illos te in cœlum diriget, & abſque vllo perfectionis diſcrimine gubernabit.

Magnum periculum eſt etiam in his, quorum ratio non apparet, prælatorum iuſſis contraire. Quidam ex filiis prophetarum noluit alterum ſibi ex ore Domini præcipientem, vt ipſum feriret, percutere, exiſtimans rationi conſonum non eſſe innocentem pœna mulctare. Audit autem: *3. Reg. 20. 36.* Quia noluiſti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te Leo:] à Leonéque occiſus eſt, propterea quòd noluit ſimpliciter obedire. Sic multi, quia oculos habent vt ineptè videant, & rationem, vt maiorum iuſſa contra rationem examinent, vitam animæ aut periculo exponunt, aut perdunt, quia in iis, ad quæ tenebantur, non obediunt.

Si bonum itaque aut non manifeſtè malum tibi præcipiatur, abſque vlla diſcuſſione obedias neceſſe eſt, ſiue prælatus iubens bonus ſit, ſiue malus. Vt enim, inquit Hugo, *Hugo 2. de clauſtro animæ. c. 13.* nec bonis obedies in malo, nec peruerſis contradices in bono. Filij Iſraël auſi ſunt explorare terram, quam eis promiſerat Dominus; & inde quid ſequutum eſt, niſi vt timerent ingredi eam? vnde dixerunt: *Deut. 1. 28.* Nuntij (quos ſcilicet ad explorandam terram miſimus) terruerunt cor noſtrum.] Ex timore autem & diffidentia factum eſt, vt indignatus Deus, terram illam timidis ac diffidentibus denegauerit, & in filiis eorum, qui non peccauerunt, ſuam promiſſionem impleuerit. Vóxque ipſius fuit: *Deut. 1. 35.* Non videbit quiſpiam de hominibus generationis huius peſſimæ terram bonam, quam ſub iuramento pollicitus ſum patribus veſtris.] Sic prorſus ſi mandata Domini ore prælatorum expoſita cœperis explorare, ſi rationes & cauſas diſquirere,

ſi diſ

A ſi difficultatem meditari, vano timore perculſus ſæpe ab opere tibi iniuncto diſſilies, & terram bonam, id eſt, præmium labori iniuncto promiſſum, amittes. Signum magnum ſuperbiæ eſt, ad omnia, quæ præcipiuntur, hætere, & ea velle trutina noſtræ rationis expendere. Nec quiſquam poterit, (authore Caſſiano) ſuperbiam omnium vitiorum genetricem extinguere, & veram humilitatem aſſequi; qui non hoc obedientiæ genus habere contenderit. Quod nullatenus, inquit, poterimus implere, niſi abrenuntiatio vera, quæ in expoliatione omnium facultatum, ac nuditate conſiſtit, in nobis fuerit Chriſti amore fundata: deinde obedientiæ iugum, & ſubiectio, ſimplici corde, ac ſine vlla fuerit ſimulatione ſuſcepta, ita vt præter Abbatis mandatum, nulla penitus voluntas viuat in nobis. B Quod non aliter obſeruari poterit, niſi quis non ſolùm ſe mortuum huic mundo, verumetiam inſipientem iudicarit, ac ſtultum, vniuerſa quæ ſibi fuerint à ſenioribus imperata, ſine vlla diſcuſſione perficiens, ſacroſancta ea credens ac diuinitus promulgata.] Ei igitur qui humilitatis ſtatum ſuſcepiſti, qui non ad quamlibet, ſed ad perfectam virtutem aſpirare decreuiſti, ecce tibi deſcripſi obedientiam perfectam, obedientiam ſapientem, obedientiam cæcam. Quæ quo minus mundani luminis ad vanè diſcernendum habet, eo eſt & reputatur ſapientior. Quia ea conatur ſcire, quæ ſibi expediunt, ſcilicet ſuperiorem locum Dei tenentem præcipere, & nihil Dei legi aduerſum iniūgere: & ea, quæ nihil referunt, nempe quare hoc, aut illud præcipiatur, ſapientiſſimè eligit ignorare. C

Caſſi. lib. 12. de Spiritu ſuperbia. c. 32.

Septimus Gradus Obedientiæ cæcæ exemplis illuſtratur.

CAPVT XII.

SANCTA hæc & ſimplex obedientia quæ ad ſignificandam eius ſimplicitatem, cæca dicitur, non eſt virtus aut ſolo ore prolata, aut ſola mente concepta, ſed in omni ætate à perfectis religioſis executioni mandata. Quam præter conſuetudinem noſtram volumus hoc loco exemplis confirmare, vt eam ſemper in vſu fuiſſe apud veros religioſos omnibus pateat, & vt ipſius naturam non iam D verba, ſed ſanctorum actiones oſtendant. Licèt autem minima ſocietas noſtra illuſtriſſima, & plurima huiuſce virtutis exempla ſuppeteret, volumus ea aliis fratribus noſtris, qui hæc & luculentiùs, & ex profeſſo notabunt, ſcribenda relinquere, & ſolùm antiqua, & à tam grauiſſimis & ſapientiſſimis viris ſcripta, in medium adducere, vt planè ſtultum ſit, aut ea in dubium vocare, aut huic ſimpliciſſimæ obedientiæ tantorum doctorum authoritate probatæ contraire.

Dominus igitur, hanc obedientiam cæcam ſe gratiſſimam habere, ſanctiſſimorum virorum exemplis & miraculis declarauit; & nobis æſtimandam imitandamque propoſuit. E Quæ non obſcurè, vt in his quæ verbis dicuntur, fieri ſolet, ſed clarè & manifeſtè docent, quid ſit cæca obedientia parere, & in iuſſis maiorum ſapientiſſima quædam ignorantia neſcire. Horum quatuor in Caſſiano repetimus, tria Ioannis Abbatis ſanctiſſimi, & quartum Abbatis Mucij, cui illis temporibus fuit ſanctitatis palma tributa. Sic ergo Caſſianus ait: Sumpſit itaque de lignario ſuo Abbas virgultum, quod olim exciſum vſibus foci

Caſſi. lib. 4. c. 24.

A fuerat præparatum: dumque coctionis tardat occaſio, non modò aridum, ſed propè putre temporis vetuſtate iacebat. Cùmque hoc coram iuuene fixiſſet in terram, præcepit aduecta aqua bis rigari, vt ſcilicet diuturnis humoribus radicatum, atque in antiquam arborem reuireſcēs, diffuſis ramis amœnitatem oculis, atque vmbraculum in æſtu feruenti, ſobrei reſidentibus exhiberet. Quod præceptum veneratione ſolita, ſine vlla impoſſibilitatis conſideratione ſuſpiciens adoleſcens, ita quotidianis diebus expleuit, vt aquam per duo fermè milliaria indeſinenter apportans, nullatenus lignum rigare ceſſaret; atque per totum anni ſpatium non infirmitas corporis, non feſtiuitatis ſolemnitas, non occupatio neceſſitatis vllius, quæ illam etiam honeſtè excuſaret ab executione B mandati, non denique hyemis aſperitas intercedens, ab huius obſeruatione præcepti potuerit impedire. Cùmque eius hanc ſedulitatem tacitus ſenex diebus ſingulis exploraret, & videret eum ſimplici cordis affectu mandatum ſuum velut emiſſum diuinitus ſine vlla permutatione vultus, vel rationis diſcuſſione ſeruare, ſynceram humilitatis eius obediētiam comprobans, pariter etiam miſerans tam longum laborem, quem per totum anni ſpatium ſtudio deuotionis impenderat, ad virgultum aridum accedens: O, inquit, Ioannes, miſitne radices hæc arbor, annon? Cùmque ille ſe neſcire dixiſſet, ſenex velut inquirens rei veritatem, & tanquam tentans vtrùm ſuis radicibus niteretur, euulſit coram ipſo leui commotione virgultum, ſicque proiiciens illud præcepit vt deinceps rigare deſineret. C

Itaque, cùm huiuſmodi exercitiis eruditus, quotidie iuuenis in hac parendi virtute ſuccreſceret, & humilitatis eius eniteſceret gratia, atque obedientiæ ſuauis odor per monaſteria vniuerſa fragraret; quidam fratrum, probationis, immo ædificationis obtentu, venientes ad ſenem, cùm ſubiectionem eius, quam audierant, mirarentur, vocans eum repentè ſenex: Aſcendens, ait, & ſumens lenticulam olei (quæ ſola in eremo ſuis vel aduenientium vſibus liquorem pinguedinis tenuiſſimum miniſtrabat) deorſum proiice per feneſtram. Quam ille, cùm ad ſuperiora concitus peruolaſſet, per feneſtram proferens comminuendam dimiſit in terram; parum cogitans, vel retractans præcepti ineptiam, diuturnam neceſſitatem, infirmitatem corporis, penuriam ſumptuum, eremi ſqualentis anguſtias, ac difficultates, in qua D etiam ſi pecunia ſuppeditaret, nihilominus perdita ſpecies inueniri reparatíque non poſſet. *Cap. 25.*

Aliis rurſus ædificari cupientibus obedientiæ huius exemplo vocans eum ſenior: Curre, inquit, Ioannes, ſaxum illud huc aduolue quantocyus. Qui confeſtim ſaxum immane, quod vel turbæ hominum multæ mouere non poſſent, applicita nunc ceruice, nunc toto pectore, tanto niſu atque conatu prouoluere contendebat, vt ſudore omnium membrorum, non ſolùm totum infunderet veſtimētum, ſed etiam ſaxum ipſum ſuis ceruicibus humectaret. In hoc quoque parum metiens impoſſibilitatem præcepti, vel facti pro reuerentia ſenioris, & obſequij ſimplicitate ſyncera, qua credebat tota fide ſenem nihil poſE ſe incaſſum ac ſine ratione præcipere. Hæc de Ioanne. *Cap 25.*

De Mucio verò ſic ait: Hic namque abrenunciare deſiderans huic mundo, tamdiu pro foribus monaſterij excubans perdurauit, donec immobili perſeuerantia ſua contra omnem conſuetudinem cœnobiorum, cum filio paruulo, qui octo circiter erat annorum, vt ſuſciperetur, eliceret. Cùmque tandem recepti fuiſſent, confeſtim non ſolùm diuerſis *Cap. 26.*

præcepto

Digitized by Google

præceptoribus traditi, verùm etiam cellæ habitatione ſeiuncti ſunt, ne ſcilicet iugi viſione paruuli reminiſceretur pater, ex omni ſua quam renuncians, abiecerat, facultate, atque affectione carnali, ſaltem ſibi filium ſupereſſe: & quemadmodum ſe iam diuitem non eſſe ſciebat, ita etiam patrem ſe eſſe dediſceret. Quod vt pleniùs probaretur, vtrùm videlicet pluris faceret affectionem ſanguinis, ac ſuorum viſcerum charitatem, quàm obedientiam, & mortificationem Chriſti, quam renuncians quiſque pro eius debet amore præferre; de induſtria negligebatur paruulus, pannis potiùs quàm veſtimentis indutus, ſordibus quoque ita obſitus, ac fœdatus, vt offendere potiùs quàm delectare paternos oculos poſſet, quoties ab eo fuiſſet aſpectus: etiam colaphis atque alapis expoſitus diuerſorum, quas plerumque ſub obtutibus ſuis innocenti paruulo etiam gratis cernebat inferri, ita vt numquam genas eius niſi ſordentibus lacrymarum veſtigiis videret infectas. Cùmque taliter infans ſub oculis eius per dies ſingulos ageretur, pro amore nihilominus Chriſti, & obedientiæ virtute, rigida ſemper atque immobilia patris viſcera permanſerunt. Non enim reputabat ſuum filium, quem ſecum pariter obtulerat Chriſto; nec curabat de præſentibus eius iniuriis, ſed potiùs exultabat, quòd eas nequaquam infructuosè tolerare cernebat, parum cogitans de lacrymis eius, ſed de propria humilitate ac perfectione ſolicitus. Quam diſtrictionem mentis illius, atque immobilem rigorem peruidens cœnobij ſenior, ad comprobandam penitus animi eius conſtantiam, cùm plorare quadam die vidiſſet infantem, ſimulans ſe aduersùs eum commotum, præcepit patri vt tollens eum iactaret in flumē. Tunc ille, vel vt à Domino hoc ſibi præceptum eſſet, confeſtim celeri curſu rapiens filium, vlnis propriis vſque ad orā fluminis iactaturus aduexit. Quod profectò feruore fidei, & obediētiæ eius fuiſſet opere cōſummatum, niſi procurati fuiſſent de induſtria fratres, qui ſolicitè ripam fluminis obſiderent, proiectùmque iam quodammodo de fluminis alueo paruulum rapuiſſent, & conſummationem præcepti, obſequio patris, ac deuotione impletam, ab effectu operis, atque ab ipſo fine reuocaſſent, cuius fides atque deuotio in tantùm Deo fuit accepta, vt diuino ſtatim teſtimonio comprobata ſit. Reuelatum namque eſt continuò ſeniori, hac cum obedientia Abrahæ Patriarchæ opus impleſſe. *Gen. 22.* Cùmque breui tempore Abbas cœnobij de mundi huius commoratione migraret ad Dominum; hunc præponens cunctis fratribus, ſucceſſorem ſibi, atque Abbatem monaſterio dereliquit. Iam horum duorum religioſorum obedientiam audiſti, fructum autem huius obedientiæ ex eiuſdem Caſſiani verbis addiſcas, quorum ille ad tantam ſanctitatem, ac perfectionis opinionem peruenit, vt Theodoſius imperator abſque eius reſponſis, & orationibus præmiis, ad bella non auderet accedere. Hic verò ex perfecto obediente optimus prælatus factus, aliis à Domino datus eſt in perfectiſſimum virtutum exemplar. Mirum eſt enim quòd nos, cùm nondum didicerimus perfectè obedire, ſciamus aliis fratribus imperare.

Sulpicius. Sulpicius Seuerus aliud narrat, exemplo illi primo Abbatis Ioannis ſimile, niſi quòd mirabiliorem habuit euentum: ſic ille ait: In quodam monaſterio factum, quod dicturus ſum, recenti memoria ferebatur. Quidam itidem ad eundem Abbatem recipiendus aduenerat, cùm prima ei lex obedientiæ poneretur, ac perpetuam polliceretur patientiam: caſu Abbas ſtoracinam virgam, iam pridem manu gerebat: hanc ſolo fixit, atque illi aduena id operis imponit, vt tamdiu virgulæ aquam irriguam miniſtraret, donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in ſolo arente viuiſceret. Subiectus aduena duræ legis imperio, aquam propriis humeris quotidie conuehebat, quæ à Nilo flumine per duo ferè millia petebatur. Iamque emenſo anni ſpacio, labor non ceſſabat operantis, & de fructu operis ſpes eſſe non poterat, tamen obedientiæ virtus in labore durabat. Sequens quoque annus vanum laborem iam affecti fratris eludit. Tertio demum ſuccedentium temporum labente curriculo, cùm neque noctu, neque interdiu aquarius ille ceſſaret operator, virga floruit. Ego ipſam ex illa virga arbuſculam, quæ hodie intra atrium monaſterij eſt, ramis virentibus vidi; quæque quaſi in teſtimonium manens, quantum obedientia meruit, & quantum fides poſſit, oſtendit.

Eod. cap. Idem Sulpicius aliud eiuſdem obedientiæ præmiſerat exemplum mirabilius, de quo, & de aliis ſimilibus quid ſanciendum ſit, poſtea dicemus. Sic ergo ſcribit: Cùm quidam, ſæculi actibus abdicatus, Monaſterium magnæ diſpoſitionis ingreſſurus, cœpiſſet rogare: Abbas ei cœpit multa proponere, graues eſſe iſtius diſciplinæ labores, ſua verò dura imperia, quæ nullius facilè valeret implere patientia; aliud potiùs monaſterium, vbi facilioribus legibus viueretur, expeteret: non tentaret aggredi, quod implere non poſſet. Ille verò nihil his terroribus permoueri, ſed magis illi omnem obedientiam polliceri, vt ſi eum Abbas in ignem ire præciperet, non recuſaret intrare. Quam illius profeſſionem vbi magiſter accepit, non cunctatur probare profitentem. Caſu clibanus propè ardebat, qui multo igne ſucceuſus, coquendis panibus parabatur; exundabat abruptis flamma fornacibus, & intra camini illius concaua totis habenis regnabat incendium. Hoc igitur aduenam illum iubet magiſter intrare: nec diſtulit parere præcepto, medias flammas nihil cunctatus ingreditur, quæ mox tam audaci fide victæ, velut illis quondam Hebræis pueris, ceſſere venienti. Superata natura eſt, fugit incendium, & qui putabatur arſurus, velut frigido rore perfuſus, ſe ipſe miratus eſt. Sed quid mirum ſi tuum, Chriſte, tytonem ignis ille non attigit, vt nec Abbatem pigeret dura mandaſſe, nec diſcipulum pœniteret imperio paruiſſe? Qui eo die quo aduenerat, dum tentaretur infirmus, inuentus eſt perfectus; meritò fœlix, meritò glorioſus, probatus obedientia, glorificatus eſt paſſione.

Dorothe. doctrin. 1. Dorotheus Archimandrita aliam hiſtoriam non minùs mirabilem, his verbis enarrat, niſi quòd illa prior ignem vicit; hæc verò obediētiæ merito aquam altiſſimam ſuperauit. Narrare licet & vobis miraculum, quod mea ætate contigit, vt intelligatis, tantam eſſe obedientiæ & abnegatæ voluntatis vim, quæ à morte quoque eripere, & liberare poſſit hominem. Cùm eſſem quandoque apud Abbatem Seridum, ad eum profectus eſt ab oris Aſcalonicis Monachus ab Abbate ſuo cum mandatis miſſus; imperatum autem ei à ſeniore fuerat vt ad veſperam omninò rediret. Interim oborta eſt immenſa tempeſtas, imber maximus, tonitrua horrenda, videbatúrque torrenti ſimilis ea inundatio. Volebat infœlix reuerti vrgente ſenioris præcepto, nos verò è contrà hortabamur expectare ſerenitatem, aſſerentes periclitari illum maximè in tantis aquarum eruptionibus. Non acquieuit ille nobis vllo pacto, vt maneret. Decreuimus igitur eum adusque flumen ſubſequi, ſperantes ipſum cùm illud vidiſſet, emendaturum conſilium, & reuerſurum. Eò autem poſtquam vnà peruenimus, exutus ille veſtes, eas ceruici collectas impoſuit, & accinctus ſcapulare ſuum, ſeſe dedit præcipitem in torrentem,

ſtatímque natare cœpit. Formidantibus autem nobis ne mergeretur, ſubitò in litus alterum (mirabile dictu) conſpectus eſt, & reſumptis denuo veſtibus, à nobis impetrata venia diſceſſit. Nos autem plusquàm dici queat obſtupuimus, mirati virtutis vim, & potentiam. Nobis enim vix ſine timore in eum contuentibus, ipſe ſolus intrepidus, abſque vlla formidine, & periculo enatauit, fretus obedientiæ merito.

Greg. 2. dialog. c. 7. Ad eandem cæcam obedientiam referri poteſt quod Gregorius in vita Beati Benedicti de Mauro eius diſcipulo narrat in hunc modum. Quadam verò die dum idem venerabilis Benedictus in cella conſiſteret: prædictus Placidus puer ſancti viri monachus ad hauriendam de lacu aquam egreſſus eſt; qui vas, quod tenuerat, in aquam incautè ſubmittens, B ipſe quoque cadendo ſecutus eſt. Quem mox vnda rapuit, & penè ad vnius ſagittæ curſum eum à terra introrſus traxit. Vir autem Dei intra cellam poſitus hoc protinus agnouit, & Maurum feſtinè vocauit, dicens. Frater Maure curre; quia puer ille, qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit: iámque eum longiùs vnda trahit. Res mira, & poſt Petrum Apoſtolum inuſitata. Benedictione etenim poſtulata, atque percepta, ad Patris ſui imperium concitus perrexit Maurus. Itaque vſque ad eum locum, quò ab vnda deducebatur puer, per terram ſe ire exiſtimans ſuper aquam cucurrit, eúmque per capillos tenens curſu rapido rediit. Qui mox vt terram tetigit, ad ſe reuerſus, poſt tergum reſpexit, C & quia ſuper aquas cucurriſſet agnouit; & quod præſumere non potuiſſet, vt fieret, miratus extimuit factum. Reuerſus itaque ad Patrem rem geſtam retulit. Vir autem venerabilis Benedictus hoc non ſuis meritis, ſed illius obedientiæ deputare cœpit. Hæc ille.] Iure autem hoc ad obedientiam cæcam pertinere diximus: nunquam enim ſanctiſſimus Maurus ſtagnum ad extrahendum Placidum ingreſſus eſſet, niſi impetu quodam obedientiæ, & ſine diſcurſu, & inquiſitione eorum, quæ imperabantur, exequutioni priùs aſſueuiſſet.

Metaphraſ. in vita eius c. 8. Manifeſtè autem fuit eiuſdem obedientiæ opus, quod de ſancta Theodora narrat Simeō Metaphraſtes ſic ſcribens: Erat quidem lacus prope monaſterium: in eo habitans Crocodillus, in quemcunque D incidiſſet hominem vel beſtiam, ſeu paruam, ſeu magnam, eam protinus excedebat. Iis itaque, qui in regione habitabant, erat malum adeò terribile, vt ipſe præfectus ciuitatis in eo loco ſtatuerit milites ad arcendos eos, qui illac tranſibant. Cùm ergo ſciuiſſet præfectus monaſterij, qualis eſſet vita Theodotæ, & quòd prope conferri poſſet cum ipſis Angelis, & quòd non eſſet expers diuinæ gratiæ, eam accerſiuit, & ei dixit: Tolle vrnam & propera nobis aquam afferre ex hoc lacu. Illa autem ex Apoſtolico præce-
Rom. 13. pto ſciens eſſe parendum eis, qui præſunt, impleuit quod iuſſa fuerat. Et multis iubentibus illam è loco excedere, ſi non mortem cuperet apertiſſimè, illa tamen freta fide in Deum, & peragens opus obedientiæ, quæ nouit vitam conciliare, non mortem; cùm effugiſſet omnes, qui arcebant, accedit ad lacum, & E (ô admirabilia opera tua Domine!) conſpecta fuit vehi à bellua, & cùm aquam hauſiſſet, & impleſſet vas, quod erat in manibus, vecta rurſus ab illa bellua terræ reducitur, & ſic illa quidem in terra conſeruatur illæſa; bellua autem, cùm Sancta ipſam increpaſſet, luit pœnas eorum, quæ ad hoc vſque tempus admiſerat, & in eo loco ſtatim cernitur mortua.

In vita. c. 18. Sanctus Damaſcenus, vir in ſæculo nobiliſſimus, & ſapientiſſimus, non parum in hac obedientia cæca

A profecit, de quo hæc in eius vita ſcribit Ioannes Hieroſolymitanus. Non obluctabatur ille in iis, quæ ipſi imperabantur. In lingua murmur non erat, nec vlla in corde diſceptatio, interiùs ea explorans, quæ magiſter præſcriberet. Verùm hoc vnum in media mente, non ſecus atque in tabulis penitus exculptum & inciſum habebat, nempe vt in omni negotio & dicto, ſine murmuratione, velut Paulus præcipit, ac *1. Tim. 2* diſceptatione, quod imperatum eſſet, faceret. Nam alioqui quidnam ad eum, qui boni aliquid, quodcunque tandem id fuerit, efficit, vtilitatis redire queat, ſi vel in ipſius labiis murmur inſideat, vel improba cogitatio ſerpentis inſtar in pectore deliteſcat? Deinde vt ſenex pugilem ſuum maioribus obedientiæ certaminibus aſſuefaceret, quid comminiB ſcitur? Permultis ſportis, quas pro opere habebant, in vnum collectis, hoc prætextu vtitur, Ioannem ſic alloquens: Audiui fili ſportas Damaſci cariùs quàm in Paleſtinæ partibus vendi. Multis porro, vt noſti, rebus indigemus. His itaque acceptis, illuc quàm celerrimè porcetis proficiſci, neque vel obolo quidem minoris eas vende, quàm tibi impero. Pretium porro duplo, quàm par erat, ipſi conſtituebat maius. Huic imperio minimè aduerſatus eſt, nec imperantis ſermonem ſibi diſcutiendum, & explorandum putauit ille ad mortem vſque obediens: verùm obedientia tanquam alis quibuſdam inſtructus, huiuſmodi faſcem in humeros tollit, atque Damaſcum petit. Qua in vrbe, qui priùs inſignis, & clarus erat, C laceris veſtibus indutus, ac ſquallens, ac ſordidus forum peragrabat, vt ſportas ſuas venderet. Cùm igitur nimiùm eas æſtimaret, riſum ſui excitabat, omniúmque probris & contumeliis exagitabatur. Vnus autem ex iis, qui ipſi, cùm in vrbe clarus & ornatus eſſet, miniſtrabat, ante ipſum ſtans, ipſiúſque faciem in animum iniiciens, quiſnam eſſet, qui tum ita humilis & abiectus ac pannoſus eſſet, agnouit: pectoréque grauiſſimo dolore fracto, ad eum tanquam ignotum accedit, ſportáſque emit, perſoluto omni eo pretio, quod ab illo poſtulatum erat. Quo quidem accepto, generoſus ille vir ad eum, à quo miſſus fuerat, ſe refert, ac victoris cuiuſdam inſtar humi proſtrato aduerſario, id eſt, inanis gloriæ ac ſuperbiæ parente, reuertitur.

In vita eius c. 12. Ionas Monachus in vita ſancti Columbani obeD dientiam ſine diſcuſſione quorundā monachorum Luxonienſium ſubita ſoſpitate eorum fuiſſe à Domino cumulatā narrat in hunc modum. Cognouit Columbanus per reuelationem fratres, qui Luxonij erant, diuerſis morborum generibus vexari, nec plures ſupereſſe incolumes, quàm qui ægrotis miniſtrarent. Egreſſus itaque de ſpecu, Luxouiū venit, cúmq; omnes afflictos cerneret, iubet omnes ſurgere, & meſſem in arcā virgis cædere. Surrexerūt ergo, quorum conſciētiam obedientiæ feruor incendebat, ad arcamq́ue venientes, virgis fruges cædere ardēti fide aggreſſi ſunt. Videns autem pater fidem in filiis, & obediētiæ gratiā abundare: Sinite, inquit, feſſa ægritudine mēbra à labore recreari. Mirantur obediētes fratres, nullo doloris veſtigio remanente, integra ſe E ſoſpitate frui. Iubet pater apparari menſas, vt vberi gaudio omnes reficerentur. Increpat deinde inobedientes, arguit fidei ignauiam, ægritudinis longam moram denuntiat. Mira vltio. Supra anni tempus immorigeros morbi dolor tam vehementer attriuit, vt vix mortem euaderent; impleuerúntque pœnitentiæ menſuram, pro admiſſæ inobedientiæ ratione.] Facilè profectò poſſent ægroti ſanctum Abbatem nimiæ ſeueritatis, immo & crudelitatis iudicare, quòd eos ad fruges cædendas euocaret; quia

tamen ſimpliciter obedierunt,curati ſunt, Domino per hoc miraculum confirmante,quàm ipſe in obedientia cæca & ſimplici ſibi complaceat.

Surius in Ianuario. Eandem obedientiam quidam ſanctus Abbas, cuius mentionem faciebat ſancta Melana, à quodam, quem in diſcipulum admittebat, exegit: Acceſſit aliquando quidam (dicebat illa) ad magnum quendam ſenem, eius ſtudens fieri diſcipulus. Is autem ab initio oſtendens, qualem oportet eſſe diſcipulum, iuſſit, eum ſtatuam, quæ propè ſtabat, quantum poſſet, verberare, & ei inſultare calcibus. Poſtquam verò paruit adoleſcens, interrogauit ſenex, an quæ pulſabatur, & calcibus impetebatur ſtatua, contradixerit aut ægrè tulerit. Cùm is autem dixiſſet nihil factum eiuſmodi, iuſſit eum rurſus percutere, & præter plagas eam etiam inceſſere maledictis. Poſtquam verò ter fecit eadem, ſtatua autem erat ſolùm inanima, & muta, tunc ſenex: Si quidem, inquit, tu quoque potes eadem ſuſtinere, & nihil contradicere, quomodo nec hæc ſtatua perpetuò probris affecta & contumeliis; accede, & noſtra diſciplina fruere: ſin minùs, ne te ad noſtram conferas diſciplinam.

Beatus Pater noſter IGNATIVS, vt ipſe antiquorum patrum imitator diligentiſſimus, eorum exempla claudat, hanc obedientiam cæcam ſibi cariſſimam eſſe, non ſemel in ſuis ſcriptis expoſuit. Et *Libr. 5. vitæ. cap. 4.* præter documenta admiranda quæ nobis conſignata reliquit, hæc Petrus Ribadeneira diſcipulus eius dilectus ſcribit: Cùm verò Præpoſitus eſſet generalis, aliquoties dixit, ſi ſummus Pontifex imperaret, vt oſtio Tiberino ſcapham vel nauigium quodcunque primum inueniſſet, clauo, malo, velis, remis, cæteriſque armamentis ſpoliatum conſcenderet, & ita abſque vllo commeatu, mare traiiceret, ſe id non ſolùm æquo ſed etiam libenti animo facturum. Cùm autem quidam ſummus vir hunc illius animum admirans, Ignatio diceret, quæ iſthæc eſſet prudentia? Reſpondit Ignatius: Prudentia, domine, non tam eſt parentis, quàm imperantis.] Hanc igitur obedientiam cæcam, quam ipſe ſibi in ſponſam elegit, à nobis exegit, hanc in ſuis filiis vigere concupiuit. Non quia prælatos noſtros ab errore ſemper immunes putemus, aut eis aliquam infallibilitatem tribuamus; quis enim hoc niſi ſtultus cogitabit? Non vt eis, ſi quid aduerſum legi Dei iubeant, abſque diſcretione pareamus, quoniam hoc non eſſet obedientiæ virtutem addiſcere, ſed propter traditiones hominum legem diuinam poſthabere. Non vt ignorantiam eorum, quæ ſcire oportet, ſalutarem eſſe credamus, ſed vt iuxta conſilium Pauli ad ſobrietatem ſapiamus. Ad quid ergo voluit in nobis obedientiam cæcam? Ad hoc ſanè: vt qui ſtatum ſubditorum habemus, corde, & mente ſubiecti ſimus, vt viam humilitatis ſe ex animo ſubiicientis ſectemur, vt ab inepta diſcuſſione ſuperſedentes in pace & tranquillitate viuamus. Et tandem, vt qui perfectionem inſequi volumus, perfectam obedientiam, quæ iudicium prælato ſubiicit, & ſine qua perfectio virtutum omnium haberi non poteſt, à largitate Domini conſequamur. Si quid autem in his exemplis factum narratur, quod ad tentationem Dei pertinere videatur, ſciamus id non ſine ſpeciali inſtinctu Dei à viris obedientibus fuiſſe præſumptum. Sine quo inſtinctu, abſque temeritate, & peccato certum eſt fieri non potuiſſe. Deo autem ſpecialiter mouente, & inſpirante, aliquid huiuſmodi effectum eſt, non vt nos ſine tali motione diuina hoc genus facinorum imitemur, ſed vt vim perfectæ obedientiæ, quam Deus miraculis confirmat, admiremur, & vt eam obtinere vir quiſque perfectus nitatur.

De lenitate Obedientiæ.

CAPVT XIII.

VIRTVS obedientiæ tam rigida ac ſeuera dominatrix religioſorum, vt nequaquam eorum, quæ imperantur, executione contenta voluntatem ab eis auferat, & quaſi intellectum obuelet, & ab eo omnem diſcuſſionem auertat, ſimul ſuauiſſima eſt, atque leniſſima, quæ nihil inſolens à nobis petat, nihil noſtræ naturæ contrarium expoſcat. Non eſt ſemper in poteſtate noſtra intellectum compeſcere, & rationes in oppoſitum eius quod iubemur non audire. Aliquando enim tam manifeſta incommoda ex opere iniuncto ſequuntur, quæ ſubditus videt, & prælatus omnino non aduertit, vt ſtultum eſſet ea non patefacere. Tunc ergo perfectio obedientiæ non exigit, vt taceamus, & nos inſipientes, prælatum verò omnia ſcientem putemus, & vt ſine vlla mora pareamus, ſed vt incommoda illa, aut impoſſibilitatem, quæ ſe ſe offert, debita cum modeſtia manifeſtemus. Id perfectæ obedientiæ non aduerſari, apertè ſanctus Benedictus in ſua regula concedit. Quòd ſi frater, inquit, omnino virium ſuarum menſuram viderit pondus excedere, impoſſibilitatis ſuæ cauſas, ei, qui ſibi præeſt, patienter & opportunè ſuggerat, non ſuperbiendo, aut reſiſtendo, vel contradicendo.] Idem ferè eiſdem verbis Bonauentura perfectioni conſonum eſſe aſſerit. Quin & Pater noſter Ignatius obedientiæ intellectus (ſi ita loqui licet) ſatis ſe verus exactor à nobis fieri permiſit illis aureæ epiſtolæ verbis. Nec tamen idcirco vetamini, ſi quid fortè vobis occurrat, à ſuperioris ſententia diuerſum, ídque vobis (conſulto ſupplicitet Domino) exponendum videatur, quominus id ad ſuperiorem referre poſſitis.] Hæc autem ſcripſit poſtquam media ad obedientiam intellectus conſequendam præſcripſerat, & obedientiæ cæcæ meminerat, vt hanc modeſtam obiectionem eorum, quæ in oppoſitum offeruntur, perfectæ obedientiæ nullo pacto contrariam eſſe decernat. Quid enim ſi prælatus iuſſit vt hac eadem hora domo egrederer, vt pium negotium perficerem, & poſtea mandati prioris oblitus iniungat, vt aliquid domi faciam, nonne debeo illum iniuncti antea negotij monere, vt ipſe videat, quandoquidem vtrumque ſimul præſtare non poſſum, vtram rem velit nunc à me fieri, & aliam in futurum tempus protelari? Quid ſi iter longum, aut opus laboris plenum iniungat, & nuper fui acri febre correptus, quam ille ignorat, an iuſtum erit audere, & poſt tantillum temporis viribus deficientibus à cœpto deſiſtere? In his ergo euentis, & aliis ſimilibus, laudabile eſt rationes maiori proponere, vt his auditis, liberum illi ſit, aut nouo ſermone nos vrgere, vel certè ab onere impoſito liberare.

Reg. c. 68 *In ſpeculo. p. 1. c. 4 n. 1.*

Ad Deum quidem cuncta ſcientem ſolet humana imbecillitas incommoda ſibi ex opere iniuncto prouenientia referre, & id ſine vlla ſapientiſſimæ maieſtatis iniuria, vt nobis perſuadeamus, oportere ſæpe homini nobis præpoſito, quæ repugnant executioni obedientiæ, declarare. Præcepit Ezechieli Dominus, vt panem ſuum, quem manducaturus

erat, ſtercore hominis operiret, vt Iudæorū calamitatē portēderet. At ille, A, a, a, Domine Deus. Ecce anima mea non eſt polluta, & morticinum, & laceratum à beſtiis non comedi ab infantia mea vſque nunc, & non eſt ingreſſa in os meum omnis caro immunda,]

Ezech. 4. 14.

Non exacerbatus eſt Dominus Prophetæ verbis, ſed mandatum ſuum lenire voluit. Ecce, ait, dedi tibi fimum boum: pro ſtercoribus humanis, & facies panem tuum in eo.]

num. 15.

Ne putemus, inquit Hieronymus, Prophetam contradicere imperio Domini, ſed cauſas reddere, immo deprecari, cur hoc facere non poſſit. Denique impetrat quod rogauit, & ſententiæ auſteritas mitiori imperio temperata eſt.

Hieronym. in Ezech. ad c. 4.

Similem Petrus Apoſtolus obedientiæ difficultatem eſt paſſus. Cùm enim illi oblatum eſſet, quaſi linteum magnum è cœlo ſubmiſſum animalium immundorum plenum, dictúmque ei eſſet, ſurge, Petre: occide & manduca. Ipſe mandati difficultatem expoſuit dicens: Abſit Domine, quia numquam manducaui omne commune, & immundum.]

Actor. 10. 13. 14.

Nec ſolùm ſemel eſum rei immundæ repulit, verùm & ſecundò & tertiò ſe excuſauit. Nam ſequitur: Hoc factum eſt per ter: & ſtatim receptum eſt vas in cœlum.] Quo oſtenditur, perfectioni obedientiæ non obſtare, (ſi ſeruatis his, quæ ſtatim dicturi ſumus) bis, & ter mandati incommoda proponamus. Hoc igitur obedientia non vetat, quia hominem ignorationi ſubiectum, loco Dei, ſuperiorem habemus, qui nec poteſt cuncta ſcire, nec omnia incommoda, quæ ſequuntur ea mandatis, aduertere. Vnde iuxta ſuam voluntatem eſt, ſi quid inconuenientis ea mandato poſſit accidere, vt ei magna fiducia pandamus. Obedientiæ autem nullam iniuriam irrogat, & nec in minimo eius authoritatem attenuat, qui ſe ad prælati voluntatem accommodat. Et quidem præpoſtere de ſe ipſo, aut de prælato ſentit, qui putat, ſemper in omnibus obediendum, nihilque eſſe omnino ante exequutionem declarandum. Aut enim cogitat, prælatum numquam in his quæ præcipit, errare poſſe, quod manifeſta dementia eſt: Aut exiſtimat, ſe tali modo pariturum, vt errorem ſuperioris emendet, & omnia incommoda ſua dexteritate ſuperet, quod magna ſuperbia eſt. Ac proinde, ne nobis, aut prælatis noſtris plus æquo tribuamus, neceſſe eſt interdum ante exequutionem mandati, aliquid quod nobis ſeſe in contrarium obtulit, modeſtè ad prælatum adducere, & poſt cognitam eius mentem, quod voluerit, actione præſtare.

Hæc autem generalis & vera doctrina quaſi quibuſdam veſtibus ornanda eſt, ne aliquod ſynceritati obedientiæ detrimētum importet. Primò enim non decet, in ſingulis, quæ iniunguntur, hærere, & ſubinde difficultates obediēdi prætendere, & ea quæ nobis non placent, variis incōmodorum prætextibus refutare. Cui conſuetudini, ſi aditum aperiamus, nō veri obedientes, & propriæ voluntatis hoſtes, ſed eius amici familiariſſimi erimus, & omnis religioſæ diſciplinæ contemptores. Perſuadeamus itaque nobis multa difficilia, & ardua, & ſenſualitati repugnantia, à maioribus eſſe iniungenda, quæ debemus tota mentis alacritate facienda ſuſcipere, ſi nolumus ab obedientiæ lege exorbitare. Nec ſatis eſſe ad proponendum, ſi in his, quæ nobis præcipiuntur, difficultatem ſentiamus. Ob idque aliqua narrat Scriptura admodum difficilia, & prima ſpecie ſatis indigna Prophetis fuiſſe mandata, quibus illi ſtatim ſine vlla contradictione paruerunt: vt iudicetur religioſis, in rebus quoque arduis, & duris, debere ſe libenter prælatis ſubiicere. Iſaias vir erat apprime nobilis, ac de ſemine regio: quadam autem die dictum eſt illi à Domino; [Vade & ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis:] vt ſcilicet tunicam ſacceam, qua induebatur, deponeret, & more viliſſimorum hominum coram frequentiſſimo populo pedibus nudis incederet.

Iſaie. 20. 2.

Audito hoc præcepto, quid facit ille? An ſtatim hæſit, an rem illam ſibi nobiliſſimo indignam putauit, an excuſationibus ſe protexit? Nō certè; ſed fecit ſic, vadens nudus, & diſcalceatus. O impigrā, & ſimplicem obedientiam! difficultatem præcepti animaduertit, ſed difficultatem calcauit, & ſuum ſenſum abnegauit, vt Deo aliquid hac nuditate portendenti obediens exiſteret. Ezechiel quoq; qui immunditiā panis exhorruit, præcepti alterius ſibi impoſiti difficultatem non extimuit, ſed alacriter obediuit. Imperatum namque eſt illi, vt vinctus catenis dormiret ſuper latus ſiniſtrum trecentos & nonaginta dies, & vt ab vno latere in aliud non moueretur.

Ezech. 4. 5. 6.

Ille autem fecit quemadmodum iuſſus erat, in réque difficillima obedientiam præſtitit. Huius autem Prophetę ſubiectio non in hoc tantùm, ſed in multis aliis laborioſis, & arduis probata eſt; de quo hæc ſcribit Chryſoſtomus. Fame itaque ac ſiti pro alienis cruciabatur malis, vxoréque defuncta eum caſum abſque lacrymis perferre iubebatur. Porrò quid grauius dici poſſit, quàm in ſuis aduerſis caſibus ne flere quidem permitti? Omitto enim modò quòd ſuper ſtercus bubalorum panem ſuum comedere coactus ſit, & quòd ſuper vnū latus tercētum nonaginta diebus iacere, aliaque eiuſmodi tolerare ſit iuſſus. Hæc ille.]

Chryſoſt. 3. de Prouidentia.

Quid verò de Oſea caſtiſſimo, & ſanctiſſimo Propheta dicam, cui imperatum eſt: Vade, ſume tibi vxorem fornicationum:] id eſt, impuram meretricem fornicationibus deditam. At ille tacēs, & omnino nihil opponens, abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim. Nec ſolùm coniugium iniuit, ſed & conſummauit, ex eáque filium ac filiam ſuſcepit.

Oſea. 1. 2.

Hæc & alia huiuſmodi ſunt in ſcripturis obedientiæ difficilioris exēpla, in quibus Deus horribilia imperauit, & homo abſque vlla contradictione obediuit, vt compertum ſit nobis ſolam rei difficultatem aut vilitatem rei mandatæ non eſſe ſufficientem cauſam, vt ſtatim rationes in contrarium, & inconuenientia quæramus, nóſq; ab obediendo exoneremus. Immo in hoc alacritas & fortitudo obedientiæ ſe ipſum oſtendat, vt carni repugnantia, & per ſe ardua & maximè laborioſa, ſi fuerint iniuncta, ſuſcipiat.

At ſæpe in rebus, quæ imperantur, multa conſpicimus bonæ gubernationi cōtraria, & non ex difficultate, aut repugnantia noſtra, ſed ex mera & efficaci ratione, quæ in contrarium obiicitur, quam nec poſſumus, nec debemus ab intellectu depellere, res iniuncta minimè executioni mandanda iudicatur. Quid tunc faciendum? Tunc priuſquam ad prælatum rationes tuas referas in oppoſitum eius quod tibi demandatur, ad Deum recurras neceſſe eſt: ab eóque enixè lucem efflagitabis, vt ſcias eius voluntatem agnoſcere, & an expedientius ſit tacere, & ad obediendum conari, an verò ad prælatum, quæ obiiciuntur, in contrarium referre. Coram Domino incommoda, quæ ex illa obedientia emergunt, conſiderabis, momenta rationum expendes, quid te ad proponendum impellat, attentè diſcuties. Sæpe in conſpectu hujus ſolis iuſtitiæ manifeſtè deprehendes te nō aliqua vrgenti & honeſta ratione ad loquendum incitari, ſed amore proprio, aut affectu inordinato, aut certè, repugnantia ſenſualitatis moueri: ſed ſi præmiſſa oratione & in conſ-

A pectu Domini iudicaueris, te non ex affectu inordinato, ſed ex veris incommodis, quæ ex illo opere ſequuntur, ad opponendum impelli, tunc ſecurè poteris, & ſine periculo imperfectionis ad ſuperiorem debita cum modeſtia tuas difficultates referre. Id enim ex viris obedientibus diſcimus, quos Scriptura ſacra virtutum eſſe exempla commemorat. Quis Abraham obedientior? quis Deo in difficilibus quibuſque ſubiectior? At hic aliquando diuinis decretis ſuam ſententiam oppoſiturus, ab oratione ſermonem incepit, & quaſi facultatem loquendi poſtulans, dixit: Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis, & cinis. Quid ſi minùs quinquaginta iuſtis, quinque fuerint in ciuitate, & cætera. Ieremias quoque & ipſe obedientiſſimus, aliam ſic eſt quæſtionem exorſus: Iuſtus quidem

Geneſ. 18. 27. 28.

Ierem. 12. 1.

B tu es, Domine, ſi diſputem tecum: veruntamen (pace tua) iuſta loquar ad te.] Exponam, inquam, quæ mihi offeruntur ad oppoſitum eius quod fit: [Quare via impiorum proſperatur,] & quæ ſequuntur. Sic & nos cùm aliquid prælatorum mandatis voluerimus opponere: quæ abſque dubio ſi bonum contineant, quaſi mandata ſunt Dei, debemus ad ipſum oratione recurrere, & quaſi ad opponendum aliquid prælato, veniam poſtulare. Quam ſi Dominus ſua inſpiratione, & conſcientiæ noſtræ atteſtatione conceſſerit, tunc confidenter poterimus ad ſuperiorem accedere, & noſtras ei difficultates aperire.

Incommoda quæ ex opere iniuncto ſequuntur, prælato patefacienda ſunt, non media aut rationes

C ea incommoda ſuperandi, niſi ipſe rogauerit, aut id ſibi eſſe gratum oſtenderit. Documentum hoc ſubiuncto exemplo intelligemus. Iniunxit multis retro diebus cuidam religioſo concionatori ſuperior, vt in die feſto ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli apud quandam Eccleſiam cathedralem concionaretur, in qua ob magnam populi multitudinem, & nobilium ac virorum litteratorum frequentiam, gratū eſſe ſolet concionatoribus ſermonem habere. Die autem ante vigiliam eiuſdem feſti, idem ſuperior mandati prioris oblitus iniūgit eidem concionatori, vt in eodem die ſanctis Apoſtolis ſacro apud moniales quaſdam, extra vrbem, vbi nul-

D lus erit auditorum concurſus, concionem habeat. Duobus modis poteſt religioſus incompoſſibilitatem horum mādatorum ad ſuperiorem referre. Vel ſic: Neceſſe erit vt Reuerentia veſtra hanc concionem monialium alteri demandet, quoniam ego in Eccleſia cathedrali ſum cōcionaturus. Vel ſic: Altera concio ſuperioribus diebus mihi demandata fuit, videat R. V. quandoquidem vtramque eodem die & hora facere non poſſum, vtram earū ſim facturus. Ille prior proponendi modus imperfectus eſt, quia non tantùm difficultatem obediendi retuliſti, ô vir Dei, (quod tibi conceſſum erat) verùm & modum tibi gratum vincendi difficultatem aperuiſti, quo tibi occupationem ſpecioſiorem eligis, & in al-

E terum opus humilitatis, & abnegationis propriæ iactare præſumis. Hic ſecundus modus eſt vſquequaque perfectus, quoniam declarata impoſſibilitate vtrumque præſtandi, in voluntate prælati relinquitur opus, quod nolles, vel tibi vel alteri demandare. Et fortaſſis ad cœnobium hoſpes acceſſit, vel grauior, vel eloquentior, cui melius erit Eccleſiæ Cathedralis iniungere concionem, & te aliò cōcionaturum mittere. Húncque modum proponendi ſorores Lazari docuerunt, ſic ſcribentes ad Dominum: Ecce quem amas, infirmatur.] Notauit hîc Auguſtinus vrbanitatem nobilium fœminarum. Non dixerunt, inquit, veni: amanti enim

Ioan. 11. 3.

Auguſt. tract. 49. in Ioan.

A tantummodo nunciandum fuit. Non auſæ ſunt dicere: veni, & ſana: non auſæ ſunt dicere: ibi iube, & hîc fiet. Nihil horum iſtæ: ſed tantummodo: [Ecce, quem amas, infirmatur.] Sufficit, vt noueris: non enim amas, & deſeris.] Ne ergo ſis tu erga prælatum inciuilis, & inurbanus, qui velis illum ad tuam voluntatem pertrahere, aut rationem gubernandi docere, ſed propoſitis iniunctæ ab eo actionis incommodis, modum occurrendi illis ab illo tu audias, non ipſe à te, niſi (vt dixi) verbo aut ſigno, quid tibi videatur, exquirat. Eandem loquendi vrbanitatem Deipara Virgo ſeruauit: erat enim prudentiſſima. Vidit nuptias ſine conuenienti potu, quid pauperius? conuiuium ſine vino; quid triſtius? ſponſos ſine facultate ad

B ſubueniendum; quid miſerius? Accurrit ad filium opum datorem, lætitiæ largitorem, & miſerabilium prouiſorem, vt præſenti indigentiæ ſubueniret. Sed quibus verbis? his tantùm: [vinum non habent.] Sciebat ſatis eſſe filio benigniſſimo, ſi ei præſens neceſſitas proponeretur, nec decere verba multiplicare, & ſubueniendi indigentiæ nuptiarum, rationē aperire. Sciamus & nos quòd ad eum recurremus, qui locum Chriſti gerit in terris, & tanta ſimplicitate, & fiducia, ei neceſſitatem noſtram, aut incommodum aperiamus, vt ipſe modus proponendi ſyncerus, & rectus, eum non exaſperet, ſed erga nos amorem conciliet.

Propoſitis ſuperiori incommodis, quæ ex obedientia ſequuntur, aut rationibus, quę in cōtrarium

C offerūtur, verus obediēs taceat, & nec per ſe nec per alium ſuperiorē vrgere audeat, vt an res exequutioni mandāda ſit, aut potiùs omittenda, breuiter detegat. Sed expectandum eſt patienter, & omnis cura in illum reiicienda, qui opportuno tempore ſciet nobis rationem obediēdi exponere, aut à cura iniūcti operis liberare. Nec hoc, quod exteriùs præſtatur, ſufficit, niſi etiā ſemper æquo animo ſimus nō ſolùm ad eam rem de qua agitur, vel ſuſcipiendā vel deponēdam, ſed etiam vt Beatus Pater noſter Ignatius ſcripſit, ad probandū rectiúſq; putandū quicquid ſuperiori placuerit. Si verò ab exequutione iniuncti ope-

Epiſt. n. 19.

D ris abſoluamur, propoſitum obediendi, & laborandi, ſi poſſemus, omnimodis retinere curemus. Qui enim hoc ſanctū propoſitum retinet, licèt Domino vaccā dulcis obediētię, aut bouē fortis ſubiectionis non offerat, at vitulū Domino gratiſſimū immolat. Vitulus ſanè, inquit Richardus, ad iugum portandū nutritur, interim tamen ad ipſum non applicatur. Quòd autem interim non portat, nō eſt ex vitio recalcitrationis, ſed ex defectu poſſibilitatis. Si igitur obedientiā non profiteris, nō quia non vis, ſed quia non poſſis: vitulum voues, & ſolues. Quid enim intelligamus per vitulum, niſi obediendi propoſitū, quēadmodū in boue & vacca obedientiæ exercitiū? Si igitur vaccam, vel bouem offerre non potes, offer vel vitulum, quem cùm integre volueris, ad manum

Richard. de differēt. ſacrif. Dauid & Abraha.

E habere potes. Certè ſi non potes habere obedientiæ officium vel vſum, potes habere obedientiæ propoſitum, potes habere obedientiæ deſiderium: & cùm volueris, offerre potes eiuſmodi vitulum. Sic ille piè admodum omnia ad myſticos ſcripturę ſenſus refert. Nos verò ſic gradus ſanctæ obediētiæ concludimus, vt eum qui his, quæ dicta ſunt, ſeruatis, ab aliquo opere per ſuperiorem impoſito, ſe ſubduxerit, nullo modo aliquid contra obedientiam patrare putemus. Eſt enim obedientia virtus prudentiſſima, quæ non vult ceruicibus noſtris aliquod importabile iugum imponere, ſed perpenſis viribus nobis è cœlo donatis ad ſanctos labores ſuſcipiendos incitare.

Digitized by Google

De Præmio Obedientiæ, & primò de multiplici eius victoria.

CAPVT XIV.

HVIVS rei gratia à ſæculo per vitam ſpiritualem deſcimus, vt de noſtris hoſtibus triumphemus, & de mundo, & dæmone, carne, ac de nobiſmetipſis glorioſam victoriam conſequamur. Bellum enim nonniſi propter pacem bonum eſt, non enim pax quæritur, quemadmodum Auguſtinus ait, vt bellum excitetur, ſed bellum geritur vt pax acquiratur. *Auguſt. epiſt. 205 ad Bonifac.* Nemo verò ad pacis poſſeſſionem veniet, niſi priùs victoriam de hoſte reportet. Nam quamdiu non vincit, aut pugnat, aut victus ab inimico proſternitur; qui autem adhuc pugnat, certè pacis hilarem faciem non vidit, & qui victus cadit, multò miſeriùs à pace diſcedit: cùm cogatur hoſti ſeruire, cui non vult voluntate fœderari. Spiritualem autem vitam bellum eſſe nemo illorum, qui illam ſectantur, ignorat, cùm quotidie aduersùs ſe hoſtes inſurgere animaduertat. Quare Paulus de ſe, & ſui ſimilibus, vitam hanc ſectantibus, dicit: *2. Corint. 10. 3.* In carne ambulantes, non ſecundùm carnem militamus. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo.] Hi quidem in carne ambulant, id eſt, in corpore corruptibili degunt: at non militant ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum, vt pacem, quod in ipſis eſt, cum omnibus hominibus habentes, bellum aduersùs hoſtes inuiſibiles gerant, qui ſpiritus eorum proculcare pertentant. Ad hoc autem bellum non ſibi parant enſes, & lanceas, & huiuſcemodi arma, quæ carnalia dicuntur, quoniam carnem vulnerant; ſed veras virtutes, & validiſſima præſidia gratiæ, quæ ſecundùm Deum potentiſſima ſunt, vt ſpiritum tueantur, & hoſtes eius conterant, atque ſubuertant. Si autem ſpiritualis vita certamen eſt, & militia, pacem vtique vt ſcopum reſpicit, atque adeò ad victoriam, tanquam ad id ſine quo pax obtineri non poteſt, tota ſui intentione contendit. Nihil ergo huic vitæ noſtræ vtilius, nihil pretioſius victoria, qua de hoſtibus obtenta, pacem aſſequimur, tranquillitatémque in hac vita inchoatam, & in futura perfectam poſſidemus.

Victoriam autem de hoſtibus ſuis quis aſſequetur? Certè non alius quàm verus obediens, nam omnes victoriæ non ſunt, aliud quàm quædam obedientiæ præmia à iuſto iudice Deo obedientium laboribus aſſeruata. Quomodo enim iuſtus vincit, quomodo ſuos hoſtes elidit? Nónne, aut peccata & vitia fugiendo, aut virtutibus inſiſtendo, atque vno nomine Dei iuſſa ac præcepta ſeruando? Sed hæc partus ſunt obedientiæ, & ſanctæ ſubiectionis germina, ac pacis, ad quam tendimus, ac quietis initia. Quamobrem Salomon ait: *Prouerb. 21. 28.* Teſtis mendax peribit, vir obediens loquetur victoriam. Nomine teſtis mendacis, presbyter Beda inobedientem intelligit. Qui ſe, inquit, Deo ſeruire teſtatur, nec factis dicta exequitur, peribit.] Quis eſt autem hic, niſi qui verbis, aut habitu ſe Deo obedientem exhibet, ſed vita, & conuerſatione non obedit? Huic perditio parata eſt, quia ex eo quòd obediendo victoriam de hoſtibus non aſſequitur, conſequens eſt, vt victus ab illis ab æterna ſalute repella-

A tur. At vir obediens, qui ſcilicet viriliter & perſeueranter obedierit, perpetuò loquetur victoriam, quotidie nouas de ſuis hoſtibus victorias obtinebit, quas poſſit iuſtis ſe audientibus enarrare. Cantabitque ille vtique cum ſancto Dauide: *Pſal. 65. 16.* Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.] Meritò verò victorias obedientiæ non ſibi, licèt ipſe eas aſſequatur, ſed Deo attribuit, quoniam non propriis viribus, ſed virtute Dei eas de hoſtibus acerrimis reportauit. Deo autem gratias, inquit Paulus, qui dedit nobis victoriam per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. *1. Corint. 15. 57.* Ipſe dat obedienti victoriam, quoniam niſi virtutem & gratiam ad obediendum daret, homo non obediret, & ſi non obediret, hoſtem non vinceret, nec de vitiis ac dæmonibus triumpharet. Ac ideo hæc glorioſa victoria B Dei eſt, & hominis: Dei auxilium tribuentis, & in homine pugnante vincentis, & hominis virtute Dei præcepta complentis, & per obedientiam præceptorum ſuos aduerſarios ſuperantis. Nec quia dicitur, Vir obediens loquetur victoriam, putandum eſt, eum aut fallaciter dicere quæ non fecit, aut arroganter ſe de victoria iactare. Neutrum quippe in obedientem quadrat, qui cùm verax & humilis ſit, nec poteſt quà obediens, victoriam ſibi adſcribere, quam non acquiſiuit, nec ſuperbè ſibi aſſumere, quam Deo ſuppetias ferente de inimicis obtinuit. Loquitur ergo victoriam, quam de hoſtibus tulit, quia verax eſt; & eam ſe à Deo accepiſſe verbis fatetur, quia humilis eſt.

C Sed quænam eſt hæc victoria, quam vir obediens aſſequitur? Certè multiplex eſt eius victoria; nam cùm non vnum tantùm, ſed multos hoſtes habeat; cùm non vnum ſolum certamen, ſed plurima cum eis ineat, multiplicem etiam de illis victoriam reportat. Priùs tamen quænam ſint iuſtorum certamina diſquiramus, & inde quomodo obedientia multorum hoſtium victor exiſtat, apertè cognoſcemus. Ambroſius quidem ea omnia ad duo tantùm retulit. *Ambroſ. ad Pſal. 118. ſer. 11. vlt. v.* Quodam enim loco ſic ait: Non ſuperfluò Dauid diuinum quæſiuit auxiliũ, qui ſciebat ſibi aduersùs fortes eſſe certamen, pluráque ſibi prælia præparata dimicaturo, nunc aduersùs nequitias ſpiritales, quæ ſunt in cœleſtibus, nunc aduersùs calorem ſanguinis, & innumeras corporis huius illecebras, quarum ne- D xu vario, & diuturna colluctatione laſſatus, pudendo corruiſſet certamine, niſi fidei ſe radice tenuiſſet.] At nos apertioris tractationis gratia quatuor hominis hoſtes aſſignamus. Hoſtis eius eſt diabolus: nam aduerſarius veſter diabolus [tanquam leo rugiens,] inquit Petrus Apoſtolus, *1. Petri 5. 8.* [circuit quærens quem deuoret.] Hoſtis eius eſt mundus: vnde Ioannes ait: *1. Ioan. 3. 13.* Nolite mirari, ſi odit vos mundus.] Ac ſi diceret, cùm inimicus veſter ſit, ô fratres, quid mirum ſi vos odio habeat? Hoſtis eius eſt caro: quare Michæas ait: *Michææ 2. 5.* Ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.] Hoſtis tandem eſt vnuſquiſque ſibi ipſi, vt enim Chryſoſtomus luculentiſſimè confirmauit: Nemo læditur niſi à ſe ipſo, quia nullus hoſtis quamtumuis importunus, poteſt illi malum culpæ inferre, niſi ipſe E velit culpæ macula deformari. Et Iob ait: *Iob. 7. 20.* Factus ſum mihimetipſi grauis,] quòd ſi homo ſibi ipſi grauis eſt, hoc eſt, moleſtus, & oneroſus, ſibimetipſi quaſi hoſtis & inimicus exiſtit. Nemo enim moleſtum ſibi exiſtimat, quem, quoniam gratum experitur, amat.

Iam iſtos hoſtes ſola obedientia proſternit, ſola ipſa præclariſſimas de illis victorias acquirit. Obediẽtia diabolum vincimus, eique nos eſſe ſuperiores oſtendimus. Idque ſonãt illa verba Gregorij: Victrinæ

Greg. lib. 4. in 1. Reg. c. 5.

ſunt obſequia obedientium: quia cùm hominibus pro Deo ſubiicimur, ſuperbos ſpiritus ſuperamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus; per obedientiam vincimus. Victores ergo ſunt qui obediunt: quia dum voluntatem ſuam aliis perfectè ſubiiciunt, ipſi lapſis per inobedientiam Angelis dominantur. Sic ille.] Vna autem ex præcipuis cauſis quare per obedientiam diabolum vincimus, ea eſt, quia eius dolos & technas obediendo detegimus. Quoties nos ille ſub ſpecie boni ad malum pertrahit? quoties ad indiſcretum feruorem, aut ad ridiculum teporem impellit? Iam bona eſſe ſuadet, quæ bona non ſunt: iam vires nobis datas excedere, & maiora, quàm par ſit, præſumere, aut certè puſillanimes eſſe, & nihil dignum homine aggredi, nihil arduum moliri ſuadet. Hos inſultus obedientiæ virtus eludit. Nam dum ad patrem ſpiritualem accurrimus, dum ei cogitationes immiſſas detegimus, dum ab eo eruditi ſimpliciter obedimus, & quid vnumquodque ſit an bonum, an malum, clarè cognoſcimus, & quouſque progrediendum nobis ſit, & quid tanquam ſupra vires fugiendum, quid verò tamquam iuxta vocationem noſtram amplectendum, nequaquam ignoramus. Ideo dicebat Antonius, vt in vitis Patrum narratur.

2. par. §. 166.

Si fieri poteſt, quantos paſſus ambulat monachus, vel quot calices aquæ bibit in cella ſua, declaret ſenioribus, vt à tecto non deuiet. Vna ratio amicitiæ ſeruandæ, eſt amici ſecreta nobis commiſſa fideliter tegere. Quare Eccleſiaſticus ait:

Eccl. 27. 19.

Si denudaueris abſconſa illius, hoc eſt, amici tui, non perſequeris poſt eum: id eſt, non eſt cur ad eius amicitiam redire contendas, ad quam ille & meritò te non admittet. Ergo cùm prælato, aut ſpirituali patri diaboli tentationes detegimus, & ſecundùm quod nobis iniunctum eſt, eius dolis reſiſtimus, manifeſtè eius amicitiā deteſtamur. Ad idque confirmandum Dorotheus narrat,

Doroth. doct. 5.

quendam fratrem à diabolo fuiſſe dilectum, & ipſius authoris mendacij teſtimonio cæteris prælatum, qui noluit in rebus ſuis à maiore gubernari. Statímque ſubdit. Tales diligit atque his maximè delectatur, qui ſine duce ſunt, non his qui ſeſe ſummittunt ei qui poſt Deum auxilium præſtare potens eſt, & manum dare. Neque enim diabolus ille cunctos adeundi fratres poteſtatem habuit, cùm illum ſanctus pater repetit, tot potiunculas, tot pigmenta, tot alabaſtra circumferentem, non omnibus propinauit. Nam quiſquis illius præſentit inſidias, accurrit illico, & cogitationes ſuas quaſcumque latentes aperuit patri, & ſic auxilium inuenit in tempore tentationis; & hac de cauſa non potuit aduersùs eos iniquus inſidiator. Infœlicem illum vnum inuenit, qui ſeipſum regeret, & inſtrueret, qui nullum haberet coadiutorem, quémque, vt voluit, ludo habuit, diſcedénſque ſoli gratias egit, cæteros omnes deteſtatus. Sic ille.] Manifeſtum eſt itaque, obedientiam, qua ſpiritualis vir ſeniori ſubiicitur, diabolum vincere, eius dolos eludere, & arma confringere. Quare Bernardus iure optimo fratres ſuos monet, vt hoc obedientiæ telo aduersùs hoſtem humani generis diabolum dimicare non deſinant.

Bernard. ſer. 3. in Pſal. Qui habitat.

Obſecro, inquit, vos, nouellæ plantationes Dei, vos qui nondum exercitatos habetis ſenſus ad diſcretionem boni & mali; nolite ſequi cordis veſtri iudicium, nolite abundare in ſenſu veſtro: ne vos tanquam rudes adhuc verſutus ille venator decipiat: nam ſylueſtribus illis, & omnino beſtialibus beſtiis (ſæculares homines loquor) apertos ſatis expandit laqueos, vtpore, quos facilè capiendos eſſe non dubitat. Vobis autem, qui tanquam prudentiores cerui, ſerpentes necatis, & deſideratis ad fontem viuum, ſubtiliores occultat laqueos, & callidiora fraudis ſuæ argumenta conquirit. Vnde obſecro vos, humiliamini ſub potenti manu Dei paſtoris veſtri, & acquieſcite eorum conſiliis, qui meliùs norunt venatoris illius verſutias, edocti diuturno longi temporis exercitio, & crebris experimentis, tam in ſe quàm in multis.] Hanc glorioſam reportant de diabolo primo hoſte victoriam, qui ſub obedientiæ iugo poſiti nouerunt ſe non proprio ſenſu, ſed maiorum conſilio gubernari.

Obedientia victoriam etiam de mundo conſequimur. Nam qui principem alicuius regni vicit, ipſum quoque regnum ſibi ſubiecit. Sed quærendum eſt ab Scripturis ſanctis, quis ſæculi huius princeps eſſe dicatur. Non dubium eſt, quin nomen hoc principis mundi diabolo ſit attributum. Verba quippe ſunt Domini; Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.] Et nunc princeps huius mundi eiicietur foras.] Et Paulus ait, [nos colluctationem habere aduersùs principes, & poteſtates, & aduersùs mundi rectores tenebrarum harum.]

Ioan. 14. 30. *Ioan. 12. 31.* *Epheſ. 6. 12.*

Si ergo obedientia diabolum principem mundi vincit, quid magnum, ſi mundum etiam vincat, atque proſternat? Vincit profectò illa ſæculum, cuius præcipuum deſiderium ſuis ſectatoribus immiſſum eſt omnibus dominari, obedientia verò penitus hoc deſiderium reiicit, quoniam magnam perfectionem reputat omnibus ſe ſubiicere. Vox Domini eſt: In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite. Ego vici mundum.]

Ioan. 16. 33.

At dic nobis, Domine, quomodo viciſti mundum, vt nos eum eadem ratione valeamus ſuperare? Annon viciſti per obedientiam, qua vſque ad mortem crucis paruiſti æterno Patri, & omnia eius, ſuper redemptione mundi, mandata compleſti? Si ergo, vt ait Chryſoſtomus, licet & nobis vincere mundum, ſi voluerimus fidei noſtræ authorem ſequi, & eadem via incedere, quam ipſe nobis ſtrauit, certè via obedientiæ nobis terenda eſt, vt ad optatam huius ſæculi victoriam veniamus.

Chryſoſt. hom. 78. in Ioan.

Nihil enim eſt aliud mundum vincere, quàm peſſimorum hominum voluntati, conuerſatione noſtra contradicere, & Dei voluntatem amplecti; hæc autem ille ſolus facit, qui fideliter eius mandatis obedit. Ioannes quidem mundi victoriam fidei aſcribit, ſed ſi bene intelligatur, quatenus ſe obedientiæ coniungit. Omnis, inquit, qui natus eſt ex Deo, vincit mundum, & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.]

1. Ioan. 5. 4.

Naſcitur ex Deo, qui baptiſmo illinitur, & quod ſacramento illo profitetur, vita & conuerſatione complectitur. Quis eſt autem hic, niſi qui per obedientiam Dei præcepta cuſtodit? Ergo obedientia eſt, quę in filiis adoptiuis Dei mundum, & eius adiutores proſtrauit. Et quæ fides eſt mundi victoria? Nonne illa, quæ charitate formata Dei ſermones obſeruat? Sed hanc ſicut nemo à charitate diuellet, ita neque ab obedientia ſeparabit. Obedientia igitur, qua Dei mandatis ſubiicimur, nos victores mundi conſtituit. Quod & ipſe Ioannes ſtatim clariùs aperuit: Quis eſt, inquit, qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam IESVS eſt filius Dei?]

1. Ioan. 5. 5

Quis autem eſt iſte credens vt oportet, niſi qui per gratiam, & obedientiam mandatorum Chriſtum habitatorem habet? Vnde Bernardus ait: Veruntamen poteſt fortè mouere, quòd tam multos videmus credentes Ieſum filium Dei eſſe, adhuc tamen mundi nihilominus cupiditatibus irretitos. Quid ergo ait: Quis eſt qui vincit

Bern. ſer. 1. in octaua Paſchæ.

mundum,

mundum, niſi qui credit quia Ieſus eſt filius Dei?] cùm & ipſe iam mundus id credat? Annun ipſi quoque dæmones & credunt, & contremiſcunt? Sed dico: putaſne filium Dei reputat IESVM, quiſquis ille eſt homo, qui ipſius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promiſſionibus, nec præceptis obtemperat, nec conſiliis acquieſcit? Nonne is etiam ſi fateatur ſe noſſe Deum, factis tamen negat? Porro fides ſine operibus mortua eſt in ſemetipſa. Nec ſanè mirum videri poteſt ſi nequaquam vincit, quæ nec viuit quidem. Quæris quænam ſit viuida, & victorioſa fides? illa ſine dubio, per quam Chriſtus habitat in cordibus noſtris. Chriſtus enim & virtus eſt & vita noſtra.
Col. 3.4. [Cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra (ait Apoſtolus) tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.] Vnde gloria niſi de victoria? Aut quare cum ipſo apparebimus, niſi quia in ipſo & vincimus? Denique ſi his tantùm data eſt poteſtas filios Dei fieri, qui ſuſcipiunt Chriſtum, de his quoque ſolis intelligendum eſt quod dicitur: Omnis qui natus eſt ex Deo, vincit mundum. Hæc ille.]
1. Ioh. 5.4. Notum eſt itaque ex his, ſolum virum obedientem de mundo victoriam conſequi, & ſæcularibus cupiditatibus dominati. Hancque illuſtrem victoriam nō ſolùm per obedientiam obtineri, verùm & per obedientiam prouehi. Nam quo quis perfectiùs ſuam voluntatem abnegat, & non tantùm in maioribus, ſed in minoribus obedientiam diligit, eo perfectiùs mundum proſternit. Tertium quoque hoſtem noſtrum obedientia calcat, nempe carnem ſingulis horis nobis inſidiantem.
Thom. à Camp. li. 2. de imitat. Chriſti. c. 14. Scitéque dixit Thomas à Campis author pietate clariſſimus: Qui non libenter, & ſponte ſuo ſuperiori ſe ſubiiciunt, ſignum eſt quòd caro eorum nec dum perfectè illis obediat, ſed ſæpe recalcitrat, & murmurat.] Quaſi diceret, carni ſuæ ille ſe ſubdit, qui prælato obtemperare non nititur, & dum ille ſe ſponte ſubmittit, miro modo ab imperio carnis liberatur. Sic etiam Bernardus ſecundam illam beatitudinem intellexit.
Ber. ſer. 2. omnium ſanctorū. Matth. 5.4. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.] Hanc ego terram, inquit, corpus noſtrum intelligo. Quod ſi poſſidere vult anima, ſi regnare deſiderat ſuper membra ſua, neceſſe eſt vt ſit ipſa mitis, & ſuperiori ſuo ſubiecta, quoniam tale inueniet inferius ſuum, qualem ſe exhibuerit ſuperiori. armatur enim creatura ad vleiſcendam ſui iniuriam creatoris. Et ideo nouerit anima, quæ rebellem ſibi inuenit carnem ſuam, ſe quoque minùs quàm oporteat ſuperioribus poteſtatibus eſſe ſubiectam. Manſueſcat ipſa & humilietur, ſub potenti manu Dei altiſſimi, ſubiecta ſit Deo, & his pariter, quibus vice eius habet obedire prælatis: & continuò corpus ſuum inueniet obediens, & ſubiectum. Sic ille.] Primus homo per inobedientiam à Deo deſciuit, & ſtatim carnem aduersùs mentem rebellantem ſenſit, cui ipſa inobedientia contra ſpiritum vires adiecit.
Gen. 3.6. Aperti ſunt oculi amborum, ait Scriptura, vt ſcilicet impetum carnis ſuæ aduersùs ſpiritum inſurgentis aduerterent, & ſe peccato pacem perdidiſſe cognoſcerent. Nudi erant, quemadmodum loquitur Auguſtinus, &
Aug. 14. de Ciuit. c. 17. non confundebantur, non quòd eis ſua nuditas eſſet incognita, ſed turpis nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commouebat: nondum ad hominis inobedientiam redarguendam ſua inobedientia caro quodammodo teſtimonium perhibebat. Gratiáq; remota, vt pœna reciproca inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens nouitas: & fecit attentos, reddiditque confuſos.] Hunc fructum, quem in primis parentibus inobedientia tulit, in nobis ſæpe aſſeri, vt quoniam maioribus noſtris obedire renuimus, quos deteſtamur, quos horremus, in carne noſtra prauos motus ſentiamus. Primo parenti inobedienti animalia (Deo ita ſtatuente) ſubiectionem denegarunt: ſic nobis, dum prælatis mentem morigeram non exhibemus, affectus noſtri obedientiam denegant, & aduersùs rationem bonum cupientem rebellant. Si ergo inobedientia carnem ad defectionem prouocat; obedientia in officio continebit, & victoriam de illa feret. Vnde Climacus carnem ſic ad ſpiritum loquentem inducit.
Climac. grad. 1 Si obedientiæ collum ſubmittas, à me diſtinctus es.] Iniquam ſcilicet pacem, qua mihi ad tuam perniciem iungebaris, diſſoluiſti, & meos impetus ſuperaſti. Et alio loco.
Gradu Vidi populos obedientiæ deditos facilè compungi, placidos eſſe, continentes, ſtudioſos, feruentes, quos patris præſidium bello ſeruauerat immunes.] Et quidem nos ſimilia vidimus, viros nimirum ſpirituales obedientiæ addictiſſimos, carnem non tam corporis afflictatione, quàm omnimoda ſubiectione viciſſe. Qui in præmium perfectæ obedientiæ ancillam ſuam, nempe carnem, obſequentem accipiunt: & eius impetus iam laſſeſcentes frangunt. Meritò igitur Ambroſius. Si homo in eo quod factus eſt, perduraſſet, non eſſet poteſtas inimico ad carnem eius accedere, & animæ contraria ſuſurrare. Atque adeo nos ad id, quod ille perdidit, ſcilicet ad obedientiam, qua Deo ſubditus erat, redeamus, & vt obedientiæ mercedem, carnis victoriam non ſine exultatione loquemur.

Infeſtiſſimus tandem hoſtis homo ſibi ipſi, qui dum extra legem Dei ſibi ipſi conſentit, non aliud quàm motus excidium parat. Hunc verò hoſtem ab obedientia vinci palam teſtatus eſt Gregorius.
Greg. 35. mor. c. 1 Vir ait obediens loquetur victorias, quia dum alienæ voci humiliter ſubdimur, noſmetipſos in corde ſuperamus. Et verò hæc eſt præcipua obedientiæ victoria, quia homo vincens ſemetipſum, qui vicit reliqua omnia, fortior oſtenditur, & maiorem ex hoc facinore, quàm ex aliis gloriam aſſequitur. Vincit homo ſeipſum per obedientiam, nam & iudicio ſuo compedes inicit, & voluntatem catenis illigat, & corpus, ac omnem motum eius à noxia libertate auocatum ad Dei ſeruitium prouocat. Vincit ſeipſum, quia ſuis deſideriis vim infert, & libens propter amorem Domini alterius voluntati ſubiicit. Vincit ſeipſum, quoniam quicquid ipſe eſt, & poteſt, feruore obedientiæ ſuperat, vt non proprium iudicium ſequatur, aut propriam voluntatem faciat, ſed Dei, ac prælatorum mandata cuſtodiat. Is profectò iam victor exiſtens loquetur victorias, quas de ſeipſo reportauit, quia vt Hieronymus aut
Ibid. Beda ait, dum per obedientiam ſua deſideria vincere ſatagit, per iuſtitiam iudicis poſtmodum victoriæ palmam percipit. Is eſt ille, cui victoriam de ſe conſequuto tam illuſtria præmia in Apocalypſi promittuntur.
Apoc 2. Vincenti, inquit, dabo edere de ligno vitæ] Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda.] Vincenti dabo manna abſcon-
n. 11.
n. 17. ditum, & calculum candidum.] Qui vicerit, & cu-
n. 27. ſtodierit in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea.] Qui vi-
Cap. 3. 5 cerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram Angelis eius.] Qui vice-
n. 12. rit, faciam eum columnam in regno Dei mei. Qui vi-
n. 21. cerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo.] Quis nam eſt iſte victor, iſte vincens, qui vicit? An eſt vir

obediens, qui loquitur victorias multiplices, quas de ſuis hoſtibus acquiſiuit? Non incongruè ſanè ita intelligemus. Cùm enim vincenti abſolutè, & non vincenti hæc aut illa præmiorum genera; hæc eximia præmia promiſſa ſint, illi promiſſa videntur, non qui in hoc bello victor, & in illo victus eſt, ſed qui omnes hoſtes vicit, & in cunctis conflictibus victor euaſit. Is autem non eſt alius, quàm qui ad Deum, & maiores ſuos perfectam obedientiam tenuit. Hic ergo multiplices victorias loquatur, & ſeptuplex præmium reportet. Illi datur, vt Chriſtum vitæ lignum in ſuauitate manducet, & æternam damnationem ignoret: vt puritate ditatus arcana diuina cognoſcat: vt ſuis appetitionibus dominetur: vt in hac vita virtutibus & in futura virtutum præmiis cum honore veſtiatur: vt alios inſtar columnæ, verbo & exemplo ſuſtentet: vtque tandem cum Chriſto obedientium capite in perpetuum regnet. Hæc igitur ſunt obedientũ præmia, hæ multiplices ipſorum victoriæ, quibus ad illas diuitias poſſidendas perueniunt, vt quia quod ad Dei laudem ore loquuntur, opere perfecerunt, tam perfecti operis mercedem conſequantur.

De Mirabili tranquillitate Obedientium.

CAPVT XV.

VICTORIAM ſequitur pax, & tranquillitas animorum, qua victores ſibi repugnantes omnino ſubiiciunt, & interna ſerenitate lætantur. Quare ſi obedientia de hoſtibus victoriam aſſequitur, non mirum ſi pacem & tranquillitatem efficiat. Et ſanè in hac vita obedientiæ præmium eſt pax, & quies animi, incomparabiliſque ſerenitas, quam illi habent, qui ſponte iugum obedientiæ ſuſcipiunt. Ponamus pacem duplici ratione turbari; aut quia aliquis maiori repugnat, aut quia inferiori ſibi contradicenti non imperat, cùm illum compeſcere, & in debita ſubiectione continere non poſſit. Si autem quis & ſuperiori pareat, & ab inferiore debitam ſubiectionem accipiat, perpetua quadam tranquillitate cumulabitur. Hæc duo ſecum affert obedientia: nam Deo nos & ſuperioribus ſubiicit, & ab his quæ infra nos ſunt, nimirum à viribus, & appetitionibus noſtris, perfectam ſubiectionem extorquet. Nam iudicio noſtro frænum iniicit, ne contra mandata prælatorum aliquid ſentiat: voluntatem cohibet ne oppoſita his, quæ iniuncta ſunt, cupiat: appetitum continet, ne in periculoſam libertatem diffluat: corpus demum ad imperata exequenda applicat: & ita cùm ipſa maioribus pareat, & illi vniuerſæ noſtræ vires obediant, non eſt vnde turbationem pertimeſcat. Profectò ita experimur animos perfectè obedientium læta quadam ſerenitate pacatos; & ab omni ſpiritus perturbatione ſeiunctos. Quibus obedientia pro tribulatione data eſt, vt dum per viam tribulationis in Dei regnum non vadunt, ſciant, quia per viam obedientiæ, quæ ſecuriſſima eſt, & pleniſſima iucunditatis, incedunt. Scriptum quidem eſt: [Omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto IESV, perſecutionem patientur:] Et, quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.] Et: [Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam? Sed veri obedientes quaſi his legibus eximuntur, quibus, obedientia ipſa pro perſecutione, & tribulatione, ac martyrio decernitur. Obedientia enim proprium iudicium, & propriam voluntatem, cunctorum origines malorum, perſequitur: corpus ipſum piis obſequiis quaſi tribulationibus atterit, & amorem proprium nobis vſque ad mortem inſidiantem occidit. Quid magnum ſi ipſa vicem perſecutionum, & tribulationum, & martyrij ſuppleat: nóſque læios & tranquillos in patriam æternam perducat? Immo ſicut qui iuſtior eſt, eo eſt tribulationibus ditior: Nam, [Multæ tribulationes iuſtorum.] Et omne gaudium exiſtimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis:] Ita qui obedientior eſt, hoc ipſo etiam eſt tranquillitate locupletior: quoniam obedientia pro tribulatione habita non turbationum ſtimulos, ſed quietis flores importat.

2. Tim. 3. 12. Act. 14. 21. Lucæ vlt. 26.

Pſ. 33. 20. Iac. 1. 2.

Dorotheus rerum ſpiritualium magiſter peritiſſimus apertè fatetur, tranquillitatem animi ex obedientia manare: Obedientia, ait, factum eſt (credite quod dicam fratres) vt in tanta ſemper quiete & ſecuritate eſſem, vt plerumque pœniteret me tantæ tranquillitatis. Enarratiſque, tum reſponſione cuiuſdam ſuperioris, qua dictum eſt illi, obedientiam vicem tribulationum gerere; tum viſione quadam ſua, qua Angelus illum ex magna triſtitia ad incredibilem exultationem eduxit, hæc ſubdit: Hæc vobis dixi, fratres, volens oſtendere quam ſerenitatem, quam quietem habeat, tranquillitatémque, nulla in te ſeipſum inſtituere, ſed omnia ſua ad Dominum referre, & in eos, qui poſt Deum poſſunt nos regere. Diſcite igitur interrogare, diſcite vos ipſos non regere, quàm bonum ſit. Hoc enim humilitas, hoc quies, hoc gaudium eſt.] Meritò verò hic beatus vir obedientiæ humilitatem, quietem, ac gaudium attribuit. Nam nec obedientia poteſt ab humilitate ſecerni, cùm ſit quædam inferioris ad ſuperiorem ſubiectio; nec poteſt, à quiete diuelli, cùm ſit iudiciorum, & voluntatum maioris minoríſque coniunctio: nec poteſt à gaudio ſeiungi, cùm conſcientia noſtra ſemper de hoc gaudeat, quòd aſſenſui rectæ rationis inhæreat. Quid autem rationi conformius, quàm vt inferior ſuo maiori ſubdatur? In tantum certè quies mentis ab obedientia dependet, vt hæc nihil aliud, ſi rectum præcipit, quàm ipſam quietem tranquillitatémque præcipiat. Dixit Dominus mari: Tace, obmuteſce: & ſtatim tacuit, atque obmutuit, & ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna.] Et ſimiliter ait prælatus ſubdito, qui non aliter cogitationibus, aut fluctuationibus mentis ſuæ, quàm vento mare turbatur: Tace, obmuteſce; & è veſtigio illa fluctuatio cogitationum ceſſat, & tranquillitas mentem occupat. Quanam ratione hoc contingat, explicemus. In hoc enim miraculo Domini vitam religioſam eſſe depictam venerabilis Beda non incongruè profitetur. Et nos quoque ſinguli, ait, cùm ſigno Dominicæ crucis imbuti ſæculum relinquere diſponimus, nauem profectò cum Ieſu conſcendimus, mare tranſire conamur. Sed qui [non dormitabit, neque dormiet.] Iſraël cuſtodiens ſemper, nobis tamen ſæpe nauigantibus quaſi inter æquoris fremitus dormit, quando crebreſcente inter medios virtutum niſus, vel immundorum ſpirituum, vel hominum prauorum, vel ipſo noſtrarum cogitationum impetu, fidei ſplendor obtenebreſcit, amoris flamma refrigeſcit. Sic ille.] Religioſus igitur cùm vitam ſpiritualem inchoat à terra in cælum in ligno crucis enauigat. In hoc decurſu maris ſæuam tempeſtatem patitur, dum à ſuis cogitationibus, & deſideriis ad varia

Doroth. Doctr. 5.

Marc. 4. 39.

Beda lib. 2. in Mar. c. 4.

Iſai. 5. 27.

studia

ſtudia permouetur. At ſi periculum aduertens ad prælatum vicem Domini tenētem accurrat, ſi ab eo quid ſibi faciendum, quid omittendum ſit audiat, quaſi illam vocem excipit: [Tace: obmuteſce:] quia illud audit, quo propria deſideria, & cogitationes euaneſcent. Si verò intellecto imperio, maioris iudicio, & voluntate & actione pareat, iam verè tacent varia cogitata, obmuteſcunt inania deſideria, & cordis ſequitur mira tranquillitas.

Obedientia ergo quies mentis, & obedire quieſcere eſt, nec poterit mentem pacatam poſſidere, qui varios ad non obediendum, & ſuo arbitrio viuendum, prætextus obtenderit. At qui perfectæ obedientiæ ſe dederit, hic tranquillitatem, & in futura vita tentorium gloriæ obedientibus præparatum inueniet. *Ioſue. 12. 24.* Quidnam dixit Ioſue Rubenitis, & Gaditis, poſtquam terram Iſraëlitis promiſſam expugnauit? [Feciſtis omnia, quæ præcepit vobis Moyſes famulus Domini, mihi quoque in omnibus obediſtis. Quia igitur dedit Dominus Deus veſter fratribus veſtris quietem, & pacem, ite in tabernacula veſtra, & in terram poſſeſſionis, quam tradidit vobis Moyſes.] Rubenitæ, & Gaditæ emagines ſunt obedientium, quia ſicut illi priores, ſuorum laborum filios, id eſt, fructus, vident, & ſpe fœlicitatis gaudent. Hi fratres ſuos ad capiendam terram promiſſam, id eſt, cœlum diripiendum, verbo & exemplo iuuant. Et quia obedierunt Moyſi, & Ioſue, nimirum prælatis ſuis, pacem, & quietem primò, deinde, vt in cæleſte tabernaculum eant, facultatem acquirunt. Ibi eam partem terræ viuentium poſſidebunt, quam in hac vita poſiti gemitibus, & deſideriis à Domino poſtularunt. Dilige ergo, ô iuſte, obedientiæ viam, ſi mentis tuæ quietem diligis, quia non alia via ad quietem quàm obedientia peruenies. Nam ſi vera ſapientia non eſt alia, niſi quæ in nobis infert cuſtodiam mandatorum, & hæc ab obedientia ſeiungi non poteſt, quis non videat, quæ de ſapientia dicuntur, ad obedientiam poſſe transferri? *Eccl. 6. 28.* Inueſtiga igitur illam (cognoſcendo naturam, & gradus illius) & manifeſtabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam: in nouiſſimis enim inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem.] Fortaſſis cùm obedientiæ viam ingredi cœperis, aſperum tibi videbitur alterius arbitrio viuere, & propriam relinquere voluntatem. At cùm paululum aſſueueris, requiem in exequenda voluntate alterius, & voluptatem in nobiliſſima hæc ſeruitute reperies. Erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & baſes virtutis: & torques illius in ſtolam gloriæ. Videbuntur tibi obedientiæ opera quaſi compedes iniecti pedibus tuis, qui te ligant, & reddunt infirmum; at te vera ſunt firmamenta virtutis, quibus robuſtus & validus contra aduerſarios efficieris. Apparebit primo aſpectu ſubiectio quaſi res vilis, & propria ſeruorum: ſed ſi introrſus inſpicias, videbis eam eſſe inſtar torquis ex gemmis & lapidibus pretioſis compacti, quo filij principum vtuntur ad gloriam. Sic Ægidius Beati Franciſci filius de obedientia ſentiebat, cui cùm data eſſet facultas à beatiſſimo Patriarcha eundi quò vellet, ille poſt tres dies nullam requiem ſpiritus inueniens ad requiem, & ad exultationem animi, nempe ad exquiſitam in omnibus obedientiam tenendam, repedauit. Enixéque patrem rogauit, vt ſibi & locum, & cœnobium, & occupationem præſcriberet, ne merito, & quiete, & gloria perfectæ obedientiæ careret.

Hanc mentis tranquillitatem Dominus ipſe obedientiæ promiſit, dicens: *Matt. 11. 30.* [Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.] Ad iugum admittendum hortatur, & in præmium requiem pollicetur. Quodnam eſt iugum, quod ipſe Dominus Maieſtatis ſuum vocat, quaſi ipſe qui liber eſt iugo portando ſubdatur? Per iugum omnes Euangelium, & legem Chriſti, per obediētiam cuſtoditam, & operi mandatam, intelligunt. Obedientia itàque quæ mandata à Deo vel à præpoſitis vice Dei impoſita ſeruat, iugum eſt. Iugum, quod Chriſtum, & animam religioſam iungit, vt idem onus ſimul ferant. Iugū potiùs Chriſti quàm animæ: [Tollite, inquit, iugum meum,] quoniam ipſe gratia ſua totum onus fert, vt fere nihil oneris anima ſentiat. Iugum ſuaue, & onus leue, quia à Chriſto benigniſſimo principe, & à prælatis vicem eius gerentibus, & imitatoribus ſuæ benignitatis, imponitur. Leue, quia noſtræ imbecillitati, & ſæpe noſtræ naturali propenſioni ſe accommodat: quia non ex timore, ſed ex amore prælati, & rei imperatæ ſubiicimur, non vi ſed ſponte ducimur, non ſoli ad ferendum relinquimur, ſed potentiſſimo Dei auxilio iuuamur. Iugum tandem ſuaue, & onus leue, quoniam dum onerat, non premit, ſed tranquillitatem & multiplicem conſolationem cōfert. *Dionyſ. opuſc. de profeſſio. monaſt. art. 14.* Vt enim ſcribit Dionyſius Richelius: obedientibus, & veris religioſis dat Deus multiplicem conſolationem, mentis tranquillitatem, conſcientiæ ſerenitatem, & copioſum in omni gratia & virtute profectum. Etenim quanto plus amore Dei ſpernunt, ac vitant ſolatia carnalia, & mundana, & timorati ſunt, & iugi cordis cuſtodia, tanto copioſiùs promerentur conſolationes ſpirituales, internas, diuinas. De talibus quippe Propheta loquitur Deo: *Pſal. 30. 20. 21.* Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondidiſti timentibus te: perfeciſti eis, qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum.] Hæc ille.] Si ergo præmia magnos etiam labores ſuperant, & ad ardua & difficilia aggredienda roborant; quare non ad perfectè obediendum incitabimur, vt tam eximium præmium cōparemus? Eſt enim quies mentis, finis laborum, lectulus floridus voluptatis, pro qua adipiſcenda vniuerſa creata mouentur, & nunquam ceſſant, donec in ſuo fine cuius gratia condita ſunt, ſuam requiem cōſequantur. Hanc per obedientiam conſequi certè magnum eſt, non tamen mirum, quia obedientia ad Deum noſtrum finem perducimur, in quo ſolo verè quieſcimus. Ipſum autem ad illum duci, & per obedientiam ſubiici, initium eſt illius vitæ, quam ſperamus, & quies huius vitæ in qua nunc laboramus; quia nunc non in alio valemus quieſcere, niſi in eo, quod poteſt nos ad æternam requiem leuare.

Et quidem ideo à nobis Deus obedientiam exigit, vt per illam ad animi dulcedinem & tranquillitatem ducat. Quod Sanctus Dauid illis verbis edocuit: *Pſal. 24. 8.* Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.] Quia, inquam, dulcis & rectus eſt, ideo peccatoribus legem dedit, vt per obedientiam eius, non ſolùm ad rectitudinem animi, ſed etiam ad dulcedinem ducerentur. Quid enim Deus intendit, niſi nos lapſos à peccatis abducere, & ad ſui ſimilitudinem reuocare? Ipſe rectus eſt. Vult ergo vt recti ſimus, & ab obliquitate peccatorum alieni. Ipſe dulcis eſt. Vult ergo vt ſpiritum dulcem, id eſt, quietum, tranquillum,

nulla turbationis amaritudine infectum habeamus. Vtrumque autem obedientia ſuæ legis præſtat, vt ſicut ipſa obedientia mandatorum rectos nos facit, ita & in præmium rectitudinis quietos efficiat. Quo autem hæc obedientia creſcit, & ad quoſque prælatos propter Deum ſe demittit, & ad quæque minima præſtanda ſe extendit, eo neceſſe eſt, maiorem ab ea tranquillitatem emanare. Voluntas quippe noſtra ſeminarium eſt turbationis noſtræ, origo inquietudinis, atque initium triſtitiæ. Quo autem obedientia exquiſitior eſt, & ſubiectio perfectior, eo ampliùs propriam voluntatem eliminat, & cor

Iſa.26.12 noſtrum mentémque tranquillat. Id profectò ſignificare videntur illa Iſaiæ verba: Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera noſtra operatus es nobis.] Quid eſt: opera noſtra operatus es nobis? niſi, tu Domine per gratiam tuam illuminas nos, & adiuuas infirmitatem noſtram, vt te ſequi, & legem tuam cuſtodire, & tuis iuſſis obedire poſſimus? Tu das nobis velle, & perficere pro bona voluntate tua, & vt operemur operaris in nobis. Hinc verò proueniet vt impertias pacē nobis. Nec enim pacem & cordis tranquillitatem adipiſceremur, niſi opera tibi placita exequeremur, & niſi tu opera noſtra gratia adiuuante perficeres. Tranquillitas itaque mentis verè ab obedientia procedit. Et inde eſt, vt qui perfectionem obedientiæ experti ſunt, magis in dies eius amore ardeant, ac

Pſal.118. 32. exequutione flammeſcant. Dicunt illi: Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilataſti cor meum.] Ac ſi dicerent: antequam lætitiam & tranquillitatem Domine, ex cuſtodia tuæ legis exortam experiremur, ambulabamus quidem ſegnes, & non modicam in quocumque opere difficultatem ſentiebamus. At poſtquam obedientia, & legis cuſtodia, nos tranquillitate & exultatione repleuiſti, iam ipſa lætitia animati non ſegniter ambulamus, ſed velociter currimus, vt citiùs ad metam, ſcilicet ad perfectionem, accedamus. Maneat igitur, perfectis obedientibus cordis tranquillitatem in præmium dari: quare ſi volumus mente quieſcere, & à perturbatione alieni eſſe, perfectæ, & omnimodæ obedientiæ nos tradamus. Hæc eſt enim quæ dubitationes excutit, à perplexitatibus liberat, & omnem cordis perturbationem amandat.

De Magnâ gloriâ paratâ obedientibus.

CAPVT XVI.

DVPLEX præmium propoſitum, victoria ſcilicet & pax in hac vita obedientibus datur, tertium verò in futuram vitam promittitur. Illud autem eſt incomparabilis gloria, & fœlicitatis ſublimitas, qua cumulati de cuſtodita ſubiectione vehementer exultant. Quanta autem ſit hæc gloria, licèt apertè non cognoſcamus, ex multis licet colligere. Atque illud primum ſit, ſoli obedientiæ vitam æternam eſſe promiſſam. Adoleſcenti enim interroganti: Quid faciendo vitam æter-

Matt.19. 7. nam poſſidebo? reſponſum eſt. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.] Nullus verò ignorat, opus obedientiæ eſſe cuſtodiam mandatorum. Et poſtea: Venite benedicti patris mei, poſſidete para-

Matt.16. 4. tum vobis regnum à conſtitutione mundi.] Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare,] & cætera, quæ ſequuntur. Hæc autem mandata eſſe propter quorum obedientiam iuſti cæleſtem gloriam obti-

A nebunt, nemo poteſt ignorare. Si igitur communi obedientiæ ad quam vniuerſi tenentur, gloria promittitur, obedientiæ perfectiſſimæ, & exquiſitiſſimæ, quam religioſi profitentur, quáque ſe totos Deo conſecrant, maior & copioſior gloria promittetur. In terrena republica præmium militibus vincentibus, & duci totum exercitum gubernanti, & vincenti, & cunctos ad victoriam dirigenti decretum eſt. Sed manifeſtum eſt diſcrimen inter præmium, & præmium. Illud eſt magnum, iſtud maius: illud pretioſum, iſtud verò multo pretioſius, & excellentius, ipſa iuſtitia exigente, vt qui plus laborauit, amplius recipiat. Ita communes obedientes, quales reputamus omnes iuſtos, ſunt velut milites: qui verò perfectam vitam arripiunt,

B & per obedientiam, ſe totos, & omnia ſua Deo dedicant, ſunt velut duces, qui reliquos exemplo præeunt, & ſuis magnis laboribus communes iuſtos ad paruos ſaltem labores ſuperandos alliciunt. Quid mirum ſi in regno cæleſti ſublimiores ſedes obtineant? Ideóque poſſeſſio æternæ gloriæ merces vocata eſt, quia non inani affectui alicuius terreni regis, ſed voluntati iuſti Dei, & maiori, aut minori labori reſpondet. Redde, inquit, illis *Matt.20. 8.*

mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.] Nec nos moueat, quòd nouiſſimi in acceptione denarij primis præferuntur. Hoc enim ideo factum eſt, quia nouiſſimi vna hora pluſquam alij tota die laborauerant, & ille, qui pollicitus eſt: [quod iuſtum fuerit dabo vobis,] iuſtum reddidit, *n.4.*

cùm plus modico tempore laborantes cæteris tepidè viuentibus antepoſuit. Ac proinde ſi maior

C eſt perfectorum obedientium labor, & pretioſior ipſorum oblatio, æquum eſt vt gloriam copioſiorem accipiant.

Deinde hæc obedientium gloria eximia ex alio capite etiam elucet, nimirum ex cognatione obedientiæ, & charitatis, quæ tanta eſt, vt fortè maior eſſe non poſſit. Nemo enim charitatem erga Deum, & proximum, ſine obedientia mandatorum ſeruabit; & nemo perfectam virorum ſpiritualium obedientiam, quam hîc tractamus, ſine charitate cuſtodiet. Quod vt confirmaret Dominus, eam non per aliud quàm per obedientiam deſcribere voluit. Qui diligit me, inquit, ſermonem meum ſeruabit.] *Ioan. 14. 23.*

Illum quidem ſermonem, qui eius legem ac man-

D data comprehendit. Et iterum: Vt cognoſcat *Ioan. 14. 31.*

mundus quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio.] Ad quid iſta dilectionis, & obſeruantiæ mandatorum coniunctio, niſi vt pateat nec charitatem ſine obedientia, nec perfectam ac Deo placitam obedientiam ſine charitate poſſe conſiſtere? Charitas autem præcipua virtutum, earúmque regina, talis naturæ eſt, vt pro menſura eius maior aut minor in cæleſti patria cuique gloria proueniat. Cùm parua charitate decedis, parua tibi gloria præbebitur: cùm magna charitate hinc emigras, magna in cælo tibi gloria

E tribuetur. Nunc perfectiſſimam, & quæ ſanctitas dici mereatur, charitatem habes: ſi ab ea non excidis, eximiam etiam beatitudinem poteris expectare. Charitas eſt inſtar pecuniæ, quia ſancti in illo cæleſti foro ſuam fœlicitatem mercantur. Vt quemadmodum qui modicam pecuniam ad forum accedens ſecum defert, rem parui valoris poteſt emere; qui verò magnam vim auri & argenti poſſidet, res pretioſiſſimas emptione conquiret; ita ſecundùm magnitudinem charitatis iuſti gloriæ menſuram accipient. De peccatrice muliere dictum eſt à Domino: Remittuntur ei peccata multa, *Luca 7. 47.*

quoniam

Digitized by Google

quoniam dilexit multum.] Id eſt: quia externa ſigna multæ & magnæ dilectionis exhibuit, ex æquo & bono factum eſt, vt à me multa & magna peccata gratis ei remitterentur. Vel quia re vera multum dilexit poſt remiſſionem peccatorum, multæ & magnæ pœnæ tantis peccatis debitæ illi condonatæ ſunt. Sicut autem pro menſura charitatis & deteſtationis peccatorum plus aut minus pœnæ remittitur, ita plus aut minus gloriæ decernitur. Et qui nihil habet charitatis, planè nihil eſt; qui aliquid eius habet, aliquid eſt; & qui magnam perfectionem charitatis habet, magnus eſt. Propterea dixit Paulus: *1.Cor.13. 2.* Si charitatem non habuero, nihil ſum.] Vnde cùm charitas ſit, quæ nos aliquid facit, cõſequens eſt, vt maior charitas maiores apud Deum & gloria digniores efficiat. Et, ſi dicas quòd iuſtitiæ ac virtuti habitæ, ac bonis operibus gloria reſpondet? Audi Auguſtinum dicentem. *Aug. lib. de nat & gra. c. vlt. to. 7.* Charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt; charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt; charitas magna, magna iuſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt.] Charitas bonorũ operũ eſt origo, & ſanctis operibus, in iuſtis augetur, & creſcit. Coincidunt ergo, aut commenſurantur in adultis charitas & bona opera, & pulchritudo iuſtitiæ. In eis poſt primàm charitatem in baptiſmo, aut in momento iuſtificationis infuſam, non potuit charitas niſi bonis operibus, aut interioribus, aut exterioribus aliquod augmentum obtinere.

Huius ergo virtutis præſtantiſſimæ ſoror eſt obedientia, ei quidem admodum ſimilis. Nam vtraque nos Deo iungit, & de illa ſcriptum eſt: *1.Ioan.4. 16.* Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.] De hac verò: *1.Ioan.3. 24.* [Et qui ſeruat mandata eius, in illo manet, & ipſe in eo.] Atque de hac duplici virtute dixit Beda. *Beda in Ioan. ad c. 6.* Sit tibi Dominus Deus, & eſto domus Dei: mane in Deo, & maneat in te Deus. Manet in te Deus, vt te contineat: manes in Deo, ne cadas. Serua mandata eius, tene charitatem, noli te diuellere à fide illius, vt glorieris in præſentia ipſius, & ſecurus manebis in eo modò per fidem, tunc per ſpeciem. Manebit & ipſe perennis in te, iuxta quod ei Pſalmiſta decantat: *Pſal. 5. 12.* In æternum exultabunt, & habitabis in eis.] Vtraque etiam virtus facit idem velle cum Deo, & idem nolle, licèr diuerſa ratione; nam charitas per modum amici, obedientia per modum ſubditi. Illa, quia diligit, & hæc, quia fidelis eſt, ex toto corde proclamant: *Pſa. 142. 10.* [Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.] Vtraque ſecundùm diuinum beneplacitum deſideria, & actiones ſuas dirigit, & non aliam regulam, niſi quod debet, iubet, aut quod Deus fieri vult, exquirit. Aitque: *Pſal. 118 10.* In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis.] Vtraque eſt virtus generalis, quæ ad omnium mandatorum cuſtodiam impellit. Ac tandem ſicut charitas eſt omnium forma virtutum, quibus vitam, & eſſe tribuit; ita & obediẽtia quodammodo virtutum eſt forma, quoniam id vnum in actionibus earum, vt diuina præcepta compleantur, ſpectat. Si autem tanta eſt ſimilitudo obedientiæ, & charitatis, non mirum ſi dicamus pro menſura obedientiæ à iuſtis præſtitæ gloriæ præmium augeri. Et quidẽ ita eſt. Nam qui ampliùs laborauerit, & Dei, ac prælatorum mandatis obedientior extiterit, is maioris gloriæ particeps fiet. Vnicuique enim redditurus eſt Dominus ſecundùm opera ſua, qui verò ampliùs obedientiæ, & mandatorum impletioni ſe dederit, plura & perfectiora opera virtutis eliciet: maiorem igitur mercedem accipiet. Et ſi pro menſura delicti, quæ ad tranſgreſſionem pertinet, erit & plagarum modus; pro menſura etiam bonorum operum, quæ ſunt obedientiæ fructus, merces illis deſtinata excreſcet. Ac tandem creſcente iuſtorum obedientia, creſcit & charitas, quæ bonorum operum ex obedientia factorum acceſſione capit augmentum. Ergo ſecundùm augmentum obedientiæ in iuſtis repertæ (de hac enim loquimur) ſicut & charitas, ita & gloriæ merces augebitur.

Iam ex his licet colligere quàm magna erit in cœlis perfectorum obedientium gloria, qui ſcilicet omnem vitam ſuam iuxta obedientiæ præſcriptum dirigunt, & vniuerſa opera etiam indifferentia, & naturalia, vt ſunt manducare, dormire, quieſcere, ſecundùm regulam obedientiæ diſponunt, & nec in minimo ex animo ab obedientia diſcedunt. Certè tanta erit ipſorum fœlicitas, vt nec lingua eloqui, nec mens valeat comprehendere. Quare meritò Dionyſius Richelius ad perfectionem obedientiæ exhortans ait: *Dion. de profeſſione monaſt. ar. 14.* Quartò ad hoc prouocare debet contemplatio beatitudinis glorioſiſſimæ, quæ obſeruantibus ſuam profeſſionem promiſſa eſt, ac præſtanda. Quanto enim in hac vita pleniùs ſeipſos offerunt Deo, & eius ſeruituti ſe mancipant, tanto in regno cœleſti Deus ſeipſum pleniùs, clariùs, atque ſuauiùs reddet, coniunget, & applicabit ipſis; & quanto plus propter Deum ſuas fregerunt, ac abiecerunt voluntates, & quò per obedientiam profundiùs humiliauerunt ſeipſos, eo in paradiſo cœleſti Deus omnipotens glorioſiùs adimplebit voluntatem ipſorum, eóſque ſublimiùs collocabit. Hæc ille. qui & ſtatim ex vitis Patrum hiſtoriam narrat, Quòd quidam ſanctorum Patrum in extaſi poſitus vidit quatuor genera hominum Deo placentium. Vnum fuit infirmorum, qui in ſuis infirmitatibus patientiam habent, & Deo regratiantur. Secundum fuit, eorum qui hoſpitalitatem, & opera miſericordiæ exhibent. Tertium fuit, omnino ſolitariorum. Quartum, cœnobitarum, qui ſub ſpiritualis patris, aut matris regimine ſeruiunt Deo. Hi erant maiores in gloria, & torquibus vti aureis videbantur, qui præ cæteris propriam voluntatem propter Deum integraliùs dereliquerunt.] Hi profectò clariſſimum ſpecimen præbent, quòd magnam charitatem habent, quòd proprium amorem perfectè reiiciunt, quòd feruentiſſimè ſe totos abnegant, & à terreſtri Adamo ſecedentes, Adamo cœleſti, ſcilicet Chriſto, ſe omnino conformare ſtudent. His verò iure optimo maiorem gloriam coniectamur paratam eſſe, quàm illis, qui extra obedientiam rectè viuunt, & non ad tantam ſui abnegationem, & Chriſti imitationem perueniunt. Iſti videntur aliquid ſui Deo dicaſſe, illi verò vniuerſa, quæ ſunt, & habent, mente promptiſſima obtuliſſe. Iſtas verò maior & pretioſior oblatio, & Deo gratior, & maiori præmio dignior cenſebitur. Nec immeritò pulcherrimis torquibus exornantur, qui colla ſua iugo obedientiæ & ſubiectionis vinculis ſubdiderunt. Implebitur in te, ô iuſte, ſi hanc ſueris obedientiam ſectatus, illud Eccleſiaſtici: *Eccleſ. 6. 31.* Decor vitæ eſt in illa, & vincula illius alligatura ſalutis. Stolam gloriæ indues eam, & coronam gratulationis ſuperpones tibi.] Cùm, inquam, iugum audis, & vincula meditaris, ne exiſtimes in obedientia aliquid dedecoris reperiri. Decor enim vel ornatus aureus, qui vitam impertiat, eſt in illa, cùm maximus honos ſit, & præmio vitæ æternæ dignus, propter Deum homini ſubiici, & propriam voluntatem abnegare. Obedientiæ vincula non tam vincula ſunt, quàm fila hyacinthina (vt habet alia li-

tera) vel alligatura ſalutis. Hæc nos ligat, vt liberet; tenet, vt ſaluet, & vt à fouea iniquitatis eripiat. Conuerteritque in ſtolam gloriæ, & ſertum exultationis, quoniam qui obedientiæ ſe ſubiecerit pro veſte ſeruili amictum beatitudinis, & pro ſubiectione coronam regni, qua in perpetuum exultet, accipiet.

Aliud caput tandem attingamus, ex quo obedientium gloria colligatur. Illud autem eſt illuſtriſſimus virtutum comitatus, qui obedientiam vndique cingit. Nam qui perfectè, & ob Dei, ac perfectionis amorem ſe homini ſubiicit, certè magna charitate flammatur, certiſſima ſpe ac fiducia ſubnititur, profundiſſima humilitate decoratur, fortitudine roboratur, patientia defenditur, & conſtantia ſtabilitur. Quid quòd virtutes reliquæ obedientiam præcedunt, aut ſubſequuntur, nihilq; eſt in hoc virtutum, ac bonorum operum genere, quod non verus obediens exquiſitè perficiat? Hinc eſt, quòd cùm virtutes ad hoc datæ ſint, vt affectus cõprimant, & vires noſtras ordinent, Deóque ſubdãt, hæc vna obediẽtia, tamquam omnes virtutes continens, mirificè præſtat. Intellectum Deo, ac prælatis ſubiicit, voluntatem frangit, vires ſenſuum, & membra ad opus mouet, & quidquid eſt in homine, in omni loco, & in omni tempore in Dei obſequium impendit. Si ergo vna virtus ſola magnam in cœlis gloriam expectat, & meritò expectat, hæc virtus generalis cæteras quaſi ſui partes continens, atque earũ cumulata meritis, & laboribus circumſepta, quod præmium expectabit, ad quam glorioſam ſedem aſcendet? De quibuſdam ſanctiſſimis viris, vt de Martino & Franciſco, canit Eccleſia: Hic ſanctus pauper, & humilis cœlum diues ingreditur, hymnis cœleſtibus honoratur. Liceat mihi de hac virtute præſtantiſſima hoc idem ad oſtenſionem eius gloriæ cantare. Obedientia pauper, & humilis cœlum diues ingreditur, hymnis cœleſtibus honoratur. Expende tu, cùm duo homines, alter pauper, & alter diues curiam regiam ingrediuntur, pauperis diuitiſque diſcrimen. Si curiam ingrediatur pauper, aut certè ciuis honeſtus, ſine ſtrepitu ab aliquo amico excipitur, at ſi clariſſimus princeps adueniat, non ſine magno plauſu, & celebri apparatu ciuitatem ingreditur. Nobiles & magnates ad eum extra ciuitatem accurrunt, & cum illuſtri comitatu in domum ampliſſimam optimè præparatam, vel certè in ipſam regiam deportant. Huius diſcriminis cauſa eſt, quòd ille vt pauper, hic vt diues; ille vt priuata perſona, hic vt publica curiam intrauit. Sic ego de obedientia, ac de alia quapiam virtute morali cogito. Si cœlum ingrediatur continentia, ſi fortitudo, ſi paupertas, ſi alia ſimilis virtus, in qua quis eminuit, locum, & hoſpitium ſuis meritis parem inueniet. At obedientia perfecta ſi cœlum ingrediatur, vt princeps clariſſima ingreditur, quam omnes virtutes cingunt, multa dona comitantur, plurimi ſancti labores circumdant, ita vt pro meritis, debeat locum eminentiorem accipere, & in domum ampliſſimam, ac plurimis diuitiis refertam deportari. Hæc cœlum ingreditur diues in meritis, diues in miraculis, diues in virtutibus, diues in ſignis. Diues quidem in meritis, quæ quia omnia vt obediat perficit, omni loco, & omni tempore, & omni opere ſua merita auget. Diues in miraculis, quoniam à Deo plurima miracula facta ſunt, vt quàm ſit ſibi grata ſubiectio, approbet atque confirmet. Diues in virtutibus, quæ ad omnem virtutem exercendam allicit, & cœtum vniuerſarum virtutum vel præeuntium, vel comitantium, vel ſubſequentium ſecum vehit. Diues tandem in ſignis, quia veræ ſanctitatis eſt index, Chriſti, & Sanctorum imitatrix, & omnis, qui imitatores Adæ videbamur, propriæ voluntatis expultrix. Virtus tam diues, tam præclara, tam illuſtris quid ni magnam in cœlis gloriam obtineat? Certè veri obedientes atque perfecti incomparabile gloriæ præmium poſſident, vt ille, qui per obedientiam vſque ad mortem exaltatus eſt, membra ſua iter ſubiectionis ingreſſa ſecum in eminentiſſimo loco collocet, & præmio magnæ fœlicitatis exaltet.

Qua viâ, & ratione diſcemus Obedientiam.

CAPVT XVII.

OMNIS obedientiæ latitudo ſeptem à nobis gradibus comprehenſa, tribus illis præcipuè continetur, quibus quod à ſuperiore mandatur, exequimur; & voluntatem noſtram maioris voluntate formamus, & iudicium iudicio eius ſubmittimus. Pro his ergo tribus gradibus aſſequendis ſpecialia media aſſignabimus, quæ ſi præſtiterimus, beneficio Dei, perfectionem obedientiæ conſequemur.

Vt ergo, religioſe vir, ad promptam obedientiam executionis peruenias, hæc tibi ſunt omnimodis obſeruanda. Nulli miniſterio, nulli occupationi, nulli rei quantumuis ſpecioſæ, aut fructuoſæ, niſi ſoli obedientiæ te dedices. Publicus, exempli gratia, Theologiæ, aut Philoſophiæ præceptor, doctrinæ, & lectioni ſe conſecrat, concionator concionibus diſponendis, & prædicandis, ſcholaſticus ſtudiis, officialis muneribus externis ſe dedicat, & quia vnuſquiſque eſt ſuæ occupationi dicatus, & plus nimio addictus, hinc prouenit, vt difficultatem in obedientia recenter ſibi iniuncta ſentiat, & non promptè neque hilariter pareat. Quæ ergo nobis fuerint quaſi ſtabiliter, & ex profeſſo, atque ad longum tempus iniuncta, diligenter quidem, & alacriter facienda ſunt, ac ſine immoderata adhæſione præſtanda, vt quotieſcumque ea vel interrumpere, vel pro aliis muneribus commutare, vel ex toto omittere oporteat, obedientia non alicui rei alligatos, ſed promptos, ſed expeditos; ſed ſibi ſoli dicatos inueniat. Hoc documentum ex Bonauentura diſcemus, qui loquitur in hæc verba: Eſto dominus tui ipſius, nec des alicui poteſtatem cordis tui, niſi Deo, & prælato tuo propter Deum. Eſto ita expeditus ab omnibus alienis occupationibus vel affectionibus, quòd in nullo, prælato tuo aliquando moleſtus ſis pro licentiis aliquid agendi, vel eundi, vel dandi, vel accipiendi. Et ita liberè arbitrio ſuo te committas, quòd tibi ſecurè dicere poſſit: Fac hoc, & dimitte illud. Et tu ſine murmuratione cordis, & difficultate facias, vel dimittas. Alioquin paruam fiduciam potes habere de merito obedientiæ tuæ, quam vouiſti Deo in manibus ſui vicarij, vel tui prælati. Si tu per impatientiam, vel importunitatem, cùm volueris eum tibi ſeruire, vel te licentiare quo tempore velis, noluerit, murmures, tunc non intrares per oſtium, quod eſt Chriſtus, in ouile ſanctæ religionis, quia non venit facere voluntatem ſuam,

Bonauen. trac. de interiori homine. p. 1. c. 40.

sed

ſed patris. Ita enim tu fur eſſes, & latro. Fur, quia rem alienam, hoc eſt, voluntatem propriam, quam prælato reſignaueras, eo inuito vſurpares. Latro, quia tali exemplo animas ſimplices necares. Hæc ille.] Bene itaque obedientibus dicemus, licèt in alio ſenſu, illud Pauli: Vos enim in libertatem vocati eſtis, fratres, tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis. *Gal. 5. 13.* Illi profectò in libertatem vocati ſunt, vt ſcilicet nullius occupationis, aut muneris ſerui fiant, ſed liberi & expediti à nimio affectu, ad ea quæ ſunt acturi, procedant. Quæ libertas optima eſt, & ad conſeruandam mentis ſerenitatem, & ſpiritum obedientiæ promouẽdum neceſſaria, dummodo ex hac libertate in negligentiam, (quæ libertas carnis vocari poteſt) non decidãt. Sint velut illa Ezechielis animalia, de quibus inter alia ſcribitur: *Ezech. 1. 12.* Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur.] Illa, inquam, non ad hũc vel illum locum ſe inclinabant, ſed omnino parata erant, vt huc vel illuc à diuino ſpiritu ducerentur. Sic & obedientes non ad hanc vel illam functionem afficiantur, ſed indifferentes ſint, vt pro impetu ſpiritualis patris in hoc vel in illo occupentur.

Confert etiam ad promptam obedientiæ executionem, vt non ſolùm ad nullum munus, nullámque functionem afficiaris, verùm & vt cor tuum ab omni affectu rerũ creatarum liberes, qui te ab obedientia retardare poſſit. Hac nuditate affectionum exiſtimo à Domino paratos fuiſſe diſcipulos, vt poſt ipſum irent, & abſque vlla mora, & tergiuerſatione, vniuerſa relinquerent. Illi, ait, continuò relictis retibus ſecuti ſunt Dominum. *Matt. 4. 20. Chryſoſt. ſerm. 14. in Matt.* Põderat Chryſoſtomus iſtam Apoſtolorum promptitudinem, dicens: Perpende & fidem, & obedientiam vocatorum, ſiquidem in medio ipſius operis conſtituti, cùm illum audiſſent iubentem, nihil diſtulerunt, nihil omnino cunctati ſunt; non dixerunt, reuertemur domum, loquemur propinquis, ſed cuncta illico relinquentes, fecerunt quod Elizæus quoque ſub Elia legitur impleſſe. *Reg. 19.* Talem quippe obedientiam à nobis Chriſtus efflagitat, vt neque punctum temporis differamus, etiam ſi nos aliquid neceſſarium vrgere videatur. *Matt. 8.* Propter quod & alium quendam accedentem ad ſe, & rogantem, vt ad ſepeliendum patrem rediret, nec id quidem facere permiſit, oſtendens quia Chriſtus cunctis ſit etiam neceſſitudinibus præferendus. Sic ille.] Quomodo ille, qui ſuauiter omnia diſponit, piſcatores iſtos ad tam promptam obedientiam permouit? Non aliter (vt puto) quàm in eis affectum lucri moderando, & immoderatum amorem erga patrem, & retia, & cymbam, auferendo. Ita ſi immoderatum affectũ erga res abſtuleris, facilem ac promptum ad obediendum te ſenties.

Adeo autẽ neceſſaria eſt hæc affectuum nuditas ad facilem obedientiæ exequutionem, vt neceſſe ſit ad ipſum prælatum iubentem nimio amore non affici. Vnde Dorotheus ait: *Dorothe. doctr. 24.* Subijcere ſuperioribus & ducibus tuis, & illorum nimiam conſuetudinem vitæ: eſt enim laqueus, negligentes & deſides in perditionem inducens.] Si enim hunc prælatum, & res illius, ac modum gubernandi nimio amore dilexeris, alio clauum accipiente, & aliter domum, aut prouinciam regente, eius mandatis alterius gubernationi contrarijs obluctaberis, & fortè, vt minùs diſcreta contemnes. Dilige itaque prælatum, vt patrem, & eius mandata in pretio habe, & amori tuo, & æſtimationi modum pone. Scito, hæc quæ ille præcipit, pro hoc tempore, quo prælatus eſt, ſalubria & vtilia reputare; pro tempore verò, quo iam non ipſe ſed alius præeſt, alia, etiam ſi oppoſita videantur, proficua, & diſcreta cognoſcere, vt in omni tempore promptus obediens inueniaris, & non tuis dictaminibus aut amici tui, ſed præceptis maioris cuiuſcumque propter Deum ſubiectus reputeris. Ac tandem, vt hæc media rectæ exequutionis concludamus, certũ ſit, quemcumque amorem, vel timorem immoderatum obedientiæ exequutioni obſtare. Quare Richard. de Sancto Victore ait: *Richar. Ben. am. minor. p. 1. c. 26.* Duo ſunt, quæ ſolent perfectionem obedientiæ præpedire, id eſt, ne cogamur vel amata deſerere, vel aſpera tolerare. Sed ſi ſemel animus amore abſtinentiæ, vel patientiæ, perfectè incaluerit, protinus Ruben, id eſt, timor Dei, ad omnem obedientiam abſque vlla contradictione ſe ſubdit. Qui enim tam aduerſa perpeti, quàm in proſperis non delectari, apud ſemet ipſum ſtatuit, quæ difficultas eius obedientiam minuere poterit? Si enim dura & aſpera quæque pro Dei amore etiam per memet ipſum appeto, cur non magis hæc ex adiuncta obedientia, ad maioris meriti gloriam tolero? Sic ille.] Nihil igitur immoderatè amemus, nihil immodicè timeamus, & iniuncta promptè ac faciliter exequemur.

Ad obedientiam voluntatis tria alia iuuant, quæ modò ſubijciam. Vnum eſt, vt prælatos tuos diligas, & eos de te bene meritos patres agnoſcas. Illi enim (vt iam diximus) verè ſunt patres ſubditorum, ſtatu & affectu. Statu quidem, quia habent officium parentum, & debent ſubditos diligere, & eis neceſſaria miniſtrare, & ab omni malo defendere. Affectu verò, quia hoc ipſum ad quod tenentur, præſtant, & à ſubditis mala auertere, & in omnibus prouidere deſiderant. Dilige itaque illos, & tunc libenter eis obedies, non aliter quàm boni filij parentibus, ſponſæ dilectiſſimis ſuis viris obediunt. Ad hanc dilectionem obedientiæ coniunctam Eccleſiaſtici verbis hortatis, ita dicentis: *Eccl. 3. 1.* Filij ſapientiæ Eccleſia iuſtorum, & natio illorum obedientia, & dilectio.] Iuſti ſunt, qui à ſapientia inſtituuntur, genúſque eorum obedientiæ ac dilectioni deditum eſt. Ita namque obediunt, vt ſimul diligant; ita diligunt vt ſimul obediant. Bene proinde monuit Bernardus iuſtos, *Bern. de nat. amo. vel diuin. Caput. 8.* vt ſi prælati ſunt, ſint ſicut patres ad filios: ſi ſubiecti, vt filij ad patres ſuos: ſi conuiuentes, omnium ſeruos ſe faciant: pius ad omnes affectus, dulcis in bono conſenſus, occurſus in hilaritate, cohabitatio in gratia, diſceſſus in oſtenſione charitatis, ad minores quouis modo mitis affectio cum opere, ad patres amor vſq; ad ſubiectionem, ad maiores reuerentia vſque ad ſeruitutem.] Ideo igitur à ſubditis amor exigitur, vt amor, quem habent ad prælatos, tamquam ad patres, ipſorum voluntatẽ inflectat, vt libenter onera obedientiæ ſuſcipiant. Dominus quidem nos amore ad obedientiam allexit: priúſque præcepit, vt diligeremus ipſum ex toto corde, ex tota mente: ex hoc amore ad aliorum mandatorum cuſtodiam expeditam præparauit. Ita ſi dilexerimus prælatos noſtros propter Dominum, facilè voluntatem noſtram ad obediendum flectemus.

Alterum eſt ad obedientiam voluntatis neceſſarium, vt diligas ea, quæ tibi iniunguntur, ad ea te applices, & rationes quæras, quæ te ad earum amorem permoueant. Vt enim ait Leo Papa: *Leo ſer. 4. de ieiun. 7 menſis* Obediẽtia mollit imperium, nec dura ibi neceſſitate ſeruitur, vbi diligitur quod iubetur. Dauid ſanè ita ſe ad promptam & volũtariam ſubiectionem animabat, legem, quam erat ſeruaturus, diligens, & vtilitates obſeruationis expendens. Quomodo inquit, dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea eſt.] *Pſ. 118. 97. & 113 & 47. 48* Et, Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.] Et: Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.] Et: Leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, & exercebar

aſcribas, ſic paulatim rationem altiora ſe præſumentem compeſces, & iudicia aduerſùs imperata inſurgentia frænabis.

Poſtremò, ſtatum tuum ac prælati conſidera, & hæc meditatio te à iudicio mandatorum eius auertet. Ille caput eſt à Deo quidem conſtitutum, tu verò membrum capiti ſubiectum, quod ſecundùm rationem rectam à capite debet dirigi ac gubernari. Ille magnam lucem à Domino communicatam habet vt regat; tu modicam, illam ſcilicet quæ ſufficit, vt obedias. Ille non paruam rationum copiam meditatus eſt, & conſilio aliorum adiutus, vt hoc, aut illud præciperet; tu nullam, aut vnam rationem vidiſti, vt præcepto eius obſiſteres. Ille bonum commune ante oculos propoſuit, vt ita in gubernatione procederet; tu bonum peculiare tuum, aut non bonum aliquod, ſed ſolum affectum immoderatum intendis, vt oppoſitum mandati vtile iudices. Ille tandem experientia pollet; tu inexperientia, & cæcitate non cares. Quare ergo tam ſuperbus eris, & arrogans, vt audeas iudicio, & ratiunculis tuis, prælati iuſſis repugnare?

Eccleſ. 8. 17. Non iudices contra iudicem, ait Eccleſiaſticus, quoniam ſecundùm quod iuſtum eſt, iudicat.] Ne, inquam, cauſam agas contra prælatum, quam profectò inite decreuiſti, quando eius præcepta improbare audes. Ille enim, quod iuſtum erat, præcepit, ac rationi conſonum, vnde Chriſtus iudex omnium, ac iudex huius cauſæ futurus, te nimiæ temeritatis arguet, illum verò ab iniuria vindicabit. Temerarius quidem eſt ille, qui non ſibi commiſſum iudicat. Tibi commiſſum non eſt prælatum tuum iudicare, aut eius præcepta diſcutere. Ne igitur eum iudicando, mandatáque eius examinando, in temeritatem, & in pœnam temerariis deſtinatam incurras. Hæc habuimus, quæ ad perfectionem obedientiæ conſequendam legentibus proponeremus. Beatus autem Pater noſter Ignatius, in illa aurea obedientiæ epiſtola, tria alia media propoſuit ad ſubiiciendum iudicium, quæ conſultò prætermittimus, ne omnibus peruia proponamus.

Concluſio huius tractationis, ac de amore obedientiæ.

CAPVT XVIII.

AD finem iam huius tractationis, ac huius ſecundi voluminis, Deo ac Domino noſtro donante, peruenimus, cuius ope vitæ ſpiritualis itinera patefecimus, & omnibus piè & religioſè viuentibus, rationem à malo declinandi, & bonum faciendi, monſtrauimus. Illud ſolum ſupereſt, vt compendium huius multiplicis viæ inueſtigemus (ſi quod fortè ſit poſſibile reperire) vt illud homines infirma memoria, aut exiguis viribus teneant, & per ipſum quaſi per iter tutiſſimum ad vitæ ſpiritualis finem, quem in vótis habent, ſcilicet ad perfectionem, ac mentis ſanctitatem, perueniant. Vtiliſſimum namque eſt, viam regiam, qua itur ad vrbem, ſcire; at vtilius & amabilius eſſe ſolet viam compendiariam agnoſcere, ſi per eam breuiùs & tutiùs ad ciuitatem acceditur, & viator à multis laboribus & periculis liberatur. Hoc igitur vitæ ſpiritualis perfectioniſque compendium, eſt obedientia, qua vna retenta, miro modo vniuerſas virtutes poſſidemus, & cunctas vitæ vias breui conficimus, & ad vitam æternam, ad finem nimirum omnis deſiderij noſtri, &

A omnis perfectionis feſtinamus. Serui eſtis (verba ſunt Pauli) eius cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam.] *Rom. 6. 16.* Duos terminos ponit, & duas horum terminorum vias. Termini ſunt, mors & iuſtitia. Licèt enim morti ſola vita oppoſita videatur, meritò tamen ei oppoſuit iuſtitiam, quoniam non ad mortem corporis, ſed animæ, reſpiciebat, cuius vita non eſt alia, quàm ipſa gratia atque iuſtitia. At viæ mortis & vitæ animæ qua nunc Deo per gratiam viuimus, & poſtea per gloriam viuemus, ſunt peccatum, & obedientia, vt ſicut peccatum ad mortem ducit, ita intelligamus obedientiam viam eſſe, qua ad vitam gratiæ & gloriæ omnes iuſti perueniunt. Idque exemplo illius adoleſcentis monachi mirè obedientis oſtenditur, ad cuius ſepulchrum, poſt mortem eius, cùm

B (vt Climacus narrat) ſenior quidam veniſſet, ad eúmque clamans dixiſſet: *Climac. gradu 4.* Frater Achati, putáſne mortuus es? Reſpondit vita functus: Et fieri quomodo poteſt pater, vt moriatur homo obedientiæ deditus?] Hic mortem per obedientiam euaſit, & per hanc viam ſemper duraturam vitam inuenit. Eadem quoque nos ad perfectionem, quam ille adeptus eſt, tranſibimus, & vitam illam veram & beatam aſſequemur. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, *Rom. 5. 14.* ſcilicet primi parentis, peccatores conſtituti ſunt multi, omnes inquam illi, ab eo peccatum originale traxerunt, & inobedientiæ ſui parentis participes facti ſunt: ita & per vnius obeditionem, nempe Chriſti, iuſti conſtituti ſunt

C multi; omnes inquam illi, qui per meritum paſſionis, & mortis eius gratiam & obedientiæ imitationem participarunt. Peccatum itaque via eſt quæ ducit ad mortem, & obedientia via eſt quæ ducit ad vitam. Per peccatum, quod tranſgreſſio & inobedientia eſt, peccator duplicem mortem culpæ & æternæ damnationis incurrit: per obedientiam verò iuſtus duplicem vitam gratiæ, & gloriæ, & perfectæ gratiæ, ac eximiæ gloriæ perfectis paratæ promeretur.

Si ergo, ô iuſte, perfectionem cupis, ſi eius aſſequendæ gratia hæc noſtra ſcripta legiſti, vt ex eis viatum perfectionis notionem deſideriúmque decerperes, ecce compendiariam viam perfectionis, & tutiſſimam, & ſuauiſſimam, & omnium fre-

D quentiſſimam tibi demonſtro. Hæc via compendiaria eſt; quoniam, vt diximus, omnes virtutes continet. Si diligis Deum, ſi diligis proximum propter Deum, ſi Deo debitum cultum exhibes, ſi ad parentes pietatem, ad maiores obſeruantiam, ad æquales affabilitatem habes: ſi promiſſa imples, ſi veritatem in dictis tenes, ſi miſericors, ſi patiens, ſi mitis, ſi conſtans, ſi ſobrius, & caſtus, & modeſtus exiſtis, in his omnibus obedientiam cuſtodis. Vnde ſi hanc tenueris, dum tenueris, non poteris legem tranſgredi, nec peccatum admittere, nec aliquam virtutem debitam præterire. Quare propoſitis à Moyſe præceptis legis, quæ iuſtitiæ, & virtutum præcepta ſunt, orationem ſuam ſic ille

E obedientia concluſit. Cuſtodite, & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis *Deut. 5. 32. 33.* neque ad dexteram, nec ad ſiniſtram: ſed per viam, quam præcepit dominus Deus veſter, ambulabitis, vt viuatis, & bene ſit vobis.] Quid eſt, cuſtodite, & facite, niſi obedite Domino, & præcepta eius non tantùm memoria ſeruetis, ſed etiam obedientia poſſideatis? Et quæ eſt hæc via, per quam eſtis ambulaturi? nonne eſt obedientiæ via, à cuius tramite non eſt ad dexteram neque ad læuam declinandum, quia declinare, eſt obedientiam de-

ſetere,& malum inobedientiæ complecti?Hæc obedientia, eſt via vitæ,quia per eius functiones & fructus, nunc ſpiritualiter viuimus, & bonum illud æternum,quo bene ſit nobis,& ineffabile,comparamus.Quis ergo iam neget obedientiam, viarum vitæ, id eſt, omnium virtutum, eſſe compendium, quam ſi confecerimus, omnes virtutes exercebimus?

Obedientia inſuper via eſt tutiſſima, quam qui non dilexerit, qui non operibus prætulerit, licèt in cœlum ſepties quotidie rapiatur, licèt montes fide transferat,& eximia miracula faciat, non ſecurus in cœlum vadit,ſed certiſſimè cum ingenti periculo damnationis æternæ in præceps ruit. Meritóque Dionyſius Richelius ait:Qui vult opera ſua eſſe tuta ac recta in conſpectu Dei, nihil obedientiæ præferat, nihil penitus anteponat, ſiue iunior, ſiue ſenior: imo quo ſenior eſt, eo ædificationi & perfectioni plus ſtudeat, nullúmque ſibi faciat finem proficiendi.] Non obedientibus conuenit illud Iudæ Apoſtoli: Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes.] Nam eo ipſo quòd Deo, & prælatis non obediunt, ſpiritum vitæ non habent, & dum ab aliis fratribus ſe per inobedientiam ſegregant, ſignum vitæ animalis,& carentiæ vitæ ſpiritualis important. Omnia detrimenta animæ,inquit Euſebius Emiſſenus, ex inobedientiæ vitio oriuntur. Ergo omnis ſecuritas animæ ex obedientia debet procedere, cuius poſſeſſori nihil ad ſecuritatem poteſt deeſſe. Vita ſpiritualis quanam ratione, & quibus adiumentis ſecura tranſigitur? Similibus certè eorum, quæ ad vitam corporalem requiruntur. Huic autem, quæ ſufficient? An non cibus, vt mortem irruentem repellat; & notitia malorum & bonorum,vt illa fugiat, & iſta appetat; & fortitudo,vt mala caueat, & bona conquirat? Sed hæc tria ad vitam ſpiritualem animæ vna obedientia continentur. Obedientia cibus eſt, quæ animam multiplici virtutum actione ſuſtentat. Lux eſt, quia ſapiens, & diſcreta eſt, quæ malum improbat, & bonum approbat. Fortitudo eſt, quia patientiam habet adiunctam, qua difficultates præceptorum obſeruandorum ſuperat, & animam, cui inſedit, ad rectum faciendum impellit. De his tribus, quæ ad vitam ſpiritualem diximus neceſſaria, pulcherrimè Bernardus eſt locutus, proptereáque, vtile duximus, eius verba non præterire. Sic ille ait. Bonus cibus obedientia, de qua nimirum & ipſe dominus ait: Meus cibus eſt vt faciam voluntatem patris mei.] Et Propheta: Labores (ait) manuum tuarum, quia manducabis,beatus es, & bene tibi erit. Bonus cibus patientia pauperum, quæ non peribit in finem, panis lacrymarum, panis doloris. Verumtamen vtrique neceſſarium eſt condimentum, ſine quo vterque inſipidus, non modò non reficiat, ſed guſtatus afferat mortem. Duriſſimus equidem cibus vterque fratres, & niſi aliquod tertium ſaporabile apponatur, vtique mors in olla. Quid verò tam ſaporabile,quàm ſapientia? Nempe lignum vitæ eſt, quod & ipſas aquas Marath, per Moyſem dulcorauit. Farinula eſt, quæ pulmentum Prophetarum per Heliſæum ſaporauit. Oleum eſt ob cuius inopiam virginibus fatuis oſtium clauditur nuptiarum. Sal eſt, quod nulli ſacrificio deeſſe iubetur. Inde eſt quòd inſulſos homines dicimus, quos intelligi volumus minimè ſapientes. Et Dominus ſal in nobis præcipit haberi. Apoſtolus quoque omnem noſtrum ſermonem ſale monet eſſe conditum. Puto tamen hanc ipſam, quam obedientiæ, & patientiæ tertiam addi volumus

Dionyſ. de profeſſ monaſt. art. 13. — *Iudas. 19.* — *Euſeb. 9.* — *Bernard. ſer. 3. de diuer.* — *Ioan. 4. 34.* — *Pſal. 127 2.*

A ſapientiam, nihilominus triplicem inueniri, vt noſtrum hoc condimentum velut tribus quibuſdam herbis conficiatur. Opus eſt, vt iuſtitia ſit in intentione, habilitas in operatione, humilitas in reputatione. Inſipida namque Deo, & inſulſa quodammodo noſtra obedientia, ſeu etiam patientia eſt, niſi omnium, quæ vel agimus, vel patimur, ipſe ſit cauſa: quia & quidquid facimus, iubemur facere in gloriam Dei. Et non ſi quid patimur,ſed ſi quid propter iuſtitiam patimur, beati. Oportet autem puſillanimitatem quoque, & triſtitiam in omnibus, quæ agenda ſunt, vel toleranda; caueri: quia hilarem datorem diligit Deus.Denique hilaritas ipſa, & bona voluntas, ad eam, quam ſuprà diximus, præparationem, ſpecialiter noſcitur pertinere. B Porro elationem ſuper omnia fugere neceſſe eſt. Quiſquis enim altum ſapit, & opus eius,& patientia vanum ſapit: nec grauior vllus ſapor, aut magis contrarium eſt veritati, Hactenus Bernardus.] Tuta eſt igitur obedientiæ via, quia cibum ſalutarem, patientiam fortem, & ſapientiam hanc de ſurſum deſcendentem reperit quiſquis per eam perſeueranter incedit.

Competit quoque obedientiæ vt via ſit plena ſuauitatis. Nam verè qui eam ingrediuntur, quaſi in lectica in cœlum eunt. Qui in rheda aut lectica iter faciunt, omnibus notum eſt, quantis moleſtiis itineris liberentur. Neque Solis ardoribus æſtuant, nec hiemis frigore rigent, C nec niue, aut grandine feriuntur, nec pluuia madefiunt. Ita veri obedientes in lectica ſanctæ obedientiæ vecti à mille tentationum actibus, & à multis animæ periculis liberantur. Sol indiſcreti feruoris eos non vrit, quem nubes obedientiæ temperat; nix ignauiæ & tepiditatis non impedit, quam indumentum obedientiæ arcet; pluuia moleſtiarum non tingit, quia illos obedientiæ tegumentum cooperit. Hæc via ſanctæ ſubiectionis plana eſt, anfractibus ac præcipitiis exempta. De qua Salomon ait: Via iuſtorum abſque offendiculo:] Nam licèt in ea aliquid moleſtiæ ſe offerat, ſpe retributionis euaneſcit. Iuſti quippe, vt Gregorius ait, in conuerſatione ſua quidlibet eis aduerſitatis obniauerit, non impingunt, quia temporalis aduerſitatis D obſtacula æternæ ſpei, & internæ contemplationis ſaltu tranſſiliunt. Hanc viam fructuoſæ arbores, & proceræ, & flores, & roſæ, & violæ vndique cingunt, & riui aquarum ſalubetrimarum rigant, quia cor perfecti obedientis fructus virtutum reficiunt, angelorum excubiæ protegunt, ſanctæ cogitationes & deſideria florere faciunt, & fluenta gratiarum irrigationi deſeruiunt. De qua profectò illud Iſaiæ intelligi poteſt, quod ad litteram de ipſo authore huius viæ, ſcilicet de Chriſto, qui dixit: Ego ſum via, ſcriptum eſt. In cubilibus, id eſt, in cordibus peccatorum, in quibus priùs dracones multarum tranſgreſſionum habitabant, orietur viror calami, & iunci, nimirum multiplicis virtutis pulchritudo. Et erit E ibi obedientiæ ſemita, & via. Semita, quia eius ſuauitas non omnibus nota eſt: & via, quoniam per ſe ſatis lata & aperta eſt. Hæc via ſancta vocabitur, nam & opera ſanctitatis docet, & ad ſanctitatem ducit. Non tranſibit per eam pollutus, quoniam eo ipſo, quòd aliquis ſe peccato polluat, à tramite debitæ ſubiectionis exorbitat. Et hæc erit vobis directa via, nam ſine ambagibus in perfectionem tendit, & ita certa eſt, vt nec ſtulti errent per eam. Non erit ibi leo, &

Prouerb. 15. 19. — *Greg. 30. mor. c. 23.* — *Ioan. 14. 6.* — *Iſaia. 35. 7.*

mala alicuius vitij beſtia non aſcendet per eam, nec inuenietur ibi. Et qui liberati fuerint à miſeriis ſæculi, ambulabunt per eam. Quis ergo per hanc viam non iucundè gradiatur? Certè ſubditi ſi ex animo obediant, vt hæc virtus requirit, alacres & exultantes incedunt, adeo vt quiſque eorum dicat: *Pſ. 121. 1.* Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.] Habet enim conſcientiam atteſtantem ſibi, quia cùm patet, in domum æternam Domini properat, vbi in æternum exultet. Quin & hæc obedientiæ lætitia ad ipſos prælatos extenditur. *Hebr. 13. 17.* Idcóque monet Paulus vt obediamus præpoſitis noſtris, rationem pro animabus noſtris reddituris. Additque vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit nobis. Planè non expedit, quia languor capitis in corpus redundat, & dum prælati noſtri, ex noſtra inobedientia triſtantur, non poſſumus non ex eorum triſtitia contriſtari, & ſeueritatem diſciplinæ ſentire. Obedientia igitur nos lætificat, & prælatum adiuuat, & lætitia perfundit. *Iuſtin. de diſciplin. mon. c. 7.* Tunc enim adiuuatur, vt Laurentius Iuſtinianus ait, tunc ipſius participatur labor, tunc lætus effectus pondus non ſentit, cùm prompto obeditur affectu. Coacta namque ſeruitia faſtidioſo ſuſcipiuntur animo. Quæ verò alacri mente, placido vultu, & volenti exhibentur corde, lætificant præcipientem. Quanta putas erit lætitia illius domus, in qua prælatus in Domino gaudet, & ſubditus in eodem Domino vehementer exultat?

Illud præterea ad hanc ſanctam obedientiæ viam ingrediendam mouet, quòd frequentiſſima eſt, & omnes qui rectè ſapiunt, intrant per eam. Hanc nouem Angelorum ordines perfectè conſiciunt. *Hebr. 1. 14.* Nam, vt ait Paulus: Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.] Et Dauid ad Dominum: *Pſ. 103. 4* Qui facis Angelos tuos ſpiritus,] id eſt celeres in obediendo, [& miniſtros tuos] efficaces in miniſtrando, [vt ignem vrentem.] Hanc viam omnes iuſti ingrediuntur, nec qui iuſti ſunt poſſunt eam deſerere. *Iob. 17. 9. Pſ. 36. 31. Prou. 10. 16. Ezechiel 18. 5. 9.* Tenebit enim iuſtus viam ſuam.] Et lex Dei eius in corde ipſius.] Et opus iuſti ad vitam.] Et ſi vir fecerit iudicium, & iuſtitiam,] & in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea cuſtodierit, vt faciat veritatem, hic iuſtus eſt.] Quid moror? Ab hac obedientiæ via creaturæ rationis & ſenſus expertes nec ad momentum diſcedunt. *Bruno de orna. Eccleſ. c. 10.* Quod gratum erit ex verbis Sanctiſſimi Brunonis, & illuſtriſſimi Carthuſienſium Patriarchæ intelligere. Sic ille ait: Quid igitur dicent monachi inobedientes, & ſuas voluntates facientes, ac per hoc Deo non placentes cùm tota monachorum religio obedientia ſit? Cùm videant non ſolùm rationales creaturas, ſicut Angelos, & homines, verum etiam, quæ ſenſu & ratione carent, iubentis Domini obedire voluntati? Inde eſt enim quòd cœli enarrant gloriam Dei. Inde eſt quòd venti & mare obediunt ei. Inde eſt quòd terra noſtra dedit fructum ſuum: Inde eſt quòd omne lignum dat fructum in tempore ſuo. Denique quòd virga in ſerpentem, & aqua mutatur in ſanguinem: quòd maria aperitur, quòd petra fundit aquas, quòd manna pluit: quia aſina loquitur: quòd Iordanis conuertitur retrorſum: quòd, iubente homine, ſol non mouetur: Totum hoc obedientia facit: ſunt & alia huiuſcemodi innumerabilia, quæ in diuinis voluminibus inueniri & colligi poſſunt. Præſertim, qui noui teſtamenti paginas legerit; ibi cognoſcet quantum obedientia poſſit: vbi videbit ad hominis imperium dæmonia fugere, mortuos reſurgere, elementa mutari, lepròſos mundari, cæcos illuminari, paralyticos curari. Sed quid multa? Ibi videbit nihil rerum poſſe, nec naturam contra illius voluntatem qui creauit ipſam naturam. Sed ô miſeria ſemper lugenda, & magis lacrymis quàm verbis ſemper exponenda: Omnis creatura eſt obediens Deo præter illam, quæ facta eſt ad imaginem Dei. Solus Diabolus, & homo inobediens inuenitur, cùm nulla alia creatura inobediens inueniatur. Huc vſque ille.] Et quidem ſi inimicitias cum Diabolo gerimus, non conſentiamus ei, neque eius inobedientiam & pertinaciam imitemur. Sit nobis exoſa illa via, quam ſoli iniqui & perditi ambulant; (& hæc non eſt alia quàm via inobedientiæ) illam verò omnibus mentis conatibus ambulemus, quam Angeli & iuſti, & creaturæ ſine ſenſu, aut ratione à Deo doctæ frequentant. Stultum enim eſſet, greſſus inſipientium ſequi, quorum finis tenebræ, & væ, & à veſtigiis ſapientum deuiare.

Sapiens pigrum, vt ſapientiam diſceret, ad formicam mittit; ego verò religioſæ vitæ ſectatores ad ſeruos ſæcularium mitto aliquod præmium expectantes, vt ex illis obedientiæ promptitudinem & perfectionem addiſcant. *1. Tim. 6. 1.* Certè Paulus ſeruis imperat, vt ſuis dominis & heris obediant. Quicumque, inquit, ſunt ſub iugo ſerui, Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur. *Chryſ. ib. hom. 16.* Quo loco Chryſoſtomus pulchrè (vt ſolet) fideles exemplo ſeruorum ad obedientiam Deo in prælatis præſtandam inuitat. Ita ille ſcribit: Si autem ſeruis ita imperat obedire dominis, ſecum mihi quo nos animo in Dominum noſtrum eſſe conuenit, qui nos de nihilo vt eſſemus effecit, qui nutrit, qui veſtit. Et ſi ergo non aliter, ſaltē vt famuli nobis noſtri, ita illi ſeruiamus. Nonne vitam illi omnē in hoc exponunt, vt nobis requiem parent? Hoc illis opus eſt, iſtud ſtudium, vt dominos curent. Nōne illi, quæ domini ſunt, tota die curant, ſua verò diei vix exigua parte? Contrà verò nos, noſtra quidem ſemper, quæ verò ſunt Domini, neque minima curamus temporis parte, iſtudq; cùm ille obſequiis non egeat noſtris, ſicuti domini famulorū, ſed hæc omnia noſtris cōmodis cedant. Illic enim miniſteriū famuli domino prodeſt, hîc autē ſerui obſequiū domino nihil, ſeruo autem plurimum confert. Bonorū enim, inquit, meorum nō eges. Dic enim, quæſo, ſi ego iuſtus ſim, Deus quid inde lucratur? Quid perdet, ſi fuero iniuſtus? Nonne immortalis illa natura eſt? Nonne inuiolabilis, & omni ſuperior labe? Serui nihil habēt propriū, ſed omnia domini ſunt, quātumlibet illi diuites ſiāt: nos plurima habemus propria. Neque abſq; ratione à rege omniū tantū honoris accepimus. Quis vnquā dominus pro ſeruo filiū tradidit ſuum? Nullus certè, ſed omnes pro filiis ſeruos eligent. *Rom. 8.* Contrà, hic proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illū, pro omnibus inimicis odientibus ſe. Serui ſi grauia illis quædam imperentur, ne ſic quidem indignantur, maximè ſi grati illi ſint: nos autem grauiter plurima ferimus. Seruis dominus nihil tale promittit, quale nobis Deus. Sed quid? libertatem præſentem, omni ſæpe ſeruitute duriorem. Sæpe enim vbi fames inualuit, libertas hæc omni ſeruitute acerbior fuit, idque pro ſummo munere habetur. Apud Deum verò mortale nihil, nihil corruptibile eſt: ſed quid? *Ioan. 15.* Non vos, inquit, dicam ſeruos, vos amici mei eſtis. Erubeſcamus, dilectiſſimi, atque timeamus, ſi vt nobis famuli ſeruiunt, ita nos Domino ſeruire ſtudeamus, immo nos ne minimam quidem partem ſeruitutis oſtendimus.] Hactenus ille.

Hæc ſimilitudo ſeruorum nos ad obediendum

inſtimulet. Licèt enim Dominus nos in filios chariſſimos adoptauerit, & in filios dilectiſſimos elegerit, tamen natura ſerui eius ſumus, ac vilia mancipia. Ipſe mille titulis, immo & infinitis eſt herus noſter: prælatus verò eſt œconomus eius, quaſi rerum eius diſpenſator, & voluntatis illius propalator; ſeruus malus,& piger, & infidelis erit ille, qui propter reuerentiam heri, huic etiam obedientiam non præſtat. Indignabitur Dominus aduersùs huiuſmodi hominem, & eum non ſine debita animaduerſione relinquet. Conuerſus ad prælatum, vt eum de pertinacia

1. Reg. 8. 7. inobedientium conſoletur, dicet illi: Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.] Et væ illis, qui de rege ſuo dicunt: Nolumus hunc regnare ſuper nos; & aduerſario ſuo, ſcilicet propriæ voluntati, ſe ſtultè,& ad ſuam perditionem ſubiiciunt. Ad inobedientes verò exprobrans illis duritiam ſuam, dicet, quod per Hieremiam affatus eſt ad filios Iſrael.

Iere. 35. 14.15. Præualuerunt ſermones Ionadab, quos præcepit filiis ſuis, vt non biberent vinum, & non biberunt vſque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris ſui: ego autem locutus ſum ad vos de mane conſurgens,& loquens, & non obediſtis mihi. Miſique ad vos omnes ſeruos meos prophetas, neque audiſtis me.] Loquitur ad nos Dominus cùm ſecreta inſpiratione tangit,& ad obediendum mouet. Loquitur per ſeruos ſuos, cùm per prælatos aliquid iubet. Probroſum erit nobis, ſi filij carnalibus patribus ſuis obediant, nos verò patri noſtro, qui ſolus verus eſt pater, non obediamus, & voluntatem ſuam per prælatos expoſitam implere detrectemus.

Hæc igitur ſit ſumma omnium, quæ hactenus dicta ſunt,(ſumma breuis,& paucis verbis multa complectens) vt obedientiam ad Deum, & ad homines nobis præpoſitos addiſcamus: & nihil omnino eorum, quæ deſiderari poſſunt, prætermittemus. Paulus dixit:

Rom. 13. 8.10. Qui proximum diligit, legem impleuit:] & plenitudo legis eſt dilectio.] Ego autem audeo,& dico: Qui Deo,& prælatis ſuis obediens fuerit, legem impleuit,& plenitudo legis obedientia eſt. Et (vt verum fatear) non multum audeo, quoniam ſpiritus Sanctus per os alterius ſapientis hoc etiam dixit. Nam ſcriptum eſt:

Eccl. 12. 13. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obſerua; hoc eſt omnis homo.] Hic ſit finis ſermonis noſtri, quem toto hoc volumine latè ſatis expoſuimus. Hæc etiam ſit ſumma omnis doctrinæ, quam de malo fugiendo, & exterminando, & bono faciendo, & promouendo, tradidimus, vt ſcilicet Deum timentes, & diligentes, eius ac prælatorum mandata (quæ ſine dubio mandata ſunt Dei) diligenter cuſtodiamus. Hoc enim eſt omnis homo.

Aug. 20. de ciuit. c.3. Nam (vt Auguſtinus ait) quicumque eſt hoc, eſt cuſtos vtique mandatorum Dei; quoniam qui hoc non eſt, nihil eſt. Non enim ad veritatis imaginem reformatur, remanens in ſimilitudine vanitatis. Hoc eſt omnis homo, totus ſcilicet, integer, & perfectus homo, nam qui ex parte tantùm mandata ſeruauerit, obedientiámque tenuerit, ex ea parte qua aliquid boni facit, incipiens eſt, at perfectus,& virtute conſummatus non eſt. Hoc eſt omnis homo, quoniam hoc ſolum ab homine exigitur, & huius rei gratia conditus eſt, vt Deum timeat,& diligat,& eius mandatis obediat, & per hæc vitam beatam acquirat. Hoc eſt omnis homo, quia vna obedientia quicquid ſibi iniunctum eſt, optimè cumulatéque perficiet. Verus obediens etiamſi in infimo gradu ſit obedientiæ, peccata grauia non aliter quàm mortem ipſam,& gehennam, immo multo magis fugiet. Verus obediens peccata leuia, (nam & ipſa tranſgreſſiones ſunt) pro ſua poſſibilitate vitabit. Verus obediens vitiis & prauis moribus ſuis bellum inferet, & ea nitetur extinguere. Verus obediens mundum infeſtantem contemnet, diabolum ſuadentem reiiciet, carnem blandientem ridebit,& omnes tentationes ſuperabit. Verus obediens ſenſibus ſuis frænum mortificationis imponet, & paſſiones ac affectus cohibebit. Verus obediens pro omnibus virtutibus laborabit, & humilitatem, paupertatem, caſtitatem, & reliquas comparare geſtiet. Obedientia igitur eſt omnis homo, & omnium eorum, quæ ad vitam ſpiritualem requiruntur, facile breuéque compendium.

Ecce, lector optime, primo lucubrationum mearum volumine tibi naturam, & dignitatem, & inſtrumenta generalia perfectionis vitæ ſpiritualis expoſui: Ecce hoc ſecundo volumine vitam ſpiritualem in actione poſitam, quæ malum vitat,& bonum ſequitur, declaraui. Si hæc feceris, & non oſcitanter exercueris, ſatis paratus eris, vt vitæ contemplatiuæ particeps fias, & ſecreta orationis, quæ tertio volumine (faciente Domino) ſumus explicaturi, intellectu comprehendas,& experimento concipias, & ad perfectionem, quam elegiſti, nondum tamé acquiſiuiſti, celeri gradu peruenias, & perfectus factus animas Deo lucrari poſſis, aut doctrinæ verbo, aut ſaltem ſanctæ conuerſationis exemplo: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre, & Spiritu ſancto ſit honor, imperium, & gloria ſempiterna. AMEN.

ORATIO PRO OBEDIENTIA.

DOMINE Deus meus, rex, & creator meus, qui ab humano genere offenſus, & ad indignationem prouocatus, voluiſti vnigeniti filij tui, ac redemptoris noſtri Ieſu Chriſti obedientia placari, & nobis per eandem obedientiam remedium malorum omnium, perfectámque ſalutem afferre: quique puriſſimos Angelos ab impuris dæmonibus obedientia ſecreuiſti, & ſanctos ac dilectos tuos ab iniquis & tibi exoſis ſubiectione ſeparaſti: da nobis, rogamus ſupplices, obedientiæ virtutem, qua & filio tuo ſimiles, & Angelorum ac Sanctorum imitatores efficiamur. Obedientia nos, Domine, à cœno peccatorum, & vilitate iniquitatum extrahat: obedientia ſanctiſſimæ legis tuæ obſeruatores reddat: hæc tibi voluntatem noſtram, iudicium noſtrum, vires noſtras, membráque ſubiiciat, vt tibi, cuius toti ſumus, nos dicemus, ac conſecremus, & rapinam in holocauſto, quæ ſumma eſt iniquitas, fugiamus. Sit nobis, ô pater amantiſſime, obedientia cibus quo ſuſtentemur: ſit obedientia, potus quo recreemur: ſit obedientia, veſtis nuptialis, & ſtola gloriæ, & honoris, qua tegamur: vt accedentes ad te cooperti veſtibus fratris noſtri maioris IESV, valde bonis, ſit odor noſter velut odor agri pleni virtutibus, cui tu Domine benedixiſti, à téque, qui obedientium præmiator es, æternam benedictionem promereamur. AMEN.

Deo Ieſu Chriſto Æterni Patris coæterno Filio ſit gloria
& honor in omnem æternitatem.
Amen.

FINIS HVIVS TOMI II.

Digitized by Google

INDEX RERVM, QVÆ HOC TOMO CONTINENTVR, IN QVO NVMERVS, PAGINAM: LITTERA, LOCVM IN textu deſignat.

A

Abnegatio.

VIDE Contemptus ſui.

Abſalon.

Inanis gloriæ ſymbolum. 187. D

Abſtinentia.

Quanta fuerit monachorum neque ſtrata ſub arboribus poma deguſtantium. 123.b
Vera abſtinentia eſt eiſdem ſemper vti cibis 127.c
Illius eximiæ laudes. 129.d
Chriſti exemplo amplectenda. 130.b
Illius à B. P. Ignatio regulæ obſeruandæ. 133.a
Quæ nobis perſuadeant abſtinentiã. 132.a
Quæ virtus, eius actiones, ad illam incitamenta, & pro comparanda poſtulatio 74.d

Acedia.

Quid ſit. 172.a
Exiccat oſſa. 28.b
Animalem ſtatum conſtituit, & quomodo. 172.c
Quotuplex illa ſit. 173.c
Tepidi feruentiſque diſcrimen. 174.c
Primus eius gradus, malè ſæculo renunciare. 175.a
Secundus, à feruore tyrocinij deſciſcere. ibid.c. Tertius, Regulis non obedire. ibid. d. Quartus apoſtaſiam cogitare 176.a Quintus de diuinâ miſericordiâ deſperare. ibid d
Minoris accediæ gradus. Primus, ſpiritualia ignauiter exercere. 177. c. Secundus ſpirituales viros ſpernere. ibid. d. Tertius, carnalibus rebus delectari. 178. b. Quartus, rebus ſæcularibus vacare. ibid. c. Quintus, dignitatibus inhiare. 179.a. Sextus, res ſæculi potiores ducere, 180. a
Remedia. Primum, orare. 181. c. Secundum, nouiſſima aſſiduè cogitare. ibid.d. Tertium, hypocriſim depellere. 182. b. Quartum, aliorum in virtute proceſſus conſiderare. ibid. c. Quintum, tepidorum conſideranda pericula. 183.e. Sextum. vitæ tempus breuiſſimum expendendum. ibid e. Septimum, in maiorem etiam nos inducere tepiditatem. 184.b. Octauum, beneficia Dei in nos perpendenda ibid.e. & ſeq. Nonum, Spiritualium vita, moréſque cõſiderandi. 185.b. Decimum, à prælato auxilium efflagitandum. ibid. d. Vndecimum, non declinare, ſed illi reſiſtere. 186. a Duodecimum, vitam ſpiritualem denuo ingredi. ibid.b
Quò miſerarium deducat homines acedia. 176.b
Illius deuictæ indicia ſeptem. 207.c

Adam.

Cur ſe abſconderit. 24.d
Quales nos poſt eius peccatũ. 58. c, & ſeq.
Quàm fuerit à Deo animi, & corporis bonis exornatus. 315.d
Quot quantáque mala illius peccatum induxerit. 317. c. & 318. d
E limo terræ fuiſſe formatum quid nobis vtilitatis pariat diligenter inſpicere. 1163.c
Terram ſignificat, & quam. 1164.d
Ex quatuor mundi plagis terram deligit Deus illi formando. 1165.b.c

Adfectus, & Adfici.

Spiritus, & carnis adfectus non ſunt miſcendi. 344.a
Res omnes, quarum adfectu immoderato tenemur, relinquendæ. 1451.b
Nulli adfectu adhærendum; & quomodo id præſtari in religionibus Prælati curent. ibid.c
Rerum, quibus adficimur, mutatione, adfectus euincitur. 1452. b
Adfectus humanos, quos naturæ auctor ad illius integritatem neceſſarios inſeruit, non omnino extinguimus, ſed comprimimus. 1518.c
Error eſt poſſe hominem (quoad adfectus humanos attinet) impaſſibilem eſſe. 1517.b
Horum vſus non permiſſio, ſed naturæ integritas. ibid.e

Adhæſio ad miniſteria.

Quænam ſit tentatio. 295.c
Hac tentati ſuperbiâ obcæcantur, & philautiâ. ibid.
Locus, miniſteriúmque omne Dei cauſsâ relinquendum. 296.b
Præſentiſſimum remedium huic tentationi ſanandæ. 297.a

Ægritudo.

Vide Infirmitas.

Amalech.

Sub illius typo luxuriæ vitium intelligitur. 1490.a

Ambitio, & Ambitioſus.

Ambitionis definitio. 200 b
Diaboli adoratio à Bernardo appellatur. ibid.
Vltimus eſt ſuperbiæ gradus. ibid.
Optimè ex Innocentio ambitioſus deſcribitur. 1214.b

Amicus & Amicitia.

Tentatione amicus probatur. 248.e
Amicitia, quæ virtus, quæ eius actiones, ad illam incitamenta, & pro aſſequenda poſtulatio. 121.a

Amor Dei.

Lux eſt, quæ tenebras proprij amoris eiicit. 518.d.e

Amor proprius.

Vide mortificatio amoris.

Angeli.

Quomodo peccata hominum ſentiant. 18. a
Nos in tentationibus mirandum in modum iuuant. 244. c
Cur ſtellæ pugnantes dicantur. ibid d
Paſtores ſunt, ac primates, qui nos cuſtodiunt. ibid.e
Inuocandi, & quomodo. 979.a
Quid Angelica ſit Caſtitas, & in illâ Angelos imitari. 1514.b

Anima.

Anima noſtra eſt locus, vbi ſanctitatis erigitur templum. 2.b.& 1.6
Poſt Adæ peccatum areæ optimè comparatur. 1.d
Vt arca à Dauide ſielis, ſic anima paſſione à Chriſto comparatur. 2.a
Hæc mortificatione, & peccatorum expulſione veluti fundamentis expurganda. ibid b
A peccatorum expulſione incipiendum ſancta ſcriptura, Sancti, ipſáque natura demonſtrant. 3.a
Hunc ordinem ipſa in animam Dei beneficia protendunt. ibid.c.
Abluta anima charitatis operitur amictu. 4.a
Priùs peccato bellum ab anima indicendum tubæ illæ ductiles, quas fecit Moyſes, declarant. ibid.
Anima pulcherrima virgo, peccato, ancilla efficitur. 16. c. Fit cadauer. 18. a. Et monſtrum etiam. 20.b
Animæ peccata etiam corpus lædunt, & maculant. 27.d
Animæ pudor ex peccato adulteræ comparatur. 4.b
Cùm exuerit innocentiæ veſtem erubeſcit. 42.c
Quæ per contritionem bona proueniant animæ, & quomodo Abſoloni ſimilis. 43.c
Anima terra eſt ſterilis, & ſicca amaris aquis irrigatur. 94.b
Animæ infirmitas peccata. 95 b
Quot, & quanta illi damna per vitia. 110.a

Quàm ſit illa diues donata virtutibus. ib.
Quomodo tentetur à dæmone. 211.b
Anima carnem habere debet ancillam. 231.a
In tentatione terræ comparatur. 236.b
Animo in rogo igneo Deo eingitur. 241.b
Tentatione eruditur, & illuſtratur. 247.c
Cur anima in tentatione non mundetur, vt argentum. 248.c
Tentationibus tanquam ſale à putredine liberatur. 249.b
Tentatione à ſuperbiâ liberatur. 250.d
Tranquillatur. 254.b
Tentatione ſuperata horrore afficitur. 253.b
Eſt paradiſus Dei. 315.e
Illius lapſus lamentatur. 319.e
Anima ſterilis mortificatione fœcunda redditur. 342.c
Ni vitiorum puluere opprimatur quam ſe ſublime erigat ad cœleſtia. 371.d
Gemma eſt pretioſiſſima. 384.d
Animæ noſtræ terra ſpiritualibus eſt aranda vomeribus. 401.e, & ſeq.
Animæ vnum tantùm eſſe neceſſarium. 512.c
Qualis anima virtute reddatur. 621.d
Vt cœlum ſtellis, veſteſque gemmis: ſic anima virtutibus illuſtratur. ibid.a
Quàm decora, quàmque ſuauis virtute efficiatur. ibid.
Plus illa virtute renidet, quàm ornatum lapidibus pretioſis corpus. 622 d
Quàm ſit Deo chara virtutum pulchritudine. 624 a
Animam virtutibus nudam ad nuptiarum menſam Chriſtus appropinquare non ſuſtinet. 626.a
Arcæ Noe, vel etiam fœderis, comparatur. 629.b
Animæ domus quomodo ex virtutum lapidibus conſtruatur. 630.c & ſequent.
Animæ pulchritudo interna, & externa nulla pluris facienda. 836.b. & ſequent.
Intem a virtutum actibus quantopere anima decoretur. 771.e
Quando ſolum amica, quando etiam columba dicatur. 845.d
Cùm ab ſponſo anima laudatur, à pedibus, ab humilitate ſcilicet, exorditur. 1125.e
Quæ ſe ignorat, ad ſponſi lectum non admittitur. 1150.c
Quæ adiuncta carni patiatur. 1172 d. 1200.d. 1201.c
Quomodo animæ detrimento ſit corpus, dum ad ſenectam vergit. 1202.c
Quomodo ipſam caſtitate veſtitam ſponſus alloquatur. 1481.c
Anima tentationibus carnis afflicta leuari à Deo petit. 1520.d

Appetitus.

Vide, mortificatio Appetitus.

Aqua.

Aqua profunda peccato ſimilis. 26.b
Aqua ab Eliſæo ſanata, quid. 94.c
Aqua Bethlehemitica quid myſticè ſignificet. 325.c
Quid ſit congregari aquas, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum. 513 a

Aſinus.

Aſinus cur aut commutaretur, aut redimeretur. 52.c, d

Attentio.

Peccatorum remedium cenſetur, & ſimilitudinibus probatur, ac cui illa opponatur. 102.d
Quàm ſit vtilis, probatur egregiè. 103.a
Lais ciuitas attentionis ſymbolum. ib.d
Quàm ſit neceſſaria, & ſi in humanis adhibetur, melius in diuinis. 104 a
Quæ ſint nobis diligenti attentione penſanda. 105.b
Quàm ſit ad vitia fugiêda neceſſaria. 119.b

Attritio.

Quid illa ſit, & qui differat à contritione. 39.d

Auaritia.

Eius definitio, & diuiſio. 143.d. & ſeq.
Primus eius gradus. 144.c. Secundus, immoderatus affectus. 145.b. Tertius, rerum minime neceſſariarum amor. 146.b Quartus, peculium ad res coëmendas poſſidere. 147. b. Quintus, mercimoniis augere rem. 1486, c. Ad eam fugiendam exhortatio. ibid.
Contra illam primum remedium, quàm ſcilicet grauiter à Deo caſtigetur. 149.c & ſeq Secundum, rerum viſibilium breuitas. 150.d. Tertium, bonis temporalibus non ſatiari animum. 151.b. Quartum, Chriſti, & Sanctorum exempla conſiderare. ibid.d. Quintum, vt omnia neceſſaria à religione ſuppeditentur 152. a. Sextum, ſola neceſſaria admittere. ibid. e. Septimum, de ſuauiſſima Dei prouidentia confidere. 153. e Octauum, familiaritas cum illis, qui paupertati ſtudent. ibid.e. Nonum, ſe mortuum mundo putare. 154.a
Victæ auaritiæ indicia ſeptem. 206.c
Quæ ſint auaritiæ mala. 1391.e
Auari quibus ſimiles. 144.c

Audacia.

Quæ paſſio, & quibus mediis vincatur. 563.e

S. *Auguſtinus.*

Quot modis peccatum exponat. 21.b
Peccati tyrannidem bellè declarat. 17.b
Necnon tres peccati ſtatus tribus à Chriſto effectis miraculis. 23.c, & ſeq.

Aures.

Vide, mortificatio aurium.

Aurum.

Significat bona opera. 87.d

Auxilium Dei.

Quanta illius neceſſitas: & quid illo homo præſtare poſſit. 1190.e
Sine generali Dei auxilio fieri nequeunt naturales actiones. 1194.d
Solo generali auxilio poteſt homo aliquod bonum morale efficere, & tentationem ſuperare, dummodo nulla adſit difficultas. 1196 b
Sine ſpeciali auxilio, & gratia non poteſt homo omnia præcepta moralia, nec naturalem legem adimplere. 1197.b
Inſignioria quædam, etſi ſingularia non poteſt ſine auxilio ſpeciali homo præſtare. ibid.e
Non valet ſine illo hoſtes ſuos ſuperare. 1198.b
Non ſufficit excitans, & adiuuans, vt legem naturalem impleamus, peccataque vitemus, ſed neceſſaria eſt gratia gratos faciens. ibid.e
Ad opera ſupernaturalia quoddam auxilium requiratur. ibid.d, c
A Deo eſt ſemper petendum. 1199.e

B

Beatitudo.

BEatitudo in quo poſita. 236.d

Bellum.

Dæmonis contra animam. 211.a
Bellum contra tentationes, & quæ in illo vitanda. 269.c, & 271. & ſeq.
Stratagema in bello ſeruandum. 273.a, & ſeq.
Continuum bellum nobis eſt contra hoſtes. 387.d

Benedictio.

Quotuplex nobis ſit neceſſaria benedictio. 33.a

Beneficia Dei.

A Deo collata ſine humilitatis iactura noſcuntur. 195.b
Quando in ſuperbiam vertant. 196.a
Numini accepta referenda. 197.a
Non propriis auſpiciis parta cogitare. ibid. c
Ingrati cenſendi, qui ſibi hæc adſcribunt. ibid. d
Ob in ſe collata non alios deſpicatui ducendos. ibid.
Quæ in nouâ lege contulerint. 250.c

Beneficentia.

Eius definitio, actiones, incitamenta, próque illa à Domino poſtulatio. 675.d, & ſeq.

S. Bernardus.

Quantum deferat virtutis pulchritudini, & quantum addat peccati fœditati. 22.e, & ſeq.
Suos detegit defectus. 1275.c

Bona opera.

Per aurum, argentum, lapideſque pretioſos ſignificantur. 87.c
Quomodo ſint probanda. 89.a
Quid ſit igne probari. 91.e

C

Cadauer.

PEccatorum fœditatem demonſtrat. 23 a

Caſtitas, & Caſtus.

Quæ virtus, quæ eius actiones, incitamenta ad illam, & pro eâdem poſtulatio. 718. a, & ſeq.
Horto comparatur. 1366.a
Aliarum eſt ſeminarium virtutum. 1365.c
Quæ ſit religioſæ caſtitatis natura. 1463.a, & 1465 b
Caſtitas eſt incorporeæ naturæ familiaritas. 1463.a
Caſtus ille eſt, qui amorem amore, ignem excludit igne. ibid.b
Caſtitas dapibus inimica, oculorum frænum, carnem caſtigans, ad cœleſtia velociſſimé penetrat. ibid.b
Mundo eſt corde, dulci gutture, hilari aſpectu. ibid. b
Homines Angelis ſimiles reddit. 1464 a
Illius plurima incommoda ex Ephræm Syro. 1463.b
Triplex eſt caſtitas; & qui ordo inter illas ſit. 1465.b
Soli comparatur; vt & viduitas lunæ, coniugium ſtellis. ibid.d
Eſt fructus centeſimus. ibid.e
Sanctitas vocatur, & ſanctimonia, & quare. 1466.b
Non in ſola carnis puritate ſe continet, ſed mentis munditiam requirit. ibid d
Arcem mentis inſtar turris fortiſſimi primum adoritur. 1467.b
Ad illius ſubſtantiam requiritur, vt non coactè, ſed libenter hominem à voluptate coerceat. ibid.e
Non ſolam voluntatem adficit, ſed appetitum. ibid d
Quomodo à pudicitia diſtinguat Auguſtinus. ibid d
Si voluntate colitur, voto firmatur. 1468.c
Caſtitatis votum quoddam eſt cum illa coniugium. ibid.c
In Nazarenorum conſecratione ſignatur. ibid.c
Voto ſtabilitur, & quare. 1469.a
Illius finis eſt Deo vacandi, quem illi finem etiam ethnici cognouerunt. ibid.b
Quàm ſit viro religioſo neceſſaria ibid.c
Quas ob cauſſas religioſo ſtatui ſit tantopere neceſſaria. 1470.d
Si minus caſtitatis in religioſo reperiatur quantopere reliqui illum accuſent ib.a
Quantum angatur religioſus, qui caſtitatem non ſeruat. 1471.d
Ex religioſæ vitæ fine eius neceſſitas colligitur. 1472.c
Etiam ex religioſæ vitæ officio neceſſitas eius indagatur. ibid.e
Veterem hominem exuit, carnis deſideria cohibet, ſpiritus promouet, & corruptionem eliminat. ibid.c
In hoc mortalitatis loco immortalitatis

Google

ſtatum repræſentat. ibid.d
Inſtar balſami corpus incorruptum conſeruat. ibid.e
Facit vt religioſa vita ametur, & colatur. 1473.a
Intellectum illuminat, voluntatem lætificat, carnem pulchritudine exornat. ib.b
Illâ religioſus ſtat perfectionis ſtatus. 1474 b
Illius duodecim excellentiæ numerantur. 1475.e Prima, aliis Eccleſiæ viuendi modis imagine, & ſignificatione præfertur. ibid.d Secunda, hominem, in eo, quod homo eſt, mirificè ornat, & perficit. 1476.b. Tertia, quòd hominis cor à durâ ſeruitute liberat, & quaſi ſui dominum conſtituit. 1477. d. Quarta, cultores ſuos theſauris cumulat innumeris. 1478. c. Quinta, quòd eam omnes maximè venerantur. 1479 b. Sexta, quòd præter carnalium ſpem puriſſimis perfruitur voluptatibus. 1480. b. Septima, tanta eſt eius pulchritudo vt puritatis, & mundiciæ nomen obtinuerit. 1481. c. Octaua, Angelorum ſe coæquat pulchritudini. 1482. c. Nona, in tranquillitate, quam menti ingenerat, cœleſtibus eſt rebus ſimillima 1483.a Decima, ſibi deditos à periculis innumeris liberat. ibid. e, & ſeq. Vndecima, ſalus eſt corporis, longæuitas quædam, & vitæ iucunditas. 1481.c. Duodecima, omnia à Deo creata caſtitatem amant, & aliquam illius ſimilitudinem habere curant. 1486.a
Caſtitas non ex ſterilitate, ſed ex puritatis amore filiis caret. 1479.e
Auctorem pulchritudinis Deum ad ſui amorem adducit. 1481.c
Sereno cœlo caſtus perfruitur. 1483.b
Noë, & filij eius caſtitatis adminiculo diluuium effugerunt. 1484.a
Ab innumeris luxuriæ malis nos liberat. ibid.e
Cur caſtitas margaritarum hamus appelletur. 1485.d
Illius laudes breuiter recenſentur. 1486.b
Varij caſtitatis gradus à doctoribus deſignantur. 1487. b. Primus, voto carnis voluptates abiicere. ibid.b. Multa ſunt, quæ ad hunc caſtitatis gradum impellant. 1488.a. & 1492.e. Secundus, votum diligenter implere. 1494. b. Ad hunc caſtitatis gradum nos ſæpe hortatur Apoſtolus. 1495. c. & ſeq. Tertius, acribus carnis tentationibus non pulſari. 1500. a. Tria continet, vehementes tentationes non ſentit; ſenſus cõprimit; & occaſiones auertit. 1501.e. Quartus, in vigiliâ impudicis tentationibus carere. 1503. d. Qui à Dauide docetur. 1505. b. Spiritus, & corpus fratres, qui vt Eſau & Iacob diſſident, hoc caſtitatis gradu coniunguntur. ib.c. Quas imperfectiones hic caſtitatis gradus contineat. 1506. a. Quintus gradus, in ſomno impuris illuſionibus non fœdari. 1509. b. Quinam hunc gradum aſſequantur. 1510.c. Virgines præcipuè huius ſunt gradus participes. 1511. a. Sextus eſt, in carne quaſi ſine carne viuere. 1514. a. In hoc ſexto gradu caſtitas non iam aduena, ſed ciuis eſt, & vt elementum in ſuo loco, vt manna in arca teſtamenti. 1516.c
Caſtitas cæteris virtutibus pulchrior, ſed tenerior. 1493.c
Quæ nonnullis impedimento ſint vt eam non aſſequantur. 1488.d
Theſaurus eſt niuis, & grandinis. 1493.c.d
Quæ ſit illius origo. ibid.e
Quibus caſtitatis votũ impleatur. 1495.a
Quæ ſint peccati membra, quæ caſtitate vetantur. ibid.e,d
Caſtitas filios habet non carnis, ſed ſpiritus. 1947.c
Vires ad currendum in Dei participationem tribuit. ibid.c
Caſtitati ſeruandæ præſentiſſimum remedium principiis obſtare. 1498. b. Diſcretâ item pœnitentiâ corpus affligere. ibid. e
Quàm ſit difficile caſtitatis cupido corpus edomare. ibid.
Qui contra caſtitatem tentatur aſſiduè pollicitam ſibi ſuperanti coronam ante oculos ponat. 1499.b
In ſtadio certantes plumbeis laminis caſtitatem curabant cuſtodire. ibid. d
Anima tentationibus oppreſſa à Deo caſtitatem petit. 1500.d
Aliud eſt caſtum eſſe, aliud continentem. 1501.d
Remiſſior contra caſtitatem impugnatio vnde proueniat. 1502.b
Qui naturaliter minùs impetuntur tentationibus, non ideo magis caſti. ibid.
Puriſſimos viros, virgineſque caſtiſſimas graues ſuſtinuiſſe tentationes. 1506. b
Id exemplis nonnullorum confirmatur. 1507.a, & ſequent.
Quæ tentationes cum caſtitate non pugnent. 1508.b
A diabolo procedentes non excludit. 1509 a
Dum contra caſtitatem nos tentat dæmon quantis vtatur dolis. 1511.b
Quæ ſint illi fugienda præcipuè, qui in ſomnis caſtitatem ſeruare deſiderat. 1511.c,& 1513.b
Quid ſit caſtitas, puritáſque Angelica: 1514.b
Maxima Sereni Abbatis caſtitatis excellentia ex Caſſiano. 1515.a
Si Deus femur noſtrum gratiâ ſuâ non tangat, numquam caſtitatem aſſequemur. 1516.a
Auroræ confertur. ibid.
An perfectiſſima caſtitas poſt originis labẽ mortali ſit homini poſſibilis. 1517.b
Perfectiſſimæ caſtitatis effectus eſt concupiſcentiæ fomitem quaſi dormientem efficere. 1518.c
Quid in homine præſtet caſtitatis donum. 1519.b
Quàm pauci ſummum caſtitatis gradum aſſequantur. ibid.e
In mediis hominum turbis perfectiſſima poteſt caſtitas obtineri. 1520.a
Magnificum illam in cœlo præmium manet; & quale, quantúmque illud ſit. 1521.c, & ſequen.
Quibus hoc præmium detur. 1522.d
Caſti, virgineſque locum habent altiorem, nomẽnque præſtantius, quàm angeli, & animæ imperfectiores. 1523.c, & 1525.b
Quodnam in terrâ præmium caſti habeant. 1527.d
Caſti aquarum multarum ſonitui ſimiles. 1528.a
Illorum vita quaſi tonitrui magni vox. ibid.d
Ex humanitate Chriſti velut ex nube tonitruum caſtitatis egreſſum eſt. ibid.
Homines ad timorem & admirationem prouocat. 1529.b
Caſti vita ſonitus citharæ à peritiſſimo citharœdo pulſatæ. ibid.c
Cur corpus caſti cithara dicatur. ibid.
Caſtus Deo quàm ſimillimus inuenitur. 1530.a
Hiſpanæ virginis apud Chilenſes miræ caſtitatis exemplum. 1531.b
Quot caſtitatem morti antepoſuerint. 1534.c
Caſtitas magis, ac magis Eccleſiam auget. ibid.c. & ſequen.
Quonammodo filiorum numerum augeat. 1536.d
Numerus conſtituendæ reipublicæ, gerendíſve bellis neceſſarius nullo modo caſtitatem colentium numero imminuitur. 1537.d
Caſtitatis cultu mirum in modum præ cæteris nationibus, pace bellóque floret Hiſpania. 1538.a
Vnde noſcatur multitudinem gentis in regno caſtitate creſcere, & illi in præmium dari. 1539.a
Quanam ratione hæc multiplicatio præmium exiſtat caſtitatis. 1540.a
Labore, & mediis adhibitis acquirenda. 1541.b
Quidnam neceſſe ſit euenire caſtitatem ſine labore quærenti. ibid.d
Inſtrumenta caſtitatis ſeruandæ per corpus exercenda. 1542. a. Primum, ciborum abſtinentia. ibid. Secundum, in potu ſobrietas. 1543.a. Tertium, ſenſus cohibitio. ibid.c. Quartum, inceſſus, & motus corporis temperatio. 1544. b. Quintum, flagris, ciliciis, & vigiliis corpus caſtigare. ibid.c. Sextum, ab occaſionibus fuga, & ab illis, qui nocere poſſunt. 1546.b
Caſtus ſignificatur turture. 1545.b
Media ad caſtitatem mente interius exercenda. 1547.e. Primum, vt conſideret animus caſtitatem Dei eſſe donum. 1548.a. Secundum, vt illi poſtulandæ frequens adhibeatur oratio. ibid d. Tertium, ſtudiis, præſertim ſacris, diligenter vacare 1549.b. Quartum, deſideria cœleſtia crebriùs animo agitare. ibid.d. Quintum, in aliis à caſtitate rebus diuinam adimplere voluntatem. 1550. a. Sextum, miram in omnibus circunſpectionem ſeruare. ibid.c. Septimum, primas impudicitiæ cogitationes diligenter expellere. 1551 d. Octauum, omni diligentiâ iracundiæ victoriam curare, vt manſuetudine corporis noſtri hæreditemus terram. 1552.c. Nonum, humilitatem colere, qua ad caſtitatis celſitudinem eleuamur. 1553 a. Decimum, mortis diligenter meditationi vacare. ibid. d. Vndecimum, ſe ſe imbecillum ſemper putare, à minimíſque cauere. 1554. d. Duodecimum, à prælato, ſpiritualíque magiſtro cõſilia petere. 1555.a
De illius amore, vbi multis laudibus cumulatur. 1555.d
Quid nos in illius inducat amorem. 1556.c,d
Non eſſe impoſſibilem illius aſſecutionem probatur. 1167.c.& ſeq.
Præmiis ad illam amplectendam hortamur. 1559.a
Pro aſſequenda caſtitate oratio. ibid.

Cella.

Eius cuſtodia miris à ſanctis laudibus extollitur. 942,a
De illius qualitate neutiquam religioſo curandum. 943 b.& 944.e
Sepulchrum eſt, in quo mundo morimur; ibi cella non aromatica, ſed eremitica conſtruenda. 943.b
Qualis eius ornatus futurus. ibid.
Quæ nos inuitent, vt illam minimè deſeramus. 595.c
Qua ratione in cellâ ſit permanere facillimum. 944.a
In cella non otio vacandum. 945.e
De illius amore. 145.c

Charitas.

Quæ virtus; quæ ad illam incitamenta, quæ illius actiones, & pro comparanda poſtulatio. 665.c
De charitate erga proximos. 667.e
Eius cum obedientia ſimilitudo. 668.a.

Chriſtus.

Mons Moria Chriſtum ſignificat. 1.b
Eſt vt mons poſitus, qui ab omnibus videatur. ibid.
Arcam animæ noſtræ, vt Dauid ſuæ paſſionis ſiclis emit. 2.a
Omne in ſe bonum continet. 14 c
Cum peccato à contrario comparatur. ib. Soli etiam: & quomodo aliquando nubibus, aliquando verò ſerenus illuceſcat. 275. a. Confertur item Dauidi. 1119.b

Cur tria mortuorum genera ſuſcitarit, & quid illis protenderit. 24.a
Cur venturus in nubibus. 25.a
Fundamentum eſt ſupra quod aurum, argentum, vel etiam ſtipulas ædificamus. 86.e
Quanti, etiam in minimis, eius ducenda auctoritas. 97.d
Tentatus externis tentationibus 207.a.& quomodo. 217.c
Quomodo Gedeon illum ſignificauerit. 225.d
Sanguis eius quid ſignificet. 237.b
Per Chriſtum tentationes viribus pares à Deo nobis aſſignantur. 244.a
Stans viſus ab Stephano, vt nobis præſens auxilium adferat. 245.b
Dicitur pax noſtra. ibid.a
Quàm benignè nos pugnantes recipiat. 251.d
Per omnia tentatus. 253.e
Serpentis inſtar ænei tentationum morſus curat. 264.c
Humanos habuit affectus. 309.c
Lapſo homini præſentiſſima adhibet remedia. 310.c
Qua nos ratione à peccatis liberet. 321.c
Quomodo ſe peccatoribus conuerſis, iuſtis, Beatiſque oſtendat. 334.a
Ad eum omnes in anguſtiâ conſtituti, vt ad verum Dauidem confugiunt. ibid.b.
In Chriſti imaginem mortificatione formamur. 378.c
Ab illo continuæ mortificationis exemplum petendum. 390.b
Chriſtus Dauide meliùs omnia nobis templo virtutum extruendo neceſſaria reliquit; & quæ ſint illa egregie exponitur. 639.b
Cogitationes iudicij die diſcuſſurus adueniet. 810.d
Chriſti vita virtutum omnium actionibus tum internis, tum externis contexta. 832.c
Eſt liber ſcriptus intus, & foris. 833.b
Virtutes nos occultare docuit, cùm liber ſigillis ſignatus appellatur. ibid.
Quomodo nos vnâ virtutis actione aliam edoceat. 834 d
Cur grano ſinapis comparetur. 835 a
Feruore virtutes exercendas ſuo nos nomine docet. 844.c,d
Cur quæſitus inueniatur, cur non. 847.b
Eſt humilitatis magiſter, quam opere edocuit. 1060.c.& ſequen.
Cur ira vocetur. 1079.a
Omnis eſt iuſtitiæ ſanctitatiſque præceptor. 1078.c
In Chriſto omnem eſcam cibúmque virtutum habemus. 1079.a
An dici poſſit quòd Chriſtus humilitas eſt. 1081.c
Chriſtus humilitate exaltatus. 1113.c
Humilium dux, quos vt paruulos amat. 1120.a
Cur eius laudes ſponſa à capite incipiat ad vſque pedes. 1125.d
Cur eius caput Carmelo, pedes baſibus aureis ſponſa comparet. 1126.a
Chriſti nuptialis veſtis humilitas. 1132.c. Eius humilitas à Bernardo deſcribitur. 1134.c
Munia abiectiſſima exercenda nos docuit. 1285.c.& ſequent. & 1287.b
Quomodo ſe propter Deum ſubiecerit. 1281.a
Chriſti virtus, quid. 1312.b
Numquam riſiſſe affirmat Chryſoſtomus. 1341.e
Tribus pretioſiſſimis gemmis (paupertate ſcilicet, caſtitate, & obedientiâ) vt verus Pontifex effulſit. 1361.b
Quónam Chriſti indigentia proceſſerit. 1415.b
Eſt centuplum in hac vitâ pauperibus promiſſum. 1443.b
Pater eſt pauperum, è cuius illi penu reficiuntur. 1459 d
Ex eius humanitate velut ex nube virginitatis tonitruum egreſſum eſt. 1528.d

Cibus.

Non quia nobilis ſit quiſpiam lautiora quæſiturus. 124.b
Communis cibus eligendus, ni valde ſis infirmus. ibid.d
Non quilibet propter imaginariam infirmitatem optandus. 125.d
Quanta ex lauto incommoda. ibid.
In cellâ cibus voracitatis eſt nimiæ. 126.a
Deteſtandum planè religióſum inter ſæculares cibum ſumere. ibid.c
Quæ menſura illius. 127.c
Eliſei cibus nobis abſtinentiam monſtrat. 131.d
Subtrahendus initio conuerſionis. 132.a. Etiam per interualla temporis. ibid.e
Seruandæ caſtitati, ciborum abſtinentia ſeruanda. 1542.a

Circumſpectio.

Quid ſit; quæ ad illam inſtrumenta; quæ eius actiones; & pro illâ poſtulatio. 683.d
Quæ inter religioſos fratres requiratur. 1046.c
Quàm ſit caſtitati ſeruandæ neceſſaria. 1550.c
Ex illius defectu quanta mala dimanent, ibid.

Clementia.

Quid, quæ eius actiones; ad illam incitamenta; & pro aſſequenda poſtulatio. 724.b

Cogitatio.

Quàm difficile, quámque neceſſarium ſit cogitationes etiam minimas ab animâ expellere. 565.c. & ſequen.
Quanta ex cogitationum inutilium fugâ promanet vtilitas. 567.c
Ad ſpiritalem vitam amplectendam illas declinare neceſſum. 568.c
Quæ cogitationes mortificandæ. 569.d
Quibus ex cauſſis illæ mortificandæ cogitationes oriantur. ibid.
Vincendis cogitationibus octo media deſignantur. 572.c
Mortificationis cogitationis vſus. 574.c

Cognitio ſui, & ignorantia ſui.

Quid ſit, quámque difficilis. 1137.b
Scientia eſt omnium vtiliſſima. 1139.a
Cognitio ſui dono intellectus aſcribitur. ibid. d
Celebris illa ſententia, Noſce teipſum, primò à ſancto Spiritu prolata. ibid.e
Quomodo hæc non Philoſophorum, ſed Dei ſententia intelligenda. 1140.c
Si hæc adſit, facilis eſt humilitas. 1141.b
Multis nos mediis Deus ad hanc cognitionem adducit, vnde illius magna colligitur difficultas. ibid.d
Quænam propriæ cognitioni impedimento ſint. 1142.c
Qui ſe ipſum cognoſcit quendam diuinæ cognitionis gradum aſcendit. 1144.a
Quoddam eſt ſalutis exordium. ibid.c
Auroræ comparatur. 1145.b
Timor, & amor Dei, ſui cognitione comparatur. ibid.c
Elationem à corde, ſuperbiámque repellit, & ad humilitatem diſponit. 1146.b
Diuina familiaritas obtinetur, miſericordiáque impetratur. 1147.d
Se ignorantes iumentis quàm aptè comparentur. 1148.a
Homo vniuerſalia cognoſcere ſtudio contendit, ſe ipſum non item. 1149.a
Qui ſe ipſum ignorat, à Deo auellitur, quod ſumma infœlicitas eſt. 1150.b
Quid Deus ad ignorantes ſe ipſos loquatur. 1151.b
Quâ ſint pœnâ adfecti ſe ignorantes. ib.e
Sui neſcius Deum ſicut oportet non agnoſcit. 1152.a
Sui ipſius cognitio ſuadetur. 1153.a
Ex quatuor animalium faciebus apud Ezechielem cognitionis propriæ neceſſitas indagatur. 1154. a. Horum animalium inceſſus propriam nobis cognitionem demonſtrat. ibid.d
Oratione, & conſideratione ſe ipſum homo agnoſcit. 1155.c
Propria cognitio, & conſideratio abſoluta, vel comparatiua eſſe poteſt. 1157.b
Quibus comparandus homo, vt inde ſui eliciat cognitionem. ibid d.& ſeq.
Quomodo ex cognitione ſui finis propriam poſſit homo vilitatem agnoſcere. 1162.b
A viliſſimâ, ex qua generatur, materiâ, ſui cognitionem homo debet acquirere. ibid.c. A cibo etiam, quo in materno vtero nutritur. 1163.a. Ex auorum, parentúmque vilitate. ibid.c. Ex proauo, & quis ille ſit declaratur. 1165.c. Ex propriæ naturæ cõtemplatione. 1167.c, & ſeq. Ex miſeriis, quibus ipſe homo ſubiacet. 1168. c. Ex natalium calamitatibus & ægritudinibus. 1169.c.& ſeq. Etiam ab animâ, & quomodo. 1172. d. Ex iis quoque, quæ in nobis videntur pretioſiſſima, petenda propria cognitio. 1175.c
Sæpiſſime à Deo eſt homo ſuæ vilitatis admonitus, vt in ſui deueniat cognitionem. 1164 b
Si in ſui homo cognitionem deuenerit, nihil eſſe vnde ſuperbiat. 1166.c
Maxima, quæ in hominem Deus beneficia contulit, quomodo illius deſpicientiæ deſeruiant. 1190.c
Actiones tam naturales, quàm morales, & ſupernaturales quî nos in propriæ vilitatis cognitionem inducant. 1194.d
Nihil nos ſine Dei auxilio poſſe facere in noſtram cognitionem adducit. 1194.d. vſque ad. 1200.
Quæ ſint hominis opera, & quomodo illi propriam pariant cognitionem. 1211 c. & ſequent.
Quomodo ex operibus, quæ facturus eſt, quiſque ſe ipſum valeat cognoſcere, & nihili habere. 1219.b.& ſequent.
Propriæ cognitionis mirum in Bernardo exemplum. 1220.b
Quo ſe quiſque modo cognoſcet; & quis cognitionis ſui fructus. 1222.d
Propriæ cognitionis nunquam cura abiicienda. 1224.b

Collatio.

Illius forma deſcribitur. 1012. a
Ab Apoſtolis eius vſus. 101 a
Antiquis Patribus ſatis nota conſuetudo. 1012.b
In illâ quomodo reſpondendum. ibid.c

Comparatio.

De veniali peccato fugiendo cum gemmâ comparatio. 97.c,& ſeq.
Corporalis cum ſpiritali viſu comparatio, 100.a, b
De vitandis leuibus noxis comparatio. 101.d
Hoſtili exercitui animi vitia conferuntur. 109. d
Gulæ cum naui comparatio. 129 b
Mala cogitatio tineæ comparatur. 135.c
Inuidi cum coruo, & muſcâ. 167. c. Item cum viperâ. 169 a
Tepidi iumentis molæ affixis conferuntur. 180.c
Docti viri, ſed tepidi cum torcularibus. ibid.
Stellioni in virtute diligens aſſimilatur. 183.b
Inanis gloria cum perſonâ tragicâ. 191.b
Leoni, & morbo paſſiones ſimiles. 204.d
Tentationis fugaæ cum latronibus in via aggredientibus comparatio. 213.c
Tentationis, & regis alterius opulentiſſimum regnum inuadentis. ibid.c
Deſiderium tentationum militi bellum affectanti confertur. 220.a
Tentatio cum feneſtra cõparatur 223.b,c

Voluntas ad peccandum, vel non, cum capotato ab hoſtibus. 212.c
Tentati cum pertimido infante. 250.c
Tentatio cum febri. 256. d. Item cum muſca. 257.b
Chriſtus cum ſole. 275.a. Etiam cum Dauide. 1119.b
Status cum hoſpitio comparatur. 280 c
Paſſiones cum leunculo. 311.a.b
Gratia cum aqua illa Bethlehemitica. 315.c
Mortificatio cum penicillo. 326.b
Quàm ſit Deo grata mortificatio comparatione ſignatur. 337 c
Quomodo Deus calicem mortificationis propinet, appoſita comparatione monſtratur. 338.c
Comparatio mortificationis cum dolata tabella. 344.a Item cum thure. 393 b
Mortificati affectus cum olea. 366 b
Anima vitiis oppreſſa pennæ aqua grauatæ confertur. 371.c
Homo paulatim mortificationem acquirens, pictori 409.a Etiam cum ſponſa ſingulas ſui partes componente. ibid.
Tactus cum iis, qui ſerpentis caudam attingunt, comparatur. 440 c Item cum teria 441.a
Detractio cum lepra. 472 b
Virtus cum multis aliis rebus. 620.c, 627. d, & ſeq. Cardinales etiam virtutes. 648 c
Opus ea vitioſa intentione cum ſcirpo. 764 c
Spiritualis vir cum horologio. 795.c
Cui comparetur, qui præcipuum animi vitium non expugnat. 821.d.
Regulæ tranſgreſſor ſtruthioni confertur 877.c
Religioſi cum piſcibus. 1010 a
Concionator cum regio tabellario. ibid.
Virtus cum veſte. 1132 d
Humilitas cum butyro, & melle. 1134 c
Propria cognitio cum ſterquilinio. 1142. d, Item cum Aurora. 1145. b
Se ignorantes iumentis comparantur. 1148.b
Humilis viti. 1267 c
Tribulatio igni. 1512.d
Ignis viro ſilentij ſtudioſo. 1437.d
Caſtitas horto. 1366 a
Paupertas radici. 1374. d. Eiuſdem cum diuitiis comparatio bene longa per integram primam partem libri V. Item cum auibus volare cupientibus. 1462.b
Diuitiæ arbori fructibus oneratæ conferuntur. 1391.a
Auroræ caſtitas. 1516.c
Fomes peccati, leoni. 1519 a
Virgines, cum aquis & maritimo. 1528 a, & ſequent Virginis corpus, cum cithara. 1529.c. Eiuſdem cum lilio. 1539.e
Obedientia cum monetæ ſigno. 1585. e. Item cum mercatore rebus minimis inſanas opes congregante. ibid.
Extincta ita cum lucerna flammæ emunctorio compreſſæ. 161.c
Gloria Dei, dum vincit rebus minimis, cum virga Aaron. 233, c

Compoſitio exterior.

Qualis, in quibuſque ſeruanda ex Dorotheo apprime docetur. 1351.c

Conciones.

Vide Miniſteria.

Contagium.

Quas ſecum adferat moleſtias. 1490.d, & ſeq.
Stellis comparatur. 1465 d
In Noë capreſſum poſtquam ea arca exiuit. 1484.a

Confeſſarius.

Qualis ſit cum mira vtilitate eligendus. 44.c
Si ſuperior fuerit notitiâ ex confeſſione ſubditos regere non poteſt. 48.a
Eſt iudex. 50 a. Et medicus, debétque peccatorum, & pœnitentiæ momenta perquirere. 49 a
Qualis, cui aſſignatus, futurus. 81.c
Omnia ei aperire peccata quàm ſit vtile. 82.d

Confeſſio Generalis, & Particularis.

Quando ſit neceſſaria, quando vtilis. 46.a
Generalis confeſſio Societatis Ieſu. 45. d. In ipſo religionis limine obeunda. ibid.
De confeſſione hebdomadali, & quid in illa præſtandum. 1256.b
Bonæ confeſſionis quæ debeant eſſe conditiones. 47.b
Multæ rationes, quæ confeſſionem facillimam reddant. ibid.
Quomodo ſit facienda. 82.c
Quot, & quantæ inde efflureſcant vtilitates. 48.a
Vera confeſſio virtutis actus dicitur, diabolum debellat, cœlum promeretur. 1310.c
A Iudæ nomine, quod confeſſionem ſonat, confeſſionis laus ibid.
Quæ in illa ſeruanda. 1319.d

Conſcientia.

Vt homines excruciet. 26 c
Eſt leo pro foribus. ibid.c
Peccantis venaliter conſcientia deſcribitur. 92.d, & ſeq.
Prælatis manifeſtanda, & quanta ſit huius manifeſtationis vtilitas. 1024 a
Dum aperitur, non prælato, ſed Deo detegitur. 1025 d
Hanc conſcientiæ manifeſtationem ipſi nos Philoſophi docent. 1026.b. Iſtius manifeſtationis vtilitates 1026. c. Progreditur ab humilitate. 1316 d. Eius fructus vberrimi. 1317. b. Ab ea ſalus animæ 1318. a. Illius magna neceſſitas. 1319.a. Dæmonem debellat, regnumque cælorum prometetur 1320. c Eam commiſeratio, amor, gloriáque conſequitur ibid. Non eſt cur erubeſcamus conſcientiam noſtram patefacere. 1321.b

Conſtantia.

Quæ virtus, eius actiones, incitamenta, & pro comparanda poſtulatio. 713.c

Conſuetudo.

Quid ſit, quàm ſit difficile malam exuere, & induere bonam. 788. b

Contemplatio.

Quid ſit, quæ ad eam incitamenta. 658.b
Illius actiones, & pro conſequenda poſtulatio. ibid.d

Contemptus ſui.

Quantus debeat eſſe vnicuique de ſe ipſo contemptus. 1047 c
Generalis ſui abnegatio amplectenda. 1048.a Eſt primus humilitatis gradus. 1231. a. Quomodo ex humilitate oritur. 1302.b
Multi ſe verbis contemnunt, corde magnifaciunt. 1231 a
Contemptus, deſpicientiáque ſui iuſtis peccatoribúſque indicitus. 1233.a
Sui contemptui nô contradicit, qui ſe Dei gloria, proximorúmque ſalute laudat interdum. 1235 d
Contemptus ſui quis humilitatis gradus. 1260 a
Illum nos Chriſtus edocuit. ibid.
Deſiderium contemptus virtutum operimentum optimum. 1261.b

Contritio.

Eius definitio, & quomodo differat ab attritione, 39.d
Illius cum peccato contentio. 40.c
Abſciſſo lapidi, & ſtatuam demolienti ſimilis. ibid.d
Eius miri effectus. 41.b
Quæ ſit illius eſſentia comparatione monſtratur. ibid.
Eſt lima rubiginem iniquitatis abradens. Et aliæ ipſius proprietates. 42.e
Interna plaga à Salomone dicitur. 43.a
Quomodo tollat peccatum, & pœnam. ib.
Inter alia, quæ relinquit in anima, contritio eſt erubeſcentia, cuius perſonam ſuſtinet Abſalon. 43.c
Contritionis comes emendationis propoſitum. ibid. d
Delet peccatum cum ordine ad confeſſionem. 44.c

Cor.

Durum, lapideum, & ſaxeum peccatori in pœnam datur. 29 d
Peccato ima capeſſit. 76.b
Cordis cuſtodia contra luxuriam remedium. 141 b
Incitamenta ad cordis puritatem. 660, c Ipſius puritatis actiones, & poſtulatio. ibid.
Os cordis eſt deſiderium cordis. 757.b
Quomodo iuſti pareat corda virtutibus excipiendis ibid.
Cordis quærenda tranquillitas. 1048. d

Corpus, & illius caſtigatio.

Quibus corpus coërceatur. 1048 c
Quomodo animæ detrimento ſit. Vide verbum Anima.

Cura hominum.

Vide Homo.

D.

Dauid.

Religioſorum peccata lamentatur. 36.b
Eius lapides in Goliath quid. 203.a
Quid ſignificet illius animam Ionathæ poſt pugnam fuiſſe coniunctam. 251.d
Contra filium pugnaſſe quid ſignificet. 358.c
Humilitatis eximiæ typus 1117 d
Quàm ſe deſpicabilem duceret. 1135 c

Dæmon.

Qua nos attentione perſequatur. 102 d.
Quomodo tentet. 209 a
Externa cauſſa tentationum. 211.d
Perfectos tentatione ſubuertere curat nimiopere. 214 c
Quàm ſint eius vires magnæ. 227.b
Philiſtæo confertur. ibid. Item Alexandro. 228 b
Dæmonis vox quæ ſit. 237 c
Optima quæque deuorare præſumit. 238.b
Cur ligatus a Ioanne deſcribatur. 243.d
Septem nos appetit tentationum generibus. 256.a
Illius fraudes multæ. 260 a
Menti tenebras inijcit. ibid.c
Eius tela ſumma mollicie blandiuntur. ibid.d
Ceſſat à tentatione vt nos imparatos offendat. 261.a
Diuerſa illius arma in nos, & noſtra in illum. 263.c
Quis ſit illius in hominibus tentandis ſcopus. 264.d
Leo eſt, qui rugire, non ſerire poteſt 267 c
Quare ſcrupulos immittat. 288.b
Vt Philiſtæi Dalilâ carne, noſtræ rationis Samſonem curat delinire. 359 b
Eius aſtutia mira dum nos contra caſtitatem tentat. 1512.d

Deſiderium.

Vide, Virtus

Deſpicientia ſui.

Vide, Contemptus ſui.

Deteſtatio.

Deteſtatio peccati a cognitione imbecillitatis incipit. 32.a

Detractio.

Vide, Mortificatio linguæ.

Deus.

Omnia peccata caſtigat. 25.d Mundi peccata tollit. 34.d. Præſto adeſt in tentationibus 261.c. Illo auſpice ſuperantur. 262 c Vt nos in ſe nos agnoſcat tentat. 223. c. Vt noſtra peccata caſtiget. 224. a. Vt nos maiori gloria donet. ibid.c

Quomodo tentator,& intentator dicatur. 222.b
Cur præliorum amicus. 233.e
Ea noſtris victoriis maximam ſibi gloriam parit. ibid.
Quomodo erigat infirmos. 234.c
Nos peccatorum victores præmiis adficit. 235.d
Cur nos tentari permittat. 236.b
In tentationibus aperit oculos ſuper ſuos. ibid a
Eſt nobis murus fortiſſimus. 241.b
Vt vincamus intellectum illuminat. 242.d
Nos alacres ad dimicandum reddit. ibid.e
Aduerſariorum extenuat vires, vt nos vincamus. 243.e
In nobis vincit. 244 b
Quomodo nos tribulatione exerceat, & poſtea iuuet. 246.b
Nos viurentes tentationes indonatos abire non ſinit. ibid.d
Ad illum in tentatióne, vt pueri in metu ad matrem, accurrimus. 250.e
Arma ſuppeditat contra hoſtes. 261.e
De illius præſentia. 1035.c
De charitate erga eum, déque ipſius timore. ibid.e,& 1036.b
De zelu honoris Dei, déque ipſius laude, 1036.d,& 1037.a
De reſignatione in eius voluntate, & quanta eſſe debeat. 1037.e
Aliquos ſibi, vt præcipuos familiares eligit, more regum terræ. 1187.a
Quàm in hominem Deus liberalis extiterit. ibid.d
Omnia ab illo, vt à principio dependent, ad eúmque, vt ad finem vergunt. 1191.c, & ſeq.
Illius varia in homines auxilia: Vide Auxilium Dei.
Omnia illi tribuenda. 1523.b
Grata ſibi hominum facta multis ſemper cumulauit beneficiis. 1433.b
Nullius obliuiſcitur. 1460 e
A Nazianzeno ob eximiam puritatem virgo appellatur. 1530.a

Dies.

Dies hominis, & Dei quid. 89.b

Differentia.

Quanta ſit inter peccatum, & gratiam. 80.e

Diffidentia.

Sui diffidentia proprius amor ſuperatur 517.e
Diffidentia, deſperatióque quibus obnoxia delictis, quibuſque ſananda remediis. 562 e
Maximum ad ſequendam conſequendámque virtutem remedium, ac inſtrumentum. 751.e
Antiquis cognita Philoſophis. ibid.d
Sui confidentia Parentes à paradiſo fecit extorres. 1019.a
Secundus eſt humilitatis gradus. 1836.o
Diffidentiæ aſſequendæ quantum proſit oratio. 1138.a
De rebus omnibus creatis diffidendum, ſoli Deo fidendum. 1140.a
Cum malum fugimus, vel bonum aggredimur, diffidendum nobis, Deo fidendum. 1241.a

Dignitates.

Vide, Honor.

Diſcretio.

Quid ſit, incitamenta ad illam; eius actiones,& pro illa poſtulatio. 678.c
In virtutibus exercendis plurimùm ſeruanda. 1049.a

Diuinum officium, & Horæ Canonicæ.

Quanta ſit reuerentia recitandum. 913.d
Suis horis recitandum. 914.c. Quo in loco. 915.a
Mirabile ſanè exemplum, quo ſtatis temporibus Horas docemur recitare Canonicas. 914.e
Corporis ſitus in recitandis Horis qualis futurus. 915.d
Quomodo nos paremus vt cum deuotione diuinum recitetur officium. 916.b
Officij ipſius verba quomodo proferenda. ibid.
Quæ attentio in officio adhibenda,& quid illam conciliet. ibid.

Diuitiæ & Diues.

Illis omnia obedire, acquiri, pararique omnia. 1380.c
Mundi diuites pauperrimi. 1384.e
Libertatem, tranquillitatem, & honorem diuitias ſequi aſſerunt ſæculares, ſed falluntur. 1386.c
Illarum incommoda recenſentur. 1391.a
Sunt onera, quibus grauamur. ibid.d
Difficillimè ſine labe auaritiæ poſſidentur. 1395 e
Quomodo, & quibus diſtribui debeant, quæ à Religioſis per paupertatem relinquuntur. 1394.e, & ſeq.
Etiam ditiſſimi aliquibus indigeat. 1413.b
A malis vitæ poſſeſſores tuentur. 1385.e

Docilitas.

Quid ſit; quæ ad illam incitamenta: quæ actiones,& pro ea efflagitatio. 680.d

Dolor.

Dolor ea contritione quantus; & cui dolori comparetur. 41.b
Dolore vngemiti dolenda culpa. ibid.

Durities.

Pœna grauiſſima peccatoris. 29.d

E.

Eccleſia.

QVod præmium ratione caſtitatis habeat. 1531.e
Quomodo caſtitate magis indies augeatur. 1534.e
Virgo eſt integerrima, quæ innumerabiles vni viro ſuo Chriſto filios dedit. 1335.e
Licèt videatur ſterilis, fœcunditate tamen filiorum gloriatur. 1536.b
Quonam modo caſtitate ſuos augeat filios. ibid.d
Quid ſit Eccleſiæ filios inter herbas quaſi ſalices germinare. 1537.b
Plures habet ſectatores, quàm quælibet alia ſecta, aut falſa religio. ibid.e

Effigies.

Cum peccato comparatur. 22 a

Eſſeni.

Eorum mores à multis laudati; illorum quantus numerus quamuis caſtitatem colerent. 1350.d

Euchariſtia.

Leuia peccata remittit. 83.e,& ſeq.
Quomodo in ea Dominus inuocandus & quid in hac re B Franciſcus Borgia fecerit. 980.a.& ſeq.
In Religioſis viris duo in Euchariſtia extrema vitanda: alterum, frequentiùs; alterum, infrequentiùs ad illam accedere. 1005 e, & ſequent.
Qualis ad illam futura præparatio. 1007.c
Poſt eius ſumptionem gratiæ perſoluendæ. 1008.c

Eunuchus.

Qui ſint Deo chari Eunuchi. 1521.e. Qui ſpirituales. ibid. d
Magnum in cœlis præmium paratum habent, ibid. e. Quibus Eunuchis hoc præmium detur. 1522.d

Examen Generale.

A conſcientiæ examine generali, peccatori incipiendum. 38 e
Quando efficiendum. 39.a
Nulli debet eſſe moleſta crebra illius repetitio. 957.a
Quid ſit, quámque neceſſarium. 981 a
Vita perfecta abſque illo vix haberi poteſt. 982 e
Eſt regula, morúmque norma. ibid. Prima eius neceſſitas, quia peccata detegit, & lucem illis cognoſcẽdis impertit. 983.b. Secunda, quia illo peccatorum deteſtatio concipitur. 984 c.& ſequent. Tertia, quia communiter ſine illo culparum remiſſionem non aſſequimur. 986 e
Sancti eſt mœroris,& compunctionis mater. 985.d
Eius vtilitas à Pythagora aureis carminibus commendatur. 987.e
Vitia deſtruit; idque mirificè Iordanis aquæ retrocedentes declarant. 988.b
Virtutes animo inſerit. 989.a
Illo quies animi comparatur. ibid. e, Item prudentia maxima. 990 b
Quæ ſint ad examen adducenda. ibid.e
Magna ſolicitudine circa opera exercendum. 992.b
Opera noſtra bona examinanda. ibid. & ſequent. Maláque potiori iure inſpicienda. 994 a
Quanam ratione fieri debeat. 994.e.& ſeq.
Totius examinis generalis doctrina in ſummam redigitur. 1000.e

Examen Particulare.

Quid examen particulare ſit. 776.d
Pugnam certaménque ſingulare eſſe egregiè oſtenditur. 778 a
Quo tempore faciendum. 779 b
In quo conſiſtat. 778.e. Illius praxis oſtenditur. 779 a
Eius auctor Chriſtus extitit. 780.e
Per quadraginta duas filiorum Iſraël manſiones ſignatum. 781.c
Hoc diuinum exercitium Sanctus. P. N. Ignatius edocuit. 776.b
Non nouum inuentum cùm à Sanctis Patribus tradatur. 783.a
Perfectos viros inferioris æui non latuit. 784.d
Seneca Galenúſque tradunt. 785.a
Quanta ſit eius neceſſitas. 785.d
Quanta vtilitas. 791.e
Per illud imbecillitatis propriæ,& bonitatis diuinæ maxima notitia comparatur. ibid.d
Veriſſima inde cordi promanat humilitas. 792.d. Etiam optata puritas. 793 c,& ſeq. Illo mentis interna pax comparatur,& in vita ſpiritali proficimus. 795.b
Maxima nos præmia manent pro hac ſpeciali examinis exercitatione. 796.a
Emendationis propoſitum prima examinis pars. 797.d. Propoſitum hoc in aliquo ſe ſpecialiter emendandi quàm fuerit omnibus notum. 798. d. Illi firmitas, fidelitas, longanimitáſque iungenda. 799 d.& ſeq. Quomodo nos habere debeamus in illo ſeruando. 806.d. Quanto ſtudio feſtinandum vt vitia, quæ emendanda proponimus, euitemus. 807.c. Quinam inuocandi, quorum auxilio in propoſito permanere poſſimus. 808 a. Quid faciendum cùm in propoſito deficimus. ibid. Si deficias in illo iterum citiſſimè inſtaurandum. ibid. Quàm ſit dolendum de non ſeruata propoſiti fidelitate. 813.e
Cura exercendæ virtutis peculiaris, quæ eſt ſecunda examinis huius pars. 804.e
Ita per hoc examen ab vno vitio nos ſeparare ſtudebimus, vt in aliis nos non induamus. 809.b
Bis in die faciendum,& quando. 811 e
Quis modus in ſui excuſſione tenendus. 813 a
Libello ad hoc examen vti ex antiquorum monachorum vſu B. P. N. Ignatius docuit. 815.b
Eſt ſpirituale capitulum, in quo vir iuſtus corrigitur. ibid.e
De collatione examinis; quid ſit, & quomodo facienda. 815. a. Quanta ſit huius collationis vtilitas. ibid d. Quos affectus ex hac collatione deuota anima aſſequatur. 819.a
Quibus de rebus fieri debeat ex-men

Digitized by Google

hoc. 810.d
Qui in illo fututis præſentia contendit, cur muſto transfuſo de dolo in dolium conferatur. 817.d
Contra præcipuum vitium prima dimicatio futura. 811.a
Cui comparetur,qui præcipuum animi vitium,non expugnat. ibid.b
Iuxta triplicem hominum ſtatum materia ad hoc examen triplex eligenda. 811.a
Quàm exactè ſe Sancti examinabant. 812.b

F.

Fælicitas.

INter bonos, & malos fælicitatis diſcrimen. 236.d

Famina.

Quid illa ſit; & multis rebus confertur. 1174.e,& 1545.d
Illius declinandus aſpectus. 412.c
Nullus ab ea ſibi ſe ſecurum perſuadeat. 413.b
Qua circumſpectione fæminis ſpiritalia miniſtranda. 952.e,& ſeq.
Mira Hugonis circa illas cautio. 414.b

Feruor

Quibus ex cauſſis nimius naſcatur. 275.e
Quomodo illi medendum. 276.c
Quanto feruore virtutes ſint ſpiritualibus viris exercendæ. 844.e
Feruoris nobis Chriſtus,& B.Virgo exempla quàm plurima dedere. ibid.d
Cur anima,quæ pennis feruoris volat,columba nominetur. 845.d
Quàm ſit nobis neceſſarius feruor, tepiditatiſque depulſio. ibid. & 847.e
Nomen, Ieſus, ad feruorem nos impellit. 846.d
Feruor Chriſtum Dominum inuenit. ibid.e

Fides.

Quidnam illa ſit. 655.e
Quomodo poſt peccatum maneat. 15 a
Quæ ſint eius actiones. 656.d
Illius poſtulatio. ibid.e
Ad eam incitamenta tria. ibid.a
Fidei meditatio iungitur. 657.a
Contemplatio item. 658.b
Mundique contemptus. 659 b
Etiam cordis puritas. 660.b
Pro aſſequenda fide deuotiſſima poſtulatio. 746.a

Fiducia

Quid ſit,quæ ad eam incitamenta; ipſius actiones; & pro eadem poſtulatio. 662.e

Finis

Quàm terribilis poſt vitam hominem maneat. 1178.b

Fomes.

Fomes concupiſcentiæ in viris perfectis non tollitur,ſed minuitur. 1518.e
Leoni dormienti comparatur. 1519.a

Fortitudo

Quæ virtus, quæ ad illam incitamenta, eius actiones,& pro impetranda poſtulatio. 703.e

Franciſcus Solanus

E Diui Franciſci familia obiit in Peruuio, eius vita, & mors multò glorioſiſſima. 1445.b

Fratres

Illis bono exemplo futuri ſemper. 1043.b
In eis Deum cogitare, illoſque fraterna charitate debemus diligere. 1044.a,&c.
Nos illis affabiles oſtendamus, & honore inuicem præueniamus. ibid. e, & 1045.b
Eorum defectus ſuſtinendi, & auxilium diligenter exhibendum. 1045. c, & ſeq.
Quæ in fratrum conuictu circunſpectio requiratur. 1046.b

Fumus

Peccato ſimilis. 27.b

Furtum.

Furtum non ſolùm magnum, ſed etiam minimum prohibet Deus. 13.b

G.

Gaudium

QVid, quæ eius actiones, quæ ad illud incitamenta:& pro illo poſtulatio. 671.a

Gloria Dei.

Eſt quaſi ſponſa Dei. 192.e
Soliuſque Dei eſt. ibid.
Quanta ſit leuiſſimis inſtrumentis magna quæque deuincere. 233.d,& 234.c
In omnibus noſtris operibus ſemper quærenda. 836.a

Gratia.

Optimæ inter illam,& peccatum differentiæ. 20.c
Soli comparatur. 82.e
Per gratiam Chriſtus in libertatem aſſerit. 321.e

Gratitudo

Quæ virtus,eius actiones, ad eam incitamenta: & pro comparanda efflagitatio. 695.e

Gula.

Quid ſit gula. 120.d
Quæ mala ingerat homini. 28.a,& 130.e
Fugienda propter mala, quæ infert. 121.a
Tempus conſuetum præuenire, gula eſt, in quo notatus Ionathas. 122.a
Non ſemel,ac iterum, ſed tertio, ac quarto ſe cibis ingurgitare, puerorum eſt. ibid.d
Feſtis diebus ante concionem, & Miſſam pergræcari quàm graue ſit. ibid.
Mos Iudæorum,& fidelium hora ſexta comedendi. ibid.
Quàm ſit fœdum in cubiculis ſe ingurgitare religioſos. 123.e
Vitio tribuendum communia edulia reſpuere, & tragemmata lautiora quærere. 123.e,& ſeq.
In cibis lautis quàm periculoſa. 125.c
Quàm ſit indecorum in cella menſas ſterni. 126.a
Inter ſæculares ſummæ ignominiæ. ibid.
Cibos curioſius præparare gulæ tribuendum. 127.a
Etiam in viliſſimis cibis reperitur. ibid.
Feſtinatione nimia edere gulæ adſcribitur. 128.a
Quanta bona diſſipet. ibid.
Chriſti exemplo fugienda. 130.b
Quia breuis euitanda. ibid.
Nihil in cella habere, quod gulæ datur, Eliſei exemplo monemur. 131.d
Victæ gulæ ſeptem indicia. 206.a

H.

Hiſpania.

MIra in Pontificem ſummum obſeruantia, caſtitatéque quantum florcat:& quot,ac quantas barbaras nationes ſuo ſubiugarit imperio. 1538.a

Homo.

Quale per peccatum monſtrum efficiatur. 28.d. Surdus, mutus,cæcus,& paralyticus. 21.a,& ſeq. Quàm ſit poſt lapſum calamitatibus plenus. 318.d
Noxis vel minimis,infectum,atque vitioſum eſt organum. 74 d
Hominis dignitas efficax ratio tentationis depellendæ. 264.e,& ſeq.
Eſt templum Dei.265.a Perfectiſſimaque illius imago. 315.c,& 1189.a
A Chriſto in libertatem priſtinam aſſeritur. 320.e
Quàm fuerit à Deo exornatus. 315.e.& 1187.d
Deo Regi ſæculorum valde amicus extitit à principio. 1186.e,& ſeq.
Propria eſt à Deo veſte indutus. 1187.d
Gladius,& balteus Dei illi datus, & quid illa ſignificent. 1189.e
Duæ ſunt in homine portiones. 327.b
Quid ille fuerit: vt inde in ſui cognitionē deueniat. 1161.e
Quis eius proauus. 1165.e
Quid ſit ex multarum rerum comparatione colligitur. 1167.c & ſeq.
Quibus,qua caro eſt, miſeriis, calamitatibus,& ægritudinibus afficiatur. 1168. e, & 1172.a
Natiuitatis humanæ calamitates recenſentur. 1169.e
Quàm ſit eius vita lacrymanda. 1174.a
Quàm breuis,& plena periculis. ibid.d
Quæ in homine fælicſſima videntur ſummam præ ſe infirmitatem ferunt.1175.c
Fugit velut vmbra: qui locus latè tractatur, à pagina 1173.vſque ad 1177.
Qualis eius finis, quámque ſit vitæ exitus formidandus. 1178.b,& ſeq.
Mortem euitare non poterit. 1179.b
Quid iamiam moribūdus patiatur. 1181.b
Quid poſt mortem futurus.1177.e per totum caput 7.
Moribundum horrent, aſpernantúrque chariſſimi. 1183.d
Quid in animo poſt mortē futurus. 1184.c
Quid in ſtatu puræ, integræque naturæ potuerit. 1190.e
Quid auxilio Dei, quantumque illo indigeat. ibid.
Quanta eius ſit impotentia. 1192 d
Poſtquam Dei odium incurrit quàm pauper,deſpectuſque euaſerit. 1194.b
Quàm parum poſſit homo mortis tempore,& in ipſa ſenectute. 1102 e,& ſeq.
Libero arbitrio,laude, vituperióue dignus efficitur. 1206.c
Quid homo fecerit, & quid in illo Deus. 1206.e,& ſeq.
Multa illius opera recenſentur, quæ ipſe fecerit. 1207.e,& ſeq.
Primum eius opus, à Deo deficere, ſubſtantiámque ſuam diſſipare. ibid.
Peccans intellectum per ignorantiam excæcauit. 1208.b
Quid modò faciat. 1212.b
Eius curæ,quæ. 1213.e
Hominū in mundo diuerſa peccata.1214.e
Quæ ſint imperfecti, perfectique hominis opera. 1215.e
Quid ille facturus ſit. 1217.c,& ſeq.
Hominis cor abyſſus multa. 1291.d

Honor

Quotuplex ſit. 297.b
Dolus eſt diaboli plurimos decipiēs.ibid.d
Remedia,quibus talis ſuperetur tentatio. ibid.
Quàm longè à Chriſto diſtent honoris appetentes. 298 c
Honoris contemptus quintus eſt humilitatis gradus. 1253 e
Sancti omnes illius contemptores. 1255.a
Quā ſit inanis ab hominibus delatus. ib.b
Humanus honor exiguus, & anguſtus. 1256.b
Infame, ignominioſumque honores propter ſeipſos aucupari. 1257.e
Honoris humani pericula. ibid.e
Honorum contemptus quæ ſit cauſſa potiſſima. 1259.a
Quomodo honorem, eiuſque appetitum fugere poſſimus. 1261.b
Ex illius contemptu ſancta naſcitur libertas. 1263.a
Ex honore accepto dolore affici ſeptimus humilitatis gradus. 1261.a
Noſtrorum temporū miſerāda calamitas, eūm honores adeptis gratulamur.ibid e
Ad honores elati multi dolorem ſimulant. 1266.a

Non poſtulandos, nec ambiendos docet nos Ionathan parabola de arborum regno. 1266.c,& ſeq.
Honores, dignitatéſque onus merito vocantur. 2269.a

Horæ Canonicæ.

Vide, diuinum officium.

Humilitas, & humilis.

Quid ſit humilitas, quæ illius actiones, incitamenta ad eam, & pro comparanda poſtulatio. 725.a
Quanta ſit peccata confiteri. 80.a
Propriæ deſpicientiæ, & humilitatis ſigna publica, quæ, & quàm ſint antiqua. 1023.b.& ſeq.
Hæc à religioſis ſtudioſè præſtanda. 1024.c
Humilitatem omnis Chriſtiana virtus diligit. 1053.b
Purgat ſe auctor cur longiùs de hac, quàm de reliquis virtutibus ſermonem inſtituerit. 1054.b
Humilitas cognitionis, quid, & cur ita vocetur. 1059.a, 1062.a
Humilitas affectionis quid ſit. ibid.e
Eſt virtutum omnium fundamentum firmiſſimum, & quomodo in hoc à Fide diſcrepet. 1064.d,& 1066.a
Chriſtum habemus humilitatis magiſtrum, & quomodo eam docuerit. 1069.c
Cur ita vocetur. 1079.a
Vniuerſæ virtutes ita à Domino traditæ ſunt quaſi humilitate contextæ. 1075.c
Prima Chriſtianæ diſciplinæ elementa humilitate continentur. 1076.c
Chriſtianæ diſciplinæ eſt ſumma. 1077.d, & 1082 b
Omnium eſt virtutum radix. 1079.h
Illa ab eo, quod Deo diſplicet, ſeparamur, ac legem integram quodammodo cuſtodimus. 1080.b,& 1082 d
Ea homines fieri Deo gratiſſimos, Angeliſque ſimillimos. 1083.d
Humilibus nihil aliud curæ eſt, quàm honor Dei. 1084.c
Cur illi Deo gratiſſimi. ibid.e
Anima humilitate pulchra, decoraque Deo exiſtit. 1086.a
Pretioſa, difficiliaque opera ſine humilitate Deo non placent. 1087.a
Ab omnibus iuſtis illam Deus expoſcit. & in hoc ſuam nobis humilitatem oſtendit. 1088.e
Beneficiorum mole nos ad humilitatem trahit Deus. 1089 d
Vitæ etiam diuturnitate. 1090.d
Intimæ item conſolationis infuſione. 1097.a
Multis etiam internis cogitationibus. 1093.a
Quicquid vidimus, audimus, aut legimus nobis humilitatem prædicant 1091.d
Flagellis ſolet, & tribulationibus, etiam leuibus comparari. 1093.c,& 1094.d
Qui nullis ad humilitatem remediis iuuatur, ſolet manifeſtum peccatum incurrere. 1095.h
Quare ſublimis Deus in nobis humilitatem quærat. 1098.a
Humilitas eſt magna, ſummaque ſapientia. ibid.& 1100.c,& 1101.e
Superbiæ, quæ ſtultitia eſt quodammodo ex diametro opponitur. 1098.e, & 1100.c
Minimis ſed prudentioribus quatuor animalculis humiles comparantur. 1101.d, & ſeq.
Eſt Chriſti ſapientia. 1104.h
Omnium eſt bonorum receptaculum. 1105.d,& 1107.e
Humilis à Deo aſpicitur 1108.e
Cum illo ſermonem confert. 1109.e & ab illo magnus efficitur. 1111.e
Humilitas compunctionis mater. 1110.c
Eſt fons, & via ad exaltationem. 1113.a & 1115.a
Lex exaltationis ex humiliatione exemplis corroboratur. 1116.b, & ſeq.
Humilitatis typus Dauid. 1117.d
Deſpectos, humileſque Deus eligit. 1118.d
Humiles valles ſunt, quæ gratiæ aquis irrigantur. 1120.c
Humilitas vera magnitudo, quæ homines magnos efficit. 1121.d
Duplex eſt: altera, quæ triſtitia: altera, quæ ſumma cum hilaritate exercetur. ibid.e
Qui humilis habetur, ille verè magnus vocandus. 1122 d
Magnus coram Deo, & hominibus & quare. 1123.a, ibid.e
Quanta humilis magnanimitate polleat. 1124.c
Quia ſubiectus ideo magnus exiſtit. 1125 a
Humiles Deus ſollicita quadam prouidentia defendit. 1127.d
Quare manſueti, ſuperbi verò illuſores dicantur. 1128.d
A Deo adiuuantur non ſolùm vt incipiant, ſed etiam vt perficiant, quod ſecus euenit ſuperbis. ibid.e
Quanta ſit eorum ſublimitas. 1135.e
Summum bonum aſſequuntur dum ſe Deo ſubiiciunt. 1278.c
Qua ratione magna audeant poſtulare. 1280 a
Humilitas virtutum omnium caput. 1123.b
Mirum valde eſt, cum in ſublimium cordibus humilitas inuenitur. 1124.a
Non animum deiicit, immo roborat. 1126.d
Quicquid in Eccleſia magnum, id humilitate patratum eſt. ibid.e
Illius poteſtas, vt ardua quæque perficiat altiſſimis eſt innixa radicibus. 1127.d
Cogitationes noſtras tutatur, ac defendit. 1128.b
Cur nihil humilitas, omnia vero timeat ſuperbia. 1129 d
Quam ſit mirabilis humilitatis potentia ad difficilia præſtanda. 1130.d
Omnibus, ad perfectionem anhelantibus, ſectanda humilitas. 1132 b
In vanum laborat, qui virtutis domum ſine illa ædificat. ibid.e
Veſti comparatur. ibid.e
Sine illa Saluator non reperitur. 1133.c
Cibus eſt incipientium, proficientium, & perfectorum. 1134 b
Butyro, & melli confertur. ibid.
Quàm facillimè, etſi pretioſiſſima ſit, acquiratur. 1135.e
Honorabiles, & magnos efficit. ibid.e
Magnis laudibus effertur. 1136.d
Quot ſint humilitatis gradus: multæ doctorum ſententiæ: deque hac re iudicium auctoris. 1227. h, & ſequent.
Primus illius gradus, eſt propria deſpicientia. 1235.a
Omnibus iſte gradus indicitur. 1233.a
Multi ſe humiliant ore, corde magnificant. 1232.a
Tribus rationibus inducit hominem humilitas, vt ſeipſum deſpiciat. 1233.e
Quando quis ſeipſum laudans humilitati non contradicat. 1235.d
Secundus humilitatis gradus, ſibi diffidere. 1236.e
Quænam iuuent ad hunc gradum aſſequendum. 1238 a
Tertius illius gradus, ſe diuinis indignum putare. 1242.a
A quonam hic gradus docendus. 1243 a
Quomodo tertium hunc gradum poſſimus comparare. 1245 d
Quartus eius gradus, omnium ſe minimum æſtimare. 1247.a
Qua ſe ratione quis omnium ſe minimum poſſit appellare. ibid.d,& 1248.d
Huius gradus quanta ſit ſecuritas. 1250 c
Illius nobis Dauid præbuit exemplum. 1251.c
Quæ nos huic gradui aſſequendo iuuabunt. 1252.b
Quintus illius gradus, Nolle ab hominibus honorari. 1253.e
Vide, Honor.
Sextus gradus, Deſiderare ab aliis contemni. 1260.a
Quomodo nos Chriſtus hunc humilitatis gradum edoceat. ibid.
Sancti quàm ſedulò iſtam contemptionem curarint. 1261.b
Septimus eius gradus, Ex accepto honore, dolore affici. 1265.a
Longè abeſt ab humilibus honoris deſiderium, & gaudium. 1266.a
Illorum eſt locum ſublimem cum dolore ſuſcipere. ibid.e
Humiles cùm honoribus præfici præ aliis poſſent, impensè recuſant dignitates. 1268 a
Octauus gradus, Defectus libenter detegere. 1271 e
Quanta ſe cum laude vituperet humilis. 1272.a
Quanta ex defectuum manifeſtatione humilibus gloria conſequatur. ibid.d
Sancti Bernardi exemplo ad hanc manifeſtationem humiles inuitantur. 1273.c
Quantam ex ſui accuſatione humilis vtilitatem acquirat. 1275.a
Nonus humilitatis gradus, Se omnino Deo ſubiicere. 1276.d
Difficile, ſed iuſtum, vt ſe Deo ſubiiciat humilis. 1277.d
Gradus hic aſſiduis à Deo precibus quærendus. 1278.h
Decimus gradus, Se propter Deum omnibus ſubiicere. 1281.a
Quomodo nos Chriſtus hunc humilitatis gradum edocuerit. ibid e
Quæ ſit iſta ſubiectio. 1282.b
Illa humilis perfectiſſimè ſuperbiæ reluctatur. ibid.e
Eam nos docent ſancti ſuis exemplis. 1283.a
Quibus præcipuè conueniat iſta ſubiectio 1284.d
Vndecimus gradus, Ex functionibus externis abiectiora quæque complecti 1285.e
Humilis Chriſti exemplo vilißima quæque præſtat. ibid.
Quid hunc gradum ſummopere commendet. 1287.b
Humilitatis indices, externæ viles functiones ſunt. 1288.c
Veteris legis Patres has externas humilitatis functiones præſtitere. ibid.
Duodecimus humilitatis gradus, Se omnino inutilem reputare. 1290.h
Dum ſe inutilem humilis iudicat, gratiam ſibi Dei valdè reputat neceſſariam. ibid.
Humiles ſibi inutiles Deus vtiles efficit. 2291.c
Qui ſe viles, inutiléſque putant Deum perfectiſſimè reuerentur. 1298.c
De effectibus, indiciiſque humilitatis agitur tota Quarta parte. 1294 d
Duodecim humilitatis effectus, duodecim ſunt fundamenti perfectionis lapides. 1295 a
Humiles nihil in ſe inueniunt, quod non eſſe diuinum beneficiū agnoſcāt. 1293.a
Quò extolluntur altiùs, eò ſeipſos inferius deprimunt. ibid.
Neminem quantumuis peccatorem deſpiciunt. 1294.d
Propriam voluntatem vt malorum ſeminarium damnant. 1304.b
Humiles obedientes ſunt. 1307.d
Omnis ſe tribulationis dignos iudicant. 2315 a

Iniurias ſuſtinere non timent ſpe ponderis gloriæ. ibid.
Abdita quæque conſcientiæ, confuſione contempta, verè humiles Prælato manifeſtat. 1316.d.& ſeq.
Vilitate ac extremitate debet eſſe contentus. Et quid hæ voces apud B. Benedictum ſignificent. 1322.b
Eſculenta poculentaque viliſſima humiles deſiderant. 1323.a
Indumentorum illis vilitas arridet. ibid.e
In loco infimo libenter aſſident. 1324 d
Miniſteriis infimis contenti ſunt. 1325.d
Omnibus ſe viliores æſtimant, idque ſignis exterioribus declarant. 1326.d, & ſeq.
Quid ſit humiles ſe omnium minimos linguâ profiteri. 1328 d
Quid opere. 1329.e
Humilis ſe vermiculum iudicat. 1327. e
Multiloquium fugit. 1336,e
Humilium vox eſt, Fiat voluntas tua. 1303.e
Eorum eſt in omnibus ſingularitatem vitare. 1330.e
Maiorum ſuorum exempla ſolicitè cuſtodiunt. 1334 b
Cùm quid ex permiſſione regulæ fecerint ſupra alios, quàm id occultè præſtare debeant. 1335 a
Quænam ſit illorum taciturnitas. 1338 e
Qualis futurus illorum riſus. 1340.e, & ſequent.
Quàm circunſpecta loquela: quæ eorum verba. & quæ in illis obſeruanda. 1343. a, & ſeq.
Qualis illorum ſumtus inceſſus. 1348 d
In congregatione hæſitauerit, qui à nulla ſe humiliatione ſubduxerit. 1328.b
Humilis viti comparatur, & quare. 1267.e
Quid apud ſe cogitet. 1276 d
Humilitate donorum Dei capaces efficimur. 1244.e
Illius myſterium in miniſterio conſiſtit. 1288.c
Eſt omnis ſancti timoris initium. 1296.b
Seruilis, mercenarij, initialis, filialiſque timoris origo, humilitas. 1297.b,& ſequent.
Filialem iuuat timorem. 1299.e
Omnem inordinatum timorem, vel moderatur, aut pellit. 1300.a
Ab humilitate oritur abnegatio, & quo modo. 1301 b
Item diſcreta taciturnitas. 1337.c
Humilitas obedientiæ genitrix. 1307.d
Vtrâque in patriam properamus. 1310.e
Humilitas veritatis ſoror. 1328.e
Amicabilis ſocietatis mater. 1331.e
Humilitati aſſequendæ humiliatio medium maximè neceſſarium. 1353.a
Alia media valde neceſſaria aſſignantur. ibid.
Quæ ſint humilitatis indicia. 1354.e
Aptiſſimum eſt aſſequendæ caſtitatis inſtrumentum. 1551.a
Ad poſtulandam humilitatem oratio. 1357.

Humor.

Myſticè quid. 95.a

Hypocriſis.

Hypocriſis eſt peccata non detegere. 79.c

Hyſſopus.

Quid myſticè; & cur de illo diſputarit Salomon. 53.c

I.

Iacob.

Eius claudicatio quid myſticè ſignificet. 1428.

Iericho.

Animæ ſymbolum. 94.b

B. P. N. Ignatius.

Mirum eius apophthegma de mortificatione cum oratione iungenda. 370. c,& d
Illius aureus exercitiorum libellus laudatur. 776 b
Cum bene magno animorum emolumento generale particulareque examen educunt. ibid
Singulis horis ſe examinabat. 812 b
Examen particulare nobis moriens teſtamento legauit. 815.b
Quid in Ignatij Parentis noſtri regula contineatur, & quot oculis deſcribat. 862.d
Fiduciæ, & ex eâ natæ paupertatis exemplum edidit illuſtriſſimum. 1427.
Quam Societati paupertatem iniunxerit. 1451.e
Quanta inobedientem mala ſequantur eius aurea de obedientia epiſtola declarat. 1610.e

Ignis.

Perfectioni comparatur. 4 c
Purgatorium ſignificat. 89 d
Omnes per ignem & aquam. 90.a
Igni bona opera examinanda quomodo intelligendum. 91.a

Impudicitia.

Plurima, quæ ſecum adferat mala. 1473.b, 1484.e
Impudicitiæ malo voluntas mœrore conficitur, & quaſi in rabiem agitur. 1473.c
Virtus maſcula impudicitia molleſcit. 1474 a
Diuitias, quas Caſtitas congregat, diſſipat. 1478.e
Nil æquè religioſorum lædit opinionem. 1494.e

Inanis gloria.

Eius definitio, & quid præſtet. 186.d
Ex contrariis oritur cauſſis. 187.d
Primo, ſpiritualia ad captandam hominum voluntatem inflectit. 189.a
Dein ad honores erecti nimium ſibi complacent. ibid.e
Tertio, auiti perſonam auctoritatis deponunt. ibid e
Quarto, in deteriora dilabuntur. 190.b
Media contra illam. Primum, inanem ac fictam eſſe perpendere. 191.b
Secundum, mala, quæ afferat. ibid.e
Tertium, propriam vilitatem conſiderare. 193.a
Quartum, communia oſtendere, peculiaria abſcondere. ibid.e
Quintum, occaſiones laudis declinare. ibid.e
Sextum. omnia ad maiorem Dei gloriam facere. 194 d
Inanis gloria latrunculo vermiculo ſimilis. 192.a
Illius expugnatæ indicia. 207 d

Inceſſus.

Submiſſus inceſſus vltimus eſt humilitatis gradus. 1348 d
Ex inceſſu mores, & ingenium hominum agnoſcuntur. 1349 b,& 1350 a
Immodeſtus inceſſus eſt ſuperbiæ index. ibid c

Incuria in opere.

Quàm ſit grauis tentatio. 294.e
Quæ remedia illi expellendæ vtilia iudicentur. ibid.

Infamia.

Quanta ea peccatis proueniat. 57.d

Infirmitas, & Infirmus.

Prælati, & infirmarij quanta debeant cum charitate infirmis miniſtrare. 1419.b
Magna eneruandæ paupertati datur occaſio, niſi ægrotis religioſis neceſſaria miniſtrentur. ibid.e
Qui curandis infirmis præficiendi, & quod eorum munus. 1420.d
Religioſus infirmus communem cœnobij medicum acceſſat. 1421.a
Infirmitatis tempore medicinæ faciendæ communia adhibeat medicamenta. ibid.
Mannæ exemplo docentur infirmi, vt quolibet ſint cibo contenti. 1411.b
Religioſis infirmis cibi non ſunt à ſæcularibus flagitandi. 1423.a
Quænam infirmitates, ſeu potiùs inualetudines nobis indigeant medicaminibus. 1424.a

Inimicus.

Omni ſunt cura inimici ſuperandi. 231.d

Intellectus.

Vide, Mortificatio intellectus.

Intentio.

Quotuplex: & quomodo recta proprio amori extirpando deſeruiat. 519.c
In virtutum actionibus maximè quærenda. 762.c
Intentione praua operantes, ſuorum ſunt operum necatores. 763.c
Per viam in ſcripturis ſignificatur. 764.a
Intentioni dirigendæ nil æquè iuuat, quàm diuina præſentia. ibid.
Recta intentio Iobi exemplo iuſtis commendatur. ibid.
Columnarum baſibus egregiè comparatur. 768. d
Qui ex recta intentione virtutem operatur, plenus obit dierum, & quid illa plenitudo ſignificet. 769 a
Si ex intentione bona procedant virtutes, nos diuites efficiunt. ibid.
Recta intentio quid in externis præſtet operibus. 835.e
Qui recta intentione virtutes animo depingit, æternitati depingit. 836.c

Inuidia.

Quomodo corpus lædat. 28 a
Veneno comparatur. ibid.
Eius definitio, quotuplex: & vnde proueniat. 165.a
Primus eius gradus, alienis triſtari bonis. ibid.e
Secundus, malis lætari. 166.c
Tertius, tacere bona, & diuulgare mala. 167.a
Quartus, bona vitio vertere. ibid d
Quintus, bona ne fiant impedimento eſſe. 168.a
Difficilis ſanè eius medela. ibid,e
Illius incommoda. 169.c
Gloriam, cui inuidemus, numquam aſſequimur. 170.a
Nihil eſſe in mundo, cuius inuidia tabeſcas. 171.a
Deſiderio cœleſtis patriæ tollitur. ibid.
Illi internus externuſque occurrendum. ibid.c.
Victæ inuidiæ indicia. 207.b

Ira.

Definitur, ac diuiditur. 154.c
Quæ mala homini afferat. 28.a
Illius fœditati ſpeculum ab ethnicis aſſignatur. ibid.
Quibus ex cauſſis excitetur. 155.b
Primus eius gradus, excandeſcere. ibid.
Secundus, in fratrem ſtomachum effundere. 156.b
Tertius, detrahere. 157.a
Quartus, ſilentio iracundiam obnubilare. ibid.
Quintus, externis lenitatis ſignis iram accendere. 158.a
Sextus, ſe à fratribus abalienare. ibid.
Septimus, exorari ſe haud permittere. ibid.
Octauus, in puniendo lenitatis momenta patui pendere 159.b
Mala, quæ ingerat. 160.a,& 164 d
Multæ ad illam declinandam conſiderationes ac practica remedia. 160.e & 161.c
Intus comprimenda. ibid.
Mollis reſponſio iram frangit. 162.b
Quàm citiſſimè in gratiam redire, iræ remedium efficax. ibid c
Irati animus beneficiis demerendus. 163.c
Irarum cauſſæ præuidendæ. ibid e

ræ radices euellendæ. 164.c
Victæ iræ indicia. 207.a

Iſmahel.

Vitioſi ſymbolum. 111.a
Carnis appetitus. 177.a

Iahel.

Cur lac pro aqua Siſaræ propinarit. 166.b

Iudith.

Quiſi in præmium caſtitatis primò magnas eſt opes conſequuta. 1478.d

Iuſtificatio.

Iuſtificationem eſſe Dei opus nouum & verus inſtrumentum declarat. 32.c
Cenſenda ſummum bonum, quod homo ex ſe aſſequi non poteſt. 33.b
Licet ſit à Deo, hominis cooperationem non excludit. 34.a

Iuſtitia, & Iuſtus.

Iuſtitia definitur, variéque diuiditur: ad illam incitamenta; eius actiones, & pro eâ item poſtulatio. 686.c
Iuſti ſymbolum eſt Lais ciuitas. 103.d
Equo illi apud ſanctum Iobum comparatur. 220.b
Iuſtus poſt tentationes oritur vt Lucifer. 234.b
Iuſtus non audit, ſed exaudit tentantes voces 237.c
Iordane ſignificantur iuſti. 238.c
Fortius impugnantur. ibid.
Iuſtus eſt turris fortiſſima. 350.d
Item liber intus, & foris cõſcriptus. 835.d
Quæ ſit vera illius pulchritudo. 360.d
Non ſolùm interna, ſed etiam externa eſſe debet. 856.d.& ſequent.

L.

Laurentius Iuſtinianus.

Illius de peccato ſententia. 12.c
Peccati ruinam egregiè declarat. 20.a

Lazarus.

Cur ſit peccati typus. 24.b

Lectio ſpiritalis.

Quæ vocetur; & illi quotidie inſiſtendum. 964.a
A ſanctis eius vſus præcipitur. ibid. Non ſolùm imperfectis, ſed omnibus. ibid.c
Intellectum illuminat vt magiſtra. 965.a
Non eſt ſingulis diebus lectionis liber mutandus. ibid.b
Lectio oratione interrumpenda. 966.a

Leges.

Præcipuè in Republicâ, aliæ minores mortali venialique peccato ſimiles. 14.d

Liber.

Ille, quem Ioannes deuorauit, peccato ſimilis. 20.a
Curioſi & inutiles non legendi. 416.a

Liberalitas.

Quæ virtus, quæ eius actiones; ad illam incitamenta, & pro aſſequendâ poſtulatio. 701.d

Liberum arbitrium.

Per Iobi maiorem filiũ ſignificatur. 219.a
Optimè à Richardo deſcribitur. 310.c

Lilium.

Illi virgines comparantur. 1532.& ſeq.

Lingua.

Plurima illius mala recenſentur. 1337.c
Mores hominum pandit. 1346.d
Vide Mortificatio linguæ.

Longanimitas.

Quæ virtus; quæ eius actiones; ad illam incitamenta, & pro comparandâ petitio. 710.c

Loquacitas.

Vide, Multiloquium.

Loqui, & Loquela.

Quid loqui oporteat. 1339.a
Quando de indifferentibus ſit loquendum ibid.
Quomodo ſciet quis prudenter loqui. 1340.a
Septem in loquẽdi modo ſeruanda 1345.b
Mores hominis loquela pandit. 1346.d

S. Lucia.

In peccato voluntatem requiri Præfecto reſpondit. 11.c

Luxuria.

Quomodo corpus maculet. 27.c
Daniel. verſo confertur. ibid.
Eius definitio; & quæ ex illâ mala. 134.b
Conſpectus, & tactus ſui fugiendus. 135.c
Delicatè induere, & ſuſtentare corpus, luxuria eſt. 136.b
Impudica epigrammata legere luxuria eſt. ibid.c
Oculi, & aures fornicantur, ideo fœminarum conſortia vitanda. 137.d
Quomodo ſe luxuriæ ſpiritus inſinuet. 138.b
Quot mala ingerat. 139.b
Omnes illius occaſiones cogitationéſque initio vitandæ. 139.c, & ſeq. & 1497.d
Cordis cuſtodia remedium contra luxuriam. 140.c
Item externorum ſenſuum cohibitio, & corporis afflictio. 142.a
Aſſidua etiam oratio. 143.a
Luxuriæ ſuperatæ ſeptem indicia. 206.c
Diuitias diſſipat 1478.c
Plurima ſecum affert mala. 1533.c, & 1484
Languores & febres ab illâ dimanant. 1485.a
Pugiles à luxuria abſtinebant; vt etiam, qui margaritas expiſcantur. ibid.c
Omnium eſt peccatorum fœdiſſimum. 1488.c
Homo per luxuriam in ſe ipſum peccat. ibid.
Illa corpus, quod Dei templum eſt, fœdat. 1489.a
Peſtis eſt ſummè cauta fugienda. ibid.d
Eius typus fuit Amalech. 1490.a
Plumbeis laminis vtebantur in agone certantes, vt Venerem inhiberent. 1499.d
Luxuriæ flammas, cùm vult Deus, intercidit, cùm placet, penitus extinguit. 1501.b
Vagi luxurioſique concubitus augendæ reipublicæ impedimento ſunt. 1539.a
Quare luxurioſi pauci numero. ibid.b
Ex nimietate ciborum potuúmque luxuria generatur. 1542.b.1543.a

M.

Machabæus.

QVomodo ſit à peccatore imitandus, dum priùs Deum orat, pòſt verò pugnat. 34.c

Maceratio.

Quid; quæ eius actiones, ad illam incitamenta, & pro comparanda poſtulatio. 722.a

Magnanimitas.

Quæ virtus, illius actiones, ad eam incitamenta, & pro conſequenda efflagitatio. 704.c

Magnificentia.

Quid illa ſit; actiones eiuſdem, ad eam incitamenta, & pro adipiſcenda petitio. 707.d

Malum.

Mali deteſtatio totius boni initium. 3.c
Mali nomen quomodo peccato conneniat. 19.d

Manifeſtatio conſcientiæ.

Vide, Conſcientia.

Manſuetudo.

Quid, quæ eius actiones; incitamenta; próque conſequenda poſtulatio. 723.a
Aptiſſimum caſtitati ſeruandæ inſtrumentum. 1552.d

S. Maria Virgo.

In tentationibus inuocanda. 268.c
Nimiùm ſemper laudanda. 966.d
Inter preces, quas ad illam fundimus. ſolennis eſt Roſarius; & à quo inuentus, & auctus. 967.a, & ſeq.
Quomodo B. Virginis Pſalterium ſit recitandum. ibid.d
De eius corona, déque modo illam recitandi. 973.c.
Noſtras orationes B. Virgo Deo offert 976.c
Deum ad ſe humilitate pertraxit. 1085.d

Meditatio.

Adiungitur fidei. 657.a
Incitamenta ad illam: & quæ illius actiones. ibid.b, & d
Meditationis poſtulatio. 658.a

Mendacium.

Vide, mortificatio linguæ.

Memoria.

Quanto tempore debeat animum piaculorum memoria ſubire. 54.b
Quinam peccatorum memoriam ſemper habuerint. ibid.
Perfecto viro abiicienda peccatorum memoria. 55.b
Quæ afferat damna peccatorum memoria, & quibus priuet. 56.b
Quando debeat animum illorum memoria ſubire: & qualis Dauidis, & S. Petri extiterit. ibid.c

Minima ſeruare.

Vide, Regulæ obſeruatio.

Miniſteria ſpiritualia, & corporalia.

Eccleſia indiget miniſtris, qui miniſteria adimplere valeant. 950.c
Nulla in exercendis iis debet eſſe pigritia. 951.b
Non à delicatis militibus, ſed à robuſtis iſta peraguntur. ibid.c
Vt illa abſque præmio miniſtremus, præſtò eſſe debemus, & hilares præſtare. 952.a
Quibus in ſpiritualibus ſuccurris, tardò in negotiis faueas temporalibus. 952.c
Quanta circumſpectione fœminis miniſtranda. ibid.c
In concionatoris miniſterio quid præſtandum. 953.d
Corporalia in aliorum obſequium effecta perfectioni viam parant; & quomodo hæc exercenda. 955.b

Miſericordia.

Eius definitio, actiones, incitamenta; & pro eadem aſſequenda poſtulatio. 674.b

Miſſa, & quæ ad illam.

Vitæ puritas, intentionis rectitudo, deuotionis excitatio, ac poſtulatio, præparationem ad Miſſam adiuuant. 917.c
Miſſam celebrans ſacerdos vita debet eſſe mundiſſimus. ibid.d
Prima, & quaſi remota præparatio eſt vitæ puritas. 918.c
Rectitudo intentionis neceſſaria. 919.d.
Hæc intentionis rectitudo variè poteſt ordinari. 920.c
Excitatio deuotionis neceſſaria his circunſtantiis (Quis venit, ad quem venit, & qua cauſſa) mirificè excitatur. 921.a
Poſtulatio in Miſſa qualis; eiúſque deuotiſſima forma. 924.a
Quid in ipſa celebratione præſtandum. 929.b
Interior exterióque reuerentia, præſtanda, & quæ nos ad illam inuitent. 930.b & ſeq.
Poſt Miſſam gratiæ ſunt agendæ. 933.d & ſeq.
Spiritualium virorum eſt, beneficiũ, quod in Miſſa illis fit, recognoſcere. 935.a
Septem meditationes pro ſingulis hebdomadæ diebus ad gratias poſt Miſſam agendas aſſignantur. 935.d
Miſſæ libenter miniſtrandum: quámque vtile ſit miniſtri officium. 940.a
Magnum eſt immortificationis iudicium huiuſmodi officium recuſare. ibid.

Miſſæ deuotè & attentè aſſiſtendum. ibid.
Quid in Miſſa conſiderandum, vt cum attentione audiatur. 941.c

Modeſtia.

Quæ virtus;quæ eius actiones;incitamenta,& pro conſequenda flagitatio. 730.d
De modeſtiæ cura. 1047.a

Mons.

Mons Moria Chriſtum ſignificat. 1.b

Mors.

Dies Domini dicitur,& quare. 89.c
Quàm ſit terribilis, & homini formidanda. 1178.b.& ſequent.
Nulli euitabilis. 1179.b,& ſequent.
Mortis tempore quàm parum homo poſſit. 1202.c
Seruandæ caſtitati remedium præſentiſſimum. 934.a

Mortificatio & mortificatus.

Per ſal quomodo ſignificetur. 94.d
Quid à nobis in mortificatione petat Deus. 309.b
In quo ſita ſit. 310.c
Tonſori mortificatus comparatur. 311.c
Facile mortificationis præcepta tradere, ſeipſum mortificare difficillimum. 312.a
Mortificatio cordis gubernatio quædam eſt. 312.c
Non momento fit. 313.a
Medicina eſt infirmitatem curans. 314.
Ex vi morbi, cui medetur, eius neceſſitas declaratur. ibid.
Infantes quomodo etiam mortificationis medela ſanet. 322.a
Chriſtus nos ad mortificationem prouocat. ibid.c
Procliuitates ad malum, adfectuſque noſtri mortificatione curandi. 323.c
Sine mortificatione perfectio non obtinetur. 325.a
Eſt penicillus, quo à pictore Domino depingimur. 326.b
Quanta nobis præſtet commoda. ibid.
Illius tum definitio,tum diuiſio. ibid.c
Inferiorem hominis partem ſubiicit ſuperiori. 327.a
Eſt omnium malorum remedium. 328.a
Quare mortificatio non mors potiùs dicenda ſit. ibid.b
Reſpirationi confertur à Bernardo. ibid.d
Certamen eſt moleſtiſſimum. ibid.
Duo mortificationum genera, quibus interiorem exterioremque hominem cohibemus,latè declarantur. 329.c
Circumciſione duplici duplex mortificatio ſignificatur. ibid.
Interiorem mortificationem ſectandam optimè dixit Cyprianus. ibid.
Interior exteriórque iungenda. 330.a
Quæ ſit,qua ab illicitis temperamus, quæ verò,qua ab licitis. ibid.d
Quibus nominibus à ſanctis appelletur. 331.d
In ipſo vitæ ſpiritualis ingreſſu neceſſaria eſt;quod in Moyſe ad rubum diſcalceato oſtenditur. 332.c
Quando mortificari, ſeu circumcidi dicamur. 333.c
Tam perfectis quàm imperfectis neceſſaria. ibid.c
Mortificatos, & in periculis conſtitutos Chriſtus ad ſe vocat. 334.b
Immortificati ſolo corpore, non animo in vita ſpirituali permanent. ibid.c
Quis immortificatè, hoc eſt, ſecundùm hominem viuat. 335.b
Animi ſanitas mortificatione comparatur. ibid.
Immortificati pacem habere non poſſunt. 336.a
Ad initium, finémque vitæ ſpiritualis mortificatio eſt neceſſaria. ibid.d
Circa minima quæque mortificatio exercenda. 337.a
Quàm ſit grata Deo comparatione apprimè docetur, ibid.c
Quomodo Deus omnibus mortificationis calicem propinet,appoſita ſimilitudine declaratur. 338.d
Mortificatio Chriſto conuiuium opiparum parat. 340.c
Vita actiua, & contemplatiua mortificationis præmium. 341.b
Priùs requiri mortificationem, vt donis cumulemur diuinis, ſimilitudine monſtratur. 341.b
Banaias mortificationis typus ſanè mirificus. 342.d
Secreta abditáque Dei ſolus mortificatus agnoſcit. ibid.
Anima ſterilis mortificatione fæcunda fit. 343.a
A mortificatione tanquam à ianua omnia dona dependent. ibid.b
Deo viuimus quando nobis mortificatione morimur. ibid.c
Tabellæ dolatæ confertur. 344.a
Eſt duplex Eliſei ab Elia datus ſpiritus; vbi hiſtoria hæc de mortificatione declaratur. ibid.d
Intellectum illuminat. 345.c
Sine mortificatione nullus eſt in oratione progreſſus. ibid.e
Immortificationis ancilla Agar domo eiicienda,ſi pacem domi habere voluerimus. 346.d
Ni Ægypti panem abiiciamus per mortificationem, cæleſti donorum manna non reficiemur. ibid.
Si perfectionem amamus,non debet è manibus elabi. 347.a
Perfectionis altiſſimo monte immortificata arcentur animantia. ibid.
Inſtar turturis mortificationis elongatio adamanda. ibid.
S. Ioannes ad Domini genua aduolutus mortificationem oſtendit. ibid.
Magna eſt mortificationis nobilitas, quæ diuinum ſibi demeretur auxilium. 348.a
Fugat peccata,auertit & pœnas. ibid.
Olim peccator, ni mortificationem adhibeat,in longè deteriora delabitur animi vitia. ibid.
Peccata omnia gladio confodit. 349.a
Eſt ſpirituale ieiunium. 350.b
Illa gratia conſequitur remiſſione. 351.a
Si noſtra adſit mortificatio vltio in nos diuina ceſſabit. ibid.
Radices adfectuum mortificatione ſecantur. 352.d
Debacchanti concupiſcentiæ igni mortificatione reſiſtimus. 353.c
Per mortificationem vitioſi nomen amittimus,& ſtudioſi vocamur. 354.b
Mortificatus viuere dicitur. 356.c
Mortificationis bello promiſſam terram acquirimus. 355.a
Ieiunio illa præfertur. ibid.
In ipſo fonte baptiſmatis mortificationem pollicemur. 356.d
Omnes tentationes mortificatione ſuperantur. 357.b
Acquirendis virtutibus præcipuum inſtrumentum. 362.c
Quid ſit mortificatio exemplo declaratur. 363.a
Abſque illa ſapientia non acquiritur. ibid.
Naturæ noſtræ vitis mortificatione ſecanda: 364.d
Adfectuum pennas mortificatione exuimus. 365.d
Quæ mortificatio virtutes acquirat. 366.d
Sine illa comparare eſt impoſſibile. 367.b
Mortificatione orationis donum impetratur ibid.
Mortificationem cum oratione coniunctam quomodo monſtrauerit Abraham. 369.d
Cauſſa propter quam mortificatio adeò orationi ſit coniuncta. 370.d
Anima noſtra vacua puluere vitiorum, mortificatione ad ſuprema extollitur. 371.c
Miram animi tranquillitatem importat. 372.c
Nos in hac vita reddit fæliciſſimos. ibid.
Spiritalem affert conſolationem. 373.b
Per mortificationem multa impetramus. ibid.
Omnibus medetur animi morbis. 374.c
Illius beneficio ad omnes perfectionis gradus aſcendimus. ibid.d
Quomodo mortificatione mortui multum fructum afferamus. 375.c
Gratiæ abundantiam mortificatis elargitur Deus. 376.c
Chriſti eſt imitatio veriſſima. 377.d
Sculptrix eſt diligentiſſima, quæ affabre eliciat imagines factas. 378.a
Veteris hominis lignum mortificationis aſcia læuigandum. ibid.
In Chriſti imaginem mortificatione formamur. ibid.& 380.a
Per illam Chriſti in nobis puritas, & pulchritudo reſplendet. 381.a
Cur mortificatio ſtultitia vocetur, 382.b
Hæc ſapiens mortificationis ſtultitia omnem carnis ſapientiam ſuperat. 383.b
Quanta ſit illius dignitas. ibid.
Quanta in ſe bona contineat. 384.b
Illa aduerſus vitia iuſtos erigit. ibid.
Nos dæmones ſubſannant, cùm immortificationi manus damus. ibid.
A malis nos defendit,ac protegit. 385.a
Per ſepem egregiè mortificatio monſtratur. ibid.
Vxori optimæ confertur. ibid.
Non ſolùm ſponſa, verùm & mater nobis exiſtit. ibid.
Duci fortiſſimo mortificatus præfertur. 386.d
Numquam nobis eſt ab illa ceſſandum. 387.c.& 400.a
Quare ſemper ſit mortificationi vacandum. 388.c
Ab illa diſcedens ſimilis eſt ſtatuæ Babylonicæ. 389.a
Continuæ mortificationis exemplum à Chriſto petendum. 390.b
Ex mortificationibus minimis magna fit rebus ſpiritualibus acceſſio. 391.b
Minima mortificationis opera non ſpernenda. 392.a
Id Chriſtus,cùm minima fragmenta colligere iuſſit, demonſtrauit. ibid.
Circa minima, abnegatione puriores ad orationem efficimur. ibid.
Mortificatio in minimis thuri comparatur. 393.b
Minimarum rerum mortificatione propriam proterimus voluntatem. ibid.
Licèt non prohibitæ delectatiunculę mortificatione tollendæ. 394.d
Quò poſſit homo mortificatione aſpirare. 396.a
Cur perpetuam tranquillitatem, ſeu impaſſibilitatem mortificatione aſſequi minùs poſſimus. 396.c, & ſequent.
Animum deſpondere non debemus, etſi perfectam tranquillitatem per mortificationem aſſequi non valeamus. 398.e
Ad mortificationem exhortamur. 402.b
Victoriam à peccatis per mortificationem reportamus. 404.b
Per partes, ſigillatimque, & non coniunctim comparanda. 405.b
Diſcretio in mortificatione quærenda. 407.c
A facilioribus ad difficiliora incipit abnegatio. ibid.
Quàm ſit perfecta, quæ à Deo immittitur, mortificatio. 575.b
Cur à Deo immittatur. 576.b
Quæcumque illa ſit,æquo animo toleranda. 577.c

Cauſſas aliquando cognoſcimus cur à Deo mortificamur. 578.a
Quot, & quales ſint huiuſmodi cauſſæ. ibid. & ſeq.
Quanta acquiratur perfectio his mortificationibus à Deo immiſſis. 580.d
Mortificatio ad perfectionem, vt ad finem referenda. 581.c
In his mortificationibus diffidentia ſui, Deiſque confidentia habenda. 582.c
Mortificationes noſtræ vnà cum Chriſti paſſionibus Deo offerendæ. ibid.
A facilioribus mortificationibus incipiendum. 583.a
Mortificationi conſequendæ prodeſt maximè non eam triſtem, ſed lætam conſiderare. 584.a
Diſcretionis eſt ſale condienda. ibid.
Quæ, & quotuplex ſit hæc in mortificatione diſcretio. 585.c
Quæ diſcretio in corpore mortificando ſeruanda. 586.a
Quæ etiam in mente. 587.a
Non poſſumus, quod homini naturale eſt, mortificatione euellere. 588.b
Nil indecens, nil abſurdum propriæ abnegationis cauſsâ faciendum ibid.
Si progreſſus in virtute faciendi, propria eſt mortificatio quærenda. 336.d
Iſaac ablactatio quomodo mortificationem ſignificet. 339.c
Oratio ad poſtulandam mortificationem. 589.

Mortificatio oculorum.

Quanta ſint damna, quæ ex oculorum immortificatione proueniant. 411.d
A mulierum aſpectu primùm mortificandi. 412.c
Theatri munera oculis mortificati viri non vſurpanda. 415.a
Mortificati non debent oculos ſcriptis curioſis paſcere. 416.a
Inutilia quælibet oculis neganda. 417.a
Illorum cuſtodia quàm maximè commendatur. ibid.
Mira oculorum mortificatio in ſanctis. ibid.
In quibus præcipuè mortificandi. 418.a

Mortificatio Aurium.

Auris porta eſt, quæ ſoli Deo debet patere. 418.d,c
Aurium fabrica nos mortificationi admonet ſtudere. 419.a
Immortificatarum aurium pericula ſcriptura non tacuit. ibid.
Quanta ſit adhibenda cura vt verba fugiamus inepta. ibid.
Aures vineæ comparantur;& quare. 420.b
Ab impudicis cantilenis procul ſunt amouendæ. 421.b
Etiam ab ſcurrilibus, ſeculiſque rumoribus. ibid.
Ex rumoribus auditis ad vanitatem laſciuiámque deflectimus. 422.c
Auditi rumores, inauribus conflando vitulo ab Aarone collectis conferuntur. 423.a
Detractionibus aures ſunt occludendæ. 424.a
Non ſolùm aliorum defectibus, ſed & propriis laudibus obturandæ. 425.a
Auribus temperandum circa arcana. 426.a
Ad cœleſtem doctrinam non obſurdeſcendum. ibid.
Vſus mortificationis aurium traditur. 427.a

Mortificatio Odoratus.

Quantopere à religioſo odores omnes debeant vitari. 428.d,& 430.a
Nonnulli vt odoribus fruantur, Sanctorum reliquias caſtè colere obtendunt. 429.b
An medicinæ cauſsâ à religioſis gerendi odores. ibid.
Quomodo peccent, qui citra neceſſitatem delectationis cauſsâ odores ſecum ferunt. 431.a
Circa hoc mortificationis exempla. ibid.
Quid ad odoratus mortificationem requiratur. 431.b
Vſus mortificationis odoratus. ibid.d

Mortificatio Guſtus.

Gula priùs ſuperanda, quæ nos ad alia bella ſuperanda coaptat. 433.c
Guſtus eſt gulæ & ebrietatis incentiuum. ibid.
Quæ in mundum mala guſtus inuexerit. ibid.
Cibos debet oratio intentióque antecedere. 434.c
Viliora quæque reliquis in commune apponantur, degustanda. ibid.
Sapientiæ carniſque de ciborum delectu controuerſia. 434.c
A delicatis cibis mortificationis cauſsâ abſtinendum. 435.c
Communia alimenta non ad ſacietatem ſumenda. ibid.
Portio non omnis ſumenda, ſed aliquid relinquendum ex ſententia D. Bernardi. 437.b
Animus, dum manducamus, ſacrâ lectione reficiendus. ibid.
Cùm ſub menſæ finem noua ſeſe nobis ingerit orexis è menſâ ſurgere præſentiſſimum remedium. 438.a
Quæ debeat circa potum tam vini quàm aquæ mortificatio exerceri. ibid.
Vſus mortificationis guſtus. 439.c

Mortificatio Tactus.

Eſt omnium periculoſiſſimus. 440.c
Diſſipatio eſt muri, quo anima cingitur. ibid.
Serpentes tangentibus tactus minùs circumſpectus comparatur. 441.a
Terræ confertur, & quare. ibid.
Tyrannidem in nos ſæuiſſimam exercet. ibid.
Quàm ſit eius mortificatio neceſſaria. ibid.
Propria caro non contrectanda. ibid.
Alios nec in parte honeſtâ oculiſque expoſita tangere non licet. 442.b
Amplexari quomodo, & quando expediat. ibid.
Veſtes molles aſpernandæ. 443.c
Quæ ad aliorum vſum ſpectant manibus contrectanda non ſunt. 445.a
Vſus mortificationis tactus. ibid.

De Mortificatione corporis quoad motum.

Vt ſeruiat Deo edocendum eſt mores probos. ibid.
Vnumquodque membrum ſuum obeat munus, vt in bene conſtitutâ republicâ. 446.d
Qualiter omnes hominis geſtus formandi componendíque ſint. ibid.d,& e
In obſeruatione membrorum qui delectus habendus. 447.c
Seueritas in membrorum obſeruatione aliquando laxanda, deponenda nunquam. ibid.
Modeſtia in corporis membris non ſolùm coram omnibus, verùm in cellâ ſeruanda. 449.a
Vſus mortificationis circa hæc omnia. ibid.

Eiuſdem quoad cultum.

Quid ſit, ſponſæ, animæ ſcilicet, nigredo, & quotuplex. 450.b
Indumentorum paupertas virtutis augmento quantum proficiat. 451.d
Veſtium corporis cauſſa. ibid.
Corporis veſtimentum infamiæ eſt nota, & infœlicitatis inſigne. 452.a
Ab honeſto fine declinat, qui indumenta exquiſita quærit. ibid.
Virtutem lædit veſtium exceſſus. ibid.
Pannus, ex quo veſtes, vilis eſſe debet, quod nos Chriſtus & Apoſtoli docuerunt. ibid.
Non mollia, nec ſubtilia eſſe debent Religioſorum indumenta. 453.c
Qualis futurus nitor, colórque veſtium. 454.b
Quæ illarum forma. 455.a
Earundem coaptatio qualis. ibid.
Dum hominibus veſtibus ſtudemus placere, malè apud eoſdem audimus. ibid.
Munditia in veſte ſeruanda; immunditia enim ex inani gloriâ ſolet procedere. ibid.
Pannoſi præcipuè debent eſſe tyrones. 456.c
Vſus mortificationis corporis quoad cultum. ibid.

Eiuſdem quoad aſperitates.

Qualiter ſit corpus edomandum perfectis, & tyronibus, & quomodo hi illos debeant imitari. 457.c,& ſeq.
Sanctorum imitatione corporis aſperitates appetere debemus. 458.c
Caſſiani de ſilentio ſententia quomodo intelligenda. ibid.
Octo corporalis afflictionis emolumenta latè declarantur. 459 b,& ſeq.
Vſus mortificationis corporis quoad aſperitates. 463.d

Mortificatio linguæ.

Arx eſt ſpirituali viro præcipuè expugnanda. 464.c
Quot, & quanta ſint linguæ mala. 465.a & ſeq.
Detrahendo peccat. 472.a
Detractio lepræ comparatur. ibid.
Virtutes detractio deſtruit. ibid.
Nec leuis inter perfectos toleranda. ibid.
Mendacia, etiam quæ officioſa dicuntur, à religioſa lingua vitanda. 474.a
Quæ virum iuſtum ab hoc vitio auocent. 475.b
Ambigua fallaciáque verba minimè loquenda. ibid.
Minima contentio quanta ſit cura vitanda. 476.b
Quando, & quomodo contendendum. 477.a
Quæ nobis ad vitandas contentiones emolumento ſint. ibid.
Peccat lingua iactantia, & quotupliciter. 478.a
Item ſecreti reuelatione. 479 b
Nec proprium, nec alienum detegendum. 480 e
Scurrilitas religioſæ ſeueritati contraria maximè vitanda. 481.a
Nos fratribus contemptibiles reddit ſcurrilitas. 482 b
Verbum otioſum quomodo à ſcurrili differat. ibid
Quæ nos ab otioſis verbis auocent. 483.b, & ſeq.
Indiſcretio imprudentiáque vitanda. 485.c
Quænam expendenda ſint, vt imprudentia vitari poſſit. 486.a
Qui modus in loquendo tenendus. ibid.
Tempeſtiuè loquendum. 488 b
Quæ ſit, & circa quos & in quibus reticentia in loquendo ſeruanda. 488.d,& ſequent.
Falſa taciturnitas, eáque duplex. 488 e
Linguæ mortificandæ remedia ſeptem adhibentur. 491.c,& ſeq.
Vſus mortificationis linguæ. 490 d

Mortificatio Interior.

Interna mortificatio exterioris ſcopus eſt. 495.b
Multi ſunt, qui externam aſſequantur, internam perpauci. 496.a
Quantum interior exteriorem exſuperet. ibid. & 498.b
Si non adſit interior, quàm parum proſit exterior quantumuis maxima. 496.b
Ad vtramque nobis mortificationem per Chriſtum auxilia donata. 498.e

De-

De mortificatione proprij amoris.

Amor ſui omnium malorum radia priòs mortificandus 499 b
Amor eſt cardo, io quo omnis iotetior reſpeblica mouetur. 500.a
Quid ſit amor ſui. 16 o.
Illius finis perditio eſt. ibid.
Qui ſe ipſum amat voluntatem ſuam diuinis iuſſis præfert. ibid.
Sanctæ eſt chatitutis venenum. ibid.
Quomodo io nos tendat,& oon io Deom. 501 c
Quicquid facit bomo,omnia propter ſe ipſom facit. ibid.
Qoot mala adfetut proprius amor. 502.c
Virtutes omnes oppugnat, illáſque cootemnit. 503.a
Studium orationis, & diuinam familiaritatem impedit. ibid.
Vetoit illam Dominus, & oppoſitom illi odiom imperauit. 505.a
Quanta ſit differentia inter amorem odiũque ſui. ibid.
Draconi ſeptem capita, & cornoa decem habenti proprius amor cooſertur, & io illis ſeptemdecim defectus amoris aſſignantur. 506 b
Primum caput amoris eſt æſtimatio ſui. ibid.
Secundom, velle ab homioibus non propter Deũ, ſed propter ſe amari,timeri, & laudari. 507.u
Tertium, cùm quis timet contemptum non quia Deo iouiſum, ſed quòd ſibi noxium. ibid.
Quartum, inanis erubeſcentia. 508 u
Quintum, culpas ſuas excuſare, & abſcondere. ibid.
Sextum, hominibus videnda per otium polite, quæ verò Deo affecta relinquere. 509 d
Poſtremum, grata Deo operu vitandæ confuſionis gratiâ, relinquere. 510.b
Ad amanda bona, quæ corpori inſeruiunt, nos vehementer impellit. 511.d
Senſuum illicitas voluptates iſte amor deſiderat. 512.b
Laudem, excellentiámque ſuper alios, qui amore ducitur proprio, concupiſcit. 513 b
Diligit etiam mundum, & ea, quæ in mũdo ſunt. 514.b
Cæleſtibus donis excipiendis proprio amore impedimur. ibid.
Per ſummam ſpiritus diſtractionem docet nos amare propinquos. 515.a
Propria communibus exercitiis docet anteuertere. ibid.
Quotuplex amaritudo in ſuis ipſorũ amatoribus inſurgat. 516 c
Fugâ, & bello proprius amor mortificandus. 517.b
Diffidentiâ ſui, cooſidentiâ verò io Deo omnis proprius amor expellitur. 518.b
Dei item amore. ibid.
Etiam rectâ, ſimplici, deiformique intentione. 519 c
Odio item ſui, monſtratúrque comparatione. 520 c
Illius mortificatio à Deo vt maximum donum petenda. 521.b
Sui cognitione extirpatur. ibid.
Nec laudari, nec amari affectet, qui illum mortificare ſtudet. 522.b
Contemptu apud homioes, & confuſione propellitur. ibid.
Propriarũ etiã culparũ confeſſione. 524.a
Corpori perpetuum bellum indicendum ſi ille ſit mortificandus. ibid.
Mirum in modo in eum minuit, qui temporali affectu, vel actu relinquit. 525.b
Honores fugiendi proprium amorem impugnanti. ibid.
Nimius io alio fugiendus amor ſi propr us eſt in officio contunendus. 516 c
Vſus mortificationis proprij amoris 528.c

De mortificatione propria voluntatis.

Tamquam holocauſtum Deo præ omnibus offerenda. 531.d
Ne laborum noſtrorum meritu velimus amiſſa, propria eſt abiicienda voluntas. 532.d
Primitus volũtatis propriæ docenda mortificatio. 533.e
Huius mortificatio quàm ſit Deo grata. 534.e
Io iotérnis, & externis: temporalibus, & ſpiritualibus propria eſt abneganda voluntas. ibid.
Bona nou ſolùm propter commodum, ſed ad Dei voluntatem facieodam inquirere, iuuat mortificandæ voluntati. 535 d
Iuuat etiam modum in appetendis rebus renere. ibid.
Item rebus nõ admodũ adhæreſcere. 536.b
Dum quid pulchrum aſpexeris, ne obtinere optaris, ni priùs Domino gratum cognoueris. 537.d
Quies animi ex mortificatâ voluntate dependet. 538.d
Eius mortificationi ſubeſſe, oon præeſſe prodeſt. 537 d
Nec non, cùm quid orans poſtulaueris, non cõmodi tui cauſſâ poſtulare. 538 e
Breuis vſus mortificationis propriæ voluntatis. 539.u

De mortificatione intellectus.

Qood, & quantum poſt Adæ peccatum volnus acceperit. 539 d
Intellectus ignauia pellenda, & res vtiles addiſcendæ 540 d
Inutilia nec addiſcenda, neque inueſtiganda. 541.b
Vtilia bonâ iorentiooe ſcienda, maiorum auctoritate inueſtiganda, modo debito, temporéque paranda. 542 e
Quæ ooo didicerimus minimè docenda. 543.c
Intellectus operatio omnes alias actiones debet præcedere. 544.a
In aliorum mores oon inquiras. ibid
Quot ex bonâ intellectus cultusâ commoda proueniant. 546.c
Vſus mortificationis intellectus. ibid.

De mortificatione eiuſdem in rebus agendis.

Nulla intellectu complectenda doctrina, quam oon Eccleſia, vel ſapientes docuerint. 548.a
Quàm ſit periculoſum proprium iudicium non abnegare. 547.d
Inſtituta à multis probata veneratione ſuſcipienda. 549.e
Maiorum decreta ooo examinanda, ſed vt tradita ſunt ſeruanda. 550.a
Io rebus ad tuos mores conducentibus, aliorum te ſubiice iudicio. 551.a
Eatenus omnia conſilio præueniente facienda, oco ſolùm magna, ſed & minima. ibid.
Vſus mortificationis proprij iudicij 555 e

De mortificatione appetitus concupiſcentis, & iraſcentis.

Qui ſint iſti appetitus, quibus rebus, dum non mortificantur, comparentur. 553.e
Quantâ cura ſuperandi. 554.b
Quomodo bis vulneremur: & cur vulnerati dicamur. ibid.
Fortis habetur, qui huiuſcemodi affectus plene ſuperat. 555 d
Paſſionũ initiis fortiter reſiſtendum. 557.c
Generalis vſus mortificationis paſſionum. ibid.
Præſentiſſima remedia appetitui concupiſcentiæ ſanando. 558.a,& ſeq.
Alia non minùs vtilia contrario appetitui curando. ibid.
Alia lætitiæ fugiendæ quæ ex concupitis iam conſecutis oritur. 560.b
Immoderate conceptæ triſtitiæ ooo minùs apta adhibentur remedia. ibid.
Iraſcentis appetitus quibus remediis curetur. 564 e

De mortificatione cogitationum.

Vide verbum cogitatio.

Multiloquium.

Ab humili multiloquium fugiendum. 1337. b
A ſuperbiâ, vt à fonte, dimanat. ibid.
Nihil eſt loquacitate periculoſius, nihil multiloquio inſipientius. ibid.
Plurimis multiloquij mala recenſentur. ibid
Multiloquentis ex Bernardo deſcriptio. 1337. a

Mundus, & ſæculum.

Eſt externa tentationum cauſſa. 211.d
Inimicos mundus quis ſit. 228 c
Incitamenta ad illius contemptum. 659 c
Actiones contemptus ſæculi. ibid c
Poſtulatio contemptus ſæculi. 660.a

N.

Noë.

Qvomodo paupertatem myſticè deſignarit 1429.c
Ipſe cum filiis caſtitatis adminiculo naufragium effugerunt. 1484 u
Dum fuit in arcâ, virginitatis typus, ex illâ egreſſus, coniugij fuit. ibid.

O

Obedientia.

QVæ virtus, eius actiones, vt comparetur incitamenta, & poſtulatio. 605.b
Bona perfectáque obedientia quæ ſit. 843.c
Virtutum eſt ſeminarium. 1366.c
Aſſequendæ fœlicitatis eſt adiutria. 1562 c
Cur potiùs illa, quàm virtutes aliæ adiutrix ſit homini data. 1563.a
Vt Regina potens materias vniuerſarum virtutum attingit. ibid.
Mira eius laudes, & encomia. ibid.
Illam religioſus ſtatus vt matrem colit, reliquiſque ſui ſtatus anteponit. 1564.a
Voto firmanda vt religioſum conſtituat ſtatum. ibid
Variè a patribus eius natura exponitur, & declaratur. ibid.
Quid ſit religioſa obedientia 1565.u
Quæ ſit illius ſubiectio. 1566.a
Cui debeatur. ibid.
Quæ ſit illius radix. 1567.c
Obedientia erga Deum ſalus, ac vita noſtra. ibid.
Dum prælatis paremus, Deo obedimus. ibid.
Non homo, ſed multo magis nobis Deus in illo imperat.
Homini, vt Chriſto obedire aſſueſcamus: magna enim inde alacritas. 1570 u
Illi propter Chriſtum obedire obedientiæ gradus quodammodo videtur ei præſtantior. ibid.
Homini, Deóque delatam obedientiam parem facere Bernardus non metuit. 1570.d
Qui non illi obedit, grauiter à Deo punitur, & quare. 1571.d
Cor inobedientiu idololatriæ comparatur. 1572.c
Quàm ſit obedientia religioſo neceſſaria. 1573.a
Illa ſublata funditus religionem corruere neceſſum eſt. ibid.
Obedientiâ in Religione par viget. ibid.
Dei voluntas, (quæ finis eſt religioſi ſtatus) ſine obedientia nequit adimpleri. 1574.c
Religioſus Prælato, vt Moyſi, vt videnti, & vt medico obediat. 1571.c
Hac vna reliquæ virtutes promouentur ac exercentur. 1570.c,& 1578.c
Nullus ad perfectionis ſemitam percurrendam vero obediente pergit expeditior. 1577.c
Quia neceſſitate cæteris præſtat, ideo nobilitate antecedit. 1578 c
Quicquid in bonis animæ numeratur, aut

obedientia eſt, aut ſine obedientia non eſt. ibid.d
Quàm ſit multiplex obedientiæ neceſſitas. 1577.a
Illa obedientem planè beatum, Chriſtóque quàm ſimillimum efficit. 1579.b
Eſt beatitudini ſimilis. ibid.c
Cur holocauſtum iure appelletur. ibid.& 1581.b
Cur in ſcriptura victimæ præferatur. 1579.e
Virtutum moralium longè præſtat actionibus. 1580.a
Signum eſt monetæ impreſſum, quo pretioſiſſima quæque coëmimus. 1581.c
Quæ ab illa proficiſcuntur virtutum opera, multò Deo exiſtunt iucundiſſima. 1582.c
Voto firmata ipſi etiam virginitati præfertur. ibid. d
Obedientiam obedientia rependi quid ibid.
Hac à nobis Chriſtus quaſi cibo ſuauiſſimo depaſcitur. ibid.
Primus obedientiæ gradus, Voto ſe Prælato ſubiicere. 1583.e
Religioſi omnes illum aſſequuntur; ad eúmque Tyrones tendunt, quem, vt conſequantur hortantur. 1584.a
Quænam Religionis candidatos, vt illum amplectantur, mouere poſſint. 1574.d,
Huius obedientiæ gradus cum aure perforata comparatio. 1586.e
Secundus, Votum nuncupatum implere. 1588.a
Quibus adimpleatur. 1589.a
Ad quid obliget, quando ad peccatum, quando verò non. ibid.
Alia, ad quæ hic gradus obliget, recenſentur. 1590.d
Ad quæ non obliget Prælati defectu. 1591.b
Tertius, Iniuncta quæque etiam abſque peccato exequi. 1592.e
Quanta circa hunc gradum inter perfectum imperfectúmque ſit differentia. 1595.d
Quartus, Vt debito modo, & cum circunſtantiis perficiatur. 1595.c
Quales iſtæ circunſtantiæ ſint futuræ. ibid.
Prima, obedire libenter. 1597.a
Secunda, ſimpliciter. ibid.d
Tertia, hilariter. 1598.c
Quarta, velociter. 1599.e
Quinta, fortiter. 1601.a
Sexta, humiliter. 1602.e
Septima, conſtanter. 1603.d
Quintus gradus. Voluntatem ſimul cum opere maiori ſubdere. 1604.e
Quàm ſit miſerum gradum iſtum non aſſequi. 1606.a
Nihil eo à nobis nimis graue, durúmue exigi. 1607.a
Quid curaturus Religioſus, vt eum aſſequatur. 1608.a
Quantam hic gradus perfectionis latitudinem habeat. ibid.
Quomodo ſe ſubditus in hoc gradu circa prælatos habere debeat. 1609.c
Sextus. Intellectum, ſiue iudicium Prælati ſenſibus conformare. ibid.
Quanta illum ſequantur incommoda, qui gradum illum non adimplet. 1611.a
Quantopere huic gradui nimia noceat argutatio. 1611.d,& 1614.a
Quid nos ad hanc iudicij obedientiam incitet. 1612.c
Qui iudicium hoc Prælato non ſubdit, rapinam quodammodo, ſacrilegiúmque committit. 1613.c
Religioſus, qui ſuum iudicium Prælato non tradit, effræni equo comparatur. 1614.a
Quidnam faciendum, cùm intellectus inducat prælati mandata peccata cenſeri. 1615.b
Septimus gradus. Cæca quadam ſubiectione imperata facere. 1616.c
Nihil eſt illa perſpicacius, ſapientius nihil. ibid.d
Pulcherrimis, lynceiſque eſt oculis prædita. 1617.b
Fidei exemplo à B. P. N. Ignatio declaratur. ibid.
Huius perfectiſſimum exemplum præbuit Abraham. ibid.d
Necnon & Samuel. 1618 d
Etiam in nouo teſtamento perfectiſſimè Paulus. 1619 b
A Patribus latè docetur. A Baſilio, cùm nos vult inanima eſſe inſtrumenta, ouéſque mitiſſimas. ibid.
Ab Hieronymo, cum nos Moyſem iubet audire, & deinde tacere. 1610 a
Ab Auguſtino, cùm diſcuſſione Religioſis interdicit. ibid.b
A Caſſiano, cùm obedientiam ex fide iubet exhiberi. ibid.e
A Climaco, cùm Prælatum vetat iudicare, & illi imperat in Domino credere. 1621.a
A Cæſario, cùm præcepta, vt de cælo dilapſa non patitur diſcuti. ibid d
A Bernardo, cum diſcernere præcepta non ſinit. ibid.e
A Thoma, cùm ait, an aliquid ſit poſſibile non debet ſuo iudicio ſubditus definire. 1622.b
A Bonauentura, cùm de maiorum ſententia prohibet iudicare. ibid.e
Ab Humberto, cùm inquit; per hoc enim, quod cauſſas mandatorum, quas ignorat, diſcutit, in labyrinthum erroneum ſeſe ponit. 1623.b
Periculum magnum eſt, in his etiam, quorum ratio non apparet prælatorum iuſſis contraire. 1624.c
Si bonum, aut non manifeſtè malum imperetur, abſque vlla eſt diſcuſſione præſtandum. ibid.d
Hæc cæca obedientia exemplis illuſtratur à Caſſiano, Ioannis Abbatis, & Mucij. 1625.d
A Seuero Sulpicio Tyronum duorum. 1627.c
A Dorotheo, cuiuſdam monachi. 1628.d
A D. Gregorio, Mauri. 1629.a
A Methaphraſte, Theodoræ. ibid.c
A Ioanne Ieroſolymitano, Damaſceni. ibid.e
A Ioanne monacho, Columbani ſubditorum. 1630.d
A Ribadeneyra, Beati P. N. Ignatij. 1631.b
Quanta ſit obedientiæ lenitas. 1632.a
Quando non ſit imperfectio poſt iniunctum aliquod ſuperiori rationes exponere quominus id præſtemus. ibid.
Huius rei è ſacris litteris petita exempla. 1633.a
Quid præſtandum, vt hoc rectè fiat. ibid.
Adire Deum priùs oportet, quàm ad ſuperiorem rationes tuas deferas. 1634.c
Incommoda, quæ ſequuntur imperium, Prælato patefacienda, media non item. 1635.b
Id duobus modis præſtandum; vter perfectior. ibid.& ſeq.
Multiplex victoria, quam obedientia parit, recenſetur. 1637.a
Qua ratione quatuor infeſtiſſimos homini hoſtes obedientia deuincat. 1638.e & 1640.b,& ſeq.
Animi tranquillitas ab obedientia dimanat. 1643.c
Obediens perpetua fruitur malacia. 1644.d
Obedientiam mentis eſſe quietem. 1645.a
Rubenitarum Gaditarúmque exemplo obedientium quies demonſtratur. ibid.
Iugum eſt ſuaue, & onus leue. 1646.b
Obedientiam à nobis exigit Deus, vt ea nos ad animi tranquillitatem ducat. ibid.d
Quanta ſit obedientibus parata gloria; & vnde colligatur. 1647.d
Primo colligitur; quia obedientiæ ſoli vita promittitur æterna. ibid.
Secundo, ex nimia, quam cum charitate habet, ſimilitudine, quæ latè tractatur, & bene. 1648.c
Tertio, ex numeroſo ſatis virtutum agmine, quod illam comitatur. 1651.a
Qua ſit via, rationéque diſcenda. 1652.b
Primò, ſi nulli miniſterio, vel fructuoſiſſimo nimium adhæſeris. ibid.
Secundò, ſi animum ab omni rerum adfectu liberum præſtiteris. 1653.b
Quo adfectu circa ipſum etiam prælatum carere debes. ibid.
Voluntatis obedientiam tria iuuant. 1654.b
Primum, Prælatum diligere. ibid.
Secundum, ad iniuncta animum appellere. ibid.d
Tertium, obedientiam ipſam magno proſequi amore. 1655.b
Intellectus obedientiam promouet maximè.
Primum, propriæ prudentiæ exilitatem, téque inexpertem diligenter perpendere. 1656.a
Secundum, te non rarò improbandis iniunctis adfectu duci. ibid.
Tertium, ſuperioris ſubditique conditionem expendere. 1657.a
Obedientia eſt vitæ ſpiritualis compendium. 1657.d,& 1658.d
Via eſt tutiſſima, quam niſi quis ingrediatur, miracula etſi edat innumera, cælos non adibit. 1659.a
Cibus eſt animam virtutum multiplici actione ſuſtentans. 1659.e
Lux eſt illuſtrans; & difficultates ſuperans fortitudo. ibid.
Via eſt ſuauitatis pleniſſima. 1660.b
Obedientia, quaſi lectica vecti iter peragimus. ibid.
Hanc obedientiæ viam ingrediuntur omnes Angelorum chori. 1661.c
Omnes etiam rationis expertes creaturæ. ibid.d
Diſcant obedientiæ amatores à mundi ſeruis obediendi rationem 1662.b
Qui Deo, & prælatis obediens fuerit, legem implebit: & plenitudo legis obedientia eſt. 1663.c
Quid verus obediens præſtare debet. 1664.b
Oratio pro obedientia aſſequenda. 1665. & 1666.

Obliuio.

Quando de peccatis futura, & cùm habetus cui tribuenda. 35.d

Obſeruantia.

Quæ virtus, eius actiones; incitamenta, & pro aſſequenda poſtulatio. 694 a

Occaſio.

Peccati fugienda occaſio; & quibus ſit ſimilis qui non fugit. 50.d
Quomodo ſacrificium pro peccato occaſionem indicet euitandam. ibid.
Declinanda occaſio. 116 b
Nulla virtutis acquirendæ omittenda, quin diligenter exquirenda. 848.b
Occaſiones exercendi virtutes, occaſiones ſunt illas augendi. 849.c
Multa nos docent nullam prætermittere exercendæ virtutis occaſionem. 1173.b & ſeq.
Orandus Dominus, vt oculos agnoſcendis virtutum occaſionibus aperiat. 853.d

Occupatio.

Singulis annis ab occupationibus vacandum; quod Sancti nos docent. 1032.b

Ocium.

Quot, & quanta afferat mala. 115.d

Oculus.

Eſt via mentis. 411.a

Mira oculorum cuſtodia Hugonis exemplo monſtratur. 414.b
A publicis ſpectaculis oculi ſunt amouendi. 415.a
Vide, Mortificatio oculorum.

Odoratus.

Vide, Mortificatio odoratus.

Odores.

Signa ſunt haud obſcura luxuriæ. 427.c
Grauem peccatorum vitiorúmque animam his contegere odoribus curant. ibid.
Huiuſcemodi odores à pœnitente abiiciendi. 428.b
Deo ſunt offerendi. 428.c
Quantopere ſint à religioſo fugiendi. ibid.
Quomodo peccent, qui contra neceſſitatem ſecum adferunt. 431.a
An medicinæ cauſſa à religioſis geſtandi. 430.a
Odorum cauſſa Eſau benedictione priuatur. 431.b
Thus redolere, quid ſit. ibid.
Cellæ nullis ſunt odoribus ſufficiendæ. ibid.

Oliua.

Illius parabola; déque regno ſibi delato, in humilium laudem apprimè declaratur. 1266.c

Omiſſio.

Omiſſione peccatum committitur. 11.d

Opus externum.

Quando ſit opus virtutis; & quid ad hoc præſtandum exemplo docetur. 835.c
Externa, etſi viliſſima, à vero humili exercenda. 1285.d
Illa exercenda ſuo exemplo nos Chriſtus edocuit. 1286.c, & ſeq.
Sunt humilitatis indices. 1288.c

Oſſa.

Quid myſticè ſignificent. 247.c
Quid ſit tentatione marceſcere. ibid.

Oratio.

Qualis incipientium, Hyſſopus, & Libani cedrus, de quibus Salomon, declarant. 51.c
Fugat vitia. 119.c
Cur pauci orationem contemplationémque aſſequantur. 367.c
Virtus caſtiſſima appellatur; & cur. 368.c
Sine mortificatione non aſcendit ad cælum. 369.b
Orationi mortificationem iungendam quomodo monſtrauerit Abraham. ibid.d
Quæ nos ab oratione ſemoueant, quæ verò aditum præbeant. 371.d
Valde vtile aſſequendis virtutibus inſtrumentum, & quotuplex illud ſit. 743.b
Quomodo nos ad illam præparabimus. 908.c, & ſeq.
Matutinum tempus orationi percommodum. 910.a
Terrenis adfectibus mens libera ad orationem debet aſcendere. ibid.b
Tamquam præcipuum opus omnibus eſt occupationibus præferenda. ibid.c
Orationis ſignum in ipſius loco præueniendum: & mirum Fratrum noſtræ Societatis Ieſu in hoc exemplum. 911.c
Quæ in orationis conuiuio alimenta miniſtrentur, & quibus. 912.b
Orationis examen quomodo faciendum. 912.c
Humilitati aſſequendæ perutilis eſt oratio. 913.b

P.

Parabola.

Decem millium talentorum Parabola quid ſignificet. 35.c
Quid item illa Samaritani. ibid.
Parabola de regno lignorum in humilium laudem expouitur. 1266.c, & ſeq.

Paſſiones.

Leunculo paſſiones comparantur. 311.a

Patientia.

Quæ virtus; ad illam incitamenta; quæ eius actiones, & pro comparanda poſtulatio. 708.d

S. Paulus.

Equo illi Sancti Iobi comparatur. 220.b

Paupertas.

Quid, quæ eius actiones, incitamenta ad illam; & pro comparanda efflagitatio. 1367.b
Seminarium virtutum, ordine prima, parens quædam, generatióque virtutum. 1365.c
Eius definitio traditur, & explicatur. 1367.b
Pauperes ſunt in quadruplici differentia. ibid.
Ad veram paupertatem tria requiruntur. 1369.a
Adfectum, quo voluntate, ac deſiderio omnia relinquimus, præcipuum in paupertate eſſe probatur ex Sanctis Patribus. ibid.c
Non ſat eſt temporalia adfectu relinquere, niſi re ipſa relinquantur. 1370.c
Propoſito melioris vitæ, Deique amore relinquenda probatur ex Patribus. 1371.c
Cuius rei gratia amplectenda paupertas, diuitiæ deſerendæ. 1372.c
Erit religioſa ſi non ad tempus, ſed perpetuo voto firmetur. 1373.b
Quàm ſit vero Religioſo neceſſaria. 1374.a
Eſt religioſi ſtatus radix. ibid.d
Illiuſque præcipua ſubſtantia. 1376.b
Paupertatis vacuum, fundamentum eſt perfectorum. 1375.b
Brachio eſt ſimilis. 1376.c
Paupertatis ſtatus arcta via eſt, qua itur ad cælum. ibid.d
Eſt foramen acus, quod gibboſum camelum non capit. ibid.e
Quantopere proprietatem paupertati oppoſitam odio haberent veteres Patres. 1377.a
Murus eſt reipublicæ religioſæ. ibid.c
Pauper hoſtes vincit, & perfectionis turrim ædificat. ibid.e
Nimium quantum in religionis ſtadio luctantibus adferat emolumenti. 1378.c
Quantis illa prærogatiuis emineat. 1380.b
Paupertas veræ ſpiritualis vitæ diuitiæ. 1381.b
Chriſti pauperes longè meliùs diuites, quàm mundi diuites nominandi. ibid.
Paupertas eſt diuitiæ, quibus Chriſtus Eccleſiam fundaturus aduenit. 1382.b
Sæculum relinquentibus ardenter diligenda. 1383.a
Euangelici pauperes à paupertatis gemma ditiſſimi nominantur. ibid.d
Pauper Euangelicus mundano quolibet ditior. 1384.c
Philoſophi gentiles ſe paupertate, ditiſſimis ditiores exiſtimabant. 1385.a
Suos Paupertas defendit, ac protegit. ibid.c
Deo curæ ſunt pauperes. ibid.
Paupertate nos in holocauſtum Chriſto conſecramus. ibid.d
Euangelicus pauper verè liber, tranquillus, honoratus, & ingenuus eſt. 1386.d
Paupertatis bona recenſentur diuitiarum malis oppoſita. 1392.a
Primus Paupertatis gradus eſt, omnia propter Chriſtum voto relinquere. 1391.a, & 1392.a
Adfectu omnia relinquenda. 1393.a
Quæ quis habet, non debet temerariè effundere, ſed prudenter diſtribuere. ibid.d
Quibus facienda bonorum, quæ relinquimus, diſtributio. 1394.a
An liceat parentibus & propinquis erogare. ibid.c
Secundus Paupertatis gradus, Votum implere. 1397.a
Quid ſit iſta voti paupertatis adimpletio. ibid.d
Qui paupertatis votum emiſit, nihil, vt proprium, poteſt poſſidere; & quàm grauiter puniatur, Ananiæ ſupplicio demonſtratur. 1398.b
Grauiſſima in proprietarios pœna exemplis à ſanctis Patribus demonſtratur. 1399.b
Quis paupertatis voti violator exiſtat. 1400.d, 1401.b, & 1402.a
Tertius gradus eſt, Superflua reſecare. 1404.a
Quænam reſecanda, quæ verò non. 1405.a
Quale ſit peccatum prælati ſine cauſſa aliquid concedentis, & ſubditi poſtulantis. ibid.e
Pauper, qui congregat, à Deo diſiungitur. 2186.c
Signum tepidi amoris in Deum tribuit pauper, qui ſuperflua recondit. 1407.b
Quartus gradus eſt, Neceſſariis immoderatè non inhærere. 1408.b
Non magni proderit pauperi magna reliquiſſe, ſi minimis nimis adhæreat. 1409.a
Verus pauper hoſpitem ſe in hoc mundo eſſe cognoſcat. 1409.c
Paupertas non ex corde, non virtus, ſed miſeria iudicanda. 1411.c
Rerum vſus pauperi admittendus cum humilitate, & gratiarum actione. ibid.d
Quicquid pauper viendum accepit, fratribus libenter accommodet. 1412.c
Quintus gradus, Neceſſariorum pati penuriam. 1413.b
Qualis pauperum victus, veſtis, reliquáque futura ſupellex. 1413.d
Quæ præmia maneant pauperem rebus neceſſariis carentem. 1414.c
Rebus carere neceſſariis veros pauperes Chriſtus edocuit. 1415.c
Cur hanc neceſſariarum rerum indigentiam in nobis Chriſtus deſideret. ibid.e
Quænam auxilio eſſe poſſint, vt neceſſariis carere æquo animo feramus. ibid.
Sextus paupertatis gradus eſt, In ægritudinibus paucis eſſe contentum. 1418.c
Paupertatem maximè ſeruabimus, ſi ægrotantibus Religioſis neceſſaria tribuerimus. 1419.c
Quomodo in infirmitatibus circa medicum, & medicamenta, ſeruanda paupertas. 1421.c
Qua humilitate ægrotans pauper ſibi neceſſaria poſtulabit. 1423.a
Septimus gradus, Adfectu & effectu nuditatem omnem, & incommoditatem exquirere. 1425.a
Cæleſtium cócupiſcentia, ſanctáque fiducia pauperem ad hunc gradum excitant. 1426.c, & 1427.d
Pauperes, qui Deo fidunt, arrham poſſident regni cœleſtis. ibid.
Pauper oculos columbarum habere exponitur. 1410.d
Quæ mala paupertas tollat; & quomodo virtutes augeat. 1416.c
Illius laudes ex Laurentio Iuſtiniano. 1429.a
Quomodo Noë paupertatem myſticè deſignarit. ibid.c
Parua reliquimus paupertate, & magna à Domino poſſidemus. 1431.a
Pauperibus theſaurus in cœlo in præmium promittitur: quis, & qualis ille ſit: ibid.d
Pauperes non ſolùm diuitias non obtinent, verùm mundi huius dignitate carent. 1434.c
Nobiliſſima dignitas iudiciariæ poteſtatis pauperibus in præmium deſignatur. 1435.a

Qui

Quibus ſint media verè pauperes alios iudicaturi. ibid.
Quanta ſit dignitas huius iudiciariæ poteſtatis. 1436 d. Iudiciaria hæc pauperum dignitas ſanctorum ſententia comprobatur. ibid. & ſequent. Non omnes, qui paupertatis votum emiſerunt, iudicaturi ſunt mundum; ſed qui votum fideliter impleuerunt. 1440.b
Menſura bona, conferta, & coagitata pauperibus elargitur. 1441.d, & 1443 c
Eiſdem centuplum in cœlo promittitur, & quid illud ſit. 1443.b
Quidnam ſit centuplum, quod in hac vitâ pauperibus promittitur. 1444.a.& ſeq.
Res ipſæ derelictæ centuplicatæ pauperibus dantur. 1445.c
Deus ipſe in præmium pauperibus datur. 1443. c
Chriſtus etiam in hac vitâ iiſdem eſt præmium. 1444. a
Gaudium & ſpiritualis exultatio præmium pauperum. ibid.
Quàm ſit diues & beata paupertas 1446.b
Pauperes in hac vitâ poſt mortem honorari, fratris Franciſci Solani Franciſcani religioſiſſimi viri morte declaramus. 1445.a
Quibus mediis paupertatem aſſequi valeamus. 1440.c, & 1452 & ſeq.
Pauper rebus ſibi ad vſum conceſſis, vt propriis, non vtatur. ibid.
Pauper res, quibus afficitur, relinquat, ſi paupertatem aſſequi curat. 1450.e
Quanam ratione ad res nonnullas pauper affectum deponet. 1451 c
Pauper ſe in cibis, veſtibus, ac reliquis omnibus vt pauperem gerat. 1452.c
Pauper nihil proprium vnquam nominet. 1453.d
Quanam ratione in cœnobiis prælatorum cura vigere poſſit. 1454 b
Quænam paupertati ſuperiorum curâ augendæ obſtare videantur. 1445. a, & ſeq.
Paupertas ſectanda, commodaque quæ eam conſequantur. 1457 b
Nobis magnopere commendatur. 1358.a
Paupertatis ſtatu miniſtri ac amici Chriſti conſtituimur. 1459.b
Multorum eſt origo bonorum. 1458.e
Pauper nulla pera oneratus incedat, aurum, nec argentum poſſideat. 1459.c
E Chriſti penu pauperes reficiuntur. ib.e
Quàm ſit virtutibus cognata, terreus, cœleſtiſque comprobat diſciplina. 1461.c
Animalium exemplo ad illam incitamur. 1462. b
Ad poſtulandam paupertatem Oratio. ib.

Pax.

Quid illa, quæ ad eam incitamenta, quæ illius virtutes, próque ea à Domino flagitatio. 672.d
Quot media comparetur. 104 b
Cum vitiis non ineunda eſt pax. ibid.
Effrænatæ noſtræ cupiditates pacem odio habent. ibid.
Hoſtes delere peſſimos pax optima. 105.a
Quænam ſit falſa pax. 349.b

Pœna.

Quæ ſit dulcis pœna. 6.c
A Deo Patre immiſſa amoris eſt ſignum. ibid.
Ante mortem quæ hominem pœna maneat. 28.d
Grauiſſima cenſenda cùm ex vno in aliud delabi peccatum permittit Deus. ibid. & ſeq.
AEgypti pœnæ quomodo peccatori accidant. 30.a
Pœna ſenſus & damni quanta ſit. ibid.d
Citra condignum peccatoribus irrogatur. 31.c
Quæ per decem talenta ſignificetur. 15 c

Pœnitentia.

Ad delenda peccata, & prima opera facienda referenda. 44.a
Maior à maiori præſtanda. 52.a
Quid pœnitentia ſit, quæ illius actiones, ad eam incitamenta, & pro conſequenda poſtulatio. 690.b

Peccator.

Se abſcondit à Dei oculis. 24.d
Peccati ſi quæ eſt voluptas, non ſentit. 26.c
Quibus agitetur conſcientiæ ſtimulis. ib.
In conſcientia ſpinas inuenit. 27.c
AEgypti pœnis omnibus punitur peccator. 30.a
Peccatoris ſenſus quomodo crucientur. ibid.
Magno debet feruore ad Deum recurrere. 34.c
Ab illo eſt Machabæus Iudas imitandus, & quomodo. ibid.
Dignos pœnitentiæ fructus eſt facturus. 51.c
A maiori peccatore maior exigitur pœnitentia. 52.a
Quæ ſint alia à pœnitentia opera peccatori præſtanda. ibid.
In ſuorum peccatorúm interitu canticum Mariæ quomodo canat peccator. 56.d
Peccans venialiter a diuinis arcetur conſolationibus. 103 a
Quomodo erudiendus peccans venialiter. 100.b
Per fluuium ſignificatur peccator. 238.b
Per ignorantiam intellectum excæcauit. 1212.b
Voluntatem peccator à recto auertit, & appetitum ſolûm ratione ligatum. ib.d

Peccatum.

Peccato bellum indicendum ductiles Moyſis tubæ declarant. 4.a
Peccata in anima latitantia velut ex inſidiis animum adoriuntur, ac virtutum aciem aſſequatur. ibid.
Peccatorum recordatio quibus, & quomodo voluptatem pariat. 5.a
Poteſt homo Dei potentia ſine lethali peccato ſe conſeruare, & quot eius fuerint immunes. 6 e
Peccatum Religioſorum à Dauide lamentatur. 8.a
Mortale peccatum, quibus à Sanctis Patribus nominibus inſignitur. 10.a
Eius plures definitiones. 11.b
Effigiet contenditur. 12.a
Innumera lethalis noxiæ damna. ibid.
Quomodo à veniali differat. 13.e
Omne in ſe malum continet. 14 d
Supernaturalibus bonis ſpoliat animam. 15. a
Peccatum eſt paupertas. ibid.
Dolor item grauiſſimus. ibid. Eſt inſtar vini. ibid.
Libro à Ioanne deuorato comparatur. 16. a. Necnon aquarum profunditati. ibid. b. Humano item corpori. 21. a. Etiam cum fumo. 27.b
Peccatorum ſeruitus eſt vndiquaque miſerrima. 16.c
Peccato diaboli filij efficimur. ibid.e
Peccati dura tyrannis. 17.c
Ipſis angelis grauem exhalat mephitim. 18.a
Peccatum ſumma cenſetur infamia. ibid. c Etiam ægritudo nulla vi naturæ ſananda. 18.c. Item animæ mors. 19 a. Necnon litura, quæ Dei imaginem delet. 25. a. Rubigo etiam animæ pulchritudinem exedens. ibid.b
Peccati diuerſi effectus. 20.c
Surdos, paralyticos, & mutos reddit homines. 21.d, & ſeq.
Illius fœditas omni fœditati à Bernardo præfertur. 23 a
Spiritualia peccata omnium ſunt fœdiſſima. 23.c
Peccati fœditas cadauere à Chriſto declaratur. ibid.
Tres peccati ſtatus per tria Chriſti miracula exponuntur. 24.a
Omne peccatum puniendum. 25.d
Cur vocetur clamor. 26.a
Si quæ eſt peccati dulcedo, nequit deguſtari. 26. d
Peccata interna quomodo etiam corpus lædant. 27 d
Effectus externi ſuperbiæ, auaritiæ, luxuriæ, inuidiæ, gulæ, iræ. ibid.
Ex vno peccato in aliud incedere pro grauiſſimo Dei ſupplicio habendum. 28 d, & ſeq.
Peccati fœditas timorem ingerit. 35.c
Dolore primogeniti, & vita functi lacrymandum. 41.d
Illius occaſio fugienda. 50.c
In peccati expiatione cur fimus extra caſtra iubetur emitti. 52 b
Semper eſt plorandum. ibid.
Peccati memoria quandiu futura; & qui præ oculis habuerint. 54. c. Perfecto viro abiicienda. 55. b. Huiuſmodi memoria quæ afferat, & quibus prinet. ibid.
Quando debeat in mentem peccatorum recordatio venire. 56.c Qualis fuerit memoria peccatorum Dauidis, ac ſancti Petri, &c. ibid.
Peccatorum obliuio Spiritui ſancto tribuitur. 55.d
Peccatum nullum ſine voluntate. 232.c
Remedia peccatis curandis. 77.a
Victoria peccatorum præmio afficitur. 235.d
Quo differant ſenſus conſenſúſque peccati. 287.d
Mortificatione quomodo infantium peccata deleantur. 322.a
Peccata, quæ totum mundum obtinent, recenſentur. 1215.a

Peccatum veniale.

Omnia venialia peccata poſſunt Dei gratia vitari. 57.b
Chriſtum, Virginémque ſi excipias, nullus ab hoc immunis extitit piaculo. 58.a
Nonnulli aliqua vitarunt peccata venialia. 60 b
Quot ſint venialium peccatorum examina. 59.d
Numquam ex deliberatione peccare venialiter, charitati nimiæ tribuendum. 60.c
Curant perfecti in dies paucioribus, & non æque grauioribus venialibus irretiri. 61.a
Leuia quæque peccata, vt pote grauiſſima à perfectis declinant. ibid. c
Grauioribus peccatis ianuam aperiunt. 63. b
Peccatum veniale meritò corporis infirmitas appellatur. ibid.
Muſcæ, lepræque venialis noxa confertur. ibid. c. Item operario ebrioſo. 64. d. Aut etiam vnguem in laqueum inferenti, variiſque aliis rebus comparatur. 65.c
Non tanto ſtudio mortalia, quàm venialia vitanda videri. 66.d
Multa leuia peccata vnum graue conſtituere, quo ſenſu intelligendum. 67.a
Stillicidiis quàm ſimillimæ veniales noxiæ. 66.a
Quomodo animæ maculet pulchritudinem veniale peccatum. 68.c
Feruorem minuit charitatis. 69 a
Animæ noſtræ vires eneruat. 69 a
Cœlorum retardat aditum. 70.b
Quàm grauiter à Deo puniatur. ibid.d
Sæpe eſt peccati grauis occaſio. 71.c
Terrenam beatitudinem, quæ in mentis tranquillitate conſiſtit, nimium quantum lædat. 72 c
Honorem noſtrum, qui in fidelitate circa Deum poſitus eſt, minuit. 73.c
Studioſis officit actionibus. 74.b
Diuina impedit dona. 75.a
Perfectionis iter retardat. ibid.c
Remedia peccatis curandis. 77.a
Quomodo illis expiemur. ibid.
Vt dimittantur oratio. 74.c
Illorum non eſt neceſſaria confeſſio; eſt tamen vtiliſſima, & ea venerabili tradi-

tione

Google

tione ducit exordium. ibid.
Non ſunt celanda. 79.d
Sine vllo dolore hæc confiteri mortale iudicatur. 80.d
Quæ dolorem excitent. ibid.
Sine emendationis propoſito non remittuntur. 81 a
Propoſitum hoc quale debeat eſſe. ibid.
De iis erubeſcere vtiliſſimum. 82.e
Eucharistia horum peccatorum antidotum. 84.a
Remedia ſacramentalia Eccleſiæ quam habeant vim. ibid. De ſingulis agitur. 85.a
Per fœnum,& ſtipulam peccatum veniale ſignificatur 86.e,& 91.e
Fœnum (peccata videlicet) ſupra Christum ædificari, quomodo intelligendum. 88 b
Quæ ſint maxima inter peccata, & cur igno comparentur. 91 e
Quæ ſint media,quæ leuiſſima. 92.b
Vt ſpinæ euellenda. 93.c
Riuuli ſunt amari ex impuro fonte. 94 b
Necnon infirma corporis valetudo. 95.b
Dignitatis præcipientis cauſſa vitanda. 97.e
Hæc contemnere eſt in ſpiritum ſanctum peccare. 98.d
Quàm periculoſum ex malitia peccare. 98.e, & ſeq.
Quàm ſint grauiter puniendi,qui venialia conſciſcunt. 95.e
Quanta importent mala. 101.a
Leuiſſima attentione vitari comparationibus egregiè probatur. 105.a

Perfecti, & Perfectio.

Quibus tentationibus impetantur. 298.e, & ſeq.
Quare has illis Dominus immittat. 301.b
A quibus vexentur. ibid.
Omnium maxima perfectorum tentatio eſt deſolatio. 301. e. Quàm acerba ſit hæc tentatio declaratur. ibid.
In viris perfectis non tollitur, ſed minuitur concupiſcentiæ fomes. 1518.e
Perfectio igni ſimilis. 4 b
Sine mortificatione non obtinetur. 325 a
Leuia etiam peccata non ſuſtinet. ibid.
Perfectionē mortificatione acquiri comparatione docetur. 342.q
Bethlehemiticæ aquæ,quæ à fortibus Dauidi fuit allata, comparatur. 325.e

Perſeuerantia.

Quæ virtus,eius actiones, quæ ad illam incitamenta, & pro comparanda efflagitatio. 712.b

Pharao.

Pharao durici ei,quæ in peccatore repetitur,typus extitit. 30.a

Pietas.

Quæ virtus,quæ eius actiones,quæ ad illam incitamenta; & pro comparanda poſtulatio. 692.e

Prælati, & Prælatia.

De Prælatorum amore; & de reuerentia circa eos obſeruanda. 1038.b, & e
Quanta illis obedientia exhibenda. 1039.a
Pro iiſdem orandum. ibid e
Suſtinendi, eorūmque defectus diſſimulandi. 1039 e,& ſeq.
Minimè iudicandi. 1040.d
Prælatiæ verè onus nominandæ. Vide Honor. Nullo modo deſiderandæ. 1270. e
Prælatos locum vltimum eligere, an ſit humilitas. 1313. b
Prælatiæ quanta pericula. 1315.e
Prælatorum veſtigiis ingrediendum. 1334.b
Montes ſunt,à quibus nos Deus illuminat. ibid. e
Infirmia omnia debent neceſſaria miniſtrare Prælati. 1419.b
Prælati Religioſi quomodo ſuorum affectus auerant. 1391.c
Qua ratione in ſuis cœnobiis paupertatem vigere faciant. 1354.b
Quidnam in Prælatis augendæ paupertati impedimento ſit. 1455.b & ſeq.
Prælatorum conſilia quantum iuuent caſtitatis cuſtodiam. 1554.d
Prælati vices Chriſti gerunt. 1567.d, & 1568. e
Eorum poteſtas à Deo. 1560.a
Cur Deus in detrahentes contra Prælatos, & non obedientes animaduertat. 1571 d
Prælatus Religioſis pro Moyſe eſt, qui illos in promiſſionis terram inducat. 1575.e
Prælatis, in omnibus (peccatum ſi exceperis) obediendum. ibid.
Prælatus eſt Videns, ſeu Propheta, qui de obſcuris ſedulò nobis conſulendus. ibid.
Inſtar medici ſe Prælatus cum ſubditis habeat. 1576.d
Quanto afficiendi ſupplicio, qui Prælatis non obediunt. 1588.e
Quomodo ſe in præcipiendo cum ſubditis habere debeant. 1592.d

Præſentia Dei.

Vide, Deus.

Prandium,ſiue Comeſtio.

Quid cogitandum, cum cibi locum ingredimur. 958.c
Quomodo in refectorio aſſiſtendum. ibid.e
Quid in frangendo pane ſeruandum. 959 c
Non omnia, quæ apponuntur, comedenda. ibid.
Ex communibus veſcendum, & nihil reſpuendum. ibidem.
Agendæ poſt cibum gratiæ. ibid.
Laudabile quidem eſt à prandio ſilentium cuſtodire. 960.d
Idem à Sanctis Religionum fundatoribus meritiſſimo inſtitutum. ibid.
Mutua aliquorum à prandio collocutio omnino vitanda; & quare. 961.a
Communis à prandio Religioſorum collocutio inuentum eſt Sancti Parentis noſtri Ignatij, quantáque ex illo Religioſis effloreſcat vtilitas. 961.d
Sanctis etiam Eremi cultoribus fuit vſitata. 962 a
Quid præſtandum vbi primum deſtinatum recreationi locum perueneris. ibid.
Ibi quæ reticenda, quæ verò loquenda. ibid.
Si ceſſationis ſignum intonuerit, ſilendum illico. 963.b

Proficientes

Quibus tentationibus infeſtentur. 289.e

Proprietarius.

Vide, Paupertas.

S. Proſper Aquitanicus.

Eius de peccato mirificum Epigramma. 10 b, & ſeq.
Apprime deſcribit ſuperbiæ graſſantis indicia. 195.d
Duos tantum fecit humilitatis gradus. 1227.b

Prudentia

Inter virtutes morales princeps,varias habet ſpecies. 676.d
Quid Prudentia ſit, quæ illius actiones, & ad eam incitamenta, pro illáque comparanda efflagitatio. 677.b

Pſalterium. B. V.

Vide, S. Maria Virgo.

Pudicitia

Quid ſit, quæ eius actiones,ad illam incitamenta, & pro aſſequendâ poſtulatio. 720.e

Pudor.

Animæ pudor adulteræ comparatur. 42.b

Pulchritudo.

Clauſis oculis pulchritudo eſt veneranda. 612.e
Iuſtitiæ pulchritudo quàm ſit amanda. 623.b

Purgatorium.

Quàm ſit grauis Purgatorij pœna. 70.e

Puſillanimitas.

Eius definitio, & quid ex illa ſequatur 289. d
Puſillanimitas eſt pœna ſuperbæ complacentiæ. 290.c
Quibus remediis puſillanimitatem ſuperemus. 291.b

R.

Regula.

APtiſſimum aſſequendis virtutibus inſtrumentum. 861.d
Regularum ſequela pacem, & miſericordiam adfert. ibid.e
In, Sanctorum legiſlatorum regulis virtutes omnes continentur. 861.a
Quid ſit Regula. 864 d
Neruis, vel catenis regulæ comparantur. 865. b
Nos ligant, ne gratiam, virtutémque amittamus. ibid e
Regula eſt antemurale, quo præceptorum illibatus murus defenditur. 866. b
Clypeis Dauidicæ turris Regulæ comparantur. 867.b
Cuſtodiæ Regulæ triplex promiſſa pax. 868.d, & ſequent.
Eidem cuſtodiæ miſericordia prærogatur. 874 d
Regularum tranſgreſſori ſerui nomen non competit. 875 d
Quid nos ſeruandis Regulis magnopere conuincat. 476 d
Regularum obſeruatores quibus implicantur miſerationibus. 877 a
Cuſtodia regulæ vita eſt animæ. ibid.e
Regulæ tranſgreſſor Struthionis pennis comparatur, & quare. ibidem.
Corona, & torques regulam cuſtodienti promittuntur. 878.e
Qui Pater,quæ item mater, qui nos Regulam docent. ibid.d
Omnia læta, omnia cadunt proſpere regulam obſeruanti. 880.a
Seruos in calamitatibus reddit Regularum cuſtodia. 8?1.a
Regulæ obſeruatores non tantùm à malis temporalibus, verum à tentationibus

liberantur. ibid.c
A ſacra Scriptura deſumpta regula vim mutuatur occultam. 882.d
Non ſolùm magna, ſed minima quæque in regula ſeruanda. 883.b,& 887.d
Multa nos alliciunt, vt minima quæque in Regulis obſeruemus. 884.c
Minima in regula prætcrire ſpiritus indicat laxitatem. 885.d
Dum minimis aſſueſcimus maiorum timorem amittimus. 887.a
Quis modus in Regulæ obſeruatione tenendus. 889.a
Octo ſunt, quæ à nobis expoſtulantur, vt regulam adimpleamus. ibid.
Diligenter nobis meditanda, atque legenda. 891.c
Sedula à nobis regulæ operatio depoſcitur. 893.c
Regulæ obſeruatio qualis eſſe debeat. 894.c
Huiuſmodi obſeruatio eſt quaſi ſignum honoris,nobilitatiſque religioſi. 895 c
Quicquid facturi ſint Religioſi Regulis, inſtitutiſque metiendum. 896.b
Ezechielis calamo regula apprimè expreſſa. ibid.c
Regulæ obſeruatio conſtanter vſque ad mortem perducenda. 897 b
Frequenter legenda. 898.d
Pro culpis, vel leuioribus circa defectum obſeruantiæ Regularum caſtigatio ſubeunda. 899.d
Quicquid eſt Regula ſancitum magni faciendum. 901.b
Regulæ obſeruatores in amicitiam adſciſcendi. ibid.
Regulæ obſeruatio non cognitione, ſed exercitatione dicitur. 902.d

Religio, & Religioſus.

Quid ſit Religio, quæ eius actiones, quæ ad illam incitamenta, & pro eâdem flagitatio. 687.c,& ſeq.
Qualis futurus Religioſus. 1328.c
Religio ſtadium eſt, vbi cum teterrimis hoſtibus luctamur. 1378.c
Quomodo,& quibus bona, quæ in ſæculo reliquit, diuidat Religioſus: & an liceat parentibus,vel religioni. 1394.c
Nihil ſuum Religioſus poteſt dicere. 1403.c
Propter vitæ puritatem ipſe diligitur. 842. a
Ad quantam ſit puritatem inſtitutus Religioſus ſtatus. 1474 c

Religio Fratrum ſiue cœtus.

Circa Religionem filij amorem habere debemus. 1041.b
Adfectus iſte Regularium obſeruantia comparatur. ibid.d
Bonum Religionis nomen quærendum,& quomodo id fieri debeat. 1042.a
Religionis onus ferendum alacriter.ibid.c
Munia Religionis ritè præſtanda. ibid.c
Religionis res temporales quanam ratione curandæ. 1043.d
In Religione Fratribus exemplo futuri. ibid.b
Beatus in Religione habetur,qui ſe omnibus humilitate ſupponit. 1328.b

Renouatio.

Natura noſtra, cùm naturaliter deficiat, renouatione indiget. 1028.a
Bonorum deſideriorum renouationem ſpirituales viri ſemper vtiliſſimam putauerunt. 1029.c
Omnia,quæ in mundo ſunt, renouantur. 1030. b
Quando, & quomodo renouabimur. 1031. a
Quibus in rebus renouatio ſit poſita. ibid.b

Remiſſio poſt prandium.

Vide, Prandium.

Reſignatio in voluntate Dei.

Vide, Deus.

Riſus.

Quieti mentis riſus ſolet officere. 1341.a
In locis grauibus non ridendum. ibid.
Abrahæ, & Saræ riſus qualis. ibid.
Quando liceat. 1342.c
De quibus numquam futuris riſus. ibid.
Effuſus riſus ſignum cordis diſtracti. 1343.a
Qualis viri Religioſi riſus eſſe debeat. ibid.
Quomodo immoderatus fugiendus. 1344. a
Vide, Mortificatio corporis quoad motum.

Roſarius.

Vide, B. Maria Virgo.

S.

Sabbatum.

Etiam in Sabbato pugnandum quid. 115.c

Sal.

Mortificationem peccatorum ſignat ſal ab Eliſeo aquis iniectus. 94.c
Illius cum attritione comparatio. 103.b

Salomon.

Cur de hyſſopo,déque Libani cedro diſputarit. 53.c
Cur domum Domini ſeptem annis ædificarit,ſuam autem tredecim. 510.a

Sancti.

Singulis menſibus Sanctorum aliquis eligendus in virtute adiutor;& quid in illius cultum faciendum. 1015.d

Satisfactio.

Quæ,& qualis piaculis adhibenda. 48.d
Licet non ſit cum purgatorij contendenda, plus tamen, quia ex voluntate ſatisfacit temporalis. 49.c
Quæ pro peccatis facienda: & non ſolùm à confeſſario impoſita, ſed & alia. 83.a
Quæ ſint,quæ ſatisfaciunt. ibid.

Sæcularia negotia.

Perfectis viris magnopere ſunt fugienda negotia ſæcularia.857.c, & ſequent.
Quidnam nos maxime moueat, vt ſæcularia vitemus,negotia. 859.d
Cum ſæcularia negotia tractamus, in Ægyptum reditum affectamus. 860. b & ſequent.

Sæculum.

Vide, Mundus.

Sæculi memoria.

Quàm in nos hoſtiliter irruat ſæculi memoria, dum præteritas voluptates nobis ingerit. 277.a
Quanam ratione tanto periculo obuiam eundum eſt. ibid.

Scrupuli.

Quid illi ſint,& à quonam ſint iudicandi. 282. d
Quàm ſint diuerſa ſcrupulorum genera. 283. a
Primum contra eos remedium eſt,ſe ſcrupuloſum eſſe cognoſcere; & quonam modo id valeat cognoſcere. ibid.d
Secundum remedium eſt, illorum cauſſas tum internas, tum externas diligenter indagare. 284.b
Tertium, medebuntur illis oratio, ſacramentorum vſus,& diſcreta corporis caſtigatio. ibidem.
Nec non etiam Prælatorum obedientia, non euidenti, ſed probabili eos ratione conuincet. 285.a
Scrupulis contrarium efficere, mirum quantum iuuet. 286.a
Inter dubium, ſcrupulúmque diſcernere vtilitatem parit. ibid.
Scrupuli,qui ex confeſſionibus ſuboriuntur,quanam ratione curandi. ibid.
Blaſphemiæ, aliorúmque peccatorum ſcrupulis, quomodo obuiam eundum. 287.c
Circa Miſſam, aliáque præcepta ſcrupuli quonam modo vitandi. 288.d
Circa prædeſtinationem,& futura ſoluuntur. 289.a

Scurrilitas.

Omnis ſcurrilitas vitanda ſemper. 1339.a
Vide, Mortificatio linguæ.

Scutum.

Cur Dei ſcuto non in nocte, ſed in die protegamur. 298. c

Seceſſio.

Vide, Occupatio.

Securitas.

Quæ virtus,quæ illius actiones, & ad eam incitamenta, próque comparanda à Domino poſtulatio. 706. c

Sedere.

Quem locum verè humiles occupare deſiderent. 1324.d
Prælati an debeant in congregationibus, ſiue capitulis, humilitatis prætextu, locum vltimum tenere. 1325.a
Sedis, locique humilis vtilitas. ibid.

Segnities.

Remedia præſtantiſſima, quibus ex animo ſegnities depellatur. 275.d, & ſeq.

Senectus.

Maxima ſenectutis recenſentur incommoda. 1205.a
Ante ſenectutem ſectanda virtus. ibid.
Quidam in ſenectute à vitiis iuuentutis maturantur. 1217.c

Senſus.

Senſus, peccatoris quibuſnam ſint tormentis addicti. 30 c
Tentationum cauſſa ſunt ſenſus. 215.c
Senſus,viſus,auditus & tactus,caſtus cohibeat. 1545.c
Quanta debeat illorum eſſe moderatio. ibid. c
Vide, Mortificatiõ ſenſus.

Sermo.

Vide, Miniſteria, & Verbum Dei.

Silentium.

Silentium eſt veluti ſtatus Religioſi forma, atque ſubſtantia. 491.c
Silentio vt fræno regimur, vt muro defendimur. 492.a
Humilitatis fructus vberrimus eſt ſilentium. 1336.b.& ſequent.
Silentij miræ laus. 1337.d
Deuotio ſilentio cuſtoditur. ibid.
Silentio ad bene loquendum edocemur. 1340.a

Simplicitas.

Quæ virtus, quæ illius actiones, ad eam incitamenta; & vt aſſequamur efflagitatio. 698.d

Singularitas.

In omnibus humili fugienda ſingularitas. 1330. c,& ſeq.
Quintus ſuperbiæ gradus ſingularitas à Bernardo ponitur. 1331.b
Singularitatis amator veram ſanctitatem non exquirit. 1332.c
Quænam obſeruanda vt ſingularitas vitetur. 1333 b
Singularitas non eſt, cum quis perfectioris vitæ deſiderio,amplius aliis efficiat, Superiore ſciente. 1335.b

Sobrietas.

Quæ virtus, quæ eius actiones, ad illam incitamenta, & pro comparanda efflagitatio. 717.a

Solicitudo.

Quid ſit,quæ ad illam incitamenta, quæ actiones,& pro illa poſtulatio. 681.a

Somnus,& quæ ad illum.

Quando à ſomno ſurgendum, idque ſine vlla mora præſtandum. 907.a
Quid nos excitare poſſit,vt ſtatim ſurgamus à ſomno. ibid.
Vbi primum ſomnum excuſſerimus,quid-

nam efficiendum. ibid.& 908.c
Qua nos ratione poſt ſomnum veſtibus induemus: & cur religioſi veſtiti cubent. ibid.a
Quid cum dormitum petimus faciendum. 1001.b
Quid verò præſtandum cùm iam cubantibus tentationes inſurgunt. ibid.e
Quanam ratione non ſolùm in ſomnis tentationibus reſiſtamus, ſed etiam ad Chriſtum oremus. 1001.b
Quæ in ſomno repræſentantur ex quatuor capitibus proueniunt. 1509.c
Qualis ſit ſomnus viri religioſi, & caſti. 1511.b
Sanctorum feriatus à corporeis voluptatibus. ibid. d
Quatuor ſolent ſomnum inquietare. ibid. e
Quid in ſomnis Deus viris caſtis tribuat in præmium caſtitatis. 1512.a

Spectacula.

Omnia, quæ dantur ſæcularium oculis oblectandis à mortificatis quàm ſint fugienda. 415.a
Vide, Mortificatio oculorum.

Speculum.

Iracundiæ remedium ſpeculum aſſignatur. 28.b

Spes.

Quonam modo ſpes poſt peccatum maneat. 15.a
Spe delinquimus cum noxia ſperamus. 561.b
Remedia contra hanc prauam ſpem. ibid.
Spes quæ virtus, eius actiones, ad eandem incitamenta, poſtulatióque ad illam aſſequendam. 661.b

Spiritualis vir, & vita ſpiritalis.

Spiritualis vir eſt Dei tabernaculum intus, & foris pulchrum. Arca item intrinſecus, & extrinſecus inaurata; Nec non liber intus, & foris ſcriptus. 835.d
Quanam ratione ſe circa virtutes internas gerere oporteat. 837.c
Non tam in virtutis functionibus, quæ corpore fiunt, quàm in iis, quæ à mente procedunt, eſt vita ſpiritualis conſideranda. 838.c

Status mutatio.

Status mutatio, quæ ſit tentatio; & quonam pacto ſuperanda. 280.a
Hoc idem Sanctorum exemplis, naturalique ratione demonſtratur. 281.a

Stella.

Quidnam ſit ſtellas pugnare. 244.d

Studia litterarum, & quæ ad illa.

Recta in ſtudiis litterarum intentio ſeruanda; & quàm ſit periculoſum illam non ſeruare. 946.b
Ex curioſitate ſuſcepta litterarum ſtudia valde inutilia. ibid.e
Cum virtute ſemper ſunt coniungenda. 947.b
Quomodo in his ſe cum magiſtro debeat habere diſcipulus. 948.a
In ſtudiorum diſputationibus qua ratione verſandum. 949.a
Plus meditationi ſtudiorum, quàm ſcriptioni nauandum. ibid.
Quæſtionum ſolutiones familiariter à Domino efflagitandæ. ibid.

Subiectio.

Vide, Humilitas.

Superbia.

Superbiæ definitio traditur. 195.b
Peccatum ſuperbiæ, quæ mala corpori afferat. 27.d
Superbiæ graſſantis indicia optimè deſcribuntur. 196.a
A ſuperbia Dominicis verbis operibúſque nimium quantum inhibeamur. ibidem.
Omnium eſt peccatorum origo ſuperbia. ibid. b
Fons item, regina, radixque eorundem. ibid.
Nullum ſine ſuperbia peccatum. ibid.
Quo occultior eſt, grauius vitium cenſetur. ibid.
Superbia reproborum ſignum. ibid.
Primus ſuperbiæ gradus; bona omnia numini non referre accepta. ibid.
Secundus; propriis auſpiciis parta cogitare. 197.c
Tertius, alios deſpicatui ducere, dum ſua potiora dijudicat. ibid.
Quartus gradus, bonis ſe efferre. 198.c
Quintus, quod non in vitia dilabantur efferri. ibid.
Sextus, peccata inficiari. 199.a
Septimus; maiora viribus aggredi. ibid.
Octauus, de ſuis rebus magnificè, & glorioſè ſentire. 200.a
Nonus gradus ſuperbiæ eſt honorum ambitio. ibid.
Superbia quanto ſit ſtudio fugienda. ibid.
Omnes per ſuperbiam ceciderunt. 201.a
Quàm ſit Deo proximis, ſibique grauis. ibid.
Præſentiſſimum contra ſuperbiam remedium eſt ſui ipſius cognitio. ibid.
Superborum etiam Angelorum ruinam pertimeſcere. 202.b
Superbiæ occaſio vitanda. 203.a
Typus ſuperbiæ Goliath. ibid.
Quinque lapidibus quomodo ſuperanda. ibid.
Quinque alia remedia contra ſuperbiam a Bernardo deſignantur. ibid.d
Indicia excluſæ ſuperbiæ. 208.a
Quanta ſit ſuperborum vilitas. 1135.c
Superbia ſingularitatis cauſſa. 1331.b
Se multiloquio oſtentat. 1336.c
Mira ſuperbi loquentis deſcriptio. ibid.e

Superior.

Vide, Prælatus.

Super.

Quid in Scriptura ſignificet. 88.b

Suſtinentia.

Ad humilitatem quonam modo ſuſtinentia pertineat. 1311.b

T.

Taciturnitas

QVid ſit, quæ illius actiones; incitamenta; & pro comparanda poſtulatio. 719.c
Humilium taciturnitas quænam ſit. 1338.c
Vide, Silentium.

Tactus.

Vide, Mortificatio Tactus.

Temperantia

Quæ virtus, eius actiones; illi comparandæ incitamenta, & pro eadem efflagitatio. 714.a

Templum Salomonis.

Locus vbi extructum Salomonis templum; & quot ſiclis fuerit à Dauide emptus. 2.a

Tempus.

Quodnam ſit tempus Dei; quod noſtrum. 149.a
Tempore nihil charius, nihil pretioſius. 852.d
Vt virtutes illo conſequamur tempus nobis conceſſum eſt. ibidem.

Tentatio, & Tentatus.

Quidnam Tentatio ſit, & quotuplex. 209.a, & 269.c
Duas habet origines tentatio. 211.c
Dæmon, mundus, & creaturæ externa ſunt tentationis cauſſa. ibid.e
Caro, ſenſus, & vitia interna cauſſa. ibid c
Vtrum tentari peccatum ſit. 212.b
Quomodo intelligenda Dominicæ orationis poſtulatio. ibid.d
Pacem tentatio perturbat, gratiam autem non aufert. 213.b
Externa tentatio virtutes poſſideri demonſtrat. ibid. c
In Chriſto etiam externa tentatio reperta fuit. ibid
In perfectis viris ſolent præcipuè tentationes inueniri. 214.b
Diligentiùs ſolent tentari perfecti. ibid.
Tentatio, quæ à fomite procedit, ſi ei non aſſentiatur, culpa non eſt. 215.a
Quando appetibilis eſt tentatio, quando non. 216.d
In tentationibus gaudendum. 217.b
Tentatio probat fidelitatem. ibid.
Primi parentis tentatio optimè elucidatur. 218.b
Ordo in tentationibus. ibid.
Quidnam humana tentatio ſit. 219.d
Quæ tentatio appetenda. 220.a
Fortiſſimi eſt tentationes non timere. ibid.
Initio maximè tentationi reſiſtendum. 221.a
Tentatio ſuperanda: illa enim Deus nos coronat. 221.e
Quonam pacto Deus tentator & intentator appelletur. 222.b
In tentatione noſmetipſos cognoſcimus. 223.a
Ad noſtram vtilitatem tentatio. ibid.
Feneſtræ tentatio comparatur. ibid.
Vt nos iuſtos cognoſcat, tentat Deus. ibidem.
Vt peccata etiam noſtra caſtiget. 224.a
Nec non vt nos maiori gloria coronet. ibidem.
Quanta nos excitent, vt tentationes vincamus. 225.a
Tentationum victor Deum veracem, ſe iuſtum reddet. 226.a
Hoſtes, quibus cum nobis eſt pugna in tentationibus, iam ſunt à Chriſto ligati. 225.c
Delectio animi in tentationibus per Iether filium Gedeonis ſignificatur. ibidem.
Tentationi reſiſtere ſuademur. 226.a
Mirum ſtudium in tentationibus habendum, quia contra diabolum pugnandum, qui aſtutiſſimus eſt hoſtis. ibid d, & ſeq.
Quanta ſit gloria hoſtes in tentationibus ſuperare. 228.b
Quàm innumeris tentationibus appetamur. 233.a
Summam pariunt Deo gloriam à nobis ſuperatæ. ibid.
Quàm auidè victoria tentationum cupienda. 235.c
In tentatione aperit Dominus oculos ſuper ſuos. 236.a
Quinam fructus ex tentatione. ibidem. b
Quis tentationum finis reſpectu Dei. ibid.
Tentatio victoria appellanda. 237.a
Eſt ianua ad cœlum. ibid.
Semper eſt neceſſitas in tentatione pugnandi. 239.a
Quantæ ex tentationibus promanent vtilitates. ibid.
Poſt ſuperatam tentationem datur corona. 240.a

Ad tentatioonm victoriam Eliſei exempio incitamur. 241.a
Deus in tentatione nobis murus exiſtit. ibidem.
Quomodo nos in tentationibus adiuuet Deus. 242.b
Vt vincamus Deus intellectum illuminat, & voluntatem erigit. ibid.d
Vires aduerſariorum eatenuat Deus, vt nos tentationi oon ſuccumbamus. 243.c
Aequales viribus tentationes cur dentur. 244.a
In tentationibus auxilio ſunt Angeli. ibid. c
Decem, & ſeptem contra tentationes auxilia. 245 a
Tentatioonm victores præmio donantur. 246.d
Multis nos modis tentatio illuminat. 247.c
Illius vox inſtar tonitrui non excitat. ibid. d
Tentationibus propria imbecillitas experitur. 248.a
Quonam modo diſcat tentatus aliis compati. ibid.
Tentatio purgat à peccatis, vitiis, præſomptione, iactantia, ſtultitia. ibidem. b
Experimentum eſt tentatio, quo amor, fidelitáſque in Deum cognoſcitur, ibidem. d
Tempus Dei tentationes appellantur. 249.a
A peccato tentatio præſeruat. ibid.b
Eſt ſal liberans à corruptione. ibidem.
Tentatio fiduciam pellit. ibid d
Feruorem ſanctum immittit. 250 b
In tentatione, vt pueri ad matrem metu compulſi accurrunt: ſic nos ad Deum. ibid. c
Animum à ſuperbia tentatio liberat. ibidem. d
Cur à Domino tentationes permittantur. ibid. c
Tentatione tamquam oculis noſtram pauperratem videmus. 251.c
Amorem Domini conciliat. ibid.
Veras diuitias, hoc eſt, virtutes auget tentatio. 252.a
Tentationes nubibus comparantur. ibidem.c
Virtutes in lucem edit tentatio. ibid.c
Vincentem tentationes magnificans, Deúmque maximopere glorificant. 253 b,& c
Nos Chriſto tentationes aſſimilant. ibidem. d
Quid ſit per omnia tentari. ibid.e
Tentatio animos conſolatur, atque tranquillat. 254 b
Tentatos coronat. ibid.d
Sine tentationum experimentis nulla ſunt opera. 255.a
Quæ mala ingerat non ſuperata tentatio. ibid. b
Quænam ſint cauſſæ, propter quas tentatione fœdemur. ibid.e
Septem ſunt tentationum genera. 256.a
Importuna illa tentatio dicitur, quæ ſæpe occurrit, & quam amouere ægrè poſſumus. ibid.d
Tentatio febri comparatur. ibid.
Muſcæ etiam, ſi moleſta tentatio ſit. 257 b
Dubia tentatio dicitur ea, quæ animum diſtrahit in partes dubium ſui. ibidem.
Tentationes principes appellantur. ibidem.d
In quibus nos tentationibus defendat Deus, in quibus non item. 258.e
Occulta tentatio eſt, quæ rebus agendis eſcat negligentiam. ibid.d
Quiſnam ſe in huiuſ occultæ tentationis plagas inducat. ibid.
Dæmonis eſt pedica, ac decipula tentatio. ibid.e
Violenta tentatio nuncupatur, cui ægrè quidem reſiſtitur. 259.e
Qui fuerint huiuſmodi tentatione vexati. ibid.
Cur eadem incurſus vocitetur. ibidem. e
Fraudulenta tentatio eſt, quæ animum decipit. 260.a
Hæc tentatio etiam lingua doloſa appellatur. ibid.b
Mentis cæcitate tentamur à dæmone. ibid.
Tentatio fraudulenta vulpibus paruulis comparatur. 261.a
Perplexa tentatio, quæ nos variis ſimul vitiis impugnat. ibid.b
Sæuæ eſt tempeſtati quam ſimilis tentatio. ibid.
Homini in loco vliginoſo conſtituto confertur. ibid.
Septenario numero tentationes comprehenduntur. 262.a
Remedia generalia tentationibus ſuperandis ibid. d
Primum eſto, ne imparati offendamur ab hoſte. 263.a
Imparati ad tentationem ſymbolum extitit Abſalon. ibid.
Secundum Ea, quæ ad vincendum accendant, conſiderare. 264 a
Iuuat Chriſti ſanctitatem penitus expendere. ibid b
Diuinæ potentiæ contemplatio mirum in modum ad tentationem fugandam conducit. ibidem.
Diuinæ legis meditatio magno eſt emolumento. ibid.e
Quænam intellectum illuſtrent vt tentationes depellantur. ibid. d
Honeſtatis deſiderium, promiſſiones, ſpes, ac denique timor nos ad vincendum incitant. 265.c
Quæ iuuent in ipſa tentatione. 266.b
Ad alia diuertere quàm ſit vtile. ibidem.
Nec non in ipſa tentatione non deiicere. ibidem. c
Iuuat item adorientes cogitationes inquirere. ibid. e
Principiis tentationum obſtandum Machabæorum docemur exemplo. 267.b
Inuocandus Deus, Beatáque Virgo, vt tentationes vincamus. 268 b.c
Spirituali magiſtro conſcientiam aperire mirum in modum vincit tentationes. ibid. d
Tentatis compati tentationes expellit. 269 a
Scriptura ſacra tentationes expellimus. ibid.
In tentationis bello, ea, quæ in bello terreno, diligenter obſeruanda. ibidem. e
In tentationis pugna ſtultitiæ eſt à ſe ipſo per diſtractionem deſidere. ibid. e
A duce ſpirituali ſecedere, & loca imparata ſeligere in tentationis bello, ſtultitia ducitur. 270 d
In tentationis certamine nec aditus hoſti aperiendi, nec cum illo ineunda fœdera. 271.a
Stultum eſt difficillimis rebus tentationes abigere, ſi facillimis poſſis. ibid.c
Contrariis rebus tentationibus reluctandum. ibid e
Armis, quæ nec natura ſuſtineat, contra tentationes dimicandum non eſt. 272.b
Tentatio aliis exemplo bono eſt. 254.e
Impotentiate ſaltem tentatio deuincit. 256. d
Subita tentatio eſt, quæ nos ſubcenturiata adoritur. 258.a
Non oportet animum in tentatione deſpondere. 273 a
Res ſunt nobis eligendæ, quibus in tentationibus superemus. ibid e
Contra præcipuas, maioréſque tentationes arma paranda. ibid.e
Tentationes tot, quot numerari præ multitudine nequeant. 274 c
Aliæ ſunt tentationes imperfectorum à perfectis. 275 a
Deſperatio vincendi tentationes vnde proueniat; & quibus hanc præſidiis valeamus depellere. 278.d
Tentatio de ſtatus mutatione quibus modis ſuperanda. 280 a
Exhortatio ad vincendas tentationes. 303 b
Mentis gaudium ad eaſdem exuperandas quantopere iuuet. 302. a
Quænam vtilitas ex tentatione victa efflorescat. ibid.
Tentationes non ſentire Angeli, non hominis eſt. 309.c
Bellum quoddam eſt tentatio, & quomodo cum humano bello conueniat. 357.d
Tentationum victoria in hoſtium ſubiectione conſiſtit. 353 b
Tentationes vincenti mentis tranquillitas pollicetur. 361.b
Tentationum victoribus quanta promittat Deus. ibid.
Pro vincendis tentationibus oratio. 307 b

Ternarius.

Ternarij myſterium in loco Pauli. 91.a

Terra.

Quare in fine igne terra purganda. 18. c

Timor.

Timore Dei peccata reiciuntur. 35.a
Timoris variæ diuiſiones. ibid.
Quæ, & quot timorem incutiant. ibidem.
Timor amiſſæ gloriæ. 36 a
Initialis timor pœnam meruit, & culpam. ibid.d
Filialis timor ſanctus, & caſtus nobis ſpem ingerit. 37.c
Diuina miſeratio timori ſemper iungenda. 38.b
Timor pellit peccatum, & eſt ianua amoris. ibid.
Timor malus quomodo cohibendus. 564 b
Quid ſit timor: ad comparandum incitamenta; illius actiones, & pro eodem acquirendo flagitatio. 604.b
Quonam modo humilitas ſit omnis timoris initium. 1296 b
Filialis timor quanam ratione humilitate iuuetur. 1299.c
Inordinatus timor humilitate depellitur. 1300.a
Timoris Dei quanta ſint bona. ibidem. b
Ianua eſt vitæ, omniúmque ſpiritualium bonorum quaſi fons. 1301 a

Tribulatio.

Tribulatio eſt virtus Dei. 1312.d
Quidnam operetur in illis, qui eam patienter accipiunt. ibid.
Igni tribulatio comparatur. ibid.
Humiliter ſuſcepta tribulatio inſtar ignis illuminat. 1313 b
Tribulatio docet nos, quid de mundo, de nobis, de hominibus, deque anteactis operibus ſentire debeamus. ibid.
Patienter tolerantis fortitudinem, & robur impertit. ibid. e
Tribulationis fructus multiplex. 1314.c

Cum tribulamur, in proximos ne iraſcantur appoſita comparatione monſtratur. 1315.c
Magnum gloriæ pondus, quod tribulationi promittitur, explicatur. ibid.d

Triſtitia.

Quænam triſtitia cenſenda bona. 6.a

Tuba.

Tubæ ductiles quid nobis protendant. 4.a

V.

Valetudinarius.

QVo'nam'modo ſe gerere debeat valetudinarius, & quàm ſit obſeruaturus paupertatem. 1423.c

Vana gloria.

Inanis gloriæ pulus quàm facile præcordiis adhæreat, & quod contra illam remedium. 1262.b

Vecordia.

Cauſſa vecordiæ triplex. 175.d

Velum.

Tabernaculi velum ex purpura, byſſo, & hyacintho gloriam tribulatione partam ſignificat. 237.b

Verbum.

Ineptum verbum flamma eſt de ore dæmonis. 420.c
Multa verborum genera à quibus nos mortificare oporteat. ibid.d
Impura ſomniorum verba ludificationibus comparantur. ibid.e
Cordis nauim ſubmergere ſolent impudica verba. 421.a
Verba amatoria, profanáve fugienda. ibid.
Scurrile verbum procul ab ore. 422.a
Otioſa verba dæmonem habent auctorem. 423.d
Laudantium verba fugienda. 415.a
Verba qualia futura, & quid in illis ſeruandum. 1346.e
Vide etiam, Loqui, Lingua, Multiloquium.

Verbum Dei.

Quomodo ex Dei verbo fructus acquiratur. 1009.d
Qui verbum Dei nobis proponit, vt Deus audiendus. 1010.b

Veritas.

Quæ virtus, quæ illius actiones, ad eam incitamenta, & pro comparanda poſtulatio. 697.c
In tentationibus ſcutum eſt veritas. 257.b

Veſtis.

Qualis futura veſtis religioſorum vere humilium. 1324.a
Vide, Somnus, & Mortificatio corporis, quoad cultum.

Victoria, & Victores.

Vitiorum victoria maximam Deo gloriam parit. 233.d
In victoria quinam fortiores. 235.b
Quàm audè victoria peccatorum eſt cupienda. ibid.e
Præmio benè magno nos victores peccatorum donat Deus. 236.a
Tentationum victoria nos in cœlum extollit. 239 d
Nos item ſanctos efficit. ibid.
Victoriam tentationum corona ſubſequitur. 240.a
Eliſei exemplo ad victoriam adſequendam inuitamur. 241.a
Quomodo nos in victoria adiuuet Deus. 242 b
Deus in nobis, nos cum Deo vincimus. 244.b
Tentationum victores quanta maneant præmia. 361.b
Victores præmio donantur. 246.d
Aliorum victoria animum ſumimus 254 c
Victoriæ deſperatio vnde proueniat; & quæ contra hoc remedia. 278.d
De tentationum victoria non eſt deſperandum. 401.b

Villicus.

Peccatori ſimilis exiſtit villicus. 18.b

Vinum.

Vini cum peccato comparatio. 15.d
Luxuriæ æſtum vinum accendit. 1543 a

Virginitas, & Virgo.

Virginitas quæ virtus, illius actiones, incitamenta ad eam: & pro eadem poſtulatio. 719.b
Quanti virgines Helena Imperatrix fecerit. 1479 c
Magnificum in cœlo præmium virginitatem manet: & quod ad quantum illud ſit, quibúſque virginibus detur. 1521.d, & ſeq. & 1525.b
Virgines locum habent altiorem, nomenque præſtantius Angelis, animabuſque imperfectis. 1523.c
Quid ſit virgines nomen Chriſti, & nomen Patris in frontibus geſtare. ibid.e
Quid ſit Virgines agnum ſequi. 1524.a
Virginum gaudia quantum non virginum ſuperent. ibid b
Quid ſit agnum ſequi quocumque ierit. ibid.e
Virginitas quoddam martyrij genus eſt. ibid.
Virgines, non homines, ſed Angeli nominantur. 1525.b
Virgines ſponſæ ſunt Chriſti. ibid.e
Quales virgines in ſponſas Chriſtus deſideret. ibid.
Quanta ſit eſſentialis gloria, quæ virgines manet in cœlo. 1526.a
Virginibus datur laureola virginitatis: & quænam illa ſit. 1527.a
Aquarum multarum ſonitui ſimiles virgines. 1528.b
Virginum vita quaſi tonitrui magni vox. 1528.d
Ex Chriſti humanitate velut ex nube virginitatis tonitruum egreſſum eſt. ibid.
Homines rapti in admirationem virginitas. ibid.
Virginum vita ſonitus eſt citharæ à periti ſſimo citharœdo pulſatæ. 1529.e
Virginis corpus cur citharæ comparetur. ibid.
Virgines Deo ſunt ſimiles. 1530.a
In Eccleſia virgines maximè honorantur. ibid e
Quanti apud gentiles habita Virginitas. ibid.d, & 1531.b
Conſilium Dei ſola ſcribitur, noſſe virginitas. ibid.
Hiſpanæ virginis apud Chilenſes miræ virginitatis exemplum. ibid.
Liliis in multis virgines comparantur. 1532 e
Virginum multiplicatio omnibus admirationi fuit. 1533.d
Sabellici, Solinique verba de virginum multiplicatione mirabili. ibid.
Quodnam ratione caſtitatis Catholica Eccleſia præmium habeat. 1532 d
Virginitate indies magis, magiſque augeſcit Eccleſia. 1535.a, & ſeq.
Quonam modo virginitate tantus filiorum proueniat numerus. 1536 d
Numerus ad reipublicæ conſtitutionem, vel ad gerenda bella neceſſarius nullo modo virginibus imminuitur. 1537.d
Quanam ratione multiplicatio virginitatis præmium exiſtat. 1540.a

Virtus, & quæ ad illam.

Virtus, & ſapientia, in emundatione animæ æquè ſe habent. 3.b
Virtutis pulchritudo omni præfertur pulchritudini. 12.e, & ſeq.
Virtus gratior, quæ à corde puro Deo offertur. 74 d
Vt virtus acquiratur omnia ſunt vitia vitanda. 112.d
Sine virtute pax nulla. 362.b
Virtutes mortificatione comparantur. ibid.e
Munus Theologicarum, Moraliumque virtutum. ibid.d
Paſſiones ſedatas prærequirit virtus. 364.d
Virtutum theſaurus ingenti labore quærendus. 366.d
Per ſcalam Iacob figurata fuit virtus. 594.c
Quæ tandem virtus per hanc ſcalam aſſequatur. 595.e
Promittitur ab Auctore docenda virtutis parandæ via. 596.b
Ex Ariſtotele, Baſilio, Auguſtino, Bernardoque deſcribitur; quibus ſuam addit auctor. 598.b, & ſeq.
Supplementum naturæ, mentis ornamentum, ac boni operis facilitas appellatur virtus. 599.d, & ſeq.
Virtute benè, ſanctéque viuimus. 601. b
Eadem peccatis, vitiiſque reſiſtimus. ibid.d
Tres rationes boni in virtute maxime reperiuntur. 603.b
Virtus eſt bonum honeſtiſſimum, immo ipſa honeſtas. ibid.c, & 605.e
Qua nam ratione virtus homini dicatur naturalis. 603.d
Cætera alia ſine virtute hominem bonum non efficiunt. 605.a
Virtus quaſi imbibitum in ſua ratione Deum habet. 606.a
Studioſas actiones magno valore virtus nobilitat. ibid.e
Auro contra emenda virtus. 607.a
Virtus eſt bonum omnium vtilium vtiliſſimum. 608 a
Reliqua omnia virtutis ergò vtilia ducuntur. ibid.b, & ſeq.
Noſtræ veræ opes eſt virtus. 610.c
Totius eſt proſperitatis cauſſa: & impoſſibilia reddit poſſibilia. 611 b
Nihil eſſe vtile præter virtutem latiſſimè declaratur. ibid.c
Quanta ſit cum diligentia quærenda virtus ſi ſola illa vtilis. 613.b
Vtrum virtus voluptatem habeat, cùm illi voluptas dicatur eſſe contraria. 614.b
Quanta ſit, quámque maxima virtutis voluptas. 616 e
In ſola virtute pura voluptas. 617.d
Reliqua omnia à virtute, moleſta, & inſuauia. 617.e
Quanta iuſti præſtent hac virtutis ineſcati voluptate. 618.c
Quanta ſit virtutis pulchritudo: & quibus illa rebus comparetur. 610.b
Illuſtris ſanè eſt ſtellarum, gemmarumque cum virtute collatio. ibid
A virtute numquam poteſt pulchritudo diuelli. 621.d
Pulchritudo virtutis ſimilis eſt Dei pulchritudini. 622.a
Virtus viro iuſto eſt adinſtar pretioſarum veſtium. 622.d
Virtutis pulchritudo Dei ſibi, Angelorumque conciliat amorem. 623. d
Virtutes omnes neceſſarias eſſe probatur. 624.e
Virtutum veſtem debemus induere ni à Dei conuiuio velimus excludi. 625.c
Eſt virtus veſtis polymita Ioſeph. 627 c
Eſt myſtica illa Ezechielis aqua, & panis, quo in hac vita ſuſtentamur. ibid. d
Eſt item pædagogus erudiens quomodo debeamus ſine querela conuerſari. 628.c
Eſt etiam veluti Dux, qui ſummi Imperatoris facit obſecundare mandatis. ibid.e
Animæ inſuper eſt arca virtus, ne ſubmergatur, inſtar Noe arcæ intrinſecus, & extrinſecus eſt anima virtutum bitumine linienda. 629.b
In arca illa fœderis virtus nobis egregie oſtenditur. ibid.
Quamuis non omnes virtutes in eodem gradu neceſſariæ cenſeantur; nulla eſt tamen prætermittenda. ibid.c.& 635.e
Viri ſpiritualis officium eſt Deo virtutum

domum exædificare. 630.d
Virtutes lapidibus, vel parietibus comparantur. 631.b
Increpatio in eos, qui vni tantùm virtuti ſtudent. 631.c
Virtutes ipſæ nos, vt nullam relinquamus, aſtringunt. 632.b
Quomodo virtutes tam infuſæ quàm acquiſitæ cum charitate, vel cum prudencia connexæ ſint. ibid.d
An virtutes morales non ſolùm cum aliis, ſed inter ſe ipſas connexæ ſint. 633.a
Virtutes omnes perfectione connexæ ſunt. 634 b
Sunt etiam indigentia mutui ſubſidij copulatæ. ibid.e
Chriſtus nobis ſumptus neceſſarios virtutum templo ædificando reliquit. 639.b
Inſtrumenta virtutum quænam dicantur à ſancto Benedicto. 642.b
Primum inſtrumentum eſt virtutis cognitio. 643.a
Quàm ſit difficile veritatem virtutis agnoſcere. 644.c
Quænam ſint, quæ virtutis cognitionem difficilem efficiant. 645.d
Similitudo, quæ inter virtutes, & vitia eſſe ſolet, eandem virtutem efficit difficilem. 646.c
Secundum aſſequendæ virtutis inſtrumentum, ipſius eſt æſtimatio virtutis. 733.a
Conſiderationes quinque, quibus ad virtutum æſtimationem promouemur. 732.d, & ſeq.
Tertium virtutis aſſequendæ inſtrumentum, poſtulatio, & quintuplex illa ſit. 734.b, & ſeq.
Quis vtiliſſimus virtutes poſtulandi modus. 746.a
Pro fidei virtute poſtulanda deuotiſſima oratio. ibid.d
Quartum virtutis aſſequendæ, inſtrumentum diffidentia ſui. 749.c
Donum Dei eſt, quod non aſſequitur hominis deſudantis induſtria. 752.e
Virtus vt Dei donum ſupra nos poſitum conſideranda. 754.b
Falſæ ſunt virtutes ſine propriæ vilitatis cognitione. ibid.
Quintum comparandæ virtutis inſtrumentum: deſiderium ſcilicet ipſius virtutis. 756.d
Deſiderium virtutis nos illius capaces efficit. 759.a
Nemini ſe virtus ſine deſiderij merito offert. 760 a
Solos nolentes auerſatur; volentibus verò ſe vltro donat. ibid.
Non quocumque, ſed maximo virtutis deſiderio debemus eſſe contenti. ibid.e
Quanam ratione virtutis ſuccendantur deſideria. 762.a
Sextum acquirendæ virtutis inſtrumentum, intentio actualis operandi ex fine virtutis. ibid.d
In virtutum actionibus præpoſterus nullus finis quærendus. ibid.e
Non ſolum bonus, ſed illius, quàm deſideramus, virtutis finis germanus inſpiciendus. 765 a
Multarum virtutum finis declaratur. ibi.e
Vnius Dei amore ad virtutes debemus aſpirare. 766.c
Virtutes vel ex timore, vel ex amore operamur. ibid.
Quæ ex intentione fiunt optima pulchris columnis comparantur. 768.c
Si ex intentione optima procedant, nos diuites efficiunt. 769.a
Qui ex recta intentione operatur virtutes plenus dierum obit, & quid hæc plenitudo ſignificet. ibid.b
Septimum conſequendæ virtutis inſtrumentum, eſt robur mentis ad conſiſtendum in quærenda virtute. 770.a
Quanta ſint, quæ hominem à virtute ſequenda remoueant. ibid.
Aduersùs humanam ſtabilitatem pugnandum, vt virtutes acquiramus. 771.e
Nulla corporalis neceſſitas debet nos a virtutis ſtudio remouere. 772 d
Ad virtutis difficultatem ſuperandam mentis robur diuina gratia ſuffultum ſufficere declaratur. 773.c
Octauum inſtrumentum aſſequendæ virtutis, peculiaris cura in vitiu cuique virtuti contrario eliminando. 776.a
Quanta ſit cura virtutibus inſiſtendum. 788.a
Quòd nullus finis debeat eſſe exercendæ, aſſequendæque virtutis. ibid.
Licet ad virtutis faſtigium momento nos Deus poſſit euehere; eam tamen nos paulatim gaudet comparare. 789.c
Circa ſpeciales virtutes ſpecialis cura eſt adhibenda. 790.b
Nonum adipiſcendæ virtutis inſtrumentum eſt, ipſius virtutis exercitium, quod requiri optime demonſtratur. 825. a, & 830 a
Ad virtutum exercitium timor diuinæ comminationis impellit. ibid.d, e
Virtus interius, & exteriùs exercenda. 831.e
Ad virtutum exercitium docemur Chriſti exemplo. 832.a
Vna actione virtutis aliam nos Chriſtus edocebat. 834.d
Quàm ſint firmiſſima virtutis opera, quæ a recta intentione procedunt. 836.e
Internæ virtutes quomodo exercendæ. 837 e
Quantò nobiliores interni virtutum actus, quantùmque illis anima decoretur. 838.e
Eas virtutes à quolibet iuſto exercendas eſſe, ad quas vocatur: ac de feruore in exercitatione ſeruando. 840.e
Communes, peculiareſque vocationum virtutes; & quonam modo exercendæ. 841.e
Tam communes, quàm peculiares virtutes diligenter exercendæ. 844.e
Decimum aſſequendæ virtutis inſtrumentum: Nulla ſcilicet ipſius exercendæ omiſſo. 848.a
Quanta ſit dementia virtutis comparandæ occaſionem pati dilabi. 849.a
Occaſiones exercendi virtutes, occaſiones ſunt augendi virtutes. ibid.e
Non ſolum peccatores, ſed vniuerſæ creaturæ, rerùmque auctor nos docent exercendi virtutes occaſiones amplecti. 850.d, & ſeq.
Ad aſſequendas virtutes huius vitæ tempus nobis eſſe conceſſum. 852.d
Quàm vtile inſtrumentum ſit etiam virtutibus aſſequendis regularis vitæ ſequela. 854 e
Diligens Regularum cuſtodia aptiſſimum acquirendis virtutibus inſtrumentum. 861. d, 864.c, 865.c, 867.a, & 868.a
Virtutis in Theologicam, & Moralem tum partitio, tum definitio. 648.a
Virtutes quatuor Morales quatuor angulis domus Iob; paradyſi fluminibus: quatuor deambulatoriis Salomonis; altaris cornibus, tentoriiſque coloribus comparantur. ibid.d
In infuſas, acquiſitaſque partiuntur, & quæ dicantur virtutes infuſæ, quæ acquiſitæ. 650 a
Quibus gradibus virtus comprehendatur. 651.e
Adeptæ virtutis indicia quinque explicantur. 732.d
Virtutes ordine ſunt acquirendæ. 741.e
Quanta ſit ſcientia, virtutiſque cognitio in lege gratiæ. 825.a, & ſeq.
Virtus probè cognoſcitur, ſed non ideo poſſidetur. 828.e
Si à virtutum actionibus ceſſemus, illas non obtinebimus. ibid.
Virtutes occultandas Chriſti docemur exemplo. 833.d
Externæ virtutes ſpirituali viro maximè commendantur. 836 d
Internæ virtutes pluris faciendæ. 837 b
Inter internas, externaſque virtutes notanda diſcrimina. ibid.
Virtutem vnam ad alterius adeptionem admodum eſſe vtilem. 839.e
Ad virtutes magno cum feruore comparandas exhortamur. 845 e
Virtutes pro diuerſitate ſtatus aliter, & aliter exercentur. 863.b
Minimarum rerum obſeruationem virtuti neceſſariam. 883.e
Virtutis ſectatores in amicitiam aſciſcendi. 901.d
Duodecim inſtrumenta aſſequendæ virtutis alibi longius explicata, perſtringuntur. 903.e
De quotidiana exercitatione virtutum agitur libro tertio per integram quintam partem. 905.
Eligendus eſt per ſingulos menſes ſanctus aliquis ad profectus virtutis adiutor. 1015.d
Nulla virtus extra domum propriæ accuſationis exiſtit. 1275.e
Virtus Chriſti quid ſit. 1312.b
Pro virtutum adeptione Oratio. 1049.a

Viſus.

Vide, Mortificatio oculorum.

Vita communis vel regularis.

Virtutibus comparandis mirum quantum iuuet vita communis, ſiue regularis. 854.e
Regularis vita deſcribitur. 855.a
Magnis viris vita communis, & regularis cordi ſemper fuit. 856.e

Vitis.

Vitis Humilium typus: déque regno ſibi delato à lignis in Humilium laudem. 1267.e

Vitium.

Quanam ratione vitium extirpandum. 93.a
Quanti ſit momenti vitium radicitus euellere. ibid.e
Vt iniquitatis conſiliarij à latere dimouenda vitia. 94.e
Noxiis humoribus vitia comparantur. 95.e
Quibus hæc remediis profligentur. 96.e
Octo nationibus ab Hebræis debellatis vitia conferuntur. 106.b
Quid ſit vitium. 107.a
Quot vitia, tot dæmones. 108.a
Funditus ſunt euellenda vitia. ibid.
Digladiantur inter ſe vitia. 109.a
Vitia quænam infligant animæ damna. 110.a, b
Vitia reddunt hominem infeſtum ſibi ipſi, inuiſum Deo, nec non aliis. ibid.d
Vitij ſymbolum Iſmahel. 111.a
Ad vnum reſecanda vitia, ſi tranquillam velis vitam degere. ibid
Vitia fugienda, vt virtutem acquiramus. 112.b
Amicis Iob vitia ſimilia. 113.c
Quàm ſint proxima vitia virtutibus, ideo diligenter diſtinguenda. ibid.
Fortiter pugnandum eſt, ſi victoriam affectamus vitiorum. 114.b
Auxilium à Deo, B. Virgine, Sanctiſque implorandum ad hanc luctam. 115.a
Studiis, & aliis bene multis rationibus extirpantur vitia. ibid.b
Vitiis initio maximè reſiſtendum. 116.c
Contrariis virtutum actibus internis, & externis expugnanda vitia. ibid e

Minima quæque vitia grauiter caſtiganda. 118.a
Non omnia vitia, ſed præcipuum bello appetendum. ibid.
Attentio fugiendis vitiis neceſſaria. 119.b
Orationibus, ac bonis aliis operibus vitia fugantur. ibid.c
Deo eſt vitiorum expugnatio tribuenda. ibid.d
Ni victores euaſerimus, deſpondere animum non oportet. 120.b
Cum vitiis non ineunda eſt pax. 204.a
Seſe nobis ſubiicere nimium quantum vitia detrectent. ibid.
Vitium leoni, & morbo comparatur. ibid.
Penitus vitia debellare pax eſt ſumma. 205.a
Vitij victoria Deo referenda. 208.a
Repentè vitium pullulat. ibid.
Subiugari, ſed non exterminari vitium poteſt. ibid.
Præcipuo vitio ſuperato, reliqua fugiunt. 209
Vitia virtutes ſe eſſe mentiuntur. 645.d
Vitia, quæ virtutes apparent, diligentiùs ſunt fugienda. 647.c
Contra peculiaria vitia ſingulari dimicandum certamine. 782.a, & 787.a
Quanto ſtudio vitia euitanda atque fugienda. 806.c

Vocatio.

Non omnes iuſtos ad eandem vocationem eſſe vocatos. 840.c
Ab ipſius Eccleſiæ natura vocationum diuerſitas declaratur. 841.d
Quænam ſint cuilibet vocationi communia, quæ verò peculiaria. ibid.c
Reprehenduntur, qui propriæ vocationis munera nequeunt adimplere. 842.b
Omnia à noſtra vocatione aliena fugienda; & quæ iſta. 857.c
Vocationis noſtræ dies ſingulis annis celebrandus, & quomodo. 1021.b

Voluntas.

Sine voluntate peccatum nequit committi. 11.c
Cur dicatur propria. 529.b
Voluntas propria quàm ſit deteſtanda ob probra, quæ in illam congerunt ſancti. ibid.
Soli Deo propria voluntas competit. 531.d
Parum intereſt omnia relinquere, niſi propriam deſeras voluntatem. ibid.
Voluntates propriæ filiæ vana, & inutilia deſideria. 533.a
Quidnam propriam comprimat voluntatem, quid verò perficiat. 1303.a
Fiat voluntas tua Humilium vox. ibid.c
Propria voluntas ab Humilibus maximè fugienda. 1304.b
Quonam modo propria voluntas cohibenda. 1305.c
Ingens malum eſt propria voluntas: nam fera eſt, æternæque damnationis via. 1324.a
In omnibus tum internis, tum externis, tum ſpiritualibus, cùm temporalibus propria eſt abiicienda voluntas. 534.d
Tanquam holocauſtum eſt Deo præ omnibus offerenda voluntas. 531.d
Ex propriæ voluntatis abiectione tranquillitas animi dependet. 538.d
Vide, Mortificatio propriæ voluntatis.

Votum Religioſorum.

Tria Religioſorum Vota aliarum ſunt virtutum ſeminaria; necnon perfectionis exordia. 1363. & ſequent.
Quonam pacto aliarum virtutum ſeminaria dicantur. ibid.
Nos Deo Religioſorum vota gratiſſimum holocauſtum efficiunt. ibid.
Ad Theologicas Virtutes Religioſorum vota quodammodo ſuam poteſtatem extendunt. 1364.c
Vide ſigillatim quodlibet in quauis vniuſcuiuſque tractatione.

Vſus rerum.

Vide, Paupertas.

Vua.

Vua peccato ſimilis exiſtit. 21.c

Vxor.

Sanctitatis impedimentum eſt vxor. 1470.c
Nihil magis quàm vxor ſibi fugiendum dicebat Auguſtinus. 1471.a
Sollicitudinis cauſſa eſt vxor. ibid.b
Sapienti viro non ducenda, & quare. 1490.c

Z.

Zelus nimius.

Quotuplex ſit zelus. 292.b
Quanam ratione temperandus. ibidem. d
Zelantes corporis afflictionem, Religioſamque diſciplinam quonam ſibi modo debeant temperare. 293.c
Importabilis ſine ſcientia zelus eſt. 294.a
Quidnam zelus honoris Dei, & animarum ſit, quæ ad illum incitamenta, eiuſdem actiones; & pro aſſequendo poſtulatio. 669.c
De zelo honoris Dei: vide, Deus.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

LVGDVNI,
Typis Ioannis Iullieron,
ANNO MDCXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8 — 1